UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff. Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris; Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer

**Poncius, Joannes**

**Lugduni, 1659**

urn:nbn:de:hbz:466:1-95688

Visual Library

Th. 947a.

T. VIII. 18.
9.

R.P.FR. IOANNIS

# PONCII,

# CVRSVS PHILOSOPHICVS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. FR. IOANNIS

# RONCII,

## CVRSVS

## PHILOSOPHICVS.

R.P. FR. IOANNIS

# PONCII,

## CORCAGIA-HIBERNI,

ORDINIS FF. MINORVM,

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS IVBILATI,

Olim in Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;

# PHILOSOPHIÆ

## AD MENTEM SCOTI


## CVRSVS INTEGER.

*PRIMVM QVIDEM EDITVS IN COLLEGIO*

*Romano Fratrum Minorum Hibernorum.*

NVNC VERO DEMVM AB IPSO AVTHORE

In Conuentu Magno Parisiensi recognitus, ac mendis quibus scatebat, expurgatus: insuperque Morali Philosophiâ, variisque Additionibus locupletatus.





LVGDVNI,

Sumpt. IOANNIS ANTONII HVGVETAN,
& MARCI ANTONII RAVAVD.

*M. DC. LIX.*

Cum Permissu Superiorum & Approbationibus.



ILLVSTRISSIMO DOMINO D.

# CLAVDIO DE MESMES, COMITI D'AVAVX,

## Regiorum Ordinum Commendatori, ſupremo ærarij Præfecto, nec non vni è Regni Galliæ Miniſtris.

ME non patriâ tantùm, ſed educatione etiam toti Galliæ externum, ad TE, ILLVSTRISSIME DOMINE, patrocinium tuum meo huic operi imploraturum confugere, vix vllum mirari poſſe exiſtimo, quia vix vllus eſt, qui ignoret neminem Tibi externum videri, qui Tui ſimilis operam ſuam in id impendit, vt non vni ſolùm illi, cui natalitia debet, Prouinciæ, ſed omnibus vtilis eſſe poſſit. Itaque cum hanc eſſe nobiliſſimi animi Tui indolem, etiam in locis valdè diſſitis intellexiſſem, & in me pariter non mediocre deſiderium illuſtrandæ pro viribus Reipublicæ litterariæ, ad commune Vniuerſi beneficium expertus eſſem, non poteram timere mihi defuturam illam tuam longè, latéque diffuſam humanitatem, quæ nulli vnquam ad eam confugienti non adfuit; nec in tanta virorum Illuſtrium copia, quæ operis mei nuncupationem meditanti obuerſabatur, vllum potui Tibi præferre, aut reperire, ſub cuius auſpiciis mallem, aut hoc, aut alia mea opera iam prælo parata, in lucem prodire. Quod enim Scriptores, maxima ex parte, in ſuarum lucubrationum dedicatione potiſſimùm ambiunt, ſeipſos ſcilicet, ac opera ſua commendatiora reddere, qua ratione id ego meliùs aſſequi poſſem, non vidi, quàm ſi permittere dignareris nomine Tuo, totâ Europâ celeberrimo, frontiſpicium meæ Philoſophiæ decorari: ſic enim futurum arbitrabar, vt ſi quid vnquam ſplendoris à quopiam, quantumuis rerum geſtarum gloriâ, & propriarum virtutum meritis eximio, poſſet in operis alicuius commendationem deriuari, id omne à Te longè eminentiùs communicaretur, qui vnanimi omnium ſuffragio, eam dignitatem es conſecutus, quam nemo ſine virtutum omnium præſidio, geſtíſque præclariſſimis obtinere poteſt. Ad quas virtutes, cùm innata quædam propenſio à Maioribus longa ſerie per multas ætates deducta, animum tuum impuliſſet, & ipſe naturæ tam ingenuæ, ac beneficæ non ingratus, omni conatu, ac ſollicitudine, quod hæc incæperat, perficere contenderes, primùm in ipſa adoleſ-

centia mentem tuam omni scientiarum genere, respondente votis ingenio ad miraculum eximio, instruxisti; deinde nunquam intermisso, quantùm ea in ætate licuit, virtutum omnium cursu, in quibus potissimum huius vitæ fælicitatem collocatam esse didiceras, viri non ad priuatam solùm, sed ad communem vtilitatem, magno huius æui beneficio nati, cum apud omnes, tum præcipuè apud Ludouicum XIII. eam consecutus es opinionem, vt protinus ad grauissima cum exteris Principibus negotia tractanda admotus fueris. Vnus eras scilicet, qui moli tantarum rerum ferendæ par esse posse videbaris. Cui certè opinioni, quam egregiè responderis, non *Gallia* tantùm, quæ eam de Te spem meritò conceperat, sed *Italia*, *Dania*, *Suecia*, *Polonia*, *Belgium*, *Germania*, quibus in locis iam à viginti duobus annis extra proprios lares, patriâ ipsâ patriæ vtilitati postposità, amplissimis legationibus functus es, abundè testantur. Eo in munere, cum summam & Regi fidem, & patriæ pietatem præstares; eâ tamen integritate, & sinceritate apud alios Principes, quæcumque agenda erant, tractauisti, vt cum non, nisi quod iustum erat, idque summa non prudentia tantùm, sed dicendi gratia proponeres, si quid est, quod non es assecutus, id tamen vel renuentibus concedendum videretur. Sed cum hæc Tua prudentissima integritas vbique se omnium animis insinuaret, tùm demùm maximè enituit, quando Christianissimi Regis Plenipotentiarius per annos quinque *Monasterij VVestphalorum*, quam poteras maxima cura, & sollicitudine infelices illas animorum dissensiones, quibus tanto tempore tota Europa inuolui se ingemiscit, ad tamdiu hucusque frustrà expetitam pacem componere satageres. Quamuis vero votis Tuis, hoc est totius Christianitatis, exitus nondum omni ex parte responderit, ea tamen cum tuis Collegis semina iecisti, coluisti, rigasti, quibus, si incrementum Deus dederit, dubitandum non est, quin ad maturam plenamque segetem perueniant. Omnino, reliquisti regiones albas ad messem, dum pacem Germanicam inexhausto, ac penè incredibili labore ad vmbilicum perduxisti; Hispanicam penè affectam tantum non perfecisti. Hæc autem quamuis, vt in se maxima, ita totum cuiusuis hominis studium desiderare videantur, numqnam tamen Tibi impedimento fuere, quo minùs grauissimis negotiis horas aliquas animo per litteras ac pietatem colendo subtraheres, ea posteà, vt rectè arbitrabaris, tantò meliùs tractaturus, quantò & per pietatis exercitia Deum Tuis consiliis fauentiorem haberes, & per litterarum studia prudentiam, sine qua rite peragi non possent, aut augeres cumulatiùs, aut solidiùs confirmares. Ad hæc omnium animos Tibi vbique deuinxisti singulari beneuolentia & caritate, qua tùm viros omnes quocumque genere eruditionis & doctrinæ commendatos, tùm verò maximè Religiosos complecti solebas, quorum nemo vnquam accessit, qui Te non tam Patronum, quàm Parentem agnosceret. Quæ sanè omnia, & plurima alia animi tui Ornamenta, quæ hic commemorare non libet, sæpius à me cum admiratione considerata, id tandem effecerunt, vt, cùm sub nullius alterius auspiciis Cursum hunc Philosophicum gloriosiùs in lucem prodire posse viderem, nihil magis ambirem, quam vt id Te permittente facere liceret, quod & ab humanitate tuâ facilè impetraui. Id iam verendum maximè, ne pro eâ, qua polles ingenij subtilitate & maturitate iudicij, statim repereris nihil esse in toto opere, quod, non dicam tanto, sed nec inferioris notæ viro, consecrari mereatur. Sed huic etiam defectui ab eadem humanitate tua veniam impetrare non dubito, quam scio non

tàm

tàm facultatis meæ, aut ingenij, quàm voluntatis, ac animi rationem habituram. Cùm autem nemo, quod sciam, integram ante me Philosophiam ad mentem Doctoris Subtilis exegerit, non miraberis initia suas habere imperfectiones, quibus numquam hactenus caruere. Vale, & viue diutissimè sospes ad Regis Christianissimi obsequium, honorem Galliæ, Tuorum Ornamentum, bonorum salutem, omnium felicitatem. Ita vouet.

*Illustrissimæ Dominationis Tuæ,*

Humillimus & addictissimus seruus,
FR. IOANNES PONCIVS.



AD

# AD LECTOREM.

QVAMVIS non defuerint vnquam in Seraphica Religione post Scoti tempora, qui doctrinæ ab eo traditæ, non tam subtilitatem admirati, quam soliditatem, eam voce & scriptis diligentissimè explicatam Auditoribus cùm domesticis eiusdem religionis, tùm extraneis proposuerint; vnde & factum vt celeberrima Scotistarum deueniret schola, ac nulli sane alteri, siue Professorum numerum, siue qualitatem spectes, secunda. Quæ diligentia longe excreuit, postquam magno ac prudenti consilio à Patribus Ordinis cautum est, ne vlla, quæ ad Scoti mentem non esset, à nostris Magistris ac Professoribus deinceps proponeretur. Nescio tamen quo fato accidit, vt ex tanto numero doctissimorum Virorum, qui Philosophicum cursum iuxta Scoti principia, summa cum laude singulis annis vbique terrarum docuerunt; nullus hucusque integrum publici iuris fecerit, cum plurimi tamen secundùm aliarum scholarum principia quotannis ederentur, in quibus propria doctrina non maiori cura propugnata est, quàm Scoti impugnata. Ego certe hoc scholæ nostræ infortunium mecum sæpè deploraui, & quamplurimos alios non nostræ tantum Religionis, sed aliarum etiam, quòd tanto malo non esset prouisum, conquestos audiui: nec tamen ipse in me vnquam illam prouinciam susciperem, non solum imbecillitati meæ, ac sufficientiæ diffisus, sed expectans etiam, vt aliquis alius ex innumeris, qui sunt, magis idoneus illam aggrederetur, nisi aliquot abhinc annis à Superioribus generalibus ea cura, quantum religioso fas erat, renitenti, commissa esset; quibus cum obtemperare deberem, nec ingenium tamen aut doctrina adesset par tanto muneri, vtriusque defectum, quàm poteram maximo studio supplere conatus sum. Illud autem præcipuè mihi propositum erat, vt nostræ scholæ doctrinam non explicarem tantum, sed etiam contra omnes, quorum opera ad me peruenerunt, præsertim celebriores, ac recentiores propugnarem, idque stylo magis ad claritatem, quàm ad elegantiam opportuno. Data opera fugi non necessaria Notabilia, & quotquot adhibere debui, suis locis collocare placuit, non præponere vbi non poterant deseruire. In citationibus parcior fum, sed multo magis in adducendo aut Doctoris, aut Philosophi textu, ac magis adhuc in huius mente anxiùs explicanda, præcipuè studens conclusiones meas ratione magis probare, quàm authoritate, quæ si adfuisset, illa deficiente, præterquam quod pro ingeniorum subtilitate facile esset quæcumque verba ad quoscumque sensus trahere, & difficile nimis quid quo sensu quis dixerit probare, non aliud adiungeret ad qualificationem doctrinæ momentum, quàm quod sufficere posset ad humanam fidem generandam, quam ego certe, quod ad me attinet, non magis Philosopho, quàm D. Thomæ, D. Bonauenturæ, ac ipsimet Scoto haberi debere censeo. Hac editione, disputationes à prima ad vltimam continuata numeri serie prosequor, etiamsi varientur tractatus; & licet vnaquæque disputatio plures quæstiones, ac ex his prolixiores titulorum diuersorum interiectione diuisas habeat; tamen numeros marginales, ad citationem deseruientes, continuandos duxi, ad maiorem citaturi vtilitatem, cui sufficiet disputationem & numerum specificare sine mentione tractatus, aut quæstionis. Nauseam certe pariat prolixa, quæ debet fieri aliquorum authorum cum specificatione tractatus, disputationis, quæstionis, articuli, puncti, ac denique numeri vel paragraphi citatio. Diligentior, quàm esset necessarium, fortassis videbor in aliorum, qui mecum in conclusione conueniunt, probationibus improbandis; quod tamen studio feci, ne quis inaduertenter earum specie captus, aut in sua defendenda sententia, aut in aliorum impugnanda iis vteretur armis, quæ, cùm in aciem descenderet, perinde eum, ac si inermis esset, relinquerent. Moneo tamen, vt qui dictata conficiunt, ad instructionem tyronum, omnem huiusmodi refutationem omittant, ac partem etiam solidiorum fundamentotum, vno aut altero principaliore contenti; sic enim minus prementur immaturiora adhuc iuuenum ingenia. Hæc est, Humanissime Lector, meæ in hac parte villicationis ratio. Solùm præterea animaduersum velim, multos me habuisse amicos & discipulos Artium Lectores, qui meis dictatis vsi sunt, aliqui integre nulla facta mutatione, aliqui quoad magnam partem, plurimi quoad substantiam; ex quibus ipse non pauca hic etiam ad verbum inserui, & multo plura quoad sententiam: quod aduerto, vt si quis incidat in huiusmodi scripta, non me ab aliis sua, sed mea propria accepisse intelligat. Quod si harum lucubrationum editionem in bonum publicum, vel meæ solius Religionis cedere intellexero, animum dabit Theologicas, quas præ manibus habeo similiter imprimendi; & si quis interea pro sua charitate quos defectus in hoc opere aduerterit, mihi significare dignabitur, eos libentissime in aliis operibus vitare conabor. Ad hæc pro secunda editione addendum solummodo, iis ad quos non peruenit Cursus Philosophicus PP. Mastrij ac Belluti Venetiis impressus, non necessarias esse Additiones, quibus hanc editionem auxi, & quas propriis locis post quæstiones, quas concernebant, collocaui, præter eas, quibus respondendum erat iis, quæ in secunda parte Metaphysicæ Mastrij continentur: hæ enim, quia serius ad me peruenit illa secunda pars, cum imprimeretur Tractatus de Anima, non nisi post finem totius operis, præter duas aut tres Metaphysicæ inserendas apponi poterant; quarum Catalogum reperiet Lector post indicem rerum. Adiungerem etiam Appendicem meam Apologeticam contra eosdem, nisi & excrescceret plus iusto tomus, & sufficientia adhuc Romæ haberentur exemplaria. Quod ad errores attinet, dedi operam ad omnes, sed nonnisi ad grauiores tollendos suffeci. Vale.

APPRO

# APPROBATIONES,

FRATER BONAVENTVRA DE LA VAVX, Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obseruantiæ, Sacræ Theologiæ Paris. Doctor Regens; Magni Conuentus Lutetiæ humilis Guardianus, Regi Christianissimo à Consiliis & Concionibus, Reuerendo Admodum P.Fr. Ioanni Poncio, nostri Ordinis Sacræ Theologiæ Lectori iubilato, Salutem.

PERMITTIMVS ex animo, atque etiam exoptamus vt Liber, cui titulus est, *Integer Philosophiæ Cursus ad mentem Scoti*, Primum à te editus in Collegio Romano Fratrum Minorum Hibernorum, & postea in hoc nostro Conuentu Philosophia Morali, ac variis additionibus locupletatus, in lucem prodeat; tum quod opus nulla sit erroris censura notandum, provt ego cum aliis sacræ Theologiæ Doctor. qui meritò ipsum approbarunt, haud difficile censui; tum quod absolutissimum, singulari eruditione plenum & rationum insigni claritate ac varia subtilitate contextarum efficacitate conspicuum; adeoque Ordini nostro Seraphico, nec-non toti Reipublicæ vtilissimm. Datum in præfato nostro Conuentu Parisiensi 3. Ianuarij 1648.

F.B. DE LA VAVX qui suprà.

DIGNVS luce cursus Philosophicus editus à R. P. F. Ioanne Poncio, Sacræ Theologiæ Lectore iubilato; quippe nihil non Orthodoxum, atque Subtili Scoto dignum continet; nihil denique, aut vix aliquid est, quod addi, aut desiderari possit. Actum Parisiis, die 28. Nouemb. 1648.

F. FRANCISCVS HOSPES.
Sacræ Facultatis Theologicæ Paris.
Doctor & Professor.

IDEM etiam ego sentio.
F. FRANCISCVS FAVRE.
Doctor Theolog. Parisiensis, & Reginæ Christianissimæ Concionator.

PHILOSOPHIÆ Cursum integrum, iuxta Scoti mentem à R.P.F. Ioanne Poncio, Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato compositum, peculiari delegatione Reuerendiss. P.Fr. Vincenti Maculani Magistri Sac. Palatij accuratè perlegi, & vt verum fatear, opus approbo, laudo, miror: *approbo*, quia nihil deuium ab Orthodoxa Fide reperi, nihil obuium Philosophicæ veritati percepi; quin potius omnia sapientissima animaduerti: *laudo*, quia nedum necessarium puto studiosis Scotistis, verum etiam Thomistis, vtpote in quo quidquid pro offensione, ac defensione Scoti vsque ad hæc tempora desideratur, fideliter ac dilucide inuenitur, imò studiosis omnibus pervtile, in quo omnium authorum sententiæ iuxta propriam materiam breuiter coaceruatæ, dilucidè explicatæ, &, si opus sit, pro veritate aut ingeniosè defensæ, aut accerrimè vel impugnatæ, vel expugnatæ, reperiuntur: *miror*, quia Scotus ipse in legitimo hærede tum nominis, tum patriæ, tum ingenij vsque ad Non plus vltra contra Neotericos duplicato spiritu seipsum defendit. nisi melius dicam, *opus miror*, in quo maxime Dei prouidentia elucet, quia si Thomas Aquinas Thomam Caietanum dignum sortitus est explanatorem, condignum Ioannes Scotus Ioannem Hibernum accepit expositorem. Ideò vt æternis typis mandetur, dignissimum iudico, exopto, rogo, Romæ 10. Decembris 1641.

D. Stephanus Quaranta, Clericus Regularis S. Officij Regni Neapol & S. Congreg. Indicis Consultor.

# PERMISSIONS.

VEV l'escheance du Priuilege du Roy, accordé par sa Majesté à Antoine Bertier, Libraire de Paris, pour l'impression & debite du Liure Intitulé *Integer Philosophiæ cursus ad mentem Schoti*, Auctore IOANNE PONCIO HIBERNO Ie n'empesche Pour le Roy que ledit liure soit reimprimé & mis au iour par les SIEVR HVGVETAN & RAVOT Marchands Libraires de ceste ville auec deffences à tous autres en tel cas requises & accoustumées. Faict à Lyon, ce 13. Feurier 1659.

VIDAVD

SOit fait suiuant les conclusions du Procureur du Roy. Fait ledit an & iour que dessus.

SEVE

¶¶ INDEX

# INDEX

## Disputationum ac Quæstionum quæ in hoc Tomo tractantur.


DISPVTATIO I.

*De Ente rationis.*

QVÆST. 1. QVid sit ens rationis. fol. 27
2. An dentur entia rationis. 30
3. Vtrum negationes & priuationes sint entia rationis. 32
4. Vtrum dentur denominationes extrinsecæ, & an sint entia rationis. 33
5. An denominationes extrinsecas sequantur necessario entia rationis. 35
6. Quænam sint causæ entis rationis. 41
7. Quænam potest esse causa effectiua entis rationis. 42
8. Quonam actu intellectus faciat ens rationis, & an fieri possit ab omni intellectu. 44
9. An Deus cognoscat entia rationis. 45
10. De diuisione entis rationis. 46
QVÆST. Vltima. De primis & secundis intentionibus. 48

DISPVTATIO II.

*De natura Logicæ, seu Dialecticæ.* 50

QVÆST. 1. QVod sit obiectum scientiæ vt sic, tam materiale, quam formale. ib.
2. Quidnam sit obiectum attributionis, seu adæquatum scientiæ totalis. 52
3. De obiecto adæquato, seu attributionis Logicæ. 54
4. De quonam syllogismo agit Logica. 56
5. Quidnam dicat syllogismus formaliter, 58
6. De diuisione Logicæ in vtentem & docentẽ. 60
7. Vtrum Logica sit scientia. 65
8. Vtrum Logica sit scientia practica. 66
9. Vtrum Logica sit vna simplex qualitas. 72
QVÆST. Vltima, Quomodo Logica sit necessaria ad alias scientias. 76

TRACTATVS
De Prædicabilibus.

DISPVTATIO III.

*De Vniuersali vt sic.* 79

QVÆST. 1. QVid est vniuersale Metaphysicũ. ib.
2. De vnitate naturæ vniuersalis. 80
3. De aptitudine naturæ vniuersalis Metaphysicæ. 87
4. Ab natura vniuersalis debeat vere posse esse in pluribus. 88
5. An dentur naturæ vniuersales Metaphysicę. 89
6. De vniuersali Logico. 91
7. De prædicatione. 93
8. Quot sunt vniuersalis species. 97
9. Vtrum vniuersale vt sic sit genus ad quinque vniuersalia. 99

DISPVTATIO IV.

*De Genere.* 10

QVÆST. 1. QVodnam sit definitum in definitione generis. ibid.
2. An definitio Porphyriana generis sit bona. 104
3. Quomodo genus requirit plures species. 107
4. Vnde desumitur ratio generica, & differentiæ rerum, quæ constant genere & differentia. 111
5. Quomodo genus respicit sua inferiora. 112
6. An natura generica possit dari à parte rei absque vlla differentia positiua præter indiuidualem. 114

DISPVTATIO V.

*De Specie.* 115

QVÆST. 1. VTrum bonæ sint definitiones speciei assignatæ à Porphyrio. ibid.
2. Quomodo se habeant ad inuicem species subiicibilis & prædicabilis. 117
3. Vtrum omnes species diuersæ habeant necessario inæqualem perfectionem. 119

DISPVTATIO VI.

*De Indiuiduo, seu singulari.* 122

QVÆST. 1. QVid est indiuiduum Metaphysicum, seu primo intentionaliter consideratum. ibid.
2. Vtrum ab omnibus indiuiduis possit abstrahi aliqua ratio omnibus communis, 124
3. Vtrum natura specifica reddatur formaliter indiuidua per positiuum, vel negatiuum. 128
4. Vtrum quãtitas, aut aliquod accidens, aut collectio accidentiũ sit principiũ indiuiduationis. 129
5. Vtrum existẽtia sit principiũ indiuiduationis. 131
6. Vtrum materia sit principiũ iudiuiduationis. 132
7. Vtrum forma substantialis, seu forma & materia simul sint principium indiuiduationis. 134
8. Vtrum accidentia indiuiduentur per subiectum, vel anima rationalis per materiam. 135
9. Quid sit principium indiuiduationis rerum. 137
10. Vtrum inter indiuidua eiusdem speciei detur aliqua dissimilitudo, aut inæqualitas præter hoc quod vnum non sit alterum. 139
QVÆST. Vltima, De indiuiduo Logico, seu secundo intentionaliter considerato. 143


DISPV

DISPVTATIO VII.

*De Differentia.*

QVÆST. 1. DE diuisione differentiæ in communem, propriã, & propriissimã. 145
2. Quid sit differentia propriissima primo intentionaliter accepta. 146
3. In ordine ad quid constituitur differentia in esse vniuersalis. 148
4. Vtrum differentia inferior includat genus, aut differẽtias superiores, aut includatur in illis. 150
V. An quælibet species infima habeat differentiam vnam simplicem. 152
QVÆST. Vltima, De definitione differentiæ secundo intentionaliter, seu Logicè sumptæ. 155

DISPVTATIO VIII.

*De Proprio.* 157
QVÆST. 1. QVodnam proprium est quartum prædicabile. ibid.
2. Quid sit proprium, quod est quartum prædicabile. 159

DISPVTATIO IX.

*De Accidente, quod est quintum prædicabile.* 162
QVÆST. Vnic. VTrum bona sit prima accidentis descriptio. ibid.

TRACTATVS
De Prædicamentis, seu categoriis Aristotelis.

DISPVTATIO X.

*De Anteprædicamentis.* 164
QVÆST. 1. QVid sint æquiuoca, vniuoca, & denominatiua. ibid.
2. Vtrum dentur aliqua analoga media inter æquiuoca & vniuoca. 167
3. De duabus diuisionibus & regulis antepræd icamentalibus. 170

DISPVTATIO XI.

*De Prædicamentis in communi.* 173
QVÆST. 1. AN diuisio entis in decem prædicamenta sit bona & adæquata. ibid.
2. Quomodo prædicamenta inter se distinguantur. 175
3. Quænam conditiones requirantur vt aliqua ponantur in prædicamentis. 176

DISPVTATIO XII.

*De Substantia.* 181
QVÆST. 1. QVid est substantia. 182
2. De diuisione substantiæ in primam & secundam. 184
QVÆST. Vlt. De proprietatibus substantiæ. 186

DISPVTATIO XIII.

*De Accidente, vt sic.* 188
QVÆST. 1. QVid sit accidens vt sic. ibid.
QVtrum accidẽs spirituale possit educi de potentia subiecti corporei, aut accidens corporeum de potentia subiecti spiritualis. 191
3. Vtrum idem accidens numero possit poni in diuersis subiectis realiter æque immediatè. 193

DISPVTATIO XIV.

*De Quantitate.* 194
QVÆST. 1. QVid sit quantitas vt sic. ibid.
2. QIn quo consistat ratio formalis quantitatis. 195
QVÆST. 3. Vtrum quantitas sit quid realiter distinctum à substantia 203
4. De diuisione quantitatis vt sic in continuam & discretam. 206
5. De diuisione quantitatis in successiuam, & permanentem. 209
6. De diuisione quantitatis permanentis in lineam superficiem, & corpus. 209
QVÆST. Vlt. De proprietatibus quantitatis. 210

DISPVTATIO XV.

*De Relatione.* 210
QVÆST. 1. QVid sit relatio prædicamentalis huius prædicamenti, & de variis relationum diuisionibus. ibid.
2. Quænam requiruntur, vt resultet relatio prædicamentalis intrinsecus adueniens. 212
3. Vtrum dentur relationes reales realiter distinctæ ab extremis. 213
4. De tribus modis relatiuorum assignatis à Philosopho. 221
5. A quo sumat relatio suam specificationem. 223
6. Vtrum multiplicatis numero terminis multiplicentur numero relationes. 225
7. Vtrum relatio terminetur ad absolutum, an ad respectiuum. 227
8. Vtrum vna relatio possit fundare aliam. 230
9. Quodnã sit supremũ genus prædicamẽti ad aliquid, & quænã sint proprietates relationũ. 233

DISPVTATIO XVI.

*De Qualitate.* 234
QVÆST. 1. QVid sit qualitas, & vtrum sit perfectior quantitate. ibid.
2. De diuisione qualitatis Aristotelica. 236

DISPVTATIO XVII.

*Quæ est vnica, de Sex vltimis Prædicamentis.* 241
QVÆST. 1. VTrum detur relatio extrinsecus adueniens, & quid sit. ibid.
2. Vtrum sex vltima prædicamenta sint relationes extrinsecus aduenientes. 243
3. De Actionis prædicamento. 244
4. De Passione. 258
5. Quid sit, Quando. 259
6. Quid sit, Vbi. 260
7. De Situ. 262
8. De Habitu. 263

DISPVTATIO XVIII.

*De Postprædicamentis.* 264
QVÆST. 1. DE oppositis. ibid.
2. DQuot modis vnũ dicitur alio prius & posterius. 265
3. Quot modis dicitur aliud esse simul cũ altero. 265
4. Quot sunt species motus. 265
5. Quot modis dicitur aliquid aliud habere. ibid.

DISPVTATIO XIX.

*Quæ est vnica in duos Libros Perihermenias, seu de Interpretatione.* 266
QVÆST. 1. QVid sit signum. ibid.
2. QVtrũ voces significent immediate conceptus, an vero res 269
3. Vtrum esse verum, aut esse falsum sit de essentia propositionis, & vtrum vna propositio possit de vera fieri falsa. 270
4. Vtrum enunciatio sit vna simplex qualitas. 272
5. Vtrum ex propositionibus contradictoriis de futuro contingenti, altera sit determinate vera,

altera falsa. 272

DISPVTATIO XX.

*Quæ est vnica, in duos libros Priorum.* 273

QVÆST. 1. VTrum eodem actu, quo intellectus assentitur conclusioni, assentiatur etiam præmissis. ibid.
2. Quomodo dependet assensus conclusionis ab assensu præmissarum. 274
3. Vtrum positis præmissis necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni. 278
4. Vtrum syllogismus, vt sic sit genus demonstratiui, topici & sophistici. 279
5. An detur quarta figura Galeni, & vtrum dentur modi indirectè concludentes in secunda & tertia figura. 280
6. De principiis quibus ars syllogistica innititur. 282
QVÆST. Vlt. Vtrum syllogismus expositorius concludat vi formæ, an vi materiæ. ibid.

DISPVTATIONES IN DVOS LIBROS
De posteriori resolutione. 283

DISPVTATIO XXI.

*De Demonstratione.* ibid.

QVÆST. 1. DE præcognitionibus & præcognitis. ibid.
2. Quid sit demonstratio. ibid.
3. Quomodo præmissæ debeant esse causæ conclusionis. 284
4. De speciebus demonstrationis vt sic, & de medio eiusdem. 286
5. Vtrum detur regressus demonstratiuus. 287

DISPVTATIO XXII.

*De Scientia.* 288

QVÆST. 1. QVid sit, & vtrum detur de nouo scientia. ibid.
2. De obiecto scientiæ. 241
3. Vtrum scientia actualis possit esse simul cum opinione & fide de eodem obiecto in eodem intellectu. 291
4. De scientia subalternata, & subalternante. 299
5. Vtrum detur habitus scientificus, & in quo consistat. 301
QVÆST. Vlt. De vnitate, & distinctione scientiarum. 302

TRACTATVS
De scientia Morali.

DISPVTATIO I.

*De Fœlicitate hominis.* 307

QVÆST. 1. QVid sit bonum. ibid.
2. An voluntas possit appetere quod non est bonum, vel fugere à bono. 307
3. De diuisione boni in honestum, iucundum, vtile. 309
4. An finis coincidat cum bono, & an homo habeat aliquem finem vltimum. 309
5. An homo habeat vnum finem perfectum vltimum. 311
6. An detur & in quo consistat fœlicitas hominis. ibidem.

DISPVTATIO II.

*De Actibus humanis vt sic.* 314

QVÆST. 1. DE voluntario vt sic. 315
2. De inuoluntario ex necessitate, impedimento, coactione & violentia. 316
3. De inuoluntario ex motu. 316
4. De inuoluntario ex concupiscentia. 317
5. De inuoluntario ex ignorantia. ibid.
6. Quis est actus humanus ac moralis. 318

DISPVTATIO III.

*De Actibus bonis.* 319

QVÆST. 1. QVid actus moraliter bonus. 319
2. Vnde desumitur bonitas specifica ipsius. 320
3. An idem actus possit participare diuersas bonitates. 322
4. An electio habeat bonitatem distinctam ab intentione. 323
5. An imperans participet bonitatem ab imperato, & è contra. 324
6. An externus superaddat bonitatem interni. ibid.

DISPVTATIO IV.

*De Actu malo, & indifferenti.* 326

QVÆST. 1. AN detur actus moralis indifferēs. ib.
2. Quid actus moraliter malus. 328
3. Quomodo peccatum opponitur naturæ & virtuti. 332
4. De distinctione peccatorum. 333
5. De eorum grauitate. 334
6. An difficultas operis & finis operantis augeant malitiam. 336
7. An nocumentum sequens augeat eam. ibid.
8. An augeatur circumstantia personæ offendentis & offensæ. 337
9. De venialibus. ibid.
10. An Deus sit causa peccati. 340
11. De diuisione peccatorum in cogitationis, verbi & operis. 342
12. De aliis eorum diuisionibus. 345

DISPVTATIO V.

*De Virtutibus moralibus.* 346

QVÆST. 1. QVid est Virtus moralis. ibid.
2. De mediocritate eius. 347
3. De eius subiecto. 348
4. De eius diuisione in quatuor Cardinales. 348
5. De Prudentia. 349
6. De Iustitia. 350
7. De diuisione Iustitiæ in commutatiuam & distributiuam. 352
8. De aliis speciebus eius. 356
9. De Fortitudine. ibid.
10. De Temperantia. 358
11. De connexione Virtutum moralium. 358

DISPVTATIO VI.

*De Conscientia.* 359

QVÆST. 1. QVid est conscientia. 359
2. De conscientia erronea. 360
3. De conscientia probabili. 361
4. De conscientia dubia. 363
5. De conscientia scrupulosa. ibid.

DISPVTATIO VII.

*De Legibus.* ibid.

QVÆST. 1. DE lege vt sic, & eius diuisione. 363
2. De lege naturali, 364
3. An possit in ea dispensari. 366

4. Quid

4. Quid lex humana. 368
5. Quibus præcipi possit lege humana. 369
6. Quid ea præcipi possit. 370
7. De eius promulgatione & acceptatione. 371
8. Ad quid obligat. 371

# TRACTATVS
In octo Libros Physicorum.

## LIBER PRIMVS
Physicorum.

### DISPVTATIO I.
*Proœmialis de natura Physicæ.* 373

QVÆST. 1. QVodnam sit obiectum Physicæ. ib.
2. Vtrum Physica sit scientia speculatiua vna. 379

### DISPVTATIO II.
*De principiis corporis naturalis in communi.* 381

QVÆST. 1. QVid sint principia corporis naturalis. ibid.
2. Quot sunt principia rerum naturalium. 382

### DISPVTATIO III.
*De Materia prima.* 384

QVÆST. 1. AN & quid sit materia prima. 385
2. Vtrum materia sit generabilis, & corruptibilis. 386
3. An materia prima sit ita pura potentia, vt non includat essentialiter vllum actum Metaphysicum, aut Physicum. 387
4. Vtrum materia prima sit actus entitatiuus. 389
5. Quomodo materia dependet quoad existentiã à forma, & an possit cõseruari absq; vlla forma. 391
6. De potentia susceptiua materiæ. 397
7. De appetitu materiæ primæ ad formas substantiales. 399
8. De vnitate materiæ primæ. 404

### DISPVTATIO IV.
*De Forma substantiali.* 409

QVÆST. 1. QVid sit forma substantialis, & an detur. 409
2. An formæ educantur de potentia materiæ. 411
3. An possint duæ formæ substantiales non subordinatæ esse simul in eadem materia. 416
4. An vna forma substantialis possit simul esse in duabus materiis. 420
5. An eadem actione, qua conseruatur forma in materia, conseruaretur absque materia. 421

### DISPVTATIO V.
*De Priuatione, & vnione.* 424

QVÆST. 1. QVomodo priuatio principiet corpora naturalia. 424
2. An, & quid sit vnio materiæ ad formam. 426
3. Vtrum inter materiam, & formam quando vniuntur, detur duplex vnio. 429

### DISPVTATIO VI.
*De Composito substantiali.* 431

QVÆST. 1. AN compositũ substãtiale distinguatur realiter à suis partibus vnitis. 431
2. An totum integrale, & totum per accidens distinguatur realiter à suis partibus. 435
3. Vtrum compositum substantiale includat essentialiter materiam, ac vnionem. 437
4. Vtrum quantitas subiectetur in toto immediate. 440
5. Vtrum alia accidentia absoluta subiectentur immediate in composito substantiali. 444

## LIBER SECVNDVS
Physicorum.

### DISPVTATIO VII.
*De Natura.* 448

QVÆST. 1. QVid sit natura. 448
2. An natura sit principium actiuum motus, & quietis, an vero passiuum, vel vtrumque. 449
3. Quibusnam conueniat ratio naturæ. 452
4. Quomodo distinguitur à natura. 455

### DISPVTATIO VIII.
*De Causis vt sic, & de causa materiali, & formali.* 456

QVÆST. 1. QVid sit causa vt sic. ibid.
2. De diuisione causæ in materialem, formalem, finalem, & efficientem. 458
3. Quid sit causalitas causæ materialis, ac formalis. 460
4. An Deus possit se ipso supplere causalitates materiæ, ac formæ, earumque effectus. 464

### DISPVTATIO IX.
*De Causa efficiente.* 465

QVÆST. 1. QVid sit causa efficiens. ibid.
2. Quomodo substantia producit effectiue alias substantias. 466
3. Vtrũ substãtia producat immediate accidẽs. 472
4. An accidentia conseruentur à substantia. 474
5. An causa prima concurrat immediate ad effectus causarum secundarum efficientium. 475
6. An præter concursum immediatum Dei requiratur, vt præmoueat causas secundas per aliquam qualitatem Physicam. 479
7. In quo consistit concursus, quo concurrit Deus cum causis secundis. 483
8. Qualis sit concursus, quo concurrit Deus cum causis secundis. 484
9. A qua causa prouenit determinatio effectus quoad speciem & indiuiduum. 487
10. Vtrũ causa secunda possit cũ prima concurrere ad producendos effectus supra suã naturã. 489

### DISPVTATIO X.
*De Causa exemplari, finali, & instrumentali.* 494

QVÆST. 1. QVid sit causa exẽplaris, & ad quod genus causæ reduci debeat. 494
2. Quid sit, & quotuplex est causa finalis. 496
3. Vtrum finis sit vera, & realis causa. 497
4. Quænam sit causalitas finis in actu primo. 498
5. Quid sit causalitas finis, in actu secundo. 500
6. De effectibus finis. 502
7. Quænam agunt propter finem. 504
8. De causa instrumentali. 505

### DISPVTATIO XI.
*De Collatione causarum inter se, & cum suis effectibus.* 508

QVÆST. 1. AN causæ debeant esse priores, & perfectiores suis effectibus. ibid.
2. Vtrum idem numero effectus possit produci, & semel à pluribus causis adæquatis. 511
3. Vtrum idem numero effectus possit produci à pluribus causis totalibus diuisim. 513
4. Vtrum idem possit producere seipsum. 516
QVÆST. Vlt. Vtrum causæ possint esse sibi inuicem causæ. 517

# INDEX DISPVTATIONVM

## DISPVTATIO XII.

*De Fortuna, Casu, Fato, Monstro.* 521
QVÆST. Vnic. QVid sit fortuna, Casus, Fatum, Monstrum. 521

## LIBER TERTIVS ET QVINTVS Physicorum.

## DISPVTATIO XIII.

*De Motu.* 522
QVÆST. 1. QVid sit motus. ibid.
2. QVid sit subiectum motus, & quomodo motus à subiecto, termino, actione, passione distinguantur. 524
3. Vnde sumatur vnitas numerica, ac specifica motus. 527
4. Quomodo motus opponuntur inter se, & cum quiete; & ad quæ prædicamenta dantur. 529

## DISPVTATIO XIV.

*De Infinito.* 531
QVÆST. 1. QVid sit infinitũ, & an dari possit. ib.
2. QAn creatura habeat infinitatem in perfectione essentiali. 535

## LIBER QVARTVS Physicorum.

## DISPVTATIO XV.

*De Loco.* 538
QVÆST. 1. QVid sit locus. ibid.
2. QVtrum possit aliqua creatura produci absque vllo loco, aut vbicatione. 541
3. An vnica præsentia sufficiat substantiæ corporeæ, suisque partibus, ac accidentibus. 544
4. Vtrũ duo corpora possint esse in eodẽ loco. 545
5. An idem corpus possit esse simul in duobus locis. 546
6. Quas formas debet, & potest habere corpus positum in diuersis locis. 552

## DISPVTATIO XVI.

*De Vacuo.* 557
QVÆST. 1. QVid sit, & an dari possit vacuũ. ibid.
2. QQuæ causa impedit vacuum. 559
3. An possit dari motus in vacuo, & qualis. 561

## DISPVTATIO XVII.

*De Tempore, ac duratione.* 563
QVÆST. 1. QVid sit duratio & quomodo distinguitur à re durante. ibid.
2. Quid est tempus. 567

## LIBER SEXTVS Physicorum.

## DISPVTATIO XVIII.

*De Continuo.* 570
QVÆST. 1. AN dentur partes actu in continuo. ibid.
2. Ex quibus partibus constet continuum. 572
3. An admittenda sint indiuisibilia, incontinua, positiua, & realia. 575
4. An indiuisibile separatum possit moueri. 577
5. Vtrum dentur primum & vltimum mutatum esse in motu, ac prima, & vltima pars eius. 578
6. Quomodo incipiant, & desinant res. ibid.
QVÆST. Vlt. Vtrum corpora continua habeant terminum suæ magnitudinis, & paruitatis. 582

## LIBER SEPTIMVS Physicorum.

## DISPVTATIO XIX.

*De duabus conditionibus requisitis, vt aliquid moueatur.* 585
QVÆST. 1. VTrum quidquid mouetur, ab alio moueatur. ibid.
2. Vtrum agens, & passum debeant esse simul, seu vtrum possit dari actio in distans. 589

## LIBER OCTAVVS Physicorum.

## DISPVTATIO XX.

*De motu proiectorum.* 597
QVÆST. 1. AQuo moueantur proiecta. ibid.
2. A quo moueantur corpora quæ resiliunt. 594
3. Vnde oritur, quod motus grauium, & leuium sit velocior in fine quam principio aut medio, motus vero proiectorum sit velocior in medio. 594

## LIBRI DE COELO, Et Mundo.

## DISPVTATIO XXI.

*De Mundo.* 596
QVÆST. 1. AN sit mundus. ibid.
2. ADe perfectione mundi. 597
3. Vtrum mundus fuerit de facto productus ab æterno. 602
4. Vtrum mundus potuerit esse ab æterno. 603
QVÆST. vlt. Vtrum mundus sit in æternum duraturus ex natura sua. 609

## DISPVTATIO XXII.

*De Natura, & Essentia, numero & motu Cælorum.* 611
QVÆST. 1. VTrum Cœlum sit corpus simplex. ibid.
2. An Cœlum sit corpus simplex eodem modo, quo elementa sunt simplicia, an vero mixtum quid. 623
3. An Cœli sint animati. 615
4. An Cœlum sit corruptibile. 616
5. An Cœli sint fluidi, vel solidi. 620
6. Quot sint Cœli, ac Astra. 621
7. Vtrum omnes Cœli, & Astra differãt specie. 624
8. An Astra habeant lucem à semetipsis. 625
9. De motu Cœlorum. 265
QVÆST. Vlt. De influxu Cœlorũ in sublunaria. 630

## TRACTATVS De Generatione & Corruptione.

## DISPVTATIO XXIII.

*De Generatione.* 635
QVÆST. 1. QVid sit generatio. ibid.
2 An generatio sit essentialiter mutatio. 638
3. Quid sit subiectũ, & terminus generationis. 639
4. De termino generationis. 640
5. An generatio distinguatur ab alienatione. 642
6. De generatione viuentium. 643
7. Quid sit corruptio substantialis. 646
8. Quomodo se habeant ad inuicem generatio & corruptio, & quomodo generatio vnius est corruptio alterius. 647

DISPV.

DISPVTATIO XXIV.

*De Alteratione.* 649

QVÆST. 1. QVid est alteratio. ibid.
2. An alteratio sit motus cõtinuus. 651
3. Quomodo sit intentio qualitatis. 654
4. An gradus, seu partes qualitatis, quæ acquiruntur, dum intenditur, sint heterogeneæ. 657
5. Quænam qualitates intendi possint. 660
6. Vtrum qualitates habeant terminum suæ intentionis. 661
7. De contrarietate qualitatum. 663

DISPVTATIO XXV.

*De conditionibus aliquibus ad agendum requisitis.* 677

QVÆST. 1. VTrum simile possit agere in simile. ibid.
2. Quomodo sit actio reflexa. 669
3. Vtrum ad agendum requiratur maior actiuitas agentis, quam resistentia passi. 670
4. An agens possit perfectè assimilare sibi passum. 672
4. Vtrum idem possit agere in se ipsum actione vniuoca, & quomodo fiat actio per antiperistasin. ibid.
6. Vtrum detur reactio, seu vtrum agens agendo repatiatur à passo. 673

DISPVTATIO XXVI.

*De Nutritione, augmentatione, rarefactione, condensatione.* 674

QVÆST. 1. AN & quid sit nutritio. ibid.
2. AVtrum viuens maneat idem numero toto tempore quo viuit. 675
3. Quid sit augmentatio, & quomodo à nutritione distinguatur. 677
4. Secundum quas partes viuentis fiat augmentatio. 678
5. Vtrum nutritio & augmentatio sint motus continui. 679

QVÆST. Vltima, Quomodo fiat rarefactio, & condensatio. 680

DISPVTATIO XXVII.

*De Elementis* 687

QVÆST. 1 QVid est Elementum, & quot sunt, ibid.
2. Quomodo Elementa continentur in mixtis 689
3. Quid & quot sunt qualitates primæ. 691
4. Quomodo primæ qualitates distributæ sunt per elementa. 693
5. An elementa in se inuicem conuerti possint. 695
6. An elementa possint generare elementa distinctæ speciei 696
7. De situ elementorum. 698
8. De grauitate & leuitate elementorum. 700

QVÆST. Vltima, Quid sit mixtio. 703

DISPVTATIO XXVIII.

*De Meteoris.* 704

QVÆST. 1. DE Meteoris ignitis. ibid.
2. De spectris, aliisque imaginibus non ignitis, apparentibus in locis superioribus. 708
3. De aliis Meteoris quæ circa aërem contingunt. 709
4. De mari, fontibus & fluminibus. 712
5. De iis, quæ circa terram contingunt. 714


# TRACTATVS De Anima.


DISPVTATIO I.

*De substantia animæ.* 717

QVÆST. 1. QVid sit viuens. ibid.
2. Quid sit corpus, & quid sit spiritus. 721
3. Vtrum in viuentibus corporeis detur alia forma substantialis præter animam. 724
4. De prima definitione animæ. 732
5. De secunda definitione animæ. 734
6. De diuisione animæ, vt sic, in quinque genera potentiarum, & quatuor gradus viuentiũ. 735
7. Vtrum sint plures animæ in quolibet animali. 737
8. Vtrum anima vt sic sit diuisibilis. 740
9. Vtrum partes integrantes animarum sint heterogeneæ, an homogeneæ. 744
10. Quasnam partes corporis informat anima. 745
11. Quomodo distinguitur anima à suis potentiis. 749
12. Quomodo specificantur potentiæ animæ, seu à quo sumant suam specificationem. 751
13. In quonam subiectentur potentiæ animæ. 752

DISPVTATIO II.

*De potentiis animæ sensitiuæ in communi.* 754

QVÆST. 1. VTrum potẽtiæ animæ sensitiuæ sint actiuæ & passiuæ, an detur sensus agens. 755
2. Vtrum sensus decipiatur circa suũ sensibile. 756
3. Vtrum sensus possit sentire sensibile supra se positum. 758
4. Vtrum sensus lædatur à sensibili excellenti. 759
5. Vtrum potentiæ sensitiuæ possint percipere aliquod obiectum spirituale, aut non existens. 760
6. An potentiæ materiales indigeant speciebus ad percipienda sua obiecta 761
7. De natura & essentia specierum sensibilium materialium. 764
8. De causis specierum materialium. 768
9. Vtrum sensibile commune imprimat speciem propriam. 771
10. An dentur species insensatæ. 772

DISPVTATIO III.

*De potentiis externis in particulari.* 773

QVÆST. 1. QVid sit organum & obiectum potentiæ visiuæ 773
2. De organo & obiecto auditus. 779
3. De Olfactu. 781
4. De gustu & tactu. 783

DISPVTATIO IV.

*De potentiis internis sensitiuis.* 788

QVÆST. 1. AN, & quotuplex sit sensus internus cognoscitiuus. ibid.
2. De appetitu sensitiuo. 789
3. De passionibus, & motibus appetitus sensitiui. 993
4. Quomodo causentur passiones in appetitu. 795

DISPVTATIO V.

*De anima rationali.* 796

QVÆST. 1. AN anima rationalis sit spiritualis. ibid.
2. Vtrum anima rationalis constet materia prima, &

& forma ſubſtantiali. 797
3. Vtrum anima ſit immortalis. 799
4. Quando primum,& à quo producitur anima rationalis. 802

DISPVTATIO VI.
*De potentia Intellectiua.* 805
QVÆST.I. QVodnam ſit obiectum intellectus adæquatum. ibid.
2. Quodnam ſit primum cognitum ab intellectu. 809
3. Vtrum intellectus indigeat ſpeciebus intelligibilibus. 810
4. De diſtinctione intellectus agentis & paſſibilis, & vtrum vterque in anima ſeparata & Angelis reperiantur. 813
5. Vtrum intellectus humanus, & Angelicus diſtinguantur ſpecie. 815
6. Vnde oriatur dependentia intellectus à phantaſmatibus. 815
7. De natura intellectionis, ſeu cognitionis intellectiuæ. 818
8. A quo producatur illa qualitas intellectionis. 823
9. An intellectio poſſit produci extra omne ſubiectum, & in alio ſubiecto, quam in intellectu. 825
10. Quid ſit verbum mentis. 828
11. Quid ſit cognitio intuitiua, & abſtractiua. 830
QVÆST. Vltima. An detur memoria intellectiua. 833

DISPVTATIO VII.
*De Voluntate.* 833
QVÆST.I. DE obiecto voluntatis. 834
2. Quomodo dependet voluntas in operando ab intellectu. 836
3. An voluntas ſit potentia libera. 837
4. De actibus voluntatis. 842
5. A quo habeant actus liberi voluntatis eſſe liberi formaliter. 846
6. An voluntas habeat pro hoc ſtatu vllos actus elicitos non liberos. 848
7. An voluntas poſſit neceſſitari ad vllos actus elicitos. 849
8. Vtrum voluntas poſſit habere puram omiſſionem liberam. 851
9. An voluntas ſit perfectior intellectu. 256

DISPVTATIO VIII.
*De habitibus.* 857
QVÆST.I. AN dentur habitus naturales. ibid.
2. Quomodo habitus acquiruntur per actus. 860
3. Quomodo habitus concurrunt ad actum. 862

DISPVTATIO IX.
*De anima ſeparata* 865
QVÆST.I. STatus ſeparationis ſitne animæ naturalis,an violentus. ibid.
2. Quas perfectiones habet anima ſeparata ſecundum ſe. 866

DISPVTATIO X.
*De paruis naturalibus.* 867
QVÆST.I. DE memoria,& reminiſcentia. ibid.
2. De ſomno, & vigilia. ibid.
3. De ſomniis. 860
4. De diuinatione per ſomnia. 871
5. De reſpiratione. 872
6. De iuuentute & ſenectute. 873
7. De morte, & vita. 874
QVÆST. Vltima. De lõgitudine & breuitate vitę. ib.

# TRACTATVS
## In Metaphyſicam.

DISPVTATIO I.
*Quæ eſt Proœmialis in Metaphyſicam.* 875
QVÆST.I. QVodnam ſit obiectum Metaphyſicæ. ibid.
2. Vtrum Metaphyſica verſetur circa rerum omnium quidditates in particulari. 877

DISPVTATIO II.
*De ente vt ſic.* 879
QVÆST.I. VTrum ens vt ſic ſit vniuocum enti rationis. ibid.
2. Quid ſit ens reale vt ſic,& an dicat conceptum vnum tam formalem, quàm obiectiuum. 882
3. De quibus & quomodo prædicatur ens. 888
4. Quomodo ens & exiſtentia diſtinguuntur. 900
5. De eſſe creaturarum ab æterno. 902
6. De ſuppoſitalitate, ac perſonalitate. 907

DISPVTATIO III.
*De proprietatibus entis vt ſic.* 928
QVÆST.I. QVomodo hæ proprietates diſtinguantur ab ente. ibid.
2. De vnitate. 929
3. De veritate entis. 931
4. De bonitate entis vt ſic. 934
QVÆST. Vltima, De diuiſionibus aliquibus entis vt ſic. 935

DISPVTATIO IV. ET VLT.
*De diſtinctionibus.* 936
QVÆST.I. QVid ſit diſtinctio realis. ibid.
2. An & quid ſit diſtinctio formalis. 941
QVÆST. Vltima, De diſtinctione rationis. 957

# INTRODVCTIO AD LOGICAM, SEV BREVIS SVMMVLARVM SVMMA.

## *PROOEMIVM.*

DIsserendi artem, quam iam indifferenter Logicam appellamus seu Dialecticam, duobus modis solent Doctores tyronibus proponere; primò compendiosè ac succinctè, absque subtilioribus illis disputationibus, quas de natura ipsius Logicæ, de vniuersali vt sic, de prædicabilibus, de prædicamentis, &c. aut curiositas humani ingenij, aut cuiuscumque veritatis indagandæ cupiditas excogitauit. Secundò fusius, intermixtis scilicet illis disputationibus. Logica priori modo proposita variis nominibus appellata venit, nunc Introductionis, nunc Institutionum Logicarum, nunc paruæ Logicæ, ad differentiam scilicet ipsiusmet, vt prolixiori illo modo proponitur, quorum nominum cuilibet non deest proprius, & satis accommodus sensus. Quia verò communior vsus obtinuit, idq; immatura tyronum capacitas exigere videtur, vt ad difficiliorum illarum difficultatũ arcana non admittantur, nisi imbuti priùs notitiâ illâ, quam ex Logica parua haurire possunt, ab eo mihi non videbatur recedendum. Itaque sequentibus capitibus omnia illa præcepta Logicæ, quæ tyronum captui accõmoda, & vtilitati opportuna iudicauero, quam potero clarè ac breuiter proponam.

### CAPVT I.

### *De Termino vt sic.*

TErminus, vt de eo hic agitur, & vt consideratio eius spectat ad Logicã, varie describitur ab authoribus; quibusdam dicentibus, quod sit illud quod est constitutiuum propositionis; aliis, quod sit illud, in quod resoluitur propositio; aliis, quod sit vox significatiua constitutiua propositionis categoricæ: nec, si metaphysicari hic etiam liceret, deesset longissimæ altercationis occasio. At consultius non necessarias præscindere disputationes, & rem ipsam, quantum vtilitas exigit, explicare.

Definitio termini. 2. Dico ergo terminum Logicum optime describi posse *quidquid potest esse subiectum aut prædicatum propositionis*; Est autem propositio oratio in qua aliquid de alio prædicatur aut negatur, vt cum dico *homo est animal*. Prædicatũ vero propositionis est illud quod affirmatur aut negatur; vnde quia animal in præmissa propositione affirmatur, seu dicitur de homine, propterea est prædicatũ illius propositionis. Subiectũ propositionis est illud, de quo aliquid dicitur; vnde quia de homine dicitur in prædicta propositione quod sit animal, propterea homo est subiectum prædictæ propositionis: Quod ergo potest esse subiectum vel prædicatũ alicuius propositionis, illud est terminus. Quod patet, tũ quia nullus potest assignari terminus, qui nõ possit esse subiectũ, aut prædicatum propositionis, nec potest assignari prædicatum aut subiectum vllius propositionis, quod non sit terminus; tum quia qui non intelligit prædicatũ aut subiectum vllius propositionis, dicitur cõmuniter non intelligere terminos illius propositionis, & qui nõ intelligit prædicata aut subiecta, quibus Logici vti cõsueuerunt, dicitur ignorare terminos Logicæ.

3. *Dices:* Verbum *est* non est terminus, sed tamen potest esse subiectum propositionis, vt cum dico veebum *est*, est copula propositionis, ergo mala est prædicta descriptio.

*Respondeo* negando maiorem: quamuis enim, vt solum habet rationem copulæ, seu vocis per quam aliquis aliquid de alio affirmat, non sit terminus iuxta præmissam descriptionem, tamen vt habet rationem alicuius, de quo aliquid possit prædicari, aut quod possit prædicari de aliquo; habet rationem termini.

Quomodo verbũ est, habet rationem termini?

Cur subiectũ ac prædicatum propositionis vocatur terminus?

4. Si autem quæras, cur illud quod potest esse subiectũ vel prædicatum vocetur terminus, Respondeo, sufficere pro ratione communem omnium institutionem; vlteriùs tamen dico illam communem institutionem fortassis habuisse pro motiuo, quod vox *terminus* ex primæua institutione significaret extremum rei in eo sensu, in quo dicitur punctum esse terminum lineæ, & locum illum quò aliquis vult peruenire esse terminum sui itineris; vnde quia subiectum, & prædicatum propositionis sunt extrema eius, vltra quæ non tendit, propterea poterant commodè vocari termini propositionis.

An terminus debeat actu terminare propositionem?

5. Si quæras iterũ, an ad hoc quod aliquid dicatur actu terminus, requiratur quòd actu terminet, seu constituat propositionem per modũ extremi, seu quod actu sit prædicatum in aliqua propositione. Respondeo esse quæstionem de nomine, & paruæ vtilitatis; magis autem mihi placet sententia negans, sufficit enim ad rationẽ termini quod possit esse subiectum vel prædicatum, siue actu sit tale, siue non; id quod colligitur ex communi modo loquendi Doctorũ, qui dicunt quod ly *homo* non considerãdo ipsũ in vlla propositione, sit terminus categorematicus, & ly *vel* terminus syncategorematicus; & ly *canis* terminus æquiuocus, & ly *sanus* terminus analogus: nec quæ contra hoc obiiciunt Complutenses vllius sunt momenti, vt facile esset ostendere, si res esset tanti ponderis.

### CAPVT II.

### *De varijs terminorum diuisionibus.*

Quid terminus mẽtalis?

PRima diuisio termini est in mentalem, vocalẽ, & scriptum. Terminus mentalis est qui potest esse subiectũ vel prædicatum propositionis mẽtalis; est autem propositio mentalis actus ille intellectus nostri, quo interius aliquid affirmamus aut negamus de alio, qualem potuissemus habere, etiamsi voces essent impossibiles. Terminus vocalis est qui potest esse subiectum, vel prædicatum propositionis vocalis, quæ est oratio constans vocibus, qua solemus aliis significare propositiones nostras internas. Terminus denique scriptus est qui potest esse subiectum, vel prædicatum propositionis scriptæ.

Quid vocalis?

Quid scriptus?

Quid significatiuus.

2. *Secunda diuisio* termini vt sic vocalis est in terminum significatiuum, & nõ significatiuum. Terminus vocalis significatiuus est vox, quæ ex beneplacito aut instituto volũtatis rationalis aliquid significat seu repræsentat potẽtiæ cognoscitiuæ, & potest esse subiectum vel prædicatũ propositionis, vt vox *homo*, quæ cũ ex natura sua sit indifferens ad significandum naturam humanam, & equinam, modò, ex eo quod homines instituerint illã vocẽ ad significandam naturã humanã, habet ex illa institutione significare ipsam, & est subiectum huius propositionis: *homo est animal*, & prædicatum huius alterius, *Petrus est homo*.

Quid non significatiuus?

3. Terminus non significatiuus est vox non imposita à voluntate rationali ad significandum aliquid, & potest esse subiectum vel prædicatum alicuius propositionis, vt *Blittiri, Floſtrus, Nidro*, & similia. Hinc patet quid sit propositio vocalis significatiua & non significatiua, illa enim est quæ constat terminis significatiuis, hæc quæ constat termino vel terminis non significatiuis.

Quid vniuocus?

4. *Tertia diuiſio* est termini vocalis significatiui in vniuocum, æquiuocum, & analogum. Terminus vniuocus est qui dicitur de pluribus secundum eandem rationem, vt vox *homo* dicitur de Petro & Paulo, album de pariete albo & de lacte albo. Æquiuocus est qui dicitur de pluribus secundum diuersam rationem, vt canis dicitur de terrestri, de cœlesti, & marino. Analogus est qui dicitur de pluribus secundum diuersam rationem, sed propterea tamen quod illa plura aliquo modo particulari respiciant se inuicem, vt sanum dicitur de vrina, medicina, animali; non enim eandem rationem significat ly *ſanum*, vt dicitur de illis tribus neque eandem habet explicationem vt dicitur de illis: sensus enim eius, quatenus dicitur de animali, est quod animal habeat debitam complexionem absque infirmitate vlla: quatenus dicitur de vrina, quod vrina significet debitam illē complexionem inesse animali, cuius vrina dicitur sana: & denique quatenus dicitur de medicina quod sit medicina apta causare in animali illam debitam complexionem; data tamen opera hoc nomen *ſanum*, quod principaliter imponebatur ad significandam debitam illam complexionem, imponebatur ad significandam vrinam, & medicinam talē quia respiciebant illam debitam complexionē, vna quidem per modum signi, & altera per modum causæ. Alij alio modo definiunt terminum analogū, sed hæc explicatio est conuenientior doctrinæ, quā tradituri sumus in Antepræd icamentis, vbi de his terminis plura dicemus.

Quid æquiuocus?

Quid analogus?

Quid communis.

5. *Quarta diuiſio* termini vocalis significatiui est in terminum communem seu vniuersalem, & singularem, seu particularem. Terminus communis est, qui dicitur de multis cū multiplicatione sui. v.g. quia vox *homo* dicitur de Petro & Paulo in quibus multiplicatur res significata per ipsam, ita vt verū sit dicere quod Petrus & Paulus sint duo homines, propterea vox *homo* est terminus communis, & vniuersalis, nimirum respectu illorum plurium de quibus dicitur, & idem est de voce *populus* respectu huius, & illius populi, & de voce *canis* respectu omnium canum cœlestium, terrestrium, & marinorum.

Quid particularis.

6. Terminus particularis, seu singularis est, qui significat vnam rem immultiplicabilem, sic Petrus quia significat vnum indiuiduum humanum non multiplicabile in plura, est terminus singularis; & idem est de voce *Deus*, quæ licet dicatur de tribus suppositis diuinis, quia tamen res significata per ipsam, nimirum natura diuina, non multiplicatur in illis tribus suppositis, ita vt verum sit de ipsis dicere, quod sint tres dij, propterea est terminus singularis; sic etiam populus Romanus est terminus singularis, quia licet dicatur de pluribus nimirum de omnibus habitatoribus illius ciuitatis, tamē quia res significata per illam vocem non multiplicatur in illis, sed est ipsummet aggregatum ex omnibus illis, propterea non est terminus vniuersalis sed particularis.

Quid collectiuus.

7. Et hinc rursus diuiditur terminus singularis in collectiuum, & diuisiuum. Collectiuus est qui de pluribus dicitur collectiue sumptis, & non de quolibet ex illis seorsim, vt populus Romanus dicitur de omnibus habitatoribus Ciuitatis Romæ simul sumptis, non verò dicitur de vllo ex illis seorsim sumpto.

Quid diuiſiuus.

Terminus diuisiuus particularis est, qui dicitur de pluribus rebus particularibus seorsim sumptis, & non tamen significat aliquam rationem vnam communem & multiplicabilem; sic Deus est terminus particularis diuisiuus respectu trium personarum diuinarum, & aliquis homo respectu omnium hominum. Deinde terminus particularis alio modo diuiditur in terminum determinatum, & indeterminatum. Determinatus est, qui significat vnam rem determinatam, quam scilicet posset aliquis determinare, & ostendere; vt Bucephalus, Ioannes. Indeterminatus est qui significat quidem aliquam rem particularē, sed confusè tamen, sic, vt non magis possit colligi, an vna res particularis significaretur quam alia, vt aliquis homo, quædam substantia, nonnulli homines, &c.

Quid determinatus?

Quid indeterminatus.

8. *Quinta diuiſio* termini significatiui est in categorematicum, & syncategorematicū. Terminus categorematicus, seu significatiuus est vox tam perfectè significatiua, vt se sola significatiuè accepta possit esse subiectū, vel prædicatum propositionis habētis sensum, vt hæ voces, *Deus, homo, animal, terra*. Terminus syncategorematicus, seu consignificatiuus est vox significatiua quidem, sed non tamen tā perfectè, vt se sola significatiuè accepta possit esse subiectum aut prædicatū propositionis habentis sensum, aut aptè generare sensum perfectum in audiente, & intelligēte terminos, *vt omnis, nullus, aliquis, quidam*, quæ propterea voces vocantur consignificatiuæ, quia non nisi coniunctæ aliis habent sensum bonum completum. Dixi autē quod terminus categorematicus significatiue acceptus se solo possit esse subiectū, vel prædicatū propositionis habētis sensum, & terminus syncategorematicus non possit, quia dupliciter potest vox quæuis sumi: primò materialiter pro se ipsa, vt cū dico homo est vox, homo est nomē substantiuū, & in hoc sensu vox capitur materialiter, & non vt est significatiua, potestque tam terminus syncategorematicus, quàm categorematicus esse subiectum, & prædicatum propositionis perfectæ, hæ enim sunt propositiones perfectæ: *omnis* est terminus syncategorematicus; *omnis* est nomen adiectiuum, *quidam* est pronomen, sicut & hæ: homo est nomen substantiuū, homo est terminus categorematicus. Secundò potest vox sumi formaliter, & significatiuè quatenus significat illud ad quod significandum erat imposita, & supponit pro illo, & sic sumitur vox, homo, & vox, animal, in hac propositione *homo est animal*. Hoc ergo modo accipi debet terminus categorematicus, & syncategorematicus, vt distinguantur inter se, & conueniant ipsis præmissæ descriptiones: & in hoc sensu acceptus terminus syncategorematicus non potest se solo esse subiectum, aut prædicatum propositionis perfectæ. Dico autem, *se ſolo*, quia simul cum termino categorematico potest esse subiectum talis propositionis, vt patet in hac propositione, omnis homo est animal; & hac: nullus homo est lapis: quamuis tum non tam subiectum, quàm affectio subiecti dicatur; & per hoc patet, quod termini syncategorematici sint verè termini, secundū quod terminus describitur esse, quod possit esse prædicatum, vel subiectum propositionis; tum quia materialiter accepta possunt esse talia, vt cum dicitur: omnis, est vox dissillaba; tum quia etiam significatiuè accepta simul cum termino categorematico integrant subiectum, vt in hac propositione; omnis homo est animal.

Quid categorematicus.

Quid syncategorematicus?

Quando accipitur vox materialiter?

Quando sumitur formaliter.

9. Quod si quæras, an nomina adiectiua sunt termini categorematici. Respondeo, aliqua nomina adiectiua, vt *omnis, nullus*, non esse, vt patet ex antea dictis; nec de his est controuersia, sed de aliis nominibus significantibus formas aliquas accidentales determinatas, vt *iuſtus, albus, doctus*; quæ habent sine dubio magis perfectam significationem, quàm illa priora nomina; minus tamen habent perfectam significationem quam nomina substantiua: & de huiusmodi nominibus existimo controuersiam esse de nomine; an sint censendi termini categorematici, necne; & vtramque partem esse probabilem, & parum omnino refert quid dicatur. Fundamentum autem partis negatiuæ potissimum est, quod ad terminum categorematicū requiratur tam perfecta significatio quā habent nomina substantiua. Fundamentum autem partis affirmatiuæ est, quod non requiratur hoc, sed sufficere, quod terminus categorematicus significet aliquam rem determinatam per se conceptibilem, quamuis significet illā rem, vt adiacentem alteri, & consequenter tali modo, vt non possit perfectè intelligi cui adiaceat, nisi intelligatur alia res illa, cui adiacet; licet nonnunquam importet sufficienter subiectum, quando scilicet forma, quam significat, determinatum petit subiectum: & sic quando dicitur, adest superbus, sufficienter intelligitur adesse homo, quia ex corporeis substantiis ille solus est capax superbiæ.

An nomina adiectiua sint termini categorematici.

*Sexta*

Quid terminus cõcretus.

10. *Sexta diuisio* est termini categorematici in concretum,& abstractum. Concretus est qui significat vel formam vt denominantem,aut afficientem aliud,vel rẽ aliquam,vt denominatam & affectam à forma, vt *iustus, bonus,cognitus*,qui significant aliquem affectum iustitia,

Quid abstractus.

bonitate,cognitione,seu iustitiam,bonitatem,cognitionem,vt afficientes & denominantes aliquem. Terminus abstractus est,qui significat formam,quæ afficit,aut nata est afficere,& denominare aliud,non tamen vt afficit, aut denominat,sed secundum se,vt iustitia,bonitas,cognitio,quæ significant formas illas,quæ denominãt iustum,bonum,cognitum, sed tamen non vt sic denominant,sed secundũ se,tanquam si actu non denominarẽt.

Septima diuisio.

11. Huic diuisioni valde affinis est septima,quæ est termini categorematici in absolutum, & connotatiuum, quorum differentia à prioribus terminis, concreto scilicet,& abstracto,vix discerni potest ex explicationibus communibus.

Quid absolutus, & cõnotatiuus secundum Hurtadum.

Hurtadus reiectis variis aliorum explicationibus ait terminum connotatiuum esse,qui se solo sine dependẽtia ab alio termino non significat perfectè;significat autem cum illo,quem propterea dicitur connotare: vnde iuxta hoc terminus absolutus est qui se solo significat perfectè sine dependentia ab alio termino. Et hinc infert,omnia,& sola nomina adiectiua esse terminos connotatiuos,& omnia substãtiua esse terminos absolutos.

Reiicitur.

Sentẽtia Arriagæ.

12. Hæc explicatio non placet,quia confundit terminos connotatiuos,& absolutos cum categorematicis,& syncategorematicis. *Arriaga* putat terminum absolutum esse,qui significat rem quasi per se stantem: terminum verò connotatiuum esse,qui significat aliquid per modum adiacentis alteri;vnde etiam infert nomina adiectiua omnia esse terminos connotatiuos, substantiua verò absolutos, & declarat se vlterius dicendo quod ly *iustus* significet quidem subiectum iustitiæ, & iustitiam ipsam,sicut homo significat suppositum humanum, & humanitatem,sed *iustus*, significat vtrumque per modum alteri adiacentis,*homo* verò non ita:vnde iustus est connotatiuus terminus,homo non item.

Reiicitur.

13. Hæc explicatio etiam non placet,quia in re coincidit cum priori,nam ideo significant termini connotatiui rem per modum adiacentis,quiá non significãt rem perfectè. Deinde quia falsum est quod iustus, & similia concreta significent tam subiectum formæ,quam ipsam formam per modum alteri adiacentis;in hac enim propositione,Petrus est iustus, subiectum iustitiæ est ipsemet Petrus,nec dici debet quod ipsemet Petrus significetur sibi ipsi adiacere. Adde contra vtramq; explicationẽ,quod pater,& dominus dicantur termini cõnotatiui, cum tamen sint nomina substantiua. Verum est,quod tã Hurtadus,quam Arriaga negant eos esse terminos connotatiuos,quia aliàs vnio,& materia essent termini cõnotatiui. At hæc ratio nihil valet, quia terminus cõnotatiuus debet significare duo, sicut terminus concretus, & præterea consignificare aliquid aliud;vnio verò, materia,& similia nõ habent hoc:vnde cũ Dominus significet hominẽ habentẽ dominationem, & præterea connoret aliquid,respectu cuius habetur dominatio, posset esse connotatiuus,quamuis vnio non esset,nec materia.

Sentẽtia Mastrij, ac Belluti.

14. Patres Bartholomæus Mastrius, & Bonauentura Bellutus,Conuentuales nostri ordinis, qui Physicã primò,& postea Logicã iuxta mẽtem Scoti satis accuratè, & doctè scripserũt,quos; deinceps breuitatis causa sub nomine Mastrij citare placuit,quod lectorẽ admonitum velim;dicunt terminũ absolutũ esse,qui vltra genus, & differentiã rei,quam significat,nihil aliud extraneum significat,nec requirit vt habeatur cõceptus quietatiuus eius:terminus verò connotatiuus est è cõtra,qui vltra principale significatũ,& in recto,aliquid aliud dat intelligere secundario,& indirectè, velut necessarium ad habendum conceptum rei perfectum,& quietatiuum: sic pater,inquiunt,dicitur connotare filium,accidens substantiam,materia formam, cœna tempus vespertinum.

Reiicitur.

15. Hæc etiam explicatio non placet,tum quia nullus esset terminus absolutus ea supposita quoad nos:neque enim possumus habere vllum conceptum distinctum,& quietatiuum de vlla re,quin necessario habeamus cõceptũ de alia re,ergo si terminus absolutus est qui significat rem sine dependentia ab alia re, quæ requiratur ad habendum conceptum quietatiuũ eius, nullus erit terminus absolutus. Probatur antecedens,quia si esset aliquis terminus absolutus,maximè homo,aut albedo, sed nec homo potest intelligi perfectè absq; eo quod intelligatur discursus,aut aliqua alia operatio propria ipsius,nec albedo absq; eo quod intelligatur munus aliquod particulare,& propriũ ipsius,per ordinẽ ad quod posset distingui ab aliis formis;ergo nullus esset termin⁹ absolutus, supposita prædicta descriptione. Deinde cœna,provt distinguitur à prãdio,principaliter,& per se primò significat tẽpus vespertinũ,ergo si terminus cõnotatiuus est qui vltra principale significat aliud indirectè,cœna nõ erit connotatiuus saltẽ ratione tẽporis,cõtra hos Authores.

Vide Apol. n.8. Aliorum sententia reiicitur. Connotatiuus, & absolutus nõ coincidũt cum concreto & abstracto.

16. Propter hæc,& alias impugnationes aliorum modorum dicendi videndas apud Hurtadum,& Arriagam, multi confundunt hos terminos cum prioribus,concreto scilicet,& abstracto; at immerito, nam ly *homo* secundum omnes est terminus absolutus, & tamen non est abstractus:abstractus enim terminus est, qui significat aliquam formam adiacentem, non tamen, vt adiacet,sed tanquam si fuisset ab illa re,cui adiacet, abstracta:homo autem non significat talem formam, aut rem ab alia re,cui adiacet,abstractam.

Melior sentẽtia.

17. Itaque melius explicãtur hi termini dicẽdo quod terminus connotatiuus est ille,qui significat rem relatiuam,vt relatiua est,atque adeò,qui connotat terminum eius:absolutus verò,qui significat rem absolutã,vt absoluta est:cuius ratio esse potest,quod absolutũ opponatur relatiuo:ergo cõnotatiuus terminus,qui opponitur absoluto debet esse relatiuus;& hinc dominus,pater,magister,creator,seruus,creatura,generãs,simile, dissimile, sunt termini connotatiui;nec refert quod sint etiã concreti,quia hoc cõpetit ipsis secundũ diuersam considerationem:sunt enim concreti quatenus dicũt rẽ affectã aliqua forma:v.g. Dominus significat hominẽ habentem dominationem:sunt autem connotatiui,quatenus forma illa,quæ afficit,est relatiua,& propterea indigẽs ad conceptũ aliquo alio termino. Hi verò termini sunt absoluti,album,iustus,sapientia,humanitas, quia non significãt formaliter relatiuum qua tale,nec relationẽ: nec refert etiã quod ex his aliqui sint abstracti;quia vt dixi de connotatiuis,hoc ipsis competit secundum diuersã rationẽ,competit enim ipsis esse absolutos,quatenus non significant relationem;abstractos verò, quatenus significant aliquam formam, quæ adhæret, seu adiacet alteri,licet non significent illam vt adiacẽs est.

18. Hinc patet aliquos terminos abstractos esse cõnotatiuos,talis enim est ly *relatio*,& aliquos cõcretos esse absolutos,vt *iustus*. Patet etiã aliqua nomina substãtiua esse terminos connotatiuos,vt dominus.& aliqua adiectiua esse absolutos,vt iustus. Hic autem aduertendum primò, quia acceptio horum terminorum hoc vel illo modo depẽdet ab institutione,& quia authores diuerso modo illos explicant;quantum ad vtilitatem, parum referre quomodo accipiantur, modò conueniatur in acceptione,atque ideò consultius esse quoties inter discurrendũ de re,occurrunt illi termini,prius conuenire cum aduersariis in significatione illorum, non curãdo, an sit verior,aut melior necne; sic enim examinabitur ipsa res,& vitabitur inutilissima altercatio de nomine.

Quid dicunt formaliter termini cõcreti.

19. Aduertendum secundò esse inter Authores cõtrouersiam circa terminos concretos, quid nimirum dicãt formaliter,an ipsam rẽ,quæ afficitur forma, an ipsãmet formam,an vtramq; simul. Quæ etiam cõtrouersia mihi videtur parui momẽti,ac nominalis:in ea verò Scotistæ communius tenent, quod dicant formaliter ipsã formam,v.gr.quod iustus dicat formaliter iustitiam,simile similitudinem,pater paternitatem;& materialiter, & connotatiue subiectum ipsius formæ,v. g.hominem, qui est iustus,aut similis,aut pater. Alij tenent quod dicant formaliter,ac in recto ipsum subiectum, & con-

notatiue ac in obliquo formam: sed, vt dixi, hæc controuersia est parui momenti, & de nomine potissimum.

Concreta dicunt formaliter formam.

20. In rei autem veritate dicendum existimo quod ly *iustus* dicat formaliter iustitiam, & materialiter rẽ quæ afficitur iustitia, nam reuera illa res habet se per modũ materiæ respectu iustitiæ, & hæc per modũ formæ respectu ipsius; & quando volumus distinguere inter iustũ & album, non recurrimus ad subiecta sic denominata, sed ad iustitiam, & albedinem. Cum hoc tamẽ stat quod in recto ly *iustus* (& quod dico de hoc termino, intelligendum est de omnibus similibus, quia eadem est ratio de omnibus) diceret rem quæ afficitur iustitia, & in obliquo ipsam iustitiam; quia potest dici quod illud dicat in recto, quod in explicatione ipsius ponitur in nominatiuo casu, & in obliquo illud, quod in explicatione ipsius ponitur in obliquo casu; vnde quia explicando ly *iustus* dicitur, quod sit homo affectus iustitia, aut habens in se iustitiam, quandoquidem homo, qui est subiectum iustitiæ, ponitur in nominatiuo casu, qui est casus rectus; iustitia vero in accusatiuo, aut ablatiuo, qui sunt casus obliqui: ideo potest dici quod iustus dicat in recto subiectum iustitiæ, & in obliquo iustitiam. Sed supposita hac explicatione, non est idem dicere aliquid in recto, & dicere aliquid formaliter; nec dicere aliquid in obliquo, est dicere illud materialiter; quod totum tamen dependet ex acceptione, & institutione hominum vrentium his terminis hoc, vel illo modo.

In recto dicunt subiectũ.

Quid terminus transcendens.

*Octaua diuisio* est in transcendentem, & non transcẽdentem. Terminus transcendens est, qui de quacunq; re cuiuscumq; prædicamenti potest dici, & huiusmodi sunt sex, Ens, Res, Vnum, Verum, Bonum, Aliquid; quorum terminorum quilibet potest vere dici tam de substantia, quam de quantitate, & qualitate quacunque, & sic de rebus reliquorum prædicamentorum. Terminus non trãscendens est, qui nequit dici vere de rebus omnium prædicamẽtorum, sed de determinatis aliquibus rebus, vt homo, lapis, albedo, paternitas.

Quid non trãscendens.

Quid terminus finitus.

22. *Nona diuisio* est in terminum finitum, & infinitum. Terminus finitus est, qui limitatã habet significationẽ, sic scilicet, vt nõ possit dici nisi de rebus, vel existẽtibus, vel potentibus existere vt homo, color, paternitas. Terminus infinitus huic oppositus est, qui possit tã de rebus existẽtibus, quã de nõ existẽtibus, & nõ potentibus existere, prædicari, vt nõ homo, qui potest & de lapide. & de Hyppocentauro vere prædicari; verũ enim est dicere quod lapis sit nõ homo, & similiter, quod Hyppocentaurus sit nõ homo. Fiunt autẽ termini finiti, modò non sint trãscẽdẽtes, infiniti, iungendo ipsis negationẽ, vt non lapis, non paternitas. Dixi autem, modò non sint transcendentes, quia si sint transcendentes, non poterũt infinitari, quia iungẽdo negationẽ termino transcẽdẽti, non potest dici de vlla re potenti existere; neq; enim de vlla re tali potest vere affirmari, quod sit nõ ens, nõ res, non aliquid, cuius ratio est, quod termini transcendentes de omnibus rebus potentibus existere dicantur, vnde negatio eorum nequit de vlla tali re dici; aliàs contradictoria verificarentur de eodem, quod implicat, vt patet ex terminis.

Quid infinitus.

Quomodo terminus finitus redditur infinitus. Termini trauscendentes non possunt infinitari.

## Caput III.

### *De variis terminorum affectionibus,*

Affectiones terminorum, de quibus hic agere solent authores, sunt sex, *Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Diminutio, Appellatio.* Est autem affectio termini conditio quædam, qua solet affici terminus. Agitur autem hic de his affectionibus, quia possunt deseruire ad mutandam naturam discursus, & falsificandum syllogismum.

Quid est suppositio.

1. *Suppositio* est acceptio termini pro aliquo, & quia potest accipi terminus aliquando pro se, aliquando pro re, ad quam significandam est impositus, propterea diuiditur suppositio in materialem, & formalem: suppositio materialis est quando vox, seu terminus accipitur pro se ipsa, vt fit in hac propositione: *homo est vox*, vbi ly *homo* non accipitur pro natura humana, sed pro sono illo particulari, quo profertur illa dictio. Suppositio formalis est, quando terminus non accipitur pro seipso, sed pro suo significato, vt in hac propositione: homo est animal, vbi homo non accipitur pro illo sono, quia alias propositio esset falsa, sed pro natura humana, ad quam significandam erat impositus iste sonus.

Quid suppositio materialis.

2. *Suppositio formalis* diuiditur in propriam, & impropriam. Propria est, quando accipitur terminus pro re illa quam propriè significat, vt cum accipitur leo pro animali rugibili. Impropria est, quando accipitur pro re, quam non significat proprie, sed improprie, & per figuram, vt cum accipitur leo pro homine fortissimo & valde generoso, in quo sensu accipitur, quando dicitur, de Christo quod sit leo.

Quid formalis propria. Quid impropria.

3. *Suppositio formalis* propria diuiditur in simplicem, & personalem. Simplex suppositio est, quando accipitur vox aliqua significans naturã vniuersalem communem pluribus, & prædicabilis de pluribus illis, quibus est communis illa natura, non pro vt conuenit ille terminus pluribus, neque provt est prædicabilis de illis, sed provt est prædicabilis de ipsamet natura sola, vt cum dicitur, *homo est species, homo est prædicabilis de pluribus*, in quibus propositionibus ly *homo* capitur pro natura humana secundum se, & non provt potest dici de Petro & Paulo, alias Petrus esset species sicut homo, & Paulus, quod est falsum: vocari autem videtur hæc suppositio simplex, quia est suppositio termini pro vna re vniuersali, & non pro pluribus contentis sub illa re.

Quid suppositio formalis simplex.

4. *Suppositio personalis* est acceptio vocis, secundum quod accipitur pro pluribus contentis sub natura communi, vt cũ dicitur, homo est animal, vbi homo accipitur pro quolibet indiuiduo naturæ humanæ, quia de quolibet ex ipsis potest dici, quod sit animal. Signũ autẽ colligendi, quod terminus supponat simpliciter, est, si prædicatum, quod dicitur de ipso, non conueniat alicui ex inferioribus naturæ, quam significat; si verò prædicatum, quod dicitur de ipso, conueniat inferioribus, vel omnibus, vel aliquibus, signum est quod terminus ille, de quo dicitur illud prædicatum, supponat personaliter: vocatur autem suppositio hæc secunda personalis, quia est suppositio vocis pro suppositis, vel personis, contentis sub natura communi.

Quid personalis.

Vnde colligi possit vocem supponere personaliter aut simpliciter.

5. Diuiditur porro suppositio personalis in naturalem, & accidentalem; naturalis suppositio est quando terminus communis significans naturam communẽ supponit pro omnibus contentis sub ista natura cõmuni, vt cum dicitur, homo est animal, vbi vox *homo* supponit pro omni indiuiduo animalis, quandoquidem verum sit de quolibet tali indiuiduo quod sit animal. Suppositio personalis accidentalis est, quando terminus cõmunis non supponit pro omni indiuiduo contento sub natura communi per ipsum significata, sed pro aliquibus tantum, nimirum pro illis, quibus conuenit pro tempore importato per verbum, vt cum dicitur, homo studet, homo cucurrit; in quibus propositionibus ly *homo* supponit pro aliquibus suppositis, aut personis humanis, at non pro omnibus, sed in prima propositione pro illis tantum qui student, dum profertur propositio; & in secunda pro illis qui aliquando cucurrerunt ante prolatam propositionem.

Quid suppositio personalis naturalis. Quid accidentalis.

6. Rursus suppositio personalis diuiditur in distributiuam, copulatiuam, determinatam, confusam. Suppositio personalis distributiua est acceptio termini communis, pro omnibus contentis sub natura communi seorsim sumptis, ita vt de quolibet ex ipsis per se, ac determinate possit illud prædicatum, quod dicitur de illo termino communi, prædicari: hoc modo supponit ly *homo* in hac propositione: omnis homo est animal, quia verum est dicere de quolibet determinato indiuiduo humano quod sit animal, nemine dempto.

Quid distributiua

7. Suppositio copulatiua est, quando accipitur terminus cõmunis pro omnibus inferioribus simul sumptis, ita vt prædicatũ nõ possit dici de quolibet ex inferioribus seorsim sumptis. Hoc modo supponit ly *Apostoli* in hac

Quid copulatiua.

hac propositione: omnes Apostoli sũt duodecim, quia nõ est verũ dicere de quolibet Apostolo, nec tribus, aut quatuor, aut decem, quòd sint duodecim, sed est verũ de omnibus simul quòd sint duodecim. Similiter etiam supponunt subiecta sequentium propositionum: omnes Euangelistæ sunt quatuor, omnia elementa sunt quatuor: omnia principia corporis naturalis sunt tria.

Quid determinata.

8. Suppositio determinata est acceptio termini cõmunis pro aliquo ex suis significatis, quod possit determinate ostẽdi à Deo, vel à quocũque qui videret omnia individua istius naturæ cõmunis cum omnibus suis accidẽtibus, quãuis ex vi istius propositionis non magis competat prædicatũ, quod dicitur, vlli vni individuo, quam cæteris: nec possit quis cognoscere quodnã determinatè sit illud, cui competit istud prædicatũ: hoc modo supponit ly *homo* in hac propositione, aliquis homo studet, aliquis homo morietur cras, nam posset Dominus Deus ostẽdere quis nam ille sit, & quicũque alius, qui videret aliquem dormientem, aut studentem, aut qui sciret aliquem determinatũ hominem moriturum; tamen ex suppositione illa præcisè non datur intelligi, quod vllus vnus determinatus homo magis quam quicunque alius dormiat, studeat, aut sit moriturus; dicitur autem hæc suppositio determinata, quia habet magis determinatam significationem, quam suppositio confusa, de qua iam.

Quid cõfusa.

9. Suppositio cõfusa est acceptio termini cõmunis pro aliquo ex inferioribus, sed tam incerto, & indeterminato modo, vt nec ab ipso Deo possit vllum determinatum inferius ostendi, pro quo determinate supponat: sic supponit *penna* in hac propositione, *aliqua penna est ad scribendum necessaria*, & *equus* in hac alia propositione, *aliquis equus est ad equitandum necessarius*; neque enim Deus ipse potest ostẽdere vllam determinatam pennam, quæ sit sic necessaria, quandoquidem quæcunque alia posset sufficere; neque vllum determinatum equum, qui sit sic necessarius, propter eandem rationem. Valde facile autem poterit quis hanc suppositionem à superiori distinguere, si aduertat, quòd quando terminus supponit determinate, tum si concedatur, quod prædicatum competat nulli ex inferioribus præter vnum, necessario debeat competere isti vni: vnde si dicam, aliquis Euangelista comparatur aquilæ, quia ly *Euangelista* supponit determinate, verum est, quod si nec Lucas, nec Matthæus, nec Marcus comparetur aquilæ, Ioannes debeat ipsi comparari. Sed quando terminus supponit confuse, quamuis prædicatum negetur de omnibus inferioribus præter vnum, non debet tamen posse prædicari de illo vno: vnde quando dico quod aliquis oculus est necessarius mihi ad videndum, quamuis ex duobus oculis, quorum alteruter est necessarius, verum sit quod oculus dexter non sit necessarius; tamen non sequitur quod sinister sit necessarius.

Quomodo possit sciri an terminus supponat confuse, an determinate.

Quid suppositio distributiua pro singulis generum.

10. Denique suppositio distributiua diuiditur in tres species. Prima species est suppositio distributiua pro singulis generum, & hæc est acceptio termini cõmunis pro quolibet omnino inferiori suo, vt cum dicitur: *omne animal est viuens*, nam quandoquidem nullũ sit animal, quod nõ sit viuẽs, ly *animal* pro omni omnino animali inferiori supponit: & hęc est perfectissima species suppositionis distributiuę. Ad hãc reducitur suppositio distributiua pro singulis specierum, vt cum dicitur: *omnis homo est risibilis*.

Ad eam reducitur suppositio distributiua pro singulis specierũ.

Quid suppositio pro generibus singulorum

Secunda est suppositio distributiua pro generibus singulorum, & est acceptio termini significantis naturam genericam pro singulis speciebus eius, non verò pro singulis indiuiduis cuiuscumque speciei. Hoc modo supponit ly *animal* in hac propositione: omne animal fuit in arca Noe; cuius sensus est non quod omne indiuiduum animalis, vt sic, fuerit in illa arca, sed quod omnis species animalis fuerit in ipsa, seu quod cuiuscunque speciei animalis, aliquod indiuiduum fuerit in illa arca. Sic explicatur communiter; sed si vim verborum attendamus, melius explicaretur esse acceptio termini distributiuè non pro singulis indiuiduis, nec pro singulis etiam speciebus infimis, sed pro singulis speciebus subalternis, quæ sunt genera: nec enim necesse est, ad veritatem ipsius propositionis, omne animal fuit in arca Noë, quod omnis species infima fuerit ibi, sed sufficit omnia genera animalium in ea fuisse.

Quid suppositio accõmoda.

12. Tertia denique species est, suppositio distributiua accõmoda, seu cum exceptione aliqua, & est acceptio termini communis pro inferioribus omnibus, exceptis tamen aliquibus, quæ ex ipsa natura propositionis, & intentione proferentis illam, excipienda esse cẽsendum est: sic supponit ly *omnia* in hac propositione, *cœlum tegit omnia corpora*, quod intelligendum est de omnibus præter ipsum cœlũ, neque enim seipsum tegere potest: sic etiam ly *omnes* supponit in illa propositione, *omnes in Adam peccauerunt*; excipiendus enim est Christus.

Dantur autẽ ab authoribus aliquæ regulæ ad cognoscendũ quomodo ex his pluribus modis supponunt termini, sed nulla certior est, quam recurrere ad naturã materiæ, & circũstãtiarum, & inter disputandum consultius esset semper tollere æquiuocationem, & stabilire sensum propositionis & potius in hoc conuenire cum aduersario, quam altercari de nomine.

Ly aliquis non arguit suppositionẽ determinatam.

13. Mirum est autem, cur Complutensis hic post alios antiquos dicant signũ particulare, quale est, *aliquis*, *quidã*, facere terminum proximum, cui coniungitur, supponere determinate; hoc enim non potest esse vniuersaliter verum, quandoquidem certum sit, quod in hac propositione, aliquis oculus est necessarius ad videndum; ly *oculus* non obstante signo particulari *aliquis*, quod ipsi proxime coniungitur, supponat confuse, & non determinate. Alia etiam in signis ab ipsis propositis possent reprehendi, sed breuitati consulere placuit, & illa iudicio lectorum relinquere: & hæc de prima termini affectione sufficiant.

Quid ampliatio.

14. Secũda termini affectio est *Ampliatio*, quæ etiam distractio dicitur, & est extensio termini ad supponendum pro suo significato pro alio tempore, quàm importatur per verbum: huiusmodi ampliatio habetur in hac propositione, *cæcus videt*, aut *est videns*, nam ly *cæcus* supponit non pro illo, qui est cæcus in tempore præsenti, quo dicitur videre; sic enim propositio esset falsa; sed supponit pro illo, qui ante erat cæcus.

Quid status.

15. Tertia affectio est *status*, & est quando terminus supponit pro suo significato pro illo ipso tempore, quod importatur per verbũ; sicut enim quando supponit pro alio tempore, dicitur ampliari, ita quando supponit pro eodẽ tempore, dicitur habere suum statum: hoc modo se habet ly *homo* in hac propositione, *homo studet*, supponit enim pro homine illo, qui modo est, & modo studet.

Quid restrictio.

16. Quarta affectio termini est *restrictio*, & est coarctatio termini à maiori significatione ad minorẽ, vt cum dicitur *omnis homo iustificatus est gratus Deo*, vbi ly *omnis homo* quod aliàs deberet supponere distributiue pro omnibus, per adiunctionem ly *iustificatus* limitatur ad supponendum solùm pro illis hominibus, qui sunt iustificati.

Quid diminutio.

17. Huic affectioni vicina est quinta, quæ dicitur *diminutio*, & est limitatio aliqua facta per aliquam particulã, ratione cuius aliquis terminus, qui alias non posset vere prædicari de aliquo, possit de ipso prædicari. Hoc modo afficitur ly *albus* in hac propositione: Æthyops est albus secundũ dentes; nam quãuis simpliciter, & absque addito nõ possit dici de Æthyope, quod sit albus, quãdoquidẽ simpliciter dicatur de ipso, quod sit niger; tamen additio illius particulæ *secundũ dentes* facit vt possit vere dici de ipso. Vocatur autem hæc affectio diminutio, quia terminus ille qui mediante affectione dicitur, non habet illam plenam significationem quam habet quando dicitur absque illa diminutione; quando enim dicitur de homine, quod sit albus, nõ addẽdo aliquid aliud, significatur quod sit albus pro multo maiori corporis parte, sed quando dicitur quod sit albus secundum dentes non significatur quod sit albus nisi secũdum exiguam partem.

Quid alienatio

18. Sexta affectio est *alienatio*, & est translatio vocis, seu termini à sua propria significatione ad significandũ aliquid aliud propter adiunctionem alicuius alterius vocis aut termini, hoc modo afficitur ly *homo* in hac propositione, *picti homo pictus non est animal rationale*, vbi ly *homo* quod secundum se proprie significat animal rationale, propter adiunctionem ly *picti* non significat animal rationale,

sed potius picturam externam talis animalis.

19 Septima denique affectio est, *appellatio*, quæ est applicatio significati vnius terminiad alium terminũ, vt cũ dicitur *Patricius sanctus*, vbi sãctitas significata per sãctũ applicatur ad Patriciũ. Tota autem difficultas huius est, quando terminus aliquis coniungitur in eadem oratione cum pluribus aliis terminis, quorum cuilibet posset quantum ad vocẽ, & propositionem applicari eius significatio; cuinam debeat applicari v.g. quando dicitur Petrus magnus est Philosophus, significatio ly *magnus* posset applicari vel Petro, & sic sensus esset quod Petrus esset magnus corpore; vel etiam ly *Philosophus*, & sic sensus esset quod Petrus esset bene versatus in Philosophia. Difficultas inquam est in huiusmodi propositionibus, cuinã ex illis terminis debeat applicari ille alius terminus, aut supra quem ex ipsis debeat (vt inquiunt Summulistæ) appellare. In ordine ad quod variæ assignantur ab iisdem Summulistis regulæ, sed securior, & facilior via est colligere ex modo loquendi, aut materia, aut circumstantiis, cuinam debeat applicari, & si id aliquando fieri nequeat, aut dubium adhuc relinquatur, tũc recurrẽdum est ad distinctionem, vnde si reperiatur huiusmodi propositio in scriptis aliquibus: Petrus magnus est Philosophus, & petatur an sit vera de aliquo Pètro, qui sit magnus corpore, sed non in philosophia, licet sit tamen aliquo modo Philosophus; quandoquidem ex natura propositionis non detur intelligi an ly *magnus*, sit coniungendum cum subiecto, an cum prædicato, debet distingui propositio hoc modo: Si ly *magnus* appellat supra subiectum, seu si significatio ipsius applicetur Petro, ita vt sẽsus sit quod Petrus, qui est corpore magnus sit Philosophus, propositio vera est: Si vero ly magnus coniungi debet cum prædicato ita vt sensus sit, quod Petrus ille sit magnus in Philosophia, aut multum sit expertus in ea, falsa est propositio. Quo modo facile se quis extricabit non recurrendo ad regulas summulistarum ab ipsismet excogitatas, & non obseruatas à peritioribus linguæ latinæ authoribus, quorũ nullus vnquam posuit differentiam vllam inter has propositiones *Regem vidi* & *vidi Regem*, ac similes alias, quas veteres summulistæ inutiliter distinguebant.

Quid appellatio.

## Caput IV.

### *De Nomine.*

1. *Nomẽ* describitur à Philosopho 1. de interpr. c. 1. esse *vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta.* Quæ definitio cõmuniter admittitur, & patebit bonitas eius ex explicatione.

Quid nomen.

Dicitur *vox significatiua ad placitum*, quia agitur hic de nomine in ordine ad constructionem propositionis vocalis: sensus autem horum verborum patet ex dictis de termino significatiuo.

Dicitur *sine tempore*, vt distinguatur à verbo, quod significat cum tempore.

2. Dicitur *cuius nulla pars separata significat*, vt distinguatur ab oratione: hæ autem duæ particulæ, quibus distinguitur Nomen à verbo, & oratione, melius intelligentur ex dicendis statim de verbo, & oratione.

Dicitur *finita*, vt excludantur nomina infinita, vt non homo, non lapis, quæ nullam rem determinatam significant, & propterea à ratione nominis à se definiti excludere voluit Philosophus.

Cur excludũtur casus obliqui à ratione nominis,

Dicitur denique *recta*, vt excludantur casus omnes obliqui, vt hominis, homini, hominem, homine; quæ voces licet sint nomina etiam substantiua apud Grammaticos, tamen Philolophus noluit tales voces comprehendere in sua definitione, sed solũ voces significatiuas in nominatiuo casu, quia in illo solo casu possunt esse per se subiectum, aut prædicatum propositionis significatiuæ, in ordine ad quam agit de nomine.

Dices: hæc propositio est propositio significatiua: hic liber est Petri, sed Petri, quod est genitiui casus, est prædicatum eius, ergo casus obliquus potest per se esse prædicatum propositionis.

Respondeo negando minorem; quia prædicatum illius propositionis non est *Petri*, sed *liber*, seu res Petri, hoc est spectãs ad Petrum, quod subintelligitur in illa oratione.

## Caput V.

### *De Verbo.*

1. *Verbum* est vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta, & est eorum, quæ de altero dicuntur, nota. Hanc descriptionem tradit Philosophus c. 2. de interpret, & admittunt omnes Peripatetici.

Quid verbum.

Dicitur *vox significatiua ad placitum, cuius nulla pars separata significat*, in quo conuenit cum nomine, & disconuenit ab oratione: Dicitur *finita*, vt excludantur verba infinita vt *non studet, non docet*, quæ non significant quid determinate conuenit rei, de qua dicuntur. Dicitur *recta*, vt excludantur verba cæterorum modorum præter indicatiuum, quia verba indicatiui modi, vt talia, sunt sola illa, quæ deseruiunt ad significandum, quid rei conueniat actu, aut conuenerit, aut conueniet, & de verbis, vt sic, solum voluit agere Philosophus, quia illa sola per se ad institutum ipsius spectant.

Aliqui dicunt quod per hanc particulam excludantur etiam alia tempora Indicatiui præter præsens tempus, & id etiam propter eorum authoritatem est probabile; & perinde est in re quid dicatur.

2. Dicitur *cum tempore*, vt distinguatur à nomine; ad quam particulam intelligendam aduertendum est aliud esse significare tempus; aliud connotare aut consignificare tempus, aliud verò significare cum tempore. Significare tempus est deducere in cognitionem temporis, & hoc conuenit nomini alicui, nam vox *annus* est nomen significans tempus, & idem est de die, hora, nocte, ætate, sæculo. Consignificare tempus est deducere in cognitionem temporis simul cum alia re, quatenus scilicet significat aliquid quod solet in aliqua temporis differentia fieri, sic cœna significat tempus vespertinum, quia significat comestionem, quæ tempore vespertino fieri solet, ex quo patet hoc etiam competere nomini, nam cœna sine dubio est nomen. Significare denique cum tempore est significare aliquid competere alicui pro aliqua temporis differentia, nimirum pro tempore præterito, præsenti, vel futuro, vt *studet* quod significat illum, de quo dicitur, studere pro tempore præsenti; & *est* quod significat prædicatum, quod eo mediante dicitur de aliquo, competere illi pro tempore præsenti, sicut *fuit* significat pro tempore præterito, & *erit* pro futuro. Ex quo patet significare *sine tempore* quod ponitur in definitione nominis; non sic intelligendum quasi nomen non deberet significare aut consignificare tempus, sed sic vt nomen non debeat significare, illud, quod de alio dicitur, conuenire ipsi pro vlla temporis differentia.

Quid sit significare tẽpus.

Quid cõsignificare tẽpus.

Quid significare cum tẽpore.

3. Dices: participium v.g. *amans* significat amorem competere alicui pro tempore præsenti, ergo si vera est hæc descriptio, participium erit verbum, sed hoc est falsum, ergo hæc descriptio est falsa.

Respondent aliqui negando consequentiam, quia licet cõueniat ipsi hæc particula descriptionis: nimirum *significare cum tempore*, tamen non cõpetit ipsi altera particula, nimirum *& est semper eorum, quæ de altero dicuntur nota.*

Cur participium non sit verbum.

Alij respondent distinguendo antecedens: significat amorem competere alicui ratione verbi, quod inuoluitur in ipso, concedo; alia ratione, nego. Itaque quia idem est *amans* ac *est amans*, ideo ratione ly *est*, quod inuoluitur in illo participio, significat amorem competere alicui pro tempore præsenti.

Vtraque hæc responsio est probabilis. Prima mihi magis placet, quia si per illam particulã distingueretur participium à verbo, frustra adderetur vltima illa particula *est semper eorum quæ de altero dicuntur nota*: cuius sensus est, quod verbum significet prædicatum aliquod competere subiecto, & hinc dicitur habere rationem copulæ & propositionem constare duobus extremis, hoc est prædicato ac subiecto, & copula, hoc est verbo.

## Caput VI.

### *De Oratione.*

1. Communiter admittitur tanquam bona definitio orationis, quam tradit Philosophus c. 4. de interpretatione, nimirum quod sit *vox significatiua ad placitũ cuius*

Quid oratio.

*cuius pars aliqua separatim significat, vt dictio & non affirmatio aut negatio.* Dicitur *vox significatiua ad placitum* in quo tanquam in genere conuenit cum nomine & verbo, quamuis reuera oratio non sit eodem modo vox quo nomen & verbum, quia tam nomen, quam verbum est simplex, oratio vero est vox composita ex pluribus vocibus. Dicitur *cuius pars aliqua separatim significat* per quod distinguitur tanquam per differentiam a nomine & verbo. Sensus autem est quod oratio debet esse vox composita ex talibus partibus quarum aliqua secũdum se sumpta significet idem ipsum quod significat vt coniuncta cum aliis partibus ex quibus conflatur oratio; vnde patet has esse orationes: homo iustus, Deus Optimus Maximus, Christus resurrexit: quia *homo*, *Deus*, *Christus*, quæ sunt partes harum orationum idem significãt secundum se sumpta, ac in illis orationibus. Hæc vox autem *Dominus* vt significat possessorem alicuius rei, aut hominem in dignitate cõstitutum, non est oratio, sed nomen, quia licet pars istius vocis, nimirum prima syllaba *Do* seorsim sumpta significet dare, & altera pars nimirum *minus* significet aliud, nimirum *non tãtum*, tamen non significant illa, vt sunt partes istius vocis *Dominus*; vnde quamuis non haberent illam significationem, adhuc vox *Dominus* significaret possessorem rei, aut hominem in dignitate constitutum, neque enim ideo quis vocatur Dominus quia dat minus, vt est euidens.

Hinc patet vocem *Respublica* non esse orationem, sed nomen, quia licet prima syllaba *Res* & secunda *publica* separatim significent, & possint componere hanc orationem *res publica*; tamen non significant idem extra illam vocem quod significãt in illa voce, nam in illa voce vtraque syllaba significat congregationem hominum talem vel talẽ: res autem publica significat aliquid aut spectãs ad rempublicam, aut quod non sit secretum, vnde quamuis *Res* per se nihil significaret, nec *publica*: tamen vox *res publica* posset habere illam significationem,

Addidit preterea Philosophus, quod pars aliqua orationis debeat significare aliquid, vt dictio, & non vt affirmatio vel negatio, maioris explicationis gratia, ad significãdũ, quod non sit necessarium vt pars orationis debeat significare aliquid per modum propositionis affirmatiuæ, aut negatiuæ: sed quod debeat aliqua pars eius aliquid significare per modum dictionis simplicis. Per hoc autem non intendit, quod pars aliqua orationis alicuius, non debeat posse significare per modũ propositionis aut enũciationis; nam hæc oratio *Deus est bonus & est amandus*, & tamẽ hæc pars ipsius *Deus est bonus* significat per modum propositionis; sed vult tantum quod id non sit necessarium, sed quod sit necessarium semper quod aliqua pars significet, vt dictio, id quod etiam patet esse verum in illa ipsa oratione: nam ly *Deus*, quæ est pars eius, significat vt dictio & non per modum propositionis.

Plures voces significanter vnãrem non faciunt orationẽ

3. Aduertendum hic primo, quod quando plures voces imponuntur ad significandum vnicam omnino rem, non cõstituant orationem, vnde Alexander magnus, vt capitur pro filio Philippi Macedoniæ Regis, non est oratio, nec summus Põtifex, vt capitur pro Papa; & huius ratio potest desumi ex definitione ipsa orationis, quia cum istæ voces imponantur ad significandam vnam rem, partes earum seorsim non possunt significare idem quod significant, vt sunt partes.

Partes orationis debent habere vnionem constructionis inter se.

4. Aduertendum præterea, quod partes ex quibus conflatur oratio & quatũ aliqua posset seorsim aliquid significare, debeant habere connexionẽ aliquam constructionis, aut significationis inter se, ratione cuius dici debeant aliquid vnum, vnde hæ voces Petrus, Paulus non sunt oratio, nec homo lapis: bene tamen lapis Petri, Petrus filius Pauli, homo sedens supra petram, & similia.

Quid perfecta oratio.

5. Aduertendum denique, quod oratio diuidatur in perfectam, & imperfectam: perfecta est quæ generat perfectum sensum in mente intelligentis terminos seu partes eius vt *Deus est amandus. Vtinam essem in cœlo: obserua mãdata*; *noli peccare*, & similes, quæ cum proferuntur, non relinquitur animus audientis suspensus ex natura orationis. Oratio imperfecta est quæ non generat perfectum sensum vt homo iustus, si essem in cœlo.

Quid im perfecta?

Rursus oratio perfecta diuiditur in enunciatiuam, & non enunciatiuam: enunciatiua conuenit cum propositione, de qua postea, & hæc est oratio, quæ spectat ad Logicã, & ratione cuius in ea agitur de oratione vt sic. Non enunciatiua est, quæ non est propositio, vt vtinam essem bonus religiosus! declina à malo, & fac bonum, quando apparebo in conspectu Dei?

Oratio perfecta enũciatiua quid. Quid nõ enunciatiua.

## Caput VII.

### *De modo sciendi vt sic.*

Quid modus sciendi.

*Modus sciẽdi* vt sic communiter describitur esse oratio ignoti manifestatiua. Dicitur *oratio*, quia in hoc, tãquam in genere, conuenit cũ orationibus quibuscũque, quæ non sunt ignoti manifestatiuæ. Dicitur *ignoti manifestatiua*, quia per hoc tanquam per differentiam distinguitur ab orationibus, quæ non sunt ignoti manifestatiuæ. Vt autem melius intelligantur hæ particulæ.

Aduertendum est, illud, quod est ignotum, aut esse aliquam propositionem, quæ ex terminis suis non apparet esse vera vel falsa, vt si alicui nescienti an panis sit albus, proponatur illa propositio: panis est albus, erit enim ipsi omnino ignota, & propterea si petatur ab ipso sit ne vera necne, dicet se nescire. Aut erit aliqua res simplex, quæ si proponatur intellectui aut non erit ipsi notum, quæ sit natura eius; aut non erit ipsi notum quot partes habeat: si res ignota sit propositio aliqua, tunc non relinquitur intellectui vlla via ad ipsam cognoscendam præter reuelationem alicuius, aut discursum: quia vero id quod cognoscitur per reuelationem, aut cognoscitur per reuelationem diuinam, & spectat ad Theologiam; aut per reuelationem creatam, & spectat ad fidem humanam, quæ est cognitio imperfecta, & non spectans ad scientias. & quia etiam non sunt necessaria aliqua præcepta artificialia vt non erremus in credendo, inde est quod iste modus cognoscendi non spectet ad Logicam.

2. Si propositio ignota non sit credenda propter reuelationem, sed per discursum, tum discursus ille, quo cognoscitur, dicitur modus sciendi ipsam, & quia potest esse aliquis discursus bonus & recte cõcludens & aliquis malus ac male concludens, & quia possunt dari aliquæ regulæ per quas cognosci possit quisnã discursus sit bonus & quis malus, hinc hic modus sciendi spectat ad Logicam.

Si res ignota sit simplex, & non propositio aliqua & ignoretur natura eius, modus quo possit deueniri in cognitionem eius, erit definitio, de qua in sequenti capite agemus: si verò ignorẽtur partes talis rei, modus cognoscẽdi erit diuisio, de qua in capite nono, quoniam autem tam in definiendo, puam in diuidendo possunt committi errores, hincverq; modus cognoscẽdi spectat ad Logicã.

3. Hinc patet modum seu instrumentum sciendi, vt sic, spectans ad Logicam esse orationem, quæ ex natura sua intrinseca nata est deducere intellectum in cognitionem alicuius rei, si alias esset ipsi ignota. Dixi, si alias esset ipsi ignota, quia nõ est necesse quod oratio ignoti manifestatiua manifestet aliquid, quod actu sit ignotum, aut quod possit esse ignotũ absque illa oratione, quia etiam si omnis intellectus cognoscet necessario hominem esse risibilem ex eo quod videret ipsum esse rationalem; tamen adhuc hæc oratio quidquid rideat est risibile, homo rideat, ergo est risibilis, esset oratio ignoti manifestatiua. In hoc ergo sensu explicanda & intelligenda est communis descriptio modi sciendi, vt sic ad Logicam spectantis.

Tres tãtũ modi sciendi.

Hinc patet secũdò nõ esse alios modos sciendi quã tres, definitionẽ scilicet, diuisionẽ, & argumẽtationẽ, & cõsequẽter male additã ab Auersa hic enũciationem tãquam quartũ modũ sciẽdi, neq; enim vlla propositio potest ex natura sua manifestare aliquid aliud si alias esset ignotũ, nisi vel in illa ponatur definitio rei, vel per illam diuidatur res, vel per eam discursiue procedatur ad cognitionẽ rei, vnde nulla propositio manifestat ignotum nisi in virtute definitionis, diuisionis aut argumentationis.

Propositio non est modus sciẽdi.

## Caput VIII.

### *De Definitione.*

Quidde finitio.

Communis descriptio definitionis est, quod sit oratio manifestatiua rei ignotæ quod ad naturam. Dicitur

*oratio manifestatiua rei ignotæ*, quia in hoc tanquam in genere conuenit cum diuisione & argumentatione. Dicitur *quoad naturam*, quia per hoc tanquam per differentiam differt à diuisione, quæ manifestat partes rei, modo declarando inferius, & ab argumentatione quæ manifestat nō naturā alicuius rei simplicis, sed an aliqua propositio sit vera, vel falsa. Solet autē explicari natura rei tripliciter: primo secundum quod significatur per nomen aliquod confuso modo, vt si explicaretur quid sit homo, dicendo quod sit res habens manus, pedes, caput cum tali ordine, & dispositione, cum quali concepimus communiter homines, & hæc definitio vocatur definitio quid nominis, & est satis imperfecta; nec re vera tā explicat naturā rei alicuius, quam proponit significatū vocis alicuius, vnde ad huiusmodi definitionem reducēdæ videntur explicationes vocum secundum etymologiam seu deriuationem earū ab aliis nominibus, vt si dicat quis quod lapis significet substantiam illam, quæ soleat communiter lædere pedes nudos inter iter agendum.

Quot modis solet explicari natura rei.

Secūdò manifestatur natura rei, quādo proponūtur proprietates eius, & definitio, qua hoc fit, vocatur descriptiua ad differentiam alterius definitionis statim explicandæ: exemplum autem huiusmodi descriptionis est, si quis explicet naturam hominis, dicendo, quod si animal risibile, aut admiratiuum.

Tertiò denique manifestatur natura rei, quando proponuntur partes essentiales eius, vt si quis dicat quod homo sit animal rationale, & hæc est perfectissima definitio & quidditatiua, quia explicat essentiam rei, ipsam proponendo intellectui.

2. Quia verò res multæ possunt considerari, & secundum partes physicas v.g. materiam & formam physicā, & secundum partes metaphysicas, hoc est genus & differētiam, hinc duplex potest assignari definitio quidditatiua, vna physica, quę proponit partes physicas, vt si dicatur quod homo sit aliquid cōstās corpore & anima rationali; altera metaphysica, quę proponit partes metaphysicas, vt si dicatur quod homo sit animal rationale: hinc patet illud non posse definiri, nec definitioue physica, quod nō habet partes physicas, vt sunt Deus, Angeli, materia prima, albedo, similitudo, &c. nec definitione metaphysica, quod non habet partes metaphysicas, vnde ens vt sic nequit definiri proprie, quia dicit vnicū simplicissimū conceptum, nec propterea habet partes essētiales, aut metaphysicas, aut physicas; potest tamen explicari definitione quid nominis per orationem aliquam, quæ manifestet ad quid significandum erat illud nomen impositū, vt si cui ignaro linguę latinę, & petēti quid significaret nomē Latinū *ens*, aliquis id quouis modo explicaret, aut per aliā orationem Latinam, aut per orationem in lingua aliena.

3. Vt verò aliquis possit cognoscere quādo definitio est bona, & quādo non, aduertēdæ sunt cōditiones definitionis bonæ communiter admissæ. Prima est quod definitio debet esse clarior definitio. Per definitum intelligitur res illa cuius natura est explicāda per definitionē. Huius cōditionis necessitas patet ex eo, quod si nō sit clarior, sed vel obscurior, vel æque obscura, nō possit manifestare naturā definiti: v.g. si quis nesciat quid sit homo, & aliquis dicat quod sit animal humanum, idest habens operationes, aut partes hominis, pessime definit hominem, quicūque enim ignorat quid significet homo, aut quid sit, ignorabit etiam quid significet, aut quid sit animal habēs operationes, aut proprietates hominis, vt manifestum est.

Prima conditio bonæ definitionis.

Hæc tamen conditio videtur spectare ad definitionem verbalem. Si autem reducatur ad definitionem realem & obiectiuam, sensus erit quod definitio obiectiua, seu conceptus ipsi correspondēs debeat magis deseruire ad distinctionē rei definitæ ab aliis rebus quā conceptus ille confusus qui habetur de illa re, vt importatur per nomen confuse v.g. vt definiatur homo, seu animal illud, quod significatur per nomen homo, quatenus significatur per illud nomen, hoc est quatenus est aliqua res habens tales partes integrales externas, debet haberi aliquis alius conceptus, qui magis intimus sit ipsi, & propterea magis deseruiat ad distinguendum illam rem ab aliis rebus, quam ille conceptus imperfectus, & confusus.

4. Secunda conditio est quod definitio debeat conuerti cū definito, id est debeat esse talis, vt de quocūque prædicatur definitum, de eo debeat prædicari definitio, & de quocumque prædicatur definitio, debeat prædicari posse definitū. Defectu huius cōditionis hæc non est bona definitio hominis: homo est animal, quia licet de quocūque prædicatur homo, prædicetur etiam animal, tamen nō de quocumque prædicatur animal, prædicatur homo, neque enim potest dici de bruto quod sit homo, licet dicatur de ipso quod sit animal. Ratio autē cur adesse debeat hæc cōditio est, quia alias nō explicabitur natura rei sic, vt possit aliquis habere conceptum proprium definiti, quo possit distingui ab aliis omnibus rebus, neq; enim per hoc, quod cognoscam hominem, vt animal præcise, possum cognoscere ipsum, vt est quid distinctæ naturæ à bruto. Secunda cōditio.

5. Tertia conditio est, quod non sit diminuta, tūc autem definitio est diminuta, quando nō cōtinet omnia quæ sūt necessaria ad cognoscēdam naturam rei, sic vt possit cognosci cū quibus particulariter conuenit, & à quibus disconuenit. Defectu huius conditionis hæc non est bona definitio hominis: homo est rationalis: nec hæc etiam: *homo est rational*, quāuis iustitueretur vox *rational*, tanquā nomen substantiū significans substantiam corpoream potētē discurrere, sicut instituta est vox animal ad significandā substātiam corpoream potentem sentire; quamuis enim illis descriptionibus cōuenirent duæ primæ cōditiones, nam in primis clariores essent, & deinde cōuerterentur cū definito; tamen reuera non sufficiēter declararent naturam definiti, quia per illam definitionem nō possemus cognoscere quod esset animal, aut viuēs omni genere vitæ qua viuit de facto, nec consequenter quod haberet conuenientiam aliquam specialem cum plantis, aut brutis, propter quam rationem etiam non bene describeretur esse substantia rationalis. Tertia cōditio.

6. Hinc patet verum esse tum quod omnis bona definitio essētialis metaphysica debeat cōstare genere & differentia, quia nec genus sufficit propter defectum secundæ conditionis, nec differentia sola propter defectum tertiæ: tum præterea quod illud genus: quod ponitur in definitione, debeat esse includens actu, & formaliter omnes alias differentias præter differentiam quæ adiungitur ipsi in definitione, quia alias relinqueretur aliqua pars essentialis.

7. Aduerte autem, quod si quis vellet definire, aut describere aliquam rem præcise in ordine ad descriminandam illam ab omnibus aliis rebus determinatis, quod tum posset sufficere genus remotum cum differentia vltima, vnde hoc modo bene describeretur homo esse substantia corporea rationalis.

Quarta denique & vltima conditio est quod definitio non contineat superfluū. Defectu huius conditionis hæc esset mala definitio hominis: homo est animal rationale bipes, quia frustra additur bipes. Tunc autē definitio cōtinet superfluum, quando continet aliquam particulam, qua non posita adhuc æque sufficienter declararetur natura rei, sic vt possit cognosci cum quibus rebus conuenit & à quibus differt, ac si poneretur. Quarta cōditio.

Hæ sunt conditiones definitionis quidditatiuæ: conditiones autem descriptiuæ sunt vt sit clarior definitio cōuertibilis, & sine superfluitate: tertia cōditio de diminutione non adeo requiritur, modò non sit tam diminuta, quin sit conuertibilis cum descripto.

Quænā possunt definiri.

Ne verò, quis frustra laboret in inquirenda alicuius rei definitione, quæ definiri nequeat, breuiter subiūgere placuit conditiones quæ requirūtur ad hoc, vt aliquid possit proprie definiri; eas autē desumo ex DD. in 4. dist. 1. q. 2. Prima est, quod debeat esse ens reale, quia licet ens rationis possit definiri definitione large accepta pro oratione explicāte naturā rei quomodocūque, tamen quandoquidē nō habeat verum esse, nec veram consequenter naturam, non potest definiri definitione stricte accepta, quæ est oratio verū esse rei manifestans ex Philosopho 1. Topic. Propter defectum etiam huius conditionis negationes & priuationes stricte definiri non possunt.

Secunda

Secunda quod debeat esse quid vnum per se & non sit vnum per accidens, quale est album, & omne concretum accidentale, nec aggregatum ex pluribus entibus non subordinatis sibi inuicem, vt est aceruus lapidum; quãuis enim huiusmodi entia possint cognosci & explicari etiã suo modo, tamẽ secundum Philosophũ 7. Met. c. 3. definitio rigorosa non datur nisi entis vnius per se.

Tertia cõditio est quod habeat plures cõceptus, quorũ vnus possit habere rationem generis, & alter rationẽ differentiæ, quia cum definitio proprie dicta debeat constare genere & differentia, patet, id quod possit definiri, debere includere duos conceptus tales, & hinc ens vt sic nequit proprie definiri.

Quarta cõditio quod sit quid vniuersale, quia definitio est ratio explicans quod quid est rei, hoc est prædicata essentialia ipsius: singularitas autem non est de essentia rei singularis; & præterea quia non potest de facto haberi vllus conceptus de vllo singulari, quo mediante possit aliquis ipsum distinguere ab omnibus aliis rebus ita quin possit proponi aliqua alia res, inter quam & ipsum non posset distinguere; vnde cum definitio debet esse oratio ita explicans naturã rei vt per eã possit quis distinguere rẽ definitã à quacunque alia re, sequitur nõ posse definiri vllum individuum aut singulare, qua tale.

## Caput XI. *De Diuisione.*

Quid diuisio.

*Diuisio* de qua hic agimus *est oratio manifestans partes alicuius totius*, aut, quod idem est in re, *est oratio totum in suas partes distribuens*. Illud autem totum quod diuiditur, vocatur diuisum, & partes, in quas diuiditur vocantur membra diuidentia, vnde quando dicitur quod animal diuidatur in rationale & irrationale, aut quod animalium aliud sit rationale, aliud irrationale: diuiditur animal in suas partes subiectiuas & ipsummet est diuisum, partes vero illæ sunt membra diuidentia, nimirum animal rationale & irrationale.

Primum genus diuisionis.

Multa autẽ sunt genera diuisionũ, quæ breuiter proponenda sunt. Primũ genus diuisionis est, qua diuiditur aliquod superius seu vniuersale in sua inferiora, & hæc vocatur diuisio totius potentialis in partes subiectiuas: vocatur autem superius totum potentiale ad differentiã totius actualis, quia totum actuale includit actualiter & intrinsecè suas partes; totum autem potentiale non includit actualiter & intrinsece partes suas subiectiuas, quia non sunt de ratione formali eius, nec constitutiua actualia ipsius; neque enim homo est de ratione formali animalis; nec pars intrinseca ipsius. Hæc diuisio cõprehendit tã diuisionẽ generis in species, qualis est illa, qua diuiditur animal in hominẽ & brutum: quam speciei in individua, qualis est diuisio hominis in Petrum & Paulum, &c. quam etiam diuisionem transcendentis in sua inferiora: qualis est entis vt sic, substantiam & accidens.

Diuisio totius potẽtialis in partes subiectiuas.

Secundũ genus.

2. Secundum genus diuisionis est qua diuiditur totũ actuale in partes ex quibus actualiter cõponitur, & hæc diuisio subdiuiditur in diuisiones totius integralis & totius essentialis. Totum integrale est, quod cõstituitur ex partibus integrantibus, quæ scilicet solent esse extra se inuicem & quarum neutra est forma alterius, vt homo, quatenus cõponitur ex manibus, pedibus, & capite, &c. aqua, quatenus componitur ex hac, & illa parte aquæ, quarum quælibet per se est aqua. Diuisio huiusmodi totius vocatur diuisio totius integralis in partes integrales, vt si diceretur: hominis partes sunt manus, pes, caput: aut partium hominis alia est manus, alia pes, alia caput, &c. Quod si partes huiusmodi sunt eiusdem rationis, totum integrale vocatur homogeneum, id est, constans partibus homogeneis, siue eiusdem rationis, & tale totum est aqua, quatenus componitur ex hac & illa parte aquæ, quarum quælibet est aqua. Si vero partes sunt diuersæ rationis, totum conflatum ex illis vocatur heterogeneum, hoc est, constans ex partibus heterogeneis, seu diuersæ rationis, vt est homo, quatenus est quid constitutum ex manibus, pedibus, capite, &c.

Diuisio totius actualis in partes actuales.

Diuisio totius actualis in partes integrales.

Quid totũ homogeneum.

Quid heterogeneum.

Diuisio totius essentialis in partes actuales physicas.

3. *Totum essentiale* est, quod constituitur ex partibus, quarum vna est per se in potentia ad alteram, & altera est per se actus illius & forma, & quarum quælibet ita requiritur ad constitutionem istius totius, vt ea ablata non maneat essentia istius totius: huiusmodi totum est duplex, vnum physicum, & est, quod constituitur ex partibus huiusmodi physicis, hoc est, realiter distinctis, vt est homo quatenus est constitutus ex anima & corpore: aqua, quatenus est constituta ex materia & forma: & diuisio huiusmodi totius vocatur diuisio totius physici in partes physicas, qualis diuisio est hæc: partium physicarum hominis alia est anima, alia corpus.

Diuisio totius metaphysici in partes metaphysicas.

Alterũ *totum est metaphysicum*, & est quod constituitur ex partibus essentialibus metaphysicis, hoc est, non realiter distinctis, vt homo, quatenus cõstituitur ex animalitate & rationalitate, & diuisio talis totius vocatur diuisio totius metaphysici in partes metaphysicas, vt si dicatur; partiũ metaphysicarũ hominis alia est animalitas, alia rationalitas, & ex his partibus cõflatur definitio rei: definitio enim hominis est, quod sit animal rationale.

Diuisio subiecti in accidentia.

4. *Tertium genus diuisionis* est, qua diuiditur totum accidentale in suas partes, & hæc diuisio est triplex, prima est subiecti in accidentia, vt hominũ alius est albus, alius est niger: in qua diuisione assignãtur plura subiecta eiusdem rationis affecta variis accidentibus. Secũda est accidentis in subiecta, vt alborũ aliud est homo, aliud lac; in qua assignãtur subiecta diuersæ rationis affecta accidentibus eiusdem rationis. Tertia est accidentia in accidentia, vt si dicam: alborum aliud dulce, aliud amarum: in qua diuisione assignantur plura accidentia eiusdem rationis coniuncta esse pluribus aliis accidentibus diuersæ rationis v.g. plures albedines, quarum aliqua coniungitur cum dulcedine, alia cum amaritudine.

Diuisio accidentis in subiecta.

Diuisio accidentis in accidentia.

Aduertendum verò hic, quod illa accidentia, in quæ diuiditur aliud accidens, nõ debent esse inferiora istius accidentis, quia alias esset diuisio superioris in inferiora, vnde quando diuiditur color in albedinem, & nigredinem, dicendo: colorum alius est albedo, alius nigredo, diuisio est superioris in inferiora, & non accidentis in accidentia, vt in hoc vltimo genere diuisionis agimus de diuisione accidentis in accidentia.

Diuisio vniuoci in vniuocata.

5. Præter has diuisiones datur *diuisio vniuoci in vniuocata*, vt animalis in rationale, & irrationale, sed hæc diuisio, si ad rem ipsam referatur, conuenit cum diuisione superioris in inferiora: si vero ad vocem reducatur, est diuisio vocis vniuocæ in sua significata, seu in illa, de quibus dicitur. Deinde datur *diuisio æquiuoci in æquiuocata*, & est diuisio vocis æquiuocæ in illa de quibus dicitur secundum diuersam rationem, vt canem alius est terrestris, aliis cælestis, alius marinus.

Diuisio çquiuoci in æquiuocata.

Prima conditio bonæ diuisionis.

6. Porrò, vt diuisio sit bona debet habere sequentes conditiones, vnde quæ caruerit vlla ex illis, non est bona absolute, & simpliciter. *Prima* est, quod diuisum latius pateat, quam vllum ex membris diuidentibus, hoc est, quod possit dici de aliquo, de quo nullum determinatum ex diuidentibus dici possit. Hanc conditionem habet diuisio animalis in rationale & irrationale, nam animal potest dici de homine, de quo non potest dici, quod sit irrationale, & potest dici de bruto, de quo non potest dici, quod sit homo: hanc autem conditionẽ non habet hæc alia diuisio animalis in sensitiuum, & irrationale, quia de nullo potest dici animal, de quo non potest dici, quod sit sensitiuum, vnde sensitiuum æque late patet, ac animal, nec mirum cum sit differentia constitutiua ipsius. Hæc conditio vniuersaliter habetur quotiescunque superius diuiditur in inferiora.

Secunda cõditio.

7. *Secunda conditio* est, quod diuisum non latiùs pateat quam omnia mẽbra diuidentia, hoc est; quod nõ habeat alia membra diuidentia præter illa. Hæc etiam conditio conuenit diuisioni animalis in rationale, & irrationale, neq; enim datur vllum animal, quod non sit rationale, aut irrationale: non conuenit autẽ diuisioni animalis in rationale, & hinnibile, quia dantur animalia, quæ non sũt nec rationalia, nec hinnibilia, vt Leo, ouis, &c. vnde hæc diuisio esset mala, sicut & hæc alia, qua diuideretur homo, vt totum integrale, in manus & pedes, quia præter illas partes habet alias, vt caput, cor, renes, &c.

8. *Tertia conditio* est, quod membra diuidentia inter se oppo

Tertia conditio. opponantur,ita scilicet,vt & habeant aliquam diuersitatem inter se,aut distinctionem, quia alias non essent membra distincta:& præterea quod vnum ex ipsis non includatur in altero, tanquam pars ipsius: hæc etiam conditio habetur in diuisione animalis in rationale & irrationale,sed nō in diuisione,qua diuideretur animal in hominem & Petrum,nec in hominem & rationale.

Quarta cōditio. 9. *Quarta* denique *conditio* est,quod diuisio non fiat in nimis multa mēbra,quia generaretur magna confusio,vt si quis diuideret animal in rationale, equinum, bouinum,elephantinum,& reliquas species,enumerando singulas. Hinc consilium est, vt cum diuisum plura sub se continet,prius diuidatur in propinquiora,& hæc in alia: sic diuidimus animal prius in rationale & irrationale:& irrationale in pedestre, & nō pedestre:& pedestre in bipes,& quadrupes,&c. Hinc etiam, vel consilium,vel regula est,vt diuisio bona fiat per duo membra immediatè;sed licet omnis diuisio posset reduci ad duo membra:tamen non est necesse,vt id semper fiat:& certe differentia vt sic diuiditur in propriam, communem,& propriissimā:vniuersale vt sic in quinq; species: anima vt sic,in vegetatiuam,sensitiuam, & rationalem.

## Caput X.

### *Quid sit, & quotuplex est propositio.*

Quid est propositio. 1. *Propositio*,vt hic de ea agitur,ab omnib⁹ describitur esse oratio⁹, in qua aliquid de alio affirmatur, vel negatur:vt cum dicitur:homo est animal, homo non est lapis. Quamuis autem hæc descriptio in hoc sensu sit bona,quod reuera omnis oratio,qua aliquid de alio affirmatur,sit propositio,& quod etiam omnis oratio,qua aliquid de alio negatur,sit similiter propositio:& quod non possit assignari vlla propositio in particulari, qua vel non negetur, vel non affirmetur aliquid de aliquo: nec aliud quam hoc authores communiter intelligant per prædictam descriptionem:tamen videri posset non esse satis exacta descriptio propositionis vt sic, communis vniuocè propositioni affirmatiuæ,& negatiuæ, quia non significatur per eam ratio propositionis vt sic,vt abstrahit à suis speciebus: quotiescumque autem describitur bene aliquid commune, debet definitio ipsius abstrahere à rationibus particularibus.

2. Confirmatur primò,quia quotiescunque bene definitur aliquid cōmune:si definitio sit bona,poterit bene poni in definitione inferioris cuiuscūque, sed definitio prædicta nō rectè ponitur in definitione propositionis affirmatiuæ aut negatiuæ:neq; enim bene aut cum sensu diceretur:propositio affirmatiua est propositio, qua aliquid de alio affirmatur aut negatur: quando quidem redundaret seu superflueret illud *aut negatur*: ergo non bene definitur propositio,vt sic,prædicta definitione.

Confirmatur secūdo,quia si quis vellet definire animam vt sic,dicendo,quod esset forma, quæ esset principium vel vegetandi,vel sentiendi, vel discurrendi,male definiret illam: sed prorsus eadem est ratio de hac descriptione,ac de iam præmissa: ergo non videtur præmissa descriptio esse satis exacta,nec vlla alia,quę datur disiunctiuè per particulam *vel* aut æquiualentem.

Melior descriptio propositionis. 3. Itaq; melius describeretur propositio vocalis vt sic esse oratio,qua significatur iudiciū intellectus de aliqua re:& propositio mentalis formalis esse iudiciū intellectus de re aliqua:& propositio obiectiua esse totum obiectum cōplexum circa quod fertur iudicium:quia vero intellectus habet duplex iudicium de rebus, vnum quo affirmat aliquid de aliquo,quod est iudicium affirmatiuum,& aliud quo negat,quod est iudicium negatiuum: hinc propositio vocalis vt sic optime diuiditur tāquam genus in species in propositionem affirmatiuam,qualis est:homo est animal, qua significatur iudicium intellectus affirmatiuum,quo iudicat quod homo sit animal:& in propositionem negatiuam,quæ est oratio significans iudicium negatiuum,quo intellectus iudicat aliquid nō esse aliud,vt homo non est doctus.Et si iterum queratur quid est iudicium vt sic,quo iudicamus de re. Respondeo esse illud in quo particulariter conuenit iudicium negatiuū & affirmatiuum magis inter se quam cum aliis actibus intellectus,quod sane magis quisq; potest propria experientia discernere quā verbis exprimere alteri.

4. Quandoquidē vero nō detur vlla propositio à parte rei,quæ nō sit vel affirmatiua,vel negatiua,& per affirmatiuam propositionem asseritur aliquid de aliquo, ac per negatiuam negatur aliquid de aliquo,sequitur in omni propositione interuenire & *prædicatum*, quod est illud,quod asseritur,vel negatur, & *subiectum*, quod est illud,de quo aliquod affirmatur vel negatur: & *verbum* seu copulam, vt vocant quod est illud, mediante quo aliquid affirmatur vel negatur:v.g.in his propositionibus:Deus est bonus, Deus non est iniustus: subiectum est *Deus*,copula seu *verbum* est ly *est*, & *prædicatum* primæ propositionis est *bonus*,secundæ *iniustus*.

Aliquando autem prædicatū non ponitur explicite in oratione vocali, sed implicite inuoluitur in verbo, vt quando dicitur:homo existit,homo prædicat,homo docet:in quibus propositionibus solum ponitur explicite homo,quod est subiectum,& verba *existit*, *prædicat*,*docet*,sed implicite tamen inuoluuntur in *verbo* prædicata hæc:*existens*,*prædicans*,*docens*:sensus enim illarum propositionum est,quod homo est existens, est prædicans, est docens. Aliquando vero ponitur prædicatum explicite,vt cum dicitur homo est animal.

Quid propositio de tertio adiacēte. 5. Hinc *prima diuisio propositionis* est in propositionem de tertio adiacente,qualis est omnis propositio, in qua prædicatum explicite ponitur, & in propositionem de secundo adiacente, qualis est omnis propositio, in qua non ponitur explicite prædicatum,vt homo docet: quorum terminorum non est exigenda alia ratio, quam consensus authorum, qui in re arbitraria poterant vti quibusuis terminis.

Quid de secundo adiacēte.

Quid propositio categorica. 6. *Secunda diuisio propositionis* est in categoricam seu simplicem,& hypotheticam seu compositam. *Propositio categorica* est illa in qua de aliquo vno subiecto vel affirmatur vel negatur absolute aliquod vnum prædicatum absque coniunctione conditionali vel causali,vt *homo est iustus*,*homo qui est iustus est gratus Deo*, *homo iustus est dignus vita æterna*,*quæ est promissa filiis Dei*:*hominem esse animal est necesse*. Hæc propositio categorica subdiuiditur in absolutam & modalem. *Propositio categorica modalis* est illa,in qua de aliqua propositione, tanquam de subiecto,prædicatur aliquis ex his quatuor modis,*Contingens*, *Necesse*, *Possibile*,*Impossibile*, vt hominem esse animal est necessarium,&c. *Propositio categorica absoluta*,seu non modalis,est omnis propositio categorica, in qua de aliqua propositione,tanquam de subiecto, non prædicatur aliquis ex illis modis, vt homo est animal, homo est doctus, & huiusmodi propositiones à summulistis vocari solent propositiones *de inesse*.

Quid absoluta.

Quid hypothetica. 7. *Propositio hypothetica* est propositio,in qua de aliquo vno subiecto non prædicatur absolute aliquod vnū prędicatum absque coniunctione conditionali aut causali, vt *Petrus est risibilis*,*si est rationalis*. *Petrus quia est risibilis est rationalis*. Propositio hypothetica diuiditur in copulatiuam,disiunctiuam,conditionalem, rationalem: placuit enim rationalem à conditionali distinguere,quāuis ab aliis ad eam reducatur. *Propositio copulatiua* est propositio composita ex pluribus categoricis copulatis mediante coniunctione & aut *nec*, vel æquialenti, vt *homo est iustus & brutum est irrationale*. Nec brutum est nobilius homine,nec homo Angelo:Ad veritatē huius propositionis requiritur, quòd omnis propositio categorica,qua constat,sit vera: ad falsitatem sufficit quod vlla ex illis sit falsa,vnde hæc est vera:homo est animal & brutum est animal,quia vtraque propositio categorica est vera,hæc vero propositio est falsa: nec homo est irrationalis, nec brutum irrationale, quia licet prima categorica sit vera,secunda tamen est falsa.

Quid hypothetica copulatiua

8. Dubitant authores, an huiusmodi propositio sit vera species propositionis distinctæ speciei à categorica, aliqui dicunt esse,aliqui negant,asserentes nō esse aliud, quā aggregatum ex pluribus categoricis:vnde sicut duo homines non sunt distinctæ speciei ab vno homine,ita nec hæc propositio composita: Petrus est bonus, &

Paulus

Hypothetica copulatiua distinguitur à categoricis pluribus ex quibus conflatur.

Paulus est bonus, distinguitur specie ab his duabus categoricis: Petrus est bonus, Paulus est bonus. Ne tamen dicatur superfluere coniunctio copulatiua, & aut *nec*, dicendum videtur, quod distinguantur specie, quia copulatiua propositio significat illas propositiones esse simul veras aut falsas. Duæ autem propositiones categoricæ non copulatæ non significant illam simultatem: sed hæc difficultas est parui momenti, vtpote quæ magis deseruit curiositati, quam vtilitati.

Quid hypothetica disiunctiua.

9. *Propositio hypothetica disiunctiua* est composita ex duabus categoricis cum interiectione particulæ *aut* vel æquialentis, vt, *aut homo est substantia aut accidens*, cuius sensus est quod homo est substantia, aut quod homo est accidens. Huiusmodi propositio est vera, quando alterutra pars est vera, vt contingit in exemplo præmisso: est autem falsa si neutra sit vera, vnde hæc est falsa: homo aut est lapis aut est Angelus. Controuertitur vero an sit falsa, si vtraque categorica sit vera, vt contingit in hac propositione: homo aut est risibilis aut rationalis. Sed controuersia hæc est de nomine, nam si sensus propositionis disiunctiuę est quod alterutra pars tantum sit vera, falsa erit propositio, si vtraque pars sit vera non minus quã si vtraque esset falsa. Si vero sensus, sit quod alterutra sit vera quidquid sit de vtraq; propositio cuius vtraque pars est vera, erit absolute vera, & sane mihi nõ est dubiũ quin hunc sensum quãdoq; habeat, præsertim quando subintelligitur *saltem*, vt cũ dicitur: lux est qualitas materialis, aut est qualitas, id est aut saltẽ est qualitas: quia verò quandoq; fortassis habet etiã priorẽ sensũ, tutius est cõuenire in sensu, ne laboretur de nomine.

An disiunctiua cuius omnes categoricæ ex quibus cõflatur sunt veræ, sit vera.

Quid hypothetica conditionalis.

10. *Propositio hypothetica conditionalis* est illa, cuius categoricæ propositiones, ex quibus conflatur, vniuntur mediante coniunctione *si*, vel alia æquialenti, vt: Si Petrus loquitur mouet labia. In huiusmodi autem propositione nihil absolute asseritur aut supponitur: vnde perinde est, quod Petrus v. g. loquatur, vel quod non loquatur, ad hoc quod propositio præmissa sit vera.

In his propositionibus dicitur propositionem illam categoricam, cui coniũgitur immediate conditio *si*, esse antecedens & alteram propositionem esse consequens v.g. in prædicto exemplo, *Petrus loquitur*, est antecedẽs, & altera propositio, *mouet labia*, est consequens, quia scilicet hæc consequẽtia est necessaria: Petrus loquitur, ergo mouet labia, quia impossibile est, quod loquatur, quin moueat os. Et hinc existimant aliqui ad veritatem huiusmodi propositionis requiri, quod propositio consequens sequatur ex antecedenti, sed certum est id non semper requiri, sed quandoque sufficere aliquam concomitantiam consequentis ad antecedens ortam ex alia causa, vnde vere possem dicere ex suppositione, quod cognoscam Petrum esse doctum; quod si Petrus sedeat, aliquis sedens sit doctus & tamẽ nõ sequitur ex natura intrinseca huius propositionis antecedentis: Petrus est sedens, quod aliquis sedens sit doctus. Et similiter hæc propositio potest esse vera: quod si impetrauerit Sãctus Fraciscus pro me gratiam aliquã à Deo, ædificabo ipsi Ecclesiã, & tamen non sequitur: Sanctus Franciscus impetrauit gratiam aliquam, ergo ædificabo ipsi Ecclesiã.

Quid hypothetica rationalis.

11. *Propositio hypothetica rationalis* est, cuius partes copulãtur coniunctione rationali *quia* aut æquiualenti, vt quia homo est rationalis, est risibilis: cuius etiã propositionis pars illa, cui immediate cõiungitur cõiunctio vocatur antecedens, & altera vocatur consequens. Inter hanc propositionẽ & conditionalẽ duplex est differẽtia, vna quod in propositione rationali supponatur veritas antecedentis, vt in præmisso exẽplo supponitur, quod homo sit rationalis, & asseritur quod propterea sit risibilis; sed in propositione conditionali non supponitur antecedens esse verũ, sed asseritur, quod si sit verũ, etiã consequens sit verũ. Altera differentia est quod in antecedenti propositionis hypotheticæ rationalis ponatur causa, cur cõsequens sit verum, vt in præmisso exemplo, rationalis competens homini est causa, cur ipsi competat risibilitas; vnde hæc nõ est rationalis, quia homo est risibilis, est rationalis, quãuis sequatur necessario quod si sit risibilis, sit etiam rationalis, quia risibilitas competens homini non est causa, cur ipsi competat rationalitas, sed è contra. Hæc autẽ esset bona rationalis, quia ego cognosco hominem esse risibilẽ, cognosco ipsũ esse rationalem, quamuis enim risibilitas non sit causa cur à parte rei homo sit rationalis, tamẽ potest esse causa deducens me in cognitionem, quod homo sit rationalis. Etiam illa propositio potest esse vera, quia homo est risibilis, est rationalis quatenus idem significat, ac, nisi homo esset risibilis, non esset rationalis; quo sẽsu quãdoq; capitur, sed nõ est vera rationalis, in rigore loquẽdo; quia in antecedẽti non assignatur causa veritatis cõsequẽtis.

Animaduertendum autem copulã principalẽ propositionum conditionalium, & rationalium esse illam, quę ponitur in consequenti; vnde propositio censenda est negatiua, aut affirmatiua, prout negatio adiungitur, aut non adiungitur isti copulæ, quomodocunque se habeat altera copula antecedentis: ex quo patet hanc esse propositionem affirmatiuam: si homo non est risibilis, est irrationalis; & hanc aliam esse negatiuam: si homo est risibilis, non est irrationalis.

12. Vt aliæ diuisiones propositionis vt sic intelligãtur Aduertendum est primò quasdam propositiones esse, in quibus subiectũ est quod aptius subiicitur, & prędicatũ quod aptius prędicatur, & huiusmodi propositiones vocãtur *naturales*: alię sũt propositiones, in quibus oppositũ cõtingit, & vocãtur *innaturales*, ex quo patet diuisio propositionis in naturalẽ & innaturalẽ. Id autẽ aptius subiicitur quod habet se per modũ inferioris aut subiecti respectu formæ, & illud aptius prędicatur, quod est superius aut habet se per modũ formæ vnde patet has propositiones esse innaturales; animal est homo, risibile est homo; has autem naturales: homo est animal, homo est risibilis.

Quid propositio naturalis.

Quid innaturalis.

Quid aptius in propositione subiicitur.

Quid aptius prædicatur.

13. Aduertendum secundò in propositione qualibet reperiri materiam, quantitatẽ, & qualitatẽ. *Materia propositionis*, de qua hic agitur, est habitudo, seu connexio prædicati cum subiecto, quę habitudo est triplex; aut enim est necessaria, vt accidit in hac propositione: homo est animal; aut contingens, vt in hac alia propositione: homo est doctus; aut impossibilis, vt in hac alia: homo est hinnibilis: & hinc diuiditur propositio in necessariã, qualis est, homo est animal; cõtingentẽ, qualis est, homo est doctus; & impossibilem, qualis est, homo est equus.

Quid materia propositionis.

14. *Quantitas propositionis* est extẽsio subiecti propositionis ad plura vel pauciora, vt si dicatur: omnis homo est risibilis, aut aliquis homo est risibilis; ratione huius diuiditur propositio in *vniuersalem*, *particularem*, *indefinitam*; *& singularẽ*. *Vniuersalis est*, quæ afficitur signo vniuersali, vt *omnis*, *nullus*, & similia, vt omnis homo est risibilis, nullus homo est irrationalis. *Particularis est*, quæ afficitur signo particulari, vt *aliquis*, *quidã*, & similia, vt aliquis homo est doctus, quidam homo non est doctus. *Indefinita* est, quæ nullo afficitur signo, vt homo est doctus, homo nõ est doctus. *Singularis* deniq; est quæ habet pro subiecto determinatũ aliquod individuũ, vt Bucephalus erat optimus equus, Christus est mortuus pro nobis.

Quid quãtitas propositionis.

Quid propositio vniuersalis.

Quid particularis.

Quid indefinita.

Quid singularis.

15. *Qualitas* deniq; *propositionis* est duplex, essentialis & accidẽtalis. *Qualitas essentialis* est affirmatio vel negatio propositionis, & ratione huius diuiditur propositio in affirmatiuã & negatiuam, vt Petrus est bonus, Paulus nõ est doctus, *Qualitas accidentalis* est veritas vel falsitas, & ratione huius diuiditur in falsã, qualis est; Petrus est brutum, & in veram, qualis est, homo est animal.

Quid qualitas propositionis essentialis.

Quid accidentalis.

Solet hic laborioſe quæri, an hæ diuisiones sint generis in species; quia vero res est magis curiosa quam vtilis, breuiter indicandum quid probabilius videtur.

16. Dico ergo diuisionem propositionis in affirmatiuam, & negatiuam esse generis in species, vna enim nẽpe negatiua, respicit essentialiter negationem identitatis prædicati cum subiecto, quam altera, nempe affirmatiua, non respicit; & sane experientia constat latissimum esse discrimen inter actum, quo iudico hominem esse animal, & actum, quo iudicarem ipsum non esse animal.

Diuisio propositionis in affirmatiuam & negatiuã est generis in species.

Et

Et si dicas has duas propositiones esse æquiualentes: homo non est animal, & homo est non animal; sed hæc vltima est affirmatiua, ergo & prima, & consequenter propositio affirmatiua, & negatiua non magis distinguuntur quam duæ aliquæ affirmatiuæ.

Respondeo negando maiorem; non enim sunt æquialentes, quamuis vna sequatur ex altera; nam in prima datur solum intelligi, quod homo non sit animal, in secunda autem significatur, quod sit aliquid aliud quod opponitur animali.

Item diuisio in veram & falsam.

17. Dico secundò, quod diuisio propositionis in verã, & falsam sit etiam generis in species, ex suppositione, quod vna propositio non posset transire de vera in falsam; ex suppositione autẽ quod posset, non esset diuisio generis in species, sed subiecti in diuersa accidẽtia, quæ possent ipsi competere: quantum autẽ ad illam suppositionẽ, licet existimẽ quod propositio, quę semel est vera, non possit de potentia Dei absoluta esse falsa, tamẽ sentio, quod propositio, quæ est vera, simpliciter loquendo possit esse falsa, casu scilicet quo haberetur illa ipsa propositio in eodem instãti, & in eodem ipso obiectum nõ se haberet eodem modo, quo assereretur esse, vt si ego in hoc instãti, quo de facto Petrus est doctus, dicerẽ Petrũ esse doctum, cum tamen ille non esset doctus pro illo instãti; qui casus est simpliciter possibilis; vnde absolutè sentio diuisionem propositionis in veram & falsam, nõ esse ita generis in species, quin eadem propositio in specie posset vtramque rationem habere, & consequenter veritatem, vt sic, esse merum accidens propositionis; vnde etiam sequitur quod, quando dicit Philosophus propositionem esse orationem, verum vel falsum significantem, non definiat ipsam essentialiter, sed describat tantummodo ipsam, per ordinem ac sua accidentia.

Diuisio propositionis in vniuersalem particularẽ ac singularem nõ est generis in species.

Dico tertiò probabile esse, quod diuisio propositionis in vniuersalem, particularem, ac singularem, nõ sit generis in species, quia licet vniuersalis essentialiter respiciat plura obiecta, quam singularis; tamẽ illa plura obiecta, non sunt necessario specie distincta ab obiecto, quod respicitur à singulari: nam quando dico: *omnis homo est animal*, nõ respicio aliquod obiectum distinctum specie ab eo quod respicio, quando dico: *Petrus est animal*; neque enim omnis homo distinguitur specie à Petro, sicut nec calor duorum pedum distinguitur à calore vnius pedis. Sed hoc satis est de re parum vtili, & intelligendum est potissimum de propositionibus formalibus; & de vocalibus tantum, vt supponunt pro formalibus.

## Caput XI.

### *De oppositione propositionum absolutarum categoricarum.*

Quid oppositio propositionũ categoricarum.

INtelligimus hic per propositiones categoricas absolutas illas, quæ neq; sunt hypotheticæ, neq; modales, de quibus capite præcedenti; oppositio autem huiusmodi propositionum est duarum propositionum eodem subiecto & prædicato constantium disconuenientia in qualitate aut quantitate aut vtraque simul.

Tunc habent propositiones disconuenientiam in quantitate, quando vna est particularis, altera vniuersalis, vt *omnis homo est animal, aliquis homo est animal*. Tunc habent oppositionem in qualitate, quando vna est negatiua, altera affirmatiua, (loquimur enim hic de qualitate essentiali) *vt omnis homo est animal, nullus homo est animal*, aut *omnis homo est animal, aliquis homo non est animal*. Tum habent oppositionem in qualitate & quantitate simul, quando vna est affirmatiua, altera negatiua, & vna vniuersalis, altera particularis, vt *omnis homo est animal, aliquis homo non est animal*.

Dictum est in descriptione huiusmodi oppositionis, quod propositiones oppositæ debeant constare eodem subiecto & prædicato, quod intelligẽdum est de eodem subiecto & prædicato in eadem suppositione, ampliatione, restrictione diminutione, alienatione acceptis, sine vlla diuersitate præter illam, quæ oritur ex eo quod non sunt eiusdem quantitatis & qualitatis.

Quadruplex est oppositio hæc.

2. Ex hac descriptione hoc modo explicata patet quadruplicem esse oppositionem propositionũ simplicium, nam aut vna est particularis, & altera vniuersalis seruata eadem qualitate, vt est inter has: *omnis homo est animal. aliquis homo est animal*; & etiam has: *omnis homo non est brutum, aliquis homo non est brutum*, & hæc oppositio vocatur oppositio subalterna, & est minima omnium oppositionum, quandoquidem habeant tam necessariam connexionem illæ propositiones, quæ sic sequuntur, vt vna ex illis sequatur necessario ex altera, nimirum particularis ex vniuersali, in qua comprehenditur.

Oppositio subalterna quid.

Aut vna est vniuersalis & altera particularis, mutata qualitate, vt est inter has; *omnis homo non est doctus*; *aliquis homo est doctus*; & has: *nullus homo est doctus: aliquis homo est doctus*, & hæc vocatur oppositio contradictoria & est maxima oppositio, quia impossibile est vt huiusmodi propositiones sint simul veræ aut simul falsæ.


Quid cõtradictoria.

Aut vtraque est vniuersalis, sed vna affirmatiua altera negatiua, vt est inter has: *omnis homo est doctus*, *nullus homo est doctus*, & hæc vocatur contraria, & est satis magna oppositio, quandoquidem vtraque in nulla materia possit vnquam esse vera, sed ex veritate vnius necessario sequatur falsitas alterius, licet in materia contingenti vtraque possit esse falsa, vt patet in prædicto exemplo, cuius, vtraque propositio de facto est falsa.

Quid contraria.

Aut denique vtraque est particularis, sed vna affirmatiua & altera negatiua, vt est inter has: *aliquis homo est doctus, aliquis homo non est doctus*, & hæc vocatur subcontraria, estque satis magna, quandoquidem nunquam possunt esse simul falsæ, licet in materia contingenti possunt esse simul veræ: vocantur autem subcontrariæ, quia continentur sub propositionibus contrariè oppositis. Claritatis autem gratia, omnium harum oppositionum schema hic proponendum duxi cum cæteris authoribus communiter.

Quid subcontraria.




3. Aduertendum autem hic, quod quando subiectum propositionis est terminus singularis supponens pro vna determinata re, & idem ipse terminus est subiectũ alterius propositionis oppositæ, quod oppositio reducatur ad contradictoriam, licet neutra ex propositionibus sit singularis; vnde harum propositionum oppositio est contradictoria: *Petrus, aut hic homo currit. Petrus aut hic homo non currit*, quia vtraque simul nunquam vera potest esse aut falsa, sed semper ad veritatem cuiusuis sequitur falsitas alterius, & ad falsitatem cuiusuis veritas alterius.

Aduertendum vlterius ex signis mixtis hæc, *vterque neuter*, æquiualere signis vniuersalibus quantum ad faciẽdas propositiones oppositas contrarie, *alter* vero signo particulari, vnde hæ propositiones opponũtur cõtrariè, *vterque est doctus, neuter est doctus*; hæ vero contradictorie, *vterque est doctus*, *alter non est doctus*, & *neuter est doctus, alter est doctus*; hæ denique subcontrariè, *alter est doctus, alter non est doctus*.

Prima lex harũ oppositionum.

Quantum ad leges harum oppositionum, sunt illæ quas antea indicaui, nimirum *prima* est quod contradictoriæ propositiones nequeant esse simul veræ aut falsæ, cuius ratio est, quod alias idem de eodem simul negaretur & affirmaretur, quod est contra primum principium ex terminis euidens.

Secunda.

*Secunda*, quod contrariæ non possunt esse simul veræ in vlla materia, nec simul falsæ in materia necessaria, bene tamen in materia contingenti; cuius ratio est quantum

ctorias esse simul veras; si enim est verum, quod omnis homo sit animal, est verum, quod aliquis homo sit animal; & consequenter si sit verum, quod nullus homo sit animal, sequeretur quod hæ contradictoriæ simul essent veræ: *nullus homo est animal, aliquis homo est animal*. Et hæc eadem ratio probat, quod non possunt esse simul falsæ in materia necessaria, quia in materia necessaria, si vna propositio particularis sit vera, propositio vniuersalis, cui subalternatur debet esse vera, v.g. si verum sit, quod Petrus aut aliquis homo sit animal, debet esse verum, quod omnis homo sit animal, quia de vno ac de omnibus est eadem ratio; quare quandoquidem, si falsum sit, quod nullus homo sit animal, contradictorium eius debeat esse verum, nimirum quod aliquis homo sit animal, sequitur manifeste quod necessario verum debeat esse, quod omnis homo sit animal, & sic non possunt contrariæ propositiones esse simul falsæ in materia necessaria. Sed quia in materia contingenti non sequitur ex eo, quod aliquis homo sit doctus, quod omnis homo debeat esse doctus; bene potest fieri quod sit falsum, quod nullus homo sit doctus simul quod contradictorium sit verum, nempe quod aliquis homo sit doctus, sine eo quod sequatur verum esse omnem hominem esse doctum, quia non est eadem ratio de vno ac de omnibus quantum ad prædicata contingentia, inde sit vt contraria possint esse simul falsa in materia contingenti.

6. *Tertia lex* est, quod subcontrariæ possint esse simul veræ in materia contingenti; nunquam tamen possint esse simul falsæ in vlla materia, nec simul veræ in materia necessaria. Ratio primæ partis est, quod quandoquidem non sit eadem ratio de omnibus particularibus cõtentis sub aliquo communi qnantum ad prædicata cõtingentia, bene potest fieri quod de vno particulari vere prædicetur aliquando prædicatum contingens, & de alio vere negetur, id quod certum est de doctrina respectu hominis, quis enim dubitet quin aliquis homo sit doctus, & aliquis non sit doctus. Ratio secundæ partis est, quod si subcontrariæ sint falsæ, contradictoriæ earum essent simul veræ: contradictoriæ autem sunt contrariæ, & sic contrariæ essent simul veræ, contra dicta paulò ante: v.g. si falsum sit, quod aliquis homo sit doctus, & quod aliquis homo non sit doctus, sequitur verum esse, quod omnis homo sit doctus, & nullus homo sit doctus, quæ sunt contradictoriæ illarum subalternarũ & inter se contrariæ. Ratio tertiæ partis est, quod qnandoquidẽ quodcunque prædicatum necessario conuenit aut non conuenit vni particulari, debeat competere omni aut non competere; si verum sit quod conuenit vni, non potest esse verum quod non competat alteri, & si verum sit quod non conuenit vni, non potest esse verum quod conueniat alteri, vt est euidens.

7. *Quarta* denique lex est, quod subcontrariæ debeant esse simul veræ aut simul falsæ in materia necessaria, in materia vero contingenti potest vna esse vera, altera falsa; sed qualis est vniuersalis, talis debet esse particularis in omni materia. Ratio primæ partis est, quia in omni materia particularis debet esse talis, qualis est vniuersalis, quando quidem hæc comprehendat illam, & præterea particularis in materia necessaria æquiualet vniuersali, ergo in materia necessaria & particularis debet esse talis qualis vniuersalis, & vniuersalis talis qualis particularis; & sic vtraque debet esse simul vera aut simul falsa. Ratio secundæ partis est, quia quandoquidẽ quantũ ad prædicata contingẽtia non sit eadem ratio de vno singulari ac de reliquis, bene potest aliquid verificari de vno, quod non verificatur de omnibus, & consequenter particularis potest esse vera, quamuis vniuersalis sit falsa. Ratio denique tertiæ partis est quia, vt ante dixi, vniuersalis comprehendit particularem, vnde si sit vera aut falsa in quacumque materia, particularis etiam vera esse debet aut falsa conformiter.

Adduci solent aliquæ instantiæ contra has regulas, sed quia facile solui possunt, seruata semper eadem suppositione, appellatione, &c. non videntur adiungenda.

## CAPVT XII.

*De æquipollentia propositionum categoricarum simplicium.*

1. *Æquipollentia propositionum*, de qua hic agimus est æquiualentia aliquarum propositionum ratione additionis aut ablationis alicuius negationis, quæ aliàs essent oppositæ: v.g. quia hæ duæ propositiones eandem omnino significationem ac vim habent, & indifferenter altera pro altera accipi potest in quocunque discursu: *non omnis homo est doctus: aliquis homo non est doctus*, ratione signi *non* præpositi subiecto primæ propositionis; quo dempto propositiones illæ non essent æquiualentes, sed omnino contradictoriæ; propterea illæ duæ propositiones sunt æquipollentes. Quid æquipollentia propositionum.

2. Vt autem sciatur quomodo propositiones oppositę possint reddi æquiualentes, respiciendum est ad sequens vulgare carmen.

*Præ* contradic, *Post* contra, *Præpostque* subalter.

Quomodo possunt propositiones oppositæ fieri æquiualentes.

Cuius carminis sensus est, quod vt contradictorię propositiones reddantur æquiualentes præponenda sit negatio subiecto, cuiusuis ex illis, tunc enim erunt æquiualentes, v.g. hæ sunt contradictoriæ: *omnis homo est animal, aliquis homo non est animal*, fient autem æquipollentes, si vel soli primæ præponatur negatio dicendo: *non omnis homo est animal*; vel soli secundæ; dicendo: *non aliquis homo non est animal*. Hoc est ergo quod vult prima pars carminis prædicti nimirum, *Præ contradic*. Secunda pars, nempe, *Post contra*, vult dicere, quod ad faciendas propositiones contrarias æquiualentes, postponenda sit negatio subiecto cuiusuis ex illis: v.g. hæ sunt contrariæ: *omnis homo est animal: nullus homo est animal*; fient autem æquipollentes, si postponatur negatio siue soli subiecto primæ propositionis dicendo: *omnis homo non est animal*: siue postponatur soli subiecto secundæ propositionis dicendo: *nullus homo non est animal*.

3. Circa hoc tamen obiter aduerto: quamuis hæc regula à Summulistis in sensu iam præmisso vniuersaliter acceptetur; mihi tamen videri si proprietatem linguæ Latinæ spectemus, non æquialere hanc propositionem: *omnis homo non est doctus*, huic propositioni: *nullus homo doctus*, quia reuera illa prima Latine considerata non significat nisi quod non sit verum quod omnis omnino homo sit doctus, quæ propositio non æquialet illi alteri, nullus homo est doctus; bene tamen altera illa propositio: *nullus homo non est doctus*, æquialet illi: *omnis homo est doctus*. Itaque si rigorem solum linguæ Latinæ spectaremus, sensus huius particulæ *Post contra*, esse deberet, quod vt contrariæ reddantur æquialentes, postponenda sit negatio subiecto propositionis negatiuæ. Si vero spectetur institutio particularis Dialecticorum, sensus erit ille, quem primò posuimus, nimirum quod postponi possit negatio cuiuslibet propositionis subiecto, siue affirmatiuæ, siue negatiuæ.

4. Tertia denique & vltima pars carminis, nimirum *Præpostque subalter*, vult dicere, quod vt subalternæ reddantur æquialentes, addendæ sint duæ negationes subiecto cuiuslibet ex illis, vna ante ipsum, altera post ipsum; v.g. hæ sunt subalternæ: *omnis homo est doctus; aliquis homo est doctus*: fient autem æquialentes addendo duas negationes siue subiecto primæ dicendo sic: *non omnis homo non est doctus*; siue subiecto secundæ propositionis dicendo sic: *non aliquis homo est doctus*.

5. Non ponitur regula vlla pro subcontrariis, quia si præponeretur affirmatiuæ negatio, propositio non esset æquialens alteri subconttariæ; esset enim vniuersalis negatiua, v.g. si præponatur negatio huic subcontratiæ: *aliquis homo est albus*, dicendo: *non aliquis homo est albus*, æquialebit huic propositioni negatiuæ: *nullus homo non est albus*; & si postponatur negatio dicendo: *aliquis homo non est albus*, erit eadem propositio cum subcontraria; & non æquialens ipsi; si autem præponatur & postponatur dicendo: *aliquis homo non est albus*, erit æquialens propositioni huic affirmatiuæ vniuersali: *omnis homo est albus*. Rursus si præponatur huic propositioni subcontrariæ negatiuæ, *aliquis homo non est doctus*, negatio,

æquialebit huic propositioni vniuersali affirmatiuæ: *omnis homo est doctus* : Si autem postponatur dicendo: *aliquis homo non est doctus* , quamuis æquialeat alteri subalternæ,tamen non est in vsu talis modus loquendi:Si etiam præponeretur & postponeretur dicendo:*non aliquis homo non est doctus*, nec modus loquendi est in vsu,& præterea æquialeret vniuersali negatiuæ.

Pro complemento huius æquialentiæ, quam habent propositiones , aduertendi sunt sequentes versus, in quibus , quæ signa aliis signis æquipolleant , iuxta Summulistas specificatur.

*Non omnis , quidam non : omnis non , quasi nullus.*
*Nonnullus , quidam non : nullus non , valet omnis.*
*Non aliquis , nullus : non quidam non valet omnis.*
*Neuter , vterque non : neuter non , est & vterque.*
*Non alter , neuter : non alter non , quoque vterque.*

Ad quorum versuũ explicationem & applicationem sciendum,quod nihil aliud velint,quam quod quælibet duæ propositiones ex infrascriptis æquialeant , & similes omnes consequenter. *Non omnis homo est animal, quidam homo non est animal : omnis homo non est animal, nullus homo est animal.*(Hæc tamen æquialentia,vt supra monui,magis est ex vsu Summulistarum , quam ex rigore sermonis Latini.)*nonnullus homo est bonus quidam homo est bonus : nullus homo non est bonus,omnis homo est bonus : non aliquis homo est bonus , nullus homo est bonus: non quidam homo non est bonus,omnis homo est bonus:vterque non est bonus,neuter est bonus.* Hæc etiam æquialentia non videtur esse ex proprietate linguæ Latinæ,quia reuera quamuis vterque non esset bonus , alter ex illis posset esse bonus', & hoc supposito non esset verum, quod neuter esset bonus;vnde non videntur æquialere: *vterque non est bonus,& neuter est bonus* , cum vna posset esse vera,& alteta simul falsa.Itaq;videtur esse æquialentes tantum ex instituto Summulistarum veterum: *non alter duorum hominum est bonus , neuter illorum est bonus.non alter duorum hominum non est bonus , vterque eorum est bonus.*

6. Aduertendum porro , quia quo plures negationes ponuntur in propositione,eo redditur obscurior, inter discurrendum non debere propositionem pauciores habentem negationes, mutari in æquialentem per additionem negationum , sed potius è contra pro maiori claritate consultius esset , vt propositio plures habens negationes mutaretur in æquialentem per subtractionem negationum ; vnde inconsulto quis mutaret hanc propositionem:*omnis homo est animal*,in hanc aliam:*non quidam homo non est animal*.aut in hanc: *nullus homo non est animal*;sed potius hę duę deberent mutari in primam. & vniuersaliter propositiones intricatæ & obscurę prudenter mutarentur in clariores , sic enim vis discursus melius intelligeretur.

Aduerte præterea,qui bene callet aliquam linguam, bene etiam scire , quæ propositiones in ea lingua sint æquialentes iuxta illius linguæ proprietatem , nec ad hoc aliqua eum indigere regula. Quod si dubitaretur de aliquibus propositionibus, vtrum essent æquialentes, quæstio non posset esse alia quam de nomine, vnde ad rem ipsam examinandam parum conducunt hæ regulæ de æquipollentia desumpta ab his signis.

## Caput XIII.

### *De conuersione propositionum simplicium.*

Quid conuersio.

Conuersio, vt hic de ea agitur, est talis commutatio extremorum propositionis,seruata eadem qualitate essẽtiali;vt si propositio,cuius extrema conuertuntur, fuit vera,etiam altera propositio coalescens ex extremis commutatis sit vera; vt si hanc propositionem , *nullus homo est doctus*, conuertam in hanc , *nullus doctus est homo*.Itaque ad conuersionem requiruntur duæ propositiones,& propositio,cuius extrema mutantur,quæ dicitur conuersa , & propositio coalescens ex extremis commutatis quæ dicitur conuertens.Huiusmodi autem conuersio potest fieri tripliciter:primò sic , vt seruetur eadem quantitas in propositione conuersa, & conuertente,ita scilicet, vt vtraque sit vniuersalis, aut particularis;& hæc conuersio vocatur simplex,& propositio sic conuersa dicitur conuerti simpliciter.Hoc modo potest conuerti omnis propositio vniuersalis negatiua,& particularis affirmatiua;bene enim sequitur,*nullus homo est animal* ergo *nullum animal est homo*:quarum propositionum prima,quæ est vniuersalis negatiua , conuertitur simpliciter in secundam , quæ etiam est vniuersalis negatiua constans iisdem extremis, quibus constabat prima,sed inuersis , & seruata eadem qualitate essentiali. Similiter bene sequitur : *aliquis homo est animal,aut doctus,ergo aliquod animal,aut aliquis doctus est homo*:quarum propositionum prima,quæ est particularis affirmatiua,conuertitur simpliciter in secundam,quæ etiam est particularis affirmatiua, constans iisdem terminis , sed inuersis, & seruata eadem qualitate essentiali. Non potest autem hoc modo conuerti vniuersalis affirmatiua, aut particularis negatiua:neque enim valet dicere:*omnis homo est animal, ergo omne animal est homo*:neque etiam valet dicere:*aliquod animal non est homo.ergo aliquis homo non est animal.*

Triplicĩter fit.

Quid conuersio simplex.

2. Secundo modo potest fieri conuersio sic , vt maneat eadem qualitas essentialis, non verò eadem quantitas ; sed aut vniuersalis conuertatur in particularem, aut particularis in vniuersalem , mutatis tamen extremis,vt in conuersione simplici:hæc conuersio vocatur per accidens,& propositio sic conuersa dicitur conuerti per accidens;hoc modo potest conuerti vniuersalis negatiua & affirmatiua:bene enim sequitur:*nullus homo est brutum,ergo aliquod brutum non est homo*;vbi conuertitur vniuersalis negatiua per accidens in particularem negatiuam. similiter bene sequitur : *omnis homo est animal aut doctus, ergo aliquod animal aut aliquis doctus est homo*: non potest autem hoc modo conuerti particularis affirmatiua aut negatiua, neque enim sequitur:*aliquis homo est animal,ergo omne animal est homo*;neque sequitur:*aliquis homo non est doctus,ergo nullus doctus est homo.*

Quid conuersio per accidens.

3. Tertio denique modo potest fieri conuersio propositionum sic;vt mutentur extrema,vt in aliis conuersionibus,& seruetur eadem quantitas & qualitas,sed præponatur tamen cuilibet ex extremis negatio.Hæc conuersio vocatur conuersio per contrapositionem,& propositio sic conuersa dicitur conuerti per contrapositionem.Hoc modo conuertitur vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua,bene enim sequitur:*omnis homo est animal,ergo omne non animal est non homo*;vbi fit conuersio primæ propositionis vniuersalis affirmatiuæ in secundam,quæ etiam est vniuersalis affirmatiua , manentibus iisdem extremis sed inuersis,& præposita cuilibet negatione. Similiter bene sequitur : *aliquis homo non est doctus,ergo aliquod non doctum non est non homo*, vbi prima propositio , quæ est particularis negatiua, conuertitur in alteram,quæ est etiam particularis negatiua inuersis terminis, & præposita cuilibet negatione.

Quid conuersio per contrapositionem.

4. Non potest autem hoc modo conuerti propositio vniuersalis negatiua , aut particularis affirmatiua , quia non sequitur:*nullus homo est brutum,ergo nullum non brutum est non homo* ; lapis enim est non brutum, & tamen est non homo , similiter non sequitur: *aliquis homo est doctus,ergo aliquod non doctum est non homo*;quãuis enim hæc propositio sit vera , tamen veritas eius non sequitur ex illa altera; nam si per impossibile nihil esset non doctum præter homines , tum esset falsa illa secunda propositio, & tamen esset vera prima : quotiescumque autem veritas vnius propositionis sequitur ex alia,non potest fingi casus,in quo illa sit falsa, quin sequatur ex illo casu alteram esse falsam.

Est etiam alia ratio cur non fiat conuersio per contrapositionem hoc modo,quia scilicet quando vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua conuertuntur simpliciter,quicquid sequitur ex qualibet ex illis,sequitur etiam ex sua conuertente , & è contra;Vnde vt inferretur

ferretur hæc propositio, *aliquod non homo est non ens* ex hac propositione, *aliquod ens est homo*, non esset necessarium inuertere terminos, quia tam sequi debet ex illa non inuersa; quam ex illa inuersa.

Aduerte autem, quod propositiones hoc modo conuertendæ debeant constare terminis finitis, vt constant propositiones conuersæ in prædictis exemplis. Quod si propositio conuertenda constaret terminis infinitis, vt constant propositiones conuertentes in prædictis exemplis v.g. *omne non animal est non homo, aliquod non doctum non est non homo* conuersio deberet fieri per inuersionem extremorum & ablationem negationum præpositarum extremis.

6. Ex dictis constat quæ propositiones qualibet conuersione conuerti possint, vt id tamen melius infigatur memoriæ, excogitatum est sequens distichon

*F E c I* simpliciter conuertitur. *E u A* per acci.
*A ſt O* per contra: sic fit conuersio tota.

Pro cuius intelligentia aduertendum est per quatuor vocales *A. E. I. O.* repertas in illis vocabulis *fEcI. EuA. AſtO*, significari quatuor propositiones diuersæ rationis; per *A* enim significatur vniuersalis affirmatiua; per *E* vniuersalis negatiua; per *I.* particularis affirmatiua; per *O.* particularis negatiua; quod etiam denotatur sequenti disticho.

Asserit *A.* negat *E.* verum vniuersaliter ambæ.
Asserit *I.* negat *O.* sed particulariter ambo.

Sensus ergo prioris distichi est quod *fEcI*, id est vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua denotatæ per *E.* & *I.* quibus constat illa dictio, conuertantur simpliciter & quod *E u A.* id est vniuersalis negatiua, & vniuersalis affirmatiua significatæ per *E.* & *A.* quibus constat illa dictio, conuertantur per accidens; & denique quod *A* & *O*, id est vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua significatæ per *A.* & *O.* quibus constat illa dictio, conuerti possunt per contrapositionem.

## Caput XIV.

### *De propositionibus modalibus.*

1. *Propositiones modales* sunt illæ, in quibus de aliqua propositione prædicatur aliquis ex his quatuor modis, *Necessarius, Contingens, Possibile*, & *Impossibile* vt Petrum esse doctum est necessarium aut contingens &c. vnde huiusmodi propositionum prædicata sunt isti modi & propositio, de qua prædicantur, est subiectū, vocaturque à Summulistis *Dictum*, vnde etiam vlterius qualitas tam essentialis, quæ est affirmatio vel negatio, quam accidentalis, quæ est veritas vel falsitas harum propositionum, desumenda est ex modo præcipuo, & non ex parte propositionis, quæ est subiectum seu Dictum: quare hæc propositio, *aliquem hominem esse doctum est necessarium*, est falsa propositio, quia licet verum sit, quod aliquis homo sit doctus, tamen falsum est, quod id sit necessarium, cum possit fieri quod nullus homo sit doctus. Rursus hæc propositio, *aliquem hominem non esse brutum est necessarium*, est affirmatiua, quia licet negetur brutum de homine, tamen modus *necessarium* asseritur de illa negatione, vt ita dicam.

2. Præterea quantitas peculiaris harum propositionum ex modo desumitur, nam propositiones quæcunque huiusmodi, in quibus prædicatur *necessarium* aut *impossibile* sunt vniuersales, quomodocunque se habet propositio, quæ est dictum: propositiones vero, in quibus prædicantur alij duo modi; nempe *possibile* aut *contingens*, sunt particulares: cuius ratio assignatur, quod vniuersalitas aut particularitas harum propositionum sit vniuersalitas temporis, quo significatur prædicatum dicti competere aut non competere subiecto eiusdem dicti; quia ergo quando dico, quod necessarium sit omnem hominem esse animal, & quod impossibile sit omnem hominem non esse animal, significo quod nullum sit tempus, in quo non possit dici, quod homo sit animal, & in quo possit dici quod non sit animal: propterea illi modi sunt vniuersales; quia vero quando dico, *contingens est hominem esse doctum*, *possibile est hominem esse doctum*, non significo per hoc, quod homo sit doctus pro omni tempore, sed sufficit ad veritatem illarum propositionum, quod sit doctus aliquo tempore, hinc modi illi dicuntur particulares.

Quemadmodum ergo in propositionibus simplicibus *omnis* & *nullus* sunt signa vniuersalia, & *quidā* & *aliquis* particularia, ita in modalibus *impossibile* & *necessarium* sunt signa vniuersalia, *possibile* & *contingens*, particularia: & quemadmodum in simplicibus negatio præposita signis vniuersalibus facit ea particularia, & negatio præposita particularibus facit illa vniuersalia; nam *non omnis* idem est ac *quidam non*: *non nullus* idem est ac *quidā*: *non aliquis* idem est ac *nullus*. Sic etiam, quando præponitur negatio modis vniuersalibus his, redduntur particulares, & quando præponitur modis particularibus, redduntur vniuersales; vnde hæ propositiones sunt particulares: *omnem hominem esse doctum non est necessarium*; *omnem hominem esse doctum non est impossibile*; & similiter hæ propositiones sunt vniuersales: *omnem hominem esse brutum non est contingens*.


3. Vt autem æquipollentia & oppositio propositionū modalium intelligatur, aduertendum est propositionem modalem posse esse affirmatiuam de dicto & modo, vt *aliquem hominem esse animal est possibile* & negatiuam de dicto & modo, vt *aliquem hominem non esse animal non est possibile*, & negatiuam de dicto, ac affirmatiuam de modo, vt; *aliquem hominem non esse doctum est possibile*: & denique affirmatiuam de dicto, & negatiuam de modo, vt *aliquem hominem esse doctum non est impossibile*.

Quæ propositiones modales sunt sibi æquipollentes. Et quæ oppositæ.

Præterea aduertenda sunt hæc quatuor vocabula, *Purpurea, Amabimus, Iliace, Edentuli*, quæ constant quatuor syllabis & quatuor vocalibus, nimirum *A. E. I. V.* quæ vocales significant qualitatem propositionum modaliū tam ex parte dicti quam ex parte modi; *A.* enim significat, quod propositio ex vtraque parte sit affirmatiua. *E.* significat, quod propositio sit negatiua ex parte dicti tātum, & non ex parte modi. *I.* significat propositionem esse negatiuam ex parte modi tantum, & non ex parte dicti. *V.* denique significat propositionem esse negatiuā ex vtraque parte tam dicti quam modi: ad quod retinendum in memoria excogitatus est sequens versus.

*E. dictum negat, I. que modum, nihil A. sed V. totum.*

Itaque iuxta quatuor syllabas prædictorum vocabulorum conficiendæ sunt quatuor propositiones modales correspondentes singulis vocabulis istius qualitatis quā significat littera cuiuslibet syllabæ, ita tamen, vt modus correspondens primæ syllabæ sit *possibile* secundæ, *contingens*, tertiæ *impossibile*, quartæ *necessarium*. Ex his autem propositionibus quatuor correspondentes cuilibet vocabulo erunt æquipollentes. Propositiones correspondentes vocabulo *Purpurea* erunt contrariæ propositionibus correspondentibus vocabulo *Iliace*; & propositiones correspondentes vocabulo *Amabimus* erunt subcontrariæ propositionibus correspondentibus vocabulo *Edentuli*. Propositiones vero correspondentes *Purpurea* erunt contradictoriæ propositionibus correspondentibus *Edentuli*, sicut & propositiones correspondentes *Iliace* erunt contradictoriæ propositionibus correspondenribus *Amabimus*. Denique propositiones correspondentes *Purpurea* & *Amabimus* erunt subcontrariæ, sicut & propositiones correspondentes *Iliace* & *Edentuli*, quod totum in sequenti schemate facile videre est.




5. Hic tamen obseruandum, quod ly *contingens* idem omnino hic significet ac *possibile*, quamuis enim ex sua cõmuni institutione significet illud, quod possit ita adesse, vt possit etiã abesse, & sic non conueniat in significatione cum ly *possibile*, quod significat illud quod potest adesse, siue possit oppositum contingere, siue non; tamẽ in hac materia pro eodẽ sumũtur, alias nõ essent hæ duæ propositiones æquiualentes: *omnẽ hominẽ esse animal est possibile*, & *omnẽ hominẽ esse animal est cõtingens*; hæc enim vltima esset falsa, & prima vera, vnde in rigore non sunt æquipollentes etiam, sed potius synonymæ propositiones, sicut hæ duæ, *gladius est bonus*, *ensis est bonus*. Quare merito posset vnus ex illis duobus modis omitti, & loco quatuor prædictorũ vocabulorũ posset excogitari aliud triũ syllabarũ, aut ex illis ipsis deleri vna hoc modo *Purea, Abimus, Ilace, Dentuli*, ac cõformiter confici tabula. Sed quia res est parui momenti, non videtur discedendũ à tabula, ac vocabulis cõmunibus, neque in his ipsis anxie solicitos esse velim tyrones, quia reuera vix veniunt vnquã in vsum, & facile quis expertus linguæ Latinæ ex se potest cognoscere significationẽ huiusmodi propositionũ, & quoties de re ageretur, ac dubitaretur de æquipollentia, conueniendum esset semper cum aduersario.

Circa harum autem propositionum conuersionem obseruandæ sunt regulæ superius positæ pro conuersione propositionum simplicium, sed obseruandum præterea, quod transmutatio debeat fieri ex parte dicti, manente modo in suo loco tam in conuertente quam in conuersa, & quod iuxta vniuersalitatem vel particularitatem dicti conuersio sit facienda.

6. His pro fine addo, quod licet Cõplutenses cũ aliquibus antiquis Summulistis ponant differẽtiam inter has propositiones modales, *cæcũ videre est possibile*, *cæcus possibiliter videt*, quasi sensus prioris esset cõpositus, nimirũ talis, vt significaretur per eã, quod Petrus simul cũ cæcitate posset habere visũ; sensus vero posterioris sit diuisus, ita scil. vt significet, quod qui est cæcus posset habere visum, nõ tamen simul cum cæcitate, atq; ex prædictis propositionibus prima sit falsa, secunda vera; & quãuis nõ sit dubiũ quin possẽt illę propositiones instrui sic, vt haberent illam diuersam significationem, tamen reuera quantũ ad rigorẽ sermonis Latini, & vsum, etiã grauissimorum Theologorũ, idem omnino significant, & quęlibet ex ipsis potest capi in sensu diuiso ac cõposito, & cõsequenter quælibet ex ipsis potest esse vera, vel falsa; vnde cõsultius esset, quãdo dubitaretur quo sensu proferrẽtur, distinguere illas. Quod autẽ antiquiores aliqui Summulistæ vsi sint illa Cõplutensium distinctione inter illas propositiones ipsorum particulari institutioni attribuendum est, sicut & illa distinctio quam ponebant inter *Regẽ vidi*, & *vidi Regẽ*, quæ iam in desuetudinem, & merito abiit, cum multis aliis eorundem obseruationibus, nec vlla prorsus Theologica difficultas potest depẽdere ab illa distinctione, quidquid dicant Cõplutẽses.

## CAPVT XV.

### *De exponibilibus.*

Quid propositio exponibilis.

*PRopositio exponibilis* est propositio, quæ ob obscuritatem suam indiget exponi per aliam propositionẽ vnã, aut plures, ex eo quod inuoluat plures propositiones. Ex his quædam sunt exclusiuæ, nimirum quæ constant aliqua particula exclusiua, vt *solum*, *tantum*, vt *homo tantum est animal rationale*, *homo solũ est animal rationale*; quæ propositiones exponũtur per has propositiones, *homo est animal rationale*, & *nihil aliud præter hominẽ est animal rationale*. Aliquando verò hæc particula exclusiua ponitur ex parte subiecti, vt in exemplis iam illatis; aliquando se habet ex parte prædicati, vt in hac propositione, *homo essentialiter est tantum animal rationale*, & tunc exponi debet hoc modo: *cõuenit homini essentialiter esse animal rationale*, & *nihil aliud cõuenit ipsi essẽtialiter*. Aduertendum autem non posse bene colligi ex collocatione particulæ exclusiuæ, ex qua parte se teneat, sed id colligendum est, vel ex reliquo discursu antecedenti, aut consequenti, vel ex modo proferendi propositionẽ, vel ex fine proferentis illã vel ex aliquo alio capite: quando autem est incertum, distingui debet propositio.

Quid ex clusiua.

2. Quædã aliæ propositiones exponibiles vocantur *exceptiuæ*, & sunt quæ continent particulam *præter* aut *excepto*, vel similia, vt omnia animalia sunt irrationalia præter hominem, aut excepto homine, & exponi debẽt hoc modo, *omne animal, quod non est homo, est irrationale, & homo est animal, & tamen non est irrationale*. Differunt autem hæ propositiones ab exclusiuis, quarũ particula exclusiua ponitur ex parte prædicati, quia in exceptiuis particula exceptiua ponitur semper ex parte subiecti; differunt etiam ab exclusiuis, quarũ particula exclusiua ponitur ex parte subiecti, quia in illis prædicatum expresse dicitur de termino, cui adiungitur particula exclusiua; in exceptiuis verò prædicatũ nõ prædicatur de termino, cui adiungitur particula exceptiua, sed potius de aliis, vt patet in prædictis exẽplis; in re tamẽ hæ duæ propositiones, quarũ vna est exclusiua, & altera exceptiua

Quid ex ceptiuæ.

ua videntur æquiualere. nempe *solus homo est animal rationale*, & *nihil aliud præter hominem est animal rationale*.

Quid reduplicatiua.

3. Aliæ denique sunt propositiones *exponibiles*, quæ dicuntur reduplicatiuæ, quia continent reduplicatiuam particulam, quales sunt *in quantum, quatenus, vt*, & æquialentes, vt *homo in quantum animal est sensitiuus, in quantum rationale differt à bruto: vt homo, est capax beatitudinis: quatenus peccator displicet Deo*.

Quid sensus reduplicatiuus proprius.

In huiusmodi autẽ propositionibus particula reduplicatiua aliquando significat terminũ, cui adiungitur, esse causam ob quam prædicatũ conuenit subiecto, vt quando dico, homo *vt, quatenus*, aut *in quantum* rationalis, est risibilis, nam vel ũ est, quod ratio, cur risibilitas conuenit homini, est rationalitas: & hic sẽsus est maxime proprius, & vocatur propterea sẽsus reduplicatiuus simpliciter. Aliquando significat solũ, quod non obstante coniunctione termini reduplicati cũ subiecto, adhuc prædicatum ipsi conueniat, vt cum dicitur, album, vt album, potest esse dulce, & hic sensus vocatur specificatiuus. Sed nec circa hæc etiã debent tyrones multũ se fatigare, quia quoties in Philosophia occurrũt huiusmodi propositiones, solet explicari in quo sensu accipiũtur, vt vix sit necesse ante de ipsis agere. Quam etiã ob causam plura alia, quæ de his propositionibus nimis sollicite à ueteribus Sũmulistis tradita sunt; & ne nimiis obseruationibus memoria Auditorũ confundatur, data opera omisi.

Quid specificatiuus.

## CAPVT XVI.

### *De Discursu.*

Quid prima operatio intellectus.

1. TRes operationes diuersæ rationis competere intellectui & cõmuniter authores asserunt, & propria quisque experientia colligere potest. Prima vocatur *simplex apprehensio*, qua apprehendimus res siue simplices siue compositas; nihil de ipsis iudicando, vt quando concipimus albedinem. aut hominem aut exercitum aut aceruũ lapidum, aut totam hãc propositionẽ: an detur materia prima? an relatio distinguatur ab extremis.

Quid secunda.

Secunda est *iudicium*, quo scilicet absque discursu asserimus aliquid esse vel non esse, vt cum dicimus, totum est maius sua parte: contradictoria non possunt esse simul vera de eodem, & quando credimus quod aliquid sit, vel non sit ob authoritatem dicentis, (si tamen fides non sit discursiua, vt communius tenetur.)

Quid tertia.

Tertia denique operatio intellectus est *discursus*, de quo hic per se agimus, & cõmuniter describitur esse oratio, in qua vnũ ex alio sequitur; hoc est, est oratio composita ex pluribus propositionibus, quarũ vna ex alia vel aliis sequitur, ita vt illa vel illæ propositiones, ex qua vel quibus alia sequitur, non possit esse vera, quin etiã vera sit illa, quæ sequitur. Dicitur *oratio*, vt distinguatur à termino simplici; dicitur *cõposita ex pluribus propositionibus* vt distinguatur ab oratione simplici, & propositione categorica; dicitur, *quarũ vna ex alia sequitur* seu *infertur*; vt distinguatur à cæteris orationibus, quæ nõ sunt tales.

An conuersio sit discursus

2. Dices: cõuersio, qua cõuertitur legitime vna propositio in aliam, v.g. conuersio qua cõuertitur simpliciter propositio particularis affirmatiua in aliam particularẽ affirmatiuam, trãspositis terminis, vt cum dicitur *aliquis homo est animal, ergo aliquod animal est homo*; huiusmodi inquam cõuersio est oratio, in qua aliud ex alio sequitur, sed tamen non est discursus, ergo mala est prædicta definitio, quandoquidem conueniat aliis à definito

Respondent aliqui negando antecedens, qui quandoquidem non ponatur vllus terminus in conuertente, qui non fuit in conuersa, non potest dici stricte, quod aliud ex alio sequatur in conuersione.

Sed contra, quia quoties vna propositio sequitur ex alia, aliud ex alio sequitur, prout requiritur ad discursum, & gratis dicitur, quod illud quod sequitur sit ita aliud, vt intludat aliquem terminum, qui non fuit in propositione, ex qua sequebatur.

Respondeo ergo aliter negando minorem, nec est inconueniens quòd vna & eadem oratio habeat rationem conuersionis secundũ vnam considerationem, & rationem discursus secundum alteram considerationem; sic autem contingit in cõuersione, nam habet rationẽ conuersionis, quatenus conuertuntur iidem termini: sic vt faciant duas propositiones distinctæ rationis; habet autem rationem discursus, quatenus ex illis propositionibus vna sequitur ex altera.

Ad dendum ad hæc primò quod, quemadmodũ propositio diuiditur in formalẽ; obiectiuam, & vocalẽ, ita etiã similiter diuiditur discursus in formalẽ, obiectiuum, & vocalẽ. Discursus formalis est processus ab vna cognitione iudicatiua ad aliã; ita vt ex eo quod intellectus habeat vnum iudiciũ, determinetur ad habendum alterum iudicium propter connexionẽ, quã habet obiectũ vnius iudicij cum obiecto alterius. Discursus obiectiuus sunt propositiones illæ obiectiuæ, quæ habent talem connexionem inter se, vt si intellectus iudicet vnã aut plures ex illis, inde ducatur ad iudicandum alterã ex illis. Discursus deniq; vocalis est oratio correspõdens discursui formali & obiectiuo, & hũc in initio huius capitis potissimum descripsimus, quamuis nihilominus descriptio illa possit accõmodari discursui & formali & obiectiuo.

Simplex discursus.

Quid formalis.

Quid obiectiuus.

Addendũ secundò quod quandoquidẽ vtamur discursu vocali ad cõuincendos, seu deducẽdos alios in cognitionẽ rei alicuius quã alias vel ignorarent vel negarẽt, propterea non incõgrue vocatur talis discursus argumentũ, & vsus ipsius argumentatio. Diuiditur autem discursus hic seu argumentũ in quatuor species, *syllogismũ* scilicet *enthymema*, *inductionem* & *exemplum*; de quibus hoc ipso ordine iam disseremus, sed diligentius de syllogismo, quia est principale argumentum, quod maxime deseruit ad conuincendum, & ad quod cætera reducuntur.

Quid vocalis.

Discursus diuiditur in quatuor species.

## CAPVT XVII.

### *De Syllogismo.*

Quid syllogismus.

1. DEfinitio syllogismi assignata 1. Priorũ c. 1. & ab omnibus admissa est *quod sit oratio, in qua quibusdam positis aliud quid ab his, quæ posita sunt necessario accidit*. Cuius descriptionis sensus est quod syllogismus sit oratio conflata ex plurib. propositionibus, quæ sic inter se, & quoad suos terminos disponũtur, vt impossibile sit, quin si duæ ex ipsis sint veræ, tertia etiã, quæ ex iis infertur, sit vera; talis est hęc oratio: õnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo omne risibile est animal.

Itaq; syllogismus necessario debet cõstare tribus propositionibus quarũ vna sequitur necessario ex aliis duabus ex vi ipsius formæ & dispositionis. Ex his autẽ propositionib. duæ illæ, ex quibus tertia infertur, vocantur præmissæ, & ipsa tertia, quæ infertur, vocatur conclusio seu consequens, & illatio seu deductio ipsius ex illis duabus vocatur consequentia, & significatur per cõiunctionem illatiuam *ergo* vel *ideo*, vel *igitur*, & similia.

Dicitur autẽ syllogismus *oratio*, quia in hoc conuenit tanquã in genere cum enthymemate & cæteris orationibus, quæ non sunt syllogismus: dicitur, *in qua quibusdam positis*, id est, in qua ponuntur plures propositiones tanquam præmissæ ad aliam inferendam, quia in hoc distinguitur ab enthymemate & conuersione, in quibus vna propositio tantum proponitur, tanquam præmissa aut antecedens ad aliam inferendam; & etiam ab Inductione, in qua licet plures propositiones proponantur tanquam antecedens, tamen conclusio non sequitur ex ipsis vi dispositionis terminorum; & per hanc eandem particulam excluditur, quicunq; syllogismus falsigraphus à ratione syllogismi hic definiri.

Quid est concludere vi formæ.

Quod si quæras vnde possit cõstare quod ex aliquibus propositionib. vi formę sequatur alia propositio. Respõdeo ex hoc quod vniuersaliter in quacũq; materia, si obseruetur talis forma, necessariũ sit, quod si præmissæ sint veræ, conclusio etiam sit vera; vnde quandoquidem illa cõsequentia vocatur formalis, quæ est illatio vnius propositionis ex aliis ratione formę seu dispositionis terminorum consequentis & antecedentis; sequitur nullũ argumentum aut discursũ concludere formaliter præter syllogismum, & solam consequentiam syllogisticã esse formalem, præsertim, si excipias consequentiã, quæ sit in conuersione. Dixi autem, si excipias hanc consequentiam, quia quandoquidem vniuersaliter in quacunque

Conuersio concludit vi formæ.

materia ex particulari affirmatiua sequitur particularis affirmatiua ex iisdem terminis inuersis,& ex vniuersali, negatiua alia vniuersalis negatiua,& sic de cæteris conuersionibus,videtur quod consequentia talium conuersionum sit formalis,Præter autem illam consequentiam nulla alia,nec enthymematis,nec Inductionis, nec exẽpli,nec syllogismi fallacis, est formalis , non quidẽ enthymematis , quia quamuis sequatur necessario ex eo quod homo sit animal,Petrum esse animal , tamen non vi formæ,sed vi materiæ,vnde illa consequentia vocatur materialis,hoc est ratione materiæ : quod autẽ non vi formæ sequatur patet, quia talis dispositio terminorum, qualis est in illo enthymemate , est etiam in hoc alio enthymemate:homo est animal , ergo baculus est animal , & tamen consequentia non valet ; quæ eadem ratio probat,consequentias inductionis,exempli,& syllogismi falsigraphi non posse esse formales , quamuis essent aliquando materiales.

Nulla alia consequentia formalis nisi syllogismi.

3. Acriter hic disputari solet, an cõclusio ipsa sit de essentia syllogismi , & adducuntur ex Philosopho plures authoritates pro parte negatiua & affirmatiua. Res tamen est nullius vtilitatis pro tyronibus,& prouectioribus etiã parum proficua;vnde ab eius examine abstinẽdum duxi,sed breuiter significo,ex descriptione præmissa,quæ est Philosophi,videri conclusionẽ æque ad syllogisinũ pertinere ac præmissas,quia dicit syllogismum esse orationem,in qua plures sint propositiones, quarũ vna ex aliis sequitur; ex quo videtur significari in syllogismo æque reperiri conclusionẽ ac præmissas,& æque eum cõstare vtrisq; vnde si ex eo,quod constet præmissis, præmissæ dicãtur esse de eius essentia,quãdoquidem cõstet etiã conclusione,cõclusio etiam debet esse de eius essentia;& si ex eo,quod constet conclusione, conclusio dicatur esse de eius essentia, etiam ex eo , quod constet præmissis,præmissæ debent dici esse de eius essentia.

## CAPVT XVIII.

*De materia & forma syllogismi.*

1. QVandoquidem conclusio syllogistica sequatur vniuersaliter in omni materia vi formæ, ac dispositionis propositionũ ac terminorũ,ex quibus cõponitur;vt cognoscatur & quomodo cõficiendus syllogismus, & quisnam syllogismus sit bonus aut bene confectus,vt inde possimus esse certi de veritate cõclusionis, si præmissæ sint veræ; Aduertendum est syllogismũ habere & materiam & formã. *Materia* syllogismi duplex est,vna remota,& sunt termini, ex quibus componũtur propositiones eius;altera proxima, & sũt ipsæmet propositiones conflatæ ex illis terminis. *Materia remota* syllogismi cuiusque,id est termini,debent necessario esse tres diuersi , & non plures ; vnde quandoquidem in conclusione non possunt esse plures termini,quam duo, sequitur in præmissis syllogismi debere esse aliquem terminum,qui non sit in conclusione, & præterea duos terminos conclusionis debere esse in præmissis simul cum illo tertio termino, qui non est in conclusione.

Quid materia syllogismi remota.

Ex his tribus terminis ille,qui non ponitur in conclusione,vocatur *medius terminus*; alij duo vocantur *extremitates*, & ex illis ille,qui ponitur in maiori, *maior extremitas*,& qui in minori ponitur,vocatur *minor extremitas*.

Quis medius terminus. Quæ sunt extremitates. Quæ materia proxima syllogismi.

3. *Materia proxima* syllogismi,nempe propositiones, debent esse tres,quarum vna ex aliis duabus infertur,& illa,vt ante dixi,vocatur conclusio,seu consequens,quia cõcluditur ex præmissis,& ad illas cõsequitur;aliæ duę vocantur præmissæ, quia præmittuntur conclusioni ad eam inferendam,& vna ex illis vocatur *maior*, quæ ordinariè saltem primo loco proponitur;altera *minor*,quę secundo loco proponitur. Hoc totum videri potest in hoc syllogismo:*omnis homo est animal , omne risibile est homo,ergo omne risibile est animal*, in quo terminus *homo* qui ponitur in vtraque præmissa,& non ponitur in conclusione,est medius terminus; terminus *animal* qui ponitur in prima propositione, & in conclusione,est maior extremitas;terminus *risibile*, qui ponitur in secunda propositione,& in conclusione, est minor extremitas. Tertia propositio *ergo omne risibile est animal* est cõclusio.Prima propositio *omnis homo est animal* , est maior: secunda propositio *omne risibile est homo*, est minor.

Quid forma syllogismi. Quid figura. Quid modus. Simplex figura syllogismi.

3. *Forma syllogismi* est duplex , vna est dispositio materiæ remotæ id est terminorum, & hæc vocatur *figura syllogismi*:altera est dispositio materiæ proximæ , id est propositionum,& vocatur *modus syllogismi*.Tunc autem syllogismus integre bene disponitur sic , vt præmissæ non possint esse veræ , quin conclusio sit vera , quando constat bona figura,& bono modo. Itaque syllogismus potest habere triplicem figuram, seu triplicem dispositionem illorum trium terminorum , ex quibus coalescunt eius propositiones.

4. *Prima figura* est,quando medium in vna ex præmissis subiicitur vni ex extremitatibus,& in altera præmissa prædicatur de altera extremitate, vt fit in hoc syllogismo:*omnis homo est discursiuus , omne risibile est homo, ergo omne risibile est discursiuum.*

*Secunda figura* est,quando medius terminus bis prædicatur, semel de vna extremitate in vna propositione ex præmissis,& semel de alia extremitate in altera præmissa,vt fit in hoc syllogismo:*omnis homo est viuens,nullus lapis est viuens, ergo nullus lapis est homo.*

*Tertia figura est*,quãdo medius terminus bis subiicitur, semel vni extremitati in vna ex præmissis,& semel alteri in altera , vt fit in hoc syllogismo ; *omnis homo est animal,omnis homo est risibilis,ergo aliquod risibile est animal.*

Hæ tres figuræ significantur hoc carmine.

*Sub præ*,prima;*bis præ*,secunda; tertia *bis sub*.

Cuius sensus est , quod in prima figura subiiciatur, & prædicetur medius terminus ; in secunda bis prædicetur;in tertia bis subiiciatur.

Quot modos bonus syllogismus habere possit.

5. *Modus syllogismi*,id est recta dispositio propositionum,ex quibus conflatur secundum quantitatẽ, & qualitatem,est multiplex;sunt enim nouem boni modi spectantes ad primam figuram ; quatuor ad secundam; sex ad tertiam, & omnes hi modi continentur his sequentibus versibus iam tam vulgaribus, vt mutari non debeant , quamuis commodius esset , vt mutarentur duo primi,quia abundant syllabis non necessariis,gratia carminis solum modo adiunctis; cum tamen carmina fieri possint sine illis, vt si diceretur:*Barbara Calarent Darij Ferino Baralip. Celantes Dabitis Fapesmo Frisesom.* Sed vtendum,vt dixi,versibus vulgaribus,qui sunt.

*Barbara,Celarent, Darij,Ferio,Baralipton.*
*Celantes,Dabitis,Fapesmo,Frisesomorum.*
*Cesare,Camestres;Festino,Baroco, Darapti.*
*Felapton,Disamis,Datisi,Bocardo,Ferison.*

Quorum versuum vsus vt intelligatur,aduertendum in quolibet vocabulo ex illis reperiri aliquas ex his quatuor vocalibus *AEIO*,quæ vocales significant qualitatem & quantitatem propositionum ex quibus in quolibet ex illis modis fieri debet syllogismus ; nam *A* significat propositionem vniuersalem affirmatiuam: *E* propositionem vniuersalem negatiuam ; *I* propositionem particularem affirmatiuam; *O* propositionem particularem negatiuam iuxta sequentes versus,quibus ante vsi sumus ad conuersiones.

Asserit *A*,negat *E*.verum vniuersaliter ambæ.
Asserit *I*.negat *O*.sed particulariter ambæ.

Quia ergo ly *Barbara*, quod designat primum modũ primæ figuræ,constat tribus *A*. propterea syllogismus ipsi correspondens debet constare tribus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis,vt est hic:*omnis homo est animal,omne risibile est homo,ergo omne risibile est animal.*

Et quia *Cesare*, qui designat primum modum secundæ figuræ constat duobus *E*.& vno *A*. propterea syllogismus ipsi conformis debet constare duabus propositionibus negatiuis vniuersalibus , & vna affirmatiua vniuersali;& prima propositio,quæ est maior, est negatiua;secunda,quæ est minor, affirmatiua; & tertia, quæ est conclusio,debet esse negatiua.

Aduertendum autem vltimam syllabam , quæ est in *Baralipton*,nimirum *ton* , & duas vltimas , quæ sunt in *Frisesomorum* , nimirum *orum* non habere vim vllam

quantum

quantum ad dispositionem syllogismorum ipsis competentem; additæ enim sunt carminis supplendi gratia.

Aduertendum secundo quatuor primos modos primæ figuræ vocari modos perfectos, quia manifeste patet conclusionem esse veram, & quia ad eas reducuntur alij modi: vocantur etiam directe concludentes, quia in earum conclusione maior extremitas, quæ in prima figura semper est illa quæ prædicatur de medio, prædicatur etiã in conclusione: cæteri quinque modi vocantur modi indirectè concludentes, quia in conclusione minor extremitas, quæ in prima figura est illa, quæ subiicitur medio in præmissis, prædicatur in conclusione.

Pro maiori autẽ intelligentia huius dispositionis syllogisticæ, vtq; tyrones facilius possint formare syllogismos in singulis modis, & figuris, ac cognoscere quinam syllogismi in illis formantur, & quinam non formantur, subiicienda putaui exempla in omnibus his modis.

Itaq; quatuor primi modi primæ figuræ, quæ directè & clare cõcludunt, sunt sequentes, in quibus hoc modo formandi sunt syllogismi.

I.

Bar *Omnis homo est animal,*
ba *Omne risibile est homo,*
ra *Ergo omne risibile est animal.*

II.

Ce *Nullus lapis est animal,*
la *Omnis chrisolitus est lapis,*
rent *Ergo nullus chrisolitus est animal.*

III.

Da *Omne animal est substantia,*
ri *Aliquis equus est animal,*
i *Ergo aliquis equus est substantia.*

IV.

Fe *Nulla arbor est animal,*
ri *Aliquis asinus est arbor,*
o *Ergo aliquis asinus non est animal.*

Quinq; modi indirecte cõcludẽtes in prima figura sũt sequẽtes, & syllogismi in iis formandi sunt hoc modo.

I.

Ba *Omne animal est viuens,*
ra *Omnis homo est animal,*
lip. *Ergo aliquod viuens est homo.*

II.

Ce *Nullum brutum est rationale,*
lan *Omnis equus est brutum,*
tes *Ergo nullum rationale est equus.*

III.

Da *Omne viuens est substantia,*
bi *Aliquod animal est viuens,*
tis *Ergo aliqua substantia est animal.*

IV.

Fa *Omne animal est corpus,*
pes *Nulla planta est animal,*
mo *Ergo aliquod corpus non est planta.*

V.

Fti *Aliqua planta est substantia,*
se *Nullus homo est planta,*
so *Ergo aliqua substantia non est homo.*

Quatuor modi secundæ figuræ sunt sequentes, & hoc modo iuxta eos formari debent syllogismi.

I.

Ce *Nulla planta est animal,*
sa *Omnis homo est animal,*
se *Ergo nullus homo est planta.*

II.

Ca *Omnis homo est animal,*
mes *Nulla planta est animal,*
tres *Ergo nulla planta est homo.*

III.

Fe *Nulla planta est animal,*
sti *Aliquis homo est animal,*
no *Ergo aliquis homo non est planta.*

IV.

Ba *Omnis homo est animal,*
ro *Aliqua planta non est animal,*
co *Ergo aliqua planta non est homo.*

Sequuntur sex modi tertiæ figuræ, & exempla syllogismorum ipsis correspondentium.

I.

Da *Omnis homo est animal,*
ra *Omnis homo est risibilis,*
pti *Ego aliquod risibile est animal.*

II.

Fe *Nulla planta est animal.*
lap. *Omnis planta est substantia,*
ton *Ergo aliqua substantia non est animal.*

III.

Di *Aliquod animal est substantia,*
sa *Omne animal est viuens,*
mis *Ergo aliquod viuens est substantia.*

IV.

Da *Omne animal est substantia,*
ti *Aliquod animal est substantia,*
si *Ergo aliquod viuens est substantia.*

V.

Bo *Aliqua planta non est animal.*
car *Omnis planta est substantia*
do *Ergo aliqua substantia non est animal.*

VI.

Fe *Nulla planta est animal.*
ri *Aliqua planta est substantia,*
son *Ergo aliqua substantia non est animal.*

## Caput XIX.

*De regulis figurarum in communi & particulari.*

DVobus modis potest cognosci quod aliquis syllogismus seu potius oratio constans tribus propositionibus, ex quarum duabus inferretur tertia, & habens propterea speciem quamdam syllogismi, non sit tamen bonus syllogismus: primò si reperiretur non esse confectus in vllo ex prædictis modis, supponitur enim cõmuniter non posse fieri bonum syllogismum, qui non sit in aliquo ex illis. Secundò si deficiat in aliqua ex infrascriptis regulis quæ vocantur regulæ communes, quia obseruantur in tribus figuris præmissis.

Regulæ vniuersales pro omnibus figuris.

*Prima regula* est quod non componatur syllogismus bonus ex præmissis negatiuis, neque enim sequeretur bene conclusio vi formæ, vt patet in hoc discursu: *nullum accidens est substantia, nullus homo est accidens, ergo nullus homo est substantia.*

*Secunda regula* est, quod non componatur ex præmissis particularibus; quia non sequeretur conclusio, vt patet ex hoc syllogismo: *aliquod animal est rationale, aliquod brutũ est animal: ergo aliquod brutũ est rationale.*

*Tertia regula* est, quod si aliqua ex præmissis sit negatiua, cõclusio non sit affirmatiua, & si aliqua ex præmissis sit particularis, conclusio non sit vniuersalis, & hinc dicitur cõmuniter quod conclusio sequatur debiliorem partem præmissarum, qualis censetur particularis in cõparatione ad vniuersalẽ, & negatiua in comparatione ad affirmatiuam. Defectu huius conditionis non valent sequentes syllogismi: *Omnis homo est animal, nulla planta est animal, ergo aliqua planta est animal: omnis homo est animal, aliquod album est homo, ergo omne albũ est animal.*

*Quarta regula* est, quod medius terminus non ponatur in conclusione, & quod nõ ponantur in syllogismo plures termini, quam tres, & quod extremitates integre ponantur in conclusione. Ex hac regula sequitur, quod tres termini, qui ponuntur in syllogismo, debeant in omnibus sumi in eodem sensu ac in eadem amplitatione, suppositione, restrictione, quia aliàs syllogismus constaret quatuor terminis, aut pluribus.

2. *Quinta regula* est, quod medius terminus debet perfectè distribui in aliqua ex præmissis, tunc autẽ perfectè distribuitur, quãdo vel est subiectũ vniuersalis affirmatiuæ, vel prædicatũ vniuersalis negatiuæ. Ex hac etiam regula patet, quod aliqua ex præmissis debet esse vniuersalis, & quod si vna sola sit vniuersalis, medius terminus debet esse prædicatum eiusdem. Hinc non valet hic syllogismus: *aliquod animal est irrationabile, omnis homo*

*est animal, ergo aliquis homo est irrationalis*; nec hic *aliquod animal non est irrationale, omnis equus est animal, ergo aliquis equus non est irrationale.*

Regulæ particulares figurarũ sunt quæ particularib. figuris deseruiunt: ex his duæ spectant ad primam, quarum prima est quod maior semper sit vniuersalis, secunda vt minor non sit negatiua, quod tamen intelligendum de modis directe concludentibus, alias malus esset syllogismus factus in *Frisesom*, nam minor eius est negatiua, ac maior particularis, & similiter malus esset syllogismus factus in *Fapesmo*, cuius minor est negatiua.

Regulæ particulares figurarum.

Aliæ duæ regulæ deseruiunt secundæ figuræ. Prima est, vt maior non sit particularis, secunda vt vtraque præmissa non sit affirmatiua & hinc sequitur propter tertiam regulam vniuersalem, quod conclusio debeat esse negatiua.

Aliæ denique duæ regulæ obseruandæ sunt pro tertia figura, prima est quod minor sit affirmatiua; secunda, quod vtraque præmissa non sit vniuersalis, & hinc sequitur quod conclusio debeat esse particularis propter tertiam regulam vniuersalem.

Qui autem sciret omnes modos præmissos memoriter, facilius posset cognoscere an aliquis syllogismus esset bene factus in vlla ex illis percurrendo per modos, quàm recurrendo ad has regulas particulares.

## Caput XX.

### *De reductione ostensiua syllogismorum.*

1. QVandoquidem syllogimi facti in quatuor modis directis primæ figuræ concludant, tam clare ac euidenter, vt non possit dubitari de veritate consequentiæ: cæteri vero syllogismi facti in aliis modis tum primæ figuræ, tum etiam secundæ, & tertiæ, non concludant tam clare; vt probetur, quod tamen non minus bene concludant, quam illi quatuor syllogismi perfecti, excogitata est vtiliter via reducendi cæteros ad primos illos quatuor sic, vt qui negaret consequentiam cæterorum, cogi posset ad negandam consequentiam illorum quatuor, & in hoc capite agitur de hac via quæ vocatur reductio ostensiua. Ad quam intelligendam.

Quid reductio ostensiua.

Aduertendum est primò omnes modos præmissos omnium figurarum incipere ab his litteris *B.C.D.F.* à quibus etiam incipiunt quatuor modi perfecti primæ figura: hinc autẽ facile colligi potest ad quẽ modum ex illis quatuor alij modi sint reducendi, nam omnes modi incipientes à *B.* debent reduci ad *Barbara*; a *C.* ad *Celarent*; a *D.* ad *Darij*, ab *F.* ad *Ferio*. exceptis tamen *Baroco* & *Bocardo*, qui non reducuntur ostensiue ad vllum modum ex illis quatuor, quod ipsum significatur per litteram *C.* in illis solis repertam in corpore.

Aduertendum secundò, quod aliqua ex his tribus consonantibus *S.P.M.* sequatur aliquam ex tribus vocalibus cuius libet modi reducibilis; vt in *Cæsare* littera *S.* sequitur primam vocalem, & in *Frisesom* eadem littera sequitur primam & secundam vocalẽ, & littera *M.* tertiam; & in *Darapti* littera *P.* sequitur secundam vocalem. Per has autem litteras denotatur quod quando fit reductio, propositio correspondens litteræ, quam sequitur *S.* debeat conuerti simpliciter; & propositio, quam sequitur littera *P.* debeat conuerti per accidens, excepto tamen *Baralip.* nam in hoc modo solo littera *P.* significat quod conclusio modi *Barbara* ad quam reducitur, possit in conclusionem *Baralip.* conuerti per accidens seruatis iisdem præmissis, quod sufficit ad ostẽdẽdũ quod conclusio optime sequatur ex illis præmissis quia ex quibuscunq; præmissis sequitur vna conclusio, sequitur etiã & quæcũq; alia, in quã illa bene cõuerti possit, impossibile est enim cõuersã esse verã, quin conuertens, seu illa in quam bene conuertitur, sit vera. Deniq; littera *M.* significat quod quando modus, in quo ponitur, reducitur, præmissæ eius debent transponi. Littera deniq; *C.* quæ ponitur in solis *Baroco* & *Bocardo*, in quibus nulla ex aliis tribus iam dictis reperitur, significat quod non possint reduci ostensiue, vt ante dixi, vnde ipsorũ bona cõclusio debet probari alio modo capite sequẽti assignãdo. Hoc totũ significatur his versib⁹.

*S. vult simpliciter verti. P. vero per acci.*
*M. vult transponi; C. per impossibile duci.*

3. Vt autem doctrina hæc reducatur ad praxim, quatuor subiuugam exempla; duo in prima figura, & vnum in qualibet ex aliis duabus, reliquorum modorum exempla relinquens ipsorum tyronum industriæ, ac diligentiæ lectorum.

Primum exemplũ sit in Baralip. in quo formatur hic syllogismus: *omnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo aliquod animal est risibile.* Hic syllogismus quandoquidem incipiat a *B*, debet reduci ad *Barbara*, & quia in vocabulo *Baralip.* non ponitur *S.* nec *P.* post vllam ex primis duabus vocalibus, nec *M.* in toto vocabulo, propterea præmissæ debent relinqui eodem ipso modo: quia vero *P.* posita post vltimam litteram (quod peculiare est in hoc modo) significat conclusionem, quæ ex illis præmissis sequeretur in Barbara; nimirum: *omne risibile est animal*, conuerti per accidens, nihil aliud faciendum est quã eam sic conuertere hoc modo, aliquod animal est risibile, quæ est conclusio modi *Baralip.* ex iisdem præmissis. Itaq; si quis neget conclusionem *Baralip.* admissis præmissis, Inferatur in *Barbara* ex iisdem præmissis conclusio vniuersalis affirmatiua directè, & illam propter euidentiam negare non poterit, tum conuertatur illa conclusio per accidens in particularem affirmatiuam, & illam etiam negare non poterit sequi ex iisdem præmissis; vnde concedere cogetur ex iisdem præmissis sequi conclusionem, quã ante negauit sequi.

Reductio Baraliptou ad Barbara.

Secundum exemplum sit in *Fapesmo* eiusdem figuræ primæ, in quo est hic syllogismus formatus, ónis homo est animal, nulla planta est homo, ergo aliquod animal non est planta. Hic autem syllogismus, quandoquidem *Fapesmo*, in quo fit, incipit ab *F.* debet reduci ad *Ferio* ab *F.* etiam incipiens Deinde prima propositio, quia post primam vocalem ponitur *P.* debet conuerti per accidẽs dicendo *aliquod animal est homo*, quæ propositio tam vera est, quam propositio conuersa, vnde qui conuersã concessit, debet illam etiam concedere. Itẽ secunda propositio, quia post secundam litteram ponitur. *S.* debet conuerti simpliciter dicendo *nullus homo est planta*, quæ etiam vera est, & concedi debet non minus quam quæ conuertitur in ipsam. Rursus quia ponitur littera *M.* in illo modo, debent illæ duæ præmissæ transponi incipiendo à secunda, hoc modo, *nullus homo est planta, aliquod animal est homo*; ex his autem sequitur directè in Ferio tertia propositio *aliquod animal non est planta*, quę non debet mutari, quando quidem nec *S.* nec *P.* ponatur post tertiam vocalem. Vis autem reductionis consistit in hoc, quod negans conclusionem Fapesmo sequi ex præmissis eius, cogatur eam cõcedere sequi ex aliis propositionibus, quę sequũtur exillis præmissis, vt iã patuit.

Reductio Fapesmo ad Ferio.

5. Tertium exemplum sit in *Camestres* secundæ figurę, in quo formatur hic syllogismus *omne animal est viuens, nullus lapis est viuens, ergo nullus lapis est animal.* Hic syllogismus reduci debet ad *Celarent*, quia *Camestres* incipit à *C.* sicut incipit *Celarent.* Prima vero propositio non debet conuerti, quia post primã vocalem *Camestres* non ponitur nec *S.* nec *P.* debet tamen poni post secundam propter litteram *M.* Secunda propositio debet cõuerti simpliciter, quia ponitur *S.* post secundam vocalẽ *Camestres* dicendo *nullum viuens est lapis*; tertia etiam, quia post tertiam vocalem ponitur *S.* debet conuerti simpliciter, dicendo: *nullum animal est lapis*; hæc autem tertia propositio sequitur in *Celarent* ex his duabus *nullum viuens est lapis, omne animal est viuens*; quæ præmissæ sunt prima propositio syllogismi facti in *Camestres* posita secundo loco, & secunda propositio conuersa simpliciter, & posita primo loco.

Reductio Camestres ad Celarent.

6. Quartum exemplum sit in *Darapti* tertiæ figuræ, in quo est hic syllogismus: *omne animal est viuens, omne animal est sensitiuum, ergo aliquod sensitiuũ est viuens.* Hic syllogismus debet reduci ad *Darij*, quia *Darapti* incipit a *D.* Prima propositio debet manere eodẽ loco sine transpositione aut conuersione, quia in vocabulo *Darapti*, non ponitur *M.* nec post primam vocalẽ *S.* aut *P.*

Reductio Darapti ad Darij.

secunda

secunda verò propositio, quia post secundam vocalē ponitur P. debet conuerti per accidens, dicendo *aliquod sensitiuum est animal*: ex hac autem propositione conuertente & prima relicta suo loco absque conuersione sequitur in *Darij* tertia propositio, quæ est conclusio, & non debet conuerti; quia post tertiam vocalem *Darapti* non ponitur *S.* aut *P.* Iuxta hunc modum facile reduci possunt syllogismi reliquorum modorum.

## CAPVT XXI.

*De reductione ad impossibile.*

Quid reductio ad impossibile.

PRæter prædictam viam probandi consequentiam syllogismorum factorum in modis obscure concludentibus, qua non potest probari consequentia bona modorum *Bocardo* aut *Baroco*, excogitata est alia via non solum ad consequentiam horum duorum modorū, sed aliorum etiam istorum modorum, cogendo nimirum negantem quamlibet ex illis consequentiis ad concedendum, quod contradictoria aut contraria possint simul esse vera, quod est impossibile, vnde hæc via vocata est reductio ad impossibile.

Vt hoc autem fiat, obseruandæ sunt sequentes tres regulæ, quarum prima deseruit modis indirectis primæ figuræ, secunda modis secundæ figuræ, & tertia modis tertiæ figuræ.

Quomodo reduci possit ad impossibile negans conclusiones modorum primæ figuræ.

*Prima regula* pro modis primæ figuræ est: si negatur conclusio vllius ex illis modis, assumatur contradictorium eius pro maiori, & maior concessa pro minori, ex illis autem duabus sequetur in aliquo ex modis directis primæ figuræ contradictorium aut contrarium minoris concessæ vel conuertentis eius, hoc est, propositionis in quam conuerti possit; & sic obligatur negans conclusionem ad concedendum contraria vel contradictoria esse vera; nam primo concedebat vtramque præmissam esse veram, & postea obligatur ad concedendam contrariam vel contradictoriā vnius ex illis, nempe minoris, esse veram; exempli gratia supponatur aliquis negare conclusionem huius syllogismi facti in *Baralip. omne animal est viuens, omnis homo est animal, ergo aliquod viuens est homo*: vt cogatur ad impossibile, assumatur pro maiori contradictorium conclusionis negatæ, nempe *nullum viuens est homo*, & pro minori maior prædicti syllogismi, nempe *omne animal est viuens*, & ex illis in *Celarent* sequitur hæc conclusio, *ergo nullum animal est homo*, quæ potest conuerti simpliciter in hanc aliam *ergo nullus homo est animal*: quæ est contraria propositio minori primi syllogismi, quæ erat *omnis homo est animal*.

3. Aliud exemplum sit: supponatur aliquis negare conclusionem huius syllogismi facti in *Frisesom: aliquod animal est viuens, nulla planta est animal, ergo aliquod viuens non est planta*, vt reducatur ad impossibile, assumatur pro maiori contradictorium conclusionis: *omne viuens est planta*, & pro minori ponatur maior syllogismi præmissi *aliquod animal est viuens*, ex illis duabus sequitur in *Darij* hæc conclusio *aliquod animal est planta* quæ opponitur contradictorie huic propositioni, *nullum animal est planta*: hæc autem propositio non est quidem minor ante concessa, sed est talis, in quam potest illa minor conuerti simpliciter, & consequenter quicumque concessit illam minorem, debet hanc concedere esse veram: ex vltimo autem syllogismo cogitur concedere contradictorium huius esse verum, ergo cogitur fateri contradictoria esse simul vera.

4. Excipitur ab hac regula *Celantes*, cuius minor ponenda est pro maiori, & contradictorium conclusionis negare pro minori; ex illis autem in *Darij* sequitur contradictorium propositionis in quam cōuerti potest maior, exempli gratia aliquis neget conclusionem huius syllogismi facti in *Celantes*; *nullum animal est insensitiuum, omnis homo est animal, ergo nullum insensitiuum est homo*, vt reducatur ad impossibile, assumatur minor pro maiori sic: *omnis homo est animal*, & contradictorium conclusionis pro minori, nimirum *aliquod insensitiuum est homo*, ex illis duabus sequitur in *Darij, aliquod insensitiuū est animal*, quæ conclusio opponitur contradictorie huic propositioni *nullum insensitiuum est animal*, in quam conuerti potest simpliciter maior syllogismi primi, nempe *nullum animal est insensitiuum*.

Quomodo reduci possit ad impossibile negans secundæ figuræ conclusionem.

5. *Secunda regula* pro modis secundæ figuræ est quod assumatur pro maiori eadē ipsa maior syllogismi secundæ figuræ, cuius consequentia negatur, & postea contradictorium cōclusionis negatę, ex iis autē sequetur in aliquo modo ex modis directis primæ figuræ contradictorium vel contrariū minoris antea concessę. Exempli gratia, si quis neget conclusionem huius syllogismi facti in *Cesare: nullus homo est animal, omnis talpa est animal, ergo nulla talpa est homo*. vt cogatur ad impossibile assumatur eadem ipsa maior, nempe *nullus homo est animal*, & subsumatur contradictorium, cōclusionis negatæ, nimirum *aliqua talpa est homo*, & ex illis duabus sequitur in *Ferio, ergo aliqua talpa non est animal*, quæ est contradictoria huius propositionis *omnis talpa est animal*, quæ erat minor primi syllogismi & concessa antea vt supponitur.

Item negans conclusionem tertiæ.

6. *Tertiæ regula* pro syllogismis tertiæ figuræ est quod pro maiori sumatur contradictorium conclusionis negatæ & subsumatur illa ipsa minor quæ fuit ante, ex illis autem sequetur contradictorium, vel contrariū maioris concessæ: exempli gratiā si neget aliquis conclusionem huius syllogismi tertiæ figuræ facti in *Felapton: nullum animal est lapis, omne animal est substantia, ergo aliqua substantia non est lapis*, Vt cogatur ad impossibile, assumatur pro maiori contradictorium conclusionis, nēpe *omnis substantia est lapis*, subsumatur illa ipsa minor: *omne animal est substantia*, & ex illis sequetur in *Barbara, ergo omne animal est lapis*; quæ est contraria propositio maiori ante cōcessæ, nempe *nullū animal est lapis*.

Hæ tres regulæ comprehenduntur his quatuor versibus.

*Quæ fuerat* maior *prima* minor *esse requirit,*
*Excipe* Celantes *in quo* minor *ante locanda est,*
*Seruat* maiorem, *variatque secunda* minorem,
*Tertia* maiorem *variat, seruatque* minorem.

Ex hac reductione euidenter colligitur quod impossibile sit, quin si veræ sunt præmissæ cuiuslibet syllogismi preter quatuor syllogismos primæ figuræ, etiam conclusio sit vera; quia si non esset vera, contradictoria propositio deberet esse vera, & ex illa contradictoria & aliqua ex præmissis sequeretur altera præmissam non esse verā, & sic esset vera, & non esset vera; ergo necessario si præmissæ illæ sint veræ, conclusio debet esse vera.

## CAPVT XXII.

*De alijs speciebus argumentationis seu discursus.*

1. DIximus supra quatuor esse species argumentorum, *syllogismum, enthymema, inductionem*, & *exēplum*, egimusque quantum satis est de syllogismo, quæ est principalis species, supereſt vt breuiter aliqua dicamus de aliis tribus speciebus.

Quid enthymema.

Est ergo *enthymema* oratio, in qua ex vna sola propositione infertur alia, vt *omnis homo est animal, ergo nullus homo est planta*. Hæc species vocatur syllogismus imperfectus, quia non concludit vniuersaliter nisi ratione alicuius propositionis subintellectæ, quæ si adderetur, fieret syllogismus, vt patet in prædicto exemplo, nam conclusio non sequitur nisi quia supponitur & subintelligitur hæc propositio *nullum animal est planta*, quæ si adderetur, fieret syllogismus in *Celarent*, vt patet, vnde existimo quod intellectus interius nunquam assentiatur vi enthymematis, licet exterius non proferatur plus quam enthymema; sed quoties assentitur conclusioni, habet interius alteram propositionem sibi propositam, quæ exterius non significatur.

Quid inductio.

2. *Inductio* secundum Philosophum 1. *Top.* c. 10. est à singularibus ad vniuersalia accessio, hoc est; oratio, in qua ex eo quod aliquid competat singularibus omnibus, infertur quod illud ipsū possit de natura communi omnibus illis singularibus vniuersaliter prædicari, vt est hæc oratio: *Petrus est risibilis, Paulus est risibilis*, & sic de ceteris indiuiduis, *ergo omnis homo est risibilis*. Huiusmodi autē argumentatio non videtur mihi esse discursus pro-

prie loquendo,si ad discursum requiratur quod aliud ex alio inferatur,quia aliud ex alio non videtur inferri,nam idem est,Petrus est risibilis, Paulus est risibilis, & sic de cæteris hominib.ac omnis homo est risibilis,nec altera propositio est altera obscurior aut ignotior,si tamen sit discursus non cõcludit vi formæ;nisi ratione huius propositionis subintellectæ:sed nullus est homo,qui nõ est Petrus,aut Paulus,aut aliquod aliud indiuiduũ;vel huius alterius:sed Petrus & Paulus & cætera indiuidua humana faciunt omnem hominẽ;aut alicuius alterius similis.

3. *Exemplum* est oratio,in qua ex eo quod aliquid cõpetat vni rei,infertur quod cõpetat aut possit cõpetere alteri propter paritatem rationis, aut proportionẽ aliquam vel similitudinem,quam habent inter se, licet nõ habeant physicam aliquam connexionem;vt si dicatur Petrus flendo amarè sua peccata, acquisiuit veniam eorum,ergo quicunque alius fleuerit amarè sua peccata,similem veniam consequetur. Consequentia huius non valet vi formæ,nisi ratione propositionis subintellectæ sed est eadem ratio de Petro & quocumque alio.

## CAPVT XXIII.

### *De syllogismi speciebus.*

Quot species syllogismi.

1. SYllogismus vt sic, diuidi solet in syllogismum *demonstratiuum,topicum, & falsigraphum*, quæ diuisio quatenus comprehendit hunc tertium syllogysmum,est sine dubio æquiuoci in æquiuocata; neque enim syllogismus falsigraphus habet rationẽ syllogismi vt sic,magis quam homo pictus habet rationem hominis vt sic; quatenus autem comprehendit duo prima mẽbra,nempe syllogismum demonstratiuum & topicum,est vniuoca diuisio, vterque enim est syllogismus simpliciter loquendo, sed an sit diuisio generis in species proprie dictas,controuertitur, & quid sentiendum sit,in disputationibus supra libros Priorum dicetur;hic sufficiet breuiter describere, quid sint syllogismi.

Quid demonstratiuus syllogismus.

2. Itaque *syllogismus demonstratiuus*,prout hic vniuersaliter capitur, quatenus distinguitur à topico & falsigrapho,est syllogismus recte cõcludens vi formę & constãs præmissis certis ac euidẽtib. siue immediatè siue mediatè;præmissæ autẽ sunt certæ immediatè quãdo sunt propositiones per se notæ ex terminis:sunt autẽ certæ mediatè quando deducuntur ex aliis præmissis certis;huiusmodi syllogismus est hic syllogismus:*omne animal est viuens,omnis homo est animal,ergo omnis homo est viuens.*

Quid topicus.

*Syllogismus topicus* est,qui concludit quidẽ vi formæ, non minus quam demonstratiuus, sed constat vel vtrisque præmissis incertis,vel vna præmissa incerta: huiusmodi syllogismus est hic;*omnis homo diligit filium suum, omnis mater est homo,ergo omnis mater diligit filium suum:* cuius syllogismi maior non est vniuersaliter certa, sed tantum probabilis.

Quid falsigraphus.

3. *Syllogismus falsigraphus* est oratio habens similitudinem quandã syllogismi; quia aut constat tribus terminis, aut tribus propositionibus instar veri syllogismi; aut apparet constare tribus terminis, cum reuera constet pluribus;sed non habens veram rationem syllogismi, quia verè conclusio non sequitur vi formæ ex præmissis, nec propterea necessario concedi debet conclusio,quamuis concedantur præmissæ, huiusmodi est hæc oratio:*aliquis homo est doctus, Petrus est aliquis homo, ergo Petrus est doctus* quia conclusio non sequitur vi formæ,quandoquidem ex tribus particularibus affirmatiuis nihil sequatur vi formæ.

Præter hos syllogismos datur alius qui scilicet constat vtraque,aut vna præmissa manifeste falsa,sed talis non indiget consideratione vlla, solum aduertendum quod illa propositio, quæ est sic falsa, sit neganda.

## CAPVT XXIV.

### *De syllogismo Dialectico seu probabili.*

1. RElicta consideratione syllogismi demonstratiui pro libris Posteriorum, de hoc syllogismo hic breuiter particularius agendum,non solum,quia eodem prorsus modo continetur sub syllogismo vt sic, quo demonstratiuus; sed etiam, quia in omnibus disciplinis longe frequentior est vsus eius,quam illius: ex iis enim conclusionibus,quæ statui solent in quacunque scientia, plures sine dubio sunt probabiles, atque adeo cognitæ per syllogismum Dialecticum sed probabilem,quam demonstratiuæ ac scientificæ.

Quid syllogismus probabilis

Est ergo *syllogismus probabilis* seu dialecticus ille,cuius vtraque præmissa non est necessaria; sed vel ambæ probabiles, vel aliqua ex illis. *Propositio* vero *probabilis* describitur communiter esse illa,quæ videtur omnibus, aut pluribus,aut sapientibus,atque his vel omnibus vel pluribus, vel spectatissimis, modo non sit paradoxon, hoc est præter opinionem omnium.

Quid propositio probabilis?

*Propositio probabilis*, quæ videtur omnibus, dicitur esse hæc:Parentes amant filios.Verum si hoc intelligatur vniuersaliter de omnibus parentibus respectu omnium filiorum, non solum non apparet omnibus, sed manifesta experientia constat eam esse falsam, plurimi enim oderunt filios omni ætate. Itaque debet intelligi sic vt velit,quod parentes communiter amant filios, & quod nisi constet contrarium, facile eo ipso, quo quis cognoscit aliquem esse alterius parẽtem,iudicabit eum, qui pater est, alterum diligere.

*Propositio apparens pluribus* est, diuitias ac honores summa diligentia procurandos esse, quod tamen intelligendum de procuratione non peccaminosa aut illicita, nam certè non est probabile quod comparari debeãt quacunque via per fas aut nefas,& quamuis plurimi ea sic conquirant, tamen non apparet iis ea debere sic conquiri;sed videntes meliora, deteriora sequuntur.

3. *Propositio apparens omnibus sapientibus* est,quod bona animi sint præferenda bonis corporis,quæ propositio eo ipso, quo illis tantum apparet, quamuis oppositum videretur omnibus aliis, exclusis sapientibus, probabilis censeri debet & verior quam oppositа,quia verisimilius est sapientes ex duabus propositionibus sibi propositis melius cognoscere,quæ præferenda sit,quam non sapientes,nam alias non essent sapientes. Hinc autem videtur non esse necessarium,ad colligendam probabilitatem vllius propositionis cognoscere, quod appareat omnibus omnino,sed abunde sufficere,quod cognoscatur apparere omnibus sapientibus;quia quandoquidem sit probabilis ex eo,quod appareat omnibus sapientibus,& non possit apparere omnibus omnino,nisi etiam appareat omnibus sapientibus,sufficeret cognoscere, quod ita videretur omnibus sapientibus: nihilominus magis euidentem habebit probabilitatem, si non solum omnibus sapientibus, sed omnibus omnino vera appareat.

4. *Propositio apparens pluribus sapientibus,sed non omnibus* est, animam esse immortalem, quod tamen intelligendum semper, quantum ad motiua rationis, nam quod ad fidem attinet,illa propositio non est probabilis, sed certa.

*Propositio apparens non omnibus sapientibus, nec pluribus* (secludo hic etiam fidem) sed quibusdam eminentibus,est mundum non esse ab æterno,sed aliquando cœpisse; probabilitas autem huiusmodi propositionis in ordine ad alios in hoc fundari potest,quod debeant existimare, si aliud ipsismet in contrarium non occurrat, quod quæ propositio trahebat ingenium tã insigne ad assensum,id non faceret, nisi esset apparentis veritatis. Quod si tamen propositio à tali sapiente asserta sit contra id quod apparet omnibus aliis sapiẽtibus, non debet probabilis haberi,quia potius censendum est ipsum solũ errasse,quantumuis insignem,quã cæteros omnes.

Alia descriptio propositionis probabilis.

5. Alio modo potest describi propositio probabilis esse illa,cuius veritas apparet absque certitudine,vel ex terminis propriis;vel quia potest per discursum legitimum deduci ex propositionibus, cuius vtriusque,vel alterutrius veritas sic apparet;vnde quia propositio,quę in re est falsa, potest ita apparere, sequitur quod propositio falsa possit esse probabilis;& quia aliquãdo alicui appareat propositio esse vera,quæ postea apparet ipsi falsa,hic cõtingere potest,vt pro vno tẽpore propositio sit probabilis alicui,quæ alio tẽpore nõ est talis,sed vel ĩprobabilis vel falsa.Itaq;quotiescũque habet aliquis motiua,ex

secunda

quibus deducere potest propositionem aliquam esse falsam, illa propositio ipsi nequit esse probabilis: quoties autem non habet motiua, nec ad colligendam falsitatē, nec ad veritatem inferendam, propositio est ipsi incerta ac ignota; si autem habeat æqualia motiua positiua pro vtraque parte, nec videt aliquam rationem cōtra alterutram, quam nequit soluere; vtraque pars est probabilis, & talis debet esse omnis quæ problematice tenetur; quod si contra vnam partem habeat argumenta, quæ soluere nequit, non vero contra alteram, & cætera sint paria, debet habere vnam tantum partem pro probabili, aut saltem probabiliori. At si contra vtramque partem argumenta insolubilia habeat, vtraque pro incerta habenda est, sed neutra pro improbabili, nam cum alterutra cognoscatur necessariò debere esse vera, neutra debet improbabilis reputari; quare illam solam censeo improbabilem, quæ contra se habet rationes insolubiles, nec pro se habet insolubiles rationes.

Varia genera propositionum incertarum.

6. Itaque ex propositionibus non certis quædam sunt fidei, quibus scilicet quis assentitur ob autoritatem dicentis, quædam non fidei quibus scilicet quis non assentitur ob authoritatem talem; harum autem quædam sunt, ad quæ iudicanda adsunt aliqua motiua sine motiuis æquiualentibus de opposito, aut rationibus insolubilibus contra se, & hæ sunt probabilissimæ, quædam vero quæ habent rationes insolubiles contra se, cum tamen aliæ insolubiles non sint contra oppositæ, & hæ sunt improbabiles; quædam quæ habent motiua pro vtraque parte sine rationibus insolubilibus contra alterutram partem, & hæ sunt probabiles pro vtraque parte; & ex illis, quæ plūra aut vrgentiora habet motiua, probabillior censenda est, quod attinet ad rationem; quædam denique, quæ rationes insolubiles habent contra vtramque partem, & mihi huiusmodi incertę potius & ignotæ, quam probabiles esse videntur, quamuis hoc spectet ad quæstionem de nomine.

## Caput XXV.

### *De locis Topicis seu Dialecticis.*

1. QVandoquidē conclusio syllogismi topici sit probabilis, & cōsequēter debeat intellectus habere aliquod motiuum ad eam iudicandā, quod motiuum in præmissis, ex quibus infertur, proponi debet; & vocari solet *medium*, quo scilicet vtitur quis ad persuadendam conclusionem, quandoquidē non vnius generis mediū ad omnes conclusiones, sed varia etiam ad eandem conclusionem persuadendam adduci solent; vt quis expeditius posset & medium inuenire, & syllogismū Dialecticum formare, ingeniosè quidem notauerūt Philosophi certa aliqua capita, ex quibus desumi posset medium, & formari argumentum, ad suadendā aliquam propositionem, quæ capita vocant *loca* seu *sedes argumentorū*. Itaq; hæc loca, sedes, seu capita, quædam sunt connexa cum ipsa propositione probanda: quædam autem omnino extrinseca: hęc vltima sunt potissimū duo, vt authoritas alicuius, & scriptura; illa vero priora reducuntur ad viginti duo, ex quibus aliqua spectant ad naturam ipsius, vt *definitio*, *descriptio*, *notatio*; alia vero non spectant ad naturā, sed aliquo modo illam respiciunt, & ex his quædam dicuntur *coniuncta*, quædam *disiunctiua*. *Coniunctorum* aliqua dicuntur *connexa*, vt *coniugata*, *partes*, *totum*, *causæ*, *effectus*, *antecedentia*, *consequentia*, alia *circumstantia* vt *præcurrentia*, *concomitantia*, *subsequentia*. Disiunctorum vero quædam vocantur *consentanea*, vt *similia maiora minora*, *paria*; quædam dissentanea, vt *dissimilia*, *opposita*, *repugnantia*. De his ergo locis, vt intelligantur, pauca quam breuiter dicenda videntur.

Quid locus topicus.

Quot loca.

2. Vt autem incipiatur à *definitione*, & *descriptione*, imprimis quid sint supponendum est ex dictis supra, argumentum autem ab vtraque codē modo formari potest, ostendendo vel quod illud, quod prædicatur in propositione probāda conueniat aut non conueniat definitioni aut descriptioni subiecti eiusdē propositionis; vel quod definitio aut descripto prædicati eiusdem propositionis conueniat, aut non conueniat eiusdem subiecto: v.g. si quis vellet probare virtutem præferandam diuitiis, potest argumentari à definitione virtutis hoc modo: *bo à dispositio animi præferenda est diuitiis: talis est virtus, ergo*: vel à definitione diuitiarum, hoc modo: *virtus est præferenda facultatibus externis corporeis, quibus res corporeæ emi possunt sed diuitiæ sunt tales facultates, ergo virtus illis est præferenda.*

Argumentum à definitione & descriptione duomodo formari potest.

3. Aduertendum autem hic, quod syllogismus, cuius medium est definitio aut descriptio, nō semper sit Dialecticus seu probabilis, sed aliquando demonstratiuus ac necessarius; vnde locus hic definitionis non solum est locus topicus, vnde scilicet argumentum probabile deduci potest, sed etiam demonstratiuus, hoc est talis, vnde deduci possit medium formandi demonstrationem. Tunc autē deseruiet syllogismo topico, quando aut nō est certū, quod illud, quod assumitur pro definitione aut descriptione, sit vera definitio, aut descriptio propria rei; aut quādo non cōstat certo quod aut prędicatū conclusionis conueniat definitioni subiecti aut definitio prædicati cōclusionis cōueniat subiecto eiusdē & quod dico de hoc locoquātū ad hoc, intelligi debet de ceteris locis, à quibus argumenta necessaria deduci possunt.

Quando syllogismus à definitione est topicus.

4. *Notatio* est etymologia seu deriuatio nominis ab alio nomine, vt Consul à consulendo, seu prospiciendo, Christianus à Christo. Ab hoc loco potest deduci argumentum ad probandam hanc propositionem, Christianus debet honorare Christum: *quicunque nomen habet à Christo, debet ipsum honorare: habet Christianus, ergo.*

Quid notatio.

5. Coniugata sunt nomina illa, quæ desumūt denominationem ab alio nomine, vt sapiens, & sapienter, desumunt denominationem à sapientia, cuius propterea sūt coniugata. Ab hoc loco potest probari hæc propositio: laudabile est sapiēter agere, sic: *non esset laudabilis sapiētia, nisi laudabile esset sapiēter agere: sed est laudabilis sapientia, ergo & sapienter agere.* Videtur autem fundari vis huius argumenti in eo, quod non sit maior ratio, cur aliquid negaretur aut prædicaretur de vno coniugatorū, quam de aliis; vnde si esset aliqua disparitas argumenti, maior aut minor esset negāda; vel si fieret enthymema, neganda esset consequētia. Et hinc patet non valere hoc argumentū: *Iustitia semper est laudabilis, ergo est semper laudabile iustè agere*, quia non est eadem ratio; nam nihil vnquam potest accidere, ratione cuius iustitia non sit laudabilis, aliquid autem potest contingere aliquando, ob quod non sit laudabile iustè agere, nam iustū ageret, qui redderet cuiq; suum, sed posset id facere ob malum finē, & tum non esset laudabile iustè agere ob illū finē.

Quid coniugata.

6. *Partes*, ex quibus desumi possunt argumenta Dialectica sunt tam integrantes, quam essentiales, siue physicæ siue metaphysicæ: ex his autē varia possunt adduci argumenta, vt si ex positione partiū omnium vnitarum inferatur ipsum totum esse; aut si ex negatione omniū, aut illius partis inferatur nō esse totū; aut si ex proprietate aliqua competenti alicui parti inferatur eadem proprietas competere toti, vēl ex negatione proprietatis de omnibus partibus negetur cōpetere toti, hoc autē modo potest formari argumentum ex hoc loco ad probandam hanc propositionem: homo est corporeus: *quod constat parte corporea, est corporeum*; *homo constat, ergo*. Item ad probandam hanc, Angelus non est corporeus: *nulla parte corporea, constat nec metaphysica, nec physica, ergo non est corporeus*. Item hanc, Petrus est homo integer: *constat ex omnibus partibus integrantibus requisitis ad hominem integrum, capite v.g. manibus, pedibus &c. ergo est integer homo.*

Quid partes.

7. *Totum* est quid constitutum ex partibus, & ex illo facile fieri potest argumentum ad probandum aliquid circa partes v. g. ad probandam hanc propositionem, Petrus constat anima; *quidquid est homo, constat anima: Petrus est homo: ergo constat anima*. Item hanc: lapis non est animatus. *quidquid est animatum est viuens: sed lapis non est viuens, ergo non est animatus.*

Quid totum in quantitate

Quid pars in toto.

Pro complemento notitiæ huius loci aduertendū de quatuor generibus totorum fieri mentionē apud Dialecticos antiquos præsertim, nēpe de *toto in quātitate* per quod intelligūt aliquod vniuersale signo vniuersali affectum, vt omne animal: *pars* autem *in toto* huic opposita est

est quodcũq; includitur in illo toto, vt homo includitur in omni animali. De *Toto in tẽpore*, per quod intelligunt, illud quod significat omne tẽpus, vt *sẽper, nũquã nõ*, sicut per partem in tẽpore intelligunt quod significat partem tẽporis, vt *nunc, cras, pridie*. *De Toto in loco*, per quod intelligunt, quod significat omnẽ locum, vt *vbique, nullibi non*, sicut intelligunt per partem in loco, quod significat partem loci, vt *hic, ibi*. De *Toto* denique *in modo*, quod est aliquid vniuersale simpliciter absq; addito aliquo prolatum, vt *homo, equus: pars* vero *in modo*, est aliquid vniuersale cum particula restringente, sed non minuente, nec tollente totũ, vt homo iustus, album vt tria. Et hæc quidem explicare volui magis ad intelligendos authores antiquos, quam ad aliam vtilitatẽ, aut vt velim hoc satis barbaro, & improprio modo loquẽdi vtendũ esse.

Quid totum in tempore.

Quid pars in tempore.

Quid totum & pars in loco.

Quid totum & pars in modo.

8. *Causæ*, ex quibus argumenta deduci possunt, sunt quatuor illæ vulgares, *materialis, formalis, efficiens*, & *finalis*, & quæ ad eas reducuntur, de quibus secundo Physicorum fusè agendum.

Quomodo fit syllogismus ex causa materiali.

*Materia* triplex est, *ex qua* res fit, vt ex corpore fit homo; *in qua* vt paries est materia albedinis in ipso productæ, *circa quam* vt est obiectum circa quod versatur scientia, aut ars. *Ex materia ex qua* fieri potest argumentum hoc modo ad probandum hanc propositionem: homo habet aliquid vilitatis: *homo constat corpore, quod est materia vilis*, ergo. Item hanc propositionem: Hibernia non indiget, vt aliunde aurum, aut argentum eo transportetur. *Quæ regio in se habet sufficientia mineralia, ex quibus fieri possit aurum, & argentum, non indiget, vt aliunde eo transportetur aurum aut argentum: talis est Hibernia, ergo.* *Ex materia in qua* hoc modo ad probandam hanc propositionem: species intelligibilis est perfectior phantastica. *Quod exigit materiam nobiliorem, in qua fiat, est perfectius: illæ species eam exigunt, quia exigunt intellectum*, ergo. Ex *materia* denique *circa quam* probatur hæc propositio: Metaphysica est perfectior Physica. *quod versatur circa obiecta nobiliora est nobilius: sed Metaphysica versatur circa obiecta nobiliora, ergo.*

9. *Forma* vel est essentialis, vt est anima respectu hominis; vel accidentalis, vt est albedo respectu eiusdem; vel externa, vt exemplar respectu rei exemplatæ: quamuis enim, vt dicetur suo loco, exemplar reducatur ad genus causæ efficientis, tamen hoc non obstante potest habere rationem formæ externæ, & quantum ad præsens, perinde est ad quod reducatur.

Quomodo ex forma.

*Ex forma essentiali* argumentum formari potest hoc modo, ad probandum v.g. hanc propositionem: homo est immortalis, *quod constat essentialiter forma immortali, est immortale: Sed homo constat forma immortali*, nempe anima, *ergo est immortalis.*

*Ex forma accidentali* ad probandam hanc propositionem: aqua est corruptibilis, *quod subest formis contrarijs expellentibus se inuicem, & disponentibus ad formas incompatibiles, est corruptibile: aqua ita subest, fit enim aliquando frigida, aliquando calida, ergo est corruptibilis.*

Ex *forma externa* sic ad probandam hanc propositionem: condonatio iniuriarum est laudabilis: *omnis actio, quæ habet similitudinem cum actione aliqua Christi, est laudabilis: talis est condonatio iniuriarum*, ergo.

Quomodo ex causa efficiente.

10. Ex *causa efficienti*, quæ est illa quæ producit rem, multa argumenta deduci possunt, vt ad probandã hanc propositionem: Petrus non interfecit Paulum, *non poterat interficere absque instrumento, aut viribus; ex his neutrum habuit*, ergo. Item hanc: in æstate debet tempus esse calidius. *quando magis applicantur causæ calefactiuæ, tempus debet esse calidius, id accidit in æstate*, ergo. Item hãc: actus voluntatis est liber. *Ille est actus liber quem producit potentia ex se indifferens ad ponendum, vel non ponendum actum: talis est actus voluntatis, ergo est liber.*

Quomodo ex finali.

Ex *finali causa*, quæ est propter quam aliquid fit, potest probari hęc propositio: potius indulgere quis debet virtuti quam vlli alij rei. *illi magis indulgendum est, quod magis deseruit, vt possit quis acquirere beatitudinem, propter quam assequendam conditus est: sed virtus est huiusmodi*, ergo.

11. *Effectus* sunt illa, quæ oriuntur ex causis, & ex illis varie argumẽtari licet, vt hoc modo ad probãdam hanc propositionem: nimius ignis nocet: *nimius calor nocet, ergo & nimius ignis à quo causatur.* Item hanc: ira est vitanda. *Illud est vitandum, ex quo oritur perturbatio iudicij: talis est ira, ergo est vitanda.* Item hanc: Petrus meditatur iter, *præparat omnia necessaria ad iter: sed non præpararet, si aliud meditaretur, ergo meditatur.*

Ex effectibus.

Ex antecedentibus.

*Antecedentia* sunt illa, ex quibus aliud sequitur, cum tamen ipsa non sequantur ex illo alio, & sic se habet omne inferius respectu superioris, vt animal, respectu hominis, iustitia respectu virtutis. Ex hoc loco formari potest argumentum ad probandum hanc propositionem: aliquod animal est excellentius leone, *homo est excellentior leone: sed homo est aliquod animal*, ergo.

Ex consequentibus.

*Consequentia* sunt, quæ ex antecedentibus sequuntur, vt superius quodcumque respectu inferioris, v.g. vitium respectu intẽperantiæ. Ex his argumẽtari licet hoc modo ad probandam hanc propositionẽ: intemperantia est fugienda. *Omne vitiũ est fugiendũ; ergo & intemperantia.*

Duplex genus antecedentium

12. Hic autem aduertendum duplex esse genus Antecedentium & consequentium. Primum genus est antecedentium, & consequentium, quæ vel se habent vt superius & inferius, ex quibus inferius est antecedens, superius verò consequens; vel quorum vnum præcedit tempore, & aliud sequitur: sicut vulnus antecedit mortem, qnæ ipsum sequitur, ex quibus etiam quod antecedit tempore vocatur antecedens, & quod sequitur consequens. Aliud genus antecedentis est illud, quod necessario dandum est, si aliud detur, quamuis non fit superius ad ipsum, vt iuuentus respectu senectutis, & consequens huic correspondens est illud, ad quod aliud sequitur; quamuis non sit inferius ad ipsum, vt senectus respectu iuuentutis. Exemplum argumenti desumpti ex prioribus antecedentibus, & consequentibus supra præmissum est; ex antecedenti vero posteriori potest argumentum formari hoc modo: *non fuit vnquam adolescens, ergo nec senex*, & ex consequenti hoc modo: *est senex, ergo fuit adolescens.*

Præcurrentiæ quæ.

13. *Præcurrentia* sunt illæ circumstantiæ accidentales quę præcedunt rem, sed non habent necessariam connexionẽ cum re, ex eo quod illæ possent esse sine re, & res sine illis, vt portenta, dies natalis, nobilitas Maiorum, educatio, cõsuetudo, & similia, ex quibus formari potest argumentũ hoc modo ad probandũ v.g. sanctum Ioannem Baptistam fuisse insignem virum: *Ille non potest non existimari insignis, cuius natiuitatem præcesserunt signa aliqua specialia denotantia prærogatiua aliqua particularia; talis erat Ioannes Baptista, quia eius natiuitatem præcessit apparitio Angeli, conceptus mulieris sterilis*, &c.

Concomitantiæ quæ.

14. *Concomitantia* sunt circumstantiæ accidentales rem concomitantes, vt *locus, tempus, socij dignitas*; ex quibus formari potest argumentum hoc modo ad probandum, quod aliquis imprudenter aggressus sit mortem alterius: *imprudenter quis aggreditur mortem, quando non potest verisimiliter eam inferre impunis: sed non potuit tum, quia locus erat publicus, tempus diurnum, aderant socij multi* &c. ergo.

Subsequentiæ quæ.

15. *Subsequentia* sunt circumstantiæ sequentes rem, vt si apparerent postea aliqua portenta, si infirmitas, si valetudo, si patroni, si inimici, ex his argui potest hoc modo: *illa actio infelici tempore facta est, quam secutæ sunt tales circumstantiæ, propter quas non impune facta est: sed interfectio alicuius tum facta cum statim aduenerunt amici eius, qui interfectus est, & aliæ occasiones eius vindicandæ, est talis*, ergo.

Similia.

16. *Similia* sunt non solum, quæ sunt eiusdem formæ siue essentialis, siue accidentalis, sed quæ etiam proportionem aliquam habent; ex hoc loco plurima argumenta confici solent, quæ non solum ostendant aliquo modo naturam rei, sed etiam persuadeant: exemplum vnum sufficiat: *vt corpus indiget oculo corporali, ita animus spirituali. sed corpus indiget oculo tali, ergo & anima.* Quod autem ad me attinet, existimo hunc locum nihil aut parum differre à loco parium de quo postea.

17. *Maiora*

Maiora. 17. *Maiora* sunt, quæ maiorē habent probabilitatē, aut verisimilitudinē quā alia, vt maius est probabile, quod viginti possint capere ciuitatē, quā decē; ex hoc loco deducitur argumentū hoc modo: *non potuit vincere cum magno exercitu, ergo neque cum paruo poterit*: quæ consequētia in hoc fundatur, quod potius id iudicandum sit esse futurum, cuius futuritio maiorē habet probabilitatem.

Minora. *Minora* sunt, quæ minorem habent probabilitatem: hinc argumentari licet hoc modo: *tres menses suffecerunt ad discendam linguam Græcam, ergo sex sufficiunt ad discendam Latinam, quæ facilior est.*

Paria. *Paria* sunt, quæ habent æqualē probabilitatem, ex hoc loco arguitur hoc modo: *decē millibus oppugnauit vnam ciuitatem, ergo & totidē poterit alteram non magis fortem.*

Dissimilia. 18. *Dissimilia* sunt, quæ nec similitudinem, nec proportionem in forma aut natura habent. Argumentum hinc ducitur sic: *Securus est beatitudinis qui bene viuit, ergo qui malè viuit, non est sic securus.*

Oppositæ. *Oppositæ* sunt, quæ se mutuò excludunt, vt sunt contradictoria, quorum vnum est positiuum, & alterū negatio ipsius, vt album, non album: & priuatiua, quorum vnum est positiuum, & alterum priuatio ipsius, vt visus & cæcitas: & contraria quorum vtrumque est quid positiuum, & non sunt correlationes, vt albedo & nigredo, virtus & vitium: & denique relatiua, quæ mutuo ad se inuicem referuntur, vt dominus, seruus; pater filius, de quibus fusius in Postprædicamētis. *Ex cōtradictoriis* arguitur sic: *Est virtute præditus, ergo non caret virtute. Ex priuatiuis* sic: *Est videns, ergo non est cæcus. Cæci soli periclitantur, ergo non periclitatur videntes.* Ex *contrariis* sic: *Est virtute præditus, ergo non est vitiosus.* Ex *relatiuis* sic: *Est pater Alexandri, ergo non est filius eius.*

Repugnantia. 19. Ad hæc reduci debent *repugnantia*, vt substantia & spiritus, quæ eatenus solum ab oppositis contrariis distinguuntur, quod illa se mutuo expellere possint ab eodem subiecto, repugnantia verò non possint ex eo quod non habeant subiectum, quamuis enim repugnet illud, quod est homo, esse Angelum, tamen quandoquidem nec homo nec Angelus habent subiectum, non possunt excludere se ab eodem subiecto.

Quod si quæras an duæ formæ substātiales, excludētes se ab eadem materia, sint cēsendæ potius repugnantes, quàm cōtrariæ. Respondeo esse quæstionē de nomine, & quantū ad præsens perinde esse quid dicatur; cōmuniter autem supponuntur non esse propriè contrariæ, quia non habent subiectū inhæsionis, ex quo se inuicē expellant. Et hæc breuiter de locis Dialecticis seu topicis sufficiant, quæ vna cū eorū vsu & regulis facile capiet, qui est Logica & Philosophia sufficiēter imbutus, alij verò recurrere possūt ad Oratores, qui de iis fusissime tractāt.

## Caput XXVI.

### *De syllogismo Falsigrapho, seu Sophistico*

QVia facile posset quis decipi ad concedendam aliquam conclusionem falsam male illatam ob apparentiam, quam habent syllogismi sophistici, hic etiam aliquid de iis in particulari agendum restat.

Tria genera malorum syllogismorum. Itaque tria sunt genera malorum syllogismorū. *Primum* est eorum, qui seruant quidem debitam formam, sed constant materia improbabili, licet prima facie appareat probabilis: huiusmodi syllogismus est hic: *Quidquid non perdidisti habes, sed non perdidisti Imperium, ergo habes Imperium*; nam maior in re est improbabilis, cum multa sint, quæ non habentur, quæ tamen non fuerunt perdita, quia scilicet nunquam habebantur: habet tamen talem apparentiam, vt plurimi putarent, quod esset vera, & sic possent facile decipi.

*Aliud genus* est eorum, qui licet constent vera materia, non tamē constant vera forma, licet appareat quod habeant veram formam, talis est hic syllogismus: *Nullus homo est planta, nullus equus est homo, ergo nullus equus est planta*, non enim sequitur vi formæ conclusio, nam ex tribus negatiuis nihil sequitur, vt supra dictum est.

*Tertium* denique *genus* est eorum, qui non constant probabili materia aut vera forma, licet appareat quod constent iis, vt *Aliquid, quod non perdidisti, habes; sed Imperium est aliquid, quod non perdidisti, ergo habes Imperium*: nam in primis maior ex terminis nullam habet probabilitatem nisi apparentem, ex defectu reflectionis, & deinde si esset vera, falsa est cōclusio, quia vi formæ nihil sequitur ex tribus particularibus affirmatiuis.

6. Sed vt melius quis congnoscat naturam syllogismi fallacis, seu falsigraphi aut deceptorij, aduertendum est quod apparentia syllogismi fallacis, ratione cuius possit decipere, vel est in dictione, hoc est orta ex dictione, vel non est orta ex dictione, si ex dictione oritur, vocatur fallacia dictionis; si non ex dictione, vocatur fallacia extra dictionem.

Fallacia dictionis. *Fallacia dictionis* diuiditur in *Æquiuocationem, Amphibologiam, Compositionem, Diuisionem, Accentum, & figuram dictionis.*

Fallacia æquiuocationis. *Fallacia æquiuocationis* est deceptio, quæ oriri possit ex eo, quod ponatur in syllogismo aliquis terminus æquiuocus, qui in vna propositione capitur in vno sensu, & in alia propositione in alio sensu, & talis cōmittitur in hoc syllogismo; *omne corpus est substātia, quātitas trinæ dimēsionis, hoc est longa, lata, & profunda, est corpus, ergo est substantia.* hic syllogismus apparet bonus, quia apparet factus in *Darij*; & tamē nō est bonus, quia quāuis præmissæ sint veræ, tamē cōclusio est falsa: ratio autem deceptionis oritur ex dictione *corpus*, quod æquiuoce significat substantiā materialem, & quantitatem trium dimensionū, & in vna ex præmissis capitur vt significat vnum ex illis, in altera vt significat alterum.

Fallacia amphibologiæ. 7. *Fallacia amphibologiæ*, est deceptio orta ex multiplici sensu orationis alicuius contentæ in syllogismo, vt fit in hoc syllogismo: *quidquid est Aristotelis, possidetur ab ipso, hæc Logica est Aristotelis, ergo possidetur ab ipso*; vbi conclusio falsa sequitur ex præmissis veris propter diuersum sensum orationis *est Aristotelis*, quæ in maiori significat illud quod spectat ad dominium eius, in minori vero quod est compositum ab ipso.

Fallacia compositionis. 8. *Fallacia compositionis* est apparentia orta ex falso sensu cōpositionis, vt in hoc syllogismo: *nō est absurdum, quod qui potest vigilare vigilet, sed dormiens potest vigilare, ergo non est absurdū quod dormiens vigilet.* vbi colligitur cōclusio falsa in sensu cōposito, coniungendo scilicet dormitionē cum vigilia, cum tamen ex præmissis illis vere non possit colligi illa cōclusio in sensu composito, sed in sensu diuiso, ita scilicet vt sensus sit quod non sit absurdū quod qui dormit possit vigilare pro alio tempore, vel pro illo ipso tempore casu, quo non dormiret.

Fallacia diuisionis. *Fallacia diuisionis*, est apparentia orta ex sensu diuiso falso, vt in hoc syllogismo: *non potest sedens stare, sed Petrus est sedens, ergo nequit stare*, conclusio est falsa in sensu diuiso, nec in illo sensu sequitur ex præmissis, secundum quod sunt veræ.

Fallacia accētus. *Fallacia accentus* est apparētia orta ex vocabulis similibus, sed diuersę tamē significationis, aut diuersę aspirationis, aut quātitatis, aut accentus; talis est in hoc syllogismo: *quidquid hamatur, hamo capitur, Deus amatur, ergo Deus hamo capitur.* hæc fallacia solum potest habere locum in voce, nec tum etiam locū habet, nisi vbi aspiratio *h* vix pronūciatur. Talis etiam est in hoc syllogismo: *omnis populus conflatur ex multis hominibus, sed arbor quædam est populus, ergo conflatur ex multis hominibus*: vbi *populus* in maiori habet primā syllabam breuem, in minori longā; & ratione istius diuersæ quantitatis habet etiam diuersam significationem. Non est autem fallacia æquiuocationis, quia non est eadē vox *populus* in maiori, & in minori, cùm non habeat eandem quantitatem.

Fallacia figuræ dictionis. 11. *Fallacia figuræ dictionis* est apparentia quædam orta ex similitudine accidentali duarū dictionum, ob quam arguitur ex eo, quod aliquid competat vni ex illis, tale quid debere cōpetere alteri, Hæc autem cōtingit tripliciter: primò si ob similē desinentiam vocabulorum attribuitur ipsis eadem affectio gammaticalis, aut logicalis, vt si diceretur: Musca est fœminini generis, ergo & Poēta: facies est prædicamēti substantiæ, ergo & species. Secundò quanto arguitur à nomine significāte substantiā rei ad nomen significans substantiā, & accidens aliquod

eius vt fit in hoc discursu: *Quidquid emisti comedisti, carnes crudas emisti, ergo comedisti* vbi in maiori affirmatur verè, quod quicquid emerit comederit, quoad substantiã, & in conclusione infertur quòd eas comederit etiam vt affectas aliquibus accidentibus. Tertiò denique contingit hæc fallacia, quando dictio quæ conuenit superiori, vt abstrahit ab inferioribus, infertur etiam conuenire inferioribus; aut cùm dictio, quæ conuenit inferiori, infertur conuenire superiori. Exemplum primi est in hoc discursu: *Homo est species, Petrus est homo, ergo Petrus est species.* Exemplum secundi est in hoc syllogismo: *Petrus est distinctus ab homine, sed Petrus est homo, ergo homo est distinctus ab homine.* Hæ sunt fallaciæ figuræ dictionis, & in omnibus committitur æquiuocatio ac reperiuntur plures termini quàm tres, & sunt nullius momenti, saltem præter vltimam, quæ est figuræ dictionis: nec hæc etiam est vllius momẽti, nisi in secundo & tertio modo.

Fallaciæ extra distinctionem.

12. Restant iam fallaciæ, quæ vocantur *extra dictionem*, quia scilicet sumunt causam suæ apparentiæ ex re significata magis quàm ex verbis ipsis: sunt autem septem; nimirum, *Accidentis: eius quod simpliciter dicitur & non secundum quid: Ignorationis elenchi: Petitionis principij: Consequentis: non causa, vt causa: plurium interrogationum, vt vnius.*

Fallacia accidentis.

13. *Fallacia accidentis* est apparentia orta ex conuenientia aliquorum in aliqua vna ratione, ob quam conuenientiam arguitur, id quod conuenit vni, conuenire alteri, aut è contra, vt contingit in his exemplis: *Homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus. Risibile est animal, animal non est proprium hominis; ergo nec risibile.*

Fallacia eius quod simpliciter dicitur & nõ secundũ quid.

14. *Fallacia eius quod simpliciter dicitur, & non secundum quid*, est apparentia orta ex eo quod arguitur ab eo, quod simpliciter est tale, ad illud quod non est simpliciter tale, aut è contra; vt contingit in his exemplis: *Homo est animal, ergo homo pictus est animal: Æthyops est albus secundum dentes, ergo est albus.*

Fallacia ignorationis elenchi.

15. *Fallacia ignorationis elenchi* est apparentia orta ex eo quod appareat contradictorium inferri, cùm tamen reuera non sit contradictorium, vt fit in hoc discursu: *Petrus dormit noctu, & non dormit de die, ergo dormit, & non dormit*; consequentia non valet, si sensus sit, quòd eodem tempore dormiat, & non dormiat. Hæc fallacia est, satis friuola: vocatur autem fallacia ignorationis elenchi; quia elenchus est argumentatio, qua rectè infertur contrarium vel contradictorium alicuius quod ante concedebatur.

Fallacia petitionis principij.

16. *Fallacia petitionis principij* est apparentia orta ex eo quod aliquid assumatur ad probandum aliud, quod est æquè obscurum, aut obscurius, aut quod æquè controuertitur: vt si quis ad probandum quod homo esset quid compositum ex anima & corpore, assumeret pro medio quod competerent ipsi effectus animæ & corporis. Hæc etiam est parui momenti.

Fallacia consequentis.

17. *Fallacia consequentis* est apparẽtia orta est eo quod ex consequenti infertur antecedens, aut ex opposito antecedentis oppositum consequentis, quemadmodum inferri potest consequens ex antecedente, & oppositum antecedentis ex opposito consequentis. Per *antecedens* hic intelligitur illud ex quo aliud sequitur, cum tamen ipsum non sequatur ex illo alio, vt homo respectu animalis, sequitur enim: *est homo, ergo animal*; & non sequitur: *est animal, ergo est homo.* Per *consequens* intelligitur illud, quod sequitur ex alio, cum tamẽ illud aliud ad ipsum non sequatur, vt animal respectu hominis. Huiusmodi fallacia cõmittitur in hoc sophismate: *qui dicit te esse animal, dicit verũ: sed qui dicit te esse equũ, dicit te esse animal: ergo qui dicit te esse equũ, dicit verum.* in quo ex eo quod dicatur de aliquo, quod sit animal, infertur, quod possit dici de ipso, quod sit equus; cum tamen equus sit antecedens ad animal & animal consequens, & non antecedens ad equum. Deceptio autem huius sophismatis clare patet, quia sensus maioris est, quod, qui dicit hominẽ esse animal, non cõiungendo cum *animal* aliquid aliud repugnãs homini, dicat verũ, sed qui dicit ipsum esse equum, non dicit de ipso quod sit animal solũmodo, sed quod sit animal tale, vnde manifestum est quod non sequatur illum, qui sic dicit, dicere verum.

Fallacia non causæ vt causæ.

18. *Fallacia non causæ vt causæ*, est deceptio, quæ oriretur ex eo, quod aliquid putaretur esse causa falsitatis aut veritatis alicuius propositionis, cum tamen reuera non esset causa, eius: talis committeretur in hoc discursu: *arma attulerunt perniciem bonis, ergo non sunt permittenda*, consequentia nihil valet, quia arma non attulerunt perniciem per se, sed ex abusu hominum malorum.

Fallacia plurium interrogationũ vt vnius.

19. *Fallacia plurium interrogationum, vt vnius*, est apparentia orta ex eo, quod quis interrogatus, de pluribus quorum quædam sunt falsa, quædã vera, si vnam dederit responsionẽ, possit conuinci falsitatis: vt si quis interroget, an Petrus sit homo & lapis, respõdeatur quod sic, tũ inferretur, ergo est lapis; si respõdeatur quod nõ, ergo non est homo. Sed hæc fallacia est parui momẽti.

## Caput XXIV.

### *De modo disputandi.*

Modus bene disputandi.

1. Quandoquidem frequens disputandi vsus, cum ad acuendum ingeniũ, tum ad examinandã veritatem, mirũ in modum deseruiat, foleatque propterea in melioribus quibusque Academiis, ac Scholis sæpissime adhiberi, pro cõplemento summularũ, pauca hic præcepta placuit proponere, quæ inter disputandũ sunt obseruanda; ideoque autẽ potissimum de disputatione illa, quæ ordinate instituitur inter vnum aliquẽ, qui ad defendẽdum, ac respondendum seligitur, & alium, vel alios, qui argumentari debeant in Schola, aut alio publico loco.

2. Itaque imprimis tam argumentans, quam respondens alta semper ac clara voce vti debent, sine tamen clamoribus & ingrato strepitu; sed cum feruore modesto, qui & ad colligendam memoriam, & ad excitandam attentionem apprimè conducit, caueantque vterque, ne vnquam se mutuo interrumpant, sed defendens permittat argumentanti totum argumentum, proponere, & argumentans patienter audiat respondentem, donec integre responsum concluserit.

3. Secundò argumentans antequam proposuerit argumentũ primum, veniam capiet ab auditorio, vel verbis, vel assurrectione, aut alio aliquo reuerentiæ signo iuxta consuetudinẽ loci, ac auditorij qualitatem, tum proponat argumẽtum præmissis his, aut similibus verbis: *Argumentor contra conclusionem vestrã talem, aut talẽ, in qua dicitis, &c.* & magno studio curet vitare verba superflua in argumentis, ac vti propositionibus claris.

4. Tertiò respondens proposito argumento, primò facta reuerentia argumentanti, ac præmissis his aut similibus verbis. *Argumentatur R. P.* vel *doctissimus Dominus*, aut *carissimus condiscipulus* iuxta qualitatẽ argumentantis, *contra conclusionẽ nostram in qua dicimus, & cæt.* fidelissime repetat, etiam seruatis, quantum poterit, iisdem verbis ac eodem ordine, totum argumentũ bis, & in secunda repetitione respõdeat in forma, omissis discursibus, rationibus exẽplis instãtiis, nisi interrogetur. Tunc autẽ respondebit formaliter, quando ad singulas propositiones sigillatim responderit cõcedendo, aut negãdo, aut distinguendo, prout exigunt, & specificãdo quãlibet ex illis, v.g. si proponatur syllogismus, & neganda fuerit prima propositio, dicat; nego maiorẽ, si secunda; nego minorem, si tertia propositio, non sequatur ex ipsis, nego sequelam, aut consequentiam. Quod si prima fuerit concedenda aut secunda, dicat: cõcedo maiorem, aut minorem; si alterutra fuerit distinguenda, dicat: distinguo maiorẽ aut minorem, nunquam verò distinguat consequentiã: sed si tertia propositio habeat plures significationes, & in vno sensu sequatur ex præmissis, in alio non sequatur, dicat: distinguo cõsequens, & proposito sensu, in quo sequitur, dicat concedo consequentiã: proposito verò sensu, in quo non sequitur, dicat: nego consequentiam: similiter quando distinguit maiorem aut minorem, proposito sensu, in quo propositio est cõcenda, dicat: concedo maiorem, aut minorem; & proposito alio sensu, in quo est neganda, dicat: nego maiorem vel minorem: nec det vnquam rationem, cur neget vllam propositionem, nisi interrogatus.

Si argumentum non fuerit syllogismus, sed enthymema constans duabus propositionibus, antecedenti scilicet & consequenti, respondeat ad primam propositionem concedendo, aut negando, aut distinguendo antecedens, & ad secundam propositionem, distinguendo consequens, vel concedendo aut negando consequentiam, sicut responderi debet ad tertiã propositionem syllogismi: si prima propositio neganda fuerit, non est respondenti vlterius progrediendũ in repetendo secunda vice, & idem est dicendum si neganda fuerit secunda; quod si prima aut secunda fuerit distinguenda, post distinctionẽ vlterius progrediendũ erit ad consequens, & vicissim distingui debet consequens; si tamen antecedẽs fuerit distinctum ratione vllius ex extremitatibus: aut si fuerit distinctum ratione termini medij, consequens non debet distingui, sed negari consequentia.

6. Quarto. Argumentans audita responsione, probet quod negatum est. v.g. maiorem, vel minorem, vel consequentiam: quod si vlla propositio fuit distincta, vel ostendat distinctionem non valere, vel probet propositionem in sensu, in quo negabatur esse veram; aut conclusionem sequi ex ipsa in sensu in quo concedebatur, & si hoc vltmum voluerit facere, assumat propositionem eandem in sensu concesso, & inferat ex illa cõclusionem; & si negetur consequentia, probet eam. Caueat autem ne vnquam assumat in progressu argumenti pro maiori, aut minori, aut antecedenti propositionem semel negatam, quia sic faciendo peteret principium.

7. Quintò. Defendens si proponatur authoritas aliqua non neganda pro medio ad impugnandã conclusionem, non neget ipsam, sed vel distinguat ipsam reddendo diuersos sensus eius, vel honoris causa dicat: *Explico authoritatem illam*; & ostẽdat diuersas significationes eius, in quarũ vna concedat eam esse intelligendã, in alia neget, quod in re idẽ est ac ipsam distinguere. Si argumentans supponat aliquid, quod videtur respondẽti falsum, vt si supponeret quod aliquid fuerit cõcessum, quod reuera non concedebatur, & vis argumenti ab illa suppositione dependeat. Defendens respõdere debet negando suppositum; & si illud suppositum fuerit in maiori, aut minori, dicat, nego suppositum maioris aut minoris. Si antecedens aut maior, aut minor argumenti fuerit conditionalis aut rationalis, & sit falsa, respondendum erit negãdo sequelam maioris, aut minoris, aut antecedẽtis.

8. Sextò. Quando quæritur ratio alicuius rei, dicat Respõdens *Quærit à me &c.* & det rationem quam breuiter ac clare poterit, sed caueat semper ne det pro ratione illud ipsum, de quo controuertitur, aut aliquid ab ipso dependens, aut æquè incertum, quia sic peteret principium.

Reliqua inter disputandum aduertenda ipso vsu ac Lectoris diligentia facile discentur. Hæc autem omnia cedant ad DEI Omnipotentis, Virginisque MARIÆ honorem & gloriam.

# DISPVTATIO PRIMA PROOEMIALIS.

## DE ENTE RATIONIS.

QVANQVAM entis rationis consideratio ad Metaphysicam pertineat, quia tamen vix potest natura Logicæ intelligi, quin quid sit ens rationis intelligatur; pro maiori studentium commoditate ipsum Logicæ initium ab eo sumendum videbatur.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit ens rationis.*

Variæ acceptiones entis rationis.

HOc nomen *ens rationis* est æquiuocum, & varias habet significationes, ex quibus proponam principaliores, vt intelligatur de quo ente rationis agamus. Itaque primò significat omne illud, quod subiectatur in intellectu seu ratione, & in hoc sensu actus & habitus intellectus, & species intelligibiles, quamuis sint entia realissima, sunt etiam entia rationis.

Secundo significat omne illud quod est producibile per intellectum siue physice, vt actus & habitus intellectuales; siue directiue, vt sunt artificialia omnia, quæ mediante intellectus directione fiunt, licet hæc omnia secundum se sint entia realia.

Tertiò significat omne, quod obiicitur intellectui, seu quod consideratur & intelligitur ab intellectu, & in hoc sensu omnia entia realia possunt vocari entia rationis, quia omnia illa possunt intelligi ab intellectu.

Quartò significat, præcipue apud Scotistas, omne quod non habet actu existentiam realem, quamuis eam possit habere: & in hoc sensu Antichristus modò est ens rationis: quæ autem sunt entia rationis in hac acceptione vocantur alio nomine à Scotistis quibusdam, entia diminũta.

Vltimò denique significat illud, quod non est ens reale vlla ratione, hoc est, quod neque realiter existit, neque realiter existere potest, & in hoc sensu, non in vllo ex quatuor prioribus, agitur hic de ente rationis.

Variæ descriptiones entis rationis propriè.

2. Entis porrò rationis in hac vltima acceptione varias descriptiones adhibent Doctores. *Suares disp. 54. Met. sect. 1. n. 6.* ait ens rationis esse, quod cogitatur vt ens, cum tamen in se entitatem non habeat: & eandem descriptionem approbat *Auersa q. 5. Log. sect. 2.* qui tamen non eodem modo debet intelligere illud *cogitatur*, quo Suares intelligit, nam hic debet intelligere per illud, quid commune cogitationi intellectuali ac phantasticæ, quandoquidem existimet ens rationis fieri non solum per intellectum, sed etiam per phantasiam; Auersa autem solum intelligit operationem intellectus, quia soli intellectui tribuit entis rationis effectionem.

Impugnatur.

3. Sed quomodocunque intelligatur illud *cogitatur*, contra hanc descriptionem facit primò, quod, dum dicitur ens rationis esse, quod cogitatur vt ens, cum nullam entitatem habeat, vel intelligunt quod cogitatur vt ens reale, cum nullam entitatem realem habeat, vel intelligitur quod cogitatur, vt aliquod ens reale, aut rationis, cum nullam entitatem habeat realẽ aut rationis, si primum dicant, falsum videtur, quia non est necessariũ vt entia rationis cogitentur aut concipiantur per modum entium realium, imò sæpè cogitantur per modum omninò oppositum, hoc est per modum proprium entium rationis, aliàs intellectus non posset distinguere illa ab entibus realibus; nec verũ est quod dicit *Mastrius disp. 3. q. 1.* ex eo quod ens reale sit obiectum adæquatum intellectus, sequi, quod nihil concipere possit, nisi per modum entis realis: nam quamuis corpus naturale sit obiectum adæquatum Physicæ, & syllogismus, aut modus sciendi Logicæ; tamen certũ est Logicã tendere in multa, quæ non cõcipit per modũ syllogismi aut modi sciẽdi & Physicam etiam considerare multa non per modũ corporis naturalis: quod si illud esset obiectum adæquatum intellectus, quod ita se haberet, vt nihil posset concipere, nisi per modum illius, profecto nec ens nec vllum aliud vnum quid esset obiectum adæquatum eius.

Intellectus potest concipere aliquid & non per modum obiecti adæquati.

Impugnatur secundo.

Secundum etiam dici nequit, quia ens rationis habet sine dubio entitatem rationis.

Dantur entia rationis quæ non cogitantur.

Secundò facit contra eandem descriptionem, quod dentur etiam actu, suo modo existentia quædam entia rationis, quæ non cogitantur vllo modo, ergo non bene describitur ens rationis esse quod cogitatur. Probatur antecedens, quia quando aliquis cogitat vnum ens rationis, & alius simul cogitat aliud ens rationis, illa duo entia rationis habent inter se similitudinem rationis non minus, quam quæcunque alia entia realia habent inter se similitudinẽ realẽ, etiam si nullus consideret aut cogitet de illa similitudine, ergo dantur entia rationis actu existentia suo modo, etiam cum non cogitantur.

Secunda descriptio entis rationis.

4. Secunda descriptio & quidem communior entis rationis est, quod sit illud quod habet esse obiectiue tantũ in intellectu. Hanc approbat etiam quidam Scotista sed parũ vt videtur cõsequenter ad sua principia, quãdoquidẽ ipsemet postea asserat phantasiã facere ens rationis,

certum autem est ens rationis factum à phantasia non habere esse obiectiue in intellectu,sed in phantasia.

Impugnatur. Quidquid autem sit de hoc, certum est hanc descriptionem non posse admitti ab illis,qui existimãt quamcumque potentiam vitalem, verbi gratia, visum,auditum,posse facere entia rationis. Deinde similitudo, aut dissimilitudo duorum entium rationis non videtur esse obiectiue in intellectu dum sunt, aut existunt, quandoquidem non considerentur actu ab intellectu,& esse obiectiue in intellectu idem sit,ac considerari ab intellectu, secundum communiorem explicationem eorumdem authorum,quorum est prædicta descriptio.

Tertia descriptio. Aliqui Scotistæ & alij qui existimant per quoscumque actus potentiarum vitalium fieri entia rationis, solent describere ens rationis vt sic, esse illud cui repugnat realis existentia.

Et sane hæc descriptio non solum in ipsorũ particulari sententia, sed in omni alia habet hanc perfectionẽ, quod verissimũ sit omne & solum ens rationis esse, cui repugnat realis existentia, vnde illa descriptio est sine dubio conuertibilis cum definito. Sed hoc non obstante patitur aliam difficultatem, quod sit nimis obscura,nam non est difficilius cognoscere,aut explicare ens rationis, quam ipsum ens reale, seu illud ens, cui non repugnat realis existentia;vnde explicare naturã entis rationis per ordinem ad existentiam realem, est explicare ignotum per æque ignotum, quod aptæ descriptioni non conuenit. Quod vt manifestius fiat,quærendum, quando dicitur ens rationis esse id, cui repugnat realis existentia, quid intelligatur per existentiam realem:& sane si quis rem bene considerauerit, inueniet non adeo facile posse satisfieri huic quæstioni,de quo postea.

Impugnatur.

Alia descriptio. 6.*P. Gaspar de la Fuente* existimat entis rationis naturam esse exacte traditã à Scoto 4.*dist.*1. *q.*2.*n.*4. dum dicit se intelligere per ens rationis,ens in anima tanquam secundariò consideratum,&c. Sed loquendo de ente rationis,vt sic,communi omni enti rationis,interpretatio non congruit; nam expresse Scotus eodem loco distinguit ens rationis ibi à se descriptum à chymæris, & impossibilibus,quæ secundũ omnes admittentes entia rationis,sunt entia rationis,vt hic agitur de ente rationis.

## CONCLVSIO.

Vera descriptio entis rationis. 7.*Ens rationis* vt sic,bene describitur esse *quod nequit aliquid efficere, neque inexistere alicui potenti efficere, nisi per considerationem potentiæ potentis aliquid considerare.* Hæc descriptio desumi potest ex Doctore *quodlib.* 3. dicente: *Ens rationis:est quod præcise habet esse in intellectu considerante:* nisi quod hæc Scoti magis determinet potentiam causatiuam, propter rationem inferius assignandam.Potest etiam iuxta eam explicari cõmode descriptio illa cõmunior entis rationis, qua dicitur esse illud quod habet tantũ esse obiectiue in intellectu. Quod autẽ sit bona, probatur explicando singulas particulas, nam ex illa explicatione patebit,quod omni, & soli cõueniat & nõ tradatur per æque obscura, aut obscuriora

Dicitur *quod nequit aliquid efficere*;quia solis entibus realibus cõuenit aliquid efficere.Dicitur *neque inexistere alicui potenti efficere,nisi per considerationem*,quia non solum illa, quæ possunt aliquid efficere,sunt entia realia, sed quæ omnibus talibus absq; cõsideratione inexistũt; vnde ens rationis oppositũ enti reali,neque debet posse aliquid efficere,neque inexistere alicui potẽti aliquid efficere,nisi per considerationẽ;additum autem est *nisi per considerationẽ*,quia per considerationẽ possunt entia rationis inexistere enti reali potenti aliquid efficere,quia potest intellectus considerare aliquid impossibile in tali ente,v.g. omnipotentiã in creatura. Dicitur denique *potentiæ potẽtis aliquid tale cõsiderare*,vt abstrahatur iã à cõtrouersia inferius decidẽda,an scilicet alia potentia, quã intellectus possit facere,aut cõsiderare ens rationis.Scotus autẽ supra,& cæteri, qui describũt ens rationis esse id quod habet esse obiectiue in intellectu, propterea describũt ens rationis per ordinẽ ad intellectũ,quia existimãt aliam potentiã efficere non posse entia rationis.

*Obiicies* contra hanc descriptionem:habitus intellectuales non inexistunt intellectui, neque vlli potenti, aliquid efficere, nisi per considerationem intellectus hoc est per actus intellectus, ad quos actus sequuntur isti habitus & tamen isti habitus sunt entia realia,& nõ sunt entia rationis, vt hic agimus de entibus rationis, quamuis sint entia rationis in aliis acceptionibus, quatenus scilicet subiectantur in ratione, & sunt obiecta rationis seu intellectus, ergo descriptio prædicta entis rationis conuenit enti reali, & consequenter non erit bona;quia non est conuertibilis cum descripto.

*Respondetur* negando consequentiam, quia ille habitus potest aliquid efficere, nam cum intellectu efficere potest actus similes illis actibus, à quibus generatur. Rursus licet sit de facto dependenter à consideratione quoad produci, tamen est in eo quoad conseruari independenter à consideratione, hac enim desinente non desinit habitus per illam productus; ens autem rationis non potest esse, nec conseruari in ente potente aliquid efficere, nisi per considerationem. Vlterius quamuis de facto habitus producantur in intellectu per ipsam considerationem, tamen possent produci à solo Deo sine concursu illius considerationis; ens autem rationis nequit etiam de potentia absoluta esse in aliquo reali, seu potenti aliquid efficere,nisi per considerationem.

Denique quando dicitur quod non possit esse ens rationis in aliquo reali nisi per considerationẽ,debet hoc intelligi de consideratione terminata ad ipsummet ens rationis,ita scilicet vt sensus sit,quod ens rationis non possit esse in aliquo potenti aliquid producere,nisi quatenus cõsideraretur esse in illo, aut quatenus inexistit alicui, quod non est in illo nisi per considerationem: quod addo propter similitudinẽ vnius entis rationis cũ alio,quæ mediante suo subiecto potest esse in ente reali sine eo quod cõsideretur: habitus verò licet non sint in intellectu nisi per cõsiderationem;non tamẽ per cõsiderationẽ sui, sed per cõsiderationẽ alterius habent esse in illo,verbi gratia quãdo per discursum cognoscitur & consideratur hominẽ esse risibilẽ,acquiritur habitus facilitans ad similẽ considerationem, & ille habitus producitur per considerationem seu cognitionem, non qua consideratur ipse habitus, sed qua consideratur homo esse risibilis:neque etiam est in intellectu ex eo quod sit in re,quæ solum per considerationẽ est in intellectu.

## *ADDITIO.*

*Mastrius* vt totam meam Doctrinam hac quæstione, qua parte statuo propriam & impugno sententiam aliorum,funditus euertat:Disp.2.Met. *n.* 243. incipit à mea descriptione entis rationis,quam impugnat,quia in omni sententia certum est ens rationis describi debere per oppositionem ad ens reale, iuxta illud: Contrariorum eadem est lex & natura,id est,vnum debet explicari per oppositionem ad alterum; ens autem reale non dicitur esse illud,quod potest aliquid efficere, vel inexistere alicui potenti aliquid efficere citra operationem intellectus considerantis, sed quod potest esse in rerum natura citra operationem intellectus considerantis:ergo opposito modo describi debet ens rationis, & sic, inquit, ipsemet Poncius describit illud 3.p. Disp.18.*n.*6.

*Verum hæc impugnatio* meæ descriptionis non habet apparentiam, nam si per legem illam & naturam eandẽ Contrariorum,intelligit quod debeat explicari vnũ per ordinem ad alterum,ponendo alterum in definitione alterius,omnino falsum est,quod sit talis lex, aut habeant talem naturam; nam non ponitur calor, nec descriptio eius in descriptione frigoris,nec è contra; neque in descriptione entis realis,ponitur ens rationis:si vero intelligat descriptionem vnius esse oppositam descriptioni alterius,id quidem in se verum est;sed non significatur tamen axiomate illo communi,quod propterea non recte adductum est ad propositum; nec facit contra meam descriptionem, quæ sine dubio est opposita cuicunque bonæ descriptioni entis realis.

*Nec refert* quod ens reale non explicetur cõmuniter, vt à me explicatum est, esse illud,quod potest aliquid efficere, aut inexistere alicui potenti efficere absque cõsideratione

deratione intellectus, quia quamuis ita non explicetur, posset explicari sic.

*Impugnat secundo* eandem descriptionem, quia ens reale in tota sua latitudine optime manifestatur sine ordine ad effectum realem & inexistétiam realem alicui potéti aliquid efficere, & bene potest realitas saluari absque reali efficientia vt multi dicunt de materia prima, ergo ens rationis posset aliter describi quam à me descriptum est.

*Respondeo* quamuis totum concedatur, id non facere cõtra me; qui solum volui & dixi ens rationis posse explicari vt à me est explicatum, quidquid sit an aliter posset nec ne. Deinde quod ait posse saluari realitatem absque efficientia vt multi dicunt de materia prima, non facit ad propositum, quia inde non sequitur quod posset saluari absque efficientia aut inexistétia in potenti efficere, nam materia quãuis non posset efficere, potest certe sic inexistere, & si neutrum ipsi competeret, non esset ens reale.

*Impugnat tertio*, quia mea descriptio conuenit enti, nominaliter sumpto, quod scilicet non est, sed potest esse, vt Antichristo v. g. quia in statu possibilitatis nequit afficere aut inexistere potenti efficere.

*Respondeo* negando antecedens, & ad probationem dico quod quamuis non possit Antichristus pro statu possibilitatis aliquid efficere, potest tamen simpliciter sicut potest simpliciter existere.

*Impugnat quarto*, quia conuenit negationibus extra genus: v. g. negationi mundi: ergo. *Respondeo* negando antecedens, quia nulla negatio est aliquid positiuum siue reale siue rationis, per ly autem *aliquid* positum in mea descriptione intelligebam aliquid positiuum, seu quod non erat negatio, & quia hoc supponebatur ab omnibus, propterea non videbatur necessarium, illud specificare.

*Impugnat quinto*, quia sicut ens reale non constituitur in sua realitate per posse aliquid efficere aut inexistétiam in aliquo id potente, sed hæc potius sunt attributa ac munera eius: ita ens rationis non debet cõstitui per impotentiam ad tale quid, sed hæc potius consequetur eius rationalitatem seu essentiam. *Respondeo* concedendo totum & negando aliquid inde sequi contra meam descriptionem, quæ potius hac impugnatione confirmatur: nam si illa impotentia consequitur naturam entis rationis, per eam potest describi, sicut per risibilitatem potest describi homo: neque ego alio modo desideraui aut desidero adhuc describere ens rationis aut reale.

Præterea *Num.* 244. asserit singulas descriptiones alias à me reiectas habere aliquid veritatis, licet per se nulla sufficiat, & ex omnibus posse integrari propriam & adæquatam entis rationis descriptionem.

Sed hoc quamuis verum esset, non præiudicaret mihi, nam eo non obstante, quælibet per se deberet reiici, tanquam non bona entis rationis descriptio.

*Deinde considerando* descriptiones in particulari, ait vltimam, qua dicitur ens rationis esse, cui repugnat realis existentia, verũ dicere, & falsum esse quod ego opposueram ipsi, nempe quod esset obscura, quia nõ erat facilius cognoscere aut explicare ens reale quam ens rationis, hoc inquit falsum est: longe enim notiora sunt nobis entia realia quam rationis: nam quamplurima entia realia sub sensum cadunt: non autem rationis, quo factum est vt plures negauerint entia rationis, nullus realia.

Defenditur impugnatio posita. num. 5.

*Respondeo* negando descriptionem illam esse satis claram, quamuis sit vera, ob illam ipsam meam rationem quam non reiecit sufficienter Mastrius, nam quamuis aliqua entia realia sint nobis notiora quam entia rationis; tamen ego de iis non eram locutus, nec debui loqui; sed de ente reali vt sic comprehendente omnia entia realia, quod certe tam difficile mihi videtur explicatu quam ens rationis; si autem explicaretur ens rationis per ordinem ad illa entia realia quæ sunt notissima & cadunt sub sensũ, pessima esset descriptio, quia conueniret multis entibus realibus, quæ scilicet non sunt tam nota, nec cadunt sub sensum.

*Circa secundam* descriptionem à me reiectam, nempe quod ens rationis sit illud, quod habet esse obiectiue in intellectu, dicit quod verum profert, & falsum est quod detur vllum ens rationis quod non cogitatur vllo modo, si enim non cogitatur vllo modo, nec pendet ab intellectus cogitatione, erit ens reale in omni proprietate. Ad probationem autem meam de similitudine quæ est inter duo entia rationis nullo intellectu cogitante, negat talem reperiri: sicut enim fundamenta illius non habentur absque consideratione intellectus, ita nec similitudo illa, quia fundamentum nunquam minoris entitatis est quam fundatum.

*Sed hæc responsio* ad meum exemplum de similitudine noc sufficit: nam certum est, quod quamuis nemo consideraret similitudinem esse inter duo entia rationis, sed vnus cõsideraret vnum ens rationis, & alter alterum, illa haberẽt similitudinem rationis tam bene, quàm entia realia existentia habent similitudinem realem, nec inde sequeretur quod fundamẽtum esset minoris entitatis quam similitudo fundata, cum vtrumque esset ens rationis, & quamuis ens reale sit quod habet esse absque consideratione intellectus, hoc non debet intelligi sic, vt quidquid habet esse absque cõsideratione ad ipsum immediate terminatum, debeat esse rationis, vt probat illud exemplum de similitudine, quã gratis negat Mastrius & contra omnia fundamenta quibus colligitur similitudo realis inter extrema realia neque enim hæc habent maiorem virtutem ad emanationem vt ita loquar similitudinis realis, quam extrema, quorum quodlibet est ens rationis, ad emanationem similitudinis quæ sit rationis. Item illa quæ habetur. num. 4.

Fateor tamen quod si intelligeretur per illam descriptionem quod illud esset ens rationis, quod haberet esse tantum obiectiue in intellectu, vel immediate, vel mediate, descriptio esset bona. Si etiam non daretur similitudo aliqua inter extrema realia, ab ipsismet distincta, descriptio illa esset bona, non addendo nec intelligendo illud *vel mediate*, sed quia primum non explicabitur, & secundum est incertum, mea videtur mihi descriptio præferenda.

*Denique Num.* 245. asserit primam descriptionem quam reieci, nempe quod sit illud, quod cogitatur vt ens, cum tamen in se entitatem non habeat, aliquid verum dicere, & fundari in eo quod ens rationis cognosci possit nisi per analogiam ad ens reale, vel proportionis, vel imitabilitatis, quæ consistit in cognoscibilitate vnius ad similitudinem alterius, vnde ad formalitatem entis rationis non tantum spectat, quod sit obiectiue in intellectu, sed etiam quod sit ibi ad instar veri entis. Ad impugnationem autem meam qua dixi quod entia rationis cogitentur sæpius non per modum entium realium, sed per modum oppositum; Respondet id verum esse de cognitione reflexa non de directa.

*Contra hanc doctrinam* dico primo peti principium dum asseritur ens rationis cognosci non posse nisi per analogiam ad ens reale seu ad similitudinem eius. Dico secundo quod omnino sit falsum vt patet ex ipsomet Mastrio qui fatetur cognitione reflexa posse ipsum cognosci absque tali Analogia. Ex quo vlterius ostendo quod per cognitionem directam etiam possit cognosci absque tali Analogia, tum quia non magis potest sic cognosci cognitione reflexa quam directa, tum quia cognitio reflexa tendit in rem provt cognoscitur per cognitionem directam: ergo si reflexa tendit in illud sine tali analogia, idem dicendum de directa. Et quæ habetur. num. 4.

Ad id autem quod Mastrius adiungit, quod nempe obiecta secundaria debeat participare rationem cõmunem obiecti primarij & quod ita se res habet in obiectis scientiarum, quidquid enim logica cõsiderat vt partem subiectiuam syllogismi, quod est obiectum adæquatum eius, considerat illud vt participat ratione cõmunem obiecti adæquati, quamuis sint alia considerata in scientia, quæ non participant illam rationem, quia non considerantur vt species eius, nec eodẽ modo assignãtur obiecta scientiarum ac potentiarum. Respondeo nescire me quid faciat hic discursus ad rem, nam si scientia potest considerare aliquod obiectum secundarium & non sub ratione obiecti primarij, neque vt includens illam: eodem modo potest intellectus considerare aliquid, quod nõ participat

rationem obiecti primarij eius,& quod non attingitur à potentia vt includens illam rationem:ſicut etiam aliqua obiecta intellectus ſecundaria,etiam realia,non includũt formaliter rationem entis,vt ſunt differentiæ vltimæ, ac proprietates Metaphyſicæ,ita intellectus nõ debet intelligere illa vt participant illam rationem, & certe quãdo intelligit negationẽ entis realis vt opponitur omni enti reali, vt illa negatio non participat nec formaliter nec realiter rationem entis realis poſitiui,quod eſt obiectum adæquatum eius, ita non debet intellectus conſiderare ipſam vt participat illam rationem; vnde quẽadmodum ſcientiæ verſantur circa aliqua,quæ non participant nec includunt rationem obiecti primarij:ita intellectus conſiderare poteſt aliqua,quæ non participant rationem obiecti primarij eius, & ſine eo quod conſideret illa vt ſimilia obiecto primario.

Nec refert quod potentia viſiua non feratur in aliquod obiectum quod nõ participat rationem ſubiecti primarij ipſius,nec auditus,etiam aut vlla alia potentia ſenſitiua; nam nõ eſt eadem ratio de ipſis ac de intellectu nam illa non poſſunt tendere in aliqua obiecta niſi in ſpecies vel indiuidua de quibus prædicatur formaliter obiectũ primarium ſeu adæquatum ipſarum; vt conſtat à poſteriori; intellectus vero fertur in aliqua obiecta quæ non ſunt ſpecies nec indiuidua obiecti adæquati ipſius,nempe entis realis, aut quocunque aliud aſſignabitur pro obiecto adæquato eius.

## QVÆSTIO II.

*An dentur entia rationis.*

9. NEgatiuam partem huius quæſtionis tenet abſolute *Valleſius qu.* 10. Philoſophiæ, & *Bernardinus Mirandulanus* in oppoſitione prædicamentorum; quam etiam ſententiam probabiliter ſuſtentat noſter *Mayronius q.7. quodl.*

Oppoſitum tenent Doctores communiter cum *D.noſtro* 1.*d.* 39. 4. *d.*1. *q.* 2. & alibi ſæpe ac *D. Thoma* 1. *par. q.*28.

Aduertendum autem pro reſolutione,non controuerti an dentur entia rationis à parte rei;aut an poſſint ſic dari,omnes enim id debent negare quia alias non eſſent entia rationis, vt hic accipimus entia rationis:ſed ſenſus proprius controuerſiæ eſt,an dentur vlla huiuſmodi entia,quæ ſaltem ab intellectu concipi poſſunt.

## CONCLVSIO.

Dantur entia rationis.

10. *Dantur huiuſmodi entia rationis ab intellectu concepti bilia.* Probatur experientia qua conſtat nos ſæpe intelligere impoſſibilia, vt aliquod vnum per ſe ex homine & equo; Angelos per modum rerum corporearum, negationes & priuationes per modum formarum poſitiuarum: ſed huiuſmodi non ſunt entia realia, cum repugnet ipſis eſſe à parte rei,aut efficere aliquid, aut inexiſtere alicui potenti quidpiam efficere niſi per conſiderationem intellectus.

*Dices* cum *Mayrone* ſupra, quando aliquis intelligit chymeram v. g. aliquod totum conflatum ex homine & aſino,nihil aliud intelligit præter hominem,aſinum, & vnionem realem. Similiter quando intelligit Angelum per modum corporei, intelligit Angelum & corporeum & identitatem realem,quam percipit inter Angelum,& corpus. Denique quando intelligit negationes & priuationes per modum formarum poſitiuarum,intelligit negationes & formas poſitiuas & identitatem negationum ad illas formas: ſed hæc omnia ſunt entia realia: ergo non dantur entia rationis.

*Contra*,quia quando intelliguntur impoſſibilia, intelligitur aliquid ſub aliqua ratione impoſſibili,ergo intelligitur aliquid,vel quod ſecundum ſe directe non eſt reale,nec poſſibile;vel ſub ratione aliqua,quæ ipſi repugnat à parte rei,licet non repugnet ipſi ſic concipi.

Alij probant hanc concluſionem,quia quoties intellectus intelligit aliquod obiectum, aut prædicat vnum de alio, reſultat in re intellecta ac prædicata aliquis reſpectus,ſed ille reſpectus non eſt realis,ergo eſt rationis,& cõſequẽter dãtur entia rationis. Sed hæc probatio depẽdet ab incertiſſimis principiis,aut enim maior eſt falſa, aut minor, vt quæſtione ſequenti oſtendetur.

11. *Obiicies* contra concluſionem:nihil eſt intelligibile quòd non ſit ens reale, ergo nõ datur aliquod ens rationis intelligibile,probatur antecedens,quia omne intelligibile neceſſariò eſt, antequam intelligatur, ſed omne quod eſt antequam intelligatur,eſt ens reale;ergo omne intelligibile eſt ens reale.

*Confirmatur* primò authoritate *Philoſophi* 1. *Poſter.* 2. aſſerentis impoſſibile eſſe vt id quod non eſt,ſciatur,ergo ſi ens rationis non ſit, non poteſt ſciri; ſed abſolute & ſimpliciter verum eſt de ipſo dicere quòd non ſit, nam eſſe abſolute & ſimpliciter ſolum competere poteſt enti reali,ergo non poteſt cognoſci.

*Confirmatur ſecundò*,quia intelligibilitas eſt proprietas entis realis, ergo nequit competere enti rationis,& conſequenter ens rationis non datur.

Reſponſio Complutenſium.

*Reſpondetur* ad obiectionem negando antecedens. Ad cuius probationem iuxta *Complutenſes q.*1. de ente rationis,quos videtur ſequi *Maſtrius hic q.*1.negãda eſſet maior,quia putant ens rationis non prius eſſe cognoſcibile quam cognoſcatur actu, quia ſecundum ipſos actu cognoſci eſt de eſſentia entis rationis:quando autem actus eſt de eſſentia entis, potentia ad illum actum non antecedit actum,vt patet,inquiunt, in Deo, in quo quia actu exiſtere aut intelligere eſt de eſſentia eius,non antecedit iſtos actus poſſibilitas exiſtendi aut poteſtas intelligẽdi.

Reiicitur.

12. Verum prꝛterquam quod hi authores videantur ſibi contradicere,nam in eodem ipſo loco fatẽtur ens rationis eſſe cognoſcibile antequam cognoſcatur;quæ autem poteſt eſſe maior cõtradictio quam quod ens rationis ſit cognoſcibile antequam cognoſcatur,& non ſit priùs cognoſcibile quã cognoſcatur;niſi forte ſit aliqua differentia ponenda inter *antequam* & *priuſquam*. Sed præter,inquam.hoc, omnino falſum videtur quod ens rationis nõ ſit prius cognoſcibile quam cognoſcatur:nam quemadmodum ex eo quod verum ſit dicere hodie quod Antichriſtus ſit producibilis,& non ſit verum dicere quod ſit productus, optime colligitur quod ſit prius producibilis quam producatur:ita ſimiliter optime colligi poteſt chymæram eſſe prius intelligibilem quam intelligatur,ex eo quod verum ſit dicere illam eſſe intelligibilem iam, licet non intelligeretur actu iam.

Ens rationis prius eſt cognoſcibile quam eo. gnoſcitur.

Actu cognoſci non eſt de eſſentia entis rationis.

Rurſus non minus falſũ eſt actu cognoſci eſſe de eſſentia entis rationis:nam actu cognoſci dicit formaliter ipſam cognitionem,per quam cognoſcitur ens rationis,ergo non poteſt eſſe de eſſentia alicuius, de cuius eſſentia non ſit illa actualis cognitio: ſed euidens videtur actualẽ cognitionem,qua cognoſcitur chymꝛra v.g. compoſitum ex homine & equo,non eſſe de eſſentia illius chymꝛræ: tum quia alias cognitio terminaretur ad ſe ipſam & cognoſceret ſeipſam:cognoſcit enim chymæram & partes eſſentiales eius,quod eſt abſurdum;tum quia experientia conſtat nos dum cognoſcimus entia rationis non cognoſcere ipſammet cognitionem, nec habere ipſam obiectiuè nobis propoſitam;quod tamen eſſet falſum, ſi cognitio illa eſſet de eſſentia entis rationis.

13. Illud autem exemplum de Deo,quo vtuntur Complutentes, ipſiſmet officit,nam ſi verum eſſet dicere de Deo pro hoc inſtanti quod eſſet potens exiſtere & intelligere, non eſſet verum dicere pro hoc eodem inſtanti quod exiſteret & intelligeret, profectò poſſibilitas exiſtendi & potẽtia intelligendi antecederent in Deo actus illos exiſtendi & intelligendi;vnde ſi iſta poſſibilitas aut poteſtas de facto non antecedunt iſtos actus,ideo ſaltem partialiter id verum eſt, quia pro nullo inſtanti verum eſt, quod poſſit exiſtere aut intelligere Deus,pro quo nõ ſit verum quod de facto exiſtat & intelligat;ergo quandoquidem verum ſit dicere pro hoc inſtanti quod ens rationis ſit intelligibile,licet pro hoc inſtanti non intelligeretur,ſequitur potius ex illo exemplo, quod ſit prius intelligibile quam actu intelligatur. Adde ad hæc falſum ſupponi à Complutenſibus dum dicunt potentiam intelligendi diuinam non eſſe priorem intellectione diuina,quod tamen ad hunc locum non ſpectat.

Iuxta quẽdam Scotiſtam recentiorem,etiam eadem maior

ior esset neganda cum Cõplutensibus, sed ex aliis principiis, quia inquit, nõ est necessarium ad hoc vt aliquid sit cognoscibile per alienas species (præsertim cum rationis intelligi debet) quod ante actualẽ cognitionem habeat esse proprium & formale, sed sufficit quod illud habeat esse proprium & formale, per cuius speciem cognosci debet. Verum quamuis non esset necessarium vt ens rationis, quod per alienas species debet intelligi, habeat esse prius antequã intelligatur in ordine ad producẽdam speciem sui, tamen id est necessarium ex alio capite, quia scilicet non semper debet intelligi, & sẽper potest intelligi.

Alia responsio.

Reiicitur.

Intelligibile per alienas species prius est intelligibile quã intelligitur.

*Mastrius* negat ens rationis secũdum esse proprium & formale esse prius intelligibile quam intelligatur, licet secundũ esse fundamentale suũ sit prius intelligibile. Sed contra, quia de illo ipso ente rationis formaliter loquendo, quod intelligitur in hoc instanti, verum erat dicere in instanti antecedenti quod erat intelligibile; & nõ solum id verum est de fundamento eius vt est manifestum: ergo quoad esse etiam formale prius est intelligibile quam intelligatur.

Responsio Mastrij.

Reiicitur.

14. *Melius itaque respondetur* ad maiorem prædictam, nimirum omne intelligibile prius est antequam intelligatur, eam distinguẽdo: prius est quoad esse intelligibile & possibile, seu quoad esse essentiæ: cõcedo: prius est quoad esse existentiæ, negatur, quia de facto ipsamet entia realia sæpe prius intelliguntur quam existant realiter: cur ergo esset necesse quod prius esset ens rationis quoad esse existentiæ, quam, intelligeretur.

Responsio melior.

*Ad primam confirmationem* ex Philosopho, respondeo locum illum non esse vllo modo ad propositum, quia loquitur de propositione obiectiua falsa, quam dicit non posse scientifice cognosci vt veram, vnde sensus genuinus est: illud quod non est verum, v. g. Deum non esse bonum, non potest scientifice cognosci.

Quo sẽsu quod non est, nequit intelligi.

*Ad secundam confirmationẽ* de intelligibilitate, Respondetur breuiter negando antecedẽs, cuius ratio desumẽda est à posteriori ex experiẽtia qua constat plura intelligi, quæ non sunt entia realia, & à priori, quia nulla est ratio vnde sola entia realia haberent intelligibilitatẽ terminatiuã, de qua loquimur, hoc est potentiam ad terminandam cognitionem, licet sola entia realia habeãt intelligibilitatem motiuam, hoc est virtutem effectiuam seu productiuam cognitionis per modum obiecti motiui.

Intelligibilitas non est proprietas entis realis sõlumodo.

15. *Obiicies secundò*: Si darentur entia rationis, deberent produci per aliquam causam realem, sed nequeunt sic produci, quia quidquid produci potest per causam realem debet esse reale.

Causa realis potest aliquid producere intentionaliter quod nõ est reale.

*Respondetur* negando minorem, & distinguendo eius probationẽ: quidquid producitur per causam realẽ quoad aliud esse quam intentionale, cõceditur; quoad esse intẽtionale, negatur. Itaque sicut potest intellectus cũ determinatis speciebus producere Antichristũ quoad esse intẽtionale, intelligẽdo ipsum pro hoc instanti, licet Antichristus non habeat esse reale actuale, quia actualiter nõ existit extra intellectũ, ita potest intellectus mediãtibus determinatis speciebus dare esse intentionale entibus rationis intelligendo ipsa, quamuis non habeant aliud esse existentiæ nec actuale, nec possibile.

16. *Obiicies tertiò*. Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, hoc est quod non prius fuit perceptum à sensu aliquo materiali corporeo, vel interno vel externo, vt communiter à Philosophis tenetur, & patet ob dependẽtiam intellectus in intelligendo à phantasmatibus, de quo suo loco; sed ens rationis non potuit esse in sensu vllo materiali, ergo non potest percipi ab intellectu.

Quomodo quidquid est in intellectu debet esse in sensu. Quid est esse in sẽsu formaliter, & occasionaliter.

*Respondetur* distinguendo maiorem, quod non fuit, in sensu vel formaliter, vel occasionaliter, concedo maiorẽ; quod non fuit formaliter nego maiorem & similiter distinguenda est minor; non poterit esse in sensu secũdum se formaliter, transeat minor, occasionaliter, nego minorem, & consequentiam.

Esse autem in sensu aliquo formaliter & secundũ se, est illam ipsam rem secundum se percipi à sensu; esse autem occasionaliter in sensu est aliquid aliud percipi à sẽsu, ex cuius occasione intellectus deuenit in cognitionẽ istius rei, quæ dicitur esse in sensu occasionaliter. Et sane non alio modo substantiæ tã materiales quam immateriales, & accidentia spiritualia, ac relationes sunt in sensu quã occasionaliter, licet nemo dubitet quin intelligantur ab intellectu; vnde non debet videri mirum quod entia rationis intelligantur ab intellectu, quamuis non sint in sensu alio modo, quam occasionaliter, hoc est quatenus aliqua alia percipiuntur à sensibus, ex quibus mediante negotiatione intellectus formantur species repræsentatiuæ entium rationis.

17. *Obiicies vltimò*: Si darentur entia rationis possent dari prædicata superiora sine inferioribus, sed hoc videtur absurdũ, ergo & antecedẽs, vnde sequitur. Probatur maior, quia quando aliquis cognosceret rationem entis rationis absque speciebus eius, daretur ista ratio generica, & non darentur species, probatur etiam minor, quia prædicata superiora identificãtur realiter inferioribus, & sunt partes metaphysicæ totius entitatis cõflatæ ex prædicatis superioribus & differentiis contrahentibus: illa autem est differentia inter partes metaphysicas & physicas, quod hæ possint separari ab inuicem, & vna existere sine altera, illæ verò non possint, vt patet in animalitate & rationalitate, quæ sunt partes metaphysicæ hominis, & nequeunt separari quoad existentiam; & in anima ac corpore, quæ sunt partes physicæ hominis, & in morte separantur ab inuicem quoad existentiam.

Prædicata superiora ab inferioribus possunt separari quoad existentiã intẽtionalẽ.

*Respondetur* distinguendo maiorem: quoad esse intentionale, concedo, nec hoc est absurdum, cum certum sit quod prædicata metaphysica superiora & inferiora entium realium possint separari quoad esse intentionale, quandoquidem experientia constet intelligi sæpè animal non intellecto homine nec rationalitate: quoad aliud esse nego maiorem, illud enim esset absurdum, vt bene probatum est in obiectione.

### Additio.

*In hac quæstione n.* 13. impugnaui Mastrium, quatenus docuit quod ens rationis secundum esse fundamentale sit prius intelligibile quam intelligatur, non vero secundum esse formale, quia de eo secundum illud ipsum esse formale ipsius, quod intelligitur cognitione directa (de qua est difficultas non de cognitione reflexa, quæ non facit ad rẽ) verum erat dicere antequam intelligebatur, quod poterat intelligi: ergo prius erat intelligibile per cognitionem directam quam per talem cognoscitur.

*Respondet* autem Mastrius Disp. 2. Met. n. 234. negando sequelam quia ad veritatem antecedentis sufficit quod in re fundamentum præcedat, & potentia in intellectu ad ipsum fingendum, vnde secundum ipsum intelligibilitas entium rationis, anrequam intelligantur, non est aliquid intrinsecum vt in entibus realibus, sed pura denominatio extrinseca desũpta à potẽtia rationis fabricatrice ipsius, vnde infert paritatem quam ego adduxi de Antichristo producibili, antequã producatur non esse ex omni parte adaptatã quia ipsius producibilitas fũdatur in esse reali potẽtiali, quod habet antecedẽter ad actualem existentiam, & ideo per intrinsecam denominationẽ potest dici producibilis antequam producatur, non est autem ita de ente rationis propter rationẽ præmissam.

*Contra* quia in hoc discursu manifeste petitur principiũ, & sane si intelligibilitas entis rationis est denominatio extrinseca desũpta à potẽtia, quæ potest dare ipsi esse rationis, possibilitas realis Antichristi erit denominatio extrinseca desũpta à potẽtia potente realiter producere ipsum, & si producibilitas huius fundetur in esse reali potentiali quod habet, antequam producatur & propterea sit denominatio intrinseca, possibilitas & intelligibilitas entis rationis fũdabitur in esse rationali vt ita loquar potentiali ipsius & consequenter erit æque bene denominatio intrinseca à summa paritate rationis.

*Addit Mastrius* Quiedam meam hanc doctrinam seu modum dicendi, vt prorsus inanem, & solum in verbis consistentem refutare. Nõ habeo quidem hunc Authorem ad manũ, vt videam an tam immodesta vtatur censura. Sed neque quid ille censet curo. Dum conuenit cũ Mastrio, facile erat vt impingeret, & quam deficeret à

veritate,tam erraret in censura, sed videamus quomodo refutat meam scientiam.

Cum,inquit ex ipso Mastrius,dicimus essentiam entis rationis non dicere actu cognosci, sed posse, hoc potest intelligi in duplici sensu, primo quidem in eo,quo dicere solemus quod essentia hominis non consistit in ipso actu ratiocinandi, sed in hoc quod est posse ratiocinari, & hic sensus est falsus,quia ens rationis nullum habet esse præter hoc quod est actu cognosci, alioquin esset ens reale;secundo sic vt per hoc intelligatur quod ens rationis nõ dicat essentialiter actu cognosci,seu ipsam terminationem passiuam,sed tantum vt possibilem, & hoc etiam non bene dicitur,quia vnio quãuis actualiter dicat nexum extremorũ (prætereo alia exempla quæ eandem vim habent) adhuc considerari potest vt possibilis, nec tamen vllus dicit essentiam ipsius consistere in hoc quod possit vnire,sed in actu vniendi,qui intelligitur actu existere,quando vnio existit:ergo similiter dicendum de ente rationis quod essentialiter consistat in actu cognosci. Hic est discursus Ouiedæ contra meam sententiam teste Mastrio.

Sed cuiuscunque sit nihil facit contra me:nam vt omittam me non dicere quod essentia entis rationis consistat in posse cognosci:sicut enim possibilitas entis realis non est essentia eius,sed proprietas fundata in ipsius natura, ita cognoscibilitas entis rationis non est de essentia ipsius sed eius proprietas. Sed vt hoc omittam,dico primo primum modum quo intelligi possit, quod asserimus de ente rationis,non esse falsum,& in huius probatione adducta ab Ouieda committi manifeste principium, nec habet apparentiam quod ens rationis capiat suum primũ esse essentiæ à cognitione qua cognoscitur, quãuis ab ea accipiat primum suum esse existẽtiæ,nec sequitur ex hoc cum vlla probabilitate quod sit ens reale. Ad secundum modum dio quod si quis eo vteretur non sufficiẽter impugnetur ab Ouieda:falsum est enim quod essẽtia vnionis consistat in eo quod est actu vnire; sed in eo quod est esse actualem vnionem, hoc est talem entitatem aut modum,cuius natura est cum existit, actu vnire,& certũ est ex hoc non sequi quin prius sit possibilis quam actu sit aut vniat:vnde si habeat proportionem cum ente rationis quãtum ad hoc, quamuis ens rationis sit talis naturæ vt non possit existere quin actu cognoscatur, inde non sequitur quin prius sit possibilis quam actu cognoscatur, nec quod essentia ipsius consistat in actu cognosci.Omitto male Mastrium impugnare eo loci Ouiedam qua parte displicet ipsi eius discursus.

*Vlterius Num.* 238. Impugnat aliam rationem meam qua probo actu cognosci non esse de essentia entis rationis, quia scilicet sequeretur quod ipsa cognitio esset de essentia entis rationis.Impugnat, inquam, hoc negando sequelam, primo quia quamuis denominatio cogniti realiter & subiectiue dicat cognitionem realem,vnde resultat,tamen si præcisè &formaliter consideretur in esse denominationis extrinsecæ,non est cognito,sed quid ex ea resultans, vnde esse cognitum hoc modo consideratum, non dicit ipsam cognitionem realem sed terminationem passiuam ipsius, secundo quia propriè loquendo formalitas entis rationis in tali denominatione cogniti non consistit, quia talis denominatio in eo instanti quo fit ens rationis non est obiectiue in intellectu, quasi per talem actum attingatur,sed consistit in eo quod ex parte obiecti fingitur & per denominationem talem afficitur, quare cum dicitur quod essentia entis rationis consistat in actu cognosci, sensus est quod essentia non nisi per actualem cognitionem habetur.

*Sed contra primam rationem* ob quam negat sequelam, quia ex terminis patet siue cõsideretur esse cognitũ realiter & subiectiue,siue formaliter & per modũ denominationis extrinsecæ,siue vt res illa quæ est cognita, terminat cognitionẽ,siue vt recipit & afficitur aliquo resultante ex cognitione, patet inquam ex terminis nõ posse quẽpiam intelligere vel concipere esse cognitum quouis modo quin concipiatur cognitio, vnde si essentia ipsius consisteret in esse cognito, per cognitionẽ qua cognosci. tur essentia eius,ipsamet deberet cognosci.Omitto quod male dicatur esse cognitum formaliter,nõ dicere cognitionem, sed aliquid ex illa resultans, quia gratis fingitur aliquid tale resultare, & quia etiam si resultaret & ab eo haberetur denominatio formalis cogniti, illa esset intrinseca & non extrinseca contra Mastrium.

Ad secundã rationem dico in ea expresse concedi meũ intentum quod erat probare esse cognitum non esse essentiam,nec de essentia ipsius.Deinde quod dicit esse cognitum esse de essentia rationis, quatenus essentia ipsius non possit cognosci nec haberi nisi per actualem cognitionem,& male dicitur & non est ad rem:male quidẽ dicitur quia est impropriissima locutio;excogitata ad euadẽdam difficultatem,quẽadmodum enim calefactio pessime diceretur esse de essentia calidi,licet non possit fieri calidum absque calefactione:ita quamuis non posset essentia entis rationis haberi,hoc est produci, nisi per cognitionẽ, non inde sequitur quod in vllo sensu proprio aut vsitato dici possit cognitio esse de essentia eius; non etiam ad propositum,quia in illo sensu, nec à me, nec ab vllo negabatur esse cognitum esse de essentia ipsius.

*Postremo Num.* 239. Impugnat responsionem quam adhibeo *Nu.* 14.quia sic respondendo cõuenio cum iis, qui dicunt entia rationis non pendere ab intellectu quoad esse essentiæ,quod falsum putat,quia nec ipsa entia realia habent ese essentiæ antequam existant, quasi condistinctum ab esse existentiæ; & quia si entia rationis habent huiusmodi esse essentiæ præcedens actualem existẽtiam, poterit intelligi secundum illud esse,quod putat me cõcedere dum eodem *Num.* 14. aio quod sicut entia realia prius sæpe intelliguntur quam existant, non sit opus vt entia rationis prius existant quam cognoscantur;& denique quia esse possibile entis rationis non dicit aliquid intrinsecum sicut dicunt entia realia.

Ad hæc Respõdeo me conuenire cum illis Authoribus in eo quod dicit Mastrius, sed nego meam aut ipsorum doctrinam esse falsam. Ad primam autem rationem eius dico me iam non curare quomodo esse essentiæ entium realium distinguatur ab existentia eorum,quia quidquid de hoc dicetur, extra controuersiam est, quod homo sit possibilis antequam producatur, & sicut hoc est verum de illo,ita sane verũ erit quod Chymera hæc vel illa fuit intelligibilis antequã intelligebatur actu,quomodocunque distinguereture esse essentię ipsius ab esse existẽtiæ. Ad secundam rationẽ nego sequelam, nimirum quod si ens rationis habeat esse essentiæ antequã existat,possit intelligi secundum illud esse antequam,existeret,quia eo ipso quo intelligeretur secundum illud esse,existet, cum habeat existere per hoc quod cognoscatur,neque ego debui videri concedere illam sequelam nisi non intelligẽtibus quod satis clare tamen dixeram:Dixi enim solum quod nõ erat necesse vt prius existerent entia rationis quã intelligerentur, hinc autem non sequitur quod prius intelligi possent quam existerent, & quamuis prius intelligi possint entia realia quam existũt,non est eadem ratio de ipsis ac de entibus rationis, quia vt dixi hæc non requirunt,vt existant,aliud,quam quod cognoscantur,illa vero sic. Nec ego adduxi exemplum de entibus realibus ad probandum quod entia rationis possent cognosci antequam existerent quemadmodum realia;sed ad ostendendum quod quẽadmodum realia poterant cognosci antequam existerent,nec existentia ipsorum debeat præcedere cognitionem ipsorum:ita entia rationis non deberent prius existere quam intelligerentur,quamuis tamen nec possent etiam intelligi antequam existerent.

Ad tertiam rationem Respondeo in ea assumi doctrinam falsam sæpius negatam & nunquam probatam, nisi idem admittendo de entibus realibus, quod Mastrius vult esse verum de entibus rationis solummodo.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum negationes & priuationes sint entia rationis.*

*Negationes & priuationes* in hoc conueniunt, quod per vtramque excludatur forma vel entitas, cuius dicuntur negationes & priuationes;distinguũtur vero per hoc,

hoc,quod priuatio supponat seu exigat in suo subiecto aptitudinem seu inclinationem ad formam quam excludit,negatio vero non exigat : vnde carentia frigoris in aqua est priuatio,quia aqua inclinatur ad frigus,& ex se illud exigit:& idem est de carentia formarum substantialium in materia prima; carentia vero irrationalitatis in homine & caloris in aqua,non est priuatio,sed negatio, quia nec homo inclinatur ad irrationalitatem , nec aqua ad calorem.

Diuisio carentiæ vt sic & specierũ eius.

Quoniam autem sunt aliquæ carentiæ formarum in subiecto,quæ præsupponunt in ipso non solũ defectum inclinationis ad illas formas,sed etiam impotentiam, vt est carentia rationalitatis & lapideitatis in bruto; quædam aliæ,quæ non præsupponunt impotentiã, sed tantum defectum inclinationis,vt est carentia albedinis in pariete,& secundum Scotistas carentia motus localis in cælo;quædam denique quæ non solum præsupponunt defectum inclinationis ad formas , quibus carent , sed etiam inclinationem ad formam oppositã; vt est carentia caloris in aqua;hinc carentia vt sic,potest diuidi primo in priuationẽ & negationem,& negatio postea subdiuidi in negationem inseparabilem , quæ est illa quæ præsupponit impotentiam ad formam, & separabilem, quæ non præsupponit talem impotentiã : & rursus negatio separabilis potest diuidi in negationẽ cum inclinatione ad formam oppositam,qualis est negatio caloris in aqua, & negationẽ sine inclinatione ad formam oppositã , qualis est negatio nigredinis in pariete albo. Sintne autẽ hæ diuisiones per mẽbra specie seu accidẽtaliter distincta ad propositũ parũ,aut nihil facit,& vtraque pars probabiliter substineri posset : quidquid verò quis tenere voluerit de prima diuisione carentiæ vt sic, in negationẽ & priuationẽ,idẽ vt de cæteris teneat,cõsequens est,quia quantũ ad hoc est eadẽ ratio de omnibus.

Non loquimur autẽ in præsenti de negationibus aut priuationibus subiectatis in entibus rationis;nec de iis, quas intellectus posset concipere in entibus realibus,in quibus à parte rei non possent reperiri; vt si conciperet negationem spiritualitatis in Deo, aut corporeitatis in homine,quia certum est huiusmodi esse entia rationis; sed de negationibus & priuationibus verè & à parte rei subiectatis in entibus realibus , vt est negatio brutalitatis in homine , caloris in aqua , lucis in aëre tenebroso , &c.

## CONCLVSIO.

Negationes & priuationes nõ sunt entia rationis.

19. *Negationes & priuationes non sunt entia rationis.* Hæc est communior Scotistarum contra aliquos Thomistas,quos sequitur *Suar. disp.54. Met. sect. 3.* Probatur manifeste ex dictis,quia insunt rebus realibus independenter à consideratione,verum est enim dicere quod cæcus nullo intellectu considerante habet priuationem visus, & brutum negationem rationalitatis , ergo non sunt entia rationis.

Respondet *Suares* illas non esse entia rationis,vt sunt à parte rei independenter ab intellectu considerante, sed solum vt habent esse ab intellectu.

Negationes non fiunt entia rationis ex eo quod considerentur per modum entium positiuorũ.

*Contra* quia non habent vllum esse ab intellectu, nisi quatenus concipiuntur ab eo vt sunt in se, vel quatenus concipiuntur ab eo per modum entis positiui ipsis à parte rei repugnãtis:sed neutro ex his modis sunt, aut fiunt entia rationis, quia non est maior ratio quod negatio aut priuatio existens à parte rei fieret aut esset ens rationis per hoc quod conciperentur secundum se , vel modo ipsis repugnãte , quam quod Angelus v. g. fieret ens rationis per hoc quod cõciperetur secundum se,vel per modum iuuenis ipsi repugnantem ; sed Angelus ex eo quod vllo ex illis modis concipiatur, non fit ens rationis, ergo nec negationes nec priuationes.

*Confirmatur* quia per hoc quod negationes aut priuationes sic concipiantur,non desinunt à parte rei existere,ergo non desinunt esse entia realia.

20. Quod si aduersarij velint negationes secundum se quidem non esse entia rationis , sed solum reduplicatiue, vt afficiuntur modo entis positiui ipsis repugnantes; fatemur quidem hoc esse verum,sed non est ad propositum, quia quæstio non est vtrum negationes cum illo modo sint entia rationis , sed vtrum simpliciter dicendum sit quod sint entia rationis.

Et certe si quæreretur vtrum homo esset ens rationis,pessimè responderetur affirmatiue , quamuis homo possit concipi modo ipsi repugnante,& vt sic cõceptus reduplicatiue,sit ens rationis:ergo dum quæritur vtrum negationes & priuationes sint entia rationis,male tenetur pars affirmatiua,quamuis possint concipi modo ipsis repugnante.& vt sic conceptæ sunt entia rationis.

*Quod si dicatur* disparitatem esse , quia negationes & priuationes non possunt cõcipi nisi modo ipsis repugnante,hoc est per modũ entis positiui,hoc omnino falsum est,non enim nisi à rudioribus sic necessariò concipiuntur;& si id etiã esset verũ,non iuuaret aduersarios, quoniam tam necessario Angelus pro hoc statu debet concipi per modũ corporei; quam negatio per modum positiui , & tamen si quæreretur , Vtrum Angelus esset ens rationis,nemo propterea teneret, partẽ affirmatiuã.

21. *Confirmatur secundo* ; quia priuatio à parte rei est principium corporis naturalis in fieri,nec hoc habet ab intellectu,quia id haberet quamuis intellectus esset impossibilis; Deinde intellectus cognoscit extrema primi principij:*quodlibet est, vel non est*,etiam vt sunt inter se opposita,ergo non concipit vnum per modum alterius.

*Obiicies*:intelligibilitas est propria passio entis positiui:sed negationes ac priuationes sunt intelligibiles, ergo sunt entia positiua ; sed non sunt entia positiua realia,ergo rationis.

Non sola positiua intelligibilia sunt. Intelligibilitas motiua non est proprietas entis positiui vt sic.

*Respondeo* negando maiorem,præsertim loquendo de intelligibilitate terminatiua,imo si loquamur etiam de motiua intelligibilitate , hoc est de ea quam habet res, quæ mouet ad sui cognitionem concurrendo efficienter cum intellectu ad illam, falsa est maior , quia quamuis nihil possit habere talem intelligibilitatem , quod non sit positiuum,non tamen omne positiuum, etiam reale, talem habet ; vt patet de relationibus ; quæ secundum omnes nequeunt mouere ad sui cognitionem;quod sufficit ad hoc vt intelligibilitas motiua non sit proprietas entis positiui vt sic,nam si esset huius proprietas;deberet competere omni enti positiuo, vt est euidens.

Quod si Scotus aut vllus alius Doctor , cuius authoritatem negare non placeat, negationes aut priuationes vocet entia,debet explicari sic, vt velit quod sint entia non rigore , prout ens comprehendit sola positiua , sed magis late pro vt cõprehendit quæcumque intelligibilia siue positiua, siue negatiua ; si etiam vocet eas quandoque entia rationis , debet intelligi sic , vt velit quod sint entia rationis,non formaliter,sed fundamentaliter, quatenus scilicet præbent intellectui fundamentum excogitandi entia rationis, modo inferiùs explicando.

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrum dentur denominationes extrinsecæ , & an sint entia rationis.*

22. VT hæc res melius intelligatur,aduertendũ est duplicem considerari solere ab authoribus denominationẽ,vnam intrinsecam,alteram extrinsecã.Denominatio intrinseca est, quæ prouenit à forma , quæ intrinsecè reperitur in re denominata,seu in re,quæ denominatur à tali forma:v.g.paries denominatur albus , & illa denominatio competit ipsi ratione albedinis , quæ albedo est forma intrinsecè reperta in ipsomet pariete, & propterea est intrinseca denominatio. Denominatio extrinseca est denominatio prouenies à forma extrinseca,quæ scilicet nõ reperitur in ipsamet re denominata,sed in alia re ab ipsa distincta,v.g. paries denominatur visus & cognitus,& amatus, quæ denominationes competunt ipsi ratione cognitionis,visionis,& amoris, quæ reperiuntur non in ipsomet pariete, sed in potentia visiua,intellectiua, & volitiua:vnde sunt denominationes extrinsecæ.

Quid denominatio intrinseca.

Quid extrinseca.

23. *Itaque denominatio* vocaliter accepta nihil aliud est quam nomẽ aliquod attributum alicui propter formã ab eo significatam respicientẽ illud, quod sic denominatur,quæ forma,si sit intrinseca rei denominatæ,vt albedo

Quid denominatio vocaliter accepta.

bedo est intrinseca parieti,& visio potentiæ visiuæ, denominatio erit intrinseca:vnde quando dicitur aliquod nomen concretum,seu denominatiuũ de aliqua re,si aliquis velit scire an denominatio illa sit intrinseca aut extrinseca,debet videre an forma significata per illud nomen, & ratione cuius dicitur de re illa, sit intrinseca vel extrinseca rei, de qua dicitur illud nomen in concreto; & si reperiatur esse ipsi extinseca, dici debet denominatio esse extrinseca;si vero reperiatur esse intrinseca ipsi,dici debet denominatio esse intrinseca.

Quid denominatio realiter accepta.

*Denominatio vero* realiter accepta non est aliud,quam vel forma aliqua aliquo peculiari modo respiciens subiectum,vel subiectum aliquo peculiari modo respectum à forma(perinde est quid dicatur) vnde si forma ita respiciat subiectum vt sit intrinseca, seu intime coniuncta ipsi à parte rei,denominatio erit intrinseca; si vero forma respiciat ita subiectum,vt non sit ipsi intrinsece cõiuncta quoad entitatem suam,licet terminetur ad ipsum, denominatio erit extrinseca. Vno verbo quotiescumque aliquod nomen dicitur de aliquo ad significandum quod aliqua forma sit ipsi intrinseca, tum illud denominatur intrinsece;& hinc quia dicitur paries albus ad significandum quod albedo sit inhærens ipsi,paries denominatur albus denominatione intrinseca:quãdo verò dicitur aliquod nomen de aliquo ad significandũ quod aliqua forma sit in alio, terminata tamen ad ipsum, denominatio ipsius est extrinseca, & hinc quando dicitur quod paries sit visus,quia per hoc significatur visionem esse in oculo terminatam ad parietem, tanquam ad obiectum per illam visum,denominatio illa est extrinseca.

## CONCLVSIO I.

Dantur denominationes extriusecæ.

24. *Dantur de facto denominationes extrinsecæ.* Hæc est communissima in omni schola contra paucos Scotistas, qui,vt facilius defendant in obiectis, quæ dicuntur denominari extrinsece,respectus rationis,à quibus denominentur intrinsece, negant denominationes extrinsecas contra torrentem Doctorum & contra ipsummet Scotum,qui tales concedit in *1.dist.30.q.2.n.12. dist.32. q.2.n.5.* & *in 3. dist. 19. n.3.* vbi asserit Deum denominari producentem à relatione productionis passiuæ, quæ est in creatura,quæ denominatio sine dubio est extrinseca;& opus ab homine factum denominari humanum ab humanitate,quæ est in homine.

*Probatur* quia apud omnes hoc nomen *visus* dicitur de pariete ex eo quod visio reperiatur in oculo:& quãuis resultaret in pariete aliquis respectus ad positionẽ visioni in oculo, de quo postea; tamen clarum est hoc nomen *visus*,non fuisse impositum ad significandum illum respectum siue realis sit,siue rationis,sed potius ad significandum quod aliquis oculus habeat visionẽ parietis,seu terminatã ad parietem,vt vel ex eo constet quod paucissimi admittant illum respectum, & nulli prorsus præter speculatiuos aliquos, cum tamen vix vllus sit, qui non cognoscat, quid sit parietem esse visum, secundum institutionem;quæ de facto est istius vocis.

25.*Confirmatur primo*,quia nemo dubitare potest,quin posset imponi hoc nomen *cognitus* ad significandũ quod paries terminet alicuius cognitionem, seu quod cognitio parietis habeatur ab aliquo: sed si sic imponeretur, paries absque dubio denominaretur cognitus denominatione extrinseca, ergo saltem possibilis est denominatio extrinseca;sed si sit possibilis, non est neganda de facto,sed potius cum cõmuniori sententia admittenda, præsertim cum nulla sit ratio, quæ vrgeat oppositum.

*Confirmatur secundo*, quia certum est visionem quæ est in oculo,terminari ad parietem, & certum est parietem realiter terminare illam visionem:sed visionem sic esse terminatam & parietem eam terminare, est denominatio extrinseca realis:nihil enim intelligitur aliud per denominationem extrinsecam, quam huiusmodi, ergo negari nequit denominatio extrinseca.

*Probatur secundo*; quia suppositum diuinũm denominatur, & est realiter vnitum naturæ humanæ assumptæ denominatione desumpta ab vnione reali inhærẽte naturæ humanæ;& nón ab vnione aliqua reali in se recepta;neque etiam ab vnione rationis, tum quia absurdum est aliquid realiter vniri per vnionem rationis;tum quia non potest assignari quænam causa produceret illam vnionem rationis in Verbo diuino vnito naturæ humanæ,de quo fusius suo loco:ergo datur denominatio extrinseca de facto.

26.*Probatur tertio*,quia quotiescumque aliquid habet denominationem nouam absque vlla forma intrinseca noua,à qua prouenit ista denominatio, debet dici denominari denominatione extrinseca:sed de facto multa habent denominationes nouas absque vlla forma intrinseca noua,à qua prouenire possint istæ denominationes extrinsecæ.Probatur minor, quia paries,qui in hoc instanti non terminat similitudinẽ alterius parietis non existentis, & postea terminat illam similitudinem, existente illo altero pariete, habet de nouo hanc denominationem actualiter terminantis illam similitudinem; quam denominationem ante non habuit:sed non habet vllam formam intrinsecam nouam, à qua prouenial illa denominatio,nam licet habeat de nouo aliam relationẽ similitudinis ad alterum parietem terminatam, tamen non habet ab ipsa terminare similitudinem alterius parietis,præsertim in principiis Scoti, omniumque Scotistarum,vt videbimus suo loco agentes de prædicamento relationis;ergo dantur denominationes nouæ absque forma intrinseca noua, à qua proueniat, & consequenter dantur denominationes extrinsecæ.

*Probatur* denique per dicenda inferius ostendendo non resultare in obiectis visis & cognitis vllam formam intrinsecam,à qua denominentur visa & cognita;nam hoc supposito nemo dubitaret denominationes cogniti & visi esse extrinsecas.

27. *Obiicies* pro aduersariis: denominatio formalis proueniens à forma,non est aliud quam communicatio ipsiusmet formæ, sed nulla forma potest communicare se alicui,nisi illi cui ineat, ergo non potest denominare aliquid nisi illud, cui ineat, & consequenter nequit denominare aliquid extrinsece.

*Respondeo primo*,distinguendo minorem:nulla forma potest communicare se intrinsece, nisi cui ineat, concedo;non potest communicare se extrinsece, nisi cui ineat, nego minorem & consequentiam.

*Respondeo secundo* negando maiorem, nam potest denominare extrinsece sine communicatione sui, per hoc solum quod particulari aliqua ratione respiciat aliquid:

*Respondeo tertio*,distinguendo maiorem:denominatio formalis non est aliud,quam communicatio formę,hoc est respicientia, seu ordo formæ ad rem denominatam, concedo maiorem; non est aliud quam communicatio formæ, hoc est coniunctio ipsius intima cum re denominata,nego maiorem, huiusmodi enim coniunctio requiritur solum ad denominationem intrinsecam.

*Obiicies secundò*: Scotus *in 4.d.13.q.1.* dicit actionẽ esse in passo, quia alias sequeretur quod passum esset agens, nam forma debet denominare illud in quo est. Sed hic discursus non esset bonus,si daretur denominatio extrinseca,quia sicut visio denominat extrinsece obiectum visum,& non denominat sic potentiã,in qua est:ita actio, quamuis esset in passo,posset denominare causam agentem,quamuis non denominaret sic passum: ergo secundum Scotum non datur denominatio extrinseca.

*Respondetur* negando minorem:nam quamuis posset forma aliqua dare aliquam denominationẽ extrinsecam alicui,quã non posset dare suo subiecto,inquo inexisteret;tamẽ adhuc actio deberet denominare passum agens, si esset in passo,quia quandoquidẽ sit forma realiter distincta à passione,pertinet enim ad aliud prædicamentũ, deberet aliquam denominationẽ tribuere passo distinctã à denominatione,quam tribueret illi passo;nam vt bene Scotus impossibile est quod aliqua forma sit in aliquo subiecto, & non tribuat ipsi aliquã denominationẽ:sed nullam aliam denominationẽ posset tribuere,nisi agentis: ergo talem tribueret passo. Itaque non ex eo quod actio deberet tribuere denominationem agentis passo,si esset in passo quomodocunque, negat Scotus actionem esse

esse in passo;sed ex eo quod esset in passo tanquam forma distincta à passione:ex hoc autem non sequitur quin dentur denominationes extrinsecæ à formis,quæ etiam tribuunt denominationes intrinsecas.

CONCLVSIO II.

Denominationes extrinsecæ sunt entia realia.

28. *Denominationes extrinsecæ prouenientes à formis extrinsecis realibus non sunt entia rationis ; sed tam realia quam sunt denominationes intrinsecæ prouenientes à formis realibus intrinsecis.* Hæc etiam est communissima contra paucos,qui eam negare videntur in verbis,sed in re ipsa forte non negatur ab ipsis. Probatur quia nihil aliud sunt istæ denominationes,quam formæ reales terminatæ ad talia vel talia obiecta:sed istæ formæ sic terminatæ sunt à parte rei independenter ab vlla consideratione,per quam ipsæmet considerentur,nam quamuis esse cognitum verbi gratia non sit absque consideratione rei quæ dicitur cognita,tamen est à parte rei independenter ab vlla consideratione terminata ad ipsum esse cognitum formaliter, ergo istæ denominationes sunt entia vere realia, non vero entia rationis.

29. Verum quidem est,si quis consideraret lapidem v. g.esse cognitum per cognitionem aliquam inexistentem in se ipso, quod denominatio cogniti, vt sic concepta, esset ens rationis,quia impossibile est,quod sit cognitus per cognitionem in seipso receptam:sed hinc tamen non sequitur,esse cognitum,seu denominationem extrinsecã vllam esse ens rationis, quia quod sic vel sic cõcipiatur, non variat naturã ipsius,præsertim cum per accidens sit quod sic concipiatur,quandoquidem possit optime cõcipi esse cognitum,non cõsiderando cognitionẽ esse in ipsamet re cognita,sed potius considerando ipsã esse in potentia cognoscente:quod si etiam non posset concipi nisi illo falso & erroneo modo,non propterea sequeretur,quod ipsa secundum se esset ens rationis , vt patet ex se & ex dictis quæstione præcedenti.

Sententia Cameratij.

*Camerarius p.1.q.2.* existimat cõcreta illa quæ oriuntur ex formis extrinsecis,v.g.cognitum,prædicatum,subiectum esse causaliter quidẽ denominationes extrinsecas & reales,sed formaliter tamen putat eas esse denominationes intrinsecas prouenientes à forma rationis. Verũ contra est,quod formaliter loquendo,esse cognitũ nihil aliud dicit quam vel cognitionem esse in aliquo terminatam ad obiectum illud quod dicitur cognitum,vel ipsum obiectum terminare cognitionem alicuius , quod totum est quid reale.

Reiicitur.

30. Sed *obiicies* pro Camerario:omnis denominatio & prædicatio formalis de inesse,qualis est esse cognitum, esse prædicatũ,esse subiectũ,supponit in subiecto,quod denominatur, effectum formalem formæ denominãtis, sed effectus formalis nihil est aliud,quã forma in subiecto,ergo esse cognitum &c.non est denominatio extrinseca sed intrinseca,& consequenter dicit ens rationis.

Non omnis effectus formalis est forma in subiecto.

*Respondeo* negando minorem, effectus enim formalis significatus per nomen concretum potest esse aliquãdo forma in subiecto , & potest esse aliquando forma ad subiectum terminata, & sic est in huiusmodi concretis.

31. *Obiicies secundo* pro eodem:esse cognitum est concretum aliquod, sed omne concretum dicit formam & subiectum habens formam,nõ autem subiectum & formam ad illud terminatam,vt inductione patet;ergo esse cognitum non est denominatio extrinseca.

Omne concretũ non dicit subiectũ habens in se formã.

*Respondeo* negando minorem,pro secunda parte, nec sane vlla de ea re fieri potest inductio ad propositũ,nisi petendo principium,hoc est supponendo illud quod est in controuersia,nempe esse cognitum, non dicere subiectum & formam ad ipsum terminatam.

32. *Obiicies tertio*:scibile & cognoscibile sunt relatiua ex Philosopho 5.met.text.10. eo quod scientia & cognitio referantur ad ipsa,ergo esse cognitum & volitũ sunt etiã relatiua, & consequenter dicũt formaliter relationem,quæ est intrinseca subiecto , quod dicitur cognitũ & volitum:probatur cõsequentia quia est eadem ratio.

*Respondeo* negando consequentiam cum probatione, quia scibile habet sibi identificatã aptitudinẽ ad terminandam cognitionẽ,quæ aptitudo est relatio,& sine illa aptitudine non posset terminare illam ; sed res cognita non debet habere aliquid præter suam entitatem & cognitionem ad se terminatam, vnde non debet dicere relationem sibi intrinsecam.

33. *Obiicies quartò*:quando quis concipit esse cognitum vel concipit illud esse in aliquo,vel in nullo,alicubi vel nullibi:non in nullo aut nullibi vt patet;ergo in aliquo & alicubi,& consequenter in re cognita.

*Confirmatur*,quia esse cognitum concipitur ad modum accidentis coniuncti suo subiecto , ergo concipitur necessario,vt habens esse in subiecto.

*Respondeo*:quando quis concipit aliquam rem esse cognitam ab alio,eum cõcipere rẽ illam quæ cognoscitur esse alicubi, vbi nimirum est, & si sit accidens , esse in alio;si substantia, esse per se ; & præterea concipit esse cognitionem in aliquo intellectu ad illam rem terminatam,& nihil aliud præter hoc debet cognoscere. Vnde si esse cognitum formaliter loquendo dicat cognitionem, concedo , quod qui concipit esse cognitum formaliter, concipiat illud esse in aliquo , nempe in intellectu cognoscentis,sed terminatum tamen ad rem , quæ denominatur cognosci : si vero esse cognitum dicat vtrumque , & rem scilicet & cognitionem , qui concipit esse cognitum,concipit illud esse,vbi est & res & cognitio,si concipiat illud vere prout est : nec in hoc est vlla difficultas.

*Ad confirmationem Respondeo* , negando antecedens; nam qui illud concipit recte,nihil aliud concipit,quam quod cognitio sit terminata ad rem,quæ dicitur cognita,vel quod res illa terminet cognitionem.

QVÆSTIO V.

*An ad denominationes extrinsecas sequantur necessario entia rationis.*

34. HÆC *quæstio*,est magis controuersa,præsertim inter Scotistas, quàm præcedens , & versatur principaliter circa denominationes extrinsecas,desumptas ab actibus vitalibus,vt à visione,intellectione,imaginatione, volitione , &c. vnde sensus est , an quoties oculus videt parietem,intellectus intelligit hominem, voluntas vult bonum , sequatur aut resultet in pariete, homine,bono,& sic de similibus , aliquis respectus rationis necessario.

*Prima sententia* est, quod ad omnem denominationem extrinsecam prouenientem ab intellectu,sequatur in re sic denominata relatio aliqua rationis,non vero ad alias denominationes extrinsecas.Hanc tenet *Sõcinas 6.Met. q.18.* & *Viguerius* de anima rationali §.2.cum quibus videntur conuenire *Complutenses hic q.2.n.10.* dicunt enim quod quando intellectus naturam humanam abstractam à singularibus comparat ad illa,resultet in illa natura habitudo quædam seu relatio rationis terminata ad illa singularia.

35. *Secunda sententia* est, quod non solum ad denominationes extrinsecas prouenientes ab actibus intellectus, sed etiam ad illas, quæ proueniunt à quacunque potentia vitali percipiente obiectum , seu quomodocunque tendente vitaliter in illud, resultent in illis obiectis relationes quædã rationis,v.g.quando intellectus cognoscit,aut oculus videt,aut volũtas vult aliquod obiectum, dicũt authores huius sententiæ resultare in obiectis illis, quæ videntur,cognoscuntur,aut amantur,quosdam respectus rationis , à quibus respectus denominantur illa obiecta visa,cognita,amata ; vnde vocant illum respectum,qui ad cognitionem resultat obiecto cognito,cognitionem passiuam,ad differentiã scilicet cognitionis, quæ est in intellectu,quamque ipsi vocant cognitionem actiuam:similiter vocant respectum,qui sequitur ad visionem actiuam,quæ est in oculo,visionem passiuam,& respectum qui sequitur ad volitionem,seu amorem actiuum,qui est in voluntate,volitionem,seu amorem passiuum ; & eodem modo proportionabiliter discurrunt de obiectis aliarum potentiarum vitalium.

Quod si obiiciatur ipsis,respectus illos,qui sequũtur ad alias potentias, præter intellectum , non posse esse entia rationis, quandoquidem non fiant à ratione.

Respon

Respondent facile se non capere ens rationis pro eo solo, quod sit à ratione, sed pro omni illo, quod non est ens reale : vnde cum prædicti respectus resultantes in obiectis potentiarum quarumcumque vitalium, non sint entia realia, erunt entia rationis.

Hanc sententiã hoc modo explicatã tenet *Camerarius* supra, & quidam Scotistæ in suis manuscriptis, & late impugnat *Hurt. d. 19. Met. sect. 2.* suppressis tamen authoribus, qui eam tenent, fortassis quia non inuenit vllos, quorum opera essent suo tempore impressa.

36. *Tertia sententia* maxime communis est, non sequi huiusmodi respectus ad actus vllos vitales, & consequẽter esse volitum, cognitum, visum &c. non dicere formaliter respectus rationis, nisi quatenus vellet intellectus considerare in illis aliquam formam intrinsecam, à qua haberent illam denominationem, quæ consideratio non necessario habetur, quando obiectum cognoscitur, aut videtur, aut amatur.

Duplex esse cognitum.

Antequam nostram statuamus sententiam, pro tollenda omni æquiuocatione, aduertẽdũ est duplex posse cõsiderari esse cognitum in re, quæ cognoscitur; vnum, cuius ratio formalis habetur ab ipsamet cognitione, siue actiua, quæ est in intellectu cognoscẽte; siue passiua, quę resultat in obiecto, quod cognoscitur, & potest vocari esse cognitũ reduplicatiue, hoc est esse affectũ cognitione, sicut esse album est esse affectũ albedine. Alterũ esse cognitum est esse intentionale, quod habet res, quæ cognoscitur, secũdum quod esse intentionale terminat cognitionem, & hoc esse cognitum vocatur à Scotistis esse diminutum, deque eo agit ipsemet *Scot. 1. d. 30. q. 2. & d. 35. q. vn.* Differentia autem inter vtrumque esse cognitum, est quod primum constituatur formaliter per ipsammet cognitionem, & quod non cognoscatur per eandem cognitionem. Secundum vero non constituitur formaliter per ipsammet cognitionem, sed cognoscitur per ipsam. Quando ergo quærimus an esse cognitum sit ens rationis, nõ loquimur de illo esse intentionali, quod habet res, quæ cognoscitur; sed de esse cognito, vt dicit formaliter cognitionem; & verus sensus quæstionis est, an quando cognoscitur res, resultet in re cognita respectus aliquis rationis, à quo respectu denominetur intrinsece & formaliter cognita.

## CONCLVSIO I.

Æque deberet respectus rationis sequi ad omnes actus potentiarũ vitalium.

37. *Si sequitur aliquis respectus rationis ad cognitionem alicuius obiecti, sequitur etiam ad quoscunque actus voluntatis & aliarum potentiarum vitalium.* Hæc est communior cõtra primam sententiam, & probatur breuiter, quia est eadem prorsus ratio, nam si non potest obiectum cognosci per cognitionem, quæ est in cognoscente, quin sequatur in illo aliquis respectus, non poterit etiam obiectum videri aut amari, quin sequatur aliquis respectus in obiecto viso & amato; & si respectus sequens ad cognitionem in obiecto cognito sit rationis, similiter respectus sequens in obiecto amato erit respectus rationis. Præterea si potest obiectum amari, aut videri absque resultantia alicuius respectus, poterit etiam obiectum cognosci absque tali resultantia; nec credendum est vllum, qui rem hanc velit leuiter considerare, dubitare posse de hoc.

## CONCLVSIO II.

Non sequuntur respectus rationis ad actus vitales.

38. *Non resultat in obiectis perceptis per potentias vitales respectus rationis.* Hæc est conformis *Doctori in 1. d. 35.* vbi ait relationem rationis non posse consequi rem ex natura rei: sed si sequerentur relationes rationis ad actus vitales tendentes in obiecta, consequerentur respectus rationis rem ex natura rei, nam reuera aliquid consequi rem ex natura rei, non est aliud, quam quod consequatur ipsam alio modo, quam per considerationem illius, quod sic sequitur, v. g. quotiescumque aliquid aduenit parieti absque eo quod consideretur aduenire ipsi, illud sequitur ex natura rei, vnde cum isti respectus sequantur ad actus vitales tendentes in obiecta secundum aduersarios, absque eo quod considerentur ab vlla potentia, sequitur quod consequantur obiecta ex natura rei; & consequenter quod non sequantur omnino; aut si sequantur, quod non sint respectus rationis iuxta principia Scoti. Conclusionem præter plures Scotistas in manuscriptis quos sequuntur *Merinerus hic quæst. 2. Fuentes quæstione 2. Log. difficultate secunda*, tenent communiter recentiores; & speciatim *Hurtadus d. 19. met. sect. 2. Auersa q. 2. Logicæ sect. 2. d. 4.* contra authores primæ & secundæ sententiæ.

Quid est aliquid sequi aliud ex natura rei.

39. *Probatur primò* contra eos, qui licet admittant huiusmodi respectus resultare in obiectis post cognitionem, negant tamen obiecta denominari ab ipsis cognita, sed ab ipsamet cognitione, quæ prior est, per denominationem extrinsecam. Probatur inquam contra hos, quia si obiectum denominetur cognitum denominatione extrinseca per ipsammet cognitionem, ad nihil prorsus deseruit iste respectus sequens: nullus enim est vsus, aut effectus eius quam reddere obiectum sic, vel sic cognitum; ergo si non habeat hunc effectum (vt expresse asserunt *Complutenses supra n. 11.* eum non habere) nulla ratione admitti debet necessario resultare, nisi aliquis velit ipsum fingere.

40. *Probatur conclusio secunda* contra eos qui admittunt illos respectus, vt ab iis denominentur obiecta cognita, visa, volita &c. quia etiamsi darentur isti respectus, non sufficerent vt obiectum diceretur formaliter cognitum, aut visum &c. ergo non debent poni. Probatur antecedens; quia nullus respectus sufficit, vt intellectus dicatur formaliter intelligens, aut videns, sed ad hoc necessario debet in ipso poni qualitas absoluta, vt conceditur ab omnibus, & videbimus in libris de Anima, ergo nullus respectus debet sufficere, vt obiectum dicatur cognitum

Cognitio passiua si daretur deberet includere aliquid absolutum.

*Confirmatur:* cognitio actiua vltra omnem respectum dicit formam absolutam, ergo cognitio passiua etiam si detur, præter omnem respectum debet dicere formam absolutam: sed aduersarij non fatentur aliquid absolutum sequi in obiecto cognito, ergo non sequitur aliquid, quod sit cognitio passiua, & consequenter nihil omnino sequitur.

*Quod si dicant* sufficere vt absolutum, quod importatur per cognitionem, sit in intellectu. *Contra:* Si sufficit ab hoc vt obiectum vere cognoscatur, quod absolutum, quod principaliter importatur per cognitionem, sit ipsi extrinsecum, & intrinsecum intellectui, ergo sufficit vt respectus omnis, qui importatur per cognitionem, sit extrinsecum, obiecto & consequenter non requiritur vllus respectus, qui sit intrinsecus ipsi.

41. *Probatur tertiò* cõclusio vniuersaliter contra omnes & simul confirmatur præcedens ratio: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, vt omnes fatentur: sed nõ est vlla necessitas istorum respectuũ rationis, qui sequerentur ad actus intellectus, & cæterarum potentiarũ vitalium, ergo non debent poni. Probatur minor, quia tota necessitas eos ponendi est, vt saluetur denominatio cogniti & voliti, seu vt detur aliqua forma, à qua habeatur formaliter ista denominatio; sed absque illis respectibus datur alia forma, à qua posset prouenire, ergo nõ est necessitas ponendi istos respectus. Probatur minor, quia ista denominatio potest prouenire à cognitione & volitione, quam vocant actiuam; esse enim cognitum & volitum nihil aliud est quàm esse aliquid habens ad se cognitionem, & volitionem terminatam: sed certum est quod hoc formalissime habeatur à cognitione, & volitione extrinseca obiecto; imo non posset haberi à cognitione aliqua, aut volitione, quæ esset obiecto intrinseca; quia sicut cognitio intrinseca intellectui non terminatur eo ipso ad intellectum, sed ad obiectum; ita etiam cognitio intrinsece subiectata in obiecto non terminaretur ad obiectum, sed ad intellectum, & consequenter non haberetur esse cognitum aut volitum per cognitionem aut volitionem intrinsecam obiecto, quamuis daretur talis cognitio & volitio.

42. *Dices primò*, cognitionem, quæ est in cognoscente, esse formam actiuam, & propterea eam non posse tribuere denominationem passiuam, qualem habet illud quod cognoscitur.

*Sed contra* est, quod relatio creaturæ, quæ est forma

tam

passiua, quam esset quicumque respectus resultans in obiecto cognito, quia dat denominationem producti, tribuit Deo formaliter denominationem actiuam producentis, vt manifeste asserit *Scot.* 1. *d.* 30. *q.* 2. *num.* 12. ergo similiter cognitio, quæ tribuit intellectui denominationem cognoscentis actiue, potest tribuere obiecto denominationem cogniti passiue. *Deinde*; dicere cognitionē, quæ in intellectu, non tribuere vtramque denominationem cogniti & cognoscentis, est petere principium, hoc enim est quod est in quæstione, & quod nos affirmamus. Et probatur manifeste, quia eam tribuere denominationem cognoscentis non est aliud, quam eam esse formam, qua mediante percipit intellectus obiectum, & eam tribuere denominationem cogniti non est aliud quam esse formam, per quam cognoscitur obiectum: sed est euidens eam esse formam, per quam percipit intellectus obiectum, & per quam percipitur obiectum, ergo tribuit vtramque illam denominationem.

Forma vna potest tribuere denominationē actiuam, & passiuam.

43. *Dices secundò*; quemadmodum similitudo, quæ est in vno pariete, non denominat alterum parietem similem, qui est terminus ipsius, sed solum istum parietem, in quo subiectatur, & propterea ad hoc, vt alter paries denominetur similis, similitudo altera debet in ipso poni; ita etiam cognitio, quæ est in intellectu, non potest denominare obiectum cognitum, sed necessario altera cognitio passiua debet in ipso poni, vt sic denominetur.

*Sed contra primò*, quia similitudo est forma intrinsece tantum denominans, & non extrinsece, & propterea non debet dare denominationem, nisi subiecto, in quo est: sed cognitio est forma extrinsece & intrinsece denominans, & propterea potest dare denominationem intrinsecam subiecto suo & extrinsecam termino. *Deinde*: eadē est ratio propter quam debet poni similitudo in vtroq; pariete intrinsece, & propterea si ponatur in vno, debet poni in altero, si non repugnet quod ponatur in vtroque: sed non est eadem ratio ponendi & colligendi cognitionem in intellectu & in obiecto cognito, quia intellectus habet virtutem eam producendi, obiectum verò non habet, & consequenter quamuis ponatur in intellectu, non tamen debet necessario poni in obiecto.

*Rursus*, si esset eadem ratio de similitudine ponenda in vtroque extremo, ac de cognitione ponenda in obiecto & intellectu, non sufficeret ponere respectū in obiecto & cognitionem in intellectu, quæ esset qualitas absoluta, sed deberet poni qualitas etiam absoluta in obiecto, quemadmodum ponitur talis in intellectu: sed ipsimet aduersarij hoc non ponunt, contenti solo respectu: ergo non debent arguere à positione similitudinis in vtroque extremo ad positionem respectus in obiecto in casu nostro. *Praterea* si valeret paritas à similitudine ad hunc respectum, sequeretur quod, quemadmodum, non potest esse similitudo realis in vno extremo, quin sit etiam alia realis in altero; ita non posset etiam esse cognitio realis in intellectu, quin daretur alia forma realis in obiecto: sed hoc negant aduersarij, ergo non debent vrgere illam paritatem.

44. *Probatur quartò conclusio*: si aliquis respectus produceretur in obiecto, quod cognoscitur, esset respectus realis: sed hoc implicat, vt fatentur aduersarij, quia non potest fundari respectus realis in Deo, nec in negationibus, aut priuationibus, aut impossibilibus, quæ tamen de nouo cognoscuntur, ergo vt aliquid de nouo cognoscatur non est necessarium, vt fundetur in ipso relatio vlla. Probatur sequela maioris, quia omnis respectus, qui producitur à parte rei in aliquo per aliquam causam realem sine fictione, est respectus realis, sed ille respectus produceretur vere à parte rei sine aliqua fictione ab aliqua causa reali, nimirum ab intellectu, ergo, &c.

*Respondebunt primò*, respectum, qui producitur realiter, esse realem, *Contra*: produci realiter non est aliud quam produci per causam realem absque fictione.

*Respondebunt ergo aliter secundò*, omnem rem quę producitur primario à causa reali esse realem, secus verò, si producatur secundario. *Contra*: respectus reales intrinsecùs aduenientes, vt similitudinis, æqualitatis, producuntur tantū secūdario à causa reali, & tamē sunt reales, ergo quod aliquis respectus vel entitas producatur secundariò nō impedit quo minus sit realis, si producatur à causa reali absque fictione: & cōsequenter debet colligi ex aliquo alio capite, quod iste respectus non sit realis.

45. *Respondebunt tertiò*, colligi quod non sit realis à posteriori: ex eo scilicet quod producatur in Deo, de nouo, qui tamen non est capax alicuius nouæ entitatis realis.

*Contra primò*, quia si Deus sit capax nouæ entitatis rationis, quæ entitas resultat in ipso à parte rei independenter à consideratione intellectus considerantis illum respectum in ipso, non est vlla ratio cur non esset capax nouæ entitatis realis, quæ perfectior est; nec videtur esse vlla ratio, cur mutabilitas ad formam realem dedeceret ipsum, nō vero ad formā rationis, quæ sequatur in ipso absque fictione & consideratione intellectus.

Denominatio realis non debet per se depēdere à forma rationis.

*Contra secundò*, quia si Deus potest realissime cognoscī sine relatione reali de nouo, multo magis potest sic cognoscī sine relatione noua rationis: absurdum enim videtur quod denominatio realis dependeat à forma rationis, vt habet *Scotus in 2. dist. 4. nu.* 11. ergo si cognoscatur à posteriori quod non recipiat relationem realem nouam, dum cognoscitur, debet colligi similiter quod non recipiat relationem nouam rationis.

*Confirmatur*, quia Deus, vt dixi, realiter cognoscitur, & est realiter cognitus, ergo non est cognitus, per relationem rationis; & consequenter vel à nulla relatione habet denominationem cogniti, vel habet eam à relatione reali.

Cognitio passiua resultans in Deo esser rationis & nō esset.

46. *Contra tertiò*, ex eo quod relatio cognitionis passiuæ aduenire de nouo Deo, sequeretur quidem quod non esset relatio realis ex vno capite, quia Deus est incapax talis relationis; ex alio verò capite sequeretur quod esset realis, quia per eam Deus realiter cognosceretur, & quia resultaret in Deo ex natura cognitionis sine vlla fictione aut consideratione ad illam relationem terminata: vnde sequeretur quod esset realis, & non esset realis, quod implicat: ergo dicendum est quod non sequatur in ipso talis relatio dum cognoscitur.

Quāuis in Deo cognito non resultaret forma realis, resultaret tamē in aliis capacibus talis formæ.

*Contra quartò*: quamuis ex eo quod Deus, & negationes, ac impossibilia sint incapacia formarū realium, sequatur non resultare in ipsis, dum cognoscuntur, relationes reales; tamen inde non sequitur quin tales respectus producantur in aliis rebus capacibus formarum realium, dum cognoscuntur, aut percipiuntur à potentiis vitalibus: ergo saltem in aliis huiusmodi rebus, si resultent vlli respectus, debet dici quod resultent respectus reales & non rationis. Probatur antecedens, quia licet quando natura humana vnitur Verbo diuino, non resultet nec producatur in Verbo diuino vnio aliqua realis, quia Verbum diuinum est incapax talis vnionis tamen quando vnitur materia formæ, & quodcumque, aliud finitum alteri finito, resultat in quolibet extremo, aut producitur vnio realis (maxime in sententia Scoti; & admittentium duplicem vnionem inter materiam & formam) quia vtrumque extremum tale est capax nouæ vnionis; ergo quamuis non produceretur respectus nouus realis in Deo, aut aliis obiectis incapacibus eius, dum cognoscuntur; tamen non propterea debet negari quin producatur in aliis obiectis cognitis, quæ sunt capacia eius.

47. *Respondebunt quartò* colligi illos respectus resultātes in obiectis cognitis aut perceptis à potentiis vitalibus non esse reales, tum quia producuntur à potentiis vitalibus, quæ non sunt natæ producere aliquid reale in aliquo extrinseco, quia sunt potentiæ immanenter agentes: tum etiam quia non producuntur eo modo, quo cætera entia realia; cætera enim entia realia producuntur, vel per actionē ad se immediatè terminatā, vel pullulant ratione alicuius formæ repertæ in ipsomet subiecto, in quo sunt; hi autem respectus non producuntur per actionem ad se immediatè terminatam, nec pullulant in obiectis ratione formæ in ipsis obiectis repertæ; sed potius ratione formæ repertæ in potentiis percipientibus, aut tendentibus in obiecta,

Ex diuerso modo producẽdi non sequitur quin relatio cognitionis passiuæ sit realis.

*Contra primò*, quia sicut hi respectus sunt diuersæ rationis ab aliis entibus realibus, ita possent habere diuersum modum producendi ab ipsis, & tamen non propterea de sinerent esse realia, ergo ex diuerso modo producendi à cæteris entibus realibus, non sequitur quod non sint entia realia.

*Confirmatur*, quia relationes intrinsece aduenientes non producuntur eo modo, quo cætera entia realia, & tamen non propterea potest dici quod non sint entia realia; ergo quamuis relationes resultantes in obiectis non producantur eodem modo, quo cætera entia realia, non propterea debet dici quod non sint entia realia.

*Contra secundò*, quia producuntur eodem modo generico, quo cætera entia realia, quia producuntur alio modo quam per fictionem aut considerationem intellectus, aut alterius potentiæ percipientis illa: sed hoc sufficit ad hoc quod quantum ad modum producendi æque dicantur realia ac cætera entia.

Quod producatur esse cognitũ à potentia vitali non impedit realitatẽ.

48. *Cõtra tertiò*, quia quod producantur à potentia vitali, aut quod resultent ad formã extrinsecam suo subiecto, non facit quod non sint realia: non primum, quia si potẽtia vitalis potest aliquid producere in obiecto reali distincto, & capaci entis realis, & hoc sine fictione aut cõsideratione rei productæ, nõn est vlla ratio, vnde dicatur quod nõ possit producere aliquid reale in illo, vnde vel debet negari quod possit producere aliquid realiter, vel debet cõcedi, quod possit producere aliquid reale, & cõsequenter debet dici quod nõ sit potentia ita immanẽter agens, vt nõ possit aliquid producere in aliquo extrinseco, saltẽ secundario. Non etiã secundũ, quia nulla prorsus est ratio cur respectus sequẽs in aliquo subiecto reali præsertim capaci entitatis realis, ad positionẽ formæ extrinsecæ inexistentis alicui alteri distincto, modo sequatur sine fictione aut cõsideratione sui, nõ sit realis, tam bene, quã respectus sequens ad formam intrinsecã, v. g. non est vlla ratio cur respectus sequens in pariete ad positionẽ visionis in oculo non sit realis tam bene, qaam respectus sequens in eodẽ pariete ad positionem albedinis in ipso; quid enim facit ad propositum, quod forma, ad quam sequitur, sit extrinseca aut intrinseca?

Non tollit etiam realitatẽ eius quod sequatur ad formã extrinsecam.

*Confirmat.* quia dependẽtia ab extrinseca forma nõ potest impedire illam realitatẽ, nam ipsa relatio similitudinis non resultat in albo absque dependẽtia ab albedine extrinseca alterius albi, & tamẽ illa relatio est realis.

Impugnatur specialiter Camerarius

49. *Per hoc patet* male probari à *Camerario* quod respectus sequentes ad actus vitales non sint reales, quia scilicet etsi sint extra animam, tamen non sunt realiter extra animam, & ideo non sunt realiter, quia producuntur à causa, quæ non habet virtutem productiuam entis realis. Nam, vt iam dixi, si operationes illæ vitales habent virtutẽ producendi aliquid non fictum, profecto nihil impedit quominus dicantur habere virtutem productiuam alicuius entis realis: nec *Camerarius*, aut alius poterit facile oppositum ostendere, quamuis dicat id facile posse ostendi; quod tamen mirum est ipsummet non feciſſe, cum tota doctrina ipsius ab eo dependeat.

*Confirmat.* cõtra ipsum specialiter: ipse dicit occasionẽ dari nobis colligẽdi quod ad actus vitales sequantur aliqui respectus ex natura rei, quia videmus agẽtia naturalia producere proprietates naturales in subiectis distinctis: sed illæ proprietates sũt entia realia: ergo potius deberet colligi quod illi respectus essẽt reales quã rationis.

*Dices* cum ipso, non debere nos iudicare quod sint reales, quia non animaduertimus illas afficere illas res realiter. *Contra* si aduertimus illas afficere subiecta vllo modo absque fictione, eo ipso aduertimus illas afficere illa realiter. Deinde si non aduertamus illas afficere subiecta realiter, sane non aduertimus illas ea afficere vllo modo, neque ex eo quod videamus aliquas causas naturales producere aliquid in patientibus & subiectis à se distinctis, habemus sufficientem occasionem iudicandi quod operationes vitales producant aliquid in obiectis suis: quæ enim necessitas est quod, si talis facultas sit in aliis entibus, debeat etiam esse in his actibus?

50. *Respondebunt quinto*, optime colligi quod respectus sequens in obiecto cognito ad cognitionẽ non sit realis, quia subiectatur in re cognita, non secundum esse reale ipsius, sed secundum esse intentionale, quod esse intentionale non est esse reale sed rationis aut diminutum, vt patet ex eo quod possit haberi istud esse intentionale, destructa re intellecta aut nullo modo producta quoad esse realis existentiæ. Hoc mihi videtur potissimum fundamentũ, quo mediante possit ostendi quod respectus subiectatus in re cognita non sit realis.

*Contra tamen primò*, quia licet respectus resultantes in rebus cognitis abstractiue propter rationem iam dictam non possint esse reales, quia subiectarentur in re secundum esse intentionale, quod esse non est reale, non tamen inde sequitur, quin respectus resultantes in rebus intuitiue cognitis, & perceptis à sensibus externis sint reales, quia illi respectus subiectantur in re secundum esse proprium reale eius, & non secundum esse intentionale: sed hoc sufficit nobis, tum quia ex aduersariis plurimi dicunt, ad operationes potentiarum omnium vitalium sequi respectus rationis & non reales; tum quia sic argumentari possumus: obiecta cognitionum intuitiuarum & potentiarũ externarũ percipiuntur absque vllo respectu vel reali vel rationis, ergo & obiecta cognita cognitione abstractiua sic cognoscũtur absq; tali respectu, & consequenter vera est conclusio nostra vniuersaliter. Probatur antecedens; quia, si esset aliquis respectus productus in illis obiectis, esset respectus realis, quia non potest ostendi propter discursum hucusque factum, cur non esset realis: sed ipsimet aduersarij negant resultare in illis respectum realem, ergo nullus respectus resultat in ipsis, & consequenter illa percipiuntur absque vllo respectu vel reali vel rationis.

Reiicitur secundò.

51. *Contra secundo.* quia licet res secundum esse intentionale non habeat realitatem sufficientẽ ad exercendas operationes suas physicas, tamẽ habet realitatem sufficientem ad hoc vt distinguatur cõtra ens rationis stricte acceptum, cui scilicet repugnat realis existentia, quãdoquidem res illa, quæ habet illud esse intentionale, possit existere realiter à parte rei: sed non est vlla ratio, cur illa realitas non sufficiat ipsi ad fundandum relationẽ realem, si possit recipere vllam relationem absque fictione intellectus, ergo ratio assignata in responsione non est sufficiens ad ostendendum quod relatio subiectata in re cognita, etiam abstractiue, non sit realis. Adde fortassis illud esse intentionale, quod habet res cognita abstractiue, non esse aliud quam esse speciei impressæ obiectiue repræsentans rem intellectam: quod si hoc est verum, sequitur à fortiori relationem resultantem in illo esse intentionali posse esse realissimam, sicut & illa species impressa est ens reale & realiter existens extra causas.

Esse intentionale sufficit ad fundandum respectũ realem.

Quid est esse intẽtionale rei abstractiue cognitæ.

52. *Probatur quinto* conclusio, & simul cõfirmatur præcedens probatio: si quis diceret relationẽ similitudinis inter duos parietes simul existentes esse relationẽ rationis, non posset cõuinci in aduersariorum sententia, posset autẽ in nostra; ergo cum sit absurdũ, quod illa relatio similitudinis (si detur, de quo aliàs) non sit realis, potius est amplectẽda nostra sententia quã aduersa. Probatur sequela, quia nõ posset impugnari, qui ita diceret, nisi per hoc, quod illa similitudo sit in subiecto reali, & terminata ad terminũ realẽ, sequaturque ex natura rei absque fictione aut cõsideratione vllius potẽtiæ cõsiderantis ipsam esse: sed hoc principiũ impugnandi secundum aduersarios non sufficeret, quandoquidem ipsi admittant respectum subiectatum in pariete reali, & terminatum ad oculum realẽ videntẽ, & resultantem absque vlla fictione aut cõsideratione potentiæ vllius ad ipsum terminata, non esse realem sed rationis. In nostra autem sententia, qui asserimus huiusmodi respectũ, si daretur in obiecto viso, esse realem, valeret, illud principiũ: ergo qui diceret similitudinem esse relationem rationis posset impugnari in nostra sententia, non vero in aduersa.

Cur similitudo nõ sit ens rationis.

53. *Dices*, secundum aduersarios posse impugnari id dicentem ex eo, quòd illa similitudo produceretur independenter à consideratione aut operatione potentiæ vitalis: entia autem rationis non possunt sic produci.

*Contra:*

*Contra*: produci per considerationem aut operationē potētiæ vitalis, non facit vt aliquid sit ens rationis, nisi consideratio tendat in ipsum tanquam in obiectum, aut nisi in illo in quod sic tendit & non habeat aliud esse quam in consideratione, vt manifeste patet ex eo quod habitus intellectuales producantur per cōsiderationem.

*Contra secundò*: si respectus productus per potentias vitales sit rationis & non realis, quando producitur ab illis absque fictione aut consideratione ipsiusmet, cur respectus similitudinis productus à pariete in se, mediāte albedine, non esset rationis? aut si respectus similitudinis sit realis, cur respectus ille productus à potentiis vitalibus non est realis, præsertim cum respectus ille similitudinis habeat dependentiā ab extrinseco, nimirū à termino, non minus quam respectus productus in pariete viso habet dependentiam ab extrinseca visione.

*Dices* denique, posse conuinci sic opinantē authoritate Aristotelis, qui ad respectum realem solum exigit extrema realia cum ratione fundandi reali inexistente ipsis extremis. *Contra* quia quid si negaretur authoritas Aristotelis in hoc sicut in multis aliis: deberet certe adduci ratio, qualem non habent aduersarij.

*Contra secundò* quia illa sententia Aristotelis fundatur in hoc, quod tales respectus non producantur per fictionem, nec considerationem sui; vnde si concederetur aliquid, productum sine fictione aut considerationē sui, esse posse quid rationis, vt concedunt aduersarij, sententia Aristotelis careret fundamento, quod non est curantibus eius authoritatem admittendum.

*Solutio obiectionum.*

Explicatur Scotus quatenus videtur dicere quod esse cognitum & volitum sit ens rationis.

54. *Vt soluantur obiectiones*, quæ adduci possent contra prædicta ex authoritate *Scoti*, qui variis locis vocat esse volitum & cognitum entia rationis, aduertendum est ipsum duobus modis posse explicari; vno modo quod non loquatur de esse volito aut cognito reduplicatiue, quasi vellet ipsam volitionem aut cognitionem, quam dicunt formaliter res volitæ & cognitæ reduplicatiue loquendo, hoc est, vt afficiuntur volitione aut cognitione, esse entia rationis, sed quod loquatur potius de esse intentionali, quod habent res, quæ cognoscuntur abstractiue, quod esse intentionale est esse rationis late acceptum, & potest vocari esse cognitum specificatiue loquendo ad differentiam esse cogniti reduplicatiue loquendo. Hoc modo explicant ipsum *Merinerus*, & sine dubio *Scotus* sæpe loquitur de hoc esse cognito, nec facit vllo modo contra nostram conclusionem.

Alio modo potest intelligi Scotus loqui de esse cognito, & volito etiam reduplicatiue loquendo vt dicūt, scilicet ipsammet cognitionem & volitionem, non tamen ita vt velit illam cognitionem & volitionem, à qua habent esse cognita & volita à parte rei, esse ens rationis, aut à parte rei resultare respectum aliquem rationis in illis obiectis ad positionem ipsiusmet cognitionis & volitionis; sed quod velit illud esse cognitum & volitū esse ens rationis, non provt habet esse à parte rei, sed provt solet intelligi communiter ista denominatio cogniti aut voliti, nimirū vt proueniens à forma intrinseca: nam certum est quod esse volitum hoc modo, & cognitum, & visum, sit ens rationis; nec hoc negamus in conclusione nostra. An autem possit considerari esse volitum ab intellectu alio modo quam hoc modo, est controuersia inter *Suarem* & *Vasquem*, hic enim asserit non posse illas denominationes alios modo concipi; ille dicit posse, & hoc mihi longe probabilius est; cum enim cognoscimus parietē denominari visum & cognitum per denominationē extrinsecā, desumptā à cognitione & visione, aut per hoc quod præcisè terminent illā visionē, profecto non intelliguntur denominari à forma aliqua intrinseca, aliàs intelligerentur simul denominari intrinsecè & extrinsecè, quod est absurdum.

Denominatio cogniti potest cognosci absque ente rationis.

55. *Itaque si obiiciatur* quod Scotus vocet esse cognitū & volitum entia rationis, & cōsequenter quod falsa sit nostra cōclusio, aut contra Scotum. *Responderi potest* in forma distinguendo antecedens, vel iuxta primā explicationem hoc modo: vocat esse cognitū & volitum specificatiuè, hoc est illud esse quod habent res cognitæ & volitæ in intellectu & voluntate, entia rationis, trāseat; vocat esse cognitū & volitum formaliter & reduplicatiue, provt dicunt cognitionē & volitionē siue actiuam siue passiuā, à qua denominātur formaliter cognita & volita, entia rationis, nego antecedens ac consequentiā. Vel iuxta secundā explicationem hoc modo: vocat esse cognitum & volitū à parte rei, nego antecedens; provt solent sæpe cognosci per modū denominationū intrinsecarum, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Tertia explicatio Scoti.

*Posset etiam explicari* alio modo dicendo quod vocet esse cognitum & volitum entia rationis, non quod talia sint formaliter, sed quod talia sint fundamētaliter, quatenus scilicet præbent intellectui fundamentum excogitandi entia rationis formaliter; quæ explicatio non debet videri dura, quandoquidem adhiberi soleat passim in Theologia locutionibus sanctorum Patrum & Conciliorum, & in Philosophia variis locis Philosophi, & speciatim illi dicto ipsius; *Generatio vnius est corruptio alterius*, quod in sensu formali est falsum, & verum in sensu causali, vt suo loco dicetur.

Quarta explicatio.

*Posset quarto modo explicari* Scotus & antiqui, nimirum sic, vt cum dicunt obiecta habere esse cognita & volita & visa à respectu rationis, nihil aliud velint quā, quod non sit aliqua forma intrinseca à qua habent tales denominationes præter respectum aliquem rationis, quem potest in ipsis fingere intellectus, quoties habent illas denominationes. Itaque sensus istius modi loquēdi non est quod habeāt esse cognita & volita realissime à forma reali extrinseca cognitionis, & volitionis, aut quod habeant illam denominationē necessariò à forma intrinseca rationis, sed quod non habeāt illam denominationē ab vlla forma intrinseca, nisi à forma rationis, quādo cōsiderātur ab intellectu denominata intrinsecè.

Quinta explicatio.

56. *Potest denique* aliter explicari, & fortassis magis de mente ipsius & antiquorum omnium qui loquuntur de entibus rationis, & dicunt Logicam & Grammaticam agere de entibus rationis, & Sacramenta formaliter, & actus liberos ac decreta Dei, & signa ad placitum; & esse volita, & cognita, & comparata, ac similia, dicere respectus rationis: quandoquidē enim omnia huiusmodi dicant dependentiam ab aliquo extrinseco, nec habeant esse talia formaliter ab aliqua forma intrinseca; vt commodius de ipsis philosopharentur, fingebāt in illis aliquas formas intrinsecas, à quibus haberēt illas denominationes, & discurrebāt de illis, ac si à tali forma sic denominarētur, & vt sic denominata definiebāt, describebāt, & diuidebāt illa & supponebant consequenter illas sciētias, quæ agerēt de ipsis vt sic, agere de entibus rationis; quia reuera illa forma intrinseca quā fingebāt in illis, est ens rationis, quia est ens mere fictū ab intellectu.

*Et ne videatur* hic modus explicādi durus; qui sane satis accōmodus & facilis mihi videtur, oportet aduertere quod hac ipsa ærate sæpissime ad explicādas res obscuras vtamur simili fictione: quādo enim volumus declarare aliquā rationē formalē vnā, supponimus sæpissime alterā rationē formalē, quæ reuera identificatur illi, non esse coniunctā cum illa, sed omnino separatā, non quod ita sit, sed vt eo suppositō facilius percipi possit propria natura istius formalitatis, quā explicare volumus: certum autē est quod illa formalitas cōsiderata vt non coniuncta formaliter cum aliqua formalitate illa, quæ reuera identificatur illi, sit ens rationis; & quod possit, dici, quod sciētia, quæ vt sic traderetur de illa, sit sciētia rationis: sic ad probandū quod æternitas Dei sit distinctæ rationis formalis ab omniscientia, supponimus quod etiamsi per impossibile Deus non esset æternus, esset tamen omniscius, quia etiamsi cōsideraretur vt nō existens nisi vnico instanti, suppositis cæteris perfectionibus habet sufficiens principiū omnia sciēdi: Deus autem sic consideratus formaliter est ens rationis.

57. *Itaque existimo* antiquos Doctores propterea dixisse quod esse cognitū, & volitum, & cætera supradicta denominata, essent entia rationis formaliter, nō quod reuera non haberēt illas denominationes realiter absque

vllo respectu rationis, aut quod vllo modo requireretur necessario resultantia entis rationis ad hoc vt haberent istas denominationes, sed quod, vt dixi, claritatis maioris causa supponebant & fingebant concorditer inter se quod haberent illas denominationes à respectibus rationis; & quia illa suppositio erat communiter accepta absolute, absq; limitatione, vel restrictione, vel explicatione vlla, vocabant illa entia rationis, & tanquã de talibus agebant de illis, existimãtes quod nemo esset, qui nõ cognosceret, quo sensu id intelligebant. Successu vero temporis, quia reperiebatur in ipsorũ libris illa absoluta mentio entium rationis; & non aduertebatur quo sensu illud intelligendum esset, plurimi sic intelligebant illos, vt reuera existimarẽt ad illas denominationes necessario requiri istos respectus rationis, quod tamen & in re falsum est, & præter intentum antiquorum Doctorum.

*Ratio verò* hoc modo explicandi Scotũ & Doctores antiquos desumenda est ex principiis nostræ conclusionis; quod si cui hæ explicationes non placuerint, soluat nostra fundamenta, & teneat oppositum conclusionis; ac intelligat antiquos in ipso rigore quo loquuntur.

58. *Obiicies secundò*: nisi admittantur huiusmodi respectus resultare, dabitur transitus à contradictorio in contradictorium sine aliqua mutatione facta in re; quæ ita transit; sed hoc est impossibile, ergo dantur tales respectus. Probatur maior, quia paries transit de non viso ad esse visum, & de non cognito ad cognitum sine vlla mutatione sui, nisi admittantur tales respectus, neque enim mutatur ad vllam aliam formã quando sic transit.

*Respondetur* negando minorem, quamuis enim impossibile sit quod res aliqua, præsertim finita ac limitata, possit transire de contradictorio ad contradictorium, aut de vno statu ad alium statum absque aliqua mutatione; non tamen requiritur quod illa mutatio fiat intrinsece in re sic transeunte, sed sufficit quod fiat vel intrinsece in illa, vel in alio aliquo extrinseco. Itaque in proposito, quando paries transit de non viso ad visum, fit mutatio noua in vidente ad visionem terminatam ad parietẽ, & illa mutatio sufficit, vt paries transeat de non viso ad visum, sine receptione alicuius formæ in seipso.

Potest aliquid transire de contradictorio ad contradictoriũ absque mutatione intrinseca.

59. *Quod autem* possit esse huiusmodi trãsitus à contradictorio ad contradictoriũ sine forma intrinseca à qua formaliter fieret, potest clarissime ostendi, præsertim in principiis nostræ scholæ; quia paries albus transit de nõ terminante relationem similitudinis ad esse terminans illã relationẽ, quando scilicet de nouo producitur alius paries sine vlla forma noua intrinseca, à qua formaliter denominetur sic trãsire; quamuis enim recipiat tum aliã similitudinem nouã, non tamen ab illa formaliter habet terminare alteram similitudinem correlatiuã; & in ipsomet casu nostro paries, qui iam non terminabat visionẽ realem oculi, postea terminat illã sine vlla forma, à qua competat ipsi formaliter illam terminare; nam quãuis admitteretur recipere respectum rationis, tamen non haberet ab illo formaliter terminare visionem realem.

*Confirmatur responsio*, quia non est magis absurdum quod aliquid transeat de vno esse ad aliud esse oppositũ, seu de contradictorio ad contradictorium sine forma intrinseca noua, quam quod trãseat de non esse realiter tale ad esse realiter tale absque forma intrinseca reali noua; sed paries transit de non esse realiter viso ad esse realiter visum sine forma intrinseca reali secundum aduersarios, ergo potest absolute transire de non esse tali ad esse tale sine forma intrinseca.

60. *Obiicies tertio*: non potest esse denominatio noua absq; forma aliqua noua, à qua proueniat, siue illa forma sit in re denominata, siue extra ipsam, quia denominatio illa noua debet habere aliquam causam, aliàs non esset, vt est euidens: sed possent dari denominationes nouæ absque vlla forma noua, nisi admittantur prædicti respectus rationis, ergo necessariò sunt admittendi. Probatur minor primo, quia Deus potest de nouo cõstituere Petrum dominum totius mundi, absque productione vllius ẽtitatis realis nouæ, ergo si tum nõ resultet in Petro aut aliquo alio respectus rationis de nouo, dabitur denominatio noua absque vlla forma noua. Probabatur secundò eadem minor, quia DEVS potest dimittere Petro pœnam, quam deberet luere propter peccatum absque productione vllius realis, ita vt Petrus qui ante deberet soluere tantam pœnam, iam non debeat soluere illam. Item posset absque productione vllius formæ realis efficere, vt gratia habitualis, quæ de facto est deletiua peccati, non sit deletiua peccati, præsertim in sententia Scoti. Item DEVS posset velle producere alium mundum absque vlla forma reali, à qua haberet illam denominationem volentis producere alium mundum; ergo, nisi admittantur respectus rationis, possunt aduenire nouæ denominationes absque formis vllis, à quibus prouenirent.

*Respondetur primò*, has difficultates esse Theologicas, & quidem difficillimas, & propterea harum solutionem Theologiæ relinquendam.

Ens rationis nequit de nouo produci absque aliquo reali nouo.

61. *Respondeo secundò*, eas non solui per entia rationis prædicta, quæ propterea non sunt admittenda propter has difficultates; quamuis alia entia rationis admitti deberent propter illas: probatur antecedens, quia vt suppono ex aduersariorum doctrina, ens rationis est terminus secundarius potentię, à qua producitur, & nũquam fit quin illa potentia habeat effectum aliquem realem, quem primario producit, & ad quem sequitur secundario ens rationis: ergo vt de nouo producatur ens rationis, debet de nouo produci aliquid reale: sed in prædictis exemplis non potest assignari aliquid reale nouum, vt fatentur aduersarij; ergo non potest assignari aliquid rationis nouum: quod si possit assignari aliquid reale, à quo possint prouenire entia rationis noua, tolluntur omnes difficultates illæ quia facile respondebimus posse ab illo reali oriri nouam denominationem tam bene, quam nouum ens rationis.

*Confirmatur hoc*: quia prædictæ denominationes nouæ fũt denominationes reales, vere enim & realiter dimitteretur Petro peccatum; vere & realiter constitueretur dominus vniuersi; vere & realiter gratia deleret peccatum: ergo non sufficeret ens rationis aliquod ad dandas illas denominationes: ergo deberet aliquid aliud reale assignari; illud autẽ se solo sufficeret sine ente rationis.

Denominatio noua potest prouenire à forma il limitata antiqua.

62. *Respondeo tertiò* distinguendo maiorem: non potest denominatio noua prouenire absque forma noua, quãdo illa denominatio prouenit à causa infinita & illimitata, nego; quando prouenit à causa limitata & finita, concedo: pro quo aduerte, Deum per volitionem suam realem æternam posse velle, vt Petrus esset dominus mundi pro hodierno die, & in tali casu Petrus, qui non esset dominus mundi ante hodiernum diem, subito ac veniret hodiernus dies, fieret dominus mundi per denominationem extrinsecã desumptam à volitione diuina, quæ fuit ab æterno. Similiter Deus, sicut voluit per volitionem suam æternam, quod de facto gratia habitualis deleret peccatum, ita posset velle, vt non deleret vnquã, & posset etiam velle, vt non deleret heri, & vt deleret hodie; vnde gratia de non delente fieret delens per denominationem desumptam à volitione æterna. Similiter posset Deus per eandem suam volitionem æternam ordinare Petrum ad pœnam hodie, qui non erat ordinatus heri, & Petrus fieret de non ordinato ordinatus per denominationẽ desumptam ab illa volitione æterna Dei. Denique per eandem volitionem æternam, quã habet de facto potuit velle creare alium mundum, & si hoc voluisset, haberet denominationem id volentis à sua volitione, quæ de facto est, à qua tamen de facto huiusmodi denominationem non habet, quia de facto per eam id non voluit. Itaque quidquid potest creatura per diuersas volitiones, siue simul, siue successiue facere, hoc potest Deus infinitus per vnicam volitionem suam infinitam. Hæc solutio melius intelligetur in Theologia.

63. *Obiicies quarto*: Vox *homo*, quæ ex sua natura non est significatiua naturæ humanæ potius quã equinæ, per hoc quod ordinetur à voluntate humana ad significandam naturam humanam, habet esse significatiuũ ipsius; sed nihil est, à quo posset habere hanc denominationẽ,

præter

præter ens rationis resultant ad actum voluntatis ordinantis ipsum;ergo.

*Respondeo* negando minorem, habet enim illam denominationem ab ipso actu voluntatis ordinantis.

*Dices* illum actum iam non existere, ergo non potest ista denominatio prouenire iam ab eo.

*Respondeo* retorquendo argumentum:iste actus iam non est,ergo non potest esse ens rationis proueniens ab eo:probatur consequentia,quia ens rationis dependet in esse & conseruari ab illo actu.

*Quodsi dicas* illum respectum existere moraliter;nos similiter dicere poterimus,quod actus ille voluntatis,quo instituebatur,existat moraliter;& reuera ita est,nam homines ita apprehendunt illam vocem esse institutam ad significandum ac si de facto existeret illa volitio, quod est moraliter existere illam volitionem.

*Respondeo secundo*,ad hoc vt vox illa sit semper significatiua,sufficere quod aliquādo fuerit instituta & ordinata ad hoc:quod non fuerit retractata ab illa significatione.Et quod dico de voce illa,intelligo de cæteris vocibus significatiuis ex instituto, & de aliis similibus, nec requiritur quod actu existat illa forma, per quam instituebatur vox ad habendam illam significationem.

64.*Obiicies quintò*:Respectus,quem dicit generatio ad non esse formæ,quæ producitur per ipsam,nō est respectus realis,cum eius terminus non sit quid reale, ergo est rationis:probatur consequentia, quia non datur aliquod positiuum quod non sit ens reale,vel rationis.

*Respondeo* distinguendo maiorem:non est realis,provt respectus realis opponitur respectui rationis,nego non est realis,prout solum iste respectus dicitur realis,cuius extrema sunt realia,concedo antecedens.Itaque aduertendum est esse tria genera respectuum realium, quorum quodlibet opponitur enti rationis:vnum est eorū, quorum non solum fundamentum, sed terminus etiam est reale positiuum,& tales sunt respectus similitudinis, æqualitatis;aliud eorum,quorum fundamentum est positiuum quid, & reale;sed terminus, licet sit quid reale, non tamen est quid positiuum & talis est omnis respectus, qui terminatur ad negationes & priuationes:tertium denique genus est eorum, quorum fundamentum est quid reale positiuum actu existens, terminus tamen est quid reale possibile non actu existens,& talis est respectus, quem dicit intellectus cognoscens Antichristum ad ipsum.

Tria genera respectuū realium.

Non disputo modo,vtrum dentur omnes hi respectus, de hoc enim alias agemus;sed contendo,si dentur absq; fictione intellectus, omnes esse reales & nullum rationis:& sane Scotus admittit duo genera relationum expresse,vnum eorum, quorum fundamentum, & terminus actualiter existunt,alterum eorum, quorum fundamentum solum existit actualiter.

65.*Obiicies sexto*.Causalitas finis est respectus,sed non est realis;ergo est rationis:probatur minor,tū quia finis non est causa realiter,sed tantū metaphorice causans,vt suppono ex Physica;tum etiā quia finis nō causat secūdum esse reale,potest enim causare,etiamsi non existat, ergo causalitas ipsius non debet esse realis, quia nulla forma fundata in aliquo subiecto potest habere maiorem realitatem,quam suum fundamentum.

*Respondeo*,si finis habeat causalitatem propriam distinctam à se,& à causalitate cæterarum causarum,quod in Physica examinabimus,concedendo maiorem,& negādo minorem;ad cuius probationem dicendum est finem non causare realiter,hoc est secundum existentiam propriam suam realem,bene tamē causare realiter secundū esse intentionale,& hoc est quod intelligitur per causationem metaphoricam.Si vero finis non habet causalitatem à se, aut à causalitate aliarum causarum distinctam,negandum est maioris suppositum,nimirum quod finis habeat causalitatem subiectatam in se.

## QVÆSTIO VI.

### *Quænam sint causæ entis rationis.*

66. *Supponimus dari* quatuor genera causarum *causam* scilicet *finalem*, propter quā res fit,vt ambulatio habet pro causa sanitatem,quando in ordine ad sanitatē procurandam quis ambulat;*causam efficientem*,à qua res fit,vt ambulatio habet pro causa hominē,qui se mouet dū ambulat;*causam materialē*,quæ est vel illa,ex qua res componitur tanquam ex parte perfectibili,vt homo cōponitur ex corpore,quod propterea est causa materialis ipsius,vel subiectum,in quo recipitur res facta,vt homo est causa materialis ambulationis;*causam* deniq;*formalē*,quæ est altera pars perfectiua, ex qua aliqua res fit,& per quam distinguitur ab aliis rebus,vt homo cōponitur ex anima,quę propterea est causa formalis ipsius:quādo autē res,quæ dicitur fieri aut produci, est forma nō cōposita est parte materiali & formali,vt est ambulatio,& calor,& anima rationalis,& huiusmodi,non est necesse vt habeant causam formalē physicam, quamuis semper huiusmodi etiam habeant causam formalem metaphysicam,vt quæ est vltima differentia eorum, qua ab aliis rebus distinguantur:sed de his causis suo proprio loco, secundo Physicorum per se agetur; sufficit proposito huius loci hæc imperfecta cognitio eorum.

*Prima sententia* est ens rationis habere quidem causam efficientem,sed non habere cæteras causas,& præsertim non habere causam finalem: Ita *Suar.disput.54. Met.sect.2.*

*Secunda sententia* negat ens rationis habere causam efficientem:ita *Gabriel 2.d.1.q.2.dub.4. Heruæus* de secundis intentionibus,& *Soncinas 6.Met.q.18.*

*Tertia sententia*,quæ est communior,est ipsum habere quatuor prædictas causas,cum proportione ad ens reale.In rei tamen veritate vix potest esse hic alia quæstio quàm de nomine, nam quod in re asseritur ab adscribentibus enti rationis quatuor causarum genera non potest negari ab aliis,qui cōcedunt dari vllo modo ens rationis; in quæstione autem de nomine melius est loqui cum multis. Vnde sit.

## CONCLVSIO.

67.*Ens rationis habet quatuor genera causarum suo modo concurrentium ad ipsius productionem.* Hæc est communis cum tertia sententia, & colligi potest ex *Scoto 1.d.3.q.* Probatur breuiter,quia dum intelligitur ab intellectu chymera aliqua v.g.compositum aliquod per se vnū ex homine & equo,illud compositum recipit esse intētionale ab intellectu non minus quam cætera entia,quæ intelligūtur;ergo illa chymera habet pro causa efficiēti intellectum dantem ipsi illud esse intentionale; neque enim aliud intelligimus per causam efficiētem entis rationis, quam illud, quod dat ipsi esse intentionale,seu quod cognoscit ipsum. Rursus habet causam finalem, quia intellectus dum intelligit ipsum, habet aliquem finem, & idem est finis effectus ac efficientis; effectus enim productus ab efficiente ordinatur ab ipso ad suum finem, aut saltem ab alia causa applicante efficientem ad productionem effectus.

Ens rationis habet quatuor genera causarū.

*Præterea* habet illa chymera pro causa materiali illam partē,quæ consideratur ab intellectu, tanquā perfectibilis ab alia parte,& pro causa formali alteram partem, quæ consideratur vt perfectiua alterius partis. Quod si ens rationis non sit quid compositum ex partibus huiusmodi,sed forma simplex ficta,seu impossibilis realiter,vt si cōsideretur cognitio passiua aliqua intrinsece recepta in obiecto cognito, à qua obiectum habet esse cognitum formaliter, illud ens rationis habebit pro causa efficienti dante ipsi esse intentionale,intellectum pro causa materiali in qua obiectū,in quo consideratur ista cognitio passiua impossibilis;pro causa formali metaphysica,differentiam suam metaphysicam,qua ab aliis entibus distinguitur;& pro finali denique finem causæ efficientis,seu applicantis illam hic & nunc.

68.*Obiicitur* fundamentum primæ sententiæ:ens rationis,cum non sit quid reale, non potest ex se ordinari ad aliquem finē,nec causari à causis non cognitiuis quales sunt homo & brutum,ex quibus componitur chymera.

*Respondetur* ex dictis, quamuis ex se non ordinaretur ad aliquem finem,ordinari tamen ad finem ab efficiēte, quod sufficit:& quamuis causæ nō cognitiuæ nō possint

producere efficienter ens rationis, possunt tamen materialiter & formaliter per hoc quod possunt considerari vt partes intrinsecæ ipsius.

*Obiicitur secundò* fundamentum secundæ sententiæ: effectus debet habere proportionem cum causa efficiēti, ergo ens rationis non potest habere causam realem efficientem,quia cum tali nequit habere proportionem:sed aliam causam efficientem nequit habere, quam realem: ergo nullam habet causam efficientem.

Quam proportionem debet habere effectus cum causa.

*Respondeo* distinguendo antecedens:debet habere proportionem cum causa quantum ad hoc, quod sit producibilis à causa,& quod causa sit productiua ipsius, concedo antecedens,quantū ad hoc quod,si effectus sit quid rationis seu impossibilis realiter, causa debet esse talis; nego antecedēs:quemadmodum enim intellectus potest dare esse intētionale Antichristo dum intelligit ipsum, licet Antichristus non existat realiter,provt existit intellectus, ita etiam potest dare esse intentionale alicui impossibili,licet illud impossibile non existat realiter, nec possit existere,sicut existit intellectus.Itaque illa proportio inter effectum, & causam quam prætendit obiectio, solum debet adesse inter effectum, qui realiter producitur & causam,non inter effectum, qui producitur intentionaliter.

69.*Obiicies* præterea.Si intellectus efficiet ens rationis, maxime cognoscendo illud.sed sic non potest ipsum efficere, ergo nequit effici ab intellectu: probatur minor, quia sequeretur dari plures causas adequatas eiusdem effectus, quod supponendū est ex Philosophia esse falsum, maxime in sententia Scoti: probatur sequela,quia illud ipsum ens rationis,quod cognoscitur ab vno, simul potest cognosci ab alio, & semper cognoscitur à Deo, sed habet esse suum adæquate à quolibet cognoscēte ipsum, ergo haberet esse suum adæquate à pluribus causis.

Esse intētionale potest haberi à pluribus causis totalibus.

*Respondetur* breuiter negando minorem,& ad eius probationem dicēdo, quod idē possit habere esse suum intētionale à pluribus causis simul,quia simul potest cognosci à pluribus,vt de ipsis entibus realibus est manifestum, nec id est absurdum,aut contra principia Scoti, qui solū negat idem posse effici à pluribus causis adequatis quoad esse existentiæ realis,non quoad esse intētionale. Omnes autem debent concedere differentiam inter vtrūque esse quoad hoc,quia omnes concedunt non posse idem naturaliter produci à pluribus causis adæquate, quoad esse existentia realis, cum tamen omnes concedant,& pateat experientia, quod idem posset produci à pluribus simul & adæquate quoad esse intentionale.

## QVÆSTIO VII.

*Quænam potest esse causa effectiua entis rationis.*

70. SI vera esset sententia superius impugnata *qu.*5.quod ad actus potentiarum omnium vitalium sequantur in obiectis,in quæ tendunt istæ potentiæ,quidam respectus rationis, dicendum esset hic quamlibet potentiam vitalem posse producere ens rationis:sed quia supponimus illam sententiam esse falsam, examinandum hic est,quænam potentia possit facere ens rationis.

*Prima sententia* est posse etiam fieri non solum ab intellectu,sed etiam à voluntate. Hæc tribuitur *Scoto in* 1. *dist.*45.*q.vn.*

*Secunda sententia* est posse fieri per potentiam imaginatiuā,seu phantasticam sensitiuam.Hæc tenet *Suar.disp.* 54 *met.sect.*1. *num.*18. *Merinerus hic q.*4.*Fuentes quæst.*2. *dif.*3.*art.*1.*Arriaga disp.*6 *met.sect.*2. *& Camerarius par.*3. *quæst.*16.

*Tertia sententia* est communiter apud recentiores, solum intellectum facere entia rationis. Ita *Auersa hic q.*5. *sect.*4.*Complutenses q.*3.*Amicus q.*3.*dub.*2.*Conimbricenses, q.*6.*in Porphyrium art.*1.*Hurtadus,disp.*19.*sect.*5.*Ioannes à sancto Thoma.*2 *par.Logicæ q.art.*4.

## CONCLVSIO.

Nulla potētia sensitiua facit ens rationis.

71. *Nulla potentia sensitiua externa, aut interna potest facere ens rationis.* Hæc est iuxta tertiam & primam sententiam, & iuxta secundam etiam qaoad potentias externas sensitiuas, sed contra eam quo ad potentiam internam sensitiuam, hoc est,quoad potentiam phantasticam,aut imaginatiuam.

*Complutenses* longissimo discursu conātur probare hāc conclusionem,in quo tamen finaliter petūt directe principium;quod vt appareat, breuiter examinandus est eorum discursus. Supponunt ergo primò intellectum esse reflexiuū supra suos actus ex eo,quod non sit affixus organo, & dicunt hoc non solum verum esse de reflexione proprie dicta,quatenus scilicet potest considerare actus suos aliis actibus distinctis, sed de reflexione quasi virtuali,quæ reperitur in quolibet actu intellectus,quatenus per quemlibet actum suum aduertit ad suum actum & effectum eius: hunc autem reflectendi modum negant competere sensibus materialibus vllis. Hinc probant conclusionem,quia ens rationis per eundem actum fit ac cognoscitur,ergo solum potest fieri à potentia,quæ potest reflectere supra suum actum.

Sensus materiales reflectūt virtualiter tam bene quam intellectus.

72 *Contra* hanc doctrinam facit primò quod falsum sit potētias materiales non posse reflectere supra suos actus saltē reflexione illa impropria,ac virtuali tam bene,quā intellectus; nam reuera si intellectus cognoscēdo directe obiectum eodem actu percipit se cognoscere illud,etiam visus videdo obiectum, eodem actu percipit se videre,& idem est de cæteris potentiis,id quod tam euidens est experientia,quam quod intellectus percipiat se cognoscere eodē actu quo cognoscit;nec refert quod oculus dicatur determinari ad colorem tanquam ad obiectum adæquatum;& consequenter quod nequeat tendere in actū suū, qui non est color,nec coloratus;hoc inquam non refert, quia intelligi debet quantum ad hoc quod non possit tēdere actu directo in aliud obiectum, non vero quod illo genere reflexionis non possit percipere actum suum,si tamen intellectus sic percipiat suum actum.

Quāuis intellectus non esset reflexiuus adhuc faceret ens rationis.

*Rursus*:illa reflexio nihil facit ad propositum, quamuis enim intellectus non posset reflectere supra suum actum,non inde sequeretur, quod non posset percipere chymeram, & consequenter facere ens rationis;ergo ex eo quod sensus non possit reflectere supra suum actum, non sequitur quin possit facere ens rationis.

*Deinde* non video vim istius consequentiæ,ens rationis fit eodem actu, quo cognoscitur, ergo non potest fieri nisi per potētiam, quæ possit reflectere supra suū actum; neque enim ad hoc quod aliquid fiat per actum,quo cognoscitur; requiritur vt cognoscatur ipsemet actus,quo fit,aut cognoscitur, & consequenter non requiritur ad hoc reflexio.

Alia probatio eorundem.

73. *Alium discursum* adhibent ad probandam conclusionem supponendo,quod ens rationis debeat cognosci aut per speciem propriam,aut per speciem impressam & expressam entis realis:si per speciem propriam debet cognosci, solū poterit cognosci ab intellectu, quia nulla alia potentia potest producere talem speciem, id quod probant de imaginatiua,de qua maior est sine dubio difficultas, quia habet pro obiecto adæquato aliquam determinatam speciem entis realis,& consequenter nequit tendere in esse fictum,seu in ens rationis.Si debeat etiam cognosci per speciem entis realis,propter eandem rationem nequit cognosci à potentia, cui non poterit repræsentari aliud ens,quàm ens realē, qualis est imaginatio, & à fortiori quæcumque alia potentia sensitiua, quia aliàs excederet obiectum suum adæquatum,quod est aliqua species entis realis.

*In hoc discursu*,manifeste petunt principium,nam dum dicunt imaginatiuam habere pro obiecto adæquato aliquam speciem determinatam entis realis,assumūt quod erat probandum; qui enim tenent imaginatiuam facere ens rationis, negarent obiectum adæquatum ipsius esse aliquam determinatā speciem entis realis, vnde dicerēt consequēter,si ens rationis debeat cognosci per speciem propriam, imaginationem posse facere talē speciem, & per eam concipere illud;si autē non deberet cognosci per speciem propriam,dicerēt imaginationem posse per speciem realem obiectorum aliquorum realiū,quæ percipit, facere entia rationis correspondentia illis, non minus quam intellectus,cum hoc tamen discrimine quod intellectus

lectus posset plura genera entium rationis facere, quam imaginatio, sicut ad plura entia potest se extendere.

Probatio Ioannis à S. Tho.

74. *Ioannes à Sancto Thoma* probat imaginationem non facere ens rationis formaliter, quia licet reuera cognoscat aliquid fictum, componendo ad inuicem multa, quæ in re non sunt, nec esse possunt, atque adeo materialiter faciat ens rationis, tamen non cognoscit ipsam fictionem, nec discernit inter illud ens fictum, & ens reale.

Improbatur.

*Contra hanc doctrinam arguitur*: Si cognoscat ens, quod est reuera fictum, & cui repugnat realis existentia: ergo facit illud ens fictũ etiam formalissime, quia formaliter facit vt existat obiectiue. Neque sane alij authores, qui dicunt ens rationis fieri ab imaginatione, aliud volunt, quam quod cõcipiatur ab imaginatione, vnde hic author concedit quod ipsi intendunt, & solum reducit quæstionem ad nomen, dicendo gratissime quod faciat quidem ens rationis, sed materialiter tantum, non formaliter.

*Rursus*: ipsemet intellectus, quando intelligit chymeram, facit ens rationis secundum omnes, & tamen non est necesse vt tum concipiat fictionem, aut vt ipsam distinguat ab ente reali; quandoquidem sæpe apprehendat impossibilia de quibus dubitat, an talia sint: ergo vt imaginatio faciat ens rationis, sufficit quod concipiat ipsum, & non requiritur quod concipiat fictionem, neque quod distinguat ens illud fictum ab ente reali. Addo falsum esse quod imaginatio percipiat aliquod, cui repugnat realis existentia.

Melior probatio conclusionis.

75. *Melius & clarius longe probatur conclusio*, quia vt patet ex dictis, & omnes concedunt, qui negant entia rationis resultare ad actus potentiarum vitalium; Ens rationis nequit fieri, nisi à potentia, quæ ipsum percipit; sed nulla potentia materialis potest ipsum percipere, ergo nequit fieri ab vlla tali potentia. Probatur minor experientia, quia experimur nos nunquam aliquid percipere per sensus materiales, nisi quod vel existit, vel potest existere, id quod de sensibus externis omnes facile cõcedũt, & probatur de sensu interno, v.g. imaginatiua seu phantasia, de qua sola potest esse difficultas, quia si hæc apprehenderet aliquid, quod non existit, nec potest existere, maxime id faceret, quando apprehenderet compositum aliquod ex homine, equo, & leone, aut montem aureum: sed dum hæc apprehendit, licet apprehendat aliquid, quod actu non existit, nisi obiectiue in apprehensione, tamen non apprehendit aliquid, cui repugnat realiter existere, quia non apprehendit aliud, quam colores talium animalium cum tali figura externa & coniũctione; sed certum est posse à parte rei produci colores cum tali figura & coniunctione, ergo non apprehendit tum imanatiua ens aliquod, quod nequit existere, secundum quod apprehenditur ab imaginatiua.

Sensus materialis non percipit aliquid impossibile.

76. *Confirmatur*: quia certum est imaginatiuam non cognoscere substantiam aliquam substare accidentibus, nec habere conceptũ vnius per se, aut per accidens, quia hæc cognosci non possũt nisi mediãte operoso discursu; ergo solum fertur in colores externos & figuram talem, vel talem substantiarum; at certum est nullos colores ab ipsa percipi posse cum vlla figura, quin cum tali figura possent produci à parte rei, ergo, &c.

*Confirmatur secundò*: quia si Deus à parte rei produxisset colores cum tali figura & quantitate, vt aliqua pars eorum repræsẽtaret colores faciei humanæ, & alia faciei equinæ, & alia leoninæ, eosque sic coniungeret, vt facerent vnum totum continuum, sicut imaginamur chymeram, certum est quod imaginatio non posset distinguere chymeram à se fabricatã, ab illis coloribus, imo ipsemet intellectus æque bene existimaret sub illis coloribus latere chymerã, ac sub obiecto repræsentato per phantasiã: ergo signum manifestũ est non percipi à phantasia aliud quam colores cũ tali figura, nec consequenter ab ea percipi aliquid, cui repugnat realis existentia. Quod si ipsemet intellectus non haberet aliam cognitionem aut apprehensionem chymeræ, quam colorem cum tali figura, aut situ, profecto non faceret vllum ens rationis, vnde quando percipit chymeram, habet alium conceptum, nimirũ alicuius totius resultantis ex substantia hominis & substantia equi, aut leonis, & illo conceptu dat esse obiectiuum alicui enti, cui repugnat realis existentia, & consequenter facit ens rationis.

Nõ sufficit ad faciendum ens rationis apprehendere quod nõ est.

77. *Arriaga* duplici via tenet sensus internos posse facere ens rationis, prima, quatenus concipere possunt aliquid actu existere, quod actu non existit, quamuis possit existere; putat enim hoc sufficere ad faciendum ens rationis, & præterea sensum internum posse tale quid concipere. Ergo quidem fateor, posse potentiam internam imaginatiuam non solum hominis, sed brutorum imaginari aliqua esse, quæ reuera non sint, vt montem aureum, & similia; sed nego obiecta sic concepta, esse entia rationis, cum sint entia possibilia realiter, atque adeo entia realia: nec Arriaga oppositum tenens aliud facit, quam excitare quæstionem de nomine, & eam defendere in sensu minus communiter accepto, quod ipsum sufficit pro improbatione sententiæ eius.

Alio modo defendit idem in sensu magis reali, asserendo imaginatiuam posse concipere aliquid impossibile, in quo nobiscum habet controuersiam realem, & eius sententiam iam impugnaui.

78. *Sed obiicies* pro ipso primo: potest imaginatiua apprehendere aliquod obiectum in hoc loco, quod diuinitus nequit esse in hoc loco, ergo potest concipere impossibile.

Sensus materialis nequit percipere vbicationem formalẽ.

*Respondeo primò* imaginatiuam non posse concipere aliquid esse in loco per vbicationem aliquam distinctam, imo intellectus ipse non id cõcipit absque discursu, qualis non est tribuendus imaginationi: solum ergo concipit rem, quæ est in loco & corpora vicina; res autem & corpora illa vicina sunt entia realia.

Nihil perceptũ à sensu meteriali potest esse alligatum vni loco tantum.

*Respondeo secundò* negando aliquid posse esse in vno loco, quod non possit etiam esse in quocumque alio, & si esset aliqua talis res, quæ ita determinaretur ad vnum locum, vt nequeat esse in alio, profecto non esset res perceptibilis ab imaginatiua.

*Respondeo tertiò*: quamuis res perceptibilis ab imaginatiua posset esse alligata vni loco, adhuc tamen non posse esse sic alligatam, quin alia corpora possent cum illo collocari, nec sensus materialis posset concipere ipsum in alio loco, nisi quatenus potest cõcipere alia corpora coniungi cum ipso, seu esse indistantia ab alio: id autem est possibile; ergo quod apprehenditur à phantasia, vel imaginatiua est possibile.

79. *Obiicies secundò* potest canis apprehendere vmbram per modum hominis, à quo fustibus est exceptus: sed vmbra, vt sic, est quid impossibile, ergo potest imaginatiua facere ens rationis. Probatur minor, quia vmbra est nihil, impossibile autẽ est, quod nihil percutiat fustibus.

Quomodo apprehendit canis vmbram per modum hominis.

*Respondeo primò* canem non apprehendere vmbram per modum hominis, sed proposita vmbra propter proportionem, quam posset habere cum homine, excitari speciem hominis, & consequenter imaginari canem, quod homo sit, vbi non est nisi vmbra; hominem autem esse ibi, non est impossibile, vnde in forma nego maiorem.

*Respondeo secundò*, quando apprehendit canis vmbram per modum hominis, eum apprehendere vmbram secundum illam rationem, secundum quam habet proportionem cum homine, & præterea apprehendere quod à re habente talem rationem fuerit affectus fustibus, vmbra autẽ vt sic, nõ est impossibile quid, sed omnino ens reale; nec vmbra, vt nihil est, apprehẽditur à bruto, sed colores illi & figura, quæ sunt vbi est vmbra, apprehenduntur non apprehẽsa tanta luce, quanta est, vbi non est vmbra.

80. *Obiicies tertiò*, quando aliquis à longe videns vnum animal putat illud esse aliud, aut videns vnam columnam putat illam esse hominem, habet hanc apprehensionem illud quod video est homo: sed obiectum huius apprehensionis est impossibile, ergo sensus internus facit ens rationis chymericum.

*Respondetur* ex iam dictis negando suppositum maioris, nempe quod quis per sensum internũ iudicet aut apprehendat animal à longe visum, esse aliud, aut colũnam sic visam esse hominem; sed potius vsis illis obiectis excitãtur species aliarum rerum, & apprehendit alias illas res

esse, vbi non sunt; vnde habet hanc apprehensionem: illa res, quæ est ibi, est homo, sed hanc: illud quod ego concipio interne, nempe homo, est ibi, vbi tamen non est, cum alia res supponatur esse ibi. Intellectus autem bene potest mediante discursu, erroneo tamen, iudicare quod illa res, quæ proponitur à longe, sit alia res.

*Responderi etiam potest secundò*, quod sensus internus etiam si iudicaret illam rem, quam videt verbi gratia columnam, esse hominem, non habeat hoc iudicium quod illa res secundum totam illam rationem, quam habet à parte rei, sit homo, aut similis homini, sed quod secundum illam imperfectam rationem, secundū quam ipsum concipit à longe, sit similis homini secundum aliquam rationem repertam in homine; res autem illa, vt sic, non est impossibile, sed aliquid reale, nam homo conuenire potest cum columna realiter in aliqua proportione colorum, & figuræ.

*Per hæc patet*, à fortiori contra eundem Arriagam, sensus externos non facere entia rationis, nam sine dubio minus id debent posse facere, quam imaginatiua; quæ magis ad rationem accedit, quod si placeret in particulari examinare, quæ de hoc affert hic author, facile esset vel omnia, vel maiorem partem refellere.

## CONCLVSIO. II.

Voluntas non facit ens rationis.

81. *Voluntas non potest facere ens rationis.* Hæc est longe communior, & ex Scotistis eam tenet *Merinerus hic quæst.* 4. est autem contra quosdam alios Scotistas.

Probatur ab aliquibus, quia ens rationis, vt ex ipso nomine constat, dicit ordinem ad rationem tanquam ad causam sui, propterea enim vocatur ens rationis, quia à ratione causatur, ergo nequit fieri ab alia causa, quæ non sit ratio, & consequenter nequit fieri à voluntate. *Hæc probatio non vrget*, quia licet etymologia nominis *ens rationis* desumatur à ratione, tamen ex vsu authorum omnium iam communiter sumitur pro omni ente, quod non est reale; vnde si posset facere voluntas, aut alia potentia non intellectiua aliquod ens, quod non est quid reale, posset facere ens rationis, quantumuis ipsamet non esset ratio; vnde vt cognoscatur an voluntas possit facere ens rationis, debet videri, an possit facere aliquod ens, quod non sit reale.

Probatio vera.

82 *Probatur ergo aliter*, quia voluntas nequit facere ens rationis, nisi possit dare ipsi esse obiectiuum, sed nequit dare ipsi tale esse: ergo nequit ipsum facere. Probatur maior, quia effectio entis rationis cõsistit in dando ipsi tale esse, probatur minor, quia voluntas nequit dare esse obiectiuum entibus realibus, quæ intendit, ergo neque entibus rationis, à paritate rationis. Probatur eadem minor secundò, quia voluntas non potest tendere in vllum ens rationis, nisi in illud, quod proponitur ipsi ab intellectu, & quod consequenter habet esse suum intentionale antecedenter productum, ergo non est dicendum quod ipsamet det ipsi esse intentionale.

Voluntas non dat esse obiectiuum rebus.

*Dices*: quamuis vnum ens rationis producatur ab vno intellectu, potest tamen cognosci ab alio intellectu, & consequenter recipere ab ipso esse intentionale, ergo quamuis præsupponeretur ens rationis productum ab intellectu, hoc tamen non obstante, posset produci à voluntate.

*Contra*, quia productio entis rationis per vnum intellectum non necessario requiritur ad hoc, vt alius intellectus ipsum intelligat, ac producat, sed omnino impertinenter se habet ad hoc, vt patet ex eo quod secundus intellectus possit ipsum intelligere eodem modo, siue primus intellectus ipsum produxit ante, siue non: sed voluntas non potest tendere in ens rationis, nisi concipiatur ac producatur per intellectum; vnde illa productio ipsius per se requiritur, vt possit voluntas tendere in illud, atque ideo debet dici quod voluntas ipsa non habeat virtutem productiuam ipsius.

83. *Obiicies primò* Doctorem 1. *dist.* 16. *n.* 14. dicentem, omnem potentiam collatiuã posse comparare suum obiectum ad aliud, & in eo sic comparato causare respectum rationis: sed voluntas est potentia collatiua: ergo.

*Respondeo* Scotum intelligendum in sensu fundamẽtali, non vero formali, vult enim solum quod eo modo, quo intellectus per actum comparatiuum causet respectum rationis, etiam voluntas, quandoquidem sit potentia collatiua, seu comparatiua, causet respectum rationis: sed ex dictis intellectus non causat respectum rationis per actum cõparatiuum, nisi fundamentaliter, quatenus scilicet per illum actum ponit fundamentum sufficiens excogitandi vnum respectum rationis in obiecto comparato, ergo eodem tantum modo dicendum est quod voluntas causet ens rationis per actum comparatiuum.

Quomodo voluntas facit ens rationis secundũ Scotum.

*Confirmatur hoc*: quia *Scotus quodl.* 3. describens ens rationis strictum, de quo hic loquimur, provt scilicet ens rationis, opponitur enti reali, expresse ait illud esse ens rationis, quod præcise habet esse intellectu considerante, ergo non potest esse mens ipsius, quod ens rationis oppositum enti reali possit fieri ab alia vlla potentia; per quod etiam confirmatur præcedens conclusio authoritate Scoti.

84. *Obiicies secundò ex Fuente*: secundum Scotum voluntas affectu simplici appetit æqualitatem Dei, quæ est impossibilis, & consequenter ens rationis, ergo facit ens rationis.

*Respondeo* negando consequentiam: quia sicut appetendo ens reale non facit ens reale, ita etiam appetendo ens rationis, non facit ens rationis.

*Dices*: quamuis intellectus cognoscendo ens reale non faciat ens reale, tamen cognoscendo ens rationis facit ens rationis: ergo quamuis voluntas appetendo ens reale non faciat ens reale, tamen appetendo ens rationis posset facere ens rationis.

*Respondeo* negando consequentiam, quia ideo intellectus concipiendo ens rationis, facit ens rationis, quia non competit enti rationis alio modo fieri, quam concipiendo, & quia non præsupponit ipsum factum necessario ab alia causa, sed ens rationis potest fieri alio modo quam volendo, & semper præsupponitur sic factum antequam, & quando voluntas facit illud, ergo non potest dici fieri à voluntate, quamuis voluntas tendat in illud.

## CONCLVSIO III.

Solus intellectus facere potest ens rationis.

58. *Ens rationis à solo intellectu fieri potest.* Hæc est iuxta tertiam sententiam, & sequitur manifeste ex dictis, tum quia certum est fieri ab intellectu dum ipsum concipit, quia tum recipit ab ipso esse intentionale, seu esse obiectiue in intellectu; tum quia non potest assignari alia potentia, à qua fiat, quandoquidem non fiat, nec à voluntate, nec à potentiis materialibus internis aut externis; ergo à solo intellectu fieri potest, & à nulla alia potentia aut causa.

## QVÆSTIO VIII.

*Quonam actu intellectus faciat ens rationis, & an fieri possit ab omni intellectu.*

86. INtellectus potest habere plures actus; primò enim potest habere simplicem apprehensionem alicuius rei, siue simplicis, siue compositæ, vt quando apprehendit vnum hominem, v. g. aut plures, nihil affirmando vel negando de ipsis, & hic actus vocatur prima operatio intellectus. Secundò potest habere alium actũ, quo absque discursu iudicat aliquid esse, vel non esse tale, vt si dicat interne: *Petrus existit. Petrus est bonus. Paulus non est in cælo. Ioannes non existit.* Et hic actus vocatur secunda mentis operatio. Tertiò potest habere talia iudicia mediante discursu; & actus, quo sic iudicat, vocatur tertia mentis operatio.

Quis actus rectus intellectus.

*Rursus potest* intellectus habere actus rectos, actus reflexos, & actus comparatiuos. *Actus rectus* vocatur ille, quo cognoscit aliquid directe, siue apprehendendo, siue iudicando cum discursu, aut sine discursu, nõ reflectẽdo supra suam cognitionem, siue non considerando res, vt sunt à se cognitæ; vt quãdo aliquis cognoscit Petrũ, aut montem. *Actus reflexus* est quando considerat quis rem vt à se cognitam, vt si quis postquam directe cognoscit Petrum, velit reflectere & cõsiderare Petrũ à se cognitum, aut Petrũ habere à cognitione sua aliquã rationẽ, quam

Quis reflexus.

Qui comparatius.

quam ante non habuit. *Actus comparatius* est quando considerat intellectus aliquid cum ordine ad aliud, vt si quis cognoscat animal esse prædicabile de homine, aut Petro, aut Ioannem esse dominum Pauli, aut Deum esse creatorem mundi, siue hoc faciat simpliciter apprehendendo, siue iudicando cum discursu, aut sine discursu. Quæritur ergo in prima parte quæstionis, quonam ex his actibus possit intellectus fabricare ēs rationis: qua de re varij sunt modi dicendi, quos prolixum esset recensere, cum res ipsa facile decidi possit.

## CONCLVSIO I.

Quocūque actu potest intellectus dare esse obiectiuum entirationis.

87. *Si sufficiat ad ens rationis producendum, quod sit obiectiue in intellectu, potest fieri per quemcunque actum intellectus, ex prædictis.* Probatur quia potest intellectus apprehendere ipsum: & iudicare ipsum existere & esse ens reale, aut non esse ens reale, & hoc cum discursu aut sine discursu. Item potest directe apprehendere ipsum, & comparare ipsum ad aliud, & per cognitionē reflexā cognoscere ipsum esse à se cognitū: sed per quemcumque ex his actibus ens rationis habet esse obiectiue in intellectu, hoc enim nihil aliud est, quam terminare cognitionem intellectus: ergo si nihil aliud requiratur ad faciendum ens rationis, quam quod habeat esse obiectiue in intellectu, per quemlibet ex prædictis actibus potest fieri ens rationis: nec prorsus in hoc video esse posse controuersiam vllam realem.

## CONCLVSIO II.

Quomodo non posset fieri per primam operationem.

88. *Si non sufficiat ad fabricationem entis rationis dare ipsi esse obiectiuum, sed vlterius requiratur quod indicetur existere à parte rei, vel per se absolutè, vel in aliquo subiecto per modum formæ, aut partis, tum non poterit fieri per primam operationem intellectus, hoc est per simplicem apprehensionem vllam; bene tamen potest fieri per secundam, aut tertiam operationem, & per actus rectos ac reflexos.* Hæc etiam videtur esse extra controuersiam, & patet prima pars, quia per primam operationem nequit quis aliquid iudicare. Secunda pars patet, quia potest quis & sine discursu, & cum discursu, falso tamen, iudicare aliquid existere, quod non possit existere tertia etiam pars patet, quia potest quis iudicare directe, quod Sacramenta possint physice creare gratiam, aut non possint, & tum directe iudicat alterutro ex illis actibus, quod existat in illis aliquid impossibile, vt est euidens, ergo potest cognitione directa, seu non reflexa facere ens rationis. Rursus, potest iudicare quod paries à se cognitus habeat esse cognitum per cognitionem passiuam vitalem in ipso pariete inhærentem, & tum faciet ens rationis per actum reflexum.

89. *Solum iam*, quantum ad primam partem, manet dubium, quidnam reuera requiratur ad fabricandū ens rationis, seu vter dicendi modus ex duobus iam propositis sit præferendus: sed vt bene aduertit *Suar. disp. 54. sect. 2.* controuersia est de nomine, & apud Thomistas communiter videtur posterior modus loquendi esse communior, nimirum quod requiratur ad effectionem entis rationis iudicium falsum, & non sufficiat quæcunque cognitio eius. Sed apud Scotistas prior modus loquendi est satis vulgaris, & quidem appositus: cum enim ens rationis non habeat aliud esse extra causas, quā esse intentionale, seu cognosci, seu esse obiectiuè in intellectu, cur non posset dici habere suam existentiam per quemcumque actū, per quem cognoscitur? Sed quia tamen quæstio est plane de nomine, nō est multū cū vllo contendēdum de sua acceptione, sed quod in similibus quæstionibus semper fieri oporteret, prius quam cum vllo circa fabricam entis rationis controuersia esset ineunda, conueniendum esset in acceptione nominis.

Ad faciendum ens rationis sufficit quæcūque cognitio eius.

An Deus faciat entia rationis.

90. *Ex his facilis est* resolutio secundæ partis quæstionis, nam si Deus cognoscat entia rationis, dicendum est iuxta secundū modum dicēdi quod eo ipso faciat entia rationis non secus ac homo, & consequenter quod omnis intellectus possit facere ens rationis, quia si diuinus potest, poterit Angelicus, & consequēter omnis; quamuis autem cognosceret entia rationis, si tamen ad ea facienda requiratur iudicium falsum, euidens est Deum non posse facere entia rationis, & consequenter ens rationis non posse fieri ab omni intellectu, quia euidens est Deum non posse habere iudicium vllum falsum, hoc enim esset maximæ imperfectionis & contra perfectionem summæ veracitatis eius in cognoscendo. Quod si non cognoscit entia rationis, tum æquè certū est, quod non possit illa facere, & consequenter etiam quod ens rationis non possit fieri ab omni intellectu, quia non fiunt nisi cognoscendo ipsa: vnde tota difficultas secundæ partis est, an Deus cognoscat illa, necne; quod examinabitur quæstione sequenti.

## QVÆSTIO IX.

*An Deus cognoscat entia rationis.*

91. PRima sententia est Deum cognoscere entia rationis indirecte, hoc est quatenus cognoscit cognitionem illam, qua fiunt entia rationis, & qua cognoscuntur. Ita *Suar. supra sect. 2. Ruuius dub. 5.* de ente rationis. *Merinerus disp. 3. de Vniuersalib. q. 6.*

*Secunda sententia* est, Deum non cognoscere ens rationis, directe aut indirecte. ita *Vasq. 1. par. disput. 118. 73. Caberus disp. 1.* de vniuersalib. *dub. 8.*

*Tertia sententia* est Deum cognoscere ens rationis directissime. Hanc præter Scotistas fere omnes tenent *Lorca 1. 2. sect. 1. disput. 25. Arrubal disp. 34. c. 7. Ægydius tom. 1.* de beatitud. *lib. 5. q. 6. Fonseca lib. 7. met. c. 8.* & alij plures.

## CONCLVSIO. I.

Deus cognoscit directe entia rationis.

92. *Deus cognoscit entia rationis, & quidem directe.* Hæc est communior, & prima pars est contra secundam sententiam, secunda contra primam.

*Probatur prima pars*, quia Deus comprehendit omnes actus intellectus humani, ergo cognoscit obiecta eorum, quia impossibile est comprehendere aliquem actum, quin cognoscatur obiectum eius, cum sit ratio determinans intellectum ad tale obiectum: sed obiectū actus, quo cognoscitur ens rationis, est ipsum ens rationis; ergo Deus cognoscit ens rationis.

*Confirmatur:* Deus non cognosceret comprehensiue & perfectissime ignem, nisi cognosceret, quod haberet facultatem producendi calorem; nec posset cognoscere talem facultatem, nisi cognosceret calorem, vt per se patet: ergo non cognoscit perfectissime intellectum, nisi cognoscat quòd possit cognoscere ens rationis, nec potest cognoscere hoc, nisi possit cognoscere ipsum ens rationis.

*Probatur secundò*, quia sequeretur Deum non posse cognoscere omnem propositionem veram, sed hoc est absurdissimum. Probatur sequela, quia propositio non potest cognosci esse vera, nisi cognoscatur esse conformis suo obiecto, veritas enim eius consistit in illa conformitate; sed si Deus non cognosceret ens rationis, non cognosceret obiectum alicuius propositionis veræ nimirum huius: chymera est intelligibilis, & impossibilis realiter, quia obiectum est ens rationis.

Responsio Vasq.

93. *Nec tollit* vlla ratione hāc difficultatē quod respōdet *Vasques*, actus intellectus, qui versantur circa entia rationis tendere etiam in obiecta realia, & ad illa tantū dicere respectum transcendentalem, vnde cum Deus cognoscit obiecta omnia realia, poterit cognoscere omnes actus intellectus. Hoc, inquam, non tollit difficultatem, quia actus intellectus, si dicat respectū transcendentalē ad aliquid, debet illud dicere ad omne quod per ipsū intelligitur, quia est eadē ratio, & cōsequēter, si ex eo quod dicat respectum transcendentalem ad obiecta realia, nō potest perfecte cognosci, quin intelligantur illa obiecta realia, idem erit dicendum de obiectis, quæ sunt entia rationis. *Deinde*, quando dicitur per propositionem aliquam, chymeram esse intelligibilem, sed impossibilem, prædicatum illius propositionis non dicitur de obiecto aliquo reali, sed de obiecto rationis: ergo vt veritas istius propositionis & ipsa propositio, vt habet rationē propositionis, cognoscatur, non sufficit quod cognoscatur quodcūq; reale, sed necessarium est cognoscere istud ens rationis, de quo dicitur istud prædicatū. *Præterea* ōnia realia quæ cognoscit intellectus, quādo cognoscit chymeram

Reiicitur.

merâ esse ens rationis, posset cognoscere, quin cognoscat chymeram esse ens rationis: ergo ex cognitione entium realium Deus non cognoscit obiectũ istius actus.

94 *Probatur secundo ad hominem*, quia Deus cognoscit actus libere suos formalissime vt distinguuntur ab actibus suis necessariis, sed vt sic dicunt formaliter tantum respectum rationis secundum *Vasques*: deinde cognoscit valorem operum Christi, actus morales bonos & malos: sed secundum Vasq̃ valor operum Christi est relatio rationis, & actus morales constituuntur in esse boni & mali per relationem rationis, ergo Deus cognoscit entia rationis.

Probatur quod directe cognoscat DEVS entia rationis.

*Probatur secunda pars*: quia quamuis non esset possibilis vllus intellectus creatus, verum esset, quod chymera esset quid impossibile & hoc etiam cognosceretur à Deo: ergo ens rationis potest cognosci à Deo directe. Consequentia patet, quia eatenus cognosceretur indirecte, quatenus cognosceretur per cognitionem cognitionis, creatæ, ergo si cognosceretur, quamuis esset impossibilis cognitio creata, cognosceretur directe. Antecedens etiã probatur, quoad primam partem, quia ex se formaliter chymera habet esse impossibilis realiter, sicut homo habet esse possibilis, ergo, quãuis intellectus creatus non esset possibilis, verum esset quod chymera esset impossibilis realiter. Probatur idem antecedens quoad secundam partem, quia absurdum est esse aliquã veritatem obiectiuam, quæ non intelligeretur à Deo.

*Probatur secundò eadem pars*, quia factibile vt factibile potest cognosci directe & non tantum per cognitionẽ potentiæ factiuæ aut factionis, ergo intelligibile, vt intelligibile potest cognosci directe, & non tantum per cognitionem potentiæ intellectiuæ aut intellectionis.

*Confirmatur*: quia cognitio non est prius repræsentatiua entis rationis quam ens rationis est repræsentabile per cognitionem, vt manifestum est, ergo intellectus perfectissimus potest æque primo intelligere & æque directe vtrumque, & consequenter poterit intelligere ens rationis directe, quia sic intelligere, est intelligere cognitione non prius terminata ad aliud, quam ad id quod dicitur directe intelligi.

*Probatur vtraque pars conclusionis*: quia non argueret vllam imperfectionem in Deo, quod cognosceret entia rationis directe. ergo debet admitti. Consequentia patet, quia ideo id negant aduersarij quia existimant quod inde argueretur aliqua imperfectio in Deo. Probatur antecedens soluendo obiectiones.

95. *Obijcies primò*: sequeretur Deum facere entia rationis, quia fiunt eodem actu quo cognoscuntur: sed cõsequẽs est absurdum, ergo & antecedens vnde sequitur. *Suarez* respondet non sequi, ex eo, quod cognoscantur entia rationis indirecte, ea fieri, sed solum ex eo quod cognoscantur directe: vnde cum ipse teneat ea non cognosci directe, videtur sibi euadere hanc difficultatem.

*Sed contra*, quia si per cognitionem directam fierent, fierent etiam per indirectam, tum quia ideo fierẽt per directã, quia per eam haberent esse obiectiue in intellectu, sed etiã per indirectam haberent esse obiectiue in intellectu; tum etiam quia non est maior ratio quod per vnam fierent quã per alteram, ad hoc enim impertinẽs est quod vna sit directa & altera non sit. Quemadmodũ enim non minus producitur realiter, quod producitur indirecte à causa sic producẽte, quam quod producitur directe, ita, si intellectio aut productio intellectionis sit productio entis rationis, non minus debet censeri produci, quod intelligitur indirecte, quam quod intelligitur directe.

*Respondetur igitur ad obiectionem melius* ex dictis, distinguendo sequelam: si requiratur iudicium falsum ad faciendum ens rationis, negatur sequela; si non requiratur, sed sufficiat cognitio directa ipsorum, concedo sequelã, nec id est inconueniens.

*Obijcies secundò*: Si intelligeret ens rationis vllo modo, & præsertim directe, apprehenderet aliquid aliter quã est, sed hoc non deceret intellectum perfectionis infinitæ, qualis est diuinus. Probatur sequela, quia non posset intelligere chymerã constitutam ex homine & bruto v.g. quin cognosceret hominem per modum partis coniungibilis cum bruto, sed hoc est cognoscere ipsum aliter quam est.

96. *Confirmatur*, quia si cognosceret relationẽ rationis intrinsece denominatiuam obiecti cogniti, deberet cognoscere aliquod esse quod reuera non est: sed hoc est absurdum: ergo saltem non debet directe cognoscere entia rationis.

*Respondeo* negando sequelam, & distinguendo maiorem probationis: per modum partis rationaliter coniungibilis, concedo; per modum partis realiter coniungibilis, negatur maior & etiam minor.

*Ad confirmationem* distinguenda est maior: deberet cognoscere aliquid esse realiter, quod non est realiter, aut rationaliter, quod non est rationaliter, negatur, deberet cognoscere aliquid esse rationaliter, quod non est realiter, conceditur, nec hoc est conueniens.

*Vt autem melius* percipiatur quomodo nõ arguat imperfectionẽ in Deo cognitio etiã directa entis rationis, aduertẽdum est non ex eo colligi imperfectionẽ intellectus creati, quod apprehendat entia rationis aut secũdũ se, aut secundũ in existentiã in aliquo alio, in quo esse non possunt nisi per intellectũ, sed ex eo quod iudicet illa esse, aut posse esse à parte rei; vel ex eo quod apprehendat ea tam imperfecte, vt nesciat an sint aut possint esse entia realia, vel denique ex eo quod non possit cognoscere quomodo se habeant entia realia à parte rei, nisi cõcipiẽdo entia rationis: vnde cũ Deus non habeat tale iudicium, nec tam imperfectam apprehensionem de illis, nulla prorsus sequitur imperfectio ex eo quod apprehendat illa sine tali iudicio aut periculo eius, & sine tali imperfectione.

## QVÆSTIO X.

### *De diuisione entis rationis.*

Ens rationis potest diuidi in substantiam & accidẽs.

98. QVia *non est dubium* quin possit intellectus aliquod ens rationis considerare, & cum modo per se stãtis, sicut facit, quando concipit hircoceruum, & cum modo afficientis intrinsece aliud, sicut facit, quãdo apprehendit intellectionem in lapide tanquam propriam operationem eius; sequitur etiam dubium esse nõ posse, quin ens rationis vt sic diuidi possit in substantiã & accidens. Et quia potest intelligere ens rationis afficere ens aliud per modũ respectus pure ordinantis vnũ ad aliud, & per modũ formæ absolutæ; Accidens rationis vt sic potest diuidi in accidens respectiuum & in accidens absolutum. Et rursus quia potest ex accidẽtibus rationis absolutis aliqua cõsiderare per modum formę absolutæ tribuentis extensionẽ, vt si consideraret Angelum à forma aliqua distincta realiter habere capacitatem ad implendũ tantum vel tantũ locum, & alia per modũ formæ absolutæ tribuentis actiuitatẽ, vt si consideraret Deum habere formam realiter distinctam, per quam posset calefacere, Accidens rationis absolutũ potest diuidi in quantitatem & qualitatem; & eodẽ sane modo posset diuidi accidens respectiuum rationis vt sic in tot prædicamẽta, in quot diuiditur relatio realis.

Et accidens rationis in absolutũ & respectiuum.

Diuisio entis rationis in habens & nõ habẽs fundamentũ in re.

At quoniam entis realis diuisio in prædicamẽta fit & traditur, vt exactius naturam cuiusque entis realis cognoscamus, & scientias reales acquiramus; nec vtile est de entibus omnibus rationis sciẽtias aliquas per se tradere, eorũue naturis contẽplandis inhærere; nõ est necesse vt huiusmodi diuisio prædicamẽtalis ẽris rationis detur, & propterea paucissimi auth. meminerũt ipsius.

99. Alia tamẽ satis vulgaris diuisio est entis rationis in illud, q. habet fundamentũ in re, & illud, quod non habet fundamentum; prioris generis reputãtur relationes rationis, quæ considerãtur in obiectis denominatis extrinsece, & in Deo; posterioris vero substantię cõpositæ ex partib⁹ incõponibilibus, vt hircoceruus. At reuera nõ bene explicatur quomodo cõsideratio hircocerui non habeat tantũ fundamentũ in re, quantũ habet consideratio relationis rationis in re cognita ad cognoscẽtẽ, nã quemadmodũ intellectus ex eo quod videat denominationẽ nouam in obiecto cognito, dicitur per hoc quam

habere fundamentum in re ad considerandum aliquem respectum in ipso, qui non sit realis, cur ex eo quod imaginatio conciperet formam externam partim equi & partim hominis, non posset intellectus dici habere sufficientem occasionem ad concipiendam aliquam substantiam per se vnam, quæ exigeret talem formam, & intrinsece componeretur ex natura equina & humana?

Sententia Ioannis à Sancto Thoma.

100. *Ioannes à S. Thoma supra q. 2. a. 1.* licet admittat vtramque præmissam entis rationis diuisionem, tamen contendit adæquare diuidi ens rationis ex parte rei conceptæ in negationem & relationem, ita vt vnullum concipiatur ens rationis, quod non sit vel relatio, vel negatio (sub negatione tamen comprehendit priuationem) Probat adæquationem huius diuisionis, quia ratio entis rationis consistit in oppositione ad ens reale; sed nihil habet huiusmodi oppositionem, nisi vel relatio, vel negatio, quia, inquit, omne positiuum absolutum, cum non concipiatur ad aliud, sed in se, vel debet esse substantia, vel accidens in alio, & consequenter nequit esse ens rationis cum per ipsum conceptum essendi in se vel in alio, realitatem aliquam importet, relatio verò, quia non solum dicit conceptum *in*, sed conceptum *ad*, potest concipi sine realitate.

Datur ens rationis absolutū quod non est negatio aut relatio.

*Hæc doctrina non placet primò*, quia chymera seu compositum ex homine & equo, est ens rationis & non est negatio sed potius substantia rationis. Item cognitio passiua considerata in pariete, non est relatio neque negatio, sed accidens absolutum rationis, ergo dantur entia rationis quæ non sunt negatio aut relatio.

*Quod si dicatur* huiusmodi entia rationis esse non entia realia, & propterea posse vocari negationes, contra facit quod etiā relationes rationis sint nō entia realia, & similiter vocari possint negationes, & cōsequenter mala esset diuisio entis rationis in negationes & priuationes.

*Non placet prædicta doctrina secundò*, quia si esse in alio, aut per se, importat realitatem, ac propterea nihil positiuum conceptum in alio potest esse ens rationis, ergo, quandoquidem relatio rationis concipiatur in alio, non poterit esse quid positiuum rationis contra dictum authorem. Itaque tenendum est quod, quemadmodum relatio rationis, licet sit non ens reale, & concipiatur esse in alio, non est negatio rationis, sed quid positiuum rationis; ita etiam forma absoluta rationis, siue consideretur per se existens, siue existens in alio, non sit negatio rationis, sed potius quid positiuum rationis; quod cum non sit relatio, sequitur prædictam diuisionem non esse adæquatam.

Quo sensu diuiditur ens rationis in negationes, priuationes & relationes.

101. *Et hinc Doctores* communiter dicunt diuisionem entis rationis in negationes, priuationes, & relationes, esse diuisionem non entis rationis vt sic, sed entis rationis habentis fundamentum in re; quæ tamen diuisio, si ita intelligatur, vt ipsæ negationes & priuationes sint entia rationis formaliter, omnino mala est, quia falsum est quod negationes & priuationes sint entia rationis, vt supra ostendimus: si vero intelligatur non in sensu formali, sed fundamentali, ita vt velit, ad quædā ex entibus rationis excogitanda præbere occasionem negationes; ad quædam priuationes, & ad quædam denique denominationes aliquas relatiuas; Verum quidem est dari huiusmodi entia rationis, sed tamen propter rationem supra tactam non erit adæquata, quia dantur aliqua entia rationis habentia fundamenta in re, ad quæ excogitanda nec negationes, nec priuationes, nec denominationes huiusmodi relatiuæ præbent fundamentum aut occasionē intellectui, vt patet tam in exēplo allato de substātia cōposita ex equo & homine, quàm etiam in quātitate, quā quis cōciperet in Angelo esse ex eo quod intelligeret ipsum occupare posse locum extensum.

Quæ cēsenda sunt entia rationis cum fundamento in re. Quæ sine,

102. *Siquis tamen velit* vtramque hanc communem diuisionē tenere, dicere poterit per ens rationis cum fundamento in re intelligi illa, per quæ cōmuniter solent explicari aliquæ denominationes reales, quæ tam facile nec intelligi nec explicari possent, si non considerarentur prouenire ab huiusmodi entibus; per entia vero rationis sine fundamēto in re intelligi illa, quæ non concipiuntur in ordine ad talem denominationem realem vel concipiendā vel declarandā: iuxta quem dicēdi modum fundamentū in re quod habent entia priora vltra illud quod habent posteriora, erit vtilitas ac difficultas intelligēdi ac explicandi huiusmodi denominationes.

*Deinde* quia omnes denominationes, quæ, licet sint realissimè existentes à parte rei, solent tamen explicari & intelligi per entia rationis, sunt vel denominationes negatiuæ, vel priuatiuæ, vel relatiuæ, propterea ens rationis cum fundamento in re modo iam explicato potest adæquate diuidi in negationes, priuationes, & relationes, hoc est in entia rationis quæ concipiuntur ob denominationes negatiuas, priuatiuas, & relatiuas: quæ entia rationis inter se dici possunt habere tātam distinctionem & talem, qualem habent denominationes illæ reales, ad quas sequuntur; illæ verò denominationes sine dubio distinguuntur specie, si priuatio & negatio realiter distinguantur; si tamen hæ non distinguantur nisi numero seu accidētaliter, tum entia rationis, quæ cōcipiuntur ad denominationes extrinsecas, distinguentur specie ab aliis entibus sequētibus ad priuationes & negationes; hæc verò inter se non distinguentur, vt patet.

## *ADDITIO.*

*Contra difficultatem* quam *n.* 99. huius quæstionis cōtra diuisionem entium rationis in ea, quæ habent fundamentum in re, & quæ non habent proposui, insurgit Mastrius *disp. 2. Met. n.* 249. asserens falsum esse, quod non sit maius fundamentū entium rationis quæ fingūtur in Deo ad creaturam, & in re cognita ad cognoscentem, quam chymerarum, ac similium, quæ dicuntur non habere fundamentum in re: nam cum videamus in creaturis causam referri relatione reali, & cuicunque actioni correspondere passionem, hanc occasionem sumit intellectus cogitandi relationē actiuæ creationis ad creaturas, & in re cognita formam illi inhærentem per modum effectus, vel passionis correspondentis cognitioni actiuæ, & determinatur ad cogitandas huiusmodi formas per modum accidentis respectiui, quam occasionē putat ad minus proximam & vrgentem. At ex eo, quo imaginatio conceperit formam externam partim equi, partim hominis: non habet tantam occasionem machinandi chymeram, quia licet partes chymeræ habeant fundamētum in re, non tamen vnio earum, vnde intellectus, aut nullā aut leuissimam habet occasionem formādi chymeram; tum quia non determinatur intellectus ad formandam chymeram magis ex his naturis incompossibilibus quam ex aliis; sed ad libitum potest eas formare hoc vel illo modo; quod non contingit de prædictis relationibus. Præmisit autem huic doctrinæ quod euidenter cernatur fundamentum entium rationis, quæ sunt secundæ intentiones logicæ, quibus propterea ipse vsus est pro exemplis entium rationis fundatorum.

*At vt ab hoc incipiam* manifestum mihi est, idque ex dictis q. 4. patet, non magis manifeste, aut euidenter cerni fundamentum illorum entium, quæ sunt secundæ intentiones, quam relationum creaturæ ad Deum, & cogniti ad cognoscens.

*Deinde* quamuis maius esset fundamentum ad formandas relationes Dei ad creaturas & cogniti ad cognoscens, quam chymeram, non inde sequeretur quod non haberetur etiam fundamentum fabricandi chymeram, quod mihi sufficit.

*Sed vt magis* directè veniam ad rem. Respondeo negando quod intellectus non habeat tantam occasionem formandi chymeram ex apprehēsione phantastica partium hominis & equi eo modo propositarum, quo proponūtur, quādo formatur chymera, vt possit dici proxima & vrgens, non minus quā occasio habita ad formandas dictas relationes rationis est proxima & vrgēs, quia cum intellectus sit potētia naturalis, quando facit chymeram ad hoc determinatur sic, vt tum non possit non facere ipsā, & quod ad hoc necessitat est sine dubio non solum fundamentū vrgens, sed necessitans. *Quod confirmo* clarius; quia formæ externæ animalium quæ habentur à parte rei, tam solent præsupponere substantiā per

se

se vnam, quam causæ creatæ solent referri ad effectus per relationem realem,& quam actio solet habere correlationem passionis,ergo quemadmodum est hoc vltimo intellectus habet fundamentum vrgens ad formandas relationes rationis creatoris,& cogniti,etiam habebit simile fundamentum ad formandas chymeras.

*Ad secundam autem rationem* ipsius dico tam determinari intellectum ad faciendum chymerã hanc,vel illam, quando eam facit ex his,aut illis partibus, quam ad faciendam vnam relationem rationis præ alia, nec posse ipsum pro libito,quam voluerit,chymeram facere,magis quam quam voluerit relationem, id quod ex dictis & natura potentiæ intellectiuæ est manifestum.

*Idem Mastrius* postea *pag.*247. asserit explicationem eiusdem diuisionis,quam dedi *n.* 102. ineptam & contrariã rei de qua loquimur; quia inquit nihil absurdius dici poterat, quam difficultatem intelligendi quasdam reales denominationes esse fundamentũ cogitandi entia rationis, quia maior difficultas incurritur dũ volumus statum ac conditionem assequi quorundã entium prohibitorum,seu chymericorum, quam relationum rationis,quæ non sunt mera figmenta, ista.n. sunt entia rationis determinatæ naturæ, ac proinde facilioris cognitionis;illa vero nõ sunt determinatæ ac certæ naturæ;ergo iuxta meam explicationem figmenta haberent maius fundamentum, quam relationes rationis, quæ non sunt entia chymerica.Tum quia fundamentum ducit in cognitionem entis rationis,difficultas vero potius impedit intellectum.

*Ad hunc discursum* Respondeo ex eo videri quod Mastrius me non intellexerit:nam in eo nihil dicitur cõtra meam doctrinam;neque .n. asserui difficultatem intelligendi entia rationis esse fundamẽtum ea fingendi,sed difficultatẽ potius intelligendi quasdã denominationes reales quæ sunt à parte rei,quas expressi sufficiẽter esse extrinsecas,& illas quæ proueniunt ex negationibus & priuationibus,in hoc vero discursu vrgetur quod maior sit difficultas intelligendi chymeras,quam entia rationis fundata,vnde penitus ruit totus Mastrij discursus.

*Contra quem* vlterius facit quod maledicat difficilius esse intelligere naturam chymeræ,quam relationum rationis,& entia chymerica non esse determinatæ naturę, sicut sunt entia rationis fundata, & quod etiam male videatur supponere quod ipsæmet relationes rationis non sint etiam entia chymerica.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### *De primis & secundis intentionibus.*

103. NOn aliam fere ob causam hic agere visum erat de ente rationis, quam vt intellecta eius natura facilius esset scire,vtrum secundæ intentiones, de quibus secundum omnes fere Logica agit, sint entia rationis, nec ne, vt vel sic cognosci possit an Logica habeat pro obiecto entia rationis, de quo postea.

Quid est intentio.

*Notandum autem*, intentionem proprie loquendo esse actum, quo potentia tendit in obiectum, vnde non ad intellectum tantummodo, nec etiam ad voluntatem spectat,sed ad alias potentias vitales;hic tamen agimus de ipsa,vt pertinet ad intellectum;& diuiditur vt sic, in intentionem formalem,quæ est ipsemet actus,quo tendit in obiectum suum,ac intentionem obiectiuam,quæ est obiectum istius actus,v.g.quando intellectus intelligit hominem,actus, quo intelligit ipsum, est intentio formalis:& ipse homo est intentio obiectiua. Vtraque autem ex his intentionibus,hoc est,tam intentio formalis,quam obiectiua, diuiditur in intentionem primam, & intentionem secundam: & modo examinamus quid sit intentio prima,& quid secunda.

Quid intentio formalis. Quid obiectiua.

*Quia vero* varij sunt modi explicandi has intentiones, quos prolixum esset specialiter examinare,& non admodum vtile,cum controuersia tandem sit de nomine,quid nobis dicendum videtur, & tyronum captui magis accommodatum proponemus:pro quo.

104. *Notandum vlterius* aliqua prædicata conuenire rebus secundum se & independenter à cognitione comparatiua intellectus, vt conuenit homini esse animal, esse risibile,esse album,esse visum,& esse etiam cognitũ cognitione simplici,nõ comparatiua.Rursus aliqua alia conueniunt rei provt dicit ordinem ad cognitionem cõparatiuam intellectus,vt conuenit homini esse prædicatum, esse subiectum, esse prædicabile, esse speciem, & similia. Ex his autem prædicatis priora merito vocari possunt prima in comparatione ad posteriora,quia possunt res cognosci secundum priora illa prædicata,quãuis non cognoscantur secundum posteriora:vt v.g.possum cognoscere hominem esse animal; esse visum, esse cognitum,sine eo quod cognoscã ipsum esse prædicatũ aut prædicabile formaliter:sed non potest quis cognoscere aliquid secundum posteriora prædicata, quin cognoscat ipsum secundũ priora,v.g.nõ possũ cognoscere hominẽ esse prædicabilẽ de Petro, quin cognoscã Petrũ esse hominẽ,nec possum cognoscere animal esse genus seu prædicabile de diuersis speciebus, quin cognoscam hominẽ esse animal,& brutum esse animal,seu quin cognoscam animal inexistere bruto,& homini,aut aliis rebus diuersæ speciei.Itaque illa prædicata,quæ cõueniũt rei independenter à cognitione cõparatiua, sunt & dicuntur intentiones obiectiuæ primæ:Illa verò;quæ cõueniunt ipsi dependenter à tali cognitione, sunt intentiones obiectiuæ secundæ. Et hinc patet quod cognitiones illæ,quibus cognoscuntur priora prædicata, sint intentiones formales primæ;& cognitiones illæ,quibus cognoscuntur illa posteriora prædicata conuenire rei, sint intentiones formales secundæ.

105. *Ex his facile erit* cognoscere quid terminus primę intentionis,& quid terminus secundæ intentionis.Terminus.n. primæ intẽtionis,si capiatur pro voce significatiua,vt cõmunius accipitur,est vox imposita ad significandum intentionẽ primam siue formalem,siue obiectiuam,vt vox *homo* significat naturam humanam, quæ conuenit Petro independenter à cognitione intellectus comparatiua,& propterea est intentio obiectiua prima; aut cognitionem naturæ humanæ, quæ est intẽtio formalis prima.Terminus verò secũdæ intentionis est vox imposita ad significanda prædicata,quæ conueniunt rei dependenter à cognitione cõparatiua intellectus,vt nomẽ *species*,quæ est imposita ad significandũ prædicabilitatem rei de pluribus speciebus,quæ prædicabilitas non competit rei nisi dependenter à cognitione comparatiua intellectus:pro quo vlterius intelligendo.

106. *Notandum tertio* duplicem esse cognitionem intellectus,vnam simplicem,qua considerat aliquid secundũ se non comparando illud ad aliud,vt quando apprehendit aliquis hominem non apprehendendo,nec iudicando ipsum in aliquo, nec aliquid in ipso. Alia cognitio intellectiua est comparatiua,vt illa,quia apprehenditur, aut iudicatur aliquid in aliquo,v.g.illa,qua apprehenditur Petrus esse homo,aut paries esse albus:quæcumque ergo prædicata cõueniunt rei per ordinẽ ad huiusmodi cognitionem comparatiuam,sunt intentiones obiectiuę secundæ,& termini significãtes illa,sunt termini secũdæ intentionis;quæcunq; vero cõueniunt rei indepẽdenter ab huiusmodi cognitione,sunt intẽtiones obiectiuæ,& termini significãtes illa sunt termini primæ intentionis.

Quid intentio prima & secunda.

Quid terminus primæ intentionis.

Quid secundæ.

Ex his colligendum quid sit res aliqua primò intentionaliter accepta,& secundò intentionaliter accepta,quorum terminorum frequens est vsus,præsertim apud antiquos.Res enim primò intentionaliter accepta est res, secundum quod dicit prædicata illa,quæ sunt primæ intentiones; & res secundo intentionaliter accepta est res,secundum quod subest prædicatis,quæ sunt secundæ intentiones.

## CONCLVSIO

107. *Nec prima nec secunda intentio formalis aut obiectiua dicit necessariò ens rationis formaliter.* Hæc est communior apud recentiores & omnes qui putant ad denominationes extrinsecas non necessariò resultare entia rationis. Prima autem pars de intentione formali tam prima quam secunda est omnium, & certa quia illæ intentiones sunt actus intellectus,quibus tendit vere & realiter in obiecta à se intellecta, qui actus sine dubio sunt

Nec prima nec secunda intentio dicit necessario ens rationis.

sunt entia realissima. Secūda pars, de qua sola esse potest cōtrouersia, nimirum quod intentio obiectiua nec prima, nec secūda dicat necessariò ens rationis formaliter, patet, quia si aliqua ex illis esset aut includeret ens rationis, potissimum intentio obiectiua secunda, vt omnes fatentur: sed illa non est nec dicit necessariò ens rationis, ergo. Probatur minor, quia si aliqua intētio obiectiua secunda diceret ens rationis, maxime esse genus, vel esse speciem, sed hæc nō, ergo. Probatur minor, quia esse genus nihil aliud est, quam vel esse prædicabile, vel esse prædicatū de pluribus speciebus; & esse speciē nihil aliud est quam esse prædicabile vel prædicatum nō necessariò dicit aliud quam denominationem extrinsecā, desumptā ab actu intellectus quo iudicatur aliquid de alio; & esse prædicabile nō est aliud, quam aptitudo rei ad recipiendam talem denominationē: sed ex dictis constat huiusmodi denominationem extrinsecam esse quid reale, & nullo modo necessariò sequi ad ipsam aliquid rationis, & hoc supposito certū est quod illa aptitudo non sit, nec dicat aliquid rationis, tū quia sequitur rem nullo intellectu cōsiderante, tū quia eatenus esset, aut includeret quidpiā rationis, quatenus illa denominatio extrinseca esset, aut includeret quidpiā rationis.

Quæ probatio supposita sententia præmissa denominationibus extrinsecis est euidens, vnde est necessaria alia probatio.

108. Dixi autem *quod nō necessariò sit aut dicat intentio secunda aut prima obiectiua ens rationis*, quia potest aliquando contingere vt intentio prima obiectiua sit ens rationis, nā ipsamet entia rationis sicut possunt concipi ab intellectu, ita possunt habere rationem intentionis obiectiuæ: & præterea, quod magis facit ad propositū, potest aliquis si velit considerare denominationē, quæ vere & realiter est extrinseca, per modū denominationis intrinsecæ, & vt sic erit ens rationis: vnde intentio obiectiua prædicati considerata per modū alicuius formæ intrinsecæ repertæ in re, quæ dicitur esse prædicatum, erit ens rationis, & aptitudo etiam rei ad hoc, vt possit recipere talem formam rationis, erit etiam ens rationis, quia reuera non est vt talis aptitudo, sicut reuera non est tale ens rationis, nisi in intellectu. Et sane in hoc sensu possent commode intelligi authores, qui dicunt intentiones secundas esse entia rationis, quia considerant illas intentiones secūdas modo iam dicto, & ex illis aliqui existimant eas non posse considerari alio modo. At quamuis sic considerari possint, tamen reuera non necessariò sic considerantur.

Contra hanc conclusionem non sunt vllæ obiectiones, nisi quæ facile solui possunt ex dictis *quæst. 4.*

Secunda intentio potest habere rationē primæ.

109. Pro maiori autem complemento aduertendum est ipsas secundas intentiones posse habere rationē intentionis primæ, & substare intentionibus aliis secundis: nam si consideretur prædicabilitas, qua constituitur genus, & quæ est secunda intentio, vel ratio cōstitutiua secundæ intentionis, secundum quod est constitutiuum generis, aut secundum quod conuenit cum alia prædicabilitate, aut secundùm quod dicit formaliter ens rationis aut denominationem extrinsecam, quia omnia hæc prædicata conueniunt ipsi secundum se, & indepēdenter ab vlla operatione intellectus, per quam considerarentur ipsi competere, propterea illa omnia prædicata habent rationem primæ intentionis, quamuis sint prædicata conuenientia secundæ intentioni; si vero consideretur eadem ipsa prædicabilitas, vt est prædicabile, aut subiicibile aut definibile per aliam prædicabilitatem, tum habet rationem secundæ intentionis, & illa alia prædicabilitas & subiicibilitas sunt prædicata secundæ intentionis competentia priori prędicabilitati: vnde illa prima prædicabilitas, quæ constituitur animal in esse generis, licet sit secunda intentio respectu animalis, quia non competit animali nisi per ordinem ad actum comparatiuum intellectus; habet tamen rationem primæ intentionis, quatenus comparatur ad aliam prædicabilitatem, quæ ipsimet competit per ordinem ad alium actum comparatiuum intellectus, quo ipsamet possit prædicari, de quo tamen postea.

*ADDITIO.*

M*Astrius disp. 2. Met.* asserit meum modum explicandi secundas intentiones in hac quæstione, nō esse Scoticum; nec verum, aut idoneum. Primum probat, quia est adeo clarū in schola Scotistarum, & Thomistaram quod secundæ intētiones formaliter sumptæ sunt entia rationis, vt nemo vnquam de hoc dubitauerit, & hinc vtraque schola in hoc conuenit quod Logica sit scientia rationalis, non realis. Probat secundum quia si omnia prædicata, quæ conueniunt per ordinem ad cognitionem comparatiuam sint secundæ intētiones quando aliquis dicit vnum albū esse simile alteri, Franciscum esse Patrem, Paulum filium, ignem causam caloris, hæc omnia erunt prædicata secūdæ intētionis, quia conueniunt rei per ordinem ad cognitionem comparatiuam; paries enim dicitur similis alteri, quia vnus alteri cōparatur in albedine; & esse causam vel effectum, Patrē vel filium, sunt prædicata rebus conuenientia per ordinem ad cognitionem comparatiuam: nō enim sunt conceptibilia per cognitionem simplicem & absolutā: nō ergo bene explicantur per hoc secundæ intētiones.

*Ad primum* ex his Respondeo Scotum nunquam dixisse quod secundæ intentiones Logicæ necessario dicant ens rationis. Quomodo autem Scotus explicari possit dum dicit secundas intentiones esse formaliter entia rationis, & quo sensu Logica hoc non obstante sit scientia rationalis, & esset etiam quamuis entia rationis essent impossibilia docūi supra q. 4.

*Ad secundum* nego sequelam cum sua probatione; nam certe quamuis nullus esset intellectus possibilis nec vllus etiam consequenter actus comparatiuus, adhuc vnum album esset simile alteri, & Paulus posset esse Pater, Petrus filius, & ignis causa caloris; & quamuis non conciperentur nisi per comparationē comparatiuam, de quo non curo, tamen non conueniunt rebus per ordinem ad talem cognitionem, quasi non conuenirent, nisi esset possibilis talis cognitio.

*Probat deinde n.* 254. quod secunda intentio obiectiua sit ens rationis ex discrimine quod secundum omnes est inter primam & secundam intentionē, quia scilicet prima ideo dicitur prima, & alia secunda quia cū obiectū cōsiderari posset in duplici statu, primo secūdū quod est in se, & secundū attributa ipsi cōuenientia ex natura rei, secundo vt est in apprehēsione, & secundū attributa ipsi conuenientia ex intellectus attributione, qui status posterior ex illo, merito cognitio, quæ exprimit ipsū in primo statu dicitur prima, & quæ illud exprimit sub posteriori statu dicitur secunda, & cōsequenter, quæ talem conceptionem terminant, entia rationis erunt.

*Respondeo* negando quod quæ terminant conceptionem qua concipitur res, vt res est in apprehensione & secundum attributa ipsi conuenientia ex attributione intellectus sint entia rationis; & quamuis etiam essent, nego id vllo modo sequi ex præmissis à Mastrio, vt credo ipsummet concessurum cum considerauerit attentius suum discursum.

*Deinde* eodē *n.* §. *neq; ratio:* asserit rationem meā non esse alicuius momenti, quia neganda est minor vtriusq; mei discursus, qua aio quod esse subiectum & esse prædicatum sufficiēter explicari possit per denominationē extrinsecam; quia inquit per talē denominationē bene concipimus illa duo obiecta referri ad intellectum per terminationē simplicem iudicij eius, sed nō concipiuntur referri inter se nisi quousq; denominationes subiecti & prædicati concipiuntur per modū relationū mutuarum; tum quia, quando etiam concederetur illos terminos explicari bene per extrinsecas denominationes, tamen vt sic concepti non adhuc dici possunt termini secundæ intentionis, nisi quousq; denominationes illæ per modum relationum rationis concipiantur. Tandem ait esse falsum quod prædicabilitas vniuersalis nō dicat quid rationis, quia licet aptitudo remota naturæ cōmunis sit quid reale; tamen aptitudo proxima super quam fundatur prædicabilitas vniuersalis, est rationis, quia est

aptitudo ad essendum in multis simul & coniunctim, exorta ex indifferentia positiua quam natura communis nõ obtinet nisi per opus intellectus facientis vniuersale

*Ad hæc dico* non posse negari ab intelligente terminos minoré illam meam: & quod opponit Mastrius non haberet apparentiam, nempe per denominationem extrinsecã non posse concipi prædicatum referri ad subiectum, nisi concipiatur illa denominatio per modum relationis rationis; nam certe quãdo intellectus iudicat parietem v. g. esse album, dicendo interius paries est albus, prædicat albedinem de pariete, nec per illum actũ facit vllum ens rationis: sed eo ipso albedo est prædicata de pariete, & paries est subiectum, hoc est illud de quo prædicat, vel dicit albedinem: ergo per illum ipsum actum habetur denominatio prædicati in albedine, & subiecti in pariete, & consequenter per denominationẽ extrinsecam desumptam ab illo actu paries habet esse obiectum, & albedo in concreto prædicatum, sed hoc supposito qui cõsideraret, aut conciperet, quod daretur talis actus in intellectu, conciperet parietem esse subiectum, & album esse prædicatum, quamuis nullum ens rationis conciperet, nec esset tale ens vllum possibile, nec est necesse vt referantur illa duo extrema ad inuicẽ alio modo quam quatenus vnum est subiectum de quo aliud dicitur, & alterum est prædicatum quod de alio dicitur. Vnde quamuis possit fingi quod haberent aliam aliquam relationem ad inuicem à qua haberent illas denominationes, & si id fingeretur, fieret ens rationis; tamen hoc non est necessarium; sed sufficit ad hoc vt intelligatur vnum esse subiectum, & alterum prædicatum, quod concipiatur actus ille, quo vnum dicitur de alio; quod sane videtur mihi euidens. Per quod patet ad primam rationem.

*Ad secundum dico* quod ex suppositione iam probata, quod illi termini prædicatum, & subiectum possint explicari per denominationes extrinsecas, ea vt sic concepta esse terminos secundæ intentionis, quia per huiusmodi terminos intelligunt omnes, subiectum prædicatum, genus, speciem & similia, quæ habent esse talia per denominationem extrinsecam, & his conueniunt regulæ omnes quæ dantur de prædicatione terminorum secundæ intentionis.

*Ad tertium denique*: Respondeo negando aptitudinẽ proximam naturæ vniuersalis necessario haberi ab ente rationis; nam eo ipso quo quis concipit naturam hominis, & præterea Petrũ & Paulũ, illa natura erit proxime apta, vt prædicetur de illis. Et quãuis natura haberet indifferentiam positiuam per operationem intellectus, nõ sequitur quod illa indifferẽtia sit ens rationis, sicut nec ex eo quod res habet esse cognita ab operatione intellectus, sequitur quod esse cognitũ sit necessario ens rationis, quia vt dixi sæpe, habet esse cognitum per denominationem extrinsecam desumptam à cognitione qua cognoscitur, seu ex eo quod terminet talem cognitionẽ, neq; prorsus vt sit, aut dicatur cognita, requiritur fabricatio vllius entis rationis, quia posset illa denominatio haberi, quamuis esset impossibile facere ens rationis.

# DISPVTATIO II.

## *De Natura Logicæ seu Dialecticæ.*

1. IAM vulgare est, hæc duo nomina; *Logicam* scilicet ac *Dialecticam* à Græcis ad nos peruenisse, & Logicam quidem deriuari à nomine Græco λόγος, quod significat sermonem, seu rationem; Dialecticam verò à verbo Græco διαλέγομαι, quod significat quandoque probabiliter disserere, quandoque sermocinari, seu disputare. Et quamuis non constet inter authores, quid his nominibus intellexerit Philosophus, quibusdam dicentibus, quod per Logicam intellexerit illam partem, quæ agit de demonstratione, in libris posteriorum comprehensam; & per Dialecticam illam alteram partem, quæ de syllogismo Topico octo libris Topicorum diffusè traditur, aliis verò cõtra asserentibus nunquam eum nomine Logicæ substãtiue, sed adiectiue tantum vsum fuisse, nomine verò Dialecticæ, licet communiter partem Topicam significare solitus sit, quandoque tamen illam partem, quæ versatur circa syllogysmum vt sic, significasse: Communis tamen iam vsus tenet totam artem disserendi, seu ratiocinãdi vtroque nomine appellari, cui quidem vsui vtriusque nominis etymologia optime accommodari potest, iuxta quã Logica idem est ac ars seu facultas rationalis, seu ratiocinandi, Dialectica verò idem ac ars seu facultas discurrendi seu disserendi, hoc est ex notis ignotum sine erroris periculo deducendi: quod certe toti huic disciplinæ, de qua modo sermonem instituimus, quoad omnem eius partem congruit, cum nulla sit eius pars, quæ ad hoc non conducat.

### QVÆSTIO I.

#### *Quod sit obiectum scientiæ vt sic tam materiale quam formale.*

1. NOn potest vlla cognitio explicari nisi per ordinem ad obiectum, quod cognoscitur per ipsam; vnde cum Logica, cognitio quædam sit, vt explicemus naturam eius, necessarium est ostendere circa quod obiectum versatur; quia vero eadem est via cognoscendi quid sit obiectum Logicæ ac cæterarum scientiarum, placuit hanc quæstionem proponere de obiecto scientiæ vt sic, vt resolutio communis communi modo tractetur, circa quod

*Notandũ primò*, scientiam quamlibet duplex habere obiectum, vnum in complexum, complexum alterum. Obiectum cõplexum est propositio obiectiua, quæ per scientiam cognoscitur; obiectũ vero incomplexum est subiectũ istius propositionis v.g. cognitionis seu sciẽtię, qua cognoscitur hominem esse risibilem, obiectum cõplexum est tota illa propositio obiectiua: *homo est risibilis*: obiectũ autẽ incomplexum est *homo*, qui est subiectũ istius propositionis. In præsentiarũ autem non agimus de obiecto complexo, sed de incomplexo, quod variis nominibus appellari solet ob diuersas rationes; nã vocatur *obiectum* scientię, quia ipsi obiicitur seu proponitur; vocatur *subiectum* scientiæ, non quod scientia in ipso tanquam in subiecto inhæreat, aut de eo tanquam de subiecto prædicetur, sed quod de eo tanquam de subiecto alicuius prædicati scientia cognoscat illud prædicatum; vocatur: *materia circa quam*, quia scientia circa ipsũ versatur considerando naturam ac proprietates eius.

Quid obiectũ cõplexũ scientiæ? Quid incomplexum.

Varia nomina obiecti incomplexi.

2. *Notandum secundò*, de eadẽ omnino re seu de eodem obiecto incõplexo posse haberi diuersas specie sciẽtias & cognitiones, potest enim de homine sciri seu cognosci per Metaphysicam quod sit vnũ, verũ, bonũ, & substantia; per Physicam quod sit mobilis; per medicinam quod sit sanabilis; per Theologiã quod sit ordinatus ad vitam æternã; per Logicã quod sit species prædicabilis. Imo de eodem obiecto incomplexo potest idem prædicatum cognosci per diuersas specie scientias seu cognitiones, nam potest de homine cognosci à priori quod sit risibile ex eo quod sit rationale, & etiã à posteriori ex eo quod rideat; scientia autem à posteriori distinguitur specie à scientia à priori. Vnde cum scientiæ, vt communiter supponitur, specificentur ab obiectis, hoc est cum cognoscatur quod habeant diuersas essentias ex eo quod versentur circa talia vel talia obiecta, sequitur necessariò assignandas esse plures rationes, secundum quas diuersæ scientiæ de eodem obiecto haberi possent, nam si secundum eandem rationem versarentur circa ipsum, ex obiecto non posset desumi distinctio, aut specificatio eorum, vt patet.

De eodẽ obiecto incõplexo variæ species scientiæ haberi possunt.

*Notandum tertiò*, non tantum quæri hic de obiecto scientiæ proprie loquendo, quæ est cognitio discursiua, sed de obiecto etiam scientiæ, loquendo late quatenus comprehendit quamcumque cognitionem, siue discursiua sit, siue non.

Sentẽtia cuiusdã Scotistæ de obiecto formali.

3. Quidam satis doctus Scotista recentior asserit, obiectũ formale scientiæ esse obiectum illud, ad quod cætera

tera obiecta reducuntur; obiectum vero materiale esse obiecta secundaria, quæ ad illud obiectum reducuntur: v.g. obiectum formale Logicæ esse syllogismum vel modum sciendi, obiecta verò materialia esse propositionem, terminum, orationem, demonstrationem. Sed hic modus explicandi obiectum materiale & formale non placet, tũ quod sit ab ipsomet solo excogitatus, & quod confundat obiectum formale cum obiecto adæquato attributionis, inter quæ tamen est maxima differentia: tum quia in ipsomet obiecto adæquato, seu attributionis assignari debet duplex ratio; materialis & formalis: quia diuersæ scientiæ de ipso haberi possunt, potest enim cognosci de syllogismo, seu de modo sciendi, quod sit prædicabile, per vnam cognitionem, & quod sit oratio ignoti manifestatiua per aliam scientiam distinctæ speciei; tum denique quod non possit haberi actus circa obiectum materiale, quin detur obiectum formale eius, vt omnes fateri debent, sed certum est posse cognosci quid sit propositio, quid terminus, quid oratio, etiamsi non cognosceretur, imo etiamsi per impossibile non daretur syllogismus, aut modus sciendi: ergo actus, quo cognoscitur quid sit propositio, non habet pro obiecto formali syllogismum, aut modum sciendi.

Obiectũ formale non est ad quod cætera omnia reducũtur.

Per quam doctrinam facile impugnatur alius modus dicendi, quo vtitur. *Arriaga hic disp. 1. n. 2.* tenens obiectum formale esse id quod primò & per se attingitur ab intellectu per scientiam, & obiectum materiale quod attingitur propter aliud. Hic inquam modus dicendi ex dictis impugnatur, quia in illo ipso obiecto, quod propter se cognoscitur, assignari debet ratio formalis & materialis, quãdoquidẽ de eodẽ ipso obiecto possint haberi diuersæ cognitiones, quæ etiam obiecto distinguuntur.

Sententia Arriagæ.

Obiectũ formale non est quod propter se attingitur.

## CONCLVSIO I.

4. *Obiectum materiale scientiæ est res considerata à scientia, sed indifferens vt consideretur per plures scientias; obiectum verò formale scientiæ est illud, per quod determinatur obiectiue obiectum materiale ad considerationem talis scientiæ.* Hæc est communis, & patet, quia obiectum materiale dicitur tale ob proportionem, quam habet cum materia prima, & obiectum formale dicitur tale ob proportionem, quam habet cum forma, quæ actuat materiam, quæ proportio consistit in hoc, quod quemadmodum materia prima ex se est indifferens ad quãcumque formam, & consequenter ad quamcumque speciem constituendam; ita obiectum, quod dicitur materiale, est indifferens ad terminandam quamcũque scientiam ex pluribus illis specie distinctis, quæ versari possunt circa ipsum; & quemadmodum forma actuat materiam primam, & determinat ipsam ad constituendam talem determinatam speciem, ita obiectum formale est, quod determinat obiectiue obiectum materiale ad terminandam talem determinatam scientiam: ergo obiectũ materiale est id, quod est indifferens ad plures scientias, & obiectum formale est, quod determinatur ad talem vel talem scientiam in specie.

Quid obiectũ formale & materiale scientiæ.

Aduertendum autem hic breuiter, antequam vlterius progrediamur, obiectum formale diuidi ab authoribus in obiectum *quod* & obiectum *quo*; & per obiectũ formale *quod* intelligunt totum aggregatum ex obiecto materiali, & ratione formali determinatiua; per obiectum vero formale *quo* intelligunt rationem determinatiuam obiecti materialis.

5. Modo remanet maxima huius rei difficultas, quæ est assignare quid sit ratio determinatiua obiecti materialis, qua intellecta facile erit omnes scientias specificare, & inter se distinguere.

Quæ est ratio formalis determinatiua obiecti materialis.

Aliqui dicunt obiectum formale *quo* specificatiuum scientiæ esse medium demonstrationis, seu syllogismi, quo habetur scientia. Sed contra, quia per idem mediũ possunt haberi de obiecto materiali eodem plures cognitiones specie distinctæ, potest enim per rationale, tanquam per medium haberi scientia de homine quod sit risibilis, & alia scientia quod sit flebilis: & alia etiam quod sit admiratiuus ac discursiuus. Præterea hoc modo non ostenditur quid sit obiectum formale cognitionis non discursiuæ, nos autem examinamus quid sit obiectum formale cuiuslibet scientiæ, seu cognitionis, siue sit discursiua, siue non, vt ante notauimus.

Obiectũ formale non est medium demonstrationis.

Alij dicunt obiectum formale esse illud, quod determinat intellectum ad cognitionem, quam habet de obiecto materiali, v.g. in cognitione discursiua obiectum formale secundum hos erunt præmissæ, quia hæ determinant intellectum ad habendum cognitionem de cõclusione, & in cognitione fidei veritas erit obiectum formale *quo*. Sed contra, quia cognitiones possunt esse diuersæ speciei, quamuis eadem sit ratio motiua, nam vt modo suppono, actus fidei, quo creditur Antichristum esse futurum, cum repræsentet formaliter Antichristum necessariò debet distingui specie ab actu fidei, quo creditur Deus esse trinus, quique propterea repræsentat formaliter Deum, vt trinum, & nullo modo repræsentat Antichristum, & tamen idem est motiuum determinans intellectum ad vtrumque actum.

Obiectũ cognitionis non est obiectũ formale eius.

6. Alij existimant obiectum formale scientiæ esse definitionem, seu descriptionem obiecti materialis, quam tractat scientia. Contra tamen est, quod multæ sunt cognitiones, quæ non versantur circa definitionem vllam, vt v.g. cognitio, qua cognosco parietem esse album, hominem esse risibilem.

Quidam denique affirmant obiectum formale esse rationem illam, ob quam competit obiecto incomplexo materiali prædicatum, quod per scientiam cognoscitur de ipso. Sed contra hoc quoque est, quod sæpe cognoscatur prædicatum de subiecto sine eo quod cognoscatur ratio, ob quam competit subiecto, vt patet in cognitione, qua à posteriori cognoscitur hominem esse risibilẽ, & in cognitione qua idem cognosceretur per fidem: sed hoc esset falsum, si ista ratio esset obiectum formale. Deinde, vt ante diximus, possunt per scientias diuersas specie cognosci plura prædicata de eodem subiecto competentia ipsi ob eandem rationem, vt v. g. de homine risibilitas & flebilitas, quæ competunt ipsi propter rationalitatem. Nimis prolixum esset cæteros dicendi modos afferre. Itaque iis omissis vera sententia est proponenda.

## CONCLVSIO II.

6. *Obiectum formale cuiuslibet scientiæ non est vnum quidpiam, sed diuersum, pro diuersitate comparationis scientiæ ad alias scientias:* v. g. si comparemus scientiam aliquam ad alias scientias, quæ non versantur circa idem obiectum materiale, obiectum formale illius scientiæ specificatiuum, & distinctiuum ipsius erit illud ipsum obiectum materiale; si vero comparemus scientiam ad alias scientias, quæ versantur circa idem obiectum materiale, sed non cognoscunt idem prædicatum de illo, obiectum formale erit ipsum prædicatum; si denique comparemus scientiam ad alias, quibus idem prædicatum cognosceretur, obiectum formale erit ratio illa, quæ obiectiue proposita determinat intellectum ad cognoscendum tale prædicatum. Tota hæc conclusio declaratur, & probatur, quia nõ ob aliud requiritur obiectum formale, quam vt cognoscatur per ordinem scientiæ ad illud, eam distingui ab aliis scientiis, vt in confesso est apud omnes; sed certum est quod scientia quæcumque, quæ habetur de homine, distinguatur specificè ab omni alia, quæ non habetur de ipso, per hoc ipsum quod illa versetur circa hominem, aliæ versentur circa alia obiecta materialia, ergo non est recurrendum ad vllum obiectum formale distinctum ab ipso homine, per quam illa scientia distinguatur ab aliis scientiis, quæ non versantur circa hominem; Vnde sequitur quod idem omnino secundum eandem formalitatem obiectiuam possit esse obiectum materiale & formale, materiale quidem quatenus scientia tendit in ipsum; formale vero quatenus per ordinem ad ipsum potest colligi distinctio istius scientiæ ab aliis scientiis, & hoc communiter tenetur de ente respectu metaphysiæ, cuius obiectum tam materiale, quam formale dicitur esse ens vt ens.

Obiectũ formale scientiæ, seu cognitionis non est vnum quid formaliter.

Idem potest esse obiectum formale & materiale scientiæ.

Deindè certum est quod scientia, per quam cognoscitur de homine quod sit admiratiuus, distinguatur specie à scientia; per quam cognoscitur de homine quod sit risibilis, hoc ipso quod distincta sint prædicata, quæ per illas de homine cognoscuntur, ergo prædicata illa habebunt sufficientissimam rationem formalem distinguendi illas scientias. Denique scientia, qua cognoscitur à posteriori de homine quod sit risibilis ex eo quod rideat, sine dubio distinguatur specie à scientia, qua à priori id cognoscitur ex eo quod sit rationale; sed non potest assignari alia ratio distinctiua melior ex parte obiecti, quam quod diuersa sint motiua determinantia intellectum ad illas scientias, ergo quando comparantur duæ scientiæ, quæ de eodem subiecto cognoscunt idem prædicatum, obiectum formale distinctiuum earum erit motiuum determinans intellectum ad illas.

8. Dixi autem in conclusione, *quod si comparentur duæ scientiæ distinctæ habitæ de eadem propositione complexa ad se inuicem*, obiectum formale, per ordinem ad quod distingui debent, sit ratio illa, quæ obiectiue proposita determinat intellectum ad vnam potius quam alteram; quia etiamsi distinctio talium scientiarum posset prouenire ab alia ratione; quæ obiectiue non proponeretur, illa ratio non esset obiectum formale, quia obiectũ debet proponi; ratio autem illa nõ proponeretur; quare si duæ illæ scientiæ distinctæ specie habitæ de eadem propositione complexa non haberent vllam rationem obiectiue propositam, per ordinem ad quam distingui possent non distinguerentur ex parte obiecti vlla ratione, sed ex parte principij, aut ex aliquo alio capite; & hinc patet fidem naturalem, quæ haberi potest de futuritione Antichristi ob reuelationem, non distingui ex parte obiecti aut formalis aut materialis à fide supernaturali, quæ de eadem futuritione haberetur ob eandẽ reuelationem, sed distinctionem vtriusque desumi debere ex parte principij, quatenus scilicet vna procedit ab habitu supernaturali; & altera non.

Omnis distinctio scientiarum non prouenit ab obiecto vllo.

Vna scientia potest habere plura obiecta specificatiua.

9. Quod si dicatur hinc sequi quod vna & eadem scientia habere possit plura obiecta specificata; illud quidem fatendum est, sed nulla inde sequitur inconuenientia, quemadmodum enim, homo distinguitur essentialiter à lapide per animalitatem, & etiam per rationalitatem; ita scientia, qua cognoscitur de homine, quod sit risibilis, potest distingui à scientia, qua cognoscitur de bruto quod sit irrationalis, & ex eo quod versentur circa diuersa subiecta, & ex eo quod versentur circa diuersa prædicata, & etiam ex eo quod habeantur per diuersa media.

Confirmatur hæc resolutio, quia hoc modo facillime potest cognosci quænam inter se distinguantur scientiæ, quod tamen iuxta alios dicendi modos erat difficillimum, ergo hic dicendi modus est præferendus.

Solet hic agi de alia ratione formali scientiæ, quæ vocatur ratio formalis sub qua, sed ad propositum nostrum impræsentiarum non conducit, & de ea agetur disputatione vltima & quæstione vltima Logicæ.

## QVÆSTIO II.

### *Quidnam sit obiectum attributionis, seu adæquatum scientiæ totalis.*

10. QVandoquidem in qualibet scientia totali includente varias conclusiones, & respiciente varia obiecta, plures dentur scientiæ partiales non solum actuales, quod omnes fatentur, sed etiã habituales, vt postea cum communiori sententia ostendemus, quarum scientiarum quælibet suum proprium & peculiare obiectum tam materiale, quam formale habet: & quandoquidẽ hæ plures scientiæ non constituerent vnã scientiã totalem, nisi haberent aliquẽ ordinem inter se, qualẽ habere non possent nisi obiecta earũ etiam inter se ordinarentur sic, vt cætera obiecta ad vnum aliquod ordinarentur. Hinc diuiditur obiectum scientiæ cuiuslibet totalis in obiectum attributionis, seu primarium, quod est illud, ad quod cætera referuntur; & obiectum partiale, seu secundarium, quod est quodcumque aliud obiectum consideratum in scientia, & ordinatum ad illud aliud obiectum attributionis; examinatur ergo hic ex pluribus obiectis consideratis in qualibet scientia totali, quodnam censendum sit obiectum attributionis.

11. Sed prius aduertendum est hic à plerisque excitari quæstionem de nomine; nam veteres Doctores communiter idem intelligunt per obiectum attributionis ac per obiectum adæquatum; & per obiectum attributum, ac per obiectum inadæquatum; vnde cum ex omnibus obiectis scientiæ fateantur aliquod esse vnum quod sit obiectum attributionis, consequenter ex omnibus illis dari aliquod vnum concedunt quod sit obiectum adæquatum.

Idem est obiectũ adæquatum & attributionis.

Recentiores verò quidam, & speciatim *Hurtadus* & *Arriaga* hic, non idem intelligunt per vtrumque hoc nomen, sed per obiectum attributionis intelligunt quidem illud ipsum, quod intelligunt veteres per obiectũ adæquatum; per obiectum verò inadæquatum intelligunt aggregatum ex omnibus obiectis, quæ considerantur in scientia: vnde & negant dari ex omnibus aliquod vnum quod sit adæquatum: qui modus loquendi ex se non est incommodus, nam quemadmodum nulla vna scientia ex pluribus, quæ reperitur in scientia v. g. Logica, dicitur adæquata scientia Logica, sed aggregatum ex omnibus: & quemadmodum ex omnibus effectibus producibilibus ab aliqua causa nullus vnus dicitur adæquatus, sed aggregatum ex omnibus: ita etiam posset commode dici quod ex pluribus obiectis scientiæ totalis nullum vnum, sed aggregatum ex omnibus esset adæquatũ obiectum eius: nec hoc esset contra vnitatem scientiæ; neque enim ex parte obiecti debet habere maiorem vnitatem quã in se habet; in se autem non habet nisi vnitatem aggregationis ex pluribus scientiis partialibus, dicentibus tamen aliquem ordinem ac subordinationem ad se inuicem, ergo nec aliam veritatem debet habere ex parte obiecti, sed huiusmodi vnitatẽ posset habere ex parte obiecti, quamuis nullum vnum esset obiectum adæquatum, sed potius aggregatum ex omnibus, ergo vnitas scientiæ non infert necessario quod aliquod vnum sit obiectum adæquatum eius.

Nihilominus, quandoquidem veteres Doctores communiter idem intelligant per obiectum attributionis ac adæquatum, in quæstione de nomine potius cum illis quam cum vllis recentioribus est conueniendum, cum nihil impediat, quominus hæc vox *obiectum adæquatũ* posset institui ad significandum obiectum attributionis, & cum nulla difficultas tollatur negando hanc institutionem & statuendo illam alteram neotericam. Itaq; absolute tenendũ quod idem sit obiectũ adæquatum & attributionis in proposita quæstione: si autem quis proteruiat idem non esse significandum, præstat conuenire cum ipso de nomine: & vti nomine obiecti attributionis, ne ab examine rei transeatur ad examen nominis.

12. Vt ergo soluamus quæstionem præsentem quoad rem ipsam, aduertendum est vlterius tres conditiones requiri potissimum vt aliquod sit obiectum adæquatum, seu attributionis scientiæ, quas proponit *Doctor. q. 3. Vniuersalium.*

Conditiones obiecti adæquati seu attributionis.

*Prima* est, quod per se definiatur in illa scientia, habeatque principia & proprietates. Ad hanc autem reduci debet alia conditio, nempe quod non agatur de obiecto, quod dicitur vnius scientiæ, in alia scientia, nam ex hoc quod per se definiatur in vna scientia, non debet per se definiri in alia scientia, & consequenter non debet per se cõsiderari in alia scientia: quod autem per accidens aut definiatur, aut tractetur in alia scientia, nihil impedit veritatem huius conditionis.

*Secunda*, quod proprietates de ipsa in scientia demonstrentur per illa principia (quod intellige quando scientia est à priori, nam alias si esset à posteriori, potius principia deberẽt probari per proprietates) & quidem hæ duæ cõditiones æque debẽt conuenire cuilibet obiecto partiali & inadæquato, de quo habetur scientia.

*Tertia* denique *conditio*, quæ maxime aduertẽda est, vtpote quæ soli obiecto attributionis cõuenit, & per quã

à

à cæteris distinguitur, est quod cætera obiecta ad ipsum referantur, seu attribuantur; ipsum verò non referatur ad aliquod aliud obiectum, ex hac enim ratione habet esse obiectum attributionis, vt vel ex ipso nomine patet, & consequenter habet esse obiectum adæquatum, supposito quod ex communiori Doctorum veterum acceptatione idem sit obiectum adæquatum & attributionis.

Ad hanc conditionem, reducendam arbitror aliam, de qua *Doctor q. 4. Prolog.* facit mentionem, nimirum quod obiectum adæquatum, seu attributionis debeat continere omnes veritates illius scientiæ: cuius sensus est quod ipsum & secundum se, & secundum omnia obiecta attributa ad ipsum contineat omnes illas veritates: neque enim secundum se solum debet illas continere virtualiter ita, vt se solo cum intellectu posset omnes illas causare, impossibile enim est quod ens vt sic, quod ponitur obiectum adæquatum Metaphysicæ, contineat omnes veritates metaphysicas, præsertim illas, quæ habentur de Angelis, vt postea iterum dicetur *nu.* 18. agendo de hac ipsa conditione, quæ non est adeo facilis intellectu.

## CONCLVSIO I.

Nulla species infima ex pluribus consideratis in aliqua scientia totali est obiectum adæquatū eius.

13. *Nulla vna species infima ex pluribus speciebus consideratis in aliqua scientia totali debet assignari pro obiecto adæquato, seu attributionis scientiæ.* Hæc est communissima inter *Scotistas* & *Thomistas*, qui aliquid communius quam vlla species infima assignant pro obiecto adæquato, vt *Metaphysicæ*, ens, aut substantiam vt sic; *Physicæ* ens, aut corpus naturale: *Logicæ* syllogismum, aut modum sciendi: est autem contra *Hurtadum* & *Arriagam*, qui Logicæ assignant pro obiecto adæquato demonstrationem.

*Probatur*: quia cætera obiecta omnia nequeunt ad talem speciem reduci; sed cætera obiecta debēt reduci ad obiectū attributionis, ergo talis species nequit esse obiectum attributionis. Probatur maior, quia aliæ species oppositæ, quæ nō sunt partes, nec principia, nec causæ, nec effectus illus speciei, nequeunt ad ipsam reduci, v.g. ad hominem in Physica nequit reduci equus; nec ad demōstrationem in Logica syllogismus probabilis; nec ad perfectissimam speciē Angelicam in Metaphysica minus perfecta species, loquēdo de reductione in ratione obiecti; cum enim sint species oppositæ & disparatæ, quarū vna non est aliquid spectans vlla ratione ad alterā, vtraq; sine altera perfecte cognosci potest, & neutra potius reduci debet ad alterā, quam altera ad illam, nec apparet quomodo vlla ex illis ad aleterā reduci posset.

14. *Dices cum Arriaga* vnam ex ipsis posse ad alteram, tanquam aliquid ipsi contrarium, reduci.

*Contra*: quia hac ratione etiam altera ad ipsam reduci posset: & præterea si ad scientiam, quæ habetur de vno contrario, spectaret per se scientia alterius contrarij, tum ad pyhsicam, in qua agitur de substantia materiali, pertineret agere de substantia spirituali.

*Dices*: ad Metaphysicam, quæ agit de ente reali tanquam de obiecto attributionis, spectat etiam agere de ente rationis, cum tamen ens rationis nihil habeat cum ente reali, nisi quod sit oppositum ipsi, & quod opposita iuxta se posita, vt dicitur, magis eluceſcant: ergo ad scientiam, quæ per se agit de vno contrario, potest spectare consideratio alterius contrarij.

Respondeo, capiendo Metaphysicam pro ea scientia, quæ habet pro obiecto attributionis ens reale, non spectare per se ad illam ens rationis; nec consequenter ad vllam scientiam, quæ est de aliquo tanquam obiecto attributionis, spectat per se agere de contrario ipsius, vt tale est præcisè.

Quomodo ens rationis spectat ad metaphysicam.

*Et si quæras*, ad quam ergo scientiam spectat agere de ente rationis per se? *Respondeo* quod ad scientiam illam, quæ per se directe agit de ente rationis: dicitur autem illa scientia esse pars Metaphysicæ, quia solet dari à Magistris, quando dant Metaphysicam, & quia aliquo modo conducit ad cognitionem obiecti metaphysici.

Ex his sequitur quod perfectissimum obiectum ex omnibus obiectis, quæ considerantur in scientia totali, non possit semper esse obiectum attributionis eius, quia illud debet esse aliqua species infima ex omnibus speciebus. Fatetur quidem *Arriaga n.* 12. perfectissimum obiectum non esse obiectum attributionis, sed minus consequenter, nam ipsemet in particulari postea semper assignat perfectissimum obiectum pro obiecto attributionis. vt in Theologia Deum; in Physica hominem; in Logica demonstrationem.

Perfectissimū obiectū non est obiectū adæquatum.

## CONCLVSIO II.

Quodnā sit censendum obiectū attributionis.

15. *Illud censendum est obiectum adæquatum seu attributionis in aliqua scientia, ad quod cætera obiecta per se considerata in scientia reducuntur, vel tanquam pars essentialis aut integralis, aut tanquam proprietas, aut accidens, vel ipsiusmet, vel alicuius ex ipsius speciebus.* Hæc conclusio in re videtur communis contra authores impugnatos præcedenti conclusione. *Probatur* tum quia Doctores communiter intelligunt per obiectum adæquatū & attributionis, quod est huiusmodi; tum quia huiusmodi obiectum habet omnes conditiones obiecti adæquati supra assignata; & præsertim illam, quæ principalissima est, nempe quod cætera obiecta ad ipsum referantur, quicquid enim est pars integralis, aut essentialis, aut proprietas, aut accidens, aut species alicuius, tanquam tale quid, ad ipsum reduci potest; omne enim tale est aliquid ipsius, seu ad ipsum spectans.

*Confirmatur*: quia nihil aliud assignari potest conuenientius quam huiusmodi; si enim aliquid, maxime aliqua species infima; sed hoc non, vt patet ex conclusione præcedenti. Hinc patet, quando sunt plures species consideratæ in aliqua scientia, præsertim quarum neutra spectat ad alteram, tanquam pars ipsius, aut proprietas, aut causa, aut effectus, aliquid ipsis communius debere esse obiectum attributionis.

16. *Obiicies primò*: Illud quod est magis commune quam species, potest optime reduci ad illas species, quādoquidem perfecta cognitio specierum nequeat haberi sine ipsius cognitione: ergo non potest esse obiectum attributionis, quia de ratione obiecti huiusmodi est, quod ipsum nnn possit reduci ad aliquod aliud obiectum,

*Confirmatur*: pars actualis tam Physica, quam metaphysica rei reducitur ad ipsam rem, quia res nequit esse absque illa parte, nec etiam pefecte cognosci; & hinc materia prima & forma physica reducuntur ad corpus physicum; sed quod est superius ad species, est pars metaphysica actualis, ergo ad ipsas debet reduci.

*Cōfirmatur secundò*: illud potius debet reduci ad aliud obiectum; cuius cognitio deseruit ad cognitionem alterius, quam cuius cognitio non deseruit: sed cognitio gradus superioris deseruit ad cognitionem inferioris; inferioris autem non ita deseruit ad cognitionem superioris: possum enim cognoscere distincte animal non cognoscendo hominem; sed non possum cognoscere hominem distincte, quin cognoscam animal: ergo superius debet potius reduci ad inferius, quam è contra.

17. *Respondeo* distinguendo antecedens: Potest reduci ad illas quatenus est pars specierum, & cognitio ipsius ad cognitionem specierum requiritur, concedo; potest reduci ad vllam ex ipsis tanquam ad obiectum attributionis, ad quod tam ipsum, quam cætera obiecta partialia istius scientiæ reducuntur, nego antecedens & consequentiam.

Quomodo superius potest reduci ad inferius & non potest.

Ad cuius probationem dico quod illa conditio intelligenda est sic, quod obiectum attributionis non debeat potius ad aliud obiectum reduci tanquam ad obiectum attributionis, quam aliud ad ipsum.

*Ad primam confirmationem Respondeo*, distinguendo maiorem tanquam ad obiectum attributionis, si cætera obiecta pariter ad ipsum reduci nequeant, nego maiorē, si possint, cōcedo maiorē, & concessa minori, distinguo consequens, tanquam ad obiectum attributionis, modò cætera vicissim obiecta ad ipsum reduci nequeant, nego consequentiam; si possunt, concedo consequentiam. Sed non est contra conclusionē, quæ dicit aliquid superius

debere assignari pro obiecto, quando omnia obiecta nequeant reduci ad aliquod inferius contentũ sub illo.

*Ad secundam confirmationem Respondeo* similiter distinguendo maiorem: tanquem ad obiectum attributionis, quando cætera obiecta ad ipsum reduci non possunt, nego maiorem; quando possunt, concedo maiorem; & concessa minori distinguo consequens: tanquam ad obiectum attributionis, nego consequentiam; alio modo, concedo consequentiam.

*Itaque* non ab hoc tantum habet aliquod obiectum esse attributionis respectu aliorum, quod cognitio aliorum omnium sit necessaria ad cognitionem ipsius, aut ipsius ad aliorum, sed quod cætera omnia spectant ad ipsum aliquo ex modis in conclusione specificatis, aut alio simili modo.

18. *Obiicies secundò*: secundum *Doctorem q.4. prologi* vna ex conditionibus obiecti primi, hoc est adæquati seu attributionis scientiæ totalis est, quod debeat continere virtualiter omnes & singulas veritates istius scientiæ, cuius est obiectum adæquatum: sed certum videtur nullum commune posse continere virtualiter omnes veritates competentes speciebus sub se contentis; neque enim ens, vt sic, continet virtualiter veritates competentes homini, neque syllogismus aut modus sciendi vt sic veritates competentes demõstrationi.

*Hæc obiectio* non solum probat oppositum nostræ conclusionis, sed præterea nullum vnum obiectum posse esse obiectum attributionis, quia nullum prorsus vnum obiectum, quodcumque sit, continet virtualiter omnes veritates, quæ cognoscuntur de cæteris obiectis, vt patet. Itaque omnibus soluenda est, & fortassis qui non deferunt Scoti authoritati, negarent maiorem, quæ in sensu obiectionis non facile potest probari.

*Respondent aliqui Scotistæ* Scotum loqui non de obiecto adæquato scientiæ totalis, sed de obiecto specifico partis scientiæ totalis. Sed manifeste patet oppositum ex ipsamet littera.

Melior responsio.

*Respondetur ergo aliter*, quod obiectum adæquatum, debeat continere virtualiter omnes veritates scientiæ cuius est obiectum, non secundum se & sua prædicata intrinseca, sed secundum se & omnia illa, quæ sunt ad ipsum reducibilia commode; vnde idem est in re continere omnes veritates scientiæ, ac esse tale de quo tractat scientia, & ad quod omnia alia, quæ in scientia tractantur, commode reduci possunt, tanquam aliqua ipsius.

Quomodo obiectum adæquatum debet continere omnes veritates scientiæ.

19. *Quod si quæras*, in quonam consistat hæc continẽtia virtualis? Respõdeo quod non in hoc quod possit ipsummet obiectum adæquatum causare realiter cum intellectu cognitionem aut scientiam, quæ habetur de ipso, quia potest contingere, vt obiectum sit rationis aliquando, quod non potest habere talem virtutem; sed consistit in hoc, quod obiectum contineat virtualiter suas proprietates metaphysicas, & cætera obiecta reducibilia ad ipsum contineant reliquas proprietates, quæ in scientia cognoscuntur; cum enim illæ proprietates sint, quæ cognoscuntur per scientiam, eo ipso, quo obiectum continet illas veritates, potest dici continere omnes veritates obiectiuas, veritates enim obiectiuæ, quæ cognoscuntur in scientia, sunt, quod illæ proprietates conueniant istis obiectis. Posset etiam dici quod obiectum contineret ipsammet scientiam virtualiter, quatenus licet non secundum se, mediante tamen specie repræsentatiua ipsius potest causare cum intellectu illam scientiam.

Tota resolutio huius quæstionis magis patebit per dicenda quæstione sequenti.

### *ADDITIO.*

*Mastrius disp.1. Met.n.47. §. posset hic fieri*, asserit explicationem Scoti à me adductam hac quæst. n.18. esse directe contra intentionem ipsius, nam explicans particulas *primo virtualiter*, ait idem id esse, ac continere independenter ab aliis in scientia consideratis secundum suam rationem adæquate ac præcise.

*Sed hæc verba* Scoti non præiudicant meæ expositioni: sensus enim illorum verborum est, quod obiectum, de quo agit, & quod ego dico esse adæquatum, debeat secundum se & omnia per se reducibilia ad ipsum continere omnes veritates scientiæ independenter ab omnibus aliis obiectis quæ considerari solent in scientiis totalibus per accidens; & quod nullum aliud obiectum per accidens consideratum in scientia possit illas continere independenter ab obiecto adæquato.

Confirmatur explicatio Scoti de obiecto adæquato.

*Quod vt melius* intelligatur, aduertendum in omnibus scientiis totalibus, multa proponi & doceri, quæ per se ad illas non spectant. Sic in logica agitur de entis rationis, ac de decem prædicamentis in particulari; in Medicina agitur de multis obiectis Physicis; in Physica ac Theologia de multis obiectis Metaphysicis, & in ipsa Metaphysica, vt à multis traditur de variis obiectis Physicis, quod fit aliquando mere per accidens, ac per transennam, vt aiunt, non vero ad maiorem aut perfectiorem cognitionem obiectorum per se considerandorum, aliquando vero fit in ordine ad perfectioré eorum cognitionem habendam. Voluit ergo Doctor quod quamuis hæc obiecta aliena conducere possint ad habendam cognitionem obiecti per se, non tamen ita vt per se possint sufficere absque ipsismet obiectis per se, seu absque obiecto adæquato & aliis per se ad ipsum reducibilibus; cum tamen obiectum adæquatum, & alia ad ipsum per se reducibilia possint sufficere ad habendas omnes cognitiones per se spectantes ad scientiam independenter ab aliis omnibus obiectis per accidens in scientia consideratis.

*Quod autem* non loquatur Scotus de obiecto specifico contradistincto ab obiecto adæquato videtur satis apparẽs, quia agebat de obiecto adæquato totius Theologiæ, quæ est cognitio totalis plurimas diuersissimæ rationis veritates continens, quas nullum vnum specie obiectum secundum se præcise, quatenus cognoscitur à nobis pro hoc statu, posset causare; & in ordine ad hoc præsupponere voluit quid esset obiectum adæquatum scientiæ totalis vt sic, vnde non est verisimile quod loquatur de obiecto specifico tantum, vt vult Mastrius & alij etiam Scotistæ.

*Adde* si possit Scotus intelligi cõmode de obiecto adæquato scientiæ totalis vt sic, id melius esse, quia magis erat ad scopum ipsi propositum, quàm restringere ipsum ad obiectum specificum, vt opponitur obiecto adæquato scientiæ totalis: sed potest sine dubio, si explicetur, vt ego explicui ipsum; nec in hoc est vlla inconuenientia: ergo mea expositio amplectenda est; nec censenda est tam directe contra Scotũ, quam gratis asserit Mastrius.

## QVÆSTIO III.

### *De obiecto adæquato seu attributionis Logicæ.*

20. MAioris claritatis gratia, in hac quæstione, applicanda videbatur doctrina præcedẽtis quæstionis de obiecto Logicæ, & simul eadem doctrina vlterius confirmanda. Sensus autem quæstionis, provt hic proponitur, est quodnam ex pluribus obiectis, de quibus agit Logica, sit sentiendum obiectum adæquatum eius; v.g. in Logica agitur de termino, de propositione, de nomine, de verbo, de definitione, de diuisione, de syllogismo vt sic, de syllogismo probabili, de syllogismo demonstratiuo, de syllogismo falsigrapho, seu, male concludente. Quæritur ergo hic, quodnam ex his sit obiectum adæquatum Logicæ.

Variæ sentẽtiæ.

De quo plurimæ sunt sententiæ; aliqui enim, vt *Hurtadus & Arriaga*, putant demonstrationem esse obiectum adæquatũ, seu attributionis Logicæ; alij modum sciendi, vt cõplectitur definitionem, diuisionem, & syllogismum; alij syllogismum vt sic, cõmunem omni syllogismo; alij orationẽ; alij argumentum, vt est quid cõmune ad syllogismum, enthymema, inductionem; alij denique distinguunt de Logica, & dicunt posse cõsiderari Logicã, quatenus tradita est à Philosopho in libris Prædicamentorũ, Perihermenias, Priorũ, Posteriorum, Topicorũ, Elenchorum, & hoc modo dicunt syllogismũ vt sic, esse obiectum adæquatũ eius; alio modo dicũt posse considerari Logicam vt posset tradi cõplere quantum ad omnia, quæ possent cõducere ad cognoscẽdas res bene

&

& absq; errore, & vt sic existimant nõ syllogismũ vt sic, sed modum sciendi esse obiectum Logicæ. Hanc sententiã tenent multi Scotistæ, & iuxta eam explicant cõtradictionem quam *Scotus* videtur habere. *q. 3. vniuersalium* vbi asserit syllogismum esse obiectum adæquatum Logicæ; *lib. 1.* vero *Priorum q. 2.* tenet non syllogismum, sed modum sciendi esse obiectum adæquatum Logicæ: existimant enim Scotum primo loco assignasse Logicæ obiectum adæquatum, prout tradita est à Philosopho, secundo vero loco assignasse ipsi obiectum adæquatũ, nõ prout tradita est à Philosopho, sed prout tradi posset ex natura sua. Et sane multo melius recurritur ad hanc expositionem, quam diceretur cum *Fabro* propter illam contradictionem vitandã, quod Scotus non esset author librorum Priorum absque vllo fundamento alio.

## CONCLVSIO.

Logica secũdum se habet pro obiecto adæquato modum sciendi.

11. *Logica secundum se absolute secundum quod tradi posset de omnibus quæ conducere possent ad hoc, vt aliquis non erret in discurrendo aut colligendo ex noto ignotum, habet pro obiecto adæquato modum sciendi vt sic; secundum vero quod tradita est à Philosopho in libris, qui ad nos peruenerunt, habet pro obiecto adæquato syllogismum vt sic.* Hæc est iuxta vltimam sententiam quam tenet expresse. *Merinerus qu 4. præmiali sec. 2. Rodrigues q. 3. art. 1. Mastrius & Scotistæ* recentiores communiter. *Probatur autem prima pars.* quia omnes conditiones obiecti adæquati competunt modo sciendi vt sic, respectu Logicæ, secundũ quod complete tradi posset, habet enim suam definitionem, & cõsequenter etiam proprietates per definitionem demonstrabiles: & præterea, cum contineat sub se syllogismum ac demonstrationem, erit maxime late patens ex obiectis à Logica considerabilibus: ergo erit obiectum adæquatum eius. Consequentia patet ex dictis articulo præcedenti, in quo ostensum est maxime late patens obiectum debere censeri obiectum adæquatum, si aliquod vnum sit assignandum.

Sygogismũ vero vt traditur à Philosopho.

12. *Confirmatur:* quia nullum aliud obiectum vnum potest assignare, quod potius debeat dici adæquatum Logicæ: ergo illud est assignandum. Probatur antecedens, quia si aliquid, maxime syllogismus vt sic, aut demonstratiuus syllogismus: sed neutrum ex his tam commode assignari potest, ergo. Probatur minor, quia syllogismus, vt sic, non continet sub se modum sciendi, vt sic, quod est superius ad ipsum, nec demonstratio continet sub se syllogismum, vt sic: ergo nec syllogismus vt sic, nec demonstratio potest esse obiectum adæquatum Logicæ tractantis de modo sciendi vt sic.

*Confirmatur secundo:* quia in cæteris scientiis maxime cõmune, nisi aliquid speciale obstet, assignatur pro obiecto adæquato ab iis, qui aliquod vnum obiectum assignare solẽt, vt in Metaphysica ens vt sic; in physica corpus naturale vt sic; in Arithmetica numerus vt sic; ergo in Logica etiam maxime cõmune, quod non impeditur ratione aliqua particulari, assignari debet pro obiecto adæquato; sed illud est modus sciendi vt sic, ergo &c.

*Confirmatur tertio:* quia Logica agit de definitione ac diuisione; sed hæc non cõprehenduntur sub syllogismo, nec sub demonstratione: comprehenduntur autem sub modo sciẽdi vt sic, ergo quandoquidem obiectum adæquatum debeat cõprehendere omnia obiecta alia scientiæ, modus sciendi potius est obiectum adæquatum Logicæ, quam syllogismus aut demonstratio.

13. *Dices* definitionem, & diuisionem cõrineri sub syllogismo, quatenus scilicet diuisio est conducens ad habendam definitionem rei, & definitio est conducens ad confectionem demonstrationis, cuius medium solet plerumque esse definitio rei.

Definitio, & diuisio non solũ cõsiderãtur in Logica quatenus conducunt ad syllogismum.

*Contra:* quia licet reuera possint sub illa ratione comprehendi, sub syllogismo vt sic, tamen quia non solum deberent considerari, quatenus conducunt ad demonstrationem, sed etiam secundum se independenter à demonstratione, non debet dici quod gratia demonstrationis potius considerentur in Logica, quam gratia sui, & consequenter non debent dici considerari in Logica, vt ordinantur ad demonstrationem.

*Confirmatur hoc:* quia etiam si demõstratio esset impossibilis, adhuc dari posset scientia de modo sciendi, & de definitione, ac diuisione, & illa scientia optime posset vocari Logica: sed in tali casu non consideraret Logica definitionẽ, ac diuisionem gratia demonstrationis: ergo neque iam. Probatur consequentia, quia iam habent illã rationem, quam tum haberent, licet non solam, quia iã vlterius habent conducentiam ad demonstrationem, quam tum non haberent, in hypothesi scilicet, quod demonstratio esset impossibilis: ergo si tum essent considerabiles à Logica gratia sui, etiam iam sunt sic considerabiles.

*Probatur secunda pars* conclusionis, quia in Logica Aristotelis comprehensa in libris ad nos deuolutis, non definitur modus, seu instrumentũ sciendi vt sic, nec aliquid demonstratur de ipso: ergo non est obiectũ adæquatum Logicæ, vt sic consideratæ, quia de ratione obiecti adæquati est quod definiatur in scientia, & aliquid de ipso demonstretur: sed ex suppositione quod modus sciendi non sit obiectum adæquatũ, nihil aliud assignari potius debet, quam syllogismus vt sic, quandoquidem cætera omnia comprehendat, & definiatur, ac plures proprietates de ipso demonstrentur in libris Priorum.

*Dices* orationem esse magis late patentem quam syllogismũ, syllogismus enim omnis est oratio, sed nõ omnis oratio est syllogismus, ergo quandoquidem de oratione agatur in Logica Aristotelica, potius oratio quam syllogismus est obiectum adæquatum Logicæ Aristotelicæ, hoc est Logicæ prout de facto tradita est ab Aristotele.

Reiicitur. Cur oratio non sit obiectũ adæquatum Logicæ.

Respondetur negando consequentiã, & ratio est, quia non agitur in Logica de oratione vt est quid commune ad syllogismum, sed vt est pars integralis ipsius, vnde si syllogismus non esset conficiendus ex propositionibus, & hæ non essent orationes, nequaquam consideraret Logica orationem, quamtumuis oratio esset adhuc quid superius ad syllogismum.

*Confirmatur:* quia certum est in Logica non agi de aliquo nisi de modo, aut instrumento sciẽdi, aut conducẽtibus ad instrumentum sciendi: sed oratio vt sic, quæ traditur in Logica Aristotelis, non est modus aut instrumentum sciendi, ergo eatenus de ea agitur in Logica, quatenus conducit ad conficiendum aliquod instrumẽtum sciendi, & consequenter ipsa potius debet reduci ad instrumentum sciendi, quam è contra.

Non omne latius patens debet esse obiectũ adæquatum.

14. *Itaque non omne,* quod est latius patens debet poni obiectum adæquatum scientiæ, sed illud quod est latius patens, & vt sic cõsideratur per se à scientia: colligi autẽ poterit quod aliquid, vt latius patẽs quam aliud, cõsideratur in sciẽtia, si reperiatur cõtinere sub se aliquas species, quæ in illa sciẽtia cõsiderantur sine ordine ad illud alterum, quod est minus late patẽs, v. g. colligi bene potest quod agatur in Metaphysica de ente, vt est latius patens quam Deus, quia cõtinet sub se alias species, nimirum substãtias creatas, quæ essent cõsiderabiles à Metaphysica sine ordine ad Deũ, hoc est gratia sui & nõ gratia Dei; colligi etiã potest quod Logica agat de syllogismo vt sic, vt est latius patẽs quam demõstratio, quia cõtinet sub se alias species, nimirum syllogismum topicũ, qui esset considerabilis à Logica sine ordine ad syllogismum demõstratiuũ. Si ergo Logica Aristotelica agat de oratione, vt est magis late patẽs quã syllogismus, oportet eam cõprehendere sub se aliquam speciẽ consideratã etiam à Logica Aristotelica, quæ species non cõsideratur in illa Logica gratia syllogismi; sed non comprehendit vllam talem speciem, ergo non agitur per se de oratione in Logica Aristotelica, vt est quid communius, & magis late patens quam syllogismus.

15. *Adde* quod ex alio capite possit excludi oratio definita in Logica Aristotelis, & secundum se cõmunius, & magis late patens, quã syllogismus, ab obiecto adæquato Logicæ, quia oratio vt sic cõprehendit sub se orationem grammaticam, & rhetoricam, quæ nõ sunt cõsiderationis Logicæ: ergo ratio vt sic, nõ potest esse obiectũ adæquatũ Logicæ. Probatur cõsequentia, quia illud non est obiectũ adæquatum sciẽtiæ, quod excedit ipsam, hoc

est quod cõtinet in se aliquid quod nõ cõsideratur ab illa scientia: sed oratio grammatica & rhetorica nõ cõsideratur à Logica; ergo oratio vt sic cõtinẽs illas orationes sub se non potest esse obiectum adæquatum Logicæ.

Hoc ipsum argumentum de oratione posset proponi etiam contra primam partem conclusionis, quia oratio est quid communius ad modum sciendi: omnis enim modus sciendi est oratio, & non è contra. Sed facilis est responsio ex dictis, quia non consideratur à Logica per se, vt est quid communius, propter iam dicta.

26. *Obiicies vlterius contra primã partem*: non datur vllus modus, seu instrumentum sciendi præter demonstrationem, ergo potius demonstratio est obiectum adæquatũ quam aliquid cõmunius ipso. Probatur antecedẽs, quia per solam demonstrationem potest quis acquirere sciẽtiam, vnde & definiri solet syllogismus faciens scire.

*Respondetur* distinguendo antecedens: nõn datur vllus modus sciendi, scientia rigorosè accepta, pro cognitione habita per demonstrationẽ, concedo; sciẽtia late accepta pro quacũque cognitione, per quam de nouo cognoscitur res ignota, nego antecedens, & consequentiam, quia quando dicitur quod Logica sit ars tractans de modo sciendi, non loquimur de modo sciendi stricte, sed large.

Obiectio cõtra secundam partem.

27. *Obiicies primo contra secundã partem*: de syllogismo non potest haberi scientia, ergo nequit esse obiectũ Logicæ; quæ vt suppono ex dicendis, est scientia. Probatur antecedẽs, quia nõ potest haberi sciẽtia nisi per syllogismum: ergo si de syllogismo haberetur sciẽtia, illud esset mediante alio syllogismo: sed hoc nequit fieri, quia vel syllogismus, per quem haberetur sciẽtia, esset notus, vel ignotus, si ignotus, nõ posset haberi per ipsũ notitia alicuius; si notus, ergo per alium syllogismũ, & sic in infinitũ. Hæc obiectio proponi posset contra statuentes demonstrationem esse obiectum adæquatũ Logicæ, imo, & contra ponentes modum sciendi vt sic, esse obiectum adæquatum; quia de modo sciendi non potest haberi sciẽtia nisi per modum sciendi, qui velerit ignotus, aut notus; si ignotus, ergo per eum non habetur scientia; si notus, ergo per alium modum sciendi, & sic in infinitũ.

28. *Respondetur* autem negando antecedens, & subsumptum probationis, ad cuius vlteriorẽ probationẽ dicẽdũ, quod syllogismus ille, per quem de syllogismo vt sic, habetur scientia, sit seipso notus, quia ex terminis apparet conclusionẽ ipsius sequi ex præmissis, nec debet esse notus per aliũ syllogismũ, sicut nec notitia, quæ habetur de ipso, debet esse discursiua. Itaque per syllogismũ particularem actualiter factum ab intellectu, cuius cõclusio est, quod syllogismus vt sic habeat talem vel talem proprietatẽ, cognoscitur de syllogismo vt sic, talis proprietas, quæ proprietas licet conueniat etiã syllogismo illi particulari, non tamen per illum syllogismum particularem cognoscitur formaliter, & directe sibi ipsi competere. Ille autem syllogismus in particulari, per quem cognoscitur illa proprietas competere syllogismo, vt sic, est notus intellectui quantum ad concludendum recte seipso, nec est necesse vt alius syllogismus adhibeatur, quo sciatur quod recte concludat.

Obiectio secunda.

29. *Obiicies secundò contra eandem partem*: idem obiectum non potest esse adæquatum obiectũ partis sciẽtiæ, & totius scientiæ: sed syllogismus vt sic, est obiectũ partis Logicæ v.g. librorum Priorũ: ergo nequit esse obiectum totius Logicæ, etiam vt tradita est à Philosopho. Probatur maior, quia eo ipso, quo esset obiectum adæquatum totius scientiæ, excederet partẽ scientiæ, & cõsequenter non esset adæquatum parti. Hæc etiam obiectio militat contra primam partẽ conclusionis & cõtra quamcumque sententiam, quæ statueret aliquod vnũ ex multis obiectis Logicæ pro obiecto adæquato eius, nam, de quocũque vno obiecto agitur in aliqua parte sciẽtię est obiectum istius partis, vnde si nequit idẽ esse obiectum totius scientiæ & partis, nequit vllum vnum obiectum esse adæquatum obiectum totius scientiæ.

*Respondetur* ergo ab obiectionem negando maiorem, ad cuius probationem dicendum, quod illud obiectum, quod est adæquatum parti, potest excedere illam partẽ quantũ ad hoc, quod aliquid possit cõsiderari ad ipsum spectans in aliis partibus, quod non consideratur in illa parte, nec dicitur adæquatum parti, quatenus in parte illa omnia, quæ ad ipsum spectant, considerantur, sed quatenus omnes proprietates de ipsomet secundum se considerabiles in illa parte traduntur.

Quomodo potest obiectum idẽ esse adæquatũ parti toti.

*Potest etiam responderi aliter* distinguendo maiorem: idem nequit esse obiectum adæquatũ parti & toti sciẽtiæ eadẽ ratione. concedo maiorẽ, diuersa ratione, nego maiorem, distinguo etiã minorẽ: sed syllogismus est obiectũ adæquatũ partis Logicæ sub illa ratione, sub qua dicitur adæquatum toti, nego minorẽ; sub alia ratione, concedo minorem, & nego consequentiã. Itaque syllogismus dicitur esse obiectum librorum Priorũ, quatenus omnia cõsiderabilia de ipso syllogismo vt sic, & omnes proprietates ipsi cõuenientes in illis libris tractãtur; nõ sic autẽ dicitur obiectum adæquatũ totius Logicæ, sed quatenus in tota Logica non solum traduntur istæ proprietates conuenientes ipsimet immediate, sed etiam omnia alia tractantur, quæ ad ipsum spectant aliquo modo, & nihil præterea. Hæc est responsio ipsiusmet Doctoris ad hanc obiectionem.

30. *Obiicies tertio*: de syllogismo nequit esse scientia, quia non est quid necessarium, quandoquidem contingenter producatur, & posset nullo modo produci; obiectum autem scientiæ debeat esse quid necessarium: ergo non potest esse obiectum Logicæ, quæ est scientia. Hæc quoque obiectio militat contra quamcumque sententiam, quæ esset de obiecto Logicæ.

Quomodo obiectũ sciẽtiæ debet esse necessariũ.

*Respondetur* autem negando antecedens, ad cuius probationem dico obiectum scientiæ debere esse necessarium, non quoad existentiam, quandoquidem per scientiam non cognoscatur existentia de ipso, sed quoad connexionem quam habet illud obiectum cum prædicato quod scitur de ipso; sic autem est necessarius syllogismus v.g. de homine scitur, quod sit risibilis, vnde homo, qui est obiectum incomplexum istius scientiæ, non debet esse necessario existens, sed bene debet habere necessariam connexionem cum risibilitate, ita vt non possit existere quin sit risibilis, & aliam necessitatem non debet habere: vnde quandoquidem syllogismus, licet non necessario existat, habeat tamen necessariam connexionem cum quacumque proprietate, quæ scitur de ipso, ita vt non possit existere, quin habeat talem proprietatem, optime potest esse obiectum scientiæ.

## QVÆSTIO IV.

### *De quonam syllogismo agit Logica.*

31. *IAm diximus*, Logicam agere de syllogismo, tanquã de suo per se obiecto, sicut etiã agit de definitione, diuisione, & syllogismo demõstratiuo, nec de hoc aliquis dubitat, quamuis sit controuersia an syllogismus sit obiectum adæquatũ eius: sed quia triplex est syllogismus, vnus mentalis & formalis, qui cõsistit in tribus iudiciis intellectus, quibus iudicat tres propositiones aliquas taliter dispositas, vt veritas vnius sequatur ex veritate aliarũ duarũ; vt si quis iudicaret omnẽ hominẽ esse animal, & Petrum esse hominẽ, & propterea Petrũ esse animal. Alius syllogismus est obiectiuus, & consistit in tribus propositionibus illis, quæ sunt obiecta istorum trium iudiciorum, vt v.g. omnis homo est animal. Petrus est homo, ergo Petrus est animal. Tertius denique syllogismus vocatur vocalis, & consistit in tribus propositionibus vocalibus aut scriptis, quæ significant aut syllogismum formalem aut obiectiuum, perinde est quantũ ad propositum, hinc oritur difficultas, de quonam ex his syllogismis agit Logica per se: dico autem per se, quia aliquo modo potest dici agere de omnibus illis, sed per se tantum & principaliter videtur debere agere de aliquo vno ex illis, & per accidens tantum de reliquis.

32. *Aduertendum autem* quod ex resolutione difficultatis huius dependet illa quæstio, quæ cõmuniter hic proponi solet: an Logica agat de vocibus, an de rebus, an verò de operationibus intellectus; nã si agat per se de syllogismo vocali ac definitione, aut diuisione vocali, certum est quod per se agat de vocibus; si vero agat per se de

syllo

syllogismo formali mentali, nõ minus certum est quod per se agat de operationibus intellectus, ex quibus coalescit syllogismus formalis; si vero deniq; agat de syllogismo obiectiuo, tum non minus certum est quod agat de rebus, ex quibus fit syllogismus obiectiuus.

Aduertendũ vlterius quod voces & operationes intellectus possint cõsiderari dupliciter, vno modo quatenus res quædã sunt definibiles, subiicibiles, prædicabiles nõ minus quàm cæteræ res, & hoc modo absque cõtroversia eodẽ modo aget de ipsis Logica, quo de cæteris quibuscũque rebus, alio modo possunt considerari vt supponunt pro rebus, quia enim, vt bene Philosophus, non possumus res ipsas, dũ de iis discurrimus, ad scholas adducere, earumque naturas ostendere, earũ loco substituimus voces & signa. Ad colligendum autem quonam ex his modis accipiatur vox, vel conceptus formalis mẽtis considerandum erit, vtrum prædicatũ, quod de voce vel conceptu dicitur, cõueniat ipsimet voci, aut operationi vel conceptui secundum se; an verò cõueniat rei significatæ per vocẽ, aut conceptum. Si conueniat operationi, aut voci secundũ se, tum vox & conceptus accipiuntur vt res quædam sunt, & non vt voces, seu conceptus, hoc est; nõ vt supponunt pro aliis rebus, & hoc est quod volunt Summulistæ significare per suppositionẽ materialẽ, dicentes quod voces sic acceptæ supponant materialiter. Si verò conueniat ipsis non secundum se, sed secũdũ quod supponunt pro aliis rebus; tum accipiuntur vt voces & conceptus, non vero vt res, & dicuntur à Summulistis supponere formaliter non materialiter.

Voces habent rationem rei & vt sic spectant ad Logicam tam bene quam aliæ res.

Quando vox sumitur vt res & materialiter, & quando vt vox ac formaliter.

33. Hinc patet, quãdo dicitur quod vox *homo* sit dissyllaba, accipi vocem *homo*, prout res est, & eam supponere materialiter, & idem est dicendum quãdo dicitur quod conceptus formalis, quo aliquis concipit hominem, sit qualitas, aut actus intellectus, dicendum inquã est quod supponat materialiter, & quod accipiatur vt res, nõ vero vt conceptus. Quando vero dicitur quod homo sit animal, quia voci *homo* non conuenit esse animal ex se, sed solum dicitur de illa voce quod sit animal, vt supponit pro re significata per illam vocem, sequitur quod supponat formaliter, & quod non accipiatur vt res, sed vt vox *homo*.

*Prima sententia* tenet Logicam per se agere de syllogismo vocali, & aliis consequenter modis, sciendi vocalibus: Hæc tribuitur *Nominalibus*, sed quidquid sit de aliis, certe eorum Princeps, noster *Occamus* non ita sentit, expresse enim oppositum tenet, & in *proœmio Logicæ, & in 1. dist. 1. q. 8.*

*Secunda sententia* satis frequens inter modernos ait, Logicam agere per se de syllogismo formali ac cæteris instrumentis formalibus sciendi, & consequenter eam agere de operationibus intellectus. Ita *Hurtadus disp 1. Log. sect. 3. Ruuius q. 6. proœmiali Auersa q. 2. sect. 5.*

*Tertia sententia*, eaque communissima inter Thomistas, ac Scotistas Logicam per se principalius agere de syllogismo obiectiuo, atque adeo eam versari circa res omnes tanquam, circa obiectum materiale, quod denominatur immediate à secunda intentione, quæ secundum ipsos est obiectum formale eius. Ita *Ioann. à S. Th. q. 1. art. 3. Merinerus q. 4. proœm. sect. 4.*

## CONCLVSIO I.

Logica non agit per se de syllogismo, vocali.

34. *Logica non agit per se de syllogismo vocali, aut vlla voce vt vox est, nec quoad se totam, nec quoad vllam sui partem.* Hæc est communis omnium cõtra primam sententiam. *Probatur* cõmuni fundamento; quia Logica quoad omnes suas partes haberi posset, si voces essent impossibiles, sed hoc est falsum si essent per se obiectum aut totius Logicæ, aut vllius partis eius, quia nulla scientia potest haberi sine obiecto per se eius; ergo Logica non agit de syllogismo vocali per se, aut vlla voce, vt vox est. Probatur maior, quia licet voces essent impossibiles, potuissemus definire, diuidere, enunciare vnum de alio, cõsiderare aliquid per modũ subiecti & prædicati, discurrere tã probabiliter, quam demonstratiue, & cognoscere modum & viã hæc omnia faciẽdi absque errore: sed nihil aliud cõsideratur per se in Logica tota, aut vlla eius parte, quam hæc, aut quæ ad hæc per se conducunt, vt patet, ergo etiam si voces essent impossibiles, haberetur Logica quoad omnes suas partes.

Probatur.

Confirmari potest hæc conclusio per probationes sequentis conclusionis.

35. *Fundamentum oppositæ sentẽtiæ* est, quod Logica agat per se de termino vocali significatiuo ad placitum, & de oratione vocali constante plurimis huiusmodi terminis, & de syllogismo constante pluribus propositionibus vocalibus, ergo agit per se de vocibus.

*Confirmatur*: quia non est maior ratio quod daretur scientia Grammatica de vocibus in ordine ad congrue loquendum, & scientia Rhetorica in ordine ad ornate & copiose loquendum, quam quod daretur scientia Logica de iisdem in ordine ad inferendum bene ignotum ex noto, aut vnam cognitionem ex alia.

*Confirmatur secundò*: quia vocatur scientia sermocinalis, ergo agit de sermone per se, & consequenter de vocibus.

*Respondetur* negando antecedens, quamuis enim agatur in Logica de termino, propositione, & syllogismo vocali, hoc tamen ideo fit, quia vtimur illis loco rerum, quas significant, quod est mere per accidens agere de ipsis. Adde etiam in Logica agi de ente rationis vt sic, & de decem prædicamentis, quorum consideratio pertinet ad Metaphysicam per se; ergo non sequitur quod agatur per se in Logica de syllogismo vocali, quamuis reuera in Logica agatur de ipso.

36. Pro meliori autem huius rei intelligentia aduertẽdum est quod quemadmodũ, qui tractant de cõstitutionibus & motibus cælorum, faciunt sibi sphæram materialem ad illum modum, quo cælos inter se disposítos esse existimant, & de partibus illius earumque motibus discurrunt, pro faciliori discentium captu, supponentes illam materialem structuram pro veris cælis, de quibus per se agunt; ita etiam Philosophus, Porphirius, & alij Authores agentes de syllogismo obiectiuo eiusque speciebus ac partibus, supposuerint pro eo syllogismum vocalem, ac partes eius, deque eo discurrerint, vt sic clarius, quæ esset natura syllogismi obiectiui, & quomodo conficiendus esset, tyronibus innotesceret. Vnde patet quod, vt nemo diceret scientiæ agentis de cælo obiectum per se esse sphæram materialem, sed tantum per accidens, ita non debeat dicere obiectum per se Logicæ esse syllogismum vocalem, licet vtatur eo, supponendo ipsum pro syllogismo obiectiuo.

*Ad primam confirmationem respondetur* negando consequẽtiã, quia eo ipso quo quis cognoscit modũ discurrẽdi mentaliter, seu inferendi notum ex ignoto, cognoscit etiam facile, quomodo discurrendũ sit vocaliter, cognita per Grammaticam significatione vocum & modo loquendi cõgrue, vnde non debet esse vlla scientia, quæ agat per se de vocibus in ordine ad cõgrue discurrendũ.

*Ad secundam confirmationem respondetur* distinguendo primũ consequens, de sermone vocali, nego: de formali, vel obiectiuo, transeat, & negatur secunda cõsequentia.

*Respõderi etiam posset secundò* negando primam consequentiam, quia optime posset desumere denominationẽ à sermone vocali, quamuis per accidens ageret de ipso.

## CONCLVSIO II.

Logica agit per se de syllogismo obiectiuo.

37. *Logica agit per se de syllogismo obiectiuo & consequenter agit de rebus omnibus, secundum quod natæ sunt constituere syllogismum obiectiuum & alia instrumenta sciendi.* Hæc est iuxta tertiam sententiam contra authores primæ & secundæ sententiæ. *Probatur* autem, quia agit per se de illo syllogismo, qui cõponitur ex propositionibus, de quibus per se agit, sed agit de propositionibus obiectiuis; ergo & de syllogismo obiectiuo. Probatur minor quia agit per se de propositionibus, quæ cõponuntur ex terminis, de quibus per se agit, sed agit per se de terminis obiectiuis, agit enim per se de genere, differentia, proprio, accidente, qui sunt termini obiectiui.

Probatio secunda.

*Cõfirmatur*: quia agit Logica sine dubio per se de syllogismo, in quo ponitur maior & minor extremitas & medium, & in quo ex cõnexione tali, vel tali maioris & minoris

minoris extremitatis cum medio infertur connexio illarum inter se: sed syllogismus obiectiuus est huiusmodi syllogismus, ergo in Logica agitur per se de syllogismo obiectiuo.

38. *Probatur secundo* quia aliqua scientia potest per se agere de syllogismo obiectiuo, & tradere præcepta, quibus conceptus obiectiui possint ita ordinari inter se vt conficiant syllogismum obiectiuum bonum, & demonstrare quod conclusio syllogismi obiectiui sit vera, si præmissæ sint veræ; sed nulla potius quam Logica: ergo Logica agit per se de syllogismo obiectiuo.

*Probatur tertio*: quia Ethica, quæ est scientia directiua operationũ voluntatis, & ostendens quænã operationes volũtatis sint bonæ, quænã malæ, agit per se de obiectis, circa quæ versantur istæ operationes: ergo similiter Logica, quæ communiter supponitur esse sciẽtia directiua operationum intellectus, debet agere de obiectis istarum operationum: sed obiecta operationum intellectus, quibus conficiunt syllogismi formales, sunt syllogismi obiectiui, ergo Logica agit de syllogismo obiectiuo per se.

*Confirmatur*; quia sicut depẽdet actio virtuosa à tali vel tali obiecto: ita etiam dependet syllogismus formalis bonus à tali vel tali syllogismo, obiectiuo: ergo quemadmodum Ethica agit de obiecto actionis bonæ propter dependentiam actionis bonæ ab ipso, similiter Logica agit per se de syllogismo obiectiuo propter dependentiam syllogismi formalis ab ipso.

39. *Obiic.* si Logica ageret per se de rebus, dirigeret res ipsas, & sic esset præfecta stabuli, aut bubulcus, aut opilio, quod est absurdum. Propono obiectionẽ ridiculã ex *Arriaga*, qui sæpius ridiculum se exhibet in similibus obiectionibus, quamuis alias author sit satis doctus.

*Respondeo* concedendo primam sequelam, & negando secundam, quia dirigere res proponendo ipsas intellectui tali vel tali modo, non est dirigere ipsas in stabulo, aut campo &c. sed nec lubet in ridicula obiectione diutius hærere.

## CONCLVSIO III.

Logica de syllogismo formali per se agit.

40. *Logica etiam agit per se de syllogismo formali, & de cæteris modis seu instrumẽtis sciẽdi formalibus, & cõsequenter agit de operationibus intellectus.* Hæc est conformis authoribus secundæ sententiæ, & videtur mihi esse iuxta mentem Antiquorum, & Scoti præsertim, qui cum resoluant Logicam agere de syllogismo, definitione, diuisione &c. nec determinent in particulari, de quo syllogismo, aut definitione, aut diuisione id intelligant, intelligendi sunt de vtroque syllogismo tam obiectiuo quam formali indifferenter, alias diminute procederent, dum non determinarent se in particulari.

*Probatur autem primo*, quia scientia, quæ agit de beatitudine, agit per se de beatitudine formali & obiectiua; & scientia, quæ agit de actibus humanis, agit non solum de obiectis istarum actionũ, sed de ipsismet actibus: ergo à pari, scientia, quæ agit de syllogismo, agit per se de syllogismo formali & obiectiuo.

*Probatur secundo*: quia definitio syllogismi tradita in Logica potest accommodari tam syllogismo formali quam obiectiuo: ergo signum est, quod de vtroque agat. Probatur antecedens, quia quando dicitur, quod syllogismus sit oratio, in qua quibusdam positis aliud quid ab his, quæ posita sunt, necessario sequitur, id potest intelligi de oratione formali, & sic accommodabitur syllogismo formali, vel de oratione obiectiua, & sic accommodabitur syllogismo obiectiuo.

41. *Probatur tertio*: quia finis Logicæ est vel cognoscere naturam boni discursus, vel tradere præcepta, quibus possit fieri bonus discursus; sed vterque finis potest acquiri agendo de syllogismo formali non minus quam agendo de obiectiuo; ergo non minus agit per se Logica de obiectiuo, quam de formali. Probatur minor, quia si quis cognoscat illum syllogismum formalem esse bonum, cuius prima propositio formalis sit, qua aliquid prædicetur vniuersaliter de aliquo, & cuius secũda propositio sit iudiciũ, quo illud ipsũ, de quo prædicabatur vniuersaliter in prima propositione, prædicatur vniuersaliter de alio, & cuius tertia propositio sit iudiciũ, quo illud, quod prædicabatur vniuersaliter in vna propositione ex duabus primis, prædicetur vniuersaliter de eo, quod subiiciebatur in altera propositione, ille talis optime cognoscet modum discurrendi bene in *Barbara*, & poterit cognoscere omnem discursum talem esse bonum: ergo cognoscendo naturam syllogismi formalis poterit quis discurrere bene.

Dices non posse quem cognoscere syllogismum formalem talem, quin cognoscat obiectiuum; ergo potius agit Logica de obiectiuo.

Respondeo negando consequentiam, quia inde solum sequitur quod debeat agere de vtroque syllogismo, sicut ex eo, quod scientia agens de beatitudine non possit considerare beatitudinem formalem, quin cognoscat obiectiuam, tamen non propterea dicitur agere de sola beatitudine obiectiua, sed de vtraque.

Dices non posse vnam scientiam agere per se de duobus obiectis, tanquam de adæquatis.

Respondeo negando sequelã, quando illa duo obiecta sunt subordinata sibi inuicem, ita vt vnum se habeat per modum actus, & alterum per modũ obiecti talis actus, imo vniuersaliter supponi videtur ab authoribus quod scientia quæ habetur de actu aliquo intellectus aut voluntatis, sit de actu cum ordine ad tale obiectum, nam communissime supponitur quod actus specificetur ab obiecto, hoc est quod per ordinem ad obiectum cognoscatur natura ipsius, vt distinguitur ab aliis actibus. ergo scientia, quæ considerat ipsum, cõsiderat obiectum eius, & consequenter illa scientia habet pro obiecto vtrumque, & actum & obiectum, quandoquidem illa scientia respiciat vtrumque, respicit enim actum cum ordine ad obiectum.

Per hæc patet ad fundamenta secundæ & tertiæ sententiæ, nam concedimus cum secunda, quod agat Logica de syllogismo formali, & cum tertia sententia, quod agat de obiectiuo syllogismo, & idem pariformiter dicendum de cæteris sciendi instrumentis.

## QVÆSTIO V.

*Quidnam dicat syllogismus formaliter.*

43. EX huius quæstionis resolutione dependet alia celebris cõtrouersia, an scilicet Logica agat de ente rationis formaliter, seu tanquã de obiecto formali, habẽt enim necessariã cõnexionem; nam si syllogismus & cætera obiecta per se Logicæ dicãt formaliter entia rationis, tum certũ est quod Logica agit per se formaliter de ente rationis, quia sine dubio agit de syllogismo formaliter, hoc est de ratione formali cõstitutiua syllogismi: si autẽ nec syllogismus nec alia obiecta Logicæ dicãt formaliter ens rationis, aut cõstituantur formaliter per ens rationis, sed per aliquid aliud; tũ Logica agit per se de illo alio, non verò de ente rationis, nisi eo modo quo agit de cæteris omnibus entibus, quatenus scilicet est quid definibile, prædicabile, subiicibile, &c.

*Communissima sententia est*, syllogismum & cætera obiecta per se Logicæ dicere formaliter ens rationis. Ita *D. Th. 4. Met. lect. 4.* cum omnibus suis, teste *Masio in proœmial. sect. 1. qu. 13. Tol. qu. 5. Log. Ruuius qu. 6. Log. Cursus Carmelitanus disp. 1. proœmiali q. 2. sect. 3. Merinerus q. 4. proœmiali sec 1. Scotistæ communiter.* Aliqui tamen recentiores, *vt Conymbricenses q. 5. Log. Fonsecæ 2. Met. c. 3. q. 1. sec. 5. Hurtadus disp. 1. sec. 1. Auersa q. 2. de obiecto Logicæ sic. 4.* & nonnulli alij tenent oppositum, cum quibus sit nostra.

## CONCLVSIO I.

Nullum obiectũ Logicum dicit per se formaliter ens rationis.

44. *Nec syllogismus, nec vllum aliud obiectum, vllius partis Logicæ dicit per se formaliter ens rationis & consequẽter obiectum Logicæ formale non erit ens rationis vllum.*

Probatur quia secundum aduersarios communiter, ens rationis non potest fieri nisi per fictionẽ intellectus, sed certum videtur, ad hoc vt fiat syllogismus & quodcunq; aliud Logicæ obiectum, non esse necessarium vt intellectus aliquid fingat, aut cõcipiat aliter quã est in se, ergo

nec

nec syllogismus nec aliquod aliud obiectū per se Logicæ dicit formaliter ens rationis. Probatur minor: si deberet intellectus fingere, aut aliquid cōcipere aliter quā est ad faciendum syllogismū, aut aliquod aliud obiectū Logicæ, deberet fingere, vt faceret genus, quia est eadē ratio de genere & cæteris, vt ōnes fatebuntur: sed non est necesse vt fingat, vel consideret rem aliter quā est in se dū facit genus, quia vt faciat genus nō requiritur aliud quā quod consideret naturam aliquam communē pluribus speciebus, v.g. naturam animalis, non consideratis ipsis speciebus, vel quod consideret illam inexistentem speciebus; vtroq; autē modo potest eam considerare sine fictione aliqua: ergo vt fiat genus non est necesse vt intellectus aliquid fingat aut consideret aliter quam est.

Fatemur quidem libenter intellectum ex eo quod comparet naturam genericam ad species, aut consideret ipsam quouis modo habere occasionem & fundamentū fingendi ens rationis aduenire naturæ; sed vt id fingat, non est necesse, & est omnino impertinens ad naturam genericam formaliter, quæ haberet talem rationem, quamuis nullo modo hoc fingeret intellectus, & de facto habet, quando intellectus vere concipit nihil tale aduenire naturæ sic consideratæ.

45. *Probatur secundò conclusio*: etiam si intellectus non haberet facultatem fingendi aut excogitandi ens rationis, posset sine dubio discurrere quandoq; bene quandoque male, & cognoscere etiam modum, quo mediante posset bene discurrere; absurdum enim videtur quod talis perfectio intellectus dependeret à fictione entium rationis, aut eorum consideratione: ergo posset haberi Logica sine ente rationis, & consequenter nec syllogismus, nec vllum aliud obiectum per se eius dicit formaliter ens rationis. Probatur prima consequentia, quia Logica nihil aliud est quā cognitio modi discurrendi: ergo si haberetur sine possibilitate ētis rationis cognitio modi discurrēdi, posset etiā haberi Logica sine ēte rationis.

*Probatur tertiò*, quia vt patet ex *quæst. 3. de ente rationis*, esse cognitum non dicit formaliter ens rationis, sed ipsam cognitionem realem, quæ extrinsece denominat rem cognitam: ergo similiter esse prædicatum non dicit formaliter ens rationis, sed ipsum actum intellectus prędicantem rem, eadem enim est ratio vtrobique, vt patet: sed si aliquod obiectum Logicum diceret formaliter ens rationis maxime esse prædicatum, vt aduersarij omnes fatebuntur, ergo nullum obiectum Logicum dicit formaliter ens rationis.

46. *Obiicies primò* secundum *Philosophum 4. Met. tex. 5.* Dialectica & Metaphysica versantur circa omnia entia: sed hoc esset falsum, nisi Dialectica ageret de ente rationis formaliter, quia nihil aliud considerabile à Logica potest reperiri in ente, ratione cuius posset agere de omni ente, ergo agit per se formaliter de ente rationis.

*Respondeo* negando minorem. cum enim Logica agat de prædicato vt prædicatum est, & nihil sit quod non possit esse prædicatum, inde optime dici potest Logicā agere de omni ente secundum aliquam consideratione. Ad probationem minoris respondeo, non esse necesse ad hoc, vt scientia consideret aliquam rem, vt ratio formalis, secundum quam considerat istam rem, sit intrinsece in illa re, sed sufficit vt sit vel intrinseca, vel extrinseca ipsi: quando enim consideramus parietem vt cognitum per cognitionem realem inhærentem intellectui: non consideramus ipsum secundum quod afficitur aliqua forma sibi in existente; vt patet. Vnde quamuis non posset dari aliquid in omnibus rebus considerabile à Logica præter ens rationis non sequitur quin Logica posset considerare omnes res, non considerando ipsas vt affectas aliquo ente rationis, quia posset considerare ipsas vt affectas aliqua denominatione extrinseca.

Quo sēsu Logica agit de omnibus rebus.

47. *Obiicies secundò*; Logica est scientia rationalis: ergo agit de ente rationis per se tanquam de obiecto. Probatur consequentia, quia non potest assignari qua alia ratione dicatur rationalis, quā quod agat de ente rationis.

*Respondetur* negando consequentiam cum sua probatione, quia potest vocari scientia rationalis ex eo quod ostendat modū ratiocinandi, seu discurrendi: sicut enim dicitur homo esse rationalis creatura ex eo, quod potest discurrere, cur facultas seu scientia docens modum discurrendi non possit dici scientia rationalis.

Cur Logica vocetur rationalis scientia.

*Dices*: sequeretur quod esset scientia realis non solum in sua entitate, sed etiā obiectiue, quatenus scilicet scientia realis dicitur illa, quæ habet obiectum reale; sed hoc est absurdum; ergo. Probatur minor, quia alias sequeretur quod male diuideret Aristoteles scientiam realem in Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam, quandoquidem daretur alia scientia realis, nimirum Logica, quæ ad neutram ex illis spectaret.

Quo sensu Logica non est scientia realis.

*Respondetur* negando minorem, & distinguendo sequelam probationis: scientiam realem vt sic, concedo sequelam, nec eam diuisit Philosophus; scientiam realē speculatiuam, non rationalem, hoc est non ostendentem modum discurrendi, negatur sequela; eam autem diuisit Philosophus.

Cæteræ obiectiones ex dictis & dicendis facile soluuntur.

Quod si aliquis author, cuius authoritatem quis admittere voluerit, dicat Logicam agere de ente rationis, potest explicari de ente rationis fundamentaliter, non formaliter, iuxta ea, quæ dixi in *disputatione de ente rationis, quæst. 3.* aut iuxta alios modos ibi assignatos.

## CONCLVSIO II.

48. *Syllogismus formaliter loquendo dicit talem dispositionem trium terminorum in tres propositiones, vt nunquam possint duæ præmissæ esse veræ, quin conclusio etiam sit vera, quæ dispositio habetur formaliter ab intellectu concipiente res tali modo, vel à causa proponente res tali modo, quæcumque demum illa sit*, Hæc est communis inter eos, qui dicunt syllogismum non dicere formaliter ens rationis: & patet, quia nihil aliud potest assignari, quod conuenientius assignari possit pro formali ratione eius. Præterea certum est quod manentibus reliquis omnibus præter istam dispositionem, non erit syllogismus compositus ex terminis, & aduenientе sola illa dispositione erit compositus; ergo ab illa dispositione habebit esse syllogismum: quod autem illa dispositio habeatur formaliter ab intellectu concipiente terminos tali modo, vel à causa eos sic proponente; etiam patet quia eo ipso, quo sic proponantur, vel concipiantur, erunt sic propositæ, quamuis nihil aliud intelligatur ipsis aduenire, ergo.

Quid dicit formaliter syllogismus.

49. *Dices*: ideo habent termini, & propositiones bene disponi quoties concipiuntur tali modo, quia toties sequitur in ipsis vnum ens rationis; vnde non sequitur quod ab intellectu sic concipiente habeant formaliter bene disponi, esse syllogismum.

*Contrà*, quia possunt sic concipi sine fictione; ergo non necessario sequitur ens rationis. Deinde sicut possunt res concipi absolute absq; eo quod resultet vllū ens rationis, non est vlla ratio quin possint concipi tali vel tali modo absq; eo quod resultet vllū ēs rationis.

Ex hoc facile resolui potest quomodo consideret Logica res omnes, an vt dirigibiles, seu disponibiles debito modo & figura, an vero vt dispositæ. Respondendum enim est quod vtroque modo, nam considerat Logica & dat modum conficiendi syllogismum, seu taliter disponendi res, vt ex iis resultare possit syllogismus obiectiuus; & consequenter considerat res vt sic disponibiles; deinde etiam considerat naturam & proprietates syllogismi, & consequenter considerat res vt dispositas, quia syllogismus nihil aliud est quam res sic dispositę. Sed aduertendum quod quemadmodum Physica considerat compositum ex materia & forma præscindendo ab actuali existentia, hoc est non curando, quod existat actu, vel non existat, ita etiam Logica quando considerat syllogismum, seu res dispositas tali vel tali modo, non exigat quod actu sic disponantur, sed omnino ab hoc præscindit.

*Quæres* quodnam sit obiectū magis principale ex omnibus obiectis partialibus cōsideratis in Logica *Respondetur*,

Demonstratio est, perfectissimum obiectū Logicæ.

*detur* breuiter cum communi omnium sententia esse demonstrationem, quia est instrumentum acquirendi scientiam perfectissimam.

## QVÆSTIO VI.

### *De diuisione Logica in Vtentem & Docentem.*

50. *ANtequam* ad quæstionis huius resolutionem veniamus, prius de duabus aliis Logicæ diuisionibus, in quibus omnes fere conueniunt, pauca breuiter dicemus.

Itaque cum constet ex dictis Logicam esse facultatem bene discurrendi, seu deueniendi in cognitionem rei ignotæ, & aliqui naturaliter sine vlla arte discurrunt, & ex notis ignota colligunt: *primo diuiditur*, Logica in *naturalem* & *artificialem*; & per *naturalem* intelligitur ipsemet intellectus, quatenus est aptus ad discurrendum absque subsidio artis; per *artificialem* vero intelligitur facultas superaddita intellectui, qua determinatur & facilitatur ad cognoscendum modum discurrendi vt sic, seu perueniendi ad cognitionem rerum occultarum absque periculo erroris.

Diuisio Logicæ in naturalem & artificialem.

Rursus quoniam determinatur intellectus ad hoc cognoscendum in actu secundo, & in actu primo. *Logica artificialis diuiditur in actualem & habitualem.* Actualis est ipsa actualis cognitio, quam habet intellectus de modo discurrendi; aut definiendi, aut diuidendi vt sic; & illa quam habet, quod syllogismus debeat constare tribus terminis; definitio genere, & differentia: diuisio esse adæquata, &c. Habitualis vrrò est quod facilitat ipsum ad habendum talem cognitionem.

Diuisio Logicæ artificialis in habitualem & actualem.

Quoniam denique qui est artificialiter Logicus, duo præstare potest, primo cognoscere qua ratione syllogismus sit conficiendus, & diuisio, & definitio; secundo facere syllogismum, definitionem, ac diuisionem conformiter ad illam cognitionem; *Logica artificialis* communiter *diuiditur in vtentem & Docentem*, de qua diuisione, quia aliquæ non leues difficultates occurrunt, specialem instituere visum est quæstionem, & illas difficultates examinare & soluere: sunt autē tres potissimum, *prima difficultas* est, quid per Logicam Docentē, quid per Vtētem intelligatur; *secunda*, vtrum Logica quoad omnem sui partem, & præsertim quoad tres principaliores, v.g. *Analiticam*, illam scilicet; qua docetur quomodo sit cōficiendus syllogismus vt sic & demonstratio; *Topicam* & *Sophisticam*, qua docetur quomodo sit cōficiendus syllogismus probabilis & syllogismus sophisticus seu syllogismus apparēter, sed falso cōcludēs, recte sic diuidatur. *Tertiá*, an Logica Vtens & Docēs realiter distinguātur.

### *Quid sit Logica Vtens, & Docens,*

51. *HÆc difficultas* est tantū de nomine, & licet aliqui dicāt quod Logica Docēs sit facultas ostēdens modum discurrendi, & ignotū ex ignoto deducendi, Logica vero Vtens sit quęcumque alia scientia vtens præceptis Logicis, ita vt quando dicitur Logica Vtens, ly *Logica* nō sit nominatiui, sed ablatiui, casus cōmunis tamen sententia iam tenet Logicam docentē esse facultatem docentē quomodo confici debeant modi sciendi, verbi gratia syllogismus, definitio, diuisio, & quæ sit natura ac proprietas eorum: Logicam vero Vtentem esse facultatem confectiuam istorum modorum. Itaq; iuxta hunc modum dicendi, qui accommodatior videtur, Logica Docēs actualis est cognitio, quæ habetur de natura syllogismi ac aliorum instrumentorū sciendi; & Logica Docens habitualis erit habitus inclinans intellectū ad illam cognitionem. Logica autē Vtēs actualis erit ipsamet confectio syllogismi, aliorumq; instrumentorum; & Logica Vtens habitualis erit habitus inclinans intellectū ad istam confectionem. Quāuis autē pro hoc modo dicendi sufficiat communior consensus, cū quæstio non possit esse nisi de nomine, tamen vlterius suaderi potest, tum quia certum est dari cognitionem ac confectionē syllogismi, & habitum inclinantem ad illa; tum etiam quia ista explicatio satis congruere videtur ipsis nominibus Logicæ Docentis ac Vtentis, vt patet.

Quid Logica docens & vtens tam habitualis quam actualis.

Confirmatur, quia secundum omnes idem intelligi debet per Logicam Docentem, quod Græci per Logicā auulsam à rebus; & per Vtentem, quod illi intelligunt per Logicam concretam rebus: sed habitus ostendens naturam syllogismi, aliorumque instrumentorū sciendi est auulsus à rebus, quia ad hoc cognoscendum non est necessarium cognoscere naturas rerum vlarum determinatarum, in quibus fieri deberet syllogismus: habitus vero cōficiens syllogismū non est auulsus à rebus, quia non potest fieri aliquis syllogismus vtilis, quin cognoscatur materia determinata, in qua fit: ergo bene explicat communis sententia vtramque Logicam.

### *An Logica quoad Analiticam, Topicam, & Sophisticam partem bene diuidatur in Docentem & Vtentem.*

52. *CIrca* hanc difficultatem *Diui Thomæ sententia est 4. Met. sect. 4.* quam sequuntur *Conymbricenses q. 4. proœm. aet. 2. Fonseca 2. Met. cap. 3. q. 1. sect. 6. Complutenses Carmelitæ dis. 1. proœm. q. 4.* Dialecticam, quoad partem demonstratiuam non rectè diuidi in Docentem & Vtentem, sed solummodo quoad partem Topicam, & Sophisticam.

Logica diuiditur bene quoad tres suas partes in Vtentem & Docētem.

Nos autem contra existimamus non minus bene diuidi partem Topicam Logicę in vtentem & Docentem, quam partem analiticam priorem ac posteriorem, & nobiscum sentiunt præter *Scotistas* communiter *Iauellus tract. 2. Log. c. 6. Sol. & Sotus q. 2. proœm. Masius, Sancius, aliique recentiores Thomistæ, ac Auersa q. 1. Log. sec. 2. Fundamentum potissimum est*, quod non minus pertineat ad Logicam cognitio conficiendi syllogismi Topici in quacumque materia, & confectio eiusdem, quam cognitio conficiendi syllogismi demonstratiui, & confectio eiusdem in quacumque materia: sed propterea diuiditur bene secundum aduersarios in Docentem, & Vtentem quoad partem topicam & sophisticam, quia cognitio & confectio illorum syllogismorum ad ipsam pertinet; ergo etiam quoad partem demonstratiuam, & consequenter etiam quoad partem analiticam priorem bene diuidi potest in Vtentem & Docentem, quandoquidem cognitio & confectio tam syllogismi vt sic, quam syllogismi demonstratiui ad ipsam pertineat. Maior patet, quia qua ratione confectio cuiuscumque syllogismi demonstratiui non pertineret ad Logicam; sed ad scientiā in cuius materia fieret, verbi gratia ad Physicam, si materia esset physica; ad Metaphysicam, si metaphysica, prout asserunt aduersarij; eadem ratione confectio cuiuscumque syllogismi topici non pertineret ad Logicā, sed ad scientiam in cuius materia exerceretur, ergo non minus pertinent confectiones syllogismorum demonstratiuorum ad Logicam quam Topicorum.

Responsio aduersariorum.

53. *Dicunt* aduersarij materiā, in qua fit syllogismus probabilis, non pertinere ad vllas scientias, quia nulla scientia potest esse principiū opinionis, aut cognitionis incertę, & cōsequenter debere pertinere ad solā Logicā, secus verò esse de syllogismi demonstratiui materia.

*Sed contra primò*, quia inde sequeretur quod vnica Logica esset multo maior, quam omnes aliæ scientiæ, quandoquidem sine comparatione sint plures cognitiones probabiles cognitæ à nobis pro hoc statu, quam scientificæ, quod videtur absurdissimum: nec absurditatem diminuit, quod ipsi respondent conclusiones probabiles pertinere etiam ad alias scientias, quia Logica est ministra aliarum scientiarum, & consequēter bona ipsius etiam sunt bona aliarum scientiarum. Hoc inquā non minuit absurditatē *primò*, quia non tollit quin per se plura pertinerent ad Logicam quam ad omnes alias scientias; *secundò* quia licet Logica sit ministra aliarum scientiarum, nemo dixerit cognitionem, quæ habetur de syllogismo conficiendo, esse cognitionem physicam, aut metaphysicam, sed mere Logicam ergo cognitiones probabiles, si per se pertineant ad logicam, non debent dici physicæ, aut Metaphysicæ, quamuis sint cognitiones logicæ, & Logica sit ministra aliarum scientiarum.

*Contra*

54 *Contra etiam secundò* est, quod si omnes cognitiones probabiles materiarum quantumuis diuersarum, tam quæ abstrahunt à materia, quam quæ non abstrahunt, possunt pertinere per se ad vnam facultatem, seu habitum cognitiuum, nulla poterit esse ratio cur omnes conclusiones scientificæ non possint pertinere ad vnam scientiam habitualem: sed hoc est secundum omnes absurdum, & secundum aduersarios, præsertim Cõplutenses, impossibile, ergo & illud vnde sequitur.

Conclusiones probabiles omnes non spectant ad vllam vnam scientiam.

55. Vnde concludendum est conclusiones probabiles in materia physica pertinere ad physicam, sicut & quæ sunt in materia metaphysica spectant ad Metaphysicã. In eo vero quod aduersarij dicunt conclusiones probabiles physicas non posse spectare per se ad physicã, quia Physica scientia est, scientia non potest esse principium opinionis: supponunt rem omnino falsam, nimirũ quod habitus physicus quoad omnem partem sui sit scientia, cuius contrarium postea ostendemus.

*Contra hanc verò nostram resolutionem argumentantur Complutenses* hoc modo: si Logica haberet vsum partis demonstratiuæ, vel esset in materia necessaria aliarum scientiarum, vel in materia propria, sed neutro ex his modis habet vsum, ergo, &c. Minorem quoad primam partem dicunt concedi ab aduersariis, & probari manifeste, quia ipsa Metaphysica in sua materia vtitur præceptis Logicæ Docentis; facitque suas proprias demõstrationes & idem est de aliis scientiis, quarum demonstrationes non producuntur à Logica sed ab ipsis, quia alias si sola Logica efficeret omnes demonstrationes, ipsa sola esset scientia. Aliã etiam rationem ad eandem minorem probandã adiungunt, nimirũ quòd tota substantia actuum demonstrationis Metaphysicæ, sit Metaphysica, ergo Logica non potest aliud facere in illis demonstrationibus, quam dispositionem istorũ actuum in formã demonstrationis: sed hoc non potest facere, quia illa dispositio est ens rationis, & ens rationis non fit per se ab aliqua causa, sed per accidens resultat ad positionẽ alicuius actus realis & consequenter ad positionẽ actuũ Metaphysicę in demõstratione metaphysica, ergo illa dispositio à Metaphysica producitur, & nõ à Logica.

Eandem minorem, quoad secundam partem probant, quia vsus Logicę Vtentis debet distingui à doctrina Logicæ Docentis; sed demonstrationes, quę fiunt in materia propria Logicæ, non distinguuntur à doctrina, ergo Logica non habet vsum in materia propria. Confirmãt hoc, quia si Logica respectu suæ materiæ necessariæ diceretur Vtens, non essent idem Logica Vtens & Logica rebus concreta, quia dum demonstrat in materia sua propria, non est rebus vllis concreta.

Nulla scientia alia vtitur Logica proprie loquendo.

56. Verũ enimuero quidquid sit de aliis aduersariis, *Respondetur* negando minorẽ obiectionis, quoad vtrãque partem, & ad probationem primæ partis dico, si proprie loquendum sit, nec Metaphysicam, nec vllam aliam scientiam vti Logica, sed posse intellectum vti in demonstratione metaphysica & alterius scientiæ tam Logica, quam Metaphysica, cum enim Metaphysica nec informet nec informetur à Logica, nec obiectũ ipsius cognoscat: quomodo illa vti poterit? Quod si etiam vteretur præceptis Logicæ; profectò non inde sequeretur, quin Logica concurreret ad illas demonstrationes cõficiendas; cur enim deberet vti Logica ad aliquid faciẽdũ, nisi Logica ad illud faciendũ concurreret? Neque ex eo quod Logica cõcurreret ad alias demõstrationes, sequeretur quod ipsa sola eas cõficeret: aut quod ipsa sola esset scientia, sicut nõ sequitur quod ipsa sola, eo quod secũdum Cõplutẽses cõcurrat ad opiniones, sit opinio.

Itaque ad demonstrationẽ conficiendam in materia metaphysica concurrit tam Logica quam Metaphysica; Logica quidem quantum ad dispositionem terminorũ, quæ eadem potest esse in variis materiis, Metaphysica vero, quantum ad cognitionem talis determinatæ materiæ, quę cognosci non potest nequæ per Logicam, neque per vllam facultatem distinctam à Metaphysica.

57. Quod verò in secunda probatione minoris cõtra obijciunt, nimirum dispositionem esse ens rationis imprimis falsum est, vt patet ex dictis; deinde etiamsi verũ esset, non facit ad propositum, quia ipsimet fatebuntur sine dubio, vt talis dispositio bona habeatur, Logicam aliquo modo concurrere, aliàs nec Metaphysica, vteretur præceptis Logicæ, nec Logica esset necessaria ad alias scientias, quod nec ipsi, nec vllus alius dicet.

Vsus demonstrationis in materia Logicæ distinguitur doctrina eius.

Ad probationem minoris quoad secundã partẽ, quidquid sit de maiori, negatur minor, quia quando Logica demõstrat definitionẽ debere cõstare genere, & differẽtia, licet doceat tũ quomodo definitio debeat fieri, nõ tamẽ docet quomodo demõstratio debet fieri, vt patet, ergo vsus demõstrationis in materia Logica distinguitur à doctrina, qua docetur quomodo debet demonstratio fieri, similiter quãdo Logica definit demonstrationẽ, nõ docet quomodo definitio debet fieri, sed vtitur ista doctrina definiendo demõstrationẽ: ergo Logica habet vsũ demõstrationis in materia propria distinctũ à doctrina faciendæ demõstrationis, & vsum definitionis distinctũ à doctrina eius cõficiendæ: hoc autẽ sufficit, vt in materia propria Logicę vsus distinguatur à Logicę doctrina.

58 *Cõfirmatur*: ideo vsus Logicę in aliena materia, v. g. physica vel metaphysica, distinguitur à doctrina eius, quia potest quis cognoscere quomodo definito vt sic, sit facienda, & habere etiã facilitatẽ ad hoc cognoscẽdũ sine eo quod cognoscat definire aliquod obiectũ physicũ, aut metaphysicũ; sed potest quis cognoscere, quomodo definitio sit facienda, sine eo quod cognoscat quomodo definiri possit syllogismus topicus; qui est materia Logica: ergo vsus Logicæ in materia propria est distinctus à doctrina eius. Ad confirmationem, Respondetur negando sequelam, quia est concreta materiæ illi, in qua vtitur sua doctrina.

*Quomodo Logica Vtens & Docens distinguuntur.*

SVppono ex dicendis in Metaphysica distinctionem realẽ esse illã, quæ est inter duo, quorũ alterum potest sine alio existere, aut quorũ vnũ potest subiectari in subiecto, in quo alterum non subiectatur, aut quorum vnum producit realiter productione vera reali alterum: Distinctionem vero formalem esse eam, quæ datur à parte rei, & non est realis in sensu iam explicato.

## CONCLVSIO.

59. *Logica Vtens habitualis non distinguitur realiter à Logica Docente habituali, sed ad summũ formaliter, secus vero est de Logica Vtente actuali, & Docente actuali.* Ita *D. Tho. 4. Met. lect. 4.* cum multis aliis, quos citant & sequũtur *Complutenses disp. 1. proœm. q. 4.* colligiturque ex *D. q. 1. Vniuersalium, & q. 1. Elenchorum*, quẽ in eo sensu sequitur *Faber theoremate 1. c. 1. Fuẽtes q. 4. diff. 2. art. 1.* & est cõmunior sententia Scotistarũ, quos sequitur *Camerarius* contra *Tartaretũ q. 1. proœm. dub. 1.* & *Caberũ tr. 1. proœm. disp. 2. dub. 1.* quos sequitur *Mastrius hic q. 1. art. 1.*

Non distinguitur Logica habitualis docẽs realiter à Logica à Vtenti habituali.

*Probatur prima pars*, quia nõ est vlla necessitas multiplicãdi duos habitus Logicę, quorum vnus sit Docẽs, & alter Vtens; idem enim habitus Logicæ Docẽtis potest vtriusq; munus subire; nã eo ipso quo cognoscimus quomodo syllogismus in quocunq; modo & figura fieri debeat, q. est munus Logicæ Docẽtis, facilitamur ad cõficiendũ syllogismum in quocunque modo & figura, & in quacunq; materia cognita natura materiæ; ergo idẽ habit⁹ Logicę Doc. exercet sufficiẽter munus vtriusq; habitus, & consequenter non est necessitas multiplicandi istos habitus.

*Confirmatur*: Logica Vtẽs est, quæ inclinat ad faciendũ syllogismũ, verbi gratia: sed Logica Docens sic inclinat; impossibile enim est quod qui cognoscit quomodo syllogismus sit conficiendus, non facilitetur ad eum conficiendum: ergo conuenit Logicæ Docenti esse Vtens, & consequenter idem omnino est habitus, qui dicitur Docens & Vtens; Docens quidem, quatenus inclinat ad cognoscendum quomodo syllogismus sit conficiendus; Vtens verò quatenus inclinat ad ipsum conficiendum.

60. *Quidam Scotista* ad dirimendam hanc controuersiam distinguit duas Logicas Vtentes, vnam elicitiuam, quæ est scientia illa, in cuius materia cõstruitur syllogismus; aliam directiuam, quæ est ipsamet Logica Docens,

& iuxta hoc dicit Logicam Vtentem directiuam & Docentem nõ esse habitus distinctos secus verò dicendum de elicitiua, quæ potest esse distincta realiter, nimirum quando construitur syllogismus in materia alterius scientiæ à Logica,

Verum hoc non deseruit ad propositum, quia nemo negat quin quãdo fit syllogismus in materia Physicę ipsa Physica concurrat ad conficiendũ istum syllogismũ & quin etiã Physica distinguatur realiter à Logica Docente, nec in hoc sensu proponitur controuersia, sed vtrum præter habitũ scientię, in cuius materia fit vsus præceptorum Logicæ, & præter habitum Logicæ Docentis sit alius habitus distinctus, qui sit Logica Vtẽs. Deinde falsum est & præter communem modum loquendi Physicam esse Logicam Vtentẽ, aut Metaphysicam, quamuis enim aliqui dixerint quod Physica, & idem est de cęteris scientiis, esset Logica Vtens, sumpta Logica in ablatiuo casu, tamen nullus præter ipsum & Caberum dixit quod Physica esset Logica Vtens, sumpta Logica in nominatiuo casu, quod tamen necessarium esset vt diceretur habitus Logicæ vtentis.

Logica Docens actualis distingu itur realiter ab vtente actuali.

61 *Probatur secunda pars conclusionis* contra *Martinium q. 2 proœm.* quia Logica Docens actualis est cognitio qua cognoscitur quomodo syllogismus v.g. sit conficiendus; Logica verò Vtens actualis est constructio, seu confectio actualis syllogismi: sed certum est hos actus distingui realissime, quandoquidem posset esse primus sine secundo.

Cur aliæ artes includant duos habitus Docentem & Vtentem non vero Logica.

*Obiicies contra primam partẽ*: In arte pictoria, scriptoria, psaltatoria reperitur duplex habitus realiter distinctus, vnus quo inclinatur quis ad cognoscẽdum quomodo pingendum, scribendum, & psaltandum sit; & alter, quo quis facilitatur ad pingendum, scribendum, & psaltandum: ergo idem dicendum est de arte Logica,

*Respondeo* negando consequentiam, quia in illis artibus non est eadem potentia sola, quæ cognoscit, quomodo actus illi sint faciendi, & quæ facit istos actus, vt patet, vnde plures habitus ponuntur, vnus ad determinandã vnam potentiam, & alter ad alteram: secus autem est in proposito, quia est eadẽ potetia nimirum intellectus qui cognoscit quomodo faciendus sit syllogismus, & qui ipsum facit; nec habet difficultatem aliquã in confectione syllogismi, quando cognoscit quomodo debeat fieri præter difficultatẽ, quæ oritur ex defectu cognitionis materiæ, quam difficultatem tollit sciẽtia in cuius materia fit syllogismus. Imo ex his exemplis potest confirmari resolutio nostra, quia ex parte intellectus nõ ponitur alius habitus in arte pictoria ad determinandũ, ad pingendũ & (idem est de cæteris) distinctus ab illo, quo determinatur ad cognoscendum, quomodo pingi debeat: ergo nec ex parte intellectus poni debẽt duo habitus quorum vnus determinet ad cognoscendum quomodo syllogismus debeat fieri, & alter ad conficiendum syllogismum.

62 *Obiicies secundo*. Non augetur habitus Logicæ Docentis per actus Logicę Vtentis, ergo non est idem habitus vtriusque. Probatur cõsequentia, quia si esset idẽ habitus, deberet augeri; habitus enim õnis augetur per suos actus. Antecedens patet experientia, quia ex confectione frequenti syllogismi in *Barbara*, non magis facilitatur quis ad cognoscendum quomodo debet fieri, quam si non tam frequenter conficeret ipsum, ergo non augetur habitus Logicæ Docentis per actus Logicæ Vtentis.

Si augeretur habitus habens duos actus, per vnum ex illis, deberet sẽtiri facilitas in ordine ad alterum.

*Respondetur communiter* negando antecedens cum consequentia suæ probationis, quia quando idem habitus habet duos actus, licet augeatur per quemlibet ex illis, non tamen sentitur facilitas nisi in ordine ad actus, quibus mediantibus augetur.

*Sed contra* hanc responsionem primò, quia si habitus in se augeatur formaliter, debet sentiri facilitas in ordine ad omnes actus, respectu quorum est, habitus, siue ab ipsis producatur, siue non; neq; enim habet facilitare ad actus ex eo quod ab ipsis producatur, sed ex eo quod sit talis naturæ, vnde si produceretur à solo Deo, adhuc facilitaret potentiam, vt omnes fatentur.

*Confirmatur*, augmentum, quod procedit ab actu Logicę Vtentis, est eiusdem naturæ cum augmento, quod procederet tum ab actu Logicę Docentis, si adfuisset, aliàs non esset idem habitus vtriusque, vt patet; ergo quemadmodum istud augmentum, si procederet à Logica Docente, facilitaret ad eius actus, ita etiã deberet ad eosdẽ facilitare, si procederet ab actibus Logicæ Docẽtis; si enim in se nullam habet variationem; nec accidẽtalem quidem, ex eo quod procedat ab vno potius quam ab altero, nõ potest habere vim vllã determinatiuã, quando procedit ab vno, quam non haberet, quando procedit ab altero.

Non augetur habitus docens per actus vtentis.

63 *Itaque respondetur aliter*: concedendo antecedens, & negando consequentiam cum sua probatione, quia nõ debet habitus augeri per actus alios quã per ilios qui eliciũtur ab ipsomet: confectio autem syllogismi non fit ab habitu Logicæ Docentis elicitiue, sed regulatiue, & directiue, vnde non debet augeri per istam confectionẽ, sicut nec per psaltationẽ quæ dirigitur per cognitionẽ, quam habet psaltans de modo psaltãdi, augetur habitus intellectualis, à quo procedit ista cognitio. Aduertẽdũ autem hic q. non negamus, quin augeatur Logica Docens quoties conficitur syllogismus, sed tantũ quod nõ augeatur per confectionem illam; seu actus Logicæ Docentis.

Etsi quæratur per quem alium actũ augetur, Respondendum, est quod per actum Logicæ Docentis, qui simul habetur cum ista confectione, quoties confectio fit artificialiter, nimirum per cognitionem qua cognoscitur qua ratione ista confectio fieri debet.

64 *Obiicies tertio*: Aliquis cognoscens optime quomodo syllogismus sit cõficiendus in aliquo modo & figura v.g. in *Fapesmo*, habet tamen difficultatem eum faciendi, vt patet in tyronibus, ergo. Hæc obiectio est fundamentum potissimũ *Mastrij*, & sane si verum esset antecedens, supposita cognitione perfecta materiæ, in qua syllogismus esset conficiendus, conuinceret intentum, quidquid dicant alij.

*Sed respondetur* negando antecedens, nec experientia vlla tyronum illud probari potest, qui si cognitio quomodo syllogismus sit cõficiendus, sentiant difficultatem in eo conficiendo, id oritur ex eo, quod non cognoscant materiam, in qua volũt syllogismum conficere; vel etiam ex eo, quod non perfectè cognoscãt quomodo syllogismus sit conficiẽdus, quamuis enim sciant bene regulam memoriter, secundum quam confici debet, tamen sæpe non bene illam intelligunt, vt non mirum sit, quod consequenter difficultatem sentiant in ea applicanda, ac conficiendo syllogismo.

45. *Obiicies quartò*: Actus Logicæ Docentis & Vtentis sunt distinctæ rationis, ergo habitus, ex quo procedit vnus, nõ potest esse idẽ realiter cũ eo, à quo procedit alter, quia habit⁹ specificatur ab actib⁹, hoc est ex diuersitate specifica actuũ colligitur diuersitas specifica habituũ.

Actus specie distincti possunt prouenire ab eodẽ habitu.

*Respondeo* negando consequentiã; quia actus specie diuersi possũt prouenire ab vno habitu, præsertim quãdo vnus ex ipsis procedit ab habitu elicitiuè & alter directiue, quemadmodũ fit in proposito, vt patet ex actibus omniũ virtutum moraliũ, qui procedunt ab habitu prudentiæ, cum tamen distinguantur specie ab actibus elicitis ipsiusmet prudẽtiæ. Vnde ad probationẽ consequentiæ Respondeo habitus specificari ad summum ab actibus elicitis, non verò ab imperatis, seu ab iis, qui directiue tantum, & regulatiue ab ipso procedunt.

66. *Obiicit præterea Martinius contra secundam partem*: eodem dictamine, quo intellectus per Logicam cognoscit quomodo syllogismus in vniuersali conficiendus sit, determinatur sufficienter ad conficiendum quemcũque syllogismum in particulari, sine aliquo alio dictamine, ergo idem est actus Logicæ Docentis & Vtentis.

*Respondetur* negando consequentiam, quia illud dictamẽ nõ est actus Logicæ Vtentis, vt Martinius supponere videtur; sed syllogismus, qui mediante isto dictamine fit, est actus Logicæ Vtentis, aut confectio eius. Imo si requireretur aliud dictamen particulare, seu cognitio ad conficiendum syllogismum particularem, ista cognitio & dictamen esset actus Logicæ Docẽtis; vnde quod requiratur, vel non requiratur aliud dictamen

men præter dictamen illud vniuersale, est omnino impertinens ad rem.

*ADDITIO.*

*Contra doctrinã meam* in hac quæstione multa adducit Mastrius *disputatione prima Metaphisicæ à numero sexagesimo quarto*, quæ in veritatis confirmationem maiorem examinanda sunt.

Itaque imprimis contra disparitatem quam *numero sexagesimo primo*, adduxi inter Logicam ac Artes mechanicas, pictoriam, scriptoriam, saltatoriam, nimirum quod in his artibus non sit eadem potentia, quæ facit rem, & quæ docet quomodo fieri debeat, & propterea illas posse dicere duos habitus; sit vero eadem potentia quæ docet, quomodo syllogismus confici debeat & quæ facit syllogismum, & propterea Logicam cuius est inclinare ad docendum & faciendum, non debere dicere duos habitus. Contra hanc disparitatem Mastrius ait adduci à me causam pro non causa; neque enim ratio cur multiplicentur habitus in illis facultatibus est quod spectent ad diuersas potentias; quia Medicina diuiditur in duas tales facultates, licet spectet ad eandem potentiam, & idem est de Rhetorica & Grammatica; & in arte saltatoria si quis haberet membra sua naturaliter ad saltandum disposita, non indigeret habitu in membris, sed sufficeret habitus docens etiamsi executio spectet ad diuersam potentiam. Vnde non est diuersitas potentiarum, sed diuersa difficultas, quæ facit vt geminari debeat habitus; quare cum intellectus sentiat nouam difficultatem in conficiendo syllogismo, etiamsi optime sciat quomodo confici debeat, admittenda est ad eam difficultatem superandam nouus habitus.

*Verum ex hac doctrina* præterquam quod nihil conuincat ad propositum, videtur mihi colligi posse Mastrium, vel me, vel seipsum non intellexisse. Ego enim nec cogitaui docere rationem multiplicandi habitus in illis facultatibus esse, quod spectarent ad diuersas potentias, secluſa difficultate: nam vniuersaliter ratio ponẽdi habitus acquisiti est difficultas aliqua; vnde si nulla esset difficultas neque in cognoscendo, neque in conficiendo syllogismo, nullus habitus deberet poni, neque docens neque vtens; sed intellectus se solo absque habitu sufficienter determinaretur, & ad cognoscendum quomodo fieri deberet, & ad ipsum conficiendum. Sed docui, &, ni fallor, non male, rationem multiplicandi habitus in illis facultatibus esse, quia cum spectarent ad diuersas potentias, quarum quælibet sentiebat in actu suo difficultatem, habitus vnius non sufficeret ad tollendam difficultatem alterius; quare in altera etiam alius habitus poni deberet. Itaque fatcor non esse diuersas facultates præcisè, quæ arguerent diuersos habitus; sed diuersas difficultates, & propterea negabam fuisse diuersam difficultatem in conficiendo syllogismo, & in cognoscendo quomodo confici deberet præter difficultatem materiæ, quæ non facit ad propositum: sed volui tamen quod propterea esset diuersa difficultas in illis aliis facultatibus & non in Logica, quia illæ spectabant ad diuersas potentias, & propterea non erat necessarium, vt ablata difficultate vnius per vnum habitum, tolleretur difficultas alterius, quem meum esse sensum in illa Logicæ quæstione nescio quomodo quempiam fugere posset.

Artes intellectuales non includunt duos habitus realiter distinctos quorum vnus sit docens, alter vtens.

*Quod autem ait*, diuersos esse habitus Medicinæ, Rhetoricæ ac Grammaticæ, quamuis spectent ad eundem intellectum. Respondeo in nostra sententia omnem scientiam totalem, & idem est de facultatibus, includere plures partes; sed constanter nego in illis facultatibus esse diuersos habitus, quorum vnus docent quomodo medicina facienda sit, & applicanda, & alius inclinet ad eam faciendam aut applicandam, nisi in membris externis quis velit aliquem habitum poni ad hoc deseruientem quod sane in Chirurgicis præsertim, videri posset necessarium non minus; quàm in Musicis; nec similiter est necessarius alius habitus ad inclinandum quempiam ad loquendum recte & ornate præter eum, qui inclinat ad docendum quomodo rectè & ornatè loquendum sit; & si quis sciat benè præcepta Rhetoricæ & Grammaticæ, habeat autem adhuc difficultatem in loquendo recte ac ornate, difficultas illa non est superanda per Rhetoricam aut Grammaticam, sed per alias facultates, ex quarum ignorantia fit, vt non inueniat quod recte ac ornate dicat.

*Sed vt prefius* rem ipsam attingamus, concedo si diuersa sit difficultas in conficiendo syllogismo ab ea, quæ est in cognoscendo, quomodo confici debeat, ponẽdos duos habitus Logicæ distinctos realiter, Sed nego esse illam diuersam difficultatem, & nego vlla experientia oppositum conuinci.

Sed vereor ne Mastrius reuincat me prouectorum experientia: ita enim promittit *pag. 51. col. 1.* nam, inquit, optimus Philosophus prompte, & expedite syllogismos conficit ex frequenti vsu syllogizandi, nec distincte, & exacte recordatur præceptorum Logicæ & summularum; vnde si de illis examinetur, non ita prompte respondebit, vt prompte conficit syllogismos; & idem asserit de perfecto Grammatico.

*Tamen ni fallor* hæc ad me reuincendum non sufficiunt, sed iuuant maxime ad ostendendum quod Mastrius non sciat rationem rectam reddere experientiæ, quam in se sine dubio, vt bonus Philosophus, ac Metaphysicus est, animaduertit. Quod totum, vt ostendam, quæro primùm à Mastrio an optimus ille Philosophus qui prompte, & expedite argumenta conficit, nec distincte tamen & exacte recordatur præceptorum Logicæ, sciat, quomodo recte conficiendus sit syllogismus, nec ne. Si dicat illum id non scire, certe eo ipso impingit ipsis grauem ignorantiam, dum eum discurrentem inducit, sed nescientem tamen an bene discurrat.

*Quod si dixerit* eum id scire: ergo recordatur Logicæ docentis ac habet habitum ens, ac actum etiam, quoties recte syllogizat, nec consequenter opus est alia Logica vtente.

*Nec refert* fundamentum Mastrij quod scilicet Philosophus promptus ad syllogizandum non recordetur exactè regularum ac præceptorum Logicæ: quamuis enim oblitus sit regulæ, secundum quam syllogismus conficiendus sit in Darij, nec prorsus recordetur quid intelligatur per Darij; tamen scit optime illum syllogismum, quem conficit esse bonum, quia scit esse similem alicui syllogismo quem ante fecit & quem recordatur fuisse factum iuxta aliquam regulam Logicæ, quamuis in particulari non recordetur regulæ, & hæc ipsa cognitio est cognitio Logicæ docentis.

*Sed vt magis* adhuc appareat quomodo reuera se res habeat in hoc proposito, aduertendum est dum aliquis conficit syllogismum in materia physica verbi gratia, vel ipsum confeciſſe syllogismum absque præuia vlla consideratione, aut determinatione faciendi syllogismum, vel cum præuia deliberatione: si absque præuia deliberatione vlla faciebat syllogismum, confectio ipsius non prouenit ab vllo habitu Logicæ, sed casu accidit vt sic discurreret vi intellectus, ac luminis naturalis, eo modo quo rustici aliquando syllogizant rectissime absque arte. Tunc autem aut apparebit lumine naturali quod ille syllogismus sit bonus, quia apparet ex terminis euidens; & sic iudicabitur esse bonus absque Logica artificiali; vel comparabitur ad regulam aliquam Logicæ, & videbitur esse illi conformis, & sic iudicabitur esse bonus syllogismus, ad quod conducit Logica docens, vt manifestum est, vel comparabitur ad aliquem syllogismum quem quis recordatur factum iuxta regulam aliquã Logicæ, quamuis non recordetur regulæ in particulari: & iudicabit propterea eum esse bonum, & hoc iudicium fundabitur in Logica docente, quatenus est in memoria imperfecte. Itaque ad syllogimum factum hoc modo manifestum est non concurrere, nec iuuare aliam Logicam artificialem, quàm docentem.

*Quod si fiat* syllogismus cum præmeditatione ac delibera-

beratione illum faciendi, tum aut deliberatio erit de faciendo aliquo syllogismo in *Dary* v. g. vel aliquo alio determinato modo ac figura, & non potest sic heri absque Logica docente, qua parte docet quomodo talis syllogismus sit conficiendus; nec alia Logica habitualis ad illum requiritur conficiendum. Aut deliberabitur de eo faciendo iuxta alium syllogismum, quam quis recordatur factum iuxta aliquam regulam, quæ tamen memoriæ determinatè non occurrit, & tum Logica docens, vt in memoria imperfecte, & nulla alia ad confectionem requiritur. *Vel denique* deliberabit quis facere syllogismum aliquem non determinando qualem, & ad huiusmodi deliberationem requiretur conceptus aliquis syllogismi, qui vel à nulla Logica artificiali proueniet, vel certe non nisi à docente vt manifestum est: & præterea non sufficiet illa deliberatio vt fiat aliquis syllogismus determinatus, quia non magis vnus deberet fieri, quàm quicunque; vnde determinatio debet aliunde prouenire; quod si tamen absque alia deliberatione fiat syllogismus aliquis determinatus, idem dicendum erit de eo, ac syllogismo facto absque deliberatione, in quem ostendi nullum esse influxum vllius Logicæ artificialis præter docentis; nec hunc esse ad confectionem, sed ad cognitionem rectitudinis ipsius In quo toto mihi certe nulla apparet difficultas.

*Fateor quidem*, si quis frequenter faciat syllogismum in Felapton, eum habiturum facilitatem maiorem ad ipsum faciendum: sed illa facilitas oritur, vt sæpe dixi, quantum spectat ad Logicam, à sola docente; dixi autem, quantum spectat ad Logicam, quia si fiat in materia aliarum scientiarum, illæ aliæ scientiæ etiam conducent. Quod maxime confirmatur quia si quis frequenter faciat syllogismum in fapesmo, vtendo litteris A. B. C. v. g. habebit facilitatem faciendi tales syllogismos, nec tamen habebit facilitatem tantam ad faciendum syllogismum in materia physica, aut aliqua alia, in qua non assueuit facere tales syllogismos; & è contra si quis assuefaciat facere syllogismum talem in aliqua materia reali, non habebit facilitatem tantam faciendi eum in illis litteris, vt manifestum est experientia; vnde patet illam facilitatem, quæ est in exercitio faciendi syllogismum, oriri ex facilitate, quam quis habeat in cognoscenda materia, & quod non oriatur ex Logica vtente, distincta realiter à docente. Quod vlterius confirmo quia facilitas, quæ est ex Logica, est indifferens ex se ad omnes materias, ergo facilitas specialis, quam in vna materia quis experitur præ alia, non prouenit à Logica.

*Subiungit Mastrius num. 66* aliud fundamentum suæ sententiæ, quia actus Logicæ vtentis generant aliquem habitum, & eum genitum augent; sed non habitum Logicæ docentis, quia non sunt scientifici ergo diuersum: quia si essent idem habitus, per actus Logicæ vtentis deberet augeri habitus docentis: habitus enim omnis augetur per suos actus. *Ad hoc fundamentum* dicit me negare consequentiam, & probationem eius. At ergo certe non soleo negare consequentiam boni syllogismi, qualis est ille, quem ipse hic proposuit; nec consequentia talis syllogismi probari debet, sed vel maior vel minor, vel vtraque, si probatione indigent; vnde neque negaui probationem eius, nec ipse etiam recte probauit ipsam.

Negaui quidem consequeneiam difficultatis huius, vt à me proposita erat non in syllogismo, sed in enthymemate quod sic formaui: non augetur habitus Logicæ docentis per actus vtentis; ergo non est idem habitus vtriusque Logicæ, probaui etiam consequentiam, quia si esset idem habitus deberet augeri: habitus enim omnis augetur per suos actus. Difficultatis huius hoc modo propositę negaui consequentiam cum sua probatione; quia non debet habitus augeri per omnes actus suos, sed per eos, qui elicitiue ab ipso procedunt; sic autem non procedunt ab habitu Logicæ docentis actus Logicæ vtentus; sed directiuè tantum.

*Contra responsionem* hanc arguit Mastrius: si actus Logicæ vtentis directiue tantùm procedit à Logica docente, debet sine dubio ab aliquo habitu elicitiue procedere, aut ergo à Logica docente, & sic eum augebit, quod negatur; aut ab alio habitu diuerso, & hic erit habitus Logicæ vtentis, & consequenter habitus Logicæ vtentis erit distinctus realiter à docente, quod est intentum ipsius, & directè contra meam doctrinam. *Prô subtilem* impugnationem! sed quam ipsemet Mastrius, si reflectere vellet supra meam doctrinam, posset facile elicere: Ego enim docui, & iterum doceo illum actum elicitiue procedere ab habitu istius materiæ, in qua fit syllogismus, vt ab habitu physico, si fiat in Physica à Metaphysico si in Metaphysica. Quod si velit vocare Mastrius hos habitus, Logicam vtentem, nemo negat habitum Logicæ vtentis esse realiter distinctum à Logica docente; nec difficultas præsens est, an accipiendo Logicam vtentem pro habitu scientiæ, in cuius materia fit syllogismus, distinguatur realiter à docente, sed an præter habitum talis scientiæ & Logicæ docentis, detur alius habitus Logicæ, quod à me animaduersum posset facile videre Mastrius in hac ipsa quæstione, *num. 60*

*Proponit tandem* aliud fundamentum eodem numero quia secundum me actus Logicæ docentis, & vtentis distinguentur non solum realiter, sed specie: at ex hoc, inquit Mastrius, sufficienter deducitur ipsorum habituum diuersitas, quia habitus specificantur ab actibus, vnde actus specie distincti nequeunt prouenire ab eodem habitu, quo argumento, ait me vti hac disputatione *numero centesimo*. At imprimis non vtor illo argumento nisi ex suppositione diuersæ difficultatis, vt patet ex adiuncta mea confirmatione; & etiam ex suppositione quod diuersi actus procederent elicitiue ab eodem habitu, vt patet ex responsione quam dedi ad hoc argumentum Mastrij, & quam ipse hic subiicit: quæ est quod actus diuersæ speciei possint prouenire ab eodem habitu, quando vnus procedit ab ipso elicitiue, & alter directiue, vt patet ex actibus virtutum moralium, qui procedunt ab habitu prudentiæ directiue, & sunt diuersæ speciei ab actibus elicitis prudentiæ; quare non est verum quod habitus ita specificentur ab actibus, vt idem habitus non possit principiare diuersos specie actus, quando principiat aliquos elicitiue & alios directiue.

*Hanc responsionem* impugnat Mastrius quia suum argumentum non vrget de processione actus in genere moris scilicet regulatiue & directiue; sed in genere Physico, nimirum elicitiue: cum igitur, inquit, in hoc genere nequeant actus specie diuersi ab eodem habitu prouenire, talesque sint actus Logicæ docentis & vtentis secundum me, plane fatendum est, quod in genere Physico, & elicitiue à diuersis procedunt habitibus Quod confirmat eodem exemplo prudentiæ respectu virtutum moralium; quia actus temperantiæ & prudentiæ, licet ab eodem habitu proueniant, vnus Physice & elicitiue, alter regulatiue; tamen in genere Physico procedunt à diuersis habitibus.

*Sed contra hanc doctrinam* imprimis vrget quod non recte videatur Mastrius idem intelligere per processionem regulatiuam ac directiuam & processionem in genere moris, cum certum sit multos actus procedere directiue à facultatibus docentibus, qui non sunt morales: sic enim bonus Musicus & Architectus ac Logicus mediante directione regularum quas cognoscunt eliciunt multos actus qui non sunt morales, & tamen procedunt directiue ab illis regulis, seu earum cognitione.

*Deinde* aduertere debuit me negauisse & negare quod actus Logicæ vtentis procedunt elicitiue ab vlla Logica (excipio illos qui fiunt in materia Logica) sed solum à facultate illa, aut scientia in cuius materia fiunt isti actus. Vnde si argumentum ipsius procedat in genere Physico &

elicitiuo

elicitiuo, vt ipsius verbis vtar, aut supponebat falsum aut petebat principium, supponendo aut asserendo quod actus logicæ procederent elicitiue aut Phisicè ab vlla Logica, nisi vocando Logicam illam scientiam in qua sit vsus Logicæ, quod non facit ad propositum.

*Ad quod addo* posse etiam actus diuersæ speciei prouenire ab eodem habitu; quando in iis eliciendis non est diuersa difficultas, sic charitas potest inclinare ad amandum Deum & proximum propter Deum, & ad detestandum peccatum, quatenus est offensa Dei, quamuis hi actus sint diuersæ rationis, & hoc non solum verum existimo de habitu supernaturali, de quo certum est & sufficit mihi sed etiam de naturali. *Vnde* quamuis actus Logicæ vtentis prouenirent Physicè & elicitiue à Logica, adhuc prouenire posset à Logica docente sic, nisi esset alia difficultas in eo eliciendo; neque deberet augere physice illam Logicam; quia probabiliter loquendo illi actus soli debent augere habitum, in quibus est difficultas, nam propter difficultatem ponendi sunt habitus acquisiti: Nego autem vt sæpius feci, esse diuersam difficultatem in eliciendo actum Logicæ vtentis ab ea, quæ est in cognoscendo, quomodo elici debeat quatenus eliceretur à Logica, si ab illa elici deberet.

## QVÆSTIO VII.

### *Vtrum Logica sit scientia.*

67. SCientia quantum ad nostrum propositum hic capitur dupliciter, primò large pro quacumque notitia & cognitione intellectiua, & sic non quæritur vtrum Logica sit scientia, quia certum est, quod sit. Secundò stricte pro notitia certa & infallibili per demonstrationem acquisita, & hoc modo accipitur scientia in proposito; quomodo autem acquiratur scientia per demonstrationem, ostendemus suo loco.

Aduertendum autem quod vt Logica sit scientia, non est necesse quod omnis notitia, quæ per se pertinet ad Logicam, sit scientia in hoc sensu, quia sine dubio plurimæ opiniones, hoc est notitiæ probabiles, quæ non sunt certæ ac euidentis veritatis ad ipsam pertinēt, imo plures sunt huiusmodi in ea, quam cognitiones scientificæ, nec hoc est ipsi peculiare, sed occurrit etiam in Philosophia, naturali, Metaphysica, & cæteris scientiis; imo est omnino necessarium, quod omnes notitiæ Logicæ nō sint scientificæ in hoc sensu, quia ad quamcumque sciētiam pertinet aliqua notitia scientifica, pertinet etiam notitia principiorum, ex quibus deducitur illa notitia scientifica; illa autem notitia principiorum, cum non acquiratur per discursum, aut demonstrationem, non potest esse scientia, sed est intellectus secundum omnes; ergo necessarium est vt aliqua notitia Logicæ non sit scientia, stricte loquendo; nec credo de hoc posse esse controuersiam. Itaque sufficit ad hoc vt dicatur scientia, quod de obiecto suo aliquid scientifice, & per demonstrationem cognoscat: & in hoc sensu procedit quæstio.

Omnes cognitiones spectantes ad scientiam non sūt scientiæ.

### CONCLVSIO I.

Logica est scientia quoad omnem partem.

68. *Logica Docens non solum quoad partem Analiticam, sed etiam quoad Topicam, & Sophisticam est scientia.* Ita *Scotus q. 1. Prædicabilium*, & alibi. Videtur etiam *D. Th. 2. Met. lect. 4.* & communis, contra *Philoponum, Simplicium Ammonium*, & alios antiquos.

*Probatur*, quia multæ notitiæ comparatæ demonstratiuè per discursum quoad omnes illas partes pertinent ad Logicam per se, ergo erit scientia proprie dicta quoad illas partes. Consequentia est euidens, quia vt aliqua facultas dicatur scientia proprie dicta, nihil aliud requiritur, quam quod ad ipsam pertineant per se huiusmodi notitiæ; quod si aliquis requireret vllam aliam conditionem, non erit cum ipso nisi quæstio de nomine. Probatur ergo antecedens: notitia quæ habetur in parte analitica priori de hac conclusione: omnis syllogismus factus in barbara concludit necessario, ex his principiis: *omnis syllogismus constans tribus terminis taliter inter se dispositis necessario concludit: talis est syllogismus factus in Barbara, ergo*, est notitia certa & euidens acquisita per demonstrationem. Similiter notitia quæ habetur in parte analitica posteriori de hac cōclusione huius syllogismi: *omnis syllogismus procedens ex primis veris & necessariis, causisque conclusionis est generatiuus scientiæ: talis est syllogismus demonstratiuus; ergo syllogismus demonstratiuus est generatiuus scientiæ*, est notitia acquisita per demonstrationem. Præterea notitia quæ habetur in parte topica de cōclusione huius syllogismi est talis notitia: *omnis syllogismus procedens ex probabilibus generat opinionem, talis est Topicus, ergo* &c. Denique talis est notitia habita in parte sophistica de conclusione huius syllogismi: *nullus syllogismus, in quo sunt quatuor termini, aut in quo peccatur in modo aut figura, necessario & vi formæ concludit: talis est syllogismus sophisticus; ergo non necessariò concludit.*

*Confirmatur*: quia nulla conditio requisita ad scientiam stricte loquendo deficit his & multis aliis notitiis Logicis, vt magis patebit in libris Posteriorum: ergo Logica quoad omnes has partes est scientia.

69. *Obiicies primo*: Logica est modus sciendi, ergo non est sciētia. *Cōfirmatur*, quia secundum Philosophum absurdum est quærere simul scientiam & modum sciendi, vbi per modum sciendi intelligit Logicam.

*Respondeo* distinguendo antecedens: est modus sciendi obiectiue, concedo antecedens; formaliter, nego antecedens, & nego consequentiam, bene enim potest fieri quod illud, quod sit modus sciendi obiectiue, id est quod agit de modo sciendi tanquam de obiecto, sit in se scientia.

*Ad confirmationem respondeo primo* negando quod per modum sciendi intelligat Logicam, sed potius obiectum Logicæ, id est, syllogismum, & sic corruit difficultas.

*Respondeo secundo*, quantumuis intelligeret ipsam Logicam per modum sciendi, sensum tamen esse, quod non deberet Logica simul tradi cum aliis scientiis, v. g. Philosophia aut Metaphysica, respectu quarum esset modus sciendi, hoc autem non est contra nos.

70. *Obiicies secundò: Aristoteles primo Rhetoric. c. 4.* ait: Si quis autem Rhetoricam aut Dialecticam non vt facultates, sed vt scientias instituere, ac docere conatur, is naturam earum interimere videtur. Ergo secundum Philosophum non potest Logica esse scientia, saltem quoad partem topicam, quam ibi nomine Dialecticæ significauit.

*Respondeo* sensum istius loci esse, vel quod Logica aut Dialectica non sit talis scientia, quæ doceat naturam sui obiecti tantum, & non etiam ostendat quomodo fieri debeat, & hoc in ordine ad ipsum conficiendum, quod verissimum est; sed tum neganda est consequentia; vel certe quod Dialectica, id est, pars topica Logicæ, non ostendat quomodo syllogismus scientificus sit conficiendus, qui necessario concludat conclusionem certam & infallibilem, sed potius quomodo conficiendus sit syllogismus probabilis qui conclusionem inferat probabilem tantum, & consequenter eos, qui vellent ita tradere Dialecticam in ordine ad inferendam conclusionem scientificam, omnino peruertere naturam ipsius. Et hæc videtur mihi germana prædictæ authoritatis expositio.

Quomodo logica quoad partem topicam non sit scientia.

71. *Obiicies tertiò*: scientia debet versari circa materiam aliquam certam & determinatam, sibique propriam; sed Logica versatur circa res omnes iuxta eundem *Philosop. 4. Met. tex. 5.* ergo non est scientia.

*Respondeo* distinguendo maiorem: circa materiam aliquam determinatā sibique propriā taliter, vt prædicatum, quod scientia cognoscit de subiecto debet solū per illam scientiam cognosci, aut saltem mediū, quo vtitur ad illud cognoscendum, concedo maiorem: taliter, vr de subiecto cōclusionis scitæ non possit per alias scientias aliquid cognosci, negatur maior: certum est enim quod per Physicam possit cognosci de homine, quod sit mobilis, & per Metaphysicam quod sit vnus; & iuxta hoc distinguo minorem: versatur circa res omnes cognoscendo

Quomodo Logica versatur circa res omnes modo particulari.

cendo de ipsis prædicata, quæ per alias scientias de iis cognoscuntur, nego; cognoscendo prædicata, quæ ab aliis scientiis non cognoscuntur, concedo, & nego consequentiam.

72. *Obiicies quartò*: scientia est de necessariis, & de his quæ non fiunt à nobis: sed Logica est de syllogismo qui fit à nobis, & consequenter non est necessarius, ergo non scientia.

*Respondeo* distinguendo maiorem, ita vt non habeatur scientia de aliquo quod fit à nobis, nego maiorem: ita vt scientia illa non sit de ipso quatenus fit nobis; seu ita vt non cognoscatur de ipso per scietiam quod fiat à nobis, concedo maiorē, & distinguo minorem: fit à nobis quoad existentiam, & quoad existentiam nō est necessarius, concedo minorem; quoad connexionem quam habet cum suis proprietatibus fit à nobis & non est necessarius, nego minorem & consequentiam, quia vt habeatur scientia de aliquo, non est necesse quod illud sit necessarium quoad existentiam; aut quod non fiat à nobis, sed sufficit quod habeat necessariam connexionem independenter à nobis cum proprietatibus, quæ per scientiam de ipso cognoscuntur.

Quomodo obiectum scientiæ debet esse necessarium, & non factibile.

*Obiicies quinto*: Non potest de syllogismo esse scientia, ergo Logica, quæ est de syllogismo, non est scientia. Probatur antecedens quia si de syllogismo in communi haberetur scientia, maxime per alium syllogismum, sed hoc non potest fieri, ergo. Probatur minor; quia vel ille syllogismus alius esset ignotus, vel notus; si ignotus, ergo potuit haberi per ipsum scientia de aliquo; si notus, ergo etiam syllogismus in communi erat cognitus, & consequenter esset notus antequam esset notus, quod implicat.

*Confirmatur*, quia ille alius syllogismus per quem haberetur scientia, deberet sciri per alium syllogismum, & sic daretur processus in infinitum.

73. *Respondeo* negando antecedens, & ad probationem dico quod haberi potest scientia de syllogismo vt sic per aliquem syllogismum particularem, qui esset notus seipso quantum ad hoc, quod euidenter concluderet, nam vt ait *Philosophus* 1. *Priorum* syllogismus perfectus de se notus est euidenter concludere, nec est necesse, vt per alium syllogismum probetur quod euidenter & certo concludat; & tamen non est necesse quod cognoscat illud ipsum competere naturæ specificæ, nisi vtatur discursu ex quo colligat quod id ipsi conueniat, vt de se patet.

Quomodo potest haberi per syllogismum de syllogismo scientia.

Per hoc etiam patet ad confirmationem.

*Obiicies vltimo*: Logica est ars: ergo non est scientia. Probatur consequentia, quia *Aristoteles* 6. *Ethic.* distinguit artem à scientia.

*Respondeo* negando consequentiam, & ad probationem dico quod ars distinguatur à scientia, non quod vnus, & idem habitus non possit esse ars & scientia, sed quod non secundum eandem rationem dicatur ars & scientia: dicitur enim scientia, quatenus inclinat ad cognoscendum scientifice naturam alicuius obiecti in vniuersali; dicitur vero ars, quatenus inclinat ad faciendum aliquid singulare v.g. Logica, quatenus respicit syllogismi vt sic, naturam, dicitur scientia; dicitur vero ars quatenus inclinat, & facilitat ad conficiendum syllogismum aliquem particularem hunc, vel illum.

Vnus habitus potest esse scientia & ars.

## CONCLVSIO II.

74. *Logica Vtens, vt talis est, non est scientia. siue loquamur de Logica Vtente actuali, siue de Logica Vtente habituali.* Est *Scoti* supra cum suis, & communis apud recentiores, qui identificant Logicam vtentem, & docentem.

Logica Vtens vt talis non est scientia.

*Probant Complutenses supra qu. 5.* quia Logica dicitur Vtens respectu partis topicæ tantū: sed vsus in parte topica est tantum cōstructio syllogismi probabilis, aut apparentis, in quibus materia est incerta, ergo vt Vtens, nō est scientia, quia scientia non inclinat ad syllogismos probabiles. Sed ex dictis constat maiorem huius discursus esse falsā. Deinde supponunt quod, si diceretur Vtēs quoad partem demonstratiuam, esset scientia quoad illam partem, quod etiam est falsum, vt iam patebit.

Quod etiam subiungunt dum quærentes quomodo habitus Logicæ, qui entitatiue est scientia, possit elicere assensus probabiles, respondent rationem esse quod non repugnet habitum, qui versatur circa actus scientificos per se primo, versari secundario circa actus opinionis, eos eliciendo; tam falsum est quam principium cui innititur, nimirum sufficere, ad identitatem habitus circa plures conclusiones, quod similis sit abstractio à materia in illis conclusionibus, de quo postea.

Alia probatio.

Probat etiam alius Scotista ratione qua, vt ait, vtuntur recentiores, quia scientia versatur circa vniuersalia, Logica verò vtens versatur circa singularia construendo hunc syllogismum particularem, & illum &c.

Reiicitur.

*Sed contra*, quia eatenus Logica Vtens inclinat ad cōficiendum syllogismum in particulari, quatenus inclinat ad conficiendum syllogismum vt sic, ergo versatur circa syllogismum vt sic, & consequenter non tantum versatur circa singularia, sed etiam circa vniuersalia. Itaque quemadmodum habitus, qui inclinat ad cognoscendum, quod Petrus sit risibilis ex eo, quod sit homo, est scientificus, quia licet versatur circa singularia, id tamen est ipsi per accidens, quia non versatur circa ipsum nisi ratione vniuersalis in ipso inclusi: cur similiter habitus, qui inclinat ad conficiendum syllogismum in particulari, non esset scientificus, cum non versetur circa syllogismum in particulari, nisi per accidens ratione syllogismi, vt sic, n ipso inclusi.

75. *Probatur ergo aliter conclusio* de Logica actuali Vtenti, quia illa est confectio demonstrationis, aut syllogismi, aut definitionis, vt supra ostendimus: sed nullius syllogismi confectio est scientia, vt patet, cum sit ordinatio terminorum & propositionum, ex quibus conficitur syllogismus; ergo Logica vtens actualis non est scientia.

Ex hoc probatur conclusio de Logica Vtenti habituali, vt Vtens est, quia nullus habitus est scientia nisi secundum quod inclinat ad actum scientificum, sed Logica vtens habitualis, vt talis, non inclinat ad actum scientificum, sed ad confectionem syllogismi, propositionis &c. ergo non erit scientia.

Logica vtens etiam quantumē ad part demonstratiuā non est scientia.

Hinc colligitur quam male dicat *Auersa, qu. 5. de Logica, sect. 5.* quod Logica vtens quantum ad partem demonstratiuam sit scientia, quia scilicet inclinat ad demonstrationem, quæ demonstratio est scientia; nam falsum est quod demonstratio sit scientia, sed est illud quod generat scientiam, scientia enim est effectus demonstrationis, vt satis vulgatum est.

Confirmatur, quia demonstratio, ad quam faciendam inclinat Logica, est etiam ipsa demonstratio obiectiua, vt supra ostendimus, *qu.* 1. sed certum est quod illa demonstratio non sit scientia, ergo Logica Vtens quantum ad partem demonstratiuam non est scientia.

76. *Obiicitur*: Est idem habitus vtriusque Logicæ Vtentis & Docentis: ergo si Logica Docens sit scientia, & Vtens etiam.

*Respondeo* negando consequentiam, quia quandocūque aliquid respicit duos effectus, aut habet duo nomina distinctæ rationis, non est necesse quod id, quod conuenit ipsi, vt respicit vnum ex illis, conueniat ipsi vt respicit alterum. Quare cum idē omnino habitus Logicæ habeat inclinare ad cognoscendum naturā syllogismi & demonstrationis, & etiam ad illa conficienda, etiam si dicatur scientia, vt inclinat ad primum: non est necesse vt dicatur scientia, quatenus respicit secundum.

## QVÆSTIO VIII.

### *Vtrum Logica sit scientia practica.*

EX *precedenti quæstione* habemus Logicam esse scientiam: scientia autem vt sic diuiditur in practicam, & speculatiuam. Quæritur ergo sub qua specie ex his contineatur Logica: quoniam autem huius difficultatis solutio ab intellectione praxis pendet, nam sine dubio illa scientia est practica, quæ dirigit praxim, ostendendo quomodo fieri debeat; & illa est speculatiua, quæ non dirigit praxim; prius quid sit praxis ostendendum est, & deinde decidenda quæstio.

Quid

*Quid sit praxis.*

Quid praxis.

77. Dicendum est cum *Doct. q. 4. Prolo. n. 3.* quod *praxis sit actus alterius potentiæ ab intellectu naturaliter posterior intellectione natus elici conformiter ad dictamen rationis.* In qua definitione ponitur *actus* tanquam genus, in quo conuenit praxis cum speculatione, quæ etiam est actus; reliqua ponuntur vt differentia; & dicitur quidem quod sit *alterius potentiæ ab intellectu*, ad excludendos ipsosmet actus intellectus: dicitur *naturaliter posterior intellectione*, vt excludantur actus potentiæ nutritiuæ & vegetatiuæ, qui cum vt fiant, non necessariò prærequirunt intellectionem vllam, non sunt naturaliter posteriores intellectione, hoc est ex natura sua præsupponentes intellectionem, quamuis per accidens præsupponerent ipsam tempore.

Dicitur *natus elici conformiter ad rationem*, ad excludendas omnes actiones cuiuscunque potentiæ & quomodocumque præsupponentes vel non præsupponentes intellectionem, quæ non peterent elici conformiter ad dictamen rationis.

Hæc descriptio praxis admittitur non solum à Scotistis omnibus, sed etiam à Thomistis communiter, quos citant & sequuntur. *Complutenses dis. 1. proœm. q. 6.* & non habet aliam difficultatem, quam quod dicat praxim debere esse actum alterius potentiæ ab intellectu. Quoad hoc autem probatur ex communi axiomate, quod intellectus extensione sit practicus, hoc est tendendo extra se: sed hoc esset falsum si praxis possit esse actus intellectus, quia dirigendo actum talem non deberet intellectus tendere extra se, vt patet.

Intellectus extensione fit practicus.

78. *Hurtadus* & alij recentiores, qui propter istam particulam potissimum negant hanc definitionem praxis esse bonam, dicunt prædictum axioma, tuimisi quod intellectus extensione fiat practicus, nec esse Philosophi, nec vllius celebris Doctoris, & propterea non esse magni faciendum. Verum quam hoc falsum sit, patet, quia præterquam quod *Scotus* ipse satis celebris sit, certe *D. Tho.* eodem dicendi modo vtitur *q. 14. de veritate* dicens: *Intellectus practicus idem est quod operatiuus, vnde sola extensio ad opus facit aliquem intellectum esse practicum.* Deinde quamuis in terminis non reperiatur in *3. de anima*, ex quo citat illud *Scotus*, tamen ex *cap. 10. tex. 50.* istius libri colligi potest, quia ibi dicit intellectum practicum esse illum, qui est principium agendi. Sed hoc non potest intelligi sic, vt sensus sit, quod sit principium agendi actione intellectiua, quia intellectus etiam speculatiuus est, principium agendi tali actione, ergo sensus est quod sit principium agendi actione alterius potentiæ. Fatemur quidem posse intelligi hunc locum sic, vt sensus sit quod intellectus practicus sit principium agendi non quomodocunque, sed ostendendo quomodo aliquid rectè fieri possit, in cuius factione error posset contingere, & si sic intelligeretur, non colligi inde quod intellectus practicus necessario debeat esse principium agendi actione alterius potentiæ; quia quamuis esset principium agendi actione intellectiua, distingueretur tamen à speculatiuo intellectu, quia hic non esset principium agendi tali modo, nimirum ostendendo quomodo actio, cuius esset principium, recte fieri posset, tamen cum *S. Thom. Scotus*, & expositores veteres communiter intellexerint illum in sensu à nobis proposito, sic potius intelligi debet.

An actus intellectus possit esse praxis imperatus.

79. Hinc Doctor supra deducit nullum actum, aut operationem posse esse praxim præter actum elicitum voluntatis, qui scilicet ab ipsamet immediate in seipsa producitur, vel imperatum, qui scilicet ab alia potentia immediate producitur imperante voluntate, vt scriptio, ambulatio. Verum si actus imperatus voluntatis possit esse praxis, quandoquidem voluntas possit imperare intellectui, vt studeat, & consequenter studium illud, seu cognitio intellectus, quæ imperaretur esset actus imperatus à voluntate, videtur sequi quod actus intellectus posset esse praxis, & quod consequenter male positum sit in definitione praxis, quod debeat esse actus alterius potentiæ ab intellectu.

*Respondent multi Scotistæ*, præsertim *Antonius Andreas, Rada, Smising Vulpes*, in prologo sententiarum, licet nihil possit esse praxis, nisi actu elicitus, vel imperatus à voluntate, non tamen omnem actum imperarum à voluntate esse praxim, sed eum tantum, ad quem intellectus posset se extendere, vnde cum non possit extendere se ad suos actus, nullum actum intellectus posse esse praxim, quantumuis imperetur à voluntate.

*Sed contra*: omnis actus; ad quem dirigendum inclinat prudentia, est praxis, quia prudentia secundum omnes est habitus practicus, talis autem non inclinat nisi ad praxes dirigendas: sed prudentia inclinat ad studendum, & cognoscendum tali vel tali tempore, loco, vel modo, ergo studium, & cognitio possunt esse praxes.

*Confirmatur*, quia cognitio imperata à voluntate potest esse bona, & meritoria quandoque, & quandoque mala ac demeritoria, ergo potest esse praxis, quia sine dubio omnis actus virtutis & vitij est praxis, & omnis actus bonus, & malus, moraliter est actus virtutis & vitij.

Verior resolutio.

80. *Itaque propter hanc replicam existimo* actum intellectus posse esse praxim imperatam. Quam sententiam ex Scotistis amplectuntur *Cauellus, Faber, Bargius, Lychetus, Mastrius* & *Camerarius*; quem miror citari pro opposito à *Mastrio*; nego tamen consequentiam obiectionis, nimirum inde sequi, definitionem praxis supra positam esse malam, quia ille actus intellectus, vt imperatus, est actus alterius potentiæ, & vt sic tantum habet esse praxis.

Actus intellectus vt imperatus est alterius potentiæ ab intellectu.

*Et si obijciatur* difficilis locus *Scoti ex quæst. 4. prologi num. 4.* valde fauens Scotistis oppositum huius nostræ doctrinæ tenentibus: *Cum igitur dicitur, intellectio est imperata à voluntate, ergo est praxis, non sequitur.* Vbi negat eandem consequentiam, quam negant illi Scotistæ.

Obiectio ex Scoto.

*Mastrius respondet* ex Lycheto Scotum non loqui de omni intellectione imperata: sed de ea quæ est etiam regula praxis, nam omnis talis cognitio licet imperata, tamen est sine dubio practica.

*Verum hæc responsio nullo modo placet primò*, quia si vlla cognitio imperata potest esse praxis, etiam & talis cognitio, nec refert quod etiam sit practica; quia bene potest esse practica, vt dirigit aliam praxim, & praxis, vt dirigitur ab alia cognitione practica, & vt imperatur à voluntate sequente talem cognitionem, nec ex his denominationibus vna potius quam altera debet simpliciter ipsi competere.

*Secundò*: quia intentum obiectionis, cui respondet Scotus, erat probare, quod aliquis actus intellectus esset praxis, nec debebat probare, quod omnis actus intellectus esset talis, imo id esset manifeste falsum, quia primus actus intellectus præcedens omnem actum voluntatis non potest esse praxis: vnde si Scotus responderet negando aliquas tantum esse praxes, non responderet ad propositum.

Aliorum responsio reiicitur.

Per quod etiam patet non bene ab aliis Scotum explicari de actu intellectus specificatiue secundum se, non vero reduplicatiue, vt imperatus est, quia obiectio agit de eo, vt est imperatus, intendit enim probare, quod si alij actus vt imperati sint praxes, quod idem dicendum sit de actibus intellectus.

Etiam aliorum.

Patet etiam similiter non satisfacere alios, explicantes ipsum sic, vt velit solum negare cognitionem esse praxim, quia vt plurimum non imperatur à voluntate: quia obiectio non intendebat eam esse praxim, nisi quando imperabatur; vnde si tũ esset praxis, quamuis communiter non esset praxis, quia communiter non imperatur, male negaret consequentiam.

Vera responsio.

81. *Itaque existimo Scotũ*, dum negauit illã consequentiam, accepisse praxim in magis rigorosa acceptione quã communiter accipitur, sic scilicet vt pro tali habẽdus esset solus ille actus, & qui haberet secundũ se esse alterius potentiæ ab intellectu, & qui præterea esset vel elicitus, vel imperatus à voluntate, quarum cõditionum altera si deficeret, nõ esset praxis in illo rigore, quamuis alia posset esse praxis, prout communis accipitur praxis, quo-

modo etiam possunt explicari prædicti Scotistæ & iuxta hanc explicationem potest intelligi quomodo verum sit, quod in eodem *n.4.* dicit Scotus, nempe quod inferre ex eo, quod actus intellectus sit imperatus voluntatis, quod sit praxis, & consequenter praxim non debere esse actum alterius potentiæ ab intellectu, sit committere fallaciam consequentis; committere enim fallaciam consequentis est quando ex consequenti inferretur antecedens, vt ex animali homo; capiendo autem praxim in hoc rigore, talis committeretur hic: est actus imperatus aut elicitus voluntatis, ergo praxis: quia actus elicitus aut imperatus est consequens ad praxim, non verò antecedens; sequitur enim: est praxis, ergo actus elicitus vel imperatus à voluntate, sed non sequitur: est actus imperatus à voluntate, ergo praxis, vt patet capiendo praxim in illo rigore. Quod totum addo magis ad intelligendum locum illum difficilem Doctoris, quam quod ad præsentis difficultatis resolutionem sit necessarium.

*Solutio quæstionis.*

Sententiæ diuersæ. In hac quæstione quatuor sunt sententiæ: *prima Zabarelli*, & quorum dam recentiorum, Logicam nec speculatiuam esse, nec practicam. *Secunda Hurtadi disp.2. Log.sect.2. Ruuij q.5. proœm. Vasquez 1.p. disp.8. c.5. & disp.9. c.3.* & aliorum, eam esse speculatiuam & practicam. *Tertia Occami, Aureoli, Fonseca*, quos citat & sequitur *Auersa*, eam esse practicam. *Quarta* denique communior Scotistarum & Thomistarum cum *Scoto* supra & *D.Th. 1.2.q.57.art.3.* & aliis locis eam esse merè speculatiuam.

## CONCLVSIO I.

Logica debet esse vel speculatiua vel practica. 82. *Logica debet esse vel speculatiua vel practica.* Est communis contra *Zabarellam* ac authores primæ sententiæ. Probatur efficaciter, quia omnis scientia, & notitia debet esse vel directiua praxis, vel nō directiua, ergo & Logica; sed si sit directiua, erit practica, quia nihil aliud est esse scientiam, aut notitiam practicam quam esse directiuam praxis; & si non sit directiua, erit speculatiua, quia nihil aliud est scientiā, aut notitiā esse speculatiuam, quam non esse directiuam praxis: ergo cum Logica debeat necessario esse, vel directiua, vel non directiua praxis debet etiam necessario esse vel practica, vel speculatiua. Nec apparet quomodo vis huius discursus aut vitari aut eludi possit, nisi fingendo aliquam particularem rationem scientiæ practicæ & speculatiuæ contra communem acceptionem istorum nominum, & sic reducendo difficultatem ad quæstionem de nomine, in qua semper melior est conditio sequentium communiorem dicendi modum, præsertim inter doctos, nisi inde sequatur aliquod inconueniens, quale non sequitur in proposito ex acceptione communi supra posita scientiæ speculatiuæ & practicæ, quæ propterea cuicumque particulari acceptioni præferenda est.

*Obiicies: Aristoteles 1.Topicor. c.9. & 12.* distinguit tria genera problematum, quædam scilicet speculatiua, quædam practica, & quædam illis duobus adminiculantia, per quæ intelligit problemata Logica: ergo ex mente ipsius Logica non erit speculatiua, nec practica, quia alias male Philosophus distingueret problemata Logica à speculatiuis & practicis.

*Respondeo* per problemata speculatiua Philosophum intelligere problemata pertinentia ad scientiam realem speculatiuam, quatenus scilicet scientia realis opponitur scientiæ rationali, qualis est Logica; per problemata practica intelligit problemata spectantia ad Moralem; & denique per problemata vtrisque adminiculantia, intelligit illa, quæ spectant ad scientiam rationalem. Itaque non intendit quod problemata Logica non sint speculatiua, aut practica, sed quod non sint speculatiua pertinentia ad scientias reales, nec practica pertinentia ad scientiam moralem: cum hoc tamen bene posset fieri quod essent simpliciter speculatiua, aut practica; vnde in forma negatur consequentia; & distinguitur eius probatio: si intelligeret per hoc, quod illa non essent speculatiua aut practica vllo modo, concedo; si intelligeret tantum quoc non essent speculatiua aut practica pertinentia ad scientiam moralem aut realem, nego.

## CONCLVSIO II.

Logica est secūdum omnem sui partē speculatiua. 83. *Logica secundum omnem partem sui est speculatiua, & secundum nullam practica, & consequenter non est simul speculatiua & practica.* Hæc est iuxta authores quartæ sententiæ contra reliquos omnes, & videtur fuisse extra controuersiam tempore *Scoti*, quia *qu.4. prologi num.3.* eam supponit tanquam certam, ex eaque, absque vlla ratione suppositā infert vnam ex conditionibus praxis; quod indicat eam fuisse tum apud omnes receptam.

*Probari solet primò* argumento satis communi: scientia practica vt sic adæquate diuiditur in actiuam & factiuā, sed Logica non est nec factiua, nec actiua per se, ergo. Probatur minor, quia non factiua, quandoquidem non relinquat post se vllum opus externum, quale debet relinquere scientia practica factiua secundum omnes: nō etiam actiua quia secundum Philosophum *6.Ethic.c.10.* scientia actiua versatur circa actiones, quarū principiū est electio, & propterea idem Philosophus *6. Met.c.1.* vbi diuidit scientiam practicam in actiuam & factiuam, agens de scientia practica actiua, ait idem este agibile & eligibile: sed manifestum est electionem pertinere ad voluntatem, ergo scientia practica actiua agit per se de actibus voluntatis: Sed Logica non agit de actibus voluntatis, ergo non est scientia practica actiua.

*Verùm hæc probatio non videtur sufficere*, quia negari posset minor quoad secundā partem; Logica enim agit de constructione syllogismi, cuius, constructionis electio est principium, neq; enim facimus syllogismos artificialiter nisi volentes, quod sufficit vt dicatur Logica versari circa actiones, quarum principium est electio, nec est necesse vt ipsa Logica agat de illa electione vlla ratione.

84. *Dices* cum Complutensibus: si sufficerer ad scientiam practicam agere de actibus, quorum principium est electio, tum Metaphysica esset practica quia agit de cognitionibus, quas non habemus, nisi quando volumus.

*Contra*, quia ad scientiam practicam requiritur quod cognitiones, circa quas inclinat, versentur circa obiectum agibile, quod non agitur nisi volente & eligente voluntate: sed hoc non conuenit Metaphysicæ, quia licet cognitiones, ad quas inclinat, dependere possint à voluntate, tamen illæ cognitiones non præscribunt modum faciendi aliquid quod fieri solet mediante voluntate. Hoc autem conuenit Logicæ, vnde sine dubio est potior ratio dicendi quod Logica sit practica, quam Metaphysica, aut Physica.

*Probari solet secundo* communiter, quia finis scientiæ practicæ est opus, speculatiuæ verò veritas; sed finis Logicæ quoad omnem partem est veritas, ergo est speculatiua. Probatur minor, quia si esset aliqua pars Logicæ, cuius finis esset opus, & non veritas, maxime illa pars, quæ ostendit quomodo syllogismus sit conficiendus: sed illa pars habet pro fine veritatem, quia ideo facimus syllogismum, vt per eum tanquam per instrumentum cognoscamus naturas rerum, ergo nulla pars Logicæ est, quæ non habeat pro fine veritatem; & hoc loquendo de fine operis secundum se, & non de fine operantis, qui potest esse multiplex pro arbitrio suo, vt patet.

*Confirmatur*, quia licet Mathematica ostendat quomodo triangulus sit conficiendus, tamen non habet pro fine opus, sed veritatem, & consequenter non dicitur practica, sed speculatiua, quia intendit confectionem trianguli in ordine ad veritatem: ergo similiter quāuis Logica ostendat quomodo syllogismus sit conficiendus, non tamen debet dici habere pro fine opus & non veritatem, nec esse practica, quia intendit illam confectionem in ordine ad veritatem cognoscendam.

Quid finis scientiæ practicæ sit opus. 85. *Sed neque hæc etiam probatio concludit*, responderi enim potest distinguēdo maiorē: finis proximus scientiæ practicæ est opus, non veritas, concedo; remotus, nego: & similiter distingui potest minor cū minori suæ probationis: sed finis proximus Logicæ est veritas,

negatur;

negatur;remotus,conceditur. Itaque verus sensus istius axiomatis, nimirum quod finis speculatiuæ sit veritas, practicæ vero opus,posset dici esse,quod,scientia speculatiua nihil aliud proxime intendit , nec ad aliud ex se proxime ordinatur, quã vt cognoscat veritatẽ sui obiecti,seu naturã eius & proprietates,non curando de existentia eius,nec de modo ipsum conficiendi,sciẽtia autẽ practica proxime intendat confectionem sui obiecti,& modũ ipsum producendi:vnde cum certũ sit quod Logica intendat directe & proxime confectionem syllogismi ac demonstrationis,quæ sunt obiecta eius,tradatq; modum ea faciẽdi,potest optime dici habere pro fine opus & nõ veritatem tãtum:quod autem vlterius illud opus ordinetur ad alias veritates cognoscendas,impertinens est ad Logicam:& certe si scamnum ordinaretur per se essentialiter ad acquisitionem scientiarum,non propterea diceretur scientia tradens modum illud faciendi esse speculatiua;sicut nec de facto Medicina, quæ tradit modum recuperandæ memoriæ,& disponendi caput in ordine ad acuendum ingenium,dicitur speculatiua,licet recuperatio memoriæ & acumen intellectus ordinentur ad scientias habendas.

Præterea ideo finis Logicæ dicitur esse veritas, quia agit de instrumento scientiarum speculatiuarum , quarum finis est veritas : sed agit etiam de instrumento scientiarum practicarum , quarum finis est opus, ergo potest dici habere pro fine opus.

Refellitur responsio Compl.

*Nec refert quod ad hoc respondent Complutenses*,syllogismum , de quo agit Logica, & quod est instrumentum scientiæ, non esse instrumentum scientiæ practicæ , vt practica est,sed vt scientia.Quia præterquam quod hoc sit falsum, *adhuc contra est*,quod si non agat de syllogismo,vt est instrumentum scientiæ practicæ vt sic , non agit de syllogismo,vt est instrumentum scientiæ speculatiuæ,vt speculatiua est,& sic non erit speculatiua sicut non erit practica.

86. *Ad confirmationem respondetur*,scientiam Mathematicam,quæ habetur de natura trianguli,non esse practicam,quia non ostendit adæquate,quomodo triangulus aliquis fieri possit,licet conducat in ordine ad illum faciendũ;sicut nec scientia Physica,quæ habetur de cõtrarietate frigoris & caloris dicitur practica,quãuis cõducat in ordine ad cognitionem practicam medicã,qua cognoscit medicus,quomodo excessũ caloris impedientem sanitatem expellere possit per applicationẽ causarũ frigidarum. Vnde argumentum potest retorqueri:sciẽtia,per quam artifex scit modum conficiendi triangulũ ex ligno,est practica,quamuis vtatur aliquo principio, vel cõclusione mathematica in ordine ad illum faciendũ,& scientia medica est similiter practica qua cognoscit medicus quomodo possit expellere calorẽ, quamuis vtatur ad hoc conclusione physica,iuxta illud principiũ vulgare;vbi desinit Physicus, ibi incipit Medicus ; ergo si scientia Logica sit talis, qualis est scientia confectiua trianguli,erit practica,& non speculatiua.

Scientia confectiua trianguli est practica.

Quod si etiam Mathematica qua parte ostẽderet modum conficiendi trianguli , non esset practica,hoc non esset ex eo quod triangulus ordinaretur,tanquam instrumentum ad acquirendam scientiam aliam, sed ex eo quod scientia illa,quatenus Mathematica,per accidens respiceret istam confectionem:vnde cum Logica per se consideret modum conficiendi syllogismum , sequitur quod esse posset practica, quamuis scientia illa Mathematica non esset practica.

87.*Probatur ergo aliter conclusio quoad primam & secundam partem* , quia Logica in nullla parte dirigit actum alterius potentiæ ab intellectu,quia in omnibus dirigit actus intellectus,ergo secundum nullam partem dirigit praxim,& consequenter secundum nullam partem erit practica : sed ex prima conclusione, si non sit practica secundum vllam partem , debet esse speculatiua secundum omnem partem,vt patet,ergo &c.

*Dices*;actus intellectus,licet secundum se spectati non sint actus alterius potentiæ ab intellectu, tamen vt imperati à voluntate sunt actus alterius potentiæ,vt supra n.80. concessum est:ergo ex eo quod Logica consideret in omnibus partibus actus intellectus,non sequitur quin consideret praxim.

*Contra*,si actus intellectus secundum se non sit praxis, sed tantũ quatenus imperatur à voluntate,ergo sciẽtia, quæ agit de ipso secundũ se,& non secundum quod imperatur à voluntate,nõ erit practica:sed Logica agit de actibus intellectus secundũ se eos dirigẽdo secundũ se in omnibus suis partibus,ergo sequitur quod Logica secũdum nullam partẽ sui consideret praxim,eam dirigendo.

Logica agit de actibus intellectus sed non quatenus imperantur.

*Dices secundo*:ars domifactoria considerat cõstructionem domus secundum se,& non actum voluntatis, quo imperatur,sed hoc non obstante dicitur practica ex eo, quod ista constructio in esse suo dependeat à voluntate; ergo quamuis Logica consideret & dirigat constructionem syllogismi secundum se;tamen quia ipsa cõstructio dependet in esse à volũtate,debet dici practica.Probatur minor,quia ideo dicitur ars domifactoria practica,quia considerat & dirigit praxim : sed ideo ista constructio, quam respicit & dirigit,dicitur praxis,quia dependet à voluntate : ergo ideo dicitur ista ars practica, quia dirigit aliquid dependens à voluntate.

Cur constructio domus sit praxis non vero syllogismus.

88.*Respondetur* distinguendo minorem:ideo præcise & totaliter,negatur minor,ideo partialiter,cõceditur minor,& negatur consequentia;quia licet cõstructio syllogismi conueniat cum cõstructione domus in hoc, quod vtraque sit dependens à voluntate,tamen nõ conueniũt in alia ratione,secundũ quam constructio habet partialiter esse praxis,nimirũ in hoc quod sit secundũ se actus alterius potentiæ ab intellectu.Itaque illud quod secũdũ se est actus alterius potentiæ ab intellectu,& præterea imperari potest à voluntate,potest dirigi per cognitionem practicam,& secundum se , & secundum quod imperatur:quod autem non est actus alterius potentiæ ab intellectu,non potest dirigi per cognitionem practicam secundum se,sed tantum secundum quod imperatur à voluntate,& in hoc est disparitas vtriusque.

*Replicabis*:nihil potest dirigi per cognitioncm practicam,nisi quod est praxis,sed nullus actus nisi qui est voluntatis , secundum se est praxis, ergo falsum est quod actus alterius potentiæ ab intellectu & voluntate possit secundum se dirigi à cognitione practica.

*Respondetur* negando minorem;quia licet nullus actus sit praxis præter actus elicitos vel imperatos à voluntate, tamen aliqui actus imperati à voluntate sunt praxes secundum se,& non tantum secundum quod imperantur formaliter.

89. *Obiicies*:Philosophus diuisit scientiam speculatiuam vt sic, adæquate in Physicam , Metaphysicam & Mathematicam ; ergo Logica non est speculatiua;quia alias cum non contineatur sub vllo membro ex illis tribus,diuisio non esset adæquata.

*Respondeo* distinguendo antecedens : scientiam speculatiuam realem,prout scientia realis opponitur scientiæ rationali, conceditur antecedens ; scientiam speculatiuam vt sic,comprehendentem tam reales, quam rationales scientias, negatur antecedens cum consequentia, & sua probatione.

*Obiicies secundò*,scientiæ speculatiuæ quæruntur tanquam quid per se honorabile & appetibile;sed Logica quæritur tanquam vtile tantum in ordine ad alias scientias acquirendas:ergo non est speculatiua.

*Respondetur primò* distinguendo maiorem:reales,transeat , rationales negatur : & concessa minori , negatur consequentia.

*Respondetur secundo*,negando minorem,quia quamuis non esset vtilis ad alias scientias,tamen esset per se appetibilis.

*Ex his patet tertia pars conclusionis* , nimirum quod Logica non est simul speculatiua & practica,quia si secundum nullam partem sit practica,non potest esse speculatiua & practica.

Logica non est simul speculatiua & practica.

*Alij probant hanc partem primò* , quia scientia vt sic adæquate diuiditur in scientiam speculatiuã & practicam tanquã in suas species:ergo non potest vlla scientia esse

esse simul speculatiua & practica. Probatur consequentia, quia ex eo quod animal adæquate diuiditur in rationale & irrationale, non potest vllum animal esse simul rationale & irrationale; ergo si scientia vt sic sit adæquate diuisa in practicam & speculatiuam, non poterit vna scientia esse speculatiua & practica.

*Respondet Ruuius*, hinc tantum sequi quod nulla scientia possit simul esse speculatiua & practica formaliter, non tamen quin possit esse speculatiua formaliter, & practica virtualiter, aut practica formaliter, & speculatiua virtualiter.

*Sed hæc responsio est mera euasio* verbalis, quia quidquid probat scientiam aliquam esse practicam aut speculatiuam virtualiter, probat eam esse talem formaliter: & deinde conclusio est, Logicam non esse practicam & speculatiuam formaliter, & id est quod probatur hac probatione.

*Præterea*: ex eo quod animal vt sic adæquate diuidatur in rationale & irrationale, infertur, nullum vnum animal posse esse simul rationale formaliter, & irrationale virtualiter, aut è contra; ergo ex eo quod scientia vt sic, adæquate diuidatur in practicam & speculatiuam, sequitur nullam vnam scientiam esse simul practicam formaliter, & speculatiuam virtualiter, aut è contra.

*Probatur secundo*, quia scientia nõ potest dirigere quomodo praxis possit fieri, & nõ dirigere quomodo possit fieri: sed vt esset practica & speculatiua simul deberet hoc facere, quia per scientiam practicam intelligitur scientia, quæ dirigit praxim, & per sciẽtiam speculatiuã, quæ non dirigit, ergo nulla scientia potest esse practica & speculatiua simul, & consequenter nec Logica.

Quæ vna scientia nõ potest esse simul practica & speculatiua.

91. *Sed ad has duas probationes responderi potest* dicendo quod cõcludant de qualibet sciẽtia partiali vna numero versata circa vnum particulare obiectum, non tamen de scientia totali cõplectente multas particulares sciẽtias habentes distincta numero & specie obiecta; quia in huiusmodi scientia posset vna pars dirigere praxim; & esse practica consequenter, & alia pars per se non dirigere; & consequenter esse speculatiua.

Nec tollit difficultatẽ, quod diuisio scientiæ in speculatiuam & practicã, in qua fundatur prima probatio, sit diuisio scientiæ totalis, & nõ partialis scientiæ secundũ omnes. Quia ex hoc tantũ habetur quod nulla scientia totalis sit speculatiua & practica: cum hoc tamen posset stare quod scientia totalis practica includeret aliquam scientiam particularem speculatiuam; neque enim esset necesse propterea scientiam totalem illam debere dici speculatiuam; scientia enim totalis deberet dici speculatiua, quia secundum nullam partem sui dirigeret praxim, & scientia totalis deberet dici practica, quæ secundum aliquam partem sui dirigeret praxim.

91. Deinde posset dici quod sciẽtia vt sic adæquate diuisa, esset scientia realis, provt scientia realis opponitur scientiæ rationali; sicut qui tenent Logicam nõ esse practicam, respondent dicentibus Philosophum diuisisse scientiam speculatiuam adæquate in Physicam, Metaphysicam & Mathematicam, & inde concludentibus Logicam non esse speculatiuam: si hoc autem esset verum, tum non sequeretur præcise ex vi istius diuisionis quod scientia rationalis, qualis est Logica, non posset esse practica & speculatiua.

Quãuis scientia vt sic adæquate diuideretur in practicã & speculatiuam, vna scientia posset habere vtrãque rationẽ. Non ex diuisione adæquate

Vlterius secundum Thomistas ens adæquate diuiditur in decẽ prædicamenta, & tamen ex hoc non sequitur secundũ ipsos, quin idẽtificentur realiter res, quæ ponũtur in diuersis prædicamẽtis. Similiter secundũ Scotistas potentia rationalis vt sic adæquate diuiditur in memoriã, intellectũ & volũtatẽ, & tamẽ nõ sequitur secũdũ ipsos quin intellectus & voluntas identificentur: ergo quãuis scientia vt sic, diuideretur adæquate in scientiam speculatiuam & practicam, non sequeretur quin scientia speculatiua, & practica possent identificari realiter, sed sufficeret quod distinguerentur formaliter.

93. Et hinc respõderi potest ad illud exemplũ de diuisione animalis in hominem & brutũ; quod nõ ex diuisione præcise oriatur, quod eadem res non possit esse homo & brutum, aliàs sequeretur quod eadem res non posset realiter esse intellectus & voluntas, aut diuersorum prædicamentorum; sed oritur vel ex ratione particulari talis diuisionis, quod fiat in membra realiter distincta, vel ex ratione particulari extremorum, qualis ratio particularis posset negari in diuisione proposita aut in membris eius.

animalis in rationale, & irrationale sequitur idẽ animal non posse esse rationale & irrationale.

*Quod si dicatur*, in scientia totali considerari debere obiectum principale, seu attributionis practice vel speculatiue, & si consideretur speculatiue, non esse necessarium, vt aliquid in tota scientia consideretur practice, & consequenter totam scientiam quoad omnes partes debere esse speculatiuam: si vero consideretur practice, non esse necesse, vt aliqua pars ipsius consideret aliquod obiectum speculatiue, & consequenter, totam scientiam esse debere practicam necessariò.

*Contra est*, quod sæpe cognitio speculatiua conducat ad habendam cognitionem practicam, nec tamen practica dicenda sit, vt patet ex cõclusione Philosophiæ naturalis, quæ est secundum omnes speculatiua, & tamen assumitur pro principio in Medicina ad probandam cõclusionem medicam practicam, & ad hoc etiam adeo necessaria est, vt si non probaretur in Physica, deberet in Medicina probari, vt demonstraretur conclusio medica ab ea dependens, ergo vt aliquod obiectum cõsideretur practice, potest dependere à cognitione speculatiua.

94. *Dices*: aliud est, quod dependeat à cognitione speculatiua, aliud est, quod illa cognitio speculatiua pertineat ad scientiam totalem, quæ versatur circa tale obiectum.

*Contra*, quia eo ipso quo necessario requiritur ad cognitionem talis obiecti, debet pertinere ad scientiam totalem istius obiecti, sicut cognitio principiorum pertinet ad scientiam totalem; ad quam pertinent conclusiones inde deductæ, & scientiæ partium pertinent ad scientiam totalem, quæ versatur circa totum.

*Dices*: hinc sequeretur quod cognitio Philosophiæ naturalis, quæ necessario requiritur ad conclusionem medicam deducendam, per se pertineret ad scientiam medicam, & consequenter esset practica; sed hoc est falsum, cum supponatur esse Philosophia naturalis & speculatiua.

*Respondetur* negando minorem, quia propter illam ipsam instantiam posset quis probabiliter dicere quod eadẽ cognitio posset esse speculatiua & practica respectu diuersarum conclusionum, quæ ex ipsa deduci possunt.

Eadem cognitio potest esse practica & speculatiua.

*Confirmatur* tota hæc solutio contra Thomistas, quia secundum ipsos Theologia, quæ est vnus simplex habitus, est partim speculatiua & practica: ergo aliqua scientia vna totalis potest esse partim speculatiua, & partim practica.

95. *Respondebis iuxta Complutenses d. 1. q. 6. n. 64.* distinguendo consequens: aliqua scientia vna naturalis inferioris ordinis, negatur; vna scientia supernaturalis superioris ordinis, conceditur.

*Sed contra*, quia quod scientia sit superioris ordinis vel inferioris nihil prorsus facit ad propositum, nã superioritas Theologiæ supra scientias naturales nõ desumitur ex eo, quod possit respicere rationes formales distinctas, sed ex eo quod innitatur principiis supernaturalibus & certioribus, quã sint principia scientiarum naturalium.

Quod etiam addunt in *eodem n.* ad ostendendum, eundem habitum non posse versari circa obiectum practicũ & speculatiuum; nimirum quod quando duæ rationes respiciuntur à duabus potentiis adæquate, non possint secundũ easdem rationes respici ab aliqua tertia potentia, sicut sonus & color ex eo quod secũdũ proprias rationes respiciũtur adæquate à potẽtia visiua & auditiua, nõ possunt adæquate respici ab vlla tertia potentia: hoc inquã totũ falsum est, nã certũ est intellectũ posse intelligere sonum secundum propriam rationem, qua percipitur ab auditu, & colorem secundum propriam rationem, secundum quam percipitur à visu; alias non possemus declarare istas rationes, nec ostendere quomodo differãt inter se. Sed de hoc alias: nec sequeretur tamen

Vna potentia potest respicere plures rationes formales specificantes diuersas potẽtias.

tamen quod ipsi dicunt, quod illa tertia potentia esset aggregatum quid ex illis duabus potentiis, quarum obiecta percipere posset, tum quia esse posset vnica indiuisibilis, tum etiam quia haberet aliquam operationem, quam illæ duæ habere non possent, nimirum discernere inter illarum obiecta; tum denique quia actus eius circa quodlibet ex ipsis essent distinctæ rationis ab actibus aliarum istarum potentiarum.

*Dices vltimò Scotum q. 4. prologi* probare Theologiam non esse practicam & speculatiuam, propter istam rationem de diuisione scientiæ vt sic, in practicam & speculatiuam; ergo contra Scotum est, eam reiicere.

*Respondetur*, ita quidem videri Scotistis multis, reuera tamen ita non esse; nam ista probatio posita *q. 4. prologi*, non est Scoti, sed additoris alicuius, cuius authoritas nō tanti facienda est, quin negari possit etiam à Scotistis.

96. Pro complemento huius quæstionis, & vt respōderi possit ad obiectiones, quæ contra hanc partem obiici possent, aduerte non sufficere ad scientiam practicā quod procedat modo compositorio, hoc est quod consideret aliquid operabile, ostendendo quomodo debeat fieri, sed requiri vlterius quod illud operabile, quod considerat, sit praxis, vt consideratur ab ipsa; nec etiam ad hoc sufficere quod habeat rationem artis, quia admitti possunt artes practicæ, & artes speculatiuæ. Si tamen aliquis velit intelligere per praxim aliquid operabile, siue illud sit actus alterius potentiæ ab intellectu, siue non sit; tum dicere posset Logicam esse practicam, vt *Scotus ipse 6. Met. q. 1.* aduertit his verbis: *Ad primum argumentum, de Logica potest dici quod Logica sit practica, quia non est tantum propter scire proprium, sed propter scire directiū in aliquo actu.* Vnde reuera quantum ad hoc quæstio est de nomine; in qua tamen nos meliorem partem habemus, quia vtimur praxi in sensu antiquorum & Aristotelis, iuxta interpretationem vtriusque Doct. Angelici & Subtilis.

An Logica sit practica vel speculatiua est quæstio de nomine.

## ADDITIO.

PRima *disputatione Met. num. 72.* impugnat Mastrius doctrinam à me propositam hac quæst. *num. 91.* & sequentibus, secundum quam responderi posset ad duo argumenta proposita *num. 90.* ad probandum quod vna scientia non posset esse speculatiua & practica; & imprimis ait, primam meam responsionem nihil valere, quia etiam scientia totalis dicitur vna ex vnitate habitus alicuius quidditatis includentis, vel virtualiter, vel potentialiter omnes veritates demonstrabiles de eo, cuius est quidditas, & de inferioribus sub eo contentis, ita vt omnia considerata in scientia totali conueniāt in ratione formali considerandi vel generica vel specifica.

*Sed hæc impugnatio* nullo modo sufficit ad eneruandam meam illam responsionē: nam vt omittam falsissimum esse quod omnia considerata in scientia totali debeant participare rationem obiecti generici totalis, aut obiecti specifici vllius contenti sub illo, in sensu proprio; neque enim materia prima, aut vacuum, aut locus, aut vbi, aut motus quæ considerantur in scientia totali Physicæ, participant rationem corporis naturalis aut mobilis quod est subiectū adæquatum ipsius, aut vllius speciei sub ipso contentæ in sensu vllo proprio, sed vt omittam inquam hoc, admittendo ita esse, quomodo quæso inde sequetur quod etiamsi scientia diuidatur in speculatiuam & practicam, non possit cum hoc stare, quod aliqua pars scientiæ talis non possit esse speculatiua, & aliqua practica.

*Sed breuiter* in forma nego consequentiam huius impugnationis, & vt magis appareat quam bene; Supponamus aliquem velle tradere scientiam aliquam totalē de natura hominis & omnibus proprietatibus ac accidentibus eius, modisque, quibus suas perfectiones acquirere possit; certe hæc scientia quamuis haberet pro subiecto adæquato hominem, & nihil consideraret nisi quod participaret rationem hominis aliquo modo, hoc est quatenus spectaret ad hominem, adhuc tamen esset partim speculatiua & partim practica; nam esset speculatiua quatenus precise consideraret naturam ipsius hominis, quia vt sic non dictaret praxim, & quatenus consideraret finem hominis, id est, felicitatem eius, & opera virtutum, quibus posset assequi finem esset practica: ergo consequentia Mastrij nihil valet, valet autem optime mea replica, quantū ad impugnationē hāc ipsius.

*Impugnat secundo* eandē replicam ibidem, quia diuisio scientiæ in qua fundatur argumentū & ratio prædicta Scoti, est diuisio scientiæ totalis & non partialis. *At nec hæc* etiam impugnatio vrget, quia petit principium: ego enim dixeram posse illam diuisionem intelligi de scientia partiali, nō totali: dicere autem cōtra hoc, quod non sit diuisio scientiæ partialis, sed totalis, sine vlteriori probatione, est petere principium manifeste.

*Contra secundam meam* replicam opponit certum esse ex legibus bonæ diuisionis membra diuidentia habere aliquam oppositionem inter se, id est, inquit, ita distincta esse inter se re, vel ratione, vt nō coincidāt in eo sensu, in quo sunt membra diuidentia, nec vnum includatur in alio: ergo eo modo quo practicum & speculatiuum diuidunt scientiam in communi, nō possunt coincidere, nec idem actus vel habitus potest esse simul practicus & speculatiuus.

*Respondeo* cum dicit ex legibus bonæ Diuisionis esse quod membra diuidentia sint opposita, seu ita inter se distincta re vel ratione, vt non coincidant in eo sensu, quo sunt membra diuidentia, aut vnum non includatur in alio aut vult quod nō coincidant sic, quin rationes formales eorum sint diuersæ rationis, & vna formaliter nō includatur in alia, & quamuis hoc verū sit, nihil facit ad propositū, quia cū optime possent cōuenire, coincidere & identificari realiter: vnde in hoc sensu concedendo antecedens, non valet cōsequentia vt manifestū est. Aut vult quod non coincidant realiter, nec vnum realiter includatur in alio, & hoc assumendo petit principium, & mea exempla manifeste probant oppositum. Nec refert quod ipse dubitare videatur, an diuisiones, quas ego in exemplum adduco, sint proprie generis in species: nam eadem ratione, qua hoc diceretur de ipsis, posset idem dici, nisi oppositum aliunde probetur, de diuisione scientiæ in speculatiuam & practicam. Ex quo à primo ad vltimum patet meam replicam solidam permanere ab hoc Mastrij primo ariete.

*Videamus secundum*: Diuisio, inquit, scientiæ per practicum & speculatiuum petit ex sua ratione fieri per membra realiter & non formaliter tantum distincta, quia scientia sumit esse practicum vel speculatiuum ex suo formali obiecto: at obiecta scientiarum realiter distinguuntur, ergo dum scientias specificant per practicum & speculatiuum, eas quoque realiter distinguunt per tales differentias & non formaliter.

*Respondeo primò* distinguendo assumptū, seu primam propositionem, si vna simplex scientia habitualis (de qua loquimur hic per se) possit tendere in obiecta realiter distincta, vt putant Thomistæ, nego antecedens, & cōsequentiā probationis; quæ non sequitur ex præmissis in vllo modo aut figura, si vero vna simplex scientia non possit tendere in plura obiecta, transeat illa propositio; sed nihil inde habetur cōtra me, nā hinc quod vna scientia realis simplex nequeat esse speculatiua & practica nō oritur ex eo quod scientia vt sic, diuidatur adæquate in practicam & speculatiuā; sed ex illo alio capite, nempe quod illa scientia, quæ versatur circa obiectū, quod est speculatiuum, à quo scientia habet esse tale, nō posset versari circa obiectū practicū, à quo haberet esse practicū, quia vna & eadē simplex scientia nequit versari circa plura obiecta distincta realiter. Nec ego adduxi illā replicā tam contra Scotistas, quàm contra Thomistas, qui putant scientiam totalem esse simplicem habitum.

*Respondeo secundò* quidquid sit de prima propositione, negando minorem probationis, nempe quod obiecta scientiarum realiter distinguantur: nam euidens est quod obiectum Metaphysicæ, nimirum ens, non distinguatur realiter ab obiecto Physicæ; & quod plures scientiæ realissimè distincte possint esse de homine secundum diuersas tamen rationes formales.

*Respondeo tertiò*, negando primam propositionem quidquid

quidquid sit, an in se vera sit) & negando consequentiam probationis, quæ sane non video quomodo valeat: nam quamuis practicum & speculatiuum sumatur ab obiecto formali & obiecta scientiarum sint realiter distincta, quod paulo ante dixi esse falsum, inde non sequitur quin vna scientia versata circa idem obiectum possit esse speculatiua & practica, & hoc habere ex diuersis formalitatibus eiusdem obiecti. Aliunde quidem id implicare posset; sed ex præmissis Mastrij non sequitur quod fieri non posset.

*Nunc accedendum* ad Authoritatem Scoti, quam adducit pro se, dum q. 4. Prolog. lit. D. ait practicum & speculatiuum esse velut diuisionem generis per proprias passiones specierum circumscribentes nobis differentias essentiales, sicut si diuidatur nnmerus per par & impar. & inferius vbi ex hoc cap. arguit contra Godfr. & D. Th. Theologiam non posse esse speculatiuam, & practicam, & adhuc inferius lit. V. vbi negat constanter habitum per se speculatiuum posse esse practicum, quod & inferius docet lit. Ee. §. Ad rationes pro opinione.

*Respondeo quantum* ad primum locum ex littera D. Doctorem agere de scientia actuali simplici & docere quod illa diuidatur per practicum & speculatiuum, tanquam per proprietates, & non tanquam per differentias essentiales. Sed hinc non habetur quod vna scientia totalis complectens plures scientia realiter & specie distinctas, nó possit esse partim practica & partim speculatiua. Imo ex hoc præcise non habetur quin eadem scientia simplex possit esse realiter practica & speculatiua, sicut eadem realiter potentia rationalis potest esse libera & naturalis, licet potentia vt sic diuidatur in potentiam liberam & naturalem per differentias oppositas. Et licet Doctor dicat ibi, quod diuisio illa sit quasi diuisio generis per proprias passiones specierum, sicut si diuidatur numerus per par & impar, aut linea per rectum & curuum; tamen non inde sequitur quod secundum ipsum eadem scientia, etiam simplex, non possit esse practica & speculatiua, sicut idem numerus nequit esse par aut impar: nam illud *ly sicut* non debet apud Authores currere quatuor, vt aiunt, pedibus; nec eo vsus est Scotus ad significandam aliam paritatem illarú diuisionum, quam quod quemadmodum vna erat per proprias passiones specierum, ita & altera, vt manifestú est ex intento & discursu Doctoris eo loco.

Explicatur Scotus.

*Ad secundum locum*, in quo dicit Doctorem vti ea ratione contra Godfredum & D. Thomam tenentes quod Theologia sit practica & speculatiua. Respondeo id omnino falsum esse, neque enim Doctor, sed Additor aliquis eam adhiber, vt ante aduerti. Imo Doctor contra Godfredum lit. N. videtur admittere tanquam probabile quod Theologia, vt traditur in scriptura, sit partim practica partim speculatiua: ergo non potuit vti ista ratione contra ipsum, quæ si vera esset, illud non posset esse probabile.

*Ad tertium locum*, ex eadem quæst. 4. Prologi lit. V. vbi dicit habitum per se speculatiú non posse esse per se practicum, Respóndeo primo hoc ipsum nó dicere ex eo quod scientia vt sic, diuidatur adæquate in practicã & speculatiuam; sed ex aliis principiis; quia ex dictis patet illam rationem per se non sufficere. Respondeo secundo eum loqui de eadem scientia simplici; aut si loquatur de totali, id intelligendum de totali constante ex partibus, quæ omnes æque debent esse speculatiuæ, aut æque practicæ; non vero de alia totali, quæ haberet partes diuersas, de quibus non esset eadem ratio, cur omnes essent speculatiuæ aut omnes practicæ.

*Ad quartum locum*, ex lit. *Ee.* Respondeo eum nihil habere ibi ad propositum, nisi quod habitus speculatiuus & practicus non possint esse circa idem obiectum. Sed hoc facilè intelligi potest de eodem habitu simplici respiciente vnum tantum actum, nó de habitu aggregato ex pluribus habitibus respicientibus plures actus. Deinde quamuis non possit esse circa idem obiectum habitus practicus & speculatiuus, non inde sequitur quod habitus totalis partim speculatiuus & partim practicus nequeat esse circa plura obiecta, sic vt quatenus speculatiuus possit versari circa aliqua, & quatenus practicus circa alia.

*In eadem disputatione num.* 74. ex duabus rationibus, quibus in hac quæstione *num.* 80. impugnaui responsionem ipsius ad locum Scoti q. 4. Prologi, in quo videtur asserere, quod intellectio imparata nequeat esse praxis vnam adducit & impugnat, alteram vero reticet, quia vt verisimiliter coniici potest, non potuit illam soluere, si enim posset, cur non faceret? sed præstaret vt nec alterã etiam adduceret, sed potius meam amplecteretur responsionem, aut aliam meliorem adferret, neque enim suam propriam sufficienter confirmat, aut infirmat, meam. Quod iam ostendo. Ille respondebat Scotum loqui non de quocunque actu imperato intellectus, sed de actu directiuo praxis. Contra hoc opposui quod illa cognitio imperata, quæ esset directiua praxis, esset etiam praxis non minus quam cognitio imperata, non directiua: ergo Scotus malè id negat.

*Ad hanc impugnationem* respondet Mastrius, quod licet possit illa cognitio imperata directiua esse praxis, non tamen esset talis, vt directiua. *At nunquid hoc est nugari?* quamuis enim sub illa ratione non esset praxis, tamen simpliciter esset praxis, non minùs quam quæcunque alia cognitio imperata. Scotus autem negat eam esse praxin simpliciter & absolutè, & non tantum secundum hanc vel illam rationem.

*Deinde* si Scotus loqueretur de cognitione imperata non simpliciter, sed secundum aliquam rationem, non esset opus recurrere ad cognitionem directiuam; quia posset dici de quacunque cognitione imperata, quod non esset praxis, secundum aliquam rationem particularem, nimirum quatenus cognitio, aut operatio, aut qualitas. Ex quo patet meam rationem infirmasse responsionem Mastrij.

*Videamus nunc*, an ipse æquè bene infirmet meam responsionem ad locum Scoti. Dixi Scotum locutum de praxi in magis rigorosa acceptione, quam communiter accipitur, prout scilicet significat actum, qui & secundum se sit alterius potẽtiæ ab intellectu, & præterea sit actus elicitus, vel imperatus à voluntate. Hanc asserit Mastrius alienam ab intentione Doctoris, quia Doctor facit obiectionem illam de cognitione imperata, vt declaret definitionem praxis à se supra adductã, nimirum quod est actus alterius potentiæ ab intellectu: ergo in solutione obiectionis vtitur in eodem rigore & sensu praxi; nam si in alio sensu eo vteretur in obiectione illa de cognitione imperata, difficultas non faceret contra definitionem. Quid plura? inquit Mastrius, Doctor ipse ibidé, in ipsa illius difficultatis solutione, declarat quo sensu praxin ibi accipiat asserens: *tamen vt praxis dicitur sola operatio, ad quam intellectus potest extendi: nulla intellectio est praxis.* Non ergo aliam acceptionem largiorẽ praxis hic cogitabat Doctor, sed semper in toto illo articulo loquitur in eodem sensu & rigore de praxi.

*Sed imprimis* ego nusquam dixi Scotum alia & alia acceptione laxiori & minùs larga vsum in illo articulo; nec semel de hoc somniaui, Sed docui Scotum in toto articulo illo egisse de praxi in magis rigorosa acceptione, illa scilicet à me expressa, in quâ communiter iam accipitur. Contra hoc autem nihil facit discursus Mastrij, qui malè meam mentem intellexit. Ad quod addo ex vltimis verbis Scoti ab ipsomet citatis colligi sufficienter explicationem ipsius non valere: expressè enim Doctor ait quòd in sensu, in quo ipsemet accipit praxin, nulla intellectio sit praxis, quæ est contradictoria propositio illi, quam in sua responsione admittit Mastrius: nempe quod aliqua operatio intellectus sit praxis; nimirum illa quæ est imperata, & non directiua.

## QVÆSTIO IX.

### *Vtrum Logica sit vna simplex qualitas.*

9. QVod resoluemus hic de Logica, proportione seruata de qualibet alia scientia totali includẽte partes plures, & plura obiecta considerante per varios actus, tenendum est. Non procedit autem quæstio de

Logicã

Logica actuali, nec de habituali ex suppositione, quod habitus scientifici non distinguerētur à speciebus intelligibilibus speciali aliquo modo inter se coordinatis, quia absque cōtrouersia est, quod tā actus logici, hoc est scientiæ partiales Logicæ, quā species intelligibiles concurrentes ad illos actus realissime inter se distinguātur: sed quæritur de Logica habituali ex suppositione quod Logica habitualis esset habitus quidā distinctus realiter ab actibus & à speciebus quibuscūque, quomodocūque ordinatis, provt communiter dicitur esse, & sensus quæstionis est, vtrū habitus Logicus, quo quis inclinatur & determinatur ad facile demōstrandas omnes conclusiones Logicas, sit ita simplex & indiuisibilis, vt qui habet habitum inclinantē ad vnam conclusionem, habeat eo ipso totum habitum Logicæ taliter, vt non acquirat alium habitum nouum, nec partem aliquam noui habitus, quando cognoscit alterum obiectum. Præter quā difficultatem solet alia difficultas hic examinari, an scilicet ex suppositione quod habitus Logicus totalis cōstet pluribus habitibus partialibus, isti habitus partiales continuentur, vel vniantur inter se aliqua reali vnione.

Sensus quæstionis.

*Prima sentia, est D. Thomæ 1.2.q.54. & Caiet. ibidem, Soti q.3.proœm.in Log. Vasq.1.p. disp.9.& 1.2. disp. 80. c.5. Complutensium disp.19. Log.q.4.* & aliorum plurimorum, qui omnes asserunt Logicam totalem esse vnicam simplicissimam & indiuisibilem qualitatem nullas includentem partes realiter distinctas, siue homogeneas siue heterogeneas.

*Secunda sententia* docet Logicam esse vnam per se qualitatem, compositam tamen ex pluribus partibus homogeneis inter se continuatis eo modo, quo se habet calor intensus & extensus' in sententia eorum qui intensionem fieri dicunt per additionem noui gradus. Ita *Lorca 1.2.disput.10. Ruuius q.4. proœm.in Log.*

*Tertia sententia* est, quod Logica totalis & quælibet alia totalis scientia respiciens multas conclusiones diuersæ rationis, includat plures partes diuersæ rationis & distinctas realiter.

Hanc amplectitur *Doctor* variis locis; & speciatim *q.3.prologi n.5.in 3.d.25.q.2.n.3.& 6.Met.q.1.* quem præter suos omnes sequuntur *Nominales* cum *Suario disp. 44. Met. sect.11. Molina 1. par. quæst.1. Ægid. de Præsent. lib.11. de beatitud. q.8. n.27. Fonseca. Tolet. Ogna. & Hurtadus* etiam, quia quamuis existimet habitus scientificos non esse quid distinctum à speciebus intelligibilibus inter se coordinatis, & propterea non veniat per se in hanc controuersiam, tamen asserit, ex suppositione, quod daretur habitus aliquis ab his distinctus, illum non debere esse simplicem, sed compositum, seu integrum ex partibus distinctæ rationis specificæ.

## CONCLVSIO. I.

98. *Logica, & idem est de cæteris scientiis totalibus, vt de Physica, Metaphysica, &c. non est vna & indiuisibilis qualitas.* Hæc est Doctorum secūdæ & tertiæ sententiæ.

Logica totalis non est vna indiuisibilis qualitas.

*Probatur primò*, quia alias qui sciret vnam conclusionem solam Logicam, tam habitualiter sciret totam Logicam, quam qui sciret omnes, sed hoc videtur absurdū, & contra experientiam omnem, ergo. Probatur maior, quia ex hypothesi haberet totum habitum Logicæ, Probatur minor, quia sentiret multo maiorem difficultatē circa reliquas conclusiones, quam qui ipsas cognosceret; ergo non sciret tam habitualiter totam Logicam, quam qui haberet cognitionem actualem omnium cōclusionum. Probatur hæc consequentia, quia per habitū tollitur difficultas, & ponitur facilitas in potentia, ergo qui habet minorem facilitatem, & maiorem difficultatem, non habet totum habitum, quem habet, qui minorem habet difficultatem & maiorem facilitatem.

*Confirmatur hoc ex D. lib.6. Met. quæst.1.n.4* quia videtur irrationabile dicere, quod aliquis habeat habitum respectu alicuius cōclusionis, respectu cuius non sentiret vllam facilitatē magis, quam si non haberet habitū: sed id sequeretur ex oppositā sententia, vt patet: ergo

*Confirmatur secundò* ex eodem ibidem, vnde eam desumpsit *Hurtadus*, quia alias sequeretur, quod aliquis haberet summam scientiam habitualem & summum errorem habitualem de eodem omnino obiecto naturaliter, quod est absurdum. Probatur sequela, quia posset quis cognoscere habitualiter vnam conclusionem Logicam, & habere errorem habitualem circa alteram: sed in tali casu haberet in sententia aduersariorum summam scientiam habitualem de illa conclusione, quia tantam, quantam posset haberet, & præterea haberet summum errorem de eadem.

99. *Probatur secundò*, quia habitus, quo inclinor ad hanc conclusionem percipiendam: *definitio est oratio explicans naturam rei*, non potest me inclinare ad assentiendum huic conclusioni: *syllogismus debet constare tribus propositionibus*: ergo habitus, quo inclinor ad vnum, est diuersus ab habitu, quo inclinor ad alterum: sed vterque habitus est Logicus: ergo habitus Logicus non est simplex, & indiuisibilis entitas. Antecedens experientiâ videtur certissimum; quia quando aliquis cognoscit optime, quod definitio sit oratio explicans naturam rei non maiorem sentit facilitatem ad cognoscendum, quid sit syllogismus, quam si non cognouisset quid esset omnino definitio.

*Probatur tertiò*: etiamsi habeat quis habitum, quo inclinetur ad cognoscendum quid sit genus, quando postea sæpius cognoscit quid sit syllogismus, & quomodo debet confici, sentit maiorem facilitatem, quam antea sensit; sed ista maior facilitas non prouenit ab habitu, quo inclinabatur ad cognoscendum naturam generis, ergo ab aliquo alio habitu distincto. Maior & consequentia sunt certa: probatur minor, quia illum habitum, quo inclinabatur ad cognoscendum naturam generis, habuit ante, cum non sentiret illam facilitatem cognoscendi naturam syllogismi: sed non est maior ratio, cur per illum habitum postea facilitaretur quam antea, ergo per illum nullo modo facilitatur.

*Dices* illum habitum, quo inclinabatur ad cognoscendum naturam generis, quando habet actus plures cognoscendi naturam syllogismi, extendi ad facilitandum potentiam in ordine etiam ad syllogismum cognoscendum.

*Contra*, quia est inintelligibile, quomodo fiat ista noua extensio sine acquisitione alicuius nouæ entitatis, vt postea magis clarum erit, cum tractauerimus de extensione qualitatis & intensione eius.

## CONCLVSIO II.

100. *Logica totalis includit plures habitus distinctos specie.* Hæc est authorum tertiæ sententiæ contra primam & secundam sententiam.

Logica totalis includit plures partes distinctæ speciei.

*Probatur primò*, quia actus Logicæ sunt distincti specie, v.g. actus, quo cognosco, quæ sit natura syllogismi, & quæ sit natura generis, ergo & habitus logici, qui inclinant ad istos actus, sunt diuersæ speciei.

*Confirmatur*, quia quotiescumque actus sunt distinctæ speciei, & quando quis non facilitatur ad vnum per hoc, quod facilitatur ad alterum, tunc habitus, quo inclinatur ad vnum, est distinctæ speciei ab habitu, quo inclinatur ad alterum: sed actus prædicti Logicæ sunt distinctæ speciei, & per hoc quod quis facilitatur ad primum, non facilitatur ad secundum, nec è contra; ergo plures habitus distinctæ speciei dandi sunt, qui in ordine ad eos facilitent potentiam.

Vbi sunt diuersæ specie difficultates debent poni diuersi specie habitus.

*Probatur secundò*, quia quando est diuersa specie ratio assentiendi conclusionibus, est diuersa specie ratio difficultatis: sed ratio assentiendi, quod syllogismus sit illatiuus necessariò conclusionis, est diuersa specie à ratione assentiendi quod definitio debeat constare genere & differētia: ergo etiam sunt diuersæ specie difficultates assentiendi istis duabus conclusionibus. Sed vbicumque occurrunt diuersæ specici difficultates, ibi sunt ponendi diuersi specie habitus superantes istas difficultates: ergo cum in actibus logicis sint diuersæ specie difficultates, debet dici quod Logica habitualis includat plures habitus specie distinctos.

*Confirmatur*, quia propterea habitus temperantiæ dicitur distinctus specie ab habitu liberalitatis, quia

actus liberalitatis & temperantiæ sunt distinctæ speciei, & quia habent diuersas difficultates, ita vt non facilitetur potentia ad vnum ex eo, quod facilitetur ad alterum: ergo quotiescumque similis ratio reperitur, multiplicandi sunt habitus specie.

101. *Respondent* ad hæc aduersarij, actus Logicæ, sicut & obiecta eorum, esse quidem distinctæ rationis in esse rei, non tamen in esse scibilis, & propterea quia secundum quod scibiles sunt, relinquunt post se habitū, nō possunt relinquere post se habitus distinctæ speciei.

Et si quæratur vnde colligunt quod actus omnes scientiæ cuiusuis totalis sint eiusdē rationis in esse scibilis, si sint diuersæ rationis in esse rei. Respondent, quia omnes isti actus habent eamdē rationem *sub qua* versentur circa suum obiectum, *verbi gratia*, omnes actus Metaphysici versantur circa sua obiecta, secundū quod abstrahūt ab omni materia; & omnes actus Physici versantur circa sua obiecta, secundū quod abstrahunt à materia singulari, non verò à materia sensibili, & omnes actus Mathematicæ versantur circa sua obiecta, provt abstrahūt à materia singulari, & sensibili, non tamen intelligibili.

Non potest assignari vna ratio *sub qua* in omnibus obiectis Logicæ.

*Sed contra* hanc doctrinā, primò: quia difficulter possunt assignare in Logica eandem rationē *sub qua* versatur circa omnia sua obiecta partialia: nam si dicāt quod illa ratio sit secunda intentio, non possunt negare quin sint multæ secundæ intentiones diuersæ speciei de quibus agitur in Logica. Si dicant quod sit dirigibilitas, aut directiuitas operationū intellectus, non possunt negare quin alia sit dirigibilitas, & directiuitas syllogismi, vt sic, à dirigibilitate, & directiuitate demonstrationis.

Quāuis assignaretur, nō tolleret diuersitatem specificā partium Logicæ.

102. *Secundò*: quia si actus Logicæ sunt diuersæ speciei, & habent diuersas difficultates in productione sui, quantumuis conuenirent in esse scibilis, quare non assignarentur plures habitus distinctæ speciei, qui inclinarent ad eos, saltem in esse rei?

*Confirmatur hoc*, quia si potentia seipsa sufficienter inclinaretur & facilitaretur ad omnes actus metaphysicos, v.g. siue isti actus conuenirent, siue non conuenirēt in eadem abstractione à materia, non poneretur vllus habitus, qui inclinaret ad ipsos: ergo siue conueniant in eadem abtractione à materia, siue non, modo sint diuersæ difficultates, debent poni diuersi habitus. Probatur consequentia, quia habitus non ponitur propter abstractionem à materia, sed propter difficultatem: ergo vbi sunt diuersæ difficultates, ponendi sunt diuersi habitus, non obstante quacumque conuenientia vel disconuenientia in abstractione à materia.

103. *Tertiò*: si conuenientia in eadē abstractione à meteria sufficeret ad inferendam identitatem specificam habituum, quamuis actus in genere entis sint diuersæ speciei, & habeant diuersas difficultates, & etiā quāuis potentia ob diuersam rationē formalem assentiatur, & eliciat illos; potuisset quis dicere quod omnes omnino scientiæ, præsertim speculatiuæ, essent eiusdē speciei, propterea quod obiecta earum omnium conueniant in ratione vniuersalis, & quod actus omnes istarum scientiarum versantur circa obiecta ista sub ratione vniuersalis, tanquam sub eadem ratione *sub qua*: sed consequens est absurdum, ergo & antecedens.

*Quartò*, sub eadem abstractione à materia cōueniunt plures scientiæ, quæ distinguuntur specie in esse etiam scibilis, secundum aduersarios; ergo conuenientia in eadem abstractione à materia non arguit identitatē specificam habituum. Probatur antecedens, quia Philosophia habitualis, moralis & naturalis conueniunt in eadem abstractione à materia, scilicet singulari, & nō sensibili, & tamen secundum omnes distinguuntur specie. Præterea, ipsa Logica abstrahit ab omni materia sicut Metaphysica, & tamen distinguitur specie ab illa.

*Quintò*, quia in Metaphysica plura cōsiderantur, quorum aliqua videntur magis abstracta à materia, quam alia, Deus enim & Angeli, quibus repugnat cōiugi cum materia, sunt magis abstracti à materia, quam ratio entis aut substantiæ vt sic, quibus id non repugnat: ergo diuersa est scientia habitualis, quæ versatur circa ipsa.

*Sextò*, multo potiori iure deberet actus & habitus scientiæ desumere suam specificationem à rationibus formalibus mouentibus intellectum ad scientiam, hoc est ab obiectis formalibus quibus assentitur conclusioni, quam à ratione formali sub qua; ergo quandoquidē sint diuersæ rationes formales, quæ mouerent, quamuis eadem esset ratio formalis *sub qua*, id est, eadem abstractio à materia, tamē scientiæ deberent distingui specie:

Specificari potius deberent scientiæ ab obiecto formali *quo*, quā à ratione formali *sub qua*.

*Denique*, quid facit aut iuuat conuenientia aliquarū conclusionum in eadem abstractione, ad non multiplicationem habituum, si non efficiat vt habeant similem difficultatem? si enim hoc faceret, satis probabile videretur, quod idem saltem specie habitus respiceret omnes illas conclusiones, sicut idem specie habitus temperantiæ respicit quoscumque actus temperantiæ: at cum id non faciat, vt manifestum est, certe gratissime dicitur quod propter eam habitus vnus specie tendat in omnes illas conclusiones.

104. *Respondet Ruuius* aliter ad probationes conclusionis, propterea esse eundem habitū cuiuscumque scientię totalis, quia licet conclusiones sint diuersæ speciei, & etiam media, quibus intellectus assentitur illis, tamē illa principia & media habēt naturalem connexionē & ordinem inter se inuicem, & propter hoc sufficienter habitus, qui versatur circa ipsa, potest esse eiusdem speciei.

Multæ cognitiones scientiarum totalium subordinātur sibi inuicē & multæ non.

*Sed hæc responsio nullo modo satisfacit, primò*, quia in scientis totalibus licet aliqua sint: quæ habent huiusmodi ordinem naturalem inter se inuicem, vt prius debeat haberi cognitio vnius quam alterius, quia, v.g. in Logica prius haberi debet cognitio propositionis quā syllogismi, & in Physica prius debet cognosci corpus naturale vt sic, quam aliqua species ipsius, tamen sunt multa alia, quæ non habent talem connexionem naturalem, quin possint ante se inuicem cognosci promiscuè, & sic videmus non eundem ordinem seruari ab omnibus in tradendis scientiis, sed aliquos prius docere quod ab aliis posterius docetur: ergo saltem respectu illorum multiplicandi essent habitus specie.

Subordinatio nō impedit distinctionem specificam.

*Secundò* quod habeant talem ordinem inter se, non impedit quominus sint diuersæ rationis, & diuersam habeant difficultatem; sicut ordo, quem dicūt ossa, nerui, caro inter se ad constituendum totum, non impedit diuersitatem specificam eorum in meliori sententia: ergo non impedit quo minus diuersus specie habitus ponatur ad tollendam illam difficultatem.

*Confirmatur*, quia sicut ipsæmet conclusiones scitæ sunt diuersæ speciei, & cognitiones actuales, quæ habētur de ipsis, non obstante illa connexione; non potest assignari ratio, cur etiam ipsi habitus diuersi, qui tendunt in illas, non essēt diuersæ speciei, quamuis haberent inter se istam connexionem.

Visio albedinis distinguitur specie à visione nigredinis.

105. Quod insuper dicit *Ruuius* ad confirmationem suæ sententiæ visionem scilicet albedinis & nigredinis non esse diuersæ speciei, eo quod licet albedo & nigredo disconueniant in esse rei, conueniunt tamen in esse visibilis, improbabile prorsus videtur: nam visio albi est similitudo formalis albi, non tantum sub ratione talis coloris vt sic, sed sub ratione talis coloris, & similiter dicendum de visione nigredinis: ergo omnino distinguuntur specie, sicut albedo & nigredo.

*Præterea*, vnde colligere potest intellectus quod distinguatur albedo & nigredo specie, nisi quia videt quod diuerso modo immutant potentiam, albedo scilicet disgregando, & congregando nigredo; ergo licet conueniant in modo generico immutandi visum, sicut conueniunt in ratione coloris vt sic, tamen disconueniunt in modo specifico immutandi taliter visum.

Non sufficit nouus modus ad superandam difficultatē nouæ conclusionis.

*Confirmatur* quia si visio albi est eiusdem rationis cum visione nigri, potuisset etiam repræsentare nigrum, quod est absurdissimum.

*Vasques* 1.2. *disp.* 80. *c.* 5. tenet scientiam nouam partialē non acquiri, quando cognoscitur noua conclusio sed tantū nouum aliquem modū scientiæ præexistētis.

*Sed cōtra*, quia nō est maior ratio, cur illud, quod inclinabat me ad primam conclusionem, vocaretur habitus partialis

partialis,quam illud,mediante quo inclinaret ad secundam conclusionem. *Præterea*, modus rei non potest acquiri sine re, cuius est modus, nec sine illa conseruari; sed illud,quod facilitat ad secundam conclusionem,potest acquiri & conseruari sine illo quod facilitat ad primam;ergo non potest esse modus eius.

*Obiicies primò*: vna potentia specie potest habere actum circa obiecta specie distincta, etiam ob diuersas rationes formales,& non obstantibus diuersis difficultatibus:ergo similiter dicendum est de habitu.

106. *Respondeo primò* argumentum nimis probare:si enim valeret, probaret, quod vnus habitus specie esset respectu omnium scientiarum, sicut vna specie potentia v.g.intellectus est circa ipsas.

Cur vna potentia sufficit ad plures conclusiones non verò vnus habitus.

*Respondeo secundò* negando consequentiam, quia potentia est ex se indeterminata ad omnia obiecta contẽta sub suo obiecto primo,determinatur autem per habitũ ad vnum præ alio, & consequenter habitus ipse debet esse sic determinatus; alias quomodo determinaret potentiã? Si autem sit determinatus ad vnum obiectum, manifestè sequitur,quod non possit versari circa alterũ. *Præterea* habitus causatur ab actibus, & consequenter quãdo actus sunt diuersę rationis habẽtes diuersas difficultates,vnus non producet habitũ,qui inclinet ad alterum,neque enim illũ cõtinet virtualiter aut formaliter.

*Obiicies secundò*:Habitus infusus fidei est vna simplex qualitas,& idem est de habitu infuso spei & charitatis, & mediante illo producimus actus diuersos : ergo mediantibus habitibus acquisitis etiã,quamuis essent vna simplex qualitas,posset quis producere actus diuersos.

*Respondeo* habitum fidei esse vnam simplicem qualitatem,id est non cõpositam ex pluribus qualitatibus distinctæ speciei,quamuis sit compositus ex pluribus partibus eiusdem rationis, nego tamen propterea sequi, quod habitus acquisitus Logicæ,aut vllius scientiæ totalis sit simplex, id est non compositus ex pluribus habitibus distinctæ speciei : & ratio disparitatis est quod omnes actus fidei sint eiusdem speciei quantum est ex parte obiecti motiui,quia est eadem ratio formalis,quę mouet intellectum ad ipsos producendos,nimirum veritas diuina reuelãs,neque propterea est difficultas maior in credendo vni articulo fidei, quam alteri,si æqualiter proponantur,vnde non est necesse, vt multiplicetur specie habitus circa articulos fidei quoscumque credendos; & quod dico de fide,cum proportione dicendum est de spe & charitate:sed non est eadem ratio formalis assentiendi omnibus conclusionibus scientiæ totalis,neque est eadem difficultas in ipsis, & consequenter debet multiplicari specie habitus inclinãs ad ipsos.

Cur habitus infusi sunt simplices, non verò acquisiti.

## CONCLVSIO III.

Logica totalis non habet aliã vnionem quã aggregationis.

107. *Logica totalis non habet aliam vnitatem quam aggregationis & ordinis, talem scilicet qualem habet exercitus.* Hæc est etiam communis eorum qui tenent præcedentes conclusiones.

*Probatur*, quia illi plures habitus distinctæ speciei non continuantur inter se per aliquam vnionem physicam : ergo non possunt habere aliam vnionem quam ordinis & aggregationis. Consequentia est certa, probatur antecedens quia habitus,quo inclinor ad cognoscendam naturam generis, est completa species qualitatis,& ponitur directè in illo prædicamento:ergo non potest facere compositionem per se cum illo habitu, quo inclinor ad cognoscendam naturam syllogismi,qui etiam est completa species qualitatis. Probatur consequentia, quia vna ſspecies completa non ordinatur ad faciendã compositionẽ per se cum alia specie distinctę rationis:alias enim esset cõpleta, & non esset cõpleta.

Habitus quicumque partialis Logicæ est quid completum.

*Confirmatur*, quia inde colligitur, quod substantia carnis non sit species completa substantiæ, quia facit compositionem per se integralem cum substantia ossis & neruorum;cum tamen non sit eiusdem rationis cum substantia totali,quæ oritur ex illis omnibus:ergo si habitus,quo inclinor ad cognoscendum naturam generis, sit diuersæ rationis ab habitu, quo inclinor ad cognoscendum syllogismum,& non obstante hoc facit vnum per se compositum cum illo, non erit habitus completus.

Confirmatio.

108. *Dices*,in hac ratione duo supponi,quæ non sunt valde certa, *primò* quod habitus quicumque partialis Logicæ & cuiusuis scientiæ totalis sit in se completus; quod tamen posset omnino negari satis commodè,quia cum ille habitus ex natura sua ordinetur ad cognitionẽ alicuius obiecti attributi essentialiter ad aliud obiectũ; quare non posset dici habitus essentia aliter incõpletus? *Secundò* quod habitus completus non posset facere cum alio habiti cõpleto vnum integrale compositũ heterogeneũ sicut enim duæ aquæ essentialiter cõpletæ & directè collocatæ in prædicamẽto substãtiæ possunt facere vnum integrale cõpositum homogeneũ,quare non possent similiter duæ qualitates cõpletæ distinctæ speciei facere vnum integrale compositũ heterogeneum.

*His tamen non obstantibus* prædicta ratio videtur bona,quia cum habitus illi distincti ordinentur ad actus, & actus sint completa entia, nec vnus compleatur siue essentialiter,siue integraliter per alterum,videtur etiam multo probabilius, quod ipsi habitus compleantur per se inuicem,mediante aliqua physica vnione siue essentiali, siue integrali,& consequenter, quod vnusquisque ex illis sit secundum se completus : & per hoc tollitur prima ratio in oppositum.

*Ad secundum etiam rationem Respondeo* disparem esse rationem de toto homogeneo, & heterogeneo, quia cum totum homogeneum sit eiusdem rationis cum suis partibus, si ipsum sit completum ens, etiam partes debent esse completæ:sed totum heterogeneum, cum sit diuersæ rationis à suis partibus, non est necesse, vt si ipsum sit completum,partes eius sint cõpletæ, & propterea potius debet dici quod non sint completæ, nisi ex alio capite ostendi possit,quod sint completæ:quare cum ex nullo capite ostendi possit,quod scientiæ particulares essent completæ,si constituerent aliquam scientiam integralẽ heterogeneam,dicendum potius esset in tali casu, quod non essent completæ, & hoc maximè confirmatur per confirmationem supradictæ rationis.

109. *Probatur secundò conclusio*:non sunt multiplicanda entia sine necessitate,sed multiplicarentur,si scientię partiales vnirentur physicè inter se,ergo.Probatur minor, quia si vnirentur, deberet produci vnio realis earum, quæ non esset producenda si non vnirentur, sed non est necessitas illa producendi, ergo si vnirentur scientiæ,multiplicarentur entia sine necessitate.Probatur hæc minor,quia tam perfectè posset quis scire omnes conclusiones logicas, si haberet habitus partiales sine vnione,quam si haberet illas vnitas;ergo non esset necessitas vniendi illas.

*Confirmatur*, quia nullum est indicium vnionis ipsorum,nec à priori,nec à posteriori.

*Dices*:perfectior vnitas debet attribui scientiæ, quæ potest ipsi attribui sine inconuenienti:sed vnio illa integralis est perfectior, quam vnio ordinis, & non est inconueniens, quod eam haberet scientia totalis, ergo debet sic dici.

*Respondeo primò* negando minorem pro secunda parte, quia multiplicarentur entia sine necessitate.

*Respondeo secundò*, non debere nos attribuere vllam perfectionem maiorem scientiæ ; quàm possumus per rationem colligere ipsi conuenire,quantumuis non possemus ostendere inconueniens aliquod ex eo, quod conueniret ipsi.

*Respondeo tertiò*, non esse perfectionis in scientia totali,quod habeat vnionem integralem potius quam ordinis,quando mediante vnione ordinis potest totum id præstare,& tam perfectè,quod posset mediante vnione integrali.

110. *Suares disp.* 44. *Met. sec.* 11. probat nostrã conclusionẽ,quia si illi plures habitus vnirẽtur physice,deberẽt vniri per modũ actus per se,& potẽtiæ per se, sicut vnitur materia prima formę substãtiali, vel mediãte termino aliquo indiuisibili,sicut duę partes albedinis,aut quãtitatis;sed neutro modo possũt vniri isti habitus, ergo.

Probat minorem, quoad primam partem quia sic vnus habitus deberet recipi in altero habitu tãquam in subiecto, & deberet ipsum actuare: sed hoc non fit, quia vterque habitus æque immediate respicit intellectum tanquam subiectum. *Verum probatio hæc minoris non subsistit*, quia tam facile negaretur minor ipsius, quam minor probanda. *Itaque probatur* aliter illa minor, quia actus per se præsupponit semper potentiam, & naturaliter non potest produci, nec etiam conseruari sinè ipsa: sed aliquæ partes Logicæ possunt indifferenter ante se inuicẽ cõparari, ergo non habent se per modũ actus & potentiæ. *Deinde*, quoties aliqua coniunguntur per modũ actus per se & potentiæ, totum compositũ ex ipsis habet aliquẽ effectum, quem vtraque pars secundũ se, si poneretur simul absque vnione, non haberet; sed habitus totalis Logicæ non habet aliquem effectum, quem omnes partes eius non possent habere, etiam si ponerentur absque vnione illa per se, ergo &c.

*Probat Suares* secundam partem minoris, quia quælibet pars extensiua scientiæ totalis, v.g. illa pars, quæ respicit hanc conclusionem, quod definitio debeat cõstare genere & differentia, & illa pars quæ respicit hãc aliam conclusionem, quod membra diuidentia debeant esse adæquata diuiso, est indiuisibilis extensiue, ergo non possunt vniri aliquo termino indiuisibili continuatiuo. Probatur cõsequentia primo, quia, inquit, indiuisibilia non continuantur per alia indiuisibilia: secundò, quia illud indiuisibile continuatiuum deberet esse proportionatum partibus continuatis, & consequenter sicut partes continuatæ habitus inclinant ad aliquem actum, ita etiam illud indiuisibile deberet similiter inclinare ad aliquem actum.

*Sed vtraque hæc probatio consequentiæ non placet*; non prima, quia valde incertum est vtrum sola diuisibilia continuari possint per indiuisibilia: multo minus placet secunda, quia indiuisibile continuatiuum non debet esse proportionatum in actiuitate partibus copulatis, sed sic tantum, vt possit eas continuare, vt patet; discurrendo per puncta indiuisibilia aliarum rerum: ergo illud indiuisibile, quod copularet partes habitus totalis Logicæ, non deberet inclinare ad aliquem actum, sed deberet tantum continuare illos habitus partiales, qui ad partiales actus inclinant.

*Deinde* posset negari maior principalis, quia possent illæ partes habitus respicientes diuersas conclusiones vniri per respectum extrinsecus aduenientem, qui respectus non esset aliquid absolutum, sicut sunt indiuisibilia illa copulatiua albedinis, & quantitatis: sed de hoc alias.

111. *Obiicies* contra conclusionẽ: Logica totalis pertinet ad prædicamentũ aliquod directè, sed si esset vna per aggregationẽ & per ordinem eo modo, quo est exercitus, non pertineret ad vllum prædicamentum, quod enim est sic vnum, nõ est vnum per se, sed per accidens.

Quomodo scientia totalis spectat ad prædicamẽtum.

*Respondeo* distinguendo maiorem: secundum quod est vna per aggregationem, nego maiorem: secundum quod quælibet eius pars est vna per se scientia, concedo maiorem; pertinet enim vt sic, ad prædicamentum qualitatis. Itaque quemadmodum vnum aggregatum ex pluribus hominibus ponitur in prædicamento substantiæ, quatenus quilibet homo secundum se ponitur in illo prædicamento, non verò quatenus est vnum aggregatum ex illis omnibus, ita etiam scientia totalis pertinet ad prædicamentum qualitatis, quatenus quælibet eius pars ad illud prædicamentum spectat, non verò quatenus est totum conflatum ex illis partibus: quod si quatenus esset vnum aggregatum ex multis inter se inuicem ordinatis, spectaret ad aliquod prædicamentum, deberet spectare ad prædicamentum, aliquod relationis, quia vt sic formaliter dicit relationem ordinis, quemadmodum est discurrendum de exercitu.

Cæteræ rationes, quæ contra nostram resolutionem obiici possunt, commodius soluentur, cum resoluemus vnde sit desumenda vnitas & distinctio scientiarum totalium.

## CONCLVSIO IV.

Logica totalis non habet vnitatẽ genericam aut specificam.

112. *Logica totalis non habet vnitatem genericam aut specificam propriè loquendo.* Hæc sequitur ex dictis quia Logica totalis est quid conflatum ex pluribus habitibus completis distinctæ speciei, qui inter se non vniũtur per se, sed per accidens, & consequenter non est quid per se vnum propriè loquendo, ergo non habet vnitatem specificam aut genericam proprié loquendo; quod enim talem vnitatẽ habet, debet esse vnum per se propriè loquendo, & vt sic directe collocabile in aliquo prædicamento, nisi sit quid transcendens. Dixi autem in conclusione, *propriè loquendo*, quia si comparetur Logica totalis ad suum obiectum adæquatum, v. g. syllogismum, potest desumere denominationem vnius generis scientiæ, vel vnius specie scientiæ ab ipso, si ipsum sit vnum specie non includens sub se syllogismos distinctos specie, aut vnum genere si includat sub se syllogismos distinctos specie; eo enim modo, quo obiectum adæquatum est vnum in se, potest denominari extrinsece scientia esse vna, hæc tamen denominatio erit impropria cum non faciat ipsam scientiam totalem in se intrinsece esse vnicam speciem, aut vnicum genus.

*Obiicies:* Logica totalis abstrahit à Logica totali Petri & Pauli, quæ nõ distinguũtur specie, sed tãtũ numero & prædicatur in quid de his, ergo est vna species respectu ipsorũ; quod enim prædicatur de pluribus numero tantũ differentibus in quid, est species proprie loquẽdo.

*Respondeo* negando consequentiam, & distinguendo eius probationem: si sit vnum per se, concedo; si non sit, nego. Et exemplum patet manifeste in aggregato abstracto ex pluribus aggregatis lapidum, quamuis enim in quid de illis prædicetur, tamen non est species proprie loquendo respectu eorum, quia non est vnũ per se.

### ADDITIO.

*Mastrius eadem disp. 1. nu. 79.* meam doctrinam hac quæstione *conclusione* 3. & 4. ait impugnatam esse in sua Logica *disp. 12. q. a. 3.* quia nisi maior nexus esset inter habitus partiales, ex quibus conflatur scientia totalis quam aggregationis & ordinis, non esset maior ratio, cur ex omnibus conclusionibus Physicalibus constituatur vna scientia quam ex Physicalibus & Logicalibus. Quod si dicatur, inquit, plures conclusiones potius in vnam classem conuenire, quàm alias ob aliquam communem rationem obiectalem, in qua conueniunt & in qua velut in fundamento primo fundantur ipsarum veritates proxime vel remote, hæc ipsa vnitas est maior, quam solius ordinis aut aggregationis. *At nec hic* etiam aliquid affert responsione dignum: nam non probat vllo modo quod illæ scientiæ partiales cõiungantur physicè, aut vniantur vnione aliqua physica, ratione cuius facerent vnam per se scientiam totalẽ, quæ esset genus aut species aut cõsequenter vna vnitate specifia aut generica vnitate proprie dicta, neque soluit vt debebat fundamenta, quibus ego, quod docuerã, probaui. Alteram autem vnionẽ aut vnitatem quam ipse in re admittere videtur ego etiam admisi vt ipsemet fatetur. Cur ergo contendit? nimirum cum in re non possit, disputat de verbis, at certum est si verba ipsa spectes, me longe proprius loqui; & similitudinem illam maiorẽ ac conuenientiam, quam omnes scientiæ partiales conflantes scientiam totalẽ habent maiorem inter se, quam cum scientiis partialibus conflantibus aliam scientiã totalẽ, nihil prorsus deseruire vt faciant vnam per se scientiam alia vnitate quam ordinis aut aggregationis, sicut nec similitudo specifica quam habent homines omnes aggregantes exercitum iuuat vt faciant inter se aliquid vnũ specie vel genere vel alia vnitate quã agregationis ac ordinis, quod exemplum demonstrat intentũ meum.

## QVÆSTIO VLTIMA.

*Quomodo Logica sit necessaria ad alias scientias.*

113. NOn est quæstio de Logica naturali, cum enim illa sit vis discursiua intellectus, sine qua naturaliter implicat cõparare scientiã vllam, non est dubiũ quin sit simpliciter necessaria ad sciẽtię cuiusuis, siue totalis, siue partialis, acquisitionẽ: quare quęstio debet esse de

de Logica artificiali, non quidem quoad omnem omnino partem sui, sed principaliter controuersia tantum est de illa parte quæ docet modum conficiendi syllogismum, & eiusdem syllogismi naturam.

Quotupliciter aliquid possit esse necessariũ.

Aduertendum autem aliquid posse esse necessarium ad finem aliquem dupliciter, primò simpliciter, secundò secundum quid: necessarium secundum quid dicitur illud quod tãtum requiritur ad breuiter, expedite, & minori cum difficultate acquirendum finem; quamuis absolute potuisset finis acquiri sine illo: sic dicitur necessarius equus homini ad conficiendum longum iter, & sine controuersia Logica hoc modo est necessaria ad acquirendas scientias, & hoc ipso capite cuicumque scientiarum cupido commendatissima deberet esse. Necessarium simpliciter, & absolute subdiuiditur in necessariũ physice & moraliter, necessarium physice dicitur illud, sine quo non potest vllo modo naturaliter finis acquiri, quia scilicet, vel est principium physicum siue totale, siue partiale influens in finem vel in aliquid prærequisitum ad acquisitionem finis, vel est conditio applicans tale principiũ ad producendum suum effectũ, hoc modo est necessaria virtus calefactiua, & applicatio talis virtutis ad producendum calorem. Necessariũ moraliter est illud, sine quo quidem posset finis acquiri physice, quia scilicet daretur sufficiens virtus physica, & applicatio eius sine illo ad producendũ talẽ finem, tamẽ adeo difficulter produci posset sine illo, vt in communi hominum opinione censeretur impossibile. Sic dicitur esse necessarium vni homini ad vincendos centum homines habere aliquod auxilium extrinsecum, quia licet re vera, si vinceret illos homines non sequeretur vlla implicantia physica, habet enim virtutem physicam vnus, vt respectu vnius hominis interficiendi, ita respectu centum, tamen in communi prudentum æstimatione censetur esse moraliter impossibile, vt id faceret sine aliqua ope extrinseca sibi collata: & de necessario his duobus vltimis modis procedit hæc quæstio.

## CONCLVSIO. I.

Logica non est simpliciter necessaria ad alias scientias.

114. *Logica non est necessaria vllo modo simpliciter, nec moraliter, nec physice ad acquirendam scientiam quamcũque partialem.* Hæc est cõmunior veterũ, quos sequuntur *Auersa q.1. Log. sect.4. Complut. disput.1. proœm.q.7.* contra *Arauxo 2. Met. quæst.3. Gallego hic quæst.1. ac Camerariũ q.5.* plures pro se citantẽ. *Probatur:* quia non est vlla difficultas aut physica, aut moralis assequẽdi aliquã scientiã partialẽ sine Logica, ergo nõ est necessaria simpliciter ad quamcumque scientiam partialem. Probatur antecedens, tum quia non potest assignari quænam sit; tum etiam quia aliquis syllogismus est tam euidens ex natura sua, vt ad cognoscendum, quod euidenter concludat, non sit necessarium aliquid aliud præter ipsam vim intellectiuam non impeditam; & etiam potest talis syllogismus fieri absque adminiculo artis alicuius, vt patet experientia in multis, qui & bene discurrunt, & cognoscũt se bene discurrere in aliqua materia absque subsidio artis. Atqui si in tali syllogismo medius terminus esset causa siue à priori siue à posteriori cõnexionis prædicati conclusionis cum subiecto, sicut bene posset esse, tum quis sciret illam cõclusionem: ergo potest dari sciẽtia de aliqua cõclusione absque Logica artificiali.

*Confirmatur*, quia ante acquisitionem Logicæ artificialis debet sciri aliqua conclusio logica & illa scitur absque Logica artificiali, ergo scitur aliqua conclusio absque Logica artificiali.

115. *Dices* aliquam conclusionem logicam posse sciri, non tamen aliquam conclusionem vllius alterius scientiæ, & consequenter Logicam ad alias scientias esse simpliciter necessariam vel physice vel moraliter.

*Contra*: illa conclusio logica propterea scitur absque Logica, quia deducitur clare & euidenter per discursum ipso lumine naturali intellectus notum, & non propterea quod sit Logica conclusio, ergo si conclusio physica, aut mathematica sic proponeretur, potuisset etiam sic sciri; sed nulla est ratio, cur aliqua non potuisset sic proponi tam bene quam illa logica proponebatur, ergo.

*Dices*, esse maximam rationem, quia Logica est instrumentum & modus acquirendi alias scientias secundum omnes.

*Contra*, quia potest esse modus, & instrumentum aliarum scientiarum dupliciter, vel ita vt conducat aliquo modo ad illas, vel ita vt sit simpliciter necessaria ad illas quoad omnes omnino cõclusiones. Si dicatur, quod sit modus, aut instrumentum primo modo, hoc non obstat quo minus simpliciter possit aliqua conclusio alterius scientiæ cognosci sine ipsa, si vero dicatur modus, & instrumentum secundo modo, petitur aperte principium, nam hoc est quod negamus in conclusione, & cuius ratio ab aduersariis non potest assignari.

Quomodo Logica sit modus ac instrumentum scientiæ

116. *Obiicies* contra hanc partem: non solum ad sciẽtem requiritur, quod ex causa deducat effectum, sed quod sciat etiam se id facere modo infallibili, quia alias non sciet imperturbabiliter, sed habebit aliquam formidinem, ne forte male deduxerit conclusionem ex præmissis: sed non potest scire se modo infallibili deducere conclusionem absque Logica: ergo ad scientiam Logica simpliciter est necessaria.

*Respondeo* negando minorem, sicut enim absque Logica artificiali potest scire se deducere primam conclusionem logicam, quam scit modo infallibili: ita etiam potest scire se modo infallibili deducere aliquam conclusionem alterius scientiæ.

*Confirmatur* hæc responsio, & simul conclusio, quia ideo cognoscit scientifice, syllogismos factos in modo, & figura iuxta præscripta Logicæ habere infallibilem modum inferendi conclusionem, quia cognoscit illos regurali per illa principia lumine naturali nota: *dici de omni.* & *dici de nullo*, & *quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, de quibus suo loco: sed potest lumine naturali cognoscere, quod hic syllogismus philosophicus. *omne constans materia & forma sublunari est mobile, ignis constat materia & forma sublunari, ergo est mobilis*, reguletur per illa principia tam bene, quam quicumque syllogismus primus, quem facit, quando primò acquirit Logicam: ergo potest esse certus quod conclusio euidenter & infallibiliter deducatur.

117. *Obiicies secundò*: scientia nequit haberi absque demõstratione, & hæc nequit haberi absq; Logica artificiali ergo Logica artificialis est simpliciter necessaria.

*Respondeo* negando minorem, sicut enim prima demonstratio, qua cognoscitur prima conclusio Logicæ, habetur absque Logica artificiali, ita & potest haberi alia demonstratio, qua cognoscatur aliqua conclusio alterius scientiæ absque Logica.

Scientia potest acquiri absque demonstratione artificiali.

Ratio autem vtriusque est quod demonstratio possit fieri duobus modis, primò cum aduertentia ad regulas aliquas vniuersales ostendentes quomodo vniuersaliter posset fieri discursus demonstratiuus, & hoc modo nequit fieri absque Logica artificiali, alio modo sine tali aduertentia, & sic potest absque Logica artificiali. Quãdo autem dicitur quod scientia sit effectus demonstrationis, & quod non possit haberi, nisi per eam, id non est intelligendum de demonstratione priori modo facta præcise, sed vel de illa, vel de demonstratione facta posteriori modo; vnde patet posse haberi scientiam absque demonstratione artificiali, atque adeo absque Logica artificiali, per quod patet ad cæteras obiectiones.

## CONCLVSIO II.

Potest haberi scientia totalis absque Logica mediante Magistro.

118. *Vt quis addiscat scientiam aliquam totalem à præceptore experto in illa scientia non est ipsi necessaria simpliciter Logica, nec physice, nec moraliter.* Hanc conclusionem non inuenio apud vllum. *Probatur* tamen, quia talis præceptor posset ipsi proponere omnes conclusiones scitas satis clare & euidenter: sed quando sic proponerentur, per Logicam naturalem posset quis cognoscere discursum esse bonum: ergo Logica artificialis non requireretur simpliciter vllo modo Probatur consequentia, quia eatenus requireretur, ne quis deciperetur in modo discurrendi, seu vt quis cognosceret discursum esse bonũ, ergo si posset hoc facere per Logicam naturalẽ, non requireretur simpliciter artificialis.

*Confirmatur*, quia non sunt valde multæ conclusiones scitæ in aliqua scientia totali; neque discursus, quibus illæ ipsæ probantur, sunt tam inevidentes & tam remotæ à principiis lumine naturali notis, vt non posset ad eas tam moraliter, quam physicè sufficere lumen intellectus præsertim boni & perspicacis.

*Confirmatur*, quia potuisset talis præceptor ostendere ipsi quod omnis discursus scienficus istius scientiæ regularetur per *dici de omni*, & *dici de nullo*; aut per *quæcunque sunt eadem vni tertio*; &c. & discens potuisset absque arte per lumen naturale videre quod ita esset.

*Dices*: præceptor, non potuisset hoc facere sine Logica artificiali. *Contra*, quia hoc non obstat conclusioni, quæ tantum asserit, quod aliquis posset discere scientiam totalem sine hoc, quod disceret Logicam artificialem vel quod haberet ipsam.

119 *Dices*: quando præceptor ostenderet ipsi quod illi discursus regularentur per illa principia, tunc disceret Logicam artificialem.

*Contra*, quia non discit Logicam artificialē nisi quando discit aliquas regulas, quibus deberet conformare se inter discurrendum, aut quando disceret naturā discursus facti contra vel iuxta tales regulas: sed non esset necessarium, vt qui videret illos discursus regulari per illa principia, disceret aliquas regulas, aut naturam discursus facti iuxta aliquas regulas, sed tantum beneficio luminis naturalis cognosceret illū discursum esse bonū in illa determinata materia, quia proponeretur ipsi quod illa principia essent falsa, nisi ille discursus esset bonus.

*Dices*, multa possent per syllogismos sophisticos proponi ipsi contra illas conclusiones scitas, quæ cum non posset soluere ob suam apparentiam, efficerent, vt dubitaret de conclusionibus scitis, & consequenter non haberet scientiam perfecte de iis, quia perfecta scientia excludit omnem dubitationem.

*Respōdeo*, quamuis non cognosceret determinate forte, in quo peccaret discursus, bene tamen sciret, quod in aliquo peccaret, imo mediāte aliqua distinctione, quam suggereret ipsi lumen naturale, potuisset totā difficultatem sophismatis aperte euadere: & certe iam communiter soluuntur sophismata per distinctiones, & non per recursum ad Logicas regulas. Vnde negandum est, si semel sciret conclusionem, nec obliuisceretur istius scientiæ, amplius eum dubitaturum de illa conclusione.

*Deinde*, qui optime sciret Logicam, & mediantibus eius regulis cognosceret scientifice aliquam conclusionem, posset adhuc hærere diu in soluenda aliqua difficultate proposita ipsi, nec tamen dubitaret de illa conclusione, aut si dubitaret, non est contra rationem scientiæ admittere talem dubitationem: ergo quod non posset soluere difficultates, aut sophismata adducta contra conclusionem, quam sine Logica cognosceret, non impedit quominus ipsam sciret, præsertim cum non ex defectu cognitionis eius non possit illa soluere, sed ex defectu cognitionis aliquarum aliarum conclusionum.

## CONCLVSIO III.

Logica est necessaria ad scientias totales propria industria acquirēdas.

120. *Vt quis propria industria acquirat scientiam aliquam totalem perfecte, & præsertim quod ad omnes conclusiones probabiles istius scientiæ, necessaria est ipsi simpliciter necessitate morali Logica artificialis.* Hæc est communis cum *D. Augustino lib. 3. contra Acad. c. 17. Platone lib. 7. de Repub. & Philosopho 2. Met. 15.* qui sæpe etiam illecti veteres propter defectum Logicæ sæpius erraſſe.

*Probatur conclusio ratione primò*, quia omnes Philosophi, qui ignorauerunt Logicam, errauerunt sæpissime, & multò plus, quam qui Logicam calluerunt, ergo signum est quod Logicæ ad non errandum sit simpliciter necessaria necessitate morali.

*Dices* ipsum Philosophum, qui optime omniū cognouit Logicā, etiam errauisse, non tamen ob defectum Logicæ, ergo similiter potuit cōtingere aliis Philosophis.

*Contra*, quia Philosophus non errauit in modo discurrendi, nisi quatenus suppposuit aliquod principium pro vero, quod non erat verum: ait illi alij etiam erra-

uerunt in formando ipso discursu, & in deducendo id quod non sequebatur ex præmissis, & consequenter bene colligitur, quod illi errauerunt ob defectum Logicæ, non autem Philosophus, & propterea ne sic erretur, Logicam esse necessariam saltem moraliter.

*Probatur secundo*, quia sæpe apparet intellectui prima facie aliquem discursum esse bonum, qui tamen non est bonus, vt manifestum est experientia: & licet si quis diligentiam magnam adhiberet, potuisset lumine naturali cognoscere, quod non esset bonus, tamen inter tot discursus, qui in qualibet scientia occurrunt, est omnino moraliter impossibile, quin multos prætereat absque debito examine, nisi prius habeat Logicam artificialem, qua mediante possit facile regulare illos discursus.

Iuxta hanc autem conclusionem intelligendæ sunt authoritates, eorum, qui necessitatem absolutam Logicæ in ordine ad scientias acquirendas astruere videtur.

Addidi autem in conclusione, *præsertim quoad conclusiones omnes probabiles*, quia in qualibet fere scientia totali multo plures sunt conclusiones probabiles, quā scientificæ, vt patet in Physica, & Metaphysica: harum autem conclusionum plurimæ vix possunt deduci nisi per syllogismos secūdæ, aut tertiæ figuræ, qui syllogismi non concludunt tam euidenter, quin aliquis posset dubitare de bonitate consequentiæ, nisi esset instructus Logica, sciretque eos posse reduci ad syllogismos directos primæ figuræ, qui euidentissime concludunt: & propterea respectū harum conclusionum existimo maiorem esse necessitatem Logicæ, quam respectu conclusionum, quæ de facto sciuntur in aliqua scientia.

121. *Obiicies*: ipsa Logica totalis fuit inuenta sine Logica artificiali, ergo similiter possent inueniri aliæ scientiæ, præsertim cum nulla fere scientia sit magis difficilis quam ipsa Logica.

*Respondetur communiter* negando consequentiam, & ostendendo disparitatem, quia scilicet Logica tradit modum, ac instrumentum acquirendi alias scientias, & propterea Logica est necessaria ad alias scientias, non tamen ad seipsam; quia ad modum sciendi cognoscendum, non requiritur alius modus sciendi, qui prius cognosceretur, quia aliàs daretur processus in infinitum. *Confirmari potest hoc exemplo*: quia licet domus ædificari nequit absque securi, tamen ipsa securis potest fieri sine alia securi præexistente.

*Sed contra*, quia scientia, quæ est de modo sciendi, sit tam difficilis & tam multas contineat cōclusiones quā aliæ scientiæ, & tamen potest acquiri sine aliqua alia scientia, quæ sit de modo sciendi, aut de aliquo alio, cur non etiam aliæ scientiæ pariformiter? nam dicere, id prouenire ex eo quod illa sit de modo sciendi, & quod propter hoc sit ipsi peculiare, quod possit acquiri sine alia scientia, est petere principium, nisi ostendatur aliqua ratio vel à priori, vel à posteriori, qua id colligatur. Confirmatio etiam videtur ad oppositum: quia si securis esset tam difficilis factu, quam domus, & posset fieri sine alia securi, similiter & domus posset fieri.

122. *Respondeo ergo aliter*, Logicam totalem secundū aliquā partem sui fuisse inuentam sine alia Logica artificiali præexistente mediante Logica naturali, illā verò partem, quæ habuit pro obiecto instrumentum, aliquod sciendi, verbi gratia syllogismum, conduxisse ad alias partes, & hoc tā necessario, vt sine illa parte, cæteræ partes non acquirerētur sine permixtione alicuius erroris.

*Sed instabis*: sicut prima pars fuit inuenta beneficio Logicæ naturalis, cur non & cæteræ partes?

*Respondeo*, quia, quando quis non habet præfixas regulas, licet possit quoad aliquas operationes recte se gerere, tamen quoad omnes, præsertim difficiles, & in quibus facile posset committi error, id moraliter est impossibile.

*Instabis secundò*, sicut vna pars Logicæ conducit ad alias partes Logicæ, ita vna pars Physicæ conducit ad alias partes Physicæ: ergo sicut Logica potuit totaliter inueniri, vna parte adiuuante ad acquisitionem alterius, ita similiter & Physica.

*Respondeo*

*Respondeo* negando paritatem antecedentis quoad omnia. & disparitas est, quod vna pars Logicæ potest cõducere ad aliam duobus modis, primo quatenus cognitio obiecti vnius partis conduceret ad cognitionem obiecti alterius partis propter connexionem, quam ista obiecta haberẽt inter se: secundo quatenus obiectũ vnius partis esset instrumentum, quo posset acquiri cognitio obiecti alterius partis, siue haberet connexionẽ cum ipso in ratione obiecti, siue non; vna verò pars Physicæ non conducit ad cognitionem alterius partis, nisi primo modo tantum: secus est de Logica, cuius vna pars vtroque modo potest conducere ad acquirendam aliam partem.

# TRACTATVS DE PRÆDICABILIBVS.

PORPHIRIVS Philosophus, secta Platonicus, religione aliquando Christianus, à qua tamen postea defecit; cum videret ad pleniorem ac faciliorem intellectionem libri Prædicamentorum Aristotelis, tyronibus valde profuturum, si quinque termini aut voces, de quibus in illo libro frequens occurrebat mẽtio, nempe *genus, species, differentia, proprium, & accidens*, & aliqua ad ea spectantia seorsim explicarentur; breuem tractatum de ipsis scripsit, quem Isagogen seu introductionem vocauit, eo quod multum deseruiat Logicæ studiosis ad cognitionem libri Prædicamentorum, ac consequenter totius Logicæ introducendis. Hæc ergo Isagoges modo explicanda est.

Vniuersale vt sic est obiectum adæquatũ huius tractatus.

Controuertitur autem de obiecto adæquato huius tractatus, sed omisso quæstionis parum vtilis longiori examine, tenendum est nobis cum Doctore nostro vniuersale vt sic, esse obiectum eius adæquatũ (ex suppositione quod aliquod vnum obiectum sit assignandũ pro adæquato cuilibet scientiæ totali) quia omnes cõditiones obiecti adæquati ipsi conueniunt: est enim vnum quod cõplectens omnia quæ in hoc tractatu per se cõsiderãtur, haberque proprietates de se demonstrabiles: & licet à Porphirio nõ fuerit definitũ, definitur tamẽ in aliis partibus Logicæ, & propterea non erat necesse vt ab ipso hic definiretur. Quamuis autem grauiores difficultates, quæ moueri possent de vniuersalibus, consultò omiserit Porphirius, quod captũ Chrysaorij, nobilis adolescentis Romani, ad quẽ hunc libellũ direxit, excedere viderẽtur nec omnino essent necessariæ ad intelligẽda prædicamẽ. ta: cõmuni tamen authorũ huius ætatis methodo, quantum ad hoc, insistendo, illas etiam examinare opportunum iudicaui. Itaque totum hunc tractatum sex disputationibus absoluam; quas tamen facilioris citationis causa continuabo quantum ad numerum cum præcedentibus duabus, sicut & reliquas Logicæ cum his.

# DISPVTATIO III.

## *De Vniuersali vt sic.*

Vniuersale est multiplex.

1. *Vniuersale vt sic* dicitur ex eo, quod dicat ordinem ad plura: quia vero multipliciter aliquid potest respicere plura, seu dicere ordinem ad illa, hinc multipliciter capitur vniuersale, quoddam enim est cõplexum, quoddam incomplexum.

Quid vniuersale complexum.

*Vniuersale complexum*, est aliqua propositio, ex qua multæ aliæ propositiones deduci possunt, vt, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, quod est principium satis vniuersale in omnibus scientiis.

Quid incomplexum.

*Vniuersale incomplexum* est aliquod vnum, quod non est propositio, dicens tamen ordinem ad plura, & diuidi potest in *vniuersale in causando*, quod scilicet causare potest plures effectus diuersarum specierum, vel se solo vt Deus, vel cum aliis causis determinãtibus, vt Sol; & in *vniuersale vel significando*, seu repræsentando, quod scilicet potest significare, aut repræsentare plura, siue hoc faciant naturaliter, quemadmodum species tam expressa, quam impressa hominis repræsentat naturaliter omnes homines, siue ex instituto aut beneplacito, vt vox *homo* significat omnes homines; sine alio quouis modo, & in *vniuersale in prædicando*, quod est aliquid potens prædicari de pluribus, vt homo potest prædicari de Petro & Paulo; & in *vniuersale in essendo*, quod est illud quod potest inesse pluribus, vt homo inest Petro & Paulo, qui alias de ipsis vere prædicari non posset.

Quid vniuersale in causando.

Quid vniuersale in significando.

Quid vniuersale in prædicando & essendo.

2. Ex his autem pluribus vniuersaliũ acceptionibus per se agitur in hac disputatione de vniuersali in duabus vltimis acceptionibus, quatenus scilicet est aliquid prædicabile de multis, & potens inexistere multis. Quia vero prius est rem inexistere multis, quã prædicari de multis; propterea enim potest prædicari vere de multis, quia potest inexistere multis; ideò prius de vniuersali in essendo, quod vocatur Metaphysicũ, quã de vniuersali in prædicando, quod vocatur logicum, tractandũ est. Et si quæratur cur vniuersale in essendo vocetur Metaphysicũ, & in prædicando logicũ cõmuniter responderi solet rationẽ esse, quod Metaphysicæ sit considerare proprietates rei abstractas à materia cõpetentes ipsi secundũ se sine ordine ad actum intellectus, qualis est aptitudo inexistendi multis, quam habet vniuersale in essendo, qua tale præcise & formaliter, & quod Logicæ sit agere de proprietatibus competentibus rebus vt dicunt ordinem ad actus intellectus comparatiuos, qualis est aptitudo prædicandi de multis, quam dicit vniuersale in prædicando qua tale.

Cur vniuersale in essendo vocatur Metaphysicum, & in prædicando Logicũ.

Sed siue hæc sit vera causa huius nominis, siue non, sufficit iam ita capi communiter vtrumque vniuersale.

## QVÆSTIO I.

### *Quid est vniuersale Metaphysicum.*

### CONCLVSIO

Descriptio vniuersalis metaphysici.

3. *Bene describitur vniuersale Metaphysicum esse aliquid vnum aptum inesse multis.* Ita communis cum Philosopho 7. *Met. tex.* 45. & patet, quia omni & soli conuenit, sufficienterque declarat naturam eius, vt patebit ex eius explicatione,

Dicitur *aliquid*, per quod intelligitur aliquod reale positiuum; vnde excluduntur à ratione vniuersalis hic definiti negationes, priuationes, & entia rationis; quamuis enim possit dari aliqua ratio vniuoce communis omnibus aut aliquibus entibus rationis, quæ esset vniuersalis respectu ipsorum, & similiter alia ratio communis omnibus negationibus ac priuationibus: nihilominus hic de solo vniuersali positiuo per se agitur, quia illud solum est quod spectat per se ad cognitionem prædicamentorum, & quia ex cognitione eius facile deueniri potest in cognitionem illorum aliorum vniuersalium.

Dicitur *vnum*, vt excludantur entia, quæ sunt vnum per accidens, vt tam quæ cõponuntur ex entibus diuersorum prædicamentorum, v.g. album, dulce, quàm quæ componuntur ex entibus vnius prædicamenti, sed non dicentibus ordinem per se ad cõpositionem, v.g. aceruus lapidum, exercitus, & similia. Quamuis enim aceruus lapidum vt sic, possit esse communis vniuoce huic & illi aceruo, exercitus vt sic communis huic & illi exercitui, & album etiam vt sic, commune huic & illi albo; tamen hic non placuit Philosophis agere de vniuersali, quod esset sic vnum, nec eius consideratio vere, ad institutum spectat, quod solum tendit ad considerationem eorum, quæ ponuntur in prædicamentis: quæ autem sunt vnum per accidens vt sic, non ponuntur in prædicamentis, vt postea dicemus.

Vniuersale vt sic non debet esse quid completum.

4. *Quod si quæratur*, an vnum illud, quod est vniuersale hic descriptum, debeat esse quid completum; quamuis aliqui teneant partem affirmatiuam, tamẽ negatiua nobis præferenda videtur, quia vniuersale hic definitũ, est quid comprehendens sub se quinque species, de quibus

postea, de quarũ qualibet prædicatur vere quod sit vniuersale: sed certum est ex ipsis aliquas, nimirum differẽtiam, & proprium non esse quid completum, nec poni etiam directe in prædicamento vllo: ergo vniuersale hic definitum non debet esse quid completum, nec directe ponibile in prædicamento. Et per hoc ruit aduersæ sententiæ fundamentum, quod erat, vniuersale hic definitũ per se esse quod directe collocatur in prædicamentis.

Debet esse quid prædicamentale.

*Si etiam quæratur vlterius*, verum illud vnum debeat esse quid prædicamentale. Respondendum affirmatiue propter rationem iam dictam, nimirum quod hic agatur de vniuersalibus in ordine ad cognitionem prædicamentorum & rerum, quæ in iis ponuntur, quatenus sunt de se inuicem prædicabiles, vel non prædicabiles.

5. Dicitur denique, *aptum inesse multis*, ad significandũ quod vniuersale debeat esse talis naturæ, vt licet de facto non sit, possit tamen esse in multis cum sui multiplicatione, ac diuisione, sicut natura humana de facto est in Petro, & Paulo, in quibus ita reperitur diuisa, vt ipsi possint dici duo homines. Vnde à ratione vniuersalis per hanc particulam excluduntur omnia indiuidua, nã quamuis aliquod vnum indiuiduum possit esse in pluribus locis, & in pluribus etiã subiectis, siue inhæsionis, vt si vna numero albedo esset in duobus parietibus, siue informationis, vt si eadem numero forma substantialis esset in pluribus materiis, tamen nunquam posset in illis multiplicari, ita vt posset dici quod essent plura indiuidua in pluribus illis locis aut subiectis.

Cur essentia Diuina non sit vniuersalis.

Et hac ipsa ratione excluditur essentia diuina, quæ de facto reperitur in pluribus personis diuinis realiter inter se distinctis, identificata realiter ipsis, tamen nõ multiplicatur nec diuiditur in illis, quia vt fides Catholica docet, non est verũ dicere, quod sint tres essentiæ diuinę in illis personis, aut quod illæ tres personæ sint tres Dii.

Natura solis est vniuersalis.

Non vero excluditur à ratione vniuersalis natura Solis, quia licet de facto nõ reperiatur in pluribus indiuiduis, nec possit etiam naturaliter in pluribus reperiri, tamen nemo dubitat quin Deus possit ipsam ponere & multiplicare in pluribus indiuiduis, hoc autem sufficit vt habeat aptitudinem existendi in pluribus, de qua hic agitur, quidquid dicãt alij qui requirunt aptitudinẽ existẽdi in multis per potentiam naturalem, sine vllo fundamento recedentes in hoc à cõmuni sententia, & restringentes acceptionem vocabuli, seu nominis *Vniuersalis*.

6. *Quæres* an vnitas ac aptitudo, quæ ponuntur in definitione hac nostra ac communi Vniuersalis, sit de eius essentia?

Vniuersale est nomẽ concretum.

Ad hanc difficultatem vt respondeatur, præsupponendum est cum communi sententia Vniuersale esse nomẽ concretum, pro materiali dicẽs ipsam naturam, quæ talis dicitur, v.g. naturam hominis vel naturam animalis pro formali vero vniuersalitatem seu formam, à qua dicitur vniuersalis. Itaque si loquamur de vniuersali materialiter, hoc est de illa natura, quæ dicitur vniuersalis, certũ est nec vnitatẽ nec aptitudinẽ esse de eius essentia, sed ad summum proprietatem; si vero loquamur de vniuersali formaliter, quãdoquidem vt sic nihil aliud dicat quam ipsam vnitatem ac aptitudinem, non debet dubitari quin illa sint de eius essentia, sicut albedo est de essentia albi materialiter: nec de hoc credo aliam posse esse quæstionem quam de nomine.

Vnitas & aptitudo sunt de essentia eius formaliter consideratí, non materialiter.

## QVÆSTIO II.

### *De vnitate naturæ vniuersalis.*

1. DIximus naturam omnem, quæ denominari potest vniuersalis, debere esse vnum quid: vnde hic examinabimus quam vnitatem debeat habere, aut quomodo debeat esse vnum.

Quid sit esse vnũ.

Pro quo aduertendum, quod secundũ omnes, res vna nihil aliud sit quam res indistincta, seu indiuisa in se & distincta seu diuisa à qualibet alia re, v.g. quia Petrus est quid indiuisum in se, & distinctum seu diuisum à Paulo & quibuscumque aliis rebus, propterea dicitur esse vnũ; quia vero Petrus & Paulus non sunt in se indiuisa, sed potius diuisa, quãuis distinguantur à quibuscũque aliis, non sunt quid vnum, vnde vnitas est illud, à quo habet res formaliter esse sic in se indiuisa & distincta à quibuscũque aliis quamuis autẽ cõtrouertatur, an illud, à quo res habeat esse vna, sit quid negatiuũ, vt v.g. negatio diuisionis in se & identitatis cum aliis, vel quid positiuũ, tamen quia illa controuersia non conducit ad propositum remittenda videbatur ad Metaphysicam.

8. Aduertendũ vlterius, rem quamlibet posse distingui ab aliis rebus, & per principia sua formalia ac essentialia per principia sua materialia ac indiuidualia, vnde potest cõsiderari res & secundũ vnitatẽ formalem, vt secũdum vnitatẽ indiuidualem, seu numericã v.g. Petrus differt à Bucephalo & secundũ principia sua essẽtialia, quatenus sc. essentia ipsius est dissimilis essentiæ Bucephali, & secundum principia indiuidualia, quatenus scil. non facit vnũ numero cũ Bucephalo. Prior vnitas cõpetẽs rei ratione essentiæ vocatur formalis, quia sequitur essentiã rei, quæ forma ipsius dicitur, secũda vocatur materialis, quia sequitur indiuidualitatem, quæ vocari potest materia metaphysica rei propter proportionẽ, quam habet cum materia physica, quæ proportio in hoc consistere potest, quod quemadmodum nõ possumus colligere nec identitatem specificam rerum materialium sublunariũ ex materia, quandoquidem omnes includant materiam eiusdem rationis: ita etiam ex differentiis indiuidualibus non possumus colligere differentiam specificam aut essentialem, nec etiam identitatem vllarum rerum. Vocatur etiam illa vnitas materialis vnitas numerica, quia est principium numeri, & ideo vocatur principium numeri, quia numerus proprie loquendo est multitudo rerum singularium realiter distinctarum.

Quid vnitas formalis.

Quid materialis.

Hinc sequitur quod quæcũque non distinguuntur per principia indiuidualia, sint vnum numero, & quæcũque non distinguũtur per principia formalia, seu essentialia sint vnũ formaliter, & essentialitet. Quia vero in essentiis rerũ solẽt includi plures formalitates, vt in essentia hominis includitur animalitas & rationalitas, hinc fit, vt aliquid possit distingui ab alio secundum aliquam formalitatẽ vnã ex formalitatibus inclusis in sua essentia, licet non distingueretur secundum aliam formalitatem v.g. homo distinguitur ab equo formaliter & essentialiter non secundum animalitatem, sed secundum rationalitatem & propterea licet non sit vnum cum ipso in rationalitate, est tamen vnum cum ipso in animalitate: hæc tamen vnitas in animalitate non impedit, quo minus dicatur simpliciter diuisus & distinctus formaliter & essentialiter ab ipso, nã illud dicitur distingui essentialiter ab alio, quod non est eiusdem essentiæ cum ipso: quamuis autem homo, & equus conueniant in animalitate, quia tamen animalitas non est essentia hominis aut equi, licet sit de essentia eorum propterea simpliciter potest dici quod non sint eiusdem essentiæ.

10. Aduertendum tertiò illam vnitatem esse vnitatem naturæ vniuersalis, secũdum quam aliqua natura potest inesse multis, in quibus tamen multis numeretur, & de quibus multis prædicari possit; vnde si natura humana, quæ multiplicatur in omnibus indiuiduis hominũ existentibus & possibilibus, nõ obstante illa multiplicatione habeat aliquam vnitatẽ in illis indiuiduis, aut si illa indiuidua, nõ obstãte quod sint plura numero, & distincta & diuisa per principia materialia, habeant aliquam vnitatem in natura, illa vnitas erit sufficiens vnitas pro vniuersalitate: & vlterius si illa vnitas sit à parte rei, vnitas vniuersalis erit à parte rei: si verò illa vnitas sit per intellectum, tum vnitas vniuersalis fit per intellectum; quod si nec sit à parte rei, nec fieri possit per intellectũ, tum certum est quod non detur vniuersale vlla ratione nec à parte rei, nec per intellectum. His suppositis.

11. *Prima sententia* est, vnitatem requisitam ad vniuersalitatem aduenire naturæ per operationem intellectus, & naturam à parte rei non habere illam vnitatem. Hæc videtur esse communissima sententia. *D. Tho. de ente & essentia cap. 4. opusculo 42. Soti quæst. 2. vniuers. Tol. qu. 2. fund. 4. Conymbricen. quæst. 3. Masij sect. 2. Suaris disput. 6. Met. Auersa quæst. 8. vniuers. sect. 8. Complut. disput. 3. qu. 5. Ioannis à sancto Thoma quæst. 3. articul. 3. Arriaga disp. 4.*

d.4. Quamuis autem hi omnes authores conueniant in hoc, quod vnitas vniuersalis naturæ aduenias per intellectum, tamen, in aliis circa hoc dissentiunt: quidã enim ex illis, hoc non obstante, cõcedunt naturæ, quæ dicitur vniuersalis, aliquam vnitatem distinctam à numerali, quam etiam, vocant formalem: quidam negant: aliqui præterea dicunt naturam esse ex se cõmunem negatiue, alij asserunt eam ex se neque esse communem negatiue, neque non communem; habent præterea magnam in modo explicandi hanc sententiam diuersitatem, præsertim quoad naturam actus, quo redditur vna, quam prolixum esset particulariter proponere.

*Secunda sententia* est naturam vniuersalem quamcumque habere à parte rei vnitatem illam, quæ requiritur ad vniuersale, nec eam accipere beneficio intellectus, imo etiamsi nullus esset intellectus possibilis, competituram naturæ illam vnitatem. Hanc tenet *Doct. in 2. dist. 3. q. 1.* cum omnibus suis. Et quamuis inter ipsius sequaces sit controuersia, an detur à parte rei natura formaliter vniuersalis metaphysicè, tamen hæc cõtrouersia non præiudicat huic sententiæ, quia quamuis concederetur vnitas illa, quæ requiritur & sufficit pro vnitate vniuersalis à parte rei, posset tamen adhuc dubitari, an illa vnitas sufficeret ad constituendum vniuersale formaliter: & circa hoc versatur illa controuersia Scotistarũ, nõ circa primũ, vt ego ipsos intelligo. Habent tamen aliam controuersiam inter se in explicãda natura huius vnitatis, quam admittunt, & quam cum Scoto vocant vnitatem formalem minorem vnitate numerali; quidam enim ex ipsis asserunt naturam vniuersalem esse à parte rei vnam in multis positiue, formaliter tamen, non numeraliter; aliis dicentibus, quod non sit positiue vna in multis etiam formaliter, sed negatiue tantum, quatenus scilicet natura, quæ est in Petro, licet non sit eadem positiue cum natura, quæ est in Paulo, est tamen ex se indifferens vt sit in Paulo, & solum ex differentia indiuiduali habet, quod non sit in Paulo.

## CONCLVSIO I.

Natura non accipit ab intellectu vnitatem vniuersalem.

12. *Natura non recipit vllam vnitatem ab intellectu, quæ sufficiat pro vniuersalitate, aut secundum quam natura verè possit esse, aut prædicari de multis.* Hæc est contra primam sententiam, & *probatur*, quia vel illa vnitas quam reciperet natura humana, v.g. ab intellectu, est quid fictũ attributum naturæ per fictionem intellectus, vel est quid reale & verum collocatum ipsi ab illo, vel est denominatio extrinseca desumpta ab actu aliquo, quo intellectus intelligit naturam illam: sed neutrum dici potest; ergo natura humana non recipit vnitatem vniuersalitatis ab intellectu. Probatur minor quoad primam partem, nimirum quod non sit quid fictum, quia ob vnitatem fictam, quam haberet natura humana in Petro & Paulo, non potest vere prædicari, neque vere inesse Petro & Paulo per modum vnius, vt est euidens: sicut enim si ego fingerem albedinem esse in pariete, cum reuera non esset ibi, certum est quod non propterea vere posset prædicari de pariete; ita etiam si intellectus fingeret vnam naturam esse in Petro & Paulo, non propterea tamen posset vere prædicari de Petro & Paulo vna natura.

Vnitas vniuersalis non est ficta.

*Probatur secundo* minor quoad eandem partem; quia ad hoc requiritur vnitas vniuersalis vt natura humana in sit Petro & Paulo, & prædicetur de ipsis, sed absurdum est quod ad hoc requiratur aliqua fictio intellectus, ergo nihil fictum ab intellectu requiritur ad constituendum vniuersale.

*Confirmatur*: Deus prædicat naturam humanam de Petro & Paulo, & cognoscit inexistentiam eius in ipsis: sed secundum magnam partem aduersariorum non facit entia rationis, ergo nihil fictum requiritur, vt cognoscatur natura humana inexistere Petro & Paulo, aut vt prædicetur de illis.

*Dices*: Deus non prædicat illam naturam per modum vniuersalis de illis, nec per modum talis cognoscit illã inesse illis. *Contra*: ergo neque nos etiam, eadẽ enim est ratio, & consequenter ad hoc vt cognoscatur natura humana inesse Petro & Paulo, & ad hoc vt prædicetur de illis, non est necesse vt sit vniuersalis, atque adeo frustra datur vniuersalitas.

Per intellectũ non recipit natura aliquid reale.

13. *Probatur eadem minor principalis quoad secundam partem*, nimirum quod per intellectum nõ recipiat natura aliquid verũ & reale, quod sit vnitas eius, quia intellectus non habet vim productiuam alicuius realis in obiecto, vt omnes fatentur; sed non habet virtutem productiuam alicuius realis in natura, nisi quatenus natura est obiectum eius, ergo nihil reale producit in natura.

*Confirmatur*: per hoc quod intelligit intellectus singulare, nihil reale producit in ipso secundum omnes, ergo per hoc quod intelligat naturam, quę est singularis, siue simul intelligat singularitatem, siue non intelligat, nihil reale producit in ipsa, eadem enim est ratio.

*Confirmatur secundò*; quia eatenus cõferret intellectus vnitatem realem & non fictam naturæ, quatenus intelligeret ipsam per modũ vnius; sed hoc nõ sufficit ad hoc vt natura vere prædicetur per modum vnius de suis indiuiduis, ergo non confert intellectus illi vnitatem realem vniuersalitatis, per quam sic prædicetur. Probatur minor, quia etiamsi concipiat Petrum & Paulum per modum vnius, non confert ipsis vnitatem realem, quia antecedenter ad intellectum non habent talem vnitatem, ergo etiamsi intellectus conciperet naturam per modum vnius, non tamen confert ipsũ vnitatem realem, si eam antecedenter non habet.

Natura nõ habet esse vna per denominationem extrinsecam.

14. *Probatur minor principalis quoad tertiam partem* quæ magis videtur ad mentem aduersariorum, & est expresse *Auersæ*; eatenus natura diceretur vna denominatione extrinseca desumpta à cõceptu, quo intelligeretur, quatenus ille conceptus esset vnus, aut quatenus esset conceptus, quo conciperetur natura vt vna: neutrũ dici potest; non primum, quia etiãsi Petrus & Paulus conciperentur vnico conceptu, non propterea possent dici vnum quid, nec prædicabilia vere per modum vnius: nõ etiam secundum, quia quando aliquid concipitur per modum vnius, nisi sit vere vnũ, non potest dici à conceptu vnum, vt patet eodem exemplo Petri & Pauli, qui licet conciperentur vt vnum quid, non tamen essent propterea vnum quid vere, sed ad summum ficte, nec vt vnum vere possent de aliquo prædicari.

*Probatur secundo eadem tertia pars* minoris principalis: quando aliquis concipit naturam humanam, quæ est in Petro, non considerando Petreitatem, seu cõditiones indiuiduantes, tum recipit illa natura omnem vnitatẽ à conceptu, quam potest recipere; sed non recipit vnitatẽ aliquam secundum quam posset prædicari de Paulo aut aliis indiuiduis, ergo vnitas vniuersalis non accipitur à conceptu. Probatur minor, quia illa natura sic concepta non potest prædicari vere de Paulo prædicatione dicente hoc est hoc, (de qua prædicatione loquimur hic) nisi sit in Paulo; sed ex eo quod concipiatur non concepta Petreitate non habet esse in Paulo, nisi fuerit antecedenter in Paulo, vt videtur euidens: ergo ex illo cõceptu non habet vnitatem secundum quam possit prædicari de Paulo prædicatione dicente: hoc est hoc.

*Dices cum Auersa*: quando intellectus concipit naturam humanã, quæ est in Petro, format eo ipso conceptũ obiectiuum, qui possit prædicari de quocumque indiuiduo; qui conceptus obiectiuus cum recipiat suum esse ab intellectu, recipit etiam suam vnitatem ab illo.

*Contra*: quia ille conceptus obiectiuus vel est vere & realiter in illis indiuiduis, vel non est; si non est, non poterit prædicari de illis prædicatione dicẽte; hoc est hoc; si est in illis, sane non est in illis per intellectum, neque enim intellectus habet virtutem ponendi in indiuiduis humanis aliquid, & maxime eorum naturam: ergo ille conceptus obiectiuus, qui est prædicabilis de indiuiduis, non fit per intellectum, neque accipit consequeter vnitatem suam ab intellectu, sed habet illam independenter ab omni operatione intellectus.

*Probatur vlterius conclusio quoad secundam & tertiã partem* particulariter contra *Arriagam* quia si natura fieret vna per actum vllũ intellectus, maxime per illũ actum, quo

quo conciperentur omnia indiuidua ita confuso modo, vt videatur vna sola natura, seu res concipi, nec vi istius actus possit intellectus discernere an plura tũ proponãtur. Sed non fit vna vnitate sufficienti ad vniuersalitatẽ per talem actum: ergo non fit vna per intellectum.

16. Probatur minor primò, quia antecedenter ad talẽ actum habet sufficientem vnitatem pro vniuersalitate: ergo non fit sic vna per talem actum. Probatur antecedens, quia non requiritur alia vnitas pro vniuersali, quã vnitas similitudinis, aut illa, quam habent plura, ratione cuius possint concipi tali conceptu; hanc autem habent sine dubio ante illum conceptum.

*Confirmatur hoc*, quia omnia indiuidua humana sunt conceptibilia ex se vno conceptu, quo licet possint ab aliis indiuiduis distingui, non tamen possunt distingui inter se, & sunt prædicabilia inadæquate de quolibet indiuiduo secundum ipsummet aduersarium: ego ex se possunt dici esse vniuersale, quia quatenus sunt sic conceptibilia, possunt dici vnum, & quatenus sic prædicabilia, sunt prædicabilia de multis, ergo non habent esse vniuersale ab actu intellectus.

Probatur minor secundo; quia per hoc quod concipiãtur plura tali modo, non fit vt illa plura sic concepta possint inesse verè cuilibet indiuiduo ex illis pluribus; sed natura, quæ est vna vnitate vniuersali, debet posse sic inesse, alias natura vniuersalis non esset vna in multis, nec posset consequenter prædicari de multis.

17. *Dices cum Arriaga*, plura illa quæ concipiuntur per modum vnius, non inexistere cuilibet indiuiduo adæquatè, sed inadæquatè tantum, & eodem modo illud totum non prædicari adæquatè, sed inadæquatè, hoc est secundum partem aliquam.

*Contra*, quia totũ illud prædicat intellectus adæquatè, quod adæquatè & non secundũ partem concipit esse in indiuiduo: sed quando intellectus dicit Petrum esse hominẽ, apprehendit totum illud quod est ex parte prædicati hominis, esse in Petro, nec distinguit prorsus inter partem aliquam ipsius, quæ esset in ipso, & partem quæ non esset: sed illud prædicatum est aliquod vnum vniuersale, ergo natura vniuersalis non prædicatur de quolibet indiuiduo inadæquatè, sed adæquatissimè.

Natura nõ habet esse vna à Præcisione.

18. *Probatur denique conclusio* contra Thomistas & Scotistas etiam aliquos dicẽtes quòd natura habeat esse vna vnitate vniuersali per præcisionem intellectus, qua considerat ipsam non considerãdo ipsius singularitates aut conditiones indiuiduantes; probatur inquam hoc, quia illa ipsa natura quæ consideratur, vèl est vna in multis, aut apta esse in multis, vel non est sic vna, aut apta: si est vna aut apta, ergo ex se habet esse vniuersalis & non à præcisione; si non est, certe per hoc quod sic intelligatur, nequit esse talis.

*Confirmatur*, quia vel intelligitur, vt est, & sic nisi sit vna, non potest vt talis intelligi: vel vt nõ est, & sic præterquam quod cõceptus sit falsus, adhuc natura nõ propterea fit vna, quod sic intelligeretur, ficut non propterea homo esset equus, quod intelligeretur vt equus.

*Probatur secundo*: quando præscinditur natura, cognocendo ipsam non cognitis conditionibus indiuiduantibus, vel obiectum ipsius cognitionis, secundum quod distinguitur à cognitione, est vnum, vel non est vnum: si non est vnum, ergo est plura, & consequenter non præscinditur à conditionibus indiuiduantibus contra hypothesin, & præterea quandoquidem illud quod vt sic cognoscitur, est, quod prædicatur de multis per modum vniuersalis, non aliquid vnum prædicatur de multis, sed plura: si est vnum, ergo vel vnitate aliqua quam habet ex se independenter à cognitione; vel vnitate, quam habet à cognitione: si primum dicatur, ergo natura habet à parte rei vnitatem vniuersalem, & consequenter non fit vniuersalis per præcisionem: si secundum dicatur, iam supra impugnatum est abunde.

*Cõfirmatur*: illa natura quæ præscinditur, vel est à parte rei in indiuiduis, de quibus prædicatur, ita vt illud ipsum obiectũ cognitionis præscindentis, sit reuera in omnibus illis secundum se positiuè; vel non est in illis verè & positiuè; si est in illis illud ipsũ vnũ à parte rei, ergo habet vnitatẽ vniuersalẽ in ipsis à parte rei, & consequẽter non recipit vnitatem, nec vniuersalitatem à præcisione: si non est, ergo quamuis reciperet vnitatem à præcisione, adhuc non erit prædicabile de indiuiduis, & consequenter non erit aliquid vniuersale.

*Confirmatur secundo* admittendo gratis quod quando natura aliqua consideraretur absque sua singularitate & aliis, quod per hoc haberet aliquam vnitatem, quã ante non habuit, & quod reuera tum etiam haberet quantũ est ex se, aptitudinẽ ad hoc vt cõiungi possit cum quocumque indiuiduo talis naturæ, quod est summũ, quod potest excogitari, posse ipsi aduenire per præcisionem; Admittendo inquã totũ hoc, adhuc non sequitur, quod illa natura possit prædicari de multis, etiã superadiũctis quibuscumque aliis actibus intellectus, ergo per talem præcisionem non fit vna vnitate vniuersali; nec consequenter vniuersalis etiã metaphysicè, quia quidquid est sic vniuersale potest prædicari de multis. Probatur minor, quia quãuis aliquid sit ex se aptũ esse in multis, & possit etiã nõ solũ supernaturaliter, sed naturaliter esse in multis, tamẽ nisi fit in multis, nõ potest dici de multis prædicatione dicente, quodlibet ex illis multis est hoc, vt est euidens: sed per hoc quod natura præcisa habeat per præcisionem esse vna & apta etiam, non eo præcisè habet esse actu in illis multis, nec ex hoc sequitur quod sit in multis, nisi antecedenter fuerit in multis; ergo ex hoc non sequitur quod sit vniuersalis metaphysice.

20. *Dices* naturam habere esse multiplicatam tantum à singularitatibus, ergo considerata sine singularitatibus non est multiplicata, & consequenter est vna, & habet esse sic vna à consideratione illa.

*Respondeo* negando vltimam consequentiam, quia quamuis sequatur, naturam esse vnam, vt consideratur sine singularitatibus, si habet à singularitatibus multiplicari, tamen non sequitur quod illa vnitas adueniat ipsi per considerationem; sed quod habeat talem vnitatem ex semetipsa.

*Dices*: si haberet talem vnitatẽ ex se, esset vna, & multiplex; vna quidem ex se & multiplex à singularitatibus.

*Respondeo*, hoc totum esse verum, si à solis singularitatibus habet multiplicari, nec est inconueniens quod sit vna & multiplex secundum diuersas rationes, v.g. vna formaliter & essentialiter, & multiplex numero.

*Dices*: hinc sequeretur quod à parte rei daretur vna positiue natura in multis formaliter & essentialiter, contra dicenda conclusione tertia.

*Respondeo* negando sequelam, sed sequeretur solum quod daretur vna natura secundum se formaliter & essentialiter, quæ non obstante illa vnitate per singularitates potest multiplicari modo inferiùs explicando.

*Fundamentum aduersariorum* est vnicum, quod natura vniuersalis habeat aliquam vnitatem, nõ vero vllã, quæ sit à parte rei: ergo necessariò debet ipsam habere ab intellectu: sed ex dicendis patebit minorẽ esse falsam, nec alia modo responsio ad hoc fundamentum requiritur.

## CONCLVSIO II.

Natura vniuersalis non est priuata per singularitates vlla vnitate.

21. *Natura specifica v.g. humana, non est priuata per singularitates aliqua vnitate quam haberet, nisi aduenirent singularitates; nec si fuisset etiã, bene diceretur propterea esse priuatiuè vna in suis indiuiduis.* Hæc est contra aliquos Scotistas, qui dicunt de facto naturam Petri & Pauli non esse positiue vnam, etiam formaliter, quia multiplicatur in illis, & diuiditur per singularitates; tenent tamen quod esset vna natura, nisi aduenirent singularitates, & quod consequenter de facto illæ naturæ sint vna natura formaliter, non positiuè, sed priuatiuè.

*Probatur conclusio* quoad primam partem, quia si illis naturis secundum se competeret vnitas aliqua positiua, nisi aduenissent singularitates impedientes illã, cõpeteret illis tanquã prædicatũ essentiale aut proprietas, imo deberet cõpetere tanquã proprietas in sententia cõmunissima quod omnis vnitas sit proprietas rei, cuius est vnitas: sed si fuisset proprietas, aut prædicatũ essentiale nõ posset tolli per singularitates, nihil .n. potest tollere

à re

à re aliqua prædicata intrinseca,aut proprietates,vt patet: ergo non haberent istæ naturæ illam vnitatem, etiamsi non aduenirent hæcceitates.

*Confirmatur:*proprietas & prædicatum quodcumque essentiale sunt identificata realiter rei,ergo non possunt separari à re per vllum aliud:sed naturæ humanæ Petri & Pauli non habent illam vnitatem secundum aduersarios,sed separantur realiter ab illa,ergo illa vnitas non potest esse proprietas illarum.

*Confirmatur secundò*, quia illa vnitas,quam haberent, nisi impedirentur per singularitates, non deseruiret ad vniuersalitatem,ergo non est asserenda.Probatur consequentia, quia in ordine ad declarandam naturam vniuersalis ponitur ab aduersariis. Probatur antecedens, quia vnitas requisita ad vniuersalitatem est vnitas secundum quam natura potest prædicari de multis; sed natura de facto potest prædicari de multis sine illa vnitate,quandoquidem eam non habeat de facto,& ea posita,non posset prædicari de multis, quia ea posita non essent singularitates,nec consequenter multa in quibus inesset & de quib. posset prædicari,ergo non deseruit illa vnitas ad vniuersalitatẽ naturæ, sed potius impedit eã.

Etiamsi natura esset priuata vnitate per singularitates, non deberet dici vna priuatiuè in illis.

22 *Probatur secunda pars*, quia non bene dicitur aliquis videns priuatiuè, qui est cæcus, quamuis sit priuatus visu, ergo nec bene dicitur aliquid vnum priuatiuè ex eo quod priuetur sua vnitate, sed potius debet dici positiuè non vnum.

*Confirmatur*, quia reuera natura nõ priuatur per singularitates vnitate aliqua,ergo nõ potest esse vna priuatiue etiam in sensu aduersariorum.Probatur antecedẽs, quia natura non habet aptitudinem ad vnitatem aliquã positiuam,ergo nõ priuatur tali vnitate.Probatur antecedens, quia illud nõ debet dici habere aptitudinem ad aliquid,cum quo nec de potentia absoluta,nec de ordinaria Dei,aut creaturæ potest coniungi,sed per nullam potentiam potest natura coniungi cũ tali vnitate,quandoquidem necessariò identificetur realiter singularitatibus:ergo non dicit aptitudinem vllam ad talem vnitatẽ.

## CONCLVSIO III.

Natura specifica non est vna formaliter & positiue in multis.

23 *Natura specifica v.g.humana,secundum quod distinguitur à singularitate,non est vna formaliter positiuè in omnibus indiuiduis.* Hæc est communior sententia Scotistarum contra quosdam alios Scotistas,qui licet concedant naturam multiplicari numero in indiuiduis existimant tamen naturam humanam v.g. quæ est in Petro, esse eandem formaliter & positiuè naturam, quæ est in Paulo,ita vt si secludantur hæcceitates Petri &Pauli,esset verũ dicere quod natura,quæ est in Petro,est ipsamet natura, quæ est in Paulo sine vlla prorsus distinctione.

*Probatur* conclusio primo ex *Scoto 2. dist.3.q.2.* vbi tractat hanc rem;dicit enim expressè quod nihil secundum quamlibet vnitatem, quam habet in re, sit in potentia proxima vt prædicetur de quolibet suppposito,seu singulari, prædicatione dicente, hoc est hoc; sed si à parte rei vna formaliter & positiuè natura inexisteret pluribus indiuiduis,potuisset prædicari de ipsis prædicatione dicente,hoc est hoc; ergo, vel falsum est quod dicit Scotus, vel falsum est oppositum conclusionis & consequenter vera erit conclusio ex Scoto.

*Responderi* posset quod Scotus tantum velit quod nihil secundũ quamlibet vnitatẽ quam habet à parte rei, sit proximè prædicabile,ex eo quod prius debeat apprehẽdi ab intellectu,quam per intellectũ possit prædicari.

24 *Contra*,quia Scotus negat esse proximè prædicabile, sicut essentia diuina est proximè prædicabilis de tribus personis, sed in illa sententia esset tam proximè prædicabilis,quam essentia diuina.nam nihil requireret præter apprehensionem & comparationem intellectus; sed hoc ipsum requirit essentia diuina vt possit proximè prædicari de tribus personis, *Deinde* numquam concederet quod natura vlla creata esset tã proximè prædicabilis de multis, quibus identificaretur, quã esset prædicabilis de vno, & tamẽ hoc sequeretur ex opposita sententia,vt patet:ergo opposita sententia est contra Scotũ.

*Confirmatur*, quia propterea requirit operationẽ intellectus,vt natura constituatur proximè indifferens, vt possit participari à multis:sed,secluſa omni operatione intellectus,esset in opposita sententia proximè indifferẽs, cũ de facto à parte rei parti ciparetur ab illis, ergo &c.

25 *Probatur secundò ratione*:quia impossibile est quod idẽ indiuisum & indistinctũ creatum sit in pluribus indiuiduis realissimè distinctis:sed hoc sequeretur ex opposita sententia,quia eadẽ positiue natura humana esset simul in Petro & Paulo.Maior patet,quia hoc est peculiare naturæ diuinæ, vt manẽs vna sit in pluribus personis diuinis realiter distinctis simul:& quidẽ hoc mysterium est tã mirabile,vt superet humanũ captũ,nec nisi captiuato intellectu in obsequiũ fidei de ipsa essentia diuina crederetur,non obstãte sua infinitate;vt miru sit aliquos posse cogitare,quod idẽ contingeret in naturis creatis.

Responderi potest ad hoc distinguendo maiorem:impossibile est vt aliquod creatũ vnum numero sit simul in tribus realiter distinctis,conceditur;aliquod creatum vnum formaliter tantum,sed non vnum numero,negatur;nec probatio maioris probat eã nisi tantum in primo sensu.Sic ergo hanc rẽ explicant aduersarij,vt dicãt naturam humanam, quæ est vna formaliter & positiuè etiam in omnibus indiuiduis,numerari tamen & diuidi in illis non formaliter,sed numero,itavt tot sint naturæ humanæ numero distinctæ; quot sunt indiuidua, licet non sint tòt formaliter aut essentialiter distinctæ:hanc autem diuisionem numericam prouenire ab illis variis hæcceitatibus,quibus contrahitur ad illa indiuidua.

26 *Sed contra est*,quod non possit intelligi quod aliquid diuidatur aut multiplicetur per aduẽtum alterius, si maneat eodem modo vna,quo ante aduentũ eius erat vna, vt ex se manifestum videtur: & patet etiam mille exemplis,quia propterea non dicitur paries multiplicari,nec diuidi per aduentum quarumcumque formarum accidentalium verbi gratia nigredinis,albedinis,caloris &c. quia post aduentum horum est eodem modo vnus, quo erat ante. Sed natura humana est vna formaliter, & positiuè post aduentum quarumcunque singularitatum,sicut fuisset,si nullo modo aduenirent illæ singularitates', ergo per singularitates non multiplicatur, nec diuiditur vllo modo.

Nihil maius vnum eo modo quo ante potest diuidi.

*Confirmatur* hoc, quia propterea optimè colligitur quod essentia diuina non multiplicetur per personalitates diuinas, quia licet coniungatur cum personalitatibus,manet eodem modo vna quo erat ante,licet ex illa & personalitatibus illis resultent tres Personæ realiter distinctæ:ergo quamuis ex natura humana & singularitatibus constituerentur aliqua realiter distincta, quorum quodlibet esset omnimodo incommunicabile, non tamen inde sequeretur quod ipsa natura multiplicaretur in illis, si maneret eadem positiuè natura in illis,quæ fuit ante aduentum istarum singularitatum.

*Confirmatur secundò*, propterea natura humana contracta per singularitatẽ esset vna numero, cum ante illã contractionem non esset sic vna,quia vt affecta illa singularitate redderetur incommunicabilis non solum formaliter, vt erat ex se ante illam singularitatem ; verum etiam numero : sed non est incommunicabilis numero per contractionem illam magis quam ante:ergo non est iam magis vna numero quam ante. Probatur minor, quia sicut ante illam contractionem poterat contrahi per hanc singularitatem,ita postquam iam est contracta per hanc singularitatem, eadem formaliter natura potest contrahi,& de facto contrahitur per aliam singularitatem:ergo sicut ante fuit cõmunicabilis,ita & modo.

Natura non obstante singularitate est communicabilis.

27 *Dices* naturam secundũ se esse semper communicabilem,vt tamen coniungitur cũ hac singularitate in sensu composito seu reduplicatiuo, non posse cõmunicari.

*Contra*, quia hoc nihil est aliud dicere quã quod illa simul cũ singularitate non possit communicari vlterius. Sed hoc non tollit difficultatẽ,ergo nulla respõsio.Probatur minor primò,quia sic posset dici quod essentia diuina fiat vna numero per paternitatẽ & non antecedẽter ad paternitatẽ,quia coniuncta cũ paternitate nõ potest communicari vlli,& absque paternitate potest cõmunicari.

municari. Probatur minor secundò, quia quod potest simpliciter communicari & multiplicari, non est vnum numero simpliciter: sed natura humana, quæ est in Petro, non obstante quod sit in Petro, potest communicari, ergo simpliciter non obstante quod sit in Petro, non est vna numero magis, quam si non existeret in Petro.

28. *Probatur secundò* cõclusio: eorũ quæ sunt idẽtificata realiter, vnũ nõ potest existere à parte rei sine alio, euidẽtissimũ enim signũ distinctionis realis, & cõsequẽter nõ idẽtitatis realis, est separatio realis, quoad existentiã, sed si esset eadẽ positiue natura in Petro, & Paulo idẽtificata cũ eorũ singularitatibus hoc esset falsum: ergo non potest fieri vt ita sit. Minor patet, quia natura illa in Petro posset existere à parte rei, quamuis Paulus non existeret, in tali autem casu existeret sine singularitate Pauli.

*Respondent* ad hoc, maiorem esse veram, loquendo de rebus singularibus, non vero loquendo de vna re vniuersali & illimitata & de alia re singulari.

*Sed contra primò*, quia sicut ipsi possunt negare illud principium de duobus extremis, quorum vnum sit vniuersale, & alterum singulare, ita posset alius negare illud de duabus rebus singularibus; & sic tolleretur totaliter illud principium, quod est absurdissimum. *Et si dicatur* esse disparitatem, quia vniuersale est illimitatum, singulare vero limitatum. *Non tollitur difficultas, primò*, quia posset quis dicere quod aliquod singulare esset illimitatum; v.g. eadem anima respectu intellectus & voluntatis, & quod propterea non obstante identificatione sua reali cum illis posset existere sine aliquo ex ipsis. *Secundò*, quia licet esset aliquid illimitatũ respectu pluriũ, & ex hoc sequeretur quod posset cõiungi cum illis, tamen non inde sequeretur, quod posset existere à parte rei sine quocunque ex illis, vt patet in exẽplo allato de anima respectu intellectus & volũtatis, & vt patet etiã in essẽtia diuina, quę licet sit illimitata ad tres personas diuinas, tamẽ nõ potest existere sine qualibet ex illis, & hoc ex eo, quod idẽtificetur realiter cum ipsis. Quod si etiã anima rationalis, quæ est illimitata respectu totius corporis idẽtificaretur toti corpori, profecto implicaret quod posset existere, quin simul totum corpus existeret.

*Confirmatur*, quia si natura humana posset existere à parte rei sine Petreitate, non esset vllum principiũ vnde colligeretur quod non distingueretur realiter à Petreitate: sed hoc est absurdissimũ, quia sic daretur idea Platonica, nimirũ aliquid commune distinctum realiter à singularitatibus. Probatur maior, quia signum vnde colligeretur, esset inseparabilitas eorũ; cum tamen non subiectarentur in rebus diuersis, nec vnum causaret, aut produceret aliud: sed non esset illa inseparabilitas, ergo.

29. *Dices*: satis est pro signo quod nõ distinguãtur realiter, quod natura humana debet idẽtificari realiter alicui indiuiduo; non est autẽ maior ratio de vno quã de altero, & cõsequẽter idẽtificabitur omnibus: ad colligendũ vero quod idẽtificetur realiter alicui indiuiduo, sufficit quod non possit poni à parte rei sine aliquo indiuiduo.

*Contra primò*, quia si potest poni sine Petreitate & Pauleitate, ergo & sine omni. Cõsequentia est Scoti, ita enim probat materiam primã posse existere sine omni forma per diuinã potentiã; quia potest sine hac & illa.

*Contra secundò*, quia in sentẽtia probabili Thomistarũ quãtumuis aliquid nõ possit esse sine aliquo ex multis indeterminate, tametsi potest esse sine quocũque determinato ex illis, inde colligitur sufficienter quod distinguatur raliter à quocumque determinato ex illis: hinc enim colligũt quod materia prima, licet non possit esse secundũ ipsos sine aliqua forma, distinguatur tamẽ realiter à quacũque forma determinata, quia sine quacumque determinata potest existere: ergo similiter quamuis natura humana nõ possit existere sine aliqua singularitata indeterminata, quia tamẽ potest sine quacumque determinata, distinguetur realiter à quacũque determinata singularitate; & ne dicatur doctrinam Thomisticam non admitti à Scotistis, quamuis reuera hoc sit falsum, quantum ad collectionem illam distinctionis realis, tamen pono aliud exemplum clarissimum: nullum continuum potest inexistere sine aliquo indiuisibili, & tamen non identificatur realiter vlli indiuisibili, quia potest esse sine quocumque determinato indiuisibili.

30. *Probatur tertiò*, quia sequeretur quod eadem positiue natura humana esset simul in cælo & in terra, generata & corrupta, viua & mortua, diues & pauper, docta & insipiens &c. quia esset eadem natura positiue Christi & Iudæ, Cræsi & Codri, Salomonis & stulti, Alexandri Magni olim mortui & Petri iam viuentis: hæc autem videntur absurdissima.

*Confirmatur*, quia Deus non posset creare hominẽ aliquẽ iã, aut aliquẽ annihilare, quia creatio est productio rei ex nihilo, ita scilicet vt nihil istius rei præextiterit, & annihilatio est destructio rei, ita vt nihil ipsius remaneat. Sed nõ posset homo aliquis iã produci aut destrui, quin natura humana ipsius præexisteret & remaneret in aliis hominibus, nisi omnes homines destruerentur.

*Respondent* non esse absurdum quod eadem formaliter natura sit simul in cælo & in terra &c. licet hoc esset absurdum de eadem numero.

Similiter ad confirmationem dicunt, creationem esse productionem rei, ita vt nihil singulare istius rei præextiterit, non verò ita vt nihil formaliter: & pariformiter dicunt de annihilatione.

*Sed contra primò*, quia quare ista non essent absurda de eadem natura formaliter, si essent absurda de eadem numero natura? *Dices*, quia per se competunt ista, singulari, & per accidens tantum naturæ, quæ est singularis. *Contra*: quia incompatibilia non possunt, ne per accidens quidem competere alicui vni simul.

*Contra secundò*, quia saltem sequeretur quod tota essentia Christi, & tota entitas ipsius præter singularitatem sit dannata, siue per se, siue per accidens, quod videtur absurdissimum.

31. *Probatur quatò*, quia nullũ prorsus est indiciũ illius positiuæ vnitatis formalis: ergo, quandoquidẽ sit contra cõmunissimã sentẽtiam & habet plurimas difficultates, nõ debet asseri. Antecedẽs patet soluendo obiectiones.

*Obiicies primò*: Petrus & Paulus sunt indiuisa formaliter, hoc est per principia sua essentialia: ergo habẽt vnitatẽ formalẽ positiuã inter se, licet distinguãtur numerice per principia materialia, hoc est per hæcceitates.

*Confirmatur*, quia habent eandem definitionem, ergo sunt vnum quid formaliter, seu essentialiter.

*Confirmatur secundò*, quia Petrus & Paulus sunt similes essentialiter; ergo habent aliquam vnitatem essentialem positiuam: similitudo enim fundatur in vnitate secundum Philosophum.

*Respondetur*, negãdo antecedens, sicut enim natura Petri in se est vna formaliter, ita distinguitur formaliter & diuiditur à quacũque alia, quæ non est ipsa, & consequenter à natura Pauli: dicuntur autẽ non distingui formaliter seu essentialiter propter maximam similitudinem, quam habent in suis essentiis, sicut etiam solet dici de duobus aliquibus indiuiduis hominũ, si valde magnam similitudinem habeant, quod non videantur esse distincta, & quod videantur esse vnus & idem homo.

Quo sẽsu indiuidua eiusdem speciei sunt idẽ formaliter.

32. *Ad primã confirmationẽ*, respondeo, si loquamur de definitione obiectiua, aliam esse definitionem Petri, & aliam Pauli, sicut alia est essentia ipsius ab ipso, quamuis propter summam similitudinem, quam habẽt censeantur habere vt vnam essentiã, ita etiam vnam definitionẽ: si verò loquamur de definitione formali, qui est actus intellectus repræsentans formaliter definitionem obiectiuam, quamuis esset vna definitio Petri & Pauli, non sequeretur quod nõ distinguerẽtur formaliter, sed tantũ quod propter summã similitudinem, quam inter se habent, actus ille qui repræsentaret vnius naturã, repræsẽtaret etiã naturã alterius: sicut imago picta artificialiter, quę repręsẽtaret corpus Petri repræsẽtaret corpus etiã Pauli, si essẽt valde similes in corporibus suis.

Quo sensu habẽt eandem definitionem.

*Ad secundã confirmationẽ* respondeo negãdo cõsequẽtiã: ad cuius probationẽ dico primò quod Philosophus non dicat similitudinẽ fundari in vnitate, sed tantum dicit quod illa sunt similia, quorũ extrema sunt vna, hoc

autem

autem potest esse verum, quamuis similitudo non fundetur in vnitate. Itaque sensus est quod idem omnino sit, aliqua esse similia, & aliqua esse vna formaliter, vnde illa quæ sunt similia sunt etiam vna, & è contra.

*Respondeo secundò* distinguendo probationem cõsequentiæ: fundatur super vnitatem quam vtrumque extremum habet inter se, nego; super vnitatem quam vnumquodque extremum secundum se habet, concedo; sed nihil inde contra nos.

33. *Dices* contra totam hanc solutionem: si Petrus & Paulus dicãtur vnum formaliter inter se, & habere vnã definitionem propter similitudinẽ, quam habent in sua essentia, similiter etiam possent dici vnum numero propter similitudinem quam habent in suis hæcceitatibus.

*Confirmatur* hoc, quia sicut non potest aliquod prædicatũ essentiale cõpetere naturæ, quæ est in Petro, cui simile non posset cõpetere naturæ quæ est in Paulo, similiter non potest aliquod prædicatum essentiale competere hæcceitati Petri, cui simile non potest competere hæcceitati Pauli: ergo sicut ex illo capite sequitur vnitas formalis saltem similitudinarie, ita ex hoc capite sequitur vnitas numerica eodem modo.

*Respondetur primò*, quod si similitudinem habeant in hæcceitatibus sicut in essentia, vt replica intendit, quod deberent etiã habere vnitatem positiuam in hæcceitatibus sicut in essentia, quod est absurdissimũ, etiam secundum aduersarios. Probatur sequela, quia ex similitudine, quam habent in essentia, arguunt aduersarij vnitatẽ positiuam eorum, ergo si sit talis similitudo inter ipsorum hæcceitates, habebunt vnitatẽ positiuam in hæcceitatibus. Quod si dicant aduersarij non esse talem similitudinem inter ipsos in hæcceitatibus, qualis est in essentia, quæcumque disparitas similitudinis sufficiet ipsis ad excludendum quod non habeant vnitatẽ positiuam in hæcceitatibus, sufficiet nobis ad ostendendum quod non debeant dici vnum numero similitudine, sicut dicuntur vnum formaliter similitudine.

34. *Respondeo secundò*, ea dici vnum formaliter similitudine, quæ habent talem similitudinẽ, vt conceptus formalis, qui repræsentat vnum, natus sit repræsentare alterũ, & quia Petrus & Paulus sunt sic similes in essentia sua, propterea dicuntur vnus homo formaliter & essentialiter, ac habere vnam definitionem: quæ verò non habent talem similitudinẽ, non dicuntur sic vnum, vt singularitates, quæ sunt talis naturæ, vt quod repræsentat vnam ex ipsis non sit natum repræsentare alteram, præsertim si concipiantur perfectæ.

Cur indiuidua similia in ratione indiuidui non dicuntur vnum numero ob similitudinẽ.

*Respondeo tertiò* breuiter negãdo consequentiam, quia vt aliqua dicantur vnum numero, non sufficit vt habeãt similitudinẽ, sed requiritur vt sint reuera positiue vnũ, & vt sint identificata realiter à parte rei: quo modo certum est Petrum non se habere respectu Pauli: vt aliqua verò dicantur vnum formaliter & essentialiter, sufficit quod habeant similitudinem; quod totum patet ex communi acceptione horum terminorum.

*Dices*: ergo saltem Petrus & Paulus possunt dici etiam vnum formaliter & essentialiter in hæcceitatibus, quia habent in illis similitudinem.

*Respondeo* negando consequentiam, quia vt sint vnum formaliter, debent habere similitudinem in prædicatis essentialibus, & non sufficit quod habeant eam in materialibus, seu indiuidualibus.

35. *Obiicies secundò*: si natura Petri verbi gratia, vt distinguitur formaliter à Petreitate, non esset positiue vna cum natura Pauli, vt formaliter distincta à Pauleitate, sequeretur quod vna ex illis naturis vt sic distingueretur positiue ab altera natura, sed hoc est falsum; ergo, vt sic distinguũtur ab hæcceitatibus, sunt vna positiue natura. Probatur minor, quia si vt sic, essent distincta positiue, non esset necessitas aliqua superaddendi ipsis singularitates: sed hoc est cõtra Scotum & Scotistas omnes, ergo & id vnde sequitur. Probatur maior quia totum officiũ & munus singularitatis est facere vt vna natura similis alteri naturæ essentialiter, nõ sit illa altera natura, sed sit positiue distincta ab illa altera natura; ergo si natura Petri habet ex se, vt distinguitur à Petreitate, nõ esse naturã Pauli, sed positiue distinctã ab illa, non est vlla necessitas Petreitatis superadditæ.

*Confirmatur*, quia si natura Petri, vt distinguitur à Petreitate, distinguatur positiue, & realiter à natura Pauli, ergo debet habere aliquod principium istius distinctionis: sed non habet, ergo non distinguitur sic. Probatur subsumptũ, quia in naturis illis, vt præscindũt ab hæcceitatibus, nõ sunt vlla principia per quæ distinguãtur, præter prædicata essentialia istarũ naturarum; aut proprietates cõsequẽtes illa prædicata: sed hæc sunt principia cõuenientiæ istarũ naturarũ, ergo nõ sunt principia distinguendi illa, idem enim nõ videtur posse esse principiũ cõuenientiæ & disconuenientiæ repectu eiusdem.

*Respondeo* negando sequelam maioris, quia vt sic distincta formaliter, neque est vna positiue cum alia natura, neque positiue distincta ab illa, nam vt sic præcise habet sua prædicata essentialia, inter quæ non est nec vnitas vlla, nec distinctio: nõ vnitas, quia illa est impossibilis illi; nec distinctio, quia illa prouenit à singularitate, à qua vt sic præscindit natura.

36. *Dices* de quocumque formaliter potest prædicari, vel quod sit vnum cum alio, vel quod non sit vnum, ergo de natura etiam Petri potest prædicari, vel quod sit vna cum natura Pauli, vel quod non sit vna cum illa, atque adeo, quod sit distincta.

Quomodo de quocũque vno potest dici quo sit vnum cũ aliis aut distinctum ab illis.

*Respondeo* distinguendo antecedens: de quacũque formalitate potest prædicari simpliciter & realiter à parte rei, quod sit vna, vel nõ vna, seu distincta positiue, concedo antecedens; & id etiã verum est de natura humana Petri, quæ reuera simpliciter est distincta realiter à natura Pauli, & ipso Paulo, sicut est distincta à natura Bucephali: de quacumque formalitate formaliter & ex ratione sua formali verũ est dicere quod sit vnũ vel non vnum, nego antecedens: nam, vt dicit Scotus noster ex Auicenna, equinnitas secundũ se formaliter est tantum equinnitas, & vt sic nõ est nec vna nec plures; & quemadmodum homo, secundum quod homo, essentialiter non est nec risibilis, nec non risibilis, quia nec risibilitas est de eius essentia, nec negatio risibilitatis, ita natura humana, vt natura humana dicit solũ sua prædicata essentialia, nõ debet esse formaliter nec vna nec distincta, quia nec vnitas, nec distinctio est de eius essentia.

Respõsio ad cõfirmationẽ.

*Ad confirmationẽ dico*, suppositum antecedentis, nempe quod natura humana Petri sit distincta à natura Pauli, vt abstrahunt ab hæcceitatibus, esse falsum, vt patet ex iam dictis, & sic ruit tota vis cõfirmationis. Quod si etiã illud suppositũ esset verũ, negari deberet subsumptum & cõsequens probationis; bene enim potest fieri, quod idem sit principium cõuenientiæ similitudinariæ aliquorum, & distinctionis ac disconuenientiæ positiuæ.

37. *Obiicies tertiò*, si natura, quæ est in Petro, secundũ quod distinguitur à Petreitate, sit vna formaliter in se, & distincta positiue à natura, quæ est in Paulo, ergo erunt duæ species distinctæ.

Quomodo duæ naturæ similes sunt vna species.

*Respondeo primò* hypothesim antecedentis esse falsam, nimirum quod illæ naturæ, vt distinguuntur à singularitatibus, sint distinctæ, vt patet ex dictis ad obiectionẽ præcedentem. Quod si etiam vera esset illa hypothesis, *responderi posset secundò* illas naturas esse quidem duas species distinctas, sed omnino tam similes vt reputentur vna species. Pro quo aduerte, illa communiter dici distincta specie, aut species distinctas, quæ habent dissimilitudinem aliquam essentialem, ita vt prædicatum aliquod essentiale possit conuenire vni, quod alteri non conueniat: vnde cum istæ duæ naturæ non sint ita dissimiles, quamuis reuera sint distinctæ, & vna non sit altera, tamen reputantur, vt dixi, vna species.

38. *Obiicies quartò*: sequeretur quod nõ daretur vniuocatio, quia nõ daretur aliquod nomẽ, quod secundũ eandem rationẽ prædicaretur de multis; homo enim, secũdũ quod dicitur de Petro, significat naturã illam vnam formaliter, quę est in Petro, & secũdũ quod dicitur de Paulo, significat aliã naturã positiue vnam, quę est in Paulo.

*Respondeo* negando sequelam & distinguendo eius

Vnitas similitudinis sufficit ad vniuocationem.

probationem: secundum eandem rationem, quæ sit positiue vna à parte rei, transeat; secundum eandem rationem similitudine, negatur; sufficit autem ad hoc quod nomen aliquod dicatur vniuoce de multis, quod id, quod significatur per ipsum secundum quod dicitur de vno, sit omnino simile illi, quod significatur per ipsum, quatenus dicitur de altero.

## CONCLVSIO IV.

Natura specifica quæ est in vno indiuiduo habet vnitatem solam similitudinis cum natura alterius.

39. *Natura quæ denominatur vniuersalis v.g. natura humana, quæ reperitur in Paulo, non habet aliam vnitatem à parte rei cum natura, quæ est in Petro & aliis indiuiduis eiusdem naturæ, quàm vnitatem similitudinis & conformitatis aut repræsentabilitatis per eundem conceptum formalem; nec alia vnitas requiritur ad hoc vt sit formaliter vna illa vnitate, quæ requiritur ad hoc vt sit formaliter vniuersalis.* Prima pars huius conclusionis est contra eos, qui ponunt vnitatem positiuam aut priuatiuam inter naturas indiuiduorum eiusdem speciei; sed est iuxta sententiam communiorem tam Scotistarum quam Thomistarum, ac recentiorum negantium illam vnitatem: supponit autem dari similitudinem & conformitatem inter illas naturas, de quo non potest esse dubium, cum sit euidentissimum, Petrum & Paulum habere in sua natura talem similitudinẽ & conformitatẽ, vt nisi fuisset propter accidentia aliqua, sine quibus potuisset illorũ natura reperiri, non potuissemus ipsos ab inuicem discernere, vt cõstat in difficultate, quam experimur in discernendis à se inuicẽ duobus radiis solaribus, aut duobus ouis, aliisq; indiuiduis, in quibus non discernũtur tã facile accidẽtia diuersæ rationis: & ex hac conformitate & similitudine oritur, quod ille ipse conceptus formalis, quẽ habemus de Petro, quatenus homo est præcisè, sine cõceptu differentiæ indiuidualis aut accidentium, possit repræsentare æque bene Paulum, ac quemcumque alium hominẽ, quemadmodũ imago facta ad repræsentandum vnum hominem, æque bene repræsentat alium hominem omnino similem ipsi etiam quoad accidentia.

Alia vnitas pro vniuersalitate nõ requiritur.

40. *Probatur hæc prima pars*, quia nõ est assignabilis alia vnitas inter illas naturas, quæ sit à parte rei: si quæ .n. assignari posset, maxime vnitas positiua, aut priuatiua, sed hanc supra reiecimus, ergo non est alia præter hãc.

*Probatur secunda pars*; quia si aliqua alia requireretur, maxime vnitas aliqua, quæ adueniret per intellectum: sed nulla talis aduenit, vt supra probatum est, ergo.

*Cõfirmatur*, quia nihil impedit quo minus hęc ipsa vnitas sufficiat pro vnitate vniuersalitatis: ergo alia nõ est assignanda, quia multiplicarẽtur entia sine necessitate.

41. *Obicies*, secundum Philosophũ similitudo fundatur in vnitate, ita vt illa, quæ habent inter se similitudinẽ, debeant etiam inter se habere vnitatem antecedentẽ ad istam similitudinem; ergo si natura Petri & Pauli habẽt inter se à parte rei similitudinem, habent etiam à parte rei aliquam vnitatem antecedentem, & consequenter vnitas ipsorum à parte rei non consistit in similitudine

*Respondeo primo*, vt supra etiam responsum est, Philosophũ non dicere quod similitudo fundetur in vnitate, sed quod illa sunt similia quæ sunt vna: qui modus loquendi non arguit, quod similitudo distinguatur ab vnitate, aut quod vnitas sit ratio fundandi similitudinẽ, sed posset significare, quod vnitas esset ipsamet similitudo, quemadmodum hic modus loquendi: *illud est risibile quod habet potentiam ad ridendum*, non arguit potentiam ad ridendum esse distinctum quid à risibilitate, sed potius significat risibilitatem esse potentiam ridendi.

Quænã vnitas præsupponitur tanquam fundamentum similitudinis.

*Respondeo secundò*, si requiratur aliqua vnitas antecedens similitudinem inter naturã Petri & Pauli, illã non esse aliam quam repræsentabilitatem per eandẽ speciẽ, aut conceptum formalem, ita scilicet vt quæcũque duo sunt repræsentabilia per eandem speciem aut conceptũ formalem seu cognitionẽ, illa debeant dici vna, & cõsequenter similia; & si sint repræsentabilia per eundẽ cõceptum quo intelligitur tota essentia ipsorũ, vt sunt repræsentabiles Petrus & Paulus, quatenus homines, tum debẽt dici vna & similia adæquate & essẽtialiter: si vero sunt repræsentabilia per eundem conceptum, quod intelligitur pars tantum essentiæ ipsorum, debent dici vnum non adæquate, sed inadæquate, & sic sunt vnum quid & similes Petrus & Bucephalus; quia sunt repræsentabiles per eundem conceptum, qui repræsentat nõ totam essentiam eorum, sed partem tantum, nimirum animalitatem, aut corporeitatem.

42. Hanc autem vnitatem concedimus in conclusione, & potest optime vocari vnitas formalis & essentialis, quia est vnitas correspondens rebus ratione essentiæ: est etiam minor, quam sit vnitas numerica, quia quæ sunt vnum numero identificantur realiter, & vnum nequit esse sine altero; quæ vero sunt vnum hoc modo nõ identificantur realiter, & propterea vnum ex ipsis potest existere in rerum natura, altero non existente, vt contingit de facto quando Petrus moritur, & Paulus viuit, tum enim existit natura humana, quæ est in Paulo, non existente natura, quæ est in Petro: certum autem est maiorem esse vnitatem eorum quæ separari nequeunt, quam quæ sunt separabilia.

Est etiam alia differentia inter hanc vnitatem, & numericam vnitatem, quod quæ sunt vnum hac vnitate formali & minori, habeant multiplicitatem, ita vt possit de ipsis dici vere & proprie, ac sine addito sunt plures res, aut sunt plura entia, nec propterea possit dici de ipsis quod sint vnum simpliciter & sine addito, sed semper cum limitatione dicendo quod sint vnum formaliter aut essentialiter, aut in hac, vel illa ratione aut vnitate similitudinis, vel conformitatis, vel repræsentabilitatis per vnam speciem. Illa vero, quæ sunt vnum numero, possunt dici simpliciter vnum, nec potest dici de ipsis, sunt plures res aut plura entia.

Iuxta hoc autem intelligenda est vnitas formalis & minor numerica, quam asserit *D. Th. in 2. d. 3. q. 2.* quam propterea vnitatem dari à parte rei, vt vult Scotus, nemo negare potest, qui asserit hanc conformitatem & similitudinem ac repræsentabilitatem inter indiuidua eiusdem speciei dari à parte rei, vt omnes asserere debent; nec alia prorsus vnitas probatur argumento Scoti; & hæc ipsa vnitas est etiam proprietas naturæ, nam sane proprietas ipsius est, quod possit repræsentari per talem conceptum, qui conceptus possit repræsentare formaliter aliam naturam, quæ sit similis illi.

Ex hac etiam vnitate & conditione naturæ v.g. humanæ, quæ est in Petro, oritur, quod si concipiatur natura præcise, hoc est, vt aliquid potens sensitiue discurrere, licet à parte rei & realiter sit distinctissima à natura, quæ est in Paulo, intellectus tamen non possit ipsam distinguere à natura, quæ est in Paulo: propter quod etiam potest dici quod istæ duæ naturæ sint vnum concepru, quatenus scilicet, quantum ad conceptum nostrum attinet, non possumus illas distinguere; nisi consideremus ipsas sub aliqua alia ratione.

Cur natura cuiuslibet indiuidui non sit ex se multiplicata nec multiplicabilis positiue.

Ex quo præterea ortum est, quod natura ex se & proprietatibus suis formaliter consideratis non habeat multiplicari, sed esse vna formaliter, licet sit realiter multiplicata, quia sc. vt sic considerata nõ potest determinate intellectum ad cognoscendum quod sit multiplicata, aut quod natura, quæ est in vno indiuiduo, v.g. Petro, sit distincta à natura, quæ est in alio indiuiduo: & fortassis illi, qui volũt naturam ex se esse vnam formaliter in pluribus, nihil aliud volunt, quam quod iam dictum est, nimirum illã esse ita formaliter vnam in pluribus, vt ex se non tribuat occasionem intellectui ad cognoscendum quod non sit vna in pluribus, & si hoc vellent, non esset nobis cum illis controuersia,

*Dices*: natura, quæ est in Paulo, vt natura, & vt distincta à Pauleitate, vel est illa natura, quæ est in Petro, vt distincta à Petreitate, vel non est; si non est, ergo potest discerni ab ipsa, & distingui.

*Respondeo* illam naturam vt sic, neque esse distinctam ab altera, neque non esse: nã licet à parte rei & realiter ex cõtradictoriis alterum extremum debeat cuilibet cõpetere, iuxta primũ principiũ: Quodlibet est vel nõ est: tamen nõ debet cum addito quocũque alterum ex ipsis competere cuilibet, vt patet manifeste, quia licet verum

sit

sit quod paries sit albus vel non sit albus, tamen non est verum dicere quod sit albus essentialiter, aut quod non sit albus essentialiter, neque enim albedo aut negatio albedinis est de essentia ipsius, licet possit dici quod nó sit albus essentialiter negatiuè, hoc est quatenus verum est, quod albedo non sit de essentia ipsius. Et eodē sanè modo natura humana, quæ est in Petro, vt consideratur ab intellectu, quatenus natura præcisè per ordinem ad prædicata sua essentialia & proprietates, non habet esse illam naturam, quæ est in Paulo, neque non esse illam, quia neque idētitas ipsius cum natura Pauli est de conceptu ipsius vt sic, neque non identitas; neque enim potest considerari cum identitate ad naturam Pauli, neque cum negatione identitatis, quin consideretur ipsa natura Pauli; quatenus autem consideratur natura Petri vt natura humana præcisè, hoc est vt animal rationale, non consideratur vt habens identitatem cum natura Pauli, neque vt non habens identitatem, licet realiter habeat negationem identitatis positiuæ, & realis cum natura Pauli, & præterea vnitatem formalem, hoc est similitudinem cum natura Pauli, & conceptibilitatē per conceptū, qui repræsentare possit æque vtrāq; naturam.

45 *Obiicies secundò*; Illa vnitas similitudinis non sufficit, vt natura possit prædicari de pluribus formaliter prædicatione dicente: hoc est hoc; sed vnitas requisita ad vniuersalitatem debet sufficere ad hoc; ergo alia vnitas præter vnitatem similitudinis aut repræsentabilitatis debet concedi naturæ, vt sit vniuersalis.

*Respondeo* distinguendo maiorem: si ad hoc vt aliquid dicatur prædicari de pluribus, requiratur quod ipsummet, quod prædicatur de pluribus, insit positiuè in illis pluribus, concedo maiorem: si solum sufficit ad hoc, quod id ipsummet, vel aliquid ipsi simile & repræsentabile eodem conceptu sit in illis pluribus, nego maiorem; & similiter distinguo minorem: vnitas requisita ad vniuersalitatem debet sufficere, vt aliquid prædicetur de pluribus formaliter ita, vt ipsummet positiuè secundum se sit in illis pluribus, nego minorem: ita vt ipsummet vel secundum se, vel secundum aliquid simile sit in illis pluribus, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque quando dicitur quod vniuersale sit in multis, & de multis prædicabile formaliter, non est hoc sic intelligendum, quasi vnum aliquod positiuè reperiretur in multis, & prædicaretur de ipsis, quia sic non daretur natura vniuersalis: & propterea Nominales, quia existimauerunt naturam vniuersalem debere hoc modo inesse multis, & prædicari de multis, si daretur, consequenter optimè negauerunt dari naturam vniuersalem. Sed decepti sunt existimantes quod natura vniuersalis sic deberet esse in multis, & de multis prædicabilis: cum tamen sufficiat, vt dictum est, quod vel secundum se, vel secundum aliquid simile sit in multis & de multis prædicabilis: quod bene aduertendum est, vt controuersia cum Nominalibus, ablata æquiuocatione, & quæstione de nomine, facilè componi possit.

Quomodo natura vniuersalis debeat esse vna in multis.

46 *Obiicies tertiò*: Hæc vnitas similitudinis est à parte rei, ergo vnitas vniuersalis est à parte rei; sed hoc est contra communem sententiam, & *Scotum* etiam expresse supra in 2. *d.* 3. *q.* *n.* 8. ergo vnitas requisita ad vniuersalitatem non consistit in illa vnitate similitudinis, aut conformitatis aut repræsentabilitatis per eandem speciem.

*Respondeo* distinguendo consequens: natura vniuersalis metaphysicè fundamentaliter & remotè, concedo consequentiam, nec hoc est contra Scotum aut communem, formaliter & proximè, nego consequentiam.

*Instabis*: nihil requiritur vt sit proximè & formaliter vniuersalis, quam quod habeat vnitatem requisitam ad vniuersalitatem: sed habet hanc à parte rei secundum nos, quandoquidem consistat in illa similitudine seu repræsentabilitate, quæ est à parte rei, ergo non solum vniuersale metaphysicum datur fundamentaliter & remotè à parte rei, sed proximè & formaliter.

*Respondeo*, negando maiorem, nam requiritur vlterius vt sit proximè vniuersalis, quod sit abstracta à singularitatibus: non est autem abstracta à singularitatibus, nisi vt consideratur ab intellectu præcisè secundum se, non considerando ipsam vt affectam singularitatibus: quia si consideretur natura Petri vt affecta singularitate Petri, videbitur vt distincta à natura Pauli, & consequenter non videbitur vt indifferens secundum se formaliter ad hoc vt prædicetur de Paulo: licet enim secundum se etiam à parte rei, quatenus distinguitur à singularitate sit sic indifferens; tamen quia coniungitur cum ipsa à parte rei singularitas sua, per quam formaliter determinatur ad esse distinctum à Paulo & natura Pauli, propterea non potest dici, quod, vt est à parte rei, sit simpliciter indifferens, sed vt consideratur ab intellectu secundum se, non considerata eius singularitate, potest dici vt sic simpliciter indifferens, quia non habet in intellectu sic considerante impedimentum singularitatis. Quæ doctrina est de mente Doctoris supra, & communis sententiæ.

## QVÆSTIO III.

*De aptitudine naturæ vniuersalis metaphysicæ.*

47 IAm examinabimus secundam particulam positam in definitione vniuersalis, nimirum quod sit aptū inesse multis, & explicabimus quam aptitudinem inexistendi multis debeat habere; quod ex suppositione resolutionis datæ quæstione præcedenti non est difficile, nec habet vllam cōtrouersiam, nisi dependentē à controuersiis quæstionis præcedentis: vnde non est necesse sententias aliquas hic referre. Pro maiori tamē claritate.

Aduertendum, per aptitudinem inexistendi multis, nihil aliud nos intelligere, quam potentiam, seu non repugnantiam naturæ ad inexistendum multis, siue illa potentia sit naturalis, id est cum inclinatione naturæ, siue violenta, id est contra inclinationem ipsius, siue neutra, id est neque cum inclinatione, neque contra inclinationem naturæ.

### CONCLVSIO I.

Quam aptitudinem existendi in multis requirit vniuersale metaphysicum.

48 *Natura vniuersalis metaphysicè non habet, nec requirit aliam aptitudinem ad existendum in multis, quam quod possit dari alia natura sibi similis, potens repræsentari per eandem speciem, qua repræsentatur ipsa.* Hæc sequitur ex dictis, quia natura vniuersalis metaphysicè non habet, nec requirit aliam aptitudinem ad existendum in multis quam talem, qualem habet natura humana verbi gratia ad existendum in Petro & Paulo: sed illa aptitudo non est alia, quam quod non repugnet naturæ humanæ, quæ est in Petro, habere aliam naturam sibi omnino similem, quæ potest repræsentari per eandem speciem, per quā ipsa repræsentatur, vt patet ex dictis: ergo.

*Confirmatur*, quia propterea natura diuina non habet aptitudinem requisitam ad vniuersale metaphysicum, quia non potest dari alia natura ipsi omnino similis, quæ possit repræsentari per eandem speciem, per quam ipsa repræsentatur; ergo sufficienter erit aliquid aptum aptitudine requisita ad vniuersale metaphysicum, si potest dari alia natura ipsi omnino similis, repræsentabilisque per eandem speciem, per quam ipsum est repræsentabile.

### CONCLVSIO II.

Aptitudo illa datur à parte rei.

49 *Datur à parte rei absque aliqua fictione vel operatione intellectus huiusmodi aptitudo in natura à parte rei existente.* Probatur, quia alias non daretur à parte rei natura, quæ posset denominari vniuersalis. *Probatur secundo*: quia alias non darentur naturæ similes à parte rei, contra omnem experientiam. Probatur sequela, nam si repugnaret naturæ habere aliam naturam sibi similem, non posset habere naturam sibi similem.

### CONCLVSIO III.

Est respectus aptitudinalis similitudinis.

50 *Illa aptitudo formaliter est respectus aptitudinalis similitudinis, quem dicit natura ad aliam naturam sibi similem.* Probatur quia debet assignari aliquid positiuum, in quo consistat; sed aliud conuenientius nequit assignari, quam huiusmodi respectus: ergo. Probatur maior, alias deberet consistere in negatione repugnantiæ, sed non potest cōsistere in hoc, quia ipsa repugnātia est negatio: ergo potentia ipsi opposita debet consistere in positiuo,

& non in negatiue;quia vniuersaliter quotiescumq; aliqua negatio tollitur, debet tolli per affirmationem, & non per aliam negationem ipsi oppositam;& hinc communiter admittitur quod non detur negatio negationis tanquam quid per se oppositum ipsi,de quo alias.

Dixi:*respectus similitudinis aptitudinalis*,& non actualis,quia semper natura habet aptitudinem vt sit in multis modo prædicto, est enim proprietas ipsius : sed non semper habet, aut necesse est vt habeat similitudinem actualem, tunc namque tantummodo habet similitudinem actualem, quando alia natura similis ipsi actu existit,sed non est necesse,vt semper actu existat alia natura similis vlli naturæ;& de facto non existit alia natura similis naturæ Solis.

51 *Obiicies* : si illa aptitudo consisteret in respectu similitudinis aptitudinalis, sequeretur quod non esset distincta formaliter ab vnitate naturæ : sed hoc est falsum ; quia sic frustra poneretur in definitione vniuersalis simul cum vnitate:ergo non consistit aptitudo naturæ in illa similitudine aptitudinali. Probatur sequela maioris, quia vnitas naturæ cõsistit in illa similitudine.

Quomodo distinguitur ab vnitate naturæ.

*Respondetur* distinguendo maiorem:sequeretur quod non esset distincta ab illa vnitate naturæ,sc cundũ quam dicitur quod sit vna natura in pluribus indiuiduis,concedo maiorem ; ab illa vnitate quã quælibet natura habet secũdum se,nego maiorem.Itaque duplicem possumus considerare vnitatem in natura vniuersali,vnam secundum quam est vna in se, & quidem nõ vna per accidens, sed vna per se, & hæc vnitas competeret naturæ, etiamsi non esset possibile aliud indiuiduum quàm vnũ tantum eiusdem naturæ, & propterea non est vnitas coincidens cum aptitudine hac,nec cũ similitudine aptitudinali.Hæc autẽ est vnitas quæ ponitur in definitione vniuersalis simul cum aptitudine,siue sit de essẽtia eius, vt est vniuersalis formaliter ; siue non sit, sed conditio tantum necessario requisita ex parte fundamẽti(de quo parum est curandum)& consequenter non superflue ponitur in definitione vniuersalis simul cum aptitudine. Alia est vnitas naturæ,secundum quam dicitur quod natura vnius indiuidui est vna cum natura alterius indiuidui,& hæc coincidit cũ illa aptitudine, & superflue poneretur in definitione vniuersalis simul cum aptitudine.

Duplex vnitas naturæ vniuersalis.

## QVÆSTIO IV.

*An natura vniuersalis debeat vere posse esse in pluribus.*

52 THomistæ quãplurimi duplicem considerant naturam vniuersalem,vnam quæ sit vniuersalis ex parte rei & intellectus,vt est omnis illa natura,quæ potest habere à parte rei plura indiuidua, verbi gratia,natura humana, natura equina, natura Solis, quæ licet à parte rei de facto nõ habeat plura indiuidua, potest tamen de potentia Dei absoluta habere plura indiuidua. Alia secundũ ipsos datur natura vniuersalis ex parte intellectus tantũ,quæ scilicet,licet non possit habere etiã de potentia Dei absoluta plura indiuidua,tamẽ ex parte intellectus, quatenus secundum se concipitur conceptu imperfecto, non repugnat ipsi habere plura indiuidua; conformiter ad quam doctrinam dicunt, quod quamuis in ipsorum sententia natura Michaëlis & cuiuslibet Angeli non possit multiplicari numero etiam de potentia absoluta, adhuc tamen est verè natura vniuersalis metaphysicè, non quidem in re & intellectu. Ita *Caietanus cap.de specie,& tract. de ente & essentia cap.4.Sanch. in Logica q.56.* & plures alij, quos citant & sequuntur *Complutenses disp.6. q.4.* Oppositum autem huius sententiæ tenent cum Scotistis recentiores ferè omnes, & nominatim *Auersa q.8 sect.4.*

## CONCLVSIO.

Vniuersale debet esse in multis realiter.

53 *Ad naturam vniuersalem requiritur aptitudo ad existendum in multis realiter & à parte rei.* Hæc est cum communiori sententia contra Thomistas. *Probatur primò*, quia quandoquidem Philosophus definiat naturam vniuersalem esse aptam existere in pluribus simpliciter,& posse prædicari de pluribus simpliciter,id potius debet intelligi de aptitudine reali,quã de aptitudine illa intellectuali;ergo non sufficit ad naturam vniuersalem, prout definita est à Philosopho, aptitudo illa intellectualis tantum.

*Probatur secundò*, quia si sufficeret aptitudo intellectualis tantum, sequerentur duo absurda : primum est, quod natura diuina esset vniuersalis metaphysicè : secũdum,quod species infima esset genus metaphysicum: ergo non sufficit talis aptitudo. Probatur sequela, quia nihil impedit quo minus natura diuina sit vniuersalis metaphysicè, nisi quod non possit à parte rei multiplicari numero,& nihil impedit quo minus species infima sit genus metaphysicum,nisi quod à parte rei non possit multiplicari specie : ergo si non requiritur illa multiplicatio à parte rei, potest natura diuina esse verè vniuersalis,& species infima esse genus metaphysicum.

*Aduersary negant antecedens* huius probationis, & dicunt rationem cur natura diuina non sit vniuersalis, nec species infima genus, esse quod natura diuina nequeat concipi conceptu etiam imperfecto,quin concipiatur vt indiuidua ac inepta esse in pluribus, & quod species infima nequeat concipi, quin concipiatur vt immultiplicabilis specie.

*Contra primò* : ideo natura diuina debet necessariò concipi vt immultiplicabilis numero, & species infima vt immultiplicabilis specie,quia verè & realiter à parte rei sunt sic immultiplicabiles,etiam in ordine ad quamcumque potentiam;ergo omnis natura,quæ est à parte rei sic immultiplicabilis numero, nequit concipi, quin concipiatur vt sic immultiplicabilis ; aut saltem nequit concipi vt multiplicabilis magis, quam natura diuina & species infima;ergo nulla talis potest esse vniuersalis verè magis, quam natura diuina, aut magis quam species infima potest esse genus.

*Contra secundò*,quia si potest natura aliqua immultiplicabilis numero à parte rei,vt verbi gratia,natura Michaëlis(in sententia Thomistarum,de cuius veritate hic non est curandum)concipi tamen conceptu imperfecto, in quo non inuoluitur immultiplicabilitas eius, & secundum quem consequenter ista natura est ex parte intellectus indifferens ad multiplicationem,nulla prorsus est ratio cur species infima,verbi gratia humana,licet à parte rei sit immultiplicabilis specie, non possit tamen concipi conceptu imperfecto, in quo non inuoluereturr illa immultiplicabilitas,& secundum quem consequenter esset indifferens ex parte intellectus ad multiplicationẽ specificam;ergo si illa natura est verè vniuersalis, etiam species illa infima est verè genus,non quidem ex parte rei & intellectus,sed ex parte intellectus tantum.

*Confirmatur hoc*, quia quando concipio naturam humanam, vt est animal rationale præcisè,non considero ipsam vt immultiplicabilem formaliter ; ergo concipio ipsam conceptu, in quo non inuoluitur immultiplicabilitas ; & tamen non propterea potest dici, quod sit verè genus,quia à parte rei est immultiplicabilis generice ; ergo quamuis conciperem naturam Michaëlis conceptu imperfecto, in quo non inuoluitur eius immultiplicabilitas, non propterea debet dici vniuersalis, si à parte rei sit immultiplicabilis.

35 *Obiicies* : Natura specifica Michaëlis verbi gratia, concepta, vt est principium propriarum operationum eius, & vt distincta à natura Gabrielis,cæterisque distinctæ speciei, non concipitur necessario vt singularis, & vt sic concepta est determinabilis per singularitatem, quamuis vna tantum esset possibilis ; ergo vt sic concepta haberet rationem vniuersalis.

*Confirmatur*,quia vt sic cõcepta prædicatur formaliter de Michaële;sed nõ vt singularitas eius,nec vt genus,nec vt proprium,nec vt accidens : ergo vt species,& consequẽter vt vniuersale,quia omnis species est vniuersalis.

*Respondetur*, distinguendo antecedens pro secunda parte : est determinabilis determinabilitate requisita ad vniuersale, nego antecedens;alia determinabilitate, quæ consisteret in coniungibilitate eius cum singularitate, concedo antecedens, & nego consequentiam.

*Et si quaras*, quænam determinabilitas requiritur ad vniuersale? *Respondeo* esse determinabilitatem præsupponentem,

nentem, quod res determinabilis magis late pateat quã determinatiuum, sicut animal magis late patet quam homo, & homo quam Petrus: certum est autem naturam Michaëlis specificam non magis late patere, quam ipsum Michaëlem, in sententia aduersariorum, quam modo supponimus, licet sit falsa:

Nõ omne prædicabile de aliquo debet prædicari de illo vt aliquid ex quinque prædicabilibus.

*Ad confirmationem respondeo* negando consequentiã; neque enim necesse est vt quidquid prædicatur de aliquo formaliter, prædicetur formaliter de ipso per modum alicuius ex quinque prędicabilibus Porphyrianis: nam quando aliquis concipit animal, vt principium sentiendi; & concipit ipsum inesse Petro, non concipiendo ipsum vt communicabile pluribus speciebus, aut vt incommunicabile, profecto non prædicat ipsum de Petro vt genus, aut species, aut differentia, aut proprium, aut accidens: sufficit ergo quod omne quod prædicatur formaliter de aliquo, possit prædicari de ipso, vel vt quid singulare, vel sub aliqua ratione vniuersali ex illis quinque rationibus: hoc autem esset verum in proposito, quia illa natura posset concipi vt immultiplicabilis, & vt sic prædicari de Michaële, vt singularis natura, prædicatione formæ constituentis.

*Responderi posset secundo* negando secundam consequentiam: quia licet prædicaretur, vt species, non tamen vt vniuersalis, quia si daretur aliqua natura essentialis, quæ non esset multiplicabilis, illa natura posset vocari species, & tamen non esset vniuersalis. Quod si daretur aliqua authoritas aut ratio, quæ probaret omnem naturam specificam debere esse vniuersalem, id non prodesset aduersariis; quia ex illa ipsa ratione aut authoritate probaretur naturam Michaëlis esse vniuersalem, atque adeo multiplicabilem numero, & qui id negaret, vt negant Thomistæ, opponeret se illi rationi, aut authoritati.

## QVÆSTIO V.

### *An dentur naturæ vniuersales metaphysicè.*

57. HÆc quæstio ex dictis facilem habet solutionẽ, & propterea data opera hucusque differenda videbatur. Pro clariori tamen eius notitia aduertendum est quod duplicem possit habere sensum: vnum, an naturæ vllæ dentur à parte rei, quæ vere denominari possint vniuersales in essendo: secundum, an, vt vniuersales formaliter, dentur à parte rei independenter ab operatione vlla intellectus, seu an ipsa vniuersalitas detur à parte rei: & loquimur iam de vniuersalitate metaphysica.

Prima sententia.

*Circam primam partem* quidam ex antiquis Philosophis, vt *Cratilus* & *Hesiodus* existimauerũt nõ dari vllo modo rem aliquam aut naturam, quæ vere denominari possit vniuersalis in essendo. Alij verò vt Plato (si tamẽ non imponat ipsi Philosophus, vt putant nonnulli) concedunt dari naturas vniuersales, sed illas volũt esse extra singularia, & ab illis distinctas realiter: & quidẽ à priori sententia, non longè videntur recedere *Nominales*, dũ aliud vniuersale negant, nisi quod est vniuersale in repræsentado, vt vox *homo* v. g. aut conceptus formalis, quo concipimus hominem. Communis tamen sententia est Peripateticorum omnium, exceptis Nominalibus, dari in indiuiduo quolibet reali finito naturam, quæ verè denominari possit vniuersalis, & sit identificata illi indiuiduo. Et sane capiendo naturam vniuersalẽ, provt nos explicuimus ipsius vnitatem ac aptitudinem quæstionibus præcedentibus, nec ipsi Nominales recederẽt ab hac sententia, quia, vt paulo ante animaduerti, eatenus negauerunt dari vllam naturam vniuersalem in essendo, quatenus intellexerunt per naturam vniuersalem in essendo aliquam vnam positiue naturam, quæ eadem positiue secundum se formaliter posset vere & positiue inexistere multis: & in hoc sensu verum est non dari naturam vllam nec existentem actu, nec possibilem, quę aut sit à parte rei, aut vlla ratione denominari possit vniuersalis; vnde patet non esse tam absurdam eorum sententiam, quàm communiter existimatur, nec inter Nominales aliam esse cum aliis Doctoribus, quam de nomine controuersiam.

Secũda.

Tertia.

Circa secundam partem huius quæstionis communis sententia tenet non dari à parte rei naturã, quæ sit formaliter vniuersalis metaphysicè, licet detur natura vniuersalis metaphysicè fundamentaliter loquendo.

### CONCLVSIO I.

Datur à parte rei natura quæ vere denominari possit vniuersalis in essẽdo.

58. *Datur à parte rei independenter ab omni operatione intellectus natura, quæ verè denominari possit vniuersalis in essendo.* Hæc est iuxta communem sententiã cum *Doctore 2. dist. 3. quæst. 1.* & *D. Thoma lib. de ente & essentia c. 4.* contra illos antiquos; & contra Nominales etiam quantum ad nomen. *Probatur* breuiter ex dictis, quia per naturam, quæ denominari possit vere vniuersalis, nihil aliud intelligimus, quam naturam per se vnam, quæ possit esse in pluribus indiuiduis cum sui multiplicatione, quatenus potest habere plures naturas sibi similes in prædicatis essentialibus, sed est certum non implicare huiusmodi naturam, imo in quolibet indiuiduo creato, saltem materiali, dari de facto huiusmodi naturam, & nominatim in Petro, & Paulo, Bucephalo, &c. ergo dantur naturæ, quæ denominari possunt vniuersales. Nolo vti pluribus rationibus ad probandam rem clarissimam, & de qua hoc modo explicata non potest esse controuersia. Quod autem nihil aliud significetur per naturam vere vniuersalem, quam natura huiusmodi, non alia indiget probatione, quam communi Doctorum sensu sic accipientium naturam vniuersalem in essendo: à quo male recesserunt Nominales sibi statuentes aliam acceptionem vniuersalis in essendo, & excitantes quæstionem de nomine.

### CONCLVSIO II.

Non datur natura vlla extra singularia.

59. *Non datur vlla natura realis extra singularia seu ab ipsis realiter separata.* Est cõmunis contra Platonẽ, qui supponitur tenuisse oppositũ, quamuis ab aliquibus à tali errore vindicetur, nec reuera sit verisimile virum doctissimum sententiam tam improbabilem tenuisse.

*Probatur conclusio primò*, quia nullum est indicium, nec vtilitas istarum naturarum separatarum à singularibus, ergo non sunt asserendæ.

*Dices* vtilitatem ipsarum esse quod sint æternæ. *Contra:* nulla creatura est æterna quoad aliud esse, quam esse possibile: sed illæ naturæ quoad esse possibile possent esse æternæ, quamuis essent identificatæ singularibus, sicut & ipsa singularia sunt ab æterno possibilia: ergo ob æternitatem, quam habent, non debent dici distinctæ realiter à singularibus.

*Probatur secundò*: si detur natura aliqua separata à singularibus, verbi gratia, natura humana, vel illa natura est diuisibilis in plura cum multiplicatione, vel non est; si non est, ergo est singularis, nihil enim intelligemus per naturã singularẽ, quam naturã sic indiuisibilẽ, & sic non datur natura vniuersalis, quæ realiter nõ sit singularis, quod est nostrum intentum: si est diuisibilis, aut est diuisibilis in plures partes integrantes, & hoc non impedit quominus sit singularis, Petrus enim, qui est singularis, potest diuidi in plures partes tales verbi gratia, in manus, pedes, caput: aut est diuisibilis sic, vt ipsamet eadẽ totaliter positiue sit in pluribus indiuiduis, & sic nõ multiplicaretur in illis; sed esset eadẽ numero singularis natura in pluribus indiuiduis, & cõsequẽter nõ esset diuisibilis, sicut nec vnum corpus positum in duobus locis esset diuisibile, aut anima vna informãs plures partes corporis est diuisibilis formaliter loquendo.

*Probatur tertiò* Non datur vlla natura humana realis, nisi illa quæ prædicatur de Petro & Paulo, ac reliquis indiuiduis humanis, dum dicitur quod Petrus sit homo, & Paulus sit homo: sed nulla natura realiter distincta ab omnibus illis indiuiduis sic prædicatur de ipsis, sed potius natura humana ipsis idẽtificata realiter; ergo non datur natura illa separata realiter ab indiuiduis.

Probatio communis reiicitur.

Omitto argumentũ cõmune: nimirum quod quidquid creatũ existit realiter debet esse productum per actionem singularẽ, & consequenter esse singulare: quia qui teneret dari aliquid reale non singulare productum à Deo, diceret consequenter actionem, per quam produceretur, non esse singularem, sed vniuersalem, nec est

magis absurdum;aut difficile dari actionem exeuntem à Deo,quæ non sit singularis,quàm dari aliquam naturam realem ab ipso productam,quæ non sit singularis;vnde fortassis in hoc argumento petitur principium,aut probatur id quod quæritur,per medium æquè obscurum.

61. *Obiicies* contra primam conclusionem:Quidquid est in mundo,aut actu existens,aut possibile,est singulare,vt patet ex secunda conclusione;ergo non datur aliqua natura,quę verè denominari possit vniuersalis;illud enim quod est singulare, non potest verè denominari vniuersale.

*Respondeo* breuiter distinguendo antecedens:simpliciter & realiter loquendo, concedo; secundum quamcumque formalitatem, aut considerationem,nego antecedens, & nego etiam consequentiam;ad cuius probationem dico illud quod est singulare simpliciter & realiter posse secundum aliquam formalitatem & conceptum verè esse,ac denominari vniuersale.

*Dices*:ergo Petrus potest denominari vniuersalis.

*Respondeo* distinguendo consequens:secundum aliquã formalitatem in ipso repertam,nimirum secundũ quod homo,aut animal,aut substantia, concedo;absoluet,& simpliciter, aut secundum quod Petrus,nego.Itaque si consideretur Petrus secundum quod est talis naturæ,vt possit reperiri alia res tam similis illi in natura,nimirum Paulus,vt intellectus possit habere aliquem conceptum determinatum de vtrisque, quem non potest vni potius applicare,quam alteri,tum Petrus consideratur vt vniuersalis; si vero consideratur Petrus, quatenus reuera non est vlla alia res,nec multiplicabilis in plura,de quibus reuera positiuè & formaliter prædicetur,vt sic erit singulare: non est autem inconueniens quod habeat vtramque hanc rationem,& quod sub vtraque considerari possit.Quæ solutio videtur mihi realissima solutio præcedentis difficultatis; ad quam alij authores alio modo & fortassis etiam benè respondent.

*Obiicies secundò*: secundum Philosophum 3. *Met. tex.* 20 & 7. *Met. tex.* 45. vniuersalia non sunt substantiæ,sed conceptus substantiarum; ergo non dantur vniuersalia in essendo.

*Respondeo* negando consequentiam:quia solum Philosophus intendit,vniuersalia non esse substantias, id est per se existẽtes extra singularia,sicut voluit Plato:quod patet ex rationibus,quibus vtitur ad prædictam doctrinam probandam,& hoc ipsum voluit significare *cap. de substantia*,quando dixit secundam substantiam significare hoc aliquid,quia scilicet secunda substantia existit in singularibus sic, vt de illis prædicari possit.

## CONCLVSIO III.

Quo sẽsu datur natura vniuersalis metaphysicè,a parte rei & quo non.

62. *Si per naturam formaliter vniuersalem metaphysicè intelligatur solum natura in se vna,& apta esse in multis,datur à parte rei natura non solum,quæ denominari possit vniuersalis metaphysicè,sed etiam quæ reuera est sic vniuersalis: si vero per naturam formaliter vniuersalem metaphysicè intelligatur natura abstracta per intellectum à singularitatibus,seu non considerata vt singularis, non datur natura vniuersalis metaphysicè à parte rei, sed solum fundamentaliter, & melius dicitur absolute,& simpliciter quod non detur natura,quæ sit à parte rei formaliter vniuersalis metaphysicè.* Hæc mihi in re videtur communis, & *probatur prima pars*, quia reuera natura humana Petri est vna in se, & apta esse in multis eo modo,quo vlla natura vniuersalis potest verè esse in multis, ergo, &c.

*Probatur secunda pars*, quia reuera à parte rei natura non est abstracta à singularibus,sed est tantum abstrahibilis: ergo non erit à parte rei formaliter, sed solum fundamentaliter vniuersalis metaphysicè, si requiratur ista abstractio.

*Probatur denique tertia pars*, quia Doctores communiter dicunt non dari vniuersale metaphysicum à parte rei formaliter:ergo signum est quod communiter intelligatur per naturam sic formaliter vniuersalem natura abstracta: in quæstione enim de nomine, qualis est hæc, simpliciter melius loquitur quis cum communi, Doctorum, & dicit naturam fieri vniuersalem metaphysicè formaliter loquendo per actum intellectus.

Quo actu vt vniuersalis.

63. *Et si quæras,per quem actum*:Respondetur breuiter per omnem illum actum,quo concipitur absque singularitatibus,siue sit rectus siue reflexus,siue coparatiuus, siue simplex.Sed aduertendum quod licet fiat vniuersalis per omnem talem actum, nihilominus non intelligitur vt vniuersalis formaliter per omnem talem actũ, nam quando quis considerat naturam humanam vt naturam præcise,non considerando ipsam,neque vt aptam esse in pluribus,neque vt ineptam,abstrahit ipsam à singularibus, & facit ipsam vniuersalem formaliter loquendo,sed tum non intelligit ipsam,quatenus est vniuersalis formaliter,vt est euidens.

Non intelligitur vt vniuersalis per omnẽ actũ quo fit talis.

Quo actu cõsideratur vt vniuersalis.

*Et si quæres*,per quem actum consideratur formaliter vt vniuersalis:*Respondeo* per illum, quo consideratur vt indifferens formaliter ad plura,ita,vt possit quantũ est ex sua ratione formali reperiri tam benè in vno, quã in aliis; quod non est intelligendum quasi illamet eadem natura,quæ concipitur abstracta à singularibus,deberet considerari,vt apta esse in pluribus cũ multiplicatione etiam formaliter, quia ille conceptus esset falsus,& cõceptus quo cõcipitur natura vt vniuersalis,prout debet esse vniuersalis, non debet esse conceptus falsus;sed intelligendũ est sic,vt debeat considerari sub tali ratione, vt possit habere aliam naturam sibi similẽ,seu sic,vt nõ possit discerni per intellectum quin illa spectet ad quodcumque indiuiduum tam bene quam ad aliquod.

64. *Obiicies* contra primam partem huius conclusionis, si daretur à parte rei in quolibet indiuiduo vna natura, quæ sit vniuersalis & apta existere in pluribus, etiam ipsum indiuiduum posset existere in pluribus, quod repugnat:ergo non datur in quolibet indiuiduo talis natura. Probatur sequela maioris, quia quod prædicatur verè de natura indiuidui, potest prædicari de ipso indiuiduo;ideo enim possum verè prædicare de Petro, v.g. quod sit risibilis, quia risibilitas conuenit naturæ eius, & potest de illa prædicari:ergo si aptitudo illa existendi in pluribus conuenit naturæ Petri,etiam potest prædicari de ipso Petro.

*Respondeo* negando sequelam maioris,cum antecedẽti suæ probationis;neque.n. ideo præcisè prædicatur risibilitas de Petro,quia prædicatur de natura eius,sed quia vlterius Petrus ex ratione sua formali non habet prædicatum oppositũ,quod si haberet,tunc certè non prædicaretur de ipso simpliciter risibilitas, sed solũ prædicaretur de ipso quatenus aut secundum quod homo. In proposito autem indiuiduo, v.g. Petro, ex ratione sua formali conuenit incommunicabilitas, ita vt si concipiatur vt indiuiduum tale, eo ipso debeat concipi conceptu, quo non possit concipi aliquid aliud, & consequenter nequit de ipso absolutè prædicari communicabilitas,ita scilicet, vt qua indiuiduum possit concipi conceptu,quo possit aliud repræsentari.

65. *Confirmatur* hæc doctrina,& responsio Theologico exemplo,natura diuina Patris æterni habet tanquam prædicata sibi cõuenientia vere & realiter,sapientiã,& cõmunicabilitatem tribus Personis realiter distinctis;ex his aut prædicatis de Patre, in quo vere realiter reperitur illa natura,nõ potest absolute & simpliciter prædicari communicabilitas,neque enim Pater est communicabilis tribus Personis;potest autem de ipso simpliciter prædicari sapientia,est enim vere sapiens;huius verò ratio nõ est alia,nisi quod Patri ex sua ratione formali cõueniat incommunicabilitas,quę opponitur illi cõmunicabilitati;non vero conueniat ipsi aliquid oppositũ sapientiæ:ergo quandoquidem Petro v. g. conueniat incommunicabilitas oppositа communicabilitati nõ poterit communicabilitas de illo absolute & simpliciter prædicari, sed solum poterit de ipso prædicari secundũ quod homo, aut quatenus homo, licet possit de ipso simpliciter prædicari risibilitas, cui ex ratione sua formali non habet aliquod prædicatum oppositum.

66. *Obiicies secundò*:si natura à parte rei esset cõmunicabilis,non posset fieri incõmunicabilis;ergo non posset esse

esse singularis, quia per singularitatem fieret incommunicabilis. Probatur antecedens, quia ex eo quod natura humana est risibilis, non potest fieri, vt per aduentum alicuius, siue per se, siue per accidens aduenientis, reddatur hinnibilis, quia hinnibilitas opponitur risibilitati: & in hoc fundatur illud, quod dicit Scotus, nimirum quod quandocumque aliquid per se primo, aut secundo modo dicendi competit alicui, eius oppositum nullo modo possit competere ipsi.

*Respondeo*, concedendo antecedens, & negando consequentiam cum sua probatione, neque enim per singularitatem ipsa natura secundum se redditur singularis, vt possit de ipsa secundum se dici, quod sit singularis propriè loquendo; sicut enim natura diuina secundum se non fit persona, nec incommunicabilis ex coniunctione cum paternitate diuina, quæ facit cum natura diuina aliquid quod est persona & incommunicabile; sed non obstante coniunctione naturæ cum paternitate incommunicabili, adhuc natura diuina est communicabilis; ita natura humana secundum se non fit singularis, nec redditur incommunicabilis ex coniunctione eius cum Petreitate, quæ facit cum illa natura, aliquid singulare & incommunicabile; sed non obstante coniunctione eius cum illa singularitate manebit communicabilis.

67 *Dices*: Petreitas debet dare aliquem effectum formalem naturæ quam afficit & singularizat, non alium quam reddere ipsam incommunicabilem, ergo facit ipsam incommunicabilem, & consequenter non valet responsio data.

*Respondeo*, singularitatem non debere dare magis aliquē effectū formalem naturæ humanę, verbi gratia, quā paternitas diuina debet dare aliquē effectum formalem naturæ diuinæ, nec singularitas debet potius dare naturæ humanæ pro effectu formali incommunicabilitatē, quam illa paternitas naturæ diuinæ: sed certum est paternitatē non dare naturæ diuinæ incommunicabilitatē pro effectu formali, ergo nec singularitas debet dare incommunicabilitatē pro effectu formali naturę creatę.

*Et si quæras*, quem ergo effectum tribuit ipsi. *Respondeo*, quod non tribuit ipsi alium effectum formalē, quàm facere cum ipso indiuiduum, quod indiuiduū qua tale formaliter sit incommunicabile: sicut nec paternitas tribuit alium effectum formalem essentiæ diuinæ, quam constituere cum ipsa personam improductam, quę sit incommunicabilis. Ex his habetur quod natura vniuersalis nō distinguatur realiter ab indiuiduis, & quod consequenter nullus gradus metaphysicus repertus in re aliqua distinguatur ab aliis gradibus, qui reperiuntur in eadē re, vt verbi gratia, in homine animalitas à rationalitate, nec à risibilitate. An autē natura vniuersalis distinguatur formaliter à singularitate, & gradus alij metaphysici à se inuicē, patebit ex dicēdis in Metaphysica, disputatione de distinctionibus, in qua partē affirmatiuā resoluemus.

## QVÆSTIO VI.

### *De Vniuersali Logico.*

### CONCLVSIO I.

Vniuersalis logici descriptio.

68 *VNiuersale logicum bene describitur esse vnum aptum prædicari de multis.* Ita communis omnium sententia cum *Philosopho* 1. *Periher. c.* 5. & patet explicando singulas particulas.

Per *vnum* intelligitur id quod intelligebatur per *vnū* in definitione vniuersalis metaphysici. Per *aptum* intelligitur potētia proxima: per prædicari intelligitur prædicatio vera formalis & directa. Per *de multis* intelliguntur multa illa, quibus cum sui multiplicatione inexistit.

Ex quibus patet Vniuersale logicum debere esse aliquid reale positiuum, per se vnum, habens potentiam proximam, vt possit prædicari verè & formaliter de pluribus, quibus cum sui multiplicatione inexistit. sicut autem diximus quod vniuersale metaphysicum est concretum dicens duo, Vnum materialiter, nimirum rem illam, quæ dicitur vniuersalis, & aliud formaliter nimirum ipsam vnitatem & aptitudinem, qua constituitur in esse Vniuersalis: ita etiam de Vniuersali logico sentiendum est, quod dicat duo, vnum materialiter, nimirum ipsum Vniuersale metaphysicum, & alterum formaliter, nimirum illud, quod constituit & facit illud vniuersale logicum; & in hoc fere omnes conueniunt, & qui id negaret, excitaret tantum quæstionem de nomine, à qua semper, quantum fieri potest, cauendum est, quia non potest conducere ad cognitionem rerum in se.

69 Conueniunt præterea omnes quod Vniuersale logicum constituatur, & fiat per actum aliquem intellectus, sed controuertitur per quem actū. Pro quo aduertendū duplicem admitti intellectū ab auctoribus, siue inter se realiter distinguantur, siue solū formaliter; vnus vocatur intellectus agens, cuius munus est producere speciem intelligibilem impressam, quæ species cū intellectu concurrit ad producendā cognitionem obiecti (de quo tamen tyrones hic non debent esse solliciti, donec perueniant ad libros de anima) Alter intellectus vocatur patiēs seu passibilis, cuius munus est cognoscere res.

Natura vniuersalis abstrahitur à singularibus per intellectū & agentē passibilem.

Aduertendum vlterius vtrumque hunc intellectū dici abstrahere naturas vniuersales ab inferioribus; intellectus enim agens dum producit speciem impressam, natam repræsentare naturam, secundum se, non repræsentando aliquod singulare, dicitur eo ipso abstrahere illam naturam à singularibus; nec aliud intelligitur per abstractionem naturæ factam ab intellectu agente, quam productio huiusmodi speciei intelligibilis impressæ repræsentatiuæ naturæ, & non singularium. Intellectus verò passibilis, seu patiens dicitur abstrahere naturam à singularibus eo ipso, quo intelligit naturam, vt natura est, non intelligendo ipsam in singularibus, quomodo vix dubium esse potest, quin ipsam quandoque intelligat; id enim videtur propria experientia constare cuilibet. Præter huiusmodi autem intellectionem & abstractionem potest intellectus cognoscere naturam in singularibus, & hoc duobus modis: primò per apprehēsionē, solummodò apprehendendo naturam inexistentem singularibus, nec tamen iudicando quod sit in illis; sicut apprehendimus aliquā propositionem, verbi gratia totū distingui realiter à partibus, non iudicādo quod distinguatur, vel nō distinguatur: alio modo per iudiciū, positiuè iudicādo quod natura sit in singularib. illis. Vtraq; autē hæc cognitio naturæ in singularibus est cōparatiua quia est cognitio vnius cū ordine ad aliud, nimirum naturæ cum inexistētia & identitate eius in suis inferioribus: sed prima vocatur cōparatio simplex, & pertinet ad primā operationem intellectus, cuius est apprehēdere res absq; iudicio: Secunda cognitio ad differentiā primæ vocatur cōposita & iudicatiua, quia fit cum iudicio, seu potius est iudiciū: & si habeatur absq; discursu, spectat ad secundā operationem intellectus; si cum discursu, spectabit ad tertiā operationem. His suppositis, quæ perfectiùs intelligentur post audirū tractatū de anima.

Dupliciter comparatur natura ad singularia.

70 *Prima sententia* est, Vniuersale logicum fieri per abstrationem intellectus agentis, hoc est per productionem speciei impressæ repræsentatiuæ solius naturæ absque interuentu vllius cognitionis intellectualis; & dico *intellectualis*, quia absque cognitione aliqua sensitiua nequit produci per intellectum aliqua species pro hoc statu propter dependentiam intellectus in operationibus suis à sensibus. Hanc tenet *Scotus quæst.* 3. *Vniuersal. Fland.* 3. *Metaph. quæst.* 3. fauet *Sanctus Thom.* 1. *p. quæst.* 85. *art.* 1. *Fonf.* 5. *Met. cap.* 28. *quæst.* 6. *Massec.* 2. *q.* 5. *Sancius quæst.* 34.

*Secunda sententia* est fieri Vniuersale logicum per abstractionem intellectus possibilis, hoc est per illam cognitionem, qua intellectus intelligit naturam secundū se, non intellectis inferioribus. Hæc est *Dur.* 1. *dist.* 3. *q.* 5. *Toleti q.* 2. *Vniuersal.* fauetque *D. Thom.* 1. *part. q.* 85. *art.* 2. qui consequentur tenere debēt Vniuersale non fieri per actum comparatiuum intellectus, seu per cognitionem comparatiuam siue simplicem, consistentem in apprehensione naturæ in pluribus; siue compositā, consistentem in iudicio, quo iudicatur naturā inexistere pluribus.

*Tertia sententia* est naturam fieri Vniuersalē per actum intellectus possibilis, non tamen per actū, qui est abstractio naturæ, vt tenuit præcedēs sententia, sed per actum

comparatiuum compositum, hoc est per iudicium quo iudicatur natura inexistere pluribus.

*Quarta denique sententia* est fieri hoc vniuersale per cognitionem comparatiuam simplicem intellectus passibilis, illam scilicet, per quam intellectus apprehendit naturam in multis absque iudicio. Hanc sequuntur Scotistæ omnes cum Doctore 2. *dist.* 3. *q.* 1. licet ibi expressè eam non proponat, estque frequentior inter Thomistas, *testibus Complutensibus supra n.* 54. qui eam expressè tenent *num* 59. sicut & *Rubius quæst.* 5. *Ioannes à Sancto Thoma quæst.* 4. *art.* 2.

## CONCLVSIO II.

Natura non sit vniuersalis logicè per vllam abstractionem.

71 *Natura non sit vniuersalis formaliter per abstractionem, aut intellectus agentis aut passibilis.* Hæc est communior contra authores primæ & secundæ sententiæ. *Probari solet* conclusio à Scotistis multis, quia natura non sit vniuersalis logicè, nisi fiat proximè prædicabilis de multis: sed per neutram ex his abstractionibus, aut intellectus passibilis, aut agentis fit proximè prædicabilis de multis: ergo per neutram ex illis fit vniuersalis. Probatur maior, quia per aptitudinem positam in definitione vniuersalis intelligitur aptitudo proxima ad prædicandum; ergo non potest esse vniuersalis, nisi sit proximè prædicabilis. Probatur etiam minor, quia, quamuis intellectus consideraret naturam, vt abstractã illis abstractionibus, nisi consideraret illam præterea vt inexistentem actu aut possibiliter pluribus, non posset ipsam prædicare de pluribus, vt est euidens: ergo non est proximè prædicabilis de pluribus per illas abstractiones, antequam adueniat illa consideratio, qua cõsideraretur vt inexistẽs actu, aut possibiliter pluribus.

72 *Contra hanc rationem facit primò*, quod gratis supponatur in descriptione vniuersalis, per aptitudinem prædicandi debere intelligi aptitudinem proximam, seu prædicabilitatem proximam; quemadmodum enim, quando describitur albedo esse disgregatiua visus, non intelligitur quod sit proximè disgregatiua, quia aliàs ex se non esset disgregatiua, sed haberet esse disgregatiua formaliter ab applicatione ad potentiam visiuam capacem disgregationis, quia non posset disgregare proxime absque tali applicatione: ita quando dicitur quod natura vniuersalis logicè sit prædicabilis de multis, non debet intelligi hoc de prædicabilitate proxima.

*Confirmatur*, quia aliam prædicabilitatem recipit natura vniuersalis ab intellectu, quam non recipit ab eo essentia diuina, & illa prædicabilitas specialis est sufficiens ad vniuersalitatem: sed illa prædicabilitas particularis, non est illa prædicabilitas proxima, quæ dependet & habetur ab apprehẽsione naturæ in pluribus: ergo malè dicitur prædicabilitas naturæ vniuersalis logicè cõsistere in illa prædicabilitate. Probatur minor, quia etiã natura diuina habet ab intellectu considerãte illam in pluribus prædicabilitatẽ proximam de pluribus, neq; enim magis posset ab intellectu prędicari de pluribus, nisi cõsideraretur in pluribus, quam natura vniuersalis.

73 *Etsi dicatur* colligi quod prædicabilitas naturæ vniuersalis debet esse proxima ex eo, quod remota non sufficiat, quandoquidem remota prædicabilitas habeatur à parte rei; vniuersale autem logicum non habetur à parte rei, sed fit per intellectum.

*Responderi posset in primis*, si prædicabilitas remota & vnitas haberetur à parte rei, secuturum, quod vniuersale logicum daretur à parte rei; nec vnum magis esse absurdũ quam alterum, & hoc posse esse fundamentum pro illis, qui vellẽt admittere vniuersale logicum à parte rei, quorum sententia, si non posset alio modo impugnari, quam dicẽdo quod nihil à parte rei, vt habet esse à parte rei, possit esse proximè prædicabile, quandoquidẽ ad proximam prædicabilitatem requiratur vt consideretur res prædicabilis vt inexistens pluribus, profecto satis debili fundamento, & gratissimè supposito reiiceretur.

Quomodo Vniuersale logicum debet esse in potentia proxima ad prædicabilitatem.

74 *Responderi etiam posset secundò*, supponendo cum communi sententia quod Vniuersale logicũ non habeatur à parte rei, non quamcunque prædicabilitatẽ remotam sufficere pro Vniuersalitate logica, sed prædicabilitem sine impedimento singularitatis; nullam autem talem esse in vlla natura à parte rei; quãdoquidem omnis natura à parte rei sit coniuncta cũ singularitate: & sanè hoc videtur mihi esse intẽtum Doctoris supra *in secundo*: quamuis enim dicat ibi quod Vniuersale debeat esse in potentia proxima vt possit prædicari de multis prædicatione dicente, hoc est hoc; tamen hoc sine dubio intelligit de potentia proxima ex parte ipsius naturæ, ita scilicet vt natura non habeat annexum impedimentum singularitatis, per quam determinatur ad vnum, requirit enim potentiã proximam prædicabilitatis in natura de pluribus cum multiplicatione, qualem nõ habet natura diuina singularis respectu prædicabilitatis de pluribus sine sui multiplicatione: sed prædicabilitas, quam habet natura diuina est se tenens ex parte rei, ita scilicet, vt nõ sit ex parte eius impedimentũ, quo minus prædicetur de pluribus, quãuis non possit prædicari de pluribus absq; cõsideratione eius in pluribus: ergo prædicabilitas, quæ debet esse in natura Vniuersali, debet esse ex parte naturæ, quantũ ad hoc quod nõ ponatur impedimentum ex parte naturæ, quo minus prædicetur de pluribus, & non debet esse illa prædicabilitas proxima, quæ oritur ex eo quod adueniat ista consideratio naturæ in pluribus, quamuis sine illa consideratione nequeat prædicari de pluribus: sicut nec essentia diuina etiam potest prædicari de pluribus, nisi consideretur in pluribus, & sicut ignis nequit calefacere, nisi applicetur; quamuis per applicationẽ non cõstituatur formaliter in esse calefactui.

75 *Nihilominus*, sequendo cõmunionem Scotistarum & Thomistarum sententiam dicendum est probationem conclusionis valere ex hypothesi communi, quod per Vniuersale logicum intelligatur natura proximè prædicabilis de multis: pro qua communi acceptione sufficit auctores instituisse hanc vocem vniuersalis logici ad significandam naturam sic proximè prædicabilem. Addendum tamen in gratiam primæ & secundæ sentẽtiæ, quæ mihi videntur probabiles propter replicem præmissam; & maximè secunda sententia, quod authores, qui eas tenent, non tenerent ipsas, si intelligerent per Vniuersale logicum aliquid sic proximè prædicabile, vnde in re videtur esse hic controuersia de nomine.

*Obiicies* contra conclusionem: natura per vtramque abstractionem est denudata à singularitatibus, ergo per illas abstractiones fit vniuersalis logicè, quia nihil requiritur vt sit talis, nisi vt sic denudetur.

*Confirmatur*, quia natura per quamcumque ex illis abstractionibus abstracta, est prædicabilis de pluribus ex se, quandoquidem non habeat impedimentum singularitatis: ergo est vniuersalis logicè.

*Respondetur* negando consequentiam, quia requiritur vt sit proximè prædicabilis; hoc autem non habet ab vlla ex illis abstractionibus, neque ab vtraque simul.

*Ad confirmationem*, distinguo antecedens: proximè, nego; quia requiritur, vt prædicetur, consideratio eius in pluribus, sine qua non potest prædicari; remotè, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia remota non sufficit, quandoquidem ex communiori sensu vniuersale logicum debeat esse proximè prædicabile.

## CONCLVSIO III.

Natura non fit Vniuersalis logicè per comparationẽ iudicatiuam.

76 *Natura non fit vniuersalis logicè per comparationem compositam seu iudicatiuam, qua actu prædicatur de multis.* Hæc est contra tertiam sententiam. *Probatur*, quia ante talem comparationem, seu prædicationem natura est proximè prædicabilis: ergo ante illam est vniuersalis logicè. Probatur antecedens, quia aliàs non posset sic prædicari. Probatur consequentia, quia per illud fit vniuersalis logicè, per quod fit proximè prædicabilis.

*Obiicies* quinque species vniuersalis consistunt in naturis prædicatis de suis inferioribus: ergo natura vniuersalis vt sic, consistit in natura prædicata de inferioribus. Probatur antecedens, quia definiuntur per prædicari, & non per prædicabile; dicitur enim quod genus sit illud, quod prędicatur de pluribus specie differẽtibus, & quod

species

ſpecies ſit illud, quod prædicatur de pluribus numero differentibus &c. ergo &c.

*Reſpondetur* negando antecedens, & diſtinguendo eius probationem: definiuntur ſeu deſcribũtur per prædicari actu, nego: per prædicari potentia ſeu aptitudine, quod conuenit cum prædicabilitate, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Itaque quando dicitur, quod genus ſit illud quod prædicatur de pluribus, hoc debet ſic intelligi, ac ſi diceretur quod genus ſit illud, quod aptitudine prædicatur, hoc eſt, quod poteſt prædicari.

Et ſi quæratur vnde colligatur hæc expoſitio? Reſpondeo illam colligi ex definitione vniuerſalis vt ſic, quæ datur per prædicabile, & non per prædicatur: definitiones autem ſpecierum debent eſſe conformes definitioni generis ſeu ſuperioris, quantum ad rationem communem.

## CONCLVSIO IV.

Fit vniuerſale logicum per comparationem ſimplicem.

77. *Natura fit vniuerſalis logicè per actum, quo apprehenditur inexiſtere multis ſine iudicio.* Hæc eſt iuxta authores quartæ ſententiæ contra reliquas ſententias. *Probatur*, quia per talem actum, & non ante, fit in potentia proxima, vt prædicetur de pluribus: ergo per talem actũ fit vniuerſalis logicè. Probatur antecedens, quia non poteſt intellectus prædicare aliquid vere de pluribus, niſi apprehendat illud eſſe in pluribus; & ſtatim ac apprehendit illud eſſe in pluribus, poteſt illud prædicare de illis: ergo per talem actum & non ante, natura fit proxime prædicabilis.

*Confirmatur*, quia non eſt maior ratio cur intellectus naturam humanam abſtractam à ſingularibus prædicaret de Petro, quam de Bucephalo, niſi quia apprehendit ipſam in Petro, & non in Bucephalo: ergo, vt prædicet debet ſic apprehendere, & conſequenter non erit proxime prædicabilis, niſi ſic apprehendat.

*Obiicies*: ſecundum Scotum natura fit vniuerſalis logicè per comparationem intellectus: ergo non fit vniuerſalis per apprehenſionem.

*Reſpondeo*, Doctorem loqui de comparatione ſimplici, quæ nihil aliud eſt, quam apprehenſio vnius in alio: non vero de comparatione iudicatiua: vnde nego conſequentiam.

A qua ſecunda intẽtione denominatur natura vniuerſalis.

Ex his habetur ſecundam intentionem, quam formaliter dicit vniuerſale logicum, eſſe apprehenſionem naturæ in pluribus, ſecundum quod denominat illam naturam ſic apprehenſam, & conſequenter illam apprehenſionem in concreto definiri per ſe in definitione vniuerſalis logici, vt poſtea melius apparebit.

## QVÆSTIO VII.

### *De Prædicatione.*

79. QVia explicuimus vniuerſale logicũ per prædicabilitatem, & hoc nequit intelligi, niſi intelligatur prædicatio, quæ eſt actus prædicabilitatis, ad quẽ prædicabilitas dicit ordinẽ; conſultũ videbatur, antequã vlterius progrediamur, aliquã hic de prædicatione proponere, idque breuiter & quantum fieri poteſt abſque controuerſiis, quia alia vix poteſt eſſe quam de nomine.

Quid eſt prædicatio.

Itaque ſupponendum primò prædicationẽ nihil aliud eſſe quam actũ intellectus, quo aliquid de alio iudicat, vt cũ dicit: *homo eſt animal*; *Petrus eſt albus*; vnde aliquid eſſe prædicatum de alio actu, non eſt aliud formaliter, quam denominatio extrinſeca deſumpta ab huiuſmodi iudicio: vt communior & mihi verior ſententia tenet, vel relatio rationis reſultans in re prædicata ad tale iudicium, de quo parum eſt curandum, vter dicendi modus ſit verior: quantum autem ad ipſam veritatem noſtra ſententia ex dictis de ente rationis conſtat.

Quid ſit prædicatio identica.

80. Supponendũ ſecundò prædicationem verã & affirmatiuã, de qua ſola hic agimus, adæquate diuidi in formalem & identicam. *Prædicatio identica* explicatur ab aliquibus eſſe illa, qua idẽ de ſeipſo prædicatur, vt cũ dicitur: *homo eſt homo*; *Petrus eſt Petrus*; ſed non eſt bona hæc explicatio, quamuis enim bene verũ ſit, quod omnis talis prædicatio ſit identica; tamen datur aliqua idẽtica, quæ non eſt talis, præſertim in ſententia Scoti, nã hæc eſt identica & vera: *Miſericordia diuina eſt iuſtitia diuina*: neque .n. eſt formalis, quia alias eſſet formaliter vera: ſecundum autem Scotũ eſt tantum identice vera: deinde ſecundũ auctores cõmuniter hæc eſt prædicatio identica: *albũ eſt dulce*: & tamen idem nõ prædicabitur de ſe in illa. Itaque explicãda eſt propoſitio idẽtica eſſe illa, vel qua idem prædicatur de ſe ipſo; vel qua aliquid prædicatur de alio, quod nõ habet ſe per modũ formæ ipſius ſiue eſſentialis, ſiue accidentalis: & hinc eſt, quod hæc prædicatio vocetur identica: album eſt dulce, quia dulcedo prædicatur de albo vere, quãdoquidẽ vere cõiungatur cũ ipſo & concipiatur vt coniũcta, non tamẽ ſe habet per modũ formæ ipſius dulcedinis, ſed per modum formæ ſubiecti quod afficitur dulcedine. Quod ſi placet vnica deſcriptione nõ diſiunctiua explicare prædicationẽ identicã, dicatur eſſe illa, qua aliquid prædicatur de aliquo, quod non includitur in ipſo per modũ formæ vllius: hæc enim explicatio comprehendit etiã illam qua idem prædicatur de ſe ipſo, neque enim prædicatur de ſe vere vt forma ſui ipſius, vt patet.

Quid prædicatio formalis. Quomodo prædicatur aliquid per modum formæ.

81. *Prædicatio formalis* eſt illa, qua aliquid prædicatur de aliquo per modum formæ, vt quando dicitur: *Petrus eſt homo*; *homo eſt animal*: *paries eſt albus*: tunc autẽ prædicatur aliquid per modũ formæ, quando prædicatur per modum alicuius prædicati eſſentialis aut intrinſeci, hoc eſt per ſe primo competentis rei, vel per modũ alicuius proprietatis aut accidentis recepti in illa re, ſiue immediate, vt cum dicitur: *ſubſtantia eſt quanta*; ſiue mediate, hoc eſt mediante aliquo alio quod in illa recipitur, vt cũ dicitur, ſubſtantia eſt alba: ſiue etiam denominãtis ipſã extrinſece, vt cũ dicitur: *paries eſt cognitus, aut viſus*. Hæc autẽ prædicatio formalis ſubdiuidi ſolet in prædicationẽ directã, & indirectam. Prædicatio directa dicitur illa, qua quod aptius eſt prædicari prædicatur; indirecta qua prædicatur quod minus eſt aptũ: illud autẽ cenſetur magis aptum prædicari, quod habet ſe per modũ ſuperioris ſeu magis cõmunis; aut quod eſt forma ſiue eſſentialis, ſiue accidẽtalis, reſpectu illius, de quo prædicatur, vnde hæ erunt prædicationes formales directæ: *homo eſt animal*: *homo eſt albus*; *homo eſt riſibilis*, hæ autem indirectæ: *riſibile eſt homo*; *animal eſt homo*: *album eſt paries*.

Prædicatio formalis directa quid ſit. Quid indirecta.

Rationalitas non prædicatur de animali directe.

82. Dubitari autẽ poſſet, an hæc prædicatio ſit directa, animal eſt rationale: ſed exiſtimo non eſſe, quia loquendo de animali, vt ſic, quod ſignificatur per animal in illa propoſitione, falſum eſt, quod ſit rationale, alias enim omne animal eſſet rationale. Similiter dubitari poſſet, an hæc ſit prædicatio formalis: *aliquod animal eſt homo*, aut hæc *aliquod animal eſt rationale*: & tenendum eſt, quod ſic, quia homo & rationalitas eſt quid ſuperius ad aliquod animal ſingulare, vnde bene poſſunt de tali animali prædicari directe.

Quod ſi aliquis alio modo explicaret prædicationes has, aut alio modo de iis diſcurreret, non eſſet multũ cũ eo contendendum, quia quæſtio eſſet de nomine: ſed dũ tractaretur de re, conueniendum potius cum ipſo eſſet in ſua conceptione, vt res ipſa examinaretur, quod ſemper in quæſtionibus de nomine conſultiſſime fieret.

Quomodo concreta & abſtracta de ſe inuicem prædicẽtur.

83. Modo reſtat examinandum quomodo concreta & abſtracta de ſe inuicẽ prædicantur. Pro quo aduertendũ concretum terminũ, ſi capiatur vocaliter, eſſe vocẽ aliquã, quæ ſignificat rẽ per modum adiacentis alicui, ſeu quæ ſignificat rem, per modum habentis aliam rem, vt v. g. vox *album*, quæ ſignificat albedinem per modum adiacentis alicui, ſeu aliquid per modum habẽtis albedinem, idem enim eſt album, ac habens albedinem, ſeu albedo, vt adiacens alicui. Si vero accipiatur concretum pro re, & non pro voce, non eſt aliud, quam ipſa res, provt ſignificatur per vocem concretam.

Quid concretum. Quid abſtractũ.

Abſtractũ, ſi capiatur pro voce, eſt vox aliqua, quæ ſignificat rem non per modũ adiacẽtis alicui, vt vox *albedo*, quæ ſignificat albedinẽ ſecundũ ſe abſque ordine ad aliud, cui adiaceret: ſi vero capiatur pro re, erit res ſignificata per talem vocem, vt ſignificatur per illam, hoc eſt, ſecundum ſe conſiderata abſque adiacentia ad aliud.

83. Aſſignatur autem ab authoribus duplex concretũ, & duplex abſtractũ ipſi correſpondens, vnum ſubſtantiuum,

uum, alterum accidentale. *Concretum substantiuum est*, quod significat aliquam formam, quæ in concreto possit solummodò prædicari in quid de aliquo, vt v. g. *homo; animal; albedo*; hæc enim nequeunt prædicari de aliquo prædicatione vera & directa, nisi in quid; si enim interrogetur de Petro in particulari quid sit, bene dicitur: est homo, est animal; si verò interrogetur qualis, non bene diceretur est homo, est animal; sed bene diceretur, est rationalis, est risibilis, est doctus, est albus; vnde rationale, risibile, doctum, & album sunt concreta accidentalia, quæ concreta sunt illa, quæ possunt prædicari de aliquo in quale. Vbi aduertendum quod non vocentur accidentalia, quia significant formaliter accidens, nã alias rationale non esset tale concretum; sed quia significãtur nomine adiectiuo & prædicantur per modum adhærẽtium. *Abstractum autem substantiuum* correspondens homini est humanitatis; animali animalitas; albedini albedineitas, quæ sunt ipsæmet essentiæ constitutiuæ hominis, animalis albedinis. *Abstractum verò adiectiuum* correpondens albo est albedo; dulci dulcedo, iusto iustitia. Vbi aduerte quod abstracta adiectiua sunt concreta substantiua, nam albedo, quæ est abstractum albi, potest prædicari in quid de hac & illa albedine: quærenti enim quid est hæc albedo, monstrando ipsam, potest optime responderi, quod sit albedo; sicut potest dici, quod Petrus sit homo, quando interrogatur quid sit, & non potest prædicari in quale de aliquo. His animaduersis, sequentibus dictis explicabo quomodo de se inuicem concreta & abstracta prædicentur.

Quid cõcretũ accidentale.
Quid abstractũ substantiuũ.
Quid adiectiuum.

## CONCLVSIO I.

84. *Concreta tam substantialia quam accidentalia possunt de aliis similibus prædicari prædicatione formali, quotiescunque abstractum vnius concreti est superius ad alterum concretum, de quo prædicatur, aut forma ipsius.* Hæc resolutio est communis, & patet, quia hæ prædicationes sunt formales: Petrus est homo, homo est animal, homo est rationalis, paries est albus, album est coloratum; & non ob aliam rationem quàm ob rationem dictam in resolutione, ergo vera est resolutio.

Quæ concreta substantiua & adiectiua de aliis possũt prædicari.

*Confirmatur*, quia de quocumque verum est dicere, quod sit habens abstractum, de eo verum est dicere concretum talis abstracti, quandoquidem concretum secundum omnes sit idem, ac habens talẽ abstractum, v.g. album idem est ac habens albedinem, homo idem est ac habens humanitatem: sed de vno concreto tam substantiali, quam accidentali potest dici, quod sit habens abstractum alterius concreti; v.g. de Petro potest dici, quod sit habens humanitatem; ac colorem, ac risibilitatem, quæ sunt abstracta hominis, colorati, ac risibilis: ergo de Petro potest prædicari formaliter ac verè quod sit homo, coloratus, ac risibilis.

## CONCLVSIO. II.

Abstracta nequeunt prædicari de iis, à quibus abstrahunt, nec concreta illa de illis abstractis.

85. *Abstracta nequeunt prædicari de iis, à quibus abstrahunt, hoc est de suis concretis, nec è contra concreta de suis abstractis prædicatione formali.* In hoc etiam conueniunt omnes, & propterea hanc esse prædicationem formalem & veram; album est albedo, aut hanc, albedo est album. Ratio autem primæ partis, hoc est, cur abstracta non possint prædicari de concretis, est, quia cum prædicatio sit actus intellectus, & intellectus nequeat dicere aliquid de alio, nisi apprehendat illud in alio, quando autem apprehendit abstractum vt tale, & non apprehẽdit illud in alio, nequit prædicare illud de alio; ergo nequit dari prædicatio intellectualis abstracti de concreto, & consequenter nequit etiam dari prædicatio vocalis vera vnius abstracti de concreto suo, quia nequit dari prædicatio vocalis vera, cui non correspondeat prædicatio intellectualis, aut mentalis vera, saltem possibilis.

Ex qua eadem ratione potest probari secunda pars, nimirum cur concreta nequeant prædicari de abstractis suis, quia eo ipso quo quis concipit abstractum, vt tale, non concipit ipsum cum identitate, aut coniunctione ad aliud, à quo abstrahit; ergo nequit prædicare aliud de ipso, vt sic concepto, quia impossibile est intellectum prædicare aliquid de alio, nisi quatenus concipit illa identificata simul, aut coniuncta cum se inuicem.

*Confirmatur*, quia quando dicitur quod albedo est album, sensus est quod albedo sit habens albedinem: hoc autem est falsum, quia non est habens albedinem, sed ipsamet albedo: & quando dicitur quod album sit albedo, sensus est quod idem est album ac albedo; sed hoc etiam falsum est, quia bene posset albedo ipsa, quæ afficit album, esse sine eo quod daretur album, id est aliquid habens albedinem: ergo non est idem esse, album & esse albedinem.

86. *Dices*: potest dici de quantitate, quæ est abstractum quanti, quod sit quanta, & de aliquo quanto, nimirum de hac quantitate, quæ dicitur quanta, quod sit quantitas: ergo abstractum aliquod potest prædicari de suo concreto, & aliquod concretum de suo abstracto.

*Respondet* quidem Scotista, id esse particulare in quantitate, vt possit dici quanta, atque adeo regulam præmissam de prædicatione abstracti de concreto suo non esse vniuersaliter veram. Quam etiam doctrinam insinuare videntur *Complutenses disp. 4. n. 40.*

*Sed hæc responsio omnino displicet*, quia si ratio conclusionis valet, omnino vniuersaliter valet, quia æque ombus applicari potest, & si non valet, profectò nec in particulari admitti debet. *Melius & facilius respondetur* de quantitate, vt est abstractum à quanto, non prædicari quantum, prout est concretum eiusdem quantitatis; licet prædicari possit quantum, provt est concretum alterius quantitatis.

Melior respõsio.

Pro quo intelligendo aduertendum, quod quantitas capi potest dupliciter, vno modo provt significat accidens illud absolutum, quod spectat ad prædicamentum quantitatis; & alio modo prout significat extensionem ad locum tantam vel tantam. Similiter etiam quantum habet duplicem significationem: primò enim significat habens quantitatem primo modo acceptam: & in hoc sensu quantitas sic accepta est abstractum ipsius, & nequit vere prædicari quantum in hoc sensu de quantitate in illo sensu, neque enim verum est, quod quantitas sit habens seipsam, vt esset necesse ad hoc, quod vere diceretur quanta in hoc sensu. Alio modo significat habens extensionem ad locum: & in hoc sensu de quocumque quod habet extensionem ad locum potest dici quod sit quantum: vnde cum quantitas accepta pro illa forma absoluta, quæ spectat ad prædicamentum Quantitatis, habeat talem extensionem, potest vere dici de illa quod sit quanta, sicut de pariete dici potest, quod sit albus. Sed hæc prædicatio non est prædicatio concreti de suo abstracto, sed vnius concreti adiectiui de alio concreto substantiuo, in quo includitur tanquam forma abstractum concreti illius, quod prædicatur; nam abstractum quanti, quod prædicatur de quantitate, vt significat formam absolutam, non est illa quantitas sic accepta, sed potius extensio ad locum, quæ etiam vocatur quantitas.

Quomodo quantitas potest dici quanta.

87. *Dices*: hæc est vera prædicatio: Deus est Deitas, & è contra Deitas est Deus: ergo abstractum potest prædicari de proprio suo concreto, & è contra concretum de proprio abstracto; Deitas enim est abstractum Dei, & Deus est concretum Deitatis.

*Respondetur* in primis negando antecedens in sensu formali, quamuis admitti debeat in sensu identico.

*Respondetur secundò* magis ad propositum distinguendo consequens: quando abstractum est quid simpliciter infinitum, concedo consequentiam quando non est, nego consequentiam. Regula autem seu resolutio prædicta intelligenda est abstractis & concretis finitis, non infinitis simpliciter.

Abstracta infinita possunt prædicari de cõcretis, & è contra, non vero finita.

*Et si quæras* cur abstracta infinita potius quam finita, possint prædicari de suis concretis? *Respondeo* rationem esse, quam assignat *Doct. 1. dist. 8. q. 4.* sequunturque omnes eius discipuli, quod quodlibet prædicatum & subiectum infinitum exigat ex ratione suæ infinitatis coniungi cum quocumque, cum quo à parte rei idẽtificatur;

Vnde

Vnde quando intellectus considerat aliquod prædicatum tale secundũ suam rationem formalẽ abstractum, vt verbi gratia Deitatẽ, habet adhuc rationem identificandi ipsum cum illo, à quo abstrahitur propter infinitatem, quã in illo concipit, & hinc potest ipsum de illo prædicare, licet nõ posset ipsũ prædicare de illo spectata ratione formali præcisa sine cõsideratione infinitatis.

88. *Dices denique*: hæc est vera prædicatio, ens est entitas, res est realitas, entitas est ens; & tamen nullum ex extremis est infinitum: ergo regula præmissa non valet, etiam in finitis vniuersaliter.

*Quidam Scotista* admittit antecedens, & excipit consequenter ab illa regula prædicata, & subiecta transcendentia, quæ ob transcendentiam suam habent talem inter se connexionem, vt possint omni modo de se inuicẽ prædicari siue in abstracto, siue in concreto. In qua doctrina videtur cum ipso cõuenire *Ioannes à sancto Thoma q. 5. art. 4. Verũ hac exceptio est valde difficilis*, quia eadem prorsus est ratio quantũ adhoc de transcendentibus, & aliis, tam enim verũ aut falsum est quod realitas sit habens realitatẽ, quam quod albedo sit habens albedinem, & cõsequenter tam verum aut falsum est, quod realitas sit res, quam quod albedo sit alba, modò tamen realitas sit abstractum rei, vt hic author supponit.

*Itaque respondeo aliter* negando illas propositiones seu prædicationes esse veras, si res & ens sint concreta, & realitas ac entitas sint abstracta eorum, propter rationes in præmissæ regulæ confirmationẽ adductas. Dico autem: *si res & ens sit concretũ, & entitas ac realitas abstractum*, quia licet quantum ad vocabula videantur esse talia, & possint etiam vt talia accipi, tamen possunt etiam esse omnino synonima, ita vt idem ac eodem etiam modo per illa significetur, & sic accepta sine dubio possent prædicari de se inuicem prædicatione identica, sicut Petrus prædicari potest de se ipso, & ensis de gladio.

## CONCLVSIO III.

Abstractum concreti superioris nequit prædicari de abstracto concreti inferioris.

89. *Abstractum concreti superioris non potest prædicari de abstracto concreti inferioris, nec formaliter nec identice, verbi gratia animalitas non potest prædicari bene de humanitate.* Hæc resolutio est communior cum *Doctore 1. distin. 5. quæst. 1. num. 5. & dist. 8. quæst. 4. num. 25.* quem sequuntur præter suos *Ruuius* de prædicationibus *num. 14. Suar. disput. 6. Met sect. 10. Salablanca disput. 5. quæst. 2. dub. 2.* & alij contra *Scotum quæst. 2. vniuers. Caterum cap. de differentia, Mercatum cap. de genere*, & alios, quibus fauent *Complutenses disput. 4. n. 33.* & *Ioannes à Sancto Thoma q. 5. art. 4.*

Probatur vnica, sed efficacissima ratione, quia impossibile est, vt intellectus prædicet vere aliquid de alio, nisi consideret illud, & concipiat vt inexistens illi, aut coniunctum cum illo; sed quando considerat animalitatem vt abstractum, non considerat ipsam, vt coniunctam cum humanitate: ergo non potest vlla ratione vere prædicare ipsam de humanitate.

*Confirmatur*, quia non magis coniungitur à parte rei animalitas cum humanitate; nec magis includitur in illa, quã humanitas cõiungitur cũ homine & includitur in illo: ergo sicut non obstãte illa cõiunctione & inclusione humanitatis cum homine, nõ potest prædicari vere humanitas de homine, dicẽdo, humanitas est homo, ita non obstãte inclusione animalitatis in humanitate, nõ potest prædicari vere de animalitate dicẽdo: humanitas est animalitas: & sane hoc argumentũ à pari videtur etiam conuincere nostram resolutionem, nec credo facile posse dari disparitatem, quæ faciat ad propositũ.

90. *Obiicies* pro aduersariis: hæc prædicatio est vera & formalis: albedo est color: sed tamen vtrumque extremum est abstractum; ergo prædicario abstracti de abtracto est vera, quando abstractum, quod prædicatur est de essentia subiecti, vt contingit in hac prædicatione, humanitas est animalitas.

*Respondeo* distinguendo minorẽ: vtrumque extremum est abstractum respectu sui inuicem, nego minorem; respectu aliorum, concedo minorẽ, & nego consequentiã, quia non ex eo negamus veram esse prædicationem animalitatis de humanitate in abstracto, quod vtrumque sit abstractum quomodocumque, sed quod illud, quod est prædicatum, sit abstractum ab illo, quod est subiectũ: quod si color esset abstractum ab albedine, sicut est colorcitas, profecto non posset prædicari de illo; non est autem sic abstractum, sed habet respectu albedinis rationẽ concreti substantialis, sicut animal habet respectu hominis, quamuis habeat rationem abstracti respectu colorati, de quo propterea nequit prædicari bene, neque enim bene dicitur, coloratum est color.

91. *Obiicies secundò*: hæc prædicatio est vera & formalis: hæc animalitas est animalitas, & hæc humanitas est humanitas: ergo & hæc: hæc humanitas est animalitas. Probatur antecedens, quia Verbum diuinum assumpsit aliquam humanitatem, quæ est vere humanitas: ergo potest dici de aliqua humanitate quod sit humanitas, & idem est de animalitate. Probatur etiam prima consequentia, quia si verũ est dicere quod aliqua animalitas sit animalitas, descendendo & faciendo inductionem, potest deueniri ad aliquã animalitatẽ, quæ sit humanitas, & de illa potest dici, quod sit animalitas: ergo si verũ est dicere qnod aliqua animalitas sit animalitas; potest dici quod aliqua humanitas sit animalitas, & cõsequenter quod humanitas sit animalitas. Hoc argumẽto vtuntur Cõplutẽses & Ioannes à sancto Thoma.

Nullã animalitas vt sic est humanitas.

*Respondetur*, negando consequentiam, ad cuius probationem dico non posse vnquam peruenire ad aliquam animalitatem, quæ sit humanitas vt sic concepta, quia quantumuis concipiam quamcumque animalitatem in rerum natura sub conceptu animalitatis, & etiam sub conceptu singularitatis constrahentis ipsam, non debeo propterea concipere humanitatem, neque secundum se, neque vt coniunctam cum animalitate: ergo non potest intellectus peruenire ad aliquam animalitatem, de qua possit dicere quod sit humanitas; imo quamuis concipiendo humanitatem necessario deberet cõcipere animalitatem seu formalitatem illam, quæ vocatur animalitas, quia illa est constitutiuum intrinsecum humanitatis, sine qua propterea nequit humanitas bene concipi; & licet propterea conuinceretur & determinaretur ad iudicandum quod illa formalitas sit in homine, tamen non propterea posset dicere, humanitas; aut etiam hæc humanitas est animalitas, quia quando concipit illam formalitatem vt inclusam in humanitate, non concipit illam vt abstractam, sed potius vt concretam, concipit enim illam vt inclusam in humanitate, & consequenter, quamuis vt sic conceptam prædicet illam de humanitate, tamen non prædicat, neque potest prædicare ipsam de humanitate, vt concipit illam formalitatem in abstracto. Per quod, & fundamenta conclusionis, facile solui possunt reliquæ obiectiones, quæ opponi possunt ex ratione.

92. *Obiicies tertiò* authoritatem *Philosophi 7. Met.* dicentis quod fissio pedis est quædam pedalitas, vbi videtur prædicare vnum abstractum de alio abstracto.

*Respondetur* pedalitatem non esse abstractum fissionis pedis, neque vllius quod possit prædicari de fissione illa, sed ipsiusmet pedis; vnde quamuis prædicari possit de fissione illa, non facit contra conclusionem. Ratio verò cur possit prædicari de fissione pedis est, quia reuera est concretum substantiuum respectu ipsius, sicut individuum est concretum respectu Petri, nã per pedalitatem intelligitur differentia constitutiua & distinctiua pedis; certum autem est, quod fissio pedis sit talis. Itaque sicut de rationalitate potest dici, quod sit differentia aliqua, quia reuera facit hominem differre, & sicut propterea differentia est concretum respectu ipsius secundum omnes, quamuis ipsamet rationalitas sit abstractũ rationalis; ita etiã de fissione pedis potest optime dici, quod sit pedalitas aliqua, quia reuera facit pedẽ fissum distingui à pede nõ fisso, quamuis sit abstractũ pedis fissi, de quo propterea nequit prædicari, neque enim valet dicere: pes fissus est fissio pedis, & hæc videtur mihi germana interpretatio istius loci Philosophi, cuius etiam in hac re potius authoritas esset neganda, si explicari

explicari non posset,quàm contraeundum rationibus conclusionis.

93. Pro maiori autem complemento nostræ & communis resolutionis examinanda videbatur distinctio, quam afferunt aduersarij ad suam sententiam stabiliendam. Dicit itaque *Fonseca* 5. *Metaph. quæst.* 13. *sect.* 4. & *Ioannes à sancto Thoma*, humanitatē posse accipi dupliciter:primò specificatiue,provt scilicet explicat naturā cum omni suo prædicato constitutiuo formali, pro abstractione,inquit,quasi sub modo concipiendi,& sic dicit posse de illa prædicari animalitatem in abstracto; secundò reduplicatiue,provt scilicet, explicat & reduplicat officiū abstractionis formalis, & sic negat de illa posse prædicari animalitaté. Et fortassis in re cōcidit cū hac distinctione alia, quam adducunt Conplutenses dicentes abstracta substantialia, vt dicunt præcisionem à suis inferioribus, non posse de ipsis prædicari, quæ est nostra sententia;posse tamen illa abstracta sumi absque tali præcisione, provt confuse continent sua inferiora, & sic de illis ea prædicari posse.

Distinctio Thomistarum.

Sed vtraque hæc distinctio,siue conueniant, siue non, mihi nullatenus probatur. Non prima quidem; quia, quidquid sit an conceptus humanitatis possit sumi specificatiue,an reduplicatiue,saltem animalitas,vt prædicari possit de ipsa,debet necessario concipi, & non potest concipi nisi vt concernens humanitatem, vel sine tali continentia:si primo modo cōcipiatur,poterit quidem prædicari, sed sic non est abstractum, sed concretum,nec significatur consequenter, vt sic,per animalitatem; aut si possit sic significari, animalitas erit vox æquiuoca habens aliquando vicē abstracti, aliquando concreti respectu eiusdem formalitatis,quod nullus dicit,& non facit ad rem, quia loquimur de illa voce, vt est abstractum,& non vt est concretum. Si secundo modo concipiatur,certum est, non posse intellectum vere illam prædicare de humanitate,cum non concipiat illam,vt coniunctam cum humanitate.

Hinc etiam improbatur secunda distinctio Complutensium,quia eo ipso quo illa abstracta sumerentur sine tali præcisione, sed vt continent confuse sua inferiora;iam non essent abstracta,sed concreta:non est autem quæstio vtrum cōcreta possint prædicari de inferioribus,sed vtrum abstracta possint sic prædicari.

94. *Dices* cum aduersariis:animalitas est abstractum à supposito,sed cum præcisione & abstractione à supposito potest bene manere continentia confusa inferiorum,& consequenter licet non possit prædicari de suppositis vllis,potest tamen de inferioribus,quæ non sunt suppositа:sicut color, licet non possit prædicari de aliquo supposito colorato, quia abstrahit ab omni tali, potest tamen prædicari de aliis inferioribus, verbi gratia de hoc & illo colore:vt de albedine,& nigredine.

*Contra*,quia licet bene verum esset, quod si animalitas præscinderet à solo supposito, & non præscinderet ab inferioribus abstractis,posset prædicari de ipsis, tamen vt sic non esset abstractum respectu ipsorum: nos autem hic loquimur de ipso,vt abstracto. *Deinde* falsum est, quod de facto animalitas non abstrahat etiam ab illis inferioribus:ergo de facto nequit prædicari, quidquid sit de possibili, quando scilicet daretur ipsi alia significatio ab illa,quam de facto habet. Probatur antecedens, quia animalitas de facto non habet aliam significationem, quam quod sit illud, quod constituit animal,vt animal est:sed certum est, quod ista significatio prorsus abstrahat ab omni inferiori, quia de nullo inferiori potest dici quod sit ratio constitutiua animalis,vt animalis.

*Confirmatur hoc*:ideo animal dicitur de facto continere implicite & confuse sua inferiora,quia de quocūque suo inferiori, de quo prædicari potest, potest dici quod sit aliquod corpus potens sentire, quod est significatum animalis; ergo si animalitas contineat confuse humanitatem & brutalitatem, potest dici de humanitate,quod sit ratio constitutiua animalis, hoc enim est significatum animalis:sed nequit hoc dici de humanitate, aut brutalitate: ergo animalitas non continet confuse humanitatem,aut brutalitatem.

95. *Quares* autem circa hæc, an concretum abstracti superioris possit prædicari de abstracto inferiori, verbi gratia an animal possit prædicari de humanitate. Noster *Gaspar de la Fuente difficultate* 8. *quæst.* 6. *art.* 3. existimat quod sic. *Sed contrariū nobis longe verius videtur* Ratio est manifesta: quoties prædicatū dicit aliquid, quod non importatur à subiecto explicite,aut implicite,nequit prædicatio esse vera,hac enim ratione nequit dici de anima hominis,aut corpore,quod sit homo,quia licet homo cōcipiatur, vt includens animā & corpus, tamen dicit aliquid quod non dicit corpus aut anima: sed animal includit aliquid, quod non importatur explicite,aut implicite ab humanitate,includit enim supositalitaté,aut illud,à quo abstrahit humanitas, nimirum illud quod dicit homo super humanitatem,vt omnes fatentur:ergo nequit prædicari de humanitate.

Concretum abstracti superioris nequit prædicari de obstracto inferioris concreti.

*Confirmatur*,quia vere humanitas,vt sic,est pars istius animalis, quod de ipso prædicari potest:ergo illud animal nequit prædicari de humanitate: sicut nullum totum potest prædicari de parte sua in abstracto.

## CONCLVSIO IV.

96. *Secundæ intentiones eodem modo possunt prædicari de se inuicem, ita scilicet vt superiora de inferioribus possint prædicari in concreto, non in abstracto; nec vnum abstractum superius de alio inferiori; vnde verum est dicere quod genus sit vniuersale, non vero quod sit vniuersalitas, nec genereitas sit vniuersalitas.* Probatur à paritate rationis,nihil enim interest quantum ad hoc,quod prædicata sint primæ vel secundæ intentionis:sed quod concipiantur cum ordine & connexione ad subiectum.

Secundæ intentiones eodē modo possunt prædicari de seinuicem.

## CONCLVSIO V.

97. *Secundæ intentiones in concreto prædicari solum possunt de naturis, quibus conuenit prædicabilitas ipsis correspondens, non verò de inferioribus illarum naturarum, neque de ipsismet naturis in abstracto*:verbi gratia secunda intentio generis in concreto, hoc est, ipsum genus prædicari potest de animali dicendo:animal est genus non vero de animalitate, neque de homine aut Petro, quæ continentur tanquam inferiora sub animali.

Secundæ intētiones in concreto solum possunt prædicari de naturis quibus conuenit prædicabilitas ipsi correspondens.

Hæc resolutio est communis, & *ratio primæ partis* est, quia reuera animal est habens talem prædicabilitatem, qualem debet habere genus: ergo potest dici de ipso, quod sit genus, quandoquidem genus nihil aliud sit, quam quod habet talem prædicabilitatem. *Ratio secundæ partis est*, quod animalitas non habeat talem prædicabilitatem,quandoquidem ex dictis abstractum superioris nequeat prædicari de inferioribus concretis aut abstractis. *Ratio denique tertiæ partis est* similis, quia scilicet nec homo, nec Petrus possunt prædicari de pluribus differentibus specie: ergo non habent prædicabilitatem generis & consequenter non possunt dici genus.

98. *Dices*:Potest dici quod animal sit genus, sicut potest dici quod substantia aut viuens sit genus, sed tamen animal est inferius ad substantiā,& viuens:ergo secūda intentio, quæ dicitur de superiori, potest dici de inferiori.

*Respondeo* distinguendo consequens: ex eo quod sit inferius præcisè, nego consequentiam; ex eo quod habeat aliam rationē particularem,ratione cuius possit illa secunda intentio de ipso,tam bene,quam de superiori prædicari,concedo consequentiam. Sed hoc non est contra resolutionē propositam, in qua tantū negamus secundas intentiones quæ prædicari possunt de superioribus,posse de inferioribus prædicari ex eo quod sint inferiora;& quod primæ intentiones superiores possint de ipso prædicari. Itaque non ideo animal dicitur genus, quod sit contentum sub viuente, & quod viuens dicatur genus,quia aliàs homo diceretur, quia est inferius ad animal, & quia animal dicitur genus: sed ideo dicitur genus, quia prædicari potest de pluribus speciebus inferioribus, vt est euidens, quod si sic nequiret prædicari, non diceretur genus plusquam homo.

99. *Dices*

*Dices secundò*: quidquid cõuenit superiori, debet cõuenire inferiori, hinc enim optime colligitur, quod si animal, quod est superius ad hominem, sit substantia, aut viuens, aut corporeum, quod homo & equus sint etiam talia: ergo si prædicabilitas de pluribus speciebus cõueniat animali, etiam conueniet homini cõtento sub animali, & cõsequẽter, si omne illud, cui cõuenit talis prædicabilitas, sit genus, etiã homo erit genus contra dicta.

*Aliqui videntur* sibi tollere hanc difficultatem recurrendo ad secundas intentiones & relationes rationis, quasi scilicet in illis falleret illa regula: Quod conuenit superiori conuenit inferiori: quæ tamen vera est vniuersaliter in primis intentionibus, seu in prædicatis, quæ sunt à parte rei ante opus intellectus, seu quæ non sunt secundæ intentiones aut relationes rationis.

100. *Sed contra*, quia habere aptitudinem remotam & fundamentalem ad fundandam secundam intentionem seu genereitatẽ logicam, est prædicatã primæ intentionis & non secundæ intẽtionis, nec ens rationis secundum hos authores; sed illud conuenit animali: ergo deberet cõuenire homini & Petro non obstãte hac responsione. Subsumo: sed cuicumque conuenit ista aptitudo remota & fundamentalis, ipsi conuenire potest secunda intentio generis: ergo potest conuenire Petro & homini, quod est intentum obiectionis, & contra communem resolutionem præmissam.

Cur prædicabilitas conueniens superiori, non conueniat inferiori.

101. *Respondetur ergo aliter*, distinguendo antecedens: quidquid conuenit superiori, debet conuenire inferiori, hoc est reperiri in illo sicut ipsum superius reperitur in illo, concedo antecedens; hoc est debet ita conuenire illi, vt possit prædicari de illo, nego antecedens: ad cuius probationem dico non propterea præcise prædicari substantiam de homine, & viuens, quod prædicetur de animali quod est superius ad viuens: sed quod nihil sit in homine quod impediat quominus vt reperiuntur in ipso illa prædicata, ita etiam prædicari possint de ipso: vnde nego consequentiam, quia licet illa prædicabilitas reperiatur in homine simul cum animalitate, cum qua identificatur (loquendo saltem de prædicabilitate remota) tamen est aliquid in homine, ratione cuius illa prædicabilitas nequeat de ipso prædicari, nimirum incommunicabilitas suæ differentiæ, hoc est rationalitatis, ad alias differentias essentiales. Itaque quemadmodum Pater æternus dicitur sapiens, ex eo quod habeat essentiam diuinam, cui identificatur sapientia tanquam attributum eius, & tamen non dicitur identificabilis Filio, licet habeat eandem essentiam diuinam, quæ habet illam identificationem secum necessariò connexam; & hoc oritur ex eo quod Pater ratione paternitatis, quæ est constitutiuum eius, sit distinctus realiter à Filio; ita etiam licet homo dicatur substantia, quia includit animal, quod est substantia, non debet dici prædicabile de multis speciebus ex eo quod includat animal quod est sic prædicabile, quandoquidẽ habet rationalitatem impedientem prædicabilitatẽ illam eius. Et ratio est, quia, vt homo sit prædicabile de multis specie distinctis non sufficit quod includat aliquid sic prædicabile, sed requiritur quod ipsemet secundũ se totum sit sic prædicabile, quod ipsi repugnat; sicut non sufficit homini vt dicatur pars, quod includat partẽ, sed ipsemet totus debet esse pars: vt autẽ dicatur sapiẽs sufficit quod includat sapientiã, aut aliquid includens sapiẽtiã.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quot sunt vniuersalis species.*

102 NOn excludo ab hac quæstione vniuersale metaphysicum, vt faciunt multi: quamuis enim naturæ & res, quæ possint denominari vniuersales tam metaphysicè quam logicè, sint tot diuersarum specierum, vt non possit numerus earum à nobis assignari; tamen, vt secundum quod sunt vniuersales logicè, possunt reduci ad certum numerum, ita etiam secundum quod sunt vniuersales metaphysicè. Quia verò omnes Doctores conueniunt in numero Vniuersalium, licet non conueniant in modo explicandi, non sunt sententiæ diuersæ hic proponendæ, sed breuiter & clare nostra sententia proponenda.

Prius tamen claritatis causa aduertendum est, nos hic agere de *prædicabilibus incomplexis*, & hinc excluditur ab hoc numero definitio rei, quæ quandoquidem constet genere & differentia, est terminus complexus, non incomplexus: *De prædicamentalibus*, & hinc excluduntur transcendentia, vt ens, vnum, verum, bonum. *De determinatis*, & hinc excluditur indiuiduum vagum. *De vniuocis*, & hinc excluduntur æquiuoca, & analoga non vniuoca. *De completis* saltem realiter, & hinc excluditur anima rationalis. Dico autem *realiter*, quia differentiæ metaphysicæ non excluduntur, & non sunt incompletæ formaliter; sed quia sunt completa realiter, hoc est identificata realiter entibus completis, comprehenduntur inter prædicabilia.

Quod si quis quærat, cur solum comprehenduntur illa prædicabilia determinata iam explicata, & excludantur cætera, sufficere debet pro ratione, quod huiusmodi prædicabilia ponantur in prædicamentis, in ordine ad quorum intellectionem agebat Porphirius de prædicabilibus: & per hæc solui possunt plures obiectiones, quæ contra numerum quinarium Prædicamentorum opponi possent, quas propterea non erit necessarium expresse proponere.

### CONCLVSIO I.

103. *Quinque tantũ sunt species Vniuersalis metaphysici, vt talis formaliter.* Probatur, quia vniuersale metaphysicum formaliter consistit in vnitate & aptitudine existendi in multis modo supra explicato: sed quinque modis diuersis potest inexistere multis: ergo quinque sunt species eius. Probatur minor, quia omnis natura communis apta est inexistere pluribus, aut essentialiter, aut accidentaliter: si accidentaliter, aut vt accidens separabile, & sic erit accidens; aut vt inseparabile, & sic erit Proprium: si essentialiter, aut vt tota essentia, aut vt pars essentialis; si vt tota essentia, erit Species; si vt pars essentialis, aut vt pars essentialis contrahibilis, & sic erit Genus: aut vt pars essentialis contrahens, & sic erit Differentia. Sed hi sunt quinque modi diuersi inexistendi, & non est alius modus inexistendi pluribus, qui non reducatur ad hos: ergo quinque tantũ sunt modi distincti, quibus natura communis possit inexistere pluribus.

*Obiicies primo*: Natura Angelica, humana, equina, bouina, elephantina, passerina sunt naturæ communes vniuersales metaphysicè specie distinctæ, & sunt plures quam quinque; ergo dantur plures species naturæ vniuersalis metaphysicè quam quinque.

*Respondeo* distinguendo antecedens: sunt species distinctæ secundum modum inexistendi pluribus, nego antecedens; nam eodem modo naturæ humana, equina, bouina &c. sunt aptæ inexistere pluribus, nimirum tanquam tota essentia istorum plurium: alio modo, transeat antecedens.

104. *Obiicies secundò*: Non potest dari aliquid commune omnibus naturis vniuersalibus metaphysicè: ergo non debet dici quod sint quinque species distinctæ vniuersalis metaphysici. Probatur, quia species distinctæ habent aliquid cõmune, in quo conueniunt. Probatur antecedens, quia non est maior ratio quare daretur aliquid cõmune naturæ vniuersali substãtiali, & accidentali, vt aptæ sunt inexistere pluribus, quã naturæ vniuersali positiuo, & naturę vniuersali negatiuo, seu rationis: sed his nõ potest dari aliquid cõmune, ergo neque illis.

*Respondeo* distinguendo antecedẽs; secundũ quod sunt aptæ inexistere pluribus, nego, secundũ aliã rationem, transeat, & similiter distinguo minorem probationis.

*Camerarius disp. 7.* Logicæ contra communem sententiam tenet non dari nisi duo vniuersalia, nimirum Genus & Differentiam, quamuis dentur quinque prædicabilia. Fundamentum est quia vniuersale debet esse quid vnum abstractũ ab inferioribus, in quibus multiplicatur, & hinc si vna albedo poneretur in multis subiectis, & abstraheretur ab illis per intellectum, non esset vniuersalis cum sit singularis: sed solummodo genus & differentia habet inferiora, in quibus sic multiplicarẽtur,

& à quibus possunt abstrahi per modũ vniuersalis, ergo.

*Sed respondetur* facile negando minorem, nam album, vt sic habet pro inferioribus non solum hoc & illud album, vt album, respectu quorum habet se per modum speciei, sed etiã hunc & illum parietẽ, de quibus prędicari potest accidẽtaliter, & in quibus multiplicatur; & sane mirũ est quod saltẽ differentiam excluserit Camerarius, cum ipsa etiã inferioribus, de quibus prædicatur in quale, identificetur non minus quam genus, aut species.

*Dices*: si accidens & proprium essent vniuersalia, tot essent vniuersalia distincta, quot prædicamenta.

*Respondeo* negando sequelam, quia sicut non sunt secundum Camerarium plura prædicabilia quam quinque, ita nec plura vniuersalia, nam vniuersalia debent esse prædicabilia.

## CONCLVSIO II.

105. *Quinque etiam tantum sunt species Vniuersalis logici.* Hæc est communissima, & *Probatur*, quia cum Vniuersale logicum non sit aliud, quã natura proxime prædicabilis de multis, quot erunt modi diuersi, quibus potest de multis prędicari, tot erũt species eius: sed quinq; tantũ sunt diuersi modi prędicandi naturæ de multis, ergo. Probatur minor, quia quot modis diuersis potest natura inexistere multis, tot modis diuersis potest prædicari de multis; sed, vt patet ex præcedenti conclusione, quinq; modis diuersis potest inexistere multis, ergo &c.

*Obiicies primo*; Philosophus *lib. 1. Topic.* solum numerauit quatuor prędicata, genus scilicet, definitionem, proprium, & accidens: ergo non dantur quinque.

*Respondeo* negando consequentiam, ibi enim solum fecit mentionem de prædicatis suo instituto deseruientibus, iis scilicet, quæ poterant prædicari de aliquo subiecto communi, quale prædicatum non est species, quia non potest prædicari nisi de indiuiduis.

106. *Obiicies secundo.* Definitio est prædicabilis de multis, & tamen non est vllum prædicatum ex illis quinque prædicabilibus, ergo plura dantur prędicabilia.

*Respondeo* distinguendo consequens: plura prædicabilia incomplexa, nego; complexa, concedo; hic enim tantum loquimur de prædicabilibus & vniuersalibus incomplexis, hoc est quæ explicite non dicunt duo prędicabilia, vt aduerti in principio quæstionis.

*Non placet hæc responsio Auersæ quæst. 8. sect. 16.* quia multa prædicabilia possunt per terminos complexos aut incomplexos designari; ergo non debent excludi à prædicabilibus termini incõplexi. Sed in hoc valdè fallitur *Auersa*, nec enim per terminos complexos hic exclusos, intelligimus, vt ipse putat, terminos cõplexos voce, sed cõplexos re aut significatione: tales autẽ termini omnes excluduntur, nec potest dari instantia contra.

*Nec etiam placet* vllo modo responsio propria ipsiusmet, nimirũ quod propterea diffinitio excludatur, quod non distinguatur à subiecto seu diffinito; nam omnino distinguitur saltem ratione à subiecto, aliàs hæc propositio esset identica & non formalis: homo est animal rationale, & demõstratio potissima non constaret nisi duobus terminis; neque enim constat nisi definito, definitione & proprietate; vnde si definitio & definitũ non sint termini distincti, non erunt nisi duo termini in illa demonstratione, quod est absurdũ, quandoquidẽ omnis syllogismus debeat constare tribus terminis ad minus.

107. *Obiicies tertiò.* Omnia vniuersalia logica fiunt eodem modo: ergo omnino sunt eiusdem speciei. Probatur antecedens, quia omnia fiunt per actum comparationum. Probatur consequentia, quia quæ petunt produci eodem modo non habent distinctas essentias.

*Respondeo primò* negando consequentiam cum probatione sua, quia calor & siccitas petunt eodem modo procedere ab igne, nimirum naturaliter, & tamen sunt distinctæ species.

*Respondeo secundò* distinguendo antecedens; eodem modo generico, concedo; eodem modo specifico, nego antecedens, & etiam consequentiam: similiter probationem distinguo; eodem modo generico, nego; eodem modo specifico concedo.

*Dices*: comparatio, qua redditur natura humana vniuersalis logice, est diuersæ speciei à comparatione, quæ redditur sic vniuersalis natura equina, & tamen vtraque natura fit vniuersalis logicè vniuersalitate eiusdem rationis, nimirum specifica: ergo quamuis omnia vniuersalia fierent per comparationes diuersæ speciei, non inde tamen sequeretur quod essent diuersæ speciei.

*Respondeo*, diuersitatem vniuersalium non desumi ex diuersitate comparationum, sed ex diuersitate modi, quo comparatur natura: vnde quia natura humana ad sua inferiora comparatur eodem modo, nimirum per modum totius essentiæ, quo comparatur natura equina ad sua, non possunt constituere vniuersalia distinctæ speciei, sed quia non eodem modo comparatur genus ad sua inferiora, quo species aut differentia, propterea constituent vniuersalia distinctæ speciei.

108. *Obiicies quartò.* Datur duplex differentia, quarum vna in modo prædicandi de inferioribus differt ab altera: ergo dabuntur sex vniuersalium species. Probatur antecedens, quia differentia quæ solum potest prædicari de pluribus numero differentibus; vt est differentia infima, verbi gratia rationalitas, est distinctæ rationis in modo prædicandi à differentia, quæ potest prædicari de pluribus specie differentibus, vt est differentia subalterna, verbi gratia corporeitas.

*Confirmatur*, quia ideo dicitur genus esse vniuersale distinctum à specie, quia est prædicabile de pluribus distinctis specie; species vero non nisi de differentibus numero: ergo differentia prædicabilis de pluribus differẽtibus specie erit prædicabile distinctæ speciei à differẽtia prædicabili de pluribus tantũ numero differẽtibus.

*Respondeo* negando antecedens cum sua probatione; quia vtraque prædicatur per modũ partis essentialis cõtrahentis: quod autẽ vna prædicetur de pluribus differẽtibus specie, nõ est ad rẽ; quia non desumitur distinctio vniuersalium ex rebus, de quibus prædicãtur, sed ex modo prædicandi de illis rebus, alias natura humana esset vniuersale distinctum à natura equina; & alias genus supremum esset distinctum prædicabile ab inferiori, quod communiter supponitur falsum. Aliam responsionem indicabo in fine responsionis ad obiectionẽ sequentem.

*Ad confirmationem* nego antecedens, nam ratio quare genus dicatur esse vniuersale distinctæ rationis à specie, est quia diuersomodo prædicantur; vnum per modum partis essentialis contrahibilis, alterum per modum totius essentiæ.

*Dices* Porphirium, qui author est huius libri, distinxisse vniuersalia per terminos: ergo cum nos non sic distinguamus ea, contradicimus Porphirio.

*Respondeo* negando antecedens: quamuis enim posuerit terminos vniuersaliũ, hoc est illa de quibus sunt prędicabilia in ipsorũ definitionibus, tamen non voluit ipsorũ differentiã desumi ex diuersitate terminorum, sed ex diuerso modo prædicãdi de illis terminis, vt patet ex definitionibus proprij & accidẽtis, & ex aliis capitibus.

109. *Obiicies vltimò*: homo est prædicabile de Christo, & etiam de alio supposito diuino, si scilicet assumeretur alia natura humana à Spiritu sancto: sed non est prædicabile vllo modo ex modis, quibus hæc prædicabilia prædicantur: ergo datur aliquod vnum completũ prædicamentale incomplexum prædicabile de multis, quod non sit vllum ex his prædicabilibus, & consequenter dantur plura quam quinque prædicabilia. Probatur minor, quia non est genus respectu eorũ suppositorũ, quãdoquidẽ non contrahatur per differentias specie diuersas ad illa; nec est species, quandoquidem non identificetur realiter illis suppositis, nec sit tota essentia ipsorum; nec est differentia, quia nec identificatur realiter, nec contrahit aliquod genus ad illa; nec est proprium, quia non emanat ab vlla essentia alia inclusa in illis; nec est accidens, quandoquidem non prædicetur in quale, sed in quid, propter quam etiam rationem sequitur, quod non sit nec differentia, nec proprium.

Quomodo natura humana prædicetur de Christo.

*Respondetur* negando minorẽ, ad cuius probationẽ dicendũ primò, quod homo prædicetur de Christo seu de supposito

supposito Verbi,& quocumque alio,cui vniretur natura humana hypostatice,vt accidens separabile:quamuis enim in se homo non sit accidens, tamen vt accidens competit illis suppositis, quantum ad hoc quod possit illis adesse & abesse absque illorum corruptione, & quantum ad hoc quod non sit de eorum essentia, nec proprietas ipsorum.Cum autem dicitur quod non prædicetur in quale de illis suppositis, responderi potest quod sit necesse omne prædicabile quinti prædicabilis esse prædicabile in quale.

*Dici potest secundò*, quod prædicetur homo de illis suppositis vt species,quia prædicatur de illis in quid,& non vt pars contractibilis, quemadmodum prædicatur genus;nec vt pars contractiua, quemadmodum prædicatur differentia,quæ etiam non prædicatur in quid.

110.Cum autem contra opponitur quod non prædicetur,vt tota essentia, quandoquidem nec identificetur realiter illis suppositis, & in illis præterea reperiatur alia essentia;responderi potest non esse necesse, vt omnibus de quibus prædicetur species vt talis;debeat identificari realiter,nam homo non identificatur supposito Petri,de quo tamen prædicatur vt species.Deinde licet illa suppositа habeant aliam essentiam,tamen hoc non tollit quominus homo prædicetur vt tota essentia,quia huiusmodi prædicabilitas non arguit per se necessario exclusionem alterius naturæ & essentiæ,sed solummodo quod res illa, quæ prædicatur vt tota essentia, non prædicetur vt pars contractiua aut contractibilis, aut vt proprietas, aut vt accidés præsupponens subiectum.

*Responderi potest tertiò*, cum Auersa distinguédo consequens;aliud prædicabile naturaliter cognoscibile,nego,supernaturaliter,concedo;nec id est incóueniens,aut contra prædictæ diuisionis sufficientiam, quæ data est secundum proportionẽ luminis naturalis;ita,vt sensus sit, quod nullũ sit prædicabile vniuersale lumine naturali cognoscibile,quod non sit alterum ex illis quinque.

111.*Quæres*, an illa diuisio sit in species infimas, an vero in subalternas,hoc est, an quodlibet prædicabile ex illis quinque,aut aliquod ex illis quinque contineat sub se plures species,vel non contineat, sed solummodo plura indiuidua.Si contineat plures species, diuisio erit in species subalternas;si non contineat,erit in plures infimas.

Quomodo posset admitti maior numerus prædicabilium quã quinarius.

*Respondeo*,mihi satis esse probabile, quod aliqua saltem ex illis speciebus contineat sub se alias species; nam non video quin accidens prædicabile separabiliter quantum ad potentiam naturalem,& accidens non sic separabile, sint diuersæ rationis in esse prædicabilis tam bene quam proprium distinguitur ab accidente in esse prædicabilis : sed datur huiusmodi accidens, quod nequit separari naturaliter, vt calor respectu ignis, & alia quæ possunt separari naturaliter, vt calor respectu aquæ. Deinde non video cur prædicabilitas generis superioris non sit distinctæ rationis à prædicabilitate generis inferioris,verbi gratia infimi;nam quamuis vtrũque genus prædicetur vt pars contractibilis,tamẽ vnum prædicatur vt pars contractibilis per differentiam non vltimam essentialem ; aliud , nempe infimum , vt pars contractibilis per differentiam vltimam essentialem; & eodem modo potest etiam differentia,quæ est prædicabilis in quale quid , diuidi in differentiam infimam & subalternam iuxta intentum obiectionis quartæ. Nec tamen hoc impediret bonitatem & adæquationem prę dictæ diuisionis,sicut nec quãdo diuiditur animal in rationale & irrationale , impedit bonitatem diuisionis quod denter plura animalia irrationalia distinctæ rationis , nec quando diuiditur anima vt sic in vegetatiuam,sensitiuam, & rationalem, impedit illam diuisionem quod dentur plures animæ sensitiuæ & vegetatiuæ distinctissimæ rationis.

Alia responsio ad obiectionem quartam.

112 Et per hoc posset responderi ad illam obiectionem quartam alio modo distinguendo consequens:dantur sex vniuersalium species, quarum aliqua non est ex his quinque,aut contenta sub aliqua ex illis,nego consequentiam; quarum sexta est ex his quinque , aut contenta sub aliqua ex illis, concedo, nec id est contra diuisionem : & hæc responsio est longe facilior quam præmissa,quæ tamen est communior.

*Posset obiici*,quod si diuisio intelligeretur hoc modo ita scilicet vt diuidentia non essent species infimæ sed subalternæ, potuisset reduci ad pauciorem numerum; vt verbi gratia ad quaternarium reuocando speciem & genus ad vnum prædicabile quod esset prædicabile in quid , quamuis rursum hoc prædicabile in quid posset diuidi in alias species, nimirum in prædicabile in quid complete,& in quid incomplete.

*Respondeo* concedendo totum , nec id etiam esset inconueniens,nec inde sequeretur quod male data sit per quinarium numerum,sufficit enim ad diuisionem quod sit adæquata,& quod non sit per valde multa membra ad confusionem vitandam;nec per valde pauca,quando continet diuisum varias sub se species,ad vitandam obscuritatem. Quod si vitentur hæc extrema , intra illa potest dari iuxta discretionem diuidentis per plura vel pauciora membra, modo tamen detur adæquate:quod valde aduertendum est pro defensione multarum diuisionum , quæ in authoribus reperiuntur , ex quibus tamen aliqui impegerunt in illa extrema.

## QVÆSTIO IX.

### *Vtrum Vniuersale vt sic sit genus ad quinque Vniuersalia.*

HÆc quæstio examinanda est tam de vniuersali metaphysico,quam de logico.

### CONCLVSIO I.

Non datur aliquod vnum vniuersale metaphysicum quod sit genus ad omnia vniuersalia metaphysica.

113. *Non datur aliquod vnum vniuersale metaphysicum primo intentionaliter sumptum, quod sit genus proprie dictum ad omnia vniuersalia metaphysica.* Hæc videtur mihi conformis *Doctori q.8. Vniuersalium*, vbi negat dari vnam vllam naturam genericam primò intentionaliter sumptam,quæ sit communis omnibus naturis genericis & aliis principiis eius : & videtur etiam communior; nam quamuis communiter admittatur vniuersale vt sic, esse genus ad quinque vniuersalia , vt postea dicemus, tamen id intelligitur de vniuersali logico.

*Probatur* autem,quia nulla natura vna, primò intentionaliter sumpta est communis vniuoce ad naturas diuersorum prædicamentorum, præter naturam entis & transcendentium:sed natura entis & transcendentium non est natura vniuersalis vt sic , nec est illud , ratione cuius vniuersalia omnia habent esse vniuersalia ; ergo nõ datur aliqua natura vna primò intentionaliter sumpta , quæ sit cõmunis generice omnibus vniuersalibus. Probatur maior, quia non potest assignari vlla talis natura, nec aliud munus aut effectus istius primæ intentionis.Probatur etiam minor, quia non ideo substantia vt sic est vniuersale genericum , nec ideo rationale est vniuersale differentiale ; nec album est vniuersale accidentale, quia includunt vniuocè ens vt sic,aut aliquid aliud transcendens primæ intentionis , quia si per impossibile aut possibile non includerent aliquid tale, adhuc essent vniuersalia talia propter prædicabilitatem quam habent de pluribus & communitatem ad plura.

*Confirmatur* , quia non datur aliqua natura genericа primæ intentionis , quæ sit communis vniuoce omnibus naturis genericis primæ intentionis, vt tenet Scotus supra,& manifestum est:ergo neque datur à paritate rationis aliquod vniuersale metaphysicum , quod sit commune vniuoce ad omnia vniuersalia metaphysica communitate & vniuocatione saltem requisita ad genus proprie dictum , de qua communitate & vniuocatione loquor in conclusione.

*Confirmatur* vlterius per dicenda de differentia metaphysica.

*Obiicies*:Dãtur plura vniuersalia metaphysica distinctæ rationis:sed de quolibet ex illis prædicatur in quid vniuocè vniuersale metaphysicum , vt sic ; ergo datur vniuersale metaphysicum vt sic,quod est ipsis commune,& genus proprie dictum respectu eorum.

*Respondeo*, negando suppositum minoris, nimirum quod detur vniuersale metaphysicum vt sic, perfecte abstractum ab omnibus vniuersalibus metaphysicis. Argumenta autem omnia, quibus id probari posset, sunt similia illis argumentis, quibus probari solet dari aliquem conceptum indiuidualem communem omnibus indiuiduis & omnibus differentiis vltimis, & soluenda sunt eodem modo, quo illa inferius soluentur, quando de differentia ac indiuiduis tractabitur.

## CONCLVSIO II.

Quomodo dicatur vniuersale vt sic commune omnibus vniuersalibus logicis.

114. *Si loquamur de vniuersali logico prout dicit communitatem, aut prædicabilitatem absque ente rationis ficto ab intellectu, satis probabile est, quod non detur aliquod vniuersale logicum vt sic, quod sit genus proprie dictu ad quinque vniuersalia Logica sic considerata: si verò loquamur de vniuersali logico, quatenus fingitur constitui per ens rationis, satis probabile est quod detur vniuersale vt sic, quòd sit genus proprie dictum; rationis tamen, ad quinque vniuersalia.* Hæc conclusio hoc modo à nullo, quod sciam, proponitur, & prima pars videtur mihi satis conformis primæ conclusioni, vnde potest censeri cõmunis, sicut illa est. Secunda verò pars est *Doctoris q.8. vniuers. D. Thom. opusc. 55. & 1. contra gentes, cap. 32.* quos sequuntur recentiores cõmuniter contra *Albertum Magnum tract. 1. de prædic. c. 9. Canterum ibid. c. 4. Ognam. quæst. 2. & alios.*

*Probatur prima pars*, quia omnis communitas, & prædicabilitas, quæ est in vniuersalibus absque ente rationis, debet fundari saltem remote in ipsis rebus, quæ dicuntur vniuersales, ergo si ipsæ res non cõueniant vniuoce in aliquo conceptu communi generico, neque etiã istæ communitates, aut prædicabilitates sic conuenient: sed ipsæ res ex prima conclusione non conueniunt sic, ergo neque istæ cõmunitates, aut prædicabilitates. Probatur prima consequentia; quia proprietates non conueniunt vniuoce, nisi fundamenta conueniant vniuoce, & hinc intelligibilitas entis rationis non conuenit vniuoce cum intelligibilitate entis realis, quia ens rationis & reale non conueniunt vniuoce.

*Secunda pars conclusionis probatur*, quia illæ formæ quæ singuntur aduenire naturis, possent habere conuenientiam inter se vniuocam tam bene, quam albedo & nigredo: sed hoc supposito nihil impedit quo minus conueniant vniuoce in ratione vniuersalis vt sic; aut quo minus vniuersale vt sic sit genus respectu eorum.

*Confirmatur*, quia si aduenirent naturis aliquæ formę accidentales reales, à quibus haberent constitui in esse vniuersalis formaliter, illæ formæ conuenirent vniuoce in ratione vniuersalis vt sic: sed quod competeret formis illis realibus, debet seruata proportione attribui formis his rationis; ergo.

115. *Obiicies primò contra secundam hanc partem*: illud, quod prædicatur in quid & essentialiter de vna specie, & accidentaliter de alia specie, non potest esse vniuocum ipsis, sed esse aptum inexistere aut prædicari de pluribus prædicatur per se de genere: genus enim per se est prædicabile de pluribus; & per accidens de accidente; accidens enim accidentaliter tantum prædicatur de pluribus: ergo, &c.

Quod per se conuenit vni & per accidens alteri potest esse vniuocũ illis.

*Respondeo primò*, negando maiorem; quandocumque enim vna res secundum eandem rationem prædicatur de pluribus, licet essentialiter conueniret vni, & accidentaliter alteri, adhuc tamen prædicatur vniuoce de illis, & aptum est vniuoce inexistere illis, vnde si esset aliquid album essentialiter & aliud album accidentaliter, album vt sic, esset vniuocum ipsis; sicut de facto calidum prædicatur vniuoce de aqua & igne, licet illi conueniat separabiliter, & huic inseparabiliter quantum ad potentiam naturalem.

*Respondeo secundò* negando minorem pro secunda parte; quia quamuis accidens accidentaliter, & non necessariò insit aut prædicetur de pluribus, tamen æquè essentialiter est aptum vt insit, & vt prædicetur per accidens de pluribus, ac genus est aptum vt insit & prædicetur per se de pluribus. Itaque non propterea dicitur genus includere essentialiter rationem vniuersalis, vt sic, quod possit inesse pluribus, de quorum essentia sit, sed quod per se petat vt possit inesse pluribus, siue sit de eorum essentia, siue non, vnde cum accidens per se petat, vt possit inesse pluribus, essentialiter includit rationem vniuersalis vt sic, non minus quam genus.

Et si quæras vnde petat genus posse inexistere pluribus, de quorũ essentia sit; Respõdeo ex ratione particulari talis vniuersalis, nõ ex ratione vniuersalis vt sic.

116. *Obiicies secundò*: Nihil potest esse superius & inferius respectu eiusdem; sed vniuersale vt sic, si esset genus ad quinque vniuersalia, esset superius & inferius respectu eiusdem, ergo non potest esse genus. Probatur minor: esset superius, quod enim est genus respectu aliquorum est superius ad illa; esset inferius, quia contineretur sub genere, omne enim genus continetur sub genere illo, quod est species vniuersalis vt sic.

*Respondeo* distinguendo maiorem; idem formaliter & secundum eandem considerationem aut formalitatem, concedo; secundum diuersas considerationes, aut formalitates, nego maiorem: similiter distinguo minorem. Vt autem ostendamus quænam sint istæ diuersæ formalitates seu considerationes, secundam quarum vnam vniuersale vt sic, possit esse superius, & secundum aliam inferius.

Quid est superius & quid inferius.

Aduertendum est, illud dici superius aliquo, quod includitur in ipso, ita tamẽ, vt ab includẽte valeat consequentia ad inclusum, non autem è contra. Illud verò dicitur inferius, quod includit aliud, & à quo valet consequentia ad inclusum, cum tamen ab incluso non valeat consequentia ad includens, verbi gratia animal est superius homine, quia includitur in homine, & quia sequitur: *est homo, ergo est animal*; non vero sequitur: *est animal, ergo est homo*. Homo autem non dicitur inferius, nec superius risibili, quia licet risibilitas includatur in homine, tamen sunt conuertibilia, ab altero enim ad alterum valet consequentia.

Quomodo vniuersale vt sic est genus & species.

117. Aduertendum præterea vniuersale, vt sic, esse aptum prædicari & inesse pluribus, & esse aptum prædicari & inesse pluribus distinctis specie; neque secundum eandem considerationem competit ipsi vtrumque quia bene potest intelligi, vt prædicabile de pluribus, quamuis non intelligatur, vt prædicabile de pluribus distinctis specie: Quando ergo dicitur quod vniuersale vt sic, sit superius ad genus & ad cæteras suas species, hoc ipsi conuenit secundum quod est prædicabile de pluribus præcise, & non secundum quod est prædicabile de pluribus distinctis specie, quia secundum quod est prædicabile de pluribus, & non est de pluribus distinctis specie, includitur essentialiter in genere & in cæteris speciebus, & non valet consequentia ab ipso ad vllam speciem ex ipsis: quãdo vero dicitur quod vniuersale vt sic sit inferius respectu generis, hoc est verum secundum quod est prædicabile de pluribus differentibus specie, quia secundum hanc rationem includit rationem generis, & ab ipso ad genus valet consequentia, non è contra.

*Dices*: idem nequit esse simul vniuersale vt sic, & tale vniuersale: sed, si vniuersale vt sic esset genus, esset vniuersale vt sic & tale vniuersale: ergo nequit vniuersale vt sic esse genus ad quinque vniuersalia.

*Respondeo* distinguendo maiorem: secundum eandem considerationem, concedo; secundum diuersam nego. Vniuersale autem vt sic habet talem rationem, quatenus est prædicabile de pluribus præcise, abstrahendo à modo, quo est prædicabile; habet autem rationem talis vniuersalis particularis, nimirum generis, vt est prædicabile de pluribus differentibus specie; nempe de quinque vniuersalibus.

Solutio difficultatũ quas omisit Porphirius.

Ex dictis in hac disputatione facile possunt solui difficultates, quas noluit soluere Porphirius, Chrysaorij consulens iuuentuti. Quarum prima erat, an genera, & species sint in rerũ natura à parte rei; Respõdetur enim quod capiendo genera & species pro naturis illis, quæ sic denominantur, non est dubium, quin dentur multa genera & species à parte rei, in singularibus tamen

Et

Et similiter patet, quod quædam ex his generibus sint corporalia, quædam spiritualia, quædam substantialia, quædam accidentalia: & per hoc patet ad secundam difficultatem. Ad tertiam etiam quæstionem, qua quærebat vtrum vniuersalia illa essent in sensibilibus, id est in singularibus, an extra; patet quod sint in illis, quatenus identificantur illis; extra verò illa, quatenus distinguuntur formaliter ab illis.

# DISPVTATIO IV.

## *De Genere.*

1. PORPHIRIVS cap. 1. suæ introductionis agit de genere variasque eius acceptiones tradit ibidem, quas, vt nostro instituto minus necessarias omitto, acturus solummodo de genere logico, cuius duas descriptiones dedit Porphirius. Prima est: *Genus est id sub quo collocatur species:* Secunda est: *Genus est quod prædicatur in quid de pluribus specie differentibus.* Ex his autem definitionibus prima, nisi explicetur, ita vt faciat eundem sensum cum secunda, non satis exacte ostendit naturam generis, vt vniuersale: quare de secunda definitione in hac disputatione agemus.

Duæ definitiones generis traditæ à Porphirio.

Porro aduertendum est, Porphirium diuisisse genus prædicabile de pluribus specie distinctis in generalissimum, quod est illud quod non habet supra se aliud genus, vt substantia prædicamentalis, vt sic, de qua nihil, prædicamentale saltem, potest prædicari per modum generis; & in subalternum, quod est illud quod habet supra se aliud genus, vt animal, de quo prædicari potest tanquam genus, sub quo continetur, viuens, corpus &c. Hæc tamen diuisio est diuisio generis primo intentionaliter accepti, non secundò intentionaliter accepti, quia quodcumque genus secundò intentionaliter acceptum habet supra se aliud quod possit prædicari de ipso in quid, nimirum vniuersale vt sic. Intelligo autem hic per genus primò intentionaliter, seu, vt alij dicunt, materialiter, illam rem secundum se, quæ potest denominari viuersalis; per genus autem secundò intentionaliter, seu formaliter, intelligo illam rem, provt vniuersalis formaliter, verbi gratia animal secundum se est genus materialiter, seu primo intentionaliter, quia est res quæ potest denominari vniuersalis, cum tamen essentialiter non sit vniuersalis: animal vero, vt prædicabile formaliter est genus formaliter, seu secundò intentionaliter, quia vt sic dicit ipsam genereitatem quæ formaliter constituit genus in esse generis: & hoc est aduertendum non solum de genere, sed de reliquis etiam vniuersalibus, quæ etiam primo intentionaliter, & secundò intentionaliter capi solent.

Quid genus generalissimũ.

Quid subalternum.

### QVÆSTIO I.

#### *Quodnam sit definitum in definitione generis.*

2. QVandoquidem ad cognoscendum, vtrum definitio præmissa generis sit bona, necessarium sit scire, quodnam sit definitum, cuius natura illa definitione explicatur, præmittenda erat hæc quæstio, quæ propterea difficilis redditur, quia illa vox *genus*, quæ substituitur loco definiti, est vox concreta, sicut & cæteræ quatuor voces, quibus significantur reliqua quatuor vniuersalia, & sicut etiam ipsum vniuersale, vt sic, vt supra diximus, est concretum quid. Illud autem omnibus concretis conuenit vt dicant duo, vnum pro formali, pro materiali alterum; vnde quando definiuntur, potest dubitari quidnam per se per eorum definitiones definitur, an illud quod materialiter & connotatiue dicunt, vel illud quod formaliter & per se significant, vel vtrũque simul. Quæ difficultas quamuis sit cõmunis omnibus omnino concretis, quando definiuntur; tamen examinabimus ipsam particulariter de genere, ita nihilominus, vt ex resolutione data de genere vnusquisq; facile percipere possit quid dicendũ sit non solum de cæteris vniuersalibus, de quibus sine dubio est eadem ratio ac de genere; sed de omnibus omnino concretis. Itaque cum genus dicat naturam communem pluribus speciebus, & præterea prædicabilitatem de illis, quæritur hic an ipsamet natura communis, an prædicabilitas, an vtraque simul hic definiatur.

Qua in re plures possunt esse opiniones. *Prima*, quod ipsa natura generica, quam dicit genus materialiter, esset definitum per se in hac definitione, v.g. natura animalis, natura coloris, natura viuentis, natura substantiæ spiritualis finitæ vt sic, & similia.

*Secunda*, quod ipsa secunda intentio genereitatis, quam dicit genus formaliter, & à qua formaliter habet natura prædicari posse de multis, per se definiatur hac definitione.

*Tertia*, quod neque vna neque altera, sed vtraque simul, scilicet & natura & genereitas ex æquo hic per se definiantur. Pro his autem tribus sententiis, quia communiter negantur, non inuenio vllius momenti authores, quorum authoritate fulciantur.

*Quarta sententia* est, naturam communem hic definiri, non tamen secundum se præcise, vt tenuit prima sententia, sed prout connotat genereitatem. Ita *Toletus hic q. 1. Rub. q. 2. Caberus tr. 3. Vniu. Auersa q. 10. Amicus q. 1. dub. 2.* qui vniuersaliter tenent concreta omnia, præsertim accidentalia, qualia putant esse quinque prædicabilia, per se primo dicere subsstratum formæ accidentalis, & connotare illam formam: v.g. album per se primo dicere rem, quæ afficitur albedine, & connotare ipsam albedinem: vnde consequenter existimant quod quoties definiuntur huiusmodi concreta, definitum per se definitionis sit ipsum subsstratum, quatenus tamen connotat formam.

*Quinta* denique sententia huic directe opposita est, definitum per se huius definitionis esse ipsam genereitatem seu formam, à qua natura habet esse prædicabilis de multis, non tamen secundum se & in abstracto, provt tenuit secunda sententia: sed in concreto & vt connotat ipsam naturam; quod similiter tenent de omnibus concretis accidentalibus. Sic *Scotus q. 14. Vniu. cum* suis omnibus, *D. Thomas in 1. d. 18. qu. 1. art. 2. cum Caietano hic, Didaco à IESV disput. 6. quæst 1. Gallego controuersia 12. Masio hic sect. 1. quæst. 3. Complutensibus controuersia 12. Masio hic sect. 1. quæst. 3. Complutensibus disput. 5. quæst. 3. Ioanne à S. Thoma quæst. 7. artic. 2. & aliis.*

### CONCLVSIO I.

3. *Ipsamet natura communis, quæ denominatur genus, nec secundum se, nec secundum vlla prædicata primæ intentionis definitur per se hac definitione.* Hæc est communissima contra primam sententiam. *Probatur à Complutensibus, Ioanne à sancto Thoma, ac aliquibus etiam Scotistis*, quia alias definitio conueniret definito accidentaliter, quia accidentale est animali prædicari de pluribus, cum id ipsi conueniat per operationem intellectus: sed prædicari de pluribus speciebus est definitio generis; ergo si definiretur natura communis, animal verbi gratia, per illam definitionem, definitio conueniret accidentaliter definito.

Natura communis non definitur per se in definitione generis.

Contra hoc fundamentũ facit, quod licet prædicari de pluribus actualiter, cõueniat accidẽtaliter animali, & cuicumque naturæ genericæ primò intẽtionaliter sumptæ, tamẽ prædicari aptitudinaliter de pluribus speciebus non conuenit ipsi accidentaliter: sed per prædicari de pluribus speciebus positũ in definitione generis nõ intelligitur prædicari actualiter sed aptitudinaliter, vt patet ex dictis supra de vniuersali vt sic; ergo quãuis definiretur natura generica, v.g. animal per hanc definitionẽ nõ sequeretur quod definitio conueniret definito accidentaliter aut contingenter. Maior pro secunda parte, in qua sola potest esse difficultas huius discursus, patet, quia animal & quælibet natura talis tam est per se necessario prædicabile, quam est per se necessariò intelligibile, aut quam homo est necessariò risibilis.

*Posset ad hoc responderi* cum fundamento, quo ad probandam hanc sententiam vtuntur Scotistæ, nimirū quod verum sit prædicabilitatem remotam competere necessariò naturæ genericæ, v.g. animali, sed prædicabilitatē proximam non competere ipsi sic, cum habeatur hæc prædicabilitas proxima ab actu cōparatiuo intellectus, quo sc. consideratur natura illa, vt inexistens pluribus speciebus, sine qua consideratione natura illa non posset vllo modo prædicari de pluribus speciebus, & consequenter non esset proximè prædicabilis de illis.

*Contra* tamen, quia difficile est ostēdere quod per prædicabilitatē positā in definitione generis, cæterorumque vniuersaliū intelligatur proxima prædicabilitas, vt supra insinuaui disputatione præcedenti *quæst. 6. n. 72.*

4. *Probatur secundo à quodam Scotista*, quia si definiretur natura communis, animal v.g. aut color, sequerentur plura absurda; *primum*, quod inferiora illarum naturarum, nimirum homo & albedo, essent genera, quia si naturæ illæ genericæ essent necessariò prædicabiles de multis speciebus, etiam illa inferiora essent sic prædicabilia, & consequenter genera, quia quidquid conuenit per se & necessariò superiori, debet cōuenire inferiori. *Secundum*, quod non solum naturæ communes darentur à parte rei, sed etiam genereitas, quæ est prædicabilitas de multis speciebus, quod etiam est absurdum.

*Sed contra*, quia, vt dictum est disputatione præcedenti *qu. 7. num. 101.* non sequeretur primum illud absurdum, quamuis enim illa prædicabilitas, cum sit proprietas naturæ identificata ipsi, reperiatur simul cum natura superiori inclusa in inferiori; tamen non potest dici prædicari de inferiori, sicut nec de Patre æterno potest prædicari, quod sit communicabilis Filio, licet includat essentiam diuinam ipsi communicabilem, vt ibi dictum est.

*Quod confirmatur* contra eundem Scotistam, quia ipse non negabit quin prædicabilitas remota conueniat naturæ genericæ animalis necessariò, & tamen negabit quod illa prædicabilitas possit prædicari de natura humana contenta sub ipsa; ergo non omne, quod necessariò potest prædicari de superiori, poterit etiam prædicari de inferiori.

*Ad secundum absurdum* responderi posset, quod illa prædicabilitas daretur à parte rei, sicut datur à parte rei natura communis. & consequenter concederetur genereitatem dari à parte rei, si genereitas in illa consistat: & negaretur id esse vllo modo absurdum, quod probari deberet.

5. *Amicus tr. 5. q. 1. dub. 5. art. 3.* probat illam sententiam pluribus rationibus; quarum *Prima* est, quia partes definitionis non explicant ea, quæ naturæ conueniunt secundum se. *Sed hoc ab aduersariis facile negaretur*; dicerent enim prædicari de pluribus speciebus tam per se conuenire animali, quam risibile competit homini. *Secunda* est quod cognitio rerum quoad se pertineat ad alias scientias, non ad Logicam; vnde cum Logica sola agat de genere, natura per se non debet esse genus, quia alias aliæ scientiæ deberent agere de genere. *Hæc ratio non sufficit*, quia aliæ scientiæ agunt de rebus secundum se, & illa prædicata, quæ conueniunt ipsis primò intentionaliter, hoc est quæ conueniunt ipsis non in ordine ad operationes comparatiuas intellectus; prædicabilitas autem licet conueniat naturæ generis ex se necessariò, tamen respicit talem operationem; est enim aptitudo quam habet natura ad terminandam prædicationem de pluribus, quæ prædicatio est actus comparatiuus intellectus.

*Tertia ratio est*, quod natura ex se non prædicetur de pluribus. *ad hanc responsum est* suprà, dum diximus quod prædicatio aptitudinalis, hoc est aptitudo ad prædicandū seu prædicabilitas ex se necessario conueniat naturæ.

6. *Quarta ratio est*, quod definitio concreti non conueniat per se subiecto, vt definitio albi non conuenit per se parieti, qui est albus; sed genus est concretum, & natura communis est subiectum eius: ergo definitio ipsius non conuenit per se illi subiecto.

*Contra*, quia licet definitio concreti accidentalis non conueniat per se, sed per accidens subiecto, sicut & ipsa forma, quam formaliter dicit, nimirum ipsa albedo, cōuenit parieti accidentaliter, tamen definitio concreti, cuius forma non est accidens, sed potius prædicatum essentiale, seu proprietas, conuenit subiecto per se, in primo quidem modo dicendi; si forma sit essentialis subiecto, vt contingit in hoc concreto *rationale*, cuius definitio per se competit homini in primo modo dicendi, quia rationalitas est ipsi prædicatum essentiale; in secundò verò modo dicendi, si forma, quam formaliter dicit subiectum, si proprietas subiecti, vt contingit in hoc concreto *risibile*, quod per se in secundo modo dicendi dicitur de homine, quod est subiectum risibilitatis, & cui risibilitas est proprietas: ergo quandoquidem prædicabilitas de pluribus speciebus sit proprietas naturæ genericæ, v.g. animalis, hoc concretum *genus* potest per se saltem secundo modo dicendi competere ipsi, & prædicari de ipso. Alias duas rationes addit, quæ ipsimet non videntur placere, & ex iis vltima concidit cum prima ratione Thomistarum, altera verò coincidit cum ea quam adducemus statim ex Scoto.

Definitio concreti aliquādo conuenit per se subiecto.

7. *Itaque Scotus q. 14. Vniu.* probat hanc communem sententiam, quia nihil vnum potest abstrahi ab omnibus naturis, quę denominātur genera; sed si ipsa natura, quæ denominatur genus, definiretur hac definitione, deberet aliquod vnum sic abstrahibile assignari, quod per se definiretur: ergo non definitur per se natura.

Hæc est optima ratio ex omnibus hactenus adductis. Sed aduersarij tamen respondere possent, si non possit aliqua natura abstrahi ab omnibus naturis genericis, tū hanc definitionem non esse rigorosam definitionem: sed talem qualē ipsemet Scotus dat de indiuiduo primò intentionaliter sumpto, & talem qualem daret si quæreretur ab ipso, vt explicaret fundamentum secundæ intentionis genericæ, seu naturas genericas, vt sunt prædicabilia remote de pluribus differentibus specie. Vnde, hæc probatio valet ex suppositione, quod genus hic definiretur definitione rigorosa, quæ suppositio est satis communis; nec aliud voluit Scotus.

*Posset vlterius probari* illa sententia, quia licet illa prædicabilitas remota sit proprietas naturæ communis genericæ, tamen hoc non sufficit, vt dicantur definiri hac definitione; quia non sufficit ad definiendam rem quod ponatur in eius definitione proprietas ipsius.

*Sed contra*, quia si hoc sit verum tum dici poterit hanc definitionem non esse proprie dictam, hoc est talem, in qua ponuntur prædicata essentialia definiti, sed esse solummodo definitionē minus rigorosam; hoc est descriptiuam, & talem, qualis est hæc descriptio hominis: homo est animal risibile: nec est vlla ratio, vnde colligatur, quod hæc definitio debeat esse rigorosa. *Deinde* posset etiam dici essentialis definitio, intelligendo per prædicabilitatem, de pluribus speciebus, non formalem quæ est proprietas naturæ, quæ dicitur genus, sed fundamentalem; nam certum est quod illud fundamentum sit prædicatum essentiale naturæ, omnis enim proprietas habet pro fundamentò aliquod prædicatum essentiale: nec certe hæc explicatio debet videri mira, quandoquidem plurimæ aliæ definitiones datæ per proprietates à Philosopho hoc modo explicentur tam à Thomistis quam à Scotistis, vt postea videbimus, & nemo negabit.

8. *Melius probatur hæc conclusio*, quia prædicabilitas, nec est de essentia naturæ communis primò intentionaliter consideratæ, nec proprietas eius, aut vllum accidens primæ intentionis; ergo nec natura secundū se primò intentionaliter considerata, nec secundum vllum accidens primæ intentionis definitur hac definitione, in qua tanquam definitio ponitur prædicabilitas. Probatur antecedens, quia essentia animalis & proprietates omnes eius, ac accidentia primæ intentionis saluarentur in vnico indiuiduo, etiamsi cætera indiuidua, ac species animalis essent impossibilia, & quia re vera prædicabilitas illa dicit ordinem ad actum comparatiuum intellectus,

tellectus, quo solo prædicari potest natura de pluribus; ergo est prædicatum secundæ intentionis, & consequenter definitio, in qua ponitur, non erit definitio naturæ, nec secundum se primò intentionaliter acceptæ, nec secundum prædicatum primæ intentionis conueniens ipsi.

*Obiicies*: Illud hic definitur per se, quod per se prædicatur de pluribus differentibus specie: sed ipsa natura generica est, quæ sic prædicatur, non vero actus intellectus, nec aliquod accidens reale aut rationis adueniens naturæ illi per actum intellectus, aut per aliquid aliud; est enim ipsum animal, quod prædicatur de homine & bruto per se & essentialiter; verum enim est dicere, quod homo sit essentialiter animal, & brutum sit essentialiter animal, non autem est verum dicere, quod homo sit essentialiter secunda vlla intentio adueniens per intellectum, neque in abstracto, neque in concreto.

*Confirmatur* hoc, quia ipsemet *Porphirius* explicans illud genus, quod dixerat à se definitum, posuit exemplum in natura reali communi, nimirum in animali dicens: vt animal prædicatur de homine & bruto.

Prædicabilitas in actu signato & in actu exercito.

9. Ad soluendam hanc difficultatem *Scotus* supra, & alij Doctores, qui tenent illam communem, sententiam, distinguunt duplicem prædicabilitatem, vnam in actu signato, & alteram in actu exercito; illam dicunt significari per ly *prædicari*, hanc per ly *esse*. Quando dicitur quod aliquid prædicatur de alio in actu exercito, per hoc intelligitur quod illud, quod sic dicitur prædicari, posset dici de illo alio mediante copula *est*: vnde quia animal potest dici de homine mediante copula *est*, dicendo: homo est animal; animal prædicatur de homine prædicatione exercita, & est sic de ipso prædicabile. Quando autem dicitur aliquid prædicari de aliquo in actu signato, non est sensus, quod possit dici de ipso mediante verbo *est*, vnde licet dicatur, quod genus possit prædicari de pluribus speciebus, verbi gratia de homine & bruto, non tamen potest dici, quod homo sit genus. Intelligitur ergo per prædicationē signatam, quod illud, quod dicitur sic prædicari, sit ratio formalis propter quam aliquid aliud possit prædicari in actu exercito; vnde quando dicitur, quod genus possit prædicari de pluribus speciebus, quandoquidem hoc non sit verum loquendo de prædicatione exercita, quia, vt dixi, non potest dici vere: homo est genus; debet intelligi de prædicatione signata; & sensus est quod secunda intentio generis, quæ aduenit animali, sit ratio formalis, cur possit prædicari animal de homine in quid prædicatione exercita dicendo: est essentialiter animal, & respondendo sic quærenti quid est homo. Et iuxta hoc explicari debet illud quod dicit Scotus ibidem: nempe quod intentio generis prædicetur in quid de speciebus ita, vt *in quid sit determinatio inhærentis, non vero ita vt sit determinatio inhærentiæ*: quæ verba per se obscurissima sunt, nec satis apte mihi videntur explicari aut à Sarnano, aut à Ioanne Anglico: sed sensus est quod intentio secunda generis prædicetur in quid de speciebus, quatenus est ratio essentialis & formalis cur illud, cui inhæret illa secunda intentio, nempe natura generica verbi gratia animal, possit prædicari de pluribus speciebus in quid: quod est idem dicere ac quod prædicetur in quid prædicatione signata, non vero quod ipsamet inhæreat essentialiter aut includatur in ipsismet speciebus, ita vt possit de ipsis prædicari in quid prædicatione exercita: quod breuiter ad intelligendum textum Scoti, non ad alium finem adiungendum videbatur.

10. *Itaque iuxta hanc doctrinam respondetur ad obiectionem* distinguendo maiorem: quod prædicatur prædicatione signata, conceditur; quod prædicatur prædicatione exercita, negatur, & similiter distinguitur minor: sed natura communis, & non intentio, est quæ prædicatur prædicatione exercita, conceditur: prædicatione signata, negatur minor & consequentia.

*Ad confirmationem dicitur* quod propterea exemplificauit Porphirius genus per animal, non quod ipsum animal sit per se genus aut prædicetur quemadmodum genus prædicatur; sed quod sit fundamentum genereitatis, & quod in eo exerceatur prædicatio signata genereitatis.

*Dices contra hanc doctrinam & responsionem*, quod licet possit admitti illa differentia inter prædicationem signatam & exercitam; & licet illud, quod prædicatur signate tantum de aliquo, non possit nec debeat dici de ipso mediante copula *est*, tamen nulla est ratio, vnde colligatur, quod quando dicitur quod genus sit illud quod potest prædicari de pluribus, id debeat intelligi de prædicatione signata potius, quam de exercita, ergo distinctio prædicta non satisfacit obiectioni. Nec sufficit ad tollendam hanc difficultatem dicere, quod id colligatur ex ly *prædicatur*, quæ significat prædicationem signatam.

Prædicari non significat semper prædicationem signatam.

11. *Quia* ly *prædicatur* non solum significat prædicationem signatā; nam verum est dicere quod animal possit prædicari de homine, & hoc non est verum de prædicatione signata, sed potius de prædicatione exercita, vt est euidens; ergo ly *prædicari* non solum significat prædicationem signatam, & consequenter ex eo quod dicatur genus prædicari, non sequitur quod debeat prædicari prædicatione signata potius quam exercita.

*Confirmatur* vlterius hæc replica, quia certū est posse definiri, vel describi nō solū illud, quod est prædicabile de multis prædicatione signata, sed etiam illud quod est prædicabile prædicatione exercita, vt est sic prædicabile: sed si hoc describeretur aut definiretur, descriptio eius non cōueniret illi genereitati, quæ non est prædicabilis de multis specie differētibus prædicatione exercita, sed signata, sed potius conueniret ipsimet naturæ cōmuni, in qua subiectatur ista genereitas. Hoc autem supposito nulla est ratio, ob quā colligatur, quod non definiatur in hac definitione illud, quod est prædicabile de pluribus speciebus prædicatione exercita, & consequenter nulla est ratio cur dicatur quod ipsa natura generica nō definiatur aut describatur hac definitione.

12. *Respondetur* negando antecedens, quia illud, quod prædicatur aut prædicari potest exercite, non est genus formaliter, alias genus formaliter prædicaretur exercite de speciebus; & sic verum esset dicere quod homo, de quo prædicatur animal, esset genus, quod est falsum; ergo prædicabilitas quæ conuenit illi, quod est genus formaliter, non est prædicabilitas exercita, sed signata.

*Ad confirmationem* dico posse quidem describi illud, quod est prædicabile prædicatione exercita, sed tamen nihil tale qua tale præcise est genus per se formaliter loquendo propter rationem iam dictam, quia alias genus vt genus prædicaretur de homine, de quo prædicatur exercite animal.

Quod si etiam intelligeretur in definitione generis prædicabilitas exercita, ita vt illud sit genus formaliter, quod formaliter potest prædicari exercite, adhuc vera esset conclusio, quod scilicet ipsa natura, quæ prædicatur exercite, non esset genus formaliter & secundum se primò intentionaliter sumpta, aut secundū vllum prædicatum primæ intentionis competens ipsi, quia ipsa prædicabilitas exercita competens naturæ non conuenit ipsi secundum se primò intentionaliter sumptam, nec est prædicatum primæ intentionis, sed secundæ.

## CONCLVSIO II.

Natura communis simul cum intentione secunda, non definitur per se in definitione generis.

13. *Ipsa natura communis simul cum intentione secunda, hoc est cum prædicabilitate siue proxima siue remota, non est definitum hac definitione, ita vt vtrumque ex æquo partialiter explicetur, seu definiatur hac definitione.* Hæc est etiam communis, & ratio est, tum quia vtrumque ex æquo facit vnum per accidens, quod secundum Philosophum & Doctores communiter nequit definiri: tum & principalius, quia vtrumque ex æquo nequit prædicari de pluribus speciebus, neque prædicatione exercita, neque prædicatione signata; non prædicatione exercita, quia non dicitur de homine quod sit animal prædicabile de multis speciebus; nec etiam prædicatione signata, quia animal non est ratio formalis cur aliquid prædicetur de homine.

## CONCLVSIO III.

Genereitas in abstracto non definitur definitione generis.

14. *Ipsa genereitas seu prædicabilitas in abstracto non definitur hic.* Probatur quia, vt patet ex terminis, illud quod definitur hic, est genus; sed genereitas non est genus, ergo genereitas non definitur hic.

## CONCLVSIO IV.

Definitur definitione generis genereitas in cõcreto.

15. *Definitum hic est secunda intentio in concreto, prout scilicet connotat naturam communem, quæ in actu exercito est prædicabilis de pluribus speciebus.* Hæc est authorum quintæ sententiæ contra reliquas sententias. *Probatur primò* authoritate Philosophi *cap. de substantia*, vbi dicit album quod est concretum accidentale solum qualitatem significare: hoc autem non est sic intelligendum, quasi nullo modo significaret subiectum qualitatis, cum alias non esset differentia inter album & albedinẽ, sed quod eam solam per se & formaliter significet, licet materialiter & in obliquo significet subiectum albedinis: ergo concretum accidentale per se primò significat formam, & consequenter genus per se primò significat genereitatem: sed quod per se primo significat genus est definitum per se huius definitionis: ergo genereitas est, quæ per se primò hic definitur, in concreto tamen, & vt concernens naturam quam afficit.

Duo alba vt alba non distinguuntur specie.

*Probatur secundò ratione*, quia si concreta huiusmodi per se primò & principaliter significarent subiectum, tum vnum album vt album distingueretur specie ab alio albo vt album est, quod est absurdissimum. Probatur sequela, quia subiectum significatum per vnum album potest esse distinctæ speciei à subiecto alterius albi, vt patet si vnum album sit homo, & aliud paries: ergo tum distinguentur specie secundum prædictam doctrinam. Probatur consequentia, tunc aliqua distinguuntur specie, quando quod principalius includunt & dicunt, distinguitur specie: sed quod principalius dicit hoc album, verbi gratia homo albus, etiam vt album, distinguitur specie ab eo, quod principalius dicit aliud albũ vt album, nempe paries albus: ergo vnum album vt album distingueretur specie ab alio albo, vt alba sunt.

*Probatur tertiò etiam ratione*: quia, vt patet ex dictis, illud hic per se definitur quod est prædicabile in actu signato: sed certum est ipsam secundam intentionem, vt concernentem subiectum, esse sic prædicabilem, non verò ipsam naturam aut secundum se aut vt affectam secunda intentione: ergo definitum hic non est natura vt affecta secunda intentione, sed potius secunda intentio, vt afficiens naturam.

16. *Obiicies*: illud per se primò formaliter & directe significatur per concretum accidentale, quod in explicatione concreti ponitur in recto; & illud significatur connotatiue, & indirecte, quod in tali explicatione ponitur in obliquo; sed in explicationibus huiusmodi cõcretorum subiectum ponitur in recto, hoc est, in nominatiuo casu, & forma in obliquo hoc est in aliquo alio casu, nam si quis velit explicare album, dicet quod album sit habens albedinem; & quod lignum album, sit lignum habens albedinem, seu affectum albedine; vbi ipsum lignum ponitur in nominatiuo casu, & albedo in accusatiuo, vel ablatiuo: ergo huiusmodi concreta dicunt per se & directe subiectum formæ, & indirecte, ac connotatiue ipsam formam; & consequenter genus per se directe dicit naturam, ac indirecte genereitatem: & consequenter vlterius definitum per se in definitione generis erit natura communis, vt affecta genereitate.

*Respondeo* negando maiorem, quoties subiectum ponitur in recto in tali explicatione; quod addo, quia si quis ita explicaret vt poneret formam in recto, vt si explicaret album dicendo quod esset albedo affixa seu inhærens alicui subiecto, tum illud significaretur per se quod poneretur in recto seu nominatiuo, non tamen ex eo quod poneretur in nominatiuo, sed ex principiis nostræ conclusionis. Aduersarij autem, qui nihil aliud intelligunt per dicere formaliter & directe, quam sic dicere, vt in explicatione concreti debeat poni in nominatiuo casu, reducunt hanc difficultatem ad quæstionem de nomine, cuius tamen ipsi peiorem partem habent; quia in significatione terminorum potius tenendum cum antiquis, quam cum rencentioribus; nisi aliqua ratio specialis vrgeat, qualem non assignant aduersarij.

*Obiicies secundò*: Definitio debet conuenire vt quod suo definito: sed definitio generis sic non conuenit secundæ intentioni etiam in concreto: ergo secunda intentio in concreto non est quæ hic definitur per se.

*Respondeo* negando minorem, nam prædicari de pluribus prædicatione signatâ conuenit genereitati in concreto, sicut conuenit ipsi generi, & hoc quidem ex natura ipsiusmet secundæ intentionis sic acceptæ; quidquid dicant Complutenses supra.

## QVÆSTIO II.

*An definitio Porphiriana Generis sit bona.*

DEfinitio generis data à Porphyrio, quam hic examinamus, est illa qua dicitur quod *genus sit quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid.*

## CONCLVSIO.

Definitio generis est bona & essentialis per additamẽtum.

17. *Hæc generis definitio est bona & essentialis per additamentum.* Prima pars est communissima omnium interpretum hic contra Laurentium Vallam, qui negare videtur definitionem hanc esse bonam, quatenus putat genus nequaquam definiri aut describi posse, propter obiectiones inferius ponendas. Secunda pars est *Doctoris qu. 14. vniuers. & D. Th. de ente & essentia c. 4.* quos sui sequuntur.

*Probatur* prima pars quia illa definitio est bona, quæ datur per genus & differentiam, seu per quam explicatur genus & differentia definiti sine superfluitate: sed ita sit in hac descriptione, ergo est bona. Probatur minor, quia per *prædicari de pluribus* (quod intelligendum est aptitudinaliter) significatur ratio generica, in qua conuenit genus cum cæteris prædicabilibus, quæ etiam sunt prædicabilia de pluribus tam bene quam genus; per cæteras autem particulas explicatur differentia ipsius, per quam differt ab aliis prædicabilibus de pluribus: nam dum dicitur quod illa plura, de quibus est prædicabile, sint distincta specie, discriminatur à specie infima; & dum dicitur quod prædicetur in quid de illis pluribus, significatur differentia ipsius à differentia, proprio, & accidente, quæ non sunt prædicabilia in quid, sed in quale: ergo significatur in hac definitione genus & differentia generis. Quod autem nihil superfluum contineat, patet, quia nihil continet nisi quod significat genus, & differentiam: sed quod hoc significat non est superfluum, ergo nihil in hac definitione est superfluum, & consequenter à primo ad vltimum erit bona.

*Secunda pars conclusionis patet*, quia illa definitio est essentialis per additamentum, in qua ponitur genus & differentia rei, & aliquid aliud: sed hic ponitur genus & differentia generis nimirum prædicabilitas talis particularis, & aliquid aliud nimirum species illæ distinctæ, quæ sunt termini istius prædicabilitatis, & non sunt de essentia generis, vt patet; ergo hæc est definitio essentialis per additamentum. Et si petas cur detur per additamentum, respondeo, quia alias non posset significari genus & differentia eius, neque enim potest quis explicare prædicabilitatem de pluribus speciebus, nisi ponendo in explicatione plures species, vt est manifestum.

18. *Quod si quæras* quid significetur per ly *quod* positũ in hac definitione. Aliqui dicunt significari naturã communem; aliqui Vniuersale vt sic; aliqui prædicabile. Sed quantum ad naturam cõmunem existimo illam non significari per se per ly *quod*, sed potius vniuersalitatẽ in concreto, quæ sola potest mediãte verbo *est* prædicari de genere, non vero natura cõmunis. Quantum ad alios duos modos, vterque est bonus, perinde enim est vtrum dicatur ipsum vniuersale significari per ly *quod*, an vero prædicabile de multis, quæ est eius definitio in concreto. Nec refert quod si intelligi posset prædicabile, tum sensus definitionis esset, quod genus esset prædicabile

de

de multis, quod potest prædicari de pluribus speciebus in quid. Non inquam refert hoc, nam id nō est inconueniens, cum prædicabile de multis tale in particulari aliter explicari non posset: & sane si poneretur etiam vniuersale, vt aliquis intelligeret definitionē hanc, deberet per illud intelligere prædicabile de multis: nec est magis inconueniens quod mente cōcipiat per ly *quod* prædicabile de multis, quam quod verbis per illud explicet *prædicabile de multis*. Sed hæc res est parui momenti.

19. *Obiicies* pro Valla: si hæc definitio esset bona, aut si genus posset per vllam definiri, deberet cōstare hæc definitio genere & differentia, & genus deberet includere genus & differentiam: sed hoc est absurdum; ergo nec hæc definitio est bona, nec genus vlla ratione definiri potest. Probatur minor tribus mediis; *primo*, quia absurdum est, quod genus constet essentialiter specie sibi opposita. *Secundo*, quia sequeretur quod genus esset species, quidquid enim continetur sub genere, si non sit indiuiduum (prout non est genus hic definitum, cum sit quid commune omni generi) debet esse species; & quidem infima, si non habet genus hic definitum sub se plures species, vt non habet secundum communiorem sententiā (de qua parum hic curandum est sit ne vera an falsa) sed hoc est absurdum, cum species sit opposita generi. *tertio*, quia genus hic definitum continet sub se omnia genera definitur. n. hic genus vt sic: sed non cōtineret, quando quidem genus illud quo constaret, & in quo conueniret cum aliis prædicabilibus, sit supra ipsum, quandoquidē sit commune ipsi & aliis illis prædicabilibus: quod autē est commune pluribus est superius ad illa, hac enim ratione animal dicitur superius ad hominem & brutum.

Quo genere & differentia constat genus.

*Respondent communiter*, tam Scotistæ quam Thomistæ distinguendo sequelam maioris: deberet genus constare genere & differentia, primò intentionaliter acceptis, conceditur; secundò intentionaliter acceptis, negatur. Itaque per genus primo intentionaliter acceptū intelligūt quidquid potest exercite prædicari de pluribus differentibus specie in quid: & quia vniuersale vt sic, potest sic prædicari de genere & specie, propterea est genus primò intentionaliter acceptum, & consequenter, quādoquidem includatur in genere hic definito, genus hic definitum cōstat sine dubio genere primo intentionaliter accepto. Per differentiam etiam primò intentionaliter acceptam intelligunt illud, quod potest prædicari exercite de pluribus in quale quid, & quia illud, per quod contrahitur vniuersale vt sic ad genus, potest prædicari exercite de omni genere contento sub genere hic definito, sicut rationalitas potest prædicari de omni homine, propterea illud est differentia primo intentionaliter accepta; & rursus quia illud est constitutiuum generis hic definiti, sicut rationale est constitutiuum hominis, ideo admitti debet, quod genus hic definitum constet differentia primò intentionaliter accepta.

Quid genus primo intentionaliter acceptū.

Quid differentia primo intētionaliter accepta.

20. Præterea per speciē primo intentionaliter acceptā intelligunt illud, de quo potest prædicari exercite genus primo intentionaliter acceptū, & quod potest prædicari exercite de pluribus numero differentibus in quid; vnde quandoquidem genus secundò intentionaliter acceptū contineatur sub vniuersali, quod de ipso exercite prædicari potest, & quādoquidē etiā possit prædicari exercite de hoc & illo genere secundo intentionaliter accepto, hinc est quod sit species primo intentionaliter accepta.

Quid' species primo intentionaliter accepta.

Per genus autem secundo intentionaliter acceptū intelligūt illud, quod est prædicabile prædicatione signata de pluribus speciebus in quid, seu illud quod est ratio cōstituens aliquid prædicabile exercite de pluribus speciebus in quid; vniuersale autem vt sic, quod est genus, quo constat genus hic descriptum, non est prædicabile signate de pluribus differentibus specie, nec ratio constituens aliquid prædicabile de pluribus speciebus in quid, alias omne vniuersale deberet esse sic prædicabile, quod est falsum, vt patet de specie & aliis tribus vniuersalibus: ergo genus hic descriptum non constat genere secundo intentionaliter accepto, licet constet genere primo intentionaliter accepto.

Quid genus secūdo intētionaliter accep tum.

Similiter per differentiam secundo intentionaliter acceptā intelligūt illud quod est prædicabile in quale quid prædicatione signata de pluribus: illa autem differentia, qua constat genus hic descriptum, non est sic prædicabilis, sed potius prædicatione exercita, & propterea non constat differentia, secundo intentionaliter accepta, sed potius differentia primo intentionaliter accepta.

Quid differentia secūdo intentionaliter accepta.

Denique species secūdo intētionaliter accepta est, quæ prædicatur signate de pluribus differentibus numero, & propterea quandoquidem genus hic descriptum contineatur sub genere, hoc est sub vniuersali vt sic, & prædicetur etiā exercite de hoc & illo genere secundo intentionaliter acceptis, quæ, vt supponitur, solo numero differunt, non erit species secundo intentionaliter accepta, sed primo intentionaliter accepta.

Quid species secundo intentionaliter accepta.

21. Verum quamuis hæc doctrina saluet propositam obiectionē sufficiēter ex suppositione, quod definiretur hic genus secundo intentionaliter acceptum, hoc est illud, quod potest signate prædicari in quid de pluribus speciebus; tamen quia posset etiam definiri seu describi genus primo intentionaliter acceptū, dicēdo quod sit illud quod potest prædicari exercite de pluribus speciebus in quid, vt animal prædicatur de homine & bruto, & color de albedine & nigredine, prædicta difficultas potest proponi cōtra hoc, & propter eam suaderi, quod nō possit definiri: quia si definiretur, deberet cōstare genere & differentia primo intētionaliter acceptis, & esse species primo intētionaliter: sed omnino videtur absurdū quod genus primo intētionaliter acceptū vt sic cōstet genere primo intētionaliter accepto, quandoquidē ipsūmet cōtineat sub se omne genus primo intentionaliter acceptum, sicut animal, vt sic, continet sub se omne animal. Et similiter videtur absurdum, quod constet differentia primo intētionaliter accepta, aut sit species primo intentionaliter accepta, quandoquidē differentia & species primo intētionaliter acceptæ sint species oppositæ generi primo intentionaliter accepto, sicut genus secundo intentionaliter acceptum est opposita species differentiæ & speciei secundo intentionaliter acceptis.

*Respondeo* ad hanc difficultatem distinguendo minorem: est absurdum quod constet genere vt est genus formaliter, concedo; quod constet genere, sed non vt genus formaliter, nego minorem, & eodē modo distinguo minorem quoad duas alias partes: est absurdum quod cōstet differentia, vt differentia est formaliter, aut quod sit species formaliter quatenus species, ita vt non possit intelligi ipsius essentia quin intelligatur constare genere vt genus, aut differentia vt differentia, aut quin sit species vt species, concedo; est absurdum quod constet genere aut differentia, non tamen sub conceptu generis, aut differentiæ, aut est absurdum quod sit species, non tamen ita vt hoc requiratur ad conceptum ipsius quatenus genus, nego minorem.

Quomodo genus primo intentionaliter acceptū possit cōstare genere & differentia.

22. Itaque licet genus primo intentionaliter acceptum cōstet vniuersali vt sic primo intentionaliter accepto, & etiam illa formalitate, per quam vniuersale vt sic contrahitur ad ipsum genus, & licet etiam vniuersale vt sic vere sit genus, & illa formalitas sit differentia; tamen non includuntur in genere, vt habent rationem generis aut differentiæ formaliter loquendo; sed illa ratio est ipsis omnino per accidens quantum ad constitutionem generis, vt euidenter colligitur, quia non habent constituere genus sub illa ratione generis & differentiæ, quādoquidem ad hoc vt intelligatur genus essentialiter, non est necesse vt intelligatur vniuersale, quo constituitur sub ratione prædicabilis de pluribus speciebus exercite, sed sufficit, quod intelligatur sub ratione prædicabilis de pluribus abstrahendo à ratione particulari illorum plurium, an sc. sint distinctæ speciei, vel non sint: & idem est dicendum de formalitate illa, quæ contrahit vniuersale vt sic ad genus, neque enim vt intelligatur constitui genus per ipsam, debet illa intelligi per modum prædicabilis de pluribus in quale.

Quod vlterius cōfirmatur, quia si per impossibile vniuersale, vt sic, non esset prædicabile de alio quam de genere,

genere, & si per impossibile illa formalitas contractiua non esset prædicabilis de pluribus, sed de solo genere, adhuc genus esset constitutum sufficientissime: & hinc patet, quod sit etiam per accidens ad constitutionem generis, quòd sit species, licet realiter sit tam necessariò species primo intentionaliter quàm homo.

Non est autem absurdum, quod eadem res secundũ diuersas rationes & considerationes habeat oppositas rationes formales, vt patet de subiecto & prædicato, quæ sunt opposita formaliter, cum tamen idem omnino terminus possit esse subiectum & prædicatum, secundum diuersas tamen considerationes. Nec etiam est absurdum, quod vniuersale vt sic, quatenus præcisè consideratur vt prædicabile de pluribus, sit superius ad genus, vt sic primo intentionaliter acceptum, & quatenus consideratur, vt prædicabile de pluribus differentibus specie in quid, sit inferius ad idem genus.

23. *Obiicies secundò*: Per illam definitionem non distinguitur sufficienter genus à differentia: ergo non est bona. Probatur antecedens, quia etiam differentia prædicatur in quid, vt patet ex Aristotele 7. *Ethic. c.* 2. dicente: *Eorum quæ sunt in assignata oratione, hoc quidem genus, illud verò differentia, & in eo quod quid est, genus & differentia prædicantur.* Ex quibus verbis vlterius colligitur, quod interroganti quid sit homo, tam bene responderi possit dicendo quod sit rationale, quam dicendo quod sit animal.

Prædicari in quid duobus modis intelligitur.

*Respondetur* negando antecedens, ad cuius probationem dico prædicari in quid duobus modis intelligi posse: vno modo quatenus sic diceretur prædicari quod est de quidditate & essentia rei, & sic sine dubio differentia tam est prædicabilis in quid, quam genus, & hoc voluit Philosophus loco supradicto: Sed id non intelligitur per prædicari in quid positum in definitione generis. Secundo, per prædicari in quid intelligitur, modus particularis prædicabilitatis, quem habet genus solummodo, & hic modus prædicandi non conuenit sine dubio differentiæ, nec voluit Philosophus quod hoc modo prædicetur differentia nec consequẽter interroganti quid sit homo, bene responderetur dicendo, quod sit rationalis, quia per talem interrogationem quæritur id, quod de homine prædicatur isto modo speciali.

Quomodo genus prædicatur in quid.

24. *Si autem quæras*, quid sit iste specialis prædicandi modus, qui competit soli generi, aut cur genus prædicatur in quid?

*Respondent aliqui*, quia prædicatur per modum totius, & non per modum partis. Verum hæc explicatio non placet, quia genus non inuoluit expresse & formaliter totam essentiam speciei, alias per solum genus bene definiretur species: ergo non potest prædicari per modum totius essentiæ seu per modum illius, quod diceret totam essentiam expresè, quia aliàs prædicatio esset falsa; quandocumque enim aliquid prædicatur per modum sibi non conuenientem, prædicatio est falsa.

Si vero dicatur, quod non prædicetur per modum totius, quasi expresse diceret totam essentiam, sed quia expresse dicit vnam partem, & connotatiue reliquam partem. *Contra*, quia quamuis reuera debeat admitti, quod sic prædicetur per modum totius; tamen non sufficit hoc ad propositum: nam per hunc modum prædicandi non distingueretur à differentia, nam differentia etiam prædicatur hoc modo per modum totius: dicit enim expresse, & formaliter partem essentiæ, & connotatiue reliquam partem, vt prædicatur de inferioribus prædicatur enim de ipsis in concreto solummodo, & non in abstracto; homo enim dicitur sensibilis & rationalis, non vero sensibilitas, nec rationalitas.

25. *Respondetur ergo alio modo*, quod ille specialis modus prædicabilitatis in quid, qui competit generi, consistat in hoc quod prædicetur substantiue, seu per modum per se stantis, & competit ipsi sic prædicari, quia prædicatur per modum alicuius determinabilis, nõ vero per modum determinatiui, sicut prædicatur differentia, quæ propterea dicitur prædicari in quale quid, & non in quid, quia vniuersaliter quidquid conuenit alicui per modum determinantis & præsupponentis aliud, est prædicabile de illo in quale; &, quod prædicatur per modum non qualificantis, seu determinantis, prædicatur in quid: hoc enim est, quod intelligunt authores communiter per prædicationem in quid, & in quale.

An autem à parte rei sit inter formalitatem animalitatis & rationalitatis talis differentia, vt illa non possit prædicari per modum qualificantis seu determinantis, nec hæc per modum determinabilis seu qualificabilis; quam difficultatem examinat hic *Auersa*; non facit ad præsentem difficultatem, cui sufficit quod tum habebit formalitas aliqua rationem differentiæ quando prædicatur per modum qualificantis aut determinantis, & rationem generis quando prædicatur per modum determinabilis ad plures species.

26. *Obiicies tertiò. Philosophus 7. Met. tex.* 48. ait, substantias secundas prædicari in quale quid, & non in quid: sed genera sunt substantiæ secundæ: ergo male dicitur in prædicta definitione, quod genus prædicetur in quid.

*Respondetur* breuiter, Philosophum non potuisse negare quin substantiæ secundæ prædicentur in quid eo modo quo iam explicuimus prædicari in quid, qui est modus quo debet explicari in definitione generis: alio ergo modo negauit illas prædicari in quid, & asseruit prædicari in quale quid. Iste autẽ alius modus est, quod non prædicentur in quid de primis, tanquam si essent per se subsistentes & realiter distinctæ à substantiis primis seu indiuiduis, sicut ipse putauit Platonem sensisse; sed quod prædicentur per modum inclusorum & identificatorum ipsis indiuiduis, & consequenter in quale quid, provt prædicari in quale quid dicit prædicationem alicuius inclusi in aliquo.

27. *Obiicies quartò*. In hac definitione nihil ponitur, per quod genus differt à specie, nisi quod genus prædicetur de pluribus distinctæ speciei, species verò de pluribus differentibus numero: sed hæc differẽtia non sufficit ad facienda ipsa prædicabilia distinctæ rationis: ergo si sint prædicabilia distinctæ rationis, vt cõmuniter supponitur, mala erit prædicta definitio. Probatur hæc cõsequentia; quia mala est definitio, in qua nõ ponitur sufficiens ratio distinctiua rei definitę ab aliis rebus distinctę rationis ab ipsa. Probatur minor, quia si prędicabilitas in quid de distinctis numero, & prædicabilitas in quid de distinctis specie, essẽt distinctę rationis, sequeretur à pari quod prędicabilitas de distinctis speciebus subalternis, esset distinctæ rationis, & sic darẽtur plura genera distinctæ rationis, quod videtur cõtra cõmunem sententiã admittentem tantum quinque prædicabilia.

*Respondet quidam Scotista*, quod non in eo præcise distinguãtur genus & species, quòd genus prædicetur de pluribus speciebus, & species de pluribus indiuiduis; sed ex eo quod prædicetur genus incomplete, & species complete: nec tamen fuit necesse ponere particulam illam *complete* in definitione generis, quia sufficienter datur intelligi per hoc quod dicatur prædicari de pluribus speciebus, neque enim aliquid vnum potest prædicari de speciebus diuersis, nisi incomplete: si enim cõplete prædicaretur de vtrisque, essent species diuersæ & non essent, quod implicat; essent quidem, vt supponitur; non essent autem, quia conuenirent in tota essentia, quandoquidem conuenirent in illo vno, quod dicit totam eorum essentiam formaliter & explicite.

Iuxta quam doctrinam, quæ videtur satis communis, responderi potest in forma ad prædictã obiectionẽ, negando minorẽ, & sequelã probationis, quia ex eo quod dicatur genus prædicari de pluribus speciebus, & species de pluribus indiuiduis, colligitur quod habent diuersum modũ prædicãdi, quia colligitur quod vnũ prędicetur cõplete, & alterum incõplete: sed per hoc quod substãtia vt sic prædicetur de generibus subalternis substantiæ corporeæ & incorporeæ, & quod animal prædicetur de speciebus infimis (supponendo scilicet quod brutũ esset species infima sicut homo) non colligeretur diuersus modus prædicandi animalis & substãtię, & cõsequenter

sequenter animal & substantiæ non sunt distinctæ rationis in ratione generis.

28 *Contra tamen hanc doctrinam*, quia sicut genus habet diuersum modum prædicandi à specie, quia scilicet prædicatur incomplete, & species complete; ita etiam genus superius habere videtur diuersum modum prædicandi à genere inferiori, quia prædicatur per modum magis incompleti & magis potentialis, vt est euidens, quia est in potentia & ad genus inferius quodcumque, suaque inferiora, & ad alia; verbi gratia, substantia vt sic est potentialis respectu corporeæ substantiæ omniumq; quæ sub ipsa continentur, & præterea ad substantiam incorpoream, contentaque sub ipsa: substantia autē corporea non est tam potentialis, quia solum est potentialis respectu corporearum substantiarum, & non respectu incorporearum. Propter hoc probabiliter potest dici quod genera superiora distinguantur etiam in ratione generis ab inferioribus, vt supra dixi disp. præcedenti.

Alia responsio ad obiectionem.

Iuxta quem dicendi modum respondeti potest aliter ad obiectionem negando minorem, & concedendo sequelam probationis, negando verò esse absurdum quod dentur plures vniuersalis species quàm quinque, quamuis omnes possint reduci ad illa quinque.

*Alia obiectio* posset proponi hic, nimirum quod genus prædicetur de pluribus numero differentibus, animal enim prædicatur de Petro & Ioanne. Sed ad hanc obiectionem respondebitur postea disputatione sequenti, quæstione prima *num.* 12. & modo sufficit insinuare quod non prædicetur de indiuiduis immediate, nec tantum, sicut species prædicatur; quod sufficienter significatur dum dicitur esse prædicabile de speciebus, eo enim ipso datur intelligi quod non prædicetur tantum, nec immediate de indiuiduis.

29 *Obiicies vltimo contra secundam partem conclusionis*, qua dictum est quòd prædicta definitio generis sit essentialis: illa definitio non est essentialis, quæ datur per proprietatem, sicut nec hæc est definitio essentialis hominis, sed potius descriptio eius: *homo est animal risibile*; at prædicta definitio datur per proprietatem, quæ est proprietas eius.

*Confirmatur*, quia Porphirius vocat illam explicationem generis, descriptionem, & non definitionem: ergo talis est censenda.

*Respondetur*, negando minorem, prædicabilitas enim de multis est de essentia vniuersalis logici, de quo agimus, siue loquamur de vniuersali logico, provt dicit illud quod est prædicabile exercite de multis; siue loquamur de ipso, prout dicit illud, quod est prædicabile signate de multis; & consequenter prædicabilitas talis est de essentia generis. Quod si etiam ipsamet prædicabilitas formalis non esset de essentia vniuersalis, sed proprietas eius, adhuc posset saluari quod prædicta definitio esset essentialis, quia non intelligeretur per prædicabilitatem in ea positam prædicabilitas formalis, sed radicalis & fundamentalis, quemadmodum contingit in multis aliis definitionibus, in quibus circumloquuntur Doctores differentias rerum per earum proprietates.

*Ad confirmationem* nego consequentiam, quia sæpè confundunt authores latini has voces, *descriptio* & *definitio*, vtentes iis tanquam synonymis.

## QVÆSTIO III.

### *Quomodo genus requirit plures species.*

30 CErtum est ex definitione seu descriptione generis præmissa, genus requirere aliquo modo plures species, quia aliàs non esset prædicabile de illis: sed adhuc dubitari posset an requirat illas actu existentes, an vero sufficiat quod possibiliter existant, seu quod possint existere; vel an requiratur quod existant obiectiue in intellectu, hoc est quod intellectus cognoscat ipsas vt possibiles, vel vt actu existentes.

*Prima sententia est*, genus primò intentionaliter acceptum, hoc est quamcumque naturam, quæ potest prædicari de pluribus prædicatione exercita, requirere plures species actu existentes, quamuis species non requirat plura indiuidua actu existentia. Ita *Complutenses Carmelitæ disp. 6. quæst. 2.* citantes pro se plures Thomistas, & ex recentioribus *Toletum ac Ruuium*.

*Secunda sententia est* genus non solum non requirere plures species actu existentes, sed nec requirere plures species possibiles, quæ species sint veræ species & prædicabiles de pluribus indiuiduis, sed sufficere quod habeat sub se vel actu, vel possibiliter plura indiuidua distinctæ rationis, quorum tamen ratio distinctiua non sit communicabilis vlterius, aut saltem non debeat considerari vt talis; ita scilicet, vt si esset tantum vnus homo possibilis, & vnum brutum, adhuc animal haberet rationem generis respectu hominis & bruti, & ita vt quamuis sint plures homines possibiles, & plura bruta, tamen vt consideretur animal esse genus respectu hominis, & bruti, non esset necessarium quod consideretur homo, aut brutum, vt communicabilia, aut prædicabilia. Hanc sententiam proponit *Auersa hic sect. 4.* sed nullum authorem pro ea citat.

*Tertia sententia* est genus non requirere plures species actu existentes, sed requirere tamen plures species communicabiles, itavt non possit cognosci sub ratione generis, quin cognoscatur habere sub se plures species communicabiles & vniuersales. Hæc tribuitur *Doctori quæst. 18. Vniuers.* cum suis, quos sequuntur Louanienses hic *part. 4. Auersa* supra, & recentiores communiter.

Pro declaratione huius difficultatis aduertendum est, eam esse præcipuè de genere metaphysico, seu primò intentionaliter accepto, hoc est de natura quacumque, quæ est prædicabilis exercite prædicabilitate generica; nihilominus tamen aliquid etiam in gratiam tyronum de genere logico addendum erit.

## CONCLVSIO I.

Natura generica non requirit plures species possibiles.

31 *Licet de facto omnis natura generica habeat sub se plures species communicabiles, vel actu existentes, vel saltem possibiles, tamen probabile est quod ad saluandum conceptum generis, vt distinguitur à cæteris prædicabilibus, id non requiratur, sed sufficiat ipsi habere sub se plura indiuidua distinctæ rationis essentialis, etiamsi ratio distinctiua eorum non esset communicabilis vlterius.*

℣ Prima pars huius assertionis est communissima authorum primæ & tertiæ sententiæ, & fortassis non negaretur ab authoribus secundæ, quibus sufficere deberet secunda pars conclusionis.

Omne prædicatum essentiale est multiplicabile.

*Probatur prima pars*; quia non est implicantia aliqua, quod vllum prædicatum essentiale creatum multiplicetur numero saltem: ergo omne tale prædicatum est sic multiplicabile per diuinam potentiam: ergo nullum est prædicatum specificum contractiuum generis, quod non sit multiplicabile, & consequenter omnis natura specifica contenta sub genere est communicabilis vlterius, quia quæcumque natura, quæ solis constat prædicatis communicabilibus, est communicabilis; sed natura specifica quæcumque contenta sub genere constat solum ipsomet genere & differentia specifica contrahente genus: ergo si illa differentia sit communicabilis, etiam ipsa natura specifica est sic communicabilis.

*Confirmatur* hæc pars per omnia illa principia, quibus Scotistæ & recentiores communiter probant esse possibiles plures Angelos distinctos numero tantum: nam si omnis natura specifica Angelica sit communicabilis vlterius, quæcumque alia natura specifica erit vlterius communicabilis; nulla enim potius deberet esse incommunicabilis, quàm natura specifica Angelica, & nulla est ratio, cur quæcumque Angelica esset sic communicabilis potius quam quæcumque alia specifica. Hæc autem principia hic sunt supponenda, de quibus per se agi solet in materia de Angelis, & fortassis nos etiam aliquid dicemus disputatione sequenti.

32 *Secunda pars conclusionis*, in qua est maior difficultas, est expresse contra *Auersam* supra, *& probatur*, quia si verbi gratia solus homo esset possibilis, & solum vnum brutū, aut si consideraretur ab intellectu vnus homo & vnum brutum, non considerando alios homines, aut alia bruta possibilia; posset adhuc intellectus considerare animal

animal inexistere homini & bruto, & esse de illis prædicabile alio modo, quam aliquod aliud prædicabile ex reliquis prædicabilibus: ergo posset considerare ipsum sub ratione generica;& consequenter ad naturam genericam formaliter loquendo non requiritur pluralitas specierum communicabilium;neq; à parte rei,nec in intellectu. Minor, in qua sola potest esse difficultas huius argumenti,continet duas partes;Prima est, quod possit in tali casu intellectus cõsiderare animal inexistere homini & bruto, & consequenter quod possit considerare ipsum vt prædicabile de illis:& de hac parte nõ potest esse dubium. Secunda pars est,quod possit ipsum considerare, vt prædicabile distinctæ rationis à cæteris prædicabilibus:& probatur hæc pars,quia cõsideraretur,vt prædicabile per modum alicuius essentialis, & consequenter cõsideraretur,vt distinctum prædicabile à proprio,& accidente,vt est euidens:considerarentur etiam,vt aliquid prædicabile in quid,& consequenter considerarentur,vt distinctum prædicabile à differentia,quæ prædicatur in quale quid.Conderatur deniq; vt pars essentiæ & vt determinabile per aliam partem, non vero vt tota essentia:ergo considerarentur vt prædicabile distinctum à specie infima,quæ prædicabilis est vt tota essentia:ergo à primo ad vltimum in tali casu considerarentur vt prædicabile distinctũ à quatuor vltimis prædicabilib.

33 *Dices:*in tali casu cõsiderarentur homo & brutum, vt solo numero distincta,aut saltem non cõsiderarentur vt distincta specie, aut essentialiter,ergo considerarentur animal respectu eorum vt tota essentia,sicut si cõsideraret aliquis Petrum & Paulum,vt animalia præcisè,non considerando illos, vt rationalia, aut irrationalia,tum considerarent animal,vt totã essentiam eorũ;& propterea dicitur quod animal,vt considerabile in ipsis habeat rationem speciei,& non generis.Probatur antecedẽs,quia non considerat quis aliqua, vt specie distincta,nisi consideret illa habere aliqua prædicata essentialia distincta: sed in tali casu non considerarent intellectus illa animalia habere aliqua prædicata essentialia distincta;quod probo,quia quãuis considerarent hominem nõ solum vt animal,sed vt rationale, & brutũ,etiam non solum vt animal,sed etiam vt irrationale,tamen non considerarent rationalitatem,vt prædicatum essentiale,aut irrationalitatem,sed potius vt prædicatum indiuiduale,quia vt considerarent ipsa vt prædicata essentialia,deberet considerare ipsa,vt prædicata intrinseca & communicabilia;ideo enim hæccitas, licet sit intrinsecum indiuiduo, & per se primò competens ipsi,non tamen est prædicatum essentiale ipsi, quia non est communicabile: ergo omne prædicatum essentiale debet esse communicabile, & vt considerarentur tanquam essentiale, debet considerari vt communicabile.

Prædicatum essentiale vt sic nõ debet esse communicabile.

34 *Respondeo* ad hanc replicam negando antecedens cum minori suæ probationis, & ad probationem istius minoris dico non debere prædicata essentialia eo ipso formaliter, quo essentialia, esse communicabilia, aut vt considerentur tanquam essentialia,considerari vt communicabilia, licet à parte rei de facto sint communicabilia; nec propterea dicitur hæccitas non esse essentiale prædicatum rei indiuiduæ, quòd non sit communicabilis vlterius: sed quia tantum deseruit ad distinguendum illam rem ab alia re numero, & in ordine ad hoc quod illa res non sit alia res;nec est principium vllius operationis,aut proprietatis,per quam vlla vna res possit cognosci vt dissimilis naturæ ab vlla alia re existente in rerum natura,aut possibili:prædicata autem essentialia debent esse principia alicuius operationis, aut proprietatis,per quam res includens illa distinguatur ab aliqua re reali,vel rationis;vnde quandoquidem consideraret intellectus rationalitatem, vt prædicatũ intrinsecum hominis per se primò competens illi, & vt tale, propter quod distinguitur à bruto plusquam numero, omnino considerarent ipsum vt prædicatum essentiale, quamuis non considerarent ipsum vt communicabile.

35 *Confirmatur primò*,quia gratis asseritur quod prædicata essentialia debeant formaliter quà talia dicere communicabilitatem,nam nihil requiritur vt sint essentialia,nisi quod distinguantur ab accidentibus,proprietatibus,& hæcceitatibus:sed sine communicabilitate ab his distinguerentur:ergo non requiritur ad constitutionẽ prædicati essentialis,nec ad intellectionẽ eius qua tale, communicabilitas: probatur minor,quia distingueretur ab accidentibus & proprietatibus per hoc, quod per se primò cõpeteret rei, nec præsupponeret aliquod aliud prædicatum,ex vi cuius sequeretur,vel in quo subiectaretur,distingueretur etiam ab hæcceitate,quia hæc est principiũ formale distinctionis numericæ tantũ:sed illud esset principium distinguendi plusquam numero; certũ enim est quod intellectus considerãs vnum hominẽ & vnum brutum, quamuis non considerarent humanitatẽ & brutalitatem, vt communicabiles pluribus indiuiduis,considerarent tamen illa magis esse distincta per se, quàm videt de facto duos homines esse distinctos, quia hos non videt esse distinctos,nisi numero,seu quatenus vnus ex illis non est alius; sed hominem illum & brutum videret non solum esse numero distinctos,ita vt vnum indiuiduum ex illis non sit realiter aliud, sed vlterius videt vnum ex illis posse aliquid facere dissimilis rationis illi,quod potest facere alterum, videt enim hominem posse discurrere, & brutũ non posse discurrere.

36 *Confirmatur secundò*,quia de facto ratio substantiæ spiritualis infinitæ est essentiale prædicatum Deo,& tamen non est prædicatum communicabile cum diuisione pluribus numero distinctis;ergo vt aliquid sit prædicatum intrinsecum & essentiale, non requiritur per se formaliter quod sit communicabile cum diuisione.

*Dices*, non requiri quidem in diuinis, requiri tamen in creatis.

*Contra primò*,quia hoc gratis dicitur:cur enim requiritur in creatis magis quam in diuinis?

*Contra secundò:* Ideo illud prædicatum est essentiale Deo,quia per se primò competit ipsi,& non solum facit ipsum numero distinctum ab aliis; ergo quodcunque prædicatum habet talem rationem respectu creaturæ, debet dici esse essentiale creaturæ;alias certè posset quis negare quod vllum prædicatum proprium Deo esset essentiale ipsi,& qui id negaret non posset conuinci,nisi quatenus absurdum esset, prædicatum intrinsecum per se primò competens rei & faciens rem differre plusquam numero,non esse essentiale:ergo omne tale debet admitti esse essentiale tam in creatis, quam in diuinis.

37, *Obiicies* pro *Auersa* authoritatem Porphyrij definientis genus per ordinem ad plures species,quam definitionem admisimus supra tanquam bonam,& confirmatur,quia *Philosophus* 4.*Topic.cap.*3. dicit omne genus habere plures species, & si contingat alteram speciem deesse, genus non esse genus.

*Respondetur* aliud esse, quod genus contineat sub se plures species, aliud esse quod illæ species necessariò ad conceptum generis debeant esse communicabiles. Primum volunt Philosophus & Porphirius, & nos vltrò concedimus,nec præiudicat conclusioni;secundum non volunt, nec probatur ab Auersa.

*Dices:*genus definitur per ordinem ad species sub illo conceptu, quo definitur species, sed definitur vt species communicabilis & prædicabilis de pluribus;ergo genus dicit ordinem non solum ad plures species quomodocumque, sed ad plures species communicabiles.

*Respondetur* negando maiorem loquendo formaliter: quãuis enim definiatur in ordine ad illud,quod est species & communicabile iuxta illam definitionem,tamen nõ definitur in ordine ad illud,vt est formaliter species communicabilis pluribus, propter rationes cõclusionis.

*Obiicies secundò*,pro ipso:si genus non deberet esse in pluribus speciebus, sed posset conseruari in pluribus indiuiduis,non distingueretur à specie: sed hoc est falsum, ergo.

*Respondeo* negando sequelam maioris, quia distingueretur à specie per hoc quod prædicaretur, vt pars essentiæ determinabilis & in quid, quando quidem species sit prædicabilis vt tota essentia.

*Obiicies*

*Obiicies tertiò Scotum supra*, qui videtur dicere quod genus requirat plures species. *Respondeo* intelligendum de speciebus non vt communicabilibus formaliter, sed vt capiuntur pro naturis distinctæ rationis essentialiter, siue illæ naturæ sint communicabiles, siue non sint: quo etiam modo plures alij authores intelligi possunt.

## CONCLVSIO II.

Genus non requirit plures species actu existentes.

38. *Genus non requirit plures species actu existentes, siue communicabiles.* Hæc est authorum primæ & tertiæ sententiæ contra secundam sententiam. *Probatur*, quia eo ipso quo essent plures species animalis possibiles, animal posset vere inesse pluribus distinctæ speciei, & esset prædicabile in quid incomplete de ipsis: ergo eo ipso esset genus, quamuis nec plures species ipsius actu existerent, imo quamuis non existeret actu vlla species eius; & consequenter vt aliquid sit genus formaliter siue metaphysicè siue logicè, non requiritur quod existant actu plures species eius.

*Confirmatur*: nihil aliud requiritur ad genus, quam quod sit aliquid potens inexistere pluribus, & potens prædicari de pluribus speciebus in quid: sed hoc potest competere generi, animali verbi gratia, quamuis nulla species eius actu existat: ergo potest dari genus absque pluribus speciebus actu existentibus. Probatur minor: potest aliquis vere prædicare animal de homine & considerare ipsum inexistere homini, quamuis homo non existat: hinc enim dicitur quod hæc propositio & similes sint æternæ veritatis: homo est risibilis: sed nó potest animal prædicari potius de homine non existente, quã de homine & bruto non existentibus: ergo animal est prædicabile de homine & bruto, quamuis homo & brutum non existerent, aut vllæ aliæ species animalis.

39. *Confirmatur secundò*, quia tota entitas animalis existeret in vno solo indiuiduo ipsius, nimirum in homine: ergo prædicabilitas ipsius de pluribus speciebus & aptitudo ad inexistendum illis tum existeret, quia illa aptitudo & prædicabilitas identificatur isti naturæ animalis: ergo vlterius esset prædicabile de illis speciebus & aptum inexistere ipsis; sed nihil aliud requiritur ad genus quam hoc.

*Dices* non existere tum aptitudinem proximam, & prædicabilitatem, sed tantum remotam, quæ non sufficit ad constituendum genus formaliter.

*Contra primò*, quia non satis constat quod ad genus metaphysicum & primò intentionaliter acceptum requiratur aptitudo & prædicabilitas proxima.

*Contra secundò*, quia quantum ad aptitudinem inexistendi, illa est semper proxima, quia semper & necessariò existit illa natura in pluribus speciebus; quantum autem ad prædicabilitatem, licet non esset proxima absque eo quod consideraret intellectus illam naturam in pluribus, tamen fieret proxima per talem considerationem; sed potest considerari in pluribus speciebus, quãuis plures illæ species non existerent actu: ergo potest esse prædicabile proxime de pluribus speciebus sine actua li existentia plurium specierum.

Alia replica.

40. *Dices* genus quidem posse conseruari in vnica specie, v erbi gratia animalitatem in homine solo, quamuis nullum aliud animal esset possibile, quatenus est totum actuale constans sensitiuitate & gradibus superioribus; non tamen conseruaretur quatenus esset totum potentiale, hoc est quatenus est quid perfectibile metaphysicè per differentias specificas: & in hoc sensu negatur à Thomistis ipsum posse conseruari in vna specie.

Genus cõseruaretur in vna specie, etiã quatenus totũ potẽtiale.

*Contra*, quia animal conseruatum in vnica specie non solum includit partes metaphysicas, ex quibus actualiter constat, vt sensitiuitatem & gradus superiores, sed etiam habet potentialitatem & perfectibilitatem, per alias differentias specificas, quamuis illæ differentiæ specificæ non existant nec species per eas cõstitutæ: ergo non solũ animal cõseruatur in vna specie, vt est totum actuale, sed etiã vt est totum potentiale & perfectibile.

*Confirmatur hoc primò*, quia materia prima, non solum vt est quid actuale cõpositũ ex prædicatis suis intrinsecis, sed etiã vt est quid physicè potẽtiale, cõseruaretur sub vna tantũ forma substãtiali, imo sub nulla, si existeret absque vlla forma, & hoc ideo quia vt sic existens posset actuari per quamcũque formã substantialẽ, licet nulla forma substantialis existeret: ergo quandoquidem animal conseruatũ in solo homine esset perfectibile vlterius, & potens existere in pluribus animalibus, debet dici quod cõseruaretur in illo homine vt totũ potẽtiale.

41. *Confirmatur secundò*, quia si genus non posset conseruari in vna specie, vt est quid potentiale, absque eo quod existerẽt aliæ species & differentiæ, respectu quarum dicitur quid potẽtiale, sequeretur quod ad conseruationẽ generis omnes species possibiles ipsius deberẽt actu existere; sed hoc videtur absurdum, quia sic, si destruerentur de facto omnes mures relictis cæteris animalibus, animal non conseruaretur sub ratione sua generica, imo non potuissemus scire an aliquod genus de facto sic conseruaretur, quia non possumus scire absque reuelatione quod omnes species possibiles vllius generis substantialis præsertim, existant. Probatur sequela maioris, quia non magis est genus in potentia ad vnam differentiam & speciem, quam ad reliquas: ergo si vt totum potentiale non possit conseruari in vna specie absque existentia alterius, non poterit conseruari vt sic absque existentia reliquarum omnium specierum.

*Confirmatur tertiò*, quia species est quid potentiale ad indiuidua, & tamen potest conseruari vt sic in vno indiuiduo: ergo quamuis genus sit quid potentiale ad plures species, poterit conseruari vt sic in vna specie absque existentia actuali vllius alterius.

42. *Dices* disparem esse rationem quia species est quid completum essentialiter, & quamuis sit vlterius communicabile, non tamen ad aliquid quod compleat ipsum essentialiter, quandoquidem hæcceitas non sit prædicatum essentiale: genus autem est quid essentialiter vlterius complebile & perfectibile: vnde bene potest species manere in vno indiuiduo, quamuis genus nequeat manere in vna specie.

*Contra*: hæc disparitas nihil prorsus facit ad rem, nam quamuis genus sit quid imperfectius quam species, ob rationem dicta, & quamuis sit quid essentialiter incompletum; tamen hoc non tollit ab ipso quin possit conseruari absque omni suo complemento, sicut materia prima potest conseruari absque multis perfectionibus, quibus perfici possit secundum omnes, imo & absque vlla perfectione sua, hoc est absque vlla forma substantiali, in sententia Scotistarum iam communiori.

43. *Dices cum Complutensibus*, integra perfectio potẽtiæ desumitur ex actu adæquato illi correspondente: sed natura generica est potẽtia metaphysica respiciẽs, vt perfectionẽ adæquatam, omnes differentias specificas: ergo non habet omnem suam perfectionẽ, nisi actu perficiatur omnibus illis differẽtiis, & cõsequẽter non poterit cõseruari absque existentia omniũ specierũ: natura autem specifica nó est potentia ad aliquã perfectionem essentialem vlteriorem; & propterea bene potest cum omni sua perfectione existere in vno indiuiduo.

*Contra primò*, quia licet natura specifica non sit in potentia metaphysica ad aliquam formalitatem essentialem vlteriorem, sicut genus est; tamen certum est quod sit in potentia metaphysica ad hæcceitatem, & quod sit per illam tam determinabilis ad vnum indiuiduum, quam natura generica est determinabilis ad vnã speciem per differentiam specificam: & similiter certum est quod terminus adæquatus illius potentiæ non est vna hæcceitas, sed collectio omnium hęcceitatum, sicut terminus potentiæ, quam habet natura generica, non est vna differentia specifica, sed collectio omnium differentiarum: ergo si natura specifica non obstante hac potentialitate possit manere in vno indiuiduo, similiter etiam natura generica non obstante sua potentialitate poterit manere in vna specie.

*Contra secundò*: quia aliud est naturam genericam non manere in vna specie simul cũ omni perfectione, quam respicit vt totũ potentiale; aliud quod ipsa natura generica cum potentia sua, qua respicit illas perfectiones,

non maneat in vna specie. Primum verissimum est, nec potest versari in cõtrouersia, cum euidens sit, perfectionem irrationalitatis non reperiri à parte rei in homine, nec cũ animalitate existẽte solũmodo in homine: & hoc tantum est quod ex prædicto discursu Complutensium colligi potest. Secundũ vero, quod faceret ad propositum cõtra nos, neq; est verũ, neque sequitur ex illo discursu aut vllo alio bono; imo euidẽs videtur quod natura generica maneat in vna specie cũ illa potẽtialitate.

*Contra tertiò*, quia licet ex illo discursu sequatur quod natura generica non habeat omnem perfectionem, quã exigit habere actualiter à parte rei: tamen hoc non facit ad rem, nisi ostendatur, quod ad hoc vt habeat rationem genericam perfecte, debeat habere actu omnes illas perfectiones, nam si non debeat habere actu omnes illas perfectiones, ad hoc vt habeat rationem naturæ genericæ formaliter loquendo, poterit conseruari natura generica vt talis in vna specie, quod est nostrum intentum. Si autem non possit habere rationem naturæ genericæ absque existentia actuali omnium illarum perfectionum, verum erit, quod non possit conseruari natura generica, vt talis, in vna specie. Itaque cum aduersarij nequeant probare, quod ad hoc vt aliquid habeat rationem formalem naturæ genericæ, debeant existere actu plures species, & cum ex nostris fundamentis optime probetur oppositum, maior probabilitas nostræ sententiæ manifeste patet.

45. *Obiicies* secundum *Philosophum* 3. *Met. tex.* 10. non est genus quod non habet sub se species: ergo vt saluetur genus debent dari plures species à parte rei.

*Respondeo* distinguẽdo antecedens, & explicando Philosophum: non est genus quod non habeat sub se plures species actu existentes, nego; actu vel potentia existentes, transeat antecedens, & nego consequentiam.

*Obiicies secundò* ex Complutensibus; De facto non datur genus vllum, quod non habeat plures species, & dãtur plures species in vno indiuiduo, vt species Solis, Lunæ, Phœnicis: ergo signum est quod genus actu exigat plures species, licet species non exigat plura indiuidua, alias enim natura superflueret in multitudine specierũ, & deficeret in non multiplicando illa indiuidua.

*Confirmant primò*, quia natura per se intendit multitudinem specierum in vniuerso, non autem indiuiduorum; & hoc ideo quia genus respicit plures perfectiones essentiales distinctas, species non item: ergo genus secundum potentialitatem, quam dicit intra latitudinem perfectionis essentialis, non intelligitur plene saluari in vna specie.

*Confirmant secundò*, quia genus est perfectibile per se per plures differentias essentiales: ergo non est adæquate perfectum in vna specie.

Incertũ an detur de facto genus in vnica tãtum specie.

46. *Respondetur*: quidquid sit de veritate antecedentis quoad primã partem, de qua valde dubitari potest, quia incertissimum est, quin detur de facto aliquod genus in aliqua vna specie: quis enim scit quin possit dari aliquis equus distinctæ speciei ab equis de facto existentibus, & cõueniens cum illis in ratione equi, vt sic? quæ ratio de facto dicitur species infima, quia nõ scimus an sit cõtrahibilis per aliquas differẽtias specificas; non esset tamẽ species infima si esset sic contrahibilis. Sed quidquid inquã sit de hoc, quod nunquam probabunt aduersarij;

*Respondetur primò*, concedendo totum; sed nihil inde concluditur contra conclusionem, quia aliud est, quod genus exigat plures species, aliud quod non possit saluari ratio ipsius, quamuis non darentur illæ plures species actu. Sicut aliud est, quod materia prima exigat formam substantialem, & aqua frigus, & graue esse deorsum; aliud quod non saluaretur ratio materiæ, si poneretur absque vlla forma, & ratio aquæ, si poneretu absque frigore, & ratio grauis si poneretur sursum absque vbi deorsum. Itaque quamuis exigat genus plures species, tamen non sequitur quin saluaretur ratio eius, quamuis non darentur illæ plures species.

47. *Respondetur secundò* negando consequentiam, quia licet de facto dentur plures species cuiuslibet generis, non tamen sequitur quod hoc fiat ex exigentia generis, sed ex eo, quod conducat ad decorem & vtilitatem vniuersi secundum dispositionem & prouidentiam Dei statutam de facto. Sicut non sequitur ex eo, quod sint de facto plures homines & plures lapides, quod hoc oriatur ex exigentia naturæ humanæ aut lapideæ, etiam secundum aduersarios, sed potius ex eo, quod Deus voluerit producere plures tales. Genus non exigit plures species existere.

*Confirmatur*: genus non exigit species de facto existentes magis quam alias possibiles, præsertim æque perfectas aut perfectiores: sed has non exigit ita, quin absque illis possit saluari; aut ita, vt sit in statu violento absque illis, vt apparet euidens: ergo neque exigit species illas omnes, quæ sunt de facto, aut plures ex illis, ita vt absque illis esset in statu violento, aut vt non saluaretur ratio ipsius absque illis.

48. *Ad primam confirmationem*, quidquid sit de antecedentis prima parte: *Respondeo* negando consequentiam; sicut enim saluatur potentialitas materiæ primæ ad illas formas substantiales possibiles & existentes, quando est sub vna forma sola, ita saluatur potentialitas generis ad omnes differentias possibiles, quando reperitur actu existens cum vna sola differentia.

*Ad secundam confirmationem respondeo* distinguendo consequens: non est adæquate perfectum perfectione omni, per quam est perfectibile, concedo consequentiam, nec debet esse sic perfectum, vt saluetur ipsius conceptus proprius: non est adæquate perfectum omni perfectione quam debet habere vt existat, & habeat rationem formalem perfectissimam generis, nego consequentiam.

Quod si velint Complutenses, genus non dari à parte rei in vnica specie cum omni illa perfectione sibi extrinseca, quam haberet sub pluribus speciebus; vt videntur solummodo velle, quantum licet coniicere ex doctrina, quam dant in solutione argumentorum, concedendum est, quod intendunt; nec vllus in eo sensu id vnquam negauit: sed valde improprie loquuntur, & reducunt difficultatem ad quæstionem de nomine.

49. *Obiicies tertiò ex Ioanne à sancto Thoma*; Genus diuiditur per oppositas differentias & contrarias: sed si vnum contrariorum existit in rerum natura, alterum etiam debet sic existere: ergo genus nequit existere in vna specie sola. Probat minorem, quia contraria sunt circa idem subiectum: ergo subiectum vnius ex contrariis debet habere potentiam ad alterum contrarium; aliàs contraria non essent circa idem subiectum, nec expellerent se formaliter: ergo si vnum contrarium sit in rerum natura, alterum debet esse possibile.

*Respondetur* negando minorem & concedendo totam probationem eius, sed ex illa non sequitur illa minor: nam aliud est, quod si vnum contrarium sit in rerum natura, alterum contrarium sit possibile, & hoc tantum probatur illa probatione: aliud vero quod si vnum cõtrarium sit in rerum natura, alterum contrarium debeat esse in rerum natura existens: hoc autem nos negamus, & probari deberet ab aduersario. Sed nequaquam probari potest, tum quia euidens est, quod calor posset esse in rerum natura existens, quamuis non existeret frigus; & quod de facto sæpe habeantur volitiones in rerum natura sine existentia nolitionum oppositarum ipsis; tum etiam, quia sequeretur quod omnes differentiæ possibiles, animalis verbi gratia de facto existerent; quia omnes illæ differentiæ sunt contrariæ rationalitati de facto existenti: hoc autem est absurdissimum, etiam secundum prædictum authorem qui ad existentiam generis, & saluandam rationem eius non requirit nisi duas species, quamuis plures essent possibiles.

## CONCLVSIO III.

Genus requirit plures species possibiles.

50. *Ad saluandam rationem generis metaphysici, quatenus genus metaphysicum est illud, quod est aptum natum inesse pluribus, requiritur possibilitas plurium specierum, quæ etiam possibilitas requiritur ad saluandam rationem generis logici.* Hæc est absque controuersia, & *patet*, quia non posset verè inesse multis speciebus,

nec

nec esse prædicabilis vere de illis, absque possibilitate plurium specierum: ergo non posset habere rationem generis metaphysici aut logici.

*Dices*; quamuis repugnarent omnes species animalis præter humanam, ratio animalis reperiretur perfectissime in homine: sed ratio animalis est ratio generica: ergo saluaretur ratio generica absque possibilitate plurium specierum.

*Respondeo* distinguendo minorem: ratio animalis est de facto ratio generica ex suppositione possibilitatis plurium specierum, concedo; est ratio generica ex suppositione quod esset impossibilis illa pluralitas, nego minorem & consequentiam.

Aduertendum autem, quod si vera esset sententia Thomistarum dicentium rationem specificam, etiam vt vniuersalem, posse reperiri absque possibilitate plurium indiuiduorum, eodem modo rationem genericam posse conseruari absque possibilitate plurium specierum: qua enim ratione posset dici quod natura specifica posset inesse & prædicari de multis, non obstante implurificabilitate indiuiduorum, posset etiam natura generica inesse aptitudinaliter, & prædicari de multis speciebus, non obstante implurificabilitate plurium specierum, nec disparitas est assignabilis.

## CONCLVSIO IV.

Non potest cognosci aliquid esse genus quin cognoscantur plures species possibiles.

50. *Ad cognoscendam aliquam naturam esse genericam metaphysicè aut logicè, debent cognosci plures species esse possibiles, quibus inexistat; non tamen est necesse, vt vel actu existat vlla species eius, vel cognoscatur existere.* Hæc est extra controuersiam, *& patet prima pars*, quia non potest cognosci animal verbi gratia, esse vniuersale aut logicè, aut metaphysicè, nisi quatenus cognoscitur, vt habens aptitudinem inexistendi pluribus speciebus, aut vt habens prædicabilitatem de illis: sed certum est non posse talem aptitudinem aut prædicabilitatem cognosci absque cognitione terminorum, quos respicit: sed respicit illa aptitudo & prædicabilitas plures species possibiles: ergo debent cognosci tales species possibiles, vt cognoscatur illa aptitudo & prædicabilitas.

Sed non est necesse vt cognoscantur actu existere.

*Probatur secunda pars*: quia eo ipso quo haberet quis conceptum animalis, & conceptum hominis & bruti, quamuis nullum animal existeret, cognosceret naturam animalis esse aptam inexistere homini & bruto, & posse de illis prædicari: sed hoc sufficeret ad hoc, vt cognosceret illam naturam esse genericam: ergo vt cognoscat naturam aliquam esse genericam, non est necesse vt existat vlla species eius, aut vt cognoscatur existere.

## CONCLVSIO V.

Ad vniuersale logicum requiritur cognitio plurium specierũ

52. *Requiritur cognitio plurium specierum, vt natura fiat vniuersalis logicè, intelligendo per naturam sic vniuersalem, naturam proximè prædicabilem de multis, si vero intelligeretur per naturam logicè vniuersalem natura abstracta à singularibus, & ex se prædicabilis de multis speciebus, quamuis non proximè, non requireretur ad naturam logicè vniuersalem faciendam cognitio plurium specierum, aut vllius speciei.* Hæc non potest esse in controuersia, & *patet prima pars*, quia nisi consideretur, vt inexistens pluribus speciebus, non potest esse proximè prædicabilis de illis.

*Probatur secunda pars*, quia eo ipso quo consideretur natura animalis, non considerata vlla eius specie, illa esset ex se prædicabilis de multis, licet non proximè, propter defectum considerationis eius in multis; & esset abstracta à speciebus, hoc est considerata absque consideratione specierum: ergo esset vniuersalis logicè in sensu conclusionis.

## QVÆSTIO VI.

*Vnde desumitur ratio generica, & differentia rerum quæ constant genere & differentia.*

53. QVia satis vulgare axioma est, præsertim inter Thomistas, quod ratio generica desumatur à materia, & differentia à forma in rebus constantibus materia & forma; placuit proponere hanc quæstionem: vt intelligatur quo sensu id possit esse verum.

*Prima sententia* est, in rebus corporeis genus desumi à materia prima, & differentiam à forma substantiali. Hanc tenent Thomistæ, sed non tamen eodem modo explicant, quomodo id sit verum; conuenientior autem explicatio, est, quam adducunt *Complutenses*, *& Ioannes à Sancto Thoma* hic, quod id sit verum non de ipsa materia prima sola secundum se considerata, sed de ea vt afficitur & informatur forma substantiali; quatenus est principiũ minus perfectæ operationis aut effectus: verbi gratia materia prima affecta anima rationali habet & posse sentire, & posse discurrere, & ex his duobus effectibus perfectior est discursus quam sensatio; vnde si consideretur materia prima, vt affecta anima, quatenus est principiũ sensationis, ab ea vt sic, desumitur ratio generis, nimirũ animalitas; si vero cõsideretur vt affecta anima, quatenus est principium discurrendi, ab ea vt sic desumitur ratio differentiæ, nimirum rationalitas. Concedunt autem hi authores rationes istas desumi proximè à tota entitate rei; sed dicunt remotè eas desumi ex materia & forma modo explicato.

Secunda sententia.

*Communior sententia* est, quam tenet *Doctor. 1. dist. 3. & dist. 8. qu. 3.* cum suis & recentioribus, genus non sumi à materia, nec differentiam à forma proprie loquendo.

Quid est, genus ac differentiam desumi ab aliqua re.

54. Pro resolutione aduertendum est desumi genus & differentiam ab aliqua re, non esse aliud quam propterea rem habere tale prædicatum genericum, quia constat tali re, aut quia est talis res, aut propterea colligi quod habeat tale prædicatum genericum aut differentiale, quia scitur habere talem entitatem physicam, aut constare tali entitate physica: vnde si propterea homo habeat animalitatem, quia habet materiam aut corpus; aut si propterea colligitur habere animalitatẽ determinabilem per rationalitatem, quia scitur constare materia aut corpore, sequitur manifestè quod genus hominis desumatur à materia aut corpore eius. Si vero non propterea habeat animalitatem, nec cognoscitur habere ipsam, genus non desumitur à materia. Loquor autem semper de genere, vt est quid contrahibile & determinabile per differentiam; & de differentia, vt est quid determinatiuum generis.

## CONCLVSIO I.

Genus non desumitur à materia prima sola.

55. *Genus non desumitur, nec proximè, nec remotè à materia prima sola.* Hæc est Doctoris supra cum suis & recentioribus communiter, ac melioribus Thomistis: & *probatur* euidenter non solum quia reperitur ratio generis in pluribus rebus, quæ non constant materia, vt in Angelis, ac accidentibus quibuscumque; sed etiam quia si in ipsis rebus corporeis genus desumeretur à sola materia, omnes res corporeæ conuenirent in iisdem rationibus genericis: sed hoc est absurdum, cum certum sit lapidem non habere animalitatem nec vitam, quæ sunt rationes genericæ repertæ in solis viuentibus: ergo non desumitur gradus genericus, nec vniuersaliter, nec etiam in rebus corporeis à sola materia prima. Probatur sequela maioris pro vltima parte, de qua sola posset dubitari, quia si animalitas verbi gratia desumeretur in homine aut animali quocumque à materia sola, aut proximè aut remotè, tum verum esset quod propterea solũmodo & præcisè haberet animal quodcumque animalitatem, quia haberet materiam, aut quod propterea solummodo colligeretur habere animalitatem, quia cognosceretur habere materiam; sed si hoc esset verum, quodcumque corporeum constans materia deberet habere animalitatem, quia si materia sola esset causa cur vnũ corporeum haberet animalitatẽ, aut cognosceretur eam habere, deberet colligi quod omne constans materia haberet animalitatem; & idem est de cæteris rationibus genericis: ergo si in corporeis desumeretur genus à sola materia siue proximè siue remotè, omnia corporea includentia materiam deberent conuenire in omnibus rationibus genericis.

56. *Confirmatur*, quia si materia sola aut proximè aut remotè esset sola causa, cur homo haberet animalitatẽ,

deberet in cæteris etiam rebus, in quibus includeretur, esse talis causa; nec enim potius deberet eam causare in homine quam in lapide, nisi quia aliquid aliud in homine concurreret, quod non reperiretur in lapide nec secundum aliquid simile: & hoc ipsum est signum efficax colligendi quod materia sola non causet etiam argutiue animalitatem.

*Dices*: esse susceptiuum quantitatis potest assignari tanquam genus corporum sublunarium, in quo inter se conueniunt & distinguuntur à spiritualibus substantiis; sed hoc competit ipsis ratione solius materiæ, maxime in sententia satis cõmuni, quod quantitas subiectetur in sola materia prima, ergo genus potest desumi à sola materia.

*Respondeo* breuiter, quidquid sit de maiori & minori, distinguendo consequens; aliquod genus, transeat; omne genus, nego: conclusio autem intendit quod omnes rationes genericæ etiam rerum corporearum non desumantur à sola materia prima, quidquid sit de aliqua ratione generica particulari.

*Probatur secundò* conclusio, quia est euidens quod anima concurrat ad sensationem, & quod sensitiuitas principalius competat homini ratione animæ quam ratione materiæ primæ: ergo gradus genericus animalitatis non desumitur vllo modo à sola materia prima.

## CONCLVSIO II.

Possunt cognosci rationes genericæ rerũ corporearũ absque cognitione materiæ.

57. *Genus non ita desumitur etiam partialiter à materia prima, etiam in rebus constantibus materia, quin posset aliquis cognoscere plures genericas rationes rerum corporearum, etiam vt tales, absque eo quod cognosceret illas res constare materia.* Hæc est conformis Doctori, & probatur euidenter, quia quamuis non sciremus hominem constare materia vlla ratione, potuissemus cognoscere ex operationibus ipsius quod esset quid sensitiuum & discursiuum, & potuissemus cognoscere, quod conueniret cum aliis animalibus in sensitiuitate, & disconueniret ab ipsis in rationalitate; & vlterius potuissemus cognoscere quod sensitiuitas esset prædicatum ipsi commune cum aliis, & rationalitas prædicatum proprium, quo primo distingueretur ab illis aliis non minus, quam de facto cognoscimus: ergo potuissemus cognoscere quod sensitiuitas illa communis esset ratio generica, vel constitueret talem rationem, & quod rationalitas esset differentia hominis ab aliis, quibus non conueniret; & consequenter ratio generica non ita desumitur à materia, nec differentia à forma, quin possit aliquis cognoscere, aliquas rationes genericas, & aliquas differentias rerum, vt tales, absque cognitione vlla materia primæ.

## CONCLVSIO III.

Genus & differentiæ substantiarũ materialium desumũtur à materia & forma.

58. *Genus & differentia substantiarum materialium, per se inclusa & identificata ipsismet, desumuntur à materia & forma physica, & non à materia sola, nec à forma sola.* Hæc est Doctoris supra cum suis & recentioribus, nec in re dissentiũt Cõplutenses aut Ioannes à Sancto Thoma. *Probatur*, quia materia & forma causant illas substantias, ita vt non essent tales substantiæ absque materia, & forma: ergo materia & forma sunt realiter causæ cur sint tales substantiæ, & consequenter sunt causæ cur sint in rerum natura prædicata essentialia istarum rerum identificata ipsis realiter: ergo genus & differentia, quæ sunt talia prædicata, desumuntur à materia & forma, & non à materia sola, nec à forma sola.

*Dices*: esse susceptiuum quantitatis est prædicatum intrinsecum substantiæ constantis materia, & est vel differentia eius, vel genus; sed competit ipsi ratione solius materiæ: ergo genus vel differentia sumitur à sola materia.

*Respondeo* negando minorem: sicut enim illæ substantiæ non haberent esse à sola materia, ita neque haberent etiam vlla prædicata sibi essentialia à sola materia.

*Dices*: eo ipso quo intelligerentur habere materiam, intelligerentur habere istam susceptiuitatem: ergo materia sola est, à qua habent illam.

*Respondeo*, non posse intelligi quod habeant materiam in se inclusam, quin intelligantur etiam habere formam, & consequenter sola materia non est sufficiens ratio, cur intelligantur habere illam susceptiuitatem.

## CONCLVSIO IV.

Genus desumitur ab operatione magis cõmuni & differentia à minus cõmuni.

59. *Vniuersaliter loquendo genus cuiuscumque rei potest desumi ab operatione vel effectu magis communi, & differentia à minus communi operatione vel effectu.* Hæc in re debet esse extra controuersiam, *& patet*, quia possum colligere ex sensatione hominis, quæ est operatio ipsi cõmunis cum bruto, quòd habeat principium formale istius operationis, & quod in eo conueniat cum bruto; & ex eo quod videam hominem habere discursum, quæ est operatio minus communis quam sensatio, possum colligere quod habeat principium talis operationis, quod non competit bruto: ergo possum colligere quod illud principium commune sit genus hominis & bruti, & quod illud principium particulare homini sit differentia hominis & bruti. Similiter ex eo quod videam, quamcumque formam substantialem posse actuare materiam; possum colligere, quod ratio actuandi materiam sit communis ac generica respectu omnis formæ substantialis; & ex eo quod videam hanc formam particularem ita actuare materiam, vt cum ipsa faciat aliquod totum potens producere effectus, quibus similes nequit facere aliud totum constitutum per aliam formam, possum colligere quod illa forma particularis sit distinctæ rationis ab alia illa forma, & consequenter habere differentiam qua ab ipsa differat: Et hoc modo possum discurrere de omnibus rebus siue substantialibus, siue accidentalibus, siue spiritualibus, siue materialibus completis, siue incompletis: ergo vera est conclusio.

Quo sẽsu genus desumitur à materia & differentia à forma.

60. *Quod si quæras*, cur ergo communiter dicatur genus desumi à materia, & differentia à forma? *Respondeo* ideo posse id dici, quia genus, quandoquidem habeat rationem perfectibilis, habet proportionem & similitudinem aliquam cum materia, quæ est perfectibilis per formam; & similiter quia differentia habet proportionem aliquam cum forma, quandoquidem vtraque habeat rationem perfectiui. Posset etiam ille modus loquendi habere hunc sensum quod genus colligatur inesse rei ex eo, quod res possit concipi per modum materiæ, hoc est perfectibilis, quia scilicet potest concipi vt principium operationis, aut effectus communis, & vt principium operationis, aut effectus particularis: & vt concipitur primo modo, potest dici esse in potentia ad seipsum vt conceptum secundo modo. Vnde quandoquidem cognoscatur habere rationem genericam ex eo quod concipiatur primo modo, potest dici quod ratio generica desumatur à materia, hoc est à re concepta per modum perfectibilis: & quia differentia colligitur inesse rei ex eo quod concipiatur secundo modo, propterea potest dici quod differentia sumatur à forma, hoc est à re concepta cum maiori perfectione quàm concipiebatur inesse ipsi per primum conceptum.

Variis modis posset explicari illud dictum, sed res ipsa cõstat ex conclusionibus, nec ad rationem generis cognoscendam requiritur maior explicatio istius dicti, quam iam præmissa.

## QVÆSTIO V.

*Quomodo genus respicit sua inferiora.*

61. DVo sunt inferiora generis, de quibus quæritur, nimirũ species, quæ sub ipso immediate continentur, & ad quas contrahitur per differentias constitutiuas illarum specierum; & indiuidua contenta sub illis speciebus.

## CONCLVSIO I.

Genus potest prædicari de speciebus & indiuiduis in quid.

*Genus ita respicit species & indiuidua, vt de ipsis vere prædicari possit in quid.* Hæc est certa apud omnes, & patet, quia non solum possumus dicere quod homo sit animal, sed etiam quod Petrus sit animal, & sic dicendo bene responderemus quærenti, quid sit homo, aut quid sit Petrus.

*Confirmatur*, quia vere genus reperitur in specie & etiã in indiuiduo, ergo vere potest prædicari de vtrisque.

*Confirmatur*

*Confirmatur secundò*, quia sine dubio potest prædicari de specie: ergo & de indiuiduo, propter regulam illam communem, quod quando aliquid prædicatur de alio, etiam quidquid prædicatur de illo potest de illo alio prædicari; id quod de prædicatis primæ intentionis est certum, quidquid sit de prædicatis secundæ intentionis.

## CONCLVSIO II.

Eadem aptitudine respicit genus species & indiuidua.

62 *Quamuis genus immediatius respiciat speciem quàm indiuidua; eadem tamen aptitudine, qua respicit species, respicit indiuidua, nec sunt multiplicandæ plures aptitudines in ipsa natura à parte rei, etiam formaliter distincta, quarum vna respiciat species, & alia indiuidua.* Hæc est communior, *& patet*, quia posita illa sola aptitudine, quam habet genus ad inexistendum speciebus, & secluſa quacunque alia, necessariò inexisteret indiuiduis per hoc, quod ipsæ species inexisterent indiuiduis; implicat enim quod genus sit in speciebus, & hæ in indiuiduis, quin genus sit in indiuiduis: ergo non est ponenda alia aptitudo in genere ad inexistendum indiuiduis præter illam aptitudinem, quam habet ad inexistendum speciebus.

*Dices:* potest cognosci quod sit aptum inexistere in indiuiduis sine eo quod cognoscatur posse inexistere speciebus: ergo distincta est aptitudo qua respicit indiuidua, ab illa qua respicit species, saltem formaliter: probatur consequentia, quia si esset eadem aptitudo formaliter, non posset intelligi genus aptum inexistere indiuiduis, quin intelligeretur inexistere speciebus.

*Respondeo* negando consequentiam cum probatione, quia bene possum cognoscere quod qualitas sit in substantia, ex eo quod videam illam comitari substantiam, & non posse naturaliter existere absque substantia, quamuis non habeat esse in substantia per vnionem immediatam; & quamuis nesciam an sit ibi per talem vnionem, an vero per vnionem mediatam, quatenus scilicet ideo est in substantia, quia est in quantitate, & quia quantitas est in substantia: ergo similiter possum cognoscere quod animalitas sit in Petro & Paulo, quamuis non sciam an sit ibi per aptitudinem immediatam, an vero per mediatam, & consequenter non bene potest colligi quod animalitas dicat aptitudinem aliquam immediatè terminatam ad indiuidua, ex eo quod posset cognosci inexistere ipsis, non cognito an inexistat speciebus.

## CONCLVSIO III.

Potest genus vt tale referri ad species quin referatur ad indiuidua, non è contra.

63 *Non potest genus vt tale referri per intellectum ad indiuidua quin consideretur inesse speciebus; bene tamen potest referri vt tale ad species, quin referatur ad indiuidua; & consequenter si sequatur ad comparationem intellectus in natura comparata aliquis respectus rationis terminatus ad illa, ad quæ comparatur natura, non eodem semper respectu rationis refertur natura generica ad indiuidua, quo refertur ad speciem, licet eodem respectu referatur ad speciem, quo refertur ad indiuidua.* Hæc quoad primam partem est extra controuersiam, & patet, quia non potest referri ad indiuidua vt genus, nisi referatur ad illa per modum partis essentialis contrahibilis: sed non potest referri vt pars contrahibilis, nisi intelligatur esse determinabilis per plures differẽtias essentiales, & non potest consideri, vt sic contrahibilis, quin intelligatur inexistere speciebus constitutis per ipsum & illas differentias: ergo non potest referri ad indiuidua vt genus, quin referatur ad species. Dico autem *vt genus*, hoc est, ita vt cognoscatur habere rationem generis respectu eorũ, quia potest sine dubio illa ratio, quæ est generica, verbi gratia ratio animalis, referri ad indiuidua, quin referatur ad species; non tamen vt ratio generica, seu itavt cognoscatur esse ratio genetica: nam potest intellectus considerare aliqua duo indiuidua conuenire in animali, non considerando in illis vllam differentiam essentialem contractiuam animalis; & in tali casu posset intellectus referre animal ad illa duo indiuidua, & prædicare illa de ipsis, non referendo illud ad species, nec prædicando illud de speciebus. At sic referendo & comparando animal ad indiuidua non sciret referens an esset generica, vel specifica, imo referret ipsum per modum speciei ad illa, quandoquidem referret ipsum per modum totius essentiæ ipsorum, si nullum aliud prædicatum intrinsecum essentiale consideraret in ipsis, vt contingeret quando consideraret illa præcisè, vt conuenientia in sola animalitate.

Animal vt prædicabile de duobus hominibus præcisè non habet rationem generis, nec speciei.

64 Quod si consideraret duo indiuidua specifica, verbi gratia duos homines non solum, vt conuenientes in animalitate, sed etiam in rationalitate, in tali casu non prædicaret animal de ipsis, nec per modum speciei, nec per modum generis; non quidem per modum speciei, quandoquidem non consideraret ipsum in illis tanquam totam essentiam; non etiam per modum generis, quia non consideraret ipsum per modum superioris aut contrahibilis: quod probo: quia vt consideraret ipsum per modum superioris ac determinabilis, seu contrahibilis, deberet considerare ipsum per modum magis latè patentis, aut non conuertibilis cum rationabilitate, quæ sola esset determinatiua ipsius: sed in casu proposito non consideraret ipsum vt sic, quandoquidem non consideraret ipsum, vt determinabile per aliquam aliam differentiam, præter rationalitatem; vt posset autem considerare ipsum tanquam non conuertibile, aut magis latè patens, deberet considerare ipsum, vt potens existere absque rationalitate cum alia differentia, vt est euidens: ergo non prædicaret ipsum per modum superioris aut contrahibilis, aut consequenter generis.

65 *Etsi quæras*, quomodo tum prædicaret intellectus animal de illis duobus hominibus: *Respondeo*, quod nullo modo ex illis quinque modis, quibus quinque prædicabilia dicuntur esse prædicabilia.

*Dices:* ergo prædicabile, vt sic, non est adæquatè diuisum in illa quinque prædicabilia.

Datur aliquod prædicabile de multis quod formaliter loquendo non est vllum ex quinque prædicabilibus.

*Respondeo* concedendo id, formaliter loquendo, propter hanc ipsam instantiam: realiter tamen adæquatè diuiditur omne prædicabile in illa quinque, quatenus nullum est prædicabile de pluribus, quod realiter non possit prædicari de illis pluribus aliquo ex illis quinque modis, quamuis aliquid possit prædicari secundum aliquam considerationem, secundum quam non competeret ipsi prædicari vllo ex illis modis: & in hoc sensu intelligendum est quod prædicta diuisio sit adæquata.

66 *Secunda pars* conclusionis est conformis illis authoribus, qui nobiscum supra tenuerunt, quod genus non requirat per se, & ex ratione sua formali plures species communicabiles: eam etiam tenet expresè *Auersa*, quamuis non conueniat nobiscum in illa doctrina, sed sanè satis inconsequenter vt iam patebit.

*Probatur hæc pars*, quia eo ipso quo concipiat quis hominem, & brutum, non concipiendo vllum indiuiduum ipsorum, videt animal includi in illis, & esse prædicabile de ipsis in quid incomplete: ergo potest vt sic ipsum ad illa referre sine eo, quod referat ipsum actu ad indiuidua, de quibus non cogitat; & vt sic comparatur tanquam genus ad illa ex suppositione quod ad rationem formalem generis sit impertinens quod species, de quibus prædicatur, sint communicabiles; cuius suppositionis veritatem ostendimus supra *numero* 31.

Quod si requireretur ad genus formaliter habere sub se plures species communicabiles, profecto nõ posset animal, vt genus, referri ad hominem & brutũ, quin referretur ad indiuidua hominis, quia non potest homo considerari vt communicabilis, nisi indiuiduis: (vt modo suppono cum communi sententia tenente, quod homo sit species infima animalis) nec potest considerari vt communicabilis illis, quin consideretur in ipsis, & referatur ad ipsa cum animalitate, quæ in ipso consideretur: ergo non potest genus vt sic referri ad speciem saltem infimam, quin referatur ad indiuidua eius.

67 Dixi autem: *ad speciem saltem infimam*, quia genus supremũ, verbi gratia substantia posset cõsiderari vt genus respectu substantiæ materialis & immaterialis, etiã considerando illas vt communicabiles, non consideratis indiuiduis, quia substantia materialis potest consideri

vt communicabilis substantiæ viuenti & non viuenti, non consideratis vllis indiuiduis, & consequenter posset referri substantia vt sic, ad species aliquas suas, absque eo quod referretur ad indiuidua: iuxta quod posset limitari doctrina *Auersæ*, dicendo quod genus possit referri vt genus ad aliquas species, nimirum ad subalternas, sine eo quod referatur ad indiuidua, licet non possit referri ad infimas, quin referatur ad indiuidua, tenendo quod ad rationem genericam formaliter requiratur ordo ad species vt communicabiles.

*Ex his patet reliqua pars conclusionis:* nam si potest generica natura referri per intellectum ad species, sine eo quod referatur ad indiuidua, & si sequatur aliquis respectus in natura per talem considerationem intellectus, certum est quod potest dari respectus rationis in natura generica ad species sine respectu rationis terminato ad indiuidua, & consequenter quod non eodem respectu rationis respicit semper natura indiuidua, quo respicit species. Et similiter, si non potest comparari vt genus per intellectum ad indiuidua, quin comparetur ad species, & si sequatur ad comparationem intellectus respectus rationis in natura terminatus ad ea, ad quæ comparatur, non minus certum est quod eodem respectu rationis quo respicit indiuidua, debeat semper respicere etiam species.

## QVÆSTIO VI.

*An natura generica possit dari à parte rei absque differentia vlla positiua præter indiuidualem.*

68 SEnsus quæstionis est, an possit dari à parte rei aliquod indiuiduum naturæ genericæ, verbi gratia animalis, quod nullum haberet prædicatum positiuum essentiale præter prædicata animalis, in quibus conueniret cum aliis speciebus animalium.

## CONCLVSIO.

Non potest dari natura generica absque aliqua differentia.

*Conclusio est negatiua* cum communiori sententia. *Probatur*, quia quodcumque indiuiduum animalis, quod dari potest à parte, vel debet esse realiter à parte eiusdem rationis cum animali rationali, vel debet esse diuersæ rationis; si sit eiusdem rationis, ergo habebit rationalitatem non minus quam homo, & sic habebit illud indiuiduum aliquam differentiam contractiuam animalis præter numericam: si sit diuersæ rationis essentialiter; ergo habebit aliquod prædicatum essentiale, quod non reperitur in homine, & sic etiam habebit aliquam differentiam distinctam præter animalitatem.

*Confirmatur*, quia vel illud indiuiduũ habebit aliquas operationes, aut effectus, quos non potest habere homo, vel non habebit; si non habebit, ergo non erit distinctæ rationis ab homine; si habebit, ergo habebit principium positiuum istarum operationum: sed illud principium non erit animal formaliter loquendo, quia alias homo, cum sit animal, posset habere illas operationes: ergo erit aliquod aliud formaliter distinctum; & consequenter illud indiuiduum non constabit solo animali & singularitate.

69 *Dices:* illud animal erit diuersæ rationis ab homine, non per aliquod prædicatum positiuum ipsi competens, sed per negationem rationalitatis, quæ est in homine: sicut enim paries albus, vt albus, est diuersæ rationis à pariete non albo, qui non haberet vllam formam positiuam, qua distingueretur à pariete albo, sed solam negationem albedinis, quæ est in pariete albo: ita animal, quod non haberet rationalitatem, distingueretur ab animali rationali non per aliquod prædicatum positiuum, sed per negationem rationalitatis.

Iuxta quam doctrinam posset etiam dici ad confirmationem quod animal aliquod posset dari, quod non haberet diuersas operationes, aut effectus ab iis, quos posset homo habere; sed quod esset tamen distinctæ rationis ab homine, propterea quod non posset habere operationes omnes quas posset homo, verbi gratia discursiuas.

70 *Contra* has responsiones: quia omnis negatio necessario competẽs rei debet habere aliquod fundamentum positiuum, ad quod sequitur, & ratione cuius competat illi: sed illud animal, quod non haberet aliquod prædicatum positiuum præter rationem genericam animalis, & differentiam indiuidualem, non haberet aliquod fundamentum positiuum, nec aliquod principiũ, ratione cuius competeret illi talis negatio: ergo non competeret illi. Probatur minor, quia non haberet pro fundamento, aut principio formali talis negationis ipsam hæcceitatem; huius enim munus est solummodo facere rem indiuiduam, & distinctam numero ab aliis rebus: nec etiam rationem genericam animalis, quia, si hæc esset principium & fundamentum, ad quod sequeretur talis negatio, quodlibet animal, & consequenter homo, haberet talem negationem, quod est absurdum.

*Confirmatur* hoc: quia vel illa ratio animalis, quæ esset in illo indiuiduo, esset distinctæ rationis positiuæ ab animali vt sic, vel non esset; si esset, ergo illud indiuiduum haberet aliquam differentiam positiuam essentialem contractiuam animalis vt sic. Si non esset, ergo quemadmodum animal vt sic non potest esse principium talis negationis, nec illud animal, vt animal potest ipsam principiare.

71 *Instabis* contra hunc discursum: animal, quod est in homine, licet sit eiusdem rationis formaliter cum animali quod est in bruto, tamen fundat identitatem realem cum rationalitate, & negationem talis identitatis cum brutalitate, qualem identitatem & negationem non fundat animal vt sic, nec animal quod est in bruto; ergo animal quod esset in illo indiuiduo, posset fundare negationem rationalitatis, quamuis eam non fundaret animal vt sic, nec animal quod est in homine; & quamuis illud animal esset eiusdem rationis cum animali vt sic, & animali quod est in homine.

*Contra:* quia eo ipso quo fundaret animal, quod est in homine, identitatem, aut negationem, quam non fundaret animal, quod est in bruto, aut animal vt sic, sequitur quod est diuersæ rationis, sicut iam diximus in casu præsenti; vnde negandum est quod animal quod est in homine formaliter consideratum, fundet illam identitatem & negationem.

A quo habet animal esse idẽtificatũ rationalitati.

*Etsi quæras*, vnde habet animal coniungi cum rationalitate? *Respondeo* hoc non competere ipsi ratione animalitatis formaliter, quia alias omne animal esset sic coniunctum; sed competit ipsi ex eo quod reperiatur in eadem re cum rationalitate.

72 *Et si quæras rursus*, vnde habeat esse in eadem re: *Respondeo* quod non ab animalitate formaliter, propter rationem iam dictam, sed hoc habet à seipso realiter considerato.

*Dices:* ergo similiter posset discurri in proposito, & asseri quod animal quod esset in tali indiuiduo, haberet negationem rationalitatis, non quidem ratione animalitatis formaliter consideratæ, sed à seipso realiter considerato.

*Contra*, quia quando aliquid habet aliquam negationem ratione sui realiter, & non formaliter considerati, tum ratio formalis ipsius coniungitur cum aliquo positiuo, cum quo debet reperiri talis negatio: & sic, quia animal, quod est in homine, habet negationem brutalitatis non ratione sui formaliter, sed realiter considerati, bene sequitur, quod reperiatur coniunctum cum rationalitate, quæ necessariò exigit talem negationem: ergo, si animal illud ratione sui realiter considerati habet negationem rationalitatis, sequitur quod coniungatur illud animal cum aliquo positiuo, cum quo coniungi debet talis negatio. Hoc autem sufficit nostro intento, quia illud positiuum erit differentia contractiua animalis vt sic, sicut rationalitas est differentia positiua animalis vt sic, contrahens ipsum ad esse hominis.

*Confirmatur* hoc & tota conclusio, quia si posset negatio vnius differentiæ positiuæ sequi ad rationem genericam indiuiduatam, siue formaliter siue realiter consideratam, posset dici quod animal vt sic non contraheretur ad brutum & hominem per differentias positiuas, contra communem sententiam.

DISPV

# DISPVTATIO V.

## De Specie.

VAMVIS differentia ex eo quod sit contractiua generis, & constitutiua speciei, videatur habere aliquam prioritatem respectu speciei, & propterea posset commodè de ea agi ante speciē; tamē ex alio capite satis cōuenienter tractari potest prius de specie: tum quia est correlatiuum generis, correlatiua autem sunt simul cognitione: tum etiā quia est prædicabile perfectius, quandoquidem dicat totam essentiam rei, differentia vero formaliter & explicite nō dicat nisi partem essentiæ. Præterea etiam parui refert, de quo prædicabili prius agatur; sufficit enim eorum omnium naturam declarare quocumque ordine id fiat.

### QVÆSTIO I.

*Virum bonæ sint definitiones speciei assignatæ à Porphirio.*

1. QVoniam quælibet species habet duas considerationes, vnam, secundum quam continetur sub genere aliquo, cui sic subiicitur, vt genus de illa in quid prædicari possit, sicut animal prædicatur de homine, & viuens de animali: alteram, secundum quam potest prædicari de aliis sub se contentis, vt homo potest prædicari de Petro & Paulo: Hinc *Porphirius* duas speciei assignauit definitiones aut descriptiones: *Prima* est quod sit illud *quod subiicitur generi*, vel de quo genus in eo quod quid est prædicatur; & hæc est definitio eius, quatenus comparatur ad superiora, sub quibus continetur. *Altera* est, quod *sit illud quod est prædicabile de pluribus numero differentibus in quid*, quæ est definitio eius, quatenus comparatur ad inferiora, quæ continentur sub ipsa, vt homo continet sub se Petrum & Paulum: examinamus ergo hic, an hæ descriptiones, seu definitiones sint bene traditæ.

Duplex species, prædicabilis & subiicibilis.

### CONCLVSIO I.

Bona est descriptio speciei subiicibilis.

2. BOna *est descriptio Porphiriana speciei subiicibilis, qua dicitur quod sit illud, quod subiicitur generi; & etiam illa altera, quod sit illud, de quo genus prædicatur in quid: & hæ duæ definitiones possunt explicari, & sic vt coincidant, & sic vt differant.* Hæc in re est communissima, & *patet prima pars*, quia per vtramque illam descriptionem explicatur natura speciei subiicibilis, vt distinguitur ab omnibus aliis rebus: distinguitur enim à genere, vt est genus, per hoc quod subiicitur generi, & per hoc quod genus de ipsa prædicatur in quid: nam genus, vt genus formaliter, non subiicitur, nec aliquid de ipso prædicatur, sed potius est prædicabile. Distinguitur etiam à specie prædicabili vt tali, quia illa vt sic non subiicitur, nec aliquid de ipsa prædicatur, sed potius alia subiiciuntur ipsi, & ipsa de aliis prædicatur.

*Secunda pars*, nempe quod illæ duæ descriptiones possint sic explicari, vt differant vel conueniant, *probatur*, nam illud *subiici* potest sic intelligi, vt significet, quod species subiiciatur in prædicatione, & sic conueniret vtraque descriptio. Potest etiam sic explicari, vt significet quod species includat genus, & minus late pateat quam ipsum, & sic different illæ duæ descriptiones, quia prima non diceret expresse ordinem ad prædicabilitatē, sicut diceret secunda, & tamen vtraque, etiam vt non coincidunt, sufficienter explicaret naturam speciei subiicibilis, vt distinguitur à cæteris rebus. Nec est momenti vllius, vtra sit essentialior, in quo non conueniunt authores, sed vtraque potest dici essentialis per additamentum, sicut definitiones illæ Vniuersalis: Vniuersale est aptum inesse multis: & Vniuersale est aptum prædicari de multis.

3. *Obiicies primo*: Indiuidua subiiciuuntur generi, & genus de iis in quid prædicatur: nam verū est quod animal includatur in Petro & Paulo, & quod prædicetur in quid de ipsis; ergo neutra ex prædictis definitionibus est bona, quandoquidem vtraque conueniat alij à definito, nempe indiuiduo, quod non est species subiicibilis.

*Fuentes*, *Auersa*, *Ioannes à sancto Thoma*, hic respondent negando consequentiam, quia licet indiuidua subiiciantur generi; tamen non sunt vniuersalia: intelligitur autem per ly *quod* in his definitionibus aliquid vniuersale, vt patet ex mente Porphirij, qui solum agebat hic per se de quinque vniuersalibus, & seorsim in hoc ipso capite obiter egit de singularibus, seu indiuiduis post traditas has definitiones.

Hæc responsio est bona ex suppositione quod nō possit dari aliquid quod habeat rationē speciei subiicibilis formaliter quod non sit vniuersale: sed quia id est in controuersia, & quia supra ostendimus non requiri ad genus formaliter, quod species, de quibus prædicatur, sint vniuersales, propterea magis placet alia communissima responsio, quam ex *Toleto* afferunt hic *Complutenses*, distinguendo antecedens: indiuiduum subiicitur generi, & genus de ipso prædicatur in quid, eo modo quo intelligitur in his definitionibus speciem subiici generi, & genus prædicari de specie, nego antecedens; alio modo, concedo antecedens. Modus autem ille, quo species in illis definitionibus dicitur subiici generi, est quod subiiciatur ipsi immediate, ita vt ad ipsam contrahatur immediate per differentiam: sic autem non subiicitur indiuiduum generi, quia non contrahitur genus ad indiuiduum immediate, sed prius contrahitur ad speciē, & mediante specie inest indiuiduo: similiter modus, quo est prædicabile genus de specie, est quod sit de ipsa prædicabile, tanquam quid immediate ad ipsam contractum, & hoc modo non est prædicabile de indiuiduo.

Qua ratione species subiicitur generi.

4. *Dices*: animal est species subiicibilis respectu substantiæ vt sic; & tamen substantia vt sic non contrahitur ad animal immediate: ergo ad speciem subiicibilem non requiritur contrahibilitas immediata.

*Respondeo* negando maiorem loquendo formaliter nō enim est species subiicibilis formaliter respectu substantiæ vt sic, nisi quatenus subiicitur ipsi, vt contracta est ad aliquid aliud, quod ad ipsum immediate tanquam genus contrahitur: vnde quia animal non contrahitur immediate ad Petrum, nec aliquid aliud, in quo includitur, contrahitur ad Petrum tanquam genus, propterea Petrus non habet rationem speciei respectu animalis aut vllius superioris prædicati.

*Dices secundo*: animal prædicatur immediate de Petro, quando consideratur Petrus vt animal præcise, & prædicatur immediate de indiuiduo generico animalis: ergo secunda definitio speciei subiicibilis conuenit indiuiduo, nimirum illa, in qua dicitur quod sit illud, de quo genus prædicatur in quid.

*Respondeo* negando consequentiam, quia definitio vult quod species sit illud, de quo prædicatur genus in quid immediate à parte rei, & iuxta modum, quo à parte rei contrahitur genus; non vero quod sit illud, quod prædicatur immediate quomodocumque. Itaque quodcumque quod subiicitur generi immediate, tanquam illud, ad quod aliquod genus immediate contrahitur, & de quo aliquod genus potest, tanquam sic immediate contractum à parte rei prædicari, est species subiicibilis, siue sit vniuersale quid, siue particulare: & hoc volunt prædictæ definitiones.

5. *Obiicies secundò*: Definitio debet esse notior definito, alias non explicaret naturam ipsius, & sic frustra adhiberetur, & non esset definitio, quia definitio est ignoti manifestatiua: sed hæc definitio non est notior definito; ergo non est bona. Probatur minor, quia non est notius quid sit genus, quam quid sit species: sed subiici generi non potest esse notius quam ipsum genus, sicut nulla relatio potest esse notior quam terminus, cum non possit esse aut intelligi sine termino.

*Confirmatur*, quia genus formaliter dicit respectū ad speciem, estque correlatiuum speciei; vnde supra definiebatur per ordinem ad species: sed eorum, quæ sunt

correlatiua, vnum non est notius altero; erge genus non est notius specie.

*Confirmatur secundò*, quia genus definiebatur supra per ordinem ad speciem: ergo species debet esse notior genere, & consequenter male definitur species per ordinem ad genus, tanquam ad quid notius.

*Respondetur* distinguendo minorem: ex natura sua, trãseat minor: ex suppositione quod aliquid cognoscat quid sit genus, & nõ cognoscat quid sit species, negatur.

*Dices*: non potest cognosci genus, quin cognoscatur species, quandoquidem definiatur genus per ordinem ad speciem, & nihil cognoscatur per ordinem ad aliquid, quod non cognoscitur: ergo falsum supponitur, quod cognoscat aliquis genus non cognita specie.

6. *Respondeo* distinguendo antecedens; quin cognoscatur species, vt species formaliter, nego; quin cognoscatur aliqua res, quæ est species, concedo; & similiter distinguo consequens, non cognita specie, vt specie formaliter, nego; non cognita specie materialiter & specificatiue, concedo consequentiam. Itaque quando definitur genus per ordinem ad species, debent intelligi per species naturæ distinctæ rationis inter se, ita vt sensus definitionis sit, quod genus sit illud, quod prædicatur in quid de naturis distinctæ rationis: vt sunt autem distinctæ rationis præcise & formaliter, non sunt species subiicibiles; non vero sensus est, quod genus sit illud, quod prædicatur de speciebus, hoc est de rebus, quæ subiiciuntur generi vt genus, quia alias genus definiretur per æque ignotum, quia definiretur per ordinem ad seipsum. Similiter quando definitur species per ordinem ad genus, non debet hoc intelligi de genere formaliter, vt est correlatiuum speciei formaliter; sed de genere, vt est aliquid prædicabile de pluribus distinctæ rationis essentialis.

Quomodo definitur genus per ordinem ad species.

7. *Et per hoc patet ad primam confirmationem*, cuius maior est distinguenda pro vtraque parte: genus formaliter dicit ordinem ad speciem formaliter, nego maiorem pro prima parte: ad speciem materialiter sub alio conceptu, quam sit conceptus ipsius, vt dicit formaliter respectum ad genus, concedo maiorem pro prima parte. Similiter distinguo maiorem pro secunda parte: genus est correlatiuum speciei, prout capitur species in definitione generis, nego, quia ibi non capitur, vt dixi, prout species formaliter, sed materialiter & specificatiue: si capitur alio modo, transeat maior pro secunda illa parte. Distinguo etiam minorem iuxta hoc: eorum quę sunt correlatiua, vnum formaliter, vt correlatiuum, nequit esse notius altero, concedo; quia correlatiua formaliter, vt dicunt respectus ad se inuicem, sunt simul cognitione, vt postea dicemus: eorum, quæ sunt correlatiua specificatiue & materialiter, vnum nequit esse notius alio, nego minorem & consequentiam.

8. *Per idem patet ad secundam confirmationem* distinguendo antecedens: genus definiebatur per ordinem ad speciem formaliter consideratam, vt est formaliter subiicibilis, nego: sub alia ratione, concedo; & eodem modo distinguo consequens: ergo species formaliter, vt species subiicibilis, debet esse notius genere, nego; sub alio conceptu, concedo consequentiam.

Ne autem difficultas proposita & doctrina hæc videatur particulariter ad præsentem materiam spectare, aduertendum est vtramque occurrere in omnibus correlatiuorum definitionibus; si enim velim definire producens in ordine ad productum, aut patrem in ordine ad filium, aut æquale in ordine ad æquale, eadem difficultas opponi potest, & eadem responsio adhiberi seruata proportione.

*Obiicies tertio*: species subiicibilis est vniuersalis, sed male describitur vniuersale per ordinem ad superius; ergo male describitur species subiicibilis per ordinem ad genus.

*Respondeo* distinguendo maiorem; vt subiicibilis ita, vt ipsa subiicibilitas sit vniuersalitas, nego maiorem; secundum aliam rationem, transeat maior, & nego consequentiam.

## CONCLVSIO II.

9. *Bona & essentialis per additamentum est definitio speciei prædicabilis, quæ dicitur esse id, quod prædicatur de numero differentibus in quid.* Hæc est communis omnium, in quantum asserit quod illa definitio sit bona: *& patet*, quia declarat naturam speciei, & prædicabilitatem particularem quam habet; neque enim vlli alteri prædicabili competit prædicari de numero differentibus in quid, vt magis patebit ex solutione obiectionum. In quantum autem dicit conclusio, quod hæc definitio sit essentialis per additamentum, patet iisdem rationibus, quibus idem probatur supra de definitione generis, est enim sine dubio eadem ratio quantum ad hoc de vtraque definitione, & similes sunt obiectiones; vnde non est necesse vllas hic proponere, quia simul cum solutione patent ex dictis de genere.

Bona est definitio speciei prædicabilis.

*Obiicies* contra bonitatem huius definitionis, conuenit aliis à definito: ergo non est bona. Probatur antecedẽs, quia conuenit generi, genus enim est prædicabile de numero differentibus in quid; quærenti enim quid est Petrus & quid est Paulus, tam bene potest quis respondere quod sint animalia, quam potest sic quærenti respondere, quod homo sit animal, & brutum sit animal.

10. *Aliqui dicunt*, intelligi in hac definitione, quod species prædicetur in quid complete & vt tota essentia; vnde quia hoc non conuenit generi, quandoquidem prædicetur vt pars, propterea non conuenit ipsi prædicta definitio.

*Alij dicunt*, quod genus non prædicetur immediate de indiuiduis, quia ad illa immediate non contrahitur, sed mediante specie, & sic excludunt ipsum ab hac definitione, in qua intelligitur prædicatio immediata.

*Contra* has responsiones replicari potest, quod genus immediate prædicetur de indiuiduis, & etiam tanquam tota essentia, quando illa indiuidua considerantur secũdum rationem genericam præcise, non consideratis differentiis essentialibus contractiuis: v.g. quando considerat quis Petrum & Paulum & Bucephalum tanquã singularia sensitiua, non considerando rationem aliquam particularem, tum prædicat, aut prædicare potest animal de ipsis tanquam immediate conueniens illis, & tanquam totam ipsorum essentiam: ergo animal est prædicabile immediate & complete de indiuiduis, & consequenter non obstantibus dictis responsionibus, definitio speciei prædicabilis competit generi.

*Responderi* potest distinguendo antecedens: genus prædicatur immediate aut complete de indiuiduis vllis realibus aut possibilibus prædicatione vera, per quam dicatur à parte rei esse totam essentiam illorum indiuiduorum, aut contrahi ad ipsa immediate, negatur antecedens; potest prædicari immediate & complete de indiuiduis, vt considerantur imperfecte & inadæquate ab intellectu, conceditur antecedens & negatur consequentia, quia prædicatio in quid de indiuiduis, per quã explicatur species, est prædicatio vera, per quam prædicatur de indiuiduis, vt sunt à parte rei, seu vt sunt intellecta adæquate, tanquam tota ipsorum essentia, aut tanquam immediate contractum ad illa.

11. *Alia datur satis communis & facilis responsio* ad prædictam obiectionem, negando antecedens, & ad probationem dicendo, quod genus non prædicetur in quid solum de numero differentibus, sed etiam de differentibus specie, species vero prædicabilis ita sit limitata ad prædicationẽ de numero differẽtibus, vt nõ possit prædicari de differentibus specie; vnde dicunt subintelligendũ in definitione præmissa ly *tantũ* aut *solũmodo* in sensu iam explicato. Addunt autem authores huius responsionis, quod nõ erat necesse vt Porphirius expresse poneret illam particulam in definitione, nã cum ante dixisset genus prædicari de pluribus specie differentibus, & quidquid prædicatur de speciebus prædicetur de indiuiduis illarũ specierũ, sufficienter significauit quod genus possit etiam prædicari de indiuiduis ac numero differentibus: vnde cùm hac definitione voluerit explicare speciẽ

prædi

prædicabilẽ,quæ est vniuersale distinctæ rationis à genere,sufficiẽter colligitur quod intellexit prædicabilitatem aliquã de indiuiduis,quæ non competit generi;hæc autem est prædicabilitas talis, vt non possit species de aliis quam de indiuiduis prædicari, quod est intentum.

Et hinc etiam potest colligi quod prædicetur species, tanquam quid immediate contractum,& tanquam tota essentia,quia si mediate contraheretur,hoc est mediantibus aliis differentiis essentialibus,posset prædicari de aliis quam de numero differentibus non minus quã genus,& sic esset genus & non species prædicabilis. Rursum si prædicaretur in quid vt pars essentiæ determinabilis,tũ non contraheretur ad indiuidua immediate,sed prius contraheretur per partem essentiæ determinatiuã.

12. *Obiicies secundò*: species subalternæ seu intermediæ, quæ scilicet collocantur inter genus generalissimum & speciem infimam,sunt vere species & quidem prædicabiles,quia vere prædicantur de pluribus:sed tamen non conuenit ipsis hæc definitio,quandoquidem non solum prædicari possint de numero differentibus,sed etiam de specie differentibus; ergo non bene explicat prædicta definitio speciem prædicabilem.

*Respondetur* distinguendo maiorem:sunt species prædicabiles, provt species prædicabilis est vniuersale distinctæ rationis à genere,nego maiorem; provt species prædicabilis dicitur illud, quod subiicitur generi, & quod potest vlterius prædicari in quid aliqua ratione, concedo maiorem & minorem,& distinguo consequẽs: non bene explicat prædicta definitio speciem prædicabilẽ,hoc est illud vniuersale, quod habet distinctã prædicabilitatem in quid à prædicabilitate generis, nego consequentiam:speciem prædicabilem alio modo acceptam,concedo consequentiã. Itaque breuiter hic aduertendum speciem prædicabilem posse capi dupliciter: primò pro omni illo quod est species,& vlterius prædicabile in quid;secundò pro omni illo vniuersali, quod est prædicabile in quid modo in prædicta definitione explicato;& hoc modo capimus hic speciem prædicabilem,non primo modo.

13. *Obiicies tertiò*. Anima rationalis est prædicabilis in quid complete de hac & illa anima rationali, quæ sunt numero tantum distinctæ:sed non est species prædicabilis:ergo male definitur species prædicabilis. Probatur minor,quia omnis species substãtialis prædicabilis ponitur directe in prædicamento substantiæ: anima autem sic in eo non ponitur, quandoquidẽ sit quid incompletum physice. Simile argumẽtũ potest fieri contra definitionem generis de anima vt sic,respectu animæ rationalis & animæ sensitiuæ tantum:nam est prædicabile de ipsis in quid incomplete, & tamen non est genus, quia non ponitur directe in prædicamento substantiæ,sicut nec anima vlla,propter rationem dictam.

*Respondetur* breuiter,si per genera & species hic definita intelligantur entia completa,animã vt sic non esse genus respectu diuersarum specie animarum,nec animã rationalem esse speciem respectu huius & illius animæ rationalis:excludentur autem à prædictis definitionibus per ly *quod*, quod denotat ens completum physice: si verò non intelligantur sola entia completa,sed quæcũque quæ habent prædicabilitatem in quid,siue sint cõpleta,siue incompleta physice,tum anima vt sic erit genus,& anima rationalis species; & neganda est minor obiectionis cum probatione. Perinde autem est,quo modo ex his explicentur prædictæ definitiones; verisimilius tamen est Porphirium voluisse explicare tantum genera & species completas physice,quia voluit explicare illa,quæ ponuntur directe in prædicamentis.

## QVÆSTIO II.

### *Quomodo se habeant ad inuicem species subiicibilis & prædicabilis.*

14. CErtum est à parte rei omnem speciem prædicabilem esse etiam subiicibilem,quia nulla est,quę non contineatur sub genere aliquo:in quo conuenit cũ aliqua alia re; & æque certum est quod omnis species subiicibilis non sit species prædicabilis prædicabilitate definita in quæstione præcedenti,quia genera intermedia non sunt species prædicabiles,& tamen sunt subiicibiles,vnde in hoc sensu non necessariò concomitantur se inuicẽ mutuò:sed difficultas est,an species subiicibilis possit considerari vt talis, quin consideretur vt vniuersalis ac prædicabilis aliquo modo de pluribus:& an species prædicabilis possit considerari vt talis,quin cõsideretur vt subiicibilis. Quæ difficultas fortassis in re conuenit cum illa alia;an prædicabilitas aliqua seu vniuersalitas sit per se competens speciei subiicibili, qua talis est;ita vt sit vel de essentia eius, vel proprietas ipsius:& an subiicibilitas sit ita competens speciei prædicabili, vt sit de essentia ipsius,vel proprietas eius. Sensus quæstionis.

*Caiet hic,& Arauxo* 3. *Metaph.* dicunt subiicibilitatem esse de essentia cuiuscũque speciei,& prædicabilitatem esse proprietatem eius,qua subiicibilis est. *Toletus vero hic* dicit vtrumque respectum tam subiicibilitatis, quã prædicabilitatis alicuius, esse proprietates cuiuscũque speciei emanentes ab ipsius essentia,quæ secundum ipsum consistit in aptitudine essendi in multis:& iuxta hoc patet quod concomitantur se inuicẽ prædicabilitas aliqua,& subiicibilitas in quacunque specie prædicabili & subiicibili,etiam qua talia formaliter, sicut rationalitas & risibilitas, aut sicut risibilitas & admiratiuitas concomitantur se in quocunque homine qua homo.

*Communior sententia* est subiicibilitatem & prædicabilitatem non se habere ad omnem speciem,aut subiicibilem,aut prædicabilem,qua talia sunt,hoc modo. Quæ sententia colligitur ex *Scoto q.* 21. *vnic.*& tenetur à Scotistis omnibus, & Thomistis pluribus, quos sequuntur recentiores fere omnes.

## CONCLVSIO I.

15. *Species subiicibilis,qua talis formaliter,non dicit vniuersalitatem, nec prædicabilitatem, aut tanquam essentiale prædicatum,aut tanquam proprietatem,& potest optime intelligi sine vniuersalitate,aut prædicabilitate.* Hæc est conformis secundæ sententiæ contra primam. *Probatur* autem, quia eo ipso quo animal includeret viuens tanquã partem determinabilem per sensitiuitatem, quamuis non esset aptum inesse multis, aut prædicari de multis, haberet rationem speciei subiicibilis, & non haberet vniuersalitatem, aut prædicabilitatem vllam,& consequenter eo ipso,quo consideraretur vt sic, consideraretur vt species subiicibilis, & non consideraretur vt vniuersalis, aut prædicabilis; ergo nec prædicabilitas nec vniuersalitas est de essentia speciei subiicibilis; nec ad cognitionem speciei subiicibilis,qua talis,requiritur earum cognitio. Species subiicibilis vt sic,non dicit vniuersalitatẽ aut prædicabilitatẽ.

Quod etiam nec vniuersalitas nec prædicabilitas sit proprietas speciei subiicibilis qua talis, probatur, tum quia non est potior ratio cur vniuersalitas,aut prædicabilitas essent proprietates subiicibilitatis,quam subiicibilitas sit proprietas eorum, aut alicuius ex illis:tũ etiã quia ex prædicabilitate, aut vniuersalitate non potest inferri per vllum discursum subiicibilitas: sed posset,si esset proprietas eorum:ergo non est proprietas eorum.

*Confirmatur hoc*,quia si natura Michaelis esset incommunicabilis, vt putant Thomistæ, nulla esset ratio cur non habeat rationem speciei subiicibilis respectu generis,in quo conueniret Michaël cum Gabriële:ergo vniuersalitas & prædicabilitas per accidens omnino se habent ad speciem subiicibilem,qua talis est.

16. Verum quidem est,si species,respectu cuius dicitur genus habere rationem generis, deberet esse vniuersale formaliter,quod etiã species subiicibilis,qua talis deberet esse vniuersalis,ac cõsequenter prædicabilis de multis;quia species subiicibilis est illa formaliter,per ordinem ad quam definitur genus, & ex cuius cognitione dependet cognitio generis:vnde si non posset cognosci, quod aliquid esset genus, nisi cognosceretur quod esset prædicabile de aliquo, quod esset vniuersale, sequitur quod non posset cognosci aliquid esse species subiicibilis,quin cognosceretur esse vniuersale,& consequenter quod subiicibilitas speciei exigat necessariò ex ratione sua vniuersalitatem, non tamen tanquam prædicatum

esset

essentiale,aut proprietatem, sed potius tanquam rationem fundandi.

*Obiicies pro Auersa*,qui oppositum huius conclusionis tenet:Indiuiduum est subiicibile etiam generi,& tamen non est species subiicibilis:sed huius non est alia ratio, quam quod non sit vniuersale:ergo species subiicibilis dicit vniuersalitatem necessariò,quamuis ipsamet subiicibilitas non dicat vniuersalitatem.

*Respondeo* negando minorem:sed ideo non vocatur species subiicibilis,quia non subiicitur generi immediate a parte rei,sicut subiicitur quæcunque res, quæ vocatur subiicibilis species.

## CONCLVSIO II.

Species prædicabilis non exigit subiicibilitatẽ.

17. *Species prædicabilis,qua talis,non exigit subiicibilitatem,nec tanquam proprietatem, nec tanquam prædicatũ essentiale,nec tanquam rationem fundandi, & potest optime intelligi absque subiicibilitate.* Hæc etiam est ex mente authorum secundæ sententiæ contra primam.

*Probatur*, quia eo ipso,quo homo esset tota essentia Petri & Pauli, quamuis per impossibile vel possibile non haberet sub se vllũ genus,esset species prædicabilis, quia esset prædicabile de pluribus numero tantum differentibus in quid immediate & complete;& eo ipso,quo intelligeretur vt sic (sicut potest optime intelligi) intelligeretur sub ratione speciei prædicabilis sine eo, quod intelligeretur vt subiicibilis:ergo non habet subiicibilitatem tanquam proprietatem, aut prædicatum essentiale aut rationem fundandi, & potest intelligi vt prædicabilis quin intelligatur vt subiicibilis.

18. *Confirmatur*, quia nulla prorsus est ratio,cur species prædicabilis,vt talis,exigeret subiicibilitatem vllo ex prædictis modis.

*Dices* esse rationem hanc,nimirum quod nulla sit species prædicabilis,quæ non sit subiicibilis.

*Contra*,quia hoc non arguit,quod vt prædicabilis formaliter exigat subiicibilitatem:bene enim respectus aptitudinales diuersi possunt competere rei absque eo quod vna formaliter exigat ex se vllo modo alteram,& in tali casu haberent à parte rei necessariam connexionem,non vero ex ratione sua formali,sed ex natura rei, in qua reperirentur.

*Confirmatur secundò*,quia non est potior ratio,cur prædicabilitas exigeret subiicibilitatem vllo ex prædictis modis potius,quam subiicibilitas prædicabilitatem:ergo non est dicendum quod eam sic exigat.

19 *Obiicies* pro *Auersa*,qui videtur tenere oppositum huius conclusionis : genus generalissimum non dicitur species prędicabilis,licet prędicetur de pluribus,animal vero dicitur species prædicabilis : sed hoc non ob aliam rationem,nisi quia prędicabilitas speciei exigit pro fundamento,aut connotato aliquo modo subiicibilitatem generi,quam habet animal, & non habet substantia vt sic,quæ est genus generalissimum , supra quod non est aliud genus,cui subiiciatur:ergo species prædicabilis,vt talis,exigit ex se aliquo modo subiicibilitatem.

*Respondeo* distinguendo maiorem pro secunda parte: dicitur species prædicabilis , provt species prædicabilis est illa,quæ prædicatur in quid complete aut immediate de pluribus numero tantũ distinctis,& pro vt nos hic accipimus speciem prædicabilem,nego maiorẽ pro illa parte;dicitur species prædicabilis,id est dicitur species, quæ potest prædicari de multis, concedo maiorem. Similiter distinguo minorem : sed non est alia ratio , cur animal dicatur species, quæ possit prædicari , nisi quia est subiicibilis,transeat minor;sed non est alia ratio cur dicatur species prædicabilis , provt hic agimus de specie prædicabili,nego suppositum , nempe quod dicatur aut sit talis.Distinguo denique consequens:ergo species prædicabilis alio modo,quam provt hic agimus de specie prædicabili,exigit subiicibilitatem, transeat consequentia:ergo species prædicabilis, provt hic de ea agimus,exigit subiicibilitatem ex se, nego consequentiam. Itaque fateor quod omne illud, quod dicitur species,& est prædicabile,non tamẽ sicut species infima,quæ simpliciter vocatur species prædicabilis, exigit subiicibilitatem,imo constituitur formaliter in esse speciei per illam subiicibilitatem , propterea enim vocatur species, non quia est prædicabilis,sed quia est subiicibilis. Illud autem quod est species prædicabilis , provt definitur species prædicabilis hic a Porphirio , non exigit per se subiicibilitatem.

20.Ex his patet,quod si sequatur aliquis respectus rationis in specie subiicibili, quando consideratur vt aliquid,in quo includitur genus;aut in specie prædicabili, quando consideratur vt inclusum in indiuiduis immediate,& si cõstituatur vtraque species tã subiicibilis quã prædicabilis,logice & secundò intentionaliter sumpta, per illos respectus rationis,quod species subiicibilis logica & secundò intẽtionaliter sumpta distinguatur realiter à specie prædicabili logica & secundò intentionaliter sumpta eo modo , quo potest distinctio realis dari inter entia rationis , quia bene potest fieri vnus ex illis respectibus sine eo,quod alter fiat;sicut potest dari consideratio, ad quam sequitur vnus ex illis absque consideratione,ad quam sequitur alter,vt patet ex dictis.

An ratio speciei prædicabilis inuoluat vniuersalitatem.

21. *Quæres*, vtrum possit dari ratio speciei prædicabilis absque vniuersalitate.*Respondeo* certũ esse quod si capiatur species prædicabilis prò illa re, quæ est prædicabilis de aliquo per modum totius essentiæ , speciem prædicabilem, vt sic, non exigere vniuersalitatem, aut prædicabilitatem de multis:& licet de facto omne creatum sic prædicabile sit etiam vniuersale ac prædicabile de multis,tamen id per accidens est ad prædicabilitatem per modum totius essentiæ.Ratio est,quia si humanitas non esset communicabilis vlli , nisi Petro , sicut dicunt Thomistæ naturam Gabrielis non esse vlli alteri communicabilem,adhuc esset tota essentia Petri,sicut natura Gabrielis est tota essentia Gabrielis , & considerata vt talis,posset vt talis de Petro prædicari.

*Confirmatur*,quia nulla est ratio,cur prædicabilitas per modum totius essentiæ exigeret ex se formaliter prædicabilitatem de pluribus,aut vniuersalitatem,siue tanquam proprietatem,siue tanquam prædicatum essentiale, siue tanquam rationem fundandi.

Si vero capiatur species prædicabilis,vt definita est à Porphirio,sine dubio exigit vniuersalitatem & prędicabilitatem de pluribus,imo per hanc constituitur in esse talis,vt patet ex definitione eius;nec in hoc potest esse controuersia.

An species prædicabilis debeat posse esse vere & realiter in multis.

22.Sed bene est controuersia,an hęc vniuersalitas,aut prædicabilitas de pluribus debeat esse talis,vt possit natura,quæ est species prædicabilis , prædicari de multis, in quibus vere & realiter existit, aut possit existere ; an verò sufficiat quod per intellectum possit apprehendi in multis,& quod natura quantum est ex se & conceptu suo formali non dicat repugnantiam ad esse realiter in multis;licet ex aliis principiis id ipsi repugnaret :*Thomistæ* tenent hoc secundum sufficere,& propterea dicũt naturam Gabrielis , licet secundum ipsos de potentia Dei absoluta nequeat esse in pluribus indiuiduis , esse tamen speciem prædicabilem , etiam secundum quod species prædicabilis definitur à Porphirio, quia scilicet non ex conceptu suo formali, neque ex aliqua proprietate reperta in illo conceptu ipsi id repugnat ;vnde potest,dici quod quantum est ex se,& ratione sua formali, sit prædicabilis de multis numero differentibus ; quod sufficit secundum ipsos ad rationem speciei prædicabilis,provt definita est à Porphirio,licet repugnet ipsi ex aliis principiis reperiri in multis, nimirum ex eo quod careat materia , quæ est principium multiplicationis numericæ.

Sententia Thomistarũ.

*Scotistæ* verò & recentiores communiter tenent oppositum,& negant vllam rem habere posse rationem speciei prædicabilis,vt hæc definita est à Porphirio, quæ à parte rei non sit multiplicabilis numero, & apta inesse ac prædicari de multis per intellectum.

Sententia Scotistarum.

23. Verum de hac controuersia egimus supra *disp.3. qu.quarta*,de Vniuersali *num.53*. vbi probauimus hanc secundam sententiam. Hic tamen in gratiam veritatis adiungere libuit , si daretur aliqua natura completa implu

Resolutio controuersiæ.

impluri ficabilis realiter, cui tamen ex sua ratione formali non repugnaret plurificari, secundum quod conciperetur, vt distincta ab omnibus naturis diuersæ rationis, siue perfectè siue imperfectè, illam naturam posse dici esse, quantũ est ex sua ratione formali sic concepta, prædicabilem de multis in quid complete; atque adeo si hoc sufficeret ad speciem prædicabilem, veram esse sententiam Thomistarum, quæ tamen sententia non placet absolutè & simpliciter propter duas potissimũ rationes.

*Prima est*, quod gratis dicat sufficere ad speciem prædicabilem, vt descripta est à Porphirio, huiusmodi prædicabilitatem quantum est ex se: nam cum Porphirius dicat speciem prædicabilem esse prædicabilem de multis absolutè & simpliciter, & sine illa restrictione, & cum posuerit exemplum de specie, quæ absolutè & simpliciter est sic prædicabilis; profectò gratis dicitur voluisse comprehendere sub sua definitione naturas, quæ non essent multiplicabiles, nec prædicabiles de multis, nisi cum tali restrictione.

Omnis natura immultiplicabilis habet esse talis ex ratione sua formali.

24 *Secunda ratio* est, quod omnis natura, quæ est immultiplicabilis realiter, habet hoc ex ratione sua formali, vel per se primo, vel tanquam quid consequens necessariò ad rationem suã formalem: ergo falsum est, quod de facto detur aliqua natura realiter immultiplicabilis, quæ sit species prædicabilis, etiam in sensu prædicto Thomistarum. Probatur antecedens, quia omnis natura, quæ est talis, vel habet esse talis ex ratione sua essentiali specifica, vel ex proprietate consequente ad essentiam specificam, vel ex indiuidualitate: non ex indiuidualitate seu hæcceitate, quia hæcceitas in omnibus est eiusdẽ rationis; vnde si faceret hæcceitas aliqua vnam naturam realiter immultiplicabilẽ, omnis hæcceitas faceret naturã, quam afficit, immultiplicabilẽ numero ita, vt nulla natura hæcceitata posset multiplicari numero, etiã specificatiuè loquendo, quod est absurdum & contra experientiam de multiplicatione numerica humanæ naturæ ac aliarum rerum materialium, quæ non obstante quod afficiantur hæcceitatibus, multiplicantur numero; ergo natura immultiplicabilis numero habet esse talis ex ratione specifica, aut proprietate sequenti. Subsumo: sed si habet hoc ratione sua formali specifica, ergo falsum est quod quantum est ex ratione sua possit multiplicari. Si etiam ex proprietate consequenti, ergo quandoquidem omnis proprietas præsupponat rationem essentialem, ad quam sequitur ex vi ipsius, adhuc sequitur quod ex ratione specifica & formali repugnet ipsi saltem radicaliter multiplicabilitas, sicut ex ratione rationalitatis repugnat homini proprietas brutalitatis.

*Confirmatur hoc*: quia ex ratione spiritualitatis repugnat essentiæ Gabrielis, verbi gratia multiplicatio numerica, quia ex illa ratione repugnat ipsi materia, quæ est principium multiplicationis numericæ secundum ipsos: sed spiritualitas est de essentia Gabrielis, & per eam distinguitur per se primo à materialibus substantiis: ergo ex ratione sua formali repugnat ipsi multiplicatio numerica, si repugnat ipsi vllo modo. Si vero dicatur quod repugnat ipsi ex sua ratione formali perfectè concepta, non tamen imperfectè concepta, tum instandum est exemplis præmissis supra *disputat. quarta*, de essentia Dei & specie infima, ad ostendendum quod id non sufficiat ad speciem prædicabilem Porphirianam. In rei tamen veritate credo tandem quæstionem esse de nomine.

## QVÆSTIO III.

### *Vtrum omnes species diuersæ habeant necessario inæqualem perfectionem.*

25 QVamuis hæc quæstio verè non spectet ad Logicam, & specialiter ad hunc locum, vbi agitur de speciebus vt prædicabilibus & subiicibilibus, ad quam considerationem earum perinde est, an sint inæqualis vel æqualis perfectionis, nam eodem modo brutum & homo subiiciuntur generi, & eodem modo prædicantur de suis inferioribus, siue sint, siue non sint æqualis perfectionis, vt patet; tamen quia supponitur communiter, quod omnes res specie distinctæ habent inæqualem perfectionem ita, vt quælibet sit quacumque altera vel perfectior vel imperfectior, & nullæ duæ sint æqualis perfectionis; & quia non occurret alibi locus opportunior vbi tractetur; quid nobis apparet hic proponemus, quod & ante fecit *Auersa* hoc ipso loco. Loquimur autem de speciebus primò intentionaliter sumptis, hoc est de naturis diuersæ rationis, ac diuersarum operationum aut effectuum.

## CONCLVSIO I.

Probabile est omnes species esse inæqualis perfectionis.

26 *Certum est aliquas species diuersas esse inæqualis perfectionis ita, vt vna ex ipsis sit simpliciter perfectior altera, & probabile est id esse verum de omnibus speciebus diuersis.* *Prima pars* est extra controuersiam, & patet, quia sine dubio species humana est perfectior simpliciter, quam bouina aut equina, & intellectiones ac habitus virtutum sunt perfectiores quam albedo ac nigredo: ergo aliquæ species diuersæ sunt inæqualis perfectionis.

*Secunda pars* est communis omnium antiquorum, & ex professo *Soncinæ* 12. *Met. quæst.* 4. *Fonsecæ* 5. *Met. c.* 28. *quæst.* 16. *Suarez disp.* 29. *Met. sect.* 13. & sane horum auctoritati potissimum innititur.

*Confirmatur* præterea, quia non repugnat dari huiusmodi inæqualitatem in omnibus speciebus distinctis, & non est vlla ratio, quæ conuincat eam non dari de facto: ergo quandoquidem Philosophi communiter dicant ita esse, probabile censendum est quod ita sit.

## CONCLVSIO II.

Fortè dantur species diuersæ æqualis perfectionis.

27 *Non est certum quin dentur aliquæ species distinctæ æqualis perfectionis ita, vt neutra ex ipsis sit altera simpliciter perfectior aut imperfectior.* Hæc est *Auersæ* supra, & fortassis hoc modo proposita non est contra Doctores communiter: quia licet dicant absolutè & simpliciter species omnes esse inæqualis perfectionis, non tamen dicunt id esse certum. Solus *Soncinas* videtur ita dicere, dum putat se demonstrare oppositum. *Probatur conclusio*, quia nulla potest afferri ratio, ob quam certo constet omnes species debere esse inæqualis perfectionis: nam quòd non implicat omnes esse tales non sufficit, quia etiam non implicat quod aliquæ ex illis sint æqualis perfectionis; vnde ex non implicantia non colligitur certo nec vna, nec altera pars huius controuersiæ.

*Probatur secundò*, quia si esset aliqua ratio, vnde colligeretur certo quod omnes species diuersæ debeant esse inæqualis perfectionis; maximè ex eo, quod essent diuersæ speciei: sed hæc ratio nihil probat, ergo. Probatur minor, quia benè potest aliquis habere conceptum de aliquibus rebus, verbi gratia de albedine, & dulcedine, quod sint diuersæ rationis ob dissimilitudinem maximam, quam habent, & tamen ignorare vtra altera sit perfectior; & sanè de facto non colligitur hominem esse perfectiorem equo ex eo, quod sit diuersæ speciei ab illo, quia hoc principium non magis probaret hominem esse perfectiorem quam equum, cum alter ab altero sit æquè distinctæ speciei; ergo ex diuersitate specifica non colligitur inæqualitas perfectionis.

*Dices* non colligi quidem hanc inæqualitatem determinatè ex diuersitate specifica ita, vt possit colligi ex illa, quænam ex speciebus determinatè sit perfectior; colligi tamen ex eo, quod aliqua ex illis indeterminatè sit altera perfectior, quod sufficit ad impugnandum conclusionem.

*Contra*, quia bene potest quis habere conceptum de diuersitate specifica rerum, nullo modo considerando aliquid de perfectione earum, nec est ex terminis euidens quod, quæ sunt diuersæ speciei, debeant esse inæqualis perfectionis, nec potest afferri vllus discursus, quo probetur: ergo non sufficit diuersitas specifica ad colligendum inæqualitatem perfectionis, etiam indeterminatè.

*Confirmatur hoc* per solutiones obiectionum, quia in his proponentur discursus, quibus probari solet, quod ex diuersitate specifica colligatur inæqualitas specifica saltem indeterminatè.

28 *Probatur tertiò* concluſio ex *Auerſa*, quia paternitas diuina eſt diuerſæ ac diſſimilis rationis formalis à filiatione diuina; (intelligimus autem in hac quæſtione per diuerſitatem ſpecificam huiuſmodi, diſſimilitudinẽ in eſſentiis rerum, ſiue illæ eſſentiæ ſint ſpecies propriè loquendo, ſiue non) ſed vna ex illis non eſt perfectior altera: ergo bene ſtat diuerſitas ſpecifica, ſeu diſſimilitudo eſſentiarum ſine inæqualitate perfectionis. Hæc probatio efficaciter concludit hanc concluſionem ex ſuppoſitione ſententiæ, quam communiter tenent Scotiſtæ, quod relationes diuinæ non dicant formaliter vllam perfectionem. Nec valet dicere quod quando dicitur, quod ſpecies diſtinctæ debent eſſe inæqualis perfectionis, id debeat intelligi de ſpeciebus abſolutis, non de relatiuis, aut de ſpeciebus participantibus perfectionem, non vero de non participantibus, vt ſunt relationes diuinæ. Hoc inquam non valet: non quidem primum, quia ſi poteſt ſtare inæqualitas perfectionis inter relationes diſtinctæ ſpeciei, non poteſt oſtendi cur ſimiliter non poſſit dari inter abſoluta aliqua diſtinctæ rationis. Non etiam ſecundum propter ſimilem rationem, quia ſi diuerſitas ſpecifica non inferat inæqualitatem perfectionis in aliquo caſu, non eſt vlla ratio cur inferat illam ex ſe præcisè in vllo caſu, & præterea ſicut poſſunt dari differentiæ eſſentiales contractiuæ ac conſtitutiuæ diſſimiles entitatiuè, & tamen conuenientes in non habenda perfectione: ergo ſimiliter poſſunt dari differentiæ conſtitutiuæ diſſimiles entitatiuè, & tamen conuenientes in tanta vel tanta perfectione, & conſequenter æquales in perfectione.

Valet contra Scotiſtas.

*Minus valet illa probatio* contra eos, qui dicunt relationes diuinas dicere perfectionem formaliter; quia illi poterunt dicere vnam ex illis non eſſe perfectiorem altera, quia omnes ſunt infinitæ perfectionis; de ratione autem infinitæ perfectionis eſt non excedi ab vlla alia: vnde quamuis in rebus, aut formalitatibus diuerſæ rationis formalis includentibus infinitam perfectionem, vna non debeat eſſe altera perfectior, tamen poſſet contingere, quod in rebus non dicentibus infinitam perfectionem quælibet diſtinctæ rationis deberet eſſe altera perfectior.

Quod confirmatur, quia licet iuſtitia & miſericordia diuina, quia ſunt infinitæ perfectionis, non excedant ſe inuicem in perfectione, tamen iuſtitia & miſericordia creata & infinita ita ſe habent, vt altera alteram excedat. *Nihilominus* contra hos etiam valet hæc probatio, quatenus ex ea conſtat quod ex diuerſitate ſpecifica vt ſic, non inferatur bene inæqualitas, & quatenus hoc ſuppoſito ipſi non poſſunt oſtendere, cur diuerſitas ſpecifica creata, vt ſic, neceſſariò inferat illam inæqualitatẽ.

Probabile eſt duas viſiones quas idẽ oculus habet de diuerſis albedinibus eſſe diuerſæ ſpeciei.

29 *Probatur quarto concluſio*: quia viſio ocularis vnius albedinis numero diſtinctæ ab alia albedine non eſt maioris aut minoris perfectionis, quam viſio ocularis eiuſdem oculi terminata ad aliam albedinem eiuſdẽ omnino rationis, vt patet: ſed tamen eſt valde veriſimile illas viſiones eſſe diſtinctæ ſpeciei; quia magis inter ſe ſunt diſſimiles intrinſecè & per ſe, quam duæ viſiones eiuſdem oculi terminatę ad eandem numero albedinem, quandoquidem hæ duæ conueniunt in omnibus, in quibus conueniunt duæ viſiones diuerſarum albedinum, & præterea conueniunt in hoc, quod eſt eſſe viſiones eiuſdẽ numero albedinis, in quo non conueniunt illæ viſiones diuerſarum albedinum, quandoquidem per vnam nequeat videri illud ipſum obiectum, quod videtur per alteram. Nec dici poteſt quod illa diuerſitas oriatur ex hæcceitate, quia propter illam diuerſitatem illæ duæ viſiones diſtinguuntur pluſquã numero, & quia in hęcceitate omnes illæ albedines conueniunt proportionaliter abſq; vlla prorſus differentia. *Deinde*, ſi diſſimilitudo aliqua poteſt dari inter duo numero diſtincta ratione hæcceitatũ abſque inæqualitate perfectionis, cur nõ poſſit dari diſſimilitudo inter aliqua ratione differentiarum eſſentialium abſq; inæqualitate perfectionis: ſed ſi illa diſſimilitudo, quæ eſt inter duas viſiones duarum albedinũ, prouenireat ab hæcceitatibus, quandoquidẽ non habeat annexam inæqualitatem perfectionis, diſſimilitudo aliqua poteſt prouenire ab hæcceitatibus abſque inæqualitate perfectionis: ergo & à differentiis eſſentialibus. Hæc ratio videtur valde vrgere non ſolum veritatem huius concluſionis, ſed falſitatem præcedentis: in cuius tamen fauorem reſponderi poteſt, quod ſit incertum, an illæ duæ viſiones, modò ſint diſſimiles, ſint æqualis perfectionis. Hoc autem ſuppoſito corruit vis huius rationis, quæ efficax eſt contra eos qui admitterent eas eſſe æqualis perfectionis, prout multo probabilius admitti debet ab omnibus.

30 *Obiicies primò ex Soncina*: omnes differentiæ diuerſarum ſpecierum ſunt inter ſe inæqualis perfectionis: ergo & ſpecies per ipſas conſtitutæ. Probatur ex Philoſopho 10. *Metaph. text.* 16. vbi ait vnam differentiam ſe habere vt formam, alteram vt priuationem; priuationẽ autem ſumit pro ignobiliori, & minus perfecta.

*Reſpondeo* negando antecedens, & ad probationem dicẽdo, quod non accipiat priuationem pro ignobiliori forma, quidquid dicat Commentator. Quod ſi etiam ita illam acciperet Philoſophus, poſſet exponi quod loqueretur ſemper vt in plurimum, non ſemper in omni caſu. Imo certum eſt, quod ex differentiis contrahentibus aliquod commune poſitiuum, neutra potius habeat rationem priuationis, quam altera; ſed vtraque habet rationem priuationis, quia ex coniunctione ſuperioris cũ illa, ſuperius priuatur altera differentia ita, vt in vno ſuppoſito non habeat vtramque, nec poſſit habere, loquendo de differentiis ſpecierum realiter diſtinctarũ, de quibus ibi loquitur Philoſophus. Tamen quandocumque aliquod ſuperius diuiditur in aliqua duo mẽbra, quorũ alterũ ita ſe habet, vt vix poſſit explicari eius differentia, niſi dicendo quod ſit illa, quæ opponitur alteri differentiæ alterius membri, quæ eſſet nota, tum diuiſio debet dari per differentias, quarũ vna explicatur poſitiuè, & propterea dicitur habere rationem formæ; & altera per ordinem ad negationem, aut priuationẽ iſtius formæ; & propterea dicitur habere rationẽ priuationis, ſiue ſit perfectior, ſiue non ſit. Sic diuiditur animal vt ſic in hominem & brutum, & aſſignatur pro differẽtia contractiua ipſius ad hominem rationalitas, quæ explicatur poſitiuè, & pro differentia bruti irrationalitas, quæ explicatur negatiue, ſeu priuatiue. Sic etiam diuiditur ſubſtantia vt ſic in materialem & immaterialẽ, & pro differentia illius aſſignatur ordo particularis ad materiam; pro huius vero differentia aliqua forma, ad quam ſequitur negatio, vel priuatio talis formæ.

Differentia quæ explicatur per priuationẽ aliquãdo eſt perfectior, aliquãdo imperfectior.

31 Et ex his duobus exemplis patet, quod illa differentia, quæ explicatur negatiuè, licet ſit aliquando imperfectior, non ſit tamen ſemper, nam in priori diuiſione differẽtia bruti eſt imperfectior, quæ explicatur priuatiuè; at in poſteriori differẽtia ſubſtantiæ immaterialis, quæ tamen explicatur priuatiuè, eſt perfectior; vnde conſtat non intellexiſſe Philoſophum per differentiam priuatiuam, eam, quæ eſſet ignobilior, aut imperfectior.

Adde ad hæc, quod, ſi teneret Philoſophus expreſsè, ſpecies diuerſas debere eſſe inæqualis perfectionis, hinc tamen non ſequeretur id eſſe propterea certum, ſed ſolum inde haberet probabilitatẽ deſumptam ab authoritate Philoſophi, quæ non præiudicat huic cõcluſioni.

32 *Obiicies ſecundò*: ſi differentiæ eſſent æquales, æqualiter differrent à non ente & primo ente: ergo non poſſet aſſignari ex quo capite differrent.

*Reſpondeo* negando conſequentiam, quia poſſet deſumi ipſorum diuerſitas ex eo, quod non eſſent repræſentabiles per eandem ſpeciem, & ex diſſimilitudine, quam haberent in ſuis operationibus, ac effectibus.

Prius colligimus aliqua eſſe diſſimilia, quam inæqualis perfectionis.

*Confirmatur hoc*, quia prius colligimus aliqua eſſe diuerſæ rationis de facto, quam colligamus illa eſſe inæqualis perfectionis, nam ex diuerſitate illa colligitur illa inæqualitas maximè ab aduerſariis: ergo habemus aliqua principia, ex quibus colligamus aliqua eſſe diuerſæ naturæ independenter ab inæqualitate perfectionis.

*Confirmatur ſecundò*, quæ cum æqualitate perfectionis hæcceitatum, & cũ hoc, quod æqualiter diſtent ab ente ſummo,

summo,& non ente,manet adhuc illa diuersitas, quod vna non sit altera:ergo cum tali æqualitate differentiarum essentialiũ bene stat, quod vna sit dissimilis alteri. Neque enim est maior ratio de vno,quàm de altero.

*Confirmatur tertiò*:quia relationes diuinæ & attributa, etiam formaliter cõsiderata,æqualiter distant à summo ente,hoc est ab essentia diuina,& à non ente, ac etiã ab ente creato,& tamen sunt æqualis perfectionis(si tamẽ habeant relationes diuinæ vllam perfectionem, quod negant Scotistæ, & asserunt Thomistæ) & dissimilis naturæ formaliter loquendo; ergo ex eo, quod aliqua differant æqualiter à non ente & summo ente non sequitur,quod non essent dissimilis naturæ formaliter.

33. *Obiicies tertiò*: Quæ sunt æqualis perfectionis, sunt omnino similia & consequenter eiusdem speciei: ergo quæ sunt diuersæ speciei, debent esse inæqualis perfectionis, alias essent & non essent eiusdem speciei. Probatur antecedens,quia si non essent omnino similia essent dissimilia, & si essent dissimilia eo ipso deberent esse dissimilia in perfectione,& si essent talia,deberent esse inæqualia quia illud in quo essent dissimilia poneret inæqualitatem inter illa.

*Respondeo*,negando antecedens,& dando instantiam manifestã in attributis diuinis,& relationibus formaliter consideratis. Quæ sunt sine dubio dissimilia & tamen non sunt inæqualis perfectionis: nam attributa diuina sunt infinitæ perfectionis, & cõsequenter vnum ex illis non excedit alterum nec exceditur ab ipso,quod requiritur ad inæqualitatem; & relationes vel dicunt perfectionem & sic idem dicendum de illis quod de attributis;vel non dicunt, & sic non possunt dicere inæqualitatem, quam non habent. *Vnde* ad probationem antecedentis dico quod essent dissimilia in prædicatis essentialibus,non vero in perfectione istorum prædicatorum,nisi quatenus vna perfectio esset perfectio prædicati distinctæ rationis à prædicato alterius perfectionis:ex hac autem dissimilitudine non sequitur dissimilitudo,de qua agimus, hoc est talis ex qua sequeretur quod vna esset maior alterâ.

*Dices*:inde colligitur Petrum & Ioannem esse eiusdem speciei,quia sunt æqualis perfectionis: ergo illa omnia sunt eiusdem speciei, quæ sunt æqualis perfectionis.

*Respondeo* negando antecedens:sed inde potius colligo esse eiusdem speciei,quia nullam videmus dissimilitudinem inter prædicata essentialia eorum,sed potius summam similitudinem. Imo inde potius colligimus quod sint æqualis perfectionis quia scimus quod sint eiusdem speciei;& hoc etiam,non quia quæ sunt diuersæ speciei, non possent esse æqualis perfectionis; sed quia quæ sunt eiusdem speciei necessario debent esse eiusdem perfectionis saltem essentialis vt est euidens. Vnde negari posset consequentia;quia licet colligi posset ex eo quod aliquis sit cæcus eum non posse discurrere de coloribus, non sequitur quod quicumque non est cæcus possit de iis discurrere.

*Dices secundò*:si conuenirent in æqualitate perfectionis,deberent etiam conuenire in differentia,ratione cuius illa æqualitas perfectionis competeret ipsis: sed si conuenirent in illa differentia, non essent essentialiter dissimiles: ergo, quæ habent æqualem perfectionem, sunt omnino similia & eiusdem speciei.

*Respondeo* negando maiorem,& dando instantiam in attributis ac relationibus diuinis. Posset etiam dici quod illa conuenirent in eadem differentia quantum ad hoc,quod vtraque principiaret tantam perfectionem ita, vt perfectio, principiata ab vna, non sit maior nec minor quam illa,quæ principiatur ab altera; sed quod disconuenirent in eadem differentia, quatenus perfectio tanta causata ab vna esset diuersæ rationis à perfectione tanta causata ab altera.

34. *Dices*: differentiæ vltimæ sunt se totis diuersæ: ergo non conueniunt in vllo vno conceptu, & consequenter species distinctæ non possunt conuenire in differentiis,vt sunt principia tantæ perfectionis.

*Contra*,non obstante differentiarum vltimarum diuersitate,de facto verũ est,quod equus & bos ex sua differẽtia vltima sunt imperfectiores quam homo:ergo cõueniunt eorum differẽtiæ vltimæ in hoc,quod est principiare perfectionẽ minorẽ, quam sit perfectio hominis. *Deinde* non magis sunt primo diuersæ, seu se totis diuersæ differẽtiæ vltimæ specificæ quã indiuiduales:sed hoc non obstante Petrus & Paulus conueniunt aliquo modo in æqualitate perfectionis indiuidualis:ergo non obstãte diuersitate differẽtiarũ essentialiũ possunt species conuenire in æqualitate perfectionis essentialis.

*Itaque* licet differentiæ vltimæ sint se totis diuersæ, possunt conuenire proportionaliter, sicut indiuidua qua talia conueniunt,& sicut ipsæmet differentiæ conueniunt in hoc, quod est facere differre,vt postea videbimus.

35.*Obiicies quartò*:*Philosophus* 3.*Met. tex.* 11. ait sub genere inueniri in speciebus prius & posterius, hoc est melius ac deterius: ergo species debent esse inæqualis perfectionis.

*Confirmatur*, quia 8.*Met. tex.* 10. ait essentias rerum esse, sicut numeros:ergo quemadmodum, ex numeris nulli duo sunt distincti, quorum vnus non sit perfectior vel imperfectior altero:ita dicendum est de essentiis rerum, ac consequenter omnes essentiæ diuersæ sunt inæqualis perfectionis.

*Confirmatur secundò*, quia hac ratione negatur processus in infinitum in causis essentialiter ordinatis,quia debent esse inæqualis perfectionis,qui tamen processus non negatur in causis accidentaliter ordinatis.

*Confirmatur tertiò*,quia si species diuersæ essent æqualis perfectionis, tum posset vna causare alteram, quid enim impediret?sed non posset ex alio capite,nam non posset causare ipsam,nisi per modum causæ æquiuocæ, vel vniuocæ:non per modum causæ vniuocæ, quandoquidem effectus esset diuersæ rationis; non etiam per modum causæ æquiuocæ, quia hæc debet esse perfectior effectu.

36.*Respondeo* negando consequentiam vniuersaliter loquendo, quia licet sub genere reperiantur prius & posterius in speciebus, non debet hoc intelligi vniuersaliter respectu omnium specierum,sed respectu aliquarum; nec debet intelligi quod sub omni genere reperiantur prius & posterius,sed sub genere summo continente sub se varia genera,& species.

*Dices*:si non intelligeretur de omnibus speciebus malè diceret Philosophus quod in quolibet genere, seu prædicamento reperiretur vnum aliquod, quod esset mensura & metrum aliorum omnium,hoc est, quod sit tale,vt per accessum ad ipsum,aut recessum ab ipso,maiorem vel minorem, possit colligi perfectio reliquorũ omnium:nam si possent dari duæ species æqualis perfectionis,neutra ex ipsis posset esse mensura reliquorum omnium:non enim posset esse mensura alterius, præsertim si mensura debeat esse perfectior mensurato.

27. *Respondeo* negando sequelam, quia adhuc bene posset fieri,quod vna aliqua species reperiatur in quolibet prædicamento, quæ sit perfectior qualibet alia specie in illo contenta, licet ex illis aliquæ aliæ species essent æqualis perfectionis. Quod si etiam perfectissima species haberet aliam sibi æqualem in perfectione, quælibet ex illis posset esse mensura & speciei sibi æqualis,& cæterarum specierum imperfectiorum: bene enim possumus mensurare quantitatem vnius panni per aliam pannum æqualis quantitatis; Verum tamen est quod neutra ex illis speciebus esset per se mensura alterius potius quã altera ipsius, si essent æqualis perfectionis. Addo,vtramque, aut omnes, quotquot essent æqualis perfectionis posse censeri vnam quantum ad conuenientiam in perfectione æquali, licet quoad alias rationes essent diuersæ ac dissimiles. Sed vt magis ingenue procedam, transeat quod Aristoteles fuerit in illa opinione, vt putauerit species esse inæqualis perfectionis; sed cum non appareat vlla ratio ob quam hoc debeat esse verum;nego id propterea necessario tenendum;hic enim ago ex ratione, non ex authoritate.

38 *Ad primam confirmationem respondeo* negando consequentiam, quia non debent esse sicut numeri quoad omnem comparationem; (neque enim similitudo omnis debet currere quatuor pedibus vt aiunt) sed quoad hoc, quod quemadmodum essentia numerorum variatur per ablationem aut additionem cuiuscumque vnitatis aut alterius numeri, ita essentiæ rerum variantur per additionem aut ablationem cuiuscumque prædicati essentialis; & quod quemadmodum omnes numeri magis quam numero differētes sunt diuersæ speciei: ita omnes essentiæ rerū, & omnes naturæ, plus inter se distinctæ quam numero, sint dissimilis ac diuersæ speciei.

*Ad secundam confirmationem dicendum* quod non negetur processus in infinitum in causis essentialiter ordinatis, quia debent esse diuersæ speciei, & consequenter diuersæ perfectionis: sed quia deberent omnes actu existere, quando causant effectum, & quia hoc esset absurdum; vel quia ex aliis principiis colligitur quod causa superior debet esse perfectior inferiori, & consequēter si daretur processus in infinitum in illis, deberet dari aliqua creatura infinitæ perfectionis; nam dēpto Deo, adhuc illæ causæ essent infinitæ, & propterea daretur aliqua ex illis infinitæ perfectionis, si haberent talem ordinē de quo tamen discursu alias agendum erit. Quod si nulla alia ratio esset negandi illum processum, quam quod deberent esse diuersæ perfectionis, omnino sine fundamento sufficienti negaretur.

*Ad tertiam confirmationem respondeo* non sequi, ex eo quod aliquid sit æqualis perfectionis cum alio, quod possit illud causare, sicut non sequitur ex eo, quod homo sit perfectior musca, aut boue, quod possit producere muscam aut bouem: & sicut non sequitur ex eo quod vna materia sit æque perfecta ac alia, aut vnus Angelus æque perfectus ac alius, aut vna gemma æque perfecta ac alia, quod possit aliam producere. Colligeretur autem non posse ab ipso produci à priori ex eo, quod non haberet virtutem ad hoc proportionatam, & à posteriori ex eo quod non haberetur vlla experientia, per quam posset constare quod haberet talem virtutem. Quod si tamen posset producere illam, esset causa æquiuoca ipsius, & eo supposito, negandum esset quod causa æquiuoca sit semper perfectior suo effectu omni; cuius oppositum fundatur in eo, quod hic negamus esse certum, nimirum quod species debeant esse inæqualis perfectionis.

Quod est æque perfectū cum alio non necessario debet posse aliud illud producere.

39. *Obiicies quintò* Quæ sunt æqualia possunt inter se commensurari: sed quæ sunt dissimilis naturæ non possunt inter se commensurari: ergo omnia dissimilia sunt inæqualia in perfectione.

*Respondetur* distinguendo maiorem: qua sunt æqualia, concedo; qua non sunt, negatur. Similiter distinguo minorem: quatenus sunt dissimiles, cōcedo; quatenus conueniunt in tantitate perfectionis, nego minorem & consequentiam. Itaque quemadmodum albedo, vt tria, & nigredo vt tria, licet sint dissimilis naturæ, & forte inæqualis perfectionis, possunt tamen commensurari, in quantum conueniunt in tot gradibus perfectionis istius entitatis diuersæ; ita etiam albedo & dulcedo quantumuis haberent entitatem & perfectionem diuersam, possunt tamen conuenire in hoc, quod vna perfectio sit tanta, quanta est altera.

*Responderi potest secundò* negando minorem; cōmensurari enim, proprie loquendo, nil aliud est, quam vnū mensurare per applicationem alterius: sed certum est posse quem per applicationem vnius rei diuersæ naturæ ad aliam rem, & considerando quantum accedit, vel recedit à perfectione illius, mensurare perfectionem eius, hoc est scire quod habeat tantam, vel tantam perfectionem, & sic Philosophus dixit in vnoquoque prædicamento esse vnum quid, quod est mensura ac metrum reliquorum, quæ sunt in illo prædicamento: & sine dubio illud vnum est dissimilis naturæ vel omnibus reliquis, vel aliquibus, saltem ex illis.

Quod si intelligatur per commensurationem coextensio quantitatis vnius rei ad alteram sic, vt nec excedat, nec excedatur à quantitate alterius rei, etiam falsa est minor: quia res dissimiles possunt habere quantitatem perfectionis æqualem, propter rationem conclusionis; & consequenter vna quatitas ex illis potest in hoc etiam sensu commensurari per quantitatem alterius.

*Posset hic* merito quæri quid sit perfectio rei, de qua quæritur an vna species debeat habere maiorem vel minorem quam quæcumque alia species distincta. Quę sane difficultas mihi maior est quam illa ipsa, quæ proponitur in quæstione & hactenus examinata est, & fortassis si illa declararetur, hæc facile solui posset. Respondeo autem breuiter, imprimis eam non esse perfectionem entis vt sic, quæ est bonitas ipsius de qua in Metaphysica, quia in hac omnia entia quantumuis diuersæ rationis conueniunt ita, vt quemadmodum omnes æqualiter participant ratione entis, vt sic, sic etiam æqualiter participant bonitatem eius, & quemadmodum nulla ex speciebus entis est magis ens, quam reliquæ: sic nulla est perfectior reliquis in perfectione, aut bonitate entis. Nec etiam est perfectio quanti talis molis, quia multæ species entis non habent molem quantitatiuam, hanc enim non habent vllæ substantiæ spirituales, verbi gratia Deus, Angeli, animę rationales, nec accidentia vlla spiritualia. Est ergo conducentia rei in ordine ab bonum vniuersi, seu illa ratio ob quam aliquid est magis vel minus appetibile quam aliud. Cuius exactiorem notitiam relinquo ad materiam de Trinitate vbi agetur de perfectionibus relationum diuinarum, neque enim hic amplius de ea discurrere licet, vbi hæc ipsa addenda erant ad supplendam lacunam quæ ex distributione Typographi in secunda impressione accidisset, nisi hæc proponerem.

# DISPVTATIO VI.

## *De Indiuiduo seu singulari.*

VIA *Porphirius* in eodem capite, quo egit de specie, egit etiam de indiuiduo, seu singulari, (idem enim per vtrumque nomen in hoc tractatu ab authoribus communiter intelligitur) & quia etiam indiuiduum est correlatiuum, & inferius speciei prædicabilis, sicut species est correlatiuum generis; ideo tam conuenienter ac necessario de ipso post speciem, ac de specie post genus, tractandum videbatur. Quia autem duplex est consideratio indiuidui, vna metaphysica, qua consideratur secundum se, & prædicata sibi conuenientia independenter ab operationibus intellectus, aut ab ordine ad illas operationes, præsertim illas, quibus indiuiduum possit prædicari, aut non prædicari de aliquo: Altera consideratio est logica, qua consideratur cum ordine ad illas operationes: Prius agemus de indiuiduo secundum priorem considerationem, & postea secundum posteriorem.

### QVÆSTIO I.

*Quid est Indiuiduum metaphysicum, seu primò intentionaliter consideratum.*

2. *Porphirius* duas dedit indiuidui definitiones. Prima est *quod sit illud, quod de vno solo prædicari potest*, quæ descriptio cum sit indiuidui secundo intentionaliter accepti ad quæstionem vltimam. *num.* 93. referenda est. Secunda descriptio est *quod indiuiduum sit illud quod ex proprietatibus consistit, quarum collectio numquam in alio eadem erit.* Has autem proprietates *Boetius* comprehendit hoc versu: *Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.* Itaque iuxta hoc, indiuiduum, seu singulare determinatum ac distinctum numero à quacumque alia re, erit quidquid habet determinatam aliquam formam, vt verbi gratia talem proportionatam dispositionem colorum; talem determinatam

Duæ Indiuidui descriptiones.

Quo sẽsu vera est secũda descriptio Indiuidui.

tam extensionem suarum partium, talem locum, in quo sit vel fuerit; talem stirpem seu familiam ex qua descendit; tale nomen, verbi gratia Petrum, aut Paulum; talem locum natiuitatis; & tale tempus in quo fuerit. Ideo autem hæc descriptio videtur bona, quia quidquid non habet aliquam ex his proprietatibus, necessariò debet esse distinctum realiter ab omni illo, quod habet omnes illas; & quia nihil realiter distinctum à re habente illas proprietates, habet illas omnes simul: hinc enim sequi videtur quod quidquid habet omnes illas proprietates, sit indiuiduum determinatum distinctum ab omni alia re.

3. *Dices*: Petrus, qui hodie habet hanc formam, mane potest habere aliam formam: ergo esset indiuiduum distinctum à se, quandoquidem non habeat mane collectionem illorum accidentium, quæ habuit heri.

*Confirmatur*, quia possum colligere Paulum esse distinctum à Petro iuxta hanc descriptionem ex eo, quod non haberet eandẽ formã cum ipso: ergo si Petrus hodie non habet eandem formã, quam habuit heri, debet dici quod sit hodie distinctum indiuiduum à seipso heri, ita vt non sit hodie idem indiuiduum, quod erat heri, sed aliud realiter distinctum, quo nihil est absurdius.

*Respondeo* sensum huius definitionis seu descriptionis esse, quod omnis res, cui tota hæc collectio competit, pro vno tẽpore sit indiuidua & singularis, ac distincta realiter ab omni re, cui pro eodem tempore tota illa collectio non conuenit; ita, vt eo ipso, quo aliquis cognoscit Petrum non habuisse nomen, aut stirpem, aut locum, aut formam, aut figuram, aut patriam Pauli, pro eodem tempore, pro quo illa habuit Paulus, possit colligere quod Petrus sit indiuiduum distinctum à Paulo sic, vt quamuis Paulus haberet eandem formam, figuram, & patriam, stirpem, locum, modo nõ haberet idem tempus, seu modo non existerent simul eodem tempore, adhuc essent numero distincti; & quamuis essent eodem tempore sic, vt vnus nunquam extiterit sine altero, modo tamen haberent diuersa loca aliquando pro eodem tempore, adhuc essent numero distincti, & ita discurrendum de cæteris proprietatibus. Itaque non sufficit diuersitas formæ, aut stirpis, aut vllius proprietatis ex his quomodocunque, sed debet esse talis diuersitas, vt pro tempore, pro quo conuenit vna proprietas vni, non conueniat illa alteri.

4. His tamen non obstantibus certum est hanc descriptionem indiuidui non esse bonã adæquate: *primò*, quia non comprehẽdit omne omnino indiuiduum, nam non conuenit nisi indiuiduis, quibus prædictæ proprietates competere possunt: sed prædictæ proprietates nõ competunt omnibus indiuiduis, neque enim conueniunt Deo, nec Angelis, nec accidentibus singularibus, quia hæc non habent stirpem; nec Deus aut Angeli habent formam aut figuram, solæ enim substantiæ materiales habere possunt omnes illas proprietates; imo nec omnes substantiæ materiales habent stirpem proprie loquendo, vt patet de cælis & astris; nec etiam omnes substantiæ sublunares, imo nec omnes homines habent semper nomen aliquod particulare aut proprium.

Vnde sequitur prædictam descriptionem non competere omni indiuiduo; quare eatenus censenda est bona, quatenus verum est quod omnis res, cui competunt omnes illæ proprietates, sit indiuiduum, & distinctum realiter à quacunque alia, cui non cõpetunt realiter omnes illæ proprietates pro eodem tempore; & etiãsi sit idem indiuiduũ realiter cum omni re, cui omnes simul competunt; sed neque in hoc vltimo sensu etiam id est ita necessario verum, quin possit de potentia Dei absoluta oppositum contingere. Vnde.

5. *Secundò patet* descriptionẽ non esse vsque adeo perfectam, quin de potẽtia Dei absoluta possent aliqui duo homines habere eandem formã, figuram, locum, stirpẽ, nomen, patriam, tempus ita, vt per nullam ex his proprietatibus possit discerni alter ab alio; ergo non est verũ vniuersaliter, quod duo indiuidua distincta non possent conuenire in collectione prædictarũ proprietatũ.

Itaque concludo prædictam descriptionem solummodo valere in hoc vltimo sensu quantum ad naturalem modum procedendi, ita scilicet, vt naturaliter non accidat, vt hæ proprietates omnes pro eodem tempore competant diuersis indiuiduis.

Alia ergo descriptio danda est indiuidui, quæ omni prorsus indiuiduæ & singulari rei, siue substantiali, siue accidentali, siue spirituali, siue materiali, siue finitæ, siue infinitæ competere possit.

## CONCLVSIO

Descriptio indiuidui metaphysici.

6. *Bene describitur indiuiduum, seu singulare metaphysicum, seu primò intentionaliter acceptum esse id, quod ex se non potest inexistere pluribus, in quibus numeretur & diuidatur, & quorum quodlibet sit ipsum.* Hæc est communis & *Probatur primò*, quia per indiuiduum intelligitur illud, quod opponitur vniuersali, seu quod non habet talem modum inexistendi pluribus, qualem habet vniuersale, sed oppositum: at cui conuenit prædicta descriptio, non habet modum illum vniuersalis, sed oppositum: ergo prædicta descriptio est bona descriptio indiuidui.

*Probatur secundò*, quia per illam descriptionem declaratur natura indiuidui & singularis, quatenus distinguitur ab omni alio, quod non est indiuiduum: nec illa descriptio vlli alteri conuenire potest, quam indiuiduo: ergo est bona descriptio indiuidui.

Descriptio indiuidui explicatur.

*Confirmatur* declarando descriptionem: dicitur *id*, hoc est quæcumque res, seu quodcumque ens: dicitur, *quod ex se & ratione sua intrinseca nequit existere in pluribus* vt excludatur natura communis singularizata, quę si nequeat inexistere pluribus, hoc non habet ex sua ratione intrinseca & formali, sed per accidens à singularitate, quæ in illa intrinsece non includitur, vt communiter supponitur. Additur, *in quibus numeratur & diuiditur*, quia si esset in pluribus sine diuisione aut numeratione sui non impediret id singularitatem eius, nec propterea sequeretur quod non esset res singularis & indiuidua: vnde de facto natura diuina, non obstante quod sit in pluribus suppositis diuinis, adhuc est singularissima, quia non est in ipsis cum numeratione aut diuisione. Et eodem modo quamuis eadem numero albedo poneretur in diuersis subiectis simul, adhuc esset indiuidua. Subiungitur denique, *quorum quodlibet sit ipsum*; quia totum homogeneum singulare, verbi gratia aqua, potest diuidi in plura cum numeratione & multiplicatione ita, vt ex vna aqua, facta discontinuatione, reddantur plures aquæ singulares. Sed tamen id non impedit singularitatem aquæ diuisæ, quia non habet talem diuisibilitatem in plura, vt ipsamet aqua diuisa sit quælibet ex aquis, in quas diuiditur, neque enim facta diuisione verum est, quod vlla ex aquis discontinuatis sit aqua illa, quæ diuidebatur; sed potius verum est, quod non sit illa aqua, sed quod fuerit pars eius.

7. *Obiicies primò*, secundum Philosophum 7. *Met. tex.* 53. Indiuidua nequeunt definiri aut describi, & hinc oritur, quod de indiuiduis non possit haberi scientia, nam si possent definiri, cur non possit de illis haberi scientia æque bene ac de aliis rebus definibilibus ac descriptibilibus, ergo prædicta descriptio non est bona, quia aliàs possent indiuidua describi.

Quidquid intelligitur potest describi.

*Respondeo* Philosophum loqui de indiuiduis, non quatenus conueniunt in cõceptu indiuidui, quia manifestũ est illa, vt sic, quemadmodũ possunt intelligi, ita posse describi aliquo modo; quidquid enim intelligimus & significamus per vocẽ, id possumus aliquo modo describere, aliàs nõ potuissemus explicare aliis significationẽ vocis, nec discere illam ab aliis; & sic nõ intelligeremus nos, dum vteremur illis vocibus, quarum significata non possemus explicare. Itaque tantum voluit nos non posse indiuidua definire sic, vt possimus declarare naturam vllius particularis indiuidui, quatenus distinguitur ab aliis omnibus indiuiduis; & in hoc sensu etiã negatur de indiuiduis haberi posse scientiam, quod certe verissimum est, quia si quis vellet describere Petrum, vt distinguitur ab omnibus aliis indiuiduis possibilibus,

Quo sẽsu indiuiduum describi nequit.

non poterit formare vllam orationẽ,qua eum vt sic explicet,sicut nec poterit etiam formare in mente sua vllum conceptũ de Petto,quo conceptu possit ipsum discernere ab omni alio humano indiuiduo. Poterit quidem ipsum distinguere ab indiuiduis non humanis concipiendo ipsum,& exprimendo,vt hominem;sed à Paulo, etiam simul existente cum alia etiam forma & figura,non poterit ipsum aut concipere aut describere conceptu aut descriptione sufficiente ad colligendũ quod sit indiuiduum distinctum à Paulo; nam si Deus poneret eundem Petrum eodem tempore in alio loco cum diuersa forma & figura (vt fortassis potest de potentia absoluta,quemadmodum multi tenent) profecto eodem conceptu & descriptione,ac discursu, quo colligeretur Petrus distingui à Paulo,colligeretur distingui à seipso; vnde cum male ex illa descriptione concluderetur Petrum distingui à seipso,male etiam colligeretur ex illa, quod distingueretur à Paulo.

Sed quidquid sit de illo casu,certe Deus posset aliud indiuiduum tam simile quoad omnia Petro pro eodem tempore producere, vt nemo posset discernere vnum ab altero, & consequenter nemo potest describere vnum descriptione sufficiente ad hoc, vt posset ab altero illo discerni.

8. *Obiicies secundò.* Indiuiduum est cõmunicabile pluribus,quorũ quodlibet sit ipsum; diuiditur enim in hoc & illud indiuiduum; quæ faciunt numerũ indiuiduorũ, de quorũ quolibet verum est quod sit indiuiduum diuisum in illa, non minus quã diuiditur homo in Petrum & Paulum:ergo male dicitur in definitione seu descriptione præmissa,quod sit illud quod non possit sic multiplicari;& consequenter illa definitio non est bona.

*Respondeo* distinguendo antecedens:indiuiduum formaliter consideratum, hoc est, vt dicit ineptitudinem illam inexistendi pluribus, est communicabile; quia possunt dari huiusmodi plures ineptitudines similes sibi,saltem proportionaliter,concedo antecedens; indiuiduum materialiter consideratum, hoc est quælibet aut vlla res, quæ dicitur indiuiduum secundum alia prædicata realia est sic communicabilis, nego antecedens: & distinguo similiter consequens: male dicitur quod indiuiduum,secundum quod indiuiduum formaliter, sub conceptu scilicet ineptitudinis illius, sit sic communicabile,concedo, sed nego id dici in prædicta descriptione; male dicitur quod indiuiduum materialiter acceptum,id est,illa res,quæ dicitur indiuiduum,vt Petrus v.g.aut Paulus,aut hæc albedo,sit sic incommunicabilis, nego consequentiam.

Quo sensu indiuiduũ est communicabile & incommunicabile.

Itaque quando dicimus quod indiuiduum sit incõmunicabile,sensus non est quod indiuiduum sit incommunicabile secundũ hanc vel illam rationẽ:sed quod quælibet res,quæ dicitur indiuiduũ, sit simpliciter incõmunicabilis,ita vt nulla talis res,quæ dicitur indiuiduum, possit dici simpliciter communicabile secundum alia sua prædicata præter ipsammet incõmunicabilitatem.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum ab omnibus Indiuiduis possit abstrahi aliqua ratio omnibus communis.*

Sensus quæstionis.

9. REsolutio huius quæstionis, præterquam quod in se sit vtilis,multum lucis afferet resolutioni quæstionis præcedẽtis:non est autem quæstio,an ab omnibus indiuiduis aliqua ratio communis quomodocumque possit abstrahi: nam certum est quod ab omnibus indiuiduis animalis possit abstrahi ratio communis animalis,& ab omnibus indiuiduis hominis ratio communis hominis, & ab omnibus indiuiduis possibilibus quarumcũque specierũ ratio cõmunis entis, præsertim in sentẽtia nostra asserentiũ quod omnes res cõueniant vniuoce in conceptu entis. Sed sensus quæstionis verus est,an ab omnibus indiuiduis abstrahi possit aliqua ratio cõmunis;quæ ratio cõmunis sit indiuiduum,& ratione cuius omnia, quæ sunt indiuidua, habent esse talia.

*Prima sententia* est indiuidua conuenire eodem modo in conceptu aliquo, quo omnes homines conueniunt in conceptu communi hominis. Ita *Hurtadus sect. 7. de specie, Auersa q.9.sect.* 11. qui tamẽ dicit illum conceptũ communem singularis vt sic, in quo conueniunt singularia omnia, non esse conceptum perfecte præcisum à rationibus particularibus, quibus contrahitur, quod etiam tenet de conceptu communi hominis & similibus omnibus conceptibus communibus.

*Secunda sententia* est singularia non conuenire in aliquo vno conceptu communi, qui sit singulare, vt sic, sicut conueniunt omnes homines in conceptu communi. Ita *Scotus 2.dist.3.q.6.* cum suis communiter,quos sequuntur *Suares disp.5.Met.sect.2.Fonseca 5. Met.c.6.q.5.* & alij plures.

Circa hanc autem sententiam aduertendum quod aliqui Scotistæ vtantur distinctione quadam; dicunt enim in indiuiduis metaphysicis,de quibus hic agimus, duo posse considerari, & naturam ipsam vt afficitur hæcceitate; quæ natura vt sic denominatur indiuidua; & modum incommunicabiliter existendi, qui sequitur ad talem naturam,& est à quo formaliter denominatur indiuiduũ. Hoc supposito dicunt ab ipsis naturis nihil abstrahi,quod possit de iis prædicari in quid, & sit indiuiduum aut natura indiuiduata, bene tamen ab iis posse abstrahi aliquam rationem, in qua conueniant,& quæ de ipsis prædicari possit in quale, seu denominatiue. Deinde vlterius addit quidam Scotista,posse ab ipsis hæcceitatibus,quas formaliter dicunt indiuidua,abstrahi rationem communem,in qua conueniunt.

## CONCLVSIO I.

Non potest ab indiuiduis abstrahi ratio cõmunis, quæ sit singularis.

10. *Non potest abstrahi aliqua ratio communis à singularibus,quæ sit singulare & prædicabile de omnibus singularibus realiter consideratis,hoc est de Petro & Paulo,& hac albedine & hac quantitate.* Hæc est iuxta secundam sententiam,*& probatur manifeste primò*,quia eo ipso quo illa ratio abstracta esset communis ominibus illis, non esset singulare, sed vniuersale non minus, quam natura humana est vniuersalis ex eo, quod sit ratio sic abstracta & communis:ergo esset,& non esset singulare,quod implicat.

*Confirmatur*, quia ideo natura humana abstracta & communis omnibus hominibus est vniuersale metaphysicum, & non singulare; quia est sic communis:ergo si ista ratio abstracta ab omnibus singularibus sit communis,non erit singulare,sed vniuersale.

*Confirmatur secundò*,quia ideo Petrus v.g. est singulare & non vniuersale,quia non est cõmunis pluribus, quorum quodlibet sit ipsum:ergo si illud abstractum à singularibus sit cõmune pluribus indiuiduis,quorũ quodlibet sit ipsum, sequitur manifeste quod non sit indiuiduũ.Nec potest hic responderi,quod dicatur vniuersale, secundũ diuersos respectus;nam singulare metaphysicũ non debet esse secundum vllam rationẽ commune, ita vt prædicetur in quid de pluribus, quorum quodlibet sit ipsum; sicut nec vniuersale debet secundum vllam rationem esse tale,quin secundum se semper possit prædicari de pluribus.Deinde non possunt ostendi isti plures respectus, secundum quorum vnum illud commune esset singulare,& secundum alterum singulare.

*Probatur secundò*,argumento Scoti,quia si à singularibus,qua talia sunt, posset abstrahi aliqua ratio cõmunis,illa ratio deberet cõtrahi ad singularia hoc & illud, sicut animalitas in cõmuni contrahitur ad brutum & hominẽ per rationalitatem & irrationalitatem;& sicut humanitas ipsa cõtrahitur ad Petrum per Petreitatẽ, & Paulum per Pauleitatem;sed hoc fieri non potest, quia alias daretur progressus in infinitum,nam quemadmodum Petro & Paulo potest dari ratio communis singularis vt sic,propter similitudinem,quam videntur habere,ita etiam pari ratione à differentiis contrahentibus illud singulare potest dari alius conceptus communis; nam similem habent proportionem; & ille conceptus communis erit contrahibilis per alias differentias,quæ rursus conuenient in alio conceptu communi contrahibili,& ita in infinitum:quo argumento postea vtemur ad ostendendum,quod differentiæ vltimæ non cõueniant in vllo conceptu communi,sed seipsis totaliter

distinguun

distinguuntur,quamuis habeat aliquam proportionem; de quibus propterea idem dicendum ac de hæcceitatibus ac singularibus,qua talia formaliter.

*Concedit Auersa* propter hoc argumentum,non conuenire singularia in aliquo conceptu perfecte præciso à rationibus particularibus illorum;vnde fortassis in re non disconuenit in hac conclusione,nisi quatenus supponit hoc non obstante, quod eodem modo conueniant singularia in conceptu communi,quo omnes homines in ratione communi hominis : quod nequit esse verum, quia ratio hominis in communi perfecte præscindit ab indiuiduis.

12.*Probatur tertiò* : quia si daretur aliqua ratio communis indiuiduis,vt sic,quæ ratio esset indiuidua,daretur aliqua ratio vna communis omnibus naturis indiuiduatis; sed hoc est absurdum, ergo & illud. Probatur sequela maioris, tum quia omne indiuiduum dicit naturam materialiter & indiuidualitatem formaliter,ergo indiuiduum vt sic dicit aliquam naturam materialiter: sed non naturam aliquam determinatam, v.g. humanitatem,aut brutalitatem, vt est euidens, ergo naturam aliquam communem omnibus naturis determinatis. Probatur minor principalis, quia non potest assignari, quænã sit illa natura cõmunis, nec potest vllus effectus in rerum natura assignari,in ordine ad quem deseruiret.

*Dices* deseruire in ordine ad fundandam illam singularitatem in communi.

*Contra*, quia absurdum est ponere aliquam naturam realem in rerum natura,quæ non habeat aliud munus, quam fundare singularitatem illam communẽ; & quẽadmodum omnis natura, quæ fundat singularitatem in particulari, habet aliquod munus reale & physicũ præter fundare illam singularitatem, v.g. humanitas habet esse principium operationum sensitiuarum & rationalium,& ita de cæteris naturis inuenietur : sic etiam natura communis omnibus naturis singularibus debet habere aliquod munus physicum præter hoc, quod est fundare singularitatem in communi. Quo argumento vsus sum supra ad probandum, quod non detur aliqua natura communis omnibus naturis vniuersalibus, qua talibus, neque omnibus naturis genericis.

*Confirmatur* hæc probatio quia iudiuiduum illud commune habet singularitatem in communi, qua constituatur in esse tali formaliter:ergo illa singularitas debet habere aliquam naturam sibi correspondentem, quam faciat singulare:ergo si non potest assignari talis, non dabitur tale indiuiduum in communi.

*Probatur quartò*,quia si Petreitas poneretur non conuenire in vllo conceptu communi cum Pauleitate, adhuc faceret totam humanitatem Petri singularizatam, & constitueret ipsum Petrum singularem formaliter: ergo frustra assignatur conuenientia ipsius cum Pauleitate in aliquo communi.

## CONCLVSIO II.

Non dari conceptus aliquis communis positiuus omnibus indiuiduis, in quid,aut quale.

13.*Non potest aliquis conceptus positiuus abstrahi à singularitatibus, qui & multiplicetur in ipsis, & prædicetur de ipsis in quid,aut quale,habeatque rationem singularitatis, aut constituat indiuiduum aliquod vt sic.* Hæc videtur esse contra aliquos Scotistas:& *probatur*, quia singularitates,vt singularitates,sunt primo diuersæ sicut ipsamet singularia formaliter loquendo; ergo non potest ab eis abstrahi aliqua ratio communis positiua vllo modo prædicabilis de ipsis,quæ sit singularitas, aut constitutiuum formale singularis vt sic. Antecedens patet ex dictis conclusione præcedenti.

*Confirmatur* efficaciter, quia si abstraheretur aliqua ratio ab ipsis, quæ esset singularitas, profecto illa ratio esset prædicabilis de ipsis in quid, & non solum in quale quid;sed aduersarij fatẽtur non posse abstrahi ab illis aliquam rationem prædicabilem in quid, sed solum in quale quid:ergo non potest admitti aliquid abstrahibile ab ipsis, quod sit singularitas, aut constitutiuum formale indiuidui vt sic.

Expositio Scoti.

Quamuis autem *Scotus* 1.*dist.*26.*quæst. vnica num.* 6. non neget aliquid positiuum commune prædicabile in quale abstrahi posse ab vltimis differentiis, tamen non asserit ibi quod aliquod tale possit abstrahi,sed ex modo loquẽdi suo videtur data opera abstinere voluisse ab illa difficultate.Verba ipsius sunt.*Et ideo omne commune abstractum ab eis* (scilicet ab vltimis differentiis) *vel est conceptus omnino negatiuus, vel saltem non est quidditatiuus vnius rationis.* Vbi aduerte ly *saltem*, per quod videtur voluisse abstrahere ab illa difficultate,an cõceptus non quidditatiuus possit abstrahi ab illis.Et licet rursus *n.*8.ad finem illius quæstionis dicat:*Potest dici, quod ab indiuiduis non tantum potest abstrahi species, quæ dicit quidditatem indiuiduorum, sed etiam aliquid proprium*; tamen non dicit hoc assertiue, sed dubitatiue, vt patet ex illo modo dicendi *potest dici*,quo frequenter vtitur, quando absolute non resoluit difficultatem, sed quasi dubitat de ipsa. Et præterea non dicit illud propriũ indiuidui esse singularitatem, aut constitutiuũ indiuidui vt sic.Per quod ruit fundamentum aduersariorum, qui dicunt suam sententiam esse expressam doctrinã Scoti.

14.Sed neque bene intellexisse videntur vltima verba iam citata à Scoto,dum dicit nimirũ, quod aliquod proprium possit abstrahi ab indiuiduis : nam hoc intelligunt de proprietate aliqua quarti prædicabilis ; sed Scotus videtur omnino loqui de aliquo proprio, hoc est particulariter competente indiuiduis,qua talia sunt, siue illud proprium sit proprietas quarti prædicabilis, siue non sit,sed aliquid essentiale.

Nec etiam satisfaciunt difficultati communi,quã sibi proponunt cõtra suam doctrinam,nempe quod si competeret indiuiduis aliqua proprietas cõmunis, deberet pariter cõpetere aliquod prædicatum essentiale cõmune, à quo formaliter emanaret illa proprietas cõmunis quia omnis proprietas communis multis supponit aliquod prædicatũ essentiale cõmune multis ; ergo si non competit ipsis aliquod prædicatum essentiale commune, neque competit ipsis aliqua proprietas communis.

*Respondent* ipsi negando sequelam, & distinguendo eius probationem : si illa passio communis sequatur ad prædicatũ cõmune,concedunt:si non sequatur,negant.

Sed certe hæc responsio non est satis commoda,quia quando proponitur vniuersaliter,quod omnis proprietas sequatur ad prædicatũ essentiale commune, distinguere illam propositionem vniuersalem de proprietate sequente prædicatum commune,& proprietate non sequente, cum intentum propositionis esset excludere proprietates non sequentes, videtur minus cõmodum.

Itaque potius deberent negare absolute antecedens probationis. Sed si illud negarent adhuc probari posset hoc modo:non maiorem habent similitudinem aut proportionẽ illa indiuidua inter se in illis proprietatibus, quam in naturis, vt fundant & principiant illas proprietates : ergo si conueniunt in aliqua proprietate communi,etiam conueniunt in aliquo prædicato essentiali communi, ad quod sequuntur illæ proprietates. Probatur consequentia, quia ideo dicuntur conuenire in proprietate communi,quia proprietates particulares eorum habent similitudinem aut proportionem inter se:ergo si naturæ eorum, vt fundant illas proprietates, habent tantam similitudinem, debent dici conuenire in aliquo conceptu quidditatiuo communi.

Et sane quomodocumque responderi potest quod ex similitudine naturarum, vt fundant illas proprietates, non sequatur aliquod prædicatum commune.*Responderi* etiam potest, ex similitudine proprietatum ad illas naturas sequentium non sequi quod detur ipsis aliqua proprietas communis.

15.*Obiicies primò*:effectus formales eiusdẽ rationis nõ possunt prouenire,nisi à causis formalibus eiusdẽ rationis:sed à Petreitate & Pauleitate prouenient effectus formales eiusdẽ rationis,tanquam à causis formalibus: ergo ipsæmet sunt eiusdẽ rationis, & cõsequẽter potest ab ipsis abstrahi aliquis cõceptus cõmunis, sicut potest à Petro & Paulo abstrahi humanitas,quia sunt eiusdem rationis in esse hominis.Probatur minor, quia vtraque reddit formaliter naturam humanam singularizatam

cum ipsa faciens vnum per se incommunicabile vlterius cum multiplicatione.

*Confirmatur*, quia Petreitas dicitur singularitas ex eo quod singularizet naturam, & Pauleitas etiã: ergo vtraque conueniunt in conceptu singularitatis vt sic.

*Confirmatur secundò*, quia descriptio præmissa indiuidui conuenit vniuoce omnibus indiuiduis, vt talia: ergo conueniunt in ratione indiuidui vt sic.

*Respondetur* cõmuniter distinguendo maiorẽ: effectus formalis eiusdẽ rationis nequit prouenire nisi à causis formalibus eo modo eiusdẽ rationis, quo effectus sunt eiusdem rationis, concedo; alio modo, nego maiorẽ. Similiter distinguo minorẽ: effectus eiusdẽ rationis, quantum ad proportionẽ aliquam, & similitudinẽ non exigentem aliquod prædicatũ positiuum cõmune vtriusque, & ab illis præscindens, cõcedo minorẽ; effectus formales eiusdem rationis quantũ ad proportionem & similitudinem exigentem aliquod vnum prædicatum positiuum commune ipsis, & ab ipsis præscindens, nego minorẽ, nec probatur sufficiẽter in hoc sensu, & distinguo consequens: ergo ipsæmet erunt eiusdem rationis quantum ad similitudinem & proportionem non exigentem aliquod prædicatum positiuum commune & præscindens, concedo consequentiã, quantũ ad aliam similitudinem exigentẽ tale prædicatum, nego consequentiam.

16. *Ad primam confirmationem*, nego consequentiam, quia vtraque potest dici singularitas ex eo quod singularizet, sine conuenientia in aliqua formalitate positiua communi.

*Ad secundam confirmationem*, distinguo antecedens: cõuenit vniuoce ipsis, quasi per eam definiretur aliquod vnũ præscindens ab indiuiduis in particulari, quod vnũ in illis indiuiduis reperiretur secundũ eandem rationẽ, nego antecedẽs; cõuenit ipsis vniuoce, quatenus omnia indiuidua indeterminate cõcepta, vt habẽt similitudinẽ non exigentẽ prædicatum commune, æque primo per illam definitionẽ explicantur, & potest dici de quolibet ex illis, quod sit incõmunicabile, concedo antecedens & distinguo etiam consequens: cõueniunt in aliqua ratione communi vna & determinata, nego consequentiam: in aliqua ratione importante plura indeterminate, concedo consequentiã: nec hoc facit contra conclusionẽ.

Aliquando describitur cõceptus determinatus, aliquãdo indeterminatus.

17. Pro cuius maiori declaratione aduertendum quod aliquando soleat explicari conceptus aliquis determinatus vnus, vt cum dicitur: homo est animal rationale, aliquando vero solet explicari aliquis conceptus inuoluens plura etiam explicite, sed indeterminate, vt si quis vellet explicare hunc conceptum, quem haberet de aliquo animali, quod deberet esse vel rationale vel irrationale: dicendo, quod deberet esse vel potens discurrere, vel impotens discurrere. Quando explicatur primus cõceptus, ea, quibus conuenit illa explicatio, debent conuenire in eodem cõceptu explicato per illam, & sic conuenit Petrus & Paulus in homine, quia definitio eius explicat vnam rationẽ determinatam, & conuenit ipsis. Quando explicatur secundus conceptus non debent illa, quibus conuenit explicatio & conceptus per illam explicatus, conuenire vniuoce in aliquo vno; nam licet verum sit quod hoc animal, assignando hominem, sit rationale vel irrationale, & illud alterum animal, assignãdo bucephalum, sit etiam rationale vel irrationale; tamen certum est quod non conueniunt ista animalia in aliquo conceptu vno positiuo & determinato significato per illud prædicatum *rationale vel irrationale*.

Quomodo possit colligi quis cõceptus describitur.

Modò tota difficultas restat in colligendo quando describitur aut declaratur aliquis conceptus vnus determinatus, & quando non. Nam licet quando in explicatione ponitur coniunctio *vel* aut *aut*, vel aliquid simile, facile possit intelligi, quod explicentur plura indeterminate; tamen quando in explicatione non ponitur talis particula, vt contingit in definitione indiuidui præmissa, id non adeo facile est.

*Confirmatur* hæc difficultas, quia eo modo, quo nos dicimus quod indiuidua non cõueniunt in aliqua ratione cõmuni, & quod per definitionem indiuidui, vt sic, non explicetur aliquid vnum determinatum, similiter posset quis dicere quod omnes homines non cõueniunt in ratione aliqua cõmuni hominis, & quod per definitionẽ hominis cõuenientẽ ipsis non explicetur aliquid determinatũ, & sic tolleretur omnis vniuocatio perfecta ac omnis præcisio graduum superiorum ab inferioribus.

*Ad hanc difficultatem respondetur* colligendum esse quando cõcipitur, aut explicatur conceptus vnus determinatus, vel experientia ipsiusmet concipientis, qui in se per reflexionem potest aduertere, an vnum determinate, an verò plura indeterminate concipiat & explicet: vel certe currẽdum est ad discursum, si experientia non sufficiat; & videndum est, an vnitas determinata conceptus illius posset dari: & si videatur quod sic, dicendum est quod sit vnus. si videatur quod non, dicendum quod non sit vnus, sed plures indeterminate. Vnde quia ex rationibus nostræ conclusionis sequitur non posse indiuidua, nec eorum hæcceitates conuenire in aliquo conceptu vno determinato, qui sit indiuiduum, aut hæcceitas, negandum est quod indiuiduum vt sic, dicat vllam rationem vnam, sed plures rationes indeterminate; & consequenter dicendum de eius definitione, quod non sit definitio vnius determinati, sed plurium indeterminate. Quod si aliquis existimet se experiri in suo intellectu vnum conceptum determinatum, dum concipit indiuiduum vt sic, reduci debet per discursum ad corrigendam suam imaginationem & experientiam, sicut reduci deberet is, qui existimaret baculum, qui apparet fractus in aqua, esse reuera fractum.

*Et per hoc patet ad confirmationem*, cuius sequela est neganda, quia habemus rationes, quibus colligimus indiuiduum, vt sic, non esse aliquid vnũ præscindens ab indiuiduis: non habemus autẽ tales, ad dicendũ quod homo vt sic, non sit quid vnum determinatũ præscindens ab indiuiduis, qua talibus, imo habemus rationem vnde colligamus quod reuera præscindat ab illis, quia si non præscinderet ab indiuiduis, qua talibus, omnia indiuidua essent homines, nam omnia indiuidua, qua talia, æque deberent includere humanitatẽ, si non præscinderet humanitas ab omnibus indiuiduis, qua talibus. Vnde eneruatur totũ fundamẽtũ *Auersæ* supra *sect.* 11. quo vtitur ad probandũ quod natura humana non præscindat perfectè à singularitatibus, sicut singularitas vt sic nõ præscindit perfectè à singularitatibus in particulari.

Impugnatur prædicta respõsio.

18. *Hæc est responsio cõmunior Scotistarũ*, quæ tamẽ mihi semper visa fuit difficilis, quia videbatur mihi sternere viam ad negandã præcisionẽ obiectiuã entis à suis inferioribus & aliorũ etiã graduũ cõmunium: tam quemadmodũ dicuntur indiuidua omnia conuenire in vna ratione & describi posse vna definitione; quamuis nullus cõceptus sit abstrahibilis ab illis, in quo cõueniunt vniuoce, & quamuis nõ habeãt similitudinẽ, ex qua inferri possit talis conceptus abstrahibilis, ex eo scilicet quod habeãt proportionẽ quandã inter se, vt dicitur in tota hac respõsione: ita sane posset dici, quod omnia entia cõuenirent tantũ proportionaliter in ratione entis, & quod inde nõ sequatur, quod illa ratio entis sit ratio vna abstracta ab illis. Et quemadmodum dicitur quod omnia indiuidua nõ cõueniunt in conceptu aliquo determinato indiuidui, sed in indeterminato: ita etiã posset dici quod omnes homines nõ cõuenirent in vno conceptu determinato hominis, sed in indeterminato: nam quantũ ad experientiã cõcipientis; si quis aduerterit, nõ inueniet prorsus in suo cõceptu de homine, vt sic, maiorẽ determinationẽ, quã de indiuiduo vt sic. Nec refert quod non sit tã incõueniens, quod omnes homines cõueniãt in ratione hominis vt sic, aut omnia entia in ratione entis abstracti & præcisi, quã quod cõueniant omnia indiuidua in ratione indiuidui vt sic, ob rationes præmissas pro cõclusione, quæ id probãt de indiuiduis, non probãt vero de hominibus, aut entibus. Nã quãuis hoc sit verũ, & propterea non possit probari quod entia omnia non cõueniant vniuoce in ratione abstracta entis, aut omnes homines in ratione abstracta animalis; tamẽ, non potest afferri vlla rario, ab quam colligatur,

quod

quod conueniant in conceptu determinato, aut quod habeant aliam similitudinem quàm proportionis, supposita hac doctrina.

*Itaque respondeo aliter*, concedendo quod singularitates,ac indiuidua omnia,qua talia,sint conceptibilia cõceptu tã determinato, quã omnes homines qua homines;& quod etiam sint tam similia inter se & definibilia vna definitione vniuoce competẽte ipsis,quemadmodũ omnes humanitates, vt præscindunt à singularitatibus, sunt definibiles & similes,quia est eadẽ ratio de omnibus quantũ ad hoc:sed nego tamen vltimã consequentiã,quæ facit cõtra conclusionẽ,nẽpe quod inde sequatur,quod conueniant in aliqua ratione abstracta ab ipsis & præcisa;sicut nec omnes humanitates,vt abstrahũtur à singularitatibus,conueniunt in aliqua vna humanitate abstracta ab ipsis.Cuius ratio est, quia quotiescunq; datur vna ratio abstracta,& præcisa ab aliquibus,debet esse alia ratio distincta,à qua præscindatur, & per quam contrahatur ad illa,à quibus præscinditur.In humanitatibus autem,vt præscindunt à singularitatibus,non datur aliqua ratio,per quã contrahatur ad ipsas humanitas vt sic abstracta ab illis;& idem est de singularitatibus,& indiuiduis vt mihi manifestũ apparet ; & hinc fortassis proprius diceretur quod humanitates omnes, vt sic,essent vna ratio,quã quod cõueniret in vna ratione,quod etiã de singularibus,qua talia sunt,dicendũ esset;nimirũ quia sunt omnino sub illa ratione similia sic,vt intellectus nõ possit reperire vllã differẽtiã inter illa,vt sic cõsiderata, magis,quam si reuera essent vnũ numero realiter loquendo.Per quod etiam patet,ad duas confirmationes distinguendum esse vtriusque consequens:in ratione indiuidui vt sic,abstracti,nego,quia non datur talis ratio : conueniunt in ratione indiuidui vt sic,quatenus sunt similia in ratione indiuidui, & conceptibilia eodem conceptu,concedo consequentiam.

Indiuidua omnia qua indiuidua sunt similia.

19. *Obiicies secundò*:aliquis posset esse certus de aliquo homine,quẽ videret à longe, quod esset indiuiduũ humanũ,& incertus,an Petrus vel Paulus;ergo conceptus indiuidui humani est præscindens,& distinctus à cõceptu indiuiduorum in particulari,& cõmunis ipsis vniuoce & intrinsece inclusum in illis.Probatur cõsequentia, quia de eodẽ conceptu nequit intellectus esse certus & incertus:ergo cõceptus indiuidui humani,de quo certus est intellectus quòd sit ibi, in casu proposito est distinctus à conceptu Petri, de quo est incertus an sit ibi.

*Confirmatur*,quia hoc argumẽto probat *Scot.in 1.dist.* 3. & 8. vniuocationem & præcisionem entis vt sic ab omnibus entibus in particulari : ergo vel valet ad propositum præsens,vel non valet ad propositum Scoti.

*Respondetur communiter*,distinguendo antecedens:potest esse certus quod sit indiuiduum humanum habendo aliquem conceptum vnum determinatum de illo indiuiduo,nego antecedens : habendo aliquem conceptum indeterminatum & vagum,concedo antecedens, & distinguo consequens : est præscindens & distinctus per modum alicuius determinati,nego consequentiam,per modum indeterminati,concedo consequentiam : & ad probationem dico aliquem non posse esse certum & incertum determinate de aliquo conceptu: bene tamen posse esse certum indeterminate de aliquo conceptu, quatenus scilicet certum est ipsi quod ille conceptus vel alius aliquis existat;& tamen esse incertum determinate de illo conceptu, quatenus ignorat an ille determinate existat potius quam alius.

*Ad confirmationem dicitur*,Scotum vti isto argumento ad probandum vniuocationem entis, supponendo conceptum entis,de quo aliquis posset esse certus, esse determinatum, & ex ista hypothesi concludit bene vi istius argumenti,quamuis nihil possit concludere in casu nostro,in quo conceptus, de quo habetur certitudo,est indeterminatus,vt dixi.

Impugnatur.

*Hæc etiam responsio patitur* eandem difficultatem cum responsione communi ad obiectionem præcedentẽ:nam omnino tam determinatus est cõceptus quẽ aliquis habet de alio,quod sit indiuiduum,non cognoscens quodnam indiuiduum sit, quam ille,quem habet de aliquo, quod sit animal aut ens, non cognoscens quod animal aut quod ens,cuius oppositum supponitur, aut dicitur in hac responsione.

*Respondeo ergo aliter*, distinguendo consequens:à conceptibus indiuiduorum in particulari,qui sint cõceptus proprij & per se eorum, nego consequentiam : qui sint conceptus eorũ cũ ordine ad rationes aliquas accidentales,concedo consequentiã.Itaque quando intellectus cõcipit aliquid sub cõceptu alicuius hominis singularis; habet hunc conceptũ quod illa res sit homo indiuisibilis in plura inferiora,& quando concipit indiuiduũ determinatum hominis,v.g.Petrum, supra primum conceptum non habet nisi conceptum hominis indiuisibilis talis,v.g.albi vel nigri,vel Religiosi,vel Hiberni,vel nati ex talibus parentibus ; ille autem conceptus non est proprius & per se conceptus illius indiuidui,sed omnino accidentalis ipsi:posset enim competere aliis indiuiduis,vt est manifestũ:ergo conceptus indiuidui, vt sic, non est distinctus à conceptu per se indiuidui in particulari vllius : licet sit distinctus à conceptu accidentario,qui haberi posset de aliquo indiuiduo in particulari Quod ex dicendis in Metaphysica de præcisione entis magis adhuc patebit.Ad probationẽ consequẽtiæ dico, quod intellectus nõ possit esse certus & incertus de eodẽ cõceptu:& concedo quod sit certus,quod res,quã videt sit indiuiduũ humanũ:nego tamẽ quod sic sit incertus an sit tale indiuiduũ humanũ secundũ proprium & per se conceptũ talis indiuidui, quia nõ habet pro hoc statu talẽ conceptũ de indiuiduo, sed est incertus an sit tale indiuiduũ secundũ conceptũ nõ propriũ talis indiuidui,sed accidentalẽ ; nec est inconueniens quod detur conceptus indiuidui vt sic,abstractus & præcisus à conceptibus nõ propriis,sed accidẽtalibus, qui haberi possunt de indiuiduis in particulari,sicut potest haberi cõceptus eiusdẽ indiuidui abstractus à vatiis aliis conceptibus,qui haberi possunt de ipso,etiam vt indiuiduo.

*Ad confirmationem dico* Scotum probare vniuocationẽ & abstractionem entis ex eo,quod de ente possit haberi proprius conceptus, de quo intellectus possit esse certus;cum tamen esset incertus, an res,de qua haberetur talis conceptus, possit concipi sub conceptu proprio & per se accidentis,aut substantiæ ; vnde non currit idem discursus in proposito vt patet ex dictis.

20. *Obiicies vltimo*:magis inter se cõueniũt Petreitas & Pauleitas, quam alterutra cum Bucephaleitate: ergo conueniunt in aliquo conceptu communi.

*Respondeo primò* distinguendo antecedẽs:magis inter se conueniunt realiter, quatenus identificantur naturæ dissimili illi naturæ, cui identificatur Bucephaleitas, concedo antecedens;formaliter & quatenus hæcceitates,nego antecedens & consequentiam.

*Respondeo secundò* etiam distinguendo antecedẽs, sed alio modo:magis inter se conueniunt,& sunt similes similitudine proportionis non exigente prædicatum cõmune,quod sit fundamentum illius conuenientiæ, aut similitudinis, nego antecedens ; sunt enim tam primo diuersa inter se,quam sunt primo diuersa à Bucephaleitate : magis inter se conueniunt & sunt similes similitudine proportionis non exigente prædicatum positiuum vtrique commune,concedo antecedens, & nego consequentiam. Quod autem aliqua possunt habere maiorem inter se proportionem quam cum aliis, licet non conueniant in aliquo prædicato cõmuni vniuoce, suaderi solet exemplo hominis veri & picti qui non conueniunt vniuoce in ratione hominis,sed æquiuoce: & tamen magis sunt sibi similes & proportionati,quam alteruter est lapidi.

Non credo tamen hoc exemplũ esse sufficiens, quia in illo conceptu,in quo cõueniunt æquiuoce homo pictus & verus,qui est cõceptus hominis,hoc est animalis rationalis,nõ sunt magis similes inter se, quã cũ lapide , cũ ille integer cõceptus excludatur æque ab homine picto,ac à lapide,& soli homini vero cõueniat.In illo vero cõceptũ,in quo sunt similes,cõueniunt vniuo-

ce, sunt enim similes & proportionati in hoc, quod vterque habeat colores cum tali proportione externa, & in hoc conueniunt vniuoce.

Alia exempla possent afferri de vltimis differentiis substantialibus, quæ maiorem habent inter se similitudinem & proportionem quam cum differentiis accidentalibus vllis, & tamen sunt primo diuersæ & non conuenientes in aliquo conceptu communi determinato. Sed re vera est eadem difficultas de his, ac de differentiis indiuidualibus, vnde non conducunt ad probandum aliquid de indiuidualibus. Sed nec est necesse adducere exempla, quando adest ratio, vt contingit in proposito.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum natura specifica reddatur formaliter indiuidua per positiuum, vel negatiuum.*

21. EXtra cõtrouersiam est naturã specificam indiuiduatam, seu indiuiduum, esse incommunicabilẽ formaliter, etiã vt incõmunicabile dicit formaliter negationem cõmunicabilitatis: nam sine dubio in quolibet indiuiduo datur talis negatio, & illa dat ipsi aliquã denominationem, non aliam quam incõmunicabilis: ergo indiuiduum est formaliter incommunicabile, vt incommunicabile dicit formaliter talem negationem, & cõstituitur etiam in esse incõmunicabilis per huiusmodi negationẽ formaliter. Sed cõtrouersia est, an ab illa negatione habeat per se primò constitui formaliter indiuiduum, vt indiuiduum dicit aliquid distinctum supra naturam, quæ de se formaliter non est indiuidua, v.g. à natura humana abstracta ab indiuiduis. Cuius cõtrouersiæ pars illa, quæ dicit indiuiduum constitui formaliter per negatiuum, erit vera, si non requiratur aliqua formalitas positiua distincta aliquo modo à natura specifica ad cõstitutionem indiuidui, aut ad pullulationem illius negationis; seu si illa negatio possit sequi ad ipsam naturam specificam formaliter secundum se consideratam; si vero negatio illa nequeat sequi, aut pullulare ex illa natura, sed requirat necessario aliquam aliam formalitatem positiuam distinctam aliquo modo à natura specifica, tum indiuiduum constituetur per se primo in esse tali per illud positiuum, & non per negationem ad illud sequentem. Et hic est verus ac genuinus sensus controuersiæ; quod bene aduertendum est.

22. *Prima sententia* est *Henr. quod l. 5. q. 8.* Indiuiduum nihil aliud dicere supra naturam specificam, præter negationem diuisionis illius, quæ repugnat indiuiduo, qua tali, & consequenter indiuiduum per se primo constitui formaliter in esse talis per negationem. Ab hac sententia meo iudicio parum differunt in re ipsa *Nominales cum Occamo 1. d. 2. q. 4. & 6.* qui existimant non oportere quærere principia indiuiduationis distincta à naturis specificis, sed omnem cuiuscumque rei singularis naturam esse seipsa singularem; nam non negant omnem talem naturam habere negationem communicabilitatis, sed negant aliquod positiuum distinctum à natura, esse necessarium ad hoc, vt pullulet ista negatio; & consequenter intentum ipsorum est, quod indiuiduum non habeat aliquod principium positiuum indiuiduationis suæ distinctum ab ipsa natura specifica: quæ in re est sententia Henrici.

*Secunda sententia* est requiri quidem aliquid positiuũ, quod sit principium formale & indiuiduationis & negationis illius, quam dicit indiuiduum, sed ab illo tamẽ positiuo non perfecte præscindi ipsam naturam, sed imperfecte: ita *Auersa* supra *sec. 2. & 11.* & iuxta hoc conatur explicare primam sententiam.

*Tertia sententia* est requiri aliquid positiuum, à quo natura specifica perfecte præscindit. Hæc est communissima cum *Doctore 2. dist. 3. qu. 2.* & suis, quos sequuntur *Suares disp. 5. Met. sec. 2. Fonseca 3. Met. c. 6. q. 5.* quam etiam sententiam tenent Thomistæ inferius citandi, licet forte ex illis aliqui possent adduci ad secundam sententiam.

## CONCLVSIO I.

Indiuiduũ dicit aliquid formaliter vltra naturam specificã.

23. *Indiuiduum dicit aliquid formaliter vltra id quod dicit natura specifica.* Hæc est communis apud omnes, quamuis in terminis videantur dissentire Nominales, qui tamen explicandi sunt iuxta primam sententiam præmissam. *Probatur*, quia quando concipimus indiuiduum, concipimus aliquid incommunicabile pluribus cum numeratione; & quando concipimus naturam specificam non consideramus aliquid sic incommunicabile: ergo indiuiduum dicit aliquid formaliter quod non dicit natura specifica.

*Confirmatur* per probationes sequentis conclusionis.

## CONCLVSIO II.

Principiũ formale indiuiduationis est aliquid positiuum.

24. *Datur aliquod principium positiuum aliquo modo distinctum à natura specifica, quod sit principium formale indiuiduationis & negationis illius, quam dicit indiuiduum qua tale.* In hac conueniunt authores secundæ & tertiæ sententiæ contra primam sententiam, provt communiter intelligitur; & dico provt communiter intelligitur, quia *Auersa* illam sententiam sic explicat, vt cum sua conueniat. *Probatur conclusio primo*, quia indiuiduum dicit formaliter aliquid supra naturam specificam, vt iam probatum est: sed non aliquid negatiuum: ergo positiuum. Probatur minor, quia si quid negatiuum dicerer, maxime negationem communicabilitatis, qua mediante repugnat, vt multiplicetur numerice: sed hæc negatio præsupponit aliquid positiuum, ratione cuius competit indiuiduo: ergo illud, quod dicit indiuiduum supra naturam, debet esse aliquid positiuum. Probatur minor, quia omnis negatio competit alicui, vel ex ratione alicuius se tenentis ex parte fundamenti, vel ex eo quod tollatur à fundamento, aut non ponatur in ipso aliquid positiuum, quod posset in ipso poni; v.g. negatio rationalitatis in bruto præsupponit in ipso differentiam positiuam, quæ contrahit animal ad ipsam, & negatio albedinis competit ipsi ex eo, quod non ponatur in ipso albedo, aut ex eo quod tollatur ab ipso, aut ex eo quod ponatur in ipso nigredo, cum qua non posset stare albedo, & ita de reliquis negationibus discurrendum est: ergo negatio communicabilitatis competens indiuiduo, ideo competit ipsi, quia habet aliquod positiuum in se, ratione cuius competit ipsi, vel quia ponitur in ipso aliquid positiuum distinctum à se, vel quia tollitur ab ipso aliquid positiuum, cum quo posset esse; sed ex his tribus modis primus, & secundus probaret nostram conclusionem, quia daretur aliquid positiuum in indiuiduo qua tale, ratione cuius competeret ipsi ista negatio: tertius autem modus dici nequit, quia nihil positiuum potest auferri ab indiuiduo, ratione cuius ablati competeret ipsi negatio communicabilitatis, nisi communicabilitas: sed hæc indiuiduo nequit competere: ergo negatio, quam dicit indiuiduum, competit ipsi ratione alicuius positiui; per quod manet probata minor principalis. Probatur iam consequentia principalis, quia illud positiuum non est ipsa natura specifica præcise, vt talis, formaliter loquendo: ergo aliquid aliud. Probatur antecedens, tum quia natura specifica, formaliter vt talis considerata, non concipitur vt indiuidua, nec vt habens talem negationem, imo potest considerari vt multiplicabilis, seu saltem, vt talis cui ex ratione suã formali non repugnat multiplicari, aliàs non posset considerari vt vniuersalis: ergo vt concipiatur indiuiduata, & cum tali negatione, debet considerari sub aliqua alia formalitate positiua.

25. Vis totius huius rationis ponitur à Scoto breuiter hoc modo: omnis negatio, quæ est repugnantiæ, aut quæ nequit separari à subiecto, præsupponit in subiecto illo aliquid positiuum, ratione cuius competat ipsi illa negatio inseparabiliter: sed negatio, quam dicit Petrus, nequit separari ab ipso, repugnat enim Petrum multiplicari numero: ergo præsupponit in illo aliquid positiuum: non naturam specificam: ergo aliquid aliud positiuum aliquo modo distinctum.

*Dices*: negatio, quam dicit indiuiduum, est negatio, à qua habet non esse, nec posse esse in pluribus, de quibus prædicetur cum multiplicatione: sed talis negatio cõpetit ipsi naturæ specificæ, quæ est in ipso: neque enim de facto illa natura, quæ est in Petro, est, aut potest esse in

Paulo:

Paulo:ergo negatio, quam dicit indiuiduum, sequitur ad ipsam naturam specificam indiuidui.

*Respondeo* distinguendo minorem:competit ipsi formaliter, vt natura specifica, nego minorem: competit ipsi realiter & ratione hæcceitatis annexæ,concedo minorem. Ad probationem dico, quod repugnet quidem ipsi naturæ specificæ,quæ est in Petro, diuidi in plura realiter,& à parte rei,non tamen formaliter,& vt consideratur in esse naturæ specificæ præcise.

*Dices*:ergo posset quantum est ex se plurificari.

*Respondeo* distinguendo consequens:posset quantum est ex se realiter loquendo,nego; formaliter loquendo quatenus vt natura non dicit formaliter repugnantiam ad hoc,concedo;neque id est absurdum. Itaq; quemadmodum animal,quod est in homine, quandoquidē idētificetur realiter rationalitati, nequit de potētia absoluta simplicitur esse in bruto, licet id ipsi non repugnet ex conceptu suo formali;ita natura, quæ est in Petro, nequit esse in Paulo realiter,quia idētificatur Petreitati, sed non tamen repugnat illi esse in ipso, vt concipitur per modum naturæ illius,quæ est in Petro specificatiue.

26. *Probatur secundò conclusio*, quia sine dubio est aliqua entitas positiua in vno indiuiduo,v.g.in Petro,quæ nō est in Paulo,nec potest esse in illo,alias nō distingueretur realiter Petrus & Paulus:sed illa entitas positiua est principiū istius negationis,quam dicit,quatenus nō potest esse in Paulo:ergo negatio,quam dicit indiuiduū, præsupponit aliquid positiuum:sed non naturā specificam,vt talem formaliter:ergo sub aliqua alia ratione.

*Obiicies* pro aduersariis; nō potest assignari quodnā positiuum dicat indiuiduum supra naturam specificam; ergo non debet asseri,quod dicat aliquid positiuum.

*Respondeo* negando antecedens, cuius ratio patebit ex dicendis,& modò breuiter dico esse aliquid positiuū identificatum naturę specificæ,ratione cuius formaliter conuenit rei includenti talem naturam,non esse vlterius multiplicabilem.

*Obiicies secundò*:licet possit concipi rationalitas, vt est differentia hominis positiua & absoluta, seu vt est principium *quo* formale,ratione cuius competit ei discurrere,sine eo,quod cognoscatur,vt dicit negationem brutalitatis;tamen hinc non sequitur quod illa negatio præsupponat aliud positiuum formaliter distinctum ab illa rationalitate:ergo licet possit concipi natura specifica,verbi gratia humanitas,sub conceptu humanitatis, quatenus scilicet,est essentia hominis,& id ratione cuius competit ipsi sentire & discurrere sine eo, quod concipiatur cum negatione communicabilitatis aut multiplicationis numeralis, tamen non inde sequitur quod illa negatio exigat aliud principium positiuum formale distinctum vllo modo ab humanitate.

*Respondeo* negando consequentiam,& disparitas est, quod si concipiam rationalitatem,vt est principiū quo formale,& metaphysicum discurrendi, & simul brutalitatem,vt est principium impotens ad discurrendum, potero optime cognoscere, quod rationalitas & brutalitas sint distincta, quia statim ad applicationem mutuam apparebit distinctio eorum, & negatio similitudinis, quam dicunt; vnde non est necessarium requirere aliquod aliud principium positiuū distinctionis eorum. Sed si concipiatur perfectissime humanitas, quæ est in Petro,& concipiatur Paulus, non poterit cognosci quod humanitas illa distinguatur numero, aut realiter à Paulo: ergo debet necessariò concipi sub aliquo alio positiuo conceptu, ratione cuius possit cognosci quod sit distincta numero & realiter à Paulo.

## CONCLVSIO III.

Natura specifica perfecte præscindit à singularitate.

27. *Natura specifica perfecte præscindit à singularitate.* Hæc est tertiæ sententiæ contra secundam, & probatur,quia secundum ipsummet Auersam, ille conceptus præscindit perfecte ab alio conceptu,qui potest intelligi absque alio cōceptu,& qui nō imbibitur intrinsece in cōceptu altero cōtrahente;vnde secundū ipsū,animal vt sic,præscindit perfecte à rationalitate;ens vero non præscindit à suis differētiis,quibus cōtrahitur ad accidens & substantiam. Hanc doctrinā de præcisione perfecta & imperfecta proponit dictus author *quæst.* 8. *sect.* 8. Sed sic est quod humanitas possit concipi sine eo,quod concipiatur vt incommunicabilis, & quod nō includatur formaliter in singularitate,nec in Petro,qua est indiuiduum formaliter: ergo perfecte præscindit à singularitate,& positiuo illo,quod inuoluit Petrus, ratione cuius competit ipsi negatio incōmunicabilitatis.

*Confirmatur*,quia non magis potest dici,quod humanitas imbibatur in Petreitate, quam quod animalitas imbibatur in rationalitate,nec magis debet dici, quod animalitas præscindat perfectè à rationalitate, quam quod humanitas perfecte præscindat à singularitate omni: sed animalitas secundum ipsum perfecte præscindit à rationalitate, & non imbibitur in ipsa:ergo idē dicendum de humanitate respectu singularitatis.

28. *Negat Auersa sect.* 12. esse eandem rationem de animalitate & rationalitate, ac de singularitate & humanitate;quia, inquit, singularitas imbibitur in omni gradu ita, vt non possit singularitas humana distingui perfecte ab humanitate.

*Contra*,quia hoc dicendo petit principiū,& oporteret ostendere rationem, cur singularitas humana non præscindat formaliter ab humanitate.

*Contra secundò*, quia rationalitas animalis, hoc est, quæ contrahit animal,tam intrinsece imbibitur in animalitate,quam singularitas humana imbibitur in humanitate: ergo si animalitas perfecte præscindit à rationalitate, humanitas perfecte præscindit à singularitate.

*Dices* cum ipso, differentiā non præscindire perfecte à genere,si soli illi generi conueniat, quamuis perfecte præscindat,si possit conuenire alteri generi, vt in sentētia aliquorum rationalitas non soli animali conuenit, vt nec soli homini,sed etiam Angelis, ac generi Angelorum.

*Contra*,quia si rationalitas ex eo,quod formaliter possit eadem competere homini,ac Angelis,perfecte præscindit ab animali, quod contrahit ad hominē:ergo similiter animal ex eo,quod possit formaliter competere alicui, quod non habet rationalitatem, perse præscindit à rationalitate, sine qua potest esse; & similiter ex eo, quod humanitas possit esse sine Petreitate secundū integram suam rationem formalē, nimirum cū Pauleitate,sequitur quod perfecte præscindat à Petreitate.

*Confirmatur præterea hæc conclusio*, per ea, quæ dicemus in Metaphysica,quando probabimus, ens, vt sic, perfectissime præscindere à suis differentiis: nam si id sit verum, sine dubio æque erit verum quod natura specifica perfecte præscindat à singularitate.

Fundamentum potissimum *Auersæ*,quod ab ipso fusissime & subtiliter proponitur, est quod sequeretur dari singularitatem in communi,quæ perfecte præscindat à singularitatibus in particulari, quod ipse meritò iudicat falsum,vt & ego etiam docui quæstione præcedenti. Sed falsa est sequela hæc,nam non est eadem ratio de præcisione naturæ ab indiuiduis,ac de præcisione singularis vt sic ab hoc & illo singulari.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum quantitas, aut aliquod accidens, aut collectio accidentium sit principium indiuiduationis.*

9. QVia resoluimus aliquod positiuum distinctū aliquo modo à naturali specifica esse principium indiuiduationis rerum singulariū, ratione cuius principii competit ipsi negatio communicabilitatis numericæ, examinandum vlterius est,quodnam sit illud positiuū: qua de re,quia plures sunt modi dicendi,plurimus quæstionibus agemus confusionis vitandæ gratia.

Triplex indiuiduationis principium.

Aduertendum autem triplex posse considerari principium indiuiduationis:vnū formale, & proximum, ad quod immediate & formaliter sequitur ipsa negatio cōmunicabilitatis, & per quod per se primò & formaliter habet res indiuidua distingui à natura,quę indiuiduatur. Alterū remotū & radicale, ratione cuius cōpetit rei

rei habere illud principiũ proximũ & formale. Tertiũ erit illud principiũ,ex quo potest aliquis colligere quod aliquid sit indiuiduum,aut quod vnum indiuiduum distinguitur ab alio indiuiduo, quamuis ipsummet nõ sit principiũ formale, nec radicale indiuiduationis à parte rei.Ad hũc modum communiter assignatur pro principio formali constitutiuo hominis rationalitas , & pro principio radicali;huius,ab aliquibus anima sola,ab aliis anima cum corpore:pro principiis vero, ex quibus nos possumus colligere quod insit rei rationalitas aut anima, operationes illæ particulares,quas homo habet,& non haberet nisi esset rationalis & constaret anima.

30.*Prima sententia* posset esse,quod collectio talis,vel talis accidentium esset à parte rei principium indiuiduationis substãtiæ materialis,vel formale,vel radicale. Huic fauere videtur *Porphirius* dum describit indiuiduum primò intentionaliter sumptum per ordinem ad huiusmodi collectionem:fauet etiam *Auicenna,Boëtius, Damascenus,& Basilius.*

*Secunda sententia* est quantitatem esse principium formale,vel radicale indiuiduationis substãtiæ materialis. Hanc tenuisse videtur *Gotifredus*,& ex parte eam amplectuntur *Soncinas, Ferrariens.& Capreolus* , quatenus ex duobus prædicatis,quæ per se competunt indiuiduo,nimirum esse incommunicabile,& esse distinctum à quocumque alio,dicunt hoc vltimum competere ipsi ratione quantitatis ; & quotquot ex Thomistis dicunt principium indiuiduationis esse materiam signatam, & explicant hanc signationem per ordinem ad quantitatem,de quo postea,fauent huic sententiæ.

*Tertia sententia* communissima cum *Doct.in 2.dist.3. qu.4.* tenet principium indiuiduationis substãtiæ materialis,nec formale nec radicale esse quantitatem, nec vllum consequenter accidens, nec etiam collectionem accidentium, & vniuersaliter principium formale indiuiduationis cuiuscumque rei non esse aliquid realiter distinctum à re indiuidua,ac singulari quacumque.

## CONCLVSIO I.

Nec quãtitas nec vllũ accidens absolutũ aut collectio accidentium est principiũ indiuiduationis.

31. *Nec quantitas,nec vllum aliud accidens,nec collectio vllæ accidentium est principium formale aut radicale indiuiduationis substantiæ vllius.* Hæc est iuxta tertiam sententiam contra duas primas.

*Probatur* efficaciter, quia potest esse substantia quæcunque indiuidua absque quantitate, & quocunque accidente absoluto , & quacumque etiam collectione talium accidentium:ergo nec quantitas, nec accidens aliquod absolutum vllum , nec vlla collectio accidentium absolutorum est principium formale aut radicale indiuiduationis ; per principium enim formale & radicale indiuiduationis intelligimus illud , sine quo non potest esse indiuiduatio.

*Confirmatur* , quia quantitas eadem cum quocunque accidente absoluto, & quacunque etiam collectione talium accidentiũ,quæ assignari possunt pro principio indiuiduationis substãtiæ materialis singularis,v.g.panis, potest esse absq; eo quod sit hic panis,vt patet de facto in mysterio Eucharistię,vbi reperiuntur accidentia omnia absoluta, quæ fuerunt ante cõsecrationem in pane, post consecrationem absque pane : sed non potest esse principium formale aut radicale,saltẽ totale,indiuiduationis absque re indiuiduata per ipsum:ergo nec quãtitas se sola,nec vllum accidens absolutum,nec vlla collectio accidentiũ potest esse principiũ indiuiduationis.

*Confirmatur secundò* , quia potest esse eadem numero quantitas cum quacunque collectione accidentium absolutorum in diuersa numero substantia,etiam pro eodem tempore,pro quo fuit in alia substantia : ergo non potest esse principiũ formale aut radicale indiuiduationis,quia alias illæ duæ substãtiæ essent & non essent eadem numero substantia;nõ essent quidem ex hypothesi quod essent distinctæ;essent autem ex eo,quod conuenirent in eodem principio radicali aut formali indiuiduationis. Dico autem quod eadem quantitas cum eadem collectione accidentium posset esse in diuersis numero substantiis pro eodem tempore,non simul;sed ita,quod si Deus noluisset illa ponere in hac substantia,in qua ea de facto produxit pro tali tempore, possit ea ponere in alia substantia pro eodem tempore : imo simul possunt poni in diuersis numero substantiis,si vera sit sententia quod vnum accidens numero possit poni in diuersis subiectis;quæ sane probabilissima est.

32.*Dices* in fauorem primæ sententiæ:quãdo assignatur pro principio indiuiduationis collectio accidẽtium, nõ debere intelligi hoc de collectione accidentium absolutorum solummodo,sed de collectione accidentium, in qua essent aliqua relatiua,vt v.g.forma,figura,respectus ad tempus & locum : huiusmodi autem collectio nequit reperiri aut absque illa natura singulari , in qua semel existit,aut in pluribus naturis singularibus.

*Contra*,quia quantum ad formam & figuram accidentalem,certum est esse eandem formam & figuram accidentium Eucharistiæ post & ante consecrationem,& eãdem etiam numero posse esse in alia substantia panis distincta à priori:& idem est de respectu eorundem accidentium ad tempus & locum. Quod si velis dicere respectum ipsiusmet substantiæ singularis ad locum & tempus non posse reperiri in alia substantia,verum quidem est,sed nihil ad propositum,quia non ab illo respectu indiuiduatur substantia,quandoquidem eadem substantia possit esse absque vllo particulari respectu ad locum & tempus , quia scilicet potest esse in alio loco & alio tempore , & potuisset non fuisse in vllo loco aut tempore in quo fuit.

33. *Probatur secundò* , quia ipsa quantitas , quæ esset principiũ indiuiduationis vel formale vel radicale,Petri v.g.debet esse singularis,vt indiuiduet & constituat Petrum in esse tali vel formaliter vel radicaliter:tum quia alias non posset inexistere Petro,nec enim quãtitas vniuersalis non singularis potest existere à parte rei, vt est euidens , quia alias daretur idæa Platonica ; tum quia quantitas secundum rationem specificam suam est indifferens ad indiuiduandum Petrum , & quodcunque aliud indiuiduum materiale, & consequenter ad hoc vt determinetur ad Petrum,debet esse singularis. Tum sic: Quantitas habet esse singularis vel à seipsa , vel ab aliquo alio:si dicas quod seipsa indiuiduetur absque aliquo principio formali aut radicali indiuiduationis distincto realiter aut formaliter à se : ergo idem posses dicere de illa substantia, in qua subiectatur , & quam dicis per quantitatem indiuiduari;& consequenter non debes dicere quod illa substantia indiuiduetur per quantitatem radicaliter aut formaliter.

*Si dicas*,quod quantitas indiuiduetur per aliquid formaliter tantum à se distinctum:ergo idem etiam posses dicere de ipsa substantia. Si denique dicas quod indiuiduetur per aliquid realiter distinctũ,præterquam quod non possit assignari quid sit,adhuc sequeretur quod ipsa substantia posset etiam dici per illud , & non per quantitatem formaliter aut radicaliter indiuiduari , & sic quantitas non esset principium formale aut radicale indiuiduationis,sed potius illud alterum,per quod indiuiduaretur ipsa quantitas.

Hoc argumẽtum potest fieri de quocumque accidẽte tam absoluto quam respectiuo, & de quacunque etiam collectione accidentium , & conuincit conclusionem, quæ variis aliis rationibus probari posset : sed sufficiet vnam addere particulariter contra *Ferrar. & Capreolũ*: Ipsa substantia Petri v.g.secluſa quantitate , non solum esset realiter immultiplicabilis numero, sed etiã re vera non esset substantia Pauli, quandoquidem posset esse in rerum natura sine Paulo, sicut & Paulus sine Petro,distinguuntur enim sine dubio realiter Petrus & Paulus; ergo non solum non habet Petrus incommunicabilitatem à quantitate , sed nec ab ipsa habet distinctionem numeralem , quia distinctio numeralis nihil aliud est, quam vel negatio,secundum quam dici potest quod hęc res incommunicabilis non sit illa,vel certe principium ad quod sequitur illa negatio.

34.*Obii.*quãdo aliquid primò & per se cõpetit alicui,si tale quid cõpetit alicui alteri,debet cõpetere ipsi ratione illius,

illius, cui primo & per se competit: sed diuidi numerice nihil aliud est, quam diuidi in partes eiusdem rationis, & hoc competit per se primo quantitati: ergo non potest cõpetere alicui substãtiæ aut accidenti nisi ratione quãtitatis: ergo quãtitas est principiũ vel formale, vel radicale diuisionis numericæ, & cõsequẽter indiuiduationis.

*Respõdetur*, quidquid sit de maiori, de qua dubitari posset, quia etiam si calor per se primo cõpeteret igni, non propterea sequeretur, quod non competeret alicui alteri, nisi rei habenti in se ignem, aut nisi ratione ignis; vnde maior prædicta, vt sit vera, debet intelligi de eo, quod ita conuenit per se alicui, vt non possit dari illud, nec aliquid simile ipsi absque eo, cui sic competeret. Sed quidquid sit de hoc, admissa maiori.

*Respondeo* distinguendo minorem: diuidi numerice nõ est aliud, quam diuidi in partes subiectiuas eiusdem rationis, de quibus ipsum diuisũ prædicatur, & in quibus multiplicatur, concedo minorem pro illa parte, & nego secundã partẽ, quod hoc cõpetat per se primo quãtitati magis quã substantiæ aut qualitatibus: diuidi numerice non est aliud quam diuidi in partes integrantes, de quarũ singulis ipsũ diuisũ nõ prædicatur, sicut diuiditur totum homogeneum hoc est totũ constans partibus integrantibus eiusdem rationis, v.g. aqua in plures aquas per discontinuationem suarum partium, nego minorem, quia certum est Petrũ & Paulum distingui numero, & naturã humanam diuidi in illis numerice, & tamen non diuiditur in illis hoc modo. Quod si etiam in hoc sensu concederetur quod diuidi numerice non est aliud quam diuidi in partes integrantes eiusdẽ rationis; de quarũ singulis non prædicatur ipsum diuisum, adhuc negaretur secunda pars minoris, nempe quod diuidi numerice cõpetat per se primo quantitati; nam substantiæ materiales & qualitates sunt etiam diuisibiles in tales partes, vt ostendemus inferius, dum agemus de quantitate.

35. *Fatendum est* quidẽ, quod diuisibilitas aliqua particularis competat quantitati, & quod nihil possit diuidi dĩuisione correspondenti tali diuisibilitati, nisi vel quãtitas vel subiectũ quantitatis, vel subiectatum in quantitate aut quanto, & quod consequenter quãtitas sit principiũ diuisionis huiusmodi, non tamen formale, quia ipsa diuisio, seu separatio partium est, quo formaliter vnũ diuiditur numero ab alio, etiam in hoc sensu, nec aliud principium formale diuisionis requiri debet. Erit ergo quantitas principiũ radicale huius diuisionis: quatenus nulli alteri rei potest cõpetere talis diuisio nisi habenti quantitatem pro forma, vt substantia habet, vel pro subiecto, vt qualitates materiales subiectatæ in quantitate.

Quo sẽsu quantitas potest esse principiũ diuisionis.

Sed hinc nõ sequitur, quod quantitas sit principiũ radicale, aut formale indiuiduationis simpliciter, seu illud ratione cuius vnum indiuiduũ distinguitur aut à natura specifica aut ab alio indiuiduo. Imo non sequitur, quod quãtitas vlla sit ratio formalis, aut radicalis cur aliquid dicatur vnum numero indiuiduum distinctum ab alio numero indiuiduo, etiam accipiendo vnum numero pro vna re quantitatiua, quia probabilius est vnam numero quantitatem posse esse non solum successiue in Petro & Paulo per Dei potentiam, sed etiam simul & semel, & tamen in vtroque casu Petrus & Paulus distinguerentur numero in sensu proposito, quia essent duo incommunicabilia habentia quantitatem, quorum vnum non esset coniunctum alteri: ergo quantitas non est ratio formalis aut radicalis adæquata, ob quam duo quantitatiua distinguuntur à se inuicem, quamuis sit ratio sine qua non possint distingui numero, quandoquidem non possint esse quantitatiua sine quantitate.

36. Vt hæc res adhuc clarius intelligatur, aduertendum est, aliquod quantitatiuum esse diuisum ab alio quãtitatiuo, posse habere duplicem sensum, primo quod sit separatum ab ipso per ablationem coniunctionis & cõtinuationis quam ante habuit cũ ipso; secũdò quod sit separatum ab ipso per negationem vnionis seu cõtinuationis, siue illa continuatio fuerit ante, siue non fuerit.

Sed neutro ex his modis quantitas est ratio formalis aut radicalis totalis, ratione cuius vni quantitatiuo cõpetit esse diuisũ ab alio quantitatiuo: non primo modo, quia res diuisa, quæ ante fuit continuata, habuit eãdem quantitatem quoad omnia absoluta, quæ sunt de ratione quantitatis, ante & post diuisionem: ergo non est principiũ radicale nec formale diuisionis, quia alias res esset diuisa, quando erat continuata. Non etiã secũdo modo, quia alias non posset res diuisa continuari manẽte eadẽ quãtitate, quod falsum apparet in aqua, quæ quãuis nũquã fuisset coniuncta aut continuata, posset postea cõtinuari cum alia aqua, nõ deperdita quantitate sua. Probatur sequela, quia manente principio formali aut radicali diuisionis nequit res non esse diuisa. Itaque principium formale quare hæc aqua sit diuisa ab illa aqua, cui erat ante coniuncta; vel est negatio vnionis quæ ante fuit, vel aliquid positiuum distinctum à quantitate, ad quod sequitur talis negatio. Et principium radicale, ad quod necessario sequitur talis negatio, aut positiuum, non est assignandum, sed dicendum est quod sequatur nunc ex eo, quod causa efficiens producat aliquid iam quod ante non produxit, vel desinat conseruare aliquid quod ante conseruabatur vel producebatur. Similiter principium formale, quare hæc aqua sit diuisa ab alia aqua, cui non erat ante coniuncta, est negatio continuationis cum illla, non præsupponens nec connotans continuationem antecedentẽ, aut aliquid positiuũ, ad quod sequitur talis negatio; nec assignandũ est aliquod principium radicale ad hanc diuisionem, sicut nec ad priorem, sed recurrendum ad principium effectiuum.

## CONCLVSIO II.

37. *Nec quantitas, nec vllum aliud accidens, nec collectio vlla accidentium potest esse sufficiens principium nobis ad colligendum cum certitudine quod vllum vnum indiuiduum sit distinctum ab omnibus aliis indiuiduis determinate.* Hæc patet ex dictis, quia quantitas, & quodcunque accidens, & quæcunque etiam collectio accidentium, quæ est in vno indiuiduo, possent esse secundum omnem rationem, secundum quam à nobis cognoscuntur, in alio indiuiduo: ergo ex illis non potest cognosci cum certitudine, quod vnum ex illis, in quo sunt, distinguatur ab alio, in quo & sunt.

Quãtitas non potest esse principiũ vnde nos colligamus vnũ indiuiduum distingui ab alio.

*Confirmatur* efficaciter, quia duo indiuidua aquæ, v.g. possent esse tam similia in omnibus accidentibus, vt naturaliter non possimus cognoscere, si proponãtur nobis successiue, an aqua, quæ secundo loco proponitur, sit ipsamet aqua, quæ primò proponebatur, vel altera aqua.

Hoc tamen non obstante, per hoc quod videamus aliquid habere quodcũque accidens possumus ex hoc colligere quod sit singulare, quia accidentia realiter existentia habent aliquod subiectum singulare necessario, nec enim possunt subiectari in naturis vniuersalibus, quæ non dantur à parte rei nisi in singularibus. Rursus per hoc quod videamus aliqua simul habere accidentia aliqua diuersa siue absoluta siue respectiua, colligimus illa esse numero distincta; & hac de causa Porphirius, Damascenus, & Basilius descripsere indiuidua per ordinem ad accidentia, quia sc. nos colligimus communiter ex diuersitate accidentium indiuidua esse distincta, seu vnum indiuiduum non esse aliud; & hinc ex eo quod videamus Petrum esse longum, & Paulum breuem, colligimus Petrum non esse Paulum, & ita de cæteris. Et hinc etiam, quando non reperimus hanc diuersitatem, propter summam rerum aliquarum, v.g. duarum aquarum etiam in accidentibus similitudinem, non possumus vnam ab altera distinguere.

## QVÆSTIO V.

### *Vtrum existentia sit principium indiuiduationis.*

38 HEnricus tenere videtur partẽ affirmatiuã, quem videtur secutus Ægydius Romanus, nam in hoc fundat secundum aliquos suos sequaces aliam sententiã de multiplicatione Angelorum intra eandem speciẽ, sic enim in hac re philosophatur vt existimet, nõ posse dari vllũ Angelum similem vlli Angelo, qui de facto existit, quãdiu existit, si tamẽ annihilaretur Angelus, qui de facto existit, tũ posse Deum producere duos Angelos eiusdẽ speciei cũ ipso. Et si quæratur cur isti alij Angeli sint simul

Sententia Ægidij Romani.

simul compatibiles,& Angelus de facto existens non sit compatibilis cum vllo ex illis? Respondeo rationem esse quia Angelus de facto existens habet totam existentiam,quæ potest competere tali speciei quoad omnes gradus possibiles eiusdem, vnde existente ipso non potest existere vllus alius Angelus eiusdem speciei, quia scilicet non potest habere vllũ gradum existentię, cum omnes habeat Angelus de facto existens.At si annihilaretur Angelus de facto existens , potuisset Deus creare alium Angelum, & dare ipsi partem tantũ istius existentiæ, & consequenter posset simul creare alium Angelum intra eandem speciem , cui communicaret aliam partem eiusdem existentiæ.

Posset confirmari hæc doctrina,quæ multis apparet irrationab ilis , hoc modo : est possibile aliud indiuiduum distinctum à Petro,qui constat eadem materia numero qua constat Petrus; & tamen non potest simul existere cum Petro , quia eadem numero materia non potest esse simul in duobus indiuiduis , potest tamen seorsum:ergo similiter,quantumuis esset possibilis alius Angelus distinctus ab Angelo,qui de facto existit, non tamen potest simul cum ipso existere , si aliquis ex his habeat omnes gradus possibiles existentiæ correspondentes isti speciei.

## CONCLVSIO I.

Existẽtia non est principiũ formale indiuiduationis.

39. *Existentia non est principium formale indiuiduationis.* Est communis cum *Doct.2.d.3.q.3. Probatur primò*, quia indiuiduum,vt tale etiam,ponitur in prædicamentis , ergo quidquid concurrit ad eius constitutionem, debet in ipsis poni:sed existentia non ponitur in prædicamentis , omnia enim prædicamentalia abstrahunt ab existentia : ergo non est principium constitutiuum indiuidui.

*Confirmatur*,quia Petrus est distinctus numero à Paulo siue existat,siue non:ergo illud , quo constituitur distinctus, non est existentia.

*Probatur secundò*, quia existentia formaliter non habet alium conceptum quam facere rem existentem: ergo non habet formaliter constituere rem distinctam numero ab aliis rebus,& consequenter non est principium formale indiuiduandi.

*Probatur tertiò* , quia non potest intelligi quod existentia adueniat aut possit aduenire nisi rei singulari ac indiuiduæ:ergo præsupponit principium indiuiduationis,& consequenter non erit principium indiuiduationis aut radicale aut formale.

*Obiicies*:actus est,qui distinguit:ergo vltimus actus est qui vltimo distinguit : sed existentia est vltimus actus rei,ergo est quæ vltimò distinguit rem,& consequenter est principium indiuiduationis:principium enim indiuiduationis est principium vltimò distinctiuum rei.

*Respondeo* concedendo totum vsque ad vltimum consequens,quod nego,& distinguo eius probationẽ:ex iis quæ ponuntur in prædicamento, cõcedo;ex aliis, nego & quod vltimus actus quomodocumque non sit principiũ indiuiduationis,patet,quia aliàs accidentia essent principiũ indiuiduationis , quia vltimatius & posterius actuant rem , quã existentia , vt patet, & tamen secundum aduersarios non sunt principium indiuiduationis.

Si non potest multiplicari species Angelica actu existẽs, non posset , si destrueretur.

## CONCLVSIO II.

40. *Quamuis existentia esset principium indiuiduationis,adhuc falsa esset sententia Ægidij , quod scilicet non possit existere cum vllo Angelo de facto existente alius eiusdem speciei Angelus , licet eo destructo possint existere duo Angeli eiusdem speciei cum ipso.* Hæc etiam est communis,& *Probatur primò*, quia sine fundamento asseritur, quod vnus Angelus de facto existens habeat omnes gradus existentiæ competibiles illi speciei.

Nulla res existens habet plures gradus existentiæ quã alia.

*Probatur secundò*,quia nulla res existens potest habere plures gradus existentiæ quam alia res : ergo si duo Angeli eiusdem speciei cum Angelo de facto existẽte possunt simul existere eo destructo , etiam possunt existere eo non destructo. Consequentia est euidens ex fundamento Ægidij.Probatur antecedens, quia omnes res æque perfecte existunt,quando existunt : ergo nulli rei competunt plures gradus existentiæ quàm alteri. Probatur antecedens,quia omnes res existentes creatæ sunt æqualiter extra suas causas,& quoad hoc nõ potest dari inæqualitas respectu earum ; quod maxime locum habet in Angelis , & rebus dependentibus in esse & conseruari à solo Deo.

*Confirmatur hoc*, quia si fuisset Angelus habens duos gradus existentiæ,& alius habẽs tres,non posset ostendi ex quo capite vnus perfectius,siue extensiue, siue intensiue existeret quam alius : ergo male dicitur quod vnus Angelus habere possit perfectiorem siue extensiue siue intensiue existentiam quam alter Angelus.

*Confirmatur secundò*, quia tertius gradus existentiæ esset omnino frustraneus , & nullum haberet effectum: ergo non est dicendum quod de facto Angelus existens habeat plures gradus existentiæ.

*Probatur tertiò*, quia si Angelus de facto existens haberet omnes gradus existentiæ , qui possent competere illi speciei, haberet infinitos gradus existentiæ actualiter:sed consequens est absurdum ; ergo & antecedens. Probatur sequela,quia sunt infinita indiuidua istius speciei possibilia,& cuilibet correspondet sua propria existentia : ergo si illud vnum indiuiduum habet omnes gradus existentiæ,quæ possunt competere omnibus indiuiduis istius speciei, habęt infinitos gradus.

Denique illa sententia supponit existentiam esse realiter distinctam ab essentia : sed hoc falsum , vt ostendemus : ergo illa sententia , quæ ab hoc dependet , est falsa. Adde aduersarios nullum habere pro se fundamentum.

## QVÆSTIO VI.

*Vtrum materia sit principium indiuiduationis.*

41. Magis frequens est opinio inter Thomistas, quod principium indiuiduationis sit materia prima ; quam tamen sententiam , vtpote difficillimam, non eodem modo explicant omnes, nam aliqui, vt *Capreol.Ferrar. Soncinas* dicunt materiam signatam quantitate ; hoc est stantem sub dimensionibus terminatis ita esse principium indiuiduationis , vt ipsa materia sit id,quod dat indiuiduo suam incommunicabilitatem, quantitas vero det ipsi distinctionem.

*Alij putant*,ipsam materiam non vt affectam quantitate, sed vt est in potentia ad quantitatem : esse indiuiduationis principium, & hoc est quod intelligunt per materiam signatam. Ita sentiunt *Ægid. Iauell. Bagnes, Zumel*,& aliquando etiam *Caietanus* ita sensit,licet postea hunc dicendi modum improbauerit asserens per materiam signatam intelligi materiã, vt est fundamentum,radix, & causa quantitatis:in hoc autem discrepat hic modus à priori,quod in priori,per materiam signatam intelligatur materia cum potentia formaliter accepta ad quantitatem ; in posteriori vero intelligatur materia cum potentia radicaliter accepta.

*Ioannes à sancto Thoma q.9.* de Generatione,vbi tractat hanc controuersiam *art.4.*dicit materiam signatam esse materiam,vt dicit ordinẽ non actualem,sed aptitudinalem ad quantitatẽ,vt diuidentem & separantem.In quo modo dicendi an cõueniat cũ vllis ex prædictis authoribus,an ipse nouã viam excogitauerit, nescio,& perinde est ad propositum; ipsemet satis confuse rem explicat.

## CONCLVSIO I.

Materia absolute sumpta non est principium indiuiduationis.

42. *Materia absolute sumpta non est principium indiuiduationis rerum materialium.* Est communis cum Doctore supra *q.5.Probatur primò* , quia quod est intrinsecum naturæ specificæ, vt talis , non potest esse principium indiuiduationis,vt supra ostensum est:sed materia est de intrinseca ratione naturæ specificæ materialis: ergo.Probatur minor, quia secundum Philosophum 7. *Met.tex.*39.ex materia & forma in vniuersali fit homo & animal in communi,ex materia verò & forma in particulari fit homo & animal in particulari.

*Dices*:ex hoc tantum sequitur quod materia in vniuersali non sit principium indiuiduationis , non vero habetur quin materia particularis, seu singularis sit tale principium.

*Contra*,

*Contra*, quia saltem habetur, quod detur materia in communi & materia particularis, seu singularis: ergo materia in communi debet habere aliquod principium indiuiduationis: sed illud principium non potest esse materia, vt patet; & consequenter materia non est principium indiuiduationis; illud enim, per quod indiuiduatur ipsa materia, est potius principium indiuiduationis, quam ipsa materia.

*Probatur secundò*, quia si materia, siue in communi, siue in particulari, esset principium indiuiduationis, sequeretur genitum & corruptum habere vnicum principiũ indiuiduationis, & consequenter esse vnum indiuiduũ, quod est absurdissimum. Probatur sequela, quia quando generatur ignis ex ligno, eadem numero materia, quæ erat in ligno, postea est in igne: ergo, si materia esset principium indiuiduationis, ignis & lignum haberent vnum numero principium indiuiduationis. Hoc argumento coacti sunt Thomistæ, ad asserendum quod materia non quomodocumque, sed signata, sit principium indiuiduationis: contra quod sit

## CONCLVSIO II.

Materia signata non est principium indiuiduationis.

43. *Materia signata non est principium indiuiduationis rerum naturaliũ.* Est communis cum *Doctore* supra contra Thomistas. *Probatur*, quia vel per materiã signatam intelligitur materia, vt affecta quantitate, vel materia vt dicit potentiam formaliter ad quantitatem, vel materia vt dicit potentiam radicalem ad quantitatẽ: sed neutro horum modorum potest materia esse principiũ indiuiduationis: ergo. Probatur minor quoad primam partẽ, quia materia vt affecta quantitate est ens per accidens: sed ens per accidens non potest esse principium constitutiuum entis per se. Et hoc eodem argumento impugnatur secundus modus, quia materia, vt dicit potentiã formalẽ, est etiam ens per accidens, maxime secundum aduersarios, qui dicunt potentiam illam formalem esse, vel de prædicamento qualitatis, vel de prædicamento quantitatis, materiam autem de prædicamento substantiæ. Probatur minor quoad tertiã partẽ & etiam quoad secundam, quia materia prima non habet à se ipsa illam potentiam siue formalem, siue radicalem, alias omnes materiæ haberent eandem signationẽ, cum omnes sint eiusdem speciei, quod est absurdum: ergo ab aliquo alio, & consequenter illud aliud potius erit principium indiuiduationis quàm materia prima, quatenus habet illam potentiam, siue formalem, siue radicalem.

*Confirmatur* hoc, quia sicut secundum aduersarios illud est principium radicale indiuiduationis, ratione cuius competit rei sua indiuiduatio, ita etiam illud debet censeri esse principium indiuiduationis materiæ, ratione cuius competit ipsi sua signatio.

44. *Probatur secundò* conclusio, quia per materiam signatam non potest intelligi, nisi materia cum quantitate habente talem dispositionem partium suarum; vel materia vt dicit ordinem aut capacitatem siue formalem, siue fundamentalem, ad talem quantitatem: sed materia, vt habet talem quantitatem cum tali ordine partium, & vt habet capacitatem tam fundamentalem, quàm formalem ad illam quantitatem, potest esse in diuersis indiuiduis tam numero quã specie distinctis: ergo non potest esse vt sic, principiũ indiuiduationis istorum indiuiuiduorum. Consequentia est manifesta ex secunda probatione primæ conclusionis, & quia ideo recurrunt aduersarij ad materiã signatã, & non ad materiam secundũ se, quia materia secundũ se potest esse in diuersis indiuiduis: ergo si materia signata potest esse in pluribus indiuiduis, frustra recurritur ad illam. Probatur ergo minor, quia sicut est eadem numero materia, quæ est in genito & corrupto, ita non potest ostendi, cur eadem numero quantitas non potest esse in illis, præsertim si quantitas subiectetur in materia prima; quod si quantitas non subiectetur in materia prima, quamuis possit ostendi ratio, cur eadẽ numero quantitas nõ posset in esse genito & corrupto naturaliter, quia scilicet non potest naturaliter accidens transire de subiecto in subiectum; tamen non potest ostendi cur eadem numero quantitas supernaturaliter non posset esse in genito & corrupto: atqui si eadem numero quantitas subiectari possit in diuersis, eadem ratione posset habere in diuersis eandem omnino positionem partium inter se inuicem. Quod si indiuidua diuersæ speciei requirant in materia sua diuersam signationem; (quod ipsum etiam facile ostendi nequit) certe, quod indiuidua eiusdem speciei id requirant, gratissime, & sine vllo prorsus fundamento asseritur.

45. *Probatur tertiò*, quia quæro, quid formaliter det materiæ talem vel talem significationem? non quãtitas talis, tum propter rationes quibus probatum est, quantitatem non esse principium indiuiduationis: tum quia ipsa quantitas præsupponit materiam taliter signatam: neque aliquid aliud potest assignari, quod sit ratio seu principium, vnde materia habeat talem assignationem, nisi quod materia sit singularis; ergo materia habet singularitatem antecedenter ad illam signationem, & consequenter materia vt signata, quomodocumque hoc intelligatur, non est principium indiuiduationis.

*Respondet* ad hoc *Ioannes à sancto Thoma*, quod materia habet hanc assignationem à quantitate, vt diuidens & separans, & quod tamen quantitas vt informans indiuiduetur à materia sic, vt vnum indiuiduetur ab altero in diuerso genere causæ.

*Contra*, quia implicat ista mutua dependẽtia in diuerso etiam genere causæ, vt suo loco probabimus in Physica.

*Contra secundò*, quia materia potest esse singularis realiter absque vlla quantitate existente: ergo nullo modo habet indiuiduari à quantitate sub vlla consideratione.

*Contra tertiò*, quia eadem numero quantitas potest esse in diuersis materiis, & eadem numero materia sub diuersis quantitatibus: ergo non habent à se inuicem indiuiduationem.

*Probatur quartò*: formæ substantiales & accidentales non indiuiduantur per materiam signatam, neque formaliter neque radicaliter: ergo materia signata non est principium radicale, aut formale indiuiduationis omnium rerum materialium: consequentia est euidens: antecedens probabitur postea.

*Probatur quintò*, quia sicut intelligi potest quod materia prima, aut quantitas indiuiduetur seipsa: ita etiam potest intelligi quod forma substãtialis & quæcumque alia res materialis indiuiduetur seipsa: ergo sine fundamento asseritur quod materia prima, quomodocumque considerata, sit principium, siue radicale siue formale indiuiduationis.

46. *Obiicies*: Philosophus 5. *Met. c.* de Vno. *Vnũ numero*, inquit, *sunt quorum materia est vna*, & primo de cælo ait: *Cum dico cælum, dico formam; cum dico hoc cælum, dico materiam*, & 12. *Met.* ait esse plures cælos ratione materiæ: ergo multiplicatio numeralis prouenit à materia vel formaliter vel radicaliter. *Confirmatur*, quia 12. *Met. tex.* 49. ait: *quæcumque sunt multa numero, materiam habẽt.*

*Respondeo primò*, si non posset explicari Philosophus commode, potius esse absolute negandam eius authoritatem, quam propter eam solam tenendum esse oppositum conclusionis nostræ contra tam manifestas rationes, & cum tanta difficultate satisfaciendi ipsis, quam experiuntur aduersarij.

*Respondeo secundò* cum Doctore, Philosophũ in omnibus locis, in quibus attribuit multiplicationem numericam solis rebus cõstantibus materia, non intelligere per materiã, materiam primã physicam, sed materiam metaphysicam, id est hæceitatẽ, quæ propter proportionẽ, quam habet cum materia prima physica, vocari bene potest materia: proportio autem illa consistit potissimũ in hoc, quod quemadmodũ materia physica non dat esse principale cõposito physico, ita nec singularitas dat esse principale indiuiduo, cum non sit de ipsius essentia.

*Confirmatur* hæc responsio, quia certũ est Philosophũ non semper capere materiam pro materia physica, ex 5. *Met. tex.* 10. vbi dicit quod homo & equus & canis sunt vnũ, sicut illa sunt vnum, quorum materia est vna: hic capit materiã pro genere ita, vt sensus sit quod illa

sunt vnum materia, quæ sunt vnum genere: ergo non debet intelligi quod capiat materiam pro materia prima physica: & præterea sicut ipse capit materiam pro genere aliquando, quare non caperet aliquando materiam pro hæcceitate?

*Respondeo tertiò* negando consequentiam; quia solum sequitur quod non posset fieri multiplicatio numeralis nisi in rebus materialibus, seu dicentibus ordinem ad materiam: sed hinc non sequitur quod materia sit principium formale, aut radicale indiuiduationis; nam licet nihil possit esse risibile, quod non sit animal, tamen non inde sequitur quod animal sit principium radicale; aut formale constitutiuum risibilis.

47. *Dices*: saltem ex locis illis sic intellectis habetur quod non possit dari multiplicatio indiuidualis in vna specie Angelica, quod est contra Doctorem.

Angeli secundũ Philosophum non possũt multiplicari numero intra eãdem speciem.

*Respondeo*, concedendo sequelam iuxta Philosophum, qui ex duobus principiis id collegit: primum est quod Angeli erant producti ab æterno, & quidem necessario: secundum, quod omne multiplicabile numeraliter sit multiplicabile in infinitum; ex his enim duobus principiis colligit, si Angeli essent multiplicabiles numeraliter, & multiplicarentur de facto, quod infiniti Angeli de facto essent producti: quod cum ipse reputarit absurdum, non est mirum quod existimarit Angelos non esse multiplicabiles numeraliter.

Verum ex his duobus principiis primum est manifeste falsum: quid ergo mirũ quod ex principio falso conclusio falsa sit deducta? & si nos discouenimus cum Philosopho in principio, cur non etiam in conclusione?

*Posset etiam responderi quartò*: quod ipse vnum numero non acceperit in illis locis pro eo, quod non est vniuersale, sed pro toto quantitatiuo particulari, quod haberet partes continuatas inter se & discontinuatas à quocumque alio: quo sensu superius diximus vnum numero accipi à quibusdã authoribus, qui fortassis acceptionẽ illã sumpserũt à Philosopho in prædictis & aliis similibus locis; in hoc enim sensu posset esse quod nihil sit plurificabile numero, quod non constet materia.

48. *Ioannes à sancto Thoma* particulariter vrget contra nos, quod Philosophus 12, *Met. tex.* 49. probet non dari plures Deos numero distinctos, quia Deus caret materia, & quæcumque numero tantum sunt distincta habent materiam. Et postquam probauit materiam ibi non posse capi pro hæcceitate, sed pro materia physica addit, probationes quibus Philosophus probat Dei vnitatem aut eius perfectiones, non esse contemnendas quia per ipsas cognouerunt Philosophi verum Deum & Apostolus dicit. *Rom.* 2. Quod cum ipsi cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.

*Respondetur* quantũ ad hoc vltimum, licet verum esset quod cognouissent Philosophi, & inter ipsos Aristoteles Deum verum, teste Apostolo, non tamen inde sequi quod cognouerint ipsum per rationes bonas, quia poterant agnoscere ipsum per rationes aliquas sibi apparentes, sed reuera malas. Et præterea licet cognouissent ipsum per rationes veras & bonas, non tamen sequeretur quod omnes rationes, quibus ad hoc vtebantur essent bonæ; & præsertim id negari deberet de ratione prædicta, si intelligenda esset in sensu aduersarij.

*Respondeo* vlterius illum posse intelligi de materia non prima & physica, sed de materia, provt idem est materia ac res determinabilis ac contrahibilis: nihil enim potest diuidi numero intra eandem speciem, nisi quod includit materiam specificam determinabilem, & consequenter materiam in hoc sensu; vnde, quia Deus non includit materiam in hoc sensu propter suam infinitatem, ideo sequitur optime quod sit vnus numero. Quæ responsio facilis est, & potest applicari cæteris authoritatibus Philosophi, quibus significat materiam esse principium indiuiduationis.

49. *Obiicies secundò*: debet assignari aliqua radix, ratione cuius cõpetat rei principium formale indiuiduationis: sed non potest assignari aliud cõuenientius quã materia prima: ergo materia prima, saltẽ erit principiũ radicale indiuiduationis, vel secundũ se, vel vt est signata.

*Respondeo*: sicut ipsa materia prima potest intelligi singularis & vna numero absque aliqua radice, qua mediante deberet ipsi conuenire sua hæcceitas, ita etiam quamcumque aliam rem posse intelligi; vnde in forma respondeo distinguendo maiorem: aliqua radix distincta realiter à re indiuidua, nego maiorem: aliqua radix, hoc est ipsamet res indiuidua, concedo maiorem, quæ etiam simpliciter negari potest.

*Obiicies tertiò*. Materia signata, hoc est, vt capax huius & non alterius quantitatis, non potest intelligi vt vniuersalis: ergo est de se singularis, & consequenter est principium indiuiduationis.

*Respondeo* negando secundam consequentiam: Petrus enim non potest intelligi vt vniuersalis, & est de se singularis, & tamẽ non propterea est principiũ indiuiduationis siue ipsius, siue etiam alterius, sed potius est indiuiduum constitutum per principiũ indiuiduationis. Itaque non illud, quod est singulare vt *quod*, sed potius illud, quod est singulare, vt *quo*, hoc est, quo constituitur res in esse singularis, est principium indiuiduationis.

## QVÆSTIO VII.

*Vtrum forma substantialis, seu forma & materia simul sint principium indiuiduationis.*

ALiqui putant solam formam esse principium indiuiduationis; alij formam & materiam: hoc ergo hic est examinandum.

## CONCLVSIO I.

Forma substantialis nõ est principium indiuiduationis.

*Forma substantialis non est principium indiuiduationis.*

*Probatur primo*, quia est intrinseca naturæ specificæ, ergo non est principium indiuiduationis. Hoc argumento vsi sumus quæstione præcedenti ad probandũ materiã non esse principiũ indiuiduationis. Videantur ibi dicta.

*Probatur secundò*, quia forma non potest esse principiũ indiuiduationis materiæ: ergo non est principiũ indiuiduationis omnium rerum materialium, quod est intentum conclusionis. Probatur antecedens, tum quia materia præsupponitur formæ, & quidem materia singularis formæ singulari, sicut materia in communi formæ in communi; tum etiam quia eadem materia singularis potest informari per diuersas numero formas.

*Probatur tertiò*, quia eadem forma potest esse in diuersis indiuiduis; sed hoc esset impossibile, si indiuiduarentur per ipsam: ergo non est principium indiuiduationis.

51. *Obiicies primò*: Vna numero forma non potest simul, nec successiue esse in pluribus materiis, sicut vna numero materia potest esse successiue sub pluribus formis: ergo forma est incommunicabilis, & consequenter principium indiuiduationis.

*Respondeo primò* negando antecedens, cuius oppositum supposuimus probatione vltima: & patet, quia nihil impedit quominus anima, quæ est in hoc corpore, sit in alio corpore eiusdem rationis.

*Respondeo secundò* negando consequentiam, quia quamuis forma singularis sit ratio cur compositum, in quo est, sit distinctum numero à quocumque alio composito, tamen non inde sequitur quod materia, aut aliæ res corporales sint distinctæ numero à cæteris rebus, & consequenter forma nequit esse principium indiuiduationis omnium rerum materialium.

*Obiicies secundò*: quod distinguit & separat ab aliis, est principium indiuiduationis: sed forma est, quæ distinguit & separat ab aliis, ergo.

*Respondeo* distinguendo maiorem: quod distinguit & separat numeraliter, concedo; quod alio modo distinguit & separat, nego maiorem. Similiter distinguo minorem: sed forma physica, de qua loquimur, distinguit & separat essentialiter, transeat; numero, nego minorem, & consequentiam. Imo neque forma distinguit etiam essentialiter, nisi compositum physicum: quare ad summum concedendo argumentum in toto rigore, non haberetur aliud, nisi quod esset principium indiuiduationis compositi; ex hoc autem non sequeretur, quod esset principium indiuiduationis omnium rerum materialium, vt paulo ante dixi.

CONCLV

CONCLVSIO II.

52. *Materia, & forma simul non sunt principia indiuiduationis omnium rerum materialium.*

*Probatur*:quia materia & forma simul includuntur in natura specifica corporis cuiuscumque naturalis: ergo non sunt principium indiuiduationis;nihil enim,quod includitur in natura specifica,vt distinguitur à singularitate, potest esse principium indiuiduationis istius rei, in qua includuntur,& multo minus aliarum rerum.

*Dices*:materiam & formam singularem non includi in materia specifica,& consequenter materiam, & formam singularem posse esse principiũ indiuiduationis.

*Contra*:si materia & forma vt sic,non sint singulares, ergo debent fieri singulares per aliquid distinctum à natura specifica ipsorum,& consequenter materia,& forma singulares non sunt principia indiuiduationis, sed potius illud,per quod singularizantur. *Præterea* principium singularizandi,seu indiuiduationis non potest esse sine re,quæ singularizatur per ipsum: sed materia, & forma singularis possunt existere à parte rei sine toto composito singularizato per illas;ergo non sunt principium singularizandi totum compositum.

*Dices* maiorem esse veram,loquendo de principio formali metaphysico,non vero loquendo de principio radicali physico.

*Contra primo*:quia modo quærimus de principio metaphysico indiuiduationis.*Secundo*,quia materia & forma non sunt principia indiuiduationis etiam physica, nisi compositi, in quo includuntur:sed dantur aliæ res materiales præter compositum:ergo materia & forma simul sumpta non sunt principium indiuiduationis omnium rerum materialium.

*Confirmatur*:quia materia & forma non sunt principium indiuiduationis ipsius materiæ,aut ipsius formæ, aut etiam accidentium:ergo non sunt principia indiuiduationis omnium rerum materialium.

53. *Obiicies*:principia essendi rei sunt principia vnitatis rei:sed materia & forma sunt principia essendi indiuiduo: ergo sunt principia vnitatis indiuidualis, & consequenter indiuiduationis.

*Respondeo* distinguendo maiorẽ:principia intrinseca essendi sunt principia vnitatis,concedo maiorem;principia extrinseca,nego maiorem.Distinguo etiam minorem:materia & forma sunt principia essendi indiuiduo compositi ex materia & forma, concedo minorem;indiuiduo non cõpositi ex materia & forma,nego minorem.Similiter distinguo consequens:sunt principia vnitatis indiuidualis indiuidui compositi ex materia & forma,concedo:aliorũ indiuiduorũ,nego. Itaque concedo quod omne cõpositũ materiale,sicut habet pro principio radicali physico generis & differẽtiæ suæ metaphysicæ materiã & formam physicam quoad speciem suã, & prædicata essẽtialia:ita habet etiã pro principio physico radicali suæ indiuiduationis materiã & formã singularẽ simul sumpta:propterea enim est tale compositũ singulare,quia cõstat tali forma & tali materia singulari, & nihil aliud potest cõstare ipsis simul sumptis, nisi hoc numero cõpositum:sed hinc non sequitur materiam & formam, aut quamlibet ex illis esse principiũ radicale,ac multo minus formale, indiuiduationis omniũ rerũ materialium,quia ipsa materia non potest esse principium indiuiduationis sui ipsius,neque forma,nec vtrũque simul potest esse principiũ radicale aut forma indiuiduationis accidentium, vt iam ostendemus.

QVÆSTIO VIII.

*Vtrum accidentia indiuiduarentur per subiectum,vel anima rationalis per materiam.*

CONCLVSIO I.

Accidentia absoluta non indiuiduantur à suis subiectis.

54. *Accidentia nulla absoluta indiuiduantur à suis subiectis.* Hæc est communissima Scotistarum & recentiorum *cum D.4.dist.12.qu.* contra Sanctum Thomam *1.par.qu.39.art.3.& qu.29.art.1.*qui oppositum tenet de omnibus accidentibus,quamuis *Caiet.* & aliqui alij dicant quod excludat quantitatem, quasi hanc vellet indiuiduari seipsa.

*Probatur primo* conclusio,quia nihil vnius generis potest facere vnũ per se cum re alterius generis:ergo subiectum accidentium(siue sit materia prima, siue totum cõpositum substantiale ortum ex materia & forma) nõ potest esse principium indiuiduationis accidentium,quę sunt alterius omnino prędicamẽti ab ipso.Probatur cõsequẽtia,quia principium indiuiduationis debet facere vnũ per se cum re, cuius est principiũ indiuiduationis; & hoc quidẽ concludit de principio formali indiuiduationis. Sed fortassis Thomistæ non volunt subiectum esse principium formale indiuiduationis accidentiũ,sed principiũ fundamentale.Sed cõtra hoc tamen est quod principium,etiã radicale,indiuiduationis debet esse tam intrinsecum rei indiuiduatæ, vt non possit existere res indiuiduata sine illo:sed accidentia absoluta, vt quantitas & qualitates possunt existere sine suo subiecto, vt patet de facto in Eucharistia: ergo subiectum non est principium etiam radicale indiuiduationis ipsorum.

*Respondent* aliqui ex Thomistis, quantitatem esse subiectum qualitatum,& qualitates indiuiduari per ipsam, ipsam autem quantitatem indiuiduari seipsa.

55. *Sed contra*, quia per potentiam Dei qualitates possunt conseruari sine quantitate tã bene,quam quantitas sine subiecto; ergo si quantitas non indiuiduetur per suũ subiectũ ex eo quod possit esse sine ipso,qualitates etiã nõ indiuiduantur per quantitatem,quandoquidem possint esse sine quantitate. Probatur antecedens, quia essentialius dependet quantitas à substantia,quam qualitas à quantitate, ergo si quantitas potest esse sine substantia,qualitas poterit esse sine quantitate.Probatur secundò,quia non potest ostendi ratio repugnantiæ,nisi petatur principium,dicendo quod ex eo non potest esse qualitas sine quantitate,quia indiuiduatur per ipsam.

*Confirmatur hoc*,quia antequam fuit separata quãtitas à substantia panis,idem esset indicium colligendi,quantitatem indiuiduari per substantiam, quod de facto est colligendi qualitates indiuiduari per quantitatem:ergo sicut male colligeretur tunc,quod indiuiduaretur quantitas per substantiam: ita male colligeretur de facto qualitas indiuiduetur per quantitatem.

*Contra secundo*, quia æque facile potest defendi,qualitates & quæcunque alia entia materialia indiuiduari seipsis,ac potest defendi quantitatem indiuiduari seipsa:ergo qui diceret vnum,deberet dicere alterum.

*Contra tertio*, quia ex illa responsione sequitur quod materia non sit principium indiuiduationis rerum materialium omnium,quod est contra aduersarios.

*Contra quarto*,& potest esse tertia probatio conclusionis:illud non potest esse principium indiuiduationis alicuius accidentis, quod æque bene potest coniungi cum illo accidente ac cum alio numero tantum distincto ab ipso:sed in eadem numero quantitate possunt inhærere duæ qualitates numero tantum distinctæ, v.g. duæ albedines,saltem successiue, neque enim in hoc potest ostendi vlla implicantia:ergo quantitas non est principium indiuiduationis qualitatum.

56. *Respondent alij Thomistæ*,quando dicitur quod accidentia indiuiduentur per subiectum,hoc non esse intelligendum ita, vt ipsum subiectum sit principium indiuiduationis, aut etiam ordo actualis accidentis ad ipsum,sed ita,vt ordo aptitudinalis accidentis ad subiectum sit principium indiuiduationis.

*Contra* tamẽ hoc etiam,quia eadem numero albedo, v.g.posset successiue inhærere variis subiectis,ergo dicit ordinem aptitudinalem ad varia subiecta:ergo non indiuiduatur per ordinem aptitudinalem ad subiectum. Probatur consequentia,quia non potest indiuiduari per plures ordines:sed si indiuiduaretur per ordinem aptitudinalem,deberet indiuiduari per plures:non enim est maior ratio,quare per vnum potius,quàm per alterum, & consequenter debet indiuiduari per omnes,si per vllum indiuiduatur.

*Contra secundo*, quia hæc numero albedo,quæ est in pariete,dicit ordinẽ aptitudinalem ad quodcunque subiectũ,ad quod dicit ordinem aptitudinalem albedo,quæ

est in alio pariete,posset enim in quocũque subiecto poni vna,in quo posset poni altera:ergo non indiuiduãtur per talem ordinem.Probatur consequẽtia,quia eatenus dicuntur ab aduersariis distingui numero per talem ordinem, quatenus quodcunque accidens distinctum numero tantum ab alio accidente dicit aliquem ordinem specialem ad aliquod subiectum,ad quod alterum accidens non dicit specialem ordinem:ergo si hoc sit falsũ, falsum erit quod indiuiduentur per talem ordinem.

*Confirmatur* hoc, quia si vnum accidens distinguatur numero ab alio accidente per ordinem aptitudinalẽ ad subiectum aliquod,tũc ex eo quod viderem aliquod accidens in aliquo subiecto, deberem iudicare quod esset distinctum à quocũque accidente subiectato in alio subiecto, & præterea deberem iudicare quod quodcunque accidens subiectatum in hoc subiecto esset idẽ numero cum quocunque alio eiusdem speciei in eodem subiectato:sed male ita iudicarem, quia posset Deus illud ipsum accidens subiectatum in vno subiecto subiectare in altero subiecto,& posset etiam, illo destructo, ponenere in eodem subiecto aliud simile accidens.

*Contra tertio*,quia sicut ordo vniuersalis præsupponit subiectum suum vniuersale,ita ordo singularis præsupponit subiectum suum singulare : ergo non constituit subiectum suum singulare. Probatur antecedens, quia ordo quicũque aptitudinalis profluit ab ipsa re, cuius est ordo:ergo sicut ordo vniuersalis non potest profluere nisi ab essentia vniuersalis ; ita ordo singularis non potest profluere nisi à re singulari.

57. *Probatur quarto conclusio*,& confirmantur prædictæ replicæ si hæc albedo indiuiduaretur,aut radicaliter aut formaliter ab hoc numero subiecto, maximè propter cõnexionem aliquam particularẽ, quam habet cum hoc subiecto, v.g.cum Petro : sed non habet connexionem aliquam particularem cum hoc subiecto ex vi subiecti præcisè, quia hoc subiectum est eiusdem essentiæ cum alio subiecto,v.g.cum Paulo, & solum ab ipso numero distinguitur, ergo ex vi subiecti quoad essentiam non habetur ista connexio ; sed nec habetur ex vi eius quoad singularitatem : quia singularitas Petri est eiusdẽ rationis quoad omnia cum singularitate Pauli, præter hoc quod vna fundat negationẽ idẽtitatis vnius ex ipsis cum altero,& præter hoc,quod constituant vna Petrum & altera Paulũ in esse vnius numero. Sed certe ex hoc capite non potest colligi quare vna albedo potius haberet connexionẽ cũ vno quam cũ altero ex illis:ergo non potest esse nec colligi illa cõnexio ex hoc,aut illo subiecto ; vnde si sit aliqua cõnexio specialis vnius albedinis cũ Petro potius quam cũ Paulo profecto illa erit desumenda ex natura,aut singularitate albedinis, & sic hæc albedo ex seipsa erit singularis,& nõ ex ordine illius ad hoc subiectũ,qui ordo possit colligi, aut desumi ex hoc subiecto, licet terminaretur ad hoc subiectũ:sed nec est talis ordo specialis in hac albedine potius quã in illa,vt probari potest eodem argumento,quo iam probatũ est quod ille ordo specialis,aut connexio nõ posset esse ratione subiecti, & sane si fuisset ille ordo specialis in albedine vna præ alia,sequeretur, quod distinguerentur specie,vt patebit ex dicendis quæstione decima.

*Probatur vlterius*:quia nulla prorsus est ratio, cur accidentia,sicut habent suam distinctionem specificam ex seipsis eo modo, quo substantiæ habent ex seipsis : ita etiam non haberent suam distinctionem numericam ex seipsis, vel ex aliqua formalitate positiua identificata ipsis, sicut substantiæ habent, aut sicut materia, vel quantitas habent secundum aduersarios.

*Confirmatur hoc*,quia prius cognoscimus accidẽtia esse distincta numero & indiuidualiter,quam substãtias, aut quã subiecta eorum, vnde per accidentia cognoscimus, substantias,& subiecta esse distincta numero & propterea Porphyrius supra & alij celebres authores diffinierunt indiuidua substantialia per ordinem ad accidentia.

58. *Obiicies primo* : accidens dependet à substantia in esse,ergo indiuiduatur à substantia : à quo enim res habet esse,ab eo habet indiuiduationem.

*Respondeo*,distinguendo,antecedens:tanquam à causa materiali extrinseca, aut tanquam à causa efficiente, & finali,transeat;tanquã à causa indiuidualiter ipsum constituente,nego antecedens;& negata consequentia, distinguo eius probationem, à quo res habet esse tanquã à causa extrinseca, nego ; tanquam à causa intrinseca, transeat. Et certe si illud,quod daret esse extrinsecè,deberet esse principium formale, aut radicale indiuiduationis,tum Deus deberet esse principiũ indiuiduationis formale,aut radicale,quod est falsum;& præsertim hoc esset verum respectu eorum, quæ dependẽt à solo Deo, & nõ possunt ab alio depẽdere in genere causæ efficientis,vt sunt res supernaturales. Pro tollenda tamẽ æquiuocatione aduertendum est nos non quærere,quodnam sit principium indiuiduationis quomodocunque, quia certum est quod principium effectiuum sit eius causa efficiens,& principium materiale causa materialis, & ita de reliquis causis. Sed difficultas, quæ hic examinatur, præcisè quærit, quod est principium intrinsece & formaliter dans vni indiuiduo accidentali,v.g.huic albedini,quod sit distinctum ab alio indiuiduo albedinis ; & etiam quærit quænam sit radix,vnde profluat huiusmodi principium formaliter constitutiuum indiuiduj in esse talis.

59.*Obiicies secundo* ex *Ioanne à S.Th.quæst.nona*,de substantia corruptibili *art.5.* nulla forma receptibilis est de se indiuidua & singularis,nisi per ordinem ad subiectum recipiens : ergo indiuiduatur per subiectum. Probatur antecedens,quia omnis forma est communicabilis,nisi per subiectum detineatur,& limitetur, ergo non est indiuidua,nec singularis,nisi per ordinem ad subiectum. Probatur hoc antecedens ab ipso satis confuse,sed quãtum capio, tota vis consistit in hoc : forma non potest fundare distinctionem formarum modo non formali, hoc est(si habeat sensum)non potest fundare distinctionem numericam,nisi ex alio principio,seu per ordinem ad aliud, in quo semel recepta non potest transire ad aliud,nec fieri communis multis, ergo forma est communicabilis,nisi per subiectum detineatur.

Sic intelligo discursum huius authoris,& iuxta hũc intellectũ *Respondeo* negando primũ antecedens cũ antecedẽti suæ probationis:ad cuius probationem nego etiam antecedens:& sanè in toto discursu nulla probatio assumitur,quæ non sit æque incerta ac res probanda.

Confirmatur conclusio.

Ad huius autem responsionis maiorem claritatem,& vt euidentius videatur, quam parum vrgeat hoc fundamentum,*Dico primo* formam,non obstante quod sit in vno subiecto,posse esse simul in alio subiecto, ergo non detinetur per hoc, quod sit in vno subiecto à communicabilitate,quam alias ex se haberet.Probatur antecedens,quia nulla potest dari repugnantia, nisi petendo principium.

*Confirmatur* : quia secundum aduersarios vna natura completa singularis potest esse simul in pluribus suppositis de potentia absoluta, ergo & vnum accidens simul in pluribus subiectis.

*Dico secundo* : quamuis non posset vna forma esse simul in pluribus subiectis,posse tamen esse successiue in pluribus subiectis,ergo forma non detinetur ita ab vno subiecto,quin alio tempore possit esse in alio subiecto. Probatur antecedens, quia nulla potest dari repugnantia, & quia non potest assignari ratio aliqua specialis connexionis huius albedinis cum hoc vno subiecto potius,quàm cum alio subiecto eiusdem rationis,propter dicta supra *n.57*.

61.*Dico tertio* si forma,quæ esset in vno subiecto non posset esse nec simul,nec successiue in alio subiecto,adhuc non indiuiduaretur per ordinẽ ad subiectũ sic,vt ex natura & ratione particulari subiecti posset colligi, quod esset distinctũ numero ab aliis formis;ergo nõ indiuiduaretur à subiecto, etiãsi haberet hãc connexionẽ cũ subiecto,quæ est maxima,quã potest cũ ipso habere. Probatur antecedens,quia quamuis haberet illã connexionẽ,non posset illa colligi ex subiecti natura,aut singularitate,propter rationem præmissam eodem *n.57*.

*Confir*

*Confirmatur*, quia etiam si forma, quæ est in hoc subiecto, nequeat communicari, aut simul, aut successiue alij subiecto, non inde habebit distingui numero ab alia forma eiusdem rationis, quæ posset poni in eodem subiecto, siue pro eodem tempore in sensu composito, aut diuiso, siue pro alio tempore: ergo ex illa necessaria connexione & restrictione non habet forma esse distincta numero ab omnibus aliis formis possibilibus.

*Confirmatur secundò*, quia quamuis forma existens in hoc subiecto nequeat habere communicabilitatem ad aliud subiectum, & quamuis nequiret aliqua alia forma esse, vel eodem, vel diuerso tempore in hoc subiecto, tamen hæc connexio non posset colligi ex subiecto, sed ex ratione particulari formæ, quæ ratio particularis ex alio capite deberet desumi: ergo potius principium indiuiduationis deberet assignari aliud illud caput, ex quo desumeretur illa connexio, quam subiectum.

62. *Idem author* replicat contra se hoc modo: forma habet ex se communicabilitatem ad subiectum, & in hoc genere redditur per materiam vlterius incommunicabilis ad aliud subiectum, quod informet: sed de se forma accidentalis non est communicabilis ad alias formas inferiores, cum ipsa sit infima.

Doctrina Ioan à S. Thoma.

*Contra* hanc replicam opponit, quod si forma accidentalis ex se sit incommunicabilis ad alias formas inferiores, etiam erit incommunicabilis ex se multis subiectis, quia eo ipso, quo est incommunicabilis multis inferioribus, erit vna numero, & eo ipso quod erit vna numero non poterit communicari multis subiectis, & multo minus transire de subiecto in subiectū, ergo &c.

*Opponit præterea* quod si accidens de se esset communicabile multis subiectis, & redditur solummodo incōmunicabile per hoc subiectum aliis subiectis, ergo de se est vniuersalis per modum quinti prædicabilis, licet de se non sit communicabilis per modum secundi prædicabilis, hoc est speciei; sed incommunicabilitas quinti prædicabilis non conuenit accidenti, quod est vnum numero: ergo vt sit vnum numero, dependet ab incommunicabilitate per modum quinti prædicabilis.

*Sed quidquid sit* de valore replicæ, quæ mihi non probatur, quatenus dicit accidens determinari per subiectum, quia existimo, vt est communicabile vni subiecto, ita & cæteris eiusdem speciei tam simul quam successiue; nec etiam mihi probatur illa replica, quia dicit quod de se forma accidentalis sit incommunicabilis aliis formis inferioribus: nam si loquatur de forma quoad naturam specificam, id est falsum: si vero loquatur de ipsa, vt singularis, id quidem verum est secundum omnes, sed oporteret ostendere quod non esset singularis à subiecto, à quo iuxta replicā habet incōmunicabilitatem ad alia subiecta. Sed quidquid sit de hoc, vt magis eneruetur doctrina prædicti authoris, & confirmetur nostra,

63. *Respondeo ad oppugnationem primam* eius quod bene posset forma singularis esse ex se incommunicabilis pluribus inferioribus, ac vna numero, & tamen ex se, hoc non obstante, esse communicabilis pluribus subiectis & simul & successiue, & poterit transire de potentia absoluta de subiecto in subiectum, & si hoc repugnaret ex aliquo particulari capite, posset produci primo in quocumque ex pluribus subiectis: ergo non sequitur quod habet incommunicabilitatem ad plura subiecta, ex eo quod habeat incommunicabilitatem ad plura inferiora formaliter loquendo & præcise.

*Ad secundam* impugnationem etiam respōdeo, quod quamuis accidens singulare esset communicabile multis subiectis, adhuc non sequeretur quod esset vniuersale quinti prædicabilis, quia, vt postea dicemus, ad hoc vniuersale requiritur prædicabilitas de multis cum numerica multiplicatione: sed talis non sequeretur ex eo quod vnum accidens numero esset aut simul aut successiue, quantum est ex se, in pluribus subiectis, sicut non sequitur quod natura diuina sit vniuersale specificum ex eo quod communicetur per modum totius naturæ pluribus personis, ac vt sic prædicetur de illis; quia non communicatur cum multiplicatione, nec prædicatur vt sic multiplicata. Imo ex doctrina insinuata ab hoc authore hic, quod accidens ex se sit incōmunicabile pluribus inferioribus potest confirmari nostra doctrina: nam per hoc quod sit sic incommunicabile, erit indiuiduum & singulare, prout singulare opponitur vniuersali; quia omne vniuersale est communicabile pluribus inferioribus cum multiplicatione, & propterea essentia diuina non est vniuersale, quia non est sic cōmunicabilis, quāuis sit communicabilis pluribus subiectis absque multiplicatione numerica: ergo si accidens ex se & non à subiecto habet illam incommunicabilitatem, quamuis ex se non haberet quamcumque aliam incommunicabilitatem, sequitur quod non habeat esse indiuiduum, aut singulare à subiecto, quod est nostrum intentum.

## CONCLVSIO II.

64. *Accidentia etiam respectiua & inseparabilia non indiuiduantur à subiecto.*

*Probatur* primò, quia sicut cætera accidentia non indiuiduantur per subiectum, ita hæc non debent dici indiuiduari, nisi sit specialis ratio, quæ ad hoc cogat: sed non est: ergo. Probatur minor, quia non est alia ratio præter inseparabilitatem ipsorum: sed hæc ratio nulla est, primò quia si ex inseparabilitate alicuius ab alio deberet indiuiduari per illud, Deus esset principium indiuiduationis omnium creaturarum, quia nulla creatura potest esse sine Deo. Secundò quia illa inseparabilitas potest prouenire ex imperfectione entitatis relatiuæ non potentis existere sine adminiculo subiecti, & non ex eo quod indiuiduaretur per subiectum.

*Confirmatur hoc*, quia ratio, quare hæc similitudo, verbi gratia est determinata ad hoc subiectum ita, vt non possit esse sine ipso, est, quia est talis singularis entitas, ergo præsupponitur ipsius singularitas determinationi eius ad hoc subiectum præ alio.

*Probatur secundò*, quia si deberet accidens respectiuum indiuiduari ab aliquo extrinseco sibi, potius aut saltem æque, deberet indiuiduari à termino ac subiecto, cum essentia eius magis declaretur per ordinem ad terminum, quam ad subiectum.

*Probatur tertiò*, quia duæ paternitates eiusdem speciei possunt esse in eodem subiecto, si non simul, vt habet Scotus, certe successiue, vt habet communis opinio: ergo non ihdiuiduantur per subiectum.

## CONCLVSIO III.

65. *Anima rationalis, & idem est de quacumque forma substantiali, non indiuiduatur per ordinem siue actualem siue aptitudinalem ad materiam primam.*

*Probatur*, quia eadem numero forma substantialis potest esse in diuersis corporibus: ergo non indiuiduatur per ordinem ad corpus.

*Probatur secundò*, quia aptitudo formæ ad corpus est proprietas ipsius: nulla autem res indiuiduatur per suam proprietatem, nam proprietas est singularis ex eo quod subiectum sit singulare.

*Confirmatur* per omnia, quibus probatum est materiam non esse principium indiuiduationis.

*Confirmatur secundò*, quia multo minus dependet à materia forma substantialis, & præsertim anima rationalis, quæ de facto existit sine materia: quam accidens à subiecto: ergo si accidens non indiuiduetur per subiectum, forma substantialis non indiuiduatur per materiam.

## QVÆSTIO IX.

*Quid sit principium indiuiduationis rerum.*

IMpugnatis aliorum Authorum modis dicendi, restat nunc, vt quid re vera dicendum sit, declaretur.

## CONCLVSIO

66. *Principium indiuiduationis rerum, hoc est illud, quo formaliter constituitur indiuiduum quæcumque res, siue totalis siue partialis, siue substantialis siue accidentalis, siue materialis siue spiritualis, est aliquid positiuum realiter identificatum rei indiuiduatæ, formaliter tamen ab ipsa distinctū, quæ entitas vocatur singularitas, quia facit rem, in qua est, singulare seu incommunicabilem; vocatur autem hæceitas, quia facit tē determinatā & hanc: vocatur indiuidua*

Principium indiuiduationis est hæceitas realiter idē. tificata indiui. duo.

*indiuidualitas* vel *Pauleitas*,&c,quia contrahit naturam specificam ad Petrum & ad Paulum.

Hæc conclusio est Scotistarum omnium cum *Doct. 2.dist.3.quæst.6.* & multis aliis. *Probatur primo*, quia nihil aliud potest assignari, vt patet ex refutatione aliarum sententiarum.

*Probatur secundò*, quia sicut se habet rationalitas ad animalitatem, quam contrahit, ita etiam se habet Petreitas ad humanitatem quam contrahit:sed rationalitas est quid identificatum realiter animalitati, quam contrahit,& ab ipsa tantum formaliter distinctum:ergo similiter Petreitas erit quid identificatum realiter humanitati, & ab ipsa formaliter distinctum.

*Probatur tertiò*, quia vnitas semper sequitur entitatẽ: ergo vnitas numeralis, quæ est maxima vnitas, debet habere aliquam entitatem, ad quam sequatur; sed non sequitur ad naturam formaliter,nec aliquid aliud potest assignari, ad quod sequatur, præter aliquid positiuum identificatum realiter naturæ specificæ, & distinctum ab ipsa formaliter:ergo datur huiusmodi entitas; quod si detur, certum est quod sit principiũ indiuiduationis: ergo. *Præterea* vnitas debet esse cõformis entitati:ergo si vnitas sit partialis,aut substãtialis, aut spiritualis,aut materialis,aut accidentalis, entitas etiã debet esse talis.

*Confirmatur*, quia assignando huiusmodi principium indiuiduationis, vniformiter potest philosophari de omnibus rebus,& non est opus alio modo philosophari in rebus materialibus, & immaterialibus, totalibus & partialibus; quod tamen fieri non potest in sententia Thomistarum:ergo congruentius assignatur huiusmodi principium quam aliud.

67. *Obiicies primò*:omnis distinctio est per formam vel materiam:sed hæcceitas illa,quam nos assignamus,non est forma,neque materia:ergo non est principium vllius distinctionis. Probatur minor quoad primam partem, quia omnis forma est perfectior re,cuius est forma:sed hæcceitas non est perfectior natura specifica:ergo. Probatur minor quoad secundam partem, quia illud, quod determinat aliud,est potius forma,quam materia.

*Respondeo* negando minorem pro prima parte,& distinguendo maiorem suæ probationis: omnis forma quidditatiua,& essentialis,transeat;non quiddidatiua & essentialis nego maiorem, vt patet de formis accidentalibus,quæ non sunt perfectiores substantiis,in quibus subiectantur;& de intellectione, quæ nõest perfectior intellectu;& de similitudine,quæ non est perfectior albo verbi gratia in quo subiectatur.

*Respondeo*, etiam negando minorẽ pro secunda parte, & distinguo eius probationem:si consideretur,vt est sic determinatiua,concedo;si verò cõsideretur,quatenus est pars minus principalis cõstituti ex ipsa & re per ipsam determinata,nego.Itaque vna & eadẽ formalitas secundum diuersas cõsiderationes potest habere rationẽ formæ & rationem materiæ;formæ quidem,vt est quid determinatiuum;materiæ verò,vt est pars illa,ratione cuius non differt habens ipsam essentialiter ab alio.

68. *Obiicies secundò*: hæcceitas in nostra sententia esset substantiæ identificata realiter, ergo esset substantialis & consequenter de essentia substantiæ: sed hoc est absurdum,ergo.

*Respondeo* negando secundam consequentiam:neque enim omne substantiale debet esse de essentia substantiæ,cui identificatur, aliàs proprietates rei essent de essentia eius, quia sunt substantiales, & attributa diuina formaliter essent de essentia Dei, quia sunt substantialia,& consequenter non essent attributa.

*Dices cum Ioanne à sancto Thoma*: si est substantialis entitas, ergo in aliqua substantia fundatur, quia vel est entitas substantialis,vel modus substantialis:si entitas; non distinguitur ab ipsa re,quæ est substantia;si modus, ergo fundatur & originatur in ipsa substantia,& sic aliquid in ipsa substantia assignandum est,ratione cuius conueniat ipsi talis modus; non aliud quam materia: ergo formaliter materia est principium radicale indiuiduationis.

*Respondeo* hæcceitatem substantiæ esse formalitatem substantialem, & accidentis accidentalem; sicut differentia metaphysica substantiæ est substantialis,& accidentis accidentalis:distinguitur autem, hoc non obstãte,ab ipsa substãtia,in qua est,& gradibus essentialibus eius eo modo, quo rationalitas distinguitur ab homine & animali; nec debet esse modus substantialis, sicut nec rationalitas est modus,aut si hæc dicatur modus,& hæcceitas potest vocari modus. Itaque quomodocumque discurritur de rationalitate, eodem modo discurri debet proportione seruata de Petreitate,nec vlla prorsus est disparitas quantum de hoc,aut vlla difficultas de vna magis quam de altera.

69. *Obiicies tertiò*:Hæcceitas illa, si daretur,esset perfectior quam differentia specifica;sed hoc est falsum,ergo.Probatur sequela maioris,quia esset posterior generatione quã differẽtia specifica:sed quæ sunt posteriora generatione,sunt perfectiora iuxta Philosophũ 7. *Met.*

*Respondeo* negando maiorem & distinguendo minorem suæ probationis:si sint eiusdem ordinis, hoc est, si vtrumque sit essentiale,aut vtrumque accidentale,transeat:si vnum sit essentiale,& alterum accidentale seu nõ essentiale,nego.Quod autem responsio hæc sit fundata, patet,quia calor ignis posterius generatur, quam ipse ignis, & tamen nemo dixerit quod sit perfectior igne: similiter risibilitas hominis est posterius homine,& tamen homine imperfectior. Itaque cum hæcceitas non sit eiusdem ordinis cum differentia specifica, non enim est essentialis sicut illa, quamuis esset posterior generatione quam illa,non tamen deberet esse perfectior.Præterea illud axioma non currit nisi in rebus realiter distinctis & producibilibus per diuersas actiones reales qualia non sunt differentia specifica & hæcceitas, quæ per eandem realem actionem producuntur.

70. *Obiicies quartò ex Caiet.* omnis actus singularis præsupponit potentiam singularem:sed hæcceitas nostra esset actus singularis naturæ specificæ: ergo præsupponeret naturam specificam singularem, & consequenter constitueret & non constitueret ipsam singularem,quod implicat.

*Respondeo* distinguendo maiorem:si non cõstituat singularem,concedo; si constituat, nego. Itaque vniuersaliter loquendo nulla causa formalis præsupponit subiectum suum in illo esse,in quo illud constituit,seu non præsupponit in subiecto illum effectum, quem ipsi debet tribuere: cum ergo singularitas sit causa formalis singularizans naturã specificam, non debet ipsam præsupponere singularizatam. *Præterea* argumentum potest retorqueri contra aduersarios, quia quidquid ipsi constituunt principium indiuiduationis, debet esse actus singularis:ergo,si valet argumentum, debet præsupponere naturam singularem, & consequenter constituet & non constituet naturam singularem.

71. *Obiicies quintò*:Quod repugnat vni & cõuenit alteri,debet præsupponere ipsa distincta;alias enim vni nõ magis repugnaret,quã alteri:sed Petreitas conuenit Petro,& repugnat Paulo:ergo præsupponit ipsa distincta.

*Respondeo primò*, retorquendo argumentum, quia quidquid ipsi etiam ponunt esse principium indiuiduationis Petri,debet ipsi cõuenire & repugnare Paulo:ergo præsupponit illa distincta,& consequenter non constituet illa distincta.

*Respondeo secundò*, distinguendo maiorem:si non sit principium distinctiuum ipsorum,concedo;si sit, nego, & concessa minori,nego consequentiam,quia Petreitas est principium distinctiuum Petri à Paulo.

72. *Obiicies vltimò*:sequeretur quod in quolibet indiuiduo cõposito darẽtur multæ hæcceitates,v.g. hæcceitas materiæ,hæcceitas formæ, hæcceitas compositi:sed hoc est absurdũ,quia alias haberẽt etiã plures existẽtias.

*Respondeo* distinguendo sequelam: plures hæcceitates particulares,cõcedo;totales,nego,& nego etiã minorẽ, & ad probationẽ eius dico non esse absurdum in quolibet cõposito physico esse plures existentias partiales correspõdentes pluribus partibus, ex quibus cõponitur:

imo

imo id est necessarium, quandoquidem illæ possint existere seorsum sine se inuicem, & sine toto ab illis resultante; & quandoquidem, vt suppono iam cum communiori sententia in Metaphysica probanda, existentia rei cuiuslque siue completæ siue incompletæ, non distinguitur realiter ab ipsamet re.

An quælibet formalitas metaphysica habeat propriã hæcceitatem.

73. *Et si quæras*, vtrum quemadmodum quælibet pars physica habet propriam existentiam partialem & propriam hæcceitatem partialem distinctam realiter ab existentia & singularitate alterius partis, ita etiam quælibet pars metaphysica habeat hæcceitatem & existentiam distinctam formaliter ab existentia & hæcceitate alterius partis.

*Respondeo*, probabile esse quod sic, quia si esset eadem existentia & hæcceitas formaliter, qua indiuiduaretur & existeret animalitas hominis & rationalitas hominis, non posset intelligi animalitas hominis esse singularis, aut existere, quin intelligeretur rationalitas existere & esse singularis: sed hoc est falsum, ergo.

*Dices*, nõ posse rationalitatẽ hominis existere aut esse singularẽ, quin existat, & sit singularis animalitas eius: ergo præter existentiã & singularitatẽ qua existit, & singularizatur eius rationalitas, non exigitur alia formalitas distincta, qua existat & sit singularis eius animalitas.

*Respondeo* distinguendo consequens: non exigitur alia realiter distincta, concedo: formaliter distincta, nego consequentiam.

*Aduertendũ autem* pro complemento huius rei, quod licet illud positiuum, quod iam explicuimus, sit principiũ formale indiuiduationis cuiuslibet rei: tamẽ, quoties res indiuidua cõstituitur ex partibus realiter distinctis, quarum quælibet est singularis, illæ partes vt singulares, sint principiũ radicale indiuiduationis istius rei: nam si non fuisset res cõstans ex illis partibus, non fuisset illud singulare, quod est, sed aliud singulare: & vniuersaliter quæcumque constituunt intrinsece aliquam rem, possunt vocari principia & radices omniũ prædicatorum conuenientiũ isti rei, de quo non est vlla difficultas. Quãdo vero res non cõstituitur ex partibus physicis, sed est physice simplex, tum non quærendum aliud principum aut radix iniuiduationis, præter totam entitatem rei istius simplicis, quæ physice considerata potest dici principium omnium prædicatorum istius rei.

## QVÆSTIO X.

*Vtrum inter indiuidua eiusdem speciei detur aliqua dissimilitudo aut inæqualitas præter hoc quod vnum non sit alterum.*

74. HÆc quæstio proponitur particulariter de anima rationali in tractatu de anima, quærendo an omnes animæ rationales sint eiusdem perfectionis, supponendo quod sint eiusdem speciei; sed quia æque posset dubitari de quibuscumque indiuiduis eiusdem speciei ac de indiuiduis animæ, satis congruum videbatur eam hic vniuersaliter proponere, vbi de omnium indiuiduorum natura, qua indiuidua sunt, agitur.

*Pro resolutione autem* aduertendum est quod sine dubio indiuidua eiusdem speciei possunt esse dissimilia, & inæqualis perfectionis accidentaliter, quatenus scilicet vnum indiuiduum, verbi gratia Petrus, haberet perfectiora accidentia, quam aliud indiuiduum, verbi gratia quã Paulus, & sic quotidie videmus quosdam homines melioris esse ingenij, ac indolis, ac sanioris complexionis quam alios homines. Certum etiam est indiuidua eiusdem speciei constantia ex partibus heterogeneis, ac eti ãhomogeneis posse esse inæqualis perfectionis substantialis integralis: sic enim cæcus ac mancus sunt substantialiter imperfectiores quam homines illi, quibus nulla pars integralis deest. Sed quæstio non est in hoc sensu, sed an indiuidua vnius speciei constantia partibus etiam integralibus omnibus eiusdem speciei, sint aut possint esse inæqualis perfectionis substantialis ex natura sua intrinseca substantiali indiuiduata, verbi gratia duo Angeli, aut duo ignes eiusdẽ magnitudinis, aut duo homines habentes parters integrales omnes eiusdẽ naturæ sine defectu vllius partis ex parte vnius, qui defectus nõ sit ex parte alterius. Vbi supponitur pro certo, quod si sint inæqualis perfectionis aliqua huiusmodi indiuidua ita, vt vnũ sit perfectius, aut imperfectius altero, aut possit aliquid facere, cui simile non posset fieri ab altero, quod differentia & inæqualitas illa non possit conuenire ipsis ratione naturæ specificæ, quæ supponitur esse eiusdem rationis ac perfectionis in vtroque sine vlla differentia, vnde debet necessario prouenire formaliter, & proxime à differentia indiuiduante, & remote ac radicaliter à fundamento vel radice, vnde sumitur illa differentia indiuidualis seu hæcceitas.

75. *Prima sententia* asserit inter indiuidua eiusdem speciei dari posse huiusmodi diuersitatem & inæqualitatẽ in perfectione, eamque de facto dari inter aliquas animas rationales; existimant enim animã Christi Domini, quamuis eiusdem speciei sit cum cæteris animabus rationalibus, esse tamen perfectiorem ex se & sua ratione indiuiduali, quam vlla alia anima. Hanc videtur olim tenuisse communiter Vniuersitas Parisiensis, nam inter articulos ab illa damnatos reperitur oppositum huius sententiæ. Eam tenet directe *Caiet. 1. par. qu. 85. art. 7. Ruuius 2. de anima cap. 3 qu. 3.* & alij plures, fauetque ipsemet *D. Thom.* tum *1 p. q. 85. art. 7.* tum in *2. dist. 32. q. 2. art. 3.* Sed & *Doctor* etiam noster pro ea citatur *3. dist. 15. n. 12.*

Aliqui autem intelligunt hanc sententiam sic, vt velit quod necessariò omnia indiuidua cuiuslibet speciei debeant esse inæqualis perfectionis. Ita *Fonseca 5. Met. c. 28. quæst. 16.* Alij vero intelligũt eam sic, vt possint quidem esse, & de facto aliqua indiuidua, verbi gratia aliquæ animæ rationales sint inæqualis perfectionis, licet possint esse, & verisimiliter sint aliqua alia indiuidua æqualis omnino perfectionis absque vlla diuersitate vel inæqualitate, Ita *Auersa qu. 9. sect. 14. Arriaga disp. 1. de anima, sect. 8.*

*Secunda sententia* distiguit de duplici specie, vna logica, quæ scilicet sit prædicabilis in quid complete de pluribus numero tantum differentibus; altera physica, quæ est illa, quæ reputatur pro infima communiter à Philosophis ac Theologis dum tractant de ipsa, quamuis logice loquendo non sit infima. Et hoc supposito dicit, quod indiuidua eiusdem speciei logicæ non sint, nec possint esse inæqualis perfectionis, bene tamen duo indiuidua vnius speciei physicæ possint esse inæqualia in perfectione. Hanc tenet. *Auersa* supra *sect. 13.*

*Tertia sententia* absolute & simpliciter tenet, indiuidua eiusdem speciei esse non posse inæqualis perfectionis, sed necessario æqualis. Hanc tenet *Dur. Argent. Soncinas, Sotus, Toletus*, & alij, quos citat & sequitur noster *Cauell. disp. 1. de anima sect. 10.* Quia vero sine dubio loquuntur hi authores de specie metaphysica, seu illa natura, quæ potest habere rationem speciei logicæ, non credo eos habere cum secunda sententia aliam controuersiam quam de nomine.

## CONCLVSIO I.

Si vlla indiuidua habent distinctionem plus quã numericam omnia talẽ habebunt.

*76. Si vlla indiuidua eiusdem speciei habent aliquam dissimilitudinem aut distinctionẽ præter hanc quod vnum non sit alterum, omnia habebunt aliquã eiusmodi dissimilitudinem.* Hæc est expresse cõtra *Arriagã* supra sub lectione tertia.

*Probatur*, quia illud ipsum fundamentum quod habetur ad probandum dissimilitudinem ac distinctionem talẽ inter aliqua indiuidua, habetur ad eam probãdam inter omnia: ergo si datur inter aliqua, datur inter omnia. Probatur antecedens, quia ideo, maxime secundum *Arriagam*, aliquia indiuidua debent esse sic dissimilia, quia sic sunt dissimiles duæ visiones diuersorum alborum, & duæ visiones eiusdem albi ab eadem potentia productæ, quandoquidem illę magis disconueniunt inter se quam duæ visiones eiusdem albi; & ex duabus visionibus eiusdem albi ab eadem potentia productis, vna petat vniri per vnionẽ, per quam altera vniri non possit. Sed non sunt vlla prorsus duo indiuidua tam similia, quin vnum petat posse intelligi intellectione, per quam alterum non possit intelligi: ergo idem fundamentum dissimilitudinis habetur vtrobique.

*Confirmatur*: si essent aliqua duo indiuidua omnino similia, maximè duo modi eiusdem numero subiecti, qui non sint productiui aliarũ rerum, nec fiant aut vniantur per actiones aut vniones distinctas, sed seipsis per se: sed vel huiusmodi duo modi non dantur, aut si dantur, sunt dissimiles: ergo non dantur vlla duo indiuidua omnino similia in principiis huius authoris. Probatur minor quoad primã partẽ, quia impossibile est assignare duos modos, qui non sint productiui aliarũ rerũ: aut nõ respiciant essẽtialiter res diuersas aut nõn producantur diuersis actionib. quidquid enim producitur de nouo, aut est actio aut producitur per actionem. Probatur minor quoad secũdam partem, quæ magis spectat ad propositum, quia illi duo modi petũt ex natura sua intelligi intellectionibus distinctis ita, vt vnus possit intelligi per intellectionem, per quam alter intelligi nequeat: ergo si dantur, sunt dissimilia tam benè, quam alia indiuidua eiusdem speciei, quæ hic author asserit esse dissimilia.

Ipsemet vidit hanc difficultatem, & respondet ex eo, quod vnus modus petat cognosci cognitione distincta à cognitione alterius modi, non sequi quod sit diuersus ab altero modo, sed quod distinctus: sicut ex eo, quod negatio idẽritatis cum alio indiuiduo reperiatur in vno & non in alio indiuiduo, non arguit diuersitatem, aut dissimilitudinem, sed distinctionem numericam; cuius rationem affert hanc, quod esse cognoscibile tali cognitione inuoluatur in distinctione numerica.

*Contra primò*, quia falsum est, quod esse sic cognoscibile tali cognitione inuoluatur in conceptu distinctionis numericæ illorum modorum: nam possum intelligere illos esse distinctos numero, non intelligendo eos exigere speciales cognitiones.

*Contra secundò*, quia sicut illa cognoscibilitas per se inuoluitur in conceptu distinctionis numericæ, ita etiã potest dici, quod esse vnibile tali vnione particulari, qua alterum vniri nequeat, inuoluatur in conceptu distinction, s numericæ vnius ab altero: ergo si ex illa cognoscibilitate non arguitur dissimilitudo, sed distinctio numerica, ex illa etiam vnibilitate nequit argui dissimilitudo, sed distinctio numerica.

*Confirmatur*, posse repræsentare hoc album & non illud, non inuoluitur in cõceptu distinctionis numericæ, & propterea arguit dissimilitudinem cognitionis huius albi & cognitionis alterius albi: ergo etiam esse repræsentabile hac cognitione & non illa, non inuoluitur in conceptu distinctionis numericæ, & arguit consequenter dissimilitudinem: sed illi duo modi habent talem repræsentabilitatem: ergo & dissimilitudinem.

## CONCLVSIO II.

Indiuidua eiusdem speciei non sunt ex se inæqualis perfectionis.

77 *Non datur nec potest dari inæqualitas perfectionis, aut vlla dissimilitudo inter indiuidua vlla eiusdem speciei, quæ est verè, & à parte rei infima & non subalterna* Hæc est secundæ & tertiæ sententiæ contra primam.

*Probatur primò* auctoritate Philosophi 3. *Met.* dicentis, quod in genere sit prius & posterius, non vero in specie, hoc est, quod genus sit contrahibile per differentias, quæ habent inter se ordinem prioris & posterioris in perfectione, seu quod sub genere continentur aliqua inæqualis perfectionis, non verò sub specie: sed si indiuidua vlla vnius speciei infimæ possent esse inæqualis perfectionis, hoc esset falsum: ergo.

*Probatur secundò*, quia aliqua indiuidua eiusdem speciei infimæ sunt, aut possunt esse æqualis perfectionis, vt verisimiliter non negabunt aduersarij; & patet, tum quia si vna aqua diuidatur in duas partes, illæ duæ partes erunt duo indiuidua, & tamen iudicrum esset dicere, quod essent inæqualis perfectionis: tũ quia non potest assignari repugnantia aut ratio vlla, cur non possint esse. Sed est eadem ratio de quibuscumque duobus indiuiduis ac de omnibus aliis indiuiduis, eiusdem ac cuiuscumque alterius speciei infimæ, quantum ad hoc: ergo omnia indiuidua eiusdem speciei sunt necessariò eiusdem seu æqualis perfectionis sine vlla dissimilitudine, præterquam quod hoc sit hoc, & illud sit illud, Probatur minor, tum quia ideò essent aliqua indiuidua diuersæ, seu inæqualis perfectionis, quia haberent diuersas hæccẽitates: sed omnia indiuidua habent diuersas hæccẽitates, tum quia non potest assignari ratio nec à priori, nec à posteriori cur aliqua essent æqualia, ac similia omnimodè, & aliqua non essent.

78. *Dices* posse colligi à posteriori quod aliqua indiuidua animæ rationalis sint inæqualis, ac dissimilis perfectionis: sed non essentialis, quia supponuntur omnes esse eiusdem speciei: ergo indiuidualis. Probatur maior, quia alij homines habent bona ingenia; alij mala; alij sunt dextri ad res faciendas, alij sinistri; alij inclinati ad hæc studia, alij ad illa; sed hæc differẽtia non potest oriri ex alio capite, quam ex animabus: ergo animæ sunt inæqualis perfectionis. Quod si etiam proueniret ex corpore, aut ex corpore simul cum anima, sequitur adhuc intentum, nimirum quod aliqua indiuidua hominum sint inæqualis perfectionis.

*Respondeo* negando maiorem & minorem probationis: nam illa differentia posset prouenire sine vlla diuersitate substantiali, ac indiuiduali corporis, aut animæ ex sola diuersitate temperamenti accidentalis & humorum aliorum, quæ non sunt de essentia, aut indiuidualitate hominis, vt patet euidenter ex eo, quod idem homo nunc sit benè dispositus ad studendum & discurrendum, nunc malè, nunc inclinatus ad vnam rem, nunc ad alteram, sine vlla variatione in perfectione substantiali aut indiuiduali corporis, aut animę.

*Et hinc ruit* fundamentum *Ruuij* dicentis, quod animæ non peterent huiusmodi diuersas dispositiones maioris, aut minoris perfectionis, nisi ipsæmet ex se essent inæqualis perfectionis. Ruit, inquam hoc fundamentũ, quia si vna anima potest esse nunc cum meliori, nunc cum peiori dispositione sine inæqualitate in sua perfectione, sine dubio poterunt diuersæ animæ esse cum diuersis, & inęqualibus perfectionibus sine diuersitate aut inæqualitate in perfectione ipsarum animarum. Quod si diuersæ animæ, peterent ex natura sua intrinseca diuersas dispositiones maioris aut minoris perfectionis ita, vt vnà exigeret cõnaturaliter has, alia illas, profectò posset quis dicere quod distinguerẽtur specie, atq; adeò quod nõ essent indiuidua eiusdem speciei infimæ. Vnde

79 *Probatur tertiò* conclusio: si vlla duo indiuidua essent ex prædicatis suis intrinsecis inæqualis perfectionis, aut vllo modo dissimilis, nisi quatenus vnum esset hoc & non illud; aliud illud & non hoc, posset optimè dici, quod essent distinctæ speciei, & consequenter non essent indiuidua eiusdem speciei infimæ. Probatur sequela prima, quia propterea dicimus simiam; & hominem, mulum & equum, & quæcumque alia differunt specie, esse distinctæ speciei, quia ex prædicatis suis intrinsecis habent dissimiles operationes aut effectus, aut aliquam aliam dissimilitudinem, quàm quod hoc sit hoc, & illud sit illud: ergo si illa duo indiuidua aut hominum aut animarum sunt alio modo dissimilia ex natura aut prædicatis suis intrinsecis, quàm quod hoc sit hoc, & illud sit illud, debet dici quod sint simpliciter diuersæ speciei.

*Dices*, non propterea colligi mulum & equum, &c. esse distinctæ speciei, quia ex prædicatis intrinsecis quomodocumque sunt dissimiles, sed quia sunt tales ex prædicatis intrinsecis essentialibus.

*Contra*: si quis diceret quod illa duo indiuidua essent dissimilia in prædicatis essentialibus, non posset impugnari; & si quis vellet dicere quod mulus & equus non essent dissimiles in prædicatis essentialibus, sed in indiuidualibus, posset id dicere æquè benè, ac quod illa duo indiuidua dissimilia essent dissimilia non in prædicatis essentialibus, sed in indiuidualibus: ergo eodem modo posset de vtrisque dissẽri.

80 *Dices* illa prædicata sola esse intrinseca & essẽtialia, quæ sunt cõmunicabilia: sed illa inæqualitas perfectionis & dissimilitudo, quæ essent inter indiuidua eiusdem speciei, non orirentur ex prædicatis intrinsecis communicabilibus, sed ex hæccẽitatibus incommunicabilibus.

*Contrà primò*, quia posset sic dici quod dissimil. tudo & inæqua

inæqualitas perfectionis equi & muli non oriretur ex prędicatis communicabilibus,sed hęcceitatibus eorum.

*Secundò*,quia gratis asseritur,quod illud prædicatum intrinsecum non sit essentiale,quod non est cõmunicabile:imo id videtur esse falsum, quãdoquidem prædicata intrinseca & essentialia Dei nõ sint communicabilia communicabilitate, de qua hic loquimur, hoc est illa, quæ est propria naturæ vniuersalis,secundum quam res potest communicari cum sui multiplicatione numerica,& in sententia Thomistarum differentia specifica cuiuslibet Angeli esset incommunicabilis,& tamen esset prædicatum intrinsecum & essentiale eius.

*Tertiò*,quia illud prædicatum,ratione cuius competeret vni indiuiduo,v.g.Petro,aut animæ eius perfectio vt tria,esset prædicatum communicabile, quia posset esse alia aliqua anima & alius homo, qui omnino æqualem & similem sortiretur perfectionem:ergo illa duo indiuidua conuenirent in illo prædicato, & consequenter illud prædicatum esset ipsis communicabile & essentiale. Et sane qui hoc negaret,posset,vt dixi,negare prædicatum illud, in quo duo muli sunt magis inter se similes, quam mulus & equus sunt similes,esse ipsis commune.

81.*Confirmatur totum hoc*,quia illa duo indiuidua,v.g. duæ animæ, quæ essent omnino similis & æqualis perfectionis,magis conuenirent inter se, quam vllum ex ipsis conueniret cum aliis indiuiduis eiusdem speciei, v.g. aliis duabus animabus maioris perfectionis: sed non magis conueniunt numero,quia tam bene sunt inter se numero distincta, quam ab illis aliis:ergo conuenirent inter se in aliquo prædicato essentiali specifico vel generico. *Rursus*, indiuiduum perfectionis,vt tria, magis distinguitur ab indiuiduo perfectionis vt duo, quam ab alio indiuiduo perfectionis vt tria:sed ab hoc distinguitur numero: ergo ab illo distinguitur specie, quæcunque enim magis distinguuntur quam numero, distinguuntur necessariò specie.

*Dices*:calor vt tria,& aqua trium pedum magnitudinis magis distinguuntur ab aqua duorum tantum pedum,& calore vt duo,quam ab aqua alia trium pedum,& calore alio vt tria:sed non distinguuntur tamen specie ab aqua duorum pedum,aut calore vt duo: ergo non est verum quod,quæ differunt pluſquam numero,differant specie.

*Respondeo* illud axioma, & doctrinam nostram præmissam intelligenda de diuersitate, quæ oritur ex alio capite quam ex continuatione, aut additione plurium partium,aut graduum eiusdem speciei, non vero de diuersitate orta ex tali additione;in exemplo autem allato contra,diuersitas maior oritur ex tali additione, vnde non facit ad rem, nec tollit vim axiomatis in sensu,in quo communiter intelligitur & debet intelligi.

82.*Probatur vltimo conclusio*,quia hæcceitates non addunt supra naturam specificam, nisi vel, vt communius tenent recentiores,negationem vlterioris communicabilitatis cum diuisione numerica, vel certe, vt tenemus nos formalitatem positiuam, quæ sit principium talis negationis,& cuius solum munus & officium est fundare talem negationem;quodque aliter explicari non possit, vt distinguitur formaliter à formalitatibus essentialibus,quam quod sit principium,ad quod sequitur talis negatio:sed quicumque modus ex his teneatur,non potest hæcceitas vna tribuere maiorem, aut dissimilem perfectionem illi,quàm altera quæcumque tribuit;ergo indiuidua eiusdem speciei nequeunt habere inæqualitatem vllam, aut dissimilitudinem in perfectione.Probatur minor, quia quodlibet indiuiduum est tam perfecte incommunicabile, quam quodcumque alterum indiuiduum: ergo habet negationem incommunicabilitatis tam perfectam, & principium formale indiuiduandi vt tale præcise,quam quodlibet alterum indiuiduum;ergo implicat quod habeat ex tali negatione, aut ex principio formali indiuiduandi,qua tale,maiorem perfectionem,quam quodcunque alterum.

*Confirmatur* specialiter contra primum modum dicendi de negatione,quia nulla negatio potest esse principiũ formale,aut radicale perfectionis positiuæ:ergo nullum indiuiduum ratione negationis potest esse maioris perfectionis quam aliud indiuiduum.

*Confirmatur secundò* contra secundum modum de positiuo:illud positiuum,quod indiuiduat, licet realiter, vt identificatur aliis prædicatis,habeat omnia illa munera quæ competunt aliis illis prædicatis;tamen formaliter, vt hæcceitas,aut vt Petreitas v.g. non habet aliud munus,quam facere naturam specificam esse hanc,seu facere vt hæc res non sit illa res, sed talis, quæ cum illa re faciat numerum rerum,vt plures homines: sed est euidens quod sub hoc conceptu præcise non possit tribuere maiorem, aut minorem perfectionem:ergo indiuidua ex hæcceitatibus formaliter consideratis non possunt habere, nec formaliter nec radicaliter inæqualitatem perfectionis.

*Quod si dicas* Petreitatem,v.g.non vt est hæcceitas formaliter,sed secundum aliam rationem, tribuere illam maiorem perfectionem:*Contra*:quia sic posset dici quod secundum alias rationes tribuat omnem perfectionem competentem rei ex natura specifica;& vlterius non poterit ostendi cur secundum aliam illam tationem considerata non sit prædicatum intrinsecum & essentiale rei.

*Obiicies primò* censuram Parisiensem præmissam in propositione primæ sententiæ.

83. *Respondeo*, illam non transire Sequanam,sed nec in illa ipsa Vniuersitate modo viget, cum multa hodie in ea teneantur,quæ olim simili mulctabantur nota.

*Obiicies secundò*:sequeretur, quod anima Christi non esset perfectior anima Iudæ: sed hoc videtur inconueniens, ergo.

*Respondeo* distinguendo maiorem: quoad prædicata intrinseca tam quidditatiua,quam indiuidualia,cõcedo, nec id est inconueniens, quoad perfectiones accidentales,nego maiorem,& conformiter distinguo minorem, & nego consequentiam.Et sane si anima Christi sit substantialiter imperfectior substantia Luciferi secundum omnes,& si non sit essentialiter perfectior anima Iudæ, quod fateri debent aduersarij,quia alias nõ essent eiusdem speciei infimæ, non est mirum, nec inconueniens quod non sit perfectior anima Iudæ indiuidualiter.

84.*Obiicies tertiò*,secundum Philosophum 2.*de generatione animalium cap.* 3. sicut anima est perfecta magis vel minus,ita corpus præparat,ergo datur inter animas inæqualitas perfectionis.

*Respondeo* distinguendo consequens:inter animas eiusdem speciei,nego,neque de his ibi agit Philosophus;inter animas diuersæ speciei,de quibus agit Philosophus, concedo consequentiam.

*Obiicies quarto*:Genus diuiditur per differentias specificas inæquales:ergo & species infima per differentias numericas inæquales.

*Respondeo* negando consequentiam,quia non repugnat differentiis specificis inæqualitas perfectionis, sicut nec dissimilitudo;repugnat autem differentiis numericis,vt patet ex principiis nostræ conclusionis.

*Obiicies quinto*:Salomon *Sap.*8. dicit se sortitum fuisse animam bonam comparatiue ad alios homines,qui non sortiti sunt æque bonam, & propterea agit gratias Deo recognoscendo illud beneficium:ergo datur inæqualitas perfectionis inter indiuidua eiusdem speciei.

*Respondeo* distinguendo antecedens:animam bonam substãtialiter,cum illa comparatione,hoc est meliorem aliorum hominum animabus,nego antecedens;accidẽtaliter ratione donorum superadditorum & dispositionis corporalis, concedo antecedens;& similiter distinguo consequens; ex ratione substantiali intrinseca siue essentiali siue indiuiduali, nego;ex donis extrinsecis & accidentalibus animæ,concedo consequentiam.

85.*Obiicies sexto*:duæ actiones,quibus producuntur ab iisdem causis duo calores,v.g. numero distincti,sũt magis similes inter se, quam duæ actiones quibus eædem causæ possent producere eundem numero calorem:ergo inter has duas & illas est aliqua dissimilitudo pluſquam numerica.

*Rursus: vbi*, quo ponitur quis in vno loco,magis est dissimili;

dissimilis *vbi*, quo poneretur in alio loco, quam alteri *vbi*, quo poneretur in eodem loco: ergo inter vbi, quo ponitur in vno loco, & illud quo ponitur in altero, est aliqua dissimilitudo plusquam numerica. Itē visio vnius albedinis distinguitur magis à visione alterius albedinis, quā ab alia visione eiusdem albedinis: ergo habet aliquam dissimilitudinem cum visione alterius albedinis plusquā numericam. Omnes hæ consequentiæ probantur, quia illæ actiones, vbi, & visiones habent dissimilitudinem numericam cum iis, cum quibus magis conueniunt, aut cum quibus maiorem habent proportionem: ergo plusquā numericam habent cum iis, cum quibus minus conueniunt, aut cum quibus minorem habent proportionem; sed ab his non distinguuntur specie: ergo falsum est axioma adductum in fauorem conclusionis, quod quæ differunt plusquam numero differunt specie, etiam in sensu, in quo supra dictum est illud debere intelligi. Et vlterius: ergo potest inter aliqua esse aliqua particularis dissimilitudo aut improportio ex differētiis indiuidualibus magis, quā quod vna faciat hoc esse hoc, & non illud, altera facit illud esse illud & non hoc; & sic ruit totum fundamentum nostræ conclusionis.

Probatur subsumptum, scilicet quod actio respiciens vnum calorem nō distinguatur specie ab actione respiciente alium numero calorem, & quod vbi respiciens vnum locum non distinguatur specie ab vbi respiciente alium locum: & denique quod visio respiciens vnam albedinem non distinguatur specie à visione respiciente aliam albedinem. Probatur, inquam, hoc subsumptum, quia nō videtur possibile quod illa distinguantur specie, quæ nō respiciunt aliqua specie distincta & specialiter non videtur possibile vt actiones aliquæ aut vlli respectus distinguātur specie, nisi vel fundamentū vel terminus vel ratio fundandi vel conditio aliqua sine qua non, vel diuersitas modi, quo exit à fundamēto (vt si vna actio libere, altera naturaliter à principio exiret aut emanaret) vel aliquod connotatum eius sit distinctæ rationis: sed nihil horum interuenit in exemplis prædictis aut vllis similibus: ergo illa non erunt distinctæ speciei.

*Confirmatur*, quia distinctio specifica respectuum & actionum debet desumi ex termino, aut fundamento, aut ratione fundādi, aut cōditione sine qua non, aut aliquo connotato; sed ex nullo horum capitum potest desumi distinctio specifica prædictorum, cum omnia sint respectu omnium eiusdem speciei: ergo nullo pacto debet asseri distinctio specifica inter ipsa.

86. Hæc obiectio quamuis non vrgeatur tam communiter contra nostram conclusionem, est potissima tamen, quæ vrgeri potest, & quæ probabilitatem aliquam oppositæ sententiæ possit conciliare.

*Respondetur* autem, actionem, qua producitur vnus calor hoc ipso, quo determinatur ex natura sua intrinseca ad illum calorem ita, vt non possit esse terminata etiam de potentia absoluta ad aliū, esse omnino distinctæ speciei ab alia actione, per quā producitur alius calor numero distinctus, & idem est dicendū, seruata proportione, de vbi, & visionibus, aliisque rebus eiusdē rationis. Vnde nego subsumptum obiectionis, & ad eius probationem dico sufficere ad distinctionem specificam aliquorum, quod vnum ex illis aliquid, quod formaliter non faciat seu non conducat ad distinctionem numericam, ex natura sua intrinseca ita necessariò includat, vt alterum simile quid non includat, siue respiciat aliquid distinctæ speciei, siue non respiciat: quare nego in forma maiorem probationis. *Ad confirmationem respondeo* distinguendo maiorem: ex illis capitibus solum, nego maiorem: ex illis, sed non solis, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam.

*Obiicies septimo*: Duo homines quorum materia aut corpus essent diuersa numero, magis inter se disconuenirent, quā duo homines, quorū materia esset vna numero: sed tamen non distinguerentur specie: ergo aliqua, quæ plusquam numero differunt: etiam sine additione partium aut graduum eiusdē speciei, non differunt specie, & consequēter corruunt fundamēta nostræ cōclusionis.

*Respondeo* distinguendo consequens: si disconuenientia maior oriatur ex eo quod non conueniant in aliquo vno numerice, sicut alia quę minus discōueniunt, cōcedo cōsequētiam: si sic, nego cōsequentiam: quemadmodum enim disconuenientia maior ex negatione tot graduum, quot alia habent, non arguit distinctionem specificam: ita dicendum de disconuenientia orta ex negatione inclusionis vnius rei numero, qualis includitur in aliis.

## CONCLVSIO II.

Inutilis est distinctio speciei infimæ Logicæ & physicæ.

87. *Illa acceptio speciei physicæ, quæ scilicet, sub se contineat plures species infimas logicè consideratas, est prorsus inutilis, noua, & sine fundamento.* Hæc est directe contra *Auersam* supra, & meo iudicio communissima apud vereres, quos in quæstione de nomine potius debemus sequi.

*Probatur* autem, quia non potest assignari vtilitas aliqua prouenies ex illa acceptione; nec vllus antiquus author, qui eam vsurpet; nec aliqua ratio aut fundamentum, ob quod de nouo constituatur: ergo est inutilis, noua, & absque fundamento.

*Confirmatur* hoc, quia quotquot veterum dicebant aliqua esse eiusdem speciei, ac solo numero distincta, prorsus id intelligebant de specie infima, quæ vere & realiter ita infima est, vt possit de pluribus numero tantum differentibus prædicari: ergo loquebatur de specie logica, & non de physica.

*Confirmatur secundò*, quia quamuis agerent de aliquibus rebus, secundum aliquam considerationem communem generice illis, non descendendo ad rationes specificas, nō inde sequeretur quod existimarent illa esse eiusdem speciei vllo modo, aut quod vocarent illa eiusdem speciei.

88. *Dices cum Auersa* Philosophi agunt de anima rationali tanquā de specie infima: sed tamen possunt dari sub illa animæ diuersæ, ac inæqualis perfectionis (quidquid sit an de facto dentur tales) ita vt vna possit esse maioris virtutis in operando, quā alia: ergo aliqua species reputatur pro infima à Philosophis, & consideratur tāquam infima, quæ tamen logice non sit infima: ergo admittenda est acceptio speciei physicæ in sensu explicato.

*Respondetur*, Philosophos, qui agunt de anima rationali, tanquam specie infima, re vera existimare eam esse speciem vere infimam, & non capere speciem infimam in sensu Auersæ, sed in sensu proprio, quo capitur pro specie prædicabili logica, quidquid sit an in hoc decepti sint, nec ne. Vnde in forma respondeo distinguendo maiorem: illi Philosophi, qui putant plures animas rationales non posse esse distinctæ speciei logicæ, concedo; alij Philosophi, nego maiorem, & admissa minori ac consequentia prima, nego consequentiam secundam, quia qui agunt de anima, tanquam de specie, non intelligunt speciem physice consideratam, quæ possit habere sub se plures alias species, sed de specie vere infima logicè loquendo.

*Dices secundò*: Thomistæ vocant naturam Michaëlis speciem, sed tamen non est species logicè loquendo in sententia eorum, quandoquidem non sit prædicabilis de multis, nec communicabilis: ergo aliquid potest vocari species quod non est species logica.

*Respondeo*, quidquid sit de minori, quæ secundum Caietanum est falsa, cum ipse putet illam naturam esse speciē logicā, licet nequeat à parte rei multiplicari numero. Quidquid inquā sit de hoc, respondeo distinguendo consequens: si habeat sub se plures species, nego; si non habeat, quamuis non habeat plura indiuidua, transeat. Loquar autem semper de specie infima, de qua hic est sermo, cum de specie subalterna ac subiicibili non sit dubium, quin sint multæ tales species, quæ non sunt species prædicabiles logicæ.

Sententia aliquorū recentiorum.

90. *Pro complemento* huius quæstionis hic addendum duxi, quod aliquos audiuerim Professores alicuius notæ defendētes inæqualitatē perfectionis in indiuiduis eiusdē speciei ex hoc principio: quod illa sint censenda eiusdem speciei, quæ quamuis habeant aliquā dissimilitudinem in prædicatis intrinsecis, tamen nō differunt notabiliter; vnde quando aliqua differrent aliquo modo, sed

non

non notabiliter, non debent dici differre specie, sed numero tantum, & consequenter quandoquidem haberent aliquam dissimilitudinem & inæqualitatem perfectionis, licet non notabilem, deberent dici esse dissimiles & inæqualis perfectionis intra eandem speciem, & illa dissimilitudo & inæqualitas competeret ipsis ratione differetiarum indiuidualium, quia non competeret ipsis ratione differentiarum, quibus notabiliter differrent, quæ solæ differentiæ iuxta hanc sententiam sunt specificæ differentiæ, & omnes differentiæ, quibus res non differunt notabiliter sunt differentiæ tantum indiuiduales: quam sententiam videtur amplecti *Arriaga disp. 1. de anima subs. 2.*

Non requiritur ad distinctionem specificã notabilis differentia.

91. *Hæc sententia* incurrit eandem notam, quam præcedens Auersæ, si non sit minus fundata.

*Impugnatur autem primò* per probationes secundæ conclusionis, quæ æque militant contra hanc ac contra Auersam.

*Impugnatur secundò*, quia si quæ essent indiuidua inæqualis perfectionis intra eandem speciem iuxta hanc sententiam, maxime duæ visiones diuersarum numero albedinum, aut duæ animæ exigentes diuersam corporum comlexionem, aut habentes inclinationes dissimiles: sed huiusmodi habent omnino notabilem differentiam; nam valde notabilis est differentia huius visionis ab illa, quod vna visio de potentia absoluta non possit extendere se aut terminari ad obiectum alterius, nec è contra, & quod vna anima ita respiciat talẽ dispositionem aut inclinationem, vt non possit respicere aliam: ergo illa differunt specie & non differunt specie, differunt quidem quia notabiliter differunt; non differunt autem specie, vt supponitur in illa sententia.

*Confirmatur*, quia actio & passio differunt specie, vt supponitur communiter, vt equus ac mulus: sed certe posset dici quod non differrent notabiliter, si prædicta non differant notabiliter.

*Confirmatur secundò*, quia quando dicitur, quod illa sola differant specie, quæ notabiliter differunt, vel intelligitur de notabilitate ex parte nostræ cognitionis ita, vt nos cognoscamus, quod habent illam notabilẽ differentiam; vel ex parte rei independẽter à cognitione nostra: si primũ dicatur: ergo, si nos non cognouissemus simiam & hominem distingui notabiliter, non distinguerentur specie, quod est absurdum. Si secundum dicatur; vnde constat, quod illa, quæ habent inæqualitatem perfectionis, aut maiorem dissimilitudinem, quam quod vnum ex illis non sit alterum, sed faciat numerum cum ipso, non habeant à parte rei notabilem differentiam?

*Adde* ad hæc, quod multa censeamus esse diuersæ speciei, in quibus non apparet tam notabilis differentia, nisi quod constet ea differre plusquam numero, id quod euidẽs est in multis herbis, piscibus, ac lapidibus.

92. *Dices*: in rebus moralibus illa censentur esse eiusdẽ speciei, quæ licet habeant aliquam dissimilitudinẽ maiorem, quam quod vna non sit altera, non habent tamẽ notabilem: ergo similiter in physicis dicendum, quod illa sint eiusdem speciei, quæ non differunt notabiliter.

*Respondeo*, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam, quia moralia pendent ex æstimatione, quæ potest non considerare aut curare paruam differentiã: sed physica non dependent ab æstimatione, sed à reipsa; vnde si in re habeant dissimilitudinem maiorem quam quod vna non sit altera, debent dici distincta specie.

*Dices secundò cum Arriaga*: Petrus & Paulus sunt indiuidua eiusdem speciei, sed tamen maiorem dissimilitudinem habent inter se, quam numericam: nam Petrus includit vnionem, quæ magis quam numero distinguitur ab vnione Pauli; vnio enim Petri ex se determinatur ad materiam & formam Petri ita, vt non possit poni inter materiam & formam Pauli; ergo, &c.

*Responderet* aliquis negando vnionem per se includi in composito, sed esse tantum conditionem sine qua non, vnde quamuis vniones Petri & Pauli essent diuersæ speciei, non sequeretur Petrum & Paulum esse diuersæ speciei & plusquam numero distinctos.

*Contra*, quia quamuis vniones non includerentur per se in composito, sed per modum conditionis, tamen materia Petri respicit vnionem Petri sic, vt non possit subiectare vnionem Pauli: ergo est differentia plusquam numerica inter materiam, quæ per se includitur in Petro, à materia Pauli, & consequenter Petrus & Paulus distinguuntur plusquam numero, non minus quàm sic distinguerentur, si per se includerent vniones.

*Contra secundò*, quia quæcunque ex natura sua intrinseca præsupponunt conditiones diuersæ rationis, sunt diuersæ rationis: sed Petrus præsupponit, vt supponitur in hac responsione, vnionem distinctæ rationis ab ea quam præsupponit Paulus: ergo Petrus & Paulus sunt distinctæ rationis.

*Respondeo* ergo aliter negãdo minorem: ad cuius probationẽ dico, quod Petrus, & Petrus non includat talem vnionem vt habet illam maiorem differentiam, esset enim idem numero Petrus, quamuis illam non includeret, sed aliam quamcunque. Et si quæras, cur ergo realiter à parte rei nequeat esse Petrus absque tali determinata vnione? Respondeo hoc prouenire ex vnionis natura, quæ cum sit essentialis determinatio, nequit habere indifferentiam. Quod si etiam Petrus ex natura sua peteret talem vnionem particularem, & talem intellectionem particularem plusquam numero distinctas ab vnione & intellectione, quas peteret Paulus, dicendum esset, quod essent distinctæ speciei realiter loquẽdo, & à parte rei propter principia nostræ conclusionis: nec refert, quod communiter reputentur esse eiusdem speciei, quia considerantur communiter vt homines, & vt includunt formalitates spectantes ad esse hominis, qua homo est præcise, easque quæ consequuntur ad illas formalitates, & quæ possunt illas determinare ad aliam rationem hominis; vnde cùm in his formalitatibus non habeant dissimilitudinem, merito censentur eiusdem speciei humanæ, quamuis secundùm alias considerationes, & formalitates essent diuersæ speciei.

Propter hanc tamen replicam & obiectionem sextam satis probabile est posse dari intra eandem speciẽ duo indiuidua, quæ sint magis dissimilia quàm distinctio numerica præcise exigit, modo tamen illa dissimilitudo non inuoluat ordinem ad aliqua diuersæ speciei; vnde quia distinctio, quam vnio, & similitudo & intellectio huius albedinis habet ab vnione, similitudine, & intellectione alterius albedinis, non inuoluit ordinem ad distincta specie, propterea possunt dici esse eiusdem speciei. Et iuxta hoc posset limitari conclusio de dissimilitudine inuoluente ordinem ad diuersa specie.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### *De indiuiduo logico, seu secundo intentionaliter considerato.*

Prima descriptio indiuidui.

93. DVas adhibuit descriptiones indiuidui hoc modo accepti Porphyrius. Prima, *quod sit illud quod subiicitur speciei*, quod intelligendum de specie infima, quia aliàs species infima esset indiuiduum, quia subiicitur speciei subalternæ. Subiectio etiam illa intelligenda est non ita, vt non subiiciatur alicui, quod non sit species infima, quia subiicitur etiam generi & omnibus prædicatis superioribus ad speciem infimã: sed vel ita, vt non subiiciatur generi immediate, sicut subiicitur speciei infimæ: vel ita quod si per accidens ad naturam ipsius, quod subiiciatur alij quàm speciei infimæ; vel ita denique vt, quamuis subiici possit generi, debeat etiã subiici speciei infimæ sic, vt illa species de ipso in quid cõplete prædicari possit, nec de hoc est vlla difficultas consideratione digna vlteriori. Altera definitio, seu descriptio est, quod sit *illud, quod de vno solũ prædicari potest*: de cuius descriptionis bonitate hic agendũ.

Quia ratione particulare indiuiduum habet subiici generi.

## CONCLVSIO II.

Bene describitur indiuiduum secundo intentionaliter acceptũ.

94. *Hæc descriptio indiuidui bona est.* Est communissima, *Patet* quia per eam declaratur natura eius, vt distinguitur ab vniuersali, quatenus vtrumque dicit ordinẽ ad actus comparatiuos intellectus: ergo bene describitur secundò intentionaliter acceptũ. Probatur antecedens, quia vniuersale est, quod potest prædicari de multis:

multis: ergo quod non potest prædicari de multis, sed de vno solo, habet naturam distinctam ab vniuersali vt sic; & oratio, qua talis natura significatur, sufficienter declarat naturam eius, vt distinguitur ab vniuersali.

*Confirmatur*, quia in illa descriptione ponitur aliquid, in quo conuenit cum vniuersalibus, secundò intentionaliter acceptis, nimirum quod sit quid vnum prædicabile, & ponitur aliud pro differentia ipsius ab illis, nimirum quod sit prædicabile nó de multis, sed de vno solo.

95 *Obiicies primò*. Petrus verbi gratia est indiuiduum, sed non est prædicabilis de vllo: ergo mala est prædicta descriptio.

*Respondeo* negando minorem, quia est prædicabilis de se ipso, potest enim verè dici quod Petrus sit Petrus.

*Dices*, nihil posse prædicari de seipso, & hinc *Auerroes* 1. *Prior*. dicit prædictam definitionem competere solùmodo indiuiduis accidentiù, verbi gratia huic albedini, quæ potest prædicari de subiecto inhæsionis vno solo.

*Contra*, quia licet nihil posset prædicari de seipso prædicati one formali, ad quam requiritur vt prædicatum dicat explicitè aliquid, quod non dicit subiectum explicitè; tamen bene potest aliquid prædicari de seipso prædicatione identica, & ipsemet Philosophus tali prædicatione vtitur. 5. *Met. tex.* 23.

96 *Obiicies secundò*: essétia diuina singularis potest prædicari de pluribus, verbi gratia de tribus personis diuinis; item accidés vnũ numero, verbi gratia vnà numero albedo, potest successiue prędicari de pluribus subiectis, imo & simul etiã de potétia absoluta: quinimò de facto hæc albedo potest prædicari de se ipsa prædicatione identica, sicut Petrus potest de seipso prædicari, & præterea potest de subiecto suo inhæsionis, in quo scilicet inhæret, verbi gratia de pariete prædicari prædicatione formali in concreto; hæc enim est prædicatio formalis: hic paries est albus hac albedine: ergo malè dicitur quod indiuiduum non sit prædicabile de multis.

*Respondeo* distinguendo antecedens: prædicta singularia possunt prædicari de multis, in quibus multiplicantur, nego antecedens: in quibus non multiplicantur concedo antecedens & similiter distinguo consequens: quod non sit prædicabile de multis sine multiplicatione sui, concedo, nec id nos dicimus, aut in prædicta descriptione significatur; cũ sui multiplicatione, nego cõsequentiam. Itaque quando dicitur quod indiuiduum sit prædicabile de vno solo, hoc debet intelligi de prædicabilitate opposita prædicabilitati vniuersalis, sic scilicet, vt indiuiduum non sit prædicabile de multis cũ multiplicatione sui, quemadmodũ vniuersale est prædicabile.

*Dices*: si sufficiat ad rationem indiuidui, quod non sit prædicabile de multis cum multiplicatione, sufficeret dicere quod esset illud quod non esset prædicabile de multis cum multiplicatione: ergo non erat necessarium addere quod esset prædicabile de vno.

*Respondeo* concedendo totum, sed tamen non frustrà addebatur quod esset prædicabile de vno, quia quandoquidem talis prædicabilitas competat indiuiduo, poterat significari in oratione descriptiua eius.

97 *Obiicies tertiò*: Indiuiduum vagum, verbi gratia, aliquis homo, potest prædicari de multis, verum enim est dicere quod Petrus sit aliquis homo, & Paulus sit aliquis homo, & hoc videtur etiam fieri cum multiplicatione numerica: quandoquidem verum sit dicere quod Petrus & Paulus sint plures aliqui homines: ergo malè dicitur quod indiuiduum non sit prædicabile de multis cum multiplicatione.

*Respondetur*: indiuiduum vagum non esse aliquid determinatum, sed indeterminatum & explicabile per ly, *vel*: sensus enim illarum vocum *aliquis homo*, est, ille vel ille homo. Indiuiduum autem hic descriptum non est aliquid vagum & indeterminatum, sed aliquid determinatum; vnicuique enim indiuiduo determinato conuenit prædicta definitio, & cõceptus eius est determinatus quantum ad explicationem. Vnde in forma Respondeo, quidquid sit de antecedenti, distinguendo consequens: malè dicitur id de indiuiduo determinato, quod prædicta definitione explicatur, nego consequentiam; de vago, transeat consequentia; nec de hoc id dicitur in prædicta definitione.

*Respondeo secundò*, negando antecedens quoad secundam partem: neq; enim propriè dicitur quod Petrus & Paulus sint plures aliqui homines, sicut verum est dicere de ipsis propriè quod sint plures homines, vnde non multiplicatur propriè in ipsis aliquis homo: cuius ratio est quod id quod propriè multiplicatur sit quid vnum determinatum, quale non est indiuiduum vagum.

98 *Obiicies quartò*, Indiuiduum entis, & indiuiduum quodcumque genericum est prædicabile de multis cum diuisione, & multiplicatione sui; verum enim est dicere quod Petrus sit hoc ens & hoc animal, & quod Paulus sit hoc ens & hoc animal.

*Respondeo* negando antecedens; quamuis enim ens & animal sit sic prædicabile, tamen id non est verum de ente aut animali, vt contracto per aliquam singularitatem, quia eo ipso quo sic contrahuntur, determinantur & restringũtur à multiplicatione; vnde falsum est, quod illud singulare animal, aut ens quod prædicatur de Paulo, prædicetur de Petro, sed aliud singulare animal numero distinctum: ergo vnum aliquod singulare animal non multiplicatur in ipsis. Indiuiduũ genericum non multiplicatur in inferioribus.

*Ex his patet*, sententiam Auerrois, existimantis hic definiri sola indiuidua accidentium ex eo quod illa sola sint prædicabilia formali prædicatione, nõ esse bonam: tum quia omnia indiuidua, etiam substãtialia, sunt prædicabilia de vno solo in sensu suprà explicato: tum quia alias diminutè procederet Porphyrius, cum non definiret omnia indiuidua qua talia; tum quia non est necesse, vt intelligatur prædicabile positum in prædicta definitione de prædicabili prædicatione formali, quia potest intelligi de prædicabili, vel abstrahente à prædicatione formali, & identica; vel de prædicabili identica, nam quodlibet indiuiduum tam substantiale quam accidentale est prædicabile prædicatione identica de vno solo in sensu suprà explicato. Non sola indiuidua accidentalia describitur à Porphyrio.

99 *Quæres*, an ratio indiuidui hic explicata sit communis vniuocè omnibus indiuiduis secundò intentionaliter acceptis?

*Respondeo*, si capiatur indiuiduum hic definitum, provt dicit formaliter secundam intentionem, quæ sit relatio rationis resultans ad actũ, quo consideratur indiuiduũ, vt quid indistinctum à se & immultiplicabile, posse dici quod ratio indiuidui vt sic sit cõmunis vniuocè omnib. indiuiduis secundò intentionaliter acceptis, non minus quam ratio hominis est cõmunis vniuocè omnibus hominibus; quæ sententia est communis Scotistarum & Thomistarum. Si verò non capiatur indiuiduũ secundò intẽtionaliter sic, sed provt dicit aliquid prædicabile de vno solo, non intelligendo per prædicabilitatem, prædicabilitatem proximam, quæ cõpletur per relationem rationis sequentẽ ad actum comparatiuum intellectus aut per denominationẽ extrinsecã desumptam à tali actu; sed pro prædicabilitate remota, quæ antecedit in re istã relationem rationis, aut denominationem extrinsecam; verisimilius esse quod nõ describatur aliqua vna ratio in hac descriptione magis, quam describitur in definitione indiuidui metaphysici, & consequenter quod eodẽ modo indiuiduum secundò intentionaliter acceptũ, ac ratio eius sit cõmunis omnibus indiuiduis secundò intentionaliter acceptis, quo ratio indiuidui metaphysici & primò intentionaliter accepti est communis omnibus indiuiduis metaphysicis primò intentionaliter acceptis, An ratio indiuidui sit communis vniuocè omnibus indiuiduis.

## DISPVTATIO VII.

### *De Differentia.*

APITE tertio sui libri agit *Porphyrius* de Differentia, quæ est tertiũ prædicabile; & in primis diuidit differentiã vt sic in communem, propriam, & propriissimam. *Differentia communis* est accidens separabile faciens aliquam rem differentem à se vel ab alia re, vt albedo Triplex differentia.

albedo respectu hominis, homo enim albus differt à se ipso & ab aliis hominibus non albis per albedinem, & propterea albedo dicitur differentia ipsius.

*Differentia propria* est accidens inseparabile, quo res differt ab alia re, vt nigredo respectu corui, est enim naturaliter inseparabilis ab ipso, & per illâ differt à cygno. *Differentia propriissima* est quæ facit rem essentialiter differentem, quæque cum genere constituit speciem, vt rationalitas respectu hominis: illa enim cum animalitatè constituit speciem humanam, quæ species per rationalitatem differt essentialiter à bruto; & huiusmodi duplex est; *infima*, quæ scilicet constituit speciem infimam, seu speciem prædicabilem; & *subalterna*, quæ constituit speciem subalternam. Vtraque autem differentia propriissima, vt habet constituere speciem, ita habet diuidere genus.

Dicit porro Porphirius, quod differentia cõmunis & propria faciunt res alteras, nõ verò alias; differentiæ verò propriissimæ faciunt res alias: vnde non est verũ quod paries albus sit alius à pariete nigro ratione albedinis aut nigredinis, sed quod sit alter: verum autem est dicere, quod homo sit alius à bruto; & ratio huius potest esse, quod idem subiectum, v. g. idem homo posset habere diuersas differentias cõmunes, nunc scilicet albedinem, & nunc nigredinem; sed idem homo nõ potest esse alius à se, licet possit esse alter à se, seu alteratus alio modo quam fuit ante. Similiter idem homo potest non habere differentiam propriam, v. g. cicatricem, & postea eam habere, & tamen non propterea fieret alius à se, licet fieret alter seu alteratus alio modo quã fuit ante.

Præterea, quia differentia propriissima, de qua principaliter agit, eo quod illa sola est tertiũ prædicabile de multis, potest capi primò intentionaliter, & secundò intentionaliter, assignat duas definitiones eius, quarum prima conuenit differentiæ primò intentionaliter sumptæ, scilicet, *quod sit illud, quod constituit speciem, & contrahit genus*; secunda verò conuenit differentiæ secundò intentionaliter acceptæ, scilicet quod sit illud, *quod est prædicabile de pluribus specie differentibus in quale quid.*

Duplex descriptio differentiæ propriissimæ.

## QVÆSTIO I.

### *De diuisione differentiæ in communem, propriam, & propriissimam.*

NOn capimus in hac disputatione differentiam pro relatione, à qua formaliter dicitur quid differre ab alio; sed pro fundamento istius relationis, hoc est pro entitate illa, ad quam sequitur huiusmodi relatio.

## CONCLVSIO I.

Diuisio differentiæ est bona.

2 *Illa diuisio est bona & adæquata.* Est communis: & *Probatur*, quia illa diuisio est bona, in qua membra diuidentia nec excedunt diuisum, nec è contra diuisum excedit mẽbra diuidentia: sed talis est hæc, quia membra diuidentia continentur sub diuiso, & propterea non excedunt ipsum, & diuisum non continet aliud nisi illa, & quæ ad ipsa reducuntur, & consequenter non excedit illa. Quod autem diuisum non contineat aliud sub se, quam hæc membra diuidentia, probatur, quia nulla res potest ab alia differre, nisi mediante aliqua re separabili, vel mediante aliqua re inseparabili: si mediante re separabili, tum ipsius differentia erit communis: si mediante re inseparabili, tum vel mediante aliqua re, quæ est de ipsius essentia, & sic eius differentia erit propriissima; vel mediante aliqua re, quæ nõ est de eius essentia, & sic eius differentia erit propria: ergo non potest dari aliqua differentia alicuius ab alio, quæ non sit vel cõmunis, vel propria, vel propriissima.

Alio modo potest idem probari, quia quæcũque forma aut formalitas facit rem aliquam differre ab alia re, vel est forma essentialis rei differentis, sicut rationalitas est respectu hominis, vel non essentialis illi rei, sicut nec risibilitas, nec albedo est essentialis homini: si primum dicatur, tum erit differentia propriissima: si dicatur secundum, vel illa forma erit separabilis ab illa re, cuius dicitur differentia, & sic erit differentia communis; vel nõ erit separabilis, & sic erit differentia propria.

3 *Obiicies primò*: Differentia indiuidualis est differentia, & tamen non continetur sub aliquo ex illis membris: ergo diuisum excedit illa membra diuidentia.

*Respondeo primò*, diuidi hic differentiam vt sic, communem omnibus differentiis, quæ non sunt indiuiduales: vnde concesso antecedenti, nego consequentiam.

*Respondeo secundò*, differentiam indiuidualem, si comparetur ad speciem, esse differentiam propriam respectu eius, quia non est intrinseca ipsi, si verò compararetur ad indiuiduum, esse differentiam propriissimam, quia licet non sit essentialis ipsi, quatenus essentiale capitur pro prædicato intrinseco non indiuiduali, est tamen essentialis, quatenus essentiale capitur pro re primò const tutiua intrinsece.

4 *Obiicies secundò*: Propria passio est differentia, facit enim differre vnum ab alio; & tamen non comprehenditur sub vllo ex his membris.

*Respondeo negando* minorem, est enim differentia propria.

*Dices*: Porphirius ait differentiam propriam suscipere magis, & minus, sed propriæ passioni hoc non cõpetit magis quã differentiæ essentiali ad quam sequitur.

*Respondeo* Porphirium non velle quod id competat omnibus differentiis propriis, sed tantum aliquibus.

*Dices secundò*: Porphirius inter differentias propriissimas enumerat capacitatem disciplinæ: sed capacitas disciplinæ est proprietas: ergo proprietas potius erit differentia propriissima, quam propria.

*Respondeo* distinguendo maiorem: capacitatem fundamentalem disciplinæ, concedo; formalem nego. Et similiter distinguo minorem: capacitas formalis, concedo; fundamentalis, nego minorem & consequentiam.

5 *Obiicies tertiò*: potest res esse sine differẽtia propria, verbi gratia sine cicatrice, aut cæcitate, antequam scilicet habeat illa, quæ tamen ponuntur a Porphirio, tãquam exempla differentiæ propriæ: sed nequit esse sine proprietate, ergo proprietas nõ est differentia propria.

*Quod si dicas* non posse esse absque cicatrice, aut cæcitate semel contracta. *Contra*: quia licet non possit naturaliter, poterit tamen supernaturaliter; sed supernaturaliter nequit esse absque proprietate, maxime in sentẽtia Scoti, qui identificat proprietatem subiecto; ergo adhuc proprietas nõ habet rationẽ differentiæ propriæ.

*Respondeo* negando consequentiam, quia licet possit esse sine aliqua differentia propria siue naturaliter, siue supernaturaliter, non tamen sine omni: nam differentia propria potest diuidi in eam, quæ nequit etiam supernaturaliter separari, qualis est proprietas, & in eam quæ potest aliqua ratione separari; & hæc quæ potest aliquo modo separari, potest diuidi in eam, quæ potest naturaliter separari, id est, sine qua potest esse subiectum aliquando, vt est cicatrix: & eam, sine qua nequit vnquã esse subiectum naturaliter, vt albedo respectu cygni, calor respectu ignis, nigredo respectu corui.

6 *Obiicies quarto*: animal est differentia hominis à lapide, sed non est differentia propria, nec communis, quandoquidem sit quid intrinsecum & essentiale homini, nec est differentia propriissima, quandoquidem non prædicetur in quale, sed in quid: ergo datur aliqua differentia, quæ neque sit communis, aut propria, aut propriissima, & consequenter diuisio prædicta non est adæquata, cum non comprehendat omnes differentias.

*Respondeo* negando maiorem, quia differentia proprie loquendo debet esse aliquid prædicabile in quale; vnde cum animal non prædicetur in quale, sed in quid, propterea non est differentia proprie loquendo, & vt accipitur differentia hic diuisa.

*Obiicies quintò*: anima rationalis est differentia hominis à bruto; sed tamen non est propria, nec communis, quia est pars essentialis hominis, nec est differentia propriissima, quia non prædicatur in quale quid, nec contrahit genus, aut constituit formaliter speciem: ergo prædicta diuisio non continet omnes differentias & consequenter non est adæquata.

*Respondeo* distinguendo maiorem: est differẽtia physica

ipsius, concedo; metaphysica, nego maiorem, & ad minorem dico quod sit differentia propriissima physica ipsius, & quod prædicetur in concreto de homine: bene enim potest dici quod homo sit animatus, & quod etiam constituat speciem, ac contrahat genus radicaliter, saltem partialiter.

## CONCLVSIO II.

Diuisio illa est analogi in analogata.

7. *Prædicta diuisio est analogi in analogata.* Hæc est communis cum *Doctore quæst. 23. Vniuers.* ac suis. *Probatur*: quia non est diuisio vniuoci in vniuocata, & præterea membra diuidentia habent aliquam proportionē inter se: sed omnis diuisio, qua diuiditur aliquid in membra habentia proportionem inter se, si non sit diuisio vniuoci in vniuocata, erit diuisio analogi in analogata secundum omnes: ergo illa diuisio est analogi in analogata. Probatur maior quoad primam partem, in qua sola est difficultas, quia vt sit diuisio vniuoci in vniuocata, deberet dari aliquis conceptus determinatus abstractus à mēbris diuidentibus qui esset cōmunis illis secundū eandē rationem: sed hoc est falsum: ergo nō est diuisio vniuoci in vniuocata. Probatur vltima minor, quia omnes differentiæ non possunt conuenire in vno conceptu cōmuni determinato, quia neque omnes differentiæ propriissimæ sic conueniunt inter se, quandoquidem sint primò diuersæ: ergo multo minus conueniunt cū aliis differentiis in conceptu aliquo communi.

*Confirmatur*, quia non potest assignari quis sit ille conceptus vnus obiectiuus, in quo conuenirent: ergo non est dicendum, quod conueniant in aliquo tali. Probatur, quia non est cōceptus entis, quia in eo nulla differunt: nec conceptus substantiæ, vt sic, quandoquidem aliquæ differentiæ non sint substantiæ, aut substantiales: nec accidentis vt sic, quandoquidem aliquæ sint differentiæ, quæ non sint accidentia nec accidentales: sed nullus conceptus vnus determinatus dari potest, qui non sit ens, vel substantia, vel accidens; aut substantiale, vel accidentale: ergo non potest assignari aliquis conceptus differentiæ, qui sit vnus, ac determinatus, ac communis omnibus differentiis.

*Confirmatur secundò*, quia omnis formalitas positiua debet habere aliquod munus aliud, quam facere differre, sicut albedo, quæ est differentia particularis, habet aliud munus quam facere differre suum subiectum ab alio subiecto: sed non potest assignari aliquod munus illius differentiæ vnius determinatæ vt sic, quæ esset communis vniuoce omnibus differentiis: ergo non datur talis conceptus.

8. *Obiicies*: omnes differentiæ conueniunt in hoc, quod faciant differre, & potest aliquis habere conceptum de aliqua forma, quod faciat differre, & esse certus de hoc, & hoc non obstante dubitare an faciat differre per modum differentiæ propriæ, communis, aut propriissimæ: ergo conueniunt vniuoce in conceptu facientis differre vt sic.

*Respondeo*, sicut responsum est supra, cum quæreretur vtrum daretur conceptus indiuidui vt sic, cōmunis omnibus indiuiduis, & sicut respondebitur inferius, quando simile argumentum proponetur contra doctrinam nostram de differentiis vltimis. Respondeo inquam distinguendo antecedens: conueniunt in conceptu aliquo determinato abstracto & præscindente, nego: alio modo, concedo antecedens & nego consequentiam, loquendo de conceptu vniuoco abstracto & præciso ab inferioribus, de quo conceptu fit mentio in cōclusione.

Aduertendum autem hic quod loquamur de differētiis his, primo intentionaliter acceptis, & secundū quascumque formalitates competentes ipsis ante operationem intellectus. Quod si loquamur de ipsis secundo intentionaliter, prout subsunt relationibus aliquibus rationis aduenientibus ipsis per operationem intellectus, potest dici de ipsis quod conueniant vniuoce, sicut idē diximus de naturis omnibus vniuersalibus & indiuiduis, prout subsunt similibus relationibus, quia à relationibus rationis fundatis in differentiis omnibus æque potest abstrahi ratio aliqua cōmunis differentiæ secundò intentionaliter acceptæ, ac à relationibus naturarum genericarum ac indiuiduorum, vt est euidens.

Conueniunt vniuoce secundo intentionaliter acceptæ.

An diuisio differentiæ vt sic sit in membra realiter distincta.

9. *Quæres* an prædicta diuisio sit in membra realiter distincta, an vero formaliter. *Respondeo* esse sine dubio in membra ad minus formaliter distincta, quia conceptus differentiæ communis, propriæ, & propriissimæ sunt conceptus satis diuersi inter se.

*Respondeo secundò* esse etiam in membra realiter distincta, quantum ad hoc quod dentur differentiæ communes, propriæ, & propriissimæ, quæ inter se realiter distinguuntur: nam rationalitas, quæ est differentia propriissima hominis, distinguitur realiter ab albedine, quæ est differentia communis, & cicatrice quæ est differentia propria eius.

*Respondeo tertiò*, non esse in membra realiter distincta, quasi quælibet differentia ex membris differentibus debeat à cæteris realiter distingui: nam risibilitas, quæ est differentia propria hominis, non distinguitur realiter à rationalitate, quæ est differentia propriissima eius, præsertim in nostra Scotistarum sententia. Nec etiam debent membra diuidentia esse ita realiter distincta, quin vna, & eadem forma in specie posset habere rationem differentiæ vnius ex illis tribus respectu vnius subiecti, & alterius differentiæ respectu alterius subiecti; nam albedo, quæ est differentia communis hominis, est differentia propria cygni. Vnde melius est dicere, quod membra diuidentia differentiæ, vt sic, abstrahunt ab identitate & distinctione reali.

## QVÆSTIO II.

*Quid sit differentia propriissima primò intentionaliter accepta.*

10 INdagabimus iam particularius naturā differentiæ propriissimæ, quæ sola est illa, quæ est tertiū prædicabile, quæque sicut & cætera vniuersalia, potest cōsiderari & primò intentionaliter & secundò intentionaliter. Eius autē dedit *Porphirius* quinque descriptiones. Prima est: *quod differentia est id quo species excedit genus.* Secunda: *differentia est, quæ suapte natura ea, quæ sub genere sunt, separat.* Tertia: *differentia est id, quo singula differunt.* Quarta: *differentia est, quæ non solum separat ea, quæ sub eodem genere collocantur, sed ad substantiam rationemque confert & pars eius est, cuius differentia dicitur.* Quinta denique: *differentia est, quæ de pluribus differentibus specie in quale quid prædicatur.* Ex his definitionibus seu descriptionibus vltima conuenit differentiæ secundò intentionaliter acceptæ, quatenus scilicet est prædicabile per intellectum, & de ea agemus quæstione vltima. Reliquæ conueniunt ipsi primò intentionaliter acceptæ, & de iis hic agendum est.

Quinque descriptiones differentiæ propriissimæ.

## CONCLVSIO I.

Quatuor primæ sunt bonæ.

11. *Quælibet ex prædictis quatuor definitionibus seu descriptionibus est bona.* Hæc debet esse communis, & *probatur*, quia per quamlibet ex illis declaratur natura istius formalitatis, quæ est differentia propriissima, vt distinguitur à cæteris formalitatibus, quæ non sunt tales: ergo quælibet est bona. Probatur minor discurrendo per singulas: & quantum ad primam certum est quod nulla sit formalitas, qua species excedit genus, seu quam species dicit per se primò vltra genus, præter formalitatē differentiæ: Quantum ad secundam non minus certum est, quod nihil aliud per se primò separat & distinguit species, quæ sunt sub genere immediate, præter differētias: sicut nihil aliud formaliter distinguit hominem à bruto per se primò præter rationalitatem. Quantū ad tertiā patet, singulas res, quæ sunt differentes essentialiter differre sola differentia: & denique quantum ad quartā cōstat illa sola, quæ separant aut distinguūt species, seu quibus species vnius generis distinguuntur, & præterea sunt de essentia specierum, esse differentias propriissimas; vnde licet risibilitas & hinnibilitas distinguant hominē ab equo, tamen non sunt differentiæ propriissimæ quia non sunt de essentia hominis & equi.

*Dices* contra primam, secundam, & tertiam: risibilitas est formalitas, qua species humana excedit genus, verbi gratia animal: homo enim vltra animalitatem includit

risibilitatem, & eadem risibilitas separat hominem à bruto,& consequenter etiam homo & brutum differunt ratione risibilitatis.

*Respondeo* risibilitatem non esse formalitatem, qua per se primò species excedit genus,verbi gratia homo animal,nec est per se primò separatiuum hominis ab equo,nec differt essentialiter homo ab equo ratione risibilitatis formaliter loquendo,quandoquidem non sit de essentia hominis.

## CONCLVSIO II.

Descriptio differētiæ propriſſimæ vt vniuersale metaphysicū particulare.

12 *Differentia, vt vniuersale metaphysicum distinctum à cæteris vniuersalibus, bene describitur esse illa quæ potest inesse multis,tanquam pars essentialis determinatiua.* Hæc in re non negabitur,vt credo,ab vllo,*& patet*, quia vt vniuersale metaphysicum, dicit respectum ad multa,in quibus possit esse cum sui multiplicatione,& vt vniuersale tale,dicit respectum distinctum à respectibus, quos dicūt cætera vniuersalia:sed nullum respectum potius dicit,quam quod possit esse in illis per modum partis essentialis determinatiui rationis cōmunis: ergo bene describitur differētia,vt vniuersale metaphysicum distinctū à reliquis vniuersalibus,prædicto modo.

Dicit tres respectus.

*Ex hac autem descriptione* colligitur quòd differentia, vt est vniuersale metaphysicum,dicat tres respectus ad minus,vnum ad genus quod determinat,alterum ad illa plura,in quibus potest inesse, & tertium ad alias res à quibus facit rem,in qua includitur,essētialiter differētē.

Tertius respectus est per accidens ad rationem differentię.

Quamuis quod ad me attinet existimem respectum illū,quē dicit ad res,à quibus facit differre,non spectare formaliter ad ipsum, quatenus est vniuersale distinctū a reliquis vniuersalibus;quod probo,quia quamuis verbi gratia non daretur aliquod animal possibile præter rationale,rationalitas non diceret respectum ad aliquas res à quibus faceret per se differre,& tamen esset vniuersale metaphysicū potens inexistere pluribus hominibus;non autem per modū generis,nec speciei;nec proprij,nec accidentis:ergo per modum differentiæ,& consequenter ille respectus,quem dicit ad res alias,à quibus per se facit differre, est per accidens ad conceptum & rationem differentiæ,vt est tertium vniuersale.

13 *Dices*:non esset in illis pluribus per modum partis essentialis determinatiui seu cōtractiui;sed illa ratio requiritur ad tertium vniuersale:ergo per se requiritur ille respectus ad tertium vniuersale .Probatur maior, quia illud solum est determinatiuum, quod minus late patet quam determinabile:sed nisi animal, verbi gratia, posset esse in aliqua alia specie quā in homine, non posset esse magis late patens quam rationalitas : ergo vt rationalitas sit determinatiuum,debet animal esse in alia specie,& vt consideretur rationalitas vt differentia,debet considerari animal in alia specie distincta & differente ab homine, & consequenter respectus ad aliam speciem,à qua faciat rationalitas differre, requiritur ad hoc vt habeat rationem tertij vniuersalis.

*Respondeo* negando maiorem cum maiori probationis quia dupliciter potest aliquid esse determinatiuum & contractiuum alterius:vno modo quatenus esset minus late patens & contraheret illud quod determinaret, ad vnam determinatam speciem,ad quam contractum esset ex se indifferens:alio modo quatenus tribueret aliquam determinationem quātum ad effectum,rei determinatæ, quā ex se non haberet,siue esset minus late patens,siue non:& in hoc sensu rationalitas esset determinatiuū & contractiuum animalitatis, quia sine rationalitate non posset anima principiare discursum,& mediāte rationalitate potest ipsum principiare : hic autem modus determinatiui sufficit ad tertium prædicabile. Et licet fortassis de facto semper , quod est determinatiuum hoc modo sit determinatiuum etiam primo modo , tamen id est per accidens ad rationem tertij vniuersalis , vnde huius ratio formalis haberetur , quamuis non esset annexa illa ratio determinatiui primo modo , hoc est per modū partis minus late patentis,seu nō cōuertibilis cum formalitate determinabili.Fateor quidē quod non posset cōsiderari rationalitas vt differētia hominis ab aliis rebus,quin consideretur animalitas in aliis rebus sine rationalitate,& consequenter tertium respectum spectare ad differentiam qua differentia est , non tamen spectat ad ipsam vt tertium vniuersale præcise.

## CONCLVSIO III.

Descriptio differētiæ infimæ.

14 *Illa descriptio sufficit ad describendum differētiam infimam & propterea debet addi , quod illa plura , quibus inesse debet differentia infima,sint distincta numero tantum.* Hæc etiam debet esse communis. *Patet prima pars* quia differentia infima,& subalterna,seu non infima, distinguuntur,alias vna non esset infima,vel subalterna potius, quam altera.ergo descriptio conueniens vni ex ipsis non sufficit ad describendam alteram,quatenus distinguuntur:sed prædicta descriptio,si aliquid addatur, conuenit etiam differentiæ subalternæ tam bene,quam infimæ.ergo non sufficit ad describendam differentiam infimam.*Hinc sequitur secunda pars*,quia si non sufficit, aliquid debet addi,vt sufficiat:sed nihil potius , quam quod debeat posse inesse pluribus numero tantum differentibus:ergo id debet addi.

*Confirmatur*:quia per hoc, quod talibus insit, distinguitur à differentia subalterna.

15 *Dices*:Differentia infima & subalterna nullo modo distinguuntur in esse tertij vniuersalis metaphysici:ergo descriptio prædicta differentiæ,vt est vniuersale metaphysicum, quamuis conueniat differentiæ subalternæ, erit tamen sufficiens ad describendam differentiam infimam. Probatur antecedens , quia alias darentur sex vniuersalia,nimirum genus , species,differentia infima, differentia subalterna,proprium & accidens.

Differētiæ infimæ & subalternæ possūt esse distinctæ speciei vniuersalis.

*Respondeo* distinguendo antecedens:in esse tertij vniuersalis metaphysici vt sic,cōcedo antecedēs; in esse tertij vniuersalis talis,nego antecedens, & ad probationē dico quod non est absurdum dari plura vniuersalia in particulari quam quinque,modo illa contineantur sub illis quinque.Itaque quemadmodū genus & species, licet conueniant non solum in ratione vniuersalis vt sic, communi cæteris vniuersalibus,sed etiam in ratione vniuersalis vt sic ,quod potest inesse multis per modū alicuius non determinatiui,& distinguuntur secundum rationes particulares per hoc,quod genus insit per modū partis essentialis non determinatiuæ,& species per modum totius essentiæ;ita quamuis differentia infima, & subalterna non solū conueniant in ratione vniuersalis, quod possit inesse multis per modum partis essentialis determinatiuæ,quæ est ratio tertij prædicabilis;possūt tamē differre in rationibus particularibus per hoc,quod vna possit inesse multis specie differentibus , & altera solū possit esse in multis numero differentibus;seu per hoc, quod vna,nimirū subalterna, possit in esse multis per modū determinatiui rationis genericæ,& determinabilis vlterius determinatione essentiali ; altera vero, nimirū infima,possit inesse multis per modum determinatiui,quod nō sit vlterius determinabilis essētialiter.

16 *Dices*:si hæc doctrina esset vera,tum posset reduci numerus vniuersalium ad quatuor,comprehēdendo scilicet genus,& speciem sub vno vniuersali,quod sit prædicabile in quid,sicut comprehenduntur differentia infima& subalterna sub vno vniuersali,quod sit prædicabile in quale quid:sed hoc videtur inconueniens , ergo & id vnde sequitur.

*Confirmatur*, quia non est potior ratio cur nominarentur particulariter,tanquam membra diuidentia vniuersalis vt sic,genus & species,quam differentia infima & subalterna,si fuissent hæ distinctæ in ratione aliqua particulari vniuersalis:ergo deberent sic nominari , & consequenter,quandoquidem non sint nominatæ , signum est quod non sint distinctæ inter se in aliqua ratione particulari vniuersalis.

*Confirmatur secundò* , quia non potest assignari ratio cur non sint sic nominatæ , nisi quia existimauit Porphyrius ea non fuisse sic distincta:ergo nō sūt distincta.

17 *Respondeo* concedēdo maiorem , & negādo minorē,nec tamē male dabatur per quinq; mēbra,quia sicut

poterat dari per quatuor,imo & per duo,ita poterat etiam dari per quinque,vel absque vlla inconuenientia.

*Ad confirmationem primam* transeat antecedens, quantum est ex natura rei:nec tamen deberent nominari, quia poterant vel nominari, vel non nominari, prout placeret diuidenti, cui satis est, quod diuidat diuisum adæquate, non relinquendo vllum membrum diuidens, quod non exprimat vel in se formaliter,vel in aliquo continente ipsum.Dixi autem:*transeat quantum est ex natura rei*, quia quantum ad opinionem particularen *Porphyrij* poterat esse aliqua ratio particularis, cur non nominauerit differentiam infimam tanquam vniuersale distinctum, nimirum,quia forte existimauit non dari differentiam infimam.

Cur non numerauit Porphirius differentiã infimam & subalternã tanquam distincta vniuersalia.

Et per hoc *patet ad secundam confirmationem*,cuius antecedens est negandum:quia ratio poterat esse quod, vt iam dixi,non putauit dari differentias infimas: vel quia, cum id esset in controuersia, noluit id decidere, nec nominare differentiam illam expresse,de qua non constabat omnibus,an daretur,nec ne.

## QVÆSTIO III.

### *In ordine ad quid constituitur differentia in esse vniuersalis.*

18 QVandoquidem differentia quælibet etiam primò intentionaliter accepta dicat ordinem&ad genus quod diuidit,ac determinat,& ad speciem, quam constituit,& ad inferiora illius speciei,in quibus inexistere potest, verbi gratia rationalitas dicit ordinem ad animal, quod contrahit, ad hominem,quem cum animalitate constituit, & ad Petrum & Paulum,in quibus inexistit. Quæritur hic,à quo ex his respectibus habet esse vniuersale metaphysicum.Quæ difficultas communis est ad differentiam subalternam etiam,de qua eadem est ratio quantum ad hoc,ac de infima. Solet etiam moueri hæc eadem difficultas de differentia secundo intentionaliter accepta: sed resolutio ex iisdem principiis dependet, nam per ordinem ad illa ipsa sine dubio constituitur in esse vniuersalis secundò intentionaliter accepti, per ordinem ad quæ constituitur in esse vniuersalis metaphysici.

*Prima sententia* est quod differentia constituatur in esse vniuersalis tertij per ordinem ad speciem, ita *Caietanus, Toletus,Sotus hic*.

*Secunda sententia* est quod constituatur in esse vniuersalis per ordinem ad propria inferiora ipsiusmet differentiæ, non veto per ordinem ad speciem aut inferiora speciei:verbi gratia rationale secundum hanc sententiam constituitur in esse vniuersalis tertij, non per ordinem ad hominem,nec ad Petrum & Paulum,aliosue homines,sed per ordinem ad hoc & illud rationale, capiendo pro hoc rationali indiuiduum constitutum formaliter ex rationalitate & hæcceitate sine considerationc alterius formalitatis. Hanc sententiam ex *Sanches* referunt absque authoribus *Complutenses hic*.

*Tertia sententia* communissima est, quod constituatur in esse huius vniuersalis tertij per ordinem ad inferiora speciei.

## CONCLVSIO I.

Non constituitur in esse vniuersalis tertii per ordinẽ ad propria inferiora.

19 *Non constituitur differentia in esse tertij vniuersalis per ordinem ad sua propria inferiora in sensu secundæ sententiæ*. Hæc est communis authorum aliarum sententiarum.*Probatur*,quia respectu huius & illius proprij inferioris, verbi gratia rationale respectu huius & illius rationalis,prout rationale solum dicit indiuiduum constatum ex rationalitate & hæcceitate, non est prædicabile in quale nec incomplete, sed in quid completissime,quandoquidem nihil consideretur in hoc rationali vt sic,præter rationalitatem & hæcceitatem: ergo non constituitur in esse tertij prædicabilis per ordinem ad illa inferiora.

*Et si quaratur*,cuius vniuersalis rationem habet rationale,prout prædicatur de hoc & illo rationali in prædicto sensu:*Respondeo* quod habet rationem secundi vniuersalis,nempe speciei, quia prædicatur in quid per modum totius essentiæ.Et per hoc potest responderi ad argumentum,quod posset fieri contra hanc conclusionem, nempe quod rationale sit prædicabile de hoc & illo rationali:sed non alio modo,quam vt tertium vniuersale: ergo constituitur in esse tertij vniuersalis per respectum ad hoc & illud rationale.Respondendum enim ex iam dictis negando minorem,quia de illo prædicatur vt species.

## CONCLVSIO II.

20 *Non constituitur differentia in esse tertij prædicabilis per ordinem ad genus præcise, nec per ordinem ad speciem præcise*. Hæc quoad primam partem est omnium & quoad secundam partem est authorum secundæ & tertiæ sententiæ contra primam.

Non constituitur in esse tertij vniuersalis per ordinẽ ad genus aut speciẽ

*Probatur prima pars* primò, quia vniuersale,qua tale, dicit respectum ad inferiora, quorum quodlibet minus late patet ipso,vt constat tũ inductione in cæteris vniuersalibus,tum ex cõmuni acceptione omnium de vniuersali vt sic:sed genus non est quid inferius differentia, sed potius differentia est quid inferius genere: ergo non potest differentia constitui in esse vllius vniuersalis per respectum ad genus.

*Probatur secundò eadem pars & secunda etiam*, quia omne vniuersale constituitur in esse tali per respectum ad plura, in quibus potest inesse cum multiplicatione: sed nec genus vt sic,nec species vt sic,sunt plura, sed potius genus est vnum, & species est vna:ergo differentia non potest constitui in esse vniuersalis præcise per respectum ad genus,aut speciem.

*Confirmatur secunda pars*,quia species non est inferius respectu differentiæ ipsam constituentis, sed potius conuertibilis cum ipsa, & consequenter æqualis ipsi; aut si non sit conuertibilis ex eo scilicet quod differentia vnius speciei posset conuenire alteri speciei, profecto tum species potius habebit rationem determinatiui differentiæ, quàm è contra, & sic non erit differentia respectu ipsius.

21 *Obiicies:*hæc prædicatio est formalis & bona:homo est rationalis: ergo rationale est prædicabile per modum alicuius prædicabilis de homine, & consequenter inest ipsi per modum alicuius vniuersalis metaphysici: non per modum alterius quam differentiæ,seu tertij prædicabilis: ergo tertium prædicabile constituitur in ordine ad speciem,quam constituit.

*Respondeo* negando secundam consequentiam, nimirum quod rationale insit:homini per modum alicuius vniuersalis,ex eo quod sit prædicabile de ipso per modum alicuius prædicabilis.Nam licet omne determinatum, quod est prædicabile de aliquo,sit vel indiuiduum, vel aliquod ex illis quinque vniuersalibus: tamen non est necesse vt habeat rationem indiuidui aut vllius ex illis quinque vt comparatur ad quodcumque de quo prædicari potest: id quod patet euidenter, quia quando aliquis cognoscit albedinem esse in hoc pariete, & nescit vtrum sit accidens ipsi,aut proprietas, aut differentia essentialis, licet possit ipsam de pariete prædicare in concreto, prædicatione formali dicendo: paries est albus:& licet à parte rei albedo sit aliquod ex quinque vniuersalibus metaphysicis, saltem fundamentaliter, & remote:tamen non cognoscitur vt tale ab illo,qui eam prædicaret, nec consequenter vt tale eam prædicaret,neque enim potest prædicare nisi vt cognoscit.Et si quæris qualis sit prædicatio rationalitatis de homine:respondeo esse prædicationem formæ de re, in qua includitur forma.

Non omne prædicabile habet rationem vllius vniuersalis aut indiuidui per ordinem ad quodcumque.

## CONCLVSIO III.

22 *Differentia constituitur in esse vniuersalis tertij per ordinem specialem, quem dicit ad inferiora speciei, in quibus potest inesse mediante specie*. Hæc est communissima contra primam & secundam sententiam.

Differentia constituitur in esse tertii vniuersalis per ordinem ad indiuidua speciei,quam constituit.

*Probatur*,quia constituitur in esse vniuersalis per respectum ad aliqua plura, in quibus inesse potest,& constituitur in esse tertij vniuersalis per ordinem ad illa,in quibus aliquo particulari modo,v.g.per modum formalitatis

essentialis determinatiui,inesse potest:sed non sunt alia plura,in quibus sic inesse possit, præter inferiora speciei,quam constituit immediate,vt patet ex dictis:ergo constituitur in esse tertij prædicabilis per ordinem ad illa inferiora.

*Dices*:non potest de ipsis immediate prædicari,quādoquidem non insit ipsis immediate,sed prius insit speciei, & mediante specie insit inferioribus illius speciei, verbi gratia rationalitas non ineſt immediate Petro,sed immediate ineſt humanitati,quam cū animalitate constituit,& mediante humanitate ineſt Petro, & reliquis indiuiduis:sed vniuersale omne debet immediate esse prædicabile de iis,respectu quorum est vniuersale;ergo differentia non cōstituitur in esse tertij prædicabilis per ordinem ad inferiora speciei,quam constituit.

23.*Respondetur* communiter negādo minorem:sufficit enim ad hoc,quod aliquid habeat rationem vniuersalis respectu aliquorū,quod de ipsis sit prædicabile,& quod non sit prius per modū vniuersalis prædicabile de aliis: hoc autem competit differentiis,verbi gratia rationalitati;nam & est prædicabilis de Petro & Paulo cum multiplicatione, & licet sit prius prædicabilis de humanitate,sicut prius ineſt illi,tamen nō est prædicabile prius de vllis pluribus, nec consequenter est prædicabile per modum vniuersalis de vllo prius,quā de Petro & Paulo.

Vt autē melius iutelligatur hæc conclusio, aduertēdum quod possit habere duplicem sensum:vnum præcisiuū sic,vt vellet quod à solo ordine ad inferiora speciei absque ordine ad ipsam speciē aut genus differētia haberet rationē tertij prædicabilis ita,vt aliquis possit habere conceptum de differētia,verbi gratia de rationalitate,quod esset tertium prædicabile,per hoc quod cōsideraret ipsum,vt potens inexistere Petro & Paulo tali determinato modo,& quod posset ipsum sic cognoscere absque eo quod cognosceret ordinem,quem diceret ad genus au speciem.Secundus sensus esset,quod haberet quidem esse vniuersale ab ordine ad illa inferiora ita, vt ille ordo requireretur,licet etiam requireretur ordo ad speciem aut genus:vnde dubitari potest,in quo sensu debeat intelligi;ad quod dubium soluendum sit:

## CONCLVSIO IV.

Ordo ad speciē requiritur necessariò ad tertium prædicabile, non vero ordo ad genus.

24 *Necessariò & per se requiritur ad tertium vniuersale ordo ad speciem ita,vt non possit esse vel concipi sub ratione tertij prædicabilis, quin consideretur sub tali ordine; non requiritur vero iam necessario orde ad genus,prout genus dicit aliquid communicabile pluribus speciebus.* Hanc nō inuenio expresse apud authores, sed vix potest esse in controuersia,si bene intelligatur.

*Probatur prima pars*, quia non potest rationalitas,verbi gratia,considerari ineſse Petro & Paulo per modum determinatiui essentialis;nisi intelligatur esse in Petro & Paulo formalitas essentialis,quam determinat,& totum constitutum ex illa formalitate determinabili & formalitate determinatiua:sed illud totū est species:ergo per se ita requiritur ad differentiam, vt sic, ordo ad speciem,vt non possit nec esse,nec concipi sine illa.

*Confirmatur*:ad hoc vt cognoscatur differentia vt tertium prædicabile,nō sufficit quod possit ineſse Petro,& Paulo,quia genus & species possunt ipsis ineſse : ergo requiritur vlterius,vt cognoscatur ineſse ipsis per modum partis essentialis determinātis seu determinatiui : sed sic concipi nequit , nisi concipiatur ordo ipsius ad speciem,quam constituit:ergo requiritur ille ordo.

25. *Probatur secunda pars*,quia vt cognoscatur rationalitas ineſse Petro & Paulo per modum formalitatis essentialis determinatiui,non requiritur formaliter vt cognoscatur quod illud,quod determinat,verbi gratia animalitas,sit communis pluribus speciebus,sed sufficeret cognoscere,quod posset esse cōmunicabilis pluribus indiuiduis:sed requireretur quod cognoscereturvt cōmunicabile pluribus speciebus,ad hoc vt cognoscereturper modum generis,& vt cognoscereturquod differētia diceret ordinem ad ipsum,tanquam genus.Dico autē tāquam ad genus formaliter loquendo , quia fortassis de facto differētia propriissima omnis dicit ordinem ad genus:fortassis enim illa formalitas,cū qua constituit speciem,est semper communicabilis pluribus speciebus,& consequenter genus;sed tamē non requiritur quod cognoscatur vt tale,aut vt sit tale,formaliter loquēdo,ad rationē differentiæ cognoscendā;nam si per impossibile nō esset tale,adhuc haberetur ratio&cognitiodifferētię.

26. *Quæres* hic,à quo sumatur formalitas differentiæ metaphysicæ,an scilicet à materia vel à forma?

A quo sumitur differentia metaphysica.

*Respondeo primò*, quod non sumatur à materia, aut forma,aut vtraque,quasi nihil constaret differentia metaphysica,nisi quod constaret materia aut forma,quia Angeli non includunt materiam aut formā physicam , & tamen constant differentia metaphysica, per quam vnus Angelus distinguitur ab altero Angelo & cæteris rebus,quæ non sunt Angeli.

*Respondeo secundò*,posse dici quod differentiæ metaphysicæ rerū constantium materia & forma desumātur à formis ipsarum,& non à materia,intelligendo per hoc quod differentiæ earum habent maiorem proportionem cum forma quàm cum materia,quæ proportio consistit in hoc,quod quemadmodum formæ sūt determinatiuæ ac perfectiuæ materiarū,&distinctiua physica rerū includentium materiam & formam , ita etiam differentiæ metaphysicæ sunt determinatiuæ &perfectiuæ generū, ac distinctiua metaphysica rerū cōstantiū eodē genere.

*Respondeo tertiò*,non sumi differentiam metaphysicam à sola forma,quasi illa formalitas in sola forma includeretur,& ratione formæ præcise competeret illi composito,cuius est differētia metaphysica.Patet,quia alias differentia metaphysica rei distingueretur realiter ab ipsa re,verbi gratia rationalitas ab homine,quod est absurdum.Probatur sequela , quia forma physica distinguitur realiter à composito,verbi gratia anima rationalis ab homine,quando quidem possit existere anima in rerum natura,non existente homine : ergo quidquid includitur in illa re,erit etiam realiter distinctum ab homine, & consequenter si rationalitas includitur in anima,distingueretur realiter ab homine.

27 *Respondeo quartò* differentiam metaphysicam rerum compositarū ex materia & forma radicaliter desumi ex ipsis,quatenus scilicet ipsa res cōposita, cuius est differentia,constituitur ex materia & forma;nec consequenter esset differētia eius,nisi esset materia & forma: non debet autem dici quod forma sola sit principiū radicale physicam eius;nec materia sola,quia neutra sufficeret sine altera,sed vtraque simul debet dici principium physicū radicale eius.Quod si tamen velit aliquis vocare principium radicale physicum illam partem solam ex partibus physicis,quæ nequit reperiri in composito vllo sine differētia tali,& sine qua nequit reperiri illa differentia:tum potest dicere quod forma sola sit principiū radicale omnis differētiæ metaphysicæ,qua inter se differunt res cōstantes materia & forma,quia materia potest esse in composito aliquo sine quacūque determinata differētia,verbi gratia potest esse in bruto sine rationalitate,in homine sine irrationalitate,in lapide sine alterutra:forma vero nequit esse in cōposito vllo absque differentia metaphysica tali determinata,nec differētia talis absque forma tali determinata:nequit enim forma lapidis,esse in aliquo composito,in quo nō sit differentia lapidis,nec potest esse differētia lapidis absque eo quod res,in qua sit,habeat formam lapidis.Similiter anima rationalis nequit esse in aliquo composito,in quo non sit rationalitas , nec rationalitas potest esse in aliquo,præsertim composito physico,in quo non sit anima rationalis.Vnde iuxta hoc possunt intelligi illi,qui dicunt principium physicum radicale formale differentiæ metaphysicæ esse formam, & ab hac illam desumi formaliter : de quo non potest esse alia quæstio quam de nomine.

28. *Quæres secundò*, vtrum cōpositio metaphysica generis & differentiæ,quæ cōponunt speciem,sit realis?

An compositio ex genere & differentia sit realis.

*Respondeo breuiter* non esse realem strictè loquendo quia extrema nō distinguūtur realiter strictè loquēdo,vt

ſupponunt omnes tanquam certum; eſt tamen realis, prout talis dicitur illa, quæ non dependet ab operatione intellectus.

*Probatur* ex principiis omnibus, ex quibus colligitur dari di ſtinctionem formalem actualem antecedentem omnem operationem intellectus inter gradus metaphyſicos, animalitatem verbi gratia, & rationalitatem, quæ principia hic non ſunt proponenda: ſuppoſita enim illa diſtinctione, nihil impedit quo minus genus & differentia componant realiter formaliter ſpeciem. Loquor autem de genere & differentia, prout dicunt illas formalitates quæ denominantur genus & differentia, non vero vt ſunt formaliter genus & differentia, quia fortaſſis vt ſic, non ſunt à parte rei.

*Confirmatur*, quia illæ formalitates identificantur & coniunguntur realiter ante operationem intellectus, & neutra ex ipſis eſt infinita: ergo compoſitio ipſorum eſt realis ante operationem intellectus. Probatur conſequentia, quia per compoſitionem realem talem nihil aliud intelligimus quam talem coniunctionem extremorum, quorum neutrum eſt formaliter aut realiter infinitum. Dico autem, quorum neutrum eſt formaliter aut realiter infinitum, quia ſi fuiſſet infinitum, illa coniunctio, & identificatio, non deberet vocari cõpoſitio: vnde negamus eſſentiam diuinam, licet diſtinguatur formaliter ab attributis & relationibus, & identificetur illis realiter, facere cum illis compoſitionem vllam realem. Qui negant hanc reſolutionem fundantur in principiis, quæ opponuntur diſtinctioni formali, quæ ſuo loco in Metaphyſica ſoluentur.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum differentia inferior includat genus aut differentias ſuperiores, aut includatur in illis.*

29 QVandoquidem genus, & differentiæ tam ſuperiores quàm inferiores identificentur realiter, licet diſtinguantur formaliter, eaque, quæ ſic identificantur, realiter & identice includant ſe inuicem, non poteſt controuerſia huius quæſtionis in hoc conſiſtere; ſed difficultas eſt an genus, verbi gratia animal, in ſuo conceptu formali tanquam aliquod prædicatum actuale intrinſecũ includat rationalitatem, quæ eſt differentia contractiua eius ad eſſe hominis; aut è contra, an rationalitas in ſuo conceptu formali, tanquá prædicatũ intrinſece & actualiter in ſe incluſum, inuoluat animalitatem aut animal. Rurſus eodem modo difficultas eſt de differẽtia ſuperiori verbi gratia ſenſitiuitate, qua cõſtituitur formaliter animal, & rationalitate qua contrahitur animal, quæque cõſequenter eſt inferius ad ſenſitiuitatem, quãdoquidem ſenſitiuitas ſicut & animal, magis late pateat quam rationalitas.

*Prima ſententia* eſt, differentias inferiores includere genus formaliter, & conſequenter etiam differentias ſuperiores, quæ includuntur in genere: ita *Canterus* hic, & fauet *Soncinas 7. Metaph. queſt. 37.*

*Secunda ſententia* eſt, quaſdam differentias inferiores includere formaliter genus, ac ſuperiores differentias, quaſdam nõ includere. Et vt intelligatur, quænam includant, quænam non includant, dicunt aliquas eſſe differentias alicuius generis, quæ non poſſunt à parte rei competere vlli alteri, niſi ipſi generi vel rebus contentis ſub illo; vt ſi rationalitas hominis nequeat alicui competere quàm animali. Aliæ ſunt differẽtiæ generis, quæ poſſunt competere aliis rebus non contentis ſub illo genere, vt ſi intelligeretur per rationalitatem, quæ eſt differentia hominis à bruto, principium intelligendi ſpiritualiter, abſtrahendo à modo particulari quo intelligit homo, vt diſtinguitur ab Angelo; ſic enim intellecta competere: aliis quam animali, nempe Angelo.

Dicunt ergo authores huius ſententiæ, quod illæ differentiæ primæ non perfecte præſcindant à genere, nec genus ab ipſis, & conſequenter, quod inuoluant genus ac differentias ſuperiores: & in hoc videntur conuenire cum prima ſentẽtia. Differentiæ vero ſecũdæ perfecte præſcindunt à genere & differentiis ſuperioribus, nec conſequenter includunt formaliter genus aut differentias ſuperiores: & in hoc diſſentiunt à prima ſententia. Ita *Auerſa q. 13. ſect. 5.*

*Tertia denique ſententia* communiſſima eſt, quod differentiæ inferiores vniuerſaliter, nec includãt formaliter genus aut differentias ſuperiores, nec includãtur formaliter & actualiter in illis, licet includantur in illis poteſtatiuè, quatenus ſcilicet genera & differentiæ ſuperiores ſunt contrahibilia per differentias inferiores. Ita *Doctor 1. Poſter. q. 24.* & *1. Met. q. 17.* cum ſuis ac Thomiſtis citatis à *Complutenſibus* hic *q. 4. num. 41.*

### CONCLVSIO I.

Nec genus, nec differẽtia ſuperior includit differentiã inferiorem.

30. *Genus non includit formaliter differentiam inferiorem, nec etiam differentia ſuperior differentiam inferiorem.* Hæc eſt tertiæ ſententiæ contra primam & ſecundam ex parte.

*Probatur primò*, quia poteſt perfectiſſimus conceptus haberi generis & differẽtiæ ſuperioris, v.g. animalis, & ſenſitiuitatis, quæ eſt differentia conſtitutiua eius & ſuperior ad rationalitatem, ſecundũ omnia prædicata, quæ actu includunt atq; intrinſece, nõ concipiẽdo rationalitatem nec hominẽ; ergo non inuoluũt, nec includunt in ſuo conceptu actuali intrinſeco animal hominem, aut ſenſitiuitas rationalitatẽ. Probatur antecedẽs, quia perfectiſſimus cõceptus animalis & ſenſitiuitatis, prout hic à nobis cõcipi poſſunt, eſt quod ſit ſubſtantia viuens, potens ſentire; nec aliquid aliud requiritur vt perfecte concipiatur, quà animal & quà ſenſitiuum: ſed ille conceptus habetur ſine dubio abſque eo, quod vllo modo cõcipiatur homo aut rationalitas: ergo conceptus perfectus generis & differentiæ ſuperioris haberi poteſt abſque conceptu differentiæ inferioris.

*Confirmatur* efficaciter, quia animal ſecundum totam rationẽ formaliter, quã intrinſece includit, quà genus, non ſolũ poteſt eſſe in intellectu obiectiue abſq; rationalitate, quod ſufficeret ad intentũ noſtrũ, ſed etiam à parte rei, quod multò maius eſt: ſic enim reperitur realiter in bruto, in quo ſine dubio nõ reperitur rationalitas, alias brutum eſſet animal rationale & cõſequenter homo: ergo non includit formaliter actualiter, tanquam prædicatum intrinſecum, aut neceſſario coniunctum cum prædicatis ſuis intrinſecis, rationalitatem.

*Dices pro Auerſa* totum hoc argumentum valere optime de generibus perfecte præſcindentibus, non verò de non perfecte præſcindentibus.

*Contra primò*, quia valet de animali reſpectu rationalitatis, etiam ſi rationalitas non poſſet conuenire aliis generibus: ſed in tali caſu non perfecte præſcinderet animal ſecundum ipſum: ergo valet de generibus non præſcindentibus, prout ipſe explicat genera non præſcindentia.

*Contra ſecundò*, quia falſum eſt dari vllum genus aut vllum conceptum vnum determinatum cõmune pluribus diuerſæ ſpeciei, & realiter diſtinctis, quod genus, aut qui conceptus vnus non præſcindat perfecte ab illis pluribus & ipſorũ differentiis: ergo probatio prædicta, ſi valet (vt ipſe fatetur) de genere præſcindente, valet de omni genere, & de omni conceptu vno determinato, & ſic probat concluſionem vniuerſaliter.

*Contra tertiò* ad hominem, quia ideo ſecundum ipſum differentia, àqua genus perfecte præſcindit, non includit genus, quia poteſt reperiri cum alio genere: ergo ſi tenus quodcumque poteſt reperiri cum alia differentia præter vnam, verbi gratia ſi animal poteſt reperiri in bruto abſque rationalitate cum irrationalitate, vt de facto reperitur, non includet formaliter illam vnam differentiam, verbi gratia rationalitatem, ſiue hæc pogerit reperiri cum alio genere, ſiue non poterit.

### CONCLVSIO II.

31. *Differentia inferior non includit in ſuo conceptu formali actuali intrinſece genus, aut differentiam ſuperiorem.* Hæc etiam eſt authorum tertiæ ſententiæ contra primam, & ſecundam etiam ex parte, ſicut præcedens concluſio.

*Probatur concluſio*, quia ſi rationalitas includeret for-

maliter in suo conceptu formali animalitatē & sensitiuitatem, sequeretur, quod homo constaret duplici animalitate & sensitiuitate: sed hoc est absurdū, quia vna sufficeret, per vnam enim posset facere quodcumque, quod facit mediante altera, & sic superflueret secunda: ergo non constat rationalitas animalitate & sensitiuitate. Probatur sequela maioris, quia includeret animalitatem, quā dicit animal, quod est genus, & sensitiuitatem constitutiuam eius, & præterea includeret animalitatem & sensitiuitatem, quam includit rationalitas: ergo duplicem includeret animalitatē & formalitatem.

*Dices*, rationalitatem non includere diuersam animalitatem ab animalitate, quam includit & dicit genus, nec diuersam etiam sensitiuitatem.

*Contra*, quia, vt suppono, rationalitas formaliter loquendo est formalitas distincta ab animalitate, & nō est quid cōpositū ex animalitate generica & aliquo alio: ergo non includit illā ipsam animalitatem genericam, sed aliquā aliam distinctā, si includit formaliter vllam.

*Probatur secundò*, & meliùs conclusio: si rationalitas formaliter considerata includeret formaliter, tanquam prædicatum intrinsecum, animal & sensitiuitatem, sequeretur quod rationalitas esset animal formaliter: sed hoc est absurdum, quia sic non esset differentia animalis, nec enim animal est differentia sui ipsius: ergo non includit illa formaliter.

32. *Probatur tertiò*, quia illud intelligimus per rationalitatem formaliter consideratam, per quod præcisè & formaliter distinguitur à bruto, & quod formaliter reperitur in homine, & nō reperitur in bruto formaliter: sed per nihil, quod includit animal, vt ipsum includit, distinguitur homo præcise à bruto, quādoquidem animal reperiatur in bruto: ergo rationalitas non includit formaliter animalitatem aut differentiam superiorem.

*Confirmatur*, quia in hoc conceptu, rationalitas est formalitas illa, quæ contrahit animal ad esse hominis, & cuius solum munus primarium est id facere: non inuoluitur animal tāquam prædicatum intrinsecum, vt patet; sed ille est conceptus proprius & formalis rationalitatis humanæ: ergo rationalitas humana formaliter non inuoluit animal. Nec refert quod non posset rationalitas intelligi, quin intelligatur animal: quia multa nequeunt intelligi non intellectis aliis, quæ non sunt de ipsorum essentia, vt patet de relationibus, quæ nequeunt intelligi absque terminis; de materia prima, quæ nequit intelligi absque forma, &c.

33. *Probatur quartò*, quia rationalitas nihil aliud est quam principiū, quo formaliter competit homini habere diuersitatem in operationibus, quæ nō reperitur in bruto; sed de hoc principio, vt sic, non est verum dicere, quod sit animal: ergo rationalitas non includit animal, nec consequenter differentiam superiorem.

*Probatur quintò*: vel rationalitas includit solum animal formaliter, vel includit aliquid aliud præterea; si solū animal, ergo homo non distinguetur per rationalitatem à bruto, & brutum tam bene habebit rationalitatem quam homo: si aliquid vlterius; quæro vtrū illud, quod vlterius dicit, includat animal formaliter; si sic, rursus quærendum an aliquid includat vltra animal, & sic erit processus in infinitum; si non, tum stabitur in aliquo, quod non includit animal, & hoc est quod vocamus differentiam contractiuam animalis, & quod dicimus non includere formaliter animal; & sic habetur nostrum intentum, quod scilicet differentia contractiua animalis non includat formaliter animal, nec aliquid contentum in illo, & consequenter, quod non includat differentiam superiorem.

34. *Obiicies primò*; Nihil prædicatur in abstracto de alio abstracto in cuius formali cōceptu non includitur, præsertim si vtrumque sit finitum: sed *Philosophus* 7. *Met.* prædicat differentiā superiorem de inferiori, dicit enim quod fissio pedis sit pedalitas, pedalitas quippe est differentia eorū, quæ habent pedes, ab iis, quæ non habēt, & fissio pedis est differentia inferior pedalitate, qua scilicet habentia pedes fissos distinguuntur & differunt à non habentibus eiusmodi pedes.

*Respondeo* distinguendo maiorem: in sensu formali; concedo; in sensu identico, nego. Philosophus autem non prædicat de fissione pedis pedalitatem formaliter, sed identice tantum.

*Obiicies secundò*: Differentia infima secundum *Philosophum* 8. *Met.* dicit totam rei substantiam: sed differentiæ superiores sunt de substantia rei: ergo differentiæ inferiores dicunt & includūt differētias superiores.

*Respondeo primò*, distinguendo maiorem: in sensu identico, concedo; in sensu formali, nego; & similiter distinguo consequens.

*Respondeo secundò* & fortassis magis ad intentum Philosophi, distinguendo minorem: dicit totā rei substantiam completiue, quatenus est illud, quod vltimò complet & perficit illā essentiam, & à quo formaliter habet esse talis substantia, concedo: in alio sensu, nego maiorem, & concessa minori, similiter distinguo cōsequens.

*Obiicies tertiò*: *Philosophus* 8. *Met.* dicit definitionem posse desumi ex primo genere & vltima differentia: sed hoc non esset verum, nisi vltima differentia includeret formaliter genera & differentias intermedias: ergo includit illa.

*Respondeo* distinguendo maiorem: potest desumi definitio impropria, in qua scilicet poneretur aliquod prædicatum essentiale commune, & aliquod prædicatum essentiale proprium, quamuis non explicaretur sufficienter tota essentia rei, concedo maiorem: definitio propria, qua scilicet tota rei essentia exacte explicaretur, nego maiorem.

35. *Obiicies quartò*: Rationalitas est substantia: ergo includit aliquid superius formaliter. Probatur antecedens, quia non est accidens: inter substantiam autem & accidens non datur medium.

*Respondeo* distinguendo antecedens: est substantia identice, concedo: formaliter nego. Distinguo etiam consequens: ergo includit aliquid superius, identice concedo: formaliter, nego.

*Dices*: formaliter debet esse substantia vel accidens, & consequenter cum non sit accidens formaliter, debet esse substantia.

*Respondeo* negando antecedens: quamuis enim nō detur medium inter substantiā & accidens sic, quin quidquid sit debeat esse formaliter aut identice substantia vel accidens: tamen datur mediū inter illa sic vt detur aliquid quod non sit formaliter vnum vel, alterū. Et si quæratur quid sit rationalitas formaliter, responderetur esse aliquid constitutiuū substātiæ in esse hominis.

*Dices cum Auersa*: si præscinderent differentiæ contrahentes substantiam, vt sic, ab esse formali substantiæ & accidentis, sequeretur quod essent magis communes, & magis indigerent determinatione quam ipsamet substantia vt sic: sed hoc est falsum, ergo.

*Respondeo* negando sequelā [illegible], quia licet sic præscinderent, tamen nequeūt esse in alia re, in qua nō est substantia, & consequenter non magis late patent quā substantia: imo minus, quia substantia potest esse in aliquo, in quo nō sit vlla ex illis determinate, vt patet.

*Dices*: si non includeret formaliter substantiam, posset esse absque substantia.

*Respondeo* negando hoc, quia sicut relatio, licet non includat subiectum formaliter, nequit tamen esse absque ipso, & sicut risibilitas nequit esse absque homine, quamuis ipsum non includat: ita differentia substantiæ non posset esse absque substantia, quamuis non includat formaliter substantiam.

36. *Obiicies quintò*: non potest intelligi rationalitas, quin intelligatur sensitiuitas: ergo rationalitas includit formaliter sensitiuitatem. Probatur antecedens, quia non possumus intelligere rationalitatem aliter, quā per modum principij discursus: sed non potest intelligi principium discursus, quin intelligatur principium sensationis, quod est sensitiuitas: ergo rationalitas non potest intelligi, quin intelligatur sensibilitas.

*Respondeo*, quidquid sit de antecedenti, negādo sequē-

lam, neque enim sequitur : relatio non potest intelligi quin intelligatur terminus, ergo terminus includitur formaliter in relatione. *Et si quæratur*, cur non posset intelligi rationalitas non intellecta sensitiuitate, si non ex eo quod sensibilitas includatur formaliter in rationalitate? *Respondeo*, ex eo id prouenire, quod effectus proueniens à rationalitate, & in ordine ad quem intelligeretur rationalitas, tanquam principium, deberet etiam prouenire à sensitiuitate, licet nõ esset eadem formalitas, quæ corresponderet vtique, quia formalitas, in qua effectus ille conueniret cum effectibus prouenientibus solum ab aliis animalibus irrationalibus, corresponderet sensitiuitati, illa autem formalitas, in qua disconueniret & differret essentialiter ab effectibus aliorum animalium, corresponderet rationalitati.

37 *Obiicies sextò* : Verum est dicere quod omne rationale per rationalitatem competentem soli homini sit animal, & quod omne sensitiuum sit viuens & corpus & substantia : ergo differentia inferior includit superiores gradus formaliter, rationalitas nimirum animalitatem, & sensitiuitas vitam & corporeitatem, & substantiam.

*Respondeo* distinguendo antecedens : verum est dicere quod omne rationale sit animal realiter & identice, ac etiam materialiter, concedo; formaliter, nego; & similiter distinguo consequens.

*Dices* : hæc est prædicatio formalis : hoc rationale est animal, & illud rationale est animal : ergo animal prædicatur non solum materialiter & identice, sed etiam formaliter de rationali. Probatur antecedens quia est prædicatio superioris de inferiori, animal enim est superius ad rationale, quandoquidem latius pateat quam rationale.

38 *Respondeo* distinguendo antecedens : si designetur per ly *hoc rationale* Petrus aut Paulus aut vlla alia res realiter existens, in qua includitur rationalitas, cõcedo antecedens, quia reuera Petrus includit formaliter animal; si designetur per ly *hoc rationale* individuum conceptũ sub ratione alicuius includentis solum hæcceitatem & rationalitatem, nego antecedens, quia vt sic nullo modo includit animalitatem, nec per modum superioris, nec per modum æqualis, nec per modum formæ vlla ratione, & consequenter nequit prædicatione formali, nec etiam identica, nec vlla ratione prædicari de ipsa vere, sicut nec abstractum potest prædicari de concreto. Vnde distinguo consequens : animal prædicatur formaliter de hoc rationali, designata per ly *hoc* re illa, in qua includitur rationalitas & animalitas, concedo consequentiam; designato individuo proprio ipsius rationalitatis constante ex sola rationalitate formaliter, & hæcceitate, nego consequentiam. Itaque sicut prædicatur de albo formaliter quod sit dulce, intelligendo per album illam rem, quæ est alba, & in qua est dulcedo, licet non prædicetur formaliter de albo, vt album est, quia dulcedo non includitur in albedine nec competit parieti ratione albedinis; ita potest prædicari de rationali quod sit animal etiam formaliter, intelligendo per rationale rem illam, quæ est rationalis, & tamen non potest de rationali, vt rationalis est, formaliter prædicari quod sit animal, quia non competit illi rei, quæ est rationalis, animalitas ratione rationalitatis formaliter. Nec refert quod animalitas sit superius ad rationalitatem, quia hoc non sufficit vt prædicetur formaliter de rationalitate, sed vlterius requiritur quod includatur in rationalitate.

Quomodo animal potest prædicari de rationali.

Iuxta hoc posset responderi ad obiectionem alio modo distinguendo antecedens : omne rationale vt rationale formaliter est animal, nego; omne rationale specificatiue loquendo, id est omnis res, quæ est rationalis, est formaliter animal, concedo, & nego consequentiam.

39 *Obiicies septimo ex Auersa* : Genus non est vnum quid, sed in eo latent multa, secundum Philosophum 7. *Met.* 13. id est, inquit Auersa, genus non perfecte præscindit à differentiis, sed implicite continet multas species & differentias : ergo includit genus differentias, & multo magis, aut æque differentiæ genus.

*Respondeo* concedendo authoritatem Philosophi, & negando expositionem Auersæ, quæ & gratis affertur, & contra ipsummet, quia dictum Philosophi verum est de omni genere, sed secundum Auersam aliqua genera perfecte præscindunt & non continent differentias actualiter & formaliter, nec includuntur actualiter & formaliter in illis : ergo male explicauit Philosophum, & contra seipsum. Itaque sensus Philosophi est, quod genus non sit vnum quid sicut individuum, nec vnum quid sicut species, quæ dicit totam essentiam rei in qua includitur; sed quod sit vnum quid dicens ordinem ad multa distincta speciei, quæ latent in ipso, quantum ad hoc quod dicat ordinem ad illa, & quod possit contrahi ad illa.

40 *Obiicies octauo ex eodem* : in tantum aliquod prædicatum vniuersale & commune perfecte præscindit à subiecto, de quo dicitur, in quantum potest de alio subiecto prædicari : ergo vbi est aliquod prædicatum affixum alicui subiecto ita, vt non possit conuenire alteri subiecto, non perfecte præscindet ab illo subiecto : ergo quæcumque differentia, diuisiua generis alicuius, nequit conuenire alteri generi, non præscindit perfecte ab illo genere, & consequenter includit ipsum formaliter.

*Respondeo primò* : si antecedens sit verum sic, vt quodcumque prædicatum possit reperiri cum alio subiecto, perfecte præscindat ab altero subiecto, tunc sequi contra Auersam, quod substantia, quæ potest reperiri cum spiritualitate, perfecte præscindat a corpore & corporeitate, sicut animal à rationalitate, quandoquidem possit reperiri cum irrationalitate.

41 *Respondeo secundò* concesso antecedenti distinguendo consequens primum : si sit ita affixum alicui subiecto, de quo formaliter prædicatur, ita vt non possit prædicari de alio subiecto formaliter, transeat consequentia; si ita sit affixum alicui subiecto, de quo formaliter non prædicatur, nego consequentiam, & nego etiam secundam consequentiam, quia differentia contrahens, verbi gratia rationalitas, licet sit ita affixa generi huic, verbi gratia animali, vt non possit competere alteri, tamen quia non prædicatur formaliter, aut prædicatione formali de animali, ideo potest perfectissime ab ipso præscindere.

*Respondeo tertiò*, negando antecedens : non enim ex eo, quod sit aliquod prædicatum semper coniunctum cum aliquo subiecto, sequitur quod non perfecte præscindat; nam siue sic coniungatur, siue non, perfecte præscindet, modò distinguatur formaliter, & possit concipi, non concepta alia ratione, aut re à qua præscindere dicitur; alias rationalitas humana non posset præscindere à risibilitate, nec è contra.

Solutio aliarum rationum.

42 Alias rationes affert ex ente, quod putat non præscindere perfecte à suis differentiis; & ex singulari vt sic, quod non præscindit perfecte ab hoc & illo singulari. Sed quantum ad primum de ente suo loco in Metaphysica quid dicendum sit apparebit : modo sufficit supponere, vel quod præscindat perfecte, vt communiter tenent Scotistæ, vel si non perfecte præscindat, quod sit discrimen inter illud ac prædicata generica, vt communius tenent Thomistæ, ac recentiores. Quantum ad secundum negandum est, singulare vt sic, dicere aliquem conceptum communem determinatum præscindentem iuxta dicta suprà; vnde non est eodem modo discurrendum de ipso ac de generibus, seu speciebus, seu aliis gradibus communibus, qui dicunt conceptum vnum determinatum præscindentem.

## QVÆSTIO V.

*An quælibet species infima habeat differentiam vnam simplicem.*

43 DVobus modis potest considerari quod species infima, v. g. homo, constituatur & distinguatur ab omnibus aliis speciebus. *Primò* per vnicam tantum differentiam, quæ sit conuertibilis cum illa specie ita, vt semper habeatur, vbi habetur illa species, & nullibi habeatur, nisi in illa specie : sicut v. g. si rationalitas soli homini conueniret, tunc per rationalitatem solam distingueretur species humana ab omnibus aliis speciebus, tanquam per differentiam vltimam; & dico tanquam per differentiam vltimam, quia sine dubio non per solam rationalitatem distingueretur homo ab omnibus aliis rebus; nam per animalitatem distinguitur ab omnibus speciebus non contentis sub animali, vt à lapide & ligno : sed non distinguitur ab

Duobus modis potest species infima distingui ab aliis speciebus.

ab illis per animalitatem, tanquam per differentiam vltimam; quia animalitas ast vlterius contrahibilis per rationalitatem; & per animalitatem non distinguitur homo ab omnibus omnino speciebus distinctis ab ipso, neque enim per eam distinguitur à bruto. Differentia verò vltima censenda est illa, quæ distinguit speciem ab omnibus omnino speciebus à se distinctis. Si hoc modo constituatur species infima, differentia infima erit formalitas simplex.

44 *Alio modo* posset species infima constitui in esse distincti ab omnibus aliis speciebus non per vnicam differentiam, quia nulla vna posset assignari, quæ esset ita conuertibilis cum illa specie, quin conueniret alicui alteri speciei, sed per plures differentias, quarum quælibet seorsim sumpta possit cõpetere aliquibus aliis speciebus; vtraque verò simul sumpta nequeat vlli alteri speciei conuenire: verbi gratia, si rationalitas competens homini secundum rationem suam formalem possit competere Angelis, illa sola non potest esse differentia infima hominis; vnde addenda erit aliqua alia, verbi gratia mortalitas, quæ etiam competit aliis speciebus distinctis, vt bruto; sed vtraque simul, verbi gratia mortalitas & rationalitas non conuenit vlli speciei, nisi homini. Si hoc modo constituantur species infimæ, certum est quod differentia infima non sit vna, sed duplex, vel si duæ non sufficiunt, triplex.

*Prima sententia* est, quod differentiæ infimæ non possint esse simplices: ita veteres quidam Aristotelis sequaces, *Themistius* 2. *Post. cap.* 20. *Philoponus* 16. *cap.* 14. *Auerroes* 7. *Meta.* 43. quibus valde fauet *Porphirius*, quia definitio, quam dat, differentiæ, non videtur competere vlli vni differentiæ, quæ esset infima, vt postea videbimus: quare videtur non existimasse quod daretur vlla vna differentia, quæ esset infima seu conuertibilis cum specie infima.

*Secunda sententia* est *Auersæ q.* 13. *sect.* 3. quod aliquæ species habeant differentiam infimam conuertibilem, quę sit simplex & vna, aliquæ non habeant.

*Tertia sententia* cõmunissima est, quod omnes species infimæ habeant aliquam vnã simplicem differentiam. Ita *D. Thom.* 2. *Post. lect.* 13. quem præter suos sequuntur recentiores communiter; citatur etiam *Scotus* noster *q.* 27. *vniuersalium*, quem in eo sensu Scotistæ omnes sequũtur.

## CONCLVSIO I.

Dantur aliquæ differentiæ infimæ simplices.

45 *Dantur aliquæ differentiæ simplices conuertibiles cum specie infima.* Hæc est communissima contra primam sententiam, & *probatur* manifeste; quia rationalitas est vna differentia conuertibilis cum homine & nulli alteri speciei conueniens: ergo datur aliqua differentia vna simplex conuertibilis cum specie infima.

Responsio Thomistarum.

*Dices* rationalitatem competere Angelis. Respondent Thomistæ hoc esse falsum, quia rationalitas est principium discurrendi: sed Angeli non possunt discurrere. Hæc responsio non debet nobis Scotistis sufficere, qui existimamus Angelos etiam discurrere.

*Itaque Respondeo aliter* rationalitatem, prout est principium quo discurrendi seu intelligendi cum dependentia à phantasmatibus, non conuenire Angelis: sic autem accipimus rationalitatem, prout est differentia infima hominis cum ipso conuertibilis, & sic nulli alteri speciei quam humanæ potest conuenire, vt conuenit omni homini.

## CONCLVSIO II.

Aliqua differentia conuenit speciei infimæ, quæ nulli alteri speciei contentæ sub illo genere conuenit, conuenit tamen aliis rebus.

46 *Potest aliqua differentia competere speciei infimæ alicuius generis, quæ non conuenit vlli alteri speciei talis generis, sed conueniat tamen aliis speciebus non contentis sub illo genere, nec tamen vt diffiniatur illa species, quatenus distinguitur essentialiterr ab aliis rebus, debet in definitione illius alia differentia poni, sed sufficit ponere genus & illam differentiam, qua à cæteris speciebus illius genericis distinguatur.* Hæc in terminis est nullius.

*Probatur prima pars*, quia esse intellectiuum vt sic abstrahendo à modo particulari intelligendi cum discursu, aut sine discursu, cum dependentia à phantasmatibus, aut sine dependentia, prout solummodo dicit posse cognoscere per cognitionem intellectus seu cognitionem spiritualem, conuenit speciei infimæ humanæ & non conuenit bruto, aut vlli consequenter alteri speciei contentæ sub animali; conuenit tamen sine dubio Angelis, imo ipsimet Deo: ergo datur aliqua differentia competens speciei infimæ, quæ non conuenit vlli alij contentæ sub illo genere, conuenit tamen aliis rebus.

Alia differentia non debet in descriptione ipsius poni.

*Secunda pars patet*, quia eo ipso quo diceretur, quod homo esset animal intellectiuum, intelligendo per intellectiuum, id quod iam declaratum est, nempe principium intelligendi abstrahendo à modo particulari quo intelligerer, distingueretur sufficienter ab Angelis, quibuscum conueniret in illa intellectiuitate, quia nullus Angelus est animal, & distingueretur ab omnibus aliis animalibus per illam intellectiuitatem: ergo per illam definitionem sine additione vllius alterius differentiæ declararetur natura eius sufficienter, quatenus distingueretur specie ab omnibus aliis rebus distinctæ speciei. Et hinc patet frustra addidisse antiquos in definitione hominis præter rationale *mor ale*, eo scilicet quod in rationalitate conueniret cum Angelis ac Deo; nam quamuis cum illis in illa conueniret intelligendo per rationalitatem intellectiuitatem vt sic, tamen non conueniret cũ ipsis in animalitate.

Potest species infima per duas differentias definiri.

47 *Hinc sequitur* posse speciem infimam definiri per duas differentias, quarum neutra esset cum ipsa conuertibilis: nam si diceretur quod homo esset viuens, sensitiuum, intellectuale, hoc est potens sentire & intelligere, definiretur vt distinguitur ab omnibus rebus sicut describeretur dicendo quod esset animal intellectuale aut intellectiuum: sed in illa definitione ponuntur duæ differentiæ, quarum neutra est cum homine conuertibilis, quandoquidem sensitiuitas conueniat brutis, & intellectiuitas Angelis; vtraque tamen, simul sumptæ, sunt cum homine conuertibiles, quia nullum alind anima, nec Angelus est sensitiuum intellectuale. Imo quando non repetiretur differentia aliqua conuertibilis cum aliqua specie, illa species deberet definiri vel per genus & differentiam inconuertibilem, vel per duas differentias, quæ simul essent conuertibiles, & seorsim non essent; & credo antiquiores Philosophos nihil aliud voluisse.

48 *Obiicies contra primam partem* huius conclusionis: illa differentia quæ soli vni speciei alicuius generis competeret, sed competeret tamen aliis speciebus non contentis sub illo genere, esset differentia infima, & non esset: & esset etiam differentia subalterna, & non esset: sed hoc est absurdum: ergo non potest dari talis differentia. Probatur maior, quia esset infima & non subalterna, quandoquidem non constitueret vllum genus, & non esset infima, sed subalterna, quandoquidem esset prædicabilis de pluribus differentibus specie in quale quid, verbi gratia intellectiuitas de homine & Angelis.

*Respondeo* illam differentiam non esse infimam, quia non est prędicabilis tantum de numero differentibus, sed de differentibus etiam specie: erit ergo sul alterna, quandoquidem sit prędicabilis de pluribus differentibus specie in quale quid.

Ad id autem quod opponitur; nimirum quod non constituat aliquod genus, Respondeti potest primò non esse necesse, quod omnis differentia subalterna constituat genus, sed solum id competere debet differentiis subordinatis inter se essentialiter, quarum vna scilicet necessariò prędsupponit alteram, sicut sensitiuitas prędsupponit corporeitatem, & rationalitas accepta pro principio cognoscendi cum dependentia ad phantasmata prędsupponit sensitiuitatem.

*Et si quæras*, quænam censendæ sint differentiæ hoc modo subordinatæ; Respondeo, omnes illas, quatum vna magis late patet quam altera, & quarum altera nequit haberi absque illa, quæ magis late patet: huiusmodi enim talem habent subordinationem, vt quæ minus late patet dicatur posterior, quæ magis late patet dicatur prior, prioritate scilicet, à qua non valet subsistendi consequentia.

49 *Responderi potest secundò* ad illud ipsum, quod differentia omnis quæ potest esse in pluribus speciebus constituat etiam genus: nam substantia intellectualis est genus respectu hominis & Angeli tam bene, quam substantia sensitiua est genus respectu hominis & bruti; est enim non

nanus

minus de ipsis prædicabile in quid incomplete. Differentiæ vero ipsius sunt sensitiuitas, per quam contrahitur ad hominem, & insensitiuitas, per quam contrahitur ad Angelos: intelligo autem per insensitiuitatem aliquid positiuum, ad quod sequitur negatio sensitiuitatis.

*Dices*: sensitiuitas est quid superius ad intellectualitatē illam, quæ est in homine, quandoquidem sit constitutiuū animalis, quod est genus hominis, & magis late patens quam homo: ergo nequit esse differentia contractiua substantiæ intellectualis, quia differentia contractiua est inferius ad genus quod contrahit, & minus late patens.

*Confirmatur*, quia alias sensitiuitas esset prius & posterius intellectualitate, & consequenter magis late patens & minus late patens, quod videtur absurdum.

*Respondeo* distinguendo antecedens: quantum ad hoc quod pluribus corporibus conueniat quam rationalitas, concedo antecedens; simpliciter, nego antecedens & consequentiam; ad cuius probationem dico quod aliqua differentia contractiua possit esse magis late patens simpliciter, aut æque late patens quam genus, ita vt in tot speciebus possit reperiri quot genus, modo non reperiatur in omnibus illis speciebus, in quibus reperitur genus.

eadem formalitas potest esse prior & posterior alia secundum diuersas considerationes.

50 *Ad confirmationem* dico quod eadem formalitas possit esse superius & inferius respectu alterius formalitatis, secundum diuersas tamen considerationes; superius quidem, quatenus consideratur vt quid potens existere in aliquibus, in quibus potest existere altera formalitas, & in aliis, in quibus non potest existere; inferius vero, quatenus consideratur illa alia formalitas similiter potens existere in iis, in quibus altera existit, & etiam in aliis; verbi gratia si considereretur animalitas aut sensitiuitas, vt potens existere in hominibus, in quibus existit intellectualitas, & in brutis, in quibus non existit illa intellectualitas; animalitas, & sensitiuitas sunt superiora, & rationalitas est quid inferius, quia in rebus illis, in quibus reperitur animalitas cum intellectualitate & sine intellectualitate, nō valet subsistendi consequentia ab animalitate ad rationalitatem, bene tamen valet à rationalitate ad animalitatē.

*Rursus*, si consideretur intellectualitas, vt potens est existere in hominibus cum animalitate seu sensitiuitate, & in Angelis absque sensitiuitate, intellectualitas erit superius & contractiuum ipsius ad homines erit sensitiuitas; verum enim est quod ex omnibus illis rebus quæcumque est sensitiua, est intellectualis, non verò quæcumque erit intellectualis erit sensitiua.

Fatendum tamen, ex illis formalitatibus, quæ hoc modo se habēt, neutram simpliciter se habere vt superius, aut vt inferius; quia non valet simpliciter dicere: hæc res est sensitiua, ergo est intellectualis; quandoquidem brutum est sensitiuum, & non est intellectuale: nec valet simpliciter dicere: hæc res est intellectualis, ergo est sensitiua; quia Angelus est intellectualis & nō sensitiuus. Hoc tamen non obstante, quælibet ex illis potest esse differentia contractiua alterius in ordine ad diuersas res, quia sensitiuitas potest esse contractiua intellectualitatis ad animalia, & intellectualitas potest esse contractiua sensitiuitatis ad talia animalia, v. g. ad homines, & hac ratione potest altera alterâ esse posterior & prior secundum quid, hoc est in ordine ad aliquam determinatam rerum multitudinem.

## CONCLVSIO III.

Quælibet species infima habet aliquam differentiam infimam.

51 *Probabile est quamlibet speciem infimam habere aliquam simplicem differentiam, qua distinguatur ab omnibus omnino rebus distinctæ speciei.* Hæc est iuxta tertiam sententiam communiorem. *Probant Complutenses* hanc conclusionem, quia differentia sumitur à forma; sed quælibet res distinctæ speciei ab alia re habet suam propriam formam quæ sit simplex: ergo debet habere propriam differentiam, quæ sit etiam simplex & vna.

*Confirmatur*, quia quælibet species habet proprietatem vnam simplicem, ergo & differentiam.

Hæc probatio supponit aliqua incerta, nimirum differentiam quamlibet sumi à sola forma, quod falsum est: deinde, in qualibet re esse vnicam solam formam physicam, quod etiam non est verum, vt suo loco ostendemus. Sed admissis tamen his suppositis, adhuc non sufficit, quia negari potest consequentia; nam vnica forma physica propria posset esse principium duarum differentiarum metaphysicarum, quarum neutra seorsim sumpta sit propria, vtraque simul sumpta sit propria: id quod euidens est in sensitiuitate & intellectualitate, quæ desumuntur ab anima rationali in homine secundum aduersarios, & quarum tamen neutra est propria homini, cum sensitiuitas competat brutis, intellectualitas Angelis. Et sane forma physica animæ posset esse propria homini, & distincta ab aliis formis & entitatibus, quatenus esset principium illarum duarum differentiarum, quamuis non esset principium vllius vnius differentiæ simplicis, quæ esset soli homini propria.

*Ad confirmationem* responderi posset negando antecedens, quod sane æquè incertum est atque consequens: quicumque enim negaret dari differentiam simplicem vnam, negaret dari propriam passionem simplicem; quod maxime verum est de propriis passionibus physicis consistentibus in accidentibus, vt in calore vel frigore.

52 *Probatur ergo aliter conclusio*, quia aliqua species habet vnicam propriam differentiam, vt patet ex prima conclusione: ergo & omnis. Probatur consequentia, quia non est maior ratio de vna, quam de omnibus.

*Confirmatur*: si esset aliqua ratio cur vna species non haberet vnā differentiā propriam, maxime quia haberet duas aut plures, quarum collectio esset ipsi propria, licet nulla vna sola ex illis esset propria: sed hæc non impedit quominus haberet aliquam vnam propriam, quia licet species infima hominis habeat pro differentiis sensitiuitatem & intellectualitatem, quarum collectione distinguitur ab omnibus aliis speciebus; tamen habet vlterius rationalitatem, hoc est principium intelligendi cum dependentia à phantasmatibus, quæ est simplex, & illi soli propria.

53 *Probatur secundò conclusio*, quia est verisimile quod vnaquæque res habeat aliquam vnam operationem propriam, aut effectum proprium, qui effectus non competit vlli alteri rei distinctæ speciei: ergo habet etiam aliquod vnum principium formale *quo* metaphysicum, ratione cuius formaliter, & vt quo competit ipsi illa operatio: sed illud vnum principium erit differentia simplex istius rei, qua distinguatur ab omni alia re diuersæ speciei, vt est euidens: ergo quælibet species infima habebit vnicam differentiam simplicem.

*Probari solet tertiò* authoritate *Philosophi* 4. *Top. loco* 20. dicentis quasdam differentias esse, quæ dicuntur de pluribus, quam suæ species, & non sunt conuertibiles cum ipsis; quasdam quæ dicuntur de æqualibus, quæ sunt conuertibiles. Sed hæc probatio non concludit: tum quia non dicit quod omnes species habent differentias conuertibiles: tum quia non dicit, quod differentiæ illæ, quæ sunt conuertibiles, sint simplices, quod tamen esset necesse ad probationem huius conclusionis.

Melior authoritas Philosophi pro conclusione est illa, quam habet in Antepræd icamentis *cap.* 4. vbi ait, diuersorum generum, & non subalternorum diuersas esse differentias, & nullam posse esse ipsis communem: hoc enim videretur esse falsum, si non daretur in qualibet specie differentia vna simplex, quæ sit soli illi speciei cōperens. Alia probatio ex Philosopho.

Sed ad hanc etiam authoritatem responderi posset, quod loquatur Philosophus non de vna simplici differentia, sed vel de vna simplici, vel de vna composita ex pluribus, ita vt verum sit, quod omne genus contractum ad species debeat habere aliquam differentiam, siue simplicem, siue compositam, per quam contrahatur ad vnamquamque ex illis speciebus, quæ non possit competere vlli alteri generi, cui non subordinatur illud genus per modum superioris, aut inferioris.

54 *Obiicies primò* Philosophum 2. *Post.* 14. vbi agens de generibus specierum ait: *Talia eousque sumenda sunt, quousque tot fuerint sumptæ, vt vnumquodque quidem illorum pluribus competat; cuncta autem simul non ad plura se extendant.* Quam doctrinam aliis etiam locis proponit; ergo sentit non dari simplices differentias infimas.

*Respondent Complutenses* cum S. Thoma, quod Philosophus loquatur de differentiis.

Sed

*Sed contra*, quia falsum est quod debeamus in definitionibus, quæ fiunt etiam per accidentia, ponere plura accidentia, quorum quodlibet seorsim sumptum nō sit conuertibile; nam quando definimus hominem per discursum, qui est accidens ipsi, illud vnum accidens est conuertibile cum ipso : neque enim vllus discursus secundum Thomistas conuenit vlli alij speciei quam homini; neque discursus cum dependentia ad phantasmata conuenit vlli alij, etiam in sententia Scotistarum.

*Respondetur ergo melius*, Philosophum intelligendum non vniuersaliter de omnibus definitionibus, sed de definitionibus rerum, quarum non cognoscimus differentias simplices conuertibiles cum illis, vnde nego consequentiam.

Cæteræ obiectiones, quæ ex Auersa proponi possent contra differentias simplices conuertibiles, solùm probant secundam conclusionem; nec est opus propterea hic eas sigillatim exprimere & soluere.

An differentia sit perfectior genere.

55. *Quæres*, an differentia sit perfectior genere. *Respondeo breuiter*, si consideretur differentia, vt est actuans & complens, & genus, quatenus est quid potentiale, differentiam esse perfectiorem, quia vniuersaliter perfectius, vt tale, est perfectius perfectibili, quà tale; si verò consideretur genus vt aliquid per se potens subsistere independenter à differentia, & differentia, vt impotens subsistere independenter à differentia, & differentia, vt impotens subsistere absque genere, sub hac consideratione genus est perfectius. Quod si detur aliqua differentia, cui per se soli competit formaliter aliqua operatio, quæ perfectior sit quam operatio illa, quæ soli generi conuenit, differentia erit perfectior sub hac ratione; verbi gratia si discurrere competit præcise rationalitati hominis ita, vt per se non requirat animalitatem, tanquam principium formale partiale, aut totale, quādo quidem discurrere sit perfectior operatio quam vlla, quæ conuenit soli animalitati, ideo rationalitas simpliciter est præferenda animalitati, licet secundum aliquas alias considerationes posset dici imperfectior.

Differentiæ vltimæ non conueniunt in aliqua ratione differentiæ vltimæ.

*Quæres secundò*, an differentiæ vltimæ conueniant in aliqua ratione communi abstracta, quæ sit differentia vltima. Et dico notanter, quæ sit differentia vltima, quia an conueniant in ratione entis, eamque includant formaliter, est alia quæstio, quam tractabo in Metaphysica. An verò includant differentias superiores, resolutum est supra : vnde difficultas sola manet, an conueniant in aliqua ratione communi, quæ sit differentia vltima. Ad quam breuiter

*Respondeo negatiue* cum communi Scotistarum. *Primò*, quia sequeretur quod illa ratio differentiæ, vt sic non esset differentia vltima, quandoquidem contraheretur differentia vltima vt sic ad esse talis differentiæ vltimæ : hoc autem implicat in adiecto. *Secundo* : quia daretur processus in infinitum; nā qua ratione rationalitas & brutalitas, v.g. cōuenirent in ratione differentię vltimæ vt sic, etiam differentiæ illæ, quibus contraheretur differentia vlt. vt sic ad illas, deberent conuenire in alia aliqua ratione, & discōuenire in aliis, & sic in infinitum. *Tertiò*, quia reperiūtur differentiæ vltimæ in omnibus prædicamentis : sed prædicamenta non cōueniunt in vlla ratione, nisi in trāscendentibus formalitatibus, nullæ autem formalitates trāscendentes possunt esse differētiæ, vt patet. *Quartò*, quia ipsæmet rationalitates omnes non conueniunt in aliqua vna ratione abstracta ab illis, sicut nec humanitates omnes : sed minus possunt omnes differentiæ vlt. conuenire, quam rationalitates omnes. Omitto alias rationes, quia hæ abūde sufficiūt.

*Fundamentum* oppositæ sentētiæ est quod omnes differentiæ vlt. cōueniant in vno cōceptu, & descriptione, & quod inter se maiorē similitudinem habeāt, quā cū alijs rebus, aut formalitatibus; & præterea, quod intellectus possit esse certus de aliquo quod sit differentia vltima, & incertus an hæc, vel illa. Sed ad hæc omnia patet responsio ex dictis supra de indiuiduo *num.* 18. & ex dicendis in Metaphysica in quæstione de præcisione entis.

*Aduertendum* solum hanc resolutionem currere non solum de differentia simpliciter vltima, qualis est indiuidualis, nec de differentia vltima specifica, qualis supponitur esse rationalitas respectu hominis : sed de differentia vlt. cuiuscumque gradus generici seu specifici positi directe in quocumque prædicamento; quia prorsus est eadem ratio de omnibus, vt consideranti patet. Possunt tamen differētiæ non vltimæ conuenire in vna aliqua ratione abstracta, vt v.g. aggregatum ex sensitiuitate & rationalitate in homine, & aggregatum ex sēsitiuitate & brutalitate in bruto, ac aliis similibus, à quibus potest abstrahi conceptus sensitiuitatis, quod adeo manifestum est, vt non indigeat probatione.

## QVÆSTIO VLTIMA.

*De definitione differentiæ secundo intentionaliter, seu logicè sumptæ.*

Definitio Porphiriana differentiæ non est bona.

56. DEfinitio, quā Porphirius assignauit differentiæ hoc modo acceptæ est, *quod sit illud, quod de pluribus differentibus specie in quale quid prædicari potest* : de qua definitione cōtrouertitur, si ne bona, necne. Certū autē est quod differentia bene dicatur prædicari de plūribus, quia in hoc conueniet cū omnibus vniuersalibus, vnde est genus huius definitionis, cætera sunt vt differētia eius; & per hoc quod dicitur prædicari *in quale*, distinguitur à genere & specie, quę prędicātur in quid : per hoc autem quod dicitur prædicari *in quale quia*, hoc est per modū partis essētialis determinatiui, distinguitur à proprio, & accidente, quæ quidē prædicantur in quale, sed nō in quale quid, quia nō prędicātur essentialiter : & licet accidētia dicātur prędicari in quale quid à Porphirio; tamen nō intelligit hoc de prędicari in quale quid, hoc est essentialiter, sicut intelligit in hac definitione.

57. Tota ergo difficultas reducitur ad illā particulā *specie differentibus* : & ratio difficultatis est primò quod videatur superfluere; quia eo ipso, quo diceretur differentia prædicari de pluribus in quale quid, sufficienter declararetur natura eius, vt patet ex iam dictis; secundò, quia illa particula facit vt definitio non conueniat omni differentiæ, quia non infimæ, quandoquidem hæc de solis numero differentibus sit prædicabilis.

*Prima sententia* est illam diffinitionem esse bonam : ita *Albertus tract. 5. Prædic. c. 6. Cæter. & Soto hic*, quos alij Thomistæ sequuntur, & nominatim *Ioannes a S. Thoma*; quorum fundamentū potissimum consistere videtur in authoritate *Porphirij*, cuius doctrina quantum fieri potest cōmode defendi debet, præsertim quantū ad ea, quæ tractat in hoc opusculo; & præterea in solutionib. quas dant ad difficultates oppositas, quas infra proponemus.

*Secunda sententia* communissima inter Dialecticos est, illam definitionem non esse bonam, respectu omnis differentiæ, sed solum respectu differentiarum subalternarum. Hanc tenet *Doctor q. 27. vniuers.* cum suis omnibus, *D. Th. lib. de demonstratione c. 14.* etiam cum suis pro maiori parte, quos sequuntur recentiores, & nominatim *Complutenses hic quæst. 1. Auersa sect. 2.*

## CONCLVSIO.

58. *Prædicta definitio non est bona definitio differentiæ vt sic communis omni differentiæ.* Hæc est cum secunda sententia contra primam, *& patet* ex rationibus dubitandi propositis, quia scilicet superfluit illa particula *differentibus specie*, & quia non conuenit omni differentiæ, neque enim conuenit infimæ.

*Ad primam* ex his rationibus non respondent aduersarij. Ad secundam autem varias adhibent responsiones. *Albertus* dicit definiri hic differentiam vt differentiam, ad quam per accidens est quod aliqua differentia non possit prædicari de pluribus speciebus.

*Contra*, quia si sit de ratione differentiæ vt sic prędicari posse de pluribus specie distinctis, nō potest nec per accidēs cōpetere vlli differentiæ quod nō possit prædicari de pluribus specie, sed debet necessario competere omni differētiæ quod possit prædicari de pluribus speciebus, sicut debet necessario competere omni animali quod sit sensitiuum ex eo quod sit de ratione animalis vt sic.

*Confirmatur*, quia ideo colligitur quod natura humana nō sit genus, quia nō est prædicabilis de pluribus differentibus

rentibus specie, & quia de ratione generis est sic posse prædicari: ergo debet colligi quod differentia specifica non sit differentia, si differentia sit prædicabilis de pluribus specie, & differētia specifica nō sit sic prædicabilis.

*Et si dicas*, quod per accidens sit quod non sit sic prædicabilis, & consequenter quod ex se sit differentia; Similiter posset dici quod per accidens sit naturam humanam non posse prædicari de pluribus speciebus, & consequenter quod possit habere rationem generis.

59. *Alij dicunt* subintelligendum esse in illa definitione *vel numero*, & sic eam esse bonam, & conuenire omni differentiæ.

*Contra primò*, quia sic, qui definiret hominem, dicendo quod esset animal, posset dici bene definire ipsum, addendo quod subintelligendum esset *rationale*.

*Contra secundò*, quia tam notabilis pars definitionis debet exprimi, & aliàs cōmitteretur magnus defectus.

*Contra tertiò*, quia quamuis expresse poneretur illa particula in definitione dicendo, quod differentia esset, quæ esset prædicabilis in quale de pluribus specie, vel numero differētibus, adhuc definitio nō esset bona: ergo multo minus erit bona, quādo subintelligeretur illa particula. Cōsequētia est euidens: probatur antecedēs, tū quia vniuersaliter diffinitiones disiunctiuæ non sunt bonæ, tum quia aliàs posset quis dicere quod genus definiretur bene esse illud, quod esset prædicabile in quid de pluribus specie vel num. differētibus, & homo posset dici bene definiri esse animal rationale, vel irrationale.

Posset tamen ad hoc responderi, quod intelligatur illa definitio sic, vt sensus sit quod differentia sit illud, quod prædicatur de pluribus in quale quid, siue illa plura distinguantur specie, siue numero, ita vt quidquid prædicetur in quale de pluribus specie differentibus sit differētia, & quidquid prædicetur de pluribus numero differentibus in quale quid, sit etiam differentia. In hoc autem sensu prædictæ instantiæ non militant cōtra definitionem, quia quādo definiretur homo esse animal rationale vel irrationale, non esset sensus quod omne animal tam rationale quam irrationale esset homo: & idem est de genere quādo definiretur esse, quod esset prædicabile de pluribus specie vel numero differentibus, nō esset sēsus, quod quidquid prędicaretur de numero differētibus & de specie differētibus esset genus. Fateor hoc modo posse euadi hāc tertiā impugnationem, sed adhuc vigent cæteræ impugnationes; & præterea definitio esset valde æquiuoca, si esset talis, quia licet posset illo modo explicari, posset etiam alio modo disiunctiuo.

60. *Alij dicunt* differentiam infimam etiam prædicari de pluribus specie differentibus, non quidem inter se, sed ab aliis speciebus, verbi gratia rationale prædicatur de Petro & Paulo, quæ licet inter se specie non differant, differunt tamen specie à Bucephalo & aliis brutis.

*Contra*: quia sic posset bene definiri species esse prædicabilis de pluribus specie differētibus, vt patet, quod tamē est absurdum. Deinde certum est quod plura illa, de quibus prædicabilia dicuntur prædicari, cōparentur ad se inuicē, dū dicuntur numero, aut specie differre: sic enim animal dicitur prędicari de pluribus specie inter se differentibus, v.g. de homine & bruto; sic etiā homo dicitur prædicari de pluribus num. differētibus inter se, vt de Petro & Paulo, ergo illa expositio est torta ac mala.

*Caietanus* explicat illam particulam *de differentibus specie* non positiue & formaliter, quasi omnis differentia deberet esse reuera prædicabilis de pluribus specie differentibus, quia esset falsum, vt conuincit instantia illa de differentia infima: sed negatiue & per non repugnātiam, ita scilicet vt omnis differentia sit ex se sic prædicabilis, quantum ad hoc, quod non repugnat ipsi ex ratione sua formali esse sic prædicabilis; sed si à parte rei id ipsi repugnet, hoc oriatur ex ratione constituti per ipsam, non ratione ipsiusmet differentiæ formaliter.

61. *Hæc explicatio* reijcitur cōmuniter, & sane merito, plura enim contra eam faciunt. *Primò* quod falsum sit non repugnare differentiæ infimæ, vt talis est, sic prædicari: tam enim ipsi vt sic id repugnat, quā repugnat differentiā subalternam esse prædicabilem de pluribus numero tantum differentibus; neque verum est quod illa repugnantia oriatur ex ratione constituti per differentiam; verbi gratia repugnantia, quæ est in rationali, ad hoc vt prædicetur de pluribus specie differentibus, non oritur ex eo quod homini constituto per ipsam id repugnet, sed potius ex ipsamet ratione differentiæ: nam ideo homini repugnat sic posse prædicari, quia includit talem differentiam tanquam constitutiuum; vnde si rationalitas esset prædicabilis de pluribus differentibus specie, sicut sensitiuitas est, profectò homo constitutus per rationalitatē esset etiam sic prædicabilis non minus, quā animal constitutū per sensitiuitatē.

*Secundò*: vel intelligit, quod id non repugnet differentiæ omni, quà differentia vt sic, vel quà talis differētia, si hoc secundum, falsum ex terminis; si primum, verum quidem est, sed non inde sequitur bonam esse definitionem: quia licet non repugnet vlli animali esse rationale, tamen male describeretur animal esse sensitiuum rationale quia aliquod animal est irrationale, cui repugnat, non quidem est ratione animalis vt sic, sed ex ratione particulari talis animalis, esse quid rationale; ergo si alicui differentiæ repugnet ex ratione sua particulari esse prædicabile de multis, quamuis id ipsi nō repugnet ex ratione differentiæ vt sic, male describitur differētia vt sic communis omni differentiæ esse sic prædicabilis.

62. *Confirmatur*: male describeretur differentia esse prædicabilis de numero tantum differentibus, quia dātur differentiæ subalternæ, de quibus id verificari nequit, quamuis id ipsis non repugnet ex ratione differentiæ vt sic; ergo male describitur esse prædicabilis de pluribus specie differentibus, quia id repugnat differētijs infimis, quà talibus, licet ipsis non repugnet ex ratione differētiæ vt sic. Et sane tā bene posset dici quod prædicabilitas de specie differentibus non conueniat differentiis subalternis ex ratione sua formali, sed ex ratione constituti per illam, quàm quod repugnantia ad talem prædicationē competat differentiæ infimæ ex ratione constituti per ipsam & non ex ratione formali.

63. *Ioannes à Sancto Thoma quæst.* 10. *artic.* 2. emolliēdam putat explicationem Caietani, & inhærendo litteræ Porphirij aduertit illum in definitione differentiæ dixisse differentiam esse, quæ prædicatur de pluribus & specie differentibus, vbi ponderat particulam *&*, quā putat data opera additam, vt significaretur, quod differentia sit prædicabilis de pluribus, & præterea de specie differentibus; si enim hoc non denotaret illa particula, frustra poneretur. Itaque concludit diffinitionem sic intellectam, quatenus dicitur in ea, quod differentia sit prædicabilis de pluribus in quale quid, bene explicare naturam omnis differentiæ, tam infimæ quam subalternæ; quatenus verò additur præterea, *& specie differentibus*, non declarare eam naturam omnis differentiæ; sed solius subalternæ. Sensus ergo definitionis est secundum hunc authorem, quod differentia sit, quæ prædicatur in quale quid de pluribus, etiamsi illa plura sint distincta specie, & iuxta hoc intelligendo mentem Caietani dicit eum plurimum subtilitatis habere.

64. *Sed imprimis* manifeste patet Caietanum non habuisse mentem, quæ sic explicari possit: quid enim habet connexionis, quod differentia sit prædicabilis de pluribus, etiamsi sint distinctæ speciei, cum hoc quod omni differentiæ competat sic prædicari quantum ad non repugnantiam?

*Deinde* cōtra ipsāmet explicationem facit *primò*, quod sit præter mentē Porphirij, qui solū voluit definire differentias subalternas, vt cōmunius tenetur. *Secundò*, si per primā partem diffiniuit sufficienter omnē differentiam, vt fatetur hic author, frustra addidit secundā partem, quæ cōpeteret solis subalternis, & æque deberet addere alias particulas, quæ solis infimis competerent, modo putaret tales dari, neque enim potius incūbebat ipsi subalternas quā infimas particulariter describere.

Nec placet quod idem author dicit fuisse necessariū adiungere illam particulam, vt ostēderetur quod differentiæ

rentiæ subalternæ seu genericæ sint veræ differētiæ. Nam id constabat manifeste per hoc, quod prædicetur per modum determinantis & actuantis: & sicut cognoscitur differentia infima esse differentia, quia sic prædicatur, quamuis non addebatur in descriptione præmissa quod differentia etiam prædicetur de pluribus differentibus numero; ita cognosceretur idem de differentia subalterna, quamuis non adderetur illa particula.

65. *Tertiò*: si quis difiniret animal esse viuens sensitiuū, etiam si illud sensitiuū esset rationale, male sine dubio definiret ipsū, quia impertinenter adderetur vltima particula, tū quia sine illa esset sufficienter descriptum per reliquā partem: tū quia nō potius deberet illa particula addi quā altera, nimirum etiamsi illud sensitiuum esset irrationale; ergo male describitur à pari differentia esse prædicabile in quale quid de pluribus, etiamsi illa plura sint distincta specie; tū quia sufficienter describebatur sine vltima particula, tum quia illa non potius adhiberi debuit quam altera, nimirum etiamsi illa plura sint distincta numero.

*Quartò* impugnatur, quia ly *&*, licet quandoque significet idem quod *etiam*, nūquam tamen significat idem quod *etiamsi*: sed significando *etiam*, prædicta definitio est manifeste mala, neque enim verum est quod differentia infima sit prædicabilis de pluribus, etiam specie differentibus.

*Confirmatur hoc*: illa diffinitio non est bona, quæ non potest vere & vtiliter prædicari de quocumque contento sub definito: sed de differentia infima non potest vere prędicari quod sit prædicabilis de pluribus etiam specie differentibus, vt patet; nec potest de ea vtiliter prędicari quod sit prędicabilis de pluribus, etiamsi specie differant, imo eo ipso quo sic esset prædicabilis, amitteret rationem differentiæ infimæ: ergo quomodocumque intelligatur ly *&*, descriptio prædicta non erit bona & adæquata omni differentię.

*Et si quæras*, cur addebatur? *Respondeo* ad denotandum quod illa plura, de quibus esset prædicabilis differentia ibi descripta, essent distinctæ speciei, satis enim eleganter additur ly *&* pro *&* *quidem*, ita vt sensus illius definitionis sit quod differentia sit prędicabilis de pluribus, & quidem talibus quæ differant specie, nec aliud denotat ly *&* in prædicta definitione, nec addebatur ad necessitatem sensus, sed potius ad elegantiam modi loquendi.

66. *Obiicies*: sic intellecta definitio esset mala: sed hoc præiudicat authoritati Porphirii, quæ quam cōmode fieri potest, est in hoc tractatu conseruanda.

*Respondeo* concedendo maiorem, si intelligatur differentia vt sic, aut omnis differentia definiri; negando vero illam, si dicatur solum diffiniri differentia subalterna. Ad minorem dico non posse commode explicari definitionem sic, vt conueniat omni differentiæ, & si omnem voluit, aut debuit diffinire Porphirius, non satisfecit suo muneri, nec est necesse eius authoritatem tantopere defendere, vt non dicatur in aliquo defeciisse; quod si voluit solas subalternas definire, non est contra authoritatem ipsius, imo est pro illa, quod prædicta definitio non competat infimis. Valde autem verisimile est quod solas subalternas definire voluerit, quia verisimile est fuisse illum in eorum sententia, qui negabant dari infimas incompletas & simplices; conformiter ad quam doctrinam optima esset prædicta descriptio.

Definitio bona differentiæ vt sic.

## CONCLVSIO II.

67. *Bene definitur differentia vt sic esse, quæ prædicatur de pluribus in quale quid; & differentia infima esse, quæ sic prædicatur de pluribus differentibus numero tantum; & differentia subalterna, quæ sic prædicatur de pluribus differentibus specie.* Hæc est communis cum secunda sententia, nec credo negari posse ab authoribus primæ sententiæ.

*Patet autem*, quia prædictæ definitiones seu descriptiones conueniunt omnibus, & solis absque obscuritate aut superfluitate, nec aliquid opponi potest vllius momenti. An autem differentia infima & subalterna sint distinctæ speciei prædicabilia, diximus sensum nostrum supra *disp. 4. num. 111.*

68. *Obiicies*: Differentia nequit definiri: ergo non bene definitur prædicto modo. Probatur antecedens, quia quod definitur, debet constare genere & differentia; differentia nequit constare genere & differentia, quia aliàs daretur processus in infinitum; nam qua ratione vna differentia constaret genere, & differentia, illa differentia, qua constaret, deberet vicissim constare alia differentia, & illa alia altera, & sic in infinitum.

Respōsio communis.

*Respondent* ad hoc communiter negando antecedens, & distinguendo minorem probationis: differentia primò intentionaliter, conceditur, secundò intentionaliter, negatur: hic autem diffinitur differentia secundo intentionaliter non primò intentionaliter.

*Contra*, quia quamuis non definiatur aut describatur hac definitione differentia primò intentionaliter accepta; definita tamen est aut descripta supra, & potest sine dubio describi: ergo saluandum est, quomodo possit definiri, vel quomodo possit constare alia differentia.

69. *Respondeo ergo aliter* etiam negando antecedens, loquendo de quacumque differentia, siue primo siue secundò intentionaliter accepta, omnis enim differentia potest definiri aut describi. Et si dicatur, quod differentia primò intentionaliter non possit proprie definiri, licet possit aliquo modo describi, pariter posset dici idem de differentia secundo intentionaliter accepta. Ad probationem autem dico, quod differentia vt sic, quæ per se primò hic definitur, constet alia differentia particulari, nimirum formalitate illa, secundum quam competit ipsi esse prædicabile in quale quid de pluribus: illa autem alia differentia particularis est irresolubilis in plures conceptus, sicut rationalitas, & est differentia, non tamen illa, quæ hic per se primò definitur, sed individuum, vel species eius, nec debet constare alia differentia, sed se ipsa differt ab omnibus, sicut rationalitas.

# DISPVTATIO VIII.

## DE PROPRIO.

VT exactius declararet Porphirius, Proprii, quod est quartum prædicabile, naturam, quatuor eius acceptiones proponit. Dicit ergo quod capiatur *Primo* pro eo, quod solis individuis vnius speciei conuenit, licet non omnibus, vt esse medicum conuenit hominibus. *Secundò* pro eo, quod omnibus individuis vnius speciei competit, sed non solis, vt esse bipedem, quod omnibus hominibus connaturaliter, & si sunt in statu suo completo integraliter, conuenit, sed non solis, quandoquidem conueniat etiam auibus. *Tertiò*, pro eo, quod omnibus & solis individuis vnius speciei conuenit, sed non semper, vt ridere; nullus est enim hominum, qui non aliquando rideat si viuat præsertim longo tempore in conuersatione & connaturali suo statu; & nullus homo semper ridet, nec aliquod aliud individuum vllius alterius speciei proprie ridet, licet prata dicātur metaphorice & improprie ridere. *Quartò* pro eo, quod omnibus & solis vnius speciei individuis, & etiam semper conuenit, vt esse risibile cōpetit hominibus.

## QVÆSTIO I.

*Quodnam Proprium est quartum prædicabile.*

2. EX quatuor Propriis, quæ proposuit Porphirius, quæritur hic quodnam ad quartum prædicabile spectat. Circa quod *Louanienses*, *Conimbricenses*, *Canterus*, *Murcia*, *Hurtadus* hic existimant, omnia prædicta quatuor propria esse spectantia ad quartū prædicabile; *Fonseca* 5. *Met. cap.* 28. putat secundum & quartum ad illud pertinere; alii tertium & quartum.

*Communior* vero sententia cum *Auerroe*, *Occamo*, *Caietano*, *Soto*, *Toleto*, *Auersa*, *& Complutensibus* hic tenet, solum proprium quarto modo esse quartum prædicabile; reliqua verò propria vere pertinere ad Accidens, quod est quintum prædicabile.

Solū Prōprium quarto modō est quartū prędicabile.

## CONCLVSIO.

3. *Solum Proprium quarto modo est quartum prædicabile.* Hæc est communior, & *probatur*, quia solum

hoc proprium habet modum inexistendi pluribus, & prædicandi de pluribus distinctum à modo inexistendi & prædicandi reliquorum vniuersalium & prædicabilium: ergo solum illud proprium est quartum prædicabile. Consequentia patet, quia quartum prædicabile debet habere modum inexistẽdi pluribus, & prædicandi de pluribus distinctum à cæteris vniuersalibus & prædicabilibus. Antecedens dicit duo, & quod proprium quarto modo habeat distinctũ modum inexistendi & prædicandi, & quod nullum aliud proprium hoc habeat. Primum patet tum quia nullum proprium potius debet spectare ad quartum prædicabile; tum quia illud proprium debet spectare ad aliquod prædicabile: sed ad nullum potius quam ad quartum: ergo. Probatur secundum, discurrendo per singula alia propria. Et quidem quod primum proprium non habeat modum prædicandi aut inexistendi distinctum ab accidente, patet, quia sine dubio esse medicum, seu habere scientiam medendi, tam est accidens homini, quam esse album, potest enim adesse & abesse illi absque subiecti corruptione; quæ est definitio accidentis quinti prædicabilis: ergo non habet modum inexistendi distinctum à quinto prædicabili.

4. *Dices*, esse medicum posse capi dupliciter, primò actualiter prout dicit actualem aut habitualem scientiam, à qua dicitur quis esse medicus actualiter; & hoc modo sumptum non erit quartum, sed quintum prædicabile propter rationem iam dictam. Secundo prout dicit aptitudinem & capacitatem, quam habent homines soli ad acquirendam scientiam illam actualem & habitualem medendi; & hoc modo non est accidens homini, sed vere proprietas eius, & hoc modo intelligendum est esse medicum, vt est exemplum proprii primo modo.

*Contra primò*, quia non debet intelligi illud proprium in hoc secundo sensu, sed in primo: ergo proprium primo modo in sensu, in quo debet intelligi, non est quarti prædicabilis. Probatur antecedens, quia eodem modo debet intelligi esse medicum seu grammaticum, quod est proprium primo modo, quo intelligendum est ridere, quod est proprium tertio modo: sed ridere debet intelligi actualiter non aptitudinaliter, aliàs conueniret cum proprio quarto modo, idem enim esset ridere ac esse risibile: ergo esse medicum intelligi debet actualiter & non aptitudinaliter.

5. *Contra secundò*: si loquaris de aptitudine & capacitate, secundum quam potest homo acquirere sibi illam scientiam, quæ capacitas identificatur homini, & est annexa naturæ ipsius, illi capacitati non conuenit descriptio proprii primo modo, quia conuenit omni homini; proprium autem primo modo non conuenit omni: imo illi capacitati conuenit descriptio proprii quarto modo, quia illa capacitas omni, & soli, & semper conuenit: ergo falsum est quod esse medicum, vt est exemplum proprii primo modo, capiatur sic. Quod si intelligas per capacitatem, & aptitudinem acquirendi scientiam medendi illam inclinationem naturalem, quam habent aliqui ad medicinam, sicut alii habent ad poesim, alii ad musicam, alii ad alias res, illa quidem capacitas non est proprium quarto modo, quia non conuenit omni homini, nec emanat ab essentia eius, est tamen propriissimum accidens de prædicamento qualitatis, & vere conuenit illi definitio accidentis quinti prædicabilis, quia potest adesse & abesse absque subiecti corruptione, vt patet; ergo non habet distinctum modum inexistendi & prædicandi ab accidenti, quinto prædicabili; & consequenter proprium primo modo non spectat ad quartum prædicabile.

Proprium secundo modo non est quarti prædicabilis.

6. *Probatur idem* de proprio secundo modo, quia albedo, quamuis competat omni homini, & non soli, quando quidem nullus sit homo, qui non sit albus secundum aliquam saltem partem, tamen secundum omnes est accidens hominis, & pertinens ad quintum prædicabile; sed competit ipsi definitio proprii secundo modo: ergo proprium secundo modo potest esse accidens quinti prædicabilis etiam respectu hominis, respectu cuius est proprium secundo modo, & consequenter non habet proprium secundo modo modum inexistendi & prædican di distinctæ rationis ab accidenti quinti prædicabilis.

*Præterea*, esse bipedem potest adesse & abesse homini: ergo est accidens quinti prædicabilis respectu ipsius; sed esse bipedem est proprium secundo modo: ergo proprium secundo modo est accidens quinti prædicabilis, & consequenter non habet prædicabilitatem distinctæ rationis à prædicabilitate quinti prædicabilis.

*Et si dicas*, esse bipedem intelligendum non actualiter, sed aptitudinaliter.

*Contra primò*, quia non debet sic intelligi, sicut nec esse medicum, quod est proprium hominis primo modo, nec ridere, quod est proprium ipsius tertio modo.

*Contra secundò*, quia illa aptitudo ad habendum duos pedes, si conueniat homini, & aliis animalibus bipedibus, erit proprium quarto modo, ergo esse bipedem non intelligitur sic. Probatur antecedens, quia si aliquid impediret, maxime quod conueniret aliis animalibus ab homine: sed hoc non impedit, quia dantur propria subalterna quarto modo, quæ non conueniunt solis individuis vltimis vnius speciei infimæ: ergo quamuis capacitas, seu exigentia duorum pedum non solis hominibus conueniret, posset tamen esse proprium quarto modo, non quidem respectu speciei humanæ, sed respectu alicuius alterius speciei subalternæ, vt postea magis apparebit.

*Contra tertiò*, quia habere duos pedes non videtur esse prædicatum accidentale respectu hominis, sed prædicatum essentiale integrale; sicut habere animam est prædicatum essentiale physicum ipsius: ergo non est prædicatum quarti prædicabilis, nec quinti, sed potius reduci debet ad aliquod prædicabile ex tribus primis.

Proprium tertio modo non est quarti prædicabilis.

7. *Probatur denique* idẽ de proprio tertio modo ex dictis, quia ridere actualiter est accidens omni homini, sicut intelligere cũ dependentia ad phantasmata, & ridere aptitudinaliter est propriũ quarto modo hominis: ergo ridere, quod est tertium prædicabile, non habet modum distinctũ prædicãdi & inexistendi ab accidente quinti prædicabilis.

*Complutenses* hic quæstione prima probant hanc conclusionem ex *D. Thoma* hoc modo: illud solum est vere & simpliciter proprium, quod dimanat à principiis essentialibus, & cum eis habet naturalem & necessariam connexionem: sed hoc conuenit soli proprio quarto modo: ergo illud solum est proprium vere, & simpliciter, & consequenter illud solum debet pertinere ad quartum prædicabile. Hanc vltimam consequentiam non addunt ipsi; sed sine dubio eam subintelligunt, nisi enim valeret hæc consequentia, quamuis prima consequentia esset optima, non sufficeret ad propositum, hoc est ad ostendendum quod solum proprium quarto modo spectet ad quartum prædicabile.

*Confirmant*, quia tria prima propria non dimanant à principiis essentialibus: ergo non sunt spectantia ad quartum prædicabile.

8. *Hæc probatio* ex se non sufficit: *Responderi enim potest* distingnendo maiorem: vere & simpliciter proprium, hoc est habens veram rationem proprii, quod est quartum prædicabile, nego maiorem; vere & simpliciter proprium, id est magis propriè spectãs ad essentiam rei, cuius dicitur proprium, aut magis connexum cum illa, concedo maiorem; distinguo etiam minorem: esse simpliciter proprium, id est magis connexum cum essentia, soli proprio quarto modo competit, concedo minorem: esse simpliciter proprium, id est simpliciter participans rationem quarti prædicabilis, nego minorem. Et similiter distinguo primum consequens & nego secundam consequentiam.

*Ad confirmationem* nego consequentiam. Itaque oporteret, vt hæc probatio valeret, ostendere quod nihil posset participare rationem proprii vt sic, quod est quartum prædicabile, præter illud, quod dimanat ab essentia rei, & habet necessariam connexionem cum illa.

9. *Obiicies*: Tria prima propria respiciunt aliquo peculiari modo illa, respectu quorum dicuntur propria, quo accidens quinti prædicabilis nõ respicit illa, respectu quorum dicitur accidens: ergo illa tria propria sunt prædicabilia distincta ab accidente: sed non spectant ad aliud prædicabile quam ad quartum: ergo spectant ad quartum.

Proba

Probatur antecedens, quia proprium primo modo respicit illa sub formalitate solius, ita vt sola talia indiuidua, sed non omnia afficere possit. Proprium secundo modo respicit illa omnia & aliqua alia. Proprium tertio modo respicit omnia & sola, sed non semper: sed accidens quinti prædicabilis respicit inferiora per modũ alicuius, quod possit ipsis abesse & adesse; ergo alio modo respiciunt tria prima propria sua inferiora quã accidens respicit sua.

*Respondent ad hoc Complutenses* quod licet antecedens sit verum, inde tamen non sequitur, quod habeant rationem proprij simpliciter, sed secundum quid; aut quod pertineant ad quartum prædicabile alio modo, quam reductiue.

10. *Hæc responsio non placet*, quia reuera dat aduersariis totum quod intendunt, iis enim sufficit quod tria priora propria habeant diuersam prædicabilitatem à prædicabilitate quinti prædicabilis, & trium priorum prædicabilium, quod concedit hæc responsio. Deinde si semel concedatur quod aliquo modo spectent illa tria propria ad quartum prædicabile, non poterit ostendi ratio, cur nõ pertineant directe, sed solum reductiue: & ratio quam assignant Complutenses (supposito quod reductiue pertineant ad hoc prædicabile) est petitio principij, nimirum quod ad veram rationem proprij directe pertinentis ad hoc prædicabile requiratur necessaria emanatio ab essentia, & conuertibilitas cum ipsa, hoc enim est quod manet in controuersia.

*Confirmatur hoc*, quia illa tria propria prima spectant directe ad aliquod prædicabile ex quinque, de quibus hic agimus, sed non ad aliud quam ad quartum vel quintum: si ad quartum, ergo non reductiue ad illud spectãt; si ad quintum, ergo etiam non spectabunt reductiuè ad quartum, quia quod directe spectat ad vnum prædicabile, non debet indirecte spectare ad aliud, sicut quod directe ponitur in vno prædicamento non ponitur indirecte in alio.

11. *Dices cum Ioanne à S. Thoma* non esse inconueniens, illud, quod simpliciter spectat ad vnum prædicabile, spectare secundum quid ad aliud, sicut rationale respectu Petri & Pauli habet rationem differentiæ, & respectu huius aut illius rationalis habet rationem speciei.

*Contra*, quia rationale, vt respicit Petrum & Paulum tanquam differentia, directissime pertinet ad tertium prædicabile, & vt respicit hoc & illud rationale, spectat directissime ad secundum prædicabile non minus quam natura humana: ergo non habetur ex hoc exemplo, illud, quod spectat directe ad vnum prædicabile, spectare posse indirecte ad aliud prædicabile, sed potius quod spectare possit directe ad illud.

*Contra secundò*, quia aliud est quòd vnum & idem possit secundum diuersas rationes spectare ad diuersa prædicabilia, quod non nego, & conuincitur illo exemplo de rationali aliisque plurimis; aliud vero, quod aliquid, vt comparatur ad eadem, possit spectare, aut directe ad plura prædicabilia, aut indirecte ad vnum, & directe ad aliud, quod negatur in confirmatione præmissa. Vnde si prima tria propria, vt respiciunt illa, respectu quorum dicuntur propria, directe pertinent ad quintum prædicabile, non debent, quatenus illa ipsa respiciunt, dici spectare indirecte ad quartum prædicabile aut vllum aliud.

*Respondeo ergo aliter* ad obiectionem distinguendo antecedens: aliquo peculiari modo, qui extrahat ipsos à ratione quinti prædicabilis, nego; qui non extrahat, transeat antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis concedo, quod illa propria respiciunt sua inferiora sub illa ratione, sed nego, quod illa ratio tollat quo minus illa ipsa respiciant vt accidens quinti prædicabilis; & nego, quod accidens quinti prædicabilis ita respiciat per modum potentiæ abesse & adesse, vt excludat, quod respiciat illa aut vt sola, aut vt non sola.

## QVÆSTIO II.

*Quid sit Proprium quod est quartum prædicabile.*

Definitio proprij quarti prædicabilis.

12. PORPHIRIUS definiuit proprium quarto modo, quod solum est quartum prædicabile, vt patet ex dictis, esse *quod accidit soli alicui speciei, & omni, ac semper*: Aristoteles autem 1. *Top. capit.* 4. dicit proprium esse, *quod non indicat esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur*. Hæ duæ descriptiones in re conueniunt, nam quod dicitur in secunda proprium non indicare esse rei, hoc est non esse prædicatum essentiale rei, cui conuenit, significatur in prima per ly *accidit*, hoc est, est extra essentiam rei. Et quod dicitur in prima, quod soli speciei & omni & semper conueniat, significatur in secunda, dum dicitur, quod soli inest, ac quod conuersim prædicatur, hoc est quod de quocumque potest prædicari illa species, cui soli inest; de eodem prædicatur proprium, & de quocumque prædicatur proprium, de eodem prædicatur illa species; quod non posset esse verum, nisi soli illi speciei ac omni indiuiduo eius semper conueniret.

*Quæritur* ergo hic, an bene definiatur proprium his definitionibus; quæ difficultas potest esse tam de proprio metaphysico, hoc est de illa formalitate, quæ vere inest rei, & denominatur vniuersale, & est prædicabile, quam de proprio logico, hoc est de illa ipsa formalitate, vt est vniuersale seu prædicabile formaliter.

## CONCLVSIO.

13. *Prædictæ definitiones sunt bonæ, & possunt applicari proprio tam primo quam secundò intentionaliter accepto: clarius tamen definiretur proprium secundò intentionaliter acceptum, dicendo quod esset illud, quod posset prædicari de multis in quale, tanquam aliquid ipsis conueniens non essentialiter, sed necessario tamen.* Hæc conclusio est in re communis, *& probatur prima pars*, quod scilicet illæ definitiones sint bonæ, quia declarant naturam quarti prædicabilis, vt distinguitur à cæteris vniuersalibus, vt patet ex dictis inter explicandam conuenientiam earum. *Secunda pars patet*, quia si intelligatur per *accidit*, quod conueniat seu insit omnibus ac solis illis, quibus inest species, cui per se primo conuenit per modum alicuius, quod non est de essentia, habet tamen necessariam connexionem cum essentia ita, vt vbique ipsam comitetur, declarat bene naturam proprij metaphysici & primo intentionaliter accepti; potest autem sine dubio illo modo explicari ly *accidit*: ergo possunt accommodari proprio metaphysico. Definitio proprij bona.

*Rursus*, si intelligatur per ly *accidit* quod accidentaliter prædicetur, hoc est per modum alicuius prædicati non essentialis, sed necessario tamen conuenientis omnibus, quibus conuenit species, à qua emanat, declarabit naturam proprij logici, seu secundo intentionaliter accepti, & potest etiam id intelligi per ly *accidit*: ergo possunt illæ definitiones accommodari proprio logico.

*Tertia denique pars patet*, quia tollitur æquiuocatio, quæ est in ly *accidit*, seu conuenit, quod potest accipi sic vt possit accommodari proprio metaphysico & logico, & expresse ponitur prædicabilitas peculiaris, quã habet proprium logicum, & per quam distinguitur à cæteris prædicabilibus: ergo clarior est illa descriptio, quam aliæ illæ descriptiones. Vt autem pateat, quod hæc descriptio clarior, sit etiam bona, & vt exactius cognoscamus naturam quarti prædicabilis, declaranda est viterius per singulas partes. Dicitur ergo, quod Proprium sit *prædicabile de multis*, in quo tanquam in genere conuenit cum cæteris vniuersalibus logicis. Dicitur *in quale*, per quod distinguitur à genere & specie. Dicitur *tanquam aliquid non essentiale*, per quod distinguitur à differentia, quæ prædicatur in quale quid, hoc est tanquam aliquid determinatiuum essentiale. Dicitur *necessario tamen conueniens*, vt distinguatur ab accidente, quod prædicatur in quale non essentialiter, nec etiam necessario.

15. *Circa vero* hanc particulam est difficultas non leuis, de qua necessitate fiat hic mentio, an de necessitate simpliciter, etiam in ordine ad potentiam absolutam, ita vt sit tam necessaria connexio proprietatis pertinentis ad quartum prædicabile cum suo subiecto, seu cum illa essentia, cum qua est conuertibilis, vt nec de potentia absoluta possit reperiri sine illa, nec è contra illa sine proprietate; an vero sufficiat necessitas naturalis exigentiæ sic, vt connaturaliter petat illa essentia habere illam proprietatem taliter, vt non possit naturaliter nec de potentia ordinata ab inuicem separari.

*Thomistæ* communiter videntur exigere solam hanc vltimam necessitatem, & negare necessitatem priorem respectu vllius proprii; *Scotistæ* vero communiter videntur exigere priorem necessitatem. *Auersa* verò hic putat proprium, vt sic, non exigere determinatè vllam ex illis necessitatibus cum exclusione alterius, tenet enim aliqua propria non esse realiter distincta à speciebus, quibus conueniunt, sed solum formaliter, & consequenter tenere debet, quod huiusmodi propria sint tam connexa, vt nec per Dei potentiam absolutam possint separari: & præterea tenent alia propria dari, quæ non habent talem identificationem aut necessitatem cum subiectis, vt nequeant de potentia Dei absoluta separari: & huiusmodi dicit esse, quantitatem respectu substantiæ materialis, quæ omni & soli tali substantiæ conuenit, & quidem non essentialiter, sed necessario tamen ita, vt naturaliter nulla quantitas possit esse absque substantia materiali, nec vlla substantia materialis absque quantitate. Pro determinatione huius difficultatis sit

## CONCLVSIO II.

Dãtur aliquæ proprietates realiter identificatæ subiectis.

16. *Dantur aliquæ proprietates quarto modo; quæ sunt realiter identificata speciebus, quarum sunt proprietates; & consequenter nequeunt separari de potentia absoluta.* Hæc est Scotistarum cum *Doctore q. 30. Vniuers.* quos sequitur *Auersa* hic.

*Probatur*, quia aptitudo subiecti alicuius absoluti, v g. substantiæ intellectualis ad intelligendum est proprietas ipsius: sed nec de potentia Dei absoluta potest ab ipsa separari: ergo realiter identificatur ipsi. Probatur maior, quia non est prædicatum essentiale ipsi, nullus enim respectus potest esse de essentia absoluti; nec accidentale de quinto prædicabili, quia emanat ab illa essentia & est conuertibilis cum illa. Probatur minor, quia Deus nequit facere, vt substantia talis non sit exigens intelligere ex natura sua intrinseca, sicut non potest facere, vt ignis non sit exigens calorem; & consequenter nequit facere, vt sit sine aptitudine ad intelligendum, quæ nihil aliud est, quam talis exigentia. *Rursus* nequit facere vt talis exigentia, seu aptitudo sit absque tali substantia, sicut nec potest facere vt vllus respectus sit absque suo fundamento propter essentialem dependentiam respectus à suo fundamento. Probatur denique consequentia, quia, quæ separari nequeunt de potentia absoluta, identificantur, nisi vnum includatur intrinsece in altero, aut nisi vnum vt causa realiter producens alterum, aut nisi subiectentur in subiectis realiter distinctis: sed substantia intellectualis non includitur in essentia istius aptitudinis seu exigentiæ, nullum enim absolutum includitur intrinsecè in respectiuo, nec producit efficienter efficientia reali illam aptitudinem: nam aliàs posset impediri eius productio à Deo: Deus enim libere concurrit cum quacumque causa creata efficiente per efficientiam veram & realem ac physicam, ita vt posset non cõcurrere, & si nõ non concurreret, non efficeret causa illa secunda propter essentialem dependentiam omnis causæ actiuæ secundæ à Deo in essendo & operando; nec subiectantur in subiectis realiter distinctis: ergo si habeant necessariam connexionem, realiter identificantur.

17. *Confirmatur primò*, quia nullum est indicium separabilitatis aut distinctionis huiusmodi proprietatis à suis subiectis: ergo non debet asseri, propter commune axioma quod non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

*Confirmatur secundò*, quia vnitas, veritas, & bonitas sunt proprietates entis vt sic, secundum omnes, & tamen nequeunt, etiã de potentia Dei absoluta, separari ab ente

*Confirmatur tertiò*, quia si substantia intellectualis posset esse etiam de potentia absoluta absq; aptitudine ad intelligendũ, aut homo absque aptitudine ad ridendũ, daretur processus in infinitum, quod est absurdum: ergo non potest sic esse. Probatur sequela antecedentis, quia si posset substantia intellectualis existere sine aptitudine ad intelligendum, aut homo sine risibilitate, tum potuissent recipere illas aptitudines, & haberent aptitudinem ad hoc magis quam haberet lapis: Quæro ergo de illa aptitudine, an possit esse separabilis: si dicatur quod sic; tunc habebitur alia aptitudo ad illam, & sic in infinitum; si dicatur quod non; ergo habetur intentum, quod aliqua proprietas nequeat separari: & præterea qua ratione id diceretur de secunda illa aptitudine, dici deberet de prima, quia est eadem ratio: imo superfluè poneretur illa secunda aptitudo.

18. *Dices*: ad aptitudinem illam primam non daretur in natura aliqua alia aptitudo formalis, sed tantum fundamentalis.

*Contra*, quia ideo dicitur homo habere aptitudinem formalem ad risum, quia potest esse sine risu & habere risum, & hoc ex exigentia connaturali suæ naturæ: ergo si potest esse sine illa aptitudine & cum illa, & hoc ex exigentia suæ naturæ, dicit aptitudinem formalem ad illam aptitudinem. Et sanè qua ratione diceretur non habere aptitudinem formalem, sed fundamentalem ad illam aptitudinem, posset dici non habere aptitudinem formalem ad ipsum risum, sed fundamentalem.

*Dices*, disparitatem esse quod aptitudo sit aptitudo, & quod ad aptitudinem non possit dari alia aptitudo formalis; risus vero non sit aptitudo, & consequenter quod ad ipsum possit dari alia aptitudo formalis.

*Contra primò*, quia si aptitudo posset separari à subiecto, non esset aptitudo.

*Contra secundò*, quia si potest aliquid realiter distinctum, & separabile recipi absque aptitudine formali per fundamentalem aptitudinem, non est vlla ratio, cur risus, quamuis non sit aptitudo, nequeat recipi absque aptitudine formali.

19. *Obiicies* Philosophum 7. *Met.* vbi dicit, quod substantia sit prius tempore, quam accidens: ergo potest esse sine accidente, & consequenter sine proprio.

*Respondeo* distinguendo maiorem: quàm accidens quinti prædicabilis, vel accidens prædicamentale, quod scilicet, natum est inhærere, transeat; quam accidens illud, quod dicitur tale ex eo solo, quod sit extra essentiam rei, nego antecedens. Et similiter distinguo primum consequens, & nego vltimam consequentiam.

*Obiicies secundò*: causa distinguitur realiter à suo effectu, sed subiectum est causa passionis: ergo distinguuntur realiter ab illa, & consequenter vnum ex illis potest esse sine alio.

*Respondeo* distinguendo maiorem: causa propria & physica, concedo; causa impropria & metaphysica, nego: subiectum autem non est nisi causa impropria & metaphysica propriæ passionis.

*Et si quæratur*, vnde colligatur quod subiectum non sit causa propria & physica: *Respondeo* ex eo, quod non distinguantur realiter, hoc autem colligo ex fundamentis conclusionis. Et si vlterius quæratur quid sit causa physica & propria proprij. *Respondeo* esse illam, quæ est causa subiecti.

20. *Obiicies tertiò*, Passio seu proprietas pertinet ad prædicamentum qualitatis, est enim tertia species ipsius: ergo distinguitur realiter à substantia: prædicamenta enim distinguuntur realiter.

*Respondeo*, passionem, quæ est proprietas substantiæ, non pertinere ad illud prædicamentum, nec esse tertiam speciem illius, de quo in prædicamento Qualitatis.

*Obiicies vltimò*: nihil virtualiter tale potest esse formaliter tale: sed essentia hominis est virtualiter risibile: ergo non est formaliter risibile, & consequenter risibilitas non est identificata ipsi realiter.

*Respondeo*, distinguendo maiorem: secundum eandem rationem, concedo; secundum diuersam, nego; & certe, sicut ignis est virtualiter calidus, quatenus potest producere calorem, & formaliter calidus, quatenus habet calorem productum in se; quare essentia hominis non posset dici virtualiter risibilis, vt est principium, à quo risibilitas emanat, & formaliter risibilis, quatenus habet in se risibilitatem.

## CONCLVSIO III.

Omne proprium est realiter identificatum subiecto.

21. *Probabile est omne proprium quarti prædicabilis esse sic necessario coniunctum subiecto, quod nequeat de potentia absoluta conseruari absque subiecto, nec subiectum absque illo.* Hæc est conformis Scotistis & Scoto

Scoto supra, *patetque* vnica ratione sufficienti, quia ly *necessario* positum in definitione proprii, potest significare huiusmodi necessitatem absolutam; & conuertibilis prædicatio, quæ est inter essentiam & proprietatem seu propriam passionem, potest sic intelligi, vt non possit vlla ratione fieri aliter, quin de quocumque prædicari possit vnum, de eo possit prædicari alterum: & rursus quod dicit Porphirius in fine capitis de proprio quarto modo, quod emanet ex essentia rei, potest intelligi de emanatione metaphysica, & necessaria necessitate absoluta in ordine ad quamcumque potentiam. Si autem hæc hoc modo intelligantur, certum est quod omne proprium quarti prædicabilis sit necessario connexum cum suo subiecto necessitate absoluta in ordine ad quamcumque potentiam.

22 Quod autem possint probabiliter sic intelligi, probatur *primo* quia nihil est in contrarium; *secundò*, quia omnia illa, quæ sunt vere accidentia, potius ad quintum prædicabile reduci debent, si possunt, quàm aliqua ad quintum, aliqua ad quartum: sed propria realiter separabilia per diuinam potentiam sunt verè accidentia, & potentia adesse & abesse absque subiecti corruptione, ac vere ipsis inhærentia non minus, quam albedo parieti: ergo omnia illa ad quintum prædicabile reduci possunt. *Tertiò*, quia si propria aliqua quarti prædicabilis possent separari, & alia non ponent, vix posset assignari aliqua vna ratio proprii vt sic, nam per ly *necessario* non significaretur aliquis vnus determinatus conceptus; explicari enim deberet sic, vt significaret vel necessitatem absolutam, vel necessitatem naturalem disiunctiue; neque ab vtraque necessitate videtur posse abstrahi aliqua vna determinata ratio, secundum quam proprium vt sic posset distingui ab accidente quinti prædicabilis & aliis prædicabilibus. *Quartò*, quia aliqua accidentia naturaliter inseparabilia, sed separabilia de potentia absolura, spectant ad quintum prædicabile, ergo omnia accidentia sic inseparabilia ad ipsum reduci debent.

23 *Confirmatur*, quia non potest intelligi quomodo definitio accidentis assignata à Porphirio, nimirum quod possit abesse absque subiecti corruptione, competat accidentibus vllis, & non possit competere proprio de potentia absoluta separabili: ergo si illa definitio competat alicui accidenti inseparabili, competit etiam proprio separabili, & consequenter proprium, separabile de potentia absoluta, erit quinti prædicabilis tam bene, quam vllum accidens naturaliter inseparabile. Probatur antecedens, quia illa accidentia inseparabilia eatenus possunt abesse absque subiecti corruptione, verbi gratia albedo respectu niuis, nigredo respectu corui, calor respectu ignis, vel quatenus supernaturaliter subiecta, quibus competit, possunt conseruari sine ipsis, vel quatenus possit intelligi subiecta illa quoad essentiam non intellectis illis accidentibus, vt eum *S. Thoma opusc. 48. c. 8*, *Caietanus*, *Sotus*, *Toletus* intelligunt; vel quatenus possunt intelligi illa subiecta cũ oppositis accidentibus absque destructione suæ essẽtiæ, vt sentit *Auersa*; vel quatenus possunt intelligi cum non exigentia istorum accidentium; vt idem etiam sentit; vel quia si supponeretur separatio talis accidentis, adhuc non sequeretur destructio subiecti quoad essentiam: sed omnibus his modis potest abesse proprium, diuina potentia separabile, absque subiecti corruptione, v. g. substantia materialis potest supernaturaliter conseruari sine quantitate, & naturaliter intelligi non intellecta quantitate, & oppositio quantitatis, si detur oppositum ipsius; & denique tam bene potest intelligi cum non exigentia quantitatis, quam coruus potest intelligi cum non exigentia nigredinis, & si poneretur absentia quantitatis, seu separatio eius à substantia materiali, non sequeretur destructio istius substantiæ magis, quàm sequitur destructio corui ex suppositione quod separaretur eius nigredo; vnde de facto si conseruaretur per diuinam potentiam substantia materialis absque quantitate, certum est quod non destrueretur

24. *Dices*, non intelligi quod subiectum proprietatis destrueretur separata proprietate, materialiter loquendo, hoc est secundum suam entitatem; sed si separaretur formaliter, hoc est, si separaretur ita, vt subiectum illam non exigeret.

*contra*, quia si separaretur etiam nigredo corui ita, vt non exigeretur à coruo, similiter destrueretur essentia corui; aut certe non destrueretur essentia substantiæ materialis, si separaretur quantitas eius taliter, vt ipsam non exigeret.

*Dices*, separabilitatem accidentis inseparabilis absque subiecti corruptione consistere in hoc, quod non conueniat omni, aut quod non conueniat semper.

*contra*: si hoc intelligeretur in definitione accidentis, dum dicitur quod possit abesse subiecto, non esset necessarium addere *absque subiecti corruptione*, sed sufficeret dicere quod esset aliquod extra essentiam competens alicui speciei, sed vel non soli, vel non omni eius individuo vel non semper.

*Præterea* proprium de potentia absoluta separabile non conueniret semper omni individuo speciei, tum scilicet quando separaretur. *Vlterius* manifestum est, quod Porphirius intellexerit absentiam eiusdem numero accidentis ita, vt omnis illa vna numero forma, quæ potest alicui subiecto abesse absque eius corruptione seu destructione, fit accidens, siue possit competere aliis subiectis secundum speciem, siue non possit.

*Denique*, si quantitas, verbi gratia, siue eadem numero, siue eadem specie cum quantitate substantiæ materialis posset competere etiam naturaliter aliis substantiis non materialibus, non propterea destrueretur eius essentia; cur enim destrueretur, si communicaretur etiam naturaliter quantitas Angelo? quamuis enim aliquod subiectum connaturaliter exigat habere aliquam formam, tamen nunquam exigit vt aliud subiectum illam non exigat, nisi quatenus officeret ipsi, quod aliud subiectum illam haberet: sed substantiæ materiali non officeret quod Angelus haberet quantitatem: ergo non potest exigere substantia materialis, vt Angelus non habeat quantitatem, & consequenter quamuis Angelus eam haberet, adhuc non destrueretur vlla ratione essentia substantiæ materialis.

25. *Dices pro Auersa*: quantitas omni & soli & semper substantiæ materiali conuenit, & hoc ex exigentia eiusdem substantiæ: ergo quantitas respectu talis substantiæ erit proprietas, quandoquidem conueniat ipsi proprietatis definitio.

*Respondeo* negando antecedens, quia de facto quantitas Eucharistica non conuenit substantiæ materiali vlli, ergo non prædicatur semper de substantia materiali; quod si prædicaretur etiam semper, adhuc hoc non sufficeret, sed deberet ita posse prædicari, vt de potentia absoluta non posset dari vlla substantia materialis absque quantitate.

*Dices*, illam semper prædicari posse naturaliter loquendo de omni & sola substantia materiali, & hoc sufficere ad proprium, ipsumque distinguere ab accidentibus inseparalibus quinti prædicabilis, quia hæc conueniunt alijs quoad speciem v.g. nigredo conuenit alijs subiectis à coruo, & albedo aliis subiectis à niue.

*Respondeo* negando, quod id sufficiat: & licet distingueretur per hoc ab accidentibus naturaliter separabilibus & inseparabilibus illis, quæ secundum speciem competere possent aliis subiectis, tamen hoc non tollit, quominus ratio accidentis, vt sic, possit ipsis cõpetere, & consequenter non facit, vt spectent ad quartum prædicabile & non ad quintum, quia accidentia inseparabilia, potentia naturaliter competere aliis subiectis, & accidentia inseparabilia, quæ non possunt competere aliis subiectis, bene spectare possunt ad idem prædicabile.

Ex his patet, per ly *necessario conuenit*, positum in definitione proprii quarto modo, intelligi necessitatem simpliciter in ordine ac quamcumque potentiam; & consequenter manet explicata sufficienter tota definitio proprii approbata in prima conclusione. Contra quam,

26. *Obicies primò*: calor dicitur proprietas ignis, sed tamen non soli igni competit; ergo male dicitur quod soli debeat competere.

*Respondeo* distinguendo maiorem: est proprietas eius metaphysica, quæ sola spectat ad hoc prædicabile quartum, nego; proprietas physica spectans ad quintum prædicabile concedo maiorem; & concessa minori, nego consequentiam.

*Obiicies secundò:* Dantur aliqua propria quarti prædicabilis, quæ non conueniunt soli speciei: ergo male definitur proprium esse, quod conuenit soli speciei. Probatur antecedens, quia aptitudo ad sentiendum est proprietas hominis; sed tamen aliis rebus conuenit, quam homini, vt brutis: ergo datur aliquid proprium, quod non conuenit soli speciei. Probatur maior, quia illa aptitudo non est nec genus, nec species, nec differentia vlla hominis vllius, nec accidens quinti prædicabilis, cum nequeat etiam de potentia Dei absoluta ab homine separari; ergo debet esse quarti prædicabilis.

27. *Respondeo* distinguendo antecedens, quæ non conueniunt soli speciei infimæ, concedo; quæ non conueniũt soli speciei infimæ vel subalternæ, vel cuicumque, à qua formaliter emanat, aut cui per se primò competit, nego antecedens; & concessa maiori ac minori probationis distinguo similiter consequens: quæ non conuenit soli speciei infimæ, concedo; quæ non conuenit soli speciei infimæ aut subalternæ, nego consequentiam. Itaque quando dicitur quod proprietas conueniat soli speciei, & omni indiuiduo eius, hoc omnino debet intelligi de specie illa seu ratione formali, ratione cuius conuenit proprietas indiuiduis, non verò de specie infima illorum indiuiduorum: verbi gratia sensitiuitas est proprietas Petri & Pauli, & conuenit ipsis præcisè non ratione rationalitatis, nec quatenus homines sunt, sed quatenus sunt animalia, vnde sensitiuitas non debet competere soli homini seu speciei humanæ, & indiuiduis eius omnibus ac solis, sed soli animali & omnibus eius ac solis indiuiduis ita, vt omne indiuiduum, quod est animal, sit necessario sensitiuum & nullum indiuiduum, quod non est animal, sit sensitiuum. Vnde patet dari duo genera Propriorum, vnum eorum, quæ non sunt infima, aliud eorum quæ sunt infima.

An proprium sit species infima vniuersalis.

28. *Et si quæratur*, an sint distinctæ speciei in esse prædicabilis.

*Respondendum* conformiter ad resolutionem datam supra de differentia *num.* 15. probabile esse quod sint distinctæ speciei.

In ordine ad quid constituatur in esse vniuersalis.

*Et si quæratur* rursum, in ordine ad quid constituatur proprium in esse vniuersalis & prædicabilis. *Respondetur* quod in ordine ad inferiora speciei illius, cui immediate competit, seu à qua immediate emanat; verbi gratia sensitiuitas cõstituitur in esse vniuersalis per ordinem ad omnia indiuidua animalis, & risibilitas in ordine ad omnia indiuidua hominis, quia debent esse aliqua plura & inferiora, in ordine ad quæ constituatur in esse talis, sed non sunt alia plura præter illa inferiora & indiuidua, respectu quorum possit habere rationem quarti prædicabilis.

29. *Confirmatur* per omnia, quæ dicta sunt de Differentia supra *disput. 7. num. 22.*

*Dices*: per ordinem ad illa proprium dicitur vniuersale, quibus est proprium: sed indiuiduis speciei est commune & non proprium: ergo non est vniuersale in ordine ad illa, sed potius ad speciem.

*Respondet Auersa hic sect. 3.* negando minorem, dicit enim quod habeat rationem proprii per ordinem ad naturam seu speciem à qua profluit immediate, rationem verò vniuersalis in ordine ad inferiora illius speciei.

*Sed responderi potest aliter*, negando minorem, potest enim esse proprium & commune respectu eorundem inferiorum, commune quidem, quatenus participatur ab omnibus simul cum natura specifica, proprium verò quatenus non participatur ab aliis, & necessario consequitur ipsa; & sicut differentia, licet sit cõmunis inferioribus suæ speciei, est tamen differentia eorum non quidem qua differant inter se; sed qua differant ab aliis: ita proprium, licet sit commune omnibus inferioribus alicuius speciei, potest tamen esse cuiuslibet eorum proprium; non quidẽ quasi aliis indiuiduis eiusdem speciei nõ cõpeteret æque sed quod non competat vlli indiuiduo alterius speciei.

# DISPVTATIO IX.

## DE ACCIDENTE,

### *Quod est quintum Prædicabile.*

Tres definitiones accidentis.

ACCIDENTIS huius tres assignat definitiones seu descriptiones *Porphirius*, quarum hæc est prima: *Accidens est quod potest adesse & abesse præter subiecti corruptionem*, vt calor se habet respectu corporis. Secunda: *Accidens est quod contingit eidem inesse & non inesse*. Tertia: *Accidens est quod neque est genus, nec differentia, nec proprium; inest autem subiecto*. Ex his definitionibus tertia, cuius sensus est, quod illud sit accidens quintum prædicabile, quod cum possit prædicari de pluribus, non est prædicabile de illis vllo modo ex illis, quibus quatuor prima prædicabilia possunt prædicari de pluribus, minus valet, quia quamuis hoc sit verissimum, & sufficientissime posset aliquis cognoscere aliquod prædicabile pertinere ad quintum prædicabile ex eo, quod videret illud non posse prædicari vllo ex illis modis; tamen non propterea sufficienter declaratur natura quinti prædicabilis per hãc descriptionem positiue, sed solum negatiue; quia non ostenditur modus particularis prædicandi, qui competit quinto prædicabili, sed potius ostenduntur modi prædicandi, qui non competunt ipsi, & propterea vt quis cognosceret aliquid spectare ad quintum prædicabile, deberet, si aliam non haberet descriptionem quam hanc, percurrere modos prædicandi cæterorum prædicabilium, vt videat an aliquis ex illis ipsi conueniat. Quare communiter præferuntur duæ primæ definitiones, quæ in re conueniunt: vnde solam primam particulariter hic examinabimus, quæ frequentius est in vsu.

## QVÆSTIO VNICA.

### *Vtrum bona sit prima Accidentis descriptio.*

Definitio prima accidentis potest accommodari metaphysico & logico.

2. SVppono cum communi sententia prædictam descriptionem primam, qua dicitur. *Accidens esse quod possit abesse & adesse præter subiecti corruptionem*, posse accommodari accidenti tam primo, quam secundo intentionaliter sumpto; nam si intelligatur per *abesse & adesse*, quod possit realiter coniungi & separari cum illo, respectu cuius dicitur accidens, conueniet accidenti primo intentionaliter sumpto; & si intelligatur per *adesse & abesse*, quod possit prædicari contingenter de pluribus, hoc est tanquam aliquid, quod ipsis contingenter accidit, conueniet accidenti secundo intentionaliter sumpto: potest autem sine dubio vtroque modo intelligi illa descriptio. Sed sane longe clarius describeretur accidens secundo intentionaliter sumptum, si diceretur esse, *quod potest prædicari de pluribus contingenter, seu non necessariò*.

### CONCLVSIO.

Definitio prima accidentis est bona.

3. *Illa descriptio est bona.* Hæc est communis, & *patet*, quia conuenit omni & soli accidenti, & in ea absque superfluitate ostenditur positiue natura accidentis, prout distinguitur à cæteris vniuersalibus, constatque genere & differentia: nam per hoc quod dicatur conuenire posse subiecto, hoc est pluribus cum multiplicatione, de quibus affirmari possit, vere exprimitur ratio vniuersalis vt sic, quæ est genus, in quo conuenit cum cæteris vniuersalibus: & per hoc quod dicitur, quod ita conueniat illis pluribus, vt absque ipsorum destructione possit non conuenire ipsis, exprimitur eius differentia, qua differt à cæteris vniuersalibus: neque enim est vllum ex cæteris vniuersalibus, quod non necessario conuenit pluribus illis, quibus possunt inesse, & de quibus possunt prædicari, ita vt de potentia absoluta non possit fieri, maxime in nostra sententia, vt separetur: nullum est autem accidens quinti prædicabilis, quod ita necessario conuenit illis pluribus, quibus accidit, quin de potentia absoluta possint esse illa plura absque illo. Et quamuis Porphirius diuidat accidens

quinti

quinti prædicabilis, prædicta definitione à se definitum, in accidens separabile, & inseparabile; tamen per accidens inseparabile non intelligit quod sit inseparabile in ordine ad potentiam absolutam, & si id intelligeret, erraret; sed in ordine ad potentiam naturalem, & fortassis etiam non intellexerat, quod deberet esse inseparabile in ordine ad potentiam naturalem simpliciter, quasi in nullo casu non posset separari naturaliter, sed sic vt non posset separari, nisi valde raro & difficillime.

4. *Obiicies*: Anima rationalis potest prædicari de pluribus corporibus in quale cõtingenter, & potest illis adesse & abesse absque subiecti corruptione: sed non est accidens, quando quidem sit substantia: ergo prædicta definitio non est bona definitio accidentis.

*Respondeo* distinguendo minorem: non est accidens prædicamentale oppositum substantiæ, hoc est aliquid aptum natum inhærere, concedo minorem; non est accidens quinti prædicabilis, hoc est aliquid prædicabile contingenter de pluribus cum multiplicatione, nego minorem; potest enim esse accidens hoc modo sumptum, quamuis sit substantia. Et distinguo etiam consequens: male describitur accidens prædicamentale prædicto modo, si ita describeretur, concedo; male describitur accidens quinti prædicabilis, nego consequentiam.

*Obiicies secundo*: Mors est accidens hominis, & combustio domus; sed neque mors potest adesse homini sine sui destructione, neque combustio domui: ergo male dicitur, quod accidens possit adesse & abesse sine subiecti corruptione.

*Confirmatur*, quia nigredo non potest abesse coruo, nec albedo niui absque eorum corruptione: sed nigredo est accidens coruo, & albedo niui: ergo male dicitur, quod accidens possit abesse absque subiecti corruptione.

5. Hæc obiectio faceßit negotium Doctoribus; sed facile *respondetur* distinguendo minorem: absque sui destructione quoad essentiam, nego; quoad existentiam, concedo, & nego consequentiam. Itaque quando dicitur, quod possit accidens adesse & abesse absq; subiecti corruptione, fatsus est quod quamuis adsit subiecto, aut absit à subiecto non propterea sequatur nec à priori neq; à posteriori, quod subiectũ sit alterius essentiæ quam futßet siue adesset siue abesset illud accidens; & per hoc distinguitur accidens à cæteris quatuor vniuersalibus. Nam si animal, verbi gratia abesset homini, & bruto, certum est quod non essent eiusdem speciei cuius sunt de facto; & si humanitas aut rationalitas abessent Petro & Paulo, non essent eiusdem essentiæ, cuius sunt de facto; & similiter si risibilitas non conueniret homini, sed abesset ipsi, sequeretur à posteriori quod non esset talis speciei, qualis est de facto, nam natura humana, quæ est essentia hominis de facto, exigit risibilitatem necessario ita, vt nequeat esse de potentia absoluta sine illa, & consequenter si abesset illi de facto, sequeretur quod non exigeret illam sic necessario, & propterea, quod non esset talis naturæ qualis est de facto. Sed per hoc quod mors absit homini aut adsit ipsi, non sequitur, quod sit alterius naturæ & essentiæ, quamuis ex eo, quod adsit mors, destruatur existentia eius & fiat vt nõ existat realiter amplius: & idem est de combustione respectu domus. Vnde bene dicitur, quod mors homini & combustio domui possint adesse absque corruptione eorum quoad essentiam; non vero quoad existentiam.

6. *Ad confirmationem* responderi posset primo eodem modo, quod nigredo coruo, & albedo niui possint abesse absq; destructione corui & niuis quoad essentiam, quamuis abesse non possint absque eo quod desinant existere in rerum natura.

*Respondeo etiam secundò* distinguendo maiorem; naturaliter, transeat, supernaturaliter, nego maiorem, & concessa minori nego consequentiam.

7. Aduertendum tamen hic obiter, quod quamuis hoc modo possit saluari prædicta definitio, facilius describeretur Accidens esse omne illud quod potest vere & realiter prædicari de aliquo, & negari de ipso pro eodem tempore in sensu diuiso: nam hæc descriptio conuenit morti respectu hominis, & albedini respectu niuis, & cuicumque alteri accidenti quinti prædicabilis, vere enim mors negatur de homine quando existit realiter homo, & vere prædicatur de ipso saltem denominatiue, quando, postquam semel extitit realiter, desinit existere; tunc enim vere & realiter denominatur esse mortuus; & vere nix est alba, quando est in statu suo cõnaturali, & vere posset non esse alba, quando Deus tolleret ab ipsa albedinem contra exigentiam suam connaturalem, nunquam autem potest esse verum, quod vllum aliud prædicabile possit vere prædicari, & vere non prædicari de suis inferioribus; vnde illa particula definitionis *sine subiecti corruptione* non videtur tam necessaria, quin possit bene omitti: poterat tamen poni, quia significat vnde oriatur quod accidens possit verè prædicari & negari de suo subiecto pro diuersis temporibus, aut pro eodem tempore in sensu diuiso, nimirum quia non habet talem necessariam connexionem cũ subiecto, vt ex separatione eius sequeretur destructio subiecti.

8. *Quæres* in ordine ad quæ constituitur accidens in esse quinti prædicabilis. *Respondeo* cum communi, quod non in ordine ad illa inferiora de quibus prædicatur per se, quia respectu illorum habet potius rationem generis, aut speciei, verbi gratia albedo respectu huius & illius albedinis habet rationem speciei, & color respectu albedinis & nigredinis rationem generis; sed in ordine ad illa subiecta, de quibus est prædicabile contingenter: quia vt est quintum prædicabile, est prædicabile contingenter: ergo constituitur in esse talis in ordine ad illa, de quibus sic est prædicabile. In ordine ad quæ accidens habet rationem vniuersalis.

*Obiicies primò*: vniuersale potest prædicari de suis inferioribus, antequam existant; accidens non potest prædicari de subiectis, quibus contingenter conuenit, nisi existant: ergo non est vniuersale in ordine ad illa.

*Respondeo* distinguendo maiorem: vniuersale vt sic, aut vniuersale, quod contingenter prædicatur, nego: vniuersale quod necessario prædicatur, concedo; & ratio disparitatis oritur ex illa necessaria connexione, quæ est inter hæc, & non necessaria, quæ est inter alia.

*Obiicies secundo*: vniuersale debet esse ita commune suis inferioribus, vt identificetur illis realiter: sed accidens respectu istorum subiectorum non est sic commune: ergo.

*Respondeo* negando maiorem de vniuersali vt sic, aut de vniuersali quinti prædicabilis, quamuis illa concedenda esset de quatuor primis vniuersalibus; & concessa minori nego consequentiam.

9. *Quæres secundo* an omnia accidentia quinti prædicabilis in ratione prædicabilis habeant aliquam differentiam seu diuersitatem specificã, vel quod idem est, an accidens quinti prædicabilis vt sic, sit species infima vniuersalis vt sic comprehendens sub se solummodo individua numero distincta; an vero sit species subalterna comprehendens sub se plures species conuenientes quidem in ratione quinti prædicabilis vt sic, sed differentes in particulari ratione talis prædicabilitatis. An accidens quintum prædicabile vt sic sit species infima vniuersalis.

*Respondeo*, mihi videri valde probabile quod multa accidentia quinti prædicabilis differant in ratione prædicabilitatis particularis, & quod cõsequenter accidens quinti prædicabilis vt sic, sit species subalterna & non infima vniuersalis vt sic. *Probatur* hoc, quia accidens separabile naturaliter, vt albedo respectu muri, & accidens inseparabile naturaliter, vt nigredo respectu corui, distinguuntur in prædicabilitate plus quam duo accidentia separabilia, ergo differunt specie in prædicabilitate. Probatur antecedens, quia vnum prædicatur per modum alicuius separabilis accidẽtis, & alterum per modum alicuius inseparabilis accidentis; non est autem talis diuersitas inter duo accidentia separabilia.

*Confirmatur* efficaciter, quia proprium est prædicabile distinctæ speciei ab accidente cõmuni quinti prædicabilis ex eo, quod prædicetur per modum alicuius necessario conuenientis suis inferioribus; accidens verò prædicetur per modum contingenter conuenientis; ergo illud accidens quod prædicatur per modum ita conuenientis contingenter, vt nequeat naturaliter separari; & illud quod prædicatur per modum ita contingenter conuenientis, vt

possit naturaliter separari, erunt distinctæ speciei. Probatur consequentia à pari.

*Confirmatur* vlterius, quia accidentia inseparabilia emanant aliquo modo è subiectis suis, & connaturaliter exiguntur ab ipsis, alia vero accidentia separabilia non ita emanant, nec ita connaturaliter exiguntur, ergo alio modo conueniunt subiectis, & consequenter diuerso modo sunt prædicabilia de subiectis.

*Confirmatur tertiò*, quia nihil impedit quominus accidens quinti prædicabilis vt sic, sit species subalterna, continens sub se plures species distinctas, vt patet ex dictis supra disp. 4. *num.* 111. quæ etiam vt confirmant hanc doctrinam, ita confirmantur per illam. Et hæc de Prædicabilibus sufficiant ad Dei gloriam. Amen.

# TRACTATVS DE PRÆDICAMENTIS, SEV CATEGORIIS ARISTOTELIS.

QVAMVIS aliqui de authore libri Prædicamentorum, seu Categoriarum dubitauerint, supponendum tamen cum Doctoribus communiter, eum non alium esse, quam Aristotelem, Peripateticæ Scholæ Principem, de cuius patria, ingenio, vita superfluum videbatur quidpiam hic scribere, tum quod omnibus nota sint, tum quod nihil prorsus conducant ad acquirendam Logicæ aut Philosophiæ notitiam. Agitur autem in hoc tractatu principaliter de decem classibus seu coordinationibus rerum, in quibus res omnes, creatæ saltem, continenturaliquo modo; seu de rebus omnibus, secundum quod subiicibiles & prædicabiles sunt de se inuicem vt vel ex ipso nomine seu inscriptione patet; nihil enim aliud est prædicamentum, seu categoria, quam talis coordinatio rerum inter se. Vnde cum hic Liber inscribatur *de Prædicamentis* seu *Categoriis*, quarum numerus est decem; dicendum est obiectum & materiam, circa quam versatur, esse decem classes seu coordinationes rerum secundum subiicibilitatem & prædicabilitatem: nec est necesse quod omnis tractatus doctrinalis habeat pro obiecto seu materia, circa quam versatur, aliquod obiectum per se vnum, ad quod cætera ordinentur: nam etsi hoc fortassis verum sit de qualibet scientia totali ex illis, quæ de facto tradi solent; tamen non est necesse vt quicumque tractatus particularis spectans ad talem scientiam habeat aliquod vnum per se pro obiecto adæquato.

Quid sit obiectum huius tractatus.

*Quod confirmatur* sufficienter ex eo, quod si quis vellet instituere vnum tractatum de paruis naturalibus, non esset necesse vt haberet pro obiecto aliud, quam ipsa parua naturalia, quæ vnum non sunt, sed plura, & quidem disparata.

Si quis tamen velit aliquod vnum assignare pro obiecto, dicat esse coordinationem rerum vt sic secundum subiicibilitatem & prædicabilitatem, abstractam ab iis decem coordinationibus.

Diuiditur autem hic tractatus communiter in tres partes, quarum prima est *de Anteprædicamentis*; secunda *de Prædicamentis*; tertia *de Postprædicamentis* appellatur: de quibus hoc ipso ordine disputationibus sequentibus agemus.

# DISPVTATIO X. DE ANTEPRÆDICAMENTIS.

IN hac disputatione agemus de aliquibus, de quibus egit Philosophus ante ipsam et prædimenta, quæque propterea Anteprædicamenta vocantur.

## QVÆSTIO I.

*Quid sint Æquiuoca, Vniuoca, & Denominatiua.*

1. TOta difficultas huius quæstionis consistit in explicatione earum descriptionum, quas dedit ipsemet Philosophus, & omnes Doctores communiter admittunt, circa quam explicationem nulla videtur esse posse realis controuersia, sed solummodo mere nominalis.

Aduertendum autem breuiter Æquiuoca alia esse *æquiuocantia*, alia *æquiuocata*; & similiter Vniuoca alia esse *vniuocantia*, alia *vniuocata*; & Denominatiua alia esse *denominatiua*, alia *denominata*.

*Æquiuoca æquiuocantia* sunt nomina illa, quæ de pluribus dicuntur secundum diuersam rationem, vt nomen *Gallus* dicitur de homine nato in Gallia, & de animali, quod dicitur gallus gallinaceus. *Æquiuoca æquiuocata* sunt illa plura, de quibus dicitur vnum nomen secundum diuersam rationem.

Quid æquiuocũ æquiuocãs

Quid æquiuocatum

*Vniuoca vniuocantia* sunt nomina illa, quæ dicuntur de pluribus secundum eandem rationem, vt homo dicitur de Petro & Paulo, equus de hoc & illo equo. *Vniuoca vniuocata* sunt illa plura, de quibus vniuoca vniuocantia dicuntur, vt Petrus & Paulus respectu hominis.

Quid vniuocũ vniuocans.

Quid vniuocum vniuocatum.

*Denominatiua denominantia* sunt illi termini, qui dicuntur de pluribus modo inferius explicando: *& denominatiua denominata* sunt illa plura, de quibus dicuntur illi termini.

Quid denominatiuum denominans.

Quid denominatiuum denominatum.

## CONCLVSIO I.

Descriptio æquiuocorum.

2. *Bene describuntur Æquiuoca æquiuocata esse, quorum nomen commune est, ratio vero substantiæ secundum nomen diuersa.* Ita cum *Aristotele* hic omnes Peripatetici.

*Probatur*, quia omnibus & solis æquiuocis competit, declaratque eorum, qua talia sunt, naturam absque superfluitate. Dicitur, *quorum nomen commune est*, quia hic agitur de ipsis, vt habent nomen sibi commune, in quo conueniunt cum vniuocis. Dicitur, *ratio vero substantiæ secundum nomen diuersa*, per quod distinguuntur ab vniuocis ac denominatiuis. Sensus autem est, quod ratio, significata per nomen illud commune, non sit eadem, sed diuersa ita, vt si explicetur significatio nominis, quatenus dicitur de vno ex æquiuocatis, explicatio sit diuersa ab illa quam habebit, vt dicitur de aliis æquiuocatis, verbi gratia homo natus in Gallia, & gallus gallinaceus sunt æquiuocea æquiuocata respectu nominis *Galli*; de quolibet enim ex illis dicitur, quod sit Gallus: sed si explicetur quid significat *Gallus*, vt dicitur de homine nato in Gallia, explicabitur sine dubio diuerso modo, ac explicandum est quid significat, quatenus dicitur de animali illo irrationali, quod dicitur gallus. Idem est de homine vero, & picto, quæ sunt equiuoca æquiuocata respectu vocis *homo*, & de vrina ac medicina respectu vocis *sana*.

3. Ex hac definitione æquiuocorum æquiuocatorum, facile formari potest definitio æquiuocantium, quam propterea non curauit proponere Philosophus, sunt enim æquiuoca æquiuocantia illa nomina, quæ dicuntur de pluribus habentibus diuersam substantiæ rationem, quatenus significantur per illa nomina, seu quæ dicuntur de pluribus, secundum diuersam tamen significationem, vt Gallus, ridere.

An nomen æquiuocũ sit vnum vel multiplex.

Si autem quæratur; an nomeu æquiuocum sit vnum nomen, an multiplex, dicendum quod sit absolute & simpliciter vnum nomen, quamuis habeat multas significationes: sicut enim qui habet multas scientias non dicitur multi scientes, sed vnus sciens: ita vna vox, licet habeat multas significationes, non debet dici multæ voces, nec multa significatiua, sed vna vox & vnum significatiuum.

4. *Obiicies*: æquiuoca non possunt definiri secundũ Philosophum 6. *Top. cap.* 2. & ratio est, quia definitio est ratio vna: sed æquiuoca non habent vnam rationem, sed multas ac diuersas rationes, & consequenter nequeunt definiri vnica definitione, quæ cuilibet ex ipsis conueniat: ergo æquiuoca non bene definiuntur prædicta definitione quæ etiam non possunt definiri, nequeunt definiri bene.

*Respondeo*

*Respondeo* distinguendo antecedens breuiter : secundum quod significantur per nomen ipsis æquiuoce conueniens, aut secundum rationes significatas per illud nomen, concedo antecedens; secundum quod significantur per nomen ipsis vniuoce conueniens, & secundum rationem significatam per tale nomen, nego antecedens: nec id voluit Philosophus. Itaque omnia illa, quæ dicuntur æquiuoca, conueniunt in hoc nomine *æquiuoca*, & in vna ratione significata per hoc nomen, nam prorsus ob eandem rationem dicuntur gallus gallinaceus, & homo ortus in Gallia æquiuoca æquiuocata, ob quam medicina & vrina dicuntur æquiuoca æquiuocata, & sic de cæteris æquiuocis æquiuocatis. Vnde omnia, quæ dicuntur æquiuoca æquiuocata, possunt definiri vnica definitione declarante rationem illam vnam significatam illo nomine *æquiuoca æquiuocata*; quod nomen vniuoce conuenit omnibus talibus æquiuocis non minus, quam nomen *homo* conuenit Petro & Paulo; aut saltem non minus, quam omnia individua conueniunt in ratione individui vt sic, & omnes differentiæ in ratione differentiæ vt sic.

*Rursus* omnia illa, quæ dicuntur æquiuoca æquiuocata, conueniunt in aliquo alio nomine, quod habet diuersas significationes vt dicitur de ipsis, & quod consequenter dicitur de ipsis, non vniuoce, sed æquiuoce, & est nomen æquiuocum denominatiue, non essentialiter, & secundum quod significantur hoc nomine, non possunt definiri vna definitione, quia nec habent vnicam rationem, sed plures rationes, vt patet ex dictis.

4. *Dices* : nomen æquiuocum, vt æquiuocum, debet æquiuocè conuenire illis de quibus dicitur : ergo si plura, vt significantur nomine æquiuocè conueniente, nequeant definiri, non poterunt definiri, vt significantur nomine æquiuoco, vt æquiuoco; & consequenter non satisfacit prædicta responsio obiectioni.

*Respondeo* distinguendo antecedens: nomen æquiuocũ denominatiue, vt æquiuocum, id est illud, quod propterea denominatur æquiuocum, quia habet diuersas significationes, debet conuenire æquiuocè illis, de quibus dicitur, concedo antecedens : & sic nomen *Canis*, quod denominatur æquiuocum respectu terrestris & marini animalis, quia, vt dicitur de ipsis, habet diuersas significationes, debet æquiuocè ipsis conuenire : nomen æquiuocum essentialiter, id est illud nomen, quod est impositum ad significanda alia nomina, quæ secundum diuersas rationes dicuntur de multis, debet æquiuocè conuenire illis, de quibus dicitur, nego antecedens.

Quid æquiuocum essentialiter.

5. Itaque hoc nomen æquiuocum constans his litteris *æ. q. v.* &c. & quodcumque aliud nomen, quod esset sic institutum ad significandum aliud nomen, quod secundum diuersas rationes diceretur de multis, est nomen æquiuocum essentialiter, quatenus insticutum est, & conuenit vniuoce omnibus nominibus, quæ dicuntur de pluribus secundum diuersam rationem; nomina vero illa, quæ non sunt instituta ad significanda alia nomina, quæ dicuntur de pluribus secundum diuersas rationes, dicuntur denominatiue & non essentialiter esse æquiuoca, & debent æquiuocè solum dici de pluribus, quatenus denominantur æquiuoca. Quia ergo nomen *canis* non est impositum ad significandum aliud nomen commune pluribus secundum diuersam rationem, sed est impositum ad significandas plures res secundum diuersas rationes, de quibus pluribus rebus dicitur, propterea est nomen æquiuocum denominatiue. Et quia hoc nomen *æquiuocum* est impositum ad significandum quodcumque nomen, quod dicitur de pluribus secundum diuersam rationem, & ipsummet non dicitur de pluribus secundum diuersam rationem, propterea dicitur esse essentialiter æquiuocum, & potest dici denominatiuè vniuocum, sicut homo potest dici nomen vniuocum respectu Petri & Pauli.

Quid æquiuocum denominatiue.

Iuxta hoc posset responderi ad obiectionẽ principalem aliter, etiam distinguendo antecedens : æquiuoca, vt significantur nomine essentialiter æquiuoco, nego antecedens : vt significantur nomine, quod est tantum denominatiuè æquiuocum, concedo antecedens: & ratio responsionis patet ex iam dictis, quia vt significantur nomine æquiuoco essentialiter, habent eandem rationem saltem proportionaliter, & propterea, vt sic, possunt definiri, aut saltem describi, sicut omnia individua possunt describi; vt significantur autem per nomen denominatiuè æquiuocum, habent diuersas rationes, & propterea nequeunt vnica definitione definiri.

## CONCLVSIO II.

Vniuocorum descriptio.

6. *Bene definiuntur vniuoca vniuocata esse illa, quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ secundum nomen eadem.* Hæc est etiam communis cum Philosopho hic. *Probatur*, quia omnibus & solis vniuocis conuenit illa ratio, declaratque eorum naturam. Dicitur autem *quorum nomen commune est*, quia in hoc conueniunt cum æquiuocis; dicitur *ratio vero substantiæ eadem secundum nomen*, vt distinguantur ab æquiuocis, in quibus ratio substantiæ nomini accommoda, seu significata per nomen; est diuersa seu multiplex, non vna.

Ex hac definitione non erit difficile formare definitionem vniuocorum vniuocantium : sunt enim illa nomina, quæ conueniunt pluribus secundum eandem rationem, vt nomen *homo* conuenit Petro & Paulo. Vel si placet rebus ipsis & non vocibus accommodare hanc definitionem, dicatur quod vniuoca vniuocantia sint illi conceptus obiectiui vni, qui conueniunt pluribus, vt conceptus obiectiuus hominis, qui est vnus, conuenit Petro & Paulo.

*Aduerte autem* non sufficere ad vniuocationem aliquorum in nomine, quod habeant vnum conceptum obiectiuum sibi communem, sed requiri vlterius quod ille conceptus significetur nomine, quod dicitur vniuocum, aut respectu cuius dicuntur illa plura esse vniuoca. Hinc canis terrestris & marinus non sunt vniuoca in nomine canis, licet conueniant vniuoce in ratione animalis, quia illa ratio non significatur nomine canis.

7. *Obiicies primò* : nomen album est vniuocum huic & illi albo, & tamen non conuenit ipsi definitio prædicta vniuocorum : ergo non est bona. Probatur minor, quia hoc & illud album non conueniunt in illo nomine secundum eandem rationem substantiæ, significatam illo nomine : quia album non significat rationem substantialem, sed accidentalem.

*Respondeo*, negando minorem, ad cuius probationem dico rationem substantiæ positam in definitione, non significare rationem substantiæ de prædicamento substantiæ, sed rationem essentialem : album autem, vt sic, significat rationem essentialem huic & illi albo, quatenus albæ sunt. Imo satis probabile puto, quod ratio substantiæ in illa definitione capiatur pro ratione descriptiua ipsius nominis vniuoci vniuocantis, ita scilicet, vt illa sint vniuoca vniuocata, quæ conueniunt in eodem nomine secundum eandem explicationem & definitionem; siue ratio illa, quæ significatur per nomen, sit essentialis rebus, de quibus dicitur, siue accidentalis; vnde album vt sic, non solum quatenus dicitur de hoc & illo albo formaliter & reduplicatiue sumptis, de quorum est essentia, sed quatenus dicitur etiam de hoc & illo albo, specificatiue sumptis, hoc est, de hoc & illo pariete, quibus non est essentiale sed accidentale, est vniuocum.

Vniuocum non debet esse de essentia vniuocatorũ.

8. *Probatur hoc primò*, quia nihil impedit quo minus ita capiatur ratio substantiæ. *Secundò*, quia communiter dicitur albũ esse vniuocũ subiectis, de quibus dicitur. *Tertiò*, quia omne vnum nomen, quod dicitur de multis, vel est vniuocum, vel æquiuocum, vel analogum : sed nomen album, vt dicitur de hoc & illo pariete, non est æquiuocum nec analogum : ergo est vniuocum ipsis. *Quartò*, quia eodem modo intelligenda est ratio substantiæ in definitione æquiuocorũ, ac vniuocorum : sed in definitione æquiuocorum non intelligitur per illam ratio substantiæ de prædicamento substantiæ, nec ratio, quæ sit essentialis æquiuocatis, de quibus dicitur nomẽ æquiuocum, sed ratio essentialis & formalis ipsius nominis, hoc est ratio illa, quæ significatur formaliter per nomen, quatenus nomen dicitur de pluribus : ergo similiter intelligenda est ratio substantiæ posita in definitione æquiuocorum. Probatur minor, quia alias studiosus, vt dicitur de homine ma-

gni studij, & vt dicitur de homine virtute prædito, non esset nomen æquiuocum, quia licet diceretur de ipsis secundum diuersam rationem, tamen non dicitur de ipsis secundam diuersam rationem, quæ sit substantialis, hoc est de prædicamento substantiæ, nec quæ sit essentialis illis hominibus, vt patet: sed hoc est absurdum secundum omnes: ergo non debet intelligi ratio substantiæ posita in definitione æquiuocorum de ratione substantiali, hoc est, quæ sit de prædicamento substantiæ, nec de ratione, quæ sit essentialis rebus æquiuocatis.

9. *Dices*: si non intelligeretur per rationem substantiæ positam in definitione vniuocorum ratio essentialis, vniuoca non distinguerentur à denominatiuis; sed hoc est absurdum, quandoquidem agat Philosophus de denominatiuo, tanquam de aliquo distincto ab vniuocis & æquiuocis.

*Respondeo* negando maiorem: nam distinguuntur per hoc, quod vniuocum vniuocans, quà tale, sit quid prædicabile de multis, denominatiuum autem, quà tale, non sit sic prædicabile; nam si fuisset vnus fortis possibilis tantum, ly *fortis* esset denominatiuum denominans ipsum, non autem esset vniuocum vniuocans, vt patet.

10. *Obiicies secundò*, Deus prædicatur de tribus personis diuinis secundum eandem rationem substantiæ per nomen significatam: sed tamen non est terminus vniuocus, aut nomen vniuocum respectu ipsarum, nec illæ sunt vniuoca vniuocata respectu istius nominis: ergo mala est prædicta definitio vniuocorum, quandoquidem competat aliquibus, quæ non sunt vniuoca.

*Respondeo*, distinguendo minorem: si requiratur ad nomen æquiuocum, quod res significata multiplicetur in vniuocis vniuocatis; aut si requiratur ad vniuocata, quod res significata per nomen multiplicetur in ipsis, cõcedo minorem, & nego consequẽtiam cum sua probatione: quia, supposito quod id requiratur, intelligendum est, quod ratio vna significata per nomen vniuocum, & posita in definitione vniuocorum, debet esse ratio vna vniuersalis & abstracta à pluribus: talis autem ratio vna non significatur nomine Dei, & sic non erit nomen vniuocum, nec conueniet ipsi prædicta definitio: si non requiratur ad nomen vniuocum ratio vna abstracta à pluribus, in quibus multiplicatur, nego minorem.

11. *Si autem quæratur*, an vere requiratur à parte rei ad nomen vniuocum, quod significet rationem vnam abstractam à multis, in quibus multiplicatur, an vero sufficiat quod sit ratio vna siue abstracta & multiplicata, siue non.

*Respondeo*, quæstionem esse de nomine, & dependere solummodo ab institutione & significatione huius nominis vniuoci. Verisimilius autem videtur, quod sufficiat rationem illam significatam nomine vniuoco esse vnam in multis, siue cum multiplicatione, siue sine multiplicatione. Ratio est *Primò*, quia in definitione vniuocorum non ponitur aliqua particula significans multiplicationem, aut non multiplicationem rationis significatæ per nomen: ergo gratis restringeretur illa vna ratio ad rationem multiplicatam, aut non multiplicatam; sed potius debet dici quod abstrahat à multiplicatione & non multiplicatione, & quod perinde sit, an multiplicetur, necne, ad hoc vt habeat vnitatem illam requisitam ad vniuocationem. *Secundò*, quia omne nomen dictum de pluribus, vel debet dici vniuoce, vel æquiuoce, vel analogice: sed nomen Deus & quodcumque aliud nomen dictum de pluribus, & significans vnam numero rationem in illis repertam, non dicitur de illis pluribus æquiuoce nec analogice; ergo vniuoce; & consequenter sufficit vna numero ratio in multis reperta, vt dicatur nomen ipsam significans vniuocum vniuocans, & vt dicantur illa plura vniuoca vniuocata.

*Confirmatur*, quia rationes diuersæ, significatæ per nomen æquiuocum, non debent esse rationes vniuersales, & propterea nomen *Petrus* est nomen æquiuocum respectu huius Petri & illius Petri, cum tamen non significet rationem vllam vniuersalem: ergo ratio vna, significata per nomen vniuocum, non debet esse ratio vna vniuersalis, sed sufficit quod sit vna, quomodocumque sit vna.

12. *Obiicies tertiò*. Nomen *ens* non est vniuocum substantiæ & accidenti, nec Deo & creaturæ, & tamen conuenit ipsis secundum eandem rationem, quæ etiam multiplicatur in substantia & accidente, Deo & creatura: ergo non est bona prædicta definitio vniuocorum. Probatur maior, quia nomen *ens*, non significat rationem perfecte abstractam à Deo & creaturis, substantia & accidentibus: sed nomen vniuocum debet significare rationem perfecte abstractam; præterea nomen vniuocum debet significare rationem communem vniuocatis ita, vt ratio significata per ipsum non sit in vno ex vniuocatis cum dependentia ab altero ex illis: sed ratio entis est in creatura cum dependentia à Deo: ergo non potest esse vniuoca Deo & creaturis.

*Respondeo* negando maiorem: ad cuius probationem dico, quod sufficiat ad vniuocationem, rationem vnam communem pluribus esse vnam determinate, siue perfecte abstrahatur, siue non, & siue sit in vno ex vniuocatis cum dependentia ab alio vniuocato, siue non; neque enim in definitione vniuocorum ponitur vlla particula, ex qua colligatur quod ratio illa vna debeat esse perfecte abstracta, aut quod debeat esse in vniuocatis omnibus sine dependentia vnius ab altero, & propterea gratis dicitur quod debeat sic intelligi. Deinde omnes fatentur communiùs quod nomen *ens* non sit æquiuocum Deo & creaturis, substantiæ & accidentibus; sed si non esset vniuocum illis, esset æquiuocum illis, quia inter nomen prædicabile de multis vniuoce, & æquiuoce non datur medium, vt dicemus quæstione sequenti. Hoc autem totum melius intelligetur ex dicendis in Metaphysica de vniuocatione entis vt sic ad Deum & creaturam, substantiam & accidens.

13. *Obiicies vltimo*: Indiuiduum vt sic, primo intentionaliter sumptum dicitur secundum eandem rationem de quolibet indiuiduo: sed non est vniuocum respectu eorum, quia ab indiuiduis non potest abstrahi aliqua ratio communis, neque enim est vlla ratio communis ipsis qua talia sunt, maxime secundum Doctorem & nos, vt patet ex dictis *disput. de indiuiduo num.* 10. ergo mala est prædicta definitio.

*Respondeo* hic etiam esse quæstionem de nomine: nam si ad nomen vniuocum requiratur quod significet conceptum determinatum vnum abstractum à pluribus, in quibus multiplicetur, indiuiduum non erit nomen vniuocum, sed æquiuocum analogum propter dicta in alia illa disputatione: si verò sufficiat conceptus aliquis indeterminatus & vagus, qui potest dici de pluribus habentibus aliquam proportionem inter se, ratione cuius talis conceptus indeterminatus & vagus possit dici de quolibet ex illis, tum indiuiduum, vt sic, erit vniuocum omnibus indiuiduis. De quo tamen hic nihil determino, sed remitto resolutionem ad disputationem præmissam.

## CONCLVSIO III.

14. *Bene definiuntur denominatiua esse illa, quæ ab aliquo solo differentia casu, nominis sumunt appellationem.* Descriptio denominatiuorum. Hæc est communis cum Philosopho hic. Hanc definitionem explicant communiter sic, vt sensus sit quod denominatiuum sit terminus concretus deriuatus à termino abstracto non solum quoad sensum, sed quoad vocem, & distinctus ab illo finali cadentia vocis; vt *fortis* deriuatur à fortitudine, & distinguitur ab ipsa in recto seu nominatiuo casu litrera aut syllaba finali, quia ly *fortis* definit in *s*, & fortitudo in *o*. Explicatio aliquorum

*Sed contra* hanc explicationem facit, quod ly *musica* adiectiue sumptum sit terminus denominatiuus: sed quamuis deriuetur non solum sensu, sed vocè à termino abstracto *musica* substantiue sumpto, tamen non differt ab illo finali cadentia aut vllo modo quoad vocem in vllo casu: ergo non est bona prædicta explicatio, quandoquidem ea supposita non comprehenderentur omnia denominatiua in prædicta definitione.

*Confirmatur*, quia studiosus, vt significat idem quod virtuosus

virtuosus seu præditus virtute, est terminus denominatiuus, sed non deriuatur quoad vocem ab vllo termino abstracto conueniente cum ipso in significatione, quia terminus abstractus, qui conuenit cum illo in significatione, est virtus; studiosus autem non deriuatur vocaliter à virtute, vt patet: studium autem quod posset esse abstractum eius, quatenus significat hominem datum studiis, & à quo posset deriuari vocaliter, non est abstractum eius, vt significat præditum virtute, vt patet.

15. *Respondent Complutenses* ad replicam, quod per accidens sit quod musica adiectiue sumpta non differat finali desinentia à musica substantiue sumpta. Et ad confirmationem dicunt, quod studiosus non sit denominatiuus terminus in rigore, vt hic definitur terminus denominatiuus, quia solum est denominatiuus re, & non voce, denominatiua autem rigorosa debent esse denominatiua voce, & re.

*Contra primam* ex his responsionibus facit, quod tam per se musica adiectiue sumpta non differt à musica substantiue sumpta, quàm per se fortis differt à fortitudine; & tam per accidens est, quod fortis differat à fortitudine, quàm quod musica adiectiue sumpta non differat à musica substantiue sumpta, vtrumque enim oritur ex hominum libera institutione.

*Deinde*, si contra aliquam definitionem inueniretur aliqua vna instantia, in qua aut non conueniret alicui vni contento sub definito, aut conueniret alicui non contento sub definito, sine dubio definitio non valeret: v. g. si inueniretur vnus homo, qui non esset animal rationale, aut aliquid aliud quod non esset homo, sed esset animal rationale, certe animal rationale non esset bona definitio hominis; nec posset saluari eius bonitas dicendo, quod per accidens tantum accideret, vt reperiretur aliquid non homo, cui conueniret, aut aliqus homo, cui non conueniret; ergo si reperiatur aliquid denominatiuum, cui non conuenit prædicta definitio, etiamsi per accidens reperiretur, definitio non erit bona, nec saluari potest recurrendo ad per accidens.

16. *Præterea*, quemadmodum illi authores dicunt quod studiosus non sit denominatiuum rigorose sumptum, vt hic definitur, quia non deriuatur ab abstracto suo, ita melius dicerent, quod ly *musica* adiectiue sumptum non sit denominatiuum rigorose sumptum ex eo, quod non differat casu ab abstracto, si illa differentia sit necessaria ad denominatiuum rigorose sumptum, prout est secundum ipsos.

*Contra secundam responsionem* ad confirmationem facit primò, quod Philosophus diminute procederet si non definiret omne denominatiuum, præsertim cum ad doctrinam Logicæ, & alias scientias acquirendas tam deseruiat denominatiuum, quod est tale sola re, quàm illud quod est tale re & nomine. Secundò quod gratis dicatur requiri ad denominatiuum rigorosum ista vocalis deriuatio. Tertio quod definitio prædicta sic explicari possit, vt comprehendat denominatiua non solum re & voce, vt fortis respectu fortitudinis, sed sola re, & non voce, vt studiosus respectu virtutis. Sed sine dubio si sic explicari possit, melius sic explicatur, quam ita, vt sola comprehendat denominatiua re & voce, & denominatiua illa, quæ differunt finali cadentia nominis seu vocis.

17. *Alij sic explicant* denominatiua, vt velint quod sint illa, quæ prædicantur de multis secundum eandem rationem, quæ ratio est accidentalis illis multis; ad differentiam scilicet vniuocorum, quæ prædicantur de multis secundum eandem rationem ipsis essentialem. Sed hæc explicatio vix quadrari potest, aut accommodari ad prædictam descriptionem Philosophi, in qua nec vna particula ponitur, in qua significetur, quod denominatiua debeant, quà talia, prædicari de multis. Deinde in hac explicatione non ponitur aliquid correspondens illis particulis, quæ ab aliquo solo differentia casu secundum nomen sumunt appellationem.

18. *Itaque dicendum est*, sensum prædictæ definitionis esse, quod denominatiua sint illa concreta, quæ dicuntur de aliquo ex eo, quod afficiatur intrinsece, vel extrinsece aliqua forma accidentali, propter quam formam sic afficientem res denominatiuas, terminus denominatiuus dicitur de illis. Dicitur ergo quod terminus denominatiuus sumit appellationem nominis ab aliquo, nimirum à nomine abstracto, seu à forma significata per illud nomen abstractum, quia non diceretur de re denominata, nisi illa forma afficeret illam rem; vt fortis non diceretur de leone, nisi inesset ipsi fortitudo, nec visus diceretur de pariete, nisi visio esset ad ipsum terminata; nec studiosus pro virtuoso de homine, nisi inesset ipsi virtus. Dicitur etiam quod solo casu differat ab ipso, quia terminus concretus significat eandem formam, quam significat terminus abstractus, sed cum hac differentia, quod terminus concretus, seu denominatiuus significet ipsam, vt adiacentem, seu denominantem, terminus verò abstractus significet ipsam secundum se; quæ differentia est casualis seu accidentalis.

*Adde* pro maiori huius rei declaratione & authorum veterum intellectione, denominatiuum denominans vocari terminum illum concretum, qui dicitur de aliquo, vt iustus; & terminum denominantem esse formam abstractam seu vocem, quæ eam significat, vt iustitia; denominatiuum denominatum esse rem illam, de qua dicitur terminus denominatiuus denominans, seu quam afficit & denominat, vt homo: quæ tamen appellationes sunt satis barbaræ, præstaretque sine dubio dicere quod subiectum formæ esset denominatum ab ipsa, & ipsa forma esset denominans tale subiectum, & vox concreta esset denominatiuum: sed hoc est parui momenti.

## QVÆSTIO II.

### *Vtrum dentur aliqua analoga media inter æquiuoca & vniuoca.*

19. PEr *analoga* hic intelliguntur termini aliqui, qui dicuntur de pluribus, & nec sunt æquiuoca, nec vniuoca respectu eorum; & quæritur, an dentur tales termini. Pro qua re melius intelligenda aduertendum, nõ posse esse in controuersia, quin dentur aliqui termini, qui dicuntur de multis, & non vniuoce, sicut homo dicitur de Petro & Paulo; nec æquiuoce, sicut Gallus dicitur de gallinaceo & homine nato in Gallia: nam certum est, quod sanum dicatur alio modo de vrina & medicina, quàm homo de Petro & Paulo, aut Gallus de gallinaceo & homine nato in Gallia; nam homo ita dicitur de Petro & Paulo, vt si quæratur quid significet quando dicitur de vtroque, eadem explicatione satisfiat: quod non est verum de sano, vt dicitur de vrina & medicina, sed diuersa omnino explicatio adhibenda est. Quid sint analoga.

*Rursus*, Gallus dicitur de gallinaceo, & homine nato in Gallia secundum tam diuersam rationem, vt significatio ipsius, quatenus dicitur de vno ex illis, non inuoluat aliquem ordinem, aut subordinationis, aut dependentiæ, aut proportionis, aut attributionis ad significatum ipsius, vt dicitur de altero. Sanum autem dicitur de vrina, quatenus vrina est signum naturale sanitatis aut præsentis, aut absentis: dicitur vero de homine, quatenus significat debitam dispositionem humorum & partium ipsius: vnde significatum ipsius, quatenus dicitur de vno, dicit aliquẽ ordinem ad significatum illius, quatenus dicitur de altero, & propterea data opera illud nomen, quod dictum est de homine habente debitam illam dispositionem, dicitur de vrina, quia significat illam debitam dispositionem inesse, vel abesse homini. Quod si vocaretur huiusmodi terminus analogus, vt secundum omnes vocari debet, non potest dubitari quin detur, & si eatenus vocaretur medium inter vniuoca, & æquiuoca illa, quæ dicuntur de pluribus, vt Gallus dicitur de gallinaceo & homine nato in Gallia (quæ vocantur æquiuoca à casu) quatenus illa analoga non habent rationem vnius vel alterius, sed rationem distinctæ rationis ab illis, non posset controuerti, quin darentur analoga media inter æquiuoca sic accepta, & vniuoca. Quo sensu possunt admitti analoga media inter æquiuoca & vniuoca.

Vnde controuersia sola potest esse, an detur aliqui termini, qui dicuntur de pluribus, præsertim cum multiplicatione, qui nec habeant rationem vniuocorum, nec æquiuocorum, prout vniuoca & æquiuoca describuntur

supra

ſupra à Philoſopho. In qua controuerſia quamuis pars affirmatiua attribui ſoleat Thomiſtis, ac recentioribus,& negatiua Scotiſtis, reuera tamen exiſtimo meliores Thomiſtas non diſcordare à Scotiſtis : nam *Complutenſes* hic tenent analoga omnia comprehendi ſub æquiuocis deſcriptis à Philoſopho, & conſequenter tenere debent, quod conueniat ipſis definitio illa æquiuocorum, quam doctrinam fatentur eſſe expreſſe *D. Thomæ opuſc.* 48. *tract.* 2. *c.* 1. *Caietani* 1. *par. qu.* 13. & Doctorum communiter; eamque præterea tenet *Auerſa q.* 25. *logicæ*, & eſt ſine dubio omnium illorum authorum,qui diſtinguunt æquiuoca vt ſic in æquiuoca à caſu,& æquiuoca à conſilio : nam per æquiuoca à conſilio intelligunt illa, quæ hic dicuntur analoga, & per æquiuoca à caſu intelligunt illa quæ dicuntur de multis abſque vllo ordine vnius ad alterum: vnde cum illa æquiuoca à conſilio dicant eſſe ſpecies æquiuocorum vt ſic,tenere debent quod non ſint media inter æquiuoca vt ſic,& vniuoca vt ſic,id eſt non participantia rationem horum aut illorum, vt patet. Sed nec vlli Scotiſtæ negant, quin dentur illa æquiuoca à conſilio ſeu analoga, quæ neque ſint vniuoca neque æquiuoca à caſu. Sed vt veritas magis appareat, ſtatuendas duxi ſequentes concluſiones.

## CONCLVSIO I.

Non datur analogum, quod non ſit vel æquiuocum, vel vniuocum.

21. *Non datur aliquis terminus analogus prædicabilis cum multiplicatione, qui ſit medius inter vniuocum vt ſic, & æquiuocum vt ſic, ſeu qui non participet definitionem alterutrius ex ipſis ſupra traditam à Philoſopho.* Hæc eſt ſine dubio omnium Scotiſtarum, & etiam vt puto, Thomiſtarum ac recentiorum communiter.

*Probatur primò*, quia Ariſtoteles non fecit mentionem de huiuſmodi analogis mediis : ergo non dantur.

*Dices* non valere conſequentiam ab authoritate negatiua. *Contra*, licet ſimpliciter non valeat,tamen cum Ariſtoteles ex profeſſo egerit de vniuocis, & æquiuocis, vt poſſimus cognoſcere,quænam deberent in Prædicamentis collocari, & quænam excludi, omnino diminute procederet,niſi etiam ageret de huiuſmodi analogis,ſi darentur, quia poſſet quis dubitare, vtrum in prædicamentis collocanda eſſent, vel non.

*Dices*, ex notitia Vniuocorum & Æquiuocorum facile deueniri poſſe in cognitionem Analogorum,& propterea non eſſe neceſſarium vt ſpecialiter de Analogis fieret mentio.

*Contra*, quia multo facilius ex cognitione vniuocorum deueniri poſſet in cognitionem æquiuocorum, & è contra : ergo potius deberet agere de analogis, quam de vniuocis aut æquiuocis.

*Confirmatur* efficaciter, quia Philoſophus exemplificans æquiuocum à ſe definitum, dicit hominem eſſe æquiuocum ad verum & pictum : ſed nihil magis eſt analogum ſecundum aduerſarios, quam homo reſpectu veri & picti : ergo cum hoc analogum ſit æquiuocum, non datur aliquod analogum medium, quod non ſit æquiuocum,prout æquiuocum diffinitum eſt à Philoſopho:aliàs male vteretur illo exemplo.

22. *Probatur ratione*,quia quæ conueniunt in aliquo nomine, aut habent eandem rationem ſecundum nomen ſignificatam, aut non habent:ſi habent, ſunt vniuoca, vt patet ex definitione vniuocorum ; ſi non habent, ſunt æquiuoca : ergo non dantur analoga media,quæ non participent definitionem vniuocorum & æquiuocorum.

*Dices*, quod neque habent illam rationem totaliter, neque etiam non habent,ſed habent illam partim,& partim non habent, & hinc definiuntur analoga ab aduerſariis eſſe, quorum nomen commune eſt, ratio verò ſecundum nomen partim eadem,partim diuerſa.

*Contra* : quia licet aliquid de ſignificatione nominis, quatenus dicitur de vno ex analogatis,reperiatur in altero, ſi tamen aliquid ipſius non reperiatur in ipſo,ſimpliciter poteſt dici quod illa analogata non participent eandem rationem ſignificatam per nomen, ſed diuerſas: ergo ſimpliciter loquendo debet vocari æquiuocum, & conſequenter reſponſio nihil valet. Probatur antecedens, quia licet aliquid quod eſt de eſſentia hominis ſit in bruto, quia tamẽ tota eius eſſentia nõ eſt in ipſo,propterea ſimpliciter poteſt dici, quod habeant diuerſas eſſentias: ergo ſi analogata non conueniant totaliter in ratione ſignificata per nomen, poſſunt dici ſimpliciter non conuenire in eadem ratione, ſed habere rationes diuerſas.

*Confirmatur*, quia inter vnum, & multa non datur medium ſecundum Philoſophum, & ratio eſt,quia ſunt contradictoria, nam vel multitudo nihil aliud dicit formaliter præter negationem vnius, vel vnum nihil aliud dicit præter negationem multitudinis : ergo analogata habent,aut vnam rationem ſecundum nomen,aut multas rationes : ſi vnam, ſunt vniuoca;ſi multas,ſunt æquiuoca, & conſequenter non dabuntur aliqua analoga media.

*Dices* quod habeant diuerſas rationes à parte rei,ſed tamen quia illæ diuerſæ rationes dicunt aliquem ordinem inter ſe, poſſunt dici non eſſe omnino diuerſa.

*Contra*, quia vna res, vt dicens ordinem ad aliam rem, eſt omnino diuerſa ab illa alia re : ergo vox ſignificans ipſam, vt dicens talem ordinem,& ſignificans rem illam, ad quam dicit ordinem, eſt æquiuoca reſpectu vtriuſque.

## CONCLVSIO II.

Dantur analoga diſtincta ab vniuocis, & æquiuocis à caſu.

23. *Dantur aliqui termini communes, qui dicuntur de pluribus, & nec ſunt vniuoca, nec æquiuoca à caſu, & conſequenter ſunt media inter vniuoca omnia, & talia æquiuoca.* Hæc eſt certa, & eam ſolam videntur velle Thomiſtæ, qui citantur pro oppoſito concluſionis præmiſſæ,nec ab vllo Scotiſta negatur. *Probatur*, quia vox ſanum, vt dicitur de homine, & vrina, eſt vox communis ipſis, & non eſt ipſis vniuoca, quandoquidem longe diuerſum ſit ſignificatum ipſius, vt dicitur de vno, & de altero ; nec eſt ipſis æquiuoca à caſu, nam data opera illud ipſum nomen, quod dicebatur de homine habente debitam complexionem, & proportionem humorum ac accidentium, imponebatur ad ſignificandam vrinam, quæ ſignificabat talem complexionem adeſſe : ergo dantur termini communes pluribus, medij inter vniuoca & æquiuoca à caſu, & conſequenter dantur termini analogi ſic medij,quia per terminos analogos,nihil aliud intelligunt authores,quam huiuſmodi terminos communes:dicuntur autem medij inter terminos vniuocos & æquiuocos à caſu, quia nec vnius, nec alterius rationem habent,& etiã, quia habent aliquam proportionem cum vtriſque ; cum æquiuocis quidem, quia dicuntur de pluribus ſecundũ diuerſam rationem ; cum vniuocis verò, quia ſicut data opera terminus vniuocus erat impoſitus ad ſignificanda illa multa, de quibus dicitur, propter ſimilitudinem eorum inter ſe : ita etiam data opera terminus analogus eſt impoſitus ad ſignificanda multa propter proporionem aut attributionem, quam dicunt ad inuicem. Hæc ſufficiunt ad ſolutionem quæſtionis : ſed quia frequens eſt vſus æquiuocorum à conſilio ſeu analogorum, aliqua de ipſis particularius examinanda ſunt ; ſed breuiter tamen, neque enim res tanti momenti eſt, quanti eam faciunt Complutenſes.

Tria analogorum genera.

24. Itaque huiuſmodi analoga ſunt in triplici differentia;quædam enim ſunt inæqualitatis,quædam attributionis, quædam proportionis, ſeu proportionalitatis. *Analoga inæqualitatis* ſecundum Caietanum ſunt illa, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ nomini accommodata eadem, ita tamen vt illa ratio inæqualiter participetur ab analogatis quoad perfectionem, hoc eſt contrahatur per differentias, aut modos inæqualis perfectionis ad analogata. Sic homo & brutum ſunt analoga reſpectu animalis,quia conueniunt in homine, & ratione ſignificata per nomen animalis, quæ tamen ratio per differentias inæqualis perfectionis contrahitur ad ipſa : ſed certe analoga ſic explicata ſunt perfectiſſime vniuoca.

Analogum inæqualitatis vt explicatur à Caietano eſt vniuocum.

Alij explicant illam inæqualem participationẽ rationis analogiæ per hoc, quod vni ex analogatis conueniat cum dependentia eſſentiali ad alterũ ita, vt non poſſit cum illa ratione exiſtere à parte rei, ſine eſſentiali dependentia ab altero analogato. Et ſi explicetur ſic,ens erit analogum reſpectu Dei & creaturæ, quia creatura non poteſt exiſtere à

Item, vt explicatur ab aliis.

p arte

parte rei sine dependentia à Domino Deo,& similiter ens finitum,vt sic,erit analogum respectu substantiæ & accidentium,animal verò non erit analogum respectu hominis & bruti,quia alteruter potest existere à parte sine dependentia ab altero.Similiter homo,vt sic,respectu duorum hominum, quorum vnus sit pater & alter filius non erit etiam analogum, quia licet filius dependeat à patre, non tamen essentialiter,ita scilicet, vt non possit existere sine dependentia à patre.

Sed neque hic modus sufficit ad distinguendum analoga inæqualitatis ab vniuocis, quia tota definitio vniuocorum conuenit analogis inæqualitatis hoc modo explicatis; vnde si per analoga intelligamus ea, quæ comprehenduntur à Philosopho sub æquiuocis,& ab aliis dicuntur æquiuoca à consilio,huiusmodi non erunt analoga. Quare existimo hanc acceptionem analogorum esse impropriissimam. Adde præterea, quod communiter vocantur analoga attributionis, quæ huiusmodi dependentiam essentialem habent ad inuicem.

25. *Analoga attributionis* sunt illa,quæ dicuntur de pluribus propter ordinem vnius ad alterum,v. g. quando est aliquod nomen quod primo & per se est impositum ad significandam aliquã formam,extenditur autem postea ad significanda aliqua alia, nõ quod habeant in se illam formam, sed quod habeant aliquem ordinem ad illam, tale nomen est analogum attributionis: sic sanum est analogũ, quatenus dicitur de homine sano, & de vrina & medicina sana, quia principaliter & primo erat impositum ad significandam debitam complexionis proportionem, quę est in homine sano,postea autem extensum est ad significandam medicinam & vrinam sanam,non quod habeant in se illam sanitatem, sed quod dicant ordinem ad illam,medicina quidem quatenus est causatiua,vrina verò quatenus est significatiua illius:similiter vox *homo* vt sic est analogum respectu hominis picti & veri, quia primo erat imposita ad significandum hominem verum; postea verò propter ordinem hominis picti ad verum, ex eo scilicet, quod sit imago ipsius, nomen illud erat impositum ad significandum hominem etiam pictum.

Analogum attributionis habet duas impositiones nominis.

Porro in huiusmodi analogis duo sunt considerandæ: primo duplex impositio nominis analogi,vna,qua instituebatur ad significandam formam illam principaliter significatam; altera,qua extendebatur ad significanda illa alia,quæ dicunt ordinem ad illam,quod non accidit in nomine vniuoco,quod vna impositione instituitur ad significandum omnia illa,quibus est vniuocum. Secundò, ex analogis analogatis vnum vocari magis principale, illud scilicet quod habet formam principaliter intentam, reliqua minus principalia, quæ scilicet habent ordinem ad illam formam.

Principalius significat vnum ex significatis quam reliqua.

*Controuertitur autem*,an nomen analogum,quatenus dicitur de analogatis minus principalibus,formaliter significet formam principaliter significatam, an vero habitudinem istius analogati ad talem formam,verbi gratia, an sanum vt dicitur de cibo, significet formaliter ipsam sanitatem animalis, an verò respectum seu habitudinem, quam dicit cibus ad sanitatem,quatenus scilicet est conseruatiua ipsius.Qua in re ego existimo omnino significari formaliter & directe ipsas habitudines, licet indirecte etiam importetur ipsa forma principalis;si enim quis velit explicare, quid sit cibus sanus,dicet esse illum, qui aptus est ad conseruandum sanitatem,in qua explicatione ponitur multo directius aptitudo cibi ad conseruandam sanitatem, & in obliquo tantũ ponitur ipsa sanitas.

Vt dicitur de analogatis minus principalibus significat habitudinẽ eorum ad formam principalem.

27. *Dices*: illud, quod ponitur recto in explicatione alicuius nominis,non est id quod formaliter significatur per nomen, alias albedo non significaretur formaliter per nomen album: ergo ratio illa est nulla.

*Respondeo* distinguendo antecedens:secludendo materiale significatum nominis concreti, nego;non secludendo,concedo antecedens,& nego consequentiam,quia illa ratio supponit secluſum esse significatum materiale. Itaque omne nomen concretum significat materialiter illud, quod in sui explicatione ponitur in recto, reliqua autem formaliter; quod si reliqua sint plura, principaliter significabit illud,quod ponitur in accusatiuo casu immediate post verbum, aut quod æquiualet ipsi, quia illud magis directe in explicatione ipsius ponitur ex omnibus illis,quæ præter materiale dicit:vnde cum in explicatione cibi sani ponitur aptitudo ad conseruandam sanitatem in accusatiuo casu,(explicatur enim,illud quod habet aptitudinem ad conseruandam sanitatem)illa aptitudo principaliter significabitur per sanum,vt dicitur de cibo.

*Obiicies*: quotiescumque sunt plura conuenientia in nomine, potius est dicendum quod illud nomen significet illud,in quo conueniunt,quã in quo nõ conueniunt.

*Respondeo*, hoc esse verum si nomen sit vniuocum,secus si sit analogum.

Quid analogũ proportionis.

28. *Analoga denique proportionis seu proportionalitatis* sunt illa,quorum nomen commune est,ratio vero significata diuersa,ita tamen, vt habeant inter se in illa ratione diuersa quandã proportionem seu similitudinem, vt v. g. nomen leo significat leonem verum,& Christũ, propter proportionem,quam habuit Christus cum leone in fortitudine aut principatu,quia quemadmodum leo est fortissimus & princeps animalium,ita Christus est Princeps & fortissimus omnium creaturarum. Similiter ridere dicitur de prato & homine; Intellectus & voluntas diuina vocantur manus Dei, quia quemadmodum homo operatur manibus,ita Deus intellectu & voluntate.

*Dices*: illa, quæ habent nomen vniuocum commune, non alia ratione id habent, quam quod habeant inter se similitudinem: ergo si illa quæ sunt analogata analogia proportionis debent habere similitudinem, erunt proprie loquendo vniuoca, & sic non erunt æquiuoca, neque à casu, neque à consilio.

Differentia inter analoga proportionis & vniuoca.

29. Pro solutione huius aduertendum est nomen vniuocum semper significare istam rationem, in qua vniuocata sunt similia,v. g. nomen homo significat humanitatem,in qua Petrus & Paulus sunt similes, albedo significat albedinẽ in qua duo parietes sunt similes &c. nomen verò analogum analogia proportionis non significat illam rationem, in qua analogata habent similitudinem, sed significat ipsa analogata,quæ habent illam rationem, leo enim non significat fortitudinem animalis rugibilis, aut Christi,sed significat ipsum animal rugibile & Christum,qui habent similitudinem in fortitudine.

*Respondeo* ergo ad obiectionem distinguendo antecedens:ita vt ratio,in qua habent similitudinem significetur per nomen vniuocum,concedo; alio modo, nego antecedens,& similiter distinguo consequens.

*Est etiam alia differentia* inter vniuoca & analoga proportionis quod nomen vniuocum vna impositione sit impositum ad significanda omnia vniuocata; analogum autem nomen pluribus impositionibus indigeat. Alij etiam volunt quod nomen analogum proprie significet vnum ex analogatis,& improprie per metaphoram aut aliam figurã reliqua:sed quamuis id sæpe cõtingat, non existimo esse necessarium. Aduertendum autem quod idem nomen possit esse analogum respectu plurium vtraque analogia & proportionis & attributionis, sanum enim est analogum respectu hominis sani & pomi sani analogia proportionis, si ideo dicatur pomum sanum quod sit integrum in se & incorruptum; analogia vero attributionis si ideo dicatur pomum sanum,quod conducat ad conseruandam & procurandam sanitatem hominis.

30. *Dices*: Indiuiduum est analogum proportionis respectu omnium indiuiduorum,& differentia primo intentionaliter accepta respectu omnium differentiarum talium, & natura specifica primo intentionaliter accepta respectu omnium talium naturarum:sed indiuiduum est æque primo impositum ad significanda omnia indiuidua, & differentia ad significandas omnes differentias, & natura specifica ad significandas omnes naturas specificas: ergo falsum est quod analogum indigeat pluribus impositionibus.

Vt respondeatur huic obiectioni,aduertendum dupliciter posse discurri de indiuiduo vt sic,primò dicẽdo quod sit vniuocum,licet nõ significet rationem aliquam vnam determinatam abstractam ab inferioribus,& vocando

ipsum vniuocum analogum ad differentiam vniuocorum dicentium vnam rationem determinatam abstractam ab inferioribus; secundo dicendo quod sit æquiuocum analogum ex eo, quod non significet aliquam vnam rationem sic abstractam & determinatam: si primo modo discurratur, tollitur vis obiectionis, quia quando dicimus, quod analogum requirat plures impositiones, id intelligendum est de analogis æquiuocis, non de analogis vniuocis, quale est indiuiduũ iuxta hunc philosophandi modum, & idem est de differentia vt sic, & natura specifica vt sic, ac aliis similibus: si teneatur secundus modus, dicendum est, quod omnia analoga proportionis non requirant diuersam impositionem, sed illa quæ per se primò significant vnam rationem, & alia significant propter proportionem cum illo primo.

Differentia inter analoga proportionis & alia.

*Si autem quæras*, quomodo possit discerni inter huiusmodi analoga proportionis, & illa alia: *Respondeo* differentiã esse facilem, nam explicatio nominis analogi, quod per se primò significat vnum ex analogatis, & secundario alia, propter proportionem, quam habent cum illo primo, erit omnino diuersa; nam si volo explicare quid sit leo, vt dicitur de animali irrationali sic dicto, debeo dicere, quod sit animal rugibile; si volo autem explicare ipsum, vt dicitur de Christo, debeo dicere, quod sit aliqua persona summæ fortitudinis & superioritatis; aut aliquid simile: quæ explicationes sunt diuersissimæ, & sine vlla proportione, aut similitudine: illud vero analogum, quod æque primo & vnica impositione significat sua analogata, habet eandem vocalem explicationem, vt dicitur de quolibet ex illis, vt patet in illo exemplo de indiuiduo, & differentia, & natura specifica: eodem enim modo explicari debet Petrus, quatenus est indiuiduum; & Paulus, quatenus est tale indiuiduum.

## QVÆSTIO III.

*De duabus diuisionibus & regulis anteprædicamentalibus.*

Prima diuisio anteprædicamentalis.

31. PHilosophus *c. 2. huius libri* fecit mẽtionem de duabus diuisionibus, quarum prima est: *Eorum, quæ dicuntur, alia sunt complexa vt homo currit, alia incomplexa, vt homo*: & hæc sane diuisio potest accommodari rebus, si intelligatur sic, quod rerum, aliquæ sunt complexæ, vt illæ, quę duobus conceptibus debẽt concipi; aliquæ vero incomplexæ, vt quæ vno tantum conceptu apprehẽdi quærunt. Potest etiam accommodari vocibus, si intelligatur sic, quod vocum aliquæ sint, quæ significant res complexas, aliquæ quæ res incomplexas

*Secunda diuisio* conuenit rebus simplicibus seu incomplexis, scilicet: *eorum quæ sunt alia de subiecto dicuntur* (id est essentialiter prædicantur) *in nullo vero subiecto sunt* (id est non habent aliquod subiectum inhæsionis, cui inhæreant) vt homo, qui prædicatur essẽtialiter de Petro, & tamen non inhæret Petro, nec vlli alteri: & huiusmodi sunt omnes substantiæ secundæ, seu vniuersales. *Alia verò in subiecto sunt* (id est inhærent alicui subiecto) *de nullo verò subiecto dicuntur* (id est non prædicantur essentialiter de vllo subiecto) vt hæc albedo, quæ quidem inhæret parieti, non tamen prædicatur essentialiter de pariete, aut vllo alio: & huiusmodi sunt omnia accidentia singularia. *Alia de subiecto dicuntur, & in subiecto etiam sunt*, vt color qui inhæret parieti, & prędicatur essentialiter de albedine, & huiusmodi sunt omnia accidentia vniuersalia. *Alia denique neque in subiecto sunt, neque de vllo subiecto dicuntur*, vt Petrus, qui neque inhæret vlli, neque prædicatur essentialiter de vllo, & huiusmodi sunt omnes substantiæ primæ, seu omnia indiuidua substantialia.

Prima regula anteprædicamẽtalium.

32. Præterea etiam Philosophus *c. 3.* posuit duas regulas: *prima est: Cum quidpiam de quopiam prædicatur vt de subiecto, ea, quæ de prædicato dicuntur, dicentur etiam de subiecto.* Sic quia homo prædicatur de Petro, & animal prædicatur de homine, animal etiam prædicari potest de Petro. Controuertitur autem inter commentatores, an hæc regula solum habeat locum in prædicatis essentialibus, an etiam in accidentalibus: & licet Aristoteles videatur tantum voluisse comprehendere prædicata essentialia, quia idem intelligit hic per prædicari, vt de subiecto, quod intellexit per eadem verba *cap. 2.* ibi autem intellexit per prædicari de subiecto prædicari essentialiter; tamen quantum ad rei veritatem existimo regulam posse intelligi vniuersaliter de quocunque prædicato, modò non conueniat prædicato vt abstrahit à subiecto, aut modò subiectum non habeat aliquod prædicatum incompatibile cum illo prædicato. Vnde quia dicitur de pariete, quod sit albus, & dicitur de albo, quod sit coloratum; dicitur etiam de pariete quod sit quid coloratum: quamuis autem dicatur de Petro, quod sit homo, & de homine quod sit species, non tamen dicitur de Petro quod sit species, quia species dicitur de homine vt abstrahit à Petro. Similiter quamuis dicatur de homine quod sit communicabilis, non tamen dicitur de Petro, quia Petrus habet prædicatum oppositum isti prædicato.

33. *Secunda regula* est: *Diuersorum generum & non subalternatim positorum diuersæ sunt specie differentiæ: si verò subalternatim ponantur, easdem differentias habere possunt.*

Tribus modis genera possunt esse diuersa.

Vt intelligatur hæc regula, notandum est tribus modis aliqua genera dici diuersa; primò & propriissime illa genera dicuntur diuersa, quæ collocantur in diuersis prædicamentis, vt animal, & scientia: secundò dicuntur genera diuersa, quæ sunt eiusdem prædicamenti, si neutrum sub altero ponatur, sed vtrumque sub aliquo tertiò. Tertiò demum dici possunt diuersa genera, quæ in eodem prædicamento collocantur, sed ita tamen, vt vnum sub alio ponatur, vt animal & viuens. Difficulras modò est quid intelligat Philosophus per genera subalternatim, aut non subalternatim posita.

## CONCLVSIO I.

Quæ sunt genera subalternatim posita secundum Philosophorum.

34. *Genera subalternatim posita sunt tã illa, quorum vnum sub altero collocatur, vt animal collocatur sub viuente, de quo nullus dubitat, quam illa, quæ collocantur sub aliquo tertio genere, quamuis neutrũ sub altero collocetur, vt planta & animal.* Hæc est communior, & contra Complutenses quoad secundam partem. *Probatur* quoad hanc partem: Philosophus *6. Top. c. 2. loco 41.* expresse dicit genera subalternata non solum appellari ea, quorum vnum sub altero collocatur, sed etiam ea quorum vtrumque est sub tertio. Deinde ibidem ait: Et est certum, quod quæ ponuntur sub tertio genere, quamuis non subordinentur sibi inuicem, habeant differentiam communem, vt animal & planta habent differentiam constitutiuam viuentis sibi communem, sicut ipsum viuens est ipsis commune: sed in hac regula ait genera non subalternatim posita non habere differentiam communem: ergo signum est quod, quæ ponuntur sub tertio genere, quandoquidem habeant differentiam communem non sint genera non subalternatim posita. Hinc sequitur quod genera non subalternatim posita sint illa, quorum neutrum sub altero ponitur, neque vtrumque sub vllo tertio.

*Dices cum Complutensibus*: ex eo quod duo genera subalternentur alicui tertio, non sequitur, quod sint subalternatim posita inter se: ergo genera subalternatim posita debent esse vnum sub altero necessario, & cõsequenter, quæ non sunt vnũ sub altero, non sunt subalternatim posita.

*Confirmatur*, quia secundum translationem *Argirophili* & *Periony*, hæc regula proponitur hoc modo: Quando genera diuersa sunt, nec vnum sub altero continetur, eorum etiam differentiæ specie differunt: eorum autem generum, quorum vnum sub altero collocatur, nihil prohibet easdem esse differentias: ergo intelligit Philosophus per genera, quæ dicit habere differentias diuersas, omnia, quorum vnum sub alio non continetur.

35. *Respondeo* negando consequentiam, quia aliud est, quod genera sint subalternatim posita, aliud quod sint inter se subalternatim posita. Primum dicimus nos de generibus, quæ continentur sub tertio genere, & non impugnatur bene hac obiectione. Secundum non dicimus de talibus generibus, & de illo solo procedit obiectio, quę propterea non facit ad rem.

*Ad confirmationem dico* cum Conimbricensibus, trãslationem illã Argirophili non magis esse conformem Græco textui, quam Boëtij, in qua non dicitur, genera, *quorum vnum non ponitur sub alio*, aut *quorum vnum ponitur*

*sub*

*sub alio*; sed *genera subalternatim posita*: & *non subalternatim posita*: imo hæc translatio præferenda est propter fundamenta nostræ resolutionis; si tamen illa Argirophili nequeat cum ea concordari, quod difficile putant Conimbricenses, potest tamen concordari, si dicatur, quod ex generibus illis, quæ continentur sub tertio, vnum etiã sub altero continetur, non quidem immediate & quasi alterum de altero prædicari possit, sed mediate, v. g. mediante illo tertio genere. Hoc supposito sit.

## CONCLVSIO II.

Genera non subalternatim posita nullas differentias communes habent.

36. *Genera non subalternatim posita, hoc est, illa quæ ponuntur in diuersis prædicamentis, & quæ propterea non ponuntur nec sub se inuicem, neque sub aliquo tertio genere ipsis communi, non solum habere debent aliquas differentias diuersæ rationis, sed non possunt habere vllam differentiam communem.* Hæc est communis cum Philosopho, qui in hoc distinguit genera subalternatim posita, à non subalternatim positis in hac regula, quod illa habere possint differentiam aliquam communem, hæc non possint: *Probatur autem prima pars*, quia nisi haberent aliquam differentiam diuersam, non possent esse diuersa genera.

*Dices*, substantia, vt sic, quæ est genus generalissimum prædicamenti substantiæ, & qualitas vt hic, quæ est generalissimum prædicamenti qualitatis, non habent differentias diuersas: sed tamen sunt genera non subalternatim posita, cum spectent ad diuersa prædicamenta: ergo genera non subalternatim posita non debent habere differentias. *Probatur* maior, quia aliàs constarent genere & differentia, & sic haberent supra se aliud genus.

*Respondeo*, hic capi per differentiam, illam formalitatem seu modum inirinsecum, quem genera prædicamentalia dicunt supra ens in quo conueniunt: certum autem est substantiam, & qualitatem habere, vel differentiam, vel modum intrinsecum, quo à se inuicem distinguantur vltra conceptum entis, in quo conueniunt. Vnde in forma *Respondeo* negando maiorem: & ad probationem dico, vel non esse inconueniens, quod constet genere, & differentia, vel id, si esset inconueniens, non secuturum quia solum quæ constant differentia proprie dicta, debent constare genere.

*Respondeo secundò*, conclusionem intelligendam de generibus diuersis, quæ constituuntur per differentias in esse tali, non verò de generibus diuersis, quæ non constituerentur diuersa per differentias, sed essent diuersa. Vnde in forma *Respondeo* distinguendo consequens: genera constituta per differentias, nego: non constituta, concedo; nec hoc est contra conclusionem.

37. *Probatur secunda pars*, quia nec possunt habere sibi communem vllam differentiam constitutiuam, aut diuisiuam alicuius superioris talis generis, cum in nullo tali conueniant: sed omnis differentia, quam includit res aliqua, aut est differentia constitutiua alicuius superioris, aut diuisiua superioris: ergo, si genera non subalternatim posita, hoc est, illa quæ ponuntur in diuersis prædicamentis, non conueniant in aliqua differentia constitutiua, aut diuisiua superioris generis, non conuenient in vlla prorsus differentia.

*Confirmatur*, quia si conuenirent genera diuersorum prædicamentorum in vlla differentia communi, eadem differentia pertineret ad diuersa prædicamenta, & consequenter etiam ipsamet genera spectarent ad diuersa prædicamenta, vt constituuntur per illas differentias, nam ad quodcumque prædicamentum spectat differentia, spectat etiam res constituta per ipsam.

*Confirmatur secundò*, quia eo ipso quo aliqua differentia esset communis rebus diuersorum prædicamentorum, illa differentia non esset prædicamentalis, sed transcendentalis. Regula autem prædicta Philosophi, & nostra resolutio intelligendæ sunt de differentia communi prædicamentali; nam alias certum est genera & species omnium prædicamentorum conuenire in differentia seu modo intrinseco finitatis & limitationis, quæ tamen differentia seu modus intrinsecus, quia est transcendentalis, nõ præiudicat huic regulæ. Et idem est de modo essendi in alio, in quo conueniunt prædicamenta accidentium, & de modo essendi ad aliud, in quo conueniunt vltima prædicamenta & prædicamentum ad aliquid.

38. *Per hoc autem patet* ad difficillimam obiectionem, quæ posset opponi & regulæ Philosophi & nostræ resolutioni, nimirum: conuenit substantiæ materiali & quantitati ac qualitati, tanquam differentia, qua differunt à substantiis spiritualibus, exigere connaturaliter habere partes extra partes, & illa exigentia, saltem radicaliter sumpta, est de essentia ipsorum tam bene, quam inextensio radicalis est de essentia substantiæ spiritualis: ergo genera non subalternatim posita, v. g. substantia materialis seu non spiritualis vt sic, & accidens materiale vt sic, conueniunt in vna differentia, nempe in exigentia radicali extensionis suarum partium.

*Nec valet dicere*, quod illæ exigentiæ sint diuersæ rationis, *primò*, quia licet haberent aliquam diuersitatem inter se, profecto potest abstrahi ab illis aliquis conceptus saltem imperfecte abstractus, qui secundum eandem omnino explicationem conueniat omnibus illis. *Secundò*, quia eodem modo posset dici quod sensitiuitas bruti, & sensitiuitas hominis non essent eiusdem, sed diuersæ rationis, & sic genera subalternata, posita sub tertio genere non participarent eandem differentiam constitutiuam istius tertij generis contra omnes.

*Respondetur* ex dictis distinguendo consequens: conueniunt in vna differentia transcendentali, concedo; in vna prædicamentali non transcendentali, nego.

39. *Dices*: omnis differentia contractiua generis generalissimi, & constitutiua generis subalterni est prædicamentalis; sed illa exigentia radicalis extensionis, quæ conuenit substantiæ materiali, & per quam distinguitur à substantia spirituali, est diuisiua & contractiua substantiæ vt sic, quę est genus generalissimum ad esse substantiæ materialis, & constitutiua illius substantię materialis, quę est genus subalternum eiusdem prædicamenti substantiæ: ergo est differentia prædicamentalis.

*Respondeo* distinguendo maiorem: est prædicamentalis, id est spectans ad prædicamentum aliquo modo, concedo; est prædicamentalis, id est spectans ad vnum prædicamentum solum, nego maiorem, & concessa minori similiter distinguo consequens.

## CONCLVSIO III.

Genera subalternata ratione tertij aliquando conueniunt in differentia communi diuisiua, aliquando non.

40. *Genera subalternata, quorum vnum scilicet sub altero collocatur, conueniunt formaliter & per se in aliqua differentia, non in omni.* Hæc est extra controuersiam, & *patet prima pars* ex prima regula, quia quod conuenit per se formaliter superiori conuenit etiam inferiori contento sub ipso, verbi gratia quidquid conuenit viuenti formaliter & actualiter, conuenit etiam animali: sed differentia, qua contrahitur substantia vt sic ad substantiam viuentem, conuenit formaliter viuenti & actualiter: ergo conuenit etiam animali, & consequenter animal, & viuens conueniunt formaliter & actualiter in aliqua vna differentia, & idem est de omnibus similibus.

*Probatur secunda pars*, quia genus superius non includit per se actualiter differentiam diuisiuam sui, & constitutiuam inferioris: nec enim potest dici, quod viuens vt sic, sit formaliter & actualiter sensitiuum, sicut potest dici de animali, alias viuens, vt sic, esset animal, & consequenter omne viuens esset animal, quod est absurdum. Rursus animal non includit formaliter & actualiter differentiam contractiuam viuentis ad plantam, alias esset planta: ergo genera, quę sub se collocantur, non conueniunt actualiter in omnibus differentiis. Si autem queras, in quibus conueniunt actualiter, Respondeo quod in solis constitutiuis generis superioris.

## CONCLVSIO IV.

Genera eiusdẽ prædicamenti non collocata sub se, necessario conueniunt in aliqua differentia.

41. *Genera eiusdem prædicamenti non sub se collocata, sed sub aliquo tertio, necessario conueniunt in aliqua differentia communi ipsis, nempe in illa quæ est constitutiua illius tertij generis*, v. g. planta & animal, quę collocatur sub

viuente, conueniunt in differentia constitutiua viuentis, & in omni illa, quæ formaliter & actualiter conuenit ipsi. Hæc est certa & patet ex prima regula, quia quod conuenit superiori per se primo conuenit inferiori : quæ est ratio qua probauimus primam partem conclusionis præcedentis.

## CONCLVSIO V.

Aliqua talia genera non conueniunt in aliqua differentia diuisiua, aliqua sic.

42. *Talia genera aliqua non conueniunt in aliqua differentia diuisiua istius generis tertij, aliqua conueniunt.* Hæc est Boëtij & Simplicij quos sequitur *Ogna*, hic & *Merinerus* contra *Complutenses*.

*Probatur prima pars*, quæ non est in controuersia, quia substantia corporea vt sic & substantia spiritualis vt sic, quæ ponuntur sub substantia vt sic, non conueniunt in aliqua differentia diuisiua substantiæ vt sic : neque enim assignari potest vlla differentia diuisiua substantiæ vt sic finitæ, quæ est supremum genus prædicamenti substantiæ, quæ differentia conueniat & substantiæ materiali vt sic, & substantiæ spirituali vt sic.

*Probatur secunda pars*, quia animal gressibile bipes, & volatile bipes, quæ sunt genera non subalternata sibi, sed subalternata alicui tertio, verbi gratia animali, conueniunt in differentia bipedis, qua diuiditur animal, vt sic, ab animali quadrupede ad animal bipes.

*Respondent Complutenses*, esse bipes & quadrupes esse differentias materiales, non formales animalium, bene autem posse genera huiusmodi conuenire in aliqua differentia materiali communi, non vero in essentiali.

*Contra*, quia est omnino essentiale animali, quod est naturaliter bipes, exigere connaturaliter duos pedes, & idem est de animali quadrupede, non minus quam est essentiale homini posse discurrere, loquendo de potentia radicali, & exigentia radicali.

43. *Probatur secundo*, quia quantitas continua permanens, & discreta permanens, quæ sibi inuicem non subalternantur, sed quantitati vt sic, conueniunt in differentia permanentiæ, quæ est diuisiua & contractiua quantitatis vt sic à quantitate successiua ad permanentem : ergo aliqua talia genera conueniunt in differentia diuisiua superioris generis.

*Respondent Complutenses* illam differentiam permanentiæ esse differentiam non essentialem sed accidentalem, quia quando aliquid diuiditur pluribus diuisionibus, alterutra debet esse per differentias accidentales, vnde quia quantitas, vt sic, diuiditur in continuam ac discretam, & in permanentem ac successiuam, propterea alterutra debet esse per differentias accidentales : id autem potius est dicendum de successione ac permanentia, quam de continuatione ac discretione : non est autem secundum ipsos inconueniens, quod genera huiusmodi conueniant in eadem differentia accidentali.

*Contra* : non potest assignari vlla ratio, cur successio & permanentia non sint differentiæ tam essentialiter diuidentes quantitatem vt sic, quam continuatio & discretio; & gratis asseritur, quod res aliqua non possit diuidi pluribus diuisionibus essentialibus. Deinde illa quantitas permanens, quæ est successiua, exigit essentialiter successionem, & idem est de quantitate discreta, & non exigunt illam ratione quantitatis vt sic : ergo ratione talis quantitatis ; & consequenter conueniunt essentialiter in illa taleitate, quæ est differentia essentialis eorum à quantitate non exigente successionem.

44. *Probatur tertio*, quia substantia materialis intellectiua, & substantia immaterialis intellectiua non subalternantur sibi, sed bene substantiæ vt sic ; & tamen conueniũt in differentia intellectiuitatis vt sic, quia substantia vt sic diuiditur immediate, & contrahitur à substantia non intellectiua ad substantiam intellectiuam. Mille alia exempla possent adduci ad probandam hanc conclusionem, sed hęc sufficiant.

*Confirmatur*, quia nihil impedit quo minus possent conuenire talia genera in differentia communi diuisiua generis, cui subalternarentur : ergo dicendum est ita posse contingere, præsertim cum non nisi difficillime possint solui hęc fundamenta, & nullo negotio possint fundamenta oppositę sententię, pro quo,

45. *Obiiciunt primò* : diuersa genera, quorum vnum non est sub alio, sunt diuersæ potentiæ metaphysicæ essentialiter distinctæ : ergo correspondent illis actus essentialiter distincti; sed differentiæ diuisiuæ generis superioris sunt actus generis, cui actualiter conueniunt : ergo generibus essentialitet diuersis correspondent differentiæ diuisiuæ essentialiter diuersæ.

*Confirmant*, quia genus & differentiæ diuisiuæ assimilantur materiæ primæ & formis substantialibus : sed materiæ diuersæ speciei non possunt informari formis eiusdem rationis : ergo nec genera diuersæ rationis possunt constitui differentiis diuisiuis eiusdem rationis.

*Respondeo*, distinguendo consequens : aliqui actus distinctæ rationis, concedo, quia alias non essent distinctæ; omnes actus distinctæ rationis ita, vt non possint conuenire in vllo actu, seu differentia diuisiua eiusdem rationis, nego consequentiam, & concesso subsumpto, similiter distinguo secundum consequens.

*Ad Confirmationem respondeo*, quidquid sit de veritate doctrinæ istius, nimirum quod materiæ diuersæ rationis nequirent informari formis eiusdem rationis (quæ facile negari posset) assimilationem illam non debere esse in omnibus : quod probo manifeste in hac ipsa re, quia licet materiæ eiusdem rationis possint aduenire formæ quantumuis diuersissimæ rationis, & non subordinatæ sibi, tamen generi eiusdem rationis non possunt aduenire omnes differentiæ diuisiuæ sui generis superioris.

*Confirmatur*, quia idem genus potest habere & differentiam constitutiuam superioris, & differentiam constitutiuam sui ipsius, v. g. animal viuentiam & sensitiuitatem : sed eadem materia nequit habere plures formas, maxime secundum aduersarios; ergo non est idem dicendum quoad omnia de materia & genere ; vnde concessa minori nego consequentiam.

46. *Obiicies secundò* : Eadem species non potest esse sub diuersis generibus, quorum vnum non sit sub alio v. g. sub animali & planta, aut substantia spirituali & materiali : ergo diuersa genera, quorum vnum non sit sub alio nequeunt habere easdem differentias. Probant consequentiam euidenter suo iudicio, quia sicut differentia constituit speciem, ita vna & eadem differentia, vbicumqu. sit, constituit eandem speciem; alias differentia non conuerteretur cum specie, tollereturque locus arguendi à differentia ad speciem.

*Respondeo* concedendo antecedens & negando consequentiam : ad cuius probationem dico differentiam adæquatam constituere speciem adæquate, & illam esse conuertibilem, & nunquam reperiri sine specie; differentiam verò inadæquatam speciei, qualis est illa, quæ est communis illi cum alia specie, non esse conuertibilem cum specie, nec cum ea reperiri speciem semper, nec valere ab ea argumentum ad speciem.

*Aduertendum autem*, quotiescumque differentia aliqua diuisiua alicuius generis est communis pluribus aliis generibus contentis sub illo genere, & quorum vnum alteri non subalternatur, dati aliquod aliud genus illis commune præter illud genus, cuius differentia diuisiua competit ipsis; verbi gratia substantia materialis intellectiua, & substantia spiritualis intellectiua conueniunt in intellectiuitate, vt sic, quæ est differentia substantiæ, vt sic, diuisiua ipsius & contractiua, à substantia non intellectiua ad substantiam intellectiuam; & illæ duæ substantiæ intellectiuæ, non solum conueniunt in ratione substantiæ, vt sic, tanquam in genere ; sed etiam in ratione substantiæ intellectiuæ, vt sic, quæ substantia intellectiua, vt sic, quandoquidem prædicetur de ipsis in quid incomplete, habet rationem generis respectu ipsorum tam bene quam substantia vt sic.

48. Similiter quantitas permanens continua, & quantitas successiua continua, quę conueniunt in ratione cõtinuationis, quę est differentia diuisiua quãtitatis vt sic, non solum conueniunt in genere quantitatis vt sic, sed etiam in genere quantitatis continuæ : & similiter quantitas discreta permanens, & quantitas continua permanens non solum conueniunt in ratione quantitatis vt sic, sed in

ratione

ratione quantitatis permanentis, tanquam in ratione generica. Denique animal volatile bipes, & terrestre bipes non solum conueniunt in ratione animalis vt sic, sed in ratione etiam animalis bipedis.

*Et si dicas*, quod hinc sequeretur quod illa duo genera non essent immediate subordinata generi illi tertio, cuius differentiam diuisiuam participarent, sicut homo & brutum nō sunt immediate sub viuente, sed sub animali.

*Respondeo*, ea non esse immediate sub ipso sic, quin sint sub alio genere æque aut magis ipsis immediato, sed sunt immediate sub ipso; quatenus differentia illa, quam participant, est immediate diuisiua illius generis.

# DISPVTATIO XI.

## DE PRÆDICAMENTIS in communi.

PRIVSQVAM ad considerationem Prædicamentorum in particulari descendamus, in hac disputatione ea, quæ communiter ad omnia spectant examinabimus; relicta tamen pro Metaphysica illa celebri difficultate de vniuocatione entis ad decem prædicamenta.

### QVÆSTIO I.

*An diuisio entis in decem Prædicamenta sit bona & adæquata.*

1. DE numero prædicamentorum variæ erant Philosophorum opiniones, quibusdam vnum, quibusdam duo, aliis tria, aliis quatuor, aliis quinque, aliis sex, aliis septem, aliis nouem, aliis decem, aliis vndecim, aliis viginti, aliis plura adhuc statuentibus. Communior sententia est Peripateticorum, decem esse prædicamenta, cuius tamen numeri fatetur cōmuniter tam Thomistę quam Scotistæ non posse assignari nec à priori, nec à posteriori euidentem aliquam rationem, sed solum probabilem; quæ ratio probabilis communi Philosophorum sensu innixa sufficere debet, vt ille numerus teneatur.

Ens posset diuidi in plura ac pauciora prædicamenta quā decem.

Quod ad me attinet non dubito quin res omnes, ac entia possint commodissime in varias classes diuidi, pauciores aut plures quam decem, prout placuerit alicui eas diuidere; quæ sententia est expresse *Auersæ* hic, & in eam videntur inclinare illi authores, qui negant diuisionem entis in decem prædicamenta posse euidenti ratione probari. Moueor autem ad hoc, quia si quis vellet intelligere per prædicamentum coordinationem rerum omnium sibi inuicem secundum subiicibilitatem & prędicabilitatem subordinatarum, supra quas non reperitur vlla ratio communis abstracta ab illis; tum necessario res omnes in vnum prædicamentum, seriem, seu classem reducere deberet: quia si plures series entium statueret, quandoquidem nullum possit assignari supremū genus vllius ex illis classibus, de quo ens prædicari non posset in quid, & quidem in nostra sententia vniuoce, nulla classis ex illis haberet rationem prędicamenti, hoc modo sumpti, vt patet.

Possent res omnes ad duo prædicamenta reuocari.

2. *Rursus*, si quis vellet per prædicamentum intelligere seriem & classem rerum aliquarum vsque ad certum aliquem gradum seu formalitatem, quæ non esset omnibus rebus seu entibus communis, & supra quem gradum non daretur vllus superior gradus, qui non conueniret omnibus rebus, nō posset res omnes ad vnum prædicamentum reuocare, quia necessario reperirentur aliquæ res, de quibus ille gradus superior, qui non æque late pateret ac ens, nequiret prędicari: sed bene possent res omnes hoc modo ad duo prædicamenta reuocare, nimirum ad prędicamentum substantiæ, vt sic, & accidentis vt sic: quia supra substantiam non est aliquis gradus, qui non sit communis omnibus omnino rebus; & præterea nulla prorsus res est assignabilis, quæ non contineatur sub substantia, aut accidente, aut tanquam aliquid, de quo substantia & accidens prædicari possit; aut quod non sit constitutiuum alicuius, de quo prędicari possit, aut proprietas talis rei.

3. *Præterea*, si aliquis velit per prædicamentum intelligere coordinationem rerum aliquarum inter se vsque ad certam aliquam formalitatem aut gradum, quæ omnibus istis rebus sit communis, siue habeat aliquam formalitatem aliam communiorem supra se, quæ & illis rebus & aliis conuenire possit, poterit res omnes in tria prędicamenta, vel quatuor, vel quinque, vel sex, vel decem, vel vndecim, vel plura diuidere, & diuisio erit bona, si ita illas classes rerum assignauerit, vt nulla sit res quæ ad aliquam ex illis non pertineat: si vero aliqua esset res, quæ ad nullam ex illis pertineret, male assignaretur numerus prædicamentorum rerum omnium, vt patet.

Possent res omnes ad tria prædicamēta reuocari.

Quod autem posset ad tria prædicamenta seu classes omnia reuocare, capiendo prædicamentum hoc modo, patet, quia posset assignate coordinationem vnam omnium rerum, quæ conuenirent in ratione substantiæ vt sic vsque ad gradum substantiæ, & aliam coordinationem rerum omnium, quæ conuenirent in ratione accidentis absoluti vt sic; & tertiam coordinationem seu seriem rerum omnium, quæ conueniret in ratione accidentis relatiui vt sic, nec vlla esset res, quæ ad aliquam ex illis classibus non spectaret.

Posset etiam assignare coordinationes rerum omnium, quæ conuenirent in ratione substantiæ immaterialis, & aliā coordinationem rerū, quæ cōuenirent in ratione substantiarum materialiū, & ex illis facere duo prædicamēta distinctissima ex natura sua, præterquam quod conuenirent in ratione substantiæ vt sic; quæ conueniencia non impediret intentum, sicut nec conuenientia accidentium omnium in ratione accidentis vt sic, de facto impedit, quominus statuantur varia prædicamenta accidentium.

4. Præterea posset diuidere accidentia omnia in spiritualia, & materialia, & ex spiritualibus facere vnam coordinationē, ac ex materialibus alteram, & ex his duabus coordinationibus facere quatuor prædicamenta, in quibus omnes res reperirentur nulla excepta. Rursus posset facere vnam classem ex relationibus intrinsecùs aduenientibus, & aliam ex extrinsecùs aduenientibus quæ duo prædicamenta cum tribus prædicamentis de facto assignatis substantiæ, quantitatis, qualitatis, facerent quinque prædicamenta, in quibus adæquate diuideretur ens vt sic, quia nullum ens esset assignabile, quod ad alterutrum non spectet.

Quod si diuideret substantiam in duas classes, materialium, & spiritualium, aut rationalium & irrationalium, & relinqueret alia nouem prædicamenta, vt nunc sunt, essent vndecem prędicamenta. Et si vlterius diuideret qualitates in spirituales, & corporales, essent duodecim prædicamenta. Ex quo, ne longior sim patet, varia rerum prædicamenta, & dari à parte rei, hoc modo accepto prędicamento, & assignari, ac concipi posse ab intellectu, & voce exprimi. Et sane existimo numerum decem prędicamentorum de facto assignatum in hac acceptione prædicamenti debere fundari.

5. Pro quo numero, & sufficientia eius seu sufficientiā diuisionis entis finiti, quod solū suppono fuisse diuisum in hæc prædicamenta decem (de quo postea) aduertendum est diuisionem alicuius in aliqua membra esse bonam, quotiescumque diuisum adæquatur diuisis, & diuisa ipsi, ita vt diuisum non habeat vllum aliud membrum diuidens, quod non sit aliquod ex illis diuisis, aut quod non contineatur sub aliquo ex illis, & ita etiam, vt prædicari possit de quolibet ex diuisis, & vt ipsa diuisa distinguantur à se inuicem; nec refert quod possit diuidi in plura membra, aut in pauciora, modò habeat hanc adæquationem cum illis diuidentibus, & illa diuidentia inter se distinguantur; nec etiam refert, quod non esset potior ratio cur in tot determinate diuideretur potius, quam in plura, aut pauciora, modò obseruetur adæquatio illa & distinctio diuisorum, & præterea vitetur nimia confusio, quæ oriri possit, si vel nimis multiplicarentur mēbra diuidentia, aut nimis restringerētur ad valde pauca membra, in quo tamen respici potissimum debet finis diuisionis. nam si volo ostendere, quod aliquod ens sit substantia, & possim ostendere quod non habet rationem accidentis,

vt sic, in ordine ad id faciendum, non est necesse vt diuidam ens vt sic nisi in duo membra, nimirum in accidens & substantiam, cum hac enim diuisione concludam intentum sic: omne quod est à parte rei, vel debet esse accidens, vel substantia: materia prima existit à parte rei, & non est accidens, quia nulli inhæret actu, aut aptitudine: ergo est substantia. Itaque in ordine ad hunc discursum optima esset diuisio entis in accidens & substantiam, & inutilis esset diuisio ipsius in decem genera, quod valde aduertendum est. His suppositis sit

## CONCLVSIO.

Bene diuiditur ens finitum vt sic in decē prædicamenta.

6. *Bona & adæquata est diuisio entis finiti, vt sic, in decem prædicamenta, verbi gratia substantiam, quantitatem, qualitatem, ad aliquid, actionem, passionem, vbi, quando, situm, habitum.* Hæc est communissima sententia Peripateticorum omnium cum Philosopho hic, & eam tenet expresse noster *Doctor hic quæst. 11. & in 4 distinct. 13 quæst.* 1. *Probatur* autem non solum probabiliter, sed efficaciter, quia quodlibet ex illis decem sunt inter se distinctæ rationis, & sunt entia, nec vllum assignari potest ens, quod non sit aliquod ex illis, aut contentū sub aliquo ex illis, vel tanquam pars subiectiua, vel tanquam pars constitutiua, vel essentialiter, vel integraliter; nec numerus ille membrorū diuidentium est nimis magnus pro tāta rerum omniū varietate, nec nimis paruus pro fine Metaphysicę, aut Logicæ: ergo diuisio est adæquata & bona. Consequentia est certa, probatur antecedens quoad illam partem, in qua sola est difficultas, nimirum quod nullū possit dari ens, quod non sit aliquod ex illis decem entibus modo declarato, quia omne ens reale finitum, aut est substantia, aut accidens, vt est euidens; si est substantia, spectabit ad primum prædicamentum substantiæ, si accidens, aut est absolutum, aut respectiuum: si absolutum, aut est principium formale impenetrabilitatis, & est quantitas; aut ex se penetrabile, & est qualitas. Si respectiuum, aut est intrinsecùs aduenies, & est spectans ad Ad aliquid; aut extrinsecùs aduenies, & est id quod requiritur ad communicandum esse formaliter tanquam determinatio actualis; aut id quod non sic requiritur: si est primum tum vel est determinatio actiua, & est actio: vel passiua, & est passio: si est respectus extrinsecùs aduenies, quæ non sit talis determinatio, vel requiritur ad ponendum aliquid in loco formaliter, & est vbi; vel in tempore, & est quando; vel est dispositio partium rei corporeæ, & est situs; vel ordo rei ad habitum vel vestitum, & est habitus. Nec potest assignari aliquod ens finitum reale, quod aliquam ex his rationibus non habeat, vel quod non requiratur per se necessario ad constitutionem alicuius ex his entibus. Quod totum melius intelligetur ex dicendis inferius de his prædicamentis in particulari.

7. *Obiicies*: sicut omnes substantiæ reducuntur ad vnum prædicamentum, ita omnia accidentia possent reduci ad vnum prædicamentum, & è contra sicut possunt constitui plura prædicamenta ex accidentibus, ita possent constitui plura prædicamenta ex substātiis omnibus: ergo possent statui solum duo prædicamenta, vel plura quam decem, & consequenter male diuiditur ens vt sic, in vnum prædicamentum substantiæ & nouem accidentium.

*Confirmatur*, quia sicut vbi passiuum & actiuum reducuntur ad vnum prædicamentum, ita actio & passio possent reduci ad vnum prædicamentum: ergo vel actio & passio erunt reducenda ad vnum prædicamentum, & sic erunt tantum nouem prædicamenta, vel vbi passiuum & actiuum erunt ponenda in pluribus prædicamentis, & sic erunt vndecim prædicamenta.

*Confirmatur secundò*: sicut omnes relationes intrinsecùs aduenientes ponuntur in vno prædicamento, ita omnes extrinsecùs aduenientes possent poni in alio vno, & sic essent tantum quinque prædicamenta.

*Confirmatur tertiò*, quia omnia accidentia absoluta possent poni in eodem prædicamento, & omnia respectiua in alio, & sic essent tantum tria prædicamenta.

*Confirmatur quartò*, quia sicut omnes substantiæ possent poni sub vna substantia, ita omnia entia possunt poni sub vno ente, & sic daretur vnum tantum prædicamentum rerum omnium.

8. Hæc est obiectio, quæ reddit hanc conclusionem authoribus difficilem. Sed ex dictis resolutio est facillima. *Respondeo autem* in forma concedendo antecedens & primam consequentiam, & negando secundam: quia ex eo quod aliquid posset diuidi per pauciora membra, non sequitur quin possit bene diuidi per plura, modo seruetur in vtraque diuisione adæquatio diuisi cum diuiso, & distinctio diuidentium inter se, ac vitetur nimia confusio, aut obscuritas; & similiter modò idem seruetur, non sequitur ex eo, quod aliquid possit diuidi in plura, quin possit bene diuidi in pauciora.

Per quod patet etiam ad confirmationes, ad quarum primam nego consequentiam, quia quamuis ita posset fieri, non debet tamen necessario ita fieri. Ad cæteras confirmationes concedo, ita posse fieri, vt asseritur in ipsis, sed nego inde sequi, quod non possint optimè res omnes reduci ad decem prædicamenta.

*Dices*: ex hac doctrina sequeretur quod numerus Prędicamentorum dependeat ab intellectu: sed hoc videtur absurdum, cum diuisio entis in illa sit realissima, & non rationis, nec per intellectum: ergo non est tenenda hæc doctrina.

*Respondeo* distinguendo maiorem: quantum ad assignationem talis numeri potius, quā alterius numeri, transeat maior, nec hoc est absurdum; quantum ad iucluſionem entis in membris huius numeri, & distinctionem eorum à se inuicem, ac adæquationem eorum cum ente diuiso in illa, nego maiorem; id enim esset absurdum propter rationem minoris, & nego consequentiam.

Itaque reperitur de facto, vel à parte rei vel possibiliter vna series omnium entium, & vna series omnium substantiarum, & vna omnium accidentium, & vna omnium quantitatum, & vna omnium qualitatum, & vna substantiarum spiritualium, & vna materialium, &c. & intellectus potest considerare & proponere vel omnes, vel aliquas ex illis classibus & coordinationibus rerum. Et si proponat duas, tum erunt duo prædicamēta ab ipso proposita; & si comprehendant illa duo omnia entia, proponitur adæquate ens in illis duobus prædicamentis; & similiter si proponat decem, in quibus omnia entia includuntur, similiter proponetur adæquate ens in illis decem, & ita de aliis numeris est dicendum. Cur autem magis voluerit Philosophus proponere decem illas coordinationes rerum potius quam plures, aut pauciores, non est alia ratio perenda, quam quod potuerit bene, & voluerit: & sicut dum tractamus materiā aliquam, licet possimus duabus disputationibus totam absoluere, possumus tamen plures disputationes instituere, easq; diuidere in tot quæstiones, & articulos, ac sectiones, quot voluerimus, modo in illis nihil repetamus, nec relinquamus aliquam partem tractatus sine examine, & resolutione, non dicemur male illam tradidisse ex eo, quod potuissemus totam duabus disputationibus absoluere: quia plures illæ disputationes possent deseruire ad maiorem claritatem, & duæ possent tantum discursus includere, quantum plures: ita quamuis possemus res omnes in pauciores, aut plures classes reducere, non tamen necessariò alterutrum debemus facere, sed sufficit vt proponamus res omnes, siue in tot, siue in tot prædicamentis id faciamus.

Itaque reuera à parte rei datur vna series rerum omnium contentarum sub ente vt sic, & duæ coordinationes particulariores, vna substantiarum, altera accidentium, & tres coordinationes, quarum aliquæ sunt particulariores, vt coordinatio substantiarum, & coordinatio accidentium absolutorum, & coordinatio accidentium respectiuorum, & plures adhuc aliæ particulares coordinationes, & speciatim illæ decem coordinationes, de quibus in conclusione; ex quibus potuit Philosophus hanc vltimam proponendam aliis, & examinandam assumere; nec in hoc videtur esse posse vlla difficultas.

10. *Obiicies secundò*: per prędicamēta intelliguntur classes rerum sibi inuicē subordinatarū, & comprehensarū sub vno genere supremo ipsis solis cōpetente, supra quod non

sit

sit aliud genus: sed si possit dari, aut detur vnum prædicamentum huiusmodi accidentium omnium; aut omnium accidentium absolutorum, aut omnium respectiuorum aut omnium substantiarum, non poterunt dari plura prædicamenta substantiarum, nec plura accidentium omnium, nec plura accidentium omnium absolutorum, nec plura omnium accidentium respectiuorum: ergo falsa est doctrina præmissa, nimirum quod possit dari vnum prædicamentum omnium accidentium, & quod possint dari etiam plura prædicamenta omnium accidentium, &c. Probatur minor, quia si possit dari vnum prædicamentum omnium accidentium, accidens vt sic debet esse genus istius prædicamenti, & habere se per modum generis respectu omnium accidentium; sed si accidens vt sic sit genus respectu omnium accidentium, non potest dari aliquod vnum prædicamentum solorum accidentium absolutorum, nec aliud accidentium respectiuorum, quia accidens vt sic erit genus respectu accidentis absoluti vt sic, & respectu accidentis respectiui vt sic, & consequenter non erit verum quod classis omnium accidentium, aut absolutorum, aut respectiuorum sit prædicamentum, quandoquidem non sit series rerum coordinatarum inter se sub vno supremo genere ipsis solis, & non aliis conueniente, supra quod non sit aliud genus.

Quomodo supremum genus non possit habere supra se aliud genus.

11. *Respondeo* distinguendo maiorem: supra quod non sit aliud genus simpliciter, nego maiorem; supra quod non sit aliud genus illis rebus solis competens, concedo maiorem, & nego minorem: ad cuius probationem dico non requiri ad prædicamentum, quod genus supremum ipsius sit tale, supra quod non reperitur aliud genus quomodocumque; sed sufficere quod non reperiatur aliud genus quomodocumque, sed sufficere quod non reperiatur supra ipsum, aliquod genus, quod omnibus illis rebus & solis sit commune. Vnde decem summa genera decem prædicamentorum non debent intelligi ita summa, quasi nullum aliud genus sit supra ipsa, sed quia sunt summa genera illarum classium, quatenus scilicet nihil spectans ad solas res illorum prædicamentorum sit superius ad genus, quod dicitur summum istius prædicamenti (vt bene aduertit *Auersa*) verbi gratia non propterea præcise substantia vt sic finita dicitur summum genus prædicamenti substantiæ, quia supra se aliud genus non habet, sed quia nullum aliud genus habet supra se, quod spectet solum ad prædicamentum substantiæ.

12. *Et si dicas* hanc doctrinam esse nouam, & gratis asseri, *Respondeo* quidquid sit de nouitate, negando quod gratis asseratur, imo cum summo fundamento asseritur, quia videtur impossibile cum vlla probabilitate ostendere quod accidens vt sic non sit genus respectu omnium accidentium (quidquid si de ente vt sic, de quo suo loco) aut quod respectus vt sic non sit genus respectu omnium respectuum, aut quod respectus extrinsecùs aduenies vt sic non sit genus respectu omnium talium respectuum, aut quod modus vt sic, non sit communis omnibus modis sex vltimorum prædicamentorum, si constituantur illa prædicamenta in modis.

Quare si velimus defendere hanc famosam rerum omnium in decem Prædicamenta diuisionem, non debemus accipere prædicamentum pro coordinatione rerum aliquarum contentarum sub vno aliquo supremo genere, supra quod nullum aliud genus reperiri possit; præsertim cum nulla sit ratio aut authoritas, quæ nos cogat ad accipiendum prædicamentum in illa acceptione; sed potius debemus accipere prædicamentum pro serie rerum aliquarum inter se coordinatarum, & contentarum sub aliquo vno genere, supra quod non sit aliud genus solis illis rebus conueniens.

13. *Dices*: Ens vt sic non est genus ad genera summa decem prædicamentorum, quia est analogum respectu eorum, aut quia non perfecte præscindit ab illis, aut quia imbibitur in differentiis eorum, & idem dicendum de accidente, vt sic, respectu omnium accidentium; & relatione vt sic respectu omnium relationum; & de relatione extrinsecùs adueniente vt sic, respectu omnium relationum extrinsecùs aduenientium.

*Contra*, quia ens vt sic non est analogum, sed vniuocum, & si esset, tam bene posset dici quod substantia vt sic, sit analogum respectu omnium substantiarum, & relatio vt sic respectu omnium relationum, & qualitas vt sic respectu omnium qualitatum, ergo quando quidem substantia vt sic est genus, & relatio ac qualitas vt sic, idem dicendum est de ente vt sic. *Deinde* tam perfecte præscindit ens vt sic ab omnibus entibus, quàm substantia vt sic respectu omnium substantiarum, & tam includitur substantia vt sic in differentiis suis, quam ens vt sic in suis differentiis: ergo tam erit vt sic genus respectu omnium entium, quam substantia vt sic respectu omnium substantiarum.

14. *Dices secundò*. Ens vt sic non esse genus; nec accidens vt sic; nec relatio vt sic; nec relatio extrinsecùs aduenies vt sic, quia non contrahuntur per differentias, sed per modos intrinsecos.

*Contra*, quia posset dici quod relatio intrinsecùs aduenies vt sic, contrahatur per modos ad relationes sub se immediate contentas, & quod qualitas vt sic, contrahatur per modos, & non per differentias ad qualitates, ad quas immediate contrahitur: ergo vel talis contractio per modos non impedit quominus contractum sit genus, & sic replica non erit ad propositum; vel poterit dici quod relatio intrinsecùs aduenies non sit genus, quod est contra omnes, & contra decem prædicamenta, quorum vnum habet relationem intrinsecùs aduenientem vt sic non solum pro genere, sed pro summo genere.

15. *Obiicies tertiò*: Prædicamenta omnia debent esse primo diuersa: sed non essent primò diuersa, si possent habere vllum genus supra se: possent autem habere genus supra se secundum nostram doctrinam, nam sex prædicamenta vltima haberent supra se relationem extrinsecùs aduenientem vt sic, quæ esset genus respectu ipsorum, & nouem vltima prædicamenta haberent supra se accidens vt sic, quod etiam esset genus ipsorum, ergo nostra doctrina non est bona.

Quomodo prædicamenta debent esse primo diuersa.

*Respondeo* prædicamenta debere esse primò diuersa, quatenus non conueniunt in primo genere nec in aliquo in quo includitur ratio primi generis, & per hoc distinguuntur entia realia vnius prædicamenti ab entibus realibus alterius prædicamenti, quòd hæc omnia conueniunt in aliquo vno genere illius prædicamenti, in quo non cõueniunt cum entibus vllius alterius prædicamenti; quod verissimum est de quocumque numero prædicamentorum, siue duo assignentur, siue tria, siue quatuor, siue decem, siue viginti, modo ens adæquate in illum numerum diuidatur: Nam numero quocumque prædicamentorum assignato, qui adæquet ens reale finitum vt sic, verum erit dicere quod entia, quæ ponuntur in quocumque vno prædicamento ex illis, non conueniant in summo genere cum entibus aliorum prædicamentorum.

## QVÆSTIO II.

*Quomodo prædicamenta inter se distinguantur.*

Potest ens diuidi in prædicamenta plura quæ omnia non distinguuntur realiter.

16. NOn est mihi dubium, quin posset fieri talis diuisio entis finiti vt sic in plures classes, quæ adæquarent ipsum, ita vt nullum esset ens finitum, quod non contineretur in aliqua ex illis, & quæ etiam inter se distinguerentur ex natura rei ita, vt quidquid spectaret ad vnam classem, distingueretur aliquo modo ex natura rei vel distinctione formali, vel reali à quocumque spectante ad alias classes: non tamen ita vt omnia, quæ ponerentur in vna classe, distinguerentur realiter ab omnibus contentis in aliis classibus. Nam si vellet quis diuidere ens finitum in absolutum & respectiuum, & collocaret omnes omnino relationes seu respectus in vna classe, tam illos, qui realiter non identificarentur suis fundamentis, quam illos, qui realiter identificarentur suis fundamentis, vt sũt relationes aptitudinales, seu aptitudines rerum, quæ vocãtur transcendentales, & postea diuideret ens absolutum, vt sic in substãtiam & accidens absolutum: collocatis omnibus substantiis in illa vna classe, & accidentibus omnibus in altera, haberentur tria prædicamenta entium, in quæ adæquatissime diuideretur ens, & quæ etiam inter se distinguerentur ex natura rei: sed tamen non omnia, quæ cõtinerentur in prædicamento relationis, distinguerentur

realiter ab omnibus contentis in prædicamento, seu classe substantiæ, neque ab omnibus, quæ continerentur in prædicamento, seu classe accidentis absoluti, quia relationes aptitudinales substantiæ, & relationes aptitudinales accidentium identificantur realiter ipsis, & tamen ponerentur in prædicamento illo seu classe relationum; neque credo hoc posse verti in controuersiam.

Quod ergo *quæritur hic* est, an illa decem prædicamenta, quæ de facto sunt assignata à Philosopho, & admissa à Doctoribus communiter, sint distincta realiter inter se, ita vt nihil positum in vno prædicamento identificetur realiter vlli, quod ponitur in vllo alio prædicamento; an verò aliqua, quæ ponuntur in vno prædicamento ex illis, identificentur realiter alicui posito in aliis prædicamentis. Si primum dicatur, diuisio entis in decem prædicamenta erit diuisio realis, stricte loquendo, tanquam in membra realiter distincta: Si secundum, non erit diuisio realis, stricte loquendo, sed largiori modo, prout scilicet talis dicitur diuisio alicuius in aliqua, quæ distinguuntur aliquo modo à parte rei, abstrahendo à modo distinctionis, an scilicet sit realis, an formalis.

17. *Prima sententia* valde communis est, quod non diuidatur ens in prædicamenta decem, tanquam in membra realiter distincta, sed tanquam in membra distincta ex natura rei aliquo modo, vel formaliter, vel realiter. Hãc debent tenere *Nominales*, qui putant quantitatem non distingui realiter à substantia, & relationes non esse modos realiter distinctos ab extremis; & *Thomistæ* qui existimant actionem & passionem non distingui realiter inter se: nominatim autem eam tenent *Araoxo* 5. *Metaph. quæst.* 1. *art.* 3. *Fonseca ibid. Suar. disp.* 30. *Vasq.* 1. *par. disp.* 32. *&* 138. *Ioannes à sancto Thoma hic qu.* 14. *art.* 5. quos ex Scotistis sequitur *Merinerus* hic, qui dicit eam esse expresse sententiam *Scoti q.* 10. *prædicamentali, & in* 2. *distinct.* 1. *quæst.* 5.

*Secunda sententia* est diuisionem entis in decem hæc prædicamenta esse diuisionem realem strictam, in membra scilicet realiter distincta ita, vt quidquid spectat ad vnum prædicamentum, necessariò distinguatur realiter ab omni, quod spectat ad quodcumque aliud prædicamentum ex his. Hanc tenent Scotistæ communiter, quos sequuntur *Niphus* 4. *Metaph. quæst.* 4. & ex *Thomistis Cajetanus* 1. *par. qu.* 28.

## CONCLVSIO.

Decem prædicamenta sunt distincta realiter stricte.

18. *Decem prædicamenta sunt distincta realiter.* Hæc est iuxta secundam sententiam, & *Scotum* 7. *Met. qu.* 7. *Probatur* tum, quia potius facienda erat diuisio entis in classes diuersas entium realiter distinctorum, quam formaliter distinctorum; tum & potissimum, quia si quæ ex prædicamentis essent realiter identificata & indistincta, maxime quantitas & substantia, relatio & sua extrema, actio & passio, vbi & situs: sed hæc inter se distinguuntur realiter, vt postea ostendemus; ergo prædicamenta omnia distinguentur realiter. Maiorem admittunt communiter aduersarij, qui propterea dicunt prædicamenta non distingui realiter propter illa exempla. *Merinerus* tamen negat maiorem, & assignat aliud exemplum alicuius vnius realis entitatis spectantis ad diuersa prædicamenta; dicit enim figuram spectare ad quantitatem, quatenus est superficies terminata lineis; quatenus verò dicit ipsam terminationem linearum, spectat secundum ipsum ad prædicamentum qualitatis: quam doctrinam desumpsit ex *Scoto qu.* 10. *prædicament.*

Figura non est species vera qualitatis.

19. *Sed contra*, quia, vt inferius dicemus, falsum est quod figura sit vera species qualitatis, aut vere ad illud prædicamentum spectans. Dicitur autem à Scoto spectare ad qualitatem, quia enumeratur à Philosopho inter species qualitatis, non quod vere sit species eius, sed quod ita censebatur ab aliquibus. *Deinde* nõ dicit Scotus, quod eadem figura realis spectat ad vtrumque illud prædicamentum, sed dicit figuram esse vocem æquiuocam, & significare duo distinctæ rationis: primò enim significat superficiem terminatam lineis, & sic sumpta figura spectat ad quantitatem, non quod illud totum esset aliquid per se directe spectans ad illud prædicamentum, quia illud totum est ens per accidens, sed quod quælibet pars ipsius, nimirum & superficies & lineæ, quæ terminant illam, sit spectans ad quantitatem. Secundo significat ipsammet terminationem, quæ distinguitur realiter & à lineis terminantibus, & à superficie terminata; & figuram sic acceptam dicit spectare ad qualitatem: quod quamuis verum esset, adhuc non sequeretur quod idem ens spectaret ad diuersa prædicamenta.

20. *Probatur secundò* conclusio, quia quidquid realiter identificatur alicui, debet reduci ad prædicamentum istius rei cui identificatur, hac enim ratione risibilitatem & relationes aptitudinales substantiarum reducimus ad prædicamentum substantiæ de facto: ergo nihil realiter identificatum rei spectanti ad vnum prædicamentum debet spectare ad alterum prædicamentum, & consequenter res spectantes ad diuersa prædicamenta nequeunt realiter identificari.

*Obiicies primò*: relatio substantialis creaturæ ad Deum, vt ad creatorem, & relatio similitudinis imperfectæ, quam dicit ad ipsum, sunt realiter identificatæ illi creaturæ: sed illæ relationes spectant ad prædicamentum relationis: ergo non omnia, quæ ponuntur in diuersis prædicamentis, distinguuntur realiter.

Nulla relatio identificata substantiæ spectat ad aliud prædicamentum.

*Respondeo* negando minorem, quia omnes relationes realiter identificatæ substantiæ spectant ad prædicamentum substantiæ reductiuè, nec possunt vlla ratione spectare ad prædicamentum vllum ex nouem prædicamentis, quia omnia illa, quæ spectant ad nouem prædicamenta, conueniunt in ratione accidentis vt sic, & consequenter debent habere aptitudinem ad inhærendum; nihil autem identificatum substantiæ potest habere talem aptitudinem: ergo non potest aliquid tale spectare ad prædicamentum vllum ex nouem prædicamentis, nec participare vllo modo rationem accidentis vt sic, oppositi substantię.

*Dices*: Omnes relationes intrinsecùs aduenientes spectant ad prædicamentum *Ad aliquid*: sed relationes identificatæ substantiæ sunt intrinsecùs aduenientes, ergo spectant ad prædicamentum Ad aliquid.

*Respondeo* distinguendo maiorem: quæ sunt accidentia respectu fundamenti ad quod sequuntur, concedo; quæ non sunt, nego maiorem; & distinguo etiam minorem: sunt intrinsecùs aduenientes, quatenus necessario sequũtur ad fundamentum ex natura fundamenti, concedo; ita vt sint relationes accidentales sequentes ex fundamento illo, & aptæ natæ inhærere ipsi, nego minorem & consequentiam.

21. *Obiicies* pro *Merinero* authoritatem Scoti ab ipso citatam. *Respondeo* Scotum nunquam dixisse absolute quod eadem realis entitas secundum se spectet ad diuersa prædicamenta; & quamuis dicat in illo loco secũdi, quod posset negari dari distinctionem realem inter omnia quæ ponuntur in diuersis prædicamentis, tamen cum non cõtentus sit illa responsione, sed recurrerit ad aliam, & hoc iuxta alias dicta; in qua alia responsione tenetur non identificari realiter entia diuersorum prædicamentorum; signum est quod magis propendeat in illam sententiam de distinctione reali prædicamentorum, aut saltem signũ est quod eo loci non determinauerit se ad vllam partem.

## QVÆSTIO III.

*Quænam conditiones requiruntur vt aliqua ponantur in prædicamentis.*

22. SVppono in quolibet prædicamento varia entia & formalitates poni, & ex his aliqua directe, aliqua indirecte. Directe in prædicamentis ponuntur ipsamet suprema genera, & omnia alia, de quibus suprema genera prędicamentorum prædicãtur in quid. Illa verò indirecte collocantur in ipsis, quæ neque sunt suprema genera, nec talia de quibus prædicari possint suprema illa genera in quid; sed concurrunt tamen ad constitutionem primariam essentialem siue physicam siue metaphysicam rerum, quæ directe ponuntur in prædicamentis, vel identificantur realiter ipsis. Vnde patet hominem poni directe in

prædi

prædicamento substantiæ, quia substantia vt sic, quod est genus supremum istius prædicamenti, prædicatur de ipso; animam vero non poni directe in illo, quia non prædicatur de illa in quid substantia, quæ est supremum genus; poni vero indirecte, quia concurrit ad constitutionem physicam essentialem hominis. Et similiter rationalitas non ponitur directe in illo, sed indirecte, quia non prædicatur de ipsa substantia vt sic prædicatione formali & directa, & quia concurrit ad constitutionem metaphysicam hominis. Denique risibilitas non spectat directe ad idem prædicamentum propter eandem rationem, spectat vero indirecte, quia indentificatur realiter homini, & emanat ab essentia eius.

*Quæritur ergo hic* de quibusdam conditionibus particularibus, quæ requiruntur ad hoc, vt aliquid ponatur in prædicamento vel directe, vel indirecte: de quo quia res est facilis, & sine alia fere controuersia, quàm de nomine, breuiter quid dicendum sit, proponemus sequentibus conclusionibus.

## CONCLVSIO I.

Nihil ponitur in prædicamentis, quod non sit reale & positiuum

23. *Nihil ponitur directe vel indirecte in prædicamentis, quod non sit reale & positiuum, vnde realitas & positiuitas, vt ita dicam, est vna ex conditionibus requisitis in quocumque collocabili in prædicamentis.* Hæc resolutio est communis, & *patet*, quia licet posset statui vel vnum prædicamentum, vel plura, in quibus collocarentur negationes, priuationes, & entia rationis, tamen hæc decem prædicamenta Philosophi sunt prædicamenta entium realium positiuorum; nam ens, quod in illa diuidit Philosophus, est ens simpliciter, quod non intelligendum est de alio, quam de reali positiuo: nam ens rationis non vocatur ens simpliciter.

## CONCLVSIO II.

Nec quod non sit finitum.

24. *Nihil ponitur in prædicamentis his directe aut indirecte, quod non sit finitum.* Hæc etiam est communis, & probant aliqui, quia nihil ponitur in his prædicamentis nisi genera generalissima vel contenta sub illis: sed nihil nisi finitum potest esse genus generalissimum aut contentum sub ipso: ergo nihil ponitur in prædicamentis quod non sit finitum. Probatur minor, quia non datur aliquod ens positiuum, quod non sit finitum, nisi Deus, aut identificata Deo: sed Deus nequit esse genus generalissimum vllius ex his prædicamentis, vt patet, nec contentum sub genere generalissimo vllo alio, quia aliàs constaret genere generalissimo, quod argueret in ipso imperfectionem: quia omne genus dicit gradum perfectibilem & potentialem, omnis autem talis gradus est imperfectus, & consequenter non potest contineri in Deo absque imperfectione Dei.

*Contra* hanc rationem facit, quod valde difficile est assignare rationem cur substantia vt sic, non sit genus respectu Dei & aliarum substantiarum. Hoc autem supposito corruit prædicta ratio, vt patet, quia Deus constare posset genere.

*Dices*: ideo substantia vt sic non est genus, quia non est quid vniuocum Deo & aliis substantiis; aut quia non perfecte præscindit à Deo & aliis substantiis; aut quia includitur formaliter in differentiis contrahentibus ipsam.

*Contra*, quia sicut hoc dicitur de substantia, vt sic, communi Deo & substantiis creatis, posset dici de substantia, vt sic, communi substantiis omnibus creatis, videtur enim esse eadem ratio.

*Dices* cum Scotistis propterea substantiam, vt sic, non esse genus ad Deum & substantiam finitam, quia non contrahitur per differẽtias, sed per modos intrinsecos, quemadmodum ens vt sic contrahitur ad ens finitum & infinitum.

Fortassis doctrina huius responsionis est bona: sed quia est valde difficile assignare discrimen inter modum intrinsecum contrahentem ens ad Deum, ac differentiam, & quia non minus difficile est ostendere quod relatio vt sic quæ est summum genus prædicamenti relationis, non cõtrahatur per modos ad sua inferiora, si substantia, vt sic contrahatur per tales modos ad Deum & creaturam: ideo.

*Probatur conclusio aliter*, & multo facilius, quia reuera Philosophus non voluit diuidere in prædicamenta, nisi entia creata ac finita: vnde certum debet esse quod in prædicamentis his decem assignatis à Philosopho non ponatur Deus, & quod consequenter vna ex conditionibus rerum in illis positarum sit finitas.

Quomodo Deus posset poni in prædicamento.

Sed si per prædicamentum nihil aliud intelligeretur, quam classis aut series aliquarum rerum inter se subordinatarum & contentarum sub aliquo conceptu communi vniuoce competente illis, nihil prorsus obesset, quo minus Deus poneretur in aliquo prædicamento, nimirum serie rerum contentarum sub ente vt sic, aut rerum contentarum sub substantia vt sic: nec hoc argueret vllam in ipso imperfectionem, vt magis apparebit in Metaphysica, dũ agemus de vniuocatione entis, nulla tamen ratione potest contineri in vlla ex his classibus decem, quia vt dixi, suprema genera ipsorum sunt entia finita, & argueret sine dubio imperfectionem in Deo esse sub tali genere contineri.

## CONCLVSIO III.

Quod ponitur directe in prædicamento debet esse vnum per se.

26. *Quidquid ponitur directe in prædicamentis, debet esse vnum per se.* Hæc est communis, & *patet*, quia licet possent entia per accidens collocari in aliquo prædicamento sub aliquo conceptu communi entis per accidens, tamen Philosophus voluit entia per se in classes redigere, & redegit in has decem, à quibus propterea arcenda sunt omnia entia per accidens.

*Confirmatur*, quia expresse diuisit entia incomplexa in decem prædicamenta: sed omne ens per accidens est ens complexum: ergo non spectat ad vllum ex his prædicamentis.

Quænam entia censenda sunt per se vna.

*Si autem quæras*, quænam entia censenda sunt vna per se, & non per accidens: *Respondeo*, omne illud ens vocari debere & esse vnum per se, quod non est compositum ex subiecto & accidente, nec ex partibus pluribus, quæ per se & essentialiter non subordinantur sibi inuicem per modum actus & potentiæ, seu perfectiui per se & perfectibilis per se: illud vero est ens per accidens, quod constituitur, seu componitur ex subiecto & accidente, seu ex partibus non essentialiter ordinatis per modum perfectibilis per se, & perfectiui per se. Hinc patet, album, prout dicit quid conflatum ex albedine & subiecto albedinis, nõ spectare ad vllum prædicamentum, quia componitur ex subiecto & accidente. Patet etiam, aggregatum ex pluribus lapidibus, aut hominibus non spectare directe aut indirecte etiam ad vllum prædicamentum, quia est quid compositum ex partibus non ordinatis essentialiter inter se per modum perfectibilis per se, & perfectiui per se; neque enim vnus lapis est per se perfectibilis ab alio lapide, aut per se perfectiuus ipsius.

Signa ex quibus colligi possit aliquod compositum esse vnum per se, aut per accidens.

27. Signum autem optimum ad colligendum aliquid constans ex partibus aliquibus esse per se vnum, vel per accidens vnum, est primo, si constet ex partibus realiter distinctis, & illæ partes spectent ad diuersa prædicamenta; nam res diuersorum prædicamentorum ex his decem prædicamentis, quæ de facto examinamus, non sunt per se ordinatæ ad inuicem per modum perfectibilis & perfectiui, vnde tale compositum sine dubio erit vnum tantum per accidens, & non per se. Secundò, si illæ partes sint eiusdem prædicamenti, videndum est an quælibet ex illis ponatur directe in prædicamento, & tum dicendum est quod illud totum sit vnum per accidens, quia quidquid ponitur directe in prædicamento est quid completum, & consequenter nequit habere rationem perfectibilis per se per aliquid aliud realiter distinctum, quod etiam sit completum, eo enim ipso quo haberent aliqua realiter distincta; se per modum perfectibilis per se, & perfectiui per se, non essent cõpleta, hac enim ratione materia prima & inter forma substãtialis non dicuntur, nec sunt completa. Quod si ex illis partibus vna sit quid completum, & altera pars sit quid incomplet m, adhuc totum compositum ex illis erit ens vnum per accidens tantum, quia illa pars, quæ est

quid completum, nequit per se esse perfectibilis ab alia parte, quæ est quid incompletum, nec esse per se perfectiua ipsis, alias enim non esset quid completum. Hinc totum compositum ex homine, & pede leonis non est vnum per se.

28. *Dices*: homo mancus, cui scilicet deessent manus, esset quid completum positum directe in prædicamento substantiæ, nam esset animal rationale non minus, quam quicumque alius homo, & tamen esset perfectibilis per manus, sine quibus est imperfectus: ergo falsum est quod quid completum non posset vlterius compleri & perfici per aliquid realiter distinctum.

*Respondeo* hominem talem esse completum physicè, quia constat partibus physicis non complebilibus vlterius physicè; sed non est tamen completus integraliter, vnde iuxta hoc distinguo consequens: falsum est quod completum, qua ratione est completum, possit vlterius perfici, nego; secundum quod non est completum, concedo consequentiam.

*Et si quæras*, vtrum homo quatenus constituitur ex partibus integralibus sit vnum per se, *Respondeo* quod sit vnum per se integrale, quia vt sic constituitur ex partibus eiusdem prædicamenti per se connaturaliter ordinatis ad hoc, vt vniantur inter se, & ex iis vna non est subiectum alterius. Itaque compositum ex rebus realiter distinctis eiusdem prædicamenti est vnum per se integrale, quando partes illæ natæ sunt connaturaliter continuari inter se; & est vnum per se physicum, si partes illæ spectantes ad idem prædicamentum, ex quibus constituitur ita se habeant, vt neutra ponatur directe in prædicamento illo, & natæ sunt vlterius facere vnum compositum, cui aliqua vna peculiaris operatio, aut effectus competere possit ratione istarum partium.

29. Quòd si partes illius compositi sint realiter identificatæ, & solummodo formaliter, vel ratione distinctæ, videndum est an sint inter se sic subordinatæ, vt fundentur in aliqua entitate per se vna physice; & præterea an vlla ex ipsis per se præsupponat alteram tanquam radicem, ex qua profluat: si fundentur in vna tali entitate per se vna physicè ita, vt in alia nequeant reperiri, & neutra alteram præsupponat, tanquam radicem, ex qua pullulat, illud compositum debet dici per se vnum metaphysice loquendo: si verò non fundarentur sic in aliqua entitate per se vna physice, aut si vna ex illis præsupponat alteram, tanquam radicem, ex qua sequitur, seu pullulat illud compositum non erit vnum per se metaphysicum, sed per accidens. Hinc patet, compositum ex animalitate & rationalitate esse vnum per se metaphysicum, quia constat ex formalitatibus realiter identificatis, quæ non reperiuntur, nisi in entitate vna per se physice, verbi gratia in entitate alicuius hominis; & quia nec rationalitas profluit ex animalitate, quandoquidem alias omne animal esset rationale, nec è contra animalitas ex rationalitate, quandoquidem reperiatur secundum suum conceptum formalem sine rationalitate. Totum autem compositum ex humanitate, & risibilitate est vnum per accidens, metaphysice loquendo, quia risibilitas præsupponit humanitatem tanquam radicem, ex qua profluit, & propterea dicitur competere homini per se, non in primo modo dicendi, sed in secundo.

*Aduertendum autem*, quod compositum metaphysicum vnum per se non debeat habere semper partes, seu formalitates metaphysicas, ex quibus componitur, fundatas in entitate vna per se physice, hoc est composita ex partibus physicis realiter distinctis, quia aliàs essentia Angeli non esset quid vnum per se metaphysice loquendo, quod est absurdum; sed debet habere eas fundatas in entitate, quæ sic sit vna per se physice completa, vt non sit compositum physicum vnum per accidens, siue sit compositum physicum, sine non sit.

## CONCLVSIO. IV.

Completa solum ponuntur directe in

30. *Vt quid ponatur directe in prædicamento, debet esse quid completum: vt ponatur autem indirecte & reductiue non debet esse quid completum.* Hæc quoque communis est, *& patet prima pars*, quia nihil ponitur directè in prædicamento, nisi vel genera summa, vel illa, de quibus genera summa possint prædicari in quid, hoc enim est quod intelligimus per directam positionem in prædicamento: sed genera summa sunt entia completa, seu conceptus obiectiui abstracti à singularibus completis, & non prædicantur in quid de vllis entibus, quæ non sunt completa: ergo sola entia completa ponuntur directe in prædicamento.

Prædicamentis incompleta vero indirecte.

*Confirmatur*, quia secundum Philosophum. 7. *Met. tex.* 8. materia non est per se species vllius prædicamenti: sed huius non est alia ratio, nisi quia non est ens completum; ergo entia incompleta nequeunt poni in prædicamento vllo ex his decem, de quibus modo agimus. Et dico *Ex his decem*, data opera, quia non dubito quin possit fieri series entium incompletorum, verbi gratia formarum substantialium, siue omnium, siue aliquarum conuenientium in aliquo gradu communi non conuenienti aliis formis, & has series posse vocari prædicamenta, in iisque collocari sola entia incompleta, non vero completa, saltem directe.

*Secunda pars patet*, quia vt ponantur indirecte, sufficit, quod possint concurrere ad constitutionem rerum, quæ directe ponuntur in prædicamentis: sed ad hoc non requiritur, vt sint completa.

31. *Sola potest hic manere difficultas*, quænam entia censenda sint completa completione requisita ad hoc vt ponantur in prædicamentis.

*Ad quam difficultatem Respondeo*, ex singularibus entitatibus physicis illa esse completa sufficienter ad hoc vt ponantur directe in prædicamento, quæ non sunt partes essentiales physicæ vllius rei, aut actu, aut potentia; & quæ sunt tales partes esse incompleta sic, vt non possint poni directe in prædicamento. Hinc patet, materiam singularem, & formam singularem quamcumque non spectare directe ad prædicamentum vllum, totum vero constitutum ex materia, & forma physica completa esse quid completum; & etiam Angelum & albedinem, quia nullum ex his potest esse pars essentialis physica compositi vnius per se. Dico autem compositum physicum ex materia & forma completa esse quid completum, quia si daretur aliquod compositum ex materia & forma substantiali incompleta, (vt nos Scotistæ existimamus de facto dari in substantiis corporeis viuentibus, de quo suo loco) illud compositum esset incompletum, & indirecte solum spectans ad prædicamenta, sicut materia prima; quia posset esse pars physica alterius compositi physici constantis ex illo & vlteriori forma substantiali, quæ esset per se perfectiua talis compositi incompleti, sicut forma aquæ est per se perfectiua materiæ primæ aquæ.

Quænam entia sunt completa.

*Dices*: digitus vnus constans parte illa corporis, quæ vocatur digitus, & anima, nequit esse pars essentialis physica alicuius rei, & tamen non est quid completum & directe ponibile in prædicamento substantiæ, sed indirecte tantum: ergo falsum est quod omne illud singulare sit completum, quod nequit esse pars essentialis physica vllius vnius per se.

32. *Propter hoc* additur cõmuniter, quod vlterius etiam id non debeat esse pars integralis vllius rei, quod est completum sufficienter ad hoc, vt ponatur in prædicamento: & quia sunt duo genera partium integralium, nam quædam sunt partes homogeneæ, hoc est, eiusdem rationis, vt partes aquæ; & quædam heterogeneæ, hoc est diuersæ rationis, vt sunt manus, pes, oculus, caro, pellis, os; distinguunt communiter authores, & dicunt, illa entia singularia, quæ possunt esse partes heterogeneæ ex natura sua alicuius compositi, non esse entia sufficienter completa, vt collocentur directe in prædicamentis, & propterea excludunt à recta linea prædicamentali manum, pedem, caput, oculos, & similia entia; illa vero entia, quæ possunt esse partes homogeneæ, modò non possint etiam connaturaliter esse partes heterogeneæ, vt sunt partes aquæ, dicuntur esse completa sufficienter ad hoc vt ponantur directe in prædicamento aliquo, quia huiusmodi partes sunt eiusdem rationis cum toto, quælibet enim pars aquæ est

Quænam partes integrales sunt completa entia quænam incompleta.

eiusdem

eiusdem rationis & essentiæ cum tota aqua,& consequentet completum quid ac ponibile in prædicamento directe non minus quam ipsa aqua tota;& sane si pars aquæ non poneretur directe in prædicamento, nec ipsa aqua sic in ipso poneretur;nec etiam, aut pars aquæ, aut tota aqua poneretur indirecte etiam in prædicamento,& sic daretur aliqua substantia realis finita vna per se,quæ nec directe nec indirecte poneretur in prædicamento substantiæ, aut vllo alio,quod est absurdum, & contra adæquatam diuisionem entis finiti,vt sic,in decem prædicamenta. Probatur autem sequela, nimirum quod si aqua, & pars eius non ponerentur directe in prædicamento, non ponerentur etiam in ipso indirecte, quia eatenus ponerentur indirecte,quatenus reducerentur ad aliquid directe in ipso ponibile:sed nihil tale assignari posset,vt patet: ergo non ponerentur indirecte in prædicamento.

Itaque partes huiusmodi homogeneæ, quæ nequeunt esse partes heterogeneæ, ponuntur directe in prædicamento,non tamen quatenus sunt pars, sed quatenus habent in se essentiam physice completam: hoc autem non est intelligendum de partibus homogeneis omnibus,quia partes carnis sunt homogeneæ, & partes ossis, & tamen non ponuntur directe in prædicamento vlla ratione; sed de illis partibus homogeneis,quæ non sunt natæ esse partes heterogeneæ,quales sunt partes aquæ, non vero partes carnis.

33. *Hæc doctrina* tota nõ patitur maiorem difficultatem quàm quòd aliquod videatuur poni directe in prædicamento substantiæ, quod potest esse pars heterogenea inclusa in aliquo toto composito integrali:nam homo,mancus,cui deficit manus, cùm non obstante defectu manus sit quid completum physice, & essentialiter animal rationale,videtur omnino poni directe in prædicamento substantiæ tam bene quam quicumque alius homo,& tamen potest esse pars heterogenea totius integralis compositi integraliter ex illo homine manco & manibus eius:ergo aliquid quod potest esse pars heterogenea alicuius totius, directe ponitur in prædicamento.

Quæ pars heterogenea potest poni directe in prædicamento.

*Responderi tamen potest*, omnem illam partem heterogeneam posse poni directe in prædicamento, quæ possit habere denominationem totius illius compositi,quod esset completum & constans omnibus suis paribus integralibus heterogeneis: Vnde quia homo mancus dicitur simpliciter homo, & animal rationale, quemadmodum homo totaliter integer ex omnibus partibus integralibus, propterea potest dici, quod ponatur directe in prædicamento substantiæ homo ille mancus,sicut homo integer: sed quia manus hominis non dicitur homo, etiam si sit animata, ideo non debet poni directe in prædicamento substantiæ.

Quæ entia singularia sunt completa.

34. Itaque illa entia singularia sunt completa, quæ vel non sunt nata concurrere tanquam partes ad compositionem essentialem physicam aut integralem vllius entis singularis alterius,vel si sint nata concurrere ad compositionem talis entis, habent denominationem istiusmet entis, & essentiam metaphysicam eiusdem rationis cum ipso.Ex qua descriptione entis completi sequitur Angelum quèque esse ens completum, & partem quamcumque aquæ, & hominem quemcumque, quamuis ipsi deesset aliqua pars integralis,vt manus vel pes: materiam vero primam, & corpus, quod est altera pars physica, ex qua & anima componitur homo physice, & ipsam animam, & manum, pedem, os, carnem, similiaque esse entia incompleta,ac indirecte tantum, seu reductiue spectantia ad prædicamenta.

Qui gradus metaphysici sunt completi.

35. Ex gradibus seu formalitatibus metaphysicis illi gradus,seu formalitates consentur completæ, quæ sunt prædicabiles in quid de entibus physice completis; vnde quia sola genera & species sic prædicantur, sola illa sunt entia completa & directe ponibilia in prædicamento,differentiæ vero,sunt entia incompleta, & solum indirecte & à latere in prædicamentis collocabilia; proprietates etiam similiter sunt incompletæ & reductiue tantum ad has classes spectantes.

*Et si quæratur*, cur genera & species sint censenda entia completa potius quam differentiæ,quandoquidem genera sint partes essentiales metaphysicæ rerum,quarum sunt genera,sicut differentiæ sunt.

*Respondeo* propter illam rationem, propter quam genera prædicantur in quid, & differentiæ prædicantur in quale quid.

Cur genera & species sint completa entia non vero differentia.

36. *Et si quæras* rursum,quænam sit hæc ratio? *Respondeo* rationem esse,quod differentiæ non prædicentur nisi per modum partis,genera vero & species,licet reuera sint partes,non tamen prædicantur per modum partis; quando enim dicimus quod Petrus sit animal, non significamus ex modo loquendi quod inuoluat aliquam aliam partem essentialem præter animalitatem:& idem est quando dicimus quod sit homo, sed quando dicimus quod Petrus sit sensitiuus & rationalis essentialiter ex modo loquendi, damus intelligendum quod includat aliquam aliam partem essentialem præter rationalitatem & sensitiuitatem, nimirum illam aliam formalitatem essentialem, cui concipimus rationalitatem adiacere tanquam determinatiuum.

## CONCLVSIO V.

Substantia ponuntur in prædicamentis in concreto metaphysico non in abstracto.

37. *Quæ ponuntur directe in prædicameno substantiæ,debent poni in eo, quatenus significantur nomine concreto substantiuo, & metaphysico, non vero vt significantur nomine abstracto metaphysico.* In hoc conueniunt omnes:& patet, quia debent poni in prædicamento directe secũdum quod possint prædicari & subijci sibi inuicem,sed,vt supra diximus,abstracta metaphysica non possunt de inferioribus prædicari;concreta vero possunt:ergo solum sunt ponenda in prædicamento substantiæ, quatenus significantur nomine concreto, seu quatenus sic concipiuntur. Hinc patet, nec animalitatem vt sic,nec humanitatem poni directe in prædicamento substantiæ, sed bene animal & hominem: idem est iudicium de cæteris similibus, de quo non potest esse alia quæstio quam de nomine.

## CONCLVSIO VI.

Accidentia possunt poni in prædicamentis vel in abstracto physico vel in concreto.

38. *Satis probabile est, entia, quæ ponuntur directe in nouem prædicamentis accidentium, posse poni in illis, vel in abstracto physico, vel in concreto physico, modo tamen obseruetur proportio sic, vt si supremum genus ponatur in concreto,cætera inferiora similiter ponantur in concreto: si vero ponatur supremum genus in abstracto,similiter cætera inferiora in abstracto ponantur*: verbi gratia si supremum genus prædicamenti qualitatis ponitur,vt significatur per ly *quale*,quod est concretum adiectiuum & physicum, albedo etiam debet in illo poni, vt significatur per ly album,& color vt significatur per ly coloratum. Hæc meo iudicio est *Scoti quæst.* 11. *prædicament. in responsionem ad quartum*, quatenus dicit accidentia posse poni in prædicamentis in abstracto; & eam tenet *Auersa hic quæst.* 16. contra *Toletum quæst.* 2. *postprædicament. Niphum* 5. *Met.quæst.* 3. *Murciam quæst.* 2. *de natura prædicamenti*; quatenus vero dicit,quod possit poni in prædicamentis in concreto,est contra. *D. Thomam opusc.* 42. *Fonsecam* 5. *Met. Complutenses hic disp.* 5. *Mercrinerum hic quæst.* 1. & *alios plures.*

*Probatur autem primò* authoritate Philosophi,,quia recenset prædicamẽta accidentalia sub nominibus concretis:ergo possunt sub talibus nominibus in prædicamentis poni. *Rursus in cap. de Quantitate & Qualitate* enumerat res illorum prædicamentorum in abstracto:ergo possunt poni secundum ipsum in abstracto. Et sane,nisi teneatur nostra conclusio,videbitur Philosophus vel non satis sibi constare,vel satis æquiuoce loqui,dum aliquando enumerat res prædicamentorum accidentalium in abstracto,aliquando in concreto.

39. *Probatur ratione*, quia illa,quæ ponuntur in prædicamentis accidentium, possunt in ipsis poni quacumque ratione possunt de se inuicem prædicari, & sibi inuicem subijci per modum generum & specierum,ac indiuiduorum completorum:sed certum est,album vt sic posse prædicari de hoc & illo albo, & albedinem vt sic, posse

prædicari per modum generis de nigro & albo, ſicut & color vt ſic poteſt prædicari de hoc & illo colore: & ſimiliter Quale vt ſic, poteſt prædicari per modum generis ſupremi de omnibus qualibus, ſeu qualificatis accidentaliter, ſicut & qualitas vt ſic poteſt prædicari de omnibus qualitatibus; & idem eſt dicendum à paritate rationis de omnibus aliis accidentibus: ergo accidentia poſſunt collocari in prædicamentis, ſiue in abſtracto phyſico, ſiue in concreto phyſico.

*Confirmatur* ſoluendo fundamenta aduerſarum ſententiarum.

40. *Obiicies primò* pro *Toleti* ſententia: Accidentia in abſtracto ſunt entia incompleta: talia non poſſunt poni in prædicamentis: ergo accidentia vt ſic nequeunt poni in prædicamentis.

*Reſpondeo* negando maiorem; ſunt enim completiſſima, quandoquidem non ſint nata conſtituere aliquid, neque per modum partis eſſentialis, nec integralis homogeneæ, aut heterogeneæ. Et ſane ſi accidentia in abſtracto eſſent entia imcompleta, etiam in concreto formaliter loquendo eſſent entia incompleta: ſicut rationale formaliter loquendo eſt ens incompletum, quia abſtractum eius, nempe rationalitas, eſt ens incompletum.

41. *Obiicies ſecundò*: quia accidentia conſtituunt diuerſa prædicamenta ex diuerſo modo afficiendi ſubſtantiam: ergo debent poni in prædicamentis, vt afficiunt ſubſtantiam, & conſequenter debent poni in concreto, quia vt ſic afficiunt ſubſtantiam.

*Reſpondeo* diſtinguendo antecedens: ex diuerſo modo afficiendi ſubſtantiam, id eſt, quatenus ex ſe habent tribuere effectus diuerſos tali diuerſitate ſubſtantiis, tranſeat antecedens; id eſt quatenus concipiuntur vt actu afficientes ſubſtãtiam, nego antecedens, & ſimiliter diſtinguo conſequens; quatenus afficiunt actu, nego; quatenus aptæ ſunt afficere, concedo conſequentiam. Itaque albedo poteſt poni in prædicamento diſtincto à quantitate, etiam conſiderata in abſtracto, quia vt ſic conſiderata, poteſt concipi vt apta nata, dare aliquem determinatum effectum ſubſtantiæ, quem nulla quantitas poteſt tribuere; & idem eſt de cæteris accidentibus; & per hæc patet ad reliqua, quæ pro ſententia illa adduci poſſunt.

42. *Obiicies tertiò*, pro magis communi ſententia tenente quod debeant poni in abſtracto: Concreta non ſunt vnum per ſe: ſed quæ ponuntur directe in prædicamentis ſunt vnum per ſe: ergo accidentia ſolum in abſtracto poſſunt poni in prædicamentis.

*Reſpondeo* diſtinguendo maiorem: concreta formaliter loquendo, & prout dicunt formam cum connotatione ſubiecti, & adiacentiæ, nego maiorem; prout dicunt æque primò & formam illam, & ſubiectum, concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam.

43. *Obiicies quartò*: pro eadem ex *Merinero*: Accidentia in concreto non poſſunt denominari genera, aut ſpecies, ergo nequeunt vt ſic collocari in prædicamentis. probatur antecedens, quia vt ſic non poſſunt conſiderari per modum per ſe ſtantis, ſed per modum adiacentis: ſed genera & ſpecies debent conſiderari per modum per ſe ſtantis, ergo &c.

*Reſpondeo* negando antecedens, quia certum eſt quod coloratum vt ſic, ſit prædicabile de nigro & albo, quatenus talia formaliter & quod non ſit prædicabile de ipſis vt accidens, nec vt differentia, nec vt proprietas: ergo vt genus, vel vt ſpecies, & conſequenter concretum accidentale poteſt conſiderari vt genus, & vt ſpecies.

Propter quam rationem *Scotus* ſupra expreſſe concedit, Quale eſſe genus generaliſſimum reſpectu omnium qualium. Ad probationem antecedentis, nego maiorem: omne enim illud, quod poteſt prædicari in quid, & per quod reſponderi poteſt interroganti quid eſt res, poteſt conſiderari per modum per ſe ſtantis; vnde quia interroganti quid eſt nigrum, bene reſpondetur dicendo quod ſit coloratum, coloratum poteſt conſiderari tanquam quid per ſe ſubſiſtens.

*Dices*: conſideratur coloratum formaliter per modum adiacentis, alias non eſſet concretum adiectiuum, ergo non conſideratur per modum per ſe ſtantis.

*Reſpondeo* diſtinguendo antecedens: quatenus comparatur ad ſubiectum, de quo accidentaliter prædicatur, concedo; quatenus conſideratur in ordine ad illa, de quibus eſſentialiter prædicatur in quid, nego antecedens. Itaque bene poteſt accidere quod aliquid prædicetur per modum adiacentis de aliquibus, & de aliis per modum per ſe ſtantis.

44. *Obiicies quintò*, in fauorem *Merineri*: Scotus expreſſe dicit quæſtione illa vndecima, quod album quidem ponatur in prædicamento qualitatis, ſed quod non ſit qualitas ſub illo modo ſignificandi: ergo ſentit album in concreto non debere poni in prædicamento.

*Reſpondeo* negando conſequentiam, quia aliud eſt, quòd album ſuo illo modo ſignificandi non ſit qualitas, aliud quod ſub illo modo ſignificandi non ponatur in prædicamento, poni enim bene poteſt in prædicamento, etiam qualitatis, ſub illo modo ſignificandi, modò ipſamet qualitas ponatur in concreto, licet non poſſit qualitas in abſtracto de ipſo prædicari, & licet non poſſit conſequenter collocari ſub qualitate in abſtracto. Imo quandoquidem dicat *Scotus* quod ſpectet Quale ad prædicamentum qualitatis, & quod ſit genus generaliſſimum iſtius prædicamenti, licet non aliud genus quam ipſa qualitas, quia quale vt ſic, & qualitas vt ſic non diſtinguuntur niſi in modo ſignificandi, ſignum eſt quod exiſtimauerit vtroque modo poſſe qualitatem poni in prædicamento, & in concreto & in abſtracto, ſeruata tamen proportione, vt ſuperiora & inferiora ponantur eodem modo, aut omnia in concreto, aut omnia in abſtracto.

## CONCLVSIO VII.

45. *Vniuerſalitas non eſt conditio requiſita ad hoc vt aliquid ponatur in prædicamento.* Hæc eſt communiſſima contra *Iauellum* in Log. titulo quinto *cap.* 1. *Probatur*, quia indiuidua ponuntur directe in prædicamentis, ergo vniuerſalitas non eſt conditio requiſita ad hoc. Probatur antecedens, quia indiuidua aliqua ſunt entia realia finita completa, & de illis in quid genera generaliſſima prædicantur, vt patet de Petro & Paulo: ergo nihil impedit quominus ponantur directè in prædicamentis.

Vniuerſalia ſola nõ ponuntur in prædicamentis.

*Confirmatur*, quia non ponuntur reductiue, nec à latere, quandoquidem non ſint partes, nec proprietates alterius rei, quæ directe ponitur. Aduertendum tamen reuera hic non eſſe aliud, quam quæſtionem de nomine; nam ſi per prædicamentum intelligamus ſeriem omnium prædicatorum, quæ inter ſe inuicem coordinari poſſunt, quoad ſubiectionem & prædicationem in quid, certũ eſt indiuidua ſpectare ad prædicamenta; nec hoc Iauellus, vt credo, negaret: ſi vero per prædicamenta intelligeremus ſeriem prædicatorum & formalitatum eſſentialium, quæ ſic ordinari poſſunt, tum indiuiduũ non ſpectabit ad prędicamentum, quia ſingularitas non eſt prędicatum eſſentiale. Melius autem accipitur prædicamentum primo modo, quia ſic accipitur communiter à Doctoribus.

Conditiones requiſitæ vt aliquid ponatur in prædicamẽto.

*Dices*, pro *Iauello*: Porphirius aſſignat pro terminis extremis prædicamenti genus ſummum & ſpecies infimas; ergo indiuiduum non ſpectat ad prædicamentum, quia alias ſpecies infima non eſſet terminus, nec extremum prædicamenti.

*Reſpondeo* negando antecedens: nec enim aſſignauit ſpeciem infimam pro vno extremo ſimpliciter, ſed pro vno extremo ex prædicatis eſſentialibus, quod nõ facit ad rem.

## CONCLVSIO VIII.

46. *Nulla alia conditio requiritur vt aliquid ponatur in prædicamento, præter hactenus explicatas, nempe quod ſit aliquid reale finitum vnum per ſe, completum & modo concreto vel abſtracto conceptum iuxta dicta.* Hæc eſt communior contra *Alb.* & *Ægidium* hic, & *Plotinum*, qui putauerunt Angelos non poni in aliquo ex his prædicamentis, & contra alios vt *Auerroem*, *Iandunum*, *Sueſſanum*, *Iamblicum*, quos ſequitur probabiliter *Vallius q.* 2. *de ſubſtantia c.* 5. qui excludunt ab his prędicamentis ſubſtantias

substantias incorruptibiles, vt sunt cælestia corpora, Quod si verum esset Angelos & cælestia corpora non poni in his prædicamentis; quandoquidem prædictæ conditiones cõpetãt illis, sequitur alias conditiones requiri præter dictas.

Angeli & cælestia corpora spectant ad prædicamenta.

*Probatur conclusio*, quia gratis requireretur aliqua alia conditio & gratissime arceretur à prædicamentis de facto datis tanta multitudo creaturarum, quanta est Angelorum & corporum cælestium.

*Confirmatur*, quia Philosophus diuisit ens reale finitum vt sic in hæc decem prædicamenta: ergo vel diuisio non est adæquata aut bona, vel nullum tale ens datur, quod non spectet aliquo modo ad hæc prædicamenta: sed certum est Angelos & cælestia corpora non spectare reductiue aut indirecte ad hæc prædicamenta; ergo spectant ad illa directe.

*Confirmatur secundò*, quia nihil impedit quominus ab Angelis, corporibus cælestibus, & sublunaribus possit abstrahi aliqua ratio generica communis substantiæ vt sic tam bene, quam potest ab omnibus corporibus sublunaribus abstrahi talis ratio, & hoc supposito, nihil impedit quo minus substantia, quæ est genus generalissimum prædicamenti substantiæ, sit ratio illa communis: ergo dicendum est quod sub genere generalissimo prædicamenti substantiæ comprehendantur Angeli & corpora cælestia, & consequenter quod spectent ad prædicamenta.

47. *Obiicies*: nihil potest poni in prædicamẽto, nisi quod est genus generalissimũ, vel quod contineatur sub tali genere: sed nec Angelus vt sic, nec corpus cæleste & incorruptibile vt sic, est aut summum genus prædicamenti vllius, aut contentum sub vllo genere; ergo non possunt poni in prædicamento vllo. Minor quoad primam partem est certa apud omnes; nemo enim dixit Angelum, aut corpus incorruptibile esse summum genus vllius prædicamenti; & ratio est, quia si vllius, maxime substantiæ: sed non huius, quia sic substantiæ corruptibiles non ponerentur in hoc prædicamento, quod est absurdum. Probatur ergo minor quoad secundam partem, quia si continerentur sub genere summo, deberent constare genere: sed non constant, quia non constant materia, id quod certum est de Angelis; sed nihil potest constare genere, quod non cõstet materia, quia genus desumitur ex materia: ergo non cõstat genere.

Quomodo genus debet desumi ex materia?

*Confirmatur*, quia secundum Philosophum 10. *Met. cap. vlt.* corruptibile & incorruptibile differunt genere: ergo substantiæ spirituales & corporeæ cælestes, quæ tũt incorruptibiles, non ponuntur in eodem prædicamento cum substantiis corporeis corruptibilibus; sed si ponerẽtur in aliquo ex his prædicamentis, ponerentur in eodem prædicamento cum ipsis, nimirum in prædicamentò substantiæ: certum enim est, quod non ponantur in vllo prædicamento ex nouem prædicamentis accidentium.

*Confirmatur secundò*, quia Angeli sunt actus puri: ergo non constant genere, quod semper est potentiale quid.

48. *Respondeo*, negando minorem pro secunda parte, & ad eius probationem dico, genus non desumi ex materia, quasi non possit abstrahi ratio generica ab iis, quæ non constant materia; sed si debeat desumi ex materia, hoc verum tantum erit de genere abstracto à rebus materialibus, & illis solis communi. Sed nec de hoc etiam verum est, vt patet ex dictis supra, quasi ex sola entitate materiæ desumeretur; sed vniuersaliter verum erit in sensu proportionali, vt sensus sit, quod genus habeat proportionem cum materia in ratione perfectibilis, sicut differentia habet cum forma in ratione perfectiui.

*Ad confirmationem respondet Auersa*, Aristotelem intelligere per genus eo loci genus physicũ, quod est materia ita vt sensus sit, quod substantia materialis corruptibilis & incorruptibilis differant in materia prima, id est habeant materias primas distinctæ rationis. Et addit, Philosophum sæpe vocare materiam primam genus. Verum hæc responsio nequit seruire illis, qui dicunt materiam primã cælestem & sublunarem esse eiusdem rationis, quæ est sententia communior Scotistarum, quibus propterea aliter respondendum est.

49. Itaque respondeo etiam pro illis, quod corruptibilia & incorruptibilia differant genere non sic, quod non conueniant in aliquo genere communi etiam prædicamẽtali, sed quod omnia corruptibilia conueniant in aliquo genere sibi solis conueniẽte, & similiter incorruptibilia, & quod corruptibilia differãt illo genere ipsis solis cõmuni ab incorruptibilibus; & à contra incorruptibilia differant illo genere, quod ipsis solis est cõmune, à corruptibilibus.

Quomodo corruptibilia differãt genere ab incorruptibilibus.

*Ad secundam confirmationem respondeo* distinguendo antecedens: sunt actus puri, metaphysice loquendo, id est non includentes aliquid potentiale metaphysicum, nego antecedens: actus puri physice, id est, non includentes materiam physicam, nec aliquid per se perfectibile perfectibilitate physica, hoc est aliquid per se perfectibile per aliquam formam realiter distinctam, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Quomodo Angeli sũt actus puri

50. *Quæres* pro complemẽto huius quæstionis, an Christus ponatur in prædicamento substantiæ; *Respondeo*, si consideretur Christus, vt est suppositum humanum præcise, abstrahendo ab inclusione Diuinitatis, sic poni in prædicamento substantiæ non solum in specie humana, in qua comprehenditur natura humana Christi tam bene quam vlla alia natura, sed etiam quatenus est individuum humanum distinctum numero à quolibet alio individuo humano, quia nihil prorsus impedit, & vt sic est ens completum. Si vero consideretur vt includit Diuinitatem non ponitur in prædicamento; quia vt sic, non dicit naturam finitam, sed infinitam: nec in hoc est alia difficultas quam de nomine, quæ quantum fieri potest, semper debet euitari.

An Christus ponatur directe in prædicamento.

# DISPVTATIO XII.

## DE SVBSTANTIA.

NON capitur in hac disputatione Substantia pro natura & essentia rei, quia sic accepta substantia, non spectat ad liquod determinatum prædicamentum, cum nullum dicamentum sit, in quo non ponatur natura & ess ia rerum ad illud spectantium. sicut enim essentia hominis spectat ad hoc prædicamentum, ita essentia lineæ spectat ad prædicamentum quantitatis, & essentia similitudinis ad prædicamentum similitudinis. Capitur ergo hic substantia pro ente, quod opponitur accidẽti & habet diuersã essẽtiã ab essẽtia eius. Huiusmodi autẽ ens merito ponitur in primo prædicamẽto, quia omnia accidentia ad ipsum ordinantur, & propterea *entis entia* vocantur à Philosophis frequentissime. Quare cum de prædicamentis in particulari differere vellet Philosophus, prius de substantia quam de vllo alio prædicamento agit, & *cap. 5. huius libri* ait duas dari substantias, vnam primam, alteram secundam, aitque primam substantiam esse, *quæ neque de subiecto dicitur*, id est non prædicatur essentialiter de vllo inferiori, *neque in subiecto aliquo est*, id est non inhæret vlli subiecto. Deinde asserit substantias secundas esse genera, & species substantiales, quæ scilicet prædicantur in quid de substantiis primis, ijsque propterea inesse substantias secundas tanquam inferiora superioribus. Postea comparat substantiam primam ad secundam, aitque illam, nempe primam, esse maxime proprie substantiam, quia maxime substat; quod non solum intelligendum est quantum ad substandum accidentibus omnibus singularibus, quæ nequeunt subiectari nisi in substantiis primis; sed etiam quantum ad substandum prædicatis essentialibus, quia substantia prima ita substat substantiis secundis, vt nihil aliud ipsi similiter substet; nulla autem substantia secunda ita substat aliis substantiis secundis, quin aliqua substantia ipsi substet, nempe prima: & subiungit, species infimas magis esse substantias quam subalternas, quia magis accedunt ad substantias primas, quandoquidem paucioribus inferioribus substent quam superiores substantiæ secundæ. Denique assignat aliquas proprietates substantiæ.

Quid prima substantia.

Quid secunda.

## QVÆSTIO I.

### *Quid eſt ſubſtantia.*

Duplex acceptio ſubſtantiæ vt opponitur accidenti.

2. DVpliciter capi poteſt ſubſtantia, etiam vt ſignificat id, quod opponitur accidenti: *primo* pro omni eo, quod eſt ineptum inhærere, ſiue ſit finitum ſiue infinitum, ſiue completum ſiue incompletum: & ſic Deus eſt ſubſtantia, & materia prima & forma ſubſtantialis, & omnes differentiæ & modi, ac proprietates ſpectantes ad hoc prædicamentum: & ſubſtantia in hac acceptione bene deſcribitur eſſe quid ineptum inhærere. *Secundò* accipitur pro eo, quod eſt ſummum genus huius prædicamenti, & competens formaliter illis ſolummodo, de quibus iſtud ſummum genus prædicatur in quid, & in hoc ſenſu hic de ſubſtantia agendum eſt potiſſimum: ex dictis autem de ea in hac acceptione, facile erit decidere, quid dicendum ſit de ea in priori illa acceptione.

## CONCLVSIO I.

Quid ſubſtantia, quę eſt genus ſummum prædicamenti ſubſtantiæ.

3. *Subſtantia, quæ eſt genus generaliſſimum huius prædicamenti, eſt ens reale, finitum, completum, per ſe exiſtens, id eſt ineptum inhærere alicui, tanquam ſubiecto, & prædicabile formaliter, & in quid de omni ſubſtantia reali ſingulari finita & completa.*

Hæc concluſio eſt communiſſima, & ſuppoſitis dictis quæſtione præcedenti non poteſt eſſe in controuerſia. Dicitur *ens reale finitum completum*, quia iſtæ ſunt conditiones requiſitæ, vt aliquid ponatur directe in prædicamento, quemadmodum genera generaliſſima in eo ponuntur. Dicitur *per ſe exiſtens*, ſeu ineptum inhærere, vt diſtinguatur genus generaliſſimum huius prædicamenti à generibus generaliſſimis aliorum prædicamentorum, quorũ quodlibet eſt aptum natum inhærere, & conſequenter nõ per ſe exiſtens. Dicitur *& prædicabile formaliter & in quid de omni ſubſtantia ſingulari reali finita & completa*, vt diſtinguatur ſubſtantia, quæ eſt genus ſummum, ab aliis ſubſtantiis completis inferioribus, quarum nulla eſt ſic prædicabilis. Et per hoc patet veritas concluſionis, quia illa deſcriptio generis generaliſſimi huius prædicamenti omni & ſoli competit, & declarat abſque ſuperfluitate, vel defectu naturam generis generaliſſimi,

Poſſet quidem omitti illa vltima particula: *quod ſit prædicabile*, &c. quia licet omnis ſubſtantia inferior vt ſic ſit ens completum finitum reale ineptum inhærere, tamen hoc non competit ipſi niſi quatenus includit rationem ſubſtantiæ vt ſic, quæ eſt genus ſummum: vnde deſcriptio prædicta etiam dempta illa vltima particula, non competeret ipſis per ſe primò, quatenus ſunt tales ſubſtantiæ, ſeu quatenus dicunt differentias contrahentes ſubſtantiam vt ſic: ſed quatenus includunt ſubſtantiam vt ſic, cui proprerea ex modo & differentia contractiua entis vt ſic per ſe primò competit illa perfectas, qua diſtinguitur ab accidente.

Addidi tamen maioris claritatis cauſa illam vltimam particulam, vt poſſet quis ſcire quænam ſubſtantia completa ſit genus generaliſſimum, cui per ſe primò competit illa deſcriptio: erit enim illa ſola, quæ poteſt ineſſe omnibus ſubſtantiis ſingularibus, & de illis prædicari in quid prædicatione exercita.

Ex hac autem deſcriptione hoc modo explicata patet, Deum non comprehendi ſub hoc prædicamento, bene tamen comprehendi Angelos, & cœleſtia corpora, de quo particularius actum eſt quæſtione præcedenti.

## CONCLVSIO II.

Perfectas ſubſtantiæ eſt quid poſitiuum.

4. *Eſſe per ſe, ſeu perfectas, quæ eſt ratio formalis conſtitutiua ſubſtantiæ, eſt quid poſitiuum.* Hæc eſt *Doctoris* 1. *diſt.* 3. & *S. Thom.* 1. *contra gentes cap.* 25. quos præter ſuos ſequuntur communiter moderni, & nominatim *Auerſa hic ſect.* 1. contra *Soncinam* 5. *Met. quæſt.* 14.

*Probatur primò* ex Philoſopho hic: ſi conſiſteret in negatiuo, maxime in negatione eſſendi in alio: ſed hæc negatio à Philoſopho enumeratur inter proprietates ſubſtantiæ, ergo non eſt ratio formalis conſtitutiua eius, quia proprietas non poteſt eſſe talis ratio, ſed potius eam ſupponit, ſicut riſibilitas non eſt ratio formalis hominis, ſed ſupponit eam, nempe rationalitatem.

*Probatur ſecundò*, quia accidens conſtituitur per aliquid poſitiuum; ergo & ſubſtantia: abſurdum enim videtur, quod accidens habeat perfectius conſtitutiuum formale quam ſubſtantia.

*Probatur tertiò*, quia omnis negatio, quæ competit alicui neceſſario & inſeparabiliter, præſertim ſi non ſit negatio, à qua formaliter habet res non eſſe aliud, debet præſupponere aliquod poſitiuum: ergo negatio eſſendi in alio competens ſubſtantiæ debet præſupponere aliquid, ratione cuius formaliter competit ſubſtantiæ, ſed illud poſitiuum non poteſt eſſe ens vt ſic, quia alias omne ens haberet ſecum annexam talem negationem, & conſequenter accidens eſſet per ſe exiſtens, quod eſt abſurdum: ergo debet eſſe aliqua alia formalitas poſitiua, ſed illa alia poſitiua formalitas erit potius ratio conſtitutiua ſubſtantiæ, tum quia prius competit ipſi, quam negatio, cum ſit principium negationis; tum quia per illam diſtinguitur primò ab omni accidente: ergo conſtitutiuum ſubſtantiæ eſt quid poſitiuum & non negatiuum. Vbi tamen aduerte, nos non negare quin ſubſtantia dicat huiuſmodi negationem, ſed quod illa negatio, quamuis neceſſario conſequatur ſubſtantiam, non ſit ratio conſtitutiua eius, ſicut nec negatio rationalitatis, quæ neceſſario conſequitur eſſentiam bruti, eſt ratio conſtitutiua bruti; nec negatio brutalitatis, quæ neceſſario conſequitur eſſentiam hominis, eſt ratio formalis eſſentialiter conſtitutiua hominis.

*Confirmatur* hoc, quia omnis entitas poſitiua, cui repugnat aliquid quod non repugnat alij entitati, debet eſſe diſtinctæ rationis poſitiue ab illa alia entitate: ſi enim eſſent omnino ſimiles, quod repugnaret vni, repugnaret alteri ex ſua ratione formali: ergo cum repugnet ſubſtantię eſſe in alio tanquam in ſubiecto inhæſionis, ſaltem connaturaliter, quod ſufficit ad propoſitum, idque nõ repugnet accidẽti, debet entitas illa, quæ eſt ſubſtantia, eſſe poſitiue diſſimilis in ratione formali entis, in quo, vt ſuppono, vnipoce cõueniunt: ergo in ratione aliqua alia poſitiua diſcõuenient, & conſequenter in ſubſtantia dabitur aliqua alia formalitas poſitiua præter formalitatem entis: ſed illa ſine dubio potius eſt dicenda conſtitutiuum eius, quam vlla negatio: ergo ſubſtantia non cõſtituitur per negationem.

*Confirmatur ſecundò*: Datur in entitate illa, quæ eſt ſubſtantia, aliquid poſitiuum, cui repugnat eſſe in alio, alias non eſſet verum quod id repugnaret iſti entitati: illud poſitiuum non eſt formaliter formalitas entis, nec conceptus obiectiuus aut formalis ipſius, vt patet: ergo aliqua alia formalitas, vel illa ipſa formalitas entis ſub alio conceptu, quod ſufficit nobis: ſed hoc ſuppoſito illa alia formalitas debet dici per ſe conſtitutiua ipſius, potius quam negatio: ergo.

Solutio primæ obiectionis.

*Nec refert*, quod non poſſimus explicare eſſentiam ſubſtantiæ, niſi per huiuſmodi negationem: multa enim ſunt, quæ non poſſumus explicare niſi per aliqua, quæ tamen non ſunt de eſſentia eorum; ſic relationem nequimus explicare, niſi ponendo terminum in eius definitione; nec materiam niſi ponendo formam in eius deſcriptione; nec formam ſine materia; nec potentiam ſine obiecto; nec cauſam ſine effectu; nec genus ſine ſpecie. Per quod patet ad primum fundamentum ſententiæ oppoſitæ, quod in hoc ſolo conſiſtere poſſe videtur, quod ſubſtantia non poſſit explicari niſi per negationem aptitudinis ad inhærendum.

5. *Obiicies ſecundò* pro illis: ſi ſubſtantia finita vt ſic, diceret aliquid poſitiuum ſuperadditum enti, tanquam rationem formalem conſtitutiuam, illud deberet eſſe vel reale, vel rationis; ſed non rationis: abſurdum enim eſſet ſubſtantiam realem conſtitui eſſentialiter per ens rationis; non etiam reale, quia illud poſitiuum ſuperadditum deberet eſſe ens: ergo non eſſet ſuperadditum enti.

*Reſpondeo primò*, hoc argumentum probare nimis, nam æque probaret quod accidens vt ſic, & quodcumque genus ſummum aliorum prædicamentorum, conſtitueretur formaliter per negationem, quod non poteſt teneri ab aduerſariis, & falſum patebit ex dicendis. *Deinde* probaret quod ſubſtantia materialis, quæ eſt ſpecies ſubſtantię

vt

vt sic, constitueretur per aliquid negatiuum, & consequeter quod idem esset dicendum de omnibus aliis speciebus cõtentis sub substantia materiali, quod est absurdissimum Probatur hoc, quia illud positiuum, quod diceret substantia materialis supra substantiam vt sic, deberet esse ens tã bene, quam illud positiuum, quod diceret substantia vt sic: ergo non posset superaddi enti, sicut nec illud positiuum quod esset constitutiuum substantiæ vt sic: & eodem modo discurri potest facile de cæteris generibus & speciebus huius prædicamenti.

*Respondeo secundò*, iuxta principia Scotistica, illud positiuum, quod est constitutiuum substantiæ, non esse ens formaliter loquendo, sicut nec vlla differentia metaphysica, aut modus intrinsecus constitutiuus alicuius naturæ cum aliquo gradu superiori, includit formaliter gradum superiorem.

Iuxta principia Thomistica respondendum esset, quod illud positiuum non sit superadditum proprie enti: sed est ipsum ens cum aliquo explicito conceptu, qui non inuoluitur in conceptu entis vt sic. Totum hoc intelligetur melius ex dicendis in Metaphysica de vniuocatione entis & modo, quo contrahitur ad conceptus particulariores.

## CONCLVSIO III.

Perfeitas non est respectus aptitudinalis.

6. *Perfeitas constitutiua substantiæ, vt sic, non consistit in ineptitudine formali positiua, quæ esset respectus transcendentalis, aut in vllo alio tali respectu.* Hæc est conformis principiis Scotisticis.

*Probatur primò*, quia substantia est quid absolutum essentialiter: ergo nequit constitui essentialiter per respectiuum. *Secundò* quia omnis talis respectus præsupponit aliquid positiuum, ratione cuius competit substantiæ potius quam accidenti, & consequenter omnis talis respectus potius habebit rationem proprietatis, quam constitutiui essentialis, & illud aliud positiuum, ratione cuius ei competit, potius erit constitutiuum essentiale substantiæ. Quo argumento vsus sum ad probandum conclusionem præmissam.

*Confirmatur*, quia non videtur posse fieri vnum per se essentialiter ex formalitate absoluta, & formalitate relatiua: sed substantia est quid vnum per se, ergo nequit constitui essentialiter ex absoluto & respectiuo.

7. *Obiicies*, non potest substantiæ essentia explicari nisi per huiusmodi respectum aliquem: ergo constituitur per huiusmodi respectum.

*Respondeo*, ex dictis paulo ante negando consequentiam. Posset etiam fortassis negari antecedens, quia posset explicari per negationem aptitudinis, aut potentiæ ad inhærendum, non recurrendo ad respectum aliquem positiuum.

*Dices*: Substantia dicit talem aliquem respectum positiuum, per quem posset explicari: ergo per illum debet explicari.

*Respondeo primò*, negando consequentiam, quia nulla est ratio, quare deberet per talem respectum explicari, si sine ipso possit explicari, quamuis etiam per ipsum posset explicari.

An substantia possit per respectum explicari.

8. *Respondeo secundò*, fortassis non esse vllum respectum in substantia vt sic, per quem solum posset explicari bene.

*Dices*: Substantia vt sic, est positiue inepta ad inhærendum, & per hanc ineptitudinem potest explicari eius natura: sed ista positiua ineptitudo est respectus transcendentalis formaliter: ergo potest explicari per respectum.

*Confirmatur*, quia habet substantia vt sic, aptitudinem ad sustentandum accidens: sed hæc aptitudo est respectus, potestque per eam explicari natura substantiæ: ergo potest natura eius explicari per respectum.

*Respondeo*, distinguendo maiorem pro prima parte: positiue inepta, quatenus habet positiuum aliquod, ad quod sequitur negatio aptitudinis ad inhærendum, concedo maiorem; quatenus diceret aliquem respectum aptitudinalem positiuum, nego maiorem, & nego etiam minorem.

*Ad confirmationem* transeat maior, & minor pro prima parte; nego autem minorem pro secunda parte: nam per nullam sustentationem accidentium potest explicari natura substantiæ, nisi per substentationem vltimatam, nam substentatio non vltimata potest competere accidenti, sustentatio autem vltimata explicari non potest, nisi inuoluendo alium conceptum proprium substantiæ, qui conceptus solus sufficeret ad explicandam naturam substantiæ sine sustentatione, quod ex paulo post dicendis clarius patebit.

*Dices secundò*: accidens habet respectum aptitudinalem & transcendentalem, per quem explicari potest eius natura, & quæ sit proprietas eius, ergo & substantia vt sic; alias proprietas substantiæ esset imperfectior proprietate accidentis, cum proprietas per quam explicari posset natura substantiæ, esset quid negatiuum, proprietas vero per quam explicari posset natura accidentis, esset quid positiuum.

Aliqua negatio esse posset perfectior proprietas quam positiuum oppositum.

*Respondeo primò*, probabiliter negando consequentiam, & probationem: nam negatio alicuius positiui dicentis imperfectionem maiorem, quam diceret positiuum ad quod sequeretur illa negatio, esset perfectior proprietas quam ipsummet positiuum quod diceret illam imperfectionem: & vniuersaliter quotiescumque melius esset alicui rei non habere aliquod positiuum, quam habere illud, negatio istius positiui est melior proprietas ipsi, quam illud positiuum.

*Respondeo secundò*, etiam probabiliter posse negari antecedens: neque enim videtur necessarium quod accidens vt sic, dicat vllam ineptitudinem formalẽ præter differentiam suam formalem, quæ non est aptitudo formalis, quæ sit respectus vt postea dicetur. Sed hoc totum propono probabiliter tantum, & vt dem occasionem reflectendi, non tanquam quid necessarium ad conclusionem, ad quam perinde est, quod substantia habeat respectum aliquem sibi proprium, per quem posset explicari ipsius natura, aut quod non habeat talem respectum.

## CONCLVSIO IV.

Non bene explicatur substantia per respectum sustẽtandi accidentia.

9. *Non bene explicatur substantia per respectum aptitudinalem, quem habet ad sustentanda accidentia.* Hæc est communis contra *Boethium* hic, qui explicat essentiam substantiæ per ordinem illum, quem habet ad sustentanda accidentia.

*Probatur autem primò*, quia si per impossibile daretur aliquod ens finitum, quod nequiret substare accidentibus & præterea non posset inhærere, adhuc esset substantia prout substantia opponitur accidenti & esset ens per se existens: ergo non bene explicatur ratio substantiæ vt sic per ordinem illum substandi accidentibus. Probatur consequentia, quia si bene explicaretur sic, omnis conceptus substantiæ deberet habere illam rationem: sed non haberet in illo casu: ergo non bene sic explicatur.

*Confirmatur*, quia saluatur conceptus formalis substantiæ & entis per se existentis in Deo, in quo non reperitur illa aptitudo ad substandum accidentibus: ergo non bene explicatur ratio substantiæ vt sic per talem ordinem.

*Dices* non explicari rationem substantiæ vt sic per talem ordinem, sed substantiæ finitæ.

*Contra*, potest etiam dari conceptus substantiæ finitæ sine tali ordine, concipiendo scilicet ens ineptum inhærere, non includens omnem perfectionem, ergo non bene explicatur etiam substantia finita per talem ordinem, sic, vt non posset alio modo explicari; quod est intentum principale conclusionis.

10 *Probatur secundo* conclusio facilius, quia etiam accidentia habent aptitudinem ad substentanda accidentia, quantitas enim substentat qualitates materiales, & qualitates sustentant relationes, & vna relatio sustentat & subiectat alteram in nostra sententia: ergo non bene describitur substantia per ordinem ad substentanda accidentia.

*Dices* non explicari naturam eius per ordinem sustentandi quomodocumque, sed per ordinem sustentandi vltimate: ita scilicet vt id dicatur substantia, quod ita substat accidentibus, aut sustentat illa sic, vt ipsummet non sustentetur ab vllo alio, cui inhæret.

*Contra*: ergo nõ sufficit ponere in explicatione substãtiæ sustentationem accidentium, nisi ponatur vlterius negatio

ſuſtentationis ipſiuſmet ſubſtantiæ ab vllo alio : ſed per ipſammet negationem aut fundamentum eius ſine ſuſtentatione poſſet explicari natura eius, & ab ipſa vel fundamento eius haberet eſſe per ſe & diſtingui ab omni accidente : ergo melius per illam negationem aut fundamentum eius explicaretur natura eius, quàm per ſuſtentationem accidentium.

*Confirmatur*, quia prius competit ipſi eſſe per ſe, ſeu eſſe quid ineptum inhærere ; & prius debet ſic intelligi, quã competat ipſi eſſe ſubiectum vltimatum accidentium, aut poſſe vt tale intelligi : ergo eſſentialius eſt ipſi, & magis intimum, eſſe ſic per ſe quam ſubſtare; & conſequenter melius explicatur natura eius per talem ineptitudinem, quam per illam aptitudinem ad ſuſtentandum: quod eſt intentum principale huius concluſionis.

## CONCLVSIO VLTIMA.

Vera explicatio perfeitatis.

11. *Optime explicatur perfeitas conſtitutiua ſubſtantiæ eſſe illud, ad quod ſequitur formaliter ineptitudo ad inhærendum, ſine illa ineptitudo ſit quid poſitiuum, ſiue ſola negatio. Patet*, quia reuera ad conſtitutiuum ſubſtantiæ ſequitur illa ineptitudo, & ad nihil aliud ſequitur; & deinde non poteſt melius explicari illa perfeitas quam ſic: ergo ſic bene explicatur.

*Confirmatur*, quia eo ipſo quo concipimus aduenire enti aliquid poſitiuum, ad quod ſequitur, tanquam ad radicem formalem, talis ineptitudo, nõ intelligendo aliquid aliud, intelligimus quod conſtitutum ex ente & tali poſitiuo ſit quid per ſe ſubſiſtens; & eo ipſo poſſumus diſtinguere ipſum ab omni accidente, & impoſſibile eſt concipere aliquid per modum ſubſtantiæ, niſi concipiatur ſic: ergo ſic bene explicatur perfeitas conſtitutiua ſubſtantię.

*Quæres*, an ratio ſubſtantiæ, vt ſic perfecte abſtrahatur ab omnibus ſubſtantiis, ſitque illis vniuoca, an analoga. *Reſpondeo*, eodem modo de hoc diſcurrendum quo diſcuritur de ratione entis, vt ſic, in ordine ad omnia entia, quia eadem prorſus eſt ratio; vnde reſolutio remittenda eſt ad Metaphyſicam, vbi examinabitur illa difficultas de ente; & modo ſupponendum cum Scotiſtis, quod perfecte præſcindat, & quod ſit vniuoca omnibus illis, de quibus ſubſtantia vt ſic, prædicatur in quid, quod etiam patet ex dictis ſupra de vniuocis & analogis.

## QVÆSTIO II.

### *De diuiſione ſubſtantiæ in Primam & Secundam.*

Variæ ſententiæ.

12. DIuiſionem hanc traditam exiſtimant authores à Philoſopho *cap. 5. de ſubſtantia*, dum aſſerit ex ſubſtantiis aliquas eſſe primas, aliquas ſecundas : & mirabile eſt quam varie de ea diſcurrant, & quam diuerſas excogitauere ſententias, dum quidam dicunt eſſe diuiſionem vniuoci in vniuocata; quidam analogi in analogata; quidam ſubiecti in varia accidentia ; quidam accidentis in ſubiecta; quidam ſubiecti in proprietates ; quidam ſubſtantiæ primo intentionaliter ſumptæ in proprietates reales; quidam eiuſdem in proprietates rationis; quidam ſubſtantiæ ſecundò intentionaliter ſumptæ in plures intentiones ſecundas; quidam omnibus his modis defendi poſſe diuiſionem; & quidam denique negant eſſe diuiſionem vllo modo. Quas omnes ſententias longum eſſet in re nullius fere momenti ſigillatim cum ſuis fundamentis proponere & examinare : conſultius videbatur, quid in rei veritate dicendum ſit ſtatuere.

*Suppono autem*, per ſubſtantiam primam intelligi ſubſtantiam ſingularem, quia illa ſola eſt, quæ *neque de ſubiecto dicitur*, hoc eſt non prædicatur formaliter de aliquo inferiori, *neque in ſubiecto eſt*, id eſt, non poteſt inhærere alicui ſubiecto : Per ſubſtantiam verò ſecundam intelligi ſubſtantiam vniuerſalem, quia illa ſola eſt, *quæ non ineſt quidem ſubiecto*, quandoquidem nequeat inhærere alicui: *ſed dicitur de aliquo ſubiecto*, quia prædicatur formaliter & in quid de aliquo inferiori, ſicut homo prædicatur de Petro, & animal de homine. Poteſt autem per ſubſtantiam ſingularem intelligi ſubſtantia ſingularis ſecundò intentionaliter, & logice, prout eſt ſcilicet proxime prædicabilis de vno ſolo; vel primò intentionaliter & metaphyſice, prout eſt ſubſtantia non communicabilis pluribus cum multiplicatione : & ſimiliter poteſt accipi ſecunda ſubſtantia, vel ſecundò intentionaliter & logice, prout eſt proxime prædicabilis de pluribus cum multiplicatione; vel primò intentionaliter, & metaphyſice, prout eſt aliquid communicabile pluribus cum diuiſione, ſeu multiplicatione : & hæc diuiſio, ſi ſit diuiſio, poteſt æque eſſe bona, quocumque ex his modis capiantur membra diuidentia.

## CONCLVSIO.

Diuiſio ſubſtantiæ in primam & ſecundam non eſt vera & propria.

13. *Probabilius eſt hanc non eſſe diuiſionem veram aut propriam vllo modo, ſed potius enumerationem plurium formalitatum, quibus competunt diuerſæ proprietates & accidentia ; aut enumerationem plurium proprietatum, aut plurium accidentium competentium rei ſecundum diuerſas formalitates.* Hæc eſt, *Ammonii* in prædicamentis, *Hurtadi*, & aliorum.

*Probatur prima pars* primò, quia ipſemet Philoſophus non proponit illam tanquam diuiſionem : neque enim proponit vllum diuiſum, quod in illa membra, tanquam diuidentia ipſum, partiretur : quod tamen debuiſſet facere, ſi proponeret eam per modum diuiſionis.

*Confirmatur*, quia ex vna parte difficillimum eſt oſtendere quomodo poſſit habere rationem bonæ diuiſionis, & hinc tam varios modos dicendi excogitauerunt authores; ex alia vero parte nulla eſt neceſſitas aſſerendi quod ſit diuiſio, & ſic euaditur illa difficultas, nec incurritur alia æquiualens : ergo dicendum eſt quod non ſit diuiſio.

*Confirmatur ſecundò*, quia ſi quis diceret, quod daretur homo vniuerſalis, & homo ſingularis, non deberet dici diuidere aliquid in illa duo membra: ſed plane eadem eſt ratio in propoſito; perinde enim ſe habet homo vniuerſalis & particularis ad diuiſionem, ac ſubſtantia prima & ſecunda ; & quemadmodum nequit homo vlla ratione bene diuidi in hominem vniuerſalem & ſingularem, ita nequit à paritate rationis vllo modo recte diuidi in ſubſtantiam primam, & ſecundam : ergo non ſic bene diuiditur, & conſequenter, quando dicit Philoſophus quod detur ſubſtantia prima & ſecunda, non debet dici diuidere ſubſtantiam in illa, aut proponere vllam diuiſionem ſubſtantiæ.

14. *Probatur ſecundò*, eadem prima pars diſcurrendo per omnes ſpecies bonæ diuiſionis, & oſtendendo quod hæc nequeat eſſe vlla ex illis, aut ſub vlla ex illis contineri, & conſequenter quod nõ poſſit eſſe bona diuiſio. Itaque, omnis bona diuiſio eſt, aut totius actualis in partes vel eſſentiales, ex quibus componitur eſſentialiter, vt ſi homo diuideretur in corpus & animam rationalem; vel integrales, ex quibus componitur integraliter, vt ſi homo diuideretur in manus, pedes, caput, &c. aut eſt totius potentialis in partes ſubiectiuas, vt animal diuiditur in hominem & brutum ; aut eſt diuiſio accidentis in ſubiecta, qualis eſt hæc, alborum aliud eſt homo, aliud lac; aut accidentis in accidentia, qualis eſt hæc: alborum aliud fluidum, vt lac, aliud molle, vt butirum; aut ſubiecti in accidentia, qualis eſt illa: hominum alius doctus, alius indoctus: ſed nihil diuiditur in ſubſtantiam primam & ſecundam vlla ex his diuiſionibus: ergo, quãdo dicitur dari primam & ſecundam ſubſtantiam non proponitur vlla diuiſio bona. Probatur minor: nihil diuiditur in illa tanquã totum actuale, quia ſubſtantia cõpleta prima (de qua loquimur, quia illa ſola eſt, quæ ponitur directe in prædicamẽto ſubſtantiæ ex omnibus ſubſtantiis primis) non eſt pars eſſentialis aut integralis vllius rei, quæ poſſet, tanquã totum actuale integrale, aut eſſentiale, in illã & in aliãs partes diuidi. Neque tanquam totum potentiale, quia omne totum potentiale ſubſtantiale eſt ſubſtantia ſecunda: ergo non poteſt diuidi in ſubſtantiam ſecundam. Nec tanquam accidens in varia ſubiecta ; nam non ſignificatur hic, quod aliquod vnum accidens conueniat ſubſtantiæ primæ & ſecundæ, aut vna proprietas; ſed potius ſignificatur quod diuerſa accidentia & proprietates competant illis, vt cõmunicabilitas & vniuerſalitas ſubſtantiæ ſecundæ,

dæ, incommunicabilitas & singularitas substantiæ primę. Nec tanquam accidens in accidentia, propter eandem rationem, quia non proponitur hic aliquod accidens vnum in specie coniungi in diuersis subiectis cum diuersis accidentibus, vt patet. Nec tanquam subiectum in accidentia, neque enim hic proponitur aliquod vnum subiectum, quod afficeretur proprietatibus, & accidentibus diuersis, quæ reperiuntur in substantia prima & secunda.

15. *Dices*, substantiam vt sic abstrahentem à singularitate & vniuersalitate, quæ adueniunt ipsi per operationem intellectus, esse subiectum commune illis accidentibus vniuersalitatis & singularitatis, siue illa sint entia rationis, siue denominationes extrinsecæ, & eandem substantiam, vt afficitur vniuersalitate, esse substantiã secundam, esse vero substantiam primam, vt afficitur singularitate, & consequenter dari aliquod commune subiectum, quod diuidatur in hæc membra tanquam in accidentia siue realia siue rationis; quod perinde est quantum ad impugnationem discursus præmissi & conclusionis.

Quod si intelligatur per secundam substantiam substantia communicabilis metaphysice, & per substantiam primam substantia incommunicabilis metaphysice, ita vt communicabilitas & incommunicabilitas non sit quid accidentaliter aduenies ipsis, sed potius proprietas realis identificata ipsis realiter; tum substantia vt sic abstracta ab aliis proprietatibus erit subiectum commune illis proprietatibus, & sic hæc diuisio erit subiecti realis in proprietates, sicut diuideretur animal in risibile & hinnibile.

*Rursus* posset hæc res sic explicari, quod diuideretur hic substantia prædicamentalis, vt sic, in substantiam prædicamentalem communem & singularem, & sic diuisum esset totum potentiale, & quidem genericum, nam substantia prædicamentalis, vt sic videtur abstrahi posse à substantia prædicamentali vniuersali & particulari, tanquam genus à speciebus.

Diuisum in hac diuisione nequit esse substantia vt sic secundum se considerata.

16. *Respondeo ad primum & secundum* ex his tribus modis, quod quamuis posset considerari ratio substantię, non considerata ipsa vt singularis est, aut vt vniuersalis, sed secundum prædicata sua essentialia, quatenus scilicet est ens per se subsistens seu ineptum inhærere, & licet etiam singularitas & vniuersalitas aduenirẽt isti enti, tanquam accidentia, vt dicitur in primo modo. aut tanquam proprietates, vt dicitur in secundo modo; tamen non bene diuideretur substantia vt sic in substantiam vniuersalem & particularem diuisione subiecti in accidentia, aut in proprietates: quia quotiescumque diuiditur subiectum aliquod in accidentia & proprietates, ipsum subiectum debet multiplicari in diuisis: neque enim bene diuideretur Petrus ex eo, quod haberet diuersa accidentia vt albedinem, verbi gratia, & dulcedinem, in dulce & album: & licet posset dici, quod Petrus esset dulcis & albus, & quod existente Petro existeret aliqua substantia alba, & aliqua dulcis, non tamen bene diuideretur substantia in albam & dulcem, quando non darentur plures substantiæ, quarum vna esset alba & altera dulcis, quod videtur mihi non posse negari. Sed non multiplicatur substantia illa abstracta à singularitate & vniuersalitate, seu considerata sine ipsis, in substantia singulari & vniuersali, secundum aduersarios, sed est eadem numero realis entitas substantiæ, quæ afficitur illis diuersis accidentibus, & proprietatibus: ergo non bene diuiditur illa substantia abstracta in substantiam primam & secundam, seu singularem & vniuersalem.

17. *Confirmatur hoc*, quia illa substantia abstracta seu præcisa & cõsiderata secundum sua prædicata essentialia; quatenus scilicet est aliquid per se existens, & ineptũ inhærere, si diuidatur & multiplicetur sub illis accidẽtibus aut proprietatibus, debet habere aliquas differẽtias contrahentes ipsam præter ipsamet accidẽtia aut proprietates vniuersalitatis & singularitatis, seu communicabilitatis & incõmunicabilitatis; quemadmodum quando homo diuiditur in doctum, & indoctum, tanquam subiectum in accidentia, non est idem homo qui est doctus & indoctus, sed homo diuisus multiplicatur in homine docto & indocto, & contrahitur ad hominem, qui est doctus per Petreitatem verbi gratia, & ad indoctum per Paulleitatem; & quemadmodum, quando diuiditur animal in risibile & hinnibile, tanquam subiectum in proprietates, multiplicatur in animali risibili, & hinnibili, & contrahitur ad illa per rationalitatem, & differentiam specificam essentialem equi; sed non possunt assignari differentiæ, per quas substantia secundum sua prædicata essentialia considerata contrahatur ad substantiam primam, & secundam, præter ipsasmet differentias singularitatis & vniuersalitatis, siue considerentur, vt sunt accidentia, siue vt sunt proprietates: ergo non multiplicatur substantia illa secundum se considerata in substantia prima, & secunda: sed vel est eadem indiuisa substantia, quæ est prima & secunda; vel certe illa substantia, quæ est prima, est quidem diuersa à substantia, quæ est secunda; sed non tamen ita, vt possit abstrahi ab vtraque substantia aliqua ratio substantiæ, quæ sit communis vtrique, & multiplicabilis in illis.

18. *Confirmatur secundò*: quotiescumque aliquid diuiditur in aliqua, tanquam in proprietates, neutra ex proprietatibus debet ad ipsum & diuisũ sequi ex ratione sua formali: & propterea, quia animal diuiditur in risibile, & hinnibile, tanquam in proprietates, non debet ad animalitatem sequi aut hinnibilitas aut risibilita, sed debet cõiungi animalitas cum aliqua alia formalitate; & ad hoc quod competat ipsi hinnibilitas, debet similiter coniungi cum alia formalitate: cuius etiam ratio est, quia si alterutra proprietas deberet sequi ad diuisum secundum se consideratum, etiam altera deberet ad ipsum sequi, quia nõ esset maior ratio de vna quam de altera, & sic quodcũque animal esset hinnibile & risibile, quod est absurdum; ergo vt substantia secundum se considerata & prædicata sua essentialia diuidatur in primam & secundam tanquam in proprietates, non debet communicabilitas, quæ est proprietas, quam dicit secunda substantia, ipsi secundum se competere, sed ad hoc vt vlla substantia talis habeat communicabilitatem, tanquam proprietatem, debet aduenire ipsi aliqua alia formalitas præter rationem illam substantiæ vt sic: sed hoc est falsum: ergo non potest substantia secundum se considerata diuidi in substantiam primam & secundam. Probatur minor, tum quia non potest assignari, quænam alia formalitas aduenire substantiæ illi, ratione cuius competeret illi illa communicabilitas; tum quia illa substantia, vt sic, habet communicabilitatem & vniuersalitatem metaphysicam ex se, tanquam proprietatem metaphysicam, non minus quam homo habet, quia est ex se communicabilis substantiæ primæ & secundæ, si fit diuisum in illa, sicut homo est Petro & Paulo. Et per hæc patet non posse assignari aliquod diuisum, quod diuidatur in substantiam primam & secundam diuisione subiecti in accidentia, aut proprietates, siue reales, siue rationis: & patet in particulari diuisũ in illas non posse esse substantiam secundum, & se prædicata sua essentialia considerata: cuius oppositum docent quamplurimi etiam Scotistæ.

Diuisum in illa diuisione nequit esse substantia prædicamentalis.

19. *Ad tertium modum dicendi* de substantia prædicamentali vt sic, *Respondeo* non posse dari vllum conceptum vnum substantiæ prædicamentalis, qui abstrahat à substantia prædicamentali prima & secunda; si enim velimus explicare bene quid sit substantia prædicamentalis, vel debemus ipsam explicare materialiter & specificatiue, dicendo quod sit substantia illa, quæ potest esse prædicamentalis: & sic idem est substantia prædicamentalis & substantia realis completa finita, quæ ex dictis non bene diuiditur in primam & secundam substantiam; vel debemus ipsam explicare formaliter, vt scilicet dicit prædicamentalitatem: & tum quæro, quid intelligatur per substantiam prædicamentalem, vt talis est formaliter.

*Dices* intelligi substantiam ponibilem in prædicamento.

*Contra* hoc est idem per idem explicare: & quæro vlterius quid est substantiam esse ponibilẽ in prædicamẽto. Si dicas quod sit substantiam esse prædicabilem de aliis

inferioribus, coincidit substantia prædicamentalis cum substantia secunda, & sic non abstrahit à substantia secunda, vt diuisum debet abstrahere à diuidentibus: & præterea mala erit explicatio, quia substantia non prædicabilis de inferioribus est prædicamentalis, v. g. Petrus. *Si dicas*, quod sit substantia tantum subiicibilis, etiã mala erit explicatio, quia datur substantia prædicamentalis, quæ non sit tantum subiicibilis; & præterea substantia prædicamẽtalis coincideret cum substantia prima. *Si dicas* esse substantiam subiicibilem & prædicabilem, non minus mala erit, quia genus summum est prædicamentalis substantia, & tamen non est subiicibilis vlli conceptui prædicamentali; & indiuiduum substantiale est substantia prædicamentalis, & tamen non est prædicabilis de inferioribus. *Si dicas* esse omnem substantiam, quæ est vel subiicibilis superioribus gradibus, vel prædicabilis de inferioribus, iam non assignas vnum conceptum, sed plures disiunctiue & præterea sensus diuisionis esset: substantia, quæ est vel prædicabilis vel subiicibilis; & non prædicabilis, est vel prima vel secunda: qui modus diuidendi est prorsus ineptus, & indignus Philosopho & quocumque alio.

20. *Ex his patet secunda pars conclusionis*: quia si nihil diuidatur in primam & secundam substantiam, quandoquidem distinguatur substantia prima à secunda, sequitur manifeste, quod, quando dicitur dari substantiam primam & secundam, solum fiat enumeratio plurium formalitatum identificatarum sibi realiter, quibus diuersæ proprietates, aut accidentia competunt; aut enumeratio plurium proprietatum & plurium accidentium competentium rei secundum diuersas formalitates.

Itaque si per substantiam secundam intelligatur illa formalitas perse existens, quæ est prædicabilis in quid de pluribus inferioribus; & per substantiam primam intelligatur illa substantia, quæ non est sic prædicabilis specificatiue loquendo, erit enumeratio plurium formalitatum identificatarum sibi tealiter: nam quæcumque substantia, quæ est prædicabilis de multis, necessario idẽtificatur realiter indiuiduis; aliàs daretur idæa Platonica: hoc est, natura distincta realiter ab omni indiuiduo. Si verò intelligatur per substantiam secundam substantia communicabilis communicabilitate remota, & per primam substantiam substantia communicabilis incommunicabilitate remota, formaliter & reduplicatiue loquendo, erit enumeratio diuersarum proprietatum competentium rei secundum diuersas formalitates: communicabilitas enim competit Petro secundum humanitatem, & incommunicabilitas secundum Petreitatem. *Denique* si intelligatur per substantiam primam substãtia prædicabilis de vno solo prædicabilitate proxima logica, quam habet à secunda intentione adueniente ipsi per operationem intellectus; & per substantiam secundam intelligatur substantia prædicabilis proxime de pluribus prædicabilitate logica competente ipsi per operationem intellectus, tum erit enumeratio plurium accidentium siue realium, siue rationis, iuxta diuersas sententias de secundis intentionibus, quæ diuersa accidentia competunt rei secundum diuersas formalitates.

Quo sensu potest admitti hanc diuisionem esse subiecti in accidentia.

21. Et in hoc sensu intelligendus est Doctor noster, dũ dicit hanc diuisionem substantiæ in primam & secundã esse diuisionem subiecti in accidentia; neque enim voluit esse diuisionem proprie dictam, sed improprie dictam, talem scilicet, quæ coincidit cum enumeratione plurium accidentium conuenientium eidem rei secũdum diuersas formalitates; in quo sensu potest admitti esse diuisionem subiecti in accidentia, nec id est contra nos, qui loquimur de diuisione proprie dicta. Quod de re hac parum vti li & valde intricata dictum sufficiat.

Cur prima substantia dicatur magis esse substantia quam secunda.

*Quares* hic, cur substantia prima dicatur à Philosopho esse magis substantia quàm secunda.

*Respondeo* breuiter posse sic vocari, tum quia magis immediate substat accidentibus, quæ non possunt nisi in substantia prima, hoc est singulari, subiectari; tum etiam quia magis substat substantiis secundis, quandoquidem sit subiicibilis omnibus gradibus substantialibus communibus; tum quia minus indiget ad hoc vt existere possit, potest enim substantia singularis immediate produci, sed substantiæ vniuersales non possunt, nisi singularizentur. Quæ etiam ratio est cur species prædicabilis sit magis substantia, quam vlla species subalterna, aut genus generalissimum; quia illis omnibus substat quantum ad prædicationem, & quia minus indiget ad hoc, vt possit existere, quã species illæ superiores; nam species infima, vt existat, non indiget nisi singularitate, genus autem indiget non solum singularitate, sed differentiis specificis.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### *De Proprietatibus substantiæ.*

Sex proprietates substãtiæ.

22. SEx enumeranit Philosophus proprietates substantiæ, de quibus, vt intelligantur, & cognoscatur qua ratione conueniant substantiæ, breuiter pauca dicemus.

Prima proprietas est per se non esse in alio.

*Prima proprietas* est, non esse in alio. Hoc intelligendum est de non esse in alio tãquam in subiecto inhæsionis: nam substantiæ secundæ sunt in substantiis primis tanquam partes essentiales, v.g. homo in Petro: & substantiæ primæ sunt in alio tanquam in loco; & forma substantialis est in materia prima, tanquam in subiecto informationis; & vtraque sunt in composito physico tanquam partes cõstitutiuæ ipsius. Itaque, vt dixi, intelligendum est de non esse in alio tanquam in subiecto inhęsionis. Potest autem dupliciter aliquid non esse in alio tanquam in subiecto inhæsionis: *Primò*, si non sit in tali subiecto actu, siue habeat aptitudinem seu connaturalitatem ad hoc vt sit in illo, siue non: & in hoc sensu verum est, quod nulla substantia sit in alio: sed non soli substãtiæ id competit; nam quãtitas Eucharistica non est in alio, tanquam in subiecto inhæsionis, vt suppono ex doctrina tradita de illo mysterio. *Secundò*, aliquid potest non esse in subiecto inhæsionis, quod non solum non est in illo, sed nec habet aptitudinem vt sit in illo: & in hoc sensu competit omni & soli substantiæ non esse in alio; quamuis enim quantitas Eucharistica non sit in alio, tamen petit connaturaliter esse in alio, vnde per miraculum contingit, vt non sit in alio. Itaque hoc modo explicata hæc proprietas erit proprietas quarto modo substantiæ.

Quomodo negatio possit esse proprietas absoluti.

23. *Circa quod tamen aduertendum*, quod non esse in alio hoc modo potest intelligi vel negatiue, vel positiue: si intelligatur negatiue, tũ nõ esse in alio dicet formaliter negationẽ actualis & aptitudinalis inhærẽtiæ, & illa negatio potest dici proprietas quarto modo, accipiẽdo proprietatem pro omni eo, quod omni & soli conuenit necessario, & non est essentiale ipsi; non tamen erit proprietas quatenus talis dicitur illud, quod identificatur realiter, quia negatio nõ potest identificari sic vlli absoluto, vt patet. Si intelligatur positiue non esse in alio, sensus erit quod substantia habeat ineptitudinem positiuam, & illa ineptitudo potest capi, vel pro perfeitate cõstitutiua substantiæ, & sic capta nõ erit proprietas substantiæ; sed constitutiuum essentiale: vel pro aliquo respectu aptitudinali, qui sequeretur ad illud positiuum, & talis respectus, si detur in substantia, erit proprietas ipsius quarto modo, & identificata ipsi realiter.

Quod autem ad me attinet, existimo, satis probabile esse quod non detur huiusmodi respectus positiuus in substantia, sed quod illa negatio aptitudinalis inhærentiæ sequatur immediate ipsam rationem essentialem substantiæ: nec videtur debere vnquam assignari aliqua proprietas positiua, quæ non habeat munus aliquod positiuum, quale talis respectus non videtur habere posse, sed parum facit hoc ad propositum.

Secunda proprietas est vniuoce prædicari de primis substantiis.

24. *Secunda proprietas* assignata à Philosopho est, vniuoce prædicari de primis substantiis. Circa hanc proprietatem aduertendum, quod vniuoce prædicari possit capi dupliciter. *Primò* sic, vt significet prædicabilitatẽ alicuius prædicati essentialis de pluribus secũdum eandem rationem. *Secundò* sic, vt significet prædicationem alicuius de pluribus secundum eandem rationem, siue sit quid essentiale illis pluribus, siue non sit: si capiatur primo modo vniuoce prædicari de primis substantiis, hæc proprietas erit proprietas quarto modo substantiæ secundæ, omnis enim substãtia secunda est prædicabilis vniuoce & essentialiter de aliquibus substantiis primis, imo substantia secunda, quę est generalissimũ, erit prędicabilis de omnibus

substan

substantiis primis, quæ directe spectant ad hoc prædicamentum; vnde si intelligatur in hac proprietate, quod substantia sit prædicabilis de omnibus primis substantiis, hęc proprietas erit proprietas quarto modo generis generalissimi huius substantiæ, illi enim & soli ex omnibus entibus prædicamentalibus id conuenit. Si verò intelligatur tantum quod sit prædicabilis de aliquibus ex pluribus substãtiis primis, erit proprietas omnis substantiæ secũdæ, quia omnis & sola substantia secunda potest prædicari de pluribus substantiis primis, hoc est indiuiduis substantialibus. Si capiatur secundo modo, quatenus scilicet intelligitur prædicari vniuoce de prædicabilitate eiusdem de pluribus secundum eandem rationem, siue illa ratio sit essentialis, siue non sit, competit quidem omni substantiæ secundæ prædicari de pluribus substantiis primis vniuoce, non tamen id conuenit solis substantiis secundis, quia etiam albedo prædicatur vniuoce in concreto de Petro & Paulo; vnde prædicari vniuoce in hoc sensu non esset proprietas quarto modo substantiæ secundæ; nec id est inconueniens, quia non est necesse vt omnes, quas Philosophus enumerauit proprietates, sint proprietates quarto modo.

*Aduertendum autem* quod quando dicimus prædicabilitatem vniuoce competere tanquam proprietatem substantiæ, id intelligendum semper de prędicabilitate remota & fundamentali, quam habet ex sua natura independenter ab operatione intellectus, non de proxima, quæ logica dicitur, & aduenit per talem operationem, hæc enim est accidens substantiæ, cum sic aduenìat ipsi, vt possit non aduenire.

Tertia proprietas est, significare hoc aliquid.

25. *Tertia proprietas* est, significare hoc aliquid. Si verba hæc attendamus, videtur difficile quomodo possit substantia significare hoc aliquid; sed si spectetur sensus intentus à Philosopho, nullam habet difficultatem. Itaque secundum Doctores cõmuniter vult solum per hæc verba significare, quod vox illa, quæ imponitur ad significandam quamcumque substantiam primam & singularem, significet determinate vnum aliquid, ita vt non possit prædicari vniuoce de pluribus; & per hoc innuit proprium esse substantiæ cuicumque primę & singulari esse aliquid vnum determinatum, quod nequeat qua tale significari per nomen aliquod vniuocum, de quo non potest esse dubium: sed hoc tamen non est ita proprium substantiæ singulari, quin conueniat etiam accidentibus singularibus, à quibus tamen in hoc distinguitur substantia singularis completa, de qua potissimum loquimur, quod substantiæ primæ plurimę soleant nominibus propriis appellari, vt patet de indiuiduis humanis, quæ vocantur nominibus propriis Petri, & Pauli, Patricij, Francisci, &c. & etiam de indiuiduis equorum, canum, felium, quibus sæpissime ab hominibus nomina propria imponuntur, cum tamen non soleamus talia nomina dare accidentibus singularibus: & in hoc sensu etiam posset intelligi quod Philosophus dicat esse proprium substantiæ primæ significare hoc aliquid, hoc est esse aliquid determinatum; quod solet communiter appellari nomine proprio non conueniente vniuoce pluribus; non quasi esset hoc ipsi proprium stricte loquendo, sed accipiendo proprium pro peculiari, & intelligendo per hoc id quod solet fieri in multis substantiis singularibus completis. Dico autem in multis, quia non omnia indiuidua substantialia completa solent habere nomina propria huiusmodi, vt patet de indiuiduis lapidum, florum, &c.

Quarta proprietas est, non habere contrarium.

*Quarta proprietas* est, non habere contrarium. Vt intelligatur hæc proprietas, animaduertendum quod aliquid possit esse contrarium alicui pluribus modis: *Primò*, si sit diuersæ naturæ: sic absolutum & respectiuum sunt contraria, & homo ac brutum. Et in hoc sensu non potest intelligi, quod substantia non habet contrarium, quia accidens est ipsi contrarium, & vna substantia est contraria alteri, vt aqua igni, homo bruto.

Variis modis aliqua sibi sunt contraria.

*Secundò*, id dicitur contrarium alicui, quæ sunt incompatibilia in eodem subiecto, & se mutuo expellere possunt, siue illud subiectum sit subiectum inhæsionis, siue informationis: & in hoc sensu est proprietas substantiæ completæ, non habere contrarium, quia cum substantia completa non habeat subiectum inhæsionis, aut informationis, non potest expellere aliquid, neque expelli à tali subiecto, & consequentet non potest habere contrarium in hoc sensu. Bene tamen aliqua substantia incompleta potest habere contrarium in hoc sensu, nam vna forma substantialis expellere potest, & sæpe expellit formaliter alteram formam ab eodem subiecto informationis, nempe ab eadem materia prima: & hac ratione dicitur, quod generatio vnius sit corruptio alterius. Aliquæ etiam substantiæ incompletæ non habent contrarium in hoc sensu, nempe materia prima, & corporea, quæ sunt altera pars physica substantiarum materialium viuentium.

27. *Tertiò*: id dicitur contrarium alicui, quod potest ipsum expellere ab eodem subiecto inhæsionis: & in hoc sensu est proprium omni substantiæ, non habere contrarium, cum enim non habeat subiectum inhæsionis, nequit expellere formaliter, aut expelli à tali subiecto. Hoc autem modo non habere contrarium est proprium quarto modo substantiæ, quia omni & soli substantiæ competit.

*Dices*: lux non est substantia, sed tamen non habet contrarium quod ipsum expellat à subiecto inhæsionis; & idem est de speciebus impressiuis tam intelligibilibus, quam sensitiuis, quibus potentiæ sensitiuæ vtuntur ad percipienda sua subiecta; (de quarum natura parum debent tyrones hic curare) ergo non habere contrarium in hoc sensu non est competens solis substantiis.

*Respondeo* distinguendo minorem: non habet contrarium positiuum, transeat; priuatiuum, nego. Itaque lux expellitur per tenebras, seu per priuationem lucis formaliter ab eodem subiecto inhæsionis, & idem est de speciebus illis impressiuis, & quibuscumque accidentibus inhærentibus; & hoc sufficit, vt dicantur lux & tales species habere contrarium aliquo modo, quo non habet vlla substantia, quia nulla substãtia potest à subiecto inhæsionis expelli per priuationem, aut negationem sui, quãdoquidem non habeat subiectũ inhæsionis, à quo expellatur.

Quinta proprietas est non suscipere magis aut minus.

28. *Quinta proprietas* est non suscipere magis, aut minus. Sensus huius proprietatis non est, quod vna substantia non possit esse magis perfecta, aut minus perfecta quã alia substantia; nam certum est quod substantia hominis sit perfectior substantia equi, & minus perfecta quam substantia Angelica. Nec etiam sensus est quod non possit vna substantia perfici & augeri extensiue, quandoquidem pueri crescant substantialiter, & habeant sine dubio prouecti maiorem substantiam, quam cum essent pueri. Sed sensus est, quod vna substantia non suscipiat magis & minus quo ad intensionem ita, vt iam sit minus intensa substantia, iam magis intensa, sicut calor est iam magis intensus, iam minus intensus. In hoc autem sensu competit quidem omni substantiæ non esse susceptiuum magis, aut minus, quia non potest intelligi quomodo posset circa substantiam contingere talis mutatio: sed non conuenit tamen soli substantiæ hæc proprietas, nam nec quantitas etiam potest suscipere magis, aut minus in hoc sensu ob eandem rationem.

Sexta proprietas est suscipere contraria.

29. *Sexta denique proprietas* est, suscipere contraria, seu esse susceptiuam contrariorum: quod quidem competit omni substantiæ finitæ; nam nulla prorsus assignari potest, quæ non possit substare alicui accidenti, quod accidens possit adesse & abesse, & quod consequenter habeat aliquod contrarium, per quod expellatur formaliter.

*Dices*: substantia Angelica non suscipit contraria, ergo non competit esse susceptiuam contrariorum omni substantię finitę.

*Respondeo* negando antecedens: quamuis enim non suscipiat contraria materialia, nec tendẽtia ad destructionem ipsius, tamen suscipere potest contraria spiritualia, nimirum nolitiones & volitiones.

Vt autem videatur an hęc proprietas solis substantiis competat, aduertendum aliquid posse esse susceptiuum contrariorum dupliciter: primò per modum subiecti, cui inhærere possent contraria, abstrahendo à modo particulari talis subiecti: & sic non solis substantiis competit

recipere contraria, nam quantitas recipit immediate in se albedinem & nigredinem, calorem & frigus, vt tenent communiter authores, & potest colligi ex quantitate Eucharistica, quæ est subiectum caloris & frigoris aduenientium speciebus Eucharisticis. Secundò potest aliquid esse susceptiuum contrariorum per modum subiecti vltimati, quod ita substat contrariis, vt ipsummet sit ineptum subiectari in alio: & in hoc sensu certum est, nihil posse esse susceptiuum contrariorum quod non sit substantia: quamuis enim quantitas Eucharistica suscipiat contraria, & non subiectetur ipsamet in alio subiecto, tamen apta nata est sic subiectari, & per miraculum tantum fit, quod non subiectetur in alio. Esse ergo susceptiuum contrariorum, in hoc sensu debet intelligi, vt sit proprietas quarto modo substantiæ finitæ.

30. *Pro complemento huius disputationis* proponere placuit seriem prædicamenti substantiæ, seu arborem, quam vocant prædicamentalem, non quidem integram, quia hoc esset valde prolixum & difficile propter multiplicitatem & varietatem substantiarum, sed partem aliquam eius, in qua deducetur genus generalissimum ad indiuidua humana. In hac autem serie, quod supremum obtinet locum, est generalissimum; quod infimum, indiuidua; quod supra indiuidua immediate, species prædicabilis; reliqua intermedia supra se directe posita, species subalternæ, & genera subalterna, genera quidem vt respiciunt inferiora, species verò, vt superiora. Quæ ponuntur denique à latere sunt differentiæ diuisiuæ superioris, & constitutiuæ inferioris.

*Series incompleta Prædicamenti substantiæ.*

SVBSTANTIA.

Corporeitas. — Incorporeitas.

CORPVS.

Corruptibilitas. — Incorruptibilitas.

CORRVPTIBILE.

Mixtura. — Simplicitas.

MIXTVM.

Vita. — Inanimatio.

VIVENS.

Sensitiuitas. — Insensitiuitas.

ANIMAL.

Rationalitas. — Irrationalitas.

HOMO.

Petreitas. — Pauleitas.

PETRVS.

Aduertendum, has differentias positas à latere dextro, v. g. corporeitatem, corruptibilitatem, &c. esse diuisiuas superiorum graduum & constitutiuas inferiorum: alias vero differentias alterius lateris, vt incorporeitatem, incorruptibilitatem, esse quidem diuisiuas graduum superiorum, & constitutiuas etiam graduum inferiorum, non tamen eorum, qui hic ponuntur, sed aliorum: incorporeitas enim constituit non corpus, nec aliquod contentum infra corpus, sed substantiam spiritualem, verbi gratia Angelicam.

Aduertendum vlterius, quod ponatur hic gradus corporis corruptibilis, ex suppositione sententiæ quæ asserit aliqua corpora incorruptibilia, siue dari de facto, siue posse dari. Quæ sententia si non esset vera, non esset necesse ponere illum gradum tanquam superiorem ad corpus mixtum, aut simplex.

# DISPVTATIO XIII.

## DE ACCIDENTE VT SIC.

QVANDOQVIDEM accidens vt sic, sit commune, vel vniuoce, vt tenent Scotistæ, vel analogicè, vt tenent Thomistæ, nouem sequentibus prædicamentis, antequam ad illorum prædicamentorum considerationem in particulari descenderem, aliqua de Accidente in communi proponere volui, quæ etiam ad perfectiorem substantiæ cognitionem deseruire poterunt, quia opposita iuxta se posita magis elucescunt.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit Accidens vt sic.*

1. NON agimus hic de accidente, quinto prædicabili, de cuius natura supra actum est, sed de accidente prædicamentali, quod opponitur substantiæ, & diuiditur vel analogicè, vel vniuoce iuxta varias sententias (de quibus in Metaphysica) in nouem genera accidentium. Aduertendum autem, quod huiusmodi accidens prædicamentale potest capi dupliciter: primò adiectiue prout dicit materialiter rem, quæ inhærere potest, & formaliter ipsammet accidentiam, seu inhærentiam, & sic accidens idem est atque inhærens: certum autem est quod ratio formalis accidentis vt sic, sit inhæsio, seu accidentia, seu vnio illa actualis particularis, quam habet res inhærens, quando actu inhæret, sicut ratio formalis albi est albedo, & dulcis dulcedo. Secundò potest capi ly *accidens* substantiuè, prout significat illam rem, quæ potest inhærere, siue actu inhæreat siue non: & de accidenti in hac acceptione modò agimus, quærendo in quonam consistit eius natura, seu ratio formalis.

Accidens prædicamentale dupliciter capi potest

### CONCLVSIO I.

2. *Accidens, vt sic bene describitur esse ens aptum natum inhærere subiecto, seu aptum natum esse in subiecto inhæsionis.* Hæc est communis, & *patet*, quia omni & soli conuenit, & sufficienter absque superfluitate declarat naturam accidentis, prout opponitur substantiæ, quam descripsimus supra esse ens ineptum inhærere. Dixi autem *aptum natum inhærere*, quia ex mysterio Eucharistiæ patet, accidentia absoluta posse esse absque subiecto inhæsionis; & vlterius nulla prorsus est ratio, ex qua colligi possit tantam esse connexionem illorum accidentium cum substantia, vt nequeant sine illa conseruari: quare quamuis non habuissemus experimentum prædicti mysterij, adhuc potuisset teneri illa separabilitas ex illo principio: Quidquid non implicat contradictionem potest fieri diuina virtute. Vnde quando Philosophus definit accidens esse *entis ens*, vel hoc intellexit in sensu aptitudinali iuxta conclusionē, ita vt sensus sit, quod sit ens aptū natū inhærere in alio ente nempe in substantia; vel certe neganda est ipsius sententia, & corrigendus error non solū ex mysterio illo fidei, sed etiam ex prædicto principio, & vrgendus est ad assignandam rationem, vnde collegit non posse conseruari accidens absolutum v. g. albedinem, aut quantitatem absque subiecto inhæsionis de potentia Dei absoluta: quam certe rationem nunquam assignabit.

Vera descriptio Accidentis vt sic.

3. Itaque ad plenam premissę descriptionis intelligentiā restat declarare quid sit *esse in subiecto inhæsionis*; quo non intellecto, nec accidentis, nec etiam formæ substantialis natura perfecte capi potest. Dico ergo, *esse in subiecto inhæsionis* non esse idem atque esse in aliquo tanquā pars, quia alias animal esset in homine, & materia in toto physico, & manus in corpore, tanquam in subiecto inhæsionis, & sic substantiis conueniret prædicta definitio; neque est idem ac esse in alio, tāquam in sustentante, seu in aliquo, in quo reciperetur, & à quo dependeret in esse & in conseruari, quia forma ignis sic est in materia prima ligni, & idem est de cæteris formis substantialibus materialibus, quæ educuntur de potentia subiecti; quæ tamen formæ non dicūtur esse in subiecto inhæsionis, & si dicerentur, essent accidentia, aut certe non valeret prædicta descriptio accidentis vt sic, quæ illis formis conueniret: sed dicuntur esse in alio tanquam in subiecto informationis. Deinde secundum multos Thomistas & Scotistas formæ accidentales supernaturales in substantia, præsertim, quę sunt habitus, vt sunt tres virtutes Theologicę Fidei, Spei, & Charitatis, creantur & non educuntur de potentia subiecti, nec consequenter dependent ab ipso in esse aut conseruari, & tamen sunt in subiecto inhęsionis, aliàs non essent accidentia: ergo esse in alio tanquam in subiecto inhęsionis, non est idem, ac esse in alio tanquam in sustentante, seu tanquam in aliquo, à quo dependeret in esse & conseruari.

Quid est esse in alio tanquam in subiecto inhæsionis.

Non est esse in alio tanquam pars aut tāquam in sustentante.

4. Nec

Nec sic vt ordinetur ad aliam formam.

4. Nec est ita *esse id alio*, vt ordinetur ad aliam formam (prout explicat *Auersa tom. 1. Philosophiæ quæst. 5.*) tum quia actus vitales non videntur ordinari ad alias formas, & tamen sunt accidentia, & non sunt in alio per informationem, sed per inhæsionem; tum quia forma corporeitatis, quæ in viuentibus datur simul cum anima (vt melior sententia tenet aliàs probanda) ordinatur ad animam, & tamen est in subiecto per informationem, & non per inhæsionem, cum sit forma substantialis non minus quam ipsa anima.

Sed esse in alio ita vt nõ faciat cum ipso vnum per se.

5. Esse ergo in alio tanquam in subiecto informationis, est esse in alio, cum quo facit vnum per se; & esse in alio tanquam in subiecto inhæsionis, est esse in alio, cum quo non fit vnum per se, sed per accidens. Hoc patet quia omnis forma, quæ de facto admittitur esse forma substantialis, est in alio subiecto, cum quo facit vnum per se; & omnis forma, quæ de facto admittitur esse accidentalis, est in alio, cum quo facit vnum per accidens: ergo signum est, quod esse in alio informatiue sit esse in alio, cum quo facit vnum per se; & esse in alio inhæsiue sit esse in alio, cum quo non facit vnum per se, sed per accidens.

Quænam forma censenda sit facere vnũ per se cum suo subiecto.

*Sed superest* iam grauior difficultas, quomodo possit quis discernere quænam forma sit in alio sic, vt faciat cum ipso vnum per se; nisi enim quis hoc sciat, non poterit in particulari cognoscere quænam forma sit substantialis, aut accidentalis; imo non poterit cognoscere, an detur vlla forma substantialis, aut an detur vlla forma accidentalis; poterit enim dubitare, an illæ formæ, quæ de facto censentur accidentales, vt calor, albedo, species sensibiles expressæ & impressæ, habitus &c. sint substantiales; & an formæ, quæ de facto admittuntur substantiales, v g. formæ corporeitatis, animæ, præsertim non spirituales, sint accidentales.

6. *Ad quam difficultatem*, quam non nisi leuiter tractatam apud authores inuenio, *Respondendum*, illam formam censendam substantialem, & facere vnum per se cum suo subiecto, ratione cuius toti conflato ex illa forma & subiecto conueniunt aut saltem connaturaliter conuenirent, nisi poneretur impedimentum extrinsecum, determinatæ qualitates deseruientes ad conseruationem istius formæ in subiecto illo.

*Hoc patet primò*, quia non potest hæc res melius explicari. *Secundò*, quia de facto omnis forma, quæ admittitur substantialis, est principium talium formarum hoc modo: & hinc accidit quod ex formis sensibilibus de facto deuenimus in cognitionem formarum substantialium, & quod ex formis sensibilibus diuersis colligamus formas substantiales diuersas, & naturas diuersas rerum compositarum: de quo tamen plura videri possunt *Physicorum disputatione de forma substantiali.*

Ex hac doctrina vlterius colligi potest, cur formæ accidentales ponantur directe in aliquo prædicamento, formæ vero substantiales, licet perfectiores, non ponantur: ratio enim est, quod formæ accidentales, cum non sint natæ facere vnum per se physicum cum alio, sint entia completa physice, & propterea possint poni directe in aliquo prædicamento; formæ vero substantiales, cum sint natæ facere vnum per se physicum cum suo subiecto, non sint entia completa physice, & propterea nequeant poni directe in aliquo prædicamento, cuius summum genus sit quid completum physice.

## CONCLVSIO II.

Inhærentia aptitudinalis non est de essentia accidentis.

7. *Inhærentia aptitudinalis, seu aptitudo ad inhærendum non est de essentia accidentis vt sic, quod est commune nouem prædicamentis; sed ad summum proprietas eius: radix vero, ad quam sequitur illa aptitudo, est de essentia ipsius, quæ radix potest vocari aleitas*, seu inhærentia fundamentalis, seu aptitudo fundamentalis inhærendi. Hæc est Doct. 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 1. & 7. *Met. quæst.* 1. cum *Soncina ibidem*, & omnibus *Scotistis* contra *D. Thom.* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 1. quem præter suos sequuntur *Suarez disp.* 31. *Met. sect.* 2. *complutenses disp.* 11. *Logica dub.* 3. & *alij.*

*Probari potest conclusionis prima pars* ratione, qua vtuntur *Antonius Andreas* & *Soncinas*, quia accidens absolutum potest concipi sine inhærentia aptitudinali: Mathematicus enim agit de quantitate, non considerando, quod sit, vel possit esse in subiecto; ergo aptitudo ad inhærendum non est de essentia accidentis absoluti, & cõsequẽter nõ est de essentia accidentis, vt sic, quia quidquid est de essentia accidentis vt sic, est de essentia omnis contenti sub ipso.

8. *Hæc probatio non sufficit* primò, quia falsum est posse accidẽs absolutum vt sic, commune omni accidenti absoluto, cõcipi absque eo, quod concipiatur vt aptum inhærere saltem conceptu aliquo sibi proprio, quatenus distinguitur ab omni substantia. *Deinde* licet posset sic concipi accidens absolutum, tamen non possit sic cõcipi accidens vt sic commune absoluto, & respectiuo, de quo hic potissimum agimus. *Deinde* licet posset aliquid inadæquate concipi absque aliqua ratione formali particulari, tamen non sequitur quin illa ratio particularis esset de essentia eius, quia potest homo concipi per modum substantiæ corporeæ rationalis, sine eo quod concipiatur per modum substantiæ simplicis & elementaris aut mixtę, cum tamen alterutra ratio sit de essentia eius, & sic potest concipi sine eo, quod concipiatur per modum corruptibilis aut incorruptibilis; imo potest concipi per modum corporei, aut etiam compositi ex materia & forma, aut corpore & anima: & tamen esse corporeum, & esse compositum, & esse corruptibile est de essentia eius saltem radicaliter loquendo; ergo quamuis quantitas possit concipi absque eo, quod concipiatur vt apta inhærere, adhuc aptitudo ad inhærendum posset esse de essentia eius.

9. *Confirmatur primò*, quia ille conceptus, quem habet Mathematicus de quantitate, non est conceptus accidentis formaliter; vnde Mathematicus ex illo conceptu nequit deducere quod quantitas sit accidens, necne: ergo illud exemplum non iuuat ad ostendendum quod accidens, vt accidens posset concipi absque tali ordine, & sic non facit ad rem.

*Confirmatur secundò*, quia radix illius aptitudinis sine dubio est de essentia accidẽtis absoluti, sicut radix ineptitudinis est de essentia substantiæ: & tamen Mathematicus concipit quantitatem non concipiendo illam radicem: ergo quod Mathematicus consideret quantitatem absque illa aptitudine, non ostendit illam aptitudinem non esse de essentia quantitatis, sicut non sequitur illam radicem non esse de essentia eius ex eo, quod concipiatur à Mathematico absque tali radice.

10. *Probant secundò aliqui Scotistæ* eandem partem conclusionis, quia nulla est dependentia simpliciter necessario in aliquo, nisi vel ad primam causam, vel ad suas partes essentiales, sed subiectum accidentis, cui aptum est inhærere, neque est de essentia eius, neque prima causa: ergo dependentia accidentis ad subiectum, etiam aptitudinalis, non est simpliciter in ipso necessaria, & consequenter non est de essentia eius.

*Hæc etiam probatio mihi non sufficit*, quia certum est in principiis Scoti, illam aptitudinalem dependentiam esse ad minus proprietatem accidẽtis tam necessario ipsi connexam, vt nec de potentia absoluta possit esse accidẽs absque illa: ergo est simpliciter ipsi necessaria, & consequenter aliqua dependentia est alicui simpliciter necessaria ad aliquid, quod neque est prima causa eius, neque de essentia ipsius; imo dependẽtia aptitudinalis inhęsionis radicaliter accepta est de essentia accidentis, vt dicitur in secũda parte conclusionis. Neque *Scotus* vnquam dixit dependentiam vllam absoluti ad aliquid, quod non est de essentia eius, nec prima causa, esse ipsi simpliciter necessariam, sed hoc tantum dixit de dependentia actuali; putat enim & merito, omne absolutum posse conseruari absque eo, quod actualiter dependeat ab vllo alio, quod non sit prima causa, vel de essentia eius, vel conditio applicans partes essentiales eius: quod non facit ad propositum.

*Probant tertiò* & multo melius conclusionem ratione ipsiusmet Scoti supra, quia nullus respectus potest esse essentia absoluti: sed illa aptitudo inhærẽdi est respectus; ergo

ergo nequit esse de essentia entis absoluti vt sic, & consequenter nequit esse de essentia accidentis, vt sic, communis absoluto & respectiuo. Probatur maior, quia non videtur quomodo possit formalitas respectiua concurrere ad faciendum aliquod vnum absolutum.

*Confirmatur*, quia si includeretur in essentia alicuius rei formalitas respectiua, non deberet dici res illa potius absoluta quam respectiua, & propterea res illa esset simpliciter absoluta essentialiter, & simpliciter respectiua essentialiter.

*Dices cum Caietano*, aptitudinem illam inhærendi non esse respectum formaliter secundum esse, sed secundum dici.

*Contra*, quia sic conueniret cum radice, ad quam sequitur aptitudo formalis, quam nos concedimus esse de essentia accidentis vt sic. *Denique* nos loquimur de aptitudine, quæ est formaliter respectus vel prædicamentalis, vel transcendentalis: & non secundum dici tantum, sed secundum esse vere & proprie.

12. *Probatur quarto*, quia omnis aptitudo formalis, quæ est in re, præsupponit aliquam formalitatem posituam, ratione cuius competit illi rei; sicut risibilitas præsupponit in homine rationalitatẽ: ergo nõ est de essentia istius rei, sicut nec risibilitas est de essentia hominis.

*Secunda & tertia pars conclusionis patet* ex his, quia si illa aptitudo formalis ad inhærendum non sit de essentia accidentis, vt sic (modo detur vllo modo in accidente) debet esse proprietas eius identificata ipsi realiter, sicut risibilitas identificatur homini, & est eius proprietas; & deinde nihil aliud potest assignari quod sit ratio constitutiua ipsius præter formalitatem illam positiuam, ad quam sequitur illa aptitudo. Quod totum confirmatur per dicta de substantiæ natura disputatione præcedenti.

An detur in accidente aptitudo formalis ad inhærendum.

Dixi in probatione secundæ & tertiæ partis: *si detur vllo modo talis respectus aptitudinalis*; quia valde dubitari potest an detur talis respectus qui vere sit respectus formalis, & non sit tantum respectus secundum dici, quomodo ipsamet ratio absoluta constitutiua accidentis potest vocari respectus. Ratio autem dubitandi est, quia videtur omnino superfluere; nam Accidens per suam essentiam & constitutiua sua essentialia præstare potest quidquid debet ipsi competere.

*Dices* hoc esse verum fundamentaliter, non formaliter.

*Contra*, quia gratis dicitur, quod id non possit præstare formaliter, si potest illud præstare vllo modo.

*Dices* non posse hoc ab ipso per essentiam præstari formaliter, quia illud, per quod formaliter id præstari potest, debet esse respectus, respectus autem non potest esse de essentia entis absoluti. *Contra*, quia gratis dicitur quod id formaliter præstari non possit nisi per respectum, qui sit vere respectus alio modo quam secundum dici, quamuis autem præstari deberet à respectu secundum dici, posset sine dubio præstari a differentia formali & essentiali sua, quia illa potest vocari respectus secundum dici.

*Dices*: non dantur respectus secundum dici, sed quidquid nequit intelligi nisi per modum respectus, debet dici esse respectus: vnde cum aptitudo, qua habet accidens ad inhærendum, non possit intelligi nisi per modum respectus, debet dici, quod sit respectus verus, & non tantum secũdum dici. *Contra*, quia ipsamet differentia essentialis accidentis, quam vocant radicem illius aptitudinis formalis, nequit intelligi per modum respectus, hoc est per modum alicuius quod aptum sit principiare illam aptitudinem formalem, & tamen hoc non obstante non est respectus secundum eos, qui asserunt aptitudinem illam formalem distinctam: ergo aliquid quod non est vere respectus potest tamen esse talis naturæ, vt non possit intelligi nisi per modum respectus. Hæc sane mihi semper reddidit difficilem illam sententiam, quæ asserit huiusmodi respectus formales in substantia & accidente, & nisi sit aliqua alia particularis ratio ad probandum, quod dentur vlli respectus aptitudinales formaliter distincti à suis fundamentis, viderentur mihi omnes omnino excludendi. Si qui tamen concedendi sunt, non nisi illi, quorum conceptus non inuoluitur in conceptu essentiali sui fundamenti, vt verbi gratia risibilitas, seu aptitudo ad ridendum, quæ potest dici non esse formaliter differentia constitutiua hominis; quia potest homo intelligi secundum prædicata essentialia sine eo, quod intelligatur nec radicaliter, nec formaliter esse risibilis. Quod etiam totum propono magis examinandum, quàm absolute tenendum.

13. *Fundamenta aduersariorum*, contra conclusionem sunt, quod accidentis esse dicatur consistere in inesse; quod non sit ens simpliciter, sed entis ens; quod non possit intelligi sine illa aptitudine, & denique quod illa aptitudo, seu inhærentia aptitudinalis, si non esset de essentia ipsius, deberet esse ipsi accidens, & consequenter deberet inhærere per aliam inhærentiam, & sic daretur processus in infinitum. Fundamenta aduersariorum.

*Respondetur* facile, accidentium esse dici consistere in inesse, id est inhærentia non actuali, nec aptitudinali, sed radicali, & in hoc ipso sensu dicuntur esse entis entia. Aduerte tamen, quod hoc non obstante sint entia simpliciter, quamuis hoc parum faciat ad propositum hoc. *Deinde* quamuis nequeant intelligi sine tali respectu, non inde sequitur illum respectum esse de essentia eorum: quia, vt supra dictum est, multa nequeunt intelligi sine aliis, quæ tamen non sint de ipsorum essentia. *Denique* quamuis inhærentia aptitudinalis non sit de essentia accidentis, tamen non est accidens prædicamentale ipsius, sicut nec risibilitas est accidens hominis, sed proprietas eius; & quamuis etiam esset accidens prædicamentale ipsius, non sequeretur necessario processus in infinitum, quia illa inhærentia posset se ipsa ipsi inhærere sine alia inhærentia, & sic dicitur communiter quod accidentia respectiua seipsis inhæreant sine alia inhærentia realiter distincta, licet id non dicatur de accidentibus absolutis.

## CONCLVSIO III.

14. *Quando conseruatur accidens absolutum extra subiectum, & habet esse per se, seu non esse actu in alio, tunquam in subiecto inhæsionis, non superadditur ipsi modus alignis positiuus absolutus distinctus realiter ab ipso.* Hæc est *Doctoris* 4. *d.* 12. *q.* 1. cum suis omnibus contra *Thomistas*; & *Probatur* hic breuiter, quia eo ipso, quo Deus destrueret inhærentiam actualem albedinis v.g. aut quantitatis ad substantiam, & conseruaret ipsammet entitatem absolutam albedinis aut quantitatis, illa albedo aut quantitas essent per se absque subiecto: ergo vt sic sint, non indigent aliquo modo positiuo absoluto. Accidens separatum non habet modum positiuum superadditum.

*Confirmatur*: non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla prorsus est necessitas vllius modi positiui superadditi accidentibus separatis: ergo non est asserendus talis modus.

15. *Dices*: accidens non habet existentiam propriam, & præterea indiuiduatur per substantiam; ergo non potest poni absque substantia, vel modo substantiali.

*Respondeo* negando antecedens pro vtraque parte: & sane euidens videtur quod quicumque modus substantialis, seu accidentalis potius debeat dici nõ habere existentiam propriam, & quod potius debeat dici indiuiduari à substantia, cuius est modus, quam accidens absolutum: ergo si ille modus potest poni absque substantia aut alio aliquo, à quo haberet formaliter existentiam, aut indiuiduationem, a fortiori, vel saltem (quod sufficit ad intentum) æque idem poterit dici de accidente. Plura alia possent ad hoc argumenta adduci, sed hæc sufficiunt abunde ad rei clarissimæ probationem.

*Dices*: quando ponitur accidens extra subiectum, habet dependentiam particularem ab aliquo, à quo non habuit illam antecedenter, nimirum ab eo, à quo ponitur extra subiectum, & à qua suppletur influxus subiecti: sed illa dependentia actualis passiua est aliquid positiuum se tenens ex parte accidentis, & potest vocari modus positiuus satis commode: ergo non potest accidens extra subiectum poni absque tali modo.

*Respon*

*Respondeo* concedendo totum, sed non est contra conclusionem, quæ non negat, nisi modum absolutum; illa autem dependentia esset modus relatiuus.

*Respondeo secundò* distinguendo consequens: absque modo quo reciperet suum esse à causa efficiente formaliter, concedo, absque alio modo, nego; loquimur autem in conclusione de alio modo, non de illo.

## CONCLVSIO IV.

16. *Esse actu in subiecto inhæsionis est de essentia accidentis relatiui prædicamentalis.* Hæc videtur mihi *Scoti* supra, & est communior inter *Scotistas*.

*Probatur*, quia implicat contradictionem, relationem prædicamentalem siue intrinsecus, siue extrinsecus aduenientem posse esse absque eo, quod insit subiecto, illud determinando ac referendo ad terminum; & præterea nihil impedit quo minus illa inhæsio actualis, seu potius formalitas, à qua habet inhærere actualiter, sit de essentia eius.

*Confirmatur*, quia formalitas, à qua habet relatio respicere terminum, est de eius essentia: ergo & formalitas à qua habet respicere fundamentum; tam enim essentiale est relationi determinare fundamentum actu, quam actu referre ad terminum. Itaque in relatione vt sic sunt considerabiles duæ formalitates: prima est formalitas accidentis vt sic, & ab hac non habet esse actu in subiecto, neque etiam non esse, positiue loquendo; sed bene habet aptitudinem fundamentalem, secundum quam exigit esse connaturaliter in subiecto: secunda formalitas in ipso considerabilis est formalitas talis, qua constituitur in esse accidentis relatiui, & ab hac habet formaliter & essentialiter esse in subiecto, & ipsum referre ad terminum, propter fundamenta præmissa.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum accidens spirituale possit educi de potentia subiecti corporei, aut accidens corporeum de potentia subiecti spiritualis.*

17. EDuci de potentia subiecti est produci in ipso subiecto cum dependentia ab ipsomet subiecto tanquam à causa influente realiter in rem illam, quæ dicitur educi: quod magis intelligetur ex dicendis in *Physica*.

## CONCLVSIO I.

Accidens spirituale nequit subiectari in subiecto corporeo naturaliter.

*Accidens spirituale nequit educi de potentia subiecti corporei naturaliter, aut subiectari in ipso.* Hæc est communis.

*Probatur primò*, quia non est proportio sufficiens inter subiectum corporeum & accidens spirituale, vt hoc possit educi ex potentia illius, & subiectari in ipso: ergo non potest id fieri naturaliter. Hæc probatio non sufficit, quia quamuis antecedens à parte rei sit verum, tamen non est notum ex terminis, sed omnino æque obscurum, ac conclusio inde deducta; & quicumque negaret conclusionem, negaret illud antecedens: vnde vel petitur principium hac probatione, vel obscurum per æque obscurum probatur, quod est vitium notabile probationis.

*Confirmatur*, quia anima rationalis est spiritualis, & tamen habet proportionem sufficientem vt sit in subiecto corporeo: ergo spiritualitas accidentis non impedit quo minus possit esse in subiecto corporeo.

*Dices*, non esse eandem rationem de accidente spirituali, & anima, quia accidens educitur è potentia subiecti sui, & non creatur in illo; anima vero non educitur ex potentia corporis, sed creatur in ipso; vnde quamuis corporeum posset habere proportionem sufficientem ad recipiendam animam spiritualem, non tamen deberet habere proportionem sufficientem ad causandum materialiter formam accidentalem spiritualem & consequenter deberet non habere proportionem sufficientem ad recipiendum accidens spirituale, quod non recipitur naturaliter nisi in subiecto, è cuius potentia educitur, & à quo dependet materialiter.

18 *Contra primò*, quia ex hac disparitate non sequitur quin aliquod accidens, quod naturaliter peteret creari; sicut petit anima, posset poni in subiecto corporeo, quemadmodum ponitur anima; vnde ad probandum conclusionem deberet præter dictam probationem ostendi, quod nullum accidens naturaliter producibile petat creari.

*Secundò & principaliter contra* facit, quod maneat adhuc probandum, nullum corporeum posse habere sufficientem proportionem ad causandum materialiter aliquam formam spiritualem: quod si hoc non probetur, prædicta disparitas nihil facit ad rem, & vrgeri potest contra eam hoc modo: Aliquid corporeum potest habere sufficientem proportionem ad recipiendum aliquod spirituale substantiale ex natura sua creabile: ergo aliquod corporeum potest habere proportionem sufficientem ad causandum materialiter aliquam formam spiritualem accidentalem, quæ ex natura sua non est creabilis, sed educibilis ex potentia subiecti; & si negetur consequentia, petenda est disparitas.

19. *Probari solet secundò* conclusio, quia sicut connaturale est omni accidenti corporeo esse extensum, & consequenter habere subiectum extensum, vt dicemus conclusione sequenti; ita connaturale est omni accidenti spirituali esse inextensum: ergo nequit naturaliter accidens spirituale poni in subiecto corporeo, quia omne corporeum subiectum, in quo poneretur, est extensum.

*Confirmatur*, quia naturaliter bene colligitur accidens esse corporeum ex eo, quod subiectetur in subiecto corporeo, & esse spirituale ex eo quod subiectetur in subiecto spirituali: ergo spirituale accidens nequit naturaliter esse in subiecto corporeo.

*Hæc probatio etiam per se non sufficit*, quia posset negari antecedens, & dari pro instantia, quod quemadmodum licet omnis forma substantialis corporea petat subiectum extensum, non tamen omnis forma substantialis spiritualis petit subiectum inextensum, vt patet de anima rationali: ita licet omnis forma accidentalis corporea peteret subiectum extensum; non tamen dicendum esset quod omnis forma accidentalis spiritualis peteret subiectum inextensum.

*Ad confirmationem* dici posset, nisi alia aliqua ratio afferatur, eam collectionem non esse bonam, aut saltem gratis id admitti, ac dici, & instari potest vt supra, quod quemadmodum non bene colligitur forma substantialis esse corporea ex eo, quod sit in subiecto corporeo, ita etiam non bene colligeretur formam accidentalem non esse spiritualem, aut esse corpoream ex eo quod subiectetur in subiecto corporeo.

20. *Probatur ergo melius conclusio*, quia non potest assignari, quænam causa naturalis possit producere formam spiritualem in subiecto corporeo, neque quænam forma spiritualis possit naturaliter in tali subiecto produci: ergo non est dicendum, quod id fieri possit naturaliter.

*Confirmatur*, quia omnis forma accidentalis, quæ hactenus producta est in subiecto corporeo, quantum ad cognitionem nostram, est corporea: ergo verisimilius dicitur non produci formam vllam spiritualē in tali subiecto, quia si posset produci, verisimile est, quod de facto esset producta, & quod cognosceretur esse producta ab effectu aliquo eius.

*Confirmatur secundò*, quia si non habuissemus principia aliqua ex quibus colligeremus quod anima rationalis sit spiritualis, diceremus quod esset corporea, quia reperitur in subiectō corporeo: ergo si non habeamus principia ad colligendum quod aliqua forma accidentalis producibilis naturaliter in subiecto corporeo sit spiritualis, debemus dicere quod nulla sic producibilis sit spiritualis; sed non habemus talia principia, ergo.

21. *Probatur vlterius*, quia nulla forma accidentalis naturaliter producibilis creatur naturaliter: ergo omnis talis producitur per eductionem ex potentia subiecti, & cōsequēter cum dependentia à subiecto in esse & fieri. Probatur antecedens, tum quia satis communiter & probabiliter negatur à recentioribus vllam formam accidentalem creari, etiam loquendo de illis quæ sunt supernaturales in substantia (vt sunt tres virtutes habituales Theologicæ) & consequenter multo minus sic producentur accidentia naturalis ordinis; tum quia si crearetur aliqua forma accidentalis

dentalis

dentalis naturaliter,aut crearetur à causa secunda,& hoc dici nequit,quia secundum omnes causa secunda nequit create naturaliter : aut crearetur à causa prima; sed nec hoc etiam dici potest,quia omnis forma accidentalis,quæ naturaliter producitur in subiecto etiam à Deo,est naturalis ordinis & connaturaliter debita:ergo quandoquidem omnis talis nec producatur,nec conseruetur,nisi in subiecto,debet dici quod non creetur à Deo,sed quod educatur ab ipso ex potentia istius subiecti. Itaque à primo ad vltimum sequitur,quod omnis forma accidentalis educatur naturaliter ex potentia sui subiecti,& consequenter dependeat ab ipso in fieri & conseruari:sed nulla forma spiritualis naturaliter loquendo potest sic produci dependenter à subiecto corporeo & extenso,quia si produceretur in tali subiecto, deberet esse in toto,& tota in qualibet parte subiecti,quemadmodum anima rationalis est tota in toto corpore & tota in qualibet parte corporis:ergo dependenter à toto corpore,& à qualibet parte subiecti; quandoquidem ex toto corpore,& ex qualibet parte ipsius educatur, & consequenter dependeret à qualibet determinata parte istius totius,& non dependeret,quod est contradictio. Probatur hæc vltima sequela, quia dependeret ex hypothesi;non dependeret autem, quia quamuis periret vna pars istius subiecti,quandoquidem dependeret ab altera etiam, non esset vlla ratio cur non maneret in parte manente,altera pereunte,sicut manet anima in vna parte corporis, destructa altera parte.

Fateor quidem,posse Deum producere accidens spirituale in subiecto extenso etiam cum eductione ita,vt partialiter dependeret per se à qualibet parte istius subiecti, à toto subiecto,& ita consequenter,vt si periret vna pars istius subiecti,periret illa forma connaturaliter, nisi Deus suppleret concursum partis subiecti,quæ periret : sed non videtur iste modus esse connaturalis modus ponendi accidentis in subiecto extenso ; vnde si fieret, potius deberet dici fieri supernaturaliter,quam naturaliter ; si autem sic fieret,non faceret ad propositum.

22.*Confirmatur conclusio*:quia omnis forma accidentalis naturaliter producibilis in subiecto debet ipsi esse connaturalis, aut violenta, aut neutra:sed non potest ostendi quomodo accidens spirituale posset esse violentum aut connaturale subiecto corporeo; & præterea si sit ipsi neutrum, non debet dici esse producibile naturaliter à solo Deo,quia Deus non producit naturaliter formas neutras in aliquo subiecto absque emolumento aliquo naturali vniuersi,sed nullum esset emolumentum naturale vniuersi ex eo,quod produceretur accidens spirituale in aliquo subiecto,cui esset neutrum, seu cui non esset nec violentum,nec connaturale,sed secundum inclinationem;nec etiã debet dici quod produci possit ab aliqua causa secunda in tali subiecto,cui esset neutrum,propter eandem rationem; quia causæ naturales secundæ non habent virtutem productiuam vllius formæ in aliquo subiecto, nisi in ordine vel ad bonum subiecti,vel suum proprium,vel vniuersi:nullum ex his bonum sequeretur ex productione formæ accidentalis spiritualis in subiecto,cui esset neutra:ergo non est talis forma in tali subiecto producibilis à causa secunda naturali. In his autem probationibus potest fundari illud commune axioma, quod non habeat subiectum corporeum sufficientem proportionem ad subiectandum formam accidentalem spiritualem.

## CONCLVSIO II.

Forma corporea nequit subiectari in subiecto spirituali naturaliter

23.*Forma accidentalis corporea non potest naturaliter subiectari in subiecto spirituali.* Hæc est communis. *Probatur*:quia nullum est experimentum,aut ratio vnde possit colligi,quod possit in tali subiectari naturaliter, nec potest assignari forma vlla, quæ in tali sit producta, nec causa,quæ eam possit in tali producere.

*Probatur secundò*,quia forma accidentalis corporea petit connaturaliter habere partes suas extensas,& propterea habet tales partes,quæ ad nihil deseruirent, si essent intra se inuicem : ergo nequit naturaliter habere partes suas inextensas, hoc est correspõdentes eidem parti subiecti; loquor autem de partibus extensionis, non de partibus intẽsionis:sed si poneretur in subiecto spirituali indiuisibili, de quo loquimur,haberet partes suas inextensas : ergo.

## CONCLVSIO III.

Accidens corporeum deportentia absoluta potest subiectari in spirituali & spirituale in corporeo.

24. *Accidens corporeum potest de potentia Dei absoluta subiectari in subiecto spirituali ; & accidens spirituale in subiecto corporeo*; Hæc est communis contra quosdam Scotistas. *Probatur* sufficientissime quoad vtramque partem,quia debet dici posse fieri per potentiam absolutam omne id,quod non implicat contradictionem : sed non implicat contradictionem, aut accidens corporeum poni in subiecto spirituali,aut accidẽs spirituale subiectari in subiecto corporeo,vt patebit soluendo implicantias, quas aduersarii solent adducere : ergo vtrumque potest fieri de potentia absoluta.

*Probatur secundò*,quia non implicat accidens spirituale poni in subiecto corporeo : ergo nec corporeum poni in spirituali subiecto. Consequentia patet à paritate rationis; imò fortassis à maiori ad minus,quia forte difficilius est ponere accidẽs spirituale in subiecto corporeo,quam corporeum in spirituali. Probatur ergo antecedens, quia vel implicaret ex ratione formæ spiritualis,vel ex ratione formæ spiritualis accidentalis:neutrum dici potest:ergo. Probatur minor:non ex ratione formæ spiritualis;quia anima rationalis est forma spiritualis, tamen ponitur in subiecto corporeo,ita vt sit tota in toto,& tota in qualibet parte: non ex ratione formæ accidentalis spiritualis,quia ex illa ratione nihil aliud habet speciale faciens ad hoc propositum,quam quod dependeat à subiecto,in esse & conseruari:sed non habet talem dependentiam tam necessario,quin Deus eam producere possit absque tali dependentia:nemo enim dubitare possit,quin posset absque vllo subiecto producere illam,& postea eam vnire ad subiectum taliter, vt non dependeret ab illo,aut in fieri,aut in conseruari;sicut producit animam rationalem in subiecto,& licet cõnaturaliter peteret produci cum dependentia,sicut anima rationalis connaturaliter petit produci sine dependentia; tamẽ Deus non obligatur conseruare se rerum connaturali exigentiæ,alias non posset producere aquam calidam. *Deinde* etiamsi deberet necessario accidens dependere à suo subiecto,posset adhuc poni in pluribus partibus subiecti, nõ quidem sic,vt dependeret totaliter & adæquate in ratione subiecti à qualibet parte ex illis,sed ita, vt ab omnibus totaliter,& à qualibet partialiter dependeret taliter, vt si vlla pars istius subiecti totalis periret, perire etiam deberet illa forma,nisi Deus,aut alia causa per actionem distinctam à priori actione conseruaret ipsam,supplendo defectum istius actionis particularis,quia dependebat ab illa parte.

25. Itaque quatuor modis possumus imaginari, quod Deus poneret formam spiritualem indiuisibilem in subiecto corporeo extenso,ita vt esset tota in toto illo subiecto & tota in qualibet parte ipsius. *Primò* sic,vt non dependeret neque in esse,neque in fieri à toto illo subiecto,neque ab vlla ipsius parte;& in hoc modo ponendi non est vlla implicantia. *Secundò* sic, vt dependeret ab aliqua parte istius totius quoad esse & cõseruari totaliter & adæquate, non tamen à cæteris partibus dependeret,aut totaliter,aut partialiter,& in hoc modo etiam non est vlla implicantia. *Tertiò* sic,vt ab omnibus partibus istius totius dependeret partialiter,& à nulla totaliter,sed nec in hoc etiam modo est implicantia. *Quarto* denique sic,vt à qualibet parte totius istius subiecti dependeret in ratione subiecti totaliter; & in hoc sensu implicaret idem accidens spirituale ac indiuisibile poni in subiecto extenso secundum principia *Scoti*,negantis posse eundem effectum dependere à pluribus causis totalibus & adæquatis in eodem ordine;secundum vero aliorum principia, qui existimant posse rem supernaturaliter sic dependere à pluribus causis,non esset in hoc etiam modo ponendi accidens spirituale in subiecto corporeo & extenso implicantia vlla.

*Et per hoc patet ad fundamentũ Scotistarũ*,qui propterea negant

negant accidens spirituale indiuisibile posse poni in subiecto extenso, & diuisibili, quia putant inde secuturum quod dependeret à pluribus subiectis adæquatis. Quæ sequela ex dictis patet esse neganda, si ponatur accidens taje in tali subiecto vllo ex primis tribus modi iam specificatis: sequeretur autem, si poneretur quarto modo, sed sic ipsum poni posse nos non asserimus, sed negamus.

26. *Obiicies primò* contra primam partem: nullum accidens corporeum potest subiectari in subiecto, in quo non potest subiectari quantitas, quia non est ratio cur alia accidentia corporea possint in tali subiecto subiectari, & quantitas non posset: sed quantitas nequit subiectari in subiecto spirituali: ergo nullum aliud accidens corporeum potest sic subiectari. Probatur minor, quia quantitas debet necessario habere partes extra partes; non haberet vero si poneretur in subiecto spirituali indiuisibili, de quo subiecto loqimur.

*Respondeo* negando minorem, & ad probationem distinguo maiorem: debet habere partes extra partes entitatiue ita, vt vna ex illis non sit altera, concedo; ita vt vna ex illis debeat habere subiectum distinctum à subiecto alterius, aut correspondere parti loci, cui altera non correspondet, nego maiorem: & sane id assumere contra nostrã conclusionem est directa petitio principij, quia est assũptio propositionis, quæ expresse negatur in cõclusione.

*Obiicies secundò*: si Angelus v.g. posset recipere in se quantitatem & alia accidentia absoluta corporea, sequeretur quod posset calefieri; sed hoc est absurdum, ergo.

*Respondeo* concedendo maiorem de potentia absoluta, & negando minorem: forassis tamen non posset calefieri ab agente creato, quia forte nullum agens creatum potest producere calorem, nisi in subiecto extenso.

*Obiicies tertiò*: quantitas nequit subiectari in eo, cui non potest communicare suum effectum formalem: sed hunc nequit cõmunicare Angelo, quia effectus formalis quantitatis est extendere partes sui subiecti; Angelus autem non habet partes, quæ possint extendi: ergo quantitas nequit ipsi communicare suum effectum formalem.

*Respondeo* negando minorem: ad cuius probationem dico, extendere partes non esse solum effectum formalem quantitatis, nec etiam necessarium effectum formalem eius sic, vt non possit esse sine illo, etiam in subiecto habente partes extensibiles; nam substãtia materialis quanta posset diuinitus redigi ad punctũ, & in tali casu quantitas non extenderet actu partes eius. Itaque in proposito nostro, si quantitas poneretur in Angelo, non tribueret ipsi illum effectum extensionis, sed bene tribueret ipsi seipsam formaliter, quia ipsamet esset inhærens.

Quomodo Angelus potest esse quantus.

*Et si quæras*, an in tali casu Angelus esset quantus. *Respondeo*, quod si nihil aliud intelligatur per Quantum, quàm habens quantitatem, Angelus esset quantus in illo casu; si vero intelligatur per quantũ substãtia habẽs partes quantitatiue extensas, Angelus in eo casu non esset quãtus; nec in hoc potest esse alia quæstio quã de nomine.

28. *Obiicies quartò*: calor nequit subiectari in puncto quantitatiuo: ergo nec in Angelo, aut vlla substantia spirituali indiuisibili. Probatur antecedens, quia punctum caloris sufficiẽter & adæquate repleret capacitatem puncti quantitatiui: ergo nihil præterea posset in ipso recipi.

*Respondeo* negando antecedens loquendo de potentia absoluta, & ad probationem distinguo antecedens: capacitatem naturalem ita, vt naturaliter nihil præterea recipere possit caloris, concedo antecedens; capacitatem obedientialem ita, vt nihil præterea supernaturaliter recipere possit, nego antecedens.

*Obiicies quintò* contra secundam partem: si forma spiritualis posset esse in subiecto corporeo, lapis posset recipere visionem & amorem beatificum, & sic posset beatificari: sed hoc est absurdum: ergo & illud vnde sequitur.

*Respondeo* negando secundam sequelam, quia quamuis visio beatifica, & amor beatificus reciperentur in lapide, non beatificaretur lapis, sicut nec intelligeret, nec amaret; neque enim visio & amor ille habent beatificare formaliter, & immediate alia subiecta, quam intellectum, & voluntatem; cuius ratio dabitur in libris de Anima, quando ostendetur quod lapis non intelligeret, etiamsi intellectio poneretur in ipso.

*Aduertendum* autem hic, quod non admittam absolute visionem posse poni in lapide: quia quamuis forma spiritualis aliqua posset poni in subiecto corporeo, non sequeretur necessario quod quælibet forma posset poni in quolibet subiecto, & est in controuersia particulari, an actus vitales possint poni in alio subiecto, quam in suo proprio, nimium in illa potentia, cuius sunt actus: quæ controuersia non facit ad præsens, sufficit enim ad cõclusionem quod non repugnet alicui formæ spirituali accidentali poni in subiecto corporeo, & quod etiam non repugnet visioni poni in lapide ex ratione spiritualitatis, quamuis repugnaret ipsi ex ratione vitalitatis, seu alia particulari, de quo suo loco in libris de Anima.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum idem accidens numero possit poni in diuersis subiectis realiter æque immediate.*

29. CErtum est idem numero accidens posse poni in diuersis numero & specie subiectis simul ita, vt in vno ex ipsis immediate subiectetur, in altero mediate, hoc est mediante illo primo subiecto; sic enim albedo ponitur de facto immediate in quantitate, & mediate seu mediante quantitate in substantia. Quæstio est ergo, vtrum possit poni æque immediate in pluribus subiectis, præsertim quæ sint extra se inuicem, vt verbi gratia vna albedo in hoc & illo pariete, vnus intellectualis habitus in hoc & illo intellectu.

Vnum numero accidẽs nequit poni in pluribus subiectis, naturaliter

*Præterea* certum est quod naturaliter id fieri non possit, tum quia nullum est indicium, quod ita fiat, nec potest assignari modus quo naturaliter fieri possit; tum quia colligimus de facto albedinem vnius parietis distingui numero ab albedine alterius parietis ex eo, quod ipsimet parietes distinguantur numero, & sint extra se inuicem.

*Confirmatur*, quia sicut vnum corpus non potest naturaliter poni in pluribus locis, ita videtur quod vna forma non possit poni naturaliter in pluribus subiectis. Solum ergo est difficultas de potentia absoluta, an scilicet per illam fieri possit vt vnum accidens numero possit poni immediate in pluribus subiectis realiter distinctis, & extra se inuicem positis.

*Prima sententia* est, id fieri non posse. Hæc tribuitur *Scoto in 3. dist. 1. q. 2. n. 4.* quem in hoc sensu intelligunt & sequuntur aliqui Scotistæ. Verba Scoti sunt: *Ita impossibile videtur vnum accidens esse in duobus subiectis, sicut vnam formam substantialem esse in duabus materiis; igitur si necessario sequitur infinitas in forma substantiali, si esset in pluribus materiis, necessario sequitur infinitas ex eo, quod vnum accidens esset in multis.*

*Confirmatur* ex principiis *Scoti in eadem quæstione*: vna natura nequit assumi à pluribus personis diuinis, aut esse immediate in pluribus suppositis: ergo nec vnum accidens potest esse immediate in pluribus subiectis, à paritate.

*Secunda sententia* magis communis est, idem numero accidens posse de potentia absoluta poni in diuersis numero subiectis.

## CONCLVSIO.

30. *Hæc secunda sententia est probabilior. Probatur primò*, quia non potest assignari vlla repugnantia: sed quidquid non repugnat, potest per potentiam ordinariam vel absolutam Dei fieri, ergo &c.

Vnum numero accidens potest supernaturaliter poni in pluribus subiectis.

*Probatur secundò* ex dictis conclusione præcedenti, quia accidens spirituale potest esse in pluribus partibus eiusdem subiecti extensi: ergo idem numero accidens potest esse in pluribus subiectis distinctis, etiam non vnitis inter se. Probatur cõsequentia, quia quod illa plura subiecta, in quibus insit accidens, sint vnita inter se, aut faciant vnum per se integrale, aut non sint sic vnita, nihil prorsus facit ad rem, quantum ad potentiam absolutam, quæ sicut potest se extendere ad ponendum vnum numero accidens in pluribus partibus vnitis, ita etiam potest facere vt sit in pluribus subiectis non vnitis: sicut non solum potest ponere animam in pluribus locis continuis, sed in pluribus etiam discretis.

*Probatur tertiò*: quia potest vnum numero corpus per potentiam absolutam poni in pluribus locis disiunctis (& quidem circumscriptiue secundum Scotum) ergo potest idem numero accidens poni in pluribus subiectis disiunctis, à paritate rationis.

*Dices*: non esse eandem rationem, quia locatum non dependet à locis, accidens autem dependet à subiectis.

*Contra primò*: quia accidens potest non dependere à subiectis, si Deus velit supplere concursum subiecti, ergo saltem in tali casu posset poni in pluribus subiectis sine eo quod dependeret ab illis, quemadmodum potest poni corpus in pluribus locis, à quibus non dependet.

*Contra secundò*: quia quod accidens dependeat à subiecto, non impedit quominus possit poni in pluribus subiectis, nisi dependeat totaliter & adæquate à quolibet ex illis pluribus: sed non debet dependere sic necessariò, potest enim fieri quod à quolibet ex illis partialiter tantum & inadæquate dependeat: ergo tunc saltem posset poni in pluribus subiectis, quamuis non posset poni in ipsis cum dependentia adæquata ad quodlibet ex illis, in principiis Scoti, qui negat vnum effectum dependere posse à pluribus causis dæquatis.

31. *Obiicies primò* Scotum citatum pro prima sententia. *Respondeo* Scotum eo loci non dicere absolute, quod vna forma substantialis non possit esse in pluribus materiis; neque etiam dicit absolute, quod eodem modo implicat vnam formam substantialem esse in pluribus materiis, & vnam formam accidentalem in pluribus subiectis; sed solum argumentatur cõtra responsionem quandam Varronis: quod vt intelligatur clarissime, proponam hic difficultatem, cui respondet *Varro*, & ipsius responsionem. Itaque contra sententiam Varronis, & D. Thomæ tenentium quod vna natura possit assumi & personari simul tribus personalitatibus diuinis, occurrit statim hæc difficultas, quod ex eo quod natura diuina immediate supponeretur tribus personalitatibus diuinis, colligatur bene eam esse infinitam: ergo si vna natura creata esset in tribus personis diuinis, illa natura esset infinita, sed hoc est absurdum: ergo nequit vna natura creata sic assumi.

Huic difficultati respondet *Varro*, quod non ex eo quod natura diuina supponeretur tribus personalitatibus, colligatur eam esse infinitam; sed ex eo, quod sit identificata illis & propria ipsis: natura autem assumpta non esset identificata ipsis, nec propria, sed aduentitia, seu accidentalis; vnde non sequeretur infinitas huius ex illa assumptione.

32. *Contra hanc responsionem* adducit *Doctor* doctrinam præmissam, & ostendit per eam, quod perinde est naturam esse accidentalem seu substantialem & propriam, quantum ad hoc quod colligi possit eius infinitas ex eo quod esset in pluribus, & dicit quod æquè sequatur infinitas formę substãtialis ex eo quod esset in pluribus materiis, & formæ accidentalis ex eo quod esset in pluribus subiectis, & consequenter, quod prædicta responsio, quæ ponit disparitatem inter naturam diuinam & creatam, quantum ad personationem per plures personalitates, in hoc quod vna sit propria, & altera aduentitia, seu accidẽtalis, ad nihil deseruiat. Ex quo patet, quod *Scotus* non dicat absolute formam substantialem non posse esse in pluribus materiis, sed dicit quod tam bene sequeretur infinitas formæ accidentalis ex eo quod esset in pluribus subiectis, quàm sequeretur infinitas formæ substãtialis ex eo quod esset in pluribus materiis. Quod sane mihi videtur directum intentum Scoti eo loci, neque ad impugnationem istius responsionis requirebatur, quod absolute assereret formam substantialem non posse esse in pluribus materiis, sed sufficiebat quod si sequeretur ex hoc infinitas eius, similiter sequeretur ex eo, quod forma accidentalis esset in pluribus subiectis, infinitas eius.

Quantum autem ad rei veritatem, nisi sequatur aliud incõueniens, aut repugnantia ex eo, quod forma substantialis possit esse in pluribus materiis simul, præterquam quod esset infinita, existimo formam substantialem posse esse in pluribus materiis, quia reuera non sequeretur ex hoc præcise eam esse infinitam: an autem sequatur alia repugnantia, dicemus *lib.* 1. *Physicorum*, & modo satis sit dicere, quod si non sequatur alia repugnantia, ex hoc, quam sequitur ex eo, quod forma accidentalis possit poni in diuersis subiectis, quod idem sit dicendum de vtraque; si vero sequatur aliqua particularis repugnantia ex inexistentia vnius formæ substantialis in pluribus materiis, tum non erit idem dicendum de ipsa, atque de formæ accidentalis inexistentia in pluribus subiectis, quia reuera ex hac nulla sequitur repugnantia.

33. *Ad confirmationem* illam ex doctrina Scoto, nimirum quod secundum ipsum repugnet eandem naturam assumi à pluribus personis immediate: ergo repugnat idem accidens subiectari simul in pluribus subiectis; *Respondeo* negandam esse consequentiam in casu, quo accidens poneretur in pluribus subiectis, sine dependentia vlla, siue cum dependentia partiali à quolibet ex illis: & ratio disparitatis desumenda est ex ipsomet principio Scoti, quo probat eandem naturam non posse assumi à pluribus personis, quia scilicet inde sequeretur, quod dependeret à qualibet ex illis, & non dependeret; ex hoc enim principio sequitur quod non esset idem dicendum de accidente quantum ad existendum pluribus subiectis, & de natura quantum ad assumptionem à pluribus personis, nisi accidens dependeret à pluribus subiectis, & etiam nisi dependeret adæquate à quolibet ex illis, quo modo non asserimus posse esse in pluribus subiectis. An autem natura humana possit ita assumi à pluribus personis diuinis, vt non dependeret adæquate ab vlla ex illis, sed partialiter tantum, examinandum remitto ad materiam de Incarnatione.

# DISPVTATIO XIV.

## DE QVANTITATE.

PRIVS egit Philosophus de prædicamento Quantitatis, quam de vllo alio accidentis prædicamento, non quod cæteris sit perfectior, quia ostendemus postea Qualitatem esse Quantitate perfectiorem, sed quod immediate subiectetur in substantia, & quod ex ipsismet qualitatibus plurimæ ipsi subiectentur. Quod autem ad rem ipsam attinet, posset sine dubio de qualitate prius agi: sed reuera parum refert quo ordine de his prædicamentis tractetur, modò tractetur de singulis sufficienter.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit Quantitas vt sic.*

1. QVantitas est duplex: vna *virtutis*, quæ est perfectio rei, secundũ quam vna res dicitur magis, vel minus perfecta quàm alia res, seu maioris, vel minoris, aut æqualis perfectionis cum alia re; competitque non creaturis tantum, sed ipsi etiam Creatori, qui propterea in sacra pagina sæpe *Magnus* appellatur: De hac autem modò non agimus, quia non spectat ad aliquod vnum prædicamentum, sed vagatur per omnia, cum vnaquæque res habeat sibi identificatam suam propriam perfectionem, siue sit substantia siue accidens, præsertim absolutum: quod addo, quia aliqui sunt, qui dicunt relationes nullam dicere perfectionem, & quidem *Scotistæ* fere omnes id tenent de relationibus diuinis, de quo suo loco. Alia est *Quantitas molis*, solis corporibus conueniens, ratione cuius vnum corpus dicitur esse maius, aut minus alio corpore, non virtute, sed extensione, aut numero partium integralium; sicut dicitur vnus mons esse maior vno homine; quo tamen minor est virtute & perfectione. De hac autem quantitate molis agimus in hac disputatione, & in hac quæstione definitionem & rationem eius formalem inuestigamus iuxta mentem Philosophi.

Quid quãtitas virtutis.

Quid quãtitas molis.

CON

## CONCLVSIO I.

Descriptio Quantitatis.

2. *Bene describitur Quantum à Philosopho 5. Met. cap. 7. esse id quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, vel vnum quodque vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Hæc est communis omnium Peripateticorum, qui vel ipsa Philosophi authoritate ad concorditer eam tenendam adduci potuerunt. *Probatur* autem, quia omni & soli Quanto competit, declaratque naturam eius absque defectu, vel superfluitate, quatenus distinguitur ab omni alio, quod non est quantum, vt ex explicatione singularium partium constabit, & ex dicendis in tota hac quæstione. Vt autem distinctius naturæ Quantitatis applicetur, antequam explicetur definitio, quæ à Philosopho applicata est quantitati in concreto applicabimus eam quantitati in abstracto, quæ iuxta illam descriptionem describi potest esse *Accidens per se diuisibile in ea quæ insunt, quorum vtrumque vel vnumquodque vnum quid & hoc aliquid aptum est esse.*

Dicitur esse *Accidens*, quia accidens est genus vel quasi genus, in quo conuenit quantitas cum accidentibus cæterorum prædicamentorum, siue vnioce, siue analogice, parum refert ad propositum. Dicitur: *diuisibile*, vt distinguatur ab accidentibus indiuisibilibus. Dicitur: *in ea quæ insunt*, id est in partes ex quibus actualiter componitur, vt distinguatur ab accidentibus vniuersalibus, quæ sunt diuisibilia in partes subiectiuas, seu in inferiora sua, vt albedo est diuisibilis in hanc & illam albedinem, quæ insunt ipsi non actu, sed potentia. Dicitur: *quorum vtrumque*, id est quarum partium actu ipsi inexistentium vtraque, si duæ sint, *vel vnumquodque*, id est vnaquæque pars si plures partes sint in ipso, *est vnum quid*, id est quid completum, *& hoc aliquid*, id est aliquid singulare existens extra alteram partem: & per hoc distinguitur à toto essentiali tam metaphysico, quam physico, quia partes, in quas diuidi potest totum metaphysicum, sunt intrà se inuicem per realem identitatem, cum solum formaliter distinguantur, & ex partibus physicis essentialibus, in quas totum physicum diuidi potest, vna nempe forma subiectatur in altera, nempe materia, & non extra illam. Distinguitur etiam per hoc à substantiis mixtis, quamuis componerentur formaliter illa ex quatuor elementis, & quamuis hæc quatuor elementa, ipsis formaliter inexisterent: nam licet ex hac hypothesi mixtum esset diuisibile in elementa tanquam in partes formaliter & actualiter ipsum componentes, & licet quælibet ex his partibus esset ens completum: tamen vna pars ex ipsis non est extra aliam in mixto, sed in qualibet parte signabili mixti omnia quatuor elementa reperiuntur. Quod si elementa non insint formaliter in mixto, sed tantum virtualiter, tum quantitas distinguetur à mixtis vt mixta sunt diuisibilia in elementa, per hoc, quod sit diuisibile in ea, quæ insunt actu & formaliter in ipso: nam sic non insunt elementa mixto iuxta hanc sententiam, quæ longe communior est apud Peripateticos. Sed & etiam distinguitur à mixtis quomodocumque insunt ipsis elementa, per hoc quod quantitas sit accidens, mixta vero composita ex elementis non sint accidentia, sed substantia.

3. *Contra descriptionem* hanc quantitatis statim occurrit difficultas, quod tota illa videatur conuenire alicui qualitati, verbi gratia calori: nam calor est diuisibilis in ea quæ insunt, quorum vnumquodque est vnum quid, & hoc aliquid. Certum est enim quod calor sit diuisibilis in partes integrales caloris, quæ sunt extra se inuicem, & quarum vnaquæque pars est ens completum, & per se potens existere tam bene quam possint partes quantitatis.

*Sed respondetur* facile, diuisibilitatem, quæ ponitur in descriptione quantitatis, esse diuisibilitatem per se, & in ordine ad causas naturaliter agentes præsertim corporeas, ita vt quantitas sit illud accidens quod potest per se ratione sui diuidi in partes sibi inexistentes, & ratione cuius cætera, quæ sunt naturaliter diuisibilia & separabilia, possint sic diuidi. Hæc autem diuisibilitas non competit calori nec vlli qualitati; quamuis enim naturaliter possint diuidi separatique partes caloris, tamen non possent sic diuidi, nisi essent quantæ aut per receptionem quantitatis in se, aut per inhæsionem in quantitate aut quanto: nam si poneretur calor absque quantitate, esset penetrabilis cum quocumque corpore, & consequenter non possent naturaliter partes eius separari ab inuicem per interpositionem vllius corporis, & idem est dicendum de substantia. Quantitas autem, si per se poneretur absque substantia, cui inhæret, posset naturaliter diuidi per interpositionem corporis, vt patet in mysterio Eucharistiæ. Et similiter posset diuidi, si poneretur absque vlla qualitate, cum certum sit qualitates non conducere vlla ratione ad hoc vt quantitas diuidi possit, aut partes eius separari. Vnde patet quantitatem ita esse per se diuisibilem, vt cætera, quæ diuisibilia sunt, non habeant diuidi posse naturaliter nisi à quantitate.

4. *Dices*: si substantiæ haberent posse diuidi à quantitate, quælibet substantia quanta posset naturaliter diuidi: sed hoc est falsum, quia substantia cæli non habet sic posse diuidi, cum sit incorruptibilis.

*Respondeo*, quidquid sit an cælum sit quantum quantitate proprie dicta & prædicamentali, de quo suo loco, negando sequelam: quia non omnis substantia quantitate affecta, deberet posse diuidi, nisi habeat conditiones requisitas ad hoc vt mediante quantitate diuidi possit: & hinc si poneretur quantitas in Angelo, non posset tamen nec Angelus, nec quantitas eius diuidi naturaliter vt existens in Angelo, quia deest Angelo pluralitas partium entitatiuarum, in quas diuidi posset. Vnde si desit cælo diuisibilitas fundamentalis in ordine ad potentiam naturalem, quamuis habeat quantitatem, non poterit naturaliter diuidi, nec etiam quantitas in ipso subiectata, quia hæc nequit diuidi quin subiectum ipsius diuidatur, alias posset naturaliter poni extra subiectum: neque hinc sequitur quod quantitas cæli non sit per se diuisibilis, nam ex se quidem & ex sua ratione formali est diuisibilis, cum sit eiusdem rationis, vt supponitur, cum aliis quantitatibus; sed per accidens, ratione scilicet subiecti fit, vt non sit proxime diuisibilis. Itaque dicitur per se diuisibilis, quia quantum est ex parte sua, nisi poneretur impedimentum extrinsecum, posset diuidi; non autem dicitur ita esse ex se diuisibilis, quasi non posset ab extrinseco fieri vt non posset proxime diuidi. Quæ doctrina confirmari potest ex eo, quod quamuis omnia corpora naturalia sint diuisibilia, & habeant quantitatem eiusdem rationis, tamen propter diuersitatem suam specificam quædam ex ipsis sunt facilius diuisibilia quam alia; quod nemo dixerit procedere à quantitate: ergo posset esse talis conditio alicuius corporis, vt, quamuis esset quantum, nullo modo posset diuidi naturaliter.

## QVÆSTIO II.

*In quo consistat ratio formalis quantitatis.*

5. QVamuis ex descriptione præmissa quantitatis videri posset significata ratio formalis ipsius, tamen non ita est: nam descripsimus ipsam, vt diuisibilis est, & hoc non obstante posset fieri, quod diuisibilitas illa non esset ratio formalis ipsius, sed proprietas. Itaque hoc examinamus hic, & præterea adiungemus alia, quæ ad pleniorem Quantitatis cognitionem conducere poterunt.

*Prima sententia* docet rationem formalem quantitatis consistere in ratione mensuræ. Hæc tribuitur *Alberto Magno tract. 8. cap. 1. & S. Thomæ opusc. 52.*

Vt autem intelligatur hæc sententia, & eo melius, vel admittatur, vel reijciatur, *Aduertendum* est mensuram esse id, quo quantitas rei cognoscitur; vnde quia per applicationem vlnæ verbi gratia cognoscimus quantus sit aliquis pannus, aut aliquod lignum, propterea vlna vocatur mensura panni: & quia per applicationem tanti, vel tanti ponderis cognoscimus quanta sit grauitas auri, vel argenti, propterea tale pondus, verbi gratia libra potest dici mensura auri, & argenti: & quia propter maiorem, vel minorem distantiam substantiarum corporearum ab homine potest colligi quod sint maioris, vel minoris perfectionis in se, propterea homo potest vocari mensura perfectionis substantiarum omnium corporearum, & in hoc sensu dicitur communiter

Quid est quantitatem esse mensuram.

quod in vnoquoque genere sit aliquod vnum, quod sit cæterorum; quæ in illo genere ponuntur, mensura & metrum. Quando igitur dicitur quod quantitatis ratio formalis consistat in ratione mensuræ, non debet hoc intelligi de quacumque mensura, sed de ea, per quam cognoscimus quanta sit extensio rerum extensarum, non de ea per quam cognoscimus quanta sit grauitas, aut perfectio virtutis rerum.

Mensura capitur actiue, & passiue.

6. *Rursus aduertendum*, quod esse mensuram potest capi, vel actiue vel passiue; passiue capitur quando capitur pro illa ratione, secundum quam rei extensio potest mensurari, seu cognosci per applicationem alterius rei: actiue vero capitur, quando capitur pro illa ratione, secundum quam potest aliquid mensurare extensionem alterius rei, seu deducere in cognitionem eius. Quando ergo dicitur quod ratio quantitatis consistat in ratione mensuræ, aliqui id intelligunt de ratione mensuræ actiuæ; aliqui de ratione mensuræ passiuæ: & sane mihi videtur quod vtraque ratio sit æqualiter de essentia quantitatis, aut proprietas eius, quæcumque enim quantitas habet vnam rationem, habet etiam & alteram, nec video quænam ex illis primo debeat potius ipsi competere, nisi quis velit prærogatiuam dare actiuitati.

Tribus modis potest aliquid esse mensura.

*Aduertendum* denique, esse mensuram tam actiue quam passiue, posse intelligi vel actualiter, vel aptitudinaliter, vel radicaliter: Esse mensuram actualiter est quod actu mensurat, vel mensuratur actu: esse mensuram aptitudinaliter actiue, vel passiue, est id quod aptum natum est mensurare, vel mensurari: denique esse mensuram radicaliter actiue, vel passiue est habere radicem, ad quam sequitur prædicta aptitudo ad mensurandum.

Quænam diuisibilitas competit quantitati.

7. *Secunda sententia* est rationem formalem quantitatis consistere in diuisibilitate. Hæc tribuitur *D. Thom.* 1. *d.* 19. *qu.* 1. *ar.* 2. *Scoto hic quæst.* 17. Eam tenent expresse *Soncinas* 5. *Metaph. qu.* 21. *Iauellus quæst.* 20. *Flandria quæst.* 14. *Capreolus in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 3. Hæc etiam sententia potest intelligi de diuisibilitate, vel actiua, secundum quam scilicet aliqua res potest actu diuidere partes sui subiecti, seu rerum in ei subiectarum, vel passiua, secundum quam res potest diuidi: & quidem ex duabus acceptionibus diuisibilitatis prima est satis impropria, & minus proprerea vsitata. Potest etiam intelligi de diuisibilitate radicali consistente in radice, ad quam sequitur diuisibilitas formalis, quæ est aptitudo, quam habet res ad hoc, vt possit diuidi; vel de ipsa diuisibilitate formali.

8. *Tertia sententia* est quod consistat ratio formalis quantitatis in extensione partium, seu in hoc quod est habere partes extra partes. Hæc est communior sententia tam Thomistarum cum *S. Thoma* 1. *par. quæst.* 14. *art.* 11. quos citant, & sequuntur *Complutenses*, quam *Scotistarum* cum *Scoto in* 4. *distin.* 10. *quæst.* 1. ac etiam recentiorum, vt *Suaris disp.* 40. *Metaphys. sect.* 4. *Hurtardi disp.* 13. *sect.* 4. Non tamen conueniunt omnes hi authores in modo illam explicandi, sed conueniunt in hoc communiter contra aliquos Nominales, quod illa extensio, in qua consistit essentia quantitatis, non sit extensio actualis, secundum quam partes quantitatis sint actu extra se inuicem taliter, vt si quantitas illa poneretur in loco, vna pars ipsius correspondeat vni parti loci, & altera alteri, sicut, manus mea de facto correspondet alij parti huius loci, in quo sum, & caput alteri. Cuius ratio est *primò*, quia de facto quantitas Christi reperitur cum substantia ipsius sub speciebus Eucharisticis, (non quidem ex eo, quod alias ipsius substantia non esset corpus sine quantitate, esset enim sine dubio corpus de prædicamento substantiæ, quamuis quantitatem nullo modo haberet, nec posset habere; neque enim per se dependet corpus quod est de illo prædicamento, à quantitate tanquam à conditione essentialiter requisita, sed quia non est dicendum quod substantia Christi sit sub illis speciebus sine qualitatibus corporeis, aut quantitate, quæ est subiectum earum.) *Secundò*, quia nulla est ratio, cur Deus non posset omnes partes quantitatis taliter collocare in se, vt non essent extra se inuicem, sed simul penetratiue, sicut duo corpora quanta possunt simul esse penetratiue in eodem loco.

Quamuis autem in hoc conueniant, adhuc tamen habent magnam dissentionem: nam *aliqui dicunt* essentiam quantitatis consistere in extensione partium in ordine ad se; alij dicunt quod consistat in extensione partium in ordine ad locum. Quod vt intelligatur aduertendum, quod habere partes extensas in ordine ad se, est habere partes cum aliquo speciali ordine inter se vnitas, vt sitae sint omnes penetratiue in eodem loco, siue non sint, vna ex illis vniatur immediate alteri alicui determinatæ parti, & alia alteri, nulla vero omnibus, vt verbi gratia caput collo, collum humeris, humeri manibus, &c. huiusmodi extensionem partium habet corpus Christi Domini sub speciebus Eucharisticis: quamuis enim omnes partes istius corporis sint simul sub qualibet particula hostiæ, tamen caput non vnitur physicè immediate pedi, nec manus oculis, sed eodem modo sibi sic immediate vniuntur, quo vniuntur in cælo, vbi sunt extra se inuicem quoad locum. Extensio vero in ordine ad locum, loquendo de extensione aptitudinali, consistit in aptitudine illa, quam habet res ad occupandum tantum vel tantum locum, ita vt vni parti loci correspondeat vna pars rei extensæ, & altera alteri. Per quod patet differentia prædictorum modorum dicendi.

Quid est habere partes extensas in ordine ad se:

Quid habere partes extensas in ordine ad locum.

9. *Alij vero dicunt* ita extensionē partium esse de essētia quantitatis, vt nulla alia res habeat, aut possit habere extensionem partium, nisi ratione quantitatis, vnde consequenter dicunt quantitatem dare extēsionem partium integrahum substantiæ corporeæ, in qua subiectatur, & accidentibus corporeis, quæ subiectantur in illo, vt albedini nigredini, colori, &c. & in hoc communiter conueniunt Thomistæ, sed cum discrimine aliquo: nam aliqui ex illis, vt *Ioannes à S. Thoma* hic admittit substātiam habere ex se formaliter plures partes integrales substantiales entitatiue distinctas independenter à quantitate. Alij autem, vt *Complutenses* hic negant vllam rem præter quantitatem habere vllas partes integrales etiam entitatiue, & substantialiter distinctas. Ex his vero duabus vltimis sententiis prima sine dubio est longe probabilior, vt patebit ex dicendis.

*Alij denique dicunt*, essentiam quantitatis non consistere in quacumque extensione partium siue in ordine ad se, siue in ordine ad locum, sed in extensione partium tali, ad quam sequitur pro proprietate diuisibilitas naturalis modo explicato quæstione præcedenti, seu impenetrabilitas naturalis; ita vt quidquid habet partes extēsas vt sic, diuisibiles, seu impenetrabiles, sit quantitas, vel quantitate affectum. Hæc est Scotistarum & recentiorum communiter.

## CONCLVSIO I.

Ratio formalis quantitatis non est esse mensura actualis aut aptitudinalis.

10. *Ratio formalis quantitatis non consistit in hoc, quod sit mensura actualis, aut aptitudinalis, aut etiam radicalis, siue loquamur de mensura actiua, siue de passiua.* Hæc est communissima quantum ad duas primas partes de mensura actuali & aptitudinali contra primam sententiam.

*Probatur autem quantum ad mensuram actualem*, quia per accidens est, quod quantitas actu mensuret aut mensuretur: ergo ratio actualis mensuræ siue passiuæ, siue actiuæ non potest esse de eius essentia.

*Probatur etiam quoad mensuram aptitudinalem*, tum quia illa aptitudo, cum sit respectus aptitudinalis, ad summum potest esse tantum proprietas quantitatis: tum quia præsupponit quantitatem habere plures partes extensas: ergo non potest esse de essentia quantitatis: nihil enim potest esse de essentia rei, quòd præsupponit aliud aliquid competere tali rei, vt est euidens, quia aliàs res esset antequam eius essentia esset.

*Probatur denique quoad tertiam partem*, quæ videtur esse contra *Complutenses*, qui admittunt, radicem, ad quam sequitur ratio mensuræ, esse de essentia quantitatis: probatur inquam quoad hanc partem, quia ipsa substantia posset independenter à quantitate mensurare actualiter aliam substantiam & quantitatem etiam, & posset mensurari per aliam substantiam & quātitatem, habet quæ ad

hoc

hoc aptitudinem & radicem, ad quam sequitur talis aptitudo, tam bene quam quantitas : ergo ratio formalis & essentialis propria quantitatis non est esse mensuram radicaliter. Consequentia est euidens, quia ratio essentialis propria vnius rei nequit competere alteri rei essentialiter distinctæ. Probatur antecedens, quia substantia ex se habet partes extensas in ordine ad locum, vt postea dicemus, & Angelus posset applicare substantiam habentem viginti palmos, verbi gratia longitudinis ad alias substantias corporeas, & ad quantitates, & per talem applicationem cognoscere an illa substantia vel quantitas haberet tot palmos, vel plures, vel pauciores; & similiter per applicationem quantitatis palmariæ ad illam substantiam, destructa eius quantitate posset cognoscere quot palmos extensionis haberet : ergo illa substantia habet aptitudinem formalem & radicalem ad mensurandum.

11. *Confirmatur* : ideo quantitas habet aptitudinem formalem & radicalem mensurandi, quia per applicationem eius ad alias res potest cognosci quanta sit extensio earum: ergo si potest per applicationem substantiæ hominis, separata quantitate, cognosci extensio alterius substantiæ aut quantitatis, habebit aptitudinem formalem & radicalem ad mensurandum, quod sane mihi certum est ex suppositione, quod substantia habeat partes independenter à quantitate.

Quo sensu mensuratiuitas posset dici de essenria quautitatis.

Verum quidem est, quod in ordine ad nos pro hoc statu non possemus per substantiam, extensam entitatiuè separata quantitate, mensurare extensionem vllius rei, quia non possemus ipsam applicare localiter, propter defectum quantitatis : vnde in hoc sensu posset dici, quod radicalis mensuratio seu mensuratiuitas sit de essentia quantitatis, capiendo talem radicem pro illa ad quam sequitur aptitudo ad hoc, vt res possit assumi à nobis pro hoc statu ad mensurandas extensiones rerum : nec hoc negamus in conclusione. Sed nec in hoc etiam sensu radix, seu aptitudo ad mensurandum ita est de essentia quantitatis, vt non possit natura eius concipi & declarari, quatenus distinguitur ab aliis rebus absque eo quod concipiatur sub tali ratione mensuræ, aut aptitudinalis, aut radicalis, vt patebit ex dicendis.

12. *Fundamentum aduersariorum* citatorum pro prima sententia consistit in aliquibus locis Philosophi in quibus dicit quantitatem esse mensuram, & colligit, ex eo, quod aliquid sit mensura, illud esse quantitatem.

*Sed facile respondetur*, licet quantitas sit mensura, non propterea rationem mensuræ esse ipsi propriam aut essentialem. *Deinde*, quamuis colligeretur, ex eo, quod aliquid sit mensurabile, aut mensuratiuum, illud esse quantitatem, aut quantitate affectum, hoc tamen non arguit mensurabilitatem esse de essentia eius, quia bene posset colligi aliquid esse quantum ex eo, quod haberet proprietatem quantitatis, sicut ex eo quod aliquid sit risibile, colligitur a posteriori quod sit rationale. Sed nec ex eo, quod aliquid sit mensurabile, aut mensuratiuum quomodocumque, potest colligi etiam à posteriori, quod sit quantum, aut quantitas, nec ex eo id collegit Philosophus, sed ex eo quod sit mensurabile, aut mensuratiuum in ordine ad nos, vt supra dixi.

## CONCLVSIO II.

Esse diuisibile in partes extensas non est de essentia quantitatis.

13. *Esse diuisibile in partes integrantes non est ratio formalis quantitatis, ne quidem proprietas eius quarto modo: esse tamen ex se diuisibile naturaliter in partes integrantes per interpositionem corporis est proprietas eius; & radix, ad quam sequitur talis diuisibilitas, est de essentia eius.* Hæc est authorum omnium tertiæ sententiæ, & videtur esse contra secundam sententiam.

*Probatur autem prima & secunda pars*; nimirum quod diuisibilitas in partes integrantes non sit ratio formalis propria quantitatis; vt distinguitur ab aliis rebus, nec proprietas eius quarto modo, quia etiam substantia est diuisibilis in tales partes, etiam separata quantitate; neque enim potest dubitari quin substantia capitis hominis, separata quantitate, possit diuidi & conseruari diuisa à substantia manus, & hæc à substantia pedis: ergo totus homo posset diuidi in partes integrantes, separata quantitate, & idem est de tota substantia aquæ, & quacumque altera substantia corporea, ac etiam de albedine, ac quacumque qualitate includente plures partes realiter distinctas, & fortassis non solum à Deo possunt huiusmodi res diuidi in partes integrantes, quod tamen sufficeret nobis, sed etiam ab Angelis : ergo esse diuisibile in partes integrantes non est, nec propria ratio formalis quantitatis, nec proprietas eius quarto modo.

Diuisibilitas naturaliter per interpositionem corporis est proprietas quantitatis.

*Probatur secunda pars*, quia nihil potest sic diuidi ex se, nisi, vel quantitas, vel quod recipitur in quantitate, aut re quanta, vel quod recipit quantitatem, at ipsa quantitas est naturaliter sic diuisibilis, vt patet ex dictis quæst. præcedenti : ergo talis diuisibilitas est proprietas eius quarto modo, & consequenter radix ad quam sequitur talis diuisibilitas, est de essentia eius, & propria ratio essentialis ipsius. Dico autem quod talis diuisibilitas sit proprietas, & de essentia eius, tum quia formaliter loquendo est respectus, & respectus nequit esse de essentia entis absoluti, qualis est quantitas; tum quia præsupponit extensionem, seu pluralitatem talium partium, quæ extensio est soli quantitati competens, prædicatum autem essentiale nihil potest in re præsupponere, de cuius est essentia.

14. *Obiicies* : Quantitas definitur per diuisibilitatem: ergo diuisibilitas est de essentia eius. *Confirmatur*, quia *Scotus* in prædicamentis *quæst.* 17. videtur dicere, quod diuisibilitas sit ratio formalis quantitatis.

*Respondeo* distinguendo antecedens : per diuisibilitatem qualemcumque, nego antecedens, per diuisibilitatem radicalem, hoc est, radicem ad quam sequitur aptitudo ad diuidendum per interpositionem, aut applicationem corporis, concedo antecedens; & similiter distinguo consequens : ergo diuisibilitas talis radicalis est de eius essentia, concedo; diuisibilitas alia, nego consequentiam. Quod si per diuisibilitatem positam in definitione quantitatis intelligatur diuisibilitas formalis, negandum est illam definitionem esse proprie dictam, sed potius dicendum quod sit definitio impropria, coincidens cum descriptione, nec hoc est vllo modo inconueniens.

*Ad confirmationem* dico *Scotum* intelligendum similiter de diuisibilitate radicali, vt colligitur ex eo quod ipsemet expresse dicat 5. *Met. quæst.* 9. diuisibilitatem esse proprietatem quantitatis. *Concedo tamen*, inquit *quod diuisibilitas sit prima passio quanti, & non de essentia eius.* Et paulo post : *Vnde quantitas notificatur per eam*, scilicet per diuisibilitatem, *tanquam per proximam passionem eius, & non definitur.*

## CONCLVSIO III.

Extendere partes substantiæ non est de essentia quantitatis.

15. *Extendere partes substantiæ siue actualiter, siue aptitudinaliter non est de ratione formali quantitatis.* Hæc est communis, *& patet* quantum ad extensionem actualem, quia potest quantitas esse absque substantia, vt patet ex mysterio Eucharistiæ, & consequenter absque extensione actuali eius. *Patet etiam* quoad extensionem aptitudinalem, quia illa aptitudo formalis ad extendendas partes substantiæ est respectus, & præsupponit extensionem partium ipsiusmet quantitatis : ergo non est de essentia quantitatis, sed ad summum proprietas eius. Quod si quis velit radicem, ad quam sequitur aptitudo illa ad extendendas partes substantiæ, esse de essentia quantitatis, verum quidem dicet ex suppositione quod talis aptitudo competat quantitati, tanquam proprietas quarto modo, quia radix omnis proprietatis quarto modo est de essentia rei, cui competit illa proprietas. Sed reuera non videtur, quod aptitudo ad extendendas partes substantiæ conueniat quantitati, quia substantia, in qua subiectatur quantitas, habet partes suas extensas ex se antecedenter ad quantitatem. Verum tamen est, quod quantitas faciat partes substantiæ ita esse extra se inuicem, vt naturaliter non possint penetratiue poni in eodem loco, & quod aptitudo ad hoc faciendum sit proprietas eius quarto modo : vnde si hoc

Quomodo extendere partes substantiæ possit esse proprietas, aut prædicatum essentiale substantiæ.

intelligatur per extendere partes substantiæ, concedendum erit quod quantitas habeat pro proprietate quarto modo aptitudinem ad extendendas partes substantiæ, & quod radix, ad quam sequitur talis aptitudo, sit de essentia eius.

Sententia Auersæ reicitur.

*Et per hoc patet*, sententiam *Auersæ qu.22.de Quantitate sect.2.* non esse veram, dum dicit essentiam eius consistere in hoc, quod sit illud quod exigit naturaliter extensionem illam partium extra se inuicem, quę connaturaliter exigit respectus diuersos ad locum, secundum quos vna pars correspondet vni parti,& altera alteri parti loci, nam ipsamet substantia materialis habet huiusmodi extensionem partium,& qualitates etiam, maxime in sententia *Auersæ*, qui dicit eas subiectari in ipsamet substantia immediate: nam certe si separaretur quantitas hominis,partes ipsius hoc non obstante exigerent connaturaliter esse extra se inuicem,vt dicemus conclusione sequenti fusius,nec est vlla ratio cur confluere deberent in tali casu ad punctum vllum,aut cur Deus deberet determinare ad quod punctum confluerent. Nec etiam verum est, quod propterea aliquid est impenetrabile,quia habet partes extra partes in loco, vt dicit *Auersa*, quia corpus gloriosum habet partes extra partes, & tamen est penetrabile; nec ideo solum substantiæ immateriales sunt penetrabiles,quia non habent partes extra partes,sed quia non habent tales partes extra partes: quod totum ex dicendis melius patebit.

## CONCLVSIO IV.

Non est propria ratio formalis quantitatis habere partes extra partes,

*16.Habere partes extra partes siue in ordine ad se, siue in ordine ad locum aut spatium,non est propria ratio formalis quantitatis, secundum quod distinguitur ab alijs rebus, siue id intelligatur actualiter, siue aptitudinaliter, siue radicaliter.* Hæc est Scotistarum cum *Scoto 2. dist. 12. quæst.2.* & recentiorum communiter contra *Complutenses* & plures *Thomistas* ab ipsis citatos.

*Probatur* autem manifeste, quia ipsa substantia, in qua subiectatur quantitas immediate, siue illa substantia sit materia prima, siue totum compositum ex materia prima & forma substantiali, habet partes extra partes, tam in ordine ad se,quàm in ordine ad locum; actualiter quidem semper, naturaliter loquendo, & aptitudinaliter ac naturaliter ita necessario, vt exigat connaturaliter ex natura sua habere talem extensionem actualem partium in ordine ad se & locum sic,vt miraculum sit si eam non habeat: ergo talis extensio partium non est propria ratio essentialis quantitatis secundum quod distinguitur ab omnibus aliis rebus. Consequentia est euidens.

Substantia habet partes extra partes in ordine ad se & locum.

*Probatur antecedens primò*,quia substantia hominis v.g. ex se includit partem substantialem manus & partem substantialem pedis,& illæ duæ partes sunt extra se inuicem semper,nisi fiat miraculum; & substantia hominis exigit connaturaliter quod sint extra se inuicem tam bene,quam tota quantitas exigit connaturaliter habere partes extra se inuicem; cum hoc solum discrimine,quod partes quantitatis non possint naturaliter esse simul, partes vero substantiæ absque quantitate, fortassis opera Angeli possint esse simul: quod discrimen non facit ad rem.

*Confirmatur*, quia substantia hominis connaturaliter loquendo exigit manum non esse immediate vnitam pedi,nec oculum auri: ergo exigit habere partes extra partes in ordine ad se. *Rursus*, eo ipso quo exigit manum non esse vnitam pedi immediate, exigit etiam connaturaliter, quod, si ponatur in loco, manus ponatur correspondens vni parti loci, & pes alteri; nam si non exigeret hoc, frustra exigeret manum non esse vnitam immediate pedi: ergo exigit connaturaliter partes suas integrales esse extra se inuicem in ordine ad locum.

17. *Dices*: substantiam corpoream,quæ est subiectum immediatum quantitatis, exigere quidem vt partes suæ sint extra se inuicem in ordine ad se & locum, non tamen immediate & ex se,sed quatenus exigit quantitatem, à qua formaliter constituitur vna pars ipsius extra aliam partem tam in ordine ad se, quam in ordine ad locum.

*Contra*, quia prius competit substantiæ illi habere partes substantiales extra partes, vnitas tali vel tali modo, quam exigit habere quantitatem, & ideo exigit habere quantitatem, quia habet huiusmodi partes. Quod *patet primò*, quia in conceptu substantiæ corporeæ completæ, vt sic, vt distinguitur à spirituali, inuoluitur pluralitas partium substantialium integralium,& in hoc probabiliter & communiter distinguitur à spirituali substantia,quæ indiuisibilis est,&non constans pluribus talibus partibus: sed absurdum est quod ille conceptus dependeat à quantitate ita,vt non possit intelligi aut esse,vt talis substantia, sine quantitate:ergo prius habet habere partes substantiales,quam exigere quantitatem.*Patet secundò*,quia certum est substantiam elephantis exigere maiorem quantitatem connaturaliter, quam substantia hominis, & substantiam hominis exigere maiorem quantitatem quam substantia muscæ exigit. Sed sane huius assignari nequit alia ratio, nisi quod exigat connaturaliter substantia elephantis plures partes substantiales quam exigit substantia hominis: ergo prius est substantiam habere plures partes substantiales quam exigere quantitatem talem vel talem.

18. *Probatur secundò idem principale antecedens*, nimirum; quod substantia ex se habeat plures partes,quia in veriori sententia substantia manus distinguitur essentialiter à substantia oculi,& hanc distinctionem nequeūt habere à quantitate,quæ est eiusdem rationis in ipsis: ergo substantia habet ex se plures partes integrales,& non à quantitate. *Deinde*, certissimum est, quod substantia vnius partis aquæ distinguitur ita realiter à substantia alterius partis, vt vna possit manere altera destructa, & quod non habeant hoc à quantitate, quia sine quantitate posset conseruari vna sine altera, & vtraque separata à se inuicem, vt si pars vnius aquæ conseruaretur absque quantitate in Hibernia, & altera Romæ, de possibilitate cuius casus non potest esse locus dubitandi: ergo ex se habet substantia plures partes.

*Propter hoc argumentum* concedit & bene *Ioannes à S.Thoma*,substantiam ex se habere partes plures entitatiuè, quarum vna non sit altera, sed dicit tamen vlterius licet substantia ex se habeat plures entitates substantiales, ex quibus integratur, illas tamen entitates futuras confusas & absque vllo ordine,nisi aduenirent quantitas,quæ eatenus dici debet extendere partes substantiæ, quatenus facit,vt plures entitates substantiales, quas includit substantia corporea, habeant ordinem inter se, ita vt vna entitas alteri entitati, & altera alteri immediate coniungatur, & ita vt vna correspondeat vni parti loci, & altera alteri, si substantia illa ponatur in loco. Vnde habere partes extra partes,quod est proprium quantitatis secundum hunc authorem, est habere partes extra partes cum huiusmodi ordine absque confusione.

*Sed contra hanc doctrinam facit primò*, quod gratissime asserat hic author, substantiam, quæ exigit plures partes entitatiue distinctas, non exigere ipsas, cum ordine tam quoad se, quam quoad locum.

*Deinde* certum est, quod non à quantitate habeat homo, quod oculus non sit vnitus manui immediate, nec auris pedi; cum enim quantitas omnium partium hominis sit eiusdem rationis, non potest concipi quomodo faceret oculum potius vnitum capiti quam manui:ergo substantia hominis exigit, partes suas cum ordine quodam inter se vniri independenter à quantitate. *Deinde* eo ipso quo sic exigit eas vniri, exigit etiam connaturaliter independenter à quantitate, vt, si substantia illa tota ponatur in loco, oculus correspondeat vni parti loci, & manus alteri, & consequenter exigit partes suas esse ordinatas etiam quoad locum absque confusione: quod magis patebit ex dicendis.

19. *Probatur tertiò idem antecedens principale*,nimirum quod substantia ex se habet partes extra partes tam in ordine ad se,quam in ordine ad locum: quia, si à substantia hominis separaretur quantitas, vt bene fieri posset in instanti, non deberent partes eius confluere ad punctum, nec moueri vllo modo localiter à loco, in quo erant antecedenter: ergo haberet illa substantia ex se partes extra partes tam in ordine ad se quam in ordine ad locum.

Probatur

Probatur antecedens, tum quia gratissime, & absque fundamento vllo id diceretur; tum quia non esset potior ratio cur confluerent ad vnum punctum istius spatij, quàm ad quodcumque aliud; nec necessariò deberet Deus determinare, ad quod punctum confluerent, nec esset assignabile vllum principium, à quo ille motus effectiue procederet: tum tertiò, quia aliàs daretur motus successiuus in instanti, aut saltem vna pars moueretur ab vna parte spatij ad alteram partem distantem, non transeundo per medium; quod implicat fieri naturaliter; nam pars substantiæ manus correspondens huic parti loci, cui iam correspondet de facto, deberet transire ad aliquod vnum punctum, ad quod idem punctum deberet confluere pars substantiæ pedis, & sic vel manus vel pes deberet transire in illo instanti ad illud punctum, quod esset distans à parte loci, cui correspondet iam, non pertransito medio, vel eo pertransito in instanti.

20. *Dices* illum confluxum partium substantiæ ad punctum in illo casu fieri supernaturaliter, non naturaliter.

*Contra primò*, quia ex hac responsione sequitur quod saltem naturaliter non deberent confluere ad punctum, & consequenter quod naturaliter loquendo; deberent esse extra se inuicem, quod sufficit nobis.

*Contra secundò*, quia Deus non tenetur supernaturaliter concurrere ad talem confluxum, qui ad nihil prorsus deseruit: ergo posset non concurrere, & consequenter haberet substantia partes extra partes absque quantitate.

*Dices* Deum non teneri simpliciter ad illum concursum, sed solum secundum quid, ex hypothesi prioris miraculi, hoc est separationis quantitatis.

*Contra*, quia nulla est ratio ob quam deberet, etiam connaturaliter ex suppositione talis separationis, concurrere ad illum confluxum. *Deinde* ille confluxus est realiter distinctus ab illa separatione, nec vnũ ex illis est necessario connexum ex vllo capite cum altero: ergo Deus ex suppositione separationis non tenetur concurrere ad illum confluxum.

21. *Ioannes à sancto Thoma respondet*, quod separata quantitate à substantia hominis verbi gratia non cõfluerent omnes partes ad punctum nec in tempore, nec in instanti, sed tamen quod non haberet partes extra partes formaliter, nec vnam partem correspondentem vni parti loci, & aliam alteri, quia neque esset in loco, sed esset in vniuerso tanquam aliquid eius: Omnes enim huiusmodi imaginationes, inquit, tollendæ sunt, quia sequuntur quantitatem: quare illa substãtia nec est distans, nec alicubi positiue, sed solum haberet existentiam suam sine loco, sicut res extra mundum, & Angelus non operas.

Hæc *responsio*, quamuis approbetur à quodam Scotista, putante propterea prædictum nostrum discursum nullius esse roboris, nullo modo satisfacit. *Primò*, quia supponit falsa principia, nimirum Angelum non esse in loco, nisi operetur, & quod esse in loco & habere partem correspondentem vni parti loci, & aliam alteri, sequatur solummodo quantitatem; quod nos hic negamus. *Secundò* & principalius, quia certum est, quod illa substantia hominis, quæ in hoc instanti existit in hoc loco, & non mouetur ab hoc loco localiter, si in alio instanti separaretur quantitas, sit ita indistans à corporibus in hac schola locatis, vt si oculus posset ipsam videre, oculi hominum hic existentum possent eam videre, & oculi eorum, qui essent in Hibernia, non possent ipsam videre. *Deinde* certum est, quod posset eadem substantia fieri ab illis ipsis oculis ita distans, & ita indistans ab oculis existentibus in Hibernia, vt hi possent tum ipsam videre, & illi non possent: ergo est in loco sufficienter ad propositum nostrum, siue sit in loco positiue, siue negatiue, quod nihil facit ad rem.

22. *Confirmatur*; quia certum est, quod Angelus posset intuitiue videre talem substantiam, & cognoscere ipsam vt distinctam ab aliis substãtiis, & certum est, quod si ipse posset destruere partes illius, quod posset destruere vnam partem relictis aliis, & quod posset ostẽdere quænã pars aeris, qui succederet quantitati destructæ, esset sine parte illa substantiæ ab Angelo corruptæ, seu destructæ.

*Confirmatur secundò*, quia destructa quantitate illius substantiæ, succederet ipsi aër, & aër ille esset penetratiue simul cum substantia, quæ perdidit quantitatem: Quæro tum, an cum vna parte istius aëris esset tota illa substãtia penetrata, an solum pars ipsius: si tota: ergo admittitur confluxus partium ad vnam partem: si pars tantum: ergo admittitur pars extra partem cum correspondentia ad partes loci.

*Contra tertiò*, quia tam verum est illam substantiam esse in loco, quam ipsam quantitatem: nec est vlla prorsus ratio, quæ probat quantitatem esse in loco positiue, quæ non probat illam substantiam esse in loco positiue: & sane qua ratione posset defendi quod illa substantia non esset in loco, eadem sustineri posset, quod nec quantitas etiam esset in loco positiue.

23. *Confirmatur conclusio*, & tota doctrina hactenus proposita, quia nulla est ratio vnde colligatur quod substantia accipiat extensionem partium à quantitate potius, quam quantitas à substantia; nec vlla est ratio, vnde dicatur quod quantitas ex se habeat partes extensas, potius quam substantia: ergo non est dicendum quod habere partes extra partes sit potius de essentia quantitatis, quam de essentia substantiæ.

*Dices* id colligi ex eo, quod de facto reperiatur quantitas cum partibus extra partes: vt in mysterio Euchanstiæ absque substantia.

*Contra*, quia si conseruaret Deus substantiam aquæ, verbi gratia absque quantitate, illa etiam haberet partes extra partes tam bene quam quãtitas habet in illo mysterio: ergo ex hoc non colligitur quod ex se magis competat quantitati habere partes extra partes, quam substantiæ. Plura alia argumenta adducuntur pro nostra conclusione, quæ sibi obiiciunt *Complutenses*, & quibus nullo modo satisfaciũt ipsi, nisi supponendo incertissima principia, vt facile erit ex dictis & dicendis colligere: quæ tamen argumenta breuitatis causa hic proponere omisi, contentus iam præmissis & solutione argumentorum, in quibus fundant se aduersarij.

14. *Obiicies ex Ioanne à Sancto Thoma* duo fundamenta, quibus ipsius, & Thomistarum opinio innititur secundum ipsum; primum est quod indiuiduatio rerum corporearum sumatur à quantitate, tanquam à conditione requisita.

*Verum* hoc principium imprimis est falsum, vt patet ex dictis supra: *deinde* nihil facit ad propositum, quia ipse non potest dicere quod indiuiduatio rerum ita sumatur à quantitate, vt non haberent indiuiduationem, quamuis actu non haberent quantitatem. Certum est enim quod duo lapides, destructis quantitatibus, essent duo numero distincti lapides, vt ipsemet concedit, cum quo tamen tenet prædictum principium, quia dicit indiuiduationem ipsorum sumi non ab ordine actuali ad quantitatem, sed ab aptitudinali: ergo similiter duæ partes aquæ possent esse distinctæ & extra se absque quantitate, quamuis distinctio earum sumeretur à quantitate, quia non deberet desumi illa distinctio ab ordine actuali ad quantitatem, sed ab aptitudinali, qui ordo aptitudinalis posset esset absque eo quod quantitas actualiter inhæreat substantiæ.

25. *Secundum fundamentum* ipsius est, quod partes integrales ex propria sua ratione nõ possunt esse distinctę & inconfusæ, nisi ab aliquo accidente, quia extensio partium in toto non est quæcumque vnio earum, sed vnio penes extremitates tantum: partes autem substantiæ non habẽt vniri secundum extremitates à seipsis, quandoquidem substantia non habeat extremitates: extremitates enim sunt indiuisibilia vt linea, superficies, & puncta, quæ non reperiuntur in substantia sine quantitate.

*Respondeo*, partes integrales substantiæ habere esse vnitas integraliter, eo modo quo partes quantitatis; vnde sic dicatur quod partes quãtitatis vniantur seipsis absque accidente superaddito, similiter dicendum est de partibus substantiæ: & si partes quantitatis dicantur vniri per aliquos respectus, vt fortassis melius dicitur, idem concedendum erit de partibus integralibus substantiæ. Ad id autem quod dicitur, partes integrales debere vniri secũdũ

*Partes substãtiæ possũt vniri ex ordine minus quã quantitatis.*

extremitates seu indiuisibilia, secundum satis communem sententiam, quæ negat etiam in ipsa quantitate indiuisibilia, id negatur. Quod si admittantur indiuisibilia in quantitate, possunt etiam admitti in substantia similia indiuisibilia ipsis conformia, punctum enim quantitatis debet subiectari in puncto substantiali, & linea quantitatis in linea substantiali.

*Dices* cum eodem authore: hinc sequeretur quod substantia ex se esset impenetrabilis, & sic quod nullus daretur effectus particularis, aut vsus quantitatis.

*Respondeo primò*, potius me negaturum quantitatem esse accidens aliquod absolutum distinctum à substantia & qualitatibus, quam concessurum quod substantia ex se non haberet partes, quæ essent extra se inuicem.

*Respondeo secundò* negando sequelam, quia licet partes substantiæ vnirentur, mediantibus indiuisibilibus, adhuc possent penetrare se inuicem, sicut de facto partes quantitatis possunt de potentia absoluta penetrari, non obstante quod vniantur per indiuisibilia: neque in hoc est vlla prorsus difficultas.

26. *Obiicies secundò ex Complutensibus*: extensio illa partium substantiæ independenter à quantitate non est necessaria: ergo sola quantitas per se, & ex se habet talem extensionem. Consequentia est euidens, quia eatenus illa sola non haberet illam extensionem, quatenus etiam competeret substantiæ. Probant antecedens, quia ideo esset ista extensio partium substantiæ necessaria, vt posset in se recipere quantitatem, quæ partes extensas habet, ne scilicet diuisibile extensiue in indiuisibili extensiue recipiatur: sed ad hoc non est necessaria illa extensio, sed sufficit capacitas substantiæ ad recipiendam quantitatem, alias inquiunt, si ad recipiendam extensionem quantitatis non sufficeret extensibilitas substantiæ, sed necessaria esset aliqua extensio actualis entitatiua; similiter vbi circumscriptiuum deberet præsupponere aliud vbi entitatiuum, & vt anima reciperet intellectum, deberet præhabere alium intellectum.

*Respondeo* negando minorem: quemadmodum enim qualitates extensæ non possent recipi in quantitate, nisi hæc esset extensa entitatiue, ita sane non posset quantitas extensa recipi in substantia, nisi hæc esset entitatiue extensa. Ad probationem minoris nego sequelam: neque enim ad recipiendum vllum accidens debet subiectum præhabere aliud accidens simile; neque est vlla ratio aut experientia, cur ante vbi deberet esse aliud vbi, aut ante intellectum alius intellectus; neque id ab vllo nisi absurdissime aut diceretur, aut conciperetur, vt mirum mihi sit cur *Complutenses* vtantur istis exemplis, quæ prorsus nihil faciunt ad rem, nec vllam habent proportionem cum re hic controuersa.

Quantitas non posset extendere substantiã indiuisibilem.

27. Itaque implicat contradictionem, quod quantitas posset extendere partes substantiæ, nisi substantia haberet plures partes extensibiles, quarum vna non esset altera, & propterea ad hoc vt recipiat quantitatem extendentem, debet necessario habere plures huiusmodi partes seu entitates; nec hoc potest cum vlla probabilitate negari: posset quidem quis imaginari quod substantia habens plures partes haberet ipsas ex se cõfusas antecedenter ad quantitatem, & nõ esset necessariũ quod intelligeretur habere illas extensas & inconfusas antecedenter ad quantitatem: sed bene posset ista extensio earum prouenire à quãtitate adueniente ipsis, nec nos asserimus extẽsionem propterea debere cõpetere ex se substantiæ, quasi non posset prouenire à quantitate; sed dicimus imprimis nullam esse rationem, cur nõ haberet illam extensionem & inconfusionem partium ex se tam bene quam quantitas suam extensionem ex se habet: & dicimus vlterius necessarium esse naturaliter loquendo, quod habeat illam extensionem ex se in casu quo quantitas eius destrueretur in instanti: & per hoc ruit totaliter hæc obiectio Complutensium.

28. *Obiicies tertiò*: Non potest ante quantitatem esse in substantia vlla compositio partium integrantium etiam entitatiuarum: ergo illa compositio & consequenter extensio habetur à quantitate. Probatur antecedens, quia compositio partiũ integralium est accidentalis, quia non est ex actu & potentia simpliciter: ergo nequit esse in substantia ante quantitatem, cum quantitas sit primum accidens substantiæ.

*Confirmant*: quia partes integrales etiam heterogeneæ in esse partium, & distinctio earum causatur ab accidentibus; ergo ablatis accidentibus non manebũt actu partes integrantes. Probatur antecedens, quia caput & manus solum de materiali significant substantiam; de formali vero talem vel talem figuram cum his & illis accidentibus. Similiter ossa non distinguuntur à carne in ratione substantiæ, sed penes durum & molle, quæ sunt accidentia: ergo ridiculum est dicere quod ablata quantitate & aliis accidentibus consequentibus daretur in substantia caput, manus &c.

*Respondeo* negando antecedens, & ad probationem distinguo antecedens: est compositio accidentalis, id est compositio partium, quæ non habent se per modum actus & potentiæ, concedo antecedens; est compositio accidentalis, prout talis dicitur compositio subiecti & accidentis in se subiectati, sicut est compositio parietis, & albedinis, nego antecedens, & etiam consequentiam, quia optime posset esse compositio accidentalis, prout talis dicitur cõpositio seu vnio rerum, quæ non habent se per modum actus & potentiæ per se antecedenter ad omnem quantitatem, & etiam si quantitas esset possibilis: Imo posset esse compositio accidentalis, prout talis dicitur compositio ex subiecto & accidente inhærente antecedenter ad quantitatem, quia substantia hominis antecedenter ad quantitatem, habet dissimilitudinem effectualem cum substantia Angeli & Leonis ex se independenter à quantitate: quæ dissimilitudo facit cum illa substantia compositionem accidentalem in hoc sensu. Ex quo patet falsum esse quod dicunt Complutenses, nimirum quantitatem esse primum accidens quod aduenit substantiæ; nam illa relatio similitudinis prius ipsi aduenit. Verum quidem est secundum communiorem sententiam, quod ex accidentibus absolutis quantitas sit prius accidens, quod aduenire solet substantiæ materiali, & consequenter, quod nullum accidens absolutum præsupponatur ipsi; sed hoc non facit ad rem nisi ostendant quod compositio partium integralium sit compositio accidentalis, id est compositio indigens accidente absoluto: hoc autem non facile poterunt ostendere aduersarij.

29. Itaque si requiratur vllum accidens ad compositionem integralem partium substantiæ, non erit aliud quam vnio istarum partium inter se, quæ vnio erit respectus, & consequenter poterit aduenire substantiæ ante quantitatem. Quod si illa vnio esset accidens absolutum, tum negandum esset, quod quantitas esset primum accidens absolutum, quod aduenret substantiæ.

*Quod confirmatur maxime* in nostra sententia, qui dicimus vnionem formæ substantialis & materiæ primæ esse accidens relatiuum independens per se essentialiter à quãtitate: quod si ista vnio materiæ & formæ esset quid absolutum & substantiale, similiter posset dici quod vnio partium integralium substantialium sit quid absolutum substantiale, & falsum esset quod sola, quæ habent se per modum actus & potentiæ per se vnirentur per vnionem substantialem.

Si ergo dicatur quod vnio quã vniuntur partes integrales substantiæ, sit substantialis intrinsece, falsum est quod debeat compositio partium integralium exigere quantitatem, aut aliquod aliud accidens; & falsum est, quod illa compositio sit accidentalis, id est exigens accidens prædicamentale; quod autem alio modo esset accidentalis, non facit ad rem. Si vero dicatur quod illa vnio sit accidés absolutum, falsum est quod quantitas sit primum accidens absolutum, quod aduenit substantiæ; & consequenter quamuis admittatur illa cõpositio esse accidentalis, id est exigens accidens, adhuc non sequetur, quod necessariò exigat quantitatem. Si denique dicatur quod sit quid accidentale respectiuum, poterit haberi sine quantitate, & consequenter illa compositio partiuum integralium bene poterit haberi absque quantitate. Quod autem possit haberi vnio partium substantiæ integralium absq; quantitate

qualisc̃um

qualiscumque sit illa vnio, patet euidenter, quia si separaretur quantitas à substantia Oceani verbi gratia, non ideo illa pars Oceani, quæ correspondet Hiberniæ, esset discreta, aut discontinua à parte substantiali Oceani, quæ iam ipsi est continua: ergo esset ipsi continua, quia inter continuum & discontinuum non datur medium: ergo essent vnitæ illæ partes substantiales sine quantitate.

30. *Dices*: non haberent tunc rationem partium. *Contra*, quia hoc gratis dicitur, & deinde non facit ad rem; quia saltem habetur quod duæ illæ entitates substantiales, quæ habebant rationem partium, dum aderat, quantitas, sint continuæ & vnitæ, siue habeant rationem partium, siue non habeant, quod nobis sufficit.

*Ad confirmationem respondeo primo* negando antecedens cum sua probatione, quia caput non solum dicit materiam primam, sed formam substantialem diuersæ rationis à forma substantiali, quam dicit manus, vt suo loco monstrabimus: &, sane multo magis ridiculum videtur quod non differant substantialiter substantiæ, cui accidentia tam dissimilia debentur, quam quod manerent cum substantiali differentia sine quantitate: & eodem modo posset quis dicere quod bos & equus non distinguerentur substantialiter, sed penes accidentia, at id dici potest de carne, & ossibus.

*Respondeo secundò* distinguendo antecedens: in esse partium distinctæ rationis essentialis, transeat antecedens; in esse partium substantialium eiusdem rationis, nego antecedens. Itaque supposito quod caput nō includat nisi materiam & formam eiusdem rationis cum materia & forma manus, & quod solum habeāt dissimilitudinem accidentalem sicut haberet homo niger & homo albus; verum sit quod dissimilitudo eorum proueniat formaliter ab accidentibus, & quod ablatis consequenter accidentibus non manerent cum illa dissimilitudine, sed cum omnimoda similitudine: tamen adhuc haberent distinctionem suam numeralem, neque enim essent identificatæ sibi realiter, & possent esse vel vnitæ sibi, vel separatæ, prout placeret Deo; vnde illa distinctio entitatiua eorum maneret, destructa quantitate, quod est mihi euidens.

31. *Obiicies quartò ex Alberto*: materia prima hominis, remota quantitate, vel est simplex, vel composita: si simplex, erit indiuisibilis, quod est intentum: si composita vel prima compositione, vel secunda: non prima, quia hæc sit ex actu per se & potentia, materia autem non includit actum per se tanquam partem essentialem sui, cum sit pura potentia physica; non etiam secunda, quæ est ex subiecto & accidente, quia vbi non est prima compositio, repugnat esse secundam compositionem.

*Confirmatur*: si materia secundum se componeretur ex partibus, necessario ibi esset distinctio partium: sed hæc est impossibilis in materia, quia vbi est distinctio vnius ab alio, necessario interuenit aliquis actus, actus enim est qui distinguit, ex 7. *Met. tex.* 49. materia autem, cum sit pura potentia, non habet actum.

*Confirmatur secundò* quia prius est esse quam maius esse: materia ex se non habet esse: ergo neque maius esse, & consequenter ex se non habet extensionem partium.

32. *Respondeo* materiam primam hominis, remota quantitate, esse simplicem, quantum ad compositionem essentialem physicam, & esse sic indiuisibilem, id est quid, cui repugnat diuidi in partes physicas essentiales, quod etiam de ipsa verum est quando afficitur quantitate: non est autem simplex integraliter, sed composita eodem modo quoad partes integrales entitatiuas sine & cū quātitate. Quamuis autem hoc modo sit composita, non debet esse composita aut prima compositione, id est compositione ex actu & potentia per se physica; nec secunda cōpositione, id est compositione ex subiecto & accidēte; sed erit composita compositione partium integralium, sicut ipsa quantitas dicitur ab aduersariis esse composita: quæ tamen non est composita nec prima nec secunda compositione in sensu præmisso, vt est euidens. Vnde mirum est adduci hanc probationem ab aduersariis, & magis mira est probatio illa, qua probant materiam non posse esse compositam secunda compositione ex subiecto & accidente, quia non est composita prima compositione; nam certum est dari compositionem ex subiecto & accidente, ex Angelo verbi gratia, & intellectione, & ex hac quantitate & albedine absque prima compositione ex actu per se & potentia physica. Quod si intelligant compositionem primam esse illam, quæ est vel ex materia & forma, vel ex genere & differentia, tunc falsum est materiam primam non esse compositam prima compositione, includit enim genus & differentiam metaphysicam, quamuis sit pura potentia physica.

*Adde*, hanc rationem solum probare quod materia prima ex se non haberet partes, sed nō probat quin compositum ex materia prima & forma substantiali haberet ex se partes integrantes, & quin esset compositum ex talibus partibus, quia esset etiam compositum prima compositione.

*Et per hoc patet ad duas confirmationes*, quæ non probant aliquid de tali composito: sed solum de materia prima cum tamen nobis sufficiat, illud compositum habere partes integrales extensas independenter à quantitate.

33. *Repondeo tamen* vlterius ad primam confirmationem, concedendo sequelam maioris, loquendo de distinctione numerica, & negando minorem; ad cuius probationem dico, quod distinctiō omnis proueniat ab actu metaphysico, hoc est vel à differentia essentiali, vel indiuiduali, & dico materiam primam correspondentem capiti habere differentiam indiuidualem, qua distinguitur à materia prima correspondente manui, alias non posset illa annihilari, hac conseruata, quod est absurdissimum. Habet etiam differentiam essentialem suam materia prima, qua essentialiter distinguitur à forma substantiali, & accidentibus, & Angelis & Deo: quando autem dicitur quod sit pura potentia non includens actum, hoc debet intelligi de pura potentia physica, & actu physico, non de pura potentia metaphysica, & actu metaphysico, vt suo loco dicemus.

*Adde*, quod quamuis ex se materia non posset habere plures partes distinctas, posset tamen habere pluralitatem partium ex forma substantiali sine quantitate, quod sufficit nobis.

*Ad secundum confirmationem* etiam respondeo primo, quod quamuis materia non haberet neque esse, neque maius esse ex se, quod posset habere & esse & maius esse à forma substantiali sine quantitate, vt iam dixi de partibus.

34. *Respondeo secundò* negando minorem; ex se enim habet materia suum esse existentiæ tam bene quam forma; & maius vel minus esse iuxta partes tantas, vel tantas.

*Obiiciunt quintò ydem Complutenses*: esse extensum quacumque extensione, sicut esse quale, est esse secundum quid: ergo sicut esse quale prouenit substantiæ à forma accidentali, ita etiam & esse extēsum quacumque extensione, & consequenter sicut ablata qualitate substantia nō haberet esse quale, ita ablata quantitate non remanebit vllo modo extensa. Probatur antecedens, quia illud est esse secundum quid respectu substantiæ, per quod non potest responderi ad quæstionem quid est ipsius substantiæ, vel quod non complet aut terminat eam intra limites substantiæ: sed esse extensum est huiusmodi; ergo. Probatur maior, quia in sustantia nullum aliud datur esse simplex, nisi vel essentiæ, per quod respondetur ad quæstionem quid est; vel esse subsistentiæ & existentiæ, quæ sunt complementa & termini ipsius substantiæ. Probant minorem, quia quærenti quid est homo, non respondetur, est extensus etiam entitatiue, sed est animal viuens, &c. neque talis extensio est complementum aut terminus substantiæ in ratione substantiæ.

*Confirmant primò*, quia ridiculum esset distinguere quoddam esse quale entitatiue, & quale qualificatiue: ergo absurdum est etiam dicere quod detur aliquid extensum entitatiue, & aliud extensum quantitatiue.

*Confirmant secundò*, quia ex opposita sententia: hoc est

nostra

noſtra, ſequitur nullum dari quantum per accidens; ſi enim admitteretur in ſubſtantia extenſio partium entitatiua, pariter admittenda erit talis extenſio in qualitatibus ſubiectatis in quantitate, vt in albedine, colore, &c quæ omnia abſurda ſunt, & aliena à ſchola Ariſtotelica: ergo ſubſtantia ex ſe, ſecluſa quantitate, nullam habet propriam extenſionem.

35. *Reſpondeo primò* negando ſecundam conſequentiam, quia poſſet prouenire ab alio accidente quam à quantitate: & ſane ita dicendum eſt in noſtra ſententia, quod eſſe extenſum proueniat ab vnione partium integralium, quæ eſt accidens reſpectiuum independens à quantate, tanquam à conditione ſine qua non, quemadmodum eſſe compoſitum phyſice prouenit ab vnione materiæ & formæ, tanquam à tali conditione, quæ vnio materiæ & formæ eſt accidens, vt dicemus ſuo loco.

*Reſpondeo ſecundò*, quod eſſe extenſum, id eſt includere partes integrales, quæ connaturaliter petant eſſe extra ſe inuicem, non ſit eſſe ſecundum quid, ſed eſſe ſimpliciter ſubſtantiæ corporeæ vt ſic, prout hæc opponitur ſubſtantiæ ſpirituali, & prædicatur de ipſa in quid, ſicut prædicatur de ipſa corpus, quia idem eſt corpus vt ſic, ac ſubſtantia includens huiuſmodi partes, maxime in ſententia aduerſariorum, & omnium, qui dicunt ſubſtantias ſpirituales eſſe indiuiſibiles, vnde falſa eſt minoris probatio.

*Reſpondeo tertiò* diſtinguendo maiorem: eſt eſſe ſecundum quid, id eſt eſſe non prædicabile in quid neque per modum ſubſiſtentiæ aut exiſtentiæ, tranſeat maior, eſt eſſe ſecundum quid, id eſt eſſe prouenies à ſolo accidente, nego maiorem; neque in hoc ſenſu probatur ab aduerſariis, in quo tamen ſenſu deberent illam probare.

36. *Addo ad hæc*, male dici ab ipſis quod omne illud eſſe ſit ſecundum quid reſpectu ſubſtantiæ, quod non prædicatur de ipſa in quid, neque vt ſubſiſtentia, neque vt exiſtentia, quia rationalitas non eſt eſſe ſecundum quid hominis, cum ſit principium conſtitutiuum eſſentiale ipſius, & tamen non prædicatur in quid, nec de homine, nec de indiuiduis, neque etiam vt exiſtētia aut ſubſiſtentia. Rurſus eſſe animæ non eſt eſſe ſecundum quid hominis, & tamen non prædicatur de homine in quid, neque vt exiſtentia aut ſubſiſtentia. Et hinc vlterius infero quod quamuis extenſio partium nō poſſet prædicari de ſubſtantia in quid, non inde ſequeretur quod eſſe extenſum eſſet eſſe ſecundum quid hominis. Quantum autem ad rei veritatem, quod homo habeat partes integrantes tot vel tales, eſt ipſi prædicatum accidentale, id eſt non eſſentiale ipſi qua homo, maneret enim cōceptus hominis ſine manu eius, & in hoc ſenſu poteſt dici quod habere tot partes ſit eſſe ſecundum quid ipſi; ſed inde non ſequitur quod proueniret à quantitate, aut ab vllo alio accidente tanquam à ſola cauſa formali. Si autem per eſſe ſimpliciter non intelligitur ſolū eſſe quod eſt de conſtitutione eſſentiali phyſica, aut metaphyſica, ſed etiam quodcumque eſſe partium ſubſtantialium rei, tum eſſe extenſum erit de eſſe ſimpliciter hominis, ſiue prædicetur in quid, ſiue non, neque in hoc poteſt eſſe alia quæſtio quam de nomine.

37. *Ad primam confirmationem* concedo antecedens, quia nulla eſt ratio aut experientia, vnde colligatur dari eſſe quale entitatiue diſtinctum ab eſſe quale quod habetur à quantitate; nego autem conſequentiam, quia ſunt vrgentiſſima fundamenta aſſerendi partes extenſas entitatiue independenter à partibus extenſis quantitatiue; vnde hoc debet aſſeri, licet illud primum non aſſeratur.

*Ad ſecundam confirmationem* nego ſequelam, concedo tamen quod qualitates corporeæ ſubiectatæ in quantitate habeant partes extenſas entitatiue independenter à quātitate, quemadmodum ſubſtantia habet, nec hoc eſt vllo modo abſurdum aut alienum à ſchola Ariſtotelica, neque inde ſequitur quod non darentur quāta per accidens, quia & ſubſtantia affecta quantitate eſt taliter quanta, & etiam accidentia ſubiecta in quantitate; nec idem eſt eſſe quantum quantitate huius prædicamenti, ac habere extenſionem partium quamcumque, vt ipſi ſupponunt.

## CONCLVSIO V.

Qu antita non eſt id quod facit impenetrabile cum alio eiuſdē ſpeciei.

38. *Ratio formalis quantitatis non bene explicatur dicēdo, quod ſit illud quod reddit impenetrabile naturaliter, id, in quo eſt, cum alio eiuſdem ſpeciei.* Hæc eſt contra *Arriagam diſp. 5. Met. num. 14.*

*Probatur*, quia quantitas non ſolum habet reddere impenetrabile id, in quo eſt cum alio eiuſdem ſpeciei, ſed cū alio diuerſæ ſpeciei; nec enim homo, in quo eſt quantitas, eſt impenetrabilis magis cū alio homine quam ligno & lapide. Et ſi loquatur *Arriaga* de ſubiecto immediato quantitatis ſupponendo illud eſſe materiam primam, adhuc non valet explicatio, quia ſi darentur materiæ primæ diuerſæ ſpeciei, vt multi tenent de materia ſublunarium & cæleſtium, adhuc eſſent impenetrabiles naturaliter à quantitate. *Rurſus* ſi daretur albedo cum quantitate identificata extra ſubiectum; & dulcedo cum alia, vt probabile reputat *Arriaga*, expellerent ſe mutuo, niſi vnirentur phyſice non minus, quam de facto expellunt ſe mutuo homo, & equus: ergo quantitas non expellit ſolum ea, quæ ſunt eiuſdem rationis.

## CONCLVSIO VLTIMA.

In quanam extenſione conſiſtit ratio formalis quantitatis.

39. *Ratio formalis quantitati conſiſtit in illa extenſione partium, ad quam ſequitur aptitudo & exigentia connaturalis expellendi ſe inuicem & alias res ab eodem loco, quæ aptitudo vocatur communiter impenetrabilitas naturalis.* Hæc eſt communior apud Scotiſtas & recentiores. *Probatur primò*, quia certum eſt omnem quantitatem habere hanc extenſionem, & nihil aliud habere eam niſi quantitatem, vel ratione quantitatis. *Deinde* nulla alia ratio formalis conuenientius poteſt attribui quantitati quàm huiuſmodi ratio.

*Confirmatur*, quia ideo quantitas habet poſſe diuidi naturaliter per interpoſitionem corporis, quia non poteſt compati connaturaliter cum corporibus, in quibus non ſubiectatur; & ideo habet aptitudinem occupandi locum circumſcriptiue, quia habet hanc extenſionem partium, ad quam ſequitur aptitudo expellendi ſe inuicem & alia ab eodem ſpatio: ergo illa extenſio eſt ratio formalis ipſius.

*Confirmatur ſecundò*, quia debet habere aliquam rationem formalem ſibi peculiarem: ergo cum nulla potius attribui debet, quam hæc extenſio, debet dici quod hæc ſit ratio formalis propria ipſius.

40. *Obiicies primo*: ſubſtantia habet partes, quæ expellunt connaturaliter ſe inuicem ab eodem loco, & etiam alias ſubſtantias, & idem eſt de albedine aliiſque qualitatibus: ergo illa extenſio partium non eſt propria quantitati.

*Reſpondeo* diſtinguendo antecedens: quæ ſe expellunt ratione ſui, nego antecedens: ratione quantitatis, concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia illa extenſio partium, quæ ſe expellunt connaturaliter ab eodem ſpatio ratione ſui, eſt propria quantitati, & nulli alij conuenit niſi ratione quantitatis.

41. *Obiicies ſecundò*: Quantitas non expellit ab eodem loco ſubſtantiam, quam afficit, nec qualitates in ſe ſubiectatas, nec etiam ſubſtantias ſpirituales aut corpora gloriоſa, etiam connaturaliter: ergo male dicitur quod ratio formalis ipſius conſiſtat in extenſione partium, ad quam ſequitur connaturaliter aptitudo ad expellendas alias res ab eodem ſpatio.

*Reſpondent* aliqui diſtinguendo conſequens: ad expellendas alias affectas quantitate, concedunt. Vnde explicant naturam quantitatis per ordinem ad expulſionem aliarum rerum affectarum quantitate.

*Sed hæc explicatio non placet*, quia numquam bene explicatur natura vllius rei per ordinem ad ſeipſam, aut aliquid eiuſdem rationis cum ſeipſa formaliter; ergo non bene explicatur natura quantitatis per ordinem ad expellendum aliam quantitatem, aut rem affectam alia quantitate.

*Reſpondeo* ergo aliter diſtinguendo conſequēs alio modo: ad expellendas alias res omnes, concedo antecedens; nec

nec sic explicauimus naturam quantitatis in conclusione: expellendas alias aliquas res, nego antecedens. Itaque id, ratione cuius substantiæ aliquæ & qualitates expellunt se inuicem ab eodem loco, est quantitas, & consequenter natura quantitatis bene explicatur per ordiné ad hoc.

44. *Obiicies tertiò*: Quantitas potest compati in eodem spatio cum quibuscumque aliis rebus, vt patet in quantitate corporis glorioſi, quæ est penetrabilis cum quacumque re, & partes eiusdem quantitatis possunt compati simul in eodem spatio, vt patet in quantitate Christi sub speciebus Eucharisticis: ergo male dicitur quod ratio formalis ipsius consistat in impenetrabilitate radicali; seu in extensione partium, ad quam sequitur aptitudo expellendi se inuicem & alias res aliquas ab eodem spatio.

*Respondeo* distinguendo antecedens; potest naturaliter, nego antecedens; supernaturaliter, concedo antecedens, & similiter distinguo consequens: ad quam sequitur talis aptitudo, vt nullo modo possit compati cum aliis omnibus rebus, concedo consequentiam: ad quam sequitur aptitudo connaturaliter alias aliquas res expellendi ab eodem loco seu spatio, nego consequentiam.

*Dices*: penetrabilitas est proprietas opposita impenetrabilitati, & competens rebus essentialiter distinctis à quantitate, vt rebus spiritualibus: ergo non potest competere quantitati, si impenetrabilitas sit proprietas illius.

*Confirmatur*, quia penetratio est actus proprius competens penetrabilitati: ergo nequit competere quantitati, quæ habet proprietatem oppositam, nimirum impenetrabilitatem.

Quæ impenetrabilitas est proprietas quantitatis.

45. *Respondeo* penetrabilitatem vt sic non esse proprietatem quarto modo rerum spiritualium & distinctarum essentialiter à quantitate, sed penetrabilitatem naturalem: hæc autem penetrabilitas non competit quantitati, cui proprium quarto modo est, non impenetrabilitas quomodocumque, sed impenetrabilitas connaturalis.

*Iuxta hoc respondeo* penetrationem, vt sic, non esse actum proprium penetrabilitatis incompatibilis cum impenetrabilitate, sed penetrationem naturalem, hæc autem non cõuenit quantitati: penetratio autem supernaturalis, quæ conuenire potest quantitati, non est actus proprius penetrabilitatis naturalis, quæ sola est incompatibilis cũ quantitate; sed penetrabilitatis supernaturalis, quæ cum impenetrabilitate naturali est compatibilis in eadem re: neque enim est inconueniens quod eadem res sit penetrabilis supernaturaliter, & impenetrabilis naturaliter, sicut non est inconueniens quod idem corpus habeat ineptitudinem naturalem ad essendum in multis locis simul, & aptitudinem ad essendum in illis simul supernaturaliter.

*Dices*: nec rugitus, nec rugibilitas potest vlla ratione competere homini, cui proprietas quarto modo est risibilitas: ergo nec penetratio, nec penetrabilitas potest vllo modo competere quantitati, cui proprietas est impenetrabilitas.

*Respondeo* negando consequentiam, quia penetratio supernaturalis, & aptitudo ad penetrandum supernaturaliter non opponitur impenetrabilitati naturali, quæ est proprietas quantitatis, sicut rugitus & rugibilitas opponuntur risibilitati, vt supponitur. Quod si supponatur rugitum & rugibilitatem supernaturalem non opponi risibilitati hominis, tum dicendum est hominem posse supernaturaliter rugire, & habere aptitudinem seu potentiam vt possit rugire supernaturaliter, sicut habet quantitas vt possit penetrare.

## QVÆSTIO III.

*Virum quantitas sit quid realiter distinctum à substantia.*

Quantitas distinguitur realiter à substantia.

46. *PRima sententia est Nominalium* tenentium non esse accidens aliquod distinctum realiter à substantia quanta aut accidentibus quantis. Ita *Occamus in 4. dist. 4. quodl. 4. quæst. 29.* & *in tractatu de corpore Christi cap. 17. Gabriel num. 2. distin. 10. Aureolus apud Capreolum 2. distin. 18. art. 2.* & hanc sententiam putat probabiliorem *Arriaga disput. 5. Met. n. 10.* Ex modo autem quo probant hi authores hanc sententiam, videntur mihi capere quantitatem pro extensione partium, tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum, sic vt vna pars petat connaturaliter esse correspondens parti loci, & alia alteri. Supposita autem hac acceptione quantitatis, non possent habere nobiscum, nec cum recentioribus in hac re controuersiam, qui admisimus quæstione præcedenti substantiam corpoream ex se habere huiusmodi extensionem independentem ab omni accidente absoluto à se distincto: & idem etiam dicendum est de qualitatibus, nec hoc indiget alia probatione, quam qua vsi sumus eo loci. Itaque vt hæc sententia Nominalium sit diuersa à nostra sententia, oportet vt sic intelligatur, quod substantia ex se ipsa habeat talem extensionem, ad quam sequitur aptitudo expellendi alia ab eodem spatio, & quod non detur aliquod accidens distinctum realiter ab ipsa, quæ per se habet talem extensionem, & ratione cuius competit aliis rebus eam habere. Quo sensu ipsi etiam intelligendi sunt, dum absolute dicunt non dari quantitatem aliquam distinctam realiter à substantia.

*Secunda sententia* communissima aliorum Doctorum est extreme opposita, asserens dari quantitatem distinctam realiter à substantia, Ita *Doctor in 4. distinct. 12. quæst. 2.* cum omnibus Scotistis, *D. Thomas 3. par. quæst. 77.* cum suis, quos recentiores communiter sequuntur, vt *Suarez disp. 40. Met. sect. 2. & Auersa quæst. 22. Philosophia, sect. 1.*

## CONCLVSIO.

47. *Hæc secunda sententia vera est.* Probat *Auersa* hanc conclusionem, quia bene potest concipi quantitatem esse accidens peculiare realiter distinctum à substantia, & ratio substantiæ corporeæ concipi potest per modum exigentis quantitatem, tamquam accidens realiter distinctum, sed sibi connaturale; Bene ergo, inquit, intelligi potest & debet quantitas, vt quid distinctum realiter à substantia & aliis accidentibus. *Sed hæc probatio nihil concludit*: neganda est enim consequentia pro secunda parte; nam quamuis posset sic concipi, non debet tamen, imo potius debet concipi per modum indistincti à substantia, nisi adsit aliqua alia ratio, quia potest etiam concipi vt indistincta; & vniuersaliter non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nec est sufficiens necessitas ad distinguendam realiter quantitatem à substantia, quod possit concipi vt sic distincta.

*Probatur secundò efficaciter* suo iudicio experientia, qua constat quantitates expellere se inuicem naturaliter: ergo dantur quantitates sic se expellentes. Verum hæc probatio non vrget dari quantitatem distinctam realiter à substantia, nec satis notum est, vt ipse subiungit, impenetrabilitatem non competere rebus ratione substantiæ, aut si notum est, non certe ex terminis; nec ex hac, aut priori ratione quam ipse adducit, id constat.

48. *Probatur ergo aliter primò*, quia datur aliquid distinctũ realiter à substantia, ratione cuius partes substantiæ sunt impenetrabiles inter se & cũ aliis rebus, & etiam partes qualitatum materialium substantiæ, vt albedinis, caloris, &c. sed illud est quantitas: ergo quantitas distinguitur realiter à substantia. Minor & cõsequentia supponuntur certa ab aduersariis, qui propterea negant substantiam distingui realiter à quantitate, quia ex seipsa haberet huiusmodi extensionem impenetrabilem. Probatur maior, quia ab eodem principio habent partes substantiæ & partes qualitatum ipsi competentium extensionem impenetrabilem: nec enim est dicendum, quod substantia habet ex se impenetrabilitatem, & qualitates etiam à se habeant impenetrabilitatem: tum quia alias non possent esse in eodem loco substantia, & illæ qualitates; nam quæ habent diuersam impenetrabilitatem, non possent esse in eodem loco: tum etiam quia sufficeret quod vel substantia haberet ex se impenetrabilitatem vel accidentia; nec est necesse quod & substantia & qualitates habeant ex se impenetrabilitatam: ergo ab eodem habent & qualitates & substantia, cui inhærent, impenetrabilitatem: sed illud, à quo partes qualitatis habent esse impenetrabiles, est aliquid

aliquid distinctum à substantia: ergo illud, à quo habent partes substantiæ impenetrabilitatem, est aliquid distinctum realiter à substantia. Probatur minor huius discursus ex mysterio Eucharistiæ, in quo accidentia sine substantia habent impenetrabilitatem: ergo illud à quo habent impenetrabilitatem, est distinctum realiter à substantia.

49. *Nominales dicunt*, accidentia illa esse quidem impenetrabilia, sed non à quantitate substantiæ, quæ est destructa cum substantia, sed à quantitate propria ipsorummet.

*Contra primò*, secundum Theologos communiter ipsa quantitas panis manet post consecrationem: ergo absque ratione valde euidenti non debet id negari.

*Contra secundò*, quia, vt supra dixi, ab eodem habent qualitates & substantia, in quibus subiectantur, impenetrabilitatem: ergo quantitas, quæ est ibi, est quantitas substantiæ, hoc est illud à quo substantia habet impenetrabilitatem.

*Contra tertiò*: si qualitates illæ haberent propriam quantitatem distinctam à quantitate substantiæ, vt supponunt Nominales, quælibet ex illis haberet suam propriam quantitatem, & sic non essent compatibiles in eodem loco, quia quæ habent diuersam quantitatem, non possunt poni naturaliter in eodem loco.

*Confirmatur hoc*, quia si qualitates diuersæ, habentes diuersam quantitatem, possent poni naturaliter in eodem loco, duæ hostiæ consecratæ naturaliter possent se penetrare, quia ex hoc non sequeretur aliud, quam quod ponerentur diuersæ qualitates habentes diuersas quantitates in eodem loco, quod secundum illam doctrinam non esset inconueniens.

50. *Confirmatur secundò* tota hæc probatio, & impugnatio responsionis præmissæ, quia illud, quod est principium impenetrabilitatis hostiæ consecratæ, non est vlla qualitas vna ex qualitatibus, quæ sunt in speciebus Eucharisticis, quia, sublata quacumque ex illis, adhuc hostia esset impenetrabilis; nec aggregatum ex omnibus illis, quia separata vna non esset illud aggregatum, & tamen adhuc hostia esset impenetrabilis; nec aggregatum ex vllo numero eorum, quia quocumque assignato, si tolleretur vlla qualitas ex illis, non esset illud aggregatum, & tamen hostia esset impenetrabilis: ergo signum est quod principium istius impenetrabiliratis sit aliquid distinctum ab omnibus illis qualitatibus. Sed hoc supposito sequitur conclusio, quia sequitur quod quantitas illarum qualitatum distinguatur realiter ab illis: & hoc supposito rationabilius dicitur, quod eadem quantitas, quæ facit illas qualitates impenetrabiles, faciat etiam substantiam impenetrabilem, & consequenter quod sit quantitas substantiæ.

51. *Arriaganum. 4. dicit* accidentia illa esse impenetrabilia, non ob quantitatem, sed ob vbicationes materiæ, quæ nequeunt esse connaturaliter cum vbicationibus alterius materiæ, quæ vbicationes, cum sint accidentia absoluta in ipsius sententia, & non modi, debent manere ibi.

*Contra*: si ab vbicationibus haberent illa accidentia impenetrabilitatem, illæmet vbicationes essent quantitas, & cum sint distinctæ, & quidem formæ absolutæ in sententia ipsius, essent quantitas, & sic daretur quãtitas distincta à substantia, quod est intentum nostrum. Nec valet dicere quod quantitas non consistat in illis vbicationibus, sed in illo quod exigit ipsas; quia hoc gratissime dicitur, & reducit rem hanc ad quæstionem de nomine: neque enim nos aliud volumus, quam quod detur aliqua forma absoluta distincta à substantia, à qua habet esse impenetrabilis, & si vocaretur quantitas illud, quod exigit talem formam, concederemus libenter substantiam esse quantitatem.

*Contra secundò*, quia præterquam quod falsum sit vbicationem esse formam absolutam, aut eam posse esse absque suo subiecto; quamuis etiam possent, non magis deberent accidentia illa ab vbicationibus materiæ esse impenetrabilia, quam ab vbicationibus propriis: ergo non deberent poni vbicationes materiæ in illis: nec verum est quod omnia accidentia substantiæ debent poni in Eucharistia, sed solum accidentia sensibilia, & quæ cum ipsis habent connexionem.

52. *Respondet idem author secundò*, accidentia illa non habere impenetrabilitatem ex se, sed conseruari tamen à Deo miraculose absque penetratione non minus, quam si essent impenetrabilia, ne patefiat Eucharistiæ mysterium.

*Contra*, quia hoc esset recurrere ad miraculum sine necessitate, aut exigentia aliqua ex parte creaturæ: & tane mirum est quod Deus tam sollicite vellet, etiam adhibito miraculo non exacto à modo naturali agendi causarum naturalium, occultare nobis mysterium Eucharistiæ.

*Confirmatur*, quia esset satis absconditum, quamuis non adhiberetur, hoc miraculum; nam licet fieret penetratio; adhuc posset esse substantia panis, & non esse ibi corpus Christi: ergo miraculum non deberet fieri ad hunc finem.

53. *Probatur secundò* conclusio, quia in Eucharistia est aliquod subiectum commune omnium qualitatum, in quo recipiuntur, neque enim vna qualitas subiectatur in alia, cum non sit vlla ratio, cur vna alteram potius quam altera ipsam subiectaret, neque omnes debent esse absque aliquo subiecto proximo: ergo datur aliquid aliud, quod subiectet illas: sed illud est quantitas, & quid distinctum realiter ab ipsis, & à substantia destructa: ergo quantitas distinguitur realiter à qualitatibus & substantia. In hac probatione non est alia difficultas, quam vt probetur quod omnes qualitates non sint absque subiecto aliquo: hoc autem probatur, quia agens naturale potest naturaliter producere calorem, verbi gratia in Eucharistia, vt patet experientia: sed non potest ipsum producere absque subiecto, in quo reciperetur, quia alias crearet, quandoquidem produceret formam absque dependentia à causa materiali, hoc est à subiecto, in quo reciperetur: ergo datur ibi subiectum caloris: sed illud ipsum subiectum, in quo producitur calor, debet dici esse subiectum aliarum qualitatum: ergo aliæ qualitates non sunt absque subiecto.

54. *Dices*: agens naturale æque potest naturaliter producere calorem sine subiecto ac formam substantialem; sed ignis potest producere in Eucharistia formam ignis, vt patet experientia, & non est ibi aliquod subiectum, in quo produceret formam ignis, cum nihil substantiale, nec materia nec forma, sit sub illis speciebus. in quo produceretur: ergo similiter potest producere formam caloris, quamuis non sit ibi subiectum, in quo illud producat.

*Respondeo* distinguendo minorem pro secunda parte. non est ibi subiectum, in quo produceretur forma ignis ante illud instans in quo producitur, concedo; in illo instanti, nego; & similiter distinguo consequens. Itaque in illo instanti in quo producitur forma ignis, aut quæcumque alia forma substantialis à causa secunda vlla sub illis speciebus, aut ex illis, Deus ipse producit in loco, in quo debet illa forma produci, materiam primam, vel eandem, quæ prius erat destructa, vel aliam aliquam, & in ipsa, quamuis non præexistat tempore, agens naturale producit illam formam; vnde manet quod agens naturale non producat nec formam substantialem, nec accidentalem absque subiecto, ex cuius potentia educatur.

*Instabis*: ergo saltem quemadmodum non præextitit formæ substantialis productioni materia, sed producebatur à Deo in eodem instanti, similiter posset dici quod non præextitit productioni caloris aliquod subiectum, sed quod producatur subiectum in eodem instanti, in quo calor producitur.

55. *Respondeo primò*, hoc ipsum sufficere ad probandum conclusionem, quia illud subiectum quod tum producitur, non est substantia, alias, quoties calefieret leuiter hostia, esset sub illis speciebus alia substantia, quam substantia corporis Christi; & hęc cõsequenter desineret esse sub illis; quo nihil absurdius. Neque est qualitas vlla, quia vt supra dixi, vna qualitas non subiectat aliam: ergo debet esse aliquod aliud absolutu quid: sed nihil tale potest assignari, quod nõ sit quantitas: ergo datur quantitas distincta

realiter

realiter à substantia, & qualitatibus, quod est intentum conclusionis.

*Respondeo secundò*, negando sequelam, quia non est vlla necessitas recurrendi ad noui subiecti productionem quado producitur calor, potest enim dici, quod illud subiectum, in quo producitur, fuerit productum ante, quandoquidem sit accidens: sed est necessitas recurrendi ad subiecti noui productionem, quando producitur forma substantialis, quia ex fide habemus non fuisse antecedenter sub speciebus subiectum substantiale, quod solum potest sufficere ad producendam formam substantialem: ergo idem in vtroque casu non debet dici.

56. Ex hac autem doctrina maxime confirmatur communis sententia tenens, quod quantitas sit subiectum immediatum qualitatum corporearum, quam amplectitur S. *Thomas* 3. *par. qu.* 77. *Scotus in* 4. *dist.* 12. *Suar. disp* 14. *Met. cõtra Hurtadum disp.* 6. *Physicæ subsect.* 1. *& Auersam q.* 21. *Philosophiæ sect.* 6. *Confirmatur* inquam illa sententia ex iam dictis, quia ex suppositione, quod detur quantitas distincta realiter à substantia, & qualitatibus, melius asseritur, quod sit subiectum immediatum qualitatum corporearum, quam quod non sit: tum quia in illo modo dicendi non est vlla inconuenientia: tum & præcipue quia id dicendo saluatur quomodo possunt species Eucharisticæ calefieri ab agente naturali sine nouo miraculo, quo Deus suppleret defectum subiecti; nunquam autem debemus recurrere ad miraculum sine necessitate.

Quantitas est subiectum qualitatum.

*Dices cum Auersa*, istas species condensari posse & rarefieri per accessum & recessum quantitatis, & hoc mediante actione causarum naturalium, quæ tamen actio fit absque subiecto, quandoquidem quantitas producta in illis per rarefactionem non subiectetur in alia quantitate, nec in qualitatibus, & quandoquidem non sit ibi substantia, in qua producatur: ergo similiter posset fieri calefactio absque subiecto per agens naturale.

57. *Respondeo primò*, etiamsi totum concederetur, nihil facere ad propositum, quia aliud est, quod posset illa calefactio fieri absque subiecto, aliud est quod ita fiat. Hoc secundum nos negamus, quia quandoquidem possit saluari absque tali miraculoso agendi modo, præstat id facere, quam recurrere ad miraculum. Quod si illæ aliæ actiones condensationis & rarefactionis nequeant saluari absque miraculo, sicut nequit saluari actio productiua substantiæ, tum in illis actionibus recurrendum est ad miraculum, sed non in calefactione; & disparitas erit manifesta, quod hæc saluari possit absque miraculo, illæ non possint.

*Respondeo secundò*, iuxta satis communem Thomistarum, ac recentiorum sententiam, condensationem, & rarefactionem fieri per productionem, aut deperditionem modi quantitatiui absque productione nouæ quantitatis, aut deperditione; & ille modus non exiget aliud subiectum præter quantitatem præexistentem; vnde non sequitur in condensatione aut rarefactione recurrendum esse ad miraculosum modum agendi, & sic euanescit hæc replica *Auersæ*.

*Respondeo tertiò*, condensationem & rarefactionem secundum plures Scotistas & alios fieri per egressum & ingressum corpusculorum substantialium absque productione, aut perditione quantitatis, aut modi quantitatiui, quæ essent absque subiecto, & sic etiam posset fieri condensatio & rarefactio in speciebus Eucharisticis absque recursu ad miraculum; vnde à primo ad vltimum patet hanc replicam *Auersæ* in nulla sententia facere ad rem.

58. *Idem author quæstione vigesima secunda sequenti sectione secunda*, longo discursu conatur suadere, quod melius sit ponere qualitates immediate in substantia, quàm in quantitate: sed nihil concludit, nisi in sententia ipsorum, qui tenent corpus Christi sub speciebus Eucharisticis habere qualitates absque quantitate; in eorum autem sententia qualitates sine dubio collocandæ essent immediatè in substantia, & non in quantitate. Sed hoc nihil facit ad nos, qui ponimus quantitatem Christi manere sub speciebus illis.

*Addo ad hæc*, non bene colligi qualitates esse subiectatas in quantitate ex eo, quod sint impenetrabiles, quia hoc possent habere per hoc, quod subiectarentur immediate in substantia quanta, quemadmodum habent animæ vegetatiuæ & sensitiuæ; nec etiam id colligitur ex eo, quod non recipiantur in substantia, nisi sit prius affecta quantitate, propter idem exemplum de illis animabus, quæ non recipiuntur, nisi in corpore organico quanto, & tamen non recipiuntur immediate in quantitate secundum omnes.

59. *Fundamentum aduersariorum* contra hanc conclusionem est, quod substantia ex se habeat partes extensas antecedenter, & independenter à quantitate, quia aliàs non posset recipere quantitatem, nec extendi per illam: ergo non debet assignari aliqua quantitas ab ipsa realiter distincta, à qua habeat hanc extensionem: sed ideo requiritur quantitas distincta, vt tribuat illi extensionem: ergo non est ponenda quantitas distincta.

Hoc argumentum solum habet locum contra illos Thomistas, qui assignant pro effectu formali quantitatis extendere partes substantiæ, vel actu vel aptitudine. Contra nos autem nihil viget. *Vnde respondeo* facile negando subsumptum: neque enim ideo requirimus quantitatem, vt extendat partes substantiæ, sed vt reddat illas impenetrabiles, & vt subiectet immediate qualitates; substantia autem licet ex se habeat extensionem partium, non tamen habet ex se talem extensionem earum, ad quam sequitur naturalis impenetrabilitas, seu expulsio aliquarum rerum ab eodem loco, nisi à quantitate, nec habet etiam immediate subiectare qualitates absolutas corporeas.

60. *Melius fundamentum* pro his authoribus esset hic sequens discursus: Quantitas non habet præcise & formaliter ex sua entitate absoluta habere partes suas extra se inuicem cum proportione ad partes loci in quo poneretur, vt patet in quantitate corporis Christi, quæ sub speciebus Eucharisticis non habet partes sic extensas: nec etiam habet à sua entitate absoluta præcise, & formaliter expellere alia ab eodem loco, vt patet de quantitate corporis glorioli, & quacumque alia quæ supernaturaliter posset esse penetratiue in eodem loco: ergo debet ipsi superuenire aliquid vltra entitatem suam absolutam, ratione cuius formaliter habeat partes extra partes, & expellat alia ab eodem loco, & consequenter ista extensio impenetrabilis potius debet refundi in illud alterum, quam in ipsammet quantitatem, formaliter & præcise loquendo: sed illud aliud non est aliquid absolutum, quia non potest assignari quale absolutum sit, cum non possit dici esse qualitas, nec quantitas: ergo est aliquid respectiuum. Tunc sic: sed illud respectiuum posset æque facere partes substantiæ extensas & impenetrabiles, ac partes quantitatis absolutæ: ergo frustra ponitur quantitas, quæ sit aliquid absolutum.

*Confirmatur*: ex impenetrabilitate, quam habet substantia, & accidentia separata à substatia, colligitur dari quantitas absoluta, à qua proueniat formaliter illa impenetrabilitas; sed ista impenetrabilitas posset prouenire à respectibus aliquibus, vel ab aliquo distincto à quantitate absoluta, sicut impenetrabilitas ipsiusmet formæ absolutæ, quæ dicitur quantitas, prouenit ab aliquo alio distincto: ergo non bene colligitur ex illa impenetrabilitate aliqua forma absoluta, ex qua formaliter proueniat.

*Confirmatur secundò*, præcipue contra Thomistas, quia certum est extensionem partium in ordine ad se, ita scilicet, vt vna vniatur immediate vni & nõ alteri, altera huic & non illi, verbi gratia caput collo, collum humeris, his manus &c. prouenire ab ipsis vnionibus, quæ sunt formaliter respectus, ita, vt si variarentur vniones, variaretur extensio partium, & fieret alia. *Deinde* quod partes sint extra se inuicem in ordine ad locum sic, vt si ponantur in loco, debeant habere talem proportionem partium cum partibus loci, vt vna correspondeat vni & alia alteri, videtur prouenire similiter ab aliquibus respectibus distantiæ aliquarum partium ab aliis: ergo ad neutram extensionem partium substantiæ, aut qualitatum requiritur aliqua

forma absoluta, sed sufficere possent tales vniones & tales distantiæ partium à se inuicem.

Quomodo deceditur posse, quod quantitas non distinguatur à substantia.

61. Hæc sane mihi semper difficilem reddebant sententiam nostram & communem, & probabilitatem suadebant sententiæ negantis, quod daretur aliqua quantitas distincta realiter à substantia & accidentibus, quæ esset forma absoluta, & cuius munus esset extendere partes substantiæ & accidentium cum impenetrabilitate; & quia attribuimus supra alium effectum quantitati absolutæ, nimirum subiectare immediate qualitates, propter experientiam illam de calefactione Eucharistiæ per agens naturale.

*Addo vlterius* in confirmationem vlteriorem huius sententiæ negantis, quod quemadmodum Deus miraculose concurrit cum igne ad producēdam formam ignis in illis speciebus creando de nouo materiam primam, quę sit subiectum istius formæ, sine quo concursu miraculoso nequiret ignis producere ignem in illis; similiter posset dici quod concurret miraculose cum calefactiuo, ad producendum calorem in illis speciebus, non quidem producendo subiectum nouum, vt in casu altero, sed supplendo defectū talis subiecti per concursum aliquē particularem.

*Et si dicatur*, quod tunc causa secunda crearet, *Responderi posset* iuxta satis communem sententiam, quod non esset inconueniens causam secundam creare concurrente Deo miraculose, & supernaturaliter cum illa; quæ responsio à maxima parte recentiorum tenentium nostram conclusionem admitti debet, & licet à Scotistis forte negaretur, difficile tamen erit ipsis dare implicantiam cur id repugnaret.

*Responderi etiam posset secundò*, negando sequelam, quia creatio posset dici productio rei sine dependentia à causa materiali, aut ab vllo alio supplente defectum causæ materialis: talis autem productio non competeret calefactiuo in casu prædicto.

*Responderi posset tertiò*, quod istæ productiones non prouenirent à causa secunda, quæ nequit in vllo casu creare, si non sit vera prima sententia; sed à solo Deo miraculose, nec hoc miraculum magis difficile creditu est quam alterum supplendi defectum subiecti.

62. Nihilominus in fauorem communis sententiæ *respondeo ad hoc fundamentum* concedendo, quod quantitas ex entitate sua absoluta præcise & formaliter nō habeat partes extra partes cum proportione ad partes loci, aut cum distantia inter se inuicem, nec etiam expellere vlla alia ab eodem loco, nisi aliquid aliud, vel intrinsecum, vel extrinsecum adueniat ipsi; tamen est aliquid absolutum exigens connaturaliter immediate, & ratione sui illud aliud superaddi ipsi: substantia autem non exigit illud aliud sibi immediate superaddi, sed solum exigit illud mediate, quatenus scilicet exigit quantitatem: & idem est de qualitatibus.

*Et si quæras*, vnde colligamus, quod substantia non sit illud, quod exigat illud connaturaliter: *Respondeo*, quia video quod qualitates ex mysterio Eucharistiæ habeant illud. *Et si quæras*: vnde colligam, quod qualitates non exigant illud ex se connaturaliter: *Respondeo*, id colligi ex dictis in tertia impugnatione responsionis Nominalium *n.* 48.

*Confirmatur hæc responsio*, quia vna forma accidentalis, verbi gratia calor, dicitur expellere formaliter frigus ab eodem subiecto, licet ex sua entitate absoluta præcise non sufficeret ad hoc faciendum, quandoquidem supernaturaliter posset esse simul cum frigore, quia exigit connaturaliter, vt Deus non conseruet frigus in eodem subiecto, vnde negatio illius conseruationis requiritur vltra calorem ad expellendum frigus: ergo similiter quantitas debet dici expellere formaliter alia ab eodem loco per suam entitatem absolutam, quamuis vlterius requiratur negatio concursus diuini cum illis aliis, quæ expelluntur ad occupandum eundem locum, eo scilicet, quod exigat connaturaliter talem negationem. Ex quo etiam exemplo obiter patet, quod quantitas sit dicenda formaliter & non effectiue expellere alia ab eodem loco, sicut calor expellit frigus ab eodem subiecto formaliter & non effectiue: cuius etiam signum est, quod quamuis nihil prorsus efficeret quantitas occupans locum, sed solum conseruaretur ibi, mere passiue se habens, non admitteret secum aliam quantitatem magis, quàm calor in summo admitteret frigus in summo, de quo aliàs plura.

Quantitas formaliter expellit alia à loco.

63. *Ad primam confirmationem respondeo* illam impenetrabilitatem non posse prouenire ab illis respectibus, neque enim vlla distinctio est inter respectus quoscumque, qui sunt in quantitate, siue partium ipsius inter se inuicem, sine in ordine ad partes loci, & respectus qui essent in substātia occupante similem locum absque quantitate, ex qua distinctione oriretur illa impenetrabilitas in quantitate potius quā in illa substantia, nisi quatenus partes quantitatis fundantes tales respectus, sunt distinctæ rationis à partibus substantiæ; vnde impenetrabilitas illa refundi debet in partes quantitatis, & non in tales respectus solummodo.

*Ad secundam confirmationem* non est, quod respondeam, quia solum vrget Thomistas sic explicantes naturam quantitatis.

*Ad illud quod addidi* in fauorem Nominalium *n.* 60. *Respondeo*, quamuis posset ita responderi, melius tamen dici, quod non concurrat Deus miraculose ad talem productionem, quia sine necessitate non est recurrendum ad miracula: non est autem vlla necessitas recurrendi ad illum miraculosum concursum, si dicatur adesse, sub illis speciebus subiectum, in quo calor posset produci.

64. Omisi data opera probare conclusionem per argumentum satis commune, quo vtuntur *Complutenses*, nimirum quantitas est accidens reale aptum natum inhærere: ergo nequit identificari substantiæ, alias inhæreret & non inhæreret. Omisi, inquam, hoc argumentum, quia reuera petit principium, seu assumit, quod est probandum, nempe quantitatem esse accidens reale aptum natum inhærere substantiæ, id enim negant Nominales, qui identificant quantitatem substantiæ.

Alia probatio communis cōclusionis reuocatur.

Eandem etiam ob causam omisi aliud argumentum, nimirum quod quantitas spectet ad aliud prædicamentum à substantia: ergo non identificatur realiter substantiæ. Hæc enim consequentia negari debet ab omnibus, qui putant prædicamenta omnia non debere necessario distingui realiter: & sane illud principium, quod vniuersaliter tenetur à Scotistis, nimirum prædicamenta omnia distingui realiter, dependet partim ab hac alia conclusione; nempe „quod quantitas distinguatur realiter à substantia; vnde qui negaret hanc conclusionem, negaret etiam illud principium.

## QVÆSTIO IV.

*De diuisione quantitatis vt sic in continuam & discretam.*

65. *Philosophus* hoc capite diuidit quantum in illud, quod per se est quantum, & quod per accidens est quantum, omnes autem fatentur dari quantum per accidens, tale enim est quodcumque subiectum affectum quantitate, vt substantia materialis cui inhæret quantitas, & quodcumque accidens præsertim absolutum, quod inhæret quantitati. Deinde fatentur omnes, quod detur quantum per se, nimirum ipsamet quantitas, quæ est essentialiter talis, & à qua illa, quę sunt quanta per accidens, habent esse talia formaliter. Sed difficultas tamen est quomodo possit vocari quantitas quantum, aut quanta: ratio autem dubitandi est, quod ly *quantum* videtur esse concretum adiectiuum significans pro formali quantitatem, & connotans materialiter subiectum, cui inhæret quantitas. Quod si ita sit, certum est quantitatem non posse dici quantam, aut quid quantum, quandoquidem non sit subiectum, cui ipsamet adiaceat aut inhæreat.

Datur quantum per se & per accidens.

*Confirmatur*, quia albedo non potest dici alba, nec vllum concretum potest dici formaliter de suo abstracto: ergo nec quantitas potest dici quanta.

*Ad hanc difficultatem respondeo*, ly *quantum* quando dicitur de quantitate, non esse concretum adiectiuum significans quantitatem adiacentem rei, de qua dicitur quod sit quanta, quia aliàs falsum esset quantitatem esse

Quomodo quantitas est quanta.

quantum

quantam ; sed est concretum adiectiuum significans vel actualem extensionem, quæ non est de essentia quantitatis ; vel diuisibilitatem, seu apritudinem ad extensionem actualem impenetrabilem, quæ est proprietas quantitatis.

Quantum est terminus æquiuocus.

66. Itaque ly *quantum* est æquiuocum, & aliquando significat formaliter ipsum accidens, quod exigit extensionem impenetrabilem : & in hoc sensu non dicitur de quantitate, sed bene potest dici de substantia, in qua subiectatur illud accidens; & de qualitatibus etiam subiectatis in ipso; aliquando verò significat formaliter ipsam extensionem actualem impenetrabilem, aut aptitudinem ad talem extensionem : & in hoc sensu potest vere prædicari de quantitate, nam quantitas est res, quæ illam extensionem & diuisibilitatem habet : potest etiam sic prædicari de substantia & accidentibus, quia habent etiam talem extensionem & indiuisibilitatem seu aptitudinem ad extensionem & diuisionem, sed cum hac differentia, quod quantitas per se secundo modo dicendi habeat illam aptitudinem, & consequenter sit in hoc sensu quanta per se, substantia verò & accidentia habeant illam aptitudinem per accidens, ratione scilicet quantitatis. Sicut ergo posset dici, quod calefactiuum posset diuidi in calefactiuum per se, quod esset ipse calor, & calefactiuum per accidens, quod esset subiectum affectum accidentaliter calore: ita potest diuidi quantum in illud, quod est quantum per se, id est aptum natum occupare locum impenetrabiliter, & in illud, quod est quantum per accidens, quod est illud, cui coniungitur quantitas accidentaliter. Existimo tamen hanc diuisionem non esse propriam diuisionem, sed ennmerationem plurium rerum, quarum vni competit aliquid primò, & alteri ratione ipsius ; id quod facile colligi potest discurrendo per omnes species propriæ diuisionis propositas in Summulis.

*Ad confirmationem dico* propterea albedinem non dici propriè albam, quia album solum significat proprie, vt supponitur, ipsam albedinem inhærentem: quod si album significaret proprie formam disgregatiuam visus, sicut albedo significat ; tum etiam albedo posset dici alba, & sic etiam dicitur quandoque à bonis authoribus. An autem proprie ita dicatur, vel improprie, est quæstio de nomine; & hæc de hac diuisione sufficiant.

67. Aliam proponit eodem capite *Philosophus* diuisionem quantitatis vt sic in cõtinuam & discretam. *Quantitas continua* est illa quãtitas, quę haber partes extra partes copulatas & coniunctas termino communi, vt est quantitas vnius ligni, vnius aquæ, vnius lapidis. *Quantitas verò discreta* est cuius partes non copulantur termino communi, nec vniuntur realiter inter se, vt numerus trium hominum, quatuor lapidum, quinque fluuiorum.

Pro quo vlterius *Aduerte*, numerum ab authoribus duplicem assignari, transcendentalem, & prædicamentalem. *Numerus transcendentalis* est, qui conflatur ex rebus non quantitatiuis; seu ex vnitatibus talium rerum, vt est numerus ternarius Angelorum, quinarius relationum binarius hominum, vt abstrahunt à quantitate: & hic numerus vocatur transcendentalis, quia non spectat ad vllum vnum prædicamentum, sed potest in quolibet reperiri : sunt enim plures substantiæ in prædicamento substantiæ, & plures relationes in prædicamento relationis, & plures qualitates in prædicamento qualitatis. *Numerus prædicamentalis est*, qui spectat ad prædicamentum quantitatis, & conflatur ex quantitatibus, seu vnitatibus quantitatum, seu rerum affectarum quantitate, vt sic afficiuntur.

*Quaritur* ergo hic principaliter, an quantitas, seu numerus prædicamentalis, ortus ex plnribus quantis, seu ex pluribus quantitatibus, sit vnum quid per se, ditecte collocabile in hoc prædicamento : si enim sit, admittenda est prædicta diuisio tamquam bona, vel generis in species, vel speciei in indiuidua; si non sit, non est admittenda prædicta diuisio tanquam talis.

## CONCLVSIO.

Quantitas discreta

68. ¶ *Probabilius videtur quantitatem discretam non esse veram speciem quantitatis, vt sic, directe collocabilem in prædicamẽto.* Hęc est ex discipulis Scoti *Bassolis in 1. dist.* 24. vbi *Scotus* ipse est dubius, & *Fuentis hic quæst. 15. difficult. 2. n. 14. ad finem; Conimbricensium c. 6. de Quantitate quæst. 2. artic. 1. Suaris disput. 41. Metaphys. sect. 1. n. 16. Auersa quæst. 18. sect. 2.* & magis communis contra *D. Thomam 1. par. quæst. 11. art. 1. & 2. Ruuium q. 6. de Quantitate* ; & multos alios tum *Thomistas*, tum *Scotistas* sequentes *Scotum 5. Metaphys. q. 9.* vbi probabiliter tenet oppositum huius conclusionis. non est vera species quantitatis.

*Probatur primò* : numerus rerum quantarum non est aliquid vnum per se: ergo non est vera species, collocabilis per se directe in vllo prædicamento, & consequenter quantitas non erit vera species. Vtramque consequentiam omnes concedunt; probatur antecedens, quia partes istius numeri non vniuntur inter se aliqua vnione reali; partes enim numeri ternarij hominum sunt tres homines, aut tres vnitates ipsorum, qui, vt pater, non vniuntur inter se aliqua vnione reali : ergo non faciunt vnum per se reale, sed vnum per accidens.

*Confirmatur*, quia si vnirentur aliqua vnione reali, non constituerent numerum, quia de essentia numeri est secundum aduersarios non habere partes vnitas, in hoc enim quantitas discreta, qualis est maximè numerus, differt à quantitate continua.

*Respondent aduersarij* ad vnum per se continuum requiri vt partes vniantur realiter, non verò ad vnum per se discretum. *Contra* : non potest intelligi, quomodo illa, quæ reuera sunt multa, possint facere vnum per se vlla ratione, nisi vniantur.

69. *Dices* posse intelligi, si illa sint inter se ordinabilia per se. *Contra*: quamuis materia & forma sint per se ordinata ad constituendum vnum per se, tamen nisi vniantur realiter, non possunt facere vnum per se : ergo vt aliqua multa faciant vnum per se, non sufficit ordinabilitas eorum ad inuicem, nisi vniantur actu vnione aliqua reali.

*Confirmatur* : quia si quis diceret quod materia & forma faciant vnum per se, quando non vniuntur, principium, quo improbaretur, esset quod vnum non potest fieri ex multis, nisi realiter coniungantur: ergo dicendum est quod nullum vnum per se possit fieri ex rebus diuersis, nisi vniantur realiter.

*Confirmatur secundò*: numerus transcendentalis non est vnum per se, ergo nec prædicamentalis, seu quantitatiuus numerus. Consequentia est euidens, quia eadem est ratio colligendi vnitatem per se in vtroque numero. Probatur antecedens, quia ex rebus diuersorum prædicamentorum non fit vnum per se, sed numerus transcendentalis potest oriri ex rebus diuersorum prædicamentorum, tres enim vnitates trium albedinum & vna vnitas homininis faciunt numerum quaternarium trãscendentalem, si considerentur absque quantitate. Denique numerus ternarius trium Angelorum, si esset vnum per se, deberet directe collocari in prædicamento substantiæ : sed hoc videtur absurdissimum : ergo non est vnum per se, & consequenter nec numerus ternarius trium quantitatum, aut trium quantorum erit vnum per se.

70. *Confirmatur tertiò*, quia duo entia completa, etiam vnius prædicamenti, non possunt facere vnum per se, aliàs non essent completa, inde enim colligitur quod materia sit incompleta, quia est ordinata ad faciendum vnum per se cum forma : sed duo homines sunt entia completa, & ipsorum etiam quantitates: ergo non possunt facere vnum per se, & consequenter numerus ex ipsis resultans non est vnum per se.

*Sed contra hanc confirmationem* vrgentissima instantia adduci potest de duabus aquis completissimis, quæ possunt facere vnam per se aquam integralem: ergo similiter duo quanta completa possent facere vnum integralem numerum. *Deinde* in probabili sententia duæ completæ species distinctæ possunt constituere vnum per se tanquam partes essentiales ; sic enim ex elementis formaliter remanentibus in mixto dicunt multi constitui mixtum. Neque hinc sequeretur, quod istæ species non essent completæ, sicut materia prima non est completa: quia non essent ita ordinatæ ex natura sua, quin sine vlla violentia

possent produci & conseruari naturaliter absq; eo quod constituerent illam speciem aliam, quam tamen possent constituere. Verum tamen est quod non possit intelligi quomodo fieret huiusmodi constitutio absque vnione reali, vt in probatione principali deductum est.

Quod etiam vlterius *Confirmatur*, quia ideo aceruus lapidum non est vnum per se, quia partes eius non vniuntur vnione aliqua reali, nec ordinantur ad talem vnionem: sed sane æque vniuntur ac partes numeri, & æque ordinantur per se ad vnionem: ergo nec numerus erit vnum per se directe collocabile in prædicamento.

71. *Probatur secundò*, quia vnum & multa opponuntur, ergo sicut quod est vnum, non est multa, ita quæ sunt multa non sunt vnum: sed multa quanta sunt multa: ergo non sunt vnum.

*Dices*: ea non esse vnũ in illo genere, in quo sunt multa, verbi gratia in genere quantitatis continuæ, sed in alio genere, nimirũ in esse quantitatis discretæ seu numeri. *Contra* sic possum dicere quod quodcumq; aggregatum per accidens, licet in aliquo genere sit multa & non vnũ, tamen in genere aggregati erit vnum. Et hinc confirmatur cõclusio, quia omnes rationes, quibus probatur, quod numerus viginti hominum sit vnum per se, etiam probant quod aggregatum viginti hominum sit vnum per se, quod est absurdum secundum omnes.

72. *Probatur tertiò*, quia vnum per se accidens debet habere aliquod vnum per se subiectum, ergo numerus ternarius hominum, si sit vnum per se, debet habere vnum per se subiectum; sed non habet, vt patet: ergo non est vnum per se.

*Dices*, antecedens esse verum, si accidens sit quid continuum, secus si sit discretum. *Contra*: sicut se habet vnum accidens continuum ad suum subiectum, ita vnum accidens discretum ad suum: ergo sicut vnum per se accidens, continuum petit vnum per se continuum, ita vnum per se accidens discretum petit vnum per se subiectum discretum: sed numerus ternarius hominum non habet vnũ per se subiectum discretum: ergo non est vnum per se. Probatur subsumptum, quia tres homines non faciunt vnum per se aliud quam vnum numerum: sed vt sunt subiectum numeri, non faciunt nec constituunt numerum: ergo vt sunt subiectum numeri, non sunt vnum per se.

*Confirmatur*, quia vt sunt subiectum numeri, non ponuntur directe in vllo prædicamento: ergo non faciunt vnum per se.

73. *Probatur quartò*, specialiter contra quendam Scotistam recentiorem, qui concedit numerum materialiter, vt dicit istas entitates seu vnitates, ex quibus coalescit numerus, non esse vnum per se, sed formaliter, prout dicit discretionem illarum partium. Probatur inquam contra ipsum, quia illa discretio non est nisi negatio continuationis, & frustra & absque vllo fundamento diceretur consistere in aliquo alio, quam in tali negatione, ergo numerus, vt dicit formaliter ipsam discretionem, non est per se collocabilis in hoc prædicamento, nec quantitas vt sic, quæ est accidens positiuum absolutum, potest de eo prædicari in quid.

*Confirmatur*, quia in numero quaternario sunt quatuor discretiones, seu negationes, quia secũda vnitas discontinuatur à prima, tertia à secunda, & quarta à tertia: ergo discretio, qua constituitur iste numerus, non est vnum per se.

*Probatur vltimò*, quia quamuis numerus trium hominum esset quid vnum per se, non deberet spectare ad prę dicamentum quantitatis: ergo quãtitas non bene diuiditur in quantitatem continuam & discretam, tanquam in species, & consequenter vera conclusio. Probatur antecedens, quia eatenus esset spectans ad hoc prædicamentum, vel quatenus esset quid constans partibus: & hoc non, quia alias substantia & qualitates materiales spectarent ad hoc prædicamentum; vel quia constaret partibus impenetrabilibus. Sed si propterea spectaret ad hoc prædicamentum, numerus Angelorum non spectaret ad hoc prędicamentum, sed ad aliquod aliud: non vero spectat ad aliquod aliud: ergo.

74. *Obiicies*: Numerus est aliquid vnum per se habens partes impenetrabiles: ergo est species quantitatis vt sic; quod autem sit distincta species à quantitate continua, patet, quia petit essentialiter partes discretas, quales non petit continua. Probatur antecedens quia Arithmetica, quæ est scientia realis, demonstrat scientifice de ipso proprietates: partes autem, ex quibus componitur sunt quantitates continuæ, quæ sunt impenetrabiles: ergo est vnum per se habens partes impenetrabiles. Probatur consequentia quoad primam partem, in qua est difficultas, quia scientia realis non potest habere pro obiecto aliquod vnum per accidens, de quo aliquid demonstrat: de vno enim per accidens, non datur scientia: ergo si Arithmetica, quæ est scientia realis, demonstrat de numero proprietates, numerus debet esse vnum per se.

75. Hoc est præcipuum aduersariorum fundamentum *Respondeo* tamen negando antecedens, quoad primã partem, cum consequentia suæ probationis etiã quoad primam partem. Ad cuius probationem dico: ea ratione, qua potest aliquid demonstrari de numero, posse demonstrari de quocumque aggregato per accidẽs; vnde si Arithmetica proprie demonstrat aliquid de numero, negandum est quod scientia realis non possit haberi de ente per accidẽs. Deinde certum est quod tot demõstrationes Arithmeticę fieri possint tam bene de numeris diuersis Angelorum, ac etiam de numeris conflatis ex entibus diuersorũ prędicamentorum, ac de numeris conflatis ex diuersis vnitatibus qu titatiuis, aut diuersis quãtitatibus. Sed tamẽ aduersarii non dicunt numerum transcendentalem diuersorum Angelorum, aut rerum diuersorum prædicamentorum esse vnũ per se: ergo ob illas demonstrationes non debent etiã dicere quod numerus quãtitatiuus sit vnũ quid per se.

*Dices* hoc esse contra expressa testimonia *Philosophi* & *Scoti* variis locis.

*Respondeo* eos intelligendos esse de ente per accidens materialiter, non formaliter: & sane hoc videtur mihi satis clarum, quia de quocumque potest haberi definitio potest haberi demonstratio: sed certum est quod ens per accidens habeat definitionem, vt est ens per accidens formaliter, quamuis de ente per accidens materialiter non possit haberi vna definitio, vt de albo & nigro, &c. De ente per accidẽs formaliter potest haberi scientia.

76. *Obiicies secundò* Philosophum, qui hic diuisit quantitatem in continuã & discretam, tãquam in veras species.

*Respondeo* quod hoc non fecerit in propria sententia, quasi existimaret numerum esse propriam speciem eius, sed quod ita communiter reputabatur, vnde in Metaphysica variis locis ait numerum esse ens per accidens.

Ex his patet orationem non esse per se speciem quantitatis, quia si esset, esset quantitas discreta, vt fatentur omnes. Quod si tamen numerus esset vna per se species quantitatis, tum cũ *Scoto* & *D. Thoma*, quos sequitur *Rubius q. 9. de quantitate*, & alii contra quosdam, qui id concedunt de numero, negant autem de oratione, dicendum esset etiam orationem esse distinctam speciem quantitatis, præsertim si quantitas aliqua daretur, quæ esset successiua, haberet enim extensionem partium cum impenetrabilitate, & per hoc distingueretur à quantitate continua, & istæ partes essent successiuæ & non permanentes, ac per hoc distingueretur à numero. Vnde quemadmodum quãtitas continua diuideretur in successiuam & permanentem, quantitas etiam discreta diuideretur in successiuam & permanentem. Oratio nõ est vera species quãtitatis.

*Obiicies* specialiter contra orationem: Nihil reperitur in oratione nisi sonus syllabarum, motus instrumentorum, quibus formatur oratio vocalis (de qua loquimur) tempus consumptum in prolatione eius, ordo syllabarum, & significatio totius orationis: sed ex nullo horum potest oratio esse quanta per se, sed tantum ratione alterius: ergo non est per se quantitas.

*Respondeo* negando maiorem, reperitur enim ipsa extẽsio syllabarum, secundum quam conuenit vni orationi ex natura sua intrinseca non posse proferri tam breui tempore materialiter, quam altera potest. Dixi autem, si quantitas aliqua daretur quæ esset successiua; quia si quantitas successiua non sit quantitas proprie loquendo, nec oratio etiã vera quantitatis species erit, quamuis numerus esset.

De

## QVÆSTIO V.

*De diuisione quantitatis in successiuam & permanentem.*

Quid quãtitas permanens.

Quid successiua.

ALiam diuisionem tradidit hoc eodem capite *Philosophus* Quantitatis vt sic in successiuam & permanentem. *Quantitas permanens* est, cuius partes simul existere possunt, vt quãtitas ligni, quantitas hominis. *Quantitas successiua* est, cuius partes non possunt simul existere, sed sunt talis naturæ, vt vna succedat alteri vt tempus, motus Quæritur ergo vtrum quantitas successiua sit vera species Quantitatis.

### CONCLVSIO.

Quantitas successiua non est vera species quantitatis.

78. *Probabilius est non dari aliquid successiuum, quod sit quantitas aut quantum ex se, & consequenter quantitatem successiuam non esse proprie loquendo speciem Quantitatis.* Hæc videtur esse *Philosophi* 5. *Metaph. c.* 13. quem sequitur *Doctor ibid. D. Thomas lect. Suares disp.* 40. *sect.* 8. & 9. & multi alij contra *Ruuium c.* 6. *de Quantit. q.* 3. *Auersam q.* 18 *Log. sect* 3. qui dicit suam sententiam esse communiorem,

*Probatur*: si daretur aliquod quantum per se successiuũ, maxime motus & tempus, sed hæc non sunt quanta per se ergo non datur aliquid successiuum, quod sit per se quantum. Maiorem concedũt aduersarij; probatur minor quoad primam partem primò, quia motus nihil aliud est quã acquisitio successiua alicuius termini, quæ acquisitio est relatio aut multæ relationes continuatæ, vt modo suppono: sed relatio non est quantitas; neque est subiectum quantitatis, vt patet: ergo non est quantum per se, sed ratione vel subiecti, vel termini.

*Confirmatur*: propterea acquisitio alicuius formæ est successiua, quia subiectum habet latitudinem quantitatiuam, aut quia forma acquirenda est talis naturæ, vt non possit quoad omnes partes acquiri simul; aut quia agens, cuius virtute acquiritur forma, vult successiue eam acquirere: ergo acquisitio formæ, quæ est motus. non habet extensionem ex se, sed ratione alterius, & consequenter erit quanta per accidens.

79. *Dices* motus essentialiter ex natura sua intrinseca habet talem extensionem partium, vt non possint existere vlla ratione simul; ergo ex se est quantus & non per accidens.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: habet hoc, quia ex natura sua intrinseca respicit talem terminum, aut tale subiectum, aut tale agens, concedo; si non respiceret, nego antecedens & consequentiam: quamuis enim substantia petat naturaliter habere partes impenetrabiles, quia tamen hoc non petit, nisi quia petit habere coniunctam quantitatem, quæ est quid realiter distinctum ab ipsa, non dicitur esse quanta per se, sed per accidens, ergo à pari, quamuis acquisitio formæ successiuæ seu motus petat habere partes non potentes coexistere simul, quia tamen solum hoc petit ex eo, quod petat naturaliter respicere talem terminum, aut subiectũ, non debet quantus esse nisi per accidẽs.

*Confirmatur hoc*: quia impenetrabilitas, quæ est proprietas quantitatis, est impenetrabilitas naturalis non supernaturalis; sed impenetrabilitas, quam habet motus successiuus, est impenetrabilitas supernaturalis etiam, neque enim de potentia Dei absoluta potest habere partes simul existentes: ergo non habet impenetrabilitatem quantitatiuam, & consequenter non erit quantum per se.

*Confirmatur vlterius*, quia si essent duæ substantiæ absq; vlla quantitate, quæ non possent simul coexistere, non haberent impenetrabilitatem quantitatiuam, quia non ex aliqua quantitate haberent impenetrabilitatẽ, sed ex eo quod non posset simul existere: sed omnis impenetrabilitas, quã habent partes motus, prouenit ex eo quod non possint simul existere: ergo non habent impenetrabilitatem quantitatiuam, & consequenter motus non erit per se quantus.

*Probatur* minor principalis quoad secundam partem de Tempore, quia tempus non est aliud, quam motus, vel duratio eius: ergo non est quantum per se magis quam ipse motus. *Confirmatur* valde per duas vltimas confirmationes proxime præcedentes.

*Obijcies*: Philosophus ponit motum & tempus, tanquam species quantitatis. *Respondeo* hoc eum non fecisse ex propria sententia, sed quod ita communiter tum reputaretur, sicut etiam posuit propter eandem rationem quantitatem discretam.

*Quæres*, vtrum locus sit quantitas. *Respondeo* in loco extrinseco ambiente corpus locatum esse duo, superficiem scilicet, & respectus continentiæ; & de superficie non est dubium quin sit per se quantitas continua permanens. Respectus autem sunt tantum quanti ratione superficiei, quia ratione eius habent extensionem cum impenetrabilitate naturali. Hæc omnia magis patebunt in Physica, vbi ostendetur quæ sit natura motus, temporis, & loci.

## QVÆSTIO VI.

*De diuisione Quantitatis permanentis in lineam, superficiem, & corpus.*

SVppono dari *lineam*, quæ est quantitas vnius tantum dimensionis, seu longitudo sine latitudine, aut profunditate, habens partes copulatas puncto, & *superficiem*, quæ est quantitas duarum tantum dimensionũ, seu quantitas diuisibilis in partes quoad longitudinem ac latitudinem, non vero quoad profunditatem, quæ partes copulantur lineis: & *corpus*, quæ est quantitas trium dimensionum, hoc est longa, lata, & profunda habens partes copulatas superficiebus. Quamuis autẽ multi dubitent de lineis, superficiebus, & punctis, quia negant indiuisibilia in continuo; tamen vtrum dentur nec ne, commodius in Physica examinabimus; nec refert ad præsẽs id scire, quia quæritur hic tantum vtrum ex suppositione quod dentur, sint veræ species quantitatis permanentis directe collocabiles in prædicamento.

Aduerte autem per corpus non hic intelligi compositum sul stantiale ex materia & forma, nec substantiam corpoream prædicabilem in quid de omnibus substantiis completis corporeis, quod vocatur *corpus metaphysicum*, & ponitur directe in prædicamento substantiæ nec alteram partem viuentis, quæ cum anima ipsum constituit, quod vocatur *corpus Physicum*, & pertinet indirecte ad prædicamentum substantiæ, vt pars Physica rei directe pertinentis ad ipsum; sed, vt dixi, quantitatem trium dimensionem, quod communiter vocatur *corpus mathematicum*.

### CONCLVSIO.

Bene diuiditur quãtitas in lineam superficiem & corpus.

81. *Bene diuiditur quantitas permanens in lineam, superficiẽ & corpus, tanquam genus in species.* Est communissima cum Philosopho: *Probatur*, quia ratio quantitatis vt sic conuenit illis; sunt enim diuisibiles in partes impenetrabiles, & habent diuersam speciem diuisibilitatem, & diuersos specie terminos copulatiuos, vt patet ex eorum definitionibus.

*Confirmatur*, quia si non essent diuersæ species, quantitas vt sic non haberet sub se plures species, non enim habet alias species quam has, vt patet ex dictis, & consequenter non esset genus generalissimum.

Pro solutione obiectionum *aduertendum est*, lineam & superficiem & esse diuisibiles, & esse indiuisibiles secundum diuersas dimensiones: quatenus sunt diuisibiles formaliter, habent rationem quantitatis; quatenus vero sunt indiuisibiles, non habent. *Præterea* secundum quod diuisibiles sunt, non concurrunt ad constitutionem alterius quantitatis, sed tantum quatenus indiuisibiles.

Corpus non includit superficiem nec hæc lineã vt partem essentialẽ.

82. *Vlterius aduertendum est*, licet corpus includat superficiem, & superficies lineam, non tamen tanquam partem essentialem, sed tanquam quid necessario requisitum ad copulandas partes essentiales eius: non enim alio modo corpus continet superficiem aut superficies lineam, quam ipsa linea continet & includit punctum, aut homo vnionem animæ cum corpore: manifestum autem est quod nec linea includat punctum tanquam partem essentialem; nec homo vnionem, sed tantum tanquam conditionem necessario requisitam ad copulandas suas partes. Et hinc patet quod quamuis linea includatur in superficie, & superficies in corpore, non tamen sint entia incompleta, quia nec linea includitur in superficie, nec hæc in corpore, vt aliquid per se constitutiuum.

*Dices*: punctum non est aliquid completum, sed incompletum, quamuis non includatur in linea vt pars, sed vt conditio necessario requisita ad copulandas partes: ergo quamuis linea non includatur in superficie, nisi vt aliquid copulans suas partes, tamen erit quid incompletum non secus ac punctum.

Probabile est lineam & superficiem non esse entia completa.

*Respondeo*, propter hæc posse probabilissime defendi oppositum conclusionis, nempe lineam & superficiem non esse veras species & completas quantitatis vt sic, quę est ens completum. Negatur tamen consequentia, & disparitas est, quod punctum habeat tantum rationem termini copulantis, & propterea indirecte tantum habet reduci ad prædicamentum istius rei, cuius partes copulare debet. Linea vero, & superficies præter rationem termini copulantis, quem habent vt sunt indiuisibiles, habent diuisibilitatem quantitatiuam, ratione cuius vt tales sunt entia completa per se quanta, licet, vt indiuisibiles, sint entia incompleta.

83. *Obiicies primò*: vna species non includitur essentialiter in alia specie sibi opposita: sed linea includitur essentialiter in superficie, & vtraque in corpore: ergo non sunt diuersæ species.

*Respondeo* distinguendo maiorem: essentialiter, id est tanquam pars essentialis, transeat; quamuis hoc ipsum non sit certum, quia multi non adeo improbabiliter tenent mixtum constitui intrinsece & essentialiter ex elementis, quæ tamen distinguuntur specie ab illo, & opponuntur ipsi: essentialiter, id est tanquam aliquid ex natura sua requisitum vt sit, nego maiorem, & similiter distinguo minorem.

*Obiicies secundò*: duæ superficies sunt penetrabiles, & idem est de duabus lineis: ergo non sunt quantitates *Respondeo* distinguendo antecedens: si applicenter quatenus diuisibiles, nego: si quatenus indiuisibiles, concedo antecedens, & distinguo etiam cõsequens: quatenus sunt indiuisibiles, concedo; quatenus diuisibiles, nego.

Linea superficies, corpus sũt species infimæ.

*Quæres* vtrum corpus, superficies, & linea sint species infimæ vel subalternæ. *Respondeo* cum communissima sẽtentia, esse infimas, quia non habent sub se alias species.

*Dices*: linea curua & recta distinguuntur specie, sicut & superficies concaua & plana. *Respondeo* negando antecedens, quia differunt tantum accidentaliter sicut homo albus & homo niger: eadem enim linea quæ est curua, potest esse recta, & è contra.

## QVÆSTIO VLTIMA

### *De proprietatibus Quantitatis.*

Prima proprietas Quantitatis non habere contrarium.

84. *Prima est* non habere contrarium, & hæc communis est ipsi cum substantia, & patet quia nulla est forma, per quam expellatur quantitas à suo subiecto: ergo non habet contrarium proprie loquendo. Probatur consequentia, quia contraria proprie loquendo nata sunt se inuicem expellere ab eodem subiecto inhæsionis.

Secunda non suscipere magis & minus.

*Secunda proprietas*, etiam communis ipsi cum substantia, est non suscipere magis & minus: licet enim possit extendi, & diminui quoad extensionem, non tamen potest intendi aut remitti, sicut potest calor: neque enim sicut aqua dicitur esse magis & minus calida, ita homo dicitur esse magis aut minus quantus, saltem quoad intensionem *Dices*: sicut ex eo quod plures gradus coloris essent in eodem subiecto, diceretur illud subiectum magis & intensius calidum; quare ex eo quod essent plures partes quantitatis in eodem subiecto non diceretur magis quantum quoad intensionem?

*Respondeo*, quia tùm subiectum dicitur habere intensiorem formam, quando potest perfectiorem intensiue effectum producere, aut quando forma communicat ipsi perfectiorem intensiue effectum formalem. Sed ex eo quod quãtitas maior, seu plurium partium sit in subiecto, neque subiectum potest perfectiorem effectum intensiue producere, vt patet, neque recipit effectum formalem perfectiorem intensiue, non enim recipit alium effectum quam impenetrabilitatem, aut extẽsionem partium in ordine ad locum, sed eandem omnino impenetrabilitatem haberet à duabus partibus quam haberet à centum: ergo quoad impenetrabilitatem non reciperet perfectiorem effectum intensiue. Extensio autem maior in ordine ad locum non est perfectior effectus intensiue, sed extensiue, vt patet.

Tertia proprietas esse æquale.

*Tertia proprietas* est esse æquale vel inæquale, & hanc dicit Philosophus maxime propriam, quia omni & soli conuenit. Debet autem intelligi de æqualitate & inæqualitate in rigore, quam scilicet habent res in extensione partium impenetrabilium; alias vnus calor dicitur æqualis alteri, & vnus Angelus dicitur inæqualis in perfectione alteri Angelo.

Quarta habere positionẽ partium in loco.

*Quarta proprietas* est habere positionem partium in ordine ad locum: quod debet intelligi de aptitudine, quam habet quantitas ad occupandum locum circumscripti-ue.

Quinta est esse mensuram.

*Quinta* est esse mensuram, hoc est aptum ad certificandum de magnitudine molis alicuius.

*Sexta* est esse diuisibile in partes impenetrabiles.

Præter quas forte sunt aliæ proprietates, vt rarum & densum, asperum & lene: quamuis enim Philosophus non fecerit mentionem de illis, non propterea sequitur quod non sint, quia non voluit omnes eius proprietates numerare.

# DISPVTATIO XV.

## DE RELATIONE.

SEQVOR hic ordinem Philosophi, qui prius tractare voluit de Relatione, quam de Qualitate, quod in præcedentibus multa dixerit, ad quorum notitiam valde conduceret tractatus de Relatione.

## QVÆSTIO I.

### *Quid sit Relatio Prædicamentalis huius Prædicamenti, & de variis Relationum diuisionibus*

Quid relatiuum. Quid correlatiuum.

1. *Relatiua* sunt quæ referuntur & ordinãtur ad aliud, & *Correlatiua* sunt quæ ad se inuicem referuntur, & ordinantur, vt Pater & Filius, duo similia inter se: illud vero, quo mediante formaliter relatiuum refertur, est relatio. Quia verò quædam sunt quæ necessariò & ex natura sua ita referuntur ad aliud, vt non possint esse quin referantur & ordinentur, quia habent necessariam connexionem cum sua relatione, vt scientia refertur ad obiectum, potentia ad actum, creatura ad creatorem; quædam verò referuntur accidentaliter tantum, ita scilicet vt possint non referri, vt Petrus refertur per modum causæ ad Paulum & per modum similis ad Ioannem: Hinc relatio vt sic, potest diuidi in relationem identificatam realiter suo fundamento, & in relationem distinctam realiter à suo fundamento.

*Rursus* quia ex relationibus distinctis realiter à fundamento quædam sunt, quæ necessario surgunt posito fundamento & termino, & aliquo alio priori ad ipsas relationes, quod non sit actio productiua earum, vt est similitudo duorum alborum, & æqualitas duorum quantorum; quædam verò alia, quæ non necessariò sic oriuntur, vt est vnio materiæ ad formam; propterea relatio separabilis à fundamento potest diuidi in relationem intrinsecus aduenientem, & extrinsecus aduenientem intelligendo per relationem intrinsecus aduenientẽ, illam quæ licet accidentalis sit fundamento, necessariò tamen sequitur ad aliquid prius, quod non sit actio productiua eius: & per relationẽ intrinsecus aduenientem illam, quæ accidentalis etiam est fundamento, sed non tamẽ necessariò sequitur ad aliquid prius, quod nõ sit actio productiua eius. Neque in hoc est aliqua difficultas præter illam, quæ est, vtrũ dentur huiusmodi relationes extrinsecus aduenientes, de quo postea.

Quid secundum Caietanum transcendentalis & prædicamentalis.

2. *Nota secundò*, relationes communiter diuidi in *transcendentales*, & *prædicamentales*. In explicatione autem membrorum huius diuisionis mire dissentiunt Authores. *Caietanus*, quem sequitur *Fonseca*, *Complutenses*, & *Masius*, dicit transcendentalem esse, quæ respicit extremum

terminum non pure tanquam terminum, sed potius tanquam causam vel receptiuam, vel effectiuam, vel alio modo; sicut actus vitalis respicit obiectum, tanquam causam formalem, saltem extrinsecam; potentia vitalis actum Relatio verò prædicamentalis secundum ipsum est quæ respicit terminum pure sub ratione termini absque dependentia vllius causalitatis, vt similitudo.

Sed hæc explicatio non placet, quia terminus similitudinis est tam bene causa formalis specificans ipsam, quã actus est causa formalis relationis transcẽdentalis, quam dicit potentia vitalis, verbi gratia intellectus ad intellectionem: ergo si relatio respiciens aliud tanquam causam formalem, sicut potentia vitalis respicit actum, sit transcendentalis, similitudo, & idem est de quocumque respectu, erit transcendentalis. Præterea relatio filij ad patrem, quam admittunt hi Authores esse prædicamentalem, & non transcendentalem, respicit terminum suum, scilicet patrem vt causam, ergo non sufficienter distinguitur transcendentalis relatio à prædicamentali per hoc, quod respiciat terminum, vt causam.

*Dices* cum *Fonseca*, quod relatio filij non respiciat terminum vt causantem filium per relationem paternitatis. *Contra*, nec potentia, aut actus vitalis respiciunt obiectum, vt causans ipsa per aliquam relationem, quia secũdum aduersarios maxime, obiectum non dicit relationem ad potentiam, aut actum.

3. *Suarez disp.* 47. *Met. sect.* 4. dicit respicere non pure terminum, per quod distinguitur trãscendentalis a prædicamentali, & est ita referre subiectum ad terminum, vt aliquid alind faciat aut exerceat circa ipsum. Sic potentia ita refertur ad actum, vt nata sit ipsum producere; & actus ita refertur ad obiectum, vt natus sit ipsum repræsentare; & denique ita vnio respicit terminum, vt coniungat suum subiectum cum ipso.

*Sed contra*, quia similitudo etiam, quæ est relatio prædicamentalis, ita refert ad terminum, vt etiam suo modo coniungat suum subiectum cum illo, scilicet similitudinarie.

*Confirmatur*, quia actus amoris nihil facit circa obiectum, quàm determinare potentiam formaliter ad illud amandum: sed similitudo similiter determinat suum subiectum ad esse simile termino: ergo vtrumque æque pure respicit terminum.

*Deinde* supponit falsum, vnionem & actionem esse respectum transcendentalem. *Præterea* ex hac explicatione non colligitur cur relatio transcendentalis non pertineat ad prædicamentum aliquod particulare.

4. Alij dicut, vt *Auersa*, transcendentalem esse, quæ est de essentia rei relatæ; prædicamentalem, quæ non est. *Sed contra*, quia relatio, quam dicit materia ad formam, non est de essentia eius; nec relatio intellectus ad intellectionem est de essentia intellectus; & tamen secundum omnes sunt transcendentales: ergo. Probatur maior ex principio sæpius posito, quod respectus non possit esse de essentia absoluti.

*Arriaga* dicit relationem transcendentalem esse illam, quæ est ita de essentia subiecti, vt sit ipsi adæquate identificata; prædicamentalem verò, quæ non est adæquate identificata: colligi autem potest ex ipsius doctrina an sit adæquate identificata, aut non, ex eo quod fundamentum possit esse sine illa, aut non possit: si potest, non erit adæquate identificata si non potest, erit.

Hæc doctrina in primis supponit quòd relatio prædicamentalis non sit distincta realiter ab extremis simul sumptis, si enim esset sic distincta, nec adæquate nec inadæquate, identificarentur fundamento, vt patet. *Deinde* secundum hanc sententiam actio non esset prædicamentalis, quia non esset adæquate identificata fundamento, quod tamen est falsum, cum sit relatio de prædicamento actionis.

5. Itaque existimo relationem transcendentalem esse eam, quæ idẽtificatur realiter rei relatæ per ipsam; & prædicamentalẽ esse, quæ rei relatæ non identificatur: quare diuisio relationis in transcendentalem, & prædicamentalem coincidit cum illa prima, quam posui. Probatur hoc tum ex reiectione aliarum explicationum, tum quia per hoc sufficienter distinguuntur inter se: tum etiam quia ex hoc patet cur relationes transcendentales non ponuntur in eodem prædicamento cum prædicamẽtalibus, nec in aliquo determinato prædicamento; nam quia identificantur realiter suis fundamentis, debent reduci ad prædicamenta suorum fundamentorum, & non poni in aliquo alio: & hinc etiam congruentissime vocantur transcendentales, quia scilicet non ponuntur in aliquo prædicamento determinato, sed quædam ponuntur in prædicamento substantiæ, quædam ponuntur in prædicamento quantitatis, quædam in cæteris.

*Dices*: hinc sequeretur quod omnis relatio non identificata fundamento, deberet esse prædicamentalis, & consequenter de prædicamento *Ad aliquid*: sed hoc est contra nos, quia relationes extrinsecus aduenientes non identificantur suis fundamentis, & tamen non pertinent ad prædicamentum illud.

*Respondeo* distinguendo sequelam: prædicamentalis, prout prædicamentalis opponitur transcendentali concedo: prout capitur pro relatione tertij prædicamenti, nego sequelam. Itaque relatio prædicamentalis capitur dupliciter, primo pro omni relatione, quæ non est transcendentalis, & in hoc sensu comprehendit relationes tam intrinsecus quam extrinsecus aduenientes. Alio modo pro relatione pertinente ad tertium prædicamentum, & sic non comprehendit relationes extrinsecus aduenientes. Relatio prædicamentalis capitur dupliciter.

6 *Alia diuisio* Relationis est in *relationes secundum dici*, & *relationes secundum esse*. Et in his etiam membris diuidentibus varij sunt modi dicendi. Sed breuiter nobis dicendum est, vel per relatiua secundum dici intelligi, quæ referuntur ad aliud per respectum rationis, aut denominationem extrinsecam, & non per aliquid reale intrinsecum, vt Deus refertur ad creaturas, & per relatiua secundum esse, intelligi, quæ referuntur per aliquid reale intrinsecum: vel certe per relatiua secundum dici intelligi illa, quæ referuntur relatione transcendentali, & per relatiua secundum esse intelligi, quæ referuntur relatione prædicamentali. Ideo autem relatiua transcendentaliter dicerentur relatiua secundum dici, quia non per aliquid realiter distinctum referrentur, relatiua vero prædicamẽtalia dicerentur secundum esse, quia per aliquid reale distinctum referrentur. Vel denique per relationes secundum dici intelligi possunt illa, quæ licet sint absoluta, explicantur tamen per modum relationum, vt sũt potentia, pars, habitus, & similia; & per relationes secundum esse intelliguntur, quæ vere sunt relationes. In quibus omnibus acceptionibus non potest esse nisi quæstio de nomine: & quia non eodem modo omnes authores has relationes explicant, vt vitetur talis quæstio, semper conueniendum est in acceptione nominis, quoties de re ipsa discurrere placuerit.

His suppositis modo indagandum restat, quid sit relatio prædicamentalis pertinens ad hoc tertium prædicamentum, quod communiter vocatur *Ad aliquid*. Philosophus reiecta veterum definitione, nimirum hac: *Relatiua dicuntur quæ eo ipso quod sunt, aliorum esse dicuntur*, quia conueniebat omnibus accidẽtibus, sunt enim entis entia, hoc est ex natura sua ordinata ad afficiendum substantiã, & ad inhærendum ipsi; statuit propriam definitionem, *Relatiua sunt, quorum totum esse est ad aliud se habere*, quæ definitio est bona, si explicetur ita vt habeat eundem sensum cum illa, quam sequenti conclusione subiicio. Definitio relationis prædicamentalis assignata à Philosopho.

## CONCLVSIO.

7. *Bene definitur Relatio prædicamentalis de prædicamento* Ad aliquid *esse accidens reale intrinsecus aduenies: cuius totum esse est ad aliud se habere*, id est cuius totum esse consistit in ordinatione actuali alicuius realiter distincti ad aliud realiter distinctum. Quid est Relatio de prædicamento ad aliquid.

*Probatur*, quia omni & soli conuenit, & sufficientissimè declarat naturam Relationis huius prædicamenti, vt distinguitur ab omnibus aliis, quæ non sunt huius prædicamenti, vt patebit ex eius explicatione. Dicitur *Accidens* ad excludendas omnes relationes substantiales, vt sunt

relationes diuinæ,& omnes illæ,quæ identificantur substantiæ realiter;quia tales,cum non sint aptæ natæ inhęrere, non sunt accidentia prædicamentalia, licet possint esse accidentia, id est extra essentiam rei,cui cõueniunt. Dicitur *reale* ad excludendas relationes relationis, quæ non collocantur in prædicamentis. Dicitur *intrinsecus adueniens* ad excludẽdas relationes extrinsecùs aduenientes,de quibus alias. Dicitur *cuius totum esse consistit in ordinatione actuali alicuius ad aliud*,vt excludãtur accidentia realia absoluta, & vt significetur quod non possunt existere,quin actualiter ordinent vnum ad aliud,aut quod non habeãt aliud munus quam actualiter ordinare vnum ad aliud; sicut similitudo non habet aliud munus quam facere aliquid actu simile alteri. Dicitur *alicuius realiter distincti*, vt excludantur relationes transcendentales,quæ identificantur realiter suis fundamentis.

8. *Dices* has relationes fuisse exclusas per particulam *Accidens*,nam relationes transcendentales, quas dicunt substantiæ quæcumque ad alias res,non possunt esse accidentia: ergo superflue ponitur hæc particula.

*Respondeo* non omnes relationes transcendentales fuisse exclusas per particulam *accidens*, sed illas quæ identificantur substantiis, præter quas dantur aliæ transcendentales in accidentibus quæ sunt accidentia: quare vt omnes omnino excluderentur, addenda erat hæc particula; imo Philosophus ipse voluit eam significare hic,dum dixit totum esse relationis esse ad aliud:per quod intellexit totum esse reale; quo sensu non est verum, quod totum esse vllius relationis transcendentalis identificatæ vlli rei absolutæ, sit ad aliud, nam cum identificetur rei absolutæ,facit vnam rem cum ipsa,quæ res cum includat duo, absolutum scilicet,& respectiuum, non potest habere totum suum esse ad aliud, sicut nec habet totum suum esse ad se.

9 *Si quæras*, vnde colligimus,quod Philosophus voluerit excludere relationes extrinsecus aduenientes (si dentur aliquæ huiusmodi,quæ non sunt relationes transcendentales) ab hoc prædicamento.

Cur excluſit Philoſophus à prædicamento tertio relationes extrinſecus aduenientes.

*Respondeo* ex duobus capitibus id colligi:*primò*, quia, vt postea docebimus, huiusmodi relationes ponuntur in aliis prædicamentis: *secundò*, quia ipse dixit, ad relationes à se definitas non dari per se motum,hoc est non produci eas per actionem ad se immediate terminatam, sed eas sequi ad productionem alicuius alterius:sed hoc non est verum de relationibus extrinsecus aduenientibus,quia multæ ex illis per actionem ad se immediate terminatam producuntur, vt vnio materiæ cum forma, vbi intrinsecum &c. ergo non voluit eas comprehendi sub sua definitione, & consequenter voluit eas excludere.

10. *Obiicies* contra illud, quod totum esse relationis sit ad aliud se habere: relatio intrinsecus adueniens est accidens, ergo totum eius esse non est ad aliud se habere. Probatur consequentia, quia accidentis esse est inesse subiecto: & quidem hoc est maxime verum de accidente respectiuo, quod nullo modo potest esse absque subiecto.

*Confirmatur*: quia relatio includit essentialiter illam formalitatem,quam dicit accidens vt sic: sed illa formalitas non est aliud, vt patet: ergo totum esse accidentis non est ad aliud.

*Respondeo* distinguendo consequens: totum esse particulare ipsius non est ad aliud se habere, id est nihil facit circa suum subiectum, quam ordinare ipsum ad alterum, nego: ita vt non sit natum inesse subiecto,concedo consequentiam: & per hoc patet ad probationem consequentiæ.

*Ad confirmationem* distinguo etiam consequens:totum esse particulare,quatenus distinguitur à cæteris accidentibus,nego:totũ esse quatenus cum illis conuenit,concedo:sed hoc nõ impedit bonitatem definitionis præmissæ.

## QVÆSTIO II.

### *Quænam requiruntur, vt resultet relatio prædicamentalis intrinsecus adueniens.*

11. Hic breuiter subiungam aliqua,quę ad cognoscendam naturam relationum huius prædicamenti conducunt. Itaque vt sit relatio intrinsecus adueniens imprimis requiruntur duo extrema,quorũ vnum per relationem formaliter referatur,& sine relatione non referretur nisi fundamentaliter tantum:vnum enim non potest referri realiter ad seipsum Ex his extremis illud,quod refertur dicitur esse subiectum & fundamentum relationis, quia scilicet relatio subiectatur & fundatur in ipso;illud vero ad quod refertur, dicitur, esse terminus relationis, quia ad illud tendit.Exemplum huius rei habemus in similitudine hominis ad equum, quæ habet pro extremis hominem & equum realiter distinctos, pro fundamento vero,ac subiecto hominem,& pro termino equum. Quia verò duo extrema aliquando possunt esse cum relatione, aliquando sine, & quia etiam duo extrema possunt habere relationes oppositas ad se inuicem, nimirum similitudinem & dissimilitudinem, potest enim Petrus esse similis Paulo in doctrina, & dissimilis in moribus; hinc præter extrema requiritur ad relationem ratio fundandi, hoc est illa ratio, ob quam habent inter se relationem,& hæc ratio fundandi vocatur ab aliquibus fundamentum proximum, verbi gratia homo & equus possunt esse & non esse similes in albedine:quia ergo albedo est ratio,ob quam,habent similitudinem,propterea est ratio fundandi similitudinem inter hominem & equum.

Ad relationem intrinsecus adueni entem requiruntur duo extrema.

Et ratio fundandi.

12. *Aduertendum autem est*, hanc rationem fundandi non semper debere esse quid realiter distinctum ab extremis,quæ referuntur,vt patet in similitudine,quam habet homo cum bruto in animalitate,nam ista similitudo non exigit aliquam rationem fundandi in extremis distinctam realiter ab ipsis:& idem patet de æqualitate duarũ quantitatum, & de dissimilitudine albedinis & nigredinis. Quando autem est realiter distincta, tunc relatio habebit duo fundamenta quæ referuntur per ipsam, remotum & proximum; & proximum erit ipsa ratio fundandi,remotum erit illud, in quo reperitur. Hoc patet in similitudine, quæ est inter hominem & brutum in albedine, nam quia albedo, quæ est ratio fundandi ipsam, distinguitur ab homine, propterea ista similitudo habet duo fundamenta relata per ipsam;pro proximo quidem ipsam albedinem, quæ immediate dicitur similis albedini bruti;pro remoto vero ipsum hominem, qui non est similis hac similitudine nisi mediate, mediante scilicet forma realiter distincta. Quando vero ratio fundandi non est realiter distincta, tunc non debet habere duo fundamenta saltem realiter distincta, vt ex se patet; quia eatenus deberet, quatenus ratio fundandi esset realiter distincta ab extremo relato.

Ratio fundandi non ſemper debet diſtinguitur ab extremis.

Relatio aliquando habet duo fundamẽta, proximũ & remotum.

13. *Dices*:nunquam possunt aliqua habere relationem realem intrinsecus aduenientem, quin habeant simultatem existentiæ: sed simultas existentiæ inter res, quæ referuntur relatione realiter à seipsis distincta, est realiter distincta ab ipsis,vt patet inductione:ergo ratio fundandi relationem semper debet esse realiter distincta. Probatur consequentia, quia illa simultas est ratio fundandi relationem intrinsecùs aduenientem, quandoquidem semper & necessario præsupponatur ipsi, eaque posita necessario sequatur relatio illa.

*Respondeo*, negando consequentiam: ad cuius probationem dico,quod illa simultas, licet necessario præsupponatur, non tamen est ratio fundandi, sed conditio necessario requisita ad relationem: & ratio huius est, quia res dissimiles, verbi gratia, dicuntur esse dissimiles in ratione fundandi;patet autem, quod non dicantur dissimiles in illa simultate existentiæ: ergo simultas non est ratio fundandi dissimilitudinem, sed tantum conditio necessariò requisita;eodem enim modo concurrit ad omnes relationes intrinsecus aduenientes,& consequenter sicut non est ratio fundandi respectum dissimilitudinis, ita neque respectum vllum.

Coexiſtentia extremorũ non eſt ratio fundandi, ſed conditio ſine qua non

Modo remanet discutiendum vtrum relatio realis petat habere terminum realiter existentem: & licet principaliter hoc quæramus de relatione intrinsecus adueniente, tamen videmus etiam quid dicendum sit de relatione transcendentali & extrinsecus aduenie nte.

CON

## CONCLVSIO I.

Relatio transcendentalis non petit terminum actu existentem.

14. *Relatio transcendentalis non petit terminum realiter existentem, sed sufficit existere fundamentem, & posse existere terminum eius.* Hæc est communis, *& patet euidenter*, quia huiusmodi relationes identificantur realiter suis fundamentis, & consequenter, si fundamenta existunt sine terminis, relationes etiam transcendentales ipsis identificatæ existent.

*Confirmatur*, quia relatio transcendentalis quam dicit materia ad formam, quatenus scilicet est apta ipsam recipere, est in materia ad formam non existentem, sed possibilem existere, & idem est de relatione, quam dicit potentia vitalis, verbi gratia intellectus ad intellectionem, quatenus est natus eam producere: ergo non requiritur existentia realis termini ad existentiam realem relationis transcendentalis.

## CONCLVSIO II.

Relatio intrinsecus adueniens requirit terminum actu existentem.

15. *Relatio realis intrinsecus adueniens non potest existere, quin terminus eius existat realiter.* Hæc etiam est communis cum *Scoto in 4. dist. 6. quæst. 10.*

*Probatur*, quia huiusmodi relationes oriuntur ex fundamento, & termino per resultantiam: ergo vt sint, debent existere fundamentum & terminus.

*Confirmatur*: homo albus non dicitur actu similis homini non albo, quamuis possit esse albus: ergo vt dicatur similis, debet terminus esse actu albus. Similiter nemo dicitur pater respectu eius, qui potest esse filius, sed oportet vt sit filius; non potest autem esse filius, nisi actu existat: ergo similitudo & paternitas, & idem est de reliquis intrinsecus aduenientibus, debent habere terminum actu existentem.

*Dices* per hæc probari, quod non possit resultare relatio intrinsecus adueniens, quin existat terminus eius; sed non probatur quin ex suppositione, quod semel resultent, conseruari possint, quamuis terminus non existeret.

*Contra*, quia est eadem ratio cur relatio debeat in fieri & conseruari habere terminum actu existentem. *Confirmatur*, quia non potest aliquid referri actu ad id, quod actu non est: ergo vt aliquid realiter referatur actu per relationem realem, debet existere actu id, ad quod refertur.

16. *Dices*: intellectus refertur actu ad obiectum cognitum, quamuis actu non existat: ergo confirmatio est nulla.

*Respondeo* distinguendo antecedens: quamuis actu non existat in se ipso secundum realem existentiam sui ipsius, transeat; quamuis actu non existat neque secundum esse reale suum, neque secundum esse repræsentatum seu secundum speciem realem sui, nego, sed de hoc alias.

*Obiicies*: homo est dissimilis negationi albedinis per relationem veram & realem; sed illa negatio non est quid reale: ergo potest dari relatio realis ad terminum non realem.

*Respondeo* distinguendo consequens: ad terminum non realem, id est ad terminum actu non existentem, nego; ad terminum non realem, id est non positiuum, quamuis sit realis, id est actu existens & non rationis, concedo. Itaque negatio albedinis, cui actu dissimilis est homo, debet & potest esse realiter existens, licet non debeat esse quid reale positiuum.

## CONCLVSIO III.

Relatio extrinsecus aduenientes requirit terminum actu existentem.

17. *Probabile est relationem extrinsecus aduenientem requirere terminum realiter existentem, & non sufficere, quod possit existere præsertim nisi ex ratione sua formali excludat terminum à coexistentia cum fundamento.* Hæc est communis apud eos qui concedunt huiusmodi relationes, *& Probatur*, quia omnis relatio realiter separabilis est ordinatio actualis subiecti ad terminum: sed non potest subiectum realiter ordinari ad illud, quod non est realiter.

*Confirmatur*, quia si posset existere vlla relatio extrinsecus adueniens sine termino realiter existente, posset quæcumque, est enim eadem ratio: sed hoc est falsum. Probatur minor, quia alias posset esse vnio in materia ad formam, quæ non existeret, & sic esset vnita, & non esset vnita. Deinde si materia esset in India, & forma in Hibernia, posset materia habere vnionem ad ipsam, quia si posset habere vnionem ad formam non existentem, multo magis ad formam existentem, sed non præsentem localiter. Dixi autem, nisi excludat terminum à coexistentia cum subiecto, propter relationem successionis, (si tamen detur talis realiter distincta à re succedente ad rem cui succedit) quæ est inter partes motus; nam relatio illa, si detur, est realis, & non coexistit terminus eius, quando ipsa existit; hoc tamen ideo accidit, quia cum sit relatio, mediante qua aliud succedat termino non habenti esse permanens ex ratione sua formali, excludit terminum à coexistentia cum suo fundamento. Sed de hac re alias, hoc modo sufficiat.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum dentur relationes reales realiter distinctæ ab extremis.*

18. *Aliqua* ad se inuicem referri, & ordinari res est clarissima: nam certum est parietem album referri per modum similis ad alium parietem album, & per modum dissimilis ad alium parietem nigrum; similiter non est dubium, quin ille homo, qui generat alium hominem, referatur ad ipsum per modum patris & producentis, sicut homo generatus refertur ad generantem per modum generati & producti. Sed maxima controuersia est & difficultas, à quo habeant res referri ad se inuicem, verbi gratia à quanam forma paries albus denominetur similis, aut dissimilis aliis rebus; & potissimum, an illa forma, à qua sic denominatur, sit realiter distincta ab ipsomet pariete albo, vt albus est. Intelligo autem hic per distinctionem realem, talem distinctionem, quam habent illa, quorum vnum possit existere sine altero, siue alterum possit vicissim sine illo priori existere siue non; vnde si similitudo sit aliquid, sine quo possit esse paries albus, quamuis ipsa non possit esse absque pariete albo, similitudo, à qua denominatur paries albus esse similis, erit in hoc sensu quid realiter distinctum ab ipso pariete. Quod aduertendum necessario erat, quia aliqui Authores, qui dicunt relationes non esse realiter distinctas à fundamentis quæ denominant, sed tantum ex natura rei, non vtuntur distinctione reali in hac acceptione iam præmissa, sed pro illa distinctione, quam habent res, quæ mutuo possunt esse sine se inuicem, qualis est inter Petrum & Paulum; & per distinctionem ex natura rei non intelligunt illam, quam Scotistæ vocant formalem, quæ est inter ea, quæ identificantur realiter, sed illam, quam habent ea, quorum vnum tantum potest esse sine altero, alterum vero sine ipso esse non potest; vnde in re hi Authores licet negent distinctionem realem similitudinis à re, quæ est similis, & asserant solum distinctionem ex natura rei inter illa, non dissentiunt à Scotistis & aliis authoribus, qui dicunt similitudinem distingui realiter à re, quæ dicitur similis: sed solum differunt in modo loquendi & habent inter se quæstionem de nomine solummodo, quæ semper quantum fieri potest vitanda est, dum agendum est de re ipsa.

19. *Prima sententia* est, res omnes, quæ referuntur ad se inuicem, referri per relationem rationis, non verò per aliquid reale. Hæc tribuitur aliquibus antiquis, quos videtur sequi noster *Aureolus in 1. dist. 30.*

*Secunda sententia* est, dari quidem relationes tales, sed eas non esse formas realiter distinctas, etiam in sensu præmisso, à fundamento & termino ac ratione fundandi. Hanc tenent *Nominales* communiter, quos sequitur *Suarez disp. 47. Metaphys. sect. 2. Ogna* hic *quæst. 1. Lorinus quæst. 4. Conimbricenses quæst. 1. art. 4. Hurtad. disp. 15. Metaphys. sect. 2.* & alij plures, etiam ex *Thomistis*, quos citant hic *Complutenses*. Diuersimode autem explicant hi Authores hanc sententiam. *Quidam* enim dicunt relationem realem consistere in duabus rebus aliorum prædicamentorum simul existentibus, vt in duabus albedinibus, duobus hominibus, homine & albedine, quantitate & actione, &c. ita vt vtraque res sit de essentia rela

relationis; illa tamen dicatur fundamentum, quæ concipitur in recto, & illa terminus, quæ concipitur in obliquo; ita *Arriaga hic num.* 41. Vnde similitudo albi ad album non est aliud, quam vnum album existens connotans coexistentiam alterius albi: & hinc dicunt hi Authores terminum esse de essentia relationis prædicamentalis. *Alij* vero cum *Suario* explicant illam sententiam alio modo dicentes terminum non esse de essentia relationis, sed relationem esse ipsum fundamentum realiter & solum ratione ratiocinata eam ab ipso distingui.

*Tertia denique sententia* communissima inter *Scotistas* cum *Doctore in 2. dist. 1. quæst. 4.* & *Thomistas* cum *D. Thoma 1.par. quæst. 28*, quos sequuntur recentiores magis communiter, est quod relationes prædicamentales, de quibus hic agimus, distinguantur ita realiter à fundamentis, vt fundamenta possint esse sine ipsis, licet ipsæ non possint existere sine fundamentis, & propterea non sint res proprie dictæ, sed potius modi, & consequenter possit dici, quod non distinguantur realiter, prout distinguitur res à re; sed modaliter, prout distinguitur modus rei à re.

## CONCLVSIO I.

Dantur relationes reales prædicamentales.

20. *Dantur relationes reales à parte rei independenter ab omni operatione intellectus, aut potentiæ vllius vitalis cognitiuæ, aut collatiuæ.* Hæc est authorum secundæ & tertiæ sententiæ contra primam sententiam.

*Probari solet primò*, quia de fide est dari relationes reales in Deo; paternitatis, verbi gratia, filiationis, & spirationis passiuæ: ergo etiam debent admitti in creaturis relationes reales, quandoquidem similes denominationes reperiuntur in creaturis denominationibus illis, quæ reperiuntur in Deo, & proueniunt formaliter à relationibus, vt patet ex eo, quod vna creatura producat alteram & sit pater eius, & altera ab ipsa producatur, & sit filius eius.

*Probari solet secundò*, quia certum est res aliquas applicari sibi inuicem à parte rei independenter ab omni tali potentia, vt ignis applicatur ligno, & non minus certum est materiam à parte rei vniri formæ, & partes integrantes continuas vniri sibi inuicem: sed approximationes, & vniones huiusmodi sunt relationes reales: ergo dantur relationes reales à parte rei independenter ab intellectu & omni tali potentia.

21. *Sed quamuis* hæ duæ probationes, supposita minori huius secundæ probationis, quæ mihi certa est propter dicenda de sex vltimis prædicamentis, efficacissime conuincant dari aliquas reales relationes in creaturis, quibus sibi inuicem referantur; reuera tamen non videntur sufficere ad probandum, quod dentur relationes reales prædicamentales, prout prædicamentales dicuntur illæ, quæ spectant ad hoc prædicamentum. Ratio autem est, quia approximationes & vniones illæ, de quibus fit mentio in secundo argumento, sunt relationes extrinsecus aduenientes, de quibus postea, & non pertinent ad hoc prædicamentum, quia non conuenit ipsis definitio relationis huius prædicamenti supra assignata: ergo ex eo, quod dentur illæ relationes, non sequitur quod dentur relationes reales huius prædicamenti, & non solum non sequitur formaliter, sed nec sequitur etiam à paritate rationis; quia est maxima disparitas inter vtrasque relationes, ratione cuius disparitatis posset fieri, quod quamuis darentur vnæ, non darentur alteræ.

*Prima etiam probatio* de relationibus diuinis non probat dari relationes prædicamentales huius prædicamenti, quia relationes huius prædicamenti sunt accidentia, relationes autem diuinæ nõ sunt accidentia; vnde ex eo, quod dentur diuinæ, non videtur sequi quod dentur creatæ. *Deinde* à multis Thomistis non conceduntur in diuinis aliæ relationes reales, quàm productiones actiuæ & passiuæ, & speciatim negant dari in diuinis relationes reales similitudinis, aut æqualitatis: ergo ex eo, quod dentur relationes in diuinis, non sequitur dari relationes similitudinis & æqualitatis huius prædicamenti secundum Thomistas.

*Confirmatur*: quia satis probabile est relationes producentis & producti in creatis esse relationes extrinsecus aduenientes: ergo ex eo quod dentur relationes tales in diuinis, & denominationes in creaturis similes illis denominationibus, quæ proueniunt à relationibus illis diuinis, non sequitur dari relationem prædicamentalem realem huius prædicamenti.

22. *Probari posset tertiò conclusio*, quia entia rationis non ponuntur in prædicamento: sed relationes huius prædicamenti ponuntur in hoc prædicamento: ergo non sunt entia rationis. *Hæc probatio valet* contra admittentes authoritatè Aristotelis. Sed si quis eam negaret, & diceret, vel male assignari hoc prædicamentum ab Aristotele, vel entia rationis spectare ad prædicamenta, nihil vrgeret.

*Probatur ergo melius*, quia reuera à parte rei dantur aliqua, quæ sunt sibi inuicem similia & dissimilia, æqualia & inæqualia independenter ab omni operatione intellectus, vt patet de duobus albis, albo & nigro, duabus quantitatibus palmaribus; vna quantitate palmari, & alia bipalmari: ergo dantur à parte rei realiter illa, à quibus proueniunt istæ denominationes: sed illa sunt, quæ vocamus relationes prædicamentales: ergo dantur à parte rei relationes prædicamentales huius prædicamenti.

23. *Dices* posse dari aliquos respectus rationis à parte rei, hoc est independenter ab omni actu intellectus, nam secundum multos Scotistas resultat in obiectis visis relatio rationis, posita visione in oculo independenter ab omni actu intellectus; & idem est dicendum de obiectis perceptis à quacumque potentia sensitiua. *Deinde* secundum alios Scotistas resultat in Verbo diuino respectus rationis vnionis passiuæ, à qua dicitur intrinsece vniri humanitati assũptæ; qui respectus est independens non solũ ab omni actu intellectus, sed ab omni actu cuiuscumque potentiæ siue collatiuæ siue sensitiuæ: ergo quamuis daretur à parte rei independenter ab omni actu talis potentiæ illud, à quo haberet vnus paries esse similis, vel dissimilis alteri, inde tamen non sequeretur quod illud esset quid reale, & non rationis; nec consequenter sequeretur quod daretur respectus realis huius prædicamenti à parte rei.

*Contra primò*, quia falsum est dari vllos respectus rationis, qui non dependeant vel à potentia intellectiua, vel ab aliqua alia vitali; & qui hoc negaret, facile posset dicere, quod similitudines essent respectus rationis, vnde illi Scotistæ, ac authores, qui asserunt dari tales respectus, difficulter poterunt impugnare hanc replicam, aut probare dari huiusmodi respectus reales, vt vel ex eo ipso capite improbabilitas eorum sententiæ improbetur.

*Contra secundò*, quia illi authores, contra quos est præsens conclusio, intelligunt per relationem rationis relationem, quæ sequitur cum dependentia à consideratione aliqua intellectus: ergo contra eos valet prædicta nostra probatio, quod modo nobis sufficit, quia eos tantum impugnamus hic.

24. *Obiicies primò*, secundum Philosophum: ad relationem huius prædicamenti non datur per se motus, nec per illam aliquid mutatur; dicit enim 5. *Physic. tex.* 10. *Altero subeunte mutationem alterum mutationem non subiens vere dici potest ad aliquid*: quod etiam patet, quia hic paries albus, qui modò non est similis parieti nigro, si mutetur iste paries niger ad albedinem, fit ipsi similis absque vlla prorsus mutatione facta in illo pariete, qui fuit ante albus: sed si relatio esset aliquid reale, quandoquidem adueniat de nouo, vere daretur ad ipsum mutatio, & illud, cui aduenit, vere mutaretur per illam: ergo secundum Philosophum non est aliquid reale, sed rationis.

*Respondeo primò*, hoc argumentum non concludere aliquid contra eos, qui admittentes relationem realem similitudinis, verbi gratia, dicunt ipsam non distingui à fundamento & termino simul existentibus; quandoquidem in hac sententia non deberet mutari fundamentum intrinsece, nec aliquid in eo intrinsece produci.

Quomodo non detur motus ad relationem prædicamentalem.

*Respondeo secundò*, in sententia eorum, qui dicunt relationem distingui realiter à fundamento, Philosophum sic intelligendum, quod nõ detur per se motus ad relationem, tanquam ad aliquid absolutum, eo modo quo datur motus ad albedinem & alias qualitates; & quod subiectum non mutetur per se per illum mutatione proprie dicta, qualis est mutatio, quæ fit per formam absolutam.

Posset

Posset etiam dici, quod non detur motus per se ad illam, quia non intenditur directe ab agente, nec producitur per actionem ad se immediate terminatam, sed emanat necessario ab aliquo, ex suppositione, quod producatur illud alterum, & ponantur aliæ conditiones, de quo postea.

## CONCLVSIO II.

Relatio prædicamentalis non consistit in vno extremo in recto & altero in obliquo.

25. *Relatio realis prædicamentalis huius prædicamenti non consistit in duobus extremis*, verbi gratia *in duobus albis, quæ ad se inuicem per relationem referuntur, ita vt vnum dicat in recto, & alterum in obliquo, & vtrumque sit de essentia eius.* Hæc est communior authorum tertiæ sententiæ contra primum modum explicandi secundam sententiam.

*Probatur primò*, quia totum esse relationis est ad aliud se habere, secundum Philosophi definitionem ab omnibus admissam: ergo terminus relationis, qui est illud aliud, non potest esse de essentia relationis, sed aliud aliquid à relatione distinctum. *Confirmatur*: nihil potest referri realiter ad se: ergo terminus non est de essentia relationis. Probatur consequentia, quia si terminus esset de essentia relationis, quandoquidem totum esse relationis sit ad aliud referri, terminus, qui est de essentia eius, deberet ad aliud referri, & consequenter ad se, quia ipsemet terminus est illud aliud, verbi gratia relatio paternitatis refertur secundum totam suam essentiam ad filium, qui est terminus, & filius est illud, ad quod se habet tota essentia istius relationis: ergo si ipsemet filius sit de essentia paternitatis, filius refertur ad se, & præterea filius esset aliud à paternitate, & non esset aliud; esset ex hypothesi, quandoquidem sit terminus ipsius; non esset autem, quia esset de essentia ipsius.

*Arriaga respondet*, terminum relationis prædicamentalis non distingui ab ipsa, quia in rigore non est relatio: neque enim, inquit, quia paries est albus, ego habeo ad illum respectum, vel ordinem. Quod si similitudo dicatur relatio, ideo est, quia non potest concipi simile, vt simile, quin concipiatur aliud extremum, cui dicitur simile, non quia vnum extremum respiciat alterum, sed quia simile dicit vtrumque; vtrumque autem nequit intelligi sine vtroque: exemplificat hoc de Petro & Paulo, quatenus constituunt binarium, vt constituunt binarium non respiciunt se mutuo, nec dicunt ordinem ad inuicem; & tamen vt constituunt binarium, vnus nequit concipi sine altero, quia binarius dicit vtrumque.

26. *Contra hanc doctrinam primò*, quia tollit suppositum controuersiæ, nempe dari relationes veras prædicamentales, de quibus hic quæritur, an ex suppositione, quod dentur, sint distinctæ à fundamento & termino, nec ne.

*Contra secundò*, quia si quis non diceret ordinem aliquem ad album potius quam ad nigrum ante intellectum, non potius deberet dici similis albo, quam nigro: ergo si vere dicatur similis, debet dicere talem ordinem. *Deinde*, si relatio realis in rigore secundum ipsum nihil aliud sit quam duæ albedines, verbi gratia simul existentes, quandoquidem dentur tales in rigore, debet etiam dari relatio in rigore.

*Contra tertiò*, quia si vnum quid, quod dicitur simile, non possit concipi sine alio, cui sit simile, ideo hoc sit, quia dicit ordinem aliquem ad illum, qualem non dicit ad alterum, cui non est simile, & non ex eo, quod similitudo dicit vtrumque, vt patet ex eo, quod vtrumque non prædicetur de eo, quod dicitur simile. Et per hoc patet, exemplum ipsius non esse ad propositum, quia binarius ex eo, quod dicit vtrumque constituentem ipsum simul sumptos, nõ potest prædicari de vllo ex ipsis; neque enim ex duobus cõstituentibus binarium vllus dicitur binarius. Sed similitudo dicitur de vno ex extremis, ergo non potest includere vtrumque extremum. Vnde etiam manifeste patet quod idem author subiungit, esse falsum, nempe similitudinem non esse aliud quam binarium albedinum, verbi gratia, nam si hoc esset verum, quemadmodum de vno ex illis albis diceretur, quod esset similis, diceretur etiam quod esset binarius, aut binarium, quod est absurdum.

27. *Probatur secundò*: quia relatio similitudinis, verbi gratia, prædicatur de vno albo ex duobus, dicitur enim: hoc album est simile alteri albo: sed duo alba existentia simul non prædicantur de ipso: neque enim dicitur: hoc album est duo alba simul existentia, aut habens duo alba simul existentia: ergo simile non est idem ac duo alba simul existentia, nec similitudo est idem ac duæ albedines simul existentes.

*Confirmatur*, quia si vtrumque album esset de essentia relationis, non potius deberet relatio dicere vnam in recto, quàm alteram, ergo vel vtrumque dicit in recto, vel neutrum, & sic falsa est sententia aduersariorum. Probatur antecedens, quia vtrumque album à parte rei est eiusdem omnino rationis, imo nec possunt determinare intellectum potius ad concipiendum vnum in recto, quam alterum.

*Dices:* in re vtrumque eodem modo esse de essentia relationis: sed quando concipitur Petrus, vt similis Paulo, tum concipitur Petrus in recto, & Paulus in obliquo: & propter hoc dicitur similitudo Petri dicere Petrum in recto, & Paulum in obliquo.

*Contra*, quia nisi habeam aliud mihi propositum, quam Paulum & Petrum, & si vterque æque primo inuoluatur à parte rei in similitudine, non potest concipi Petrus, vt similis Paulo; nec ille modus loquendi habet vllum prorsus sensum.

*Confirmatur secundò*, quia nisi Petrus se haberet aliter ad Paulum simul existentem, quam ad lapidem, non esset ipsi magis similis, quam lapidi: ergo habet aliquid in se, ratione cuius aliter se habet & sit similis: sed illud est, vel natura ipsius, vel accidens aliquod, & non includit essentialiter Paulum, posset que vocari similitudo potius, quam Petrus & Paulus, ergo potius dicendum est quod tota similitudo reperiatur ex parte extremi similis, quam quod dicat vtrumque extremum essentialiter.

28 *Probatur tertiò*: relatio prædicamentalis debet esse vnum per se completum, aliàs non directe collocaretur in vllo prædicamento contra Philosophum & aduersarios: sed non esset tale, si essentia ipsius consisteret in duobus extremis ita, vt vtrumque esset de essentia eius, verbi gratia relatio similitudinis in duobus albis, aut relatio dissimilitudinis in homine, & albedine: ergo non consistit in talibus. Probatur minor, quia ex duobus entibus diuersorum prædicamentorum completis & positis directe in ipsis, non fit vnum per se, sed tantum per accidens, imo nec ex duobus entibus vnius prædicamenti non vnitis præsertim vnione physica: sed homo & albedo sunt entia completa & directe posita in diuersis prædicamentis, homo quidem in prædicamento substantiæ, albedo vero in prædicamento qualitatis. Et rursus duo alba, quæ sunt similia, formaliter spectant ad vnum prædicamentum, suntque entia completa istius prædicamenti, nec vniuntur vnione physica, quandoquidem vnum posset esse in Hibernia, & alterum Romæ: ergo si essentia relationis consisteret in huiusmodi duobus, non esset vnum per se.

29. *Probatur quartò*, quia relatio est accidens prædicamentale, sicut cætera octo prædicamenta, ergo est aptum natum inhærere: sed hoc esset falsum, si non esset quid realiter distinctum à fundamento & termino, aut si essentialiter consisteret in fundamento & termino, verbi gratia si dissimilitudo hominis ad brutum consisteret essentialiter in ipsomet homine & bruto, quandoquidem nec homo, nec brutum, nec vtrumque simul posset inhærere, relatio illa non posset inhærere, & consequenter non esset accidens prædicamentale. *Hæc probatio* non multum vrget aduersarios, quia negarent facile antecedens loquendo de accidente propriè dicto.

*Probant aliqui quintò*, quia sequeretur, quod Deus referretur de nouo relatione reali ad creaturas: sed hoc est absurdum; ergo & illud vnde sequitur. Probatur sequela, quia sicut Petrus de nouo dicitur dissimilis alicui equo, cui ante non erat dissimilis, ex eo quod producatur ille equus de nouo, absque eo quod vlla entitas adueniat de nouo ipsimet Petro, idem posset dici de Deo, quod esset de nouo dissimilis alicui rei de nouo productæ, absque

eo

eo quod aduenirет ipſimet Deo aliquid nouum.

*Sed hæc probatio parum vrget*, poſſent enim aduerſarij optime admittere ſequelam,& negare minorem: quamuis enim eſſet abſurdum, quod Deus referretur de nouo relatione reali, quæ eſſet forma aliqua intrinſece ſuperaddita ipſi,quia inde ſequeretur mutabilitas realis in ipſo ad formam intrinſecam realem; tamen non eſſet abſurdum, quod referretur de nouo relatione reali, ſi relatio illa realis non eſſet quid diſtinctum ab ipſo Deo & creatura de nouo producta; neque enim inde ſequeretur mutabilitas realis in Deo ad formam aliquam realem ſuperadditam. Et certe quando authores communiter negant Deum referri relatione reali de nouo ad creaturam,ideo id negant, quia ſupponunt illam relationem realem, per quam de nouo referretur, eſſe aliquam formam realem, ſeu modum realem ſuperadditum Deo, ac intrinſece in ipſo receptum.

30. Vnde meo iudicio poſſent aduerſarij ſumere argumentum in confirmationem ſuæ doctrinæ ex eo, quod Deus ſit diſſimilis de nouo creaturis,hoc modo: Deus eſt de nouo actu diſſimilis Petro de nouo producto, & non fuit ipſi diſſimilis actu, antequam Petrus actu extitit, ſicut nec album vnum eſt diſſimile actualiter nigro, antequam exiſtat nigrum; eſt enim eadem ratio dicendi,quod Deus ſit de nouo diſſimilis, ac quod album ſit de nouo diſſimile: ſed Deus non eſt diſſimilis de nouo per vllam formam rationis, neque per formam vllam realem ſuperadditam ipſimet: ergo habet eſſe diſſimilis,vel ſeipſo ſolo, vel ſeipſo, & creatura illa de nouo producta, cui eſt diſſimilis, & conſequenter relatio, per quam refertur,vel conſiſtet in ipſomet Deo ſolo, realiter loquendo, vt dicitur in ſecundo modo explicandi ſecundam ſententiam,de quo ſtatim, vel conſiſtet realiter in Deo, & creatura, vt dicit hic modus explicandi, quem iam impugnamus:ergo idem dici poterit de diſſimilitudine hominis & equi, & de ſimilitudine albi ad album. Quod ſane argumentum eſt mihi valde vrgens contra tertiam, quæ eſt etiam noſtra, ſententiam poſtea proponendum.

31. *Reſpondetur tamen*, iam cum communi ſententia, negando primam conſequentiam, quia habet eſſe diſſimilis de nouo à relatione diſſimilitudinis, quæ eſt in creatura illa de nouo producta. Deinde negari poteſt vltima conſequentia, quia licet Deus haberet ſeipſo eſſe ſimilis aut diſſimilis, non tamen idem eſſet dicendum de creaturis, quia ideo diceretur Deus eſſe de nouo diſſimilis, & non per aliquid ſuperadditum, quia eſt immutabilis & incapax conſequenter talis ſuperadditi recipiendi; vnde ſi eſſet capax, non diceretur ſeipſo diſſimilis de nouo, ſed per aliquid ſuperadditum,ſicut dicitur de creaturis: creaturæ vero ſunt capaces alicuius de nouo aduenientis, & propterea debet dici, quod fiant ſimiles aut diſſimiles de nouo per aliquid ſuperadditum.

*Confirmari ſolet* hoc per exemplum de vnione hypoſtatica,quæ ſolum ponitur ſubiectiue inhærens in humanitate aſſumpta, & non ponitur, nec illa eadem,nec altera ipſi correſpondens intrinſece in Verbo, licet quando vnitur forma & materia, ponatur duplex vnio à Scotiſtis, vna ex parte formæ,& altera ex parte materiæ:ratio autem diſparitatis cur ponatur duplex vnio, quando & materia & forma vniuntur, non vero ponatur duplex vnio quando natura humana & Verbum diuinum vniuntur, eſt, quod Verbum non ſit capax nouæ vnionis propter ſuam immutabilitatem; tam autem materia quam forma eſt capax vnionis ex parte ſua. Itaque ad propoſitum,ſicut non ponitur duplex vnio in Incarnatione in Verbo,& natura humana vnitis,quia Verbum eſt incapax talis; ponitur autem duplex vnio, vnitis materia & forma,quia vtraque eſt capax vnionis; ita quamuis non poneretur aliqua relatio diſtincta in Deo, per quam referretur ad creaturas, quia non eſt capax, non propterea non debet poni aliqua relatio diſtincta ab albo, per quam referatur, quandoquidem album ſit capax talis relationis: ſed de hoc alias.

## CONCLVSIO III.

Relatio prædicamentalis

32. *Relatio prædicamentalis non eſt identificata realiter ipſimet fundamento ſic,vt eſſentia eius conſiſtat in fundamento ſolo, & terminus non ſit de eſſentia eius, ſed conditio neceſſario requiſita, vt denominet fundamentum ipſum referendo ad terminum.* Hæc eſt etiam communior contra ſecundum modum explicandi ſecundam ſententiam, qui ſane modus eſt longe melior altero ante impugnato. non eſt ſolum fundamentum eſſentialiter.

*Probatur autem*, quia, vt paulo ante dixi, ſequeretur quod relatio non eſſet accidens prædicamentale, quia ſimilitudo hominis, ſi ſit identificata realiter homini,non eſt apta nata inhærere homini, vt èſt euidens.

*Sed aduerſarij concedunt ſequelam*,neque id exiſtimant inconueniens, nec ſane probari poteſt oppoſitum, niſi probetur aliunde quod relatio ſit aliquid diſtinctum à fundamento.

*Probatur ſecundò*, quia totum eſſe relationis non eſſet ad aliud ſe habere, quia totum eſſe Petri, qui eſt fundamentum ſimilitudinis, nec totum eſſe albedinis eſt ad aliud ſe habere, cum ſit quid abſolutum.

*Dices*, totum eſſe formale ipſius eſt ad aliud ſe habere, licet totum eſſe reale ipſius non ſit ad aliud. *Contra*:ſic non diſtingueretur relatio prædicamentalis à tranſcendentali, quantum ad habendum totum ſuum eſſe ad aliud, quia totum eſſe formale relationis tranſcendentalis eſt ad aliud ſe habere tam bene, quam totum eſſe formale relationis prædicamentalis.

*Hoc etiam non multum vrget*, quia ſi non diſtinguantur relationes tranſcendentales à prædicamentalibus, niſi per identitatem cum fundamento, concedendum eſſet, quod eſſent tranſcendentales aut quod tranſcendentales eſſent prædicamentales. Quod ſi ſit alia differentia, illa ſufficiet ad eas diſtinguendas, quamuis conueniant in identitate ad fundamentum. In rei autem veritate differentia poſſet aſſignari,quod relationes tranſcendentales non dependerent à coexiſtentia termini ad dandam denominationem ſuam, prædicamentales verò ſic;vnde materia prima dicitur apta ad recipiendam formam, quamuis forma non exiſtat; Petrus verò non dicitur ſimilis Paulo, niſi Paulus exiſtat.

33.*Probatur tertiò*: poteſt relatio alicuius fundamenti creſcere ſine eo, quod ipſum fundamentum mutetur in ſe vllo modo per receptionem alicuius,niſi dicatur,quod relatio diſtinguatur realiter, aut modaliter ab ipſo: ſed hoc videtur abſurdum: ergo debet dici, quod relatio ſic diſtinguatur, & conſequenter, quod non identificetur fundamento. Probatur ſequela maioris; quia album, vt quatuor, eſt ſimile albo, vt octo; & ſi remittatur aliquid de albedine vt octo, erit magis ſimile abſque vlla variatione ex parte ſui,niſi dicatur relatio variari in ipſo,quod dici nequit, niſi diſtinguatur ab ipſo realiter: ergo creſcit in ipſo illa relatio ſimilitudinis.

*Dices* in tali caſu non creſcere relationem, ſed denominationem eius. *Contra*, quia non videtur denominationem creſcere poſſe, niſi varietur aut creſcat forma à qua prouenit.

*Dices* poſſe bene variari denominationem propter variationem termini. *Contra*, ſi varietas in denominatione prouenire poſſit à variatione termini: ergo ipſamet denominatio poterit ab ipſo termino prouenire,quia eſt eadem ratio, & ſic denominatio ſimilis, quam habet vnum album, proueniet formaliter ab albo,cui eſt ſimilis,& conſequenter erit denominatio extrinſeca, quod eſt contra aduerſarios.

*Dices*, non poſſe totam illam denominationem prouenire à termino, quia ſi terminus maneret idem, modo variaretur albedo fundamenti, denominatio variaretur: ergo non poteſt denominatio ſimilis haberi à termino abſque dependentia ab intenſione, aut extenſione albedinis fundamenti; quod ſi dependeat illa denominatio, quæ eſt in fundamento, ab aliqua conditione fundamenti, licet etiam dependeat ab aliqua conditione termini,&non proueniat eſſentialiter æque primo ab vtraque conditione, tanquam à cauſa formali, ſed ab vna, tanquam à cauſa formali, & ab altera, tanquam à conditione ſine qua non, potius ſine dubio debet dici prouenire à conditione fundamenti, tanquam à cauſa formali, & à conditione termini,

termini, tanquam à conditione sine qua non, quam è contra;

*Hæc sane responsio* mihi satis est probabilis, nec occurrit mihi quid contra bene replicem, vnde neque in hac probatione conclusionis multum esse fidendum censeo.

34. *Probatur quartò*, quia, si similitudo identificaretur fundamento, nō posset fundamentum existere absque similitudine, nec consequenter quin esset simile, quia nihil aliud requiritur ad denominandum ipsum formaliter simile, quam quod habeat sibi communicatam formam similitudinis: sed potest existere fundamentum, quin sit simile, vt si destruatur terminus ad quem refertur, aut si non producatur vlla ratione; neque enim aliquid actualiter dicitur simile alicui rei non existenti: ergo relatio non identificatur ipsi.

*Ad hanc probationem respondere solent* aduersarij negando consequentiam, quia ad hoc vt aliquid sit simile, non sufficit quod habeat formam, à qua sic potest denominari, sed requiritur vt ponatur conditio omnis essentialiter requisita ad hoc quod sic denominetur; vna autem ex conditionibus, vt album denominetur à seipso seu ab aliqua formalitate sibi identificata realiter, est, vt detur aliud existens, cui sit simile, vnde donec hoc detur non erit simile, quamuis habeat formam, qua sic posset denominari.

*Hanc responsionem* fuse conatur improbare *Arriaga*, tum directe, tum ad hominem: sed neutro modo assequitur intentum, vt facile esset ostendere, nisi superfluitati cauendum esset. Nec sane hæc responsio impugnari potest, nisi ostendi possit, quod nulla forma inexistens subiecto possit dependere, quantum ad denominandum à conditione sine qua non extrinseca, & sine qua posset ipsa forma existere in subiecto; hoc autem valde difficile est ostendere. *Imo videtur* posse ostendi, quod sic in sententia ipsorum Authorum, qui propter hoc argumentum probare nituntur relationem distingui debere à fundamento & termino simul sumptis, quia terminus relationis à seipso habet formaliter terminare relationem, & tamen non potest terminare ipsam, nisi sit ipsa relatio. Deinde ipsum fundamentum relationis, supposito quod relatio distinguatur realiter à fundamento, est similis aut dissimilis illi relationi, & non est similis aut dissimilis illi per aliam relationem, alias daretur processus in infinitum: ergo est similis seipso, ergo habet sibi identificatam relationem, qua dicatur similis: sed tamen illa relatio non potest denominare ipsum simile aut dissimile, antequam existat illa relatio, cui dicatur simile aut dissimile.

Itaque impugnatio huius responsionis, & probatio consequenter conclusionis desumenda sunt ex dicendis circa conclusionem sequentem; ex quibus etiam respōderi debet ad fundamenta aduersariorum huius ac conclusionis præcedentis, consistunt enim in obiectionibus proponendis contra sequentem conclusionem.

## CONCLVSIO IV.

Relatio prædicamentalis distinguitur realiter à fundamento.

35. *Relatio prædicamentalis est forma accidentalis distincta realiter à fundamento, ipsique inhærens.* Hæc est eorum, qui tenent tertiam sententiam contra duas primas sententias.

*Probatur primo* ex dictis, quia si detur relatio prædicamentalis realis, vt probatum est contra primam sententiam, & non identificetur realiter fundamento & termino, nec soli fundamento, nec etiam soli termino à paritate rationis, vt probatum est contra secundam sententiam, sequitur quod debeat esse realiter distincta à fundamento, & termino, & consequenter quod sit forma accidentalis apta inhærere fundamento.

*Posset probari hæc conclusio ex Scoto* supra *num.* 6. quia si relatio non distingueretur realiter à fundamento, sine qua posset esse fundamentum, sequeretur non dari Incarnationem; nec separationem accidentium vt in Eucharistia; nec compositionem, nec causalitatem in rebus: quæ omnia sunt absurda: sequelam probat Doctor fuse & clare ibidem.

*Verum hac probatio* licet efficaciter probet aliquas relationes reales distingui à fundamento, nimirum vnionem hypostaticam, inhærentiam actualem, vnionem materiæ & formæ, approximationem, de quibus agit ibi Doctor; tamen non probat relationes reales prædicamentales huius prædicamenti, quia illæ relationes sunt extrinsecus aduenientes, de quibus non est eadem ratio, ac de extrinsecis, quia extrema extrinsecarū possunt esse absque relationibus simul existentia: intrinsecarū verò non possūt.

36. *Posset etiam probari* ex eodem *num.* 8. Nihil finitum continet secundum perfectam continentiam formalem & virtualem opposita formaliter: sed æqualitas & inæqualitas, similitudo & dissimilitudo sunt opposita formaliter: ergo non possunt identificari eidem fundamento, quia si identificarentur ipsi, continerentur in ipso secundum perfectam continentiam formalem aut virtualem: ergo distinguuntur realiter ab ipso.

*Hoc argumentum* solum probat distingui relationem à fundamento remoto verbi gratia similitudinem fundatam in albedine, tanquam in ratione fundandi, à pariete; sed non probat distingui à fundamento illo vt subest rationi fundandi, seu à fundamento proximo: quod probo manifeste, quia idem fundamentum proximum non potest, nec simul, nec successiue esse simile ac dissimile respectu eiusdem termini proximi secundum eandem rationem: similitudo autem ac dissimilitudo non sunt opposita in eodem fundamento, nisi respectu eiusdem termini; certum enim est idem subiectum posse esse simul simile vni termino, & dissimile alteri, imo potest esse simile eidem termino secundum vnam rationem, & dissimile secundum alteram: ergo non sequitur quod idem fundamentum proximum contineret per identitatem relationes formaliter oppositas, quamuis relationes omnes identificarentur fundamento.

*Rursus* posset probari ex eodem, *eodem numero*: Idem non continet realiter plura eiusdem rationis: sed eadem albedo fundat plures similitudines ad diuersos terminos: ergo similitudines non identificarentur patieri.

*Confirmatur primo*: continens aliquid per identitatem, si est perfectius, concludit etiam contentum in eo esse perfectius, hinc enim anima perfectior habet perfectiorem intellectum: sed fundamentum perfectius non continet semper perfectiorem relationem, quia non omne albius est similius.

*Confirmatur secundo*: contenta in aliquibus per identitatem non minus differunt in continentibus magis distinctis; sed relationes fundatæ in duobus generibus, verbi gratia in quantitate & qualitate, minus differunt, quā relationes aliquæ fundatæ in re eiusdem generis, æqualitas enim fundata in quantitate, & similitudo in qualitate, cum spectent ad primum modum relatiuorum, minus differunt quam similitudo & productio actiua, quæ fundantur in eodem calore, quandoquidem similitudo spectat ad relationes primi modi, & productio illa ad relationes secundi modi.

*Ad hanc etiam probationem*, licet satis subtilem respondeti potest, similitudines eiusdem albi ad diuersos terminos non esse omnino eiusdem rationis, quandoquidem habeant diuersa munera, & neutra possit supplere defectum alterius. Sicut autem non est inconueniens, quod duæ similitudines, non obstante quod sint eiusdem rationis, possint simul haberi in eodem fundamento, si essent realiter distincta; ita nec esse debet inconueniens quod identificentur fundamento quantum ad hoc; quod si non possent esse simul, si realiter non identificarentur, propter superfluitatem, aut aliunde, nec etiam ob eandem rationem possent identificari eidem fundamento.

38. *Ad primam confirmationem Respondeo*, ea ratione, qua perfectior res debet continere per identitatem rem perfectiorem, etiam perfectiorem rem debere causare perfectiorem rem: quod si non semper perfectior res causatur aut emanat à re perfectiori, neque etiam quod identificatur realiter rei perfectiori debet esse perfectius; ergo si perfectiori albo similitudo identificata deberet esse perfectior, etiam similitudo emanans à perfectiori albo deberet esse perfectior; aut si hæc non debet esse profectior,

neque illa eti am. Quæro ergo an similitudo perfectionis albi, distincta ab ipso realiter, sit perfectior, nec ne? & quidquid respondebitur ab asserentibus illam distinctionem, poterit similiter responderi ab asserentibus identitatem. In rei autem veritate credo similitudinem illam esse perfectionem, licet non sit maior; non enim omnis maior similitudo est perfectior similitudo, loquendo de perfectione virtutis de qua hic agitur; vnde in forma negari potest minor cum consequentia probationis: neque enim, vt dixi, ex eo, quod esset similior relatio ipsius, posset esse imperfectior, si terminus esset imperfectior; vnde si album vt duo esset imperfectius quam album vt quatuor, illud quod esset album vt quatuor redderetur imperfectius, si haberet maiorem similitudinem cum albo vt duo, quam de facto habet; quia inde sequeretur quod diminueretur aliquid de sua albedine, quod est imperfectionis.

39. *Ad secundam confirmationem Respondeo* eodem modo, quod quemadmodum res diuersorum prædicamentorum possunt per emanationem causare relationes magis similes distinctas realiter, quam res vnius prædicamenti; ita possent continere per realem identitatem relationes magis similes. Sed primum potest accidere secundum Scotistas, vt patet in ipsismet exemplis confirmationis: ergo & secundum quantum ad hoc. Et sicut res diuersorum prædicamentorum possunt habere maiorem proportionem inter se, quam res vnius prædicamenti, in aliquibus rebus aut formalitatibus, v.g. albedo & quantitas habent maiorem proportionem inter se in ratione producibilis per causam secundam, quam ignis & Angelus; ita non esset inconueniens quod possent habere sibi identificatas formalitates minus differentes, quam formalitates aliquæ, quæ identificarentur rebus eiusdem prædicamẽti.

Itaque has rationes proposuit *Scotus*, non tanquam conuincentes, sed tanquam topicas; neque est necesse vt omnes rationes eius, tanquam conuincentes à Scotistis defendantur. Et sicut in ipsismet Conciliis generalibus, quibus legitime congregatis assistit Spiritus sanctus, licet conclusiones definitæ tenendæ sint de fide, tamen adhibentur quandoque rationes quæ non sunt de fide, nec certæ, vt Theologi communiter tenent; ita non est necesse vt omnes rationes quas Scotus affert, teneantur à Scotistis tanquam conuincentes; sed abunde suo muneri satisfacient si tueantur eius conclusiones.

40. *Probatur ergo conclusio melius ex eodem Scoto*, quia paries potest esse sine similitudine fundata in albedine, sicut potest esse sine ipsa albedine, ergo distinguitur realiter ab illa similitudine. *Sed hæc probatio* tantum probat distinctionem realem relationis à fundamento remoto, quod nemo negat. Probatur ergo etiam de fundamento proximo: Omnis denominatio noua, positiua, & realis debet prouenire à forma noua & reali; sed denominatio similis, qua denominatur subiectum album simile alteri albo, quod de nouo producitur, est denominatio noua & realis; noua quidem, quia non erat antecedenter ad productionem alterius albi; realis autem, quia antecedenter ad fictionem aut operationem vllam intellectus, & etiam quia est inter extrema realia ob rationem fundandi realẽ repertam in fundamento, quod denominatur: ergo debet esse aliqua forma de nouo, à qua proueniat.

*Dices*, illam denominationem prouenire ab albedine formaliter: quamuis enim albedo fuerit in illo subiecto, & non denominauerit ipsum, hoc tamen propterea accidit, quia deficit connotatio termini existentis, quæ connotatio adest quando terminus producitur. Itaque similitudo albi non est aliud quam albedo connotans aliud album existens simul.

41. *Contra primò*, quia sic totum esse relationis non esset ad aliud, contra Philosophum.

*Contra secundò*, quia illa connotatio est quid realiter distinctum ab albedine quandoquidem possit esse albedo sine illa, sed illa connotatio, vt distinguitur ab aliis connotationibus, non est aliud quam ipsa similitudo: ergo similitudo distinguitur realiter. Præterea si ipsa albedo est realiter forma denominans simile, hoc est ipsa similitudo, sequitur quod album sit simile, antequam est productus terminus. Probatur sequela: esse simile nihil aliud est, quam habere similitudinem: sed album haberet similitudinem, antequam produceretur aliud album, quia haberet albedinem, quæ est ipsa similitudo.

*Respondetur* ad hoc negando sequelam, & ad probationem dicitur, quod simile non sit illud, quod habet similitudinem realiter, sed illud quod habet similitudinem formaliter: album autem, non producto alio albo, non haberet similitudinem formaliter, sed tantum realiter, quia habere ipsam formaliter est habere ipsam denominantem; non autem esset denominans simile, antequam existeret terminus eius. Itaque vt denominetur album simile, requiritur existentia termini, non quod terminus sit de essentia relationis, propter illa quæ diximus contra primum modum explicandi secundam sententiam; sed quod sit conditio necessariò requisita vt albedo tribuat denominationem similis.

42. *Sed contra*, quia si vt habeatur denominatio similis, requiratur aliquid ita distinctum ab albedine, vt possit esse albedo sine ipso, nimirum coexistentia albi similis cum altero albo, non potest assignari ratio, cur ista coexistentia non esset ratio constituens simile formaliter; quod si hoc admittatur, habemus intentum, vt patet.

*Confirmatur hoc*, quia controuersia realis huius rei est, vtrum, vt fundamentum proximum similitudinis, verbi gratia albedo, sit simile alteri albedini, requiratur aliquid distinctum ab vtraque albedine, & sine quo quælibet ex ipsis possit existere; qua in re nos tenemus partem affirmatiuam: ergo si requiratur simultas existentiæ vtriusque albedinis, seu aliqua connotatio, sine qua quælibet ex illis albedinibus esse posset, habemus intentum. Dicere autem quod requiratur quidem, sed quod non si ratio formalis constitutiua in esse similis, sed conditio sine qua non, est excitare quæstionem de nomine.

43. *Verum*, vt vt habeamus intentum contra aduersarios per hactenus dicta, remanet tamen vna grauissima difficultas, de qua non solet fieri mentio. Videtur enim quod similitudo duorum alborum non sit distincta realiter à coexistentia eorum: sed illa coexistentia est relatio extrinsecus aduenies: ergo non datur relatio intrinsecus aduenies distincta realiter à relatione extrinsecus aduenĩte. Minor patet, quia illa coexistẽtia non præsupponit aliquid ex parte fundamenti aut termini, ad quod necessariò sequatur: ergo non est relatio intrinsecus aduenies. Consequentia est euidens: probatur maior, in qua sola videtur esse difficultas, quia non est vllum signum distinctionis realis inter ipsa: neque enim possũt esse sine se inuicem; neq; vnum est causa aut principium alterius; neq; subiectantur in subiectis distinctis realiter, vt patet: ergo.

*Mayronius*, & aliqui alij facile euadere possent in sua sententia hanc difficultatem, quia existimant duo alba per potentiam Dei absolutam posse esse simul existentia sine similitudine, & consequenter dicere debent quod simultas & similitudo distinguuntur realiter. Quam sententiam nuper amplexus est quidam recens *Scotista*.

44. Verum incidunt in aliam difficultatem æque magnam; nam nunquam possunt ostendere, vnde colligant hoc posse fieri. Si enim dicant, quia distinguuntur realiter, manifeste petunt principium. *Deinde* si Deus potest destruere de facto omnes similitudines, manentibus suis fundamẽtis & terminis simul existentibus, quomodo sciunt quod de facto ita non fecerit? *Dicent*, quia res connaturaliter exigũt illas similitudines. *Contra*, quia hoc gratissime dicitur, nulla enim est ratio vnde colligatur quod exigãt relationes realiter distinctas, si possũt esse sine illis.

*Dicent*: colligitur manifeste, quia vna res petit aliter se habere ad vnam rem quàm ad aliam, aliter enim petit albedo se habere ad aliam albedinem quàm ad nigredinem.

*Sed contra*, quia si Deus destrueret similitudinem albedinis ad albedinem, adhuc aliter se haberet ad albedinem quam ad nigredinem: ergo vt aliter se haberet, non requireret similitudinem realiter distinctam.

*Dices*: tum se aliter haberet tantum fundamentaliter.

*Contra*

*Contra* iterum, quia hoc gratis dicitur, vnde enim colligitur quod non aliter se habet formaliter?

*Dices*, quia non habet formam. *Sed contra*, quia hoc est petere principium iterum. *Deinde*, si non habet formam aliquam, à qua haberet se aliter formaliter, non potest dari ratio vnde colligatur, quod debeat aliter se habere formaliter, aut quod exigat sic se aliter habere. Melius ergo tenetur cum *Lycheto quodl.* 11. *Bargio in* 1. *d*, 28. *q.* 3. *& aliis Scotistis* communiter, non posse conseruari duo alba simul existentia absque relatione similitudinis, si detur talis.

*Et confirmatur* hoc, quia secundum *Scotum* non datur actio per se immediate terminata ad relationes intrinsecus aduenientes, & per hoc distinguit ipsas à relationibus extrinsecus aduenientibus: sed certe si Deus posset conseruare duo alba simul existentia absque similitudine formali, daretur actio immediate terminata ad illam relationem; nam eatenus Deus posset non conseruare illas, quatenus suspenderet actionem conseruatiuam earum: nec alio modo potest concipi quomodo posset illas non conseruare, aut quomodo posset ipsas de nouo producere, nisi habendo actionem nouam, per quam illas produceret: ergo in sententia Scoti, non possunt conseruari extrema relationum simul absque relationibus intrinsecus aduenientibus.

*Itaque respondeo aliter*, propter hoc argumentum mihi esse probabilissimum quod non detur vlla relatio intrinsecus aduenies, quæ sit distincta realiter à coexistentia duorum extremorum, licet sit distincta realiter ab extremis, quæ coexistunt, & per eam referuntur. Neque hoc esset contra Scotum, qui supra tenet dari relationes intrinsecus aduenientes distinctas realiter à suo fundamento: quia bene stat quod distinguantur realiter à fundamento quod refertur per illas, licet non distinguantur à coexistentia eius ad terminum. Imo plurimæ ex rationibus Scoti, quibus probat dari relationes distinctas realiter à fundamento procedunt de relationibus extrinsecus aduenientibus, & non de relationibus intrinsecus aduenientibus; ex quo colligi potest quod Scotus tantum voluit probare, quod aliquæ relationes distinguerentur à suis fundamentis; siue essent intrinsecus aduenientes, siue non. Attamen tenendo communiorem Scotistarum sententiam, & quod ipsi etiam supra posuimus, prædicamenta scilicet distingui realiter, quod non esset verum, si relatio intrinsecùs aduenies non distingueretur realiter à relatione quacumque extrinsecus aduenient.

46. *Respondeo secundò* aliter negando maiorem: quãuis enim coexistentia duorum, verbi gratia alborum, nõ possit esse quin sit similitudo, nec similitudo etiam quin sit coexistentia aliqua illorũ, tamen potest esse similitudo sine vlla determinata coexistentia. Quamuis enim varietur coexistentia, quia est quid successiuum, nam dicit ordinem ad tempus, quod est quid successiuũ; tamen nõ variatur similitudo, sicut nec albedo quæ est fundamentum proximum eius; duo enim alba eadem numero similitudine semper referuntur ad se inuicem, non autem eadẽ numero duratione semper durant, dum durant; neque eadem etiam coexistentia propter eandem rationem coexistunt.

*Dices*: si coexistentia duorum alborum, v. g. esset distincta realiter ab eorum similitudine, posset Deus conseruare pro quocumque instanti aut coexistentiam sine similitudine, aut similitudinem sine coexistentia: sed hoc est falsum, quia pro instanti illo, pro quo est ipsamet coexistentia, nequit esse aut similitudo illa sine coexistentia, aut coexistẽtia illa sine similitudine, vt patet: ergo non distinguuntur realiter. Probatur sequela maioris, quia nulla est ratio, ob quã haberent tam necessariã connexionem inter se pro vllo instãti determinato, si distinguerentur realiter.

*Respondeo* negando sequelam maioris cum sua probatione: ratio autem necessariæ connexionis est, quod, posita coexistentia illa, vltime disponatur fundamentum ad hoc quod emanet ab ipso relatio, & consequenter relatio debet necessario pullulare, nec eius pullulatio potest à Deo impediri, quandoquidem non indigeat concursu immediato eius.

*Soluuntur obiectiones.*

47. *Obiicies primò*: nihil reale potest esse absque causa reali: quidquid enim de nouo est, debet esse ab alio: nam non potest esse à se de nouo, quia quidquid est à se, necessario est semper & ab æterno: sed similitudo, quæ de nouo produceretur in albedine, non habet aliquam causam realem: ergo non datur talis similitudo distincta realiter ab albedine seu albo. Probatur minor, quia non potest assignari, quænam sit illa causa.

*Respondeo* breuiter, omissis aliis responsionibus, negando minorem cum sua probatione; causa enim producens illam relationem est ipsum fundamentum proximum, à quo per resultantiam necessario pullulat relatio, quando ponitur terminus.

*Dices*: omnis causa naturalis productiua alicuius effectus necessario producit talem effectum, quando passum est debite applicatum: sed album est causa naturalis, & in ordine ad producendum effectum in seipso est sibi debite applicatum: ergo omnem effectum, quem potest producere in seipso, necessario producit, si Deus miraculose non impediat: sed manifestum est album existere posse naturaliter, quin similitudinem habeat in se productam, tum scilicet quando terminus non existeret: ergo album non est causa productiua similitudinis in seipso.

*Respondeo* distinguendo maiorem: si omnes conditiones necessario requisitæ adsint, concedo, si non adsint, nego. Et similiter distinguo minorem & consequens; distinguo etiam subsumptum: quando adsunt conditiones necessario requisitæ, nego; quando non adsunt, concedo subsumptum, & nego consequentiam; nam coexistentia cum termino est necessario requisita ad hoc vt resultet relatio.

48. *Dices*: posset fieri quod terminus relationis albi existentis in Hibernia produceretur in India: ergo hoc album non habet pro conditione necessario requisita positionem termini. Probatur consequentia, quia sicut omne agens habet determinatam sphæram actiuitatis: ita etiam videtur quod ad positionem conditionis alicuius in quacumque distantia non potest agere.

*Confirmatur*; quia quomodo paries existens in Hibernia potest aduertere quod terminus ponatur in Indiis, verbi gratia?

*Respondeo* negando consequentiam, & ad probationem dico quod causa, quæ est productiua per naturalem emanationem alicuius effectus, qui exigit aliquam conditionem, ad hoc vt tribuat subiecto denominationem, non requirit maiorem applicationem istius conditionis, quam quæ sufficit vt tribuere possit illam denominationem; vnde si ponatur in quacumque distantia, emanabit ille effectus, si eo ipso, quod producatur in quacumque distantia, res emanans potest tribuere suo fundamento effectum suum formalem: quare quandoquidem similitudo possit facere parietem Romanum similem parieti producto in Indiis, eo ipso quod producetur paries in Indiis, resultabit similitudo in pariete Romano.

Qualem applicationem conditionis requirit causa.

*Ad confirmationem* dico quod non est necesarium vt agens naturale aduertat positionem conditionis, sed sufficit quod ponatur conditio, vt patet in igne, qui non aduertit applicationem suam ad passum, & tamen agit quando applicatur.

Causa naturalis non debet aduertere positionem conditionis.

49. *Obiicies secundò*: si relatio esset ens reale, quando de nouo produceretur, daretur motus ad ipsam, seu noua actio: sed hoc est expresse contra Philosophum, ergo.

*Respondeo* negando maiorem, nam non debet dari actio productiua ad illud, quod sequitur necesario per resultantiam seu per emanationem, præsertim si taliter emanet, vt non possit impediri quin emanet, positis prærequisitis ad emanationem.

*Et si quæras*, vnde colligitur, si sit noua entitas distincta à fundamento, quod non producatur per veram actionem terminatam immediate ad seipsam.

*Respondeo* id colligi tum authoritate Philosophi, tum etiam ratione, quia nulla causa secunda potest aliquid producere actione aliqua, quin Deus immediate concurrat cum ipsa. Vnde si album per actionem aliquam produceret in se relationem, non posset hoc facere, quia

Deus immediate concurreret cum ipsa; Deus autem libere agit, & consequenter posset non concurrere, & sic, si vellet, quamuis essent duo alba coexistentia, posset impedire ne esset relatio: sed hoc est absurdum, vt probatum est supra *num.* 44. ergo absurdum est, quod relatio intrinsecus adueniens producatur per actionem ad se immediate terminatam. Quod si Deus posset impedire resultantiam relationis, vt tenet *Mayronius* noster, profecto difficile esset ostendere, quod non produceretur per actionem ad se immediate terminatam; vnde vel ex hoc etiam capite apparet improbabilitas illius sententiæ.

50. *Obiicies tertiò*, secundum Philosophum relatio aduenit subiecto sine sui mutatione: sed hoc esset falsum, si esset entitas realis distincta ab ipso.

*Respondeo*, distinguendo maiorem: sine mutatione proprie dicta, quæ est illa, qua aliquid mutatur ad formam non productam per resultantiam, sed per actionem veram & realem, concedo maiorem: impropriè dictam, quæ est illa, qua subiectum aliter se habet, quam ante per receptionem formæ resultantis, nego maiorem, & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

*Obiicies quartò*, Deus de nouo dicitur similis posita de nouo creatura, quamuis non recipiat in se aliquam nouam entitatem: ergo similiter creatura posset dici de nouo similis, quando poneretur de nouo terminus.

*Respondeo*, negando consequentiam, quia Deus est incapax nouæ entitatis propter suam infinitatem; secus autem est de creatura: & propterea quamuis negetur positio nouæ formæ in Deo, non tamen debet hoc negari in creatura.

*Confirmatur*, quia Deus dicitur de nouo volens sine productione nouæ entitatis in ipso, & tamen non dicitur creatura de nouo volens sine positione nouæ entitatis in ipsa: ergo quamuis dicatur Deus de nouo similis sine positione nouæ entitatis in ipso, non debet idem dici de creatura respectu alterius creaturæ. Itaque ex illimitatione & infinita perfectione Dei prouenit, quod possit habere denominationes nouas sine forma noua in ipso recepta, quæ illimitatio & infinitas non est in creatura, & propterea non debet dici recipere denominationes nouas sine formis nouis, à quibus proueniant.

51. *Obiicies quintò*, si darentur relationes superadditæ realiter fundamento, sequeretur dari in continuo infinitas relationes actu.

*Confirmatur ex Arriaga*, quia sequeretur in Angelo esse infinitos simpliciter modos similitudinis ad omnia puncta, ac partes proportionales continui, qui modi sunt infiniti simpliciter, quia non sunt inter se communicantes, nec indeterminati.

*Respondeo*, eo modo quo habet infinitas partes, non esse absurdum, quod habeat infinitas relationes: non sequeretur autem, quod alio modo haberet illas.

*Ad confirmationem* respondeo negando sequelam, non possent enim Angeli habere plures modos ad partes continui, quam sunt partes ipsius continui, nec modi eius possunt esse magis determinati quam termini eorum: & sane miror nihil aliud potuisse venire Arriagæ in mentem.

52. *Obiicies sextò*: Idem est constitutiuum hominis, & distinctiuum eius: sed rationalitas est constitutiua hominis: ergo est distinctiua eius, & consequenter homo non habet relationem distinctionis realiter à se distinctam: quod si illam non habeat, nec aliam habebit, quia est eadem ratio.

*Respondeo*, distinguendo maiorem: idem est constitutiuum & distinctiuum formale, nego; idem est constitutiuum & distinctiuum fundamentale, concedo; & concessa minori distinguo similiter consequens: ergo rationalitas est distinctiua eius fundamentaliter, concedo; formaliter, nego.

*Dices*: homo ab equo substantialiter differt: ergo non differunt per relationem, quæ est accidens. *Respondeo* negando consequentiam; nam non ideo dicuntur substantialiter differre, quod substantia sit ratio formalis ipsos distinguendi, sed quod ipsorum substantia sit ratio, ad quam sequitur relatio, quæ est ratio formalis referendi ipsos, vt distinctos. Itaque vt distinguatur relatio distinctionis, quæ est inter aliqua ratione alicuius accidentis, à relatione distinctionis, quæ sequitur inter illa ratione suæ substantiæ seu essentiæ, illa vocatur accidentalis, hæc substantialis seu essentialis.

*Quod si quæras*, quare homo non habeat esse formaliter distinctum per rationalitatem, sed tantum fundamentaliter. *Respondeo*, rationem esse, quia potest esse, & habere rationalitatem sine eo quod habeat esse formaliter distinctum, quando scilicet non esset brutum: ergo rationalitas non est ratio formalis ipsum distinguens.

53. *Obiicies septimò*: Æqualitas est relatio realis, & tamen non distinguitur realiter à re æquali, verbi gratia à quantitate bipalmari: ergo. Probatur minor, quia si esset distincta, deberet subiectari in illa quantitate, & vel esset tota in tota quantitate, & tota in qualibet parte ipsius, vel esset tota in tota quantitate, & pars in parte eius: non primum, quia sic esset spiritale accidens; non secundum, quia sic quælibet pars istius quantitatis esset æqualis alteri quantitati, quod est absurdum.

*Respondeo*, negando minorem; ad cuius probationem concedo antecedens, & consequentiam pro secunda parte: nego tamen quod quælibet pars esset æqualis alteri, quia illud non dicitur æquale alteri, quod habet partem relationis æqualitatis: sed quod habet ipsam totã.

54. *Obiicies octauo*: multæ denominationes nouæ saluãtur sine forma superaddita fundamento: ergo denominationes relatiuæ possunt sic saluari, & consequenter frustra ponuntur formæ in fundamentis, à quibus istæ denominationes proueniant.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: multæ denominationes intrinsecæ, nego: extrinsecæ, concedo; similiter distinguo primum consequens: denominationes relatiuæ extrinsecæ, transeat; intrinsecæ, negatur. Distinguo etiam secundum consequens: à quibus denominationes intrinsecæ proueniant, nego: extrinsecæ, concedo.

*Quod si quæratur*, vnde colligamus denominationes similis, æqualis, &c. esse extrinsecas.

*Respondendum* est, hoc colligi ex fundamentis nostræ conclusionis, & ex impugnatione aliorum modorum dicendi, & particulariter colligitur ex eo quod non sit potior ratio, cur essent denominationes extrinsecæ, quam intrinsecæ, verbi gratia non est potior ratio, cur non album esset simile isti albo per denominationem desumptam ab illo albo, quam à seipso, & ab aliquo in se recepto.

*Confirmatur*; quotiescumque dicitur aliquid denominari tale per denominationem extrinsecam, tunc datur aliqua forma in aliquo extrinseco, à qua prouenit illa denominatio; qualis forma non habetur in re sic denominata; vnde quia esse visum realiter est denominatio extrinseca, datur visio in oculo, à qua prouenit, qualis visio non datur in ipsa re, quæ videtur verbi gratia in pariete, & ita discurrendo de omnibus, quæ extrinsece denominantur, semper inuenietur contingere: ergo, si hic paries diceretur similis illi parieti per denominationem extrinsecam, deberet in illo pariete dari aliqua forma, à qua proueniret ista denominatio, qualis forma non esset in ipso pariete, qui denominatur similis; hoc autem est falsum, vt patet: ergo denominatio similis non est denominatio extrinsecus aduenientis.

55. *Dices*: etiam dantur denominationes intrinsecæ nouæ absque noua forma superaddita: ergo ex denominatione noua similis nõ sequitur dari formam nouam intrinsecam superadditam; sed ex illa denominatione potissimũ colligitur, quod dentur relationes nouæ superadditæ fundãmentis: ergo non sufficienter colligitur. Probatur antecedens, in quo solo est difficultas huius discursus: fundamentum similitudinis, verbi gratia album, est in instanti, in quo ponitur terminus, proxime dispositum, vt emanet relatio; & ante non erat sic proxime dispositum, aliàs ante existentiam termini emanaret illa relatio: sed illa denominatio proxime dispositi ad emanationem est denominatio intrinseca, tam bene, quam denominatio similis, vt patet ex discursu nostro paulo ante præmisso, quia non datur aliqua forma extrinseca, à qua proueniret; & præterea

non

non prouenit ab vlla forma intrinseca noua, quia non potest assignari quænam illa sit, & quia daretur processus in infinitum: ergo datur denominatio intrinseca noua absque vlla forma intrinseca.

*Hæc replica, est satis bona,* & vrgens contra nostram sententiam. *Sed respondetur tamen* negando antecedens, & minorem suæ probationis pro secunda parte: quandoquidem illa denominatio prouenit à coexistentia fundamenti cum termino; quæ coexistentia est forma intrinseca fundamento.

56. *Obiicies nono*: ex iis quæ realiter distinguantur, potest Deus saltem illud, quod est prius, conseruare sine posteriori: hinc enim inferimus nos cum *Scoto* contra *D. Thomam*, quod materia quæ prius est forma, & distincta realiter ab ipsa, possit conseruari sine forma, nec ipsimet *Thomistæ* videntur hoc negare de quacumque forma determinata, licet existiment materiam non posse conseruari absque aliqua forma indeterminate: sed relatio similitudinis, qua hic paries refertur in hoc instanti ad alium parietem, est distincta realiter à duobus parietibus coexistentibus pro illo instanti, & parietes illi duo coexistentes, etiam vt coexistentes, sunt distincti realiter ab illa relatione, & etiam priores illa, vt fatentur omnes, qui tenent nostram conclusionem: ergo Deus posset conseruare illos duos parietes coexistentes, etiam vt coexistentes, seu simul cum coexistentia, absque illa relatione.

*Responderi* debet ad hanc difficultatem conformiter ad dicta supra de emanatione relationis, distinguendo maiorem: si posterius non sequatur per emanationem necessariam à priori sine factione aliqua reali terminata ad ipsum, concedo maiorem; si sic, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam.

57. *Obiicies decimo*: non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla est necessitas distinguendi relationem realiter, aut modaliter à fundamento, & termino & coexistentia: ergo non debet ab ipsis distingui. Probatur minor, quia si esset aliqua necessitas, maxime ad saluandam denominationem nouam similis, verbi gratia, in pariete albo ad alium parietem album: sed si intelligatur per simile aliquid relatum per aliquam relationem superadditum, non est ratio vlla, vnde colligatur quod paries sit de nouo similis, aut habeat illam denominationem de nouo: ergo nulla est necessitas ponendi aliquam similitudinem in pariete distinctam realiter à pariete illo, & alio pariete coexistente.

*Confirmatur hoc*, quia si non habuissemus hoc nomen *simile*, nec aliquis diceret nobis, quod daretur aliqua forma superaddita albo, quando produceretur aliud album, non potuissemus vllo discursu colligere, quod daretur talis forma superaddita, nec habuissemus occasionem vllam imponendi nomen similitudinis ad significandum illam formam in abstracto, nec nomen similis ad significandam illam in concreto; ergo nulla assignari potest necessitas rationis ad ponendam illam formam superadditam, quæ significaretur per nomen simile, aut similitudinem.

58. *Dices*: videremus vnum parietem album se aliter habere ad alium parietem album, quam ad parietem nigrum: ergo habuissemus fundamentum colligendi, quod haberet aliquam formam, per quam sic se haberet.

*Contra*, quia si intelligatur in antecedenti, quod videremus ipsum aliter se habere per formam aliquam superadditã, certum est quod non videmus ex terminus ipsum habere se aliter ad vnum potius quam ad alterum; neque enim illa forma superaddita intuitiue videtur ab intellectu, aut percipitur ab vllo sensu externo; vnde si videatur inesse, debet videri per discursum aliquem: sed non possunt assignari principia vlla, ex quibus discursiue colligatur, quod insit aliqua forma superaddita parieti, per quã aliter se habeat ad aliũ parietem, distincta ab albedine & coexistentia eius cum alio pariete albo. Si autem intelligatur quod aliter se habeat ad vnum parietem, quam ad alium, quia habet albedinem, quæ est repræsentabilis per eandem speciem, per quam repræsentari potest forma nexistens parieti albo, & non habet formam, quæ repræsentari possit per eandem speciem, per quam repræsentati posset forma inexistens parieti nigro; verum est, quod aliter se habeat ad parietem album quàm ad nigrum; sed non sequitur inde, quod habeat aliquam formam, quæ sit superaddita albedini & coexistentiæ.

59. Hic discursus examinat fundamentum principale nostræ sententiæ, & reddit mihi sententiam negantem relationes intrinsecus aduenientes distinctas realiter aut modaliter ab extremis coexistentibus valde probabilem. *Responderi* tamen potest negando minorem cum minori suæ probationis; ratio autem constabit ex dicendis ad confirmationem.

*Ad quam respondetur*, negando antecedens: ratio enim discursus, vnde colligeremus vnum album dicere aliquem respectum ad aliud album, qualem non diceret ad nigrum, est quod esset repræsentabilis per speciem, per quam posset repræsentari aliud album, & quod nigrum non possit repræsentari per eam nam ex hoc saltem probabiliter apparet, quod dicat aliquem ordinem & respectum actualem ad album, distinctum à respectu quem dicit ad nigrum; & illum ordinem vocamus similitudinem, & rem habentem illum ordinem, vt est habens illum, vocamus simile.

60. *Obiicies vndecimo*, ex Arriaga *numero* 20. Duo alba essent similia, quamuis per impossibile non poneretur modus distinctus quo redderentur similia: ergo vt sint similes, non debet superaddi ille modus. Consequentia est euidens; probatur antecedens, quia Petrum esse similem albo, nihil aliud est, quam Petrum esse album, & Paulum esse album.

*Confirmatur*, quia modus superadditus non facit Petrum & Paulum esse eiusdem naturæ humanæ: ergo non facit ipsos esse similes in natura, quia ab eo habent esse sic similes, à quo habent esse eiusdem naturæ, cum nihil aliud sit eos esse similes in natura, quam esse eiusdem naturæ.

*Confirmatur secundò*, quia album, & nigrum sunt seipsis differenita absque vllo modo superaddito; neque enim modus superadditus addit illis differentias.

*Respondetur* breuiter negando antecedens obiectionis & vtriusque confirmationis, & probationem antecedentis obiectionis. Ad probationem autem consequentis secundæ confirmationis *Respondeo*, modum supperaddere illud, à quo habent differre, licet non superaddat differentiam, in qua differunt.

## QVÆSTIO IV.

### *De tribus modis Relationum assignatis à Philosopho.*

61 ADuertendum, ex relationibus quasdam esse mutuas, illas scilicet, quarum quando vna resultat in vno extremo, altera etiam in altero extremo resultat; & tales sunt similitudines creaturarum inter se: Quasdam autem non mutuas, illas scilicet, quarum vna resultante in vno extremo, altera non resultat in altero, & tales sunt relationes cognoscentis ad cognitum; quædam etiam relationes sunt æquiparantiæ, illæ scilicet quæ, cum sint correlationes, similem habent denominationem in vtroque extremo, vt similitudines; quædam autem sunt disquiparantiæ, scilicet correlationes illæ, quæ non habent similem denominationem, vt paternitas & filiatio. Relationē mutuæ & non mutuæ

Porro Philosophus omnes relationes reduxit ad tres species, seu tria genera, de quibus hic agimus. *Prima species* est earum, quæ sunt inter res, quæ habent inter se vnitatem, aut diuersitatem in aliqua re, seu formalitate. Hæc species continet sub se multas species, nã si res habent conuenientiam in aliqua ratione prædicabili de ipsis in quid, siue illa ratio sit substantia, vel accidens, relatio quam habent ad inuicem, vocatur identitas; si vero non habent conuenientiam in tali ratione, relatio vocatur diuersitas: verbi gratia, quia homo & brutum conueniunt in animali, & animal est prædicabile de ipsis in quid, propterea habẽt relationem identitatis inter se; quia verò non

conueniunt in ratione ſpecifica bruti aut hominis, propterea habent relationem diuerſitatis inter ſe in ratione ſpecifica.

Relationes ſimilitudinis & diſſimilitudinis.

62. Quod ſi duæ res habeant conuenientiam in aliqua ratione prædicabili in quale quid, ſiue ſit eſſentialis ipſis, ſiue accidentalis, tunc dicuntur habere relationem ſimilitudinis inter ſe; & ſi diſconueniant in tali ratione, dicuntur habere relationem diſſimilitudinis. Sic duo parietes albi, quia conueniunt in albedine, dicuntur ſimiles; duo verò parietes, quorum vnus ſit albus, & alter niger, dicuntur diſſimiles.

Denique ſi duæ res habeant conuenientiam in quantitate ſiue molis, ſiue perfectionis, aut virtutis, id eſt ſi conueniant in aliquo prædicato quantitatiuo (prædicatum autem quantitatiuum eſt illud, per quod apte reſponderi poteſt quærenti quanta ſit res, verbi gratia quia quærenti quantæ longitudinis ſit aliqua res, aut quantæ virtutis; reſponderi poteſt: eſt tricubita, aut eſt tantæ virtutis, vt poſſet ſuperare centum homines, propterea eſſe tricubitum, & eſſe tantæ virtutis, ſunt prædicata quantitatiua) relatio quam habent, vocatur æqualitas; & ſi non cõueniant in tali prædicato, relatio, quam habent, vocatur inæqualitas. Sic Petrus, & Paulus dicuntur eſſe æquales in perfectione eſſentiali, Petrus verò & Bucephalus dicuntur inæquales. Similiter duo ligna tricubita dicuntur æqualia in mole, lignum verò tricubitum, & lignum duorum cubitorum inæqualia.

Sex ſpecies relationum primi generis.

63. Ex quibus habemus, quod relationum primi generis ſeu primæ ſpeciei, ſeu primi modi aſſignari ab Ariſtotele ſint ſex ſpecies *Identitas, diuerſitas, ſimilitudo, diſſimilitudo, æqualitas, & inæqualitas*. Et hæ relationes dicuntur communiter fundari in vnitate, & multitudine; in vnitate quidem tres, vt *identitas, ſimilitudo, & æqualitas*; in multitudine verò aliæ tres, vt *diuerſitas, diſſimilitudo, & inæqualitas*; & propterea vnitas & multitudo dicitur eſſe ratio proxima fundandi has relationes. Sed, vt aduertimus aliàs, Philoſophus non dixit eas fundari in vnitate, aut multitudine, ſed tantum dixit illa eſſe eadem, ſimilia & æqualia, quorum extrema ſunt vna; diuerſa verò, diſſimilia, & inæqualia, quorum extrema non ſunt vna, ſed multa.

*Dices*: ſecundum nos non datur aliqua vnitas inter Petrum & Paulum in humanitate, niſi vnitas ſimilitudinis; ergo relatio, quam habent inter ſe, non eſt identitas, ſed ſimilitudo.

*Reſpondeo* diſtinguendo antecedens: vnitas ſimilitudinis large loquendo, concedo; ſtricte loquendo, nego. Itaque ſimilitudo eſt duplex, vna largo modo, & eſt quæcumque conuenientia aliquorum in prædicato prædicabili, ſiue in quid, ſiue in quale; alia ſtricto modo, & eſt conuenientia in prædicato prædicabili in quale, & eodem modo de diſſimilitudine eſt diſcurrendum. Vnde licet Petrus & Paulus non habeant aliam vnitatem in natura, quam ſimilitudinis; tamen non ſequitur, quod illa ſimilitudo non ſit identitas: quia non eſt ſimilitudo ſtricta fundata in ſolo prædicato prædicabili in quale quid, ſed eſt fundata in ſola natura ſpecifica, quæ prædicabilis eſt de illis in quid.

*Aduertendum autem hic*, quod quando dicuntur habere ſolam vnitatem ſimilitudinis, id non intelligendum ſit de ſimilitudine formali, quæ ſit reſpectus, ſed de ſimilitudine fundamentali; vnde concedi poteſt, quod ſimilitudo formalis ipſorum ſit fundata in vnitate, tanquam in ratione fundandi.

Probabile eſt inter producens & productum non dari alias relationes præter actionem & paſſionem.

64. *Secunda ſpecies* eſt earum, quæ intercedunt inter producens, & productum, & hæ dicuntur fundari in actione & paſſione, vel quia actio & paſſio ſunt rationes fundandi ipſas, vt volunt aliqui, vel quia ſunt conditiones neceſſario requiſitæ, vt volunt alij. Sed, vt verum fatear, non exiſtimo inter producens & productum dari aliquam relationem diſtinctam ab ipſa actione productiua & paſſione ipſi in producto correſpondente. Adducor ad hoc ſentiendum duabus potiſſimum rationibus. *Prima* eſt, quod nulla poſſit aſſignari neceſſitas alterius alicuius relationis, præter ipſam generationem, ſeu productionem actualem: omnis enim denominatio, quam habet producens ad productum, verbi gratia pater ad filium, poteſt prouenire ab ipſa generatione actuali.

*Dices* aliquem eſſe patrem actu, tum quando non exiſtit generatio actualis ipſius, aut vllus influxus in filium: ergo illa denominatio patris non poteſt prouenire formaliter à generatione actuali. Probatur conſequentia, quia ſi proueniret ab ipſa formaliter, non poſſet eſſe actu pater, quin eſſet iſta generatio actu.

*Reſpondeo* diſtinguendo antecedens: ſi per eſſe actu patrem intelligitur eſſe habentem paternitatem actu, nego, quia non poteſt aſſignari vlla neceſſitas ponendi vllam paternitatem actu in ipſo, nec eſt vlla ratio per quam illud colligatur; ſi per eſſe patrem actu intelligitur eſſe illud indiuiduum actu, quod generauit aliud indiuiduum, ſiue ſit ipſius paternitas actu, ſiue non, concedo antecedens, & ſimiliter diſtinguo conſequens; ſi intelligatur primo modo, nego; ſi ſecundo modo, concedo. Itaque eſſe patrem non eſt aliud, quam eſſe illum hominem actu qui generat, vel generauit filium.

65. *Dices*: ſi nihil aliud eſt eſſe patrem actu, quam eſſe actu illam ſubſtantiam viuentem, quæ producit aliam ſubſtantiam viuentem in ſimilitudinem naturæ, aliquis eſſet pater actu, quamuis non haberet actu filios, quod eſt contra communem modum dicendi omnium fere.

*Reſpondeo primò*, quamuis hoc totum concederetur, nihil inde ſequi abſurdi: communis enim ille modus loquendi fundatur in illa ſententia, quod detur paternitas diſtincta à generatione: à qua ſententia, qui recedit, debet etiam recedere à communi illo dicendi modo.

*Reſpondeo ſecundò* negando ſequelam, quia illa generatio præterita non denominat hominem patrem, niſi dum exiſtit filius. Et ſi petatur vnde hoc colligatur, reſpondeo quod ex illo communi modo loquendi.

*Confirmatur*, quia ſi velit aliquis explicare quid ſit eſſe patrem, non poteſt id aliter explicare, quam dicendo quod ſit ille, qui generauit filium: ergo ſignum eſt quod paternitas nihil aliud ſit, quam iſta generatio filij.

*Secunda ratio*, quæ me mouet, eſt quod paternitas in diuinis ſit ipſamet generatio actualis filij æterni: ergo paternitas creata eſt ipſamet generatio filij creati. Probatur conſequentia, quia vna ex præcipuis rationibus, quibus probatur relationes dari in creaturis, & maxime paternitatem, eſt quod detur relatio paternitatis in diuinis: ergo quandoquidem paternitas diuina non ſit diſtincta à generatione, debet dici quod etiam paternitas creata non ſit diſtincta à generatione ſaltem realiter.

66. *Obiicies*, Philoſophus numerat relationes producentis ad productum inter relationes intrinſecus aduenientes: ſed ſi non diſtinguerentur à generationibus, hoc eſſet falſum, quia eſſent extrinſecus aduenientes, ſicut generationes illæ.

*Confirmatur*; quia *Scotus* tenet etiam dari relationem intrinſecus aduenientem inter producens & productum.

*Reſpondeo primò*, valde probabile eſſe, quod quamuis Philoſophus, dum ageret de relatione intrinſecus aduenient, agat etiam de relationibus producentis ad productum, non tamen ſenſerit illas eſſe intrinſecus aduenientes, aut pertinere per ſe ad prædicamentum tertium Ad aliquid. Et iuxta hoc dicendum eſſet quod tres ſpecies, quas aſſignauit, non ſint tres ſpecies relationis intrinſecus aduenientis; & ita multi authores explicant illum. Quod ſi poſuerit illas tanquam ſpecies relationis intrinſecus aduenientis, dicendum eſt quod hoc non fecerit, quaſi ita ipſemet ſenſerit, ſed quod ita communiter reputabatur; nec eſt mirum quod ita explicetur, quia ſicut poſuit tanquam ſpecies quantitatis aliquas, quæ reuera non ſunt ſpecies eius, propterea quod communiter reputarentur eſſe ſpecies eius, quid mirum eſt ſi ita feciſſe dicatur de relationibus?

*Ad confirmationem dico, Scotum* non ita ex propoſito tenuiſſe, ſed ſuppoſuiſſe id cum Philoſopho, ſiue ita eſſet, ſiue non. Cui non placet hoc, ſatisfaciat meis rationibus, & teneat oppoſitum, præſertim propter authoritatem Philoſophi & Scoti.

67. *Obiicies*

67. *Obiicies secundò* : hæ relationes dicuntur fundari in actione & passione: ergo distinguuntur ab illis. *Respondeo* distinguendo antecedens: si dentur, concedo ; si non dentur, nego.

An actio & passio sint rationes fundandi relationes secundi generis.

*Et si queras* ex suppositione quod dentur, an actio & passio sint rationes fundandi ipsas, an vero conditiones sine quibus non. *Respondeo* probabile esse quod sint tantum conditiones sine quibus non, quia videtur quod relatio realis requirens rationem fundandi, non possit esse sine ratione fundandi actu existente: sed paternitas, si esset distincta à generatione, daretur actu, generatione non existente : ergo non habet pro ratione fundandi generationem, sed tantum pro conditione sine qua non; ratio autem fundandi ipsam erit potentia generativa. Quod si tamen aliquis vellet dicere, quod omnis relatio non petat habere rationem fundandi actu existentem vt sic, difficulter posset impugnari: quare altera sententia, quæ tenet actionem esse rationem fundandi has relationes, satis est probabilis.

Tertium genus relationum.

68. *Tertia species* relationum est illarum, quæ non sunt mutuæ, id est quæ non habent correlationes à se distinctas; & huiusmodi sunt relationes scientiæ ad scibile, seu ad id, quod scitur: quamuis enim scientia dicatur per aliquid sibi intrinsecum actualis scientia alicuius obiecti, & esse illud, quo actualiter intellectus denominatur cognoscens ; tamen obiectum non dicitur esse scitum aut cognitum per aliquid sibi intrinsecum, sed solum habet esse cognitum per hoc, quod terminet scientiam, & propterea cognoscens dicitur habere relationem ad cognitū, cognitum autem non dicitur habere relationem aliam ad cognoscentem præsertim, quæ sit realis. Huiusmodi autem relationes, non mutuæ, vocantur relationes mensurabilis ad mensuram, propterea quod obiecta, quæ sunt earum termini, mensurant nobis perfectionem actuum, ad quos sequuntur huiusmodi relationes: ex eo enim quod actus potentiæ intellectiuæ possit versari circa. Deum, & actus potentiæ visiuæ non possit, colligo actus potentiæ intellectiuæ esse perfectiores quam potentiæ visiuæ, & propterea obiecta istorum actuum mensurant, id est, certificant nobis perfectionem istorum actuum. Quod vniuersaliter est verum, quoties ex alio capite non occurret aliqua alia ratio aliunde desumpta, ex qua possit colligi oppositum, de quo suo loco.

Relationes tertii generis sunt transcendentales probabiliter.

69. *Sed si quæratur*, vnde colligatur quod detur aliqua relatio realiter distincta ab ipsa scientia, qua referatur sciens seu cognoscens ad rem scitam seu cognitam, *reuera difficiliter poterit assignari*. Quare non improbabiliter tenetur ab aliquibus, huiusmodi relationes tertii generis esse transcendentales, & non prædicamentales. Atistoteles autem, qui eas videtur, vt prædicamentales, numerare, exponendus esset, vt supra. Si cui tamen magis communis opinio placet, dicat colligi posse distinctionem relationum huiusmodi ab actibus, ad quos sequuntur, quia posset esse scientia in aliquo intellectu sine eo quod intellectus intelligeret illud obiectum ; vt si Deus destrueret obiectum & speciem eius, conseruata scientia, tunc enim certum est quod intellectus non cognosceret nec sciret illud obiectum, quamuis non haberet scientiam illius, sed si relatio tendentiæ actualis ad obiectum esset realiter identificata scientiæ, hoc non posset facere: ergo signum est quod illa relatio distinguatur realiter ab actu scientiæ.

*Et si quæratur*, vnde colligitur quod Deus destructo obiecto & specie eius, possit conseruare scientiam in intellectu. *Respondeo*, ex eo quod quandoquidem scientia sit quid absolutum, pertinet enim secundum omnes ad prædicamentum qualitatis, non apparet ratio tam necessariæ connexionis inter ipsam, & obiectum, vt Deus non posset illa conseruare sine se inuicem : sed de hoc etiam agemus alias in libris de anima, Deo volente.

70. *Obiicies primò* contra hunc tertium modum: obiectum est causa scientiæ: ergo referuntur ad se inuicem per relationes secundi generis : ergo non per relationes tertii generis.

*Respondeo*, negando consequentiam, possunt enim aliqua referri ad se inuicem per diuersas specie relationes, vt patet in patre & filio, qui referuntur ad se per relationem similitudinis & productionis.

*Obiicies secundò* : relationes creaturæ ad Deum sunt non mutuæ, & tamen non sunt tertij generis, sed potius secundi generis.

*Respondeo*, relationes creaturæ ad Deum non esse prædicamentales, & consequenter non esse vllius generis relationum prædicamentalium. *Deinde* respondeo creaturas, si referrentur ad Deum vlla relatione prædicamentali, etiam referri per relationem tertij generis, & non solum secūdi generis aut primi: tum tamen dicendum esset quod non omnis relatio non mutua esset tertij generis, sed solum relationes non mutuæ mensurabilis ad mensuram.

## QVÆSTIO V.

### *A quo sumat relatio suam specificationem.*

Specificatio relationis adequate sumenda est ex fundamento & termino.

71. NOn quæritur, à quo formaliter, & intrinsece sumat specificationem, quia certum est, quod omnis relatio sic sumat specificationem à sua differentia specifica, in ipsa essentialiter & intrinsece inclusa, sicut homo sumit specificationem suam à rationalitate. Sed quæritur, vnde sumat, specificationem suam extrinsecam, hoc est dicere, vnde nos colligamus vnam relationem esse distinctam specie ab alia relatione: nam cum essentiam relationis non videamus in se, oportet vt habeamus aliqua indicia, vnde colligamus vnam esse distincta specie ab altera.

Hac de re *Complutenses* enumerant tres diuersas *Thomistarum* sententias. *Prima* asserit sumi specificationem relationis à fundamento & ratione fundandi, non vero à termino : ita *Flandria, Nazar. Caiet. Bagnes.*

*Secunda* sententia tenet specificari adæquate à solo termino, & non à fundamento : sic *Soncinas Arauxo*, & alij.

*Tertia* denique est media, dicitque relationem specificari tum ex termino, tum ex fundamento, non secundum rationes materiales, sed secundum rationes fundandi & terminandi. Hanc præferunt ipsimet *Complutenses*, & pro ea citant multos authores, & est sine dubio *Scoti in 2. dist. 1. quæst. 5. & in 4. dist. 12. quæst. 1.*

## CONCLVSIO I.

71. *Specificatio relationis adæquate sumenda est ex fundamento & termino proximo ac formali ita, vt quotiescunque aliquæ relationes habent fundamenta, & terminos formales eiusdem rationis, possit optime colligi quod relationes sint eiusdem rationis.* Intelligo autem per fundamentum proximum & formale illam formam vel formalitatem, ratione cuius ad rem, quæ per relationem refertur, sequitur relatio seu conuenit ipsi : & per terminum formalem proximum intelligo ipsammet formam seu formalitatem, ratione cuius conuenit rei, quæ terminat relationem, ipsam terminare ; verbi gratia, quia similitudo parietis albi ad alium parietem album conuenit illi parieti ratione albedinis, propterea albedo est fundamentum formale & proximum, seu quod idem est, ratio fundandi istam similitudinem, & quia albedo existens in altero pariete est ratio, ob quam terminat illam similitudinem, propterea vocatur terminus formalis & proximus istius relationis, & ratio terminandi ipsam. Similiter, quia animalitas hominis est ratio, cur homo dicat similitudinem essentialem ad brutum, & animalitas bruti est ratio, cur terminat illa similitudinem, animalitas hominis est fundamentum formale, & animalitas bruti terminus formalis istius similitudinis.

*Hoc supposito patet conclusio*, quia non potest colligi, vnde haberent relationes conuenientes in fundamento proximo & termino formali distinctionem specificam: ergo debet dici quod habeant adæquate suam specificationem ex fundamento huiusmodi & termino,

*Confirmatur*, quia si essent aliquæ relationes, quæ conuenirent in solo fundamento, aut in solo termino : eo ipso colligerentur esse distinctæ speciei, quia vna respiceret essentialiter aliquid, quod non respiceretur ab altero: verbi gratia dissimilitudo albi ad nigrū, & similitudo albi ad

album distinguuntur specie, quia licet conueniant in fundamento formali, v.g. in albedine, vna tamen respicit essentialiter nigrum, & altera ipsum non respicit, sed aliud album. *Deinde* à patitate rationis, si essent duæ relationes, quæ respicerent eundem terminum formalem, verbi gratia albedinem (vt similitudo albi ad album, & dissimilitudo nigri ad album respiciunt albedinem istius albi, ad quod referunt sua subiecta) quamuis conuenirent in termino formali, seu in ratione formali terminatiua, tamen quia vna ex ipsis respicit essentialiter albedinem in fundamento, quod refertur, quam albedinem non respicit altera, nimirum dissimilitudo, sed potius nigredinem; hinc optimè colligitur quod distinguantur specie.

## CONCLVSIO II.

Potest specificatio relationis desumi vel à solo termino, vel à solo fundamento in aliquo sensu.

73. *Specificatio relationum potest desumi vel à termino formali solo, vel à fundamento formali solo in hoc sensu, quod eo ipso, quod aliqua relatio habeat terminum formalem distinctæ rationis a termino formali alterius rationis, colligi debeat quod vtraque relatio sit distinctæ rationis, non recurrendo ad fundamentum; & eo ipso quo aliqua relatio habet fundamentum proximum distinctæ rationis à fundamento proximo alterius relationis, vtraque relatio debeat dici esse distinctæ speciei.*

*Probatur*, quia si non posset colligi quod duæ relationes sint eiusdem rationis, nisi cognoscantur conuenire in fundamento & termino, vt diximus conclusione præcedenti, sequitur manifestè sufficere vel diuersitatem solius fundamenti, vel solius termini ad diuersitatem relationum.

*Probatur secundò*, quia eo ipso quo aliquid respicit essentialiter aliquid distinctæ rationis, quod non respicitur ab alio, debet necessariò esse distinctæ rationis ab illo; si enim essent eiusdem rationis, ab vtroque respiceretur, vt videtur manifestum: sed ex relationibus habentibus fundamenta proxima distinctæ rationis vna respicit aliquid essentialiter, quod non respicitur ab altera, & idem est de relationibus respicientibus diuersos terminos: ergo eo ipso quo habent diuersa specie fundamenta, aut diuersos specie terminos, erunt distinctæ rationis, quamuis in cæteris conuenirent.

74. *Obiicies contra primam conclusionem*: relatio, quam dicit causa ad calorem instantaneè productum, & relatio quam dicit ad eundem successiuè productum, sunt distinctæ rationis, & tamen terminus formalis & fundamentum formale sunt eiusdem rationis: ergo vnitas specifica relationum non desumitur adæquate ex fundamento & termino, modo explicato in prima conclusione. Simile argumentum potest fieri de relatione, quam dicit causa ad effectum libere productum, & eundem vel similem effectum naturaliter productum.

*Respondeo*; si istæ relationes sunt distinctæ speciei, vt supponitur, negando consequentiam, quia terminus formalis relationis, quam dicit causa ad calorem instantanee productum, non est calor quomodocumque, sed calor quoad partes omnes simul existentes cum ordine ad non esse immediate præcedens in qualibet parte ex illo pro vno instanti; terminus verò relationis, quam dicit causa ad calorem successiue productum, non est calor quomodocumque, sed calor constans partibus, quæ simul non producuntur, & de quorum qualibet non est verum dicere pro vno vllo instanti, quod immediate præcesserit non esse ipsius.

*Similiter* respectus, quem dicit causa ad effectum libere productum, habet pro fundamento proximo potentiam liberam; respectus autem, quem dicit causa ad effectum naturaliter productum, habet pro fundamento potentiam naturaliter productiuam; quæ duæ potentiæ sunt distinctæ rationis: vnde illi duo respectus, quidquid sit an conueniant in termino, non conueniunt in fundamento.

Dixi initio huius responsionis, *si respectus seu relationes illæ sint diuersæ rationis*, quia fortassis productio instantanea, & productio successiua eiusdem caloris sunt eiusdem rationis intrinsecæ, & solũ accidentaliter distinctæ, per hoc scilicet, quod vna productio, nimirum instantanea, integretur ex pluribus productionibus partialibus simul habentibus primum sui esse: altera vero integretur ex pluribus productionibus non habentibus simul primum sui esse. Vnde eodem modo videntur distingui, quo plures homines successiue producti, & plures homines simul producti; certum autem videtur quod inter illos homines non sit nisi distinctio accidentalis. Hoc tamen parum facit ad præsens.

75. *Obiicies secundo contra vtramque conclusionem*: relatio sumit suam specificationem à solo fundamento: ergo terminus nihil facit nec ad vnitatem duarum relationum, & sic falsa est prima conclusio; nec ad distinctionem duarum relationum, & sic falsa est secunda conclusio. Probatur antecedens, quia quod dat esse, dat specificationem: sed fundamentum solum dat esse rei: ergo dat ipsi specificationem.

*Respondeo* negando antecedens, ad cuius probationem distinguo maiorem: quod dat esse, dat specificationem, hoc est dat ipsi prædicata sua intrinseca, & essentialia, concedo maiorem; impossibile est enim quod det esse, non dando illa, ex quibus constituitur illud esse: quod dat esse dat specificationem sic, vt ex illo solo debeat colligi quod illa res, cui dat esse, sit talis vel talis speciei distinctæ ab omnibus aliis rebus, nego maiorem: nam Deus dat esse omnibus rebus, & posset se solo producere omnia absoluta, aut saltem plurima absoluta distinctæ rationis, quorum tamen distinctio specifica non potest colligi per ordinem ad Deum, vt manifestum est. *Similiter* vna causa creata potest dare esse pluribus effectibus distinctæ rationis, quorum distinctio non potest colligi per ordinem ad illã causam, vnde ista causa non potest specificare illas res sic, vt ex ea possit colligi ipsorum distinctio, quamuis det ipsis suum esse, & speciem. *Rursus* ex risu prouenient ab aliquo & non potente prouenire ab alio, colligo optime illud, à quo prouenit, esse distinctæ speciei ab illo alio, à quo non potest prouenire, & specificat propterea illam rem, à qua prouenit, & tamen risus non dat esse in vllo genere causæ, proprie loquendo, ipsimet homini, verbi gratia à quo prouenit, sed potius recipit esse ab homine: ergo non omne quod specificat rem, debet dare esse proprie loquendo rei, quam specificat, & consequenter quamuis terminus non daret esse relationi, proprie loquendo, adhuc posset specificare ipsam.

Quomodo dans esse dat specificationẽ.

76. Quod si velit aliquis dicere quod quidquid specificat aliquam rem, det ipsi speciem & esse aliquo modo, quia dare speciẽ aliquo modo potest esse deducere in cognitionem, quod res sit talis vel talis speciei, erit quæstio de nomine; & id admittendo, negari debet minor, nempe quod solum fundamentum det esse & speciem relationi in hoc sensu: nam ex probationibus nostris patet, quod ex termino etiam colligatur non minus quam ex fundamento, relationem esse talis vel talis speciei.

Itaque vno verbo, quando dicitur, quod illud solum det specificationem, seu deducat in cognitionem quod res sit talis vel talis speciei, quod dat esse; si intelligatur hoc de dare esse proprie in genere efficientis, aut materialis, aut formalis intrinsecæ, aut finalis, falsum est; si vero intelligatur quod illud solum det specificationem, quod dat esse, quatenus per ordinem ad ipsum potest cognosci quod res sit talis vel talis speciei, verissimum est, sed non præiudicat nobis: quia non solum fundamentum dat esse hoc modo, sed etiam terminus; nec solum terminus, sed etiam fundamentum.

77. *Obiicies tertiò contra vtramque conclusionem*: totum esse relationis est ad aliud se habere, quod est ad terminum: ergo solus terminus potest specificare, & nullo modo fundamentum, nec partialiter, nec totaliter.

*Respondeo* distinguendo antecedens; totum esse ipsius est ad aliud ita, vt nihil respiciat essentialiter præter terminũ, nego antecedens: quia certum est quod essentialiter fundamẽtum respiciat sic, vt nõ possit esse sine ipso magis quam sine termino: ita vt nullum effectum tribuat fundamento, quam referre ipsum ad terminum, concedo antecedens; & nego consequentiam: quia hoc non obstante potest accipere specificationem ab ipso fundamento, quan

Quomodo totum esse relationis est ad aliud se habere.

quandoquidem essentialiter ordinetur ad referendum ipsum terminum sic, vt non possit ex natura sua referre aliud fundamentum distinctæ rationis ad eundem terminum, nec ad alium.

Pro complemento huius quæstionis *aduertendum*; quod quando dicimus posse colligi distinctionem relationũ ex terminis, non sit sensus, quod vna & eadem relatio non possit habere plures terminos distinctissimę rationis: nam, vt alias dicemus, quotiescumque fundamẽtum ita se haberet, vt non posset referri ad vnum terminum, quin necessario deberet referri ad alterũ, nec è contra, posset vnica relatione reali referri ad vtrumque. Vnde sensus est, quod quotiescumque aliqua vna relatio realiter distincta ab alia relatione habet terminum distinctæ speciei ab alio termino, oporteat istas relationes distingui specie, & quod distinctio specifica ipsorũ possit colligi ex terminis.

## QVÆSTIO VI.

### *Vtrum multiplicatis numero terminis multiplicentur numero relationes.*

Relationes subiectatæ in diuersis numero subiectis distinguũtur numero.

78. *Ostendimus* quæstione præcedenti, quomodo possimus colligere, quænam relationes ex illis, quæ realiter distinguuntur inter se comparatæ, sint eiusdem vel diuersæ speciei: nunc ostendere conabimur, quæ nam relationes inter se numero distinguimur. Et in primis supponunt omnes, relationes reales simplices, quæ subiectantur in diuersis numero subiectis, esse diuersas numero, quia naturaliter idem numero accidens nequit esse simul in diuersis subiectis: & quamuis ex accidentibus absolutis plurima saltem possint esse, successiue quidem sine dubio; simul autem probabiliter, vt diximus supra de potentia Dei absoluta in subiectis diuersis; tamen accidentia relatiua, quæ seipsis inhærent subiectis suis, & sunt essentialiter actuales determinationes eorum, nequeunt esse nec successiue, nec simul etiam de potentia absoluta in pluribus subiectis. Vnde patet, quod eo ipso, quo cognoscimus hoc numero album habere similitudinem ad aliud album, & aliud album habere similitudinem ad idem album, possimus colligere, illas duas similitudines esse distinctas numero: quare diuersitas fundamenti se solo sufficit ad colligendam distinctionem numericam relationum in illis diuersis fundamentis subiectarum.

*Supponunt* præterea omnes, idem reale fundamentum posse fundare plures relationes distinctas numero, & distinctæ etiam speciei, ad diuersos scilicet specie terminos; idem enim album refertur per similitudinem ad vnum album, & per dissimilitudinem ad nigrum: & istæ duæ relationes similitudinis & dissimilitudinis, sicut sũt distinctæ speciei, ita sunt secundum omnes distinctæ numero: & hinc ad colligendũ, aliquas duas relationes esse distinctas numero, non requiritur quod cognoscantur esse in diuersis subiectis; nec ad colligendum quod sint eadem numero, sufficit quod colligantur esse in eodem subiecto.

79. *Difficultas ergo est*, an quando subiectum idem refertur ad terminos plures eiusdem rationis, vt vnum album ad plura alba, vnus pater ad plures filios, sit eadem numero relatio, qua refertur ad omnes; an vero tot sint relationes distinctę numero in ipso, quot sunt termini distincti numero, ad quos refertur: si enim sint tot numero relationes, quot termini, multiplicatis terminis, multiplicantur numero relationes in eodem fundamento, & non poterit ex vnitate fundamenti colligi vnitas numerica relationum eiusdem etiam speciei, sicut non potest colligi ex vnitate eius vnitas numerica relationũ distinctæ speciei. Si vero non sint tot numero relationes, sed vnica tantum, qua refertur ad omnes, tum non multiplicabuntur relationes in eodem fundamento ad multiplicationem terminorum, & ex identitate fundamenti colligi poterit identitas relationum eiusdem speciei, vt patet.

80. *Prima sententia* tenet non multiplicari relationes ad multiplicationem terminorum eiusdem speciei, & colligi propterea vnitatem numericam relationum eiusdem speciei, verbi gratia similitudinum ad plura alba, & paternitatem ad plures filios ex vnitate fundamenti. Hanc tenet *D. Thomas tertia distinct. 8. quæst. 1. & 3. part. quæst. 35. art. 5.* quem sequuntur *Thomistæ* communiter, *Caietanus, Medina, Capreolus, Ferrar.* quos citat & sequitur Cursus *Complutensis diss. 14. quæst. 7. §. 4. Toletus hic q. 2. Ruuius q. 8. Ioannes à Sancto Thoma q. 17. art. 6. & alij.*

*Secunda sententia* extreme opposita est, ad multiplicationem terminorum multiplicari in eodem fundamento relationes, quibus refertur ad illos terminos. Ita *Scotus in 3. dist. 8. quæst. vn. quodl. 11. & 5. Met. qu. 7.* quem præter suos omnes sequuntur *Suar. 5. sect. 8. Fonseca ibid. c. 10. q. 1. sect. 3. Molina 1. par. q. 1. art. 2. Amicus hic tract. q. 7. dub. 8. art. 2.*

*Tertia sententia* media est, quandocumque fundamentum ita refertur ad plures terminos, ad quorum vnum nequit referri, quin referatur ad aliquos, non multiplicari in ipso relationes numero distinctas realiter ad illos terminos, sed vnica numero reali relatione ipsum referri ad illos terminos, sed quando refertur ad plures terminos, ad ad quorum vnum potest actu referri, quin ad cæteros actu referatur, tum multiplicari in ipso relationes pro multiplicatione terminorum.

*Hæc videtur* mihi non esse vllo modo contra authores secundæ sententiæ; nam quamuis dicant absolute relationes distingui, ad distinctionem terminorum, tamen sine dubio intelligendi sunt de relationibus illis, de quibus exemplificabant suam doctrinam, & similibus, non autem de aliis diuersæ rationis; sed istæ relationes sunt relationes, quibus refertur fundamentum ad terminos, ad quorum singulos actu referri possit, quin ad alios referri debeat actu: & in hoc sensu habebant controuersiam cum *D. Thoma*, qui negabat plures relationes etiam ad tales terminos, vt plures similitudines in vno albo ad plura alba, & plures paternitates ad plures filios in eodem patre: ergo de huiusmodi relationibus intelligendi sunt, & non de relationibus, quibus refertur fundamentum ad plures terminos, ad quorum vnum non possunt referri, quin necessario debeat referri ad reliquos. Adde esse expresse sententiam *Amici* supra.

## CONCLVSIO I.

Quando nequit subiectum referri ad vnum terminum, quin referatur ad alterum, vnica relatio sufficit.

81. *Quando subiectum refertur ad plures terminos sic, vt non possit referri ad vnum, quin referatur ad reliquos, non multiplicantur in ipso relationes reales numero ad multiplicationem terminum, sed a vnica relatione reali ad omnes refertur.* Hæc est iuxta tertiam sententiam.

*Probatur* autem conclusio breuiter, quia nõ est necessitas multiplicãdi relationes in illo casu; & præterea, quia relatio qua referretur ad vnũ ex ipsis terminis, nõ esset causa relationis, qua referretur ad alterũ, nec è contra, nec esset subiectata in distincto fundamẽto; nec posset esse sine illa altera, aut è contra, vt supponitur: ergo non esset vllũ principiũ colligendi distinctionẽ realẽ ipsarũ. Quæ sane ratio mihi conuincit hanc conclusionẽ. *Adde*; fundamenta conclusionis sequentis nõ posse improbare hanc conclusionem: sed alia non sunt, quibus impugnetur: ergo tenenda est.

*Si quæratur* autem aliquod fundamentum, quo hoc modo referatur ad plures terminos.

*Respondeo* nõ esse necesse, vt nos illud afferamus quia non dicimus dari tale; sed si detur, relationes in ipso non esse multiplicãdas, si tamen effectus dicat relationẽ intrinsecus aduenientẽ ad suas causas, totũ physicũ quod distinguitur realiter à suis partibus in sententia Scotistarũ cõmuniori, dicet vnicã relationem ad partes intrinsecas & essentiales v. g. materiam & formam; & idem est de intellectione producta per intellectum & speciem, non enim dicit necessario duas relationes numero distinctas ad illa duo.

Multiplicatis terminis ad quotcumque vnum pertes refertur fundamentum, quin referatur ad alios multiplicatur relatio.

Aliud exemplum potest afferri de dissimilitudine quã habet similitudo parietes albi cum alio albo ad vtrũq; albũ, neq; enim habet duas dissimilitudines ad illa; sed vnã, siue illa vna sit realiter distincta, siue non ab illa similitudine.

## CONCLVSIO II.

82. *Multiplicatis terminis, qui possunt esse sine se inuicem, multiplicantur numero relationes.* Hæc est authorum secundæ & tertiæ sententiæ contra primam sententiam.

*Probatur primò*, quia falsum est fundamentum aduersariorum, nempe accidentia indiuiduari per subiectum, vt supra ostendimus.

*Deinde*

*Deinde*, quamuis esset verum, non sequeretur ipsorum intentum nimirum plura accidentia eiusdem speciei non posse esse in eodē subiecto: sicut enim plura accidentia diuersæ speciei, quamuis indiuiduentur secundum ipsos per sua subiecta, possunt esse in eodem subiecto: quare non possent esse plura accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto, quamuis indiuiduarentur ab ipso?

*Præterea*, quamuis albedines indiuiduarentur à subiecto secundum ipsos, tamen plures albedines successiuæ possunt esse in eodem subiecto: ergo nulla est ratio cur plures relationes, quamuis indiuiduarentur à subiecto, non possent esse simul in eodem subiecto. *Probatur* consequentia, quia si indiuiduatio à subiecto prohiberet ne plura accidentia eiusdem rationis simul essent in eodem subiecto, prohiberet etiam ne successiue essent in ipso.

*Denique*, quamuis plura accidentia eiusdem omnino rationis non possint esse naturaliter in eodem subiecto, quia scilicet superflueret vnū ex ipsis, tamen quoties est inter accidētia aliqua diuersitas sic, vt munus vnius nō expleatur per alterum, non potest esse dubium, quin possit esse in eodem subiecto etiam naturaliter; sed sic contingit in nostro proposito; nam est tanta diuersitas inter duas paternitates, aut similitudines, vt vna sit nata respicere vnum terminum, altera alterum sic, vt vna non possit alterius vicem supplere: ergo bene poterunt esse simul in eodem subiecto, etiam naturaliter.

83. *Probatur secundò*: quando producitur de nouo vnum albū, in albo prius existente, resultat relatio similitudinis ad ipsum, tāquam ad terminum: ergo quando producitur aliud albū, resultabit alia relatio similitudinis ad alterum illud album tanquam ad terminum. Probatur cōsequentia, quia non est maior ratio quare resultaret relatio ad positionem primi albi, quam ad positionem alterius albi.

*Dicunt*, esse maiorem rationem, quia quando ponitur primum albū, nisi resultaret relatio, non esset forma, à qua denominaretur albū præexistens simile, & consequenter debet tum necessariò resultare relatio; sed posito secundo albo esset forma, à qua denominaretur simile illi, nimirum illa similitudo, quæ resultabat ad positionem primi albi.

*Contra primò*: quia colligitur non fuisse formam, qua referretur ad primū album, nisi resultaret relatio, ex eo, quod non posset habere denominationem nouam intrinsecā sine forma noua intrinsece recepta: sed ex hoc ipso colligitur non esse formam, à qua referretur ad secundū album, nisi resultaret noua relatio: ergo responsio nulla. Probatur minor, quia de nouo est similis intrinsece secūdo albo: ergo si non potest esse denominatio noua intrinseca sine noua forma, nisi resultet noua relatio ad secundum album, non erit forma, à qua denominaretur simile secundo albo.

*Contra secundò*, quia similitudo non potest referri nisi ad suum terminū: sed secundum album non est terminus similitudinis terminatæ ad primū album: ergo illa similitudo non est forma potens referre ad secundū album. Probatur minor, quia relatio intrinsecus aduenies non potest esse sine suo termino: sed illa similitudo, vt patet, erat sine secundo albo: ergo secundū album nō est terminus ipsius.

*Confirmatur hoc*, quia relatio dependet essentialiter à termino: ergo quandoquidem relatio similitudinis ad primum album fuerit ante secundum album, sequitur quod non dependeat à secundo albo, & consequenter quod non habeat secundum album pro termino.

84. *Respondet Ioānes à S. Thoma*, relationē dependere per se à termino formali, nō tamē à termino materiali; vnde licet multiplicētur termini materialiter, tamen si formaliter nō multiplicētur, manebit eadē relatio. In proposito autē plures filij habēt rationē vnius termini formalis, licet sint plures termini materialiter. Exēplificat hāc doctrinā in lapide tracto à pluribus; nā dicit solā vnā relationē ad illos plures, quia licet sint plures materialiter, formaliter tamen sūt vnus terminus adequatus istius relationis: & quemadmodū lapis ille tractus à decē hominibus, & respiciēs illos, vt vnū trahēte, posset eadē relatione respicere viginti, si à viginti traheretur, quia illa multiplicatio est multiplicatio materialis, & nō formalis termini; ita licet possit vna paternitas sufficiēter terminari ad vnū filiū, tamē potest terminari etiā ad viginti, quia illi viginti cōuenirēt in vna ratione termini formalis, & solū materialiter essent distincti.

*Contra hanc doctrinā sic arguo*: in primo filio est vna ratio sufficiens ad terminandā istam relationem non solū materialiter, sed formaliter, & actu terminat ipsā sufficienter: sed in secundo filio sunt æquales rationes tam materiales, quàm formales ad terminandā relationem talem: ergo in casu nostro non solū multiplicantur termini materialiter, sed formaliter, quandoquidem sit alia & alia numero distincta ratio terminandi in vtroq; filio, quarū quælibet, si seorsim poneretur, terminaret relationem. Ad aliud autem exemplum de lapide tracto à pluribus, dico non esse vllo modo simile, quia quando plures trahunt, vnus adæquatè non trahit, sed partialiter tantum; vnde per tractionē partialē cuiusq; non traheretur lapis tali tractione, quali trahitur à pluribus, hoc est tam cito aut velociter; imò fortassis vnus solus nō posset trahere vlla ratione lapidē: sed in casu nostro vnus solus filius adæquate terminaret filiationē independēter ab vllo alio: ergo nō est idē dicendum in vtroq; casu. *Deinde* falsū est quod eadē tractione traheretur lapis à decē & à viginti: si enim eadē tractione traheretur ab ipsis, nō posset trahi ab illis decē, quin traheretur à viginti, præsertim si existerēt isti viginti, quod est absurdū.

85. *Respondent alij* relationem dependere à termino adæquato, & sine illo nō posse esse; non tamen dependere à termino inadæquato, & propterea posse esse absque illo; relationē autem similitudinis in albedine habere pro termino adæquato album, vt sic; pro termino vero inadæquato albū in particulari, & propterea licet non possit esse sine albo vt sic, posse esse sine quocūque albo particulari.

*Contra*: quod est terminus adequatus & primarius similitudinis vt sic, nō est termin⁹ adequat⁹ similitudinis in particulari: sed albū vt sic est termin⁹ adequatus similitudinis albi vt sic: ergo nō potest esse terminus adæquatus albi in particulari, & cōsequenter similitudo in particulari debet habere pro termino adequato & primario albū particulare.

*Confirmatur hoc*, quia ille terminus est censendus primarius, & adequatus relationis, quo posito poneretur, & quo non posito nō poneretur: sed non posito albo primo non poneretur illa relatio similitudinis, quāuis poneretur aliud quodcumque albū, & eo posito, nullo alio posito, poneretur: ergo album primū est terminus adæquatus relationis. Probatur minor, quia destructo albo primo, destruitur illa relatio, vt certū est; & si produceretur aliud album ante illud primum, non resultaret illa similitudo numero, sed alia similitudo, vt fatentur aduersarij: ergo posito primo albo ponitur, & non posito non ponitur illa similitudo.

*Dices*, quod nō sequatur illa relatio ad positionē albi particularis, vt particularis est, sed vt includit rationē albi vt sic

*Contra*, quia si hoc esset verum, sequeretur illa relatio ad positionem cuiuscumque albi, quia ratio albi, vt sic, includitur in quocumque albo tam bene, quam in illo albo.

*Probatur tertiò*: quia eodem modo quo defēditur relationem posse referri ad plures terminos numero distinctos, posset defēdi, quod referatur ad plures terminos distinctæ speciei; sed cōsequens est absurdū, vt fatentur aduersarij: ergo & antecedēs. Probatur sequela, quia nullū est principiū colligendi pluralitatem illarū relationū, nisi ob pluralitatem terminorū, & ex eo quod daretur relatio ad vnū terminum ex ipsis, quamuis alter non existeret: sed hoc nihil probaret secundum aduersarios; posset enim dici, quod colligatur distinctio & pluralitas relationū ex pluralitate terminorum primariorum & non secundariorum, & quod isti plures termini non essent termini adæquati & primarij, sed tantum termini inadæquati & secundarij.

*Probatur quartò*: non minus intrinsece denominatur album simile secundo albo, quod producitur, quam primo: sed denominatur simile denominatione totaliter intrinseca respectu primi albi: ergo & respectu secūdi: sed hoc esset falsum in sententia aduersariorū: ergo illa sententia est falsa. Probatur subsumptum, quia denominatio nō debet dici totaliter intrinseca, quæ nō potest haberi ab vlla forma intrinseca, quātumuis ponatur sine hoc quod ponatur aliquod intrinsecū: sed denominatio similis respectu secūdi albi nō habetur ab vlla forma intrinseca posita nisi etiā

pona

ponatur secundū album: ergo non est totaliter intrinseca.

*Confirmatur hoc*, quia probabiliter nulla forma existens in subiecto potest dare nouam denominationē intrinsecam physicam subiecto, nisi aliter se habeat intrinsece respectu illius: sed similitudo, quæ oritur ad positionem primi albi, non aliter se habet intrinsece respectu albi; similis, quando ponitur secundum album: ergo tunc non dat nouam determinationem intrinsecam, & consequenter noua denominatio similis, quam habet album simile ad secundum album, non erit totaliter saltem intrinseca.

87. *Responderi posset* ad hoc, iuxta principia Thomistarum apud *Complutenses hic quæst.* 7. quod licet relatio, qua refertur pater ad primum filium, non posset referre ipsum ad secundum absque noua extensione, bene tamen posset hoc facere mediante extensione, sicut per scientiam habitualem, qua facilitatur quis ad vnam conclusionem, potest facilitari ad alteram mediante extensione eius.

*Contra*, quia, præterquam quod exemplum illud de scientia habituali sit æque difficile & falsum, ac hoc quod dicunt de relatione: præter hoc, inquam, quæro quid sit noua illa extensio? Si sit aliquid reale de nouo aduenies, quandoquidem eo posito referatur pater ad secundum filium, & non posito non referatur nihil impedit, quominus sit relatio noua, & sic habetur intentum.

*Deinde*, quemadmodum pater, qui nō erat ante pater secundi filii, fit de nouo pater eius per illā nouam extensionem, quæ non esset relatio: ita posset dici de nouo pater primi filii per aliquam extensionem, quæ non esset relatio. Si non sit quid reale nouum: ergo manet difficultas argumenti integre.

*Quod si dicatur* esse respectus rationis, prout significant Complutenses. *Contra*, quia nullo intellectu cogitante pater fit de nouo realiter pater secundi filii: ergo non habet esse talis mediante extensione, quæ esset ens rationis, vt est euidens.

88. *Probatur quintò*. plures filii habent plures correlationes ad patrem, scilicet plures filiationes: ergo pater habet plures paternitates ad ipsas. Antecedens conceditur ab aduersariis, & est manifestum, quia vna numero relatio non potest subiectari in subiectis realiter distinctis, præsertim taliter, vt possit remanere destructo quocumq; ex ipsis. Probatur cōsequentia, quia correlationes debent esse simul tempore secundum Philosophum, & omnes: sed si non essent plures paternitates in patre, non essent simul tempore correlationes, nam prius tempore posset esse paternitas vlla vna, quæ esset in patre, quam esset filiatio secundi filii, qui posterius produceretur.

*Dices* correlationes adæquatas esse simul tēpore, non verò correlationes inadęquatas; illas autē filiationes filiorū pluriū nō esse, nisi correlationes inadęquatas paternitatis.

*Contra*, quia paternitas vna est adæquata correlatio vnius filiationis: ergo filiatio vna est adęquata correlatio vnius paternitatis, & consequenter responsio est falsa. *Præterea* contra hanc responsionem faciunt ea, quæ supra diximus in probatione secunda & tertia.

89. *Probatur vltimò*, quia sicut actio est essentialiter modus, per quem aliquid dicitur producere terminum: ita similitudo est essentialiter modus, per quem aliquid refertur vt simile: ergo sicut implicat quod actio sit, & non producatur per eam omnis terminus natus produci per ipsā, ita implicat poni relationem in subiecto, & nō referri subiectum ad omnem terminum, ad quem nata est illa similitudo ipsum referre; ergo similitudo qua refertur paries ad primum albū, non est nata ipsum referre ad secūdū album; quandoquidem possit existere sine secundo albo.

90. *Obiicies primò*: si multiplicarentur similitudines ad multiplicationem terminorum in vno pariete, aut paternitates in vno patre, sequeretur quod vnus paries non esset vnum simile, sed plura similia, & vnus homo plures patres, & non vnus pater: si enim ab vna similitudine paries habet esse vnum simile, quare à duabus similitudinibus non haberet esse duo similia?

*Respondeo* negando consequentiam, quia ad multiplicationem formarum accidentaliū non est necesse vt multiplicentur concreta, vt patet exēplis. Si enim quis haberet plures scientias, Logicam scilicet, Metaphysicam, & Theologiam, non diceretur esse plures scientes, sed vnus sciens; deinde Sol producēs diuersis actionibus, v. g. liquefaciens & obdurans, non dicitur plura agentia, sed vnum agens; & vt maneamus in proposito, paries relatus per similitudinē ad aliū parietē, & per dissimilitudinem ad alium, quamuis, secūdum aduersarios etiam, haberet plures relationes, non diceretur plura relata, sed vnum relatum. Itaque ad probationem dico, quod non ab vna similitudine præcise habeat paries esse vnum simile, sed etiam ex eo quod ipse sit vnus: nam si poneretur vna relatio in pluribus parietibus, essent plura similia, & non vnum tantum simile, & similiter non à pluribus similitudinibus præcise habentur plura similia, sed requiritur necessario pluralitas subiectorum seu fundamentorum.

90. *Obiicies secundò*: Vna numero potentia potest respicere plura obiecta & plures actus: ergo vna relatio potest respicere plures terminos numero distinctos etiam tales, quorum vnum possit respicere non respiciendo alterum.

*Respondeo primò*, hoc argumentum etiam posse vrgeri contra aduersarios, quia si quid valet, æque probat vnam relationem posse referre ad plures terminos distinctæ speciei; nam vna potentia potest tendere in obiecta & actus distinctæ speciei, voluntas enim potest producere amorem & odium, intellectus apprehensionem & iudicium, assensum & dissensum, oculus visionem coloris & nigredinis: ergo si idem sit de relatione & potentia, vna relatio poterit respicere plures specie terminos.

*Respondeo secundò* directe, negando consequentiam. & disparitas est, quod relatio dependeat in esse & conseruari à termino, quem respicit, quia essentia ipsius consistit in actuali determinatione fundamenti ad illum terminum, & consequenter nequit respicere terminum, à quo ita non dependet: sed si respiceret plures terminos, quorum vnum posset respicere actu, non respiciendo actu alterum, non ita dependeret ab omni termino quem respicit, vt pater: ergo nequit respicere tales terminos: potentia verò non dependet nec in fieri, nec in conseruari ab illis actibus, & obiectis, quæ respicit, & propterea non est inconueniens, quod respiciat plura talia.

*Præterea* potentia respicit plura, quatenus est potens producere plures actus, & per illos tendere in obiecta; relatio verò respicit terminos per modum actualis determinationis fundamenti ad illos; facilius autem est fine dubio alicui respicere plura in actu primo per modum potentis, quam in actu secundo per modum facientis aut producentis, vnde fit vt vna res habeat simul potentiam ad cōtradictoria, verbi gratia ad amandum, & non amandum, cum tamen contradictoria non possint esse simul in illo.

Disparitas inter potentiam & relationē quantum ad respiciendum plures terminos.

*Adde ad hæc*, non esse rationes vllas, vnde colligatur quod eadem potentia non possit respicere plures actus, & obiecta, imo experientiam & rationem docere contrarium; esse vero rationes, ex quibus colligatur eandem relationem non posse versari circa plures terminos sic, vt possit actu terminari ad vnum, & non terminari actu ad alterū.

## QVÆSTIO VII.

### *Vtrum relatio terminetur ad absolutum, an ad respectiuum.*

91. NOn quæritur hic, an relatio possit terminari ad aliam relationem; nam in sententia admittente vnam relationē fundari in alia, verbi gratia in paternitate similitudinem ad aliam paternitatem, certum est illam relationē similitudinis terminari ad alteram paternitatē cui paternitas illa, in qua fūdatur ista similitudo, est similis.

Verus ergo sensus huius controuersiæ est, an quando aliqua res refertur relatione ad aliam rem, relatio, qua refertur, terminetur ad correlationem, quæ est in illa alia re, an vero ad ipsam aliam rem, in qua est illa correlatio, secundùm se & rationem illam, secundum quam subiectat istam correlationem; verbi gratia, an relatio similitudinis, qua album refertur ad aliud album, terminetur ad istud aliud album vt album, an vero terminetur ad correlationem similitudinis, quæ est in illo alio albo, aut ad aliud illud album, vt habet istam correlationem. Si terminetur ad fundamentum correlationis secundum se,

vt

vt abstrahit à correlatione, tum relatio terminatur ad absolutū, siue istud fundamentum sit relatio, sine non, quia capimus hic absolutum pro fundamento correlationis; si autem terminetur ad correlationem, seu ad fundamentum quatenus afficitur correlatione formaliter, tū terminabitur ad relatiuum. Hic est verus sensus huius quæstionis, & in hoc sensu.

*Prima sententia* est, quod relatio prædicamentalis omnis terminetur ad relatiuum formaliter. Hanc tenet *Diuus Thomas* 1. *par. quæst.* 13. *art.* 7. & cum eo, *Caietanus, Bagnes, Nazarius, Zumel, Flandria, Arauxo, Sanches*, quos citant & sequuntur *Complutenses hic quæst.* 6. qui addunt eam esse procul dubio Aristotelis, & congruentiorem Christianæ Philosophiæ ac Theologiæ, inuitantes scilicet, hoc speciosō encomio ad eam amplectendam, quos rationibus adducere nequeunt.

*Secunda sententia* est omnem relationem terminari ad absolutum, & non ad relatiuum formaliter. Ita *Scotus in* 1. *dist.* 26. *quæst.* 1. *& distinct.* 30. *quæst.* 1. ac eius discipuli, quos sequuntur *Vasques* 1. *par. disputat.* 159. *cap.* 6. *Suar. disput.* 47. *Met. sect.* 16. *Hurtad. disput.* 15. *sect.* 7. *Ogna, Lorinus, Valbius*, & ex Thomistis *Capreolus, Soncinas, Sotus.*

*Tertia sententia* distinguit inter relationes prædicamentales mutuas, & non mutuas, & asserit non mutuas terminari ad absolutum, & non ad relatiuum, quandoquidem non sit relatio in termino, ad quam referantur, dicit autem mutuas relationes terminari ad relatiuum, & non ad absolutum. Ita *Ferrar.* 2. *contra gentes c* 11. *Masf. hic quæst.* 3. *Gallego contr.* 29. *Ruuius quæst.* 7. *Vallius* 2. *par. quæst.* 13. *& Fonseca.*

## CONCLVSIO I.

Relationes mutuæ terminantur ad absolutum,

93. *Relationes non mutuæ, id est quæ non habent correlationem sibi correspondentem in termino, terminantur ad absolutum, & non ad relatiuum.* Hæc est secundæ & tertiæ sententiæ contra primam.

*Probatur efficaciter,* quia non est vlla relatio in termino ratione cuius posset dici quod terminarentur ad relatiuū: ergo non possunt terminari ad illud. Huius rationis vis magis patebit in exemplo. Itaque vt hic supponi debet, scientia dicit relationem tertii generis ad scibile, scibile autem non dicit relationem prædicamentalem ad scientiam; propterea relatio illa scientiæ dicitur non mutua: quandoquidem ergo in scibili, ad quod terminatur illa relatio scientiæ, non detur relatio alia correspondens relationi illi scientiæ, sequitur relationem scientiæ non terminari ad scibile, vt afficitur alia relatione, & consequenter illam relationem non terminari ad relatiuum, sed ad absolutum.

*Respondet* ad hanc rationem *Fonseca* relationes tertii generis quæ sunt non mutuæ, non habere quidem in termino relationem realem sibi correspondentem, habere tamen relationem rationis, verbi gratia in scibili, ad quod refertur relatio scientiæ, non datur alia relatio realis, qua referatur ad scientiam; bene tamen datur in eo relatio rationis, quod sufficit ad propositum, quia scientia referretur ab scibile, non vt relatum relatione reali, sed vt relatum relatione rationis.

*Contra* quia hic non quærimus de termino rationis, ad quem posset quis imaginari quod referretur relatio, sed de termino reali ipsius. *Deinde* terminus formalis & materialis *vt quod* & *vt quo* relationis realis debet esse realis: ergo non sufficit aliquid rationis pro tali termino ipsius.

*Contra secundò*, quia quando oculus, verbi gratia videt actu parietem, non est necesse vt fingatur vllus respectus rationis in pariete viso, & tamen tum visio refertur actu ad parietem, & relatio visionis vere tum terminatur ad aliquid; non ad ens rationis, cum nullum sit tum, vt supponō: ergo ad aliquid reale: sed non ad relationem realem, quandoquidem non detur, ergo ad ipsum absolutum.

94. *Respondent Complutenses* cum *Caietano, Nazario, & alijs*, negando consequentiam: quia quamuis non detur alia relatio in termino relationis non mutuæ, tamen ille terminus habet denominationem relatiuam ab ipsamet relatione non mutua: verbi gratia, scibile refertur ad scientiam per ipsammet relationem, quæ est in scientia, & terminatur ad scibile, & vt sic scibile denominatur, & habet esse relatiuum, terminat relationem scientiæ: & idem est de reliquis huiusmodi.

*Hæc doctrina* proponitur supra à Complutensibus fuse satis, sed nullo modo satisfacit. *Primò*, quia sequeretur relationem esse terminum formalem sui ipsius, & eam cōsequenter ad se terminari; quo nihil absurdius excogitari potest. *Secundò*, quia ideo scibile, verbi gratia, denominatur à relatione scientiæ, quia terminat illam: ergo prius est natura quod illam terminet, quam quod denominetur per ipsam, & consequenter pro illo priori relatio habet terminum sufficientem: sed non habet relatiuum tum: ergo non determinatur formaliter, & per se ad relatiuum. *Tertiò*, quia quamuis non consideraremus colorem, vt visibile formaliter, seu vt denominatum per relationem visionis, potuissemus bene intelligere quod terminaret relationem visionis: ergo non est dicendum quod terminet, vt sic denominatur. Probatur consequentia, quia ideo potissimum id diceretur, quia non posset concipi, quomodo terminaret, nisi vt sic denominatur.

*Probatur secundò* hæc conclusio, quia relationes mutuæ non terminantur ad relationem, seu relatiuum: ergo nec non mutuæ. Consequentia patet à fortiori: & admittitur ab omnibus; antecedens patebit ex probationibus conclusionis sequentis.

## CONCLVSIO II.

Relationes mutuæ terminantur ad absolutum.

95. *Relationes mutuæ, v. g. similitudines, paternitates, æqualitates, terminantur ad absolutum, & non ad relatiuum.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam & tertiam.

*Probatur primò* contra tertiam sententiam specialiter, quia relationes non mutuæ terminantur ad absolutum: ergo & mutuæ. Admittunt aduersarii antecedens. Probatur consequentia, quia eadem prorsus est ratio: nam licet in termino mutuarum relationum sit alia relatio, & non sit in termino relationum non mutuarum; tamen illa relatio est impertinentissima ad terminandum relationem mutuam: tum quia si per impossibile non esset, tam bene posset relatio mutua terminari ad fundamentū eius, quam relatio non mutua terminatur de facto absque relatione; tum quia ipsum absolutum fundamentum istius relationis habet sufficientissimam rationem terminandi ipsam; tum quia non ponitur illa correlatio ad hoc vt possit mutua terminari, sed ad hoc vt terminus referatur intrinsece ad subiectum relationis mutuæ, verbi gratia filiatio non ponitur, vt substantia filij terminet paternitatem, sed vt illa substantia referatur intrinsece ad substantiam patris.

*Probatur secundò absolute*: terminus ponitur in definitione relationum mutuarum tanquam additum: ergo & cognitio ipsius requiritur ad cognoscendam naturam vnius relationis, quatenus distinguitur ab omnialia relatione: si quis enim velit cognoscere, an duæ aliquæ relationes, quæ sunt in eodem fundamento, sint eiusdem vel diuersæ rationis, debet necessario recurrere ad terminum formalem, ad quem terminatur relatio: ergo ille terminus formalis, ad quem terminatur relatio, est prior relatione terminata: sed altera correlatio non est prior illa, nec relatiuum formaliter constitutum per illam, vt sic constitutum est; nam secundum omnes, correlationes mutuæ sunt simul natura.

*Confirmatur* hoc, quia relatio mutua præexigit fundamentum, & terminum, ex quorum positione sequitur necessariò per emanationem; sed non præexigit correlationem, nec correlatiuum formaliter, vt est euidens: ergo terminus illius non est correlatiuum.

96. *Respondent aduersarij*, & speciatim *Complutenses* ex *Nazario*, terminum qui specificat relationem, quæ præexigitur ipsi, esse terminum radicalem & materialem, non vero formalem.

*Contra*, quia gratis & sine fundamento vllo dicunt, illum terminum, qui ponitur in definitione relationis, & requiritur ad eius specificationem, & ex cuius positione sequitur relatio, non esse terminum formalem relationis; sed radicalem.

*Deinde*

*Deinde* ille est terminus formalis, qui sufficeret, si per impossibile tolleretur quodcumque aliud, ad terminandum relationem: sed ille terminum, quem ipsi vocant radicalem & materialem, v.g. substantia filij supposita generatione passiua, quamuis non haberet correlationem, vt si per possibile, aut impossibile tolleretur ab ipso filiatio, esset sine dubio sufficiens ad terminandam paternitatem, imò terminaret ipsam actu: ergo ille terminus est terminus formalissimus paternitatis, & ad rationem ipsius, vt talis est, impertinentissima est illa correlatio: & hinc dixi supra, quod sit eadem ratio de mutuis & non mutuis, quantum ad terminationem earum ad relatiuum.

*Confirmatur* hoc, quia non ideo ponimus correlationes mutuas, vt terminus possit terminare formaliter relationes mutuas, nam potuissemus dicere, quod isti termini terminarent illas absque correlatione mutua, sicut termini non mutuarum terminant illas: & hinc sane, si dicendum esset, quod relatio terminaretur ad relatiuum necessario, non tamen dicendum esset quod relatio mutua terminaretur ad relatiuum constitutum per relationem oppositam, sed ad relatiuum constitutum eo modo, quo relatiuum, quod est terminus relationis non mutuæ, constituitur, nimirum vel per respectum rationis, vt tenet *Fonseca*, vel per denominationem extrinsecam desumptam à relatione terminata, vt dicunt *Complutenses*.

*Si autem quæras*, quare ergo ponatur correlatio mutua? *Respondeo*, quod finis ponendi ipsam sit, vt terminus referatur intrinsece ad alterum extremum, quemadmodum alterum extremum intrinsece refertur ad illum. Ideo autem ponitur effectiue quoties ponitur altera relatio, quia toties applicatur causa sufficienter productiua, aut emanatiua, vt ita dicam, ipsius, non minus, quam applicatur causa productiua, seu emanatiua alterius relationis; vnde tam vna, quam altera debet poni simul, & si vna nequit impediri, altera etiam eadem ratione impediri nequit.

97. *Probatur tertiò: & confirmatur prædicta probatio:* fundamentum quod ponitur in definitione relationis, & ex cuius positione sequitur, est fundamentum formale, & non radicale, & non constituitur in esse tali per relationem vllam ex correlationibus: ergo terminus qui ponitur in definitione relationis, & ad cuius positionem sequitur, est terminus formalis, nec debet constitui per relationem. Antecedens videtur euidens. Probatur consequentia tum à paritate rationis; tum, quia eodem modo loquuntur absolute Philosophus, & alij Doctores de fundamento & termino: ergo si per fundamentum intelligant fundamentum formale, per terminum intelligunt terminum formalem; & sane satis æquiuoce & imperfecte procederent, si dum dicunt relationem oriri ex fundamento & termino, intelligerent per fundamentum, formale fundamentum, & per terminum, non formalem, sed fundamentalem terminum, seu radicalem.

*Confirmatur*, & fere recidit in idem, quia ante relationem debet fundamentum intelligi constitutum non solum radicaliter, seu fundamentaliter, sed formaliter: ergo etiam ante ipsam debet terminus intelligi constitutus formaliter, & non sufficit, quod intelligitur constitutus radicaliter.

98. Assignant disparitatem *Complutenses*, quod relatio exigat fundamentum ex communi ratione accidentis, seu vt dicit esse *in*, & ideo comparatur ad fundamentum, vt ad causam, & debet præexigere ipsum formaliter constitutum; comparatur verò ad terminum ex propria ratione particulari, quatenus relatio est, seu dicit esse *ad*: ex qua parte, inquiunt, relatio non habet esse in rerum natura formaliter loquendo, sed solum habet oppositionem ad correlatiuum; ac proinde non præexigit terminum formaliter constitutum in ratione termini

*Hæc doctrina* mihi difficilior videtur ipsamet sententia, ad quam defendendam adducitur. *Impugnatur primò*, quia non solum ex ratione accidentis, vt sic, præexigit relatio fundamentum, sed ex ratione sua particulari; vnde si non daretur vlla ratio accidentis vt sic, cõmunior relatione, vt si non esset possibile vllum aliud accidens præter relatiuum, sed ens vt sic immediate contraheretur ad substantiam & ens relatiuum, profecto ens relatiuum præexigeret fundamentum quatenus relatiuum est. *Deinde* non ex ratione accidentis, vt sic, præexigit fundamentum, ex quo necessario emanet posito termino, quia aliàs omnia accidentia deberent sic emanare ex suis fundamentis, quod falsum est; sed ex ratione sua particulari id exigit: ergo falsum est, quod ex sola ratione accidentis, vt sic, præexigat fundamentum.

Relatio non exigit fundamentum ex ratione sola accidentis, vt sic.

99. *Impugnatur secundò*, quia falsum est, quod relatio quatenus dicit *esse ad*, non sit quid reale existens in rerum natura, quia ipsa relatio secundum esse suum proprium distinctum ab esse absoluto & ab esse entis vt sic, communi enti absoluto & respectiuo, est quid reale existens in rerum natura; similitudo enim, vt similitudo, existit in re simili, & paternitas in patre: ergo existunt realiter prædicata constitutiua eius: sed *esse ad* est prædicatum constitutiuum eius non minus, quam rationalitas est constitutiuum hominis: ergo etiam in quantum dicit *esse ad*, est quid reale existens in rerum natura. Nec sane capere possum, quid sibi velint prædicti authores, dum hoc negant: & licet citent pro se sanctum Thomam, vel exponendus sanctus Doctor ad aliquem alium sensum; vel certe doctrina ipsius hac in parte nequit subsistere.

Relatio quatenus dicit esse ad est quid reale.

*Impugnatur tertiò*, quia certum est, non minus debere præsupponi terminum aliquem ad relationem quàm fundamentum: ergo præsupponit terminum constitutum formaliter sub illa ratione, sub qua præsupponitur, non minus qnam præsupponit fundamentum.

100. *Probatur quartò conclusio*, quia ideo album vt album non posset terminare relationem similitudinis fundatæ in altero albo, sed debet ipsam terminare sub conceptu relatiui, quia potest esse in rerum natura absque eo quod terminet, & quia eo ipso quo concipitur terminare aliud, concipitur modo relatiuo: sed fundamentum potest esse in rerum natura absque eo quod fundet, & eo ipso quo intelligitur fundare relationem ad aliud, intelligitur tam bene per modum relatiui, quam intelligitur terminus per modum relatiui, quando intelligitur terminare: ergo si hoc non obstante fundamentum fundat sub ratione absoluta, terminus etiam terminabit sub ratione absoluta, quæ ratio mihi videtur valde vrgere.

*Probatur quintò*, quia illud est formaliter terminus relationis, ad quod relatio refert fundamentum: sed refert ad absolutum: ergo absolutum est terminus formalis ipsius, & non relatiuum. Probatur minor, quia non dicitur pater esse pater filij, prout filius dicit formaliter relationem filiationis; nec album esse dissimile nigro, prout nigrum dicit dissimilitudinem ad ipsum; imo quantum ad hoc sunt similia, quia vtrumque dicit similitudinem: sed pater dicitur pater istius personæ, quæ habet filiationem illam, & album dicitur dissimile nigro, vt nigrum est.

*Quod confirmatur*, quia, vt supra dixi, referretur ad nigrum, quamuis non esset alia dissimilitudo in nigro.

101. *Obiicies primò*, pro Complutensibus, secundum Philosophum hic: relatiua omnia dicuntur ad conuertentiam. Verba Philosophi sunt: *Amplius siquidem conuenienter assignatur ad quod dicitur, omnibus aliis sublatis, quæcumque accidentia sunt: relicto autem solo illo, ad quod assignatum est, conuenienter semper ad ipsum dicetur; vt si seruus ad hominem dicitur, circumscriptis omnibus, quæ accidentia sunt domino, vt esse bipedem vel hominem, relicto vero solo quod dominus est, semper seruus ad ipsum dicetur*, & paulo post: *Circumscribatur ab homine esse dominum, non sane amplius seruus ad dominum dicetur: cum enim dominus non sit, nec seruus dicitur.* Quibus verbis, inquiunt *Complutenses*, manifeste docet Aristoteles, quod sublata à termino relationis quacumque ratione absoluta, si maneat relatiua denominatio, vere terminat relationem: ergo relatio terminatur ad relatiuum vniuersaliter: vniuersaliter enim loquitur Philosophus. Hoc videtur fundamentum *Complutensium* ad dicendum quod sua sententia sit conformior Aristoteli.

*Sed facile respondetur* cõcedendo, quod relatiua dicantur ad conuertentiam, quia quoties est verum, quod Petrus sit

do minus Pauli, certum est, quod Paulus sit seruus Petri, & si album sit dissimile nigro, nigrum erit dissimile albo, & si homo sit sciens conclusionem, conclusio erit scita ab homine, nec vllus de hoc dubitat. Concedo etiam, quod ablata quacumque ratione accidentali termino relatiui, præter denominationem relatiuam, relatiuum dicetur ad illum terminum. Sed nego hinc sequi, quod relatio terminetur ad terminum, vt habet istam denominationem relatiuam: sicut enim omnes concedent, quod fundamentum non fundaret actu relationem, nisi esset actu relatio, & posito quod sit relatio, necessario fundat ipsam circumscripto quocumque alio, & tamen hoc non obstante fundamentum non habet formaliter fundare ab ipsa relatione: ita quamuis non referretur pater ad filium, nisi filius haberet filiationem, & posita filiatione, circumscriptis quibuscumque aliis, referretur ad ipsum, non sequitur, quod filius formaliter terminet relationem patris, vt habet denominationem illam relatiuam. Solum ergo sequitur, quod ista denominatio relatiua sit concomitans, aut sequens necessario terminationem relationis sic, vt à posteriori possit ex ea colligi, quod relatiuum terminetur, vel non terminetur.

102. *Obiicies secundo.* Non potest intelligi relatio sine eo, quod intelligatur correlatio, correlationes enim ex Philosopho sunt simul natura & cognitione: sed hoc non esset verum, nisi vnum ex illis esset terminus alterius, vel formalis vel materialis.

*Respondeo primò*, negando maiorem: probabile enim est, quod quis posset cognoscere aliquem habere relationem paternitatis, antequam cognosceret alium aliquem habere relationem filiationis: quamuis enim deduceret ex noua denominatione patris debere esse paternitatem in illo, qui sic denominatur, non videtur adeo necessarium, quod talem discursum applicet statim ad inferendum, quod daretur similiter filiationis relatio in filio.

*Quod confirmatur*, quia sicut potest quis intelligere relationem tertij generis, non intelligendo correlationem, eodem modo posset etiam intelligere similitudinem albi ad album non intelligendo aliam similitudinem in altero albo; imo debet necessariò applicare alium discursum, ad colligendum, quod sit alia similitudo mutua. Ad probationem autem maioris dico non esse sensum Philosophi, quod relationes simul necessario cognoscantur, sed quod neutra ex natura sua præexigat cognitionem alterius.

*Respondeo secundò*, supponendo veritatem maioris, negando minorem: quia ratio cur relatio non possit intelligi sine correlatione non est, quod correlatio esset terminus eius; sed quod causæ determinantes intellectum, ad intelligendam relationem, sunt sufficienter applicatæ ad determinandum ipsum ad intelligendam correlationem, & propterea, cum sint causæ naturales, necessario determinant ipsum.

103. *Obiicies tertiò*, in Diuinis paternitas habet pro termino filiationem, aut saltem filiatio est de ratione intrinsecè constitutiua termini ipsius: ergo similiter in creatis. Propter hanc obiectionem *Complutenses* videntur existimasse suam sententiam congruentiorem Christianæ Philosophiæ, & Theologiæ.

*Respondeo* negando consequentiam: & ratio disparitatis est, quod filiatio sit constitutiua filij in esse personæ realiter distinctæ à patre; & cum terminus debeat esse realiter distinctus à re relata, hinc filiatio intrinsecè ingreditur cõstitutionem termini paternitatis: in creatis vero filiatio non est, quæ constituit rem, quæ est filius, in esse personę realiter distinctæ, & propterea non est necessarium, vt ingrediatur constitutionem termini paternitatis. Falsum autem est, quod dicunt *Complutenses*, ex ratione relationis vt sic, oriri, vt terminẽt se inuicem, tũ ex dictis, tum etiam quia si ex ratione relationis vt sic oriretur, vt relatiuũ deberet referri ad aliud relatiuum constitutũ per aliam relationem, quemadmodum refertur Pater diuinus ad Filium, sequeretur, quod relationes tertij generis, sic deberent referri, quod falsum est secundum omnes: nam licet referantur ad relatiuum secundum authores primæ sententiæ, tamen non referuntur ad relatiuum constitutum per aliam relationem, aliàs essent mutuæ relationes. Itaque, quod relationes diuinæ referantur ad se inuicem, non oritur etiam ex eo, quod sint diuinæ, & substantiales, vt aliqui dicunt, quia relatio similitudinis, quam dicit pater ad filium, non terminatur ad correlationem; & tamen est diuina, & substantialis, & infinita: oritur ergo ex ratione iam dicta, quia ipsæ sunt constitutiua intrinseca, extremorum in esse realiter distinctorum; & consequenter, quandoquidem relatio omnis terminetur ad terminum realiter distinctum à suo fundamento, paternitas diuina debet terminare filiationem diuinam, per quam constituitur filius realiter distinctus à patre.

*Confirmatur*, quia relatio in diuinis constituit suum fundamentum in esse realiter distincto à termino, & non præsupponit fundamentum à termino realiter distinctum, quamuis relatio creata hoc non habeat: ergo posset relatio in diuinis terminari ad relatiuum, licet relatio creata sic non terminaretur.

104. *Obiicies quartò*, sequeretur, quod Deus poneretur sub propria ratione absoluta in definitione creaturæ ordinis naturalis, & sic aliqua creatura ordinis naturalis, esset naturaliter incognoscibilis; quia non posset cognosci, nisi cognito Deo sub illa ratione: sic autem nequit cognosci naturaliter.

*Respondeo*, sub quacumque ratione referatur creatura ad Deum, Deum debere poni in definitione creaturæ, & si illa ratio nequit naturaliter cognosci, nec creatura etiam vt sic relata, cognosci poterit, & vt sic etiam erit incomprehensibilis; quatenus tamen refertur ad Deum sub conceptibus, quos possumus habere naturaliter de ipso, sic poterit cognosci naturaliter.

*Præterea* hoc argumentum vrgeri potest contra *Complutenses*, qui eo vtuntur: nam certum est, vt cognoscatur relatio aliqua, siue terminetur ad absolutum, vt nos tenemus, siue ad relatiuum, vt tenent aduersarij, debere necessario cognosci terminum, qui terminat ipsam, non solum secundum esse relatiuum formaliter, sed secundum esse absolutum, quod denominatur relatiuum: verbi gratia vt cognoscatur similitudo fundata in albo, debet necessario cognosci album, quod terminat ipsam: & non solum sufficit cognoscere, quod terminet, sed debet cognosci sub ratione albi, alias non sciemus illam relationem, quæ in albo fundatur, esse similitudinem potius, quam dissimilitudinem, vt est euidens; tunc sic: ergo si aliqua creatura dicat relationem ad Deum, debet cognosci Deus non solum sub denominatione relatiua, sed sub ratione illa, quæ præexigitur in ipso, vt habeat illam denominationem, & sic corruit tota difficultas obiectionis, vt manifestum apparet.

105. *Obiicies quintò*: illud est terminus relationis, quo posito ponitur, & quo ablato aufertur: sed posita correlatione ponitur, & ea ablata aufertur: ergo.

*Respondeo*, distinguendo maiorem: si sit aliquid prius, transeat, si non sit, nego maiorem: correlatio autem non est prior relatione.

*Respondeo secundò*, simpliciter negando maiorem, quia sic fundamentum proximum esset terminus, quia eo posito & ablato ponitur & aufertur relatio.

*Obiicies sextò*, Datur oppositio inter correlatiua quà talia formaliter: ergo vnum correlatiuum formaliter terminatur ad alterum formaliter.

*Respondeo*, negando consequentiam, solum enim sequitur, quod vnum ex ipsis sit distinctum realiter ab altero, & quod terminetur ad aliquid, ad quod non terminatur alterum, & quod non possit esse in eodem fundamento cum altero, quod non est contra nos.

*Respondeo tertiò*, distinguendo consequens, quatenus sunt opposita, transeat; quatenus referunt fundamenta sua alio modo, nego.

## QVÆSTIO VIII.

*Vtrum vna relatio possit fundare aliam relationem.*

106. SEnsus huius quæstionis est, an quemadmodum vnum albũ refertur ad aliud per relationem similitudinis, distinctam realiter aut modaliter ab extremis, ita etiã illa similitudo referatur per aliã relationẽ similitudinis

ad

ad aliam similitudinem, aut per relationem dissimilitudinis ad paternitatem, aut alias relationes, quibus est dissimilis.

*Prima sententia* est negativa. Ita *D. Thomas 1. p. quæst. 42. ar. 1. Caiet. Canarienſis, Vasq. Molin. Ferrar. 4. contra gentes, Soncin. 5. Metaph. quæst. 29. Didacus à Ieſu diſp. 14. q. 3. & alii.*

Secundam sententiam extreme oppositam & affirmatiuam tenet *Doctor in 2. dist. 1. q. 4. & in 4. dist. 6. q. 10.* quem præter suos sequuntur *Suar. disp. 47. Metaph. sect. 1. Ruuius quæst. 11. huius prædicamenti.*

## CONCLVSIO.

Vna relatio fundatur in alia.

107. *Hæc secunda sententia, tenens vnam relationem posse fundare aliam relationem, est vera.*

*Probatur primò*, quia duæ paternitates sunt eiusdem speciei, & possunt esse sine se inuicem: ergo tam bene dicunt relationem similitudinis ad se inuicem, quam duo homines, vel duæ albedines. Probatur consequentia, quia ideo duæ albedines dicunt relationem similitudinis superadditam, quia sunt eiusdem speciei, & possunt esse sine se inuicem.

*Respondent* aliqui, duas paternitates non esse eiusdem speciei proprie loquendo. *Contra* quia sic posset dici, quod duæ albedines, aut duo homines non essent eiusdem speciei proprie loquendo; eadem enim est ratio de vtrisque.

*Dices* disparitatem esse, quia ex eo, quod paternitates essent eiusdem speciei proprie loquendo, sequeretur inconueniens, nimirum processus in infinitum; hoc autem non sequeretur ex eo quod Petrus, & Paulus essent eiusdem speciei proprie loquendo.

*Contra primo*, quia falsum est sequi illud inconueniens, vt patebit ex solutione obiectionis.

*Contra secundò*, quia quidquid inconuenientis sequitur ex eo, quod relationes essent eiusdem speciei proprie loquendo, sequitur etiam ex eo, quod quæcunque alia individua essent eiusdem speciei, est enim eadem ratio colligendi de vno, ac de aliis; & propterea si sequatur inconueniens ex eo quod aliqua ex illis sint eiusdem speciei, sequetur etiam ex eo quod vlla ex illis sint eiusdem speciei.

*Confirmatur*, quia qui soluet argumenta contra identitatem specificam relationum, potest argumenta soluere contra identitatem specificam hominum: ergo debet negare talem identitatem inter homines etiam.

*Confirmatur secundò*, quia non potest assignari quid sit esse eiusdem speciei proprie loquendo, nisi duæ paternitates sint eiusdem speciei proprie loquendo.

108. *Respondent ergo alii*, duas paternitates esse similes essentialiter, & dissimiles etiam aliis relationibus, non tamen per relationem à se realiter distinctam; & consequenter ex identitate, seu similitudine duarum relationum non colligi quod vna relatio possit fundare alteram à se realiter distinctam.

Refutatio aliquorum Scotistarum.

*Contra* hoc replicant aliqui *Scotistæ*, quod inde sequeretur eandem relationem esse primi, & secundi generis, esse similitudinem, & dissimilitudinem: sed hoc est absurdum, quia similitudo, & dissimilitudo sunt species completæ relationis essentialiter oppositæ: ergo non possunt identificari realiter, & consequenter vna relatio non potest esse realiter similitudo, & dissimilitudo primi, & secundi generis.

*Verum hæc replica* non videtur multum vrgere in sententia ipsiusmet Scoti, & horum Scotistarum, quia relatio similitudinis albi ad album est dissimilis ipsi albo, quod refert, & tamen non per aliam relationem, & consequenter est realiter similitudo, & dissimilitudo. Similiter relatio, in qua ponunt Scotistæ hi cum Scoto statum ita vt non possit fundare aliam relationem, est similis & dissimilis aliis relationibus, & tamen non per relationem à se realiter distinctam: ergo non est absurdum, quod eadem relatio sit realiter similitudo & dissimilitudo respectu diuersorum terminorum, aut quod sit relatio primi aut secundi generis. Ad id autē quod opponitur in replica nimirum similitudinem, & dissimilitudinem esse species completas relationis vt sic, concedendum est de similitudine & dissimilitudine realiter distinctis, negandum vero de similitudine & dissimilitudine realiter identificatis; aut certe fatendum est species completas & distinctas posse identificari realiter.

Melior refutatio responsionis.

109. *Contra ergo illam solutionem aliter:* Quidquid est seipso tale, non potest esse quin sit tale: sed paternitas potest esse & non esse similis alteri paternitati, quando scilicet altera non existeret: ergo non est similis alteri paternitati seipsa, sed per similitudinem à se distinctam. Probatur maior à posteriori, quia colligimus aliquid non esse seipso tale ex eo, quod possit esse, quin sit tale: ergo quod potest esse quin sit tale, non est seipso tale. Probatur etiam à priori, quia quidquid habet necessario formam, à qua denominatur tale, necessario est tale semper: sed quidquid est seipso tale, habet necessario & semper formam à qua sic denominatur, nimirum suam entitatem: ergo necessario est semper tale.

*Confirmatur hoc*, quia eodem modo quo diceretur paternitas esse similis alteri seipsa, posset dici quod albedo esset similis seipsa: sed consequens est falsum secundum aduersarios: ergo & antecedens. Vt autem vis huius rationis nostræ melius capiatur, & tota hæc materia.

110. *Aduertendum est*, præcipuum, imo solum fundamentum asserendi, & probandi, quod dentur relationes realiter distinctæ à fundamento, esse nouam denominationem intrinsecam, quam possit res habere & non habere: illa enim noua denominatio, si sit ad aliud, erit relatiua, & consequenter proueniet à relatione, & si possit esse fundamentum sine tali denominatione, inde colligitur quod relatio, à qua prouenit, sit realiter distincta à fundamento. Quod si fundamentum non possit esse sine aliqua tali denominatione, etiam relatiua, quam habet, certe nullum superest fundamentum colligendi quod relatio, à qua prouenit talis denominatio, sit realiter distincta ab illo fundamento: & hinc optime concludit totus, quod omnis relatio creaturæ ad Deum, sine qua nequit esse creatura, sit identificata realiter creaturæ.

Hoc bene animaduerso non erit difficile scire quænam relationes realiter identificentur suis fundamentis, & quæ non. Cum ergo paternitas possit esse sine denominatione similis ad aliam paternitatem, optime colligitur quod illa similitudo, à qua sic denominatur, sit realiter distincta ab ipsa, & consequenter quod vna relatio possit fundare aliam relationem.

111. *Obiicies primò*, Ideo in communi & vera sententia vnio materiæ ad formam non vnitur materiæ per aliam vnionem, quia ipsamet est ratio formalis vniendi, & similiter inhærentia actualis accidentis ad subiectum non inhæret accidenti per aliam inhærentiam, sed seipsa, quia est ratio formalis inhærendi, hoc est ratio, à qua formaliter habet accidens inhærere: ergo quandoquidem paternitas sit ratio formalis referendi patrem, non debet ipsa per aliam relationem referri.

*Respondeo* distinguendo consequens: ad patrem, seu ad filium, concedo consequentiam; ad aliquid aliud, nego consequentiam. Itaque ex hac obiectione solum habetur quod quemadmodum vnio materiæ ad formam non vnitur ipsi materiæ aut formæ per aliam vnionem, quia ipsa est ratio essentialis vniendi ipsa, ita etiam paternitas, quia est ratio essentialis referendi patrem ad filium non potest referri ad patrem aut filium per vllam aliam rationem: & totum hoc est verum, & fundatum in doctrina iam præmissa, quod scilicet non est necessarium, vt denominatio, sine qua subiectum nequit esse, proueniat à forma realiter distincta à subiecto. Hinc enim sequitur quod, quādoquidem vnio nequeat esse quin sit vnita materiæ, & formæ, eo modo quo vnitur ipsis, non habeat denominationē vniti ad ipsa per aliam vnionem à se realiter distinctam: & idem de inhærentia accidentis ad subiectum, & de paternitate etiam comparata ad patrem & filium. Quod si vnio posset vniri alicui, sine quo posset esse, certe deberet vniri ipsi per aliquid aliud, & non seipsa: vnde si vniones partiales animæ ad corpus vniantur inter se, certe debent vniri per

vnionem superadditam ipsis, quia potest quælibet ex illis esse sine eo quod vniatur alteri, nimirum vnio partialis animæ ad caput potest esse sine vnione eius ad brachium. Cum ergo paternitas possit esse sine similitudine ad aliam paternitatem, sequitur quod, si sit similis ipsi, hoc habeat ab aliquo alio realiter distincto.

Cur vnio nequeat vniri per aliam vnionem, relatio vero possit referri alia relatione.

112. *Quod si quæras*, quare, si similitudo vna potest esse similis alteri similitudini per relationem distinctam, similiter vnio materiæ ad formam non possit vniri aliis extremis per aliam vnionem.

*Respondeo* solutionem huius non spectare ad propositum, quia ad propositum solum spectat scire, vtrum si vniretur, vniretur per formam à se distinctam, an seipsa; an autem possit vniri vel non possit, est alterius considerationis.

*Confirmatur hoc*, quia aduersarii fatentur vnam similitudinem esse similem alteri, licet non per similitudinem à se distinctam, & tamen non concederent vnionem materiæ ad formam esse posse vnitam aliis extremis, nec per seipsam, nec per formam à se distinctam, ergo non ex eo quod relatio possit referri ad alia quam ad illa extrema, quæ refert, potest colligi quod vnio possit vniri aliis extremis, quam illis quæ vnit; ratio autem huius, vt dixi est alterius considerationis, & impertinens ad propositum.

Tamen vt hoc etiam sciatur. *Respondendum* est rationem esse, quod vnio habet ex natura non posse esse in aliquibus extremis, nisi vniat, quia hoc est officium & essentia eius vnire extrema, inter quæ reperitur; quare si vniretur aliis extremis quam materiæ & formæ, deberet vnire illa extrema: & consequenter esset ratio essentialis vniendi illa: sed hoc est falsum, quia sic non posset esse, quin reperiretur inter illa, & quin illa vniret, quod est absurdissimum.

113. *Obicies secundò principaliter*: si relatio fundaret relationem, sequeretur processus in infinitū, quia sicut vna fundaret vnam, sic alia alteram, & sic in infinitum; non est enim maior ratio, quare similitudo albi ad album esset similis alteri similitudini per similitudinem à se distinctam & in se fundatam, quam illa similitudo in ipsa fundata esset similis per alteram similitudinem, & sic in infinitum.

*Respondent ad hoc*, quod est fundamentum principale oppositæ sententiæ, quidam Scotistæ, quod non daretur processus in infinitum, quia cum fundamentum relationis debeat esse perfectius relatione in ipso fundata, aliquando deueniretur ad aliquam relationem, quæ esset tam exiguæ entitatis & perfectionis, vt non posset fundare aliam relationem.

*Sed hæc responsio non placet*, tum quia fundamentum rei subiectatæ non debet semper esse perfectius illa re, vt supponit responsio nam qualitas secundum communem omnium sententiam est perfectior quantitate, & tamen subiectatur in ipsa; tum etiam & præcipue, quia si potest in illa relatione, quæ est tam exiguæ perfectionis, saluari noua denominatio sine noua forma, potest in quacumque alia re, & sicut soluerentur argumenta in vno, ita soluerentur in omnibus.

*Confirmatur primò*, quia si est tam exiguæ entitatis, vt non possit fundare aliam formam relatiuam: ergo non debet habere denominationem talis formæ, nihil enim debet habere denominationem formæ, cuius est incapax: hinc enim Angelus non potest habere denominationem quanti, quia non potest habere ipsam quantitatem molis, à qua prouenit talis denominatio.

*Confirmatur secundo*, quia si potest saluari denominatio noua absque noua forma, ex eo quod fundamentum sit tam exiguæ entitatis, vt non possit recipere nouam formam, posset dici quod prima relatio esset tam exiguæ perfectionis, vt non posset fundare alteram, & non est vlla ratio, quæ probaret oppositum, quia omne argumentum quod posset fieri ad probandum quod esset perfectio sufficiens in prima relatione, posset solui sicut soluetur ab aduersariis de vltima relatione.

*Confirmatur tertiò*, quia satis probabile est nullam relationem dicere perfectionem aliquam præter perfectionem quæ est bonitas entis vt sic, quæ etiam reperiretur in quocumque ente, atque adeo in vltima relatione, in qua esset status.

114. *Respondet ergo Suares primò* non esse absurdum quod darentur infinitæ relationes actu; relationes enim sunt minimæ entitatis *Sed reuera* contra infinitatem categorematicam relationum faciunt omnia argumenta, quæ probant non dari infinitum actu in multitudine: nam ad huiusmodi infinitum, vt tale, impertinens est perfectio aut imperfectio entitatum, ex quibus consistit *Deinde* vt postea ostendemus, falsum est quod sequeretur ex conclusione dari istum processum in infinitum.

*Respondet etiam secundò* negando sequelam, quia licet vna relatio fundare possit aliam relationem distinctæ denominationis, v. g. paternitas similitudinem, similitudo dissimilitudinem: tamen vna relatio nequit fundare aliam relationem eiusdem denominationis, v. g. similitudo nequit fundare aliam similitudinem, nec paternitas paternitatem: non dantur autem tot relationes diuersarum denominationum, quot sufficiunt ad processum in infinitum.

*Verum neque hæc etiam solutio* placet propter duo, *primum* est, quia si potest similitudo esse similis de nouo sine alia forma superaddita, quare etiam paternitas non posset esse similis de nouo sine forma superaddita?

*Dices*, quia nihil potest dare denominationem similis nisi sit similitudo, vel habeat similitudinem: paternitas autem est similis: ergo cum non sit similitudo, debet habere similitudinem à qua sic denominetur: similitudo autem est similitudo, & propterea potest habere denominationem similis à seipsa.

*Contra*, quia vt supra dixi, implicat quod aliquid sit seipso tale, nisi sit necessario tale: ergo si similitudo non sit necessario similis alteri similitudini, sine qua potest esse, non erit seipsa similis ipsi. *Deinde* vnde colligitur, quod paternitas non sit realiter similitudo, non quæ denominat aliud simile, sed quæ denominet seipsam simile, si similitudo sit similitudo, à qua ipsa denominatur similis? Vt aduertatur autem vis huius vltimæ replicæ, aduertendum in sententia *Suarii* similitudinem posse considerari dupliciter, & vt denominat aliud simile, & vt denominat seipsam similem, & secundum vtramque rationem est similitudo. Vis ergo replicæ consistit in hoc, quod non possit assignari ratio, cur paternitas non possit habere rationem similitudinis posteriori modo, licet non possit habere rationem similitudinis priori modo.

*Secundum est*, quod non saluat processum in infinitum, quia licet similitudo non possit fundare similitudinem, tamen potest fundare dissimilitudinem, & dissimilitudo illa potest fundare similitudinem alteram, & illa alia similitudo aliam dissimilitudinem, & sic in infinitum.

115. *Itaque respondeo aliter* ex principiis *Doctoris nostri* negando sequelam, quia, vt antea dixi, nulla res refertur ad aliam rem, sine qua nequit esse, per relationem à se realiter distinctam; non enim potest habere ad talem rem nouam denominationē; noua autem denominatio est vnica & potissima via colligendi relationem distinctam realiter à fundamento. In processu vero multarum relationum aliquando venietur ad relationem aliquam, quæ non habebit aliquem terminum, sine quo posset esse, ad quem referretur per relationem aliam à se realiter distinctam, & consequenter in illa relatione dabitur status, v. g. paternitas Ioannis est similis paternitati Petri similitudine à se realiter distincta, illa tamen similitudo non est similis similitudini, quæ fundatur in paternitate Petri per similitudinem à se distinctam, quia nequit esse similitudo paternitatis Ioannis ad Petri paternitatem, quin sit similitudo paternitatis Petri ad paternitatem Ioannis.

116. *Dices* hinc habetur, quod similitudo illa non possit per aliam referri ad similitudinem sibi correlatiue oppositam, sed non habetur quin possit referri ad aliquid aliud per relationem à se distinctam.

*Respondeo* posse referri ad quemcumque alium terminum, sine quo nequit esse, per relationem à se distinctam, sed non sunt infinita actu existentia, ad quæ sic referri possit, & consequenter non habebit infinitas relationes.

*Dices adhuc*: sicut illa potest habere similitudinem ad aliud

aliud, ita similitudo in ipsa fundata potest rursum ad aliud habere similitudinem.

*Respondeo*, semper hoc esse verum, antequam veniatur ad relationem illam, quæ non haberet aliquid, sine quo nequiret esse: quod autem aliquando veniretur ad talem, patet, quia semper in progrediendo debet assignari pro termino, ad quem referretur relatio, aliquid distinctum à terminis relationum præsuppositarum: nam nequit esse sine illis terminis, & consequenter ad illos non referretur per relationem à se distinctam; cum ergo non sint termini in infinitum actu distincti, non ibitur in infinitum in relationibus.

117. *Sed quæres adhuc*, quare saltem fundamentum vltimatum istius vltimæ relationis, nimirum Ioannes, aut Petrus, non referretur relatione reali ad illam vltimam relationem; videtur enim, quod possit sic referri, quia potest esse sine illa: quod si possit, sequitur de facto dari infinitas relationes, quia si Ioannes dicat relationem dissimilitudinis ad paternitatem, similiter dicet aliam relationem dissimilitudinis ad illam dissimilitudinem, & aliam ad illam, & sic in infinitũ, quia potest esse sine omnibus illis.

*Respondeo*, nullum subiectum referri ad relationem in se subiectatam, siue mediate, siue immediate per relationem distinctam ab ipsa; quamuis possit esse sine ipsa: sicut enim relatio subiectata in subiecto potest referre ipsum ad alia, ita etiam potest ipsum referre ad seipsam; & hoc colligitur etiam vlterius ex eo, quod non esset signum aliquod distinctionis realis inter relationem qua referretur Ioannes ad paternitatem suam, & paternitatem: ergo non debet dici, quod refertur ad paternitatem per relationem realiter distinctam ab ipsa.

*Deinde* non ex denominatione noua quomodocumque colligitur relatio realis distincta ab extremis, quæ ad se inuicem denominantur, sed ex denominatione noua, quæ posset non esse, quamuis quodlibet ex extremis existeret. Cum ergo relatio subiectata in subiecto non possit existere, quin subiectum habeat necessariò omnem illam denominationem, quam ad ipsam habet, optime colligitur, quod illa denominatio non proueniat ab aliquo realiter distincto ab illa relatione.

118. *Obiicies vltimò*: sequeretur, quod totum esse relationis non esset ad aliud se habere, quia scilicet præter hoc, quod est referre fundamentum, adhuc esset subiectum alterius relationis.

*Respondeo* breuiter negando sequelam, & ad probationem dico, quod esse subiectum alterius relationis duobus modis potest intelligi, actu scilicet, vel aptitudine: & quouis modo intelligitur, non est de essentia relationis; non si intelligatur actu, quia relatio potest esse sine eo, quod actu subiectet aliam relationem; non etiam si intelligatur aptitudine, quia illa aptitudo non est nisi proprietas relationis, proprietas autem non est de essentia rei. *Deinde* quando dicitur, quod relatio habet totum suum esse ad aliud, sensus est quod nihil aliud faciat circa subiectũ suum, quàm actu ipsum referre, & quod non possit esse quin ita ipsum referat: hoc autem est verum, quamuis sit subiectum alterius relationis; ergo esse subiectum alterius relationis non tollit, quo minus tota eius essentia sit ad aliud se habere in sensu, in quo illud debet intelligi.

## QVÆSTIO IX.

### *Quodnam sit supremum genus prædicamenti Ad aliquid; & quænam sint proprietates Relationum.*

HAnc difficultatem magis intricatam, quam vtilem, absque enumeratione modorum dicendi expediam.

### CONCLVSIO.

Quid summum genus prædicamenti ad aliquid.

119. *Summum genus huius prædicamenti est relatio intrinsecus aduenies realiter separabilis à fundamento, communis vniuoce omnibus talibus relationibus.* Hæc in re est communis. *Probatur*, quia aliquod debet assignari, nihil autem conuenientius assignari potest quam talis relatio.

*Obiicies*: non potest abstrahi ab omnibus relationibus huius prædicamenti aliqua ratio communis prædicamentalis: ergo non debet assignari aliquod vnum supremum genus huius prædicamenti. Probatur antecedens, quia non potest abstrahi ab omnibus fundamentis relationum particularium aliquod vnum fundamentum vniuocum ipsis: ergo neque potest abstrahi à relationibus illis particularibus aliqua relatio vna, ipsis vniuoca. Probatur consequentia, quia illa relatio deberet habere vnum fundamentum abstractum à fundamentis aliarum relationum.

Relatio vt sic non debet habere fundamentum vnum vt sic sibi correspondens.

*Respondeo* negando antecedens cum consequentia suæ probationis, & probatione eiusdem: quia cum relationes possint fundari in rebus primo diuersis, v. g. in rebus diuersorum prædicamentorum, quæ non conueniunt in aliquo conceptu communi prædicamentali, non est necesse vt relatio, vt sic, habeat fundamentum vnum prædicamentale; & eadem etiam ratione sequitur, quod non debeat habere aliquem vnum terminum prædicamentalem. Itaque fundamentum relationis vt sic non debet esse aliquod vnum determinatum, sed sufficit vt sit indeterminatum.

*Dices*: relationes sumunt speciem à fundamento & termino: ergo relatio vt sic, debet habere aliquem vnum terminum & aliquod vnum fundamentum. *Respondeo* distinguendo antecedens: relationes, quæ distinguũtur specie, aut numero ab aliis, transeat; quæ non sic distinguũtur, nego antecedens: relatio autem vt sic non distinguitur specie, aut numero ab aliis, quandoquidem includatur in omnibus illis essentialiter.

120. *Obiicies secundo*: Relationi omni debet correspondere correlatio: ergo & relationi vt sic, & consequenter non datur vna aliqua relatio, quæ sit supremum genus huius prædicamenti. Probatur hæc consequentia, quia relatio, quæ est supremum genus, est communis omnibus aliis relationibus, & superior illis: sed relatio habens correlationem non est superior illa: ergo quandoquidem nulla possit dari relatio sine correlatione, non potest assignari relatio quæ sit supremum genus.

Relatio vt sic non debet habere correlationem.

*Respondeo* negando antecedens, quia relationes tertij generis non habent correlationes secundum communem sententiam, ex quo patet manifeste quod relatio vt sic, quæ est supremum genus huius prædicamenti, correlationem non habeat: quia si haberet, necessario omnis relatio contenta sub ipsa, deberet habere correlationem.

*Respondeo secundò* distinguendo antecedens: relationi cuique particulari, transeat; relationi, vt sic, abstractæ ab omni relatione, nego antecedens.

Prima proprietas relatiuorum est habere contrarium.

121. Hæc de prima parte quæstionis sufficiant: quantum autem ad secundam, *Prima proprietas* relatiuorum est habere contrarium. Hæc autem, si de contrario proprie dicto intelligatur, non conuenit omnibus relatiuis, imo nullis formaliter vt talibus conuenit, sed solum ratione fundamenti; numquam enim vna relatio potest formaliter ratione sui expellere aliam relationem; sed ex eo quod fundamentum proximum relationis vnius expellit formaliter fundamentum proximum alterius relationis, tanquam suum contrarium, dicitur etiam relatio, quæ sequitur ad ipsum, expellere relationem sequentem ad alterum fundamentum, quod expellitur; v. g. dissimilitudo, quam habent duo parietes in albedine & nigredine, dicitur habere pro contrario similitudinem in albedine aut nigredine, quia, si introducatur albedo in extremo nigro, aut nigredo in extremo albo, expelleretur illa dissimilitudo, & loco ipsius esset similitudo.

*Confirmatur hoc*, quia *Philosophus* cap. de Quantitate dixit relationes non habere contrarium: ergo cum hic dicat quod habent contrarium, debet intelligi in sensu fundamentali, non formali, modo iam explicato.

Secunda proprietas est suscipere magis & minus.

121. *Secunda proprietas* est suscipere magis & minus: quod etiam intelligendum est fundamentaliter, seu ratione rationis fundandi, aut terminandi, nam similitudo intenditur aut remittitur non per se, sed ex remissione aut intensione albedinis, v. g. siue ex parte fundamenti, siue ex parte termini: & ratio huius est, quia sicut relationes huius prædicamenti non producuntur per se, hoc est, actione ad illas immediate terminata: ita neque intendi, neque remitti possunt per se, sed tantum ratione alterius. Sed controuertitur hic, vtrum quando intenditur similitudo v. g. acquiratur aliqua noua entitas relatiua; an vero prior

similitudo destruatur,& alia destructa succedat ipsi. Qua in re nihil video certi,sed vtrumque existimo esse probabile cum non sit ratio vrgens contrarium; vtcumque tamen res est paruí momenti. Magis tamen probabile puto quod non destruatur relatio præcedens quando intensio fit per additionem gradus ad gradum in fundamento eius v.g.in albedine:nam tum sufficit pars similitudinis subiectata in nouo gradu,in quo,si produceretur tota similitudo de nouo,deberet pars eius subiectari;quando etiam similitudo intēderetur per ablationem alicuius gradus fundamenti, non deberet similiter tota destrui, sed pars corresponsens isti gradui,nec vlla noua deberet produci. Si vero intendatur per destructionem totius rationis fundandi,aut rationis terminandi,& productionem nouæ;similitudo totaliter destruetur, & alia totalis succedet.

Tertia proprietas,dici ad conuertentiam.

123. *Tertia proprietas* est quod dicantur ad conuertentiam, id est, quod sicut vnum relatiuum dicitur ad alterum, ita alterum dicatur ad ipsum: sic pater dicitur filij pater, & filius dicitur patris filius:& hoc etiam habet locum in relatiuis tertij generis,quia sicut intelligens dicitur intelligens tale obiectum; ita obiectum dicitur obiectum talis intelligentis, quamuis non habeat relationem realem ad ipsum.

Quarta proprietas, esse simul natura.

*Quarta proprietas* est quod sint simul natura, hoc est, quod illa correlatiua, quæ dicuntur ad conuertentiam, sint talis naturæ,vt eum vnum non sit causa, aut principium alterius,nec identificatum ipsi realiter,vnum tamen non possit existere sine altero, nec è contra. Nihil enim aliud denotat simultas naturæ correlatiuorū,quam hoc. *Dices* patrem causare filium. *Respondeo* patrem formater non causare filium, sed patrem fundamentaliter.

Quinta proprietas, esse simul cognitione

*Quinta proprietas* est quod sint simul cognitione, id est quod vnum ex natura sua non petat cognosci ante alterum, sed æque vnius cognitio exigatur ad cognitionem alterius, sicut alterius ad cognoscendam ipsam.

Aduertendum autem, has non esse proprietates quarto modo:quædam enim non conueniunt omnibus, & quædam non conueniunt solis. Et hæc de Relatione.

# DISPVTATIO XVI.

## DE QVALITATE.

NON longius differendus Qualitatis tractatus quæ, si perfectio consideraretur, secundum locum post Substantiam occupare deberet.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit Qualitas, & vtrum sit perfectior Quantitate.*

1. NOn quæritur de Qualitate,prout qualitas significat quācumq; formam actuantem, seu informantem,seu inhærentem,siue sit essentialis, siue accidentalis, sic enim qualitas nō est alicuius determinati prędicamenti, sed quædam qualitas est de prædicamento substantiæ, quædam de prædicamento qualitatis,quædam de cæteris prædicamentis omnibus:omne enim,quod in quale prædicatur est qualitas in hoc sensu;& propterea cum differentia & accidens quodcúque prædicentur in quale,erūt etiam qualitates. Sed quæritur de qualitate prout dicit determinatum genus entium, quæ ponuntur in vno solo prædicamento distincto à cæteris nouem prædicamentis.

explicatio qualitatis assignata à Philosopho.

In explicanda autem natura qualitatis vt sic in hac acceptione, varij sunt modi dicendi: & quidem ipsemet Philosophus hic definit, seu describit qualitatem esse, *qua tales dicimur*. Sed *contra hanc descriptionem* statim occurrit difficultas communis, quod idem describatur per ordinem ad seipsum: nam quale formaliter dicit ipsam qualitatem,& quemadmodum ridiculum esset ignoranti naturam albedinis explicare ipsam per ordinem ad album, ita hæc descriptio non satis apta videtur.

Difficultas prædictæ explicationis.

*Confirmatur*, quia qui ignorat qualitatem vt sic,ignorabit etiam quid sit quale vt sic: ergo non poterit manu duci ad cognoscendam qualitatem proponendo ipsi,quod sit constitutiuum qualis vt sic.

2. Propter hæc reprehenditur prædicta definitio ab *Hurtado* & aliis;sed defenditur à *Complutensibus*, qui addunt,quod vix potuit commodius explicari qualitatis vt sic natura, quam per eius effectum formalem,significatum nomine sui concreti; quod nobis est aliquantulum notius,quam in abstracto, supponunt autem quale esse notius quam qualitatem; vnde etiam negarent antecedens confirmationis.

Defensio Complutensium.

*Sed contra*, quia falsum est quod vlli possit esse notius album,quam albedo,aut quantum quam quantitas: cum enim impossibile sit concipere quantum, nisi per modum habentis quantitatem, aut quale nisi per modum habentis qualitatem, profecto impossibile est vt sit notum alicui, quod aliquid sit quantum, aut quale, nisi sit notum illi, quid sit quantitas, aut qualitas.

Melior descriptio.

3. *Melius explicaretur Philosophus* dicendo quod describerit naturā qualitatis hoc modo,supponendo quod non diceremur quales à quantitate,aut vlla relatione,& quod ex institutione communi vocis huius nemo intelligeret quantitatem,aut vllam relationem adhærere rei, quæ denominaretur qualis;sed quod intelligeretur per hoc aliam aliquam formam accidentalem adhærere ipsi: hoc enim supposito,non male dixit qualitatem vt sic,esse illam formam, à qua habent res denominationem qualis.In re autem conueniret hæc descriptio hoc modo explicata cum alia,qua diceretur quod qualitas est accidens,quod nec est quātitas,nec relatio intrinsecus aduenies,nec relatio vlla ex sex vltimis prædicamentis.Quæ descriptio,licet nō significaret nobis positiue naturam qualitatis, ita tamen describeret eam, vt per hanc descriptionem posset facile quis cognoscere omnem formā in particulari propositam esse,vel nō esse qualitatem:nam si cui proponeretur albedo,eo ipso quo videret quod nō esset quantitas,nec relatio vlla,posset colligere,quod esset qualitas.Et similiter eo ipso,quo cognosceret quod intellectio nō esset quātitas, aut relatio,posset colligere quod esset qualitas,& sufficiebat Philosopho dare talem descriptionem qualitatis, per quam de qualibet forma particulari,de qua dubitari posset, facile esset iudicium ferre, an esset qualitas, nec ne.

Solum occurrit difficultas, quod vt quis cognosceret iuxta hanc descriptionem aliquid esse qualitatem,deberet cognoscere naturas omnium rerum quæ spectant ad cætera prædicamenta accidentalia.Sed hoc non impedit quo minus descriptio sit bona, dat tamen occasionem inuestigandi meliorem aliquam, per quam sine recursu ad cætera omnia prædicamenta possit quis cognoscere naturam qualitatis.

Duæ descriptiones qualitatis à S. Thoma datæ

4. *S. Thomas* duas descriptiones assignat qualitatis,*primam* 1.p. q. 28. art. 2. dicens *eam esse dispositionem substantiæ.Secundam* 1.2.q.49. vbi docet *qualitatem esse modum accidentalem substantiæ*,seu,vt explicant *Complutenses*,accidens modificatiuum,seu determinatiuum, vel imponens modum, aut denominationem substantiæ. Has duas explicationes coincidere dicunt *Thomistæ* communiter,& ex nostris eas approbat quidam recentior hic.

*Sed certè mihi videntur ex sē satis obscuræ*, & insufficientes ad declarandam naturam qualitatis; nam quantum ad modum loquendi, certum est, Vbi esse modum substantiæ, seu accidens determinatiuum ipsius ad talem locum,sicut & Quando ad tale tempus;cum enim Petrus sit indeterminatus ad hunc & illum locum,hoc & illud tempus, determinatur ad hunc locum per hoc vbi, & ad hoc tempus per hoc quando;vnde secunda definitio conueniret *vbi* & *quando*, & consequenter non esset descriptio qualitatis: & idem esset dicendum de prima,si conueniret cum secunda descriptione,vt patet.

Non sola qualitas disponit aut modificat substantiam.

*Rursus* certum est, substantiam disponi aliquo modo per quantitatem ad recipiendas qualitates,& ad agendum ac patiendum ab agentibus corporeis, quæ in rem non quantam nequeunt agere. *Præterea* applicatione locali disponuntur res vltimate ad agendum in passum,quæ applicatio nō est qualitas.Itaque vt prædictæ descriptiones sint bonæ, debet specificari in particulari quo modo disponat qualitas vt sic, aut modificet substantiā, alias non cognoscemus naturam eius, prout distinguitur à cæteris

acciden

accidentibus, quæ disponunt & modificant aliquo modo.

5. *Nec satisfaciunt Complutenses* longo discursu, quo conantur ostendere, quod omnes qualitates disponant substantiam determinando eius indifferentiam ad plura; nam licet ipsi dicant id non competere aliis accidentibus, & addant id consideranti patere; reuera tamen potius patet consideranti, quod id etiam competat aliis accidentibus, nam quantitas disponit substantiam ad agendum & patiendum; & hoc vbi disponit substantiam vt sit in hoc loco, si idem sit disponere ac determinare indifferentiam rei, quæ ex se est indifferens, & idem vbi modificat etiam substantiam, & est modus eius in sensu, in quo illi explicant, quo modo particulari conueniat qualitati modificare. Et licet forte non conueniat *vbi* esse modum substantiæ locatæ in eo sensu, quo iuxta phrasim Hispanam dicitur; *Tiene modo*, aut *tiene buen modo*, qua phrasi significantius secundum *Complutenses* exprimitur particularis ratio, quæ competit qualitati, ob quam describitur bene esse modus; tamen non videtur etiam id competere omni qualitati, nec enim potest bene dici de re calida aut frigida, vt sic præcise, *tiene buen modo*, aut *tiene mal modo* iuxta phrasim Hispanicam; vnde esse modum substantiæ iuxta sensum istius phrasis, non videtur conuenire qualitati, vt sic, licet conueniat alicui particulari qualitati. Præterea ista phrasis Hispanica videtur significare artem, vel facultatem aliquam rationalem, qua aliquis nouit viam faciendi aliquid cum quadam gratia, & solum videtur dici posse de hominibus, aut Angelis, quibus tales artes possint conuenire, ergo non bene explicatur natura qualitatis vt sic per illam phrasim.

*Confirmatur* tota hæc impugnatio, quia ipsi concedunt quod vtraque illa descriptio conueniat formæ & figuræ, sed eo ipso conuincuntur esse malæ: quia, vt postea ostendemus, nec forma nec figura sunt qualitates huius prædicamenti.

6. *Suares disput. 42. Met. sect. 1.* describit qualitatem esse *accidens quoddam absolutum adiunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionum eius tam in existendo quàm in agendo.* Hanc descriptionem tanquam continentem multas particulas superfluas, & non explicantem sufficienter naturam qualitatis, reiiciunt *Complutenses*. Et quamuis non approbem omnes impugnationes eorum; præsertim dum conantur ostendere quod ly *absolutum* superflue ponatur, postea enim ostendemus id esse falsum; tamen existimo cum ipsis reuera definitionem esse satis prolixam, & continere aliquas particulas superfluas, vt ly *quoddam*, ly *adiunctum substantiæ creatæ*; nam eo quo dicitur accidens, significatur quod sit adiunctum substantiæ creatæ; neque enim increatæ adiungi potest accidens; nec deber esse per se, alias esset substantia.

*Præterea* cum iisdem sentio, quod non bene explicet naturam qualitatis vt sic, quia quando dicitur quod sit complementum perfectionum substantiæ tam in essendo, quam in agendo, aut hoc intelligitur collectiue ita, vt qualitati vt sic conueniat vtrumque simul, & hoc falsum est, quia alias omni qualitati deberet conuenire vtrumque, quod ipse *Suares* non affirmat verum esse. Aut intelligitur disiunctiue sic, vt qualitas vt sic necessario debeat habere alterutram rationem ex illis, & quælibet etiam qualitas particularis: & licet id esset verum, tamen definitio non esset vna definitio bona, sed plures definitiones contineret, aliàs posset quis definire animal vt sic benè, dicendo quod esset viuens rationale aut irrationale; quod est absurdum. *Præterea* alia accidentia sunt complementa perfectionum substantiæ v. g. quantitas, & figura, & forma, quæ tamen non sunt qualitates.

Descriptio Hurtadi reiicitur.

7. *Hurtadus* describit qualitatem esse *accidens absolutum à quantitate* distinctum. Hanc reiiciunt *Complutenses*, quia sex vltima prædicamenta sunt accidentia absoluta à quantitate distincta. Sed postea ostendemus id esse falsum, & consequenter hæc impugnatio non valet in re, quidquid sit an valeat ad hominem. *Impugnari posset præterea*, quia non declarat essentiam qualitatis vt sic, nisi per ordinem ad quantitatem, cum tamen non magis dependeat à quantitate quàm alia accidentia, & consequenter nemo posset cognoscere naturam ipsius, nisi cognoscendo naturam particularem quantitatis: hoc autem est inconueniens, præsertim si alio modo explicari possit sine recursu ad naturam quantitatis: potest autem alio modo explicari, vt patebit ex dicendis.

Descriptio Arriagæ reiicitur.

*Arriaga disp. 5. Met. num. 28.* putat qualitatem vt sic bene describi esse accidens absolutum. *Contra primò*, quia quantitas est accidens absolutum, & tamen non est qualitas. *Contra secundò*, quia secundum ipsum, *vbi* est accidens absolutum, & quidem separabile ac conseruabile absque re vbicata, & tamen non est qualitas: ergo male hoc modo describitur qualitas.

Descriptio Mastrij.

8. *Mastrius disp. 7. Log. art. 1.* dicit qualitatem vt sic esse accidens absolutum, ratione cuius subiectum qualificatum potest intendi & remitti. *Contra* quia quamuis qualitas non esset intensibilis aut remissibilis, adhuc haberet rationem qualitatis. *Deinde* non quælibet qualitas est intensibilis; nam certe vna intellectio numero non potest intendi aut remitti. *Deinde* esse intensibile & remissibile non magis conuenit qualitati tanquam proprietas, quam habere contrarium: ergo tam bene posset describi esse accidens absolutum habens contrarium, quam accidens absolutum intensibile ac remissibile.

## CONCLVSIO.

Qualitas est accidens absolutum penetrabile.

9. *Qualitas optime explicatur esse accidens absolutum penetrabile.* Hæc in terminis est nullius, quod sciam. *Probatur* autem, quia omni & soli qualitati conuenit hæc descriptio, & euadit difficultates aliorum modorum dicendi, quos reiecimus. Dicitur *accidens*, vt distinguatur à substantia; dicitur *absolutum*, vt distinguatur à relationibus intrinsecus aduenientibus, pertinentibus ad prædicamentum Ad aliquid, & à relationibus extrinsecus aduenientibus, spectantibus ad sex vltima prædicamenta. Dicitur *penetrabile* seu compatibile ex se cum aliis rebus in eodem loco, vt distinguatur à quantitate. Ex quo patet quod omni & soli qualitati conuenit prædicta descriptio: quod autem euitet difficultates obiectas contra alios modos dicendi, patet discurrenti per singulas.

Replica Complutensium.

*Dices cum Complutensibus*: ly *absolutum* non significat gradum aliquem positiuum inter quantitatem & qualitatem, sed significat solum negationem relationis immediate fundatam in proprio vniuscuiusque ex illis constitutiuo, sicut irrationale non significat gradum aliquem positiuum inter animal, equum, & leonem, sed negationem hominis, quæ immediate fundatur in propria vniuscuiusque differentia: ergo sicut superflue definiretur equus dicendo, equus est animal irrationale hinnibile, ita superflue ponitur ly *absolutum* in definitione quantitatis, aut qualitatis.

10. *Contra* hanc doctrinam duo mihi præcipuè occurrunt: primum quod probabilius videatur quantitatem & qualitatem, sicut conueniunt siue vniuoce, siue analogice in ratione accidentis vt sic, ita etiam conuenire in ratione aliqua positiua communi ipsis, ratione cuius conuenit vtrisque illa negatio relationis, & quod illa ratio positiua significetur per ly *absolutum*; vnde tam bene ly *absolutum* potest poni in definitione ipsarum, quam ly *accidens*. Secundum, quod quamuis ly *absolutum* significaret talem negationem, & hæc sequeretur ad differentiam proprie constitutiuam qualitatis, adhuc optime deberet poni in definitione qualitatis, non quod ipsamet negatio esset de essentia qualitatis, sed quod per eam significaretur partim natura istius constitutiui, & hoc maxime locum habet, quando differentia constitutiua non sufficienter constat nobis secundum quod distinguitur à cæteris omnibus differentiis, nisi quatenus ad eam sequitur talis negatio, vt contingit in proposito nostro: nam non sufficeret ad cognoscendam differentiam qualitatis scire, quod esset accidens penetrabile, quia alia accidentia sunt penetrabilia, vt actio, passio, vnio, &c. ergo necessariò debet addi, quod sit accidens absolutum penetrabile.

11. *Dices secundò*: Per hanc descriptionem non significatur natura qualitatis positiuè, seu per ordinem ad effe-

ctum positiuum eius, sed per ordinem ad negationem virtutis expulsiuæ aliarum rerum ab eodem loco: ergo non est bona.

*Respondeo*, negando consequentiam (quidquid sit de antecedente) quia sicut bene explicatur natura substantiæ per negationem aptitudinis ad inhærendum, cur non bene explicaretur natura qualitatis per negationem aptitudinis ad expellendum alia à loco?

*Quod si quæratur*, cur non possit dari aliqua definitio qualitatis vt sic, per ordinem ad effectum positiuum, quem tribuit substantiæ, sicut potest dari de relatione & quantitate.

*Respondeo*, hoc oriri ex improportione quam habet intellectus noster cum natura illa qualitatis in ordine ad eam cognoscendam, quæ improportio colligitur experientia.

## CONCLVSIO II.

Qualitas est perfectior quã titate.

12. *Qualitas vt sic, est perfectior quam quantitas vt sic.* Hæc est communis cum *Doctore in 4. dist. 12. quæst. 2.*

*Probatur primò*, quia reperitur in subiecto nobiliori, verbi gratia in Angelo; *secundò* contrahitur ad perfectiores differentias: nam certum est differentiam, qua contrahitur qualitas, vt sic ad intellectionem, esse perfectiorem quam vlla differentia contractiua quantitatis vt sic. Quæ duæ rationes probant sine dubio conceptum qualitatis vt sic, esse perfectiorem conceptu quantitatis vt sic, & probant etiam dari aliquas qualitates, nimirum spirituales, quæ sint perfectiores quacumque quantitate.

Sed non videntur sufficere ad probandum, quod quæcumque species qualitatis sit perfectior quacumque specie quantitatis, & speciatim dubitari posset de qualitatibus corporalibus, subiectatis præsertim in ipsa quantitate, & dependentibus ab ipsa. Sed ex his etiam videtur certum, quod quæ sunt actiuæ, & possunt producere aliquam qualitatem positiuam realiter, vt calor, frigus, species impressæ, & qualitates sensibiles, quæ natæ sunt immutare sensum, sint perfectiores quantitate, si hæc etiam non habeat talem virtutem, quia actiuitas est maxima accidentium perfectio; at si quantitas habeat talem virtutem immutandi sensum, hæc ratio de actiuitate non sufficienter probat albedinem, v. g esse perfectiorem quantitate: & quantum ad me non habeo principium, quo vniuersaliter hoc probem, nisi supponendo, quod quandocumque aliqua ratio generica, & superior, est perfectior alia ratione generica & superiori, quod etiam differentiæ omnes contractiuæ illius debeant esse perfectiores differentiis omnibus contractiuis huius: quod principium non adeo mihi certum apparet.

Si autem teneatur omnem qualitatem esse perfectiorem omni quantitate, & *obiiciatur*, quod plures qualitates recipiantur in ipsa quantitate, vt calor, frigus, &c. & ab ipsa dependeant: ergo sunt imperfectiores; *Respondendum* est, negando consequentiam: quia quamuis forma substantialis dependeat materialiter à materia, tamen non propterea admittitur esse imperfectior: & quamuis visio albedinis, aut etiam intellectio intuitiua eius dependeant ab albedine, non tamen sunt imperfectiora albedine. Itaque licet, in quantum quantitas est independens à qualitate, & qualitas est dependens à quantitate, quantitas sit perfectior, & magis accedat ad substantiam & Deum; tamen in aliis rationibus maioris perfectionis exceditur à qualitate, vt in spiritualitate à qualitatibus spiritualibus, in actiuitate à calore & frigore.

## QVÆSTIO II.

### *De diuisione qualitatis Aristotelica.*

Quatuor species qualitatis à Philosopho assignatæ.

13. PHilosophus diuisit Qualitatem vt sic in quatuor species vniuersales, ad quas, omnes qualitates possunt reduci, & qualibet ex his quatuor speciebus duobus nominibus expressit, modo sane satis insolito. Primam speciem vocabat habitum & dispositionem, secundam potentiam & impotentiam naturalem, tertiam passionem & patibilem qualitatem, quartam formam & figuram. Circa cuius diuisionis sufficientiam & naturam, vt & circa singularum specierum essentiam, varij sunt modi dicendi, ex quibus aliquos doctrinæ causa examinabimus: & quia sufficientia & natura diuisionis non potest cognosci, nisi cognitis membris diuidentibus, de his prius agemus.

### *De habitu & dispositione.*

Quid habitus & dispositio.

14. CErtum est non capi hic habitum pro vestitu aut ordine ad vestitum, quia consideratio habitus hoc modo spectat ad prædicamentum vltimum; nec prout habitus capitur pro omni forma opposita priuationi; quia sic forma substantialis, quæ non est huius prædicamenti, est habitus; sed capitur habitus pro aliqua determinata specie qualitatis. Deinde certum est, quod dispositio non capiatur hic in illa vniuersalitate, in qua significat quidquid quomodocumque disponit subiectum, quia sic omnis qualitas esset dispositio, quia disponit subiectum aliquo modo; vnde Thomistæ describunt qualitatem vt sic per ordinem ad disponendum substantiam, sed sumitur etiam pro aliquo determinato genere, aut specie qualitatum.

Explicatio Complutensium.

*Complutenses* dicunt essentiam huius primæ speciei, prout comprehendit qualitates illas particulares significatas his duobus nominibus, *Habitus* & *dispositio*, & prout distinguitur à cæteris speciebus qualitatis, consistere in hoc, quod sit qualitas bene vel male disponens rem in ordine ad naturam, seu per se primo ordinata ad bene vel male esse naturæ subiecti, vel secundum seipsam, vt ægritudo & sanitas, vel in ordine ad operationem: vt sunt virtutes & vitia, scientia & error.

Hæc explicatio nullo modo placet non solum, quia datur per particulam disiunctiuam *vel*, quæ vix in vnam bonam descriptionem cadere potest, sed præterea, quia omnis qualitas habet hoc, quod est bene vel male disponere subiectum cui inest, vel in ordine ad naturam ipsius, vel in ordine ad operationem aliquam: & sane nemo neget quin calor male afficiat aquam in ordine ad naturam, quandoquidem iuuet ad destructionem ipsius, sicut ægritudo iuuat ad destructionem hominis. Præterea: Potentia naturalis & impotentia disponit subiectum ab bene vel male operandum tam bene quam vlla qualitas alia, imo melius in sententia Thomistarum, qui putant illam potentiam & impotentiam esse facultates illas, sine quibus res nequeat operari.

15. Nec valet ad hoc responsio, quæ posset dari ex doctrina *Complutensium*, nempe, quod potentia naturalis detur ad operandum, non curando an bene, vel male afficiat subiectum in ordine ad se, aut suas operationes: nam si habitus scientificus, verbi gratia, detur ad operandum bene, quia inclinat ad scientiam, quæ est operatio, & si habitus erroneus detur ad operandum male, quia ex se inclinat ad operationem malam erroris, quandoquidem potentia naturalis; verbi gratia intellectus (loquor in sententia aduersariorum) ex se habeat posse concurrere aliquando ad operationes bonas, aliquando ad malas, cur ex se non dicatur dari ad exercendas operationes bene, & male? *Deinde* siue detur in ordine ad hoc, siue non detur, patet saltem, quod ex se habeat hoc facere: ergo ex se habet realiter loquendo rationem illam essentialem primæ speciei, & sic non erit realiter loquendo species distincta à prima specie, quod est contra aduersarios.

16. *Confirmatur*: quando dicitur, quod prima species ordinet subiectum bene vel male, quæro an sensus sit, quod omnis qualitas primæ speciei ordinet bene & male subiectum in se, vel in ordine ad operationem; vel quod aliqua qualitas primæ speciei ordinet male, aliqua bene; vel quod prima species sit qualitas illa, quæ abstrahit à qualitatibus ordinantibus bene, & ordinantibus male. Si dicatur primum, falsum est, quia habitus vitiosus non disponit bene, nec virtuosus male. Si dicatur secundum, non significatur vna aliqua ratio communis omnibus qualitatibus primæ speciei, sicut nec significaretur aliqua ratio communis hominibus & brutis, quando diceretur quod daretur aliquod animal rationale, & aliud irrationale, & quod nullum daretur animal, quod non esset rationale, aut irrationale. Si dicatur tertium, non declaratur etiam sufficienter ratio essentialis vnius qualitatis vt sic, quæ

esset

esset communis omnibus, & solis qualitatibus huius primæ speciei, sicut non explicaretur bene natura animalis vt sic, dicendo, quod esset illud, quod esset abstractum ab omnibus animalibus, & in quo omnia & sola animalia conuenirent.

17. *Auersa* dicit, primam speciem vt sic, comprehendentem habitum & dispositionem, esse illam qualitatem, quæ supponens potentiam operatiuam datur ad operandum: & credo quod hoc intelligat de operatione proprie dicta, quæ est actus immanens & vitalis.

*Sed contra* tamen est, quod etiam calor & frigus dentur ad operandum, quatenus conducunt ad operandum aliquo modo sic, vt sine illis in aliqua debita proportione, aut intensione nequeat quis operari vitaliter, & tamen non debent pertinere ad hanc speciem primam secundum vllum. *Deinde* potentia naturalis, & impotentia sunt accidentia præsupponentia potentiam operatiuam, & conducentia ad operandum aut patiendum, nec tamen spectant ad primam speciem: ergo non bene explicatur prima species. *Denique* ipsæmet operationes intellectus & voluntatis spectant ad primam speciem, & tamen non bene dicuntur conducere ad operandum: ergo male explicatur prima species hoc modo.

Descriptio qualitatis primæ speciei.

## CONCLVSIO I.

18. *Qualitas vt sic comprehendens dispositionem & habitum, prout significant solum qualitates primæ speciei, bene describitur esse qualitas insensibilis sensu externo, non sequens ex natura subiecti, seu non insita subiecto ex natura.* *Probatur* hæc conclusio, quia omni & soli qualitati primæ speciei, vt sic, conuenit hæc descriptio, & absque superfluitate explicat naturam eius, vt patet declarando singulas particulas. Dicitur *qualitas* quia in hoc conuenit cum omnibus aliis speciebus. Dicitur *non sensibilis sensu externo*, vt distinguatur à qualitatibus tertiæ & quartæ speciei. Dicitur *non sequens ex natura subiecti*, vt distinguatur à qualitatibus secundæ speciei: quod totum magis patebit ex dicendis.

*Dices*: species infusæ Angelis ab initio creationis videntur spectare ad hanc speciem tam bene quàm vliæ aliæ species impressæ; sed tamen sunt innatæ: ergo male dicitur, quod qualitas primæ speciei vt sic non sit innata.

*Respondeo* negando antecedens; nam eo ipso quo sunt innatæ, non spectant ad hanc speciem.

*Dices*: tales species possent non esse innatæ, sed tunc spectarent ad hanc speciem: ergo & nunc: alias eadem forma posset spectare quandoque, & non spectare quandoque ad hanc speciem.

*Respondeo* negando consequentiam, & concedendo sequelam probationis, propter dicenda conclusione quarta inferius.

## CONCLVSIO II.

Quid sit habitus spectans ad primam speciem qualitatis.

19 *Habitus spectans ad hanc speciem qualitatis bene describitur esse qualitas insensibilis sensu externo nec innata subiecto, difficulter mobilis.* Hæc patet, quia in hac explicatione ponitur totum, quod spectat ad naturam primæ speciei vt sic, & vlterius ponitur quod sit difficile mobilis, per quod distinguitur à dispositione. Ex hac autem descriptione patet omnes illas facilitates quas per frequentes actus acquirimus siue in intellectu, siue in voluntate, & virtutes etiam per se infusas, ac etiam gratiam sanctificantem, si ab illis realiter distinguatur, & species impressas tam intelligibiles quàm phantasticas, seu spectantes ad potentias cognoscitiuas interiores, spectare ad habitum in hac acceptione.

*Dices*: gratia & virtutes infusæ facile deperduntur, quia vnico peccaminoso actu gratia & charitas deperduntur: ergo non spectant ad habitum, vt hic definitur.

*Respondeo* distinguendo antecedens: facile deperduntur physice, nego; moraliter & demeritorie, concedo, & nego consequentiam, quia in descriptione intelligitur quod habitus non sit facilè mobilis, quatenus non potest physice absque demerito facile perdi.

## CONCLVSIO III.

Quid dispositio spectans ad primã speciem qualitatis.

20. *Dispositio, vt capitur prout significat qualitates huius primæ speciei oppositas habitui, bene describitur esse qualitas insensibilis sensui externo, non innata, facile mobilis.* Hæc patet ex præcedentibus conclusionibus: nam per descriptionem qualitatis primæ speciei vt sic, distinguitur à qualitatibus cæterarum specierum, & per ly *facile mobilis* distinguitur à qualitatibus primæ speciei, quæ significantur nomine habitus.

*Obicies*: actus intellectus, qui est visio beatifica, & actus voluntatis, qui est amor beatificus, & idem est de actu, quo Angelus intelligit seipsum, videntur spectare ad dispositionem, sicut cæteri actus intellectus & voluntatis, & tamen non sunt facile mobiles: ergo male dicitur, quod dispositio, vt sic, opposita habitui sit difficile mobilis.

*Confirmatur*, quia actus, quo intelligit Angelus seipsum, est innatus ipsi, videtur enim quod competat ipsi à primo instanti creationis: ergo non spectat ad dispositionem, si vera est præmissa descriptio.

*Respondeo* negando antecedens, quia propter mobilitatem difficilem, quam supponuntur habere supra alios actus, debet potius spectare ad habitum, quam ad dispositionem.

*Ad confirmationem* concedo consequentiam; spectabit enim potius ad potentiam naturalem, supposito quod sit innatus.

## CONCLVSIO IV.

Habitus, vt sic non distinguitur specie à dispositione vt sic.

21. *Habitus vt sic supra descriptus non distinguitur specie a dispositione vt sic supra descripta, sed solum accidentaliter.* Hæc est Doctoris *q.* 36. *prædicamentali* cum suis magis communiter *S. Thomæ quæst.* 7. *de malo Vasq.* 1. 2. *disput.* 78. *cap.* 3. *Salas ibidem q.* 52. *disp.* 5. & aliorum plurium contra *Caiet. & Conradum.* 1. 2 *q.* 49. *ar.* 2. vbi fauet ipsis *S. Thomas. Suar. disp.* 42. *Met. sect.* 6. *Montesinum* 1. 2. *disp.* 30. *Lorcam ibidem disp.* 1. *sect.* 3. *Complutenses hic q.* 3. & alios.

*Probatur primò*, ex dictis, quia visio beatifica, quæ de facto est difficulter mobilis, & spectat ad habitum, si fuisset communicata alicui in via, vt Paulo fuit in raptu probabiliter, quia esset facile mobilis, spectaret ad dispositionem: sed hoc est falsum, si habitus vt sic distingueretur specie à dispositione vt sic: ergo non sic distinguuntur.

*Probatur secundò*: quia facilitas acquisita per vnum actum est eiusdem rationis specificæ cum illa, quæ acquiritur centum actibus: sed hæc spectat secundum omnes ad habitum, illa ad dispositionem: ergo forma eiusdem speciei variata solum accidentaliter spectat ad habitum & dispositionem, & consequenter habitus & dispositio, vt sic, non distinguuntur specie.

*Confirmatur*, quia solum distinguuntur habitus vt sic, & dispositio vt sic, per hoc, quod habitus sit difficulter mobilis, dispositio sit facile mobilis; sed eidem omnino formæ potest competere accidentaliter, quod nunc sit difficile mobilis, nunc facile mobilis: ergo habitus & dispositio, vt sic, non distinguuntur specie necessariò.

*Respondent aduersarij*, quando dicitur quod dispositio sit facile mobilis, & habitus difficile mobilis, hoc intelligi sic, vt illa sit censenda dispositio, quæ ex natura sua non petat conseruari ita, vt sit difficile eam expelliere, & illa qualitas sit censenda habitus, quæ ex natura sua petit connaturaliter sic conseruari, vt non possit nisi difficulter amoueri à subiecto: sed manifestum videtur, quod qualitas sic petens cõseruari cõnaturaliter, & qualitas non petens sic conseruari, sint distinctæ specie, alias vna non peteret ex natura aliquid, quod ab altera non peteretur.

*Contra*, quia quamuis non dubitem quin quidquid petat aliquid ex natura sua, sit distinctę naturę ab omni quod non petit illud ex natura, tamen falsum est quod omnis forma, quę est habitus, petat ex natura sua difficulter moueri, & omnis dispositio sua id non petat; consequenter falsum est, quod in definitione habitus id intelligatur,

quod

quod ex natura sua sit difficile mobilis, & in definitione dispositionis intelligatur, quod ex natura sua sit facile mobilis: nam vt dixi inter probandum conclusionem, facilitas acquisita per duos actus, quod fatentur expresse *Complutenses*, est dispositio, & facilitas acquisita per centum tales actus est habitus, & tamen istæ facilitates sunt eiusdem omnino speciei, maxime secundum aduersarios *Thomistas*, qui negant intendi habitum per additionem graduum: ergo facilitas acquisita per duos actus non exigit ex natura sua esse facile mobilis, nec facilitas acquisita per centum actus exigit ex natura sua intrinseca esse difficulter mobilis, aut si vna eadem forma simplex exigit quandoque ex natura sua esse difficulter mobilis, & quandoque facile mobilis, falsum est quod difficilis mobilitas exacta à natura, & facilis mobilitas similiter exacta à natura arguant distinctionem specificam formarum, quibus competit, & consequenter ruit totaliter responsio præmissa aduersariorum.

23. *Obiicies:* intellectio lapidis in homine, v. g: est dispositio, & facilitas ad illam concurrens cum intellectu est habitus: sed certum est quod intellectio & facilitas illæ sint distinctæ speciei essentialiter: ergo habitus & dispositio sunt distinctæ speciei.

*Respondeo* distinguendo consequens: habitus vt sic, & dispositio vt sic: nego consequentiam; habitus aliquis particularis, & dispositio particularis, concedo consequentiam. Itaque non intendimus in hac conclusione, quod aliquis habitus particularis ex ratione sua particulari non distinguatur specie ab aliqua dispositione particulari ex ratione particulari ipsius; id enim falsum esse conuincit instantia obiectionis: sed quod negamus, est, habitum vt sic & dispositionem vt sic distingui specie inter se, & etiam habitum in particulari vllum distingui ab vlla dispositione particulari, ex ratione habitus vt sic, & dispositionis vt sic.

*Et si quæratur*, vnde colligatur, quod quando aliqua dispositio particularis distinguitur ab habitu aliquo particulari, non distinguatur ratione habitus vt sic, & dispositionis vt sic. *Respondendum est* id colligi manifeste ex eo, quod si competeret ipsis ratione habitus, aut dispositionis vt sic, sequeretur quod quilibet habitus, & dispositio in particulari distinguerentur specie, quod falsum esse patet ex probationibus nostris.

*De potentia naturali & impotentia.*

Facultas identificata rei non est potentia naturalis.

24. Certum est quod non capiatur potentia naturalis hic pro facultate vlla, quæ identificatur realiter rei ad producendum aut recipiendum aliquid: nam talis facultas identificata realiter rei non potest esse accidens eidem rei, nec consequenter qualitas eius: quod autem dentur huiusmodi potentiæ naturales, patet euidenter, quia calor habet potentiam productiuam caloris, & materia prima habet potentiam naturalem receptiuam formæ, & Deus ipse habet omnipotentiam productiuam ad extra, & substantia creata habet ex se in sententia longe veriori Scotistarum virtutem productiuam alterius substantiæ, & substantia intellectualis creata habet intellectum & voluntatem, quæ sunt potentiæ naturales intelligendi & volendi, & tamen identificantur animæ. Itaque intelligitur aliqua alia facultas actiua accidentalis superaddita substantiæ.

Impotentia naturalis non est negatio.

Deinde certum est, quod per impotentiam naturalem non intelligatur negatio potentiæ naturalis, quia illa negatio non est qualitas, nec consequenter species qualitatis vt sic; sed intelligitur per eam facultas aliqua accidentalis superaddita substantiæ, quæ est valde imbecillis & parua.

CONCLVSIO I.

25. *Potentia naturalis bene describitur esse qualitas insensibilis sensu externo, naturæ innata, qua quis inclinatur multum ad operandum, impotentia vero naturalis est qualitas sic insensibilis & innata, qua quis inclinatur parum ad operandum. Qualitas autem vt sic, communis potentiæ naturali & impotentiæ solis est qualitas sic insensibilis & innata, qua quis inclinatur ad agendum.* Hæc est conformis *Doctori*, & suis hic. *Probatur* quo ad omnes partes, quia omnes illæ descriptiones omnibus & solis descriptis conueniunt, & absque superfluitate explicant ipsorum naturas, quatenus distinguuntur à cæteris qualitatibus, vt consideranti patet; nec aliquid opponi potest, nisi quod descriptio aliqua ex his tribus possit competere alicui qualitati spectanti ad primam speciem; sed ex conclusione sequenti patebit hoc non esse inconueniens. ergo.

CONCLVSIO II.

Potentia naturalis, & impotentia non differunt, nec inter se nec ab habitu specifice.

26. *Potentia naturalis & impotentia vt sic non differunt inter se essentialiter, nec etiam ab habitu.* Hæc est *Doctoris supra*, & aliorum, quos cum ipso tum citauimus, quos etiam sequitur *Fonseca 5. Met. c. 14.*

*Probatur:* principalis differentia inter potentiam & impotentiam naturalem, est, quod illa sit magna, hæc exigua: sed esse magnum & paruum in qualitatibus, non arguit distinctionem specificam, vt patet: ergo. *Deinde*, principalis differentia, quæ est inter ipsas & habitum, est quod illæ sint inditæ à natura, hic superadditus. Sed hoc non arguit etiam nisi distinctionem accidentalem, quia bene potest vna & eadem entitas inferi à natura, & superaddi ipsi: ergo quod addatur naturæ, aut quod indatur naturæ, non arguit distinctionem specificam.

*Dices*, esse paruum & magnum, & esse insitum à natura, aut superadditum ipsi, non arguere distinctionem essentialem; sed petere ex natura sua esse paruum, & petere ex naturæ sua esse magnum, similiter petere ex natura sua esse insitum à natura, & petere ex natura sua esse acquisitum seu superadditum naturæ, arguere distinctionem essentialem. Cum autem dicitur, quod potentia naturalis sit magna inclinatio, & insita à natura, debet intelligi hoc secundo modo, non primo modo, quatenus scilicet ex natura sua petit esse magna & insita à natura.

*Contra* tamen, quia licet calor ignis petat ex natura sua prouenire ab igne, & esse ipsi innatus, calor vero aquæ non petat ex natura sua esse innatus ipsi, tamen non propterea distinguuntur specie: ergo. *Deinde* calor magnus & intensus, petit ex natura sua esse intensus, & calor paruus petit non esse intensus, & tamen non distinguuntur specie: ergo quamuis potentia naturalis peteret esse magna, & impotentia parua, & quamuis vtraque peteret esse innata, & habitus peteret non esse innatus, non tamen propterea distinguuntur specie.

27. *Dices* non esse paritatem, quia calor paruus, licet vt paruus formaliter petat esse paruus, non tamen petit ex essentia sua esse paruus: potentia autem naturalis petit essentialiter esse magna, & impotentia esse parua, similiter quamuis calor aquæ non petat essentialiter esse innatus aquæ, tamen petit essentialiter esse innatus igni, cum sit cuiusdem essentiæ cum calore prouenient e ab igne; habitus autem ex essentia sua non petit esse innatus vlli, cui petit esse innata potentia naturalis.

*Sed contra*, quia non potest ostendi, cur potentia naturalis petat ex essentia sua esse magna inclinatio, potius quam calor magnus petit ex natura sua esse magnus. *Deinde* non potest colligi, cur illa entitas, quæ est habitus, non petat ex natura sua esse innata alicui subiecto.

*Et confirmatur* hoc maxime, quia non potest ostendi vlla differentia essentialis inter promptitudinem quam quis habet ex natura sua ad currendum, & illam quam acquireret ex frequenti cursu; & tamen prima esset potentia naturalis, & secunda esset habitus.

*Aduertendum autem*, quod non intendam per hoc quin aliqua potentia naturalis possit esse distincta ab aliquo habitu essentialiter, & aliqua etiam impotentia naturalis à potentia naturali; sed solum me velle quod illa differentia non proueniat ex ratione potentiæ naturalis vt sic, sed ex aliqua ratione particulari.

*De Passione & passibili Qualitate.*

28. Non accipitur hic *Passio* pro proprietate rei, quæ propria passio eius satis communiter vocatur, quia hæc vagatur per omnia prædicamenta, & in nostra sententia identificatur realiter rei cuius est: nec pro passione, quæ correspondet actioni agentis, vel in ipsa re producta,

vel

vel in subiecto, in quo producitur, quia hæc spectat ad prædicamentum passionis, & in nostra sententia est respectus extrinsecus aduenêis: nec pro affectionibus animæ, quæ ex cognitione aliquorum obiectorum in nobis causantur, vt est amor, odium, gaudium, tristitia, & huiusmodi, quia licet fortassis hæ passiones sint qualitates, tamen potius spectant ad primam speciem qualitatis, quàm ad hanc tertiam, & certum est aliquas qualitates spectare ad hanc tertiam speciem, quæ non sint tales animæ affectiones, nam colores & qualitates primæ reales spectant secundum omnes ad hanc speciem, quæ tamen non sunt affectiones animæ. Itaque capitur hic *Passio* & *patibilis qualitas* pro qualitatibus determinatis distinctis à qualitatibus primæ & secundæ speciei, quarum determinatarum qualitatum naturam hic breuiter explicabimus.

## CONCLVSIO I.

Quid est qualitas tertiæ speciei.

29. *Qualitas particularis vt sic comprehendens omnes & solas passiones & patibiles qualitates spectantes ad tertiam speciem, bene describitur esse qualitas per se sensibilis sensu externo.* Hæc est conformis *Philosopho* & *Scoto* hic, & patet, quia omni & soli conuenit, & absque superfluitate declarat naturam eius.

*Obiicies* secundum Philosophum, Ira & dementia spectant ad hanc speciem, & tamen non sunt sensibilia sensu externo: ergo prædicta definitio non competit omnibus qualitatibus tertiæ speciei, & consequenter non erit bona definitio qualitatis vt sic comprehendentis omnes qualitates tertiæ speciei.

*Respondeo* cum *Doctore quæst. 26. prædicamentali*, non poni eas in hac specie quasi per se spectent ad illam, sed ad exemplificandum naturam harum qualitatum, quatenus diu durant, aut cito transeunt.

## CONCLVSIO II.

Quid est passio tertiæ speciei & quid patibilis qualitas.

30. *Passio est qualitas per se sensibilis sensu externo cito transiens; patibilis vero qualitas est qualitas sic sensibilis diu durans.* Hæc est communis, *& patet*, quia ponitur in his explicationibus ratio communis ipsis, qua inter se conueniunt, & differunt ab aliis qualitatibus, & præterea differentia particularis, qua inter se distinguuntur, nimirum cito transire & diu durare.

## CONCLVSIO III.

Distinguuntur specie à qualitatibus primæ & secundæ speciei non vero inter se.

31. *Passio & patibilis qualitas, vt sic, distinguuntur specie à qualitatibus primæ & secundæ speciei, inter se verò non distinguuntur, nisi accidentaliter.* Hæc est communior cum *Doctore* supra, & *patet prima pars*, quia hæ ex se & ex natura sua sunt sensibiles sensu externo; illæ verò non sunt sic sensibiles: ergo sunt distinctæ speciei tam bene quàm color & sonus. *Probatur etiam secunda pars*, quia eadem in specie qualitas sensibilis sensu externo potest aliquando diù manere, aliquando citò transire: sed vt diù manens esset patibilis qualitas, vt cito transiens esset passio: ergo qualitas patibilis, & passio, vt sic, distinguuntur specie, quia aliàs eadem specie qualitas non posset esse quandoque passio, quandoque patibilis qualitas, vt patet.

*Confirmatur*, quia calor respectu ignis dicitur patibilis qualitas; respectu verò aquæ dicitur passio. *Confirmatur secundò*, quia nullum est principium distinguendi essentialiter rubedinem ortam ex verecundia, quæ est passio, & rubedinem ortam ex naturali constitutione, quæ est patibilis qualitas: ergo non distinguuntur essentialiter vtraque rubedo.

*Dices* vnam habere ex natura sua quod citò transeat, alteram quod diu perseueret, & hoc sufficere ad distinctionem specificam.

*Contra*, quia hoc gratis dicitur: ergo non debet asseri.

32. *Obiicies*: sonus, qui est passio, distinguitur specie ab omni patibili qualitate, quia repugnat ipsi ex sua natura diu perseuerare: ergo patibilis qualitas distinguitur specie à passione.

*Respondeo* distinguendo consequens: patibilis qualitas vt sic, à passione vt sic, nego; patibilis qualitas talis à passione tali, vel passio talis ab omni patibili qualitate, transeat consequentia, nec id est contra conclusionem, per quam non intendimus quin aliqua passio possit distingui specie ab omni patibili qualitate, sed quod hoc non competat ipsi ex ratione passionis vt sic, & patibilis qualitatis vt sic.

*Ex his patet*, omnia obiecta quinque sensuum externorum, vt calor, frigus &c. quæ percipiuntur à tactu, colores, qui percipiuntur ab oculo; sonos, qui ab aure; sapores, qui à gustu; odores, qui ab odoratu; & etiam species visibiles colorum, si tamen percipiuntur ab oculo, spectare ad hanc tertiam speciem.

*De forma & figura.*

33. Certum est non capi hic *formam*, quatenus significat formam substantialem, quæ informat; nec quatenus significat omne accidens, quod inhæret actu, aut aptitudine, quia forma sic accepta non spectat ad hoc prædicamentum particulariter: Et æque certum est quod figura non capiatur hic, prout dicit imaginem rei, aut typum eius, sicut capitur 1. *Cor.* 10 *Omnia in figura contingebant illis.*

*Auersa* dicit formam & figuram esse qualitates non sensibiles per se, nec operatiuas: & consequenter dicit ad hanc speciem spectare actus vitales potentiarum sensitiuarum exteriorum, & characterem spiritualem, qui communicatur nobis per tria Sacramenta Baptismatis, Confirmationis, Ordinis. *Sed hic dicendi modus non placet*, tum quia nouus & insuetus; tum, quia illi actus vitales & character, tam spectant ad primam speciem qualitatis, quam alii actus vitales. Sententia Auersæ reiicitur.

*Dices*: alii actus vitales sunt operatiui, vt actus intellectus est productiuus habitus. *Contra* quia non ex eo quod sit sic operatiuus ponitur in prima specie, quia certum est quod poneretur in prima specie, quamuis non esset, sic productiuus; vnde qui negant dari habitus, adhuc ponunt actus illos in prima specie.

*Confirmatur*, quia secundum magis communem sententiam actus supernaturales in substantia spectant ad primam speciem, & tamen non sunt productiui vllius habitus secundum eandem sententiam communiorem, & certe visio beatifica non est productiua vllius habitus.

Quid forma & figura.

Capitur ergo *forma* hic pro exteriori illa dispositione, à qua res materialis dicitur pulchra, & speciosa, aut deformis; figura verò capitur pro dispositione aliqua speciali, quâ habent partes quâtitatis, v. g. illa, secûdum quâ faciût triangulum, aut quadrangulum, aut circulum. Quo modo accepta forma & figura, certum est quod vel non sint sensibiles ab vllo sensu externo, vel si sint, non sunt sensibiles per se, sed ratione aliarum qualitatum annexatum, vt ratione coloris aut caloris &c. & hinc distinguuntur à qualitatibus tertiæ speciei.

## CONCLVSIO.

Non datur qualitas quartæ speciei.

34. *Probabilius est non dari aliquam qualitatem particularẽ, quæ significatur nomine formæ, aut figuræ, & est distincta à qualitatibus trium specierum iam explicatarum.* Hæc videtur mihi expressa mens *Scoti in 4. dist. 12. quæst. 4. num. 19.* vbi dicit figuram vltra quantitatem non dicere nisi relationem partium ad se inuicem vel terminorum claudentium partes. Et *in 1. dist. 17. q. 2.* vbi asserit quod pulchritudo non est aliqua qualitas absoluta in corpore pulchro, sed est aggregatio omnium conuenientium tali corpori, puta magnitudinis, figuræ, & colorum, & aggregatio respectuum, qui sunt istorum ad corpus & ad se inuicem.

Nec sufficit quod respondet *quidam Scotista* hic, distinguens duplicem formam & figuram; vnam quæ sequitur ad extensionem partium quantitatiuarum in ordine ad se, & aliam earundem partium in ordine ad locum; & dicens *Scotum* locis iam citatis loqui de forma & figura in hac posteriori acceptione, non in priori. Non sufficit inquam, hæc responsio; tum quia falsum est dari aliquam formam, aut figuram, quæ sequitur extensionem partium in ordine ad se, quæ sit quid absolutum, aut qualitas; tum quia Scotus loquitur absolute de forma, quæ est pulchritudo, & negat eam esse aliquam vnam absolutam qualitatem; quod male sane faceret, si daretur aliqua forma, quæ esset pulchritudo, & esset qualitas vna, quãuis

dare

daretur alia forma, quæ non esset qualitas, & esset pulchritudo. Præter *Scotum* tenet conclusionem *Martyronius* noster *hic passu* 4. & ex recentioribus *Hurtadus disput.* 14. *Physic. sect.* 4. est autem contra *Thomistas* communiter, quos sequitur hic *prædictus Scotista.*

35. *Probatur conclusio*, quia eo ipso, quo partes quantitatis sic inter se ordinentur & vniantur, vt si ponantur in loco modo suo connaturali, debeant habere situm quadrangularem, aut circularem absque vlla prorsus qualitate, habebit quantitas talem vel talem figuram: & eo ipso, quo partes quantitatiuæ alicuius substantiæ cum tali, vel tali extensione & magnitudine ac figura vniuntur inter se, ac habent tantum huius coloris in vna parte, & alterius coloris in altera, res erit pulchra, vel deformis, & habebit consequenter formam in explicatione præmissa, in qua sola potest spectare ad quartam speciem qualitatis; nec est vllum vestigium vllius vnius qualitatis, à qua res haberet esse talis, vel talis figuræ, aut formæ in hac acceptione: ergo cum non sint multiplicanda entia sine necessitate, nõ debet dici, quod detur aliqua qualitas vna, quæ sit forma, aut figura distincta à qualitatibus omnibus aliarum specierum, quod est intentum conclusionis.

*Obiicies*: Philosophus enumerauit illas vt qualitates, ergo tales sunt censendæ.

*Respondeo* negando consequentiam, quia non enumerauit ipsas, vt qualitates veras ex sua propria sententia, sed solum quia ita communiter existimabantur, nec spectabat ad ipsius propositum determinare, an id verum esset nec ne; aut quia sunt qualitates secundum dici.

*De adæquatione diuisionis Qualitatis in prædictas species.* Suppositis dictis, erit facile soluere hanc difficultatem.

## CONCLVSIO.

Qualitas adæquate diuiditur in species enumeratas à Philosopho.

36. *Qualitas vt sic adæquate & bene diuiditur in prædictas quatuor species (supposito quod forma & figura essent qualitates) in hoc sensu, quod nulla sit qualitas, quæ non spectet ad aliquam ex illis, & quod qualitas spectans ad quamcumque vnam speciem, habet aliquam differentiam à qualitate quacumque spectante ad alias species, vel essentialem vel accidentalem.* Hæc debet esse communis.

*Probatur*, quia omnis qualitas aut est insensibilis sensu externo, aut sensibilis; si sensibilis, aut est per se sensibilis, & sic spectat ad tertiam speciem, aut per accidens, & ratione alterius sensibilis & sic spectabit ad quartam speciem: si insensibilis sensu externo, aut est innata rei, & sic spectat ad secundam; aut non innata, & sic spectat ad primam, ergo nulla est qualitas, quæ non spectat ad aliquam ex illis speciebus. Quod autem qualitas spectans ad quamcumque speciem habeat aliquam differentiam à qualitatibus spectantibus ad alias species patet ex descriptionibus earum præmissis. Dixi autem *supposito quod forma & figura sint qualitates*, quia si non sint qualitates, tum qualitas vt sic adæquate diuidetur in tres primas species, vt facile ex iam dictis constat.

*Obiicies.* Rarum & densum sunt qualitates, & tamen non spectant ad vllam ex his speciebus. *Respondeo*, si sint qualitates, eas spectare ad tertiam speciem aut quartam, quia secundum Philosophum 7. *Met.* sunt sensibilia, quod si non sint sensibilia, aut spectabunt ad primam speciem, si scilicet non sint innatæ; aut ad secundam, si scilicet sint innatæ. Dixi autem: ex *suppositione quod sint qualitates*, quia incertum valde est an sint tales, & quidem ipsemet Philosophus aliquando affirmat, aliquando negat, sed non spectat ad præsens vtrum sint necne.

## CONCLVSIO II.

Diuisio tamen non est generis in species.

37. *Qualitas vt sic non recte diuiditur in illa quatuor membra tanquam in veras species essentialiter distinctas.* Hæc est conformis Doctori, quem præter suos multi alii sequuntur, & *patet* ex dictis non solũ, quia forma & figura non sunt qualitates, sed quia vna & eadem qualitas ob diuersitatem accidentalem potest spectare ad diuersas species ex illis. Nec refert, quod Philosophus qualitatem vt sic in has qualitates tanquam in species numerauit absolute, quia loquitur de speciebus impropriis quatenus scilicet tales dicuntur, quæ habent aliquam differentiam, plusquam numericam, sicut dicitur quoddam genus hominum esse laboriosum, quoddam ignauum, cum tamen non dentur homines diuersæ speciei.

*Confirmatur hæc responsio*, quia in fine capitis, enumeratis illis quatuor speciebus, subiunxit: *fortassis quidam alius quispiam modus qualitatis apparebit.* Ex quibus verbis satis datur intelligi, quod ipse non existimauerit species à se enumeratas esse veras species & essentialiter distinctas, quia si sic existimaret, non diceret, quidam alius modus, sed quædam alia species.

*Dices*: ergo non satisfecit suo muneri, quia debebat diuidere qualitatem in veras species.

*Respondeo* negando sequelam, & ad probationem dico quod sufficiebat ipsi sic anumerare qualitates, vt omnes comprehenderet.

Alius modus diuidendi Qualitatem in proprias species.

38. Est autem pro complemento huius quæstionis aduertendum, quod qualitas possit alio modo diuidi in suas species, quæ veræ sint species realiter & essentialiter inter se distinctæ: nam imprimis qualitas, vt sic diuiditur adæquate in spiritualem & materialem; & *spiritualis* diuiditur in actus seu operationes, & qualitates spirituales, quæ sũt principia talium operationum. Ex his etiam qualitas, quæ est actus vt sic, potest diuidi in actus naturales in substantia, & supernaturales in substantia; & actus naturalis in substantia potest diuidi in actus intellectus & voluntatis; & similiter potest diuidi actus supernaturalis in substantia. *Præterea* actus naturalis intellectus potest diuidi in primam apprehensionem, iudicium simplex, & discursum, & discursus potest diuidi in varias alias species scientiarum, opinionum, & artium. Actus etiam voluntatis naturalis in substantia potest diuidi in varias species actuum diuersorum, quos voluntas potest habere, & longissimum esset singularum specierum catalogum hic texere. *Præterea* actus supernaturales intellectus & voluntatis possunt etiam diuidi in varias species. *Deinde* qualitates spirituales, quæ sunt principia actuum, possunt diuidi in naturales qualitates, & supernaturales qualitates, quæ sunt talia principia. Qualitates supernaturales huiusmodi possunt diuidi in plures species, vt in principia spectantia ad intellectum, & illa quæ spectant ad voluntatem; & similiter diuidi potest qualitas huiusmodi naturalis ordinis: & qualitas spectans ad intellectum potest diuidi in qualitatem, quæ supplere potest concursum obiecti, & quæ non supplet: primi generis erunt species intelligibiles; secundi generis erunt habitus generati per actus, & facilitantes ad ipsas. Qualitas huiusmodi naturalis spectans ad voluntatem diuidi potest in varios habitus, quos voluntas acquirere potest.

39. *Qualitas non spiritualis* potest diuidi in intentionalem, & realem: intentionalis est, quæ ex natura sua ordinata est per se primo ad perfectionem potentiæ vitalis materialis; realis est quæ non est sic instituta: prima diuidi potest in cognoscitiuam materialem; & appetitiuam materialem: cognoscitiua diuidi potest in actus & principia actuum; appetitiua in actus & habitus, si dentur in eo habitus. Realis diuidi potest in qualitatem primam & secundam; prima diuidi potest in quatuor primas, secunda in varias alias iuxta varietatem earum, quæ quia magna est, vt & aliarum qualitatum, propterea valde difficile esset prædicamenti huius integri seriem proponere, nec id necessarium est, sicut nec proponere seriem integram prædicamenti substantiæ.

*De proprietatibus Qualitatis.*

Prima proprietas qualitatis est habere contrarium.

40. *Prima proprietas* enumerata à Philosopho, est habere contrarium. Quod non sic intelligendum est, quod sola qualitas habeat aliquam aliam formam positiuam sibi dissimilem & oppositam essentialiter, nam omnis species cuiuscumque prædicamẽti habet aliquid sibi contrarium in hoc sensu; nec sic etiam, vt sola qualitas habeat aliquam formam positiuam sibi sic oppositam, vt expellant se mutuò ab eodem subiecto, quia vna forma substãtialis expellit alteram ab eadem materia. Intelligitur ergo sic, vt sola qualitas habeat formam positiuam absolutam sibi oppositam, per quam expellatur ab eodem subiecto

inhæsionis

inhæsionis. Dico autem formam absolutam, quia vnum vbi expellit formaliter aliud vbi ab eodem subiecto inhæsionis. Quare si explicanda sit hæc proprietas sic, vt soli qualitati conueniat, debet addi, quod sola qualitas habeat formam positiuam absolutam sibi contrariam sic, vt non possit compati cum eadem forma in eodem subiecto inhæsionis. Sed nec in hoc etiam sensu hæc proprietas conuenit omni qualitati; nam lux est qualitas, & tamen non habet contrarium in hoc sensu, nec etiam habitus supernaturales, aut species impressæ.

*Secunda proprietas est* susceptiuum esse magis & minus, hoc est posse intendi & remitti: quod quidem competit qualitatibus pluribus, non tamen videtur competere omnibus; nam certe quilibet actus intellectus vnus non videtur posse intendi aut remitti proprie loquendo, nec quælibet species impressa. Deinde ipsemet Philosophus asserit hanc proprietatem non conuenire soli qualitati: & certe quantum ad modum loquendi, dicitur res quæcumque esse magis & minus similis alicui, sed & vna actio dicitur magis intensa alia actione.

*Tertia proprietas est*, quod secundum eam res dicuntur similes & dissimiles; quod sine dubio intelligendum est de similitudine stricte sumpta, quę fundatur in ipsamet qualitate: nam res dici similes & dissimiles large loquendo secundum quascumque formas, in quibus conueniunt aut disconueniunt, est extra controuersiam. Addendum autem quod ex hac proprietate vix possit declarari natura qualitatis, quia non potest intelligi bene, quid sit similitudo proprie dicta, nisi intelligatur prius ipsamet qualitas, quandoquidem similitudo proprie dicta, vt distinguitur ab aliis similitudinibus, non possit cognosci nisi quatenus cognosceretur fundari in qualitate. Itaque in hoc solum sensu posset per hanc proprietatem colligi aliqua forma esse qualitas, quatenus qui cognosceret aliqua esse similia in aliqua forma, quæ non esset nec substantia, nec quantitas, nec relatio vlla, eo ipso posset cognoscere quod illa forma esset qualitas.

# DISPVTATIO XVII.

## QVAE EST VNICA.

### De Sex vltimis Prædicamentis

IN vnica hac disputatione naturam sex vltimorum prędicamentorum scilicet *Actionis*, *Passionis*, *Quando*, *Vbi*, *Situs*, *Habitus*, explicare conabimur.

## QVÆSTIO I.

### *Vtrum detur relatio extrinsecus aduenies & quid sit.*

1. MOueo hanc quæstionem hic, quia communis sententia *Scotistarum* est, sex vltima prædicamenta consistere in huiusmodi relationibus, Quæ sententia communiter reiicitur, & quidem hoc fundamento, quod non dentur tales relationes.

Quid sit relatio extrinsecus aduenies.

Vt autem hæc res bene intelligatur, ac vitetur quæstio de nomine, *aduertendum est* nos cum *Scoto* nihil aliud intelligere per relationem extrinsecus aduenientem, quam formam pure respectiuam, quæ nec includit aliquid absolutum intrinsece & essentialiter, nec identificatur realiter ex suppositione quod daretur talis similitudo (de cuius suppositionis veritate parum hic est curandum) & quæ non spectat ad prædicamentum *Ad aliquid*.

*Aduertendum secundò*, omnem relationem transcendentalem identificari alicui alteri entitati, quam præsupponit vt fundamentum, v.g. relatio transcendentalis, quam dicit creatura ad Deum, identificatur ipsimet creaturæ; & relatio, quam dicit intellectus ad obiectum, identificatur ipsimet intellectui. Relatio verò pertinens ad prædicamentum *Ad aliquid*, quam vocant *Scotistæ* meritò relationem intrinsecus aduenientem, necessario præsupponit fundamentum & terminum cum ratione fundandi; quibus positis necessario resultat absque aliqua actione ad ipsammet terminata: vnde si detur aliqua forma relatiua, quæ non identificatur alicui alii rei, nec præsupponit fundamentum, terminum, & rationem fundandi ad quæ necessariò sequitur, dabitur relatio extrinsecus aduenies; nihil enim aliud intelligimus per relationem extrinsecus aduenientem, quàm huiusmodi: & ratio nominis est aptissimè: cum enim sit entitas pure relatiua, hoc est non includens aliquid absolutum, nec identificatum vlli absoluto, debet vocari relatio; & quia vlterius non sequitur necessariò ex vi fundamenti, & termini, aut vllius rationis fundandi se habentis ex parte ipsorum absque actione aliqua immediate terminata ad ipsammet, quemadmodum sequuntur relationes de prædicamento Ad aliquid, merito vocatur extrinsecus aduenies, ad differentiam illarum aliarum relationum, quæ intrinsecus aduenientes dicuntur; & per hoc patet responsio ad discursum longissimum, quo vtitur *Suarez* supra contra *Scotum* ex nomine relationis intrinsecus aduenientis.

### CONCLVSIO.

2. *Dantur relationes extrinsecus aduenientes in sensu iam explicato.* Hæc est *Doctoris in* 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. *& in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 1. *quod libeto* 11. *num.* 4. *cum Scotistis omnibus*, quos sequuntur *Louanienses hic*; *Paulus Venetus* 5. *Met. capit.* 36. & alii contra communiorem *Thomistarum*, *& Recentiorum* sententiam, quos citant & sequuntur *Suarez disput.* 48. *Met. sectio.* 1. *Ruuius & Complutenses hic.* Dantur relationes extrinsecus aduenientes.

*Probatur*, quia secundum aduersarios communiter datur vnio inter materiam & formam, quæ est aliquid reale positiuum distinctum ab illo: & licet hoc negetur à *Caietano* & aliquibus paucis; tamen id modo supponendum est cum communiori aduersariorum sententia, quam aliàs probabimus, Deo volente: sed illa vnio est huiusmodi respectus: ergo, &c. Probatur minor, quia est aliqui dreale, cuius totum esse consistit in ordinatione actuali vnius ad aliud: ergo est essentialiter respectus; non est autem intrinsecus aduenies, vt fatentur aduersarii, & patet, quia non præsupponit aliquid ex parte extremorum, ad quod necessario sequitur, possunt enim extrema esse existentia simul, quamuis non haberent illam vnionem: non est etiam respectus transcendentalis, quia neque est quid absolutum, aliàs essentia eius non consisteret in actuali ordinatione vnius ad aliud; neque identificatum realiter alicui absoluto, quia non potest assignari quodnam sit illud absolutum, cui identificaretur, aut quis effectus, aut vtilitas eius: ergo non est respectus transcendentalis, aut prædicamentalis de prædicamento Ad aliquid, & consequenter erit extrinsecus aduenies.

*Confirmatur* hoc meo iudicio euidenter, quia eodem modo, quo aduersarii dicunt vnionem esse aliquid absolutum dicens respectum transcendentalem, & propterea non posse intelligi, nisi per modum respectus, posset aliquis dicere, quod similitudo & quicumque respectus intrinsecus aduenies esset etiam quid absolutum, dicens tamen ordinem ad terminum: sed hoc est absurdum etiam secundum ipsos: ergo & illud, vnde sequeretur probabilitas eius.

3. *Confirmatur secundò*, quia si vnio materiæ ad formam esset quid absolutum, quæ esset ratio cur dicerentur vniri, deberet poni in vtroque extremo, vel vnum absolutum in vno, & alterum in altero: sed non potest poni in vtroque extremo vnum absolutum, quia vnum numero nequit naturaliter afficere duo subiecta æque immediate, sicut nec vna forma duo subiecta, siue informando, siue inhærendo; nec etiam ponitur vnum absolutum in vno, & alterum in altero, quia sic daretur duplex vnio substantialis inter materiam & formam contra magnam partem aduersariorum, vt videbimus primo Physicorum. Probatur sequela maioris, quia quæcumque referuntur ad se inuicem relatione reali mutua, debet habere ab vtraque parte rationem positiuam fundandi illam denominationem, nec potius debet fundari in vna quam in altera, si vtraque sit capax: & ita videmus contingere in relationibus similitudinis & dissimilitudinis, ac similibus: sed materia & forma referuntur ad se inuicem denominatione mutua relatiua

vniti, & ille modus absolutus est ratio proxima aut formalis, aut fundamentalis, vnde proueniat : ergo debet poni in vtroque extremo.

4. *Confirmatur tertiò*, quia frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora : sed ex duabus formalitatibus, quas ponunt in vnione, absoluta scilicet & respectiua, sufficeret sola respectiua: ergo frustra ponitur altera.

*Dices* : si potuisset poni, sufficeret; sed non potest poni sine absoluto, & consequenter est magna necessitas absoluti. *Contra*, quia non potest, vel leuissima ratio assignari, quæ ostenderet, quod non posset poni : ergo gratis asseritur minor.

*Confirmatur quartò*, quia non potest dari vlla implicantia, cur non posset aliquid pure respectiuum poni de nouo inter materiam & formam per actionem alicuius extrinseci terminatam immediate ad illud : sed ex suppositione quod hoc posset fieri, non est vlla ratio, ob quam dicatur, quod ita de facto non fiat; & ex altera parte multo congruentius esset dicere, quod ita fiat, quandoquidem illud, quod ponitur inter illa, non possit intelligi, nisi per modum respectus actualiter ordinantis vnum ad aliud: ergo debet dici quod illud, quod ponitur inter illa per actionem causæ vnientis, sit respectus purus, & nullo modo quid absolutum.

5. *Dices*, implicantiam esse quod respectus possit produci per actionem aliquam ad se immediate terminatam, vt sæpius testatur Philosophus; si autem poneretur per causam extrinsecam aliquid pure respectiuum inter materiam & formam, produceretur respectus per actionem ad se immediate terminatam.

*Contra*: Philosophus nunquam dixit non posse terminari actionem immediate ad relationem extrinsecus aduenientem, sed tantum id de relatione intrinsecus aduenière asserit. Sed non est eadem ratio de vtraque: ergo, &c.

Ad quas relationes non datur actio.

*Dices*, Philosophum non fecisse mentionem de vna in specie, neque de altera, sed id vniuersaliter asserit de relatione, & propterea debet intelligi de quacumque relatione.

*Contra*, quia id asserit expresse de relatione tertii prædicamenti præsertim secundum aduersarios, quia alias relationes non nouit : ergo non debet intelligi de aliis relationibus, si darentur, sed de iis, quæ ad illud prædicamentum pertinent.

*Et confirmatur*, quia illud quod dixit Philosophus, debet fundari in ratione: sed non est vlla ratio, cur ad relationes extrinsecus aduenientes non daretur actio, & est optima ratio cur non daretur ad relationes intrinsecus aduenientes, quia hæ præsupponunt aliquid, ad quod necessario sequuntur sine actione: illæ vero non præsupponũt: ergo intelligendus est Philosophus solum de his, & non de illis. Quod si Philosophus expresse negaret ad vllam relationem dari actionem, potius neganda esset eius authoritas, quam hæc conclusio.

6. *Obiicies primò* : Propterea relationes intrinsecus aduenientes dicuntur tales, quia sequuntur necessario ad extremas, posito fundamento proximo seu ratione fundandi; sed vnio licet non sequatur necessario positis extremis, tamen sequitur necessario positis illis, & ratione fundandi: sequitur enim necessario ad actionem vnitiuam, quæ est ratio fundandi ipsam: ergo si sit relatio non transcendentalis, non erit extrinsecus, sed intrinsecus aduenies tam bene, quam similitudo, aut paternitas.

*Confirmatur ex Ioanne à S. Thoma* hic : actio sequitur necessario posito fundamento, & termino, & ratione fundandi, & similiter vbi : ergo sunt relationes intrinsecus aduenientes potius, quam extrinsecus iuxta nostram explicationem. Probatur antecedens, quia ratio fundandi actionem est positio effectus, & ratio fundandi *vbi* est circumscriptio corporis ambientis: sed positis his necessario sequitur actio & vbi, ergo.

*Respondeo* negando minorem; ad cuius probationem dico quod actio vnitiua non sit ratio formalis fundandi vnionem, nam ratio formalis fundandi debet esse in extremis, quæ referuntur aut in aliquo ex illis, vt patet discurrendo per omnes relationes tertii prædicamenti; actio vero vnitiua est in agente vniente, & non in illis extremis. Quod si etiam actio illa esset ratio fundandi, & etiam esset in illis extremis, adhuc obiectio nihil concluderet;

*Respondetur enim secundò* distinguendo maiorem : posito fundamento proximo seu ratione fundandi distincta ab actione productiua relationis, concedo; quæ non distinguatur ab ipsa, sed sit ipsamet actio productiua vnioris, nego maiorem.

7. *Ad confirmationem* nego antecedens cum sua probatione: nam positio effectus & circumscriptio corporis habetur formaliter per ipsammet actionem, & vbi, & non per aliquid prius : ergo non sunt rationes fundandi, ad quas sequuntur necessario actio & vbi.

Et per hoc patet ad fundamenta *Arriagæ disput. 12. Log. num. 6. & 11.* qui videtur non intellexisse nostram sententiam, dum in confirmatione sua euidenti, vt ipse ait, ex eo quod relatio paternitatis sit intrinsecus aduenies, infert relationem causæ & effectus intercedentem inter duos ignes esse talem: quasi Scotistæ non eodem modo philosopharentur de vtrisque; cum tamen certum sit eos nullam prorsus agnoscere differentiam inter illas. Nam qui ponunt inter patrem & filium præter actionem, quæ est respectus extrinsecus aduenies, aliam relationem intrinsecus aduenientem, similes duas relationes ponunt inter duos ignes; & qui vnam tantum relationem ponunt inter patrem & filium, quæ est actio, ac respectus extrinsecus aduenies, vnam etiam ponunt tantummodo inter duos ignes.

*Obiicies secundo* : si daretur aliquis respectus purus non transcendentalis, qui non esset de prædicamento *Ad aliquid*, esset & non esset istius prædicamenti, quod est absurdum. Probatur sequela; non enim esset, ex hypothesi; esset autem, quia conueniret vniuoce in ratione respectus cum relationibus istius prædicamenti.

*Respondeo* negando sequelam cum sua probatione quoad secundam partem; non enim ex eo quod aliqua conueniunt vniuoce, debent poni in eodem prædicamento. *Confirmatur hæc responsio*, quia non est maior conuenientia inter relationem intrinsecus aduenientem & extrinsecus in ratione relationis vt sic, quam est inter vbi & quando, cæteraque vltima sex prædicamenta (ex suppositione quod sint modi absoluti dicentes respectum transcendentalem, vt dicunt aduersarii) in ratione modi absoluti vt sic : ergo sicut ex conuenientia horum in ratione modi non admitterent aduersarii quod pertineant ad idem prædicamentum : neque etiam inferre debent ex conuenientia relationis intrinsecus aduenientis cum relatione extrinsecus aduenientes, quod sint eiusdem prædicamenti.

## CONCLVSIO II.

Descriptio relationis extrinsecus aduenientis.

8. *Bene definitur relatio extrinsecus aduenies esse respectus realis realiter distinctus ab extremis, non præsupponens aliquid ex parte ipsorum, ad quod necessario sequitur, quod non sit actio productiua ipsius, cuius totum esse est ad aliud se habere.* Hæc fere patet ex dictis.

Ponitur *respectus realis*, tanquam genus, in quo conuenit cum aliis relationibus realibus tam transcendentalibus, quàm prædicamentalibus. Dicitur *realiter distinctus ab extremis*, vt distinguatur à relationibus realiter identificatis suis extremis, vt sunt relationes creaturæ ad Deum, materiæ ad formam, potentiæ ad obiectum, &c. Dicitur, *non præsupponens aliquid ex parte extremorum ad quod necessario sequitur*, vt distinguatur à relationibus intrinsecus aduenientibus, quæ tale quid semper præsupponunt. Dicitur *quod non sit actio productiua*, quia aliquando posset præsupponere in extremis vel in aliquo ex illis ipsam actionem productiuam sui : quando enim aliquis moueret se localiter, & poneret se in loco, *vbi* illud intrinsecum, quod haberet, præsupponit in ipso aliquid ad quod necessario sequitur, nimirum actionem productiuam sui. Verumtamen aduertendum est quod non necessario præsupponeret ipsam in extremis, quia si agens extrinsecum poneret locatum in illo loco, habuisset illud vbi, & tũ actio productiua *vbi* non esset in extremis:

Et

Et hoc quidem certum est in sententia, quæ dicit, quod actio subiectetur in agente; sed in altera sententia, quæ dicit actionē esse in passo, & non in agente, non esset hoc certum, quia sicut ipsum vbi, quod producitur, est necessario in extremis, ita etiam actio deberet necessario esse in ipsis; & propterea opportune additur in definitione particula illa, *quod non sit actio productiua.* Dicitur denique *cuius totum esse est ad aliud se habere*, vt distinguatur ab absolutis dicentibus respectum transcendentalem, quæ, intercedētia inter extrema realiter distincta ab ipsis, vnum referunt ad aliud (si sint aliqua huiusmodi) vt intellectio, quæ refert intellectum vt intelligentem ad intellectum: nam cum huiusmodi entia includant aliquid absolutum, non possunt habere totum suum esse ad aliud; vt patet.

*Dices*, respectus transcendentales seeluſos esse ab hac definitione per hoc, quod dicatur respectus extrinsecus aduenies distingui realiter à suis extremis: nam respectus transcendentales identificantur realiter suis extremis: ergo frustra ponitur hæc particula vltima ad secludendos respectus transcendentales.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: quatenus comparantur ad extrema, quibus identificantur, concedo; quatenus comparantur ad extrema, quibus non identificantur, nego antecedens, & consequentiam: quia addenda erat vltima particula ad excludendos respectus transcendentales, quatenus comparantur ad extrema, quibus non identificantur; verbi gratia respectus transcēdentalis, quem dicit intellectio ad obiectum, refert ipsam ad obiectum, & præterea refert potentiam intellectiuam ad idem obiectum, identificatur autem intellectioni, non potentiæ: si ergo consideretur iste respectus, vt habet pro extremis intellectionem & obiectum, bene excluditur per primam illa particulam definitionis; si vero consideretur, vt habet pro extremis potentiam & obiectum, non excluditur per illam particulam, sed bene per hanc vltimam.

## QVÆSTIO II.

### *Vtrum sex vltima prædicamenta sint relationes extrinsecus aduenientes*

10. *Prima sententia* ponit sex vltima prædicamenta consistere in denominatione extrinseca. Ita *Herueus quodlibeto 1. quæst. 9. Iauellus 5. Metaph. quæst. 23. Scotus, & Masius hic*, quibus fauet *D. Thomas opusc. 48. tract. 6, cap. 1. & alibi.*

*Secunda sententia* est *Capreoli in 2. dist. 2. quæst. 1. Soncin. 5. Metaph. 36. Ruuij hic* tenens hæc prædicamenta nec omnino esse absoluta nec omnino respectiua, sed consistere in absoluto & respectiuo.

*Tertia sententia*, dicit esse modos absolutos formaliter & realiter à parte rei, qui tamen sint relatiua secundū dici. Hanc tenent *Complutenses*, qui plures alios pro ea citant.

*Quarta sententia* tenet aliqua ex his prædicamentis consistere in denominatione extrinseca, aliqua in denominatione intrinseca. Ita *Auersa hic.*

*Quinta denique sententia* est quod consistant in respectibus extrinsecus aduenientibus. Ita *Scotus* citatus quæstione præcedenti cum suis omnibus.

## CONCLVSIO I.

Sex vltima prædicamenta sunt respectus extrinsecus aduenientes.

11 *Sex vltima prædicamenta consistunt in respectibus extrinsecus aduenientibus.* Hæc est iuxta quintam sententiam.

*Probatur primo*, quia dantur respectus extrinsecus aduenientes, vt quæstione præcedenti probatum est: ed illi respectus non spectant ad alia prædicamenta, vt patet: ergo ad hæc prædicamenta pertinet & consequenter hæc prædicamenta consistunt in talibus respectibus.

*Confirmatur*, quia ex suppositione, quod dentur, nihil impedit, quo minus hæc prædicamenta in illis consistere dicantur, & nulla alia sententia satisfacit: ergo in illis constitui debent. Minor patebit tum ex impugnatione illarum sententiarum, tum ex solutione obiectionum.

*Itaque contra primam sententiam* facit, quod vt postea ostendemus, actio, & vbi consistant in aliquo positiuo superaddito extremis, inter quæ intercedit.

*Contra secundam* facit, quod non assignet aliquam vnam per se essentiam entibus horum prædicamentorum, quia ex absoluto & respectiuo non fit vnū per se; & deinde, quod superflue absque ratione vlla, vel necessitate ponat formalitatem absolutam spectare ad entia horum prædicamentorum, cum sola formalitas relatiua sufficiat.

*Contra tertiam* facit, quod hæc entia consistant in ordinatione actuali vnius ad aliud non minus, quam similitudo duorum alborum, ex suppositione, quod talis similitudo daretur: ergo debent dici esse respectus non minus, quā talis similitudo. Et sane qui hoc negaret, posset similiter negare, quod similitudo esset respectus, & dicere, quod esset quid absolutū, & relatiuum tantum secundum dici.

12. *Contra quartam denique facit*, quod eadem sit ratio de omnibus his prædicamentis quantum ad hoc: ergo si aliqua ex illis non sint denominationes extrinsecæ, nec vlla erunt.

*Confirmatur*, quia qua ratione aliquæ denominationes extrinsecæ spectarent ad hæc prædicamenta, omnes deberent spectare à paritate rationis: sed hoc est falsum, tum quia esse visum est denominatio extrinseca, & tamen spectat ad prædicamentum qualitatis, ad quam scilicet spectat ipsamet visio, à qua prouenit illa denominatio; & secundum ipsum *Auersam* relationes prædicamenti Ad aliquid sunt denominationes extrinsecæ, nec tamen ad hæc prædicamenta spectant: quæ etiam ratio militat contra primam sententiam,

*Confirmatur secundò*, per ea quæ in particulari de his prædicamentis dicemus.

13. *Obiicies* ex *Suario, & Auersa*, contra conclusionem: multæ qualitates respiciunt essentialiter sua obiecta, & vnio substantialis essentialiter respicit sua extrema, & consequenter sunt respectus extrinsecùs aduenientes, cum non sint de prædicamento Ad aliquid: sed non spectant ad hæc prædicamēta: ergo saltē falsum est quod omnes respectus extrinsecus aduenientes spectent ad hæc prædicamenta.

*Respondeo* nullam qualitatem esse respectum extrinsecus aduenientem, quandoquidem omnis qualitas sit quid absolutum, & consequenter non pure relatiuum; vnde videtur mihi, quod *Auersa*, qui vtitur hoc exemplo, non intellexerit respectum extrinsecus aduenientem iuxta mentem *Scoti* Quod ad vnionem illam attinet, dico illam quidem esse purum respectum, & spectare ad prædicamentum actionis, vt ex ibi dicendis patebit.

14. *Obiicies secundò* ex *Arriaga disput. 12. sect. 2.* Duratio & vbi necessario sequitur posito fundamento: ergo non possunt esse respectus extrinsecus aduenientes.

*Respondeo*, negando antecedens: quamuis enim daremus rem non posse esse absque aliqua duratione & vbi, sane tamen potest esse absque quacumque duratione & vbi in particulari: vnde quæcumque duratio & vbi in particulari potest esse extrinsecus aduenies.

*Obiicies tertio*: si hæc prædicamenta conuenirent in respectu extrinsecus aduenīente vt sic, deberet omnia facere vnum prædicamentum: hoc est falsum: ergo.

*Respondeo primò*, hoc argumentum militare contra alias sententias, quia similiter sequeretur, quod omnia hæc prædicamenta facerent vnum prædicamentum, si omnia consisterent aut in denominationibus extrinsecis, aut in aliquo modo absoluto sine respectu, aut in modo absoluto cum respectu.

*Respondeo secundò* negando sequelā maioris, quia quēadmodum omnia absoluta, v. g. qualitas, quantitas, & substantia non debent necessario facere vnum prædicamentum, ita nec omnia relatiua debent necessario poni in vno prædicamento, quamuis conuenirent in ratione aliqua communi vt sic. Quod si dicatur omnia absoluta non conuenire vniuoce in aliqua ratione communi vt sic, similiter poterit dici, quod omnia relatiua non conueniant vniuoce in aliqua ratione relatiua communi vt sic.

15. *Obiicies quartò* pro *Complutensibus*, & *Ioanne à S. Thoma*: propria ratio relationis consistit in *esse ad*, seu in hoc, quod sit accidens faciens respicere aliud ex proprio suo & natiuo effectu: sed hoc non conuenit his vltimis prædicamentis, nam qnatuor vltima dicunt *esse in* ex sua propria ratione: *Vbi* enim facit rem esse in loco, *Quando* in tempore, *situs* disponit partes in loco, *Habitus* resultat

ex eo quod vestis sit in corpore : similiter *actio* non dicit esse *ad*, sed esse *ab*, & *passio* est in passo.

*Confirmatur*: si sex vltima prædicamenta essent relationes, necessario essent mutuæ : hoc autem est falsum, quia actio, & passio non sunt simul natura.

*Respondeo* negando minorem, ad cuius probationem dico manifestum esse, sex vltima prædicamenta dicere ex natura sua intrinseca *esse ad* tam bene quam similitudo: nam actio ordinat agentem ad effectum, passio effectum seu passum ad agentem, vbi locatum ad locum, quando rem existentem ad tempus, & ita de reliquis; sicut similitudo ordinat album vnum ad aliud album coexistens. Nec refert, quod actio dicatur esse ab agente, passio in passo, vbi in loco, nam etiã similitudo dicitur esse in subiecto, & tamen non propterea dici debet quod non sit relatio. Prætereo, improprie dici à Complutensibus, quod vestis sit in corpore, & falsum esse, quod habitus sequatur ex eo, quod vestis sit in corpore, imò ab ipso habitu habetur vestis esse in corpore, seu vt propriùs dicam, vestis circa corpus aut applicata corpori.

16 *Confirmatur* responsio, quia ideo aliquid est essentialiter actio, non quia est ab agente quomodocumque, sed quia est ab ipso sic, vt ab ipsa denominatur per se formaliter agens producere aliud: & ideo aliquid dicitur essentialiter passio, non quia est in passo quomodocumque, sed quia est in ipso sic, vt ab ipsa denominetur passum pati ab aliquo: & ideo aliquid dicitur esse vbi, non quia est in loco quomodocũque, nec quia ponit in loco quomodocumque, sed quia est ratio formalis, à qua essentialiter & formaliter habet aliquid actu constitui in loco : ergo actio, passio, & vbi dicunt ordinationem actualem vnius ad aliud, nimirum, agentis ad passum, passi ad agens, locati ad locum: ergo dicunt *esse Ad* non minus quam similitudo, quæ propterea dicit *esse Ad* essentialiter, quia munus ipsius est referre actualiter vnum extremum ad aliud.

17. *Ad confirmationem obiectionis, Respondeo primò*, quod si aliquæ relationes ex sex vltimis prædicamentis non essent mutuæ, inde formaliter non sequatur, quod non essent relationes; neque enim ex conceptu relationis vt sic, habetur necessario, quod debeant esse mutuæ, vt patet in relationibus tertij generis, quæ secundum ipsosmet aduersarios non sunt mutuæ.

*Respondeo secundò*, concedendo sequelam maioris, & negando minorem: ad cuius probationem, dico aliud esse, quod relationes sint mutuę, aliud quod sint simul natura; ad ipsam autem rem dico, quod certum sit reliquas relationes spectantes ad vltima prædicamenta, præter actionem & passionem, esse simul natura; vnde quantum ad hanc rationem, saltem illæ possunt esse relationes. De actione etiam & passione certũ est, quod sint simul natura quantum ad hoc, quod ab vna ad alteram sequatur subsistendi consequentia pro quocumque instanti temporis, nec alia simultas naturæ necessariò requiritur in omnibus relationibus.

## QVÆSTIO III.

### De Actionis prædicamento.

*Explicatur sententia Scoti de Actione.*

Nomen actionis est æquiuoci.

18. NOmen Actionis, vt aduertit *Doctor in 4. dist. 13. quæst. 1. & quodlib. 13.* est æquiuocum; significat enim plura secundum diuersam rationem; *primò* enim significat actiones vitales, quibus potentiæ vitales tendunt in sua obiecta, vt intellectus in intelligibile, voluntas in volibile, visus in visibile, quæ actiones sunt de prædicamento qualitatis, & non huius prædicamenti.

*Secundò* sumitur aliquando à Philosopho pro reacta, seu pro effectu, qui producitur ab efficiente : & sic etiam non spectat ad hoc prædicamentum, sed ad illa, ad quæ spectat res illa producta.

*Tertiò* sumitur pro respectu, seu relatione, quæ supponitur resultare in re, quæ aliam rem producit statim atq; illam producit; & manet in illa re, quandiù coexistit cum re producta : & actio hoc modo spectat potius ad prædicamentum *Ad aliquid*, quam ad hoc prædicamentum, si tamen detur talis actio, seu productio, de quo egi supra *disp. de relatione num. 46.*

*Quartò*, sumitur pro respectu educentis ad formam, quæ educitur ab aliquo agente ex potentia alicuius subiecti.

*Quintò* pro respectu inducentis ad formam, quam inducit aliquod agens in aliquod subiectum.

*Sextò* denique sumitur pro respectu transmutantis ad transmutatum, mediante quod scilicet aliquod agens mutat aliquod subiectum.

Inductio potest esse sine eductione non è contra.

19. Ex his tribus vltimis respectibus certum est posse dari respectum inducentis, sine respectu educentis; anima enim rationalis inducitur & non educitur: non potest tamen esse eductio sine inductione, nihil .n. educitur ex potentia alicuius, quod non recipiatur in ipsomet. Potest etiam dari respectus transmutantis sine eductione, vt patet in transmutatione corporis, quæ est altera pars viuentis per animam rationalem, non tamen sine inductione, quia nihil potest transmutari, proprie loquendo, hoc est intrinsece, per receptionem formæ, quam non habuit ante, quin inducatur illa forma in illud, quod transmutari dicitur. Transmutatio potest dari sine eductione, sed non sine inductione

Actio eductiua realiter identificatur alicui actioni inductiuæ & etiam actio transmutatiua.

Vnde existimo actionem eductiuam realiter identificari actioni inductiuæ, & actionem transmutatiuam realiter identificari actioni inductiuæ in hoc sensu, quod illa actio qua transmutatur aliquod subiectum, debeat necessario esse actio, qua inducatur aliquid in ipsum; & illa actio, qua inducitur in subiectum, debeat necessario esse actio, qua transmutatur; & denique illa actio qua aliquid educitur ex subiecto, debeat esse & actio, qua inducitur aliquid in ipsum, & consequenter actio, qua transmutatur illud subiectum. Vnde quando *Scotus* videtur distinguere actiones has, existimo quod debeat intelligi, non de distinctione reali, sed potius de distinctione aliqua formali, vel rationis, vel etiam de distinctione reali in hoc sensu, quod bene possit actio transmutantis aliqua esse distincta realiter ab omni actione eductiua, hoc enim est certum, quoties transmutatur aliqua res per formam, quæ non educitur è potentia eius.

An actio inductiua, & eductiua sit relatio intrinsecus aduenies.

20. Difficilius, est quod *Scotus* supra in *quarto, num. 11.* dicit, respectum inducentis ad inductum, & educentis ad eductum esse respectum intrinsecus aduenientem; respectum vero transmutantis ad transmutatum esse respectum extrinsecus aduenientem, atque adeo respectum transmutantis ad transmutatum solummodo spectare ad hoc prædicamentum, non vero respectum inducentis aut educentis. Cuius rationem assignat, quod non possit esse forma inducta aut educta simul cum inducente aut educente, quin sit respectus eductionis aut inductionis; possit autem esse transmutans v. g. causa transmutatiua & transmutatum, hoc est subiectum ab ipso transmutabile sine transmutatione, nimirum in casu, quo poneretur aliquod impedimentum, vt si adesset fortior agens, aut deesset concursus diuinus. Hæc doctrina mihi semper visa est difficilis, & si vera esset, falsum esset quod paulo ante diximus, nempe actionem transmutatiuam identificari realiter semper actioni inductiuæ alicui, & actionem eductiuam semper identificari alicui actioni transmutatiuæ, quia omnis relatio extrinsecus aduenies distinguitur realiter ab omni relatione intrinsecus aduenie nte, alias non ponerentur in prædicamentis realiter distinctis.

Contra partem affirmatiuam.

Ideo autem hæc doctrina visa mihi est difficilis *primò*, quia si distinguitur realiter actio eductiua à transmutatiua sanè transmutatiua non potest esse prior quam eductiua, sed potius è contra eductiua debet esse prior : hoc autem supposito videtur quod relatio transmutantis, seu actio transmutiua sit intrinsecus aduenies, quia sequitur necessario suppositis extremis, & eductione formæ seu inductione eius ita, vt de potentia Dei absoluta non possit non esse magis quam similitudo duorum alborum possit non esse, supposita eorum coexistentia: sed illa relatio, quæ necessario sequitur positis extremis, & aliqua ratione priori, quæ non sit actio productiua istius relationis, est intrinsecus aduenies, vt patet ex dictis quæstione prima huius disputationis : ergo illa relatio transmutantis esset extrinsecus aduenies in casu supposito.

*Secundò*, quia videtur quod relatio educentis aut inducentis sit extrinsecus aduenies, quia illa relatio est extrinsecus aduenies, quæ non sequitur necessario positis extre

extremis & quibuscumque conditionibus præuiis: sed posito calore v.g. & calefactiuo & omnibus prærequisitis ad eductionem aut inductionem, non necessario sequitur eductio aut inductio inter calorẽ & calefactiuum illud, nam non sequeretur illa eductio aut inductio, si calor esset eductus ab alio calefactiuo; & si esset eductus à solo Deo absque subiecto, non esset eductio aut inductio in vllo agente terminata ad illum calorem: ergo tam bene est relatio extrinsecus aduenies, quam vnio materiæ ad formam, aut vbi, quę secundum Scotum sunt relationes extrinsecus aduenientes.

Explicatio Doctoris.

*Propter has difficultates* existimo Doctorem, quando dicit quod eductio & inductio sit relatio intrinsecus aduenies, intelligẽdum esse conformiter ad principia alia communia de productione. Itaque quemadmodum secũdum illa principia causa producens, v.g. homo generans hominẽ dicit duas productiones diuersę rationis ad rem productam, vnam quę spectat ad prædicamentum actionis, & manet solummodo, vel quãdiu manet res in fieri ab illa causa, vel quãdiu actualiter depẽdet ab illa causa; & alterã productionẽ, quæ est de prædicamento Ad aliquid, quæ præsupponit priorẽ, & manet quãdiu extrema illa manẽt, siue res producta depẽdeat actualiter à causa siue non dependeat; Ex quibus productionibus prior est relatio extrinsecus aduenies, posterior vero intrinsecus aduenies: Ita causa educens aut inducens dicit duplicẽ eductionem, aut inductionem; vnam quæ manet quamdiu res est in fieri, aut actu dependet ab inducente; & alteram, quæ ad illam sequitur & manet quamdiu res educta, & educens existunt in rerum natura, siue actu dependeat res educta ab educente, siue non; ex quibus prior eductio aut inductio est relatio extrinsecus aduenies, & de illa procedit discursus præmissus contra doctrinam Scoti; posterior vero est intrinsecus aduenies, & de illa loquitur Scotus, nec contra eam facit ille discursus. An autem reuera sint illę duę eductiones, iisdem rationibus probandum aut improbandum est, quibus vtuntur authores ad probandum aut improbandum, quod detur paternitas intercedens inter patrem & filium, & sequens necessario ad illos, supposita productione vnius ab altero. Quod totum dictum sit ad defensionem, & intelectionem doctrinæ Scoti in prædicto loco.

*Explicatur sententia Porretani de Actione.*

Sententia Porretani de actione.

22. *Gilbertus Porretanus* definit Actionẽ *esse illud, secundum quod in id, quod subiicitur, agere dicimur*, id est, secundum quod trãsmutamus aliquod subiectum, inducendo aliquam formam in ipsum. Hoc est: Actio est aliqua forma, à qua formaliter denominatur aliqua causa actu transmutare aliquod subiectum. Quam definitionem admittit *Scotus* supra esse bonam, non tamen provt comprehẽdit omnem omnino respectum, qui spectat ad hoc prædicamentum, sed provt comprehendit omnem actionem causæ efficientis, vt efficiens est. Ratio autem cur non admittat eam, vt comprehendentem omnem respectum huius prędicamenti, est, quia informatio quasi actiua causæ formalis, à qua dicitur actu informare subiectum, spectat ad hoc prædicamentum, neque enim potest assignari aliud prædicamentum, ad quod spectet; & tamen non conuenit ipsi proprie loquendo prædicta diffinitio, quia non est verum proprie loquendo, quod forma agat in materiam, sola enim causa efficiens dicitur proprie loquendo agere ex vsu Philosophorum. Similiter concursus materiæ, quo influit materialiter in formam, quæ ex potentia eius educitur, spectat ad hoc prædicamentum, & tamen propter eandẽ rationem non conuenit ipsi prædicta definitio, proprie loquendo. Ratio etiam cur *Scotus* admittit prædictam definitionem, vt comprehendentem omnes actiones causarum efficientium spectantes ad hoc prædicamentum est, quod omnibus & solis illis conueniat proprie loquendo: omnis enim, & sola causa efficiens agit actione huius prædicamenti in id, quod subiicitur.

Definitio actionis data à Gilberto non comprehendit omnem actionem prædicamenti huius.

23. *Dices*: Deus est causa efficiẽs respectu effectus, quem creat, v.g. respectu Angeli, & tamen non agit in aliquid, quod subiicitur; quia Angelus creatus nõ fit ex præsupposito aliquo subiecto, in quod diceretur Deus agere, dum producit Angelum.

*Respondetur* ad hoc commuuiter, Deum producendo talem effectum non agere actione huius prædicamenti, quia non datur actio huius prædicamenti, nisi respectu effectus, qui accidentaliter dependet ab agẽte sic, vt possit esse sine tali dependentia: Angelus autem non sic accidentaliter dependet à Deo, sed essentialiter, vnde dependentia ipsius ad Deum est identificata realiter ipsi.

*Dices secundo*: Deus posset creare albedinem extra omne subiectũ; & dependẽtia albedinis ab ipso in tali casu esset dependẽtia accidentalis, quia posset esse absque tali dependentia; sed tamen Deus sic producendo albedinem non ageret in id, quod subiicitur: ergo illa definitio actionis non comprehendit omnem actionem huius prædicamenti. Probatur consequentia, quia omnis actio, à qua accidentaliter dependet effectus, spectat ad hoc prædicamentum.

*Respondetur* negando consequentiam cum sua probatione, quia solum actiones causarum secundarum spectant ad hoc prædicamentum.

14. *Et si quæras*, cur illæ solæ spectarent potius, quam omnes, a quibus accidentaliter tantum dependerent effectus, & non essentialiter.

*Respondeo*, in mea sententia rationem esse facilem, quia nulla actio spectat ad hoc prædicamentum præter actiones, quæ sunt accidentia: nulla autem actio Dei solius, siue ab ea essentialiter siue accidendaliter dependet effectus, est accidens, nam consistit, vt suo loco dicam, in volitione libera Dei, qua vult effectum producere, quæ volitio non est accidens, vt patet. Quod si actio Dei esset quid distinctum à Deo & effectu, profecto non esset vlla ratio cur excluderetur ab hoc prædicamento, & consequenter quandoquidem non conueniret ipsi prædicta definitio, non esset bona, quandoquidem non comprehenderet omnem actionem, etiam effectiuam, spectantem ad hoc prædicamentum.

*Dices tertiò*: Actio, qua creatura crearet, spectaret ad hoc prædicamentum, & tamen non conueniret ipsi prædicta definitio.

*Respondeo*, secundum plurimos *Scotistas*, non esse possibilem talem actionem; quod si possibilis esset, profecto prædicta descriptio actionis vt sic non esset bona: vnde illi qui tenent, quod creatura possit de potentia Dei absoluta creare vel totaliter, vel partialiter, debent consequenter negare prædictam definitionem, vt adæquatam omni actioni spectanti ad hoc prædicamentum; nec esset magnum inconueniens negare bonitatem eius, neque enim Gilbertus ille Porretanus tantæ authoritatis haberi debet, vt non possit negari definitio quæcumque ab ipso tradita, si non constaret bonitas eius aliunde, quàm ab ipsius authoritate.

*Clarior explicatio Actionis.*

25. Quod si velit aliquis clarius, & sine inuolutione aliarũ difficultatum, non necessario hic examinandarum, declarare naturam actionis vt sic, spectantis ad hoc prędicamentum: Dico Actionem vt sic comprehendentem omne illud, quod spectat ad hoc prædicamentum, bene explicari *esse accidens quo mediante formaliter aliquid communicat esse alteri, abstrahendo a modo, quo communicat illud esse, siue scilicet id fiat per receptionem, siue per informationem aut inhæsionem, siue sine receptione aut inhæsione aut informatione.* Hæc descriptio patet esse bona, quia omni & soli actioni huius prædicamenti conuenit; conuenit enim influxui, quo materia dat esse formæ; & informationi, qua forma informat materiam, dando seipsam illi, & influxui, quo efficiens producit quemcumque effectum, quem producit mediante accidente, siue illud producit transmutando, siue sine transmutatione, quidquid sit an actio talis absque transmutatione, sit possibilis, necne. Excluditur autem actio Dei omnis, quæ consisteret in volitione eius, & quę identificaretur realiter effectui producto, quia nec volitio eius est accidens, nec aliquid identificatum realiter creaturæ est accidens respectu istius creaturæ, vt patet.

Clarior explicatio actionis.

Quid actio causæ efficientis.

*Actio autem causæ efficientis, vt sic*, potest bene describi *esse accidens, à quo actualiter denominatur producere aliquid, aut dare, ipsi esse absque receptione, aut informatione eius, aut inhæsione in ipso.* Hæc descriptio similiter patet, quia omni & soli conuenit. Dicitur *dare ipsi* quia in hoc conuenit actio causæ efficientis cum causalitate causæ materialis & formalis Dicitur *absque receptione*, vt distinguatur à causalitate causæ materialis. Dicitur *absque informatione aut inhæsione*, vt distinguatur à causalitate causæ formalis tam substantialis, quam accidétalis. Solum potest esse difficultas circa totam hanc resolutionem in illo quod dixi, actionem, vt sic comprehendentem omne, quod spectat ad hoc prædicamentum, & actionem vt sic comprehendentem omnem actionem causæ efficientis spectantem ad hoc prædicamentum esse accidens: nam qui negant intercedere inter causam & effectum aliquod medium, negarent consequenter actionem vt sic debere esse accidens; vnde ne videamur supponere hoc gratis, iam veritatem istius suppositi examinabimus: & quia est eadem ratio de actione vt sic, & de actione causæ efficientis, breuitatis & claritatis causa, solum in particulari examinabimus an id sit verum de actione causæ efficiẽtis.

*An detur aliquid medium inter efficiens & effectum, quod habeat rationem actionis.*

26 *Prima sententia* est *Nominalium* non requiri aliquid medium inter causam efficientem, & effectum ab ipso productum ad hoc vt denominetur formaliter producere illlum effectum. Hanc tenent expresse *Occamus, quod l. 6. Gabriel in 1. dist. 30. Greg. in 1. dist. 28. q. 2. Aliaco in 1. q. 7. Rubion. 3. dist. 1. q. 1. Bacconius ibid.* quos sequitur *Vvadingus de Incarnatione disput. proœm. dub. 3.* qui eam tribuit *D. Thomæ.*

*Communior sententia* inter alios authores tam *Scotistas* & *Thomistas*, quam *recentiores*, est intercedere aliquid inter causam, & effectum ab ipso productum, à quo formaliter habeat esse producens talem effectum, & quod consequenter habeat rationem actionis.

## CONCLVSIO I.

Non datur actio media inter causam, & effectum, qui à nulla alia causa nequit produci.

27. *Quotiescumque causa aliqua producit aliquem effectum, qui non potest ab vlla alia causa produci, non est necesse vt intercedat aliquid inter illam causam & effectum realiter ab ipsis distinctum, à quo formaliter illa causa habeat producere illum effectum: sed illa causa habebit denominationem formalem producentis, aut seipsa, supposita existentia effectus, aut ab ipsomet effectu existente, & effectus habebit denominationem formalem producti à seipso.* Hæc conclusio debet esse communis inter authores vtriusque sententiæ præmissæ, nec enim authores secundæ requirunt vniuersim debere intercedere inter causam & effectum actionem mediam distinctam realiter, sed loquuntur in sensu conclusionis tertiæ.

*Probatur prima pars* conclusionis. quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed non est necessitas ponendi aliquam actionem mediam inter causam & effectum in casu conclusionis; ergo non est ponenda. Probatur minor, quia si esset aliqua necessitas, maxime vt haberetur denominatio noua producentis in causa, & producti in effectu: sed ad hoc non est necesse, vt ponatur aliquid tale; potest enim dici quod causa denominetur produci ab ipso met effectu, qui seipso egreditur à tali causa; vel certe, quod causa seipsa producat, supposita existentia effectus: quod probo clarissime, quia in sententia admittente actionem mediam inter causam & effectum, licet dicatur de nouo de illa causa, quod sit causa, à qua egreditur illa actio, & de actione quod sit egrediens actu ab illa causa: non tamen ponitur aliquid meduum inter causam & actionem: & ratio quare non ponitur aliquid medium est, quia actio illa non potest esse, nisi à tali causa, quod si potuisset, nulla esset ratio, quare non poneretur aliquid medium inter illam, & causam tam bene, quam ipsamet ponitur inter causam & effectum per ipsam productum: ergo quoties effectus aliquis nequit procedere ab vlla causa, nisi ab vna causa determinata, tum non debet asseri aliquid medium: sed denominationes omnes poterunt prouenire ab ipsamet causa & effectu illo.

28. *Ex his habetur* primò, si solus Deus possit creare, vt communior sententia tenet, & si vlterius effectus, qui creari exigunt, nequeant produci aliter, quam per creationem, inter tales effectus & Deum non debere intercedere aliquam actionem mediam. Dixi autem, si tales effectus nequeant aliter produci, quia mihi certum est quod Deus possit creare aliquos effectus, qui possunt aliter produci, quam per creationem; potest enim creare albedinem extra omne subiectum, quæ albedo posset educi è potentia subiecti; & huiusmodi effectus & quando crearentur & quando educerentur, deberent non obstantibus principiis iam positis, produci mediante actione media, nisi aliunde constaret quod non.

Aliquis effectus potest creari, qui non exigit creari.

*Sequitur secundò*, quod si qualitates, quæ producuntur à potentiis vitalibus, per quas vitaliter tendunt in sua obiecta, de quibus in libris *de anima*, nequeant produci nisi ab illis potentiis; etiam de potentia Dei absoluta, vt multi tenent, eas non debere produci mediante actione realiter ab ipsis & causis distincta.

## CONCLVSIO II.

Non intercedit aliqua actio media inter Deum & vnum effectum ab ipso solo producibilem.

29 *Non est necesse vt intercedat aliqua actio media inter Deum & effectum vllum ab ipso solo producibilem.* Hæc est iuxta primam sententiam, & videtur esse contra multos ex illis, qui tenent secundam sententiam quantum ad effectus, qui licet à solo Deo procedunt, possent tamen ab ipso, & causa secunda prouenire.

*Probatur*, quia sufficienter determinaretur Deus ad productionem talis effectus per volitionem suam liberam, per quam vellet ipsum producere se solo absque vllo alio intermedio; posita enim tali volitione, & separato quocumque alio, effectus ille produceretur.

*Confirmatur*, quia Deus, per volitionem suam potest determinari ad producendum actu ex pluribus indiuiduis, quæ ab ipso & causa secunda in talibus circumstantiis produci possunt, hoc numero indiuiduum potius quam aliud, ergo similiter posset determinari per volitionem suam absque aliquo medio ad producendum hunc calorem, v. g. potius quam alium affectum.

30. *Dices*: quando effectus ille, v. g. calor procederet à Deo, & causa secunda esset, & Deus & effectus & volitio libera Dei, qua vellet ipsum producere tali tempore; & tamen Deus solus absque actione causæ secundæ non produceret illum effectum: ergo quando Deus solus produceret illum effectum, debet esse aliquid præter effectum & volitionem illam & Deum, nempe illud quod supplet defectum actionis causæ secundæ.

*Respondeo* distinguendo antecedens pro secunda parte esset eadem formaliter volitio diuina, qua vellet producere illum effectum se solo, nego; qua vellet cum causa secunda, concedo antecedens; & similiter distinguo consequens: præter volitionem, qua vellet cum causa secunda illum producere, concedo; præter volitionem qua vellet se solo illud producere, nego consequentiam.

*Dices secundò*: Deus non potest habere hanc numero volitionem formaliter distinctam ab alia numero volitione, nisi connotando aliquid, quod non connotatur ab alia volitione; sed nisi ponatur aliqua actio intermedia inter Deum & effectum, qui ab ipso & causa secunda produci potest, non potest connotari per volitionẽ, qua se solo produceret ipsum, aliquid, quod non connotaretur per volitionem, qua simul cum causa secunda produceret ipsum: ergo non haberet diuersas formaliter volitiones in vtroque casu, & consequenter debet admitti aliquid medium.

*Respondeo* breuiter, relinquendo exactiorem huius rei discussionem pro Theologia & tractatu de voluntate Dei, negando minorem, quia, quando haberet volitionem producendi se solo effectum, connotaretur negatio concursus causæ secundæ; & quando vellet producere cum causa secunda, connotaretur concursus causæ secundæ. Addendum vero ad hæc, quod, si Deus non posset per volitionem suam intrinsecam absque aliquo superaddito producere effectum, tum, tam necessario debere interuenire aliquid

quid distinctum ab ipso & effectu quocumque, qui ab ipso & creatura produci posset, etiam quando produceretur ab ipso, quam debet intercedere aliquid distinctum inter ignem & calorem, à quo ignis dicatur producere calorem; eadem enim prorsus est ratio.

## CONCLVSIO III.

Requiritur actio media inter causam secundam & effectum, qui ab alia produci potest.

31. *Quando causa secunda producit aliquem effectum, qui posset ab alia causa sine ipsa produci, requiritur actio media, vt dicatur formaliter producere illam.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam.

*Probatur*, quia non potest dari denominatio realis absque causa aliqua reali, à qua proueniat: sed denominatio actu causantis, seu producentis, seu agétis est denominatio realis: realiter enim & vere agit, & producit, & causat effectum causa efficiens, v. g. ignis calorem: ergo debet dari aliqua causa, vnde proueniat: sed absque aliquo intermedio inter ignem & calorem, non daretur vlla causa, vnde oriretur illa denominatio causantis in igne: ergo datur aliquid intermedium. Probatur minor, qu a illa denominatio non prouenit ab ipso igne, nec à calore, nec ab vtroque solo, nec ab vtroq; simul, & respectu ad nõ esse immediate præcedẽs fundato in calore, quia omnia illa possunt esse absq; illa denominatione, in casu scilicet, quo calor productus ab vno igne non esset productus ab illo, sed ab alio igne: sed nihil aliud potest assignari, quod sit causa istius denominationis, nisi assignetur aliquid intermedium distinctum realiter ab omnibus illis: ergo, nisi assignetur tale quid, non poterit dari causa istius denominationis realis.

*Confirmatur*, quia impossibile est aliquid, præsertim finitum, transire de nouo à contradictorio ad contradictorium, absque aliqua mutatione vel intrinseca, vel extrinseca, hoc est, nisi sit aliquid nouum, ratione cuius iam sit ille transitus, & ante non fuit; cur enim iam esset, & ante non fuit ille trãsitus, nisi iam fieret aliquid, quod ante non fuit? sed ignis quando producit calorem, transit à non esse producens ad esse producens: iam enim producit, & ante non produxit: ergo debet iam esse aliquid, quod ante non fuit, ratione cuius dicatur iam de igne quod producat, cui ante non diceretur de ipso. *Sed* ex dictis nihil assignari potest, nisi aliquid inter medium ponatur distinctum ab igne & calore, etiam simul sumptis, & posito respectu ad non esse immediate præcedens: ergo necessario est aliquid tale admittendum.

32. Hoc est fundamentum præcipuum huius conclusionis, & propterea stabiliendum est per solutionem præcipuarum responsionum, quas aduersarii dare solent. *Aliqui dicunt* ignem producere calorem per denominationem desumptam ab ipso calore, & negant, illum calorem numero, qui producitur ab vno igne, posse produci ab alio igne, sicut nos ipsi, qui asserimus actionem mediam, negamus actionem vnius causæ posse esse actionem alterius causæ.

*Sed contra* hoc est, quod calor, qui est productus ab vno igne, conseruetur in rerum natura absque illo igne, vt est euidens: ergo calor ille non habet essentialem dependentiam ab illo igne, & consequenter poterit absque inconueniente vllo ab alio igne prouenire. Non est autem idem de actione, quia actio habet essentialem dependentiam à causa, à qua prouenit, ita vt non possit prouenire ab alia causa, vt colligitur ex eo, quod alias produceretur per aliam actionem, sicut ipsemet calor, & sic daretur processus in infinitum, quod est inconueniens.

*Confirmatur*, quia certum est calorem, qui producitur ab igne, posse produci à solo Deo, sicut potest ab ipso conseruari; sed hoc sufficit ad probandum quod non posset ignis habere ab ipso calore denominationem producentis.

*Adde*, hanc responsionem destruere suppositum conclusionis, quæ loquitur de effectu, qui possit ab alia causa prouenire, vnde non est ad propositum.

*Respondent alij*, quod ignis denominatur producens calorem, denominatione desumpta à calore, non quomodocumque, sed vt est in fieri ab illo igne.

*Contra*, quia quæro, à quo habet calor ille denominationem hanc, quod sit in fieri ab hoc igne? non à sua entitate nec an entitate ignis, nec ab vtraq; simul: quia possent esse simul absque illa denominatione: ergo debet assignari aliquid aliud, à quo calor habet illam denominationem, distinctum ab igne & calore, quod est nostrum intentum.

33. *Respondent Nominales* falsum esse principium nostrum, nimirum non posse denominationem nouam haberi absque causa noua, aut non posse transiri de cõtradictorio in contradictorium absque aliqua mutatione intrinseca aut extrinseca: quod ostendunt, quia Deus potest facere aliquem de nouo Regem, qui non fuit ante Rex, absque vlla mutatione noua intrinseca, aut extrinseca & in tali casu absque tali mutatione vlla transiret Deus de non faciente Regem ad facientem Regem, & homo transiret de non Rege ad Regem: ergo falsum est prædictum principium.

*Nec valet dicere*, quod hæ mutationes & denominationes sint mutationes & denominationes morales, aut rationis, & quod propterea non sit absurdum admittere tales mutationes & denominationes nouas absque aliqua causa noua, licet id esset absurdum de denominationibus & mutationibus realibus. Hoc inquam non valet, tum quia qua ratione tu dicis, quod mutatio moralis possit fieri absque forma noua, idem poterit alius dicere de mutatione reali; nec facile assignari poterit disparitas; tum & præcipue, quia denominationes morales & rationis fundãtur in aliquo reali, vnde nisi sit aliquid reale nouum, non videtur cur esset mutatio moralis, aut rationis noua, vt patet ex eo, quod non possit dari respectus rationis visi, aut cogniti de nouo, nisi daretur visio realis, aut cognitio de nouo, nec in humanis fit aliquis de nouo Rex absque titulo veteri, nisi fiat institutio actiua realis noua.

*Confirmatur*, quia nisi sit, vel fuerit, vel erit aliquid reale respiciens illud, quod mutatur moraliter, aut rationaliter potius quam aliud, non erit possibile quod ipsum potius quam aliud sic mutetur, nisi possit dari mutatio realis noua absque causa reali noua.

34. *Impugnatur ergo aliter* prædicta responsio, quia licet possit prouenire denominatio & mutatio aliqua noua absque causa noua, quando illa causa dans denominationem est libera & infinita, quemadmodum est volitio diuina, à qua oritur illa denominatio Regis; tamen impossibile est quod talis denominatio noua proueniat absque causa noua, quando causa dans denominationem est limitata, & non libera, sed necessaria in causando, aut denominando. Et sanè alias posset quis dicere, quod paries, qui ob defectum albedinis non disgregat visum, postea vero disgregat visum, non esset mutatus ad albedinem, nec ad aliquam formam, quam non habuit ante, quando non disgregabat: sed ita contingit in proposito nostro, nã ignis & calor ab ipso producti sunt entia limitata, & non denominant libere, sed naturaliter quidquid denominant: ergo impossibile est vt ab illis proueniat denominatio noua producentis absque aliqua mutatione noua intrinseca, vel extrinseca.

*Respondent denique* alii, ignem habere denominationem producentis actu hũc calorem, ex eo quod calor actu egrediatur ab ipso, & calorem actu egredi ab igne seipso ex suppositione quod Deus velit vt ab ipso egrediatur. Itaque vt sit denominatio realis producentis in igne, aut in quacumque causa, requiritur ipsamet causa cum virtute in actu primo, applicatio ad passum dispositum, & volitio diuina determinans illam causam in actu secundo ad productionem effectus, sicut in communiori sententia ad hoc, vt sit hic numero calor productus ab hoc igne requiritur ignis applicatus ad talem materiam bene dispositam, & volitio diuina.

35. *Contra hanc responsionem* vrgeri potest, quod ipsa volitio diuina talis, qua mediante produceretur aliquid ab hac causa, deberet distingui à volitione, qua produceretur ille effectus ab alia causa, sed non posset distingui absque eo, quod connotaretur aliquid per primam, quod non connotaretur per secundam: sed non connotaretur, nisi poneretur aliqua actio in hac causa distincta ab effectu, & ipsamet causa: ergo non sufficit prædicta responsio.

*Dices*, primam volitionem connotare negationem egressus effectus ab alia causa, à qua non dicitur procedere, & secundam volitionem connotare negationem egressus istius effectus ab altera causa, à qua procederet effectus per primam causam.

*Contra*, quia quæro quid est egressus ille, cuius negatio, vel affirmatio connotatur per vtramque volitionem. Si aliquid distinctum à causa & effectu, quod sit quid positiuum, habetur intentum; si aliquid distinctum quod sit negatiuum, ergo datur realiter à parte rei negatio negationis, & per positionem realem vnius negationis tollitur altera, ac è contra, quo nihil absurdius. Si nihil distinctum: ergo quandoquidem posita quacumque ex volitionibus illis ponatur causa & effectus, sequitur quod nulla ex illis volitionibus connotet negationem eius. Hæc impugnatio est valde vrgens in sententia distinguentium formaliter volitiones diuinas per connotata aliqua.

*Impugnatur secundò*: quia licet non possit negari, quin omnis causa creata dependeat à volitione diuina in agendo ita, vt nihil possit agere, nisi sit volitio diuina, propter essentialem subordinationem causarum secundarum ad Deum; tamen habent etiam causæ secundæ virtutem suam, secundum quam agere possent, etiam si non haberent talem subordinationem; & quantum possumus absq; inconuenienti eodem modo debemus discurrere de concursu ipsorum ad effectum, quo discurreremus in casu, quo non haberent talem subordinationem; sed in eo casu debuissemus propter prædictum argumentum tribuere causis secundis actionem propriam distinctam, ergo & de facto talis est ipsis attribuenda.

36. *Improbatur tertiò*: quia si applicarentur duæ causæ, v. g. duo ignes ad idem passum, nisi vna ex ipsis aliter se haberet ad effectum, quam altera, non deberet dici potius illum effectum producere, quam altera; sed si non poneretur aliud tum in rerum natura, præter effectum, & causam, & volitionem diuinam, non aliter se haberet vna, quam altera ad effectum vt patet: ergo vt vna ex ipsis potius quam alia dicatur producere effectum, debet aliquid aliud poni in rerum natura, & consequenter dabitur actio media & distincta ab illis omnibus.

*Improbatur quartò*: quia si sufficeret volitio diuina, vt hæc causa ageret potius, quam altera absque eo quod per volitionem illam diuinam aliquid produceretur præter causam & effectum, posset similiter dici quod ignis posset frigefacere, & aqua calefacere, absque eo, quod ignis haberet frigus, aut aqua calorem, posita volitione diuina, qua vellet quod ab aqua egrederetur calor, & ab igne frigus, nec posset conuinci vlla ratione qui ita diceret: sed hoc est absurdum: ergo non est approbanda prædicta *Nominalium* doctrina.

Fundamentum aduersariorum soluitur.

*Per hæc soluitur* etiam fundamentum aduersariorum consistens in hoc, quod non sunt multiplicanda entia sine necessitate, & quod non sit necessitas ponendi actionem aliquam mediam inter causam & effectum; iam enim ostendimus summam actionis mediæ necessitatem, sine qua scilicet non potest intelligi, quomodo causa possit dici producere effectum.

*Quid sit illa actio media, & in quo subiecto.*

37. Omnes fatentur, illud medium intercedens inter causam & effectum, quod vocatur actio, esse accidens; sed controuertitur an sit accidens absolutum, an respectiuum; & deinde controuertitur, in quonam subiecto subiectatur, quibusdam dicentibus quod in passo, aliis quod in agente. Et quamuis prima controuersia soluta sit supra *q.* 1. vbi ostendimus in genere, sex vltima prædicamenta esse respectus; tamen claritatis causa hic in particulari aliquid addemus.

## CONCLVSIO I.

Actio media inter causam & effectū est relatio extrinsecus aduenies.

*Illud positiuum, in quo formaliter consistit actio, non est quid absolutum, sed est respectus extrinsecus aduenies.* Hæc est *Doctoris in 4. distinct. 13. quæst. 1.* cum suis contra communem Thomistarum & recentiorum sententiam.

*Probatur prima pars*, quia illud positiuum non potest intelligi, nisi per modum respectus, quo refertur agens ad rem productam: ergo non est quid absolutum.

*Dices* consequentiam non valere, quia multa absoluta nequeunt intelligi, nisi per modum respectus, ob respectum transcendentalem, quem essentialiter includunt, vt patet de materia, forma, intellectu, voluntate, intellectione &c. ergo quamuis actio non posset intelligi, nisi per modum respectus, non propterea debet dici, quod non sit quid absolutum, sed ad summum tantum sequitur, quod dicat respectum transcendentalem.

38. *Contra primò*, quia licet aliquid absolutum non possit intelligi, nisi per modum respectus aliqualiter, tamen omne absolutum potest intelligi sine eo, quod intelligatur per modum respectus actualiter ordinantis vnum ad aliud, vt patet tam in exemplis allatis, quam in cæteris omnibus, de quibus non est controuersia: ergo cum actio non possit intelligi, nisi per modum actualiter ordinantis vnum ad aliud, non potest esse absolutum.

*Contra secundò*: quotiescumque est aliquid, quod nequit intelligi, nisi per modum respectus, debet dici quod sit respectus, & non absolutum, nisi sit aliqua alia ratio, ob quam constet oppositum: sed nulla est ratio, ob quam constet actionem esse absolutum quid: ergo dicendum est quod non sit absolutum, sed potius respectus, si non possit intelligi, nisi per modum respectus. Probatur maior; quia aliàs non esset principium, vnde possit colligi quod aliquid sit respectus; posset enim dici de similitudine, paternitate, & quocumque omnino respectu, quod licet non posset intelligi, nisi per modum respectus, tamen non esset respectus, sed quid absolutum.

*Contra tertiò*, quia falsum est quod absolutum vllum non possit intelligi, nisi per modum respectus: nam in exemplis allatis absoluta non intelliguntur per modum respectus seu relationis; sed potius per modum respectiuorum & relatiuorum; non vero idem est, esse intelligibile per modum respectus, & per modum respectiui.

*Ex his probatur manifeste secunda pars*, si enim sit aliquid reale positiuum, & non sit absolutum, debet esse respectus: sed non est intrinsecus aduenies, ergo extrinsecus: Consequentia est euidens; probatur subsumptum, tum quia omnis respectus intrinsecus aduenies est de prædicamento ad aliquid; actio vero est alterius prædicamenti; tum etiam & maxime, quia respectus intrinsecus aduenies præsupponit aliquid in extremis, cum quo habet necessariam connexionem; actio vero nihil præsupponit in ipsis, ratione cuius sequeretur necessario.

## CONCLVSIO II.

Actio subiectatur in agente.

39. *Actio subiectatur in agente.* Hæc est etiam *Scoti* cum suis supra contra eosdem Thomistas & recentiores.

*Probatur*, quia si sit respectus denominans formaliter agens, congruentius dicitur esse in ipso agente, quam in aliquo alio, quando agens est capax eius.

*Confirmatur*, quia cum sit accidens debet subiectari in aliquo: sed non est potior ratio cur in alio, quam in agente: ergo debet dici quod subiectatur in ipso.

*Confirmatur secundò*, quia illud per quod denominatur Pater æternus generare filium, est in ipso Patre æterno: ergo id per quod denominatur creatura generare, est in creatura, eadem enim est ratio.

*Confirmatur tertiò*, quia valde difficile est ponere ipsam passionem in passo, propter prioritatē, quam habere debet ad passū ex eo, quod sit illud per quod producitur, & propter posterioritatem, quam deberet habere ex eo, quod subiectaretur in illo, & depēderet ab illo. Quæ difficultas tolleretur, aut si nō poneretur passio distincta ab actione, & actio poneretur in agente; aut si identificaretur passio actioni, & vtraq; poneretur in agente, & nō posset tā bene tolli, si vtraque poneretur in passo: sed si vtraque idētificari possunt, vtraque tam potest poni in agente, quam in passo: ergo potius id dicendū esset, quā quod vtraq; ponatur in passo; sed aduersarij propterea potissimum ponunt actionē in passo, quod debeat realiter idētificari passioni, & quod passio debeat poni in passo: ergo cū hoc nō sit verum, ex hypothesi identificationis, passionis, & actionis, absolute

absolute debet dici quod actio sit ponenda in agente.

40. *Probatur secundo*, quia si aliquid non subiectatum in ipso agente esset actio eius, maxime vnio quæ est inter formam, quam producit in subiecto, quod transmutat: sed illa vnio non est eius actio: ergo. Probatur minor, quia, vt fatentur ipsi aduersarij, eadem numero vnio, quæ est inter materiam & formam totius producti per causam secundam, potuisset esse, etiam in fieri, inter ipsa, quamuis causa secunda illud totum non produceret: ergo non est actio causæ secundæ. Probatur consequentia, quia quod est actio causæ secundæ non potest esse simul cum causa secunda, saltem in fieri, quin denominet ipsam causam secundam agentem, seu producentem.

*Dices* vnionem quomodocumque non esse actionem, sed vnionem in fieri ab ipsa causa secunda.

*Contra*, quia quæro quid addat vnioni in fieri illud, *à causa secunda*: si nihil, ergo idem est vnio in fieri à causa secunda, & consequenter frustra additur; si aliquid, quæro quid sit, & nunquam credo aduersarios satisfacturos, nisi recurrant ad aliquem respectum fundatum in vnione vel in agente, vel certe ad aliquid aliquo modo distinctum ab vnione: & si hoc dicant non poterunt assignare, cur ille respectus vel illud distinctum non sit actio potius, quam ipsa vnio.

41. *Obiicies* contra primam conclusionem: Prius est effectum produci, quam causam dicere respectum actualem ad ipsum; ergo actio, qua producitur, non potest consistere in respectu, actio enim debet esse prior termino. Probatur antecedens, quia omnis respectus actualis est posterior suo fundamento & termino.

*Confirmatur*, quia in eodem instanti debet esse actio & passio, sunt enim correlationes, & propterea simul natura; sed passio est posterior effectu; ergo & actio, alias actio esset prior passione.

*Propter hoc argumentum* quidam Scotistæ concedunt effectum in fieri præcedere quemcumque respectum agentis ad ipsum: quibus etiam ipsemet *Scotus* fauere videtur, dum ait in 2. *dist.* 1. *q.* 2. ad absolutum in causa sequi absolutum in effectu, & postea resultare relationem. Sed reuera hoc concesso non video, quomodo possint dicere respectum agentis ad illum terminum, aut esse intrinsecus aduenientem, aut esse actionem; nã si sequatur ad terminum in fieri eo modo, quo terminus est in fieri ab agente illo, erit intrinsecus adueniens, quia sequetur necessario inter extrema ad aliquid prius, sicut paternitas est respectus intrinsecus adueniens ex eo quod sequatur ad positionem generationis, secundum aduersarios. *Deinde* propterea ponitur actio, vt terminus ponatur in fieri; si ergo habet esse in fieri antecedenter ad illum respectum, quomodo ille respectus erit actio?

*Confirmatur*, quia non requiritur actio nisi vt effectus ponatur in fieri: ergo si intelligitur esse in fieri antecedenter ad illum respectum, ille respectus nequit esse actio, imo frustra omnino ponitur.

42. *Respondeo ergo aliter* negando antecedens, & distinguendo eius probationem: omnis respectus, per quem producitur fundamentum, aut terminus, nego: per quem non producitur, transeat: actio autem est respectus, quo producitur suus terminus, & propterea non debet esse posterior ipso. Neque hæc responsio mira debet videri, quia similis datur communiter in alia materia: quando enim dicitur quod paternitas non possit esse generatio, qua producitur Filius æternus, quia paternitas, cum sit relatio patris ad filium, debet præsupponere ipsum filium: Respondetur communiter non omnem relationem debere præsupponere suum terminum, sed solas illas, quibus non producuntur termini.

Qui respectus nõ debent præsupponere terminos.

Responsio ad Scotum.

Ad authoritatem vero *Scoti*, Respondeo, eum sic intelligendum, vt velit non necessariò prærequiri ad hoc vt effectus producatur, aliquod absolutum ex parte causæ, quod sit actio; quia ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu, cum quo tamen stat quod præsupponi posset & deberet aliquis respectus; & quando dicit quod respectus sequuntur, loquitur de respectibus intrinsecùs aduenientibus Apol. n. 33.

*Ad confirmationem respondetur* concedendo maiorem, & negando minorem, quia non omne, quod subiectatur in subiecto aliquo, est posterius natura ipso, sed solum quæ subiectantur in ipso, & non sunt rationes formales ponendi ipsum in esse siue essentiæ, siue existentiæ, passio autem est ratio formalis ponendi terminum actionis existentem actu.

43. *Dices*: subiectum est causa materialis omnis formæ accidentalis subiectatæ in ipso: ergo debet esse prius natura omni tali forma, & consequenter passione.

*Respondeo* distinguendo antecedens; per quam formaliter non ponitur existens, concedo; per quam ponitur existens, nego antecedens, & similiter distinguo consequens primum, & nego secundam consequentiam.

*Dices*: Passio educitur è potentia istius termini: ergo est causa materialis ipsius. Probatur antecedens, quia passio dependet ab illo termino in fieri & conseruari: sed eatenus aliquid dicitur educi è potẽtia subiecti, quatenus sic dependet ab ipso, ergo passio educitur è potentia sui subiecti. *Respondeo* negando antecedens, & ad probationem distinguo maiorem; dependet ab ipso tanquam ab aliquo priori, nego; tanquam ab aliquo posteriori, concedo, & conformiter ad hoc, distinguo minorem & nego consequentiam.

*Dices*: passio illa non accipit esse per creationem: ergo per eductionem: nec enim datur medium inter hæc, quod aliquid accipiat esse per creationem, ac per eductionem; nam accipere esse per creationem est accipere esse cum independentia à subiecto, tanquam à priori, & accipere esse per eductionem est accipere esse cum dependentia; inter autem accipere esse cum dependentia & sine dependentia, non datur medium.

44. *Hæc replica est difficilis*, sed imprimis potest retorqueri contra aduersarios, quia actio, qua produceretur calor extra subiectum, se tenet ex parte caloris secundum ipsos, & est accidens. Peto an illud accidens sit prius effectu, si non sit, nec passio nostra, quamuis se teneat ex parte effectus, debet esse prior, quia est eadem ratio, si sit prius, tum peto an dependeat ab effectu, necne: aut an producatur per creationem: si dicatur quod non, idem dicatur de passione, si dicatur quod sic; tunc dicatur similiter quod passio non obstante prioritate dependeat. Quod si dicatur cum aduersariis actionem illam creatiuam non esse in subiecto producto per eam, sed adhærere tantum illi, & propterea nec creari, nec dependere: non dependere quidem, quia prior est: nec creari, quia essentialiter adhæret ipsi. Idem dici potest de passione: & hæc sit prima responsio ad replicam. Retorquetur replica.

*Respondetur secundo*, si dependentia à subiecto, tanquam à posteriori, non sufficiat ad impediendam creationem, propter hanc replicam potius dicendum quod non detur passio aliqua realiter distincta ab actione, sed quod eadem actio, quæ est in agente, denominet & agens agere, & effectum produci, sicut eadem volitio denominat voluntatem volentem, & obiectum volitum, & sicut eadem vnio denominat naturam humanam vnitam Verbo, & Verbum vnitum naturæ.

45. *Fundamentum* huius est, quod non sit eadem ratio ponendi passionem ex parte termini, & actionem ex parte agentis, sicut non est eadem ratio ponendi volitionem ex parte obiecti & voluntatis, nec vnionem ex parte naturæ assumptæ & Verbi. Ideo autem non est eadem ratio ponendi passionem ex parte termini prædicti, & actionem ex parte agentis, propter ipsammet difficultatem replicæ, nempe quia deberet esse prior illo ac independens ab illo: ex alia vero parte, si poneretur in illo, deberet esse dependens ab illo, quia aliàs crearetur, quod est falsum: ergo non potest poni ex parte ipsius; sed nulla est ratio impediens quo minus posset actio poni ex parte agentis: ergo non est eadem ratio ponendi passionem ex parte termini, & actionem ex parte agentis.

Nec refert quod passio ponatur in prædicamento Passionis à *Philosopho* & *Scoto*, & quod secundũ eosdem prædicamenta distinguãtur realiter, nam quantũ ad *Scotũ* attinet, ipse potest dici hoc supposuisse ex mẽte Philosophi, &

& ex suppositione quod aliàs non posset inconueniens, aliquid poni ex parte termini, a quo haberet produci formaliter; in hac autem responsione supponitur oppositum. Quantum autem ad ipsummet Philosophum, ipse posset intelligi de respectu passionis fundato in passo, quod mutatur per formam productam, non autem de respectu fundato in ipsamet forma producta, & de hoc etiam intelligi posset Scotus, sed contra hunc respectum non militat confirmatio, aut replica præmissa, nec est eadem ratio de illo respectu, ac de respectu fundato in forma aut termino producto, sicut non est eadem ratio de hoc respectu ac respectu fundato in agente, propter rationem iam dictam, vide Apol. n. 43.

46. *Obiicies primò contra secundam conclusionem*: si actio semper subiectaretur in agente, non bene diuideretur actio vt sic in immanentem & transeuntem, quia omnis actio esset immanens, sed hoc est absurdum.

*Respondeo* negando sequelam: siue enim actio capiatur pro re acta, siue pro respectu agentis ad ipsam; optima est illa diuisio, res enim acta aliquando est in potentia agente & tunc est immanens, sic intellectio, quia recipitur in ipsomet intellectu, à quo producitur, dicitur actio immanes: aliquando vero est extra illam potentiam, & tunc dicitur transiens; & sic calor non productus in igne calefaciente, sed in ligno, dicitur actio transiens. Similiter per respectum agentis ad rem actam aliquando producitur aliquid in ipso agente, & tunc iste respectus vocatur actio immanens; aliquando extra agens, & tunc vocatur transiens; non quod ipsemet non immaneat in agente, sed quod terminus per ipsum productus non immaneat in ipso.

*Obiicies secundò* contra eandem: In eo est actio tanquam in subiecto, in quo est terminus formalis productus per ipsam: ergo non est in agente. *Confirmatur*, quia actio est dependentia termini producti per ipsam, ergo est modus istius termini, ergo afficit illum terminum, tanquam subiectum, sicut modus afficit rem modificatam.

*Respondeo* negando antecedens vtrumque probationis & confirmationis, sed potius passio est dependentia & modus termini producti.

47. *Obiicies tertiò*: Actio, qua Deus producit creaturam, est in termino producto & non in Deo: ergo similiter dicendum de actione causæ secundæ.

*Respondeo primo* negando antecedens. *Respondeo secundo*, quidquid sit de antecedente, negando consequentiam, quia Deus est incapax nouæ entitatis aut actionis realis; secus est de creatura: ergo quamuis Deus diceretur agens per denominationem extrinsecam desumptam ab effectu, vel à modo eius, non sequitur quod debeat idem dici de causa secunda.

*Confirmatur primo*, quia si Deus esset capax nouæ entitatis, diceretur agens per aliquid sibi intrinsecum: ergo cum causa secunda sit capax entitatis nouæ, debet dici agens per aliquid sibi intrinsecum.

*Confirmatur secundo*, quia Deus dicitur dissimilis de nouo per denominationem extrinsecam desumptã à creatura de nouo producta, & similiter dicitur volens secundum aduersarios, & tamen non propterea creatura dicitur similis aut volens per denominationes extrinsecas: ergo non ex eo quod Deus dicatur de nouo agens per denominationem extrinsecã, propterea idem debet dici de creatura.

48. *Obiicies quartò*: Philosophus nõ distinguit actionem à passione: ergo sicut passio est in termino, ita & actio.

*Respondeo* ipsum intelligendum de actione sumpta pro re acta, non verò sumpta pro illo modo seu entitate, qua agens formaliter producit ipsam rem actam.

*Obiicies quartò*: licet actio causæ efficientis, qua producit formam in subiecto, sit distincta ab vnione formæ ad subiectum, quia potest vnio reperiri absq; actione, tamen non distinguitur à causalitate causæ materialis, per quam cõcurrit cum efficiente ad producendam illam vnionem: sed illa causalitas non est in agente: ergo actio non est in agente. Hæc obiectio est ex principiis *Arriagæ disp. 8. sec. 3.* identificantis causalitatem efficientis respectu formæ eductæ cum causalitate materiali, quam materia causat, quam causalitatem putat esse distinctam ab vnione.

*Respondetur primò*, quod causalitas agentis si esset identificata causalitati materiæ respectu formæ, esset etiam pariter identificata vnioni materiæ ad formam ab ipsa causatæ, quia, vt supra probaui, causalitas materiæ identificatur vnioni isti.

*Respondeo secundò*, si causalitas materiæ & causalitas efficientis adentificarentur, non esse vllam rationem, ob quam potius ponerentur in materia quam in agente; vnde negari posset minor argumenti tam bene, quam ipsi negarent causalitatem materiæ subiectari in efficiente.

*Respondetur tertiò* negando maiorem, causalitas enim efficiens subiectatur in efficiente, & causalitas materiæ in ipsa materia, & consequenter sunt distinctæ realiter, imò videntur posse etiam separari tempore, nam causalitas causæ efficientis respectu formæ desinit desinẽte causa, sed non est necesse, vt causalitas causæ materialis tum desinat, sicut nec ipsa causa, nec etiam forma educta. Et quamuis posset dici, quod sicut succedit alia actio causæ alterius afficientis supplentis defectum causæ illius distinctæ, quæ primò produxit formam, ita etiam succederet alia causalitas materiæ ipsi correspondens loco prioris causalitatis, quæ correspondebat actioni prioris causæ iam non existentis; tamen potest etiam dici, quod non succedat talis causalitas, sed quod maneat prior; quæ licet dependeat ab aliqua causalitate causæ efficientis, non tamen ab hac numero, aut illa determinate, & supposito quod hoc possit ita esse, potius ita dicendum est, quia sic minus multiplicantur entia sine necessitate.

49. *Obiicies sextò*, & simul confirmatur præcedens obiectio: Actio identificatur motui: sed motus est idem realiter cum causalitate materiæ, aut cum respectu, vel modo, à quo habet forma educi: ergo non est in agente, sed vel in subiecto formæ vel in forma educta. Probatur maior, quia actio est productio formæ in subiecto; sed illa productio est formalissime id, quo mouetur subiectum, aut id quo forma recipit suum esse: ergo.

*Respondetur primò*, ex dictis ante, si actio identificaretur motui, æque eum ponendũ in agente, ac in passo seu forma educta: & per hoc corruit totaliter vis huius argumẽti.

*Respondeo secundò* negando maiorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: productio actiua, concedo; passiua, nego maiorem. Et similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

Reliqua argumenta, quæ ad hoc propositum adducuntur ex aliis ab *Arriaga disp. 8. sect 3.* soluuntur ab ipsomet, quamuis putet ex omnibus valde probabilem reddi sententiam suam de identitate actionis & causalitatis materiæ: sed ex dictis iam, & dicendis postea de Passione, tam facile solui possunt, vt nec vllam probabilitatem secum afferant, nec opus sit ea hic proponere speciatim.

50. *Obiicies vltimo*: si actio subiectaretur in agente, & distingueretur realiter à causalitate materiæ, tum causalitas materiæ deberet causari, aut, vt abstineamus à quæstione de nomine, deberet accipere esse, aut habere esse post non esse independenter ab vlla causa efficiente, ac actione ipsius: sed hoc videtur absurdum: ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia sic ad actionem daretur actio, seu ad causalitatem causalitas, quod videtur contra omnes. Probatur eadem minor quoad secundam partem, quia causa materialis est tantum causa partialis, & consequenter non potest aliquid producere, nisi cum dependentia à causa efficiente; & qua ratione causalitas posset egredi ab ipsa sine dependentia ad causam efficientem, forma producta per causalitatem posset ab ipsa produci sine tali dependentia; & præterea quemadmodum materia posset aliquid producere sine dependentia ab efficiente, ita efficiens posset sine dependentia à materia.

51. *Respondetur* causalitatem illam materiæ non posse habere esse, nisi cum dependentia à causa efficiẽte; quomodo autem possit habere dependentiã ab ipsa, duobus modis potest quis philosophari; primò dicendo quod actio causæ efficientis, siue illa, qua produceretur forma, siue alia, terminaretur ad ipsam, & negando quod esset inconueniens, quod ad causalitatem vnius causæ daretur causalitas alterius causæ distinctæ rationis, licet esset absurdum

Quomodo causalitas materiæ dependet à causalitate efficientis.

surdum quod ad causalitatem vnius causæ daretur causalitas alterius causæ eiusdem ordinis, v.g. ad causalitatem causæ materialis, alia causalitas causæ materialis, aut ad causalitatem causæ efficientis alia causalitas causæ efficientis. Secundò, dicendo quod non terminaretur actio efficientis ad illam, sed dependeret tamen ab illa actione, quatenus non posset egredi à causa materiali, quin actio efficientis egrederetur à causa efficiente; quo sensu etiam causalitas causæ efficiantis dependet à causalitate causæ materialis, non quidem ita, vt vlla ex illis ab altera dependeret, tãquam à priori, cum sint simul tempore & natura, sed tanquam à concomitãti: & hic modus dicendi magis mihi placet, tum quia facilior est, tum quia cum non magis dependeat causalitas materialis ab efficiente, quam causalitas efficientis à materia, non magis vna deberet ad alteram terminari tanquam ad prius, quam è contra: & quia implicat mutua prioritas & dependentia à priori inter causas realiter agentes, propterea non potest ad alteram sic terminari. Vltra quæ videri possunt quæ dicentur in Physica *disput. 9. quæstione sexta.*

*De diuisione Actionis.*

52. Actio causæ efficientis proprie dicta (de qua hic potissimum agimus) potest diuidi in *naturalem* & *supernaturalem*: illa est qua producitur aliquid naturalis ordinis; hæc qua producitur aliquid supernaturalis ordinis: nec hic examinandum quænam vnius, quænam alterius ordinis sint censenda. *Actio naturalis* ordinis potest diuidi in actionem naturalem, & artificialem: illa est qua producitur aliquid absque artificio, seu respectu ad regulas aliquas ostendentes quo pacto res sit facienda bene & male, præsertim loquendo de artificio, quo dirigitur factio aliqua, quæ non sit opus virtutis. *Actio naturalis, non artificialis* potest diuidi in naturalem, prout naturale opponitur libero; & liberam; illa est quæ positis omnibus prærequisitis necessariò sequitur connaturaliter loquendo; hæc quæ non ita sequitur. *Actio naturalis in hoc sensu* potest diuidi in substantialem, per quam scilicet producitur substantia; & accidentalem, per quam producitur accidens. *Actio accidentalis* potest diuidi in immanentem, & transeuntem, illa est, per quam producitur aliquod accidens in ipso agente; hæc per quam producitur accidens aliquod in aliquo extrinseco. Et similiter posset diuidi *actio substantialis* in immanentẽ, quia aliqua substantia produceretur in ipsomet agente vt contingit in nutritione & augmentatione viuentis; & in transeuntem, qua aliquid produceret substantiam extra se, vt contingit quando ignis producit ignem, & homo hominem.

Quod si alij authores alio modo accipiant hos terminos *actionis immanentis*, & *transeuntis*, non potest esse cum ipsis alia quæstio quam de nomine, & satius esset semper conuenire in significato nominis, & disputandi, seu examinandæ veritatis gratia admittere quamcumque acceptionem, quando de ipsa re ageretur; quod sæpe monui & persuasum velim, vt vitentur istæ quæstiones, quę nihil habent ingenij aut doctrinæ. Cætera quæ spectant ad naturam actionis, aliàs commodius tradentur in Physica *libro secundo disputatione octaua & nona.*

## *ADDITIO*

In toto articulo 5. Disp. 6. Met. quem incipit num. 46. Mastrius examinat doctrinam meam in hac quęstione & sequenti de actione & passione. Mihi autem incumbit refellere quæ contra opponit, omitto autem tricas illas, quatenus mihi agit gratias quod sententiam & rationes illius ad negandum alias relationes inter producẽs & productum præter actionem productiuam & passionem ipsi correspondentem amplectar, sic insinuans, quod ab eo illam sententiam & rationes mutuatus fuerim. Sed ne teneatur vlterius eo gratitudinis titulo, nego constanter id verum esse, nam, vt ante dixi in mea Apologia, illam sententiam & rationes habui antequam, an Mastrius esset in rerum natura cognoueram, & reperiri possunt in scriptis meorum Discipulorum, quæ sexdecem ab hinc annis excepere.

Primum quod in mea Doctrina reprehendit *n.* 47. est quod doceam relationes producentis & producti, à quibus dicitur causa actu producere & effectus produci; ad quas sequerentur illæ aliæ relationes, quas mecum negat dari ipse Mastrius, spectare ad prędicamentum actionis & passionis, non vero ad prædicamentum ad aliquid. Hoc enim asserit esse expresse contra Doctorem & Aristotelem nam Doctor in 4. dist. 13. qu. 1. h. docet respectum producentis ad productum & passionem ei correspondentem in effectu non esse de genere actionis & passionis, sed prędicamenti Ad aliquid. Ad quam tamen authoritatem ego respondi sufficienter Scotum locutum de respectibus illis producentis & producti permanentibus, fundatis in actione & passione, vel tanquam in rationibus fundandi, vel tanquam in conditionibus sine quibus non, quæ relationes communiter supponebantur dari, licet ego cum Mastrio probabiliter putemus oppositum. Hanc autem responsionem effugium vocat Mastrius & meum inuentum, ad eludendam Scoti litteram, quæ expresse loquitur de respectu producentis intercueniente in ipso fieri rerum. Videatur, inquit, Doctor Lit. R. vbi distinguit respectus producentis & producti pertinentes ad fieri rerum à respectibus paternitatis & filiationis comitantibus rem in facto esse, & ait illos non esse proprie de genere actionis, sed relationis: vana ergo, infert, est illa explicatio Doctoris & ex ipso textu confutabilis. Tum quia sic, addit, loquitur Aristoteles, cum enim 5. Met. c. 15. enumerat relationes secundi modi ad prædicamentum Ad aliquid pertinentes, nedum recenset relationes dependentiæ, quæ rem in facto esse comitantur, sed etiam relationes actualis dependentiæ pertinentes ad ipsum fieri rerum, quæ explicantur per tempora de præsenti.

Sed vt ab hoc vltimo incipiam, manifestum est in illa doctrina Philosophi nihil haberi ad propositum; nam qua ratione sequuntur relationes secundi modi ad rem productam in facto esse, etiam sequuntur ad rem in ipso primo instanti, in quo producitur, vt est manifestum; & sicut relationes quę comitantur rem in facto esse, sunt secundi generis: ita etiam relationes, quæ sequuntur ad productionem rei in fieri, erunt secundi generis; hoc autem nihil facit contra me, sed est directe iuxta meam explicationem. Deinde quamuis Philosophus diceret quod omnis productio rei, quæ est in fieri eius, seu in primo instanti, quo fit, spectaret ad secundum genus relatiuorum, non sequeretur necessario quod omnis talis esset de prodicamento Ad aliquid, seu intrinsecus adueniens; quia ipsemet Doctor in loco à Mastrio citato in responsione tertia dicit. quod possit explicari Philosophus sic, vt non velit quod omnes relationes quas enumerauit in secunda specie relatiuorum, sint species relationis Ad aliquid, sicut nec omnia, quæ enumerauit inter species qualitatis sunt veræ species qualitatis.

Ad Scotum autem dico primo quod quamuis expresse haberet quod respectus producentis & producti cõcomitantes rem in fieri, distinguantur à respectibus paternitatis & filiationis, & quod etiam sint de prædicamento Ad aliquid, inde tamen nihil habeatur cõtra me, quia illi respectus, qui sunt in fieri, de quibus Scotus, sunt respectus præsupponentes actionem & passionem de prædicamento actionis & passionis, & præsupponentes ipsum rem productam, de quibus respectibus producentis & producti, si dentur, ego nec negaui, nec potui negare quin essent intrinsecus adueniẽtes, cũ præsupponant aliquid ex parte extremorum, ad quod necessario sequantur; ego vero loquebar de respectibus aliis producentis & producti, quæ solum in ipso fieri manent & non præsupponunt aliquid tale ex parte extremorum, ad quod necessario sequuntur: ergo Scotus nihil habet contra me, nec ex littera ipsius potest confutari mea Doctrina, quam credo certe non intellexisse bene Mastrium; nam si intellexisset, ex hoc capite non impugnaret eam.

Plura potuissem addere ad ostendendum quod Scotus mihi in illo loco non aduersetur: sed quia hæc sufficiunt,

&

& malo rem ex ratione examinare, nolo vlterius immorari; addo tamen Scotum eo in loco non tam assertiue procedere, quam probabiliter discurrere, vt patet ex verbis, *Potest dici*, quibus vtitur; Vnde quamuis expresse ibi haberet aliquid contrarium meæ doctrinæ, non sequeretur quod esset contra ipsum absolute, præsertim cum non videatur ipsemet contentus illa responsione, & propterea adhibeat alias duas.

Sed videamus quomodo Mastrius ex ratione impugnat meam doctrinam: id conatur facere *n.* 48. quia, inquit, ille est respectus intrinsecus adueniens, qui positis extremis necessario sequitur, ex vi præcise positionis illorum, nullo alio extrinseco accedente: sed statim ac ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu, consequitur in ambobus extremis, præsertim loquendo in creatis, relatio producti ad producens ex Doctore pluribus locis.

Neque hic, inquit, suffragari potest euasio Ponciana, quod loquatur de respectu dependentiæ ad producens permanente in facto esse, quamdiu causatum & causa permanent: nam loquitur omnino Doctor de primo respectu dependentiæ tam actiuæ quam passiuæ, qui in eodem instãti sequitur, quo effectus dimanat à causa. Confirmat quia respectus producti ad producens est sicut dependentis ad illud, ad quod dependet; sed relatio dependentis est intrinsecus adueniens; quia inter effectus à causa secunda dependentes aliqui sunt, qui ab ea essentialiter dependent non solum in fieri, sed in conseruari, vt cõstat de lumine, sono &c. alij sunt qui dependent in illo solo instanti, quo fiunt, quamuis autem aliqua possit esse dubitatio de dependentia effectuum secundi generis, quod non sit intrinsecus adueniens; quia possunt extrema esse in rerum natura sine tali relatione, tamen de effectibus primi generis nullus potest esse dubitandi locus.

An non crederit aliquis P. Mastrium multa dicendo nihil agere? Ratio ipsius est, quod relatio, quæ necessario sequitur extrema posita in esse sit intrinsecus adueniens. At vbi hoc ego negaui? nullibi certe; quia id esset contra omnia mea principia. Itaque relatio producentis ad productum, quam ego dixi extrinsecus aduenientem, non est relatio vlla, quæ necessario sequitur ad positionem fundamenti & termini, seu rei producentis & productæ, sed relatio, quæ non sequitur necessario ad eorum positionem; vnde si vellet me impugnare bene, non deberet facere instantiam de relatione illa necessario sequente, sed de alia relatione, quæ non necessario sequeretur. & ostendere deberet vel quod non daretur talis relatio non necessario sequens; vel si daretur, quod non esset relatio intrinsecus adueniens; cum autem neutrum horum facit, videri posset mihi, quod dicitur, aërem verberare, & hoc quidem sufficeret pro impugnatione totius huius discursus, quo vtitur. Volo tamen maioris claritatis gratia magis formaliter Respondere. Distinguo ergo minorem primi argumenti ipsius: sed statim ac ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu consequitur in ambobus extremis relatio producti ad producens, illa, quam ego dixi extrinsecus aduenientem, nego: alia transeat, sed id non facit ad propositum; & similiter distinguo consequens quod inferri syllogistice posset. Dices (vt reducam reliquam partem discursus Mastrij ad formam) si daretur alius respectus producentis & producti præter illum, qui sequitur extrema posita in esse, maxime respectus ille, qui est in primo instanti, quo effectus dimanat à causa: sed Scotus asserit hunc respectum consequi ad entitatem causæ & effectus: ergo omnis respectus producentis ad productum est intrinsecus adueniens, & consequenter nullus talis est extrinsecus adueniens.

*Respondeo distinguendo minorem*, Scotus dicit quod omnis respectus producentis & producti seu omnis respectus dependentiæ producti ad producens, qui est in primo instanti, sit extrinsecus adueniens; nego; aliquis, concedo, & nego consequentiam.

Duæ productiones considerabiles in prima productione rei.

Vt autem hoc & meam doctrinam intelligat Mastrius, de quo certus sum, quod me hactenus non intellexerit. Aduerto etiam in prima rei productione, posse considerari duas productiones, tam actiuas, quam passiuas, ex quibus vna in mea sententia præcedit effectum, & est positio ipsius seu productio formalis (loquor de actiua) qua agẽs agit & producit effectum in fieri, & hanc ego dico esse relationem extrinsecus aduenientem, & de prædicamento actionis, & certum est quod non sequatur ex positione extremorum, neque vllius alterius formæ ex parte ipsorum positæ: nam extrema possent esse in rerum natura cum omni forma se tenente ex parte eorum antecedente ad hanc productionem sine eo quod esset hæc relatio.

Altera productio considerari potest in eodem primo instanti, quæ præsupponit priorem, & necessario aduenit posita illa priori, nec solum manet in primo instanti, sed etiam semper permanet quandiu extrema permanent, & hanc ego concedo esse intrinsecus aduenientem, si detur, & de ea loquitur Scotus, quoties dicit productionem & dependentiam rei esse intrinsecus aduenientem, supponendo semper cum communi sententia talem dari, eamque fundari supra actionem & passionem, tanquam vel supra rationes fundandi, vel supra conditiones sine quibus non. Vnde patet Mastrium non intellexisse me, dum dixi, quod Scotus vocans respectum dependentiæ relationem intrinsecus aduenientem, intelligendus sit de dependentia permanente in facto esse, neque enim hoc intellexi de dependentia quæ permaneret in facto esse & non haberetur in primo instanti, quo producitur res, vt male putauit Mastrius, sed de dependentia, quæ est in primo instanti, & manet etiam in aliis instantibus, quæque in hoc distinguitur à dependentia effectus alterâ, quam dixi relationem extrinsecus aduenientem, quod hæc non necessario semper manet in facto esse, dum manent extrema, altera vero sic.

*Ad confirmationem* Mastrij distinguo minorem: respectus dependentiæ sequens positionem effectus à causa est intrinsecus aduenientes, concedo, respectus dependentiæ non sequens positionem effectus, sed quæ est ipsamet positio effectus formaliter, est respectus extrinsecus aduenientes, nego minorem. Ad cuius probationem distinguo ipsam: dependẽtia effectuum essentialiter dependentium, quæ sequitur eorum productionem, seu positionem concedo quod sit intrinsecus aduenientes: dependentia quæ non sequitur, sed est ipsamet productio eorum, nego. Omitto quod non recte dicat lumen, sonum, & similia essentialiter dependere à causa secunda in fieri & conseruari, cum ipsemet in fieri fateatur quod possunt produci à solo Deo ac conseruari. Omitto etiam quod male putet magis dubitari posse quod dependentia effectuum, qui solum in fieri dependent non sit extrinsecus aduenientes, quam dependentia effectuum, qui etiam in conseruari dependent, nam loquendo de dependentia sequente extrema posita, est eadem prorsus ratio absque vlla disparitate, quæ faciat ad rem; nam in illo instãti, quo res dependens in fieri tantum, habet illam relationem, illa tam necessario sequitur positis extremis, quam dependentia effectuum, etiam qui dependent in conseruari; ad relationem autem extrinsecus aduenientem sufficit quod pro instanti, quo existit, præsupponat extrema, vel aliquid ex parte ipsorum, ad quæ necessario sequitur, siue maneat semper positis extremis, siue non.

Ex diuersitate autem effectuum illorum, qui dependent in conseruari, & qui non dependent, potest dilucidari magis mea doctrina de duplici respectu dependentiæ, vno qui sequitur extrema posita à causa & est intrinsecus aduenientes, nã hic reperitur dum existunt extrema, in vtrisq; effectibus, tam qui dependent in conseruari ab actuali influxu causæ, quam qui non dependent; altera est illa, quæ concomitantem habet influxum actualem causæ nõ præsuppositum; & hæc est extrinsecus aduenientes, & reperitur etiam in vtrisque effectibus, cum hoc tamen discrimine, quod reperiatur in illis, qui dicuntur dependere in conseruari semper & cum fiunt & cum conseruantur, in aliis vero non reperiatur, nisi in primo instanti; quia tum tantum dependent ab influxu actuali causæ, ac propterea, etiamsi causa destruatur, ipsi non desinunt.

*Secundo Mastrius n.* 49. reprehendit alterũ meum dictum, quod actio eductiua vel inductiua ac transmutatiua sunt

realite

realiter identificata, quod dictum meum ex priori suo discursu iam impugnato infert esse falsum; sunt quidem, inquit, regulariter connexæ, non tamen realiter identificatæ; quia actio transmutatiua est respectus extrinsecus adueniens, eductio autem vel inductio intrinsecus adueniens, quod præsertim de eductione negari non potest, cum sit quidam respectus productionis & dependentiæ.

Dixi autem *Regulariter* quia absolutè dari posset inductio formæ subiecto absque eius transmutatione, si priuatio non præcessisset prius tempore forma in subiecto quod necessarium esse ad transmutationem, pluribus se ostendisse dicit contra me disp.15.Phys.q.2.

*Quod etiam*, inquit, *nedum asserit*, sed strenuè probat Doct.4.d.13. q.1.F. vbi asserit agens creatum habere respectum ad terminum primum, siue totalem, qui dicitur productum, & ad terminum qui dicitur forma inducta vel educta, & ad subiectum illius formæ, quod est passum vel transmutatum, quos respectus probat esse alios & alios, quia sunt ad alios & alios terminos; tum quia respectus ipsis correspondentes omnino sunt alii & alii.

Sed imprimis contra hoc facit, quod quamuis sequeretur ex priori ipsius discursu meam hanc doctrinam esse falsam, cum ostensum sit illum discursum nihil valuisse, nihil curandum sit de sequela.

*Deinde* nego sequi ex priori discursu illo, quod sit falsa. Vlterius dico actionem transmutatiuam & inductiuam esse non solum regulariter connexas, sed absolute & necessario, & etiam realiter identificatas, & nego eductionem, de qua ego loquor, esse intrinsecus aduenientem magis, quàm actionem transmutatiuam; quamuis etiam concedam quod sit respectus productionis & dependentiæ, quæ non est respectus productionis & dependentiæ, sequens formam eductam positam in esse, sed est respectus ipse formalis, quo agens ponit ipsam in esse, & potius prior quàm posterior effectu.

Præterea quando dicit quod posset esse actio eductiua absque transmutatiua, vt quando fieret eductio absque præcessione priuationis in subiecto, & se probauisse cõtra me quod ad transmutationẽ requiratur talis præcessio. Respõdeo primo cõstare ex dictis in mea Apologia, quod id non probauerit sufficienter. Respondeo secundo, an ad actionem transmutatiuam, qua talis prærequiratur talis præcessio priuationis esse meram quæstionẽ de nomine, à qua propterea difficultas præsens, quæ est realis, nequit in re ipsa dependere, quidquid esset de modo loquendi. Itaque vt res ipsa examinetur, in casu in quo induceretur in materiam, creatam in instãti A aliqua forma, vt ignis v.g. in eodem ipso instanti cum dependentia ab eadem materia, certum est interuenire tum respectum inductionis & eductionis; inductionis quidem, quatenus inducitur forma in materiam; eductionis vero quatenus produceretur illa forma seu reciperet esse cum dependẽtia à materia. Rursus certũ est quod esset ibi respectus trasmutationis, quantũ ad rem ipsã & omne positiuum quod dicit talis respectus, quidquid sit an deberet vocari trãsmutatio; quod probo euidẽter, quia si materia illa esset existẽs ante illud instãs, esset in illa respectus trãsmutationis etiã cũ hac ipsa denominatione vt fatetur aduersarius: sed nõ in illa vllus esset respect° positiuus, nec vlla forma positiua tũ, præter illos respect° & formas positiuas, quæ essẽt in illa in casu, quo eodẽ instãti suę creationis induceretur in ipsã forma cũ dependẽtia ab ipsa. ergo respect° ille trãsmutationis, qui esset in illa in casu, quo prius tẽpore existeret, quàm induceretur forma, esset etiã in illa, in casu quo nõ prius existeret, quoad omne positiuũ, quod dicere potest talis respect°. Probatur minor primo, quia nullæ est differẽtia vtriusque casus, nisi quod in vno materia prius tẽpore existeret, nõ in alio sed quod materia prius tẽpore existat nõ facit, vt quãdo postea inducitur forma, aliquid positiuũ esset in illa quod nõ fuisset in ipsa si nõ existeret prius: ergo nihil positiuũ esset in illa in vno casu, quod nõ esset in altero. Probatur secũdo eadẽ minor quia illa ipsa positiua, quæ essent in ipsa, quãdo non existeret prius tẽpore, sufficerẽt absque aliis vllis, etiãsi existeret ante: ergo dicendum est quod sint eadẽ positiua in vtroque casu. Probatur antecedẽs, quia in casu quo non præexisteret materia, esset in ipsa respectus ad formam, à quo diceretur habere formam, quam ex se non haberet, neque à forma; & esset etiam respectus inductionis formæ ac eductionis: sed illi respectus sufficerent in casu, quo præexisteret, nam ab illo respectu ad formam diceretur in tali casu transmutari ex suppositione quod prius existeret.

Confirmo hoc & declaro rem magis: in vtroque casu materia haberet respectum ad formam, à quo formaliter diceretur habere formam, & idem ille respectus (ex hypothesi quod ad transmutationẽ requireretur præcessio tẽporaria subiecti, vt vult Mastrius, & ego iã gratis transire permitto) in casu quo materia præexisteret vocaretur trãsmutatio, quia præterea in materia reperitur respectus secundum dici ad esse, quod habet prius, & esset verum de illa dicere quod haberet formam, quam non habuit prius, & quod aliter se haberet, quàm ante se habuit; in casu vero quo non præexisteret materia, non vocaretur trãsmutatio propter defectum istius respectus ad esse præcedens; vnde in vtroq; casu non esset vlla prorsus differentia, quã quod in vno casu sit respectus ad esse præcedens, in alio non sit; cętera enim omnia essent eadẽ; sed ille respectus ad esse præcedens non est aliquid positiuum, nec producitur vllo modo ab agente transmutante, sed supponitur in materia tanquam conditio sine qua non posset habere denominationem transmutati, quamuis posset habere illum ipsum respectum, quo recipit formam & habet illam. Quod totum videtur euidens & est directe intẽtum meum. Dico enim constanter respectũ positiuum, qui est in materia per actionem agentis transmutantis, aut ratione talis actionis, & qui realiter est transmutatio identificari respectui eductionis, ac inductionis, quæ fit simul cum eductione, quia impossibile est esse eductionem quin sit illa inductio, & impossibile est esse inductionem quin sit ille respectus transmutationis realiter, quamuis posset esse absque denominatione transmutationis, in casu scilicet quo requireretur præcessio materiæ ad talẽ denominationẽ; & quia non subiectantur in diuersis subiectis.

Ad Scotum autem quẽ dicit Mastrius non asserere tantum, sed probare suã doctrinam dũ in 4.d.13.q.1.F. docet agens dicere respectum ad terminũ, totale ad formã inductam, & ad subiectũ, & hos respectus esse alios alios quia sunt ad alios & alios terminos. & quia respectus correspõdentes omnes sunt alij & alij. Respõdeo dum agẽs educit formam & producit compositum ac transmutat subiectũ, ipsum quidẽ respicere omnes illos terminos, sed per vnicum tamẽ respectum realiter, qui tamen respectus realis inuoluit plures formalitates diuersæ rationis, & ratione illius diuersitatis potest vocari alius respectus, quo respicit vnum terminũ, ab illo, quo respicit alterũ, quia scilicet non secundum eandem formalitatem respicit vtrumque, sed secundum diuersas, non tamẽ realiter, sed formaliter.

Concedo etiam correlationes diuersas realiter respõdere actioni agentis & consequenter respectibus, quibus respicit terminos sibi correlatiuos; quia vnio, quæ est in materia est correlatio vna ex illis, & vnio, quæ est in forma, est altera correlatio, & si sit aliquis respectus in producto, quo passiuè respicit agens, erit tertia correlatio distincta realiter à reliquis propter distinctionẽ subiectorum; tamẽ nego ex hoc sequi quod respectus qui sunt in Agente, distinguuntur realiter; nam quando non potest Agẽs respicere vnum terminũ quin respiciat alios, vnico respectu referatur ad illos, quãuis in terminis correspondeãt ipsi plures correlationes, vt docui in Logica disp.15. n.81. Scotus autem probauit tantum ex alietate correlationum, alietatem non realem, sed formalem respectuum Agentis. Vnde nihil habet contra meam doctrinam; & si haberet aliqua verba, quæ viderentur contra me; si Mastrius vellet bonum agere Scotistam, deberet probare, quod doctrina quam haberet in illo sensu esset vera, vt bene defẽderet Scotum, & impugnaret meam doctrinam.

Videamus iam quomodo *n.*50. respondet ad duas meas rationes, quibus probaui quod actio trãsmutatiua & eductiua seu inductiua non distinguantur realiter & quod

actio eductiua sit relatio extrinsecus aduenies. Prima mea ratio ad probãdum primũ erat, quod, si esset aliqua prioritas inter illas actiones, ratione cuius deberent distingui realiter, tum actio eductiua deberet esse prior, sed si illa esset prior, actio transmutatiua, quæ necessario sequitur eductiuam, deberet esse intrinsecus aduenies, quod esset contra Scotum, vt fatetur ipse Mastrius. Ad hoc respondet Mastrius negando sequelam, quia relationes extrinsecus aduenientes interdum necessario insurgũt, positis aliquibus præter fundamentum & terminum, nam posita materia & forma non necessario sequitur vnio, sed posita forma in materia; posito etiam corpore & loco non necessario sequitur vbi, sed sequitur necessario posito corpore in loco: eodem modo in proposito, inquit, posito igne & aqua non necessario sequitur actio ignis in aquam; sed inducta caliditate in aquam, sequitur necessario actio ignis in aquam: sed non idcirco tamen talis actio est relatio intrinsecus aduenies, quia necessitas ortus eius non ex eodem capite procedit, à quo est necessitas ortus relationis intrinsecus aduenientis, quia necessitas huius, v.g. similitudinis, oritur ex natura extremorum, & oritur ab extremis absolute inspectis, non sic necessitas actionis, vnionis, & vbi in prædictis casibus, sed ab aliquo extrinseco, quod non habet rationem fundamenti & termini, & ita se habet in proposito inductio & eductio formæ antecedenter ad actionem, quod non est nec fundamentum, nec terminus, neque ratio fundandi, vt ibi explicatum est, scilicet in Logica disp. 8. q. 8. ad primum.

Hæc est responsio Mastrij quam non sufficere, neminem credo esse vel leuiter in Metaphysica versatum, qui non videat, adeo vt vix opus esset eam impugnare, nisi etiam minus versatis satisfaciendum esset.

*Dico ergo primò* esse manifeste contra naturam relationum extrinsecus aduenientium, quod resultent positis vllis præuiis, ex parte extremorum, nec quod ita insurgãt, probatur à Mastrio: nã exempla, quę ipse adducit, potius aduersantur ipsimet, quam fauent; nam vnio inter materiam & formã insurgit ex suppositione vllius alterius, & idem est de vbi; neque assignabile est aliquid aliud distinctum ab vnione & vbi, ex cuius suppositione necessario insurgerẽt, & sane si posset aliquid tale assignari, post quod necessario insurgerẽt, nõ essent relationes extrinsecus aduenientes, sed intrinsecus, vt statim magis patebit. Quod autẽ asserit Mastrius vnionẽ necessario insurgere posita forma in materia; & vbi posito corpore in loco, stuporem iniiceret, nisi ab ipsomet profectũ esset; quid enim est aliud formã esse in materia, quã esse vnitam materiæ; aut corpus esse in loco, quã corpus habere respectũ vbi in loco? vnde verũ quidem est, quando forma est in materia, insurgere vnionẽ necessario, quia ipsamet vnio est qua ponitur in materia & sine vnione non posset intelligi esse in materia, & idem est de vbi. Sed quid hoc ad rem? oporteret vt Mastrius ostenderet quod vnio & vbi sequerentur, seu insurgerent inter sua extrema ad positionem alicuius alterius prioris, vt aliquid faceret ad rem; & sane eodem modo in proposito, non sequitur actio calefactiua necessario ad positionem ignis & aquę, neque ad positionẽ vllius alterius prioris ipsa actione, & quamuis sequatur, seu potius necessario sit, quoties calor inducitur, tamen non inducitur calor priùs, quàm sit ipsa actio, sed porius per ipsã actionẽ formaliter inducitur.

Nec etiam disparitas quam adducit Mastrius inter relationes intrinsecus aduenientes, & relationes extrinsecus aduenientes necessario insurgentes ad positionem alicuius positi ex parte extremorum habet meo iudicio aliquid apparentiæ; nã sufficit ad hoc vt relatio sit intrinsecus aduenies, quod necessario insurgat inter extrema ex suppositione cuiuscumque positi ex parte extremorum, siue ex quocumque quod præsupponitur, etiamsi ab extrinseco proueniat, vt patet manifeste non solum ex conceptu relationis intrinsecus aduenientis vt sic, vt omnes cõcipiũt ipsam, sed etiam particularius quia relatio producentis ad terminum productũ est intrinsecus aduenies secundum ipsum Mastrium, & Scotum, vt ab ipso intelligitur & à Scotistis communiter, & tamen non sequitur ex natura extremorum: possent enim extrema esse sine illo, sed sequitur ex suppositione quod forma inducatur & subiectum transmutetur per agens extrinsecum.

Deinde secundum eumdem Mastrium in hoc ipso articulo respectus eductionis est intrinsecus aduenies, & tamen non sequitur ad extrema posita præcise & absolute considerata, quia posset esse absque illo respectu, vt etiam ipsemet fatetur; sed sequitur ad extrema quando forma producitur in subiecto: ergo illa disparitas nihil valet. Cõfirmatur hoc & intentum principale: respectus eductionis (& idem est de respectu productionis, qua producitur totum) secundũ Mastrium est intrinsecus aduenies & tamen non sequuntur necessario ad extrema præcise & absolute considerata, sed solũ sequitur ad illa, si ab extrinseco oriatur quod forma producatur in materia & ex illa: ergo quamuis transmutatio non sequeretur necessario ad extrema posita absolute considerata, sed ex suppositione quod forma poneretur in materia à causa transmutante, erit intrinsecus aduenies, nec requiritur quod relatio intrinsecus aduenies insurgat necessario ad positionem extremorum absolute consideratorum. Confirmatur secũdo quia si dicatur quod vbi & vnio sint relationes extrinsecus aduenientes, quia quamuis sequantur necessario ex suppositione, quod forma ponatur in materia, & corpus in loco; tamen illa positio eorum, non est nec fundamentũ, nec terminus, nec ratio fudandi; ad relationem vero intrinsecus aduenientem requiritur, quod necessario sequatur ad positionem fundamẽti & termini aut rationis fundandi. Cõtra est quia eductio non sequitur necessario ad ipsa extrema posita, neque ad rationem aliquam fundandi & tamen secundum Mastrium est intrinsecus aduenies: ergo illa doctrina non est vera. Quod si dicat Mastrius productionem formæ ex materia esse rationem fundandi, aut conditionem sine qua non & hoc sufficere. Contra quia similiter potest dici quod positio formæ in materia, ad quam sequitur transmutatio materiæ sit ratio fundandi, aut conditio sine qua non, est enim prorsus eadem ratio: ergo debet dici quod sit respectus intrinsecus aduenies, & non extrinsecus, contra Mastrium; aut si dicatur esse intrinsecus aduenies, idem debet dici de eductione. Ex quo manifeste patet disparitatem Mastrii non sufficere; nec explicationem ipsius in Logica loco ab ipso citato.

Altera mea ratio ad probandum quod eductio & inductio sit extrinsecus aduenies erat, quia nõ sequitur necessario ad extrema, neque ad aliquod præuium positum ex parte eorum. Ad hanc respondet *num.* 51. negando antecedens, (omitto alteram responsionem, quam dat ex Lycheto, quia paulo ante impugnata est, & ipsemet videtur hanc præferre;) nam respectus, inquit, eductionis necessario sequitur ad calorem in subiecto, vel è subiecto productum, neque calor est terminus eductionis secundum se absolute inspectus, sed calor productus in subiecto & ad illum vt sic sequitur necessario educto.

Hanc responsionem ex dictis constat nullius esse momẽti. Sed claritatis causa hic etiam eam breuiter impugno.

*Primò*, quia calorem esse in subiecto vel è subiecto productũ non est aliquid antecedens ipsam eductionem; nam ab ipsa eductione formalissime habet esse productum in, aut ex subiecto: ergo erit respectus extrinsecus aduenies.

*Secundò*, quia si sufficeret ad hoc vt esset respectus intrinsecus aduenies quod, licet nõ sequatur ad subiectum, & calorem absolute considerata; necessario tamen sequatur seu insurgat ad calorem in subiecto, aut è subiecto productum; sequetur à paritate rationis quod vnio, quæ, licet nõ sequatur ad materiam & formam absolute considerata, sequitur tamen ad formam in materia, vt asserit Mastrius, sit intrinsecus aduenies contra ipsum, & omnes Scotistas, & sicut potest dici quod forma secundum se non sit terminus eductionis, sed vt in subiecto, aut è subiecto producta, similiter poterit dici quod forma non sit terminus vnionis secundum se absolute consideratæ, sed vt in materia.

*Tertiò*, quia sicut potest dici quod eductio sit intrinsecus aduenies, quia licet nõ sequitur ad extrema absolute cõsiderata, sequitur tamen ad formam positam in subiecto: ita potest dici quod transmutatio sit intrinsecus aduenies quia licet non sequitur ad agens & subiectum absolute

consi

considerata, sequitur tamen ad illa, posita forma in materia hoc autem, est contra Mastrium. Quod si non dicatur propter hoc quod transmutatio sit intrinsecus adueniens, idem sane debet dici de eductione.

Eodem ipso numero ait Scotum, dum ait eductionem esse relationem intrinsecus aduenientem, nullo modo recipere explicationem meam. Mea autem explicatio est ab ipsomet Mastrio *num.* 46. proposita; quod quemadmodum in re producta possunt considerari duæ productiones; vna quæ manet tantum in fieri, altera quæ manet in facto esse, & sequitur ad priorem, ex quibus prima est respectus extrinsecùs adueniens, altera intrinsecùs: ita etiam in re educta possunt considerari duo respectus, vnus qui est tantum in fieri, & alter qui manet in facto esse, & sequitur ad rem in sententia communiori admittente hunc secundum respectum, ex quibus prior est extrinsecus adueniens, alter intrinsecus.

Hoc autem supposito dixi Scotum, vt verum sit, quod dicit, intelligendum de secundo respectu non de priori

Hanc expositionem meam asserit Mastrius non recipi à Scoto vllo pacto, nec valere, quia loquitur Scotus de productione & eductione, quæ comitatur rem in fieri & non in facto esse tantum, tum quia non in omnibus effectibus datur alia dependentia à causa secunda, præter illam quam fundant cum actu producuntur; tum tandem quia in illis effectibus, in quibus vtraque illa dependentia reperitur tam in fieri, quam in facto esse, seu conseruari, eiusdem rationis sunt prima rei productio & conseruatio, atque ideo etiamsi in omnibus effectibus admitteretur illa duplex productio vel eductio, quam Poncius comminiscitur, de vtriusque idem iudicium ferri deberet, quod nempe sunt vel nõ sũt respectus intrinsecus adueniẽtes vel extrinsecus

Hanc etiam impugnationem Mastrii refutaui sufficienter supra, sed dico hic iterum Mastrium me non intellexisse, nam ego non eram locutus de duplici respectu, quorum vnus tantum esset in fieri & alter in facto esse, sed de duplici, quorum vterque esset in fieri & vnus tamen maneret etiam in facto esse.

Vnde concedo Scotum locutum de eductione, quæ comitatur ipsum fieri rei & non tantum in facto esse, quia nullus est respectus in facto esse, qui non fuit in fieri etiã, quamuis iuxta doctrinam, quam supposuit Scotus, aliquis esset in fieri, qui non esset in facto esse.

Itaque in ipso fieri formæ eductæ iuxta sententiã, quam supposuit Doctor, sunt duo respectus eductionis, vnus qui nihil præsupponit ex parte extremorum, ad quod necessario sequitur, & hic est respectus extrinsecus adueniens; alter qui sequitur necessario, supposito illo priori respectu & ipsum præsupponit tanquam rationem fundandi, aut conditionem sine qua non, & qui manet in facto esse dum res manet & causa à qua producitur, & hic est respectus intrinsecus adueniens, deque eo loquitur Scotus. Quamuis ergo Scotus loquatur de eductione, quæ comitatur rẽ in fieri, quid hoc facit contra me, qui hoc ipsum fateor? Per quod patet ad reliquam partem discursus Mastrii; neque enim in re clara libet ad tædium sollicitare lectoris patientiam, aut in impugnandis nugis minutius hærere.

Postea eodem *num.* §. 2. *principaliter*, proponit meam doctrinam de definitione Actionis, quatenus assero eam quam tradit Author sex principiorum, nempe, quod Actio sit illa, secundm quam in id, quod subiicitur, agere dicimur, esse quidem bonam, sed non comprehendere omnem actionem de genere actionis; sed solas & omnes actiones causarum efficientium, quia non comprehendit informationem quasi actiuam formæ, neque in fluxum materialem materiæ in formam eductam, & etiam quatenus dico quod actio vt sic comprehendens omnem actionem huius Prædicamenti posset describi esse accidens, quo mediante aliquid communicat esse alteri. Actio vero causæ, vt sic, posset describi esse accidens à quo actualiter denominatur producere aliquid, aut dare ipsi esse absque receptione aut informatione aut inhæsione.

Mastrius autem *num.* 52. negat hanc doctrinam reperiri apud Scotum 4. d. 13. q. 1. sed potius oppositam.

Sed imprimis ex illo ipso loco Doctoris quem eodem *num.* citat Mastrius ex 4. d. 12. q. C. patet doctrinam meam esse iuxta Scotum, quia dum dubitat an spectat informatio ad Prædicamentum passionis, aut Actionis, capiendo Actionem vt sic, prout comprehendit respectum non tantum agentis ad passum, sed etiam informantis ad subiectum, patet quod non putauerit Actionem vt sic de Prædicamento actionis comprehendere tantum respectum agentis: & hoc ipsum dubium Scoti sufficit vt non intelligatur definitio Porretani de omni Actione spectante ad genus Actionis, sed solum de respectibus Agentis proprie dicti quale est sola causa efficiens. Et hoc ego tantum volui dum proposui illam meam doctrinam tanquam Scoti, hoc est tanquã cõformem ipsius principiis. Ad alterum autem quod affert Mastrius oppositum meæ doctrinæ reperiri apud Scotum. Respondeo id tam falsum, quam reliqua quæ contra me hactenus adduxit Mastrius, & nego Scotum asseruisse vllibi omnem actionem spectantem ad Genus Actionis comprehendi sub definitione Actionis assignata à Porretano, si enim hoc assereret, non posset dubitare an informatio formæ spectaret ad Genus actionis; nam certum est quod non comprẽdatur sub illa definitione. Nego etiam quod omnis actio causę efficiẽtis, quæ est respectus extrinsecus adueniens, non comprehendatur sub illa definitione Porretani, quamuis sub ea non cõprehendatur omnis actio ipsius, quæ non esset talis respectus supposito, quod habeat aliquam actionem quæ non sit talis respectus.

Itaque supponendo quod causa efficiens habeat duas Actiones, vnam, quæ sit relatio extrinsecus adueniẽs, alteram quæ sit intrinsecus; de hac secunda certum est, quod non spectet ad prędicamẽtum Actionis; nec ego id somniaui; sed manifeste locutus sum, vt loqui debui, de omni actione causæ efficientis, quæ esset respectus extrinsecus adueniens.

Absolute autẽ potera dicere iuxta mea principia, quod omnis omnino actio respectiua causæ efficientis comprehenderetur sub definitione Porretani; quia secundum me causa efficiens non habet vllam actionem respectiuã, quæ esset intrinsecus adueniens; & quamuis Scotus videtur admittere aliquas tales, explicui ipsum sæpe, & iterum modo explico intelligendum non absolute in propria sententia, sed in sententia communiori suo tempore, admittente aliquos respectus sequentes terminum productum, supposita actione efficientis de Prædicamento actionis, quæ est relatio extrinsecus adueniens; quam sententiam ego puto non esse veram, quia non video necessitatem vllam illius secundæ actionis.

Vt autem melius intelligatur tota hæc res & mea sententia, Existimo causam creatam effectiuam nullam actionem respectiuam habere præter relationem extrinsecus adueniẽtem, per quam educit formam ex materia eamque inducit: nam per hanc solum realiter consideratam & educit formam & eam inducit & transmutat subiectum formę & producit quodcumque compositum, quod posita illa actione resultat necessario, absque vlla alia actione respectiua realiter distincta; & frustra omnino diceretur poni vllam aliam actionem. Præter hanc autem actionem causę efficientis materia habet respectum extrinsecus adueniẽtem ad formam: qui respectus potest bene reduci ad prædicamentum passionis, quia per eam patitur materia à forma recipiendo ab ipso aliquod esse. Deinde forma dicit alium respectum extrinsecus adueniẽtem ad materiam, quæ est informatio seu inhæsio, & hic potest optime reduci ad prædicamentum Actionis: neutri autem ex his respectibus conuenit definitio Porretani, si proprie capiantur verba eius, vt manifestum est.

Præter illos autẽ respectus, qui realiter sũt vniones duæ quæ intercedunt inter subiectum & formam eductã, nego vllum aliũ respectum interuenire qui sit intrinsecus adueniens, quia omnino superfluit, cum nulla sit necessitas, aut vsus eius. Hæc est mea doctrina in re independenter ab Authoritate; & si Mastrius velit aliquid contra dicere, ego vt ex ratione agat, ne teratur tempus in expositionibus authoritatum, quas cuique facile est excogitare.

Quod si doctrina illa sit vera, quæ videtur Scoti, & quam probabiliter defendo in meis nouis Commentariis, quod

scilicet ad absolutum in causa sequatur absolutū in effectu sine respectu vllo anteriori. Tum negarē causam efficientem habere vllam actionem, quæ sit relatio, vel intrinsecus vel extrinsecus aduenies, quantum ad meum proprium sensum, cum non vellem me accommodare authoritati.

Per quod patet ad integram impugnationem, quam affert Mastrius per totū *num.* 52. nec digna est, cui minutius aut distinctius respondeatur, solum aduerto ipsum, dum asserit informationem formæ spectare ad prędicamentum Habitus, abuti nominibus & contra sensum omnium, quot quot vidi, Philosophorum loqui absque necessitate authoritatis, aut rationis: sed cum hoc spectet ad nomen, parum curandum est.

*Deinde num.* 53. adducit meam doctrinam *num.* 26. de natura actionis mediæ, in qua aliqua impugnat quę examinare placet. Imprimis quamuis fateatur meam primā conclusionem esse veram qua assero quando effectus aliquis non potest produci nisi à determinata causa, non esse necessariam actionem mediam vt producatur: tamen negat eam esse veram propter rationem meam, aut saltē, inquit, ratio illa non est ratio à priori veritatis eius, vt postea constabit *num.* 57. At imprimis non refert quod mea ratio non sit à priori, modo sit bona; esse autem bonam certum est, si nihil aliud opponi possit, quam quod opponit Mastrius, quod vt videatur, proponenda est ipsamet mea ratio, quæ est, quod in casu cōclusionis nulla esset necessitas actionis mediæ, quia si esset vlla, maxime vt haberetur denominatio noua producentis in causa & producti in effectu; ad hoc autem non esset necessaria actio media, quia illa denominatio posset prouenire vel ab ipsa causa, quæ seipsa proceret talem effectum, vel ab effectu qui seipso produceretur; quemadmodum in sententia asserente actionem mediam, potest de nouo haberi hæc denominatio in causa, quod scilicet ab ipsa egrediatur actio sine aliquo medio inter actionem & causam, cuius ratio est quia actio illa non potest esse nisi à tali causa: nā si posset, certe deberet poni aliquid medium inter ipsam & agens, vt haberetur denominatio illa egredientis à causa. Contra hanc rationem opponit Mastrius posse negari minorem, & cum probatur à me per exemplum de actione, dicit posse negari paritatem quia relatio actionis, & productionis est formalitas & modus à natura institutus ad denominandum aliquid formaliter causans, atque ideo in eo denominandi ordine est ita *quo* vt non possit esse quid, sed hoc de effectu nequit dici, qui est entitas nata produci & talis denominationis formaliter susceptiua.

*Ad hunc discursum dico* quamuis mihi non incumbat probare meam minorem, in qua negaui necessitatem actionis mediæ ad dandum denominationem producentis in casu conclusionis, quia sufficiebat soluere rationes necessitatis, quas assignarent aduersarii; tamen optime probatum esse exemplo actionis inter quam & effectum in tali casu esset summa paritas quantum ad non exigendum aliam actionem mediam: neque prorsus oppositum ostendit Mastrius: nam actio non esset instituta à natura ad dandam illam denominationem, nisi ex se & natura sua esset ad hoc apta, & nisi ad hoc requireretur: sed prorsus non esset ad hoc apta nisi esset talis naturæ vt non posset egredi ab alia causa: nec esset ita *quo* vt non possit esse *quid*; & potest optime colligi quod sit ita *quo* vt non possit esse *quid*, quia est sic determinata, vt non posset ab alia causa prouenire.

Vnde cum effectus in casu conclusionis nequeat ab alia causa prouenire, omnino erit à natura institutus vt egrediatur seipsa absque actione intermedia, & vt tribuat denominationem agentis; vel saltem causa ipsa erit sic à natura instituta, vt habeat à seipsa denominationem agentis, quando egreditur seipso effectus, tam bene quam actio est instituta vt tribuat denominationem agentis, aut vt egrediatur seipsa ab agente.

*Videamus autem* quomodo ipsemet probat *num.* 57. illam conclusionem meam & suam etiam. Dicit ergo regulam dignoscēdi quando actio distinguitur realiter ab effectu producto esse hanc: quando effectus ita producitur à causa, vt nequeat habere esse, nisi per habitudinem ad illā & sine tali habitudine existere, tum actio est cum effectu identificata; secus, si non. Cuius ratio à priori est secundum ipsum, quia signum distinctionis realis inter aliqua duo est separatio possibilis & ideo quando fundamentum potest esse absque aliqua relatione, distinguetur realiter; quando nequit, identificabitur ipsi realiter.

*At certe* nec conclusio mea probatur sufficienter per hanc doctrinam neque à priori, neque à posteriori. Nam in primis falsum est quod defectus separabilitatis realis arguat identitatem realem: nam certum est vnam relationem non posse esse absque correlatione, & tamen non minus certum est, quod distinguantur realiter, & in sententia communiori Scotistarum partes vnitæ, vt sic nequeunt esse sine toto, nec è contra, & tamen distinguuntur realiter à toto: ergo quamuis non posset effectus esse absque actione, nec hæc sine illo; non sequitur propterea præcisè quod non distinguantur realiter.

*Rursus* quamuis fundamentum relationis quod non posset esse absque aliqua relatione in ipsomet subiectata identificaretur illi, non propter inseparabilitatem præcise, sed quia etiam nullum aliud possit assignari indicium distinctionis realis inter illa; & quamuis hinc sequeretur, quod in casu conclusionis passio, quæ poneretur in effectu, non distingueretur realiter ab effectu, tamen non habetur quod non distingueretur realiter ab actione media, si daretur; imo aliunde haberetur manifeste quod sic, quia quod distinguitur realiter ab aliquo & non subiectatur in ipso, distinguitur realiter ab omni, quod subiectatur in ipso, effectus autem distinguitur realiter ab Agente & non subiectatur in agente: ergo distinguitur ab omni illo quod subiectatur in ipso, & consequenter ab actione si daretur; an autem detur certe non potest ex hoc capite deduci, sed potius deduci debet ex mea ratione, nempe quod non sit necessaria in casu conclusionis & quod non sint multiplicanda entia sine necessitate.

*Eodem numero* fatetur veram etiam esse tertiam meam conclusionem, qua assero requiri actionē mediam quando effectus potest produci à pluribus causis: sed dicit meam probationem non recte procedere, imo inquit directe videtur destruere probationem primæ conclusionis. Examinemus hoc quæso; nā error esset maximus, quē prętendit Mastrius, à quo debeo me purgare; sed vereor vt id posset fieri, quin in Mastrium reiiciatur. Mea probatio est; quia denominatio producentis est denominatio realis, ergo debet ab aliqua causa reali prouenire. sed sine actione media non daretur causa, à qua proueniret in casu conclusionis: neque enim proueniret ab ipsa causa, neque ab effectu, neque ab vtroque simul; quia vterque simul posset existere, quin haberetur ista denominatio.

*Quam rationem* confirmaui quia nihil finitum potest habere denominationem nouam absque causa aliqua intrinseca vel extrinseca à qua proueniret: ergo quandoquidem ignis verbi gratia, quando producit calorem, habet denominationem producentis, quam ante non habuit, debet esse aliquid à quo proueniret; nihil autem esset præter actionem mediam: ergo. Hanc rationem dicit Mastrius videri destruere probationem primæ conclusionis, quia si necessaria est actio media vt habeatur denominatio realis causæ, eadem quoque necessitas erit in casu primæ conclusionis; vel si ea necessitas ibi suppleri posset absque actione media, poterit etiam in casu tertiæ conclusionis. Quod magis euidenter ostenditur ex mea confirmatione præmissa: si enim impossibile est aliquid finitum denominari causam absque actione media, quia non fit transitus de contradictorio in contradictorium absque mutatione, sane hæc ratio, inquit, militat tam in casu primæ conclusionis quàm alterius.

*Itane tibi videtur Mastri?* At ego certe non putaui creatos adhuc oculos, quibus id videri posset. Reflecte quæso & vide de nouo, an idem cum probabilitate vlla videri possit de vtroque casu. Principium meum est quod non possit haberi aliqua denominatio vlla realis absque aliqua causa vel extrinseca vel intrinseca à qua prouenire possit: capio autem causam, vt tollam omnem quæstionem de nomine, & omnem dubitationem, pro quocumque, sine quo posito non haberetur denominatio, &

quo

quo posito haberetur, siue sit vera causa, siue conditio sine qua non, & sic intellecto principio meo est euidentissimum. Videamus iam an concludit actionem mediam in vtroque casu, & imprimis certum est quod concludat illam in casu tertiæ conclusionis, quia sine actione media, nihil assignari potest vnde prouenire posset, neque tanquam à causa, neque tanquam à conditione: quia cætera omnia quæ sunt assignabilia possent esse absque illa denominatione, verbi gratia, potest esse ignis approximatus, & potest esse calor ille ipse, qui producitur ab igne in aqua, absque eo quod producatur ab igne, & consequenter potest esse ille calor, quin dicatur vere quod ignis producat calorem: ergo vt dicatur producere illum calorem, debet esse aliquid aliud præter ignem, aquam, & calorem, ad hoc vt habeatur illa denominatio: sed nihil aliud est excogitabile præter actionem mediam: ergo in illo casu conuincitur debere intercedere actionem mediam vt habeatur illa denominatio, si verum sit illud principium.

*In casu verò* primæ conclusionis prorsus nihil concludit; nam quando effectus petit essentialiter ab vna causa produci, cum producitur talis effectus, habetur quidem denominatio realis producentis; causa enim realiter producit illum effectum, & debet esse aliquid vnde proueniat illa denominatio, non tamen aliquid distinctum à causa & effectu, nec consequenter actio media, quia illa denominatio prouenire potest vel ab ipsa, suppositio effectu, vel ab effectu ipso; quandoquidem non posset esse causa & ille effectus quin causa habeat illam denominationem. Ex quo videre potest Mastrius quod illa mea probatio currat in casu tertiæ conclusionis, & quod non currat in casu primæ conclusionis. Sed nec ipsi mea confirmatio suffragatur: nam in ea non dixi, quod nihil finitum possit esse causans absque actione media; sed quod nihil finitum possit habere denominationem nouam realem absque aliquo, ex quo posset prouenire noua denominatio, & hinc intuli quando causa aliqua haberet denominationem realē causantis, quæ non posset prouenire à causa & effectu causato simul positis, vt contingit in casu tertiæ conclusionis, quod verò deberet esse aliquid aliud, vnde proueniret: & consequēter actio media, quia nihil aliud posset sufficere. Sed inde non posset inferri, quod in casu primæ conclusionis deberet dari actio media, vt causa finita haberet denominationem causantis, quia denominatio illa causantis posset prouenire ab ipsamet causa, posito effectu, vel ab ipso effectu, vel ab vtroque, ita vt nihil aliud realiter requiri deberet, quandoquidem iis solis positis necessario sit illa denominatio.

*Vlterius num.* 45. asserit absolute falsum esse quod doceo in eadem tertia mea conclusione, nempe intercedere actionem mediam, quando effectus est indifferens vt producatur à pluribus causis, quia hoc est contra Scotum, qui negat relationem vllam esse priorem termino; vnde cum ego concedam actionem esse relationem, teneor consequenter concedere eam esse posteriorē non priorem termino; vnde, inquit, magis inconsequenter loquitur quam recentiores, qui dicunt actionem esse mediam & priorem, quia ponunt eam esse quid absolutum.

*At vt ab hoc incipiam*; nescio quomodo ex eo quod actio dicatur esse relatio magis consequens sit quod non præcedat effectum quam si dicatur esse modus absolutus, tam enim meo iudicio repugnat modum esse priorem re ad quam essentialiter determinat, quam relationem, & si aliquis talis modus possit esse prior, certe & relatio poterit.

Quod autem relatio possit esse prior termino, modo sit productio ipsius, seu id per quod formaliter ponitur, tanquam per rationem *qua*, ostendi tum quia non potest ostendi vnde id repugnaret, tum quia relatio paternitatis in diuinis est prior suo termino hoc est filio, sicut & ipsemet Pater, quia illa relatio est productio filij, vt communiter responderi solet. Ad Scotum autem respondi dum ait absolutum in causa sequi absolutum in effectu eum intelligendum sic, vt non debeat esse aliquid absolutum medians inter causam & affectum priorem termino seu effectu; & quando dicit relationem sequi ad effectum, eum intelligendum de relatione intrinsecus adueniente, non de relatione extrinsecus adueniente, nec consequenter de actione quæ est de prædicamento actionis.

*Has responsiones* adducit ipsemet Mastrius, & contra opponit *num.* 55. quod ipse confutauerit portentosas illas relationes termino non indigentes *disput.* 5. *Phys. quæst.* 2. & addit quamuis aliqui præter me excogitauerunt relationes priores termino, neminem tamen præter me admisisse relationem vllam quæ præcedat fundamentum, & per quam suum fundamentum accipiat esse, qualem ego comminiscor in mea hac solutione. Vnde inquit tam mira est illa mea responsio quam monstruosum esset relationem præcedere suum fundamentum ac etiam producere.

*Addidit vlterius* non responderi communiter ad illam difficultatem de paternitate, vt ego respondi; sed responderi potius quod licet paternitas sit simul natura cum filio, tamen adhuc stet quod sit prior origine filio, & circa hoc aliqua alia conglomerat, quæ ex impugnatione horum nullius esse momenti patebit. *Dico ergo* primo illum non confutasse sufficienter doctrinam illam meam de prioritate relationum, quibus producuntur termini ipsarum, vt patet ex mea Appendice in qua retexi ipsius impugnationes; & si portentosæ ipsi videantur tales relationes, ea tamen portenta conuinci meis rationibus quibus ille non satisfecit.

*Dico secundo* si aliqua relatio admitti debeat ex parte termini, quæ sit correlatio actionis & passio de prædicamento passionis, illam debere esse priorem suo fundamento qui est terminus actionis, & si nullus alius præter me hoc asseruit, mihi hoc existimo cedere debere in honorem quod indagauerim cum fundamento aliquid noui in hac materia; quod si non posset esse relatio aliqua prior fundamento, tum negari debet passio talis & dicendum quod actio non habeat correlationem vllam, quod totum ex dictis eo loci satis patet; siue portentosum sit aut mirum, de qua censura non curandum.

*Dico tertio*, non videri mihi quod intellexerit Mastrius quomodo applicauerim exemplum illud de Paternitate Diuina ad propositum præsentis difficultatis. Dixi eo exemplo colligi quod aliqua relatio possit esse prior termino, & si aliquis quærat quomodo id posset fieri cum relationes communiter soleant præsupponere terminum, Respondi cum communi omnium, quos vidi, bonorum Scotistarum sententia, rationem esse quod illa relatio Paternitatis sit productio filij, & consequenter non possit præsupponere ipsum, sed potius aliquomodo debeat ipsi præsupponi, cæterę vero relationes quæ præsupponunt terminum, non esse productiones termini neque habere ex natura sua, cur deberent ipsi præsupponi, sed potius præexigere terminum, quia sine termino præsuppositio nulla alia causa sufficiens assignari potest ex qua emanent.

*Ait autem Mastrius* non sic responderi communiter; sed quod licet paternitas sit simul natura cum filiatione, & Pater cum filio, adhuc tamen stat, quod Pater sit prius origine filio. Sed quid hoc ad rem? Concedo, & id ipsum in mea responsione suppositi, quod paternitas & pater sint prius origine filio & filiatione; sed quæritur vlterius cur paternitas possit esse sic prius suo termino, aliæ vero relationes non possint esse, & sane non puto Mastrium dare posse aliam rationem bonam, quam illam ipsam à me datam, nempe quod paternitas sit ipsamet productio termini; & quod non repugnet eam esse talem, quamuis sit relatio. Sed vt magis directe veniam ad principale propositum. Assumo quod concedit Mastrius hic, nempe Paternitatem & Patrem esse priorem origine filio & filiatione, licet sit relatio & consequenter sit aliquo modo simul natura; & hinc infero intentum meum, nempe quod actio seu productio creata quamuis sit relatio possit esse prior origine termino suo, & infero vlterius non esse tam portentosas relationes priores terminis, & iis non indigentes tanquam prioribus, quam putauit Mastrius, cum ipsemet talem aliquam admittat.

Adducit §. *Glossa vero*, contra explicationem

quam ego adhibui ad authoritatem Scoti, qui videtur dicere quod ad absolutum in causa sequatur absolutum in effectu, vnum locum ex eodem Scoto 2. dist. 1. quæst. 2. cui videtur meam explicationem applicari non posse: dicit enim. *Cum igitur dicis quod quia causa dat esse, ideo effectus recipit esse, dico quod si intendas per ly quia reduplicationem relationis in causa, vel aliquam realitatem nouam in causa sine relatiuam, sine absolutam, propositio falsa est.* Et hinc Mastrius infert me non vidisse Doctorem, vel voluisse ipsum eludere.

Sed adhuc Mastrius non conuicit tam euidenter quam putat intentum, etiam dum de Authoritate agitur; dico enim Scotum hoc loco intelligi posse de causa vt sic, non de causa creata ac finita, ita vt sensus sit, quod causa vt sic vt causet non indigeat relatione, aut realitate aliqua absoluta, aut respectiua superaddita, quia posset sufficere in aliqua causa absolutum istius causæ; quod certum est, quia Deus potest causare sine vllo superaddito, & consequenter causa vt sic non indiget aliquo superaddito ex natura sua quatenus causa præcise, alias Deus non posset causare sine superaddito, quod est falsum. Sed hinc non sequitur quin causa creata indigeret aliquo superaddito, non quidem absoluto, neque respectiuo ex Prædicamento Ad aliquid, sed respectiuo ex Prædicamento Actionis.

*Sed quia* ego ipse fateor Scotum magis fauere sententiæ neganti relationem præuiam, & vt ante dixi, in Commentariis meis ad secundum defendo illam sententiam; Si contra meam sententiam de relatione priore termino aliquid vult disserere Mastrius, rogo vt, omissa authoritate, agat ex ratione & probet non dari tales relationes.

Propono autem ipsi breuiter meam sententiam abstrahendo ab Authoritate. Imprimis assero causam finitam non posse producere effectum, qui possit ab alia causa procedere absque actione in se subiectata, quæ sit respectus extrinsecus aduenies & prior termino, non quidem tempore, sed natura vel origine, ac independens à termino tanquam à priori. Cuius fundamentum est quod non repugnet talis relatio sic prior termino, & quod de facto in diuinis detur talis, verbi gratia paternitas diuina; & quod aliquid præsuppositum termino debeat haberi distinctum à causa & effectu, nihilque aliud potius quam relatio extrinsecus aduenies.

Præterea quia passio realiter distincta ab actione deberet subiectari in effectu qui producitur, si daretur talis passio; & quia etiam deberet esse prior illo effectu & nullo modo dependens ab effectu tanquam à priori, id autem difficile est, & non necessariũ admittere. Dico, secluſa authoritate, mihi probabilius esse quod nõ detur talis passio, sed quod sufficiat ipsamet actio subiectata in Agente, nõ vero in passo, (vt minus recte videtur Mastrius intellexisse me) quæ actio possit denominare & causam agere ac causare & effectum produci, sicut volitio potest denominare voluntatem volentem & obiectum volitum. Nec refert quod volitio non sit actio nisi Grammaticaliter dicta, (vt insulse opponit hic Mastrius huic ipsi exemplo à me ante adducto in Logica) & quod ideo non requirat vt ei vera passio correspondeat ex parte obiecti, sicut secundum ipsum opus est, vt correspondeat in effectu passio actioni Agentis: nã quod ego dico est quod quemadmodum potest tribuere volitio denominationem volentis & voliti: ita actio possit tribuere denominationem producentis & producti, & quamuis actio sit actio proprie dicta & non grammaticaliter & secundum vocẽ, tamen nego quod requirat passionem vllam in termino seu effectu, & asserere oppositum est petere principium.

*Hæc est mea* propria doctrina, quam tenendo in nullas mihi videor me coniicere angustias, sed prorsus existimo nulla ratione posse defendi cum vlla apparentia oppositum; nisi recurrendo ad principia, quæ ipse adduco in nouis Commentariis ad secundum sententiarum; illa enim videntur mihi probabilia.

Ad quod addo hanc meam sententiam nullam prorsus pati difficultatem spectata ratione, nec eam posse cum vlla probabilitate impugnari alia ratione melius, quàm si dicatur esse superfluam actionem relatiuam priorem effectu, quia denominatio illa causantis in causa potest aliunde prouenire, & si id ostendatur omnino, melius erit negare actionem præuiam.

Addo vlterius si non detur actio præuia, nullo modo requiri actionem posteriorem effectu, cuius nullus prorsus est vsus.

*Tandem Mastrius* concludit integrum articulum suum quintum contra me nimis laboriose, sed parum vtiliter, nisi fallor, confectum, impugnatione doctrinæ meæ de vnione, quam habeo, *q. seq. n. 56.* in qua dico vnionem subiecti ad formam esse respectum extrinsecus aduenientem, spectantem ad genus passionis, per quem subiectum mouetur ab efficiente ad aliquam formam.

Mastrius contra ait hanc vnionem non spectare ad prædicamentum passionis, nec bene dici à me quod sit respectus per quem subiectum mouetur ab efficiente ad formam. Quod probat quia vnio formalis qua extrema vniuntur, habet pro extremis solummodo subiectum & formam & præscindit ab Agente, vnde diuersa est à receptione, quæ ponitur in prædicamento Passionis, & respicit agens à qua subiectum recipit formam; quæ quidem inquit destinctio sufficienter colligitur ex diuersis earum formalibus effectibus, quia à passione dicitur subiectum calefactum, per quod significatur habitudo ad agens, sed ab vnione formali caloris cum subiecto dicitur subiectum calidum, non calefactum, in qua denominatione sola exprimitur informatio & receptio; non autem passio, quia cum passio sit actus huius ab hoc, non dicit receptionem formæ quocumque modo, sed vt est in fieri vi agentis, vnio autem denominat in facto esse, ac in esse quieto absque vllo respectu ad agens: quare non spectat ad Prædicamentum passionis, sed habitus.

*Hanc impugnationem* breuiter refuto: si vnio qua vnitur subiectũ formæ, nõ sit receptio, quæ est de genere passionis, debet subiectũ habere aliam aliquam receptionem, quæro ergo quid sit illa alia receptio, aut cuius receptio est, non certe ipsius Agentis; sed alicuius quod ab agente recipitur, nihil autem recipit subiectum ab agente, nisi formam, quod habebit simul & semel duas receptiones formæ & duas vniones ad illam, quod est ludicrum: habebit enim vnionem qua vnitur formæ & quæ manet in esse quieto, desinente actione agentis; & quam negat Mastrius esse passionem, & habebit aliam receptionem, quæ est passio, & quæ etiam est vnio ad formam, nam impossibile est intelligere quod subiectũ recipiat formam, quin intelligatur eò ipso vniri formæ.

Cum autem nihil absurdius sit quam ponere huiusmodi duas receptiones in subiecto respectu formæ, satius est ponere vnam tantum vnionem & receptionem quæ quatenus respicit formam absolute & præscindendo ab agente vocatur vnio & ab ea denominatur subiectum habere formam, verbi gratia aqua habere calorem seu esse calida; quatenus vero illa ipsa vnio terminat actionem causæ calefacientis, dicitur passio correspondens illi actioni. Mirum autem est, quod Mastrius ex diuersis denominationibus & effectibus formalibus concludat diuersitatem realem duarum receptionum, cum ex diuersis denominationibus prouenientibus ab intellectu & voluntate non possit colligi ab vllo Scotista quod distinguantur realiter.

## CONCLVSIO IV.

*De Passione.*

53. EX dictis de actione non erit difficile quid sit passio intelligere: vnde supposita doctrina præmissa de actione, breuiter hæc quæstio expedienda est. Itaque si loquamur de passione vt sic, prout comprehendit omne illud, à quo aliquid formaliter habet produci, à quocumque demum producatur, siue à causa materiali, siue ab efficiente, siue à finali, per hoc ipsum sufficienter describitur, quod dicatur esse *illud, à quo formaliter habet res produci.* Si vero loquamur de passione, prout correspondet causæ efficienti, optime describitur esse, *id, à quo formaliter habet effectus produci à causa efficiente.*

Quid passio vt sic.

Quid passio correspondens actioni effectiuæ.

*Dices:*

*Dices*: effectus habet produci formaliter ab efficiente per actionem causæ efficientis: ergo si vera esset hæc descriptio, actio esset passio correspondens causæ efficienti.

*Respondetur* ex suppositione distinctionis actionis & passionis, aut negando antecedens absolute, aut ipsum distinguendo: habet ab ipso formaliter produci, quatenus actio sit forma, à qua proxime & intrinsece sic denominatur produci effectus, nego; quatenus actio est forma, à qua causa efficiens denominatur proxime & intrinsece producere, concedo antecedens, & nego consequentiam.

*Et si quæras*, cur debeat denominari effectus produci intrinsece ab aliqua forma? *Respondetur* ex suppositione illa præmissa, id colligi ex eo, quod non sit maior ratio cur debeat denominari intrinsece producens, quam effectus debeat denominari intrinsece productus.

## CONCLVSIO I.

Descriptio passionis qua producitur forma non educta.

54. *Si detur aliqua passio in termino producto independenter à causa materiali ab ea realiter distincta, illa optime describitur esse relatio extrinsecus aduenies subiectata in termino aut adhærens ipsi & terminata ad causam efficientem, à qua habet produci ab ipsa.*

Hæc *patet*, ex dictis de actione, neque alia probatione indiget, quam quod sufficienter declarat naturam intrinsecam istiusmodi passionis. Dixi autem, *si detur*, propter dicta quæstione præcedenti in solutione primæ obiectionis *n.* 45.

## CONCLVSIO II.

Descriptio passionis à qua producitur forma educta.

55. *Si detur aliqua passio ex parte formæ, quæ producitur cum dependentia à causa materiali, illa debet esse respectus extrinsecus aduenies ad causam, à qua producitur, & quia producitur à duabus causis realiter influentibus, efficiente scilicet & materiali, debet dicere respectum extrinsecus aduenientem ad vtramque.* Hæc est eodem modo certa quo præcedens, nec indiget alia probatione. Sed difficultas est, an eodem respectu respiciat vtramque causam, an verò vno vnam, & altero alteram.

An effectus eductus dicat duos respectus ad agens & materiam.

*Respondendum autem* quod si sit effectus, qui non possit produci nec conseruari ab vna, nisi concurrente altera, tum eodem respectu vtramque respiciat, quia bene potest vnus respectus terminari ad distinctos terminos, & non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Si verò possit respicere vnam causam ex ipsis concurrentem eodem modo, quin respiciat alteram, tum duobus respectibus, & non vno respicit vtramque; quia sicut manere potest causalitas vnius, non manente causalitate alterius causæ, vt supponitur, ita manere potest correlatio effectus ad vnam, non manente correlatione ad alteram, & consequenter non dicit eandem relationem ad vtramque: & hoc modo philosophandum est de calore producto in aqua, verbi gratia mediante concursu ignis, quia potest conseruari in aqua sine concursu ignis, & primo etiam produci.

## CONCLVSIO III.

Quomodo vnio subiecti ad formam posset esse passio.

56. *Si non sit aliquid ponendum ex parte formæ eductæ, quo habeat intrinsece produci, passio correspondens actioni agentis erit solum vnio recepta in subiecto quod mutatur ad formam, quæ vnio, vt est talis passio, optime describitur esse respectus extrinsecus aduenies, per quem subiectum mouetur ab efficiente ad aliquam formam.* Hæc etiam ex dictis clara est & *patet prima pars*, quia nihil aliud realiter distinctum ab actione, ex hypothesi posita in conclusione, potest assignari, quod sit passio. *Pater etiam secunda pars*, quia optime sic declararetur natura eius, vt distinguitur ab omni alio.

*Aduertendum autem* quod hæc passio possit diuidi in passionem, qua mediante patiatur ab agente per mutationem ad formam non eductam; & in passionem per quam mutatur ab eodem ad formam eductam, quia potest mutari ad vtramque, vt patet ex dictis.

57. *Quod si quæras*, an vnio, per quam mutatur subiectum ad formam non eductam, producatur à causa efficiente per actionem illam, per quam dicitur transmutare illud subiectum.

Vnio per quam transmutatur subiectum ad formam producitur à causa efficiente.

*Respondeo* affirmatiue, quia alias non posset dici transmutare illud subiectum, & præterea illa vnio acciperet esse independenter à causa efficiente.

*Dices*: Vnio sustentatiua, hoc est vnio, per quam subiectum causat materialiter formam, non producitur per actionem causæ efficientis: ergo nec hæc altera vnio, quia eadem videtur esse ratio de vtraque, nec enim videtur esse maior ratio, cur vnio transmutatiua deberet per actionem efficientis produci, quàm altera vnio, quæ est perfectior, quandoquidem habeat tam perfecte vnire, & præterea esse causalitatem materialem respectu formæ.

*Respondeo* negando consequentiam, & disparitas est, quod vnio sustentatiua posset habere dependentiam à causa efficiente, quamuis non produceretur per actionem ipsius, quia posset coexigere actionem iuxta dicta supra. Vnio vero non sustentatiua non posset, quia nisi agens haberet actionem ad illam terminatam, non haberet actionem vllo modo, quandoquidem nihil aliud producitur per ipsum, vt supponitur: ergo non dependeret ab actione ipsius.

Vnio non sustentatiua nequit produci à materia per causalitatem distinctam.

*Si quæras iterum*, an vnio non sustentatiua debeat produci per causalitatem materialem distinctam realiter à subiecto. *Respondeo*, quod non, quia vt suppono, impossibile est ipsam produci, nisi in subiecto illo, & consequenter non potest esse iudicium aliquod vnde colligatur quod producatur à subiecto per causalitatem distinctam.

58. *Dices*: si non produceretur per causalitatem distinctam, actio causæ efficientis, per quam producitur, esset prior causalitate materiali, est enim prior quam sit illa vnio, quæ per ipsam producitur; sed est inconueniens quod actio efficientis sit prior quam actio materialis, quia sequeretur quod haberet terminum suum pro illo priori, & consequenter superflueret causalitas materialis posterior.

*Respondeo* negando sequelam, quia causalitas materiæ respectu vnionis non distinguitur ab ipsamet materia; actio autem non est prior materia, vt patet: ergo non est prior causalitate materiæ.

*Dices*: si causalitas materiæ identificetur materiæ, ergo causalitas materiæ est prior actione: sed hoc est æque inconueniens, ac quod causalitas efficientis sit prior causalitate materiæ.

*Respondeo* distinguendo sequelam maioris: sub denominatione causalitatis, nego; realiter, concedo; & similiter distinguo minorem: est inconueniens, quod esset prior sub denominatione causalitatis, concedo, realiter & sine tali denominatione, nego minorem, & nego consequentiam.

*Dices* ergo similiter actio causæ efficientis posset esse priusquam causalitas materiæ possit poni realiter, licet non sub denominatione actionis seu causalitatis.

*Respondeo* negando sequelam, quia totum munus istius actionis est esse positio effectus, seu id à quo agens habet ponere effectum, & consequenter non debet esse, antequam habeat hanc denominationem: sed ex suppositione quod causalitas materiæ identificetur ipsi, totum munus ipsius non est esse ratio formalis ponendi effectum, habet enim præterea pro munere quidquid potest facere materia, cui identificatur, & sic potest, & debet poni antequam habeat illam denominationem.

Et hæc sufficiant de Passione, ad quam intelligendam etiam conducent quæ dicentur *secundo Physicorum de causalitate materiæ, disput. octaua.*

## QVÆSTIO V.

### *Quid sit Quando.*

59. *QVando* est aduerbium temporis, quo solet quæri, quo tempore res aliqua sit, fuerit, vel erit: sed à Philosophis est translatum ad significandum formam illam, à qua res dicitur coexistere alteri, quia per hoc aduerbium quæritur de coexistentia rei; nam cum dicitur: quando aut quo tempore res contingit? idem est hoc, ac

quærere cuinam parti temporis coexistebat ista res, dum contigit: & quando respondetur, heri vel hodie contigit, sensus est, quod dum contigit habuit coexistentiam ad tempus hesternum vel hodiernum.

## CONCLVSIO I.

Descriptio Quando.

*Quando bene describitur esse coexistentia rei creatæ durantis ad aliam rem durantem quacumque duratione durant.* Hæc in terminis est nullius alterius, quod sciam; tamen est conformis principiis Doctoris & fortassis in re communis.

*Probatur*, quia omni & soli conuenit, & per hanc coexistentiam sufficienter satisfit interroganti, quando res fuit, vel quando erit &c. *Dixi rei creatæ durantis*, vt excludam coexistentiam Dei ad creaturas, quæ prout dicit aliquid intrinsecum Deo, non potest esse huius prædicamenti, cum non sit finitum, nec accidens. *Dixi quacumque duratione durat*, vt includam in hoc prædicamento coexistentias tam rerum, quarum duratio est æuum, quam etiam rerum, quarum duratio est tempus, nam coexistentiæ omnium rerum creatarum sunt entia finita, & accidentalia: nec est ratio cur aliqua ex illis ab hoc prædicamento excludantur.

## CONCLVSIO II.

Est respectus extrinsecus adueniens.

60. *Quando est respectus extrinsecus adueniens subiectatus in re coexistente ad rem, cui coexistit.* Hæc est Doctoris cum suis contra communem sententiam, & *probatur* ex dictis de respectu extrinsecus adueniente, quia non potest intelligi nisi per modum respectus, & non est ratio vlla, cur non dicatur esse respectus: ergo debet dici quod sit respectus. *Rursus* non præsupponit aliquid necessario ex parte fundamenti, aut termini, ad quod sequatur præter actionem, qua producitur, quæ actio non necessario inexistit, aut fundamento aut termino: ergo est respectus extrinsecus adueniens. Probatur consequentia ex dictis, *quæst. prima.*

*Obiicies*: necessario sequitur posito fundamento & termino simul existentibus: ergo est tam intrinsecus adueniens, quam est similitudo, quæ non oritur necessario inter extrema, nisi illis positis simul.

*Aliqui Scotistæ respondent* negando antecedens, quia si poneretur res coexistens tempori huius mundi in alio mundo, non diceret respectum *quando* ad tempus huius mundi, quia solæ res huius mundi dicunt huiusmodi respectum.

*Sed hæc responsio* nullo modo placet, quia, vt dixi, respectus huius prædicamenti est coexistentia rei ad tempus: ergo siue res coexistens sit in hoc mundo, siue non sit, modo coexistat tempori, habebit respectum huius prædicamenti ad tempus huius mundi.

*Et confirmatur*, quia petenti quando res illa extra hunc mundum existens produceretur, aut aliquid ageret, posset responderi, heri vel hodie, designando per hoc ordinem ipsius ad tempus hesternum vel hodiernum: ergo diceret respectum ad tempus hesternum vel hodiernum: sed ille respectus est huius prædicamenti: ergo.

*Respondeo ergo aliter* negando antecedens: nam cum ipsummet *quando* sit ratio formalis ponens extrema simul, non potest sequi ad extrema posita simul. Verum tamen est, quod positis extremis simul existentibus necessariò ponitur, & forte hoc tantum intenditur in obiectione; sed tum concesso antecedenti, nego consequentiam: & ratio disparitatis est, quod ipsa similitudo non constituat extrema simul existentia, sed præsupponat illud per quod sic constituantur, & eo posito necessariò sequitur. Coexistentia autem non præsupponit aliquid ex parte extremorum, ratione cuius sequeretur necessariò.

Cæteræ difficultates huius rei examinabuntur, & res tota clarior fiet in Physica, dum agemus *de tempore*.

## QVÆSTIO VI.

### *De Vbi.*

61. CErtum est *Vbi* nihil aliud esse quam illud, per quod formaliter ponitur res in loco, siue definitiuo, siue descriptiuo: sed difficultas est quidnam sit illud, per quod res sic collocantur: nã aliqui dicunt, quod cõstituãtur res in loco formaliter per denominationem extrinsecam desumptam à loco: alij per modum absolutum includentem respectum transcendentalem ad locum, & denique alij per respectum extrinsecum aduenientem terminatum ad locum & subiectatum in re locata. Et quidem hæ duæ vltimæ sententiæ duo *Vbi* communiter admittũt; vnum intrinsecum, illum scilicet modum vel respectum, qui subiectatur in re locata, & terminatur ad locum; & aliud extrinsecum, quod scilicet subiectatur in loco, & terminatur ad rem locatam. Et aliqui vocant vbi intrinsecum *vbi passiuum*, quia eo mediante res locata continetur in loco; vbi vero extrinsecum vocant *actiuum*, quia eo mediante locus formaliter continet rem locatam.

## CONCLVSIO I.

Vbi non est denominatio extrinseca.

62. *Non consistit in denominatione extrinseca.* Hæc est communis. *Probatur*, quia potest esse locus & res locata existens, sine hoc quod res locata sit in illo loco, ergo non habet esse in loco per denominationem extrinsecam ab illo loco præcise. Probatur consequentia, quia si locus præcise determinaret rem locatam ad esse in loco, semper deberet ipsum determinare ad hoc, præsertim dum vtrumque existit; neque enim est maior ratio, quare id faceret vna vice potius, quam altera.

*Confirmatur*, quia impossibile est, quod vnum ex duobus existentibus simul det denominationem nouam positiuam alteri, nisi ponatur aliqua mutatio ex parte alicuius ex ipsis, vel alicuius extrinseci: ergo cum locus & locatum possint simul existere sine eo, quod denominẽt se mutuo, non potest fieri, quod vnum ex ipsis denominet alterum de nouo sine aliqua mutatione.

*Confirmatur*, quia pro illo instanti, pro quo locus determinat locatum ad esse in loco, vel determinat ipsum præcise ratione sui, vel ratione alterius; non ratione sui præcise, quia sic deberet antea determinare: si ratione alterius, quæro quid est illud, & nunquam potest satisfieri, nisi deueniendo ad aliquid aliud intrinsecum vel loco vel locato, distinctum ab illis realiter, vel modaliter, non curo.

*Dices* locum determinari ad dandam denominationem locato per actionem causæ efficientis. *Contra*: ergo est actio noua in causa aliqua, quando res ponitur de nouo in loco: sed non potest esse actio noua, quin res aliqua producatur per ipsam (quod de actione physica certum est apud omnes,) ergo debet aliquid fieri de nouo per actionem de nouo locantem. Illud autem vel debet esse in loco, vel in locato, vt patet, & consequenter res non ponitur in loco per denominationem extrinsecam desumptam à loco præcise. Pluribus aliis rationibus posset probari hæc conclusio, sed hæc modo sufficiant.

63. *Vadingus de Incarnatione disp. 1. dub. 4.* fuse conatur ostendere non esse necessarium *vbi* distinctum, sed Petrum, verbi gratia esse in loco, haberi ex eo, quod nullum corpus sit interiectum inter ipsum & locum; & hoc ipsum haberi vltimate à voluntate diuina. *At certe non satisfacit*: sed ne multiplicet entia sine necessitate, maximam inducit intellectui necessitatem formandi conceptum de præsentia locali absque vbi, non contra imaginationem tantum, sed etiam contra rationem. *Et imprimis*, quantum ad negationem interpositionis corporis, patet manifeste illam non posse poni per motum positiuum & realem de nouo, ad nullam enim negationem datur per se motus positiuus: sed corpus ponitur in loco per motum realem, ergo positio ipsius in loco non habetur absque aliquo distincto ab illa negatione. *Deinde quaro* à quo habet corpus esse interiectum formaliter; si à negatione, ergo corpus habet esse in loco à negatione negationis: si à positiuo, ergo quemadmodum corpus habet esse interiectum ab aliquo positiuo, cur non diceretur, quod res habeat esse in loco formaliter ab aliquo positiuo superaddito? Quod etiam ad voluntatem Dei attinet, patet ex dictis de actione, ipsam voluntatem Dei non posse sufficere ad hoc, nisi quatenus sufficit ad ponendum positiuum aliquod, à quo formaliter res haberet esse in loco,

&

& præterea Deus non ponit res plurimas in loco, nisi mediante cooperatione causæ secundæ mouentis realiter res ab vno loco ad alium locum: sed impossibile est concipere quomodo res indifferens ex se ad hunc locum, & illum, possit per causam secundam poni in hoc loco potius quã illo, nisi causa secunda faciat aliquid circa corpus, & hunc locum, quod non facit circa corpus, & alium locum.

*Alij respondent*, corpus poni in loco formaliter per negationem distantiæ. *Sed contra* vrget eadem difficultas; nam quæro quid sit ipsa distantia; si dicas positiuum quid superadditum rebus distantibus, cur idem non dicis de vbi? si dicas negationem, ergo indistantia est negatio negationis. Et deinde impossibile est quod per motum realem ponatur de nouo per se primo negatio, ponitur autem corpus in loco per motum realem: ergo quando corpus ponitur in loco, aliquid ponitur præter negationem & corpus & locum.

## CONCLVSIO II.

Vbi est respectus extrinsecus adueniens.

64. *Illud per quod formaliter res ponitur in loco est respectus extrinsecus aduenies subiectatus in loco, & terminatus ad locum, non modus aliquis absolutus, siue transcendentaliter relatus, siue non.* Hæc est *Doctoris* cum suis contra communem sententiam, & *Probatur* per ea, quæ diximus de actione, & de respectu extrinsecus aduenie nte.

*Confirmatur*, quia per actionem locantem posset produci talis respectus, & per talem respectum posset res poni in loco formaliter, & hoc supposito multo congruentius dicitur, quod ita fiat, quandoquidem id quod producitur per actionem illam, & quod constituit rem in loco, non possit intelligi, nisi per modum respectus, aut alicuius dicentis respectum ad locum: ergo debet dici quod ita fiat. Probatur antecedens quoad primam partem, in qua sola est difficultas, quia nihil impedit quo minus sic possit produci: nam, vt ante dixi, non est eadem ratio de relationibus extrinsecus & intrinsecus aduenientibus, & propterea non sequitur, quod si hæ non possint produci per actionem ad se terminatam immediate, illæ non possint. Philosophus autem quando dixit ad relationes non dari motum seu actionem, id intellexit de relationibus intrinsecus aduenientibus, vt supra dictum est. Ex hoc patet quod illud, per quod locus formaliter continet locatum, seu vbi extrinsecum, seu vbi actiuum, sit etiam respectus extrinsecus aduenies subiectatus in loco, est enim eadem ratio, vt omnes concedunt.

65. *Obiicies primò*: posita approximatione sufficienti sequitur necessariò ipsum vbi intrinsecum: ergo si sit respectus, erit intrinsecus aduenies.

*Respondeo* negando antecedens, ad nullam enim approximationem, in qua non includitur ipsum vbi intrinsecum formaliter; neque ad vllum prius distinctum ab actione, per quam immediate fit, sequitur necessario vbi trinsecum.

*Obiicies secundò*: potest aliquis habere vbi intrinsecum reale, quamuis non haberet respectum realem, in quo consisteret tale vbi: ergo vbi intrinsecum essentialiter non consistit in tali respectu. Probatur antecedens, quia posset aliquis habere vbi intrinsecum reale sine eo, quod existeret vllus locus realis, ad quem diceret respectum: sed respectus realis non potest existere quin existat terminus realis eius: ergo potest habere vbi intrinsecum reale, sine eo quod habeat respectum realem. Probatur maior, quia si vnicus solus Angelus existeret, haberet vbi intrinsecum reale: sed in tali casu non existeret locus aliquis realis, ad quem diceret respectum: ergo. Probatur maior, quia, potuisset terminare actionem realem loco motiuam: ergo haberet vbi intrinsecum reale; quia illud, quod terminat actionem realem loco motiuam, debet esse vbi reale. Probatur antecedens, quia Deus posset ipsum realiter transferre de vna parte spatij imaginarij ad aliam partem eiusdẽ spatij; posset enim ponere ipsum taliter in spatio imaginatio, vt si iterum crearetur mundus, sicut modo est creatus, Angelus ille haberet locum suum in Hibernia, verbigratia, & posset ipsum postea ponere taliter, vt si produceretur iterũ mundus, haberet locũ suum in Italia: hoc autem non posset contingere, nisi in spatio imaginario Angelus haberet aliud & aliud vbi; nam si idem vbi semper haberet in spatio imaginario; aut si nullum vbi ibi haberet, sed eodem modo se haberet semper, tum ad productionem mundi eodem modo quo ante, semper haberet vbi suum in illa parte mundi, in qua ante habuit, quia non posset assignari ratio, cur non.

66. *Respondent* communiter *Scotistæ*, & bene, negando antecedens. Ad probationem autem eius respondent quidem primò concessa maiori negando minorem; existimant enim satis esse probabile, quod respectus extrinsecus aduenientes possint existere sine termino reali realiter existente, modo tamen sit possibilis existere. Et hæc quidem solutio si vera esset, tolleret totam difficultatem obiectionis; imò optimum medium ad probandum quod posset existere respectus realis extrinsecus sine termino existente actu, posset desumi ex hac obiectione, præsertim in sententia Scotistarum, quia hæc obiectio probat, quod possit aliquis habere vbi intrinsecum reale sine aliquo termino reali realiter existente: ergo cum in sententia *Scoti* vbi intrinsecum sit respectus extrinsecus aduenies, ex hac obiectione sequitur quod possit existere respectus realis sine termino realiter existente.

An possit dari respectus vbi absque termino reali.

*Sed contra hanc doctrinam* instari potest, quod ille respectus, qui ex natura sua ordinat rem realiter ad aliam rem, non possit esse sine alia illa re realiter existente: ergo vbi intrinsecum, quod ex natura sua determinat rem ad esse in loco reali, non potest esse, quin sit locus ille realis.

*Confirmatur* hoc primò, quia si potest esse respectus locati, quo constituitur formaliter in loco reali sine loco reali, sequeretur quod iste respectus non esset essentialiter determinatio locati ad locum: sed hoc est absurdum: ergo. Probatur sequela, quia illud est essentialiter determinatio ad aliquid, quod non potest esse, quin determinet: ergo si iste respectus possit esse quin determinet locatum ad locum realem, non erit essentialiter talis determinatio; quod autem hoc sit absurdum, probatur, quia si non sit essentialiter determinatio, ergo debet dari aliud, per quod determinetur essentialiter ad locatum.

*Confirmatur secundò*, quia hinc sequeretur, quod vnio posset esse in materia non existente forma, & actio in agente non existente termino; quæ sunt absurdissima. Probatur sequela, quia est eadem ratio de ipsis, atque de vbi, æque enim sunt essentialiter respectus, aut modi absoluti.

67. *Ad has tamen difficultates* posset dici, quod Vbi non ita essentialiter respiciat terminum, quin possit esse absque illo; sed solum in hoc sensu dici debet essentialiter ipsum respicere, quod ex suppositione, quod sit terminus eius & subiectum, Vbi habeat essentialiter ponere subiectum, hoc est locatum, in illo termino, hoc est, in illo loco. Et per hoc patet ad ad primam confirmationem: quamuis enim vbi non esset essentialiter determinatiuum locati ad locum, nisi in sensu iam dicto, nimirum sic, vt non possit esse locus, & locatum, & vbi, quin per vbi poneretur locatum in loco; non requireretur aliud determinatiuum ipsius vbi ad locum.

Respondetur ad præmissas impugnationes.

*Ad secundam confirmationem* dici posset, quod non esset inconueniens, vnionem posse poni de potentia absoluta in materia absque forma existente, sicut posset poni vbi in locato absque loco: sed non esset eadem ratio de actione, nam cum terminus actionis habeat esse per ipsam actionem, & non possit intelligi quomodo poneretur nisi per actionem, eo ipso quo ponitur actio debet dici, quod ponatur terminus eius, nec aliquid requiritur, vt agens dicatur ponere effectum, quam vt habeat actionem; aliquid autem requiritur, vt materia dicatur vnita formæ, & locatum positum in loco, vltra vnionem & vbi, nimirum positio termini, qui terminus non habeat poni per vnionem, aut vbi.

68. *Respondent secundò* alij *Scotistæ* ad probationem antecedẽtis negando maiorem, cum maiori suæ probationis. Ad cuius probationem dicunt, quod possit quidẽ Angelus

transferri

trâsferri de vna parte spatij imaginarij in tali casu ad alteram, sed illa tamen actio non esset realis positiua, quia per eam nihil produceretur positiuum, sed tantum produceretur per ipsam indistantia, quæ est tantum negatio distantiæ. Et addunt, quando aliquid ponitur in loco reali, duo fieri, nimirum poni indistantiam eius ad locum, & vlterius præsentiam eius positiuam ad illum, & ex his duobus posse poni indistantiam sine præsentia positiua.

Negatio nequit poni de nouo absque positione vel ablatione positiui.

*At reuera hæc doctrina mihi non arridet:* nam existimo omnino improbabile esse poni negationem de nouo in aliquo subiecto saltem per actionem alicuius causæ efficientis, nisi ponatur aliquid positiuũ in illo subiecto, vel tollatur aliquod positiuum ab illo: quia si non ponatur in subiecto aliquod positiuum, vel tollatur aliquod positiuum in instanti, quo dicitur subiectum habere negationem de nouo, non potest intelligi, cur iam potius haberet negationem quam ante, quia respectu omnis positiui eodem modo se habet iam, quo ante: ergo non potest poni in tali casu in Angelo indistantia, nisi tollatur ab ipso aliquod positiuum, vel ponatur in ipso aliquid positiuum: sed non ponitur in ipso, nec ab ipso tollitur aliquid positiuum nisi ipsa distantia, quam ante habuit, sit aliquid positiuum. At ipsa distantia, si sit aliquid positiuum, non nisi respectus extrinsecus aduenies, terminatus ad partem illam spatij, à qua distaret Angelus, & consequenter terminaretur respectus extrinsecus aduenies ad aliquid non reale positiuum, quod secundum hos authores repugnat: ergo à primo ad vltimum non potest poni in tali casu de nouo in Angelo indistantia

Indistantia nequit poni absque præsentia positiua.

69. *Ad illud vero vltimum*, quod dicant, nimirum posse poni rem indistantem à loco eo modo, quo est indistans, quando habet præsentiam positiuam ad locum, sine eo, quod ponatur eius præsentia; etiam existimo esse improbabile, quia sequeretur non esse vllam necessitatem ponendi præsentiam eius positiuam ad talem, neque posse colligi vtrum de facto, dum res ponitur in loco, habeat præsentiam positiuam, quia posset dici, quod solum habeat indistantiam illam; & ex suppositione, quod posset poni talis indistantia sine præsentia positiua, omnia argumenta facile solui possent, quæ contrarium suaderent, quod est absurdum. Itaque indistãtia illa, quam habet res posita in loco, siue sit negatio tantum distantiæ, siue sit aliquid positiuum oppositum distantiæ, ad quod necessario sequitur negatio distantiæ (sicut dicitur, quod dissimilitudo sit quid positiuum, ad quod sequitur negatio similitudinis) nunquam potest esse sine præsentia; & si sit positiuum non distinguitur realiter ab ipso vbi seu præsentia; si sit negatiuum, est necessariò sequens ad vbi seu præsentiam.

Vnus Angelus nequit moueri ab vna parte spatij imaginarij.

*Respondeo tertiò*, quod in casu, quod esset vnicus Angelus, solus nõ posset moueri ab vna parte spatij imaginarij ad alteram, neque Deus posset facere; vt in toto mundo prius creato haberet præsentiam in Hibernia, & postea in reproductione mundi eodem modo facti, quo antea, haberet suum locum in Italia: nisi producendo aliud & aliud vbi intrinsecum in ipso, non quidem dum non existeret mundus, sed quando produceretur; Angelus enim productus in spatio imaginario solus, esset ex se indifferens & indeterminatus ad quamcumque partem mundi; & propterea Deus vt determinaret ipsum ad vnam partem, verbi gratia Hiberniam præ Italia, aut è contra, deberet tum cum produceret Hiberniam, aut Italiam, producere respectum extrinsecus aduenientem in ipso ad vnam & non ad alteram.

Quid sit esse propinquum, vel distans.

70. *Quæres*, vtrum esse propinquum, vel esse distans sint relationes huius prædicamenti. *Respondeo* vel quæri de propinquitate & distantia duorum locorum ad inuicem, vel de propinquitate rei locabilis ad locum, seu ad locatum aliud. *Si de primo* quæratur, *Respondeo* affirmatiue ex suppositione, quod duo loca sint mobilia, & aliquando possint habere maiorem, aliquando minorem distantiam aut propinquitatem: quia imprimis, vt suppono, sunt respectus, & præterea non præsupponunt aliquid, ad quod necessario sequantur, & cum quo habeant necessariam connexionem: ergo sunt extrinsecus aduenientes. Consequentia patet ex dictis, & antecedẽs quoad primam partem est euidens, & quoad secundam etiam ex suppositione illa. *Ex suppositione autem* quod loca sint immobilia, & quod propterea nunquam possit fieri, vt eorum propinquitas vel distantia mutetur, *Respondeo* negatiue, quia erunt relationes intrinsecus aduenientes; tam enim necessario sequuntur illa duo extrema posita simul, quam similitudo sequitur necessario duos homines simul positos.

*Si de secundo* quæratur, *Respondeo* affirmatiue, quia nihil præsupponitur ad illam propinquitatem, aut distantiam, ad quod necessario sequuntur, & cum quo habeant necessariam connexionem.

*Dices*: propinquiras rei locatæ in hoc loco ad rem locatã in altero loco sequitur necessario ad præsentias istarum duarum rerum in illis locis simul positas; nequeunt enim esse in illis locis, quin sint sic propinquæ, saltem ex suppositione quod loca sint immobilia: ergo sunt intrinsecus aduenientes.

*Respondeo* negãdo consequentiam: quia licet non possint esse istæ duæ præsentiæ, quin sit ipsa propinquitas; tamen bene potest esse propinquitas, quin sint præsentiæ: nam duo Angeli possunt habere distantiam, & propinquitatem ad inuicem, quamuis non existerent vlla loca, quibus essent præsentes. Itaque vt relatio sit intrinsecus adueniens, debet necessario præsupponere aliquid; sine quo posito non posset existere. Cum ergo propinquitas duorum locatorum, & distantia possit esse sine præsentiis eorum ad loca, sequitur quod quamuis non possint esse tales præsentiæ sine propinquitate, quod tamen ista propinquitas non sit intrinsecus aduenies. Per hæc possunt conciliari loca Philosophi, in quorum aliquibus dicit propinquitatem & distantiam esse de prædicamento *Ad aliquid*, in aliis vero quod sint de prædicamento *Vbi*: nam prima loca debent intelligi de propinquitate locorum, & rerum locatarum, vt locatarum ex suppositione quod loca sint immobilia; alia vero loca debent intelligi de propinquitate locatorum specificatiue, aut locati ad locum, aut etiam duorum locorum ad inuicem ex suppositione, quod sint mobilia.

Diuisiones vbi.

*Quæres secundò* de diuisionibus Vbi. *Respondeo* breuiter vbi posse diuidi in *vbi naturale*, quod exigit res; & *violentum*, à quo auertitur; & *neutrum*, ad quod se habet indifferenter, nec exigendo ipsum, nec respuendo. Vtrumque autem ex his *vbi* posset diuidi in sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, quorum significationes patent ex ipsis terminis. Item vtrumque ex illis posset diuidi in definitiuum & circumscriptiuum: *definitiuum* proprie loquendo est, à quo res habet esse in aliquo loco cum penetrabilitate, non expellendo alia ab eodem loco, siue res sic vbicata habeat partes extra partes in loco, siue non habeat. *Vbi circumscriptiuum* est, à quo res habet esse in loco cum impenetrabilitate, expellendo alia ab eodem loco.

## QVÆSTIO VII.

### *De Situ.*

72. INtelligitur hic nomine *Situs*, dispositio seu ordo partium rei locatæ inter se, quæ dispositio etiam aliquando vocatur positio: res enim corporea habens plures partes non solum est in loco, sed etiam habet talem dispositionem seu collocationem in loco, vt vel sedeat, vel stet, vel iaceat: & hæc est dispositio illa, seu ordo ipsius rei ad locum, qui intelligitur nomine *situs*, seu *Positionis* à Philosophis, quamuis etiam positio significet quandoque ipsum vbi.

*Aduertendum* autem, duplicem posse considerari ordinem seu dispositionem partium rei corporeæ; vnam, qua mediante sic se habent, vt caput vniatur immediate collo, non pedibus, oculi sincipiti, non occipiti, &c. Et hanc dispositionem possent habere, quamuis non essent in loco, seu quamuis essent in loco indiuisibili, vt totum corpus Christi habens huiusmodi dispositionem suarum partium est in quolibet puncto, seu minima parte hostiæ

conse

consecratæ: hanc etiam eandem semper habere possunt, siue sedeant, siue stent, siue decumbant. Vnde hæc dispotio seu ordo partium non est situs, de quo hic agitur. Aliam dispositionem possumus considerare inter partes rei corporeæ, à qua denominatur res posita in loco sedere vel stare, &c. & hanc dispositionem seu situm nequeunt habere res spirituales, neque res corporeæ etiam loco indiuisibili: neque enim Christus Dominus in Eucharistia aut sedet, aut stat, aut decumbit, &c. Vnde hæc dispositio erit situs ille, de quo loquimur in præsenti.

## CONCLVSIO.

Situs non est modus absolutus, nec respectus terminatus ad locum, nec denominatio extrinseca.

73. *Situs non est modus absolutus, nec relatio extrinsecus adueniens, subiectatus in re locata, & terminatus ad locum, nec denominatio extrinseca desumpta à loco.* Hæc est contra communem sententiam quoad primam partem, & contra *Scotistas* aliquos pro secunda parte.

*Probatur prima pars* ex dictis de actione, & vbi. *Probatur secunda pars*, quia nullus respectus siue transcendentalis, siue non, quem dicit res ad locum, distinguitur ab vbi ipsius realiter aut essentialiter, nec vlla denominatio desumpta à loco distinguitur realiter aut essentialiter à denominatione illa, qua denominatur res locata seu vbicata: ergo situs non potest consistere in tali respectu aut denominatione. Probatur consequentia, quia alias pertineret ad prædicamentum *Vbi*, quidquid enim non distinguitur essentialiter, aut realiter ab vbi, pertinet ad prædicamentum *Vbi* secundum omnes. Probatur antecedens, quia neque potest esse vllus respectus rei ad locum, qui sit situs, quin sit Vbi ipsius ad talem locum, neque potest esse denominatio vlla à loco, quæ sit situs, quin sit denominatio illa, quæ est *vbi*, neque è contra potest esse Vbi, quin sit quicumque respectus ad locum, & quæcumque denominatio à loco, quæ sit situs. Præterea neque Vbi est causa talis denominationis aut respectus, nec è contra, neque subiectantur in subiectis distinctis realiter: ergo non distinguuntur realiter; quod etiam non distinguantur essentialiter distinctione sufficienti, vt ponantur in diuersis prædicamentis, probatur, quia nulla potest assignari ratio vel necessitas, propter quam res locata dicatur habere duas entitates essentialiter diuersas, quarum vna ipsam locaret, & altera situaret, quia vna entitas habens vnam essentiam posset sufficienter vtrumque munus præstare.

*Confirmatur*, quia non potest colligi ex vllo capite, quin ipsa eadem realis forma haberet determinare non solum ad locum, sed etiam vt sit taliter vel taliter in loco.

*Dices*, Vbi non habere ex ratione sua formali, nisi ponere rem in loco, abstrahendo à modo, quo est in loco: *situs* verò habet ponere rem in loco cum modo tali vel tali, sessionis scilicet, aut stationis.

74. *Contra*, quia licet vbi, vt sic, habeat ponere in loco abstrahendo à modo, tamen vbi tale habet ponere in loco tali, & cum modo tali. Hinc autem non habetur, nisi quod vbi, vt sic, distinguatur ab vbi tali, & consequenter à situ, tanquam superius ab inferiori: hæc autem distinctio non sufficit, vt aliqua ponantur in diuersis prædicamentis, vt omnes fatentur.

*Confirmatur*, quia licet vbi abstrahat à situ hoc modo explicato, tamen situs non abstrahit ab vbi, sed includit ipsum formaliter, vt patet ex eius explicatione; ergo quemadmodum animal non debet poni in alio prædicamento, quàm in eo, in quo ponitur homo, quia licet abstrahat ab homine, tamen homo non abstrahit ab ipso; similiter vbi non debet poni in alio prædicamento, quàm in prædicamento, in quo ponitur situs, si situs esset talis respectus vel denominatio.

Et quidem hæ rationes sunt tam apparentes, vt Thomistæ, & recentiores communiter fateantur, licet vbi & situs ponantur in diuersis prædicamentis, quod tamè non distinguantur nisi per rationem ratiocinantem, vt dicunt aliqui, vel, ratiocinatam, vt dicunt alij; imo aliqui coacti sunt dicere, quod reuera non essent ponendi in diuersis, sed in vno: Philosophum tamen iuxta vulgarem opinionem ipsos in diuersis posuisse.

## CONCLVSIO II.

Quid sit situs.

75. *Situs est dispositio partium in ordine ad se, ratione cuius, si poneretur in loco, diceretur res sedere, aut stare, aut iacere, quæ dispositio est respectus extrinsecus aduenies.* Hæc videtur esse contra communem sententiam: *Probatur tamen quoad primam partem*, quia hæc dispositio est aliquid tam per se collocabile in aliquo prædicamento, quam vbi, & est omnino distinctum ab vbi, quia hæc dispositio potest esse eadem numero in diuersis locis, in quibus variaretur vbi; & præterea non potest intelligi situs sine ipsa: ergo dicendum est quod situs.

76. *Confirmatur*, quia si dicatur hæc descriptio esse situs, potest saluari distinctio realis, & essentialis inter vbi & situs; & ex altera parte nihil aliud potest assignari quod sit situs, salua tali distinctione: ergo quandoquidem detur, huiusmodi dispositio à parte rei, magis congrue dicitur, quod sit situs, quam aliquid aliud.

*Probatur conclusio quoad secundam partem*, quia non est modus absolutus siue cum respectu transcendentali, siue absque tali respectu, nec est denominatio extrinseca, nec respectus de prædicamento Ad aliquid, vt patet ex dictis de aliis prædicamentis, ergo debet dici quod sit respectus extrinsecus aduenies.

77 *Obiicies*: Eadem potest esse dispositio partium in ordine ad se dum iacet aliquis, & dum stat: ergo situs rei non consistit in tali ordine partium. Probatur consequentia, quia quando aliquis iacet, habet diuersum situm ab illo, quem habet dum stat, ergo in illa dispositione non potest consistere situs.

*Respondeo* distinguendo consequens: situs pro vt est quid vnum per se distincti prædicamenti ab vbi, nego consequentiam; prout dicit etiam ipsum vbi, concedo consequentiam. Probationem consequentiæ similiter distinguo: diuersum situm, prout includit vbi, concedo; prout non includit vbi, nego.

Vt hæc distinctio melius percipiatur, *aduertendum* est, situm posse capi pro forma illa, à qua habet res esse sedens, vel esse stans in loco, & hoc modo sumptus vel dicit formaliter vbi tale, & materialiter illam dispositionem partium, sine qua non posset esse in tali loco; vel dicit æque primo vtrumque: & quomodocumque dicatur, certum est quod includat ipsum vbi, & quod non possit variari, nisi varietur vbi, nec è contra. *Alio modo* potest sumi situs pro illa dispositione partium præcise, quæ in situ priori modo sumpto includitur vel formaliter vel materialiter, quæque est indifferens ad hunc vel illum locum, & hoc modo sumptus non includit ipsum vbi vllo modo. Quod si priori modo sumatur, diuersum habet situm à seipso stante; si posteriori modo, id non est necesse.

## QVÆSTIO VIII.

### *De Habitu.*

78. VAriis modis accipitur *habitus*, aliquando enim significat qualitatem: aliquando ordinem totius ad partes, à quo dicitur habere suas partes: aliquando ordinem rei ad locum, à quo dicitur habere locum: aliquando denique alios ordines. Sed, vt est prædicamentum aliquod particulare distinctum ab aliis nouem, sumitur pro illa forma, vel entitate, vel denominatione, vel modo, à quo dicitur aliquid esse vestitum vel armatum, seu à quo dicitur habere vestes vel arma, non quidem illa, quæ sunt concessa à natura, sed quæ industria acquiruntur.

## CONCLVSIO.

Quid est Habitus prædicamentalis.

*Habitus est respectus extrinsecus aduenies subiectatus in re vestita vel armata, & terminatus ad vestes aut arma, à quo formaliter dicitur vestiri vel armari.* Hæc est communis *Scotistarum* contra *Thomistas*, & recentiores communiter cum *D. Thoma opusc.* 48. *Suare disput.* 53. *Metaph. Auersa hic*, qui putant habitum nihil aliud esse, quam denominationem extrinsecam, desumptam à vestibus. Et *probatur*, quia dum aliquis vestitur, aut

aut armatur, intercedit aliquid positiuum distinctũ tam à re armata aut vestita, quam ab armis & vestibus, quod pertinet ad hoc prædicamentum, vt expresse asserit *Philosophus* 5. *Met. c.* 10. sed illud positiuum medium non est modus absolutus, neque respectus intrinsecus aduenies, vt patet ex dictis in hac disputatione: ergo est respectus extrinsecus aduenies.

79. *Obiicies*: per hoc solum, quod habeat vestis præsentiam localem ad rem vestitam, intelligitur vestire istam rem, & res intelligitur vestita: ergo non datur aliquis alius respectus inter rem vestitam & vestem, & consequenter Habitus non erit prædicamentum distinctum ab Vbi.

*Respondeo* negando antecedens quia quamuis vestis haberet talem præsentiam localem ad rem vestitam, qualem habet quando res vestitur ipsa, tamen adhuc non intelligeretur res vestita, neque à parte rei per hoc formaliter aut realiter vestiretur, quia vt vestiatur debet habere talem respectum ad vestes, quo mediante posset ire de loco in locum cum vestibus: sed ex eo præcise quo haberet ipsammet præsentiam localem etiam talem, non esset necesse vt posset circumferre secum vestem; ergo respectus præsentiæ localis vestis ad rem vestitam non est respectus quo formaliter dicitur res vestiri per vestem.

*Respondeo secundo*, negando consequentiam, quia licet non possit intelligi ista præsentia localis vestis ad rem vestitam, quin intelligatur res vestita, tamen potest res vestita intelligi, & esse vestita hac ipsa veste per eundem numero habitum sine eadem numero præsentia locali, nam præsentia localis rei ad locum secundum communem sententiam etiam aduersariorum, est inuariabilis & immobilis. Et propterea duæ res simul motæ nõ possunt habere eandem numero præsentiam localem, quam habuerunt ante motum: res autem potest habere eundem numero habitum, seu ordinem ad habitum, etiamsi simul cum habitu moueatur.

80. *Obiicies secundo* ex *Auersa*: eo ipso, quo circumponeretur vestis absque modo, aliquis esset vestitus: ergo non debet dici, quod habitus consistat in alio, quam in denominatione extrinseca. *Confirmatur*, quia alias quando lapides aut statuæ vestirentur, poneretur talis respectus in illis.

*Respondetur* negando suppositum antecedentis; neque enim potest circumponi vestis absque modo distincto, sicut nec potest corpus circumscribi à loco absque modo distincto secundum *Auersam* ipsum. *Ad confirmationem* concedo sequelam, nec id est vllo modo inconueniens.

# DISPVTATIO XVIII.

## DE POSTPRÆDICAMENTIS.

1. A Capite decimo sui libri de Prædicamentis vsque ad finem agit Philosophus de quibusdam rerum affectionibus, comparatque res illas, quas in Prædicamentis collocauit, ad se inuicem secundum oppositionem, prioritatem, simultatem, ostendendo quænam posteriora, quænam simul; deinde addit aliqua de motu; & denique ostendit quot modis aliquid dicitur habere aliud, de quibus breuiter pauca subiungam.

## QVÆSTIO I.

### *De Oppositis.*

Quid est oppositio.

2. *Oppositio, de qua hic Philosophus agit, est repugnantia aut impossibilitas duarum rerum sese mutuo ab eodem subiecto excludentium*, vt colligitur ex Philosopho 5. *Met.* dicente: *Quæcumque susceptiuo amborum non contingit simul adesse, hæc opponi dicuntur.* Non debet autem intelligi per *subiectum*, subiectum inhæsionis, quia alias forma, & negatio, aut priuatio non opponerentur, quia negatio & priuatio non habent subiectum inhæsionis: debet ergo intelligi quodcumque recipit aliud eo modo, quo aliud natum est recipi siue per inhæsionem, siue non. Oppositionem autem vt sic diuisit Philosophus in quatuor membra, nimirum in *Contrariam, Relatiuam, Priuatiuam, & Contradictoriam.* Potest autem claritatis gratia prius diuidi in *positiuam* & *priuatiuam*, intelligendo per positiuam illam, quæ est inter extrema, & per negatiuam, illam, quæ est inter extrema, quorum aliquod est negatiuum. Quadruplex oppositio.

Rursus oppositio positiua potest diuidi in Contrariam, & Relatiuam, & oppositio negatiua in Priuatiuam & Contradictoriam. *Oppositio negatiua contradictoria* est, quæ reperitur inter formam & negationem eius, & hæc oppositio est talis naturæ, vt quæ sunt per ipsam opposita non habeant medium, sed necessario subiectum debeat habere vel vnum vel alterum ex ipsis, & nunquam potest simul habere vtrumque. *Oppositio priuatiua* est quæ reperitur inter priuationem & habitum, id est formam qua priuat, intelligendo per priuationem carentiam formæ in subiecto apto nato habere formam; & inter ea, quæ sic opponuntur dari potest medium, quia dari potest subiectum, quod neque habeat formam neque priuationem formæ, ex eo scilicet quod non haberet aptitudinem ad talem formam: lignum enim neque habet visum, neque cæcitatem ipsi priuatiue oppositam, quamuis enim habeat negationem seu carentiam formæ, tamen quia non est subiectum aptum recipere visum, illa carentia non dicitur priuatio.

3. *Addit autem Philosophus*, licet possit subiectum transire ab habitu ad priuationem, quia de vidente potest aliquis fieri cæcus; tamen non potest iterum fieri regressus à cæcitate ad visum; neque enim, inquit, qui semel ex vidente factus est cæcus, aut ex comato caluus rursus fieri potest videns aut comatus. Hoc autem parit difficultatem interpretibus, quia licet in exemplis aliquibus naturaliter loquendo sit verum, tamen in aliis exemplis non videtur currere, quia aër ex lucido potest fieri tenebrosus, & rursum ex tenebroso lucidus, cum tamen tenebræ, & lux priuatiue opponantur. An à priuatione fiat regressus ad habitum.

*Aliqui explicant Philosophum*, quod velit tantum non fieri regressum à priuatione ad eundem numero habitum seu formam, quia subiectũ erat priuatum: sed hoc quamuis verum sit, non tamen sufficienter explicat Philosophum, nam id dixit Philosophus tanquam quid speciale de priuatiue oppositis, nullo modo competens contrarie oppositis, à quorum vno ad aliud, & rursum ab illo alio ad ipsum potest subiectum transire; de frigido enim aliquid fieri potest calidum, & de calido rursus frigidum. Quod si hoc intelligeretur de regressu subiecti ad eandem numero formam, quam ante habuit, neque in contrariis etiam haberet locum, nam cum subiectum frigidum sit calidum, & rursus frigidum, non recipit idem numero frigus, quod ante habuit, vt omnes fatentur.

4. *Itaque existimo Philosophum* intelligendum, non de regressu ad eandem numero formam, sed ad eandem in specie, & id non asseruisse vniuersaliter, quasi non potuisset ille regressus fieri ab vlla priuatione ad habitum, sed voluisse tantum quod non posset fieri ab omni priuatione ad formam, quemadmodum ab omni contrario potest fieri regressus ad alterum contrarium: & certe hoc suffecit ipsius intento, quod erat tantum statuere discrimen inter contrarie opposita, & priuatiue opposita in ordine ad talem regressum. Explicatio Philosophi

*Oppositio relatiua* est illa, quæ est inter correlatiuos seu inter correlatiua: nam, quia non potest fieri vt duæ correlationes subiectentur in eodem subiecto saltem immediate, dicuntur inter se opponi, & repugnare. Quid oppositio relatiua.

*Dices*: Intellectus dicit relationem mutantis ad seipsum, dum in se producit intellectionem, & idem intellectus dicit etiam ad seipsum relationem mutati: sed relatio mutantis, & relatio mutati sunt correlationes: ergo correlationes sunt compatibiles in eodem subiecto, & consequenter non opponuntur.

*Respondeo* distinguendo maiorem: immediate, nego; mediate concedo, & concessa minori distinguo primum consequens, mediate concedo; immediate, nego primam consequentiam, & etiam secundam: sufficienter enim

oppo

opponuntur, quatenus non possunt immediate simul existere in eodem subiecto.

Quomodo idem possit habere simul correlationes.

Vt hoc melius intelligatur, *aduerte*, intellectum, dum mutat seipsum per intellectionem dicere immediate respectum ad ipsam intellectionem quam producit & ad vnionem ipsius cum intellectu, & nullum alium respectum dicere ad seipsum: quia vero intellectio cum illa vnione non potest esse, quin intellectus mutetur, propterea dicitur intellectus mutare seipsum; hanc autem denominationem habet ab illo respectu, quo producit intellectionem cum vnione ad seipsum, & qui terminatur ad ipsam: ex quo apparet, quod respectus, quo intellectus refertur ad seipsum, vt mutatum, non terminetur immediate ad seipsum sed ad summum mediate. Similiter intellectus per receptionem intellectionis dicitur mutatus à seipso, illa tamen receptio immediate terminatur ad intellectionem, & non ad intellectum.

*Aduertendum autem*, non propterea dici oppositionem relatiuam, quod ipsa sit relatio, quia ipsa non est magis relatio in se spectata, quam oppositio contraria; sed ex eo quod extrema ipsius sint relationes seu relatiua.

6. *Oppositio contraria* est, quæ reperitur inter formas positiuas, quæ non sunt correlationes: & potest capi vel large pro quarumcumque formarum non relatiuarum oppositione, & si sic accipiatur, formæ substantiales possunt esse contrariæ respectu eiusdem materiæ primæ: vel stricte pro oppositione, quam habent duæ formæ natæ se in unicem expellere ab eodem subiecto in hæsionis, & tales est oppositio caloris & frigoris, virtutis & vitij. Et ex iis, quæ sunt contraria hoc modo, quædam sunt, quæ habent medium, & quædam non habent: quæ non habent medium sunt illa, quorum alterum necessario inest subiecto, vt sanitas & morbus, par & impar: (hæc enim sunt exempla Philosophi) quædam quæ habent medium, & quorum propterea neutrum necessario inest subiecto, vt auaritia & prodigalitas, inter quæ mediat liberalitas; albedo & nigredo, inter quæ mediat flauedo, & alij colores. Sed quæ de oppositis specialius intelligenda sunt, alias tractabuntur in Physica.

## QVÆSTIO II.

*Quot modis vnum dicitur alio prius & posterius.*

7. PHilosophus assignat quinque modos, quibus aliquis alio dicitur prior. *Primò* dicitur aliquid alio prius tempore, si pro aliquo tempore existit antequam illud aliud existat, & sic homo, qui generat alium est prior illo alio. *Secundò* dicitur aliquid alio prius consequentia; si scilicet sit talis naturæ, vt ab ipso non valeat cõsequentia ad alterum, ab altero vero valeat cõsequentia ad ipsum, & sic animal dicitur prius homine, vocaturque hæc prioritas aliquando prioritas naturæ, & prioritas illorum, à quibus non conuertitur subsistendi consequentia. *Tertiò* dicitur aliud alio prius ordine, ex eo quod prius debeat ordinari & collocari in aliquo ordine, siue sit prius tempore, siue non, & sic dicitur in oratione exordium esse prius narratione. *Quartò* dicitur vnum prius alio ob dignitatẽ maiorem, & sic substantia est prior accidente, & Deus prior creatura, & in hoc sensu intelligunt aliqui prioritatem illam, qua dicitur Deus prius concurrere ad productionem effectus, quam causa secunda. *Quintò* denique dicitur aliquid alio prius natura ex eo, quod licet conuertibiliter dicatur cum altero, hoc est ita, vt ab ipso ad alterum valeat consequentia, & è contra; est tamen causa aliquo modo, & principium alterius, sic homo est prius risibilitate. Tot autem modis, quot dicitur vnum alio prius, dicitur vnum alio posterius. Omnes hi quinque modi comprehenduntur hoc disticho.

*Tempore, Natura, prius Ordine dic, & Honore.*
*Et causa effectu dicitur esse prior.*

## QVÆSTIO III.

*Quot modis dicitur aliud esse simul cum altero.*

Quot modis dicuntur aliqua esse simul.

8. QVamuis vero tot modis possit dici aliquid simul cum alio, quot modis dicitur aliquid alio prius, tamen Philosophus mentionem tantum fecit de tribus modis simultatis, tanquam de magis necessariis. *Prima simultas* est temporis, & talem habent, quæ eidem tempori, vel durationi coexistunt. *Secunda* est naturæ, & talem habent quæ dicuntur ad conuertentiam, cum tamen vnum alterius non sit causa, & sic correlationes sunt simul. *Tertia simultas* est specierum & differentiarum æque immediate contrahentium aliquod superius, & sic homo & brutum, rationalitas & irrationalitas sunt simul, quia æque immediate contrahunt animal. Hi modi tres comprehenduntur his versibus.

*Tempore dico simul, quorum generatio nunc est,*
*Quæ conuertuntur dicimus esse simul.*
*Suntque simul species genus vnum distribuentes.*

## QVÆSTIO IV.

*Quot sunt species motus.*

Quot sunt species motus?

9. DEinde assignat Philosophus quatuor species motus. *Prima* comprehendit *generationem*, qua producitur substantia ex præsupposita materia, vt quando producitur ignis ex ligno: & *corruptionem*, quia destruitur, vt quando destruitur lignum, ex quo producitur ignis. *Secunda species*, amplectitur *accretionem*, qua augetur aliqua res per accessum maioris quantitatis, vt sit quando puer crescit: & *decretionem*, qua reducitur res ad minorem quantitatem per deperditionem alicuius partis quantitatis, quam ante habuit sine acquisitione maioris aut æqualis, vt cum aqua rarefacta condensatur; aut homo infirmitate extenuatur. *Tertia species* est *Alteratio*, qua aliquis mouetur ad qualitatem, vt cum paries non albus redditur albus. Quamuis autem non dicatur expresse, quod hæc species comprehendat duas; tamen certum est quod non magis possit quis acquirere maiorem quantitatem per accretionem, & minorem per decretionem, quam maiorem & minorem qualitatem per alterationem: ideo autem fortassis Philosophus non assignauit duo membra, quia non est vnum aliquod nomen impositum ad significandam alterationem illam, qua quis deprehendit aliquid suæ qualitatis, vt cum aqua redderetur, minus calida, aut frigida; quæ tamen alteratio potest vocatio deperditiua: sicut & altera, qua redditur magis calida aut frigida, posset vocari acquisitiua. *Quarta* denique *species* est *latio*, qui est motus terminatus ad locum, vt quando quis mouetur ab vno loco ad alium. De his autem motibus fusius agetur in libris de *Generatione*.

Quod si quæras cur non assignetur alia species, qua quis moueatur ad tempus, quandoquidem non magis videatur posse dici, quod quis moueatur ad locum, dum ponitur in loco in quo ante non fuit, quàm ad tempus, dum ponitur in tempore seu coexistens tempori, cui ante non coexistebat. *Respondeo* rationem esse, quia reuera non potest dici nisi valde improprie, quod res moueatur ad tempus, quamuis ponatur in tempore: & ratio huius videtur esse, quod ita inuoluatur productio, aut conseruatio subiecti, quod ponitur in tempore in actione in illa, qua ponitur in tempore, vt non possit vlla causa ponere ipsum in tempore, nisi illa quæ potest producere, aut conseruare ipsum: secus autem est de illis aliis mutationibus.

## QVÆSTIO V.

*Quot modis dicitur aliquid aliud habere.*

Quatuor species habitus.

10 DEnique assignat varios modos, quibus aliquid dicitur aliud habere; *primus* respicit qualitatem, secundum quam res dicitur habere habitum, vel potentiam naturalem, vel patibilem qualitatem; *secundus* quantitatem, secundum quam dicitur res habere talem, vel talem mensuram seu quantitatem; *tertius* circa vestimentum, & ab hoc dicitur res habere calceos, gladium, &c. *quartus* partem, & ab hac dicitur res habere

manum, vel caput, &c. *quintus* contentum, non per modum partis, & ab hoc dicitur vas habere vinum; *sextus* rem possessam, & ab hoc dicitur aliquis habere diuitias. *Septimus* denique est ille, à quo dicitur vir habere mulierem. Et hæc de prædicamentis sufficiant, ad Dei gloriam.

# DISPVTATIO XIX.

## QVÆ EST VNICA.

## IN DVOS LIBROS PERIHERMENIAS seu de Interpretatione.

HI libri vocantur de interpretatione, quia in iis principaliter agitur de Propositione, quæ est interpres mentis nostræ, seu nostrorum conceptuum: neque enim aliter quam per propositionem possumus alicui declarare quid sentiamus. Multa autem scitu valde necessaria in iis tractauit Philosophus: quia tamen declarata sunt sufficienter in summulis, pauciſſima hic examinanda nobis supersunt.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit signum.*

Descriptio signi data à S. Aug. non est adæquata.

2. *Sanctus Augustinus lib.* 2. de doctrina Christiana *cap.* 1. signum describit *esse id, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud facit in cognitionem venire.* Verum hæc descriptio non est adæquata, quia non complectitur omne signum, quia possent dari signa spiritualia, quæ deducerent in cognitiones aliarum rerum, nec possent percipi à sensibus materialibus, de quibus loqui videtur Augustinus: neque enim potentia cognitiua solet proprie vocari sensus.

Descriptio Arriagæ reiicitur.

*Arriaga disp.* 13. *sect.* 1. describit signũ vt sic, esse *quod facit nos in alicuius rei cognitionem venire.* Hæc descriptio non placet, quia obiectum facit nos in cognitionem sui venire, & tamen non propterea dici potest signum. *Rursus* Deus ipse facit nos in cognitiones multarum rerum venire eas nobis reuelando, nec tamen ab vllo vocatur signum illarum rerum. *Præterea* cognitio est signum rei, quæ cognoscitur per ipsam secundum hunc authorem, & tamen ludicrum esset dicere quod cognitio deduceret in cognitionem, aut faciat nos in cognitionem venire.

Descriptio Hurtadi reiicitur.

*Nec etiam placet* definitio signi tradita ab *Hurtado disp.* 1. *sect.* 1. *signum est, quod aliquid significat seu repræsentat*, id est, quod aliquid facit præsens potentiæ cognoscitiuæ; nam vel ipsa res facit seipsam præsentem, vel certe causa proponens rem isti potentiæ id facit, & tamen nec res, nec causa illa potest dici bene esse signum.

Vt vera signi descriptio habeatur, prius considerandæ sunt aliqua, quæ solent signa appellari, vt ex conuenientia particulari, quam illa habent, ratione cuius talia dicuntur, possit colligi ratio communis signi.

Quidquid propositũ deducit nos in cognitionem alterius est signum.

3. *Itaque imprimis* non est dubium, quin quidquid propositum potentiæ cognitiuæ deducit nos in cognitionem alterius rei, sit signum, hac enim ratione fumus dicitur signum ignis, hædera vini, vox *homo* naturæ humanæ, sacramenta gratiæ, & si essent etiam aliqua spiritualia, quæ proposita Angelis eos deducerent in aliarum rerum cognitionem, sicut nos deducimur per huiusmodi signa, essent sine dubio signa propriissima: quod si non haberentur alia vlla signa præter huiusmodi, facile esset signum describere, dicendo quod esset illud, quod cognitum ab aliquo deduceret ipsum in cognitionem alterius.

Cognitio est signum formale obiecti.

*Præterea* ipsamet cognitio repræsentans nobis aliquam rem vocatur signum istius rei, & quia non eodem modo significat, quo illa alia signa, dici solet signum formale, & illa alia signa instrumentalia.

Species impressa est signum.

4. *Rursus* non solum cognitio, quæ est species expressa rei, vocatur signum, sed etiam species impressa, quæ cum potentia concurrit effectiue ad speciem expressam seu cognitionem producendam; & quia non eodem modo significat, quo ipsa cognitio aut priora illa signa, & habet tamen secundum aliquam rationem similitudinem aliquam cum prioribus signis, quam non habet cum cognitione, nimirum quod non repræsentat aliquid, nisi quatenus concurrit ad producendam cognitionem, cognitio verò repræsentat non concurrendo ad cognitionem; secundum aliam vero rationem habet similitudinem cum cognitione, quam non habet cum prioribus signis, nimirum, quia species deducit in cognitionem, quin ipsa cognoscatur, sicut cognitio; alia vero illa signa non deducunt in cognitionem, nisi cognoscantur; & propterea vocantur media cognoscendi cognita, species vero medium cognoscendi non cognitum; hinc aliqui vocant species impressas signa instrumentalia propter conuenientiam illam, quam habent cum prioribus, & ab aliis vocantur formalia signa, non instrumentalia, propter conuenientiam quam habent cum cognitionibus.

Non tamẽ quatenus nõ cognita ducit in cognitionem.

5. Quamuis autem hæc satis communiter dicãtur, reuera tamen species impressa non videtur posse dici proprie signum rei, in cuius cognitionem ducit, quatenus non cognita concurrit ad cognitionem rei producendam: nam alias Deus ipse quando-suppleret defectum talis speciei, aut se solo produceret cognitionem alicuius rei, posset dici esse signum istius rei, contra omnes. Dixi autem *quatenus non cognita ducit ad cognitionem*, quia si proposita obiectiue, & cognita ab intellectu, deduceret ipsum in cognitionem alicuius alterius rei, aut ex natura, aut ex instituto, haberet propriissimam rationem signi.

Cognitio non est signum proprie loquendo.

Sed nec species etiam expressa aut cognitio videtur habere veram rationem signi: nã ex communi sensu signum habet deducere nos in cognitionem, quod tamen, vt supra dixi, non conuenit cognitioni. Nec refert quod cognitio repræsentet obiectum, quia ad rationem signi non sufficit repræsentare quomodocunque, sed debet repræsentare mediante propositione obiectiua sui.

6. Itaque quandoquidem non sint alia, quæ appellari solẽt signa, nisi signa illa, quæ cognita deducunt in cognitionem, quæ vocari solent instrumentalia, & species impressæ ac expressæ; si verum esset quod dixi, has species non esse signa, descriptio supra posita signi, nempe quod sit illud quod cognitum deducit in cognitionem alterius, esset adæquata signi, vt sic, descriptio, omni & soli tali signo conueniens, atque adeo bona.

*Dices*: Illa descriptio conuenit causæ, nam ex ea proposita potest quis deuenire in cognitionem effectus: sed causa non est signum effectus, ergo.

Causa est signum effectus sicur hic causæ.

*Respondeo* negando minorem; nec enim vlla prorsus est ratio cur effectus sit signum causæ, & causa non possit esse signum effectus: & præterea ideo effectus potest esse signum causæ, quia propter naturalem connexionem, quam habet cum causa, quoties excitatur species ipsius, solet etiam excitari species causæ; sed similiter excitari solet species effectus, quando excitatur species causæ: ergo causa potest esse signum effectus.

*Aduertendum autem* hic non ideo videri effectus signa causæ, aut è contra causæ signa effectuum, quia sunt talis, naturæ, vt qui cognosceret effectum esse, posset mediante discursu deuenire ad cognitionem existentiæ causæ, aut è contra: sed ex eo quod excitata specie vnius, excitari possit species alterius absque discursu.

Quid signũ instrumentale.

7. Sed supponendo quod cognitio rei sit signum ipsius, & etiam species impressa, vix sane potest ab ipsis ratio aliqua communis signi, quæ non competat aliis rebus, quæ non sunt signa, abstrahi, vt patet ex dictis; vnde si sint signa, non videtur cõuenire nisi æquiuocè in ratione signi, & consequenter non possunt vna descriptione definiri. Dicatur ergo signum instrumentale esse quod cognitum deducit in cognitionem alterius: & signum formale dicatur illud quod non cognitum, sed inhærens potentiæ facit illã cognoscentem aliud, & in hac descriptione conuenit vniuoce species expressa cum impressa; distinguuntur vero in hoc quod species expressa facit cognoscentem potentiam formaliter per communicationem formalem sui absque productione alterius, quod ad hoc sit necessarium,

Quid signũ formale.

species

ſpecies vero impreſſa facit cognoſcentem effectiue : vnde ſignum formale poteſt diuidi in ſignum formale effectiuum, qualis eſt ſpecies impreſſa; & ſignum formale non effectiuum, quale eſt ſpecies expreſſa.

*Sed quidquid ſit*, an ſigna hæc, quæ vocantur formalia, ſint vera ſigna, quod dependet à quæſtione de nomine, & an conueniant vnioce in ratione ſigni cum ſignis, quæ vocantur inſtrumentalia, quod ſpectat ad quæſtionem de re, quia in hoc libro non agitur per ſe, niſi de ſignis inſtrumentalibus ex inſtituto, propterea de ſigno inſtrumentali vt ſic, quod eſt genus ad ſignum naturale, & ad ſignum ex inſtituto, aliquid amplius tractabimus, ex quo etiam facile quis diſcurrere poterit de natura aliorum illorum ſignorum.

## CONCLVSIO I.

Quid ſignum inſtrumentale.

8. *Signum inſtrumentale vt ſic bene deſcribitur eſſe id quod cognitum ducit in cognitionem alterius.* Hæc eſt communis, & *patet*, quia omne & ſolum ſignum inſtrumentale eſt huiuſmodi.

*Dices*: ſpecies impreſſa eſt ſignum inſtrumentale, quia eſt inſtrumentum aptum ad repræſentandum intellectui aliud, & non eſt formale ſignum, vt eſt cognitio, ergo.

*Reſpondeo* negando antecedens: ad cuius probationem dico, quod non ſufficit ad ſignum inſtrumentale quod ſit inſtrumentum deſeruiens, ſed requiritur quod obiectiue propoſitum deducat in cognitionem.

*Dices ſecundò*: Creaturæ deducere poſſunt in cognitionem Dei obiectiue propoſitæ, & tamen non ſunt ſignus Dei.

*Reſpondeo*, vt ſupra dixi, ad rationem ſigni, de quo hic agimus, non ſufficere quod obiectiue propoſitum poſſit deducere ad cognitionem alterius quomodocumque, ſed requiri quod id poſſit facere abſque diſcurſu; & ſic ſane vox *Homo* ducit in cognitionem naturæ humanæ, & fumus in cognitionem ignis. Verum quidem eſt, quod fumus poſſet deducere in cognitionem ignis mediante diſcurſu, ſed tum non haberet ſe per modum ſigni, nec eodem modo deduceret in cognitionem ignis, ac quando vt ſignum deducit in eius cognitionem; nam quando vt ſignum deducit in cognitionem eius, non deducit nos in cognitionem ipſius, vt eſt cauſa fumi; at quando deducit in cognitionem ignis mediante diſcurſu, deducit in cognitionem ipſius vt eſt cauſa: & hinc fit vt effectus poſſit deducere in cognitionem cauſæ mediante diſcurſu, quamuis nunquam ante videretur eſſe coniuncta cum cauſa, at nunquam poſſet effectus deducere in cognitionem cauſæ per modum ſigni, niſi ante cognoſcerentur coniuncta. Cuius etiam ratio à priori videtur eſſe; quod ſignum huiuſmodi vt ſignum, non deducit in cognitionem rei, niſi quatenus propoſitum eo ipſo excitantur ſpecies alterius rei: non poſſent autem ſic excitari, niſi quia antea ſimul proponebantur aut intelligebantur.

## CONCLVSIO II.

Signum adæquatè diuiditur in ſignum naturale & ad placitum. Quid ſignum ad placitum.

9. *Signum vt ſic adæquate diuiditur in ſignum naturale, & ſignum ad placitum.* Hæc etiam eſt communis, & *patebit* ex explicatione membrorum diuidentium. Itaque *ſignum ad placitum*, ſeu ex inſtituto eſt illud ſignum quod ex ſe indifferens eſt ad ſignificandum illud, reſpectu cuius dicitur ſignum, vel non ſignificandum; ſed ex voluntate alicuius volentis, vt pro illo potius quam pro alio accipiatur, determinatur ad illud ſignificandum; talis eſt vox *Homo*, quæ ex natura ſua tam bene poſſet ſignificare naturam equinam, quam humanam, & non ſignificaret vnam potius quam alteram, nec alterutram omnino, niſi Deus, aut Angeli, aut homines ordinarent, vt per illud natura humana intelligeretur: tale etiam eſt Sacramentum nouæ legis, quatenus ſignificat gratiam.

*Signum autem naturale eſt*, quod independenter ab inſtitutione aut voluntate alicuius ſignificat aliud, quando proponitur, & tale eſt fumus reſpectu ignis, ſuſpiria reſpectu doloris, imago ſeu pictura reſpectu rei, cuius eſt imago, ſi habeant ſimilitudinem phyſicam aut proportionem aliquam phyſicam inter ſe.

*Ex his patet concluſio*, quia quidquid habet ſignificare aliquid, aut habet illud ſignificare dependenter ab inſtitutione aut ordinatione aliqua & ſic eſt ſignum ex inſtituto & ex placito: aut non habet, & ſic eſt ſignum naturale: ergo nullum datur ſignum, quod non ſit ad placitum aut naturale, & conſequenter prædicta diuiſio erit adæquata.

*Dices*: ſignum ex conſuetudine, qualis eſt canis adueniens reſpectu aduentus ſui Domini, non eſt ſignum, aut ex placito, aut naturaliter: ergo datur aliquod ſignum non comprehenſum in prædicta diuiſione. Minor quoad primam partem probatur, quia non eſt facta vlla inſtitutio ea de re, vt certum eſt: & etiam quoad ſecundam partem; quia canis non habet vllam naturalem connexionem cum aduentu Domini, & aduentus eius poſſet nunquam habere vllam concomitantiam cum illo: ergo non eſt ſignum naturale eius.

*Reſpondeo* negando minorem pro ſecunda parte: ad cuius probationem dico, hinc intelligi per ſignũ naturale illud quod ſignificat independenter ab inſtituto, ſiue ex natura ſua intrinſeca, ſiue ex aliquo alio accidente id ipſi competat. Hoc autem ſine dubio competit aduentui canis: nam ex eo quod ſæpe videbatur aduenire cum domino, propoſito aduentu ipſius, excitatur ſpecies aduentus domini, aut alterius, cum quo videbatur frequenter aduenire. Quod ſi etiam caſu aliquo quis appenderet hæderam ad ſuam domum, quoties haberet vinum venale, quamuis non intenderet aut ipſe, aut alius ſignificare vinum eſſe venale per hoc, hædera eſſet ſignum naturale vini & non ex placito.

## CONCLVSIO III.

Per quid conſtituitur ſignum naturale in eſſe tali, & ſignum ad placitum.

11. *Signum naturale conſtituitur in eſſe ſigni realiter per connexionem, quam habet independenter ab inſtituto cum re, quam ſignificat, & formaliter conſtituitur in eſſe ſigni per aptitudinem, quam habet ad deducendum potentiam in cognitionem illius rei. Signum vero ad placitum conſtituitur in eſſe ſigni realiter per inſtitutionem, qua inſtituitur ad ſignificandam rem, & formaliter per aptitudinem, quam habet ſuppoſita inſtitutione ad deducendum potentiam in cognitionem iſtius rei.* Hæc in re videtur negari non poſſe, & *patet*, quia à nulla alia ratione poſſunt conſtitui in eſſe ſigni realiter aut formaliter potius, quam ab his rationibus: ergo ab iis ſic conſtituuntur.

*Confirmatur*, quia non conſtituitur in eſſe ſigni per actualem ſignificationem, quia hædera eſt ſignum vini, etiam quando nemo reſpicit illam, & Sacramenta ſunt ſigna gratiæ, etiam cum nihil cauſant, & etiam ſi nemo aduerteret, quod eſſent cauſatiua aut cauſarent: ergo debent conſtitui per aptitudinalem ſignificationem.

12. *Obiicies* contra vltimam partem: poteſt quis cognoſcere aliquid eſſe ſignum, quamuis non cognoſcat illam inſtitutionem: ergo non conſtituitur in eſſe ſigni per illam inſtitutionem. Probatur antecedens, quia non aduertimus ad inſtitutionem vocum, quoties cognoſcimus illa eſſe ſigna; id quod longe magis patet ad ſenſum in ſimplicioribus, qui non ſciunt vnde habeant voces eſſe ſigna, & tamen ſciunt ea eſſe ſigna.

*Reſpondeo*, hanc difficultatem eſſe communem in quacumque ſententia, vt bene aduertit *Hurtadus*, quia non aduertimus etiam ad quodcumque aliud, quod diceretur eſſe ratio conſtitutiua ſigni, & præſertim id verum eſt de ſimplicioribus.

*Reſpondeo ſecundò* diſtinguendo antecedens; à poſteriori, quatenus videmus quod deducat in cognitionem alterius, concedo: à priori aut directe, nego antecedens & conſequentiam, quia poteſt res aliqua cognoſci habere aliquam rationem, vnde comperat ipſi aliquis effectus, licet non cognoſcatur, quænam illa ratio ſit, vt patet mille exemplis.

*Dices*: Inſtitutio præterita iam non eſt: ergo non poteſt eſſe ratio realis, cur ſignum poſſit deducere iam in cognitionem.

*Confirmatur*, quia iam ſignum habet aliquid, ratione

cuius possit iam significare: alias iam non significaret: sed non habet iam institutionem præteritam, quæ ante tot annos desiit: ergo habet aliquid aliud, & consequenter ab illa institutione præterita non habet iam significare.

*Respondeo* negando consequentiam, quia quamuis iam non sit, si non fuisset præterita, vox iam non significaret, sicut, si Rex non fuisset olim à Republica institutus, non esset iam Rex, & consequenter ab illa institutione debet dici esse constitutus.

*Ad confirmationem Respondeo* distinguendo minorem non habet illam sufficienter ad hoc vt denominetur instituta, nego minorem; non habet illam ita, vt ipsa iam physice exiltat, concedo minorem, & nego primam consequentiam, quia sufficit quod habeat denominationem ab illa.

## CONCLVSIO IV.

Non prius respicit signum rem significatã quam potẽtiam cui significat, nec dicit duos respectus.

13. *Signum nullum siue naturale, siue ad placitum, vt tale, prius respicit rem significatam, quam potentiam, cui significat, nec è contra: nec consequenter dicit duos respectus, quorum vnus sit prior altero, sed eodem indiuisibiliter respectu aptitudinali respicit vtrumque.* Hæc contra aliquos, qui existimant quod prius respiciat rem, quam potentiam, & quod respectus, quem dicit ad obiectum, sit essentialis illi, respectus vero ad potentiam proprietas ad illam priorem sequens.

*Probatur* autem, quia non sunt multiplicanda entia aut formalitates sine necessitate: sed non est necessitas vlla multiplicandi huiusmodi respectus, quandoquidem vnico respectu possit quis tendere in plura, quando non potest tendere in vnum ex illis, quin necessario tendat in alterum, nec potest intelligi vt tendens in vnum, quin intelligatur vt tendens in alterum: sed signum non potest nec respicere, nec intelligi respicere rem significatam per modum signi, quin respiciat & intelligatur respicere potentiam, cui significat, nec è contra: ergo vno respectu debet dici vtrumque respicere. *Rursus* nulla est ratio, ob quam dicatur potius respicere rem significatam prius quam potentiam aut è contra: ergo vtrumque æque primo debet dici respicere.

*Dices*: in explicatione ipsius, quando dicitur, quod sit illud, quod repræsentat aliud potentiæ, res significata ponitur magis directe quam potentia: ergo signum est, quod prius respiciat rem.

*Contra*, quia etiam in alia explicatione æque bona ponitur potentia magis directe quam res, vt cum dicitur quod sit illud, quo potentia deducitur in cognitionem alterius: ergo si valeret consequentia replicæ, deberet dici respicere primò potentiam; vnde cum hoc non sequatur secundum aduersarios, nec illud etiam sequitur. Quare in forma nego consequentiam, & nego quod illud, quod ponitur semper magis directe in explicatione rei, sit magis essentiale ipsi.

Non constituitur signum ex instituto per relationem rationis.

*Queres*, an signum ex instituto constituatur formaliter per ens rationis.

*Respondeo* ex dictis in disputatione de ente rationis, negatiue, quia est eadem ratio de signo, quantum ad hoc, ac de cæteris, quæ denominantur extrinsece; bene tamen potest intellectus fingere in huiusmodi signis aliquid intrinsecum, per quod haberent esse signum formaliter, & hoc modo considerata signa constituuntur per ens rationis: & hoc tantum est quod vult *Doctor*, quando videtur dicere, quod signa ex placito dicant formaliter ens rationis: quod totum patet ex dictis in illa disputatione, nec ad logicum institutum est necesse plura de signis contexere.

## *ADDITIO.*

Mastrius in suis summulis seorsim impressis & auctis c. 4. ait me in hac quæstione nimis audacter inficiari doctrinam D. August. qua describit signum; quam doctrinam inquit omnes venerantur vt communis Magistri; vnde mirum esse non debet, quod hic Author minimo rubore suffusus doctrinam Scoti Præceptoris audeat impugnare. Verum an ego impugnauerim doctrinam Scoti, aliter, quã ipsi Scoto honorificũ esset & vtile & mihi nullius ruboris causa, ex mea appendice Apologetica & additionibus huius editionis satis apparet. Sed quod ad præsens attinet, ego contra descriptionem Augustini nihil dico, nisi quod non sit adæquata, quia non complectitur omne signum, nec volui, aut cogitaui quod non esset bona & adæquata signi sensibilis descriptio, quod omnes cum ipso Mastrio agnoscũt descriptum fuisse ab Augustino, non signum vt sic: quomodo ergo potest dici quod ego inficiar doctrinam S. Augustini, aut nimis audacter, aut vllo modo? Certe si eam inficior quia asserо non esse adæquatam seu comprehendentem omne signum, ipse Mastrius non erit ab audaciæ cẽsura immunis. nã in hoc ipso capite proponit aliqua, ex quibus necessario sequitur quod non sit adæquata: nam imprimis dicit signum diuidi in formale & est illud quod absque sui præuia cognitione aliud nobis repræsentat; quales sunt species impressa & expressa respectu proprij obiecti; & in instrumentale, quod præsuppositа sui cognitione facit nos in cognitionem alterius venire: sed manifestum est quod descriptio Augustini non conueniat signo formali: ergo secundum ipsum Mastrium descriptio Augustini non est adæquata signi vt sic, nec comprehendit omne signum. Deinde asserit descriptionem Augustini conuenire signo formali, si dematur prima pars: ergo non conuenit ipsi si non dematur illa pars, & consequenter absolute vt iacet, non est adæquata. Vnde sane Mastrius non mediocri rubore suffundi deberet, quod mihi vitio vertat illud, quod ab ipsomet satis expresse eodem loco docetur.

Sed nec sufficienter Mastrius descripsit signum formale esse quod repræsentat seu facit aliud in cognitionẽ venire: nam vt dixi contra Hurtadum causa proponens rem facit rem illam in cognitionem venire, nec tamen est signum, & Deus etiam facit nos in multarum rerum cognitionem venire; neque sufficit dicere quod nõ faciat in cognitionem venire tanquam obiectum cognitum; quia neque signum formale sic debet facere venire in cognitionẽ alterius. Vlterius Mastrius eodẽ loco ait me redarguere alteram illius Augustinianæ descriptionis partem, tanquam ab Arriaga traditam, quia obiectum facit nos in cognitionem sui venire, & Deus facit nos in cognitionem multarum rerum venire.

Contra quam meam impugnationem opponit, quod obiectum non faciat nos in cognitionem alterius venire, sed sui; & quod nec obiectum faciat nos in cognitionem sui venire, quatenus cognitum, vt facit signum; nec Deus vt cognitus faciat nos venire in cognitionem aliarũ rerum.

Sed certe si Mastrius rubore suffundi timeret, deberet cautius legere Authores quos impugnat, & eos intelligere antequam impugnaret. Imprimis nõ redargui alteram illius descriptionis partem, tanquam ab Arriaga traditam; sed impugnaui ipsam Arriagæ descriptionem, quæ nõ coincidit cum altera illa definitionis parte: nã definitio Arriagæ est quod signũ sit quod facit nos in alicuius rei cognitionem venire, pars autem illa descriptionis dicit quod signum facit aliud in cognitionem venire, seu quod facit nos in cognitionem alterius venire. Hæc vero sunt tã diuersa quam diuersam habẽt significationem aliud & aliquid: alicuius & alterius. Et mea prima impugnatio Arriagę de obiecto faciente nos in cognitionẽ sui venire, optime habuit locum contra ipsum, quia dum facit venire in cognitionem sui, facit sine dubio venire in cognitionem alicuius; non habet vero locum contra secundam partem descriptionis Augustini, quia quamuis obiectum faciat in cognitionem sui & consequenter alicuius venire; non tamen eo ipso facit venire in cognitionem alterius. Ex quo patet, neque me impugnasse secundam partem descriptionis Augustini; neque Mastrium me intellexisse; neque valere contra me quod opponit, obiectum non facere venire in cognitionem alterius, sed sui.

Sed neque secunda responsio ipsius, qua dicit obiectum & Deum non ducere in cognitionem alterius tanquam quid cognitum, vt facit signum: nam si non sufficiat ad signum quod faciat venire in cognitionẽ alterius quomodocumque, vt fatetur hic Mastrius, sed requiratur quod

tanquam

tanquam cognitum faciat venire in alterius cognitionem ergo non sufficienter describeretur signum esse quod faceret venire in cognitionē alterius,sed deberet specificari modus particularis quo signum facit in cognitionem alterius venire, ob quem modum habet rationem signi, vt hoc distinguitur ab omni eo quod facit in cognitionem alterius venire,& non est signum:quare cum ille modus non sit specificatus in definitione Arriagæ neque etiam in secunda parte definitionis Augustini,si tollatur pars, merito ego impugnaui descriptionem Arriagæ, & poteram impugnare secundam illam partem Augustinianæ descriptionis.Et sane si vlla ex illis esset bona, quamuis quoad verba expressa possent conuenire alicui, quod non esset signum, quia poset addi explicatio illa Mastrij:nempe quod signum, quatenus cognitum, faceret in cognitionem alterius venire; poset dici, quod hæc esset bona descriptio hominis, homo est animal; nam quamuis competat Bruto esse animal & propterea diceretur non esse bona descriptio hominis; tamen ad hoc responderi posset, quod animal quod dicitur de homine,esset animal rationale,quale nequit dici de Bruto.

Addi poset,quod Deus,etiam vt cognitus visione beatifica,faciat in cognitionem creaturarum venire,& tamen non sit signum, ergo videri poset non sufficere ad signum,quod,etiam vt cognitum,faciat venire in cognitionem alterius. Vnde patet ex omni capite deficere discursum Mastrij.

Hæc scripsi occasione illarum summularum, quas obiter tantum vidi apud quendam Patrem, qui statim à me discedere debebat,nec voluit illas mihi relinquere,in quibus fortassis plura alia contra me addita sunt,quibus cette satisfacere conarer,si summulæ illæ hic,vel Lugduni vbi hæc scripsi reperirentur.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum voces significent immediate conceptus an vero res*

15. QVæritur in præsenti, vtrum voces,quas ex dictis quæstione præcedenti suppono esse signa ad placitum,significent rem,quam concipit proferens vocem,an conceptum formalem, seu cognitionem,quam habet de illa re,an vero vtrumque simul.Intelligitur autem hic per *rem* omne illud, quod est obiectum cognitionis, siue sit reale quid,siue rationis,siue positiuum, siue negatiuum; siue etiam sit conceptus formalis,seu cognitio; siue non. Per *conceptum* vero *formalem* intelligimus cognitionem, quam habet quis de aliquo obiecto secundum se,non quatenus est obiectum alterius cognitionis,seu quatenus cognoscitur per aliam cognitionem:exempli gratia dum aliquis profert hanc vocem *homo*,si eam significatiue proferat,non est dubium, quin intelligat illud, quod dicitur homo,& illud dicitur esse res; cognitio vero seu intellectio dicitur esse conceptus,& non res. Similiter quando profert hanc vocem *intellectio*, concipit illam rem quæ dicitur intellectio,per aliam intellectionem, & prior intellectio dicitur esse res;secunda verò non dicitur esse res, sed tantum conceptus.

## CONCLVSIO.

Voces per se primo significant immediate res, non vero conceptus.

16. *Voces per se primo immediate significant res, & non conceptus rerum.* Est *Doctoris 1.dist.27.quæst 3.& quæst.1. huius libri* quem præter suos sequuntur *Gabriel in 2.dist. 22. Arriaga disp.13.quæst.2.* & *quidam recentiores* contra *Conimbricenses cap.1.huius libri quæst.3 art.1* & alios.

*Probatur primò*, quia si voces immediate significarent conceptus, hæc propositio esset falsa; homo est animal: sed hoc est absurdū:ergo. Probatur sequela: tunc propositio affirmatiua vocalis est falsa,quando illud,quod significatur per prædicatum,non conuenit isti,quod significatur per subiectum:sed si homo significat conceptum formalem hominis, & animal conceptum formalem animalis,quod significatur per prædicatum huius propositionis non conuenit illi,quod est significatum subiecti, neque enim conceptus formalis hominis est conceptus formalis animalis,aut è contra,vt patet: ergo.

17. *Probatur secundò*, quia voces per se primò sunt impositæ ad significandas res: ergo eas per se primò immediate significant.Probatur antecedens, quia homines,intelligentes voces,per se primò deueniunt in cognitionem rerum,& non conceptuum:ergo per se primo sunt impositæ ad significandas res & non conceptus.

*Confirmatur*,quia alias Græcus audiens propositionem Græcam prolatam ab ignorante linguam Græcam non intelligeret propositionem illam, quod videtur absurdum. Probatur sequela, quia non intelligeret conceptum formalem,quem proferens habet.

*Dices* ex his haberi quod res etiam immediate significentur per voces,sed non haberi, quin etiam conceptus immediate per ipsas significentur.

*Contra*, quia si vtrumque simul æque primo significarent,omnis vox esset æquiuoca,quia æquè primo significaret plures res, & non secundum eandem rationem:ergo non significant vtrumque simul,& consequenter,si significent res per se primo immediate,non significabunt conceptus immediate.

18. *Contra* secundo:quoties aliqua vox significat duo sic se habentia,vt vnum ex illis possit intelligi per vocem,nō intellecto altero,non vero è contra;illud, quod potest intelligi sine altero,immediatius significatur per vocem, vt patet: sed conceptus non potest intelligi per vocem, nisi intelligatur res cuius est conceptus,res vero per illam vocem potest optime intelligi,non intellecto conceptu:ergo immediatius & primarius significantur res per voces, quam conceptus.

Voces significant etiam conceptus.

Intuli autem semper,quod voces primario & immediate significant res,& non conceptus,quia non dubito quin secundario& mediate significent etiam conceptus, præsertim quoties proferuntur ab aliquo significatiue:nam quia non potest quis sic eas proferre quin intelligat res,quoties audit quis aliquem proferentem voces significatiue, primo quidem desinit in cognitionem rei significatæ,& postea potest, si vult, cognoscere, quod proferens habuit etiam conceptum istarum rerum. Et per hoc soluuntur omnes authoritates, quæ contra nostram conclusionem adduci solent, nihil enim aliud concludunt quam voces secundario significare conceptus.

19. *Obiicies primò*:Voces sunt institutæ principaliter ad significandos conceptus:ergo.Probatur antecedens, quia ideo instituerunt homines voces,vt declararent mediantibus iis suos conceptus.

*Confirmatur*, quia Angeli qui possunt declarare suos conceptus sine vocibus,non instituerunt voces:ergo ideo homines instituerunt voces,quia non poterant instar Angelorum declarare suos conceptus sine vocibus.

*Respondeo* distinguendo antecedens: vt per voces immediate significarent,nego,vt mediate, concedo antecedens & nego consequentiam. Similiter distinguo probationem antecedentis: vt declararent per eas immediate, nego; mediate, concedo. Distinguo etiam consequens confirmationis,vt mediate declararent concedo;vt immediate,nego consequentiam.

*Et si quaratur*, quandoquidem per voces voluerint declarare suos conceptus, quare non voluerint immediate illos significare? *Respondeo*, quia non poterant; quandoquidem,vt supra dixi,non possunt declarare suum conceptum, nisi ostendendo obiectum eius, & non poterant ostendere obiectum eius per vocem,nisi instituendo ipsam ad significandum immediate istud obiectum.

20. *Obiicies secundò*,Tum homines mentiuntur,quando proferunt verba non significantia suum conceptum formalem:ergo quando non mentiuntur, verba quæ proferunt,significant suum conceptum formalem.

*Respondeo*, quidquid sit de antecedenti distinguendo consequens,primario & immediate, nego, secundario & mediate,concedo consequentiam.

*Obiicies tertiò*, Hæ voces,*intellectio,cognitio,conceptus formalis* significant immediate ipsum conceptum formalem:ergo saltem aliquæ voces significant immediate conceptus formales.

*Respondeo* distinguendo consequens: vt conceptus, nego; vt sunt res, concedo: cuius distinctionis ratio & sensus patet ex dictis *num.* 15.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum esse verum aut esse falsum sit de essentia propositionis, & vtrum vna propositio possit de vera fieri falsa.*

SVppono ex summulis Propositionem, seu Enunciationem esse orationem, in qua aliquid de alio vel affirmatur, vel negatur; vt homo est animal, homo non est animal.

## CONCLVSIO I.

Eadem numero oratio de vera nequit esse falsa nec è contra.

21. *Probabilius videtur eandem numero orationem non posse de vera fieri falsam, aut è contra.* Hæc est *Smising. tr. 3. de Deo vno disp. 1. num. 33: Cauelli disp. 3. de anima sect. 8. Auersa quæst. 24. Log. sect. 7. Arriagæ disp. 14. sect. 2.* contra *Suarem disp. 8. Met. sect. 2. Ruuium hic qu. 5. Amicum tract. 21. disp. 4. qu. 1. Mastrium disp. 10. qu. 2.*

*Probatur* (loquendo de propositione mentali de præsenti, verbi gratia Petrus sedet, de qua est controuersia) quia quando aliquis affirmat, quod Petrus sedet, vel intelligit quod sedeat pro toto aliquo determinato tempore; vel intelligit, quod sedeat pro aliqua parte determinati temporis indeterminate; neque enim qui dicit de præsenti, quod Petrus sedet, videtur posse abstrahere, quin aliquo ex his modis intelligat Petrum sedere: sed quouis modo ex illis illud dixerit, propositio si sit semel vera, non potest vnquam esse falsa, quantumuis continuaretur in æternum: ergo. Probatur minor, quia si velit dicere, quod sedeat primo modo, hoc est pro toto aliquo determinato tempore, si Petrus sedeat pro toto illo tempore, propositio non potest non esse vera, si vero non sedeat pro toto illo tempore, quamuis sederet pro parte ipsius, propositio non potest esse vera. Quod si velit dicere, quod sedeat secundo modo, si pro aliqua parte istius temporis sedeat, propositio erit vera, siue pro aliis partibus sedeat, siue nõ; si autẽ pro nulla parte sedeat, propositio erit falsa necessariò.

22. *Et si dicas* ipsum non velle quod sedeat pro tempore aliquo: Tum propositio non erit de præsenti, & consequenter tollitur hypothesis controuersiæ.

*Confirmatur*, quia actus, qui determinat intellectum ad cognoscendum, quod Petrus sedeat in loco *A*, non potest determinare ipsum ad cognoscendum, quod sedeat in aliquo alio loco: ergo actus, quo determinatur ad cognoscendum, quod aliquis scribat in vno tempore, non potest determinare ipsum ad cognoscendum, quod scribat in alio tempore: sed hoc esset falsum in sententia opposita, vt examinanti patet.

23. *Obiicies primò*: si aliquis iudicaret Petrum sedere, & conseruaret illud iudicium pro vna hora, casu quo pro media hora Petrus sederet, propositio esset vera, & casu quo pro altera media hora non sederet Petrus, propositio eadem esset falsa: ergo.

*Confirmatur hoc* authoritate Philosophi, quia *cap. de substantia* expresse videtur asserere veritatem & falsitatem esse accidentia propositioni, in quo etiam cum eo consentit *Scotus 4. dist. 8. qu. 2.* ergo.

*Respondeo* non posse aliquem habere tale iudicium de Petro de præsenti, nisi pro aliquo tempore modo supra explicato, & sic quantumuis continuetur, vel erit semper vera, vel erit semper falsa.

*Dices*: Iudicium tale pro primo instanti erit iudicium. quod pro illo instanti determinate sedet, & si conseruetur pro alio instanti, erit iudicium, quod pro alio isto instanti sedet.

*Respondeo*, iudicium quo iudicatur rem pro primo instanti sedere, nunquam posse esse iudicium, quo iudicatur, quod pro vllo alio instanti sedet, & sic falsum supponitur in replica.

*Ad confirmationem Respondeo*, negando consequentiam, cuius ratio patebit ex dicendis. *Posset etiam dici*, quod Philosophus dubitatiue tantum proposuerit antecedens, & eodem modo explicari potest *Scotus* ipsum secutus.

24. *Obiicies secundo* ex *Mastrio*: quando intellectus iudicaret ex motiuo aliquo probabili Petrum currere, non determinando tempus aliquod determinatum, & perseueraret in illo iudicio per horam, si Petrus non curreret in vltima parte horæ, propositio illa esset conformis obiecto, & non esset conformis; non esset conformis obiecto, quia si diceretur: Petrus currit per horam, quandoquidem ex hypothesi non curreret pro tota hora, propositio esset falsa pro vltima parte horæ, & consequenter pro prima, si non potest mutari de vera in falsam: sed non esset falsa pro prima parte, quia cursus competeret Petro pro illa prima parte.

*Respondetur* negando sequelam: illud enim iudicium esset absolute falsum, quia licet iudicaret vere cursum inesse Petro pro prima parte: at non iudicat solum hoc, sed cursum inesse illi etiam pro vltima; vnde sicut qui diceret, homo est animal & brutum, dicit falsum simpliciter, quia licet diceret animal competere homini, quod est verum, quia tamen dicit ipsum esse brutum, quod non est verum, propterea absolute propositio illa non est vera.

25. *Obiicies tertiò*; Propositio de præsenti non significat aliud instans, nisi illud quod est, quandiu propositio est; ergo si quis continuaret propositionem qua diceret, in hoc instanti Petrus sedet, pro alio instanti significaret per eandem propositionem Petrum sedere pro alio instanti, & consequenter si Petrus sederet pro primo instanti, & non sederet pro secundo, sequeretur quod eadem propositio, quæ pro primo instanti erat vera, pro secundo sit falsa.

*Confirmatur* hoc, quia idem actus, quo quis vult efficaciter facere omnia, quæ sunt necessaria ad salutem, potest absque mutatione vlla sui determinare hominem ad confitendum, si confessio esset necessaria, & ad non confitendum, si confessio esset inutilis: ergo idem actus potest determinare ad affirmandum pro hoc instanti si hoc instans sit, & pro alio instanti, si hoc instans non sit, sed aliud absque vlla variatione.

*Respondeo* distinguendo antecedens: si determinat ex ratione sua illud instans, concedo; si non, nego antecedens, & consequentiam. Itaque non debet propositio de præsenti dicere suum obiectum esse pro omni tempore, cui potest esse præsens propositio, sed pro illo tempore, cui est præsens, & pro quo dicit subiectum esse.

*Ad confirmationem Respondeo* negando consequentiam: & ratio disparitatis est, quod actus ille contritionis determinat solum ad facienda, quæ sunt necessaria ad salutem, quatenus sunt necessaria, non determinando aliquid in particulari secundum rationem aliquam particularem, nisi rationem conducentem ad salutem, & propterea debet posse determinare ad quodcumque, in quo est talis ratio, & non debet determinare ad aliquid, in quo non reperitur talis ratio. Iudicium verò respicit tempus aliquod sub aliqua ratione ex rationibus supra expressis in probatione conclusionis: & quia non respicit illud tempus secundum illam rationem in alio tempore, non potest respicere aliud tempus nec aliquid consequenter asserere pro alio tempore.

26. *Obiicies vltimò*: si quis diceret, homines qui sunt in foro currunt, æque significaret Petrum currere, si fuisset in foro, ac Paulum si fuisset in foro: ergo eadem propositio est indifferens ad significandum hoc & illud obiectum, & consequenter potest esse indifferens ad significandum hoc vel illud tempus, neque enim magis dependet propositio à tempore quam ab obiecto, nec minus essentialiter hoc respicit quam illud.

*Respondeo breuiter* distinguendo consequens: quando propositio non respicit aliquod tempus determinatè, sed indeterminate hoc vel illud, concedo consequentiam: quando respicit determinate aliquod tempus, nego consequentiam. Sicut enim si diceret, Paulus qui est in foro currit, non posset eadem propositione dicere, Petrus qui est in foro currit, quia illa propositio respicit determinate

Paulum;

Paulum; ita quando dicit, Petrus nunc currit, determinando illud instans, pro quo profertur propositio, non potest illa propositione dicere, quod currat pro alio instanti; nec in hoc est vlla difficultas, quidquid dicat *Arriaga*, qui rem claram superflua subtilitate confundit.

## CONCLVSIO II.

Propositio quæ est vera posset esse falsa.

27. *Eadem propositio, quæ modo est vera, posset esse falsa in hoc ipso instanti, in quo est vera, atque adeo veritas & falsitas sunt accidentia propositioni, non vero essentialia ipsi, aut proprietates eius.* Hæc est sine dubio Philosophi & *Scoti* supra, omniumque authorum, qui tenent oppositum conclusionis præcedentis, ac etiam *Auersæ*, & *Arriagæ* contra *Hurtadum*, & *Smising.* supra.

*Probatur prima pars* manifeste, quia pro illo instanti, pro quo quis propter authoritatem alicuius hominis fide digni crederet Petrum sedere, posset Petrus sedere, & sic propositio esset vera, & posset etiam non sedere, & tunc eadem propositio esset falsa; ergo eadem ipsa propositio, quæ est vera, posset non esse vera.

*Dices* non esse eandem, sed diuersam propositionem. *Contra*, quia habet eadem omnino motiua & idem obiectum, nec est aliquid prorsus, ob quod non esset eadem: ergo gratis diceretur non esse eadem.

*Dices* non esse idem obiectum, quia Petrus sedens est obiectum illius, quæ est vera, non est autem Petrus sedens, quando propositio esset falsa. *Contra*, quia obiectum istius non est Petrus sedens à parte rei, ita vt dependeat essentialiter illa propositio ab ipsius reali sessione; sed Petrus propositus sufficienter, vt sedens sic, vt intellectus possit affirmare, quod sedeat: sed hoc obiectum posset manere, quamuis Petrus à parte rei non sedeat: ergo in casu nostro esset idem obiectum sufficienter ad identitatem propositionis.

*Confirmatur* hoc efficaciter, quia si propositio haberet pro obiecto obiectum, prout est à parte rei, nunquam posset dari vlla propositio falsa, quia si semper deberet habere pro obiecto obiectum, prout est à parte rei, semper esset conformis obiecto, & consequenter semper esset vera.

Veritas & falsitas sũt accidentia propositionis.

28. *Hinc patet secunda pars conclusionis*, quia si eadem propositio potest esse vera & falsa, sequitur veritatem & falsitatem esse accidentia ipsi, atque adeo neutram ex illis esse aut prædicatum essentiale, aut proprietatem eius, quod omnes concedent, qui admittent primam partem. Et per hoc patet, ad primam partem quæsiti negatiue esse respondendum.

Quamuis veritas & falsitas essent inseparabilia à propositione nõ essẽt ipsi essentialia.

*Quod etiam confirmatur* vlterius, quia quamuis veritas esset inseparabilis à propositione vera, & falsitas à falsa, tamen adhuc non essent de essentia earum, nam prius competit propositioni cuicumque affirmare, vel negare aliquid de alio, quàm esse veram vel falsam, & ideo est vera vel falsa, quia affirmat vel negat, quod conuenit aut non conuenit ipsi; sed quod præsupponit aliquid in alio, non est de essentia ipsius: ergo veritas & falsitas non sunt de essentia propositionis.

*Obicies:* Illud est de essentia alicuius vel proprietas eius, sine quo nequit esse de potentia absoluta: sed propositio, qua dicitur animal esse rationale, non potest esse de potentia absoluta absque veritate, quia non potest obiectum esse aliter, quam dicitur esse per illam: ergo.

*Respondeo*, distinguendo consequens: ex ratione propositionis, vt sic, quæ in illa propositione includitur, nego; ex ratione particulari sua, transeat consequentia. Nec est contra conclusionem, quia loquimur de propositione vt sic, non vero de quacunque propositione in particulari secundum rationem particularem suam; & sicut non bene infertur: rationalitas est de essentia alicuius animalis: ergo est de essentia animalis vt sic: ita non sequitur: veritas est inseparabilis ab aliqua propositione particulari: ergo est inseparabilis à propositione vt sic.

In quonam consistat veritas aut falsitas propositionis.

29. *Quæres* in quonam consistat veritas & falsitas propositionis formaliter loquendo, an scilicet in relatione aliqua actuali superaddita, aut rationis, vt tenet *Vasquez*; aut reali, *vt Tartaretus*, *Meurisſ.* & alij; an vero in ipsa entitate actus, ac connotatione obiecti, vt asserit *Suarez* vel in determinatione desumpta partim ab actu, & partim ab obiecto, vt putat *Arriaga*; vel denique in relatione aptitudinali transcendentali conformitatis, aut difformitatis, vt existimant *Cauellus* & *Smising.*

Videtur eodem modo loquendum de veritate ac falsitate propositionis & de similitudine ac dissimilitudine.

*Respondeo breuiter*, in hac re discurrendum conformiter ad sententiam, quam quis tenere voluerit de similitudine, aut dissimilitudine, nimirum, vel quod sit respectus distinctus ab extremis, vel quod sit denominatio desumpta ab vtroque, vel ab vno extremo, supposita coexistentia alterius: videtur enim esse eadem ratio. Et sane quemadmodum propositio vera potest aliquando habere pro obiecto ens rationis, vt cum dicitur, ens rationis est, cui non potest competere realis existentia; aliquando negationem, vt cum dicitur, negatio distinguitur à priuatione; aliquando aliquid positiuum actu existens, vt cum dicitur de Petro actu sedente, quod sedeat; aliquando aliquid actu non existens, vt Petrus est possibilis; aliquando aliquid, quod necessario ita se habet, vt propositio asserit, vt cum dicitur, homo est animal; aliquando denique aliquid, quod aliter se habere potest: ita etiam aliquid potest esse simile alicui, cui non potest non esse simile, vt creaturæ omnes sunt similes Deo secundùm aliquam rationẽ, & dissimiles secundum alias: & potest esse dissimile alicui negatiuo, & alicui enti rationis, vt homo est dissimilis negationi cuicumque, & chymeræ fabricatæ ab intellectu; potest etiam esse simile alicui, cui potest non esse simile, vt Petrus est similis Paulo, cui tamen potest non esse similis, eo scilicet non existente. Vnde videtur seruata proportione eodem modo esse discurrendum, vt dixi de conformitate propositionis ad obiectum, ac de similitudine, & de difformitate, ac de dissimilitudine.

Est tamen aliqua differentia.

30. Fatendum tamen est esse aliquam differentiam, quia supponitur, quod aliquis non dicatur actu similis nisi rei actu existenti, siue res sit positiua, siue negatiua, siue realis, siue rationis. At omnino propositio dicitur actu vera & conformis obiecto, quando obiectum actu non existit, cui non diceretur conformis, si actu existeret; hæc enim propositio est vera actu, & conformis obiecto: Petrus non existit, supposito, quod non existat, & nõ esset vera, si Petrus existeret. Et ne dicatur obiectum huius propositionis esse negationem existentiæ Petri, quæ negatio existit, dum propositio est vera, adduco aliud exemplum: Petrus sedet, quæ propositio est actu falsa, & difformis obiecto, Petro non sedente, & tamen tum non existit Petrus sedens, imo si existeret, propositio non esset falsa. Et hæc alia propositio est semper vera: homo est animal, siue existat à parte rei homo, siue non existat; vnde non videtur requiri ad resultantiam relationis conformitatis existentia actualis termini, quemadmodum supponitur requiri ad resultantiam relationis similitudinis ac dissimilitudinis.

*Deinde* est etiam alia differentia, quod propositio posset esse vera & falsa sine vlla alia prorsus occasione præter existentiam & non existentiam obiecti; nam hæc propositio: Petrus sedet, est vera, si Petrus sedeat; & est falsa, si Petrus non sedeat: sed idem subiectum non potest esse simile & dissimile ab existentia & non existentia termini; album enim licet sit simile alteri albo si existat, non tamen est dissimile illi, si non existat, licet tum non sit ipsi simile.

Et sane fortassis hæ duæ differentiæ sufficere possunt, vt quamuis dissimilitudo ac similitudo sint relationes emanantes ad positionem realem fundamenti ac termini; conformitas tamen ac difformitas non sint tales relationes, sed vel denominationes extrinsecæ prouenientes ab eo, quod obiectum se habeat vel non habeat eo modo, quo propositio affirmat vel negat; vel denominationes intrinsecæ prouenientes ex ipsamet natura propositionum, supposito tamen, tanquam conditione sine qua non, quod obiectum ita se habeat vel non habeat. De quo tamen nihil determinare volo.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum enunciatio sit vna simplex qualitas.*

Sensus difficultatis.

31. NOn est dubium quin prius apprehendamus extrema, quorum vnum prædicamus de altero, quam feramus iudicium de vnione ipsorum: siue apprehendamus ipsa per plures apprehensiones, vt magis communiter solemus facere, siue per vnicam, qua apprehenderemus illa per modum vnius, quod probabilissimum est posse fieri, siue fiat ordinarie, siue non fiat. Sed controuersia est, vtrum quando dicimus in mente: homo est albus, iudicatiue, præter simplices apprehensiones hominis & albedinis vnionisque ipsorum, siue plures sint, siue vna, inueniantur plures alij actus, ex quibus ipsum iudicium formaliter componatur, & integretur, an vero solum requiratur, & sufficiat vnus alius actus, præter istas apprehensiones; si enim requirantur plures actus, tum enunciatio non erit vna simplex qualitas, sed vna qualitas composita; si autem sufficiat vnus, enunciatio erit qualitas simplex.

### CONCLVSIO.

Enunciatio est vna simplex qualitas.

*Enunciatio est vna simplex qualitas.* Est communis. *Probari solet*, quia si requirerentur plures actus, vnus haberet pro obiecto subiectum, alter prædicatum, & alter copulam; sed hoc supposito non posset iudicium facile distingui à simplici apprehensione composita respiciente eadem obiecta: ergo non debet dici iudicium componi ex pluribus actibus.

*Hæc probatio non placet*, quia eadem ratione apprehensio vna simplex istorum trium obiectorum non posset distingui à iudicio: & certe omnino non videtur posse apprehendi vnio, seu identitas prædicati, & subiecti, quin eadem apprehensione apprehendatur subiectum, & prædicatum; & hoc non obstante iudicium, quod fertur de illa vnione seu identitate, est distinctæ rationis ab apprehensione eiusdem.

32. *Probatur ergo melius*, quia sine necessitate multiplicarentur actus, cum vnus sufficeret; nec vllum est indicium siue rationis, siue experientiæ, quo colligatur dari in iudicio plures actus: ergo frustra; & sine necessitate multiplicarentur.

*Obiicies primò:* Vnio subiecti, & prædicati non potest concipi, nisi per modum relationis: ergo non potest intelligi, quin intelligantur extrema: ergo qui iudicat dari talem vnionem inter prædicatum & subiectum, debet habere actum, qui tendat in vnionem, & in extrema: sed vnus actus ad hoc non sufficit: ergo debet habere plures.

*Respondeo* negando subsumptū, vnicus enim actus sufficit ad tendendum in vnionem directe, & primario, & in extrema ipsius indirecte, & secundariò, quidquid sit vtrum sufficeret ad tendendum in omnia illa simul æque primariò, & directe.

33. *Obiicies secundò.* Enunciatio vocalis componitur ex variis partibus: ergo & mentalis, quæ correspondet ipsi.

*Respondeo* negando consequentiam: & certe si obiecto hæc valeret, probaret quod conceptus seu cognitio ipsius subiecti solius esset composita; quia terminus vocalis correspondens ipsi est compositus.

*Obiicies tertiò*: Extrema enunciationis possunt esse opposita, vt in hac enunciatione: homo est lapis, vel homo non est lapis: ergo non potest vnicus actus simplex tendere in illa.

*Respondeo* distinguendo consequens; directe, transeat, indirecte nego. Itaque iudicium directe versatur circa vnionem, eam negando, vel affirmando, indirecte verò in extrema.

*Obiicies quartò*: In hoc distinguitur prima operatio intellectus, quæ est apprehensio, à secunda, quæ est iudicium, quod prima non componatur ex pluribus actibus, secunda vero componatur: ergo.

*Respondeo* negando antecedens: sed in hoc potius distinguūtur, quod prima operatio vt sic, non necessariò præsupponat aliam operationem intellectus, secunda verò necessariò præsupponat primam, & etiam quod per primam tantum apprehendamus sine indicio, per secundam iudicemus, quod apprehendimus, esse ita, vel non. Hic agi solet de diuisionibus propositionum, sed quod necessarium est diximus in Summulis.

## QVÆSTIO V.

*Vtrum ex propositionibus contradictoriis de futuro contingenti, altera sit determinate vera, altera falsa.*

34. PRopositio de futuro contingenti est propositio, qua affirmatur vel negatur aliquid futurum, quod posset esse, vel non esse, vel cuius causa libere ipsum producit, vel non producit; vt *Petrus sedebit cras, Petrus non sedebit cras.* Difficultas igitur est, vtrum ex duabus huiusmodi propositionibus contradictoriis, vna aliqua determinata sit vera, ita vt aliquis posset vere dicere: hæc determinata propositio est vera, & altera propositio ipsi opposita contradictoria est falsa.

Ad euitandam autem æquiuocationem, quæ posset hic accidere, *Aduertendum est* aliquid determinate esse futurū, posse multis modis intelligi; *primò* intelligi potest quod sit ita futurum, vt habeat aliquam causam determinatam & necessitatā ad sui productionem ita, vt talis causa non possit oppositum producere pro illo instanti vel tempore, quo dicitur futurum: & sic potest dici, quod calor adsigne est determinate futurus, pro quocumque instāti vel tempore applicabitur sufficienter ad passum aliquod capax caloris. Non agitur autem in præsenti de propositionibus, quæ asserunt aliquid determinate esse futurum in hoc sensu. *Secundò* potest intelligi per aliquid determinate esse futurum, quod ita sit futurum infallibiliter ab aliqua causa, vt non fiet oppositum eius, quamuis causa non sit determinata, aut necessitata ad ipsum ponendum, vel non ponendum: & de propositionibus, quæ asserunt aliquid futurum in hoc sensu agitur in præsentiarum.

Multipliciter aliquid dicitur poteſt esse determinate futurum.

### CONCLVSIO.

*Ex propositionibus de futuro contingenti aliqua est determinate vera, alia falsa.* Ita tenēt *Doctor in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. *D. Bonauentura in* 1. *d.* 38. *art.* 3 *q.* 1. quos communiter sequuntur omnes fere contra quosdam antiquos & *Fonsecam lib.* 4. *Metaphys.*

Ex propositionibus contradictoriis de futuro contingenti aliqua est determinate vera, aliqua falsa.

*Probatur*, quia aliquid esse determinate futurum, est esse ita absolute, vt possit vere dici de eo absolute & simpliciter, hoc est futurum: sed ex propositionibus contradictoriis de futuro contingēti de alterutra potest dici vere absolute & simpliciter, est futura, verbi gratia ex his duabus: *Petrus est futurus: Petrus non est futurus*: potest vere dici absolute, quod Petrus est futurus, aut potest vere dici simpliciter, quod non sit futurus; alias propositiones contradictoriæ essent simul falsæ; si enim neutra ex illis est simpliciter vera, vtraque est simpliciter falsa.

*Probatur secundò*, quia de fide est quod Deus cognoscat omne illud, quod futurum est, à quacūque causa futurum est, & quod ipse possit dicere & reuelare hominibus, sicut reuelauit sæpissime vt patet ex Scriptura mille locis, quod aliquid determinatum esset futurum à causa libera: ergo, propositio, quæ assereret illud determinatum esse futurum, esset vera, & opposita contradictorie esset falsa. Patet consequentia, quia propositio est vera, quæ est conformis suo obiecto, illa autem propositio esset conformis suo subiecto: ergo esset vera.

*Confirmatur*, quia de Fide est Antichristum esse futurum infallibiliter: ergo propositio asserens Antichristum esse futurum est vera determinate: sed illa est propositio de futuro contingenti: ergo &c.

36. *Obiicies Philosophum*, qui ait propositiones de futuro contingenti, neque esse determinate veras, neque determinate falsas.

*Respondeo* cū nihil aliud velle, nisi quod neutra ex illis sit determinate vera aut falsa, ita vt determinatio illa proueniat ex eo, quod causa sit determinata ad dandum illis illam veritatem aut falsitatem, sicut contingit in propositionibus futuris non contingentibus; vel certe quod non

sint

sint determinate veræ vel falsæ quoad nos, quandoquidem non possumus scire, quænam ex illis esset determinate vera vel falsa; ratione enim huius nostræ ignorantiæ de illis, respectu nostri possunt dici non esse determinate veræ, nec determinatè falsæ: quod si aliud intenderit, non est eius authoritati credendum in hac re.

*Obiicies secundò*: si hæc propositio est determinate vera, Petrus peccabit: ergo Petrus necessario peccabit. *Respondeo* negando consequentiam, quia vt illa propositio sit determinate vera, sufficit quod peccabit, siue necessario peccet siue libere.

*Dices*, vt illa propositio sit vera determinate, oppositum non potest fieri, & consequenter causa debet esse determinata ad obiectum eius ponendum.

*Respondeo* distinguendo antecedens: in sensu composito futuritionis, concedo antecedens; absolute & simpliciter nego antecedens & consequentiam.

37. *Obiicies tertiò*: si propositio illa sit determinate vera, debet eius obiectum esse determinate futurum: sed hoc est falsum: ergo. Probatur minor primò, quia non potest assignari, à quo haberet esse futurum determinate. Secundò, quia si Deus videret illud obiectum futurum, eius oppositum non posset fieri, aliàs enim scientia Dei posset falli; quandoquidem si oppositum istius fieret, scientia Dei fallleretur: ergo si posset fieri, scientia Dei posset falli.

*Respondeo* negando minorem, ad cuius primam probationem *Respondeo* modo breuiter (nam exacta resolutio pertinet ad Theologiam & ibi tractatur) illud, à quo res habet esse futurum, esse vel causam primam se sola, vel causam primam simul cum causa secunda. Nec refert quod causa secunda non existat actu pro omni tempore, pro quo verum est dicere, quod illud sit futurum, sed sufficit, quod tum existet quando ponetur illa res in esse actualis existentiæ.

*Ad secundam probationem Respondeo* distinguendo sequelam antecedentis: eius oppositum non posset fieri simpliciter; nego antecedens: secundum quid & ex hypothesi futuritionis suæ ac scientiæ Dei de illa futuritione, concedo antecedens. Ad probationem antecedentis dico, quod ex eo quod oppositum eius posset fieri simpliciter, nec falleretur, nec posset falli scientia Dei, sed falleretur si oppositum eius fieret; & posset falli, si posset oppositum eius fieri ex suppositione futuritionis. Cuius ratio est, quod non possit falli scientia Dei, nisi obiectum aliter sit, aut possit esse quam per scientiam videtur: ita autem obiectum futurum videtur futurum per scientiam Dei, vt videat ipsum posse non esse futurum simpliciter, non verò posse non esse futurum ex hypothesi futuritionis, vnde cum nihil sequatur ex determinata veritate propositionis de futuro contingenti, quam quod obiectum sit ita futurum, vt non possit non esse futurum ex suppositione futuritionis, licet absolute possit non esse futurum, sequitur, nihil sequi contra infallibilitatem scientiæ Dei ex doctrina tradita, aut conclusione.

*Obiicies quartò*: ex suppositione quod Deus videat Petrum sessurum pro instanti *A*. absurdum esset quod non sederet pro illo instanti: ergo non est possibile vt non sedeat & consequenter tolleretur libertas pro illo instanti. Probatur consequentia prima, quia ex possibili posito in esse, non sequitur aliquid absurdi.

*Respondeo* negando consequentiam, & distinguo eius probationem: ex possibili posito in esse nõ sequitur absurdum, absolute & simpliciter, concedo; ex hypothesi & secundum quid, nego: hoc est, si non fieret aliqua hypothesis alicuius incompatibilis cum possibili posito in esse, ex possibili posito in esse non sequeretur aliquid absurdi, concedo: si fieret aliqua talis hypothesis, nego.

*Dices*: ergo saltem ex hypothesi quod Deus videat Petrum sessurum pro instanti *A*. non potest non sedere, quamuis simpliciter.

*Respondeo* concedendo sequelam, nec hoc est vllo modo inconueniens, vt melius videbitur ex dicendis *l. 2. Physicorum*, & in Theologia.

# DISPVTATIO XX,

## QVÆ EST VNICA,

## IN DVOS LIBROS PRIORVM.

QVATVOR libros composuit Philosophus, in quibus agit de analysi seu resolutione syllogismi vt sic, & demonstrationis in sua principia, ostendendo quænam principia requirantur ad ipsa, nihil enim aliud est resolutio syllogismi in sua principia, quam assignatio seu ostensio principiorum eius.

Primos duos vocauit de *Priori Analysi* seu resolutione, qui agunt de resolutione syllogismi, vt sic, qui est prior Demonstratione, sicut animal est prius homine. Alios duos vocauit *de Posteriori Analysi* seu resolutione, quia agunt de resolutione demonstrationis, quæ est posterior natura, quam syllogismus vt sic. Quia vero in summulis maximam & præcipuam horum librorum partem explicuimus, hic pauca tractanda restant.

## QVÆSTIO I.

*Vtrum eodem actu, quo intellectus assentitur conclusioni, assentiatur etiam præmissis.*

2. CErtum est quem posse assentiri cuilibet ex præmissis seorsim sine eo, quod assentiatur conclusioni; sed & certum etiam videtur posse quem assentiri præmissis coordinatis inter se syllogistice, quin assentiatur conclusioni, verbi gratia, quando aut non proponeretur expresse ipsa conclusio, aut si proponeretur non constaret de bonitate illationis; vnde sequitur nõ eodem actu semper, quo quis assentitur præmissis, ipsum assentiri conclusioni. Sed quia, quando quis assentitur conclusioni ob præmissas actualiter propositas, dum assentitur conclusioni, assentitur etiam præmissis, difficultas est, an eodem actu quo assentitur conclusioni, assentiatur etiam præmissis.

*Prima sententia* est eodem actu quo assentitur quis conclusioni, eum assentiri etiam præmissis ita, vt iudicet præmissas esse veras eodem actu, quo iudicat conclusionem esse veram. Hæc tribuitur *Occamo quæst. 3. Prologi, Gabrieli quæst. 8* & *Durando 2. dist. 38. quæst. 13.*

*Secunda sententia* negat, eodem actu quem assentiri conclusioni, & præmissis. Ita *Ariminensis quæst. 3. Prol. art. 1. conclusione 2. Auersa quæst. 24. sect. 2. & alij.*

*Tertia sententia* docet, eodem actu, quo quis assentitur cõclusioni, eum assentiri etiam præmissis, sed non eodem tamen modo; nam per illum actum assentitur conclusioni *vt quod*, præmissis vero *vt quo*: & in hoc distinguitur hæc sententia à prima sententia, quæ videtur asserere, quod eodem actu quis assentiatur & conclusioni *vt quod*, & præmissis etiam *vt quod*. Hanc tenet *D. Thomas 1. 2. quæst. 8. art. 3. Vallius hic disp. 2. q. 5. Fonseca 5. Met. 1. quæst. 4. Amicus hic disp. 2. quæst. 5.* qui plures alios citat.

## CONCLVSIO

3. *Assensu conclusionis non assentimur actu præmissis, nec vt quo, nec vt quod, proprie loquendo.* Hæc est secundæ sententiæ contra primam & tertiam.

Assensu conclusionis non assentimur præmissis proprie loquendo, nec vt quod, nec vt quo.

*Probatur primò* experientia, quia non aduertimus nos assentiri præmissis per illum ipsum actum conclusionis. *Probatur secundò*, quia dum assentimur conclusioni propter præmissas, habemus alium actũ quo assentimur præmissis: ergo non est necesarium vt assentiamur præmissis per assensum conclusionis. *Probatur tertiò*, quia non videtur eodem actu posse nos affirmare & negare, opinari probabiliter, & cognoscere certo: sed id deberet fieri, si eodem actu assentiremur conclusioni & præmissis, quia vna ex præmissis potest esse affirmatiua, & altera negatiua

& altera negatiua, vna probabilis, altera certa, vt est euidens: ergo non assentimur vno actu conclusioni, & præmissis.

*Dices* ex his haberi quod vno actu nequeat quis assentiri conclusioni & præmissis *vt quod* contra primam sententiam, non tamen haberi quin eodem actu possit quis assentiri conclusioni *vt quod*, & præmissis *vt quo*, vt tenet tertia sententia.

*Contra*, quia vel iudicamus præmissas veras esse per assensum conclusionis, vel non iudicamus; si non iudicamus ergo nec *vt quod* nec *vt quo* assentimur illis; si iudicamus, ergo assentimur illis *vt quod*; nihil enim aliud est assentiri alicui *vt quod*, quam iudicare illud esse verum vel falsum.

*Confirmatur hoc*, quærendo quid est assentiri præmissis *vt quo*? si dicas esse assentiri ipsis tamquam rationibus formalibus determinandi, seu mouendi intellectum ad assentiendum conclusioni,

*Contra* quando iudico omnem hominem esse risibilem ex eo quod iudico omnem hominem esse rationalem, & omne rationale esse risibile, certũ est quod non iudiciemus illas præmissas esse rationes formales determinandi nos ad assentiendum cõclusioni; imo ad hoc vt id iudicemus, debemus vti aliis pluribus discursibus: quamuis enim illæ præmissæ iudicatæ, veræ determinent & moueant aliquo modo intellectum ad assensum conclusionis, tamen per illum assensum conclusionis non iudicamus hoc.

5 *Si dicas* assentiri præmissis *vt quo*, non esse aliud quam assensum conclusionis dicere dependẽtiam ab illis tanquam ab illis, quæ determinant intellectum ad assensum conclusionis; quamuis id concederetur, non est contra conclusionem, quia sic respicere præmissas non est proprie loquendo illis assentiri vlla ratione.

*Confirmatur*, quia non magis deberet dici intellectus assentiri præmissis *vt quo*, dum assentitur conclusioni, quam credere *vt quo* reuelationi euidẽti, ob quam credit aliquod mysterium abscurum: sed absurdum videtur dicere quod intellectus credendo mysterium obscurum, credat vlla ratione reuelationi, quæ euidenter proponitur: ergo non est dicendum quod intellectus assentiendo conclusioni ob præmissas, assentiatur vllo modo eodem actu præmissis.

*Confirmatur secundò*, quia non magis debet eodem actu intellectus assentiri conclusioni, & præmissis, quam volũtas tendere in medium & finem: sed non debet voluntas eodem actu tendere in medium & finem, aut volendo vtrumque, aut nolendo vtrumque, aut volendo vnum, & nolendo alterum: ergo non debet intellectus assentiri eodem actu conclusioni, quo assentitur præmissis. Probatur minor, quia quando quis vult conseruare vitam, tanquam finem, & in ordine ad hoc non vult interficere se, aut mãducare cibum venenosum aut insalubrem, per illum actum nolendi, nec vult conseruare vitam, alias idem actus esset volitio & nolitio, quod videtur absurdum; nec etiam non vult conseruare vitam, vt patet, ergo, &c.

6. *Et per hoc patet responsio* ad obiectionem vnam, quæ opponi solet conclusioni: non potest quis habere actum circa medium, vt medium, quin eodem actu feratur circa finem, vt finem; nec potest quis credere ob reuelationem, quin eodem actu feratur in reuelationem: ergo nec potest quis tendere in conclusionem, vt talis est, quin tendat in præmissas.

*Respondeo* ex dictis posse quem tendere in medium, qua tale, sine eo quod eodem actu velit finem, & posse quem credere ob reuelationem, quin credat ipsi reuelationi, aut iudicet eam esse eodem actu. Vnde negatur antecedens in sensu, in quo possit aliquid facere cõtra conclusionem: & dico in tali sensu, quia dupliciter potest electio, hoc est actus quo volumus mediũ, & fides qua credimus ob reuelationem, tendere in finem & reuelationem; *vno modo*, quatenus dicerent ordinem aliquem ad illa, à quo tamen ordine nõ haberetur quod volitio medij esset volitio finis, vt actus credendi esset assensus reuelationi; & hanc tendam possumus admittere in electione ad finem, & fide ad [illegible]elationem, & etiam consequenter in assensu conclusionis ad præmissas: & fortassis doctiores nihil aliud intelligunt aut volunt quam hoc, dum dicunt electionem versari circa finem, & fidem circa reuelationem, & assensu conclusionis intellectum assentiri *vt quo* præmissis: & sic intellecti non essent in re contra nos, sed solum in modo loquendi, in quo tamen ipsi peiorem videntur habere partem, quia reuera non est idem respicere præmissas quomodocumque, & assentiri ipsis: alias quandoquidem assensus respicit intellectum; deberet quis dici per assensum omnem productum ab intellectu, & respicientem ipsum, assentiri intellectui.

Dupliciter potest electio tendere in finem & fides in reuelationem.

7. *Alio modo* potest electio respicere finem, quatenus esset volitio aut nolitio ipsius, & fides reuelationem, quatenus crederetur reuelatio per ipsam, aut vellet quis finem actu eodem, quo vult media. Et in hoc sensu antecedens facit ad propositum, & à nobis negatur. Iuxta hanc autem doctrinam potest claritatis gratia distingui antecedens: non potest quis habere electionem aut fidem, quin eodem actu feratur in finem & reuelationem, quatenus actus electionis, & fidei dicit aliquam dependentiam ad reuelationem & finem, concedo, quatenus volitio illa, quæ est electio, sit volitio formalis finis, aut actu fidei, quo creditur reuelatum, credatur etiam reuelatio, nego antecedens. Et similiter distinguo consequens: quatenus assensus conclusionis necessario dicat aliquem ordinem ad præmissas, concedo consequentiam; quatenus diceret talem ordinem, vt per eum intellectus assentiatur præmissis, nego consequentiam.

8. *Obiicies secundò*: Possunt dari actus distinctæ speciei circa eandem conclusionem materialiter sumptam: sed hoc non ex alio capite, quam quod illa conclusio deduci possit ex præmissis, & quod illi assensus dicant ordinem ad diuersas illas præmissas: ergo assensus conclusionis versatur circa præmissas.

*Respondeo* distinguendo consequens: versatur circa præmissas, quatenus dicit aliquem ordinem ad illas, concedo consequentiam: quatenus dicit talem ordinem vt debeat dici assensus talis, quo intellectus assentitur, nego consequentiam. Si autem quæras, qualem ordinem dicat ad præmissas, respondebitur quæstione sequenti.

*Obiicies tertio*: Præmissæ sunt, quæ formaliter determinant intellectum ad assensum conclusionis; ergo assentitur intellectus præmissis per assensum conclusionis.

*Respondeo* negando consequentiam: sicut enim illo actu quo intelligimus entia rationis, non intelligimus entia realia, per quæ tamen determinamur, & mouemur ad illam intellectionem, cum entia rationis non possint mouere intellectum: ita in proposito dicendum est.

## QVÆSTIO II.

### *Quomodo dependet assensus conclusionis ab assensibus præmissarum.*

9. IAm diximus quæstione præcedenti assensum conclusionis dependere actu ab assensu præmissarum, & id vel ex hoc ipso certum est, quod non haberetur nisi haberetur assensus præmissarum: etsi enim aliquis apprehenderet tres propositiones obiectiuas, ex quibus constituitur syllogismus, esse optime dispositas in modo & figura, atque adeo cognosceret certo præmissas non posse esse veras, quin conclusio vera esset: tamen adhuc nisi iudicaret præmissas esse veras, non assentiretur illarum conclusioni, vt patet experientia; est ergo aliqua dependentia, & consequenter aliquis ordo in assensu conclusionis ad assensum præmissarum.

Tripliciter aliquid potest dependere ab alio.

Quia vero res aliqua dependere potest actualiter ab alia tripliciter: *primò* sic, vt quamuis dependeat hic & nunc, non tamen tam necessario, quin naturaliter etiam possit, vel illud ipsum, vel aliquid eiusdẽ rationis cum ipso esse absque dependentia ad illud, & sic calor dependet quandoque à sole, quandoque ab igne, quandoque ab aliis causis. *Alio modo* sic, vt nõ possit esse naturaliter absque illa dependentia, quamuis posset supernaturaliter; & sic intellectio supponitur communiter dependere à specie impressa. *Tertiò* sic, vt nec supernaturaliter posset esse absque

absque illo, & sic relatio dependet à fundamento, & secundum Thomistas actus omnis vitalis à potentia vitali.

Assensus conclusionis potest naturaliter esse absque assensu præmissarum.

10. *Hinc dubitari potest*, quonam ex his modis dependeat assensus conclusionis à præmissis. Qua in re existimo dicendum quod non dependeat à præmissis formalibus tertio modo: cum enim sint actus realiter distincti, non apparet ratio tam necessariæ connexionis inter illos, quin possit esse assensus conclusionis supernaturaliter absque assensibus præmissarum; Vnde difficultas est, vtrum dependeat necessario connaturaliter loquendo ab assensu præmissarum: & quidem quantum ad hoc non potest esse dubium, quin, quatenus dicitur assensus conclusionis formaliter loquendo, debeat dependere ab assensu præmissarum, quia per assensum conclusionis formaliter intelligimus assensum, qui habetur ex assensu præmissarum: ergo vt sic debet esse ex præmissis, & consequenter cum dependentia ad illas. Sed dubium est, an ille actus, qui sequitur hic & nunc ex præmissis, & propterea vocatur assensus conclusionis formaliter, possit quoad substantiam, & rationem suam specificam esse connaturaliter loquendo absque eo quod sit à præmissis, seu habeat dependentiam ab assensibus præmissarum: si potest, tum esse assensum conclusionis formaliter loquendo non erit ipsi intrinsecum, sed extrinsecum & accidentale; & non sequitur præcise ex eo quod vnus actus sit ex præmissis, & alius non sit, quod distinguantur specie: si non potest, tum esse assensum conclusionis formaliter est ipsi intrinsecũ, & ex eo quod vnus actus sit ex præmissis, & alius non sit, sequetur quod distinguentur specie.

11. *Rursus*, quia potest aliquis actus habere dependentiam intrinsecam ab assensibus præmissarum absque eo, quod habeat dependentiam tam intrinsecam ab assensibus huius speciei, quin actus talis in specie possit esse cum dependentia ab assensibus diuersæ speciei; potest vlterius dubitari, an assensus conclusionis formaliter dicat dependentiam intrinsecam ab assensibus talis speciei, ita, vt naturaliter similis assensus nequeat procedere ab assensibus diuersæ rationis.

*Denique*, quia dependentia assensus conclusionis ab assensu præmissarum vel debet esse dependẽtia ab illo, tanquam à conditione sine qua non, vel tanquam ab aliqua causa; & quia non potest dependere ab illo, aut tanquam à causa finali, quia sine dubio assensus conclusionis non ordinatur ad assensum præmissarum, tanquam ad finem, sed potius è contra; aut tanquam à causa materiali aut formali, cum certum sit nec assensum conclusionis subiectari in assensu præmissarum, quod necessarium esset, vt assensus præmissarum esset causa materialis eius, nec assensum præmissarum subiectari in assensu conclusionis, quod necessarium esset, vt assensus præmissarum esset causa formalis assensus conclusionis: Hinc tota difficultas reducitur, an dependeat ab ipsis tanquam à causa efficiente, aut tanquam à conditione sine qua non: & quidem hæc vltima difficultas est, quæ principaliter solet in hac quæstione examinari, & in ea sunt plures sententiæ.

12. *Prima sententia* docet, assensum conclusionis dependere à præmissis in genere causæ efficientis concurrentis per influxum physicum simul cum intellectu ad eius productionem. Hanc tenet *Mastrius disput. 11. quæst. 3.* qui eam putat esse *Doctoris quæst. 1. prol. ad secundum & alijs locis*. Eam etiam sequuntur *Thomistæ* communiter testibus *Complutensibus disput. 17. quæst. 3.* qui particularius rem explicantes dicunt præmissas concurrere ad assensum conclusionis, vel in quantum actus intellectus, quibus assentimur præmissis, producunt speciem aliquam intelligibilem, quæ simul cum intellectu producit efficienter illum assensum, vel in quantum illimet assensus immediate cum intellectu influunt in illum.

*Secunda sententia est Auersæ quæst. 25. sect. 3.* asserentis assensus præmissarum solum concurrere per modum conditionis sine qua non, eo modo quo secundum probabiliorem sententiam concurrit propositio bonitatis ad amorem: & eam etiam videtur tenere *Arriaga disput. 15. sect. 5.* qui dicit eos cõcurrere non physice, sed quatenus illuminant intellectum, ac dirigunt illum.

*Tertia sententia* est aliquorum in manuscriptis, quod assensus præmissarum concurrant per modum conditionis tantum, præmissæ vero obiectiuæ concurrant efficienter & physicè.

*Quarta sententia* est aliorum etiam in manuscriptis, quod tam formales præmissæ quam obiectiuę concurrant tantum per modum conditionis sine qua non.

## CONCLVSIO I.

Assensus conclusionis habet intrinsecam dependentiam connaturalem ab assensibus præmissarum.

13. *Assensus conclusionis habet connaturalem dependentiam ab assensibus præmissarum, ita vt naturaliter talis assensus in specie non possit esse absque præmissis formalibus.* Hæc videtur communiter supponi ab omnibus, quamuis *Arriaga disp. 15. num. 23.* dicat aliquos tenere oppositum.

*Probatur ab Arriaga*, quia nisi conclusio intrinsece dependeret ab assẽsibus præmissarum, multi essent syllogismi, in quibus non posset assignari quis actus de facto esset conclusio: sed hoc est absurdum, ergo. Probat maiorem, quia sunt aliqui syllogismi conflati ex tribus propositionibus quarum vna potest esse aliquando conclusio respectu aliarum duarum propositionum, & aliquando præmissa respectu vnius ex illis duabus: sed quando proponuntur huiusmodi syllogismi in intellectu, non potest dici quænam propositio ex illis sit conclusio, & quænam non, nisi assensus conclusionis intrinsece dependeat à præmissis: ergo.

*Contra hanc reprobationem primò* facit, quod æque militet contra ipsummet: nam si ex eo quod ex tribus propositionibus propositis intellectui vna possit indifferenter esse conclusio vel præmissa, sequitur non posse cognosci, quænam sit conclusio; etiam ex eo quod vna possit indifferenter producere alteram, vel ab altera produci, non poterit cognosci quænam producatur, aut quænam producat, & consequenter non poterit cognosci quænam sit conclusio: sed secundum *Arriagam* si vna sit indifferens, vt sit conclusio, & præmissa, erit indifferens vt producatur & producat: ergo secundum ipsum non poterit cognosci quænam sit conclusio.

*Confirmatur hoc*, quia aut illæ tres propositiones sunt indifferentes ex se ad hoc, vt habeatur actus conclusionis circa vnam ac alteram, aut non sunt, sed sunt determinatę, vt habeatur actus conclusionis circa vnam: si secundum dicatur, ruit tota probatio *Arriagæ*, quæ procedit ex illa indifferentia, si verò dicatur primum, ergo vt determinetur intellectus ad assentiendum vni per modũ conclusionis, debet aliquid aliud accedere: sed illud aliud potest sufficere ad determinandum intellectum tam bene in sententia aduersariorum, quam in sententia *Arriagæ* ergo.

16. *Contra secundo*, quia quamuis ex hoc discursu *Arriagæ* haberetur, quod conclusio deberet causari ab assensu præmissarum, non sequeretur præcise ex hoc, quod assensus qui est conclusionis, esset essentialiter assensus conclusionis, vt conclusio est; quia quamuis hic & nunc procederet ab illis præmissis, non sequeretur, quin posset produci assensus talis rationis essentialis absque illis: sicut calor, licet hic & nunc producatur ab igne, potest tamen produci calor eiusdem speciei ab alia causa absque concursu ignis.

*Probatur ergo aliter conclusio*, quia experientia potest vnusquisque in se animaduertere, quod non eodem modo feratur in propositionem obiectiuam, quando determinatur ad assentiendum ipsi ex præmissis, & quando aliunde determinatur absque assensu præmissarum: ergo signum est quod ille assensus, qui habetur virtute præmissarum formalium, sit distinctæ rationis ab illo, qui haberetur naturaliter absque concursu earum. Confirmatur hoc amplius per dicenda conclusione sequenti.

17. *Probari posset vlterius* ex doctrina *Arriagæ num. 27.* quia si conclusio non haberet ex se rationem aliquam particularem, ob quam exigeret à præmissis prouenire, non posset colligi quod depẽderet physice ab illis principiis, ergo saltem in sententia eorum, qui admittunt huiusmodi dependentiam physicam, debet admitti dependen-

in

intrinseca,& non accidentalis.Probatur antecedens, quia si non haberet ordinem intrinsecum,ratione cuius exigeret prouenire à præmissis, posset ab aliis causis prouenire: ergo non posset cognosci,quod proueniret à præmissis.

*Hæc probatio* nihil valet;nam sicut potest hic & nunc cognosci quod calor proueniat ab igne,licet possit prouenire aliunde, ita posset assensus conclusionis prouenire hic & nunc à præmissis,quamuis ex aliis etiam causis produci posset;vnde in forma nego antecedens cum consequentia suæ probationis.

*Et si quæras* vnde possit colligi quod proueniret à præmissis.*Respondeo*,ex eo quod non sit alia aliqua causa tum præsens,à qua proueniat, & quod debeat prouenire ab aliqua causa;qui est etiam discursus, quo mediante potest colligi,quod calor proueniat hic & nunc ab igne.

## CONCLVSIO II.

Assensus conclusionis dependet ab assensibus præmissarum in particulari.

18. *Assensus conclusionis non solum dependet à præmissis ita, vt non possit esse naturaliter absque aliquibus præmissis formalibus,sed etiam dependet intrinsece à talibus præmissis formalibus in particulari, ita vt non possit esse naturaliter ab aliis præmissis formalibus diuersæ speciei.*

Hæc etiam est communis, *& probatur*, quia aliàs assensus conclusionis, deductæ ex præmissis obiectiuis probabiliter cognitis, posset prouenire ex iisdem præmissis scientifice cognitis,& è contra assensus conclusionis, deductæ ex præmissis certo cognitis, posset prouenire ex præmissis probabiliter tantũ cognitis:sed hoc est absurdũ, quia sequeretur quod esset assensus certus & incertus;certus quidem,quia procederet ex præmissis certo cognitis; incertus autem, quia procederet ex præmissis cognitis cognitione tantum probabili:ergo.Probatur maior,quia nihil impedit nisi quod assensus præmissarum sint diuersæ speciei:ergo si non penderet per se connaturaliter assensus conclusionis ab assensibus determinatis talis speciei, maior esset vera.

19. *Confirmari posset hoc*, quia aliàs scientia à priori, & scientia à posteriori de eadem conclusione obiectiua essent eiusdem speciei,& scientia physica ac metaphysica, quia non apparet ratio distinctionis earum,nisi quod præmissæ formales sint diuersæ speciei. Sed hæc confirmatio se sola non sufficeret,quia facile posset negari sequela cum sua probatione.

*Ratio* autem,vnde colligeretur distinctio istarum scientiarum,esset quia dicerent ordinem per se ad diuersas præmissas obiectiuas; vnde quamuis ex hoc etiam sequatur quod dicant ordinem ad diuersas præmissas formales;tamen posset dici quoḍ hoc esset per accidens in ordine ad distinctionem istarum scientiarum, quæ distinguerentur eodem modo,quamuis per impossibile istæ præmissæ formales non essent diuersæ speciei.

*Melius confirmari potest conclusio* experientia,qua constat nobis non eodem modo nos ferri in conclusionem obiectiuam,quando deducimur in eius cognitionem per præmissas formales huius,& illius speciei.

## CONCLVSIO III.

Vnde colligatur intrinseca dependentia conclusionis à præmissis formalibus.

20.*Licet non possit cognosci ista dependentia intrinseca, quæ est in actu conclusionis ad præmissas formales per hoc præcise, quod causarent physice & effectiue conclusionem;potest tamen cognosci per hoc, quod & causent illam effectiue, & non possit causari connaturaliter loquendo absque præmissis, neque ab aliis præmissis, quam huius rationis.* Hæc etiam debet esse in se communis.

*Probatur prima pars*,quia aliquid potest causare physice aliud,quod non habet huiusmodi dependentiam intrinsecam ab illo, vt patet de igne respectu caloris : ergo non potest ex causatione physica præcise colligi quod sit talis dependentia.

*Probatur secunda pars*, quia eo ipso quo aliquid non potest produci ab alio quàm ab homine, v. g. sequitur quod dicat dependentiam particularem actualem ad hominem,quoties datur,sine qua esse non posset connaturaliter;& hinc quoties videmus aliquos effectus ex natura sua intrinseca determinare sibi causas distinctæ speciei, colligimus illos esse diuersæ speciei.

## CONCLVSIO IV.

Præmissæ formales concurrunt effectiue ad assensum conclusionis immediate sine specie.

21.*Præmissæ formales concurrunt efficienter ad productionem conclusionis,& non mediante aliqua specie, sed immediate.* Hæc est iuxta primam sententiam ex præmissis contra secundam.

*Probatur secunda pars*,quia superflue requireretur species vlla producta per illas præmissas formales ad productionem conclusionis:qua enim ratione possent concurrere ad productionem istius speciei immediate, possent etiam ad productionem conclusionis.

*Probatur ergo prima pars*, in qua sola est principalis difficultas,quia ipsæmet præmissæ obiectiuæ, & conclusio obiectiua cum speciebus quibuscumque ab iis productis,& apprehensione,ac etiam iudicio necessariæ connexionis, quam habet veritas conclusionis cum præmissis, non sufficiunt ad determinandum intellectum ad cognitionem conclusionis:ergo aliquid aliud requiritur ad concurrendum physice cum intellectu;sed nihil præter assensus præmissarum,quibus positis necessariò sequitur ille assensus conclusionis:ergo assensus præmissarum concurrunt physice cum intellectu.Probatur antecedens,quia experientia constat quod,positis iis omnibus absque assensibus præmissarum, non sequitur assensus conclusionis.

*Responderi posset* negando consequentiam, quia licet sequatur, quod aliquid aliud requiratur, non tamen vt concurrat physice; quia posset requiri tanquam conditio sine qua non,sicut requiritur cognitio ad amorem.

*Sed contra primo*,quia ad diuersitatem specificam assensuum præmissarum sequitur diuersitas specifica in assensibus conclusionum, etiamsi conclusiones obiectiuæ, & præmissæ obiectiuæ sint eiusdem speciei:ergo assensus illi non sunt cõditiones sine quibus non respectu conclusionum formalium. Probatur consequentia, quia ad varietatem specificam conditionis sine qua non præcisè,non sequitur diuersitas specifica in effectu sequente,vt patet à priori, quia non potest bene concipi quomodo id fieri possit;& à posteriori,tum quia de facto ex maiori,vel minori applicatione calidi ad passum non sequitur effectus productos ex illo esse diuersæ speciei;tũ, & magis directe ad propositum,quia actus misericordiæ sequens ad iudiciũ probabile huius speciei de bonitate misericordiæ,non distinguitur specie ab actu sequente ad aliud iudiciũ probabile, aut certum, etiam distinctæ speciei, si cætera sint eiusdem rationis,vt õmnes tenent:ergo varietas conditionis sine qua non,& præsertim si sit talis conditio, qualis est iudicium intellectus,non variat sequentes effectus.

23. Nec refert, quod amor proueniens à charitate in via sit distinctæ rationis ab amore proueniente ab ipsa in patria,quamuis charitas habitualis,& voluntas sint eiusdem rationis vtrobique;quandoquidem hæc varietas non oritur ex varietate propositionis obiecti vtrobique, aliàs amor,quo amaret quis Deum cognitum per fidem naturalem,esset distinctæ speciei ab amore quo amaretur, vt cognitus per scientiam aut opinionem naturalem,contra omnes:sed oritur ex eo quod cum illa varietate propositionis formalis sit etiam varietas ex parte obiecti: nam Deus in se secũdum rationem particularem distincte proponitur in patria,& non proponitur sic in via, sed secundum conceptum abstractiuum & confusum;vnde ex parte obiecti est diuersitas sufficiens, ratione cuius possent causari amores isti diuersi:sed quandò per diuersas cognitiones idem ipsum obiectum secundum eandem rationem cognoscitur,vt contingit in casu nostro, & præsertim per cognitiones eiusdem ordinis,profecto ex varietate cognitionis non deberet argui varietas in effectu, si solum se haberent per modum conditionis sine qua non.

24. *Probari posset* hæc pars aliter, quia præmissæ formales substituuntur loco speciei impressæ determinantis intellectum ad assentiendum conclusioni : sed illa species determinat intellectum efficienter:ergo & præmissæ formales supplentes locum eius. Propter hoc argumentum

concedit

concedit *Arriaga num.* 61. dum intellectus assentitur præmissis, interuenire speciem aliquam conclusionis, quæ effectiue ad eam concurrit, & deinde contra hoc obiicit nouam, vt ipse ait,& grauem difficultatem,quia posset fieri, quod non haberet quis speciem conclusionis, vt si numquam ante cognosceretur veritas conclusionis:in tali casu præmissæ concurrerẽt efficienter,quia nihil aliud esset, quod suppleret defectũ istius speciei.

*Et si dicatur*,quod si tum præmissæ producerent speciem conclusionis,quæ concurrere posset effectiue, æque posset dici, quod sicut concurrerent ad speciem conclusionis, concurrerent ad ipsammet cõclusionem.

*Ad hoc respondet Arriaga*, quod in tali casu species ipsarum præmissarum formaliũ concurrunt, non verò ipsæmet præmissæ,quia actibus intellectus non tribuitur ista virtus, vt vna alteram possit producere.

25. *Sed certe nec hæc probatio,nec doctrina Arriagæ* vllo modo placent;non quidem probatio, quia falsa est absolute maior; non etiam doctrina Arriagæ *primò*, quia si intelligit vllã speciẽ conclusionis interuenire præter species, quæ deseruiunt ad simplicem apprehensionem conclusionis obiectiuæ,omnino falsum est, quia gratis & superflue assereretur talis species,nec potest assignari à qua causa produceretur,nam quæcumque causa ipsam produceret,posset æque bene producere ipsammet conclusionem formalem.Si autem intelligat interuenire debere illam speciem quæ requiritur ad simplicem apprehensionem conclusionis,male suppo nit casum vllum, in quo illa non sit; impossibile enim est absque illa haberi iudicium de conclusione,saltem naturaliter.

*Secundò*, quia male asserit,quando primo producitur assensus conclusionis, ad eam concurrere species præmissarum formalium; nam multo melius adscriberetur illa productio ipsismet præmissis formalibus, si non sufficeret concursus ipsorum per modum conditionis sine qua non, quod si diceretur sufficere huiusmodi concursus in præmissis formalibus, ipsæmet præmissæ obiectiuæ & conclusio obiectiua possent sufficere cum intellectu, tanquam causa effectiua adæquata ad producendum efficienter assensum conclusionis, supposita illa conditione sine qua non,& gratissime requireretur concursus vllius alterius speciei.

*Confirmatur conclusio*, quia maiorem videtur habere causalitatem assensus præmissarum circa conclusionẽ, quàm prima apprehensio circa iudicium, vt fatetur ipsemet *Auersa*, & patet ex eo quod assensus hic inferatur illatiue, & quasi per impulsum quendam ex assensu præmissarum, quod non est verum de iudicio respectu apprehensionis : sed apprehensio habet rationem conditionis sine qua non respectu iudicij;ergo assensus præmissarum habet plusquam rationem talis conditionis,& consequẽter habet concursum effectiuũ.

Magis dependet assensus cõclusionis à præmissis, quam iudicium ab apprehensione.

26. *Obiicies primò*. Propositio intellectus tam necessario requiritur ad actum voluntatis,& simplex apprehensio ad iudicium, quàm assẽsus præmissarum requiritur ad assensum conclusionis,& tamẽ illa propositio non habet aliam causalitatem, quam conditionis sine qua non respectu actus voluntatis,sicut nec apprehensio respectu iudicij : ergo idem dicendum de assensus præmissarum respectu assensus conclusionis.

*Confirmatur*, quia vnus actus intellectus non debet habere virtutem productiuam alterius.

*Respondeo* negando consequentiam, quia exigentia actus intellectus ad actum voluntatis est solummodo per modum applicationis obiecti ad voluntatem, & consequenter sufficit vt dicatur conditio sine qua non; & idem est de apprehensione respectu iudicij, nec est vlla ratio particularis, ob quam dicatur cõcurrere efficienter; non est autem ita de assensibus præmissarum respectu conclusionis,vt patet ex dictis.

*Ad confirmationem* obiectionis nego antecedens, tam facile quàm asseritur.

27. *Obiicies secundò* : Potest haberi assẽsus conclusionis,quãdo actu non sunt propositæ præmissæ,& quando consequenter non habetur actu assẽsus præmissarũ, vt quando quis recordatur se probauisse aliquam conclusionem bono discursu,& obliuiscitur discursus : ergo assensus formalis præmissarum non concurrit effectiue ad assensum conclusionis. Probatur consequentia, quia illa causa, quæ sufficit ad assensum conclusionis,quando præmissæ non proponuntur, sufficit etiam quando proponuntur, & consequenter superfluit concursus præmissarum.

Hæc obiectio æque militat contra aduersarios ac cõtra nos. *Respondetur* autem primò negando consequentiam,quia illa causa,quæ sufficit ad assensum conclusionis, tum non habetur quando adsunt præmissæ actu propositæ:illa enim causa, quæ sufficit tum cum intellectu non est ipsa conclusio apprehensa, nec conclusio apprehẽsa simul cum præmissis, sed vlterius requiritur memoria discursus præteriti in confuso;memoria autẽ illa non habetur,quando actu proponitur ipsemet discursus,vt patet. Quod si etiam tum haberetur illa causa nõ deberet concurrere, quia solũ habet concurrere, quando absunt illæ præmissæ,quatum defectũ supplet, vnde non debet concurrere,quando actu habentur.

Non habetur talis assensus sine præmissis qualis habetur cum illis.

28. *Respondeo secundò* negando haberi assensum conclusionis in absentia præmissarum eiusdem rationis cũ illo,qui habetur iisdem propositis,quidquid dicãt alij. Moueor ad hoc negandũ, quia vnus assensus dependet actualiter à memoria alicuius discursus in confuso, & est assensus in se etiam minus clarus quam alter assensus, & minus certus; alter autem assensus dependet ab actuali discursu determinato, & est magis clarus & certus;vnde facilius posset quis dubitare de veritate assensus habiti per memoriam,quam assensus habiti per actualem discursum;id quod de assensu demonstratiuo videtur euidens,de quo non potest quis dubitare quando præmissæ actu proponuntur:sed quãdo quis assentiretur eidem conclusioni propter memoriam tantum confusam, qua recordaretur se habuisse aliquando discursum demonstratiuum, posset dubitare de veritate eius, dubitando scilicet de infallibilitate memoriæ.

29. *Confirmatur hoc*,quia quando quis assentitur conclusioni propter discursus distinctæ rationis, & diuersa media,habet assensus distinctæ rationis,& ipsemet per reflexionem potest aduertere illam diuersitatem ; sed quando postea assentiretur eidem conclusioni ob memoriam alicuius discursus ante habiti, & confuse cogniti, non posset aduertere, an actus, quem haberet, conueniret potius cum vno quam cum altero ex assensibus illis pluribus habitis antea ; nec etiam esset vlla ratio,cur assẽsum vnum haberet prius,quam alterum : ergo potius dicendum est, quod neutrum haberet, sed alium actum distinctæ rationis.

*Et si quæras*, quid determinat effectiue intellectũ ad assensum conclusionis, quando præmissæ actu non proponuntur. *Respondeo* speciem impressam ipsiusmet assensus ante habiti,& aliquando quidem hanc solam, & aliquando simul cum hac concurrere speciem, qua recordamur nos aliquando deduxisse illam conclusionem ex aliquibus præmissis. Itaque quando recordamur nos assensisse certo vel probabiliter conclusioni, & non recordamur an ad hoc deducebamur per præmissas, nec ne, tum species ipsiusmet assensus ante habiti sufficit ad determinandum nos ad assentiendum iterum eidem conclusioni. Quando vero recordamur nos assensisse illi conclusioni propter aliquas præmissas, tum species assensus conclusionis & præmissarum in confuso cognitarum nos determinant.

## CONCLVSIO V.

Requiritur ad assensũ conclusionis iudicium de connexione veritatis conclusionis cum præmissis.

30. *Non sufficit apprehensio præmissarum obiectiuarum & conclusionis, ac etiam assensus præmissarum obiectiuarum ad determinandum intellectum ad assensum conclusionis, quamuis syllogismus sit optime constructus.*

Hæc *patet*,quia vlterius requiritur iudiciũ de necessaria cõnexione veritatis conclusionis cũ veritate præmissarum; quod iudiciũ non semper causatur ex assẽsibus præmissarũ & apprehensione earũ ac cõclusionis,

vt patet manifeste in syllogismis factis in aliis modis præter quatuor primos modos primæ figuræ, nam eorum consequentia non est tam euidens, quin requirat probationem per reductionem eorum ad quatuor illos primos modos, aut per reductionem ad impossibile: & hoc ipsum videtur intendi per eos authores, qui exigunt ad assentiendum conclusioni præter assensum præmissarum iudicium de bonitate consequentiæ: nam hoc iudicium videtur esse iudicium de necessaria connexione veritatis conclusionis cum veritate præmissarum: quod si aliud volunt, omnino falluntur.

Quid determinat ad iudiciũ de bonitate consequentiæ.

31. *Et si quaras*, à quo causetur hoc iudicium. *Respondeo* aliquando illud causari ab ipsomet syllogismo obiectiuo apprehenso, quando scilicet est syllogismus perfectus ac clarus, hoc est factus in quocumque ex quatuor primis modis primæ figuræ, aliquando verò causatur per illum discursum, quo cognoscitur syllogismus obiectiuus posse reduci ad illos syllogismos primæ figuræ; aliquando deniq; per illum discursum, quo cognoscitur, quod si negaretur consequentia, reduci posset eam negans ad impossibile.

*Si quaras rursum*, an hoc iudicium concurrat effectiue ad assensum cõclusionis. *Respondeo* affirmatiue propter easdem rationes, propter quas idem dixi de iudicio præmissarum, quæ de hoc æqualiter concludunt.

## CONCLVSIO VI.

Conclusio non habet aliam dependentiã à præmissis.

32. *Præter has dependentias conclusio formalis, seu assensus conclusionis obiectiuæ nullam habet dependentiam a præmissis.* Hæc est conformis primæ sententiæ supra relatæ, quæ non specificat aliam dependentiam conclusionis à præmissis, quam dependentiam in genere causæ efficientis.

*Probatur* autem breuiter, quia positis his dependentiis solis habebit actus perfectissime rationem conclusionis formalis, & eo non posito non haberet talem rationem, nec est vlla necessitas aut indicium vllius alterius dependentiæ: ergo.

*Et hinc patet manifestè, primò* assensum conclusionis non dependere immediate à præmissis obiectiuis, nec vlla ratione, nisi quatenus illæ requiruntur ad causanda iudicia de præmissis, & necessaria connexione veritatis conclusionis cum veritate istarum præmissarum. *Patet secundo*, per actum conclusionis non ferri nos in ipsas præmissas obiectiuas, aut formales formaliter, & explicite, quia ex his dependentiis non sequitur quod ita feramur, nec ex experientia ipsiusmet actus conclusionis, aut ex vlla alia ratione id colligitur; ergo frustra ac gratis id asseritur: & per hoc confirmatur resolutio nostra in præcedenti conclusione.

33. *Obiicies*: sicut per actum electionis ferimur non solum in media, sed in finẽ, ita per assensum conclusionis non solum tendimus in conclusionẽ, sed in præmissas: sed non solum ferimur in finem per electionẽ quatenus electio causatur physice à fine aut intentione ipsius, sed alia ratione particulari: ergo similiter dicendũ de conclusione, & cõsequenter est alia dependentia cõclusionis ad præmissas præter dependentiã effectiuã.

*Confirmatur*: quamuis Deus se solo produceret cum intellectu assensũ conclusionis, adhuc per eũ tenderemus actu in præmissas, alias non esset conclusio: ergo habet aliũ ordinem ac dependentiã ad præmissas præter illum, quem dicit ad illas, vt ad causas efficientes.

*Confirmatur secundò*, quia in discursu aliquid in mente correspõdet particulæ illatiuæ *ergo*, & illud in nobis experimur: sed illud nõ potest esse dependẽtia ad præmissas, vt ad causas effectiuas, quia non experimur illã dependentiam, sed eam colligimus per discursũ, si tamen detur vlla ratione; ergo aliqua alia depẽdentia & ordo est in assẽsu cõclusionis præter depẽdentiã illã effectiuã.

34. *Respondeo primò* forte minorem esse falsam, quia fortassis solũ volumus directe ipsa media per illũ actũ, & licet dicamur etiam tendere in finẽ, per hoc tamẽ nihil aliud denotatur, nisi quod nõ vellemus media, nisi tenderemus in finẽ per alium actum determinantẽ voluntatem ad illã electionem. Quod si experiẽtia aliqua constet oppositũ de electione, nimirum quod actu per illum ordinemus media ad finẽ ita, vt respiciat actu finẽ etiam, tum *Respondeo secundò* negando maiorem, quia certe talis experiẽtia non est de assẽsu cõclusionis, imo potius opposita, vt facile quis in seipso animaduertat, si reflectat supra illũ actũ, quo assentitur conclusioni. Quid autem reuera dicendũ sit de dependentia electionis à fine, dicetur in libris de Anima *disput. de Voluntate.*

*Ad primam confirmationem Respondeo* negando antecedens, ad cuius probationem dico esse quæstionem de nomine, an tum vocandus esset ille actus conclusione; nam si per conclusionẽ intelligatur actus causatus actualiter per influxum præmissarum, non erit actu conclusio, nec necessarium est quod sit actu conclusio; si autem intelligatur per conclusionem actus ille, qui connaturaliter exigit à præmissis produci, & sine quibus naturaliter produci nequit, erit conclusio, etiam in tali casu: quid autem intelligendum sit per conclusionem, est mera quæstio de nomine.

*Ad secundam confirmationem Respondeo*, illud quod correspõdet particulæ *ergo*, esse necessariam connexionem, quæ proponitur inter veritates præmissarum, & veritatem conclusionis obiectiuæ, quam connexionem iudicamus esse inter illa, quoties assentimur conclusioni, & consequenter experimur nos illam cernere; vnde in forma *Respondeo* negando consequentiam, quia illud, quod significatur per ly *ergo*, non reperitur in ipsamet conclusione formali, seu assensu conclusionis obiectiuæ, sed potius est aliquid prærequisitum ad illum assensum habendum, connaturaliter loquendo.

39. *Obiicies secundò*: Assensus præmissarũ dicit alium ordinem ad præmissas obiectiuas earumque species, quam dependentiæ in genere causæ efficientis; & idem est de assensu conclusionis respectu ipsiusmet conclusionis obiectiuæ: ergo idem est dicendum de assensu conclusionis respectu præmissarum vel formalium, vel obiectiuarum, vel vtrarumque. Probatur antecedens, quia quamuis actu non causarentur assensus præmissarum à præmissis obiectiuis, nec assensus conclusionis ab ipsa conclusione, adhuc actualiter respicerent illa.

*Respondeo* negãdo consequentiã, & ratio disparitatis est, quod per assensũ præmissarũ formaliter feratur intellectus in ipsas præmissas obiectiuas, & ex natura sua intrinseca habeat ille assẽsus declarare naturam istarũ præmissarũ, vnde dicit huiusmodi ordinẽ actualẽ manifestatiui ad ipsas, & idẽ est de assensu cõclusionis respectu ipsius conclusionis; sed assensus cõclusionis non tendit ex natura sua formali actualiter in præmissas vllas declarando illas aut determinando intellectum formaliter ad ipsarum considerationem.

Ex quibus vlterius patet rationẽ cõclusionis formaliter haberi, vel à sola exigentia dependendi in genere causæ efficientis à præmissis formalibus, & iudicio de necessaria connexione veritatis conclusionis cũ veritatibus præmissarum; vel certe ab illa exigentia & etiã à dependentia actuali superaddita ipsi. Cuius oppositum videtur docere *Arriaga disput. 15. sect. 4. subsectione prima*, ad cuius fundamenta per iam dicta patet respõsio.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum positis præmissis necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni.*

36. SVppono ex sũmulis syllogismũ esse orationẽ, in qua quibusdã positis aliud ex his, quæ posita sũt, necessario sequitur, eo quod hęc sũt: id est esse orationẽ, in qua duę propositiones ita inter se disponũtur, vt alia propositio ex iis necessario sequatur: quæ duæ propositiones sic dispositæ vocãtur *præmissæ*, tertia vero, quę ex iis sequitur, vocatur *conclusio*. Itaq; cõtrouertitur vtrum intellectus assẽtiens præmissis sic dispositis, & apprehendens conclusionẽ, ac iudicãs præmissas esse rite dispositas in modo & figura, necessitetur ad assentiendũ cõclusioni, & hoc nõ solũ necessitate specificationis, sed etiã exercitii. Voco autẽ *necessitatẽ specificationis* illã, qua necessitaretur ad producẽdũ assẽsũ circa

Quid necessitate specificationis.

conclu

cõclusionem casu, quo vllo modo haberet actum circa illam, quamuis non necessitaretur ad producendum vllum actum circa illam. *Necessitatem exercitij* voco illam, qua necessitaretur ad eliciendum aliquem actum circa conclusionem illam. Necessitatem specificationis habet voluntas ad amandum bonum secundum communiorem sententiam, non vero exercitii, quia ex suppositione quod velit elicere aliquem actum circa bonum, debet elicere actum amoris, potest tamen nullum actũ elicere. Necessitatem specificationis & execitii habet ignis ad producendũ calorem in homine approximato, quia non solũ debet aliquid producere in tali homine, sed etiam debet producere calorem in ipso: his exemplis vtor in sententia communiori.

Quid exercitii.

CONCLVSIO.

37. *Intellectus necessitatur ad assentiendum conclusioni, & necessitate specificationis, & necessitate exercitij, posito quod assenserit præmissis, & quod iudicauerit eas esse bene dispositas in modo, & figura.*

Intellectus necessitatur ad assensum cõclusionis necessitate specificationis & exercitii.

*Prima pars*, quæ est omnium, probatur. Intellectus est potentia naturalis determinata ex se ad cognoscendum obiectum, secundum quod proponitur ipsi: ergo si proponitur ipsi conclusio, vt vera, sufficienter, non potest iudicare quod sit falsa, & consequenter si habeat aliquem actum, debet habere assensum, hoc est iudicium quod sit vera Et certe si voluntas, quæ est potentia libera, non potest nolle bonũ, sed si velit tendere vllo modo in illud, debet illud velle; multo magis dicendũ est de intellectu quod non possit dissentire vero, sed si habeat aliquem actũ circa illud, quod debeat esse assensus.

*Confirmatur* præterea, quia verum non est obiectum dissensus: ergo non potest intellectus dissentire vero, vt vero; atqui conclusio in tali casu proponitur ipsi vera, ergo &c.

*Secunda pars* est *Doctoris in 1. dist. 1. quæst. 4. §. ad argumentum. D. Thomæ 1. p. quæst. 82. art. 2. & 1. 2. quæst. 17. art. 6. Durand. 2. dist. 25. quæst. 4. nu. 7.* quos sequuntur *Fonseca 6. Met. c. 1. quæst. 4. sect. 4. Conimbric. 1. Post. quæst. 4. art. 4. Arriaga disp. 15. sect. 6 Complutenses disp. 17. quæst. 4.* contra *Ruuium ibid. quæst. 8. Auersam quæst. 25. Log. sect. 3. & aliis.*

*Probant Complutenses.* quia in eodem instanti, in quo est assensus minoris, est etiam assensus conclusionis: ergo volũtas imperans, aut permittens assensum minoris non potest impedire assensum conclusionis, & consequenter necessitatur intellectus necessitate exercitij ad assentiendum conclusioni, suppositis assensibus præmissarum. Probant consequentiam, quia voluntas imperans actionem alicuius potentiæ non potest impedire quidquid necessario sequitur, in eodem instanti: sed assensus conclusionis sequitur necessariò in eodem instanti, in quo habetur assensus minoris: ergo.

*Hæc probatio* dependet à veritate vltimæ minoris, quę ad aduersariis negari deberet; & quãuis assensus conclusionis haberetur in eodem instanti, in quo haberetur assensus minoris voluntate volente, non tamẽ inde sequeretur quod haberetur in eodem instanti volũtate nolẽte; nec ipsi sufficienter probant, quod volũtate etiã volẽte haberetur ille assensus in eo instãti necessariò. Imo directe petunt principium in illa minori, quæritur. n. an necessario connectatur assensus cõclusionis cũ minori.

38. *Probatur ergo aliter*, quia intellectus est potentia mere naturalis: ergo est ex se naturaliter determinatus ad habendum actum circa obiectum debite applicatum: ergo quoties debite applicatur ipsi conclusio sub ratione veri, debet habere aliquem actum circa ipsum; non alium autem quam assensum, ergo. Probatur prima consequentia, quia in hoc distinguitur potentia mere naturalis à libera, quod hæc non necessitetur necessitate exercitii applicato obiecto, illa vero sic.

*Confirmatur primò*, quia necessitatur necessitate exercitii ad assentiendum primis principiis debite applicatis: ergo & ad assentiendum conclusioni scientificæ debitè applicatæ, à paritate rationis.

*Confirmatur secundò*, quia tam naturalis est potentia intellectiua, quam visiua: ergo quemadmodũ applicato obiecto potentiæ visiuæ debet ipsum videre, ita applito obiecto suo potentiæ intellectiuæ sub ratione veri debet ipsi assentire.

39. *Dices* hoc esse verum quantum est ex se, sed tamen non inde sequi, quin possit impediri per voluntatem, quæ domina est aliarum potentiarum.

*Contra*: non potest voluntas impedire, quin oculus videat, quamdiu applicatur sufficienter obiectum; nec potest facere, quin applicato potentiæ obiecto vehementer delectabili appetitus sensitiuus delectetur: ergo non potest etiam facere, quin quamdiu manet obiectum applicatum, intellectus assentiatur ipsi.

*Dices* intellectum magis esse intimum volũtati, quàm alias illas potentias, & propterea magis posse impedire ipsum, quam alias potentias. *Contra*, quia quamuis sit magis intimus, non tollitur, quin habeat rationem potentiæ naturalis, & consequenter quin determinetur ad habendum actum circa suum obiectum sufficienter applicatum. *Deinde*, quamuis potentia sensitiua interior sit magis intimata voluntati, quam exterior; non tamen sequitur, quod possit impedire, ne habeat actum circa obiectum suum sufficienter applicatum.

*Denique* gratis dicitur quod ex tali vicinitate posset directe impediri: sed summum quod inde concludi potest, est quod possit intellectum dimouere à consideratione istius obiecti, & sic indirecte impedire, ne ipsi assentiatur: quod nos concedimus.

40. *Dices vltimò*: posset habere rationem potentiæ naturalis in ordine ad assensum per hoc, quod determinaretur necessario ad agendum suppositis volitione, quamuis non posset agere sine tali volitione, vt patet in potentia loco motiua, quæ est potentia naturalis, licet possit suspendi ab actu per voluntatem, quod etiam patet in ipsomet intellectu respectu actus fidei, naturaliter enim illum producit, licet possit ab ipso impediri per actum voluntatis: ergo ex eo, quod intellectus sit potentia naturalis, non sequitur quin possit per voluntatem suspendi actus eius circa conclusionem.

*Respondeo* id non sequi ex ratione potentiæ naturalis quomodocumque, sed ex ratione potentiæ naturalis nõ subordinatæ quantum ad actum suum, ad voluntatem, qualem naturalitatem particularem colligimus tum ex prima confirmatione, tum ab experientia.

*Obiicies primò*: voluntas non necessitatur necessitate exercitii ad amandum bonum: ergo nec intellectus ad assentiendum vero. *Respondeo* negando consequentiam, quia illa est potentia libera, hæc naturali.

*Obiicies secundò*: datur habitus ad facilitandum intellectum ad assensum conclusionis; sed hoc non esset verum, si omnino ita necessitaretur, non posset impediri ab assensu: ergo.

*Respondeo* negando minorem; ille enim habitus ponitur, vel vt intellectus facilitetur ad disponendas præmissas in ordine ad assentiendum tali conclusioni, vel vt determinetur ad assentiendum illi sine actuali dispositione præmissarum; vel certe, vt magis difficulter possit amoueri etiã indirecte, ne assentiatur tali conclusioni.

*Obiicies tertiò*, quando intellectus iudicat has præmissas: *omnis homo est animal: omne risibile est homo*, non est determinatus ad inferendam hanc conclusionem: ergo *omne risibile est animal*; quæ est conclusio deducibilis ex ipsis in *Barbara*, quia posset inferre aliam conclusionẽ: ergo aliquod risibile est animal.

*Respondeo*, quidquid sit, vtrum illæ duæ conclusiones debeant censeri diuersæ sic, vt vna possit haberi ex illis præmissis sine altera, distinguendo antecedens; si eam apprehendat; nego; si non, concedo. Itaque difficultas procedit ex suppositione apprehẽsionis cõclusionis, quę supositio tollitur in obiectione, & propterea nõ est ad rẽ.

QVÆSTIO IV.

*Vtrum syllogismus vt sic sit genus Demonstrationis, Topici & Sophistici.*

42. SVPPONENDVM est ex dictis, syllogismum, vt sic, nõ esse aliud quã propositiones rite dispositas

secundum modum & figuram, abstrahendo à natura talium propositionum, hoc est, an sint probabiles, an verò necessariæ.

## CONCLVSIO I.

Syllogismus vt sic est vniuocus respectu demonstratiui & topici.

43. *Syllogismus vt sic est vniuocus respectu syllogismi Demonstratiui & Topici tam bene quam syllogismus Demonstratiuus vt sic est vniuocus respectu omnis Demonstratiui, & genus vt sic respectu omnis generis.* Hæc videtur in re esse communis, nec posse negari.

*Probatur*, quia eodem modo prædicatur de ipsis secundum idem nomen ac eandem rationem, ergo eodem modo est vniuocum.

Non proposui autem hanc conclusionem absolute de syllogismo vt sic, sed cum restrictione illa, *tam bene*; quia sicut dantur plures naturæ genericæ distinctæ rationis; quæ non videntur conuenire vniuoce, vt natura coloris & animalis, ita etiam videntur dari syllogismi, qui non videntur conuenire vniuoce, vt syllogismus factus in materia reali, & factus in materia rationis, & in materia positiua ac negatiua.

## CONCLVSIO. II.

Syllogismus vt sic formaliter loquēdo non est genus respectu topici & demonstratiui.

44. *Syllogismus vt sic formaliter loquendo non est genus respectu syllogismi Topici & Demonstratiui vt tales.*

*Probatur*: dispositio syllogismi Topici, & dispositio syllogismi Demonstratiui non distinguuntur specie: ergo syllogismus vt sic, non est genus respectu eorum formaliter loquendo. Antecedens patet, quia in iisdem modis & figuris fiunt; diuersitas autem dispositionis prouenit solum ex diuersitate modi & figuræ.

*Pobatur secundo*: album vt sic non est genus respectu hominis albi & equi albi: ergo à pari syllogismus vt sic formaliter non est genus respectu syllogismi demonstratiui & topici.

*Cōfirmatur*: Duo Syllogismi topici facti in *Barbara* nō distinguntur specie in esse Syllogismi formaliter, quāuis materia vnius sit distinctissimæ speciei à materia alterius: ergo syllogismus topicus & demonstratiuus facti in *Barbara* non distinguuntur specie in esse syllogismi, siue vt sic, siue talis formaliter, quantumnis materiæ, in quibus fiunt, sint distinctæ speciei.

Dixi autem in conclusione, *vt tales*, quia sine dubio syllogismus topicus factus in *Barbara*, & demonstratiuus factus in *Cesare* distinguuntur specie, habent enim diuersam dispositionem: sed hoc non contingit ex eo, quod vnus sit demonstratiuus, alter topicus, sed ex eo, quod vnus sit in *Barbara*, alter in *Cesare*.

45. *Obiicies primò*: syllogismi topicus & demonstratiuus sunt diuersæ speciei: ergo syllogismus, vt sic, quod prædicatur de ipsis in quid, est genus respectu ipsorum.

*Respondeo* distinguendo antecedens, materialiter cōcedo; formaliter nego antecedens, & consequentiam.

*Obiicies secundò*: Plus differunt syllogismi demonstratiuus & topicus, quam duo topici aut demonstratiui: ergo differunt specie.

*Respondeo*, quidquid sit de consequentia, distinguendo antecedens: materialiter concedo, formaliter negō.

## CONCLVSIO III.

Syllogismus falsigraphus est syllogismus verus.

46. *Syllogismus falsigraphus seu sophisticus, in quo esset defectus in modo & figura, ex eo scilicet, quod constaret quatuor termini, non est syllogismus verus, & consequenter non est species, aut indiuiduum syllogimi vt sic, definiti a Philosopho; secus autem esset de syllogismo falsigrapho, in quo non esset talis defectus.* Hæc ex se *patet*, quia ad rationem essentialem syllogismi requiritur, & sufficit debita dispositio in modo & figura: ergo quod non habet illam non est species, nec indiuiduum eius, & quod habet, est aut species, aut indiuiduum.

## QVÆSTIO. V.

*An detur quarta figura Galeni, & vtrum dentur modi indirecte concludentes in secunda & tertia figura.*

47. SVpponō figuram esse rectā dispositionem medij termini cū extremitatibus in præmissis; medium verum verò terminum esse, qui ponitur in vtraq; præmissarum, & non in conclusione; extremitates autem esse illos terminos, qui ponuntur in præmissis & etiam in conclusione. Cum ergo Aristoteles videret tribus tātum diuersis modis posse hanc dispositionem fieri, tres tantum assignauit figuras diuersas: quod autem tribus tantū diuersis modis possit illa dispositio fieri, probat, quia medius terminus non potest disponi cū extremitatibus, nisi vel ita, vt in vna præmissarū subiiciatur vni extremitati, & in altera de alia extremitate prædicetur, & sic habetur prima figura; vel ita, vt prædicetur in vtraq; præmissarum de extremitatibus, & sic habetur secunda figura; vel ita, vt subiiciatur in vtraq; præmissa extremitatibus, & sic habetur tertia. Sed quoniā duobus modis potest fieri, vt medius terminus subiiciatur in vna præmissarū, & in alia prædicetur, nimirū vel ita vt prædicetur in maiori & subiiciatur in minori, vt si dicatur: omne animal est viuens, omne viuēs distinguitur à quocumq; lapide: ergo omne animal distinguitur à quocumq; lapide, vel ita vt subiiciatur in maiori, & prædicetur in minori, vt si dicam: omne viuens distinguitur à lapide, omne animal est viuens: ergo omne animal distinguitur à lapide. Hinc *Galenus* existimauit dari quartam figuram, in qua scilicet medius terminus prædicaretur in maiori; & subiiceretur in minori, nam prima est, in qua medius terminus subiicitur in maiori, & prædicatur in minori.

Quid est propositio maior

48. *Pro resolutione notandum est*, propositionem maiorem esse illam, in qua ponitur maior extremitas, minorem vero in qua minor extremitas ponitur. *Maior* autem extremitas in prima figura est *quæ prædicatur de medio*; vnde propositio illa, in qua subiicitur mediū, est maior propositio, siue primo loco proferatur, siue non. Hoc colligitur ex Philosopho 1. *Prior. cap. 5.* vbi ait: *Dico autem maiorem extremitatem in qua medium est*, (id est sub qua medium est tanquam subiectum) *Minorem voco quæ est sub medio* (id est de qua prædicatur medium.) Et hinc *Auerroes in* conficiendis syllogismis primæ figuræ ponit propositionem, in qua quamedium prædicatur, in primo loco, & illam, in qua subiicitur, secundo loco; quod nequaquam faceret, si intelligeret maiorem propositionem esse illam, quæ ponitur primo loco, & non potius illam, in qua subiicitur medium.

Quænam est maior & minor extremitas in secunda & tertia figura.

49. In secunda verò, & tertia figura, non potest maior extremitas colligi hoc modo, quia vtraque vel subiicitur, vel prædicatur; vnde aliqui cum Conimbricensibus dicunt maiorem extremitatem in illis esse illam, quæ prædicatur in conclusione, & consequenter maiorem propositionem esse illam præmissam, in qua ponitur illa extremitas. Alij verò dicunt maiorem extremitatē esse illam, quæ ponitur in propositione primo loco prolata, atq; propterea illam propositionē esse maiorem. Ita *Auersa q. 5. sect.* 8. Sed reuera prior dicendi modus mihi magis placet, primò, quia si sufficiat vt illa sit maior propositio, quod primo loco proferatur in secunda & tertia figura, quare non sufficeret in prima? Deinde & præcipue, quia ex maiori particulari nihil infertur bene in secunda figura secundū Philosophum; at hoc esset falsum, si maior propositio esset censenda, quæ primo loco profertur, nā hic syllogismus optime cōcludit: aliquod animal est quadrupes: nullus homo est quadrupes: ergo aliquod animal non est homo. Et si dicatur, quod non concludat nisi indirecte, saltē sequitur, quod deberet in secunda figura assignari modus indirecte concludens, cuius maior esset particularis affirmatiua, & minor vniuersalis negatiua, & consequenter quod Philosophus non assignauit omnes modos secūdæ figuræ, quod sine magna ratione non est dicendum.

50. *Obiicies*

50 *Obiicies* contra hoc primò: Illa extremitas est censenda maior, quæ obtinet digniorem locũ in præmissis; non potest autem intelligi dignior locus, quando extremitas vtraque subiicitur aut prædicatur, nisi per hoc quod ponatur in primo loco.

*Respondeo* negando minorem, nam ille est dignior locus in secunda figura & tertia, ratione cuius fit vt in conclusione debeat prædicari.

*Obiicies secundò*: si non posset intelligi maius extremum, nisi per hoc quod esset illud, quod prædicari deberet in conclusione, & non illud, quod poneretur in primo loco, non daretur sufficiens regula ad concludendum in *Ferio*, quia posset quis dubitare quam extremitatem prædicaret de alia in conclusione.

*Respondeo* negando sequelam, quia sufficit quod cognoscat illam extremitatem debere prædicari, quæ ponitur in prima propositione, quando propositiones proferuntur eo ordine, quo collocantur litteræ istius modi; quod si alio modo proferuntur, vt verbi gratia, si prius proferretur, particularis affirmatiua, semper tamen debet prædicari illa extremitas, quæ poneretur in prima propositione, si proferrentur iuxta illas litteras.

## CONCLVSIO I

Nõ datur quarta figura.

51. *Non datur quarta figura distincta à prima.* Hæc est communis contra *Medicos*, quos sequitur *Camerarius quæst.* 13.

*Probatur* autẽ, non propterea quod dentur in ea modi inutiliter concludentes, vt volunt aliqui, quia in prima etiam figura dãtur tales modi, vt patet, & quia sufficit ad figuram bonam, quod habeat aliquos modos vtiliter concludentes: Nec propterea quod iuxta eã sequatur prædicatio alicuius de seipso, vt vult *Auerroes*, quia non magis hoc fit in quarta figura, quam in modis indirectis primæ figuræ; & si fieret etiam, non esset ad rem, quia ad figuram sufficit quod bene & necessario concludat vi formæ, quæcumque demum sit natura propositionum. Nec propterea quod innaturaliter concludat, vt idem etiam dicit *Auerroes*, quia si intelligatur per innaturaliter concludere, quod in conclusione eius prædicetur quod minus aptum est prædicari, seu quod intellectus potius inclinaretur ad subiiciendum, quam ad prædicandum, idem omnino fit in modis indirectis primæ figuræ, qui tamen propterea non reiiciuntur. Si autem intelligatur per innaturaliter concludere, quod non concludatur ita euidenter in ea, vt intellectus subito percipere possit bonam esse illationem, hoc non refert, quia idem fit in secunda, & tertia figura.

*Confirmatur*, quia ideo secunda & tertia figura cognoscuntur esse bonæ, quod possint reduci ad modos primæ figuræ: sed etiam quarta figura, si esset distincta à prima posset reduci ad illos modos.

*Confirmatur secundò*, quia ad bonam figuram nihil aliud requiritur, quam quod infallibiliter, & necessario concludat vi formæ: sed ita fit in modis quartæ figurę, siue innaturaliter concludat, siue non.

*Probatur ergo aliter* ex dictis: illa figura non est distincta a prima, in qua maior extremitas prædicatur in maiori, & minor subiicitur in minori in præmissis, vt fatentur aduersarii: sed ex dictis constat maiorẽ extremitatem in illa figura esse illam, quæ prædicatur, minorẽ vero extremitatem esse illam, quæ subiicitur; & illam esse maiorem propositionem, in qua ponitur illa extremitas, quæ prædicatur: ergo figura quarta non distinguitur à prima. Probatur consequentia, quia in figura quarta necessario maior extremitas prædicatur in maiori, & minor extremitas subiicitur in minori. Hæc probatio conuincit nostram conclusionem, & propterea sufficeret, nisi quod habeat aliquid de nomine, quatenus dependet ab eo, quod intelligitur per maiorem propositionem.

52. *Probatur ergo secundo*: Transpositio præmissarũ non sufficit ad variandam figurã: sed illa quæ dicitur quarta, non differt à prima, nisi per transpositionẽ præmissarum, quatenus scilicet propositio, quæ primò proferretur in prima figura, deberet secundo loco proferri in quarta, ergo. Probatur maior primò, quia figura nihil aliud est, quam apta collocatio extremorum cum medio termino secundum prædicationem & subiectionem: sed eadem est dispositio extremorum cum medio termino, siue præmissæ transponantur, siue non, quia idem prædicatur de medio, & idem subiicitur ipsi, vt patet. Probatur secundo eadem maior, quia licet quando proferuntur vocaliter syllogismi, vna propositio præcedat alteram, tamen in intellectu debent esse simul, & impertinens est quod, vna ex præmissis alteram præcedat: ergo ex illa præcessione nihil habetur ad propositum. Et per hoc patet falsum esse, quod dicit *Camerarius*, multum facere transpositionem propositionum ad distinctionem syllogismorum.

*Confirmatur*, quia in duobus modis secundæ figuræ *Cesare*, & *Camestres* præmissæ transponuntur, & tamen sunt eiusdem figuræ: ergo transpositio præmissarum non arguit diuersitatem figuræ.

*Dices* non propterea solũ quartã distingui à prima, quod præmissæ transponãtur, sed per hoc quod in conclusione subiiciatur extremitas prædicata in præmissis

*Contra*, quia in modis indirectis primæ figuræ idem fit: ergo hoc non sufficit ad variandas figuras. Itaque si in conclusione syllogismi quartæ figuræ prædicetur extremitas prædicata in præmissis, directe concludet, & necesario erit in aliquo ex quatuor primis modis primæ figuræ: si autem subiiciatur, indirecte concludet, & erit in aliquo ex modis indirectis primæ figuræ.

53. *Obiicies primò*: sufficit ad diuersitatem figurarum diuersitas combinationis medij cum extremitatibus conclusionis: sed diuersa est combinatio huiusmodi in prima & quarta figura, quia in prima medium subiicitur prædicato conclusionis, in quarta vero prædicatur de prædicato conclusionis.

*Respondeo* negando minorem, (quidquid sit de maiori) cum sua probatione, quia etiam in modis indirectis primæ figuræ medium prædicatur de prædicato conclusionis, vt patet.

*Respondeo secundò* distinguendo maiorem ex diuersitate combinationis cum illis, ex quo fieret, vt prædicaretur de prædicato conclusionis, & non subiiceretur ipsi, nego, quia sic non in eadem figura esset *Barbara* & *Baralipton*; ex diuersitate combinationis ex qua fieret vt subiiceretur vni extremitati conclusionis, & prædiretur alteri indeterminate, aut vt de vtraque prædicaretur, vel vtrique subiiceretur, concedo maiorem, & nego minorem cum consequentia suæ probationis.

54. *Obiicies secundò*: *Cesare* & *Camestres*, distinguuntur solum ob transpositionem præmissarum: ergo transpositio præmissarum sufficit ad distinguendum quartam figuram à prima.

*Respondeo primò* negando consequentiam: quia quod sufficit ad variandos modos non sufficit ad variandas figuras, vt patet.

*Respondeo secundò* negando antecedens, sed potius ex variatione conclusionis, quia quod est prędicatum in vna conclusione, est subiectum in altera: quod autem hoc sufficiat solum, quamuis non transponerẽtur præmissæ, patet ex *Darij* & *Dabitis*, quæ ob aliam rationem non variantur.

## CONCLVSIO II.

Nõ potest indirecte concludi in secunda aut tertia figura.

55. *Non potest indirectè concludi in secunda figura aut tertia.* Hæc est contra communiorem sententiam, quam citat & sequitur *Auersa quæst.* 25. *sect.* 8.

*Probatur*, quia tunc indirecte concluditur, quando maior extremitas subiicitur in conclusione: sed in secunda & tertia figura hoc non potest fieri, quia vt patet ex dictis, in his figuris istud est maior extremitas quod prædicatur in conclusione: ergo maior extremitas in iis non potest subiici.

*Probatur secundò*, quia si in aliquo modo ex his possit indirecte concludi, maxime in *Cesare*: sed in hoc nõ: ergo. Probatur minor: quia syllogismus in *Cesare*, in quo indirecte concluderetur, nõ differret à syllogismo facto

in *Camestres*, nisi per transpositionem præmissarum: ergo non esset in *Cesare*, sed in *Camestres*, Probatur consequentia: per solam transpositionem præmissarum, quãdo conclusio est eadem, non variatur modus: ergo quandoquidem iste syllogismus non differret à syllogismo facto in *Camestres* circa eandem materiam, nisi per transpositionem præmissarum debet censeri factus in *Camestres* & non in alio modo distincto.

*Confirmatur hoc*: hi duo syllogismi fiunt in *Barbara*: omnis homo est risibilis, omne risibile est animal, ergo omnis homo est animal. Omne risibile est animal: omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal; & tamen transponuntur præmissæ: ergo sola transpositio præmissarum non variat modum, & consequenter, quandoquidem syllogismus, in quo concluderetur indirecte in *Cesare*, non differret à syllogismo facto in *Camestres*, nisi per transpositionem præmissarum, debet censeri factus in *Camestres*.

*Obiicies*: in *Darapti* potest duplex conclusio ex iisdem præmissis inferri ita, vt in vna prædicetur quod subiicitur in altera, & è contra; nec etiam syllogismus ille potest pertinere ad vllum alium modum: ergo aliqua ex conclusionibus erit indirecta.

*Respondeo* negando consequentiam, quia vtraque est directa, quandoquidem illa, quæ diceretur indirecte sequi, sequeretur directissime si transponerentur præmissæ in eodemmet modo.

*Obiicies secundo Scotum*, qui 1. *Prior. quæst.* 16. & 17. ait dari modos indirecte cõcludentes in tribus figuris.

*Respondeo* id ipsũ dixisse ex suppositione, quod maior propositio esset, quæ primo loco proferretur, & quod ad variationẽ modorũ sufficeret transpositio propositionũ. Et quidem ex illa hypothesi id esset verissimum.

## QVÆSTIO V.

### *De principijs, quibus ars syllogistica innititur.*

Quid dictũ de omni

57. PHilosophus assignauit duo principia, quibus ars syllogistica innititur, scilicet *Dictum de omni*, cui innituntur syllogismi affirmatiui, & *Dictum de nullo*, cui innituntur Syllogismi negatiui. *Dictum de omni* significat quod quidquid vniuersaliter prædicatur de aliquo, prædicatur etiam de quocumque contento sub ipso, quod lumine naturali est euidens, vnde apparet veritas illationis huius syllogismi facti in prima figura: *Omne vitium est detestandum: intemperantia est vitium: ergo est detestandum*: nam *detestatio*, quæ prædicatur in maiori de *vitio* in vniuersali, prædicatur in conclusione de *Intemperantia*, & in minori ostenditur, quod Intemperantia contineatur sub vitio. *Dictum de Nullo* significat, quod quidquid vniuersaliter negatur de aliquo, negari etiã debeat de quocumque contento sub ipso. Quod etiã lumine naturali notum est, & hinc apparet veritas illationis huius syllogismi facti in *Celarẽt*: *Nullũ animal est lapis: omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis*? nam *lapis*, qui negatur vniuersaliter in maiori de *animali*, negatur etiam in conclusione de *homine*, & in minori ostenditur quod homo contineatur sub animali.

Quid dictum de nullo.

Nullus autem syllogismus valet, qui non potest regulari per hæc principia: & quamuis syllogismi secundæ, & tertiæ figuræ, non apparent prima facie per ipsa regulari, reuera tamen regulantur, vt patet ex eo quod possint reduci ad syllogismos directos primæ figuræ.

Solet etiam assignari aliud principium, cui innitũtur syllogismi, tertiæ præsertim figuræ, nimirũ *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: nam quandoquidem duæ extremitates dicũtur de medio termino, in maiori vna, & in minori altera, & consequenter sunt eadẽ ipsi; hinc necessarium esse videtur quod sint eadẽ inter, se & consequenter quod vnum ex ipsis possit dici de altero.

*Sed contra hoc principium opponi potest* maxima difficultas ex materia de Trinitate; nẽpe quod si illud principiũ esset verũ, sequeretur quod Pater & Filius essẽt eadẽ inter se, & posset dici de Patre quod sit Filius, & è cõtra; quandoquidẽ sunt eadẽ vni tertio, nẽpe essentiæ diuinæ, cui realiter identificantur; Vnde cum hoc sit falsũ, nam Pater & filius sunt duo suppositа realiter distincta, sequitur quod illud principium non sit verum.

*Propter hanc difficultatem* multi putant illud principiũ non esse vniuersaliter verum, nec valere in diuinis, licet in creatis sit vniuersaliter verum. At sane valet etiam in diuinis quoad aliqua; nam optime sequitur, ex eo quod identificentur misericordia diuina & iustitia diuina essentiæ diuinæ, quod etiam identificentur inter se, si sequitur in creatis ex eo, quod intellectus & voluntas idẽtificentur animæ realiter, quod identificentur etiam inter se. *Alij dicunt* principium currere quidem vniuersaliter in omni materia tam diuina: quàm creata, si tamen intelligatur bene, prout intelligi debet; quomodo autem intelligi debet, non adeo facile explicari potest, & variis modis ipsum explicandi vtuntur authores, quos iam non placet examinare: sed tota difficultas referenda videbatur ad Tractatum de Trinitate, vbi Doctores communius eam tractare solent.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### *Vtrum syllogismus expositorius concludat vi formæ, an vi materiæ.*

58 SYllogismus expositorius secundum *Doctorem* 1. *Posterior. q.* 11. est cuius medius terminus est singularis seu discretus. Terminus autem *singularis* est triplex: vnus qui ita significat vnam rem singularem determinate, vt non significet saltem vniuoce res diuersas, talis est *Petrus*, *hic homo*, *filius Regis* ex suppositione quod non habeat nisi vnicum. Alius est terminus *singularis*, qui significat vnam rem singularem, potest tamen dici de plurib. quibus illa res singularis est eadem; talis est *Deus*, & *essentia diuina*, nam Deus & essentia diuina licet significent Deitatem, quæ vna numero est, possunt tamen prædicari de Patre, Filio, & Spiritu sancto, qui distinguũtur realiter. Denique alius est terminus *singularis discretus*, qui significat successiue res diuersas singulares, vt *Tyber* significat aquam, quæ modo fluit hic Romæ, & aquam etiam quæ fluxit ante centum annos. Itaque ille syllogismus, cuius medius terminus est singularis, est *syllogismus expositorius*, vt Petrus currit, Petrus loquitur: ergo loquens currit: Deus est bonus, Pater æternus est Deus, ergo Pater æternus est bonus.

### CONCLVSIO.

Omnis syllogismus expositorius regulatus per Dici de omni, & nullo concludit vi formæ.

59 *Omnis syllogismus expositorius, regulatus per* Dici de omni, *aut* Dici de nullo, *est bonus & concludit vi formæ.* Est *Doctoris* supra.

*Probatur*, quia per syllogismum expositorium ostenditur, quod syllogismi tertiæ figuræ bene concludant: ergo ipsemet bene concludit.

*Deinde* omnis ille syllogismus est bonus, & tenet vi formæ, quando seruata tali dispositione in quacunque materia bene concluditur: sed ita est de dispositione syllogismi expositorii: ergo. Minor patet inductione, & quia non potest ostendi, in qua materia non concluderetur. Vt autem sciatur vtrum reguletur per illa principia: si syllogismus sit affirmatiuus, maior debet fieri vniuersalis affirmatiua; si vero syllogismus sit negatiuus, maior debet fieri vniuersalis negatiua: & hinc si maior sit vera, & minor similiter, impossibile est quin conclusio sit vera, propter *Dici de omni* & *Dici de nullo*, & consequenter syllogismus regulabitur per Dici de omni, aut Dici de nullo: verbi gratia, si velimus cognoscere vtrum per Dici de omni reguletur hic syllogismus affirmatiuus: Petrus currit, Petrus loquitur, ergo loquens currit; debemus resoluere maiorem in affirmatiuam vniuersalem hoc modo: *Omne quod est Petrus currit*, & alias propositiones addere: & quia hoc facto, si maior & minor concedantur, necesse est vt concedatur consequentia, syllogismus regulatur per Dici de omni. Similiter si velimus scire, vtrum syllogismus negatiuus reguletur per Dici de nullo, vt: hic Petrus non loquitur, hic Pertus sedet, ergo hoc sedens non loquitur; debemus resoluere maiorem in vniuersalẽ negatiuã sic: Omne quod est hic Petrus, nõ loquitur; & quia si

præmiss-

præmissæ sint veræ, impossibile est quin sit vera cõclusio, propterea syllogismus est regulatus per Dici de nullo: si autem facta tali resolutione, maior nõ sit vera, iudicandũ est syllogismos non regulari per illa principia, & cõsequenter illationẽ non valere, saltẽ vi formæ.

Ex quibus patet, quod hic syllogismus expositorius non inferat conclusionem formaliter : *Deus est Pater, Deus est Filius, ergo Filius est Pater*, quia non regulatur per *Dici de omni*, non enim est verum quod omne, quod est Deus, sit Pater. Et idem patet de hoc etiam syllogismo expositorio : Tyber fuit Romæ à centũ annis, hæc aqua, quæ modo Romæ currit, est Tyber: ergo fuit Romæ à centum annis, quia si resoluatur maior in affirmatiuam vniuersalem, non erit vera, falsum enim est quod omne quod est Tyber fuit Romæ à centum annis.

# DISPVTATIONES
## IN DVOS LIBROS.
## DE POSTERIORI RESOLVTIONE.

IN his libris agit Philosophus de *Demonstratione*, quæ est perfectissimum quid ex omnibus, quæ per se in tota Logica tractantur ; & quia ad nihil aliud deseruit Demonstratio, quam ac acquirendam scientiam, propterea communiter solet hic etiam agi de scientia tam actuali quam habituali.

# DISPVTATIO XXI.
## DE DEMONSTRATIONE.

PRIVS tractabimus de *Demonstratione*, quàm de scientia actuali, aut habitibus, quia id magis ad Logicam spectat.

### QVÆSTIO I.
*De Præcognitionibus & Præcognitis.*

Omnis cognitio intellectiua fit ex præexistẽti cognitione.

1. SVppono omnem cognitionem intellectiuam, siue sit doctrina, hoc est, notitia propria industria & labore inuẽta; siue sit disciplina, hoc est notitia opera Magistri & præceptoris acquisita, ex præexistenti fieri cognitione: nam omnis notitia intellectiua aut est discursiua, & sic fit ex cognitione istarũ præmissarum, ex quibus deducitur; aut est iudicatiua sine discursu, & sic præsupponit apprehensionem extremorum, quæ iudicantur esse vel non esse connexa ; aut denique est simplex apprehensio, & sic præsupponit aliquam cognitionem alicuius sensus externi, quia iuxta vulgatum axioma: *Nihil est in intellectu, quod non fuit in sensu.* Quia ergo per demõstrationem habetur notitia intellectiua, & quidem discursiua, quæ propterea debet præsupponere alias cognitiones, ex quibus fit; quæritur quænam potissimum debeant præcognosci ante demonstrationem, & quales cognitiones debent haberi de illis, quæ præcognoscenda sunt. Quæ sane res magis intricata est, quam vtilis, & propterea ab ea nos breuiter expediemus.

Non quæritur autem de omnibus omnino rebus, quæ præcognosci debent; sed de iis, quarum cognitio per se necessaria est, & sufficeret, modo haberetur absque aliarum rerum cognitione: vnde patet hic non agi de præcognitione sensitiua siue sensus externi, siue interni; quia quamuis necessaria sit pro hoc statu, tamen non est sic necessaria, quin si haberentur aliæ cognitiones intellectuales sine ipsa, illæ solæ sufficerent.

### CONCLVSIO

Duæ præcognitiones præhabẽdæ ad demonstrationẽ.

2. *Duæ sunt præcognitiones necessario prahabendæ antequam quis possit demonstratiuè probare conclusionem aliquam.* Hæc est communis, & *probatur*, quia debet præcognoscere, quid sit subiectum, & quid prædicatum conclusionis; & vlterius debet præcognoscere, an præmissæ sint veræ : ergo debet habere duas præcognitiones. Consequentia patet, quia cognoscit præmissas esse veras, est distincta à cognitione, qua cognoscit quid sit subiectum, & quid prædicatum conclusionis. Probatur antecedens, quia si non intelligit quid sit subiectum, & quid prædicatum conclusionis, nunquam potest intelligere præmissas esse veras, & consequenter non potest assentiri illis, nam in vna ex præmissis poni debet prædicatum conclusionis, & in altera subiectum. *Sed in hoc non est difficultas*, sed vtrum debeant dari plures præcognitiones quam duæ : & ratio dubitandi est, quod etiam medius terminus debeat præcognosci; & vlterius de ipso subiecto & prædicato conclusionis debeant haberi duæ præcognitiones: vnde, quandoquidem vlterius debeant præmissæ cognosci, videntur requiri tres aut quatuor cognitiones.

*Posset ad hoc responderi*, in conclusione asseri duas, non vero negari plures, quę vtrum dentur vel non dentur, parui est emolumenti cognoscere.

*Posset etiam responderi*, licet plures habendæ sint præcognitiones quam duæ, eas tamen reduci ad duas vniuersales, scilicet præcognitionem *an sit*, & ad præcognitionem *quid sit* : nulla enim videtur cognitio prærequisita proxime ad demonstrationem, quæ non sit cognitio *an sit* vel *quid sit* siue dentur plures cognitiones quam duæ, siue non dentur.

### CONCLVSIO II.

Tria sunt præcognita.

3. *Tria sunt præcognita, scilicet subiectum, ac prædicatum conclusionis, ac præmissæ.* Hæc etiam est communis, & patet ex dictis, quia illud, de quo debet haberi præcognitio, est præcognitum.

*Dices*: etiam medium debet præcognosci. *Respondeo primò* hoc non esse contra conclusionem. *Respondeo secundò*, medium cognosci illa cognitione, qua cognoscitur quid sit subiectum, aut quid sit prædicatum conclusionis ; vnde non est præcognitum distinctum à subiecto aut prædicato.

*Dices* : Duæ sunt præcognitiones, ergo duo tantum erunt præcognita. *Respondeo* negando consequentiam, quia possunt plura cognosci per cognitiones eiusdem rationis, vt etiam in proposito fit, nam cognitio, quæ haberi debet de subiecto conclusionis, est cognitio quid est, & talis etiam est cognitio, quæ habetur de prædicato conclusionis.

Quid præcognitio an sit.

*Quæres* quid intelligitur per præcognitiones *an sit*, & *quid sit* ?

Quid sit.

*Respondeo* per *an sit* intelligi illam cognitionem, qua intelligit quis præmissas esse veras, vel qua intelligit aliquid existere vel posse existere ; per *quid sit* vero intelligitur illa cognitio, qua cognoscitur de re quid sit, siue distincte, vt importatur per definitionem, siue confuse, vt importatur per nomen.

### QVÆSTIO II.
*Quid sit Demonstratio.*

4. DVobus modis definiuit Philosophus Demonstrationem, primo sic: *Demonstratio est syllogismus faciens scire*, quæ descriptio est desumpta ex fine demonstrationis, qui est generare scientiam; secundo sic ; *Demonstratio est syllogismus constans præmissis veris primis, immediatis, prioribus, notioribus, & causis conclusionis* : quæ descriptio est materialis, ostendens qualis debet esse materia, ex qua confici debet demonstratio. Vtraq; autem harum demonstrationis descriptionum est bona, quia omni, & soli conuenit; sed posterior magis deseruit ad cognoscendum, quomodo debeat confici; & propterea latius explicari solet.

Præmissæ demõstrationis debent esse veræ,

Itaque *primò* dicitur, quod præmissæ demonstrationis debeant esse *veræ*, quia licet ex falsis possit sequi verum aliquando, tamẽ nunquã propositio *falsa* potest esse causa veritatis propositionis veræ; vnde cum in demonstratione à priori, qualis hic definitur, cognoscatur veritas conclusionis propter causam expressam in præmissis, non potest fieri, vt præmissæ demonstrationis sint falsæ: debent ergo esse veræ. Tunc autem præmissæ obiectiuæ sunt veræ; quando vel, si sunt affirmatiuæ, prædicata eorum habent connexionem cum subiecto, vel, si sunt negatiuæ, prædicata non habent talem connexionem: præmissæ verò formales tunc erunt veræ, quando sunt conformes suis obiectis.

Itẽ primæ & immediatæ.

5. *Secundò* dicitur quod debeant esse *primæ*, & *immediatæ*, (per quas duas particulas idem significatur, quidquid dicant aliqui alij) hoc est, debent esse indemonstrabiles à priori, & hoc vel formaliter, vel virtualiter: formaliter aliqua propositio est indemonstrabilis à priori, quando re vera non possunt dari aliæ propositiones, quibus à priori demonstretur: & sic hæc propositio est prima & immediata: homo est animal rationale; & hæc: animal rationale est risibile, ex suppositione quod risibilitas sit passio immediate fluës à rationalitate. Virtualiter verò aliqua propositio est indemonstrabilis à priori, quãdo re vera potest demõstrari per alias propositiones, sed quis eã actu demonstrauit, & recordatur se eam demonstrasse? Quod autem vtraque hæc indemonstrabilitas sufficiat, patet ex Philosopho 1. *Topic.* vbi describens demonstrationẽ ait *eam esse ex primis, veris, aut ex ijs quæ deducuntur ex primis & veris.*

Itẽ priores & notiores.

*Tertiò* dicitur quod debeant esse *priores* & *notiores* conclusione; priores quidem, quia ex iis procedimus ad conclusionem; notiores verò, quia dependenter à notitia eorum deuenimus ad notitiam conclusionis ita, vt non possimus scire conclusionem; nisi iis cognitis, possimus verò eas cognoscere, quamuis nesciremus conclusionem; quotiescumque autem aliquid nequit cognosci, nisi aliud cognoscatur, aliud vero potest cognosci sine ipso, certum est illud aliud esse notius ipso, quia est facilius cognoscibile: idem autem est hic aliquid esse notius ac facilius noscibile, vel tale, quod prius potest ac debet cognosci.

Propter quod vnũ. quodque tale, & illud magis.

*Philosophus* probauit hanc conditionem vulgari illo axiomate: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: ergo cum propter præmissas conclusio si nota, ipsæ debent esse magis notæ.

6. *Sed cõtra istud axioma obijci potest*, quod Filius sit homo propter Patrem, & tamen non propterea Pater est magis homo, quam Filius: similiter homo fit ebrius propter vinum, & tamen vinum non est magis ebriũ. Deinde homo moritur propter infirmitatem, & tamen ipsa infirmitas non moritur magis: denique Petrus est homo propterea quod sit animal rationale, & est corruptibilis propter materiam, & tamẽ animal rationale nõ est magis homo, neque materia est magis corruptibilis quã homo: ergo non videtur illud axioma valere.

*Respondeo* illud non habere locum, nisi occurrentibus quibusdam conditionibus, quarum *prima est*, quod illa ratio, quæ dicitur magis conuenire vni, quam alteri, conueniat vtrique, & defectu huius non currit axioma in illis exemplis de ebrietate, & infirmitate, & materia prima. *Secunda conditio* est, vt illa ratio suscipiat magis, & minus, & defectu huius non currit in exemplo de homine. *Tertia conditio* est, vt illa ratio, quæ dicitur magis conuenire, non sit eadem numero, quæ conuenit alteri, & defectu huius non sequitur: homo est risibilis propter rationale: ergo rationale est magis risibile, quia eadem numero risibilitas conuenit vtriq;

7. *Dices*: aliquod calidum posset tãtum caloris in alio producere, quantum ipsummet haberet, & in tali casu propter ipsum, illud aliud esset calidum, & tamen ipsũ non esset magis calidũ, sed æquè calidum, non obstante quod esse calidum susciperet magis & minus; & quod vtriq; competeret; & quod non esset idem numero calor in vtroq;. Propter hoc existimo addendam *quartam conditionem*, quæ tamen communiter non additur, nimirum quod illud, quod dicitur magis tale, non communicet illam formam, secundum quam dicitur tale, alteri in eodem gradu, quo sibi communicatur.

Posset tamen breuiter dici quod Philosophus non intellexerit suum axioma, nisi in illa materia determinata, de qua illud protulit, ita, vt tantum intellexerit per illud, quod propter quod vnumquodque est tale, id est notum, & illud magis tale, id est magis notum: quo quidem sensu est verissimum, quia, vt dixi, illud dicitur notius alio, quod prius cognoscitur, & minori cum dependentia; illud autem, propter quod cognitum aliud est notum, prius cognoscitur, & minori cum dependentia, & propterea debet esse notius.

Præmissæ sunt euidentiores conclusione.

Ex quo sequitur quod præmissæ sint etiam *euidentiores* conclusione, quia illud est magis euidens, quod magis apparet; illud autem magis apparet, quod minus requirit, vt appareat, & illud minus requirit vt appareat, quod minus dependet vt appareat; cum ergo conclusio dependeat à præmissis, vt appareat; non è contra, sequitur præmissas esse euidentiores.

*Dices*: hinc sequeretur quod, quo magis esset aliqua conclusio remota à principiis, eo minus esset euidens, & nota, & consequenter quod esset aliqua conclusio, quæ nullam haberet euidentiam.

*Respondeo* concedendo sequelam, & negando consequentiam, quia licet vltima cõclusio haberet minorem, haberet tamen aliquã: quod si daretur aliqua conclusio, ante quam essent infinitæ conclusiones demonstrandæ, profecto nisi esset aliquis intellectus, qui posset demõstrare omnes illas conclusiones, nihil prorsus haberet euidentiæ: sed casus est impossibilis, vt fateri debent omnes: eo tamen admisso concedendum esset primam conclusionẽ infinities excedere in euidentia illam aliam conclusionem, nec de hoc dubitari potest in hoc sensu.

Præmissæ non sunt certiores nec vtiores conclusione.

8. *Quæres*, vtrum sint etiam certiores & veriores? *Respondeo* negatiue, non quod existimem vnam propositionem non posse esse certiorem altera, quia secũdum communem Theologorum opinionem propositio credita ob fidem diuinam est certior, quam propositio scita lumine naturali. Cuius ratio est (vt omittam authoritates, quæ citari solent in materia de Fide) quod illa propositio sit certior & verior, cuius certitudo & veritas dependet à principio magis infallibili, quam principium, à quo dependet veritas alterius: cum ergo veritas diuina reuelans, quæ est principiũ, cui innititur propositio fidei, vt talis, magis sit indefectibilis, quia infinita, quàm principium naturale quod non est infinitum, sequitur propositionem de fide esse magis certam & veram, quam propositio aliqua lumine naturali nota.

Ratio ergo quæ me mouet ad respondendum quæsito hoc modo, est, quod conclusio, vt talis, non sit minus necessariæ connexionis, quam præmissæ, nec innitatur aliis principiis quam ipsismet præmissis; & propterea non video, cur non esset tam vera ac certa, ac ipsæmet præmissæ sunt.

*Ex conditionibus* requisitis ad præmissas demonstrationes restat vltima, nimirum quod debeant esse causæ conclusionis: quam sequenti quæstione examinabimus.

*Aduertendum autem hic*, quod veritas actus potest considerari dupliciter, *primò* vt dicit conformitatem ad obiectum materiale terminatiuum; & sic considerata veritate, vnus actus non potest esse verior altero: *alio modo*, vt dicit ordinem ad obiectum formale, seu ad modum, quo habetur, seu principia quibus innititur; & sic vnus actus potest esse verior altero, si innititur verioribus principiis aut certioribus.

## QVÆSTIO III.

*Quomodo præmissæ debeant esse causæ conclusionis.*

9. NOn quæritur vtrum præmissæ sint causæ determinantes intellectum ad assensum cõclusionis, nec in quo genere causæ eum determinent, quia de hoc actum est præcedenti disputatione: sed vtrum præmissæ sint causæ, quare à parte rei conclusio sit vera, & si sint,

vtrum

vtrum sint actualis causa an virtualis; per se,an per accidens, particularis , an vniuersalis.Pro quo aduertēdū est , quid intelligatur per huiusmodi causas. Itaque per *causam actualem* intelligitur,quæ vere & realiter per influxum physicum efficit aut causat,vt prædicatum conclusionis insit subiecto eius,taliter vt possit de ipso prædicari , Sic Sol est causa lucis,ignis caloris. Per *causam virtualem* intelligitur causa , quæ per influxum realem non causat talem connexionem inter prædicatum & subiectū conclusionis,licet reuera ab ipso procedat, vt sit talis cōnexio taliter,vt si ipsum non esset, non esset etiam talis connexio. Sic rationale dicitur causa risibilitatis,essentia diuina causa intellectus & voluntatis diuinæ &c. Per *causam per se* intelligitur illa causa,quæ ex se ordinatur ad aliqnem effectum ; per *causam* vero *per accidens* intelligitur,quæ ex se non ordinatur ad effectū & tamen vel coniungitur casu aliquo cum causa per se respiciente illum effectum, & sic Rhetor dicitur ædificare;vel effectus, cuius dicitur esse causa per accidens, cōiungitur casu aliquo cum effectu per se talis causæ,& sic fodiens terram dicitur causa inuentionis thesauri.

Quid causa actua.

Quid virtualis.

Quid causa per se.

Quid causa per accidens.

*Causa per se* diuiditur in vniuersalem & Particularē. *Vniuersalis* est,quæ per se quidem respicit effectum,sed non magis respicit vnum , quam alterum ex se,nisi determinetur aliunde. Sic Deus & Sol dicuntur causæ vniuersales rerum sublunarium communiter , quas iuxta exigentiam causarum particularium efficiunt,nunc has nunc illas. *Causa particularis* est,quæ est determinata ad quosdam effectus speciales ex natura sua , vt ignis ad calorem & ignem , aqua ad aquam & frigus:& huiusmodi causa particularis est duplex, *proxima* , à qua res proxime & immediate dependet, vt se habet rationalitas ad risibilitatem;& *remota* , à qua non dependet res nisi remote & mediate,vt se habet animal ad risibilitatem. *Rursus* causa proxima & remota potest esse conuertibilis cum effectu,nam quædam potest esse conuertibilis cum effectu,ita scilicet,vt nec effectus possit esse sine ipsa,nec ipsa sine effectu,& sic se habet rationalitas ad risibilitatē,admiratiuitatem,& cæteras hominis proprietates; quædam etiam potest non esse conuertibilis cum effectu,& taliter se habet animal ad risibilitatem; quandoquidem licet risibilitas nequeat esse sine animalitate,potest tamen animalitas esse sine risibilitate.

Quid causa per se vniuersalis.

Quid particularis.

## CONCLVSIO I.

Præmissæ demonstrationis propter quid debent esse causa conclusionis in essendo & cognoscendo.

1 0 *Præmissæ demonstrationis propter quid, seu à priori,quæ superius definita est, debent esse causa conclusionis non solum in cognoscendo ita scilicet , vt determinent intellectum ad cognoscendum quod conclusio sit vera ; sed etiam in essendo, ita scilicet , vt in illis exprimatur causa , ratione cuius à parte rei sit connexio inter prædicatum & subiectum conclusionis.* Hæc est communis,*&* probatur , quia alio modo præmissæ debent esse causæ conclusionis in demonstratione à posteriori, ac in demonstratione à priori: Sed in hac sunt causæ conclusionis in cognoscendo: ergo in illa debent esse in essendo.

*Confirmatur* , quia ideo dicitur demonstratio à priori esse talis;quia in ea conclusio cognoscitur propter causam ipsius in essendo , nam alias non magis esset propter quid , quam demonstratio à posteriori.

## CONCLVSIO II.

Sufficit eas esse causas virtuales.

11. *Ad veram demonstrationem à priori sufficit , quod præmissæ sint causæ virtuales conclusionis in essendo.* Hæc est etiam communis , *&* probatur , quia in Metaphysica habetur vera scientia à priori de ente , quod sit vnum verum , & bonum , & tamen præmissæ , quibus mediantibus habetur talis scientia , non sunt causæ actuales, sed tantum virtuales. Similiter demonstratio, qua demōstraretur de homine per rationale,quod esset risibile,& de corpore naturali,quod esset mobile propter naturalitatē,esset vera demōstratio,& tamen neque rationalitas est causa actualis risibilitatis,nec naturalitas mobilitatis, quandoquidē risibilitas idētificetur ratio nalitati, & mobilitas naturalitati corporis.

*Obijcies*:Per demonstrationē à priori scitur conclusio proprie:ergo per causam propiam,& consequenter per actualem , quia virtualis causa non est proprie dicta causa.

*Respondeo* distinguendo consequens per causam propriam realiter influentem , nego consequentiam ; per causam propriam, à qua aliquo modo emanat, & ratione cuius extrema conclusionis habent connexionem, concedo,& nego secundam consequentiam;& similiter distinguo eius probationem.

## CONCLVSIO III.

Non sufficit vt sint causæ per accidens.

12. *Non sufficit ad demonstrationem causa per accidens.* Hæc est communis , & *patet* quia demonstratio debet ostendere rem per causam,per quam sit ita,vt non contingat aliter fieri : saltem naturaliter : sed talis non est causa per accidens , vt patet.

*Confirmatur*,quia causa,per quam demonstratur effectus à priori,potest per talem effectum à posteriori demonstrari:sed causa per accidens non potest sic demonstrari per effectum, nec enim aut ex ædificatione potest colligi,quod quis sit Rhetor, aut ex inuentione thesauri,quod quis foderit.

## CONCLVSIO V.

Debēt esse causæ conuertibiles.

13. *Nec causa vniuersalis nec causa particularis non conuertibilis sufficit ad demonstrationem à priori , sed requiritur causa particularis conuertibilis.* Hæc quoq; communis est, & *probatur prima pars*,quia vt demonstretur aliquid propriè , debet assignari talis causa , quæ quietet intellectum : sed causa vniuersalis non quietat , nullus enim intellectus quietaretur , si interroganti cur nasceretur monstrum , assignaretur pro causa influxus Dei aut Solis. *Probatur secunda pars*, quia per demonstrationem ostenditur causa specialis,vnde prouenit connexio prædicati & subiecti conclusionis : causa autem remota non est talis , quandoquidem possit esse sine effectu. Verum quidem est , quod posset demonstrari absentia alicuius effectus ob absentiam talis causæ remotæ,euidenter enim sequitur,quod lapis non sit risibilis,ex eo, quod nihil sit risibile nisi animal, & quod lapis non sit animal ; sed hic loquimur de demonstratione positiua non negatiua. Ex his sequitur manifeste tertia pars.

*Aduertendum tamen primò*,causas vniuersales habere posse aliquos effectus particulares,ad quos ex se determinantur , & qui propterea possunt per ipsas demonstrari;sed respectu horum non se habent, vt causæ vniuersales, sed vt particulares.

Posset aliquando demonstrari effectus per causam non conuertibilē.

*Aduertendum secundò*,posse effectum esse conuertibilem cum causa dupliciter,primo simpliciter & sine hypothesi,vt quando neutrum posset esse sine altero vllo modo.Secundò ex hypothesi,& secundum quid, quando scilicet effectus posset esse sine causa , quia scilicet alia causa producere ipsum posset , quæ tamen causa non esset præsens, vt posset ipsum actu producere , aut si esset,non vellet ipsum producere,& per causam cum qua esset conuertibilis hoc modo,posset demonstrari,si ostenderetur euidenter, quod alia causa non produceret ipsum.

13. Præter has conditiones demonstrationis Philosophus 1. *Post. cap.* 4. ait demonstrationem à se definitam debere constare præmissis necessariis,& subiungit propositionem , vt esset necessaria sufficienter , debere esse de omni,per se,& de vniuersali; quæ tres conditiones ad maiorem demonstrationis notitiam explicandæ sunt.Itaque *propositio de omni* est illa,*cuius prædicatum non est* (inquit Philosophus) *in aliquo quidem sic,in aliquo vero non:neque aliquando sic,aliquando non*; id est,cuius prædicatum inest omni subiecto & semper , vt risibilitas cōpetit homini. Requiritur ergo ad propositionē de omni duplex vniuersalitas,vna ex parte subiecti, quia scilicet omni subiecto tali debet cōpetere;& altera ex parte temporis, quia debet competere ipsi omni tempore. Hæc tamē vniuersalitas temporis est triplex; quædam; quando prædicatum competit subiecto omni omnino tempore,& talem vniuersalitatē habet hæc propositio: homo est risibilis:quædam, quando competit ipsi sēper in ali

Quid est propositio de omni.

Ad eam duplex vniuersalitas requiritur.

in aliquo determinato tempore, & talem vniuersalitatem habet hæc propositio: Luna eclipsatur: quædam denique, quando competit ipsi semper statuto aliquo tempore, nisi causa aliqua naturalis impediat, quæ vt plurimum impedire non solet: huiusmodi vniuersalitatem habet hæc propositio: tempus est pluuiosum in hyeme, & calidum in æstate; senes sunt cani.

Quadrupliciter propositio potest esse per se.

*Quantum ad secundam conditionem, propositio per se* potest esse quadrupliciter: *Primò*, cum prædicatum est de essentia subiecti, vt cum dicitur, homo est ens: homo est animal, homo est rationalis. *Secundò*, quando prædicatum non est de essentia subiecti, sed ab eius essentia emanat & profluit necessariò, vt cum dicitur, homo est risibilis, admiratiuus, &c. *Tertiò*, quando prædicatur existentia de aliquo, quod non est natum inhærere alteri, vt cum dicitur: homo est, substantia est existens. *Quartò*, quando prædicatur effectus de sua per se causa vt cum dicitur, iugulatus interiit, lapidatus male habuit. Ex his autem quatuor modis, quibus propositio potest dici per se, soli duo primi modi sufficiunt ad necessitatem requisitam in præmissis demonstrationis: nam certum est, quod sit omnino contingens vt homo existat, & quod propterea propositio id asserens non sit necessaria; vnde reijcitur tertius modus. Deinde effectus & causa sæpe non conuertuntur, & propterea in propositionibus tertij modi non esset sufficiens necessitas: potest enim aliquis interire, qui non sit iugulatus, & potest etiam aliquis lapidari, & non male se habere.

Quando propositio est de vniuersali.

*Quantum denique ad tertiam conditionem, propositio* tum est *de vniuersali*, quando prædicatum conuenit omni subiecto per se primo, aut secundo modo, & secundū quod ipsum; vnde hæc propositio non est de vniuersali: homo vigilat, quia non competit omni; neque hæc: homo est coloratus, quia licet id competat omni homini, non tamen per se; nec denique hæc: homo est sensitiuus, quia licet competat id per se omni homini, non tamen secūdum quod ipse, id est, secundùm quod homo, quia aliquid est sensitiuū, quod non est homo; hæc autem propositio est de vniuersali: homo est rationalis, homo est risibilis. Potissima autem via ad colligendum, quod prædicatum non conueniat subiecto, secūdum quod ipsum est, si reperiamus quod conueniat alteri à subiecto, aut si reperiamus quod non sit cōuertibile cum ipso.

## QVÆSTIO IV.

*De speciebus Demonstrationis vt sic, & de medio eiusdem.*

15 COmmuniter diuiditur *Demonstratio* in *Demonstrationem propter quid*, & in *demōstrationem quia* & per *demonstrationem propter quid* intelligitur illa, in qua scitur conclusio propter causam proximam & adæquatam, à qua prouenit, quod extrema eius sint cōnexa: per *demonstrationem* verò *quia* intelligitur illa, per quam sciretur quidem certò, & infallibiliter conclusio esse vera, non tamen cognosceretur causa proxima & adæquata veritatis eius: sed vel à posteriori procedit, hoc est ab effectu, vel à causa aliqua remota, vt cum ostenderetur, quod lapis non esset risibilis ex eo, quod non esset animal. Quidam autem antiqui negant huiusmodi demonstrationem, quia *Philosophus* enumeratis conditionibus requisitis ad demonstrationem propter quid & à priori, *primo Post. tex. 9.* ait: *Sine his syllogismus quidem erit; demonstratio autem non erit, non enim faciet scientiam.* Verùm manifestum est, quod ibi loquatur de demonstratione & scientia perfectissima, & per hoc horum authorum fundamentum corruit.

## CONCLVSIO.

Demōstratio quia est vera demonstratio.

16 *Demonstratio quia, est vera demonstratio, & demonstratio vt sic, adæquate diuiditur in eam, & demonstrationem propter quid.* Hæc est communis & *probatur prima pars* tum authoritate Philosophi id expresse fatentis *primo Post. tex. 95. & 96.* tum etiam quia per demonstrationem nihil aliud intelligimus quam orationem, in qua ex præmissis certis, & euidentibus deducitur conclusio certa & euidens: sed manifestum est demonstrationem, in qua ex effectu colligeretur causa, posse esse talem, verbi gratia hanc: omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis; & hanc nullum ens est risibile, quod non est animal: nullus lapis est animal ergo nullus lapis est risibilis, ergo demonstratio *quia* est demonstratio.

*Confirmatur*: notitia habita per talem syllogismum est scientia, quia est cognitio discursiua euidens, & certa opposita opinioni, & fidei: ergo syllogismus ille est demonstratio: probatur consequentia, quia demonstratio vt sic est syllogismus faciens scire.

*Probatur secunda pars*, quia non potest dari vlla demonstratio, in qua non demonstretur conclusio per causam proximam, & adæquatam eius, vel sine tali causa, si primum fiat, erit demonstratio propter quid; si secundum, erit demonstratio quia: ergo adæquate diuiditur demonstratio vt sic in vtramque.

Quomodo distinguitur demonstratio quia & propter quid.

*Si autem quæratur*, quomodo distinguantur. *Respondeo* quod ex parte forma non necessario distinguantur, quia possunt fieri in eodem modo, & figura, verbi gratia in *Barbara* aut *Celarent*: ex parte tamen materiæ distinguuntur specie, quia vna est essentialiter nata generare perfectissimam scientiam, altera non sic.

Multiplex demōstratio propter quid.

*Aduertendum autem*, vt descendamus ad secundam partem quæstionis, demonstrationē propter qnid esse multiplicem: nam quædam est, in qua demonstratur proprietas de subiecto, à quo emanat, & sane hæc demonstratio est potissima, & præcipua demonstratio; quædam autem in qua demonstratur aliquid aliud de subiecto, quod non sit proprietas eius. Rursus quædam est in qua probatur effectus simpliciter conuertibilis, id est, qui nequit esse vllo modo sine causa per quam demonstratur; & quædam in qua Demonstratur effectus, qui licet simpliciter posset reperiri sine illa causa, naturaliter tamen non potest.

## CONCLVSIO II.

17. *Medium in demonstratione potissima debet esse, vel definitio subiecti, vel aliquid demonstratum, per illam tanquam per medium.* Hæc est *Doctoris* multis locis *& probatur*, quia passio non potest demonstrari per aliam causā à priori, nisi per illā definitionem: ergo quandoquidem in demonstratione potissima demonstretur passio, non potest aliud esse medium talis demonstrationis, quam definitio subiecti: & certe hinc fit, vt quoties dubitatur vtrum aliqua proprietas competat alicui rei, recurratur ad eius definitionem; & non ob aliam causam tradidit Philosophus præcepta de definitione, quam quia est medium demonstrationis potissimæ.

*Dices*, passionis definitionem sufficere ad probandum ipsam de subiecto; verbi gratia aptitudo ad ridendum, quæ est definitio risibilitatis, potest esse medium ad probandum, quod risibilitas conueniat homini.

*Respondeo* hoc negādo, quia causa, cur risibilitas conueniat homini, non est quod sit aptitudo ad ridendum, sed quod homo si animal rationale.

*Confirmatur* conclusio, quia demonstratio potissima est, quæ generat perfectissimam scientiam, quæ non potest aliter vlla ratione se habere: sed nulla demonstratio potest hoc præstare, nisi illa cuius medium sit definitio subiecti, vt patet discurrendo per omnes demonstrationes, quæ ab aduersariis assignari possunt, in quibus non ponitur definitio subiecti pro medio.

*Ex hoc patet*, non posse per omnia causarum genera demonstrari conclusio vlla demonstratione potissima, nisi quatenus posset definitio subiecti habere rationem omnium istarum causarum, prout aliqui asserunt dicentes, quod habeat rationem causæ materialis, quatenus est quæ recipit in se ipsam passionē: formalis, quatenus est ratio formalis, ob quam competit subiecto, habere talem proprietatem; efficientis, quatenus est principiū à quo emanat proprietas; finalis deniq; quatenus ad complementū eius ordinatur proprietas illa.

*Dices*, posse demonstrari de homine per finem extrinsecum eius, nempe per beatitudinem, & per hoc quod habeat intellectum, & voluntatem, quod sit potens elicere actus liberos.

*Respondeo*, quod non per demonstrationē potissimā, nisi

nisi quatenus prius demonstraretur per suam definitionem tanquam per medium quod haberet intellectum & voluntatem, aut quod esset ordinabilis ad beatitudinem inam quod habeat intellectum, & voluntatem, aut quod sit ordinabilis ad beatitudinem, est demonstrabile de ipso per suam definitionem à priori, & consequenter nō sunt præmisse sufficientes ad demonstrationem, vt patet ex dictis *qu.* 2.

18. *Obijcies* ex *Zabarella*: demonstrationes, quibus ostēditur eclypsim inesse Lunæ ob interpositionem terræ inter eam, & Solem & tonitru inesse nubi propter extinctionem ignis, & folia arborum cadere propter humoris congelationē, esse propriissimas, & perfectissimas demonstrationes, & tamen in iis non demonstratur propria passio per definitionem subiecti. Probatur maior, quia Philosophus illis demonstrationibus accommodat omnia præcepta demonstrationis potissimæ à se definitæ: ergo sunt tales demonstrationes.

*Respondeo* negando maiorem: quia scientia, quæ habetur de conclusionibus prædictorum discursuum, non est simpliciter necessaria, neque propositiones ex quibus cōficiuntur, sunt simpliciter necessariæ, quia sine dubio posset Luna eclypsari, quamuis terra non interponeretur, & posset etiam non eclypsari, quāuis interponeretur terra de potentia absoluta: possent etiam folia arborum cadere nō congelato humore, & eo congelato non cadere; similiterque dicendum de tonitru in nube, & de omnibus similibus. Philosophus autem accommodauit iis præcepta demonstrationis potissimæ, non quasi essent tales, sed quod quemadmodum in iis discursibus ostendebatur effectus per causam: (vt communiter reputabatur, & forte etiam verum est naturaliter loquendo) ita in demonstratione potissima medium erat causa effectus demonstrati in ea, licet esset maximum discrimen, quia in demonstratione illa de eclypsi, & reliquis illis, medium erat causa extrinseca, & non simpliciter cōuertibilis; in demonstratione verò potissima medium esse deberet causa intrinseca, & simpliciter conuertibilis. Si quis tamen vellet per demonstrationem potissimā accipere illam, in qua ostenderetur effectus per causam conuertibilem siue simpliciter, siue naturaliter tantum, sine dubio prædicti discursus essent demonstrationes potissimæ. Sed certè in quæstione de nomine peiorem partem haberet, vt ex tractatu *de Scientia* magis cōstabit, licet de tali quæstione non sit malum curandum.

De medio demonstrationis *quia*, sufficit aduertere, quod si effectus ille, quo mediante probatur causa; vel causa remota, ex cuius carentia ostenditur effectus: ille autem effectus debet esse talis, vt non possit esse simpliciter, quin sit talis causa, siue causa possit esse sine effectu, siue non.

## QVÆSTIO V.

### *Virum detur regressus demonstratiuus.*

REgressus demonstratiuus est processus, in quo id, quod fuit demonstratum in vna demonstratione, sumitur pro principio ad probandum aliquam ex præmissis quibus ipsummet erat demonstratum, vt si quis post quam demonstrauit omnem hominem esse rationalem, quia omnis homo est risibilis, postea vellet demonstrare comnem hominem esse risibilem, quia omnis homo est rationalis.

### CONCLVSIO.

Regressus demonstratiuus quando valet, & quando non.

19. *Huiusmodi regressus valet & vtilis est scientiis, quoties habetur sufficiens cognitio de præmissis prima demonstrationis independenter à secunda demonstratione, quoties autem non datur talis cognitio, non valet.*

Hæc in terminis est nullius, quod sciam; *probatur tamen quoad primam partē*, quia in tali casu conclusio prioris demonstrationis est certa & euidēs intellectui: ergo potest esse præmissa sufficiens ad demonstrandam quācumq; conclusionem, quæ sequitur ad ipsam: sed vna ex præmissis sequitur necessariò, & infallibiliter ad ipsā: ergo vna ex illis præmissis potest demonstrati per ipsā, & consequēter dati potest regressus demonstratiuus in tali casu. Quod autem sit vtilis patet, quia vtile est cognoscere demonstratiue conclusionem quacumq; via.

*Probatur conclusio, quoad secundam partem*, quia non potest haberi prima demonstratio sine præmissis notis; sed si non essent notæ præmissæ independenter à secūda demonstratione, non essent sufficienter notæ: ergo non posset haberi prima demonstratio, & consequenter implicat fieri regressum demonstratiuū in tali casu.

20. *Obijcies contram primam partem*: præmissæ demōstrationis primæ sunt notæ euidenter, & certitudinaliter intellectui ante secundam demonstrationem: ergo superflue demonstrarētur per secundā demonstrationē.

*Confirmatur*, quia sunt notiores, quàm conclusio demonstrata: ergo conclusio demonstrata non potest esse principium ad demonstrandam vllam ex ipsis. Probatur consequentia, quia vt esset principium, deberet esse notius, & consequenter notius & ignotius, quod est absurdum.

*Respondeo* negando consequentiam: nam quo plures habemus vias ad cognoscendum aliquid, eo melius.

*Ad confirmationem aliqui respondent* præmissas posse esse notiores conclusione demonstrata in vno genere, & ignotiores in alio genere, ac propterea in illo alio genere eas posse demonstrari per conclusionem: si autē quæratur in quo genere sunt notiores, & in quo ignotiores, dicunt quod possunt esse notiores natura, & ignotiores quoad nos, verbi gratia in hac demōstratione: omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo risibilis. præmissæ sunt natura sua notiores quam conclusio, conclusio vero notior quoad nos, quia ex risibilitate colligimus rationalitatem. Vnde non est mirum quod per rationalitatem possit probari risibilitas, & è contra per risibilitatem rationalitas.

21. *Verum hæc solutio*, quamuis sit communis, & propter eam multi teneant oppositū secundæ partis cōclusionis, non videtur subsistere: nam non sufficit, vt aliquid sit principium demonstrationis, quòd sit notius conclusione natura, sed debet esse notius demonstranti, alias nunquam demonstrabit. vt enim assentiatur conclusioni demōstrationis, debet assentiri præmissis: quomodo autem potest assentiri præmissæ, si quoad ipsum non sit nota? Itaque existimo esse omnino impossibile regressum demonstratiuum, siue in eodem, siue in diuerso genere causæ, nisi iuxta limitationē cōclusionis.

*Alij respondent* quod præmissæ demonstrationis à priori sint notiores quoad cognitionē distinctā quàm conclusio; hæc vero quoad cognitionē confusam potest esse notior quam præmissæ; & consequenter ad demonstrandam aliquam ex præmissis illis potest assumi conclusio, vt cognita cognitione confusa, & ad demonstrandam conclusionem, seu ad faciendum quod intellectus habeat cognitionem distinctam de ea, potest assumi præmissa antea per ipsam demonstrata.

*Hæc solutio* quamuis vera esset, non præiudicaret cōclusioni, quia supponit cognitionē sufficientem haberi de præmissis primæ demonstrationis independenter à secūda demonstratione, quod est intentū conclusionis. Sed reuera tamen ex alio capite videtur valde difficilis: nam asserit cognitionem confusam præmissæ sufficere posse ad causandam cognitionem distinctam, conclusionis, quod videtur fieri nō posse. *Deinde* cognitio illa distincta, quæ haberetur de conclusione per cognitionē confusam præmissæ, non posset assumi ad generandā cognitionem distinctam præmissæ, quandoquidē alias cognitio confusa præmissæ concurreret ad causandam cognitionem distinctā eiusdem præmissæ. *Rursus* valde difficulter declarari potest, quomodo præmissæ demonstrationis possunt confuse cognosci, quandoquidem debeant esse propositiones per se notæ.

Sed vt res ipsa melius adhuc appareat, examinemus eam in exemplo demonstrationis, qua aliquis velit demonstrare à priori hanc conclusionem: Luna eclypsari potest, hoc modo: potest eclypsari, si potest interponi terra inter ipsam, & Solē sic, vt illuminari non possit à

Sole;

Sole;sed potest sic interponi terra : ergo potest eclypsari. Si cognitio habita de hac conclusione sit distincta,vel est distincta quatenus termini ipsius apprehenduntur clare,vel quatenus cognoscitur certo per eam, quod conclusio sit vera, vel quatenus non solum cognoscitur esse vera,sed cognoscitur causa cur sit vera.Si quatenus termini apprehendũtur clare,& cognoscitur certo veritas conclusionis, certè præmissæ etiam sunt cognitæ distinctè & non confusè,quia tam bene apprehenduntur termini earum,& tam certo cognoscuntur esse veræ ; si quatenus cognoscitur causa veritatis,ergo non potest haberi illa cognitio absque cognitione illa præmissarum , quibus mediantibus cognoscitur illa causa.Tunc sic, quando illa sic cognita assumeretur ad probandam præmissam , verbi gratia ad probandum quod possit poni terra inter Lunam & Solem, haberetur cognitio confusa de illa propositione,& cognitio, distincta:confusa quidem, quia haberetur illa cognitio quæ requirebatur ad cognitionem illius conclusionis: Luna potest eclypsari ; distincta vero , quia haberetur cognitio altera habita per cognitionem illã distinctam.

*Itaque respondeo aliter* distinguendo consequens ; vt demonstrata,concedo?vt cognita alio modo quam per illam præmissam quam demonstrat , nego consequentiam; & concessa probatione eius , distinguo vltimum consequens : esset notius & ignotius secundũ diuersas cognitiones,concedo;secundũ cognitiones eiusdem-rationis,nego.Præmissæ ergo primæ demonstrationis essent notiores conclusione,quatenus conclusio non cognoscitur nisi per illas ; quatenus vero cognosceretur aliunde , & propter eam sic cognitam cognoscerentur præmissæ,esset notior præmissis.

*Hic autem obiter aduertendum* , regressum demonstratiuum in hoc distingui à circulo inutili,quem à veteribus aliquibus admissum Philosophus reprobat , quod in circulo non supponatur alia cognitio de aliqua ex præmissis primæ demonstrationis , quam quæ habetur per secundam , & quod non supponatur alia cognitio de præmissa aliqua secundæ demonstrationis, quã quæ habetur per primam;in regressu autem demonstratiuo non ita fiat, vt patet ex conclusione,& dictis.

# DISPVTATIO XXII.

## DE SCIENTIA.

IStorum artificium Logicũ , de quo in præcedentibus disputationibus ,ad nihil aliud deseruit quam ad acquirendam scientiam & opinionem absq; periculo erroris:quare non erit abs re hic de ipsamet scientia tam habituali quam actuali agere ; & pauca etiam de opinione addere, nec non & fide, propter similitudinẽ. quam habet cum scientia & opinione.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit , & vtrum detur de nouo scientia.*

1. TRes difficultates comprehendit hæc quæstio: *prima* est de natura scientiæ,*secunda* de existentia eius, & *tertia* de noua acquisitione ipsius.

*Pro resolutione primæ difficultatis* aduertendum est ex *Doctore in 3.dist.14.q.1.*scientiæ nomen latissime patere, & plures habere significationes diuersissimas : *Primò* enim capitur pro quocũque actu,quo quis iudicat propositionem aliquam esse vera vel falsam, siue actus ille sit discursiuus,siue nõ discursiuus,siue certus,siue incertus,siue obscurus,siue euidẽs,& hoc modo dicimur scire quæ opinamur & credimus.*Secundò* capitur pro solis & omnibus cognitionibus certis & euidentibus , & sic actus fidei & opinionis nõ sunt scientiæ;bene tamẽ cognitiones primorum principiorum,& conclusionum ex illis deductarum. *Tertiò* pro notitia discursiua certa & euidenti,siue sit discursiua à priori , siue à posteriori,& sic actus,quibus assentimur primis principiis, non sunt scientiæ, bene tamen actus, quibus assentimur conclusioni demonstrationis tam *quia* , quam *propter quid*. *Quarto* denique accipitur strictissime pro sola notitia discursiua certa & euidenti habita per demonstrationem propter quid & à priori.

Ex quibus ipsis explicationibus scientiæ secundum varias eius acceptiones, patet etiam quid sit scientia,in quacunque ex illis acceptionibus ; & solum dubitari poterit , in qua acceptione ex illis accipitur scientia, prout definita est à Philosopho 1. *Post.tex. 5.*& an definitio ibi ab ipso tradita sit bona.Est autem hæc ipsius definitio:*Scientia est cognitio rei,per causam, per quam res est ita , vt non possit aliter se habere.*

CONCLVSIO

2. *Hæc descriptio scientiæ est bona , sumpta scientia in quarta acceptione.* Hæc est communissima cum Philosopho supra,& *probatur*, quia omni & soli conuenit, & absque superfluitate explicat eius naturam,quatenus distinguitur ab omni alia re, Est bona.

Dicitur *cognitio* , quod intelligendũ est de cognitione proprie dicta,quæ est intellectiua,& per hoc distinguitur ab omnibus aliis rebus,quæ non sunt talis cognitio, & conuenit cum omni cognitione intellectiua,vt cum intellecta principiorum,fide,opinione, &c.

Dicitur *rei per causam*,per quod denotatur quod sciẽtia hic descripta debeat esse cognitio habita de aliqua propositione,ex eo quod cognoscatur causa cõnexionis prædicati , & subiecti talis propositionis , & per hoc distinguitur à fide , quæ est cognitio alicuius propositionis habita , non ex eo quod videatur causa veritatis istius propositionis,sed ex eo quod aliquis dixit talem propositionem esse veram.Distinguitur etiam per hoc, & ab intellectu principiorũ,hoc est ab illa cognitione, quam habemus de principiis ob euidentiam ipsorum, seu ob euidentem connexionem primorum principiorum , quam habent ex seipsis independenter ab aliquo medio,ex quo posset inferri ; & à scientia à posteriori, qua cognoscitur veritas alicuius propositionis , ex eo quod videatur aliquis affectus,qui esse non posset absque tali veritate , Nam quamuis possit dici quod illa cognitio habeatur per causam , quæ determinat intellectum ad habendam illam cognitionem , tamen non potest dici quod illa cognitio sit cognitio rei seu propositionis cognitæ per causam; v.g.quando aliquis cognoscit terram esse interpositam inter Solem , & Lunã ex eo quod non appareat Luna , non est verum quod cognoscat terram esse interpositam per causã eius, sed potius per effectum : & hinc patet quod scientia in hac acceptione,& pro vt hic describitur,debeat esse cognitio rei per causam non in cognoscendo tantum , hoc est,quæ sit causa cur cognoscatur res;sed etiam in essẽdo,hoc est quæ sit causa cur propositio scita sit vera.

Dicitur denique , *ita vt aliter se habere non possit* , per quod denotatur, quod sciẽtia debet haberi per causam talem, vt non possit esse talis causa,quin res scita ita se habeat,quemadmodũ scitur aut cognoscitur;& per hoc excluditur error, quo cognosceret , aliquis aliquid per causã, quæ reuera non esset causa;& etiam opinio, qua cognoscetur res per causã , quæ probabiliter esset causa,sed tamẽ non esset tam necessario causa,quin posset propositio cognita per illam esse aliter , quàm cognosceretur, non obstante illa causa , vt si quis cognosceret quod omnis mater dolebit ob mortem filij , eo quod omnis mater diligat filium , & quod amor filij causet dolorem de morte eius.

Nec sufficit ad scientiã proprie dictam hic descriptã, quod aliquis cognoscat rẽ per causam huiusmodi, quæ scilicet sit vere à parte rei causa necessaria veritatis propositionis scitæ; sed debet cognoscere illã esse causam talem,aliàs posset dubitare de re scita non minus,quam si non esset talis causa.Per hæc patet veritas nostræ cõclusionis , ad quam tamen melius percipiendam aliqua obiicienda sunt.

3. *Obiicies*

3. *Obiicies primò*: Vna ex conditionibus scientię proprie dictæ est, quod sit discursiua, & hinc Philosophus descripsit supra damonstrationem per ordinem ad scientiam dicens eam esse orationem facientem scire & propterea etiam dicitur communiter, quod demonstratio sit perfectissimum instrumentum ex omnibus instrumentis logicis, quia scilicet est instrumentum, quo solo acquiri potest scientia: sed illa conditio non explicatur in prædicta descriptione: ergo non est bona.

*Respondeo primò*, ad descriptionem rei non esse necessarium, vt omnes conditiones & proprietates, aut etiam prædicata essentialia eius exprimantur in ea, sed sufficere quod declaretur natura eius secundum aliquam rationem, secundum quam distingui possit ab omnibus, quæ sunt diuersæ rationis ab ipsa: vnde, permissa maiori & minori, negari potest in forma consequentia.

*Respondeo secundò*, authores dupliciter philosophari de scientia supra descripta: aliqui enim dicunt de ratione eius essentiali, & intrinseca esse, quod sit discursiua formaliter loquendo, vel saltem hoc esse proprietatem eius; alii id negant, asserentes sufficere, quod sit virtualiter discursiua, & propterea cõcedũt Deo & Angelis cognitionẽ scientificã, prout à nobis descripta est, etiamsi Deo negent discursum formalẽ, & multi ex ipsis eum negent Angeli. Ita sentit noster *Doctor quæst.* 4. *prologi Bussol.* 10. *quæst.* 5. *Sotus hic capit.* 3. *& plures alij.*

4. Quod ad me attinet, existimo hanc quæstionẽ esse mere de nomine, & indepẽdenter ab eius decisione posse nostram conclusionem defendi. Quod sit de nomine patet, quia non est dubium, quin nomen *scientia* posset capi pro cognitione discursiua formaliter rei per causã, & etiã pro cognitione rei per causam siue discursiua formaliter, siue non; & si priori modo caperetur, certum est, quod scientia deberet esse discursiua formaliter; si posteriori modo, certum est, quod non omnis deberet esse talis formaliter. An autem capiatur primo, vel secundo modo, est mere de nomine, & si attendamus ad verba Aristotelis, certum est quod in illis nulla particula habeatur, per quam limitetur scientia ab ipso descripta ad solam discursiuam formaliter. Nec refert quod ipse loquatur de scientia acquisibili per demonstrationem, nam non est necesse, quod omnis demonstratio sit discursus formalis; cur enim discursus virtualis, per quẽ effectus cognosceretur per causam, non esset demonstratio? Sed, vt dixi, tota hæc controuersia est de nomine, & parui propterea momenti: quare melius est defendere conclusionem independẽter ab ipsa.

Itaque si dicatur non requiri ad scientiam hic descriptam, quod sit discursiua formaliter, distingui debet maior; quod sit discursiua formaliter, nego; quod sit discursiua formaliter, vel virtualiter, concedo maiorem, & nego minorem: eo enim ipso, quò dicitur quod sit cognitio rei habita per cognitionem causæ eius, significatur, quod scientia sit aliquo modo discursiua: nam esse aliquo modo discursiuum, non est aliud quam esse cognitionem vnius propositionis acquisitam per cognitiones aliarum propositionum, ex quarum cognitione necessariò sequitur illa cognitio, & hoc totum significatur per illam particulam. Si vero dicatur ad scientiam hanc rigorosam necessarium esse, quod sit discursiua formaliter, concedi potest maior, & negari debet minor, dicendumque significari rationem discursus per illam particulam, *quod sit cognitio rei per causam*, intelligendo illam sic, vt sit cognitio rei habita per cognitionem aliam distinctam causæ ipsius.

5. Quod totum vt melius percipiatur, aduertendum est discursum formalem esse cognitionẽ vnius propositionis habitam vi duarum aliarum cognitionũ, quibus cognoscuntur præmissæ, ex quibus sequitur illa cognitio. Discursus vero virtualis est, quando eodem actu cognoscit quis præmissas & conclusionem, & cognoscitur cõclusio ob connexionẽ ipsius cũ illis præmissis.

*Obiicies secundò*. De ratione scientiæ est, quod sit certa & euidens: sed in prædicta descriptione nõ exprimũtur hæ proprietates: ergo non est bona.

*Responderi potest primò*, negando consequentiam, propter rationem præmissam in responsione primæ ad obiectionem præcedentem

*Respondeo secundò* negando minorem, eo enim ipso, quo dicitur, quod sit cognitio rei per causam, quæ non possit esse, quin res scita sit, prout scitur, significatur, quod sit cognitio certa: nam ex hoc ipso & illa res scita habet esse talis, & cognoscitur debere esse talis, & non posse esse aliter; ad hoc autem, vt cognitio sit certa, nihil aliud præter hoc requiritur: ergo in prædicta descriptione sufficienter exprimitur certitudo scientiæ.

*Deinde* eo ipso, quo dicitur esse cognitio rei per causam eius in essendo, quæ causa cognoscitur cognitione euidenti (qualiter supponendum est causam illam cognosci debere) esse causa eius, sequitur etiam cognitionem illam debere esse euidentem; nam cognitionem esse euidentem nihil aliud est quàm esse cognitionem, per quam apparet res euidenter: rem autem apparere euidenter non est aliud, quàm vel apparere ex terminis suis, quemadmodum apparent prima principia, vel apparere, ipsam habere cognitionem necessariam cum rebus sic apparentibus, hoc est cum primis principiis. Quamuis autem conclusio non cognoscatur ex vi terminorum apprehensorum, & propterea non sit euidens ex terminis; tamen quando proponuntur principia, ex quibus sequitur, apparet connexio illius cum illis principiis, & propterea, si principia sint euidentia, conclusio etiam euidens censeri debet, cum hoc tantũ discrimine, quod principia prima sint euidentia immediata ex vi ipsorum terminorum apprehensorum sine dependentia ab aliis propositionibus; conclusio verò non sit sic euidens immediate, sed mediate tantum, hoc est cum dependentia ab euidentia aliarum propositionum. Et hinc colligo actum, quo aliquis cognosceret Antichristum esse futurũ, ex eo quod videret euidenter Deum reuelasse futuritionem eius, & præterea reuelationem diuinam esse infallibilem, esse actum euidentem (quidquid dicant alii, & quidquid sit vtrum sit actus fidei, nec ne, de quo in materia de fide Theologica) quia apparet connexio veritatis eius cum illis præmissis, & determinatur intellectus tam ad præmissas, quam ad conclusionem illam iudicandam. Quod autem alii dicunt vlterius ad cognitionem euidentem requiri, quod sit ex aliquibus principiis intrinsecę connexionis cum propositione cognita, vt ex causa eius vel effectu ab ipso procedente, vel ex euidentia terminorũ, omnino gratis dicitur, nec poterunt vnquam assignare rationem, cur cognitio quæ haberetur de causa per effectum eius, sit euidens, & cognitio quæ habetur per duas propositiones euidentes non sit euidens; de quo tamen fusius in prædicta materia, vbi etiam plura tradi solẽt de certitudine cognitionis. Hæc de prima difficultate.

*Actus quo quis cognosceret aliquid esse ex eo quod Deus id dicat, est euidens si Deum dicere, & eum non posse fallere.*

Quantũ ad alias duas difficultates, celebris erat *Academicorum* sententia negãtiũ omnino dari scientiã vllã, cõtra quos fuse tractatu particulari disputauit *S. Augustinus*. Quam quidẽ sententiã non existimo solũ intelligendã de sciẽtia illa rigorosa quartæ acceptionis paulo ante descripta, sed de omni cognitione certa, & infallibili, omnẽ enim talẽ negasse mihi videntur Academici.

Nec minus erat celebris *Platonicorum* sententia, qui dari quidem multarum rerum cognitiones certas, & infallibiles fatebantur, negabant tamen vllam talem de nouo acquiri, sed ante infusas fuisse omnes huiusmodi à Deo animabus, quàm corporibus infunderentur, & ex hac infusione traditas obliuioni, & postea successu temporis, quandoque in memoriam reuocari.

## CONCLVSIO II.

6. *Dantur multarum rerum cognitiones certæ, & infallibiles tam discursiuæ quam non discursiuæ, & quidem de nouo acquisitæ.* Hæc est omnium Peripateticorum, & Theologorum sententia contra *Academicos* quoad primam, & *Platonicos* quoad secundam partem.

*Dantur de nouo cognitiones certæ.*

*Probatur prima pars*, quia experimur in nobis cognitiones multas certas,& infallibiles,de quibus nulla ratione dubitare possumus, vt quod omne totum sit maius sua parte;quod de quolibet verũ sit pro quocunq; instanti temporis quod sit vel non sit ; quod numerus quaternarius constet ex duobus binariis , & sit distinctæ rationis à binario, & ternario ; quod ternarius non possit diuidi adæquate in duos numeros æquales;quod quaternarius possit, quod nos ipsi videamus , audiamus, intelligamus;quod bonum sit amandum, malum fugiendum,Deus sit colendus,parentes obseruandi:ergo dantur plures cognitiones certæ , & infallibiles, Quod vero dentur plures tales non discursiuæ, patet, ex exemplis iam propositis : quod autem dentur etiam plures discursiuæ , patet, quia si dentur aliquæ cognitiones non discursiuæ certæ, nihil obstat quo minus ex pluribus talibus possit inferri aliqua alia cognitio certa mediante discursu : & quod id actu fiat,patet discurrendo per singulas scientias , in quibus multæ tales reperiuntur.

*Confirmatur* ad hominem , quia vel Academici cognoscunt certo, & infallibiliter non dari vllam cognitionem certam,aut vllam rem,de qua possit haberi talis cognitio , vel non cognoscunt ; si cognoscunt, ergo datur aliqua cognitio certa , & obiectum aliquod sic cognoscibile;si non cognoscunt, ergo non debent tam pertinaciter illud asserere contra tot Doctores , qui videntur sibi oppositum cognoscere.

*Probatur secunda pars* , quia experimur de nouo nos acquirere plures tales cognitiones, quas nunquam ante habuimus actu:nec est dicendum quod illas habuimus, antequam animæ corporibus infunderentur, tum quia gratis id diceretur absque authoritate,ratione,experiẽtia:tũ quia quamuis nunquã ante cognouissemus hanc propositionẽ ; quod omne totũ est maius sua parte, eo ipso,quo proponeretur intellectiui, determinaretur ad cognoscendum certò,quod esset vera; & idẽ est de cæteris propositionibus,quæ de facto certo cognoscũtur: ergo quæcunque præcedens cognitio, quæ haberetur de illa propositione,esset impertinens ad illã habendã: tum denique quia falsum est animas fuisse creatas, antequã infunderentur corporibus, vt suo loco dicemus, & definitum est in *Concilio Bracharensi primo cap. 6.*

7.*Obiicies primo* pro *Academicis:*sciẽtia &cognitio quęcumq; certa est de re inuariabili, & necessaria:sed nulla res huius mũdi est inuariabilis,&necessaria:ergo de nulla tali potest haberi scientia, aut cognitio aliqua certa.

*Respondetur primò* cũ communi sententia distinguendo maiorem:de re inuariabili , & necessaria quantũ ad existentiam aut accidentia ita,vt non possit esse indifferens ad existendũ vel non existendũ , sed debeat necessariò exittere , & ita vt non possit perdere aliqua accidentia ex iis,quæ semel habet , aut acquirere aliqua de nouo, nego maiorem ; quantum ad essentiam, & connexionem essentiæ cum suis proprietatibus sic , vt res vnius essentiæ debeat necessariò esse istius essentiæ, & res habens tales proprietates,debeat necessario habere tales proprietates , & non possit esse quin habeat tales, loquendo de proprietatibus metaphysicis , concedo maiorem. Similiter distinguo minorem:res huius mundi sunt inuariabiles quantum ad existentiam aut accidentia, concedo minorem ; quantum ad essentiam , & proprietates,nego minorem, & consequentiam.

*Respondeo secundò* distinguendo maiorem;de re inuariabili , secundum quod cognoscitur certo , concedo; nam quod cognoscitur certo , non potest vnquam ita variari,quin sit, prout sic cognoscitur:de re inuariabili secundum alias rationes , nego maiorem. Et similiter distinguo minorem:nulla res est inuariabilis, & necessaria secundum illam rationem , secundum quam terminat cognitionem certam,nego ; secundum alias rationes,concedo minorem , & nego consequentiam.

*Respondeo tertiò*,de re variabili quoad existentiã posse haberi cognitionẽ certã,quod existat,vt patet in actibus vitalib. nostris , quos certo & infallibiliter cognoscimus existere, quando existunt, quia experimur illos, & ex illis cognoscimus certo cognitione experimẽtali nos viuere,quamuis nõ necessario extiterint tũ,sed potuerint non existere. Itaque sufficit ad cognitionem certam,quod impossibile sit illud non esse pro instanti, pro quo cognoscitur, ex suppositione quod cognoscatur , siue simpliciter possit existere , siue non. Vnde in forma distinguo iterum maiorem : de re inuariabili simpliciter,nego; de re inuariabili ita, vt ex suppositione scientiæ non possit non esse , prout cognoscitur per scientiam,concedo maiorem,& similiter distinguo minorẽ;sunt variabiles simpliciter,transeat; sunt variabiles ita, vt ex suppositione cognitionis, quæ habetur de ipsis,non debeãt se habere provt cognoscũtur se habere per illã cognitionẽ, nego minorẽ & consequentiam.

8. *Obiicies secundò* pro iisdem: Omnis nostra cognitio dependet à sensibus, vt patet tum authoritate Philosophi 1.*Met.*1.*&* 2.*Post. vlt.* tum experientia, sed sensus decipiuntur sæpissime;visui enim apparet baculus fractus in aqua,qui non est fractus:ergo nullam possumus habere cognitionem certam,quia nulla cognitio potest esse certa,quæ dependet à cognitione incerta,

*Respondeo* distingnendo maiorẽ,quãtenus species rerum habentur de facto dependenter ab operationibus sensuum,cõcedo; quatenus cognitio omnis intellectus debet esse solum circa obiecta sensuum, aut conformis apprehensioni sensuum , nego maiorem, & permissa minori nego consequentiam,ad cuius probationẽ dico bene posse cognitionem certã dependere à cognitione incerta , quando cognitio certa non est conformis cognitioni incertæ , sed solum dependet ab ipsa in ordine ad accipiendas species deseruientes simplici apprehensioni. Plura deseruientia ad maiorem intellectionẽ huius respõsionis habebũtur ex dicẽdis in libro de anima.

9.*Obiicies tertiò* pro *Platonicis*:Quando aliquid volumus scire de nouo,vel illud sciuimus ante,vel ignorauimus;si primum , ergo illud non scimus de nouo totaliter,sed solum recordamur eius:si secundum frustra laborabimus,quia etiamsi occurrat quod quærimus,non tamen cognoscemus illud , sicut quærens seruũ fugitiuum antea incognitũ,etiam occurrentẽ non cognosceet.

*Confirmatur* experientia pueri interrogati à *Socrate* de multis rebus Geometricis , qui non minus apte respondit,quam si antea iis studuisset.

*Confirmatur secundò* experientia *Pythagoræ* qui dicebat se multarum rerum recordari,quas antequam infunderetur anima ipsius suo corpori,cognouit.

*Respondeo* ignorare nos antea sæpe,quæ de nouo scimus:ad cuius impugnationem nego sequelam,quia cognoscimus illud de nouo,etiamsi nunquã ante cognosceretur,ex eo quod obiectũ determinatiuũ intellectus de nouo proponatur.Quemadmodũ enim albedo nunquam ante visa oculum dispositũ,cui proponitur,bene determinat ad visionem sui,ita hæc propositio de nouo proposita intellectui:*omne totum est maius sua parte* , determinat intellectum ad iudicandũ quod sit vera. Illud autem de seruo fugitiuo nullo modo est simile,quia ille non cognosceretur , quoniã neque ipse se proderet, nec adessent alia principia determinantia ad cognitionem ipsius, in casu autẽ nostro esset principium determinans intellectum ad cognitionẽ obiecti ante ignoti.

16.*Confirmatur hoc primò*,quia sicut qui reperit seruũ ante cognitũ,non solũ cognoscit illuminet,sed cognoscit etiam ipsum fuisse cognitũ à se ante,si cognoscatur per recordationẽ;ita similiter, quãdo cognoscimus aliquid de nouo, si illa cognitio esset recordatio, deberemus cognoscere quod illud fuerit ante à nobis cognitũ, vt est euidẽs,sed hoc est manifeste cõtra experiẽtiã:ergo nõ omnis cognitio nostra necessariò est recordatio.

*Confirmatur secundò* : quia qua ratione cum primum producta,aut creata est anima nostra, cognoscebat aliqua non cognita ante,poterat etiam hodie cognoscere aliqua non ante cognita : est enim eadem ratio : ergo non est necessarium ad cognitionem nouam præcessisse aliquam aliam.

*Ad primam confirmationem respondeo*, puerũ illum apte

respon

respondisse, quia res bene proponebãtur ipsi, & determinabatur intellectus eius à rebus sic propositis ad veras cognitiones; non quia antea illa sciuit.

*Ad secundam confirmationem respondeo*, non esse credendum Pythagoræ, qui studio propriæ sententiæ defendendæ splendide poterat mentiri, nec habet vllam verisimilitudinem, quod ille solus recordaretur talium rerum. Quod si etiam experientia illius esset credenda, tamen non inde infertur, quod quidquid ipse, aut nos cognoscimus, antea illud cognouerimus, & de nouo solum recordemur illius: vnde experientia illa, quamuis esset vera, non esset ad rem.

## QVÆSTIO II.

### *De obiecto scientiæ.*

NOn quæro iã de obiecto adæquato scientiæ vllius totalis cõprehendẽtis plures sciẽtias partiales, sed potius de obiecto cuiuslibet scientiæ particularis: nec etiã quæro de sciẽtiæ particularis obiecto cõplexo, hoc est, de propositione obiectiua, ad quã terminatur scientia, seu quæ cognoscitur per illã: sed de obiecto incomplexo, quod est subiectũ talis propositionis. Capio autẽ scientiã hic, non in illo rigore, in quo cõprehendit solũmodo cognitiones rerũ per causas, sed quatenus extẽdit se ad cognitionẽ discursiuã, certã & euidentẽ, qua cognoscitur aliqua propositio propter connexionem veritatis ipsius cum veritatibus aliarũ propositionum, siue in illis aliis propositionib⁹ proponatur causa istius veritatis, siue effectus, siue quæcumq; demũ alia ratio.

### CONCLVSIO I.

De quo possit haberi scientia certa.

11. *De quacumque re, cui necessariò conuenit aliquod prædicatum, cuius connexio cum illa re euidenter cognosci potest per alias duas propositiones euidenter cognitas, potest haberi scientia in acceptione iam dicta.* Hæc patet ex natura ipsius scientiæ, quæ in illa acceptione non est aliud, quam cognitio discursiua certa & euidens habita ex euidentia aliarum propositionũ, cum quarum veritate veritas istius rei scitæ habet euidentem connexionẽ; sed cognitio qua cognosceretur de quacumq; re huiusmodi prædicatũ necessario ipsi cõueniens ex vi taliũ propositionum esset huiusmodi: ergo esset scientia, ergo de quacumq; tali potest haberi scientia in hac acceptione.

De entibus rationis potest haberi sciẽtia.

12. *Hinc habetur primò*, quod de entibus rationis possit dari scientia, quia habent huiusmodi prædicata conuenientia ipsis; & sane qui dicunt instrumenta logica, vt syllogismum vt sic, definitionẽ, demonstrationem, &c. formaliter constitui per entia rationis, & ea, vt sic formaliter constituta, esse obiecta Logicæ, debent id cõcedere, vel negare Logicã esse scientiã; & qui negant Logicam per se agere de entibus rationis, concedunt tamẽ posse intellectum fabricare entia rationis in obiectis Logicæ, quę quidem entia ficta rationis habeãt diuersã naturã pro diuersitate fundamenti, & termini, aut muneris ipsis ab intellectu attributi, similiter debent concedere quod vnũ ens rationis ex ipsis possit cognosci esse diuersæ rationis fictæ ab alio ente rationis, & habere etiam diuersam proprietatem fictam à proprietate alterius, & quod illa diuersa proprietas ficta ipsius posdemonstratiue probari de ipso per suam descriptionem aut definitionem.

*Dices*: scientia proprie dicta solum potest esse de re seu ente simpliciter: ergo nequit esse de ente rationis.

*Confirmatur*, quia scientia proprie dicta nequit esse nisi de re, quæ potest definiri: sed ens rationis nequit definiri: ergo.

*Respondeo*, negando antecedens replicæ, & minorem confirmationis. Quod si quis tamen velit scientiã rigorosissimam esse illam, quæ habetur de re aliqua aut ente simpliciter, & solam talẽ rem posse proprie & rigorose definiri, dicat consequẽter ens rationis non posse definiti definitione rigorosa, nec sciẽtiam rigorosam de eo haberi posse, nec hoc est contra resolutionem iam datã neq; enim loquimur de scientia aut definitione in tali rigore, sed de scientia, prout dicit notitiam certã, & euidentem discursiuam, & de definitione prout dicit orationem explicatiuã naturæ rei, siue realis, siue rationis

De indiuiduo potest haberi scientia.

13. *Sequitur secundò* de singularibus posse dari scientiam, nam potest discursiue de quocumque indiuiduo humano cognosci certo & euidenter per discursum à priori quod sit risibilis ex eo, quod sit rationalis; à posteriori quod sit rationalis ex eo quod sit risibilis, & potest cognosci de ipso quod non sit multiplicabilis in plura indiuidua, de quibus prædicetur in quid.

*Dices*: secundum Philosophum, 1. *Poster. tex.* 181. &. 7. *Met. tex.* 53. & *aliis locis*: scientia habetur tantum de vniuersalibus, nec datur de singularibus.

Quomodo de indiuiduo nequit haberi scientia.

*Respondeo* Philosophum & alios authores sic loquẽtes, quibus tribuenda est authoritas, explicandos sic, vt sensus sit, quod scientiæ illæ, quibus cognoscuntur de rebus proprietates consequentes essentias earum, non habeantur per se primo de singularibus, quatenus singularia sunt, sed per se primo de ipsa natura vniuersali in singularibus inclusa, & secundario tantum de singularibus: verbi gratia scientia qua cognoscitur, quod Petrus sit risibilis non habetur per se primo de Petro quatenus Petrus est, sed de natura humana: & secundario tantũ habetur de Petro, ex eo scilicet quod includat naturã humanam. Itaque in hoc sensu non habetur sciẽtia de singularibus, secundũ Philosophũ, & veritatẽ. *Rursus* non habetur aliqua scientia de vllo singulari, per quam cognosci possit determinatum aliquod singulare, vt distinguitur ab omni alio singulari: non obstãte enim quacumque cognitione, quam habemus pro hoc statu de Petro, posset nobis aliquod aliud indiuiduum sic proponi, vt non possemus ipsum discernere à Petro, & sic vt possemus dubitare, an esset Petrus, nec ne. In hoc etiam sensu potest dici, quod de singularibus non habeatur scientia, aut notitia aliqua certa.

De entẽ per accidẽs potest haberi scientia.

14. *Sequitur tertiò*, quod de ente per accidens possit dari scientia, quia reuera potest aliquis certo cognoscere de pariete albo, quod non habeat aliquã per se vnam proprietatem, & quod sit distinctæ rationis ab ente per se, & potest cognosci ex defectu proprietatis vnius per se de ipso, quod non sit vnum per se in essentia per discursum à posteriori, & ex defectu essentiæ vnius per se potest cognosci à priori de ipso, quod non habeat proprietatem per se vnam, & potest de aggregato ex lapidibus, & lignis tali modo cõpositis, seu cõiunctis inter se cognosci certo quod sit habilis ad habitationẽ commodam, aut inhabilis, & sic multæ proprietates demonstrantur in scientia Arithmeticæ de numero, in Musica de numero sonoro, in Perspectiua de linea visuali, in Politica de republica: quam etiã sententiam docet expresse *Auersa q.* 24. *sect.* 4. qui plures alios citat pro se.

*Dices*: Aristoteles 6. *Met. c.* 2. *& lib.* 11. *c.* 9. negat de ente per accidens dari vllam scientiam, quam etiam doctrinam amplectitur *Scotus* variis locis. Et confirmari potest ex eo quod tale ens nequeat definiri, scientia autem haberi nequit, nisi de re definibili.

*Respondeo* Philosophum & Doctorem loqui de scientia in magis rigorosa acceptione, quam hic de ea agimus, quatenus scilicet sumitur pro cognitione, qua aut cognoscitur aliqua proprietas per se vna de aliquo per definitionem rigorosam, quæ est vnius per se solummodo; aut per proprietatem per se vnam cognoscitur definitio per se vna alicuius rei. Et per hoc patet ad confirmationem; scientia enim in hac rigorosa acceptatione non habetur nisi de re rigorose definibili, qualis est res vna per se; bene tamen potest scientia in largiori acceptione haberi de rebus aliis.

## QVÆSTIO III.

### *Vtrum scientia actualis possit esse simul cum opinione & fide de eodem obiecto in eodem intellectu.*

15. NOn est dubium, quin de eodẽ obiecto materiali, seu de eadem propositione obiectiua possit vnus intellectus habere scientiã, & alius opinionẽ, & alius fidem; nec etiã dubium est, quin idem intellectus (modo simul habere possit plures actus iudicatiuos diuersarum propositionum) possit habere fidẽ de vno obiecto, vt de futuritione Antichristi, opinionẽ de altero,

vt de rotunditate terræ,& scientiam de alio, vt de risibilitate hominis. Dixi autem notanter, modo simul, habere possit plures actus indicatiuos, quia si non potest,certum est quod non possit habere simul opinionẽ & fidem,& sciẽtiam,etiam de diuersis obiectis,sed impossibilitas hæc non orietur,quantum est ex hoc capite, ex eo quod illi actus habeant aliquã incompatibilitatẽ inter se,sud ex limitatione intellectus,qui nequit attendere pluribus obsectis per iudicia distincta; vnde quantũ ad hoc æque non poterit habere simul duas opiniones aut duas scientias totales de diuersis obiectis, ac opicionẽ & scientiã.nec deniq; ex eadem hypothesi potest dubitari, quin idẽ iutellectus possit de eodẽ obiecto imcomplexo hdbere simul fidem & opinionem in ordine ad diuersa prædicata, nihil enim impedit, quo minus de homine possit quis scire,quod esset risibilis & credere quod esset bonus,& opinari quod esset amicus.

*Difficultas ergo* hic examinanda propriissime consistit in hoc, an ex suppositione quod intellectus possit habere plures actus simul,& iudicare simul plures propositiones aut eandem propositionẽ secundũ diuersa motiua, sit talis incompatibilitas inter fidem actualẽ,opinionem, & scientiã respectu eiusdẽ intellectus & obiecti terminatiui complexi, vt intellectus idem nequeat simul scire, credere, & opinari eandem propositionem obiectiuam esse veram, v. g. hominem esse risibilem.

16. *Prima sententia* est, quod non possit habere idem intellectus scientiam,opinionẽ, & fidem,nec actualem, nec habitualem de eadem propositione obiectiua. ita *Caiet.1.Poster.c.26.Sot.q.8.a.2.Tolet: Louanienses, Complutenses*,& alij,quam etiam sententiam tribuit. *Auersa q.29. sect. 4. nostro Scoto in 3. dist. 24.*

*Secunda sententia* extreme opposita asserit scientiam, fidem, & opinionem tam actualem, quàm habitualem posse simul esse de eadem propositione in eodem intellectu.Hanc tenet *Alensis 3.par.q.79. Antisiodor.lib.3. tract. 3.q.4.Bonau. 3. dist.24.*& plures alij citati ab *Auersa supra*, qui eam putat esse expresse sententiam *D. Thomæ 1.2.q.69.art.3.& 3.par. 1.q.9.*quantum ad opinionem & scientiam, licet primam tenere videatur de fide & scientia.

*Tertia secunda* tenet fidem, scientiam, & opinionem actualem non posse esse simul,bene tamen habitualem. Sic *Fonseca 6.met.c. 1.q.1. Conimbric.Ruin.Vallius, Didacus à Iesu* & plures alij *hic.*

*Quarta sententia* est plures actus non posse esse simul in eodem intellectu de eadem propositione, quorum vnus sit Fides,alter Opinio,alter Scientia,iuxta tertiam sententiam;bene tamen eundem actum posse esse circa eandem propositionem ex diuersis mediis, demonstratiuo scilicet, & opinatiuo, qui propterea actus, vt respicit vnũ medium possit habere rationem scientiæ, & vt respicit alium rationem opinionis, Hanc tenet *Durandus q.1.Prologi.Fonseca 6.met. cap.1. sect.1. Conimbric. Tolet.hic & alij.*

*Quinta sententia* est,diuersos actus scientiæ, opinionis & fidei,& etiam vnicum actum ob motiua diuersa opinionis,fidei & scientiæ posse haberi de eodem obiecto. Ita *Arriaga disp.6.subsect.3.*

*Sexta sententia* considerat opinionẽ, prout talis dicitur, quæ non habet pro obiecto propositionẽ necessariam, sed contingentem, & talem negat posse esse cum scientia eiusdẽ propositionis;de quo nemo dubitare potest:sed incompatibilitas non oritur ex ratione formali opinionis,& fidei,quasi ideo nõ possit haberi fides,quia habetur opinio, sed ex ratione ipsiusmet propositionis obiectiuæ,quæ quia contingens est,nequit sciri proptiè loquendo. Vnde nec in diuersis intellectibus,nec in eodem successiue potest dari scientia,& opinio de propositione tali.Secundo cõsiderat opinionem, prout habet annexam actualem formidinem, & sic negat eam posse haberi simul cum scientia in eodem intellectu. Tertio considerat eam, prout est assensus probabilis absq; tali formidine actualiter annexa,& sic concedit opinionem & scientiam actualẽ posse esse simul de potentia absoluta facto nequeant connaturaliter esse simul. Hanc tenet *Auersa supra*,& iuxta eam explicari,& conciliari possent aliquæ ex prædictis sententiis.

*Quid est fides.*

17. Vt resoluatur hæc difficultas, oportet primò declarare aliqualiter uaturam fidei,& opinionis, suppouendo ex antedictis quid sit scientia.

Itaque *fides humana* (de qua potissimum hic agimus, relicta consideratione fidei diuinæ pro Theologia) si loquamur de actuali, est actus, quo assentimur alicui propositioni ex eo, quod aliqua creatura dixerit nobis illam esse veram; *fides* autem *habitualis* est habitus, quo facilitamur ad talem actum habendum.Dixi autem,*alicui creaturæ*,& non alicui homini,vt comprehenderetur etiam fides, quam quis haberet Angelo, aut animæ separatæ; nam licet secundum etymologiam nominis fides humana sit illa, quæ præstatur homini, tamen ex communi Doctorum vsu, capitur pro omni illa fide, quæ non exhibetur Deo, & consequenter, vt sic, comprehendit fidem omnem,qua credimus tam hominibus quam Angelis,ac animabus separatis, & cuicunque demum creaturæ rationali potenti concipere res, & significare suos conceptus. Quid fides humana.

18. *Hinc patet primò*, fidem spectare ad intellectum, ad quem spectat omnis assensus aut dissensus; quod tamen non ita intelligendum est, quasi non concurrat etiam ad eam aliquo modo voluntas, existimo enim, non nisi volentem credere,& propterea dependere eam aliquo modo à voluntate; id quod patet tum experientia,tum ex eo quod fides diuina,& opinio habent talem dependentiam,de quibus, & de fide humana est eadem ratio quantum ad hoc. Spectat ad intellectũ. Fides humana omnis est inuidens ac incerta.

*Patet secundò*, omnem assensum fidei humanæ habẽtis solummodo pro motiuo auctoritatem humanam esse obscurum,ineuidentem,ac etiam incertum.Et quidem obscurus,& ineuidens,quia neque propositio credita determinat intellectum ex vi terminorum ad assensum, neque motiuum, quod est auctoritas aut reuelatio humana, siue proponatur clare, siue obscure, habet talem connexionem cum propositione illa, quin non obstante existentia istius motiui,posset propositio illa esse aliter, quã creditur cuius ratio est,quod omnis creatura est ex se fallibilis auctoritatis,tum quia potest decipi in rerũ cognitione, tum quia potest decipere,& consequenter non obstante quod quæcumq; creatura dicat aliquid esse tale,posset intellectus dubitare de veritate eius.& posset etiam discredere:quæ etiam est ratio,cur omnis talis actus sit incertus ex vi motiui:quotiescumque enim motiuum assensus non habet talem connexionem cum propositione, circa quam assensus versatur, quin non obstante existentia motiui,propositio illa possit aliter se habere, & assensus possit esse falsus,talis assensus est incertus, & de eo dubitari potest.

19. Et hinc vlterius fit,vt omnis actus fidei humanæ possit esse cũ formidine de oppositoquia si intellectus reflectat supra non necessariã connexionẽ motiui cum veritate assensus,poterit habere hunc actum in intellectu; quod possit fieri vt iste actus nõ sit verus;& in hoc consistit formido se tenẽs ex parte intellectus:& si voluntati displiceret quod nõ esset verus ille actus,apprehendendo falsitatẽ actus,tanquã malum quid,potest de eo timere sicut & de aliis malis,& in hoc consistit formido se tenẽs ex parte volũtatis.Dixi autẽ quod omnis actus fidei possit esse cũ formidine, non autẽ quod debeat esse semper cũ formidine actualiter,quia experientia cõstat sæpe nos credere hominibus absq; vlla actuali formidine,siue ex parte intellectus,siue ex parte voluntatis;cuius etiã ratio est,quod vtraq; formido proueniat ex eo quod intellectus consideret actu non esse necessariam connexionẽ motiui,v.g. reuelationis cum re reuelata,quæ creditur;non est autem necesse vt, quoties credit,consideret hoc, & cõsequenter nõ est necessariũ vt actu formidet siue ex parte intellectus, siue ex parte volũtatis.Vlterius vt formidet ex parte voluntatis, deberet apprehendere falsitatem actus per modum mali; Omnis actus fidei potest,sed non debet esse cum formidine.

non

non est autē necessarium, vt eam semper sic apprehendat, & consequenter non est necessariū, vt semper habeat formidinem se tenentem ex parte voluntatis, etiam quando haberet formidinem illam ex parte intellectus.

*Quid sit Opinio.*

20. OPinio prout distinguitur à cognitione certa, & fide (sic autē de ea hic agimus) est cognitio iudicatiua incerta alicuius propositionis, habēs aliud motiuum, quam reuelationem, aut autoritatem dicentis.

Hæc descriptio in re ipsa vix ab vllo negari potest, quamuis in terminis non soleat dari: *patet* autem, quia omni, & soli conuenit. Dicitur *cognitio iudicatiua*, per quod distinguitur à simplici apprehensione, & conuenit cum iudiciis scientificis, & fidei. Dicitur *incerta*, vt distinguitur à iudiciis scientificis, & quibuscumq; certis, & in hoc conuenit cum actibus fidei humanæ. Dicitur denique *ob aliud motiuum, quam authoritatem aut reuelationem dicentis*, vt distinguatur à fide.

Vnde habet cognitio esse incerta.

*Si autem queras*, vnde colligi poterit quod cognitio aliqua sit incerta: *Respondeo*, ex eo quod motiuum assentiendi sit tale, vt facta debita reflexione super naturam eius, possit intellectus dubitare de veritate rei cognitæ. Ideo autem in particulari poterit mediante reflexione dubitare de veritate propositionis; quam opinatur veram, vel quia non est euidens ex terminis, nec talis vt determinet intellectum omnem percipientem terminos ad assensum, vel quia non infertur ex præmissis euidentibus, & determinantibus intellectum.

Duplex opinio.

21. Duplex autem est opinio, sicut duplex est assensus certus: vna *immediata*, qua assentimur alicui propositioni absque discursu, propter verisimilitudinem connexionis extremorum, quamuis illa connexio non sit certa, nec euidens, & propositiones, quibus sic assentimur absque discursu, sunt prima principia probabilia. Hanc autem opinionem descripsit. *Philosophus 1. Poster. tex.* 195. dicens eam esse existimationē immediatæ propositionis & non necessariæ. Quod non est ita intelligendum, quasi non possit haberi opinio de propositione, quæ reuera à parte rei sit necessariæ veritatis; nā quando probabiliter iudicant *Thomista* materiam primam non posse esse absque aliqua forma, & *Scotista* iudicant probabiliter posse materiam primam esse absque omni forma, certum est alteram ex illis propositionibus iudicatis esse necessariæ à parte rei veritatis, ergo opinio versari potest circa propositionē à parte rei necessariæ veritatis. Vult igitur *Philosophus* quod propositio iudicata probabiliter nō sit necessariæ veritatis, quātū ad cognitionē iudicātis sic, quin possit dubitare de oppositō.

Opinio potest esse circa propositionē necessariæ veritatis.

22. *Alia* est *opinio*, qua quis iudicat aliquam propositionem esse veram, ex eo quod infertur ex pluribus, aut vna propositione: quæ iudicatur probabiliter vera, & hæc est opinio *discursiua*, & differt tantum à priori per hoc quod sit discursiua.

Omnis opinio est obscura.

*Ex his sequitur primò* opinionem quamcumque esse obscuram, quia si non esset obscura, determinaretur necessario intellectus ad opinionem tam bene, quam determinatur ad scientiam. *Sequitur secundò* eam posse admittere formidinem non minus, quam fides potest, modo supra explicato. *Sequitur tertiò* opinionem omnem esse liberam; si enim propositio, quam opinamur veram, non determinat necessario intellectum, voluntas poterit impedire, quo minus intellectus assentiatur, non obstante quod proponatur illa propositio cum motiuo assentiendi: quod confirmatur experientia; qua constat nos, vel assentiri, vel dissentiri, prout volumus, rebus quæ non sunt euidentes.

Potest admittere formidinem.

23. *Quæres primò*, an ex duabus præmissis, quarum vtraque sit probabilis, possit inferri conclusio falsa euidenter, aut ex duabus præmissis, quarum vna sit certa & altera probabilis.

*Auersa quæst. 29. lect. 2.* asserit ex duabus probabilibus posse deduci conclusionē manifeste falsam: sed tūc non erit probabile copulationē illarum præmissarū esse verā, licet probabile sit quālibet seorsim esse verā, datque exemplū. Ex his duabus propositionibus probabilibus quidquid existit in rerū natura existit propria existentia: materia prima non existit propria existentia. Ex his inquam duabus propositionibus probabilibus sequitur in bona forma hæc tertia: ergo materia prima non existit; quæ propositio est euidenter falsa, vt supponō.

Negat autem posse inferri conclusionem falsam euidenter ex duabus præmissis, quarum vna sit certa, & altera probabilis: quia si conclusio sit euidenter falsa, poterit opposita eius, tanquam euidenter vera, assumi velut præmissa certa euidenter, & ex ea, & alia propositione certa inferri per deductionem ad impossibile, quod ailqua ex præmissis sit euidenter falsa: sed non erit euidenter falsa illa præmissa, quæ est euidenter certa; ergo altera, & sic non erit probabilis, quia omni propositioni probabili potest intellectus assentiri; non potest autē assentiri propositioni euidenter falsæ: ergo nulla propositio euidenter falsa est probabilis.

24. *Circa hanc doctrinam*, vt appareat quo sensu sit vera, & quo non, aduertendū est sine dubio propositionē, quæ sit euidenter falsa respectu vnius intellectus, posse deduci tā ex duabus, quæ sunt alii intellectui probabiles, quam ex duabus, quarū vna sit probabilis, & altera euidens: ex conclusionibus oppositis, quæ in diuersis scholis inferuntur ex duabus probabilibus, & ex vna probabili, & altera euidenti, certū est alterutrā esse euidenter falsam Deo, & Angelis, & aliquibus quandoque hominibus.

Intellectus nequit concludere euidenter falsam ex duabus sibi probabilibus deducere.

25. *Rursus* æque certum est non posse vnum intellectum conclusionē sibi euidenter falsam inferre ex duabus, quibus assentitur probabiliter, neque ex duabus quarum vni assentitur probabiliter & alteri certo; vnde si oppositum huius sentit *Auersa*, doctrina ipsius non est approbanda. Secundam partē huius resolutionis fatetur ipsemet *Auersa*. Probatur prima pars, quia si posset quis inferre talē conclusionē, maxime in exēplo illo de materia prima ab Auersa adducto: sed certissimū est eundē intellectū non posse simul assētiri his præmissis etiā probabiliter: quidquid existit, existit propria existētia; materia primæ nō existit propria existentia; nā alias assētiret & dissētiret primę propositioni, eo. n. ipso quod iudicat aliquid existere sine propria existētia debet iudicare quod nō omne existēs existat propria existentia.

Itaque vt prædicta doctrina sit vera, *sensus primæ partis* esse debet, quod aliquis possit inferre cōclusionem sibi & aliis euidenter falsā ex vna propositione sibi probabili, & alia aliis illis probabili; & hoc cōuincit exēplum illud de materia prima, cuius maior est probabilis Scotistis, minor Thomistis, & conclusio vtrisque euidenter falsa. *Sensus autem secundæ partis* debet esse, quod non possit conclusio euidenter falsa pluribus inferri ex vna, quæ sit euidenter certa illis pluribus, & altera quæ sit probabilis vlli ex illis: & ratio huius est quod non possit conclusio esse falsa euidenter illi, qui iudicat propositionem illam non certam, ex qua & alia certa infertur esse probabiliter verā; nam eo ipso quo videt conclusionem esse falsam euidenter videbit illam propositionē, quæ non est certa, esse falsā. & consequēter non poterit iudicare illam esse probabiliter veram.

26. *Quæres secundò*, an supposito assensu præmissarum determinetur intellectus ad assensum conclusionis probabilis ex illis illatæ.

An necessitetur intellectus ad assentiendū conclusioni probabili supposito assensu præmissarum.

*Respondeo* non esse dubium quin necessitetur quoad specificationem, sic scilicet, vt non possit dissētiri: ratio est manifesta, quia inuoluitur ipsa cōclusio in præmissis aut omnibus, aut alicui ex illis. Si autem loquamur de necessitate quoad exercitium, illi qui tenent intellectū non necessitari necessitate exercitii ad assensum scientificum, supposito assensu præmissarum, sed posse votificum, supposito assensu præmissarum, sed posse vtificum, suppositō assensu præmissarum, sed posse vtificum, suppositō assensu præmissarum, sed posse vtificum, suppositō

assensum cõclusionis probabilis,quia nõ magis videtur assensus præmissarum & connexionis conclusionis cũ præmissis necessitare ad assensum conclusionis, quam ipsæ præmisæ determinant ad assensum circa se; sicut nec magis determinatur intellectus ad assensum scientificum, quam ad asentiendum præmissis euidentibus secundum omnes, imo minus secundum multos: ergo quandoquidem non determinetur ad assentiendum præmissis, non determinabitur assentiendum conclusioni;quamuis determinet volũtas ipsum ad assentiendum præmissis. Nec refert quòd conclusio habeat necessariam connexionem cum præmissis, nam hinc non sequitur nisi quod sit probabilis, sicut sunt præmissæ: ex hoc autem non sequitur determinari intellectum. *Confirmatur*, quia licet ex duabus propositionibus vna non potius sit vera quam altera, tamen potest quis vni assentire non asentiendo alteri, ita plane in proposito.

*Dices*: quod determinat intellectum ad asensum conclusionis, est iudicium de connexione conclusionis cum præmissis iudicatis, & assensus præmissarum: ergo quoties illa adsunt; necessitabitur intellectus ad assensum non obstante renitentia voluntatis.

*Respondeo* distinguendo antecedens: asensus præmissarum euidentium, concedo: probabilium nego. Ratio autem disparitatis est, quod non possunt præmisæ apparere euidentes, & conclusio esse connexa cum ipsis, quin appareat conclusio euidens: vnde quando iudicantur præmissæ esse euidentes & conclusio connexa, debet iudicari conclusio esse euidens: sed quando iudicantur præmisæ aut vna ex illis esse probabilis, quamuis videatur conclusio connexa, non apparet tamen euidens, & propterea nõ habet determinari intellectus.

*Dices*: in præmisis virtualiter inuoluitur conclusio: ergo asentiens præmissis debet asentiri conclusioni.

*Respondeo* negando consequentiam, loquendo de assensu actuali, ac formali.

*Resolutio quæstionis.*

His præsuppositis, resoluenda iam restat quæstio principalis.

## CONCLVSIO I.

Eadem est incompatibilitas fidei & scientiæ, ac opinioni & scientiæ.

28. *Si fides & scientia nequeunt esse simul, opinio & scientia nequeunt esse simul.* Hæc videtur esse contra *D. Thomam*:, sed *patet*, quia est eadem ratio de incompatibilitate fidei & opinionis cum scientia, quia sicut obiectum creditum, qua tale, est ineuidens, incertum, obscurum, ita etiam obiectum opinatum: sed nulla est particularis ratio, cur obiectum idẽ non posset esse creditũ & scitum; nisi quia obiectum creditum, qua tale, debeat esse obscurum & incertũ, & obiectum scitũ debeat esse clarum & certũ: ergo tam incompatibile est obiectum opinatum cum obiecto scito, ac obiectum creditum.

## CONCLVSIO II.

Vnus actus nequit haberi, qui sit fides aut opinio & scientia, nisi plures tales actus possint haberi simul.

29. *Si nequeant haberi in eodem intellectu plures actus circa idem obiectum, quorum vnus sit fides, alter scientia, alter opinio, nec poterit vnus actus esse ex diuersis motiuis scientiæ, opinionis, & fidei.* Hæc est communior contra quartam sententiam, & *patet manifeste*, quia ideo repugnant illi plures actus, quia sequeretur obiectum esse simul clarum & obscurum, certum & incertum respectu eiusdem intellectus: sed hoc ipsum sequeretur, si esset vnus actus ex diuersis illis motiuis: ergo si plures illi actus nequeant esse simul, nec poterit vnus talis.

## CONCLVSIO III.

Quamuis fides & scientia possint esse simul, non tamẽ vnus actus potest habere rationem vtriusque.

30. *Si possent dari plures actus simul, quorum vnus sit fides, alter opinio, alter scientia de eodem obiecto, non tamen dicendum est, quod idem actus possit habere rationem scientiæ, & opinionis, & fidei.* Hæc etiam videtur à fortiori esse contra quartam sententiam, quia cum dicant authores eius, quod possit vnus & idem actus esse ex motiuo scientiæ, & opinionis, & fidei, quãuis negent posse dari diuersos actus, quorum vnus sit ex motiuo fidei, alter ex motiuo opinionis, alter ex motiuo scientiæ, à fortiori id deberent dicere, si putarent posse simul dari tales actus.

*Probatur ab aliquibus primò*, quia idem actus nequit specificari simul à pluribus motiuis: ergo nequit idem actus esse ex pluribus his motiuis. *Hæc probatio non vrget*, quia facile negari potest antecedens, loquendo de specificatione partiali.

*Probari solet secundò*, quia sequeretur quod esset actus diuersarum specierum, nimirum opinionis & fidei; sed hoc est absurdum: ergo. *Hæc etiam probatio non sufficit*, negari enim facile potest sequela; neque enim esset diuersarum specierum, sed esset vnius speciei, distinctæ rationis, & ab actu, qui solum haberet rationẽ scientiæ, & ab actu, qui solum haberet rationem fidei, & ab actu qui solũ haberet rationẽ opinionis: participaret tamen aliquam rationẽ istarũ specierũ, quatenus tenderet in obiectũ ex motiuis illis, ex quibꝰ tẽderent illi alii actus. Vnus act. potest esse ex diuersis motiuis.

*Confirmatur* insufficientia harum duarum probationum, quia voluntas secundum plures ex aduersariis potest ex diuersis motiuis diuersarum virtutum elicere aliquem actum, v.g. velle dare eleemosynam ex motiuo charitatis, liberalitatis, iustitiæ, & ille vnus actus esset actus charitatis, iustitiæ & liberalitatis, nec esset tamen diuersarum specierum, sed eiusdem speciei participantis æqualiter naturam diuersarum specierũ, & specificaretur ex diuersis motiuis extrinsecis, quæ motiua respiceret intrinsecè: ergo non est inconueniens, quòd idem actus specificetur ex pluribus motiuis, aut participet aliqualiter rationes pluriũ specierũ.

31. *Probatur tertiò*, quia absurdum videtur quod necessitetur intellectus & non necessitetur ad eundem actũ: sed hoc sequeretur ex oppositi conclusionis nostræ, ergo. Probatur minor, quia eo ipso, quo ille actus esset scientificus, necessitaretur intellectus ad illum, & eo ipso, quo esset opinio, non necessitaretur ad illum. Hæc probatio solum vrget in sententia nostra, qui putamus necessitari intellectũ ad asensum scientificum, supposito asensu præmissarum. Sed in sententia aliorum id negantium & tenentium quod assensus scientificæ conclusionis sit liber, non vrgeret.

*Fortassis etiam non vrgeret multum in nostra*, quandoquidem ille actus esset absolutè liber, quamuis enim necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni scientificæ, non tamen per talem specie actum, qui etiam esset opinio aut fides; sed hoc haberet, mediante consensu voluntatis.

*Probatur ergo aliter conclusio* contra omnes, quamcumque tenuerint sententiam. Licet intellectus possit habere plures actus circa diuersas conclusiones ex motiuis scientiæ, & opinionis, tamen de facto nequit habere vnum actum ex diuersis illis motiuis circa plures conclusiones: ergo quamuis de facto posset habere plures actus ex diuersis motiuis scientiæ, & opinionis circa vnam conclusionum, non tamen poterit habere vnum actum ex diuersis illis motiuis circa eandem conclusionem. Probatur sequela à paritate rationis, quia eadem ratione qua posset habere vnum actum ex diuersis illis motiuis, circa vnam conclusionem, posset etiam habere vnum actum circa diuersas conclusiones, & sicut vna conclusio determinat sibi vnum actum, ita & vnum motiuum determinat sibi vnum actum.

*Confirmatur*, quia ideo nequeunt duæ conclusiones cognosci vnico actu ex diuersis motiuis, quia vnica cõclusio cum vno motiuo est sufficiens causa vnius actus, & consequenter quoties proponitur sufficienter, causabit illum vnicum actum; sed vna conclusio cum vnico motiuo sciẽtiæ, verbi gratia, est sufficiẽs causa actus scientiæ, qui non sit opinio; ergo causabit illum actum, & consequenter non causabit actum, qui sit opinio.

32. Hinc probatur vlterius cõclusio nostra: quotiescunq; applicatur causa naturalis ædæquata alicuius effectus ad productionẽ eius, producet illũ effectũ, nisi ponatur aliquod impedimentum: sed conclusio scientifice proposita cum intellectu est causa adæquata actus

scien

sciētiæ,quæ non est simul actus opinionis:ergo quoties applicatur sufficienter absque impedimēto causabit illum actum:sed quando proponitur conclusio cum motiuo scientiæ,& opinionis,& fidei,applicatur sufficiēter intellectui,aliàs non posset intellectus producere actū, qui esset scientia, & opinio;nec ponitur aliquod impedimentum;ergo tum producitur actus , qui est scientia, & non est opinio; sed ex suppositione quod intellectus tum assentiatur scientifice illi conclusioni per actum illum,qui est scientia, & non est opinio,non debet dici quod assentiatur scientifice per alium actum, qui simul est sciētia & opinio, nec debet dici quod intellectus habeat virtutem simul producendi duos assensus scientificos:ergo reuera intellectus non potest producere actū, qui est simul scientia,& fides,ac opinio.

33. *Dices*,poni impedimentum in tali casu, quia scilicet simul proponitur eadem conclusio sub motiuo fidei, & opinionis.

*Contra primò* , quia gratis dicitur quod illa propositio sub aliis illis motiuis sit impedimentum quo minus conclusio proposita sub motiuo scientiæ possit causare actum,qui solummodo sit actus scientiæ,& non opinionis aut fidei,modo non sit impedimentum , quo minus possit producere actum,qui sit scientia vllo modo.

*Contra secundò* , quia inde sequeretur quod non posset intellectus simul habere plures actus , quorum vnus sit scientia,alter fides,& alter opinio;sed certe videtur absurdum quod intellectus possit habere vnum simul ex illis diuersis motiuis , & non possit habere simul plures actus ex illis motiuis, & iam ostendimus oppositum in prima conclusione.

34. *Obijcies* contra hanc conclusionem:vnus actus volūtatis potest esse ex diuersis motiuis,misericordiæ v. g. liberalitatis,& iustitiæ : ergo vnus actus intellectus potest esse ex diuersis motiuis scientiæ, opinionis,& fidei. Probatur consequentia à paritate rationis. Hoc est potissimum fundamentum oppositæ sententiæ. Aliqui negant antecedens : & supposito quod possit cum fundamento negari,non solum tolleretur hoc fundamentum, sed confirmari posset cōclusio illo exemplo hoc modo: Non potest volūtas elicere vnum actum ex diuersis motiuis virtutū, quamuis possit simul habere plures actus ex illis diuersis motiuis:ergo nec intellectus potest elicere vnum actum ex motiuis scientiæ,opinionis& fidei: quæ quidem consequētia est satis apparens; sed antecedens videri posset esse contra experientiam, de quo tamen suo loco,nempe in materia de actibus humanis.

*Respondeo* nunc aliter negando consequentiam obiectionis : & disparitas est,quod voluntas non sit causa naturaliter agens respectu sui actus , nec consequenter obiectum prōpositum sub vno motiuo determinat ipsam ad actum; siue proponatur sub solo illo motiuo, siue proponatur sub diuersis motiuis , & consequenter non est inconueniens quod voluntas possit vno actu tendere in illud obiectum,siue ex vno solo motiuo,siue ex plurib⁹,prout ipsi placet. At intellectus est causa naturaliter agens respectu actus scientiæ , opinionis & fidei,licet quantum ad actus opinionis,& fidei subordinetur voluntati ; vnde determinabitur ad plures actus positis istis motiuis,si illa motiua simul possint mouere ipsum;nec à voluntate potest determinari sic, vt possit pro libito voluntatis aut vnum actum, aut plures actus elicere circa obiectum sub omnibus illis motiuis;sed si velit voluntas quod assentiatur ob illa motiua, supposita illa volitione,determinabitur ad plures actus,quorum vnus respiciat vnum motiuum , & alter alterum: quod valde aduertendum est hic.

## CONCLVSIO IV.

Habitus opinionis & fidei nequit influere in actum qui non sit opinionis aut fidei,

35. *Non potest actus aliquis procedere ab habitu opinionis aut fidei , qui sit actus scientiæ , & non opinionis , aut fidei.* Hæc est communissima contra *Fonsecam supra* , & *patet* , tum quia non constat experientia , aut ratione, aut authoritate , quod habitus opinionis habeat talem vim ; tum quia sequeretur , quod habitus opinionis & fidei esset habitus scientiæ , quia nihil aliud est habitus scientiæ , quam habitus qui facilitat intellectū ad scientiæ actum producendum ; tū quia habitus omnis limitatur ad suum obiectū motiuum formale,ita vt non possit concurrere ad actū,nisi ex illo motiuo:ergo habitus opinionis non potest concurrere ad actū sciētiæ, nisi ex motiuo opinionis:sed si actus ille eliceretur ex motiuo opinionis , sequeretur quod esset actus opinionis cōtra hypothesim:ergo,&c.tū deniq; quia frustraneus esset concursus habitus opinatiui ad illū actū.

## CONCLVSIO V.

Actus scientiæ & opinionis nequeunt naturaliter esse simul.

36. *Actus scientiæ & opinionis nequeunt naturaliter esse simul in eodem intellectu de eadem conclusione.* Hæc est authorum primæ , tertiæ , quartæ , & sextæ sententiæ contra secundam & quintam sententiam.

*Probatur primò*,quantum ad opinionē & fidem,quatenus habent secum annexam formidinē de oppositō propositionis,quam quis opinatur & credit ; quia impossibile est quod quis formidet de oppositō propositionis,quam euidenter & certò scit esse veram : sed scit omnem propositionem circa quam versatur actus scientiæ,esse certam & veram euidenter : ergo nequit habere de vlla tali fidem , aut opinionem cum formidine de oppositō istius propositionis.

*Probatur secundò* vniuersaliter de opinione & fide secundum se , etiam quatenus possint esse absque actuali formidine , quia experientia constare videtur nos non moueri per authoritatem fallibilem , aut motiuum incertum ad assentiendū propositioni , quando habemus motiuum certum & euidens ad assentiendum ipsi:ergo nequit esse simul actus fidei,aut opinionis cum actu scientiæ de eadem propositione, etiam quando non adesset actualis formido de oppositō istius propositionis.

37. *Probari solet tertiò*,quia non potest intellectus determinari necessario ad assensū propositionis,& determinari libere ad assensum eiusdem simul : sed determinatur necessariò,quando habet actum scientiæ, & libere quando habet actum fidei aut opinionis:ergo nequit habere tales actus simul. *Hæc probatio* non sufficit, quia licet esset inconueniens,quod determinaretur libere ad vnum assensum , & determinaretur necessariò ad eundem, non esset inconueniens quod determinaretur necessario ad vnū assensum ex vno motiuo, & non determinaretur necessariò , sed libere ad alterum assensum circa eandem propositionem per aliud motiuum.

38. *Probari solet quartò* satis communiter , quia non potest idem obiectum esse euidens,& ineuidens, clarū, & obscurum, certum, & incertum, quia hæc sunt contradictoria vel formaliter, vel virtualiter, hoc est talia, ex quibus sequitur contradictio:sed ita accideret , si darentur simul de eadem propositione fides,opinio & scientia:ergo nequeunt esse simul. Hæc probatio non solum probat conclusionem connaturaliter, sed etiam de potentia absoluta.

*Respondent* tamen aduersarij ad hanc probationem negando maiorem cum sua probatione,dicunt enim cōtradictoria esse debere de eodem secundum idem : sed non competeret illi propositioni obiectiue esse euidentem,& ineuidentem,certam,& incertam secundum idem ; quia competeret ipsi esse euidentem, & certam, secundum quod terminaret actum scientiæ , obscuram vero & incertam quatenus terminaret actus opinionis, & fidei:ergo illa non sunt contradictoria, nec formaliter,nec virtualiter.

39. *Contra* hanc responsionem,si hæc doctrina esset vera,sequeretur quod ex nullis actibus sequeretur contradictio,nequidem ex amore,& odio eiusdem obiecti, nec ex assensu,& dissensu eiusdem conclusionis:sed hoc est absurdū:ergo & illa doctrina,ex qua sequitur. Probatur sequela,quia dato amore, & odio eiusdē obiecti, assensu,& dissensu conclusionis eiusdē,posset dici quod cōtradictoria illa prædicata non conuenirent eidē propositioni secundū idem : posset enim dici quod amaretur, vt terminat amorem, & secundùm motiuum amoris ; odio haberetur vt terminaret odium, & secundùm

motiuum odij,& quod eadem propositio esset iudicata vera, vt terminaret assensum, iudicata falsa vt terminaret dissensū. Et eodem modo posset dici quod calor, & frigus in summo esse possint in eodem subiecto,quia non sequeretur contradictio secundum idem, esset. n. summe frigidū secundū frigus, & non esset summe frigidum secūdum calorem. Imo posset dici quod forma, & negatio eius non essent contradictoria in eodem subiecto: nam non haberet subiectum illud vtramque secundumeandem rationem; sed haberet formam,vt afficeretur per formam, & haberet negationem, vt afficeretur per negationem.

*Vnde patet* certissimum illud axioma, quod scilicet contradictoria, vt sint vere contradictoria, debeant esse secundum idem, non debere sic intelligi, vt obiectum materiale proximum, cui dicerentur competere illa contradictoria, non possit considerari sub diuersa ratione per ordinē ad ipsamet cōtradictoria. Sed debet sic intelligi quod non sint censenda contradictoria,quæ competūt alicui secundū diuersas rationes materiales, vt si cōpeteret homini esse similis Angelo in rationalitate, & dissimilis in animalitate aut materialitate, nec etiam quæ sic cōpetunt rei,vt non excludat simpliciter alterum. Quare oporteret vt aduersarij ostenderēt quod illa prædicata, quæ asseruntur contradictoria in probatione, competant propositioni secundum diuersas rationes materiales;aut non sint talia, vt vnum excludat simpliciter alterum ab illa propositione.

40. *Alij respondent* negando minorem, quia in tali casu obiectum deberet dici simpliciter clarum,& certū, & non deberet dici simpliciter obscurum aut incertū; sicut si quis vno oculo videret rē clare, aut alio obscure,diceretur simpliciter videre clare, & obiectū diceretur simpliciter clare visum; & si quis percuteret aliquē vna manu grauiter, altera leuiter, diceretur simpliciter grauiter percussisse, & percussus diceretur simpliciter grauiter percussus.

*Hæc responsio* reducit difficultatē realē ad quæstionē de nomine:nec vllo modo satisfacit,*primò*,quia tā simpliciter posset dici percus$^{s}$ leuiter vna manu percus$^{s}$ leuiter,ac percus$^{s}$ grauiter, si esset percus$^{s}$ grauiter altera manu;& idē est de obiecto viso obscure per vnū oculū, & clare per alterū:æque .n. simpliciter potest dici visū obscure,& visum clare,nec dari potest ratio vlla cur ita nō diceretur,aut dici posset. Secundò, quia licet possit obiectū videri clare vno oculo,& obscure altero, tamē non potest videri clare,& obscure simul abeodem oculo;& similiter licet possit res percuti grauiter vna manu,& leuiter altera, tamē nō potest percuti grauiter,& leuiter simul eadem manu:ergo idem intellectus non potest videre clare, & obscure simul idem obiectum.

*Dices* disparitatem esse, quod potentiæ illæ externæ sint limitatæ ita, vt non possint habere plures actus simul respectu eiusdem obiecti ex diuersis motiuis,quēadmodum possunt intellectus, & voluntas.

*Contra*: hinc solum habetur quod possit intellectus habere plures actus circa idem obiectum ex pluribus motiuis,sed nō habetur quod possit habere plures actus quorum vno videret clare,& altero obscure obiectum.

41. *Melius responderi posset* ad hanc probationē cōmunem,examinando rem à fundamentis,vt videatur an claritas,& obscuritas,certitudo, & incertitudo sint cōpatibilia simul, aut incompatibilia de eodem obiecto respectu eiusdem intellectus. Itaque obiectum opinionis,& fidei non videtur esse alio modo obscurū,ineuidens,& incertum,nisi quatenus proponitur sub ratione motiua, quæ non habet necessariam connexionem cū veritate rei creditæ aut opinatæ, sic vt implicaret rē illam aliter se habere, suppositā existentia illius motiui. Obiectum vero scientiæ esse euidens,& certum,non est aliud quam quod proponitur per motiuū,cuius veritas est euidens, & cuius connexio necessaria cū re scita videtur euidenter sic,vt determinetur intellectus ad iudicandam & veritatem motiui,& connexionem eius cum re illa scita. Hoc supposito, certum est posse obiectum proponi simul intellectui & per motiuum habens necessariam connexionem cum veritate obiecti, & per motiuum quod non habet necessariam connexionem cum illa veritate,nam certum est quod sciens omnem hominem esse risibilem, possit audire aliquem dicentem,quod omnis homo esset risibilis :ergo non est inconueniens nec dicit contradictionem vllam,quod idē obiectum sit clarum & obscurum, certum, & incertū respectu eiusdem intellectus.

42. *Confirmatur hoc primò*,quia quando dicitur quod idem obiectum non possit proponi clare & obscure,vel intelligitur hoc de propositione formali, quæ fit per ipsas cognitiones scientiæ, & opinionis,seu fidei;& sic peteretur principium; hoc .n. est quod controuertitur, an possint scilicet dari illi actus simul,& obiectum per illos proponi:vel id intelligitur de propositione aliqua antecedēte ad actus illos,quæ propositio fieret per apprehensionē obiecti & motiuorum scientiæ & fidei, ac opinionis; & certum est posse obiectum sic proponi per motiua diuersa scientiæ,& fidei ac opinionis simul.

43. *Confirmatur secundò*,quia secundum Authores tenentes nostram conclusionem,potest idem obiectū cognosci diuersis cognitionibus,quarū vna est altera perfectior,vt cognitione in verbo & in proprio genere,cognitione per se infusa,& cognitione acquisita:ex quibus cognitionib$^{9}$ cognitio in verbo supponitur,esse clarior, quam cognitio in proprio genere; & cognitio per se infusa supponitur esse clarior quam cognitio acquisita. Sed certe ex hoc videtur sequi similis contradictio illi, qua vrgetur in hac probatione: ergo sicut illa non est vera contradictio impediens, quo minus possunt esse simul scientia acquisita & per se infusa eiusdem obiecti;ita hæc quæ vrgetur in probatione, non est vera contradictio impediens, quo minus actus scientiæ & fidei possint esse simul. Probatur minor, quia ex eo, quod sciētia acquisita & per se infusa ac beata possint esse simul de eadem propositione,sequeretur quod illa propositio esset perfecte ac clare proposita, & imperfecte ac obscure; proposita,clare quidē & perfecte per scientiā beatam, & per se infusā;imperfecte & obscure per scientiam acquisitam:nam sicut dicitur quod obiectum proponatur obscure & imperfecte per fidem,quia fides est obscurior & imperfectior quam scientia, cur non diceretur obiectum proponi obscure & imperfecte per scientiam acquisitam, quandoquidem sit obscurior & imperfectior quam scientia per se infusa?

*Hæc responsio* videtur mihi valde probabilis,& sufficere ad eneruandam vim prædictæ probationis quartæ: vnde non inuenio melius fundamentum rationis pro conclusione, quàm probationem secundam.

44. *Probari tamen potest vlterius* argumento dependente ab authoritate hoc modo:Secundum sanctos Patres fides diuina non est compatibilis cum scientia;ergo nec fides humana aut opinio. Consequentia videtur euidens à paritate rationis. Probatur antecedens ex *S. Augustino, tract.* 40.*in Ioannem*: *Quid est fides nisi credere quod nō vides?* & *tract.*68.*Fides autem quod non videt credit,nam si vides, iam non est fides.* Item ex. *SS. Chrysostomo hom.*21.*in ep.ad Hebr.Bern. ep.* 190. *Greg.hom.* 26. qui obiicientes sibi quomodo Thomas crediderat quod videbat, *Ioan.* 20. Respondent eum aliud vidisse, nempe Christum hominem; aliud credidisse, scilicet illum hominem, quem vidit esse Deum. Probatio ex Patribus. Fides diuina non est compatibilis cum scientia.

*Confirmatur* per illud *Pauli* 1.*Cor* 13.*Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est*; ex quo loco & ex eo quod dixerat antecedenter,quod scilicet charitas non excidat, colligunt Theologi comuniter fidem non mansuram in Patria:sed si posset haberi actus eius cum scientia clara,non esset vlla ratio cur excideret aut nō maneret. *Nec valet* quod ab aliquibus dicitur,visionem beatam ob suam perfectionem excludere fidem actualem;actus vero scientificos huius status illam nō excludere. Nam præterquam quod hoc gratis dicatur, vlterius visio beata non habet vllam rationē excludēdi fidem de eadē re visa magis,quā habet visio ocularis

huius

huius ſtatus, aut intellectus principiorum: tam enim clare, & certe videt oculus colorem propoſitum, & intellectus intelligit totum eſſe maius ſua parte, quam beatus videt clare, & certo Deum, ſicut enim non poteſt intellectus dubitare de exiſtentia Dei à ſe viſi, ita nec de veritate primi principii, aut de exiſtentia rei viſæ: ergo ſi viſio beata excludit fidem, etiam cognitiones certæ, & euidentes huius ſtatus excludent illam.

45. *Alii reſpondent* aliter ad prædictas authoritates, & præſertim *Coninch. diſp. 2. de fide dub. 2.* nempe eas intelligendas in ſenſu formali, ita ſcilicet vt velint, aut quæ videntur, vt ſic formaliter, non credi; aut ea non credi, quibus ſolum aſſentimur ob motiua euidentia.

*Contra*: hæc reſpõſio attribuit ſanctis Patribus ineptiſſimum ac ridiculum modum loquendi: ergo nõ eſt admittẽda. Probo antecedẽs, quia inepte, & ridicule diceret ſancti Patres, quod nemo crederet per actũ viſionis, aut videret per actum fidei, aut quod nemo crederet cũ non haberet actum fidei, ſed ſolum actum viſionis, ſed hoc eſt quod dicerent iuxta prædictam reſponſionem.

*Confirmatur*: inepte, & falſo quis diceret quod nemo poteſt videre corporaliter, & intelligere eodem tempore idem obiectum; ſed eſſet tam bonus ac verus modus loquendi, ac prædictus ille ſanctorum Patrum iuxta hanc reſponſionem: poſſet enim intelligi in ſenſu formali, ſic ſcilicet, vt ſenſus eſſet, quod nemo poteſt videre corporaliter, & intelligere per viſionem corporalem idem obiectum, quod eſſet veriſſimum.

*Confirmatur ſecundò*, quia ſi in illo ſenſu loquerentur ſancti Patres, nõ eſſet neceſſe ad oſtendendũ quomodo Thomas vidit quod credidit, recurrere ad diuerſa obiecta materialia: nam poſſent dicere facile quod vidit per actum viſionis, & credidit per actum fidei.

46. *Obiicies primò*: non repugnant eſſe ſimul: ergo dicendum eſt quod naturaliter poſſint eſſe ſimul.

*Reſpondeo*, quidquid ſit de antecedenti, de quo ſtatim negando conſequentiam; quia calor & frigus in ſummo non repugnant ſimul ſimpliciter, nec duo corpora in eodem loco, aut vnum corpus in diuerſis locis, & tamen id fieri nequit naturaliter.

*Obiicies ſecundò*: authoritas hominis veracis reuelantis omnem hominem eſſe riſibilem, eſt ſufficiens determinatiuum intellectus ad aſſentiendum iſti propoſitioni, ſuppoſito imperio voluntatis, ita vt intellectus nequeat propoſita reuelatione talis hominis, & imperio voluntatis, non aſſentiri: ſed poteſt proponi illa reuelatio homini ſcienti per demonſtrationem à priori illam propoſitionem & poteſt voluntas velle vt credat; ergo neceſſario credet in tali caſu.

47. *Reſpondeo*, diſtinguendo maiorem: quando proponitur illa propoſitio clare, nego: quando non proponitur, concedo. Itaque ſicut ignis poſſet producere calorem in re frigida, ſi non fuiſſet impeditus per frigus, & non poteſt producere quando impeditur per frigus, in caſu ſcilicet quo agens conſeruatiuum frigoris eſſet potentius ad conſeruandum frigus, quam ignis ad producendum calorem: Ita obiectum per reuelationem propoſitum eſſet ſufficiens cauſa ad generandum fidẽ, quando non eſſet impedimentum ſcientiæ; non eſt autem ſufficiens quando ponitur illud impedimentum.

*Aliud argumentum Theologicum* proponit *Coninch. ſupra* ad probandum, quod de facto compatiantur fides & ſcientia. Sed imprimis reſponſio remittẽda eſt ad Theologiam, ad quam ſpectat, & præterea non probat aliud, quam quod fides ſupernaturalis poſſit eſſe cum ſcientia. Quamuis autẽ id eſſet verum de fide ſupernaturali, non ſequeretur idem de fide naturali aut ôpinione, nã illa fides ſupernaturalis habet conditionẽ particularem, nẽpe certitudinẽ, & perfectionẽ ſupernaturalitatis, ratione cuius quamuis poſſet eſſe cũ ſcientia, non ſequeretur quod fides naturalis, & opinio poſſent eſſe cum ſcientia, quandoquidem non habeant illam conditionem.

## CONCLVSIO VI.

De potentia abſoluta poſſunt eſſe ſimul fides, opinio, & ſcientia.

48. *E potentia abſoluta poſſunt eſſe ſimul fides, opinio, & ſcientia.* Hæc eſt iuxta ſecundam ſententiam, & negatur à pluribus ex illis, qui tenent primam, ab aliquibus tamen non videtur negari.

*Probatur breuiter*, quia non apparet repugnantia aliqua in hoc magis, quam in eo, quod calor in ſummo, & frigus in ſummo poſſint eſſe in eodem ſubiecto ſimul, aut duo corpora in eodem loco, aut vnum corpus in duobus.

*Dices*: amor & odium non poſſunt eſſe ſimul de eodem obiecto: ergo nec fides & opinio cum ſcientia. *Reſpondeo* negando conſequentiam; quia certe multo maior apparet eſſe incompatibilitas inter acceſſum & receſſum ab obiecto eodem, quam inter duos acceſſus diuerſæ rationis: ſed amor, & odium habent rationem acceſſus, & receſſus & aſſenſus illi fidei & ſcientiæ habent rationem duorum acceſſuum: ergo quamuis implicarent ſimul amor & odium, non tamen implicant actus fidei & ſcientiæ.

49. *Dices ſecundo: Scotus in 3. diſt. 24. num. 13.* ait impoſſibile eſſe quod ſcientia ſtrictè loquendo, prout definitur *primo poſteriorum*, poſſit eſſe ſimul cum fide de eodem.

*Reſpondeo* ipſum intelligendũ de potentia ordinaria & naturali, non de extraordinaria & abſoluta. Sæpe enim apud Doctores dicitur abſolute non poſſe fieri, quod nõ poteſt fieri naturaliter, aut de potentia ordinaria. Imo ipſa Scriptura dicit impoſſibile eſſe placere Deo abſq; fide, ſed certe poſſet quis de potentia abſoluta placere Deo abſque vlla fide, vt ſi communicaret alicui aliá cognitionem ſupernaturalem, quæ non eſſet fidei, vel ipſã viſionem beatificam: ergo nõ eſt inconueniens, aut difficile, quod *Scotus* dum loquitur abſolute, reſtringatur tamen ad potentiam naturalem, & ordinariam.

*Obiicies tertiò* non poſſe intellectum eſſe certum & incertum de eadem propoſitione, nec eandem propoſitionem poſſe vlla ratione eſſe claram & obſcuram: ergo. *Reſpondeo* ex dictis circa concluſionem præcedentẽ negando antecedens de potentia abſoluta.

*Dices ex Complutenſibus*: per actum ſcientiæ iudicat intellectus prædicatum concluſionis conuenire neceſſario, & per actum opinionis iudicat illud non conuenire neceſſario, ſed contingenter: ſed implicat vt ſic iudicet ſimul aut vno, aut pluribus iudicijs: ergo.

*Reſpondeo* negando maiorem pro ſecunda parte: ſolũ enim iudicat per actum opinionis prædicatum conuenire, nec dicit quod conueniat neceſſario, nec quod nõ conueniat; ſed bene mouetur quidem à motiuo, quod non concludit prædicatum illud conuenire neceſſario.

50. *Obiicies quartò ex iiſdem*: ſequeretur quod poſſet habere actum erroneum, & ſcientiam de eodem obiecto, *Reſpondeo* negando ſequelam, quia actus erroneus oppoſitus actui ſcientiæ debet eſſe aut diſſenſus, ſi actus ſcientiæ ſit aſſenſus; aut aſſenſus, ſi actus ſcientiæ ſit diſſenſus. Non poteſt autem intellectus aſſentiri, & diſſentiri ſimul eidem propoſitioni; vnde nequit habere actum ſcientiæ & erroris de eadem concluſione, quamuis poſſit habere duos aſſenſus, quorum vnus ſit fides, & alter opinio.

Actus ſcientiæ & erroris cur nequeant eſſe ſimul.

## CONCLVSIO VII.

51. *Poteſt habitus fidei & opinionis eſſe ſimul cum actu ſcientiæ, & cum habitu ipſius.* Hæc eſt contra Authores primæ ſententiæ, pro qua male citatur *Scotus in prædicta diſt. 24.* quia non ſolum eam ibi non tenet, ſed expreſſe aſſerit *num. 21.* quod aliquis poſſit habere ſimul cum actu ſcientiæ de aliquo obiecto, habitum quo illud ipſum obiectum credidiſſet, ſi non vidiſſet; vnde potius citari debet pro hac concluſione, vt bene aduertit *Scholaſtes num. 13.*

Habitus fidei & opinionis poteſt eſſe cum actu ſcientiæ.

*Probatur concluſio primò*, quia habens habitum ſcientiæ de aliqua concluſione, poteſt eandem, quando non proponitur ipſi medium ſcientificum, probare per medium probabile, aut aſſentiri ipſi propter dictũ prudẽtis viri. Sed in tali caſu non perderet habitũ ſcientiæ, tũ quia nulla ratio eſt, ob quam illum habitum perderet; tũ quia poſtea propoſito medio ſcientifico experiretur ſe facilem ad aſſentiẽdum ſcientifice tam bene, quam ſi

non

non elicuisset actum illum opinionis : ergo actus opinionis potest stare cum habitu scientiæ. Deinde per illum actum opinionis generaret aliquem habitum, quia eo frequentato sentiret se faciliorem ad assentiendum probabiliter : ergo simul haberet habitum scientiæ & opinionis, & idem est de habitu fidei.

*Respondent Complutenses* cum *Masio*, posse quidem cum habitu scientifico stare actum opinionis, negant tamen per illum actum acquiri habitum opinionis, sed potius firmari habitum scientiæ, non quidem quod reuera intendatur aut fiat maior, sed quod aliquo modo extendatur ad iudicandum de eadem conclusione per media probabilia : nec nouum, inquiunt, videtur quod aliquis actus, qui alias generaret habitum opinionis, non generet ipsum in præsentia scientiæ, sed potius formaret & extenderet habitum scientiæ, quia in doctrina *D. Thomæ* per actus habituum infusorum non acquiritur alius habitus, sed extenditur & formatur ipsemet habitus infusus.

52 *Hæc doctrina satis mihi videtur mirabilis. Primò*, quia ipsi augmentum, & intensionem habitus fieri dicunt non per additionem noui gradus, sed per extensionem aut formationem maiorem eiusdem gradus: ergo dum dicunt formari habitum scientiæ & extendi per actũ opinionis, male dicũt quod non augeat & intendat habitũ scientiæ. *Secundò*, quia absurdissimum est quod aliquis actus dependens ab vno motiuo extendat aut firmet habitũ ad actus depẽdentes ab alio motiuo, & sane alias posset dici quod quicumque habitus quocumque actu formari & extendi possit. Et quod adducunt ex *sancto Thoma* ad ostendẽdum id non debere esse nouum, non est vllo modo ad rem : nam aliud est quod vnus actus posset formare, & extendere habitum à quo procedit absque productione alterius habitus, vt dicit *S. Thomas* contingere in actibus infusis ; aliud verò est, & longissime diuersum, quod vnus actus natus prouenire ab vno habitu, & causare vnum habitum, possit formare aut extendere alium habitum, à quo non procedit, & quẽ non est natus producere vllo modo. *Tertiò* denique, vel facilitatur quis post multos actus opinionis ad similes actus per habitum scientiæ, vel non : si non, ergo facilitatur per alium habitum, quod est nostrum intentum : si sic, ergo habitus scientiæ erit habitus opinionis & versabitur circa aliud motiuum quã motiuum scientiæ, quo nihil est absurdius.

53 *Probatur secundò*, quia habens habitum opinionis intensum, acquisitum variis actibus, si postea proponatur eadem conclusio demonstratiue, non perdit totũ illum priorem habitum, sicut habens habitum intẽsum intemperantiæ, & exercens vnum actum temperantiæ non statim perdit illum habitum totum intemperantiæ: ergo manet simul cum habitu illo opinionis habitus scientiæ acquisitus per illum actum scientiæ,

*Respondent Complutenses* negando antecedens & paritatem inter habitus intellectus & voluntatis: assignãt autem disparitatem, dicentes, quod quia ratio nequeat totaliter superare appetitiuam potentiam, eo quod per vnum actum non possint proponi voluntati omnes rationes, & motiua diligendi aliquid, ideo non potest per vnum actum habitus virtutis generari; sed quia intellectus quantum est ex parte sua omnino conuincitur per vnam demonstrationem ad assentiendum conclusioni scientificæ ; non vero per vnam rationem probabilem, ad assentiendum conclusioni probabili, ideo per vnũ actum potest generari habitus scientiæ, non vero opinionis : ex quo, inquiunt, rursus sequitur, quod licet habitus voluntatis paulatim se inuicem excludant, & etiam habitus opinionis, tamen habitus scientiæ statim excludat habitum opinionis.

54 *Hæc etiam doctrina non minus mira videtur*, & impugnantur *primò*, quia si ideo habitus temperantiæ non acquiritur vnico actu, quia ratio, mediante qua habetur ille actus, non proponit voluntati omnem rationem boni & diligẽdi: ergo etiam si frequentaretur millies idem actus, non acquireretur ille habitus, quia nec millies frequẽtato isto actu proponuntur voluntati omnes rationes diligendi. *Deinde*, etiam si intellectus determinetur per vnam demonstrationem ad assentiendum cõclusioni, nõ sequitur inde quod tollatur facilitas illa præcedens assentiendi illi conclusioni probabiliter per medium probabile, quando proponitur conclusio per medium probabile, & non proponitur per mediũ scientificum : ergo non sequitur inde, quod tollatur habitus opinionis per habitum scientiæ. *Rursus*, quamuis non determinetur intellectus per habitũ opinionis, quia vt ante dixi, opinio omnis est actus liber, tamen facilitatur ad actum opinionis per habitum acquisitum vno actu; sed habitus iste est opinio: ergo acquiritur habitus opinionis vno actu, sicut acquiritur habitus scientiæ.

55. *Probatur tertiò conclusio*, quia potest stare habitus fidei theologicæ cũ habitu & actu scientiæ; ergo & habitus fidei acquisitæ ac opinionis. Probatur consequentia, quia ideo non possunt hæc stare simul, quia habitus fidei & opinionis sũt obscuri, habitus vero & actus sciẽtiæ sunt clari & euidentes: sed habitus etiam fidei theologicæ est obscurus: ergo si hoc non obstãte potest stare cum habitu & actu scientiæ, poterunt etiã habitus opinionis & fidei acquisitæ stare simul cum actu & habitu scientiæ. Probatur ergo maior, quia fidelis habens habitum fidei infusæ potest scire per demonstrationẽ, multa ex illis quæ antecedenter credidit & sunt credibilia, vt, v.g. quod Deus existat ; & potest per frequentes huiusmodi demonstrationes acquirere habitum scientificum circa illas conclusiones sine iactura fidei, quia alias non posset credere aliis articulis reuelatis, & creditu necessariis; suppono enim cum omnibus Theologis eundem numero habitum fidei theologicæ, & infusæ esse, quo mediante credimus omnia reuelata & credibilia.

56. *Respondent Complutenses* ex *D. Thoma*, Catholicum, qui acquisiuit scientiam de propositione credibili, perdere eo ipso habitum fidei formaliter circa illum articulum, quia scilicet habitus fidei, qui manet in ipso, non inclinat vlterius ad credendum illi articulo, aut propositioni sub ratione formali reuelationis obscuræ. Plura alia adiungunt facilis impugnationis; sed sufficiet veritati impugnare hanc ipsam doctrinam.

*Impugnatur ergo primò*, quia sufficit ad veritatem nostræ conclusionis, quod habitus fidei, quoad totam suã entitatem physicam & metaphysicam, maneat simul cum habitu & actu scientifico : hoc autem concedunt Aduersarij in hac responsione. *Secundò*, quia falsum est quod non possit habitus fidei inclinare ad assensũ circa conclusionem scitam non obstante actu & habitu scientifico acquisito, quando proponeretur illa conclusio, vt reuelata, & non proponeretur vt connexa cum medio scientifico: ergo manet habitus fidei non solum realiter, quod sufficeret nobis, sed etiam formaliter hoc est, vt potens inclinare ad assentiendum propositioni scitæ. *Tertiò*, quemadmodum dicunt hi Authores, quod habitus fidei diuinæ manet realiter, sed non formaliter circa conclusionem scitam ; ita possumus nos dicere, quod maneat habitus fidei acquisitæ & opinionis circa conclusionem scitam realiter, licet non formaliter; quod plane est nostrum intentum. *Quartò*, sicut dicunt similiter, quod non possit manere habitus fidei & scientiæ respectu eiusdem conclusionis simul, quia habitus fidei non manet formaliter in sensu explicato: ita posset quis dicere quod non maneat in homine potentia intellectiua ad opinandum aut errandum circa conclusionem scitam, quia licet maneat realiter intellectus, tamen non manet formaliter in illo sensu, hoc est, non est potens habere actũ opinionis, aut erroris ex suppositione scientiæ: sed hic modus loquendi est satis incommodus: ergo & ille *Complutensium*.

57. *Probatur quartò* conclusio: potissima ratio, ob quã repugnarent habitus scientiæ & opinionis, est, quia essent principia actuum oppositorum, & determinatiua intellectus ad actus oppositos, v.g. ad actus claros & obscuros; & potissima ratio, cur habitus opinionis nequiret stare cum actu scientiæ, est, quia est principium deter

redam

minatiuum ad actum oppositum & incompatibilem cũ actu scientiæ: sed hæc ratio nõ vrget: ergo vere habitus opinionis: & idem est de habitu fidei, est compatibilis connaturaliter cum habitu & actu scientiæ. Probatur minor, quia naturaliter solet fieri, & de facto necessario fit, vt aliquis simul habeat principium actuum oppositorum, & simul cum vno actu ex oppositis principium alterius actus oppositi. Nam vnusquisque hominum habet voluntatem, quæ est principium amoris & odii, & habet eandem voluntatẽ simul cũ amore aliquando, & aliquando simul cum odio. *Deinde* aliquis potest habere habitum determinatiuum ad vnum actum, v.g. temperantiæ simul cum vno actu intemperantiæ; imo & simul cum habitu intemperantiæ in aliquo gradu.

*Confirmatur* hoc, quia magis videntur incompatibiles actus temperantiæ, & intemperantiæ, quam actus fidei & scientiæ: ergo si principia istorũ actuum possint esse simul, & quodlibet ex illis cũ actu alterius, poterit habitus scientiæ esse simul & cum habitu, & cum actu opinionis. Probatur antecedens, quia actus temperantię est nolle intemperate viuere, & actus intemperantię est velle intemperate viuere, sed velle, & nolle, absolute aliquod obiectum sunt magis incompatibilia, & opposita, quam duo quicunque assensus, quibus iudicatur conclusio aliqua esse absolutè vera; aut saltem, quod nobis sufficit, certum est quod assensus scientificus, & opinionis non possint esse magis incompatibiles, quam isti duo actus volendi, & nolendi.

58. *Obiicies pro Complutensibus*: Habitus & actus versantur circa idem obiectum, & habent eandem rationem formalem attingendi illud: ergo si actus repugnant, & habitus repugnabunt.

Cur albedo & nigro incõpatibiles magis quã habitus fidei, & opinionis.

*Respondeo primò*, si hoc argumentum valeret, sequeretur quod habitus scientificus, & actus opinionis essent incompatibiles contra Aduersarios, & omnes.

*Respondeo secundò*, negando consequẽtiam, quia alias habitus temperantiæ, & intemperantiæ non possent esse simul in vllis gradibus, contra experientiam, & etiam Aduersarios. Per quod patet etiam ad confirmationem quam iidẽ Authores adducunt, nec necesse est hic proponere.

*Obiicies secundo*: Ideo nigredo, & albedo connaturaliter sunt incompatibiles in eodem subiecto, quia natæ sunt causare effectus incompatibiles, vt disgregare, & congregare visum: ergo quandoquidem habitus scientię, & opinionis sint nati causare actus incompatibiles, debent dici esse incompatibiles.

*Respondeo*, hoc argumentum esse ad oppositum, quia albedo, & nigredo possunt esse simul in gradibus remissis, licet non possint in summo: ergo similiter habitus scientiæ, & opinionis possent esse simul in gradibus remissis, quod sufficit nobis, quamuis non possent esse simul in gradibus intensis.

59. *Deinde*, quamuis albedo, & nigredo nõ possent esse simul vlla ratione, non esset idem de ipsis dicẽdum atque de habitibus, de quibus agimus; quia cum albedo non possit applicari ad suũ effectũ, quin nigredo applicaretur necessario ad suũ, nec sit vlla ratio, cur vna potius haberet effectũ quam altera, & vtriusque effectus sint incompatibiles, omnino connaturaliter exigitur destructio vnius ad positionẽ alterius, quia nisi destrueretur altera ex illis, vel neutra haberet effectũ, vel certe vna ex ipsis nõ posset habere, & sic superflue, cõseruaretur in rerũ natura. Sed positis duobus habitibus scientiæ, & opinionis eiusdem conclusionis simul in eodem intellectu, posset applicari vnus habitus ad suum effectum sine eo, quod alter applicaretur: posset enim proponi medium demonstratiuum, non proposito medio probabili, & è contra; vnde vterque suo tempore posset habere suum effectum, nec vnus impediret alterum, nec vllus ex illis superflue conseruaretur.

## QVÆSTIO IV.

### *De scientia subalternante, & subalternata.*

60. COmmuniter tenent Authores aliquas scientias dari, quę sunt subalternantes, aliquas subalternatas, & aliquas etiam, quæ nec sint subalternantes, nec subalternatæ. Vt hoc autem intelligatur, oportet hic examinare, quid sit *scientia subalternans*, & quid *subalternata*; cognita vero harum scientiarum ratione, facile erit cognoscere quid sit scientia, quæ nec sit subalternans, nec subalternata.

Variis modis accipitur scientia subalternans & subalternata.

Itaque *scientia subalternans* est sine dubio scientia habens aliam scientiam sibi aliqua speciali ratione subordinatam, & à se dependentem: & *scientia subalternata* est nãs, & subscientia illa, quæ alteri scientiæ subordinatur, & est ab ipsa dependens illa speciali ratione: quia vero pluribus modis scientia aliqua alicui subordinari potest, hinc pluribus modis potest dici subalternata, quos propterea modos hic breuiter proponemus.

*Primo modo* posset dici vna scientia subalternata, & subiecta alteri, ex eo, quod obiectum ipsius esset contentum sub obiecto alterius, sicut quodlibet ens particulare continetur sub ente vt sic; & hoc modo Physica esset subalternata Metaphysicæ, & vna pars vnius scientiæ alteri scientiæ. Hæc reuera subalternatio & subiecto est valde impropria, quamuis enim obiectum vnius scientiæ sit contentum sub obiecto alterius, tamen non inde sequitur vnam ex illis scientiis proprie subiici aut subalternari alteri, nisi præterea ipsamet scientia ab altera scientia aliqualiter dependeat: vnde quandoquidem Physica, quæ est scientia de corpore naturali, haberi possit absque Metaphysica, nec ab hac vlla particulari ratione dependeat, non potest dici, nisi impropriissime huic subalternari aut subiici.

*Secundo modo* posset dici vnam scientiam alteri subalternari ex eo, quod ipsi famuletur, & inseruiat: sic ars frænifactoria subalternatur equestri: & hæc sane subalternatio est multo proprior quam prima, quia in ipsismet scientiis reperitur aliqua connexio secundum se.

*Tertio modo* subalternari potest dici scientia scientiæ, quando vna scientia dependet ab vna vel pluribus præmissis cognitis per illam aliam scientiam, vt v.g. Medicina ad concludendam aliquam conclusionem suam, nempe quod contrariis contraria sint curanda, dependet ab hac præmissa, quæ cognoscitur in Physica, quod contraria se mutuo expellant ab eodem subiecto.

*Quartò* potest dici quod subalternetur vna scientia alteri, quando vna scientia considerat obiectum alterius scientiæ, sub aliqua tamen ratione accidentali: sic Perspectiua dicitur subalternari Geometriæ, quia vtraque considerat lineam, sed hæc secundum se considerat lineam, Perspectiua vero considerat illam, vt visualis est. At hæc etiam subalternatio esset impropria, sicut prima, nisi esset dependentia aliqua in scientia, quæ haberetur de ipso secundum se.

*Vltimò* denique ad perfectissimam subalternationem requirunt Authores communiter tres conditiones. *Prima est*, quod subalternans & subalternata versentur circa idem obiectum. *Secunda*, vt subalternata consideret illud obiectum sub ratione aliqua accidentali. *Tertia*, quod subalternata habeat pro præmissa aliquã conclusionem, quam ipsamet non demonstrat, sed quæ fuit demonstrata in scientia subalternante. Quoties adsunt tres hæ conditiones, habebitur scientia perfectissime subalternata; quoties deerit aliqua ex illis, non habebitur. Nec requiritur alia probatio ad hoc probandum, quam quod authores intelligant communiter nomine scientiæ subalternantis, & subalternatæ, propriissime loquendo, scientias illas, quibus competunt hæ conditiones, quibus etiam in hac acceptione fauet *Philosophus hic*. Solum posset esse difficultas, quomodo scientia subalternata, quandoquidem sit propria scientia, considerare possit obiectum scientiæ subalternantis cum conditione accidentali, quandoquidem obiectum cum tali conditione sit vnum per accidens, de quo non videtur haberi posse scientia proprie dicta.

*Sed ad hoc responderi posset* ex dictis *supra hac disputatione nu.* 14. posse haberi scientiã de aliquo vno per accidens, licet non strictissimam, nec esse necesse, vt scientia subalternata sit sciẽtia in strictissima acceptione sciẽtiæ:

*Deinde*

*Deinde responderi poterit*, quod scientia subalternata, non consideret per se primo & obiectum & conditionē accidentalem, demonstrando aliquam proprietatem de vtroque; sed quod agat de obiecto in ordine ad illā conditionem accidentalē, sicut dicitur Physica agere de ente mobili, nō quod agat perse primo de corpore, & mobilitate, sed quod agat de corpore in ordine ad mobilitatem.

63 His præmissis de natura scientiæ subalternantis, & subalternatæ, controuersia realis hic examinanda est, an possit aliquis habere scientiam subalternatam sine subalternante, seu an habitus ille, qui inclinaret ad assentiendum conclusioni deductæ ex præmissis, quæ non essent euidentes, posset habere rationem scientiæ.

Vt hæc res bene intelligatur, *aduertendum est*, dupliciter posse quem philosophari de sciētia subalternata. *Primò*, vocando scientiam subalternantem, actualem illam cognitionem, quæ habetur de aliqua conclusione cum dependentia actuali à cognitionibus scientificis scientiæ subalternantis; & scientiam habitualem subalternatam, habitum qui acquiritur per tales cognitiones actuales subalternatas & sic dependentes. *Secundò*, vocando scientiam subalternātem, actualem cognitionem, quæ habetur de conclusione cum dependentia à præmissis demonstrabilibus in scientia subalternata, sed tamen non demōstratis actu, nec cognitis euidenter ab eo, qui infert ex illis illam conclusionem, & vocando scientiam subalternatam habitualem habitum, qui acquiritur per huiusmodi cognitionem.

## CONCLVSIO I.

Non potest haberi sciētia subalternata absque subalternante.

64. *Non potest haberi scientia actualis aut habitualis subalternata, quæ vere scientia rationem habet, absque scientia subalternante*, Hæc est *Doctoris nostri* satis expresse *in 3. dist. 24. quæst. 1. num. 18.* cum suis, quos sequitur *Suarez disput. 1. Metaphysicæ, Caietanus, Bagnes, Molina 1. parte quæst. 1. art. 2. Auersa quæst. 27. sect. 6. & alij plures* contra *Capreolum q. 1. prologi, concluſ. 1. & plurimos Thomistas*, quos citāt & sequuntur *Complutenses hic q. 3. & Ioannes à S. Thoma quæst. 26. art. 3.* quibus fauet *sanctus Thomas*.

*Probatur conclusio primò* de actuali scientia, quia nulla cognitio actualis, quæ non est certa, & euidens, potest habere rationem veræ scientiæ: sed cognitio dependens à præmissis non euidentibus, aut certis, non potest esse certa, & euidens: ergo talis nequit esse vera scientia: sed omnis cognitio actualis subalternata est cognitio dependens à præmissis, quæ non sunt notę ex terminis, nec cognoscuntur euidenter, nisi per scientiam subalternantem: ergo nulla talis potest esse scientia absque scientia subalternante.

*Probatur secūdò*, quoad cognitionem habitualem, quia illa habet solum rationem scientiæ habitualis, quæ potest inclinare ad scientiā actualem: sed habitus acquisitus per cognitionem, quæ non est scientia, nequit inclinare ad scientiam; ergo nequit esse scientia habitualis: at omnis habitus, qui acquiritur per cognitionem dependentem à præmissis, quæ sunt conclusiones scientiæ subalternantis sine scientia subalternante, est habitus acquisitus per cognitionem, quæ non est scientia: ergo non potest hbitus scientificus subalternatus absque scientia subalternante haberi.

Posset breuius *probari* hæc pars hoc modo: eatenus scientia habitualis subalternata posset haberi absque subalternante, quatenus scientia actualis subalternata posset haberi absque subalternante: sed hoc nequit fieri, vt patet ex probatione primæ partis, ergo, &c.

*Confirmatur secundo*: Ille qui concludit in Medicina quod contraria contrariis curantur, ex eo, quod cōtraria à contrariis expellantur ab eodem subiecto, vel cognoscit euidenter illud antecedens, quod scilicet contraria se mutuo expellant, vel non cognoscit illud euidēter, sed solū cognoscit illud probabiliter, aut per opinionē, aut per fidem. Si dicatur primum, iam habet scientiam actualem physicam, qua sola, vt supponitur, illud euidēter cognosci potest. Si dicatur secundum: ergo nō habet scientiam certam, & euidētem de conclusione, quia impossibile est quod cōclusio sit euidentior præmissis, & consequenter quamuis possit dici habere cognitionem subalternatam, tamē non potest dici quod illa cognitio sit vera scientia. Quæ sane probatio mihi videtur conuincere conclusionem.

65. *Fundamentum potissimum Thomistarum* proponitur à *Complutensibus* supra; summa eius consistit in hoc, quod ratio substantialis scientiæ attendatur penes certitudinem, qua intellectus adhæret scibili, neque requiritur quod actu habeat euidentiam, sed sufficit quod ex natura sua postulet illam habere: sed aliquis potest certo assentiri conclusioni subalternatæ absq; sciētia subalternāte de præmissis, modo credat absque formidine illas præmissas esse veras, sicut potest optime cōtingere, quādoquidem credimus multa absque formidine, vt fuisse olim Iuliū Cæsarem, Alexandrum Magnum, & similia, quæ nō sunt nobis euidentia, & in casu nostro Medicus posset sic credere Physico dicenti quod cōtraria expellāt cōtraria: ergo potest quis assentiri certò, & consequēter scientificè conclusioni subalternatæ absq; scientia subalternante, & potest per plures similes actus acquirere habitū, qui sit scientia habitualis subalternata, absque subalternante, qui habitus, & actus non habebunt quidem euidentiā actualiter, sed postulant illam habere.

*Confirmant* autem hanc doctrinam ex *Nazario*, quia assentiens conclusioni subalternatæ credit habenti scientiam subalternantem non vt homo, sed vt habens talem scientiam, & ideo habet firmitatem, quæ habituī scientifico in deducendo sufficiat: maxime, inquiunt, cū talis habitus sit valde imperfectus, & fides non concurrat ad illum in virtute propria, sed in virtute scientiæ subalternatæ, cuius defectum supplet.

*Confirmant præterea*, quia assensus conclusionis subalternatæ per se, & ex specie sua petit procedere à scientia subalternante; quando verò procedit à fide, est quasi per accidens ob defectum subalternantis, cuius loco substituitur, & virtute cuius operatur fides: ergo assensus ille non participat obscuritatem, & consequentes nihil deest ipsi ad rationem scientiæ.

66. In hoc fundamento plurima displicent, ex quibus insufficientia eius constabit. *Displicet primò* quod dicat sufficere ad scientiam certitudinē, & non requiri actualem euidentiam, modo exigatur talis euidentia; nam si sufficeret certitudo, fides saltem diuina, quæ summam habet certitudinem, esset scientia, maxime in sententia, quæ asserit eam esse discursiuam, quod tamen à nemine asseritur; & quod hi authores supponunt, Theologiam nostram esse scientiam, est falsum omnino, vt suo loco probabitur. *Deinde* non requiri ad scientiam euidētiam actualem, sed sufficere exigentiam connaturalem eius, gratis asseritur. *Præterea*, & præcipuè falsum est, quod supponunt, nimirum assensum cōclusionis subalternatæ innixum præmissis creditis exigere euidentiam connaturaliter, licet eam per accidens non habeat: nam ille assensus dicit dependentiam essentialem ad præmissas creditas: sed assensus sic dependens nequit etiam de potentia absoluta esse euidens, sicut nequit assensus probabilis esse euidens, & assensus euidens esse probabilis: ergo non exigit ille assensus euidentiam connaturaliter, sed potius exigit non habere euidentiam.

Assensus deductus ex præmissis de fide non exigit euidentiā nec certitudinem.

*Et si dicatur* illum assensum eiusdem esse speciei cum assensu eiusdem conclusionis procedēte à præmissis cognitis per scientiam subalternātem: *Dico etiam* hoc falsum: sunt enim tam distincti, quam duo assensus, quorū vnus haberetur ex præmissis clare, & certe cognitis, alter vero ex iisdē præmissis cognitis tantū probabiliter, qui sūt sine dubio distinctę speciei. Ex quo corruit totū fundamentū, cuius vis erat, quod assensus ille, quandoquidē esset certus, & exigeret euidentiā, esset sciētificus.

67. *Displicet secundò* quod asserunt assensum illū conclusionis subalternatæ, innixum præmissis creditis, esse certum certitudine sufficienti ad scientiā proprie dictā; quia licet quis possit per fidē humanā credere aliquid certo certitudine morali, nō tamē certitudine physica, aut metaphysica, quia nō obstante quacūq; certitudine habita

Non sufficit certitudo moralis ad sciētiam.

habita de re aliqua per fidē humanā potest intellectus formare discursum, quo concludatur ad iudicandū possibile esse oppositū absolute, & simpliciter: sed certitudo moralis nō sufficit ad sciētiā strictā, de qua hic agimus, ergo assensus ille non habet certitudinem sufficientem ad scientiam.

*Confirmatur*: si assensus ille habet certitudinem sufficientem ad scientiam, ergo actus ille fidei certus, cui innitur, habet certitudinem sufficientē ad intellectum principiorum, à paritate rationis: sed hoc est absurdum: ergo & illud vnde sequitur.

68. *Displicet tertiò*, quod asserūt assentientē cōclusioni subalternatæ sine sciētia subalternāte. v.g. Musicū, qui nō sit Arithmeticus, assentiēte alicui cōclusioni musicæ depēdēti à præmissis demonstratis in Arithmetica, credere Arithmetico, non quia homo quomodocunq; sed quia est sciens Arithmeticam; quasi hinc fides habita ipsi sortiretur certitudinē. Hoc inquā omnino displicet, quia etiamsi, quod magis est, cognosceretur certò, & euidēter esse sciēs, quod difficulter cōtigere potest, tamen adhuc dependet ab authoritate humana ipsius præcise qua humana, an quod diceret, esset verū: necne; posset. n. quātūuis esset sciēs, proponere aliquid, tanquā à se scitū, quod reuera non esset scitum ab ipso; imo & quod haberetur ab ipsomet pro falso: ergo quod ipse proponat rem scitā ab ipsomet, nō cōstat audienti, aut discenti alio modo quam propter authoritatē humanā ipsi incertā, quæ quia fallibilis, & incerta est, propterea incertū erit, an illa res proposita ab ipso sit scita: ergo fides innixa tali authoritati erit incerta, quemadmodū esset illa, quæ haberetur ipsi, etiāsi nō esset Arithmeticus

*Confirmatur hoc*, quia supponamus Thomistam proponere alicui illa scientia nō prædito, quod ipse sciat tā bene materiā primā non posse existere sine forma aliqua, quā cōtraria expelli à contrariis; is, cui hoc proponitur æqualem habet certitudinem de vtraque propositione, & æque credit illi vt physico: sed certum est quod non possit esse certus de prima propositione certitudine vlla sufficienti ad scientiam: ergo nec de secūda; & consequenter si inferat ex secunda propositione hanc conclusionem medicam, quod contrariis contraria sint curāda, cōclusio nō poterit ipsi esse certa certitudine vlla sufficienti ad scientiā magis, quā esset ipsi certa cōclusio deducta ex altera illa propositione de materia prima.

69. *Displicet quartò*, quod dicunt habitū fidei nō in virtute sua cōcurrere ad assensū conclusionis subalternatæ, sed in virtute sciētiæ subalternātis: *Primò* quia sic posset quis dicere, quod omnis opinio, cuius saltē obiectum esset reuera à parte rei verū, haberet certitudinē, non quidē à se formaliter, sed à scientia illa, quæ ab aliis haberetur de illa re, in cuius sciētiæ virtute influeret illa opinio Quemadmodum. n. fides de se incerta potest influere certitudinē in virtute sciētiæ, nō habitæ ab ipso credente, cur opinio similiter facere non posset: *Deinde* fides quæ est in vno, non potest accipere virtutē à sciētia, quæ est in alio, nec potest quis explicare qua ratione ab ipsa virtutē acciperet. Et sane id imaginari mihi videtur valde chymericū, & excogitatū mere ad euadendam difficultatē, quā tamē non euadit apud vllū, qui vel leuē fecerit reflexionē. *Præterea*, quamuis demus quod accipiat aliquam virtutē ab illa sciētia, nō tamē virtutē, quę faciat intellectū certū, quādoquidē possit dubitare, an alter haberet scientiā, & an, supposito quod eā habeat, proponat rē à se scitā potius, quā rē ignoratā, aut falsā.

70. Ex his breuiter *colligitur*, assensū cōclusionis subalternatę, habitum absq; scientia subalternante, nec habere certitudinē, nec euidentiā sufficientē ad scientiam strictā, nec exigere alterutrā ex ipsis habere: nec procedere in virtute scientiæ ab habitu fidei. *Et per hoc patet* ad duas confirmationes supra aductas pro aduersariis.

*Contra quarum secundam* potest præterea vrgeri, quod conclusio cōtradicat doctrinæ positæ in fundamēto; nā in fundamēto supponūt quod assensus cōclusionis subalternatæ absq; sciētia subalternāte non sit actu euidēs, sed conclusio cōfirmationis secūdæ est, quod non sit actu obscurus: ergo debet esse actus euidens, inter. n. assensum euidentem actu, & obscurum actu non datur medium, vt patet.

*Alio modo* proponit *Ioannes à S. Thoma* fundamentū sentētiæ Thomisticæ nostræ cōclusioni oppositæ. Probat, ergo habitū illū, quo inclinamur ad assēsū subalternatū esse scientiā absq; scientia subalternante, quia petit ex natura sua esse cōtinuatus cū sciētia subalternāte: vnde quandoquidem esset scientia, quādo cōtinuaretur absq; productione noui habitus subalternati, etiā quādo nō est cōtinuatus, erit sciētia, licet nō habebit tū statū perfectū, nec possit facere intellectū certū & euidētē actu formaliter, sed solū radicaliter. Et fortassis hoc est, quod alii Thomistę volūt dicere, quādo asserūt quod assēsus cōclusionis subalternatę petat & exigat prouenire à sciētia subalternata, quia petit procedere ab habitu, qui exigit cōnaturaliter cōtinuari cum subalternāte.

71. *Hæc etiam doctrina* facile impugnari potest ex dictis contra *Cōplutenses*: quia falsum est quod habitus ille, quo inclinamur ad assentiendum conclusioni depēdenter à præmissis creditis aut cognitis probabiliter, petat cōtinuari cum scientia subalternāte de iisdē præmissis: imo si vera est sententia Thomistarū multorum, quod nequeat habitus fidei, & sciētiæ esse simul de eodem obiecto, non poterit ille habitus simul cū sciētia subalternante cōtinuari, quia ille habitus dependet ab habitu fidei, quo creditur præmissis, & cōsequēter quādo quidē ille habitus fidei in hac sententia nequeat esse cum habitu scientifico subalternante de iisdem præmissis; nequit habitus conclusionis ab illo dependens stare simul cum eodem habitu scientifico subalternante,

*Confirmatur*, quia habitus ille cōclusionis subordinatę acquiritur per actus specie distinctos ab actibus, qui versarentur circa eandē conclusionē cū dependentia ab habitu subalternāte; & nequit inclinare ad actus depēdētes ab habitu subordinante; ergo nō petit continuari cū habitu subalternante. Consequētia est euidens, quia ideo peteret cōtinuari, vt posset cōcurrere ad actus dependentes à subalternante. Probatur antecedens, quia acquiritur per actus depēdentes à præmissis creditis, & limitatur ad tales actus: sed actus dependentes à præmissis creditis sūt distinctissimæ speciei ab actibus dependētibus à præmissis cognitis euidēter, aliàs opinio, & fides nō distinguerētur specie à sciētia: ergo habitus ille acquiritur per actº specie distinctos, & nequit cōsequēter inclinare ad actus procedētes à sciētia subalternāte.

In hoc autem deceptus videtur dictus author, quod existimauerit per eundē habitum, quē aliquis acquisiuit absq; scientia subalternante, cum acquisita deinde subalternante scientia, simul cum illa subalternante scientia elicere actum scientificum circa conclusionē subalternatā. Non ita autē contingit, sed quādo acquirit habitum subalternantē, & eo mediante assentitur cōclusioni subalternæ, acquirit nouum habitum circa conclusionē illam subalternatam, qui habitus est scientificus, & distinctissimæ rationis ab habitu, quo ante acquisitā scientiam subalternatā facilitabatur ad assentiendū eidem conclusioni cum dependentia à præmissis ijsdē, vt fide aut opinione cognitis; quod mihi tā clarū videtur vt mirū videatur posse in dubiū verti, re bene examinata.

## QVÆSTIO V.

*Vtrum detur habitus scientificus, & in quo consistat.*

72. PEr *habitum scientificum* seu *scientiam habitualem*, intelligimus hic aliquid, quod facilitat intellectū ad hoc, vt possit quando liberet voluntati, expedire, & celeriter, ac sine difficultate habere actum scientiæ.

### CONCLVSIO I.

*Datur habitus scientificus.* Hæc est cōmunissima cum *Philosopho 2. Ethicor. 1. & 3. Ethic. 5.* contra eos authores paucos, qui vniuersaliter negant habitus, *Probatur experientia*, qua constat nos, quo sæpius demonstramus aliquam conclusionem, reddi faciliores ad illā demonstrandam, & cognoscendam conclusionē eius sciētifice: ergo datur aliquod principiū vnde prouenit huiusmodi facilitas; sed illud est, quod intelligimus nomine habitus scientifici: ergo datur habitus scientificus. Datur habitus scientificus.

*Dices*: illam facilitatem non prouenire ex aliquo positiuo, sed ex remotione impedimentorum; sed per habitum scientificum, omnes intelligunt aliquod positiuum facilitans: ergo non datur habitus scientificus.

*Confirmatur*, quia si valeret illa experientia, probaret, quod darentur habitus in membris corporeis in ordine ad operationes, quas aliquando facilius, aliquando difficilius exercent, sed hoc videtur absurdum: ergo illa experientia nihil probat

*Contra* hanc replicam facit *primò*, quod non possint assignari vlla impedimenta ex parte intellectus, quo tollerentur, & quibus ablatis haberet facilitatem sciẽdi. *Deinde* non potest dari ratio vlla cur tollerentur impedimenta post repetitam demonstrationem pluries potius quam ante, nisi aliquid acquireretur tum, quod ante non erat; ergo quando adest facilitas, adest habitus sciẽtificus. Vnde in forma negatur maior replicæ.

*Et ad confirmationem respondeo primò*, concedendo sequelam maioris, & negando minorem.

*Respondeo secundò*, negando sequelam maioris: & disparitas est quod possint assignari in mẽbris corporeis impedimenta multa, quæ excluderent facilitatẽ, quam ablatis illis impedimentis haberent, vt nimiam duritiẽ aut mollitiem, improportionem partiũ; & similia; qualia assignari non possunt ex parte intellectus.

73. *Obiicies*: Visus, quia est potentia naturalis, non indiget habitu ad videndum: sed intellectus est potentia naturalis: ergo non indiget habitu.

*Respondetur* communiter, negando maiorem prẽcise; & in sensu formali; sed potius ratio, cur non indigeat habitu, est quod sit talis potentia naturalis, distinctæ scilicet rationis ab intellectu.

Cur visus non indigeat habitu, intellectus vero sic.

*Et si quæratur*, quænam sit illa taleitas in ratione potentiæ naturalis in visu, ob quam non indigeat habitu, quæ taleitas non sit in intellectu.

*Respondetur* communiter, quod sit illa taleitas, vnde oritur vt visus non possit habere plures actus distinctę rationis circa idẽ obiectum, sed determinatur ad vnũ; hinc enim fit, vt non habeat difficultatem, nec indigeat determinatione, quæ fieret per habitũ. Intellectus autẽ nõ habet talẽ naturã, sed potius oppositã, quia potest eidẽ propositioni propositæ obiectiue nũc dissẽtire, nũc assẽtire, nũc firmiter, nũc probabiliter tãtũ adhærere, aut nõ adhærere ipsi; & propter hãc indeterminationẽ suã indiget habitu determinante & facilitante.

*Sed instari optimè potest* cõtra hãc doctrinã, quod licet intellectus possit habere varios actus distinctæ rationis circa vnicã conclusionẽ secũdũ se nude cõsideratã, seu materialiter acceptã, tamẽ nõ potest ex se habere aliquẽ aliũ actũ circa conclusionẽ propositã demõstratiue quã assensum; imo & in nostra sententia tã determinatur tũ ad assensũ, quàm visus ad videndũ albũ propositũ; & si posset iuxta aliorũ sentẽtiã nõ assentiri, imperãte volũtate, hoc nõ oriretur ex natura sua, nec ex aliqua difficultate, quam haberet in assentiendo, sed ex parte voluntatis: vnde si esset aliquis habitus propterea ponendus, deberet poni potius ex parte voluntatis, quam intellectus: ergo sicut visus non indiget habitu ad videndum obiectum propositum sufficienter, quia nequit non videre ipsum, ita nec intellectus indigebit habitu ad assentiendũ cõclusioni scientifice propositæ.

Quod etiã *confirmatur* experientia, quia licet intellect⁹ habeat difficultatẽ in proponenda cõclusione scientifice, & demonstratiue, nõ tamen habet difficultatẽ vllã in assẽtiẽdo ipsi, quando demõstratiue proponitur, quãdoquidẽ in eodẽ ipso instanti, quo sic proponitur, determinetur ad assensum absq; vlla prorsus mora.

Habitus scientificus non ponitur ad facilitandum intellectũ ad assentiendum conclusioni propositæ.

74. Propter hoc mihi valde probabile videtur, quod habit⁹ sciẽtificus non ponatur in intellectu ad facilitandũ ipsũ ad assẽtiẽdũ cõclusioni sciẽtifice propositæ, sed potius ad proponendã ipsã scientifice, nã in ordine ad illã propositionẽ sentimus difficultatẽ quãdoq; & quãdoq; facilitatẽ, & ablata difficultate propositionis, nulla manet difficultas acquirendi sciẽtiã aut assentiẽdi sciẽtifice illi conclusioni, *Vnde in forma Respõdeo* ad replicã principalẽ negãdo paritatẽ de intellectu, & visu quãtũ ad habendũ habitum: ideo enim visus non habet habitũ, quia ipsiusmet non est proponere sibi obiectũ, & eo proposito non indiget habitu; sed intellectus habet virtutem proponẽdi sibi obiectum, & quia potest varia obiecta proponere & vnum obiectum variis modis, potest habere difficultatẽ in proponẽdo vero obiecto, tali vel tali ratione, & indigere propterea habitu.

*Dices* contra hoc: habitus, quo facilitatur intellectus ad proponendã conclusionem demonstratiue, est habitus demonstratiuus logicus: sed præter illum habitum datur in intellectu alius habitus, nẽpe physicus & metaphysicus ergo non bene dicitur quod habitus scientificus possit proponere conclusionam scientificè.

*Respondeo* negando maiorem, neq; enim habitus demõstratiuus logicus posset vnquã se solo facilitare ad proponẽdã demõstratiue cõclusionẽ physicã, aut metaphysicã, sed alius præterea habitus ad hoc requiritur.

75. *Dices secundò*: Intellectus cũ habitu est causa naturaliter agens: ergo deberet semper necessariò proponere conclusionem demonstratiue: sed hoc est falsum: ergo non datur talis habitus in intellectu.

*Quod si respondeatur*? intellectũ cũ habitu non esse causam adæquatã proponendi conclusionẽ demonstratiue, sed requiri vlterius propositionem specierum conclusionis, & præmissarum, & propterea non debere proponi cõclusionem sic, nisi propositis illis speciebus.

*Contra* adhuc instari potest, quod si requiratur propositio illa specierum, superfluat habitus, quia intellectus ipse propositis speciebus facillime proponit conclusionem, & assentitur ipsi absque habitu vllo.

Hęc instãtia sẽper mihi visa est difficilis. *Respõderi tamen potest*, experientia colligi nos facilitari quãdoq; ad proponẽdas species tali vel tali ordine, quomodocũq; id accidat, & illud, à quo sic facilitamur, esse habitũ, qui tamẽ habitus debet habere occasionẽ aliquã, vnde hic & nũc determinetur ad proponẽdã sic cõclusionẽ, nimirũ volũtatẽ aut desideriũ cognoscendi demõstratiuè talẽ aut talẽ cõclusionẽ, qua volũtate aut desiderio supposito, intellect⁹, si habeat habitum scientificũ, facile proponet conclusionẽ demonstratiue, si autem non habeat, vel nullo modo, vel non nisi ægrè illã proponet.

*Solet hic examinari*, in quonam consistat ille habitus, an in speciebus coordinatis, vel qualitate aliqua absoluta distincta. Sed hoc examinabitur in libris de Anima *disputatione de habitibus*.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### *De vnitate & distinctione scientiarum.*

76. Difficultas huius quæstionis valde exaggeratur à *Cõplutensibus*, *à Ioanne à S. Thoma*, *& aliis*, & sane quidquid sit de aliorũ sententia, ipsorum non solũ difficilis, sed inexplicabilis mihi videtur. Vt res ipsa intelligatur, *suppono primò* potissimum quæstionẽ esse de scientiis totalibus speculatiuis, respiciẽtibus plures cõclusiones & plura media: non de scientiis partialibus ex quibus tot quot respiciunt, aut diuersas cõclusiones, aut diuersa media aut etiã diuersa principia essẽtialiter & necessario requisita, diuersæ speciei erũt ex hoc ipso.

*Suppono secundò*, quantũ ad sciẽtias totales difficultatẽ posse esse vel de sciẽtiis totalib⁹ actualibus, vel de habitualib. Si autẽ loquamur de scientiis totalib⁹ respiciẽtibus plures cõclusiones & plura media, certũ est, q. nulla ex illis sit vna numeroian autem sint vna specie, pendet ex dictis *quæst. præmiali*, & ex ibi dictis suppono tanquã certũ, quod includãt partes sciẽtias distinctas specie. Sed quandoquidẽ quælibet sciẽtia totalis actualis includat multas sciẽtias partiales distinctas specie, difficultas erit cur aliquæ sciẽtiæ distinctæ specie faciãt vna totalẽ scientiã potius quã ones, v.g. cur omnes illæ sciẽtię actuales quæ dicũtur integrare metaphysicã, potius dicãtur facere vnã integralem scientiã, quam omnes omnino scientiæ dicũtur facile vnã totalẽ sciẽtiam. Quod si loquamur de sciẽtia habituali, difficultas est, an sciẽtia totalis habitualis sit vna simplex qualitas, an verò aggregatũ ex pluribus habitib. partialibus; & ex suppositione, quod sit huiusmodi aggregatũ, examinãdũ erit, cur

plures

plures habitus metaphysici v.g.faciãt vnam scientiã totalẽ potius,quam omnes habitus scientifici tã metaphysici & mathematici faciant vnam scientiam totalem aggregatam ex omnibus.

*Alia difficultas est*,an isti plures habitus,qui distinguũtur numero, & cõflãt vnã sciẽtiã,v g. Metaphysicã, sint distinctæ speciei,necne:& supponẽdũ est sciẽtiã habitualem non cõsistere in speciebus coordinatis, sed in aliqua qualitate superaddita potentiæ & speciebus illis,acquisita per actus sciẽtificos,siue immediate facilitet intellectũ ad illũ aſsẽsũ,siue solũ facilitet ipsũ ad proponẽdas prẽmissas & cõclusionẽ debito modo:quorũ dicẽdi modorũ perinde est quis teneatur quãtũ ad præsentẽ difficultatẽ.

*Examinantur varia sententiæ.*

77. *PRima sentẽtia* est nõ dari varias scientias totales distinctas,sed omniũ rerũ vnicã esse sciẽtiã totalem. Hæc tribuitur *Ægydio* 1.*Met.q.*22.*Mirandulano l.* 13. *de euersione singularis certaminis,& aliis*.Duobus autem modis potest intelligi hæc sentẽtia:*primò* sic,vt quemadmodũ ex collectione pluriũ sciẽtiarũ metaphysicarũ distinctæ rationis integratur vnica sciẽtia totalis tam actualis quã habitualis metaphysica,sic posset ex collectione omniũ sciẽtiarũ actualiũ & habitualiũ fieri vna sciẽtia totalis actualis & habitualis, quæ se extẽdat ad omnia scibilia.Et sane si hoc modo intelligatur,nullã habet incõueniẽtiã,nec potest dubitari, quin detur huiusmodi aggregatũ,q. sit vnũ aggregatione & ordine etiã tã bene,quã aggregatũ ex omnibus sciẽtiis,metaphysicis aut physicis. Sed vt hic sensus non habet difficultatẽ,ita nec iuuat ad propositæ quæstionis solutionẽ,in qua supponimus Metaphysicã,Physic. & Mathem. esse distinctas sciẽtias totales,& quærimus vnde habẽt suã distinctionẽ & vnitatẽ.

Quo sẽsu omnium scibilium vna sit scientia.

*Alio modo* posset intelligi hæc sẽtẽtia sic, quod reuera non sint plures habitus scientifici in intellectu distinctæ speciei , sed q. vnico simplicissimo habitu inclinetur & facilitetur ad omnia scibilia:& in hoc sẽsu falsissima est, vt probatur experiẽtia, qua cõstat nos faciles esse ad cognoscẽda aliqua scibilia,& difficiles ad alia:q. accidit ex eo q.habeamus habitũ inclinãtẽ ad aliqua sine habitu inclinãte ad alia:ergo nõ vno habitu inclinamur ad omnia.

*Addo tamẽ*, in hoc sensu non debere videri Thomistis hæc sentẽtia improbabilis aut mira:nã perfecto tã facile defendi potest,q. vnicus habitus indiuisibilis inclinet ad omnia scibilia , quã quod vnicus habitus indiuisibilis se extendat ad omnes cõclusiones metaphysicas,aut ad omnes physicas,aut logicas ; vnde cum ipsi hoc asserant, non debent negare probabilitatem huius sententiæ.

Tot sciẽtiæ quot cõclusiones distinctæ.

78. *Secũda Sententia* est tot esse species distinctas scientias,quot sũt obiecta materialia specie distincta,quæ per scientias arguũtur.Hæc à *Soto & Masio* tribuitur *Nominalibus*,& manifeste falsa asseritur à *Complutensibus*, non alia tamen ratione nisi quod omnes fatentur vnam esse Geometriam, vnam Theologiam ; sed secundum hanc sententiã essent plures Geometriæ,quia sunt plures conclusiones distinctæ speciei , quæ attinguntur à Geometria:ego cuilibet tali conclusioni correspondet distincta specie scientia,& consequenter erunt plures Geometrię.

*Verum hæc impugnatio* nihil vrget;nam quando dicitur quod Geometria sit vna, hoc non intelligitur de vnitate specifica, quasi Geometria tota esset vnica qualitas simplex eiusdem speciei , quæ se posset extendere ad omnes conclusiones Geometricas;& qui sic id intelligunt,male intelligunt , & oporteret Complutenses probare quod sic debeat intelligi. Intelligitur ergo de vnitate aggregationis,vt magis patebit ex dicendis.

Itaque reuerã hæc sententia mihi verissima videtur, præsertim si in qualibet conclusione sit difficultas distincta,aut si præmissæ , ex quibus infertur sint diuersæ rationis. Sed tamen non sufficit veritas huius sententiæ ad solutionem quæstionis principalis,quia adhuc manet examinandum, cur plures scientiæ distinctæ rationis dicantur integrare vnicam scientiam totalem , v. g. Metaphysicam, potius quam aliæ scientiæ.

*Tertia sententia* parũ distarã præcedenti, fatetur enim scientiam totalem quamlibet includere quidem plures scientias specie distinctas , sed tamen non tot, quot sunt conclusiones distinctæ,vt dixit præcedens;nã existimant vnicum specie habitũ posse deseruire ad plures passiones de eodẽ obiecto demonstrãdas,& cõsequenter inclinare ad diuersas cõclusiones. Ita *Toletus q.*3.*proœm.Ogna.q.*1. *art.Niger q.*13.*clypei*.Verũ hæc diuersitas parum facit ad propositũ,quia adhuc æque manet examinandũ,cur plures illæ scientiæ faciant vnicã scientiam.*Deinde* existimo esse falsum,quod vnicus habitus possit sufficere ad plures passiones de obiecto eodem demonstrandas,quia bene potest quis esse facilis ad vnam passionem, sine facilitate ad demonstrandam aliam , & consequenter habitus facilitans ad vnam non facilitat ad alteram.

79. *Quarta sentẽtia* tenet quãlibet scientiã totalẽ,præsertim habitualẽ,esse vnã per se simplicẽ qualitatẽ,& nõ plures qualitates,nec conflatã ex pluribus qualitatibus, Hãc tenẽt *Complutenses*,qui dicũt eã procul dubio esse *S. Thomæ* 1. 2. *q.* 54.*art.*4.& pro ea citant plures *Thomistas*. Quia vero difficillimum videtur ostẽdere, cur vnus simplex habitus possit sufficere pro omnibus cõclusionibus metaphysicis, & nõ possit etiã sufficere pro cõclusionib. physicis,ac mathematicis,propterea valde laborãt hi authores in assignãda ratione , cur vnicus simplex habitus extendat se ad solas, & omnes metaphysicas,& alius ad solas,& omnes mathematicas. *Ratio autem difficultatis* est hæc,quod in Metaphysica sint plures cõclusiones distinctissimæ rationis,& difficultatis,ex quibus aliquis potest scire quasdã habitualiter, & actualiter,& ignorare alias : ergo si hoc non obstãte vnus habitus possit inclinare ad illas,similiter poterit vnus habitus inclinare ad cõclusiones metap. & physic. neq; videtur esse vlla ratio,cur nõ possit, nisi q. cõclusiones phys. sũt distinctissimæ rationis à metaphysicis,& destinctissimas difficultates habẽt.

*Quod si dicatur*,vnicũ habitũ simplicem posse sufficere ad omnes conclusiones metaphysicas,quia omnia obiecta istarũ cõclusionũ continentur sub vno obiecto adæquato , nimirum ente,ad quod illa omnia attribuuntur, manet adhuc difficultas,cur nõ possit idẽ habitus extendere se ad cõclusiones physicas, quãdoquidẽ corpus naturale, quod est obiectũ adæquatum Physicæ, contineatur sub ente, tanquam species eius, & possit consequenter ad ipsum attribui non minus quam substantiæ spirituales, quæ continentur sub ipso , attribuuntur ipsi.

Declaratio sententiæ Thomisticæ.

80. *Ad hanc difficultatem tollendam*,& defendendã prædictã sententiã,*Thomistæ* cõmuniter,& nominatim *Complutenses* hic multa dicũt , quæ veritatis gratia nobis etiã examinãda sũt. *Dicũt ergo primò* quod in obiecto formali scientiæ,hoc est illo obiecto,q. per se attingitur à sciẽtia,duæ rationes sunt cõsiderãdæ, ratio nimirũ formalis *quæ*,quæ vocatur obiectũ formale *quod*,& ratio formalis *sub qua*, quæ vocatur obiectũ formale *quo* : ex his autem sciẽtia specificatur à ratione formali *sub qua*,& non à ratione formali *quæ* v.g.visus versatur circa colorẽ,& tẽdit in colorẽ,vnde ratio caloris est ratio formalis *quæ*;lux verò,aut idẽ modus immutãdi potentiã erit ratio formalis *sub qua*,à qua specificatur visus; nã quandoquidem visus tendat in plures colores,oportet vt habeat vnicã rationẽ specificatiuã,quæ ratio non potest esse ratio coloris,quãdoquidẽ attingat plures rationes diuersas coloris, vt albedinẽ,& nigredinẽ:debet ergo esse aliud, nimirũ, vt dixi,lux,vel idẽ modus immutãdi potẽtiã.Quod autem hæ duæ rationes sint assignãdæ in obiecto sciẽtiæ probãt ex eo,q.eadẽ cõclusio possit attingi per diuersas sciẽtias:ergo præter rationẽ formalẽ *quæ*,quã attingũt istæ diuersæ sciẽtiæ,debẽt assignari plures rationes formales *sub qua*, quarũ vna specificet vnã ex illis sciẽtiis,& alia alterã. Similiter plures cõclusiones spectãt ad eandem scientiam, quamuis habeãt diuersas rationes formales *quæ*;quia nimirum conueniunt in eadem ratione formali *sub qua*.

81. *Dicunt præterea*,obiectũ scientiæ debere necessariò esse quid abstractũ à materia:& quia triplex est materia,à qua potest obiectũ sciẽtię abstrahi,hinc cõsiderãt triplicẽ abstractionem à materia in obiectis scientiarum. Illæ tres materiæ sũt *materia singularis,materia sẽsibilis,materia intelligibilis. Materia singularis* est ipsa singularitas, & ab

hac materia abstrahit omnis scientia; *materia sensibilis* sũt omnes qualitates sensibiles, quæ sẽsibus percipiũtur corporeis, & ab hac abstrahit Mathem. quæ cõsiderat quãtitatem nõ cõsiderando, an sit affecta vllis talib. qualitatibus; & etiã Metaphys. quæ non cõsiderat tales qualitates, neq; subiectũ, vt afficitur illis. *Materia intelligibilis* est ipsa materia prima, & ab hac abstrahit Metaphys. quę non cõsiderat ipsã, nec aliquid dependens ab ipsa, vt ab ipsa dependens. Vnde habemus tria genera scientiarum: *vnum* istius scientiæ, quæ abstrahit à sola materia singulari, & nõ abstrahit à materia sensibili aut intelligibili, & hæc est Physica seu Philos. naturalis; *alterũ* istius scientiæ, quæ abstrahit & à materia singulari, & etiam à materia sensibili, nõ tamẽ ab intelligibili, vt Mathematica, quæ cõsiderat quantitatẽ, vt independentẽ à materia sẽsibili, nõ tamẽ vt independentẽ à materia intelligibili, hoc est à materia 1. *Tertium* deniq; istius scientiæ, quæ abstrahit ab omni materia, à singulari scilicet, à sensibili, & ab intelligili, vt Metaphysica, quæ neque singularitatem, neque quantitatem, neque materiam primam cognoscit.

82. Hinc colligũt has abstractiones esse de ratione formali *sub qua*, & specificatiua scientiarũ; vnde necessariò, quæ habẽt abstractiones diuersas, sunt sciẽtiæ specie diuersæ. Sed quia sũt aliquæ sciẽtiæ specie diuersæ habẽtes eandẽ abstractionẽ à materia, vt v.g. Mathem. omnes, addũt præterea nõ sufficere hãc abstractionẽ ad specificationem sciẽtiarũ, sed requirũt vlterius pro specificatiuo inadæquato vnitatẽ mediorũ, quib. acquiritur sciẽtia, & per quæ, tãquã per lumina diuersa, intellectus adiuuatur ad eã habẽdã Itaq; quãdo hęc media sũt in ratione luminis diuersa, tũc scientiæ erũt diuersæ, quãuis habeãt eandẽ abstractionem à materia; quando verò & abstractio erit eadem & media eiusdem rationis, scientiæ erũt eiusdem rationis specificæ, & habitus facilitans ad illas erit vnica simplicissima qualitas; tũc autem media & principia erũt diuersæ rationis, quãdo vnũ ex ipsis nõ sequitur ad aliud, nec reducũtur ad aliq. principiũ cõmune, & tũc erũt eiusdem rationis, quãdo vnum sequitur ex alio, aut vtrũq; ex aliquo tertio. Sic intelligo hãc cõmunissimam Thomistarum sententiã, in qua plurima sunt, quæ maximã habent difficultatem, & nihil prorsus, quod sufficiat ad intentum, vt constabit ex eius impugnatione.

Impugnatio prędictæ sententiæ.

83. *Impugnabitur autem efficacissime* probando non dari vllam rationem vnam *sub qua*, in qua conueniunt omnes conclusiones pertinentes ad vnam scientiam totalem v. g. Physicam, quæ sufficiat ad identitatem specificam omnium cognitionum actualium, quæ habentur de illis conclusionibus, ac consequenter ad identitatem specificam habitus inclinantis ad illas cognitiones.

Non datur vlla ratio sub qua in omnibus scientiis actualibus quæ sufficiat ad earum vnitatem specificã.

*Probatur ergo hoc primò*, quia omnino absurdum videtur cognitionem physicã, qua cognoscitur calor expellere frigus, cũ repræsentet calorem secundũ rationem formalem caloris, & frigus secũdũ rationem formalem frigoris, esse eiusdẽ speciei cũ cognitione, qua cognoscitur homo esse cõstans materia & forma, aut esse generabilis & corruptibilis; ergo nõ datur in cognitionib. actualib. physicis aliqua ratio vna *sub qua* sufficiẽs ad inferẽdã illã idẽtitatẽ specificã istarũ cognitionũ. Probatur antecedẽs primo, quia nulla ratio, in qua istæ duę conclusiones physicę, v.g. calor expellit frigus: homo est risibilis, cõueniũt, efficit quin cognitio prioris dicat essẽtialiter ordinẽ ad calorẽ, & negationẽ ordinis ad hominem, & cognitio posterioris dicat essẽtialiter ordinẽ ad hominẽ, & negationẽ ordinis ad calorẽ; ergo nulla ratio, in qua cõueniũt potest efficere, quin istę cognitiones sint distinctę speciei quę. n. dicunt ordines ad diuersa specie ex natura sua intrinseca, necessariò sũt distinctę speciei, vt videtur euidẽs.

84. *Probatur secundò* idẽ antecedens, quia species intelligibilis impressa coloris est distinctę speciei à specie intelligibili repræsentãte hominem aut frigus, nõ obstante quacũq; cõueniẽtia quã habẽt ista obiecta, & speciatim nõ obstãte cõuenientia, quã habẽt in eadem abstractione à sola materia singulari, quia illæ species repræsentãt colorẽ, & frigus, & hominem secundũ proprias rationes suas, & dicunt ordinẽ ad illa, vt sũt distincta in esse rei: & etiã cognitiones, quæ habentur ab illis mediantibus de iisdẽ obiectis, repræsentant formaliter illa obiecta, secundũ q. differunt, & vt sic dicunt ordinẽ ad illa: ergo non obstãte quacumq; conuenientia, quam habent ista obiecta, & præsertim non obstante conuenientia in eadem abstractione, adhuc istæ cognitiones erunt distinctæ rationis, & speciei. Et sane quicumq; hoc negaret de cognitionibus, & diceret q. sint eiusdẽ speciei, quia obiecta earũ, licet sint in esse rei distinctæ rationis, sunt tamen in esse scibilis eiusdem rationis, eodẽ modo posset dicere quod illæ species essent eiusdem speciei ob eandem rationem, quæ æque de speciebus ac de cognitionibus currit.

Ratio formalis quę iuuat ad distinctionem scientiæ nõ minus quã ratio sub qua.

85. *Probatur tertiò*, quia istæ cognitiones habent diuersa obiecta formalia *quæ* distinctæ rationis, vt fatẽtur aduersarii, & illa obiecta vt sic distincta attinguntur per se primò à cognitionibus illis: ergo cognitiones specificantur ab illis saltem partialiter, & consequenter, vt obiecta sunt distincta, cognitiones etiam erunt distinctæ. Probatur consequentia prima, quia non est potior ratio, cur diuersæ rationes formales *sub qua*, v. g. diuersæ abstractiones à materia diuersificent scientias, quam diuersæ rationes formales *quæ*: sed secundum aduersarios, vbi sunt diuersæ rationes formales *sub qua*, cognitiones erunt distinctæ speciei: ergo vbi erunt distinctæ rationes formales *quæ*, cognitiones erunt distinctæ rationis.

*Dices* disparitatem esse, quod obiecta formalia *quæ* cõstituant obiectũ in esse rei, ratio vero formalis *sub qua* cõstituit obiectum in esse scibilis, potius autem debet specificari scientia à ratione constitutiua obiecti in esse scibilis, quam à ratione constitutiua in esse rei.

*Contra primò*, quia quamuis daremus quod scientia specificaretur à ratione *sub qua*, non tamen inde sequeretur quod omnes scientiæ conuenientes in ratione illa *sub qua* deberent esse eiusdem speciei, modo haberent diuersas rationes formales *quæ*, quia specificatio earum ab illa ratione *sub qua* consisteret in hoc, quod pœnes illam rationem distinguerentur ab omnibus aliis scientiis, quæ non haberent eandem rationem formalem *sub qua*, quod concessum non iuuat prædictam scientiam.

86. *Contra secundò*, quia gratis, & absq; fundamento asseritur q. ratio formalis *quæ* non constituat obiectũ partialiter saltem in esse scibilis; imò patet manifeste quod sic, quandoquidem per ordinem ad illã rationem potest colligi, quod vna scientia distinguatur specie ab alia, quia ex eo quod diuersæ sint rationes formales *quæ*, sequitur diuersas exigi necessariò species intelligibiles impressas ad sciẽtias quib. cognoscũtur illę diuersę rationes.

*Dices* colligi optime q. ratio formalis *quæ* non specificet vllo modo scientiã primò, quia vnica ratio formalis *quæ* attingitur per diuersas scientias: secundò, quia non specificat potentiã: ergo nec scientiã à paritate rationis. Probatur antecedens, quia aliàs vna potentia non posset tendere in diuersas rationes formales *quæ*, quod falsum apparet in oculo, qui tendit in albedinem & nigredinẽ.

*Contra primã probationẽ*, quia quãuis ratio formalis *quæ* specificaret scientias in hoc sensu, q. quæ haberẽt diuersas rationes formales *quæ*, essent diuersæ rationis, nõ inde sequeretur, quin diuersæ scientiæ possint tendere in eandem rationem formalem *quæ*, modò haberent alia principia specificatiua: quoties autem diuersæ scientię tendũt in idem obiectum formale *quod*, aut in eandem rationem formalem *quæ*, aderunt alia principia ex quibus desumi poterit distinctio earum, v. g. diuersa media aut alia aliqua principia similia: ergo ex eo, q. diuersæ scientię possint habere idem obiectum formale *quod*, non sequitur quin illud obiectum possit esse specificatiuum partiale, sed solum sequeretur, q. non esset specificatiuum totale.

87. *Contra secundã probationẽ*, nego antecedens, ad cuius probationẽ dico, vnicã potẽtiã bene posse tendere in diuersa obiecta sub diuersis rationib. specificatiuis, modo sint solũ partialiter specificata: id q. euidẽter patet de intellectu secũdũ ipsos aduersarios, qui tẽdit in obiecta sub tribus illis abstractionib. quas ipsi vocãt rationes *sub qua* & specificatiuas: ergo similiter potest idẽ oculus tendere in diuersos colores sub diuersis rationibus specificatiuis,

quod

quod manifestius erit, si aduertatur, quo sensu istæ rationes formales *quæ* sint specificatiuæ.

Quomodo rationes formales quæ sunt specificatiuæ scientiæ.

Itaque solũ debẽt esse specificatiuæ in hoc sẽsu, quod quæcũq; potẽtia tendit in aliquã rationẽ formalẽ *quæ*, in quã alia potẽtia non tendit, inde colligi possit, quod distinguatur ab illa alia potẽtia, nõ vero in hoc sensu quod quælibet ratio formalis *quæ* specificatiua determinet sibi vnicã tãtũ potẽtiã: hæc autẽ specificatio haberetur, quãuis oculus haberet diuersas rationes formales *quæ* specificatiuas, v.g. rationẽ particularẽ albedinis & nigredinis; nã eo ipso quo potest tẽdere in albedinẽ, in quã nõ potest tendere auditus, optime colligitur distinctio ipsius ab auditu: & similiter eo ipso quo potest tẽdere in nigredinẽ, in quã nequit auditus idẽ tẽdere, similiter colligitur dictinctio ipsius ab auditu: sed ex eo quod tẽdat in nigredinẽ, aut albedinẽ, nequit colligi distinctio ipsius ab intellectu, quia hic etiã tẽdit in vtrãq;

88. *Ex his patet manifeste*, q. nulla detur vna ratio *sub qua* in omnib. cõclusionib. sciẽtiæ vllius totalis, & specialiter Physicæ, ex qua sequatur idẽtitas specifica habitus inclinãtis ad illas cognitiones: si .n. nõ obstãte quacũq; tali ratione ipsæmet sciẽtiæ actuales sũt distinctæ speciei, etiã habitus erunt distinctæ speciei, maxime quandoquidẽ habitus inclinans ad vnam possit haberi cum difficultate assentiendi aliis conclusionibus, vt cõtingit in casu nostro: neque enim qui facilis est ad vnam physicam conclusionem sciendam, erit eo ipso facilis ad sciẽdas cæteras, vt patet experiẽtia, vnde manifeste ruit tota doctrina proposita ab aduersariis ab stabiliendã suã sententiam.

Impugnatio secundæ præmissæ doctrinæ.

*Improbatur secundò* eadẽ doctrina & sentẽtia, ostendẽdo in particulari q. cõuenientia in eadẽ abstractione à materia, etiãsi talẽ cõueniẽtiã haberẽt omnes cõclusiones metaphysicę aut physicę, aut mathematicę, nõ sufficiat ad hoc vt habeãt vnitatẽ specificam. Probatur ergo hoc, quia omnes cõclusiones omniũ sciẽtiatũ cõueniũt in eadẽ abstractione à materia singulari secũdũ aduersarios, & tamẽ hoc nõ sufficit ad hoc vt sciẽtię actuales aut habituales circa ipsas versatæ, sint eiusdẽ speciei, etiã secũdũ aduersarios; ergo cõueniẽtia in eadẽ abstractione à meteria intelligibili, quã habẽt ónes cõclusiones metaph. nõ sufficit vt ónes cognitiones circa illas versatæ, sint eiusdẽ speciei. Cõsequẽtia patet à paritate rationis.

*Dices* disparitatẽ esse, q. ex omnib. sciẽtiis, licet cõueniãt in eadẽ abstractione à materia singulari, quędã habẽt tamẽ diseõueniẽtiã in aliis abstractionibus, q. sufficit ad ipsarũ distinctionem specificã: sciẽtiæ autẽ ónes partiales metaphysicæ nõ habẽt disconuenientiã in vlla abstractione, & cõsequẽter nõ debẽt distingui specie

89. *Cõtra primò*, quia licet nõ disconueniant in aliqua abstractione, discõueniunt in aliis principiis vt in obiectis formalibus *quæ*; & in mediis quibus acquiruntur, & hæc discõuenientia tam sufficit ad earum distinctionẽ, quam disconueniẽtia in aliquibus abstractionibus.

*Cõtra secũdò*, quia posset dici q. illa abstractio à materia singulari sit sola ratio specificatiua *sub qua*, & q. cęteræ abstractiones essẽt materiales, & impertinẽtes ad specificationẽ, sicut aduersarii dicũt de obiectis formalib. *quæ*: hoc autẽ supposito, discõueniẽtia in illis abstractionib. non argueret distinctionẽ sicut nec discõuenientia in obiectis formalibus *qua* arguit secũdũ aduersarios.

*Cõtra tertiò*, quia aliqua cognitio metaphysica tẽdit in Deũ, vt actũ perfectissimũ excludẽtẽ omnẽ potẽtialitatẽ ac materialitatẽ, etiã metaphysicã, & aliqua alia tẽdit in Angelũ, vt potẽtialẽ & perfectibilẽ per formã à se realiter distinctã; sed cõsideratio Dei, vt sic, videtur esse magis abstracta à materia quã cõsideratio Angeli: ergo si discõuenientia in aliqua abstractione à materia sufficiat ad distinctionẽ sciẽtiarũ, Metap. includet plures cognitiones & habit. distinctę rationis cõtra aduersarios.

90. *Confirmatur hoc*: non est potior ratio cur discõuenientia in aliqua abstractione à materia sufficeret ad distinguẽdas sciẽtias quã discõueniẽtia in abstractione ab eadem potentialitate: sed hæc non sufficit secundũ aduersarios, quia aliàs Metaphysica ex iam dictis includeret plures scientias distinctæ speciei: ergo nec discõuenientia in abstractione à materia aliqua ad id sufficit.

*Confirmatur secundò*, quia Deus nõ est in eodẽ gradu immaterialitatis cũ vlla substantia creata, maxime secũdũ Thomistas, qui propterea negant ipsum posse cõnaturaliter videri ab vllo creato intellectu, & posse dari speciem creatam intelligibilem impressam eius: ergo scientia, quæ habetur de Deo in Metaphysica, erit distinctæ speciei à sciẽtia, quæ habetur de quacũq; creatura. Probatur cõsequẽtia, quia Deus, si sit magis immaterialis, magis abstrahit à materia: sed maior abstractio à materia sufficit ad diuersitatem scientiarum: ergo &c.

91. *Improbatur tertiò eadẽ doctrina* ostẽdẽdo, quod quãuis scientia Metaphysica, Physica, & Mathematica distinguantur specie propter diuersas illas abstractiones, adhuc tamen neutra ex illis sit vna simplex qualitas, sed includat plurimas qualitates distinctas specie. Probatur ergo hoc, quia secundum ipsosmet aduersarios possunt scientiæ conuenientes in eadem abstractione à materia esse diuersæ speciei, quando media & principia, per quæ acquiruntur, sunt diuersæ rationis; & tunc sũt diuersæ rationis, quãdo mediũ vnius nõ infertur ex medio alterius, nec vtrũq; ex aliquo tertio: sed media, per quę acquirũtur variæ cognitiones metaphysicę & physicę, sic se habẽt: ergo Metaphysica & physica, & idẽ est de Mathematica & cæteris scientiis totalibus, includit multas species. Probatur minor, quia mediũ, per quod physica ostẽdit dari tria principia corporalis naturalis in fieri; & duo in facto esse, est distinctissimæ rationis à medio, per quod ostendit non posse dari vacuũ, aut dari quatuor genera causarum, aut materiã primã posse vel non posse existere sine forma: nec hæc media sequũtur eo se inuicẽ aut ab alio tertio, sunt enim prorsus disparata; & idem de mediis, quibus Metaphysica ostendit Angelũ esse mobilẽ ad vbi & ad intellectiones ac volitiones, & Deum intelligere & velle absque mutatione.

*Confirmatur*, quia mediũ sciẽtiæ proprie dictæ à priori est definitio subiecti, de quo aliquid sic scitur, sed certum est definitionem Angeli & descriptionẽ Dei & definitionem intellectionis & volitionis esse distinctissimæ rationis, & vnam non sequi ad alteram, nec ex aliquo tertio: ergo media scientiarũ metaphysicarum sunt diuersæ rationis in sensu ipsorum aduersariorum.

Improbatio quartæ.

92. *Improbatur quartò* eadẽ doctrina, ostendẽdo nõ posse sumi distinctionẽ Metaphysicæ, Physicæ, & Mathematicæ ab illis abstractionibus in sensu aduersariorũ, quod sic ostẽditur. Ideo secũdũ ipsos Mathematica distinguitur à Physic. quia abstrahit à materia sẽsibili, nõ verò ab intelligibili, & ideo distinguitur à Metaph. quia nõ abstrahit à materia intelligibili, quẽadmodũ Metaphysica abstrahit: sed Mathematica prorsus abstrahit à materia intelligibili: ergo falsũ est principiũ illud, vnde colligitur eius distinctio à Physic. & metaphysica. Probatur minor, quia materia intelligibilis est materia 1. vel substantia materialis secũdũ aduersarios: Mathem. autẽ nullo modo cõsiderat alterutrã ex his: vnde quãuis nõ daretur materia 1. vllo modo, nec substãtia materialis, ónis sciẽtia Math. quæ habetur de quãtitate prorsus esset eiusdẽ rationis ac est de facto, nec vllus Mathem. vt Math. cognoscit aut curat, vtrũ detur substãtia materialis, necne, sed solũ cõsiderat ipsã quãtitatẽ secũdũ se: ergo totaliter abstrahit Mathem. à materia intelligibili.

93. *Cõfirmatur hoc*, quia licet quãtitas ónis de facto sit cõiuncta cũ materia sẽsibili, hoc est cũ aliqua qualitate sẽsibili, tamẽ Mathematica abstrahit à materia sẽsibili, si nõ cõsiderat quãtitatẽ, vt sic cõiuncta est; & si cognitiones eius de quãtitate essẽt eodẽ modo veræ, si nõ coniũgeretur ac sũt de facto cũ cõiungitur: sed Mathematica nõ cõsiderat materiã primã aut substantiam, cui cõiũgitur quãtitas de facto, & eodẽ modo cognitiones mathematicę essẽt veræ, ac si nõ esset illis cõiũcta quãtitas: ergo quãuis reuera cõiungatur, hoc tamẽ non obstãte Mathematica abstrahit à materia illa intelligibili.

*Cõfirmatur hoc*, quia Mathemat. tã abstrahit à materia intelligibili, quã Arithmetica secundũ aduersarios: sed certũ videtur, quod Arithmetica abstrahat à materia intelli-

telligibili;nã numerus ternarius Angelorũ, & quaternarius, & proportiones eorum tam ſpectant ad Arithmeticam quam numerus ternarius aut quaternarius rerum corporearum, & omnes demonſtrationes Arithmeticæ æque concludunt de numero Angelorum,ac de numero lapidũ vel lignorũ, & per accidens prorſus eſt ad Arithmeticã,quod vnitates,quę ſũt principia numeri ab ipſa conſiderati,ſint vnitates corporales aut ſpirituales:ſed numerus Angelorũ abſtrahit à materia intelligibili:ergo& numerus omnis cõſideratus ab Arithmetica,vt ab ipſa cõſideratur,&cõſequẽter diſtinctio Arithmeticę & Mathematicę à Metaphyſica nõ debet deſumi à diuerſa abſtractione à materia,ſeu ex eo quod vna abſtrahat à materia intelligibili, & altera nõ abſtrahat.

Impugnãtia quinta.

94.*Improbatur quintò* oſtẽdẽdo eſſe plures abſtractiones quã illas tres,ratione cuius deberẽt plures ſciẽtię diſtingui quã illę tres,quod oſtẽdo hoc modo:Datur aliquod obiectũ abſtrahibile à materia ſingulari,& nõ abſtrahibile à materia ſẽſibili,aut intelligibili,vt v.g.color,quatenus eſt accidẽs cõnaturale corporibus,datur obiectũ abſtrahibile à materia ſingulari & intelligibili,nõ vero ſẽſibili, vt idẽ color quatenus eſt determinatiuus oculi ad viſionẽ,aut intellectus ad intellectionẽ ſui;datur etiã obiectũ abſtrahibile à materia ſẽſibili & ſingulari,non vero intelligibili, vt quãtitas, quatenus cõſideratur à Mathematica ſecũdũ aduerſarios. Datur deniq;obiectũ abſtrahibile à materia ſingulari,ſẽſibili,& intelligibili, vt Angelus v.g.ſecũdũ quod cõſideratur à Metaphyſica: ergo dãtur quatuor abſtractiones,ſeu abſtrahibilitates à materia,quib⁹ debẽt correſpondere quatuor ſcientiæ.

Dantur plures abſtractiones quã tres.

*Confirmatur*,quia nõ eſt potior ratio cur ſcientia,quę habetur de quãtitate,vt abſtrahit à materia ſẽſibili, ſit diſtinctæ rationis à ſcientia,quæ habetur de ipſa,vt cõcernit iſtam materiam,quã quod ſcientia, quæ habetur de colore,vt abſtrahit à materia intelligibili,ſit diſtinctę rationis à ſciẽtia,quæ habetur de ipſo,vt concernit illã materiã:ſed alterutra ex iſtis ſcientiis nõ debet ſpectare ad Phyſicam, aliàs Phyſica includeret plures ſcientias diſtinctas contra aduerſarios, nec vlla ex illis ſpectat ad Metaphyſicam aut Mathematicam : ergo debet aſſignari aliqua alia ſcientia præter illas tres & contentas ſub illis. Plurima alia poſſent proponi contra prædictam ſententiam & doctrinam, cui innititur:ſed hæc abunde ſufficiunt,niſi ſuperfluant in re tam clara ex ſe.

*Vera ſententia & reſolutio quæſtionis.*

95. Vltima deniq;& vera *ſententia* eſt,quãlibet ſciẽtiam totalem tam actualẽ quã habitualẽ, includere varias partes ſpecie diſtinctas,ex quib⁹ integratur ipſa ſciẽtia totalis,actualis quidẽ ex actib⁹,habitualis ex habitib⁹ partialib⁹ correſpõdẽtibus illis partib⁹.Quæ sẽtẽtia eſt omniũ Scotiſtarũ & recentiorũ cõmuniter, & patet manifeſte ex dictis tũ *hic*,tũ ſupra *quæſt. proœmiali*, quæ hic iterũ nõ ſũt repetẽda;ſed ſolũ eſt ſoluẽda difficultas principalis huius quæſtionis,cur nimirũ omnes ſciẽtiæ metaphyſicæ dicãtur facere vnã ſcientiã metaphyſicã, & omnes ſciẽtiæ phyſicæ dicãtur facere vnam ſcientiã phyſicam,potius quã omnes ſcientiæ partiales phyſicę & metaphyſicæ facerent vnicam aliquam ſcientiam.

Cur omnes ſcientiæ metaphyſicæ faciunt vnam ſciẽtiã diſtinctam à phyſicis.

96.*Reſpondeo* ergo,quantũ eſt ex natura rei,certũ eſſe omnes ſciẽtias poſſe integrare aliquã vnã totalẽ cõflatã ex omnib.illis,quæ etiã poſſet vocari vno nomine,ſi homines impoſuiſſent vnũ nomẽ ad illã ſignificandã. Hoc tamen nõ obſtãte,certũ eſt plures ſciẽtias partiales, nõ obſtãte,quod diſtinguãtur ſpecie, habere nihilominus aliquã maiorẽ cõuenientiẽ inter ſe,quã cũ aliis ſciẽtiis,& ratione huius cõuenientię poſſe in varias claſſes omnes ſciẽtias diuidi,ponẽdo in vna claſſe omnes ſciẽtias,quæ habẽt aliquã peculiarẽ ſimilitudinẽ inter ſe, & in alia alias nõ habẽtes inter ſe illã priorẽ,ſed aliã aliquam.& imponẽdo nomina ſignificãtia illã ſpecialẽ ſimilitudinẽ ad eũ prorſus modũ,ſeruata proportione,quo diximus res omnes poſſe in varia diuidi prædicamẽta. Facta autẽ huiuſmodi diuiſione;aggregatũ ex ſciẽtiis vnius claſſis poteſt dici vna integralis ſciẽtia,& appellari vno nomine;& vnitas ipſius ac diſtinctio ab aliis ſciẽtiis poſitiuis in aliis claſſibus deſumi optimè poterit ab illa ratione, in qua cõueniũt obiecta eius,& ratio totalis:vnde colligi debet an ſciẽtia aliqua ſpectet ad illam claſſem,ſeu ad aliã,erit ordo eius ad illam rationẽ, aut negatio talis ordinis:nã ſi habuerit talem ordinẽ,hoc eſt,ſi ſe extendat ad obiectum ſub tali ratione, debet poni in illa claſſe;ſi nõ dicat talẽ ordinẽ,debet poni in alia claſſe;& ſi illa ratio,in qua cõueniunt omnia illa obiecta, vocetur ratio *ſub qua* formalis & ſpecificatiua, nõ erit id incõueniens,poteritq;dici totalis ſpecificatiua in hoc ſẽſu,quod omnes ſciẽtiæ reſpiciẽtes illam rationẽ diſtinguãtur ab omnib. quæ nõ reſpiciũt illã,& debeãt poni in illa claſſe,& appellari nomine illo appropriato ſciẽtiis ſpectãtib.ad illã claſſẽ,nõ verò in illo sẽſu,quod omnes ſciẽtiæ cõueniẽtes in illa ratione debeãt eſſe eiuſdẽ ſpeciei inter ſe,quia licet ab illa ratione nõ poſſint habere diuerſitatẽ,poſſunt tamẽ per ordinẽ ad alia principia.

97. Hæc mihi videtur realiſſima ſolutio & declaratio huius rei,& iuxta eã.*Dico* ſciẽtias illas partiales,quæ agũt de ſubſtãtiis ſpiritualibus & cõceptib. cõmunibus illis ac rebus corporeis indagãdo naturas earũ per definitiones & deſcriptiones, habere hãc cõnexionẽ inter ſe,quod nõ cõſiderẽt aliquid corporeũ,aut ſubiectũ vllo modo sẽſibus;vnde omnes illæ ſciẽtiæ poſsẽt bene poni in vna claſſe diſtincta à claſſe, in qua reponũtur aliæ ſciẽtiæ:& quia ratio,in qua cõueniũt,eſt ordo ad rẽ nõ corporeã,nec materialẽ, propterea cõueniẽtiſſimũ nomẽ, quod imponeretur ipſis; quatenus ſic cõuenirent inter ſe,& diſcõuenirẽt ab aliis ſciẽtiis,eſſet *Metaphyſica* id eſt ſciẽtia trãſnaturalis ſeu excedẽs naturã, hoc eſt rẽ materialẽ aut corporalẽ.Has ergo ſciẽtias hoc nomine appellauit Philoſoph⁹,& eas in vnã claſsẽ redegit,quà vocauit *Metaphyſicã*,hoc eſt agregatũ ex ſciẽtiis omnib⁹ trãſnaturalibus;quare Metaphyſica nõ debet cõprehẽdere vllã ſciẽtiam de rebus corporalibus.Et hinc ceſſat difficultas illa,cur Metaphyſica nõ ſolũ agat de ẽte vt ſic,ſed etiã de aliquib.ſpeciebus eius,v.g.de Angelis,nõ verò agat de aliis ſpecieb.eius,nimirũ de corpore naturali;ratio.n.eſt,quod per Metaphyſicã intelligãt Philoſophi ſcientiã,quæ agit de rebus nõ corporalibus ergo nulla ſciẽtia appellata *Metaph.* poteſt agere de corpore

98.*Rurſus*,quia dãtur ſciẽtiæ plures de corporibus naturalibus pluribus,vt de corpore naturali vt ſic,& ſpeciebus eius,ac accidẽtibus ipſis cõnaturalibus per definitiones & deſcriptiones ipſarum, & quia omnes hæ. cõueniunt in hac ratione, quod reſpiciunt res naturales ſeu corporeas;propterea omnes tales in vnam claſſem redigi poterant,& aggregatum ex ipſis poterat vocari bene *Phyſica*,hoc eſt ſcientia naturalis, ſeu ſcientia de rebus corporeis, vt corporea ſunt, aut de rebus dicentibus ordinem ad corpus, quatenus dicunt ordinem ipſum,& ita de facto à Philoſophis factum eſt,

*Rurſus*, quia dantur aliæ ſcientiæ plures de pluribus rebus non ſecundum naturam intrinſecam ipſarum ſecundum ſe conſideratarum, ſed ſecundum proportionem,quam plura ex ipſis habent ad inuicem,aut ad alia poterant etiam in aliam claſſem redigi,& ita factum eſt à Philoſophis, dum cæteras huiuſmodi ſcientias comprehendunt ſub *Mathematica*.Hæc eſt ratio adæquatæ diuiſionis ſcientiæ ſpeculatiuæ in tres illas ſpecies vulgatas,*Metaphyſicam*,*Phyſicam*,& *Mathematicam*.

99. Quod ſi aliquis vellet alio modo diuidere ſcientias in alias & alias claſſes, nõ eſſet id ipſi difficile:poſſet enim in vnicam claſſem ponere ſcientias de naturis ſubſtantiarum ſpiritualiũ, in aliam,ſcientias de ſubſtãtiis corporalibus cœleſtibus; in aliã, eas quæ eſſent de ſubſtãtiis ſublunaribus;in aliã,ſciẽtias,quæ de accidentibus ſpiritualibus; in aliam, quæ de corporalibus, in aliã,quæ de numero, in aliã deniq; quæ eſſent de proportionibus,&c.nec in hoc eſt aliqua realis difficultas

Solet hic agi de diuiſione ſciẽtię in *practicã*&*ſpeculatiuã*:ſed ex dictis in *quæſt.proœmiali* quid nobis dicendũ ſit de vtriuſq; natura, & quomodo diſtinguãtur, facile eſt colligere.Quare cũ nihil aliud addẽdũ ſit,tori Logicæ finis eſt imponẽdus,adDEIOmnipotẽtis,B.Virginis MARIÆ, omniumque SS.ac præcipue FRANCISCI, PATRITII,& ISIDORI gloriam ac honorẽ. Amen.

TRAC

# TRACTATVS
# DE SCIENTIA MORALI
# SEV ETHICA.

1. *SCIENTIAM moralem*, seu doctrinam illam de actionibus moralibus, hoc est bonis & malis, quam Græco vocabulo Ethicam appellant, nemo est, qui non facilè fateatur, maximæ esse vtilitatis, iucunditatis ac dignitatis; quid enim homini, ad fœlicitatem consequendam nato, vtilius excogitari possit, quam in quo potissimum consistit, & quibus modis vel perdi possit, vel acquiri, cognoscere? quod si vlla prorsus scientia delectationem habeat annexam; vel huius sane maxima esse debet, quæ in rerum tam necessariarum contemplatione versatur; cumque fœlicitas sit hominis suprema dignitas ac vltimus finis ambigi nequit quin eo dignissimum sit eam sibi discipinam comparare, sine qua nec ipsam esse suam dignitatem cognosceret, nec qua ratione adipiscenda sit. *Quamuis* autem, vt de aliarum scientiarum omnium, ita de ipsius obiecto non possent variæ inter se dissentientium sententiæ deesse, & quælibet non improbabiles pro se rationes adducere posset; tamen omissa illa magis curiosâ, quàm vtili disputatione, ego ipsam fœlicitatem naturalem, provt saltem à me tradetur, & optime, ni fallor, à quocumque tradi posset, ipsi pro adæquato obiecto statuendam arbitror, vtpote quæ de ea sine dubio agit, & de nullo alio, quod ad ipsam reduci non possit, aut quod potius pro tali assignari deberet. Quia vero si omnia, quæ ad hanc scientiam per se spectant, proponenda essent, nimis longus esset tractatus, complecteretur enim maximam partem earum difficultatum, quæ in prima secundæ & secunda secundæ partis Theologiæ, vt à Diuo Thoma tradita est, examinantur; & quia etiam in ipsa Theologia ab omnibus explicari solent, principaliores tantum & generaliores examinabo quæstiones.

Obiectum huius Tractatus.

## DISPVTATIO I.
### DE FELICITATE HOMINIS.

2. *CVm, vt iam dixi*, Fœlicitas secundum me huius scientiæ obiectum adæquatum sit, merito ab eius consideratione auspicor hunc Tractatum, & quia ipsa fœlicitas summum bonum hominis est, & vltimus finis, prius de natura boni & finis aliqua præmittenda videbantur.

### QVÆSTIO PRIMA.
*Quid sit bonum?*

*OMissis variis* acceptionibus boni, secundum quas variè etiam describi posset, de eo vt ad hunc Tractatum particulariter spectat agendum.

### CONCLVSIO.

Quid est bonum.

3. *Bene describitur bonum esse id, quod habet in se perfectionem, ratione cuius inuitare possit potentiam appetitiuam ad ipsum appetendum appetitu elicito.* Hæc est in re ipsa communis, ac conformis definitioni à veteribus traditæ, quam approbat Philosophus primo Ethicorum ad Nicomachum: *Bonum est quod omnia appetunt.* sed ni fallor clarior & minoribus exposita difficultatibus. Probatur quia ex communi acceptione omne tale dicitur bonum, & nihil dicitur bonum præsertim spectans ad scientiam moralem, quod non sit tale; nec alia ratione melius explicari potest.

*Obiicies primo*, Illa descriptio conuenit malis: ergo non est bona. Probatur antecedens, quia mala, vt mors, & peccatum, habent aliquid, ratione cuius inuitant ad appetitionem sui, alias nemo illa appeteret contra quotidianam experientiam.

Quomodò mala appetuntur.

*Respondeo*, distinguendo antecedens, quatenus mala sunt præcisè, nego; Quatenus habent etiam aliquam rationem boni, concedo antecedens, & nego consequentiam, Respondeo etiam ad probationem antecedentis eam distinguendo, quatenus mala, nego; quatenus bona, concedo.

*Itaque* quando aliquis appetit mortem, considerat in ea rationem boni vtilis, quatenus deseruit ad liberandum ipsum à malis aliquibus, quibus affligitur, vel ad vindicandum se de aliis, quibus mors illa displicere posset; aut rationem boni iucundi, aut honesti: & similiter peccantes considerant in peccato rationem boni delectabilis, aut vtilis, & ab illa ratione inuitantur ad ipsum appetendum.

4. *Difficilior est* altera obiectio, nempe quod ipsa voluntas, vt pote potentia libera, possit aliquid velle, in quo vel consideraret solam rationem mali; vel nec mali nec boni rationem vllam animaduerteret; quod si ita esset, corruere videretur proposita definitio, ac ipsa etiam veterum ac Aristotelis, quomodocumque soleat explicari. Quia vero maior huius discursus est in controuersia inferius per se examinanda, abstrahendo iam ab eius decisione.

*Respondeo iam*, si sit falsa, obiectionem eo ipso deficere; si vero sit vera, negando minorem, quia quamuis voluntas istiusmodi obiecta ex sua libertate appeterer, tamen illis sic consideratis non competeret definitio præmissa, nec consequenter censenda essent bona; aut corrueret præmissa nostra definitio, quia non haberent in se perfectionem, ratione cuius appeterentur, nec inuitarent, aut mouerent voluntatem ex perfectione sua ad eorum appetitionem; sed tota ratio volendi esset ipsamet libertas voluntatis.

### QVÆSTIO II.
*An voluntas possit aliquid, quod non sit bonum, appetere, vel fugere à bono quà bonum.*

*QVia in præmissa* responsione abstraxi à difficultate maioris; antequam progrediar vlterius, eam hic examinabo.

Nominales cum Occamo in tertia distinctione decima tertia, dubio tertio, Gabriele secundo distinctione sexta, quæstione prima, Angesto in moralibus capite secundo, tuentur partem affirmatiuam; communior vero aliorum Authorum sententia amplectitur negatiuam.

### CONCLVSIO. I.

Suppositâ impossibilitate omissionis puræ voluntas potest nolle bonum & velle malũ

5. *Voluntas potest pro sua libertate à bono, considerato tantùm vt bono, sine consideratione vllius generis, malitiæ, fugere, vel ipsum repudiare per positiuam nolitionem, & velle malum, qua malum, seu consideratum tantùm, vt malum, supposito quod omissio pura libera non sit possibilis.* Hæc est iuxta Nominales, quibus fauere videtur Scotus sal-tem probabiliter, in primo distinctione secunda quæst. 4. & in 2. dist. 43. quæst. vbi videtur esse dubius de hac re.

*Probatur prima pars*, quia aliàs volitio boni sic propositi esset necessaria, & non libera, nec laudabilis aut meritoria; sed absque necessitate non est asserendum quod voluntas, quæ est essentialiter potentia libera, habeat actum aliquem elicitum necessarium: nulla autè est ne-

cessitas asserendi quod circa bonum quodcumque, sub ratione tantùm boni propositum, voluntas habeat actũ necessarium. Confirmatur quia quotics non inuenitur aliqua ratio cogens ad oppositum, melius est & magis spectans ad dignitatem voluntatis, quod actus ipsius sint laudabiles ac meritorij, quàm è contra; sed nulla est ratio cogens ad asserendum quod actus ipsius circa quodcumque bonum, propositum sub ratione boni, non sit laudabilis ac meritorius: ergo non debet asseri.

6. *Probatur secundo*, quia si circa bonum, verbi gratia, vt vnum, propositum sub illa tantum ratione boni, voluntas necessario ageret, vt sequeretur in opposita sententia, hoc maxime esset verum, quia ab illa ratione boni determinaretur, vel physice, vel moraliter: sed hoc dici nequit: ergo non necessario ageret circa ipsum *Probatur maior primo*, quia nulla est ratio, ob quam id dicatur, vt constabit ex solutione obiectionum. *Probatur secundo*, quia non magis deberet determinari sic à tali bono; quam, propositis duobus bonis inæqualibus, à maiori: sed secundum communiorem Auersariorum sententiam non determinatur à tali bono. *Probatur maior*, quia excessus maioris boni supra minus habet tantam vim determinandi, quantam habet bonum vt vnum, vt sic solummodo propositum, & quia non est maior ratio de vno quàm de altero. *Dixi autem*, si non detur omissio pura, quia si hæc daretur, non sequerentur hæ inconuenientiæ; neque enim voluntas necessitaretur ad volendum bonum, nec ab eo ad hoc determinaretur, aut Physice, aut moraliter, & eum prosequendo laudabiliter ageret, si bonum esset honestum, ac mereretur. Ex his ipsis principiis sequitur secunda pars, de qua atque de prima est eadem prorsus ratio.

Non quæcumque fuga obiecti est odium ipsius.

*Aduerto tamen* fugam positiuam seu nolitionem obiecti sine vlla consideratione mali, non esse odium eius, proprie loquendo, quia odium ex communi acceptione importat recessum ab obiecto ob quandam displicentiam ipsius, hæc autem fuga, vt patet, non est talis; & similiter volitio obiecti sine vlla consideratione boni, non esset amor, quia hic intelligitur esse actum circa obiectum ob perfectionem aliquam eius.

*Obiicies primò*, fundamentum quo ego vsus sum disputatione de voluntate, quando non vult positiue aliquid, vel illud non vult propter se, vel propter aliud: sed neutrum dici potest, nisi consideretur in ipso malicia: ergo non potest positiue nolle, nisi propter maliciam. *Probatur minor*, quia eatenus propter aliud, quatenus consideraret in illo rationem aliquam impedientem illud aliud, & hæc esset malicia; & eatenus propter se, quatenus consideraret in ipso rationem aliquam, ob quam nollet ipsum propter se, & hæc etiam ratio est malitia, quia opponitur appetibilitati propter se.

*Respondeo* distinguendo maiorem pro prima parte; propter se, quatenus hoc significat quod non propter aliud, concedo maiorem; propter se, quatenus hoc significat, quod sit aliqua ratio in ipso mouens ad nolitionem; nego maiorem, sed potius ratio, ob quam non vult ipsum voluntas, est quia non est aliqua ratio determinans ipsam ad ipsum volendum. Nego autem minorem in sensu, in quo concessa est maior, & ad probationem, nego secundam partem, sed potius eatenus nollet, quia vt iam dixi, non est ratio in ipso determinatiua voluntatis aut moraliter aut physice ad ipsum volendum.

*Obiicies contra secundam partem* authoritatem Dionysij c. 4. de diuinis nominibus, nemo ad malum intendens *operatur*, sed hoc esset falsum, si vera esset secunda pars: ergo.

*Respondeo* negando minorem, quia de facto datur omissio libera & ea supposita de facto nemo prosequitur malum, sicut nec fugit positiue & directe *bonum*. Si autem non daretur omissio pura, Dionysius non proponeret præmissam suam doctrinam, vt colligitur ex fundamento conclusionis.

## CONCLVSIO II.

8. *Satis probabile videtur quod voluntas possit velle & nolle quod non consideratur neque vt bonum, neque vt malum.* Hæc est etiam iuxta Nominales contra communiorem sententiam.

Voluntas potest velle quod non considerat vt bonum, & nolle quod non apparet malum.

*Probatur* tum à priori, quia non videtur vlla repugnantia in hoc quod voluntas habeat huiusmodi libertatem; tum à posteriori experientia, quia constat voluntatem sæpe imperare motum manus ac pedis, ac ipsum nolle, quando non aduertimus illum proponi vt bonum, nec vt malum; nec possimus assignare rationem vllam ex parte obiecti, ob quam aut illum imperamus, aut ab eo desistamus: *Si dicatur* autem, vt ego dixi, disputatione de voluntate esse propositam tum rationem aliquam boni, licet non aduertatur, nec assignari possit. *Contra* quia si non aduertatur, nec possit assignari, gratis omnino dicitur quod sit.

*Obiicies* ex Conimbricensibus hic. q. 2. a. 2. bonum esse obiectum appetitus: ergo nequit appetere nisi bonum.

*Respondeo* si loquantur de obiecto adæquato, negando antecedens, in quo manifeste petitur principium; si vero de inadæquato, nego consequentiam: concesso antecedente.

9. *Obiicies secundò*, ex iisdem: quò maius obiectum est, bonum, eò magis allicit ad sui amorem: ergo bonum est quod allicit. *Respondeo* concedendo totum; sed inde nihil habetur ad propositum, quamuis enim dicamus voluntatem posse velle, quod non proponitur vt bonum; non dicimus tale quid allicere voluntatem, sed eam ex sua libertate illud velle absque aliqua motione ipsius.

*Obiicies tertiò* fundamentum meum loco citato, vel vellet illud propter se tanquam finem, vel propter aliud, tanquam medium: neutrum dici potest, non propter aliud tanquam medium, quia sic deberet considerare in ipso conducentiam ad alia & hæc esset aliqua bonitas: non propter se tanquam finem: quia sic deberet considerari in ipso ratio, ob quam moueret intentionaliter volũtatem, quę ratio esset bonitas aliqua.

*Respondendo* distinguendo primam partem maioris propter se, id est non propter aliud, concedo maiorem, propter se, id est propter aliquam rationem ipsius, quæ excitaret aut moueret voluntatem, nego: sed potior ratio, cur prosequitur, est, quia ex libertate sua id vult, nec proponitur in ipso ratio aliqua auertens voluntatem à prosecutione ipsius.

10. *Dices* non esse rationem auertentem voluntatem in obiecto illo esse bonitatem quandam.

*Respondeo* hoc distinguendo: esse bonitatem quandam positiuam, nego: negatiuam, concedo; sed illa non facit ad propositum.

*Obiicies quartò*, aliud meum fundamentum ibidem sicut appetitus innatus est pondus in bonum: ita dicendum de appetitu elicito: ergo nequit versari nisi circa bonum.

*Respondeo* negando antecedens quia per appetitum innatum intelligitur talis propensio: per appetitum elicitum vero, intelligimus volitionem quamcumque, quæ possit haberi, quodcunque demum sit eius obiectum; quod autem appetitus elicitus dicatur ferri in bonum sicut innatus, hoc dependet ab illa sententia, quæ dicit volitionem omnem ferri in bonum, quod negatur in conclusione: vnde in hac obiectione, re bene considerata, videri possit peti principium.

## CONCLVSIO. III.

Si detur omissio pura voluntas nequit prosequi malum aut nolle bonum.

11. *Supposita omissione pura voluntas nequit prosequi malum vt sic tantum consideratum, nec fugere positiue bonum.* Hæc est conformis doctori in 3. dist. 33. num. 3. & in 4. dist. 49. q. 10. n. 8. & est communissima contra Nominales.

*Probatur* authoritate Dionysij præmissa: *nemo ad malum intendens operatur*, quæ ad minus hanc conclusionem probat. Difficilius est eam probare ratione. Quæ mihi autem vnica, in qua non petitur principiũ, occurrit.

rit, est; quandoquidem in bono quocumque, quatenus tale est, sit vis quædam inclinatiua voluntatis ad ipsum; & in malo vis auersiua, esse omnino verisimile & conforme experientiæ, quod nunquam voluntas fugiat bonum, qua tales præcise; nec prosequatur malum; vnde ad hoc videtur quodammodo determinari; præsertim cum in hoc nulla sit inconuenientia. Quia vero non determinatur ad bonum ita, quin possit ipsum omittere, existimo quod determinatio illa voluntatis ad non prosequendum malum, & non fugiendum positiue bonum sit determinatio moralis solummodo, cum qua stat quod physicè possit prosequi malum, & fugere bonum, quia in huiusmodi potentia Physica non est vlla repugnantia aut inconuenientia. vnde conclusionem intelligo de potentia morali non de physica & sic intellecta forte nõ est contra Nominales, sed videtur esse contra communem sententiam. Hic est ergo sensus meus de hac re, nõ obstantibus iis, quæ proposui disputatione decima tertia citata quæstione prima, quæ tamen non placuit mutare, quia, ni fallor, vix potest melius probari communior sententia, quam credo plures amplexuros, quàm hanc minus communem.

## QVÆSTIO III.

### *De diuisione Boni vt sic, in Honestum, Iucundum, Vtile.*

12. *Missis variis diuisionibus*, quibus bonum vt sic diuidi posset, vt in bona diuina & humana; externa & interna; animi, corporis, & fortunæ; spiritualia, corporalia; æterna, temporaria, & similia, quorum membrorum diuidentium capere significationem non est difficile, vnicam hanc ab Aristotele secundo Ethicorum capite tertio, Ambrosio de Officiis capite nono, Cicerone quinto Tusculan. traditam, quæ per se ad scientiam moralem magis spectat, examinare placuit.

### CONCLVSIO I.

Bene diuiditur bonum in honestum, iucundũ & vtile.

*Hæc diuisio est bona.* Ita omnes, & patet quia est per satis pauca membra adæquata diuiso, ac inter se saltem formaliter opposita, potestque reduci facile ad bimembrem diuisionem, vt si diuideretur primo bonum in illud, quod est propter se appetibile & propter aliud; & deinde illud, quod propter se esset appetibile, diuideretur in honestum & iucundum: ergo diuisio est bona, quia nihil aliud deest huic diuisioni ex omnibus quæ ad bonam requiruntur. Quod autem diuisio sit adæquata patet, quia reuera dantur illa tria genera bonorum, & nullum aliud bonum in sensu, quo supra explicaui bonum, & quo consequenter hic diuiditur, assignari potest, quod non sit aliquod ex illis. Quod etiam illa tria genera sint opposita, patet, quia bonum vtile, hoc est conducens ad aliud bonum acquirendum distinguitur ab honesto & delectabili, posset enim esse inhonestum ac indelectabile, vt si quis vellet pati mortem vt vendicaret se de Parentibus, de quibus sic se vendicare non deberet. Deinde bonum delectabile distinguitur ab honesto, nam potest actio delectabilis esse inhonesta vt comestio illicita.

*Dixi autem*: saltem formaliter, quia non est necesse vt realiter semper distinguantur hæ rationes boni, nam vnum & idem potest esse honestum, vtile & delectabile secundum diuersas considerationes: moderata enim comestio cibi grati potest esse vtilis, vt conducit ad sanitatem tuendam vel recuperandam; delectabilis sensui ob cibi suauitatem, & honesta quando præscriberetur à recta ratione, aut præcipèretur à Deo vel superiore, & credo sane nullum esse bonum quod non habeat diuersas rationes, ob quas omnium horum bonorum sortiatur naturam.

13. *Vt vero melius* hæc diuisio intelligatur explicanda sunt membra diuidentia, & quidem bonum vtile & delectabile facile intelliguntur, nam vtile est, vt ante dixi, quod est conducens ad consecutionem alterius boni, vt sunt omnia media respectu finis. Delectabile est quod delectationem causat. Sed difficultas est in bono honesto declarando quod sane longe difficilius est, quàm videri posset; sed quia in commentarijs meis ad *distinctionem* 40. *secundi* de hac re fuse egi, reiectis quam plurimis dicendi modis, hic breuiter quid dicendum sit aperiam. Itaque bonum honestum est illud, quod habet in se talem naturam, vt eius prosecutio deceat naturam rationalem, seu sit eâ dignum ipsum prosequi. Quæ descriptio inde probatur quod certum sit dari huiusmodi bona, talia enim sunt colere Deum, amare parentes, subleuare miserias pauperum, & obiecta denique omnium virtutum; & quòd per hanc rationem secernatur à bono vtili & delectabili, quia non est vlla dignitas in prosecutione boni vtilis, nili quatenus est dignitas in prosecutione finis, ad cuius consecutionẽ conducit; nec est dignitas vlla in prosecutione boni delectabilis, qua tale præcise; cum enim ad talia bona sit maxima propensio in natura, non æstimatur esse dignitas aliqua particularis in natura quod ipsum prosequatur, vt colligi potest à posteriori ex eo, quod non laudemus nec dignos præmio aliquo putemus qui delectabilia, qua talia præcise consectantur. Quid bonum honestum?

*Quod si non daretur* actus indifferens ex natura rei, independenter ab opinione probabili, facile declararetur bonum honestum, dicendo quod sit bonum propter se simpliciter appetibile, consideratis omnibus circumstantiis; nam hæc descriptio non conuenit bono delectabili, qua tale præcise: posset enim bonum delectabile esse prohibitum, & tunc non esset simpliciter appetibile.

Dixi autem *si non daretur actus indifferens*, quia eo dato videri posset hæc descriptio non esse bona, nam conueniret obiecto actus indifferentis, & tamen non esset bonum bonitate honesta, quia aliàs actus non esset indifferens.

*Dices* si daretur actus indifferens, non valeret prior descriptio, quia obiectum actus indifferentis debet esse bonum delectabile, nulla affectum circumstantia mala sed prosecutio talis videtur dignum natura rationali; ergo esset honestum & sic actus non esset indifferens.

*Respondeo* negando minorem, quia, vt dictum est, in prosecutione boni delectabilis præcise non apparet aliqua dignitas aut excellentia.

14. *Posset etiam* alio modo describi bonum honestum esse illud, quod propter suam perfectionem dignum est prosecutione, etiamsi non esset nec vtile nec delectabile. Quæ etiam descriptio simili discursu probari potest; quia dantur huiusmodi bona; talia enim sunt quæ supra specificaui, & per hoc, vt manifestum est, distinguuntur à bonis vtilibus & delectabilibus. Omisi data opera impugnare discursum, quo probat D. Thom. 1. p. q. 5. a. 6. & ex ipso Conimbricenses hic sufficientiam diuisionis boni in hæc tria membra, tum quia parum refert quid quis in particulari sentiat, modo declaretur ipsa rei veritas; tum quia nemo est qui non facilè videat quod nullam habeat apparentiam.

## QVÆSTIO IV.

### *An finis coincidat cum bono & an homo habeat aliquem finem vltimum.*

LOquor de fine & bono appetitus rationalis mouente ex sua perfectione ipsum appetitum: nam illa præcipue faciunt ad propositum, & ex ijs, quæ de his dicentur, facile est de reliquis disserere.

### CONCLVSIO.

Bonum vtille non conuenit cum fine bene tamen delectabile & honestum.

15. *Bonum vtile, qua tale, non conuenit cum fine, bene tamen bonum delectabile & honestum.* Hæc bene intellecta nequit esse in controuersia.

*Probatur prima pars* quia finis est propter se appetibilis, sed bonum vtile, qua tale, non est sic appetibile: ergo non conuenit, qua tale est, cum fine.

*Proba*

*Probatur secunda pars* quia bonum vtrumque est propter se appetibile: ergo coincidit cum fine quantum ad hoc, qui est sensus conclusionis, quod nihil sit finis quod non sit bonum, aut honestum, aut delectabile, & vt sic etiam propositum, quando proponitur finis; & quod nullum sit delectabile bonum aut honestum, quod vt sic non possit mouere, tanquam finis appetitum.

## CONCLVSIO II.

16. *Homo habet aliquem finem vltimum, & consequenter aliquod bonum in qualibet actione sua libera; si tamen nihil possit velle nisi bonum.* Hæc est communis cum Scoto 1. dist. 2. quæstione prima, & D. Thoma 1. 2. quæst. 1.

*Probatur* autem quia in finibus intentis ab homine, non potest dari processus in infinitum; quia alias deberet cognoscere simul infinita; & quia experientia constat quod semper sistamus in aliquo: ergo debet dari aliquis finis, qui vlterius ad alium non ordinatur; ille autem est vltimus. Dixi in conclusione: *Si tamen nihil possit velle nisi bonum*, quia si posset velle aliquid, quod non esset bonum, quamuis propter rationem conclusionis adhuc deberet habere aliquem finem vltimum semper, non tamen aliquod bonum.

## CONCLVSIO III.

17. *Non solius est hominis aut creaturæ rationalis agere propter finem ex intentione etiam finis; sed etiam bruta sic agunt.* Hæc est contra communiorem sententiam & supponit quod homo & creatura quæcumque rationalis sic agat, id quod de homine certum est experientia; & de cæteris creaturis rationalibus, vt de Angelis constat vel à pari, vel à fortiori; vnde tota difficultas est, an Bruta sic agant.

*Probatur*, ergo quoad hoc; quia experientia constat, quod appareat externe ea sic agere: nam feles dum se erigunt in pedes, & extrahunt vestes comedentium & alia similia faciunt, quibus inuitentur homines ad proiiciendum ipsis buccellam aliquam, omnino videntur id facere in ordine ad illum finem, quem & cognoscunt cognitione sensitiua, & appetunt appetitu sensitiuo; & certe simiæ, dum ad extrahendum cibum in ignem proiectum, felis inuiti vtuntur pedibus, ne proprias manus comburant, videntur eo tanquam aptiori sibi modo vti. Denique, vt plurima alia exempla omittam, formicæ, dum in æstate pro hieme prouident, & aues, dum nidificant opportuno loco & modo, huiusmodi intentionem satis manifestè præ se ferunt. Dicere autem quod hoc fiat tantum materialiter, & non ex intentione formali finis aut medij, omnino gratis dicitur; & quamuis aliqui conentur ostendere quomodo hæc fiant absque intentione formali finis aut medij; tamen nec plene vnquam satisfaciunt; & cum ex aliis principiis non constet, quod non fiant ex tali intentione, frustra laborant, negando eam perfectionem animantibus.

18. *Obiicies*: Agere propter finem ex intentione formali ipsius, est dirigere se ad illum: sed hoc est proprium istius naturæ, quæ delectu & arbitratu suo agit, quod proprium est naturæ tantum intellectualis: ergo sola talis agit sic propter finem.

*Respondeo*, distinguendo minorem: si per arbitratum intelligatur liberum arbitrium, negando minorem; si aliquid aliud, concedo minorem pro illa parte, & nego ipsam pro altera, simul cum consequentia, quia sufficit vt dicatur delectu suo agere ac arbitratu, modo per hoc non intelligatur liberum arbitrium, quod appetat finem & cognoscat illum posse acquiri tali modo ac propterea appetat talem modum.

*Obiicies secundo*, Vt appeterent finem ac ordinarent media ad ipsum (vt supponitur in probatione conclusionis quod faciunt) deberent cognoscere finem & media formaliter: sed non possunt illa sic cognoscere: ergo non appetunt finem, nec ordinant media ad ipsum & consequenter conclusio est falsa. Probatur minor: quia finis formaliter dicit ordinem ad media, & hæc ad illum, qui ordo est relatio vel respectus: sed nulla potentia præter intellectiuam potest cognoscere relationem aut respectum: ergo Bruta non possunt cognoscere finem aut media formaliter.

*Respondeo*, negando minorem, & ad eius probationem dico, si finis & media formaliter dicunt respectum, potentiam sensitiuam cognoscere respectus. Fortassis tamen finis & medium, vt debent cognosci ab Agente propter finem, non dicunt nisi respectum secundum dici, qualis facile potest cognosci à Brutis.

## CONCLVSIO IV.

19. *Homo non appetit semper in omni actu suo finem vltimum eundem, nec materialiter nec formaliter.* Hæc est iuxta Doctorem supra & suos contra Capreolum prima distinctione prima quæstione tertia, & Caietanum prima secundæ quæstione prima articulo sexto. Vt intelligatur autem, aduertendum est appetere eundem finem materialiter semper, secundum aduersarios, qui hos terminos videntur excogitasse, vt melius suam sententiam defenderent, esse semper appetere eandem rem numero aut specie, in qua esset ratio aliqua, ob quam appeti semper deberet in omni actione libera creaturæ rationalis, vt si quis semper appeteret Deum, aut honores, aut diuitias, aut voluptatem sensibilem; & quia certum est quod hoc modo non appetat homo pro hoc statu eandem rem, cum constet quod aliquando appetat honores, aliquando diuitias, aliquando Deum, aliquando honestatem liberalitatis, aliquando misericordiæ, in ipsismet sistendo, sic, vt nec cogitet quidem de alio vlteriori bono aut fine, ad quem hæc bona, tanquam media ordinaret, propterea concedunt, & bene, non semper nos appetere in omnibus actionibus nostris liberis eundem finem materialiter, & hæc ipsa sit probatio primæ partis conclusionis, quæ non est in controuersia. Appetere vero semper eundem finem formaliter est appetere quidquid appetimus sub eadem ratione formali, hoc est sub ratione summi boni ac perfecte satiatiui, & in hoc sensu probatur conclusio quoad partem controuersam; quia quando aliquis infirmus considerat sanitatem, quamuis cognosceret quod non satiaret ipsum perfectè, sed imperfectè quoad ablationem infirmitatis, certè posset ipsam propter se appetere, & experientia constat quod ita appetat; & idem est de liberaliter erogante sua bona, & misericorditer subleuante miseriam indigentis, & appetente gustum hic & nunc ex cibo & potu; & prorsus contra manifestam experientiam est, quod quoties quis operatur libere, occurrat ipsi consideratio boni summi & perfecte satiatiui; & quando occurrit etiam, manifestum est quod ipsum non appetit appetitu efficaci ex quo moueatur ad applicationem mediorum proportionatorum ad eius consecutionem: nam peccantes, qui considerant Deum esse vltimum finem, dum peccant, non sic appetunt ipsum, cum tum exerceant operationes impedientes eius consecutionem.

Homo nō appetit semper in actione sua eundem vltimum finem.

Quid appetere eundem finem semper materialiter.

Quid formaliter.

20. *Obiicies primò* quidquid appetit homo, vel appetit ipsum sub ratione boni perfecti aut imperfecti, si sub ratione perfecti, habetur intentum, quia hoc est appetere ipsum sub ratione summi boni, & perfecte satiatiui; si sub ratione imperfecti. ergo appetitur in ordine ad perfectum, quia imperfectum est inchoatio perfecti, & inchoatio semper ordinatur ad perfectionem ipsius, & sic etiam habetur intentum.

*Respondeo*, negando quod quando appetitur bonum imperfectum, ordinetur ab appetente ad perfectum, & quamuis ex se esset inchoatio perfecti & consequenter ex se ordinaretur ad ipsum, tamen non est necesse quod voluntas ordinet ipsum ad illud perfectius, nec etiam est necesse vt consideretur ab intellectu vt

quid

quid sic ordinabile,& certe in peccantibus manifestum est quod considerent operationem peccaminosam non esse ordinabilem ad Deum, quem sciunt aut credunt esse suum summum bonum & omnium aliorum perfectissimum.

*Obijcies secundò*, causæ secundæ non possunt aliquid efficere absque concursu & motione causæ primæ: ergo nec fines particulares, subordinati ex se causæ finali vltimæ seu bono perfectissimo, possunt mouere absque motione finis vltimi.

21. *Respondeo*, negando consequentiam, quia sunt principia, ex quibus colligitur dependentia à motione seu concursu causæ primæ, & non sunt principia suadentia oppositum; secus autem est de motione finis vltimi, respectu motionum finium particularium. Et si proportio esset talis vtrobique quantum ad hoc, sequeretur quod non possit quis moueri per fines particulares, absque motione finis vltimi non solum formaliter sed materialiter, & quod etiam quando operatur quis peccaminosè, moueretur tum etiam finaliter à Deo ad illam operationem, quod sine dubio falsum est.

*Obijcies tertiò*, finis vltimus est, qui perfectè satiat: ergo in omni actione quis appetit illum vel materialiter, vel formaliter. Probatur consequentia, quia nihil appetit nisi per modum satiatiui aliquo modo: sed quidquid appetitur per modum satiatiui, vel appetitur vt satiatiuum perfectè, & sic appetitur finis vltimus, de quo agimus; vel vt satiatiuum imperfectè, & sic appetitur vt participatio finis vltimi perfectè satiatiui, & consequenter appetitur tum finis vltimus satiatiuus, saltem formaliter.

*Confirmatur*, quidquid vllo modo satiat, est participatio illius quod satiare potest summe: ergo quando appetitur aliquid vllo modo satians, appetitur illud quod summe satiat.

22. *Respondeo*, negando consequentiam ad cuius probationem nego quod, quando aliquid appetitur vt perfectè satiatiuum, appetatur vt participatio illius, quod perfectè satiat; quia quamuis esset talis participatio, tamen vt sic non deberet necessario appeti, quia posset fieri quod non conciperetur tum aliquid perfectè satiatiuum, & quamuis etiam conciperetur, & imperfectè satians conciperetur vt pars ipsius aut participatio, non tamen sequeretur quod tum ipsummet appeteretur in sensu, in quo hic agitur de appetitu ipsius, qui est quod ipsum secundum se totum non debeat appeti. Per quod patet ad confirmationem, cuius consequentia est neganda.

Et certe quando aliquis appetit partem mundi, non propterea potest dici quod ipsum mundum appetat; & quando aliquis appetit aliquam creaturam, non eo ipso debet dici appetere Deum, cuius est participatio, in sensu vllo commodo faciente ad rem.

## QVÆSTIO V.

*An habeat homo vnum finem perfectum vltimum?*

PEr finem perfectum vltimum, intelligitur finis seu bonum aliquod perfectè satiatiuum, quem si acquireret homo, deberet rationabiliter in eo sistere, ac esse contentus.

### CONCLVSIO I.

Nō habet homo duos fines vltimos coniunctiue appetibiles.

23. *Non potest homo appetere duos huiusmodi fines coniunctiue; nec consequenter habet duos fines tales coniunctiue acquisibiles.* Hæc est communis cum D. Thom. 1. 2. quæst. 1. art. 5. &

*Probatur prima pars*, quia secundus finis ex illis esset perfectè satiatiuus, & non esset, quod implicat. Probatur sequela, quia imprimis esset perfectè satiatiuus, vt supponitur; non esset etiam, quia si posset homo simul satiari ab altero fine, ille non esset perfectè satiatiuus ipsius.

*Probatur secunda pars*, quia non potest habere pro fine, nisi quod potest appetere & habere; aut enim ille finis esset à natura ipsi ordinatus, aut à Deo: sed neutrum dici potest, quia nec natura, nec Deus ordinauit pro fine alicuius illud, quod est simpliciter impossibile.

### CONCLVSIO II.

24. *Posset huiusmodi duos fines appetere disiunctiue si proponerentur ipsi.* Hæc est contra Suarium 1. 2. dis. 3. s. 3.

Posset duos fines vltimos disiūctiue appetere si proponerentur ipsi.

*Probatur* quia si proponeretur alicui, quod actus alicuius perfectus liberalitatis esset perfectissime satiatiuus ipsius, & etiam actus charitatis, non ita vt vterque simul posset perfectè satiare; sed vt quicumque ex ipsis seorsim satiaret ipsum perfectè, & vlterius proponeretur quod medium optimum ad assequendum vel vnum vel alterum esset obseruatio præceptorum, posset sine dubio efficaciter appetere alterum ex illis disiunctiue, & in ordine ad alterum ex illis assequendum conari obseruare præcepta, cum in hoc nulla sit difficultas, & sit omnino conforme experientiæ, qua constat quod posset quis, & de facto aliquando appetat duos fines particulares disiunctiue, vt cum quis militat vel propter lucrum vel propter honorem ita, vt expectet non vtrumque simul, sed vel vnum, vel alterum. Fateor quidem quod, quando media diuersa essent applicanda ad illos fines, vt, verbi gratia, studium continuum ad vnum, & aliæ occupationes ad alterum, tum volitio disiunctiua finium non esset sufficiens ad determinandum hominem ad electionem mediorum, quia non posset vtraque eligere, nec esset maior ratio, cur hæc potius eligeret ob illam intentionem, quam illa: vnde aliunde determinari deberet, quod recte aduertit *Suares*, sed malè putauit ad fines diuersos media diuersa applicari debere & propterea persuasus est ad tenendum oppositum conclusionis, nam certum est posse quem proponere laboranti in vinea sua vel lucrum pecuniarium vel dignitatem aliquam disiunctiue pro præmio, & in eo casu eundem laborem esse medium ad vtrumque illum finem disiunctiue.

### CONCLVSIO III.

Nō habet homo duos fines perfecte satiatiuos etiam disiunctiue.

25. *De facto homo non habet duos fines perfectè satiatiuos disiunctiue in quorum quolibet posset homo rationabiliter sistere.*

Probatur quia non possunt assignari tales fines & confirmabitur per dicenda.

## QVÆSTIO VI.

*An detur & in quo consistat finis vltimus perfectè satiatiuus hominis, seu suprema felicitas ipsius.*

Quid felicitas.

26. SVppositò quod non sint plures fines vltimi perfectè satiatiui hominis, nec disiunctiue, nec coniunctiue appetibiles, hic examinandum, an detur vnus talis, & in quo consistat, & quia reuera talis finis est summum bonum hominis, quod præcipue appetere debere, & quia vlterius in huiusmodi summo bono consistit maxima ipsius felicitas, & illa præsertim, quæ est obiectum principale totius huius tractatus, quæque definitur à Boetio tertio de consolatione prosa secunda, *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*, & à Tullio 3. Tusculanarum qq. 2. *Secretis malis omnibus cumulata bonorum omnium complexio*: de qua felicitate ducentas octoginta octo enumerat Varro, teste Augustino decima nona *Ciuit. cap. primo* dissentientium inter se Philosophorum sententias, idem prorsus est quærere de fine vltimo in hoc sensu, & de summo bono ac felicitate hominis; operæ pretiū autem erit prius examinare, an possit ratione naturali colligi, quod detur huiusmodi finis vltimus, aut summum bonum, ac felicitas. Vt vero tollatur quæstio de nomine

mine & res ipsa melius intelligatur, aduertendum summum bonum ac felicitatem posse capi & in sensu iam explicato à Boetio & Tullio, & in alio sensu, quo per ipsum significatur supremum bonum, quod posset homo acquirere, siue habeat secum aliqua mala annexa, ex quo fieret; vt non perfecte omnino satiaret, siue non.

## CONCLVSIO I.

Nō habet homo finem vltimum satiatiuum pro hoc statu acquisibilē.

27. *Non habet homo vllum finem vltimum aut summum bonū ac felicitatē perfectè satiatiuam iuxta definitionem Boetij & Tullii pro hoc statu acquisibilem.* Patet meo iudicio quia non potest hic acquiri securitas vlla contra multa mala, quæ facile occurrere possunt, & solent sepissime; neque enim possunt vlla ratione sic caueri infirmitates & mala fortuita ex mille capitibus imminentia, vt possit cum vlla probabilitate vllus affirmare se ab ipsis immunem, vt manifestum est, sed hoc modo exponi talibus malis est magnum malum, & securitas ab ipsis esset magnum bonum: ergo nequit quis pro hoc statu acquirere summum bonum aut felicitatem, vt describitur à Boetio aut Tullio,

## CONCLVSIO II.

Non potest quis secluſa fide certo cognoscere quod sit talis finis proposito homini.

28. *Non potest quis ratione naturali, secluſa fide, certo cognoscere quod pro vllo statu talis felicitas sit proposita hominibus, aut omnibus, aut vllis; supponendo tamen cognitionem Dei & immortalitatem animæ, potest quis probabiliter coniicere quod pro statu futuro sit homo, hic rectè ex virtute viuens, consecuturus felicitatem iuxta illas descriptiones bene intellectas.*

*Probatur prima pars*, primo quia, vt dixi *disput. de Animæ. num.* 32. non potest certo cognoscere quod anima sit immortalis, ergo non potest cognoscere quod post separationem à corpore habeat securitatem de conseruatione quorumuis bonorum sibi collatorum.

*Probatur secundò*, quia quamuis cognosceret immortalitatem animæ, nulla sunt principia certo concludentia quod non habebit viciſſitudinem aliquam in bonis & malis aliquibus, sibi inuicem succedentibus; & quamuis hominibus rectè & iustè viuentibus, deberetur aliquod præmium, in altera vita conferendum, cum non persoluatur in hac; tamen quod illud deberet esse perpetuum, & nulla infœlicitate interrumpendum, omnino incertū est quantum ad rationem naturalem.

*Probatur tertiò*, quia quamuis essent talia principia de animæ felicitate, non tamen sufficerent ad id probandum de homine, quia non posset propterea probari resurrectio corporis cum certitudine.

Sappoſita cognitione Dei & immortalitatis animæ potest probabiliter concludi fœlicitas futura.

*Probatur secunda pars*, quia ex suppositione Dei & talis immortalitatis est sine dubio possibilis talis felicitas hominis; ex hoc autem, & ex inclinatione hominis ad illam ac bonitate Dei, ac propensionis ipsius ad communicationem suorum bonorum, satis probabiliter potest coniici quod sit talis felicitas consequenda, & ex hac ipsa opinione prudentissime disponeret se omni, quo posset, meliori modo in hac vita ad eius consecutionem; & hinc quia deberet rationabiliter iudicare quod potius conferri deberet ex virtute & ratione degentibus suam vitam, quam vitiose viuentibus aut otiose, quamuis aliud lumen non haberet, deberet virtutibus præcipuam operam dare.

*Hinc sequitur* si Philosophi agentes de felicitate huius status ceperint eam in hoc sensu, non esse mirum quod non potuerint inter se conuenire, nec ad veram peruenire, quæ nulla erat; admiratione tamen dignum est quod non aduerterint talem non dari; vnde cum ex illis nonnulli doctissimi essent & maximo ingenio prediti, existimarem potius eos in alia aliqua acceptione beatitudinem sumpsisse, vt in secunda forte supra proposita, de qua paulo post.

## CONCLVSIO. III.

Datur vltimus finis ac fœlicitas acquisibilis pro altera vita.

29. *Habet homo finem vltimum vnum secundum definitionem Boetij pro altera vita acquisibilem.* Hæc est certa ex fide, quæ præponit nobis resurrectionem mortuorum, & vitam æternam quæ est huiusmodi fœlicitas & summum bonum, de cuius natura & conditione, quia non constat perfecte nisi ex principiis Fidei & Theologicis, in Theologia per se agitur, quò eius probationem vlteriorem ac cætera ad ipsam spectantia relinquo, & hic adiungam quod sentio de fœlicitate in hac vita acquisibili, pro quo præmitto, cum, vt antea docui, non sit vlla talis secundum definitionem Boetij, si quæ sit, eam debere esse in aliqua alia acceptione, quę si statueretur concorditer ab omnibus, facile conueniretur in ea assignanda ac probanda. Vt ergo hoc fiat notandum bona huius vitæ tam interna, quam externa considerari posse vel quatenus ordinantur ad vitam æternam quæ vera est fœlicitas; vel secundum se & abstrahendo à vita æterna, sicut considerari deberent, si non daretur, aut non cognosceretur talis vita & hoc potissimum modo considerantur à Philosophis.

Quot modis posset capi beatitudo huius vitæ.

*Rursus* noto, si bona hæc considerentur priori modo; posse capi fœlicitatem huius vitæ pro principiis efficacibus ad consecutionem vitæ æternæ, itavt qui habeat talia dici debeat beatus; & sic quicumque habens Fidem, Spem & Charitatem, etiamsi omnibus aliis malis afficeretur posset dici beatus, & qui iis careret miser miseriâ oppositâ huiusmodi fœlicitati, etiamsi abundaret reliquis bonis. Posset etiam per beatitudinem intelligi aliquod adiutorium magnum in ordine ad consecutionem vitæ æternæ, & sic sæpe in scriptura habetur vsus huius vocabuli, dum dicitur: *Beatus vir qui timet Dominum. Beatus vir qui suffert tentationem*, &c.

*Rursus* posset capi beatitudo & quidem à fortiori pro perseuerantia vsque in finem in gratia; nam longe melius est in ordine ad consecutionem beatitudinis habere hoc donum, quàm cætera omnia sine ipso, secundum autem hæc potest discurri de variis aliis acceptionibus beatitudinis & gradibus diuersis eius, secundum quos possunt assignari alij aliis beatiores ac fœliciores, in quo non videtur vt hic possit esse alia quæstio quam de mero nomine.

30. Sed quia hæ considerationes bonorum huius vitæ ac beatitudinis sunt Theologicæ, veniamus ad alterum, quæ per se huc spectat.

*Circa quam* etiam aduerto beatitudinem posse capi pro perfectione aliqua acquisibili per omnem hominem cuiuscumque status ac conditionis sit; quamque prudenter prætendere posset; vel pro perfectione quam non possunt omnes acquirere, aut rationabiliter prætendere, licet possint aliqui, & quidem prior consideratio videtur principalior esse, & iuxta illud quod supponitur communiter, omnes debere rationabiliter appetere sibi & procurare beatitudinem pro viribus, & in hoc principaliorem eorum industriam versari debere, quod etiam de beatitudine naturalis ordinis, quam solum considerat scientia naturalis, qua talis præcise, intelligitur.

*Rursus aduerto* beatitudinem in vtroque sensu posse capi vel pro supremo secundum speciem bono, quod prætendi possit rationabiliter; vel pro tali statu, qui minime malis vexantibus ac affligentibus sit obnoxius & hoc respectiue siue ad eandem personam, siue ad diuersas; vel pro statu, qui maiori voluptate gaudeat, abstrahendo à natura voluptatis seu delectationis, an scilicet corporea sit vel spiritualis; & secundum has omnes considerationes discurrendum erit de beatitudine vt tollatur quæstio de nomine & res ipsa examinetur.

CONCLVSIO

## CONCLVSIO I.

Fœlicitas huius vitæ nō aſſt collocanda in diuitiis, honoribus voluptatibus.

31. *In nullo ſenſu ex his felicitas collocanda eſt in ſolis diuitiis aut honoribus aut dignitatibus aut voluptatibus corporeis, nec in omnibus ſimul.* Hæc eſt communiſſima & *Probatur* de diuitiis quia eatenus ſunt bona ac appetibilia, quatenus conducere poſſunt ad alia bona: ergo in aliis potius bonis conſtitui deberet fœlicitas, quam in ipſis.

*Probatur* de honoribus ac dignitatibus quia flagitioſiſſimi poſſunt eos habere & conſequenter eſſe fœlices, quo nihil abſurdius; deinde honores, magni præſertim, in quibus ſolis collocanda eſſet fœlicitas, non poſſunt ab omnibus prætendi rationabiliter, & idem eſt de dignitatibus: ergo nō poteſt fœlicitas cuilibet competens in illis ſtatui. Rurſus ſecundum ſpeciem ſunt ſine dubio inferiores virtutibus & etiam ſanitate corporis, vnde nemo eſt qui non mallet eſſe ſanus ſine illis, quam cum illis valde infirmus. Deinde ex ſe non excludunt moleſtias interiores tam bene, quam ſanitas & habitus virtutum, vt eſt euidens; nec voluptas ex iis præciſe concepta poteſt accedere ad alias voluptates. Ergo in nullo ſenſu ex prædictis poteſt conſiſtere in ipſis fœlicitas naturalis, de qua agimus.

*Probatur* de voluptatibus corporeis, quia hæ competunt homini quatenus ſenſitiuus eſt, vt ſic autem homo eſt imperfectior ſe ipſo, quatenus rationalis eſt; nihil autem abſurdius quam fœlicitatem hominis conſiſtere autem abſurdius quam fœlicitatem hominis conſiſtere in perfectione ipſius quoad potentias imperfectiores ac inferiores ipſius. Præterea ſi ordinate capiantur, non ſunt comparandæ voluptatibus ſeu delectationibus ſpiritualibus perceptis ex operationibus ſpiritualibus intellectus ac voluntatis; nec tam excludunt perturbationes internas paſſionū; & idem eſt de illis ſi inordinate indulgeatur ipſis; & præterea vt ſic non ſunt rationabiliter appetibiles & cauſant innumera mala. Probatur de omnibus ſimul quia flagitioſiſſimo poſſent competere, nec ſunt conferenda cum habitibus virtuoſis eorumque operationibus.

## CONCLVSIO. II.

In quonā conſiſtit beatitudo naturalis huius vitæ cuilibet ac quiſibilis

32. *Suprema beatitudo ac fœlicitas naturalis, quam ſecundum rationem naturalem poteſt quilibet appetere & conari ſibi adipiſci, cuiuſque adeptio eſt in ipſius met poteſtate, quantum ad id quod naturaliter poſſumus cognoſcere; conſiſtit in illa perfectione qua fit vt quis contentus ſit ſuo ſtatu, ſic vt ſi non poſſit ſecundum rectam rationem depellere mala præſentia aut imminentia, aut acquirere bona vlteriora, alias optabilia; velit eo ſtatu contentus eſſe, nec aliquid operari contra rectam rationem ad eum mutandum*, Hæc concluſio, quamuis hoc modo non ſoleat proponi, eſt tamen conformis eorum principiis, qui fœlicitatem in virtute collocant, quæ eſt communis iam ſententia, & ſemper fuit inter meliores Philoſophos communior.

*Probatur* autem abunde, quia hæc perfectio eſt communis omni ſtatui hominum cuiuſcumque ſexus & ætatis ratione compotis quantum ad hoc, quod ſit, in poteſtate cuiuſcumque (quantum poſſumus ſaltem colligere ex ratione naturali, quo ſenſu loquor) & quod nullus ſit, qui non poſſit ipſam rationabiliter appetere & aſpirare ad eius conſecutionem; nec vlla alia magis conducit ad honoratam animi quietem; ſuperandas omnis generis paſſiones inordinatas, ac ferendas æquanimiter omnes aduerſitates, quibus vita humana expoſita eſt, vt apparet euidens, fertque ſecum maximam ac ordinatiſſimam voluptatem, quando integre acquiritur, & maiorem vel minorem iuxta gradum in eo acquiſitum; & denique ex ſe non inclinat nec inducit ad vllum actum inordinatum; nec vllus talis requiritur ad eius conſecutionem. Sed nulla alia perfectio poteſt aſſignari, in qua potius aut æque fœlicitas competibilis omnis conditionis hominibus collocari deberet: ergo.

33. *Dices*, poſſet quis ſtatim abſq; magno labore etiā in adoleſcentia acquirere hanc perfectionem, & id etiam non videretur difficile homini non afflicto actualiter malis valde moleſtantibus & competentibus bonis corporeis gaudenti: ſed non eſt veriſimile quod felicitas poſſit tam facile ac cito acquiri: ergo fœlicitas in ea non conſiſtit.

*Reſpondeo primò*, negando minorem, quia quamuis non poſſit tam facile ac cito à quocumque acquiri; tamen quod ab aliquibus propter circumſtantias particulares poſſit, non eſt inconueniens.

*Reſpondeo ſecundò*, concluſionem poſſe intelligi non de quacumq; perfectione, qua quis actu velit ſuo ſtatu præſenti contentus eſſe; ſed de ea qua velit contentus eſſe quocumq; ſtatu in quo eſſet; ſiue afficeretur malis vexātibus, aut careret bonis optabilibus, ſiue non, & in hoc ſenſu ſi intelligeretur, negari deberet maior replicæ, quia reuera nō eſt facile ad eā peruenire in aduerſitatis ſtatu, niſi antea fuerit procurata, & qui in ſtatu proſperitatis putaret ſe eā habere, facile poſſet decipi. vt ex modo, quo ſe gereret in aduerſitate, colligi poſſet.

*Dices ſecundò*, Magis appetibile eſſet, etiam ſecundū rectam rationem, habere huiuſmodi perfectioné ſimul cum aliis bonis corporis, & carentia malorum affligentium, quam ſine illis bonis & cum talibus malis: ergo illa perfectio ſola non eſt ſuprema fœlicitas hominis.

*Reſpondeo*, quidquid ſit de antecedenti, de quo dubitari poſſet, quia carentia malorum, & ſimilium bonorū poſſeſſio, poſſet eſſe occaſio hic & nunc ſaltem aliquibus, decidendi ab illa perfectione; quando autem ita eſſet, magis appetibilis ſecundam rationem eſſet perfectio cum malis & ſine bonis, quàm ſine malis & cum bonis; ſed quidquid ſit de hoc, diſtinguo conſequens: non eſt ſuprema fœlicitas, quam ſolam omnes omnino poſſunt appetere & procurare, concedo conſequentiā; quam quilibet omnes conditionis poſſit appetere: nego conſequentiam; quia quilibet non poteſt appetere efficaciter in omni caſu bona temporalia, & carentiam malorum: nam aliquando cōtingit, vt aliquis ſit in ſtatu, in quo non poſſit rationabiliter ea procurare, vt cum eſt cæcus, aut claudus, aut ſenex, aut oppreſſus infirmitatibus incurabilibus, & mille ſimilibus occaſionibus.

34. *Dices tertiò*, poſſet quis pro aliquo tempore habere huiuſmodi perfectionem, & poſtea ab ea decidere & eſſe miſer: ſed contra rationem fœlicitatis eſt huiuſmodi caſus: ergo fœlicitas in ea non conſiſtit.

*Reſpondeo*, in hac replica inuolui aliquid de nomine nam poteſt ſine dubio fœlicitas capi pro huiuſmodi perfectione cum perſeuerantia in ea vſque in finem, & pro ea ſecundum ſe, abſtrahendo à tali perſeuerantia, & conſiderata ſolum pro tēpore quo perſeuerat. Si autem capiatur priori modo, conceſſa maiori & minori, diſtinguendum eſt conſequens: in ea, abſtrahendo ab illa perſeuerantia, concedo conſequentiam; inuoluendo ipſam, nego conſequentiam, & dico concluſionem intelligi debere ſuppoſita hac acceptione fœlicitatis de illa perfectione perſeuerante vſque in finem.

Si vero capiatur ſecundo modo neganda eſt minor; nam de ratione ipſius eſt tantum facere fœlicem quamdiu eſt; & non eſt inconueniens quod quis ſit fœlix pro aliquo tempore, & poſtea miſer, ſicut poteſt quis eſſe miſer pro aliquo tempore, & poſtea fœlix, in quo non poteſt eſſe difficultas alia, niſi de nomine.

## CONCLVSIO. III.

Fœlicitas potiſſimū in habitibus virtutum eſt collocanda.

35. *Nihil acquiſibile per ipſum hominem & dependens ab ipſius ſolius diligentia magis conducit ad hanc perfectionem acquirendam ac ad perſeuerandum in ea, quam habitus virtutum earumdem exercitio acquiſiti. Vnde ſi fœlicitas in actu primo capiatur pro illa perfectione, quæ dependet ab ipſomet homine, & habet vim inclinatiuam voluntas ad habendum huiuſmodi volitionem ac perſeuerandum in ea, collocanda erit in habitibus acquiſitis virtutum.* Hæc etiam eſt conformis communiſſimæ ſententię collocanti fœlicitatem in virtutibus.

*Probatur prima pars* quia certum eſt habitus virtutum habere vim inclinatiuam ad illum actum, quo quis velit

sua sorte esse contentus modo prædicto, & ad temperandas, vel extinguendas passiones, quibus à tali volitione retrahimur; nec aliud bonum viribus nostris acquisibile, & à nobis solis dependens assignari potest, quod magis ad hoc, aut æque conducat; Hoc autem supposito secunda pars patet ex terminis.

*Dices*, æque posset quis induci ad huiusmodi actum si donaretur bonis cõpetentibus, liberaretur malis affligentibus & impediretur per considerationes bonas ab aliorum bonorum ambitione: ergo felicitas non est potius constituenda in habitibus virtutum, quam in hoc.

*Respondeo primò*, distinguendo consequens: felicitas dependens ab ipso solo homine, nego consequentiam; quia donari talibus bonis, & liberari à malis non est dependens ab ipsismet hominibus, nam quamuis adhiberent summam diligentiam, posset fieri quod grauarentur malis, & non consequerentur bona huiusmodi; felicitas alia aliqua, transeat consequentia, quia de illa non agimus.

*Respondeo secundò*, negando suppositum antecedentis, hoc est quod quilibet soleat donari talibus bonis & liberari à malis; & quamuis aliquibus illa sors contingat, tamẽ loquimur hic de felicitate, quã omnis generis ac status homines possunt prætendere; vnde distingui potest consequens; felicitas aliquorũ hominũ transeat, omnium cuiuscumque status, nego consequentiam.

*Respondeo tertiò*, nullas considerationes aut possessionem vllorum bonorum ac carentiam malorum posse æque continere hominem ab inordinata ambitione aliorum bonorum ac habitus virtutum.

## CONCLVSIO. IV.

Quis esset felicior in hac vita fælicitate naturali.

36. *Felicior est status eius qui cum prædicta perfectione habet alia bona ordinate desiderabilia, & caret malis, ad quæ arcenda posset ordinate applicare media opportuna, si id esset in sua potestate, quàm qui sola illa perfectione gauderet; & quo plura talia bona haberet, & malis careret, eo adhuc felicior esset, non tamen felicitate à seipso totaliter dependente.* Hæc debet esse meo iudicio communis & iuxta Philosophum primo Moralium contra Stoicos & plures alios, qui alia bona non putabant spectare vllo modo ad felicitatem, nec mala obesse.

*Probatur* autem, quia alia bona ordinate volibilia, aut quatenus delectabilia, aut quatenus vtilia, aut quatenus spectantia ad integritatem naturæ humanæ sunt perfectiones conuenientes homini: ergo reddunt ipsum feliciorem quam esset sine illis, deinde dolores & cruciatus per se non sunt bona, sed mala saltem physica: ergo felicius est, illis carere quam affici, si secundum se præcise spectentur, quod si hic & nunc essent media ad perfectionem vllam desiderabilem, ac necessariam, aut magis appetibilem quàm est earum carentia, tum earum carentia non esset ordinate appetibilis.

*Adde* nullum prorsus esse fundamentum oppositæ sententiæ, quod vel speciem probabilitatis habet.

*Dixi autem in conclusione: non tamen felicitate à se ipso totaliter dependente*, quia non est in manu hominis illa habere cum vult, etiam adhibita quacumque industria; sed pendet eorum consecutio ab aliis causis, vt patet de honoribus, dignitatibus, diuitiis, valetudine, integritate membrorum, nobilitate, bono ingenio ac indole, & similibus.

## CONCLVSIO V.

In quo sẽsu felicius est habere alia bona quam virtutes.

37. *Loquendo de felicitate naturali, prout abstrahit ab ordine seu respectu ad vitam futuram & etiam à dependentia quam habet à nostra potestate, maior felicitas est eius, qui bonis ordinatè desiderabilibus tam corporis quam fortunæ, absque malis valde affligentibus gaudet, quam qui virtutibus quibuscunque ordinarie acquisibilibus gaudet & vexatur malis valde affligentibus vt infirmitatibus grauibus, torturis fame maxima, aut siti, ac similibus, considerato eo tempore quo durant vtraque.* Hæc est contra eosdem Stoicos & patet quia, vtcumque per virtutes animum compositum habuerit, non potest fieri quin grauissime sentiat illa mala, aliàs talia non essent; nec esset tam insignis virtus, qua fieret vt quis patienter ea ferat: nec, vt supponitur, absque illis virtutibus cum bonis aliis, & absque malis affligentibus huiusmodi, quis tam grauiter affligitur: ergo huius status pro illo tempore, quo durat, est optabilior etiam secundum rectam rationem, quàm illius, apparet enim euidens ex terminis quod melius est carere malis talibus secundum se consideratis, quàm iis affici; nec est probabile quod voluptas orta ex virtutibus, dum sint præsentia talia mala, sit maior quam ipsius, qui talibus malis caret & habet alia bona delectabilia, quidquid dicant speciose magis, quam vere Stoici.

*Dixi autem*: quod melius est carere talibus malis secundum se consideratis quàm iis affici, quia si considerarentur illa mala, vt essent media ad confirmandum hominem in virtute, ex quo fieret, vt pro alio tempore quis liberaretur illis malis; & absque illis vel alia bona acquirere, vel sola voluptate virtutis gauderet, tum esset melius iis pro tempore affici, quam non affici: sed hoc non esset respectiue ad illud tempus, quo afficeretur malis, sed ad aliud tempus quo non afficeretur illis.

Quod si etiam habituatus virtutibus pro paruo tantum tempore deberet gaudere bono virtutis aut solo aut simul cum aliis bonis, & pro longissimo tempore afficeretur malis, profecto melius esset ipsi per totum illud tempus gaudere aliis bonis dictis sine virtutibus, & malis.

38. *Vnde infero* statum cuiuscunque hominis, etiam plebei, gaudentis per integram vitam bonis dictis absque malis affligentibus, aut aliis perturbationibus internis valde cruciantibus, feliciorem esse statu Philosophi instructi quibuscumque virtutibus ordinarie acquisibilibus, & afflicti dictis malis, per integram, aut maiorem partem vitæ.

*Infero secundo* quod cum quis ordinate posset depellere mala præsentia aut imminentia, aut acquirere bona, imprudenter eum facere, si id omittat, etiamsi intenderet obfirmare se contra mala, quæ possent accidere & non possent impediri; quia satius esset, naturaliter loquendo & sine respectu ad vitam æternam, mala præsentia depellere & bonis ordinate gaudere, quàm cum tanto detrimento præparare se ad mala, quæ fortassis nunquam acciderent, & id quæ ferenda cum accideret, posset se præparare æque ac tum faceret cum nollet præsentia mala auertere.

Et hæc de felicitate ac beatitudine, quatenus ratione naturali considerabilis est, absque ordine ad futuram vitam sufficiant, cuius consideratio Christianis credentibus vitam æternam paruæ debet esse vtilitatis, quia huius vitæ felicitatem collocare debent in iis rebus potissimum, quibus acquiritur vita æterna, vt in operibus bonis factis ex gratia, quibus eandem vitam promeremur.

# DISPVTATIO II.

## DE ACTIBVS HVMANIS VT SIC.

VIA nihil dependens à nostra cooperatione magis conducit ad felicitatem siue naturalem huius vitæ, siue supernaturalem alterius consequendam, quam actus boni, & nihil eius consecutionem magis impedit quam actus mali, ad hanc scientiam spectat sine dubio agere de his actibus; sed quia illi tam inter se quam cum actibus in differentibus conueniunt in ratione actus humani, vt sic, ideo de iis secundum hanc rationem prius agemus, præmissis tamen aliquibus de ratione voluntarij, quæ cõuenit omnibus actibus humanis, & solet ab Authoribus considerari, & de inuoluntario ipsi opposito.

QVÆ

## QVÆSTIO. I.

*De voluntario vt sic.*

2. COmmunior descriptio volũtarij, de quo hic agitur, est, quod sit id, cuius principium est intra cũ cognitione finis, sed quia hæc descriptio patitur nonnulla difficultates examinatas in meo Commentario ad secundum dist. 40. nũ. 9. placet clarius ipsum describere.

## CONCLVSIO I.

Quid est voluntarium.

3. *Voluntarium vt sic est actus, quo quis appetitu tendit in obiectum propositum per cognitionem suam.* Hæc patet quia hæc descriptio competit omni, quod dicitur volũtarium in sensu, quo hic de eo agimus, & nulli alteri, & est facilis, ac nihil continens superflui: ergo est bona.

*Obycies primò* omissio pura libera est quid voluntarium, vt hic agitur de eo, & tamen non conuenit ipsi hæc descriptio; quia non est actus: ergo non est bona.

*Respondeo* negando minorem & distinguendo eius probationem; non est actus positiuus, cum non sit entitas positiua; concedo; non est actus interpretatiuus, seu potius quid æquiualens actui positiuo, quantum ad recedendum libere ab obiecto proposito, seu ad non prosequendum ipsum, nego probationem. Vnde per actum in descriptione positum, si eam velimus accommodare omni voluntario tam positiuo, quam negatiuo, debet intelligi actus, vel positiuus, vel æquiualens positiuo, modo explicato.

*Quod si dicatur* describi voluntarium positiuum tantum, obiectio non valet & negari debet consequentia, quia non est descriptum voluntarium commune omni voluntario quomodocunque, sed voluntario tantum positiuo.

Patet autem ex hoc non solum hominibus competere voluntarie agere, sed Deo, Angelis ac etiam Brutis; nec refert quod Bruta non habeant voluntatẽ, quæ videtur requiri ad voluntarie agere ex etymologia nominis; nam habent voluntatẽ aliquam, nam talis vocatur ab Augustino 5. Ciuit. c. 9. Prospero de vocatione gentiũ c. 2. Scoto in 3. d. 17. & aliis probatis Authoribus appetitus sẽsitiuus brutorũ, vnde negari debet maior replicæ.

Variæ diuisiones voluntarii.

*Porro voluntarium* hoc modo descriptum primo diuidi potest in voluntarium positiuum, quod formale vocatur, & in negatiuum quod interpretatiuum dicitur; quorum membrorum sensus ex dictis patet.

*Secundo* voluntarium positiuum seu formale diuiditur adæquatè in perfectum, cuius principium est voluntas rationalis, & quod reperitur in Deo, Angelis & hominibus, & in imperfectũ, cuius principiũ est appetitus sensitiuus, quodque reperitur in hominibus & Brutis.

*Tertiò* Voluntarium perfectum seu rationale diuiditur adæquatè in necessarium, & liberũ libertate indifferentiæ, quorum etiam membrorum ratio ex ipsis terminis patet, in quantum eorũ cognitio spectat ad hunc locum, & secundum membrum est, quod requitur ad actum humanum ac moralem, vt postea videbitur.

*Dixi autem*: liberum libertate indifferentiæ, & non liberum absolute, quia Scotistæ putant voluntarium necessarium posse esse liberum libertate, quam vocant essentialem; nam quamuis concedant Spiritum sanctum produci per voluntatem diuinã Patris ac filij necessario, putant tamen eum produci libere, & quia non possunt dicere, quod producatur libere libertate indifferentiæ, quia sic non necessario produceretur, sed simpliciter posset non produci; vocant libertatem, qua dicunt eum produci, essentialem; in quo sane puto non posse esse ipsis cum Thomistis oppositum asserentibus aliam quæstionem, quàm de nomine; sed quomodocumque, difficultas illa in Theologia examinari solet, & certum est diuisionem, vt à me proposita est, esse bonam ac adæquatam, nec est in controuersia.

5. *Rursus* diuidi solet voluntariũ liberum libertate indifferentiæ in voluntarium directum & indirectũ. Directũ est, quo quis directe & positiue rendit in aliquod obiectum vel prosequendo vel fugiendo ipsũ. Indirectũ autem voluntarium est, quo quis prosequitur vel fugit aliquod obiectum secundum aliquam considerationem solummodo ex eo, quod fugiat vel prosequatur ipsum directe ob aliam rationem. In hoc sensu quando quis appetit obiectum positiue ob delectabilitatem, v.g. cibum, aut comestionem, in quo obiecto cõsiderat inhonestatem, ex eo scilicet quod esset prohibitum, & quãdo non appeteret ipsum ob inhonestatem, quã posset desiderare abesse ab ipso, voluntarie directe tenderet in cibũ, vt delectabilem, & indirecte tenderet in ipsũ vt inhonestũ; & hic sensus, qui est facilis, mihi videtur magis proprius sensus voluntarij indirecte quam sequens, qui est tamen apud Theologos satis frequens in vsu, in quo indirecte quis dicitur tendere in obiectũ aliquod, quando proponitur ipsi sub ratione appetibili, & vel per puram omissionem liberam omittit ipsius prosecutionem, vel positiue prosequitur aliud obiectum actu, quem concomitatur omissio istius obiecti. Sic quando proponitur audiendum sacrum, & voluntas vel per puram omissionem non vult audire, vel positiue vult manere domi, vbi non possit audire sacrum, indirecte dicitur nolle audire sacrum. In quo in re ipsa nulla potest esse difficultas. Sed est tamen in controuersia, an ad hoc vt omissio huiusmodi dicatur libera libertate indifferentiæ, de qua agimus, requiratur præceptum de non omittenda re omissa; verbi gratia an ad hoc quod omissio sacri, quod possit voluntas velle audire, habita absque nolitione directa sacri, vel sine vllo actu, vel cum actu quo directe prosequeretur aliud obiectum, sit ipsi voluntaria voluntarietate libera indifferentiæ, requiratur præcipi ipsi auditionem sacri. Pro cuius controuersiæ decisione sit.

Quid vo. luntarium directũ & indirectum.

## CONCLVSIO II.

6. *Vt omissio talis sit libera, non requiritur præceptum* Ita Scotistæ communiter cum multis aliis contra Thomistas strictiores communiter 1. 2. q. 6.

Ad libertatẽ omissionis nõ requiritur præceptũ.

*Probatur* breuiter hic, relinquendo fusiorem probationem ad Commentarios meos, dist. 40. num. 16. quia ex definitione liberi sufficit quod egrediatur à volũtate tum cum possit cum iisdẽ prærequisitis non egredi; sed in casu nostro omissio illa, siue pura, siue non pura, egreditur à volũtate, quamuis non esset nec præceptum, nec consilium de re omissa ponenda, tum cum posset nõ egredi, positis iisdẽ prærequisitiis: ergo esset libera.

*Confirmatur*, quia si haberet nolitionem directam rei omissæ sine præcepto aut consilio de ea ponenda, nolitio illa esset libera secundum Aduersarios: ergo idem dicendum de omissione, de qua agimus. Probatur consequentia quia ideo nolitio esset tum libera, quia exiret à voluntate cum posset non exire: ergo si omissio etiã exit, cum possit non exire erit libera.

*Obijciunt* Aduersarij. Si omissio illa esset libera absq; præcepto, deberet esse aliquid in voluntate in actu secundo, quod non fuit in ipsa in actu primo, ratione cuius diceretur libere exercere suam libertatem: sed nõ haberet in casu: ergo omissio non esset libera.

*Probatur* minor quia tum nihil habet præter omissionem habuit autem omissionem in actu primo.

*Respondeo primò*, hoc argumentum probare etiam contra aduersarios, quod omissio non esset libera, quãdo esset præceptum, quia tum nihil esset in actu secũdo, quod non esset in actu primo magis, quam quando nõ esset præceptum.

*Respondeò secundò*, quando omissio esset mediante actu positiuo, quo quis directe tenderet in aliud obiectum, negando minorem; quia tũ esset actus ille positiuus, & omissio sequens, quæ non essent in actu primo; vnde patet hoc argumentum nihil probare de omissione sequente ad talem actum.

*Respondeo tertiò*, loquendo de omissione pura, negãdo minorem quia in casu, quo non esset præceptum & haberetur omissio, haberetur omissio in actu secundo pro posteriori natura ad ipsam voluntatem vt consideratam in actu primo; in actu autem primo non haberetur omissio pro posteriori natura. De quo plura in Commentario supra, num. 19.

7. *Ex hac autem conclusione* sequitur quod omnis euentus, qui præuidetur secuturus omissionem, siue puram, siue non puram, sit tam liber voluntati, non posito præcepto, quam eo posito, quia prorsus nihil facit ad libertatem ipsius positio præcepti, quamuis faceret ad imputabilitatem; & quia ideo non esset liber non posito præcepto, quia non esset tum fundamentum sufficiens ad interpretandum, quod egrederetur à voluntate, esset autem tale fundamentum, quando adesset præceptum: hoc autem est falsum, quia præuisio ipsius secuturi, & indifferentia voluntatis ad ipsum impediendum esset tam sufficiens fundamentum ad id interpretandum quam præceptum.

*Sed contra hoc obijcies*, ex Vasq. & Corneio oppositum tenente in Tractatu de Actibus humanis: Euentus sequens ad omissionem non est à voluntate, vt à causante ipsum; nec physice, nec moraliter absq; præcepto: ergo non est liber. Probatur antecedens quia non physicè, cum omissio qua mediante sola esset ab ipso non habeat influxum physicum in illum effectum seu euentum; non etiam moraliter quia non esset aliqua causa, ob quam haberet moralem connexionem cum ipso.

*Respondeo* negando antecedens, esset enim tam physice, aut moraliter tum, quam si esset præceptū. Itaque esset physice ab ipso tanquam à non impediente physice, & esset moraliter ab ipso, quia præuideret euentum futurum, & posset impedire ipsum, sed nollet.

*Obyciunt ydem secundò*, quod sequeretur peccata nostra esse libere & voluntarie à Deo, sed hoc est inconueniens.

*Respondeo* distinguendo maiorem indirecte & permissiue concedo, nec id est incoueniens, sed certum; alio modo & præsertim culpabiliter, nego maiorem, & iam negaui ninorem in sensu, in quo concessa est maior.

## QVÆSTIO II.

### *De inuoluntario ex necessitate, impedimento, coactione & violentia.*

8. VT melius intelligatur ratio voluntarij solét agere Authores de inuoluntario, quos placet in hoc sequi.

### CONCLVSIO I.

Voluntas potest impediri ab actibus suis elicitis ac imperatis.

*Voluntas potest impediri ab actibus suis tam elicitis quam imperatis & tum omissio illorum actuum esset ipsi inuoluntaria ex impedimento secundum se formaliter, licet posset esse voluntaria obiectiuè, vt si haberet volitionem aliam qua esset contenta, quod esset talis omissio.* Conclusio hæc est communis.

*Probatur prima pars*, quia si Deus impediret cognitionem phantasticam & intellectiuam, non posset appetitus sensitiuus appetere, nec voluntas velle; & si permitteret illas cognitiones & non vellet concurrere cum illis potentiis, nō possent elicere suos actus: ergo in vtroque casu impedirentur ab actibus suis ellcitis. Deinde si quis inuitum teneret in sessione, non posset stare: ergo possent impediri volūtas & appetitus ab actu imperato, qualis est sessio, & idem est de reliquis similibus, in quo non est difficultas.

Tum omissio eorum non esset voluntaria formaliter.

*Probatur secunda pars*, quia tum omissio illa sequens ob illud impedimentum non esset ipsi voluntaria formaliter, nec voluntarietate libera, quandoquidem necessitaretur ad ipsam, nec posset eam non habere; nec etiam voluntarietate vt sic, aut voluntarietate necessaria, quandoquidē non egrederetur effectiue ab ipsa voluntate, sed sequeretur ad impedimentum illud, quod non poneretur à voluntate, sed ab alia aliqua causa; ad hoc autē vt esset voluntaria formaliter, deberet ab ipsa voluntate vel directe, vel indirecte procedere effectiue.

Posset esse voluntaria obiectiuè.

*Probatur denique tertia pars*, quia posset voluntas esse contenta illa omissione, sicut potest quis esse contētus infirmitate, quā nequit deponere; sed tum esset volūtaria obiectiue, hoc est voluntariè volita, sicut obiecta volita dicuntur voluntaria per hoc ipsum, quod terminant volitionem, quamuis non ponantur per volitionem.

### CONCLVSIO II.

Voluntas potest cogi, necessitari, & violentari quoad actus imperatos

9 *Potest voluntas quoad actus imperatos necessitari, cogi, & violentari.* Hæc est etiam communis.

*Probatur* quia potest quis nolēs impelli ad sedendū, vel standum, vel porrigendum manum, & posset contra suam inclinationem naturalem proijci sursum; sed tum necessitaretur, quia non esset in manu ipsius id impedire, & cogeretur, quia induceretur ad aliquid, quod esset contra ipsius inclinationem elicitam, quandoquidem vt supponitur, nollet illos actus fieri, quod est cogi iuxta acceptionē, qua plurimi vtuntur; & denique necessitaretur ad aliquid contra inclinationem naturalem, quando proijceretur sursū, quod est violentari, vt hoc significat aliquid à necessitate præcise, & à coactione distinctum.

*Addo* autem in his casibus, quod magis spectat ad propositum, quando necessitaretur voluntas siue cū coactione, siue cum violentatione, siue quocumque modo ad huiusmodi actus independenter à sua libertate, quod tum actus, ad quos necessitaretur, essent ipsi inuoluntarij inuoluntarietate indifferentiæ; si tamen necessitaretur dependenter à volitione, quam necessario haberet, non essent ipsi inuoluntarij inuoluntarietate vt sic, quia tum essent voluntarij voluntarietate vt sic, in quo non est difficultas.

### CONCLVSIO III.

Quomodo Deus potest necessitare voluntatem ad actus elicitos.

10. *Deus potest necessitare voluntatem ad actus elicitos producendo illos in voluntate se solo, illa mere passiue se habente, & tum essent inuoluntarij tam inuoluntarietate vt sic, quam indifferentiæ non tamen potest necessitare ad illas voluntate effectiue simul concurrente.* Prima & tertia pars probata est 3. *p. Cursus* disp. de voluntate quæ hic non placet repetere. *Probatur secunda pars*, quia non procederent à voluntate effectiue: ergo non essent ipsi voluntarij vllo modo.

### CONCLVSIO IV.

Nequit voluntas cogi aut violentari ad actus elicitos.

11. *Non potest voluntas violentari ad actus elicitos, nec cogi etiam.* Probatur, quia vt violentaretur, deberent illi actus esse contra inclinationem naturalem ipsius: sed non sunt, vt patet: ergo nequit violentari. Vt cogeretur etiam proprie, vt hic loquimur de coactione, deberet produci in ipsa aliquid contra inclinationem efficacem elicitam ipsius & sic cū haberet nolitionem efficacem faciendi aliquid, deberet necessitari ad volitionem efficacē id faciendi, aut è contra: & sic haberet simul nolitionem & volitionē efficacem eiusdem, quod supponitur communiter repugnare. Si tamen non repugnaret, posset cogi voluntas ad actus elicitos per diuinam potentiam. Quod si etiam sufficeret ad coactionem, quod quis necessitaretur ad volitionem obiecti, cuius haberet nolitionem inefficacē, cum huiusmodi possit cōpati formaliter cum volitione efficaci, non potest esse dubium quin posset volūtas cogi, modo posset necessitari.

*Aduerto autem* ad præsens parum referre an voluntas possit violentari, aut cogi, prout hæc dicunt aliquid supra necessitatem; sed totum quod facit ad rem est, an possit necessitari; nam actus ad quos necessitabitur, siue cogatur ad illos aut violentetur, siue non, erunt inuoluntarij inuoluntarietate indifferentiæ, quod per se facit ad propositum.

## QVÆSTIO III.

### *De inuoluntario ex metu.*

*SVppono* metum esse ægritudinem illam, quæ sentiri solet, quando iudicatur malum aliquod imminere, sed cum omnes quid sit intelligant, non est opus in eo describendo hærere. Distinguitur autem communiter in metum cadentem in virum constantem, & in eum qui non cadit in talem, sed in virum imbecillioris animi; ille est qui causatur à malo, quod prudenter & honeste præferri debet malo alteri, quod ob metum fit; hic vero qui non est talis.

CON

## CONCLVSIO I.

Actus eliciti ex metu quocunque sunt voluntarii simpliciter.

12. *Actus quos elicit, aut imperat voluntas ex metu quocunque, sunt voluntarij simpliciter, hoc est sufficienter ad hoc vt possint esse peccaminosi, aut boni; licet aliquãdo sint inuoluntarii secundum quid.* Hæc est communis & *probatur prima pars*, quia non obstante metu quocumque, non priuante præsertim vsu rationis, de quo non loquimur, posset ponere actionem, vel non ponere; hoc autem sufficit ad hoc vt sit voluntarium simpliciter in sensu explicato: ergo.

Possunt esse inuoluntarii secundum quid.

*Probatur secunda pars*, quia aliquando actio, quæ procedit ex metu, fit cum magna displicentia facientis & quidem tali vt non esset eam facturus nisi ob metum; hoc autem est quod intelligimus per esse inuolũtariũ secundũ quid; *Dixi autem*, quod actio aliquando sit sic inuoluntaria, quia non est necessarium, quod fiat ita semper: nec enim esset talis, quando ex se absque metu esset indifferens & non curaret quis eam facere, si proponeretur ipsi. Aduerte autem hanc considerationem inuolũtarietatis secundum quid parum facere ad propositũ, ad quod sufficit cognoscere quod illæ actiones sint simpliciter voluntariæ ac liberæ, quod resolutum est in prima parte conclusionis: contra quam.

*Obijcies*, Ex Philosopho 3. Ethic. 1. nemo sponte. 1, voluntarie suarum rerum iacturam facit: ergo proijciens merces in mare ob metum submersionis non agit voluntarie simpliciter, & consequenter falsa est illa prima pars conclusionis.

*Confirmatur*: quia suscipiens baptismum ob metum non esset rite baptizatus; nec cõtrahens Matrimonium ob metum esset rite matrimoniatus: sed huius non est alia causa, quàm quod consensus eorum non esset simpliciter liber: ergo.

*Respondeo* explicando Philosophum, qui vult tantum quod nemo sponte faciat iacturam suorum bonorum nisi ob aliquod aliud bonum; vel quod non faciat iacturam sponte hoc est absque renitentia. Vnde negatur consequentia.

*Ad confirmationem Respondeo* Baptismum valere, si habeatur consensus internus verus, etiamsi metu extorqueretur.

Quod si Matrimonium metu initum cum consensu vero interno alias sufficiente, non valeat in foro interno, in quo cognoscitur ille consensus verus adesse, hoc non erit ob defectum consensus vere liberi; sed ex eo quod vlterius requirantur ad consensũ matrimonialem aliæ circumstantiæ, sicut post Con. Trid. requiritur præsentia Parochi, quarum conditionum vna merito posset esse, quod consensus non esset extortus metu saltem graui & ex natura sua vehementer impellente.

Nullius metus excusat à peccato.

*Hinc patet* metum non excusare à peccatis factis ob metum, vnde ob metum nullum licet mentiri, aut fornicari, aut negare fidem. Fieri tamen posset vt aliqua essent prohibita sine metu, quæ non prohiberentur posito metu, sic est prohibita omissio auditionis sacri die festo, si non sit metus mali magni, quæ non est prohibita, posito tali metu.

## QVÆSTIO IV.

### *De Inuoluntario ex concupiscentia.*

PEr concupiscentiam intelligitur affectio illa grata, quæ sentitur ad propositionem boni delectabilis, & habet vim alliciendi voluntatẽ ad prosecutionẽ ipsius & ad applicãda ad hoc media, & quæritur an actio quæ fit ex antecedẽti huiusmodi cõcupiscẽtia sit inuolũtaria.

## CONCLVSIO.

Quod fit ex concupiscentia est voluntarium simpliciter.

13. *Quod fit ex concupiscentia quacunque antecedenti non præripiente vsum rationis sit voluntarie simpliciter, quamuis possit dici aliquando fieri inuoluntarie secundum quid.* Hæc est communis & patet prima pars, quia nulla talis necessitas impellit voluntatem sic, quin physice possit non agere: ergo quod fit ex illa est voluntarium ac liberum simpliciter. *Probatur 2. pars*, ex dictis paulo ante de factis ex metu, quia prorsus est eadem ratio aliquando, vt cum quis ex concupiscentia alicuius boni applicat medium aliàs displicens, verbi gratia si quis interficere vellet filium ex concupiscentia honoris vani.

Potest esse inuoluntarium secundum quid.

## CONCLVSIO II.

Concupiscentia auget voluntarium in vno sensu, minuit in alio.

14. *Concupiscentia auget voluntarium secundum conceptum voluntarietatis, in quo non inuoluitur ratio libertatis; minuit vero ipsum secundum conceptum voluntarietatis liberæ.* Hæc est communis, & patet *prima pars*, quia quod fit ex concupiscentia fit cum maiori propensione & minori cum renitentia ex natura rei, & in casu, quo non supponerentur habitus diminuentes allicientiam ipsius, loquor autem de eo, quod fit directe & primo ex concupiscentia; nam si loquamur de mediis applicatis ad consecutionem finis desiderati ex concupiscentia, posset fieri quod non augeret voluntarium in hoc sensu, magis quam metus, quia vt dixi conclusione præcedenti illa possent applicari cum æquali difficultate ac renitentia voluntatis. *Secunda pars patet*, quia posita concupiscentia magis determinatur voluntas ad vnam partem, & sic minus indifferens ad vtramque est, quod est ipsius libertatem minuere.

*Hinc patet* quando metus dicitur minuere voluntarium & concupiscentiam augere, hoc debere intelligi, non de voluntatietate indifferentiæ, sed de alia; & præterea id debere intelligi quoad illa, quæ directe quis facit ex concupiscentia & metu; non quoad omnia quæ simul ex concupiscentia, quia tam inuoluntarie applicantur aliqua media ad consecutionem alicuius finis concupiti, quam quis ex metu proijcit merces in mare, sed & hæ etiam considerationes paruæ sunt vtilitatis ad propositum.

## QVÆSTIO V.

### *De innoluntario ex Ignorantia.*

Ignorantia triplex

TRiplicem considerãt Authores ignorantiã, antecedentem, concomitantem, & subsequentem. *Antecedens* est negatio cognitionis, ob quam fit actio, quæ aliàs si adesset cognitio non fieret: talem habet, qui interficit hominem, quem putat esse feram, & quem non interficeret, si cognosceret quod esset homo, *Concomitans* est negatio cognitionis habita dum quis operatur, quæ tamen non est causa cur fiat actio, quia quamuis haberetur cognitio, adhuc fieret actio; Talem habet, qui interficit hominem, quem existimat esse feram, & quem tamen interficeret, si cognosceret ipsum esse hominem. *Subsequens* est, quam quis intendit, quatenus posset eam non haberet, si vellet, & id omisit data opera, meoque iudicio melius vocaretur libera, quia sic ex nomine magis pateret eius natura.

## CONCLVSIO I.

Ignorantia antec. dens facit vt actus non sit voluntarius.

15. *Ignorantia antecedens facit, vt actus non sit voluntarius quatenus tendit in rationem ignoratam, & si quis habuit volitionem actualem aut habitualem moraliter manentem in ipso, qua nollet tendere in illam rationem, actus, vt tendit in illam rationem, est inuoluntarius; si vero non habet talem nolitionem, actus non est inuoluntarius vt tendit in illam.* Hanc puto in re esse communem, & patet *prima pars*, quæ sine dubio est communis, quia vt sit voluntarius debet esse ex eognitione: non est autem: ergo non est voluntarius. Probatur *secunda pars*, quia actum esse inuoluntarium est esse contra inclinationem operantis, est autem talis in casu: ergo. Probatur denique tertia pars, quia tum non est contra inclinationem vt patet.

Non tamẽ sẽperquod sit inuoluntarius.

## CONCLVSIO II.

Actus procedens ex ignorantia concomitante non est voluntarius nec inuoluntarius.

16. *Actus procedens ex ignorantia concomitanti non est voluntarius nec inuoluntarius: non est tamen peccaminosus, quamuis esset talis, si fieret sine ignorantia.* Probatur prima pars, quia non fit ex cognitione. Probatur secunda pars quia non est contra inclinationem voluntatis quæ supponitur inclinationem habere, vel actualem vel habitualem ad ipsum eliciendum. Probatur denique tertia pars, quia eatenus esset, quatenus procederet à mala inclinatione, sed non procedit: tam enim procederet, si non esset illa, quam si esset, vt patet.

## CONCLVSIO III.

Quod fit ex ignorantia concomitanti est liberum non proxime, sed in causa.

17. *Quod fit ex ignorantia subsequenti, seu libere volita est voluntarium in causa, non tamen proxime.* Hæc est communis & patet *prima pars* quia causa ipsius est libera, ergo & illud est libere volitum in causa.

*Secunda pars*, etiam patet, quia quis proxime non potest determinare se supposita ignorantia ad velle aut non velle. Et hæc de Inuoluntario sufficiant.

## QVÆSTIO VI.

*Quid est actus humanus & moralis & an dentur.*

18. OMissis variis acceptionibus huius vocis *humanus* quæ secundum etymologiam nominis dicitur ab homine iuxta quas multiplici sensu accipi posset actus humanus, explicabo ipsum in eo sensu, quo spectat ad propositum, & in eodem sensu explicabo actum moralem, omissis similiter variis acceptionibus eius.

## CONCLVSIO. I.

Quid actus humanus, & cur sic dictus.

19. *Actus humanus, vt hic de eo agitur, est actus liber, & propterea ille, qui est liber, humanus dicitur, quia procedit ab homine modo quodam particulari, nempe libertate indifferentiæ, quo non procedunt, aliæ actiones nec nec ab ipso, nec ab alys rebus.* Hæc in re est communis & patet prima pars ex communi Authorum sensu qui solos liberos actus vocant humanos in hoc Tractatu, qui sane consensus sufficit pro probatione in re, in qua non potest esse alia quæstio, quam inutilis de nomine.

*Probatur secunda pars* quia debet esse aliqua ratio ob quam huiusmodi actiones liberæ vocantur humanæ potius quam aliæ actiones, etiam hominis quæ non vocantur humanæ, vt hic agitur de actibus humanis: sed alia ratio melior assignari nequit quam specificata in conclusione: ergo Probatur minor, quia si aliqua, maxime quia soli homini, præsertim inter creaturas corporeas, competeret eas producere, sed illa non potest esse ratio, quia operationes intellectuales & discursiuæ soli homini inter tales creaturas conueniunt, & tamen non dicuntur sic humanæ: ergo.

*Obiicies contra primam partem*: satis probabile est bruta habere actus liberos & tamen nemo asserit eos habere actus humanos: ergo non bene describitur actus humanus esse ille qui est liber.

*Respondeo* in sententia communi, iuxta quam actus liberi dicuntur humani, Bruta non habere libertatem; vnde iuxta illam sententiam negari deberet maior.

*Respondeo secundò*, supposito quod Bruta haberent libertatem, intelligi debere conclusione non de quocunque actu libero, sed de eo qui & esset liber, præterea versatur circa obiectum propositum per rationē: hoc autem supposito distingui debet consequens: esse liber quomodocunque, trāseat; esse liber & tendens in obiectum propositum per rationem; nego consequentiam. Propterea autem non addebatur illa particula in descriptione, quia ex suppositione sententiæ communis negātis libertatem Brutis, non erat necessaria vllo modo, & admissa illa libertate, facile poterat intelligi.

*Obiicies secundò*, actus animæ separatæ & Angeli sunt liberi, & respicientes etiam obiectum propositum per rationem: sed non sunt humani: ergo non bene describitur actus humanus.

*Probatur minor* quia actus humanus, vt patet ex etymologia nominis dicit ordinem ad hominem; actus autem Angeli etiam liberi, & tendentes in obiectum propositum per rationem, non dicunt necessario ordinem ad hominem sic, quin possent esse, quamuis homo non esset possibilis: ergo non sunt humani.

*Respondeo* negando minorem, prout hic agimus de actibus humanis; & ad probationem.

*Respondeo* distinguendo maiorem: dicit ordinem ad hominē quantū ad hoc, quod debeat esse actus qui procedit ab eo, cuius est, sicut actus liberi hominis ab ipso procedūt, quantū ad libertatē & sequelā rationis, concedo; alium ordinem, nego maiorem & similiter distinguo minorem: actus Angeli non dicunt priorem ordinem, nego minorem; posteriorem, concedo minorem: & nego consequentiam.

*Responderi* posset secundo, supponendo quod actus humanus caperetur hic pro eo qui procederet ab homine, negando consequentiam; quia in descriptione supponebatur, quod facile intelligi poterat, actū humanum, qui describebatur, esse actū hominis & ponebatur expresse illud de quo dubitari poterat. Per quod etiam responderi posset aliter ad priorē obiectionē negando consequentiam; quia supponebatur, quod præterea esset actus hominis, qualis non esset actus Bruti quantumuis esset liber: quæ responsio est satis facilis.

## CONCLVSIO II.

Quid actus moralis & cur sic dictus.

20. *Actus morales hominis sunt actus liberi eius, & dicuntur morales, vt hic agitur de moralitate, quia ex modo, quo procedunt ab homine, habeant conditionem ob quam existimari solent particulari aliqua ratione digni laude, aut vituperio, si cætera adessent ad hoc requisita, quam alij actus hominis non habent.* Hanc etiam in re puto communem, quamuis non soleat sic proponi.

*Probatur autem prima pars*; quia omnes actus liberi hominis solent vocari morales vt hic agitur de moralitate, & nulli alii actus ipsius sic vocantur: ergo illi actus ipsius sunt dicendi morales.

*Probatur secunda pars*, quia non potest assignari melior ratio, ob quam dici debeant morales potius quam alij actus, qui non vocantur morales, & quia hæc ratio sufficit.

Dixi autem: *si cætera adessent ad hoc requisita*: quia actus indifferens liber non existimatur dignus laude & vituperio, & tamen vocatur moralis, quia ex modo quo procedit à potentia, hoc est libero, habet tam bene rationem ob quam sic deberet existimari, quam alii act⁹; & tamen non existimatur talis, quia deest ipsi tendētia in bonum honestum aut malū inhonestum. *Et per hoc* patet obiectionem, quæ posset proponi contra conclusionem: nempe quod actus indifferens sit moralis & tamen non habeat rationem, ob quam existimetur dignus laude aut vituperio, nec præmio aut pœna.

*Respondeo* enim quod habeat illam rationem, quantum ad modum quo procedit à potentia; & quod propterea non sit dignus alterutro, quia desunt alia requisita, nempe tendentia in bonum aut malum, vt supra dixi.

Non ab eadem ratione formali habet actus esse liber & morale.

*Hinc habentur*, quod quamuis realiter idem sit actum hominis esse moralem ac esse liberum, tamen sub alia & alia consideratione dicatur liber & dicatur moralis; nam liber dicitur, vt procedit à potentia potente ipsum ponere vel non ponere, positis omnibus per se prærequisitis ad ipsius positionē; dicitur vero moralis, vt dicit ordinem vel formalem vel fundamentalē ad existimationem illam laudis aut vituperii, seu ad ipsam laudem vel vituperium, quod perinde est quantū ad propositū.

## CONCLVSIO III.

Dantur actus humani & morales.

21. *Dantur actus humani & morales in sensu iam explicato* Hæc est extra controuersiam apud omnes tam bonos Philosophos quam Christianos & probatur, quia homines habent actus liberos: sed illi actus ex dictis sunt humani & morales in sensu explicato: ergo.

Maior, in qua sola est difficultas, probata est abunde à me 3.p. *Cursus* mei & hic breuiter & sufficienter probatur tum experientia, qua cuique constat se multos actus elicere, quos posset non elicere positis iisdem omnibus principiis & conditionibus præuiis, quæ ponuntur quando elicit actum; tum etiam quia alias non deberemus reprehēdere eos, qui male faciunt tanquam facientes rem indignam sua natura, nec bene operantes moraliter laudare ac præmiare, tanquam qui fecerint rem sua natura dignam.

*Dices*:

*Dices:* contra hanc rationem, punimus bestias, quamuis putemus eas non agere libere, quando faciunt quod displicet: ergo ex eo, quod puniamus aut putemus aliquos dignos pœna, non sequitur quod libere operentur.

*Respondeo* neminem rationabiliter punire bestiã ob aliquam actionem habitam ex eo, quod iudicet ipsam dignam pœna ob illam actionem præcise, quasi ita agẽdo faceret aliquid indignum sua natura; sed punitur rationabiliter tantum, aut in ordine ad hoc, vt ipsamet castigatione permota abstineat deinceps à talibus actionibus, quæ malum aliquod aliis afferunt, aut vt, qui eius curã habere deberet, inducatur ad habendam curã eius ne talia committat deinceps; vnde in forma.

*Respondeo* distinguendo antecedens: ex eo, quod putemus illas facere aliquid indignum sua natura, nego; alio modo, cõcedo; & similiter distinguo consequens; ex eo, quod putemus illos dignos pœna, tanquam qui fecerũt aliquid indignũ sua natura, cum possent id non facere, nego consequentiã; alio modo concedo consequentiã. Fusiorem examinationẽ huius difficultatis remitto ad locum citatum, vbi etiã pro satisfactione curiosorũ explicaui à quo formaliter habeat actus qui est liber, esse talis, & *dico pro satisfactione curiosorum*; quia quantũ ad vtilitatẽ aliã omnẽ sufficeret cognoscere, quod omnes illi actus sunt liberi, qui procedunt à potentia, cum possent non procedere positis iisdem per se prærequisitis; à quocũque demum formaliter habeant illã denominationem, siue à sua entitate absoluta, siue à respectu aliquo sequente aut antecedente, siue à denominatione extrinseca desumpta à potẽtia quæ liberè eos producit.

An bruta habeant libertatem.

22 *Quæri hic solet*, an Bruta habeant libertatem; sed reuera parum hoc refert ad propositum; nam siue habeant aliquam, siue non, nullus vnquam somniauit, quod haberent libertatem sufficientem ad actum bonũ aut malum; quia ad hanc requiritur cognitio boni honesti, quam nemo ipsis vnquam adscripsit, nec vllũ indicium habetur, ex quo illis talem cognitionem aut libertatem competere colligi possit.

De alia autem libertate, quantum ad prosecutionẽ aut fugam boni delectabilis, aut mali incommodi, de qua solum dubitari potest.

*Respondeo breuiter* cum communiori sententia probabilius esse eam ipsis non competere, quia nec illius etiã sufficiens aliquod indicium habemus; omnes. n., quas in illis experimur, operationes, (ex quibus solis à posteriori colligi potest à nobis) sine illa haberi possent, & eodẽ modo quo nobis constat eas ab ipsis procedere: nã cum aliquando retinent se à prosecutione alicuius boni delectabilis, quod aliàs prosequũtur; aut cum amplectũtur illud, à quo alias fugiebant, id oriri posset absque libertate ex diuersa propositione obiecti, quod vno modo propositum posset necessario determinare ad prosecutionẽ & alio modo propositũ vel non determinare ad vllũ actum, vel determinare ad fugam.

# DISPVTATIO III.

## DE ACTIBVS MORALIBVS BONIS.

1 SOLET actus moralis vt sic, de quo præcedenti disputatione, diuidi in actum bonum, malum ac indifferentem: cuius diuisionis sensus ac sufficientia non potest constare, nisi declarando, quid sit actus bonus, & quid malus, & an detur actus indifferens, hoc est, qui neque bonus sit, neque malus.

Itaque prius agendum de actu bono, qualem dari, & & talem esse quemcumq; actum virtutis omnes concedunt; sed nõ adeo facile est explicare, quid sit, aut à quo habeat esse bonus formaliter, vt patet ex dictis in meo Commentario *in secundum distinct.* 40. *num.* 47. Vnde huc transferre breuiter placet, quod sufficiet ad vtrũque explicandum, omissis variis dicendi modis ibi fuse examinatis.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit Actus bonus moraliter.*

### CONCLVSIO I.

Quid est actus bonus moraliter.

2. *ACTVS bonus moraliter est actus liber habens decentiam quandam ac pulchritudinem seu perfectionẽ, ob quam apparet quod sit dignum homine ipsum elicere.* Probatur quia hæc ratio competit omni actui, qui de facto dicitur bonus moraliter, & non conuenit vlli actui, qui dicitur malus moraliter, aut indifferens; nec enim potest assignari vllus actus bonus, cui non competit; aut non bonus, cui competit: ergo est bona explicatio ipsius.

*Dices:* non esse vllam rationem, ob quam actus, qui vocantur boni, vt sunt actus virtutum, dicantur habere huiusmodi decentiam potius, quã actus indifferẽs, quo quis prosequitur cibũ dulcem ob merã delectabilitatem ipsius, quando non prohibetur eius prosecutio: ergo non bene describitur hoc modo actus bonus.

*Respondeo primò*, si verum esset antecedens, tunc non esse concedendum suppositum ipsius, nempe quod daretur actus indifferens ex natura rei, quamuis daretur ex opinione probabili.

*Respondeo secundò*, supponendo quod detur actus indifferens negando antecedẽs: nã imprimis à posteriori colligitur differentia aliqua ex eo, quod qui dicuntur boni existimentur communiter habere talem decentiam; actus vero, qui sunt indifferentes, non existimẽtur habere illam & ratio etiam forte à priori est, quod propter propensionem nostram ad bonum delectabile sensus, non videatur per se magni momenti aut decens particulariter hominem, qua homo est, illud appetere cum non sit bonum ipsius quoad partem rationalem, qua discernitur potissimum à bestiis.

### CONCLVSIO II.

Actus bonus debet procedere ex cognitione.

3. *Vt actus sit bonus formaliter, requiritur vt procedat ex cognitione, non tamen qua cognoscatur actus esse liber; nec qua cognoscatur reflexe, quod cognitio directa, qua proponitur obiectum actus seu honestas sit recta, nec consequenter qua cognoscatur bonitas formalis actus.*

Probatur prima pars, quia vt sit bonus formaliter debet esse moralis, & vt sit moralis debet esse liber, & consequenter voluntarius; talis autem nequit esse absque cognitione, vt omnes fatentur.

Non tamen quæ cognoscatur libertas actus, nec quod cognitio ex qua procedit sit recta.

Probatur secunda pars experientia communi, qua constat nos non aduertere, quando elicimus actus bonos aut malos, quod eliciamus illos libere, & quia gratis requireretur talis cognitio.

Per quod etiam patet tertia pars, quia si non debeat præcognosci libertas, non debet præcognosci bonitas formalis, quæ sine illo cognosci nequit.

### CONCLVSIO III.

Vt actus prosecutionis sit bonus debet cognosci quod obiectum sit bonum.

4. *Vt actus elicitus prosecutionis sit bonus formaliter, debet præcognosci, quod obiectum ipsius sit bonum bonitate obiectiua honesta*, hoc est bonitate aliqua quæ non est vtilis præcise, nec delectabilis præcise, sed distincta ab illis; *vt etiam actus fugæ sit bonus debet cognosci inhonestas obiecti.*

Hæc patet quoad priãm partem, quia vt actus bonus habeatur, debet proponi aliqua bonitas inuitans ad ipsum eliciendum, sed non sufficit bonitas vtilis præcise; nec bonitas delectabilis, quia actus habens obiectum cum tali bonitate posset esse malus: ergo requiritur cognitio alterius bonitatis.

Vt actus fugæ sit bonus debet cognosci inhonestas obiecti.

Probatur secunda pars, quia si non cognoscatur, non est ratio ob quam fuga ipsius sit bona bonitate honesta magis, quam ciuscumque alterius obiecti fuga; certum autem est multas alias fugas non esse bonas formaliter bonitate honesta, de qua loquimur.

## CONCLVSIO IV.

Quid preterea requiritur ad actum bonum.

5. *Ad bonitatem actus eliciti prosecutionis non sufficit quod cognoscatur bonitas ipsius obiectiua honesta : nec ad actum bonum fugæ sufficit cognoscere malitiam in honestam obiectiuam ; sed vlterius requiritur quod non videatur aliqua circumstantia mala ; & præterea quod ad prosecutionem moueatur ab ipsa bonitate obiectiua , & ad fugam ab inhonestate.* Hæc quoad primam partem patet, quia si videretur adesse circumstantia mala, non deceret naturam rationalem ; nec appareret honeste appetibile obiectum quod afficeretur tali circumstantia ; & hinc subuentio pauperis ex re aliena non est bona. Probatur quoad secundam partem, quia si moueretur quis ad subueniendum pauperi ob vnam gloriam, subuentio non esset bona ; & si quis retraheretur ab occisione hominis quam videret esse inhonestam, ob vanam gloriam, aut vt ex vita ipsius habere posset emolumentum ad male faciendum, non ageret bene.

*Ex his habetur* quid realiter requiritur vt actus sit bonus nempe quod producatur libere ab homine cognoscente bonitatem obiectiuam, si sit prosecutionis aut maliciam obiectiuam, si sit fugæ, absque vlla circumstantia mala, & moto ab ipsa bonitate aut malitia præcognita ; & hoc est quod vtile est ac necessarium cognosci ab omnibus, vt bene operentur. Agitari tamen, vt moris est apud speculatiuos, solet alia mihi semper visa curiosa, ac prope dixerim inutilis quæstio, in quo consistat ratio formalis constitutiua actus inesse boni formaliter, seu à quo formaliter habet esse bonus illa bonitate formali ; de quo etiam, ne his ipsis desim, quid ipse sentiam breuiter proponam.

## CONCLVSIO V.

Actus nõ habet esse bonus formaliter ab aliquo modo absoluto aut respectiuo sequente.

6 *Actus qui est bonus, non habet esse talis formaliter à modo aliquo absoluto superaddito , neque à respectu aliquo reali aut rationis sequente.* Hæc est contra quamplurimos Authores, quorum nonnulli tenent aliquam ex negatis in ea partem.

*Probatur autem* generaliter contra omnes ; quia actus ipse, qui est bonus, antecedit omnes modos & respectus sequentes, & vt sic antecedit, est bonus, tum quia non est malus, nec indifferens : nam si esset non sequerentur nec modi, nec respectus illi, sed alij diuersissimi, tum quia gratis & absque fundamento id negaretur.

*Confirmatur* quoad modum absolutum, quia non est indicium vllum nec experientiæ, nec rationis à priori aut posteriori, quod detur vllus talis ; vnde frustra omnino poneretur & contra commune axioma de non multiplicandis sine necessitate entibus.

*Confirmatur secundò* quoad respectum rationis, quia talis deberet poni in actu per considerationem aliquam intellectus aut potentiæ alicuius collatiuæ ; quamuis autem nullam haberet intellectus considerationem per quam poneretur, aut potentia collatiua vllum actum, adhuc actus esset bonus.

*Confirmatur tertiò* quoad respectum realem, quia ille etiam frustra superadderetur, & quamuis dicatur actus bonus habere conformitatem ad rectam rationem aut naturam rationalem aut legem, tamen hoc posset saluari absque respectu aliquo superaddito, quia ipsemet actus elicitus cum circumstantiis omnibus & conditionibus quas habet, quando est bonus, posset dici seipso esse sic conformis.

## CONCLVSIO VI.

A quo habet esse bonus formaliter

7. *Actus habet esse bonus formaliter ex suppositione suæ libertatis à formalitate illa , à qua habet tendere in obiectum bonum , si sit prosecutionis ; vel malum , si sit fugæ, proposium per cognitionem , quæ formalitas est intrinseca, actui ; vnde si libertas sit etiam intrinseca ipsi ; tota ratio formalis est intrinseca ipsi ; si vero non sit intrinseca sola bonitas formalis non est ipsi intrinseca ; sed partim extrinseca partim intrinseca.* Hæc patet quoad primam partẽ ; quia habet talẽ formalitatẽ, & nihil impedit quo minus dicatur esse ratio formalis cõstitutiua ipsius in esse boni formaliter, nec aliquid aliud assignari potest à quo habeat formaliter esse bonus.

An illud sit ipsi intrinsecum.

*Probatur secunda pars*, quia nihil requiritur vt sit bonus quam vt habeat illam formalitatem & libertatem : ergo si vtrumque sit ipsi intrinsecum, tota formalitas, à qua habet esse bonus, erit ipsi intrinseca.

*Probatur denique tertia pars*, quia vt sit bonus formaliter, præter illam formalitatem à qua habet tendere in tale obiectum, requiritur libertas, ergo si libertas sit extrinsecum quid ipsi, tota formalitas, à qua habet esse bonus, non erit intrinseca, sed partim extrinseca, nimirum illud, à quo habet esse liber, & partim intrinseca, nimirum illa formalitas, à qua habet tendere in tale obiectum sic propositum.

An autem illud, à quo habet esse liber, sit intrinsecum vel extrinsecum ipsi, patet ex dictis de libertate in disput. de Voluntate.

*Dices* ille idem physicus actus liber, quo quis vult subuenire pauperi ob gratitudinem, vel indigentiam ipsius, quando non prohibetur, est bonus ; & idem ille actus physicus si subuentio esset prohibita, esset malus : ergo supposita etiam libertate, non est intrinseca actui formalitas, à qua habet esse bonus ; & consequenter cõclusio est falsa.

*Respondeo* mihi satis probabile videri quod non possit idem actus elicitus esse bonus & malus pro diuerso tempore, quod declaro in eodem exemplo de subuentione pauperis ; nam vt ille actus sit bonus, debet quis moueri à bonitate honesta ad ipsum eliciendũ : si enim moueretur ex alia ratione mala aut indifferẽti, volitio illa nõ esset bona, sed mala vel indifferens : licet ergo, quãdo proponitur subuentio absque prohibitione, possit quis videre honestatem illius, & propterea moueri ad eam volendam, & volitio illa esset bona moraliter ; tamen quando postea cognosceretur prohibitio, non posset apparere bona, nec consequenter vt sic mouere ad volitionem honestam subueniendi ; vnde, si adesset volitio subueniendi cognita prohibitione, non esset illa ipsa volitio subueniendi, quæ erat ante ; quia illa habebat pro motiuo honestatem, altera non habet, sed aliud aliquid, vnde manifestum videtur quod non sit eadem numero aut specie volitio in vtroque casu.

*Quia tamen* multi, non improbabiliter forte, existimant eundem actum elicitum posse transire de bono ad malum & è contra.

*Respondeo aliter* concedendo antecedens & distinguendo consequens : non est intrinsecum absque connotatione alicuius extrinseci, concedo ; cum tali connotatione, nego. Itaque illa tendentia quam habet volitio subueniendi, supposito quod nõ prohibeatur subuentio, erit bonitas, eo vero non supposito, non erit bonitas ; vnde vt habeat denominare actum bonum, debet connotari negatio prohibitionis.

## QVÆSTIO II.

*Vnde desumitur bonitas specifica actus boni.*

A quibus dependet actus boni.

8. CErtum est, vt sunt varij actus boni, ita plures ex illis non tantum numero, sed specie etiam inter se distingui : hic ergo quæritur, vnde desumant suam specificationem ; Pro quo aduerto actum bonum dependere à persona quæ elicit ipsum ; modo, quo elicitur ; obiecto tam terminatiuo, quam motiuo, circa quod versatur ; loco & tempore ; in quibus elicitur ; fine extrinseco, ad quem ab operante ordinatur, & modis, quibus vtitur ad eius prosecutionem, quæ omnia vulgari versu hoc comprehenduntur.

*Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Quo versu per ly *quis* significatur persona, quæ agit, cuius sane cõsideratio omnino necessaria est, vt cognoscatur species actionis moralis ; nã si subueniens pauperi esset diues & cætera adessent necessaria, subuentio esset bona ; sint esset æque pauper ac indigens, aliisq ; magis prouidere teneretur, non esset bona. Deinde humiliatio in plebeio esset bona, quæ nõ esset in principe, & satisfactio Principis cæteris paribꝰ esset melior, quã plebei.

Per

Per *quid* denotatur obiectum, circa quod versatur operans, quod aliquando est actus imperatus, vt subuentio pauperis; visitatio infirmorum; aliquando non est actus, vt cum quis amat Deum.

Per *vbi* intelligitur locus, qui etiam est considerandus, quia actio quæ bene fieret in vno loco, posset esse mala in altero.

Per *quibus auxiliis* significatur conditio mediorum, quibus quis velit aliquid facere, vt si ex bonis propriis vel alienis subueniat pauperi; si interfecerit armis legitimis, aut illegitimis illum, quo cum pugnat.

Per ly *Cur* intelligendus est finis seu motiuum, quo quis ducitur ad operandum; quia vero contingit quod motiuum operantis sit coniunctum cum obiecto, circa quod versatur, vt cũ amat Deum ob suas perfectiones, aut cum subuenit pauperi ex eo, quod subuentio appareat bona; aliquando vero est extrinsecum illi obiecto, vt cum quis subuenit pauperi ob vanam gloriam, aut ad acquirendam gratiam.

Hic per ly *cur* posset vtrumque motiuum denotari, & certe vtrumque est considerabile & faciens multum ad mutandas species actionum.

Per ly *Quomodo* significatur modus, quo fit operatio, vt si magis aut minus libere; citius aut tardius.

Denique per ly *Quando* intelligitur tempus, vt si actio fiat die festo aut feriali; de die aut de nocte.

10. *Certum* autem est quod actio, vt sit bona, non debeat habere vllam circumstantiam inficientem; quia alias non esset bona; malum enim ex quocumque defectu; nec minus certum est, quod possit habere bonitatem aliquam ex omnibus his circumstantiis; seu capitibus, nã aliqua actio eo melior fieri potest, quo fit à meliori persona circa excellentius obiectum, decẽtiori loco, mediis magis proportionatis, finem nobiliorem, citius, ac etiã de die vel de nocte: sed tamen non debet semper sumere bonitatem ex omnibus his capitibus, aliquæ enim sunt actiones, ad quarũ bonitatem parum refert, quãdo eliciuntur, an scilicet de die vel de nocte, vt actus potissimũ interni; & sunt alii actus, qui non habent finem extrinsecum, nec indigent mediis distinctis à potentia; vt sunt actus eliciti voluntatis, quibus tendit in obiectum propter perfectionem ipsiusmet.

## CONCLVSIO I.

Bonitas substantialis actus sumitur ab obiecto.

11. *Bonitas substantialis actus sumitur ab obiecto in quod tendit.* Probatur, quia bonitas substantialis est illa, sine qua nequit esse, & cum qua sola posset esse bonus sine vlla alia: sed talis est quæ desumitur ab obiecto, in quod tẽdit tactus; nam nisi intelligatur esse bonũ tendere in obiectũ, non potest actus esse bonus, & si id intelligatur, & quis propterea velit tendere, actus erit bonus: ergo.

*Obiicies* 1. ab eo sumit bonitatem substãtialẽ, à quo sumit specificationem: at non ab obiecto, sed à fine extrinseco quandoque sumi specificationem: nam si quis vellet temperatè viuere ad conseruandam castitatẽ, ille actus esset speciei castitatis, non vero Temperantiæ.

*Respondeo* negando minorem: nam nisi bonum esset ferri in tale obiectum ob talem finem, actus non participaret bonitatem finis: vnde si quis vellet ob castitatem ieiunare cũ id prohiberetur ipsi, non eliceret actũ castitatis

*Obiicies secundò*, si bonitas substantialis actus desumeretur ab obiecto, omnis actus bonus deberet habere obiectum bonum, sed hoc est falsum, quia nolitio obiecti mali est bona, & tamen ipsum malum, quod est obiectum eius, non est bonum.

*Respondeo* breuiter negando maiorem in sensu proprio; nam soli actus prosecutionis boni debent habere obiectum bonum, actus vero boni habent obiectum malum, & à malo potest desumi ipsorum bonitas, quia ex eo, quod obiectum sit malum, apparet quod fuga ipsius, qua tale est, sit bona.

*Verum quidem est*, quod omnis actus bonus debet habere obiectũ, circa quod bene quis possit habere actum talem, & si hoc esset, obiectum esse bonum posset quis admittere, quod omnis actus bonus haberet obiectum bonum; sed modus ille loquendi videtur improprius valde, eo tamen admisso concedi deberet maior, & negari minor cum probatione; nam ipsum obiectum malum est bonum in hoc sensu: nam circa ipsum bene potest quis habere actum fugæ.

## CONCLVSIO II.

Actus circũstantialis quando. que sumit honestatẽ diuersæ speciei ab ea quã habet ab obiecto.

12. *Actus aliquando sumit honestatem distinctæ speciei, ab illa quam sumit ex obiecto, à circumstantijs, aliquando non; sed illa ipsa bonitas, quam habet ab obiecto augetur ratione aliquarum circumstantiarum.*

Hæc est communissima. *Probatur prima pars*, quia nolens furari in loco sacro ob considerationem non solius malitiæ, quæ est in furto, quatenus est contra iustitiam; sed etiam illius, quæ esset ex eo, quod fiat in loco sacro, habet actum bonum bonitate iustitiæ ex obiecto (si tamen quod hic suppono possit habere vnum actum, quo ob vtramque rationem nollet furari) & etiam bonitate Religionis, quæ est distinctæ speciei ab altera, desumpta à circumstantia loci, in quo esset furandum: sic vt qui vellet furari in tali loco haberet malitias distinctæ speciei ab vtroque illo capite: ergo vera est prima pars.

Aliquando non, sed quandoque augetur illa ipsa.

*Probatur secunda pars*, quia melior esset humiliatio personæ dignioris, quam indignioris ob circumstantiã personæ, non tamen bonitate distinctæ rationis à bonitate ipsiusmet humilitatis; & qui exerceret actum charitatis tempore incommodo, vt cum plueret, melius faceret ob difficultatem actus ortam ex circumstantia temporis, quam qui alio tempore, quo non esset tanta difficultas, ipsum exerceret, non tamen bonitate distinctæ speciei: ergo vera est secunda pars.

*Hic* autem quæri posset, quænam circumstantiæ addunt bonitatem specificam distinctam & quæná non.

*Respondetur*, sicut cognoscitur ex natura obiectorũ, quænam influunt bonitates specie distinctas & quæná non influunt, idẽ dicendũ de circumstantiis, & vniuersaliter quando bonitates spectant ad diuersas virtutes erunt diuersæ speciei.

## CONCLVSIO III.

An bonitas circũstantialis sit accidentaria actui.

13. *Bonitas circumstantialis, seu orta ex circumstantia actus, si idem actus numero possit esse cum bonitate desumpta ab obiecto absque illa circumstantiali, est accidentalis ipsi realiter; si vero non possit, est ipsi essentialis; vocari tamẽ potest circumstantialis; & non substantialis, quatenus potest intelligi ille ipse actus esse bonus ex bonitate obiecti, quãuis non intelligatur bonitas illa deriuata ex circumstantijs; nisi in casu quo obiectum appetitur tantum tanquam medium ad finem aliquem bonum, quia tum nequit intelligi bonitas illa medij, quin intelligatur bonitas finis.* Hæc etiam in re debet esse communis. Probatur prima pars, quia si potest esse actus absque bonitate desumpta ex circumstãtia, hæc sine dubio erit illi accidentalis, quia potest adesse & abesse.

*Probatur secunda pars*, quia si non potest esse actus sine illa, nihil impedit, quo minus sit de essentia ipsius; & propterea non posset esse absque illa, quia esset de essentia ipsius; neque enim potest esse proprietas eius, quia si esset, flueret ex bonitate obiecti; sed hoc est falsum, quia alius actus posset esse bonus ex bonitate eiusdem obiecti absque bonitate illa circumstantiali. Tertia pars patet ex ipsius explicatione adiuncta.

## CONCLVSIO IV.

Vt circũstantiæ influant bonitatis debent cognosci.

14. *Vt circumstantiæ influant bonitatem in actum, debent cognosci ab operante & debet apparere ipsi, quod bonitas aliqua ab ipsis deriuetur in actum.*

Hæc est communis & probatur, quia vt bonitas obiecti influat debet cognosci: ergo & bonitas circumstantiæ; quia non est maior ratio, de vno quã de altero.

*Cõfirmatur*, quia vt circũstãtia influat malitiã, malitia debet cognosci, aliàs qui furaretur in loco sacro, quẽ nõ cogno

cognoscceret inculpabiliter esse talem, committeret sacrilegium, sicut & ille etiam, qui quamuis cognosceret locum esse sacrum, non cognosceret tamen, quod esset peius in ipso quam in quocumque alio loco furari, quod est absurdum: ergo idem dicendum de circumstantia influente bonitatem.

*Obiicies* circumstantia ipersonæ reddit operationem meliorem: si enim sit grata Deo, verbi gratia, aut filius ipsius adoptiuus, operatio bona ipsius erit melior, quàm si non esset; sed tamen illa circumstantia non debet cognosci, aliàs operationes iustorum, qui non cognoscunt pro hoc statu se esse gratos aut filios, non reciperent bonitatem, ex illa circumstantia: ergo vt circumstantiæ influant bonitatem non debent cognosci.

*Et si dicas*: hoc esse verum de aliquibus, non vero de omnibus circumstantiis.

*Contra*, quia non est maior ratio cur aliæ circumstantiæ debeant cognosci, quam illa, si dicas esse rationem; quia aliæ circumstantiæ se tenent ex parte obiecti, & propterea vt obiectum debet cognosci, ita & illæ circūstantiæ verę personę non se tenét ex parte obiecti.

*Contra*: quia adhuc non est ratio, cut circumstantiæ tenentes se ex parte obiecti debeant cognosci potius, quam quæ se tenent ex parte personæ, & certum est, quod circumstantia se tenens ex parte personæ, vt influat bonitatem, debeat aliquando cognosci, si enim aliquis qui verè esset princeps, & non cognosceret se esse talem, humiliaret se, non magis humiliatio ipsius ex parte personæ esset bona, quàm si non esset reuera princeps, esset autem melior, si cognosceret se principē.

*Et si dicas* circumstantiam personæ debere cognosci, vt circumstantiæ tenentes se ex parte obiecti, quando bonitas, quam influit in actum, propterea influitur, quia actus fit libere ab operāte propter ordinē illum, quē dicit ad illā circumstātiam, vnde quia bonitas deriuata in actum ex eo, quod persona sit grata, non prouenit ex eo, quod actus fiat libere ob ordinem, quem dicit ad illam circumstantiam; sed ex eo, quod sit actus personæ, quæ est grata, propterea illa circūstantia non debet cognosci.

*Contra*: quia non apparet ratio, cur possit circūstantia personæ gratæ influere bonitatem in actum absque eo, quod actus eliciatur libere ob ordinem, quem dicit ad illam circumstantiam potiùs, quàm aliæ circumstantiæ.

15. *Respondeo breuiter* supponendo, quod actus hominis grati cæteris paribus sit melior, de quo dubitari posset loquendo de bonitate morali, quia quamuis ex eo, quod persona sit gratior, actus etiam sit talis, (magis enim placent actiones hominum, quos magis amamus) & propterea habeat bonitatem maiorem, hoc est maiorem acceptabilitatem, tamen fortassis non est magis bonus in genere virtutis illius, neque enim Pater acceptans potius ad præmiū operationē filii, verbi gratia, eleemosynam factam ab ipso, quam alterius, potest tamen putare, quod magis virtuosè dederit eleemosynam, quam alius, qui eum similibus omnibus circumstantiis dederat eleemosynam, excepta circumstantia filiationis. Sed supponendo tamen quod sit melior cæteris paribus.

*Respondeo* concedendo maiorem, & minorem obiectionis, & distinguendo consequens: omnes, concedo; aliquæ nego, & sic debet intelligi conclusio, cur autem aliquæ & quænam debeant cognosci; & aliquæ, ac quę nam non debeant, ex ipsarummet natura cognoscendum est; nam apparebit ex hoc ipso: & ratio à priori erit, quod hoc est hoc, & illud est illud vt solet dici; à posteriori autem colligēdū est ex eo, quod ita apparcat.

## CONCLVSIO V.

Bonitas deriuanda à circumstantiis cognoscēdis debet intendi.

16. *Bonitas omnis, quæ desumitur ex circumstantiis, quæ debent cognosci, debet intendi directe non minus, quam bonitas desumpta ex obiecto.* Hæc est communis & probatur, quia non apparet, quod influat bonitatem nisi intendatur directe, apparet autem si intendatur, & hinc Philosophus 2. Ethicorum 4. ait: vt quis agat recte, oportet vt operetur sciens & eligens propter ipsa. 1. propter honestatem, quam considerat in obiecto vel actu.

*Obycies*: pro Sala & Medina qui putant, quod indirecta ac interpretatiua intentio bonitatis sufficit, quæ intentio habetur quamuis aliquis videns bonitatem in actu, ipsum ponit, quamuis directe eam non intendat, vt si quis videret ex largitione publica eleemosynæ posse alios moueri ad dandam eleemosynam, nam quamuis directe non vellet quod mouerentur, sed propter honestatem eleemosynæ tantum moueretur directe, vellet tamen indirecte illam alteram bonitatem.

*Obiicies*, inquam, pro illis: qui videt malitiam in actione, quamuis non velit illam directe; sed directe tantum velit bonitatem aliquam; quæ est in actione, adhuc male ageret: ergo similiter qui videt bonitatem in actione quamuis eam non intendat, sed aliquod aliud, adhuc bene ageret, supposito saltem quod non adesset aliqua circumstantia mala, & consequenter non debet directe intendi bonitas.

17. *Confirmatur*, quia secundum multos ex iis, qui tenent conclusionem, omissio pura mali est bona, quamuis non directe intendatur bonitas, eo quod tum indirecte intendatur: ergo sufficit indirecta intentio bonitatis vt actus sit bonus.

*Respondeo* negando consequentiam; quia apparet ex terminis non debere fieri, quod videtur esse malum siue intendatur, siue non; non apparet autem esse bonum facere, quod est bonum nisi intendatur, sed potius apparet, quod non sit bonum, quamuis forte non esset malum id facere, sed indifferens, si nimirum bonitas, quæ intenderetur directe esset indifferens.

*Ad confirmationem*, nego omissionem illam mali esse bonam, alio modo, quàm actus indifferens est bonus, hoc est quatenus non est malus; & qui authores putant eam, esse bonam aliter, meo iudicio inconsequenter loquuntur dum tenent hanc conclusionem.

## QVÆSTIO III.

*An idem actus elicitus possit participare diuersas specie bonitates a diuersis specie motiuis.*

HÆc quæstio eadem in re est cū alia, qua quæritur an eodem actu elicito possit quis intendere diuersos fines, aut diuersas specie bonitates obiectiuas, vt velle subuenire pauperi, à quo recipit benificium, ob motiuum gratitudinis ac misericordiæ, procedit autem ex suppositione, quod non sufficiat indirecta intentio bonitatis; nam si sufficeret, non esset dubium quin actus elicitus posset participare omnes illas bonitates; & præterea supponit, quod actus dicat ordinem intrinsecum ad bonitatem quamcumque, quæ intenditur per actum; de quo postea, nam si non diceret, etiam posset participare omnes illas bonitates.

## CONCLVSIO I.

Negnit quis intendere eodem actu simul duos fines quorum alteruter est totalis.

18. *Non potest quis eodem actu intendere duos fines, quorum vterque aut vllus sit totalis. Probatur* ex principiis, ex quibus in Philosophia ostensum est non posse effectum dependere à duabus causis totalibus, aut vna totali & altera partiali: est enim eadem ratio hic & ibi, & hinc aduerto, quod quamuis aliqui dicant posse de potentia absoluta effectum dependere à duabus talibus causis, neminē tamen asserere, quod de facto ita fiat, & consequenter non deberet dicere, quod actus de facto vnquā fiat ob duos tales fines, quidquid sit de potētia absoluta.

*Obiicies*: Medicus qui ob stipendium solum determinat sanare infirmum, potest etiam vlterius moueri ob intercessionem amici, aut aliquam aliam rationem: ergo falsa est conclusio.

*Respondeo* negando consequentiam, quia quando determinat curare ob solum stipendium; habet actū distinctum ab eo, quem habet, quando non solum ob stipendium, sed etiam ob intercessionem amici vult curare; & licet prioris actus finis totalis esset stipendiū; non tamē alterius quo mouetur etiam ob intercessionē, & huius

actus

Nequit quis intendere vno actu duas bonitates obiectiuas quarum quælibet mouet. partialiter

actus neuter ex illis est finis adæquatus, sed vterque partialis, si tamen habeat tum vnum actum respicientem vtrumque.

*Dices*: etiam si non accederet intercessio amici, moueretur totaliter à stipendio: ergo stipendium, etiam tum, cum mouetur intercessione; est finis adæquatus.

*Respondeo* distinguendo antecedens ad eandem volitionem, ad quam mouetur etiam propter intercessionem negatur, ad aliã conceditur, & nego consequentiã

## CONCLVSIO II.

19. *Non potest quis intendere vno actu duas bonitates obiectiuas, quarum quælibet esset motiuum particulare.* Probatur hæc conclusio contra multos oppositum sentientes, quia ille actus vnus esset distinctæ speciei à quolibet actu, qui respiceret vnum tantum ex illis motiuis, & consequenter deberet causare habitum distinctum ab habitu generato per quemlibet ex illis actibus, verbi gratia, actus, qui esset ob motiuum liberalitatis & misericordiæ, deberet generare habitum distinctum ab habitu misericordiæ & libertatis: sed hoc est inconueniens: ergo inconueniens est dari talem actum.

*Probatur minor*, primo quia non est à Philosophis facta vlla mentio de tali habitu, nec nomen aliquod ipsi impositum, quod signum magnum est eum ab illis non fuisse cognitum. Secundo & principaliùs, quia nulla est necessitas ipsius aut vtilitas: nam quidquid posset ipsum præstari, præstaretur æque bene per habitus liberalitatis & misericordiæ, quos certum est dari, & qui æque facile possunt acquiri ac ille habitus: facilitaretur enim quis per illos duos habitus ad volendum subuenire pauperi verbi gratia ex illis duobus motiuis, & præterea possent acquiri, quoties acquiri posset, ille habitus, si tum haberentur duo actus, quorum quilibet esset determinatus ad vnum ex illis motiuis, & tam facile possent haberi duo actus simul respicientes illa motiua, quam vnus, qui vtrumque respiceret.

20. *Probatur secundo*, quia posset sine dubio voluntas habere duos actus, quibus feratur in illa plura motiua, cum in hoc nulla sit difficultas: ergo de facto habet duos actus quoties determinatur ab illis duobus motiuis: sed hoc supposito omnino frustraneus ac inutilis est vnus actus qui respiciret vtrũque, & proptrea non est concedendus. Probatur prima consequentia, in qua sola est difficultas, quia non potest determinare se voluntas ad duos illos actus alio modo, quam se determinat, quando dicunt aduersarii, quod habet vnicum: ergo tum determinat ad illos duos.

*Confirmatur* vlterius per dicta in Commentario *dist. 40. num. 106. & 107.*

*Obiicies* pro aduersariis, constat experientia, quod feramur in duas bonitates simul, & vnico actu: ergo datur talis actus.

*Confirmatur*, quia vnico actu tendimus in bonitatem obiectiuam & circumstantialem: ergo & in duas obiectiuas.

*Respondeo*, negando antecedens pro secunda parte, neque enim quantum ad experientiam possumus colligere, quod vno potius feramur, quam duobus; aliàs non posset esse controuersia de hac re; sed id colligi debet per rationem.

*Ad Confirmationem* etiam nego antecedens propter fundamenta conclusionis, quæ aut æque concludunt conclusionem ac oppositum huius antecedentis; aut si non concludant æque de vtroque; rum negari debet consequentia propter illam disparitatem, ob quam non æque concludunt.

*Aduerto* autem hic quantum ad vtilitatem practicam perinde prorsus esse, an vno vel pluribus actibus quis velit illas diuersas bonitates; vnde hæc difficultas est vna ex speculatiuis curiosis.

## QVÆSTIO IV.

*An actus electionis habeat bonitatem specialem distinctam à bonitate intentionis.*

Sensus quæstionis.

21. ADuertendum, perinde esse quantum ad resolutionem huius quæstionis, an actus intentionis distinguatur realiter ab actu electionis, an vero vnus realiter actus sit intentio & electio secundum diuersas considerationes: nam si quando essent distincti realiter actus, electio haberet bonitatem distinctam à bonitate intentionis: ita etiã quamuis esset vnus actus, tamen ille ipse, quatenus electio, haberet bonitatem distinctam ab ea, quam haberet; quatenus intentio est: magis tamen clare appareret res, si essent actus distincti, vnde quia probaui disp. de voluntate quod sint actus distincti, id hic claritatis causa supponamus. Quia vero non est dubium quin electio medij conducentis ad bonum honestum, de qua loquimur sit bona & quidem bonitate numero distincta à bonitate intentionis, nam qui habet electionem & intentionem numero & realiter distincta, habet duos actus bonos; propterea sensus controuersiæ videtur esse, an electio possit habere bonitatem distinctam specie à bonitate intentionis, & an ratione bonitatis vtilis suæ ita participet bonitatem, vt vna electio possit esse melior alia ordinata ad eundem finem; si enim alterum ex his fieri potest, vera erit pars affirmatiua huius quæstionis.

## CONCLVSIO I.

Electio habet specialem bonitatem.

22. *Electio habet bonitatem specialem à bonitate medij ita vt ex duobus mediis conducentibus ad eundem finem, electio vnius possit esse melior quam alterius.* Probatur, quia ex duobus mediis vnum potest esse magis conducens ad finem quam alterum: sed apparet ex terminis melius esse applicare medium magis conducens: ergo electio vnius medij respectu eiusdem finis potest esse melior altera: sed illa maior bonitas non potest desumi à fine, qui idem est: ergo desumitur à bonitate medij & consequenter electio habet specialem bonitatem distinctam à bonitate intentionis.

## CONCLVSIO II.

Si sufficeret indirecta intentio bonitatis posset electio habere distinctam specie bonitatem à bonitate finis.

23. *Si sufficeret indirecta ac interpretatiua intentio bonitatis vt actus participaret illam bonitatem, posset electio habere distinctam specie bonitatem à bonitate finis & intentionis. Probatur* quia obiectum electionis posset ex se habere distinctam bonitatem à bonitate finis: sed si haberet talem & proponeretur eligenti, in casu conclusionis electio participaret ipsam: ergo.

*Probatur maior*, quia si quis eligeret dare stipendium medico, à quo recepit beneficium in ordine ad sanandum amicum, in dando stipendio tali medico esset bonitas gratitudinis obiectiuæ, quæ bonitas esset diuersæ rationis à bonitate charitatis, aut amicitiæ, quæ esset in amore finis, quæ est sanitas amici.

Et idẽ dicendum si quis posset simul intendere duas bonitates eodẽ actu.

*Hinc sequitur*, quod si quis posset intendere duas bonitates distindæ rationis, posset etiam electio participare bonitatem distinctæ rationis à bonitate finis, etiamsi ad participandum bonitatem deberet directe intendi, quia posset voluntas intendere dare stipendium medico, & ex eo quod receperit ab ipso beneficium, & in ordine ad succurrendum amico, & id faciendo datio pecuniæ medico participaret bonitatem charitatis & gratitudinis; non posset autem, vt patet, participare illas in eo casu, nisi eodem actu posset quis velle vtramque.

## CONCLVSIO III.

Potest electio habere distinctam bonitatem à bonitate intentionis.

24. *Absolute loquendo de facto electio potest habere bonitatem distinctam specie à bonitate intentionis. Probatur*, quia si quis intenderet ex gratitudine sanitatem alicuius, & intentio illa haberet bonitatem gratitudinis sicut & obiectum, quod est finis eius, & si idem considerarer, quod actus charitatis esset bonum medium ad obtinendum à Deo sanitatem illam, & propterea eliceret actum charitatis, actus ille esset electio, sed certum est quod haberet bonitatem charitatis quæ est distinctæ rationis à bonitate gratitudinis: ergo cõclusio est vera.

*Quod* autem possit applicari actus charitatis ranquã medium ad talem finem, in quo solo est difficultas probationis huius, patere videtur tum quia non repugnat, tum quia sicut potest voluntas imperare actum externum, cur non posset internum; tum quia videtur conforme experientiæ.

QVÆ

## QVÆSTIO. V.

*An actus imperans participet bonitatem ab imperato ac è contra.*

Actus imperans actum externum participat bonitatẽ ab illo & è contra.

25. ACTVS *imperans* actum exernum habentem bonitatem obiectiuã, vt subuentionem pauperis, participiat illam bonitatem si intendatur, vt est extra controuersiam, & apparet ex terminis, modo non adsit circumstantia vlla inficiens. Similiter actus externus subuentionis prouenies ab actu tali interno participat bonitatem formalem ab illo, siue eandem quam ipsemet habet, siue diuersam; nam certum est, quod subuentio externa, prouenies ab actu interno bono imperante, sit bona formaliter; & quamuis hinc sequatur, quod actus imperans dependeat à bonitate imperati & è contra; hoc tamen non est inconueniens, nec infert vitiosũ circulũ aut dependentiam mutuã quoad idem: nam impetans dependet à bonitate obiectiua actus imperati, à quo eam mutuat, & imperatus non accipit bonitatem obiectiuam ab imperante, sed formalẽ.

*Difficultas* ergo est de actibus imperatis elicitis, qui scilicet eliciũtur ab ipsamet voluntate, ex imperio tamẽ alterius actus voluntatis ab ipsa pariter eliciti: an participent à se inuicem bonitatem: quod autem possit elici vnus actus voluntatis ex imperio alterius iam docui in fine quæstionis præcedentis: potest vero contingere duobus modis. Primo, si voluntas considerant bonitatem alicuius actus per alium actum reflexum vellet illum elicere, vt si cõsideraret honestatem particularem, quæ est in amore Dei, vellet elicere talem actum reflexum, qui haberet pro obiecto ipsum amorem, qui actus reflexus significatur per hanc propositionem; volo elicere actum charitatis aut actum amoris diuini. Secundo, si consideraret vnum actum elicitum esse medium ad aliquid à se amatum, & propterea vellet ipsum imperare ob illum finem.

## CONCLVSIO I.

Actus imperans alium actum elicitum bonum est bonus illa bonitate.

26. *Actus imperans alium actum elicitum bonum quacumque bonitate honesta, est bonus bonitate desumpta ab illa bonitate, non tamen semper erit eiusdem speciei cum actu imperato.*

*Probatur* quia actus imperans externum bonum est bonus bonitate desũpta ab illa bonitate: ergo idem est de imperante actum elicitum bonũ à paritate rationis.

*Confirmatur* quia est euidens, quod sit bonum velle elicere actum quemcumque bonum.

Non tamẽ semper eiusdem speciei cum illo.

*Probatur* secunda pars, quia si quis imperaret actum charitatis, quia videret ipsum esse medium bonum ad obtinendum à deo gratiam pœnitentiæ, ille actus imperans esset actus pœnitentiæ; actus vero imperatus esset actus charitatis.

## CONCLVSIO II.

Actus imperatus elicitus non participat bonitatẽ formalem actus imperantis.

27. *Actus elicitus imperatus non participat bonitatem formalem actus imperantis.* Hæc est Vasquis disput. 51. c. 5. Conninki de virtutibus disp. 3. dub. 3. contra multos quos citat & sequitur Auersa q. 20. s. 1.

*Probatur primò*, quia non est eadem ratio de actu interno imperato & actu externo: ergo conclusio est vera. Probatur cõsequẽtia, quia propterea negatur ab aduersariis, quia putant esse eandem rationem de vtroque. Probatur antecedens, quia actus externus non fit ob aliud motiuum, nec per aliam libertatem à libertate actus imperãtis: vnde debet participare illam bonitatẽ sicut & participat libertatem; sed actus elicitus imperatus habet suum motiuum distinctum à motiuo imperantis & libertatem propriam, secundum quam posset non esse, quamuis esset actus imperans ipsum: ergo non est eadem ratio de ipso ac actu externo imperato.

*Probatur secundò*, quia eatenus actus elicitus imperatus participaret bonitatem actus imperantis, quatenus aut actus imperans aut obiectũ eius moueret vel efficienter, vel formaliter voluntatem ad productionem eius, aut ipsemet intrinsece diceret ordinem ad illum finem, neque enim alias imaginari potest, cur participaret bonitatem illam: sed ex his capitibus non sequitur, quod eam participet: ergo.

*Probatur minor*, quia non dependet effectiue ab actu impetante aut obiecto ipsius, nam ipsa voluntas sola cum habitu charitatis est causa adæquata actus charitatis, etiã quando imperatur; nã sufficit, & gratis assereretur aliã causã præterea concurrere effectiue & physice: nõ respicit etiã illud motiuũ ex natura sua intrinseca, quia sic respicit solũ motiuũ charitatis, nec potest idem actus ex natura sua physica respicere duo motiua diuersæ rationis vt supra dictũ est. Quod autẽ determinetur, seu potius inclinetur voluntas ex motiuo actus imperantis seu per ipsum actum imperantem ad eliciendum actum elicitum imperatum non sufficit; quia posset sic determinari quamuis actus imperans non esset liber, vt si produceretur à solo Deo, hinc autem non esset bonus, nec consequenter actus imperatus esset bonus bonitate desumpta ab ipso.

*Confirmatur*, quia si actus elicitus seu internus imperatus participaret bonitatem ab actu imperante, participaret etiam malitiam à malitia imperantis: sed hoc est inconueniens, quia alias infici posset actus charitatis malitia, vt quando imperaretur ex fine gloriæ vanæ, contra communem Theologorum sententiam.

28 *Obijcies*: Actus virtutum moralium sunt meritorij de condigno vitæ æternæ, quando ordinantur ad finem charitatis, vel imperantur per actum charitatis: nec essent sic meritorij nisi à charitate imperarentur: ergo non solum possunt sic ordinari, sed etiam ex eo quod ordinentur, participant bonitatem aliquam, quam alias non haberent, ab actu charitatis imperante; alias non esset ratio, ob quam, quando imperarentur à charitate, essent meritorii, & quando non imperarentur, non essent: & consequenter falsa est conclusio.

*Respondeo* admittendo antecedens; quamuis sit in cõtrouersia inter Theologos in materia de merito, & distinguendo cõsequens: actus externi, concedo; nec hoc est cõtra conclusionẽ; interni eliciti, nego antecedens.

Quod si actus etiam eliciti essent meritorii; quando imperarentur ex motiuo charitatis, hoc non esset ex eo quod tum haberent maiorem aliquam bonitatem intrinsecam moralem virtutis, quam alias haberent, sed ex eo, quod Deus ordinauit dare ipsis præmium, quando sic ordinarentur.

*Responderi* posset secundo negando consequentiam pro secunda parte; ratio enim esset alia, quia Deus sic instituit.

## QVÆSTIO VI.

*An actus externus superaddat bonitatem actui interno.*

29. DIctum est supra quòd actus imperatus externus sumat bonitatẽ suam formalem ab actu imperante ita, vt omnis ille actus externus sit bonus, qui est imperatus per actum bonum internum; & quod actus imperãs sumat suã bonitatẽ à bonitate obiectiua actus imperati, ita vt nõ possit actus imperãs esse bonus, quin actus imperatus sit bonus: ex quo sequitur quod vterque sit bonus & quidem formaliter, quando producuntur præsertim absque aliqua circunstantia vitiante. Sed quæritur an actus externus addat bonitatem aliquam moralem actui interno, ratione cuius is, qui habet actũ internũ simul cum externo, sit magis laudabilis ac præmio dignus ex natura rei, quàm si solum haberet ex illis duobus eundem ipsum actum internum cum eadem perfectione ex omni capite præter solum defectũ actus externi; & ex duobus, quorum vnus haberet intensissimam voluntatem ædificandi propter honorẽ Dei templum, & non ædificaret ipsum propter defectum facultatis, alter vero similem omnino; nec magis aut minus perfectam voluntatem haberet, & præterea, quia adesset facultas, ædificaret, hic laudabilior esset, & maiori dignus præmio, quàm ille.

CON

CONCLVSIO.

Actus externus superaddit bonitatem interno.

30. *Actus externus superaddit bonitatem actui interno.* Hæc est Doctoris quodl.18.a.3.cum suis omnibus contra Thomistas, quos citat & sequitur Auersa q. 20.s.5: & solet variis rationibus stabiliri, quas quia examinani in Commentatio meo.dist.42.numero 68.& seq.nolo iam proponere, contentus eâ sola, quæ mihi est vnicum fundamentum huius conclusionis.

*Actus externus malus*, superaddit aliquid malitię actui interno: ergo externus bonus superaddet bonitatem: consequentia est certa, quia est eadem ratio secundum omnes.

*Probatur antecedens*, quia alias non teneretur quis confiteri actum externum, verbi gratia, homicidium aut adulterium; sed sufficeret confiteri actum internum, nempe quod habuerit desiderium efficacissimum occidendi aut adulterandi: sed hoc est contra praxim Ecclesiæ Vniuersæ & illos ipsos Authores, qui tenent oppositum conclusionis: ergo non est asserendum.

*Probatur sequela*, quia si non augeat malitiam actus interni, aut non facit vt occidens aut adulterans sit peior ac vituperabilior ac dignior maiori pœna, quam si non occideret, sed solum æque desideraret occidere, nulla prorsus est ratio, ob quam deberet occisionem aut adulterium confiteri.

*Respondet Lorca* esse rationem, vt scilicet sic exprimat intensionem & grauitatem actus interni.

31. *Contra* quia per confessionem actus externi præcise non explicatur intensio aut grauitas actus interni aliter, quam quatenus significatur, quod fuerit efficax ex se ad actum externum, & talis qualis sufficeret ad eum ponendum si facultas eius ponendi esset penes elicientem actum internum: sed huiusmodi intensio & grauitas posset explicari sufficienter absque confessione actus externi dicendo quod habuerit desiderium tã efficax quàm sufficeret ad positionem actus, si adesset facultas & continuatum tanto tempore, quantum requireretur ad actum externum.

*Adde* intensionem & grauitatem actus colligi talem ex actu externo, non esse circumstantias variantes speciem actus, & consequenter secundum aduersarios non debere illam explicari in confessione: ergo in ordine ad hoc non est confitendum peccatum externum.

32. *Respondent* alii rationem esse, quia sæpe ob actum externum restitutio aliqua facienda est, quam præciperet Confessarius, nisi pœnitens ipsum confiteretur: ergo in ordine ad hoc est explicandus.

*Contra*: quia si solum in ordine ad hoc quis teneretur confiteri peccatum externũ, non deberet illud confiteri quando restitutio nó esset facienda, vt si iam esset facta aut cõfitens haberet firmũ propositum per se restituendi, aut peccatũ esset tale, ob quod non deberet fieri vlla restitutio, vt est peccatum voluntariæ pollutionis: sed hoc etiam est absurdũ & contra praxim Ecclesiæ: ergo

*Et hinc patet* non valere, quod alii dicunt, confitendum esse peccatum externum in ordine ad instructionem aliquam particularem habendam à Confessore; nam potest fieri, quod pœnitens sit talis, vt nulla indigeat, & vt omnis quæ dari posset tam bene competeret ob actum internum quam ob externum, supponendo quod hic non superadderet malitiam.

*Nec magis valet* aliorum ratio dicentium explicari debere actum externum ob scandalum & cooperationem ad peccatum alterius; quia hinc sequeretur non debere quem confiteri peccata externa, quæ solus committeret; & quia vel maius est peccatum scandalizare externe, & dare occasionem peccandi aliis, quam velle interne efficaciter hoc facere, vel non est maius, si maius habetur intentum; si non; certe nec propter hoc debet quis confiteri; quod scandalizauerit externe, sed sufficit dicere, quod desiderauerit efficaciter scandalizare, seu facere id quod scandalizaret.

33. *Alij respondent* ideo debere explicari in confessione actum externum, quia facit vnum per se peccatum cum interno.

*Contra*, quia præterquam quod hoc sit falsum, adhuc vel eo eo, quod facit cum ipso vnum peccatum, sequitur quod homo cum ponit actum externum, grauius peccat & habetur intentum; vel non sequitur, & tunc non est prorsus ratio cur debeat explicari, etiamsi faciat vnum per se cum interno, sicut non debent explicari circumstantiæ non aggrauantes.

*Deinde*: eatenus faceret vnum per se, quatenus est obiectum actus interni aut effectus eius, sed vt sic posset explicari sufficienter dicendo, quod fuerit efficaciter volitus.

*Respondet* Vasques rationẽ confessionis actus externi esse, quia ab eo deriuatur malitia in internum actum

*Contra*: quia non magis deriuatur malitia in actum internum ab externo per hoc, quod ponatur in esse, quam quod non ponatur, sed solum efficaciter desideretur; alias vera esset nostra conclusio: ergo ob hoc non debet quis ipsum confiteri.

*Optima* omnium Responsio est, quod propterea teneamur confiteri peccata externa; quia reuera sunt peccata & tenemur confiteri omnia nostra peccata.

34. *Contra* tamen quia non tenemur confiteri nisi, quod sufficit ad explicandum speciem & numerum nostrorum peccatorum (taceo de circumstantiis non mutantibus speciem, sed augentibus, quia non faciunt ad propositum) sed si actus externus non addat malitiam interno, confitendo internos actus cum sua specie ex circumstantiis, explicat quis numerum & speciem suorum peccatorum absque confessione actus externi: ergo non debet ipsum confiteri quamuis sit peccatum.

*Confirmatur*, quia si actus externus non superaddat malitiam, nec facit hominem grauiorem peccatorem, quàm sine ipso, etiamsi esset peccatum, non esset ratio vlla aut cõgruentia, cur ordinaretur confessio ipsius: ergo signum est, quod quãdoquidem sit ordinata, dicat malitiã distinctã à malitia actus interni, quod est intẽtũ

*Dices*: esse rationem vt ab eo homines retraherentur, quia patet experientia obligationem confessionis retrahere homines à multis peccatis.

*Contra*, quia eatenus deberet obligatio confitendi adulterii externi magis retrahere ab adulterio externo, quam obligatio confitendi desiderii efficacis ipsius, vt supponitur in hac responsione, quatenus ob verecundiam difficilius esset ipsi ipsum confiteri, quàm desiderium ipsius; sed non deberet hoc esse ipsi difficilius, nisi quatenus supponeretur aut apprehenderetur esse maior malitia aut turpitudo in eius commissione, quam in solo desiderio: ergo nisi sit, non deberet quis teneri ad eius confessionem ob hunc finem.

*Confirmatur*, quia si velit Deus retrahere homines ad adulterio verbi gratia, per obligationem confessionis, potius deberet prohibere particulariter ipsummet, significando, quod non solum esset offensus desiderio efficaci eius, sed quod vlterius etiam offenderetur ipsomet, ita vt vellet punire magis eum, qui vtrumq; committeret, quam qui solummodo efficaciter desideraret committere; hoc enim supposito, qui adulterium committeret haberet occasionem maioris erubescenriæ & consequenter maiorem difficultatem confitendi, quàm si solummodo desideraret committere ipsum: ergo si sit illa obligatio in ordine ad hunc finem, dicendum est, quod Deus hoc modo se habuit; sed si sic, certum est quod peccatum extremum superaddat malitiam interno in sensu conclusionis.

*Hinc* autẽ probatur cõclusio aliter: Deus posset ita ordinare, vt magis esset ipsi acceptabilis actus externus cum interno bono, & magis displicens actus externus cum interno malo, quàm solus internus eiusdem intensionis & naturæ quoad cætera, quãuis non esset à parte rei ratio ob quã sic ordinaret nisi sua voluntas, aut motiua aliqua extrinseca: sicut enim prohibuit Adæ pomũ vetitum, in cuius prohibitione potius, quàm aliorũ fructuum, nulla erat ratio ex natura rei, quæ sufficeret ad hoc: ita videtur quod Deus posset hoc modo se habere, seu res ordinare: sed si ita fieret, manifestum est, quod

peccatum externum superadderet malitiam interno & actus bonus externus bonitatem actui bono interno in sensu controuerso : ergo potest fieri, quod ita sit : sed si potest fieri, debet dici, quod de facto ita sit, quia alias non deberet præcipi confessio peccatorum externorum vt iam dixi : ergo.

36. *Obiicies primò*, *Voluntas*, inquit, Apostolus 2. Cor. 8. *prompta est secundum id quod habet accepta, non secundum id, quod non habet* : quo in loco Paulus exhortans ad eleemosynas docet minus dantem cum maior facultas non sit, tantum habere præmii ac meriti quantum, qui dat multum, sed hoc non esset verum, nisi conclusio esset falsa : ergo.

*Respondeo* negando Paulum docere, quod prætenditur in maiori; sed solum vult, quod nemo obligetur ad faciendum, quod non potest, & quod voluntas prompta ac cupida benefaciendi, seu largiendi eleemosynas seu alia faciendi habebit præmium suum, & non carebit præmio ex eo, quod nō adsit facultas, quæ explicatio est facilis, & iuxta Chrysost. eodem loco : sed inde non sequitur, quod quisimul cum voluntate æq; prompta etiam facit plura opera externa, non magis mereatur.

37. *Obiicies secundò*, August. 1. de lib. arb. cap. 3. *Si cui etiam*, inquit, *non contingat facultas concubandi cum coniuge aliena, planum tamen aliquo modo sit, id eum cupere, & si potestas detur facturum esse, non minus reus est, quam si in facto deprehenderetur.* Item in ep. ad Deo gratias : *in voluntate bona metitur bonus bona facta, & in voluntate mala metitur malus mala facta, & in ea metietur ei miseria.*

*Respondeo primum* locum intelligendum sicut ipsemet August. intelligit alterum simile locum Iacobi secundo. Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus, quantum scilicet ad damnationem incurrendam & perdendam gratiam; non quantum ad hoc, quod æque grauiter peccaret ac si omnes leges violaret.

Iuxta hoc explicari posset etiam secundus locus, qui tamen reuera non videtur esse ad propositum vllo modo; nam sensus manifestus est, quod qui habet voluntatem bonam & opera ab ea procedentia, ratione voluntatis bonæ præmiabitur, quatenus scilicet nō præmiaretur nisi esset talis voluntas, quamuis illa sola nō sufficeret ad tantum præmium ; quantum correspondet illi simul cum bono opere externo.

Iuxta, quod explicari possunt reliquæ authoritates

38. *Obiicies tertiò*, Actus externus non habet distinctam libertatem ab interno : ergo nec bonitatem, quia hæc fundatur in libertate.

*Respondeo* negando consequentiam, quia possent duæ bonitates fundari supra eandem libertatem.

*Dices* non esse maiorem rationem asserendi vnicam libertatem in externo & interno, quàm vnicam bonitatem : ergo si vnum admittitur, alterum admitti debet.

*Respondeo* supposito antecedenti obiectionis, negando antecedens huius replicæ, & ratio disparitatis est desumenda ex fundamentis huius conclusionis & sententiæ asserenti eandem esse libertatem vtriusque actus.

*Obiicies quartò*, sequeretur quod ex duobus hominibus æque intendentibus mortem alterius & ipsū etiam cum eo animo vulnerantibus, grauius peccaret, qui fortuito vulnerauit vulnere, ex quo secuta est mors : sed hoc videtur absurdum, quia alias verteretur laudi alicui ac vituperio aliquid quod mere esset casuale ac fortuitum ac à seipso totaliter independens.

*Respondetur* negando sequelam, quia quod vulnus sit lethale ex quo capite solum est grauius physice, non est in potestate ipsius vt suppono : actus autem externus talis aut talis, quoad substantiam est in potestate volentis, & propterea potest esse bonus moraliter aut malus.

# DISPVTATIO XXVI.

## DE ACTV MALO, ET INDIFFERENTI.

QVONIAM quo melius cognoscitur natura actus mali & indifferentis, eo facilius cognosci poterit, quisnam sit actus bonus; talis enim est quicumque moralis, qui non erit malus, nec indifferens; & quia etiam vterque huiusmodi actus est species actus moralis vt sic ; & mali sunt impedimenta beatitudinis, dependentia à nostra libertate, non poterit dubitari, quin agere de illis spectet ad hunc tractatum, coniungo autem vtriusq; tractationem in eadem disputatione, quia vna tantum quæstio proponi solet de actu indifferenti ; de quo propterea etiam prius agam, & vt facilius declarari possit natura actus mali.

### QVÆSTIO I.

*An detur actus indifferens moralis.*

1. CErtum est, dari posse actum indifferentem etiã interni volũtatis, qui scilicet neq; bonus sit neq; malus ob defectum libertatis; talis enim esset omnis ille, qui à solo Deo produceretur in voluntate, merè passiuè se habente, & si qui alii essent, ad quos necessitaretur voluntas : vnde de illis non quæritur hic; sed de actibus moralibus ac liberis, an scilicet tales dentur, qui nec sint boni nec mali : quam difficultatem examinaui in meo commentario ad dist 41. n. 6. vnde huc transferam, quæ necessaria sunt breuius, & si potero clarius. Potest dari actus moralis indifferens ex opinione probabili.

### CONCLVSIO I.

2. *Possunt dari actus morales indifferentes, quoad speciem ac individuum, considerato non solum obiecto, sed omnibus circumstantiis, ex opinione probabili quam eliciens haberet de tali indifferentia.* Hæc est recentiorum communiter contra Medinam, Salam, Montesinum, Lorcam.

*Probatur* : si actus aliquis appareret probabiliter bonus, quamuis reuera esset malus, bene moraliter eliceretur, & si actus appareret probabiliter malus, qui reuera esset bonus, malè eliceretur : ergo si actus apparet Scotistæ verbi gratia, sequenti sententiam probabilem sui doctoris, esse indifferens moraliter ex omni capite, erit actus indifferens : neque enim erit bonus, cum non appareat bonitas ; neque malus, cum non appareat malitia.

### CONCLVSIO II.

Datur à parte rei actus indifferens ex obiecto

3. *Potest dari actus ex obiecto indifferens cum plenissima deliberatione & aduertentia ex se, & natura sua independenter à recursu ad sequelam opinionis probabilis.* Hæc est Doctoris supra cum suis & Thomistis etiam, qui propterea concedunt actus quoad speciem posse esse indifferentes, quamuis non possint esse tales quoad individuum; quia si eliciantur in individuo, putant necessario ad futuram aliquam circumstantiam, qua fiant vel bona, vel mala.

*Probatur autem* : quia obiecta aliquarum actionum possunt esse indifferentia, hoc est nec bona, nec mala, vt tollere fustucam, sputare, comedere aliquid non offendens ob delectationem : ergo & actiones circa illa versatæ erunt indifferentes ex obiecto.

*Dices* : obiecta illa debere esse aliquo modo bona, quia, vt communiter supponitur ab iis, qui tenent hanc conclusionem, voluntas non potest velle nisi bonum aliqua bonitate : ergo non possunt esse actus vlli indifferentes ex obiecto.

*Respondeo* distinguendo consequens : absque aliqua bonitate vel malitia, concedo ; absque bonitate honesta, aut malitia ipsi opposita, nego consequentiam.

*Proba*

*Probatio* autem intendit, quod, obiecta aliqua sint ex se considerabilia secundum rationem aliquam, secundum quam possint appeti aut reiici, secundum quam rationem sint indifferentes, quoad bonitatem honestam & malitiam inhonestam ita, vt neutram participent.

*Confirmatur*, quia quando volumus ambulare ob delectationem aliquam non offendentem, nec prohibitam, non est necesse vt consideremus ambulationem, vt dignam aut indignam natura rationali.

4. *Obijcies*: bonum & malum priuatiue opponuntur: ergo quodlibet obiectum debet esse vel bonum vel malum, & consequenter falsa conclusio.

*Respondeo* distinguendo antecedens, quantum ad hoc, quod obiectum bonum sit priuatum malitia; & malum bonitate; concedo antecedens; quantum ad hoc, quod quodlibet obiectum secũdum quamcumque rationem propositum debeat apparere vel bonum vel malum, nego antecedens & consequentiam.

*Obiici* etiam solet authoritas Scoti 2.d.7.q.1.num.11. ob quam Montepilosus putat hanc conclusionem esse contra ipsum. Sed quod fallatur ipse, & quomodo intelligendus sit Scotus patet ex commentario meo *num.9.* & quia res est authoritatis, nolo hic idem repetere.

## CONCLVSIO III.

Potest dari actus moralis indifferens in individuo.

5. *Potest dari actus in individuo, qui neque ex obiecto aut circumstantia vlla habeat esse bonus aut malus moraliter, bonitate honesta aut malitia inhonesta.* Hæc est Doctoris cum suis & aliis pluribus, quos citat & sequuntur Vasq. disp. 52. & Auersa 9.18. contra Thomistas cõmuniter.

*Probatur* ex S. Hieronymo Epistola ad Augustinum, quæ est inter huius vndecima. *Bonum*, inquit, *est continentia, malum luxuria, inter vtrumque ambulare, capitis naribus purgamenta proiicere &c.* quæ etiam videtur expresse sentẽtia S. Greg. Naz. oratione 3. contra Iulianũ.

*Probatur ratione*, quia vt quis operetur bene, debet nõ solum videre esse aliquam bonitatem ex obiecto aut circumstantiis in actione aut obiecto eius, sed etiam eã intendere directe, vt patet ex dictis; & vt male agat debet videre aliquam malitiam ex obiecto aut circumstãtia aliqua & si non videat bonitatem, ac eam intendat, actus non erit bonus, similiter si non videat malitiam, actus non erit malus: sed potest quis hic & nunc operari, quin videat malitiam esse in actu, aut etiam quin videat bonitatem, aut si eam videat, quin eam intendat: ergo operatio tũ erit indifferẽs in individuo, hoc est nec bona nec mala bonitate aut malitia, de qua loquimur.

*Confirmatur* specialiter contra Thomistas, quia potest elicere operationem circa obiectum in quo non videt, nec bonitatem nec malitiam, ergo potest etiam operari cum circunstantiis omnibus, in quibus non videt bonitatem aut malitiam, quia reuera non est maior ratio de vno, quam de altero.

6. *Dices* cum Sala, Medina & Lorca, non posse hominem elicere operationem, quæ non sit vtilis vel iucunda naturæ: sed hoc sufficit ad honestatem, quando non adest circumstantia mala; & si hæc adest, erit mala: ergo non potest habere operationem in individuo, quæ non sit bona aut mala.

*Contra primò*, quia si hæc doctrina esset vera, non posset habere actum indifferentem ex obiecto, nam non potest versari circa obiectum, quod non sit vel iucundum vel vtile, & consequenter si hoc sufficiat ad honestatem actus necessario erit bonus ex obiecto, si non adsit circumstantia mala, & si hæc adsit erit mala: ergo nequit habere actum indifferentem ex obiecto.

*Contra secundò*, quia bonitas honesta distinguitur à bonitate delectabili & vtili: ergo non sufficit bonitas iucunda, aut vtilis naturæ præcise, nisi vlterius sit honesta, ac nisi præterea proponatur ac intendatur.

*Probatur tertiò*, infirmando fundamentum præcipuũ aduersariorum: si aliquid impediret, maxime quia teneremur semper ordinare omnem actionem nostrã ad finem alicuius virtutis: si sic autẽ ordinaretur, & non adesset circũstantia mala, actio esset bona, & si nõ ordinaretur sic, aut afficeretur aliqua circũstantia mala, actus esset malus: sed hoc nõ impedit: ergo vera est cõclusio.

*Probatur minor*, quia quamuis esset talis obligatio, non tamen esset necessarium, quod semper proponeretur, & si nõ proponatur, non potest obligare, nec actus erit malus ex eo, quod non ordinetur. Adde falsũ esse, quod sit talis obligatio, vt latius in Commentario: sed hoc sufficit; & deinde quamuis esset, certe non esset nisi iuris positiui, quod posset non esse absolute: ergo saltem tum hoc fundamentum nihil valet.

7. *Obijcies primò*: Aug. 2. de peccatorum merit. & remiss. c.18. *Mirum*, inquit *est, si voluntas possit in medio quodam consistere, vt nec bona sit nec mala; aut enim iustum diligimus & bona est, aut iustum non diligimus, & mala est: quis autem dubitet dicere voluntatem non diligentem iustitiam, non modo esse malam, sed pessimam voluntatem?* ergo non datur actus in individuo indifferens, quia eum exercendo, nec bona esset nec mala, & per eum voluntas non diligeret iustum & consequenter secundum Augustinum non solum mala; sed pessima esset.

*Respondeo* Augustinũ posse intelligi de volũtate cui proponeretur iustum cũ obligatione ipsum persequẽdi, tũc enim nõ posset esse in statu medio, sed si prosequeretur ipsum, esset bona; si nollet, esset mala ac pessima, quia rea culpæ mortalis: hoc autẽ nõ præiudicat cõclusioni, quæ nõ loquitur in tali casu, sed in eo, quo aut nõ proponeretur iustũ omnino, aut non proponeretur cũ obligatione prosequẽdi, & tunc quamuis volũtas non prosequeretur, nõ esset nec mala, nec pessima; Quod autẽ nõ loquatur Aug. in sensu cõclusionis patet manifeste, quia certũ est q. volũtas possit esse in statu medio sine actu, quo fieret bona aut pessima; quia quado peccat venialiter, licet non prosequatur iustũ, nõ est pessima volũtas ab illo peccato, vt manifestũ est. Posset etiã intelligi de volũtate bona aut mala habitualiter ita, vt velit dicere, quod non possit esse in statu medio quin prosequatur iustũ habitualiter aut actualiter, vel non prosequatur iustũ altero ex illis modis: sicut nõ prosequitur, quãdo est in statu mortalis peccati, nã nũquã est in statu medio inter vtrũq; hunc statũ, quia sẽper est aut in statu gratię & tunc prosequitur iustũ, ad quod tenetur, vel actualiter vel habitualiter, & ipsa consequenter est bona simpliciter, quia est in statu salutis; aut in statu mortalis peccati & tunc non prosequitur iustum, quod tenetur & est mala simpliciter ac pessima.

8. *Obiicies secundò: De omni verbo otioso reddent homines rationem in die iudicij*, Matth. 5. ergo omne verbum otiosum est malum: sed hoc non esset verum si daretur actus indifferens, quia nullus esse posset potius talis, quàm quo vellet aliquis loqui aliquod verbum otiosũ.

*Respondeo primò*, negãdo consequentiã quia debemus etiam in illa die reddere rationẽ de factis ipsis bonis vt patet ex symbolo Athanasii. *Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & redditurí sunt de factis propríjs rationem & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam; qui vero mala in ignem æternum.*

*Respondeo secundò*, negando etiam consequentiam, quia non loquitur ibi de omni qualicũque verbo otioso seu non bono, sed de verbo malo quod scilicet mendax est, & calumniam habet, vt exponit Chrys. Theophil. & Ærumenius; vel quod infert nocumentum ad finem aliquem friuolum parui momenti aut vtilitatis; nam huiusmodi verbum est otiosum cũ omni proprietate; non vero verbũ indifferens, non ferens nocumentum, sed prolatum ob aliquam innoxiam voluptatem. Vnde reuera hic locus Matthæi nõ est ad propositum.

Hinc sequitur posse dari actus morales indifferẽres in ratione meriti, qui scilicet nõ sint nec meritorij nec demeritorij, quia ad meritũ requiritur bonitas, ad demeritũ malitia: ergo si detur act$^{9}$ moralis nec bon$^{9}$ nec malus, dabitur actus moralis, qui nec sit meritorius, nec demeritorius. Quod si etiã non possit dari actus indifferens in genere moris, adhuc posset dari actus indifferens in ratione meriti aut demeriti; quia actus bonus peccatoris non est, nec meritorius nec demeritorius: nõ meritorius quidem de condigno, de quo merito loquor

quia ad hoc meritum requiritur ſtatus gratiæ; nec demeritorius, quia ad hunc requiritur malitia. Sed hæc conſideratio de merito non ſpectat huc.

## QVÆSTIO II.

### *Quid ſit actus moralis malus.*

Quid eſt actus malus.

9. *Vppoſita declaratione actus boni*, & indifferentis non videtur difficile deſcribere actum malum vt ſic, erit enim actus quicumque moralis ſiue poſitiuus & formalis; ſiue negatiuus ac interpretatiuus (qualis eſſet omiſſio pura mala) qui indecet naturam rationalem. Quinam autem ſint huiuſmodi, ex natura eorum recte conſiderata, vel ex terminis vel ex fide, aut diſcurſu aliquo deſumẽdum eſt, & tales ſunt ſine dubio omnes actus, quos de facto vocamus vitioſos, & hoc cognoſcere eſt, quod præcipue ſpectat ad vtilitatem practicam, in ordine ſcilicet ad vitandos actus malos. Sed ſpeculatiui ſuo more examinare ſolent, in quonam conſiſtat ratio formalis actus mali, ſeu à quo habeat formaliter eſſe malus, quæ difficultas, quamuis poſſet proponi de actu malo moraliter, vt ſic, comprehendẽte tam, qui eſt malus mortaliter, quam qui eſt malus venialiter; tamen claritatis maioris gratia examinabo ipſũ per ſe de actu malo mortaliter, ſeu de peccato mortali actuali, & ex reſolutione facile erit ſcire, quid dicendũ ſit de peccato veniali, ac actu malo vt ſic communi vtrique.

*Aduerto autem*: in quocumque peccato mortali ſiue commiſſionis, ſiue omiſſionis intetuenire actũ ipſũ ſiue formalem, ſiue interpretatiuum, qui dicitur peccatũ mortale. Secundo priuationẽ ſeu negationẽ rectitudinis virtuoſæ, neq; enim eſt rectus aut virtuoſus. Tertio difformitatem ad legem, qua prohibetur; & ad rectã rationẽ, quæ proponit, quod non deberet elici; & ad naturã rationalẽ. cui indecens eſt elicere ipſum. Quarto libertatem ſine qua non eſſet actus mortalis, nec conſequenter malus mortaliter. Quinto meritum pœnæ æternæ ſenſus & damni. Sexto priuationem gratiæ ſanctificantis, ac conſequenter amicitiæ cum Deo, ac filiationis adoptiuæ. Septimo diminutionem habitus, virtutis, ſi præceſſit, præſertim ſi peccatum ſit commiſſionis, ſeu actus poſitiuus, & hinc occaſionem ſumpſerunt Authores ad varios dicendi modos, quibuſdam aſſerentibus, quod ratio formalis peccati conſiſtat in vno ex iam dictis; aliis, quod in alio; aliis quod non in vllo vno, ſed in pluribus ſimul.

### CONCLVSIO I.

Ratio formalis peccari non conſiſtit in negatione vl. la antecedente actum.

10. *Ratio formalis peccati non conſiſtit in negatione vlla antecedenti actum peccaminoſum.* Hæc eſt contra quemdam Modernum, qui excogitauit nouum modum dicendi, aſſerẽs rationem formalem peccati conſiſtere in negatione libera omnium impedimentorum actus, inter quæ impedimenta ponit ipſammet non exiſtentiã actus peccaminoſi, & quoniam quando eſt huiuſmodi negatio, neceſſario debet eſſe actus, propterea illam negationem determinationem liberam voluntatis ad actum malum, & putat actum habere eſſe malũ formaliter ab illa negatione, tanquam à ratione formali.

*Probatur primò*, quia quamuis daretur huiuſmodi negatio antecedens, quæ eſſet determinatio ad actũ malum, non tamen ab ea deberet dici actus eſſe malus formaliter: ergo Probatur antecedẽs primo, quia actus bonus non dicitur eſſe bonus ab vlla determinatione præuia, qua determinatur voluntas ad ipſum: ergo nec actus malus habet eſſe formaliter malus ab vlla determinatione anteriori, tanquam à ratione formali.

*Probatur ſecundò* idem antecedens, quia in ipſomet actu eſt aliqua ratio, ob quam ſit malus, diſtincta ab illa determinatione anteriori, qualiſcumque ſit: nam aliàs ipſa determinatio non eſſet mala, nec actus conſequenter eſſet ab illa malus; nec eſt poſſibile intelligere, cur aut quomodo illa determinatio ſit mala, niſi quia intelligitur ipſemet actus eſſe malus ex alio capite quam ex illa.

11. *Probatur ſecundo concluſio*, quia ſi determinatio libera voluntatis ad actum malum conſiſteret in huiuſmodi negatione, & hæc eſſet malitia actus, etiam determinatio libera ad actum bonum conſiſteret in negatione, & hæc eſſet bonitas formalis actus: ſed hoc eſt falſum etiam ſecundum aduerſarium, qui bene negat cum omnibus actum bonum, qua talem, dicere formaliter negationem aut priuationem.

*Probatur ſequela maioris*, quia ideo conſiſteret determinatio ad actum malum in tali negatione, quia poteſt haberi & ea poſita abſque vlla alia actus libere ponetur; & ideo eſt malitia, quia ſine ea actus non eſſet malus, & ea poſita eſt malus neceſſario: ſed ſi illa haberi poteſt, poteſt etiam haberi negatio omniũ impedimentorum actus boni, & ea poſita ponetur abſque vlla alia determinatione, & actus erit bonus, qualis non erit ſine illa.

*Dices*: diſparem eſſe rationem quia determinatio, quę eſt ad malum, eſt mala, & propterea debet eſſe negatio; quæ vero eſt ad bonum eſt bona, & propterea debet eſſe poſitiuum.

*Contra*: quia determinatio ad actum poſitiuum malũ eſt bona phyſice, quamuis ſit mala moraliter, ſicut & ipſemet actus malus: ergo habet ſufficientẽ bonitatem vt ſit quid poſitiuũ & cõſequẽter nulla eſt diſparitas data.

*Contra ſecundò*, quia poſſet eſſe bona, quamuis eſſet negatio; nam hoc ipſo, quo eſſet determinatio ad actum bonum, quamuis eſſet negatio, eſſet bona, omni modo, quo requiritur, quod ſit bona.

*Confirmatur* hoc: quãdo dicis, quod determinatio ad actũ bonũ ſit bona, aut hoc intelligis de bonitate poſitiua intrinſeca, & tũ manifeſte petis principiũ, aut loqueris de bonitate, quæ cõſiſteret in hoc, quod eſſet determinata ad bonũ, & hãc haberet, quàuis eſſet negatio.

*Probatur tertio concluſio*, quia non poteſt voluntas habere ante odium malum verbi gratia, negationem omnium impedimentorum eius, niſi habeat negationẽ non exiſtentiæ ipſius; nam non exiſtentia odii eſt maximum impedimentum ipſius, quod & fatetur ipſemet aduerſarius, ſed illa negatio nequit dari ante odium: ergo.

*Probatur minor*, quia non poteſt tolli non exiſtentia odii, niſi per ipſum odium, quia alias daretur pura negatio negationis contra manifeſtam veritatem & omnes bonos authores.

*Reſpondet* Aduerſarius omiſſionem puram amoris boni & odii mali, quam ipſe ſupponit nobiſcum poſſibilem, eſſe indiuiſibilem, eamque tolli non ſolum per amorem & odium: ſed per quemcumque modum affixum amori & odio, ſiue priuatiuum ſiue negatiuum: ſicut mors hominis non ſolum tollit hominem, ſed omnem priuationem ipſi affixam: & ſicut non ſolum lux perfecta, ſed minus perfecta ac vmbroſa tollit tenebras; vnde, inquit, negatio exiſtentiæ odii non ſolum tollitur per odium, ſed per determinationem ad ipſum, quamuis illa determinatio ſit negatio.

*Contra*: quia licet per determinationem ad odium tolleretur non exiſtentia odii (quod tamen eſt falſum formaliter loquendo, licet poſſet admitti in ſenſu principiatiuo) tamen impoſſibile eſt, quod illa determinatio, per quam tollitur, ſit negatio: quia quamuis per negationem ſubiecti tollatur omnis etiam priuatio poſita in ipſo, quia omnis talis inuoluit ſubiectum & nequit eſſe abſque ipſo; tamen impoſſibile eſt, quod à ſubiecto exiſtente tollatur vna negatio per alteram.

*Confirmatur*, quia impoſſibile eſt tollere negationem viſus niſi per viſum, nec Deus ipſe poteſt tollere negationem hominis per aliam negationem: ergo nec poteſt tolli à voluntate negatio exiſtentiæ odii per aliam vllam negationem, per quam non tollitur ipſa voluntas.

*Cõfirmatur ſecũdò*, quia non datur negatio non hominis antecedens omne poſitiuum, per quam tollatur non homo; nec negatio non albedinis in ſubiecto, antecedẽs omne poſitiuum, per quam tollatur nõ albedo: ergo idẽ dicendũ in propoſito. Plures alias rationes propoſui in Commentario meo ad diſt. 35. ſecundi num. 24. & ſeq.

*Funda*

*Fundamentum* autem vnicum aduersarii, ob quod recurrit ad hunc peregrinum dicendum modum est, quod non possit aliter explicari, in quo consisteret malitia actus peccaminosi: sed ex dicendis patebit hoc esse falsum, & si non posset, certe non bene explicaretur hoc modo; vnde potius dicendum esset, quod ignoraretur in quo consisteret, quàm doctrina hæc proponeretur, quæ prorsus nihil iuuat & est falsa.

## CONCLVSIO II.

Nec in vllo respectu sequente entitatem positiua

15. *Ratio formalis peccati non consistit in respectu alicuius rationis aut reali sequente entitatem positiuam.* Hæc est communior contra Vasq. disp. 95, c. 9. qui putat respectum esse rationis & Curiel. 1.2. q. 7. a. b. dub. 1. qui putat eum esse realem.

*Probatur prima pars*, quia etiãsi nullũ esset ens rationis possibile, neq; aliquis consideraret in actu malo esse vllũ respectũ, qui reuera nõ est ibi, adhuc actº esset malus: ergo malitia ipsius nõ habetur à respectu rationis.

*Probatur secunda pars*, & confirmatur etiam prima, quia est aliquod præuium, ratione cuius actus habet quemcumque respectum sequentem, à quo esset malus, potius quam alios respectus, à quibus non esset malus, sed vel bonus vel indifferens: ergo ab illo potius debet actus dici malus, quàm ab vllo respectu sequẽti. Huius rationis vis patebit magis per dicenda inferius contra eos, qui ponunt malitiam in negatione aut priuatione.

*Fundamentum* Aduersariorum huius conclusionis, est simile fundamento proposito contra conclusionem præcedentem & similiter etiam soluitur.

## CONCLVSIO III.

Nec à priuatiuo & positiuo fimal.

14 *Actus peccaminosus non habet esse talis formaliter & per se primo à positiuo, & negatiuo seu priuatiuo.* Hæc est contra multos Recentiores, quorum aliqui citãt pro se S. Thom. q. 71. a. b. 6. & Ferrar. 3. contra Gentes 9.

*Probatur autem*: ipsemet actus antecedenter ad omnem priuationem habet sufficientẽ rationem, ob quam dicatur per se primo totaliter malus, vt probabo conclusione sequenti: ergo nec partialiter quidem habet à priuatione vlla sequenti esse malus per se primo, quia quotiescumque habet aliquid rationem constitutiuam suam in aliquo genere, seu secundum quod distinguitur ab omni alio, quod non est talis generis, ante aliam rationem, non potest per se primo constitui in esse tali, nec partialiter quidem, à ratione aliâ posteriori, & hinc homo, quia habet rationalitatem, quæ anterior est risibilitate & constituit ipsum in esse distincto à quocũque alio, quod non est homo, non potest constitui, nec partialiter quidem per risibilitatem in esse hominis,

*Obiicies*: ipsa priuatio rectitudinis sequens ad actum est mala: ergo actus habet esse malus ab illa: sed habet etiam esse malus ab aliquo antecedenti: ergo ab vtroque habet esse malus.

*Respondeo* distinguendo primum consequens: per se primo, nego; secundario concedo consequentiam. Sicut enim homo habet distingui à quocumque, quod non est homo per risibilitatẽ, non tamen per se primo, quia sic distinguitur per rationalitatem: ita actus habet esse malus à priuatione, sed non per se primo, quia sic est malus ab illo priori, ob quod sequitur ad ipsum talis priuatio.

15 *Obiicies secundò*, secundum Aristotelem 3. *met. tex.* 16. vnum extremum contrariorum habet rationem priuationis respectu alterius extremi: sed actus, qua malus, contrariè opponitur actui bono: ergo habet rationem priuationis respectu ipsius, & consequẽter quà malus dicit formaliter priuationẽ, sed præterea qua malus dicit aliquod positiuũ: ergo qua malus, dicit vtrũque.

*Respondeo* distinguendo maiorem; quatenus ad ipsum priuatio alterius sequitur, concedo maiorem; quatenus priuatio deberet esse de ratione constitutiua ipsius, negatur: & similiter concessa minori distinguo cõsequens: per se primo, nego; per se secundo, seu consecutiue, transeat; & concesso etiam subsumpto, distinguo vltimum consequens: ita vt vtrumque per se primo dicat, nego; ita vt vnum dicat per se primo, & alterum per se secundo seu secundario, concedo consequentiam.

## CONCLVSIO IV.

Nec à priuatione sola.

16. *Ratio formalis, qua per se primo constituitur actus malus, non est priuatio sola aut negatio vlla sequens actum.* Hæc est iuxta eos Authores qui tenent oppositum præcedentium conclusionũ contra Thomistas ac Scotistas communiter quos sequuntur Suar. Bell. Salas, Molin.

*Probatur primò*: quia actus bonus non habet esse bonus per se primo ab aliquo sequente entitatem vt supra docui: ergo neque malus habet per se primo esse malus ab vllo sequente entitatem suam.

*Confirmatur* quia si actus bonus haberet esse talis formaliter ab aliquo sequente, maxime à respectu aliquo conformitatis ad naturam vel legem vel rationem: sed si haberet à tali respectu esse bonus, actus malus debere haberet esse talis à respectu difformitatis & cõsequẽter nõ esset talis à priuatione aut negatione vlla.

*Confirmatur secundò*, quemadmodum sequitur ad actum malum priuatio rectitudinis seu conformitatis: ita sequitur ad bonum priuatio difformitatis: ergo si ab vlla priuatione sequente actus malus habet esse talis, idem dicendum de actu bono; aut si hic, non obstante quod sequatur ad ipsum talis priuatio, nõ habet tamẽ per se primo esse bonº ab illo, idẽ dicẽdũ de actu malo,

*Probatur secundò*, quia ipsemet actus ad quem sequitur illa priuatio est malus moraliter antecedenter ad illam priuationem: ergo non constituitur malus per se primo, per ipsam priuationem.

*Probatur* antecedens; habet aliquid, ob quod necessario sequitur illa priuatio, ante ipsam priuationem; sed ab illo habet esse malus: ergo.

*Probatur minor*, quia ab illo habet esse distinctus ab actu bono & indifferenti, & etiam ab actu morali vt sic: neque enim ad illos sequitur necessario talis priuatio: sed illa ratio actus, à qua habet ab illis distingui est ratio mala seu malitia: ergo.

*Probatur* eadem minor secundo, quia est contra rationem tale quid elicere ad quod videretur sequi talis priuatio, & nemo prudens est, qui non putet esse reprehẽsione ac pœba dignum eũ, qui illud vellet elicere, hoc autem est esse malũ morale, nisi velimus ludere verbis.

*Dices*: hanc probationem vrgere bene, quod illa ratio prior sit malitia fũdamẽtalis, non vero formalis. Cõtra quia gratissime dicitur, quod non sit malitia formalis.

*Cõfirmatur* quia propterea actus esset malus fundamẽtaliter tantũ, & non formaliter absque priuatione, quia posset esse absque priuatione, & tunc nõ esset formaliter malus, vt si produceretur necessario: ergo si sit aliquid antecedens priuationem, ad quod necessario sequitur, seu quod non possit esse de potentia absoluta sine priuatione, actus, vt afficitur illo, erit malus formaliter, & non tantũ materialiter aut fundamẽtaliter: sed est aliquid prius, nẽpe quod actus producatur libere circa obiectũ propositum, vt indecens, aut prohibitum,

17 *Probatur conclusio tertio*, ideo potissimum statuitur malitia peccati in priuatione, vt saluetur melius, quomodo Deus non sit causa peccati; sed non melius saluatur: ergo non debet asseri.

*Probatur minor*, quia quamuis malitia esset priuatio, Deus esset causa ipsius tam bene, quam creatura; quia tam bene concurrit ad actũ positiuum, ad quẽ necessario sequitur; & eatenus creatura est causa priuationis, quatenus causat actum positiuũ, & quamuis non concurrat alio modo ad priuationẽ, quàm causando actum positiuum, tamẽ non potest negari, quin sit causa ipsius: ergo cum Deus concurrat ad positiuum, & priuatio necessario ad ipsũ sequitur, non tolletur, quin sit causa peccati, etiamsi peccatũ dicatur cõsistere in priuatiuo.

*Dices*: non propterea creaturã esse causam priuationis, quia concurrit quomodocumque, sed quia concurrit determinato aliquo modo, quo non cõcurrit Deus.

*Contra*, quia eodem modo posset saluari, quod Deus non esset causa peccati, quamuis consisteret in positiuo, dicendo quod alio modo ad illud positiuum concurreret homo, quàm Deus.

*Probatur quartò*, quia aut illa priuatio, in qua consisteret malitia, subiectaretur in actu, aut in potentia: sed neutrum dici potest: ergo. Probatur minor quoad primã partem; nempe quod non subiectetur in actu, quia nec actus peccaminosus odij verbi gratia Dei, nec vllus, quo quis liberè prosequitur obiectum prohibitum propositum sufficienter, etiam de potentia absoluta, est bonus: ergo nequit habere priuationem bonitatis, quia priuatio est carentia formæ in subiecto apto habere formã: per hoc enim distinguitur à negatione, quæ non est priuatio.

18. *Respondent aduersarij* actum malum secundum rationem suam specificam esse quidem incapacem rectitudinis ac bonitatis; cuius tamen est capax secundũ rationem genericam actus moralis vt sic, & hoc sufficere vt dicatur priuatus rectitudine debita sibi inesse: sicut vt talpa dicatur cæca, hoc est priuata visu, non requiritur quod habere possit visum secundum rationem specificam, sed sufficit quod habere possit illum secundum rationem genericam.

*Contra primò*, quia non potest dici proprie quod Brutum sit priuatum rationalitate, licet possit habere rationalitatem quoad rationem genericam, ex eo quod non possit eam habere quoad rationem specificam: ergo si actus odij Dei nequeat habere rectitudinem secundum rationem specificam, quamuis possit eam habere secũdum rationem genericam, non poterit dici priuatus rectitudine. Nec verum est quod talpa dici possit priuata visu; & quamuis dicatur cæca, per hoc tamen non intelligitur priuatio visus, sed vel locutio erit impropria, sicut est illa qua vocamus nuces cæcas, quarum nucleus est absumptus humiditate aut infectus; vel ly cæcitas non tantum significat priuationem, sed etiam negationem.

*Quod confirmo* quia Catulus non dicitur priuatus visu ante nonum diem; quamuis non solũ secundum rationẽ genericã debeatur ipsi visus, etiam ante nonum diẽ; sed etiam secundum rationem specificam debeatur ipsi post nonum diem, cuius non est alia ratio, quàm quod non debeatur ipsi secundum rationem specificam connaturaliter ante nonnum diem: ergo si secundum rationem specificam non debetur talpæ vllo modo visus, non potest dici priuata visu, quamuis deberetur ipsi secundum rationem genericam animalis.

*Contra secundò*, quia falsum est quod rectitudo debeatur actui malo secundum rationem genericam: ergo responsio non valet. Probatur antecedẽs quia ratio generica actus mali est ratio cõmunis ipsi & actui bono ac indifferenti; huic autem non debetur rectitudo, aliàs actus indifferens esset malus, quia haberet priuationẽ rectitudinis debitæ in esse secundum rationem genericam.

19. *Probatur eadem minor principalis* quoad secundam partem, nẽpe quod illa priuatio, à qua dicitur actus malus, non subiectetur in potentia, 1. quidem quia falsũ est quod potentia, quando peccat, habeat priuationem rectitudinis quæ deberet inesse ipsi, magis quam quando agit indifferẽter: neque enim deberet habere rectitudinem tum, nisi quatenus tum deberet elicere actũ bonum ex suppositione, quod vllum eliceret; sed si deberet hoc facere, non posset elicere actum indifferentem absque peccato & sic non esset indifferens.

*Probatur eadem pars* minoris secundò quia si actus esset malus à priuatione subiectata in potentia, vel hoc esset quia subiectaretur in potentia habẽte talem priuationẽ, & hoc non, quia alias omnis actus, liber præsertim, elicitus à potentia habente talem priuationem esset malus, quo nihil absurdius; vel quia esset causa, cur potentia haberet talem negationem, & hoc etiam non, quia ex hoc non deberet dici formaliter malus, sed causaliter; sicut sol ex eo, quod causat calorem, non dicitur formaliter calidus, sed causaliter vel virtualiter, & præterea si actus aliquis haberet virtutem causatiuam talis priuationis in potentia, deberet esse malus ex se, quia illa virtus est mala seu sufficiens malitia moralis, nam ab ea haberet distingui ab actu bono & indifferenti, qui non habent talem virtutem, aliàs eam causarent.

20. *Probatur quintò* quia reuera illa rectitudo, cuius priuationem aut negationem quis habet, cum peccat, & à qua sola posset actus esse malus, si ab vlla priuatione esset malus, nõ est rectitudo actualis virtutis oppositæ, quia illã non deberet habere, aliàs non posset elicere actum indifferentẽ, quamuis actus indifferens esset possibilis; sed consistit in re quacumque excludente peccatũ, siue illa res sit recta rectitudine virtutis oppositæ, siue non; solam enim hanc tenetur habere, quoties peccat, quia tenetur ponere impedimentum peccati, & quodcumque impedimentũ eius potest dici rectitudo potentiæ quia conseruat ipsam absque curuitate peccati. Hoc supposito sic argumentor: Peccatum consistit formaliter in illo quod immediate & directe opponitur rectitudini per ipsum excluſæ & quod directæ excluderetur per illã rectitudinem si adesset: sed ipsemet actus positiuus, (loquor claritatis causa de peccato commissionis) est qui excluditur per illam rectitudinem immediate: ergo ipsemet est malus ex ratione sua positiua. Probatur minor quia illa rectitudo posset esse omissio pura ex suppositione quod hæc sit possibilis, sed illa directe & immediate excludit actum positiuum, vt & hic illam: quod si excludatur per actum virtutis aut indifferentem, etiam illi immediate opponentur actui positiuo, qui cum illis stare nequit ob incompossibilitatem formalem.

21 *Probatur sexto*: Actus peccaminosus non dicit priuationem aut negationem sequentem se rectitudinis debitæ in esse aut sibi, aut præsentiæ: ergo malitia ipsius non consistit in tali negatione aut priuatione. Probatur antecedens quia non dicit negationem aut priuationem omissionis puræ, sicut nec albedo dicit negationem negationis albedinis, nec visus visus negationem cæcitatis: sed omissio illa est rectitudo tam debita inesse potẽtiæ, quam vlla alia & cuius negationem tam bene deberet dicere actus malus quam cuiuscumque alterius, si esset malus à negatione aut priuatione.

*Confirmatur* quia etiamsi non esset possibilis vlla rectitudo, per quam expelleretur occisio mala, præter puram omissionem, adhuc occisio esset mala: sed non esset mala per negationem aut priuationem omissionis sequentem, quia non habet talem: nam ipsamet ex sua entitate absoluta est opposita tali omissioni & consequenter mala. Plures alias rationes vide in Commentario, quamuis hæ abundè videantur sufficere.

22. *Obijcies primò*, varias PP. authoritates, quibus significatur peccatum esse nihil & non esse aliquid positiuum, sed priuationem, ex quibus paucas sufficit proponere: S. Basil. homil. 9. *Malum*, inquit, *boni priuatio est*. Naz. orat. 9. comparat malum tenebris & videtur vocare ipsum boni priuationem, sicut tenebræ lucis absentiam, & orat. 40. *Crede*, inquit, *nullam mali esse essentiam*. Aug. 11. Ciuit. *Mali nulla natura est, sed amissio boni, mali nomen accepit*. Item tract. 1. in Ioan. in illa verba: *sine ipso factum est nihil* habet: *Peccatum non per ipsum factum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant*.

*Confirmatur* quia ex hoc ipso concludunt PP. Deum, non esse Authorem peccati, & peccatum non habere causam efficientem, sed deficientem, quia peccatum est nihil. Vt patet ex Aug. 12. Ciuit. 7. *Nemo ergo efficientem causam malæ voluntatis quærat: nec enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio: deficere namque ab eo; quod summe est, ad illud quod minus est, hoc est incipere habere malam voluntatem*.

Quò sensu peccatum est nihil.

23. *Respondetur* SS. PP. pro maiori parte dum agunt de peccato, agere contra Manichæos, qui putabãt peccatum esse aliquam substantiam vel naturam, & non accidens naturæ seu substantiæ deficientis verbi gratia voluntatis non conformantis se suo Authori, vt colligere est ex Aug. lib. 2. de Moribus Manichæorum, vbi toto libro contendit peccatum non esse substantiam, quia alias non contrariaretur substantiæ hominis.

Vnde quando asserunt peccatum esse nihil, aut non esse aliquid, vel intelligunt quod non sit aliqua res, quæ sit natura vel substantia, non vero quod non sit actus

positiuus

positiuus, qui sit accidens, vt insinuat ipsemet Augustinus de perfectione Iustitiæ ratiocinatione. 4. vbi ait, peccatum esse actum non rem, & Author Hypognosticon inter eiusdem Aug. opera lib. 1. *opera vero eius mala, quæ vitia dicuntur, actus sunt, non res.*

*Vel per hoc volunt* quod peccatum sit priuatio & deficientia à bono, non quod formaliter & intrinsece dicat talem priuationē, sed quod eam necessario annexā habeat; vel quod auertat nos à summo bono, & trahat ad summam miseriam, nec propterea vllam veram vtilitatem habeat magis, quam si omnino nihil esset. Quod confirmatur ex loco citato. *Aug. in Ioannem*, vbi sicut dicit peccatum esse nihil; ita etiam dicit homines nihil esse & fieri per peccatū, quod intelligi nequit sic, vt homines non sint aliquid positiuum, etiam cum peccant; sed quod cum per peccatum auertantur à Deo, quasi nihil reputandi sint, in comparatione scilicet ad illud quod essent, si non peccassent. Quo etiā sensu Paulus. 1. *Cor.* 13. dicit se, si fidē habeat ita, vt montes transferat, charitatē autē non habeat, nihil esse & nihil sibi prodesse, & ramen tum haberet aliquid positiuū, & quidem bonū ac vtile, nempe fidē, & ipsemet esset quid positiuū

24. *Confirmatur vlterius* quia SS. PP. loquuntur de peccato sine adiunctione ly formaliter aut æquiualētis termini; sed peccatum, vt sic, non tantum dicit priuationem, sed actum positiuum: ergo sancti non excludunt à peccato rationem actus positiui, & certe quamuis paries albus, formaliter vt albus, dicat albedinem, & sit accidens, non vero substantia; tamen simpliciter absque addito pessime diceretur, quod paries albus esset albedo, aut accidens; aut quod non esset substantia, aut saltem non diceret substantiam: ergo idem dicendum de peccato seu actu peccaminoso.

*Ad Confirmationem* obiectionis fateor me nunquam intellexisse quomodo ex eo præcise, quod peccatū esset formaliter negatio aut priuatio, sequeretur quod Deus non esset causa eius, aut non concurreret ad ipsum; quia certum est quod Deus sit causa multarum aliarum negationum & quidem totalis, nam ipse solus posset facere hominem cæcum, ab ipso solo prouenit negatio alterius mundi qui possibilis est: ergo non ex hoc præcise quod peccatum sit priuatio, aut negatio, colligi potest quod Deus nō sit causa eius, aut non concurrat ad ipsū.

Quo sensu ex eo quod peccatum sit nihil, Deus non possit esse causa eius.

*Itaque dico* Patres tantum velle, quod Deus non sit causa peccati, quia peccatum est nihil, hoc est aliquid, quod demeritorie & male auertit à sūmo bono, & summe indeceret Deum concurrere ad ipsum alio modo, quàm postea ostendam debere admitti, quod cōcurrat.

25. *Obiicies secundò*, Malum, vt sic, commune malo naturali & morali dicit formaliter aliquid negatiuū; aliàs non includeretur in malo naturali, quod formaliter tātum dicit negationem: ergo malum morale formaliter tantum dicit aliquam negationem aut priuationem.

*Respondeo primò*, negando suppositum obiectionis, nempe quod malum naturale dicat tantum negationē; nam certe dolor ac tristitia sensibilis positiua est malū naturale animalis & non tantum ob priuationem boni, quam habent annexam, sed ob ipsam positiuam disconuenientiam; & esset malum homini, habere ttes manus & tamen tertia manus non esset negatio.

*Respondeo secundò*, supposito quod malum naturale dicat formaliter negationem, negando quod malum morale vt sic conueniat, vniuoce in ratione mali vt sic cum malo naturali.

*Obiicies tertiò*, Peccatum omissionis non dicit formaliter aliquid positiuum: ergo nec commissionis, quia vniuocantur in ratione mali vt sic.

*Respondeo* eodem modo peccatum omissionis puræ, de qua habet difficultatem obiectio, non dicere priuationem sequentem à qua sit mala, sicut id verum est de actu, sed ipsamet habita libere, cum non deberet haberi, est peccaminosa antecedenter ad quodcunque sequens nego autem consequentiam, quia non vniuocantur in ratione peccati formaliter: sicut nec vniuocantur in ratione peccati materialiter accepti.

*Obiicies denique Scotum*, qui *dist.* 35. Secundi videtur docere expresse, quod peccatum formaliter dicat priuationem rectitudinis, & quod in illa ratio formalis ipsius consistat.

*Respondeo* ipsum posse intelligi in sensu arguitiuo, quatenus scilicet ex tali priuatione potest à posteriori colligi, quod actus ea affectus sit malus. Posset etiam intelligi in sensu, in quo Aristoteles dicit vnum contrariū esse priuationem alterius, quia habet annexam talem, & perinde excludit alterum per se, ac si esset priuatio ipsius. Quo etiam sensu possunt explicari PP. dum aiunt peccatum esse priuationem. Vlteriorem confirmationem huius explicationis videre licet in Commentario eiusdem loci, nu. 61. Ex his habetur quod peccatum non habeat esse tale ab aliquo absoluto sequente, contra quod etiam facit, quod gratis & absque fundamento vllo fingatur dari aliquid absolutum sequens actum peccaminosum, & quod quacunque ratione posset defendi illud esse per se malum, posset idem defendi de ipsomet actu absoluto, ad quem dicitur sequi.

## CONCLVSIO VLTIMA.

Peccatum habet esse tale à sua entitate præuia ad respectus & priuationes sequentes

27. *Actus malus habet esse talis formaliter ab eo, à quo habet tendere libere in obiectum, quod proponitur vt prohibitum aut indecens, siue omittendo quod deberet facere, siue faciendo quod non deberet facere & hoc habet ex natura sua intrinseca positiua, supposita libertate & propositione obiecti sub illa ratione.* Hæc mihi videtur sententia vera Caietani, quam suo tempore multos tenuisse fatetur Vasques, & mihi constat nunc plurimos eam cæteris præferre iam impugnatis.

*Probatur autem sufficienter*, quia non potest explicari melius, à quo habeat esse malus formaliter; & quia apparet ex terminis, quod tendentia libera in obiectum quod cognoscitur à tendente esse prohibitum sit mala, & quia certū est quod actus ex natura sua intrinseca habeat sic tēdere, ex suppositione quod libere producatur.

*Cōfirmatur* quia si non haberet ex natura sua intrinseca esse malus, maxime quia haberet esse talis per denominationem extrinsecam, desumptam à natura rationali vel lege, vel ratione prohibente: sed non habet esse malus à tali denominatione per se primo, tum quia nihil impedit quo minus à se ipso dicatur malus supposita libertate & cognitione prohibitionis; tanquam conditione sine qua non; tum quia propterea natura possit tribuere talem denominationē actui, qui est malus, potius, quam aliis, quia ex se habet aliquam rationē, quam non habent alij actus, & propterea etiam lex vel ratio prohibet ipsum: sed illa ratio particularis potest sufficere ad malitiā eius seu ad constituendū ipsū formaliter malū.

Sed quidquid sit de hoc, illud videtur certum quod actus habeat esse malus ex hoc quod producatur libere circa obiectum quod est prohibitum & cognoscitur esse tale, & quod hanc rationem non habeat ab vllo posteriori se ipso, nec ab vllo priori; siue id habeat ex cognitione prohibitionis & libertate tanquam ex conditionibus sine quibus non; siue tanquam à ratione formali; siue ab illis simul & illa tendentia, quam habet in obiectum tale: nam quodcumque horum dicetur parū facit ad rem; & quantum ad me attinet, existimo quod possit dici esse formaliter malus ex libertate sua in actu secundo & tendentia in obiectū prohibitum propositum vt tale; vnde si libertas actus sit denominatio extrinseca, malitia actus potest dici esse partim extrinseca, & partim intrinseca; extrinseca quidem, quatenus dicit libertatem; intrinseca vero, quatenus dicit illam tendentiam; si vero libertas in actu secūdo sit intrinseca actui, tunc tota malitia potest dici esse intrinseca ipsi.

28. *Obiicies:* Totus actus liber physicus, quo voluntas tendit in obiectum cognitum vt prohibitum seu discōueniens, potest esse à parte rei sine eo, quod sit malus: ergo ab aliquo alio habet esse malus, quàm à tendentia libera in obiectum cognitum vt prohibitum.

Probatur antecedēs, quia si quis vellet comedere in die ieiunii sine cognitione prohibitionis, illa volitio nō esset

mala, quæ tamen ipsa esset mala, posita illa cognitione.

*Respondeo* negando consequentiam, quia quamuis possit esse absque malitia, quando scilicet non tenderet in obiectum cognitum, vt prohibitum, tamen non sequitur quin sit mala à tendentia illa ex suppositione quod cognoscatur prohibitio.

*Confirmatur* hoc quia non ab alia formalitate habet volitio comedendi tendere in comestionem, quàdo cognoscitur esse prohibita, quàm ab illa, à qua habent tẽdere in illam quando non cognoscitur esse prohibita; & tamen non tendit in illam vt prohibita est, nisi quãdo cognoscitur vt prohibita: ergo quamuis volitio non sit mala quando non tendit in comestionem prohibitam, sit mala, quando tendit, non necessario ab alia formalitate habebit esse mala, quàm ab illa ipsa, quam posset habere sine eo, quod esset mala; sed potius sequitur, quod illa ipsa formalitas, à qua habet esse mala, vt denominet ipsam malam, dependeat ab aliqua conditione sine qua non, nempe à cognitione prohibitionis obiecti.

Itaque eadem ipsa formalitas intrinseca actus, à qua habet tendere in tale obiectum potest esse malitia, si habeatur cognitio prohibitionis, & non esse malitia, si non habeatur talis cognitio: quod si propter hoc vellet quis dicere quod ipsa cognitio denominaret etiam partialiter malam; parum referret id concedere.

*Obiici* posset vlterius quod sequeretur Deũ esse causam peccati, sed suprà dixi non magis id sequi, quàm si consisteret in priuatiuo, aut respectu sequente; & postea ostẽdam, quomodo Deus non sit causa eius modo vllo ipsum indecente.

## QVÆSTIO III.

### *Quomodo peccatum opponitur naturæ & virtuti.*

29. CErtum videri debet quod peccatum voluntatis internum, de quo præcipue hic agimus, non opponatur naturæ, quatenus esset incompatibile cum ipsa natura, aut vlla parte substantiali, vel vllo accidente physico conseruatiua ipsius; vnde si opponatur, hoc erit quatenus erit contra inclinationem aliquam ipsius, seu quatenus natura abhorreret ab illo.

### CONCLVSIO I.

Peccatum non est cõtra inclinatione potentię actiuæ naturæ, nec contra inclinationem eius ad bonum delectabile aut vtile.

*Peccatum non est contra inclinationem potentiæ actiuæ quã habet natura; nec contra inclinationem ipsius ad bonum delectabile aut vtile; sed bene contra inclinationem ipsius ad bonum honestum & in hoc sensu opponitur tantum naturæ & est ipsi disconueniens.* Hæc est in re communis.

*Probatur prima pars*, quia producitur libere & sponte à voluntate: ergo non est contra inclinationem potentiæ actiuæ naturæ.

*Probatur secunda pars*, quia actus peccaminosus quandoque est delectabilis, & quandoque vtilis naturæ ac voluntati.

*Dices* priuat voluntatem bono delectabiliori ac vtiliori, vt gratia ac beatitudine: ergo est contra inclinationem ipsius ad bonum delectabile ac vtile.

*Respondeo* negando consequentiam, quia sicut forma imperfectior substantialis non est contra inclinationẽ materiæ, quamuis priuet ipsam forma perfectiori, quia ad ipsam etiam imperfectiorem habet inclinationem: ita directe in proposito dicendum.

Est contra inclinatio nem eius ad bonum honestum.

*Probatur denique tertia pars*, quia non est bonum honestum, sed malum oppositum illi: ergo est contra inclinationem ipsius ad bonum honestum.

30. *Obiicies* contra secundam partem non est inclinatio in voluntate aut vlla potentia hominis, qua rationalis est, ad malum inhonestum, quod est contra iudicium rectæ rationis: ergo peccatum non est iuxta inclinationem hominis ad bonum delectabile.

*Respondeo* negando antecedens, vel ipsum distinguẽdo: quatenus inhonestum, concedo; specificatiue, nego antecedens.

Itaque non est sensus conclusionis quod peccatum quatenus inhonestum sit delectabile; sed quod ille ipse actus, qui est peccaminosus, non obstante quod sit peccaminosus, sit delectabilis voluntatis, & sane nisi esset non haberet vllam difficultatem in eo fugiendo.

### CONCLVSIO II.

Actus aliquis peccaminosus opponitur physicè actui alicui virtutis tam naturalis quam supernaturalis.

31. *Actus peccaminosus habet physicam oppositionem contrariam cum actu virtutis tam naturalis quam supernaturalis contrario modo tendente in idem obiectum materiale, verbi gratia velle efficaciter occidere proximum habet oppositionem physicam cum nolitione physica efficaci ipsum interficiendi, sive hæc volitio sit actus charitatis naturalis aut supernaturalis, sive actus Iustitiæ, sive obedientiæ; non tamen magis particularem habet necessario contrarietatem cum actu vllo virtutis tali, quàm cum actibus aliarum virtutum, aut etiam actibus indifferentibus, ac malis.* Probatur prima pars, quia certum est non posse quem simul & semel velle & nolle efficaciter & simpliciter idem materiale obiectum, vt interficere & non interficere: ergo volitio & nolitio talis habent oppositionem; non autem priuatiuam aut contradictoriam, cum vtrumque extremum sit quid positiuum; nec relatiuam cum neutrum extremum sit relatio: ergo contrariam.

Non tamẽ maiorem quam cum alio actu malo aut indiffe. renti.

*Quod autem* habeãt oppositionem, cuiuscunque naturæ sit nolitio aut volitio, siue scilicet sint naturalis, aut supernaturalis, huius, vel illius vitij vel virtutis patet quia oppositio eorum est ex ratione nolitionis ac volitionis efficacis vt sic: ergo quamdiu manet illa ratio, erit oppositio, non obstante quacunque alia ratione: & hinc patet secunda pars quia si quis vellet interficere hominem contra iustitiam, illa volitio haberet oppositionem non solum cum nolitione interficiendi orta ex affectu iustitiæ, sed cuiuscunque alterius; & etiam cum ea, quæ esset indifferens aut haberet finem aliquem malum: nec potest ostendi quod magis opponatur volitio illa occidendi cum nolitione ex affectu iustitiæ, quàm cum quacunque alia.

Posset tamen hoc nõ obstante dici quod nolitio interficiendi hominem in qua consideraretur esse disconuenientia iniustitiæ haberet aliquam particularem oppositionem cum nolitione interficiendi orta ex ipsamet disconuenientia iniustitiæ, aut ex conuenientia iustitiæ, non quod magis excluderent se inuicem quàm possent excludi per alios actus, sed quod respiciant obiectum propositũ secundùm eandẽ rationẽ inhonesti.

### CONCLVSIO III.

Habitus vitiosus contrarie opponitur habitui inclinanti ad actum oppositum.

32. *Habitus inclinans ad actum vitiosum opponitur physice oppositione contraria habitui naturali inclinanti ad actum quemcumque oppositum ipsi, non tamen habitui supernaturali.* Hæc videtur communis & *Probatur prima pars*, quia experientia constat quod eliciens multos actus intemperantiæ minus reddatur facilis ad actus temperantiæ, ad quos habebat habitum temperantiæ, quàm ante erat: ergo diminuebatur in illo habitus temperantiæ; sed non per actus intemperantiæ immediate: ergo per habitum iis acquisitum: sed per illum non diminueretur, nisi haberet cum illo oppositionem; aliam autem habere non potuit quàm contrariam: ergo.

Non tamen habitui supernaturali.

*Probatur secunda pars*, quia habitus supernaturalis non dat inclinationem nec producitur physice per actus & probabiliter creatur: ergo non habet physicam incompassibilitatem cum vllo alio habitu.

*Obiicies contra primam partem*, pro aliquibus Scotistis. Secundum Doctorem 1. d. 17. vnus & idem habitus potest nunc esse virtutis, nunc vitij: ergo non opponitur physice habitus virtutis habitui vitij.

*Probatur* antecedens, quia habitus temperantiæ acquisitus per actus vitiosos, quibus scilicet vellet quis temperate viuere ob vanam gloriam, esset habitus vitiosus: sed idem ipse esset habitus virtuosus, quando quis vellet temperate viuere ex honestate tẽperantiæ.

*Respondetur* quidquid sit de antecedenti, de quo postea, negando consequentiam; quia quamuis idem habitus,

habitus posset inclinare nunc ad actum virtutis & nunc ad vitij, quod sufficit ad veritatem antecedentis, tamen non potest idem habitus inclinare ad volitionem & ad nolitionem ipsi oppositam, & hoc intenditur in conclusione.

38. *Dices* potest idem habitus inclinare ad volitionem & nolitionē eiusdem obiecti: ergo nulla responsio

Probatur antecedens: quia si quis ex errore putaret mediocritatem temperantiæ consistere in comedendis decem vnciis cibi, & propterea comederet decem vncias frequenter, acquireret habitum temperantiæ inclinantem ad volendum comedere tot vncias; quod si postea cognosceret errorem, & videret mediocritatē temperantiæ consistere in octo vncii, idē ille habitus inclinaret ipsum ad nolendum comedere decem vncias.

*Respondeo* distinguendo antecedens. manente propositione eiusdem rationis, ob quam mouetur voluntas ad prosecutionem mediante habitu, negatur; non manente, transeat. Itaque habitus temperantiæ, qui inclinauit ad volendum decem vncias, quamdiu putabatur honestum eas comedere, ob mediocritatem temperantiæ, quæ in illis putabatur consistere, non poterat inclinare ad nolendum illas comedere, & diminuebat omnem habitum, qui ad illam nolitionem inclinabat; sed mutata illa opinione, poterat bene inclinare ad illam nolitionem, quia illa erat cōformis volitioni, quæ tum apparebat temperata, & ad quam propterea habitus temperantiæ inclinabat; nec hoc est contra conclusionem, quę vult tantum quod habitus inclinans ad actum vitiosum, volendi verbi gratia, diminuat habitū inclinantem ad oppositum actum, manente eadem ratione motiua eiusdē actus: contra hoc autem non facit illud exemplum de habitu eodem inclinante ad prosecutionem & fugam eiusdem obiecti mutata ratione formali obiecti, ob quam inclinabat ad vnum actum,

## QVÆSTIO IV.

### *De distinctione peccatorum.*

Peccata opposita rectitudinibus diuersæ speciei sunt diuersæ speciei.

39. *Certum videtur* ea peccata esse distinctæ speciei, que priuant rectitudinibus distinctę speciei sic, vt qui consideraret omissionem alicuius peccati esse honestam honestate, temperantiæ verbi gratia, & committeret tamē peccatum illud, peccaret peccato distinctę speciei à peccato, in cuius omissione nō cōsideraret honestatem temperantiæ, sed alterius virtutis, vt iustitię, aut religionis; quod si in omissione cōsideraret duas honestates, tempereantiæ verbi gratia, & iustitiæ, peccatum participaret duas malitias intemperantiæ & malitiæ & vtraque exprimenda esset in confessione.

*Dices* omissio actus indifferentis posset esse honesta, vt si quis ipsum omitteret ex charitate ad finem scilicet subueniendi infirmo: ergo ex eo quod omissio peccati esset honesta, ipsum peccatum non deberet esse inhonestum inhonestate opposita.

*Respondeo* ex eo quod esset honesta ex alio capite quàm quatenus opposita peccato, concedo: ex eo quod esset honesta quatenus opponitur peccato, nego consequentiam.

Obligatio vrandi peccati non oritur semper ex obligatione ad virtutem oppositā.

*Certum vlterius videtur* quod, quamuis distinctio peccatorum possit colligi ex oppositione, quam haberēt cum rectitudinibus aut virtutibus distinctis; tamen obligatio non committendi peccati non oriatur semper ex obligatione exercendæ virtutis oppositæ; nec malitia ipsius arguatur ex eo, quod habeat oppositionem exclusiuam actus virtuosi oppositi.

*Patet prima pars*, quia posset fieri quod non obligaretur quis ad temperate, verbi gratia, viuendum, quando tamen obligaretur ad non viuendum intemperate; & hinc præcepta affirmatiua de virtutibus dicuntur obligare semper, sed sed non pro semper; præcepta vero negatiua, quibus prohibentur vitia, semper & pro semper obligant.

*Probatur secunda pars*, quia actus indifferens excludere posset actum virtutis, & tamen non haberet malitiā; & præterea actus malus venialiter, v.g. intemperātia leuis, excludit actum temperantiæ; & tamen non est obligatio sub mortali ad ipsum vitandum, aliàs non esset leuis: ergo non potest nec quanta sit malitia peccati, nec quod vllo modo habeat malitiam colligi præcise ex oppositione, quam habet cum virtute.

Vnde colligitur malitia actus peccaminosi aut prohibitio eius sub peccato.

40. *Et si quæratur* vnde ergo colligi possit malitia actus, qui dicitur peccatum, aut prohibitio eius sub mortali.

*Respondeo* id colligi vel ex natura ipsiusmet, vel ex eo quod sic prohibeatur à superiori potente sic prohibere.

*Quod si appareat* grauitas ac malitia peccatorū ex natura sua, facile ex iisdem apparebit diuersitas eorum specifica, sicut apparet diuersitas specifica albedinis & nigredinis illis, qui eas percipiunt.

*Sed quando* malitia actuū constat ex eo quòd prohibeantur à superiori, tunc neque ex præceptis, neq; ex ipsis actibus potest colligi distinctio specifica eorum; nō quidem ex ratione præcepti præcise, quia actus diuersi prohiberi possent vnico præcepto & quia diuersis etiā præceptis possent prohiberi diuersi actus, qui tamē sint eiusdem malitiæ in specie; nàm si Deus prohiberet vno præcepto saltationem, & alio ambulationem sine vllo motiuo ex parte actuum, vterque actus esset malus malitia inobedientiæ tantum; non etiam ex diuersitate specifica actuum quoad naturam physicam, quia talem haberent saltatio & comestio, quæ tamen possent tantum esse eiusdem speciei moralis inobedientiæ.

*Hinc docetur* cōmuniter quod non ex diuersis præceptis præcise sumatur distinctio peccatorum; sed ex fine & motiuo intrinseco virtutis, cuius gratia præceptum fit; quare cum finis præcepti de ieiunanda Quadragesima sit aut mortificatio carnis, aut pœnitentia pro peccatis aut exercitium obedientiæ, & hic sit diuersus à fine præcepti de obseruanda die Dominica, qui est cultus exhibendus Deo; infertur trangressionem ieiunij esse diuersæ speciei à violatione festi.

41. *Contra* quam doctrinam tamen occurrit primo, quod non constet ex præceptis, quod Deus intendat illos fines; quandoquidem posset illa ferre ex eodem motiuo obedientiæ.

*Occurrit secundo* quod quamuis auditio sacri spectet ad religionem per se & ieiunium ad temperantiam (de quo tamen dubitari posset loquendo de ieiunio quadragesimali, sine quo quis posset esse perfectissime tēperatus) tamen non ita spectant ad illas virtutes, vt esset inhonestas vlla in non audiendo sacro, aut ieiunando quadragesimam, secluso præcepto: ergo inhonestas, quæ est in illis peccatis, supposito præcepto, non est contra illas virtutes.

*Confirmatur* quia Deus non intendit obligare, dum præcipit auditionem missæ aut ieiunium, ad cultum religionis, aut temperantiæ, vel vllius virtutis: ergo non potest ex fine istorum præceptorum colligi, quod inhonestas trāsgressionis sit distinctæ speciei pro distinctione istarum virtutum.

Probatur antecedens quia alias, qui male venialiter, aut etiam mortaliter ieiunaret Quadragesimā non obseruaret præceptum de ieiunio illo contra omnes.

Omnia peccata, quæ talia sunt præcise ex eo quod prohibita à Deo præcepto positiuo, sunt eiusdem speciei moralis.

*Propter hæc*, & alia plura in meo Commentario videda existimo quod omnia peccata, quæ sūt peccata, quia prohibita à Deo per legem positiuam, & aliàs non essent peccata, sint eiusdem speciei nempe inobedientiæ & irreuerentiæ quæ concomitatur inobedientiam.

Hoc tamen non obstante fieri potest, vt quis non solū peccet cōtra obedientiam, dū facit aliquid contra ipsā; sed etiam contra aliam virtutem, contra quā alias non peccaret faciendo illud; nā si quis omitteret cultū exhibere Deo in die festo peccaret non solū cōtra obedientiam debitam Deo præcipienti talē cultū eo die, sed cōtra charitatē quia verisimile est charitatē obligare ad cultū amoris Deo præstandū, supposita illa bona occasione, quæ per tale præceptū de abstinēdo ab operib⁹ seruilib⁹ offertur: illa tamen obligatio, non prouenit directe ab illo præcepto de obseruatione festi; sed

indirecte

indirecte quatenus præcipit aliquid quod dat occasionem magnam exercendæ charitatis; & hoc supposito ipsa charitas per se obligat. His suppositis sit.

CONCLVSIO I.

Peccata specie diuersa habent oppositionē particularem cū diuersis virtutibus.

42. *Omnia peccata quæ specie distinguuntur habent oppositionem particularem cum diuersis virtutibus aut rectitudinibus tam actualibus quam habitualibus.* Hæc videri posset esse contra communem sententiam.

*Probatur* quia si non, maxime quia peccatum prodigalitatis & Auaritiæ opponerentur eidē tantū rectitudini, nempe liberalitati, & consequenter non opponerētur diuersis speciei rectitudinibus: sed hoc est falsum, quia nolle prodigere propter turpitudinem specialem, quæ est in prodigendo, est actus rectus distinctæ rationis ab actu recto quo quis nollet auarè aliquid facere propter turpitudinem auaritiæ; sed prodigalitas, opponitur specialiter primo actui; auaritia vero secūdo: ergo peccata actualia prodigalitatis & Auaritię habēt oppositionē particularē cū actibus bonis distinctæ speciei.

Hinc autem sequitur quod habitus prodigalitatis opponatur habitui bono alicui, cui non tam specialiter opponitur habitus Auaritiæ; nam opponitur specialiùs habitui inclinanti ad illum actum bonum, quo quis ob turpitudinem prodigalitatis non vult prodigere, & ille habitus est distinctæ rationis ab habitu, quo quis inclinaretur per se ad nolendum auare agere propter turpitudinem auaritiæ.

*Dices* non esse alium habitum inclinantem ad illos actus quàm liberalitatis qui est vnus: ergo conclusio est falsa quoad habitum.

*Contra* quia si quis acquireret habitum nolendi prodigere propter turpitudinem prodigalitatis non propterea esset facilis ad erogandum quantum sufficeret ad liberalitatem: ergo non est idem habitus simplex liberalitatis, quo inclinatur ad non prodigendum & ad non auare faciendum.

Quia tamen communiter supponitur quod sola liberalitas habitualis opponatur tam prodigalitati quā Auaritiæ habituali, existimo dicendum vt saluetur illa doctrina, liberalitatem adæquate acceptam, quatenus inclinat ad dandū quod honestum est & ad nō excedēdū, nec deficiendū, non esse vnum simplicem habitum, sed integratū, ad minus, ex duobus habitibus distinctæ rationis, quorum vnus inclinat ad dandum, quod honestum est, & hic fortassis sufficienter inclinat ad non auare retinendū; alius vero inclinat ad nō dandū vltra.

CONCLVSIO II.

Diuersitas specifica obiecti materialis quandoq; sufficit ad distinguendum peccata quādoq; non.

43. *Diuersitas specifica obiecti materialis non sufficit ad distinctionem specificam peccatorum, nisi quando præterea apparet diuersa indecentia.* Hæc est communis & patet, quia alias furtum ouis, esset diuersæ speciei à furto panni, aut pecuniæ pretij æquiualentis, quod est absurdum. Quod autem sufficiat diuersa specie indecentia, qualis apparet inter furtū & ebrietatē, patet ex terminis.

CONCLVSIO III.

Etiam diuersitas superiorū præcipientium.

44. *Diuersitas præceptorum orta ex eo, quod superiores præcipientes, sint notabiliter differentes in superioritate, videtur sufficere ad diuersitatem specificam transgressionum inducendam;* quia si quis nollet obedire, Deo, omnino videretur peius, etiam quoad speciem, quàm si non obediret Principi terreno, qua talis est præcise, quandoquidem propter primam appareat Deum posse punire pœna æterna; non tamen propter secundam precise, nisi quatenus ipsemet etiam præcipit talibus obediri: quæ autē transgressiones sic se habent, vt vna mereatur pœnam æternā sensus & damni, altera vero non omnino videntur esse diuersæ speciei in genere moris.

*Confirmatur* quia furtum veniale distinguitur specie à furto graui mortali, & hoc quia vnum meretur pœnam æternam, alterum non: ergo quandoquidem contraire Deo inducat reatum pœnæ æternæ, & contraire superiori terreno, quia tali præcise non inducat talem reatum, distinguentur specie.

*Ex alia tamen* parte videri posset non sufficere hanc diuersitatē pœnæ; quia non videtur esse alterius ratio-nis, quàm qualis esset inter lineam finitam & infinitam, quæ non est specifica.

QVÆSTIO V.

*De grauitate peccatorum.*

45. CErtum est quodlibet peccatum mortale de facto esse tam grauem offensam Dei, vt inducat priuationem amicitiæ cū Deo & filiationis adoptiuæ & destinationem ad æternam pœnam, si ante mortē non remittatur: vt colligitur ex omnibus scripturæ & Patrū locis, ex quibus constat morientes in statu cuiuscunq; peccati mortalis excludi à beatitudine & damnari in infernū iuxta illud: Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum &c.* Et Symboli Athanasij. *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum.* Controuertitur autem, an ex natura sua hæc grauitas competat omnibus peccatis, quibus de facto illud competit: circa quod sit

CONCLVSIO. I.

Nulla peccata contra legem naturæ, qua tali præcise, sunt meritoria pœnæ æternæ, nisi respiciant ipsum Deum,

46. *Nulla peccata quantumuis grauia commissa contra legem naturæ, aut positiuam humanam, qua talia sunt præcise, quæ non respiciunt ipsum Deum, sunt ex se tam grauia.* Probatur quia in huiusmodi peccatis, vt sic consideratis, non apparet vlla ratio, ex qua colligi possit tanta eorum grauitas; & videtur quod pœna aliqua temporalis siue in hac vita, siue post mortem solubilis possit ipsis correspondere sufficienter, tum quoad ipsammet grauitatem propriam, tum ad retrahendos homines ab eis committendis.

*Confirmatur* quia valde difficile est assignare, cur ipsis peccatis Theologicis hoc est contra Deum factis, possit correspondere talis pœna, & ratio, quæ adduci potest, non currit de his peccatis aliis: ergo non debet dici, quod correspondeat illis.

*Dices* sequeretur quod non essent mortalia: sed hoc esset absurdum.

*Respondeo* hanc esse quæstionem de nomine: si enim mortalia essent, quibus talis pœna correspondaret ex natura sua, id esset concedendum; si autem talia dicerentur, quæ habent ex se tantam grauitatem, vt ad ea impedienda Deus moueri possit ad infligendam talem pœnam committentibus ipsa, aut ad prohibenda illa sub tali pœna, negatur.

CONCLVSIO II.

Nec ex hoc præcise quod prohibentur à Deo.

47. *Per hoc præcise quod Deus prohiberet aliquid, non apparet quod transgressio sit tam grauis, vt mereatur pœnā æternam damni & sensus.* Hæc videtur esse contra eos, qui putant quodlibet peccatum contra Deum esse infinitæ grauitatis, quia fit contra personam infinitæ dignitatis, & crescit offensa iuxta dignitatem personæ offensæ; sed quamuis ego ipse essem in ea sententia, adhuc tenerem hanc conclusionem, quia illa infinita grauitas posset puniri sufficienter per pœnam æternam damni & sine vlla pœna, vel per temporalem pœnam sensus. Quidquid autem sit de hoc.

*Probatur conclusio* in principiis nostris: Peccatum commissum contra Deum non est infinitæ grauitatis nec intensiuè, nec extensiuè: ergo potest sufficienter puniri pœna aliqua finita.

*Probatur secundò*, nullum opus bonum ex natura sua secluſa ordinatione Dei meretur vitam æternam: ergo neque peccatum ex eo, quod prohibitum præcise à Deo absque ordinatione speciali meretur pœnam æternam sensus & damni.

*Confirmatur* quia peccatum veniale est offensa Dei & tamen non meretur talem pœnam: ergo nec mortale ex eo, quod sit offensa Dei præcise.

*Dices*: disparem esse rationem; quia offensa venialis est leuis, mortalis vero grauis.

*Contra* quia vel intelligis hoc de graui tanta grauitate vt debeatur ei talis pœna, & petis principium; vel de alia grauitate, & illa non sufficit, quia vnum peccatum veniale potest esse grauius altero.

CON

## CONCLVSIO. III.

De facto peccata mortalia merentur infernum, quia sub tali prohibentur.

48. *Peccata mortalia de facto merentur huiusmodi pœnam, quia sub tali prohibentur cum conditione vitæ æternæ conferendæ non peccantibus, & suppositâ hac lege iustissime sic puniuntur.* Hæc patet quia alia melior ratio assignari nequit; & quia apparet ex terminis, quando proponitur præmium æternum operibus bonis non merentibus ipsam ex sua natura, posse etiam pœnam æternam proponi malis operibus, & si proponitur, iuste eam infligi negligentibus acquirere tantum boni ob consolationem aliquam temporalem parui prorsus aut nullius momenti, si compararetur aut ad illud præmium, aut ad pœnam æternam propterea incurrendam.

## CONCLVSIO IV.

Omnia peccata non sunt paria.

94. *Omnia peccata non sunt paria, nec connexa.* Hæc est de fide quoad primam partem ex Ioannis 19. *Propterea qui me tradit tibi, maius peccatum habet,* & Ierem. 7. *Peius operati sunt quam Patres eorum.*

Patet etiam ratione, quia euidens est, quod interficere hominem sit maius peccatum, quàm alia bona ab ipso auferre, & quod blasphemare aut contemnere Deum sit grauius quàm interficere hominem: & sicut datur inæqualitas perfectionis inter virtutes ac opera bona. idem dicendum de vitiis & operibus malis,

Nec connexa.

*Probatur secunda pars*, quia euidens est, qui peccant contra vnum præceptum, non peccare contra alterum. neque enim qui non ieiunat, abstinet à sacro audiendo, aut è contra.

*Obiicies pro Stoicis*, qui putantur tenere oppositum primæ partis: Peccatum est trangressio, non secus ac si quis terminum linea præfixum transiliret: sed hoc consistit in indiuisibili, & consequenter sicut ad transeundum lineam non refert quod quis multum vel parum transiliat, sic ad transgressionem præcepti non refert quod quis multum aut parum trangrediatur.

In hoc ludicro Stoicorum fundamento soluendo mirum est, quam laborent authores: sed Respondetur breuiter licet per quodlibet peccatum trangressio fiat præcepti; tamè si vnum præceptum sit principalius alio præcepto, vt certe est de facto, transgressionem ipsius esse grauiorem trangressione alterius: sicut si maius esse detrimentum in transuectione vnius lineæ quàm alterius, vt ita loquar, peius esset transilire vnam quàm alteram; in quo prorsus nulla est difficultas.

*Obiicies contra secundam partem* illud Iacob. 2. *Quicumque offendit in vno, factus est omnium reus*: ergo peccata sunt connexa; aliàs peccando contra vnum præceptum non esset quis reus omnium præceptorum.

*Respondeo* explicando Iacobum. Quantum ad hoc quod perdat vitam æternam, & æternùm damnabitur, concedo; quantum ad hoc, quod vere transgrediatur omnia præcepta, si transgrediatur vnum, negatur.

## CONCLVSIO V.

Transgressiones omnium legũ humanarum sunt eiusdẽ speciei.

50. *Transgressiones omnes legum humanarum positiuarum sunt eiusdem rationis specificæ, qua tales præcisè, possunt tamen habere inæqualitatem intra eandem speciem.* Hæc quoad primam partem videtur contra communem sententiam; Probatur quia in illis non videtur esse alia malitia quàm inobedientiæ & irreuerentiæ, & illa omnino apparet esse eiusdem rationis specificæ in omnibus absque alia differentia quam maioritatis aut minoritatis, quæ non arguit distinctionem specificam; nec potest denique ostendi ex quo capite distinguerentur specie.

*Dices* id colligi posse ex eo quod superiores magis aut minus intenderent obligare.

*Contra* quia ex hoc non colligeretur nisi maioritas & minoritas intra eandem speciem.

*Dices secundo*, id colligi posse ex eo quod vnum prohiberent ex motiuo iustitiæ, & alterum ex motiuo alterius virtutis, verbi gratia Temperantiæ.

*Contra* quia quamuis hoc modo prohiberent, nisi tamen res prohibita esset contra illas virtutes ex se, transgressiones non possent esse contra illas virtutes & consequenter ex hoc capite non essent distinctæ speciei; quod si res prohibitæ essent contra illas virtutes, tunc transgressiones essent quidem diuersæ speciei, sed non quatenus contra præcepta superiorum, sed quatenus contra illas virtutes; vnde haberent duplicem malitiam, vnam quatenus sunt contra illas virtutes; & alteram quatenus sunt contra obedientiam.

Possunt esse inæquales intra eandẽ speciem.

*Secunda pars probatur* quia sicut quis tenetur obedire superiori: ita quo magis præcipit, eo magis tenetur obedire, & si non obediat, magis peccabit, quàm si non obediret cum minùs præciperet; quæ tamen differentia non est specifica, sed talis qualis est inter furtum minus & maius.

Colligitur autem quod minùs aut magis prohibeantur actiones aliquæ vel ex ipsis legibus, vt cum significaret legislator talem suam voluntatem; vel etiam ex natura actionis, quæ si maioris sit momenti, censeri potest eam magis præcipi aut prohiberi. Quod dixi de transgressionibus legum positiuarum humanarum, respectiue tenendum & de transgressionibus legum diuinarum positiuarum.

## CONCLVSIO. VI.

Quod est peccatum quia opponitur nobiliori virtuti est grauius, quã quod est peccatum quia opponitur nobiliori.

51. *Quod est peccatum ex eo, quod habeat specialem aliquam oppositionem cum virtute perfectiori, est maioris grauitatis specificæ quam quod est peccatum, quia opponitur alteri virtuti imperfectiori: non potest tamen vniuersaliter colligi, quod vnum peccatum sit grauius alio, quia opponitur nobiliori virtuti.* Prima pars est communis & probatur, quia si non sit aliqua ratio particularis, apparet ex terminis quod opponitur maiori bono, & propterea est peccatum, esse grauioris malitiæ.

*Dices* omissio amoris Dei, quando præcipitur, ideo est mala, quia excludit bonum amoris; & tamen non est tam mala quam blasphemia, quæ opponitur Religioni, quamuis hæc sit imperfectior virtus quàm est charitas, cui opponitur illa omissio: ergo.

*Respondeo* negando consequentiam, quia non propterea præcisè blasphemia est peccatum, quia opponitur Religioni, sed propter positiuam disconuenientiam quam habet ex se, propter quam certe appareret mala, quamuis non esset possibilis, aut bonus cultus Dei; vnde & de facto prohibetur, quando non præcipitur cultus, quia illa semper & pro semper prohibetur, hic non percipitur semper & pro semper; omissio vero ideo præcisè est mala quia excludit amorem, vnde non est mala nisi quando præcipitur amor.

Non potest vniuersaliter colligi quod vnum peccatum sit grauius altero quia opponitur nobiliori virtuti.

*Secunda pars*, videtur contra communem sententiam, sed probatur ex dicto exemplo de blasphemia, quæ grauius est peccatum quàm omissio amoris peccaminosa, quamuis hæc particulariter opponatur perfectiori virtuti.

*Rursus* interficere hominem est grauius peccatum quàm non audire sacrum die festo, licet opponatur imperfectiori virtuti, nempe iustitiæ, quæ est imperfectior quam Religio, cui opponi supponitur non audire sacrum.

*Præterea* prodigalitas est per se maius aut minus vitium quàm anaritiæ & tamen opponuntur eidem virtuti, vt supponitur communiter.

*Confirmatur* quia non potest suffici inter colligi quod aliquid sit peccatum ex eo præcisè quod opponatur virtuti: ergo nec quod sit grauius peccatum ex eo quod opponatur perfectiori virtuti.

Probatur antecedens quia qui nollet amare Deum cum non teneretur, haberet actum oppositum actui charitatis & tamen non esset peccatum.

52. *Dices* Scotum lib. 2. dist. 35. expresse asserere quod illud peccatum sit grauius ex genere quod opponitur rectitudini meliori: ergo hæc pars conclusionis est contra ipsum.

RESPON

*Respondeo* Scotum intelligendum iuxta primam partem conclusionis, nempe quando peccatum habet esse peccatum præcise ex eo, quod excludat bonitatẽ virtutis; posset etiam intelligi de virtute meliori non secundum se, sed operanti hic & nunc, qualis est illa, ad quam tenetur magis: huiusmodi enim, licet secundum se esset imperfectior, esset tamen melior operanti; vnde nego consequentiam.

*Quod si quaratur*, quando peccata sunt diuersæ speciei, & non ex eo quod excludant perfectiorem virtutem, quomodo cognosci posset quodnam sit grauius.

*Respondeo* id colligi posse, sicut colligitur de ipsis virtutibus quænam sit altera perfectior, nempe vel ex eo quod id appareat ex terminis, sicut apparet quod amare Deum sit perfectius, quam amare creaturã; vel ex eo quod id concludatur aliquo discursu certo aut probabili; nec meo iudicio facilius est id cognoscere de virtutibus, quàm de vitiis seu peccatis; vnde videri posset frustraneum vt id cognoscatur de his, recurrere ad illas.

Ex peccatis extremis quodnam grauius.

53. *Vt vero particularior* de hac re notitia habeatur, aduertant Doctores ex peccatis extremis virtuti mediæ oppositis, si illa virtus cohibeat hominem ab aliquo excessu, vt facit liberalitas ac humilitas, illud esse grauius quod excedit mediũ virtutis? vnde grauius peccat excedens in comedendo, quàm deficiens à comedendo quantum medium requirit. Quando vero virtus impellit hominem ad agendum, vt facit fortitudo, peccatum est grauius, quod cohibet à medio, quàm quod excedit ipsum, & propterea timor maius peccatum reputatur quàm audacia, cæteris tamen paribus.

*Contra* tamen hanc doctrinã est quod male videatur supponi dari tales virtutes, quarum quædam impellant & quædam cohibeant: nam omnes tales videntur æque impellere ad medium & æque cohibere ab excessu.

*Responderi tamen potest* quod quamuis hoc verũ sit, tamen illæ dicũtur impellere, quorum actus principalis est positiuus, vt est fortitudo, cuius actus principalis est aggredi pericula, & liberalitas, cuius actus principalis est dare quod potest honestè dari; illæ vero dicũtur cohibere, quarũ principalior actus est non facere aliquid, vt est tẽperantia in cibo ac potu, cuius præcipuus actus est nõ excedere in cibo aut potu; & humilitas, cuius præcipuus actus est non appetere honores inhoneste: hoc autẽ supposito potest dari ratio cur vitia impellentia supra medium virtutis hoc modo impellẽtis, & vitia retardãtia à medio virtutis cohibẽtis sint peiora; quia habent minorẽ conuenientiã cum virtute; certũ est enim audaciam habere maiorem similitudinem cum fortitudine, quoad actum principalẽ huius, quàm timorem; & prodigalitatem cum liberalitate quàm auaritiam.

Similiter vitium retardans ab honoribus acceptandis, & à comedendo quantum debet comedi, habet maiorem proportionem cum humilitate & temperantia, quàm superbia aut intemperantia.

54. *Aduerte tamen* quod quemadmodũ vt dixi in Logica, inter omnes species naturales diuersas, fortassis nõ datur semper inæqualitas perfectionis: ita etiam nõ detur inter omnes species morales diuersas aut virtutũ, aut vitiorũ, & licet etiã detur, nõ esse facile discernere quæ virtus perfectior sit, aut quod vitium imperfectius; nec etiã in hoc indagãdo nimis anxiè hærendũ videtur, nã quamuis in confessione peccatorum species explicãdæ sint, & videri posset necessariũ Cõfessori scire quænam sint grauiora peccata, vt conformiter ad hoc iniungat pœnitentiam maiorẽ vel minorem; ramen non videtur in praxi obseruari ita pũctualiter huiusmodi proportio in pœnitentia, quin aliquãdo minoribus maior pœnitẽtia imponatur & minor maioribus; nã videtur abũde sufficere, vt sufficiés cuicumq; iniũgatur, & quæ magis proportionata est ad cauendum ab vlteriori lapsu; quod si etiam requireretur talis proportio, certe non debet intelligi nisi quãdo manifesta est inequalitas grauitatis.

Forte etiam ita se res habet quandoque saltem, vt vna virtus, & idem proportionaliter dicendum de vitio, sit altera perfectior secundum vnam rationem, & imperfectior secundum alteram.

## QVÆSTIO VI.

*An difficultas operis & motiuum seu finis operantis augeant vel minuant peccatum.*

### CONCLVSIO I.

Difficultas operis pro operis ueniens ex natura operis, aut operantis auget malitiam.

55. *Difficultas operis, siue prouenies ex natura operis, siue ex conditione operantis, ex eo scilicet quod ob habitum virtutis oppositæ magis auertatur ab actu malo, auget malitiam actus.* Hæc est Scoti dist. 21. 21. q. 2. a. 2. Probatur quia maior difficultas arguit maiorẽ conatum voluntatis, & quia sicut, qui in exercitio virtutis plus laborat, cæteris paribus plus meretur: ita qui magis laborat in malo faciendo, plus demeretur & consequenter magis peccat cæteris paribus.

*Confirmatur* quia quo magis tentatur quis, eo minus peccat; ergo quo minus tentatur, eo magis peccat: sed quo actus malus est difficilior, eo minus tentatur: ergo eo magis peccat.

*Confirmatur secundò* contra quemdam Scotistam, qui putat eo grauius esse peccatum, quo opus est difficilius ex natura operis, non tamen ex conditione operantis; quia est eadem prorsus ratio de vtroque:

*Obijcies* hinc sequeretur, quod melius esset peccãtibus non habere habitus virtutum; quod videtur absurdum.

*Respondetur* negando sequelam, quamuis enim quãtum ad elicitionem illius actus esset ipsi forte melius non habere illos habitus; tamen absolutè est ipsi longe melius, quia per illos retardatur ab actu malo, & adiuuatur ad actus bonos, & hoc est ipsi sine dubio melius, quàm iis carere.

### CONCLVSIO II.

Motiuum extrinsecum quando magis auget malitiam actus quando in eadem specie, quando in diuersa.

56. *Motiuum extrinsecum, seu finis operantis, cum est malus, auget malitiam actus, quandoque in eodem genere, cum finis est eiusdem speciei, vt si quis peccaret cum serua in ordine ad peccandum cum Domina: quandoque in diuerso, vt si esset diuersæ speciei, vt cum quis furatur ad adulter andum.* Hæc est communis & patet quia malitia finis adiuncta malitiæ, quam haberet actus ex obiecto, auget sine dubio malitiam eius, quod augmẽtum est eiusdem speciei, cuius est malitia finis, quæ, vt ex exẽplis propositis patet, aliquando est eiusdem speciei, aliquando diuersæ.

*Obijcies*: sequeretur quod quo peius esset motiuũ extrinsecum, eo peior esset actus: sed hoc est falsum: ergo.

*Probatur minor primò*, quia qui interficit hominem ob vnum aureum peius facit, quàm si interficeret ob mille, & tamen motiuum ipsius esset minoris malitiæ.

*Probatur secundò*, quia quò fortius quis impellitur eo minus peccat; sed quando finis extrinsecus est peior aliquando fortius tentatur, vt patet in exemplo proposito: nam interficiens ob mille aureos fortius tentatur, quàm si interficeret ob vnum.

*Respondeo* negãdo sequelã, quia licet finis malus augeat malitiã actus, tamẽ fieri potest vt finis peior argueret minorẽ malitiam quàm minus malus, ex eo scilicet quod minùs malus argueret in operante minorem curã malitiæ substantialis, quam peior, vt patet in eodem exemplo; minus enim sine dubio curat malitiã substantialẽ interfectionis, qui interficit ob vnum aureũ, quam qui interficeret ob mille, & non interficeret ob vnum, vt est euidens. Aliter respondi in Commentario; sed hæc responsio videtur mihi facilior, & ea supposita nõ est respondendum ad duas probationes minoris.

## QVÆSTIO VII.

*Vtrum nocumentum sequens actum malum augeat eius malitiam.*

### CONCLVSIO I.

Nocumentum sequẽs peccatum auget malitiam eius.

57. *NOCVMENTVM sequens, tanquam effectus, peccatum, quando cognoscitur aut timetur probabiliter secuturum, siue sequatur, siue nõ, & siue sit causa per se, siue per accidens, auget malitiam peccati.* Hæc est communis & probatur prima pars, quia malum est ponere libere causam mali, vt talẽ: sed peccãs in casu conclusionis præter malitiã peccati secundũ se, ponit causam mali: ergo magis peccat, maior patet ex terminis, & probatur vlterius, quia aliàs qui exploderet bombardã

ad

ad interficiẽdum autem, cum sciret probabiliter hominem inde interficiendum, non peccaret: quod est, absurdissimum, loquitur autem conclusio de nocumento, quod non posset directe intendi absque peccato, alia enim nocumenta non faciunt ad rem.

*Probatur secunda pars* quia prorsus perinde est quod aut quomodo sequatur quantum ad presens, modo tamen quod sit secuturũ non dependeat à libera voluntate eius, cui fit; quod addo quia si sic, non semper tenebitur quis ad ipsum vitandum seu ad non faciendum id, ad quod sequitur illud nocumentum, quamuis alias sequeretur; quia ille tũ non censebitur causa, cui moraliter possit imputare detrimentũ ille cui fit, sed sibi ipsi potius debet ipsũ imputare cum non obstante actione inferentis nocumentũ, potuerit impedire ne sequeretur, vt supponitur: neque enim applicans causam aut formaliter aut virtualiter intendit illud detrimentum, non quidem formaliter, vt supponitur, nec virtualiter, quia non obstante actione sua, scit effectum posse non sequi, nec secuturum, nisi alter libere determinaret se, vnde potius actio ipsius est conditio siue qua non, quam causa.

Quandoque tamen non.

58. *Et hinc sequitur* quod mulier ornans se iuxta suum statum & egrediens ad sua negotia pertractanda, aut ad iustam recreationem, saltem vtilem, quamuis possit timere alios ex praua dispositione peccandi inde ansam capturos, non peccet; & idem est dicendum de mercatore exponente suas merces emptioni, etiam male vsuris; de locante ædes meretricibus, vsurariis, Cauponariis, de seruo præparante hero cibos, quibus scit eũ vsurum tempore prohibito; de fabricante arma, quibus milites vtantur in bello iniusto & similibus. Et quidem quantum ad non peccandum propter nocumentum hoc modo secuturũ, perinde est an actio, ad quam sequitur sit peccaminosa, an non, quidquid dicant aliqui Authores, quia vt participet maliciam ex nocumento, consideratur præcise quatenus causa est, perinde autem actio mala aut bona est causa huiusmodi nocumenti.

*Dices* contra hæc: tenemur ex charitate præferre malũ spirituale proximi bono tẽporali nostro: ergo ob bonum temporale non debemus concurrere ad malũ spirituale proximi; & cõsequẽter falsa est doctrina hic tradita

*Respondeo* distinguendo antecedens: quando non dependet à libertate ipsius proximi illud vitare, transeat; quando sic, negatur vniuersaliter loquẽdo, quidquid sit de aliquo casu particulari, de quo ex natura ipsius facile iudicari poterit, an sit excipiẽdus ab hac doctrina, nec ne

*Aduerto autem breuiter* vt actus participet maliciam ex damno sequenti, non debere directe intendi ipsum damnum, sed sufficere quod ponatur causa, ex qua videtur secuturum: vel quod non adhibeatur debita diligentia ad illud cauendum; quod si ponatur causa, ex qua videtur secuturum, dicitur quis virtualiter illud velle; si vero non adhibeatur debita diligentia, dicitur interpretatiuè ipsum velle, & hoc quidem vltimum spectat ad nomen. Reliquum patet ex terminis.

## QVÆSTIO VIII.

*Vtrum aggrauetur peccatum ex circumstantia personæ offendentis & offensæ.*

### CONCLVSIO I.

Peccatum aggrauatur ex dignitate personæ offensæ cognitæ.

59. *Aggrauatur peccatum ex dignitate personæ offensæ cognitæ*, est communis, & probatur quia quo dignior est persona, eo strictius tenemur eam reuereri, cæteris paribus, & famam ac reputationem ipsius non lædere, vt patet ex terminis, & hinc aliqui inferunt, sed male, vt ostendetur aliàs, peccata mortalia omnia esse infinitæ grauitatis, quia offenditur iis Deus, qui est infinitæ dignitatis.

Dixi autem: *cæteris paribus*, & sic etiã intelligenda est conclusio, quia aliæ circumstantiæ possunt id impedire: nam si quis interficeret peccatorem, cum non deberet, grauius peccaret quàm si interficeret iustũ, quia circũstãtia damni mortis æternæ peccatoris præualet circũstantiæ dignitatis iusti: & similiter iniuriãs Patrem grauius peccat, quàm iniurians alium eo digniorem, quia obligatio filii erga Patrẽ, & maior coniunctio ipsius cũ illo præualet circumstantiæ dignitatis alterius.

### CONCLVSIO II.

Grauitas peccati crescit ex dignitate personæ peccantis cognita.

60. *Grauitas peccati crescit ex dignitate personæ peccantis cognita cæteris paribus.* Hæc etiam est communis & probatur quia ex illa dignitate oritur obligatio maior ad non reddendum se peccato indignum, nec reddendi se ingratum ei, à quo recepit dignitatem. Nec restringẽda est hæc conclusio, vt facit D. Thomas, ad peccata ex deliberatione, quasi non comprehenderet etiam peccata ex surreptione, modo surreptio non sit talis, vt excludat cognitionem omnem dignitatis personæ; quia est eadem ratio de omnibus: Dixi autem in conclusione, *ex dignitate cognita*, quia sicut non peccaret vllo modo nisi cognosceret maliciam; ita non potest augeri malicia nisi cognoscatur quod augeatur; non potest autem cognosci quod augeatur ex dignitate personæ peccantis, nisi cognoscatur dignitas eius.

## QVÆSTIO IX.

*De peccatis venialibus.*

*Ago de his* non solum, vt melius intelligatur quænam peccata sint mortalia; sed etiam quia ipsamet sunt aliquod impedimentum beatitudinis, etiam naturalis. Per peccatum mortale autem intelligo illud, quod priuat hominem gratia sanctificante, & iure omni ad vitam æternam, redditque ipsum obnoxium pœnis æternis. Per veniale vero illud, quod non facit hoc.

### CONCLVSIO I.

Dantur peccata mortalia.

61. *Dantur peccata mortalia præscindendo à conditione personæ, hoc est, sive persona illud committens sit fidelis, sive infidelis; sive iusta sive iniusta; reproba vel prædestinata.* Hæc est communis & certa ex principiis fidei contra Vvicleſum, qui sola reproborum peccata existimauit mortalia; & contra Lutherum, Melanchthonem, Ruceram, qui nulla peccata fidelium putauerunt esse peccata mortalia præter infidelitatem. Probatur *Rom.* 1. Vbi enumeratis aliquibus peccatis adiungit Apostolus: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*: ergo illa peccata à quacumque persona fiunt, sunt mortalia, sed ex illis aliqua fiunt à non reprobis, & aliqua non sunt infidelitas: ergo idem colligitur manifeste ex 1. Cor. 6. ad Gal. 3. ad Ephes. 5. 1. Ioan. 3. Matt. 18. & 25.

*Confirmatur* quia Dauid erat fidelis & prædestinatus: sed interficiendo Vriam, & concupiscendo vxorem eius, peccauit alio peccato quàm infidelitatis; vnde & cum ipse dixisset, magna sine dubio cordis compunctione & pœnitentia: *Peccaui.* Nathan respondit *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, iudicium autem esset dicere quod tum non peccauit nisi venialiter, sed non libet hærere in re clara.

### CONCLVSIO II.

62. *Dantur peccata venialia.* Hæc est etiam communis, & patet ex 1. Ioannis 3. *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.* Certũ enim videtur, quod non loquatur de peccatis mortalibus, absit enim quod ipse & alii iusti, cum quibus ibi loquitur, non possent absque mendacio dicere quod non habuerint peccata mortalia.

*Cõfirmatur* ex S. August. in illud Ioannis 13. *Qui lotus est, non indiget nisi, vt pedes lauet*, vbi dicit: *quoniam qui iam à peccatis mortalibus mundatus est, tantum indiget detergere puluerem venialium peccatorum adhærentem pedibus.*

*Confirmatur secundo*, ex Concilio Mileuit. c. 6. 7. & 8. damnante negantes peccata in iustis: sed certũ est quod non habeãt mortalia: ergo dantur venialia. Verba Concilii sunt: *Si quis dixerit in iustis non esse peccata, & iustos vere non dicere: Dimitte nobis debita nostra; aut dicere hoc pro alienis peccatis, non pro suis, anathema sit*, & hoc ipsum docet Concilium Tridentinum, ait enim sess. 6. c. 2. *Licet in hac mortali vita quantumuis sancti & iusti in leuia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata cadant, non propterea desinunt esse iusti.* Non probo hanc conclusionem ratione naturali; quia hæc non attingit perfectè differentiam horum peccatorum secundum quod mortalia excludunt à vita æterna, & addicunt pœnis æternis.

*Quæ obiiciunt* hæretici intelligenda sunt de mortalibus.

*Dices* Christus Mat. 5. ait: *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis minimus vocabitur in regno cœlorum*, ergo quæcunque transgressio mandatorum est mortalis; & consequenter non dantur peccata venialia.

*Respondeo* negando secundam consequentiam, quia peccatum veniale non est transgressio vllius mandati: & si quæras cur ergo dicit esse mandatum aliquod minimum.

*Respondeo*, id dici ob humilitatem, & quia parui æstimabantur à sapientibus huius mundi.

*Obiicies præterea*: si daretur aliquod peccatum venialemaxime mendacium officiosum aut iocosum: sed hoc non videtur esse veniale: ergo. probatur minor, quia illa malicia non videtur venialis, quæ non posset committi propter maximum bonum, vt verbi gratia, propter conuersionem integræ nationis ad fidem, aut liberationem totius mundi à damnatione æterna: sed huiusmodi est mendacium: alias posset aliquando absque peccato committi contra omnes Theologos: ergo.

*Respondeo* negando minorem cum maiori probationis; quia non ex grauitate sua particulari supra alia peccata hoc habet, sed ex necessaria coniunctione malitiæ cum ipso, seu ex inseparabilitate eius ab ipso: nam hoc ipso quod necessario habet maliciam, quamuis venialem, non potest licite committi, quia alias non necessario haberet malitiam, & quod hinc non debeat esse necessario haberet malitiam, & quod hinc non debeat esse censendum mortalis malitiæ patet; quia si Deus prohiberet alicui sub pœna temporali furari obolum; etiamsi conuerti posset totus mundus, non liceret id facere & tamen non esset maliciæ mortalis: ergo idem dicendum in proposito.

## CONCLVSIO III.

63. *Nulla peccata venialia sunt talia ex natura sua, quin possint prohiberi sub pœna peccati mortalis & reddi mortalia, vnde quod sic non prohibeantur oritur ex bonitate & misericordia Dei.* Hæc est conformis sententiæ Roffensis, Gersonis, Almaini, quæ communiter ab Authoribus reiicitur, quamuis hanc neminem credo posse negare.

Nulla venialia sunt quæ non possent prohiberi sub mortali.

*Probatur prima pars* primo quia posset à Deo sic prohiberi, actio, quæ alias esset bona, aut indifferens ex natura sua, vt patet in prohibitione pomi vetiti, cuius comestio, nisi sic prohiberetur, posset esse tam bona, quàm quæcumque alia comestio aut actio: ergo à fortiori potest quodcumque quod est ex natura sua alias peccatum veniale, prohibere sub mortali.

*Confirmatur* quia inter aliqua peccata, quæ sunt mortalia de facto, & alia, quæ non sunt, non est talis differentia secluſa prohibitione, ob quam illa possit sub mortali prohiberi & hæc non: ergo cum illa sint sic prohibita, hæc prohiberi possunt. Probatur antecedens quia certe non est talis differentia inter furtum assis, aut cuiuscunque quantitatis maximæ, quod non est mortale, & furtum scuti aut cuiuscunque quantitatis minimæ, quod est mortale, vt patet ex terminis.

Dei misericordiæ asscribendum quod quæ sunt venialia non sint mortalia.

*Hinc patet secunda pars*, quia cum simus tam fragiles & procliui ad cadendum in defectus illos leues, omnino magnæ Dei misericordiæ ac bonitati asscribendum, est quod non obligauerit sub mortali ad illos vitandos. Vide plura in Commentario.

64. *Obiicies*: non constat nobis de ordinatione particulari Dei, qua voluit illa peccata, quæ de facto habentur pro venialibus, prohibere sub pœna tantum temporali, & alia sub æterna: ergo non habent venialia & mortalia esse talia ex ordinatione diuina, sed potius ex natura.

*Confirmatur* quia sæpe ex arbitrio prudentis viri colligitur aliquid esse veniale tantum peccatum aut mortale, de quo aliàs dubitaretur: sed hoc arbitrium non fundatur in cognitione aliqua, quæ habetur de ordinatione diuina sed in natura rei: ergo ex natura rei sunt talia, aliàs arbitrium esset malum & non esset consequenter amplectendum.

*Respondeo* negando antecedens: nam ex quocumque capite constat aliqua esse mortalia & alia venialia, constat de proportionata ad hoc ordinatione diuina, & certe aliàs constare non posset illa esse mortalia aut venialia.

*Iuxta quod* nego etiam minorem Confirmationis: nam si esset aliud fundamentum ex natura rei præter ordinationem diuinam, maxime maior aut minor grauitas maliciæ, quam haberent aliqua peccata ex natura sua: sed hæc non sufficeret, quia tam inter ipsa mortalia, quam inter venialia datur maior ac minor grauitas, tam intra eandem speciem, quàm in diuersa specie.

65. *Obiicies secundò* quemadmodum est grauis aliqua iniuria ex natura rei, quæ tollit amicitiam cum Deo, & priuat iure ad beatitudinem: ita potest dari aliqua leuior quæ hoc non facit: sed hæc erit venialis ex natura sua & illa mortalis: ergo.

*Respondeo primò* quamuis totum concederetur, nihil haberi inde contra cõclusionem, quia non sequeretur quin illa ipsa, quæ ex se essent venialia, possent prohiberi à Deo sub mortali.

*Respondeo secundò* distinguendo consequens: ergo dantur aliqua, quæ ex natura sua sint mortalia & aliqua leuia, concedo consequentiam; ergo omnia quæ sunt de facto mortalia & quæ sunt venialia sunt talia ex natura sua: nego consequentiam. Itaque quamuis aliqua peccata mortalia ex natura sua sint talia, nimirum odiũ Dei, aut blasphemia, quæ directè sunt contra ipsũ Deũ & alia non sint, nimirum quæ non sunt directe ex natura rei contra Deum; tamen quod homicidium, aut furtum graue, aut fornicatio sint peccata mortalia; furtum vero leue & mendacium sint venialia, non habetur ex natura rei sine prohibitione aliqua particulari.

66. *Obiicies tertiò* ex Vasque: Volitio Dei est suam & propria essentia, quæ non dicitur magis aut minus diligere res; neque vnam odio habere, & aliam diligere ex eo, quod ipsa in se diuerso modo se habeat, sed ex diuersitate rerum, vnde si res est in se magni momenti & ad eam referatur essentia per modum odij, non poterit non magno odio erga eam ferri: si parui paruo: ergo dantur aliqua peccata mortalia ex natura sua, nimirum illa, quæ Deus magno prosequitur odio; aliqua venialia, nempe ea, erga quæ paruum odium gerit: nam aliàs Deus æqualiter ea odio haberet.

*Respondeo* negando quod Deus, quamuis volitio ipsius sit sua essentia, in quocunque sensu hoc verum esse possit, non possit eandem rem ita disponere vt magno odio, vel paruo eam prosequi possit, pro vt de ea ordinauerit; nam certe comestionem pomi vetiti de facto ita disposuit, vt magno odio eam prosecutus sit, quam tamen sic disponere potuisset, vt vel paruo vel nullo eam odio prosequeretur, imo sic vt omnino placeret, sicut placeret comestio aliorum Paradisi fructuum. Quod si non posset res magno vel paruo odio prosequi nisi iuxta magnitudinem maliciæ, quam haberent ex natura sua, profecto nunquam possemus colligere quod omnia, quæ dicuntur mortalia, haberent tantam maliciam vt Deus ea magno odio prosequeretur, & alia, quæ sunt venialia, paruo.

67. *Et si quæras*, vnde constet quænam peccata ordinauerit Deus sub pœna peccati mortalis, quænam sub venialis; aut vnde constat talis ordinatio Dei, ex qua hoc dependet: nam quod ad furtum attinet, videtur vniuersaliter æque prohibuisse in Decalogo omne furtum; vnde si ex natura rei non sit differentia inter furta ad hoc sufficiens, aut omnia erunt mortalia, aut omnia venialia, quorum vtrumque est absurdum, & idẽ dicendum de mendacio & pluribus similibus. Ego candide fateor hanc difficultatem superare meas vires, neque enim, vt dixi, inuenio ex natura rei inter ea, quæ sunt peccata mortalia & venialia, loquẽdo præsertim de illis, quæ non sunt immediate contra Deũ, tantũ discrimẽ, vt aliqua possint dici esse mortalia, alia venialia. Dico tamẽ illa esse reputãda mortalia, quæ cõstat esse prohibita

Quæna peccata Venialia, quænam mortalia.

sub

sub pœna æterna, vel ex scriptura vel ex traditione; & illa venialia, quæ constat non esse sic prohibita; nec habere æqualem grauitatem cum sic prohibitis; ad quod iuuat multum communis virorum doctorum ac bonorum confirmatio, quæ fundari possit in traditione à tempore latæ legis ad nos transmissa, aut in reuelationibus particularibus voluntatis Dei aliquibus fide dignis communicatis. Ad id etiam conducit cognoscere defectus ordinarios & quotidianos, qui in ipsos iustos cadere solent, nam illi veniales erunt & tales iudicari possunt probabiliter, quæ non videntur esse grauioris malitiæ; nisi constet de oppositio.

## CONCLVSIO. IV.

Suppositâ ordinatione quæ de facto est, venialia sunt talia ex natura sua.

68. *Suppositâ prohibitione & ordinatione, quæ de facto est, peccata venialia sunt talia ex natura sua ita, vt non possit Deus propter illa punire pœna æterna sensus, aut damni, aut substractione gratiæ sanctificantis.* Hæc est iuxta communem sententiam, & credo eam non negari ab Authoribus citatis pro præcedenti conclusione, quod si ita sit, non erit vlla controuersia realis inter eos & Doctores communiter, quamuis in verbis dissentire videantur.

*Probatur* quia aliàs non essent venialia, sed mortalia: huiusmodi enim appellamus, quæ digna sunt ex se tali pœna, quamuis sic non punirentur actu.

*Obiicies*, Sanctus Basilius, in regulis minoribus ad interrogationem 293. dicit: *Primum quidem illud scire conuenit differentiam hanc maiorum ac minorum peccatorum nunquam in nouo testamento reperiri: si quidem vna est & eadem sententia aduersus qualibet peccata, cum Dominus dixerit: Qui facit peccatum seruus est peccati.*

*Respondeo* ex hoc loco colligendum, si vt sonat, intelligeretur, quod non darentur vlla venialia, neque quidem ex misericordia Dei; quia videtur significare quod non sit vsus vlla tali misericordia. Itaque intelligendus est Basilius loqui de mortalibus: loquebatur enim contra aliquos, qui existimabant aliqua peccata mortalia, vt pote aliis leuiora, non esse plectenda pœna æterna aut non requirere magnam pœnitentiam; Vnde negatur consequentia.

*Obiicies secundò* Chrysostomum hom. 40. de leuibus peccatis dicere non esse leuius peccatum furari duos obolos, quàm magnam auri quantitatem.

*Respondeo* eum loqui de furante duos obolos cum animo furandi plura. Cæteri Patres, qui dicunt nulla peccata esse leuia, intendunt tantum non esse leuia, hoc est contemnenda, sed valde cauenda, quia iuxta scripturam *qui modica spernit paulatim decidet*:

An venialè sit contra præceptum vel contra consilium

*Quæres*: an peccatum veniale sit contra præceptum: an vero contra consilium.

69. *Respondeo* quæstionem esse de nomine, & si intelligatur per præceptum id, quod inducit obligationem pœnæ æternæ, non erit contra præceptum: si vero intelligatur quod inducit aliquam pœnæ obligationem, erit contra præceptum: similiter si per consilium intelligatur suasio non inducens obligationem, non erit tãtum contra consilium, quia est aliqua obligatio nõ peccandi venialiter, si vero intelligatur ordinatio inducens aliquam obligationem; sed non pœnæ æternæ: erit cõtra consilium. Parum autem refert quid dicatur.

An conueniat cum mortali vniuocè.

70. *Quæres secundò* an conueniant vniuoce in ratione peccati; vt sic: & an distinguantur specie.

*Respondeo* quoad primam partem affirmatiue, quia ratio peccati, vt sic, saluatur in eo quod non decet naturam rationalem, hoc autem conuenit vtrique peccato: ergo: solet tamen quandoque per peccatum simpliciter prolatum intelligi mortale, & si sic caperetur, peccatum vt sic non esset vniuocum vtrique; sed hoc est de nomine & paruæ vtilitatis.

Distinguuntur inter se specie.

*Respondeo* etiam affirmatiue pro secunda parte, quia quod est inductiuũ pœnæ æternæ ex natura suæ maliciæ videtur habere distinctæ speciei malitiam ab illo, quod non habet maliciam inductiuam talis pœnæ, sed hoc etiam parum omnino refert, & est curiosum magis quàm vtile.

Potuitne esse venialè in statu Innocentiæ

71. *Quæres tertiò*. An potuerit esse peccatum veniale in statu Innocentiæ.

*Respondeo* quod sic & quidem ante vllum peccatum mortale, quia libertas sufficiens ad primò peccandum mortaliter, sufficeret ad peccandum venialiter; nec aliquid prorsus impedit: nec etiam si committeretur excluderet Innocentiæ statum quoad cætera, præter negationem istius maculæ & pœnæ quam propterea soluere deberet: sicut nec excludit de facto charitate habitualem. In quo quamuis à Thomistis negetur, nulla prorsus est difficultas.

An debeatur ipsi pœna æterna per accidens.

72. *Quæres vltimò* An pœna æterna debeatur peccato veniali per accidens ex cõiunctione cũ mortali, hoc est ex suppositione, quod non deleatur, antequã quis moriatur in peccato mortali. Vtilitas resoluendi hoc quæsitũ, quod alias videri posset ex classe curiosarũ inutiliũ, consistit in hoc quod si vera sit pars affirmatiua, eò magis retrahi debeant homines à peccando venialiter, & si peccauerint ad satisfaciendũ pro illis in hac vita ne vel per accidẽs, casu quo morerentur in mortali, punirentur ob ipsum pœna æterna, sed ad hoc etiam sufficere deberet quod illa pars probabiliter teneatur à doctoribus grauibus; & præterea qui nõ curãt abstinere à mortalibus aut iis contractis se liberare per pœnitentiam, quamuis sciant grauissimam pœnã illis deberi; parũ moueri debẽt per considerationem pœnæ pro veniali in æternũ soluẽdę, quę parui momẽti est in cõsideratione ad pœnã debitã cuicũq; mortali: sed vtcũque.

*Respondeo negatiuè* cum Scoto in 4. *d.* 21. *q.* 1. quia nulla est ratio, ob quam sic puniri deberet, nisi quia coniungeretur cum peccato mortali; seu ex eo quod procedat à peccatore: sed neque ex eo quod cõiungatur cum mortali; neque ex eo quod procedat à peccatore, debet sic puniri: quia per hæc non crescit veniale in malicia, nec mortale, aut per se, aut per accidens, & quia est vlterius pœna temporaria sufficienter proportionata ad maliciam quamcumque venialem, nulla prorsus est ratio, cur per accidens puniretur pœna æterna; & quamuis ipsum veniale maneret semper in inferno, tamen non inde sequitur quod soluta pœna temporaria ipsi proportionata, deberet vlterius puniri, & multo minus probabile apparet, quod aliqui ex aduersariis dicunt, si deleretur in hac vita, non absoluta pœna tẽporaria deberet puniri pœna æterna per accidens in casu quęsiti.

*Dices* si non deleretur peccatũ, continuaretur moraliter, ergo deberet semper puniri.

*Respondeo* negando consequentiam, quia sicut peccata damnatorum, quæ faciunt de nouo in inferno, aut illa, quæ continuant physice non puniuntur: ita multo minus deberent puniri peccata venialia quatumuis cõtinuarentur non solum moraliter, sed etiam physicè.

73. *Obiicies* illud vulgare: *In Inferno nulla est redemptio*, sed hoc esset falsum, si finiretur ibi pœna peccati venialis; ergo non finitur.

*Respondeo* explicando maiorem: nulla est redemptio ab ipso inferno aut ab vllo peccato; aut ab vlla etiam pœna, quæ debet persolui in inferno sic; quin tota, quãta est, persolui debeat, cõcedo maiorẽ, & sic sine dubio intelligi debet ille locus. Nulla est redẽptio, hoc est, nulla est cessatio pœnæ vllius semel inflictæ nego maiorẽ.

*Obiicies secundo* quamdiu est peccatum, tamdiu debet puniri: sed peccata venialia, hic non condonata, manent semper in inferno; ergo semper puniuntur.

*Respondeo* negando maiorem, si semel est persoluta debita ipsi pœna.

*Obiicies tertiò* debet puniri peccatum, donec fiat satisfactio requisita pro ipso, sed damnati non possunt satisfacere; ergo peccata venialia ipsorum debent semper puniri.

*Respondeo* distinguendo maiorem: donec fiat satisfactio, consistens in aliqua retractatione ipsius, aut opere aliquo bono, ob quod condonaretur, nego maiorẽ, donec fiat satisfactio cõsistens in persolutione debitæ

pœnæ, quæ persolutio est perpessio totius illius pœnæ & vocatur à Theologis satispassio propriùs, quam satisfactio, quod tamen spectat ad quæstionem de nomine, concedo maiorem, & nego quod talis non possit fieri à damnatis respectu venialem.

*Obiicies* sequeretur nos posse orare pro damnatis, vt liberarentur à pœnis debitis venialibus peccatis: sed hoc est falsum: ergo.

*Respondeo* supposita minori, de qua parum refert quid dicatur, negando sequelam, quia Deus statuit eos non liberare ab illa pœna, donec tota persoluatur, vt constat ex eo, quòd alias posset quis orare pro liberatione ab illa, quod supponitur falsum in minori.

## QVÆSTIO X.

*An & quomodo Deus sit causa peccati.*

74. QVamuis hæc quæstio videri posset potius remittenda ad Theologiam; tamen quia sæpissime proponi solet inter ipsos sæculares, præsertim qui versantur inter hæreticos, placuit in eorum gratiam quid ipse sentiam ea de re proponere. Sensus autem verus quæstionis huius est, an Deus ita se habeat respectu peccati, vt vel necessitet voluntatem, aut impellat vel incitet eam moraliter ad ipsum; seu concurrat cum ea ad ipsum concursu aliquo speciali simili proportionaliter concursui quem præbet ad actus bonos, ratione cuius dici potest quod sit causa per se & specialis peccati, sicut dicitur actuum bonorum. Vnde in hoc ipso sensu resoluta ac definita est hæc controuersia à Tridentino inferius citando.

### CONCLVSIO I.

*Deus non est causa peccati.* Hæc est communissima omnium Catholicorum contra aliquos hæreticos. Probatur primo ex infinitis scripturæ locis, quæ quia obuia sunt sufficit proponere duo ex Psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* & ex Sap. 14. *Odio sunt Deo impius & impietas eius.* Sed si ipse vellet peccata, vt deberet velle; si esset causa per se eorum, vt est actuum bonorum; aut si per se necessitaret, aut impelleret ad illa, hęc loca essent falsa: ergo non est talis causa.

Deus non est causa peccati.

*Respondent* hæretici Deum non velle peccata voluntate manifestata in scriptura, quia per talem prohibet & non vult illa; sed per aliam secretam.

*Contra primò* si secreta est; vnde cognoscitur ab aduersariis?

*Contra secundò*, quia sic nollet & vellet idem simpliciter, quo nihil absurdius.

*Confirmatur* quia vel vult illa simpliciter ita, vt simpliciter sit causa illorum, sicut actus boni, vel non vult, si non vult, ergo vera conclusio, si vult, ergo non potest dici simpliciter quod nolit illa, & sic scriptura id dicens falsa est.

*Confirmatur secundò* non potest dici quod nõ sit causa actus boni, aut quod odio habeat illum; quia reuera constat quod sit causa eius, & quod placeat ipsi: ergo quandoquidem constet quod non velit peccatum, & quod displiceat ipsi, non potest dici quod sit causa eius aut quod non habeat ipsum odio.

*Probatur secundò* ex Arausc. cap. 25. *Aliquos esse prædestinatos ad malum diuina voluntate non credimus; & si est, qui ita credit, in eum cum omni detestatione anathema dicimus* & clarius ex Trid. Sess. 6. c. 6. *Si quis dixerit mala opera ita vt bona Deum operari, non tantum permissiue sed proprie & per se; ita vt non minus proprium sit Deo proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

*Probatur tertio* ex PP. Chrys. hom. 8. in ep. 2. ad Tym. *Hoc solum scito, quod Deus omnia prouidet, quod liberi arbitrii conditi sumus; quod alia quidem operatur; alia vero permittit, quod nihil mali vult fieri;* Augustino in responsione ad articulos sibi falsos impositos. *Detestanda est, & abominanda opinio, qua Deum cuiusque malæ voluntatis & malæ actionis credit authorem.*

75. *Vt probetur hæc conclusio* ratione aduerto id videri aliquibus factu, facile, se teneretur sententia Durandi negantis immediatum concursum Dei cum causis secundis ad ipsorum effectus. Sed præterquam quod illa communiter ab ipsis Catholicis reiiciatur, certe nihil mihi videtur afferre facilitatis: nam si non concurrit immediate ad actum peccaminosum, & propterea non est causa ipsius, non erit etiam causa actus boni, quia non concurret ad ipsum etiam immediate, hoc autem est absurdum; nam ex fide admitti debet Deum esse alio modo causam boni, quo non est mali.

Sententia Durandi non iuuat ad hoc.

*Dices* quamuis non concurrat immediate ad actum bonum, eum tamen dici causam ipsius, quia dat gratiam ad ipsum & suadet ac inuitat ad ipsum.

*Contra* si hoc sufficit vt dicatur ipsius eo modo, quo negatur esse causa peccati, quamuis concurreret immediate ad vtrumque, e quia tamen non præstat gratiam ad malum, nec inuitat ad ipsum: sed potius prohibet & retrahit ab ipso, cum tamen præstat gratiam ad bonum & inuitat ad ipsum, posset dici causa actus boni alio modo quam mali, & posset ipsi particulariter ascribi quod hic & nunc producatur actus bonus, non vero actus malus ergo nihil iuuat negare concursum immediatum.

*Probatur ergo* conclusio quia Deus nullo concursu concurrit ad peccandum nisi concursu causæ vniuersalis necessariò requisito ex subordinatione causæ secundæ ad primam, & præterea non præstat auxilium aliquod ad ipsum; & prohibet ipsum etiam sub maxima pœna, loquendo de mortali: sed ad actum bonum præter cõcursum generalem præstat gratiam, & ipsum vel præcipit, vel suader: ergo non est ita causa peccati, sicut est causa actus boni vt est euideus; nec etiam est vllo modo dicenda causa per se illius, cui particulariter ascribi debet quod fiat peccatum quando committitur, quia vt esset talis causa, deberet alio modo quam concursu generali ad ipsum concurrere.

*Confirmatur* quia eatenus esset causa per se, cui imputari deberet peccatum in sensu vllo, in quo de hac re posset esse controuersia, vel quia necessitaret ad ipsum, vel determinaret moraliter ad ipsum per aliquam qualitatem intrinsecam aut per inuitationem aliquã suasionis aut iussionis aut consilii: neq; n. explicari potest quo alio modo esset causa ipsius in sensu aliquo, in quo posset esse controuersia, & ipsimet hæretici ad probandum oppositum conclusionis conantur probare quod aliquo ex his modis cõcurrat ad peccatum, & propterea inferunt eum esse causam peccati; quod sane signum est hunc esse sensum controuersiæ: sed nullo ex his modis concurrit, non quidem necessitando ad ipsum, quia sic non esset peccatum quia non produceretur libere; nec præstando aliquam qualitatem intrinsecam præuiam, quæ conducat ad eius productionem, quia nec ratione, nec experientia, nec authoritate cõstat, quod talis præstatur, vnde absurdissime fingeretur absque vlla necessitate; nec etiam suadendo aut præcipiendo, tum quia non constat vllo modo quod suadeat aut præcipiat ipsum, & si cõstaret, inde sequeretur quod non esset peccatum, quia certe peccatũ esse non potest facere quodcunque præcipit aut suadet Deus, tum quia constat potius ex tota scriptura quod prohibeat ac dissuadeat ipsum.

77. *Confirmatur secundò* quia ex duabus causis concurrentibus ad aliquem effectum, illa est causa per se, cui debeat ascribi productio effectus, à qua prouenit determinatio alterius causæ ad effectum: sed à voluntate creata, cum qua concurrit Deus, prouenit quod fiat peccatum: ergo voluntati creatæ adscribi debet.

*Dices* non posse Deum determinari à volũtate creata ad concurrendum, nisi ex eo quod ipsamet voluntas ex se exigetet concursum Dei, & hoc non, quia ex se vt cõsideratur in actu primo est indifferens ad peccandum & non peccandum, quando quidem sit causa libera & cõsequenter non magis exigi concursum ad peccandum, quam ad non peccandum, vel quatenus prior esset concursus ipsius quã Dei, & hoc non, quia ex essentiali subordinatione ipsius ad causã primã implicat quod possit intelligi habere concursũ sine concursu Dei: ergo non potest determinare Deum ad concurrendũ, &

hoc

hoc maxime locum habet in sententia communiori, asserente ipsummet concursum voluntatis esse concursum Dei.

*Respondeo* negando antecedens, quia potius determinat Deum ad concurrendum, quia Deus ex infinita sua scientia scit quod voluntas in circumstantiis illis, in quibus peccat, esse determinatura se ad peccandum, si esset causa totalis actus, & non penderet essentialiter à concursu Dei; hinc enim Deus, vt author vniuersalis, debet præstare concursum suum illi, sine quo non potest peccare, nisi velit facere miraculum, quod non debet facere, quandoquidem velit permittere peccatum propter bona illa motiua, ob quæ de facto voluit permittere ipsum, nam non permitteret ipsum, si miraculosè denegaret illum concursum.

*Dices* hinc sequeretur quod Deus haberet scientiam mediam, quam Scotistæ communiter negant, nam illa scientia, qua cognoscit quod voluntas esset operatura hoc vel illo modo in talibus circumstantiis, si posset agere sine concursu Dei, est scientia media.

*Respondeo* si illa sit scientia media, concedendo scientiam mediam dari, quidquid dicant quicumque Scotistæ, de quo tamen suo loco de scientia Dei agendum. Hoc totũ abunde confirmabitur solutione obiectionũ, in quibus consistit fundamentũ oppositæ sententiæ.

78. *Obiicies primò* Deus ordinat, præcipit, ac suadet peccata; ergo est causa moraliter inuitans ad illa committenda, & falsa sunt, quæ dixi inter probandum conclusionem. Probatur consequens Genes. 45. Vbi Iosephus suis fratribus, à quibus peccaminosè venditus est *Non vestro*, inquit, *consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* ergo peccatum illud fratrum Dei ordinatione factum est. Idem 2. Reg. 16. *Dominus præcepit Semei, vt malediceret Dauid*, quæ tamen maledictio erat peccaminosa. Item 3. Reg. vltimo ait Dominus: *Quis decipiet Achab*; & infra subiungitur: *egressus autem spiritus stetit coram Domino & ait: ego decipiam illum.* Cui Dominus dixit: *Decipies & prævalebis; egredere & fac ita*: sed illa deceptio erat peccaminosa. Denique Ioan. 13. Christus dixit Iudæ volenti ipsum tradere. *Quod facis fac citius*: ergo Deus consulit, præcipit ac inuitat ad peccandum.

*Respondeo primò* omnibus esse explicanda hæc loca, quia cum certum sit ex infinitis aliis locis, quod prohibeat peccata ac dissuadeat illa, nec possit præcipere & prohibere idem simul, aut suadere ac dissuadere, certum est hæc loca alio modo intelligenda, quàm vt velint Deum præcipere aut suadere peccatum. Quod si etiam constaret eum præcipere aut suadere actiones illas, de quibus in his locis fit mentio, tum tenendum consequenter esset, quod non essent peccaminosæ: nam, vt dixi, non est peccatum facere, quod præcipit aut suadet Deus, sed potius omissio ipsius esset peccaminosa, & consequenter ex eo quod præceperit aut suaserit Deus illas actiones, non sequitur quod præceperit aut suaserit peccatum.

*Respondeo secundò* ad singula in particulari. Ad primum negari debet consequentia, quia non dicitur peccatum venditionis factum voluntate diuina, sed quod ipse fuerit missus in Ægyptum Dei voluutate permittentis venditionem in ordine ad hoc; aut eam supponentis, & tanti boni inde postea occasionem sumentis. Posset etiam responderi aliter distinguendo antecedẽs, & iuxta distinctionem explicando scripturam: Dei voluntate permittentis venditionem, concedo, ordinantis positiue, aut suadentis illam fratribus, nego antecedens, & similiter distinguo consequens; nec est vllus qui negat Deum velle peccata, quatenus permittit ea fieri, si enim non permisisset, certe non fierent, quis enim voluntati eius resistere posset?

79. *Ad secundum Respondeo* vel illam maledictionem Semei non fuisse peccaminosam, & sic, quamuis præciperet ipsam Deus in pœnam maiorem Dauid, non esset contra conclusionem; vel si fuit peccaminosa, non præcepit eam Deus alio modo, quàm permittendo ipsam, vt colligitur ex eo, quod aliàs, vt dixi, non esset peccaminosa; & quod non poterat Dauid cognoscere fuisse aliud præceptum Dei, quàm huiusmodi permissiuũ; & si sciret fuisse aliud proprie dictum, certe nõ ordinaret moriens Salomoni punire Semei propter ipsam.

*Similiter Respondeo* ad tertium locum, vel deceptionem illam non fuisse peccaminosam, quia sæpe bene decipitur quis, vt in stratagematibus militaribus ordinarie fit, & sic locus ille non esset ad propositum; vel si peccaminosa fuit, iussio Dei non erat inuitans ad peccandum, cum ex ipsismet verbis constet determinatum fuisse spiritum ante ad deceptionem; sed per eam significauit tantum se deceptionem non fuisse impediturum, ac si diceret: iam quod determinaueris decipere Achab, ego non impediam te.

*Ad quartum denique locum, Respondeo* non suasisse, Christum proditionem, sed accelerationem eius; in qua, supposito quod iam erat determinatus Iudas ad eum tradendum, nihil erat mali, sed potius multum boni, quia sic fieret opportuno tempore.

80. *Obiicies secundò* Deus concurrit ad omnem entitatem positiuam peccati concursu immediato, sine quo non posset creatura ipsum committere: ergo est causa per se physica illius entitatis & cõsequenter causa moralis omnis deformitatis, quam habet, siue illa deformitas sit aliquid sequens actum positiuum, siue non.

*Hæc est præcipua difficultas*, quæ à ratione opponi potest contra conclusionem, & ob quam Durandus negauit concursum immediatum Dei ad effectus causarũ secundarum, & alii Authores communiter dicunt rationem formalem peccati non esse aliquid positiuum sed priuationem aliquam sequentem.

Sed quod ad Durandum attinet sufficit iam, quod sententia ipsius à Catholicis tenentibus conclusionem putetur falsa, & quod possit satisfieri obiectioni non recurrendo ad ipsam. Vnde ille frustra recurrit ad illam sententiã in ordine ad defendendũ quod Deus nõ esset author peccati; licet fortassis ex alio capite sententia ipsius, quæ est multorũ aliorũ veterũ, proferri debeat.

*Quod vero spectat* ad alios Authores, impugnari possunt, quia si Deus sit causa per se, cui attribui potest æque, ac voluntati creatæ omnis entitas positiua actus, vt ipsi fatentur, eodem modo erit causa per se, cui omnis priuatio ac negatio sequẽs adscribi debet: nam voluntas non est causa priuationis, nisi quatenus ponit entitatem illam positiuam in circumstantiis illis, in quibus necessario sequitur illa priuatio: ergo si Deus tum æque per se ponit vllam entitatem, erit æque per se causa priuationis ac negationis sequentis.

*Confirmatur* quia est causa per se relationis conformitatis, quam dicit actus bonus, quia est causa per se entitatis absolutæ, ad quam sequitur: ergo erit causa per se priuationis ac deformitatis, quam dicit actus malus, si sit causa per se entitatis positiuæ.

*Dices* disparem esse rationem, quia non dedecet ipsum esse causam per se conformitatis sequentis entitatem actus boni; dedecet vero eum esse causam per se difformitatis; & quando duæ causæ concurrunt ad aliquem effectũ, imperfectio effectus debet adscribi causæ imperfectiori, vt patet in ambulatione curua, quæ tribuitur tibiæ curuæ non virtuti ambulatiuæ.

*Contra*: sic posset dici quod, quantumuis malicia peccati esset positiua & ad eum simul cum voluntate immediate cõcurreret Deus, non esset tamen causa per se ipsius, quia dedeceret ipsum esse causæ ipsius, & quia imperfectio illa deberet ascribi potius volũtati imperfectæ, quã Deo perfectissimo & incapaci imperfectionis vllius: Ex quo meo iudicio patet, quod frustra recurritur ad sententiã communem constituentem malitiam in priuatione aut negatione in ordine ad defendendũ quomodo Deus non sit causa peccati. Vt autem hoc magis clare ahduc appareat, placet proponere responsiones eorũ Authorum aliorum præcipuorum, & ostendere, quod vel non satisfaciant; vel æque satisfacerent, si peccatum non consisteret in priuatiuo.

81. *S. Bonauentura.* 2. *d.* 37. *a.*2. *q.*2. ait Deum propterea non esse causam peccati materialiter, seu quoad rationem materialem eius, non formalem, quia malicia priuatiua sequens peccatum per accidens coniungitur cum actu positiuo.

*Contra* quia inde sequeretur æque bene quod voluntas creata non esset causa malitiæ formaliter, quod est absurdum: secundò sequeretur quod Deus non esset causa actus boni formaliter, quia tam per accidens coniungitur bonitas cum actu bono, quam malicia cum malo: tertiò falsum est quod malicia per accidens coniungatur cum actu malo in circunstantiis, in quibus elicitur, & est malus, quia Deus ipse iis suppositis non potest impedire quin, si fiat actus positiuus, sit malus.

*Gabriel & Occamus* dicunt Deum non causare formale peccati, licet causet materiale, quia non subest legi, nec tenetur ponere rectitudinem oppositam.

*Contrà primò* quia hæc ratio non ostendit quod non peccet causando ipsum. Secundò quia sic etiam posset dici non esse causa, quamuis formale peccati esset quid positiuum.

*Molina* in concordia 1. *p. q.* 14. *a.* 13. *Disc.* 31. respondet rationem cur Deus non sit causa peccati esse, quia concursus, quo concurrit ad ipsum est indifferens & determinatur à voluntate. Sed præterquam quod falsum sit concursum Dei esse indifferentem, adhuc hæc ratio æque valeret, si diceretur peccatum consistere in positiuo.

82. Multi alij respondent Deum non esse causam peccati, quia hoc non habet causam efficientem, sed deficientem. Sed præterquam quod hæc etiam ratio æque sufficeret si poneretur peccatum in positiuo; adhuc contra est, quod inde sequeretur voluntatem creatam non esse causam efficientem, quod videtur absurdum; & præterea, queritur cur voluntas sit deficiens causa, dum causat materiale ad quod sequitur priuatio, & Deus non sit talis causa?

*Alii aiunt* rationem esse quia non concurrit nisi contemperando se causæ secundæ, sed hoc etiam posset dici, si formale peccati esset positiuum quid. Per quæ facile patet ad reliquas rationes, quæ dari possunt.

Vera Responsio.

*Respondeo ergo directè* negando consequentiam, quia non concurrit nisi per modum causæ vniuersalis, & determinatæ à voluntate ad sic concurrendum, quatenus videt illam, si se sola absque dependentia à concursu Dei agere posset, producturam illum actum.

*Dices* Deus non concurrit ad ignem producendum nisi concursu vniuersali, & tamen dicitur causa ignis: ergo similiter erit causa peccati non obstante hac ratione.

*Respondeo* negando antecedens, loquendo de causa per se in sensu hic controuerso, cui scilicet specialiter attribui debet quod fiat effectus ob aliam rationem quã ex eo quod sit causa vniuersalis.

*Respondeo secundo*, quamuis antecedens esset verum negando consequentiam, quia quamuis concurrat ad peccatum concursu vniuersali sicut ad ignem; tamen vlterius prohibet voluntate ipsum committere & exhortationibus ac minis multis eam retrahit ab ipso, quod non facit respectu ignis; vnde quia per modum causæ particularis impedit peccati productionem, quãuis per modum causæ vniuersalis concurrat ad ipsum; potius debet dici non esse causa per se cui debeat ascribi, quàm esse.

*Dices* est causa per se actus boni, cui attribui debet productio eius; sed tamen non concurrit ad illum nisi concursu vniuersali.

*Respondeo* negando minorem, quia præterea concurrit ad ipsum, quatenus dat gratiam in ordine ad ipsũ eliciendum, & inuitat præcepto, consilio aut præmio ad eius productionem.

## QVÆSTIO XI.

*De diuisione peccatorum in cogitationis, verbi & operis.*

83. S. *Hieronymus*, diuisit peccata in cogitationis, Verbi & operis, & hinc forte desumpta est formula illa apposita in Confessione generali, qua sacerdotes vtuntur in Missa, Clerici in officio diuino & Christiani communiter, dum confitentur. *Quia peccaui nimis cogitatione, Verbo, & opere.*

Diuisio peccatorum in cogitationis, verbi, & operis

Cuius diuisionis vt sufficientia constet, nihil aliud requiritur, quàm explicare membra diuidentia, ostendere quodlibet ex illis esse peccatum, & denique probare adæquationem.

*Circa primum*, non est difficultas quin per peccatum verbi intelligatur illud quod verbo committitur vt cum quis Verbo blasphemat, mentitur, iniuriat aut detrahit; per peccatum vero operis id, quod committitur opere, vt cum quis interficit, aut inebriatur; per peccatum denique cogitationis, aut peccatum commissum consideratione aliqua vel cogitatione intellectus; aut desiderio vel actu aliquo voluntatis; nam non dubito quin cogitatio significet huiusmodi actum quandoq; cum enim dicimus, cogitaui facere tale, vel tale quid, certe non significamus solum considerationem aliquã intellectualem talis rei faciendæ, sed propositum etiã aliquod voluntatis. Quod autem peccari possit & Verbo & opere dependenter tamen ab actu voluntatis imperantis verbum aut opus peccaminosum, non est dubium; & æque certum est posse peccari & cõsideratione aliqua intellectus, vt postea magis declarabitur, & multo magis actibus voluntatis, qui si non essent peccaminosi, nullum omnino committeretur peccatum aut operis, aut considerationis,

84. *Hoc autem supposito*, si per cogitationem intelligatur actus intellectus, hæc diuisio non erit adæquata peccati vt sic, quia non comprehendit peccata solius voluntatis; sed erit adæquatissima peccatorum externorũ imperatorũ à voluntate, supposito quod non detur omissio pura; neque enim vllũ assignari potest tale peccatum, quod non si aut intellectus, aut alterius facultatis ab intellectu, & si sit, intellectus erit peccatum cogitationis in hoc sensu; si vero sit alterius facultatis aut erit oris, verbo commissum, & erit peccatum verbi; aut erit oris & non cõmissũ verbo, vel alterius alicuius facultatis & erit operis quia per opus intelligitur quodcumq; aliud factum, quod non est verbum, aut actus intellectus: ergo diuisio sic intellecta erit adæquata.

Sed si detur omissio pura, (nisi hæc etiam reputetur factum, quatenus æquiualens est facto, quo quis transgrederetur præceptum aut consilium, vt bene reputari posset iuxta modum satis consuetum quo vocatur actus interpretatiuus) diuisio non erit adæquata; quia non comprehendet tales omissiones peccaminosas. Si vero reputetur pro facto, adhuc erit adæquata, quia illas etiam comprehendet sub peccato operis; in quo non potest esse vlla realis difficultas, de nominali aut parũ est curandum.

86. *At si* per cogitationem non solum intelligatur actus intellectus, sed etiam voluntatis, diuisio comprehendet omnia peccata, intelligendo cætera membra: vt iam explicata sunt.

*Alio etiam modo* posset explicari diuisio sic vt sensus sit quòd nullum sit peccatum, quod non sit aut cogitatio, aut verbum, aut opus, aut circa cogitationẽ verbum aut opus, & in hoc sensu erit satis bona, quia comprehendit omnia omnino peccata: neque enim vllum assignari potest, quod non sit aliquod ex his tribus in hoc sensu, etiam intelligendo per cogitationẽ actum intellectus; quia nullus est actus voluntatis peccaminosus, qui non est circa actum intellectus, verbum aut opus vel immediatè, vel mediatè; & dico mediate, vt comprehendatur actus voluntatis reflexus, quo vellet se velle; si dentur tales actus, quia primum velle directum, ac non reflexum, circa quod sunt actus alii reflexi, erit circa actum intellectus, aut circa Verbum, aut circa opus, & etiam omissiones omnes malæ erunt circa talia.

Sed

Sed circa hæc nõ est immorandum; magis vtile erit examinare, quomodo actus intellectus sint peccata, circa quod suppono tanquam indubitatum, quod non possint esse talia, nisi quatenus dependent à voluntate; & quod possint sic dependere patet experientia, qua constat quod voluntas possit diuertere intellectum à consideratione quacumque, aut saltem posset conari hoc facere; vnde si cogitatio habet malitiam aliquam obiectiuam, voluntas peccabit, si non diuerterit aut diuertere conetur, & ipsa cogitatio censebitur libera, & consequenter mala formaliter eo modo, quo actus imperati possunt esse mali formaliter, ex eo scilicet quod habent malitiam obiectiuam, & quod præterea sint liberi. Vnde difficultas tantum est in cognoscendo, quænam cogitationes intellectus sunt malæ.

Quæ cognitio est mala.

87. *Circa quod Dico primo.* Nullam cognitionem esse malam ex se, nisi quatenus ordinatur ab malum finem, aut est impedimentum operationis, quæ deberet fieri, aut habet annexam delectationem illicitam, aut inducit ad actum aliquem illicitum faciendum; & ratio est quia secundum se præcise considerata est perfectionis, & cõpetit ipsi Deo cognoscere quæcumque obiecta, etiam pessima & peccaminosa, sicut & omnem modum, quo fieri possit peccatum quodcumque; ne est vllum præceptum positiuum, quo prohibetur vlla cognitio ratione sui præcise.

*Confirmatur*, quia si cognitio vlla aut cognitatio intellectus esset peccaminosa ex se, maxime cogitiones rerum venerearum; sed hæ præponuntur discendæ in Medicina & Theologia Morali: ergo non sunt prohibitæ ex se. Dixi autem: *Nisi quatenus*, &c. quia in omnibus illis occasionibus cogitatio posset esse peccaminosa: quod si delectatio annexa cogitationi non sit peccaminosa nec ipsa cogitatio ex hoc capite potest esse peccaminosa, vt est euidens.

Nulla delectatio se tenens ex parte intellectus, aut voluntatis de re licita est ex se mala.

88. *Dico secundo*, nulla delectatio, se tenens ex parte intellectus, aut voluntatis, concepta de re quauis licita est peccaminosa ex se, nisi quatenus induceret ad peccatum aliquod distinctum, & consequenter nulla cogitatio ob connexionem cum tali delectatione est peccaminosa.

*Hæc patet*, Quia videtur ex terminis notum posse quem gaudere intellectualiter & delectari de quocumque opere licito, nec assignari potest ex quo capite, id esset prohibitum aut malum.

Nec delectatio vlla intellectus de re illicita.

*Dico tertio*, Nulla delectatio ex parte intellectus, etiã concepta de obiecto aut actu illicito, est ex se mala, nisi quatenus induceret ad actum aliquem peccaminosum.

*Probatur*, Quia cogitare de talibus non est malum, vt supra dixi: ergo nec delectatio intellectus cõcepta de illis potest esse peccaminosa, probatur consequentia, quia vel delectatio intellectus est indistincta ab actu cogitationis vel certe habet necessariam cõnexionem cum illo: ergo si cogitatio non sit mala ex se, nec delectatio illa malaerit.

*Confirmatur*, quia non potest ostendi ex quo capite esset mala ex se magis, quàm cogitatio.

Nec etiã voluntatis.

89. *Dico quarto*, Nulla delectatio voluntatis de obiecto illicito est mala ex se, nisi quatenus ipsemet actus voluntatis cum quo connectitur est malus.

*Probatur*, Quia delectatio voluntatis de obiecto illicito aut identificatur actui, quo versatur circa illud obiectum, aut antecedit, aut consequitur ipsum, si identificatur ipsi non potest esse mala, nisi actus sit malus, si sequitur, certe eatenus potest esse mala, quatenus actus, ad quem sequitur, est malus, & absurdum videtur quod ad actum bonum sequeretur tanquã passio subsequens delectatio mala. Si antecedi, malitia ipsius deberet consistere in hoc quod traheret ad actum; sed si actus non esset malus, non posset habere talem maliciam,

*Confirmatur*, Quia non potest ostendi ex quo capite esset mala, si ipsemet actus non sit malus.

Complacentia voluntatis de obiecto illicito.

90. *Dico quinto*, Complacentia quæcumque libera volũtatis de obiecto illicito, facto vel faciendo, habẽs annexam volitionem, qua quis vellet illud esse factum, aut cuperet illud fieri est mala, siue illud opus sit illicitum iure Diuino, siue humano.

facto vel faciendo habens annexam volitionẽ qua quis velit illud esse factũ, aut cuperet illud fieri est mala.

*Hæc probatur*, Quia ex terminis patet talem volitionem esse malum.

*Confirmatur*: Quia si identificatur actui, vt actus est malus, ipsa debet esse mala realiter; si antecedit, habet vim attractiuam ad actum illum, aliàs non haberet necessariam connexionem cũ illo, & hoc ipsum maleficat illum. Si sequitur tanquam passio, tum vel erit formaliter mala, vel saltem ex ea colligi potest quod habens ipsam peccat, quia non est absque tali volitione, aut desiderio, & hoc sufficit ad intentum assertionis.

Potest quis licite velle facere quod eisque opus casu quo non esset prohibitũ

*Dico sexto*, Posse quem licite velle facere opus quodcumque & quocumque iure illicitum, cum conditione quod non esset illicitum, & si cum tali velle coniungatur aliqua complacentia, non erit ex se illicita magis, quam si opus esset licitum, & eodem modo posset velle quod tale opus esset factum & quod fieret. *Hæc patet*, Quia obiectum talis volitionis non est illicitum neque potest ostendi ex quo capite, aut ipsa aut complacentia annexa esset illicita.

Potest quis licite velle emolumentũ ex opere illicito se. cutum & gaudere de illo.

91. *Dico septimo*, Potest quis velle aliquod emolumentum sequens ad actum, aut opus illicitum quocumque jure, ex suppositione quod opus illud sit commissum aut committendum, & potest complacere in tali emolumento, modo non inuoluatur in tali volitione consensus in commissionem ipsius operis. Vnde si ex interfectione illicita alicuius aliquis acquirat hæreditatem, aut ex peccato carnis commisso sequatur sanitas corporis, aut pœnitentia magna, potest quis gaudere de illo emolumento, non tamen gaudendo de facto, aut volendo quod illud fieret aut factum sit.

*Hæc etiam patet*, Quia obiectum volitionis huiusmodi & complacentiæ non est malum; neque potest ostendi cur esset mala. Ex quo etiam principio patet posse quem desiderare quod sibi veniat absque vlla cooperatione sua pollutio nocturna, propter sanitatem aut alios fines bonos, modo tamen desiderium, aut cogitatio ad ipsum requisita non esset causa pollutionis.

*Dices*, non potest quis desiderare mortem alterius absque cooperatione sua aut aliena mala: ergo nec pollutionem talem. *Respondeo*, Quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam, quia mors illa est malum physicum graue alterius, pollutio non est nec malum, physicum, nec morale etiam, quando non causatur libere directè aut indirectè.

Delectatio partis sensitiuæ orta ex consideratione venereorum quorumque est peccaminosa si directe intendatur & nõ ordinetur ad concupitum licitum.

92. *Dico octauo*, Delectationem, quæ in parte sensitiua percipitur quandoque ex consideratione obiectorum venereorum, siue licitorum, siue illicitorum, etiam secluso consensu in opus illicitum, esse illicitam quoties per se intenditur & non ordinatur ad concupitum licitum. Hæc est communissima, quamuis Corduba noster videatur tenere oppositum, & aliqui dicant quod non sit peccatum mortale.

*Probatur*, Quia delectatio illa videtur esse eiusdem speciei cum delectatione pollutionis, nisi quod hæc sit maior, & videtur etiam habere eandem, aut valde similem malitiam: ergo est mala sicut est illa pollutionis.

*Confirmatur*, Quia malitia huiusmodi delectationis non sumitur ex obiecto vllo distincto, sicut nec malitia pollutionis, sed ex ipsamet natura sua: ergo non potest vllo modo directè procurari, neque per considerationem neque per metum aliquem.

*Confirmatur secundo*, Authoritate August. 12. de Trinit. cap. 12. *Totus homo damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate talia opere exequendi, cum voluntate tamen animum in illis oblectandi solius cogitationis noscuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remissa fuerint.* Dixi: *quoties per se intenditur, & non ordinatur ad concubitum licitum*: quia certum est quod possunt procurari tales delectationes & motus in ordine ad talem concubitum, quia sicut concubitus est bonus, ita medium hoc non potest esse malum; & certum etiam est, quod non sint semper peccata, quando indirectè causantur, vt postea magis patebit.

Intelligo etiam assertionem de delectatione secundū se considerata, & non solum quatenus habet annexum periculum consensus in actum illicitum, nam quod hac etiam ratione sit peccaminosa, est absque controuersia vlla; etiam secundum illos, qui negarent conclusionem de delectatione ratione sui: quia reuera periculum huiusmodi est valde magnum, suppositā fragilitate humana; vnde videtur apparere ex terminis esse malū propter delectationē talem præcisè exponere se tanto periculo, quamuis hic & nunc non sequeretur consensus,

Et sane tum propter malitiam ipsiusmet delectationis, tum propter huiusmodi periculum existimo esse peccatum mortale directe procurare vllam similem delectationem, quātumuis minimam, & hoc maxime, tum quia, vt dixi, ipsamet malitia eius videtur esse eiusdem speciei cum malitia pollutionis præter aliam differentiam, quàm maioritatis; tum quia periculum est magnum semper; tum quia non est in manu voluntatis, quod sit tanta vel tanta; quamuis esset in manu eius eam totaliter impedire; vnde cum permittere vellet paruam, fortè magna succederet, & in hac materia, qui minima spernit facile incidit in grauiora, & si nō velit abstinere à minima antequam succedit, minùs poterit abstinere ab eius continuatione & augmento.

Non est semper mala, quādo causatur indirecte.

93. *Dico nono*, Huiusmodi delectationes non esse semper peccaminosas, quando causantur tantum indirectè. Hæc est cōmunis & patet quia nec ipsa pollutio, quando causatur indirectè, est semper peccaminosa: ergo multo minus alia delectatio erit talis. antecedens patet, quia aliàs non posset quis audire confessiones de rebus turpibus, quando inuito Confessore succederet pollutio.

*Confirmatur*, Quia aliàs non posset quis de rebus necessariis tractare cū mulieribus, nec Medicus, aut Chirurgicus pōsset applicare remedia ad sanandas partes verecundas, quia hæc vix fieri possunt, quin causentur huiusmodi delectationes ac motus in parte sensitiua.

Quando causantur directe.

*Confirmatur secundo*, Quia non potest ostendi ex quo capite essent semper malæ, quando hoc modo tantum causantur.

94. *Quæres*, Quando causantur directè & quando indirectè? *Respondeo*, Causari eas directè, quando ipsæmet intenduntur positiuè, & in ordine ad illas applicantur media opportuna, vt si quis data opera ad excitandas tales delectationes, vellet cogitare de reb° venereis, aut eas aspicere, aut oscularetur, vel amplecteretur mulieres. Causantur vero indirectè, quando ipsæmet non intenduntur, fiunt tamen ob alium finem aliqua, ex quibus cognoscuntur secuturæ, vt cum quis audit confessiones, aut medicat partes occultas, aut tractat cum mulieribus de rebus necessariis, cum tamen sciret excitandas delectationes, sed prorsus nollet eas excitari:

Quando sunt malæ cum causantur indirecte.

95. *Quæres secundo*, Quando erunt peccaminosæ delectationes causatæ indirecte. *Respondeo*, Quoties posset quis abstinere commode ab illis actionibus, ad quas sequuntur absque præjudicio alio; quando vero non potest, non erunt peccaminosæ. Hinc patet delectationes, quæ causantur præter voluntatē Confessarij excipientis cōfessiones, nō esse peccaminosas ex se, & idem dicendum de Medicis curantibus partes occultas ac iis qui tractant de rebus necessariis cū mulieribus, & qui studēt illi parti Medicinæ, Philosophiæ ac Theologiæ Moralis, in qua agitur de rebus obscœnioribus, quādo sincere intendunt ipsam scientiam; quod etiā sentio de iis, quas nonnumquā sentire possunt, qui iuxta communem aliquorū locorum consuetudinem osculantur, ac amplectuntur mulieres in primo cōgressu, ac aliis consueris occasionibus in signū amicitiæ ac beneuolētiæ,

*Quia vero* hæc materia est periculosa ob naturæ fragilitatem, valde cauendum semper, ne intendatur ipsa delectatio, etiam particulariter, & ne sub prætextu occasionis sufficientis, aliquando fiant illa, ad quæ sequūtur delectationes, cum commode possent omitti.

*Qua in re* vix regula vlla generalis præfigi potest; ille tamen securius potest dare occasionē ob alium bonū finē, qui experimur minus esse sibi periculū in præbēdo consensu adactum illicitum & intendenda directe delectatione.

*Nec est mala regula* cognoscendi, an intendatur per se ipsa delectatio aliqualiter, si quis inueniat se sic dispositum, vt non applicaret causam delectationis tali particulari modo, nisi delectationem experiretur, aut experiri soleret, hinc enim colligi potest, quid partialiter saltem intendat delectationem.

96. *Quanti vero momenti*, debeat esse finis, ob quem quis possit se exponere periculo delectationis, difficile est determinare. Et imprimis videtur certum quod non debeat esse simpliciter necessarius, quia certe significatio amicitiæ ac beneuolentiæ per oscula, non est simpliciter necessaria, & idem est de studio circa res obsceniores, & de multis conuersationibus ac aspectibus, ad quæ sequuntur delectationes, quas nemo asserit esse peccaminosas.

Quis finis sufficiens ad procurandum indirecte delectationem.

*Itaque existimo*, saluo meliori iudicio, quoties actio, ad quam sequi solet delectatio, est talis, quam alias quis fecisset casu, quo sequi non soleret, delectatio, & cuius omissionem aut impedimentum haberet pro incommodo, etiamsi non sequeretur, aut sequi soleret delectatio, posse quem eam exercere, nonobstante quod probabiliter, aut certo putaret delectationem secuturam

*Ratio est* Quia in re tanti momenti quotidie in praxim veniente, debet esse aliqua regula certa ac facilis, secundùm quam possit quis dirigere suas actiones & cognoscere. quomodo possit hoc, vel illo modo se gerere absque peccato: sed non videtur mihi alia melior ac facilior quam hæc resolutio.

*Confirmatur*, Quia quod in aliis similibus occasionibus tradi soleat, nimirum recurrere ad iudicium prudentis viri, omnino non videtur mihi, saltem hic, satis opportunum, quia ipsemet prudens vir debet habere aliquam regulam, iuxta quam possit ferre suum iudicium; & absque hoc facile possent esse contradictoriæ opiniones, & sic, nihil haberetur certi, & liceret quamcunque partem acceptare iuxta sententiam communem de licita sequela opinionis, etiam minus probabilis.

*Confirmatur secundo*, Quia delectatio non intenta per se directe, non est mala secundum se; aliàs nullus finis aut necessitas excusaret illam; nec etiam delectatio non intenta directe sequens ad actionem non necessariam, vt dixi supra: sed hoc supposito non apparet, cur delectatio sequens actionem alias eliciendam esset mala; nec ratione enim id constat, nec authoritate; & iugum Christi non est reddendum grauius, quàm constat esse ratione aut authoritate.

97. *Hæc autem resolutio*, magis certa est, ac minus difficilis, quoties non est periculum consensus aut desiderij illiciti; quia vero delectatio sensitiua pro humana propensione ad malum in hoc genere, habet magnam vim attrahendi ad huiusmodi consensum aut desiderium, propterea videndum hic, quando non obstante hoc periculo licet indirecte causare delectationes huiusmodi aut facere ea, ad quæ solent sequi.

Quando nonobstante periculo consensus mali licet procurare indirecte delectationem veneream.

*Circa quod*, illud imprimis certū est quod liceat quandoque exponere se periculo huiusmodi consensus, quia aliàs non posset quis audire confessiones, nec medicare partes verecundas mulierum, nec tractare cum mulieribus, iuuenibus præsertim, & pulchris, de rebus necessariis, aut eas tempore magnæ necessitatis solas comitari; nam in omnibus his casibus imminet periculum maximum consensus, aut desiderij alicuius illiciti, ex alio vero capite constat non posse quem exponere se tali periculo ob quamcumque vtilitatem: quæritur, ergo regula aliqua, iuxta quam quis cognoscat, quando possit, aut non posset exponere se tali periculo?

*Respondeo ergo primo*, Quando actiones illæ, quæ aliàs sunt bonæ, & solum vitādæ ratione periculi, spectāt ad statū alicuius, nec potest satisfacere suo muneri bene, quin eas exerceat, & merito reprehēdi posset, si eas omitteret; nec aliter posset excusare cōmode omissionē illarum actionū, quā ratione periculi, ipsum posse non obstante periculo eas exercere, præparando tamen se

proposi

Propositis bonis & orationibus ad non consentiendū, ad quod etiam iuuat multum spes auxilij habēdi à Deo ad superandam tentationem illam, quandoquidem non exponat se periculo, nisi ob occasionē legitimam. Probatur hoc, quia per se spectat ad quemlibet facere actiones per se bonas spectātes ad statum suum, quando non potest absque reprehensione; aut præiudicio eas omittere: & quod sequeretur consensus est per accidens, cum possit non sequi mediante Dei gratia, quæ sæpissime datur, & sperari debet in tali occasione: ergo absque peccato potest eas exercere.

98. *Hinc patet*, posse Confessores audire confessiones de quibuscumque peccatis & quarumcumque personarum; & Medicos curare in quibuscumque partibus fœminas; & seruos mulierum pulchrarum tractare cum illis, ac eas aspicere modo consueto ac ordinario, non obstante periculo consensus alicuius aut desiderij illiciti.

In seruis autem quia occasio peccandi est tam continua ac proxima, iudicarem eos si possent habere aliam commoditatem seruiēdi absque periculo, teneri ad eam quærendum, præsertim si frequenter caderent, quæ obligatio multo magis curreret, quando non solum actus interni mali intercederent, sed etiam externi cum ipsa Domina aut aliis ex familia ipsius.

*Respondeo secundò*, Quando omissio actuum aliàs bonorum, esset graue incommodum operanti, posse quem eos exercere nonobstante periculo, supposita præsertim diligenti præparatione ad non cadendū. *Probatur*, Quia illud graue incommodum est motiuum sufficiens concipiendi spem diuini auxilii, & etiam habet magnā vim attrahendi ab ipso consensu, ne scilicet ratione consensus deberet illud incurrere. Quando vero omisso actionum non est nisi leue incommodum, non potest quis ob illas exponere se periculo lapsus.

## QVÆSTIO XII.

### *De aliis Peccatorum diuisionibus.*

99. *Communissima*, ac vulgaris est diuisio septimembris Peccatorum in Superbiam, Auaritiam, Luxuriam, Iram, Gulam, Inuidiam ac Acediam, seu Accidiam, quæ etiam peccata capitalia vocantur, quia ex illis tanquam ex capite ac fonte omnia alia peccata maxima ex parte deriuantur: quæ diuisio in hoc sensu est bona, quod quodlibet ex his sit peccatum, & quod nullum sit peccatum, quod non comprehendatur sub aliquo ex illis; & facile etiam reduci posset ad trimembrem; si id facere ad vtilitatem vllam eo labore dignam conduceret. Quod autem omnia illa sint peccata patet non solum, quia pro talibus à Scriptura ac Patribus reputantur, quæ probatio est Theologica, sed quia reuera ex natura rei apparent esse indecentia, & multorum malorum sunt causæ.

Diuisio Peccatorū in septem Capitalia.

Quid superbia.

100. *Est autem superbia*, Volitio inordinata excellentiæ, vt cum quis desiderat videri maioris perfectionis, quam est, amore talis excellentiæ; aut cum displicet sibi quod non habeat aliquam perfectionem, quam non habet, nec sibi conuenit, ex eo quod inde sequi videt, quod non æstimetur tanti, quanti aliàs æstimaretur. Huiusmodi autem appetitus excellentiæ tunc est mortalis quando applicat re aut desiderio media mortaliter mala, vt si iuraret se esse maioris nobilitatis quam est, aut cum malum graue aliorum procurat, vt ipsemet eo dignior appareat; aut cum non vult agnoscere dependentiam ab eo, à quo deberet sub pœna mortalis peccati.

Ad superbiam reducitur *Præsumptio*, *Ambitio*, *Vana Gloria*, cum suis filiabus, nempe *Iactantia*, *Hipocrysi*, *Contentione*, *Discordia*, *Pertinacia*, *nouitatum Inuentione*, *Curiositate*, *Inobedientia*; quarum natura ex ipsis nominibus constat, etiam mendacium ad eam reduci debet, quando fit in ordine ad procurandam excellentiam, vt fit sæpissime.

Quid Auaritia

Quādo est mortalis.

101. *Auaritia*, est amor seu volitio inordinata habendi diuitias cuiusuis generis, & ex ipsa natura rei apparet inordinatio huius affectus, non est autem peccatū mortale, nisi quādo quis applicat media mortaliter mala ad habendas diuitias; aut cum omittit propterea facere, quæ deberet ex præcepto; aut ratione periculi cadendi propterea in aliquod peccatū mortale, quod sane periculum est tam magnum in iis, qui eum temperare negligunt, vt non dubitem quin sit peccatum mortale in hoc negligentem se præbere, quod valde aduertendum est iis, qui sentiunt se hoc affectu duci.

Ad hoc autem peccatum reducitur *Prodigalitas*, vitium circa diuitias extreme oppositū ipsi, quo quis elargitur diuitas inordinate, dando plus quam oporteret secundum rectam rationem, & est peccatum mortale. quoties ratione eius cōmittitur aliquod peccatū mortale, aut constituitur in periculo magno cōmittendi ipsum, vt si propterea aliorum bona consumeret, aut cōstitueret se in statu, in quo nō posset soluere sua debita, aut sustentare debite familiā sibi commissam. Ex Auaritia procedunt *obduratio* impediens commiserationem erga pauperes ac indigentes; *inquietudo*, seu nimia sollicitudo acquirēdi diuitias, ac metus nimius eas perdēdi; *fraus*, *fallacia*, *mendacium*, *perjurium*, *violentia*; *proditio*.

Quid Prodigalitas.

102. *Luxuria*, est inordinatus affectus erga voluptates carnales, seu venereas, quando scilicet appetuntur cum non deberent; ex ea originem habent: *Cæcitas mentis*, *præcipitatio*, *inconsideratio*, *inconstantia*, *amor sui & huius mundi*, *odium Dei*, *& horror futuri seculi*.

Quid Luxuria.

Quid Ira.

*Ira*, est inordinata volitio vindictæ, quatenus est ex se peccatū, & in hominibus habet annexum sæpe appetitum partis sensitiuæ, qui licet ex se, vt non est liber, ita nequeat esse peccatum, tamen quia habet magnam vim trahendi voluntatem ad appetitum talem voluntarium ac peccaminosum, propterea potest vocari peccaminosus causaliter, & non dubito quin quis & ipsum & passionē concomitantē ipsum in parte sensitiua, quādo præsertim est vehemens temperare teneatur, aut procurare id facere magno studio, quæ obligatio erit maior, quò pejores sunt effectus ab ipso procedere soliti, & quò ipsemet appetitus sensitiuus est vehementior; nō est autē Ira voluntaria peccatū mortale ex se, nisi quādo vindicta quæ appetitur est grauis, aut applicatur mediū mortaliter malum ad eam inferendam. Huius affectus filiæ numerantur: *Indignatio*, *tumor mentis*, *clamor*, *contumelia*, *blasphemia*, *seu maledictio & rixa*.

Quid Gula

103. *Gula* est inordinata volitio cibi aut potus; quando autem est peccatum mortale, vel ex se, vel ratione effectuum inde procedentium, aut periculi ratione eius incidendi in alia peccata, patet ex natura rei, vel ex determinationibus virorum doctorum, quas longum esset hic examinare, & communiter traduntur ac cognoscuntur. Solum propono difficilem mihi semper visam esse rationem, ob quam communiter dicitur ebrietas esse peccatum mortale, quia scilicet per eam priuatur homo vsu rationis: nam quod aliquis vellet pro tanto tempore priuare se vsu rationis libere, quanto solet ea carere ratione ebrietatis, non apparet mihi sufficiens pro peccato mortali seclusis aliis inconuenientiis nā aliàs non posset quis procurare somnū præsertim non necessarium; nā dum dormit etiā caret vsu rationis; est quidem differentia inter vtramq; priuationem vsus rationis nam quæ ex somno venit, facile tolli potest, quando esset occasio; quæ vero per ebrietatem, non ita ante aliquot horas: sed hæc ipsa differentia non videtur sufficere; quia ex ea sequeretur priuationē quæ fit per ebrietatem ex se non esse malam mortaliter; sed quia sequi posset interea aliquod magnū malū vel ebrio vel aliis, quæ facilius excusari possent, si dormitione contingeret priuatio illa; hoc autē modo dormitio posset esse peccatum mortale, quia multi casus possēt contingere; in quo ratione periculi deberet quis non dormire. *Deinde*, qui vellet se inebriare, posset esse sic constitutus, vt non posset moraliter existimare secuturum aliquod aliud damnum, ratione cuius euitandi deberet abstinere ab ebrietate: vnde tum posse se inebriare absque peccato quantum ad hanc rationem.

Cur ebrietas est peccatum mortale.

*Nihilominus*, quia ex natura sua habet sic priuare, vt nō possit facile recuperari vsus rationis, quāuis esset periculum

culum aut adesset occasio vtendi ratione & secus sit de priuatione per somnum inducta, hæc ipsa differentia sufficit, vt appareat grauiter mala ebrietas, præsertim nisi causetur in ordine ad sanitatem recuperandam aut conseruandum aut finem aliquem insigniter bonum, qui alias obtineri non posset; quo in casu sentio cum *Cai.* & Siluestro posse quẽlicite se inebriare secluso periculo aliorũ malorũ, quæ cõmitti non possent ad illum finem.

Posset quis licite inebriare quandoque.

*Gulæ filiæ* reputantur: *mentis habitudo, inepta latitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia*, & quotquot alii effectus inordinati sunt, ex quibus colligimus hominẽ esse gulosum, aut fecisse excessum in cibo aut potu.

Quid inuidia.

*Inuidia* est displicentia voluntaria de bono alterius quocunque, quatenus ex hoc sequitur eum nobis aut nostris præferri & est mortale, quando ad impediendum tale bonum applicamus mala mortaliter media, aut quando desideramus efficaciter, quod alius non haberet tale bonum ex hoc fine, ne scilicet nobis præferatur, & qui sentiunt huiusmodi affectum, tenentur ipsũ temperare ratione periculi eos inducendi ad alia peccata, in quæ facile labuntur inuidi: apparet autem malitia eius sicut aliorum, de quibus hactenus. Effectus, seu filiæ ipsius, dicuntur: *Odium, susurratio, detractio, gaudium in aduersis proximi, afflictio in prosperis.*

Quid Accidia.

*Acedia* seu *Acidia* est pigritia voluntaria retrahens ab exercitio virtutis ob difficultatem & est mortale peccatum quando retrahit ab exercitio præcepto, aut cõstituit in magno periculo retrahẽdi: Habet pro filiabus, *desperationem*; *pusillanimitatem*, *Torporem*, *Maliciam*, *Rancorem*, *mentis Euagationem*. Hæc de hac diuisione peccatorum in septem capitalia.

Aliæ diuisiones peccatorum.

105. *Alio modo* possunt diuidi in decem classes iuxta decem præcepta, ponendo in qualibet classe peccata contra singula præcepta. Possent etiam diuidi in tot classes, quot sunt virtutes, ponendo in qualibet classe peccata contra quamlibet ex virtutibus. Variis etiam aliis modis possent diuidi.

Quid peccatum ex malicia, passione & ignorantia.

*Alia denique* satis etiam vulgaris diuisio est, qua diuiduntur in peccata ex malicia, ex ignorantia & ex passione. Peccatum ex malicia est quod fit sine ignorantia aut passione sensibiliter trahente ad peccandum. Peccatum autem ex passione est quod fit cum tali passione, vt cum quis peccat commotus ira aut concupiscentia partis sensitiuæ. Peccatum denique ex ignorantia est quod fit ex aliqua ignorantia.

Illa vero ignorantia ad hoc non sufficiet quæ tollit voluntarietatem actus, & illa sufficiet quæ non tollit; quænam autem ignorantia tollat voluntarietatem dictum est supra, & vlterius de ea potest videri meum commentum in *Dist.* 43.

# DISPVTATIO V.

## DE VIRTVTIBVS MORALIBVS.

1. CErtum est ad fœlicitatem naturalem nihil magis spectare, quàm virtutes morales: per eas enim maxime perturbationes animi felicitati aduersæ, vel tolluntur omnino, vel sedantur; & præterea sunt etiam ex se principaliores hominis perfectiones & post virtutes Theologicas maxima felicitatis æternæ consequendæ adiumẽta. Quare ad hanc scientiam earum consideratio sine dubio spectat.

### QVÆSTIO PRIMA.

*Quid sit virtus moralis.*

2. AGitur hic de virtute morali in actu primo, & quamuis hæc duplicem habeat acceptionem: vnam, qua comprehendit virtutes etiam Theologicas, aliam quacomprehendit solas & omnes, quæ non sunt Theologicæ; tamen hic placet agere de ipsa in priori acceptione: quia supposito quod cognoscatur quid sit virtus Theologica, quod ad Theologiam spectat, facile est cæteras, quæ non sunt tales ab illa secernere, & consequenter ad hoc definitionem accommodare, modo sciatur quid sit ratio virtutis moralis, vt sic, vtrisque communis, quod hic conandum est facere.

Et quidem supposita declaratione actus boni moralis superius facta, meo iudicio facile & breuiter definiri posset virtus moralis, vt sic, *esse habitus ille, qui inclinat ad actum bonum moralem eliciendũ*, hæc enim descriptio soli & omni virtuti morali, præsertim appetitiuæ, conueniret; nec est vlla ratio, ob quam pro bona haberi non debeat. Placet tamen explicare definitionem qua authores communiter vtuntur. Est autem hæc: *Virtus moralis est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus male vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur* ex quibus tamen vltimam particulam *quã Deus in nobis &c.* dicunt communiter non conuenire virtuti morali vt sic, sed Theologicæ; ea autem dempta, definitio conueniet adæquate virtuti vt sic.

Quid virtus moralis.

Dicitur: *bona qualitas* quia in hoc tanquam in genere conuenit cum omni qualitate perficiente subiectum. Dicitur: *mentis* vt secernatur à qualitatibus non perficientibus mentem, nec iuuantibus per se ad operationes mentis eliciendas. Dicitur, *qua rectè viuitur*, vt distinguatur ab habitibus mentis speculatiuis. Dicitur: *qua nullus male vtitur*, vt intelligatur determinatio virtutis ad actum bonum moraliter.

3. *Sed circa hanc particulam* occurrit difficultas non leuis hic examinanda, an virtus moralis habeat ex se huiusmodi determinationem, vt non possit concurrere ad actum malum, aut indifferentem: nam si sic, definitio facilis est sine vlteriori glossa; sin minus, explicari debet hæc particula ita, vt sensus sit quod, quatenus virtus est, nemo ea male vtatur aut indifferenter.

### CONCLVSIO I.

Virtutes morales partis sensitiuæ possunt inclinare ad bonos & malos actus.

*Virtutes morales appetitus sensitiui possunt inclinare ad bonos & malos actus.* Hæc est Scoti 1. *d.* 17 *q.* 3. quem præter suos sequitur *Auersa q.* 55. *s.* 9. contra multos Thomistas.

*Probatur* quia illæ virtutes, sicut & actus earum subordinantur voluntati, & non respiciunt ex se bonũ honestum, sed vtile aut delectabile, & voluntas posset imperare illarum actus, & quando proponerentur vt honesti, & quando vt inhonesti: ergo virtutes illæ nunc inclinarent ad actum bonum, nunc ad actum malum.

*Confirmatur*, quia si quis acquireret habitum temperantiæ, quo pars sensitiua inclinaretur ad bibendum tantum bis in prandio (supponamus actum temperantiæ quoad potum consistere in hoc) & voluntas mota bonitate temperantiæ imperaret bis tantum bibendum, actus ille esset bonus, & habitus temperantiæ ad illum inclinaret; sed si Deus præciperet non bibere omnino, aut non nisi semel, & tamen ad hoc volũtas imperaret bis bibere, ille actus esset malus & habitus idem inclinaret ad illum; ergo habitus temperantiæ sensitiuus nunc inclinare potest ad actum bonum, nunc ad malũ.

### CONCLVSIO II.

Dantur in voluntate habitus indifferentes ad bonum & malum actum.

4. *Dantur aliqui habitus in voluntate indifferentes ad actum bonum & malum.* Probatur quia dantur in ea habitus inclinantes per se ad bonum delectabile, sed hi habitus sunt indifferentes ad actum bonum & malum non minus, quam habitus appetitus sensitiui à paritate rationis.

### CONCLVSIO III.

Habitus voluntatis inclinans ad bonum honestũ bonitate obiectiua, potest inclinare ad actum malum.

*Habitus voluntatis, quo inclinaretur ad prosequendum obiectum ex se honestum honestate obiectiua* (qualis potest dari, cum in hoc nulla sit implicantia) *est ex se indifferens ad actum bonum & malum, quantum ad hoc quod posset ad vtrumque inclinare.* Hæc est conformis Scoto supra, & probatur quia actus talis habitus potest quandoque affici circumstantia mala, & tum erit malus, vt cum quis vellet orare cum teneretur assistere infirmo, & potest carere omni circumstantia mala, vt cum nulla erat ob quam deberet ipsum omittere & tum erit bonus, ergo habitus ille est sic indifferens.

CON

## CONCLVSIO IV.

Habitus quo voluntas inclinatur ad actum ex eo quod proponetur bonus sine vlla circumstantia vitiante determinatur ad actum bonum.

5. *Habitus quo quis inclinaretur prosequi obiectum, non solum ex eo quod haberet bonitatem obiectiuam, sed quia deberet etiam nullam adesse circumstantiam vitiantem, non posset tendere in actum malum, quamuis posset tendere in actum non bonum ex defectu libertatis, casu quo posset esse sine libertate.* Hæc est iuxta Scotum & probatur *Prima pars*, quia non posset habere actum malum nisi proponeretur circunstantia mala; sed si proponeretur talis nõ inclinaret ad ipsum: ergo, probatur minor, quia supponitur obiectum ipsius adæquatum esse quod est bonum ex omni capite. *Probatur secunda pars*, quia de essentia actus boni & mali est libertas ergo si actus non esset liber, esset indifferens, hoc est nec bonus, nec malus.

*Hinc patet* si per habitum virtutis moralis intelligatur huiusmodi habitus, eum esse determinatum ad bonum supposita libertate, & neminem eo posse vlla ratione male vti; si vero per habitum virtutis intelligatur habitus inclinans sad actum bonum, posse habitum aliquem virtutis inclinare ad actum malum, & aliquem consequenter eo male vti posse.

*Patet secundo*; aliquem actum bonum esse ita ex se bonum, vt non possit esse malus, nimirum illum, qui elicitur ex eo, quod videatur esse bonus ex omni capite; & posse aliquem alium actum transire de bono in malum, nimirum illum, qui elicitur ob bonitatem obiectiuam præcisè, abstrahendo à circumstantiis quæ eum inficere possent.

## QVÆSTIO II.

*De mediocritate virtutis moralis*

6 *Supponunt communiter*, tam Theologi, quam Philosophi virtutes morales omnes respicere mediũ, & habere duo extrema, vnum excedens, quo inclinatur quis ad faciendum plusquam virtus requirit, qualis est prodigalitas respectu liberalitatis; alterũ deficiens, quo inclinatur ad non ponendum tantum, quantum virtus requirit, qualis est Auaritia respectu eiusdem virtutis.

*Dicunt tamen* Authores communiter hoc mediũ, non debere esse sẽper rei, id est mediũ determinatũ ex natura rei, quod sẽper sit idẽ; sed rationis hoc est tale quale à ratione recta dictatur cuius exẽplũ habetur in tẽperantia respectu cibi. v.g. nã mediũ eius non est sẽper tãta quantitas, nec respectu omniũ nec respectu eiusdem: nam posset fieri quod media libra, quæ esset hoc tẽpore medium proportionatũ, esset alio tempore excedẽs respectu ipsius & aliorum, aut etiam deficiens; sed semper mediũ eius est illa quantitas, quã dictat recta ratio, Sed quia recta ratio ideo dictat nunc hanc quantitatẽ, nunc illam ex eo, quod nũc illa sit mediũ ex natura rei, nunc non est, meo iudicio potest dici quod mediũ eius semper sit medium rei, licet varietur ex varietate circumstantiarum. Vt vero hæc res melius intelligatur.

## CONCLVSIO I.

Quælibet virtus nõ habet medium tale vt excedendo, aut deficiendo quis peccaret.

7. *Quælibet virtus non habet medium inter duo extrema sic, vt quis non perueniendo ad illud medium, aut illud excedendo peccaret aut malefaceret.* Probatur, quia si quis excederet medium iustitiæ commutatiuæ, quod est quantum debet alteri, dando plus, non peccaret quia posset absque peccato liberaliter vel ex alio fine bono charitatis aut gratitudinis aut misericordiæ dare plus. Deinde quamuis mediũ temperantiæ esset vna libra, si quis abstineret â parte ipsius ob finem alterius virtutis, aut indifferentem, non male faceret, quamuis malefaceret, excedendo, nisi ex motiuo alterius virtutis ad hoc obligaretur, aut posset honeste illud excedere. Denique in materia liberalitatis si quis non daret quantum per liberalitatem posset, non peccaret eo ipso, quia sicut non peccaret semper non exercendo liberalitatem, cum etiam posset, neque enim præceptum eius obligat semper & pro semper, vt dicitur: ita non potest peccare dando minus quam posset, nam melius est dare minus, quam nihil dare cæteris paribus.

Potest peccari circa extrema virtutis.

## CONCLVSIO II.

*Potest peccari circa extrema virtutis moralis, & etiam circa medium ipsum.* Probatur prima pars quia in materia iustitiæ potest quis peccare non dando quod debet, cum tenetur, & dando plus, cum id esse impedimentum satisfaciendi aliis obligationibus. Similiter in materia temperantiæ posset quis peccare excedendo, vt faciunt ebrij, & deficiendo à medio, quando teneretur tantum comedere ad conseruationem vitæ.

Et etiam circa medium.

*Probatur secunda pars*, quia posset quis peccare dando quod teneretur ex iustitia, cũ id cederet in detrimentum magnum creditoris, vt si daret gladium furioso. Similiter posset quis peccare comedendo quantum præscriberet temperantia, quando id impediretur à superiore.

## CONCLVSIO. III.

Omnis vitus moralis habet medium inter duo extrema sic vt possit magis vel minus fieri, quã exigit virtus.

8. *Omnis virtus moralis habet medium inter duo extrema sic, vt possit in materia virtutis minus ac maius adhiberi, quam virtus requirit ex natura virtutis, ita vt non sit actus virtutis illius aut minus aut maius exhibere.* Hæc patet, quia si quis in materia iustitiæ teneretur dare centum, si daret minus, non exerceret actum virtutis illius, nec etiam dando maius, quatenus maius. Similiter in materia temperantiæ ac liberalitatis, nec deficiendo nec excedendo exercet actum illarum virtutum; & in hoc distingui possunt virtutes morales non Theologicæ à Theologicis, saltem à charitate, nam in huius materia, quia obiectum eiũs principale est infinitum, nempe Deus, non potest plus amoris, aut obsequij præstari Deo, quàm debeat aut possit ipsi præstari ex charitate.

## CONCLVSIO. IV.

Quæ vitus habet extrema vitiosa.

9. *Omnis & sola illa virtus moralis habet extrema vitiosa sibi opposita, quæ habet extrema, circa quæ, si quis frequenter versaretur absque motiuo alterius virtutis, retarderetur directe à prosecutione medij illius virtutis, etiam quando proponeretur & deberet quis eam prosequi, non tamen omnis virtus moralis habet huiusmodi extrema; sed sola illa cuius medium qua tale, dicit negationem vlterioris additionis.*

*Probatur prima pars*, quia nisi habeat talia extrema, non apparet, quomodo sint specialiter opposita virtuti magis, quam aut ipsummet medium quandoque, quando scilicet ex alio capite esset prohibitum, vt ex obedientia; aut obiecta aliarum virtutum, quæ quandoque retardare possent à medio illius virtutis. Deinde huiusmodi extrema ex se videntur mala, tam bene, quam medium videtur bonum, & habitus acquisitus ex frequentatis actibus circa ipsa retardaret à prosecutione medij & consequenter esset specialiter oppositus virtuti tẽdenti medium. Dixi autem in hac parte: *nisi ex motiuo alterius virtutis*, quia si quis solum versaretur circa illa ex tali motiuo, non essent extrema vitiosa, nec magis quis retardaretur ex prosecutione illorum à medio, quã ex prosecutione aliorum obiectorum disparatorũ.

*Probatur secunda pars*, quia iustitia commutatiua, qua quis tenetur suum cuique reddere, non habet talia extrema, quandoquidem non sit contra illam dare plusquam debetur, licet non sit iuxta illam.

*Probatur denique tertia pars*, quia si medium eius dicat talem negationem, certum est quod ex natura rei excessus erit vitiosus & retardans à medio nisi extrinsece reddatur bonus, vt si imperaretur à Deo. Quænam autem sint virtutes habentes huiusmodi mediũ, constare potest ex natura earum in particulari considerata, & ex ea etiam ratio disparitatis dari debet, à priori quidem quod talis est natura vnius, talis alterius; à posteriori vero quia sic apparet naturas eatum bene considerãti.

Itaque, vt rem in compendium traham: Virtus moralis omnis potest dici habere medium inter duo extrema, quatenus tendit in aliquam determinatam materiam hic & nunc, ita vt si minus fiat quam requirat, aut magis, non exerceatur actus talis virtutis & aliquæ virtutes habent medium inter duo extrema vitiosa, quorum extrema apparent ex natura rei indecẽtia.

QVÆ

## QVÆSTIO III.

*De subjecto virtutum moralium.*

10. AGitur hic de virtutibus appetitiuis: vt ita loquar' hoc est spectantibus ad appetitum aliquem, vt excludatur prudentia, de qua postea; supposita autem diuisione virtutis huiusmodi, de qua etiam postea, in iustitiam, temperantiam & fortitudinem, sensus quæstionis est quodnam sit subjectum harum trium virtutum. Qua in re sententia S. Thomæ est quod iustitia subiectetur in voluntate, Temperantia vero, & Fortitudo in appetitu sensitiuo. Scotus autem putat has etiam ponendas in voluntate, quamuis etiam aliqui habitus ponendi sint in appetitu sensitiuo, qui similibus nominibus gaudere possunt.

### CONCLVSIO I.

Voluntas est capax Temperãtiæ & Fortitudinis habitualis.

11. *Voluntas non solum est capax virtutis iustitiæ, sed Temperantiæ & Fortitudinis, & consequenter omnium virtutum, quæ ad has tres reuocari solent, vt sunt omnes omnino, quotquot dantur; vnde non solum ponendi sunt in ea habitus virtutis circa procurandum bonum alienum, sed circa proprium; nec solum vt exerceat operationes, sed vt moderetur passiones.* Hæc est Scot. 3. d. 33. cum suis omnibus & multis aliis contra Thomistas.

*Probatur*, autem quia voluntas potest velle bonum temperantiæ & fortitudinis non minus, quàm bonum iustitiæ, & per frequentatos actus potest acquirere habitũ ad hoc inclinantẽ sic, sicut potest acquirere habitũ iustitiæ; illi autem habitus, cum respiciant bonum Temperantiæ & Fortitudinis, erunt habitus temperantiæ & fortitudis: ergo voluntas est capax talium habituum.

*Probatur secundò*, Quia si huiusmodi habitus non essent ponendi in voluntate, maxime quia est ex se sufficienter determinata ad bonum simpliciter; aut quia est libera; aut quia non habet passiones impedientes exercitium virtutis: aut quia aliàs ponendæ essent virtutes huiusmodi in Angelis, hæc enim sunt fundamenta aduersariorum: sed hæc non impediunt: ergo.

*Probatur minor*, Quia impedirent, etiam quo minus haberet habitum iustitiæ, vt est euidens de primis duabus rationibus, ad quas etiam positiuè respondendum; quod non sit ita determinata ad bonum, quin possit in eius prosecutione habere difficultatem, & per habitum consequenter magis inclinari ad eius prosecutionem, quàm ex se est inclinata, & quamuis sit indifferens ex se ad prosecutionem, aut nó prosecutionem boni quantum ad hoc, quod possit vtrumque facere absque habitu; tamen potest per habitum inclinari ad vnam partem; licet non taliter, quin possit oppositum.

Potest etiam habere in se passiones inclinantes ad oppositum boni, ad quas temperandas vel tollendas vtilis erit habitus; quod si etiam non haberet in se passiones, sed hæ essent in parte sensitiua, tamen potest voluntas indigere habitu, vt facilius iis nonobstantibus prosequatur bonum, cuius prosecutionem passiones illæ sensitiuæ impedirent; & hinc etiam esset aliqua ratio, ob quam possent in voluntate humana habitus tales poni, quamuis non ponerentur in Angelis, quia Angeli carẽt passionibus sensitiuis, quibus non caret homo. Sed nec est inconueniens quod in Angelis etiam ponerentur habitus temperantiæ, & fortitudinis, quibus inclinarẽtur, non quidem ad temperate, aut fortiter agendum quoad actus sensitiuos, sed ad amandum & procurandum honestatem illarum virtutum & illorum actuum etiam in iis, qui sunt eorum capaces, verbi gratia, in hominibus, videatur Commentarius meus in Scotum suprà vbi fusius probatur conclusio.

Dantur habitus virtuosi in parte sensitiua. Diuisio virtutis in quatuor cardinales.

### CONCLVSIO II.

12. *Ponendi sunt habitus in appetitu sensitiuo, qui scilicet facilitent ipsum ad prosequendum bonum delectabile in ea mediocritate, in qua recta ratio dictaret ipsum esse prosequendum, & qui virtuosi dicendi sint, non quod ex se tendant bonum in bonestum; sed quod tendant in ipsum, quatenus actus eorum imperantur à voluntate ex amore honestatis; aut quatenus tendunt in illam mediocritatem, quæ habet honestatem obiectiuam ex natura sua.* Hæc est communis in vtraque schola, & patet prima pars quia certum est appetitum ex se esse inclinatum ad excedendam vel non ponendam illam mediocritatem; aut saltem per habitum vitiosum posse eam inclinari ad illam excedendam vel non ponendam ergo vt facilitetur ad eam ponendam sine excessu aut defectu, indiget habitu quem etiam experimur in nobis eo modo, quo possumus vllos habitus experiri: ergo dantur tales habitus in appetitu sensitiuo.

*Probatur secunda pars*, Quia appetitus ex se non potest tendere in bonum honestum, sed tantum tendit in bonum delectabile, aut vtile ad bonum delectabile, ergo non potest habere vllum habitum, qui ex se tendat in bonum honestum, qua tale.

Probatur antecedens, Quia non tendit in vllum bonum, nisi quod proponitur per cognitionem sensitiuam; hæc autem non proponit bonum honestum qua tale, vt est euidens experientia.

*Probatur tertia pars*, Quia supposito quod ex se non tendant in bonum honestum, qua tale, non possunt dici virtuosi alio modo, quàm aliquo ex illis in tertia parte specificatis.

13. Quod autem possint dici virtuosi sic, patet quia videtur esse magna virtus, quæ inclinat ad illud, quod reuera honestum est, & retardat ab illo, quod est inhonestum, & hoc ex natura sua intrinseca, quamuis non tendat ex se in illud, quatenus honestum est; & similiter apparet esse magna virtus illa qualitas, quæ facilitat ad illum actum, qui ex se habet honestatem obiectiuam & imperatur à voluntate ob talem honestatem, habet etiam honestatem formalem: sed habitus, de quibus agimus faciunt hoc: ergo optime possunt vocari virtuosi, & dici possunt virtutes sensitiuæ morales.

## QVÆSTIO IV.

*De diuisione Virtutum Moralium in quatuor Cardinales.*

14. QVatuor Virtutes, in quas Virtus vt sic communiter diuiditur, sunt *Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia*, quæ Cardinales nuncupantur vel propter principalitatem; vel quia ab iis honestas omnis fulcitur, vt fores cardinibus; vel, quod idem est, quia in iis tanquam in cardine vita humana versari debeat.

Duobus autem potissimum modis explicari solent hæc quatuor membra.

*Primò* cum D. Thoma prima secundæ quæstione. 68. articulo tertio & vigesimo secundo, sic vt sint inter se realiter distinctæ, & non sint species immediate diuidẽtes virtutẽ moralem vt sic; nec genera intermedia cõprehendentia sub se tanquã species, de quibus prædicari possũt, omnes alias virtutes morales; sed sint quatuor particulares virtutes distinctæ speciei ab aliis, ita vt nec prædicari possint de illis, nec è contrà; quæ tamen sint omnium præcipuæ, intelligendo per prudentiam habitum intellectualem inclinantem ad dictandũ practicè quod rectum est; per iustitiam habitum inclinantem ad reddendum debitum strictũ, quod reddi debet in commutationibus & distributionibus; per Temperantiam habitum temperantẽ delectationes tactus; per fortitudinem habitum inclinantẽ ad standũ in bono rationis nonobstante periculo mortis. Sic autem explicata diuisione, non adæquate diuideretur virtus moralis vt sic formaliter, quamuis posset dici sic diuidi, quatenus nulla virtus est, quæ non possit reduci ad aliquod membrũ ex his, tanquam pars potestatiua, quatenus scilicet habeat aliquam proportionem vel affinitatem cum aliqua ex illis ad quam proprerea reduci deberet.

*Alio modo*, & lõge facilius, intelligi potest cum Scoto 3. d. 34. sic, vt sit adæquatissima, & comprehendat sub se omnes virtutes nulla dempta; Hoc autem modo per Prudentiam intelligetur habitus inclinans ad cognoscendum quid recte faciendum, aut vitandum sit; per iustitiã habitus inclinans ad ordinate gerendum se respectu,

ctu alterius;per temperantiam, ille, qui inclinat ad recte fugerendum in ordine ad se quoad appetibilia & fugibilia per se primo seu ratione sui, & per fortitudinem ille qui inclinat in ordine ad se quoad appetibilia nō per se primo sed secundario, quo modo explicata diuisio est adæquatissima & in membra realiter distincta ac distinctissimæ rationis;nec enim vlla virtus assignari potest moralis,de qua non possit prædicari formaliter,quod sit vel Prudētia,vel Iustitia, vel Temperantia, vel Fortitudo iu hoc sensu. Quod si placeret diuisionem hanc reducere ad bimembrem, facile potest id fieri, dicendo quod virtus moralis naturalis(de qua loquimur)vt sic diuiditur in intellectualem,quæ spectat ad intellectum, & eatenus vocatur virtus moralis, quia inclinat ad ostendendum,quod virtuose agere possit voluntas, & appetitiuam, quæ inclinat voluntatem ad recte moraliter agendum. Intellectualis autem vt sic habet suum proprium nomen nimirum prudētiæ;Appetitiua vero virtus moralis vt sic non habet proprium nomen. Rursus virtus appetitiua, vt sic, potest diuidi in virtutem ordinantem hominem in ordine ad alterum, & hæc vocatur Iustitia, & in virtutem ordinantem hominem respectu sui ipsius, quæ vt sic considerata non habet vnum aliquod nomen:Diuiditur autem in virtutē ordinantem hominem respectu sui ipsius,quoad bona per se primo appetibilia & fugibilia,& hæc vocatur proprio nomine temperantia; & ea quæ ordinat ipsum quoad bona per se primo non appetibilia & hæc vocatur fortitudo:& hinc potest conijci, cur diuisa sit virtus vt sic in quatuor membra potius, quam in duo, quia habentur propria nomina horum quatuor membrorum, non vero vllorum duorum,in quæ primo diuidi posset.

15 Vt vero melius sciatur distinctio temperantiæ & fortitudinis aduertendum cum Doctore supra,temperantiam spectare ad partem concupiscibilem,& fortitudinem ad irascibilem quas duas partes esse in homine omnes fatentur,quamuis non conueniant in assignando earum discrimine.

Quid pars concupiscibilis & irascibilis.

*Circa quod dicendum* cum eodem pa tem concupiscibilem esse eam secundum quam voluntas fertur in bonum conueniens vel malum disconueniens ratione sui, vel delectando de ipso,si sit præsens bonum;aut tristando, si sit præsens malum;vel desiderando ipsum, si sit bonum absens,vel timendo, si sit malum absens ac imminens; & hinc temperantia, quæ spectat ad hanc partem, versabitur circa huiusmodi bonum, aut malum. Irascibilis vero pars versatur circa illud,quod est disconueniens nō ratione sui, sed quatenus est impedimentum boni per se cōuenientis,nolendo ipsum,non quomodocūque, sed per modum remouentis ac punientis; vnde Fortitudo ponitur ad temperandum appetitum circa huiusmodi disconueniens, ne excedet vel deficiat in eo puniendo ac remouendo.

Quod si cui hæc explicatio vtriusque huius partis & distinctio assignata harum virtutum displiceat, si possit ipse vel meliorem, vel aliam æque bonam dare, conueniendum esset cum ipso potius, quam de nomine, aut nominis explicatione contendendum.

## QVÆSTIO V.

### *De Prudentia.*

VT de his quatuor speciebus virtutum moralium in particulari agamus, auspicandum à Prudentia, quæ reliquarum est regula & ad illas necessario prærequiritur.

### CONCLVSIO I.

Quid Prudentia habitualis.

16 *Prudentia habitualis, de qua hic agimus, bene describitur habitus intellectualis, quo inclinatur intellectus ad cognoscendum quænam sunt actiones bonæ & malæ moraliter, & quænam sunt opportuna media eas eliciendi aut vitandi.* Hæc est conformis Scoto 3.d.36.& patet quia omni & soli prudentiæ, quæ est virtus moralis, de qua agimus,conuenit,explicat que natutam ipsius sine defectu,aut superfluitate, vt patebit magis eam explicando. Dicitur *Habitus intellectualis*, vt distinguatur ab habitibus appetitus & cæteris, quæ non sunt intellectuales. Dicitur: *quo inclinatur intellectus ad cognoscendum quænam sunt actiones bonæ & malæ moraliter*, vt distinguatur à cæteris habitibus intellectualibus, qui aliud munus habent.

Additur: *& quænam sint media opportuna eas eliciendi aut vitandi*, vt specificetur quod non tantum tendit in finem, quæ sunt actiones bonæ, sed etiam in media;nam quamuis aliqui putent eam in solum finem tendere, alij in sola media, tamen Scoti sententia est eam respicere vtrumque, & iuxta ipsius doctrinam definire eam volui, quia eam veriorem esse sta im probabo.

Auerto vero neutram sententiam ex definitione, quam Authores pro sua quisque sententi statui,recte probari posse,quia Aduersarij negarent definitionem quamcumque suæ sententiæ repugnantem; vnde adducendo talem definitionem peteretur principium.

### CONCLVSIO II.

17 *Prudentia dictat de fine & medijs in particulari.* Hæc est Scoti 1. d. 36. quem præter suos sequuntur *Vasq. disp. 86. n. 14.& Suarez disp.3.* de virtu ibus sec.9. contra D. Thomam 2.2.q.47. a.6. Caet.& alios Thomistas ibidem, qui putant prudentiam versari circa media tantum. Antequam autem probetur, aduerto data opera oppositam particulam illam: *in particulari*, quia actus quo proponitur finis in vniuersali,vt bonū esse amādum, malum fugiendum, non vocatur communi er actus prudentiæ(in quo nō posset alia quæstio esse quā de nomine) sed vel alterius habitus carentis proprio nomine,vt putat Vasquez;vel Synderesis vt autumat Suarez, siue hæc dicatur esse habitus aliquis superadditus intellectui, vt probabile censet Scotus;siue ipsemet intellectus,quatenus ex se facilis ad cognoscenda principia practica in vniuersali & eorum usiones inde deductas,quæ controuersia est paruæ,aut nullius vtilitatis. Prudentia dictat de fine & medijs.

*Probatur conclusio*; Quando aliquis hic & nunc, consideratis recte circumstantiis omnibus, cognoscit bonū esse caste viuere, & propterea resoluit caste viuere,elicit actum virtutis moralis appetitiuæ: sed nullus talis elici potest absque prudentia,maxime secundum Aduersarios: ergo habet tum actum prudentiæ: sed non habet actum proponentem media,suppono enim,quod de iis adhuc nihil cogitat:sed solum actum illum, quo proponitur esse bonum in illis circunstantiis caste viuere, qui actus versatur,vt est euidens, circa finem:ergo prudentia versatur circa finem.

Quod autem versetur circa media fatentur aduersarij & probatur,quia non minus spectat ad ipsam proponere finem quàm media, & quia actus etiam, quo quis applicat media est actus virtutis, ac consequēter presupponens actum prudentiæ proponentem media tanquam honesta hic & nunc. Videantur dicta in meo Commentario ad dist.36.num.117.& seqq.

### CONCLVSIO III.

Non est vna simplex qualitas.

18 *Prudentia moralis non est vna simplex Qualitas sed quid aggregatum ex pluribus, sicut scientia totalis Physica aut Metaphysica.* Hæc est Doctoris supra & communior contra Thomistas tenentes scientias etiam totales, esse vnam simplicem Qualitatem.

*Probatur autem* quia potest aliquis esse facilis ad cognoscendum quod sit bonum in particulari temperate viuere,quoad cibum,aut potum, aut alias delectationes:& tamen nescire an bonum esset exponere se morti pro defendenda rep.aut tuenda fama; & potest esse facilis ad cognoscendum,hæc media esse honesta ad acquirendam virtutem,quamuis ignoret an alia sint honesta,quæ reuera talia sunt: ergo vnus & idem habitus non facilitat ad vtrumque, & consequenter habitus prudentiæ non erit vnus simplex.

*Confirmatur* per principia, quibus probatur scientias totales non esse simplices qualitates, & videantur dicta in Commentario,supra num.169.

Tres actus p dentiæ.

19 *Coimbricenses hic* Disput. 8. qu.2. a.1. tres aiunt actus ad prudentiam spectare ex Thomistarum doctrina,

cum qua etiam male supponunt prudentiam non dictare de fine, quorum primus est consultare, & inquirere media, secundus iudicare quænam ex mediis inuentis sunt meliora, aut magis coducentia ad consecutionem finis. Tertius præcipere seu imperare vt ea, quæ iudicata sunt, perficiantur: putant enim quando voluntas e igit ex mediis illud, quod intellectus aptius iudicat, necessariam esse internam quandam intellectus denunciationem, qua intellectus voluntatem imperando præmoueat.

At quidquid sit de primis duobus actibus, certe hic tertius imperij est omnino fictitius; præterquam enim, quod nulla eius habeatur experientia, etiam superfluit, cum sufficiant ad executionem quamcumque duo primi actus & electio efficax voluntatis: ex hac enim impellitur sufficienter ad imperandam executionem, quando spectat ad alias potentias, aut ad exequendum per se, quando ad ipsamet spectat executio.

Nec explicari potest, aut concipi vlla intellectus denũciatio præter cognitionẽ qua proponit obiectũ voluntati.

Partes integrantes eius.

20 *Idem ex S. Thoma* 22. *q.* 48. enumerant octo partes integrantes prudentiæ, non quod ipsam intrinsece componant, sed quod ad perfectum eius actum requirantur. Prima est *memoria* præteritorum, quæ sine dubio valde iuuat ad deliberandum tam de fine, quàm de mediis. Secunda est intelligentia hoc est cognitio, seu apprehensio rerum præsentium. Tertia est docilitas, qua fit vt reddatur promptus ad acquiescendum virorum prudentium monitis. Quarta est *solertia*, qua disponitur ad repentinam mediorum excogitationem. Quinta est *ratio*, qua discurrẽdo examinat proposita. Sexta est *Prouidentia*, qua disponit ad finem futurum. Septima est *Circumspectio*, quæ facit vt circunstantias diligenter attendat. Octaua denique est *cautio* qua declinat impedimenta occurrentia.

Partes subiectiuæ Prudentiæ.

Ci ca quas partes, cum nulla possit esse difficultas quã de nomine, non videbatur vlterius immorandum, sicut nec in enumerãdis partibus subiectis prudentiæ, de quibus scilicet ipsa prudentia vt sic prædicari potest, & si sint inter se speciei distinctæ, vt Scotistæ putant, sũt veræ species eius non minus, quàm homo & Brutum sunt species animalis: quamuis autem in varias species diuidi possit prudentia iuxta diuersitatẽ agibilium, tamen hæc proponam quinque à Conimbricensibus supra propositas, quarum prima est *Solitaria*, qua prudenter quis se gerit erga seipsum; Secunda *Oeconomica*, qua quis prudenter regit familiam domesticam. Tertia *Militaris*, qua quis recte gubernat militiam, Quarta *Regalis*, qua Princeps moderatur Regnum, aut Principatum, Quinta denique *Politica*, qua subditi ordinant se apte ad recipienda Mandata Principis in ordine ad bonum commune; ad quas partes cæteræ reduci possunt.

Partes potentiales eius.

21 Præter has partes subiectiuas assignantur tres partes potentiales prudentiæ, *Eubulia* scilicet, qua facilitatur quis ad media apta facile excogitanda; *Synesis* ad rectum iudicium ferendum de iis, quæ lege definita sunt; & *Gnome* ad recte determinandum de iis, quæ practicanda occurrunt & non sunt statuta per legem aliquam.

Circa hoc autem aduerto tantum, quod quemadmodum ad hos actus prudentiæ ponuntur hi res habitus: ita etiam alij habitus poni deberent ad alios actus eiusdẽ; & præsertim si, vt putant Thomistæ, daretur actus imperij, & in eo vt asserunt Conimbricenses prudentiæ vis maxime eluceret, ad ipsum habitus aliquis dari deberet, quia æque esset pars potentialis prudentiæ ac vllus. Deinde difficile est discernere ab habitu solertiæ synesim cum vtraque vt describuntur hic, conueniant in promptitudine ad excogitanda vel inuenienda apta media; vnde cum solertia dicatur pars integralis prudentiæ à Thomistis, non erit facile ipsis dare rationem, cur talis non dicatur synesis. Denique quemadmodũ distinguitur Gnome ab Eubulia per ordinem ad iudicandum recte de rebus lege constitutis & non constitutis: ita possent distingui alię partes per ordinẽ ad alias plures materias quæ veniunt in considerationem prudentiæ. Sed hęc omnia tamen non merentur nimis anxiam considerationem.

## QVÆSTIO VI.

### *De Iustitia.*

22. *Vstitia multipliciter capitur: primo*, pro charitate supernaturali, qua iusti reddimur in conspectu Dei, ex eo quod ea præditus satisfaciat toti legi sine vllius præceptí transgressione, quæ propterea plenitudo legis appellatur. Multiplex iustitiæ acceptio.

*Secundo* pro omni actione recta, nam vt qui recte agit, iuste etiam agere dicitur, ita ipsa rectitudo actionis, à qua dicitur recta, iustitia etiam appellari potest, à qua dicatur iusta.

Tertio pro virtute habilitante ad recte se gerendum in ordine ad alios, in quo sensu accepit illam Scotus supra, & opponitur Fortitudini ac Temperantiæ, quæ perficiunt hominem in ordine ad se, & sic habet sub se tanquam partes subiectiuas Religionem, pietatem, obedientiam, veritatem, gratitudinem, amicitiam & similes alias alterum respicientes, quarum quælibet est iustitia formalissimè & propriè in hoc sensu.

Quarto denique accipitur pro iustitia, quæ est vna ex quatuor Cardinalibus in sensu S. Thomæ, & cuius prædictæ virtutes, quæ sunt partes subiectiuæ iustitiæ vt sic, in priori acceptione, erunt partes, non subiectiuæ, sed potentiales, & in hoc sensu, vt communiori modo loquendi Authorum me conformem, examino hic naturam iustitię, tanto magis, quod in prioribus sensibus nulla sit difficultas cognoscendi naturam ipsius.

*Definitur autem* ab Vlpiano l. de Iustitia ff. de Iust. & iure esse constans ac perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi, quam definitionem licet admittant Theologi communiter, tamen imprimis mihi superflua, vel non necessaria videtur particula illa *ac perpetua*, quæ optime omitti poterat; nec hic ponenda potius quàm in definitione vniuscumque virtutis, quod tamen non fit. *Præterea* ly *constans* etiam non magis poni debet in hac, quàm in quacunque cuiusuis virtutis definitione; nec quadrat bene iustitiæ actuali, quæ absque vlla constantia haberi potest, dum quis vnico actu dat suum alicui. Sed nec habituali etiam congruere admodum recte videtur, nisi quatenus significat perfectionem aliquam habitus iustitiæ seu intensionem illam, quæ requiritur vt habeat rationem virtutis habitualis, quæ perfectio mihi non satis proprie significari videtur per illam particulam, & aliis verbis facilius declararetur. Definitio iustitiæ.

*Deinde* cum illud *ius suum*, quod respicit iustitia non tam facile intelligatur, satius esset in definitione explicationem eius ponere, cum ex eo dependeat cognitio naturæ propriæ huius virtutis.

23. *Cardinalis de Lugo disp.* 1. *de Iustitia* reiectis merito variis aliorum explicationibus, in quibus vel committitur vitiosus circulus, vel obscurũ per æque obscurum satis aperte declaratur, docet ex propria sententia ius illud, quod respicitur particulariter à iustitia commutatiua, & consequenter à iustitia, de qua hic agimus, esse prælationem, qua aliquis in vsu alicuius rei debet aliis præferri, ex eo quod propter connexionem particularem, quam habet res illa cum ipso, tota res debet ad eius vtilitatem referri, quam ordinationem putat significari potissimum per ly *meum* & *tuum*.

*Contra quam doctrinam* vlterius declaratam opponit primo, quod Pater habeat ius ad alimenta exigenda à filio in casu necessitatis, quod ius non respicit vtilitatem filij, sed Patris: ergo ius Patris ad filium spectat ad iustitiam commutatiuam, cuius oppositum docuerat in declaratione prædictæ suæ doctrinæ. Respondet autem negando antecedens pro prima parte, & dicit non tam Patrem habere ius ad alimenta habenda à filio, quàm filium debere ex titulo Pietatis seu gratitudinis strictissimè alere Patrem indigentem.

*Opponit secundo*, Patrem in casu necessitatis extremæ posse vendere filium non emãcipatum: ergo potest illum conuertere in vtilitatem propriam, & consequẽter habet ius in illum spectans ad iustitiam commutatiuam, quod Sententia de Lugo.

videtur

videtur esse contra eandem doctrinam, quia hoc arguit Patrem habere Dominium in filium.

*Respondet* concedendo, quod Pater quidem habet ius spectans ad iustitiam commutatiuam, negat tamen illud ius esse Dominium propriè, & simpliciter, sed altum & eminens, quale est Principum in subditorum bona in casu necessitatis communis.

Relicitur. Pater habet ius habendi alimenta à filio.

24. *Contra tamen hanc doctrinam militat primò*, quod gratis dicat Patrem non habere ius ad alimenta habenda a filio in casu necessitatis, cuius oppositum longe est probabilius, tum quia potest in iudicio cogi filius ad danda alimenta, quod fieri non posset, si filius tantum obligaretur ex titulo gratitudinis; tum quia nihil impedit quo minus habeat Pater tale ius in tali casu tam bene, quàm habet, vt fatetur ipse Lugo, ad eum vendendum, quod sane mirum est ab eo non fuisse animaduersum; nam sicut non præiudicat doctrinæ ipsius dominium Patris ad vendendum filium non emancipatum in casu necessitatis: ita sane non præiudicaret ipsi dominium ipsius ad alimenta habenda in simili casu; & sicut illud dominium vocatur ab ipso altum, & non proprium, nec strictum, (quod spectat ad quæstionem de nomine) ita de hoc æque dici posset.

Facilior explicatio iustitiæ.

25. *Deinde longe facilius* explicari posse videtur natura iustitiæ dicendo, quod sit habitus (loquor de iustitia habituali) inclinans ad reddendum vel relinquendum cuique suum, intelligendo per suum, quod est ita ipsius, siue ex natura rei, siue ex dispositione legum, aut consuetudine, vt appareat malum non reddere ipsum illi, aut auferre illud ab eo ex eo, quod sit ipsius, aut quod dispositio eius ad ipsum spectet sic, vt eo inuito alius nō possit vti, aut disponere de ipso: hæc enim descriptio hoc modo intellecta & coincidit cum sensu communi de natura iustitiæ, ac mente Doctorum, qui aliis verbis iustitiam describunt, &, ni fallor, cum doctrina ipsius Lugo, & præterea vitat difficultates facile, quas Lugo contra suam doctrinam proponit & soluere conatur fusissimè: nā quamuis aliquis teneatur ex gratitudine beneficium reponere, & indigenti extremè succurrere; non tamen quia quod retribuit vni, aut confert alteri, est aut censetur ipsorum; sed quia recepit beneficium à priori, & posterior est in necessitate; & si Pater non haberet ius ad alimenta habenda à filio, occurrente necessitate grauissima, hoc propterea esset quia non censerentur alimenta esse ipsius, licet eius necessitas potius vrgeret filium ad succurrendum quàm alium, & grauius propterea peccaret, si non aleret; existimo tamen quod reuera obligetur ex iustitia, quia vel ex natura rei, vel ex dispositione legum, vel ex consuetudine tantum ex bonis filij potentis alere censetur esse Patris, quantum requiritur ad alendum.

*Confirmatur* hæc descriptio tum quia omni & soli conuenit; non habet aliquid superflui, vitat occasionem longissimi discursus, quo ad suam defendendam vti coactus est Lugo, nec discrepat, vt dixi, à mente Authorum communiter.

*Quænam autem sunt* alicuius hoc modo non potest generaliter significari, quia aliquæ res sunt tales ex natura rei; aliquæ ex determinatione legum, aliquæ ex consuetudine; quæ quidem consuetudo, & leges, variæ sunt in variis nationibus; vnde quod esset vnius in vno loco ex aliquo titulo, non esset ipsius in alio loco ex eodem titulo; & in eodem ipso loco sæpe controuertitur de dominio rerum.

An iustitia possit inclinare ad actum non debitum.

26 *Quærit hic obiter Lugo* cum *Turriano*, an obiectum iustitiæ sit debitum ex præcepto iustitiæ, hoc est, an actus quicumque ad quē inclinat iustitia debeat elici vel imperari ex præcepto iustitiæ. Circa quod dubium *Turrianum* absolute tenet partem affirmantem; *Lugo* verò, licet putet ad exercendum actum iustitiæ prærequiri debitum, tamen existimat, eo debito per vnum actum extincto, posse ex iustitia circa ipsum elici alium actum; vnde si quis deberet ex iustitia cētū scuta, & solueret illa, posset postea ex iustitia soluere alia centum, Quod probat exemplo obedientiæ: qui enim in die festo (omitto prius exemplum, ab eo adductum, quod ipsemet minus fatetur ad rem facere quàm hoc, & mihi videtur non solum minus, sed nullo modo prorsus ad rem facere) audit duas Missas, vt satisfaciat præcepto Ecclesiæ, vtramque eadē intentione audit, & tamen Ecclesia non obligat ad vtrāque: ergo potest quis ex præcepto iustitiæ bis satisfacere pro eodem debito: sic enim operabatur Zachæus Luc. 19. si quid aliquem defraudauerat, reddens quadruplum non enim ex mero liberalitatis motiuo donabat tantum, sed ad extinguendum debitum præcedens. Sic etiam, cui peccata dimmissa sunt in baptismo quoad pœnam, potest facere pœnitentiam ad satisfaciendum magis pro illis Sic Christus Dominus satisfecit pro peccatis nostris exhibendo maius precium ad extinguendum debitum humani generis. Sic etiam, qui ex præcepto tenetur orare, orat cum maiori quandoque intentione quàm tenetur, & cum maiori duratione in prolatione verborum ad satisfaciendum præcepto. Cuius rationem assignat à posteriori, quia non solū medium necessarium potest adhiberi ad consecutionem finis, sed medium aptum; vnde licet secunda solutio debiti non sit medium necessarium, est tamen aptum ad extinguendum debitum; quia iterum impedit debitum, in genere causæ formalis, sicut secundum peccatum mortale iterum impedit gratiam ablatam antea per primum, & propterea adhibere potest. Quod quidem, inquit, aperte constat in secunda aut ione sacri præcepti, nam qui audit secundo, facit quod Ecclesia præcipit: ergo eam audiendo satisfacit præcepto.

Firmat hoc quia potest quis iterum obligare se ad idem faciendum, & creditor potest iterum condonare, quod prius condonauit, & Deus iterum atque iterum condonat peccata, quæ quis iterato confitetur.

Non potest.

27 *Sed in hac doctrina* aliqua sunt, quæ non placent; nam imprimis existimo non posse quem ex motiuo iustitiæ soluere iterum, quod semel plene soluit, nec plus dare, quam debuit, quando certus est se plene soluisse, & non posse venire in controuersiam, aut dubium, quin plene soluerit: nam iustitia spectat tanquam obiectum formale proprium, quod est alterius; quod autem secundò soluitur, aut datur supra debitum, non est vllo modo alterius; vnde impossibile est vt detur tanquam alterius, & consequenter non potest esse actus iustitiæ; nulla enim virtus potest ferri in aliquid nisi ex motiuo suo proprio vt est euidens ex omnibus principiis quibus colligitur distinctio virtutum ex diuersitate formalis obiecti, & quamuis secunda solutio esset apta ad soluendum debitū casu quo debitum esset, tamen non est apta, quando debitum non est. Et si esset etiam ex se apta; tamen nemo potest intendere soluere, quod non est soluendum, nec consequenter potest in ordine ad hoc applicare medium vllum.

*Confirmatur* quia non potest quis ex gratitudine dare aliquid alicui à quo scit se nullum accepisse beneficium: ergo neque iustitia potest reddere aliquid alteri, quod scit nō esse ipsius: est enim eādē prorsus ratio de vtroque casu.

*Nec contrarium* huius ostendunt, quæ aduersarius pro sua sententia adducit: nam qui audit secundum sacrum, non potest moueri ad hoc ex obligatione præcepti, nisi (quod frequentissime accidit, scrupulosis præsertim) timeat se non satisfecisse perfectè per primam auditionem, sed ad id mouetur ex aliis motiuis Religionis, aut charitatis, aut similibus; nec Zachæus reddidit Quadruplum ex motiuo iustitiæ, nisi dubitauit, aut timuit id fuisse necessarium ad resarciendum damnum emergens, aut lucrum cessans; nec etiam faciens pœnitentiam ob peccata in baptismate dimissa quoad culpam & pœnam moueri potest, nisi ex ignorantia, ad satisfaciendum pro illis ex iustitia in ordine ad delendam pœnam illis debitam, sed mouetur potius ex amore Dei & odio ipsorum peccatorum, quale odium potest manere in ipsis beatis absque tamen molestia: nec similiter Christus Dominus exhibuit maius precium, quatenus maius, ad satisfaciendum pro debito humani generis, sed ad commendandum magis suam charitatem & trahendos homines à peccando.

Similiter qui attentius orat quàm deberet, non mouetur ex præcepto de orando, nisi quatenus non constat ipsi, quæ attentio determinata requiritur: sed si constat minorem attentionem, quàm adhibet sufficere, mouetur ad maiorem, quatenus maior est, vel ad conformandum se magis voluntati præcipientis, cui placet maior attentio, quod etiam spectat ad obedientiam, nec enim hæc solum respicit præceptum superioris; vel ex alio motiuo religionis, aut charitatis, aut alterius virtutis; quod etiam dicendum de maiori duratione prolationis.

28. *Ad rationem autem* à priori ipsius iam dixi, non posse intendi solutionem debiti, quod cognoscitur certo extinctum, nec consequenter ad hoc applicari posse secundam solutionem quamuis ex se esset apta, sicut nec potest Medicus sanitatem iam acquisitam certo & absque vllo dubio, intendere, aut ad eam procurandam applicare remedium, quod esset aptum ex se, casu quo non esset acquisita, & si id faceret imprudentissime se gereret: & qui audit secundam Missam, non facit quod est præceptum, quia illa non est præcepta, & si faceret etiam quod est præceptum, non certe nisi materialiter, nec satisfaceret etiam consequenter præcepto nisi materialiter, quæ satisfactio non facit ad rem. Et sic etiam, qui secundo solueret debitum, non satisfaceret nisi materialiter; quia non mouetur ex intentione satisfaciendi, vt dixi; & quamuis per satisfactionem hanc materialem posset eximere se à molestia creditoris, hoc non est quia illa satisfactio erat formalis; sed quia illa ipsa materialis sufficit creditori, & iudicibus, qui non debent curare de intentione, aut motiuo satisfaciendi, sed de ipsa materiali satisfactione.

29 *Ad confirmationem Respondeo* posse quidem quemuis pluries se obligare ad idem, quia prima non impedit secundam, nec tollit rationem formalem, ob quam quis moueri posset ad secundam, & idem est de creditore qui potest pluries condonare, quamuis non dubitem quin debeat habere, vt prudèter agat, alium finem, quàm condonandi, nimirum vt satisfaciat magis ei, cui condonat, & vt magis determinet se ad non exigendum debitum, vel aliquem alium similem finem. Sed quod dicit hic Author de Deo pluries condonante idem peccatum, quod quis iterato confitetur, non videtur recte dici: neque enim id mihi verisimile apparet, quia secunda condonatio omnino fruſtranea est, & consequenter non est ascribenda Deo; nec Sacerdos etiam absoluens ab illis, absoluit absolute ex suppositione quod sint ante dimissa ac ablata, sed in illa absolutione eius inuoluitur conditio implicite, si scilicet habet pœnitens peccata, à quibus absolui possit: absolute vero confert ipsi augmentum gratiæ.

Inter quos iustitia intercedere potest.

*Ex descriptione vera iustitia* à me tradita facile colligi potest inter quos homines iustitia intercedere possit, & in quibus bonis: potest enim inter quoscumque qui habent bona aliqua particularia, de quibus alij nõ possunt, iis inuitis, disponere, in illis bonis intercedere iustitia; & hinc quia pater habet aliqua bona, de quibus nequit disponere filius, quin obligetur ad restitutionem, & similiter filius habet etiam aliqua bona, de quibus nequit disponere Pater, vt famam & bona castrensia, propterea inter Patrem & filium in his bonis potest intercedere iustitia, & idem est de Domino ac seruo: quænam autem sint huiusmodi bona Patris ac filij, Domini ac serui dependet vel ex ordinatione legum ac consuetudine, quæ possunt esse diuersa pro diuersis nationibus; vel ex natura rei, ad quam videtur spectare fama, honor, ac vita.

## QVÆSTIO VII.

### *De diuisione iustitiæ in commutatiuam ac distributiuam.*

Quid iustitia cõmutatiua & distributiua.

30. CElebris est hæc diuisio in commutatiuam iustitiam, id quã spectat æqualitatem seruare in commutationibus & contractibus; & distributiuam, cuius est commoda & onera communia inter partes communitatis iuxta cuiusque qualitatem distribuere; & ex his ipsis muneribus, cur his nominibus appellentur facile patet: vt autem vtriusque iustitiæ natura melius appareat, sit

## CONCLVSIO I.

*Iustitia distributiua non ita respicit in quolibet actu suo plures, vt res danda debeat inter eos partiri: nec ita etiam vt exercens actum eius semper debeat actu de pluribus cogitare.* Hæc est in re conformis *Suario* de iustitia *sec.* 3. & quamuis *Lugo* hic disp. 1. num. 43. oppositam sententiam asserat communiorem & veriorem; reuera tamen non ita mihi videtur; nec credo in re ipsa posse esse controuersiam. Iustitia distributiua in quolibet actu non respicit plures.

*Probatur autem prima pars*, exemplo vulgari, quia conferens vnum beneficium, aut dignitatem vacantem, merẽti, exerceret iustitiæ distributiuæ actum, nec partitur beneficium; quod autem dicit Lugo per accidens esse quod non diuidatur, quia est indiuisibilis, non tollit difficultatem, quia eodem modo posset dici, quod quando diuiditur res, id etiam per accidens sit ad iustitiam, quia res est diuisibilis. & prorsus tam per se respicit iustitia collationem vnius beneficij vni, quam partitionem plurium in plures: Deinde etiam iustitiæ distributiuæ est duo quãdoque beneficia vni tantum, merenti tamen, conferre; & tamen tum non est per accidens, quod non diuidatur id, quod datur, quia indiuisibile est, cum sit omnino diuisibile, per quod manifeste patet non sufficere responsionem huius Authoris, præterquam quod absque fundamento sufficienti sit data.

31. *Probatur etiam secunda pars* eodem exemplo: quia conferens beneficium vacans vni tantùm illud petenti & merenti, etiamsi nihil cogitaret de aliis, exercet actum iustitiæ distributiuæ, & gratis asseritur à Lugo, quod conferatur tum non petentibus, cum vt dixi posset fieri, quod nec cogitetur quidem de illis; nec videtur verum quod subiungit, non petentes, seu non concurrentes non habere tantam dignitatem ac meritum quantum vnus ille qui concurrit, posset enim fieri quod longe maiorem dignitatem ac meritum haberent; imo posset fieri quod ob hoc ipsum quod non peterent, nec concurrerent, maioris meriti ac dignitatis cæteris paribus æstimari deberent, & certè aliàs male conferrẽtur beneficia ac dignitates non petentibus, quando aliqui ea peterent, qui etiam digni essent, quod nescio an vllus recte dixerit. Sed ponamus casum quod cui incumbit conferre beneficia, conferat aliquod beneficium vacans alicui digno nõ petenti, certe tum non præfertur aliis ratione petitionis supponitur enim quod ipsum non petat, & tamen collatio est actus iustitiæ distributiuæ.

Nec fundamentum *Lugo* petitum ex nomine huius iustitiæ, quasi scilicet distribuere importaret plures, multum vrget: nam quamuis id concedatur, non tamen inde sequitur quod in quolibet actu respiciantur plures, aut fiat partitio rei collatæ; sed sufficit ad rigorem istius nominis, quod iustitia habitualis inclinet ad distribuenda bona inter plures, quãdo id debet fieri, & quod quemadmodum inclinat ad dandum vnum, aut plura beneficia vni merenti, ita inclinaret ad dandum alterum alteri simiIiter merenti. Non respicit sẽper proportioné geometricam in omni actu.

*Hinc autem sequitur* quod non respiciat iustitia hæc semper proportionem geometricam, illam enim non respicit in casu assertionis præmissõ. Potest tamen dici quod illam respiciat, quia ex se inclinat ad talem proportionem seruandam in distributionibus beneficiorum ac onerum communium iuxta qualitates membrorum reip. quando debent sic distribui. Differentia inter distributionem Arithmeticam ac Geometricam.

32. Vbi cum Authoribus communiter aduerto differentiam inter proportionem geometricam, & Arithmeticam. Proportio enim Arithmetica est æqualitas inter duas res, qualis est inter debitum centum scutorum & solutionem tot scutorum; & quia iustitia commutatiua debet absolute conferre alteri, quantum est ipsius; & nisi conferat tantum, non satisfacit debito alterius; propterea dicitur respicere proportionem arithmeticam,

&

& tribuere quod suum est cuique secundum illam proportionem.

Proportio vero geometrica est æqualitas aut correspondẽtia inter duas proportiones, verbi gratia, si pecunia aliqua sit distribuẽda inter aliquos habẽtes inæqualia merita iuxta quantitatem vniuscuiusque meritorum, & supponatur vnus ex ipsis habere meritum vt quinque, alius vt quatuor, tertius vt duo, seruabitur proportio geometrica, si correspõdeat proportio, quæ est in re distributa inter ipsos, proportioni quæ est inter merita ipsorum, vt fieret si quod daretur habenti meritum vt quatuor, duobus gradibus excederet id quod daretur habenti meritum vt duo & quod daretur habenti meritum vt quinque, excederet vno gradu illud, quod daretur habenti merita vt quatuor: quia vero iustitia distributiua inclinat ad distribuẽda bona communia hoc modo, propterea dicitur respicere proportionem geometricam.

Secundũ iustitiam distributiuam nõ debet quis dare quantum aliquis absolute meretur.

13 Circa quod Aduerto quod non debeat quis secũdum hanc iustitiam dare quantum mereretur quis absolute, sed sufficit quod det cum huiusmodi proportione partem rei distribuendæ: nam posset fieri quod ex tribus militibus vnus mereretur seu dignus esset præmio centũ scutorum, & quod alius non mereretur nisi quinquaginta, & tamen si triginta scuta essent tantum distribuenda satisfieret iustitiæ distributiuæ, si viginti darentur magis merenti & decem alteri, nam sic seruaretur proportio geometrica, quia quemadmodum meritum ipsius excedit duplo meritum alterius: ita etiam & præmium tantum excedit. Sed quamuis hæc proportio debeat quandoque respici in distributione plurium rerum inter plures, non tamen semper: nam si duo beneficia vnum mille scutorum, alterum quingentorum, conferenda essent duobus, quorum vnus haberet meritum vt quinque & alter vt quatuor, tane satisfieret iustitiæ distributiuæ conferendo maius beneficium digniori & minus minùs digno, & tamen non esset talis proportio inter duo beneficia, qualis esset inter merita, cum vnum beneficium plus excederet alterum quam meritum vnius meritum alterius; imo si essent æqualia illa beneficia satisfieret iustitiæ distribuendo illa inter duos illos, nec tum tamẽ esset vllo modo proportio talis inter beneficia, qualis esset inter merita. Itaque eatenus respicit proportionem geometricam iustitia distributiua, quatenus, quando res distribuenda est capax distributionis secundum proportionem ad merita & qualitates aliorum, ita fiat, & quando non, sed potest tamen fieri vt dignior dignius accipiat præmium siue cum proportione excessus sui meriti ad meritum alterius siue non, id etiam fiat. Quod si nec hoc etiam fieri possit, vt si duo beneficia æqualia vacent & conferantur duobus dignis, sed quorum vnus dignior est altero; satisfiet iustitiæ.

An iustitia commutatiua obseruet aliquando proportionem geometricam.

14 *Sed circa hoc quæritur*, an iustitia commutatiua obseruet aliquando proportionem geometricam. Negat *Vasq.* & *Turrianus*, asserit *Suarez* & *Lugo*, & fundamentum horum est quod quando aliquis ob contractus debet multis nec potest integre omnibus satisfacere, tum debet ex commutatiua satisfacere cuilibet aliquid iuxta proportionem geometricam ad debitum maius & minus vniuscuiusque: & similiter ex eadem iustitia ob contractũ Societatis debet lucrum diuidi inter socios per partes inæquales: & quia aduersarij respondent in his casibus obligationẽ oriri ex vtraque iustitia, contra vrget Lugo, quod inde sequeretur, quod soluens inæqualiter in casu præmisso teneretur confiteri illã circũstantiam, nec sufficienter confiteretur dicendo quod non soluerit creditori quantum debuerat, sed deberet adder. quod alteri creditori plus dederit quam debuerat.

At hæc certe impugnatio non vrget, nã imprimis sicut quamuis ex iustitia tantùm commutatiua, vt vult Lugo teneretur quis ad proportionem tenendam in solutione, in casu præmisso, tamen si daret vni plus quam deberet, non teneretur illam circunstantiam confiteri, sed sufficeret dicere, quod non dederit vni creditori quantum debebat & poterat: ergo similiter quamuis illa obligatio proueniret ex iustitia distributiua non deberet illam circumstantiam confiteri: quod si oriente obligatione ex iustitia distributiua deberet quis illam confiteri: idem dicendum si oriretur ex commutatiua.

Absolute vero non debet exprimi illa circumstantia, siue ex vna, siue ex altera iustitia proueniat obligatio illa, quia in dando plus vni, quam deberetur, non est malitia vlla, sicut nec si donaretur illi, nisi quatenus impediret tantum solui alteri quantum deberet solui ipsi; vnde quis confitendo quod non soluerit alteri quantum debebat, sufficienter explicat peccatum suum, & perinde prorsus est quod dederit alteri plusquam debuit, aut quod nihil dederit ipsis.

Quod confirmatur, quia si quis gratis & liberaliter vel ex misericordia daret aliquam eleemosynam alteri cum tantum deberet soluere creditori, non deberet significare in confessione aliud quam quod non soluerit creditori tantum quantum debuit; nec esset necessarium dicere, quod dederit illud pauperi, ergo idem dicendum in casu præmisso.

Ad quæsitum principale autem existimo obligationem illam oriri ex iustitia commutatiua, & hanc consequenter nonnunquam ob seruare proportionem geometricam; quia in in casibus præmissis obseruari debet illa proportio, & quod obligatio proueniat ex commutatiua patet, quia quod soluitur creditoribus & sociis est ipsorum, & nisi detur illis obligatio restitutionis remanet, quod autem datur ex iustitia distributiua non est illorum quibus datur, nec manet obligatio restituẽdi. Quod vero ad praxim attinet perinde prorsus est ex qua iustitia proueniat illa obligatio, sufficit enim cognoscere quod sit illa obligatio & quod non obseruans illam teneatur ad restitutionem.

Distributiua distinguitur specie à commutatiua.

15 Dico secundo, iustitia distributiua distinguitur specie à commutatiua. Hæc est communis & probatur quia, vt paulo ante dixi, quod debetur ex iustitia commutatiua inducit obligationem restitutionis, quod vero debetur ex altera non inducit, quod sane est signum diuersitatis maximæ ac specificæ inter vtramque iustitiam.

Deinde quod debetur alicui ex commutatiua debetur absolute, & sine respectu ad alios, & si quando, vt in casibus præmissis, respici debent alij, per hoc non fit quod magis, aut minus debeatur illi, licet faceret quod minus hic & nunc solui deberet ipsi: nam quando quis debet centum scuta vni creditori, & tot alteri, nec potest soluere nisi centum, & vterque creditor æque indiget solutione, eamque vrget, non debet soluere vni nisi quinquaginta & alia quinquaginta alteri; sed tamen hinc non fit quin vtrique plus absolute debeat, & teneatur postea cum poterit, quod defuit, soluere.

Sed quod debetur ex iustitia distributiua non debetur absolute sine comparatione ad alios, vnde quamuis aliquis esset valde dignus beneficio, quandoque tamen non deberet conferri ipsi, quando scilicet adesset dignior ipso, & quandoque deberet, quando non adesset dignior.

An conueniant vniuoce,

36 *Et si quæras* an vtraque iustitia conueniat vniuoce in ratione iustitiæ vt sic superius à me descriptæ?

*Respondeo* mihi videri quæstionem esse de nomine & dependere ab eo quod intelligitur per ly suum in illa descriptione positum, nam si intelligitur illud quod absolute est ipsius; ita vt debeat restitui si auferatur, nõ conueniet iustitiæ distributiuæ, nec hæc consequenter erit species aut pars subiectiua eius; sed erit tantum pars potestatiua ipsius sicut cæteræ virtutes, quæ respiciunt alterum; si vero capiatur per ly suum illud vel quod est ipsius, vel ad quod habet titulum illum, ob quem debet fieri ipsius, qui exigitur ad distributionem bonorum communium, erit pars subiectiua & species istius iustitiæ, & prorsus perinde est ad praxim quid dicatur.

An cum iustitia legali coinci.

*Quares primo*, an iustitia legalis sit coincidens cum his iustitiis, aut species iustitiæ vt sic superius definitæ?

*Respondeo* hoc etiam dependere ab eo quod intelligitur per iustitiam legalem, nam aliqui intelligunt per eam collationem omnium virtutum respicientium alterum, &

sic non esset vna specie virtus. Alij putant per eam intelligi illam virtutem, qua aliquis procurat bonum commune vt patriam verbi gratia aut Remp. aut communitatem, cuius est membrum, & in hoc sensu si capiatur pro virtute quæ inclinat ad non auferendum aliquod bonum, quod spectat ad communitatem, erit Iustitia commutatiua; si ad conferendum aliquod bonum communitati quod non est communitatis, erit virtus particularis distinctæ speciei à commutatiua & distributiua, nec erit species Iustitiæ superius descriptæ.

An vindicatiua coincidat cum illis.

37 *Quæres secundò.* An Iustitia vindicatiua, qua puniuntur rei iuxta proportionem delictorum sit species Iustitiæ superius descriptæ aut coincidens cum commutatiua, aut distributiua.

Dicendum ad hoc, quando pactum expressum vel implicitum initur à Rep. cum iudicibus de puniendis reis cũ proportione ad delicta, eos ex iustitia cõmutatiua teneri ad eos sic puniendos, quia est bonum Reip. quod sic puniantur, & eodem modo teneri possunt, quibus ea cura commissa est ad diuidenda bona communia iuxta qualitatem meritorum, quando potest commode fieri: at si non interueniat tale pactum, sed id ipsis relinquatur iuxta suũ arbitrium, tum spectabit ad iustitiam distributiuam. Quoad priuatos autem qui petunt vindictam, si ex affectu huius vel illius iustitiæ, id petunt, exercebunt actum iustitiæ talis conformiter: & hinc patet quomodo hæc iustitia sit species iustitiæ vt sic, iuxta resolutionem datam de iustitia distributiua.

Quid est dominiũ

38 *Quæres tertiò,* quid sit dominium: quia iustitia vt sic, vel saltem commutatiua, inclinat ad reddendum illud cuique quod suum est, seu cuius est Dominus; aliquid breuiter de dominio hic dicendum. Vbi notant Authores communiter duplex esse dominium, vnum iurisdictionis, quæ est potestas gubernandi subditos, consistens potissimum in præcipiendo, prohibendo, permittendo, iudicando, præmiando & puniendo; alterum proprietatis quod est illud quod facit ad propositum; & est potestas quam habet quis ad disponendũ de re ex eo, quod vel ex natura rei vel legibus, aut consuetudine, sit ipsius ita, vt posset talem potestatem tribuere alteri, nisi aliunde impediretur, & non ex eo quod non sit Dominus, aut quod faceret iniuriam vlli alteri si tribueret, sed ob defectum aliquarum circumstantiarum, quæ ex legibus requiri possent: nam hinc quãuis esset Dominus non posset alienare, vt si esset pupillus aut prodigus.

Quæritur autem circa hoc an in eodem instanti, quo quis donat rem alicui, seu transfert dominium eius in alium; vterque tam qui donat, quam cui donatur, sit Dominus eius; qua de re fusissime discurrit Lugo hic disput. sec. de Iustitia numero 10. & disput 3. de Incarnatione sec. 1.

An donans & cui donat sint domini rei pro instanti quo donatur.

39 Sed ni fallor res ipsa declarari potest breuiter & facile. Itaque certum est eum, qui donat pro aliquo instanti, absolute & simpliciter pro illo instanti potuisse donare, alias non donaret, & etiam quia libere donat absolute & simpliciter potuit non donare, licet in sensu composito donationis non potuit non donare, præterea non minus certum est quod, quemadmodum potuit non dare, licet de facto donauerit, eum etiam posse rem illam conuertere in alios quoscumque vsus, in quos posset ipsam conuertere casu, quo non donauit; nec de hoc potest esse vlla controuersia; vnde si ille dicendus est Dominus rei absolute & simpliciter, & quidem dominio formali pro aliquo instanti, qui absolute & simpliciter potest rem donare, aut conuertere in quoscumque voluerit vsus pro illo instanti, negari non potest, quin qui donat sit simpliciter Dominus, etiam dominio formali pro illo ipso instanti, quo donat; & quia pro eodem instanti ex suppositione quod alter, cui fit donatio, cognoscat dõationem, potest etiam donare rem & conuertere rem donatam in suos vsus, si hoc sufficiat vt sit dominus, clarum est illum etiam esse Dominum formaliter, & consequenter vtrumque, sed cum hoc tamen discrimine, quod cui fit donatio non sit Dominus, nec possit disponere de re, nisi cum dependentia à voluntate donantis, ille vero sit Dominus absolute sine dependentia à voluntate alterius: nec est prorsus vlla difficultas, aut inconuenientia, quod vterque sit Dominus hoc modo, supposito, vt dixi, quod donatarius pro eodẽ instãti pro quo fit donatio, cognoscat & acceptet donationem & possit etiam pro eodem instanti disponere de re donata, licet donans magis absolute diceretur Dominus.

At si ad dominium formale pro aliquo instanti requiratur, quod non sit positum impedimentum siue à se siue ab alio, quo minus eo etiam supposito ipse non possit disponere de re, alius vero possit, certe in instãti quo donat ex suppositione donationis non erit Dominus, sed alter solus erit Dominus formaliter, nec etiam est inconueniens quod ita dicatur.

*Dices* nisi esset Dominus pro illo instanti non posset transferre Dominium, nam illamet translatio dominij est actus dominij conuenitque potestati, quam donans habet ad donandum, descriptio dominij.

*Respondeo* capiendo dominium formale in sensu iam explicato negando antecedens; nam sufficit quod fuerit Dominus antecedenter, & quod esset etiam tum Dominus nisi ipsemet posuisset impedimentum; nec potestati quam habet ad transferendum dominium conuenit descriptio dominij, quia potestas, cui conuenit descriptio illa, est potestas sine impedimento tollente dominiũ pro tempore, aut instante sequenti: talem autem ille non habet quia tum transtulit dominium. In quo non scio quomodo posset esse alia quæstio quàm de mero nomine.

40 *Si vero velimus* rem hanc exactius examinare, existimarem rectius longe dici quod, qui transfert Dominiũ, sit verus Dominus pro instanti, quo transfert dominium, quia tum disposuit de re prout ipsi placuit, & potuit ita disponere; At cui transfert dominium, non est Dominus rei pro illo ipso instanti, sed pro tempore sequenti immediate; neque ipse potest transferre dominium pro illo instanti ita, vt pro illo alter deueniat Dominus; sed quemadmodum, qui dicit *propino tibi*, licet verbum illud sit præsentis temporis, non tamen significat, quod bibat pro illo tempore, quo profert illud verbum, quia non potest simul loqui & bibere, sed pro tempore sequenti prolationem verborum, & quando Sacerdos dicit: *Hoc est corpus meum*, non significat quod sit corpus Christi pro tempore quo dicit *hoc est*, sed pro vltimo instanti prolationis verborum: ita qui dicit: transfero in te Dominium huius rei non vult dicere, si rationabiliter procedat, quod transferat pro illo tempore dominium ita, vt pro illo tempore alter habeat dominium, sed sensus est quod pro vltimo instanti prolationis illorum verborum alter deueniat Dominus mediante translatione illa ante facta.

In cuius confirmationem addo vnum hominem non posse rei suæ facere alterum Dominum, nisi alter acceptet dominium; vnde ad hoc vt faciat alterum Dominum, debet habere potestatem ad hoc faciendum, deinde debet velle id facere; præterea debet significare suam voluntatem, & vlterius debet alter cognita illa voluntate eam acceptare vel positiue, vel negatiue non contradicendo. Hinc autem patet, quod quamuis quis in instanti velit transferre dominium, alter in eodem instanti non fit Dominus, quia requiritur significatio voluntatis quæ nequit fieri in eodem instanti inter homines (non ago de Angelis) sed requirit tempus, post quod tempus sequitur acceptatio alterius, qua posita fit donatarius Dominus tantum, & non ante, vnde manifestum videtur quod vterq; non sit Dominus pro eodem instanti; quod si non requireretur acceptatio, sed aliquis posset fieri Dominus etiam inuitus, adhuc requireretur significatio voluntatis donantis, & donatarius non fieret Dominus nisi in vltimo instãti in quo compleretur significatio, vnde tum etiam æque clarum est quod donatarius non sit Dominus pro eodem instanti, pro quo donans est Dominus.

Et si denique non requireretur significatio, sed Dominium transferretur per actum voluntatis interiũ, adhuc vt supra dixi, donatarius non esset Dominus pro illo instãti, sed pro tempore sequenti, licet ipsa donatio seu actus quo mediante fieret Dominus, esset pro illo instanti.

41 Ex hac autem facillimâ, ni fallor, doctrina liquet, non rectè dici à Lugo num. 10 non esse difficultatem de donatario, quin in instâti, in quo fit donatio, fit Dominus quia datur tum liber verbi gratia, & ipse accipit; accipere autem est habere aliquid in bonis suis, quod prius non habebat; vnde si venditor tunc destrueret librum, peccaret contra iustitiam aduersus emptorē, qui tum est vere Dominus; quod à pari, inquit, cōstat in coniuge qui eodē instanti quo præstat consensum, & perficit Matrimonium dat Dominium corporis alteri cōiugi, atque ideo consensus internus, quem tum haberet de fornicatione cum alia haberet malitiam adulterij & iniustitię contra vxorem.

At certe si loquamur de instanti, quo fit donatio interna, quæ sola est, quæ magis fieri potest in instanti, tantum abest vt non sit difficultas quin pro eodem donatarius sit Dominus; vt potius certum sit ex præmissis quod non sit Dominus, neque per eam donatarius accipit librum aut aliquid, quod ante non habuit: lubens omitto quomodo hic author explicat acceptionem, quia quamuis explicatio non videatur congrua, tamen id parum facit ad rem: si vero loquamur de donatione externa siue reali per physicā traditionem libri, siue verbali per significationē voluntatis internę, illa fit in tempore & non instâti, neque donatarius fit Dominus ante prolationem verborū; post vero illam prolationem, donans non est Dominus; neque donans potest comburere librum pro instanti ut tēpore quo donat, quia donatio talis & combustio sunt incompassibilia. Quod etiam addit de coniuge non iuuat, quia coniux non tradit corpus ita, vt sit maritus per consēsum internū, sed per illum externe significatū, significatio autem hæc externa fit in tempore, & in vltimo instanti eius quando non est amplius in potestate coniugis supposito consensu significato mulieris, ille deuenit maritus, nec est amplius in potestate sua; vnde si in eodem instanti vltimo significationis, aut postea vellet peccare cū altera, cōmitteret interne adulteriū & faceret iniuriam, ante vero illud instans dū proferret verba, si haberet voluntatē peccādi cum altera, si voluntas esset peccādi illo ipso tēpore quo proferret verba, non committeret adulterium, si vero esset voluntas peccandi post prolata verba, committeret, eo modo quo, si quis solutus haberet voluntatem peccandi cum aliqua, non obstante quod esset maritatus peccaret peccato adulterij interno. In quo non video vllam difficultatem.

An vsus rerum vnico actu consumptibilium distinguatur à dominio.

42 *Ad hæc addere placet*, quasi per accidens aliquid de vsu rerum quæ vnico vsu consumi possunt, vt est cibus & potus ac etiam pecunia quæ vnica permutatione consumi potest sic, vt non sit vlterius permutantis, nec eius qui permutationem concessit, an scilicet distinguatur à dominio. Quamuis autem circa hoc olim grauis fuerit controuersia occasione pauperatis, quam nos Franciscani profitemur, quæ à nobis Dominium omnium plane rerū excludit, neque enim iuxtà nostram regulam possidere possumus tanquam Domini, domum aut locum, aut vllam omnino rem, siue in communi siue in particulari, absque priuilegio vel dispensatione, cum alij Religiosi communiter possunt habere bona aliqua in communi; tameu mirum est, de re facili potuisse vnquam dubitari. Et cum *Lugo* supra *num.* 43. teneat nostram & communiorem sententiam, nempe vsum huiusmodi distingui posse à dominio earundem, offendere merito posset quod in eadē sectione non semel asserat Fratres Minores dicere se habere huiusmodi rerum vsum sine dominio; eo enim loquendi modo denotatur eum an ita sit dubitasse, sicut qui assereret ipsummet dicere se esse Cardinalem, qua sane dignitate dignissimus est, eo ipso videretur insinuare, quod de rei veritate dubitaret. Sed cum hoc non quadret in tāti Prælati doctrinā ac modestiā, alio aliquo modo interpretandus venit. Verū quia hoc parui est momenti pro resolutione dubij propositi *Dico cum communiori sententia*, vsū talē distingui posse à dominio & de facto apud nos distingui. Probatur manifeste prima pars, quia si quis, vt bene posset, huiusmodi rerum vsum cōcederet alicui: sed ita tamen dependenter à sua voluntate vt posset ipsum reuocare semper, antequam res consumeretur, certe ipsemet esset ante consumptionem semper Dominus, & alius nulla ratione talis censeri posset: ergo vsus huiusmodi rerum potest distingui à dominio.

Distinguitur.

*Confirmatur* exemplis communiter adductis, quia nemo censet conuitam inuitatum ad cænam, quāuis permittatur ei vsus cœnæ sic, vt possit licite comedere quantum placuerit, esse eiusdem cœnæ Dominum: & Religiosi aliorum ordinum dicuntur communiter non habere dominium vllius rei in particulari, cum tamen vsum multarum huiusmodi rerum habeant, quod mirum esset, si Sylvester & Arragon qui oppositam sententiam tuentur, de Religiosis sui ordinis negarent.

43 *Hinc Probatur secunda pars*, quia nos expresse profitemur talem: ergo cum sit possibilis debet dici, quod talem habeamus. Talem vsum habēt Franciscani.

*Confirmatur*, quia non possumus fieri Domini nobis iniuitis: ergo cum à nullo recipiamus vllius rei dominiū, & nostris bonis omnibus renunciemus, non sumus Domini vllius rei, sed vsum tamen multarum rerum huiusmodi habemus: ergo habemus vsum sine dominio.

Plura ex fundamentis aduersæ sententiæ currunt tantum de vsu irreuocabili, qualis forte non distinguitur à Dominio, nec est ille, de quo loquitur assertio, aut quam nos Minoritæ profitemur, sed vsus reuocabilis ad nutum Domini ante consumptionem rei; vnde non est opus illa proponere.

*Obiicies præterea*; sequeretur quod posset aliquis dare pretio vsū reuocabilem pecuniæ verbi gratia, pro aliquo alicui, & postea vendere, seu dare dominium earundem pecuniarum pro precio æquiualenti, & sic posset accipere aliquid vltra sortem, & consequenter vsura esset licita.

*Respondet Lessius* posse quidem vendi vsum & etiam dominium, sed hoc non posse vendi tanto precio, quāti venderetur, non concesso vsu ipsius alteri.

*Hanc responsionem impugnat Lugo*, quia dominium tantum valet post concessum vsum quantum ante valuit: ergo potest tanti vendi, si potest vendi vllo modo.

*Contra*: quia Lessius negare potest antecedens, nam quamuis absolute cui venderetur dominium esset Dominus; tamen ipsa concessio vsus est impedimentum aliquod non quo absolute impediatur à reuocatione vsus; sed quo moraliter retraheretur à reuocatione vsus; vt certum est posse contingere, & ratione huius posset dominium vendi minoris, quam non concesso vsu: quod paulo infra declarabitur magis.

Respondet Sanchez ad eandem obiectionem, posse quidem vendi vsum illum reuocabilem, sed non fieri mutuum, cum non teneatur accipiens vsum reddere pecuniam, si pereat, cum perierit Domino.

*Hoc etiam impugnatur à Lugo*, quia concessio vsus reuocabilis non videtur pecunia æstimabilis, cum ea non obstante maneat dominium expeditum ad reuocandum, vt patet quia recepto precio potest reuocare vsū & sic nihil dedit pro precio; sed contra quia non est dominiū expeditū, nec potest tam facile reuocare, quia ipsa cōcessio vsus, vt dixi aliquo modo retrahit ab ea reuocanda

*Respondet ipsemet Lugo*, negando antecedens, quia nihil daret pro precio. At hoc manifeste apparet falsum, quia dedit vsum, quod est aliquid, & quidem tale, quod ab eo qui illum accepit posset vendi, vt ipsemet Lugo fatetur paulo post.

44 *Sed vt absolute respondeam*, & confirmentur iam dicta.

Aduertendum eum qui dat alicui vsū pecuniæ reuocabilem exponere se periculo perdendi pecuniam, quamuis retineat dominium, quia, si is cui dedit vsum eius, ea aliquid emerit, vt cibum quem comedendo consumit, alter perdit dominium eius, & sane hoc ipsum est precio æstimabile & sine dubio potest vēdi tam bene quam ipsa pecunia; sed tamen non debet habere animum determinatū tum, cum vendit vsum, reuocandi ipsum statim, quia alias nullum esset periculum: sed debet potius habere animum non reuocandi donec intercedat aliquod tempus, in quo posset alter pecunia vti, & ipse cōsequēter esse in periculo perdendi pecuniam. Supposito autē quod ita se habeat

si accedat aliquis, à quo velit pro iisdem pecuniis aliquid emere, potest non obstante priori pretio pro vsu accepto pecunias vendere, quia non obligabit se ad non retrahendum vsum cum vellet, nec alter ab eo hoc emit, sed exposuit se periculo, vt vtilitatis per vsum acquirendæ, ita perdendi pretij dati si fieret reuocatio, sicut concedens vsum exposuit se periculo perdẽdi pecunias propter pretium illud. Dum tamen vendet pecunias illas alteri, si absolute vendat ita, vt alter non sit in periculo vllo perdendi pecunias magis, quàm si non fuisset earum vsus concessus, potest quantum valent recipere: si vero ita vendat vt alter sit in periculo, vel ex eo, quod ipse velit etiam permittere vsum quemadmodum alter permisit; vel ex eo, quod quamuis non velit permittere, non potest tamen impedire statim vsum, propter absentiam, verbi gratia, eius qui vsum accepit, non potest vendens pecunias tanti eas vendere, quanti aliàs posset, quia reuera tanti non valent.

Ex qua doctrina facile patet responsio ad obiectionẽ.

*Obiicies* denique extrauag. Ioan. 22. Ad Conditorem & duas sequentes, quibus defendit oppositum nostræ ac communis sententiæ.

*Respondeo* eum in hac re nihil definiuisse, quia non erat controuersia fidei aut morum, sed iuris Ciuilis in qua vt ipse determinauit sententiam oppositam: ita alij Pontifices determinauerunt nostram.

An minorita sit Dominus in extrema necessitate.

55. Quæres an, in extrema necessitate Minorita habeat dominium rerum necessariarum.

*Respondeo*, quod sic quantum adhoc quod possit etiam inuito Domino eas conuerter in vsus necessarios ad subleuandam extremam necessitatem, siue hoc sit verum dominium siue non, quod spectat ad nomen, quia cum ius naturale obliget ad conseruandam vitam, non censetur renunciare iuri suo ad res ad hoc simpliciter necessarias.

An si solus in mundo viueret.

*Quares secundò*, an esset Dominus rerum si solus existeret in mundo:

*Respondeo negatiue*, quia si alij nascerentur deberet dependere ab eorum voluntate in vsu rerum, & quia quamuis non deberet, sed posset non recurrendo ad illos rebus illis vti, non tamen quia ille esset Dominus, sed quia alij non essent Domini, vnde aliis non faceret iniuriam.

An rerũ incertarũ ab ipso primo inuentarũ.

*Quares tertiò*, an esset Dominus rerum, quæ, quia nullius sunt, qui sciri possit, censentur primo inuenientis, si ipse prius eas inuenerit:

*Respondeo negatiue*, quia ipse abdicauit se illo iure, posset tamen iis vti, vel quia essent Pontificis, ad quem spectant res nostræ: vel quia nullius essent; si autem non essent Pontificis, deberet eas cedere primo cognoscenti, quod essent nullius, & vendicanti illas sibi eodem iure, quo si ipsemet eas prius inueniret, quia inuentio facta à fratre non ponit impedimentum, nisi ratione eius, vt dixi, spectarent ad Pontificem.

## QVÆSTIO VIII.

### De aliis speciebus, seu partibus potentialibus Iustitiæ.

56. Hic breuiter proponam descriptiones aliarũ virtutum, quæ per se respiciũt alterum & sunt propriæ species Iustitiæ vt sic, quatenus hæc nihil aliud est quã virtus vt sic per se respicens alterum; sunt vero partes potentiales Iustitiæ acceptæ pro virtute, quæ inclinat ad ius suum cuique tribuendum modo supra explicato.

Harum autem prima censetur *Religio*, nam amicitia naturalis ergo Deum reducitur ad charitatem supernaturalem, quia conuenit cum ipsa in omnibus præter supernaturalitatem.

Quid est Religio & virtutes ad eam reductæ.

Religio autem est virtus inclinans ad colendum Deum, & ad eam reducitur Deuotio, oratio, Adoratio: sacrificium, votum, Iuramentum, Adiuratio, & laus, quarum aliqualem notitiam præbent ipsa nomina intelligentibus linguam latinam.

Cæteræ huiusmodi virtutes sunt *Pietas*, qua colimus parentes, cognatos, & patriam; *Obseruantia*, qua honoramus in dignitate constitutos; *Obedientia*, qua superiorum mandata exequimur; *Veritas*, qua significamus res esse, vt ipsi putamus; *Gratitudo*, qua benefactoribus bene afficimur; *Liberalitas*, qua dispensamus bona nostra aliis sine Auaritia aut prodigalitate; *Affabilitas*, qua quis in communi conuersatione comem se & gratum omnibus exhibet, iuxta cuiusuis conditionem & suam. *Amicitia*, qua aliqui se mutuo diligunt speciali dilectione: sed hæc virtus quid sit vix est qui ignoret, quamuis pauciſſimi eius perfectionem adipiscantur.

## QVÆSTIO IX.

### De Fortitudine.

57. *Fortitudinem*, quæ est virtus particularis distincta à Iustitia, ac Temperantia, non consistere in corporis robore ac firmitate, quã flagitioſiſſimus quisque posset habere, & quæ non acquiritur actibus bonis, sed à naturali constitutione habetur, certum est, quia omnis virtus acquiritur actibus moralibus bonis, vt ex ipsa descriptione patet. Quid est fortitudo.

Eam etiam esse mediam inter *Timorem*, quem, ne maior sit quàm oportet, temperat, & etiam, cum perfecta est, omnino tollit, quoties aduersatur rationi; & *Audaciam*, quam, ne impellat ad aggredienda pericula, cum secundũ rationem adiri non debent, cohibet, non minus exploratum est ex communi conceptu, quem omnes de natura huius virtutis habent. At, cum auarus timet pecuniarum iacturam, & periculis etiam earum conseruandarum gratia confidentiùs quandoque se exponit, hunc que timorem, ac confidentiã ad mediocritatem redigere liberalitati conueniat: sicut Temperantiæ est cohibere timorem nimium ac audaciã, quæ circa voluptates versantur, aut fatendũ est Fortitudinem non esse particularem virtutem à cæteris distinctam, aut assignanda est ipsi materia, t morque ac audacia particularis, quam respiciat.

Quamuis autem quicumque ex virtute cũ aliqua præsertim difficultate agit, fortiter agere dicatur: & fortius qui se, (reducendo se non obstantibus quibuscumque difficultatibus ad conformitatem cum ratione) quàm qui fortiſſima vincit mœnia, vt dicitur, & propterea in aliquo sensu quælibet virtus fortitudo dici possit, ac quandoque soleat; quoniam tamen communiter virtus quædam particularis, à cæteris distincta, hoc nomine appellatur, & de ea hic agi soleat, conandum propterea est eius naturam declarare.

58. *Itaque existimo fortitudinem* respicere mala, quæ aduenium vel ea ferendo, vel propulsando, cum secundũ rectam rationem bonum est illa ferre aut propulsare ob bonitatem, quæ ex parte obiecti apparet esse in hoc ipso præcise: & quia ab iis ferendis æquanimiter, nihil magis reuocat per se quam timor, & ad ea propulsanda, cum, aut eo modo, quo possent honestè propulsari, nihil magis se impellit quam audacia, fortitudo quæ est virtus particularis mediat inter hæc extrema vitia, cohibendo aut extinguendo vtrumque. Quæ mala respiciat fortitudo.

*Vnde fortitudo* hæc describi potest esse habitus inclinans ad ferenda & propulsanda mala, præsertim grauia, quæ accidere possunt propter honestatem, quæ in iis ferendis aut propulsandis apparet ex natura sua, & non quatenus perpessio aut propulsatio eorum est medium ad aliquod aliud bonum.

*Et hinc patet*, si quis velit ferre mala huiusmodi ob pietatem erga Patriam aut ob obedientiam, aut ob charitatem præcise, eum non exercere actum fortitudinis formaliter, sed tantum materialiter. sicut nec qui temperate viueret ob auaritiam, viueret temperate formaliter, sed tantum materialiter. Si vero quis ferret mala, verbi gratia, mortem, non solum ob amorem Dei, sed etiam ob honestatem, quæ est in perpetienda morte, exerceret actum charitatis & fortitudinis. Quod si loquamur de perpessione malorum, quæ fit à parte sensitiua, illa ex se est indifferens vt sit vitiosa vel virtuosa, quia est indifferens vt

imperetur

imperetur actu voluntatis bono aut malo, potest tamen ex se dici virtuosa, quatenus respicit illa mala in circumstantiis illis in quibus perpessio earum habet honestatem obiectiuam.

59 Nunc restat examinare an Fortitudinis sit quæcumque mala ferre, & si non, determinanda sunt illa mala, quæ ad ipsam spectant, & ab aliis melis discriminanda.

*Dico ergo fortitudinem respicere omnia mala, in quorum perpessione aut propulsatione quatenus mala sunt apparet honestas*; quia extra controuersiam est, quod respiciat aliqua talia, & non apparet ratio quare aliqua magis respiceret quam alia: nec refert quod Temperantiæ sit perferre mala iniucunda, hoc est carentiam voluptatis illicitæ, quæ carẽtia potest quãdoque esse molesta; & quod liberalitas respiciat malum, quod potest sẽtiri ex dispẽsatione bonorum aut eorum non profusione. nam respiciunt illa ob diuersum motiuum: Temperantia enim respicit malum iniucundum, quatenus ipsamet inclinat ad bonum iucundum in mediocritate requisita, & liberalitas respicit malũ inutile, quatenus inclinat ad dispensãda bona vtilia in mensura illa sola, quæ est honesta, nec deficiẽdo, nec excedendo; fortitudo vero respicit illa mala, quatenus in perpessione eorum apparet honestas, siue esset honestas in illa ex alio capite, siue non, verbi gratia in perpessione istius molestiæ, quam quis sentit ex eo, quod separare se debeat à cõcubina, est duplex honestas: vna, quatenus bonum est non excedere medium Temperãtię, & hæc honestas spectat ad Temperãtiam; alia quatenus laudabile est ferre ipsam molestiam, quę debet ferri, ex eo, quod ipsum pulchrum apparet & dignum homine, & hãc respicit Fortitudo. Discrimen autem inter vtramque patet, quia quamuis castitas non obligaret ad separationem ab amica, & tamen cogeretur quis ad separationem, pulchrũ esset perferre & separationem & molestiã inde exorientem, nec tum perpessio illa spectaret ad castitatem sed ad fortitudinem, hæc autem ipsa pulchritudo maneret, quamuis castitas vrgeret ad separationem, & quamuis tum maneret simul pulchritudo, quæ esset in illa perpessione ob motiuum castitatis.

Quæ mala respicit fortitudo.

60 *Dico secũdo: Si hæc assertio appareat difficilis aut minus communis, posse dici quod fortitudo consistat in perferendis aut propulsandis malis, quæ excludunt bona, quibus recte quis vti possit.* verbi gratia quia quis recte vti potest libertate, & quia hanc seruitus vel incarceratio excludit, ad fortitudinem spectat seruitutem ferre quandoque, & quãdoque propulsare; & quia quis potest recte vti diuitiis, honoribus, dignitatibus, vita, sanitate, integritate corporis, propterea ad fortitudinem spectat ferre æquanimiter, cum his bonis priuatur, quibus nequeat quis vti, quando iis priuatur: denique quia quis exercere potest multas actiones sine doloribus aut tormentis, quas cum iis exercere nequit, fortitudinis erit illos dolores ac tormenta, vel ferre, vel propulsare, cum ferenda aut propulsanda dicãtur à recta ratione. At quia non potest recte vti illa voluptate, quã caperet ex auare retentis pecuniis, aut iis prodige expensis; nec ea, quam caperet ex adulterio aut fornicatione, ad fortitudinem non spectat molestiam perceptam ex eius carentia ferre, sed ad liberalitatem cuius est expellere auaritiam & prodigalitatem; ac ad castitatem cuius est impedire ne quis committat adulterium.

61 *Dico tertio posse ad fortitudinem referri omnia illa & sola mala, quæ non habent intrinsecam connexionem cum exercitio virtutis prosecuiuæ alterius boni.* Hæc assertio suadetur, quia hæc mala distinguuntur facile à malis spectantibus ad alias virtutes: ad illas enim spectãt mala illa, quæ habent intrinsecã connexionem ex natura obiecti cum exercitio illarum virtutum, & præterea cum honestum appareat illa nunc perferre, nunc propulsare, ad aliquam virtutem spectabit per se inclinare ad hoc ob hoc ipsum, ad nullam autem potius quàm ad fortitudinem. Denique non potest assignari vllum malum spectans per se ad fortitudinem, nisi huiusmodi, nec vllum huiusmodi, quod ad fortitudinem non spectat.

Vt intelligatur autem melius hæc assertio, aduertendũ per mala, quæ habent intrinsecam connexionem cum exercitio virtutis intelligi molestias illas, quæ ex natura illius materiæ, circa quam versatur virtus communiter sentiri solent, dum acquiritur virtus; vnde quia quando acquiritur liberalitas, ex natura operis oritur difficultas illa, quam habet quis ex inclinatione sua vel ad auaritiã, vel ad prodigalitatem, vel ex difficultate liberalis profusionis ex natura sua, malum huius molestiæ ferre spectat ad liberalitatem, cuius etiam est illam molestiam tollere, vt & facit quando peruenit ad statum perfectum.

Similiter quia difficultas, quam habet quis in acquirẽda Temperãtia oritur ex inclinatione hominis ad voluptates venereas, aut illas quæ capiũtur ex cibo aut potu, quæ inclinatio reddit difficile exercitium Tẽperantiæ, malum molestiæ, quod sentitur in exercitio Temperantiæ ex hoc capite, dicitur habere intrinsecam connexionem cũ exercitio Temperantiæ, & ipsum ferre, antequam superetur totaliter, spectat ad Temperantiam. Cætera vero mala, quæ non habent huiusmodi connexionem cum prosecutione boni, vt sunt multirationes, tormenta, incarcerationes, exilia, infirmitates, mors &c. & in quibus ferendis appareat honestas, spectant ad fortitudinem, quæ est particularis virtus, cuius etiam est timorem eorum ac audaciam ad ea propulsanda impellentem cohibere aut omnino tollere.

62 *Obiici* contra hæc potest, quod Philosophus 3. *Moral.* 6. negare videtur viri fortis esse ferre mortẽ in naufragio imminentem, aut infirmitates & mortem inde sequentem: sed hæc sunt talia mala, qualia ascripsimus fortitudini, ergo non recte assignata sunt.

*Respondeo* Philosophum loqui de malis, in quibus ferendis quis gloriam ac honorem consequitur, vt patet ex textu, vnde manifeste agit de fortitudine, non in tota sua latitudine, sed quatenus impellit ad actiones gloriosas ac honorificas, quibus decernuntur honores ac prẽmia, aut quæ sunt illis similes; tale autem malum non est mors in naufragio imminens aut prouenies ex infirmitate, sed quæ in bello accidit, aut infertur ab inimicis, aut Tyrãno; nos vero descripsimus fortitudinẽ vniuersim, vt inclinat ad omnem actionem honestam, siue illa gloriosa sit siue non; nec potest esse dubium quin honestũ sit ferre æquanimiter mortem, siue ex naufragio, siue ex infirmitate prouenientem, & etiam ipsam infirmitatem, cum vitari commode ac honeste non possunt, vnde & exhortamur infirmos ad patientiam, quæ pars vel species est fortitudinis; Quare Aristoteli contrarius non videtur nostra resolutio; & si esset, parum esset curandum.

Duo præcipui actus fortitudinis.

63 *Ex his habetur duos* præcipuos esse actus fortitudinis, vnum sustinere mala, cum pulchrum aut honestum est id facere; alterũ est ea propulsare, cum inconueniens videtur ex recta ratione; & quia fortitudo perfecta ad vtrũque inclinat, dicitur habere partes integrãtes, quarum aliquæ ad ferenda mala, aliæ ad propulsãda conducũt; ad ferenda quidem *Patientia*, quæ ad sustinenda æquanimiter mala inclinat, *Longanimitas* qua quis sperat res magnas quæ ptocul sunt, & *Perseuerantia*, quam existimo, vt ad fortitudinem spectat, non esse nisi Patientiam continuatam.

Ad propulsanda vero mala cum honestum est, conducit *Magnanimitas*, qua quis paratus est animo pericula magna & ardua adire, vt propulset mala, quæ debent propelli; nec satscio cur Conimbricenses ad fortitudinem munificentiam tanquam partem integrantem ab hac magnanimitate distinctam reducant, præsertim vt ab ipsismet ex Cicerone describitur esse rerũ magnarũ & excelsarum cum animi amp'a quadam & splendida propositione agitatio & administratio; nulla enim administratio, spectans per se ad fortitudinem exigit alium habitum ad propellenda mala, quàm magnanimitatem.

Quod si quis possit esse facilis ad ferenda mala sine facilitate ad ea propulsanda, & è contra, potest ratio fortitudinis vt sic abstrahi à duobus habitibus, quorum vnus inclinat ad ferendũ, alter ad propulsandum, cuius illi duo habitus quorum primus recte nominari potest Patientia secundus magnanimitas, erunt species & partes subiectiuæ, & Fortitudo vt sic ab illis abstracta definiri potest esse

habitus

habitus inclinans ad recte se gerendum circa mala supra explicata.

## QVÆSTIO X

### De *Temperantia*.

Quid Temperantia.

64 PER *Temperantiam* hic intelligitur habitus ille, qui inclinat ad moderate indulgendum voluptatibus gustus & tactus, secundum scilicet quod apparet honestum ac dignum homine iis indulgere, quique propterea mediat inter duos habitus; quorum vnus retrahit hominem ab iis, cum opus est, capiendis, alter inclinat ad capiendum plus quam, aut quando non oportet, & ex hoc ipso patet, quod sit virtus, & quidem particularis, ac distincta à reliquis, nempe à fortitudine, & iustitia, earumque partibus tam integrantibus quam subiectiuis; neque enim vlla ex illis versatur circa hanc materiam.

Huius virtutis partes integrantes enumerant Conimbricenses *Verecundiam* & *Honestatem*, sed vtramque sic describunt, vt non magis ad Temperantiam spectēt, quàm ad alias virtutes. Eatenus autem reuera spectant ad Temperantiam, de qua hic agitur, quatenus Temperans est, qui solet timere dedecus ex intemperantia proueniens; nā ex hoc timore rubor ille in facie excitatus oritur, quem cum videmus ex occasione materiæ Temperantię in aliquo excitatum, solemus vocare ipsum verecundum, & vel castū, vel inclinatum ad castitatem, quamuis & quis castus esse posset, in quo non excitaretur, & incastus qui facillime sic erubesceret; *Honestas* autem spectans ad Temperantiam, quatenus aliquo modo ab ipsa distincta esse potest, non videtur aliud esse quam habitus inclinans ad non libenter loquenda, nec audienda, nec tangenda, quę spectāt ad venerea, etiam cum delectationes non causarent quos enim tales videmus, honestos appellamus communiter honestate spectante ad iustitiam.

Partes subiectiuæ Temperantiæ

65 *Partes subiectiuæ* Temperantiæ assignantur ab iisdem, & authoribus communiter quatuor *Abstinentia*, quæ inclinat ad comedendum temperate; *Sobrietas*, quæ ad bibendum.

*Castitas*, quæ moderatur voluptates venereas, *Pudicitia*, quæ modum ponit in signis prouocantibus aut indicantibus illas voluptates, vt sunt aspectus, oscula, amplexus, conuersationes de talibus rebus; vnde hæc videtur conuenire cum Honestate, vt supra à me explicata est.

*Scotus autem* 3.d.34. Temperantiam vt sic describit esse virtutem inclinantem ad bonum proprium per se primo conueniens, & eam diuidit in habitum facilitantem appetitum in ordine ad honores appetendos debito modo, quē vocat Humilitatem, & in Habitum, qui versatur circa delectationes, cui accomodatum est nomen Temperantiæ absque addito, quod tamen est etiam nomen Habitus vt sic respicientis bonum primo conueniens. Temperantia autem respiciens voluptates diuidi potest in illam, quæ voluptates corporales, & quæ spirituales respicit, & quælibet ex his potest diuidi in varias alias species pro diuersitate voluptatum siue spiritualium siue corporalium, præsertim quando diuersitas est tanta, vt ad aliquas moderādas posset aliquis esse facilis quin esset facilis ad moderādas alias; & hinc quia certum est posse aliquem esse castū, qui non sit sobrius, seu facilis ad abstimendum à potu, sobrietas quæ est species Temperantiæ distinguitur à castitate, & quia potest quis esse castus & sobrius, qui tamen sit inclinatus ad audiendam musicam immoderate. propterea alia species Temperantiæ assignari debet ad temperandum appetitum huiusmodi voluptatis ex musica perceptæ; & rursus quia potest quis habere hanc etiam virtutem cum sobrietate & castitate, & tamen non esse facilis ad temperandum appetitum voluptatis perceptæ ex scientiis, propterea assignanda est alia species Temperantiæ ad hoc faciendum, quæ etiam nomen studiositatis habet. Aliæ species eius sunt *Ornatus*, qui corporis Habitum vestitumque moderatur, & *simplicitas*, quæ modum ponit nimiæ sollicitudini in huiusmodi rebus procurandis.

## QVÆSTIO XI.

### De *connexione virtutum moralium*.

66 HAnc qnæstionē fusè tractaui cum Scoto 3.d.36. vnde hic tantum compendiosè proponenda est.

## CONCLVSIO.

Virtutes morales appetitiuæ non sunt connexæ.

*Virtutes morales appetitiuæ verbi gratia Iustitia, fortitudo, Temperantia, non sunt sic connexæ, quin ex illis quælibet perfectissimè non solùm physicè, sed etiam moraliter posset acquiri sine alia.* Ita Doctor supra cum omnibus suis & Nominalibus, quos sequitur Vasq. 1.2. disp. 84 Asser. tom. 1. lib. 3. c. 29. q. 1. contra Thomistas communiter & plures Recentiores Salam, Conimbr. Valent. Suarium.

*Probatur primò*, quia hæ virtutes sunt perfectiones realiter distinctæ, nec vlla ex illis est pars intrinseca, aut proprietas alterius; nec prorsus est vlla ratio necessarię connexionis earum inter se, aut moralis, aut physicæ: ergo vna potest perfectissimè haberi sine altera, non minus, quàm potest vna scientia haberi sine altera.

*Probatur secundò*, potest quis habere occasionem temperate edendi ac bibendi, & considerare honestatem, quæ est in tali Temperantia, ab eaque moueri ad volendum tēperate edere ac bibere, quin occurrat ipsi occasio exercendæ iustitiæ, aut fortitudinis, & quin consideret honestatem, quæ est in exercitio earum, aut eam velit: sed tum aget temperate ac virtuosè, & per actum talem acquiret facilitatem sic agendi, præsertim si frequentet actus, vt eadem ratione facere potest, qua producit primū actum, & si eliciat actus intensos frequenter, vt etiam potest facere, si voluerit, acquiret habitum intensissimum Temperantiæ: sed tum ex hypothesi posita non acquiret habitum iustitiæ aut fortitudinis: tales enim acquirere nequit nisi proponatur honestas earum: ergo potest perfectissimum Temperantiæ habitum acquirere absque habitu iustitiæ, aut fortitudinis, & consequenter vera est conclusio.

*Responderi posset* ex principiis D. Thomæ, ex hac probatione sequi quod possit habitus Temperantiæ in intensissimo gradu acquiri absque habitu iustitiæ, & fortitudinis, sed eum tamen in eo gradu non esse perfectam virtutem, nisi socias habeat alias virtutes seu habitus virtuosos.

67 *Contra*: quia præterquā quod hęc responsio admittat reuera, quod nos prætendimus, quantum ad rem ipsam, & reducat difficultatem ad nomen solum, negando quod habitus intensissimus Temperantiæ, quem fatetur posse esse absque habitibus iustitiæ & fortitudinis, sit perfecta virtus, quod manifeste ad nomen spectat; sed præter hoc inquam.

*Contra est*: quod male negetur sic vocari debere, nam ad perfectam virtutem, seu ad illud, quod perfecta virtus appellari potest, nihil requiri debet, nisi quod exigit definitio ipsius à Philosopho tradita 2. *Ethic.* 7. & ab omnibus admissa, cuius sensus est, quod virtus sit habitus operatiuus, seu inclinatiuus ad operādum iuxta dictamen sapiētis, seu prudentis, hoc est iuxta dictamen rectę rationis aut prudentię, vt ipsemet S. Thomas exponit: sed habitus ille Temperantię esset talis habitus, nam certe prudentia dictaret esse Temperate viuendū, & habitus ille Temperantiæ inclinaret ad sic viuendum: ergo esset perfecta virtus sine consortio aliarum.

68 *Respondet Caet.* definitionem Philosophi sic intelligendam vt perfecta virtus sit illa, non quæ hic & nunc inclinat ad recte operandum, vt faceret Temperātia sine aliis habitibus virtuosis, sed quę inclinaret vniuersaliter in omni casu; sic autem non faceret Temperantia intensissima absque aliis habitibus.

*Confirmat* hoc quia mulier habens habitum intensissimum Castitatis facilitantem valde ad moderādas delectationes venereas, non facilitaretur per illū ad e[illegible]ste viuendum

dum, si esset auara, aut sine fortitudine, nam ob pecuniam aut timiorem facile induci posset ad peccandum contra Castitatem: ergo habitus ille non est perfecta virtus absque fortitudine, & liberalitate.

*Contra*: quia gratis hoc modo exponit Caet. ad tuendã suam sententiam, definitione Philosophi. Deinde habitus Temperantiæ in omni etiam casu inclinaret ad Tẽperate viuendum quantum est ex se, licet alia impedimenta possent occurrere, ob quæ quis non conformaret se inclinationi ipsius: nec potest dici, quod requiratur ad perfectã virtutem, quod quis conformet se actu ad inclinationem eius; alias Adam in Paradiso non haberet perfectam virtutem, quando succubuit Tentationi, quod est contra omnes.

*Præterea*: consortium aliarum virtutum non conducit vt quis feratur in bonum Temperantiæ ob honestatem particularem ipsius, qui non attingũt illam honestatem, vt est eiudens: ergo tam perfecte inclinat Temperantia, quando est sine aliis virtutibus ad obiectum ob suum proprium motiuũ formale, ac cum illis, & consequenter si est perfecta virtus, quando illæ sunt annexæ, erit etiam cum non sunt, absurdum enim est ex terminis, quod illæ facerent illam perfectam, nisi conducant, vt magis aut melius feratur in obiectum suum ob suum motiuum.

Vlterius potest quis ob amorem Temperantię contemnere diuitias, & etiam tormenta ac minas sine vllo amore liberalitatis aut fortitudinis, & aliquefaciat id facere, tunc autem in omni euentu, in quo Temperate viueret cũ liberalitate & fortitudine, posset viuere Temperare sine illis virtutibus, & sic corruit manifeste doctrina Caetani, seu effugium ipsius: vide plura in Commentario meo supra.

69 *Ex his autem Respondetur primo*, ad Confirmationem Caet. mulierem illam perfectissime inclinari posse ad caste viuendum, quantum debet inclinari, per Castitatem, cuius non est superare auaritiam, aut timiditatem; vnde quamuis succumbendo ob auaritiam, aut timorem diceretur incaste viuere, hoc tamen intelligendum esset materialiter, non formaliter, cum non ex voluptate succumberet, sed ob amorem pecuniarũ, aut timorem mortis, sicut Temperate viuens ob auaritiam, dicitur Temperate viuere, non formaliter, sed materialiter.

Secũdo: si illa mulier non inclinaretur ad caste viuendum cum inuitaretur pecuniis, aut terreretur minis, posset dici esse incasta etiam formaliter, non tamen ob carentiam aliarum virtutum, sed ex eo quod ipsamet castitas ipsius non esset intrinsece tam perfecta quam posset esse, quia posset acquiri tanta perfectio intrinseca ipsius, vt inclinaret ex motiuo suo intrinseco ad contemnendas pecunias & minas, vnde si facile succumberet propositis pecuniis & minis, non esset perfecte casta, sed hoc non præiudicat nostræ doctrinæ, nec fauet Aduersariis.

70 Hinc etiam patet, non recte Philosophari Suarium, dum ait, physice quidem posse acquiri perfectam virtutem Temperantiæ absque aliis, non vero moraliter, quia moraliter non potest quis exercere omnes actus perfectæ virtutis vnius, verbi gratia, Temperantiæ, quin intermisceat actus aliarum, & quin consequenter acquirat habitus aliarum vi tutum. Patet, inquam hoc non recte dici; nam quamuis in progressu acquisitionis vnius virtutis vsque ad statum perfectum occurrãt occasiones exercendarum aliarũ, & propterea vna virtus vix acquiri soleat, quin aliæ aliquæ acquirantur; tamen certum est tum non occurrere occasionem exercendarũ omnium aliarum, etiam quæ in communem vsum veniunt, tales quippe sũt liberalitas, contemptus dignitatum, Virginitas, Paupertas Euangelica: sed pauperes vix habent occasionem exercendæ liberalitatis, aut contemnendi dignitates, Matrimonio coniuncti non habent occasionem exercẽdę, aut conseruandæ Virginitatis: ergo potest acquiri moraliter etiam virtus perfecte absque aliis omnibus, quamuis non posset sine aliquibus.

Deinde, quamuis occurrerent occasiones aliarũ virtutum exercendarum; tamen posset quis eas exercere materialiter, & non ob motiuum formale earum, & tum non acquireret alias virtutes: ergo hoc non obstante, moraliter etiam posset acquiri vna virtus sine aliis. Plura ad hoc valde conducentia videri possunt in Commentario supra, vbi expresse soluuntur fundamenta aduersariorum, quæ propterea hic non propono, & quia etiam ex his facile quilibet potest respondere ad omnes rationes. Ad Authoritates autem Patrum, quia eas exponere Theologi videtur, & hic agimus Philosophicè; non est, quod respondeam, Responsio autem in Commentario eodem habetur.

# DISPVTATIO VI.

## DE CONSCIENTIA.

1 QVAMVIS hæc dissertatio Theologica videri posset, & propterea hic non tractanda, reuera tamen etiam Philosophica est, nam ad iustificationem aut condemnationem multarum actionũ moralium, etiam Philosophicè considerarum, multum interest qua quis conscientia ducatur. Itaque ex Commentario meo ad dist. 39. secundi, huc quæ necessaria sunt compendiosius transferam.

### QVÆSTIO I.

*Quid est Conscientia, & de eius diuisione.*

OMissis aliis acceptionibus capitur hic Conscientia pro dictamine actuali vel habituali intellectus, quo cognoscitur hic & nunc operationem faciendam esse bonam aut malam moraliter, quo sensu agunt de ipsa potissimum Theologi in 2. d. 39. & 1. 2. q. 19. & vocatur à *D. mas.* 4. d. *fide* c. 2. lex intellectus & à *Bern de consid.* c. 8. Cordis scientia, eique attribuitur testificari, ligare, instigare, accusare, remordere, ac reprehẽdere, quia ostendit bonum & malum, sicque faciendo inducit obligationem faciendi bonum, & trahit etiã ad hoc suo modo; siquis hoc non obstante peccat, ostendit defectum esse commissum, ac in causa est, cur id displiceat voluntati, quam, ostendendo quod malè ac inconsulte fecerit, reprehendit. Quid est Conscientia. Munera conscientiæ.

*Porro Conscientia* in hac acceptione communiter diuiditur in rectam, probabilem, dubiam, scrupulosam & erroneam. Diuisio eius.

*Recta* est dictamen verum dictans absque vlla formidine, quod faciendum est esse bonum aut malum.

*Probabilis* est, quæ dictat absque certitudine bonitatẽ, & malitiam actionis cum fundamento tamen tali, quod posset esse sufficiens viro prudenti ad conformandum se absque vlteriori examine.

*Dubia* est, quæ non habet rationem sufficientem pro vna vel altera parte.

*Scrupulosa* est conscientia probabilis habens annexum timorem sensibilem de oppositio, qui retrahit à sequendo conscientiam illam.

Conscientia denique *erronea* est, quæ dictat aliquid esse faciendum aut non faciendum, quod reuera non est tale absque motiuo probabili.

Ex his autem Conscientiis, quando quis habet conscientiam rectã de bonitate, aut malitia actionis, aut talem vt quamuis non sit certa, habens tamen illam non dubitat nec timet de oppositio ob defectum reflectionis, certum est, quod recte faciat quis conformando se: sed valde bonũ esset, vt quis semper reflecteret supra motiua dictaminis, nam ita faciendo sæpe vitabit multos defectus, saltem materiales, hoc est multos, quos à parte rei melius esset non committere, quamuis committens illos non peccet ob ignorantiam inculpabilem, vnde de hac conscientia amplius non est agendum.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO II.

*De Conscientia erronea.*

### CONCLVSIO I.

Ex conscientia erronea iudicans aliquid esse malũ & faciens illud pec. cat.

*QVI erronee iudicat aliquam actionem esse malam, quã reuera mala non est, si fecerit illam peccabit.* Hæc est communis & probatur, quia ex terminis patet esse malum, facere quod absolute quis iudicat esse malum, & hinc patet eum qui inuincibiliter putat actionem esse bonam, quæ reuera mala est, si fecerit eam, bene facere; quia est eadem ratio.

### CONCLVSIO II.

Qui erronee iudicat aliquid esse bonum quod tale non est, & facit illud, bene facit.

*Dico secundo quis erronee iudicat aliquid esse bonum aut non malum quod reuera à parte rei malum est, ex ignorantia vincibili per culpam antecedentem, siue crassa qualis est, quam habet qui negligit instructionem, non tamen ad finem habendi ignorantiam; siue affectata, quam habet qui instructionem negligit ad finem non cognoscendi suam obligationem, non peccat conformando se errori, licet peccauerit antecedenter, quando omisit instructionem aut veram notitiam acquirere.* Hæc videtur esse contra communiorem sententiam, quæ tenet facientem, quod malum est ex ignorantia, siue crassa, siue affectata iam explicata non excusari.

*Probatur* tamen, quia probabilissimum est occisionem commissam in ebrietate non esse nouum peccatum distinctum à peccato commisso, quando voluit quis inebriare se: sed de hoc eadem ratio est ac de præsenti conclusione: ergo.

*Probatur secundo*, quia alias posset aliquis sæpissime esse in statu perplexo, in quo scilicet necessario peccaret: sed hoc non est dicendum, cum non videatur congruere bonitati & misericordiæ infinitæ Dei: ergo. Probatur sequela maioris, quia si quis culpabiliter omittens discere, quod verbi gratia, esset prohibitum comedere carnes tali die, existimaret postea erronee absque vlla tamen ratione dubitãdi, quod esset præceptum eo die eas comedere, peccaret in sententia aduersariorum si eas comederet; & peccaret etiam non comedens eas, quia absolute iudicaret esse præceptum de iis comedendis: ergo peccaret necessario siue comederet, siue non comederet, & sic esset in statu perplexo.

*Probatur tertiò*, quia alias ex duabus actionibus habentibus eadem principia & circumstantias, ob quas deberẽt esse bonæ aut malæ, vna esset bona & altera mala: sed hoc est omnino absurdum: ergo & id vnde sequitur.

Probatur sequela maioris; quia si duo omitterent negligenter acquirere scientiam, qua cognoscerent quod esset malum facere aliquem contractum, & postea occurreret vni, erronee tamen, quod esset bonum aut non esset malum illum inire, propterea que illum iniret; alteri vero occurreret, quod esset malum, ac ideo eum omitteret, illæ duæ actiones haberent eadem principia ob quæ essent, aut bonæ aut malæ, & tamen secundum principia aduersariorum vna esset mala, altera bona.

Probatur vltima maior, quia principia, ob quæ contractus initus à primo esset malus, sunt solummodo negligentia antecedens, & libertas subsequens ad eum ineundum vel non ineundum, sed alter etiam habet eadem principia.

*Dices*: præterea occurrere ex parte primi, quod contractus initus à parte rei sit prohibitus.

3. *Contra*, quia cum hoc non cognoscatur ab ipso magis, quam ab altero, non debet variare naturam moralem actionis; absurdum enim videtur, quod aliqua circumstãtia variet actionem moraliter, & imputabiliter quæ quantum est ex parte modi agendi ipsius, ac intentione non cognoscitur, nec ineſt nisi accidentaliter; & sane si hoc sufficeret, posset dici, quod eius qui probabiliter cognoscit actionem esse bonam, quæ reuera bona non est à parte rei, actio non esset bona contra omnes.

*Confirmatur* hic discursus: quia absurdum videtur quod ex duobus operantibus vnus faciat male, alter bene, quãdo vterque habet eandẽ rationem accusandi vel excusandi se, sed in casu posito vterque habet eandem rationem excusandi aut accusandi se: ergo vel vterque male facit, vel bene.

*Probatur minor*, quia non iniens contractum post negligentiam non habet aliam rationem excusandi se, quàm quod non obstante negligẽtia iudicauit absolute contractum fuisse malum; nec habet vllam rationem excusãdi se, quam quod fuerat ante negligens: sed alter etiã iudicauit absolute, quod erat bonum inire contractum & hac ratione consequenter poterat se excusare ob eum initũ; nec habuit vllam rationem accusandi se, quàm quod adhibuerit negligentiam antecedentem, quæ si non fuisset, non fuisset accusandus secundum vllos. Quod vero postea re examinata reperiatur vere contractum fuisse malum vt iudicauit vnus; non vero bonum, vt alter putauit, non facit ad rem, quia neuter dum operatur, melius id sciuit quàm alter. Videantur plura, si placuerit, in meo Commentario supra ad dist. 39.

*Obiicies primo*, S. Bernardum lib. de præcepto & dispensatione, & clarius *ep.* 77. qui oppositũ docere videtur, quod etiã confirmatur ex scriptura Ioan. 16. *Venit hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsquiũ se præstare Deo*: sed ex iis, qui interfecerunt, aliqui habuere ignorantiam culpabilem: si enim non habuissent non interfeci issent iuxta illud. 1. Cor. 2. *si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, & tamen male fecerunt: ergo non obstante errore culpabili potest actio existimata bona esse mala.

*Respondeo*, S. Bernardum loqui de ignorantia culpabili non ex culpa antecedenti, sed quæ talis esset, dum committeretur actio, quæque tum deponi posset, aut ob quam quis teneretur differre actionem, donec informaretur, vt eam deponeret, & sic etiam intelligenda est scriptura, quatenus applicatur ad eos, qui ea non obstante peccauere; & dico, eos qui peccauere; quia non dubito quin multi interfecerint discipulos aut prædicatores, qui non peccauerunt propterea, quoniã ignorantia erat inuincibilis ipsis dum interfecerunt; & si esset vincibilis antecedenter tantum non peccarent propterea.

5 *Obiicies secundò*, Actio mala committenti ipsam est libera in causa, quia libere omisit diligentiam, qua adhibita cognosceret malitiam: sed hoc sufficit vt sit mala, quia omne malum sequens ex natura rei ad actionem liberam alicuius potest attribui ipsi moraliter.

*Respondeo primò*, hanc rationem eque concludere, quod actio mala cõmissa ab ebrio esset mala moraliter, & attribuenda ipsi tanquam nouum peccatum contra multos ex aduersariis, qui propterea eam male vrgent, & debent respõdere quando opponeretur contra illam actionem, responsio vero quæ ibi sufficeret, eque bene satisfaceret hic.

*Respondeo secundò*, negando minorem & distinguendo probationem eius, quantum ad hoc, quod actio qua applicabatur causa, sit mala malitia participata à malitia obiectiua actionis sequentis, quoties illa malitia præuidetur concedo; quantum ad hoc, quod actio sequens sit mala formaliter, nego, præsertim si depẽdeat à nouo exercitio libertatis, & principiis, ex quibus proueniret sine malitia, ex suppositione quod, non præcessisset illa causa, vt contigit in casu huius conclusionis.

Dixi: *præsertim si dependeat à nouo exercitio libertatis, &c.* quia aliquando actio, quæ sequitur ad negligentiam potest produci sine libertate proxima, & talis est occisio facta ab ebrio, qui præuidit eam posse sequi; aliquãdo dependet proxime à libertate, vt contingit in casu præsenti; & quamuis prima posset esse peccaminosa, tamen secunda non esset.

An possit conscientia erronea non probabilis.

*Aduerto* tamen circa totam hãc quæstionem, mihi difficile esse quomodo possit aliquis habere iudicium erroneũ distinctum à iudicio probabili; nam certe non videtur intellectus posse assentiri alicui propositioni non euidẽti ex terminis nisi propter aliquod motiuũ distinctũ, & illud motiuum debet esse, vel ratio aliqua, vel authoritas alicuius dicentis; si autem sit authoritas, assẽsus erit actus fidei & satis probabilis, si non occurrat ratio aliqua impediẽs hæc autem si occurreret, non haberetur talis assensus.

Si

Si sit etiam ratio, non apparet quomodo non esset probabilis, modo possit sufficere intellectui ad præbendum assensum. Quod autem res iudicata non sit ita à parte rei sicut iudicatur, non impedit quominus iudicium sit probabile: nam obiectum vnius ex duobus iudiciis probabilibus contrariis debet necessario aliter se habere à parte rei, quam iudicatur per illam opinionem. Vnde descriptio superius posita conscientiæ erroneæ, quod scilicet esset iudicium falsum absque motiuo probabili, videtur esse de subiecto non supponente vt dicitur, supponit enim dari posse tale iudicium, quod tamen videtur propter rationem iam præmissam dari non posse. Si tamen possit dari iudicium erroneum quod non sit probabile, iudicandum erit iuxta præmissam resolutionem de actione eius, qui operatur ex eo aut secundum ipsum.

## QVÆSTIO III.

*De conscientia probabili.*

6 *Agitur* hic speciali ter de conscientia aut iudicio probabili, sine culpa antecedente aut concomitante, ratione cuius posset inferi actio, quæ alias non inficeretur, aut saltem non inficeretur ex hoc capite; duplex autem potest esse huiusmodi iudicium, vnum cum reflectione de incertitudine ipsius, & cognitione possibilitatis oppositi, sine iudicio tamen quod oppositum sit etiam probabile. Alterum cum tali reflectione & iudicio quod oppositum sit probabile.

*Circa* quod aduertendum quod aliud est iudicare propositionem esse probabilem, aliud iudicare ipsam esse veram; nam iudicare esse veram est absolute asserere quod prædicatum ipsius conueniat subiecto, vt si quis in mente dicat licere homini habere plura beneficia; iudicare vero esse probabilem est iudicare quod sint motiua sufficientia, ob quæ quis posset absolute dicere, quod sit vera, seu quod prædicatum eius conueniat subiecto, quamuis non certo concludat hoc, quorum iudiciorum diuersitas constat tum ex hoc ipso, tum quia Deus ipse iudicat propositiones multas esse probabiles, sed non iudicat probabiliter eas esse veras; tum quia de probabilitate propositionis potest quis habere assensum certum; non tamen de ipsa veritate propositionis seu conuenientia prædicati cum subiecto; tum denique quia potest quis simul iudicare duas propositiones contradictorias esse probabiles, vt quod materia prima possit esse sine vlla forma, & non possit esse sine aliqua; non vero potest probabiliter iudicare simul, quod possit esse sine vlla, & quod non possit esse sine aliqua, & hinc sequitur quod quamuis quis iudicet vnam propositionem esse probabiliorem opposita, possit tamen iudicare probabiliter oppositam esse veram, quia maior probabilitas non determinat ad iudicandum quod propositio, quæ est magis probabilis, sit vera, sed id dependet à determinatione voluntatis, quæ potest determinare intellectum ad iudicandum quam voluerit ex probabilibus esse veram.

Aliud iudicare propositionem esse probabilem, aliud probabiliter iudicare illam esse veram.

### CONCLVSIO I.

Quando proponitur vtraque pars opposita probabiliter, potest quis sequi quam voluerit.

7 *Quando proponitur probabiliter quod vtraque pars opposita sit bona, potest sine dubio quis quam voluerit facere*, quia non apparet malicia, quæ inficeret alterutram actionem: similiter quando apparet probabiliter obligatio faciendi aliquam actionem & apparet etiam simili modo obligatio non faciendi ipsam, potest recte illam vel facere vel non facere, quia alias esset in statu perplexo in quo absque culpa sua necessario peccaret; nec potius vna electio esset mala quam altera.

### CONCLVSIO II.

Quando vna pars apparet probabiliter licita potest quis eam sequi, quamuis alteram illicitam esse posse appareat.

8 *Quando apparet vna pars esse licita ob motiuum probabile verbi gratia ob dictum hominis fide digni, & pars opposita non apparet probabiliter illicita, quamuis non appareat quin possit esse illicita, potest quis amplecti partem quæ sic apparet licita.* Hæc est communis, & probatur quia alias numquam possemus aliquid facere quod non constaret certo fieri posse, & cum de paucissimis certitudinem habeamus, paucissima possemus facere, & sæpissime reddi possemus perplexi.

*Confirmatur* quia ex probabilibus quarum vna apparet licita & opposita illicita, possumus sequi quam voluerimus, vt postea dicam: ergo multo magis possumus sequi partem, quæ apparet licita in casu conclusionis huius.

*Hinc* autem sequitur si vna pars appareat probabiliter illicita, & altera non apparet probabiliter licita, quamuis non appareat quin possit esse licita, non posse quem recte facere quod apparet illicitum, quia est eadem ratio de hoc ac priori casu, & quia alias non obligaremur ad omittendum aliquid, nisi quando constaret certo quod esset omittendum, quod est absurdum.

Si vero vna apparet illicita non potest sequi ipsam, quamuis non appareat, quin possibile sit quod sit licita.

### CONCLVSIO III.

Quando aliquid apparet probabiliter licitum, & probabiliter illicitum, potest ipsum facere.

9 *Quando aliquid apparet probabiliter licitum, quamuis appareat etiam probabiliter illicitum, si non appareat sequi aliud detrimentum quam periculum peccati ortum ex eo quod appareret probabiliter illicitum, potest quis illud facere, etiam quando magis probabile videretur quod esset illicitum.* Hæc est communissima, quod primam partem, quæ agit de casu, quo non magis appareret probabile quod res esset illicita, & patet quia nulla lex potest obligare nisi sufficienter promulgetur & innotescat: sed lex illa per quam res, quæ probabiliter apparet illicita, prohibetur seu redditur illicita, non est sufficienter promulgata in casu conclusionis: ergo non obligatur quis ad omittendum illud quod apparet illicitum, & consequenter poterit non omittere illud.

*Confirmatur* per fundamenta secundæ partis quæ si vera est, non potest esse dubium de prima, quæ longe facilior est.

*Probatur secunda pars*, nempe quod posset quis facere quod apparet probabiliter licitum, licet magis probabile appareat quod non sit licitum in casu conclusionis, est iam longe communior, inter recentiores præsertim, quos fuse citat & sequitur Auersa q. 18. s. 18. contra Henricum quodl. 4. q. 3. Adrianum, Maiorem, Nauar. & alios apud eundem Auersam.

Imo posset quamuis magis probabile videretur quod esset illicitum.

*Probatur* autem, quia quoties apparet probabile quod actio sit licita, iudicium de maiori probabilitate alterius partis non est sufficiens promulgatio legis, per quam actio illa redderetur illicita; sine autem sufficienti promulgatione non potest obligare lex ad omittendam actionem, loquor autem de obligatione in conscientia, non de obligatione quoad forum externum, quæ non facit ad propositum & spectat ad tractatum de legibus.

10. *Probatur secundo* quia si actio talis esset illicita, vel id appareret ex terminis, quod nemo dixerit, cum tot classici Authores id negent; vel constaret authoritate, quod etiam dici nequit, cum plures teneant quod sit licita; vel denique colligeretur ratione, sed neque hoc est verum; quia si per vllam id colligeretur, maxime per hanc: malum est facere quod minus tutum est, sed minus tutum videtur facere quod minus probabiliter apparet licitum; vel per hanc aliam: malum est facere quod probabiliter apparet malum; licet appareat etiam, sed minus probabiliter, esse bonum: sed hæ rationes non sufficiunt, nam vtriusque maior est falsa, & in ea directe petitur principium: ergo actio talis non est illicita.

*Probatur tertiò* quia si esset magis probabile quod actio esset bona, licet esset probabile, sed minus, quod esset mala, ipsimet aduersarij fatentur quod posset eligi, sed licet cognoscatur maior probabilitas maliciæ obiectiuæ actionis, hoc est illius, quam habet præscindendo à cognitione operantis, tamen est magis probabile quod quis posset absque culpa eam elicere: ergo licite potest quis eam elicere. Probatur minor quia magis probabile est quod potiori parti Doctorum apparet, quando præsertim proponuntur ipsis motiua vtriusque partis eaque examinant, sed potiori parti Doctorum

apparet quod quis licitè possit elicere actionem de qua agitur, propositis & examinatis fundamentis eorum qui aliter sentiunt: ergo id est magis probabile.

*Obicies primò* Authoritatem Aug. relatam *cap. si quis.* Tene certum, dimitte incertum: ergo non licet in casu conclusionis sequi opinionem minus probabilem, quia certum est quod eam non sequendo non fieret malum, & non est certum oppositum, quamuis esset probabile aut etiam probabilius.

*Confirmatur* vulgari axiomate. *In dubiis tutior pars est eligenda.*

11 *Respondeo* hanc obiectionem aque probare quod non posset aliquis facere actionem, quam probabilius putaret esse bonam, quando esset probabile, licet longe minus, quod non esset bona, quia certum esset quod non esset malum eam omittere, & esset incertum an esset bona; quia tantum probabile esset quod esset bona, quod est contra aduersarios & *omnes Theologos*, sed neque liceret facere quod appareret probabiliter non esse illicitum, etiamsi non appareret vlla ratione probabile quod esset illicitum, sed videretur tantum id esse possibile quantum ad rationes probabiles alterius partis, per illas enim non excluditur quin esset possibile quod actio esset illicita; nam tum esset certum quod non esset malum illud non facere: hoc autem est contra omnes: ergo hæ authoritates non debent vrgeri specialiter contra hanc conclusionem, sed omnibus exponendæ sunt.

*Respondio* ergo Augustinum & axioma illud intelligenda esse de eo, quod ita est certum vt altera pars non sit probabilis: hoc autem non facit contra conclusionem. Possent etiam intelligi in casibus in quibus non licet sequi opinionem minus probabilem, de quibus inferius.

Aliqui dicunt Augustinum voluisse quod quando certum esset actionem esse faciendam, cum tamen probabile esset quod posset omitti, tum aliquis deberet actionem facere. Sed hæc expositio non placet: nam vel intelligitur de actione facienda, hoc est quæ posset fieri, ita vt sensus sit, quod qui est certus quod possit absque peccato orare, dubius tamen an teneatur, aut habens opinionem probabilem quod non teneatur, quamuis videat etiam probabile esse quod teneatur, debeat orare; expositio est directe contra nostram doctrinam & propterea reiicienda. Quare sistendum in priori, vel dicendum quod S. Augustinus non tam docuerit certum tenendum in casu conclusionis, quam quod ad hoc faciendum consilium dederit; quæ sane expositio est facilis & nullo modo præiudicat conclusioni.

*Obicies secundo* non debet quis exponere se periculo peccandi mortaliter: sed exponeret si committeret actionem in casu conclusionis; ergo non licet id facere. Hæc etiam obiectio militaret in casibus, in quibus dixi præcedentem militasse, & propterea contra hanc conclusionem non facit specialiter.

*Respondeo* tamen negando minorem, quamuis enim exponeret se periculo faciendi actionem, quæ est materialiter mala malitia morali, non tamen faciendi actionem quæ est peccatum mortale formaliter, quia ob fundamenta conclusionis nostræ, iudicium etiam minus probabile de bonitate aut non malicia actionis facit vt actio quamuis materialiter esset mala, quia à parte rei prohibita, non sit formaliter mala, nec imputanda tanquam talis operanti ex illo iudicio & moto à bonitate quam probabiliter iudicat esse in actione.

## CONCLVSIO IV.

Quando non licet sequi opinionem minus probabilem.

12 *Quando ex sequela partis minus tutæ siue æque, siue minus probabilis detrimentum valde notabile & irrecuperabile sequeretur casu, quo pars minus tuta non esset à parte rei vera, non licet sequi illam, nisi tamen ea omissa sequeretur magnum damnum.* Hæc quoad primam partem est communissima, & patet, quia non debet quis se aut proximum exponere magno periculo, quod præsertim teneretur impedire, si certo sciret ipsum adesse, abq; vrgenti causa vt videtur patere ex terminis, sed id faceret sequendo partem minus tutam in casu conclusionis: ergo non licet tum eam sequi.

*Si quæras autem* quando huiusmodi casus occurrant.

*Respondeo* eos occurrere posse præcipuè in conferendis sacramentis non iterabilibus, Baptismi v. g. Ordinis ac Confirmationis & præsertim Baptismi ac Ordinis, vt si verbi gratia sententia esset minus probabilis quod valida esset hæc forma Baptismi: Baptiso te in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, magis autem probabilis esset quod non valeret, non posset quis vti illa forma, quia in casu quo à parte rei non esset valida, sequeretur magnum detrimentum Baptisati; cum priuaretur gratia & caractere baptismali, nec valide posset recipere alia Sacramenta; similiter Medicus applicans medicamentum, quod probabiliter non esset periculosum, sed esset tamen magis probabiliter; & relinquens medicamentum quod esset magis probabiliter tutum, peccaret, quia id faciendo exponeret infirmum periculo mortis, casu quo illud medicamentum non esset tutum à parte rei.

*Probatur secunda pars* nempe quod posset sequi eti m in his casibus partem minus probabilem, quando sequeretur certo magnum detrimentum suum aut alienum, nisi illam partem amplecteretur; quia nec charitas, nec vlla virtus videtur obligare quempiam ad subeundum graue detrimentum certò imminens ad vitandum detrimentum incertum alterius, & talepræsertim quod videtur probabiliter non secuturum, quamuis posset sequi & videretur etiam magis probabiliter secuturum. Plura circa hoc videnda in Commentario meo supra *num.* 47. Hic tantum addo circa hoc, quod si ex sequenda opinione minus probabili & tuta non sequatur aliquod emolumentum, non debeat quis eam sequi, nam id videtur ex terminis clarum.

Iudex debet ferre iuxta partem magis probabilem etiam probatam.

13 *Quæres primò* an iudex possit ferre sententiam iuxta partem minus probabiliter probatam.

*Respondeo* negatiuè, tum quia illa cura est ipsi commissa à rep. vt ferat sententiam iuxta partem magis probatam; tum quia fieret iniuria ei, qui melius probauit suam partem, tum quia non posset ferre sententiam pro alterutra parte, quando vtraque esset æque probabilis: ergo multo minus potest eam ferre pro parte minus probabili.

An liceat aduocare pro parte minus probabili.

*Quæres secundò* an liceat Aduocato suscipere partem minus probabilem defendendam.

*Respondeo* quod non, nisi significet eam esse talem clienti, quia supponendum quod cliens non faceret expensas, nisi supponendo partem suam non esse minus probabilem.

Quod si id significauerit, & tamen voluerit cliens eius operam conducere, potest causam suscipere, modo cliens possit iuste causam prosequi, neque enim clienti facit iniuriam, cum eo volente id faciat; alteri etiam contra quem agit, non potest facere iniuriam, si eam non faciat cliens.

An possit quis litigare cum altero de re quam probabilius putat esse ipsius.

*Quæres tertiò*, An aliquis possit litigare cum altero de re, quam putat probabilius ad ipsum spectare.

*Respondeo*, Non posse ipsum litigare de recuperanda tota re, quia hoc esset directe procurare quod fieret injustitia: Nam injustum esset rem iudicare habenti minus probabilem titulum, posset tamen litigare de aliqua parte rei, aut compensatione pro suo titulo minus probabili, quia alter ex titulo magis probabili, non habet tantum ius quantum si haberet titulum certum; & à parte rei posset fieri quod res spectaret ad habentem minus probabilem titulum: ergo ratione huius potest aliquid exigere, & si alter negauerit id concedere, potest ad id litigio compelli, suppositio præsertim quod habeatur spes id obtinendi.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO IV.

*De conscientia dubia.*

14 HViusmodi conscientiam quantum ad propositum habet is, qui non habet vllam rationem, nec probabilem quidem de qua appareat actio facienda esse bona, aut mala.

### CONCLVSIO I.

Dubius de bonitate aut malicia actionis debet examinare rem.

*Quando habetur huiusmodi conscientia de actione aliqua, debet adhiberi diligentia ad cognoscendum qualiter se res habeat, siue examinando rem bene per se, siue consulendo alios viros doctos ac bonos:* Probatur quia hæc obligatio apparet ex terminis.

### CONCLVSIO II.

Si non potest absque incõmodo non debet.

*Si facta debita diligentia maneat adhuc dubium, & possit omittere partem minus tutam, absque vllo considerabili detrimento, debet sequi partem magis tutam. At si non possit eam sequi absque tali incommodo, hoc est sine eo quod priuet se voluptate, aut vtilitate aliàs licita, & multum desiderabili, cuius carentia esset molesta, aut difficilis, potest sequi partem minus tutam, hoc est potest facere actionem illam de cuius malicia sic dubitatur, quidquid dicat communior opinio quæ oppositum tenere videtur.*

*Probatur prima pars* quia apparet talis obligatio ex ipsis terminis.

*Probatur secunda pars* quia tum non proponitur sufficienter lex qua prohiberetur actio illa: ergo non potest obligare ad omittendam actionem.

*Probatur secundo* quia quando quis habet occasionem minorem existimandi quod actio sit bona quàm mala, vt cum id est minus probabile; potest actionem elicere, secundum communem sententiam probatam quæstione præcedenti: ergo multo magis potest eam elicere, quando habet æqualem occasionem existimandi quod sit bona, ac quod sit mala: sed in dubio de quo agimus habet æqualem, cum æque appareat vtrumque vt supponitur.

### CONCLVSIO III.

Dubius de malicia vtriusque partis potest quã voluerit facere.

*Si dubium huiusmodi sit de malitia actionis & etiam omissionis eius, vt si dubitaret an malum esset retinere duo beneficia, & etiam dubitaret an malum esset ea non retinere, potest quamcumque voluerit partem licite amplecti.*

Primo quia si dubitaret tantum de malitia retentionis adhuc posset retinere quamuis altera pars esset tutior: ergo multo magis potest ea retinere, quando dubitatur de æquali malicia oppositæ partis, quia tunc non est tutior ipsi. Secundo quia cum sciat alterutram partem esse tutam à parte rei, nec sciat quænam sit, nulla est ratio cur electio non esset in arbitrio suo. Tertio quia non proponitur sufficienter malicia partis vllius: ergo non obligat vlla ex illis, & consequenter potest facere quod voluerit. *Hinc* patet quando quis habet huiusmodi dubium inculpabile siue iuris, vt vocant, hoc est cum dubitat an sit ius aliquod prohibens actionem; siue facti, hoc est cum dubitat an commiserit factum, quod constat esse iure prohibitum, posse ipsum amplecti partem minus tutam quando esset ipsi graue aut inconueniens eam omittere; si enim potest eligere partem minus tutam in dubio huiusmodi de malitia actionis, cur non posset id facere in simili dubio iuris aut facti? Sed circa hæc omnia plura fusius tractata in prædicto meo Commentario videri possunt.

*Aduerto autem* in ordine ad praxim valde difficile esse quod occurrat vnquam casus vtriusque præmissæ conclusionis, quia facta diligentia valde facile est reperire rationem aliquam probabilem pro alterutra parte; vnde resolutio magis speculatiua apparet quam practica.

## QVÆSTIO V.

*De conscientia scrupulosa.*

15 PEr conscientiam scrupulosam intelligitur cognitio quam habet quis de actione facienda, coniuncta cum timore orto ex eo, quod apprehendatur probabilitas aut possibilitas maliciæ coniunctæ cum tali actione.

### CONCLVSIO I.

Quomodo se debet habet qui se etiam regulos se.

*Quando habetur regula sufficiens ad operandum quale est cognitio certa aut probabilis, aut dubium de malicia actionis iuxta dicta præcedentibus quæstionibus, debet getenus non obstante quocumque timore aut anxietate de malicia actionis potest quis operari.* Hæc est communissima, & probatur, quia actio erit recta quotiescumque erit conformis regulæ rectæ rationis, sed actio de qua agitur erit sic conformis non obstante timore: ergo potest elici.

*Confirmatur* quia timor ille se tenet ex parte voluntatis; ergo non potest inducere obligationem non operandi.

### CONCLVSIO II.

*Quamuis posset quis conformare se conscientiæ scrupulosæ amplectendo partem magis tutam, de qua non timetur, aliquando tamen potest obligari ad eam non amplectendam, vt sic superet tandem scrupulos, & si non obligetur, certe id melius faciet.* Hæc est etiam communis, & patet prima pars, quia non semper obligat scrupulus ad eum deponendum aut superandum, ergo potest quis tum ei se conformare.

*Probatur secunda pars* quia qui assuescunt conformare se scrupulis, ad eas mentis angustias quandoque perueniunt, vt sint in infelicissimo statu, & in maximo periculo cadendi in culpas mortales, à quo immunes essent, si superarent scrupulos aut iis resisterent: sed hoc ipsum est motiuum sufficiens ad inducendam obligationem, aut saltem ad hoc, vt apparere debeat melius esse iis resistere: ergo.

# DISPVTATIO VII.

## DE LEGIBVS.

QVandoquidẽ morales actus, vt boni sint legibus conformari debeant, & si iis aduersentur, eo ipso mali sint necesse est, pro vltimo huius Tractatus complemento, hanc disputationem subiicere placuit in qua non omnia quidem, sed præcipua & vniuersaliora & omnium captui magis proportionata praxique deseruientia breuiter explicare conabor.

## QVÆSTIO I.

*De Lege vt sic & eius diuisione.*

QVoniam ex dicendis constabit legem naturalem non consistere in vllo actu intellectus aut voluntatis, siue humanæ siue diuinæ, certum debet esse quod lex vt sic non possit in vllo tali actu collocari: nam aliàs quælibet lex in eo constitui deberet, quia in qualibet reperitur ratio legis vt sic. Et hanc ipsam ob causam lex vt sic, nequit esse actus vllus superioris, quia vt dicemus lex naturalis non est talis actus, nec necessario requirit ipsum.

### CONCLVSIO I.

*Non sufficienter explicatur lex vt sic dicendo, quod sit illud quod obligat ad actionem aliquam faciendam aut omittendam.* Probatur, quia promissio & iuramentum de actione aliqua facienda aut omittenda, quamuis aliàs non teneretur quis, obligat iurantem & promittentem ad eam faciendã, & tamen nemo dixerit iuramentum aut promissionem esse legem: ergo non bene sic explicatur lex vt sic.

*Deinde* præceptum superioris quo alicui determinatæ personæ præcipit, vt hic & nunc faciat vel omittat aliquam actionem, inducit obligationem & tamen non est lex. Similiter quando statuitur à Principe vt per annum subditi aliquid faciant, aut ad aliquod determinatum tempus, non est lex, licet inducat obligationem.

## CONCLVSIO II.

Quid est lex vt sic.

2 *Lex vt sic bene describitur esse quod inducit obligationem faciendi aut omittendi actionem aliquam vniuersaliter, respectu omnium talis vel talis conditionis sine determinatione ad certum tempus.* Probatur, quia omni & soli legi conuenit hæc ratio, & per hoc distinguitur consequenter ab omni alio, quod non est lex: ergo hic bene describitur, quia non agimus de alia descriptione, quam de ea, per quam cognosci potest quod omnes leges conueniant in aliqua parti ulari ratione in qua distinguuntur ab omnibus aliis rebus, quæ non sunt leges.

Probatur antecedens, quia nulla lex assignabilis est, cui hæc ratio non conuenit; nec est aliquid aliud, cui conuenit: si enim aliquid, ex ime iuramentum aut promissio, aut præceptum superioris, vel dictum, vel statutũ, quod non dicitur lex: his autem non conuenit, non quidem iuramento aut promissioni, quia talia obligant tantum per se personam particularem iurantem aut promittentem, & consequenter non inducunt obligationem vniuersaliter respectu multitudinis vllius. Non etiam præcepto vel statuto, vel edicto superioris quæ non dicuntur leges, quia, vel non obligant multitudinem; vel si faciunt, non nisi ad determinatum tempus, vt magis patebit ex dicendis.

## CONCLVSIO III.

*3 Lex vt sic adæquate diuiditur in legem naturalem & positiuam, & hæc in diuinam & humanam.* Probatur prima pars, quia datur lex naturalis, & positiua, & nulla lex assignabilis est, quæ non sit alterutra, quid autem sit vtraque lex postea declarabitur.

Lex vt sic adæquate diuiditur in naturalem & positiuam.

*Probatur secunda pars*, quia datur sine dubio lex positiua humana & diuina, & nulla lex positiua assignabilis est quæ non sit vel vna, vel altera, comprehendendo tamen sub humana Angelicam, quæ eodem modo ex communi iam loquendo vsu humana vocari potest & solet, sicut actiones liberæ eorum humanæ dicuntur in eo sensu, quo in Tractatu de actibus humanis sumitur actio humana. In quo non potest esse alia difficultas aut controuersia, quàm de nomine.

Ex positiua in humanam & diuinã.

## QVÆSTIO II.

### De lege naturali.

DE hac lege quia fusissime egi in Cõmentario meo ad dist. 7. Tertij, hic breuissime discurram, eo lectorem pro diligentiori rem ttens examine.

## CONCLVSIO.

4 *Lex naturalis consistit in conuenientia aut disconuenientia, quam habent actiones aliquæ ad naturam rationalem independenter à lege positiua Dei aut creaturæ.* Hæc est conformis Maiori 4. dist. 1. quæst. 1. Lor. disp. 6. de legibus, Montesino disp. 22, quæst. 2. contra Nominales qui putant eam consistere in actu voluntatis diuinæ, Suarium qui partim in tali actu eam collocat, *Vasquez* qui in natura rationali, *Auersam* qui in eadem natura vt est cognoscitiua, seu in intellectu, *Alensem* & *Bon.* qui in habitu superaddito, & alios qui in actu intellectus.

*Probatur primo*, Quia illud est lex naturalis, à quo per se primo habent actiones esse prohibitæ aut præceptæ, quæ prohibentur aut præcipiuntur tali legi: sed habet hoc ab illa conuenientia aut disconuenientia, quas habent secluso quocumque alio, à quo haberent illas: ergo.

Probatur maior, tum quia lex positiua est illud, quo primo reddi ur aliqua actio prohibita aut præcepta, quia per talem legem prohibetur aut præcipitur tunc quia gratis negaretur quod lex naturalis esset illud.

*5 Probatur secundo* quia nihil aliud assignari potest quod conueniẽtius dicatur lex naturalis: ergo Probatur antecedens reiiciendo breuiter alios dicendi modos, neq; in potest collocari partialiter aut tota iter in iussione Dei, quia omnis iussio Dei ad extra est libera, & cõsequẽter talis, vale posset non habere, sed quãuis nullam haberet, adhuc aliqua essent prohibita de lege naturæ, quia est euidens, etiam in tali casu, quod Deus non sit inhonorandus, quod est ipsum obediendum, & qui inhonorat ipsum aut statueret non obedire ipsi, etiam in casu quo non haberet vllã iussionem, qua prohiberet inhonorationem, aut præciperet obedientiam, pessime faceret. & sane qui hoc negaret, posset negare quod esset malum facere id quod Deus præciperet non fieri, neque enim magis euidens est esse malum non obedire Deo, quam inhonorare ipsum: ergo non consistit totaliter aut particulariter in iussione Dei.

No etiam in natura rationali secundum se, aut secundum quod est cognoscitiua; nec in intellectu, quia actiones, quæ sunt prohibitæ aut præceptę de lege naturæ, habent esse tales ex se, & non à natura aut intellectu; nã non posset natura aut intellectus vnus prohibere, alias non, nisi propter differentiam quæ est in ipsismet operationibus, quia scilicet aliquæ ex natura sua ipsi conueniunt, aliquæ disconueniunt, aliquæ sunt ex se indifferentes sic vt non habeant conuenientiam, ratione cuius præcipiantur, nec disconuenientiam ob quam prohibeantur. Ergo nec a natura nec ab intellectu habent prohiberi aut præcipi.

*6. Confirmatur* de natura, quia idem sibi præcipere nequit, nisi quatenus considerarentur in ipso diuersæ considerationes, nempe ratio personæ particularis ac vniuersalis seu communis, ob quas diuersas considerationes repertas in principe forte fit, vt ipse sibi possit præcipere & ferre legem, cui ipsemet teneatur obedire: sed in natura rationali non sunt huiusmodi diuersæ considerationes: ergo non potest esse lex naturalis obligans se ipsam aut præcipiens vel prohibens aliquid sibi.

*Confirmatur secundo*, de actu intellectus. quia eatenus actus intellectus, aut natura vt cognoscitiua, esset lex quia requiritur propositio intellectus, & homo debet se conformare suo iudicio absoluto de re aliqua facienda, vnde si iudicaret absolutè quod teneretur hominem interficere, peccaret nisi interficeret: sed hæc ratio non sufficit, nam hoc non prouenit ex eo quod ipsum iudicium aut propositio sit lex obligans; sed ex eo quod per illam proponatur lex, aut quæ vere obligat, aut quæ apparet obligare, vt manifeste patet ex eo, quod requiratur etiam propositio rei, quæ est prohibita lege humana; & quod si quis existimaret aliquam rem esse sic prohibitam, peccaret nisi abstineret ab ea, quamuis reuera non esset sic prohibita; & tamen non propterea dixerit vllus legem humanam consistere in actu intellectus, aut natura rationali vt cognoscitiua.

7. *Obiicies primo*, Lex naturalis communiter dicitur indita cordibus hominum, innata, insita homini, ac stabiliter manens in ipso: sed hoc non est verum de conuenientia, aut disconuenientia actionum, quæ eatenus est in homine, quatenus cognoscit aut apprehendit ipsam; non autem apprehendit aut cognoscit semper: ergo non est lex naturalis.

*Respondeo*, distingendo maiorem, quatenus vnusquisque habet propensionem naturalem & facilitatem ad eam cognoscendam, concedo: quatenus ipsemet ex formaliter esset infixa, indita, innata, nego maiorem: distinguo etiam minorem: non est verum de conuenientia aut disconuenientia actionum, quod sit innata &c. priori modo, nego; posteriori, concedo, & nego consequentiam.

*Confirmatur hæc responsio*, Quia non potest intelligi quod lex naturalis collocata in eo, in quo volunt

aduer

aduersarij, sit formaliter innata ac infixa immobiliter naturæ, sed id deberet intelligi in aliquo sensu figurato & improprio: ergo cum debeant ipsi ad talem sensum recurrere, ad talem etiam nobis recursum permittere debent. Probatur antecedens: Quia neque natura rationalis, aut secundum se, aut secundum quod est cognoscitiua; neque iussio Dei; neque actus intellectus vllus potest dici esse innatus cordi, hoc est intellectui hominis.

8 *Obiicies secundo*. Actiones præceptæ per legem positiuam habent conuenientiam ad naturam rationalem, & prohibitæ disconuenientiam: ergo possunt dici esse de lege naturæ, si lex naturæ consistat in tali conuenientia ad disconuenientia.

*Confirmatur*; Si conuenientia actionum, quæ sunt de lege naturæ, est lex naturæ, etiam conuenientia actionum, quæ sunt de lege positiua, potest dici esse lex positiua; sed hoc est absurdum: ergo.

*Respondeo*, negando consequentiam, quia non quæcumque conuenientia actionum est lex naturæ, sed conuenientia, quam habent ex se independenter ab alterius iussione; talem autem non habent actiones, quæ sunt de lege positiua tantum. Posset tamen quis dicere quod actiones præceptæ lege positiua sint etiam legis naturæ non simpliciter tamen, sed ex hypothesi præcepti positiui; quia reuera lex naturæ obligat ad obediendum superiori præcipienti cum debet, & est lumine naturali euidens quod malum esset non obedire ipsi.

*Ad confirmationem* respondeo negando sequelam maioris, Quia illa conuenientia, quam habent actiones præceptæ lege positiua, non conuenit ipsis ex natura sua, sed per legem seu ratione legis positiuæ, quæ potest assignari distincta ab illa conuenientia; sed conuenientia actionum præceptarum lege naturæ conuenit ipsis per se primò, & non ratione alterius legis, quæ commode assignari possit.

Quænã præcipiuntur ex lege naturali.

*Quæres* quænam sunt quæ præcipiuntur aut prohibentur lege naturali.

*Respondeo ex dictis*, illa sola præcipi quæ habent ex se sine iussione superioris conuenientiam, & ea prohiberi quæ habent disconuenientiam, & cum priora sint honesta & posteriora inhonesta, lex naturalis præcipiet sola honesta & prohibebit sola inhonesta.

*Maior difficultas* est an omnia quæ sunt sic conuenientia & honesta præcipiat, & omnia disconuenientia inhonesta prohibeat.

*Respondeo* autem quod sic contra eos, qui ad legem naturalem spectare putant sola illa conuenientia ac disconuenientia, quæ ex terminis nota sunt esse talia, & ratio est quia non magis illa dici debent esse de lege naturali, quam quæ ex talibus recte deduci possunt, omnia autem ex se conuenientia ac disconuenientia, honesta & inhonesta, quæ non sunt nota ex terminis esse talia, deduci possunt ex conuenientibus ac disconuenientibus honestis ac inhonestis, quæ sunt nota ex terminis: ergo omnia omnino conuenientia ac disconuenientia, honesta ac inhonesta spectant ad legem naturalem, præsertim si sint sic conuenientia aut disconuenientia, vt siue ex terminis siue ex discursu constet, quod sit malum omittere, quæ conueniunt, aut facere quæ disconueniunt.

An lex naturalis sit vna in se & apud omnes homines ac semper.

*Quæres secundo*, An lex naturalis sit vna in se & apud omnes homines ac semper.

*Respondeo affirmatiue*, Nam imprimis est vna quatenus conueniunt omnes leges naturales in hoc quod sint tales, independenter à positiua volitione: & quatenus quod est legis naturalis apud vnum; id ipsum siue multiplex sit, siue non, est legis naturalis apud omnes à parte rei, quamnis posset fieri quod defectu cognitionis sufficientis id haberetur ab vno pro lege naturali, quod non haberetur pro tali ab alio: cum enim sit conuenientia operationum aut disconuenientia, quam habent ex se, nequit fieri vt absque ignorantia non habeatur ab omnibus pro lege naturali quod reuera est tale.

Et omni tempore.

*Deinde* ex hoc sequitur, quod debeat esse vna omni tempore, ita vt quod censetur legis naturalis pro vno tempore debeat censeri talis pro omni tempore eo modo, quo intelligitur esse talis in illo tempore nisi in casu ignorantiæ. Verum quidem est quod alicui possit esse de lege naturali, facere aliquid, quod non debet alius facere, nam Princeps ex lege naturæ i suppositæ institutione debet aliqua facere, quæ non debet subditus & è contra; & aliquo tempore potest esse de lege naturali Patri generare ex filia, cum scilicet non essent aliæ mulieres sufficientes ad propagationẽ generis humani, quod alio tempore nõ esset ipsi necessarium ex tali lege. Sed omnes tamen omni tempore iudicant debere Regem facere talia & subditum talia, ac Patrem cognoscere filiam in talibus circumstantiis; nec vnquam potest contingere vt vllus non existimet, nisi det neatur, ignorantia, debere fieri omni tempore quod debet fieri vllo tempore ex lege naturæ, suppositis iisdem circumstantiis; variatio vero circumstantiarum potest facere, vt quod aliquo tempore fieri debet, non debeat alio.

An obliget pœna æterna sensus & damni.

11 *Quæres tertio*, An lex naturalis obliget in conscientia sic vt trangressores possint merito puniri pœna æterna sensus & damni qualem patiuntur de facto qui infernodamnantur. Et dico *pœna æterna*, quia de pœna alia temporali non est difficultas, quia alias nec obligaret vllo modo, aut certè inutilis esset obligatio eius, nisi transgressio posset aliqua pœna puniri.

*Respondeo*, Quod lex naturalis quoad aliqua præcepta sua, nimirum illa quæ respiciunt Deum, vt quæ præcipiunt ipsum non in honorandum, obligent sic, nam non est potior ratio cur non obedienti Deo iubenti possit inferri talis pœna, quam irreuerentiam exhibenti illi, nec enim grauius videtur malum aut magis punibile quacumque pœna non obedire Deo, quam irreuerentiam ipsi exhibere aut cum odio prosequi. Nec refert quod qui irreuerentiam exhibet, non cognoscat pœnam æternam, quia sufficit quod faciat actum, qui ex se merito exigeret talem pœnam.

*Quantum* ad præcepta concernẽtia proximum vt talem præcipe, aut Rempubl. sine ordine ad Deum, non credo quod sic obligenti, quia pœna illa videtur excedere sine comparatione quodcumque detrimentum factum Reipubl. sine ordine ad Deum, quia non potest esse factum ipsi nisi detrimentum finitũ, pœna autem illa est infinita. Si cognosceretur tamen quod aliquis per culpam factam contra legem naturæ perderet vitam æternam & damnaretur in inferno vt si interficeretur in statu mortalis peccati, tunc quamuis interfectio non prohiberetur alia lege quam naturali, existimarem quod puniri merito posset pœna inferni, quia tantum detrimentum intulit proximo & iuxta hoc potest discurri de aliis casibus.

An obliget ad modum virtutis.

12 *Quæres quarto*, An lex naturalis obliget ad modum virtutis, sic scilicet, vt cum obseruanda est debeat obseruari per actum bonum, & non sufficeret ipsam obseruare per actum indifferentem aut malum, verbi gratia quando lex naturalis obligat ad succurrendum proximo in extrema aut graui necessitate, posset aliquis succurrere ex motiuo charitatis, aut ex motiuo vanæ gloriæ, aut indifferenti, & si ex primo motiuo succurreret, obseruaret legem per actum bonum, si ex secundo per malum, si ex tertio per indifferentẽ; si non satisfaceret autẽ præcepto, nisi per actum bonum obligaret ad modum virtutis, quia non sufficeret ponere actum præceptum, hoc est succurrere proximo, sed deberet succurrere ex motiuo virtutis; si vero satisfaceret ponendo actum præceptum, hoc est succurrendo, ex quocumque motiuo succurreret, siue bono siue malo, non obligaret præceptum ad modum virtutis, hoc est ad motiuum virtutis, sed ad actum materialem tantum virtutis.

13. *Circa hoc respondeo primò*, quod lex naturalis obligat ad non ponendum actum malum & consequenter, quod non possit quis satisfacere vlli præcepto legis naturalis per actum malum, sic quin transgrediatur legem naturalem, quamuis non transgrederetur legem illam naturalem, quæ præciperet determinatum aliquem actum. Hæc quoad primam partem patet quia actus malus, vt talis habet disconuenientiam ex terminis ad natu-

ram rationalem, sed omnis actus talis prohibetur per legem naturæ'em, vt patet ex dictis: ergo non potest quis obseruare vllum præceptum legis naturalis per actum malum, quin transgrediatur legem naturalem aliquam.

*Probatur secunda pars*, Quia malitia, quam habet ille actus, posset non spectare ad illam legem, quæ præciperet illum actum, nam quando præciperetur subuentio pauperis per legem naturalem propter decentiam particularem quæ est in illo actu, quæ decentia spectat ad virtutem charitatis aut misericordiæ, si quis subueniret ad finem vanæ gloriæ, malitia quæ esset in illa subuentione non spectaret, vt est euidens, ad misericordiam, aut charitatem, sed ad virtutem humilitatis, cuius est reprimere appetitum vanæ gloriæ: ergo sic succurrendo nó transgrederetur quis præceptum legis naturalis de misericordia exhibenda proximo, sed potius transgrederetur præceptum legis naturalis de humilitate obseruanda, seu non faciendo quod est contrarium per se ipsi: & hinc patet quod præceptum aliquod particulare legis naturalis non obliget ad modum virtutis, cuius est præceptum, quamuis lex naturalis vniuersalis vniuersim sumpta obliget ad modum virtutis sic, vt non possit obseruari per actum virtuti oppositum, hoc est per actum vitij.

13 *Respondeo secundo*, Posse obseruari legem naturalem vniuersaliter per actum indifferentem sic, vt aliquis non peccet contra vllum præceptum eius, quando talem tantum eliceret, etiam cum instaret obligatio præcepti alicuius determinati legis naturalis Probatur hoc quia per se nullum præceptum iuris naturalis obligat ad non eliciendum actum indifferentem, aliàs non esset indifferens; hoc autem supposito quando instat præceptum de succurrendo proximo, si succurratur per actum indifferentem satisfit præcepto illi, nam solum requirit subuentionem proximi, quæ subuentio æque fit ad vtilitatem eius, siue fiat honestè, siue ex motiuo indifferenti, siue etiam ex malo, vt ostensum est supra; & gratis & absque fundamẽto diceretur quod obligaret ad honestatem specialem, quæ est in illa subuentione, vt etiam patet vlterius ex eo quod si quis subueniret ex alio motiuo bono, nemo diceret quod non satisfieret optimè.

*Quia vero certum est*, Quod aliqua præcepta iuris naturalis obligant ad actum bonum, vt verbi gratia, præceptum de amando, aut colendo Deum, neque enim amari aut coli potest actu malo aut indifferenti, cum iam dictum sit aliqua posse obseruari actu indifferenti aut malo, oportet assignare quænam præcepta obligent ad actum bonum, & quænam non, ac etiam discrimen vtrorumque, ob quod aliqua obligant ad talem actum, aliqua non.

*Ad quod respondeo*, Quando præcipiuntur aliqui actus, quorum emolumentum consistit in aliqua honestate, præcepta ad illos obligantia obligare ad honestatem, & consequenter ad modum virtutis; & hoc modo obligant præcepta amoris diuini & reuerentiæ illi exhibendæ. Præcepta vero quibus præscribuntur actus, qui habent ex natura sua physica emolumentum, ratione cuius possent præcipi, vt est præceptum de subueniendo pauperi; de pugnando pro Repul. & similia, non obligant ad honestatem, nec consequenter ad modum virtutis.

Quomodo se habet lex naturalis ad legem æternam & ius Gentium.

14. *Quares vltimo*, Quomodo se habeat lex naturalis ad legem æternam & ad ius Gentium.

*Respondeo* 1. Si capiatur lex æterna pro dispositione, quã ab æterno Deus habuit circa creaturarum creationem & directionẽ in suos fines, quo sensu Deus dicitur de lege ordinaria non posse facere hoc vel illud, quamuis absolutè & simpliciter posset, eam non spectare ad legem naturalem, vt hic de ea agitur; si vero capiatur pro aliqua dispositione rerum, quæ est ab æterno in mente diuina, vnde oritur ex natura rei obligatio faciendi aut non faciendi aliquid, coincidit realiter cũ lege naturali, & solum differt per hoc, quod, vt naturalis, solum dicit conuenientiam aut inconuenientiam, vnde oritur obligatio independenter à lege positiua, præscindendo ab hoc an sit æterna nec ne; vt vero est æterna inuoluit æternitatem illam, quam habet necessario in mente diuina; & quamuis leges etiam positiuæ sint etiam ab æterno in mente diuina, non tamen eo modo quo lex naturalis, quia hæc est simpliciter necessario existens in ea, non vero lex positiua.

*Respondeo secundo*, Si capiatur ius gentium pro omni illo, quod apud omnes Gentes obligat communiter, legem naturalem coincidere cum iure Gentium, quoad aliqua, quia lex naturalis obligat apud omnes Gentes, etiam de facto quoad aliquam partem, illam scilicet quæ sufficienter proponitur; & quoad omnem partem quantum est ex se, licet quoad aliqua proxime non obliget apud aliquas forte, defectu sufficientis propositionis; non vero coincidit vllo modo cum iure gentium quoad aliqua, quia ius Gentium comprehendit omnia, quæ communiter apud omnes Gentes obligant; aliqua autem ex illis non sunt iuris naturæ, sed positiui, vt est ius captiuandi ac in seruitutem redigẽdi captos in bello, quod non spectat ad ius naturæ, quamuis non sit contra ipsum.

## QVÆSTIO III.

### *An possit dispensari in iure naturæ.*

15 HAnc *etiam quæstionem* fusissimè tractaui in Commentario meo ad *disp. 37. Tertij n. 104.* & sequentibus, vnde breuiter hic difficultatem perstringam.

### CONCLVSIO I.

Deus potest dispensare in aliquibus præceptis Decalogi

*Deus potest dispensare in aliquibus præceptis Decalogi & consequenter in aliquibus præceptis iuris naturæ, quia talia ab omnibus admittuntur præcepta Decalogi.* Hæc est Doct. *d. 37.* cum suis omnibus quem sequuntur *Nominales, Castro, Gerson, Nauarrus, Sanches, Henric.* contra D. *Thom.* & suos, quos sequuntur *Suares, Vasques, Auersa.*

Deus potest dispensare in aliquibus præceptis Decalogi.

*Probatur* autem quia Deus potest dare licentiam vt aliquis interficiat innocentem, vtatur vxore alterius, eo inuito: hæc autem sunt prohibita in Decalogo & consequenter in lege naturæ: ergo potest dispensare in aliquibus præceptis Decalogi & legis naturæ.

Probatur consequentia, quia nihil aliud intelligimus per dispensationem hic, quam facultatem faciendi licite, quod prohibetur fieri per legem naturæ ac Decalogi.

Probatur antecedens, tum quia non patet ex terminis neque vllo discursu sufficienti probari potest, quod non possit, vt patebit ex solutione obiectionum; tum quia de facto præcepit Abrahæ interficere filium suum innocentissimum Isaac, facilius autem longe est dare licentiam contrafaciendi præcepto, quod est in præcepto dispensare, quam præcipere vt contra faciat, quod vltra licentiam inducit obligationem contrafaciendi.

*Confirmatur*, quia vt Princeps dispẽset in lege sua, sufficit, vt det licentiam contraueniendi in casu, quo sine ipsius licentia non posset iuste contraueniri: ergo cum Deus possit facere per licentiam, aut præceptum suum vt contraueniatur præcepto de non interficiendo, cui sine tali licentia non possit iustè contraueniri; potest dispensare dispensatione propriissima.

16. *Ad hanc* probationem respondent aduersarij Deum præcepisse quidem illam interfectionem, & eam fuisse propterea licitam Abrahæ, ac consequenter posse ipsum præcipere multa alia contra præcepta Decalogi, ac posse etiam licentiam faciendi actus per illa prohibitos dare; sed tamen tum eum non dispensare propriè dicta dispensatione, de qua hic agitur, sed impropriâ tantum; quia quando præciperet, aut licentiam daret, mutaret materiam actus reducendo ipsum ad statum talem, vt amplius quamdiu talis maneret, non esset prohibitus lege naturæ: sicut licet de lege naturæ prohibeatur ablatio rei alienæ, si tamen Deus faceret aliquem dominum istius rei; vt bene posset, cum ipse sit supremus Dominus omnium rerum, tum ille posset accipere rem illam, nec ablatio esset vetita lege naturæ, quia tum res non esset aliena, sed propria.

Sed imprimis ex hac responsione habetur, quod Deus actu suo aliquo possit efficere, vt licite quis contraueniat

præceptis

præceptis Decalogi, in casu, quo alias non possit contraueniri ipsis, siue hoc faciat: dispensando propriè, siue non, & hoc est, quod ad rem ipsam & vtilitatem spectat, quodque conducit ad ostendendum non omnia, quæ præcipiuntur iure naturæ, & in Decalogo, habere eandem conuenientiam, aut disconuenientiam, ex natura sua: Nam cum aliqua sint sic præcepta, vt Deus nequeat actu suo facere, vt licite contraueniatur, cumque possit facere actu suo, vt aliquibus quis contraueniri possit, certum est non omnia esse tam intrinsece disconuenientia. Alterum autem, quod videri posset spectare ad nomen, an scilicet, quando actu suo facit, vt licite quis contraueniat, cū non posset aliàs, tū dispenset proprie, necne mihi videtur parui momenti. Sed vt probetur hoc ipsum, nempe quod Deus possit proprie dispensare, & quod sic de facto dispensaueret cum Abrahamo.

17 *Impugno responsionem prædictam directe*; licet non sit dubium, quin facta aliqua mutatione ex parte actus aliàs prohibiti, eo ipso redderetur non prohibitus sic, vt posset fieri absque vlla dispensatione, nec etiam esset necessarium, vt actus Dei, quo fieret talis mutatio, esset dispensatio, & si non haberet Deus alium actum quam talem, non eo ipso dispensaret, vt patet in exemplo proposito in responsione de actu Dei, quo faceret quem dominum rei, quæ alias erat aliena, quo actu Deus nō dispensat propriè in præcepto de non auferendo rem alienam; tamen si non adsit alius actus præter actum Dei, quo licentiam dat faciendi, quod aliàs esset prohibitum, tum sine dubio dispensat propriè in præcepto prohibente, tam bene quam princeps vllus potest dispēsare proprie, (quod omnes concedunt ipsū posse facere) in præcepto suo aut Antecessorum suorum; nec per illum actum fit aliqua mutatio moralis ex parte actus, ratione cuius posset fieri absque dispensatione proprie dicta, aliàs nunquam posset dari talis dispensatio: sed Deus vt præcepit de facto Abrahæ volitionē interficiēdi filij, absque vllo alio actu, quo mutaret naturam interfectionis illius: ita posset dare ipsi licentiam interficiendi ipsum absque vllo alio actu quo mutaret naturam interfectionis aliter, quàm mutari eam oportet per illam licentiam, quatenus scilicet, per licētiam, redditur licita, cum alias esset illicita: quomodo necessario etiam mutari debent actus prohibiti, cum dispēsatur in illis; & absque eo etiam quo ille actus, quo licentiam dat, habeat vllam aliam rationem, quàm rationem meræ licentiæ: ergo tū propriè dispensaret. Probatur minor quia in hoc nulla prorsus est implicantia, nec est ratio ob quam id facere non possit, vt patebit ex solutione obiectionum.

*Confirmatur* quia in illo ipso præcepto, quo de facto Abrahę præcepit interfectionē, non cōstat quod mutauerit materiam interfectionis alio modo, quam quatenus per præceptum reddebatur licita, cum alias esset illicita; nec constat quod ille actus, quo præcipiebat, habuit aliam rationem mutatiuam materiæ quàm rationem præcepti; ergo non est dicendum quod habuerit alium actū: nec quod ille ipse actus habuerit aliam rationem: ergo dicendum est quod sic præcipiendo vere dispensauerit, quamuis enim dispensatio ex se non inuoluat præceptum quia in multis dispensatur, quæ non præcipiuntur eo ipso, tamen præceptum inuoluit dispensationem. Hinc autem vlterius sequitur, quod potuerit licentiam dare, quę haberet solā rationem licentiæ sine alio actu mutatiuo materiæ, & sine eo quod licentia ipsa haberet aliam rationem, qua mutaretur materia alio modo, quàm mutari eam oportet per licentiam, & consequenter quod proprie dispensauerit aut dispensare potuerit.

18 *Obiicies* Deus non potest mutare naturas rerum: sed ex natura actuum illi, qui prohibentur in Decalogo sunt mali, & actus qui præcipiuntur sunt boni: ergo Deus nequit facere vt non sint tales.

*Respondeo* distinguendo minorem, nisi Deus dispenset in illis, concedo; si dispensauerit, nego minorem & consequentiam.

*Obiicies secundo* si Deus posset facere vt actus prohibiti in Decalogo essent boni per actum voluntatis suæ, non essent mali independenter à voluntate ipsius: sed hoc est iuxta principia Occami negantis prohibita esse quæ prohibentur in Decalogo ex natura sua, sed esse talia voluntate diuina, cuius sententiam supra negauimus.

*Respondeo* distinguendo maiorem: independenter à voluntate ipsius, quatenus posset per voluntatem facere, vt non essent mala, concedo, quoad aliqua saltem: quatenus non essent mala, si ipse nullam volitionem haberet circa illos, qua eos prohiberet, nego maiorem, & nego quod maior in sensu in quo admissa est, sit iuxta principia illa Occami, nam ipse voluit prohibita in Decalogo non esse mala, nisi positiue prohiberentur à Deo.

*Obiicies tertiò* ex S. Thoma: Deus non potest dispensare in præceptis continentibus intrinsece ordinē virtutis & iustitiæ, sed hanc continent præcepta omnia Decalogi: ergo Deus in illis nequit dispensare. Probatur minor quia illa præcepta sunt de malo & indebito: ergo.

*Respondeo* distinguendo maiorem; sic continentia illum ordinem, vt sit inseparabilis ab illis, concedo; vt sit seperabilis nego; & similiter distinguo minorē & probationem eius. Itaque præcepta aliqua Decalogi prohibent aliquid quod est indebitum, ex suppositione quod non fiat dispensatio non vero ex suppositione quod fiat, & consequenter non continuant inseparabiliter ordinem virtutis, nec prohibent illud, quod est necessario malum in omni casu, idque asserere est directe petere principium. Alias obiectiones solutas vide in Commentario supra.

## CONCLVSIO II.

19 *Nulla potestate humana, etiam Pontificis, potest dispensari in præceptis expressis Decalogi, aut iuris naturæ.* Hæc est à fortiori Thomistarum contra *Nauarr. Sanchez, Henr.* Inter quos tamen & Doctores non existimo aliam esse quæstionem quam de nomine: nam qui iuris naturæ negant conclusionem mouentur aliquibus exemplis, quibus de facto videtur dispensatum fuisse in aliquibus potestate humana, & qui eam tenent, fatentur illa exempla, & illa fieri posse, quæ facta sunt in illis exemplis; sed negant tamen concludi inde dispensationem proprie dictam; & quantum ad praxim perinde est quid dicatur; sufficit enim quod aliqua possint fieri per Authoritatem humanam, quæ alias essent illicita lege naturæ, siue authoritate humana dispensetur propriè, siue non. Pontifex nequit dispensare in vllis præceptis naturæ.

*Probatur prima pars* de præceptis expressis Decalogi, quam fortassis non negarent aduersarij, quamuis negent secundam; quia si aliqua authoritate posset in illis dispēsari, maxime Imperatorum aut Regum, aut Pontificis: non autem Imperatorum aut Regum, quia non habent authoritatem, nisi quam tribuerunt ipsis homines: absurdum autem videtur homines habere authoritatem supra legem naturæ; non etiam Pontificis, quia non constat Deum dedisse illi talem authoritatem.

*Probatur secundo*, quia si posset, maxime in præceptis secundæ tabulæ, sed non in his, aliàs posset dispensare in præcepto de non occidendo innocente, de non fornicādo; concupiscendo aut accipiendo bona proximi absque causa, quod est falsum secundum omnes.

*Confirmatur* quia non est potior ratio cur posset dispensare in vllo secundæ Tabulæ, in quo præsertim Deus ipse dispensare possit, quàm in omni; sed non possunt in omni: ergo in nullo.

*Probatur secunda pars* quia ipsimet Reges & Principes tenentur quacumque lege naturę, tam bene quàm alij: ergo non possunt dispensare in illis. Deinde non est assignabile, vnde competit ipsis talis facultas: ergo non est ipsis ascribenda.

20 *Confirmatur* quia non est vlla necessitas aut ratio ob quam daretur ipsis illa facultas, aut ob quam competeret ipsis. *Dices* esse rationem, quia posset esse aliqua vtilitas magna reipub. prouenientsin aliquo casu, ex eo quod Papa aut principes dispensarent in huiusmodi præceptis.

*Contra* quia si esset aliqua talis vtilitas, ob quam bonum

esset facere, quod alias esset prohibitum iure naturæ, melius esset dicere quod in tali casu non obligaret ius naturę; nam videtur euidens quod ius naturæ non obliget ad illud cuius oppositum fieri melius esset, vt constat euidenter ex eo quod ius naturæ prohibens sit disconuenientia, quam habet res prohibita ex natura sua; quando autem melius esset, vt non fieret, non haberet disconuenientiam talem: ergo non esset tum prohibitum iure naturali.

*Confirmatur* conclusio solutione exemplorum, quibus innituntur aduersarij, ad tenendum oppositum ipsius. Primum exemplum est de communitate rerum, quæ erat iuris naturæ, quæ tamen abrogata est authoritate humana.

*Respondeo* nunquam fuisse præceptum iuris naturæ de tali communitate obseruanda, præsertim occurrentibus illis circumstantiis, ob quas videbatur expediens introducere proprietatem. Circa quod multa consideratione digna videri possunt in meo commentario supra.

*Secundum exemplum* est de seruitute introducta iure gentium contra ius naturæ.

*Respondeo* negando fuisse ius naturæ de non redigendis hominibus in seruitutem in occasionibus, in quibus id licet iure gentium, aut alio quouis.

*Ad tertium exemplum* de non auferendo aut retinendo bono alterius, abrogato per legem humanam de vsu capione & præscriptione.

*Respondeo* non fuisse legem naturæ de eo non retinendo in casu, in quo id licet per legem præscriptionis.

*Quartum exemplum* est de iure naturali, quod habet vir & mulier ad ineundum matrimonium per mutuum consensum, & quilibet ad condendum testamentum ex arbitrio suo, cui iuri abrogatum videtur per legem prohibentem, ne alterutrum fiat absque aliquibus circumstantiis, quæ aliàs non erant requisitæ.

*Ad hoc etiam* Respondeo negando fuisse legem naturę quod possent illa fieri absque illis circumstantiis, quando per legem positiuam ordinarentur.

21 Quintum exemplum & longe efficacius est quod Pontifices soleant dispensare in iuramentis & votis, quorum obligatio est de iure naturæ.

*Respondeo* Pontificem non dispensasse vnquam proprie in iuramento aut voto, sed improprie tantum, hoc est declarando quod reliquę circunstantię occurrant, ob quas non obligat iuramentum, aut votum; aut commutando illa in meliora aut æquiualentia, considerata persona iurantis aut vouentis, & aliis circumstantiis occurrẽtibus tum cum dispensat, cuius indicium est quod nunquam dispensauerit absque causa, si autem dispensare posset, non necessario requireret semper causam.

*Dices* in casibus, in quibus dispensaret, nisi dispensaret, obligaret ius naturale: ergo cum non obligat eo dispensante, signum est quod proprie dispensat.

*Confirmatur* quia si non dispensaret proprie tum; sed significaret mutatam esse materiam, aut faceret tantum commutationem, posset quis absque ipsius dispensatione cognoscere mutationem materiæ & æquiualentiam rei, in quam fit commutatio, cum re quæ commutatur: ergo posset tum propria authoritate non obseruare iuramentum aut votum, aut facere aliud æqualens, aut melius loco ipsius.

*Respondeo* quantum ad legem naturalem ita esse, & quod non possit fieri de facto, quando non potest, oriri, non ex obligatione legis naturæ, sed ex præcepto positiuo quo id prohibetur, cuius legis occasio optima esse potest, vt tollatur occasio infringendi quandoque legem naturæ; si enim relinqueretur vnicuique facultas determinandi, an circumstantiæ sufficientes occurrerent, ob quas deberet iudicari quod non obligaret lex naturæ, & an res alia, quam quis vellet facere, esset æqualens, facile possent homines iudicare ac determinare aliter quam reuera sufficeret.

*Dices* Pontificem vti verbo dispensationis, quando dispensat: ergo dispensat propriè.

*Respondeo* negando consequentiam, quia verbum *dispensat* est æquiuocum & significat aliquando propriè dictam dispensationem, aliquando impropriam: sicut & verbum Priuilegium, quo aliquando vtitur Pontifex; cum reuera non concedit proprie dictum Priuilegium.

22 Iam examinandum restat in quibus præceptis Decalogi possit Deus ipse dispensare, aut an possit in omnibus, quemadmodum in aliquibus possit, quamuis reuera existimo hoc magis ad speculatiuam curiositatem quam ad vtili atem practicam conducere: nam id certum est nõte. dispensaturum vnquam nisi in quibus potest: & nisi constet de reuelatione, non licere facere aliquid contra vllum ex illis præceptum, si autem constet de reuelatione, vel ex hoc ipso constabit quod dispensare possit in eo, in quo reuelat se dispensare. In quibus præceptis Deus possit dispensare.

*Dico tamen primo Deum non posse dispensare in duobus præceptis primis negatiuis primæ tabulæ, hoc est in præcepto de eo non inhonorando, neque in præcepto de non assumendo nomen eius in vanum.* Hæc est communis cum Scoto supra & patet quia non est magis euidens ex terminis, neque minus indispensabile quod Deo sit obediendum, & quod non possit ipsemet in hoc dispensare, quã quod non sit inhonorandus, nec assumendum nomen eius in vanum: sed est eiudens ex terminis, quod Deo sit obediendum & quod ipsemet in hoc non possit dispensare: ergo. Deus non potest dispensare in duobus præceptis primis negatiuis primæ tabulæ.

*Confirmatur* quia si Deus iuberet aut licentiam daret irreuerentiam sibi exhiberi, sequeretur, contradictio, nam ex vno capite fieret ipsi irreuerentia, vt supponitur, ex alio non fieret; non enim est irreuerentia Deo facere quod ipsemet iubet, aut ad quod faciendum dat licentiam.

An autem possit dispensare in primo præcepto negatiuo qua parte præcipit non adorandos esse Deos falsos, non adeo videri posset certum, loquendo præsertim de adoratione externa, quia non videtur tã expressa & necessaria malicia in hoc, quin Deo iubente posset fieri. Sed tamen cũ non possit illa adoratio fieri, quin externe significaret quis se eos pro Deo vero habere, & hoc faciendo mentiretur, supposita cognitione Dei veri (sine qua, nisi vincibiliter deesset, non adoraretur Deus falsus peccaminose) non potest sine dubio Deus in tali adoratione dispensare nisi posset in mendacio, ostendi autem 3. *d.* 38. quod non possit dispensare in mendacio.

23 *Dico secundo Deum dispensare posse in primo & secundo præcepto quoad partem affirmatiuam, qua præscribitur amor & reuerentia aut cultus aliquis positiuus*, nam cum ille amor & cultus non sit simpliciter necessarius vt perducatur quis ad finem; nec Deo, qui bonorum nostrorũ non indiget, sit vtilis vtilitate vlla, sine qua non esset tam perfectus ac beatus, ac est cum illa, non apparet ratio vlla, ob quam necessario absolute & simpliciter Deus non possit dispensare in illis præceptis quoad hanc partem. Potest in primo & secundo dispensare quoad partem affirmatiuam.

*Dico tertio reliqua præcepta expressa Decalogi esse à Deo dispensabilia*: tum quia non potest ostendi implicantia, tum quia si potest in præcepto de amore & cultu suo, multo magis videtur posse in reliquis, quæ proximũ concernunt. Dico autem reliqua præcepta expressa, quia præceptum de non mentiendo, est reducibile ad præcepta Decalogi, nec tamen in eo potest Deus dispensare, vt ostendi in Commentario ad *disp.* 38. *Tertii.*

## QVÆSTIO IV.

### *Quid est lex humana.*

24 *Dixi* supra legem vt sic adæquatè piuidi in naturalẽ & positiuam; & hanc in diuinam & humanam, quia vero legis diuinæ consideratio per se ad Theologiam spectat, in hoc Tractatu solum de humana agendum est.

## CONCLVSIO I.

*Lex humana est ordinatio vniuersalis, qua præcipit aut prohibet supremus Reipubl. Dominus creatus aliquid tendens in bonum commune Reip. Subditis suis.* Hæc in re est communis & patet quia omni & soli conuenit, vt patebit ex singularum partium expositione. Quid est lex humana.

Dicitur

Dicitur: *ordinatio qua præcipitur aut prohibetur aliquid* quia in hoc conuenit cum lege naturali ac positiua diuina. Dicitur: *creati superioris Reip.* vt distingu tur a lege tam naturali, quæ non est superioris, & à positiua diuina, quæ non est creati, sed increati superioris. Dicitur: *supremi*, quia ordinationes etiam præceptiuæ superiorum subordinatorum alteri non est lex, vt hic agitur de lege. Dicitur *vniuersalis*, quia non quæcunque ordinatio supremi Domini, etiam tendens in bonum commune, est lex, nam si ordinaret alicui particulari, etiam præcipiendo facere hoc vel illud, illa ordinatio non esset lex sed præceptum simplex; & si præciperet omnibus ad mensem facere hoc vel illud, nec illa etiam ordinatio esset lex, sed dictum aut aliquid simile. Debet ergo lex esse ordinatio vniuersalis, duplici vniuersalitate, primo quatenus respicit omnes subditos, vel absolute, vel cum restrictione, vt si respiceret omnes conuenientes in aliquo statu aut conditione, vt omnes viros, omnes fœminas, omnes milites, omnes nobiles, omnes viduas &c. secundò quatenus respicit tempus, debet enim esse sine limitatione ad determinatum tempus, hoc est ad tot menses aut annos; nam ordinationes præceptiuæ ad determinatum quodcunque tempus non vocantur lex; & in hoc sensu dicitur lex debere esse perpetua; non quod non posset abrogari aut mutari; sed quod quando fertur, feratur absolute respectu omnis temporis futuri, saltem quatenus tum non fit determinatio aliqua ad limitatum tempus. Dicitur *qua præcipitur aut prohibetur*, quia lex capitur pro ordinatione superioris, non quacunque etiam vniuersali & tendente in bonum commune, sed tali, ob cuius trangressionem possit puniri subditus, & per hoc excluditur consilium ac petitio vniuersalis superioris. Dicitur: *Qua præcipit superior subditis*, quia aliis præcipere non quit. Dicitur denique *tendens in bonum commune*, quia Principes humani non habent authoritatem præceptiuam nisi respectu boni communis; vnde quod præcipitur ab ipsis authoritate legis latiua, debet esse spectans ad bonum commune, & consequenter quodcunque præceptum ipsorum, quod habet rationem legis, debet esse conducens ad bonum commune; & hinc Principes nequeunt ferre leges præcipientes aliquid, quod conducit tantum ad bonum suum proprium ac particulare, nisi quatenus hoc bonum posset conducere ad bonum commune.

Quomodo debet esse vniuersalis.

Et perpetua.

Extendé in bonum commune.

25 *Dices* Principes posse præcipere actum indifferentem & consequenter ferre legem vniuersaliter præscribentem tales actus: ergo hæc particula reddit definitionem malam.

*Respondent* Doctores communiter negando consequentiam, quia licet secundum se tales actus essent indifferentes, tamen supposito præcepto sunt boni.

*Contra primò* quia si possent ferre legem de actibus indifferentibus & hi eo ipso censendi essent boni bonitate tendente in bonum commune, possent etiam multo magis præcipere actus tendentes in bonum suum particulare, & hi eo ipso deberent dici spectare ad bonum commune, & consequẽter quando quæritur an possẽt præscribere leges spectantes ad bonum particulare suum, quæstio esset vt iunt de subiecto non supponente, quia non possent vlli actus præscribi qui non spectarent ad bonum commune.

*Contra secundò*, quia quando dicitur, quod leges debent ferri circa bonum, hoc certe intelligi debet de bonitate obiectiua, quam haberent actus ex se independenter à bonitate, quam haberent ex eo quod lege præscriberentur.

*Respondeo* ergo quamuis Princeps forte posset hic & nunc præcipere actum indifferentem & conducentem etiam ad bonum proprium, ad experiendam obedientiã subditi; non posse tamen eum ferre legem vniuersalem de talibus actibus, quia experienti obedientiæ respectu vnius aut alterius hic & nunc, siue in actu indifferẽti siue in actu conducente ad bonũ principis, posset conducere ad bonum commune, nec apparet irrationabilis, sed ferre legẽ vniuersaliter de talibus non posset conducere ad bonum commune & omnino apparet indecens.

## CONCLVSIO II.

Lex humana cõsistit in actu voluntatis.

26 *Ordinatio in qua consistit lex humana, est actus voluntatis: non vero solius intellectus, nec intellectus simul & voluntatis.* Hæc est Doct. 1. d. 36. cum suis & multis aliis contra D. *Thom.* 1. 2. *quæst.* 90. *a.* 1. suosque sequaces communiter. Non est autem dubium quin ad legem ferendam requiratur actus intellectus & voluntatis, sed quæstio est, in quonam ex illis consistat formaliter.

*Probatur* conclusio primo authoritate *Philosophi* dicentis: 1. *Rhet.* legem esse consensum Reip. *Platonis* vocantis eam decretum populi, in Dialogo Minos. *Vlpiani* appellantis eam *lib.* 1. *de ff.* placitum Principis: sed consensus, decretum, placitum significant per se primo solum actum voluntatis: ergo. Et certe ipsam et scriptura vocat præcepta dei voluntatem eius. Psal. 302. *notas fecit vias suas Moysi, filijs Israel voluntates suas* Doce me facere voluntatem tuam Psalmo 142. eadem autem est ratio de lege positiua Dei, ac de lege humana quantum ad hoc.

*Probatur* ratione: quia posito quocunque actu ex parte intellectus legislatoris, ac eo optime cognito à subditis, nõ obligarẽtur eo ipso ad aliquid faciendum; posito vero actu voluntatis absque actu intellectus; (si per impossibile aut possibile posset fieri) quo vellet aliquid fieri, & vellet punire nisi fieret, eo ipso quis obligaretur: ergo signũ est quod lex consistat in solo actu voluntatis & nullo modo in actu intellectus nec partialiter, nec totaliter.

*Confirmatur* quia lex positiua humana est libera, & posset Princeps eam ferre vel non ferre etiam positis quibuscunque motiuis: sed hoc non est verum de vllo actu intellectus: ergo non consistit in actu intellectus. Nec refert quod requiratur necessario actus intellectus ad hoc vt habeatur lex, quia hoc nõ arguit quod sit de ratione legis sicut nec eo quod ad actum virtutis necessario requiritur propositio intellectus, sequitur quod illa propositio sit de ratione formali actus virtutis, & hoc vel maxime, quia ille actus requiritur ex subordinatione voluntatis ad intellectum, quatenus cum sit potentia cæca, nequit agere nisi in obiectum propositum per intellectum.

*Obiicies* Plato in prædicto Dialogo & Philosophus *Ethic.* 12 ait legem esse sententiam ac opinionem multitudinis, & Cicero dicit eam esse rectam rationem ac prudentiam.

*Respondeo* has authoritates debere intelligi causaliter ac directiue sed nec Aduersarij ipsi dicunt legem esse sententiam aut opinionem legis latoris, vnde mirum est cur opponant hæc loca.

*Obiicies secundò* lex dirigit, illuminat, instruit; sed hoc spectat ad intellectum.

*Respondeo* legem hoc facere obiectiue, quatenus si cognosceretur lex, non sciret aliquis ad quid obligaretur: sic autem posset hæc facere quamuis non spectaret ad intellectum. Vnde negatur minor.

*Quæres* in quonam actu voluntatis consistat lex.

*Respondeo* in illo quo sub terminatione pœnæ vult aliquid fieri à subditis vniuersaliter, tendens in bonum commune, capiendo tamen pœnam non formaliter prout dicit ordinem ad culpam, sed potius materialiter, vt est malum indelectabile aut inutile.

## QVÆSTIO V.

### *Quibus præcipi possit lege humana.*

28 *Hic supponendum primò* contra Luth. Caluinum & alios Hæreticos, qui cum humanis legibus ab ea viuendi licentia, quam sibi vsurpare volebant, coercerentur, vt eos sine impedimento experirent, in fideles Christianos quales se præferebant, humanam potestatem nihil prorsus authoritatis habere docebant, nihil ea doctrina absurdius videri posse; quid enim magis ridiculum quam si

Fideles subduntur legibus humanis.

contra

si cõtra Principis edicta ac leges Christiani fideles nec arma portarent aut cõsilia Reip. pernicioſa molirentur, aut alia ſimilia meditarentur facinora, eos meritis ſceleꝝ pœnis coerceri non poſſe, præſertim cum non ſuffragentur impiis ſcripturæ loca quibus innituntur: nam quod ait Apoſtolus Rom. 6. *Non ſub lege eſtis, ſed ſub gratia*, nullo modo fauet, cum intelligendum ſit de lege veteri à cuius obſeruationibus Chriſtus nos liberauit, quo etiam ſenſu intelligendum illud 1. Cor. 9. *factus ſum iis qui ſub lege ſunt, qui ſi ſub lege eſſem*, cum ipſe non eſſem ſub lege: & ad Gal. 3. *Quicumque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt.* Sed exactior huius rei examinatio ad Theologiam ſpectat.

*Suppono ſecundo* quoſcumque ſubditos, ad quos extendatur lex, ad eius obſeruantiam teneri, neque enim de vno magis quam de reliquis maior eſt ratio; & ad quos teneri certum eſt cum alioquin non eſſet lex. Vnde difficultas ſolum manet de ipſo Principe, ſubditis extra ipſius diſtrictum ſecularibus reſpectiuè ad leges Eccleſiaſticas & Eccleſiaſticis reſpectiuè ad leges ciuiles ſeu ſeculares.

Quomodo Principes teneãtur ſuis legibus.

29 Communis autem ſententia eſt Principes teneri ſuis legibus quoad vim directiuam (loquor autem de legibus qua um obſeruantia non dedeceat Principem, quãuis hæc cautela vix ſit neceſſaria, quia tales leges non extenduntur ad Principes, nullæ autem vllos obligant niſi ad quos extenduntur) hoc eſt ita vt peccent niſi obediant; non autem quoad coercitiuam, quia ſi non obſeruent, non poſſunt pœna ad obſeruantiam cogi. Cuius reſolutionis prima pars probari ſolet authoritate Iſidori, c. 3. de ſummo bono inſerta Iuri canonico: *Inſtitum eſt Principem legibus obtemperare ſuis; tunc enim iura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſemet illis reuerentiam præbet* Item. c. cum omnes de conſtit. ex Innocentio 3. *Cum igitur quod quiſque iuris in alterum ſtatuit, ipſe debeat vti eo, & ſapientis* (1. Catonis) *dicat Authoritas, patere legem quam ipſe tuleris.* Sed nec ex hæ authoritates ſufficiant, quia quamuis iuſtum eſſet & optimum conſilium vt obediret ſuis legibus Princeps; tamen nõ inde infertur quod debeat obedire ſub pœna peccati. Deinde cum poſſet Princeps diſpenſare cum aliis, poſſet etiam ſecum, & ſic fruſtra videretur obligatio vlla quam ſibi ſuis legibus imponeret. Vnde videtur mihi rationabilius quod Princeps non obligetur vllo modo ſuis legibus directe; quamuis ſuppoſitis ſuis legibus obligantibus alios, quarum obſeruantia ipſummet deceret, ne ob frequentem non obſeruantiam ſcandalizaret alios & daret ipſis occaſionem rumpendi eaſdem leges ac conſequenter peccandi & quandoque etiam bella ciuilia mouendi, exiſtimem ipſum iure naturali teneri ad obſeruantiam earundem legum, aut ſaltem ad eas non violandas publicè.

*Quod ſi etiam* in communi Reip conſeſſu conueniretur cum Principe in condenda aliqua lege vniuerſaliter ipſũmet & cæteros comprehendent, quam ſine tali conſenſu condere non poſſet, & ad quam condendam Reſp. non conſentiret, niſi ex ſuppoſitione quod Princeps vellet etiam ſe obligare, teneretur etiam vi huiuſmodi pacti, quod quandoque expreſſum eſſe poſſet, quandoque non, ad obſeruantiam talis legis, & ſi verget in magnum ac ineuitabile detrimentum Reip. violatio haberet ſpeciem Tyrannidis & Princeps poſſet à Rep. cogi ad obſeruantiam: crediderim tamen hunc caſum eſſe vnum ex illis Metaphyſicis quos vocant, qui nunquam veniat in praxim, & etiam ſub diuerſis nationibus poteſt, hæc authoritas eſſe maior aut minor iuxta poteſtatem maiorem vel minorem, quam Reges habent.

Omnes ſubduntur legibus Eccleſiaſticis.

30 *Quantum ad leges Eccleſiaſticas*, non eſt dubium quin iis obligentur quoad vtramque vim directiuam & coercitiuam omnes fideles tam Eccleſiaſtici quam ſeculares, quia vt ſuppono ex Theologia, Deus dedit Authoritatem Romano Pontifici ſupra omnes fideles, quoad ſpiritualia, ſeu illa quæ conducere poſſunt ad bonum animę, & conſequenter etiam quoad temporalia indirecte, quatenus ſunt media conducentia ad ſpiritualia.

Perſonæ vero Eccleſiaſticæ ſubduntur legibus ciuilibus non dedecentibus ſuum ſtatum quoad vim directiuam quia nulla eſt ratio ob quam ab illis eximerentur magis quam alii ſeculares; non tamen ſubduntur ipſis quoad vim coercitiuam quia non poſſunt puniri à iudicibus ſecularibus ſine conſenſu ſuperiorum Eccleſiaſticorum. An hæc autem immunitas Eccleſiaſticorum ſit de iure diuino controuertitur: ſed quod ad me attinet, non video fundamentum iuris diuini aliud, niſi quatenus Pontifex habet ſuperioritatem ſupra Reges quoad ſpiritualia & ille ex hac authoritate eximeret clericos à poteſtate coercitiua illorum. Sed nec hoc ſufficit ad oſtendendum quod illa exemptio ſit iuris diuini quamuis fundetur in iure diuino, ſicut nec cæteræ leges Pontificis ſunt iuris diuini, licet in authoritate ipſius eo iure ſibi competente fundentur, ſed hoc eſt Theologicum.

Eccleſiaſtici ſubduntur legibus ciuilibus quoad vim directiuam.

Quomodo aliquis poſſet teneri ad leges Principis alieni.

31 *Quantum autem ad ſubditos* vnius Principis ſubditione alterius degentes, id certum imprimis poſſe alterum Principem compellere eos ad obſeruantiam legum ſuarum & eos obligari etiam ad illas obſeruandas quando leges expreſſe extenduntur ad ipſos, ſi tamen obſeruantia illa non præiudicet proprio Regi aut Reip. quod ſi præiudicet, non poteſt eos obligare, niſi ſub conditione quod ſi non velint obedire, diſcedant à ſua ditione; quia id eſſet iniuſtũ, leges autem non poſſunt ferri niſi de re iuſta. Proprius etiam Rex poteſt obligare eos ad obſeruãtiam ſuarum legum, qua parte obſeruantia non præiudicat authoritati alterius Regis aut ipſius legibus, ſub conditione tamen quod ſi nolint obedire, eo ipſo velint recedere ab ipſius imperio & perdere quæcumque priuilegia ac emolumenta ipſis ratione ſubiectionis ad ipſum competẽtia, nam ſi hanc optionem eligerent, poſſent non obedire quantum ad conſciẽtiam, ſed Rex poſſet in pœnam bona ipſorum confiſcare. Quæ tota doctrina eſt conformis praxi, & confirmatur ſufficienter quia apparet eſſe conformis rationi, nec aliquid in contrarium adduci poteſt, quod facile ſolui non poſſit.

Quomodo prius poſſet præcipere ſubdito in ditione alienã.

Cuius legibus debent ſe conformare Peregrini.

32 *Quæri hic vlterius ſolet*, cuius loci legibus teneantur ſe conformare hoſpites & peregrini quantũ ad conſciẽtiam, proprij ne, an alieni, in quo peregrinantur, quæ difficultas præcipue locum habet quantum ad praxim, in ieiunio & obſeruantia feſtorum; & quamuis fuſe tractetur ab Authoribus, mihi videtur faciis ſolutionis. Itaque exiſtimo eos poſſe conformare ſe quibus voluerint, modo tamen id non faciant in fraudem, vt eximant ſe ab vtriſque, vt ſi, dum ieiunandum eſſet in vnio loco, conferrent ſe ad alterum, & dum in illo ad priorẽ, vt facile contingere poſſit in diuerſis diœceſibus vicinis; ſed ſẽper cauendum eſt ſcandalum, magis tamen congruum apparet, vt ſi paruo tempore abeſſe debeant à loco proprio, conforment ſe eius legibus, ſi id poſſent facere abſque magno incommodo, ſi vero diu abeſſent in vno loco alieno, decentius videretur, vt ei ſe accommodarent; ſed vt dixi, modo fraus abſit ſecurè facere poſſunt quodlibet ſecluſo ſcandalo.

Cuius legibus tenentur Pauperes.

*Sed quid dicendum* de pauperibus nullum domicilium proprium habentibus, ſed hinc inde neceſſitatis ſubleuandæ gratia vagantibus.

*Reſpondeo* eos debere conformare ſe loco, in quoſe reperiunt, niſi per hoc valde grauarentur vt quandoque cõtingere poſſet, ad quod etiam ratione ſtatus vlterius obligari poſſent, cui conueniens valde eſſet talis conformatio, vt magis inducerent alios ad ſuccurrendum.

## QVÆSTIO VI.

### *Quid præcipi poſſit humana lege.*

Multa præcipi poſſunt humana lege quæ non ſunt de lege naturæ, nulla quę ſint ei cõtraria.

### CONCLVSIO I.

33 *Multa præcipi poſſunt humana lege, quæ non ſunt præcepta lege naturæ, non tamen aliquid quod ſit contra illam legem.* Hæc eſt communis & patet prima pars ex communi praxi omnium gentium & ex vtilitate maxima, quæ inde prouenit ad conſeruationem ac augmentum boni publici.

*Probatur ſecunda pars*, quia Principes ſubordinantur legi naturæ, hæc vero non ſubordinatur illis; ergo non poſſunt ſtatuere aliquid contra legem naturæ

turæ. *Deinde* lex humana habet pro obiecto bonum commune, & quod conducit ad illud, sed nihil contra legem naturæ est conducens ad bonum commune, ergo lex humana nequit ordinare aliquid tale. Præterea lex humana tendit in bonum commune: sed nihil quod est contra legem naturæ potest esse bonum commune: ergo.

Non possunt præcipi actus interni directè.

34. *Dico secundo legem humanam etiam Ecclesiasticam, non posse se extendere directe ad actus internos præcipiendos, bene tamen indirecte.* Hæc est communis, & patet prima pars quia si esset talis authoritas in Principibus aut Ecclesia, est verisimile quod aliquando esset reducta ad actum, sed non est vnquam.

*Confirmatur* quoad Principes sæculares, quia illorum authoritas est directe ad bonum politicum Reip. sed actus interni per se ad illud non conducunt: ergo non possunt per se directe præcipi ab illis.

*Probari* solet aliter satis communiter: quia non possunt Principes aut Ecclesia iudicare, nec punire trãsgressiones, quæ fierent contra præcepta de actibus internis, quia non potest cognosci quando fiunt: ergo non possunt præcipi: quia frustra esset authoritas præceptiua absque punitiua. Sed hæc ratio non placet, maxime quantũ ad Ecclesiam, quia sufficeret remittere castigationem ad Deum. Nec potest esse dubium quin multi retraherentur ab actionibus prohibitis lege humana per hoc, quod scirent transgressores castigandos à Deo, quamuis scirent se immunes à castigatione Principum ex eo scilicet, quod essent ipsis occultæ; Vnde non esset frustranea authoritas talis præceptiua, quia haberet vtilitatem illam retrahendi scilicet homines ab illis actibus.

*Deinde*, præcipit Ecclesia actus internos indirectè & prohibet alios, vt statim dicetur, & tamen nequit punire transgressores, quia non potest cognoscere quando fit transgressio, & si dicas posse cognosci in confessione, similiter potest dici de transgressionibus solorum internonorum.

35. *Probatur secunda pars*; quia Ecclesia prohibet hæresim internam coniunctam cum significatione externa sub pœna excommunicationis, & consequenter præcipit ne fiat talis hæresis.

*Deinde* quando præcipit actum externum, præcipit consequenter actum aliquem internum nempe illum, sine quo non posset esse externus. Hoc tamen non obstante satis probabile puto, nisi Ecclesia præcipere possit solum internum, non posse etiam eam præcipere internum determinatum talis vel talis speciei, etiam indirecte ratione externi, sed solum aliquem indeterminate ex omnibus qui possunt sufficere ad externum. Moueor ad hoc quia reuera est eadem ratio de vtroque, & quia ad illud de hæresi potest dici quod Ecclesia prohibeat solum actum externum, quando habet maliciam desumptam ab interno, & quod nullo modo prohibeat internum, nec directe nec indirecte.

*Dices* proponi præceptum Ecclesiæ de attentione in diuino officio cap. *Dolentes* de celebratione Missarum.

*Respondeo* vel id intelligendum de attentione externa, quæ consistit in tali recitatione, ex qua non potest externè colligi quod quis internè non sit attentus, vt cum nõ fit aliquid aliud externe, quod denotaret diuagationem mentis ab attentione interna, quæ sane attentio vtiliter præcipi posset. Vel si de interna intelligendũ sit illud caput, potest dici quod Ecclesia eatenus præcipit illam attentionem, quatenus præcipit recitationem & celebrationem externam quatenus bona est, quia lex vniuersalis fertur in bonum: sed nulla est bonitas in illis ratione cuius præciperentur, nisi quatenus fierent cum attentione & haberent bonitatem moralem ab actu interno, quo quis vellet celebrare aut recitare officium cum debita attentione: nullam enim habent bonitatem nisi quatenus cederent in cultum, laudem aut honorem diuinum vel in emolumentum aliquod spirituale: sed hoc ipsis non competeret nisi quatenus fierent cum attentione. Posset etiã dici quod non tã Ecclesia ipsa præcipiat in illo capite attentionem quã proponat præceptum iuris naturalis: existimo enim quẽ in celebratione Missæ ac recitatione diuini officij teneri iure naturali ad attentionem ac reuerẽtiam: nam apparet ex terminis mi lum esse dum quis peragit res diuinas, aut conuersatur cum Deo, irreuerentem se præbere; vnde etiam patet quod quis teneatur attente & reuerenter dicere orationes illas, quas non tenetur dicere, quando dicit illas; modo tamen dicat eas per modum orationis: quod addo quia posset eas recitatiue dicere & non per modum orationis, & tum non teneretur ad attentionem aut reuerentiam, vt manifestum est. Aduerto autem circa hoc attentionem & reuerentiam debitã non impediri per vllam compositionem externam, quę nõ tollat internam, vnde posset quis reuerenter orare tam stando quam ambulando, sedendo, cubando & quocumque alio modo, & etiam si tractaret manibus quamcumque rem, modo non tolleretur attentio ac reuerẽtia interna.

Quod si quis dum laborat manibus, vt (quod frequens est apud Religiosos) cum legat vtensilia culinæ, colligit herbas, mundat domum & alia similia facit, velit etiam dicere orationes vocales: quandoquidem certum sit attentionem interiorem frequenter interrumpi per occupationem illam externam magis ac minus iuxta naturam ipsius bona tamen & vtilis cẽseri debet illa oratio vocalis, quia quælibet pars ipsius coniuncta cum attentione est bona, & supponi debet quod qua parte interrumpitur, non dicatur per modum orationis, sed potius recitatiuè.

## QVÆSTIO VII.

### *De promulgatione & acceptatione humanarum legum.*

Vt obliget lex requiritur intimatio eius.

36 VT *lex humana* obliget requiritur sufficiens intimatio eius, quæ quantum est ex natura rei, fieri potest, verbo, scripto, nutu, quamuis ab aliqua Rep ordinari posset, vt aliqua determinata intimatio requireretur, v.g. vt intimaretur scripto: nemo enim teneri potest ad faciendũ quod non cognoscit esse faciendũ: & intimatio, quæ ad tollendam ignorantiam legis requiritur potest fieri sine dubio quocumque ex prædictis modis Præter significationem seu intimationem huiusmodi legis requiritur alia promulgatio seu intimatio eius cum certis cerconsuetudine aut alia lege introducta est, & posset tolli accedente consensu reip. Hæc autem promulgatio ab aliquibus dicitur debere fieri non solum in Curia principali, sed in aliis locis Sed hoc totaliter dependet à volũtate & institutione Principum & Rerump. nec eodem modo in omnibus locis de facto requiritur. Post autem promulgationem requirũtur aliquot dies, nempe tot, quot moraliter sufficiũt vt notitia legis ad omnes peruenire possit, ad quos extẽditur, & de facto ius ciuile præscribit tempus duorũ mensium, antequam lex obliget. Verùm hoc etiam dependet ab institutione hominum, & pro diuersis locis, diuersa posset esse consuetudo; nunquam tamen in conscientia obligare potest vlla lex, etiam transacto tanto tẽpore quantum præscribitur à promulgatione, eos qui præsertim inuincibiliter nescicbant legẽ promulgatam, quamuis in foro externo posset procedi contra illos, tam quam si deliquissent.

Et etiam promulgatio cũ certis cemoniis a iquando.

Quoad acceptationem legis attinet, quando Princeps aut legislatores sunt absoluti, non requiritur ex natura rei: si tamen nõ acceptaretur, & Princeps id permitteret, censendum esset, quod ille non voluerit obligare ad legẽ, nisi accedente acceptatione. Iuxta quam doctrinã vniuersalem facile quis determinare potest casus quoscunq; particulares, quos propterea non est necesse proponere.

## QVÆSTIO VIII.

### *Ad quid obligat lex humana.*

Lex humana potest obligare ad culpam mortalẽ.

37 *Dico primo. Potest lex humana tam Ecclesiastica quam ciuilis obligare ad culpam mortalem.* Hæc est contra Gersonem, qui nullam omnino, & Almainum agere ad alios, qui solam Ecclesiasticam legem putant obligare posse ad peccatum mortale.

*Proba*

*Probatur*, quia ratio naturalis dictat tam obediendū principibus quàm honorandos parentes: ergo ſicut qui inhonorarent parentes, peccarent: ita & qui non obedirent principibus.

*Confirmatur*, authoritate ſcripturæ præcipientis obediēdum ſuperioribus temporalibus & quidem, vt ait Paulus diſcolis. Hinc de facto quoties grauitas materiæ, circa quā verſatur lex, eſt talis, vt merito quis exiſtimet Principem voluiſſe præcipere ſub peccato, aut vt, ſi non obediretur, fieret ipſi grauis iniuria aut magnum damnum inferretur Reip., cenſendum quod lex obliget ſub peccato, præſertim niſi alia pœna, ſub qua præciperetur, poſſet ſufficere vt ſubditi ad obedientiam adducerentur.

*Circa* quod aliqui dicunt ſi Principes ſtatuant legem aut præcipiant aliquid abſque determinatione pœnæ pro tranſgreſſoribus, legem illam obligare ad mortale; ſi vero determinent pœnam, non obligare legem ad culpam ſed tantum ad illam pœnam. Sed cenſeo hīc etiam reſpiciendū ad modum, quo communiter intelligitur intentio Principis & naturam materiæ; nec prorſus differentia illa de determinatione aut non determinatione pœnæ ex ſe facit aliquid ad propoſitum, quia ſicut determinatur pœna in aliquibus præceptis & hæc determinatio diceretur ſufficere ad liberandum à culpa: ita quando non determinatur reinquitur pœna arbitrio Principis aut miniſtrorum, & illa pœna abitraria poſſet tam bene eximere à culpa quàm pœna determinata.

Itaque ad naturam materiæ & intentionem Principis reſpiciendum, vt colligatur quando lex ad culpam obliget & quando non.

38 *Dico ſecundo, lex humana non obligat de facto cum quocumque grani diſpendio vitæ, famæ aut aliorum bonorum in caſibus ordinarie occurrentibus, bene tamen in aliquibus ex extraordinariis ac grauiſſimis.* Hæc eſt communis & patet prima pars ex communi praxi non ieiunantium propter infirmitatem, nec audientium ſacrum diebus feſtis propter eandem rationem, & etiam ſi timerent probabiliter interea latrones ædes ſpoliaturos in abſentia.

Lex humana nō obligat ſēper in grauibus caſibus

*Probatur ſecunda pars* quia in caſibus extraordinariis, quando niſi quis exponeret ſe vitæ periculo, immineret magnum damnum Reip. vt niſi miles teneret ſtationem, aut aggrederetur hoſtes; poſſunt obligari ad exponendū ſe vitæ periculo; hoc enim videtur eſſe iuris naturæ, & communiter redigitur in praxim apud omnes nationes. Sed & quæ leges obligent cum vitæ periculo & graui bonorum iactura, quæ non, ex differentia materiæ colligi poteſt, & ex communi gentium conſuetudine.

39 *Dico tertio poteſt lex humana obligare tranſgreſſores ad inferendas ſibi aliquas pœnas tam priuatiuas, hoc eſt priuationes aliquorum actuum alias licitorum, quam poſitiuas, hoc eſt, ex natura poſitiua ſua moleſtiam ferentes; non tamen valde graues vt interfectionis, aut mutilationis, ſed mediocres, quæ moraliter non cenſerentur inhumanæ ac impoſſibiles.*

Quas pœnas poteſt lex humana ordinare vt tranſgreſſores eas ſibi inferant.

Hæc etiam eſt communis & patet prima pars ex communi praxi, nam aliqui obligantur ad manendum domi ſuæ, & ad eundum ad carcerem, ad abſtinendum à vino, aut recitandas orationes tales vel tales, ad petendam veniam, ad reſtitutionem talium vel talium bonorum &c.

Ratio etiam à priori eſt, quia cum non ſit vlla impoſſibilitas moralis in hoc quod quis ſibi infligat huiuſmodi pœnas, nulla eſt ratio ob quam poſſet teneri ad obediendum in aliis rebus potius quàm in his; quia ad bonum commune poteſt ſæpe conducere quod quis obligetur ad huiuſmodi pœnas ſibi infligendas.

*Secunda pars patet*, quia ex terminis apparet indecens obligare ad talem pœnam ſibi infligendam, & ipſamet moralis impoſſibilitas eam infligendi, redderet infligationem talem, quod non niſi male præciperetur.

Vnde ſi quis damnaretur ad mortem inedia ſubeundā, & apponeretur ipſi cibus, non teneretur ad abſtinendū ab ipſo. Si quæras autem, an ſaltē poſſet in conſcientia cuius quæſiti ratio dubitandi pro parte affirmatiua eſt, quod videatur teneri ad conſeruationem vitæ quamdiu licite poteſt eam conſeruare: tum autem poſſet licite comedere vt reſolutum eſt, & conſequēter poſſet licite comeſtione vitam cōſeruare. Pro altera vero parte negatiua vrget quod quamuis poſſet conſeruare vitam, quia tamen iuſte damnatur ad illam pœnam, videatur eum, ſi velit, poſſe eam ſibi inferre ex affectu iuſtitiæ.

*Reſpondeo* mihi probabilius videri quod non poſſit abſtinere, quia iuris naturalis eſt quod conſeruet vitā quam poteſt honeſte; poteſt autem in illo caſu; vnde quamuis pœna illa iuſte ordinata ſit, tamen non ab eo iuſte infligi debet propter rationem præmiſſam; & certum eſt quod non poſſit quicunque quamcumque pœnam etiam iuſtam infligere. Si etiam vlterius quæras, an poſſit quiſpiam illi cibos adminiſtrare.

*Reſpondeo* imprimis Miniſtros Iuſtitiæ non poſſe, quia ad illos ex officio ſpectat concurrere ad executionem iuſtitiæ & eam non impedire. Poſſent vero Parentes & propinqui cognati ac ſtricta amicitia coniuncti quando cōmode poſſent abſque modo indecēti aut vi illata Miniſtris iuſtitiæ. & conſequenter deberent, etiamſi ſpecialiter id ipſis prohiberetur, modo aliud detrimentum graue inde non ſuccederet; quia propter coniunctionem illam magnam parentelæ & amicitiæ, crudele eſſet id ipſis prohiberi, ſicut crudele eſſet ipſimet reo inhibere à cibo propoſito abſtinentiam, & eadem ipſa coniunctio videtur eos obligare ad conſeruationem vitæ ipſius.

De aliis vero crederem eos non poſſe, ſi id prohibeatur ipſis expreſſe; ſi vero non prohibeatur, poſſunt quidem quia nihil impedit; non tenerentur vero quia iuſta damnatio rei tolleret obligationem, quæ alias eſſet iuris naturæ.

*Circa quod quæritur* an damnatus ad mortem poſſit fugere & effringere carceres vt fugiat, aut occidere cuſtodes vel eos mutilare, aut grauiter lædere.

*Reſpondetur autem* communiter quod non poſſit ad fugiendum interficere aut mutilare Miniſtros iuſtitiæ, quod apparet certum ex terminis, bene tamen poteſt fugere aut effringere carcerē vt fugiat, & alii poſſunt præter Miniſtros Iuſtitiæ, ſuadere ipſi fugam ac dare ipſi adiumenta; non tamen poſſunt effringere carceres pro illo. Sed hoc etiā dependet a voluntate Principum & conſuetudine: nam certe non dubito quin poſſet obligare in conſcientia Princeps ad non fugiendum, & multo magis poſſet obligare alios ad non adiuuandum ipſius fugam conſilio vllo, aut auxilio; & qua ratione poſſent aliqui dare inſtrumentum ad fugiendum, poſſent etiam ex natura rei clam abſque violentia rumpere carcerem, niſi particulariter vnum prohiberetur & alterum permitteretur.

Sed exiſtimarem hic etiam diſtinguendum ſicut in caſu præcedenti, de conſanguinitate vicina ac ſtricta amicitia coniunctis, & de alijs; iiſque plus in hoc genere licere quam his ſed & illis etiam nihil liceret, quando fuga ipſius poſſet cedere in præiudicium Reip. vt facile poſſet contingere.

Et hæc breuiter de hac materia hic ſubnectere placuit. Cæterum opto ex animo vt omnia cedant in omnipotentis Dei, B.V.M. & SS. Franciſci ac Patritii laudem & honorem. Amen.

Finis Ethicæ.

TRACTA

# TRACTATVS
## IN OCTO
# LIBROS PHYSICORVM,
## SEV DE NATVRALI AVSCVLTATIONE.

DVO genera librorum tradidisse Aristotelem ipsius animaduertere discipuli: vnum eorum, quos *populares* vocauit, quòd ad vulgi captum accommodati non magnam requirerent attentionem in auditoribus, hosque tempore pomeridiano dictare solebat: cuiusmodi erant Historia animalium, & ij, quos de Arte Rhetorica, & Poëtica scripsit. Alterius rationis libros composuit de rebus, quæ sine magno studio & diligentia capi non possent, quos propterea matutino tempore, vtpote studiis magis opportuno, dictabat, & *auscultatorios* vocabat, quod magna attentione audiri deberent. Huius generis sunt, quos de naturali Philosophia, & Metaphysica scripsit. Ex quibus cum sint hi octo libri, quorum explanationem, quantum ad difficultatum præcipuarum, quæ in controuersia possunt esse, iam aggredimur, facile est percipere cur de Physica, seu naturali auscultatione nuncupentur. Ratio enim est, quod tractent de natura, & rebus naturalibus vt sic, quæ vt recte intelligantur, magnam requirunt in auditoribus attentionem; vnde idem est dicere, quod hi libri sunt de naturali auscultatione, ac quod sint de rebus naturalibus exigentibus auditores valde attentos. Quamuis autem plurimi soleant ipsum textum Aristotelis, vel integrum, vel in compendium redactum proponere, & explanare; tamen ab ea cura mihi supersedendum videbatur; tum quod ab aliis satis accurate id factũ sit: tum & præcipue quia magis de ipsa veritate indaganda, quàm de mente Aristotelis solicitus non solum ipse semper eram, sed alios etiam omnes esse velim; & operam fere perdi existimem, dum multum temporis, ac laboris in hoc, vel illo modo explicandi ipsum collocatur.

## LIBER I. PHYSICORVM.

### DISPVT. I.

### *Proœmialis de natura physicæ.*

QVAMVIS ex iam dictis constet hanc scientiam, quæ Physica vocatur esse scientiam, quæ agit de physi, id est natura ac de rebus physicis, seu naturalibus; tamen vt adhuc exactius, quid sit cognoscatur, instituenda erat hæc disputatio.

### QVÆSTIO I.

### *Quodnam sit obiectum Physicæ.*

1. VT in omnibus, quæ de scientiarum obiectis mouentur, controuersiis, ita etiam in hac variæ sunt Doctorum sententiæ, quarum aliquæ inter se solo nomine discrepant, aliquæ etiam re.

*Prima sententia*, est ens mobile, vt est commune entibus & immaterialibus, v. g. Angelis, esse obiectum adæquatum Philosophiæ naturalis. Hanc tenent ex Scotistis *Antonius Andræas de tribus principiis quæst. 1. Trombetta 6. Met. q. 1. Ioannes Canonicus 1. Physicorum q. 1. Regentes Parisienses quæst. 4. Physic.* eam etiam sequendam arbitratur *Auersa*, ex suppositione quod Physica esset scientia distincta à Metaphysica, quam tamen suppositionem ipse putat falsam contra communiorem Philosophorum sententiam; de quo postea.

*Secunda sententia* est ens mobile, non vt comprehendit immaterialia & spiritualia, sed vt commune est ad materialia, tam substantialia, quam accidentalia, esse obiectum adæquatum Physicæ: sic sentiunt *Gratia Dei q. 1. Physicæ, Ferrar. q. 2.* & alij Thomistæ: eam teneret *Auersa*, si Physica à Metaphysica esset distinguenda, & non consideraret spiritualia.

*Tertia sententia* dicit obiectum Physicæ esse ens mobile, prout comprehendit omnes & solas substantias materiales mobiles, etiam includendo materiam & formam: hanc sequitur *Alphonsus à Veracruz. 1. Physic. spec. 2. proœm. Antonius Scaynus in præfatione Physicæ.*

2. *Quarta sententia* est, ens mobile, vt comprehendit solas substantias materiales compositas esse obiectum adæquatum huius scientiæ. Hanc proponit *Auersa*, sed nullum auctorem pro ea citat, nisi quod dicat eam videri *Arist. 6. Metaph. c. 1.*

*Quinta sententia* est quod nihil mobile, vt mobile, sit obiectum adæquatum Physicæ, sed potius aliquid naturale, vt naturale, & dicunt illud aliquid esse corpus, seu substantiam naturalem vt sic. Hæc est communior inter Scotistas, & eam tenet expresse *Faber theoremate 20.*

*Sexta sententia* est. quod obiectum eius sit corpus, aut substantia generabilis & corruptibilis. Hanc tenet *Ragusæus disp. 1. Peripatetica*, & attribuitur *Galeno ac Simplicio*

*Septima sententia* distinguit de Physica seu Philosophia naturali, & dicit Physicæ Peripateticæ, quam scilicet tradidit Aristoteles, obiectum esse substantiam materialem naturalem; Physicæ vero secundum se consideratæ, & non quatenus ab ipso tractabatur, obiectum esse substantiam naturalem, vt comprehendit Angelos, & in hoc sensu conuenit cum prima sententia. Hanc tenent *Regentes Perusini* ordinis Minorum Conuentualium hic, quos breuitatis causa deinceps nomine *Mastrij*, qui ex illis erat principalior, citabo, sicut feci in Logica. Aliæ etiam sententiæ citari possent, sed ex dicendis, quid de ipsis sentiendum sit constabit.

3. Pro decisione huius controuersiæ notandum est, agi hic de obiecto incomplexo aliquo vno ex pluribus, quæ in Physica considerantur, ad quod cætera omnia obiecta reuocari potius debent, quam ad aliquid aliud ex illis pluribus obiectis. Deinde notanda sunt cætera, quæ præmisimus de obiecto adæquato Logicæ, quæ hic etiam vsui erunt.

Mobilitas fundamentalis coincidit cum naturalitate.

Præterea aduertendum eos, qui dicunt ens, substantiam, aut corpus mobile esse obiectum Physicæ, non velle mobilitatem formalem ingredi rationem formalem istius obiecti, cum illa sit proprietas demonstrata de illo obiecto, sed intelligere per illam mobilitatem, mobilitatem radicalem, quæ est radix, ex qua pullulat illa mobilitas formalis; quæ mobilitas radicalis conuenit in re cum naturalitate, quam alij authores dicunt esse rationem formalem obiecti physici, vnde inter illos & hos non est nisi quæstio de nomine, quæ quam fieri potest, est vitanda, quando de re agitur.

## CONCLVSIO I.

Obiectum adæquatũ Physicæ non est substãtia, nec naturalis, nec mobilis, vt sic.

4. *Nec substantia mobilis, nec substantia naturalis vt sic, quatenus comprehendit substantias immateriales, vt Angelos, est obiectum adæquatum Physicæ, siue secundum quod tradita est à Philosopho, siue secundum se.* Hæc est contra primam & septimam sententiam,& eam tenent reliqui authores cõmuniter,tam Scotistæ,quam Thomistæ. *Probatur*,quia Angeli non sunt per se cõsiderationis physicæ:ergo substantia vt sic in illa latitudine,in qua comprehendit Angelos,non potest esse obiectum adæquatũ Physicæ;eatenus enim substantia vt sic, esset huiusmodi obiectum, quatenus Angeli per se considerari deberent à Physica non minus quàm substantiæ materiales. *Probatur* antecedens,in quo solo potest esse difficultas,quia Angeli secũdum omnẽ rationem sunt considerationis metaphysicæ: ergo secundũ nullam rationem sunt cõsiderationis physicæ,supposito,quod Physica & Metaphysica sint scientiæ distinctæ,de quo postea. *Probatur* antecedens, quia secũdũ omnem considerationem abstrahunt à materia non solũ singulari,sed physica non minus quàm cætera obiecta,quæ sunt considerationis metaphysicæ;ergo sunt cõsiderationis metaphysicæ secundum omnem rationem non minus, quam cætera illa obiecta.

Angeli nõ sunt cõsiderationis physicæ.

*Confirmatur*,quia secundũ omnes,qui distinguũt Physicam à Metaphysica, est talis distinctio inter obiecta vtriusq; vt omnia obiecta metaphysica abstrahãt à materia physica;nulla autem obiecta physica abstrahant ab illa,sed potius inuoluant illam,aut dicant aliquem ordinem ad illam:ergo cum Angeli sint omnino spirituales, nec inuoluant aut dicant per se ordinem ad materiam, debent esse cõsiderationis metaphysicæ,& non physicæ.

*Confirmatur secundo*,quia non potest esse dubium,quin posset institui tractatus vnus de rebus omnibus materialibus , qui tractatus haberet pro obiecto adæquato vel aggregatũ ex omnibus rebus illis materialibus , vel aliquod vnum ex illis,& ad quem propterea non spectaret aliquod obiectum immateriale;nec potest etiam esse dubiũ quin de omnibus illis rebus detur ex natura rei aliqua vna scientia saltem vnitate aggregationis aut ordinis,quæ vna scientia ex natura sua intrinseca distinguatur à cæteris scientiis , quæ habentur de aliis obiectis quibuscumque , & nequeat considerare per se aliquod aliud obiectum;vnde ad talem scientiam,neque secundũ se,neque secundum quod traderetur ab vllo, spectarent Angeli, neque consequẽter obiectum adæquatum ipsius posset esse aliquid quod comprehenderet tanquam speciem Angelos,vt est euidens.Quod si huiusmodi scientia sola vocaretur Physica , certum esse debet quod Angeli non essent considerationis physicæ, neque secundum se, neque secundum quod tradita est à Philosopho ; sed de facto huiusmodi sciẽtia sola vocata est Physica, vt patet non solum authoritate Philosophi, sed cõmuniore Doctorum sententia , cui in quæstione de nomine multum est deferendum ; talis autem quæstio est,an sola scientia agens de rebus materialibus solis vocetur Physica, necne.Hæc confirmatio valde suadet conclusionem,& omnino inutilem reddit distinctionem illam Physicæ secũdum se,& secundum quod tradita est à Philosopho,qua vtuntur authores septimæ sententiæ.

Distinctio Physicæ secundum se,& secũdum quod tradita est à Philosopho, est inutilis.

6.Quibus authoribus nullo modo patrocinatur *Scotus 6. Met.q.*1. tantum abest,vt manifeste docuerit ipsorum sententiam;nam quamuis habeat quod substantia separata sit *subiectum secundæ scientiæ speculatiuæ possibilis intellectui cognoscenti ipsam sub propria ratione*, tamẽ non dicit, illam secundam sciẽtiam esse Physicam,quod nihilominus dicere deberet,vt doceret illorum sententiam. Itaq; sensus Scoti est satis clarus,quod nimirũ si ad Metaphysicam(quæ cum agat de ente vt sic,est prima scientia)solũ spectaret ens vt sic,& immaterialia quatenus à nobis imperfecte pro hoc statu cognoscuntur,secunda sciẽtia, quæ posset haberi de rebus, deberet agere de rebus immaterialibus seu substantiis spiritualibus separatis à materia:sed hoc posset esse verum, quamuis illæ substantiæ separatæ non spectarent ad Physicam , neq; secundũ se, neq; secũdum quod traditur à Philosopho, quandoquidem non sit necesse vt secunda illa scientia sit Physica: ergo ex Scoto non habetur in illo loco quod Angeli spectent ad Physicam , aut secundum se , aut secundum quod traditur à Philosopho.

Hæc omnia magis patebunt ex responsione ad fundamentum aduersariorum , quod iam proponetur per modum obiectionis.

7.*Obiicies primo*,Prima & cõmunissima passio seu proprietas,per quã Philosophia naturalis seu Physica à Metaphysica distinguitur,est mobilitas:ergo subiectũ huius proprietatis adæquatum debet spectare ad Physicam,vel secundum se,vel secundum quod traditur à Philosopho: sed adæquatum subiectum istius proprietatis est substãtia finita vt sic,communis Angelis,& corporibus : ergo illa substantia est obiectum adæquatum Physicæ,aut secundum quod traditur à Philosopho , aut secundum se.

*Confirmatur* hoc proponendo eandem difficultatẽ clarius:cuicumque conuenit proprietas, per quam Physica distinguitur à Metaphysica,&cæteris sciẽtiis,illud debet esse cõsiderationis physicæ,& non metaphysicæ,nec vllius alterius sciẽtiæ,aliàs per eã nõ posset distingui ab illis aliis scientiis:sed mobilitas est talis proprietas : ergo cuicumq; cõuenit, debet esse cõsiderationis physicæ:sed Angeli sunt mobiles non solum motibus instantaneis ad intellectiones, & volitiones, sed etiam motu locali etiã successiuo,ergo sunt considerationis physicæ. Hoc autẽ supposito sequitur substantiam vt sic , communem materialibus,& immaterialibus esse obiectum adæquatum Physicæ, & corruit totum nostrum fundamentum.

*Confirmatur secundo* , quia Angeli vt mobiles spectant ad aliquam scientiam : non ad Metaphysicam,quia hæc agit de substantiis immobilibus tantummodo : ergo ad Physicam saltem secundum se.

*Respondetur* negando antecedens ; non enim mobilitas vt sic,neq; mobilitas quæcumq; est adæquata possio,per quam Physica distinguitur à Metaphysica ; id quod etiã ipsis aduersariis fatẽdum est,quandoquidem fateãtur de facto in Metaphysica agi de mobilitate Angelorũ , cum negent Physicam,prout de facto à nobis habetur, agere de Angelis,licet dicant Physicam aliquã possibilẽ agere de illa.Mobilitas ergo, quam considerat sola Physica,& qua à Metaphysica discernitur,est mobilitas competens substantiis corporeis aut materialibus ; & per hoc patet ad duas confirmationes , quarum vtriusq; minor est negãda cum probatione minoris secundæ confirmationis.

Et hæc responsio in re conuenit cum illa,quam dant alij authores , qui dicunt mobilitatẽ Angelorũ non spectare ad Physicã:quia non est physica mobilitas;intelligunt enim per physicam mobilitatem illam,quæ cõpetit corporibus,siue ille motus sit instantaneus,&indiuisibilis siue sit successiuus ac diuisibilis. Verum est quod alij alio modo explicant mobilitatem physicam , sed hic modus explicandi, & clarior est,& minus difficilis.

## CONCLVSIO II.

Physica habet obiectũ adæquatum distinctũ à Metaphysica.

8. *Physica est scientia sic distincta à Metaphysica, vt habeat obiectum adæquatum distinctũ ab obiecto adæquato Metaphysicæ.* Hæc est communissima cõtra *Auersam hic q.*1. *sect.*6.qui alios etiam pro se citat. *Probatur* autem manifeste, quia certum est,quod scientia agens de rebus corporeis solis distinguatur à sciẽtia,quæ agit de rebus spiritualibus,& gradibus qui sunt communes spiritualibus ac corporeis : sed per Metaphysicam intelligunt authores communiter scientiam, quæ agit de rebus abstractis à materia, seu incorporeis ; & per Physicam intelligunt scientiam,quæ agit de rebus corporeis indagando naturas,principia,&causas earum:ergo Physica,& Metaphysica secundum quod communiter intelliguntur hæc nomina,sunt scientiæ distinctissimæ,& distincta habẽt obiecta adæquata,siue intelligamus per obiectum adæquatum aggregatum ex omnibus obiectis,quæ considerantur in scientia,siue intelligamus vnum aliquod ex pluribus obiectis,quæ in scientia considerãtur.Quodsi *Auersa* non velit intelligere per Metaphysicam & Physicam hoc,quod cæteri, authores cõmuniter intelligũt, excitat tantum quæstionẽ de nomine,& eo ipso habebit peiorẽ

partem,

partem, quò vti voluerit nomine in particulari acceptione, in qua Doctores communiter eo non vtuntur absque vrgenti causa.

*Confirmatur hoc*, quia quamuis posset quis aggregatum ex omnibus particularibus scientiis, quæ includuntur in Metaphysica & Physica vocare vnam scientiam totalē, & quamuis hæc scientia totalis haberet vnum obiectum adæquatum, & vocari posset commode non solum Philosophia, sed etiam Philosophia naturalis, intelligendo per Philosophiam naturalem scientiam de naturis rerū, earūq; principiis ac causis acquisibilem viribus naturæ, quod vltro concedo; tamen non inde sequitur, quod Metaphysica vt Metaphysica, id est vt significat scientiam agentem de rebus abstractis à materia & corporeitate, non distinguatur & secundum se & secundum obiectū, à Physica vt Physica, id est à scientia tractante de rebus corporeis aut materialibus.

9. *Obijcies primo* pro *Auersa*: Non adest conueniens modus distinguendi Metaphysicam à Physica, quia non possunt assignari obiecta adæquata. *Respondetur* hoc negando, cuius ratio patebit ex dicendis.

*Obijcies secundo*: Res consideratæ in Metaphysica & Physica habent inter se magnam connexionem: ergo non debent esse distinctæ scientiæ.

*Respondeo* negando consequentiam, quia licet animal & homo sint maxime connexa, tamen scientia, quæ est de homine, est distinctæ rationis à scientia, quæ est de animali: & sane eodem modo, non obstante quacumque connexione, quæ est inter obiecta Physicæ & Metaphysicæ, certum est ipsas esse scientias diuersas, si intelligamus per Physicam scientiam de corporeis, & per Metaphysicam scientiam de incorporeis.

*Obijcies tertio*: De facto multa ex rebus, quæ dicuntur spectare ad Metaphysicam, tractantur in Physica, & è cōtra multa, quæ dicuntur spectare ad Physicam, tractātur in Metaphysica: ergo signum est, quod non distinguātur.

*Respondeo* negando consequentiam, quia metaphysicalia non tractantur per se in Physica, nec physicalia in Metaphysica, sed tantum per accidens, sicut metaphysicalia multa tractantur in Logica, & plurima quæ per se spectant ad vnam materiam Theologicam, tractantur in alia materia Theologica, cum tamen hoc non obstante Logica distinguatur à Metaphysica, & vna materia Theologica ab alia. Itaq; aliud est quod authores proponant inter proponenda obiecta physica aliqua obiecta metaphysica, quæ etiam in iis, quibus proponuntur, generant scientiam metaphysicam, quod non solum fieri potest & solet, sed etiā vtiliter fit; aliud est quod illa obiecta sint physica, aut scientia de ipsis habita sit physica scientia.

10. Et per hoc patet ad reliqua, quæ *Auersa* congerit in illa sectione, qui etiam sectione sequenti frustra conatur sententiam suam Aristotelis authoritate munire, vt facile esset ostendere, nisi sufficeret nobis quod ipsemet fateatur Aristotelem clare distinxisse Metaphysicam & Physicam tanquam duas scientias, id quod ex ipsis nominibus manifestum est: cur enim vna vocaretur Metaphysica, id est transnaturalis vel supernaturalis scientia, & altera Physica, id est naturalis scientia, nisi essent scientiæ distinctæ, & nisi haberēt obiecta adæquata distincta?

## CONCLVSIO III.

Substātia generabilis non est obiectum Physicæ.

11. *Obiectum adæquatum Physicæ non est substantia generabilis & corruptibilis.* Hæc est communior contra sextam sententiam, & *patet*, quia certum est quod cœli spectent ad Physicam, & tamen non sunt substantiæ generabiles aut corruptibiles vt communiter supponitur.

*Confirmatur*, quia Aristoteles habet in sua Physica peculiarem tractatū, in quo per se & expresse de cœlis agit, nec est vlla ratio aut authoritas, cur excluderentur à cōsideratione Physicæ; nec spectat ipsorum cōsideratio ad Metaphysicam, aut vllam aliam scientiam: ergo dicendum est, quod spectent per se ad Physicam.

*Obijcies*: Nulla substantia est considerationis physicæ, nisi substantia naturalis, id est constans natura, sed cœli non constant natura, quia non constant materia & forma, quæ solæ sunt naturæ physicæ considerationis, nec vlla alia substantia constat materia & forma, quæ non sit generabilis & corruptibilis: ergo solæ substantiæ generabiles & corruptibiles sunt obiecta Physicæ.

*Respondeo* negando minorem, tum quia secūdum communiorem sententiam cœli constant materia & forma: tum quia quamuis non cōstarent materia & forma physica, sed essent substantiæ physicè simplices (de quo suo loco) adhuc tamen constarent materia, quia constarent principio corporeo primo motus & quietis, quod principium est natura, prout natura accipitur hic.

## CONCLVSIO IV.

Substātia composita ex partibus physicis non est obiectū Physicæ.

12. *Substantia composita ex partibus essentialibus physicis non est obiectum adæquatum Physicæ sub illo conceptu.* Hanc tenet *Roccus* hic *q.* 3. vbi tamē male dicit corpus mathemathicum non distingui realiter à corpore naturali, cū tamen ibidem dicat corpus mathematicum esse quantitatem, quantitas autem secundum communem sententiā distinguitur à substantia: est autem conclusio contra *Complutenses q.* 4. *n.* 6. & videri potest esse contra illos authores, qui putant omnem substantiam corpoream esse compositam, sed reuera non reperio illam expresse negari ab illis.

*Probatur* autem, quia quamuis cœli non essent compositi ex materia, & forma, adhuc tamen essent considerationis physicæ: ergo substantia composita vt sic non est obiectum adæquatum Physicæ.

*Confirmatur*, quia quamuis cœli non essent sic compositi, nec etiam homo aut ignis, aut aqua, non essent considerationis metaphysicæ, nec vllius alterius scientiæ ex illis, quas de facto habemus; ergo essent considerationis physicæ, & consequenter substantia composita non est obiectum adæquatum Physicæ.

*Confirmatur secundo*, licet generabilitas, & corruptibilitas, non posset competere nisi substantiis compositis, tamen motus localis & alij motus ad qualitates possent competere substantiis, quæ de facto sunt compositæ, quamuis non essent compositæ: sed Physicæ est considerare substantias non solum vt mobiles motu generationis, & corruptionis, sed vt sunt mobiles aliis istis motibus: ergo substantia vt composita non est subiectum adæquatum Physicæ.

## CONCLVSIO V.

Obiectum Physicæ nō est ens nec mobile, nec naturale vt sic.

13. *Neque ens naturale, neque ens mobile vt sic, quatenus comprehendit sub se tanquam species substantias, ac accidentia naturalia, est obiectum adæquatum totius Physicæ: neque etiam vt comprehendit sub se tanquam species substantiam completam, & materiam ac formam, est obiectum adæquatum ipsius.* Hæc est contra secundam, & tertiam sententiam, & communis apud alios authores.

*Probatur primò*, quoad primam partem, quia nulla pars Physicæ ex omnibus, quas de facto tradidit Philosophus, agit de tali ente: ergo saltē Physica provt tradita à Philosopho, non habet pro obiecto adæquato tale ens.

*Probatur secundo*, quia non potest dari conceptus communis vniuoce omnibus substantiis, & accidentibus naturalibus, ergo ens vt sic commune illis nequit esse obiectum adæquatum Physicæ, quia illud quod est obiectū adæquatam scientiæ totalis, debet esse quid vniuocum omnibus illis, quæ tanquam species continet. Probatur antecedens, quia substantia dicitur naturalis, quatenus habet principium motus, aut quatenus est substantia corporea aut materialis: at accidentia dicuntur naturalia, quatenus spectant ad talem substantiam; vnde manifestum est quod non possit abstrahi ab illis conceptibus aliquis conceptus vniuocus entis naturalis.

*Quod si dicas* posse ab accidentibus abstrahi, & substātiis conceptus entis mobilis, *Contra est*, quia si hoc intelligatur de mobilitate subiectiua, per quam scilicet aliquid possit moueri ad aliquā formā, cuius sit subectū, nō cōuenit omnibus accidentibus naturalibus seu physicis sic moueri; si vero intelligatur de terminatiua mobilitate, certū est quod potius ens mobile mobilitate subiectiua debeat assignari pro obiecto adæquato, quam ens mobile mobilitate terminatiua, neq; potest assignari aliquis conceptus vniuocus entis mobilis vt sic abstractus ab ente mobili terminatiue, & ab ente mobili subiectiue;

ergo non est dicendum quod ens mobile, vt sic commune substantiis mobilibus, & accidentibus mobilibus, sit obiectum adæquatum Physicæ.

*Confirmatur*, quia accidētia omnia, quæ considerantur in Physica, cōmodissime reduci possunt ad subst̄ātiā corpoream, ergo nō est necesse vt aliquid cōmunius ipsis ac tali subst̄ātia assignetur pro obiecto adæquato Physicæ.

*Probatur secunda pars*, tum quia materia, & forma, cum sint partes essentiales compositi substantialis, ad tale cōpositum reduci debent: tum quia non datur aliquis cōceptus abstractus vniuoce communis substantiis cōpletis, & subst̄ātiis incompletis: ergo nihil communius materia, forma & substantia composita aut completa potest assignari pro obiecto adæquato Physicæ tam conuenienter, quam substantia completa.

14. *Obiicies*, Ens naturale aut mobile, prout commune ad substantiam completam, substantiam incompletam, ac accidentia, est considerationis alicuius scientiæ; non alterius quam Physicæ; ergo est obiectum Physicæ; non aliud quam adæquatum, ergo, &c.

*Respondeo* negando maiorem, quia cum sit analogum, non debet assignari pro obiecto vllius scientiæ: quod si etiam deberet assignari pro obiecto alicuius scientiæ, non deberet assignari pro obiecto adæquato, quoties aliquid vniuocum assignari potest pro obiecto, ad quod cætera omnia reducantur.

*Obiicies secundo*: Accidentia aliqua sunt mobilia etiam subiectiue, quantitas enim potest moueri localiter, & ad calorem, frigus, albedinē, &c. & quidem quod per se moueri possit indepēdenter à subst̄ātia, patet tū in quātitate Eucharistica, quæ de facto naturaliter mouetur, & localiter, & ad frigus ac calorem; tum etiā quia videtur quod potius subst̄ātia moueatur ratione quātitatis motu locali, quā quantitas ratione subst̄ātiæ, nā si separaretur quātitas à subst̄ātia, & hæc cōseruaretur, non posset moueri naturaliter, saltem ab agentibus corporeis; si autē cōseruaretur quantitas absq; substantia, posset sic moueri: ergo aliquid communius substantia, & accidentibus mobilibus debet assignari pro obiecto adæquato Physicæ.

*Respondeo* negando consequentiā: quāuis enim quantitas ex eo, quod sit quid mobile mobilitate etiā physica, sit per se cōsiderationis physicæ, sicut terminus, & nomē, & verbum sunt per se cōsiderationis logicæ, tamen non sequitur quod aliquid continens ipsam, tanquā specie, sit obiectū adæquatū Physicæ: bene enim aliquid potest per se spectare ad scientiam, quod nō sit species obiecti adæquati ipsius, modo sit aliquo alio modo reducibile ad obiectum adæquatum, quam per modum speciei; id quod in omnibus scientiis totalibus videri potest. Hæc respōsio clarior ac facilior apparet, quam illa quæ assignatur ab aliis, qui negant quantitatem per se moueri; cuius respōnsionis difficultas ex obiectione præmissa apparet.

## CONCLVSIO VI.

Substātia corporea completa est obiectum adæquatum Physicæ.

15. *Obiectum adæquatum Physicæ est substantia corporea completa.* Hæc videtur esse, & Scotistarum, & cæterorum authorum, qui dicunt corpus naturale aut corpus mobile fundamentaliter esse obiectum Physicæ. *Probatur* autem, quia ex suppositione quod nullum ex illis obiectis, quæ præcedentibus conclusionibus impugnauimus, sit obiectum adæquatum Physicæ, nullum aliud obiectū potest conuenientius assignari, quam huiusmodi corpus, quod sane credo neminem negaturum.

*Confirmatur*, quia cætera omnia obiecta, quæ considerantur à Physica, cōmodissime reduci possunt, vel tanquā species, vel tanquā partes essentiales, aut integrantes, vel tanquā proprietates & accidentia, vel tanquā principia, aut causæ ad huiusmodi corpus; & ipsum secundum se est quid vnum per se completum: ergo conuenientissime assignatur, tanquā obiectum adæquatū scientiæ physicæ.

Quid intelligitur per substantiam corpoream cōpletam.

Intelligo autē per substantiam corpoream cōpletam, substantiam, completam habentē partes extra partes cōnaturaliter loquēdo, qualis substantia vocatur ab aliquibus corpus metaphysicum, non quod sit considerationis metaphysicæ, sed ad distinctionē corporis mathematici, quæ est quantitas trinæ dimensionis, hoc est longa, lata, profunda, & corporis physici, quæ est altera pars viuentis, ipsum cum anima essentialiter constituens: quod corpus est quid incompletum, & per se quidē considerationis physicæ non minus, quam materia & forma, sed non per modum obiecti adæquati, nec per modum speciei directe sub obiecto adæquato contētæ. Malui etiam corpus sub hac consideratione assignare pro obiecto adæquato, quàm sub consideratione substantiæ compositæ ex materia & forma, propter dicta conclusione quarta.

16. *Obiicies ex Complutensibus*, qui licet fateantur in re corpus mobile, radicaliter sumpta mobilitate, esse obiectum adæquatum Physicæ, & licet in re secundum ipsos corpus mobile seu naturale, & ens mobile, seu naturale coincidant, tamen putant conuenientius assignari pro obiecto ens mobile, quā corpus mobile, aut naturale, & quam ens naturale. Certū est, illud, quod habet in se principiū motus, esse obiectū Physicæ, quia per hoc distinguitur Physica à cæteris scientiis, quòd agat de re habēte principiū motus: sed non est tam certū, quod omne mobile sit corpus, id enim probatur in Physica; est autē certū, quod omne quod mouetur sit ens; deinde nō est tā certū quod natura sit principium motus, sed est certum quod quidquid est principium motus sit ens: ergo melius assignatur pro obiecto adæquato Physicæ ens mobile, quam ens naturale, aut corpus mobile, aut naturale.

*Confirmatur* hoc obiectione communi apud Thomistas: Nulla scientia debet probare suum subiectum: sed in Physica probatur dari corpus naturale: ergo non debet assignari pro obiecto eius.

*Respondeo* distinguendo maiorem: illud quod habet in se principium motus cuiuscumque, nego maiorem, quia alias Angeli essent cōsiderationis Physicæ, quod negant aduersarij; motus naturalis, de quo agitur in Physica, cōcedo maiorē, & distinguo etiam minorē; non est certum quod omne mobile, id est omne illud, quod est vltimum subiectum motus cuiuscumque, sit corpus, concedo, quia oppositum potius est certum, constat enim Angelos esse vltimatum subiectū alicuius motus; non est certū quod omne mobile, quod est vltimatum subiectū omnis motus naturalis, sit corpus aut substantia corporea; nego minorē. Cū enim motus physicus seu naturalis sit motus competens corpori, & per hoc præcise distingui possit à motibus spiritualibus competentibus spiritibus, impossibile est intelligere, quod aliqua substantia, aut aliquod ens sit vltimatum subiectum motus physici, qui intelligatur eo ipso esse corpus à quocūque intelligente significationem huius nominis *corpus*. Similiter etiam intelligendo per naturam, vltimatum principium motus corporei, & per naturale, illud quod habet tale principium, prout cōmuniter intelligitur, euidens est non posse quē intelligere aliquid esse vltimū subiectum motus physici, quin intelligat illud esse naturale, & includere naturam.

Ad probationē autem minoris dico, quod si spectet ad vllam scientiam probare existentiam alicuius rei, non est inconueniens, quod Physica probet existētiam corporis, sicut ad illam spectat probare existētiam materiæ primæ & formæ substantialis materialis, imò id est necessariū, quia id nō spectat ad Metaphysicā, quæ nō agit de rebus materialibus, neque ad Mathematicam, aut Logicam, aut aliam scientiam. Quando autem dicitur quod scientia debet præsupponere suum subiectum, hoc non debet intelligi quoad existentiam, quia certum est quod possit dari scientia de re, quamuis non existeret, sed intelligi debet in hoc sensu, quod sciētia, per quam à priori cognoscitur aliqua passio, aut proprietas de re, debet habere pro præmissa suppositā propositionem, qua natura & essentia rei prædicatur de ipso, id quod certum est, quia sine tali propositione suppositā non posset haberi talis scientia.

Quomodo scientia debet præsupponere suum subiectum.

Dixi autē, si spectet ad aliquam sciētiam probare existentiam alicuius rei, quia sciētiæ abstrahere dicuntur ab existētiis rerum, & consequenter videri posset, quod non deberet vlla scientia probare existentiam alicuius rei. Et per hoc patet ad cōfirmationem, cuius vel maior est neganda, si spectet ad vllam scientiam probare existentiam rei, vel minor, si non spectet; an autē spectet, vel nō spectet, est quæstio de nomine, & dependens ab acceptione

scientiæ,

sciētiæ,quæ multipliciter accipitur,& in vno sensu ad eā potest spectare probare existentiā rei,in alio non potest.

## CONCLVSIO VII.

Ratio sub qua obiecti physici non est mobilitas, nec naturalitas.

18. *Ratio formalis, sub qua Physica considerat corpus, non est mobilitas etiam radicalis præcise,nec etiam naturalitas,accepta naturalitate pro principio motus, quasi scilicet non consideraret corpus aliquod,nisi vt est principium motus,aut mobilitatis formalis.* Hæc videri potest esse contra communem sententiam,tam Scotistarum,qui dicunt corpus naturale, vt naturale,esse obiectum Physicæ, nam per hoc denotat, quod naturalitas sit ratio formalis,secundum quam consideratur corpus in Physica;quam Thomistarum,qui dicunt, quod ens mobile, vt mobile, sit obiectum eius; quod meliores Thomistæ,& nominatim *Complutenses* ac *Ioannes à S.Thoma* hic intelligunt de mobilitate radicali.Eam autem tenet *Auersa* hic *quæst.2.sect.4.* & *Mastrius* etiam in re eam tenere videtur, quia expresse dicit quod naturalitas,prout est ratio formalis obiecti Physicę,non tantum est principium motus,sed aliarum etiam passionum res naturales consequentium,& facile inferius explicabitur in hoc sensu sententia Scotistarum. *Probatur* autem,quia certum est Physicam agere de corpore substantiali, & quatenus est quid compositum ex partibus integrantibus,& quatenus est quid compositum ex partibus physicis; sub hoc autem conceptu præcise non consideratur vt mobile.Deinde certum est,quod agat de calore vt est calefactiuus, & de albedine vt est disgregatiua visus, & de quantitate vt est expulsiua aliarum rerum ab eodem loco, quæ tamen sub his considerationibus non sunt mobilia, nec formaliter nec radicaliter etiam sic, vt habeatur conceptus de radice mobilitatis, quatenus est radix mobilitatis.

19. Verum quidem est, quod omne id,quod consideratur in Physica, sit mobile physicè, vel spectans aliquo modo ad id,quod est mobile, & quod Physica possit distingui à cæteris scientiis per hoc,quod agat de rebus sic mobilibus,& habentibus principium radicale motus,& pertinētibus ad talia,& fortassis nihil aliud volunt Scotistæ ac Thomistæ, sed non negatur in conclusione, sed tātum in ea asseritur, quod non consideret Physica illas res præcise sub illa ratione. Ad quod etiam adiungi potest, quod possit Physica ab aliis sciētiis discerni per ordinem ad obiectum adæquatum sub alia ratione consideratum,etiam quamuis per impossibile illud obiectum non esset mobile aut naturale, prout naturale concipitur per modum principij radicalis motus, quia eo ipso quo consideraret substantiam corpoream vt corpoream, & pertinentia ad ipsam, vt sic distingueretur ab aliis scientiis, quæ de tali substantia non agunt.

## CONCLVSIO VIII.

Quænā sit ratio sub qua obiecti physicæ.

20. *Ratio formalis, sub qua Physica considerat corpus, seu substantiam corpoream, est differentia illa per quam constituitur in esse corporis, & distinguitur à spiritibus ac cæteris, quæ non sunt corpora.* Hæc sequitur ex dictis,quia ex suppositione præmissæ conclusionis nulla alia ratio formalis conuenientius assignari potest, tum quia hæc est prima formalitas, per quam abstrahitur substantia corporea à cōsideratione Metaphysicæ,ac aliarum scientiarum:tum quia nulla alia agit de corpore sub hac formalitate, & etiam quia omnia, quæ considerantur in Physica, reducuntur ad corpus vt corpus, tum denique quia non possumus habere cōceptum de corpore, vt est mobile physice,quin consideremus ipsum,vt est corpus,&possumus considerare ipsum vt corpus, quin consideremus ipsum vt habens principium motus;ergo quandoquidem considerando ipsum vt corpus possimus distinguere Physicam per ordinem ad ipsum vt sic consideratum ab aliis scientiis,potius ratio, qua vt sic constituitur, debet assignari obiectum formale Physicæ, quàm ratio mobilitatis radicalis aut naturalitatis,vt hæc capitur pro principio motus,aut vlla denique alia ratio.

*Obiicies Scotum*,qui 6.*Metaph.q.*1.asserit corpus naturale vt naturale,id est vt habens principium motus, & quietis, esse obiectum Physicæ, & idem corpus, non tamen vt naturale, sed secundum aliam considerationem, nimirū vt est capax quantitatis,esse obiectū Mathematicæ,ergo cōtra ipsum est hæc,ac etiā præcedens cōclusio.

21. *Respondeo* explicando *Scoti* mentem,quæ non erat quod corpus naturale,id est vt habet principium motus, præcise esset obiectum adæquatum Physicæ, quasi non consideraretur alio modo, & quasi nihil consideraretur in Physica, nisi per modum mobilis, aut pertinentis ad mobile qua mobile;sed voluit tātum quod corpus naturale, id est corpus secundum naturam intrinsecam suam esset obiectum adæquatum, quod est quod asseritur in hac conclusione:nā natura intrinseca corporis,qua corpus,est differentia cōstitutiua corporis;vnde corpus naturale in hac significatione coincidit cum corpore quà corpus est.Nec refert,quod dicat corpus,etiam quà corpus,esse obiectum Mathematicæ: nam præterquā quod hoc ipsum difficile sit, cum communiter assignetur pro obiecto Mathematicæ quantitas, & cum reuera Mathematica non curet vlla ratione de corpore substātiali quà tale,quia etiamsi non daretur tale corpus,adhuc daretur corpus integrum Mathematicum,modo daretur quantitas;nec etiam credo quod agat de quantitate secundum propriā suam rationem, quia quamuis non daretur quātitas talis,modò daretur substantia extēsa cum coloribus extēsis,adhuc daretur Mathematica, vnde credo Mathematicam considerare corpus, quatenus corpus accipitur pro re extēsa sensibili trinæ dimensionis,siue illa res sit quantitas,siue sit color,siue sit substantia. Sed quidquid sit de hoc, quando *Scotus* vult quod corpus substantiale sit etiam subiectum Mathematicæ,non vult tamen quod vt corpus substātiale sit subiectū eius,sed vt aliquod habens trinam dimensionem præcise.Itaque potest cōsiderari corpus substantiale, vt est aliquid trinæ dimēsionis, & vt sic,non distinguitur à quantitate trinæ dimēsionis; & potest considerari vt est aliquid substantiale completum habens partes extra partes, & in hoc secundo sensu est subiectum Physicæ,& optime significatur per corpus substantiale,vt corpus substantiale,&potest etiam significari per corpus naturale.In primo vero sensu est subiectum Mathematicæ, & potest vocari propterea corpus Mathematicum, & corpus trinæ dimensionis,& corpus etiam capax quantitatis,quia quidquid est trinæ dimensionis, est capax quantitatis, quia vel potest subiectare quantitatem,vel subiectari in quantitate,aut in re quanta, vel esse idem realiter cum quantitate.

Quid sit corpus quod est obiectum Mathematicæ.

Quod totum dictum est ad explicationem *Scoti* in loco prædicto,quamuis non profitear defendere,quidquid ab eo asseritur in aliis operibus præter libros Sententiarum,& Quodlibeta,sicut nec Thomistæ defendunt omnia,quæ dicit D.Thomas in sententiis,aut aliis operibus præter Summam.

*Obiicies secundo*,Corpus substantiale est obiectum materiale adæquatum Philosophiæ: ergo aliqua alia ratio debet superaddi ipsi,quæ sit ratio formalis.

*Respondeo primo*,negando consequentiam,quia quando ratio quæ consideratur ab vna scientia non consideratur ab alia scientia,eadem ratio potest assignari pro obiecto formali,& materiali;pro materiali quidem, quatenus est illa quæ consideratur, pro formali autem quatenus secūdum illam solam rationem consideratur vt obiectum adæquatum:quod patet in Metaphysica,cuius obiectum adæquatum materiale,& formale est ens,vt ens.

*Respondeo secundo*,si velimus distinguere formaliter in obiecto Physicæ ratione formalem,& materiale, distinguendo antecedēs:corpus substantiale seu substantia corporea,vt corporea,est obiectū materiale,nego antecedēs; illa res quæ est substantia corporea sub consideratione aut entis aut substantiæ præcise est obiectū materiale, & corporeitas,quæ est differētia cōtrahens rem illā ad esse substātiæ corporeæ est ratio formalis,secundū quā consideratur, cōcedo antecedens;vnde distinguo etiā consequēs:debet superaddi aliquid substātiæ corporeæ consideratæ vt corporeæ,nego consequentiā;debet superaddi aliquid isti rei, quæ est substantia corporea, consideratæ aut sub ratione entis, aut sub ratione substantiæ vt sic, concedo consequentiam,superadditur enim corporeitas.

*Obijcies tertio*, Corpus substantiale vt sic, est obiectum adæquatum horum octo librorum Physicæ auscultationis, quos iam explicamus: ergo non est obiectum adæquatum totius Philosophiæ naturalis.

*Respondeo* distinguendo antecedens: secundum se præcise, & vt non comprehendit species suas, concedo, secundum quod comprehendit species, nego; & distinguo etiam consequens: secundum se, & vt non comprehendit species suas, concedo; vt comprehendit species, nego.

Et hæc sufficiant ad explicationem quæstionis huius, magis intricatæ quam vtilis: quantum autem ad rem ipsam sufficeret scire, quod Physica habeat pro obiecto res corporeas omnes secundum naturam suam, intrinseca principia, causas, & proprietates ita, vt non agat de aliqua alia re, & agat de omni tali, & quod in his octo libris ex omnibus rebus corporeis agatur de corpore naturali seu substantia corporea vt sic, secundum omnes affectiones, proprietates, principia, causas, reliquasque affectiones eius.

*ADDITIO.*

DOctrinã meam in hac quæstione conclusione prima conatur impugnare Mastrius disp. 1. Metaphysicæ *n.* 17. §. *quoad conceptum substantiæ*, & imprimis contra explicationem, quam *n.* 6. adhibeo authoritati Scoti in fauorem suæ sententiæ à Mastrio adductæ, instat, quod quicumque est in Aristotelis idiomate leuiter versatus, scit apud Aristotelem per primam scientiam, & Philosophiam intelligi Metaphysicam, & per secundam Physicam: cum ergo, inquit, Doctor vtatur phrasi Aristotelica per primam Philosophiam intelligit Metaphysicam, per secundam Physicam. Deinde addit gratis me negare mobilitatem, vt sic, esse passionem adæquatam obiecti adæquati Physicæ; nam per eam Philosophus præcise secernit Physicam à Metaphysica, qui propterea docuit Angelos ad Metaphysicam spectare, quia putauit eos immobiles, Quare concludit falsum esse vllum motum ad Metaphysicam spectare, & portentum esse in Philosophia oppositum asserere; neque ipse vnquam docuit agi in Metaphysica de motu Angelorum; & quamuis neget de eo agi in Physica, quæ habetur à nobis; non tamen ob id asserit de ipso agi in Metaphysica, quia secundum Aristotelem, & quantum potest colligi ex sensibilibus, sunt immobiles; nec vnquam dixit Aristoteles Physicam à Metaphysica distingui per mobilitatem corpoream & materialem, sed per motum absolutè loquendo. Confirmat hoc quia motus spirituales animæ, & etiam intellectiones ac volitiones ad Physicam spectant. Quia vero ad hoc respondi illos motus esse materiales quatenus sunt motus corporis seu rei materialis, quamuis intrinsecè sint spiritales; quia vt exercentur in corpore dependent à Phantasmatibus, & ab iis operari denominatur substantia corporea; dicitur enim de homine, quod intelligat & velit per illas operationes.

Contra hoc replicat Mastrius me, eam adhibẽdo mihi non constare, cum sæpius dicam mobilitatem corporeã, esse eam quæ substantiæ corporeæ competit, & in ea tãquam in subiecto recipitur: quod & ratio ipsa suadet, inquit, non enim dicitur motus corporeus & spiritualis, quia fit ab Agente corporeo & spiritali, sed quia recipitur in subiecto extenso vel inextenso.

Hinc soluit meas rationes & ad primam propositam *n.* 4. Respondet Angelos non abstrahere à materia, à qua non abstrahit obiectũ Physicæ, quia illa materia non est materia partis; sed materia, quæ secundum locum est mobilis, ab hac autem non abstrahit Angelus cum sit mobilis. Ad secundam propositam num. 5. §. *Confirmatur secundo*. Respondet negando minorem, nempe quod nihil impediat quo minus illa scientia, quæ de facto vocatur Physica, dicatur esse scientia tractans de solis corporeis; quia agit de ente mobili quocumque, non sola autẽ corporea sunt mobilia. Addit denique pro coronide censurã Canonici, ad quam quia Respondi in mea Apologia nihil hic dicam. Ad reliqua vero breuiter respondendum.

Dico ergo imprimis, quãuis per secũdã Philosophiã intelligatur Physica in idiomate Philosophi; & in hoc Scotus esset versatissimus, nõ sequi inde, quod secũda scientia de qua eo loci egit Scotus, sit Physica: nam Philosophus, egit de secũda scientia ex iis, quas nos de facto acquirimus, quæ est Physica; Scotus vero locutus est de secũda scientia, non quæ habetur, sed quæ possit haberi, vnde manifestũ est quod quamuis secunda scientia, de qua egit Philosophus sit Physica, non inde sequatur quod secũda scientia, de qua Scotus in illo loco mentionem facit, debeat dici Physica. Imo certum videri debet, quod iuxta doctrinam quam ibi proponit Scotus, scientia quæ de facto est secũda, & quæ vocatur merito Physica, esset tertia & non secunda respectiuè ad scientias illas, de quibus egit Scotus: prima enim esset scientia de ente vt sic, & cæteris immaterialibus eo modo, quo à nobis de facto cognoscuntur, secũda vero esset scientia illa possibilis, de qua Scotus, qua cognoscerẽtur immaterialia distinctè secundum propriã rationem; tertia denique esset scientia, quæ est de materialibus, quæque vocatur Physica, & est iam secunda.

Rursus quod illa scientia de immaterialibus, de qua Scotus, non esset Physica, sed alia scientia alio aliquo gaudẽs nomine, patet non solum ex communi acceptione vocis Physicæ, per quam Authores communiter intelligunt scientiam, quæ tractat solum de rebus materialibus & corporeis, quales non essent substantiæ separatæ, de quibus illa scientia ageret & quidem solis; sed etiam ex ipsomet eodem loco Scoti, qui sine dubio ibi agit de obiecto adæquato, quod dicit esse substantiam immaterialem, sed manifestum est, quod talis substantia non possit esse obiectum adæquatum Physicæ, cum hæc agat etiam secundum ipsum Mastrium de rebus corporeis: ergo secundum Scotum illa secunda scientia, de qua agit, non esset Physica.

Vlterius: Certum est me non negauisse gratis mobilitatem vt sic esse passionem adæquatam obiecti Physicæ; nam adduxi rationes satis apparẽtes, & quas iam ostẽdo non soluisse bene Mastriũ. Et quamuis Philosophus discriminet Metaphysicã à Physica per ordinem ad motũ, hoc tamen intelligẽdum est de motu sensibili & corporeo, seu de motu competenti rei materiali & corporeæ, cuius oppositum deberet hic probare Mastrius, si vellet facere aliquid ad propositum. Fateor neminem ad impossibile teneri; at nec tentandum esset, quod fieri non posset.

Deinde consequenter sane negat hic se docere mobilitatem Angelorum spectare de facto ad Metaphysicam, & ego fateri debeo me non adeo bene id suppossuisse: sed huic defectui veniam spero dabit Mastrius, quia occasionem ei dederat opinio, quam de ipsius doctrina conceperam; existimabam enim non posse tam crassam in ipsũ cadere ignorantiam, vt id negaret, præsertim cum fateatur illam mobilitatem non spectare ad Physicam, nam certè cum habeatur de factè cognitio naturalis de mobilitate Angelorum & illa non spectet ad Mathematicam, aut Physicam, debet sine dubio spectare ad Metaphysicã. Nec sat intelligo, quid velit hic bonus author, dum ait quantum ex sensibilibus cognoscere possumus, Angelos esse immobiles; nam certum est, quod ex sensibilibus nõ habemus argumenta vlla, quibus probemus Angelorum immobilitatem; & non minus certum est, quod naturaliter possimus potius colligere, quod sint mobiles quàm immobiles, quandoquidem ex limitatione & finitate ipsorum possimus cognoscere, quod non sint immensi & quod aliunde constat non magis eos petere esse in vna parte determinata vniuersi, quam in quacumque alia, & quod proinde non solum Deus possit eos ab vno ad aliũ locum mouere, sed longè verisimilius sit illam facultatẽ ipsismet cõpetere. Hæc ergo cognitio naturalis, quæ est de mobilitate Angelorum ad aliquam scientiam ex iis, quas de facto haberemus pertinet; si ad Physicam, malè negat id Mastrius: si non ad Physicam, ergo ad Metaphysicam (neq; enim vllus dixerit quod spectet ad Mathematicam) & consequenter id malè negatur à Mastrio, qui etiam propterea fateri debet nõ quemcumq; motum aut mobilitatem esse proprietatem adæquatam Physicæ; nec me gratis, sed cum summo fundamento id negasse.

Ad

*Ad confirmationẽ*, de motibus spiritualibus animæ qui spectant ad Physicam, persisto in mea responsione, eos propterea spectare ad hanc scientiam, quia licet intrinsecè sint spirituales, sicut & subiectum immediatum earum, nempe anima, tamen sunt materiales inquantum ad hoc, quod denominant substantiam materialem & spectant propterea ad illam: nam Physica, quæ considerat substantiam materialem, debet agere etiam de omnibus affectionibus, proprietatibus & accidentibus ipsius; operationes autem omnes, quibus denominatur operari sunt sine dubio affectiones eius & accidentia etiam ipsius, vel immediatè, vel mediatè inexistentes ipsi, quod manifestum est: nec habet apparentiam, quod hoc modo respõdendo non cohæream mihi, nam quando dixi mobilitatem corpoream spectantem ad Physicam esse eam, quæ competit corpori & in ea recipitur velut in subiecto, nó video, quomodo præiudicet huic responsioni: nam mobilitas & motus illi animi spirituales competunt etiam corpori & in eo subiectantur etiam, non quidem immediatè, sed mediante anima; neque ego dixi, quod omnis mobilitas corporea spectans ad Physicam debeat esse in corpore tanquã in subiecto immediato. Et quãuis motus habeat esse intrinsecè spiritualis, aut materialis à subiecto inhæsionis spirituali vel materiali, non tamen à solo subiecto inhæsionis habet esse sic materialis vt debeat spectare ad Physicá; sed etiam à subiecto denominationis; nam nihil aliud est esse sic materiale, quam esse aliquid spectans ad substantiam materialem aliquo modo, tanquã affectio, aut operatio, aut accidens ipsius spectat ad ipsum tanquam ad subiectum inhæsionis siue denominationis. In quo nulla prorsus est difficultas.

Ex quo patet nõ valere solutiones Mastrij ad mea fũdamenta. Non quidẽ prima ad primũ quia quando Metaphysica dicitur abstrahere à materia; hoc nõ debet vllo modo intelligi de materia quæ est subiectum motus tũ propter hactenus dicta, tum quia ex communi omnium sensu ex eo, quod Physica nõ abstrahit à materia & metaphysica abstrahat, intelligitur quod Physica agat de rebus materialibus tãtum & Metaphysica non agat: sed quamuis omnes concedant Angelos esse mobiles, nemo tamen vocauit illos substantias materiales: ergo non includunt materiam illam per ordinem ad quam secernitur Metaphysica à Physica, quia illa materia est à qua dicitur substantia materialis. Dicere autem quod Angeli constent materia, aut dicant materiam, quia sunt subiectum motus seu mobiles, est omnino abuti vocibus.

Non etiam ad secũdum, quia ex dictis patet, supposito quod possit institui sciẽtia de solis materialibus, quæ nõ ageret de Angelis vllo modo, nullam esse rationem cur talis non dicatur Physica, cum illa re vera agat de materialibus vt omnes fatentur, & non agat de Angelis: nec valet dicere cum Mastrio, quod propterea non agit de Angelis quia Aristoteles putauit illos omnino immobiles: nam imprimis male cõsulitur honori Aristotelis attribuendo ipsi absq; causa talem errorem, cuius nec probabilem rationem aliquam habere potuit; vnde satius esset dicere, quod si dicat eos alicubi immobiles, id intelligendum de immobilitate oppositа mobilitati Physicæ, quomodo sine dubio sunt immobiles; neque enim sunt mobiles tali mobilitate cum sint substantiæ spirituales.

Deinde quamuis essent immobiles immobilitate locali in sententia ipsius; tamen non habet apparentiam, quod voluerit ipsos esse immobiles, quoad intellectiones & volitiones; vnde si sufficeret quæcumque mobilitas ad comprehendendos illos sub consideratione physica, non deberet Philosophus ab illa eos excludere.

Denique quamuis secundum Philosophum essent penitus immobiles & propterea à Physica arcendi; tamen secundum omnes iam Philosophos sunt mobiles localiter & intentionaliter, & tamen nemo dicit, quod spectãt ad considerationem Physicam, nec quidem ipse Mastrius: ergo signum est, quod non quæcũque mobilitas sufficiat vt aliquid consideretur à Physica; & consequenter appareret Physicam esse scientiam quæ de solis materialibus agit, quod gratis negat Mastrius in hac sua responsione. Nec iuuat quod addit, si per materialitatem & immaterialitatem distinguendæ essent hæ duæ scientiæ, Metaphysica & Physica, eas non distinguendas per rationem motus: nam sequela neganda est, quamuis enim à priori distinguendæ sint per materialitatem & immaterialitatem, à posteriori tamen distingui poterunt & debent per motum, non tamen quemcumque sed sensibilem, quatenus Physica dicenda est de illa, quæ agit de re quacumque, quæ sic moueri possit; Metaphysica vero quæ agit de substantiis quæ sic moueri nequeunt, & propterea vnà dicenda sit diuersæ rationis ab altera.

## QVÆSTIO II.

### *Vtrum Physica sit scientia speculatiua vnа.*

24. TRes difficultates hic breuiter examinabimus, quoniam earum resolutio suppositis iis, quæ dicta sũt in Logica, est satis facilis, prima est an Physica sit scientia, secunda an sit speculatiua, tertia an sit vna.

Pro resolutione autem primæ partis, aduertendum est Philosophiam naturalem seu Physicam posse capi duobus modis; primo pro omni cognitione, quæ habetur de rebus naturalibus, & quæ traduntur in libris illis aut scriptis, quæ, quia tractãt de rebus naturalibus, communiter vocari solẽt Philosophia naturalis aut physica. Secundo potest capi pro solis cognitionibus sciẽtificis siue à priori siue à posteriori, quæ habentur de rebus naturalibus, & in hoc secundo sensu non potest esse controuersia, an Philosophia naturalis sit scientia, quia si capiatur Philosophia naturalis pro scientia rerum naturaliũ, tam certum est Philosophiam esse scientiam, quàm certũ est scientiam esse scientiam. Vnde difficultas non debet examinari in hoc sensu, sed vel in primo sensu, vel in hoc alio, an de rebus naturalibus detur scientia.

### CONCLVSIO I.

Datur sciẽtia de rebus naturalibus.

25. *Datur scientia de rebus naturalibus, & consequenter Physica accepta pro aggregato ex omnibus cognitionibus, quæ habentur de rebus naturalibus, quantum ad aliquam partem sui est scientia.* Hæc in re ipsa est communis, & secunda pars euidenter sequitur ex prima, quæ sola propterea indiget probatione.

*Probatur illa ergo prima pars*, quia ex eo, quod corpus naturale sit illud, quod habet in se principium motus, sequitur scientificè, quod sit mobile; & ex eo, quod substantia materialis composita includat materiam dicentem aptitudinem ad omnes formas, sequitur scientificè, quod illa substantia sit corruptibilis, & quod alia substantia nimirum illa, quæ esset composita ex eadem materia & alia forma, ad quam diceret inclinationem, sit generabilis; & ex eo quod nullum compositum sit à se necessariò, sequitur scientificè, quod habeat dependentiam ab alio, à quo fiat, & aliæ multæ similes cognitiones scientificæ habentur de facto, & plures haberi possunt de rebus naturalibus, ergo datur scientia de illis.

26. *Obijcies*, Res naturales omnes sunt mutabiles, & aliquæ ex illis sunt generabiles, & corruptibiles, sed scientia non potest haberi de talibus rebus, quia est de subiecto inuariabili, ergo de rebus naturalibus non habetur scientia.

*Respondeo* distinguendo maiorem, sunt mutabiles, generabiles, aut corruptibiles quantum ad ea prædicata, quæ de ipsis scientificè cognoscuntur, sic vt possint esse quin habeant illa prædicata, nego; quantum ad suã existentiã & alia prædicata, quæ scientificè non cognoscuntur de ipsis, concedo maiorem, & similiter distinguo minorem: non potest haberi de ipsis quantũ ad illa prædicata, quæ necessariò conueniunt ipsis, nego; quantum ad alia, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque mobilitas, corruptibilitas, generabilitas, & prædicata alia multa necessariò conueniunt rebus naturalibus, ita vt non possint esse sine ipsis, etiam de potentia absoluta; vnde potest dari cognitio scientifica de illis, qua cognoscãtur de illis talia prædicata; alia verò prædicata conueniunt illis, vt

esse in hoc loco, in hoc tempore, sub hac quantitate, aut qualitate, aut relatione, & hæc non possunt de ipsis scientificè cognosci.

## CONCLVSIO II.

Physica quoad omnem partem nō est scientia.

27. *Si capiatur Physica pro omnibus cognitionibus, quæ habentur in libris & scriptis, quæ intitulantur Physica, tota Physica, quoad omnem partem sui non est scientia, sed quoad partem tantum est scientia, quoad partem intellectus, quoad partem opinio, quoad partem fides.* Hæc etiam in re est communis. *Probatur*, quia sicut dantur de rebus naturalibus aliquæ cognitiones scientificæ, ita dantur etiam cognitiones principiorum, ex quibus deducuntur istæ cognitiones scientificæ, quæ cognitiones, cum non sint discursiuæ, quandoquidem habeantur ex euidentia ipsorum principiorum, apprehensis terminis, non possunt esse scientificæ, quia omnis cognitio scientifica est discursiua, loquendo de scientia in rigore, prout de ea loquimur. *Deinde* dantur multæ cognitiones probabiles de rebus physicis, vt patet ex tanta opinionum diuersitate, quæ etiam post tot annorum diligentissimum examen per viros summi ingenij, & industriæ factum perseuerat; & dantur etiam plurimæ cognitiones fidei humanæ de illis, quæ scilicet innituntur authoritati Philosophi ac aliorum, ergo Physica hoc modo accepta partim tantum est scientia, partim intellectus seu cognitio principiorum, partim fides, partim opinio; imo cum plures tractentur cognitiones probabile in tractatibus ac disputationibus physicis de facto, quàm cognitiones scientificæ, videtur Physica accepta pro huiusmodi tractatibus, ac libris simpliciter potius vocanda cognitio opinatiua quam scientia. Quod etiam eodem modo de Logica ac cæteris totalibus disciplinis sentiendum puto.

## CONCLVSIO III.

Physica est speculatiua.

28. *Physica quoad omnem sui partem, nisi quis ad eam velit reducere tanquam partem Medicinam, Alchimiam, ac similes facultates, est speculatiua.* Hæc est communissima, vt propterea non sit necesse citare authores vllos.

*Probatur* autem, quia non considerat obiectum vllum modo operabili dando scilicet præcepta & regulas in ordine ad illud faciendum, ergo quoad nullam partem est practica, & consequenter quoad omnem partem est speculatiua, quia, vt modo suppono ex dictis in Logica, non datur medium inter facultatem practicam & speculatiuam; quod qui negaret, non nisi quæstionem de nomine excitaret.

*Confirmatur*, quia nullus est qui non existimet Logicam potius, aut saltem æque, esse practicam, siue simpliciter, siue quoad aliquam saltem partem, ac Physicam: sed Logica, vt suppono ex dictis in Logica, non est practica nec simpliciter, nec quoad vllam partem, ergo nec Physica est aut simpliciter, aut quoad vllam partem practica.

*Confirmatur secundo*, quia omnis scientia practica est excogitata, & collecta simul ad remediandos errores, ac defectus, qui in aliquibus rebus faciendis committi solebant, vel in ordine ad hoc, vt aliquid de nouo fieret aut produceretur beneficio artis, quod alias fieri non solebat, aut non fiebat tam commodè: sed certum est Physicam non fuisse excogitatam ac collectam ob hoc, imo quamuis possemus absque Physica cognoscere, quomodo omnia naturalia commodissime fieri possent, adhuc cognitionis gratia excogitanda esset & colligenda Physica, ergo non est dicenda practica.

29. Dixi autem in conclusione, nisi quis velit ad Physicam, tanquam partes reducere Medicinam, Alchimiam & similes facultates, quia certum est, quod si quis acciperet Physicam pro aggregato ex omnibus cognitionibus, quæ esset de corporibus ac rebus naturalibus, quod Medicina, Alchimia, Agricultura, & similes facultates essent partes physicæ, & consequenter quod Physica, quoad aliquam partem esset practica; sed hoc esset mouere quæstionem de nomine contra communem Doctorum sententiam, qui existimant illas facultates non esse partes Physicæ, sed facultates omnino distinctas, subordinatas tamen & subalternatas ipsi; cuius etiam distinctionis commoda ratio esset, quod per Physicam intelligi debeat ex communi authorum vsu scientia speculatiua de naturalibus; vnde non debet tanquam partem includere aliquam scientiam seu facultatem practicam, nec consequenter Medicinam, Alchimiam, Agriculturam, aut similia. Cur Medicina nō sit pars Physicæ.

30. *Obijcies primò*, Physica inclinat nos ad amorem Dei, qui est praxis, ergo erit practica.

*Respondeo* distinguendo antecedens, directè ostendendo nobis nos debere amare Deum, & quomodo amari possit, nego antecedens; indirecte quatenus ex consideratione rerum naturalium, ac dependentia earum à Deo, possit quis assurgere in laudem ipsius, ipsumque reuereri ac amare, concedo antecedens, & nego consequentiã, quia non sufficit huiusmodi indirecta inclinatio ad praxim ad hoc, vt scientia sit practica, alias nulla esset scientia totalis, quæ non esset practica, & præcipue Metaphysica esset practica, quæ magis agit de Deo, ac proprietatibus eius, & quæ propterea magis deseruit ad ipsum amandum ac honorandum, quam Physica.

*Obijcies secundo*: Ethica est practica, quia agit de operationibus intellectus & voluntatis, sed Physica in parte illa, quæ agit de homine, contemplatur illas operationes, ergo quoad illam partem erit practica.

*Respondeo* distinguendo maiorem: quia agit de illis quomodocumque, nego; quia agit de illis modo practico ostendendo quomodo bene & male possint fieri moraliter, concedo maiorem, distinguo etiam minorem, agit de ipsis modo practico, nego; alio modo, concedo minorem, & nego consequentiam.

*Obijcies tertio*, Medicina & Alchimia sunt partes Physicæ, sed sunt practicæ, ergo Physica quoad partem est practica.

Hæc obiectio non currit contra conclusionem vt iacet, & patet solutio ex dictis, quia vel negandum est quod sint partes Philosophiæ naturalis, quamuis includant multas cognitiones physicas propter subalternationem earum ad Physicam iuxta illud, vbi desinit Physicus, ibi incipit Medicus; vel concedendum quod Physica quoad illas partes, si dicantur partes eius, sit practica; nec in re esset inconueniens, quod vna scientia totalis includeret plures partes, quarum aliqua esset speculatiua, aliqua practica.

## CONCLVSIO IV.

Physica nō est vna simplex qualitas.

31. *Physica siue actualiter sumatur siue habitualiter, non est vna simplex qualitas, sed aggregatum quid ex pluribus qualitatibus.* Hæc est omnium Scotistarum, ac magis cõmunis apud recentiores, & patet ex dictis in proœmialibus Logicæ, quæ hic repetenda non sunt.

*Probatur* tamen breuiter, quia obiecta physica habent diuersam difficultatem in cognoscibilitate, ita vt quamuis aliquis acquireret facilitatem cognoscendi aliqua ex illis, possit habere difficultatem maximam in cognoscendis aliis, ergo nec eodem actu omnia cognoscuntur, quod omnes fatentur, nec eodem solo habitu facilitatur intellectus ad omnia cognoscenda. Antecedens patet experientia, & euidenter deducitur ex diuersis sententiis, quæ sunt de pluribus obiectis physicis apud authores, qui conueniunt in sententia de aliquibus obiectis; quod sane oritur ex diuersa difficultate.

*Confirmatur*, quia facilitamur ad plures cognitiones physicas per scientiam, ad alias per opinionem, ad alias per fidem; ergo non eodẽ simplici habitu facilitamur ad omnes cognitiones actuales physicas, & consequenter Physica habitualis totalis non potest esse vna simplex qualitas. *Nec refert* quod omnia obiecta physica habeant eandem abstractionem à materia, quia cum hoc potest stare maxima diuersitas specifica tam in actibus quam in habitibus, qui versantur circa illa obiecta. *Nec etiam refert* quod specificetur Physica ab illa abstractione: neque enim hoc intelligendum est, quasi tota ratio specificandi ipsam sit illa abstractio; sed sic, quod per ordinẽ ad talẽ abstractionem possit cognosci quod sit distinctæ speciei ab omnibus aliis scibilibus, quæ non habẽt ordinẽ ad talẽ abstractionem: ex hoc autem non infertur quod omnes

cognitio

cognitiones,ac habitus physici sint eiusdem speciei inter se, sed quod conueniant in vna ratione particulari, in qua distinguuntur à cæteris scientiis omnibus. Videantur dicta in proœmio Logicæ & in disputatione de Scientia.

An Physica subalternetur Metaphysicæ

32. *Quæres*, an Physica subalternetur Metaphysicæ. Ad hanc quæstionem mere nominalẽ,& parui momenti respondendum breuiter eam subalternari Metaphysicæ, quantum ad hoc, quod corpus naturale, quod est obiectum eius adæquatum, sit species cõtenta sub ente,quod est obiectum adæquatum Metaphysicæ; & quantum ad hoc etiam, quod propositio Metaphysica possit assumi tanquam principium ad probandum aliquam conclusionem physicam; quo etiam modo nulla fere scientia est, quæ alteri non possit subalternari: quia in discursibus, qui fiunt à paritate rationis,aut à maiori ad minus,aut è contra, potest assumi ex quacumque scientia aliqua propositio tanquam præmissa ad probandam aliquam conclusionem cuiuscumque alterius scientiæ.

Sed non est ipsi subalternata sic, vt Metaphysicæ sit assignare ipsi obiectum (quidquid dicant alij) nec enim Metaphysica vllo modo attingit obiectum Physicæ,cum vt suppono, sit extra obiectum eius adæquatum;quod si posset attingere obiectum Physicæ, sane illud obiectum esset considerationis metaphysicæ, & sic esset obiectum partiale Metaphysicæ,quod est absurdum ex suppositione communi quod Physica, & Metaphysica sint distinctæ scientiæ, & quod Physica non sit pars Metaphysicæ.

Nec etiam est ipsi subalternata sic, vt non habeat principia prima propria,ex quibus deducat suas conclusiones; nec sic, vt obiectum adæquatum eius sit illud ipsum obiectum Metaphysicæ cum additione cõditionis accidentalis tantum; vnde quandoquidem ad scientiam rigorosè subalternatã requirantur communiter hæ duæ vltimæ conditiones,Physica non est dicenda simpliciter, & rigorosè scientia subalternata Metaphysicæ.

# DISPVTATIONES
## In primum Librum Physicorum.

PHILOSOPHVS hoc libro, propositis ac refutatis aliorum Philosophorum de principiis corporum naturalium opinionibus, propriam statuit, tria docens esse rerum principia, *materiam, formam*,ac *priuationem*, de quorum singulis sigillatim tractabo, declarato tamen prius quid ipsum principium sit, & quomodo à principiato distinguatur.

# DISPVT. II.
## *De Principijs Corporis Naturalis in Communi.*

QVIA non potest cognosci, aut quænam, aut quot sint principia corporis naturalis,nisi quid sint ipsa principia, cognoscatur, hoc primò omnium hic declarandum videbatur.

## QVÆSTIO I.
### *Quid sint principia corporis naturalis.*

Multiplex principij acceptio.

1. PRincipium multipliciter capi potest. *Primò* prout coincidit cum prima parte rei,siue reliquæ partes habeant dependentiam aliquã ab illa,siue non:& in hoc sensu primus palmus panni potest vocari principiũ eius, & primum solium,vel etiam prima linea aut littera alicuius libri potest vocari principium istius libri. *Secundo* potest capi pro eo quod præsupponitur alicui rei, & à quo illa res habet aliquam dependentiam, & sic omnis causa rei,siue extrinseca, qualis est causa efficiens, & finalis, & etiam exemplaris; siue intrinseca quales sunt partes,ex quibus intrinsece componitur,& fit res;&omnia præsuppositа, sine quibus non posset habere suum esse,possunt vocari principia rei,siue ipsamet sint principiata,siue non. *Tertiò* denique potest capi principium strictius pro principiis, & causis primis rei, & hoc tam intrinsecis quam extrinsecis. *Demique quartò*, potest capi strictius adhuc pro principiis primis intrinsecis rei,& in hoc sensu hic agitur de principiis, quidquid dicat *Hurtadus* hic,tum quia in libro secundo agitur de principiis extrinsecis; tum quia alias falsum esset dari tantum tria principia rerum naturalium,quandoquidem præter materiam,& formam,& priuationem detur etiam causa efficiens, quod est principium necessarium ad esse rerum naturalium. Nec refert quod Philosophus in proœmio huius libri proposuerit se acturum de principiis omnibus rerum naturalium: nam inde non sequitur quod in hoc ipso libro omnia illa principia definierit.

### CONCLVSIO

Descriptio principiorum primorũ.

2. *Bene describuntur principia prima intrinseca rerum naturalium esse,quæ neque ex se inuicem, neque ex aliis,sed omnia ex ipsis fiunt.* Hæc est communis Peripateticorum cum Philosopho hic *text.*42.

*Probatur* autem, quia omnibus, & solis huiusmodi principiis competit hæc descriptio: omnibus quidem competit, quia illud ex quo aliud fit, ex hoc ipso capite est principium intrinsecum eius, & si illud non fiat ex aliquo alio, non est principiatum intrinsece, nec aliud principium intrinsecum prius seipso: ergo est primum principium intrinsecum.Non conuenit etiam aliis principiis; quia si vllis, maximè principiis extrinsecis, v. g. causæ efficienti,aut finali,aut exemplari:sed non conuenit his,quia non dicitur proprie & in rigore res fieri ex causa efficiente,sed à causa efficiente,nec ex causa finali, sed propter causam finalem:nec ex causa exemplari, sed vel à causa exemplari, vel iuxta aut secundum similitudinem aut proportionem ad causam exemplarem: ergo hæc descriptio non conuenit aliis causis, quam intrinsecis.

*Confirmatur* ex solutione obiectionum, quæ certè occurrunt satis graues.

3.*Obijcies primo*:Tam materia prima,quam forma substantialis, quæ sunt principia corporis naturalis, & hic, vt talia, describi dicuntur, fiunt ex partibus suis integrantibus,&etiam possunt dici fieri ex partibus suis metaphysicis, ergo falsum est, quod principia corporis naturalis non fiant ex aliis.

*Respondeo* distinguendo antecedens: fiunt ex aliis tanquam ex partibus essentialibus physicis, aut ex termino à quo essentialiter præsuppositо,nego antecedens; fiunt ex aliis tanquam ex partibus integralibus aut metaphysicis,aut alio quomodocumque modo, concedo antecedens,& nego consequentiam,quia in definitione intelligitur quod principia non fiant ex aliis tanquam ex partibus essentialibus physicis,aut termino à quo essentialiter prærequisito.

4. *Obijcies secundo*, forma, quæ est vnum ex principiis corporis naturalis,fit ex materia, quæ est alterum principium eius:ergo falsum est,quod principia non fiant ex se inuicem.

*Et si dicas*,quod non fiat ex materia tanquam ex parte componente aut termino à quo:*Contra*,quia saltem fit ex priuatione tanquam ex termino à quo, quod sufficit ad impugnationem conclusionis.

*Respondent* plures Thomistæ formam non fieri proprie loquendo *& vt quod*; nec ex materia,nec ex priuatione, licet fiat improprie loquendo, *& vt quo*: in definitione autem principiorum intelligitur quod nõ fiant ex aliis, nec ex alterutris proprie loquendo, *& vt quod*, sed quod alia quæ fiunt *vt quod* & proprie loquendo,fiant ex principiis. Et sane hæc responsio potest accipi ex doctrina *Scoti in* 1.*dist.*3.*q.*2.*appendici difficult.*3.vbi docet ex mẽte Philosophi non posse dici proprie loquẽdo,quod forma

fiat

fiat aut producatur, aut generetur, aut habeat esse; sed hæc posse dici de compositio aut substantiali, & per se; aut accidentali & per accidens; vnde iudico hanc responsionem esse probabilem, nec sufficienter eam impugnari ab *Auersa* aut *Mastrio*.

*Sed dices* pro illis contra hanc explicationem: licet forma non fiat vt terminus totalis, tamen fit vt terminus partialis, & satis communiter dicitur formam fieri ex materia & ex priuatione: ergo falsum est quod forma non fiat.

*Confirmatur ex Mastrio*, quia Philosophus non posuit omnia contraria esse principia prima, sed contraria prima, eo quod hæc, nec ex aliis, nec ex se inuicem fiant. Sed nec secunda etiam contraria fiunt ex se aut aliis: ergo tam possent esse prima principia, quam prima contraria quantum ad rationem Philosophi, si vera esset prædicta explicatio.

*Confirmatur secundò*, quia Philosophus ideo dicit prima principia non fieri ex se inuicem, quia sunt contraria; sed quamuis non essent contraria, adhuc non fierent ex se inuicem, si nihil fieri dicatur, nisi compositum.

*Respondetur* negando consequentiam in sensu proprio & rigoroso, quia aliud est quod forma dicatur fieri vt terminus partialis, & aliud quod dicatur simpliciter fieri: & deinde licet dicatur communiter fieri ex materia & priuatione, tamen modus ille loquendi non est rigorosus, qualis est modus loquendi, quo vtitur Philosophus in definitione principiorum.

*Ad primam confirmationem*, *Respondeo* negando maiorem, quia non ideo excluſit secunda contraria ex eo quod possent fieri ex aliis, sed ex eo quod alia non fierent ex ipsis.

*Ad secundam confirmationem*, *Respondeo* distinguendo maiorem: ideo præcisè, nego: ideo partialiter seu partim, concedo. Itaque ex duobus capitibus sequitur prima principia non posse fieri ex se inuicem, primò quia non sunt composita, secundò quia sunt contraria.

6. *Nihilominus* quamuis prædicta responsio, & explicatio defendi possit, quia tamen est valdè nominalis, vtpotè dependens ab acceptione propria, & rigorosa ly *fieri*: *Respondetur* aliter ad obiectionem principalem distinguendo cõsequens: ergo falsum est quod non fiant ex se inuicem secundum talem rationẽ, secundum quam alia ex ipsis fiunt, nego consequentiam; secundum aliam rationem, concedo consequentiam. Itaque quando dicitur quod principia non fiant ex se inuicem, hoc sic intelligẽdum est, vt sensus sit, non quod non fiant ex se inuicem quomodocũque, sed quod nullũ ex illis fiat ex vllo alio ex illis, aut ex aliis rebus secundum eam rationem, secundum quã illud quod ex principio fit, fit ex illo principio; quia ergo compositum naturale fit ex materia, tanquam ex parte intrinseca subiectiua, propterea materia non debet taliter fieri ex vllo alio; & quia idem compositum fit ex forma tanquam ex parte intrinseca actuante partem subiectiuam, propterea forma non debet fieri ex alio tali modo, quamuis alio modo fiat ex materia tanquam ex subiecto; & denique quia compositum illud fit ex priuatione tanquam ex termino à quo, propterea priuatio non debet fieri ex alio tanquam ex termino à quo.

Melior responsio.

*Contra* hanc expositionem, quæ satis est communis, obiicit *Auersa* hic, quod si principia non deberent esse ex alterutris hoc modo, id oriretur potius ex eo quod sint prima, quam ex eo quod sint contraria, quod est contra Philosophum.

*Sed facile respondetur* hoc negando, nam eo ipso quo principia sunt contraria, id est, habent contrarium modũ causandi, sequitur quod non possint esse ex se inuicem. Deinde quamuis sequeretur ex primitate quod non possint esse ex se inuicẽ in eo genere, in quo sunt prima, hoc non esset contra Philosophum; nam adhuc ex eo quod essent contraria, sequeretur quod non possent esse ex se inuicem sic, vt in eodem instanti possent simul existere.

Impugnatur expositio Auersæ.

7. Nec sane vllo modo placet expositio ipsiusmet *Auersæ*, qui dicit intelligendum ly *ex* in prima parte definitionis sic, vt sensus sit, quod principia non debeant fieri ex aliis aut alterutris, tanquam ex parte intrinsecè componente. Non placet, inquam, hæc expositio, tum quia sua propria impugnatione impetitur: nam etiam ex eo quod essent prima, quamuis nullam haberent contrarietatem, sequeretur quod non possent esse ex se inuicem hoc modo; tum & præcipuè quia ly *ex* conformiter debet accipi, & in prima parte, & in secunda, quia alias cõmitteretur maxima æquiuocatio in descriptione principiorum: sed in secunda parte, vbi dicitur quod omnia ex principiis fiant, non significat quod omnia fiant ex ipsis tanquam ex partibus componentibus, quia id esset falsum, neque enim vllum compositum naturale fit ex priuatione, tanquam ex parte componente.

*Confirmatur hoc*, quia si particula *ex* potest vniformiter accipi semper in illa definitione, sic melius acciperetur: sed potest secundum nostrã expositionem, & non potest secundum *Auersa*: ergo nostra ipsius est præferenda.

8. *Obycies tertiò*: Angeli non fiunt ex illis principiis: ergo omnia non fiunt ex principiis. *Et si dicas* quod omnes omnino res non debent fieri ex illis principiis, nec id significari in illa definitione, sed solum omnes substantiæ materiales, & res corporeæ;

*Adhuc instari potest*, quod corpora cælestia sint entia corporea, & tamen non fiant ex illis. Nam si teneatur quod illa corpora sint simplicia, & nõ composita ex partibus essentialibus physicis, certum est quod non fiant ex materia, & forma. Et si etiam teneatur quod non sint sic simplicia, sed quod sint composita ex materia, & forma, adhuc non videtur quod fiat ex priuatione, quia priuatio non præcessit in materia formã cælorum, in eodem enim ipso instanti temporis, in quo fuit producta materia cælorum, fuit in illis producta eorum forma; vnde non fuit progressus à priuatione ad formam in illa materia, quod videtur requiri, vt priuatio diceretur esse principium, ex quo tanquam ex termino à quo fieret cælum.

9. *Respondetur* ex suppositione quod cælum esset corpus simplex, non esse necesse quod omnia etiam corpora naturalia fiant ex principiis intrinsecis, nec id intelligi in definitione, quæ potius intelligenda est cũ distributione accõmoda, sic scilicet, vt velit, quod omnia, quæ fiunt ex principiis, fiant ex principiis descriptis illa descriptione; aut quod omnia quæ fiunt per causas secundas, aut ex subiecto præsuppositio, fiãt ex principiis. Quod si cæli dicantur cõpositi, potest dici quod non fiant ex priuatione tanquam ex termino à quo præsuppositio, quia non fiunt ex materia tempore præsuppositia; potest etiam dici quod fiant ex priuatione, non quod præfuerit priuatio in materia positiuè ante formas cælorum, sed quod præfuisset quãtum est ex natura materiæ, quia ex se non habet coniungi cum forma, & semper haberet priuationem eius, nisi causa efficiens induxisset formam in illam, siue eductam ex potentia eius, siue creatam, & ipsi infusam.

Ex his omnibus habetur, quod principia prima intrinseca rerum naturalium sint illa, ex quibus fiunt res naturales, vel tanquam ex parte componente, vel tanquam ex termino à quo; & quæ non fiunt ex aliis, neque ex se inuicem in eodem genere, in quo alia fiunt ex ipsis, ita scilicet vt nullum ex ipsis fiat ex vllo alio in eo genere, in quo res naturales fiunt ex ipso.

*Aduertendum* autem pro maiori complemento, quando dicitur quod omnia corpora naturalia, quæ fiunt ex præsuppositio subiecto, fiant ex principiis huiusmodi, nõ esse sensum, quod ex principiis vllis particularibus omnia talia fiant, sed quod nullum tale fiat, quin fiat ex aliquibus principiis, nimirum hæc corpora ex his, & illa ex illis; ignis, verbi gratia, ex materia & forma ignis, aqua verò ex materia & forma aquæ, & sic de cæteris.

## QVÆSTIO II.

### *Quot sunt principia rerum naturalium.*

10. PHilosophi fere omnes, quotquot Aristotelẽ præcesserunt, mirum in modum circa principia rerum naturalium errauerunt, si tamen eas sententias amplexi sunt,

Variæ Philosophorum sententiæ.

sunt,quas ipsis attribuit Aristoteles. *Parmenides & Melissus* vnicum rerum naturalium principium,& illud immobile statuerũt, cum hoc tamen discrimine,quod illud principium fuisse infinitum voluerit *Melissus*: *Parmenides* finitum. Sed hos indignos,quibus responderet Philosophus naturalis, sensit Philosophus, quod negarint principia,quæ tanquã per se euidentia & nota sunt in Philosophia naturali;contra enim negantes principia alicuius scientiæ, non est,inquit Philosophus,disputandũ à professoribus istius scientiæ.Quod vero destruxerunt seu negauerint illa principia,probatur quia vnum ex principiis in hac scientia notissimis est,quod principiũ,& id quod principiatur,sint distinctæ res:sed illi duo, asserẽtes vnicum principium rerum naturalium non ponebant distinctionem inter principium & principiatũ;si enim principiatum non includit aliquid præter vnicum principium, non distinguitur ab ipso, & si includit aliquid vlterius, necessario habebit plura principia.Deinde euidens est res naturales moueri, destrui, & generari: sed si haberetur vnum tantum principium, quod esset immobile, hoc esset falsum.Nihilominus valde verisimile est prædictos Philosophos locutos de principio primo effectiuo rerum omnium,scilicet Deo;quod si ita est,rectissimè senserunt quantum ad vnitatem & immobilitatem eius, & *Melissus* etiam optimè concessit infinitatem ipsius,quam perperam negauit *Parmenides*.

13. Alij Philosophi admittentes motũ in rebus naturalibus,aliter de principiis philosophati sunt:& ex illis quidam statuerunt vnum principium,in quo tamẽ assignando dissentiebant, quibusdam assignantibus ignem, aliis aquam, aliis aërem, nonnullis vero terram. Præter hoc autem vnum principium requirebant contrarietatẽ raritatis & densitatis,ratione cuius ex illo vno principio res generarentur. Quidã alij Philosophi plura esse principia & illa contraria arbitrati sunt, quæ principia secundum ipsos continebantur in infinito quodam receptaculo, quod vocabant *Chaos*. Ex his *Empedocles* pro principiis ponebat quatuor elementa contenta in illo Chao,& ipsũ Chaos vt ea continens dicebat esse primum principium. *Anaximander* vero & *Anaxagoras* non putarunt ipsum Chaos vt continẽs illa plura, fuisse principia,sed potius ipsamet plura in eo contenta,quæ etiam non existimauerunt fuisse finita,sed infinitas particulas rerum omnium, vt carnis,ossis,sanguinis,&c.adeo paruas & indiuisibiles, vt propterea vocarentur atomi. Sed his Philosophorum omissis insomniis, vt veram statuamus sententiam.

*Aduertendum* est posse hanc quæstionem moueri & de principiis,quæ necessario prærequiruntur ad constitutionem essentialem physicam corporis naturalis cuiuscumque, quod fieri potest à causis secundis ex præsupposito subiecto,& etiam de principiis intrinsecis & necessariis, quæ prærequiruntur ad hoc vt fiat de nouo huiusmodi corpus, seu quæ requiruntur ad hoc vt generetur; quæ principia vocantur principia corporis naturalis in fieri, sicut prima illa principia vocantur principia ipsius in facto esse.Est autem hæc differentia inter vtramque considerationem principiorum, quod possit quis intelligere ex quibus principiis constet res essentialiter, quamuis non cognosceret,an fieri posset vllo modo ex præsupposito subiecto: nam quamuis aliquis cognosceret, quod homo constaret anima, & corpore, posset dubitare an haberet esse à se necessario;vnde plura requiruntur principia ad hoc quod corpus fiat, quam ad constitutionem essentialem intrinsecam eius.

## CONCLVSIO I.

Duo sunt principia corporis naturalis in facto esse.

12. *Principia, ex quibus intrinsecè, & in facto esse fiunt corpora naturalia,tanquam ex partibus physicis, sunt duo tantum, materia scilicet, & forma.* Hæc est communis, & *probatur*, quia nullum aliud principium potest assignari, ex quo intrinsecè fieret.

*Dices primò*:constat intrinsecè & essentialiter ex genere & differentia, quæ non sunt nec materia, nec forma: ergo constat aliis principiis quam materia & forma.

*Respondeo* distinguendo consequens: aliis principiis metaphysicis, concedo: physicis, nego consequentiam: agimus autem modò de principiis physicis.

*Dices secundò*: constat intrinsecè vnione, quæ non est materia,aut forma,& est quid physicum,cum sit realiter distincta & à materia & forma,& ab ipso corpore: ergo constat ex aliis principiis physicis quàm materia & forma.

*Respondeo*, negando consequentiam;quia quamuis includat vnionem, tamen non constituitur ex ipsa, neque tanquam ex parte, neque tanquam ex termino à quo, & propterea impropriè diceretur fieri ex ipsa; sed potius dicendum est quod fiat mediante ipsa,aut per ipsam tanquam per conditionem necessario requisitam, vt fiat.

## CONCLVSIO II.

Tria sunt principia corporis naturalis in fieri.

13. *Principia corporis naturalis in fieri, ex quibus generatio seu productio eius fit, seu quæ essentialiter requiruntur ad hoc quod fiat ex præsupposito subiecto, sunt tria, scilicet, materia, forma, priuatio.* Hæc est etiam communis.

*Probatur primò*,quia non potest aliud principium assignari, & hæc sunt principia:ergo.

*Probatur secundò*, quia illa sola sunt principia eius in fieri, quæ in definitione generationis ponuntur, & sine quibus nequit generatio intelligi per modũ mutationis: sed illa tria tantum in definitione generationis ponũtur, & sine illis nequit intelligi:ergo illa tria tantũ sunt principia corporis naturalis in fieri Probatur antecedẽs,quia generatio definitur transitus subiecti de non esse talis substantiæ ad esse talis, v.g. generatio ignis ex ligno est transitus materiæ ligni à priuatione formæ ignis ad formam ignis: sed in illa definitione nihil aliud exprimitur præter priuationem, quæ intelligitur per non esse substantiæ;& materiam, quæ intelligitur per subiectum; & formam, quæ intelligitur per substantiam,quia est ratio formalis physicè constituens substantiam.

*Confirmatur*,quia eo ipso,quo intelligitur aliquod subiectum mutari à non esse formæ substãtialis ad esse eius, intelligitur generatio fieri,& nisi id intelligatur,non intelligitur generatio:ergo illa tria sunt tantum principia, ex quibus fit, seu generatur corpus naturale.

14. *Obijcies primò*: generatio habet pro termino ad quem formali formam, nec præsupponit ipsam, quandoquidem per generationem fiat forma, saltem vt quo: ergo generatio non potest habere formam pro principio.

*Confirmatur*, quia si potest habere formam pro principio, ex eo quod sit terminus formalis ad quem eius, habebit etiam pro principio totum corpus,quod est terminus ad quem totalis, & ad quod eius, & sic dabuntur plura principia quam tria.

*Respondeo*,quamuis communiter dici soleat quod principia corporis naturalis in fieri,seu principia, ex quibus generatur corpus naturale, sint principia, ex quibus fit ipsa generatio,mihi tamen videri, quod reuera non sint propriè loquẽdo principia ipsius generationis,quia reuera nõ potest propriè dici quod relatio illa fiat ex termino suo, & quia vt dicitur in obiectione, terminus ad quem non præsupponitur ipsi; sed solum subiectũ,& priuatio. Vnde concedo consequentiam obiectionis,& confirmationis:nec id facit contra conclusionem,quia non asserit illa tria principia esse principia ipsiusmet generationis: sed esse principia prærequisita ad hoc vt generetur corpus, quia ad hoc vt generetur corpus in aliquo instanti, debet haberi,& partes intrinsecæ ipsius, & præterea debent præesse in vna parte ex ipsis antecedenter priuatio formæ, aliàs fuisset corpus ante, & sic non fieret in illo instanti;& credo in re hoc velle alios authores.

15. *Obijcies secundò*: Ex nihilo nihil fit:ergo ex priuatione, quæ nihil est, nihil potest fieri, & consequenter non erit principium.

*Confirmatur*, quia vnum contrarium non potest fieri ex altero:sed priuatio est contraria formæ,& consequenter rei constitutæ per formam:ergo talis res nequit fieri ex priuatione.

*Respondeo*, distinguendo antecedens;tanquam ex subiecto aut causa intrinsecè componente, concedo;tanquã ex termino à quo,nego antecedẽs;& similiter distinguo primum

primum consequens,& nego secundam consequentiam. Et hoc eodem modo respondendum est *ad confirmationem* distinguendo maiorem, & consequens eius : tanquam ex termino à quo,nego ; tanquam ex parte componente, concedo.

16. *Obiicies tertio*, Generatio dependet essentialiter à Deo,& à causa efficiente,& finali,& ab actione,& à forma etiam præexistente in materia,& à priuatione formæ præexistentis,& ab vnione;vt enim sit generatio, omnia hæc intercedere debent:ergo plura sunt principia generationis.

*Respondeo* non dependere ex his, tanquam ex principiis, ex quibus fit, nam non dicitur fieri ex Deo aut ex causa efficienti, sed potius à Deo, & à causa efficienti; nec dicitur fieri ex fine, actione, aut ex vnione, sed propter finem, & per actionem, & vnionem, seu mediante actione,& vnione(adde vnionem esse realiter ipsammet generationem,vt alias videbimus,& propterea non posse generationem esse ex vnione, cum idem non fiat ex seipso.)Quantum autem ad formam substantialem præexistentem,& ad priuationem eius,quæ ponitur per generationem,

*Respondeo* esse per accidens ad generationem, quod præcesserit talis forma,aut quod ponatur de nouo priuatio eius:namsi per impossibile vel possibile, non præesset aliqua alia forma in materia,sed poneretur in ea forma noua, cuius habuit ante priuationem, saluaretur essentialis ratio generationis,quæ etiam saluaretur,quamuis non tolleretur forma præexistens, modò poneretur cum ea simul alia forma;vnde manifestum est quod generatio non fiat nisi per accidens ex forma præexistente, & multo minus fit ex priuatione eius, tanquam ex termino à quo, quandoquidem priuatio formæ præexistentis maneat cum forma producta,quod est contra rationem termini à quo.

An cõueniant vniuoce in ratione principij tria principia.

17. *Quæres*,an hæc tria principia conueniant vniuoce in ratione principij,seu an detur ratio aliqua principij vt sic,quæ sit communis vniuoce his tribus principiis.

*Fuentes hic q.3. art.3.* negat hæc principia conuenire in aliqua ratione vniuoca,sed asserit ea conuenire in aliqua vna ratione, quæ vniuoce de ipsis prædicetur. *Mastrius disp.1. q.1.* absolute asserit dari his principiis aliquam rationem communem vniuocam, quæ etiam explicatur in prædicta definitione principiorum assignata à Philosopho.

*Communior sententia* negat hæc principia conuenire vniuoce ratione vlla principij vt sic, sed solum analogice,& hæc sententia mihi magis placet,& probatur,quia ex his principiis vnum est non ens, nempe priuatio, & aliud est ens reale, nempe materia:sed non datur aliquis conceptus vniuocus aut vniuoce communis enti reali, & non enti reali : ergo hæc principia non conueniunt inter se in aliqua ratione vniuoca principij vt sic, aut etiã vniuoce de ipsis prædicabili. Probatur minor, quia aut illa ratio esset ens, & tum sequeretur quod non ens esset ens:aut esset non ens, & tum sequeretur quod ens esset non ens;quod est absurdum:nec huius rationis ita propositæ vim tollit *Mastrius* supra, vt legenti patet.

18. *Confirmatur*,quia non potest concipi aut assignari aliqua vna ratio,quæ ipsis competat vniuoce,aut quæ sit ipsis vniuoca:ergo non est asserenda talis ratio.

*Confirmatur secundo*, quia in quacumque ratione assignabili debet poni ly *aliquid*,aut æquiualens : sed ly *aliquid*, vt dicitur de ente, & non ente, non significat aliquam vnam rationem : ergo non est assignabilis aliqua vna ratio principij,quæ de his principiis prædicari possit vniuoce, aut tanquam vniuocum prædicatum. Quod si etiam daretur ipsis aliqua ratio cõmunis,probatur contra *Mastrium*, quod illa ratio non exprimatur in definitione principiorum, quia in illa expresse ponuntur duæ rationes diuersæ principiorum, nimirum ratio termini & partis intrinsecæ ; quæ duæ rationes non dicuntur de quolibet principio nisi disiunctiue, sic scilicet vt verum sit quod quodlibet principiũ sit,aut terminus à quo, aut pars intrinseca corporis principati:ergo non exprimitur aliqua vna ratio determinata principij vt sic in illa definitione.

19. *Dices* pro *Fuente*, hæc omnia bene probare, quod non detur his tribus principiis aliqua ratio vniuoca,aut aliquod prædicatum vniuocum commune,nõ vero probare quin detur illis aliqua ratio vniuocè prædicabilis.

*Contra*,quia licet secundum *Scotum* 1.*disp.*8.*q.*3.*n.*14.ab ipso *Fuente* citatum, non omne prædicatum vniuocum vniuoce prædicetur in rigore logico, quia album respectu huius, & illius parietis albi est prædicatum vniuocum,sed tamen non vniuoce prædicatur,quandoquidem non sit de essentia ipsorum, quod requiritur in rigore logico secundum *Scotum*,vt aliquid vniuoce prædicetur; tamen nullum prædicatum vniuoce prædicatur, quod non sit prædicatum vniuocum, quia vt vniuoce prædicetur, debet esse ratio vna competens pluribus, & hoc sufficit,vt dicatur prædicatum vniuocum, quamuis non sufficiat vt diceretur vniuoce,nisi vlterius etiam esset de essentia istorum plurium:quod totum tam clare patet ex *Scoto* in prædicto loco, vt mirum sit oppositum venisse in mentem *Fuenti*.

*Adde* ad hæc,quod ratio principij conueniens priuationi conueniat ipsi intrinsece,& quidem essentialiter,si capiatur fundamentaliter:& similiter ratio principij cõueniens materiæ & formæ conuenit ipsis intrinsece, & essentialiter ; vnde si conueniant illæ rationes in aliqua vna ratione abstracta ab illis,profecto conuenient in ratione vniuoca & vniuoce de ipsis prædicabili.

20.*Obiicies* pro *Fuente*:ratio principij seu significatum per hoc nomen *principium* æque denominat hæc tria principia:ergo dicitur de illis vniuoce.

*Respondeo* negando suppositum antecedentis, nempe quod detur aliqua vna determinata ratio principij abstracta ab his tribus principiis, quod probare deberet hic author,vt aliquid concluderet.

*Obiicies secundo* pro *Mastrio* ex *Scoto* 1.*d.*3.*q.*2. quando intellectus est certus de aliquo conceptu, & incertus de aliis,ille conceptus,de quo est certus, debet esse conceptus communis vniuoce illis aliis:sed intellectus potest esse certus de priuatione quod sit principium corporis naturalis,& incertus an sit principium per modum termini ad quem : ergo datur conceptus principij vt sic cõmunis vniuoce tribus principiis.

*Respondeo* distinguendo maiorem : quando ille conceptus vnus, de quo est certus, est conceptus determinatus,concedo : quando non, nego maiorem, & instantiæ patent ex dictis in Logica de vltimis differentiis ac indiuiduis ; ex quibus etiam patet ad reliquas obiectiones, quæ contra hanc resolutionem opponi possent.

An principia sint contraria.

21. *Quæres secundo*, an hæc tria principia sint cõtraria. *Respondeo* breuiter esse contraria in modo principiandi,quatenus habent diuersissimũ modũ causandi. *Deinde* sunt etiam contraria in entitate, quatenus habent dissimiles entitates:non sunt autem contraria eo modo quo duæ formæ positiuæ expellentes se inuicem ab eodem subiecto dicuntur contrariæ, quia materia non habet subiectum, nec expellitur à forma, priuatio autem non est forma positiua. Priuatio vero & forma sunt contraria contrarietate large sumpta, provt scilicet coincidit cum oppositione, quia sine dubio opponuntur priuatiue,cum non compatiantur in eodem subiecto,nempe in eadem materia,& vnum ex ipsis sit priuatio alterius.Nec hæc res indiget maiori examine, quamuis ab aliquibus fuse tractetur, nimis anxie sollicitis de difficultatibus nominalibus,quæ tamen ex vocum significatione cuilibet patent.

## DISPVTATIO III.

### *De materia prima.*

QVandoquidem ex tribus principiis concurrentibus ad generationem corporum naturalium materia prima sit primum, & commune subiectum aliorum duorum principiorum, priuationis scilicet

scilicet & formæ, quæ propterea ipsam præsupponunt, semper naturâ, aliquando etiam tempore; ideo immediate post considerationem principiorum in communi, de ea [illegible]endum videbatur.

## QVÆSTIO I.

*An & quid sit materia prima.*

### CONCLVSIO I.

Datur materia prima.

1. *Datur materia prima.* Hæc est communissima inter omnes Theologos, & Philosophos cum Patribus *August. Ambrosio, Chrysost. Beda* citatis à *Masio* hic, & cum *Philosopho hic c.* 6. ac *Platone in Tymæo*, contra aliquos recentiores *Gallos*; quos nuper tenuisse oppositũ *Parisiis*, & propterea à *Parlamento Parisiensi* merito proscriptos fuisse asserit *Camerarius par.* 2. *quæst.* 1. qui tamen ipse in re videtur cum ipsis conuenire, dum negat materiam primam in sensu, in quo communiter accipitur à Philosophis, aliam non agnoscens pro materia prima, quam quatuor elementa, quæ à prædictis authoribus negata fuisse non est verisimile. Itaque ab eodem *Parlamento Camer.* ipse æque merito proscribi deberet.

*Probatur à Complutensibus* quia in qualibet mutatione necessario debet dari subiectum, quod transeat à priuatione ad formam: ergo & in mutatione substantiali; sed illud, quod est subiectum primum in mutatione substantiali, est materia prima: ergo datur materia prima. *Hæc probatio non placet*, quia supponit illud quod esset probãdum, nimirum mutationem substantialẽ: quamuis enim ab omnibus supponi debeat produci de nouo substantiam, tamen qui negaret materiam primam, merito etiã negaret substantias, quæ de nouo producuntur, produci per mutationes substantiales.

Alia probatio insufficiens.

Et propter eandem rationẽ non videtur mihi conuincere probatio communis Scotistarum ac aliorum, quæ supplere posset defectus præcedentis probationis: nimirum quod si non daretur materia prima ac mutatio substantialis, sequeretur quod agens naturale crearet, & annihilaret. Si enim quando corrumpitur lignum, & producitur ignis, tota substãtia ligni, nulla relicta parte, destruitur, & tota substantia ignis secundum omnem partẽ sui producitur, lignum annihilatur, hoc est secundum se totum, & omnes suas partes redigitur in nihilum, & ignis creatur, hoc est producitur de nouo secundum se, & omnes suas partes ex nihilo. Hæc, inquam, probatio se sola non sufficit, quia qui negaret materiam primam, non haberet pro inconuenienti totam hoc concedere. Vnde probandum est quod sit absurdũ ac inconueniens causam secundam aut annihilare aut creare: hoc autem probato, bona esset communis illa ratio.

Probatio melior.

2. *Probatur ergo hoc, & simul conclusio*: Causa naturalis non potest producere substantiam ignis de nouo, nec vllam aliam, nisi destructa alia substantia, verbi gratia, ligni, neque potest corrumpere vllam substantiam, nisi producta aliqua alia, vt euidens est experientia quotidiana: sed huius non est alia ratio, nisi quia non potest producere substantiam de nouo secundum omnes suas partes, sed potius requirit concursũ alicuius partis substantiæ corruptæ, quæ maneat in substantia producta; cur enim non posset producere de nouo substantiã absque destructione alterius, nisi propter dependentiam, quam habet substantia producenda à destructione alterius substantiæ? aut quam dependentiam potest illa substantia habere ab illa destructione, nisi quia non potest esse absq; parte aliqua istius substantiæ quæ destruitur?

*Dices*: Ideo productio ignis dependet à destructione ligni, verbi gratia, quia non est compatibilis cum ligno.

*Contra*: non potest habere incompatibilitatem cum ligno, nisi incompatibilitatem in eodem subiecto, vel incõpatibilitatem in eodem loco: primam incompatibilitatem non habet, quia ignis, & lignum, cum sint substantiæ completæ, non habent subiectum, in quo sint; & si haberent, iam illud subiectum esset materia prima. Secunda incompatibilitas non requirit destructionẽ, quia sufficeret expellere substantiam, quæ destruitur, ab eodem loco, sicut vnus homo expellit alium hominem: ergo quamuis habeant illam incompatibilitatem, non deberet lignum destrui ad productionem ignis.

3. *Dices*, esse naturam ignis aut causæ producentis ignem, expellere substantiam, in cuius loco producit substantiam ignis producti, eam destruendo, & non posse illam alio modo expellere.

*Contra*: non debet talis natura destructiua esse indita vlli causæ frustra: sed frustra inderetur ipsi, quandoquidẽ [illegible]ceret quod absq; destructione expelleret illã à loco.

*Dices*, agens naturale destruere vnam substantiam, vt per transubstantiationem produ[illegible]ceret aliam substantiam.

*Contra*, quia frustra illa virtus transubstan[illegible]tiatiua inderetur ipsis, per quam vnam substantiam destruere deberent totaliter vt aliam producerent, cum vtraque posset esse simul in rerum natura, modo vna tantum à loco remoueretur.

Alij addunt ad hoc, quod actio illa transubstantiatiua sit miraculosa, & fide tantum credita, & quod propterea non debeat attribui causis naturalibus. Sed hoc parum deseruit, nam quamuis de facto actio transubstantiatiua Eucharistica sit sine dubio miraculosa, quatenus ponit corpus Christi sub speciebus panis destructa substantia panis, tamen dubitari posset an detur de facto actio transubstantiatiua alterius rationis, per quam vna substantia conuerteretur totaliter in aliam substantiam, ita vt vna pariter cum suis accidentibus desineret, & altera maneret cum suis in eodem loco.

*Confirmatur hoc, & tota probatio* per omnia illa principia, ex quibus colligitur causam secundam non posse naturaliter creare; hoc enim supposito non potest dubitari de conclusione.

Obiectio alia non potest esse contra hanc conclusionem, nisi quod non esset necessaria materia prima; sed hoc falsum esse patet ex fundamento conclusionis.

### CONCLVSIO II.

Descriptio materiæ primæ.

4. *Materia prima bene describitur esse primum subiectum, ex quo aliquid fit, cum insit, non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum.* Hæc est Philosophi capite vltimo huius libri, quem omnes Peripatetici sequuntur. *Probatur* quia omni, & soli conuenit, & ita significat naturam materiæ primæ, vt per eam posimus materiam distinguere ab omni, quod non est materia, nec in ea ponitur aliquid superfluum: ergo est bona descriptio eius, quia nihil aliud quam hoc requiritur ad bonam descriptionem. Probatur antecedens exponendo singulas particulas. Dicitur *subiectum*, quia recipit in se formã, quæ est altera pars corporis naturalis, & per hoc distinguitur à forma, & etiam à priuatione, quæ non est subiectum. Dicitur *primum*, quia ipsa non fit ex vllo alio subiecto, & per hoc distinguitur à quocumq; subiecto, quod fit ex alio subiecto, nempe à toto compositio. Dicitur *ex quo aliquid fit cum insit, & non per accidens*, quia reuera ex ea, tanquam ex parte componente, & per se fit totum compositum physicum. Aliqui autem excludunt per illas particulas priuationem, sed reuera priuatio erat excluſa antecedenter per ly *subiectum*: Alij existimant excludi compositum quod est subiectum, ex quo fit accidẽs quodcumque eductum ex eius potentia: sed hoc etiam compositum excluſum erat per ly *primum*. Vnde existimo per hanc particulam excludi potius substantiã quamcũque simplicẽ completam verbi gratia cælestem (supposito quod non constet materia) quæ substantia esset primũ subiectũ ex quo fierent accidentia connaturalia sua, sed non inesset illis accidentibus: esset etiam primum subiectum, ex quo fieret totum accidentale conflatum ex substantia illa, & quolibet ex illis accidentibus, & etiã inesset illi toti, sed non per se, sed potius per accidens, quia ipsũ totũ non esset vnum per se, sed per accidens. Deinde pari ratione excluderetur per hanc particulam materia prima per se existens, quatenus esset primum subiectum accidentium in ea subiectatorum, & totius per accidens resultantis ex ea, & quocumque ex illis accidentibus, etiamsi per impossibile ipsamet non peteret connaturaliter subiectari in alio subiecto. Vltima particula, *& si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum*, adiungitur

à Philosopho non tanquam pars per se definitionis aut descriptionis, quia per priores particulas sufficienter describitur; vnde à pluribus omittitur hæc particula, dum describunt materiam etiam ex mente, & verbis Philosophi; sed adiungitur maioris declarationis causa, vt aduertatur quod sicut est primum subiectum ex quo fit generatio rei, ita etiam sit vltimum subiectū, in quod resoluitur corruptio, & destructio rei, quod tamen ipsum sufficienter colligi posset per hoc quod esset primū subiectum, nam ex hoc sequitur, quod non posset corrumpi, & quodcumque subiectum, quod non est primū subiectum, sed compositum ex primo subiecto, potest corrumpi, quantum ad naturam suam intrinsecam.

5. Ex hac descriptione sequitur materiam primam esse substantiam incompletam, nam eo ipso quod sit primum subiectum, non potest habere aliud subiectum, & consequenter non potest esse accidens, quia accidens quodcumque essentialiter dicit ordinem saltem aptitudinalem ad subiectum. Deinde ex eo quod ex ea, tanquam ex parte componente, fiat substantia vna per se, nempe compositum substantiale, sequitur quod compleri debeat per alteram partem, & consequenter quod sit incompleta. Deinde ex eo, quod ex materia tanquā ex parte subiectiua fiat compositum vnum per se, sequitur quod sit nata recipere aliam partem, & quod sit in potentia per se ad illam partem; & ex eo quod ex ea, tāquam ex subiecto primo, fiat huiusmodi compositum, sequitur quod ipsamet non includat plures partes essentiales physicas, quia alias non esset primum subiectum physicū, sed altera potius pars ex illis partibus essentialibus physicis ex quibus componitur; & consequenter ad hoc sequitur quod sit pura potentia physica non includens vllum actum physicum, hoc est vllam formam physicam tanquam partem essentialem, ex qua componitur, cum quo tamen stat, quod possit includere plures partes essentiales metaphysicas & plures partes integrales non essentiales physicas.

*Obijcies* contra hæc: *Philosophus* 1. *Met. tex.* 8. ait materiam neque esse quid, id est, substantiam; neque quantum; neque quale; neque aliquid eorum, quibus ens determinatur, id est, neque aliquid ex iis, quæ ponuntur in prædicamentis: ergo non est substantia, neque consequenter primum subiectum.

*Respondetur* explicando Philosophum: non est substantia completa, nec aliquid completū ex iis, quæ directe ponuntur in prædicamentis, concedo antecedens ex mente Philosophi: non est substantia incompleta, & indirecte tantum collocabilis in prædicamento vllo, nego antecedens, & in se, & ex mente Philosophi. Et similiter distinguo consequens: ergo non est substantia completa, concedo, incompleta, nego consequentiam.

## CONCLVSIO III.

Materia prima distingui, tur realiter ab elementis.

*6. Materia prima distinguitur realiter ab elementis, igne verbi gratia, aëre, aqua ac terra.* Hæc etiam est communissima contra *Camerarium*, qui plures veteres, & aliquos recentiores pro se citat. *Probatur* manifeste, quia ignis de nouo generatur, vt patet experientia: ergo fit ex aliquo subiecto præsuppositō, alias crearetur, vt patet: sed illud subiectum præsuppositū est materia prima, non verò ignis, est enim primum subiectum, & ignis non est tale cum fiat ex illo alio subiecto. *Præterea* ignis de nouo desinit esse: aut ergo secundum totam suam substantiam nulla relicta parte substantiali intrinseca, & sic annihilaretur, quod est absurdū; aut relicta aliqua parte, & sic datur materia prima distincta ab igne, & cæteris elementis; neque enim illud, quod includitur per se in igne, & eo desinente remanet, potest esse vllum aliud elementum, vt patet.

Et per hoc patet ad fundamentum leuissimum *Camerarii*, nēpe quod non sit necessitas aut indiciū distinguendi materiam primam ab elementis, & quod elementa sint ingenerabilia ac incorruptibilia, quod probat ostēdēdo elementa non posse conuertere se in se inuicē. Sed quidquid sit de hoc, hinc non sequitur, quin ignis de facto producat de nouo aliū ignem, & non solū ignis, sed aliæ causæ, siue hoc fiat per conuersionem alterius elementi, siue non; ergo ignis est generabilis de nouo.

7. *Confirmatur primò*, per omnia illa argumēta, quibus in libris de generatione ostenditur mixta non componi ex elementis formaliter; hinc enim euidenter sequitur elementa non esse materiam primam mixtorum, & consequenter mixta habere aliam materiam primam.

*Confirmatur secundò*, quia sequeretur plura corpora esse naturaliter in eodem loco, verbi gratia, ignem, aërem, aquam, terram. Hanc confirmationem fusius proponam loco iam citato, eam iam proposui, vt impugnarem responsionem *Camerarij*.

Itaque ille respondet negando sequelam, quia sunt in eadem parte materiæ. Sed hæc responsio non est intelligibilis; si enim non sit materia distincta ab ipsismet elementis, quomodo possunt esse in eadem materiæ parte? Deinde quæro, quænam sit illa materiæ pars, in qua sunt. Si dicas ipsa elementa: ergo elementa sunt in seipsis, quod est ludicrum: si aliud quidpiam, ergo datur materia distincta ab elementis.

8. Pro complemento huius quæstionis proponenda videbantur varia nomina, quibus veteres materiam appellare consueuerunt, occasione accepta ex eius natura iam descripta. *Ægyptij* eam *fecem vitæ* dixerunt, quoniā substantiarum à Deo productarum est contemptibilissima: quam etiam ob rationem *August.* 12. *Confess.* eam ait esse *prope nihil.* Iidem *Ægyptij* eam Lunæ effigie hieroglyphice denotabant, quod Lunæ instar, alieno splendore eniteat, pulchritudinem omnem à forma, quam recipit, desumens; & etiam quod nimium mutabilis modo hanc, modo illam speciem induat, qua de causa vocatur adultera, ac etiam malefica; non vero quia machinatur cædem formæ, quam possidet, vt alia forma fruatur (vt dicunt *Complutenses*) hoc enim omnino falsum est, illa enim contentissima est quacumque, & mere passiuè se habet ad mutationes, quas subit, vt propterea merito posset ab his odiosis nominibus vindicari.

*Plato* eam vocat *magnum* & *paruum*; magnum quidem capacitate, quod scilicet omnes formas possit recipere, & in omnibus speciebus corporum naturalium compositorum reperiri; paruum autem, quod ex se nullas formas aut operationes habeat. Idem quoque *Matris* nomen illi attribuit, sicut & post eum *Aristoteles*, eo quod instar matris formas substantiales in sinum receptas sustentando foueret; vel quod composita corporea omnia ex ea, tanquam ex communi omnium matre generarentur. Ab *Hesiodo*, & Poëtis appellabatur *Chaos*, quia secundum se est rudis indigestaque moles, quod de chao dixerat *Ouidius*. Omitto alia nomina, quia hæc sunt præcipua, & magis vsitata apud veteres.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum materia prima sit generabilis & corruptibilis.*

CErtum est quod materia prima, cum sit quid finitū & limitatum, possit à Deo de nouo produci, & ita destrui, vt non existat in rerum natura: sed quæritur an sit proprie loquendo generabilis & corruptibilis.

## CONCLVSIO I.

*9. Materia prima est generabilis, & corruptibilis subiectiue, & est etiam radix generationis & corruptionis.* Hæc est communis. Materia prima est radix generationis & corruptionis.

*Probatur prima pars*, quia est subiectum generationis & corruptionis: ex ea enim res omnes, tanquam ex primo subiecto, generantur & corrumpuntur, eaque est, quæ mutatur subiectiue motu generationis & corruptionis, illa enim est quæ transit à non forma ad formam, & à forma ad non formam.

*Probatur secunda pars*, quia illud est radix intrinseca generationis & corruptionis naturalis, cui est cōnaturalis generatio & corruptio: sed soli materiæ ex omnibus substantiis est cōnaturalis generatio & corruptio: ergo. Probatur minor, quia illa sola est, quæ per generationē, & cor

& corruptionem acquirit aliquam perfectionem, quam per se appetit, nimirum formam substantialem, qua intrinsece & per se perficitur.

*Dices*: compositum substantiale per generationem accipit esse, ergo acquirit aliquam perfectionem per generationem, & consequenter potest dici esse radix generationis. Et similiter potest discurri de forma.

*Respondeo secundò*, quamuis totum concederetur, nihil esse cótra nos, quia non esset radix corruptionis, dicitur autem in conclusione quod materia sit causa & radix generationis & corruptionis.

*Respondeo tertiò*, illud non dici proprie radicem generationis, quod per ipsam generationem fit: forma autem, & compositum fiunt per generationem, & propterea, quamuis acquirant esse per eam, non erunt radix eius intrinseca.

## CONCLVSIO II.

Non est generabilis aut corruptibilis terminabilis.

10. *Materia prima non est generabilis aut corruptibilis terminative.* Hæc etiam est communis, & probatur, quia non potest produci nec destrui per generationem aut corruptionem: ergo, &c. probatur antecedens, quia quod producitur per generationem, aut distruitur per corruptionem, debet habere subiectum; sed materia non habet subiectum ex quo fieret, cum sit primum subiectum: ergo &c. Et sane hæc ratio probat quod neque per diuinam potentiam posset esse terminus generationis aut corruptionis. Hinc sequitur nullum agens naturale posse producere materiam primam, aut eam destruere; quia hinc sequitur quod non possit produci aut destrui nisi per creationem, aut annihilationem; agens autem naturale non potest creare, aut annihilare: ergo agens naturale nequit producere, aut destruere materiam primam. Probatur consequentia, quia substantia non potest produci nisi per generationem aut creationem, nec destrui nisi per corruptionem aut annihilationem.

11. *Sed obijcit* contra hoc *Laurentius Valla*, quia agens naturale potest producere formam, quæ perfectior est: ergo & materiam, quia quod potest in plus, potest in minus.

*Confirmatur primò*, quia non requiritur maior virtus in causa, quam sit in effectu: sed agens naturale habet omnem virtutem, quæ est in materia prima, & aliquid amplius: ergo potest esse causa respectu eius.

*Confirmatur secundò*, quia vermes producti in speciebus sacramentalibus non præsupponunt vllam materiã, ex qua fiant: sed eorum materia simul cum ipsis producitur ab agente naturali: ergo causa naturalis potest producere materiam.

*Respondeo* negando consequentiam cum sua probatione: nam homo est perfectior bruto, & lapide, & arbore, quæ tamen nequit producere, quamuis possit producere alium hominem. Itaque non ex perfectione materiæ oritur, quod non possit produci per causam naturalem, sed ex modo producendi, quí competit ipsi, nimirum creatione; qui modus etiam rebus imperfectissimis potest conuenire. Quod autem talis modus producendi competat materiæ, probatur, quia alias produceretur ex subiecto, & sic ipsa non esset primum subiectum.

*Et per hoc patet ad primam confirmationem*, quia non sufficit æqualis virtus, necetiam maior, sed vlterius requiritur quod effectus contineatur in virtute causæ, & quod non habeat modum producendi, qui non possit competere causæ.

12. *Ad secundam confirmationem respondeo* negando minorem, sed materia, quæ tum producitur, creatur à Deo de nouo, vel reproducitur antiqua. Et si quæratur, cur id facit, *Respondeo*, quia voluit concurrere cum illis speciebus, quantum ad omnes actiones naturales non minus quam si subesset illis substantia panis; vnde cum, si adfuisset substantia panis, agentia naturalia circumstantia tum, cum producuntur vermes, producerent vermes ex materia panis, Deus defectum istius materiæ supplet producendo de nouo vel illam vel aliam, ex qua vermes isti generentur.

*Obiicies secundò*, si materia est incorruptibilis naturaliter, erit perfectior formis substantialibus, quæ sunt corruptibiles.

*Respondeo* negando sequelam, nam ex hoc solum habetur quod sit magis durabilis naturaliter, sed hic excessus est excessus tantum secundum quid.

*Confirmatur*, quia homo facilius corrumpi potest naturaliter quam lapis aut ferrum, & tamen non propterea est imperfectior lapide aut ferro, quia scilicet inde sequitur tantum maior excessus in duratione, non vero in operationibus aut aliis perfectionibus.

## QVÆSTIO III.

*An materia prima sit ita pura potentia, vt non includat essentialiter vllum actum metaphysicum aut physicum.*

13. NOn est quæstio de potentia actiua, quia communiter supponitur materiam primam non esse actiuam, & si sit aliquo modo actiua, certum est quod non sit solummodo actiua, sed etiam receptiua; nec etiam est quæstio de potentia obiectiua, prout illud dicitur potẽtia obiectiua, aut potius in potentia obiectiua, quod est possibile, sed nondum existit in rerum natura neque propria, neque aliena existentia; nam omnes fatentur materiam primam realiter existere. Quæstio ergo est de potentia susceptiua. Vt autem adhuc melius intelligatur controuersia,

Quid sit pura potentia susceptiua.

*Aduertendum* est, aliud esse potentiam susceptiuam, aliud esse puram potentiam susceptiuam. Illud est pura potentia susceptiua, quod potest recipere aliquem actũ seu formam, & sic paries est potentia susceptiua respectu albedinis, intellectus respectu intellectionis. Illud est pura potentia susceptiua, quod non includit intrinsece tanquam partem essentialem sui aliquem actum aut formam, & potest tamen recipere aliquam formam. Quia vero res potest includere intrinsece tanquam partem essentialem sui aliquam formam physicam realiter à se distinctam, vt homo includit animam, ignis formam substantialem ignis, & potest etiam includere aliquam formam metaphysicam, vt homo includit rationalitatẽ realiter sibi identificatam; si autem includat formam physicam, quamuis posset recipere aliam formam physicam, erit quidem potentia susceptiua physica, sed non erit pura potentia physica; si vero includat formam metaphysicam, quamuis posset recipere aliam formam metaphysicam, erit potentia metaphysica, sed non erit pura potentia metaphysica. Hinc illud est pura potentia physica, quod non includit intrinsecè, tanquam partem essentialem sui, formam physicam; & illud est pura potentia metaphysica, quod non includit tanquam partem essentialem sui formam metaphysicam.

Duplex sensus quæstionis.

14. Ex quo patet hanc quæstionem duplicẽ posse habere sensum, primus est, an materia prima sit ita pura potentia physica, vt non includat vllum actum, tanquam partem essentialem physicam sui. Secundus est, an sit ita pura potentia metaphysica, vt non includat vllum actum vel formam metaphysicam, tanquam partem sui.

*Prima sententia* est materiam primam esse ita puram potentiam, vt neque includat vllum actum physicum aut metaphysicũ. Hanc tenent puriores Thomistæ, quos citat & sequitur *Ruuius hic & Complutenses quæst. 2.*

*Secunda sententia* est materiam primam includere actum metaphysicum, non vero physicum, & propterea eam esse in pura potentia susceptiua physica, non vero metaphysica. Hæc est communior iam cum *Doctore 2. di. 12. q. 1.* cum suis omnibus, quos sequuntur *Suares disp. 13. Met. sect. 5.* & recentiores fere omnes.

## CONCLVSIO I.

*Materia prima est ita pura potentia susceptiua physica, vt nullum actum physicum includat tanquam partem essentialem physicam sui.* Hæc est communis apud authores vtriusque sententiæ.

Materia prima est pura potẽtia physica.

*Probatur* euidenter, quia alias non esset primum subiectum physicũ, & consequenter non esset materia prima. Probatur sequela, quia si includeret aliquẽ actũ physicũ, ille

ille actus deberet habere aliquod subiectum, quod etiam esset inclusum in materia, quia alias non esset actus: sed illud subiectum esset prius quam esset materia prima, quia partes physicæ sunt priores toto physico: ergo materia prima non esset subiectum primum.

*Probatur secundò*, quia alias materia prima non esset primum principium rerum naturaliū, nam fieret ex alio principio in eodē genere causæ, in quo alia fiunt ex ipsa materia: fieret enim ex parte physica componente receptiua, nimirum ex illo subiecto quod actuaretur per formam physicam, quam includeret: sed hoc est absurdum.

*Confirmatur*: illud subiectum, ex quo fieret materia prima, vel includeret aliam formam physicam, & aliud subiectum, vel non includeret: si includeret, tum daretur processus in infinitum, quod in proposito hoc est absurdum, & gratis dictum; si non includeret, ergo idem dicendum de ipsa materia prima: quia est eadem ratio de ipsa, & illo alio subiecto quantum ad hoc.

## CONCLVSIO II.

Includit. metaphysicum.

16. *Materia prima non est ita pura potentia, quin includat actum metaphysicum.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam.

*Probatur*, quia materia prima includit gradū entis incōpleti, & substantiæ incōpletæ, & partis physicę susceptiuæ, & isti gradus sunt eodē modo inter se distincti, quo gradus entis completi, & substantiæ completæ, & substantiæ compositæ ex partibus physicis; sed ex illis gradibus formalitas seu gradus substantiæ est differentia contrahens gradum entis, & gradus partis susceptiuæ est differentia contrahens gradum substantiæ incompletæ, & consequenter gradus substātiæ est actus metaphysicus actuans metaphysicè gradum substantiæ incompletæ; ergo materia prima includit tanquam partem essentialem metaphysicam sui actum metaphysicum, & consequenter non est pura potentia metaphysica.

*Confirmatur*: homo includit actum metaphysicum, quia includit rationalitatē, quę est actus metaphysicus actuās, & determinans animal ad esse hominis: sed materia prima includit susceptiuitatem, quæ est differentia contrahens rationem substantiæ incompletæ ad essē materiæ primæ: ergo includit essentialiter actum metaphysicum.

*Confirmatur secundò*, quia ideo colligitur quod homo includat actum metaphysicum, quia videmus quod includat plures formalitates, in quarum vna conuenit cum aliis rebus distinctæ naturæ ab ipso (nempe in animalitate) sed materia prima conuenit cum forma substantiali in ratione entis incompleti substantialis, & disconuenit ab illa in ratione partis susceptiuæ substantialis & primi subiecti: ergo debet dici quod includat actum metaphysicum, nempe differentiam illam, per quam distinguitur à forma & aliis rebus. Quod si quis negaret huiusmodi formalitates diuersas in materia prima, profecto eodem modo & æque facile posset negare formalitates diuersas in homine, aut quauis alia re.

*Confirmatur tertiò*, quia materiæ primæ sublunarium omnium sunt eiusdem speciei inter se, & diuersæ speciei à materia cælestium in sententia aduersariorum: ergo omnes materiæ sublunares conueniunt in differentia vna specifica, per quam distinguuntur specie à materia cælestium.

17. *Dices* cum *Complutensibus* materiam primā sublunarium esse eiusdem speciei negatiuè, non vero positiuè.

*Contra*, quia hæc responsio est gratissima, & eodem modo posset quis dicere quod humana natura esset eiusdem speciei negatiuè tantum & non positiuè. *Deinde* materiæ primæ sublunares habent positiuam formalitatē, secundum quam conueniunt inter se & disconueniunt ab aliis rebus: ergo sunt positiuè eiusdem speciei.

*Dices* materiam primam non esse eiusdem speciei positiue, quia non habet differentiam;

*Contra*, quia habet formalitatem per quam conuenit cum aliis rebus, & aliam per quam differt ab illis non minus quam homo: ergo habet differentiam non minus quam homo.

*Dices* eam differre seipsa, & non per differentiam. *Contra*, sic etiam posset quis dicere de homine ac de Angelo, quod nimirum differret se ipso ab illis rebus, à quibus differt. *Deinde*, si per hoc quis velit quod differat seipso, id est ratione alicuius formalitatis in ipsa inclusę, verum est, sed non ad rem, quia hoc non tollit, quin habeat differentiam per quam differat: si velit dicere quod seipsa totaliter differat, ita vt non conueniat in vlla formalitate cum aliis rebus, falsum est; quia conuenit cum forma in ratione entis incompleti substantialis.

Quod si dicatur cum *Ruuio*, quod materia non sit species completa directe collocabilis in prædicamento substantiæ, hoc vltro concedendum est; sed inde non infertur, quin includat actum metaphysicum incompletum, nec nos de alio actu loquimur.

Adde aduersariorum fundamenta esse leuissima, & multo facilioris solutionis quam nostra, vt ex eorum solutione patebit.

18. *Obiicies primò*: si materia secundum se, & prout distinguitur à forma, haberet actum, aut differentiam metaphysicam, per illam distingueretur ab aliis rebus: sed hoc est absurdum: ergo. Probatur minor, quia omnis distinctio positiua specifica est à forma: ergo si materia distingueretur secundum se positiue, & specifice ab vlla re, haberet formam, & non haberet formam; haberet quidem, quia distingueretur, non haberet autem, quia supponitur considerari quatenus non includit formam.

*Respondeo* negando minorem, & distinguendo antecedens probationis: omnis distinctio est à forma physica vel metaphysica, transeat; à forma physica sola, nego: tū quia certū est Angelos distingui specie inter se, quāuis non habeant formam physicam; tum quia cæli (si tamē constent materia diuersæ speciei à materia sublunarium, vt tenent aduersarij) sine dubio distinguuntur specie à sublunaribus non solum ratione formæ, sed etiā ratione materiæ; tum denique quia gratissime dicitur quod omnis distinctio sit à forma physica. Distinguo etiam cōsequens: si materia secundum se distingueretur, haberet formam physicam, & non haberet formam physicam, nego; haberet formam metaphysicam, & non haberet formam physicam, concedo consequentiam.

Non omnis distinctio est à forma physica.

19. *Dices cum Complutensibus*: ad hoc vt aliquid habeat formam seu differentiam specificam seu metaphysicā, debet habere principium aliquod, & radicem, vnde desumatur: sed tale principium non potest esse, nisi vel actus informans, qualis est forma substantialis, vel actus subsistens qualis est Angelus; ergo cum materia nec habeat vllum actum ex his, nec etiam sit vllus actus ex illis, non poterit includere actum metaphysicum.

*Confirmatur ab iisdem*, quia genus habet desumi, tanquam à radice, vel à materia prima, quæ est pura potentia, vel ab aliquo, quod habeat aliquid veræ potentialitatis admixtum: ergo differentia metaphysica desumi debet ab aliquo quod physicè habeat rationem actus vel informantis vel subsistentis.

*Respondetur* negando minorem; tale enim principium est quæcumque entitas realis, & physica, quæ est diuersæ naturæ ab alia entitate reali, & physica, & talis entitas est materia prima.

*Ad confirmationem respondeo* negando consequentiam, neque enim sequitur illud consequens, sed potius sequeretur hoc aliud: ergo debet differentia desumi ab aliquo, quod est actus vel habet aliquid actualitatis, & concedo libenter hanc consequentiam; materia autem habet aliquid actualitatis, quia habet in se gradum determinatiuum entis incompleti, & substantiæ incompletæ, quod sufficit.

20. *Obiicies secundò, ex iisdem Complutensibus*: si materia esset aliqua species positiua incōpleta, aut haberet differentiā, qua constitueretur in esse talis speciei, deberet reduci ad aliquam speciem completam: sicut n. species imperfecta reducitur ad perfectam, ita incompleta ad completam: sed non potest reduci ad vllam speciem completam, quia non ad omnes, cū non participet

natu

naturam omnium ; neque ad aliquam vnam , quia non potius ad vnam quam ad quamcumque aliam.

*Respondeo* negando minorem , potest enim reduci ad quamcumque speciem substantiæ materialis physice cõpositæ , quia est pars essentialis cuiuscumque talis substantiæ,& bene potest pars reduci ad totum; neque alio modo debet participare omnes illas species , nisi quatenus debet esse talis pars earum. *Adde* argumentum hoc posse retorqueri , quia omnis species incompleta negatiuè tam bene reduci debet ad speciem completam, quam species incompleta positiuè: sed materia secundum aduersarios est species incompleta negatiuè : ergo vel debet reduci ad aliam speciem completam , vel non debet : si debet & potest , ergo similiter poterit reduci, quamuis esset species incompleta positiuè; si non potest nec debet , ergo nec debet etiam sic reduci , quamuis esset species incompleta positiuè.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum materia prima sit actus entitatiuus.*

21. QVæstio hæc potest, & solet etiam ita disputari , vt omnino sit de nomine , potest tamen etiam sic examinari , vt sit etiam de re. Si enim per actum entitatiuum intelligatur illud quod existit realiter , & non est potentia tantum obiectiua , prout est Anti-Christus iam , sicut *Scotus 2.d.12.quæst.1.* & multi Scotistæ intelligunt, nemo potest dubitare quin materia prima sit actus entitatiuus,& *Thomistæ*, qui absolute negant materiam primam esse actum entitatiuum non negant eam esse actum entitatiuum in hoc sensu ; vnde inter illos , & *Scotistas* , intelligentes hoc modo actum entitatiuum , est quæstio tantum de nomine.

Sensus quæstionis.

Alio modo potest per actum entitatiuum intelligi omne illud quod habet existentiam sibi propriam non existens per existentiam alienam , nec potens sic existere;& in hoc sensu est quæstio hæc realissima , nam sensus esset an materia prima habeat existentiam sibi propriam distinctam ab existentia formæ.

*Prima sententia* est quod materia non sit actus entitatiuus;nec includat talẽ actum. Ita pluriores *Thomistæ* citati à *Complutensibus hic quæst.2.* ex quibus tamen aliqui dicunt , vt *Ruuius* ibidem , quod materia prima habeat propriam existentiam communicatam tamen sibi à forma;alij vero communius dicunt , quod existat eadem ipsa existentia , qua forma existit.

*Secunda sententia est Doctoris 2. dist. 12. quæst. 1.* cum suis omnibus , & recentioribus communiter in hac materia , nempe quod materia prima sit actus entitatiuus.

## CONCLVSIO.

Materia includit actum entitatiuum.

22. *Materia prima non est ita pura potentia, quin includat actum entitatiuum,aut sit actus entitatiuus.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam.

*Probatur* , quia si intelligamus per actum entitatiuũ illud , quod realiter existit , & non est in potentia obiectiua , aut si dicamus illud quod sic existit includere actum entitatiuum , certum est materiam primam esse actum entitatiuum,aut includere talem actum,quia certum est quod realissime existit ; alias composita non existerent realiter,nec formæ etiam materiales,quia hæ educũtur realiter è potentia materiæ , & dependent in esse ,& conseruari à materia ; quod fieri non posset,nisi materia realiter existeret. Si autem dicatur illud esse actus entitatiuus, aut includere actum entitatiuũ,quod habet propriam , & peculiarem existentiam , probatur quod materia , vt distinguitur realiter à forma , habeat peculiarem , & propriam existentiam distinctam realiter ab existentia formæ. Probatur inquam hoc primò, quia,vt in Metaphysica ostendetur, existentia realis realiter identificatur rei existenti per illam , neque aliquid potest existere realiter per aliquid à se realiter distinctum sed materia distinguitur realiter à forma'& ab existentia formæ : ergo existit per propriam existentiam distinctam ab existentia formæ.

23. *Probatur idem secundò:*quia omnis actio realis causæ effectiuæ habet pro termino aliquid,vt existens ; per talẽ enim actionem nihil aliud facit efficiẽs , quam cõmunicare existentiam rei,seu efficere vt aliquid , quod ante non existebat , existat;ergo vbi sunt duæ actiones realiter distinctæ, & habentes terminos realiter distinctos , quilibet ex illis terminis debet habere existentiam sibi correspondentem:sed actio productiua materiæ , & actio productiua seu eductiua formæ sunt actiones reales distinctæ rationis , quia vna est creatio , altera eductio,& habent etiam terminos distinctos , vna nempe materiam , & altera formam : ergo tam materia quam forma debet habere propriam existentiam.

*Et si dicas*, quod vterque terminus posset terminare actionem realem vt existens,quamuis vterque existeret eadem existentia, & consequenter quod non sit necesse vt existant diuersis existentiis.

*Contra*, quamuis hoc posset dici quando vterque terminus simul produceretur , tamen in proposito nostro nequit habere locum, quia materia prius natura producitur quam forma.

24. *Vnde probatur idem tertiò* , & confirmatur præcedens probatio:quidquid producitur realiter prius tempore aut natura quam aliud,debet pro illo priori habere existentiã & terminare actionem, vt existens:sed materia prius natura saltem producitur quam forma : ergo pro illo priori debet habere existentiam aliquam,secundum quam posset terminare actionem illam realem,per quam producitur:sed nõ habet existentiam formæ, quæ in illo priori nondum producta est:ergo aliam , & consequenter materia habet propriam existẽtiam, siue existentia distinguatur realiter a materia; siue non. Et hæc probatio conuincit contra *Ruuium* , quod materia non habeat existentiam suam distinctam quidem ab existentia formæ , sed communicatam tamen à forma.

*Dices* materiam esse priorem forma in genere causæ materialis , posteriorem vero in genere causæ formalis. Sed præterquam quod hoc sit falsum,vt agentes de mutua causalitate causarum dicemus : Adhuc contra est, quod vt est prior,in quocumque genere est prior,debet habere existentiam : sed non potest habere existentiam formæ, ergo aliam, & consequenter propriam.

*Probatur idem quartò*:si materia existeret existẽtia formæ aut existentia cõmunicata à forma,sequeretur quod produceretur à causa secunda productiua formæ, v. g. ab igne & aqua & similibus , & consequenter quod aut non produceretur semper per creationem , aut quod ignis naturaliter crearet, & aliæ causæ secundæ : consequens est cõtra omnes Peripateticos etiam aduersarios, ergo & antecedens.Probatur sequela maioris:quidquid communicat existentiam alicui rei, aut producit eius existentiam, producit ipsammet rem, eatenus enim potest aliquid produci , quatenus potest produci eius existentia aut communicari ipsi:sed ignis verbi gratia producit formam ignis cum eius existentia:ergo,si hæc ipsa existentia est existentia materiæ primæ, producit etiam materiam primam , & communicat ipsi eius existentiã.

26. *Probatur quintò*,quia potest forma existere , quin existat materia , vt est euidens in anima rationali , & in quacumque etiam alia forma absoluta substantiali,quæ de potentia absoluta potest existere non existente vlla materia,aut saltem sine quacumque materia , quam semel informauit : ergo materia non existit per existentiam formæ. Probatur consequentia, quia videtur impossibile quod rei alicuius existentia existat , non existente ipsametre, cuius est existentia.

*Confirmatur* hoc , quia de facto existit anima rationalis,& materia quæ informabatur per ipsam , & tamen illa materia non existit per animam rationalem : ergo per existentiam animæ nunquam existebat , & consequenter materia non existit per existentiam formæ. Secunda consequentia est euidens in sententia aduersario. rum , qui in homine non ponunt nisi vnam formam substantialem,quæ est anima.Probatur prima cõsequẽtia:quoties existit res aliqua,& existentia, per quam nata est existere , debet existere per illam existentiam:ergo si materia existit simul cum existentia animæ, sequitur quod non sit nata existere per existentiam animæ.

27 *Probatur sextò*, quia si materia existeret per existentiam formæ, aut etiam per existentiam communicatam à forma, sequeretur quod quoties destrueretur aliquod compositum, toties annihilaretur: sequeretur etiam quod toties crearetur materia, quia toties reciperet nouam existentiam: sed hoc est absurdum etiam secundum aduersarios, ergo. Probatur sequela maioris quoad primam partem, quia toties desineret esse secundum omnem partem sui; desineret enim quoad formam, quia alias non destrueretur; desineret etiam quoad materiam, quia desinente forma desineret existentia materiæ, & consequenter desineret ipsa materia: sed hoc est annihilari, ergo. Probatur idem antecedens quoad secundam partem, quia toties producitur noua forma, per cuius existentiam existit materia.

*Respondent* aliqui materiam non annihilari, nec creari, quia quamuis perdat vnam existentiam, succedit tamen alia, & sic semper manet in eodem esse, sicut lumen productum ab vno agente, & conseruatum ab alio, semper manet idem.

28 *Contra*, quia, si existentia materiæ sit existentia formæ, implicat materiam habere eandem existentiam, & consequenter manere in eodem existere, non manente eadem forma. Illud autem de lumine non est idem, quia nec actio productiua luminis, nec conseruatio eius sunt de intrinseca ratione luminis, & consequenter non est mirum quod iis variatis possit lumen idem quoad omnia sibi intrinseca manere: sed existentia est de ratione intrinseca materiæ existentis, & consequenter mutatis existentiis non manet materia in eodem esse existentiæ.

*Respondent alij* materiam semper manere eandem quoad esse essentiæ, quamuis varietur eius existentia. *Sed hæc responsio* non est ad rem, quia ad creationem sufficit quod res producatur de nouo secundum omnem sui partem quoad esse existentiæ, siue extiterit ante quoad esse essentiæ, siue non.

*Confirmatur*, quia esse essentiæ materiæ non potest alio modo destrui quam auferendo ab ipso existentiam: ergo si perdat existentiam, destruitur quoad esse essentiæ eo modo quo potest destrui quoad illud esse.

29 *Respondent* alij materiam ideo non destrui aut produci de nouo, quia nullo tempore vel instanti caret existentia, sed quando amittit existentiam prioris formæ, recipit existentiam posterioris.

*Sed contra*, quia de conceptu destructionis tantum est vt res perdat existentiam suam, siue eam, vel aliam iterum acquirat, siue non; & de conceptu productionis est, vt detur rei existentia, quam ante non habuit, siue aliam habuit, siue non; ergo reuera destruitur, & producitur materia de nouo.

*Probatur septimò*, quia si est eadem existentia veriusque, non magis debet dici, quod sit formæ quam materiæ; & consequenter non magis debet dici, quod materia existit existentia formæ, quam forma existentia materiæ: ergo tam bene potest dici quod materia habet propriam existentiam, quam id dicitur de forma, imo potius deberet dici quod forma existat per existentiam materiæ, quia materia præsupponitur formæ, & hæc ex illa educitur, & ab illa sustentatur.

*Probatur vltimò*, quia nullum prorsus est fundamentum, vnde colligatur (vel cum mediocri probabilitate) quod materia non existat, nisi per existentiam formæ: ergo non debet asseri.

30 *Obijcies primò*: si haberet existentiam à se, vel illa existentia esset quid realiter distinctum ab ipsa, vel non esset: sed neutrum dici potest, ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia sequeretur quod materia non esset pura potentia, vt distinguitur à forma, cum includeret actum existentiæ. Probatur eadem ratione etiam quoad secundam partem, & præterea omnibus rationibus, quibus probatur existentiam esse realiter distinctam à rebus existentibus.

*Respondeo* negando minorem, ad cuius probationem pro vtraque parte respondeo distinguendo sequelam: non esset pura potentia metaphysica, concedo, non esset pura potentia physica, nego; ex eo enim quod includeret existentiam, non sequeretur quod includeret actum physicum, quia existentia non est talis secundum omnes. Ad rationes autem, quibus probatur existentiam distingui realiter à re existente, respondebitur suo loco, & ostendetur contrarium.

*Obijcies secundò*, si materia existeret propria existentia, esset ens in actu: ergo non posset facere vnum per se cum forma, quia ex duobus entibus in actu non fit vnum per se: sed est absurdum quod non faciat vnum per se cum forma: ergo non existit propria existentia.

31 *Respondeo primò*, quod si hoc argumentum valeret, probaret, quod materia non posset etiã existere per existentiam formæ, quia sic existens esset ens in actu tam bene, quam si existeret propria existentia, & de forma, & materia existentibus eadem existentia verum est dicere quod sint duo entia in actu: ergo non possent facere vnum per se; quod autem existentia eorum sit vna aut duplex, est omnino impertinens, quantum ad hoc.

*Respondeo secundò* distinguendo antecedens: esset ens in actu, id est esset ens actu existens, concedo antecedẽs, esset ens in actu, id est ens actuatũ forma physica informante, aut ens actuale completum, nego antecedens, & consequentiam, & distinguo eius probationem: ex duobus entibus actu existentibus, modo sint essentialiter incompleta, & vnum ex ipsis essentialiter ordinatũ ad alterum, non potest fieri vnum per se, siue existant existentiis diuersis, siue eadem existentia, nego probationem; alias certe non essent essentialiter incompleta: ex duobus entibus actu existentibus essentialiter completis, & non ordinatis per se ad se inuicem, non potest fieri vnũ per se, concedo: materia autem, & forma sunt essentialiter incompleta, & ordinata ad se inuicem. Quod vero duo entia actu exictentia etiam existentiis diuersis possint facere vnum per se, patet manifeste, quia manus existit existentia diuersa ab existentia pedis, & tamen tam manus quã pes cõcurrunt ad faciendũ vnũ per se hominem, & duæ partes aquæ totalis existunt existentiis diuersis, & tamen concurrunt ad faciendam vnam per se aquam. Nec refert, quod hæ partes sint partes integrales & non essentiales. Nam quemadmodũ duæ partes integrales existentes existentiis diuersis concurrunt ad faciendum vnum per se integrale, ita duæ partes essentiales existentes existentiis diuersis possunt concurrere ad faciendum vnum per se essentiale physicum, nec potest dari meo iudicio sufficiens ratio disparitatis.

*Duo entia incomplete possũt facere vnũ ens per se.*

32. *Dices*: existentia rei est vltimus actus rei: ergo quidquid existit, est vltimate completum, nec potest vlterius compleri, & consequenter si materia existit existentia propria, non potest compleri per formam, nec facere cum ipsa vnum per se.

*Respondeo primò* negando antecedens: tum quia reuera non est actus proprie loquendo, tum quia accidentia, quæ sunt actus aliquo modo substantiæ, adueniunt ipsi post existentiam, vt omnes fatentur.

*Respondeo secundò*, distinguendo antecedens; est vltimus actus metaphysicus rei, transeat, est vltimus actus physicus rei, nego antecedens; & similiter distinguo primum consequens: est vltimate completũ metaphysice, ita vt nulla alia formalitas metaphysica adueniat rei post existentiã, transeat; est vltimate completum physice ita vt non possit actus informans physicus aduenire rei, nego consequentiam primam. Distinguo etiã secundum consequens: non potest compleri metaphysice per formã vllam aduenientem post existentiam, transeat; per formam physicam, nego secundam consequentiam.

33. *Confirmatur hoc*, quia manus, nonobstante existentia, est per se coniungibilis cũ aliis partibus corporis; & ipsa forma non obstante quod existat per propriã existẽtiam, potest coniungi per se cum materia, & completur vlterius per materiam: ergo similiter materia, quamuis existeret propria existentia, potest tamen vlterius cõiungi & compleri per formã physicam. Et ex hoc ipso exẽplo patet falsum esse quod dicunt *Complutenses quæst. 5. nu. 54.* nẽpe repugnare quod dentur existentiæ partiales:

nam

nam existentia capitis est existentia partialis, & existentia manus, ac cæterarum partium integralium hominis.

*Confirmatur secundò*, quia anima rationalis separata, & existens propria existentia (& idem est de quacumq; forma substantiali, quæ conseruaretur à Deo absque materia, est quid physice incompletum, & non ponitur propterea directe in vllo prædicamento: ergo quamuis materia esset existens propria existentia, adhuc esset physice incompletum quantum ad hoc, nec poneretur directe in prædicamento vllo, quæ videtur mihi manifestissima instantia.

34. *Obiicies tertiò*: si materia existeret propria existentia; illa existentia deberet esse in per se potentia ad existentiam formæ, & deberet posse recipere effectum formalem ab existentia formæ: sed neutrum dici potest; non primum, quia illa, quorum vnum est per se in potentia ad alterum, debent esse diuersæ rationis formaliter: sed illæ existentiæ non videntur esse formaliter diuersæ rationis, ergo neutra ex illis est in per se potentia ad alteram: non etiam secundum, quia nec materia, nec eius existentia existunt per existentiam formæ, ergo non recipiunt effectum formalem istius existentiæ, nam affectus formalis existentiæ est facere existens.

*Respondeo* negando minorem; ad cuius probationem pro prima parte dico illas duas existentias esse diuersæ rationis, quia vna petit essentialiter identificari formæ, & facere ipsam existentem, altera petit essentialiter identificari materiæ, & facere ipsam existentem, quod sufficit ad diuersitatem earum. Quod si etiam essent eiusdē rationis, adhuc posset vna esse in per se potentia ad alteram realiter loquendo, & iuxta hoc potest distingui maior obiectionis: realiter loquendo, concedo, formaliter, nego; & similiter distinguo minorē & probationē eius pro prima parte. Ad probationē minoris pro secūda parte respōdeo negāndo cōsequētiā, ad cuius probationē dico quod effectus formalis existētiæ respectu ipsius rei, cui identificatur, est facere illā rem existentem, nō verō respectu alterius rei, cui coniungitur per vnionē realē: quare cum sic vniatur materiæ, nec identificetur ipsi, effectus formalis ipsius respectu materiæ, nō debet esse facere ipsā existentē, sed potius effectus ipsius est cōcurrere cum ipsa ad constituendum totum, & actuare seu cōplere eius existentiā in ordine ad constitutionē eius.

35 *Confirmatur* hæc responsio, quia ex coniunctione materiæ existentis cum forma existente non debet materia aut existentia eius existere per existentiam formæ magis, quam ex coniunctione substantiæ existentis cum accidente existente, substantia existere per existentiam accidentis, aut è contra: sed non obstante coniunctione substantiæ hominis, verbi gratia, cum accidente existēte, homo non exiitit existentia istius accidentis, nec è contra, ergo nec materia existens debet existere per existentiam formæ, quamuis coniungatur cum ipsa.

*Deinde* quemcumque effectum formalem tribuet existentia accidentis subiecto, cui inhæret, similem proportionaliter tribuet existentia formæ materiæ existēti; vnde vt aduersariis demus quē effectum tribuit existētia formæ existentiæ materiæ, petendum ab illis quem effectum tribuit existentia accidentis substantiæ, & statim apparebit, quam parum vrgeat hæc difficultas.

*Rursus* quærendum ab illis, quem effectum tribuit existentia manus existentiæ corporis; & quod respondebunt, poterit sufficere nobis.

36. *Obiicies quarto*. Non ponitur vlla mentio in desinitionibus materiæ primæ assignatis à Philosopho de actu entitatiuo, nec quod materia habeat propriam existentiam: ergo non est dicendum quod sit actus entitatiuus, aut quod habeat propriam existentiam.

*Respondeo* negando antecedens, nam eo ipso, quo dicitur primum subiectum, datur intelligi quod sit substātia distinctæ rationis à forma, & quod sit prior forma, & ex hoc satis colligitur, quod habeat etiam propriam existentiam.

37 *Obiicies quintò*. Ens diuiditur in actum & potentiā: ergo per hoc quod aliquid sit pura potentia realis, quāuis nullum diceret actum; posset esse ens reale, & consequenter falsum est vnum ex fundamentis communibus nostræ conclusionis, nempe quod materia non posset esse ens reale, nisi esset actus entitatiuus, aut nisi diceret talem actum.

*Respondeo* negando suppositum primi consequentis, nimirum quod possit habere rationem potentiæ realis absque inclusione actus metaphysici, & absque eo quod posset existere propria existentia, & consequenter absque eo quod diceret actum entitatiuum.

*Obiicies sextò ex Complutensibus quæst. 5. num. 55.* existere est esse extra suas causas: ergo nihil potest existere, antequam causæ exerceant suas causalitates: sed non exercent suas causalitates antequam sit totum: ergo materia non existit priusquam sit totum, & consequenter non existit propria existentia, sed existentia totius, quæ est etiam existentia formæ.

*Confirmatur*: ad hoc vt effectus existat, non sufficit vt exerceatur vna causalitas, sed omnes causalitates exerceri debent: sed omnes causalitates non exercentur, antequam sit totum: ergo. Probant maiorem, quia existētia non definitur esse, qua res sit extra causam, sed extra causas: ergo non sufficit exerceri causalitatem vnius causæ, sed debent exerceri causalitates omnium, causarum. Fusius proponunt hanc obiectionem *Complutenses*, tanquam secundum fundamentum sententiæ suæ asserentis materiam non existere propria existentia: sed ni fallor, tota vis consistit in hoc.

38. *Respondeo* ergo distinguēdo consequens: antequam causæ omnes immediate concurrentes ad productionē rei, quæ existit, exerceant omnes causalitates requisitas ad productionem istius rei, concedo; antequam exerceat omnes causalitates respectu aliarum rerum, nego consequentiam. Similiter distinguo subsumptum; sed causæ producentes compositum non exercent omnes causalitates requisitas ad existentiam materiæ antequam sit compositum, nego, omnes causalitates requisitas ad ipsum compositum aut alias res, concedo subsumptum.

*Ad confirmationem* respondeo distinguendo maiorem eodem modo: omnes causalitates requisitæ ad productionem ipsiusmet effectus, cōcedo; requisitæ ad productionem aliarum rerum, nego maiorem. Distinguo etiā minorem: omnes causalitates requisitæ ad productionē materiæ, nego: ad productionem totius, transeat, & persimiliter distinguo probationem istius maioris.

## QVÆSTIO V.

*Quomodo materia dependet quoad existentiam à forma, & an possit conseruari absque vlla forma.*

40. QVemadmodum effectus causæ efficientis, licet habeat existentiam distinctam ab existentia ipsius causæ efficientis, dependet tamen ita à causa efficienti, vt non posset habere suam existentiam, nisi existeret causa efficiens aut conseruans ipsum: ita quamuis materia habeat existentiam distinctam ab existentia formæ substantialis, posset tamē dubitari, an ita dependeat in ordine ad habendā suam existētiā à forma, vt non posset habere existentiam, nisi existeret forma. Hoc ergo modo examinabimus quæstionem, & quidem in ordine ad potentiam non solum ordinariam ac connaturalem, sed etiam in ordine ad potentiam absolutam & extraordinariam Dei.

*Prima sententia* est quod materia ita absolutè dependeat ab existentia formæ, vt neque de potentia absoluta possit conseruari absque aliqua forma substantiali. Hanc tenent omnes *Thomistæ* (quos impugnauimus quæstione præcedenti) citati à *Complutensibus quæst. 5.*

*Secunda sententia* est quod materia, licet habeat existentiam distinctam realiter à forma, dependet tamen connaturaliter ita à forma, tanquā à communicante sibi existentiam, vt licet absolute & simpliciter possit cōseruari de potentia absoluta absq; omni forma substātiali; tamen hoc non possit fieri, quin Deus concursu particulari suppleat defectum influxus formæ; vnde si solū haberet talem influxum ad conseruationē materiæ, qualē habet

habet de facto cum forma, & destrueret formam; desineret necessario materia: ita *Suarez disp.15.Met.sect.* 8. *Fonseca* 5.*Met.c.*2.*quæst.*3.*sect.*1. *Molina* 1.*par. qu.* 3.*art.* 3.*disp.*2.& alij plures

*Tertia* denique sententia est, materiam nullo modo dependere quoad existentiam suam ab vllo influxu formæ, atque ideo non solum eam posse conseruari de potentia absoluta absque omni forma substantiali, sed etiam sic eam posse cõseruari absque vllo concursu particulari positiuo Dei supplente concursum formæ. Hæc est *Doctoris* 2.*dist.*12. cum suis omnibus, quem sequuntur etiam recentiores plurimi, & nominatim. *Auersa quæstione.*20 *Philosophiæ sect.*10. *Amic.tract.*5.*quæstione* 4. ac *Arriaga disput.*2.*sect.*6.

## CONCLVSIO I.

Materia nequit existere absque forma naturaliter.

41. *Materia nequit naturaliter existere absque aliqua forma substantiali.* Hæc est communissima omnium Peripateticorum.

*Probatur ab aliquibus*, quia est incompletum quid essentialiter & physice, ergo nequit conseruari naturaliter absque forma, quæ est eius complementum.

*Contra*, quia manus potest conseruari absque aliis partibus, & corpus organicum absque anima, & ipsa anima absque corpore, non obstante quod sint incompleta entia, ergo similiter dici posset de materia non obstante incompletione sua.

*Probatur secundò* ab aliis, quia esset inutilis, ergo deberet connaturaliter destrui, si non poneretur in ipsa aliqua forma, sicut animæ brutorum separatæ, & formæ substantiales omnes non debent conseruari connaturaliter destructa earum vnione ad subiectum, quia essent inutiles.

Materia absque vlla forma esset vtilis.

Hæc etiam probatio non sufficit, negatur enim antecedens, nam esset vtilis ad hoc vt agens creatum applicatũ ipsi posset in ipso producere formam substãtialem.

42. *Probatur ergo melius*: si posset esse naturaliter absque vlla forma, maxime per actionem alicuius causæ secundæ naturalis: sed non potest id contingere, ergo.

Probatur minor, quia agens naturale non intendit per se destructionem vllius rei; sed eatenus destruit, quatenus intendit producere aliquem alium effectum quem absq; destructione nequiret producere: ergo nequit destruere compositum substantiale, aut separare formam substantialem à materia, quin eius loco producat aliam formam substantialem in illa materia, & consequenter nequit separare materiam ab omni forma substantiali.

*Impugnat* hãc rationẽ *Arriaga* supra: quia causæ naturales quandoque destruunt aliquas formas accidentales absque productione alterius incompatibilis cum ipsis, vt patet in luce aut lumine, quod destruitur absque vlla forma incompassibili: ergo similiter posset destrui forma substantialis aliqua absque forma incompatibili.

*Contra*: Lux non destruitur per actionem positiuam, sed per substractionem concursus positiui, & illa ipsa substractio non fit nisi per desitionem causæ conseruatiuæ, aut per remotionem eius, quæ remotio non fit nisi per productionem alicuius formæ positiuæ: sed formæ substantiales omnes habent causas naturaliter conseruatiuas semper applicatas, nec propterea conseruatio earum naturaliter substrahi potest, nisi tollantur dispositiones positiuæ illarum; hæ autem tolli nequeunt nisi per introductionem formarum oppositarum.

43. *Confirmatur hoc*, quia omne compositum substantiale habet virtutem productiuam accidentium sibi connaturalium, & est sibi sufficienter semper applicatum in ordine ad hoc: ergo nisi aliquod agens aliud adsit, quod per actionem positiuam producat alias dispositiones incompatibiles, semper manebunt illa accidentia, & consequenter semper manebit illud compositum ac forma eius in materia eius, quia semper debet manere quamdiu manent illa accidentia, quæ sunt dispositiones naturaliter conseruatiuæ eius.

Itaque existimo esse certum, quod nulla causa naturalis possit destruere aliquã formam præsertim permanentẽ, cum necessario produci debeat, aut per illud ipsũ agens, aut per aliud aliqua forma positiua incompatibilis cum forma destruenda, aut cum aliqua forma ad cõseruationem eius requisita: cuius ratio à priori est, quod causa naturalis applicata passo, naturaliter, & consequẽter necessario agere debet quidquid potest: ergo si produxit aut conseruauit formam substantialem, aut accidentalem in hoc instanti aut tempore in hoc subiecto, debet etiam illam producere, aut conseruare pro quocumque alio tempore, pro quo est eodem modo applicata: sed semper erit eodem modo applicata, nisi producatur aliqua alia forma incompatibilis aut cum illa forma, aut cum forma aliqua ad ipsam prærequisita: ergo nunquam potest destrui forma aliqua absque productione alterius formæ.

Nulla forma destruitur à causa naturali absque productione alterius formæ.

44. *Melius impugnari posset prædicta probatio*, quia quamuis causa naturalis non intenderet per se destructionem, & propterea deberet produci aliqua forma, vt alia forma destrueretur; tamen adhuc posset contingere, quod aliqua causa naturalis, verbi gratia ignis, intendẽs producere formam suam introduceret dispositiones ad hoc necessarias & expelleret dispositiones oppositas repertas, verbi gratia in aqua aut alio corpore, donec veniret ad aliquem terminum, in quo istæ dispositiones essent expulsæ quantum ad gradum, qui requireretur ad conseruationem formæ substantialis, non tamen essent introductæ dispositiones in gradu sufficienti ad introductionem formæ ignis: in hoc casu, qui est non solum possibilis, sed talis, vt non possit cognosci, quin naturaliter sæpe occurrat, destrueretur forma aquæ, & non introduceretur forma ignis, quia forma aquæ debet destrui statim ac desinunt qualitates, conseruatiuæ eius in gradu inquo sunt necessariæ ad eius conseruationem, forma & ignis non debet introduci, antequam introducantur dispositiones ad ipsam in gradu requisito.

*Et si dicas*, si forma ignis non debeat tum produci, aliquam aliam formam debere. *Contra* est, quod nulla alia forma debet produci, nisi sit producta dispositio sufficiens ad illam; nemo autem scire potest, an in casu proposito introducatur dispositio sufficiens ad vllam formam producendam.

45. Hæc impugnatio non facile tolletur ab illis, qui ponunt dispositiones positiuas requiri ad formam substantialem in ipsamet materia prima, & hanc absque talibus, non posse naturaliter recipere formam substantialem. Verum in nostra sententia, qui subiectamus accidentia absoluta, & dispositiua in toto composito, & asserimus dari resolutionem vsque ad materiam primam in generatione & corruptione totali, non habet difficultatem, quia pro quocumque instanti materia denudatur forma substantiali, qua afficitur, est sufficienter dispositа ad receptionem alterius formæ cuiuscumque, quæ possit produci ab agentibus circumstantibus, & hinc necessariò debet tum recipere aliquam formam.

*Et hinc probatur secundo conclusio.* Materia prima non potest poni naturaliter, nisi in aliquo loco sit applicata taliter causæ alicui, quæ possit in ipsa introducere formã, & sit ad hoc ex se determinata, nisi poneretur impedimentũ: ergo necessario deberet naturaliter loquẽdo in materia produci ab aliqua causa aliqua forma substãtialis, nisi ponatur impedimẽtũ: sed nullũ impedimentũ naturale esse potest nisi quod sit informata aliqua forma substantiali incompatibili cũ forma, quæ produci deberet: ergo non potest esse naturaliter absq; aliqua forma substantiali.

46. *Obiicies primò*: Materia fuit in initio creationis absque vlla forma: sed tum fuit naturaliter producta: ergo naturaliter potest esse absque vlla forma. Probatur maior tum authoritate *S. Augustini.* qui ita videtur sentire, tum ex illo *Gen.*1. Terra erat inanis, & vacua, id est, materia prima erat absque vlla forma.

*Respondeo primo*, negando maiorem, ad cuius probationem, nego *August.* dicere quod materia prima fuerit vnquam absque aliqua forma pro vllo instanti tẽporis, sed ad summum vult quod fuerit prius natura producta, quã esset producta vlla forma. Locus etiã ille scripturæ

non

non debet intelligi de materia prima, quæ non vocatur terra, sed de propria terra, quæ erat tum inanis & vacua, quia erat absque arboribus & plantis.

*Respondeo secundo*, conclusionem intelligendam de materia prima, quantum ad actiones causarum secundarum, ex suppositione productionis eius sub formis, non vero quantum ad actionem causæ primæ, quæ produceretur primo, antequam informaretur vlla forma.

56. *Obiicies secundò*, Ideo anima rationalis potest conseruari naturaliter absque omni corpore, quia est subsistés subsistētia partiali: sed materia est quid similiter subsistés, ergo potest naturaliter separari absq; omni forma.

*Respondeo*, quidquid sit de minori, distinguo maiorem: ideo partialiter, transeat; ideo totaliter, nego maiorem & consequentiam: & ratio disparitatis est, quod agens separans animam à corpore non sit naturaliter determinatum ad coniungendum aliud corpus cum ipsa, & propterea bene potest naturaliter existere absque corpore; sed agens separans formam substantialem à materia est determinatum ad producendam aliam formam in illa, vel aliquod aliud agens tum applicatum, & consequenter quando separatur vna forma, aduenit alia, & hinc corruptio vnius dicitur generatio alterius.

57. *Obiicies tertiò*, Agens separans animam à corpore, non est determinatum ad producendam aliam formam substantialem in corpore illo, licet corpus illud sit quid incompletum physice, & in per se potentia ad aliquam formam; ergo quamuis materia sit per se potentia ad formam substantialem, agens separans vnam formam non debet esse determinatū ad producendam aliam formam.

*Respondeo* negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod quando separatur anima à corpore, corpus non reperitur dispositum sufficienter ad vllam aliā formam, & propterea agens non debet nec potest esse determinatum ad producendā vllam aliam formam in illo; sed quādo separaretur omnis forma substātialis à materia, esset tum dispositа optime ad recipiendum aliquam aliam formam, & consequenter deberet alia produci.

## CONCLVSIO II.

Forma non habet vllum influxum in materiam.

58. *Forma non habet vllum influxum positiuum physicum in materiam aut eius existentiam, & consequenter si desineret forma, & non produceretur alia forma in ipsa, conseruaretur in rerum natura per illum ipsum influxum, quo conseruaretur simul cum forma absque alio concursu positiuo supplente defectum influxus formæ.* Hæc est iuxta tertiam sententiam contra secundam.

*Probari posset* ex *Arriaga disp. 2. sect. 6.* quia huiusmodi dependentia esset dependentia à priori; sed talis solum datur ad causam efficientem & materialem, ergo non datur in materia ad formam. Hæc probatio non valet, quia in minori manifeste petitur principium, & eam aduersarij tam bene negarent, quàm ipsammet conclusionem.

*Probatur ergo melius primo*, quia materia præsupponitur formæ tanquam causa materialis, ex cuius potentia forma realiter educitur, & à cuius influxu reali dependet: ergo materia non potest dependere ab vllo influxu reali formæ. Antecedens supponitur hīc ab omnibus etiam aduersariis, & probabitur disputatione sequenti. Consequētia probatur, quia non datur mutua causalitas inter causas realiter influentes, vt ostendimus libro secundo.

59. *Probatur secundo* impugnando præcipuum fundamentum, ex quo posset colligi dependentia aliqua in materia ad formam: ideo colligeretur potissimū, quod materia dependeat à forma, quia materia nequit naturaliter esse absque aliqua, & non videtur quod semper deberet coniungi cum forma, nisi quia dependeret à forma: sed hæc ratio non probat, quod dependeat ab influxu aliquo reali formæ; ergo non est dicendum quod sic dependeat. Probatur minor, tum quia non potest substantia esse naturaliter absque aliqua forma accidentali, & tamen non dependet ab influxu aliquo reali vllius formę accidentalis, saltem directe & per se (quod addo, quia dependet ab accidentibus indirecte, quatenus impediunt dispositiones cōtrarias suæ formæ, & deseruientes ad introducendam formam aliam substantialem incompatibilem) tum & præcipue, quia potest ostendi ratio, vnde proueniat illa necessaria connexio absque tali influxu, aut dependētia: ergo ex illa non colligitur sufficiēter illa dependentia. Probatur vltimum antecedens, quia eo ipso quo materia nō potest esse, nisi vbi adest aliqua causa effectiua determinata, aut ad conseruandam, aut ad producendam de nouo aliquam formam substantialem in materia, quamuis materia nō dependeret ab vlla forma, adhuc deberet necessario habere aliquam formam substantialē: sed sic est, quod materia nunquā ponitur, nec poni potest naturaliter, nisi in loco, vbi est aliqua causa naturaliter determinata, aut ad conseruandam, aut ad producendam formā substantialem aliquā in illa: ergo datur alia causa necessaria illius connexionis absque dependentia à forma.

60. Et sane hæc ratio necessariæ connexionis materiæ & formæ præferenda videtur illi, quam assignat *Mastrius hic q. 3. a. 1.* refundens illam connexionem in ordinem vniuersi, qui etiam male asserit coëxigentiam necessariam formæ oriri aliqualiter ex parte materiæ, quia hæc est, quæ essentialiter petit cōpleri; est potentia quæ petit actuari; est sic imperfecta, vt petat perfici. Nam corpus, quod est altera hominis, pars, est per se potētia, & quid imperfectum, & tamen non necessario coniungitur semper cum anima: ergo idem posset dici de materia.

*Confirmatur*: si non posset poni substantia aquæ, nisi in loco, vbi esset aliqua causa determinata ad producendum calorem in ipsa, aqua necessario, naturaliter loquendo, haberet semper calorem, nec posset esse naturaliter absq; calore, & tamen nō dependeret ab aliquo influxu caloris cū omnis influxus caloris potius tēdat in corruptionem, quā in conseruationem aquæ: ergo potest ex necessaria applicatione materiæ ad causam efficientē determinatā ad producendam formā aliquam oriri necessaria connexio materiæ cum forma absque influxu aliquo formæ in materiā, aut dependentia aliqua materiæ ab ipsa forma.

61. *Probatur tertio*, quia, si esset dependentia materiæ à forma, tanquam ab influente physice in illā, non crearetur materia: sed hoc est contra omnes, ergo non est talis dependentia. Probatur maior, quia sicut est contra creationem formæ, quod producatur cum dependentia ab influxu physico materiæ: ita videtur esse contra creationem materiæ, quod producatur cum dependentia ab influxu physico formæ, seu quod idem est, sicut est contra creationis rationem productio ex aliquo subiecto, quia debet esse totaliter ex nihilo, ita videtur esse contra rationem eius quod sit ex aliquo formæ; quia non magis debet esse ex nihilo subiecti quàm ex nihilo formæ, hoc est, æque debet esse cum independentia à causa tam materiali, quam formali realiter influente.

62. *Obiicies*: Ideo colligitur formam dependere à materia, quia nequit esse absq; illa naturaliter loquendo; ergo si materia nequeat esse naturaliter absque forma, dependet ab illa. *Confirmatur*: materia ordinatur ita essentialiter ad formam, vt si repugnaret forma, repugnaret etiam materia: ergo dependet à forma.

*Confirmatur secundo*, quia si materia non dependet à forma, forma autem dependet à materia, sequitur quod materia sit perfectior quam forma contra omnes.

*Respondeo* negando antecedens in sensu præciso: non enim ideo tantum, sed quia forma non creatur, sed producitur per agens creatum non potens ipsam producere nisi cum dependentia à subiecto, quam dependentiam si non haberet, non esset vlla ratio, cur non produceretur absque subiecto à causa naturaliter agente & nato producere ipsam.

*Confirmatur hæc responsio*, quia quamuis substantia nequit esse naturaliter absque accidentali aliqua forma, sicut nec forma accidentalis potest esse absq; substātia, tamen non asseritur depēdentia substantiæ ab influxu formæ accidentalis, sicut asseritur dependentia formæ accidentalis ab influxu substantiæ: ergo quamuis materia nequeat esse absque forma substantiali, sicut forma illa nequit esse absquę materia, non tamen æque debet asseri dependentia materiæ à forma substantiali, sicut asseritur dependentia formæ substantialis à materia.

Ad

*Ad primam confirmationem*, nego consequentiam in sensu conclusionis, quia potentia visiua ordinatur essentialiter ad visionem, & tamen non dependet ab influxu visionis, imo naturaliter conseruatur absque visione, & idem est de potentia intellectiua respectu intellectionis, & de potentia effectiua respectu effectus: ergo idem dicendum in proposito.

*Ad secundam etiam confirmationem*, nego sequelam, quia quantitas est imperfectior qualitate, & tamen est independens à qualitate; hæc vero est dependens ab illa. Verum quidem est, quod quantum ad independentiam, materia sit perfectior; sed quantum ad actiuitatem, forma est longe perfectior, & propterea simpliciter dicenda est forma perfectior, nisi quis velit dicere, quod habeat se sicut excedens & excessum.

## CONCLVSIO III.

Potest conseruari materia absque vlla forma substantiali

63. *Deus potest conseruare materiam absque omni forma substantiali.* Hæc est authorum secundæ & tertiæ sententiæ contra primam sententiam. *Probatur primo* ex dictis, quia materia habet propriam existentiam, & est independens ab omni influxu formæ, nec dicit ordinem essentialem actualem ad formam: ergo nihil impedit, quo minus conseruari possit absque omni forma.

*Confirmatur*: quia non potest assignari vlla ratio tam necessariæ connexionis inter formam, & materiam, quin possit de potentia absoluta conseruari absque omni forma, præsertim cum certum sit de potentia absoluta posse multa separari, quæ naturaliter separari non possunt.

*Confirmatur secundo*: quia maior est dependentia formæ accidentalis à subiecto, quam materiæ à forma substantiali: sed forma accidentalis potest separatim ab omni subiecto conseruari, vt patet in accidentibus Eucharisticis: ergo & similiter materia potest conseruari absque omni forma substantiali.

Soluitur prima ratio necessariæ connexionis

*Confirmatur tertio* soluendo rationes necessariæ connexionis earum quas communiter assignare solent aduersarij. Dicunt ergo aliqui rationem esse quod materia existat existentia formæ. Sed præterquam quod hoc falsum est, vt patet ex dictis, adhuc non sequitur intentum ipsorum, si esset verum: quia res nata existere per vnã existentiam naturaliter, potest supernaturaliter sine illa existentia existere per aliam existentiam, & hoc maxime censendum est verum in sententia aduersariorum, quia existimant quod humanitas Christi, quæ nata erat ex se existere per propriam, de facto tamen existit sine illa existentia per existentiam Verbi. In nostra quidẽ sententia implicat vt res aliqua existat sine propria existentia, quia propria existentia secundũ nos non distinguitur realiter à re existente, nihil autem potest existere sine omni eo, quod ipsi realiter identificatur, & propterea etiam implicat in nostra sententia, vt materia existat per existentiã formæ, aut per existentiam communicatam à forma.

64. *Alii dicunt* rationem esse quod materia dependeat à forma in genere causæ formalis: quod enim sic dependet ab alio, nequit etiam supernaturaliter esse sine illo, hinc enim corpus nequit esse sine forma.

*Sed cõtra*, quia materia nõ depẽdet à forma, vt à causa formali intrinseca, sed vt à causa formali extrinseca, neq; n. forma est de essentia materiæ aut pars intrinseca eius: sed q. depẽdet ab alio vt à causa formali extrinseca præsertim si sit absolutũ, potest esse sine illo, nisi ostẽdatur alia ratio cõnexionis necessariæ præter hoc q. est esse causã formalẽ extrinsecã, vt patet manifeste; nã subiectũ accidẽtiũ depẽdet ab ipsis vt à causa formali extrinseca cõmunicãtibus ipsi effectũ suũ formalẽ, & tamen certũ est posse esse subiectũ sine aliquibus accidẽtibus, paries. n. potest esse sine albedine, à qua quoad esse albũ depẽdet, tanquã à causa formali. Illud autem de corpore nõ est ad rem, quia depẽdet à forma, vt à causa formali intrinseca.

65. *Et si dicas* subiectum non dependere ab accidentibus, vt à causa formali per se, sed vt à causa formali per accidens, & propterea posse esse sine ipsis.

*Contra*, quia non propterea potest esse sine ipsis quod sint causæ formales per accidens, sed quod non sint causæ formales intrinsecæ, nam si essent intrinsecæ, quantumuis non essent nisi causæ formales per accidens, adhuc non posset esse sine ipsis; vnde album, vt album, non potest esse sine albedine, quæ est causa formalis intrinseca ipsius, etiam de potentia absoluta.

*Confirmatur hæc responsio*: Non minus repugnat Deum posse conseruare rem, quæ dependet ab alia re in genere causæ materialis sine illa, quam rem, quæ dependet ab alia in genere causæ formalis, sine illa; & hinc quemadmodum nequit cõseruare corpus sine forma substantiali, quæ est causa formalis eius, ita nequit conseruare ipsum sine materia, quæ est causa materialis eius: sed Deus potest conseruare rem sine causa materiali eius extrinseca, quæ scilicet non est pars intrinseca eius, siue sit causa materialis per se, siue per accidens eius; ergo posset conseruare rem sine causa formali extrinseca eius; siue sit per se, siue per accidens. Probatur minor, quia potest cõseruare formam substantialem sine materia, vt fatentur aduersarij, & accidentia sine subiecto, vt patet de fide.

*Confirmatur secundo*: quia magis dependet quodcumq; accidens vnum numero à suo subiecto, quam quæcumq; materia vna numero à quacumque forma, vt patet ex eo quod naturaliter materia eadem numero posset esse sine quacumq; forma vna numero determinate, vnum autem numero accidens afficiens vnum numero subiectum, nequeat esse sine illo eodem subiecto: sed accidentia absoluta dependentia à subiecto, vt naturaliter nequeant esse sine ipso determinate, possent esse supernaturaliter sine ipso aut vllo alio; ergo materia potest esse supernaturaliter sine omni forma.

Soluitur tertia ratio necessariæ connexionis.

66. *Denique alij dicunt* materiam dependere à forma vt res modificata dependet à modo: sed res modificata, licet sit quid absolutum & prius modo, nec dependeat à modo, tanquam à causa materiali aut formali intrinseca; tamen non potest esse sine aliquo modo: ergo similiter materia non potest esse sine aliqua forma, quamuis sit prior forma, & non dependeat à forma vt à causa materiali aut formali intrinseca: quod autẽ res modificata nequeat esse sine modo, patet, quia natura singularis completa nequit esse sine subsistentia, quæ est modus eius, nulla res creata potest esse sine vbi, nullum corpus sine figura.

Forma non est modus materiæ. Soluitur quarta ratio

*Sed contra*, quia maior huius responsionis est manifeste falsa, nam forma non est modus materiæ, modus enim secundum aduersarios nequit esse sine re modificata, neque enim subsistentia potest esse sine re subsistente: neque figura sine re figurata, neque vbi sine re vbicata; forma vero potest esse sine materia vlla secundum aduersarios: ergo non est modus materiæ.

*Confirmatur*, quia quando dicitur quod materia se habet ad formã, vt res modificata ad modũ, vel intelligitur quod materia habeat se instar rei modificatæ, & forma instar modi; & præterquã quod sit iam ostensũ hoc esse falsum, adhuc militat cõtra aduersarios, quia magis difficile est conseruare modum sine modificato, quã modificatũ sine modo, vt omnes fateri debẽt, & patet inductione: ergo si forma, quæ est instar modi, potest conseruari sine materia, quæ est instar modificati, poterit materia cõseruari sine forma. Vel intelligitur quod materia sit modus seu instar modi, & forma instar rei modificatæ, & hoc nequit esse, tum quia materia est subiectũ formæ, & per formam determinatur; tum etiam quia idẽ numero modus non potest esse sine eadẽ numero re modificata, vt eadem numero re figura sine eadem numero res figurata, & idẽ numero vbi sine eodem numero vbicato; materia autẽ eadem numero potest esse sine eadem numero forma, quam semel habet. Vel intelligitur denique quod vtraque sit modus alterius, & tum quemadmodum materia nequit esse sine forma, ita nec forma sine materia, quod est contra aduersarios; & præterea si materia non sit modus formæ, nec forma materiæ vt iã ostendimus, sequitur manifeste quod altera alterius non sit modus.

67. *Ioannes à S. Thom.* dat pro ratione necessariæ connexionis, quod existentia sit actus secundus, & consequenter quod essentialiter præsupponat actum primum: sed talem non habet materia absque forma: ergo nec existentiam potest habere absque forma.

*Respondeo*

*Respondeo* existentiam non esse actum secundum, nisi quatenus est actus, qui non est essentialis, quod etiam hic ipse author concedere videtur. Hoc ergo supposito, concedo maiorem, nempe quod existentia sit actus secundus, id est non essentialis, & consequẽter præsupponens actũ primum, id est essentialem; nego autem minorem: habet enim materia ex se essentiam suam metaphysicã indepẽdenter ab omni forma, quod videtur euidens; & hæc essentia est actus primus sufficiens ad existentiam, quæ nõ præsupponit necessario alium actum, quã essentiã; quod si quis negaret essentiam rei esse actũ primũ, potest etiã negare existentiam esse actum, aut saltem negare ipsam esse actũ secundũ, quia eatenus habet rationem actus secũdi, quatenus præsupponit primum aliquem actum: sed nullum alium actum præsupponit præter essentiam, vnde si essentia non sit actus, existentia nõ erit actus secundus; quamuis autem essentia materiæ esset actus primus, adhuc maxime distingueretur materia à forma, & ab actu formali physico, quia huiusmodi actus præsupponit materiã, & in ea recipitur, & est radix distinctionis specificæ rerum materialium constantiũ, materia eiusdem speciei.

Cæteras rationes necessariæ connexionis ipsarum ponemus in obiectionibus.

68. *Probatur secundo* conclusio argumento communi Scotistarũ desumpto ex ipso Scoto variis locis. Quodcũque absolutũ prius natura, quam aliud absolutum distinctum realiter ab ipso, potest absq; contradictione esse ac conseruari absque illo alio absoluto posteriori: sed materia est aliquid absolutum, cũ sit substantia, & est prior quacumque forma materiali substantiali, saltem natura, & distinguitur realiter à quacũque tali forma, ergo absque contradictione potest esse absque quacũque forma substãtiali, & etiam pari ratione absque quacumque forma accidentali adsoluta. Maior videtur euidẽs, quia si sit quid absolutum, non potest dicere ordinem actualem ad aliud necessario, nisi ad causas requisitas ad ponendũ ipsũ in esse; in hoc enim consistit ratio absolutionis eius, & non potest habere pro tali causa aliquid posterius, vt est euidẽs, quia omnis causa, secundum quod causat, debet esse prius, saltẽ naturâ, quam effectus sic, vt si causet realiter, debeat esse existens realiter; si intentionaliter causat, pro vt causat finis, debeat esse prius intentione, quod si non dicat ordinem actualem ad aliud, non est actualiter connexum cum ipso necessario: ergo potest separari ab ipso, saltem per diuinam potentiam.

Absolutum prius alio potest esse absque illo explicatur.

69. *Contra* tamen hanc maiorẽ aduersarii proponunt aliquas instantias, quas hic ponam, vt ex earum solutione magis appareat veritas istius maioris. Dicunt ergo, substantiã singularem esse quid absolutum distinctũ realiter à quacumque subsistentia, quæ etiam est quid absolutum; sed nequit conseruari absque aliqua subsistentia.

Instantiæ contra illud axioma.

*Deinde* materia & forma vnitæ sunt priores toto cõposito, quod est quid absolutum, & tamen nequeũt absque illo conseruari. *Rursus* actio est prior effectu, sed nequit conseruari absque effectu. *Quarto* quãtitas est prior figura, & tamẽ nõ potest esse absq. aliqua figura. *Quinto* substãtia est prior vbi, sed nequit esse absque aliquo vbi.

Soluitur prima de substãtia.

*Respondeo primo*, falsum esse, quod subsistentia sit quid absolutum, vt videbitur in Metaphysica.

*Respondeo secundo*, si sit quid absolutum, posse naturam singularem conseruari sine ipsa.

*Respondeo tertio*, si non possit natura singularis conseruari sine aliqua subsistentia, adhuc veram esse maiorẽ in sensu Scoti, nam sensus eius potest dici esse, quod absolutum prius possit esse sine posteriori, nisi posterius sequatur ab ipso per emanationẽ sine actione aliqua particulari distincta, ac terminata ad illud posterius: si autẽ subsistẽtia sit talis, vt nequeat natura separari ab aliqua subsistentia, tum debet necessario sequi per emanationẽ aliqua subsistentia à natura, nisi ponatur in natura vnio ad aliã subsistẽtiã, vt contingit in Incarnatione: at forma nõ sequitur per emanationem à materia, quandoquidem requirat actionem aliquam nouam causæ educentis: ergo quamuis substantia non posset conseruari absque subsistentia, adhuc materia posset conseruari absque forma.

70. *Ad secundam dico*, quod materia & forma, vt vnita, non sunt quid absolutum, quia dicunt formaliter vt sic vnionem, quæ est respectus: vnde ex eo, quod nõ possint esse vt sic absque toto, non sequitur quin absolutum prius possit esse absq; posteriori absoluto. Adde vlterius, vel vnionem esse causalitatẽ, qua producitur ipsum totũ, & consequenter esse respectum actualem ad totum, quod non competit vni absoluto respectu alterius posterioris; vel certe ad eam sequi causalitatem talem per emanationem, quod etiam non conuenit absoluto priori respectu posterioris. Adde præterea aliquos Scotistas tenere, quod possint materia & forma vnita conseruari de potentia absoluta absque toto, quorum sententia impugnanda esset, vt valeret hæc replica.

Soluitur secunda de vnione.

71. *Ad tertiam*, dico actionem esse respectum, & consequenter, quamuis conseruari nequeat absq; termino, quem essentialiter respicit, idem non sequi de vno absoluto priori respectu alterius absoluti, quem non potest essentialiter respicere.

Soluitur tertia de actione.

*Sed dices*: quemadmodum aliquod respectiuum prius alio realiter distincto non potest conseruari sine illo, quare non posset aliquod etiam absolutum prius habere tam necessariam connexionem cum aliquo posteriori, vt non posset conseruari sine illo posteriori?

*Respondeo* rationem esse, quia respectiuum actuale ex eo, quod tale respectiuum, dicit essentialiter ordinem actualem ad aliud, seu potius est ordo essentialis ad illud, & consequenter nequit esse sine illo: sed absolutum nequit esse talis ordo, neque dicere talem ordinem, quia aliàs non esset absolutum.

*Confirmatur hoc*, quia omne respectiuum præsupponit extrema, nisi sit essentialiter positio extremorum, & propterea nequit esse vllum respectiuum sine extremis: ergo cum materia non præsupponat formam, nec sit positio formæ, bene potest esse sine forma.

Soluitur quarta de figura.

72. *Ad quartam* dico, quod quantitas posset forte reddi supernaturaliter ad punctum, & in tali casu non haberet vllam figuram, atq; adeo exemplum eius non est ad rem; quod si non posset, non præiudicat maiori præmissæ, quia figura non est quid absolutũ posterius quantitate: & ratio quare non possit poni quantitas absque figura, est, quia figura consistit in dispositione tali, vel tali partium extra se inuicem positarum, non potest autem esse res habens partes extra se inuicem sine eo, quod illæ partes sint extra se inuicem hoc vel illo modo, quia non potest habere illas, nisi aliquo modo, vt est euidens; talis autem ratio connexionis cum aliqua forma non reperitur in materia.

*Ad quintam de vbi*, dico primo, quod non sit quid absolutum, sed respectiuum; vnde instantia non est ad rem.

Soluitur quinta de vbi.

*Dico secundò*, quod res posset esse absque vllo vbi, scilicet si poneretur vnica res sola absque alia re, vt suo loco dicemus; si autem ponatur cum aliis rebus, necessario debet habere vel distantiam aliquã ab illis, vel indistantiam, & hoc ipso habebit vbi aliquod. Quod si etiam tenenda esset sententia recentiorum multorum, quod non posset poni res absque aliquo vbi, id propterea accideret, quia deberet poni in aliqua parte spatij imaginarij, quia implicaret quod esset, nisi in tali aliqua parte, vnde deberet necessario habere vbi, per quod in tali parte potius, quam in alia poneretur. At neque huiusmodi etiam ratio necessariæ connexionis reperitur ex parte materiæ, & alicuius formæ, etiam indeterminate: ergo.

*Obiicies primò*: sequeretur quod materia esset in actu, & non esset in actu; sed hoc implicat: ergo implicat eam separari ab omni forma. Probatur sequela maioris, quia esset in actu, quandoquidem actu existeret, vt supponitur; & non esset, quia non haberet formam, à qua haberet actu existere.

*Respondeo* negando sequelã pro secunda parte, ad cuius probationem dico, quod licet non haberet formam physicam substantialem, haberet tamen formam metaphysicam, & existentiam, quod sufficit, vt actu existeret; neq; enim à forma physica debet habere res actu existere, aliàs Angeli nõ existerẽt actu, nec cæli in sententia, quæ

tenet

tenet eos non constare materia & forma. Itaque materia esset actu, id est actu existeret sine actu formali physico & substantiali, quæ est forma; non autem esset actu sine actu existentiæ & entitatiuo, & sine actu metaphysico, quæ est differentia metaphysica eius.

74 *Dices cum Complutensibus*: ordo essentiæ distinguitur realiter ab ordine existentiæ, & etiam est prior illo indispẽsabiliter: sed forma est actus pertinens ad ordinẽ essentiæ ergo prior debet esse forma in materia, quã existẽtia, & cõsequẽter nequit materia existere sine forma. Probant minorẽ, quia materia ex se nõ habet actum etiam entitatiuum spectantem ad ordinem essentiæ: ergo sola forma est actus eius ad ordinem essentiæ spectans. *Confirmant primo*, quia materia prima inter omnia creata habet esse ex se maxime potẽtiale, & proinde nihil actualitatis includit: sed existentia est maxima actualitas, & nihil fere includens potentialitatis: ergo vt materia reddatur proportionata ad recipiendam hanc actualitatem, debet mediari forma substantialis, & specificatio ab ea desumpta, quæ aliquid potentialitatis, & aliquid actualitatis habet; non enim ad maximam actualitatem nisi per inferiorem, neque ad actum vltimum nisi per intermedium, & gradatim deueniri potest.

*Confirmant secundo*: ideo essentia diuina, vt habet rationẽ speciei intelligibilis, nequit vniri intellectui beatorum, nisi hic prius actuetur lumine gloriæ, quia intellectus creatus in genere intelligibili est pura potentia, & essentia diuina vt habet rationem speciei intelligibilis, est perfectissimus actus, & proinde, vt proportionetur illi, debet disponi per lumen gloriæ, quod & diuinum ordinem attingit, & habet actualitatem admixtam potentialitati: ergo materia prima similiter debet proportionari ad actualitatem existentiæ per formã substãtialem.

75 *Respondeo primo* negando maiorem, cuius rationem dabimus in Metaphysica.

*Respondeo secundo* distinguendo minorẽ: forma est pertinens ad ordinem essentiæ materiæ, tanquã quid intrinsecũ ipsi, nego minorẽ; est pertinens ad ordinem essentię compositi, & est pertinens etiam ad essentiam materiæ tanquã perfectiuũ physicum extrinsecum eius, concedo minorẽ, & nego consequẽtiam. Ad probationẽ minoris nego antecedẽs, materia enim habet suã essentiã propriã condistinctã à forma, est enim potentia pura secundum omnes, est susceptiuum formæ, est pars materialis compositi; nec hæc habet à forma vllo modo, vt est euidens.

*Ad primam confirmationem* distinguendo maiorem: est maximè potentiale physice, & nihil actualitatis physicę, hoc est nullam formã physicã includens, concedo maiorẽ; est maxime potentiale metaphysice, & nihil actualitatis metaphysicæ, hoc est nullam differentiam metaphycam includens, nego maiorem. Ens enim incompletum vt sic, abstractum ab omnibus entibus incompletis, est magis potentiale metaphysice, & minus habens actualitatis metaphysicæ quam materia. Data autem minori nego consequentiam: sufficienter enim proportionatur ad existentiam seipsa. Ad probationem consequentiæ dico, ad maximam actualitatem posse deueniri absque inferiori actualitate, nisi inferior sit necessario prærequisita, & ad vltimũ actũ posse perueniri absq; intermedio nisi intermedius sit necessario prerequisitus: negamus autem actualitatem formæ necessario prærequiri ad actualitatem existentiæ, in ordine saltem ad potentiam absolutã.

*Ad secundam confirmationem* nego suppositum antecedentis, nimirũ quod necessario requiratur lumẽ gloriæ, quod sit qualitas inhærens intellectui ad videndũ Deum sic, vt de potẽtia absoluta non possit videri absq; tali lumine, de quo suo loco. Adde, illud de sũma potentialitate intellectus in genere intelligibili, & sũma actualitate essentiæ diuinæ, vt habet rationẽ speciei intelligibilis, & actualitate luminis admixta potẽtialitati, esse verba quibus cooperitur veritas realis; & mihi certũ est intellectũ habere in genere intelligibili multũ actualitatis, quãdoquidẽ habet vltra virtutẽ receptiuã cuiuscũq; intellectionis creatæ virtutẽ etiã actiuã: sed de hoc in Theologia.

76. *Obiicies secundo*: sequeretur, quod materia esset alicuius speciei, quidquid .n. existit à parte rei, debet esse alicuius speciei; & q. nõ esset alicuius speciei, quandoquidẽ nõ haberet formã, quia sola forma est, quę dat speciẽ.

*Respõdeo* cõcedẽdo sequelã pro prima parte, & negãdo eam pro secũda, & distinguendo eius probationẽ: forma physica, nego; forma physica vel metaphysica, transeat. In tali autẽ casu, quãuis materia nõ haberet formã physicã, haberet tamẽ metaphysicã, quæ nihil aliud est, quam differẽtia metaphysica cõtrahẽs rationes superiores inclusas in materia prima, quib⁹ cõuenit cũ aliis reb⁹ ad esse materię primę. Quod autẽ forma physica nõ sit sola, quę dat speciẽ reb⁹ distinctę speciei, manifeste patet, quia Angeli sũt distinctę speciei tũ inter se, tũ ab aliis reb⁹, & tamẽ nõ includũt formã physicã: & in sẽtẽtia etiã probabili, cuius veritas nõ depẽdet ab hac difficultate, Cęli nõ cõponũtur ex materia & forma substãtiali, nec cõsequẽter eã includũt, & tamẽ distinguũtur specie ab aliis reb⁹; imo in sẽtẽtia aduersariorũ materię cælestis & sublunaris distinguuntur specie inter se, quæ tamẽ distinctio nõ prouenit à formis rerũ cælestiũ & sublunariũ, quia si ex diuersitate specifica formarũ esset distinctio specifica in materiis, quas informarent, tũ materiæ hominis & bruti distinguerẽtur specie, q. ipsi nõ affirmãt. Et si dicatur, q. nõ distinguãtur specie proprie loquendo, quãuis id esset verũ, nõ faceret ad rem, quia tũ dicere possemus ad obiectionẽ primariã, q. quidquid existit à parte rei, debet esse alicuius speciei proprie, vel improprie loquẽdo: non autẽ esset necessarium, vt esset alicuius speciei proprie loquẽdo & cõsequenter materia absq; omni forma poſset esse alicuius speciei improprie loquendo, licet non esset alicuius speciei proprie loquendo.

Forma physica non est quæ sola dat speciem

77. *Obiicies tertio* quæ sunt magis vnũ, sunt minus separabilia, quã quæ sunt minus vnum: sed materia & forma vnita sunt magis vnũ, quã subiectum, & proprietates, v.g. homo & risibilitas, quia hæc sunt vnum per accidens, secundum communem sententiam vtriusq; scholæ: illa vero vnũ per se: ergo quemadmodum subiectum nõ potest separari à proprietate, ita nec materia à forma.

*Respondeo* distinguendo antecedens: quæ sunt magis vnum vnitate eiusdem rationis, transeat; vnitate diuersæ rationis, nego maiorem, & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam, quia materia & forma habent vnitatem tantum vnionis physicæ; subiectum autem & proprietas habent vnitatem vnionis metaphysicæ, hoc est identitatis realis.

*Respõdeo secũdo* negãdo suppositũ cõsequentis, quia secũdũ aduersarios subiectũ & proprietates sũt separabilia.

*Respondeo tertio* negando minorẽ, quia materia & forma non sunt vnum, licet faciant vnum, & consequenter nequeunt esse magis vnum. Adde ipsos aduersarios debere necessario concedere, quæ sunt magis vnum vnitate vnionis realis, qualiter materia & forma dicũtur vnũ, esse magis separabilia, quàm quæ sunt minus vnum, eo modo, quo subiectum & proprietas sunt minus vnum, quam materia & forma: quia hæc materia & hæc forma sunt magis vnum sic quam hoc subiectum; & hæc proprietas, verbi gratia, hic homo, & hæc risibilitas: sed hæc materia & hæc forma, verbi gratia, hominis, sunt separabilia naturaliter, hic autem homo & hæc risibilitas nõ sunt sic separabilia, vt fatentur aduersarii; vnde patet hoc argumentum nihil valere.

Minus vna possunt esse minus separabilia.

78. *Obiicies quarto ex Ioanne à Sancto Thoma*: secundum Philosophum hoc libro materia prima se habet ad formas naturales, sicut materia artificialium ad formas artificiales: sed materia artificialium ita est pura potentia in genere artificiali, vt nullam habeat existentiam artificialem ante formam artificialem: ergo materia prima ita est in pura potentia in genere naturali & existentia naturali, antequam habeat formam naturalem.

*Respondeo* proportionem materiæ primæ in ordine ad formas naturales physica (quam intendit Philosophus, quæque sola faciebat ad eius institutũ, & probari poterat ab ipso) consistere in hoc, quod sicut materia artificialiũ, verbi gratia, lignum vel lapis, ex se nihil cõtinet formæ artificialis, distinctæ realiter ab ipsa, & introducẽdæ per artificem:

Proportio materiæ primæ ad materiam artificialium.

artificé:ita materia prima ex se nihil includit formæ naturalis physicæ distinctæ realiter ab ipsa,& introducédæ per causam generatiuam;q. totũ nos cócedimus.Sed inde non sequitur, quin possit includere ex se aliam formã alterius ordinis,nẽpe metaphysicam;& quin possit existere absque forma omni physica:imo potius sequitur oppositũ,quia materia artificialiũ potest esse absq; omni forma artificiali,& ex se includit formã alterius ordinis,quę nõ est artificialis,nẽpe physicã:ergo idem debet dici de materia prima,si habent omnimodã proportionem.Vnde in forma respõdeo cõcedendo maiorem & minorem, & negando cõsequentiã;illa .n. non est propositio,quæ sequitur ex præmissis,sed hæc alia:ergo materia est ita in pura potẽtia ad formas naturales physicas,vt nullam ex se includat,& nullã habeat existentiã dependentem ab illis sine aliqua illarũ:q.quidẽ verũ est,sed nõ cõtra nos.Posset etiã distingui cõsequens:ita est in pura potentia,vt careat omni esse naturali & existẽtia naturali,dependente à forma naturali physica,cõcedo;vt careat omni essẽ naturali & existẽtia depẽdẽte à forma metaphys.nego cõsequẽtiã.

*Obiicit idem quinto*, quod tolletur omnis via probandi formam substantialem. *Respondetur* hoc negando, cuius ratio patet ex dicendis de forma.

79. *Obiicies sexto* ex eodẽ:si materia haberet existentiã absq; omni forma,vel illa existẽtia esset corporea vel spiritualis,sed nõ esset spiritualis, quia talis nõ cõpetit materiæ, nec corporea, quia deberet esse actu corporea, & cõsequenter dependens à forma seu gradu corporeitatis, per quem materia est actu corpus, neq; .n. materia de se est actu corpus,sed per formã,quæ dat gradum corporeitatis:ergo non potest habere existentiam absque forma.

*Respondeo* negando minorem pro secunda parte, esset enim corporea non minus quam existentia formæ materialis, nam esset diuisibilis in duas partes entitatiuas exigentes vel mediate vel immediate quantitatem,quod sufficit ad corporeitatem. Ad probationem istius partis minoris dico quod esset actu corporea,sed nõ dependens tamen actu à forma physica,nec à gradu corporeitatis à tali forma desũptæ, bene tamen dependens à forma metaphysica,quæ est differentia,qua ens incõpletũ vt sic contrahitur ad ẽs incõpletũ corporeũ,& quę etiã est ipsemet gradus corporeitatis,quo cõstituitur materia corporea.

Quomodo materia est corpus,

80. Quod autẽ additur,materiã nõ esse de se corpus,inuoluit maximã æquiuocationẽ:nã ly *corpus* multiplicẽ habet significationẽ:aliquãdo.n. significat substãtiã cõpletã corporeã,quę directe ponitur in prędicamẽto substãtiæ,& si accipiatur sic,certũ est q.materia nõ sit corpus nec ex se nec etiã per formã,nec omne corporeũ in hoc sẽsu debet esse corpus,quia alias nec ipsa forma esset corporea. Aliquãdo capitur pro altera parte viuẽtis cõstituta in nostra sẽtẽtia ex materia 1.& forma incõpleta substãtiali subordinata animę,ac remanẽte post separationẽ animę,& sic etiã materia 1.nõ est corpus.3. denique; potest capi corpus pro omni eo,q.nõ est spiritus,nec spirituale,& sic materia est corpus. Nolo iã cõtẽdere,an hęc acceptio sit propria aut in vsu,sed,si sit materia erit corp. si nõ sit, tũ dici debet q. materia nõ sit proprie nec in sẽsu vulgari corpus. Et si dicas formã esse corp. vt quo,sane materia etiam sic vocari potest corp. quia est pars essẽtialis intrinseca&cõstitutiua corporis,& per ordinẽ ad eã etiam potest corpus distingui à spiritu nõ minus quã per ordinem ad formam.

81. *Obiicies* 7. Non potest materia esse sine dependentia à Deo, nec sine vnione suarũ partiũ,nec sine subsistẽtia partiali, ex suppositione q.dẽtur huiusmodi subsistẽtię,nec sinevbi,nec sine relationib.distinctionis&dissimilitudinis ad alias res: ergo nõ potest esse sine õni forma.

*Respondeo* distinguendo consequens:sine omni forma substãtiali,quę cũ ipsa faciat vnũ per se,nego cõsequẽtiã; sine aliis formis cõcedo cõsequentiã; sed nihil cõtra nos.

An materia possit esse absq; omni forma.

82. *Aliqui Scotistæ* existimãt posse ipsã cõseruari sine õni prorsus forma realiter distincta:& quãuis soluãt illud de depẽdẽtia&de subsistẽtia partiali,& de dissimilitudine ac distinctione ab aliis reb.& de vbi,dicẽdo q.depẽdẽtia materię ad Deũ nõ sit quid realiter distinctũ à materia,sicut nec vlla relatio,quã ad ipsũ dicit, & q. non detur subsistentia partialis,& q.possit creari sola materia à Deo sine eo, q. crearetur vlla alia res:in tali autẽ casu nõ haberet, nec relationẽ dissimilitudinis, nec distinctionis, nec vbi, tamen nescio quomodo poterunt satisfacere ad instantiã de vnione suarum partium.Alii vero Scotistæ dicunt eam posse esse sine omni forma absoluta realiter distincta, non vero sine omni relatiua, hi quidem facile euadere possunt instantiam de vnione dicendo, quod sit relatiua. Sed quid dicent ad indiuisibilia substantialia positiua, quę fatentur includi in materia prima,& in qualibet substantia corporea,sine quorũ aliquibus implicat, vt sit eadem numero materia 1.neque enim potest esse sine partib. copulatis,partes autẽ copulantur per huiusmodi indiuisibilia secundũ ipsos.Itaq.hi Scotistæ vel intelligẽdi sũt de formis omnib.superueniẽtib.materię secũdũ se intrinsece cõstituętibus,licet ipsi sic nõ videãtur loqui;vel nõ potest esse verũ,q. dicũt.Si autẽ sic intelligãtur,nec instãtia vnionis facit cõtra priores,nec instãtia indiuisibiliũ cõtra posteriores, quia materia potest esse sine omnib.tã vnionib.quã indiuisibilibus superuenientib. sibi secundũ se cõstituræ.

An possit intelligi absq; forma.

83 *Quares* vtrũ materia 1.sicut per se potest esse sine forma,ita possit intelligi sine forma. *Respondeo*,quamuis nos nõ possimus ob imperfectũ modũ cõcipiẽdi nostrũ intelligere materiã,nisi per ordinẽ ad formã,sicut necvllã substãtiã intelligimus,nisi per ordinẽ ad suas operationes vel effectus;Angelũ tamen,qui non ita alligatur sensib.posse habere cõceptũ de materia,& videre ipsã,quãmuis nõ videat, nec intelligat formã:est.n.entitas absoluta distincta realiter à forma,& cõstãs genere & differẽtia,& existẽtia ex se indepẽdẽter à forma; & Angelus posset videre formalitatẽ generis&differẽtiæ visa forma,&cõsequẽter haberet cõceptũ essentialẽ & quidditatiuum eius,nõ tamen quietatiuũ,quia ex eo,q.videret ipsã esse quid incõpletũ, adhuc cuperet scire,per quid deberet compleri & actuari.

## QVÆSTIO VI.

### *De potentia susceptiua materiæ.*

84 SÆpe diximus materiã esse in potẽtia ad formã:hoc autẽ variis modis potest fieri. 1.ita,vt materia habeat potẽtiã à se realiter distinctã, quæ immediate recipiat formã,eo modo,quo anima habet potẽtiã intellectiuã in sẽtẽtia Thomist.à se distinctã realiter:quę immediatè,*vt q.*recipit intellectionẽ.2.ita vt habeat potẽtiã à se realiter distinctã,nõ quidem quę recipiat formã,*vt q.*sed tantũ,*vt quo*, quatenus scilicet esset ratio talis, qua mediante ipsa materia immediate *vt q.*recipiat formã.3.ita vt nõ habeat potẽtiã à se realiter distinctã,habeat tamẽ potẽtiã formaliter à se distinctã,quę immediate recipiat formã,*vt q.*sicut in sẽtentia Scotist.anima habet potentia intellectiuã, quę immediatè recipit & producit intellectionẽ. 4. ita vt habeat potẽtiã à se formaliter distinctã,nõ quę immediate *vt q.*recipiat formã,sicut intellect.recipit intellectionẽ seu quę recipiat ipsã *vt quo* tãtũ,sicut homo habet risibilitatẽ,qua mediãte potest ridere.5.ita vt nullã habeat potẽtiã à se formaliter distinctã,sed ipsamet sit potẽtia.Examinãdũ igitur est hic,quomodo ex his sit in potẽtia;&deinde ex suppositione,q.dicat potẽtiam à se formaliter distinctã,examinabimus,vtrũ illa potẽtia sit de eius essẽtia.

Explicatur sensus quæstionis.

## CONCLVSIO I.

85. *Materia prima secundum se immediate recipit formam substantialem,& non mediante aliqua potentia realiter distincta ab ipsa quæ immediatius eam recipiat,aut quæ sit ratio formalis,quæ possit eam recipere.* Hęc est cõmunior cõtra *Perer. Tolet. Iand.* & alios,qui existimãt materiã non posse recipere formã,nisi mediante potentia realiter distincta,quæ sit accidẽs pertinẽs ad prędicamẽtũ qualitatis, & cõtẽtũ sub illa specie qualitatis, quæ dicitur potentia naturalis.

Materia non habet potentiam realiter distinctam in qua reciperetur forma.

*Probatur autem quoad primam partem*,quia si forma substãtialis immediate nõ reciperetur in ipsa materia,nõ faceret cũ ipsa immediate vnũ per se,sed cũ illo,in quo immediate reciperetur,nimirũ cum illa potentia:sed hoc est absurdũ,tum quia illa potentia secundum aduersarios est accidẽs, & forma substãtialis cũ accidente nequit facere vnum per se,cũ sint diuersorũ prædicamentorũ,tũ etiam, quia illa esset de essentia substantiæ, quod est absurdum.

*Probatur secundo quoad vtramque partem*: quia nullum est indicium aut necessitas potentiæ distinctæ realiter à materia ad recipiendam formam; ergo non debet asseri.

*Confirmatur*: sicut materia potest recipere immediate illud accidens realiter distinctũ, similiter posset immediate recipere ipsãmet formã substãtialẽ, quę est per se actus eius.

86 *Obiicies primò*: potẽtia naturalis est vna ex speciebus qualitatis, secundũ Philosophũ: sed materia habet potẽtiã naturalẽ ad formã, & mediante illa eã recipit: ergo mediãte potẽtia realiter distincta, quæ sit accidẽs, eã recipit.

*Respondeo* distinguendo maiorem: potentia naturalis distincta realiter à re potente, concedo maiorẽ; indistincta nego: & similiter distincta minori, nego cõsequentiã.

*Obiicies secundo*, & simul replicabis cõtra hãc responsionem: adueniente forma, materia non est amplius in potentia ad illam: ergo potentia materiæ ad formam distinguitur realiter ab ipsa. Probatur antecedẽs, quia aliàs materia simul esset in potentia, & in actu.

*Confirmatur*, quia non habet potentiã naturalẽ ad formã semel perditam: ergo potentia naturalis materiæ est separabilis ab ipsa: probatur antecedens quia nullum agens naturale potest eam formam iterum in ea ponere.

87. *Respõdeo primo* negando antecedẽs, nã sicut nõ perditur potẽtia causæ efficiẽtis adueniente actu ipsius, verbi gratia potẽtia intellectiua adueniẽte intellectione, & calefactiua adueniẽte calore; ita nõ debet perdi potẽtia susceptiua, adueniẽtere susceptа. Ad probationẽ antecedẽtis respõdeo distinguẽdo sequelam: in potẽtia susceptiua aut productiua, & in actu qui recipitur aut producitur cõcedo, & hoc est necessariũ: neq; .n. potest esse forma susceepta, quin sit potentia suscipiens: in potentia obiectiua, & in actu existentiæ, nego sequelam: neque enim existeret, & non existeret simul.

Potentię, & actus quomodo possint, & non possint esse simul.

*Respõdeo secũdo* distinguendo antecedẽs: nõ est amplius in potẽtia ad illã, prout potẽtia dicit negationẽ aut carẽtiã actus seu formæ, cõcedo; prout dicit entitatẽ positiuã, quæ absẽte forma includit talẽ carẽtiã, nego antedens, & similiter distinguo probationẽ: esset in potẽtia, & in actu, prout potẽtia dicit negationẽ aut carẽtiã actus, nego; hoc .n. esset absurdũ: prout dicit positiuũ, cuicõiũgitur illa carẽtia, cõcedo; sed hoc nõ est absurdũ. Et certe hæc distinctio aduertẽda est, quia cõmuniter potẽtia capitur, prout habet annexã huiusmodi carentiã: nõ .n. solet dici q. Põtifex sit in potẽtia vt sit Pontifex, sed quod sit actu talis.

88. *Ad confirmationẽ* respõdeo negãdo antecedẽs, & distinguẽdo eius probationem: nullũ agens naturale potest eã iterũ producere simpliciter, nego, secundũ quid, concedo. Itaq; res potest habere potentiã naturalem ad accipiendũ aliquid, quoties agens naturale habet virtutẽ simpliciter productiuã istius, licet per accidens hic & nũc accideret, q. nõ posset illud producere. Quod autẽ agens naturale habeat virtutem simpliciter productiuã formę destructæ, patet, quia forma est eiusdẽ rationis iã & ante, & agẽs iã habet eãdẽ virtutẽ, quã ante habuit: ergo sicut ante simpliciter poterat eã producere, ita etiã iã, quãtũ est ex se, posset eã producere: per accidẽs autẽ nõ potest eã iã producere propter defectũ alicuius cõditionis requisitę, nimirũ quia Deus nõ vult cũ illo cõcurrere: de quo aliàs.

*Cõfirmatur hac solutio*, quia secundũ aduersarios potẽtia actiua, quã habet ignis ad producẽdũ ignẽ, est calor, & secũdũ omnes vel est calor, vel nõ est quid distinctũ realiter ab ipsamet substãtia ignis: sed ignis nõ perdit aliquid realiter sibi idẽtificatũ, nec suũ calorẽ, quoties destruitur calor ab ipso productus: ergo destructo illo calore manet, & nõ perit potẽtia, qua produxit ipsũ ignis, quãuis per illã potẽtiã nõ possit illũ denuo producere: ergo similiter posset manere potẽtia, qua materia recepit formã, destructa illa forma, quãuis per eã nõ posset iterũ recipere illã formã.

Hæc confirmatio est optima, & ad hominem, & ex ea potest aliter respõderi ad cõfirmationem obiectionis, negãdo antecedens, & admisso antecedente suæ probationis, negãdo eius cõsequentiã, quia tum habet aliquid potentiã naturalem ad aliquid, quando habet potentiã, qua vel potuit vel potest illud recipere; vnde nõ est necessariũ quod illud possit recipere, modò ante receperit illud.

89. *Obiicies tertio*: Causa effectiua mediãte aliqua potentia realiter distincta producit suum effectũ: ergo causa materialis mediante aliqua potentia realiter distincta producit suũ effectũ, & cõsequẽter mediãte tali potentia recipit formam: quia per receptionẽ formæ causat suũ effectiuũ.

*Respõdeo primo* negãdo antecedẽs, cuius rationẽ aliàs videbimus. *Respõdeo secundo* negãdo cõsequẽtiã: & ratio est, quia materia cum forma habet facere vnũ per se, & propterea immediate debet cũ ipsa coniũgi; causa autem efficiens non habet facere vnũ per se cũ suo effectu, & propterea nõ debet ex hoc capite immediate cũ ipso cõiũgi.

## CONCLVSIO II.

Materia non recipit formã mediante potentia formali. ter distincta, q.ę immediatius recipiat formam.

90. *Materia non recipit formã mediãte aliqua potẽtia à se formaliter distincta quæ immediatius formã reciperet.* Hæc videtur esse communior. *Probatur*, quia materia ex se sufficiens est ad immediate respiciendã formã, & forma est actus per se ipsius: ergo magis congruum est dicere quod sine tali potentia formam recipiat. *Confirmatur*, quia nulla est ratio, vnde colligatur talis potentia: ergo &c.

*Dices* non esse maiorem rationem q. anima habeat potentiam intellectiuam distinctam à se formaliter, quę immediate reciperet intellectionẽ, quàm q. materia habeat potentiam à se formaliter distinctã, quæ recipiat formã.

*Respondeo* negando antecedens, quia forma est per se actus materiæ, intellectio vero nõ est per se actus animæ.

## CONCLVSIO III.

Materia habet potentiam formali. ter distinctam.

91. *Materia habet potentiã à se formaliter distinctã, à qua formaliter dicitur potens recipere formã.* Hæc est communis Scotistarum; *& probatur*, quia ipsamet non est formaliter potentia, ergo quandoquidem possit recipere formã, habet necessario potentiã à se formaliter distinctã. Consequẽtia est euidẽs: probatur antecedẽs, tũ quia omnis potẽtia formaliter loquẽdo est alicuius subiecti potẽtia: sed materia nõ habet aliquod subiectũ nec physicũ, nec metaphysicũ, cuius sit potẽtia, ergo nõ est potẽtia. Tũ etiã quia potẽtia formaliter est respect. trãscẽdẽtalis; sed omnis respect. debet esse formaliter saltẽ distinct. à quacũq; re absoluta: ergo potẽtia materię, debet ab ea distingui formaliter

## CONCLVSIO IV.

Potentia materię est proprietas eius.

92. *Potẽtia formalis, quã dicit materia ad formã, non est de eius essentia, sed proprietas eius quarto modo; potẽtia vero radicalis, quã dicit, hoc est radix, a qua pullulat ista potẽtia formalis, est de eius essentia.* Hæc est etiã cõmunis Scotistarum cũ *Doct. 2. d. 12. q. 1. 4. d. 11. q. 3.* & aliis locis, cõtra recentiores cõmuniter. *Probatur* prima pars, quia potẽtia formalis est respectus transcẽdẽtalis: ergo nõ potest esse de essentia absoluti. Præterea potentia formalis præsupponit aliquid ad q. sequitur, sicut risibilitas: sed illud q. præsupponit nõ est aliud quã materia prima: ergo præsupponit materiam primam: ergo non est de essentia materiæ primæ: nihil .n. potest esse de essentia rei sibi præsuppositæ.

*Probatur secunda pars*, quia necessario pullulat ab essentia materiæ primæ, sicut risibilitas ab homine, & omni ac soli conuenit, ergo est proprietas eius.

*Probatur tertia pars*, quia radix proprietatis quarto modo est maxime essentiale rei.

*Dices* si materia habet potẽtiã à se formaliter distinctã ad formã, quare nõ potest illa potẽtia esse receptiua formæ *vt q.* sicut intellectus, qui est potẽtia, qua anima potest intelligere, est productiuus, & receptiuus intellectionis *vt q.*

*Respondeo*, præter rationẽ assignatã cõclusione 2. aliũde etiam id colligi, quia scilicet quidquid potest recipere aut producere *vt quod* rẽ absolutam, debet esse absolutũ; neq; respectus potest esse subiectũ receptiuũ aut productiuũ talis rei. Cùm ergo ista potẽtia, quã habet materia, sit respectus, sequitur manifeste quod nõ possit, vt subiectũ, recipere formam: intellectus vero est quid absolutũ, & propterea potest producere, & recipere intellectionẽ

Authoritates & rationes, quæ cõtra hãc cõclusionẽ obiici possunt, tantũ concludũt materiã dicere essentialiter radicẽ, à qua prouenit potẽtia formalis susceptiua, & cõsequẽter de essẽtia eius esse potẽtiã susceptiuã radicalem.

An potẽtia receptiua materię distinguatur à sustentatiua.

93. *Quæres*, an potẽtia receptiua materiæ, quã habet ad recipiẽdã formã substãtialẽ quãcũq; distinguatur à potẽtia sustẽtatiua, quã habet ad sustẽtãdas illas formas quę educũtur ex ipsius potẽtia, & quã nõ habet in ordine ad animã rationalẽ, quę creatur & nõ educitur ex ipsius potẽtia.

*Magistrius hic art. 4.* respondet affirmatiue citans pro se plures authores. Fũdamentũ eius est, q. sustentatio, & receptio distinguãtur: ergo & potẽtia receptiua ac sustẽtatiua:

tiua: nã distinctio potẽtiarũ arguitur ex distinctione actuũ. Probat antecedẽs fusissime; sed melius probaret consequẽtiã, quæ secũdũ ipsiusmet principia articulo præcedẽti nõ sequitur, nec vera est eius probatio: in illo.n. articulo ostẽdit potẽtiã receptiuã materiæ esse eãdẽ formaliter respectu omniũ formarũ, & negat ex distinctione formarum argui posse distinctionẽ potentiarũ: ergo quamtumuis distinguatur specie receptio à sustentatione, adhuc non sequitur quod distinguatur formaliter potentia sustentatiua, & receptiua.

Ex distinctione actuum nõ sequitur distinctio potẽtiarum.

*Confirmatur*: Eadẽ ipsa potẽtia formaliter, quæ est volitiua, est nolitiua, & potest nolle quãdo nõ habet volitionẽ, aciuelle quãdo nõ habet nolitionẽ, & nolitio & volitio distinguũtur realiter, & specie. Similiter eadẽ est potẽtia formaliter, quæ apprehẽdit intellectualiter, & iudicat intellectualiter, & discurrit: ergo similiter posset eadẽ potentia formaliter recipere, & sustentare, nisi sit aliqua alia ratio præter diuersitatẽ sustẽtationis, & receptionis.

94. Itaq; nisi possit in aliquo reperiri potẽtia sustẽtatiua, in quo non sit potẽtia receptiua, aut è cõtra, existimo nõ esse distinctas formaliter has potẽtias, quia nulla est necessitas distinguẽdi illas. Quod si in aliquo possit potẽtia receptiua reperiri, in quo nõ reperitur potentia sustẽtatiua, aut è cõtra, tũ distingui debent formaliter propter principia omnia, ex quibus colligitur distinctio formalis inter animalitatẽ, & rationalitatẽ. An autẽ possint hoc modo separari, nõ mihi satis cõstat, quia nõ occurrit mihi exẽplũ aliquod vllius rei, quod habet virtutẽ sustẽtati suã materialẽ absq; virtute receptiua, nec è cõtra. Verũ est q. Verbũ diuinũ sustentet naturã humanã, & q. nõ proprie recipiat illã: sed nõ videtur sustẽtare ipsã materialiter, quia natura humana, cũ sit substãtia cõpleta, non potest habere dependentiã à causa materiali alia quã intrinseca, qualis nõ est Verbũ respectu ipsius, habet enim suã propriã materiã creatã, etiã vnitã Verbo. Verum etiã est quod Deus possit sustẽtare formas substãtiales, & accidẽtales absolutas supplẽdo defectum concursus causæ materialis: sed hoc facit efficienter, & non materialiter.

95. Quod si quis velit dicere q. virtus sustẽtatiua vt sic sit communis vniuoce virtuti sustentatiuæ materiali, & efficienti, quãdoquidẽ certũ sit q. aliquid possit habere virtutẽ sustẽtatiuã efficiẽtẽ, q. nõ habet virtutẽ receptiuã formæ substãtialis, aut vllius formæ physicæ, vt patet in Deo, potest dicere cõsequẽter quod virtus sustẽtatiua vt sic distinguatur à virtute receptiua quacũq; & consequẽter q. quæcũq; virtus sustẽtatiua particularis, in qua includitur ratio virtutis sustentatiuæ vt sic, distinguatur formaliter à quacũq; virtute receptiua. Sed quidquid sit de distinctione formali Scotistica harũ potẽtiarũ, certũ est quod ita distinguãtur potẽtia sustẽtatiua, & receptiua vt possint intelligi sub vna ratione, quin intelligãtur sub alia: sic .n. intelligimus materiã recipere formas substãtiales aliquas, dubitãdo adhuc an habeat virtutẽ sustẽtatiuã respectu earũ; vnde ponimus quæstionẽ particularẽ de hac re, quãdo examinamus, an & quænã formæ substãtiales educũtur è potẽtia materię, ac sustẽtãtur ab ipsa.

An potẽtia susceptiua formæ substantialis, & accidentalis distinguantur.

*Quæres secundo* an potẽtia receptiua formæ substãtialis & accidẽtalis distinguãtur formaliter. *Respõdeo* quod sic, quia potest reperiri in aliquo potentia receptiua formæ accidentalis, in quo nõ reperitur potentia receptiua formæ substãtialis: potest.n. Angelus recipere formas accidẽtales, & nõ substãtiales. Similiter totũ cõpositũ substãtiale potest recipere formas accidẽtales, & non potest recipere formas substãtiales, cũ sit cõpletũ, vt suppono: vniuersaliter autẽ huiusmodi separabilitas arguit distinctionẽ formalem in principiis Scoti, vt patet ex dicẽdis in disputatione de distinctione formali in Metaphysica.

## QVÆSTIO VII.

*De appetitu materiæ primæ ad formas substantiales.*

96. APpetitus duplex est, elicitus & innatus; *elicitus*, qui & alio nomine vocatur intẽtionalis, est actus à potentia appetitiua productus, quo in aliquod cognitũ fertur, illud desiderãdo vel quomodocũq; volẽdo; *Innatus* est naturalis inclinatio cuiuscũq; rei ad suã perfectionem, indita à natura cuilibet rei, & sic ignis appetit esse sursũ. Distinguuntur autẽ hi duo appetitus, q. elicitus sit actus distinctus realiter, productus à re per ipsũ appetẽte, & quod præsupponat cognitionẽ, appetitus vero innatus, neq; producatur realiter à re appetẽte per ipsum, neq; cognitionẽ necessario exigat. Dico necessario, quia per accidẽs posset res appetẽs aliquid appetitu innato illud cognoscere: Angelus .n. potest cognoscere cognitionẽ lapidis, quã tamẽ appetit appetitu innato; sed hoc est per accidẽs ad appetitũ, quia quãtumuis illã nõ cognosceret, eam appeteret, imo numquam fit, vt præexigat appetitus innatus cognitionem, quia est proprietas rei, proprietas autem non præexigit operationem aliquam.

Quid appetitus elicitus, & quid innatus.

Porro appetitus innatus, quatenus cõparatur ad formam, quam respicit, dum abest illa forma, vocatur appetitus desiderij; dum autẽ comparatur ad formam illam dum actu coniungitur cum re appetente, vocatur appetitus complacentiæ; vnde dici potest & solet de re appetente aliam rem appetitu innato, quod desideret illam, quamdiu abest, & quod complaceat sibi quamdiu adest.

Sensus quæstionis.

97. Itaq; nõ quæritur in hac quæstione, an materia habeat appetitũ elicitũ circa formã, quia est extra cõtrouersiã quod nõ, quãdoquidẽ nõ habeat vim cognitiuã, sed an habeat appetitũ innatũ, seu naturalẽ inclinationẽ ad formas omnes substantiales, quas potest habere. Circa quod *aliqui* sentiũt materiã appetere omnes formas, sub ratione tamẽ formæ, vt sic, in qua omnes conueniũt, non tamẽ sub ratione particulari cuiuscũq; formę. *Alij* dicũt, quod dicat appetitum ad omnes formas, quas habet, & quas potest habere naturaliter, nõ vero ad formas, quas habuit, quia illas nequit naturaliter habere. *Alij* dicunt materiã appetere omnes omnino formas, sed nõ eodẽ tamẽ appetitu formaliter, sed tot appetitibus diuersis, quot sũt formæ diuersæ. Alij volũt, quod eodẽ appetitu realiter & formaliter recipiat omnes formas, quas recipit. Facilè cõtrouersia erit maxima ex parte de nomine; quid probabilius appareat, sequẽtibus cõclusionib. aperietur.

Diuersi modi dicendi.

### CONCLVSIO I.

98. *Materia prima appetit omnẽ formã substãtialẽ, quæ potest ipsi inhærere, tã presentẽ quã absentẽ, tã habitã ac destructã, quã nõ habitã ac nõ destructã, & hoc nõ solũ secundũ rationẽ formæ vt sic, sed etiã secundũ rationẽ particularẽ cuiuscunq; formæ ex illis.* Hęc est cõmunior cũ *Scoto* 1.d.1.q.1. ac suis, excepto *Shgẽma* qui negat appeti formas secũdũ rationes particulares, *hic digressione* 5.q.6. Scotum sequũtur *Auersa* q.20. *sect.* 21. *Ruuius hic* q.7. *Amicus* ibidem cõtra plures alios, quos sequitur *Arriaga disp.*2. *physic. sect.* 4.

Materia appetit omnem formam.

*Probatur*, quia appetitus innatus materiæ respectu formæ est idẽtificatus materiæ, cũ nõ sit actus elicitus ab illa, nec qualitas vlla ipsi superaddita, & cõsistit proprie in perfectibilitate ipsius respectu formæ, quæ perfectibilitas non est aliud quã vnibilitas ipsius cum forma sic, vt faciat cum forma vnũ per se; sed potest facere vnũ per se cum quacumq; forma substantiali, quæ potest ipsi inhærere, siue præsens sit, siue absẽs, siue destructa, siue nõ destructa; & non solũ potest facere vnũ per se cũ illis secũdũ rationẽ formæ, sed etiã secũdũ rationẽ particularem, aliàs non resultaret ex materia, & forma vlla particulari cõpositũ aliquod particulare: sed omnia cõposita, quæ resultarent ex materia, & forma quacũque, essent eiusdem rationis, quod est absurdum: ergo vera est conclusio vniuersaliter, prout iacet secundum omnem partem.

99. *Confirmatur*: ideo appetit formam absentem, quia potest cum ipsa facere vnum per se: sed cum præsenti potest hoc facere, & cum destructa etiam, quantum est ex se, si v. g. iterum coniungeretur cum ipsa: ergo appetit etiam præsentes, & destructas formas.

*Confirmatur secundo*: ideo appetit formam secundum rationem formæ vt sic, quia potest cum illa facere vnũ per se secundũ illam rationem, nimirum compositum vt sic: sed potest facere cũ forma secundum rationem particularem formæ compositum tale determinatum: ergo appetit formam particularem secundum rationem particularem. Quæ ratio probat quod non solum appetat formas secundum rationes particulares specificas, sed etiam secundũ rationes particulares singulares: nã cum forma

singulari, qua talis est, facit compositum singulare tale, quod non posset facere cum vlla alia singulari forma, sicut cum forma tali specifica potest facere compositum tale specificum, quale non posset facere cum vlla alia forma diuersæ rationis specificæ.

*Dices* cum *Arriaga*, appetitum materiæ dicere formaliter negationem primæ productionis formæ: vnde, quia forma destructa fuit producta, materia non potest dicere talem negationem, & consequenter non potest dicere appetitum ad illam.

*Contra* quia gratis, & absque vllo fundamento dicitur illa negatio esse de ratione formali appetitus, & si esset verum, sequeretur quod materia non appeteret formam habitam. Deinde nos non loquimur de appetitu prout dicit talem negationem, sed prout dicit omnem entitatem positiuam, quam inuoluit.

100. *Obiicies primo*: Materia nequit coniungi cum forma vt sic, ergo nequit appetere formam vt sic, & consequenter falsa est conclusio, quatenus dicit quod appetat formas secundum rationem formæ vt sic.

*Respondeo* distinguendo antecedens: cum forma vt sic non contracta ad aliquas differentias in particulari, concedo; contracta ad aliquam differentiam particularem, nego antecedens, & consequentiam.

*Obiicies secundo*: si materia appeteret formam, quã non habet, præsertim secundum rationẽ particularem, deberet appetere destructionem formæ quã habet: sed hoc est absurdum, quia appetit formam habitam; absurdum autem est, quod appetat quis destructionẽ rei, quam appetit: appeteret enim ipsam, & non appeteret simul. Probatur sequela maioris, quia quod appetit aliquid, debet appetere media necessaria ad acquisitionem eius: sed mediũ necessarium ad acquisitionem formæ absentis est destructio formæ habitæ: sine hac enim destructione acquiri nequit; cum vtraque forma simul in ea esse nequeant: ergo deberet appetere illam destructionem.

101. *Respondeo primo*, negando sequelam, & distinguẽdo maiorẽ probationis, si medium sit simpliciter necessarium, transeat; si non sit, nego maiorem. Et iuxta hoc distinguo minorem: sed destructio formæ habitæ est medium simpliciter necessarium ad acquisitionem formæ non habitæ, nego: posset enim forma non habita acquiri, quamuis non præfuisset forma habita, & consequenter destructio formæ habitæ non est medium simpliciter requisitum: destructio illa est medium requisitũ secundum quid, id est, ex hypothesi quod habeatur, concedo minorem, & nego consequentiam.

*Dices*: saltem carentia formæ habitæ est medium simpliciter requisitum ad habendam formam non habitam, quia sine illa nequit haberi forma illa alia: ergo debet petere carentiam illam, & consequenter non potest appetere formam ipsi oppositam, quia alias appeteret formam & carentiam eius simul.

102. Propter hãc replicã & alias, quæ opponi possũt. *Respondeo secundo*, negando sequelam, & distinguendo alio modo maiorem probationis: si finis desideratus nequeat acquiri, nisi medium illud necessarium appetatur concedo: si possit acquiri, quamuis non appeteretur medium, nego maiorem, & consequentiam, quia posset materia acquirere formam non habitam, quamuis non appeteret destructionem formæ habitæ.

*Responderi posset tertio*, negando sequelam & distinguendo adhuc alio modo maiorem probationis: quod appetit aliquid appetitu elicito præsertim efficaci, transeat; quod appetit aliquid appetitu innato, nego maiorẽ; præsertim quãdo non appetit illud solum, sed æque appetit alia incompatibilia cum illa, vt contingit in casu nostro, quia materia non appetit vnã solã formam, sed alias cum illa incompatibiles; vnde non debet ad acquisitionem vnius appetere destructionem aliarum.

103. *Obiicies tertio*: si appeteret omnes formas appetitu innato idẽtificato sibi, deberet apetere illas simul: sed hoc est falsũ, quia alias deberet posse habere omnes simul.

*Respondeo* distinguendo maiorem: deberet appetere illas simultate actus, nego: simultate potentiæ, concedo maiorem, & nego minorem. Itaque ex eo, quod materia appetat apetitu innato omnes formas, non sequitur quod possit omnes formas simul habere, ita vt ipsæ formæ simul & copulatiue possint perficere ipsã, & hoc est quod intelligitur quando dicitur, quod non possit omnes formas habere simultate actus: sed sequitur quod habeat appetitum, qui simul respiciat omnes illas formas, ita vt pro eodem instanti, quo respicit vnam, æque respiciat quamcumque aliam, & quod possit pro eodem instanti, quo habet vnam, habere quamcunque aliam; non quidẽ in sensu composito cum alia forma, sed in sensu diuiso possibili, nempe ex suppositione, quod in illo instãti non haberet illam aliam formam: & hoc est quod intelligitur, quando dicitur, quod materia possit habere omnes formas simultate potentiæ. Exemplum huius est in voluntate respectu volitionis & nolitionis eiusdem obiecti volũtas enim potest vtramque producere, & quidem pro eodem instanti quo producit vnam ex illis, posset producere alteram, vnde habet simultatem potentiæ respectu vtriusque; non tamen potest habere vtramque simul copulatiue, quia opponuntur contrarie; vnde non potest illas habere simul simultate actus; quod idem directe occurrit in casu præsenti de materia.

Quomodo materia simul appetat omnes formas.

104. *Obiicies quarto*: sequeretur materiam esse in statu violento sub forma habita, si naturaliter tum appeteret formam non habitam secundum rationem suam particularem: sed hoc est absurdum: ergo & conclusio. Probatur sequela, quia tum videtur aliquid esse in statu violento, quando habet aliquid incompatibile cum illo, quod naturaliter appetit: & hinc graue, dum est sursum, est in statu violento; & leue quando est deorsum; & aqua, quando est sub calore.

*Confirmatur*: si materia prima esset sine vlla forma esset in statu violento, quia careret perfectione per se suâ, quam naturaliter appetit: ergo si materia existẽs sub vna forma appetat formam non habitam tanquã perfectiuũ suum, erit in statu violento, quandoquidem habeat tum carentiam eius. Nec sufficit dicere, quod habeat æquiualentem perfectionẽ, nempe formam habitam, quia posset fieri quod forma habita non esset æquiualens formæ absenti; forma enim absens posset esse perfectior forma habita, & consequenter forma habita non esset tum æquiualens formæ absenti. Nec tollitur hæc difficultas recurrendo ad diuersos formaliter appetitus, dicẽdo tot esse diuersos appetitus in materia, quot sunt formæ; imo potius augetur, quia hoc supposito sequeretur materiã secundum vnum appetitum suum carere sua perfectione per se, neq; aliam etiam æquiualentem habere secundum eundem: ergo esset in statu violento secundũ omnes illos appetitus, quibus respiceret formas absentes; & quandoquidem non esset in statu naturali, nisi secundum vnum appetitum, respicientem scilicet formam vnam habitam, potius dicenda esset simpliciter in statu violento, quam in statu naturali, vnde male astrueret *Fuentes* plures appetitus ad defendendum, quod materia sub vna forma nõ esset in statu violento: sed certe nec in ordine ad hoc illos plures appetitus asseruit: quare male id imposuit *Mastrius hic quæst. 6. artic. 1.*

105. *Respondeo* negando sequelã, & distinguendo probationem: si illud aliud incompatibile etiam non appetatur, nego: & dico quod nõ propterea graue sursũ est in statu violento, quia habet vbi incompatibile cum vbi deorsum, quod naturaliter appetit; sed quia vlterius non appetit vbi sursũ, sed abhorret ab eo, vt colligitur ex eo quod feratur deorsum ablato impedimento. Et idẽ dicẽdum de leui existente deorsum, & etiam de aqua, quæ sub calore nõ est in statu violẽto, ex eo præcise, quod calor sit incõpatibilis cũ frigore, quod appetit, sed ex eo, quod abhorret à calore, vt colligitur ex eo, quod reducat se ad frigus, & quod calor deseruiat ad eius destructionem.

*Ad confirmationem respondeo primo*, negando antecedens, quia quamuis non esset in statu cõnaturali, quãdoquidẽ non haberet vllã ex perfectionibus, quas connaturaliter exigit, tamẽ hoc nõ videtur sufficere, vt dicatur esse in statu violento, sed vlterius requiritur vt habeat

aliquam

aliquam formam nocuam, alias intellectus dormientis esset in statu violento.

*Respondeo secundò*, negando consequentiam, quia ratio quare materia diceretur tum esse in statu violento, non est quod careat aliqua perfectione, quã cõnaturaliter appeteret; sed quod careret omni tali perfectione: quando autem est sub vna forma, licet careat pluribus perfectionibus talibus, non tamẽ caret omni, & propterea nõ debet dici esse in statu violẽto: nec refert, quod careat maiori perfectione, quàm habet, quia sufficit quod habeat aliquã, quã appetit, & præsertim si illa perfectio sit talis, vt cũ ea nõ possit habere vlteriorẽ, naturaliter loquendo, sicut cõtingit in casu nostro. Quod si aliquis nihil aliud velit per statum violentum intelligere, quam statum in quo aliquid sit absque aliqua perfectione, quam naturaliter appeteret, quamuis haberet perfectionem aliam inter appeteret, quamuis haberet perfectionem aliam impatibilem, quam etiam appeteret, ne fieret quæstio de nomine, posset concedi ipsi, quod materia esset in statu violento, nec id esset absurdum ex ista hypothesi: verè tamen hic modus loquendi esset improprius & nouus.

Cur materia non sit in statu violento, carẽs formis, quas appetit.

106. *Obiicies quinto*: materia satiatur quacunque forma, quam habet: ergo non appetit aliam vllam. Probatur consequentia, quia si appeteret aliam, non esset satiata.

*Respondeo* negãdo consequentiam cum sua probatione; satiari enim materiam à forma non est aliud, quam eam à forma perfici sic, vt cum ipsa constituat vnũ per se compositum substantiale: hoc autẽ est compatibile sine dubio cum hoc, quod possit perfici per alias formas, & consequenter cum appetitu respectu aliarum formarum, qui consistit in hac perfectibilitate; vnde non sequitur ex eo, quod materia satietur per vnam formã, quin possit appetere alias formas. Verum quidẽ est, quod qui est satiatus, quantum ad appetitum elicitum, non possit appetere aliquid aliud, quam id quo sic satiatur, quia satietas huiusmodi inuoluit negationem vlterioris desiderii, & tunc iudicamus hominem satiari, quando nihil amplius appetit, præter id quod habet: at satietas materiæ orta à forma non inuoluit negationẽ appetitus innati respectu aliarum formarum, cum consistat in hoc solummodo, quod perficiatur materia taliter à forma, vt faciat cum ipsa vnũ per se compositum completũ. Quod si quis velit intelligere per satietatẽ materiæ, quod sic se habeat, vt non appetat aliquid præter id, quod habet, tum negãdum est materiam satiari per formã, aut etiam eam posse satiari vnquam, nisi haberet omnes formas possibiles: & in hoc sensu capiendo satietatem, negandum esset antecedens obiectionis, nec id esset vllo modo inconueniẽs.

*Obiicies sexto*: appetitus est respectu absentis tantum: ergo materia non appetit formam, quam habet.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: innatus, nego: elicitus, transeat, & nego consequentiam; imo appetitus elicitus complacentiæ potest haberi circa res possessas, licet appetitus desiderij non habeatur circa illas: vnde *Respondeo secundo* negando absolute antecedens.

## CONCLVSIO II.

Non æqualiter appetit omnes formas.

107. *Materia non æqualiter appetit omnes formas, sed magis appetit perfectiores formas.* Hæc colligitur ex *Scoto 4.d 49.q.10. & dist.50.q.5.* & eam tenet expresse *Mastrius hic q.6.a.2.* contra *Ruuium q.7. dub. 2. Auersam q. 20. sect. 11. Fuent. quæst. 2. diff. 3. art. 4.*

*Probatur*, quia appetitus materiæ nihil aliud prorsus est quam perfectibilitas eius: sed est magis perfectibilis per formam perfectiorem, quandoquidem cum ea componat compositum perfectius: ergo magis illam appetit.

*Confirmatur*, quia ideo appetit formam vllam, quia est eius perfectio: ergo magis appetit formam, quæ est maior perfectio eius.

*Probat vlterius Mastrius* conclusionem, quia ipsimet aduersarij concedunt, quod magis appetat formas substantiales, quam accidentales: ergo debent concedere, quod magis appetit magis perfectas formas.

*Sed hæc probatio non vrget*, quia nõ ideo magis appetit formas substantiales, quam accidentales, quia substantialis est perfectior præcisè, sed quia accidentales appetit propter substãtiales, & propter quod vnũquodq; est tale, & illud magis: qua ratione dicitur communiter, quod finis magis appetatur, quam medium, quia medium appetitur propter finem, forma autem imperfectior substantialis non subordinata, de qua loquimur, non appetitur propter formam perfectiorem, vt est euidens, quia potius est impedimentum perfectioris formæ, quam adiumentum; vnde ruit paritas obiectionis.

*Probat idẽ vlterius* ex proportione appetitus innati ad elicitũ: Appetitu elicito magis appetitur maius bonũ: ergo & innato. Hæc etiam probatio parum stringit, quia negari posset proportio quantũ ad hoc; neq; .n. in omnibus debẽt habere proportionẽ, vt patet ex eo, quod quãdo appetitus elicitus habet maius, nõ appetat bonũ minus; nõ obstãte vero, quod appetitus innatus habeat maius bonũ suum, appetit minus bonum, vt statim dicetur, ergo similiter nõ est necesse quod appetitus innatus magis appetat maius bonũ, licet appetitus elicitus id faciat.

108. *Obiicies*: appetitus materię est potẽtia passiua naturalis eiusdẽ: sed hęc est indifferens ad omnes formas, & quantum est ex se non magis determinata ad vnam, quam ad alteram, aliàs sub illa, quam determinate respiceret, esset naturaliter, sub aliis violenter: ergo æqualiter appetit omnes formas.

*Confirmatur*, quia hinc oritur, vt materia appetat minus nobilem formam existens sub nobiliori, & formam semel amissam: ergo appetit æqualiter omnes.

*Respondeo* distinguẽdo minorẽ, est indifferẽs ad omnes, quãtũ ad hoc, quod per omnes possit perfici, & quod ex se nõ magis posset habere vnã, quã alterã, cõcedo; est indifferẽs ad omnes ita, vt nõ magis appetat vnã, quã alterã, nego minorẽ, & cõsequẽtiã. Ad probationem minoris dico, quod quãuis magis esset determinata materia ad vnã, quã ad alterã, quatenus magis appeteret vnã, quã alterã; tamẽ nõ inde sequeretur, quod esset in statu violẽto sub iis quas minus appeteret, quia sufficit ad tollẽdã violẽtiã, quod illas etiã appetat, licet nõ tãtopere eas appetat.

*Ad confirmationem* dico, quod non ex æquali appetitu omniũ formarũ oriatur, vt appetat ignobiliores formas, & eas quas amisit; sed ex eo quod omnes appetat, licet magis vnas quã alias, vt colligitur euidenter ex hoc quod si per impossibile appeteret omnes, sed inæqualiter: non posset non appetere ignobiliores & amissas.

109. *Obiicies*: appetere magis maius bonũ est appetẽtiũ cognitiuorũ, qualis nõ est materia: ergo nõ sic appetit.

*Respondeo* distinguendo antecedens: appetitu elicito, concedo; innato, nego antecedens & consequentiam.

*Obiicies tertio*: materia appetit formas solummodo ad faciendum vnum per se cum illis: sed cum quacumque facit vnum per se: ergo æqualiter omnes appetit.

*Respondeo* distinguendo minorẽ: facit vnũ per se eiusdẽ rationis & æquè perfectũ, nego minorẽ; diuersæ perfectionis concedo minorẽ, & nego consequentiã; quia licet appetat facere vnum per se, magis tamen debet appetere facere vnum illud per se, quod est perfectius.

*Obiicies quarto*: sequeretur quod deberet appetere interitum formarum ignobiliorum, & quod ex nobiliori composito nunquam fieret ignobilius.

*Respondeo* negando vtrãq; sequelam, quia nõ obstãte maiori appetitu formæ perfectioris, manet appetitus ad formã imperfectiorẽ, & sic nõ inest materiæ desideriũ interitus eius. Deinde nõ obstãte eodẽ maiori appetitu poterit

## CONCLVSIO III.

Materia quamuis habeat formam includentem perfectiones omnium formarum appeteret alias formas.

110. *Non solum materia appetit formas ignobiliores, dum est sub nobiliori, sed si haberet formam vnam includentem perfectiones omnium aliarum formarum, adhuc appeteret alias formas imperfectiores.* Hæc videtur communior, & prima pars colligitur ex *Scoto* 1. *d.* 1. *q.* 1. vbi inquit quod nulla forma satiat materiam totaliter, nisi in illa omnium aliarum formarum perfectiones contineantur: ergo manet appetitus in materia ad ignobiliores, quando est sub nobiliori non continente perfectiones aliarum formarum. Secunda vero pars videri posset contra ipsum in eodem loco, quia videtur supponere quod si esset aliqua forma, quæ contineret aliarum formarum omnium perfectiones, illa satiaret materiam, & consequentur non relinqueret in ipsa appetitum ad alias formas. Postea tamen explicabimus Scotum, & ostendemus neque hanc partem esse contra ipsum, sed potius iuxta ipsius principia.

*Probatur* ex dictis, quia appetitus materiæ est perfectibilitas eius: sed non obstante perfectioni ac perfectissima forma continente aliarum omnium formarum perfectionem, est perfectibilis per alias quascumq; formas, quandoquidem possit facere cum qualibet ipsarum vnum per se: ergo dicit appetitum ad illas.

*Confirmatur*, quia appetitus materiæ ad quamcumque formam est vel proprietas eius, vt tenet Scotus, vel quid essentiale ipsi, vt existimant alij: ergo semper manet non obstante quacumque forma, quam haberet materia etiam perfectissima illa.

111. *Mastrius* probat hanc conclusionem, quia si materia non appetat formam ignobiliorem, quando est sub nobiliori, non posset forma nobilior destrui, & consequenter compositum ex materia & anima rationali, quæ est forma perfectissima, quæ de facto dari potest, naturaliter iuxta legem ordinariam nequiret corrumpi, contra rationem, & experientiam.

*Verum hæc probatio non placet*, quia, vt ante dixi, quamuis nõ diceret materia appetitum ad formas ignobiliores, dum esset sub nobiliori aut nobilissima, tamen posset agens naturale introducere dispositiones contrarias illi formæ, & eam expellere ac educere aliã formã ex potẽtia materiæ, sicut potest educere calorẽ ex potẽtia aquæ, quamuis aqua non appetat illam: vnde nego sequelam.

*Dices*: ex appetitu materiæ ad alias formas præter habitam dicitur communiter materiam esse radicem corruptionis, & generationis: ergo si non haberet appetitum ad formam vllam, quando esset sub forma perfectissima, non posset fieri corruptio aut generatio ex ea.

*Respondeo* negando maiorem, in sensu præciso, quasi scilicet solus appetitus materiæ esset radix corruptionis ac generationis; nam etiamsi appetitus ille sit causa cur possit coniungi cum aliis formis, tamen quamuis non adesset, modo materia haberet coniungibilitatem cum aliis formis incompatibilibus, adhuc esset radix generationis & corruptionis, vt patet in exemplo aquæ.

*Confirmatur hoc*, quia materia cælestis (supponendo quod sit eiusdem speciei cum materia sublunari) habet appetitum ex se ad alias formas, & tamen non potest naturaliter perdere formam cælestem: ergo appetitus præcise non est sufficiens ad hoc, vt possint agentia naturalia generare & corrumpere.

112. *Obiicies primò*; Non datur appetitus innatus respectu mali: sed imperfectior forma esset malum materiæ, ergo non appetit ipsam.

*Respondeo* negando minorem aut potius distinguendo maiorem: respectu mali simpliciter, concedo; respectu mali secundum quid, nego maiorem; & similiter distinguo minorem: est ipsi malum secundum quid, concedo, & nego consequentiam, est ipsi malum simpliciter, nego minorem, quia quod perficit aliquid, non est ipsi malum simpliciter; licet esset aliquid quod impediret maius bonum, & præsertim si per accidens impediret illud maius bonum, vt contingit in proposito, quia forma ignobilior per accidens tollit formam perfectiorẽ, quia per accidẽs est quod infuerit illa perfectior forma, aut quod esset hic & nunc producenda, quando producebatur forma imperfectior. Exemplum huius potest esse in moralibus in eo, qui cum posset actum nobilioris virtutis elicere, eo, quando non adesset præceptum, neglecto, eliceret actum ignobilioris virtutis, ille enim actus ignobilioris virtutis incompatibilis cum actu nobilioris non esset dicendus actus malus, quia alias non esset virtutis, quamuis impediret formaliter actum meliorem; ergo similiter, quamuis forma imperfectior impediat perfectiorem, non debet dici mala simpliciter.

113. *Obiicies secundo*. Ideo Deus visus ita satiat appetitum beati, vt non desideret aut apperat aliud videre, quia aliorum obiectorum continet perfectiones: ergo quando materia haberet vnam formam aliarum perfectiones continentem, ita satiaretur, vt non appeteret aliam saltem inferiorem.

*Respondeo primo*, exemplum esse ad oppositum, quia non ita satiatur beatus Deo viso, quin appetitu innato appetat alia videre, quidquid sit de appetitu elicito; ergo similiter dicendum in proposito. Dixi *quidquid sit de appetitu elicito*, quia fortassis etiam appetitu elicito beatus aliqua alia præter Deum desiderat, nam certe quando beati orant pro nobis, desiderant nobis bona, verum tamen est, quod illud desiderium eorum sit cum summa resignatione ad voluntatem diuinam, & absque vlla molestia, ac propterea non impendit quo minus sint plene satiati eo non obstante, de quo tamen suo loco.

*Respondeo secundo* negando consequentiam, quia, vt supra dixi, non eodem modo discurrendum est de appetitu elicito, præsertim regulato ac conformi rationi ac de appetitu inato; vt patet ex eo quod aliquis posset quãtum ad appetitum elicitum satiari obtento minori bono, quod tamen ab aduersariis nõ dicitur de appetitu innato ergo non est eodem modo quantum ad hoc discurrendum de illis. Probatur maior, quando quis appeteret eleemosynam ab aliquo Principe, posset esse contentus ea, quam daret, & non appetere maiorem: ergo potest quis satiari quantum ad appetitum elicitum obtento minori bono, ita vt aliud non petat. Et hinc fit vt plurimi (proh dolor) sibi satisfactum existiment, quando ad votum suum consequuntur bona terrena, nec curant consecutionem vitæ æternæ, sed illa sorte essent contenti semper, si semper manerent in eodem statu.

Non eodem modo discurrendum de appetitu elicito ac innato.

114. *Obiicies tertio* Scotum supra, & 2. *d.* 14. *q.* 1. vbi docet quod forma includens virtualiter omnes perfectiones aliarum formarum, satiaret omnes appetitus materiæ etiam extensiue: ergo non appetit aliam formam vllam, si habet talem formam.

*Respondeo* negando consequentiam, quia cum hoc quod satietur materia per vnam formam, potest habere appetitum innatum ad aliam: neque enim satietas & appetitus innatus opponuntur, satietas enim materiæ consistit in completione quam dat forma informans faciens cum ipsa vnum per se; appetitus autem consistit in perfectibilitate seu complebilitate per formam; completio autem, & complebilitas compatiuntur adeo, vt nihil compleatur quod non sit complebile.

*Dices*: si satietas materiæ consistat in cõpletione tali: ergo per quamcumque formam satiatur, quod videtur cõtra Scotum, qui negat materiam satiari nisi per formã continentem perfectiones omnium aliarum formarum.

*Respondeo*, satietatem capi posse dupliciter, vno modo quatenus dicit completionem quamcumque, per quam fit vnũ compositum completum, & de hac non loquitur Scotus: alia est talis completio particularis, per quam possit dici, quod materia habeat actu omne suum cõplemẽtum aliquo modo, nimirum vel formaliter vel virtualiter ac eminenter, & de hac satietate loquitur Scotus: & certum est materiam non posse hoc modo satiari, nisi habeat vel omnes formas simul, vel aliquam formam continentem formaliter, ac eminenter perfectiones aliarum formarum: & certum est etiam quod satiaretur habita vna tali forma sic, vt posset dici simpliciter de ipsa, quod non haberet carentiam vllius perfectionis, quã potest habere, quandoquidẽ haberet omnes secundũ speciẽ vel formaliter, vel eminenter, quod sufficit vt simpliciter

dica

dicatur omnes habere,& hoc modo tantum vult Scotus, quod satiaretur materia per vnicam talem formam.

CONCLVSIO IV.

An vno appetitu materia appetat omnes formas.

115. *Vnico radicali & formali appetitu materia appetit non solum omnes formas eiusdem speciei, quas potest recipere, sed etiam omnes formas diuersæ speciei, si non possint dari materiæ diuersæ speciei, quarum aliquæ determinarentur ad has formas, ita vt nõ possint alias recipere, aliæ ad alias: si autẽ possint dari huiusmodi materiæ diuersæ speciei, tum non vno appetitu formali respicit omnes formas diuersæ speciei, sed diuersis formaliter appetitibus pro diuersitate formarum.* Hæc est conformis principiis Doctoris, quamuis videatur aliquibus Scotistis problematicus in 4. *d.* 11. *q.* 3. & quantum ad primam & secundam partem est communior contra *Fuentem art.* 4. quoad tertiam autem partem non solet proponi, credo quod negaretur à recentioribus ac *Thomistis*, & à *Mastrio* propter doctrinam quam habet *q.* 5. *a.* 3. obiectione prima ad tertium.

*Probatur prima pars primò*, quia si non respiceret omnes formas eiusdem speciei eodem appetitu radicali & formali, deberet habere tot appetitus actu sibi identificatos, quot sunt formæ tales possibiles & consequenter quandoquidem formæ tales possibiles sint infinitæ numero, deberent esse infiniti respectus aptitudinales in materia distincti formaliter, quod videtur inconueniens propter omnia illa principia, quibus probatur non dari de facto infinitum actu. Probatur sequela, quia omnis appetitus, quo materia appetit vllam formam, identificatur ipsi materiæ, & consequenter inexistit ipsi, dum ipsa existit, siue formæ, quas respicit, existant realiter siue non existant: neque enim respectus aptitudinalis dependet ab actuali existentia termini secundũ omnes.

115. *Probatur secundo*, quia non sunt multiplicandæ formalitates, nec respectus absque necessitate: sed nulla est necessitas multiplicandi appetitus formaliter ad multiplicationem formarum eiusdem speciei, nec vlla est ratio cur vnico formaliter appetitu non posset materia appetere omnes illas formas: ergo non habet plures appetitus formaliter distinctos; sed vnicum tantum formalem appetitum, & consequenter vnicum radicalem: quia potius multiplicari deberet formalis, quam radicalis appetitus, qui est de ipsamet essentia materiæ, & differentia constitutiua eius, ratione cuius pullulat appetitus formalis, qui est respectus aptitudinalis profluens ab essentia materiæ. Probatur minor: si esset aliqua necessitas multiplicandi respectus in materia, maxime quia posset intelligi cum respectu ad formam vnam, seu vt appetens vnam formam, sine eo quo intelligeretur cum respectu ad alias formas, seu vt appetens illas: sed hæc ratio non concludit quin eodem formaliter appetitu appetat omnes: ergo nulla est necessitas multiplicandi appetitus. Probatur minor, quia, vt diximus in disputatione de distinctione formali, potest vnica simplicissima formalitas intelligi cum ordine ad vnum quid, quin intelligatur cum ordine ad aliud, ad quod dicit ordinem.

*Confirmatur hoc*, quia secundum omnes eodem appetitu radicali, quæ est ipsa essentia materiæ, materia respicit omnes formas; sed ille appetitus radicalis potest intelligi, vt est principium appetitus formalis ad vnam formam, sine eo, quod intelligatur, vt est principium appetitus formalis ad aliam formam, & tamen non sunt plures appetitus radicales: ergo quamuis posset materia intelligi cum appetitu ad vnam formam sine eo, quod intelligeretur cum appetitu ad aliam formam, non debet dici quod habeat plures appetitus formales formaliter distinctos formalitate Scotistica ante omnem operationem intellectus, de qua loquor in conclusione, non de distinctione rationis ratiocinatæ aut ratiocinantis, neque enim curandum est an pluribus appetitibus ratione tantum distinctis appetat omnes formas; sed facile concedi potest, nec potest habere aliam difficultatem quam de nomine.

116. *Obiicies primo Scotum* 1. *d.* 1. *q.* 1. *n.* 6. vbi dicit tot esse appetitus materiæ ad formas, quot sunt formæ receptibiles in ipsa: ergo nostra cõclusio est cõtra Scotũ.

*Respondeo primo*, posse Scotum intelligi de appetitibus ad formas distinctæ speciei iuxta tertiam partem conclusionis.

*Respondeo secundò*, eum posse intelligi cum *Vigerio*, *Bargia* & *Mastrio* de appetitu proximo, quatenus inuoluit etiam dispositiones actuales, non de appetitu, qui est respectus identificatus materiæ; certum autem est, quod tot habeat dispositiones diuersas de facto materia, quot recipit formas diuersas.

*Respondeo tertiò*, eum intelligi optime de tot appetitibus distinctis ratione tantum, non à parte rei antecedenter ad omnem operationem intellectus.

*Obiicies secundò.* Relationes multiplicantur ad multiplicationem terminorum secundum doctrinam communem Scoti: ergo tot sunt appetitus in materia, quot sunt formæ receptibiles.

*Respondeo* distinguendo antecedens: relationes, quæ ita possunt respicere vnum terminum, vt non necessario debeant respicere alios terminos, concedo antecedens; quæ non possunt respicere vnum, quin necessario debeant respicere reliquos terminos, & quorum vnum nõ respiciunt prius quam reliquos, nego antecedens & cõsequentiam; quia materia æque primo respicit omnes huiusmodi formas; nec prius respicit vnam quàm alteram, vt est euidens.

*Obiicies tertio ex Fuente*: si esset vnus tantum appetitus in materia, satiaretur vnica forma, & non appeteret alias: ergo sunt plures, & consequenter tot, quot sunt formæ.

*Respondeo* negando antecedens, quia quandoquidem ille vnus respiceret alias formas, materia per illum appeteret etiam alias formas.

117. *Ex his probatur secunda pars conclusionis*, quia in tali casu non posset esset respectus materiæ ad formam vnius speciei, quin esset respectus ad omnes alias formas aliarum specierum: ergo non est necessitas pluificandi respectus illos formaliter.

*Confirmatur.* In tali casu eadem esset ratio multiplicandi respectus ad formas diuersæ speciei, ac ad formas eiusdem speciei: sed ad has non multiplicaretur: ergo nec ad illas.

*Probat Mastrius*, tum quia in homine sufficit vna inclinatio ad multos actus ridendi, in graui vna propensio ad multos descensus; tum quia in subiecto contrariorum receptiuo vna est potentia contrariorum: ergo vna erit potentia, & consequenter appetitus materiæ ad formas incompossibiles, & per consequens ad omnes. Tum quia si essent diuersæ potentiæ ac appetitus ad diuersas formas, possent omnes simul recipi.

Quæ probatio posset etiã adduci pro prima parte. *Sed certe non sufficit*, quia qui negaret conclusionem quoad has partes, negaret eandem inclinationem formaliter & hominis ad varios actus ridendi, & grauis ad varios descensus; & similiter negaret vnam formaliter potentiã ad formas contrarias, loquendo de potentia, quæ est respectus aptitudinalis, quo respiciuntur formæ; vnde hac probatione obscurũ per æque probatur. Deinde quãuis essent diuersi formaliter appetitus & potẽtiæ in materia, tamen formæ diuersæ non possent esse in ipsa propter incompatibilitatem realem ipsarum, incompatibilitas enim formarum attendi debet penes subiectum *quod* immediatum, quæ est ipsa materia, non penes ordinem istius subiecti ad illas formas, quæ est ratio sine qua non esset subiectum earum.

118. *Probatur tertia pars* conclusionis, quia signum præcipuum distinctionis formalis, antecedentis operationem intellectus est quod possit dari à parte rei aliquid sub vna consideratione, quin daretur sub alia consideratione, & hinc quia potest dari res à parte sub consideratione sensitiui, nimirum brutum, sine eo quod habeat rationem discursiui, colligimus quod in homine ratio discursiui distinguatur formaliter à ratione sensitiui: sed in

casu tertiæ partis posset dari à parte rei appetitus materiæ ad vnam formam, quin haberet annexum ordinem seu appetitum ad aliam formam: ergo in materia de facto existente ac respiciente per appetitum omnes formas, appetitus, quo respicit vnam, distinguitur formaliter ab appetitu quo respicit aliam.

*Confirmatur*: si idem formaliter appetitus respiceret omnes formas, impossibile est quod reperiretur à parte rei secundum eadem rationem formalem quin respiceret omnes: sed in casu conclusionis reperiretur appetitus vnius formæ, qui nō esset appetitus alterius formæ: ergo non eodem formaliter appetitu respiciūtur illæ formæ.

119 *Obiicies*: sequeretur quod in materia de facto essent infiniti respectus, quia sunt infinitæ formæ distinctæ speciei possibiles.

*Respondeo primò*, negando sequelam cum sua probatione, quia secundum Scotistas communiter datur status in speciebus, de quo suo loco.

*Respondeo secundò*, concedendo sequelam, & dico quod vel id non est inconueniens, vel si sit inconueniens, propter hoc ipsum inconueniens neganda est hypothesis huius partis conclusionis, nempe quod possint dari materiæ diuersæ speciei sic, vt vna sit determinata ad formas aliquas, & alia ad alias. Nec mihi occurrit melior ratio ad probandum quod non possint dari materiæ distinctæ cum hac diuersitate, (quidquid sit an habere possent aliam diuersitatem specificam, de quo postea) quam hoc ipsum, nempe quod inde sequeretur quod in qualibet materia darentur infiniti respectus actu formaliter distincti.

*Dices*: hoc non sequeretur in sententia Scotistarum, qui ponunt statum in formis. *Contra primo*, quia saltem sequeretur in aliorum sententia. *Contra secundo*, quia quamuis ex principiis Scotistarum sequeretur status in formis distinctæ speciei habentibus inæqualitatem perfectionis, quia scilicet sequeretur quod daretur aliqua forma infinitæ perfectionis, tamē non sequeretur status in formis diuersæ speciei, quæ non haberent inæqualitatem perfectionis. Diximus autem in Logica possibiles esse species distinctas æqualis perfectionis.

## QVÆSTIO VIII.

### *De vnitate materiæ primæ.*

120. EXaminādū hic quomodo materia prima sit vna in omnibus rebus cōstantibus materia prima, an sit vna numero, vel vna specie, vel vna tam numero, quam specie. Tres autem sunt ordines rerum, in quibus considerari posset materia prima, primus ordo est corporum sublunarium omnium, scilicet quotquot continentur sub concauo Lunæ, de quibus nemo dubitat, quin constent materia, præter eos, qui ipsius materiæ existentiam vertunt in dubium. Secundus ordo est corporum cælestium, cælorum scilicet ac stellarum tam fixarum, quam errantium, de quibus valde dubitari posset an cōstent vlla materia; sed dubium hoc ad libros de Cælo remittendum censui, & modo supponendum quod materia constent, ac ex ista hypothesi discutienda præsens quæstio. Tertius ordo est substantiarum spiritualium, Angelorum scilicet ac animarum rationalium: quas substantias, quamuis probabilius ac communius sit carere omni materia, ac esse physice indiuisibiles, tamen non defuerunt plures viri doctissimi, qui oppositum censuerunt: vnde remittendo huius controuersiæ examē ad tractatum de Angelis, hic examinabimus, an ex hypothesi quod constarent materia, illa materia, qua constāt, sit eiusdem vel diuersæ rationis à materia sublunarium ac cælestium corporum: sententiarum diuersitas facile colligi poterit ex conclusionibus, quas propterea enumerare non placuit.

Materia prima sublunarium est eiusdem speciei, sed diuersa numero.

### CONCLVSIO I.

121. *Materia prima sublunarium omnium est eiusdem speciei, sed diuersa numero pro diuersitate corporum, in quibus simul inexistit, ita vt materia ligni sit diuersa numero à materia ignis simul existentis cum eodem ligno*; & dico *simul existentis* quia eadem numero materia, quæ est iam in vno corpore, posset esse postea in alio corpore. Hæc conclusio est communissima cum *Scoto* 4. *d.* 11. *q.* 3. *Suar. disput.* 15. *sect.* 3. *Auersa. q.* 20. *sect.* 2. *Amico tract.* 5. *q.* 8. qui reliquos authores citant.

*Probatur prima pars de vnitate specifica*, quia nullum est indicium aut fundamentum asserendi diuersitatem specificā harum materiarū, nisi quod inexistant corporibus distinctæ speciei, eaque essentialiter & physice constituant: sed hæc ratio nihil valet: ergo non est asserenda illa distinctio. Probatur minor, quia materia eadem numero, atque adeo eadem specie, quæ fuit in corpore ligni; postea reperitur in corpore ignis ex eodem ligno generati, ac diuersæ speciei ab illo: ergo inexistentia materiæ in diuersis specie corporibus non arguit diuersitatem specificam eius.

*Confirmatur*, quia nullum est corpus sublunare, quod non possit corrumpi, & ex eo generari aliud corpus distinctæ rationis: ergo non est vlla materia sublunaris ita determinata ad aliquam formam recipiendam, aut aliquod compositum constituendum, quin possit esse sub alia specie forma, & constituere aliud specie compositum: ergo nulla materia sublunaris distinguitur specie ab alia materia sublunari.

122. *Probatur secunda pars de vnitate numerica*, quia si naturaliter eadem numero materia posset esse in diuersis locis, & sub diuersis formis non subordinatis, ac cōstituere simul diuersa specie composita, verbi gratia lignum & ignem, non esset necessarium, vt ad productionem ignis ex materia ligni corrumperetur forma ligni, & ipsum lignum, vt patet: sed non potest generari vna substantia ex alia, quin illa alia destruatur: ergo non potest id fieri naturaliter, & consequenter tot sunt materiæ numero distinctæ, quot simul existunt corpora distincta numero.

*Confirmatur*, quia quidquid probat distinctionem numericam aliarum rerum eiusdem speciei, probat etiam distinctionem numericam materiarum inexistentium in diuersis corporibus simul existentibus: ergo distinguuntur numero. Nec contra hoc est, quod materiæ omnes continuarentur, aut quod sint talis naturæ: vt si separarentur à formis, continuarentur inter se, ac consequenter, vel actu faciunt, vel facerent, separatis formis, vnam numero materiam totalem. Tum quia quamuis, si omnes partes aquæ continuarentur, facerent vnam numero totalem aquam vnitate integritatis; verumtamen est, quod vna pars aquæ distinguatur numero ab alia parte, tum quia non loquimur in conclusione de vnitate integritatis & continuationis, sed de vnitate numerica metaphysica, qualem habet quælibet res singularis, quæ destrui potest manente altera re, ad quam comparatur, aut conseruari, destructa illa altera re.

123. *Obiicies primò*: secundum Philosophum in genito & corrupto, licet sit eadem numero materia, non tamen eadem specie: ergo multiplicatur specie materia, in sublunaribus.

*Respondeo* explicando mentem Philosophi per distinctionem antecedentis: non est eadem specie vnitate specifica intrinseca ipsius materiæ, nego antecedens, quia implicat esse aliquid idem numero, & non esse idem specie; hoc modo non est eadem specie vnitate specifica extrinseca ipsius compositi resultantis ex ipsa, concedo antecedens, & nego consequentiam. Sensus ergo Philosophi est, quod licet materia geniti & corrupti sit eadē numero, non tamen constituit eandem speciem in genito & corrupto, quia genitum est semper diuersæ speciei à corrupto, ex quo gignitur; neque enim ex indiuiduo vnius speciei generatur vnquam, naturaliter loquendo, aliud indiuiduum eiusdem speciei, saltem immediate.

124. *Obiicies secundò*, potentiæ distinguuntur specie, quando actus distinguuntur specie: sed formæ substantiales sublunares sunt actus materiarum sublunarium, & distinguuntur specie, & materiæ illæ sunt potentiæ respectu earum: ergo distinguuntur specie.

*Respondeo* distinguendo maiorem: ita vt vna species, ac

nume

ac numero potentia non possit respicere actus diuersæ speciei, nego maiorem, aliàs eadem specie, ac numero voluntas non posset habere volutionem & nolitionem, nec idem intellectus assensum & dissensum, nec eadem quantitas albedinem ac nigredinem, calorem ac frigus; nec vniuersaliter darentur formæ contrariæ expellentes se inuicem ab eodem subiecto: ita vt sensus sit, quod quando sunt aliquæ potentiæ, quæ respiciunt aliquos actus determinatæ speciei; quos aliæ potentiæ respicere nequeant, sicut oculus respicit calores, quos auris nequit respicere, istæ potentiæ per ordinem ad istos actus distinguantur specie, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia nulla materia sublunaris respicit vllas formas, quas quæcunque alia materia sublunaris non possit æquè bene respicere, vnde per ordinem ad illas formas nequeunt distingui specie.

## CONCLVSIO II.

Materia cælestis non distinguitur specie à sublunari.

125 *Materia corporum cælestium, (si detur) non distinguitur specie à sublunari.* Hæc est Doctoris 2. *dist.* 14. *quæst.* 1. cum suis. *D. Bonau.* 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. *Molinæ* in opere sex dierum, & aliorum multorum, quos citant ac sequuntur *Conimbricen.* 1. *de cælo c.* 2. *quæst.* 6. *art.* 1. contra *D. Thom.* 1. *par. quæst.* 66. *art.* 1. cum suis, quos sequuntur *Suar. disp.* 13. *met. sect.* 11. *Auersa quæst.* 33. *sect.* 6. *ac alij. Probat Mastrius*, quia forma cæli non satiat totum appetitum materiæ, cum non contineat omnem perfectionem aliarum formarum sublunarium, non enim continet perfectionem animæ rationalis: ergo relinquit appetitum in materia ad formas sublunares, & consequenter est eiusdem rationis cum materia sublunarium.

*Hæc probatio* supponit, quod esset probandum, nimirum quod in materia cæli ex se sit appetitus ad formas sublunares, quod negant aduersarii. Itaque quantumuis non expleat forma cæli totam capacitatem materiæ cælestis, ac propterea posset habere alias formas, tamen non sequitur quod possit habere alias formas sublunares, aut tales, quas potest recipere materia sublunaris.

126 *Probari potest secundo*, quia non potest ostendi quid peculiare posset competere materiæ primæ physicæ vni, quod non competeret cuicunque alteri: cum enim quælibet materia physica prima sit potentia physica pura, & quælibet forma substantialis sit actus physicus correspondens potentiæ physicæ, videtur quod quælibet materia posset coniungi cum qualibet forma physica, & consequenter, quod materia sublunaris posset ex se cõiungi cum forma cælesti, & materia cælestis cum forma sublunari; atque adeo quod nullæ materiæ primæ possint inter se specie distingui.

*Confirmatur*, quia ex ratione materiæ primæ vt sic, habet materia prima sublunaris posse coniungi cum formis, cum quibus potest coniungi: sed materia cælestis habet rationem materiæ primæ, vt sic: ergo potest coniungi cum iisdem formis.

*Ad hanc probationem posset dici*, quod vna materia, nempe sublunaris, determinaretur ex natura sua intrinseca ad certas formas, ita vt non posset coniungi ac facere vnum per se cũ aliis formis, sicut corpus hominis determinatur ad animas rationales, & quod alia materia, nempe cælestis determinaretur ex natura sua intrinseca ad alias formas, nimirum cælestes, ita vt non posset vllam sublunarem recipere ac facere cum ipsa vnum per se; hoc autem supposito, sine dubio distinguerentur specie.

*Ad confirmationem* etiam responderi posset negando maiorem, & dicendo, quod ex ratione materiæ primæ, vt sic, habet posse recipere aliquam formam; ex ratione vero materiæ primæ talis habet recipere tales ac tales formas; vnde cum materia cælestis non habeat rationem talis materiæ, nempe sublunaris in sententia aduersariorum, non debet posse recipere formas receptibiles à materia sublunari; & cum hæc non habeat rationem particularem materiæ celestis, non debet posse recipere formas cælestes.

127. *Nihilominus*, quamuis propter hanc responsionem difficulter possit ostendi repugnantia in diuersitate specifica materiarum cælestium & sublunariũ, nisi ostendatur de facto, quod materia sublunaris determinet sibi solas formas sublunares, & materia cælestis determinet sibi solas formas cælestes, non debet asseri; patebit autem ex dicendis, quod id ostendi non possit.

*Deinde* quandoquidem materia prima sublunaris possit coniungi, & facere vnum per se cum anima rationali, quæ est perfectior forma quacunque cælesti, & cum formis imperfectioribus, quam sint formæ cælestes, videtur etiam coniungi posse ex se cum forma cælesti, atque adeo non determinare sibi formas sublunares tantũmodo; & quandoquidem materia sublunaris, quæ non asseritur ab aduersariis perfectior materia cælesti, possit facere vnum per se cum anima rationali, videtur etiam, quod materia cælestis possit facere vnum per se cum illa: & sane alias ex hoc capite posset colligi, quod materia sublunaris esset perfectior, quam materia cælestis, contra aduersarios, nam materia ex natura sua susceptiua formæ perfectioris est perfectior, vt patet.

128. *Præterea*, non potest assignari aliquid particulare in forma cælesti, ratione cuius determinaret sibi aliquam materiam particularem sic, vt non sufficeret ipsi quæcunque materia prima corporea: ergo materia prima sublunaris posset ipsam sustentare, ac facere cum ipsa vnum per se non minus, quam cælestis.

*Confirmatur* particulariter contra *Suarium*, quia secundum ipsum repugnat multiplicatio specifica in materiis sublunaribus: ergo etiam in quibuscunque materiis. Probatur consequentia, quia quemadmodum dici potest quod materia cælestis determinat sibi formas solas cælestes, ac sublunaris materia formas sublunares, ita sane potest dici, quod materia aliqua sublunaris possibilis determinaret sibi formas aliquas sublunares, atq; adeo esset diuersæ speciei ab alia materia sublunari possibili, quæ similiter posset sibi determinare alias formas sublunares: ergo si hoc dici nequit, neque illud etiam dici poterit. Nec refert quod formæ omnes sublunares conueniãt in ratione formæ amissibilis, aut corruptibilis; inde enim non sequitur, quod quæcunque materia correspõdens vni debeat esse correspondens alteri: nam sicut non obstante, quod formæ omnes tam sublunares, quam cælestes conueniunt in ratione formæ physicæ, vt sic, hoc non obstante secundum ipsum possunt dari plures materiæ, quarum vna determinat sibi cælestes propter rationem particularem suam, & istiusmodi formarum, ac alia sublunares: ita non obstante conuenientia formarum sublunarium omnium in ratione formæ amissibilis, aut corruptibilis, aut quacunque alia, possent tamen dari plures materiæ sublunares, quarum vna ex natura sua intrinseca determinaretur ad aliquas formas, & alia ad alias propter diuersitatem illarum formarum secundũ rationes particulares; quod si hoc nequit fieri, nec illud fieri poterit. Vnde consequentius multo tenet *Auersa* possibilitatem materiarum sublunarium diuersæ speciei ex suppositione quod materia cælestis & sublunaris sint, aut possint esse diuersæ speciei.

129. *Hinc probatur tertio conclusio*, quia si materia cælestis esset distinctæ speciei à sublunaribus, maxime quia determinaret sibi formas cælestes, nec posset coniungi cum formis sublunaribus: sed hoc dici nequit: ergo non distinguitur. Probatur minor, quia si posset dari aliqua materia determinata ad aliquas formas, sequeretur, quod tot essent materiæ distinctæ speciei possibiles, quot sunt formæ: quia quemadmodum materia Solis est determinata ad formam Solis, ita posset dari materia alia, quæ esset determinata ad formam lapidis, & alia ad formam ignis, & ita de cæteris formis: sed hoc est inconueniens, quia, vt dixi in fine quæstionis præcedentis, inde sequeretur, quod de facto darẽtur infiniti respectus aptitudinales, & infinitæ formalitates radicales ipsis correspondentes in materia prima de facto existente: sed hoc videtur inconueniens: ergo.

*Probatur quartò*, quia non dantur plures causę efficientes

tes primæ, nec plures causæ finales vltimæ : ergo nec plures materiæ primæ diuersæ rationis.

*Dices* : si ex vnitate causæ primæ,& finis vltimi colligi deberet vnitas materiæ primæ, quandoquidé non detur nisi vna numero causa prima, non deberet dari nisi vna numero materia prima, consequens est absurdum ex dictis conclusione præcedenti: ergo & antecedens,& consequenter non valet consequentia probationis.

130. *Contra*, quia licet non debeat esse omnimoda proportio inter materiam primam & causam primam, quantum ad vnitatem, tamen tanta debet poni proportio in hoc,quanta potest:sed potest poni proportio quãtum ad vnitatem specificam, licet non possit poni quantum ad numericam:ergo debet poni : & hoc est intentũ argumenti, quod propterea hoc modo facilius proponi potest:Tanta vnitas ponitur in causa prima & in fine vltimo,quanta potest poni : ergo tanta debet poni in materia prima;sed potest poni in materia vnitas specifica licet non posset poni numerica : ergo debet poni in illa vnitas specifica, licet non posset poni numerica.

*Dices secundò* : licet ponatur vna causa efficiens prima,non debet poni vna formalis prima:sed dantur plures specie distinctæ : ergo similiter debent poni plures materiæ.

*Respondeo*, negando consequentiam, & disparitas est,quod ad varietatem illam specificam corporum, quã certum est dari in vniuerso, necessaria sit varietas specifica formarum, non autem materiarum.

*Probari potest quinto conclusio argumento Theologico* desumpto ex authoritate *S. Augustini. de Genesi contra Manichæos cap.* 7. *& lib.* 12. *Confess. cap.* 20.& aliorum Patrum communiùs, qui asserunt cælum & terram facta esse ex eadem materia,& loquuntur sine dubio de eadé specie materia, non de eadem genere.

131. *Probatur conclusio* vltimo,& principaliter,quia nõ est vlla ratio, vnde colligatur distinctio specifica materiarum cælestis ac sublunaris:ergo gratis assereretur ipsarum distinctio, & contra vulgare principium,quod nõ sint multiplicanda entia sine necessitate:consequentiam omnes admittent.Probatur antecedens soluendo rationes,quas adferunt aduersarij. *Prima ergo ratio est*, quod cælum sit ab intrinseco incorruptibile, vt hic supponi debet; sed non esset sic incorruptibile, si constaret eadé specie materia cum sublunaribus:ergo:Probatur minor, quia materia sublunarium est radix corruptionis eorum ob appetitum suum ad diuersas formas: ergo si similis detur in cælestibus corporibus, debent esse corruptibilia ab intrinseco non minus, quam sublunaria.

Prima ratio aduersariorum.

*Confirmant primò*,quia ex incorruptibilitate intrinseca cæli debet materia ipsius esse determinata ad vnam formam, & consequenter distinctæ speciei à materia sublunari, quæ non est sic determinata.

*Confirmant secundò*, quia ideo sublunaria sunt corruptibilia, quia includunt materiam primam non determinatam ad certam formam, sed appetentem varias formas:ergo si cælum includit talem materiam,non erit incorruptibile ab intrinseco.

132. *Contra hoc fundamentum*, in primis facit, quod vel loquantur de incorruptibilitate simpliciter in ordine ad quodcumque agens, etiam Deum, vel de incorruptibilitate in ordine ad causas secundas ac ad Deum, vt est author naturæ, ac agens secundum potentiam ordinariam.Si de prima incorruptibilitate loquuntur,maior est manifeste falsa, nam certum est Deum posse dissoluere partes physicas, quibus supponimus constare cælum auferendo ipsarum vnionem, & consequenter extra dubium est,eum posse corrumpere cælum,& aliud cælum ex materia ipsius generare, vniendo cum materia ipsius aliam formam, saltem eiusdem rationis cum forma corrupta; nihil autem aliud, quam hoc requiritur ad proprie dictam corruptionem cæli.

Cælum posset esse incorruptibile, non obstante ma.

Quod si loquantur de secũda incorruptibilitate in ordine ad causas secundas & Deum, vt agit secundum potentiam ordinariã, minor est falsa, nam bene posset esse sic incorruptibile, quamuis constaret materia eiusdem speciei cum sublunaribus. Nam si Deus produxisset aliquam substantiã corpoream sublunarem talis rationis, vt exigeret cónaturaliter pro qualitatibus conseruatiuis aliquas, quibus non darentur aliæ qualitates contrariæ producibiles ab vlla causa secunda, nec à Deo saltem vt agit secundum potentiam ordinariam;illud corpus non posset destrui, aut corrumpi ab vlla causa secunda, nec à Deo, vt sic agente, quia nulla causa secunda de facto, nec Deus vt agit ordinarie,destruit aliquam substantiã, nisi expellendo qualitates conseruatiuas eius per qualitates ipsis contrarias:ergo non posset causa secunda destruere tale corpus, & consequenter esset incorruptibile ab intrinseco in ordine ad causas secundas ac ad Deũ, vt agit de potentia ordinaria, non obstante,quod constaret materia sublunari. Quod autem Deus posset huiusmodi substantiam aliquam producere, negari non potest, cum in hoc nulla sit prorsus implicantia. teria sub- lenari.

133. *Confirmatur hoc*,quia non obstante, quod sublunaria constent materia eiusdem rationis, sunt tamen aliqua ex illis facilius, aliqua difficilius corruptibilia per causas secundas,& illa diuersitas prouenit ex natura particulari eorum desumpta à forma particulari, quam habent,tanquam à radice; ergo non obstante, quod constarent simili materia, nihil impedit quo minus posset aliquod ex illis esse talis naturæ, vt nullo modo posset destrui per causas secundas, propter naturam suam particularem desumptam à sua forma particulari.

*Confirmatur secundò* : ex natura particulari substantiæ cæli oritur,quod quantitas eius, licet sit eiusdem rationis cum quantitate sublunariũ, non sit capax recipiendi à causis secundis calorem,vt aduersarii supponunt, quãuis possit recipere calorem, dum existit in sublunaribus: ergo ex natura particulari cæli posset accidere,vt materia eius non esset capax vllius formæ producibilis à causis secundis,& cõsequenter,vt cælũ esset incorruptibile ab intrinseco in ordine ad causas secũdas,quamuis materia eius esset eiusdem rationis cum materia sublunarium.

*Deinde*,licet cælum sit de facto incorruptibile per vllas causas secundas de facto existentes,non est adeo certum, quin possit Deus producere aliquam causam secũdam,quæ ipsum posset destruere;vnde posset negari maior, loquendo etiam de secunda incorruptibilitate. Nec refert, quod cælum dicatur simpliciter incorruptibile: hoc enim simpliciter posset intelligi quantum ad causas secundas de facto productas, aut producendas.

134. *Ex his respondeo* in forma ad prædictum fundamentum, distinguendo maiorem:cælum est incorruptibile in ordine ad potentiam absolutam, aut in ordine ad causas omnes secundas, comprehendendo possibiles non futuras,nego maiorem; in ordine ad causas secundas existentes,aut futuras, concedo maiorem, & nego minorem cum consequentia suæ probationis.

*Ad primam confirmationem* distinguo antecedens : ex natura ipsius materiæ,quasi illa ex se non posset coniungi cum aliis formis, nego antecedens; ex natura formę cælestis, seu ex defectu virtutis in causis secundis, qua possit expelli forma cælestis à materia cæli, concedo antecedens,& nego consequentiam.

*Ad secundam confirmationem*, distinguo antecedens: non determinatam, neque ex se, neque ex natura formæ,aut defectu virtutis expulsiuæ in causis secundis,cõcedo antecedens; non determinatam ex se præcise,nego antecedens & consequentiam. Alia aduersariorum fundamenta consistunt in sequentibus obiectionibus.

135. *Obiicies primo* Philosophum qui *lib.* 1. *de generat. tex.* 43. 53. 54. *&* 87. dicit, ea, quæ habent communem materiam inter se inuicem agere, & pati posse;sed cælestia & sublunaria non possunt inter se inuicem agere & pati, cæli enim non patiuntur à sublunaribus,sed agunt in illa, ergo non habent communem materiam.

*Deinde* 12. *met.* expresse asserit materiam cæli esse diuersæ rationis à sublunari : & hoc idem voluit, quando dixit,quod corruptibile,& incorruptibile distinguantur genere;intellexit enim per genus,genus physicum quod est materia.

*Respon-*

*Respondeo* omitendo diligentius examen locorum citatorũ, quæ bene considerata in ipso Philosopho inuenirentur meo iudicio non esse ad propositum: sed relinquendo hoc, inquam, respondeo quod Philosophus solum vult materiam cælestem esse diuersæ rationis, hoc est status ac conditionis non ex natura sua intrinseca, sed ex conditione formæ, quod non facit ad rem. Quam responsionem dedit *Gianinus*, & non sufficienter impugnat *Auersa* dicendo quod si materia cælestis esset diuersæ rationis & status ex conditione formæ, tum vna materia sublunaris posset dici esse diuersæ rationis à materia sublunari, quia diuersam habet formam. *Respondeo* enim mentem Philosophi, & intentum responsionis prædictæ esse, non quod materia cælestis sit diuersæ rationis quomodocumque; sed quantum ad non patiendum ab iis, in quæ agit, quam diuersitatem habet à forma cælesti, & nulla materia sublunaris habet similem conditionem, licet vna materia sublunaris habeat ex forma aliquam differentiã in patiendo ab alia materia, quia difficilius mutari potest motu generationis vna materia sublunaris, quam alia materia. Adde hic non tam defendere nos cõclusionem ex authoritate, quam ex ratione.

136. *Obijcies secundo.* Posset dari in cælis materia diuersæ rationis à sublunari, & determinata ad vnam formã in specie, & si daretur, incorruptibilitas cæli ab intrinseco sic facilius saluaretur, & daretur ratio cur non posset à causa secunda corrumpi: ergo ita dicendum est.

*Respondeo primo*, quod facilius ostenderetur incorruptibilitas cæli etiam in ordine ad diuinam potentiam, dicendo cælum esse corpus simplex, & tamen id non debet asseri, nisi sit aliqua ratio id concludens: ergo similiter in proposito discurrendum, & negari potest consequentia.

*Respondeo secundo* negando antecedens, pro secunda parte, quia non facilius assignatur ratio, cur non possit corrumpi cælum à causa secunda dicendo, quod materia ipsius sit determinata ad vnam formam, quam dicendo, quod qualitates conseruatiuæ eius non habeant qualitates contrarias, & consequenter quod expelli nequeant à causis secundis; quia hæ non sunt natæ expellere qualitates, nisi per introductionem qualitatum contrariarum.

137. *Obijcies tertio.* Nisi materia cælestis esset determinata ad certam formam, vnum corpus cæleste posset producere corpus sibi simile ex materia alterius cæli; & nisi forma cælestis esset determinata ad materiam talem, posset produci forma cælestis in materia sublunari: ergo materia cælestis est determinata ad formam vnam tantũ, & forma cælestis ad materiam cælestem, ac consequenter hæc erit diuersæ rationis à sublunari.

*Respondeo* negando antecedens pro vtraque parte, quia non est necesse vt cælestia corpora habeant virtutem productiuam sui similium.

*Obijcies quarto.* Frustra esset potentia & appetitus in materia cæli ad alias formas, quandoquidem nunquam possit naturaliter coniungi cum aliis formis: ergo non est in ea talis appetitus, & consequenter est determinata ad formam illam, quam habet, atque adeo est diuersæ speciei à materia sublunari.

*Confirmatur*, quia Deus posset in cælis producere materiam distinctam à materia sublunari, quæ scilicet esset determinata ad formas cæli, & non posset poni sub formis sublunaribus: ergo quandoquidem de facto nunquam sit ponenda materia cæli sub forma sublunari, probabilius est quod produxerit de facto in illis talem materiam, quàm materiam indifferentem ad formas etiam sublunares. Propter hanc confirmationem dicit *Arriaga disp. 2. num. 168.* forte probabilius esse quod materia cæli sit diuersæ speciei, quamuis idem author *num. 167.* absolute dicat id non posse certo definiri.

138. *Respondeo* negando antecedens, ad cuius probationem dico, quod imprimis posset reduci ad actum naturalissime, quantum est ex parte materiæ, & simpliciter quantum ad potentiam absolutam, non solum per Deũ, sed forte etiam per aliquam causam secundam possibilem.

*Deinde* non est frustranea potentia in aliqua specie, licet in aliquo indiuiduo non posset reduci ad actum, modo in aliis indiuiduis possit sic reduci: sic non est frustranea potentia ascendendi ad cælum Lunæ in igne nostro vulgari, qui tamen naturaliter nunquam eo potest transire, quia alius ignis ibi reperitur vt communiter supponitur, & bonum esset nostro igni esse ibi: sic etiam non esset frustranea potentia & appetitus in materia lapidis ad formam auri, licet non posset naturaliter acquirere formã auri, quia sufficit quod alia similis materia posset eam acquirere; & quod ipsa per illam perficeretur, si cõiungeretur cum ipsa: sic etiam demum non frustra est potentia, & appetitus in materia ad formam corruptam, licet nullum agens naturale posset restituere formam illam corruptam. Et si quæratur ad quid deseruiat ille appetitus? Respondeo ad hoc, quod materia cœli perfici possit aliis formis, si coniungerentur cum illa.

*Ad confirmationem respondeo* negando consequentiam propter fundamentum nostræ cõclusionis, & præsertim, quia non sunt multiplicãda entia sine necessitate: hic autẽ nulla est necessitas ponendi materiam distinctã in cœlis.

## CONCLVSIO III.

Materia angeli esset distinctæ rationis à materia sublunari.

139 *Si Angeli essent physice compositi ex materia & forma, & adhuc essent spirituales substantia, quales modo sunt, nimirum indiuisibiles integraliter, & incapaces quantitatis, materia ipsorum esset diuersa speciei à materia sublunari ac cælesti.* Hęc est communis, & patet manifeste; quia materia qua constat Angelus, debet esse indiuisibilis entitatiue; alias ipsemet Angelus non esset indiuisibilis: ergo est distinctæ speciei à materia sublunari ac cælesti, quæ est diuisibilis entitatiue ex natura sua intrinseca: quod enim ex natura sua intrinseca includit partes entitatiuas, distinguitur sine dubio specie ab eo quod non includit tales partes. Hæc probatio mihi conuincit conclusionem ex suppositione sententiæ communioris & Scoti, quæ tenet distinctionem partium entitatiuarum substantiæ non prouenire formaliter à quantitate, sed omnem substantiam capacem quantitatis habere suas partes entitatiuas ex se. In opposita vero sententia non sufficeret, quia responderi posset materiam ex se non esse diuisibilem formaliter in partes entitatiuas, sed habere illam diuisibilitatem, & extensionem à quantitate; vnde quia in Angelis non habet quantitatem, & in corporibus habet quantitatem, propterea in his est diuisibilis, in illis non est: nec hæc responsio impugnari melius potest, quam per principia, quibus probatum est in Logica, substantias non habere à quantitate suas partes entitatiuas, sed à seipsis.

140 *Probari potest secundo* conclusio, quia materia Angeli est spiritualis, & materia corporum est corporea, ergo distinguuntur specie necessario.

*Dices* materiam Angeli secundum se non esse spiritualem, nec corpoream, sed materiam secundum se abstrahere ab vtraque illa ratione, & reddi spiritualem per formam Angeli, ac corporalem per formam corporis.

*Contra*, quia si poneretur à parte rei absque vlla forma, deberet esse vel spiritualis, vel corporea: videtur enim quod ens vt sic adæquate diuidatur in spirituale & corporeum, sic vt nullum ens reale detur à parte rei, quod non sit vel spirituale vel corporeum: ergo materia realiter existens secundum se non potest abstrahere à spiritualitate, & corporeitate.

*Confirmatur*, quia materia secundũ se existens absque vlla forma, vel debet habere partes integrales, vel debet carere talibus partibus; si careat talibus partibus (quandoquidem non sit indiuisibile continuatiuum aut terminatiuum aliarum partium, vt sunt indiuisibilia, quæ dicuntur esse in continuo) est spiritualis, quia in hoc videtur cõsistere ratio substantię spiritualis. Si habeat partes entitatiuas, ergo est substantia corporea, quia in hoc videtur consistere ratio substantię corporeæ: ergo non abstrahit ab alterutra ex illis rationibus. Verum quia hæc probatio dependet à conceptu substantię spiritualis, &

cor

corporeæ,qui non est tã obuias & facilis, ac videri posset, nolo in ea examinanda vlterius hærere,& sistendum suadeo in prima probatione, quæ magis est realis, & minus intricata,minusq;dependens à quæstione de nomine.

141. Fundamentum oppositæ sententiæ esse potest quod vel repugnent materiæ primæ diuersæ rationis,vel saltem de facto non dentur: ergo materia spiritualium non est diuersæ rationis à materia corporalium.

*Respondeo primo*: si verum sit antecedens, inde sequi vel quod repugnet etiam materia in spiritualibus, vel eam de facto in illis non dari, & consequenter si supponatur esse in illis, sequetur eam esse,& non esse eiusdem rationis cum materia corporum.

*Respondeo secundo*, negando antecedens pro vtraque parte, si detur materia in spiritualibus, vt supponitur ab aduersariis; absolute autem concedo antecedens, & distinguo consequens:non est distinctæ rationis ex vno capite,concedo;ex alio nego consequentiam.Itaq; vt dixi, ex hypothesi antecedentis esset, & non esset distinctæ rationis. Ceteræ difficultates,quæ moueri solent de materia prima, vt an sit de essentia corporum; an sit subiectum inhæsionis quantitatis ac qualitatum; an vllæ, & quænam formæ ex ipsius potentia educuntur; duabus sequentibus disputationibus tractabuntur.

Materia habet actiuitatem ad suarum proprietatum emanationem.

*Quæres*: An materia sit actiua.

142. Pro complemento huius disputationis hoc dubiũ videbatur proponendum. Ad quod breuiter *respondeo*,quod sine controuersia habeat actiuitatem sufficientem ad hoc,vt suæ propriæ passiones emanent ac fluant ab ipsa, siue sint realiter distinctæ ab ipsa, vt tenere solent Thomistæ, siue realiter ipsi identificatæ,vt asserunt Scotistæ,cuius ratio est illa ipsa, qua probari potest de vlla re quod habeat talem actiuitatem. Et hinc sequitur quod quantitas,si sit proprietas physica materiæ in ipsa subiectata,& ab ea inseparabilis, producatur effectiue à materia non secus ac calor producitur ab igne.

*Deinde* certum est quod habeat virtutem sufficientẽ vt pullulent ab ipsa relationes accidentales intrinsecus aduenientes, similitudinis verbi gratia ac dissimilitudinis,& aliæ tales: est enim materia vna similis alteri materiæ,& dissimilis formæ, & hoc tam necessario, modo existat alia materia, & alia forma, vt nec de potentia absoluta possit impediri, quin sit sic dissimilis ac similis, & consequenter quin emanent illæ relationes, si tamen ab vllis rebus emanant tales, de quo in Logica.

Item ad producendas species.

*Rursus*, gratissime negaretur quin possit mouere intentionaliter intellectum non alligatum sensibus ad cognitionem intuitiuam sui tam bene, quàm forma aut accidens vllum, & hoc vel concurrendo immediate cum intellectu in genere causæ efficientis,vel producẽdo speciem intelligibilem impressam in ipso, quæ immediate ipsum determinet. Ex quo sequitur quod materia non sit omnino ita passiua, vt non sit vllo modo actiua.

Item ad operationes physicas.

143. *Denique*, mihi videtur quod concurrat etiam actiue cum forma physica ad operationes physicas competentes per se ipsi toti;neque enim ipsa forma substantialis videtur mihi tota ratio agendi etiam actione physica, quidquid dicant communiter authores. Ratio autem mea est,quod forma sola non sufficiat absque materia, quemadmodum nec materia sola absque forma; & quod non videam vllam rationem, cur materia non haberet aliquam actiuitatem particularem circa tales actiones,quemadmodum forma habet, licet hæc haberet perfectiorem actiuitatem.

*Confirmatur*, quia ipsum compositum est quod agit: sed secundum aduersarios omnes,præter Scotistas, compositum non distinguitur à materia & forma vnitis: ergo materia etiam agit partialiter tali actione:& quamuis secundum Scotistas totum distinguatur à partibus vnitis tamen per se primo æquè includit vtramque partem:ergo sicut dicitur forma inclusa in ipso concurrere, materia etiam, quæ non minus includitur, debet dici per se concurrere.

144. *Obiicies* axioma vulgare,quod formæ sit agere,& materiæ pati. *Respondeo* optimum sensum huius posse esse quod passiones omnes, quæ competunt toti,ac tendunt in eius destructionem, competant ipsi,non ratione formæ,quæ non inclinatur ad destructionem sui, & consequenter auertitur ab illis mutationibus corruptiuis;sed competant ipsi ratione materiæ: quantum ad hoc, quod materia etiam inclinetur ad illas, sicut inclinatur ad formas,ad quarum introductionem tendunt: Actiones autem,quæ competunt totiin ordine tum ad conseruationẽ sui tum ad generationem aliarum rerum, competant ipsi ratione formæ, quantum ad hoc, quod determinatio earum sit refundenda in formam: quamuis enim materia ad illas concurrat; tamen quia materia est ex se indifferens ad illas ac quascunque alias, si petatur ratio quare sint tales actiones potius quam aliæ, recurrendum est ad naturam particularem formæ. Itaque sicut licet intellectus concurrat actiue ad intellectiones quascumque, ratio tamen, cur hanc intellectionem potius quam illam habet, oritur ex specie vel obiecto:ita licet materia concurrat actiue ad illas operationes, ratio tamen cur has præ illis habet,est quod habeat talem formam: & in hoc sensu dicitur formæ esse agere, hoc est formæ esse determinare ad actiones quascumque in particulari, & hinc etiam desumi potest optima ratio cur forma compleat materiam ac perficiat ipsam. Vnde etiam posset dici quod forma sit tota ratio agendi, id est tota ratio agẽdi hac determinata actione. Hinc quoque operationes arguunt formam: cum enim materia secundum se sit indifferens ad quascumque operationes tales, debet determinari ad has præ illis per formam, & consequenter ex eo quod videntur tales operationes particulares, optime colligitur adesse formam aliquam particularem, à qua originem ducunt.

Explicatur quomodo materia non sit actiua.

145. Nec refert, quod materia sit pura potentia passiua: hoc enim dicitur, quatenus non includit,tanquam partem sui, aliquam formam physicam. Nec refert etiam quod Philosophus dicat *secundo Physicorum* materiã, & efficientem non coincidere: hoc enim non potest sic intelligi,quasi idem realiter non possit esse efficiens respectu alicuius formæ, & materialis causa eiusdem, alias intellectus non posset producere intellectionem in se, nec graue mouere se deorsum, nec leue sursum, nec vniuersaliter idem mouere seipsum,quod postea ostendemus esse falsum.Sed si pro vero accipi debet, intelligendum est sic quod materia prima,& efficiens totale non possint coincidere:quod vltro concedendum, sed non præiudicat nostræ resolutioni, neque enim asserimus materiamcausam esse effectiuam totalem vllius operationis physicæ.

Quomodo materia & efficiens non coincidũt.

146. *Obiicies secundo ex Arriaga disp. 2. sect. 9.* quia effectiuitas materiæ non est necessaria ad illas operationes,forma enim caloris est sufficienter productiua alterius caloris absque concursu effectiuo materiæ, & idem est de formis substantialibus: ergo materia non est actiua in ordine ad formas aut actiones transeuntes.

*Respondeo* negando antecedens, & probationem pro secunda parte:quamuis enim calor sit productiuus alterius caloris absque concursu materiæ, vt patet tum experientia in accidentibus Eucharisticis;tum ratione,quia non facit ens per se cum suo subiecto aut materia, & propterea potest habere virtutem completam respectu formarum sibi similium; tamen forma substantialis non habet talem virtutem,& alias non video quomodo compleri posset per se à materia, aut quomodo cum materia possit facere vnum per se substantiale habeatque rationem actus per se respectu materiæ, & materia rationem potentiæ per se respectu formæ.

*Obiicies tertio*, ex eodem: Materia non continet formas substantiales: ergo non potest ad eas concurrere. *Respondeo*, in antecedenti peti principium manifeste; idem enim est continere formas illas, ac eas posse producere,vnde idem per idem probatur.Sed in forma,nego antecedens.

DISPVTATIO

# DISPVTATIO IV.

## DE FORMA SVBSTANTIALI.

1. MVLTIPLEX est forma, vna artificialis, altera naturalis; illa acquiritur per artē, hæc per natura, & diuiditur in subſtātialē, quæ est subſtantia, & accidentalē, quæ est accidēs. *Rursus* forma subſtātialis diuiditur in intrinsecā, quæ intrinsece cōponit subſtantiā, & extrinsecam, per quam intelligitur causa exemplaris, quæ intrinsece non componit subſtantiam, reſpectu cuius dicitur forma. *Denique* forma subſtantialis intrinseca est duplex, vna Metaphysica, quæ non distinguitur realiter à re, cuius est forma, aut si distinguitur, non est ratio distinguendi rem, cuius est forma, specifice aut essentialiter ab aliis rebus: quod addo propter existentiā; quæ quamuis esset distincta realiter, à re, esset tamē forma metaphysica ipsius. Alia Physica, quæ realiter distinguitur à re, cuius est forma, & constituit illam, seu facit cum illa rem essentialiter distinctam ab aliis rebus, vocaturque communiter forma informans, quia materiam quæ est altera pars compositi physici, intrinsece informat, & eam sic informando, constituit totum: & de hac forma; quia est vnum ex principiis corporis naturalis hic agitur.

Eam autem antiqui variis nominibus appellaure *Pythagoras* eam vocabat *vnum*, quod materiam, quæ communis est ad multas species, determinaret ad vnam; *Tymæus* apud Platonem, *mentem* propter similitudinem quam habet cum mente diuina, nam vt multiplex & mira rerum omnium materialium varietas à mente diuina efficienter, ita à forma prouenit formaliter, & hac etiam de causa vocabatur à Platonicis *diuina soboles*, *Plato* ipse nonnunquam *similitudines* & *effigies idearum* in mente diuina existentium, & nonnunquam etiam *vmbras*, quia non imitantur istas ideas nisi imperfectè, eo quod res in mente diuina perfectius esse habent, quàm in seipsis. *Aristoteles* aliquando *pulchrum*, quòd conferat rebus pulchritudinem; aliquando *optimum*, quòd ipsam maxime appeteret materia; aliquando *finem*, quia eam maxime intendunt agentia naturalia; aliquando *quidditatis rationem*, seu *quod quid est rei*, quod esset præcipua pars compositorum naturalium, & ratione cuius solummodo haberent inter se distinctionem specificam Alij *terminum*, quòd materiam ex se indeterminatam determinat ad certam speciem. Alii *characterem*, quod per eam cognoscatur differentia specifica compositorum. Alii *exemplar*, quod vt exemplar propositum artifici determinat ipsum ad certum opus, ita forma determinat agentia naturalia ad certas operationes.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit forma subſtantialis, & an detur.*

2. QVIA in hac quæstione nulla est controuersia inter Peripateticos, non erant enumerandæ sententiæ illæ, sed veritas ipsa simpliciter proponenda duabus conclusionibus.

### CONCLVSIO I.

Descriptio formæ subſtantialis.

*Bene describitur forma subſtantialis esse subſtantia incōpleta nata actuare materiam, faciendo cum ipsa vnum per se.* Hæc in re est communis, & patet, quia omni & soli conuenit, & declarat naturam formæ, vt distinguitur ab omni alia re. Dicitur *subſtantia incompleta*, vt distinguatur à toto composito completo, & accidentibus. Dicitur *nata actuare materiam*, vt distinguatur ab ipsa materia, cum qua conuenit in ratione subſtantiæ incompletæ. Dicitur *faciendo cum ipsa vnum per se*, vt ostendatur quid sit ista actuatio, nihil enim est aliud quam determinatio materiæ ad compositum constituendum.

### CONCLVSIO II.

3. *Dantur formæ subſtantiales.* Hæc est communissima cum Philosopho hîc contra quosdam antiquos, & eam etiam negare debent quotquot negant materiam primam: si enim hæc non detur, non dabitur forma ipsam actuans.

*Probari* solet communiter, quia alias non darentur composita subſtantialia: sed hoc est falsum, ergo. Hæc probatio non sufficit, nisi probetur minor, quæ ab aduersariis sine dubio negaretur.

*Probari posset secundò*, quia alias non darentur generationes subſtantiales: sed hoc est absurdum. Hæc etiam probatio similiter peccat ac præcedens, indiget enim probatione minoris, quam negarent aduersarij.

*Probatur tertiò*, quia datur materia, quæ est pura potentia, & appetens formam subſtantialem, vt probauimus disputatione præcedenti: ergo datur etiam forma subſtantialis perficiens ipsam. Hæc petit manifeste principium, quia supponit dari formàm subſtantialem: quia si forma non daretur, materia prima non daretur sub conceptu subſtantiæ incompletæ, & appetentis formam, nec disputatione præcedenti probatum est materiam primam dari sub tali conceptu, nisi supponendo quod darentur formæ subſtantiales, quod suppositum huc probandum remissum est, nec hic propterea supponi potest, sed probari. Probatum quidem est dari aliquod commune subiectum primum, quod sit in re producta de nouo & in re corrupta: sed illud habere rationem entis subſtantialiter incompleti, ac perfectibilis per aliam subſtantiam incompletam non tam est probatum quam suppositum, nec probari potest nisi probando dari formam; vnde non debet assumi tanquam principium ad probandum formam.

*Probatur quarto*, quia certum est experientia aliqua accidentia aliquibus rebus conuenire connaturaliter, & disconuenire aliis rebus: calor enim conuenit igni, & disconuenit aquæ, vt colligitur ex eo, quod non conueniat aquæ, nisi ab extrinseco agente, quo semoto reducit se ad pristinum frigus reiiciendo calorem; ergo debet esse in illis rebus aliquid, ratione cuius hoc accidat; cur enim esset disconueniens aquæ, quod non est disconueniens igni, nisi esset aliquid in aqua quod non est in igne? sed illud non est commune subiectum illud quod reperitur in aqua & igne, vt manifestum est, ergo debet esse aliquid aliud: sed illud aliud est, quod vocamus formā subſtantialē, ergo datur forma subſtantialis.

*Dices* illud aliud esse accidens, & non aliquid subſtantiale, quod probatur, quia est in materia prima seu communi illo subiecto, ac dependens etiam ab illo in esse & fieri, non minus quam accidens est in subiecto ergo est accidens non minus quam ipse calor, & consequenter non potest esse subſtantia nec completa, nec incompleta. Hæc est maxima huius rei difficultas.

5. *Respondent aliqui*, non esse accidens, quia licet sit in alio, non tamen est in alio per inhæsionem, sed per informationem.

*Et si quæratur*, cur non sit in alio per inhæsionem. *Respondent*, quia facit cum materia vnum per se, & quia est in per se potentia ad illud: quod autem est in alio per inhæsionem, non facit cum ipso vnum per se, nec ipsum est in per se potentia ad illud, & hinc accidentia non faciunt cum suis subiectis vnum per se.

*Contra*, quia ideo facit cum illo, in quo inest, vnum per se, nec est in ipso per inhæsionem, & subiectum est in per se potentia ad illud, quia est subſtantia incompleta: ergo antequam cognoscatur facere vnum per se cum illo subiecto, debet cognosci quod sit talis subſtantia; quod est id, quod modo examinari debet: vnde in hac etiam ratione petitur principium, quia supponitur id, quod est probandum.

*Alii respondent*, ideo illud non posse esse accidens, quia aduenit enti, quod est in potentia, & non actuatum per aliam formam, accidens autem aduenit enti actuato per aliam formam.

*Contra*, quia quantitas est accidens, & tamen secundum satis communem sententiam non aduenit enti actuato per aliam formam: ergo non est de ratione accidentis aduenire enti actuato alia forma.

*Deinde*, secundum Scotistas anima aduenit enti actuato per aliam formam, etiam substantialem, & tamen est substantialis: ergo non est de ratione formæ substantialis aduenire enti non actuato per aliam formam, & consequenter ex eo, quod aliqua forma adueniat enti actuato aliâ formâ, aut non actuato, non potest colligi, quod sit, vel non sit substantiale; Præterea vnde colligitur, quod illud, quod aduenit enti non actuato, non possit esse accidens & inhærere ipsi, quemadmodum intellectio, quæ aduenit Angelo, qui est ens non actuatum forma aliqua, inhæret ipsi, & est accidens?

7. *Auersa* dicit illud non esse accidens, quia respicitur à materia seu subiecto illo communi primario, & non vt aliquid ordinatum per se ad aliam formam, forma autem accidentalis respicitur à materia secundario, & tanquam aliquid ordinatum ad aliam formam.

*Contra*, quia forma corporeitatis, quæ præter animam est in viuentibus, ordinatur ad vlteriorem formã, nimirum ad animam, & tamen secundum veriorem Scotistarum sententiam est substantialis: ergo ordinatio illa non impedit substantialitatem.

*Deinde* vnde colligitur, quod aliquid existens in alio, & non ordinatum ad vlteriorem formam non sit accidens tam bene, quam alia accidentia, quæ ordinantur ad vlteriorem formam? quod enim sic ordinentur, vel non ordinentur, videtur esse impertinens ad accidentalitatem aut substantialitatem, nisi velimus hanc rem difficillimam reducere ad quæstionem de nomine.

*Dices* formas, quæ non sunt vlterius ordinabiles, esse altioris ordinis, atque adeo posse esse substantiales.

*Contra*, quia vel intelligitur per hoc, quod sint altioris ordinis ita, vt extrahantur extra genus accidentis, & hoc est petere manifeste principium: vel intelligitur esse altioris ordinis, id est perfectioris naturæ, & hoc non impediret quod essent accidentia. quia intra genus accidẽtis possunt esse, & sunt de facto alia aliis perfectiora.

*Confirmatur primo*, quia materia prima, quamuis sit ordinata ad aliam formam, & vlteriorem perfectionem, adhuc est substantialis: ergo ordinatio illa non impedit substantialitatem.

*Confirmatur secundo*, quia intellectio non videtur ordinata ad vlteriorem formam, & tamen est accidens.

*Dices* esse ordinatũ ad habitũ. *Contra*, quia prima apprehensio, & visio ocularis non est ordinata ad habitũ, & tamẽ sũt accidẽtia: ergo ordinatio illa nõ facit ad rẽ.

8. *Alii respondent* colligi, quod illud non sit accidens, quia non præsupponit aliam formam, ex cuius vi particulariter sequatur; omne autem accidens præsupponit in obiecto talem rationem.

*Contra*, quia relationes extrinsecùs aduenientes, Vbi, Situs, Quando, non præsupponunt in subiectis aliquam formam, ex qua sequantur; nec calor in aqua; & tamen sunt accidentia: ergo non præsuppositio talis formæ non arguit substantialitatem.

Cur forma quæ dicitur substãtialis non accidens.

9. *Melius ergo respondetur* formam substantialem esse illam, quæ non præsupponit aliquam aliam, ex qua sequatur. aut producatur, & est principiũ aliquarum aliarum formarum conseruatiuarum totius compositi conflati ex ipsa & subiecto in quo recipitur; vnde cum illud, ratione cuius conueniat aquæ frigus; & disconueniat ipsi calor, sit aliqua forma, quæ non sequatur ex forma præuia, & est principium aliquarum formarum consentanearum, ac conseruatiuarum totius compositi ex ipsa, & suo subiecto, propterea debet dici forma non accidentalis, sed substantialis: ex experientia autem præmissa in probatione constat dari huiusmodi, ergo constat dari formam substantialem.

*Et si quæratur*, vnde colligatur quod forma talis debeat esse substãtialis potius quã accidẽtialis, *Respõdeo*, id colligendum ex communi acceptione formæ substãtialis. Et hæc doctrina cõfirmari potest ex dictis in Logica disputatione de Accidenti vt sic, in prædicamẽtis.

10. *Probatur quinto conclusio*, quia certum est lignum & aquam substantialiter differre, ergo differunt in aliquo substantiali: sed non differunt in subiecto cõmuni, quod in vtroque reperitur, ergo in alio substantiali: sed illud aliud est forma substãtialis, ergo datur talis forma.

*Confirmatur*, quia differunt plus quam res alba & nigra: sed hæc differunt essentialiter in aliquo accidenti: ergo illa differunt in aliquo substantiali.

*Confirmatur secundo*: quando ex re alba fit nigra, aut ex calida frigida, non dicitur ipsa res alba aut calida destrui, & frigida ac nigra generari; nec dicitur aliam esse rem iam ab illa, quæ fuit ante: sed quando ex ligno fit ignis, dicitur destrui lignum, & ignis generari, & aliã esse rem ab illa, quæ fuit ante: sed ratio huius non potest esse alia quàm quod, quando ex re frigida fit calida, non destruatur aliquid substantiale, sed aliquid accidentale; quando vero ex ligno fit ignis destruatur aliquid substantiale: sed illud substantiale non est subiectum commune, ergo præter illud subiectũ commune datur aliud substantiale; illud autem est, quod vocamus formam substantialem: ergo datur forma substantialis.

*Confirmatur tertio*, quia certum est dari animam rationalem, quæ est forma substantialis, tum quia per se potest connaturaliter existere absque subiecto, quod non est verum de vllo accidenti; tum quia id definitum est in tertio Lateranensi Concilio sub *Leone X. sect.* 8. & *Clement. vnica de summa Trinitate*: ergo non solum datur forma substantialis, quæ est anima, sed aliæ formæ substantiales in cæteris rebus. Consequentia quoad primam partem est euidens. Probatur quoad secundam, quia aliàs cæteræ res per se existentes, v.g. lignum & lapis, essent entia incompleta substantialiter, constarent enim substantialiter sola materia prima, sed materia prima est substantia incompleta, aliàs non posset aduenire ipsi forma substantialis animæ.

11. *Arriaga disput. 3. sect. 1. num. 2.* putat hoc argumentum non esse efficax, quia dubitari posset an materia prima, quamuis sit quid incompletum; manere tamen possit absque suo complemento, quandoquidem anima ipsa rationalis, quamuis sit quid incompletũ, manet tamen absque suo complemento post mortem hominis. Sed argumentum tamen, hoc non obstante, habet vim, quia quidquid sit an manere possit vel maneat aliquando naturaliter materia absque forma; tamen absurdum est, quod esset incompleta in omnibus aliis rebus, & quod nõ nisi solo homine compleatur, & consequenter admittendum est dari alias formas substantiales præter animam rationalem, quod est intentum huius argumenti. Et sane quantum ad rationẽ naturalem eadem est ratio colligendi, quod materia compleatur in homine, per formam substantialem, & quod compleatur in aliis animantibus, etiam in aqua & igne per talem formam; vnde si ex fide hebetur quod sic compleatur in homine, argumẽto Theologico optimo colligi potest, quod similiter cõpleatur in aliis entibus.

12. Idem *num. 3.* opponit aliam difficultatem contra hãc cõfirmationẽ, nẽpe quod nõ sequeretur alias res esse substantialiter incõpletas, quamuis constarent sola materia prima, quia materia prima posset esse substantia completa, quamuis in homine cõpleretur vlterius per animã rationalem, quemadmodum Verbum diuinum, licet sit completum, potest tamen facere vnum per se cum natura humana, & in hoc sensu compleri per illã.

Circa quã difficultatẽ satis prolixè discurrit: sed facile respondetur, quidquid sit, vtrum substantia cõpleta posset vltetius cõpleri, constare materiam primã sicut non est sic cõpleta substantialiter in homine, vt sit tota substantia hominis; ita eam non esse sic cõpletã in aliis animãtibus ac substãtiis, vt sit tota substantia earũ, quia aliàs aliæ substantiæ nõ differrent substãtialiter, & quia

opera

operationes; & accidentia propria substantiarum non competunt ipsis ratione materiæ primæ, quæ est eiusdem rationis in illis: ergo sequeretur, quod si præter eam non darentur in aliis animantibus & substantiis aliæ formæ substantiales; quemadmodum aliæ dantur in homine, quod aliæ substantiæ non essent completæ substantiæ in ratione substantiarum particularium talium, quod est intentum argumenti.

Alia probatio Arriagæ examinatur

13. Idem *Arriaga* alio modo probat conclusionem *num.* 11. ex mysterio Eucharistiæ, quia constat ex fide totã substantiã panis perire, & manere accidentia ipsius: ergo nullũ accidens est pars substantialis ipsius, & consequẽter præter materiam primam datur aliqua forma substãtialis in pane. tum quia ipsa materia prima non est tota substantia panis, alias lapis esset panis; tum quia, quãdoquidem materia prima Christi manet sub accidentibus panis, sequeretur, quod maneret panis, si panis nihil aliud est quam materia prima cum talibus accidentibus.

Hæc probatio est bona probatio Theologica, si antecedens esset tam certum quoad secundam partem, nimirum quod accidentia omnia panis remaneant. Sed forte de hoc dubitari posset, & dici quod non constet alia accidentia ibi manere, præter accidentia sensibilia, præter quæ posset dici dari alia insensibilia, quæ essent principia illorum sensibilium, & quæ cum materia prima dicerentur panis: quod si ita esset, quamuis tota substantia panis periret, & ipse etiam panis, tamen non sequeretur panem cõstare forma substantiali, quia materia prima posset esse tota substantia panis, licet non esset vocanda panis, nisi habita forma accidentali illa insensibili.

Alia doctrina eiusdem.

14. Idem author *disp.* 4. *Met. sect.* 6. ait conceptum substantiæ, vt comprehendit omnem substantiam, esse quod intrinsece constituit primam rẽ: & per primam rẽ intelligit quod primo, & per se intenditur à natura, vel primo, & per se existit, vel quia est prima radix cæterorum, & hinc infert formas aliquas esse substantiales, quia dantur aliquæ formæ, quæ sunt primæ radices, ex quibus sequuntur aliæ formæ.

Si obiicias quod dispositiones ad formas substãtiales sint primæ radices illarum, cum tamen sint accidentia; respondeo eas non esse primas radices, tum quia illas nõ continent, tum quia formæ illæ substantiales non intenduntur propter dispositiones, sed è contra.

Impugnatur.

Hæc explicatio non placet vlla ratione, tum quia datur per disiunctionem, tum quia forma corporeitatis, quæ est in viuentibus cum anima, non esset substantialis, quandoquidem ordinetur ad animam, quod est absurdum; tum quia vbi sursum in graui non præsupponit vllam radicem in illo ad quod sequitur, neque ordinatur ad vllam aliam formam ex iis, quæ in graui reperiuntur, & tamen non est substantialis; & hinc manifeste impugnatur quod asserit idem author §. *Respondeo primo*, substantiam vt sic posse definiri esse quod non habet aliam sui priorem radicem.

Omitto aliam impugnationem, quam ipsemet proponit *num.* 38. & non bene soluit.

Fundamentum oppositæ sententiæ esset, quod non sit principium, vnde colligatur existentia formæ substantialis, nec differentia eius à forma accidentali; sed ex dictis constat hoc esse falsum.

## QVÆSTIO II.

### *An formæ educantur de potentia materiæ.*

Variæ sententiæ.

15. ALiqui existimauere formas substantiales, quæ de nouo producuntur in materia, præfuisse in eadẽ secundum se totas, sed latuisse tamen, & per actionem causarum naturalium prodire in lucem, ac apparere. Sic cum *Anaxagora* veteres quidã. *Alii* opinati sunt formas quidem præfuisse in materia ante generationẽ, sed secũdum partem tantum sui, & secundũ aliam de nouo produci. *Alii*. dixerunt eas præfuisse secundùm esse tantũ essentiæ, & educi secundùm esse existentiæ. *Alii* erant in sententia, quod nec secundum se formaliter præfuerint formæ, aut partialiter, aut totaliter, aut secundum esse essentiæ, aut existentiæ, nec etiam virtualiter. Alij denique tenent quod virtualiter tantum præsint in materia. Sed authores huius sententiæ, quæ communior, & verior est; diuiduntur adhuc in varias sententias: nam aliqui illam vniuersaliter tenent de omnibus formis præter animam rationalem, etiam formis cælorum, & elementorũ. Ita Scotistæ communiter, quos sequuntur *Molina*, *Vasq.* *Ruuius*. Alij excludunt cum anima rationali formas cælestes tantum, vt *Suares disp.* 15. *Met. sec.* 2. & 3. alij cum his excludunt quoque formas elementorum asserentes educi solum ex potentia materiæ solas materiales mixtorum. Sic *Fonseca* 5. *Metaph. cap.* 2. *Conimbricen.* 1. *Phys. cap.* 9. *quæst.* 12. Antequam resoluatur hæc quæstio, prius statuendum quid sit eductio.

### *De eductione.*

16. CIrca eductionem formæ ex potentia materiæ varij sunt modi dicendi, sed omissis minus principalibus & facilis impugnationis, præcipui tantum proponendi videbantur.

Itaque *Conimbricenses*, 1. *Phys. q.* 12. *a.* 5. dicunt eductionem esse productionem formæ cum dependentia à materia prius tempore existente, ita vt, nisi materia prius tempore existat quam vniatur ipsi forma, productio formæ non possit esse eductio, quamuis dependeat à materia. Hanc sententiam etiam tenent *Complutenses* hic *q.* 2. *Ioannes à S. Thom. q.* 4. *a* 2. qui vlterius requirit, *articulo primo*, tanquam vnam conditionem necessariã ad eductionem, quod forma, quæ educitur, sit connaturalis subiecto, ex quo educitur.

Non requiritur præexistẽtia temporis ad eductionem.

17. Hic modus explicandi eductionem non placet, quia omnino impertinens est, quod materia præexistat tempore; sed sufficit quod forma producatur dependenter ab ipsius influxu; quemadmodum enim sufficit prioritas naturæ in causa efficiente, vt efficienter producat effectum, etiam sufficit talis prioritas in materiali, vt materialiter producat suum effectum.

*Confirmatur*, quia per actionem eductiuã seu per eductionem formæ hic intelligimus productionẽ eius, quæ sit distinctæ rationis à creatione, & aliud intelligere per eductionem est excitare quæstionem mutilem de nomine: sed actio illa, per quam produceretur forma cum dependentia à causa materiali, esset distinctissimæ rationis à creatione (quæ est productio formæ sine tali dependentia) etiam si materia non præexisteret: ergo potest esse eductio sine illa præexistentia.

*Confirmatur secundo*, quia causa secunda nõ potest producere formam vllam naturaliter nisi per eductionẽ: neque enim potest creare aut cõcreare: sed potest producere formam in aliquo subiecto, quod non præextitit tempore, nempe in eodem ipso instanti, in quo producitur istud subiectum: ergo eductio non requirit, quod subiectum prius tempore existat quàm forma educta.

*Probatur* minor, quia Sol, si in eodem instanti cum ipso produceretur simul aër, illuminaret aërem, & de facto Angelus in primo instanti, quo producitur, producit in seipso intellectionem, & aqua in seipsa frigus, ac cæteras qualitates connaturales suas.

*Deinde* specialiter contra *Ioannem à Sancto Thoma* facit, quod ignis educat calorem ex potentia aquæ, quam calefacit, qui tamen calor non est connaturalis propriè loquendo aquæ, cum sit contra inclinationem eius: ergo connaturalis formæ ad subiectum non requiritur ad eductionem.

18. *Dices* pro aduersariis. Eductio fit per mutationem subiecti ad formam eductam: ergo requiritur ad eam, quod subiectum prius tempore existat quã forma, quia alias non posset mutari ad formam.

*Respondeo* distinguendo antecedens: per talem mutationem, qua transeat de priuatione formæ, quæ realiter inexistat subiecto pro aliqua duratione temporis, ad ipsam formam, nego: tum quia id gratissime dicitur, tum propter impugnationes præmissas: per talẽ mutationẽ,

qua subiectum, quod de se haberet formam, nisi actio agentis interuenisser, recipit ipsam per talem actionem, concedo antecedens, & nego consequentiam, cuius probationem distinguo: non posset mutari mutatione prioris rationis, concedo; posterioris, nego.

*Dices secundo cum Complutensibus.* Actio eductiua formæ præsupponit materi productam: sed materia per se non potest produci, sed producitur productione totius, quandoquidem non habeat proprium esse: ergo debet produci vt existens sub alia forma, & consequenter eductio præsupponit materiam tempore.

*Respondeo primo* negando minorem cum sua probatione, cuius ratio patet ex dictis disputatione præcedenti.

19. *Respondeo secundo* primam formam quæ producitur in materia, esse dependentem à materia in genere causæ materialis, atque adeo eam præsupponere materiam non minus quam sequentes aliæ formæ, quæ educuntur ex ipsa: vnde quemadmodum talis dependentia & præsuppositio potest saluari absque eo, quod materia præsupponatur tempore secundum aduersarios, ita etiam præsuppositio materiæ ad eductionẽ potest saluari absq; eo, quod materia præsupponatur ipsi tempore: & quemadmodum ipsi saluant istam præsuppositionem cum dependentia materiæ à forma recurrendo ad diuersitatẽ dependentiæ, in genere scilicet causæ materialis, & formalis, ita in proposito posset etiam defendi quod materia, licet dependeat à productione compositi & eductione, sit tamen prior in genere causæ materialis, quam eductio aut compositum. Vnde in forma.

*Respondeo* distinguendo maiorem; tempore, nego: natura, concedo, & consequenter concessa minori, quæ tamen est omnino falsa, nego consequentiam.

*Deinde*, quamuis ob replicam *Complutensium* concederemus, eductionem formæ substantialis præsupponere materiam existere prius tempore; tamen eductiones formarum accidentialium, quæ natæ sunt inhærere toti cõposito, quod per se produci potest indepẽdenter ab illis, non præsupponerent tempore subiectum; quæ instantia conuincit, eductionem vt sic, non præsupponere tempore subiectum, quantum ad hanc replicam.

20. *Suares disput. 15. Met. sect. 2.* ait eductionem non esse aliud quam actionem eandem, qua simul producitur forma ex materia, & compositum: quando ergo eadem actione forma fit, qua fit ipsum compositum, tum forma educitur; quando vero forma fit vna actione & compositum alia, tum non educitur forma, sed creatur. Ad quod tamen addit, si materia fiat eadem actione, qua fit forma, tum non educi formam, nec generari, sed creari totũ; vnde vnica illa actio, per quam fit forma & compositũ, quæ sit eductio, non debet terminari ad materiam: ex qua doctrina infert cælorum formas non fuisse eductas, quia putat eadem actione materias & formas eorum, ac ipsum consequenter compositũ fuisse producta; at quia diuersis actionibus formæ elementorum ac ipsorũ materiæ fuerunt producta, & quia per actionem, qua producebantur ipsorum formæ in materia alia actione producta, producebantur ipsa elementa secundum ipsum; hinc formas elementorum in prima productione putat fuisse eductas, & generata, non creata elementa.

21. In hac doctrina multa displicent. *Primo* enim quod compositum fiat eadem actione, qua forma educta, quamuis fortasse verum sit, omnino impertinens videtur ad eductionem: nam si per impossibile aut possibile compositum non fieret eadem actione, sed diuersa, adhuc forma si produceretur dependenter à materia, omnino educeretur, nec enim crearetur.

*Deinde*, si per possibile aut impossibile forma non dependeret à materia, quamuis eadem actione & ipsa, & compositum producerentur, profecto non educeretur.

*Confirmatur*, quia in sententia plurimorum Scotistarũ non producitur compositum eadẽ actione, qua educitur forma; quod adeo verum est, vt *Mayronius* putet illas actiones posse separari, & formam conseruari posse vnitam & dependentem à materia sine eo, quod resultet totum; & tamen adhuc hi Scotistæ non negarent formas educi; & quamuis eorum sententia forte non sit vera, de quo alias, tamen signum maximum est posse haberi conceptum eductionis absque eo quod habeatur conceptus de productione formæ & totius vnica actione.

22. *Rursus* quod materia & forma producantur vnica actione, vel non producantur, modo adsit dependentia formæ à materia, non impedit eductionem.

*Confirmatur*, quia vel formæ cælorum dependent à materia, vel non dependent; non potest dici quod non dependeant, quandoquidem non possint connaturaliter cõseruari absque illa materia, nec habeant vllam proprtiam operationem independentem à materia, nec sint ordinis supernaturalis. Si autem dependent: ergo educuntur, gratis enim aliud requireretur ad eductionem, præsertim si non requiratur, quod materia sit prius tempore existens quàm forma educatur, quod non requirit *Suares*; & præterea materia præsupponitur ipsis, & consequentet non videtur posse produci eadem actione, qua producitur forma; aut si potest produci eadem actione, & tamen esse prius natura existens, ergo productio eadem actione nequit impedire eductionem.

Verum hæc impugnatio non sufficit, quia ad eductionem requiritur sine dubio dependentia rei eductæ ad rem, ex qua educitur, tanquam ad prius & communicans esse. Si autem materia, & forma vnica actione producerentur, licet forma dependeret à materia, & materia etiam à forma, quatenus neutra per illam actionẽ posset esse sine altera, tamen neutra communicaret esse alteri, quia neutra prius altera existeret, & consequenter neutra ex altera educeretur, & dependentia earum à se inuicem tanquam à concomitanti necessario ex vi actionis, & non tanquam à priori.

23 Melius ergo impugnatur illa sententia, quantum ad hoc, quia si actio ponatur ex parte termini producti, vt ponunt communiter Thomistæ, ac ipse Suares, materia & forma non possunt produci vnica actione, quia vnica forma non ponitur simul absque miraculo in pluribus subiectis realiter distinctis.

*Deinde*, qua ratione posset materia & forma cæli vnica actione produci, idem posset dici de materia & formis elementorum in prima productione, & æque deberet dici de vtrisque: ergo male asseritur de formis elementorum, quod in prima productione educantur, & id negatur de formis cælorum. Nec refert quod materia elementorum transeat postea ad alias formas, nam hoc posset fieri, quamuis eadem actione producatur cum forma, quam primo habuit. Verum quidem est quod perdita illa forma, deberet alia actione produci seu cõseruari distincta ab ea, qua simul producebatur: sed hoc non esset inconueniens, imo in sententia Thomistarum esset necessarium, nam de facto ad mutationem formarum sicut mutantur composita, mutantur actiones productiuæ seu conseruatiuæ materiæ, quia secundum ipsos producitur actione, qua producitur compositum.

*Denique* gratis fingit Suares materiam & formam cæli fuisse de facto productas vnica actione.

24. *Mastrius q. 7. a. 2.* ait formam educi aut eductam esse de potentia materiæ formaliter nihil aliud esse, quã fieri formæ necessario in materia, & esse suum esse necessario in materia, ita vt si sit, inquit, aliqua forma, quæ sit & fiat in materia, tamen absolute fieri possit, quantũ est ex se, sine materia, & esse sine materia, ista nõ dicitur educi de potentia materiæ. Hanc doctrinam adscribit Scoto pluribus locis & præsertim in 4. *dist. 1. quæst. 1.* vbi ait: *Formam autem materialem dico esse, quæ ex natura sua necessariò inclinatur naturaliter vt sit actus materiæ, siue sit substantialis, siue accidentalis.* Addit eam etiam esse *Auersæ & Amici.*

Sed re vera non est nec horum authorum, nec Scoti, nec etiam in se sufficiẽs. Quod probo manifeste, tũ quia anima rationalis habet suũ fieri naturaliter in materia, ita quod esset miraculum quod fieret nisi in materia, sicut esset miraculum quod forma materialis fieret extra

mate

materiam, & tamen non educitur ex materia; tum quia forma materialis efficitur ex materia, & tamen non ita necessario habet suum fieri in materia, quin quantum est ex natura sua, posset fieri & conseruari absque materia; tum quia quamuis connaturaliter forma materialis petat fieri & conseruari in materia, tamen si actu non dependet à materia quantum ad fieri, non educeretur; & similiter quamuis anima rationalis possit connaturaliter conseruari & fieri absque dependentia à materia, tamen, si dependeret à materia, educeretur: ergo male explicatur eductio dicendo, quod illa forma educatur, quæ petit connaturaliter non esse, nec conseruari absque materia. Fateor illas formas, quæ hoc petunt educi, sed tamen eductio earum non consistit in petendo hoc, nam possent petere hoc connaturaliter sine eo, quod educerentur, vt si, producerentur absque actuali dependentia à materia quemadmodum anima; & possent etiam educi, quamuis non peterent educi connaturaliter saltem de potentia absoluta, neque enim repugnat, quod anima rationalis educatur miraculose ex potẽtia corporis.

*Confirmatur*, quia habitus supernaturales creantur secundum Scotistas, & tamen connaturaliter petunt produci, & conseruari in subiecto: ergo productio, & conseruatio in connaturali subiecto non arguit necessario eductionem, nec est necessario eductio. Ille autem locus Scoti non est prorsus ad rem, nam aliud est, quod forma materialis sit, quæ inclinatur naturaliter vt fit actus materia, (intellige cum dependentia, alias anima rationalis esset forma materialis) aliud est, quod eductio ipsius consistat in hoc, quod id petat, aut quod eo ipso educatur quo necessario connaturaliter loquendo producitur, & conseruatur in subiecto aut materia.

25 *Fuentes*, hic *quæst.* 4. explicat eductionem consistere in dependentia formæ in esse fieri & conseruari à materia, & hunc modum dicendi tenent plures Scotistæ, & alij authores secundum ipsum, quos citat.

Sed quamuis omnes formæ, quæ educũtur, dependerent in fieri, & conseruari à materia connaturaliter loquendo, tamen non puto totum hoc requiri ad eductionis essentiam, quod probo euidenter, quia si albedo dependeret tantum materialiter à subiecto in fieri, & conseruaretur postea à Deo siue in materia siue extra materiam absque tali dependentia, profecto educeretur è potentia subiecti, & tamen non dependeret in conseruari: ergo dependentia in cõseruari, licet cõnaturaliter comitetur eductionẽ, nõ est tamen de intrinseca ratione eius.

*Confirmatur*, quia quantitas Eucharistica educebatur è potentia panis in prima productione, neque enim creabatur, & tamen non dependet in conseruari à pane: ergo dependentia in conseruari non necessario requiritur ad eductionem.

*Deinde* si esset aliqua forma, quæ non posset connaturaliter conseruari vltra instans in quo producitur, illa posset educi, & tamen non conseruaretur dependenter à subiecto: ergo illa conseruatio non requiritur.

*Denique* modo dependeret in fieri à materia tanquam influente, quamuis naturaliter posset conseruari absque materia, adhuc educeretur: ergo ad eductionem non necessario requiritur dependentia in conseruari.

26 *Alij explicant* aliter, eductionem esse productionẽ formæ cum dependentia à causa materiali receptiua, & hanc dependentiam explicant sic, quod quemadmodũ influit causa efficiens in formã, & propterea hæc ab illa dependet, tanquam à dante sibi essẽ, ita etiã causa materialis influit in ipsã dando ipsi esse recipiendo ipsam, & propterea dependet forma à materia: nec sufficit, vt hoc modo dependeat, quod nõ produceretur, nisi esset materia in qua produceretur, quia sic anima rationalis depẽderet à corpore in fieri, quia non produceretur à Deo, nisi adesset corpus dispositũ, in quo reciperetur, sed requiritur influxus aliquis positiuus materiæ, quo cõmunicet ipsi suũ esse, siue iste influxus cõsistat formaliter in ipsamet receptione formæ, siue in aliquo alio respectu, de quo *lib.* 2. Nec refert ad eductionẽ, quod forma depẽdeat secundum potentiam naturalem, aut obedientialem, aut neutram, aut violentam, aut quod producatur à solo Deo, aut à causa secunda, sed sufficit quod dependeat; nam eo ipso quo sic dependet, non creatur; & per actionem eductiuam intelligimus hic actionem nõ creatiuã.

27 Hic modus dicendi *probatur*, tum quia alias melior assignari non potest, tum quia non potest melius distingui actio eductiua à creatiua, quã quod sit productio formæ cum huiusmodi dependentia; tũ quia nihil habet difficultatis sicut cæteri modi; tum etiam quia est cõmunissimus iam, & fortassis eũ intendit *Mastrius*, vt patet ex probatione sua, quamuis ipsamet eius explicatio in terminis non sufficiat: est autẽ *Scoti* sine dubio, quia expresse asserit *in* 4. *d.* 1. *q.* 1. quod forma, quę creatur, producatur prius natura, quam vniatur & consequenter quod non dependeat ab vnione ad subiectum: ergo intendit formam, quæ non creatur, non posse produci prius quã vniatur, & consequẽter eã dependere in fieri ab vnione, atque adeo à termino istius vnionis, qui est subiectum. Quam doctrinam habet etiã *in* 2. *d.* 17. *q.* 1. & aliis locis.

*Aduerto* autem hic obiter, aliquos Scotistas male concedere, quod forma educta dependeat quidem in fieri à receptione, sed non ab vnione, quia hæc ad receptionem sequitur, & præsupponit formam eductam; hoc enim non potest habere aliquid probabilitatis; neque enim potest intelligi forma recipi in materia, quin vniatur; imo receptio vnius est ipsamet vnio formalissima, neque vna alteram præsupponit, neque vlla ex ipsis præsupponit formam eductam.

28 *Dices* eductionem hoc modo explicatam non posse dari, quia materia non potest habere virtutem influendi hoc modo in tot formas tam diuersas, quot potest recipere, & quot possunt ex ipsius potentia educi, quia id videtur excedere imperfectionem materiæ: ergo eductio non debet explicari hoc modo.

*Confirmatur*, quia nullũ efficiens sublunare habet virtutem influendi tam perfectam, vt possit etiã partialiter concurrere ad productionem tot formarum: ergo multo minus id dici debet de materia. Propter hanc rationẽ & propter obiectionem inferius ponendam *num.* 39. *Lessius* de summo bono *num.* 49. negat causalitatem materialem in materia respectu formarũ, & *Arriaga disput.* 8. *sect.* 1. putat esse non vllam efficacem rationem, quæ id probet.

Datur causalitas materialis in materia respectu formarũ.

*Respondetur* tamen negando antecedens cum sua probatione, & ad confirmationem respondeo negando cõsequentiam, quia nõ habemus principia, ob quæ tribuamus illam virtutẽ efficienti, sicut habemus ad eã tribuendam materiæ. Quod autẽ hæc virtus debeat tribui materiæ probatur manifeste, quia alias sequeretur aut quod causæ secundæ nihil omnino producerent effectiue, aut quod crearent, quorum vtrumque est absurdum.

*Probatur* sequela, quia nisi dependeret actio ipsarum ab influxu materiæ, omnino actio ipsarum esset creatio; ergo si haberent vllam actionem, haberent creatiuam. Probatur antecedens, quia productio cum dependentia à subiecto, quæ tamen non arguit influxum subiecti, non impedit creationem, vt patet in productione animæ rationalis, quæ habet dependentiam à subiecto quantum ad hoc quod naturaliter nequeat produci absque subiecto, & tamen est creatio.

29 *Probatur idem secundo*, & confirmatur hæc probatio, quia si causa secunda, v. g. ignis posset producere formam absque dependentia à subiecto tanquam ab influente in eandem formam, non posset assignari ratio, cur non posset producere formam absque subiecto, & præsertim si poneretur in vacuo, vbi non esset vllum subiectum, in quo eam produceret: sed est absurdum quod id posset facere, tum quia est contra experientiam, tum quia sequeretur quod crearet producẽdo aliquid absque vlla prorsus dependentia à subiecto, siue tanquam à priori, siue tanquam à cõcomitanti, siue tanquã à posteriori: ergo non potest producere absque tali dependẽtia.

*Dices* maiorem esse falsam, quia præsuppositio subiecti posset exigi naturaliter ad productionem formæ tanquam conditio sine qua non absque vllo concursu ipsius positiuo.

*Confirmatur*, quia de facto prærequiritur ad animæ rationalis productionem subiectum solummodo per modum conditionis sine qua non, absque influxu: ergo eodem modo posset præexigi subiectum ad productionem, & conseruationem aliarum formarum absque indigentia concursus positiui ipsius.

30 *Contra primo*, quia sic posset dici quod creaturæ non agant aliquid, sed quod prærequiratur tamen connaturaliter existentia, & applicatio earum ad passum, tanquam conditio sine qua non, est enim eadem ratio: sed hoc est absurdū: ergo & respōsio illa vnde sequitur.

*Contra secunda*, quia non potest assignari aliquid per modum conditionis sine qua non, nisi habeat aliquem effectum positiuum conducentem ad formæ productionem, aut nisi tollat impedimentum positiuum illius productionis, vt disponendo subiectum ad remouenda impedimenta, aut applicando agens passo, aut aliquid simile faciendo, Quod posset intelligi particulariter deseruire ad productionem ita, vt non posset intelligi quomodo productio posset esse absque illa: sed existentia subiecti non potest habere huiusmodi rationem: ergo non potest dici esse conditio sine qua non.

*Ad confirmationem respondeo primo*, si valeret illa patitas, secuturum quod quemadmodum anima creatur, ita etiam aliæ formæ, quæ eodem tantum modo dependerent à subiecto, crearentur, vt ante dixi.

*Respondeo secundo*, negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod anima producatur libere à Deo solo, & consequenter posset Deus ordinarie producere ipsam aut in subiecto aut extra subiectum ad libitum suū, quamuis non dependeret ab influxu subiecti; at aliæ formæ producuntur à causis naturalibus, & propterea deberent ab ipsis produci tam bene extra subiectum quam in subiecto, nisi dependerent à subiecti influxu. Nec refert quod formæ connaturaliter loquendo peterent esse in subiecto, quia adhuc deberent produci naturaliter à causa productiua adæquata, sicut calor, licet non petat connaturaliter esse in aqua, tamen debet necessario in ipsa produci, quando applicatur causa adæquata productiua ipsius.

*Resolutio quæstionis.*

His præsuppositis de eductonis natura, nunc determinanda est quæstio ipsa.

CONCLVSIO I.

Formæ non præexistunt in materia actualiter.

31 *Neque formæ quæ educuntur, neque vllæ aliæ aut secundum se totas, aut secundum partem sui, aut secundum statum perfectum aut imperfectum, aut secundum esse essentiæ, aut existentiæ, sunt formaliter in materia ante actionem causæ, per quam educuntur ex materia, aut inducuntur in ipsā*

Hæc est communissima Peripateticorum contra tres primos modos dicendi in principio huius quæstionis relatos.

*Probatur primo* vniuersaliter, quoad omnem partem, quia nullum est indicium aut ratio, vnde colligatur, quod præexistant formaliter vlla ratione ante illam actionem in materia: ergo id non debet asseri.

*Probatur secundo*, quia sequeretur, quod essent infinitæ formæ disparatæ, ac diuersæ naturæ in eodē subiecto simul, aut secundum se totas, vt dicit primus, aut secundum partem sui, vt dicit secundus; aut secundum esse essentiæ, vt dicit tertius modus; imo & quod essent infinitæ formæ eiusdē speciei, quia sunt infinitæ tales educibiles ex materia, nec est maior ratio, cur vna educibilis aut inducibilis, quàm omnes, inexisterent in illa, vt est euidēs: sed hoc est absurdū: ergo & id vnde sequitur.

*Confirmatur* contra primum modum, quia non potest imaginari quomodo agens posset eas, quæ latitarent ante, in lucem producere, nisi producendo aliquid de nouo quod ante non fuit. Sed qua ratione posset aliquid de nouo producere, posset ipsas formas de nouo producere: ergo id dicendum. Deinde sequeretur, quod nulla substantia de nouo produceretur contra experientiam.

32 *Confirmatur* contra secundum modum, quia sicut agēs potest de nouo producere partē, ita de nouo posset producere totam, & præterea nō est maior ratio, cur vna pars formæ, quam alia præexisteret in materia. Adde, multas formas, imo omnes substantiales esse indiuisibiles intensiue: ergo falsum supponitur, quod habeant partes, quarum vna præexisteret, & altera produceretur de nouo, nam hoc debet intelligi de partibus intensionis non de partibus extensionis, quia quælibet pars extensionis habet sibi subiectum proportionarum, & vel secundum se totam præextitit in eo, vel secundum nullā partem præextitit, nisi habeat partes intensionis.

*Deinde* præexistentia vnius nihil iuuat ad productionem alterius partis, nec facit quo minus illa pars producatur ex nihilo tā bene, quā si tota forma produceretur: neq; est minus absurdum, quod vna pars, quæ ante non fuit formaliter in alia parte, producatur de nouo ex illa parte, quā quod produceretur de nouo ex subiecto, quamuis in eo nō fuisset actu & formaliter vllo modo: ergo inutiliter excogitata est illa præexistētia partis in ordine ad saluandum, quomodo altera pars produci posset.

33. *Confirmatur demque conclusio quoad tertiam partem*, quia absurdissimum est & implicatorium, quod res quoad essentiam sit realiter in alio formaliter & actu, quin habeat existentiam, nam ab existentia habet actu existere: ergo si formæ sint in materia quoad essentiam, erunt in ea quoad existentiam aliquam.

*Deinde* quemadmodū existentia potest de nouo produci, potest etiam produci essentia; imo debet, quia eo ipso, quo producitur de nouo existentia, debet produci de nouo essentia. *Adde* essentiam formæ eatenus tantum esse in materia, quatenus possibiliter continetur in ipsa; sed existentia continetur etiam sic in illa: ergo si formæ sint in materia quoad essentiam, erunt etiam in ea quoad existentiam. Sed longior sum in impugnatione sententiarum futilium, pro quibus tamen

34. *Obijcies*: si formæ non præfuissent formaliter aliquo modo in materia, producerentur ex nihilo: sed sic, vel nullo modo posset produci, quia repugnat ex nihilo aliquid fieri, vel saltē nō possent fieri, nisi per creationē, & ab agente creatiuo, quale non est agens creatū, præsertim eductiuum, vt eductiuum est: ergo vel omnes formæ, quæ producuntur in materia, præfuerūt in ea aliquo modo, vel saltem sic præfuerunt formæ, quæ educuntur.

Quomodo ex nihilo nihil fit.

*Respondeo* distinguendo maiorem: ex nihilo sui ipsius, tanquam ex termino à quo; concedo maiorem, & nego minorē, quia sic produci possunt, & ab agente creatiuo, & ab eductiuo: ex nihilo subiecti, aut ex nihilo vllo, tanquā ex parte componente, aut subiecto, aut causa influēte, nego maiorē, nec sic producūtur de facto vllæ formę, quia omnes producūtur in subiecto, siue educantur siue non: quamuis possent sic produci absq; subiecto ab agēte primo, sicut potest Angelos & ipsam materiam primam producere, & sicut conseruat animam rationalē, & quātitatem eucharisticā. Nec est tam euidens lumine naturæ, quod nulla creatura posset etiam producere aliquid ex nihilo tam sui, quā subiecti, quin ad id probandū longo opus sit discursu; neque quantum ad apprehensionē, aut imaginationem facilius est concipere, quod aliquid producetur de nouo in subiecto, quod non fuit ante existens in rerum natura, quam quod produceretur absque vllo subiecto, si esset aliquid, quod ex natura sua haberet independentiam à subiecto, vt sunt Angeli & cæli, si sint simplices physice; vnde si Angelus haberet virtutē productiuam sui similis, quemadmodū calor habet, produceret sine dubio Angelum alium de nouo ex nihilo tam sui, quam subiecti: vnde ad probandum, quod id nequeat facere, oportet ostendere, quod nō habeat talem virtutē, nec meo iudicio sufficeret ad hoc probandum, quod creatura ex nihilo subiecti nequeat aliquid producere, sed recurrendum ad alia principia, de quibus suo loco. Quod totum fusius dixi propter vim, quam aliqui ponunt in illo axiomate: ex nihilo nihil fit.

35. *Obiicies secundo*: *S. Augustinus 3. de Trinit. cap. 3.* ait, omnium, quæ nascuntur, occulta quædam semina in mundi elementis latere, & *Aristoteles 7. Met. 29.* asserit in materia esse aliquam partē rei faciendæ: ergo formæ præexistunt quoad aliquam partem in materia.

*Confirmatur*

*Confirmatur*, quia ex quolibet non fit quodlibet, sed ex determinato subiecto determinata res, & consequenter determinata forma: sed huius non est alia ratio, nisi quod in determinato subiecto sit pars determinatæ formæ.

*Respondeo* S. Augustinum per semina illa occulta non intelligere partes formarum, quia reuera nō dicitur pars rei semen eius; sed virtutes productiuas & dispositiones quæ conducunt ad productiones rerum, & vult tantum, quod nihil de nouo producatur, ad quod producendum elementa mundi non habeāt virtutem concurrendi, siue immediate, siue mediate, aut dispositiue: vnde nego consequentiam. *Aristoteles* etiam, quamuis intelligeretur de ipsa materia prima (de qua tamen non loquitur, sed de materia secunda includente dispositionē ad rem faciendam, vnde locus iste non facit ad rem vllo modo) solum vellet, quod in materia, id est, in composito destruendo, circa quam versatur actio generatiua, sit pars aliqua rei faciendæ, id est, totius compositi generandi (neque enim vocat Aristoteles vnquam formam rem faciendam, sed compositum) quod verissimum est, quia in eo reperitur materia prima, quæ ipsa reperitur tanquam pars materialis physica in composito generando: vnde iterum nego consequentiam ex dicto Aristotelis.

*Ad confirmationem respondeo* negando minorem: sed ratio est, quod in re destruenda, ex qua aliqua res determinata potius quam alia producitur, sint dispositiones aliquæ particulares, propter quas potest corrumpi ab agentibus determinatis ad talem determinatam formam; aut quod sit applicatum agentibus illis, & quod non possit applicari aliis agentibus potentibus ex eo alias formas educere.

## CONCLVSIO II.

Formæ eductæ præfuerunt vitualiter tantum.

35. *Formæ, quæ educuntur ex materia, præfuerunt in ipsa virtualiter tantum.* Hæc est communissima contra eosdem authores, ac modos dicendi, quantum ad partem exclusiuam, quæ conclusione præcedenti probata est, quia eatenus alio modo, quam virtualiter continerentur in ipsa, quatenus formaliter, aut secundum se totas, aut secundum partem sui, aut secundum esse essentiæ præexisterent in ipsa: ergo cum sic non præexistant, sequitur quod non præexistant alio modo, quam virtualiter. Quod autem præexistant virtualiter, patet, quia eo ipso quo educuntur, dependent à materia tanquam à causa materiali influente, vt patet ex dictis, & consequenter materia debet habere virtutem sic concurrendi ad ipsarum productionem; sed hoc est illas continere virtualiter: ergo sic eas continet.

*Confirmatur*, quia efficiens secundum omnes continet effectum virtualiter, quia potest concurrere ad eius productionem per influxum effectiuum: ergo cum materia possit concurrere per influxum materialem, debet dici continere eas virtualiter.

*Confirmatur*, quia ideo aliquæ formæ dependent à materia, & educuntur ex ipsa, quia continentur in eius virtute materiali: ergo quæ educuntur sic continentur in ipsa.

*Dices*: si illa esset ratio, quandoquidem contineantur in virtute efficientis, deberent educi de potentia ipsius: sed hoc est falsum: ergo.

*Respondeo*, negando sequelam maioris, quia non educuntur ex eo quod contineantur in virtute ipsius quomodocumque, sed ex eo quod contineantur in virtute materiali eius, quod non conuenit efficienti; vnde quando dicuntur educi de potentia materiæ, hoc debet intelligi de potentia passiua, non de actiua ex communi sensu.

## CONCLVSIO III.

Omnes formæ præter rationalem educuntur.

37. *Omnes formæ substantiales præter animam rationalem educuntur de potentia materiæ, etiam formæ cælorum ac elementorum in prima creatione.* Hæc quantum ad formas, quæ producuntur per causas secundas, & etiam quantum ad omnes omnino, præter formas cælorum ac elementorum in prima creatione, est communissima contra *Platonem*, & *Auicennam*. Quantum autem ad formas cælorum ac elementorum in prima creatione est contra *Thomistas* communiter hic quos sequitur *Suarez disp.* 15, *Metaph. sect.* 2. quoad formas cælorum non quoad elementares. Eam autem vniuersaliter supponit *Doctor in distinct.* 17. quem præter suos sequuntur *Molina*, *Vasquez*, *Ruuius*, *Murcia*, *Auersa*, & alij plures. Excipitur autem ab omnibus anima rationalis, quia, vt supponitur ex dicendis de ipsamet suo loco, creatur, & non dependet nec in esse, nec in conseruari à suo subiecto.

*Probatur quoad formas omnes*, quæ producuntur à causis secundis, quia experientia constat causam omnem secundam in productione cuiuslibet formæ ita dependere à materia seu subiecto, vt non possit nec producere, nec conseruare aliquam absque subiecto: ergo signum est quod istæ formæ dependeant à subiecto in esse, & conseruari, & consequenter quod educantur ex ipsius potentia, quandoquidem ex dictis de eductione, nihil aliud sit eductio quam talis dependentia.

Propter hanc rationem asseritur *Platonem* tribuisse productionem formarum omnium substantiis separatis seu vniuersalibus, non vero singularibus. *Auicenna* vero, qui negabat tales substantias, adscribebat formarum productionem intelligentiæ seu Angelo cuidam rerum materialium gubernatori.

*Et cum obiiciebatur* ipsis experientia, qua compertum est res singulares aliquid facere in ordine ad formarum productionem, respōdebant eas nihil facere aliud quam disponere materiam ad formarum productionem.

*Sed contra Platonem* est, quod falsum sit dari tales substantias separatas vniuersales, non verò singulares. *Contra vtrumque* est *primo*, quod æque bene possent adscribere productionem dispositionum illis causis, ac formarum, & quod æque bene possent attribuere rebus singularibus productionem formarum, ac dispositionum, cum non sit magis inconueniens vnum quam alterum, & experientia tam doceat ignem producere formam ignis, quam dispositionem ad illam.

*Deinde* gratissime ac sine vllo fundamento recurritur ad illas causas, & negatur virtus actiua respectu formarum aliquarum causis materialibus singularibus. *Præterea* quamuis demus ad eas recurrendum, non tollitur adhuc vis argumenti, quia nec substantiæ illæ separatæ, nec intelligentiæ producunt vllas formas materiales, de quibus loquimur, nisi in subiecto, nec absque subiecto eas conseruare possunt: ergo in earum productione dependent à materia, & consequenter formæ educuntur ex illa tam bene, quam dependerent, si producerentur à rebus materialibus ac singularibus.

38. *Probatur conclusio*, quoad reliquas formas eadem ratione, quia non producuntur, nec conseruantur, nisi in subiecto: ergo sicut vllæ formæ educuntur, ita & illæ.

*Confirmatur*, quia sunt eiusdem ordinis cum materia, & non habent vllas operationes independentes à materia; sicut habet anima rationalis, quæ propterea secundum Doctores naturaliter potest existere absque materia; nec est inconueniens quod educantur: ergo potius dicendum est, quod educantur. Probatur antecedens quoad vltimam partem de inconuenientia, in qua est sola difficultas, quia si esset aliqua, maxime, quia vel producerentur formæ cælestes eadem actione, qua eorum materia produceretur, vel quia non producerentur nec illæ, nec elementares in prima creatione ex materia tempore præexistente: sed ex dictis de eductione patet neutrum horum impedire eductionem, nec arguere consequenter quod esset inconueniens, quod formæ cælestes ac sublunares, & consequenter omnes aliæ substantiales, præter animam rationalem, educerentur; ergo, &c. Addo tamen, cum Thomistis negantibus formas cælestes ac elementares educi, quia simul tempore cum materia creantur, non esse nobis in re aliam, quam de nomine quæstionem, cuius tamen ipsius illi peiorem partem habent, vt patet ex dictis supra.

39. *Dices*: eatenus colligimus formas substantiales, & præsertim cælestes educi, quia non possūt cōnaturaliter

produci, nec conseruari, nisi in subiecto: sed hoc non sufficit: ergo non habemus principium sufficiens ad colligendam earum eductionem. Probatur minor, quia anima rationalis non potest produci connaturaliter, nisi in subiecto, & tamen in fieri suo non producitur dependenter à subiecto, & tamen in fieri suo non producitur dependenter à subiecto dependentia sufficienti ad eductionem: ergo quod non possint formæ produci connaturaliter, nisi in subiecto, non arguit eductionem. Nec tollit difficultatem hanc disparitas, quæ communiter assignatur, quod nimirum anima, licet non possit produci connaturaliter, nisi in subiecto; possit tamen conseruari connaturaliter absque subiecto; formæ vero aliæ nec possint produci, nec conseruari nisi in subiecto. Hoc, in quâ, non tollit difficultatem, quia si anima non possit conseruari connaturaliter nisi in subiecto, nec tamen penderet à subiecto, nisi si cut dependet de facto quamdiu est in illo, sane non educeretur; & si aliæ formæ haberent talem solam dependentiam in esse, & conseruari à subiecto, vt non possent connaturaliter produci, aut conseruari absque subiecto, profecto non dependeret ab illo dependentia sufficiente ad eductionem: ergo quod non possint nec fieri nec conseruari, nisi in subiecto, non sufficit ad probandum, quod educatur.

*Confirmatur hoc:* quia sicut datur de facto aliqua forma, quæ potest connaturaliter conseruari absque subiecto, & non potest produci nisi in subiecto, quamuis non dependeat in fieri à subiecto: ita nihil impedit quo minus detur aliqua forma, quæ non possit produci, nec conseruari, nisi in subiecto, quamuis non dependeret ab ipso nec in fieri, nec conseruari: ergo quod forma non possit produci, aut conseruari absque subiecto, non arguit necessario eductionem eius.

40. *Respondeo* ad hanc difficultatem, quæ est potissima, quæ potest vrgeri contra eductionem formarum, non ex eo præcise, quod non producantur, nec conseruentur absque subiecto, nos colligere eductionem, quod & efficaciter conuincit hæc replica meo iudicio: sed vlterius, quia formæ eductæ habent maximam proportionem cum materia, cum sint eiusdem ordinis cũ ipsa, nec habeant vllam operationem independentem ab ipsa, vt habet anima rationalis, nec deniq; aliquid impediat quo minus dependeat à materia dependentia eductiua.

*Confirmatur hoc:* quia illæ formæ, quæ producuntur à causis secundis, dependent sic à materia, alias causæ secundæ crearent: ergo quandoquidem non sit inconueniens, quod formæ, quæ producuntur à solo Deo, etiam educantur ex materia, modo sint eiusdem ordinis cum materia, ac habeant ex se requisita omnia ad eductionem, id conuenientius dicitur.

*Confirmatur secundo*, quia non ex eo præcise anima rationalis dicitur creari, quod producatur à solo Deo, aut quod existat connaturaliter absque materia, quia posset dependere à materia atque educi in fieri, quamuis producerentur à solo Deo, & in conseruari non dependeret semper ab ipsa, sicut res dependens ab vna causa effectiua in fieri potest conseruari connaturaliter absque tali causa, sed id colligitur ex immaterialitate eius, atq; improportione ad dependendum à materia, & ex authoritate: ergo cum cæteræ formæ substantiales non sint immateriales, aut improportionatæ ad dependendũ à materia, nec sit authoritas vlla dicens, quod creentur, aut quod nõ educantur, debet dici quod educantur, & quod nõ creentur, etiam loquendo de illis, quæ à solo Deo producantur.

41. *Obiicies primò:* formæ cælorum sunt creatæ: ergo non eductæ. Probatur antecedens, quia alias cælum non crearetur, contra Scripturam dicentem: *In principio creauit Deus cælum & terram.*

*Respondeo* negando antecedens, & distinguendo eius probationem: non crearetur cælũ creatione proprie dicta, quæ est productio rei, aut omnino independentis à materia, aut rei: cuius forma producitur independenter à materia, concedo sequelam probationis; nec dicit Scriptura, quod tali creatione creata sint cælum & terra: non crearentur creatione in largiori significatione, prout significat productionem rei, quæ à solo Deo producitur & secundum formam, secundum dispositiones ad formam in vnico instanti, nego sequelam probationis; & in hoc sensu Scriptura dicit ea creata fuisse, sicut in eodem ipso sensu dicit inferius, Masculum, & fœminam creauit eos, scilicet Adamum, & Euam, quos tamen secundum communiorem sententiã produxit ex materia tempore præexistente: in eodem sensu dicitur inferius Deum etiam creauisse cæte grandia, quæ produxit ex materia aquæ.

42. *Dices:* omnis productio compositi substantialis est aut creatio proprie dicta, aut generatio: sed productio cælorum & elementorum non est generatio, quandoquidem priuatio non præcesserit tempore in ipsorum materia: ergo est creatio proprie dicta, & consequenter formæ ipsorum non educuntur.

*Respondeo* distinguendo maiorem: si ad generationẽ requiratur quod priuatio formam præcesserit tempore, vt supponitur in minori, nego maiorem, nec vnquam probabitur ab aduersariis, si non requiratur hoc, concedo maiorem, & nego minorem, & ad probationem dico illam priuationis præcessionem non requiri ad generationem: an autem requiratur illa præcessio, nec ne, est quæstio de nomine parui momenti, de qua tamen suo loco in tractatu de Generatione.

Formæ accidentales naturales educuntur.

*Ex his patet* formas omnes accidentales, saltem naturalis ordinis, educi è potentia subiecti, in quo inhærẽt, quia eadem aut maior est ratio de illis ac de substantialibus. Dixi autem, naturalis ordinis, quia secundum Thomistas, & Scotistas etiam communiter habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis per se infusi non educuntur, sed creantur, quamuis actus supernaturales harum virtutum educentur, quia ad hos concurrunt effectiue causæ secundæ, quæ communiter supponuntur non attingere terminum creationis: de quo videri poterunt, quæ dixi in commentario ad primum sententiarum dist. 17. quæst. 6. num. 9.

## QVÆSTIO III.

### *An possint duæ formæ substantiales non subordinatæ esse simul in eadem materia.*

Quid forma subordinata.

43. INtelligo per formas subordinatas illas, quarum altera alterâ indiget, ita vt sine ea nequeat habere aliquas operationes, quas cum ea habere posset, & quarum vna aliam præsupponi tanquã constitutiuum physicum sui immediati subiecti: & suppono ex alias fusè probandis in tractatu de anima, in omnibus viuentibus corporeis dari plures huiusmodi formas, nempe animã, & formam incompletam corporeitatis, quæ physice cõstituit corpus, quo simul cum anima constat, tanquam partibus physicis, quodlibet viuens corporeum, & in quo recipitur anima, quæ sine eo requiret videre aut sentire, sicut nec ipsum sine anima. Per formas autem non subordinatas intelligo illas, quæ ita sunt completæ, vt non indigeant se inuicem ad aliquas operationes, nec vna alteram supponit tanquam subiectum suum aut constitutiuum subiecti sui, adeo vt si simul reperirentur in eodem subiecto, neutra ad operationem alterius cõcurreret, vt sunt forma ignis, & aquæ, anima hominis, & Leonis, de quibus non dubitatur an possint esse successiue in eadem materia, nam id fieri posse constat quotidiana experientia, in qua fundatur axioma commune, quod generatio vnius sit corruptio alterius, quatenus forma rei generatæ succedens in eadem materia formæ rei corruptæ eam ab illa expellit: sed controuersia est, an simul possint esse in eadem materia huiusmodi formę: quę controuersia examinanda est & quoad potentiam naturalem, & quoad supernaturalem.

Quid non subordinata.

*Prima sententia* est posse plures formas huiusmodi esse naturaliter in eadem materia simul, præsertim quando sunt formæ, quæ non exigunt naturaliter oppositas dispositiones. Hanc probabilem reputat *Arriaga disp. 3. num 101.*

*Secunda sententia* negat, id fieri posse naturaliter, supernaturaliter vero concedit. Ita *Gregorius in 1. dist. 12. Suarez disput. 15. Metaph. sec. 10. Hurtadus disput. 4. Physicæ sect. 3.* ac plures alij, quos ex Scotistis sequuntur

Sghemma,

*Sghemma* 1. *Phys digressione* 7. *Mastrius ibid. disp.* 5. *a.* 2. qui etiam attribuunt illam *Scoto* 4. *dist.* 10. *qu.*

*Tertia sententia* negat absolute per vllam potentiam id fieri posse. Hæc est Thomistarum communiùs cum *D. Thom.* 1. *p. q.* 76. quos sequuntur *Vasq. de Incarnatione disp.* 23. *Lorca disp.* 24. *Complutenses hic disp.* 4. *sect.* 6. *& ex Scotistis Aretinus & Fuentes hic* & alij.

## CONCLVSIO I.

Plures nõ subordinatæ nequeũt naturaliter esse simul in eodem materia.

44. *Duæ formæ substantiales non subordinatæ nequeunt esse naturaliter in eadem materia simul.* Hæc est communissima.

*Probatur primò* experientia qua constat ad introductionem omnis talis formæ alteram, quæ præextitit, expelli à materia, ac corrumpi, quod non contingeret, si possent naturaliter simul inesse materiæ.

*Probatur secundò* per obiectiones, quæ adducentur contra secundam conclusionem sequentem, nam ex illis ad minus requiritur veritas conclusionis.

*Obiicies primò*, forma, quæ introducitur, expellit formaliter alteram formam, ergo est simul cum illa in materia. *Aliqui concedunt* consequentiam pro aliquo instãti, sed male, quia si possent cõpati duæ formæ in instanti naturaliter, possent compati simul per totam æternitatem, quia non esset maior ratio compatibilitatis earum pro instanti, quàm pro tempore quocumque, & quidquid inconuenientis sequitur ex eo, quod essent simul rempore, sequeretur ex eo quod essent simul pro instanti, vt mihi manifestum est.

*Respondeo ergo aliter*, negando consequentiam, cuius ratio assignabitur in libris de generatione.

45. *Obiicies secundo ex Arriaga*: de facto simul cum forma ferri remanet in eadẽ materia forma ignis, quando candet ferrum: ergo naturaliter manent simul huiusmodi duæ formæ. Probatur antecedens, quia in primis est ibi forma ferri; vt patet ex eo, quod postea cessante calore reperiatur ibi, & quod non adsit vlla causa, à qua producatur.

*Deinde* est ibi etiam forma ignis, vt patet ad sensum, sunt enim ibi omnia accidentia formæ ignis, non minus quam in carbone accenso. Propter hoc argumentum putat hic author oppositum conclusionis esse satis probabile.

*Respondetur* negando antecedens, & probationem pro secunda parte; nam licet sit ibi vehemens calor per totum ferrum, & fortassis multum ignis intra poros ipsius, ratione cuius appareat ignis, seu potius ignitum, non tamen est ibi forma ignis, quia nulla ratio suadet eam ibi esse, & consensus communis Philosophorum tenet oppositum.

*Confirmatur hoc*, quia si esset ibi forma ignis, falsum esset commune axioma Philosophi ab omnibus admissum, quod generatio vnius sit corruptio alterius, nam generaretur ignis ille absque vllius corruptione, & postea corrumperetur absque vllius generatione.

## CONCLVSIO II.

Plures formæ nõ subordinatæ possunt dari de potentia absoluta simul in eodem subiecto.

46. *Possunt dari de potentia absoluta plures formæ non subordinatæ in eadem materia.* Hanc teneo cum authoribus secundæ sententiæ, non quod existimem eam doceri à *Scoto* in illo loco quarti, nam ibi tantum dicit: *quod si illa materia corporis locati in duobus locis transmutatur à duobus agentibus ad duas formas* (supple subtantiales non subordinatas) *non esse nouum miraculum, sed tantum per antiquam miraculum*) supple; quo ponebatur in duobus locis) *esset proportionata ad recipiendum actiones illorum agentium*: quibus verbis non ait, quod materia transmutaretur in illo casu ad duas formas, nec quod possit sic transmutari; sed quod si transmutaretur, non transmutaretur per nouum miraculum: quod non facit ad conclusionem præmissam quam non credo vllibi traditam à *Scoto*, quamuis putem eam non esse diffotmem ipsius principiis: sed potius conformem.

*Probatur*, quia multa alia, quæ naturaliter sunt incompatibilia, possunt esse simul supernaturaliter, sic duo corpora possunt supernaturaliter esse in eodem loco, vt aliàs dicemus: duæ qualitates contrariæ in summo, verbi gratia, albedo & nigredo, calor & frigus: ergo quamuis duæ formæ huiusmodi habeant naturalem incompatibilitatem; possunt tamen supernaturaliter esse simul in eadem materia, præsertim nisi sit aliqua implicantia in hoc, quod sint simul, qualem non esse iam ostendam.

*Probatur secundò conclusio*, & principaliter: Non est vlla implicantia in hoc, quod sint simul huiusmodi formę in eadem mareria: ergo per potentiam absolutam possunt esse simul. Consequentiam admittunt aduersarij, antecedens probari non potest melius, quam soluendo implicantias, quæ ab aduersariis adducuntur, & sunt fundamenta, cur tenent oppositam sententiam.

*Prima implicantia* est, quod expellere formam aliam à subiecto esset effectus formalis, & non esset effectus formalis formæ; esset quidem effectus formalis, vt omnes supponunt; non esset autem, quia in nostra sententia impediretur à Deo, quando poneret vtramque formam simul: sed Deus nequit impedire effectum formalem: ergo esset, & non esset effectus formalis.

*Respondeo* negando sequelam cum probatione eius pro secunda parte: bene enim potest Deus impedire effectum formalem secundarium formæ, qualis est expulsio alterius formæ, sicut potest impedire quo minus vnum corpus expellat aliud corpus, aut calorem frigus.

*Dices*: Ideo Deus nequit impedire effectum formalem primarium formæ positæ in materia, quia non potest supplere talem effectum sine forma, sed non potest supplere effectum secundarium formæ sine forma, ergo nequit eum impedire.

*Respondeo*, quidquid sit de maiori, negando minorem, nam potest sine dubio Deus expellere formam à materia absque introductione alterius formæ, solum subtrahẽdo concursum conseruatiuum, quo conseruat ipsam, à quo essentialiter dependet forma quantum ad existentiã: vnde hæc replica potest retorqueri: Potest Deus supplere effectum hunc secundarium expulsiuum formæ absque forma, quamuis non possit primarium: ergo potest illum impedire, quamuis non possit impedire primarium.

48. *Complutenses* confirmant hanc implicantiam hoc modo: Licet aliquis effectus secundarius formæ posset impediri, tamen non potest impediri, si sit negatiuus, & tam intimus formæ, quam expulsio vnius formæ est intima alteri formæ, quandoquidem proueniat ex intrinseca ratione formæ: ergo non potest impediri illa expulsio. Probant antecedens, quia ex eo quod forma cadaueris dat illi consequenter, & secundario priuationem vitæ ex intrinseca ratione sua, nec per potentiam Dei potest impediri quin sequatur ista priuatio, alias idem esset viuens, & priuatum vita.

*Confirmatur hoc*, quia quoties effectus primarius habet talem connexionem cum secũdario, vt saltem à posteriori colligatur non fore primarium, nisi sit secundarius, tũc secundarius non potest impediri: sed si non esset expulsio vnius formæ aduenientе altera, illa altera non haberet effectum suum primarium, quia non haberet rationem actus primi respectu materiæ, de ratione enim actus primi est quod non sit simul cum illo alius actus primus, neque præsupponat alium actum, sicut de ratione materiæ primæ est non præsupponere aliam materiam.

*Confirmatur secundò*, quia vt forma exerceat rationem actus primi circa materiam, debet & facere cũ ipsa vnum per se, & dare ipsi primum esse seu esse simpliciter. sed nisi expellatur alia forma, non potest tale esse ipsi tribuere quod enim aduenit enti in actu, seu materiæ actuatæ, non tribuit ipsi esse simpliciter, nisi expellatur illa forma, qua actuabatur; quemadmodum albedo aduenienѕ ipsi non tribuit ipsi esse simpliciter.

49. *Respondetur* negando antecedens, & ad probationem dico, quidquid sit, an detur forma cadaueris necessario dicens negationem vitæ, quod Scotistæ omnes meritissime negant; quamuis daretur, & quamuis etiam non posset totum ex ipsa constitutum recipere animã, tamen nullo modo importat negationem aut priuationẽ animę

in

in materia ipsius sic, quin in eadem materia de potentia absoluta possit esse anima; & sane oppositum asserere est petere directe principium: nam eadem prorsus est ratio, cur possint aut non possint duæ formæ simul in materia, ac cur possit, aut non possit esse forma cadaueris simul cum anima in eadem materia; quare non satis apte assumitur vnum ad probandum alterum, cùm vtrumque sit æque ignotum.

*Ad primam confirmationem respondeo* distinguendo maiorem, si colligatur bene à posteriori in ordine ad quamcumque potentiam, etiam absolutam Dei, concedo; si non colligatur, nisi in ordine ad potentiam ordinariam, nego maiorem, & nego minorem cum sua probatione: haberet enim rationem actus primi per hoc, quod constitueret vnũ per se cũ materia, & quod ipsamet non constituatur intrinsece ex alio actu, siue sit cum illa alius actus primus, siue non sit; sicut etiam & materia haberet rationem materiæ primæ, quamuis succederet alteri materiæ, modo ipsa non produceretur ex illa alia materia tanquam ex subiecto, aut parte componente.

*Adde* materiam dici primam, quia non præsupponit aliam materiam, aut subiectum, ex quo fieret, forma vero non dicitur primus actus ex eo, quod non præsupponat alium actum, & si propterea diceretur actus primus, non esset verum, quod esset actus primus, aut saltem non esset verum, quod essentialiter haberet talem rationem, ita vt per potentiã absolutam non posset præsupponere aliam formã, & simul cum illa in eadẽ materia manere: & dicere, quod haberet rationẽ actus primi in hoc sensu, est etiam petere principiũ, & assumere id quod probandum est. Vere autem dicitur actus primus, quia constituit vnum per se cum materia; hoc autem posset facere, quamuis adesset aliæ formæ simul in eadem materia.

*Ad secundam confirmationem respondeo* negando minorem; ad hoc enim, quod faciat vnum per se impertinens est, quod expellat aliam formam, aut non expellat, & hoc ipso, quod facit vnum per se cum ipsa, dat etiam ipsi esse simpliciter; nam dare esse simpliciter materiæ non est aliud, quam facere cum ipsa vnum per se; aut si sit aliud, est quid cum hoc necessario connexum; neque propterea albedo non dat esse simpliciter, quia aduenit materiæ actuatæ, & habenti esse simpliciter, quia quamuis aduenire ipsi non actuatæ, adhuc non daret ipsi esse simpliciter. Non dat ergo esse simpliciter ipsi, quia non est sustantialis, nec nata facere vnum per se cum illa. Ad illud quod additur, nempe quod aduenit enti in actu, esse accidens, & non dare esse simpliciter, respondebitur inferius ad implicantiam vndecimam.

51. *Secunda implicantia* est, quod idem numero esset de essentia specierum completarum distinctarum, verbi gratia, eadem numero materia de essentia compositi, quod fieret ex illa, & alia forma simul inexistente.

*Respondetur*, hoc non implicare, sicut nec implicat, quod naturaliter possit idem numero successiue esse de essentia specierum diuersarũ, verbi gratia ligni & ignis, & sicut non implicat, quod eadem anima de facto est de essentia carnis viuentis & ossis viuentis, quæ sunt diuersæ speciei, licet incompletæ.

*Tertia implicantia* est, quod materia haberet simul & semel duos effectus adæquatos, nimirum duo illa composita, quæ ex ipsa & pluribus formis illis sequerentur.

*Respondetur* negando sequelam, neutrum enim ex istis compositis esset effectus adæquatus materiæ sic, vt non possit alios effectus habere, imo naturaliter vltra sustentationẽ vnius formæ substantialis completæ, & constitutionẽ compositi ad illam sequentis, habet alios effectus, nempe sustentationem accidentium in ipsa receptorũ.

52. *Quarta implicantia* est, quod illæ formæ cõstituerent vnũ per se compositum, & non constituerent; non constituerent quidẽ, quia alias essent subordinatæ contra hypothesim conclusionis: quæ enim formæ natæ sunt constituere vnum per se compositum, sunt subordinatæ: constituerent autem, quia quæcumq; forma substantialis intrinsece includitur in aliquo composito, intrinsece constituit ipsum; sed forma ignis, verbi gratia, existentis in materia simul cum forma ligni intrinsece reperitur in composito resultante ex ipsa, & forma ligni; quia intrinsece reperiretur in materia ipsius, & quidquid intrinsece reperitur in materia compositi, reperitur intrinsece in ipso composito: ergo constitueretur intrinsece illud compositum.

*Respondeo* negando sequelam pro prima parte, quatenus dicit, quod illæ duæ formæ constituerent vnum per se compositum. Ad cuius probationem nego maiorem, nisi reperiatur in ipso intrinsece, tanquam pars; aut nisi sit pars alicuius, quod reperitur in illo tanquam pars. Itaque sicut accidentia, quæ inhærent materiæ primæ, licet reperiantur intrinsece in composito, in quo ineſt illa materia; quia tamen nec sunt partes intrinsecæ illius compositi, nec etiam materiæ, aut formæ ipsius, propterea non constituunt ipsum intrinsece; ita forma ignis informans materiam inexistentem ligno, licet sit in ligno, quatenus est in materia ligni, quandoquidem tamen non sit pars intrinseca ligni, nec materiæ ipsius aut formæ, propterea non est constitutiua ligni.

*Dices*: licet non sit constitutiua ligni, erit tamen constitutiua alterius compositi simul cum materia & forma ligni, quod sufficit ad ostendendum, quod subordinetur formæ ligni.

*Respondeo* negando sequelam; illæ enim formæ, quæ sunt subordinatæ ad faciendum aliquod compositum distinctæ rationis à composito, quod ab alterutra sola fieret, non immediate subiectantur in materia ptima, sed vna ex illis immediate subiectatur in ea, & altera subiectatur in composito resultante ex materia & illa forma, vt patet in forma corporeitatis, & anima: illæ autem formæ non subordinatæ subiectarentur in materia æque immediate, sicut æque immediate subiectantur in eodem subiecto albedo & dulcedo.

*Deinde* nullæ formæ sunt subordinatæ sibi, ac natæ facere vnum per se compositum, nisi istud compositum posset habere vnam aliquam operationem, quam operationem, quam non haberet compositum ex materia, & alterutra ex illis: sed non potest assignari aliqua vna operatio, quæ competeret composito vlli, quod resultaret ex forma ignis & ligni, quamuis illæ formæ essent in eadem materia: ergo non essent subordinatæ ad faciendum aliquod vnum compositum.

Quod si aduersarij non putant impossibile aliquod vnum compositum, quod resultaret ex illis formis casu, quo ponerentur in eadem materia, tum admitti potest absque præiudicio conclusionis, quod ex illis formis sequeretur vnum per se, & concedendum quod essent subordinatæ ad faciendum tale compositum, neque hoc est contra hypothesim conclusionis, quæ loquitur de formis non subordinatis naturaliter, vt sunt formæ ignis & ligni, non curando an sint supernaturaliter subordinatæ, nec ne.

54. *Quinta Implicantia* priori affinis est, quod compositum, quod resultaret ex materia, & illis formis, esset vnum & plura numero specie; vnum quia constaret ex eadem materia: plura vero, quia constaret diuersis formis non subordinatis, quarum quælibet est nata facere vnum per se completum.

*Respondeo*, quod quemadmodum ignis productus ex ligno, licet constet eadem materia, qua constabat lignum, non est vnum numero, nec specie cum ligno, ita compositum constitutum ex materia & forma ligni non debet esse vnum nec numero, nec specie cum composito resultante ex eadem materia, & forma ignis in eodem instanti temporis. Itaque in tali casu essent plures tertiæ entitates resultantes ex materia, & pluribus formis, quæ inter se differrent numero & specie, & consequenter duo composita.

*Dices*: quando albedo & dulcedo insunt eidẽ subiecto, non potest dici quod sint duo composita accidẽtalia: & hinc quãuis aliquis habeat duas scientias, non potest dici quod sit duo scientes, sed vnus sciens, quia concretum accidentale non multiplicatur ad multiplicationem formarum: ergo quando illæ duæ formæ substantiales essent

in eadem materia, non potest dici quod sint duo composita substantialia, aut duæ substantiæ distinctæ.

*Respondeo* negando consequentiam, & ipsimet aduersarij debent admittere disparitatem, quia etiam quando accidentia succedunt sibi inuicem in eodem subiecto, non admittunt duo concreta accidentalia sibi inuicem succedere, & tamen admittunt, quando duæ formæ substantiales sibi inuicem succedunt in eadem materia, duo composita substantialia sibi inuicem succedere: ergo non est eodem modo discurrendum de concretis accidentalibus, ac compositis substantialibus. Ratio autem disparitatis videtur esse, quod compositum substantiale dicat directe aut tertiam entitatem Scotisticam, si detur, aut saltem æque primo materiam & formam; vnde quotiescumque aut materiæ sunt distinctæ, aut formæ sunt distinctæ, potest dici absolute & simpliciter quod composita sint distincta: composita vero seu concreta accidentalia non dicunt æque primo, & eodem modo subiectum & accidens, sed vel subiectum dicunt in recto, & accidens in obliquo, vt aliqui dicunt, vel formaliter formam, & materialiter, ac connotatiue subiectū; vnde potest contingere, quod quamuis forma multiplicetur, non debeant concreta multiplicari, nisi etiā multiplicetur subiectū, quod totū pendet ex modo loquendi, & intelligendi, nec in re potest habere difficultatem.

56. Et hinc etiam soluitur *sexta implicantia*, quam aliqui dant, nimirum, quod sequeretur vnum compositum substantiale posse in recto prædicari de alio composito, nempe ignem de ligno, dicendo: lignum est ignis, & è contra; sicut prædicatur de albo, quod sit dulce, eo quod albedo & nigredo sint in eodem subiecto.

*Respondeo* negando sequelam, & paritatem: & ratio disparitatis est, quod quando dicitur: album est dulce, sensus sit, quod res illa, quæ est alba, sit etiā dulcis, quod verissimum est. Quādo vero diceretur, quod lignum est ignis, sensus esset, quod res illa, quæ est lignum, sit res illa, quæ est ignis, quod falsum est, quamuis eadem materia constarent; sicut falsum est dicere, quod digitus hominis sit caput hominis, quamuis digitus & caput constent eadem forma substantiali, nempe anima rationali, & quidem eâdem solâ in sententia Thomistarum ac recentiorum negantium formā corporeitatis. Quod exēplum etiam confirmat, quod diximus ad præcedentem obiectionē, sicut enim non possunt dici vnum realiter compositum illud, quod fit ex materia capitis & anima, & illud quod fit ex materia pedis ac anima eadē simul, licet constent eadem anima, quia materia est diuersa, & cōposita illa per se primo dicunt tam materiā quā animam: ita non debent dici vnum compositū illud, quod fit ex materia & forma ligni, & ex eadem materia simul & forma ignis, quamuis constent eadem materia, quia non constant eadem forma, quandoquidem tam per se primo illa composita dicant formam quam materiam.

*Dices*: saltem sequeretur quod duo suppositа essent sibi inuicem communicata, quandoquidem constarent eadem materia: sed hoc est contra rationem suppositi, quod debet esse incommunicabile.

*Respondeo*, quod, quemadmodum non repugnat suppositis etiam naturaliter participare eandem materiam successiue, & esse sibi inuicem communicabilia in hoc sensu, ita non repugnat ipsis supernaturaliter participare simul eandem materiam; nec incommunicabilitas, quam dicit suppositum, excludit talem communicabilitatem, sed aliam longe diuersam, de qua suo loco.

57. *Septima implicātia* est, quod si corpus hominis, verbi gratia, informaretur duabus animabus, constitueret duos homines; & vel volēte aliquid vno alter necessario vellet, quod est contra libertatē humanam; vel si posset nolle, tum volente vno ambulare, alius posset nolle ambulare: in casu autem tali non posset dici quid fieret, atque hoc est inconueniens: ergo inconueniens est quod duæ formæ simul possint poni in eadem materia.

*Cōfirmatur*, quia sequeretur quod corpus hominis posset informari simul cū anima rationali animâ bruti: sed hoc est inconueniens, cum animæ diuersæ speciei requirant subiecta diuersæ speciei.

*Respondeo*, quod volente vno, alter posset nolle, & tum si vnus vellet ambulare, & alter nollet, vel vnus esset maioris virtutis, quā alter, & sic fieret quod ipse vellet aut nollet, non obstante contradictione alterius; vel essent æqualis virtutis, & tum non sequeretur ambulatio de nouo, quia volitio vnius non esset sufficiēs ad eam ponendam, accedente nolitione alterius, quemadmodum de facto si esset aliquis sedens & vellet ambulare, accederet autem alius æque fortis, & impediret ipsum, tum non posset ambulare.

*Ad confirmationem respondeo*, in conclusione nos loqui de formis non requirentibus diuersa subiecta, sed potentibus naturaliter succedere sibi inuicem in eodē subiecto; vnde nego sequelam. Quod si subiectum animæ esset materia prima sola cum talibus vel talibus dispositionibus accidentalibus, concederem quod eidem materiæ possent aduenire anima hominis & bruti, quia etiam possent ipsi de potentia absoluta aduenire dispositiones, diuersæ quantumuis contrariæ, quæ ad illas animas requirerentur.

58. *Octaua implicantia* est, quod vna natura non possit simul affici immediate pluribus subsistētiis etiā diuinis secundū *Scotum* 3. *d.* 1. *q.* 2. *n.* 5. cuius ratio est, quia dependet adæquate ab vna, atque adeo nō potest depēdere vllo modo ab alia, quia aliàs dependeret, & nō depēderet: ergo similiter materia nequit informari pluribus formis. Probatur consequentia, quia tam materia depēdet adæquate ab vna forma, quam natura à subsistentia: ergo si haberet aliam formam, dependeret etiam ab alia, & consequenter dependeret & nō dependeret.

*Respondeo* negando consequentiam cum antecedenti probationis; materia enim nullo modo dependet à forma secundum suum esse, & si dependeret etiam non necessario dependeret adæquate ab vna forma: natura autem dependet, vt supponitur, à subsistentia, cui vnitur, & quidem adæquate de facto, quidquid sit de possibili, de quo in materia de Incarnatione.

59. *Nona implicantia* est, quod posset recipere infinitas formas simul, atque adeo quod esset infinitæ perfectionis.

*Respondeo*: Si receptio infinitarum formarū argueret perfectionem infinitam, tum materiam non posse simul recipere infinitas, sed limitari virtutē eius ad determinatum numerū Deo cognitū. Sicut ex eo, quod intellectus esset infinitæ virtutis, si infinita simul intelligeret, quamuis possit plura simul intelligere; limitatur tamen eius virtus ad certum numerum, vltra quē nequit plura simul cognoscere. Quod si illa receptio non arguit talē infinitatem, tum potest simul infinitas formas recipere, sicut communiter admittitur, quod idem locus absque infinitate potest supernaturaliter infinita corpora suscipere, si possint simul produci. An autem illa receptio arguat in materia infinitam virtutem, parum est curādum, quantum ad præsentem difficultatem; sed exemplum illud de loco videtur arguere quod non.

60. *Decima implicantia* est, quod implicet formam vnam esse in pluribus materiis: ergo materia vna nequit esse sub pluribus formis. *Suarius* & *Mastrius* concedunt antecedens, & negant consequentiam. Verum meo iudicio est eadem prorsus ratio; vnde nego antecedens, cuius rationem dabo quæstione sequenti.

*Vndecima implicantia* Thomistis familiaris est, quod sequeretur secundam formam esse substantialē & accidentalem: esset enim substantialis, vt supponitur, & esset accidentalis, quia aduenit enti in actu completo, hoc est materiæ actuatæ per formam substantialem cōpletam, ac non subordinatam; quod autem sic aduenit: est accidens.

*Respondetur* negando sequelam pro secunda parte, quamuis enim illud, quod aduenit naturaliter loquēdo enti in actu completo, hoc est materiæ actuatæ per formam completam, sit accidens; tamen non omne illud, quod aduenit ipsi supernaturaliter, debet necessario esse

acci

accidens,& ideo naturaliter non potest aduenire materiæ actuatæ aliqua forma substantialis, quia formæ non subordinatæ substantiales sunt incompossibiles naturaliter in eodem ; vnde vna alteri superuenire nequit quin expellatur altera.

61. *Duodecima implicantia* est, quam proponunt *Complutenses* supra pro ratione fundamentali suæ sententiæ, quod sequeretur materiam posse & non posse informari à pluribus formis; posset enim ex hypothesi; nõ posset autem, quia quod ex se non potest aliquid, non potest illud,nisi aliquid ipsi addatur, per quod posset illud:sed materia est impotens connaturaliter loquendo ad recipiẽdas simul duas formas:ergo nec supernaturaliter potest illas recipere, nisi addatur ipsi aliquid, per quod id possit. Hac eadem ratione applicata ad formam probant etiam vnam formam non posse informare plures materias.

*Sed facile respondetur* negando sequelam pro secunda parte. Ad cuius probationem dico, quod materia quantum est ex se etiam naturaliter posset recipere plures formas, nisi fuisset propter incompatibilitatem ipsarum formarum;quæ non est in ordine ad potentiam supernaturalem. Quod si argumentum hoc valeret, probaret quod subiectum idem non posset recipere supernaturaliter duas qualitates contrarias, nec idem locus duo corpora: & certum est multa facere posse multa supernaturaliter, quæ non possunt facere naturaliter, absque eo, quod aliquid ipsis addatur præter concursum causæ supernaturalis,qualis etiam concursus aduenire materiæ, quando haberet duas formas, nam tum adesset concursus, quo Deus produceret secundam formam in illa, qui concursus non adesset,quando vna sola forma informaret materiam, nec deberetur materiæ informatæ ab vna forma, imo potius deberetur ipsi negatio ipsius,quia vna forma exigit connaturaliter ablationem alterius formæ non subordinatæ.

62. *Obiici* præter hæc possunt aliqua loca Scoti, quibus oppositum conclusionis videri posset tenere; nam in 4 *l.*10.*q.*2.*n.*4.dicit non posse plures formas esse in eadem materia:quòd etiam insinuat in *secundo dist.* 2. *q.*7. *n.*4. & 4.*d.*11.*q.*3.*n.*33.

*Respondetur* illis locis nihil eum docere ad propositũ: nam in primo loco solum proponit difficultates contra conclusionem suam,& ad illas postea respondet. Neque quoties aliquis Doctor proponit obiectiones contra suã conclusionem, existimari debet ipsemet tenere omnes propositiones quas assumit in illis, vt manifestum est: quare miror illum locum adduci ad propositum hoc ab vllo Scotista. In aliis duobus locis supponere quidem videtur formas substantiales non subordinatas esse incompossibiles:sed intelligendus est quantum ad potentiam ordinariam, non quantum ad absolutam, de qua nullam facit mentionem.

## QVÆSTIO IV.

### *An vna forma substantialis possit simul esse in duabus materiis.*

63. OMnes qui negãt materiam posse esse simul sub pluribus formis, negant etiam vnam formam esse posse in pluribus materiis. Imo & aliqui etiam ex illis, qui concedunt materiam posse esse sub pluribus formis, negant tamen formam posse esse in pluribus materiis simul,vt *Suares* supra,& *Mastrius disp.*5.*q.*7. qui tamen distinctione vtitur, asserit enim vnam formam posse esse in pluribus materiis discontinuis inadæquatis, quas scilicet continuatas posset informare, propter exemplum S.Dionysij Areopagitæ, qui gestasse caput suum abscissum legitur, & eodem capite prædicasse populis:quod facere nequiret, nisi anima esset simul in capite, & reliquo corpore ; negat vero eandem formam posse esse in pluribus materiis adæquatis. Vocat autem materiam adæquatam, illam integram, quam petit forma connaturaliter informare, vt est corpus humanum respectu animæ ; materiam vero inadæquatam vocat partem materiæ adæquatæ.

## CONCLVSIO.

64. *Eadem forma informare potest simul,& semel duas materias etiam adæquatas, hoc est tales, cum quibus potest facere vnum per se completum de potentia absoluta, non vero de ordinaria.* Hanc quoad secundam partem de potentia naturali tenent omnes,& patet tum experientia, tum quia vna materia non potest naturaliter subesse pluribus formis adæquatis simul, nec vnum corpus in pluribus locis. Quoad primã vero partẽ de potentia absoluta, eam expresse tenet *Ruuius*, & *Amicus* hic, & ex Scotistis *Sghegma*,& est conformis ad resolutionẽ quæstionis præcedentis, ac ad ea, quæ diximus in Logica, ostendentes non implicare, quod idem accidens possit esse in pluribus subiectis simul de potentia absoluta. Eadem forma potest simul informare duas materias.

*Probatur* autem quoad hanc partem, quia vnum corpus potest esse in pluribus locis simul de potentia absoluta, & vna forma accidentalis in pluribus subiectis, & vna materia sub pluribus formis, & vna subsistentia potest afficere plures naturas : ergo & vna forma potest esse de potentia absoluta in pluribus materiis. Probatur consequentia, quia eadem prorsus est ratio, & qui soluere poterit contradictiones, quæ afferuntur contra antecedens, poterit eadem facilitate soluere illas quæ adducuntur contra consequens: ergo æque debet tenere vtrumque.

*Confirmatur*, quia de facto naturaliter loquendo eadem anima rationalis reperitur in pluribus subiectis realiter distinctis, ac loco dissitis, vt in capite & pede, estque de essentia diuersorum specie corporum : ergo de potentia absoluta potest etiam informare diuersa corpora disunita ac completa. Quæ sane confirmatio mihi est valde magni momenti, nam quod diuersa subiecta, quibus anima inest, sint continuata ac incompleta, non sufficit pro disparitate, saltem in ordine ad diuinam potenttiam;nec enim illa diuersa corpora verbi gratia caput, & pes, sunt incompleta essentialiter & physice, quandoquidem non possint physice,& essentialiter compleri vlterius, licet possint compleri vlterius integraliter, quia possunt coniungi cum aliis partibus integralibus, ex quibus resultat aliquod ens integraliter completum, nempe homo.

*Confirmatur vlterius*, quia quemadmodum naturaliter eadem numero anima rationalis potest informare duo corpora distinctæ rationis continuata inter se, ita omnino videtur,quod eadem forma aquæ posset informare duas partes materiæ primæ saltem continuatas, quod sufficeret pro conclusione. Quod si posset etiam illas continuatas informare, profecto posset & discontinuatas,quemadmodum eadem anima secundum plures ex aduersariis,speciatim *Mastrium*, potest illas partes discontinuatas informare simul, quas simul posset informare continuatas,vt patet in exemplo S.Dionysij.

65. *Probatur secundò* principaliter conclusio,quia nõ est repugnantia, quod vna forma simul informet duas materias etiam adæquatas in sensu conclusionis: ergo asserendum est de potentia absoluta id fieri posse:consequentiam admittunt aduersarij.Probatur antecedens soluendo implicantias,quæ adducuntur ab ipsis.

*Prima est*,quam afferunt *Complutenses*,quod si forma ex se non possit naturaliter informare duas materias, non poterit etiã supernaturaliter id facere, nisi aliquid addatur,per quod possit:sed nihil potest addi,per quod id possit,ergo non potest simul informare tales materias.Sed hoc argumentum probaret æque, quod vnum corpus non possit esse in pluribus locis supernaturaliter contra ipsosmet Complutenses. Sed positiue.

*Respondeo*,vt supra respondi, multa posse fieri supernaturaliter per aliquã rẽ,quæ naturaliter nequeat facere,absque superadditione alicuius præter concursũ supernaturalem Dei,& terminum eius ; qualis concursus adesset in proposito cum termino suo, nẽpe concursus productiuus vnionis secũdæ in forma ad materiã alteram, & ipsamet vnio, quæ est terminus eius ; ac etiam secundum totum, quod resultaret ex anima, & altera materia.

Secunda

*Secunda implicantia* est ex *Mastrio*, quod sequeretur formam esse infinitæ virtutis, quia qua ratione posset informare duas materias, posset infinitas, si darentur, & hoc argueret in ipsa infinitatem virtutis informatiuæ, quæ est perfectionis. Fusissimè proponitur, & confirmatur hæc implicantia à prædicto authore, sed meo iudicio nihil vrget.

*Respondetur enim primo* quod sequeretur vnum corpus non posse poni in pluribus locis, quia posset in infinitis, & si est perfectionis in forma informare posse plures materias, est etiam perfectionis in corpore posse implere plura spatia; ergo æque sequeretur infinitas perfectionis in corpore ac in forma, contra ipsummet *Mastrium*.

*Dices cum Mastrio* disparem esse rationem, quia corpus in ordine ad plura loca mere passiue se habet, nullumq; habet exercitium virtutis in eorũ acquisitione: sed forma in informando exercet virtutẽ informatiuã.

*Contra*, quia corpus respectu locorum exerceret virtutem repletiuam tam bene, quam forma virtutem informatiuam.

*Deinde* eatenus corpus mere passiue se haberet ad plura loca, quia haberet esse in illis formaliter à pluribus vbi productis à solo Deo in genere causæ efficientis: sed forma etiam in pluribus materiis haberet esse per plures vniones, quæ à solo Deo produceretur: ergo mere passiue se haberet tam bene, quã corpus & consequenter à primo ad vltimum disparitas data nõ sufficit.

*Alia instantia* posset dari contra hanc implicantiam de ipsa materia, quæ secundum *Mastrium* potest recipere plures formas, atque adeo infinitas, si darentur, sine infinitate perfectionis, cum tamen reuera si sit maioris perfectionis in forma informare plures materias, sit etiam maioris virtutis in materia esse informabile à pluribus formis, & posse simul constituere plura tota: ergo vel tenendũ quod materia nequeat recipere plures formas, non obstante hac ratione, vel admittendum est vnam formam posse, ea non obstante, informare plures materias.

67. *Respondeo secundo*, directe negando sequelã, quia vel non arguit maiorem perfectionem in forma simul & semel informare duas materias quam vnam, atque ideo informare infinitas, si darentur, non argueret infinitam perfectionem in illa, vt est euidens; vel si arguat maiorem perfectionem, quamuis possit plures informare, non tamen poterit infinitas, sed limitabitur ad certum numerum, vltra quem simul nequeat plures informare. Cuius exemplum habemus clarum in virtute intellectiua, quæ licet posset plura simul intelligere ex vi sua naturali, non tamen posset infinita, sed limitatur ad certum numerum, quia intelligere plura supponitur arguere perfectionem maiorem, atque adeo intelligere infinita argueret infinitam perfectionem; ergo quamuis posset forma informare duas materias, non posset tamen infinitas, si informare plures argueret maiorem perfectionem. An autem arguat maiorem perfectionem in forma informare plures materias, est impertinens ad hanc difficultatem: & idem dicendum, quod dicitur de corpore respectu plurium locorum.

*Confirmatur hoc* vlterius exemplo animæ rationalis, quæ potest varias partes corporis informare naturaliter: quæro ergo, an ex eo quod possit plures partes categorematicas ac determinatas informare, possit infinitas, si darentur? Si dicatur quod non: ergo similiter non sequitur, quod si vna forma possit plures materias informare, possit informare infinitas: quæ consequentia videtur euidens à paritate rationis. Si dicatur quod possit: ergo quemadmodum anima potest informare infinitas partes determinatas, si darentur, absque infinitare virtutis, poterit vna forma informare infinitas materias absque infinitate virtutis. Quæ etiam consequentia videtur euidens non minus quam præcedens. Vnde corruit totaliter vis huius implicantiæ.

68. *Tertia implicantia* est, specialiter de formis dependentibus à materia, quia sequeretur, quod talis dependeret, & non dependeret à secunda materia, nam dependet totaliter & adæquate à prima materia.

*Respondeo* negando sequelam, quia posset poni in pluribus, vel sic, vt dependeret totaliter ab vna, & non dependeret vllo modo à secunda licet vniretur ipsi, per vnionẽ tamen, à qua non dependeret quoad existentiã; vel sic vt nec ab vna, nec ab altera depẽderet, licet vtrique vniretur, nec enim est necesse vt forma materialis dependeat à materia in fieri, vt patet ex eo; quod posset à Deo produci absque materia vllo modo: vel denique ita vt dependeret ab vtraque, sed partialiter à qualibet ex illis, & à nulla adæquate: non ergo sequitur necessario, ex eo quod esset in pluribus adæquatis, quod dependeret & non dependeret ab vlla ex illis, aut ab omnibus simul.

*Quod si quæras*, an sit idem numero compositum, quod sequeretur ex materiis pluribus, in quibus inesset eadem forma. Ex duabus materiis & vna forma fierent plura individua.

*Respondeo*, quidquid dicant alij authores tenẽtes nostram conclusionem, quod non, sed essent plura numero distincta pro distinctione materiarum: sicut enim, si eadem forma successiue informaret duas materias, non sequeretur ex ea vnum numero individuum, eodẽ modo prorsus dicendum, si simul esset in illis, vniuersaliter enim compositum est distinctum numero à quolibet alio, quoties vel forma ipsius est distincta numero à forma alterius, vel materia ipsius est distincta numero à materia alterius. Ad quod conducunt, quæ dixi quæstione præcedenti de distinctione specifica compositorum ex eadem materia & plurimis formis in ea positis.

69. *Obiicies Scotum. 3. d. 1. q. 2.* dicentem expresse ita impossibile videri vnum accidens esse in duobus subiectis, sicut vnam formam substantialem esse in duabus materiis; igitur si necessario sequitur infinitas ex eo, quod vna forma substãtialis sit in pluribus materiis, necessario sequitur infinitas ex eo, quod vnum accidẽs sit in pluribus subiectis: ergo Scotus tenet vniuersaliter nullã vnã formã posse esse simul in pluribus subiectis.

*Respondeo* negando consequentiam quia Scotus non negat aut vnam, aut alteram formam posse esse in pluribus subiectis, neque asserit inde sequuturum, quod alterutra esset illimitata, sed dicit quod si sequeretur infinitas vnius, sequeretur etiam alterius, & hoc sufficiebat eius intento, quod erat impugnare responsionem Varronis, in qua ponebatur aliqua differentia inter formam quæ substantialiter constitueret, & quæ accidentaliter aduenìret, vt patet ex contextu. Vide quæ dixi in Logica, de Accidente prædicamentali.

## QVÆSTIO V.

### *An eadem actione qua conseruatur forma in materia conseruaretur absque materia.*

70. SVppono hic formam habere suam propriã existentiã non minus quam materia habet, ac proterea quemadmodum materia potest conseruari absque forma ex dictis supra, ita formam posse etiã conseruari absque materia; quod quidẽ naturaliter contingit in anima rationali, quæ est indepẽdens in esse & cõseruari à materia; in aliis vero formis, quæ educuntur ex potentia materiæ non contingit naturaliter, quia alias non educerentur, sed bene posset contingere supernaturaliter, cũ in hoc nulla sit implicantia, sicut non est implicantia, quod accidentia Eucharistica, quæ à suo subiecto educta sunt, de facto cõseruentur extra subiectũ. Quod exemplũ ostendit formas etiã substantiales eductas posse similiter conseruari absque materia, nec negatur ab vllis Peripateticis aut Catholicis. Examinandũ ergo hic remanet, an si conseruarentur miraculose, destructo subiecto, aut vnione earũ ad subiectum, eadem actione qua ante, an diuersa, conseruarentur. Forma substantialis potest conseruari absque materia supernaturaliter.

*Prima sententia* est eodem modo, quo supra diximus materiam posse conseruari absque forma eodẽ influxu, quo conseruatur, quando habet formam, ita etiam formas eodem influxu conseruari posse sine materia, quo conseruantur, quando sunt in materia. Ita *Mastrius*

*disp.2.q.3.* affirmans esse Scotistarum cum *Scoto in 4. d. 12.qu. 1.*

*Secunda sententia* tenet formas materiales, quæ dependent à materia in fieri & conseruari, non posse cõseruari eodem concursu, quo conseruabantur in materia, sed necessario aduenire debere concursum aliquem nouum, qui suppleat defectum concursus, quo conseruabantur à materia. Ita *Auersa qu. 21. sect. 4.* & Thomistæ communiter, quorum plurimi vltra concursum effectiuum Dei requirunt etiam modum aliquem positiuum communicari formis, quando conseruantur absque materia, quem vocant perseitatis modum, qualem etiam attribuũt accidentibus Eucharisticis, & omnibus, quæ separata à subiectis conseruantur. Sic tenet *Ruuius* hic *qu. 5.* ac alij plures.

## CONCLVSIO I.

Anima rationalis eodem concursu in & extra subiectũ conseruatur.

71. *Anima rationalis conseruatur extra corpus eodem ipso concursu, quo conseruabatur in corpore absque concursu aliquo particulari ipsi superaddito, aut modo aliquo positiuo.* Hæc quoad primam partem debet esse communissima, & probatur facile, quia est independens à corpore in omni genere causæ influentis: ergo eodem concursu continuato, quo conseruatur in corpore, conseruatur extra corpus. Secunda pars est Scotistarum omnium, & videtur esse contra Thomistas; Probatur autem per illa principia, quibus probauimus in Logica, accidentia absque tali modo superaddito posse cõseruari: & ratio sufficientissima est, quod haberet esse per se destructa solummodo vnione ipsius ad corpus, & quod propterea superflue poneretur modus vllus positiuus perfeitatis à quo habere sic existere.

## CONCLVSIO II.

Formæ eductæ non conseruantur eodem concursu in & extra subiectum.

72. *Formæ eductæ non possunt conseruari eodem concursu extra subiectum, quo conseruabantur in subiecto, bene tamen possunt conseruari absque modo superaddito perfeitatis.* Hæc est contra *Mastrium* supra, & plures Thomistas; *secunda vero pars patet* ex dictis conclusione præcedenti, quia non solum non esset necessarius ille modus, sed omnino superflueret.

*Probatur prima pars*, quia si concursus ille Dei, quo conseruat eas in subiecto, esset se solo sufficiens ad conseruandas formas absque subiecto, esset etiam sufficiens se solo ad conseruandas ipsas, dum sunt in subiecto, vt est euidens: sed non est sufficiens ad conseruandas illas, dum sunt in subiecto; ergo. Probatur minor, quia si esset sufficiens absolute & simpliciter, sequeretur quod non dependerent à materia, dum sunt in materia, nec quoad esse, nec quoad conseruari, & consequenter sequeretur, quod non essent eductæ, contra suppositum conclusionis. Probatur sequela, alias depẽderent, & non dependerent adæquate à Deo; non dependerent quidem, quia dependent etiam à materia; dependerent autẽ, quia effectus adæquate dependet à causa, quæ habet actionem, per quam solam adæquate poneretur: sed Deus haberet actionem circa formam, dũ existit in materia, per quam solam adæquate poneretur, quamuis non esset concursus vllus materiæ aut alterius causæ: ergo dependeret adæquate à Deo.

Et sane, qui negaret hunc discursũ, posset negare esse inconueniens, quod idẽ effectus dependeret simul ac semel à duabus causis totalibus, contra manifestã doctrinam Scoti pluribus locis, & contra rationẽ. *Nec sufficit dicere cum Mastrio*, quod cõcursus Dei, quo producit in materia, sit sufficiens quoad substantiã, & insufficiens solum quoad modum, quia materia actu concurrit ad substantiam formæ producendã, ergo non sufficit concursus Dei ad substantiã. Adde non posse ostẽdi ad quẽ modũ formæ requiritur concursus materiæ. *Nec valet dicere* cum eodem, quod quamuis concursus Dei sit sufficiens, concursus creaturæ tamẽ nõ sit superfluus, licet non sit necessarius; nam illud est superfluũ ad ponendũ rem, sine quo res de facto necessariò poneretur, & quidẽ æque facile: sed si concursus Dei sit sufficiens, eo solo posito, necessario poneretur forma, & quidem æque facile: ergo concursus materiæ esset superfluus, imo esset impossibilis, ex principiis illis, ex quibus colligitur effectum dependentem adæquate ab vna causa nõ posse dependere nec partialiter ab altera.

73. *Nec etiam sufficit dicere*, quod ab actione illa conseruatiua Dei dependet adæquate in genere causæ effectiuæ, & à concursu materiæ dependet in genere causæ materialis, & quod non sit absurdum eundem effectum dependere adæquate à pluribus causis in diuerso genere causæ, licet sit absurdum, quod dependeret adæquate à pluribus causis in eodem genere. Hoc, inquam, non sufficit, quia licet dependere possit effectus à pluribus causis diuersi ordinis sic, vt à qualibet adæquate dependeat in suo ordine, non tamen potest ab illis dependere sic, vt ab vnaquaque dependeat adæquate simpliciter, ita vt actio vnius solius sufficeret sine actione alterius, quia sic dependeret & non dependeret ab altera; vnde nec de facto actio intellectus sola est sufficiens vt ponatur intellectio, nec actio obiecti solius, sed vtraque requiritur, & ab vtraque dependet intellectio, quod si vna sola sufficeret, profecto altera esset superflua, imo & secundum *Scotum* impossibilis.

74. *Confirmatur hoc*, quia potest optime colligi, quod aliquis effectus non dependet naturaliter ab aliqua causa, si videatur, quod alia causa ponat omnia, quæ sunt necessaria ad effectum, & quibus actu poneretur effectus, quamuis altera illa causa, non poneretur actu: ergo si actio illa Dei est talis naturæ, vt per eam poneretur forma, quamuis materia non poneretur, vt dici debet in aduersa sententia, omnino debet dici, quod non depẽdeat forma à materia. Et sane hinc optime colligitur, quod anima rationalis non depẽdeat in fieri à materia, licet non producatur, nisi in materia, quia concursus, quo ponitur à Deo, est se solo sufficiens, & eo posito poneretur anima, quamuis non esset materia.

*Confirmatur secundo*, quia res actu non dependet ab aliquo, quo non posito poneretur positis reliquis, quæ ponuntur, modo reliqua possint absque illo poni: sed posito concursu Dei secundum aduersarios absque materia, aut eius concursu (quemadmodum secundum aduersarios poni potest) esse t forma: ergo non depẽdet forma à materia, aut eius influxu, contra hypothesim conclusionis.

75. *Probatur secundo conclusio*, quia concursus Dei, quo conseruatur in subiecto, est volitio, qua vult ipsum producere cum dependentia à subiecto, & in hoc distinguitur concursus, quo Deus producit animam in subiecto, à concursu, seu actione, qua formas eductas producit in subiecto se solo effectiue, verbi gratia, formas cælorum, ac animas vegetatiuas, ac sensitiuas irrationales secundum *Scotistas*: concursus autem, seu actio, quo producit, aut conseruat eas extra subiectũ, est volitio, qua vult illas producere absque subiecto: sed certum est illas duas volitiones distingui formaliter, & quod distinguerentur etiam realiter, & inter se, & à Deo, nisi fuisset propter infinitatem, ac immutabilitatem Dei, ex qua etiam prouenit quod volitio, qua vult producere leonem ac hominem, non sint distincta realiter, quandoquidem potest Deus eadem volitione reali sua facere, quod faceret distinctis volitionibus limitatis, si esset capax talium.

Quod si non dicatur ille concursus esse volitio Dei formaliter, certe debet esse aliquid specialiter dependens ab illa volitione, & per ordinem, ad quod illa volitio debet posse saltem à posteriori distingui ab omni alia volitione Dei formaliter considerata: sed hoc æquè sufficit ad propositum, quandoquidem illud, per quod volitio, qua vult Deus producere aliquid cum dependentia à subiecto, distinguitur ab illa, qua vellet ipsum producere sine subiecto, debet distingui ab illo, per quod altera volitio distinguitur.

76 *Obycit Mastrius*: inuariato principio, & termino non variatur actio: sed forma extra subiectum, & in subiecto secũdum se est eiusdẽ rationis, & Deus est eiusdem

ratio

rationis:ergo actio Dei, quando forma est in subiecto, & extra subiectum est eiusdem rationis.

*Confirmatur*, quia conseruatio non distinguitur realiter à prima productione, quando causa conseruans & producens est eadem: ergo conseruatio, qua Deus conseruat formam extra subiectum & in subiecto, est eadem.

*Confirmatur secundo*, quia si non sufficiat illa actio, qua conseruabatur in subiecto ad formam conseruandam extra subiectum,ergo debet desinere illa prima actio, & succedere secunda,& consequenter debet desinere ipsa forma contra suppositum conclusionis; in ea enim supponitur formam semper continuari.

*Respondeo*: inuariato principio adæquato, transeat maior; principio partiali, nego maiorem, & concessa minori,nego consequentiam,quia Deus non est principium adæquatum formæ, quando producitur, & conseruatur in subiecto cum dependentia ab ipso.

*Confirmari potest* hoc vulgari exemplo, quia quando duæ causæ creatæ efficientes, verbi gratia, duo ignes concurrunt ad producendum alium ignem, qui à quolibet ex illis se solo posset produci, quilibet ex illis habet actionem distinctam ab illa actione,quam haberet, quando se solo produceret illum ignem, & tamen terminus & principiũ sunt eiusdem rationis: ergo non est verũ vniuersaliter, quod quando terminus & principiũ sunt eiusdem rationis,actio debet esse eiusdem rationis.

*Deinde* posset responderi alio modo: quando terminus est idem & eodem modo dependens,concedo:quando diuerso modo dependet, nego maiorem,& concessa minori, distinguo consequens:si terminus est eodẽ modo dependens,concedo;si non,nego.In casu autem nostro terminus non est eodem modo dependens: nam dum est in subiecto,dependet à Deo, & subiecto; dum non est in subiecto, dependet à solo Deo.

*Posset etiam tertio responderi* distinguendo maiorem alio modo:quando principium agit omnino necessario, concedo;quando agit libere,nego. In casu autem nostro principium est liberum,nempe Deus, atque adeo potest vel actione huius rationis, vel illius producere eundem effectum sicut potest formam in subiecto producere, vel extra subiectum; quod non competeret ipsi, si esset agens necessitatum ad agendum, nam eodem modo semper produceret ipsam.

*Ad primam confirmationem respondeo* distinguẽdo antecedens: quando causa conseruans, & producens est eadem,& adæquata,dum conseruat ac producit,concedo;quando est inadæquata ac partialis dum producit,& adæquata ac totalis dum conseruat, vt contingit in casu nostro,nego antecedens & consequentiam.

*Ad secundam confirmationem*, transeat prima sequela, & nego secundam,quia vt desineret,deberet esse verum pro aliquo instanti, quod non esset:in casu autem nostro, quamuis sibi inuicem succederent aliæ & aliæ actiones, tamen sic succedunt, vt non relinquant formã pro vllo instãti absque aliqua actione,& consequẽter forma nũquaã desinit.Quod etiam cõfirmari potest exemplo effectus producti ab vna causa, & conseruati absque intermissione per alteram:nam quamuis actio productiua sit destructa,succedente altera conseruatiua alterius agentis, tamen effectus semper conseruatur, & nunquam desinit; & exemplo effectus producti à duabus causis, & conseruati ab vna intendente vires suas, ac augente actionem.

79.*Dices cum Mastrio*: licet possit fieri,quod causa secunda possit augendo actionem conseruare effectũ productũ à se & alia,nec posset hoc facere,nisi aucta actione,aut posita alia noua maiori,quã adhibuit primo; tamen non est ita discurrendum de Deo, cuius actio quæcumque sufficere debet, vt se solo faceret, quod faceret cum causa secunda, quia aliàs dependeret actio ipsius à causa secunda, quod videtur derogare perfectioni eius.

*Respondeo* negando,quod actio Dei, qua aliquid cum causa secunda facit,debeat esse talis naturæ,vt possit facere se sola illud,quia aliàs nihil faceret causa secunda: nec est inconueniens, quod actio Dei dependeat à causa secunda,quando est actio factiua cum causa secunda, & quando Deus ex sua liberalitate vult admittere concursum causæ secundæ.

*Confirmatur*, quia certum est, quod concursus Dei, seu actio, qua vult producere compositum, dependeat necessario, à concursu causæ secundæ materialis & formalis,quia implicat vt sine illis faciat compositum:ergo non est inconueniens, quod aliquis concursus Dei dependeat ab aliqua causa secunda.

80. *Dices secundo* cum eodem *Mastrio*,quando dicitur,quod idem concursus diuinus non sufficeret, vel fit mentio de concursu diuino materialiter,seu fundamentaliter sumpto, & hic cum sit ipsa voluntas diuina, vel velle diuinum,est sufficiens; vel fit mentio de illo concursu formaliter, quatenus dicit terminationem dependentiæ effectus, & hæc etiam sufficit ad positionem & conseruationem effectus.

*Respondeo* negando, quod sit idem velle diuinum formaliter, quo vult conseruare formam cum dependentia à causa materiali, & quo vult producere ipsam sine tali dependentia:sicut non est idem velle formaliter, quo vult decernere Incarnationem in carne passibili,& Incarnationem quoad substantiam, in sententia *Scoti*. Et sicut non sufficeret decretum, seu velle diuinum, quo vult Incarnationem quoad substantiam ad ponendam illam cùm passibilitate:ita non sufficeret decretum, seu velle quo vult producere formam cum dependentia à subiecto ad producendam ipsam sine dependenria à subiecto.

*Deinde* negatur esse eandem terminationem dependentiæ formæ à Deo, quando producitur extra subiectum & in subiecto, quia quando producitur extra subiectum, Deus terminat adæquate dependentiam eius; & quando producit ipsam in subiecto, non terminat dependentiam eius adæquate.Ex quo patet hanc replicam ex omni parte deficere. Itaque vno verbo, neque velle diuinum, quo vult producere formam dependentem à subiecto, sufficeret vt produceretur extra subiectum: neque est eadem terminatio dependentiæ formæ in Deo, quando producitur dependenter à subiecto & sine subiecto.

81.*Obiicies vltimo Scotum* supra, qui videtur dicere, quod eadem actione conseruetur forma extra subiectum & in subiecto. *Respondeo* eum nihil aliud velle, quam quod eadem actione conseruetur sic, vt non requiratur aliqua alia specialis actio, per quam produceretur modus positiuus perfeitatis: quod vltro fateor,& non præiudicat conclusioni vllo modo.

Accidentia educta non conseruantur eadem actione in & extra subiectum.

*Ex hac resolutione* patet etiã accidentia educta è potentia subiecti,quę conseruarentur à Deo absque subiecto,non eadem actione conseruanda, qua conseruarentur in subiecto,contra eundem *Mastrium disputatione.3. quæst.4. artic.* 2. est enim eadem ratio prorsus de illis, ac de formis substantialibus eductis. Dixi autem *accidentia educta*,quia accidentia creata, vt sunt secundum *Scotistas* communiter habitus supernaturales in substantia, eadem actione conseruari possent extra subiectum, qua conseruantur dum sunt in subiecto, sicut diximus de anima rationali, de qua & de illis quantum ad hoc est eadem ratio.

An forma dicat aptitudinẽ ad materiam.

*Quæri posset*, an forma dicat potentiam, & aptitudinem ad materiam,& an illa sint de essentia eius, ac terminetur ad omnes materias. Sed eodem modo discurrendum,quo discurrimus supra de potentia & aptitudine materiæ.

82.*Quæri etiam posset*,an sit ita actiua,vt non sit etiam vllo modo passiua.*Respondetur* breuiter, quod sit passiua, hoc est receptiua suarum propriarum passionum ac relationũ similitudinis & dissimilitudinis,ac vnionis ad materiam,ac mutationis localis;& etiam, quod sit ratio quare compositũ recipiat connaturaliter has qualitates potius quam illas:nã non est dubium quin forma ignis sit principium physicum, quare ignis recipiat connaturaliter calorem potius,quam frigus, neque enim id oritur

ex materia, quæ ex se est indifferens ad vtrumque: & similiter forma aquæ est principium physicum, cur aqua recipiat violenter calorem potius, quam frigus; & forma cæli est principium, cur cælum moueatur naturaliter motu suo circulari.

# DISPVTATIO V.

## DE PRIVATIONE ET VNIONE.

IN hac Disputatione consequenter ad tractatum de duobus principiis corporis naturalis agitur de tertio principio, quod diximus supra esse Priuationem: & quia de eo paucissima hic examinanda sunt, ne disputatio breuior esset, agendum etiam videbatur in ea de vnione, quæ requiritur, vt forma tollat priuationem, & vt sequatur compositum, de quo agendum erit disputatione sequenti.

### QVÆSTIO I.

*Quomodo Priuatio principiet corpora naturalia.*

1. SVppono priuationem secundum omnes esse carẽtiam formæ in subiecto apto habere formam, & consequẽter distingui solũ à negatione per connotationẽ istius aptitudinis: vnde etiã sequitur, quod priuatio duobus modis possit tolli à subiecto, primo per positionẽ formæ, qua priuat; secundo per ablationem istius aptitudinis, si auferri possit sine destructione subiecti.

*Suppono secundò* ex dictis in Logica in disputatione de ente rationis, priuationem non esse ens rationis, cũ sit in rebus independenter ab omni operatione intellectus & potentiæ cuiusuis vitalis; an autem debeat dici ens reale priuatiuum, est quæstio de nomine: & si intelligatur per ens reale priuatiuũ aliquid, quod non est ens rationis, nec ens reale positiuum, melius dicitur, quod sit ens reale priuatiuum: imo potest dici absolute & simpliciter ens reale, quatenus ens reale opponitur enti rationis, seu quatenus omne illud dicitur reale, quod non est ens rationis. Sumit autem specificationem suam à forma, cui opponitur non intrinsece, quasi forma esset de eius essentia; sed extrinsece, quatenus ex eo, quod priuet tali forma, cognoscitur, quod distinguatur specifice à priuatione, quæ priuat alia forma speciei distinctę; tot autẽ debent dici esse priuationes, quot sunt formæ realiter distinctæ, quibus priuatur subiectũ: si enim vna sufficeret, adueniente vna forma nõ tolleretur priuatio, & sic forma & priuatio essent simul, quod implicat.

Quid requiritur ad priuationem.

2. *Suppono tertio*, vt aliquid habeat priuationem proprie dictam, non sufficere quod habeat carentiã formæ & aptitudinem remotam, quia alias catulus ante nonũ diem diceretur cæcus, id est priuatus visu, quod est cõtra communem modum loquendi Philosophorum, à quo in quæstione de nomine non est recedendum. Itaq; requiritur ad priuationem talis aptitudo, vt pro eodẽ instãti reali, pro quo dicitur res priuata, possit naturaliter habere formam priuatam, & si habeat aliquod impedimẽtũ, non magis petat naturaliter pro illo instanti habere illud impedimentũ, quam ipsã formam. Et hinc patet, cur catulus ante nonũ diẽ non dicatur priuatus visu ex eo, quod ante illum diem habeat impedimentum ne possit recipere visũ; materia vero habens formã ligni dicatur habere priuationem formæ ignis, quamuis habeat impedimentũ positiuum ne possit recipere formã ignis; nã disparitas est, quod catulus petat habere naturaliter istud impedimentũ ante illũ diem ita, vt naturaliter nõ possit habere visum ante illũ diem; materia vero nõ petat habere naturaliter potius formã ligni, quo impeditur à forma ignis, quam ipsam formam ignis: cuius indiciũ est, quod naturaliter pro illo instãti possit esse sub forma ignis tam bene quam sub forma ligni, licet per accidens sit sub forma ligni ex eo, quod antecedenter ad illud instans non fuerint applicatæ causæ productiuæ formæ ignis.

### CONCLVSIO I.

Priuatio non necessario præcedit generationem tempore.

3. *Non requiritur ad generationem, quod priuatio præcedat formam tempore in materia, neque extra materiam.* Hæc est conformis principiis *Doct. 2. d. 1. q. 2.* & eam sequitur *Auersa quæst. 10. de rerum principiis*; est autem contra Thomistas communiter, & contra *Mastrium disp. 4. quæst. 3.* quamuis forte in re quæstio sit de nomine.

*Probatur quoad primam partem*, quia generationem vermis ex speciebus sacramentalibus nõ præcessit tempore materia, quandoquidem, vt communiter tenent Theologi esse de fide, non sit vlla materia sub illis speciebus, ex qua fieret illa generatio, & consequenter à Deo miraculose producatur: ergo non præcessit priuatio in materia tempore istam generationem.

*Confirmatur*, quia si Deus produxit de nouo materiam sine vlla forma in instanti A. & in eodem instanti applicaret ipsi ignem taliter, vt posset formam suam in illa producere, fieret generatio ignis, & tamen non præcessisset illam tempore priuatio in materia, quandoquidem materia ipsa taliter non præcesserit.

4. *Et si dicatur* ad hæc, quod illæ actiones non sint generationes. *Contra*, quia non potest vllum prorsus discrimen intrinsecũ assignari inter actionem, qua ignis produceret formam ignis in materia tempore præexistente suam actionem, & actionem, qua produceret formam ignis in materia non præexistente: ergo si illa esset generatio, & hæc etiam erit generatio: quid enim conducit ad variationem actionis, quod materia præcesserit tempore vel non præcesserit; quando siue præcesserit, siue non præcesserit, semper habet eundem terminum ad quem, tam totalem, id est compositum, quam formalem, id est formam, præsertim cum forma etiam produceretur cum dependentia à materia tam in vno casu quam in altero.

*Confirmatur*, quia tam bene posset dici quod actio, qua produceretur aliquid ex materia prius habente formam ligni, distingueretur essentialiter, & specifice ab actione, qua produceretur aliquid ex ea, si prius haberet formam aquæ, quam quod actio qua producitur aliquid ex ea prius tempore existente, distingueretur specifice ab actione, qua produceretur aliquid ex ea non prius tempore existente: ergo sicut istud absurde diceretur, ita & hoc.

*Probatur vtraque pars*: in prima rerum creatione Deus potuit generare ignem, & tamen tum non præfuisset priuatio tempore, nec in materia, nec extra materiam, quandoquidem nec ipsum tempus præfuerit.

5. *Probatur secundò*, quia Deus ab æterno potuit generare aliquod compositum, cum in hoc nulla sit implicantia: sed in tali casu non præcessisset generationem illam priuatio in materia, nec extra materiam. Et quamuis aliqui negent hoc posse fieri, tamen reuera repugnantia non est ex parte generationis, quasi generatio essentialiter peteret, quod præcederet ipsam tempore priuatio: sed ex aliis capitibus, de quibus aliàs.

*Confirmatur*, quia potest optime intelligi, quomodo necessaria sit priuatio ad omnem generationem, & quomodo sit principium intrinsecum ipsius, quamuis non præcesserit tempore, vt statim ostendemus: ergo non est necesse vt præcedat tempore. Consequentia patet; quia ideo solum asseritur necessitas talis præcedentiæ, quia aliàs sequeretur, quod non esset intrinsecum & necessarium principium.

*Obiicies ex Mastrio*: productio qua produceretur compositum ex materia, in qua non præcessisset tẽpore priuatio, non esset generatio, sed creatio: ergo vt priuatio principiet corpora generata, debet præesse tempore.

*Confirmatur*, quia secundum *Scotum 4. d. 11. quæst. 4.* creatio & generatio differũt penes terminum à quo: sed creatio habet pro termino à quo negationẽ extra genus, quæ scilicet non insit vlli subiecto; ergo generatio debet

habere

habere negationem in genere, seu subiecto pro termino à quo.

*Respondetur* negando antecedens, cuius oppositum patet ex eo, quod ignis applicatus materiæ dispositæ posset ex ipsa producere alium ignem; sed non potest creare: ergo productio compositi ex materia non præsuppositæ tempore non necessario est creatio.

*Ad confirmationem dico*, quod generatio & creatio distinguantur penes terminum à quo, quatenus terminus à quo creationis, est negatio rei creatæ secundum se totam, ita, vt nec subiectum quidem ipsius præcesserit; terminus vero à quo rei generatæ sit negatio ipsius, non tamen ita quin præcesserit materia ipsius saltem naturâ, & quin etiam præcesserit aliquo modo negatio formæ ipsius in subiecto, seu materia eius.

## CONCLVSIO II.

Priuatio debet præcedere natura generationem, non positiue tamẽ.

7. *Ad generationem requiritur vt priuatio sit prius natura in materia, quam forma, non tamen positiue, sed negatiue.* Hæc est *Scoti* supra & *Auersæ*.

*Probatur*, quia præcedere debet formam aliquo modo, quandoquidem sit terminus à quo generationis: ergo cum non debeat præcedere tempore, debet præcedere natura.

*Confirmatur*, quia non potest intelligi generatio, vt mutatio est, quin intelligatur per ipsam materia transire à non esse formæ ad formã: ergo necessario debet prius intelligi non esse formæ in materia, quam ipsa forma, vt intelligatur generatio. Antecedens, præterquam quod patet ex definitione mutationis, probatur vlterius, quia si materia haberet formam ex se, non posset intelligi mutari ad formam ex se: ergo vt intelligatur mutari, debet intelligi non habere formam ex se: ergo debet intelligi sub non esse formæ quantum est ex se, & consequenter sub priuatione.

*Confirmatur secundo* quia aliàs priuatio non esset principium intrinsecum generationis.

8. *Dices* esse principium intrinsecum generationum, quæ modo naturali fiunt, non vero quæ supernaturaliter, aut à solo Deo fierent.

*Contra*, quia sic etiam posset dici quod forma, quæ præcedit formam generandam, esset principium generationis, & etiam priuatio ipsius, quod est secundũ omnes absurdum. Probatur sequela, quia tam necessario in generationibus, quæ à causis secundis modo naturali fiunt, alia forma præcedit formam generandam, quam priuatio formæ generandæ, & etiam tam necessario ponitur priuatio formæ destruendæ, quæ ante fuit, quam priuatio formæ generandæ: ergo tam erunt intrinseca principia generationis forma destruenda, & eius priuatio, quam forma generanda, & eius priuatio.

9. *Probatur secunda pars*, quia quidquid est positiue prius natura alio, est simul tempore cum ipso, omnia enim instantia naturæ clauduntur in vnico instanti reali temporis: ergo si priuatio sit prius natura positiue in materia, quam forma, erit simul tempore cum forma, & sic priuatio & forma ipsi opposita erunt in eodem instanti temporis, quod implicat.

*Confirmatur*, quia materia est prius natura positiue, quam forma, & simul tempore cum forma, & idem est de animali respectu rationalitatis, & cæteris omnibus: ergo quod est prius natura positiue quam aliud, est simul tempore cum illo.

*Probatur tertia pars*, quia si debet esse prius natura, & non sit positiue prius, debet esse negatiue prius.

*Confirmatur* explicãdo quid sit priuationem esse prius natura negatiue, quia hoc non est aliud, quam quod priuatio formæ reuera inesset materiæ pro instanti generationis, si non fuisset per generationem forma producta in ipsa: sed certum est, quod hoc sit verum: ergo certum est, quod priuatio sit prius natura negatiue in materia, quam forma, etiam in instanti generationis.

Priuatio principiat per suum non esse.

## CONCLVSIO III.

10. *Priuatio per hoc principiat, quòd non sit, seu vt alij dicunt, per suum non esse.* Hæc videtur esse magis communis, & probatur, quia tum principiat, quando educitur forma: sed quando forma educitur, priuatio non est, aliàs forma, & priuatio essent simul realiter: ergo.

*Et si dicatur*, illud quod non est non posse principiare.

*Respondeo* hoc esse verum de principio realiter influente, aut realiter constituente, non vero de principio, quod habet solum esse tale per hoc, quod sit terminus à quo, vt est priuatio.

*Dices*, ad hoc vt sit terminus à quo generationis, debet materia recedere ab ipso ad formam: sed iam dictum est quod non sit necesse vt sit priuatio in materia ad generationem: ergo non est necesse, vt materia transeat ab ipso, & consequenter non est necesse vt sit terminus à quo generationis.

*Respondeo* distinguendo maiorem, positiue vel negatiuè, concedo; positiue tantum, nego maiorem. Similiter distinguo minorem. Si autem quæras quid sit materiam negatiue transire de priuatione ad formam.

*Respondeo* non esse aliud, quam eam habituram fuisse priuationem si non habuisset formam, & non habere priuationem, quia habet formam.

## *ADDITIO.*

DOctrinam, quam propono hac quæst. num. 1. Mastrius disp. 2. Met. num. 275. asserit adeo aperte esse falsam, vt nec in meis propriis principiis consistere possit, quia secundum me disp. 18. Met. num. 6. ens quod directe opponitur enti rationis, est ens reale; vnde si priuatio dici potest ens reale prout ens reale opponitur enti rationis, sequitur priuationem esse ens positiuum.

Sæpe infeliciter mecum contendit Mastrius; sed vix vnquam quam hic infælicius, nam est euidens ex terminis, quod si caperetur ens reale sic, vt significaret quidquid opponeretur enti rationis, hoc est pro omni eo siue positiuo, siue negatiuo, quod non est ens rationis, quo sensu manifestum est me fuisse locutum in hac quæstione, negationes reales ac priuationes omnes, quæ non sunt entia rationis, deberent esse entia realia; nec hoc magis impugnari potest, quam totum esse maius sua parte.

*Deinde* licet ego concesserim in Metaphysica loco citato ens reale positiuum opponi enti rationis directe, non tamen dixi, nec potui dicere, quod negatio realis non etiam opponeretur ipsi, cum sit euidens, quod non sit, nec possit esse ens rationis; vnde illa consequentia Mastrij: ens reale positiuum est, quod directe & immediate opponitur enti rationis, & negatio dici potest ens reale, prout ens reale opponitur enti rationis: ergo est ens reale positiuum, nihil prorsus valet; quia non solum ens reale positiuum opponitur enti rationis; nec quando ego dixi, quod negatio esset ens reale simplicite, quatenus ens reale opponitur enti rationis, id intellexi de ente reali positiuo; sed sensus manifestus erat, & quem quicumque vel mediocris iudicij perciperet, quod capiendo ens reale simpliciter pro omni eo, quod opponeretur enti rationis, negatio esset ens reale.

*Deinde num.* 278. conatur probare quod negationes & priuationes non debeãt dici entia realia, nec absolute vt ego dixeram, nec cum addito nempe priuatiua, aut negatiua, vt dicunt alij; quia ens reale vt sic ex suo primario conceptu dicit quid positiuum: ergo implicat in adiecto dicere ens reale negatiuum. Probatur antecedens, quia positiuũ & negatiuum contradictorie opponuntur: ergo nedum opponuntur secundũ rationes positiui & negatiui; sed secundũm rationem ipsam entis, seu tanquam ens reale & tanquam non ens reale. Probatur consequentia, quia si non opponerentur in ratione entis realis, tũc non opponerentur vt pura affirmatio & pura negatio; tum quia negatiuum ita directe opponitur positiuo, vt tollat quidquid positiuũ ponit: sed in ratione positiui inuenitur ratio entis realis: ergo ens reale vt sic nõ inuoluitur in ratione negatiui; tũ tandẽ quia quærit quid dicat ratio illius entis, quod negatiuum appellatur, & quare negatiuũ & priuatiuũ appellatur; si enim tale dicitur quia

excludit omnem rationem entis realem, habetur intentum, quod est purum nihil, & quod abusiue dicatur ens negatiuum reale, cum potius deberet dici realiter non ens; si autem dicatur negatiuum, quia tollit formam oppositam, licet etiam in se aliquam entitatem habeat, hoc non tollit, quin sit ens positiuum intrinsecè & formaliter.

Quod hæ impugnationes Mastrij nihil prorsus concludant, nec faciant ad rem, condonandum est, quia proposuit improbare, quod improbari reuera nequit; sed impossibile aggredi non deberet.

Dico ergo ex suppositione, quã admittit ipse Mastrius, quod detur à parte rei ante opus intellectus negationes & priuationes, quæ nõ sint entia rationis, nõ posse quẽpiam rationis capacem dubitare; quin capiendo per ens reale, quidquid est à parte rei & nõ est ens rationis, negationes tam bene ac proprie vocari entia realia quam ipse Mastrius, & capiendo per ens reale negatiuũ & priuatiuum, quod est à parte rei, & nullam formalitatẽ positiuam includit, nõ posse controuerti, quin negationes & priuationes sint entia priuatiua & negatiua: nec aliud ego, & illi alij, quos impugnat Mastrius, intẽdimus quã hoc quod euidentissimũ esse confirmo: quia certe possent homines instituere has voces ens reale ad significandũ quodcũque, quod nõ est ens rationis, siue sit positiuum, siue negatiuum, & possent instituere has voces; ens reale priuatiuum & negatiuum ad significãdum negationes & priuationes reales, voces enim sũt ex instituto: sed si hoc fieret, esset verũ quod ego docui, & illi alij, quos Mastrius impugnat. An autem de facto sit illa institutio, est mera quæstio de nomine: sed nõ est dubitandi locus, quin, quod ego dixi, sit de facto etiã verum, quia dixi tantũ quod capiendo ens reale, prout opponitur enti rationis, hoc est prout tale diceretur, omne illud, quod nõ esset ens rationis, negationes & priuationes absolute & simpliciter possẽt vocari entia rationis. Quod etiã de facto sit illa institutio de ente reali priuatiuo & negatiuo, sufficiẽter probatur per consensũ Authorũ, qui illo modo loquũtur; quamuis generaliter nõ esset admissa ab omnibus: nam Authores particulares aliquando vtuntur modo loquendi nouo ad declarandos suos coceptus, & quando significant sufficienter, quod volunt, sæpe faciunt optime. Ex quibus facile patet impugnationes Mastrii esse cæteris suis simillimas; sed placet respondere sigillatim.

*Ad primam, Respondeo primò* quamuis de facto ens reale simpliciter acceptum dicatur de ente positiuo, tamen non inde sequi, quin si caperetur prout opponitur enti rationis, seu prout omne illud diceretur ens reale, quod non esset ens rationis, posset priuatio & negatio dici ens reale; hoc est autem quod ego dico, vnde prima hæc improbatio nihil facit contra me.

*Respondeo secundò*, directe negando consequentiam; quia sicut licet esse hominem ex primaria significatione significat illud, quod est animal rationale, tamen non sequitur, quin aliquid quod non est, nec potest esse tale animal, dicatur homo cum aliquo adiuncto ex quo detur intelligi, quod non significet tale animal, sed aliquid aliud, vt patet ex eo, quod aliquid, quod non est tale animal vocatur homo secundum quid, verbi gratia, homo pictus: ergo quamuis ens reale significet primario ens reale positiuum, potest tamen cum adiuncto, ex quo detur intelligi, quod non capiatur in illa significatione, dici de aliquo, quod non sit tale ens: sed tale additum est ly negatiuum, vel priuatiuum: ergo potest dici de priuatione, quod sit ens reale priuatiuum.

*Respondeo tertiò*, negando etiam consequentiam; quia quãuis ex primaria significatione significaret ens positiuũ, posset tamẽ ex secundaria significatione significare aliquid, quod nõ est ens positiuũ propter proportionem, quam haberet cũ ente illo reali positiuo, sicut patet de Ly *sano* & aliis similibus analogis: sed negatio aliquã habet proportionẽ cum ente reali positiuo, quatenus scilicet potest esse à parte rei absque fictione, tam bene quam ens positiuũ: ergo posset vocari ens reale ex secundaria institutione & quidẽ congruentissime, quando ageretur de distinctione ipsius ab ente rationis, & à fortiori posset vocari ens reale negatiuum aut positiuũ.

Quod vlterius confirmo, quamuis non sit necesse; quia ipsum ens ex prima sua institutione significat ens reale positiuum, & tamen potest dici & dicitur de facto de ente rationis cum particula denotante, quod non capiatur pro ente reali, verbi gratia, cum ly *rationis*: ergo idem dici potest de ente reali, quod cum particula denotante, quod non capiatur pro ente reali positiuo, dici possit de aliquo, quod non sit tale ens reale, non obstante sua prima institutione.

Ad probationem antecedentis adductam à Mastrio, concedo totum; quia sine dubio negatio opponitur enti positiuo in omni ratione positiua quam includit & cõsequenter negatio non dicet ens reale positiuum, nec aliquid positiuum in ente reali positiuo; nec vllus oppositum somniauit; sed inde non sequitur quin negatio possit dici ens reale negatiuum, quia per hoc non denotatur, quod aliquid positiuum inclusum in ente reali inuoluat; sed potius oppositum; nec sequitur etiam, quod non possit dici ens reale; non quidem prout ens reale significat quid positiuum reale, sed prout capitur pro omni eo, quod non est ens rationis.

Ad primam probationem consequentiæ ipsius, concedo quod negatio opponatur enti reali positiuo in ratione entis realis positiui & entis realis simpliciter, & secundum primariam institutionem; sed nihil inde sequitur ad propositum contra nos. Similiter etiam peccat secunda probatio consequentiæ, quæ tota posset concedi absque præiudicio aliquo nostro, sed respõdeo tamen aliter distinguendo consequens: ergo ratio entis realis vt sic, quatenus significat ex primaria institutione ens positiuum reale non inuoluitur in negatiuo cõcedo: ergo ratio entis realis negatiui non inuoluitur in ipso, aut ratio entis realis prout ex secundaria institutione significat omne illud, quod opponitur enti rationis, non inuoluitur in ipso, nego consequentiam, quia hæc ratio non necessario importat positiuum quid.

Ad tertiam probationem, Respondeo per ens reale, quod dicitur de negatiuo intelligi aliquid, quod est à parte rei absque fictione, & illud dici negatiuum, quia nihil positiuum in se includit, vnde excludit omnem rationem entis realis vt sic, prout ens reale ex primaria institutione significat ens reale positiuum; non vero excludit rationem entis realis negatiui magis, quã homo pictus excludit rationẽ hominis picti, licet excludat rationẽ hominis veri, nec excludit rationẽ entis realis absolute, prout tale dicitur omne, quod nõ est ẽs rationis.

## QVÆSTIO II.

*An, & quid sit vnio materiæ ad formam.*

11. OMnes concedunt materiam, & formam vniri debere inter se physice ac intime ad hoc, vt constituant totum per se substantiale, sed difficultas est, per quid formaliter vniantur, seu in quo cõsistat formaliter vnio ipsarum. Aliqui putant materiam & formam intime vniri seipsis, suppositis indistantia earum, ac intima præsentia, nec ad hoc requiri aliquam entitatem superadditam ipsis, qui esset modus absolutus, aut respectiuus. Ita *Occamus 1.d.30.q.1. Greg.d.28.q.2. Aureolus. 4.d.44. Caiet.3.p.q.art.7. Ioannes à S. Thoma q.6.a.3.* Alii vero tenent requiri aliquid tertium, quod sit nexus & vinculum earum: sic *Scotus 2.d.3.q.4. & in 4.d.12.* quem præter suos omnes sequuntur principaliores Thomistæ, & recentiores, quos citant & sequuntur *Complutenses disp.6.q.2. Auersa qu.19.sect.5. Arriaga disp. 4.sect. 1.* Inter hos autem authores est alia controuersia, an illud tertium sit respectus, vel modus positiuus absolutus. *Scotistæ* tenent, quod sit respectus, reliqui existimant, quod sit quid positiuum absolutum.

## CONCLVSIO I.

Vnio est quid distinctum à rebus vnitis.

12. *Requiritur aliquid distinctum realiter inter materiã, & formam per quod formaliter vniuntur.* Hæc est communior cum secunda sententia contra primam.

*Probatur*, quia impossibile est, aliquod prædicatum reale

reale competere aliquibus de nouo sine aliqua mutatione reali, vt de se est euidens : sed materiæ cõpetit de nouo esse realiter informatam à forma , & formæ esse realiter informantem, & vtrisque esse realiter vnitas,& constituentes totum : ergo fit aliqua mutatio realis , ratione cuius hoc ipsis de nouo competat : ergo aliquid de nouo fit , à quo habent istas reales denominationes: sed illud non potest esse aliud quam vnio , quæ sit realiter ab ipsis distincta ( capio autem hic distinctionẽ realem,prout comprehendit distinctionem modalem)ergo.

*Probatur secundo*:materia & forma possunt simul existere in rerũ natura sine eo,quod formaliter & intrinsece inter se vniantur : ergo non habent esse sic vnita à seipsis formaliter,quæcunque enim seipsis vniuntur,aut quomodocunque referuntur ad se inuicem , non possũt esse simul , quin ita vniantur & referantur : ergo vt formaliter vniantur , requiritur aliquid aliud ab ipsis ita distinctum,vt possint esse sine illo à parte rei : sed illud est,quod nos vocamus vnionem formalem : ergo datur inter illa talis vnio,

*Dices* sufficere , vt de nouo vniantur , quod ponatur vnio efficiens,hoc est actio agentis vnientis ipsa.

*Contra primo*,quia vel illa actio est in extremis vnitis, vel extra ipsa , si sit in ipsis , habetur intentum , quia conceditur aliquid dari inter ipsa, per quod vniantur,& sine quo non vnirentur ; si sit extra : ergo per illam nõ vniuntur:apparet enim absurdum, quod per aliquid extrinsecum illis vniantur.

13. *Contra secundo* , quia non potest dari actio noua realis de prædicamento actionis, de qua loquimur,quin sit terminus nouus realis per eam productus;nihil enim est aliud actio , quã id , per quod formaliter constituitur agens producens aliquid : ergo non potest agens habere actionem nouam & realem circa materiam & formam (si præexisterent non vnitæ , vt posset fieri secundum omnes)qua ipsas vniret,nisi aliquid inter ipsas produceret distinctum ab actione & materia ac forma.

*Dices* sufficere pro termino actionis totum compositum,quod constituitur per formam & materiam.

*Contra*,vel illud totum compositum est aliquid præter partes , vel non ; si sit , habetur intentum : si non, ergo nulla responsio , quia non ostenditur quomodo possit saluari noua actio.

*Dices* , illud non esse aliquid præter materiam & formam vnitas.

*Contra*, quia vel materia & forma vnitæ dicunt aliquid præter materiam & formam , vel non, & redit argumentum.

14. *Dices cum Caietano* , compositum dicere tertiam entitatem distinctam realiter à partibus , & illud per illam actionem produci, non tamen haberi intentum conclusionis, quæ vult aliquam vnionem præuiam ad tertiam entitatem.

*Contra*,quia efficiens non potest producere tertiã entitatem , nisi concurrentibus materia & forma , & consequenter iisdem applicatis sufficienter:sed non applicãtur ad constitutionem totius sufficienter , nisi vniantur, quia per hoc ipsum constituunt , quod inter se vniantur, ergo prius debet saluari vnio ipsorum quam compositum , & consequenter nulla responsio. Adde communiter ab aduersariis negari illam tertiam entitatem.

15. *Confirmatur* , quia debent necessario admittere vnionem inter albedinem & parietem,neque possunt illam saluare per illud de tertia aliqua entitate , cum non sit ibi vlla tertia entitas secundum vllum ex ipsis:sed si, vt paries & albedo vniantur , requiritur vnio distincta ab ipsis , etiam à paritate rationis requiritur , vt materia & forma vniantur, vt videtur euidens.

*Dices*,non posse quidem materiam & formam vniri de nouo , quin detur de nouo aliquid , quod non fuit ante;sed illud nouum non debere esse aliquid positiuũ, sed indistantiam, seu negationem distantiæ:vnde eo ipso , quo ponitur illa indistantia , materia & forma seipsis vniuntur.

*Contra* sic , illa indistantia esset vnio ipsarum,vel saltẽ conditio necessitans ad hoc , vt seipsis vnirentur ; sed hoc est falsum , vt dicemus conclusione sequenti : ergo & responsio est falsa , ex qua sequitur.

*Contra secundo* , quia ipsamet indistantia , seu præsentia intima est quid positiuum : ergo quamui in ea consisteret vnio , adhuc vera esset conclusio. Probatur antecedens tum quia ponitur per actionem nouã realem;tum quia ipsa distantia est quid positiuum, ergo & præsentia ; tum denique , quia secundum aduersarios ipsa distantia est negatio : ergo indistantia , seu præsentia non est negatio , quia alias vna negatio tolleretur præcise per aliam , quod implicat.

16. *Obijcies primo* : sequeretur quod non vnirentur immediate , & consequenter quod non facerent vnum per se, quod est absurdum.

*Respondeo* distinguendo sequelam , id est , sine aliquo ab ipsis realiter distincto , concedo:id est , sine aliquo quod prius informaretur à forma quàm materia , aut quod prius actuaret materiam vt *quod*,quam forma, nego sequelam , & consequentiam.

*Obijcies secundo* : sequeretur quod ipsa vnio vniretur per aliam vnionem , & sic in infinitum.

*Respondeo* negando sequelam, quia sicut quantitas nõ est quanta per aliam quantitatem , quia ipsa est ratio formalis faciendi quantum ; & sicut relatio alicuius ad aliud non refertur per aliam relationem ad illud aliud, quia est ratio formalis referendi ad illud ; ita vnio cùm sit ratio formalis vniendi materiam cum forma,non debet vniri per aliam vnionem ab ipsa.

*Confirmatur*,quia propterea colligitur quod sit requisita vnio distincta inter materiam & formã,quia possũt existere à parte rei sine vnione;& certe si nõ possent existere sine vnione,nõ deberet superaddi ipsis vnio distincta:sed sic est quod vnio nõ possit existere simul cũ materia & forma , quin vniatur vtrique vel alteri ex ipsis, nec è contra : ergo non debet dici , quod vniantur per aliam vnionem.Et hinc soluitur cur ipsa forma nõ possit dici seipsa vniri tam bene , quam vnio dicitur , & cur etiam forma & materia , quamuis possit existere sine vnione,non tamen vniuntur vnioni per aliam vnionem.

17.*Obijcies tertio*. Verbum diuinum vnitur naturæ humanæ siue vlla vnione ; neque enim potest esse capax vnionis , quamuis possit simul existere cum natura humana sine tali vnione:ergo quamuis materia possit existere simul cum forma absque vnione,tamen potest vniri ipsi sine vnione.

*Respondeo* distinguẽdo antecedens:sine vnione in ipso intrinsece subiectata,concedo:sine vnione ad ipsum terminata,nego antecedens. Vnde argumentum est ad oppositum:Verbum diuinum ex eo , quod possit existere simul cum natura absque eo quod vniantur , non potest ipsi formaliter vniri absque vnione, vel in se subiectata vel ad se terminata : ergo similiter dicendum est de materia & forma.

18. *Obiicies quarto*:vel illa vnio esset prior in materia quam forma,vel simul, vel posterior;primum & secundum nequit dici , quia respectus supponit extrema;si dicatur tertium , ergo superfluit , quandoquidem forma sit in materia absque illa.

*Respondet Mastrius*,quod sit posterius in materia , quã forma posterioritate naturæ , & tamen non superfluit, quia forma in illo posteriori non est in materia formaliter,sed fundamentaliter.

*Contra*,quia si est vllo modo in materia ante vnionẽ, est ibi secundum suum esse formale : ergo est ibi formaliter.

*Deinde* ad quid requiritur , quod sit ibi aliquo modo secundum suum esse formale?

*Respondeo* ergo aliter , quod vnio sit in materia priusquam forma , prioritate à quo , quia est ratio formalis ponendi formam in illa : neque est verum quod relatio vniuersaliter supponat extrema in esse aliquo , quando ab ipsa habetur formaliter , quod extrema habeant illud esse , de quo alias *lib.2. Physic.* dum agetur de causalitate efficientis & materialis causæ.

## CONCLVSIO II.

Vnio non est indistantia aut intima præsentia.

19. *Vnio materiæ & formæ non consistit in indistantian aut intima præsentia localiipsarum ; neque etiam in dispositionibus vllis præuiis , quibus præpararetur materia ad formam,quæ dispositiones essent formæ absolutæ,vt quantitas cum qualitatibus talibus vel talibus ; neque etiam ad illam indistantiam ac dispositiones sequitur necessario , quod aut seipsis,aut per aliam vnionem superadditam vniantur.* Hæc est contra Nominales. *Probat Arriaga* hanc conclusionem, quia mors hominis est corruptio substantialis, ergo aliquid substantiale debet perire:sed nihil perit prætet vnionem, ergo vnio , qua vniuntur partes hominis,debet esse quid substantiale , & consequenter non consistet in illis dispositionibus,& indistantia seu præsentia locali , quæ sunt accidentia.

*Hæc probatio non valet* , falsum enim est subsumptum non solum in nostra sententia,qui ponimus tertiam entitatem distinctam à partibus vnitis;quæ entitas est substantialis & perit pereunte vnione , quæ prærequiritur necessario ad illam ; sed etiam in opposita sententia id negante , quia licet in ea vnio esset accidens;& licet nõ periret vlla entitas simplex præter illam vnionem,tamẽ verum esset dicere , quod periret aliquid,de quo prædicatur quod sit substantia,verum enim esset dicere,quod periret homo,qui simpliciter dicitur substantia , neque corruptio hominis dicitur substantialis alia ratione,quã quod aliqua substantia per illam pereat hoc modo.

20. *Dices cum Arriaga*, licet dicatur tum homo periisse, hoc tamen reuera non esse aliud quam aliquid periisse,quod essentialiter requirebatur ad constitutionem hominis , & inde denominari ipsum hominem periisse; ergo si vnio , quæ est illud , quod vere & formaliter perit,sit accidens , corruptio non debet dici substantialis , quamuis substantia hominis denominetur per illam corruptionem periisse.

*Contra* , quia reuera non solum vnio perit, sed homo perit siue denominatiue siue formaliter : sed nihil requiritur ad hoc , quod corruptio dicatur substantialis, quam quod substantia dicatur periisse per eam, siue denominatiue dicatur periisse,siue formaliter.

*Confirmatur*:nõ per corruptionẽ aut definitionẽ vnionis præcise habet desinere homo,quia si poneretur vnio absque materia & forma , & desineret , non posset tum dici desinere homo, nec illa desitio esset desitio substãtiæ hominis : ergo ab aliquo alio habet dici talis desitio , nimirum ex eo,quod fuit per illam vnionem positus homo,& ex eo quod postea ea desinente non remanet homo : sed hoc esset æque verum , siue vnio esset substantialis intrinsece, siue non:ergo posset saluari destructio substantiæ hominis , quamuis vnio non esset intrinsece substantialis , & consequenter posset destructiohominis vocari substantialis , quamuis vnio esset accidens.

21. *Dices* actionem specificari à termino formali , qualis est in casu nostro vnio , quæ desinit : ergo si vnio non sit substantialis, destructio non potest esse substantialis.

*Respondeo* , actionem etiam specificari posse à quocumque, de quo potest dici quod per ipsam ponatur aut tollatur quomodocumque ponitur aut tollitur per illam : sed potest dici quod substantia hominis tollatur per destructionem vnionis , ergo potest illa destructio ab hoc specificari & denominari substantialis ; quod adeo euidens est,vt mirum sit posse ab vllo dubitari.

*Probat idem secundo* conclusionem, quia si vnio consisteret in dispositionibus accidẽtalibus,sequeretur hominem non esse totum substantiale , quod est falsum. Hæc etiam nõ valet,nam falsa est sequela maioris; illud enim dicitur esse totum substantiale , cuius omnes partes sunt substantiales & ordinatæ per se ad compositionẽ physicam per modum actus & potentiæ, & non requiritur ad hoc,quod quidquid intrinsece reperitur in illo sit substantia,nisi sit intrinsecum ipsi per modũ partis. Quod si intelligat hic author, quod homo non diceretur totum substantiale in hoc sensu,quod non sit tale totum,in quo non includatur intrinsece aliquod accidens aliquo modo,concedo sequelam , sed nego id esse absurdum, imo existimo esse omnino necessarium.

*Dices* non sufficere vt aliquid dicatur totum substantiale per se vnũ,quod partes ipsius sint substantiæ, quia alias aggregatum ex pluribus hominibus esset totum substantiale per se : ergo vnio substantialis requiritur ad hoc vt ex partibus resultet totum substantiale.

*Respondeo* negando consequentiam , quia licet non sufficiat quod partes sint substantiales , sufficit tamen quod sint substantiales, & habeant se per modum actus & potentiæ, qualiter non se habent plures homines:sed se habent sic anima & corpus ; materia , & forma physica substantialis.

*Confirmatur* hoc: debet esse aliqua ratio disparitatis inter partes hominis , & partes aggregati ex pluribus hominibus , ratione cuius inter illas possit in sententia aduersarij intercedere vnio substãtialis & inter has non possit : sed illa ipsa disparitas sufficit ad hoc , quod dicantur facere vnam per se substantiam absque vnione substantiali, quamuis plures homines non possent facere vnam per se substantiam , quod videtur euidens.

22. *Probatur ergo melius conclusio primo* , quia multa inter se vnibilia , quæque non prærequirunt ad vnionẽ aliquas dispositiones quantitatis aut qualitatum , sunt sibi inuicem intime præsentia localiter ac indistantia, quæ tamen non vniuntur:ergo vnio non consistit in illa intima præsentia ac dispositionibus , nec etiam ad illas necessario sequitur. Consequentia est euidens. Probatur antecedẽs, quia Verbum diuinum est vnibile tam bene cum aliis naturis humanis existentibus quã natura de facto assumpta , & idem est de aliis Personis diuinis, & omnes tres Personæ sunt aliis naturis tam intime ptesentes localiter , ac indistantes omnibus naturis existẽtibus,quam Verbum est intime præsens naturæ assumptæ:sed non sunt vnitæ , ergo antecedens est verum.

*Probatur conclusio secundo :* Posita materia prima cum omni dispositione absoluta quantitatis & qualitatis,potest poni forma indistans ab ea localiter absque vnione physica , ad quam sequeretur ex forma,& ipsa vnum per se:ergo vnio non consistit aut in illa indistantia , aut in dispositionibus , aut in vtrisque simul;nec etiam ad illa necessario sequitur siue disiunctiue , siue copulatiue. Consequentia patet:probatur antecedens:quamuis subiectum animæ separatæ esset optime ad illam dispositũ, anima separata non posset vnire se subiecto;alias resurrectio hominis mortui esset naturalis,& posset fieri virtute ipsius animæ ; quod videtur absurdum : sed posset facere se intime præsentem illi subiecto , & casu quo id faceret esset illud subiectum cũ omnibus dispositionibus indistans localiter ab illa , neque tamen sequeretur vnio : ergo verum est antecedens.

23. *Probatur secundò* idem antecedens , quia si duo homines aut duæ aquæ essent simul penetratiue in eodẽ loco,formæ ipsorum essent eorum materiis intime præsentes , & illæ materiæ essent optime dispositæ ad illas, quia dispositio sufficiens ad vnam animam rationalem, aut ad vnam formam aquæ , est sufficiens æquè ad aliã animam rationalem , & aliam formam aquæ eiusdem omnino rationis ; sed tum anima vnius hominis non esset vnita corpori alterius , nec forma vnius aquæ materiæ alterius,vt est certum apud omnes : ergo possunt esse illæ dispositiones ac indistantia absque tali vnione, & consequenter neque consistit vnio in illis, neque necessario sequitur ad illa.

*Dices*, non esse dispositiones omnes in eo casu in materiis, quia vna ex dispositionibus aut conditionibus necessariis ad vnam formam est, quod sit negatio alterius formæ in materia;in eo autẽ casu non esset talis negatio.

*Contra* , quia negatio alterius formæ non potest esse conditio necessaria ; nisi quatenus vna forma esset incõpatibilis cum altera in materia : sed in primis non est incompatibilis de potentia absoluta , vt supra vidimus: ergo non impediret quo minus alia forma esset vnita quando simul ponerentur indistantes.

*Deinde*

*Deinde* non est vllo modo incompatibilis cum alia forma in materia, si eodem modo alia forma est, in materia ac ipsa est: sed in casu posito essent eodem modo in materia iuxta aduersariorum sententiam, quia vna non esset nisi per hoc quod esset indistans à materia sibi disposita: sed altera esset indistans ab eadem materia; & consequenter negatio formæ prioris non requiritur vt alia sit vnita materiæ simpliciter.

24. *Probatur tertio*, declarando conclusionem: possumus philosophari de duabus indistantiis seu præsentiis intimis localibus, de vna quidem; quæ haberet talem rationem, vt ea posita non posset vnum ex rebus indistantibus moueri localiter, quin altera moueatur: de alia vero, quæ haberet talem rationem, vt poneret quidem res indistantes, sed taliter tamen, vt ab agente loco motiuo vt sic posset vna ex illis rebus moueri loco, quin altera res moueatur. Et hæ duæ indistantiæ habentur de facto, vna quidem inter Angelum & corpora, quibus est præsens, & inter duo corpora penetrata; altera vero inter materiam & formam, subiectum & accidentia. Ex illis verò prima non solũ habet virtutem faciendi res indistantes localiter, sed etiã vniendi physice, vt patet; secundo solum habet virtutẽ faciendi res indistantes præcise.

25. Hoc supposito, quæro ab aduersariis, quando dicunt materiam, & formam vniri per indistantiam ac dispositiones, siue tanquam per vnionem, siue tanquã per conditionem sine qua non; an loquantur de indistantia primi generis, an secundi. Si de secunda, manifestum est quod falsa sit eorum sententia, quia vnio physica est talis naturæ vt vnum ex vnitis nequeat localiter moueri, quin alterum moueatur. Quamuis autem formæ essent indistantes indistantiã secundi generis, vnum ex ipsis posset moueri localiter altero non moto: ergo non vnirentur physice posita tali indistantia. Si vero loquantur de prima, in re conueniunt nobiscum, quia illa vnio, quam nos superaddimus, in re est talis indistantiæ: facit enim materiam & formam indistãtes sic, vt vna nequeat moueri localiter, quin altera moueatur; nec in hac conclusione negamus, quin vnio consistat in tali indistantia: sed quod negamus est, quod non eo ipso præcise quo materia & forma sint indistantes localiter secundum conceptum præcisum indistantiæ, habent esse vnita. Quod sic probo: haberent esse indistantes distantia secundi generis, sed non haberent esse vnitæ: ergo non sufficit quod sint indistantes præcise.

*Dices*: Indistantia est quid negatiuum, est enim negatio distantiæ, ergo non possumus tenere, quod vnio sit indistantia vllo modo.

*Respondeo primo*, distinguendo antecedens: indistantia quæ solum habet rationem indistantiæ, transeat; quæ non solum sit indistantia: sed etiam vnit, nego antecedens & consequentiam.

*Respondeo secundo* negando antecedens vniuersaliter, neque enim à sola negatione habetur esse indistans, sed ab aliquo positiuo, ad quod sequitur negatio: sicut enim ipsa distantia habetur à positiuo, ad quod sequitur negatio præsentiæ, ita præsentia est quid positiuum, ad quod sequitur negatio.

## CONCLVSIO II.

Vnio est respectus extrinsecus adueniens.

26. *Vnio est respectus extrinsecus adueniens, & non modus absolutus substantialis aut accidentalis.* Hęc est *Doct. 3. d. 1. quæst. 1.* cum suis communiter contra Thomistas & recentiores admittentes vnionem realiter distinctam à materia & forma, & probatur ex iis, quæ diximus quæstione prima de sex vltimis prædicamentis.

*Obiicies primo*: sequeretur quod materia & forma non vnirentur substantialiter, sed accidentaliter, quod est absurdum.

*Respondeo* distinguendo sequelam: id est, non vnirentur nisi mediante accidente, tanquam ratione formali vniendi ipsa, concedo sequelã, nec hoc est absurdum: id est, non ita vnirentur vt facerent vnam per se substantiam nego sequelam, hoc enim esset absurdum.

*Dices* vnionem intrinsece includi in aliquo composito: ergo, si sit accidens, aliquod accidens per se intrinsece includitur in substantia, quod videtur absurdum.

*Respondeo* distinguendo antecedens: tanquam pars intrinseca eius, nego antecedens; tanquam causalitas partium, aut vinculum ipsarum, concedo antecedens, & similiter distinguo consequens.

*Dices*: Vnio materiæ & formæ vocatur communiter substantialis, & actio, qua producitur, vocatur etiam substantialis: ergo vnio non est accidens, sed quid substantiale.

27. *Respondeo* negando consequentiam, quia vnio & actio illa vocantur substantiales, non quod vnio intrinsece sit substantia, sed quod ad eius productionem sequatur vna per se substantia, nempe homo aut aqua; & posset etiam vocari substantialis ad differentiam vnionis qua vnitur accidens subiecto, quia vnio materię cum forma habet pro vtroque extremo substantiam, quod non est verum de vnione qua vnitur accidens.

*Dices* denique: vnio debet esse proportionata composito: ergo si compositum sit substantia, vnio debet esse substantialis.

*Respondeo* distinguendo antecedens, id est, sufficiens ad copulandas partes eius, concedo, & nego consequentiam; alio modo, nego antecedens.

28. *Obiicies secundo*: vt copulẽtur partes integrales substantiæ, præter relationem vnionis ponenda sunt indiuisibilia positiua & absoluta & substantialia: ergo vt copulentur materia & forma, præter relationem vnionis debet poni aliquid substantiale positiuum.

*Respondeo*, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam, quia partes integrales ita copulãtur, vt possint esse non obstante sua copulatione extra se inuicem & non tangunt se inuicem immediate vt *quod*, secundum aduersarios, & consequenter debet necessario assignari aliquid aliud, quod tangant *vt quod* immediate, quod non est relatio, vt patet: materia autem & forma immediate se tangunt vt quod, & non mediante aliquo tertio, nec possunt esse extra se inuicem, dum coniunguntur; vnde non est idem de ipsis dicendum & de partibus integralibus. Adde, argumenta quibus probantur indiuisibilia positiua & absoluta in continuo, non currere in proposito, & consequenter non hic concludere, licet ibi concludant.

29. *Obiicies vltimò*: si esset quid respectiuum extrinsecum adueniens, deberet pertinere ad aliquod ex sex vltimis prædicamentis: sed non potest assignari ad quod pertineat, ergo.

*Respondeo* negando minorem, vel enim vnio materiæ, pertinet ad prædicamentum Passionis, & vnio formæ ad prædicamentum Actionis, vt insinuat. *Doct. 4. d. 10. qu. 1.* propter proportionem, quam habet causalitas materiæ, quæ est eius vnio, cum respectu passionis: quod omnis transmutata ad agens, & proportionẽ res quamuis causalitas formæ, quæ est etiã eius vnio, cum actione agentis, vt transmutat: nam forma agit formaliter in materiã, eam transmutando formaliter sicut efficiens transmutãdo ipsam efficienter, & consequenter materia aliquo modo patitur à forma. Et sane hæc est vna ex rationibus, cur materia dicatur esse potentia, & forma actus. Vel vt ait *Bassolus. 4. d. 12. qu. 1.* & æque probabile putat *Mastrius*, spectat vtraque vnio ad prædicamentum Habitus, quia per vnam dicitur materia habere formam, & per alteram forma haberi à materia. Vera autẽ resolutio dependet ab acceptione habitus vt sic, & actionis ac passionis vt sic. Contra vero *Bassolum* nihil magis video vrgere, quam quod si debet vnio materiæ dici esse de prædicamento habitus, quia per eam materia habet formam; similiter Vbi posset in eo poni, quia per ipsum non habet locum; aut saltem per vbi actiuum locus dicitur habere rem locatã: sed hæc res est parui momenti.

Ad quod prædicamentũ spectat vnio.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum inter materiam, & formam, quando vniuntur detur duplex vnio.*

30. SVppositio ex resolutione quæstionis præcedẽtis, quod detur aliqua vnio media inter materiam & formam,

formam, qua vniantur, sequitur statim controuersia alia, an solum sit inter illa vna vnio, quæ aut subiectaretur immediate in materia & forma simul; aut in materia sola, & terminaretur ad formam; aut in forma sola, & terminaretur ad materiam; an vero sint duæ vniones, vna subiectata in materia, & terminata ad formam; & altera subiectata in forma, & terminata ad materiam.

*Prima sententia* ait vnam tantum vnionem inter illas interuenire. Hæc est *Suarij disp. 15. Met. sect. 9. Complutensium disp. 6. quæst. 3. Ruuii 1. Physic. tract. 2. quæst 6. Auersa quæst. 18.* ex quibus *Suares* statuit eam in sola forma, *Ruuius & Auersa* in sola materia, *Complutenses* in vtraque.

*Secunda sententia* requirit duplicem vnionem, & est *Scoti 2. d. 1. q. 5.* & alibi sæpe, quem præter suos sequuntur. *Hurtadus disp. 5. sect. 7. Amicus 2. Physic. tract. 11. quæst. 10.*

## CONCLVSIO.

31 *Datur inter materiam & formam componentes totum duplex vnio, vna in materia terminata ad formam, altera in forma terminata ad materiam.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam.

*Probatur*: quotiescumq, sunt aliqua, quæ denominãtur relatiue ad se inuicem denominatione mutua eiusdẽ rationis, si ponatur relatio in vno extremo ad dandã illam denominationẽ, debet etiam poni alia in altero extremo, si sit capax eius; sed materia & forma, quãdo cõponunt compositum, denominantur relatiue ad se inuicem denominatione eiusdẽ rationis, materia enim dicitur vniri formæ, & forma dicitur vniri materiæ: ergo si in alterutra ex ipsis ponatur relatio, quandoquidẽ altera etiam sit capax, debet poni alia relatio in illa altera: sed non potest poni vnus respectus in vtraque, tum quia accidens vnũ numero nõ potest subiectari in duobus subiectis realiter distinctis naturaliter, tum quia si poneretur vnus respectus vnionis in illis, deberet ille respectus referre illas vnitas alicui alteri termino, neque enim potest habere respectus pro termino suum subiectum.

*Probatur* maior huius discursus, tum quia hac ratione, quando sunt duo similia sibi inuicem, si vnum ex ipsis dicatur simile per vnum respectum superadditum, & alterum etiam dicitur simile per alium respectum; tũ quia non esset maior ratio cur poneretur in vno vnus respectus subiectiue, quàm alius in altero; quotiescumq; autẽ aliqua forma est ponenda in aliquo subiecto, & non est maior ratio, cur ponatur in vno quam in alio, debet poni in vtroque, aut si non possit poni in vtroque, debet vna in vno, & altera in altero poni, si id fieri possit.

32. *Dices cum Arriaga*, contra primam probationem maioris, disparitatem esse inter similia & vnita, quod vnita sint in eodem loco, similia vero sint in diuersis.

*Contra*, quia non ex eo, quod similia sint in diuersis locis, ponuntur plures relationes; nam si poneretur vnica tantũ relatio ex parte vnius extremi per possibile aut impossibile, adhuc essent similia, licet essent in diuersis locis; sed ex eo quod non sit maior ratio, cur vna poneretur in vno quàm altera in altero: sed non est maior ratio, cur vna vnio poneretur in vno ex vnitis, quãm altera in altero, licet sint eodẽ loco: ergo disparitas nulla est.

*Dices secundo cum eodem* disparitatem esse, quod extrema similitudinis sint omnino eiusdem rationis, & consequenter non esse maiorem rationem cur similitudo ponatur potius in vno quàm in altero, vnde duplex debet poni; extrema vero vnionis Physicæ de qua loquimur, sunt diuersæ rationis, & propterea posset excogitari ratio, cur in vno potius posset poni quàm in altero.

33. *Contra*, quia licet extrema similitudinis sint eiusdem rationis, verbi gratia, duo alba; tamen extrema dissimilitudinis sunt diuersæ rationis, verbi gratia, albũ & nigrũ; & tamen hoc non obstante duæ relationes ponũtur in illis, nec potest excogitari ratio; cur in vno potius quàm in altero debeat poni relatio: ergo idem dicendum de extremis vnitis non obstante distinctione eorum; & consequenter disparitas *Arriagæ* non est ad rem.

*Confirmatur*, quia omnis relatio habet correlationem sibi correspondentem in termino, si nihil obstet: sed nihil obstat, quod relatio vnionis posita in materia habeat aliam correlationem sibi correspondentem in forma, quæ est terminus eius, & nihil obstat quo minus, si dicatur esse in forma, habeat aliam correlationem sibi correspondentem in materia; ergo sunt duæ relationes vnionis inter materiam & formam, vna subiectata in materia ac terminata ad formam; altera subiectata in forma & terminata ad materiam; quæ duæ relationes sint sibi inuicem correlationes.

Dixi autem in maiori, *si nihil obstet*, quia potest aliquãdo interuenire impedimentum vel ex incapacitate termini, & sic in mysterio Incarnationis vnio hypostatica subiectata in natura humana non habet aliã correlationem sibi correspondentẽ in Verbo diuino, qui est terminus eius, quia Verbum propter immutabilitatem nõ est capax nouæ entitatis sibi inhærentis. Vel etiam impedimentum potest esse ex defectu rationis fundandi, & ob hunc defectũ in pariete viso non est correlatio vlla, neque forma correspondẽs visioni, quæ ponitur in oculo, & per quam oculus refertur, vt videns ad parietem.

34. Addunt aliqui ad hæc, quod etsi vna vnio subiectata in materia sufficeret, vt forma vniretur materiæ; nõ tamẽ sufficeret vt vniretur intrinsece: sed debet vniri intrinsece: ergo debet poni alia relatio vnionis in forma.

*Confirmant*, quia ex difficultatibus maioribus mysterij Incarnationis est, quod natura humana possit intime vniri Verbo, faciendo cum ipso vnum per se suppositũ, absque hoc quod Verbum habeat vnionem in se subiectatam, per quam vniatur intime naturæ: ergo non debet asseri, quod id contingat in naturalibus, quoties vniuntur materia & forma.

Verum hæc probatio parũ aut nihil roborat cõclusionem; nam si intelligatur per vnionem intrinsecã formæ, quod forma vniatur per vnionem in se subiectatã, manifeste petitur principium; id enim est, de quo quæritur, & quod negatur ab aduersariis. Si autẽ intelligatur per vnionem intrinsecam, quod intime coniungatur materiæ sic, vt vbicumque sit materia, ibi sit forma, & vbicũq; sit forma, ibi sit materia adæquata eius, falsum est, quod nõ vniretur forma materiæ intrinsece per hoc, quod poneretur vnica vnio in materia, per quam vniretur formæ. Necsanè est vlla difficultas, quod Verbũ cõstitueret vnũ per se cũ natura humana absque vnione in se recepta, modo ponatur vnio in natura ad ipsũ; sed difficultas summa est, quomodo posset vlla ratione terminare talem vnionẽ naturæ, ex qua sequeretur ex ipso & natura vnũ suppositũ, quod simul esset Deus & homo, nec ad hanc augendam aut diminuendã facit, quod recipiat ipsammet nouam vnionem, aut quod nõ recipiat.

35. *Obiicies primo*: Altera vnio esset superflua, quia eo ipso quo materia vniretur formæ, forma vniretur etiam materiæ, quamuis non haberet alteram vnionẽ.

*Confirmatur*, quia vnica vnio vnit naturam humanam sufficienter cum Verbo diuino ergo vna sufficit ad vniendam materiam & formam.

*Respondeo* negando sequelam, & distinguendo eius probationem; ita vtraque vniretur per modum subiecti, nego; ita vna vniretur per modum subiecti, & altera per modum termini, concedo.

*Et si quæras*, cur sit necesse, quod vtraque vniatur per modum subiecti.

*Respondeo*, quia est eadem ratio de vno atque de altero, & potest vtraque sic vniri.

*Dices*: Quamuis esset eadem ratio ex vtraque parte, tamen Deus posset determinare in qua deberet produci, sicut si essent duæ causæ applicatæ materiæ; & non esset maior ratio, cur vna ageret in ipsam quam altera, nec vtraque simul ageret, Deus determinaret, quæ causa ex ipsis deberet agere.

*Respondeo*, quidquid sit, vtrum Deus posset determinare vnam ad recipiendam vnionem præ altera, de facto non esse dicendum quod ita determinet, quandoquidem possit poni conuenienter in vtraq;, quia non est necesse recurrere ad determinationem causæ primæ, nisi quando

habetur

habetur talis indeterminatio ex parte causæ secundæ, quæ non possit nisi per causam primam tolli. Illud autem exemplum de duabus causis non est simile, quia, vt supponitur, illæ duæ causæ non possent simul agere, sicut posset materia & forma simul recipere vnionem.

*Ad confirmationem respondeo* negando consequentiã, quia Verbum diuinum non est capax nouæ entitatis. Et confirmatur hæc responsio, quia quamuis Verbum diuinum sit simile vel dissimile creaturæ, non per relationem aliquam realem in ipso repertam ad creaturam, sed potius propter relationem similitudinis aut dissimilitudinis, quam habet creatura ad ipsum, non tamen vna creatura dicitur alteri creaturæ similis aut dissimilis, nisi à relatione in seipsa recepta; ergo quamuis Verbum diuinum diceretur vnicum creaturæ, non per vnionem in se ipso receptam, sed per hoc quod terminet vnionẽ creaturæ non tamen debet dici, quod vna creatuta vniatur alteri, nisi habeat relationem vnionis in seipsa receptam.

37. *Obiicies secundo*, Vnio adæquata materiæ & formæ est illud, quo coniunguntur inter se: sed per vnicam vnionem sufficienter vniuntur: ergo per vnicam vnionem adæquate vniuntur.

*Respondeo* distinguendo maiorem: ita vt vtraque vniatur per modum subiecti, concedo; ita vt vtraque non sic vniatur, nego maiorem; & distinguo similiter minorem; priori modo, nego, posteriori, concedo.

*Obiicies tertio.* Partes continui copulantur vnico termino communi, & non duplici: ergo similiter dicendum est de materia & forma.

*Respondeo*, quidquid sit de antecedente, negando consequentiam; quia ille terminus communis quo copulantur partes continui, non debet esse subiectatus in partibus copulatis; sed solum debet intercedere inter illas, & præterea est quid absolutum: vnio autem debet subiectari in rebus vnitis per ipsam, aut in aliqua ex illis, & est quid respectiuum.

Datur duplex vnio etiam in homine.

38. *Quæres primo*, vtrum inter animam rationalem & corpus debeat etiam poni duplex vnio.

*Respondeo* affirmatiue, eadẽ enim est ratio hic & alibi.

*Dices:* Vnio subiectata in anima non posset esse spiritalis ex eo, quod esset diuisibilis, nam haberet terminum diuisibilem, scilicet corpus, nec posset esse materialis cum subiectaretur in anima spiritali, nec posset esse spiritalis & materialis simul, quia hoc repugnat in re saltem non composita,

Vnio animæ est spiritalis.

*Respondeo* illam vnionem esse spiritalem, & etiam diuisibilem, neque repugnat spiritalitati talis diuisibilitas, quæ non petat habere diuisibile subiectum, vt alias ostendam in libris de anima.

Alij dicunt vnionem illam eo quod spiritalis sit, esse indiuisibilem. *Contra*, quia non eadem numero vnione vnitur anima pedi & capiti, quandoquidem possit esse vnio eius ad caput sine vnione ipsius ad pedem, vt patet in homine, cui abscinderetur pes: ergo vnio totalis animæ ad corpus habet partes, secundum quarum vnam vnitur capiti, verbi gratia, & alteram pedi.

*Respondent ipsi* negando antecedẽs, dicunt enim quod, quando fit vt aliqua pars corporis non informetur ab anima, tota vnio animæ tollitur, & vnio noua producitur, qua vnitur partibus, quas informat: & similiter dicunt quod, quando aliquam partem de nouo informat anima, vt verbi gratia, in nutritione tollatur vnio præcedens, & eius loco ponatur alia indiuisibilis vnio, qua vnitur & partibus præexistentibus & parti per nutritionem acquisitæ.

39. *Sed contra*, quia inde sequeretur quod destrueretur homo pro quolibet instanti, pro quo auferretur ab illo vlla pars corporis, & quo acquireretur vlla pars corporis per nutritionem; quod est absurdum. Probatur sequela, quia tum destruitur homo, quando tollitur vnio totalis animæ eius ad corpus. Nec refert quod succedat alia vnio, quia ad conceptum destructionis nihil aliud requiritur quam quod tollatur vnio, siue alia succedat, siue non; & certe *Scotistæ* tenentes hanc, viam parũ sunt consentanei Doct. & multum patrocinantur Thomistis in alia difficultate, vbi inferimus contra eos, quod si materia haberet existentiam à forma, toties quoties reciperet nouam formam, destrueretur & annihilaretur, vt facile consideranti patet. *Præterea* & præcipue, si potest saluari sine inconuenienti, quod tota hominis vnio non pereat ad acquisitionem aut perditionem cuiuslibet partis, sine dubio id conuenientius fit, & aduersarij non nisi necessitate compulsi asserunt oppositum; sed id potest fieri sine vllo inconuenienti tenendo vnionem esse diuisibilem, ergo id debet teneri.

An vniones partiales distinctæ vniantur inter se.

40. *Quæres secundo*, vtrum vniones partiales, quibus partes formæ vniuntur cũ partibus materiæ, aliis vnionibus inter se vniantur. *Respondeo* omnes vniones partiales, quæ possunt esse sine se inuicem, si secundũ se vniantur, inter se vniri per vnionem à se distinctam, qua alias non posset saluari quomodo haberent de nouo denominationem vniti. Dixi *secundum se*, quia forte de facto non secundum se vniuntur inter se, sed tantum ratione subiecti, quatenus scilicet omnes partes subiecti, in quibus subiectantur, inter se vniuntur integraliter, hoc enim ipso quo ita fieret, etiam partes vnionis correspondentes illis partibus inter se sufficienter vnirentur sine vlla speciali vnione, quæ secundum se inter ipsas intercederet.

An possit poni vnio in materia absque vnione in forma.

41. *Quæres tertio*, vtrum possit Deus de potentia absoluta ponere vnionem in materia ad formam non ponendo vnionem in forma ad materiam.

*Respondeo* difficile esse assignare repugnantiam cur id non posset facere, cum sit agens liberum, & vnus respectus non dependeat intrinsece, nec extrinsece ab altero: dicere autem quod sint simul natura, & quod propterea non possint esse sine se inuicem isti duo respectus, non satisfacit: quia vel intelligitur per hoc, quod ita sint simul natura, vt non possint esse etiam supernaturaliter sine se inuicem, & hoc est petere principium: vel intelligitur per hoc, quod sint naturaliter taliter simul, vt non possint naturaliter esse sine se inuicẽ, & hoc posset esse verum, quamuis supernaturaliter possent esse simul. Si tamen actio & passio, & vbi intrinsecum ac extrinsecum habeant tam necessariam connexionem, vt non possit poni actio sine passione, nec vbi extrinsecum absque intrinseco, cur etiam vnio materiæ & formæ non haberet talem connexionem? Itaque quod de istis dicetur, de his etiam dici debet; ego pro præsenti nihil resoluo.

# DISPVTATIO VI.

## DE COMPOSITO SVBSTANTIALI.

CONSEQVENS est vt post tractatum de principiis intrinsecis corporis naturalis, seu compositi substantialis, iam in hac vltima disputatione libri primi Physicorum de ipso composito agamus.

### QVÆTIO I.

*An compositum substantiale distinguatur realiter à suis partibus vnitis.*

Cur sequatur vnũ per se ex materia & forma potius quam ex subiecto & accidente.

1. SVppono tanquam certum, ac ab omnibus admissũ, dari compositum physicum conflatum ac constitutum ex partibus physicis, nempe ex materia, & forma, quas propterea diximus fuisse principia corporum naturalium compositorum in facto esse.

*Si autem quæratur* cur ex materia prima & forma substantiali sequatur per se vnũ compositum, potius quam ex subiecto & accidẽte. Ex pluribus rationibus, quæ afferuntur, nulla melior est, quã quod materia & forma sint incompletæ substantiæ, quarum vna est in per se potẽtia ad alterã, & altera est per se actus ipsius: quod ex dictis de materia & forma colligi facile potest. Accidẽs vero nõ est per se actus subiecti, siue proximi, quod aliquãdo est aliud

aliud accidens, siue vltimati, quod semper est subsantia, quandoquidem sit diuersi prædicamenti ab illo, nũquam enim accidens vnius prædicamenti subiectatur in subiecto quod sit eiusdem prædicamenti, si excipias relationes intrinsecus aduenientes.

2. *Hoc itaque supposito*, omne huiusmodi compositum sine dubio distinguitur realissime à qualibet ex suis illis partibus seorsim sumptis, quandoquidem quælibet ex illis possit esse in rerum natura absque composito, imo ob eandem rationẽ distinguitur realiter ab ipsis simul sumptis & existentibus realiter, quia possent simul existere in rerum natura materia & forma ignis, verbi gratia, sine eo quod existeret ipsemet ignis, in casu scilicet quo conseruarentur à Deo absque vnione, qui casus ex dictis est omnino possibilis potentiæ extraordinariæ Dei, imo de facto partes hominis, nempe corpus & anima eius, existũt realiter, quando non existit realiter ipsemet homo, sed moritur. Sed controuersia grauissima hic examinanda est, an compositum physicũ dicat aliquid realiter distinctum à partibus suis physicis simul sumptis & vnitis ita, vt præter materiam & formam ac vniones ipsarũ reperiatur in composito substantiali physico alia entitas positiua, quam Scotistæ communiter vocant tertiã entitatem, ex eo quod ex entitatibus absolutis concurrentibus ad compositum substantiale illa sit tertia, materia enim est prima, forma vero secunda: vnde illa entitas, si detur, debet esse tertia, præsertim cum secundum Scotistas vnio sit respectus, & non aliquid absolutum.

## CONCLVSIO I.

3. *Totum substãtiale physicum distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis.* Hæc est expresse *Scoti 3. d. 2. q. 2.* quem præter suos sequuntur *Capreolus, Caietanus, Ferrar. Iauellus, Conimbricenses* citati à *Suario disp. 36. Metaph. sect 3.* contra eundemmet *Suarium, Ruuium*, & alios, quos citat & sequitur *Auersa q. 19. sect 8. & Complutenses hic disput. 6. quæst. 4.*

*Probatur primo* ex Philosopho *2. de anima tex. 27.* & aliis, vbi diuidit substantiam corpoream in tria membra, materiam scilicet, formam & totum compositum: ergo totum est distinctum à materia & forma.

*Deinde 5. Metaphys. c. 14.* ait sex non esse bis tria, sed semel sex: quod esset falsum, nisi totum illud constitutum ex bis tribus esset distinctum à bis tribus.

*Respondent* aduersarii tantum sequi ex his, quod compositum seu totum distinguatur à partibus diuisim & seorsim sumptis, non à partibus vnitis.

*Contra*, quia Philosophus 8. *Met. c. 6.* ait totum compositum ex materia & forma non esse simile aceruo lapidum, sed aliquid præter partes, vbi expresse vult quod differentia totius compositi ex materia & forma à toto per aggregationem consistat in hoc, quod illud dicat aliquid præter partes; hoc nõ dicat. Sed si intelligeret quod totum compositum ex materia & forma diceret quid distinctum tantum à qualibet parte diuisim & seorsim sumpta, illa prorsus differentia esset nulla, quia totũ per aggregationem etiam sic distinguitur à suis partibus.

*Dices*, per illud, quod totum physicum dicit præter partes, intelligi vnionem. *Contra*, quia etiam totum per aggregationem dicit approximationem suarum partiũ, licet non dicat vnionem aliam: ergo nulla responsio.

*Confirmatur*, quia totum per accidens, vt album, dicit præter partes, parietem scilicet & albedinem, vnionẽ eorum; ergo non posset dici quod differret totum per se à toto per accidens, in hoc quod totum per se diceret aliquid præter partes; totum per accidens non diceret, si totum per se non diceret præter partes nisi vnionem.

4. *Probatur secundo*, quia omnis causa vera & realis, quæ causat per influxum verũ & realem, distinguitur à suo effectu realiter, quia idẽ nõ potest influere in seipsũ, neque in aliquid sibi realiter identificatum, & quia alias posset dici quod essẽtia diuina esset causa intrinseca physica influẽs in Deũ, quo nihil absurdius potest excogitari: sed materia & forma vnitæ, sunt veræ & reales causæ influentes realiter in compositum physicum: ergo materia & forma vnitæ distinguuntur realiter ab ipso cõposito.

*Dicunt* aduersarii materiam & formam vt vnitas, non causare totum, sed seorsim & diuisim sumptas.

*Contra*, quia implicat vt siue seorsim, siue simul ponantur in rerum natura, causent totum, nisi vniantur: ergo vt vnitæ causant. Probatur antecedens, quia non causant totum, nisi sufficienter applicentur, & applicatio ipsorum est prius aliquo modo quam effectus ipsorum: sed illa applicatio non potest esse alia ab ipsa vnione: ergo vt vnitæ causant.

*Confirmatur*, quia posita vnione aliquod causant, quod non causarent sine vnione; sed non causant seipsas, neque vnionem intrinsece, non enim sunt partes sui ipsius aut vnionis, ergo aliquid aliud.

5 *Hurtadus hic disp. 6.* respondet negando causas intrinsecas vere causare suum effectum, nempe compositum, quod constituitur solum modo ex ipsis, non vero causatur ab ipsis.

*Contra primò* quia tam deberet totum distingui ex eo quod constitueretur realiter, quam ex eo quod causaretur realiter ab ipsis, neque enim idem potest realiter cõstituere seipsum.

*Contra secundò*, quia secundum Philosophum, & omnes, quodlibet totum vnum per se habet quatuor genera causarum; ex quibus dependet: sed ex illis materia, & forma sunt duæ causæ, ergo causant.

*Alij respondent* causas intrinsecas non debere distingui à suo effectu, licet id sit verum de causis extrinsecis.

*Contra*, quia si id sit verum de causa extrinseca: ergo etiam & de intrinseca. Probatur consequentia, tum quia non potest assignari disparitas; tum quia non ex ratione causæ extrinsecæ oritur quod debeat distingui ab effectu, sed ex ratione causæ realiter influentis; causa autẽ intrinseca est realiter influens, vt supponitur; tum deniq; quia implicat quod idẽ influat realiter in seipsũ, siue per modum causæ extrinsecæ, siue intrinsecæ, vt est euidens.

6. Propter hæc, *Suarius, & Ruuius*, & plures alii concedunt, partes necessario exigere vnionem, vt causent totum, & eas non nisi vt vnitas causare, dicunt tamen eas vnitas copulatiue non causare, sed diuisim, ita scilicet, vt & materia quatenus vnita causet, & forma etiam quatenus vnita, non tamen ita vt vtraque simul vt vnita copulatiue causent.

*Contra*, quia compositum per se, sicut habet causam aliquam extrinsecam adæquatam, siue illa causa sit vna aut plures, ita debet habere causam aliquam intrinsecã adæquatam; vel vnam vel plures: & quemadmodum si plures sint causæ extrinsecæ, scilicet efficientes, requisitæ, vna illarum non potest agere sine altera, sed vtraque simul applicari debet, & vt sic applicatæ simul causant etiam copulatiue; ita si plures requirantur causæ intrinsecæ, vna non poterit agere sine altera, sed vtraque simul applicari debet, & vt sic applicatæ causant copulatim: atqui totum non habet pro causa adæquata intrinseca nisi materiam & formam: ergo causatur ab ipsis vt vnitis copulatiue sumptis, & non tantũ diuisim.

*Confirmatur*: Materia seorsim sumpta est causa inadæquata totius, & similiter forma seorsim sumpta: ergo vtraque simul sumpta est causa adæquata totius: ergo vtraque simul sumpta & vnita causat totum. Prima consequentia patet inductione in omnibus aliis causis partialibus.

7. *Probatur tertio* conclusio, quia secundum aduersarios homo non includit aliquid, præter materiam, & animam rationalem, & vnionem: sed materia non causat per modum partis intrinsecæ, aut animam rationalem, aut vnionem, aut seipsam: ergo debet causare aliquid aliud: & similiter potest discurri de anima, & hinc sequitur quod neque seorsim aut diuisim sumpta causet aliquid, quod est contra responsionem vltimam iam datam.

*Confirmatur*, quia partes vnitæ sunt partes alicuius: nõ sui ipsius: ergo alicuius alterius: ergo datur aliquid aliud, in quo includuntur, & consequenter conclusio est vera.

8. *Probatur*

8. *Probatur quarto* conclusio, quia per generationem substantialem debet produci aliqua substantia siue mediate, siue immediate; sed actio qua vnitur anima rationalis corpori, est generatio substantialis secundum omnes: ergo debet produci per illam aliqua substantia: sed non producitur per eam anima rationalis, aut materia prima, hæ enim & poterant esse ante productæ; & etiamsi anima tum produceretur, non tamen generatur, sed creatur, ergo aliquid aliud sustantiale distinctum.

*Dices primo*, produci vnionem, quæ est substantialis.

*Contra primò*, quia secundum multos aduersarios vnio est ipsamet generatio.

*Contra secundò*, quia quando dicitur quod vnio sit substantialis, vel intelligitur per hoc quod sit substantia, seu modus aliquis substantiæ, qui non sit accidens; & hoc est falsum, quia, vt disputatione præcedenti ostendimus, vnio illa est respectus extrinsecus aduenies Vel intelligitur quod sit substantialis ex eo quod illam sequatur aliqua substantia, quæ sine illa non sequeretur, & hoc etiam est falsum, nisi sit in homine aliqua entitas substantialis præter corpus, & animam, & vnionem. Vel intelligitur quod sit substantialis ex eo quod habet pro extremis substantias & in hoc sensu est quidem substantialis, sed esse substantiale sic non sufficit, vt generatio sit substantialis, alias actio, qua approximaretur vna substantia alteri, posset dici substantialis, quod communiter ab omnibus negatur.

9. *Dices secundò* per illam generationem produci materiam, & formam vt vnitas, quæ vt sic sunt substantia.

*Contra primo*, quia vt sic nihil dicunt præter materiam & formam, & vnionem: ergo si anima non producatur, nec materia, & productio vnionis non sufficiat ad hoc vt generatio sit substantialis, adhuc manet difficultas.

*Contra secundò*, quia vt vnitæ sunt ens per accidens; sed generatio debet habere pro termino ad quem ens vnum per se, ergo. Probatur maior, quia vt sic includunt vnionem, quæ est alterius prædicamenti. *Et hinc confirmatur probatio*, quia per generationem producitur homo: sed homo est quid vnum per se: ergo debet dicere aliquid præter materiam, & formam vt vnitas.

*Confirmatur secundo*, quia homo per se & directe ponitur in prædicamento substantiæ: sed materia, & forma vt vnitæ non ponuntur in eo: ergo homo est aliquid distinctum à materia, & forma vt vnitæ sunt.

*Probatur quinto conclusio*, quia totum compositum ex anima, & corpore, est quid distinctum realiter ab illis simul sumptis & vnitis: ergo & omne totum per se, à paritate rationis. Probatur antecedens, quia in illo toto subiectatur vnum per se accidens, nempe actus vitalis visionis oculatis, verbi gratia: sed non posset subiectari in illo nisi esset quid vnum distinctum à partibus, neque enim vnum accidens potest saltem naturaliter subiectari in diuersis subiectis.

10. *Obiicies primo*: vnum absolutum realiter distinctum ab alio potest separari ab illo: ergo si compositum physicum dicat aliquid realiter distinctum à suis partibus vnitis, poterit separari ab ipsis, aut saltem partes vnitæ, quæ sunt priores toto, possunt separari à toto: Maior est *Doct.* variis locis, & inde probat materiam posse esse sine forma.

*Respondeo primo* negando consequentiam, quia partes, vt vnitæ non sunt quid absolutum, cum vt sic formaliter dicant ipsam vnionem, quæ est respectus.

*Respondeo secundò* distinguendo maiorem: si illud absolutum non dependeat essentialiter ab alteto absoluto, transeat; si dependeat, nego; totum autem dependet essentialiter a materia & forma tam in esse, quam in fieri, cum sint partes essentialiter eius; vnde negatur consequentia.

*Dices*: ergo saltem partes vnitæ possunt esse sine toto, quia & sunt priores ipso, & non dependent essentialiter ab ipso, neque tanquam causa extrinseca, neque tanquam causa intrinseca,

*Respondeo* negando consequentiam, quia quamuis non dependeant ab ipso, vt à priori, dependent tamen ab ipso vt à posteriori eo modo, quo agens, vt agens dependet ab effectu producto per ipsum; quemadmodum enim agens, vt agens, formaliter dicit actionem, quæ nequit esse sine termino, ita materia & forma, vt vnitæ dicunt formaliter ipsam vnionem, quæ est causalitas earum respectu totius; vnde non est mirum, quod non possint esse vt sic, quin sit totum, quamuis totum sit quid realiter distinctum ab ipsis.

*Alij Scotistæ*, qui non tenent vnionem esse causalitatem materiæ & formæ respectu totius, magis premuntur hac difficultate, & ex illis, quidam dicunt, quod Deus possit conseruare materiam & formam, vt vnitas, sine toto: sed hoc communiter non reputatur probabile à Scotistis aut aliis. *Quidam vero alij* negant sequelam, quia quando vniuntur, sufficienter applicantur, vt causent, neque Deus potest eorum causalitatem, quando sic applicantur, impedire, cum non possit eorum causalitatem supplere; illius enim causalitatem solum potest saltem directe impedire, quam potest supplere. Sed prima responsio mihi multo magis placet; & hæc facile impugnari posset: sicut enim potest impedire quo minus forma informet; quamuis non posset supplere eius causalitatem: cur non posset impedire quo minus materia & forma causarent totum, quamuis non posset sine ipsis illud causare?

11. *Obiicies secundò*: si daretur tertia entitas distincta à partibus, faceret compositionem cum ipsis, & sic ex ea & partibus resultaret alia tertia entitas, & sic in infinitum.

*Confirmatur*, quia vel illa tertia entitas est aliquid compositi, vel non est: si non est, ergo non spectat ad compositum, nec compositum illam dicit; si sit, ergo est pars compositi, & consequenter compositum nihil dicit præter partes.

*Respondeo* negando sequelam, cum enim sit compositum ex partibus, non debet facere compositionem cum ipsis.

*Confirmatur* hoc, quia secundum aduersarios totum distinguitur realiter à qualibet parte seorsim sumpta, & tamen non facit compositionem cum illa, quia alias esset pars alicuius alterius compositi: ergo quamuis distinguatur à partibus simul sumptis, non deberet facere compositionem cum ipsis.

*Ad confirmationem*, quæ est vnicum *Arriagæ* fundamentum, propter quod putat oppositum nostræ conclusionis euidentissimum, explicatis terminis (nimirum omnia sua tam clara videntur huic authori) *Respondetur* negando antecedens; est enim ipsum compositum, idem autem non est aliquid sui ipsius. Quod si consideretur tertia entitas per modum abstracti metaphysici à composito considerato vt concreto, sicut humanitas se habet respectu hominis, tum potest dici, quod sit aliquid ipsius metaphysicæ loquendo, sed non sequitur, quod sit pars physica ipsius, nec consequenter sequitur quin totum sit quid distinctum realiter ab omnibus partibus physicis, & ab omnibus, quæ physice in ipso includuntur.

12. *Obiicies tertio*: quæ constant iisdem partibus, sunt eadem realiter: sed totum constat iisdem partibus, quibus constant partes vnitæ: ergo sunt idem realiter cum ipsis.

*Confirmatur primo*, quia totum non potest habere diuersam essentiam à partibus: ergo non distinguitur realiter ab ipsis. Probatur antecedens, quia definitio & definitum non habent diuersas essentias: sed partes sunt definitio physica totius.

*Confirmatur secundò*, quia quod est de essentia rei, non distinguitur realiter ab ipso: sed partes sunt de essentia totius, ergo.

*Respondeo* distinguendo maiorem, eodem modo se habentibus, concedo; alio modo se habentibus, nego maiorem. Et similiter distinguo minorē, & nego consequentiam, quia partes vnitæ, licet constent materia & forma, non tamen materia & forma, vt vnitis; totum autem constat iis, vt vnitis.

*Reſpondeo ſecundò* negando minorem, quia partes vnitæ non conſtant partibus, ſed ſunt ipſæmet partes, quibus conſtat totum.

*Ad primam confirmationem reſpondeo* negando antecedens,, & diſtinguendo maiorem ſuæ probationis, definitio phyſica & definitum, nego: definitio Metapyſica, concedo maiorem. Hæc reſponſio eſt optima ex ſuppoſitione, quod partes phyſicę ſint definitio phyſica, quæ ſuppoſitio fit in obiectione, alias enim non valet. In rei tamen veritate falſa eſt minor, quia illud eſt definitio, quod ponitur directe in definitione, aut ſaltem illud eſt de definitione: ſed in definitione totius ponitur aliquid aliud directe præter partes, nam quando volo definire hominem phyſice, non debeo dicere: eſt anima rationalis & corpus vnita, ſed eſt aliquid conſtans anima rationali & corpore vnitis: vnde manifeſte ſequitur quod partes phyſicæ non ſint definitio phyſica ſe ſolis.

*Ad ſecundam confirmationem reſpondeo* diſtinguendo maiorem: de eſſentia phyſica, id eſt, quod eſt pars eſſentialis phyſica eius, nego maiorem: quod eſt de eſſentia metaphyſica, id eſt, quod eſt pars eſſentialis metaphyſica eius, concedo maiorem, & ſimiliter diſtinguo minorem, & nego conſequentiam.

13. *Obiicies quarto*: ſi homo diceret tertiam entitatem, ſequeretur quod Verbum Diuinum illam entitatem aſſumpſit, & quod eam etiam dimiſit in triduo mortis, tum enim non extitit tertia entitas hominis: ſed hoc eſt contra *Damaſcenum* aſſerentem, Verbum diuinum nihil eorum, quæ ſemel aſſumpſit, dimiſiſſe.

*Reſpondeo* negando minorem, quia ſolum *Damaſcenus* vult, quod nullam dimiſit partem earum, quas aſſumpſit, cum quo poteſt ſtare, quod dimiſerit aliquid, quod non erat pars. Poſſet etiam dici, quod nihil dimiſit eorum, quæ aſſumpſit, ita vt poſt dimiſſionem exiſteret à parte rei; & hoc tantum voluiſſe *Damaſcenum*: hoc autem nobis non præiudicat, quia tertia entitas poſt dimiſſionem extitit in rerum natura. Quod autem non voluerit aliud quam hoc *Damaſcenus*, patet, quia ſine dubio Deus aſſumpſit vnionem animæ & corporis; alias non aſſumpſiſſet hominem; ſed certum eſt, quod illam vnionem dimiſerit in triduo ſuæ mortis, ſic tamen vt non exiſteret illa vnio in rerum natura in illo triduo.

14. *Obiicies quinto ex Ioanne à Sancto Thoma*: aut non vniretur tertia entitas partibus, aut vniretur; ſi primum, ergo non ſpectarent ad eandem entitatem, ſi ſecundum, ergo ex illa & partibus ſequeretur alia tertia entitas, & ſic daretur proceſſus in infinitum.

*Confirmatur*, quia aut perficeret partes, aut à partibus perficeretur; ſi primum dicatur; ergo eſſet actus partium. & ſic materiæ ſupra actum formæ alius actus adueniret quod videtur abſurdum; ſi ſecundum, ergo perfectius perficeretur ab imperfectioribus.

*Reſpondeo primo*, quod non vniretur proprie loquendo quia ſic vniri dicuntur, quorum vnum in alio non includitur.

*Reſpondeo ſecundò*, admiſſo quod vniantur, quia non poſſunt à ſe inuicem ſeparari, negando conſequentiam, quia tertia entitas eſt tertia entitas; & ſicut ad vnionem non ſequitur vnio, ita nec ad tertiam entitatem ſequitur tertia entitas.

*Ad confirmationem Reſpondeo*, quod totum perficiatur à partibus, tanquam à ſuis conſtitutiuis, ſicut perfectius poteſt perfici à minus perfectis.

15 *Obiicies ſexto*: tertia entitas eſſet ſuperflua, cum ea ſeclusa ipſæ partes vnitæ haberent perfectam rationem totius, & præterea non poteſt aſſignari vtrum illa tertia entitas ſit ſubſtantia, vel accidens: ergo.

*Confirmatur*, quia tertia entitas reſultans ex anima rationali & corpore, non poteſt eſſe nec corporea, nec ſpiritualis: ergo non eſt aſſerenda talis entitas.

*Confirmatur ſecundo*, quia illa tertia entitas adueniret enti in actu: ergo eſt accidens, quod eſt abſurdum.

*Reſpondeo* negando antecedens cum ſua probatione: iam enim diximus partes vnitas non eſſe totum, ſed partes intrinſecas, & cauſas intrinſecas totius. Ipſa vero tertia entitas ſine dubio eſſet ſubſtantia, & quidem ſi eſſet completa, directe collocari deberet in prædicamento ſubſtantiæ, & ab ipſa immediate promanant proprietates ſubſtantiæ, non à partibus vnitis.

*Ad confirmationē reſpōdeo*, quod eſſet ſpiritualis partim & partim corporea: quid enim impedit quo minus tertiæ entitati hoc poſſit cōpetere, ſicut ipſis partibus vnitis, quas aduerſarii volunt eſſe vnum per ſe, competit? Poſſet tamen dici ſimpliciter corporea, quia effectus ſequitur debiliorem partem, vt in aliis rebus patet, & quia, vt ſit ſimpliciter corporea, ſufficit vt includat aliquam partem corpoream; aliàs certe homo non poſſet collocari potius ſub ſubſtantia corporea, quam ſub ſubſtantia ſpirituali, quod eſt contra omnes.

*Ad ſecundam confirmationem reſpondeo primo* diſtinguendo antecedens: quod aduenirent ipſi, tanquam forma in ipſo recepta, tranſeat, quod aduenirent ipſi tanquam aliquid ex ipſo pullulans, & includens ipſummet, nego antecedens & conſequentiam.

*Reſpondeo ſecundò* negando antecedens, quia partes vnitæ non ſunt ens vnum per ſe in actu, niſi cauſaliter, hoc eſt quatenus poſſunt cauſare aliquid per ſe vnum.

16. *Obiicies ſeptimo*: ſi queretur, quod non includeret partes, nam quod diſtinguitur realiter ab alio, quatenus diſtinguitur ab illo, non includit illud aliud.

*Reſpondeo* negando ſequelam, ad cuius probationem dico: id, quod diſtinguitur ab alio realiter per modum includentis & incluſi, quo modo diſtinguitur totum à partibus, non obſtante ſua diſtinctione, includere illud aliud. Authoritates omnes, quæ vel ex Patribus, vel ex Philoſopho adducuntur contra cōcluſionem, nihil aliud volunt, quam quod totum nullam partem dicat præter materiam & formam, aut quod nihil conſtitutiue dicat præter illas: quod eſt verum, quia tertia entitas neque eſt pars, neque conſtitutiua totius. Si autem in aliquibus auctoritatibus dicatur, quod partes ſint totum, hoc debet intelligi cauſaliter, quia ſcilicet cauſant totum: qui modus loquendi eſt ſatis vſitatus.

## CONCLVSIO II.

Tertia entitas eſt quid compoſitum includens partes.

17. *Totum phyſicum, ſeu tertia entitas diſtincta realiter à partibus ſumptis, & vnitis, eſt quid compoſitum includens ipſas partes* Hæc eſt communior inter *Scotiſtas* & *probatur* quia alias non eſſet totum nec compoſitum, nec partes illæ eſſent partes & cauſæ intrinſecæ eius; nec materia eſſet cauſa materialis eius aut forma formalis, ſed potius vtraque eſſet cauſa efficiens ipſius; quod tam clarum videtur, vt mirum ſit, quod ab vllo poſſet in dubium verti.

## CONCLVSIO III.

Includit partes ſecundum proprias rationes.

18. *Totum illud phyſicum includit ipſas partes etiam ſecundum proprias rationes.* Hæc etiam eſt omnium *Scotiſtarum* præter *Fabrum*, qui ſingularem in hac re doctrinam amplexus eſt: nam *theoremate* 21. *& in* 3. *diſp.* 9. aſſerit partes vnitas tranſire, ſeu tranſigi in tertiam entitatem, & eas vt ſic tranſactas perdere proprias entitates, nec diſtingui realiter à toto, quem dicendi modum excogitauit hic author ad maiorem faciliratem primæ concluſionis, quæ tamen hoc modo explicata multo eſſet difficilior & improbabilior.

*Probatur* autem concluſio contra *Fabrum* non ſolum authoritate ipſius *Scoti in* 2. *d.* 12. *q.* 1. vbi expreſſe eam tenet, ſed variis rationibus: *Primo* quia de potentia Dei abſoluta nihil poteſt perdere propriam ſuam naturam. *Secundo*, quia alias ſecundum proprias ſuas naturas non eſſent partes intrinſecæ, nec cauſæ intrinſecæ totius, quo nihil abſurdius. *Tertio*, quia nō daretur materia prima in rerum natura ſecundum propriam ſuam rationem, quia non datur de facto, niſi in aliquo toto: ergo ſi in toto perdit propriam naturam, & induit naturam alterius, non datur de facto ſecundum propriam naturam. *Quartò*, quia anima rationalis in toto exiſtens habet aliquas ſuas proprias operationes ab ipſamet immediate procedentes, quæ nō procedunt immediate à toto homine: ergo manet ſecundum entitatem ſuam propriam in homine. *Quinto* quia alias totum phyſicum non eſſet compoſitum. *Sexto*, quia licet ſequeretur aliquid diſtinctæ rationis ad vnionem materiæ

&

& formæ, in quo non reperiretur materia & forma secundum proprias rationes, non esset verum quod materia & forma transiret in naturam ipsius; sicut nec ex eo, quod causa efficiens producat aliquid aliud à se, est verum quod transeat in naturam eius. *Septimo*, quia quæ semel distinguuntur realiter, nec de potentia Dei absoluta possunt identificari; ergo si materia & forma vnitæ distinguuntur realiter à toto, nec de potentia absoluta possunt ita transigi in ipsum, vt identificentur ipsi. Omitto alias plures rationes quibus hæc chymerica sententia, de cuius tamen inuentione sibi & *Scotistis* applaudit *Faber*, impugnari possit, quia hæ abunde sufficiunt, præsertim cum noua sit, & absque vllo solido fundamento excogitata.

19. *Obiicies pro Fabro*: materia & forma constituunt compositum, quia sunt ipsum, & fiunt etiam idem essentialiter compositio: ergo transeunt in ipsum.

*Respondeo* negando antecedens pro vtraque parte: sed potius constituunt compositum, quia includuntur in ipso tanquam partes essentiales physicæ.

*Obiicies secundo*: sequeretur quod homo nihil esset, quia non corpus nec anima, nihil autem aliud est in homine: deinde sequeretur quod in animali nihil viueret quia vita est proprietas animæ, quæ dicitur esse distincta ab animali.

*Respondeo* negando vtramque sequelam, & ad probationem primæ dico, quod quamuis nihil aliud sit in homine, tamen homo ipse est aliud, nempe compositum ex anima & corpore, quod sane non est nihil, sed aliquid positiuum reale magis perfectum, quam anima, aut corpus. Ad probationem secundæ sequelæ dico, quod ipsum animal viueret, quia est quid vegetabile & potens sentire: nec verum est quod vita, siue in actu primo, siue in actu secundo, sit proprietas animæ solius, nisi ad summū vt quo, quatenus scilicet est pars physica animalis, ratione cuius potissimum oritur, vt animal sit viuens, ita vt si non includeret animam tanquam partem, non viueret.

*Tertio* obiicit quod totum posset esse sine illis, si non transirent in totum: sed hoc est absurdum.

*Respondeo* negando maiorem, quia nihil potest manere sine partibus essentialibus, & quidquid habet partes essentiales, habet essentialem dependentiam ab illis, vt est euidens. Imo si partes non manerent secundum proprias rationes in toto; verum esset quod totum absolute, & simpliciter posset esse & conseruari sine partibus; vnde maior esset vera potius in sententia *Fabri*, quam nostra & communi.

20. *Obiicies quarto*: sequeretur quod Verbum diuinum prius assumpsisset partes quam totum, quod est contra *Scotum in 3. d. 1. q. 2.* Probatur sequela, quia priores natura essent quam totum, & consequenter prius vnibiles ac vnitæ.

*Respondeo*, si esset inconueniens quod prius assumerentur, negando sequelam maioris; quia quamuis essent priores natura, & etiam prius vnibiles, non tamen necessario deberent prius vniri, sed illud prius vniretur, quod placeret Deo prius vnire. An autem illud sit inconueniens, & quid sit dicendum de mente Scoti quantum ad hoc, examinandum est in materia de Incarnatione.

*Obiicies quinto*. Materia & forma causant compositum per conuersionem sui in ipsum, vt patet & ex differentia causarum intrinsecarum, & ex modis causandi materiæ & formæ; ergo &c.

Datur distinctio realis mutua inter totum & partes.

*Respondeo* negando antecedens cum vtraque probatione: imo potius ex vtroque capite materia & forma debent manere in toto secundum proprias rationes.

## CONCLVSIO IV.

21. *Datur distinctio realis mutua inter totum ac partes simul sumptas ac vnitas, ita vt totum distinguatur realiter & essentialiter à partibus sic sumptis, & partes sic sumptæ distinguantur realiter & essentialiter à toto.* Hanc tenet *Mastrius*, & est conformior principiis *Scoti* contra *Trombetā tract. de formalitatibus*, qui negat distinctionem realem mutuam, contra *Canonicum hic q. 5.* qui negat essentialem mutuam, quamuis existimem reuera cum his authoribus non esse aliam quæstionem quam de nomine, cuius tamen illi peiorem partem habent.

*Probatur* autem conclusio, quia quam verum est dicere quod partes vnitæ distinguantur à toto, & quod habeat distinctam essentiam à toto, tàm verum est dicere, quod totum sit distinctum ab illis, & habet distinctam essentiam ab illis: ergo mutuo distinguuntur distinctione reali & essentiali: quid enim aliud requiri possit ad distinctionem mutuam talem, nisi quis velit fingere acceptionem nouam distinctionis mutuæ absque vlla causa?

*Confirmatur primo*, quia ex eo quod partes causent, dicuntur distingui realiter à toto: ergo ex eo quod totum causetur realiter à partibus, debet distingui realiter ab ipsis, & consequenter datur distinctio realis mutua inter totum & partes.

22. *Confirmatur secundo*, quia totum est quid essentialiter includens partes, & prærequirens illas simul sumptas & vnitas ex natura sua intrinseca: sed partes vnitæ non sunt essentialiter quid includens partes vnitas, aut eas simul sumptas & vnitas præsupponens: ergo sunt essentialiter, & ex natura sua intrinseca distinctæ à se inuicem mutuo. Nec refert quod partes vnitæ sint omnia & sola, quæ constituunt physice ipsum totum; & quod hoc nō habeat alias partes nec principia constitutiua præter illas: imo ex hoc ipso colligitur; quod totum distinguatur essentialiter ab illis, & illæ ab illo. Nec etiam refert, quod totum nequeat existere sine partibus & quod partes possint existere sine toto, nā in primis, si ex eo quod totum nequeat existere sine partibus, sequeretur quod non distingueretur ab ipsis, quandoquidem partes vnitæ nequeant existere sine toto, sequeretur quod partes illæ non distinguerentur à toto: & quod sic non daretur distinctio non mutua inter illa. *Deinde* quod possit totum existere, aut non possit existere sine partibus, non impedit distinctionem realem, quia alias Filius æternus, qui nequit esse sine Patre, non distingueretur realiter à Patre; imo ex eo quod totum sit talis entitas, quæ nequeat existere sine partibus, non vero è contra, sequitur quod sit distinctæ rationis ab illis.

## QVÆSTIO II.

*An totum integrale, ac totum per accidens distinguatur realiter à suis partibus*

23. NOn solū quia in se vtilis est resolutio huius quæstionis, sed etiam quia ex ea sumi solet argumentum pro vel contra resolutionem quæstionis præcedentis, videbatur hic statim tractanda, antequam cætera, quæ ad compositum substantiale pertinent, adderentur.

*Prima sententia* est, omne totum integrale distingui realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis, non minus quam totum essentiale; totum vero per accidens non distingui à suis partibus. Hanc tenet *Rocus* sæcularis quidam Scotista non indoctus *1. Physic. q. 6.*

*Secunda sententia* est totum heterogeneum distingui à suis partibus, non vero totum homogeneum, nec totum per accidens: sic *Tartaretus 1. Physic. q. 2. dub. 2.* & *Sghegma ibidem digressione 3. q. 4.*

*Tertia sententia* est nullum totum integrale aut per accidens distingui à suis partibus. Quam sequitur *Trombeta tract. formalitatum, Mastrius disp. 5. q. 13. a. 2.* & *Fuentes hic q. 6. difficult. 1. a. 6.* quantum ad omne totum integrale.

Quid totum integrale.

Quarta denique sententia est, totum per accidens etiam distingui à partibus realiter: ita *Fuentes supra art. 7.*

24. *Pro resolutione* suppono totum *integrale* esse aliquid constitutum ex diuersis partibus, aut natis esse extra se inuicem localiter, vt homo constituitur ex manu, pede, capite &c. & aqua integra ex hac parte aquæ & illa parte; aut saltem non perficientibus se inuicem per modum actus & potentiæ, vt calor vt octo cōstituitur ex pluribus gradibus caloris natis recipi in eadem parte subiecti. Huiusmodi autē totum distinguitur in totum *homogeneum*, quod conflatur ex partibus integralibus eiusdem rationis, vt aqua conflatur ex hac & illa parte aquæ; & in *heterogeneum* quod conflatur ex partibus integralibus diuersæ rationis vt homo conflatur ex manu, pede, capite &c. *Deinde*

otum *per accidens* est, quod componitur ex subiecto & accidente sibi inhærente, vt album ex pariete & albedine, substantia quanta ex substantia & quantitate; intellectus intelligens ex intellectu & intellectione.

## CONCLVSIO

Totum integrale nõ distinguitur à partibus realiter.

25 *Nullum totum integrale distinguitur realiter à suis partibus.* Hanc tenent autores tertiæ & quartæ sententiæ contra primam & secundam, & colligitur ex *Scoto* 4. *dist.* 12. *q.* 4.

*Probatur primo* de toto homogeneo, quia totum distinctum realiter à partibus debet esse distinctæ rationis ab illis: sed tota aqua integralis non est distinctæ rationis ab illa parte integrali. Probatur antecedens, quia partes, ex quibus nata est sequi tertia entias debent accipere aliquod complementum ab illa tertia entitate, & debent esse essentialiter incompletæ: sed si sint eiusdem rationis cum tertia sua entitate, hoc erit falsum: ergo non possunt esse eiusdem rationis, sed debent esse diuersæ rationis ab vlla.

*Probatur secundo*, quia sequeretur quod materia prima posset produci de nouo ac destrui à causa secunda, quia potest discontinuari & continuari de nouo à causa secunda; & quando discontinuaretur, destrueretur tertia entitas resultans ex partibus eius continuatis, quæ tertia entitas esset materia prima; & quando continuarentur eædem partes, aut aliæ de nouo, produceretur eadem tertia entitas, aut alia, quæ etiam esset materia prima; ergo posset produci ac destrui de nouo à causa secunda, quod est absurdum, cum supponatur esse ingenerabilis ac incorruptibilis terminatiue.

*Deinde*, vnum individuum semel corruptum iterum reproduceretur naturaliter, nam si resultat ex duabus aquæ partibus tertia entitas distincta aquæ, si separentur illæ partes, destruetur illa tertia entitas, & si iterum coniungantur (quod videtur optime fieri posse) iterum producetur illa ipsa tertia entitas, tunc enim est idem numero compositum quando sunt eædem numero partes constituentes: sed hoc etiam videtur absurdum, quamuis enim secundum Scotum posset naturaliter idem numero effectus produci in sensu, in quo infra dicemus *lib.* 2. tamen quod de facto producatur vnquam, nec a Scoto, nec ab vllo asseritur.

26. *Probatur tertio*, & mihi principaliter, tam de toto homogeneo quam de heterogeneo (de quibus sane est eadem ratio quantum ad hoc, nam quod vnum ex illis sit conflatum ex partibus diuersæ rationis, & aliud non, nihil facit ad hoc propositum, si bene res consideretur, vnde magis consequenter loquuntur authores primæ sententiæ quam secundæ) Probatur inquam de vtroque toto quia si vllum ex ipsis diceret tertiam entitatem, deberet ipsi aliquid competere, quod non posset competere partibus vnitis, si per impossibile ponerentur esse vnitæ absque illa tertia entitate, sicut conuenit toti composito ex materia & forma recipere quantitatem, quod non competeret partibus vnitis secundum se, quandoquidem vnum numero accidens nequeat subiectari in pluribus subiectis realiter distinctis; & sicut competit toti composito ex anima & corpore recipere visionem & alios actus vitales, qui non possunt recipi in partibus vnitis propter eandem rationem; si enim aliquid huiusmodi non competeret ipsi, esset omnino inutilis & frustranea illa tertia entitas: sed nihil prorsus competit de facto toti integrali, siue heterogeneo, siue homogeneo, quod non competit omnibus partibus vnitis, si per impossibile aut possibile ponerentur absque tertia entitate ex ipsis resultante; ergo nullum totum integrale siue homogeneum siue heterogeneum dicit tertiam entitatem.

27. *Obiicies primo*: Totum integrale fit ex suis partibus tanquam ex causis materialibus, non minus quam totum essentiale fit ex materia: ergo distinguitur à partibus simul sumptis & vnitis; vel certe non valet argumentum quo Scotistæ communiter vruntur ad probandum totum essentiale distingui a partibus ex eo quod causetur ab illis

*Respondetur primo*, hoc argumentũ æque concludere de toto per accidens ac de integrali, & tamen aduersarij negant totum per accidens distingui à partibus simul sumptis & vnitis: ergo non debent vti illo contra hanc conclusionem.

*Respondeo secundo* negando antecedens: non enim fit ex ipsis tanquam ex causis materialibus, quæ simul sumptæ vere influant in ipsum, sed solum fit ex ipsis, quatenus quælibet ex illis includitur in ipso: totum autem essentiale fit ex partibus ita, vt partes simul sumptæ & vnitæ causent ipsum, quod non ex causatione quomodocunque colligitur, sed ex causatione vera & reali, quam ex aliis capitibus colligere debemus competere partibus physicis respectu totius, quæ capita non adsunt ad probandum quod similis causatio competat partibus integralibus respectu totius integralis.

Alias obiectiones plures contra conclusionem ex *Tartareto* & alijs videre licet, quas, quia sunt facillimæ solutionis, non placuit hic proponere.

## CONCLVSIO II.

28. *Totum per accidens non distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis* Hæc est communissima *Scotistarum* cum ipsomet *Scoto* 3. *d.* 2. *q.* 2. *n.* 10. vbi dicit totum per se distingui à toto per accidens ex eo quod totum per se dicat tertiam entitatem, totum vero per accidens non dicat.

*Nec sufficit* responsio *Fuentis* dicentis quod non distinguat *Doctor* vtrumque totum per hoc, quod vnum dicat tertiam entitatem & alterum non; sed per hoc quod vnum dicat tertiam entitatem per se vnam, & alterum dicat tertiam entitatem per accidens vnam. Hæc inquam, responsio non sufficit, tum quia *Scotus* absolute negat totum per accidens dicere tertiam entitatem, non addendo neque quod sit vna per se neque quod sit vna per accidens; tum quia volebat probare quod totum physicum diceret tertiam entitatem distinctam à partibus, non curando an esset vna per se, nec ne, & ad id probandum dixit, quod aliàs non distingueretur à toto per accidens.

*Nec refert etiam*, quod *Scotus ibidem num.* 7. dicat totum per accidens esse magis vnum quam totũ per aggregationem, & non esse suas partes: nam hoc potest esse verum, quamuis non dicat tertiam entitatem, erit enim magis vnum quia partes eius sunt magis vnitæ, & non erit suæ partes, quia partes eius possunt esse, quin ipsum sit, ablata scilicet inhæsione accidentis ad subiectum, & manente ipso accidente ac subiecto in rerum natura, vt potest contingere de potentia absoluta. Vnde expresse *Scotus* in eodem numero nihil ponit supperaddi partibus per totum accidentale præter illam inhæsionem: *ergo*, inquit, *totum* (intellige per accidens) *supra partes addit informationem & receptionem, quibus vnum accidentale dicitur à partibus realiter distinctum.*

29 *Probatur* autem conclusio ratione, qua probauimus totum integrale nõ distingui realiter à suis partibus, quia nihil potest facere aut præstare tertia entitas, quæ resultaret ex albedine inhærente subiecto, quod ipsum subiectum cum albedine inhærente præstare non posset, si per impossibile aut possibile non resultaret illa tertia entitas & consequenter non est asserenda.

*Probatur secundo* argumento communi, quia illa tertia entitas, quæ resultaret ex substantia, verbi gratia, & albedine sibi inhærente, vel esset substantia, vel accidens, neque enim videtur posse dari medium inter hæc: non esset substantia, quia includeret accidens tanquam partem essentialem: non esset accidens, quia includeret substantiam tanquam partem essentialem; accidens enim nequit esse pars essentialis substantiæ, neque substantia accidentis.

*Confirmatur*, quia si daretur tertia entitas resultans ex subiecto albedinis & ipsa albedine inhærente, æquè primo importaret vtramque partem, & sic album non diceret formaliter albedinem, & connotatiue subiectum contra Scotum & Scotistas vbique.

30 *Obiicies* fundamentum *Fuentis*: Ideo totum essentiale distinguitur à partibus, quia vlterius includit actualem causationem partium: sed totum per accidens vltra vnionem addit actualem informationem accidentis, & receptio

ceptionem subiecti;ergo distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis.

*Respondeo* distinguendo maiorem: causationem, per quam aliquid aliud realiter distinctum ab illis simul sumptis & vnitis, causaretur, concedo maiorem, causationem, per quam nihil aliud realiter distinctum causatur, nego maiorem & concessa minori (quamuis negari possit,quia receptio formaliter est ipsamet vnio subiectata in subiecto, & terminata ad accidens) nego consequentiam,quia per receptionem & informationem nihil aliud realiter distinctum à subiecto & forma inhærente ipsi producitur aut causatur. Quod si ex eo quod totum per accideus includat vnionem, ac informationem & receptionem deberet dicere tertiam entitatem,profecto totum integrale etiam diceret tertiam entitatem contra *Fuentem*, quia includit vnionem & continuationem huius partis cum illa parte;nec potius debet oriri tertia entitas ex vnione & receptione ac informatione formæ accidentalis,quam ex vnione & continuatione partis substantialis. Vnde non videtur satis consequenter philosophatus hic author, dum negat totum integrale dicere tertiam entitatem,& id asserit de toto per accidens.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum compositum substantiale includat essentialiter materiam ac vnionem.*

31. CErtum est quod præter formam materia etiam & vnio includatur in toto quouis composito substantiali,quia alias non esset compositum substantiale per se vnum,sed controuertitur,an includantur in ipso essentialiter: *Auerroes 7. Metaph. tex. 11. Iandunus ibid. q. 12.* & alij negant materiam esse de quidditate cõpositi,sed concurrere tantũ ad constitutionem ipsius,tanquam vehiculum formæ. *Durandus in 4. d. 44. q. 1.* concedit materiam in communi esse de essentia compositi in communi; negat vero materiam in particulari esse de essentia compositi in particulari: & hanc sententiam probabilem sentit *Fuentes hic q. 2. difficult. 5. a. 1. n. 69.*

*Magister sententiarum 4. d. 44. q. 1.* fatetur cum communi sententia materiam esse de essentia compositi substantialis,sed negat ad essentiam hominis pertinere vllam materiam, quam nutritione acquirit; sed solummodo illam materiam, quam acquisiuit à parentibus.

*Communis sententia* est non solum materiam in communi,esse de essentia,& quidditate compositi in communi,sed particularem materiam esse de quidditate & essentia compositi in particulari.Hanc tenet *Doctor in 3. d. 22. q. 1.* & *S. Thomas 1. p. q. 75.* quos præter suos sequuntur recentiores fere omnes & nominatim *Auersa q. 19. sec. 4. Amicus 1. Phys. trac. 6. q. 6.*

Quantum autem ad vnionem,*Scotistæ* communiter cum ipso *Scoto in 3. d. 2. q. 2.* negant eam esse de essentiali conceptu,aut quidditate cõpositi, sed conditionem ad ipsius constitutionem requisitam. Quam sententiam etiã tenet *Soncinas 7. Met. q. 42* & *Vasques* in eam inclinare videtur *tertia parte disp. 19. n. 20. Auersa* vero *supra sec. 7. Amicus trac. 11. a. 10. Hurtadus disp. 6. sec. 3.* & alij putant illam essentialiter includi in ipso, seu esse de essentia ipsius.

## CONCLVSIO I.

32. *Non solum materia in communi est de essentia, & quidditate compositi in communi, sed materia particularis est de essentia compositi particularis.* Hæc est communissima cum *Doctore in 3. d. 22. contra Auerroistas* quoad vtramque partem, & contra *Durandum* quoad secundam partem.

*Probatur prima pars* authoritate *S. Augustini lib. 19. de ciuit. c. 3.* vbi ait animam non esse totum hominem, sed partem meliorem eius: ergo præter animam includit essentialiter aliã partem: quæ authoritas confirmatur,quia si anima esset totus homo essentialiter, profecto nũquam interiret homo vllus,quia nunquam vllius hominis interit anima, quod est absurdum. *Damascenus* etiam probat Christum debere habere veram carnem,quia alias non esset verus homo:quæ cõsequentia non valeret, si caro non esset de essentia eius:ergo caro est de essentia hominis,& consequenter à pari materia debet esse de essentia cõpositi.

*Probatur eadem pars ratione*, quia compositum, tam per se includit materiam, quam formam, & ex hoc habet esse compositum, eatenus enim includit formam, quatenus forma est pars eius: sed materia etiam est pars eius, aliàs forma non esset pars eius; quidquid enim est pars, debet habere aliud cum quo sit pars, vt est euidens, nec vlla prorsus est ratio cur per se essentialiter non includeret materiam:& si Philosophus,cuius soli authoritati inniti videntur aduersarij, dixisset materiam non esse de essentia compositi, potius esset authoritas eius neganda, quam conclusio tam clara. Dicere autem, quod materia sit pars intrinseca compositi,ac de substantia eius,non vero de quidditate,est prorsus nugari verbis: idem enim reuera est aliquid esse partem intrinsecam ac substantialem rei,ac esse de quidditate eius.Et deinde si materia,quamuis sit pars intrinseca compositi,non sit tamen de quidditate eius, profecto nec forma etiam erit de quidditate eius. Similiter dicere quod includat materiam, non vt partem, sed vt vehiculum formæ, est etiam nugari, quia nisi includeret eam vt partem,non esset compositum,nec forma esset pars eius, quod est absurdum.

33. *Probatur secunda pars* contra *Durandum*,quia sicut se habet materia vt sic ad compositum vt sic, ita materia particularis ad compositum particulare:ergo si materia vt sic sit de essentia compositi vt sic, materia in particulari erit de essentia compositi in particulari.

*Confirmatur*: ideo materia vt sic est de essentia compositi vt sic, quia compositum vt sic constituitur ex materia vt sic;sed compositum in particulari constituitur ex materia in particulari.

*Probatur secundo*; quia forma particularis est de essentia compositi particularis, etiam secundum *Durandum*,& non solum forma vt sic est de essentia eius: ergo etiam materia particularis, & non tantum vt sic, est de essentia eius.

*Confirmatur*;quia sicut non esset idem numero compositum, quando non esset constans eadem numero forma, ita non esset idem numero, quando non constaret eadem numero materia;nec prorsus potest dari in hoc vlla disparitas:ergo sicut forma in particulari est de essentia cõpositi particularis, ita materia in particulari erit de essentia eius.Vbi aduerte non velle me,quod singularitas materiæ aut formæ etiã sit de essentia compositi,seu quod sit ipsi adeo intrinseca,vt non esset idem numero compositum, si non constaret eadem numero materia ac eadem numero forma, & quod tam sit ipsi essentialis materia particularis, quam forma particularis.

34.*Obiicies* contra primam partem varia loca Philosophi, quibus indicare videtur formã esse quod quid rei,& materiam non esse de definitione rei:quæ loca in specie proponuntur & soluuntur à *Mastrio d. 5. q. 12. art. 1.* nec placuit hic iis recensendis,aut minutim examinandis inhærere,cum non contineant quidpam rationis.

*Respondetur breuiter* & facile,solum voluisse Philosophum,quod materia non sit de essentia corporum sic, vt per ordinem ad materiam possint inter se specie distingui corpora: quod certum est, quia materia omnium corporum,saltem sublunarium, de quibus Philosophus principaliter agebat, est eiusdem rationis, vnde distinctio essentialis & specifica, quam habent inter se, à sola forma desumi debet,tanquam à principio physico;& in hoc sensu sola forma est quod quid rei.

Posset etiam responderi alio modo, quod per formam, quam dicit esse quod quid rei,& per materiam,quam dicit esse extra definitionem rei,intelligat per formam quidem naturam metaphysicam, & per materiam singularitatem,quam sæpe vocat materiam, & sine dubio non est de essentia rei,nec ponẽda in eius definitione:quocunque autem ex his modis intelligatur,nihil facit contra conclusionem,& vt supra dixi, si non posset Philosophus commode explicari, potius esset neganda eius auctoritas.

35. *Obiicies secundo*: homo & equus distinguuntur in essentia: sed non distinguuntur in materia:ergo materia non est de essentia ipsorum.

*Respondeo* negando consequentiam: quia vt distinguantur in essentia, sufficit quod distinguantur in aliqua parte eius: nec est necesse vt non conueniant in vlla parte, vt patet euidenter in homine & bruto, qui conueniunt in animali, & tamen distinguuntur specifice, propter rationalitatem vnius, & irrationalitatem alterius.

*Obiicies tertio*, materia artefactorum, non est de essentia eorum, verbi gratia lignum non est de essentia scamni: ergo nec materia corporum naturalium erit de eorum essentia.

*Respondeo* negando consequentiam, & disparitas est, quod artefacta non sint vnum per se, sed vnum per accidens: atque adeo non dicũt æque primo ac directe vtramque partem, materiam scilicet & formam, sed vnam partem directe & formaliter; alteram indirecte ac connotatiue: vnde vnam tantum partem dicunt essentialiter: corpora vero naturalia sunt vnum per se, & æque primo ac directe dicunt vtramque partem: quare vtraque pars debet esse de eorum essentia. Quod si artefacta similiter æque primo, ac directe dicerent vtramque partem, vtraque pariter pars esset de eorum essentia, & qui id teneret, negaret antecedens obiectionis.

*Respondeo quarto* contra secundam partem: eadem numero materia esset de essentia diuersarum specierum: sed hoc videtur absurdum. *Respondeo* negando minorem; cur enim id esset absurdum?

*Obiicies quinto* contra eandem sequeretur quod non esset idem numero homo in initio vitæ ac in fine, præsertim si viueret longo tempore: sed hoc est absurdum: ergo quamuis materia vt sic sit de essentia compositorum substantialium; materia tamen particularis non potest esse de eorum essentia. Probatur sequela maioris, quia non constat eadem numero materia singulari initio ac fine vitæ nam in initio habet materiam acceptam à parentibus, quę materia postea paulatim perditur, & per nutritionem acquiritur alia materia loco eius.

Propter hanc obiectionem potuit *Magister sententiarum* induci ad sentiendum, quod non perdatur materia accepta à parentibus, & quod quæcunque alia materia per nutritionem acquisita non sit de essentia hominis: iuxta quam doctrinam negaret maiorem cum sua probatione.

Sed quia statim dicemus hanc doctrinam esse falsam, *respondetur aliter* negando sequelam maioris, & ad probationem dico primo, quod si valeret, probaret etiã formam substantialem materialem non esse de essentia corporum contra ipsum *Durandum*, & omnes, quia sicut perduntur partes materiæ, & acquiruntur aliæ, ita etiam perduntur partes formæ, & acquirũtur aliæ partes, nec partes materiæ possent pardi, aut acquiri, nisi simul cum partibus formæ, vt est certissimum.

Quomodo vnus homo maneat idem in principio, & fine suæ vitæ.

*Dico secundo*, licet perdantur aliquæ partes, & acquirantur plures aliæ, esse tamen eundem numero hominem in principio ac fine vitæ, tum quia constat eadem numero anima, quæ est pars principalior eius, tum quia manent etiam aliquæ partes eædem numero materiæ per totum vitæ tempus: tum etiam quia illæ partes, quæ perduntur & acquiruntur, succedunt sibi tali modo, vt non appareat mutatio facta nisi accidentaliter; vnde quamuis reuera physice loquendo non esset idem numero homo, quia non est constans iisdem numero partibus omnibus, tamen moraliter est habendus pro eodem numero. Quæ solutio præmissa obiectione modo sufficiat, nam postea iterum de ea agetur in libris de generatione.

## CONCLVSIO II.

Partes materiæ acquisitæ per nutritionẽ sunt de essentia hominis.

37. *Non solum pars materiæ accepta à parentibus, sed etiam illæ, quæ acquiruntur nutritione, sunt de essentia hominis.* Hæc est communis contra *Mastrium*, & probatur quia illæ partes informantur anima ac forma hominis non minus quam aliæ partes: ergo non minus sunt de essentia eius, eatenus enim vllæ partes materiæ sunt de essentia hominis, quatenus informantur ab ipsius anima, atque adeo intrinsece per se primo includuntur in homine.

*Confirmatur*, quia est eadem prorsus ratio de partibus per nutritionem acquisitis, ac de partibus acceptis in generatione: ergo idem dicendum quantum ad hoc de vtrisque.

*Obiicies* illud Christi: *quod intrat in os non coinquinat animam, sed vadit per secessum*: ergo non conuertitur in substantiam hominis, & consequenter non acquiruntur nouæ partes materiæ, quæ sint de essentia hominis.

*Respondeo* explicando dictum illud Christi, quod intelligendum est sic, vt quod intrat per os, vadat per secessum quantum ad partes impuriores, quæ possent coinquinare aut animam aut hominem; non vero sic vt vadat per secessum quantum ad omnes partes materiæ: ita vt nulla prorsus conuertatur in substantiam hominis.

38. *Obiicies secundo*: Illa pars non est de essentia hominis, sine qua manet essentialiter totus homo, sed ante nutritionem erat essentialiter totus homo, hoc est animal rationale: ergo pars acquisita per nutritionem non est de essentia eius.

*Respondeo primo*, quod hinc probaretur partem aliquam acquisitam per generationem non esse de essentia hominis: tum quia ea perdita adhuc manet homo essentialiter, tum quia quamuis non acciperet in generatione digitum aut aliquam aliam partem, supposito scilicet quod nasceretur mancus, aut claudus, aut monoculus, adhuc esset homo completus essentialiter, quantum ad hoc quod esset animal rationale: ergo aliqua pars acquisita per generationem non est de essentia hominis.

*Respondeo secundo* distinguendo consequens: non est de essentia eius taliter, quin manentibus aliis partibus esset animal rationale sine illa, concedo consequentiam; non est de essentia eius taliter, quod nõn sit de integritate hominis tam bene quam aliæ partes acquisitæ per generationem, & taliter etiam quod si deficerent aliæ partes, quas supplet, & non succederet illa, remaneret homo in statu animalis rationalis, nego consequentiam.

36. *Vt melius intelligatur hæc responsio*, aduertendum aliquas partes integrales hominis esse requisitas necessario ad hoc, quod ipse homo possit sub denominatione hominis remanere in suo esse, alias vero esse partes integrales, quæ ad hoc non sunt necessariæ, licet sint de integritate hominis, & seruiant ad multas fũctiones faciendas. Facile est autẽ assignare multas partes posterioris generis, tales enim sunt quælibet manus, quilibet pes, quælibet auris, & multæ aliæ notabiles partes corporis, nam non obstante quod separetur manus aut pes ab homine, posset adhuc manere homo sub denominatione hominis, sub qua etiam denominatione maneret, quamuis multæ partes ex his simul separarentur ab ipso: separato autem capite non manet sub denominatione hominis reliquũ cadauer, nec contingit hoc solum, quia non solet viuere separato capite, quia etiam quamuis viueret non esset appellandus homo, vnde caput censendum est pars prioris generis. Quæ autem aliæ determinatæ partes sint ad hoc necessariæ, & sufficientes, non est tam facile assignare, nec necessarium est: sufficit scire quod illæ partes, quæ sufficiunt vt homo possit sentire, & discurrere, sint sufficientes vt maneat in esse hominis, quatenus homo est animal rationale, quia animal rationale non est aliud quã substantia corporea sensitiua potens discurrere. & homo essentialiter nihil aliud importat quã talem substantiam: quare partes huiusmodi censendæ sunt de essentia hominis stricte loquendo, & aliæ partes, sine quibus adhuc haberet hanc rationem homo, non sunt de essentia eius stricte, quamuis sint de integritate & complemento substantiali integrali eius. Potest autem fieri vt per nutritionem acquirantur partes vtriusque rationis, successiue tamen, adeo vt si aliqua tota pars acquisita per nutritionem multorũ annorum deperderetur, supposito quod ante perierint partes, quibus successerãt, homo non maneret amplius in rerum natura sub denominatione hominis; vt si, verbi gratia, maxima pars cordis habita à parentibus periisset successiue, & eius loco successiue adũenirent aliæ partes per nutritionem, sine dubio separatis partibus illis acquisitis, & non suppleto illarum defectu per alias partes, non maneret cor secundum rationem illam, secundum quam esset necessarium ad conseruationem hominis; vnde

eadem

eadem ratione, qua partes illæ cordis acquisitæ per generationem sunt de essentia hominis, etiam illæ partes acquisitæ per nutritionem sunt de essentia eius. Per quod manet quoque soluta hæc obiectio, si proponeretur contra præcedentem conclusionem.

## CONCLVSIO III.

Vnio non est de essentia compositi substantialis.

40. *Vnio non est de essentia compositi substantialis.* Hæc est *Scoti* supra cum omnibus suis contra recentiores communiter supra citatos. *Probatur* quia vnio, vt suppono ex dictis, est respectus, substantia autem composita, v. g. homo, ignis, lapis, est quid absolutum: sed respectus nullus, & præsertim nullus respectus actualis (qualis est vnio) potest esse de essentia vllius absoluti, quia aliàs esset & non esset absolutum; esset enim ex hypothesi, & non esset, quia inuolueret essentialiter respectum; ergo vnio nequit esse de essentia eius.

*Dices* cum *Amico*: si respectus nequeant esse de essentia substantiæ, materia & forma nequeunt esse de essentia eius: sed hoc est contra nos: ergo & illud vnde sequitur, & consequenter falsa est minor nostræ probationis. Probatur sequela maioris; quia materia & forma dicunt essentialiter respectus transcendentales.

*Respondeo* negando sequelam maioris cum sua probatione: quamuis enim in materia includantur tales respectus, non tamen essentialiter, sed tanquam proprietates competentes ipsi per se in secundo modo dicendi, non in primo; vnde neque debent ex hoc capite includi in essentia compositi.

Triplicitèr potest aliquid esse absolutum.

41. *Melior replica* contra præmissam rationem, quæ est præcipua, quæ adduci potest pro hac conclusione est, quod tribus modis potest considerari aliquid esse absolutum: *vno modo*, quatenus non refertur essentialiter ad aliquid aliud, licet includeret essentialiter respectus, quibus suæ partes copularentur inter se, & in hoc sensu concedi posset compositū physicum esse quid absolutum, quamuis includeret essentialiter vnionem suarum partium, quia per illam vnionem non refertur ad aliquid aliud, sed potius partes ipsius referuntur ad se inuicem. *Alio modo* aliquid potest esse absolutum, ita vt nullo modo essentialiter includat respectum, neque quo ipsum referatur ad aliud, neque quo partes copulentur inter se; & in hoc sensu Angelus est quid absolutum, non vero vlla substantia composita physice. *Tertio denique modo* aliquid potest vocari absolutum, quod potest metaphysice concipi secundum genus & differentiam, quibus essentialiter metaphysice constituitur, quin intelligatur vllo modo includere respectum, præsertim actualem: & in hoc sensu etiam compositum physicum, verbi gratia homo, & lapis, & similia sunt entia absoluta, quamuis essentialiter includeret vnionem in essentia sua physice considerata, quia certum est, quod homo posset intelligi vt animal rationale, quin intelligatur includere vlla ratione vnionem aut alium respectum actualem.

42. *Iuxta hanc doctrinam responderi* posset in forma ad nostram probationem distinguendo maiorem pro secunda parte: substantia composita est quid absolutum in primo & tertio modo, quo accipitur ens absolutum; concedo maiorem: in secundo modo, nego maiorem; & distinguo etiam minorem: respectus non est de essentia absoluti, capiendo ens absolutum secundo modo, concedo minorem; non est de essentia absoluti, si capiatur absolutum primo aut tertio modo, præsertim loquendo de respectu quo partes absoluti vniantur inter se, nego minorem & consequentiam.

*Hæc replica* videtur mihi probabilissima; nec fortassis est contra *Scotum* ipsum, si bene intelligatur: sed quia cōmuniter intelligitur iuxta conclusionem, vt iacet à *Scotistis*, responderi potest primam & tertiam acceptionem entis absoluti esse valde impropriam & excogitatam gratis ad eneruandam prædictæ rationis vim; vnde cum composita physica dicantur absoluta simpliciter absque addito, debet hoc intelligi sic, vt nullo modo includant essentialiter respectum vllum præsertim actualem, & hoc tanto magis, quod nihil impediat, vt patebit ex solutione obiectionum.

43. *Obiicies primo* ex *Auersa q. 19. sect. 7.* de essentia cōpositi est ipsamet cōpositio: sed vnio est compositio eius: ergo vnio est de essentia ac intrinseca ratione compositi.

*Confirmatur*, quia compositum & vnitum sunt idem omnino; sed vnio est de intrinseca ratione vniti formaliter loquendo, non minus quàm album est de intrinseca ratione albi: ergo compositio est de intrinseca ratione compositi.

*Confirmatur secundo*, quia compositum est concretum dicens formaliter compositionem: sed illud quod formaliter dicit concretum, est de intrinseca & essentiali ratione eius, qua tale formaliter: ergo compositio, & consequenter vnio, quæ est ipsamet compositio, est de intrinseca ratione compositi.

*Respondeo* distinguendo maiorem; de essentia compositi est compositio, id est coniunctio formalis suarum partium nego maiorem; est compositio, id est, de essentia sua est quod sit entitas, quæ coalescit ex partibus, concedo maiorem: distinguo etiam minorem; vnio est compositio, id est, coniunctio partium compositi, concedo minorem; est compositio id est, est id, ratione cuius formaliter competat composito esse entitatem, quæ coalescit ex partibus, nego minorem & consequentiam.

44. *Ad primam confirmationem respondeo*, negando maiorem proprie loquendo, nam verum est quod materia sit vnita, & tamen non est verum quod sit composita proprie loquendo. Itaque vnitum est illud quod vnitur alteri, compositum vero, præsertim substantiale, non est quod vnitur alteri, vt patet, sed est quid cōflatum ex aliis. Quod si quis velit dicere quod id, quod vnitur alteri, cōponatur cum illo, & quod idem sit vniri illi, ac componi cum illo, potest distingui maior; compositum, id est id, quod componitur cum alio, idem est ac vnitum, concedo maiorem; compositum, id est, id quod fit ex aliis, idem est ac vnitum, nego maiorem & concessa minori distinguo consequens: ergo compositum, id est, id quod componitur cum alio, dicit formaliter compositionem, quæ est vnio, concedo consequentiam; ergo compositum, id est, id quod componitur ex aliis, dicit formaliter compositionem, quæ est vnio, nego consequentiam.

45. *Ad secundam confirmationem respondeo* distinguendo maiorem: compositum est concretum dicens formaliter compositionem, quæ est vnio, eo modo quo materia vnita dicit illam formaliter, nego maiorem; est concretum dicens formaliter compositionem, id est entitatem, quæ conflatur ex partibus, concedo maiorem, & concessa minori distinguo consequens: ergo dicit formaliter compositionem, quæ est relatio vnionis, nego consequentiam; quæ est ipsamet entitas conflata ex partibus, concedo consequentiam. Itaque compositum, quod conflatur ex partibus, est concretum substantiale, sicut homo, & abstractum ipsius est ipsamet sua entitas considerata, vt forma totalis metaphysica dans ipsi suum esse, sicut humanitas est abstractum hominis, & albedinitas est abstractum albedinis; non vero est concretum accidentale, sicut album, dicens formaliter ipsam vnionem, qua coniunguntur ipsius partes, nam si esset huiusmodi concretum, profecto deberet esse subiectum inhæsionis ipsius vnionis, & deberet consequenter alicui per vnionem vniri, quod patet esse falsum, vt bene aduertendum est.

*Obiicies secundo*: non potest esse, nec concipi compositum absque vnione magis quam album sine albedine: ergo vnio est de essentia eius, sicut albedo est de essentia albi.

*Confirmatur*, quia materia, & forma non constituunt compositum, nisi vt vnitæ: ergo vnio est de essentia compositi, non minus quam materia & forma.

*Respondeo* concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia etiam relatio nequit intelligi, aut esse sine termino magis, quam album sine albedine, & tamen non propterea terminus est de essentia eius, sicut albedo est de essentia albi. Itaque licet compositum nequeat intelligi absque vnione, hoc tamen non oritur ex eo, quod

cõſtituatur formaliter ac eſſentialiter in eſſe cõpoſiti per vnionem propter rationes ſupradictas, ſed ex eo, quod vnio eſt conditio eſſentialiter prærequiſita, vt cõſtituatur per partes: & quemadmodum non poteſt intelligi, nec eſſe, quod ignis cauſet alium ignem, niſi applicetur alicui paſſo, & tamen ipſa applicatio non eſt de eſſentia cauſationis; ita licet nequeat eſſe aut intelligi, quod detur compoſitum abſque vnione, tamen non propterea vnio debet eſſe de ratione eius; ſed poteſt eſſe, & eſt conditio neceſſario prærequiſita, vt conſtituatur per partes, imo fortaſſis eſt ipſamet cauſatio partium, de quo poſtea *lib.* 2.

*Ad confirmationem reſpondeo* diſtinguendo antecedens: ita vt vnio concurrat cum ipſis eſſentialiter, ac intrinſece ad conſtitutionem totius, nego antecedens, ita vt ſit conditio neceſſario prærequiſita, concedo antecedens, & nego conſequentiam: & inſtari poteſt ad confirmationem huius in exemplo de applicatione ignis.

47. *Obiicies vltimo*: per vnionem præciſe diſtinguitur compoſitum per ſe ex materia & forma vnitis à compoſito per accidens reſultante, ſeu conflato ex eadem materia & forma intime applicatis, ſeu non vnitis: ergo vnio eſt de eſſentia compoſiti per ſe ex materia & forma reſultantis. Probatur antecedens; quia non diſtinguitur per partes, cum vtrumque habeat eaſdem partes, nec aliquid aliud poteſt aſſignari, per quod diſtinguantur; ergo diſtinguuntur præciſe per vnionem.

*Reſpondeo* diſtinguendo antecedens: per vnionem diſtinguitur, tanquam à poſteriori & arguitiue, ita ſcilicet vt poſſit quis colligere, quod vnum compoſitũ diſtinguatur ab alio per hoc, quod partes eius vniantur, non vero vniantur partes alterius, concedo antecedẽs: per vnionem per ſe primo & formaliter diſtinguũtur, nego antecedens: nam compoſitum ex ſe & ſua natura formaliter diſtinguitur ab altero compoſito, quandoquidem ſit vnum per ſe, & quid realiter diſtinctum à ſuis partibus ſimul ſumptis & vnitis, quod non eſt verum de altero compoſito; vnde nego conſequentiam, & diſtinguo probationẽ antecedentis: nihil aliud præter vnionem poteſt aſſignari, per quod arguitiue colligatur, quod diſtinguantur, tranſeat antecedens, & tranſeat etiam conſequentia in eodem ſenſu, nempe quod per vnionem ſic arguitiue diſtinguantur: nihil aliud poteſt aſſignari, per quod diſtinguantur per ſe primo, nego antecedens: poteſt enim aſſignari ipſamet entitas compoſiti per ſe, quæ ſeipſa eſt diuerſiſſimæ rationis ab entitate compoſiti per accidens: quod ſi non velit quis dare totam entitatem pro principio diſtinctiuo totius per ſe, ſed aliquam formalitatem ex multis, quæ in illa includuntur dicat formalitatem diſtinctiuam eſſe illam, ratione cuius petit conſtitui ex partibus vnitis, talem enim formalitatem non includit totum per accidens conflatum ex iiſdem partibus.

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrum Quantitas ſubiectetur in toto immediate.*

48. *Auerroes* 1. *Phyſicor. comm.* 63. Quantitatem ait eſſe materiæ coæuam, eam tamen antecedenter ad formæ aduentum eſſe interminatam, hoc eſt forte, nullius determinatæ figuræ, aut denſitatis aut raritatis: quam ſententiam quantum ad ſubiectationem quantitatis in materia & quantum ad præceſſionem eius ad formam ſubſtantialem, ſequuntur recentiores plurimi, & præſertim *Suarez diſp.* 14. *Metaphyſ. ſect.* 3. *Hurtadus diſput.* 3. *Phyſicæ, ſect.* 6. *Auerſa quæſt.* 21. *ſect.* 7. *Arriaga diſp.* 5. *ſect.* 2. quem tamen mitor ſuam ſententiam vocare communem, cum ſit contra *Thomiſtas* puros, & *Scotiſtas*, quorum ſine dubio maior eſt numerus, nec inferior qualitas, ne quid amplius dicam, quam recentiorum, ac *Ieſuitarum*, & quorumcumque aliorum tenentium ipſius ſententiam, imo ſolorum Scotiſtarum numerus excedit.

*Secunda ſententia* communiſſima *Scotiſtarum & Thomiſtarum cum* Scoto *in* 2. *d.* 3. *q.* 4. *num.* 5. *&* 17. *ac* 4. *d.* 11. *q.* 2. & aliis pluribus locis, ac *D. Thom. q.* 56. *& alibi*, tenet quantitatem nullo modo præcedere formam in materia, nec in ipſa ſubiectari immediate, ſed in toto compoſito ſubſtantiali conflato ex materia & forma. Verum cum duplex ſit totum compoſitum, *vnum*, quod ſit compoſitum ex corpore & anima; & *alterum*, quod ſit compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali immediate in materia recepta, ſiue ſit forma completa, qualis eſt forma ignis, aquæ, terræ, lapidis; ſiue ſubordinata & incompleta, qualis eſt forma corporeitatis; quæ cum materia facit corpus, quod eſt altera pars viuentis, dubitari poteſt adhuc, an in omni compoſito ex his ſubiectetur immediate quantitas; & ſi non, in quonam ſubiectari debet.

49. Pro maiori autem claritate aduertendum eſt duplex poſſe conſiderari ſubiectum quantitatis, vnum *denominationis*: alterum *inhæſionis*: ſubiectum *denominationis* eſt omne illud, quod poteſt denominari, ſeu dici quantum, ſiue quantitas immediate ipſi inhæreat, ſiue non: ſubiectum *inhæſionis* eſt illud, cui immediate inhæret quantitas. Quod autem non ſit idem ſubiectum denominationis, & inhæſionis quantitatis neceſſario, hinc patet, quod tam forma, quam materia, ac totum etiam compoſitum, imo & ipſa accidentia abſoluta, quæ dicuntur communiter ſubiectari in quantitate, denominentur quanta, atque adeo ſint ſubiectum denominationis quantitatis, cum tamen certum ſit omnia illa non poſſe eſſe ſubiectum inhæſionis eius: neque enim ſecundum *Auerroiſtas* inhærere poteſt formæ aut compoſito; nec ſecundum *Scotiſtas* materiæ, & formæ, nec ſecundum *Thomiſtas* aut vllos accidentibus ſubſequentibus: ergo non coincidit ſubiectum inhæſionis ſemper cum ſubiecto denominationis.

### CONCLVSIO I.

50. *Quantitas rerum animatarum non ſubiectatur aut inhæret immediate in toto compoſito ex corpore, & anima ſiue ſpirituali ſiue corporali.* Hæc eſt eorum, qui tenent quantitatem ſubiectari in materia prima contra *Thomiſtas* communiter, & quoſdam etiam *Scotiſtas*, qui exiſtimant eam ſubiectari immediate in compoſito ex corpore, & anima materiali, non vero ſpirituali, non tamen contra ipſummet *Scotum*, qui licet aſſerat quantitatem ſubiectari in compoſito, nunquam tamen id dixit de toto compoſito ex corpore, & anima.

*Probatur primo*, contra *Thomiſtas*, quia ſecundum ipſos totum non diſtinguitur realiter à partibus: ergo quantitas non poteſt immediate ſubiectari in toto. Probatur conſequentia, quia vnum accidens abſolutum non poteſt naturaliter ſubiectari in rebus realiter diſtinctis immediate: ergo.

*Confirmatur* contra ipſos: quod ſubiectatur in toto compoſito immediate, debet neceſſario ſubiectari in partibus eius immediate, quandoquidem non diſtinguatur totum à ſuis partibus: ſed quantitas, cum ſit res materialis & corporea, non poteſt ſubiectari in anima rationali ſpirituali, ergo ſaltem quantitas non ſubiectatur in toto homine, ſed in materia hominis ſiue prima, ſiue ſecunda.

*Probatur ſecundò* vniuerſaliter contra omnes, quia non poteſt naturaliter manere accidens ſine ſuo ſubiecto inhæſionis immediato: ſed eadem numero quantitas rei viuentis manet, deſtructo toto compoſito ex anima, & corpore, & hoc, ſiue anima ſit rationalis, ſiue ſenſitiua, aut vegetatiua, vt patet experientia, mortuo enim homine, & equo, & arbore, corpus ipſorum habet eandem extenſionem numero, & plures alias qualitates eaſdem numero, quas habuerunt ante mortem.

51. *Reſpondet quidam Scotiſta* quantitatem ſubiectari in toto ex corpore, & anima materiali reſultante, ſecundum ſe totum, & ſecundum omnes ſuas partes, & conſequenter non eſſe mirum, quod deſtructa vna parte, & etiam toto, maneat adhuc quantitas in altera parte ſuperſtite.

*Sed contra* quia ſecundum *Scotum*, & hunc *Scotiſtam* quantitas debet neceſſario immediate ſubiectari in toto, & mediante toto in partibus totius, in quibus ſecundum ipſos non poteſt naturaliter ſubiectari immediate, propter primam probationem contra *Thomiſtas*: ergo deſtructo toto non poteſt manere quãtitas eadem numero,

nequit

nequit enim vllum accidens manere sine suo subiecto immediato.

*Confirmatur*, quia accidentia materialia educuntur è potentia sui subiecti immediati, ergo naturaliter dependent ab ipso in esse & conseruari, & consequenter nequeunt naturaliter conseruari sine ipso. Probatur prima consequentia, quia nihil est aliud educi de potentia subiecti, quàm in esse & conseruari dependere ab ipso.

*Confirmatur secundo*, quia quod non ineſt alicui, nisi mediante alio, destructo alio non ineſt ipsi: ergo cum quantitas non insit partibus, nisi mediante toto, non potest manere in ipsis destructo toto, nisi migrando de subiecto in subiectum, quod naturaliter implicat secundum omnes.

*Confirmatur tertio*, efficaciter, quia quantitas ligni, quæ secundum ipsum & veritatem subiectatur in toto composito ex materia prima & forma ligni, non potest naturaliter manere in materia prima destructo ligno: ergo similiter nec quantitas rei animatæ potest manere in parte ipsius destructo toto. probatur consequentia; quia tam immediate subiectatur quantitas lingni in partibus ligni, quam quantitas rei viuentis in partibus eius.

52. *Respondent Thomistæ* ad hanc probationem non manere eandem quantitatem numero, nec easdem numero qualitates destructo viuente.

Sed hæc responsio falsæ innititur doctrinæ, scilicet non dari in viuentibus, nisi vnam formam substantialem de quo alias; modo sufficit aduertere nihil magis mirum posse excogitari, quam non remanere post mortem animalium in suis cadaueribus vlla ex præcedentibus accidentibus ipsorum animalium, sed similia produci de nouo à causis, quas quia non sunt, non possunt vnquam assignare aduersarij.

53. *Obiicies*: anima corporea est extensa: ergo vel recipitur in quantitate, vel recipit quantitatem, neque enim apparet quomodo quantitas possit communicare effectum suum vlli, nisi in quo recipitur, vel quod ipsam recipit: sed certum est, quod non recipiatur in quantitate: ergo recipit in se quantitatem, & consequenter quantitas recipitur in toto composito ex corpore & anima corporea, seu materiali.

*Respondeo* negando consequentiam cum sua probatione; nam sufficit, vt habeat extensionem quantitatiuam, quod recipiatur in re habente quantitatem: nam eo ipso quo vna pars istius animæ subiectatur in vna parte corporis habentis quantitatem, & altera in altera, repugnat naturaliter illas partes animæ esse in eodem loco, quia non potest pars animæ informantis subiectum esse in aliquo loco, in quo non sit ipsum subiectum: ergo cum duæ partes corporis habentis quantitatem non possint esse simul in eodem loco, nec etiam duæ partes animæ informantis tale corpus.

*Dices*, animam rationalem recipi in corpore quanto, & tamen non esse extensam quantitatiue: ergo, vt forma sit extensa, non sufficit vt recipiatur in corpore quanto.

*Respondeo* distinguendo consequens: hoc solum non sufficit, concedo; hoc non sufficit, si cæteræ conditiones requisitæ adsint, quarum præcipua est, quod forma habeat partes entitatiuas, nego consequentiam. Itaque ratio, quare anima rationalis non sit extensa, etiamsi recipiatur in corpore quanto, est quia non habet huiusmodi partes.

54. *Dices secundò*, non aliunde colligi, quod qualitates recipiantur in quantitate, tanquam in subiecto proximo, nisi quia recipiuntur in corpore quanto: ergo si anima recipiatur in corpore quanto, debet dici quod recipiatur in quantitate tanquam in subiecto proximo: sed hoc est absurdum, ergo dicendum quod anima corporea non recipiatur in corpore quanto, & consequenter quod recipiat in se quantitatem.

*Respondeo primo*, negando antecedens, sed id potius colligitur ex mysterio Eucharistiæ.

*Respondeo secundo* negando consequentiam, quia sequitur inconueniens ex eo, quod anima reciperetur proxime in quantitate, quale non sequeretur ex eo quod qualitates in ea proxime reciperentur: inconueniens autem illud est, quod non reciperetur immediate in suo subiecto per se, cum quo facit vnum per se, cum tamen posset in illo recipi absque inconuenienti.

*Dices tertio*: Si quãtitas subiectaretur in corpore priusquam informaretur ab anima, sequeretur quod anima non esset actus per se ipsius: sed hoc est absurdum. Probatur sequela, quia actus qui non perficit subiectum nisi mediante accidente, non est actus per se ipsius.

*Respondeo* negando sequelam, & distinguendo eius probationem: nisi mediante accidente tanquam subiecto magis immediato ipsius, transeat; nisi mediante accidente non tamen vt subiecto immediatiori, nego. Et hoc vel simili modo deberet aduersarius Scotista saltem respondere, si simile argumentum vrgeretur contra ipsũ de anima rationali, quæ recipitur in corpore prius affecto quãtitate.

## CONCLVSIO II.

55. *Totum compositum ex materia, & quacunque forma, & etiam ipsa materia, & forma quacunque corporea, siue sit anima, siue sit forma substantialis, quæ non sit anima, siue forma accidentalis absoluta, est subiectum denominationis quantitatis.* Hæc est communis, & *probatur* quia nihil ex his est, quod non denominetur magnum aut paruum magnitudine molis, & quod non habeat partes extensas impenetrabiliter: ergo nihil ex his est, quod non denominetur quantum, & consequenter quod non sit subiectum denominationis quantitatis. Quodnam subiectum denominationis quãtitatis.

*Dices*: hinc sequeretur quod nihil ex his esset, quod non sit subiectum immediatum inhæsionis eius contra sequentem conclusionem.

*Respondeo* negando sequelam, quia bene potest esse aliquid subiectum denominationis, quod non sit subiectum inhæsionis immediatum, vt patet ex eo quod totus homo dicatur intelligere, & videre, & esse corpus, cum tamen intellectio inhæreat immediate soli intellectui ac animæ, visio soli oculo, crispitudo soli capiti.

## CONCLVSIO III.

56. *Subiectum immediatum inhæsionis quantitatis est totum compositum ex materia, & quacumque forma substantiali, quæ non est anima.* Hæc est *Scotistarum* communiter cum *Scoto* supra, ac etiam *Thomistarum*; quantum ad omnia præter exclusionem totius compositi ex anima & esset etiam ipsorum quantum ad hoc quoque, si putarent cum anima aliam formam substantialem reperiri in viuentibus: est autem contra tenentes quantitatem subiectari immediate in materia prima. Subiectum inhæsionis quantitatis est totum compositũ ex materia & forma quæ non est anima.

*Probatur conclusio primo*, quia huiusmodi compositum est capax quantitatis, & denominatur quantum, nec vllum inconueniens sequitur ex eo quod recipiat proxime in se quantitatem: ergo dicendum est, quod id faciat. Probatur consequentia, quia quod recipit denominationem à forma accidentali, debet dici recipere illam formam immediate, si sine inconuenienti id concedi possit. Probatur antecedens, quia est diuisibile in partes entitatiuas, quarum vna potest correspondere, tanquam subiectum vni parti quantitatis, & altera alteri: ergo est capax quantitatis. Deinde certum est, quod denominetur quantum, & non potest assignari inconuenientia vlla ex eo, quod dicatur immediate subiectare quantitatem. ergo antecedens quoad omnem partem est verum.

57. *Confirmant aliqui*, quia quidquid est diuisibile in partes entitatiuas, aut recipitur in quantitate, vel in re quanta, aut recipit quantitatem, aut rem quantam: sed huiusmodi compositum habet huiusmodi partes, & non recipitur in re quanta, nec recipit rem quantam: ergo recipit quantitatem.

*Confirmant secundo*, quia quidquid est quantum, debet vel recipi in quantitate, aut re quanta, vel recipere quantitatem, aut rem quantam: ergo cum huiusmodi compositum sit quantum, & non recipiatur in re quanta, aut quantitate, nec recipiat rem quantam, debet recipere immediate quantitatem.

*Sed contra has duas confirmationes* currit instantia de toto composito ex corpore & anima materiali; nam huiusmo

huiuſmodi totum eſt diuiſibile in partes entitatiuas;& eſt quantum,nec tamen recipit in ſe quantitatem , aut rem quantam, nec recipitur in quantitate, aut re quanta , ſed ſufficit ad illam denominationem , quod pars intrinſeca ipſius ſit res quanta,nimirum corpus.

58.*Probatur ſecundo*, quia generationis ſubiectum eſt materia prima , augmentationis vero & alterationis corpus ſubſtantiale,& in hoc diſtinguitur generatio ab augmentatione & alteratione ſecundum Philoſophum, 5. *Phyſic.tex.* 8.& 1. *de Generat. tex.* 24. ergo illud , quod mutatur per generationem ex materia prima , & illud , quod mutatur per augmentationem & alterationem non eſt materia prima,ſed corpus ſubſtantiale : ergo ſicut materia prima immediate recipit formam ſubſtantialem , quæ eſt terminus generationis;ita corpus ſubſtantiale immediate recipit quantitatem,quæ eſt terminus augmentationis.

*Confirmatur* , quia ſecundum ipſum nullum ſenſibile manet in genito ex iis,qnæ fuerunt in corrupto , vt patet ex definitione corruptionis:ergo accidentia ſenſibilia omnia ſubiectantur in toto, quia alias ad deſtructionem ipſius non deberent omnia deſtrui ; & quia ideo colligunt aduerſarij accidentia non ſubiectari in toto, quia putant cadē accidētia manere in genito,quæ fuerunt in corrupto.

59. *Reſpondet Suarez*, ſubiectum generationis , augmentationis,& alterationis eſſe materiam primam ; cum hac tamen differentia,quod ad generationem non ſupponatur eam informatam forma ſubſtantiali, ad augmentationem vero & alterationem ſic.

*Sed præterquam quod* hæc reſponſio non ſit conformis Philoſopho,ſed omnino violenta, vlterius contra eam eſt quod ſi materia prima eſſet ſubiectum augmentationis,& alterationis , nulla daretur alteratio violenta , quod eſt contra omnes : Probatur ſequela,quia alteratio nō poteſt eſſe violenta,quoties ſubiectum eius non auertitur & abhorret à qualitate per eam acquiſita : ſed à nulla prorſus qualitate materia prima abhorret , imo potius omnes æque appetit : ergo nulla daretur alteratio violenta.

*Ad confirmationem Arriaga*,reiecta aliorum ſolutione, negat conſequentiam , tum quia quantitas non eſt accidens ſenſibile,tum quia poſſent accidentia compoſiti deſtructi deſinere eo deſinente,quamuis non ſubiectarentur in ipſo, nimirum quia dependerent à forma ipſius in alio genere,quam in ratione ſubiecti,v.g in genere cauſæ efficientis,aut finalis,aut conditionis ſine qua non.

*Sed contra*, quia vt dixi in ſecunda probatione conſequentiæ confirmationis, ideo aduerſarii potiſſimum , & præſertim *Arriaga* colligit quantitatem & qualitates non ſubiectari in toto,ſed in materia prima,quia remanent eædem qualitates ac quātitas in genito & corrupto : ergo ſi hoc ſit falſum ſecundum Philoſophum, prout eſſe fatetur hic auctor,falſa erit eorum ſententia ſecundum Philoſophum. Nec refert quod quantitas non ſit ſenſibile , quia eadem eſt ratio de ipſa,ac qualitatibus ſenſibilibus , quantum ad ſubiectationem in compoſito , vt aduerſarij fatentur:vnde ſi ſecundum Philoſophum qualitates ſubiectentur in compoſito,ſequitur quod ſecundum eundem quantitas in eo ſubiectatur : & per hoc patet non valere reſponſionem eiuſdem authoris ad ſecundam probationem ab ipſomet pro noſtra ſententia adductam.

60 *Probatur tertio* : prius materia recipit formam ſubſtantialem,quam quantitatem : ergo dicendum eſt,quod quantitas recipiatur in compoſito. Conſequentiam non negabunt aduerſarii,quia propterea exiſtimant quantitatem non recipi immediate in compoſito ex eo,quod recipiatur prius in materia,quàm recipiatur forma ſubſtantialis in ipſa , & conſequenter priuſquam ſit compoſitum. Probatur ergo antecedens,quia actus per ſe materiæ qualis eſt forma ſubſtantialis,debet prius coniungi cum illa , quàm actus per accidens eius,qualis eſt quodcunque accidens, niſi actus per accidens requiratur , vt ratio recipiendi formam,aut aliquid præuie requiſitum ad eam recipiendam : ſed quantitas eſt accidens, & non requiritur, vt aliquid neceſſario præuium ad recipiendam formam ſubſtantialem,vt patebit ex ſolutione obiectionum:ergo prius materia debet recipere formam ſubſtantialem,quam quantitatem.

*Dices*:corpus,quod eſt altera pars hominis per ſe ordinatur ad animam rationalem (& idem eſt de corporibus aliorum animalium reſpectu ſuarum animarum ) & tamen prius recipit quantitatem,quam animam, ergo poſſet materia conuenienter recipere quantitatem priuſquam formam ſubſtantialem, quamuis eſſet per ſe ordinata ad illam formam.

*Reſpondeo* negādo conſequentiam,&aſſignando diſparitatem maximā,quia corpus illud,cum conſtet materia prima,& forma ſubſtantiali,debet habere qualitates ſibi proprias,& conſequenter quantitatē, quæ eſt ſubiectum immediatum talium qualitatum,ſecus eſt de materia prima.

*Confirmatur*,quia eo ipſo,quo prærequiritur forma ſubſtantialis corporeitatis ante animam, etiam prærequiruntur qualitates conſeruatiuæ eius ante animam,& conſequenter non eſt eadem ratio de corpore illo , reſpectu animæ , ac de materia prima reſpectu formæ ſubſtantialis immediate recipiendæ in illa.

61 *Obiicies primo ex Suar.* quantitas poteſt ſubiectari in materia prima,& de facto ita aliquando fit;ergo dicendum eſt,quod ſemper ita fiat. Conſequentia patet, quia melius eſt vniforme aliquod ſubiectum tribuere quantitati, quam difforme, ſi poteſt ipſi tribui. Probatur antecedens quoad ſecundam partem, in qua videtur tantum eſſe difficultas, quia quantitas hominis non poteſt habere aliud ſubiectum quam materiam primam,quandoquidem non ſit aliquod ſubiectum aſſignabile , in quo ſit præter totum hominem , aut materiam primam; in toto autem homine non poteſt exiſtere immediate propter rationes ſecundæ concluſionis.

*Reſpondeo* hanc obiectionem contra Thomiſtas eſſe validam & propterea facile erat *Suario* eorum reſponſiones confutare,quod & bene facit;contra nos autem nihil valet:negamus enim antecedens quoad ſecundam partem ( quidquid ſit de prima ) cum ſua probatione ; eſt enim aſſignabile totum compoſitum ex materia prima & forma corporeitatis, quam licet *Suarius* neget , nos tamen aliàs ſufficienter probabimus in libris de Anima.

62.*Obiicies ſecundò*:non poteſt agens naturale agere in materiam , niſi diſpoſitam per certas qualitates determinantes ipſam ad formam introducendam : ſed ſic diſponi nequit ſine quantitate : ergo prius habet quantitatem quam formam ſubſtantialem.

*Confirmatur*, quia non poteſt eſſe ſubiectum proportionatum agentis corporei,niſi ſit extenſa per quātitatem, ergo prius debet habere quantitatem , quam agens corporeum agat in ipſam. Probatur antecedens primo, quia actio naturalis fit per contactum : ſed contactus fieri nequit, niſi inter ea, quorum extrema ſunt ſimul , quæ autem habent extrema ſimul , debent eſſe quanta.

*Probatur idem antecedens ſecundo*,quia non eſt vlla ratio cur corpus Chriſti Domini nō poſſit calefieri ſub ſpecibus Euchariſticis à corporibus calidis,aut calefacere corpora frigida,niſi quia non eſt ſub illis modo quātitatiuo: ergo quantitas prærequiritur ad actionem naturalem.

63.*Reſpondetur* diſtinguendo maiorē,niſi diſpoſitam per qualitates,quæ inſunt materiæ primæ ſecundum ſe, nego maiorē;quæ inſunt compoſito deſtruendo, cōcedo maiorē,& conceſſa minori diſtinguo conſequens:debet ſecūdū ſe immediatē prius habere quantitatē,nego;mediate,hoc eſt mediante cōpoſito deſtruēdo, cōcedo conſequentiam.

*Ad confirmationem reſpondeo* diſtinguendo antecedens: pro illo inſtanti,quo introducit formam,nego ; pro tempore præcedenti, tranſeat.

*Ad probationem antecedentis dico primo* in principiis Doctoris actionē naturalē non neceſſario eſſe per contactum phyſicum ſic,vt agens & paſſum debeant eſſe indiſtantia localiter,quia aliàs non poſſet dari actio in diſtans contra omnia principia *Scoti*,vt mirū ſit hanc probationem vrgeri à Scotiſta:ſed ſufficit,quod ſit per contactum virtutis , qui contactus non eſt ad propoſitum, vt patet. *Deinde*, quamuis deberet eſſe per contactum phyſicum ſic , vt agens & paſſum deberent eſſe indiſtantia,

falſum

falsum est, quod non possint aliqua se habere simul tali simultate; quamuis vnum ex illis non esset quantum: nam certum est, quod materia denudata ab omni quantitate posset esse localiter indistans ab igne, ac quocumque alio agente corporeo, neque enim quantitas aliquid facit ad illam indistantiam. Denique quamuis extrema, inter quæ intercedit actio, deberent esse quanta pro quocunque instanti temporis, pro quo esset actio, non deberent esse quanta pro quocunque instanti naturæ considerabili in illo instanti temporis; sic autem essent simul materia & agens, quamuis non esset eadem quantitas in genito & corrupto, quia materia in eodem instanti esset quanta alia quantitate.

64. *Ad secundam probationem respondeo primo* concedendo antecedens, & distinguendo consequens: actio per quam producitur calor, aut frigus, aut similia accidentia, quæ subiectantur in quantitate, transeat; actiones substantiales, quæ non principiantur à qualitatibus, aut quantitate, nego consequentiam.

*Respondeo secundo* negando antecedens, sed potius ratio est, quia corpus Christi est ibi modo indiuisibili; & fortassis agens corporeum non potest producere aliquam formam diuisibilem, nisi subiectum esset actu extensum; materia autem in nostro casu, licet non haberet quantitetem in instanti generationis antecedenter ad inductionem formæ substantialis; tamen haberet suas partes entitatiuas extensas.

Vt autè melius intelligatur obiectionis solutio, aduertendum est agens naturale de facto, antequam producit formam substantialem, producere aliquas qualitates in corpore destruendo, quia cum non possit formã substantialem producere in materia istius compositi, nisi ab ea expellat alteram formam, & hoc non possit facere, nisi expellendo qualitates conseruatiuas eius, debet necessario producere qualitates contrarias illis qualitatibus in composito destruendo, nõ quod istæ dispositiones sint per se requisitæ ad formam introducendã, sed per accidens tantum ratione scilicet alterius formæ. Quod si inueniret materiam nudam absque vlla dispositione, immediate sine vlla dispositione produceret suam formam in illa: & hinc patet in instanti generationis, quo producitur forma introducenda, & quo verum est dicere non esse formam præcedentem, non requiri quod vllæ qualitates antecedenter ad formam substantialem insint materiæ.

65. *Dices*: in solo instanti, si esset nuda, non esset magis determinata ad vnam formam, quam ad alteram, & consequenter non potius deberet produci vna forma, quam altera: ergo vt determinetur ad vnam præ altera etiam in illo instanti, debet habere aliquas qualitates dispositiuas.

*Respondeo* negando sequelam antecedentis pro secunda parte, quia vt producatur vna forma præ alia, sufficit quod agens, quod denudauit illam à forma præcedenti, sit ex se determinatum ad producendam vnam formam præ alia, sicut ignis est determinatus ad producendum formam ignis, & non formam aquæ.

*Instabis*: licet hoc curreret, quando causa esset determinata ad certam formam; tamen quando causa applicata esset potens producere diuersas formas, sicut sol. v.g. nullo modo curreret.

*Respondeo* talem causam determinandam ad vnam formam præ alia per alias causas circũstantes, vel per Deum vt causam vniuersalem, ad quã pertinet determinare causas efficientes, quoties ex se sunt indeterminatę. Et sane hoc ipso modo respondere debent aduersarij, si petatur ab ipsis; vnde habet talis causa producere in tali composito destruendo dispositiones ad vnam formam potius quam ad alteram. Itaque, quod est valde hic aduertendũ, quemadmodum quæcunque causa productiua formæ substantialis determinatur ad producendas tales dispositiones potius quem alias, cum tamen subiectum, in quo illas producit, sit ex se ad illas indeterminatum: ita potest determinari ad producendam vnam formam substantialem præ altera quamuis materia sit indeterminata.

66. *Obiicies tertio*: experientia constat aliquas qualitates, quæ erant in corrupto, reperiri in genito; quando enim generatur aqua ex corpore humido calido, ipsa aqua genita est calida; sed hoc non posset fieri, si qualitates, & quantitas subiectarentur in toto composito destructo.

*Confirmatur*, quia secundum Philosophum eadem perspicuitas est in aqua genita & corrupta.

*Confirmatur secundo*, quia secundum eundem facilius generatur vnum elementum symbolum, i. simile ex alio elemento symbolo, id est simili, quam ex dissymbolo. i. dissimili, v.g. facilius generatur aër ex aqua, cui similis est, seu cum qua cõuenit in humiditate, aut ex igne, quo cum conuenit in calore, vt supponitur communius, quam ex igne aqua, aut è contra, quia hæc in nullis qualitatibus conueniunt: cuius rationem assignat Philosophus, quia vt generaretur aër ex igne aut aqua, non esset necessarium omnes qualitates aquæ aut ignis destruere, sed solum illas, in quibus sunt dissymbola aëri; vt vero generaretur aqua ex igne, necesse esset omnes eius qualitates destruere cum in nullis conueniant: ergo sentit Philosophus easdem qualitates in genito, & corrupto manere.

*Confirmatur tertio*, quia secundum Philosophum quantitas est proprietas materiæ, ergo debet subiectari in illa.

*Respondeo* negando maiorem, ad cuius probationem dico, quod aqua genita non habeat illum calorem in numero, quem habuit corpus istud humidum corruptum, sed alium productum ab aliqua causa circumstanti; cuius indicium est, quod non semper habeat eundem calorem, dum producitur, sed aliquando maiorem, aliquando minorem, aliquando nullum, prout scilicet causæ circumstantes natæ sunt producere calorem in ipso.

*Ad primam confirmationem respondeo*, Philosophum loqui de eadem perspicuitate in specie.

*Ad secundam confirmationem respondeo*, negando consequentiam: solum enim Philosophus vult quod non est necesse, vt per se destruantur qualitates, in quibus corruptum est symbolum cum generando; non vero quod per accidens non debeant corrumpi.

*Ad tertiam confirmationem respondeo*: quantitatem dici proprietatem materiæ, non quod in ipsamet inhæreat aut subiectetur immediate, sed quod nulli subiecto conueniat, nisi subiecto constanti materia.

*Confirmatur*, quia qualitates sunt proprietates formæ secundum Philosophum, sicut quantitas materiæ, sed non sunt ita proprietates formæ, vt in ipsa forma subiectentur immediate secundum aduersarios; sed eatenus tantum sic dicuntur, quatenus conueniunt composito ratione formę: ergo non est necesse vt quantitas secundum Philosophum sit alio modo proprietas materiæ.

68. *Obiicies quarto Scotum in 2.d. 3. q. 4 n.* 10. vbi dicit, quod quantitas non interminata, sed terminata sit eadem in generato, & corrupto: sed hoc esset falsum, nisi subiectaretur in materia, si enim subiectaretur in composito, destructo composito destrueretur & consequenter non maneret eadem numero in genito & corrupto. Hic locus est fundamentum quibusdam *Scotistis* tenendi oppositum conclusionis ex mente *Scoti*, sed falluntur, vt patebit ex solutione iam danda.

*Respondeo ergo Scotum* eo loco impugnare sententiam aliquorum dicentium, quod substantia indiuiduetur per quantitatem aliquam, aut terminatam, aut interminatam: & optime arguit contra ipsos, non ex propria sententia, sed ad hominem, quod inde sequeretur, quod genitum & corruptum essent idem numero, quia in genito & corrupto est idem principium indiuiduandi, nempe eadem quantitas in eorum sententia, imo & in sua etiam propria sententia posset esse de potentia absoluta eadem numero quantitas in ipsis, & consequenter si quantitas esset principium formale indiuiduationis, essent idem numero, quod implicat.

Quod autem propria sententia *Scoti* non fuerit, eandem numero quantitatem manere in genito & corrupto, patet euidenter ex toto decursu istius quæstionis; nam in primis *n.* 5. expresse asserit substantiam singularem completam esse priorem quantitate, & consequenter infert non posse illam indiuiduari per quantitatem, & *num.* 16. respondendo ad vnum ex fundamentis aduersoriorum, nimirum

nimirum quod agens naturale non possit agere, nisi in materiam quantam,& consequenter quod materia debeat præsupponi quanta,antequam agens naturale possit inducere formam substantialem in illa,ac generare substantiam:respondendo,inquam,ad hanc difficultatem ait, quod debeat quidem quantitas præsupponi formæ generandæ; sed non tamen quantitas substantiæ generandæ sed quantitas substantiæ corruptæ; quod esset falsum, si esset eadem quantitas vtriusque, aut si quantitas esset coæua materiæ, ac in ipsa subiectata.

*Deinde* paulo inferius cum instaret adhuc,quod quantitas deberet præcedere in genito formam geniti,quia alias in instanti, in quo generans inducit formam & generat, induceret formam in materiam non quantam;quod videtur inquit, esse contra illam propositionem, quod agens particulare non attingat ipsam substantiam materiæ, sed præcise attingit eam, in quantum quantam: & contra *Auerroem de substantia orbis c.*1. dicentem, quod eadem quantitas maneat in genito & corrupto,alioquin generãs generaret de non corpore corpus. Cum, inquam, *Scotus*, sibi proponeret hanc replicam,& §.*contra illud* primò respondet ad hominem, postea *n.*17. respondet directe, & ex mente propria independenter à sententia aduersariorum(vt euidenter colligitur ex verbis vltimis paragraphi prioris: *hoc quoad hominem*: & ex verbis primis istius *n.* 17.*sed ad conclusionem in se dico*, id est independenter à particulari aduersariorum opinione) Respondet,inquam, directe quod nullum omnino accidens, quod requirit substantiam compositam, potest manere idem in genito, & corrupto,& ibidem expresse supponit quantitatem esse tale accidens, & consequenter ipsam esse posterius substantia, & corrupti, & generati.

70. Postea ad propositionem prædictam,nempe quod agens nequeat attingere substantiã materiæ nisi vt quantam, respondet dicens: *De illa propositione non multum curo, quia videtur impossibilis; nihil enim aliud videtur esse agens attingere passum in ratione passi, quam inducere in ipsum, actum, quo perficiatur: agens autem particulare inducit formam substantialem, qua materia perficiatur; in quantum materia, & non in quantum quanta*, &c.deinde addit: *Ad Auerroem dico, quod de eo, quòd aliquando non esset corpus,posset generari corpus, sed forte non posset agens naturale generare de non corpore corpus, sicut de corrupto, quia materia non corrumpitur: sed totum, sed de eo quod fuit corpus vsque ad instans generationis,& hoc quantitate sibi inhærente, potest agens naturale aliud quantum alia quantitate generare in illo instanti, quia sicut potest generare substantiam,qua non præfuit,ita potest producere alia accidentia consequentia eam.*

Denique vt tollatur omnis prorsus difficultas subiungit: *Ista responsio negat dimensionem interminatam manere eandem numero in genito, & corrupto.* Et addit: quod de hoc alias.Cui promissioni satisfacit in *4.d.*12.*q.*2.*& dist.* 13.*q.* 3. in quibus locis tenet etiam nostram conclusionem,vt prorsus mirum sit, quod ab vllo Scotista controuerti possit de eius mente quantum ad hoc. Quæ omnia fusius quam mea fert consuetudo in respondendo ad authoritates dicta sunt, tum vt innotescat germana Scoti sententia, tum vt confirmentur, quæ supra dicta sunt ad obiectionem secundam.

## QVÆSTIO V.

*Virum alia accidentia absoluta subiectentur immediate in composito substantiali.*

71. SVppono qualitates spirituales absolutas, quales sunt intellectiones,volitiones,species intelligibiles,& habitus tàm intellectus quam voluntatis subiectari immediate in ipsismet intellectu,& voluntate,& non in toto homine,licet totus homo sit subiectum denominationis earum; homo enim dicitur intelligere, velle, esse inclinatus habitualiter ad bonum, ad malum, &c. Ratio autem cur non subiectentur in homine, est quia ipsa anima cum illis potentiis est sufficiens subiectum earum, & in ea remanent multa ex illis, quando separatur,vt docetur communiter in libris de anima.

Vnde difficultas præsens est de accidentibus absolutis corporeis,qualia sunt albedo,frigus,& similia;de quibus etiam non potest esse dubium, quin habeant totum pro subiecto denominationis; denominatur enim homo albus, calidus, & idem est de aqua & cæteris compositis, quare controuersia debet esse de subiecto inhæsionis, an scilicet inhæreant immediate totis. Et quidem si subiectentur immediate in quantitate, quandoquidem hæc ex dictis subiectetur in toto, accidentia illa subiectabuntur in toto, sed non nisi mediate, quia non nisi mediante quantitate. Vnde hic examinandum est num subiectentur cætera accidentia corporea in quantitate, an vero immediate subiectentur in ipso composito eo modo, quo ipsa quantitas; vel in aliquo alio subiecto distincto à substantia compositi & à quantitate, nempe in materia prima,aut aliquo accidente.

72. *Prima sententia* tenet albedinem,nigredinem, calorem,frigus,& similia accidentia absoluta corporea subiectari immediate in substantia illa, in qua subiectatur quantitas, siue illa sit substantia composita, siue materia prima. Ita *Nominales* omnes cum *Occamo in* 4.*q.*7.& satis sane consequenter ex suppositione alterius sententiæ quam tenent, nempe quod non detur quantitas realiter distincta à substantia; quia reuera aliud subiectum assignari non poterit; hoc supposito, in quo conuenientius subiectentur immediate quam in substantia,vt postea dicemus:Hanc sententiam etiam tenet *Hurtadus disp.* 6.§. 55. *& Arriaga disp.* 5.*n.* 37. quamuis quantitas distingueretur realiter.

*Secunda sententia* est cætera illa accidentia non subiectari in quantitate immediate,neque etiam in substantia, sed in quodam alio accidente de prædicamento qualitatis quæ est potentia naturalis susceptiua accidentium; & iuxta hanc sententiam ipsa quantitas non subiectaretur immediate in toto composito, sed mediante huiusmodi potentia. Hæc videtur *Caietani* 1.*par.q.*54. *art.* 3. *Masij* 1. *Physic.cap.*9.*q.*7. *Soncina* 12. *Met.q.*26. quos sequitur *Auersa* 21.*sect.*6.

*Tertia sententia* est prædicta accidentia subiectari immediate in quantitate. Hæc est communissima cum *Scoto in* 4.*d.*4.*dist.*12.*& D.Thoma* 3.*p.q.* 77. quos sequuntur præter suos omnes *Suar.disp.*14.*Met.sect.*4.& recentiores communiter.

## CONCLVSIO I.

73. *Nec quantitas subiectatur immediate in aliqua qualitate de prædicamento qualitatis, nec etiam vllum aliud accidens absolutum subiectatur in alio accidente distincto à quantitate.* Hæc est contra secundam sententiam cum authoribus tertiæ sententiæ, & præsertim *Scotistis* quoad omnem partem, & *Thomistis* quoad secundam partem, si forte non teneant primam partem de quantitate. Quantitas nonsubiectatur in aliqua qualitate.

*Probatur* sufficientissime, quia ipsamet substantia habet sufficientissimam capacitatem ad recipiendam quantitatem in se immediate,& cætera etiam accidentia,si non recipiantur in quantitate immediate, nec est vllum prorsus indicium aut congruitas, cur daretur qualitas aliqua, quæ immediate reciperet quantitatem, aut alias qualitates absolutas,& consequenter frustra poneretur talis qualitas; ergo quantitas immediate subiectatur in substantia, & cæteræ etiam qualitates, nisi subiectentur in quantitate.

*Confirmatur primo*, quia quemadmodum substantia potest recipere immediate illam qualitatem, in qua reciperetur quantitas, & aliæ qualitates, ita posset recipere immediate ipsam quantitatem & cæteras qualitates, quæ non subiectantur in quantitate.

*Confirmatur secundo*:quia vt alias ostendemus, intellectus & voluntas non sunt qualitates distinctæ realiter ab anima: ergo nec potentia immediate receptiua quantitatis, aut aliarum qualitarum non receptarum in quantitate debet esse qualitas distincta realiter à substantia. Probatur consequentia à pari, nec credo ipsos aduersarios negaturos pariratem quantum ad hoc.

74. *Obiicies primo ex Auersa: Aristoteles* 3.*Met.c.*12. distin

distinguit potentiam in actiuam & passiuam: sed loquitur de potentia accidentali: ergo dantur tales potentiæ, quæ sint accidentia, & consequenter qualitates, quia ad nullum aliud prædicamentum conuenientius reduci possunt quam ad qualitatem.

*Respondeo* negando minorem, quam non sufficienter probat *Auersa* ex eo, quod potentia actiua dicat ordinem ad subiectum extrinsecum seu passum: passiua vero dicat ordinem ad agens extrinsecum; nam potentiæ actiuæ & passiuæ realiter identificatæ substantiis possent dicere tales respectus, & per ordinem ad illa distingui formaliter inter se, vt est clarissimum.

73. *Obiicit secundo* idem ex *Durando*: Accidentia variabilia, & mutabilia debent recipi in substantia mediante aliquo accidente inuariabili ac immutabili, quia accidentia inuariabilia nimis distant à substantia, atque ideo debent inesse ipsi mediante aliquo accidente, quod minus differt ab ipsa: tale autem accidens aliud non est, quam potentia receptiua: ergo, &c.

*Respondeo primo* negando maiorem, & ad probationem dico, quod non tam distent, quin possint immediate inhærere ipsi, casu quo non inhærerent quantitati; vnde superfluit prorsus accidens distinctum à quantitate, quod minus distaret à substantia, in ordine saltem ad recipienda illa accidentia variabilia.

*Respondeo secundo*, permissa maioti negando minorem, quia ipsa quantitas secundum se est tam inuariabilis, quam illa potentia accidentalis receptiua, & consequenter ipsa secundum se posset subiectari immediate in substantia, & cætera accidentia absoluta possent subiectari in quantitate.

76. *Obiicies tertio*: potentia debet esse eiusdem generis cum actu: ergo potentia receptiua accidentium debet esse accidens.

*Respondeo* primo negando absolute antecedens, quia aliàs potentia receptiua quantitatis deberet esse quantitas, contra omnes; & potentia, qua substantia recipit primum accidens, deberet esse accidens, quod implicat, quia alias illud accidẽs primum esset primum, & non esset primum; & potentia, qua recipit corpus locabile *vbi*, deberet esse de prædicamento *vbi*, quod est absurdum.

*Respondeo secundo* distinguendo antecedens: potentia actiua, aut receptiua, nego antecedens; potentia obiectiua & actus entitatiuus, id est, res, quæ est possibilis, & res, quæ est existens, sunt eiusdem rationis, concedo antecedens, & nego consequentiam.

77. *Obiicies quarto*: substantia non ita essentialiter respicit accidentia, sicut materia prima respicit formas substantiales: ergo non debet illa respicere per potentiam sibi identificatam, sicut materia respicit illas formas.

*Respondeo* distinguendo antecedens; si sensus sit, quod substantia non respiciat accidentia in se subiectata per aliquid sibi identificatum & sequens ad suam essentiã æque bene, ac materia respicit formas substantiales, nego antecedens: si sensus sit, quod non respiciat illa, tanquam complementum substãtiale, sicut materia respicit illas formas, concedo antecedens, & nego consequentiam. Et sane si non sit absurdũ secundũ aduersarios, quod substantia respiciat se ipsa, aut per aliquid sibi identificatũ primum accidens, quod ipsi vocant potentiam accidentalem, sicut materia seipsa, aut per aliquid sibi identificatum respicit formas substantiales; non est absurdum, quod eodem modo respiciat cætera accidentia in se recepta.

78. *Obiicies quintò*: in speciebus Eucharisticis debet poni aliquod commune subiectum reliquorum accidentium, quod etiam subiiciatur mutationibus communibus, quæ fiunt naturaliter circa illas species, nempe calefactioni, frigefactionis & similibus: sed aliud assignari non potest conuenienter, nisi ponatur illa potentia receptiua, ergo illa debet poni.

*Respondeo primo* negando minorem, quia quantitas potest assignari pro tali communi subiecto, vt postea dicemus.

*Respondeo secundo*, ex suppositione, quod quantitas non sit tale commune subiectum, negãdo maiorem, sed potius recurrendum in illis nouis mutationibus ad miraculum ac concursum Dei extraordinarium cum causis secundis ad productionem formarum absque subiecto, quàm asserenda vlla qualitas occulta & superflua, cuius nullum est indicium, nisi ex suppositione illius mysterij miraculosi: & quemadmodum in mutationibus substantialibus, quæ fieri possunt circa illas species, verbi gratia, in generatione vermium recurritur ad miraculum, vt suo loco dicetur; ita non est inconueniens recurrere ad miraculum in mutationibus accidentalibus, si non possit assignari aliquod subiectum sufficiens, quod aliunde constet dari, quam ex hoc mysterio. Videantur, quæ dicta sunt in Logica *q.* 3. *de quantitate*, vbi particularius adhuc respondetur ad alia *Auersæ* fundamenta.

## CONCLVSIO II.

79. *Qualitates illæ absolutæ, quæ subiectantur immediate in substantia, debent dici subiectari immediate in toto substantiali composito, & non in materia prima sola, neque in sola forma.* Hæc probatur iisdem principiis, quibus probatum est quantitatem debere recipi immediate in toto composito; est enim eadem ratio de quantitate, ac de illis qualitatibus, vt omnes fateri debent; neque aliquis negat hanc conclusionem, nisi qui negat quantitatem subiectari in toto composito.

Si qualitates non subiectarentur in quantitate, subiectarentur in composito substantiali.

## CONCLVSIO III.

80. *Cætera qualitates absolutæ (exceptis saltem vitalibus actibus & habitibus ad illas concurrentibus) subiectantur immediate in quantitate, & mediate tantum in substantia illa, in qua subiectatur quantitas.* Hæc est iuxta tertiam sententiam contra secundam: credo autem quod non sit contra primam, nisi quatenus supponit dari quantitatem distinctam realiter à substantia & cæteris prædicamentis, quod negant authores primæ sententiæ, qui verisimiliter tenerent hanc conclusionem, si id non negarent: vnde censendi sunt tenere hanc conclusionem quantum ad difficultatem suam propriam, in qua debet supponi quod detur quantitas sic distincta.

Subiectantur in quantitate.

*Probatur* hæc conclusio, quia non repugnat vllo modo, vt vnum accidens absolutum subiectetur in alio accidẽte diuersæ rationis, quod ipsimet aduersarij pro maiori parte fatentur, & patet, quia non potest dari repugnantia vlla in hoc; supposito vero, quod id non repugnet, nihil impedit quo minus prædictæ qualitates subiectẽtur immediate in quantitate: ergo quãdoquidem ita tenet communior sententia, & quidem antiquorum, ita tenendum est.

81. *Probatur secundo*, quia secundum aduersarios, qui tenent secundam sententiam debet dari aliquod vnum accidens absolutum, quod sit cæterorum susceptiuum immediatum: sed nullum aliud potest conuenientius assignari, quam quantitas: ergo illa alia subiectantur immediate in quantitate. Probatur minor, quia si esset aliquod aliud, maxime illa qualitas susceptiua, quam impugnaui conclusione prima: sed illa non, vt patet ex illa impugnatione: ergo.

*Confirmatur hoc* ex mysterio Eucharistiæ, quia ibi debet dari aliquod commune subiectum transmutationum accidentalium ex illis, quæ alias cognoscimus naturaliter inesse, si potest dari absque inconuenienti, vt vitemus miraculorum multiplicationem absque necessitate: sed nullum aliud possumus assignare præter quantitatem, & hanc possumus assignare absque inconuenienti, ergo quantitas est subiectum commune reliquorum accidentium. Quod si non esset statuenda quantitas pro communi tali subiecto, profecto non posset meo iudicio probari, quod vllo modo daretur quantitas, quæ esset accidens absolutum distinctum à reliquis prædicamentis, vt facile colligi potest ex dictis in Logica *disp. de quantitate, quæst* 3

*Confirmatur secundo*, quia patet experientia, quod quantitas Euharistica ita physice coniungitur cum reliquis accidentibus, vt eâ motâ reliqua moueantur: ergo vel coniungitur cum illis sic, vt subiectetur in illis, vel sic vt subiectentur in illa, vel sic, vt & quantitas & illa subiectentur in eodem subiecto communi. Sed nemo dicit quantitatem subiectari in illis, nec id rationabiliter dici posset, cum quantitas soleat manere sine quocũque ex illis

naturaliter, quod non posset fieri, subiectaretur in illis; nec est ibi aliud subiectum commune, quidquid dicat *Auersa* præcedenti conclusione impugnatus: ergo illæ aliæ qualitates subiectantur in quantitate.

*Dices* posse aliqua duo coniungi, ac vniri physice inter se sic, vt vnum moueri non posset, quin moueretur alterum, absque eo, quod vel alterum in altero subiectaretur, vel vtrumque in tertio, eo modo, quo corpus Christi Domini de facto coniungitur cum speciebus Eucharisticis, aut quo duo corpora, quæ supernaturaliter penetratiue ponerentur in eodem loco, & taliter coniungeretur, vnum moueri nequiret altero non moto, ex quibus neutrum tamen in altero subiectaretur, neque vtrumque in tertio: neque enim est vlla repugnantia quin ita vnirentur: ergo ex eo, quod moueri nequeat quãtitas Eucharistica, quin moueatur albedo, non sequitur quod altera in altera subiectetur, aut vtraque in tertio.

82. *Contra*, quamuis aliqua sic possent vniri, tamen non debet dici quod sic vniantur quantitas, & albedo Eucharistica, quia alias sic dici posset de materia prima & forma substantiali, quod neutra in altera subiectaretur, & de accidentibus omnibus ac substantia.

*Confirmatur hoc*, quia ideo dicimus materiam primam esse subiectum formæ, quia forma aduenit ipsi vna post aliam, & quia agens nequit producere formam absque materia; & simili ratione dicuntur accidentia subiectari in substantia: sed inuariata quãtitate Eucharistica aduenirent ipsi qualitates post alias, & ex suppositione supra probata quod non sit aliud subiectum, ex cuius potentia educantur, debet dici quod educantur ex ipsius potentia: ergo dicendum est, quod subiectentur in illa.

*Confirmatur secundo*, quia corpus Christi non debet naturaliter moueri motis speciebus, nisi poneretur aliqua vnio in ipso ad species, aut nisi recurrendo ad miraculum, sicut nec Angelus intime præsens corpori absque vnione, aut extraordinario concursu deberet moueri ad motum corporis: ergo nisi ponatur aliqua particularis vnio inter quantitatem Eucharistiam, & qualitates, aut nisi adsit extraordinarius concursus, non deberent moueri ea mota: sed alia particularis vnio non debet asseri præter inhæsionis qualitatum in quantitate, nec absque necessitate recurrendum est ad extraordinarium concursum: ergo qualitates dicendæ sunt in quantitate inhærere.

*Confirmatur tertio*, quia ideo vnum corpus positum in eodem loco cum alio corpore deberet moueri eo moto, absque vnione, aut concursu extraordinario: quia causa mouens vnum esset æque applicata ad mouendum alterum, & alterum esset ex se æque capax motionis; vnde æque ex se deberet moueri, & non magis moueretur ad motum alterius, quam alterum ad motum illius: sed qualitates ex se non essent æque capaces, vt per se mouerentur, cum sint ex se penetrabiles, ac quantitas: ergo non deberent per se moueri, quando moueretur quantitas, nisi vnirentur, aut adhiberetur particularis concursus.

83. *Probat Mastrius* conclusionem, quia albedo, calor, ac similia extenduntur in superficie ad extensionem quãtitatis: vnde & Philosophus capite de Quantitate, *Quanta fuerit superficies, tantum album fore dices*: ergo qualitates huiusmodi in quantitate subiectantur. Et cum proponeret replicam *Auersæ*, nempe quod hinc solum sequatur quantitatem prius recipi debere in substantia, tanquam dispositio, non vero quod recipiantur in ipsa quantitate.

*Respondet* non posse hoc dici, quia quando aliquid præsupponitur alicui formæ vt dispositio, & non vt susceptiuum, forma non communicat ipsi effectum formalem: sed albedo communicat suum effectum formalem quantitati, quantitas enim est alba: ergo quantitas non præsupponitur ipsi vt dispositio, sed vt susceptiuum.

*Verum* reuera hæc probatio mihi non sufficit; nam in primis certũ est quod aliqua forma possit extendi ad extensionem quantitatis, eamque præsupponere, quæ tamen in ipsa quantitate non subiectetur; quod euidenter patet exemplo animæ sensitiuæ ac vegetatiuæ corporeæ, quæ in sententia *Scotistarum* sic extenditur, & præsupponit quantitatem corporis organici, nec subiectatur tamen in ipsa quantitate. Ad illud autem quod dicit *Mastrius* superficiem dici albam, atque adeo albedinem debere subiectari in quantitate, facile negari posset consequentia, quia dici posset alba ex eo quod coniungeretur intime cum albedine, licet non subiectaret illam.

84. *Et si dicas* contra hoc quod albedo in lacte, v. g. non dicatur dulcis, nec quantitas in bruto dicatur animata, licet coniungantur intime, sicut dicitur quantitas alba, & corpus animatum: sed huius ratio nequit assignari alia, quàm quod albedo non sit subiectum inhæsionis dulcedinis; ergo ad illas denominationes non sufficit intima coniunctio, sed requiritur subiectatio.

*Responderi* potest facile albedinem esse dulcem, & quantitatem animatam, duplicem posse habere sensum: *vnum*, quod albedo esset coniuncta intime cum dulcedine, & quantitas cum anima; & in hoc sensu falsum esset quod non posset dici albedo dulcis, & dulcedo alba, & quantitas corporis animati animata. *Alius sensus* esset, quod albedo esset dulcis, id est habens in se subiectatam dulcedinem, & in hoc sensu falsum esset quidem quod albedo esset dulcis, sed pariter diceretur falsum esse quod superficies aut quantitas esset dulcis aut alba, & supponere quod in hoc sensu diceretur alba, esset omnino petere principium: & quemadmodum albedo dicitur quãta, licet non habeat illum effectum formalem à quantitate, tanquam à forma sibi inhærente: quare quantitas non posset dici alba, licet non haberet illam denominationem ab albedine tanquam à forma sibi inhærente?

85. *Obiicies primo*: Vnum accidens nequit subiectari in alio accidente: ergo falsa conclusio. Probatur antecedens *primo* ex variis locis Philosophi, quibus ita significare videtur. Probatur *secundo*, quia nihil potest subiectare aliud quod non sit per se subsistens. Probatur *tertio*, quia substãtia non potest inhærere; ergo neque accidens subiectare. Probatur *quarto*, quia omne accidens est forma: ergo sicut materia nequit informare, ita neque forma potest recipere. Probatur *quinto*, quia quod dependet dependentia vnius generis, nequit dependentiam alterius in illo genere terminare: sed accidens dependet à substantia in genere susceptiui: ergo non potest terminare dependentiam alterius in illo genere, nec consequenter potest aliud accidens subiectare. Probatur *sexto*, sequeretur quod vnum accidens sustentaret aliud, & quod vnum educeretur ex potentia alterius, & quod quantitas posset moueri motu alterationis, & lationis: sed hæc sunt absurda. Sed omissa specificatione istorum locorum apud *Mastrium* videnda *disputat.* 3. *quæstione* 3. *art.* 1.

86. *Respondeo* negando antecedens, & explicando Philosophum, qui voluit solum accidens non posse subiectari in alio accidente, tanquam in subiecto primo, & substantiam propterea tanquam subiectum primum & vltimatum ponendam esse in ipsorum definitione, & ex accidentibus disparatis, & non subordinaris, qualia sunt albedo & dulcedo, vnum in alio non subiectari: quod quamquam sit verum, non est ad propositum. *Adde*, si Philosophus existimaret vnum accidens in alio recipi nõ posse, ipsius authoritatem non esse magni faciendam quãtum ad hoc, quia nec pro se vllã posset habere rationem.

*Ad secundam probationem*, nego antecedens, nihil enim deseruit per se subsistere ad subiectationẽ vt sic; sed requiritur tãtum ad subiectationem vltimatã, qualẽ non tribuimus quantitati nec vlli accidenti. *Ad tertiam probationem* negatur consequentia, illud enim consequẽs nõ sequitur, sed hoc aliud; ergo non potest accidẽs esse per se perfectate substantiali, quod concedimus. *Ad quartã probationem*, nego consequentiam, quia non est de ratione materiæ solius recipere, sicut est solius formæ informare ac inhærere. *Ad quintam probationem*, nego maiorem, pater enim dependet à suo patre in genere causæ efficientis, & in eodem genere terminat dependentiam filij. *Ad sextam* denique concedo sequelas omnes, & nego minorem tam facile quam ab aduersariis asseritur. *Mastrius* quidem negat vltimam sequelam de motu lationis & alterationis, quia sic moueri solũ potest substãtia, in cuius virtute mouetur quantitas: sed hoc esset reducere rem ad quæstionem de

quæstio

quæstione de nomine, & in rei veritate patet ex mysterio Eucharistiæ, quod quantitas absque substantia moueatur localiter, & etiam alteretur ad calorem & frigus.

87 *Obijcies secundo.* Non colligitur cætera accidentia absoluta inhærere quantitati; neque ex natura ipsorum, quandoquidem non possit ex illorum natura vllum argumentum deduci, ex quo id probetur; neque ex eo quod recipi nō possint nisi in subiecto quanto, quia anima sensitiua nō recipitur nisi in tali subiecto, & tamē recipitur in quantitate; neque ex eo quod extendantur quantitatiue, quia sic etiam extenditur anima sensitiua & vegetatiua; neque ex mysterio Eucharistiæ ad saluandum mutationes, quæ circa species Eucharisticas fiunt: tum quia illæ saluari possunt per qualitatem, quæ est potentia naturalis, & in qua ipsa quantitas subiectatur; tum quia circa illas fiūt alij quæ mutationes, quæ non possunt subiectari in quātitate, nempe rarefactio & condensatio, præsertim si per has mutationes producatur & deperdatur quantitas, vt multi Scotistæ tenent: sed aliud caput assignari nequit, ex quo colligeretur illa accidentia subiectari in quantitate; ergo asseri non debet.

*Confirmatur*, *ex Arriaga*, quia si ad vitanda miracula deberemus naturas rerum inuertere, propter eandem rationem deberemus dicere, quod quantitas non dependeat à substantia, ne dicatur scilicet miraculose conseruari absque concursu substantiæ, à qua dependere deberet. Nam quantum ad rationem & experientiam, sicut non potest probari accidentia non recipi in materia aut substantia, & propterea negatur à nobis, vt vitetur miraculum; ita etiā non potest probari ratione aut experientia, quod quantitas dependeat à substantia: ergo debet negari eodem modo quod sic dependeant, vt vitetur miraculum.

88 *Respondetur*, concedendo maiorem pro primis partibus, & eam negando pro vltima parte de mysterio Eucharistiæ: ad cuius primam probationem nego dari illam qualitatem, quæ sit potentia naturalis, & sit commune subiectum quantitatis ac reliquorum accidentium; cuius ratio patet ex prima conclusione. Ad secundam probationem nego illas mutationes condensationis ac rarefactionis præsupponere in illis speciebus subiectum necessario, quàm quantitatem, siue producatur aut corrumpatur quantitas per illas, siue non; de quo suo loco. Videantur dicta in Logica *de quantitate quæst.* 3. Posset etiam negari minor, & alia capita assignari, nempe cætera fundamenta nostræ conclusionis, præter illud de Eucharistia.

*Ad confirmationem* nego suppositum, nempe secundum nos inuerti naturas rerum ad vitanda miracula, licet merito negemus miracula superflua asserenda, quoties saluari potest quomodo iuxta naturas rerum, quæ miracula dicuntur, fieri possunt absque miraculo: & per hoc ruit tota hæc confirmatio. Illud autem, quod dicit æque constare quantitatem non dependere à substantia, ac qualitates subiectari in quantitate, omnino falsum est, nam nulla prorsus est ratio, vnde colligatur quod accidens non dependeat à substantia, & sunt aliquæ rationes, ex quibus colligitur accidentia subiectari in quantitate, & nulli dicunt accidentia non dependere à substantia, & tamen communis sententia dicit qualitates subiectari in quantitate. *Præterea* est certum non posse naturaliter conseruari quantitatem absque substantia, & propterea necessario recurrendum est ad miraculum, vt sic conseruetur: sed non est certum qualitates non subiectari in quantitate, ergo non est necessarium recurrere ad miraculum quoties de nouo producuntur qualitates in Eucharistia. Quod si vitari posset miraculum non necessarium in conseruatione quantitatis absque substantia, dicendo quod non dependeret vlla ratione à substantia, & non constaret quod dependeret; profecto optime diceretur quod non dependeret: ergo si potest vitari miraculum in productione qualitatum de nouo in speciebus Eucharisticis dicendo, quod subiectentur in quantitate; id dici debet, nisi constet quod non subiectentur. Sed certe hoc non constat, sed magis constat oppositum: ergo ita dicendum est.

89 *Obiicies tertio*: Albedo non debet potius subiectari in quantitate, quam quantitas in albedine: sicut enim videmus quantitatem esse albam, ita videmus albedinem esse quantam: ergo neutra in altera subiectari debet, vel subiectabuntur in se inuicem mutuo, quod est absurdius.

*Respondeo* negando antecedens, & ad probationem dico quod non ex eo colligamus albedinem subiectari in quantitate, quod quantitas dicatur alba, sed ex eo quod accedere soleat ipsi albedo, & recedere ab ipsa manente inuariata, & ex aliis principiis conclusionis.

90 *Obiicies vltimo* ex *Hurtado*: Munus quantitatis est disponere materiam ad recipiendam formam, & eam extendere impenetrabiliter, vt possit recipere actiones causarum materialium, ergo eius munus non est recipere alias qualitates.

*Confirmatur*, quia aliæ qualitates sunt dispositiones substantiæ ad formam substantialem producendam aut conseruandam: ergo potius debent in ipsamet substantia subiectari immediate, quam in quantitate: non videtur enim quomodo apte possint disponere substantiam ad formam, si non subiectentur immediate in illa.

*Respondetur* distinguendo antecedens: illud est solum munus, negatur; est munus ipsius, sed non solum, concedo, & nego consequentiam.

*Ad confirmationem respondeo* negando consequentiam, bene enim possunt disponere substantiam eo modo quo conuenit ipsis eam disponere per hoc quod insint ipsi mediate.

91 Dixi autem in conclusione: *exceptis qualitatibus vitalibus* quales sunt actus vitales immanentes, quia fortassis huiusmodi actus ex natura sua particulari exigunt subiectari in ipsamet potentia, quæ ipsas producit, quia alias non essent immanentes, nec determinarent fortassis potentiam sic, vt sensibiliter operaretur per illos; & hoc supposito etiam habitus & species ad ipsas concurrentes in ipsa eadem potentia substantiali corporea subiectari debent, præsertim cum non habeamus experientiam, quod separata quantitate animalis manerent in illa istæ qualitates, sicut manent de facto qualitates Eucharisticæ absque alio miraculo præter solam separationem ipsiusmet quantitatis: manere autem verisimiliter deberent, si in quantitate immediate subiectarentur non minus quam aliæ illæ qualitates.

Datur resolutio vsque ad materiam primam.

Ex resolutione huius & præcedentis conclusionis sequitur necessario in generatione cuiuslibet non viuentis substantiæ dari resolutionem substantiæ corruptæ ex cuius materia generatur, vsque ad ipsammet materiam primam, & accidentia relatiua in ipsa immediate subiectata, ac independentia à formis absolutis: fieri enim huiusmodi resolutionem non est aliud, quam, quando fit talis generatio, nihil prorsus remanere ex composito destructo nec substantiale nec accidentale præter materiam primam ac relationes in ipsa subiectatas ac independentes ab illo composito ac suis formis absolutis: sed quandoquidem ex dictis constet quantitatem subiectari in toto composito, & non in materia prima, & qualitates etiam subiectari in quantitate, certum est destructo toto, & formam substantialem ipsius, & quantitatem, & qualitates, tam in ipsa quàm in toto subiectatas, ac consequenter omnes relationes ab ipsis dependentes desinere esse: ergo datur tum resolutio vsque ad materiam primam. Quod si quantitas subiectaretur in sola materia prima, non esset necessarium fieri talem resolutionem, quia quantitas compositi destructi posset simul cum materia remanere in composito generato.

92 *Si autem quaratur* cur non fiat resolutio huiusmodi vsque ad materiam primam in viuentium generatione, quemadmodum fit in generatione non viuentium *Respondeo* rationem esse, quod in viuentibus sint duæ formæ substantiales, nimirum forma corporeitatis, & anima, vt suppono ex alias dicendis, quarum vna præcedit alteram etiam tempore: quando autem generatur viuens formaliter, solum producitur anima, & alia supponitur producta,

nec desinere debet intro ducta anima; vnde totum compositum ex ea, & materia prima simul cum quantitate ac qualitatibus suis manet cum anima in viuente. Secus autem est de non viuentibus, in quibus vnica tantum est forma substantialis, ad cuius introductionem alia destruitur simul cum toto constituto peripsam, ac suis accidentibus. Quod si pro eodem instanti temporis introduceretur & forma substantialis & anima, etiam in generatione viuentium fieret resolutio vsque ad materiam primam, quia forma corporeitatis introduci nequit, quin desinat esse aliquod compositum, in cuius materiâ illa introducatur. Sed nunquam in corruptione viuentis fit resolutio vsque ad materiam primam, quia quando moritur viuens semper manet forma corporeitatis aliquandiu post eius mortem in materia, vt patet experientia.

Posset hic commode examinari, an totum substantiale habeat aliquam subsistẽtiam aut suppositalitatem distinctam à natura sua & singularitate; & an existentia ipsius sit realiter ab ipso distincta. Sed hæ difficultates remittendæ videbantur ad Metaphysicam, vbi de ipsa subsistentia, & existentia vniuersaliter tradi solet, & debet. Quare hæc sola modo sufficiant quantum ad primum librum Physicorum.

## LIBER SECVNDVS
# PHYSICORVM.

SICVT in priori Libro Philosophus egit de principiis intrinsecis corporum naturalium, ita in hoc agit de principiis extrinsecis, seu causis eorum, de quibus multa scitu dignissima considerabilia sunt, quorum tamen plurima ad Metaphysicam spectant, licet hic communiter tractari soleant; prius tamen quam causarum harum iniret tractationem, de ipsa natura disserere voluit.

## DISPVTATIO VII.
### DE NATVRA.

Variæ acceptiones naturæ.

1. QVIA à natura habent corpora esse naturalia, ac considerationis physicæ, propterea in initio huius libri agit Philosophus de natura; non capitur autem hic natura, prout significat Deum, quem naturam naturantem aliqui appellant; nec prout significat vniuersitatem rerum omnium creatarum, quo sensu Philosophus ait, naturam pendere à primo principio, & Theologi asserunt illud esse miraculum, quod totius naturæ excedit virtutem; nec prout significat inclinationem naturalem accidentalem rei, quo sensu dicitur ex hominibus vnum esse ex natura sua hilarem, alium tristem, alium liberalem; nec etiam prout significat essentiam ac quidditatem rei, vt capitur communiter, quando dicitur, quod definitio sit oratio explicans naturam rei, & quod in tribus personis diuinis sit vna natura; quia in hoc sensu Deus & Angeli & entia etiam rationis constarent natura, & essent entia naturalia, quod tamen falsum est, prout natura hic capitur, quia alias essent considerationis physicæ, quod nemo asserit. Accipitur ergo, vt omittam alias acceptiones eius, hic natura, prout est principium motus corporalis, qui & physicus vocatur.

### QVÆSTIO I.
#### *Quid sit Natura.*

2. SVppono dari naturam, id est principium intrinsecum motus, & quãuis id à priori demõstrari non possit potest à posteriori ex rerum mobilitate, licet id tam notum sit, vt frustra in eo probando quis hæreret, & hinc Philosophus asserit, ridiculum esse naturam demonstrare velle.

### CONCLVSIO

Descriptio naturæ.

*Bene definitur natura esse principium & causa motus & quietis eius, in quo est primo per se, & non per accidens.* Hæc est communissima cum Philosopho hic: & patet tum ex eius explicatione, tum ex solutione obiectionum, quæ contra opponi possunt. Dicitur *principium & causa*, vt distinguatur ab illis, quæ non sunt nec principium nec causa; idem autem intelligitur per vtramque illam particulam, ex quibus secunda additur claritatis maioris gratia, nam alioquin alterutra sufficeret; nec definitiones debent esse sic per pauciora, quin aliqua non necessaria addi possint claritatis & elegantiæ etiam gratia. Dicitur *motus & quietis*, vt distinguatur natura à principiis, quæ non principiant motum & quietem, vt Deus quatenus est principium Angelorum, & ipsius materiæ primæ, quæ non producuntur per motum alicuius subiecti, quandoquidem creantur & non habent subiecta. Dicitur *eius in quo inest*, id est in quo inest ipsa natura, vt distinguatur à principiis motus & quietis aliarum rerum, in quibus non insunt illa principia, vt sunt causæ efficientes, quatenus mouere possunt alia corpora à seipsis. Dicitur *primo*, vt significetur naturam esse primum principium motus, nec præsupponere aliud principium, ratione cuius in sit rei: & per hoc excluditur potentia loco motiua, quæ est principium motus deorsum, sed non inest primo, lapidi, verbi gratia, sed inest ipsi, ratione alterius principij, nempe ratione formæ lapidis. Dicitur *per se & non per accidens* (per quas etiam duas particulas idem intelligitur, sed additur *non per accidens* etiam claritatis causa) vt excludantur principia motus accidentalia, vt grauitas.

Et si dicas, illa excludi sufficienter per præcedentem particulam *primo*. Respondeo id negando, posset enim aliquod principium accidentale motus competere alicui primo, id est non competere ipsi ratione alterius principij intrinseci, vt patet in impulsu proiectorum; ille enim impulsus est principium motus, quo proiecta mouentur, & non competit ipsis proiectis ratione alterius principij inexistentis ipsis proiectis: aduenit enim ipsis ab extrinseco.

Dices, saltem per particulam, *per se & non accidens*, excluduntur principia omnia accidentalia, siue quæ primo, siue quæ secundario competunt rei: ergo frustra ponitur altera particula *primo*.

Respondeo negando consequentiam, quia altera illa particula adiungenda erat, vt excluderentur potentiæ ad motum identificatæ rebus mobilibus, quæ per se secũdo & non per accidens, non vero per se primo competunt & insunt illis.

3. *Obicies primo.* Dantur multa corpora naturalia constantia natura, ac cõsiderationis physicæ, quæ non habent principium motus in seipsis, vt Cælum empyreum, & elementum Terræ, quæ nunquam mouentur nec moueri possunt naturaliter. Dantur etiam alia similia corpora, quæ non habent in se principium quietis, vt cæli mobiles, qui nunquam quiescunt, nec quiescere possunt naturaliter: ergo male dicitur, quod natura sit principium motus & quietis.

Omne corpus habet in se principium motus.

*Respondeo* negando antecedens: nam Cælum empyreum & Terra habet principium istius motus, quo mutabatur ipsorum materia ad formam substantialem suam in instanti generationis (si tamen Cælum constet materia) & deinde habent principia motus, quo mouebatur ipsorum substantia, ad accidentia sibi connaturalia: nec necesse est, quod omne id, quod constat natura, possit moueri naturaliter motu locali, aut etiam motu successiuo: non enim intelligitur per motum positum in hac definitione motus successiuus, sed motus vt sic, abstrahens à successiuo & instantaneo, vt omittam Terram quoad quamlibet partem sui posse naturaliter moueri motu etiam locali ac alterationis ad calorem, & frigus.

Deinde, cæli mobiles licet non haberent principium quietis

quietis oppositæ motui locali, quatenus non possent naturaliter quiescere ab illo motu; habent tamen principium quietis, qua quiescit materia illorum sub forma substantiali cœli; & qua quiescit ipsum cælum sub accidentibus sibi connaturalibus; nec etiam mouentur naturaliter motu illo locali magis, quam quiescerent naturaliter illo, quando intelligentia assistens, seu Deus, desineret sic eos mouere.

Alia respondio.

*Alij respondent* non esse necesse, vt quælibet natura in particulari sit principium motus & quietis, sed sufficere vt sit principium alterutrius; & sensum definitionis esse, quod illud, quod est principium motus, in quocumque reperitur motus, & illud etiam quod est principium quietis, in quocumque reperitur quies sit natura. Quæ explicatio admitti posset vt bona, si daretur aliquod, quod esset principium vnius ex illis tantum, quod tamen non credo dari, vnde sistendum in prima responsione.

4 *Obiicies secundo.* Motus & quies opponuntur priuatiue: ergo idem nequit esse principium vtriusque, & consequenter male dicitur natura esse principium vtriusque. Probatur consequentia, quia eo ipso, quo aliquid est naturalis alicui, eius negatio & priuatio nequit ipsi esse naturale; sed debet ipsi esse violenta: ergo eo ipso, quo aliquid est principium naturale motus, sic vt motus debeat ipsi esse naturalis, non potest esse principium quietis, sic vt quies debeat ipsi esse naturalis.

*Confirmatur*, quia priuatio est nihil: ergo non potest habere principium, & consequenter, quandoquidem quies sit priuatio motus, natura nequit esse principiū eius.

Pro solutione aduertendum, quietem posse capi dupliciter, vno modo pro negatione seu priuatione motus: alio modo pro perseuerantia sub aliqua forma seu vnione ad formam cum respectu ad esse præcedens ipsius formæ in illo subiecto. Hoc supposito,

*Respondetur* communiter distinguendo antecedens: si capiatur quies primo modo, conceditur, sed sic non capitur in definitione naturæ; si capiatur secundo modo, negatur antecedens: sic autem capitur in definitione naturæ.

*Sed contra*, quia licet quies in definitione naturæ non capiatur pro priuatione, sed pro illa perseuerantia sub forma, tamen certum est quod illa perseuerantia afferat secum negationem, aut priuationem motus: neque enim quies etiam in illa acceptione, potest esse simul cum motu; vnde adhuc videtur manere difficultas argumenti, quia idem non potest esse principium naturale & motus eius, ad quod sequitur negatio motus magis quam possit esse principium motus & negationis motus: est enim eadem ratio.

5. *Respondeo ergo aliter* negando consequentiam: sicut enim materia est principium naturaliter receptiuum formæ substantialis ligni, verbi gratia, & etiam formæ substantialis ignis, ad quam sequitur negatio seu priuatio formæ ligni; ita bene potest natura esse principium naturale & motus & quietis, quæ sit negatio motus, aut ad quam sequitur talis negatio. Ratio autem, cur possit natura esse principium naturale vtriusque, est quod motus sit via & medium ad quietem, & qui inclinatur naturaliter ad finem, debet etiam naturaliter inclinari ad medium, sine quo nequit haberi, quamuis non possit simul consistere medium cum fine. Vnde ad probationem consequentiæ distinguo antecedens: si illa negatio non sequatur illud, quod etiam est naturale ipsi, transeat; si sequatur, nego antecedens & consequentiam.

*Ad confirmationem respondeo primo* negando quietem, cuius natura dicitur principium, esse priuationem: est enim perseuerantia, vt dixi, sub forma.

*Respondeo secundo* negando consequentiam: potest enim nihil habere principium, ratione cuius competat naturaliter subiecto, licet non possit habere principium quod influat realiter & positiue in ipsum; nam certe negatio caloris conuenit naturaliter aquæ, quia est iuxta inclinationem eius, & ratio cur est iuxta inclinationem eius est, quia constituitur per formam, quæ exigit connaturaliter frigus, & abhorret à calore.

Negatio potest habere rationem cur naturaliter competat subiecto.

6 *Obiicies tertio.* Cælum constaret natura, quamuis non constaret materia & forma, sed esset substantia corporea simplex; sed non constaret aliquo, cui competeret prædicta definitio, neque esset aliquid in ipso per se primo competens ipsi, quod esset principium motus & quietis, quandoquidem non includeret partes physicas realiter distinctas: ergo mala est prædicta definitio naturæ, quandoquidem non adæquaret definito ex hypothesi antecedentis.

An definitio naturæ sit essentialis.

*Respondeo* negando minorem, quia constaret essentia sua, quæ includeretur in ipso conclusione metaphysica, quod sufficit.

*Dices*: hinc sequeretur quod non sola materia & forma essent natura. *Respondeo* concedendo totum, de quo post ea.

*Dices secundo.* sequeretur quod Angelus constaret natura; atque adeo, quod esset considerationis physicæ, quia constaret essentia sua, quæ etiam esset principium primum motuum quibus naturaliter moueretur ad multas qualitates, ad quas dicit inclinationem.

*Respondeo* negando sequelam: ad cuius probationem dico, quod Angelus non sit mobilis motu corporeo; nec consequenter essentia ipsius potest habere rationē naturæ, prout hic definitur, quia definitur esse principium motus corporei ac quietis corporeæ. Per hæc manet explicata sufficienter definitio naturæ à Philosopho tradita, excepto ly *Principium* de quo est aliqua controuersia; quam sequenti quæstione resoluam.

*Quæres*, an hæc definitio naturæ sit essentialis.

*Respondeo* breuiter, quia res est parui momenti: si capiamus ly *Principium* formaliter prout dicit respectum siue actualem siue aptitudinalem, definitionem non esse essentialem, quia neuter ex illis respectibus est de essentia rei, quæ est Natura, verbi gratia, materiæ, aut formæ. Si verò capiatur principium fundamentaliter, prout significat formalitatem positiuam absolutam, ratione cuius sequūtur illi respectus ad entitatem rei quæ est natura, potest concedi quod definitio sit essentialis. Et sanè prorsus perinde est, quo modo ex his capiatur ly *Principium & causa*, nec in re est vlla difficultas de hac definitione seu descriptione magis, quam de aliis similibus, quibus describuntur res absolutæ per ordinem ad suos effectus.

## QVÆSTIO II.

*An Natura sit principium actiuum motus & quietis an verò passiuum, vel vtrumque.*

PRIMA *sententia est*, quando dicitur in definitione Naturæ, quod sit principium Motus, id intelligendum de principio actiuo, non de passiuo; ita, vt si sit aliquid, quod moueretur passiuè & haberet principium quo sic moueretur, non tamen moueret se actiuè, nec haberet principium sic se monendi, illud non constaret natura. Hanc tenet *Valles. contr.* 11. *& Vasquez* 1. 2. *disp.* 25. *cap.* 3.

*Secunda sententia* asserit per ly *principium* in definitione Naturæ intelligi solum principium passiuum ita, vt si esset aliquid, quod haberet principium passiuum motus naturalis, & non haberet actiuum, adhuc eo ipso constaret natura; & si haberet etiam principium actiuum simul cum passiuo, motus non deberet dici naturalis seu procedens à natura, quatenus procederet à principio actiuo, sed præcisè quatenus procederet à passiuo; vnde per accidens se haberet illud principium actiuum ad illum motum, quatenus naturalis est. Hanc tenent Scotistæ magis communiter *Doct.* 2. *d.* 2. *q.* 10. *n.* 8. *& dist.* 18. *n.* 4. *&* 4. *d.* 43. *q.* 4. *n.* 2. *&* 3. ac nominatim *Faber theorem.* 33. *c.* 1. *Fuentes hic quæst.* 2. *difficul.* 2. *a.* 2. *Sghemma disgressione* 8.

*Tertia sententia* est quod Natura non definiatur esse nec principium actiuum motus præcisè, nec passiuum; sed abstrahendo ab vtroque & comprehendendo vtrumque sic, vt & illud quod habet principium naturale passiuum motus, quamuis non haberet actiuum, debeat dici constare natura; & illud etiam, quod habet principium

actiuum ipsius,quamuis nō haberet passiuum,aut quamuis non consideraretur vt haberet passiuum. Ita Recentiores communiter & nominatim *Ruuius hic cap.* 1.*quæst.* 9. *sect.* 4. In quam sententiam ex nostris inclinat *Mastrius*, qui concedit Naturam secundum physicam considerationem esse principaliter principium passiuum, sed etiam esse principium actiuum immanens minus principaliter & cum dependentia à principio passiuo,quo sensu explicat sententiam Scoti;quem etiam pro se citat in quæstione prima prologi *n.* 25.

8. Vt resoluatur hæc difficultas,quæ meo iudicio magna parte est de nomine ac mente Philosophi, ac valde parum habet de re, vt propterea non tanti facienda sit; Aduertendum est principium motus posse dici naturale multipliciter *primò*, quatenus opponitur supernaturali sic, vt omne illud, quod est principium motus, & non est supernaturale principium, debeat dici principium naturale motus, & in hoc sensu quodcumque, quod haberet principium intrinsecum essentialiter sibi competés, quo mouere se posset,etiam motu violento ac libero,haberet principium naturale motus, & si nomen naturæ esset impositum ad significandum huiusmodi principium, negari non posset, quin principium actiuum motus quo moueretur illud ipsum, in quo inexisteret illud principium, esset Natura.

Multipliciter potest dici principiū motus naturale.

*Secundo* principium naturale motus capi potest,prout naturale opponitur libero,& in hoc sensu quidquid potest se mouere,sed non habet libertatem mouendi & non mouendi se, sed determinatur ad se mouendum, sicut graue determinatur ad motum deorsum, & aqua ad producendum in se frigus, & intellectus ad intelligendum, habet principium naturale motus;& si nomen Naturæ esset impositum ad significandum tale principium,omne tale,qua tale, esset natura & solum principium liberum,verbi gratia voluntas, non esset natura.

*Tertio* Principium naturale potest capi pro illo principio, à quo habet motus esse naturalis,prout motus naturalis opponitur violento & motui neutri,qui scilicet non sit nec naturalis nec violentus,si detur talis, de quo alias, & in hoc sensu capitur natura & principium naturale motus à Philosopho secundum Doctores communiter,& id negare esset excitare quæstionem de nomine, in qua semper melior pars est,quæ magis est communis, nisi adsit aliquod vrgens fundamentum, ex quo suaderi posset Autores communioris sententiæ fuisse deceptos in acceptione nominis,quale fundamentum in proposito nostro non occurrit; vnde standum est in hac tertia acceptione, quæ etiam suadetur vlterius, quia non capitur hic natura in primo sensu; quia alias quod haberet solum principium motus violenti, constaret natura, modo non esset agens supernaturale, quod est absurdum; nec etiam capitur in secundo sensu; quia alias homo, vt moueret se libere, non constaret natura, nec esset considerationis physicæ tam bene, quam vt moueret se necessario, quod etiam est absurdum. Itaque capitur hic à Philosopho natura, quatenus est tale principium motus, per ordinem ad quod potest colligi, quod motus sit naturalis, vt opponitur motui violento ac neutri, quæ est tertia acceptio motus naturalis: & in hoc sensu examinanda est præsens quæstio.

Quomodo capitur natura à Philosopho.

## CONCLVSIO

9. *Solum principium passiuum motus & quietis est natura prout definitur hic à Philosopho.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra alias duas, & tam clarè asseritur à *Doctore* vt mirum sit ab vllo Scotista de eius mente dubitari posse:dicit enim expresè *in* 2.*d.*2 *q.* 10. *numero* 9. *Motus non est naturalis in se ex hoc quod habet (scilicet res mota) principium actiuum in se; sed solum ex hoc quod mobile habet principium intrinsecum passiuum naturalis inclinationis ad motum, quod patet per definitionem naturæ secundo Physicorum*;quod etiam probat ibidem; & postea subiungit:*Ita quod licet hic sicut in multis aliis principium actiuum sit principium mouendi, non tamen propter illud principium actiuum mouetur naturaliter, sed propter principium passiuum,propter quod sic mouetur: quam doctrinam etiam vlterius deducit ex Philosopho.* Nec sufficit responsio *Mastrij*, quod *Scotus* loquatur de principio, quod principaliter & independenter ab alio principio sit natura,quale est principium passiuum, cum quo posset stare, quod principium etiam actiuum esset natura, minus tamen principaliter ac independenter ab alio principio. Hęc inquam responsio non sufficit, tum quia Scotus absolutè & simpliciter excludit principium actiuum à ratione naturæ,& gratis explicatur cum restrictione illa Mastrij,tum quia reuera nullo modo habet motus esse naturalis à principio actiuo, vt statim patebit. Ad locum autem Scoti, quem ipse pro se attulit, respondebitur postea.

Natura cum principium passiuum solummodo.

*Probari solet Conclusio* authoritate Philosophi hic *text.* 61.dicentis mouentia mota esse considerationis physicæ, mouentia verò non mota nō esse:quia,inquit,(& in hoc consistit tota vis huius loci) mouentia non mota non habent principium motus in seipsis,mouentia verò mota habent:Sed certum est quod mouentia non mota habent principium actiuum motus in seipsis & quod solum desit ipsis principium passiuum:ergo signum est quod principium passiuum solum sit illud,ratione cuius res sunt considerationis physicæ,& consequenter, quod illud principium solum sit natura.

*Ego tamen non multum innitor huic authoritati*:quia facile video responderi posse dicendo, quod non propterea mouentia nō mota non sint considerationis physicæ,quia non habent principium motus in seipsis quomodocumque,sed quia principium motus nō habent quo ipsamet moueantur,nec passiuum nec actiuum, quod si haberent principium actiuū motus,quo ipsamet moueantur, etiam ex hoc capite possent esse considerationis physicæ,quantum ad illam auctoritatem, si sola verba spectentur.

10. *Probatur ergo conclusio* ratione,quia,vt supra aduerti,natura accipitur à Philosopho pro principio talis motus solummodo,à quo principio motus habet esse naturalis, prout motus naturalis opponitur motui violēto & neutri,ita scilicet,vt per ordinem ad illud principiū possit colligi,quod motus sit sic naturalis,vt omnes concedunt; sed solum principium passiuū est huiusmodi principium, & nequaquam principium actiuum habet talem rationē: ergo solum principium passiuum est natura. Probatur minor,quia eo ipso quo corpus haberet inclinationem naturalem ad motum & quietem,quamuis nullo modo haberet principiū actiuum respectu talis motus aut quietis, motus esset ipsi naturalis,& quamuis haberet principium actiuum, si non haberet talem inclinationem ad motum, motus non esset ipsi naturalis:ergo solum principiū passiuum est illud, à quo habet motus esse naturalis,seu per ordinem ad quod colligitur motus esse naturalis. Probatur antecedens pro prima parte,quia aqua mouetur naturaliter ad frigus, siue frigus producatur ab ipsa aqua, siue producatur ab extrinseco,quia frigus est secundum inclinationem ipsius: ergo sola inclinatio mobilis ad motum absque principio actiuo sufficit ad naturalitatem motus, prout motus naturalis opponitur motui violēto,& neutro.

*Confirmatur* hoc, quia secundum Aduersarios plurimos Aqua nō potest mouere se ad frigus, nec graue ad motum deorsum, quia idem non potest mouere seipsum:sed mouentur his motibus à generāte vel alia aliqua causa;& tamen motus illi sunt ipsis naturales:ergo motus potest esse naturalis per ordinem ad solum principium passiuum, intelligo enim cum omnibus per principium passiuum naturale hic, principium receptiuum cum inclinatione. Probatur antecedens quoad secundam partem,quia quando homo mouet se actiuè sursum, ille motus non est ipsi naturalis & tamen habet principium intrinsecum actiuum istius motus:ergo non sufficit ad naturalitatem motus;quod sit à principio actiuo intrinseco.

*Confirmatur* hoc, quia quamuis aliquis cognoscat aliquod corpus mouere se, potest adhuc dubitare, an motus ille sit naturalis, an vero violentus vel neuter,quia potest dubitare an aliquis posset se mouere violēter aut naturaliter;nec potest scire an motus sit naturalis,nisi tecurrendo ad principiū passiuū ac inclinationem mobilis:ergo motus non habet esse naturalis per ordinem ad principium

actiuum

actiuum, sed præcisè per ordinem ad principium passiuum.

*Dices* colligi benè quod Aqua habeat inclinationem ad frigus ex eo, quod reducat se ad frigus; ergo potest etiam colligi, quod motus ille sit naturalis ex eo, quod proueniat à principio actiuo intrinseco & essentiali aquæ.

*Respondeo primo* distinguendo consequens: mediatè, quatenus scilicet inde colligitur, quod insit aquæ principium passiuum naturale talis motus, transeat; immediate, negatur.

*Respondeo secundò* negando antecedens in sensu præciso: nam aliàs idem non posset mouere se actiuè motu violento, cuius oppositum patet in homine mouente se sursum. Itaque non ex illo capite præcisè colligitur adesse in mobili inclinationem ad motum illum, sed ex eo quod videamus per frigus conservari aquam, & per calorem eam disponi ad corruptionem; & deinde coniectura probabilis est, quod non haberet virtutem ita determinatam ad frigus magis, quam ad calorem, nisi haberet inclinationem: vnde non ex actiuitate præcisè colligitur inclinatio, sed ex actiuitate determinata.

Quod si quis vellet dicere Naturam esse quodcumque principium, per ordinem ad quod potest colligi quomodocumque motus esse naturalis, siue mediatè siue immediatè id colligitur, potest dicere principium actiuum determinatum ad vnam formam aut plures independenter à libertate, esse naturam, & hoc non esset contra conclusionem, quia loquimur de natura, prout est principium per ordinem ad quod solum sine alio principio posset colligi motus esse naturalis, & in hoc sensu satis probata manet.

*Et confirmatur vlterius*; quia illud principium non est natura, quod per accidens inest mobili in ordine ad hoc, quod motus sit naturalis, vt patet ex definitione naturæ, quæ dicitur inesse per se mobili & non per accidens: sed principium actiuum est tale: ergo non est natura. Probatur minor, quia illud inest per accidens in ordine ad naturalitatem motus, quo non posito adhuc haberetur naturalitas motus, sed non posito principio actiuo intrinseco in mobili, posito verò solo principio passiuo cum inclinatione, motus esset omnino naturalis: ergo per accidens inest principium actiuum mobili in ordine ad naturalitatem motus. Et per hoc patet falsum esse, quod dicit *Auersa*, scilicet principium actiuum non excludi à ratione naturæ per vllam particulam positam in definitione naturæ: excluditur enim per illam particulam *non per accidens*, nec refert quod principium actiuum esset essentiale mobili non minus quam passiuum, quantum ad entitatem & physicam suam constitutionem; quia deberet inesse ipsi per se in ordine ad naturalitatem motus.

12. *Obiicies primo*, Philosophus hic *cap.* 2. distinguit naturalia ab artificialibus, quod hæc non habeant principium sui motus in se, illa verò sic: sed hoc non esset verũ de principio passiuo: vtrumque enim habet principium passiuum in se: ergo Philosophus intelligit per principium motus, quod est natura, principium actiuum.

*Confirmatur*: quia propterea excludit Medicinam à ratione Naturæ, quia per accidens inest homini, qui sanatur, non verò quia est principium actiuum: ergo secundum ipsum principium actiuum est natura: aliàs male excluderet Medicinam Philosophus per hoc quod ei principium actiuum.

*Respondeo* distinguendo minorem, non est verum de principio passiuo naturali, per ordinem ad quod motus dicitur naturalis & non violentus nec neuter, nego minorem cum sua probatione: artificialia enim, qua talia, non habent principium intrinsecum passiuum tale: de principio intrinseco passiuo, abstrahendo à tali ratione particulari, concedo minorem cum probatione, & nego consequentiam.

*Ad confirmationem respondeo primo* negando consequentiam, ad cuius probationem dico, quod sufficiebat Philosopho excludere Medicinam ex vno capite à ratione Naturæ, nec erat necesse vt ex omnibus capitibus, bus, quibus excludi posset, excluderet ipsam.

*Respondeo secundo* negando antecedens pro secunda parte, quia eo ipso quo excludit illam ex eo, quod insit per accidens, exclusit illam quatenus est principium actiuum; nam, vt dixi, principium actiuum, qua tale, inest per accidens in ordine ad naturalitatem motus.

13. *Obiicies secundo*: Sequeretur formam non esse naturam contra Philosophum, qui dicit illam esse magis naturam quam materia. Probatur sequela, quia est principium actiuum tantum, & quatenus tale vocatur à Philosopho natura.

*Respondeo* negando sequelam cum sua probatione, quoad vtramque partem: neque enim forma habet solummodo esse principium actiuum; est enim ratio, cur compositum habeat inclinationem ad recipiendas aliquas qualitates potius quam alias; verbi gratia, si quæratur à quo principio physico habet aqua inclinari ad frigus & non ad calorem, sine dubio recurrendum est ad formam aquæ, nam materia ipsius est æquè indifferens ad calorem ac frigus; vnde non potest esse principium, cur aqua exigit frigus: in hoc ergo sensu forma est principium passiuum & propter hanc rationem vocatur à Philosopho natura, & non ex eo, quod sit principium actiuum.

14. *Dices*: quatenus motus aquæ ad frigus prouenit à forma aquæ actiue, seu quatenus illa forma est principium, cur aqua habeat virtutem mouendi se ad frigus, ille motus est naturalis; & non solum est naturalis, prout motus naturalis opponitur motui supernaturali & motui libero; sed etiam prout opponitur motui violento & neutri, neque enim ille motus est violentus aut neuter, sicut non est supernaturalis, nec liber: ergo forma, etiam vt est principium actiuum motus, est natura; est enim natura secundum omnem considerationem, secundum quam habet motus ab ipsa procedens esse naturalis, prout motus naturalis opponitur motui violento, vt omnes fatentur.

*Respondeo* negando antecedens pro secunda parte, nempe quod ille motus habeat esse naturalis, vt opponitur motus naturalis motui violẽto & neutri, quatenus procedit à forma effectiue; ad probationem autem illius partis dico, quod quamuis omnis motus realis à parte rei realiter debeat esse vel naturalis, vt motus naturalis opponitur motui violento & neutro, vel violentus, vel neuter; tamen non debet esse talis secundum omnem considerationem repertam in illo; vnde quamuis ille motus aquæ ad frigus sit reuera naturalis à parte rei, quia non est violentus nec neuter, tamen non est naturalis in illo sensu, vt procedit à forma, tanquam à principio actiuo, quamuis vt sic etiam non sit violentus nec neuter: & quemadmodum omnis motus à parte rei debet esse vel liber, vel necessarius, non tamen debet esse, vel liber determinatè, vel necessarius, vt est secundum inclinationem subiecti: quia ab inclinatione subiecti non habet alterutrũ ex his rationibus, sed à principio actiuo, quatenus est indifferens ad eum ponendum vel non ponendum: ita quamuis omnis motus debeat esse vel naturalis, vel violentus, vel neuter, tamen non debet habere vllam ex his rationibus, quatenus procedit à principio actiuo vt actiuo, quia ab illo neutram ex his rationibus habet; sed ab inclinatione subiecti, vel auersione, vel negatione inclinationis ac auersionis: sicut ergo abstrahit motus, vt est secundum inclinationem subiecti, à libertate & necessitate: ita, vt procedit à principio actiuo, abstrahit à naturalitate, violentia ac neutralitate.

*Forma est principiũ passiuum motus.*

15. *Obiicies tertio* ex Mastrio: non minus naturale est igni debite applicato calefacere, & aquæ reducere se ad frigus, quam graui descendere deorsum, nec magis violentaretur graue, si impediretur à descensu, quam ignis si impediretur à calefaciendo subiectum capax debitè applicatum, aut aqua, si impediretur à frigefaciendo se actiuè: ergo quemadmodum motus grauis deorsum est ipsi naturalis, ita etiam calefactio est naturalis igni, & frigefactio aquæ, etiam prout motus naturalis opponitur motui violento: sed calefactio conuenit igni & frigefactio sui aquæ quatenus sunt actiua: ergo principium actiuum, qua tale, est natura. Probatur consequentia, quia illud principium

est natura, à quo habet motus esse naturalis pro vt motus naturalis opponitur violento ac neutri: ergo, si calefactio conuenit naturaliter igni tanquam principio actiuo adeo, vt nisi conueniret ipsi, violentaretur, principium actiuum vt sic, est verè natura.

Hoc est potissimum Mastrij fundamentum recedendi à communiori Scotistarum & fusè ab ipso proponitur ac stabilitur. *Sed facile respondetur* concedendo quod calefactio actiua igni & frigefactio actiua conueniat aquæ naturaliter sic, vt violentarentur saltem priuatiue, vt ait Mastrius, si impediretur ab istis actionibus, eo quod illæ actiones conueniant illis vt sunt actiua: sed nego consequetiam, quod scilicet inde sequatur principium actiuum, qua tale, esse naturam, prout natura definita est à Philosopho. Ad cuius probationem dico, quod illud quidem sit natura, à quo habet motus, quo mouetur mobile esse naturalis ipsi mobili & non esse ipsi violetus nec neuter, calefactio autem quo calefacit Ignis non est motus, quo mouetur ipse ignis; vnde principium, ratione cuius competit Igni, non debet esse natura. Similiter frigefactio actiua non est motus, quo mouetur aqua, sed calefactio passiua, & propterea principium actiuum, ratione cuius competit ipsi calefactio actiua, non potest esse natura, prout natura definitur à Philosopho: & sane si calefactio, qua ignis calefacit alia subiecta, esset naturalis, hoc est proueniens à natura, prout natura describitur à Philosopho, male negaret Philosophus mouentia non mota esse considerationis physicæ: nam ignis vt calefaciens alia subiecta est mouens non motum.

*Responderi potest secundo* negando calefactionem actiuam, aut frigefactionem esse motus naturales igni, aut aquæ, prout motus naturalis opponitur violento, sed sunt naturales ipsis prout motus naturalis opponitur motibus supernaturalibus & motibus liberis; nec refert quod si impedirentur ab ipsis, essent in statu violento priuatiuo, quatenus scilicet non haberent aliquid, quod connaturaliter exigerent, quia hinc non sequitur, quod istæ actiones sint motus naturales, prout motus naturalis opponitur violento, quia reuera non sunt motus, cum non sint actus mobilis, sed potius mouentis.

16. *Obiicies quarto* ex eodem Mastrio plures authoritates Philosophi, quibus significat principium actiuum etiam esse naturam: sed Respondetur breuiter ad omnes generaliter, Philosophum non vno modo & sensu semper capere naturam, sed aliquando in vno sensu, aliquando in alio, vt ex secundo Physicorum capite secundo patet. Quando ergo vocat principium actiuum naturam, non capit naturam, prout ipsam definiuit principium motus & quietis, sed quatenus significat principium actiuum naturaliter prout natura distinguitur ab arte aut proposito, quas duas naturæ acceptiones aduertit *Scotus quæstione prologi num.* 25.

Obiectio quinta.

*Obiicies quinto* ex eodem: *Scotus illa ipsa quæstione prologi eodem num.* 25. admittit principium actiuum esse naturam, prout natura definitur secundo Physicorum, dicit enim: *non correspondet omni passiuo naturaliter principium actiuum, quod sic sit natura,* (hoc est quod sit natura, prout natura describitur secundo Physicorum) *quia multa sunt naturaliter receptiua alicuius perfectionis, cuius non habent principium intrinsecum actiuum.* Ergo principium actiuum est natura, prout natura definitur secundo Physicorum. Probatur consequentia, quia alias non daret Scotus pro ratione, cur omni passiuo naturali, non correspondet principium actiuum, quod esset natura definita à Philosopho, quod multa essent receptiua perfectionum, quarum non haberent principium intrinsecum actiuum: sed potius deberet dare pro ratione, quod principium actiuum non sit natura sic.

*Respondetur*, de mente Scoti clarè patere ex locis citatis pro conclusione; vnde Mastrius ipse fatetur ipsum magis inclinare in nostram conclusionem, quam in oppositum.

Ad locum autem iam oppositum negatur consequentia cum sua probatione, quia sufficiebat Scoto ostendere ex quocumq; capite, quod principium intrinsecum actiuum, quod esset natura sic definita, non posset correspondere cuicumque passiuo naturaliter, nec erat necesse, quod ostenderet id, ex quocumque capite posset ostendi; imo melius id ostendit per hoc, quod non inesset principium actiuum intrinsecum omni illi, quod est receptiuum perfectionis, quam per hoc quod principium actiuum non esset natura, quia de hoc controuerti poterat, vt de facto controuertitur; de illo autem nullo modo: vniuersaliter autem melius soluitur vna difficultas sine dependentia à controuersia particulari, si potest solui, quam cum dependentia.

Cur definiuit Philosophus solū principium passiuum.

*Quares*, cur Philosophus voluerit definire solum principium passiuum motus, non verò actiuum.

*Respondeo*, quia voluit solum considerare motum naturalem vt distinguitur à motu violento & neutro, & quia voluit agere de corpore, vt mobili, & non vt motiuo.

## QVÆSTIO III.

### *Quibusnam conueniat ratio Naturæ.*

17 QVamuis ex dictis vtraque quæstione precedenti, non sit difficile colligere huius quæstionis resolutionem, tamen maioris claritatis gratia, hic distinctius decidenda videbatur.

## CONCLVSIO I.

Materia prima est natura.

*Materia prima est natura secundum quod describitur à Philosopho.* Hæc est communis cum *Scoto 2. d. 15. & D Thoma super secundum Physicorum capite secundo*, quos sui & recentiores fere omnes sequuntur contra *Valles contr.* 11.

*Probatur primo* authoritate Philosophi eodem capite *tex.* 10. & 11. vbi expresse asserit materiam esse naturam.

*Probatur secundo* ratione, quia ipsi conuenit tota definitio naturæ supra posita: est enim principium motus & quietis eius, in quo est primo, per se, & non per accidens, est enim primo per se & non per accidens in composito substantiali, & propter inclinationem suam ad formam substantialem est principium physicum, cur motus generationis substantialis, quo dicitur moueri passiue compositum generatum, in quo est, sit naturalis & non violentus, nec neuter.

*Dices*: Ille motus generationis non est subiectiue in composito, sed in materia prima: ergo materia non est principium motus naturalis vllius, qui est in composito, cui ineft ipsa materia: sed requiritur ad naturam, quod sit principium talis motus: ergo materia nō est natura prout natura describitur à Philosopho.

18. *Respondeo* (quidquid sit de antecedenti, de quo alias) distinguendo consequens, qui est in composito subiectiue, transeat consequentia: qui est in eo denominatiue, nego consequentiam, & similiter distinguo subsumtum: sed requiritur ad naturam, quod sit principium motus, qui est subiectiuè in composito, nego subsumptum ex suppositione antecedentis: qui est in ipsa denominatiue vel subiectiue, concedo subsumptum, & nego consequentiam, quia motus ille generationis, cuius materia est principium, si non sit subiectiuè in composito, certum est quod sit in illo denominatiue, nam denominatur ab eo compositum generari & generatum, vt est euidens, & in omni sententia multa denominantur à formis, quæ non sunt in ipsis subiectiue. Sic enim in sententia eorum, qui subiectant quantitatem in materia prima, substantia composita & forma substantialis denominantur quanta à quantitate quæ in ipsis non subiectatur, & in omni sententia qualitates sic denominantur ab eadem, cum tamen in ipsa non subiectentur.

*Adde ad hæc* pro vlteriori probatione conclusionis, & solutionis huius replicæ, materiam etiam esse principium physicum partiale, cur aliquis motus subiectatus etiam in composito sit naturalis: nam motus, quo subiectiue mouetur oculus ad visionem, habet etiam esse naturalis à materia ex eo, quod materia etiam inclinetur ad illum motum, nam si non inclinaretur, sed ab horreret ab illo,

profecto

profecto esset motus violentus non minus quam motus quo mouetur compositum ad formam, à qua abhorret ipsius forma, est motus violentus, verbi gratia motus aquæ ad calorem.

19. *Obiicies primo* aliquas authoritates Philosophi in specie videndas apud *Auersam & Mastrium*, quibus videtur significare, quod materia non sit natura. Sed cum clare teneat oppositum loco citato pro conclusione, explicandus est cum communi, & dicendum quod solum velit materiam non esse tam perfecte naturam, quam forma; aut quod non sit natura, prout natura capitur pro principio actiuo determinato ad particulares actiones: quod potest esse verum quamuis esset proprie natura, prout natura describitur supra vt patet.

*Obiicies secundo*: quod est in potentia ad naturam non est natura: materia est in potentia ad naturam, nempe ad formam, ergo non est natura.

*Respondetur* negando maiorem: sicut enim vnum principium ex tribus principiis rerum potest esse subiectum alterius: ita vna natura potest esse subiectum alterius, & consequenter in potentia ad illam recipiendam.

20. *Obiicies tertio*: quod demonstratur esse, non est natura, sed materia demonstratur esse: ergo non est natura.

*Respondeo primo*, hoc argumento æque probari, quod forma non esset natura contra aduersarios, quia tam demonstrabilis est forma quam materia, imo vix vnum ex ipsis demonstrari potest absque altero. Vnde

*Respondeo secundo* negando maiorem, aut potius illam distinguendo: quod demonstratur à priori, concedo, quia nihil prius competit rei, quam ipsamet natura; vnde non habetur medium à priori, per quod demonstrari possit, & in hoc sensu solo naturam dari est indemonstrabile: quod demonstratur à posteriori, non est natura, nego maiorem, & similiter distinguo minorem: materia demonstratur esse à priori, nego, à posteriori, concedo, & nego consequentiam.

*Obiicies quarto* Materia non est causa motus: ergo non est natura. Probatur antecedens, quia si esset causa, maxime esset causa materialis: sed non est causa materialis, quia non est subiectum motus: motus enim cum sit accidens, subiectatur in composito & non in materia.

*Respondetur* negando antecedens; cuius oppositum patet ex fundamento nostræ conclusionis: ad probationem nego minorem, & ad probationem dico primo, quod materia sit subiectum mutationis, per quam mutatur ad formam substantialem: nec refert quod illa mutatio sit accidens, quia aliqua accidentia respectiua immediate subiectantur in materia prima.

*Dico secundo*, quod principium materiale motus non debeat esse subiectum istius motus; sed sufficit quod sit ratio, cur compositum moueatur naturaliter tali motu; sicut nec principium actiuum debet esse principium *quod* motus secundum aduersarios, sed sufficit quod sit principium *quo*, hoc est, ratio physica, ob quam conuenit composito habere talem motum determinatum, qui sit secundum suam inclinationem.

21. *Obiicies quinto*. Vnius rei vnica est natura: ergo cum forma sit natura, materia non potest esse natura: alias compositum non vnam tantum, sed duas haberet naturas.

*Confirmatur*, quia nomen naturæ significat perfectionem: ergo non conuenit materiæ, quæ est ens imperfectissimum.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: vnius rei vna est natura physica, præsertim si res sit physice composita, nego antecedens: vna est natura metaphysica, quatenus natura conuenit cum essentia rei, concedo antecedens, & nego consequentiam; nec est inconueniens, quod compositum physicum, sicut habet duas partes physicas, ac duo principia prima physica in facto esse, habeat etiam duas naturas physicas, secundum quod descripsit Philosophus naturam.

Ad confirmationem nego consequentiam, quia materia non est tam imperfecta, quin perfectio naturæ vt sic, quatenus descripta est à Philosopho, conueniat ipsi.

## CONCLVSIO II.

22. *Forma physica, etiam anima rationalis, qua rationalis, & quatenus est principium intellectionum & volitionum, est natura, quatenus natura descripta est à Philosopho.* Hæc etiam est communissima cum Authoribus præcedentis Conclusionis contra *Simplicium* in proœmio de anima, *Albertum magnum* 2. *Physicorum capite primo*. *Andream Cisalpinum lib.* 3. *quæstionum Peripateticarum quæstione prima*, putantes animam non esse naturam. Forma physica est natura, etiam anima rationalis.

*Probatur* Conclusio tum authoritate Philosophi 2. *Physicorum c.* 1. vbi absolute ait formam vt sic, nulla excepta, esse naturam: tum quia cuilibet formæ, etiam animæ rationali, conuenit esse principium motus naturalis compositi, in quo ineest: nam forma ignis est principium, cur motus ignis ad calorem sit ipsi potius naturalis, quam motus ad frigus; & forma aquæ est principium, cur frigefactio sit ipsi potius naturalis, quam calefactio; & anima vegetatiua est ratio, cur nutritio & accretio conueniat naturaliter plantis potius quam aquæ; & anima sensitiua in brutis est ratio, cur conueniat ipsis naturaliter & nutritio & augmentatio, & etiam operationes sensitiuæ; & denique anima rationalis in homine est ratio cur conueniat ipsi & nutritio & augmentatio & operationes etiam sensitiuæ; neque enim solummodo est principium operationum spiritualium intellectus & voluntatis: suppono enim ex dicendis in libris de anima, non esse aliam in homine animam præter rationalem.

*Deinde*, etiam homo mouetur naturaliter motibus intellectionis & volitionis & habet inclinationem ad illas, illæque sunt, pro hoc statu saltem, dependentes à corpore; & anima, vt rationalis, est principium *quo*, ratione cuius illi motus sunt ipsi naturales: ergo anima, etiam vt rationalis, est natura.

23. *Obiicies primo*. Natura debet esse principium passiuum, sed quamuis aliæ formæ substantiales habeant rationem drincipij passiui; anima tamen non habet, sed rationem principij actiui: ergo anima non est natura.

*Respondeo* negando minorem: & sane est eadem ratio quantum ad hoc de anima ac aliis formis: omnis autem forma, etiam anima, est principiū, quo conueniant composito aliqui motus naturaliter, hoc est cum inclinatione, etiamsi isti motus non prouenirent effectiue ab ipsamet forma aut anima; quod sufficit, vt habeant rationem principij passiui respectu motuum illorum.

*Obiicies secundo* Natura est determinata ad vnum, sed anima non est determinata ad vnum, quandoquidem animalia variis motibus moueantur sursum, deorsum, circulariter, progressiue: ergo anima non est natura.

*Respondeo* distinguendo maiorem: ita vt vnus solus motus debeat competere naturæ, nec possit habere alios, nego maiorem: nam aqua à sua natura habet moueri naturaliter ad frigiditatem & humiditatem & ad vbi deorsum sub aëre; nec est assignabile vllum corpus naturale, quod non habeat plures motus sibi naturales ex natura sua: ita vt cuicumque composito constanti naturis, aliqui motus sint naturales, non vero omnes, sed aliqui etiam sint violenti, transeat maior; & concessa minori, nego consequentiam. Itaque illud axioma, quod natura sit determinata ad vnum, vel intelligitur de natura, non prout natura definitur à Philosopho, sed prout distinguitur natura ab agente libero, ita vt sensus sit, quod agens naturale non liberum ita determinetur ad vnum, quando debite applicatur, vt non possit desistere ab actione, cuius oppositum conuenit agenti libero: & in hoc sensu axioma non facit ad propositum; vel intelligitur de natura, vt hic definitur, & tum sensus est, quem dixi, quod natura totalis cuiuscumque compositi aut substantiæ sit determinata ita ad certos motus, vt alij motus ipsi sint violenti; & quamuis hoc sit verum, nihil inde infertur contra conclusionem.

24. *Obiicies tertio*, ad probandum quod anima rationalis, saltem qua talis, reduplicatiue & secundum quod est principium operationum ac motuum solis hominibus

conue

conuenientium,non sit natura.Omnis natura vel est subiectum, vel est in subiecto, vt patet ex diuisione naturæ, quam habet Philosophus capite primo huius libri: sed anima rationalis non est subiectum,nec in subiecto, cum creetur independenter à subiecto.

*Confirmatur*: quia forma, quæ est natura, debet educi è potentia materiæ, & nequit naturaliter conseruari absque materia: sed anima non educitur è potentia vllius subiecti,& conseruatur naturaliter absque omni subiecto.

*Respondetur* distinguendo maiorem: in subiecto cum dependentia ab ipso quoad esse,aut conseruari, nego maiorem: est in subiecto aliquando informando ipsum absque tali dependentia, concedo maiorem; & nego minorem, nimirum quod anima non sit taliter in subiecto, & ex hoc nego maiorem *Confirmationis*.

*Obiicies quarto* ad idem: anima rationalis vt rationalis præcise, & vt est principium operationum soli homini conuenientium,non est principium operationum aut motuum naturalium:ergo vt sic non est natura.Probatur antecedens quia non est principium vt sic aliarum operationum quam intellectionis ac volitionis; sed hæ non sunt operationes naturales, id est physicæ,quia alias Angelus haberet operationes ac motus sic naturales, & consequenter esset considerationis physicæ, ergo vt sic non est natura.

25. *Respondeo* negando antecedens cum minori probationis:quia intellectio,& volitio, quas habet anima coniuncta, sunt operationes naturales ac physicæ, tum quia sunt operationes,quibus denominatur operari, & moueri substantia corporea, nam homo denominatur intelligere & velle:tum etiam quia licet secundum se sint spirituales, tamen habent adhuc dependentiam à phantasmatibus, quamdiu exercentur ab anima coniuncta,quod sufficit,vt dicantur materiales sufficienter ad hoc, vt sint considerationis physicæ;ex quo patet non esse idem de ipsis, ac de intellectionibus ac volitionibus Angelicis dicendum, quia hæ nec aptæ natæ sunt denominare substantiam corpoream operantem aut motam,nec habent dependentiam à phantasmatibus quoad fieri, aut conseruari. Nec video qui circa hoc vlterius possit controuerti, nisi reducendo rem ad quæstionem de nomine.

Aduerto autem non sufficienter probari à *Complutensibus disput.7.q.5.n.*30.animam rationalem,qua talem, esse naturam ex eo, quod sit forma informans materiam aut corpus organicum, & consequenter pars intrinseca hominis:nam quamuis esset talis,non esset natura, nisi conueniret ipsi esse principium motus, & quietis naturalis. Melius ergo id probant *n.*31. ex eo, quod vt rationalis sit principium fletus, risus, admirationis, quæ sunt operationes corporeæ. Et hinc posset responderi ad vltimam hanc obiectionem alio modo negando antecedens,& maiorem probationis,quia vt sic, est principium,vt iam dictum est; admirationis, fletus, risus, &c.

## CONCLVSIO III.

Compositum non est natura nec forma totalis metaphysica eius.

26. *Ipsum totum compositum non est natura vt hic definitur natura, nec etiam forma totalis metaphysica eius quæ est ipsamet essentia eius in abstracto considerata, verbi gratia humanitas respectu hominis: bene tamen forma totalis substantiæ corporeæ completæ, simplicis (si daretur talis) esset natura, vt hic definitur.*

*Prima pars* est communissima, & patet quia tale compositum, præsertim si sit completum,non inest alicui,cui esset principium motus & quietis; natura autem vt hic definitur debet sic inesse alicui, vt patet ex ipsamet definitione.

*Secunda pars est Auersa qu.*9. §. 6. *Amici hic, & Complutensium disp.* 7.*num.*44.*contra Fuentem hic q.* 1.*art.* 8. *& Mastrium disp.* 6.*art.*1.

*Probatur primo* authoritate Philosophi hic *c.* 1. vbi cum præmisisset materiam esse naturam,ac etiam formam, dicit: quod autem ex his, natura quidem non est, sed à natura. Sed certum est non solum compositum in concreto metaphysico, verbi gratia lignum, sed etiam formam totius seu naturam eius in abstracto metaphysico consideratam,nempe ligneitatem realiter componi,& fieri ex partibus non minus, quam ipsum lignum: ergo secundum Philosophum nec lignum,nec ligneitas,nec homo, nec humanitas est natura.

*Probatur secundo*, quia reuera forma totius seu quidditas composita non est principium primum physicum motus,& quietis,quandoquidem præsupponat alia principia physica,ex quibus fit, nempe materiam, & formam; sed natura prout definitur à Philosopho,debet esse principium primum motus,& quietis, vt patet ex eius definitione: ergo non est natura.

Forma totalis metaphysica substantiæ completæ simplicis esset natura.

*Tertia pars* non proponitur per se ab vllo quod sciam, sed est conformis iis, quæ dixi in proœmio; quia reuera illa substantia simplex completa esset considerationis physicæ,& haberet principium motus,& quietis naturalis ad accidentia sibi connaturalia:ergo deberet constare natura;quæcumque enim substantia habet motus naturales, & est considerationis physicæ,vel debet esse natura vel constare natura: sed illa substantia non esset natura, propter rationes primæ partis:ergo deberet constare natura:sed non constaret natura,quæ esset pars physica,vt materia aut forma,alioquin non esset simplex, & incomposita, vt supponitur, nec potest alia natura, qua constaret, assignari, præter formam totius seu quidditatem metaphysicam suam: ergo talis forma eius est natura.

*Confirmatur*, quia neque authoritas, neque ratio secundæ partis impedit veritatem huius partis;non quidem authoritas,quia illa quidditas non est composita ex naturis:non etiam ratio quia,illa est primum principium motus naturalis conuenientis tali substantiæ, quandoquidem non præsupponat aliud principium:ergo nihil impedit quo minus sit natura, prout natura est definita à Philosopho.

28. *Obiicies primo* contra secundam partem. In toto composito recipiuntur omnia accidentia absoluta, & fiût consequenter in illo motus naturales,quibus mouetur ad illa accidentia:ergo est principium passiuum in se istorum motuum: sed hoc sufficit vt sit natura: ergo.

*Respondeo* distinguendo consequens: est principium passiuum primum istorum,nego;secundum,transeat consequentia,& nego hoc sufficere vt sit natura.Quando vero *Scotus* vocat quidditatem compositi naturam eius,non loquitur de natura,prout hic definitur, sed in alio sensu ex multis,quibus accipitur nomen natura, vt patet ex dictis in initio huius disputationis:& per hoc patet ad omnia quæ contra hanc partem congerit *Mastrius*.

*Obiicies* contra tertiam partem. Si quidditas talis substantiæ posset vocari natura, & primum principium motus competentis naturaliter ipsi,sequeretur quod materia prima non esset primum principium physicum motus;nec consequenter natura, sed potius quidditas ipsius natura dici deberet,sed hoc est contra primam conclusionem:ergo talis quidditas non est natura.

*Respondeo*, negando sequelam: cum enim materia prima insit physico corpori, & sit etiam ipsum principium physicum motus naturalis, bene vocari potest primum principium physicum:& licet possit abstrahi ab ipsa sua quidditas; tamen non est necesse vt fiat illa abstractio,vt intelligatur materia habere rationem naturæ;vnde quidditas illa,& materia censenda sunt vna natura realis, & physica, quamuis ratione distinguantur. Vt autem consideretur corpus simplex habere naturam,quandoquidem non sit natura, vt concipitur in concreto, debet abstrahi ab ipso sua quidditas, & illa sic abstracta debet dici esse natura respectu ipsius; nec potest reduci ad aliquid aliud, quod sit natura, sicut quidditas materiæ reducitur ad ipsam materiam, quæ est natura secundum se considerata.

## CONCLVSIO IV.

Nec priuatio nec accidens vllum, nec quidditas Angeli est natura.

29. *Nec priuatio nec accidens vllum, nec quidditas Angeli est natura, prout hic describitur natura.* Hæc est communissima, & *patet de priuatione*, tum quia hæc non est causa motus; natura autem dicitur non solum princi

principium, sed causa motus; tum & præcipue quia priuatio per se non est causa, cur motus dicatur naturalis composito aut rei motæ, nisi quatenus priuatio supponit inclinationē: vnde si per impossibile esset priuatio formæ absque tali inclinatione, profecto motus ad talem formam non esset naturalis, & si posset esse motus subiecti inclinati ad formam absque priuatione, motus esset naturalis: ergo priuatio non est natura.

*Probatur etiam de accidentibus*, quia nullum accidens per se primo inest enti mobili, sed natura debet inesse per se primo tali enti: ergo nullum accidens est natura.

*Probatur tertia pars de quidditate Angeli:* quia non est principium motus corporei, quandoquidem Angelus tali motu non moueatur per se: sed in definitione naturæ hic definitæ intelligitur per motum motus corporeus, vt patet, tum ex communi interpretum sensu, tum etiam quia Philosophus egit de natura, quæ est considerationis physicæ, qualis non est quidditas Angelica, vt patet.

*3o Obijces* contra secundam partem. Quantitas Eucharistica mouetur naturaliter ad qualitates aliquas, & ad vbi deorsum, vt patet experientia: ergo habet principium talis motus, & consequenter naturam, quia natura est principium motus naturalis.

*Respondeo* negando antecedens: quantitas enim ex se est indifferens ad quamcumque qualitatem & quodcumque vbi, nec potest assignari ratio cur aliqua qualitas aut vbi esset ipsi perfectio: & quamuis experientia constet, quod moueatur deorsum quantitas Eucharistica, & quod videatur reducere se ad aliquas qualitates, quibus priuabatur, remotis impedimentis, tamen isti motus non debent adscribi ipsimet quātitati per se, sed substantiæ, cui debeatur illa quantitas: quamuis enim illa substantia non existat atque adeo non possit realiter principiare illos motus, neque passiue neque actiue, tamen Deus intuitu eius concurrit ad omnes motus, ad quos ipsamet concurreret ad cooperiendum mystetium Eucharistiæ; sicut supplet defectum materiæ ad generationes, quæ fiunt ex illis speciebus, quæ generationes aliàs succedere non possent ob defectum materiæ, vt patet.

## CONCLVSIO VLTIMA.

Materia & forma conueniunt vniuoce in ratione naturæ.

31. *Materia & forma conueniunt vniuoce in ratione naturæ tam bene, quam conueniunt ratione partis aut substantiæ incompletæ.* Hæc conclusio hoc modo proposita vix negari potest, & videtur esse *Masirij disput. 6. a. 2.*

*Probatur* autem, quia vtraque est principium passiuum motus naturalis, vt patet ex dictis; & ex hoc capite vtraque est natura: ergo conueniunt vniuoce in ratione naturæ vt sic, tam bene quam conueniunt in ratione substantiæ incompletę. Quod si forma esset principium actiuum motus naturalis, & materia passiuum; fortassis esset aliqua difficultas, quia posset aliquis dubitare, an possit ratio principij motus, prout competit naturæ præcisè, abstrahi à materia & forma; at cum vtrumque sit principium passiuum & fortassis etiam actiuum motus, vt supra insinuaui, tollitur hæc difficultas.

32 *Dices*: materia & forma sunt primo diuersa: ergo non conueniunt in aliquo vniuoco conceptu.

*Respondeo* hanc difficultatem non esse contra conclusionem, prout hic proposita est, quia si non obstante illa diuersitate possunt conuenire in ratione substantiæ incōpletæ, possunt etiam conuenire in ratione naturæ: quod si illa diuersitas impediat, quo minus cōueniant vniuoce in ratione substantiæ incompletæ, transeat quod etiam impediat, quo minus conueniant vniuoce in ratione naturæ; nec in conclusione diximus absolute, quod conueniant in ratione naturæ vniuoce, sed tam bene quā in ratione substantiæ incompletæ: absolute autem loquendo dicendum puto, quod conueniant in ratione substantiæ incompletæ vniuoce, & consequenter in ratione naturæ, quia nihil prorsus impedit quo minus quemadmodum ex substantiis completis pluribus potest abstrahi vna ratio vniuoca substantiæ completæ vt sic; ita etiam ex substantis incōpletis pluribus possit abstrahi vna ratio vniuoca substantiæ incompletæ vt sic: & sane sic supponitur communiter quod ab omnibus animabus abstrahatur ratio animæ vt sic, licet omnes animæ sint substantiæ incompletæ; nec refert quod forma, & materia sint magis diuersa quam plures animæ, quia hoc non obstante posset ab ipsis abstrahi aliqua ratio communis.

Quomodo materia, & forma sint primo diuersa.

Nec refert etiam *Scotum* dicere *in 2. d. 12. q. 1. num. 26.* quod materia & forma sint primo diuersa: quia, vt bene ibidem aduertit Scholiastes, non vult quod per hoc non conueniant vniuoce in aliquo cōceptu positiuo, quādoquidem ipsummet ens de eis dicitur in quid; sed solum vult, quod nihil materiæ, qua materia est reduplicatiue, includatur in forma, & nihil formæ, qua forma est reduplicatiue, sit de conceptu materiæ, quod verissimum est; nec aliud probat ratio Scoti ibidem, vt videre est ex ipso textu.

## QVÆSTIO VLTIMA.

*Quomodo distinguitur Natura ab arte, & an ars possit efficere opera naturæ.*

33. PEr artem aut intelligitur hic facultas illa industria acquisibilis, qua mediante quis est facilis ad aliqua facienda mediante cognitione cum maiori dexteritate quàm aliàs fecisset, vt ars saltandi, & sonandi; aut forma quæ inducitur per huiusmodi facultatem, vt dispositio illa corporis, à qua habet esse rotundum, aut quadratum.

## CONCLVSIO I.

Quomodo distinguitur à natura.

*Ars distinguitur à Naturæ per hoc quod natura per se primo insit composito, aut substantiæ mobili; ars vero non nisi per accidens; & per hoc etiam quod motus substantiæ mobilis dicatur ipsi naturalis, & secundum inclinationem à natura, non vero ab arte.* Hæc est communis, *& patet prima pars*: quia reuera natura inest per se primo tali composito ac substantiæ, vt patet ex definitione; ars vero non inest per se primo rei, quæ mouetur, neque etiam quæ mouet, cum sit accidens eius.

*Patet etiam secunda pars*, quia à natura sine dubio habet motus, quod sit naturalis mobili, vt patet ex dictis; sed motus non habet esse naturalis, vt prouenit ab arte, tum quia motus prouenies ab arte posset esse contra naturam mobilis, tum quia si sit secundum inclinationem mobilis, esset talis quamuis non proueniret ab arte. Est etiam alia differentia inter naturam, & artem, quod motus non proueniat ab arte quoad substantiam, sed solum quoad modum: nam saltatio hac illac, sursum, deorsum, quantum ad substantiam posset haberi absque arte, per artem autem habetur illa saltatio cum quodam ordine, & facilitate; sed à natura prouenit motus quoad substantiam.

## CONCLVSIO II.

Quomodo ars potest efficere opera naturæ.

34. *Ars non potest efficere opera naturæ, nisi quatenus posset ostendere, quomodo actiua naturalia possent applicari passiuis naturalibus.* Hæc est etiam communis, & patet quia vel ars consistit in cognitione, quam habemus de modo faciendi aliquas res naturales, siue habituali siue actuali, vel in facilitate applicandi iuxta cognitionem res illas naturales, ex quibus aliæ res fiunt, vel in dispositione aliqua corporum, ratione cuius fieret, vt sequerentur res naturales, quæ alias non sequerentur: sed quocumque ex his modis capiatur, non potest facere opera naturæ, nisi applicando actiua passiuis: ergo, &c. Probatur minor, quia si capiatur pro cognitione, certum est, quod non faciat nisi directiue, & quod directio illa versetur circa res, quæ ex natura sua, si applicentur, habent virtutem producendi illas res quæ fiunt. Si autem capiatur pro facilitate applicandi res illas, ex quibus aliæ res fiunt; illa facilitas non facit illas res, nisi per modum principij applicantis, & res applicatæ sunt, quæ ex natura sua faciunt illas alias res; vnde, si sic applicarentur absque arte, facerent illas res. Si capiatur etiam tertio modo pro dispositione illa corporum, illa non potest habere aliam causalitatem, quam applicatiuam ac dispositiuam; & res ipsæ, quæ

quæ sic disponuntur,&applicantur, ex natura sua faciunt illas res suppositas illa dispositione ac applicatione, tanquam conditione sine qua non. Quod vero ars per modum conditionis applicantis faciat res naturales, quæ est secunda pars conclusionis, patet quotidiana experientia rerum quæ fiunt per artem chymicam.

35. *Obiicies* contra hoc: Ægyptij sapientes per artem magicam faciebant serpentes, vt habetur *Exodi* 7.& statuæ Dædali fiebant tali arte, vt ambularent hac illac, & columba quædam ab Archita facta ambulabat.

*Respondetur.* Sapientes illos non potuisse facere serpentes vllos arte alio modo, quam applicando actiua naturalia passiuis naturalibus: facile autem erat Dæmonibus talia actiua,& passiua subitaneè adducere, petentibus id illis sapientibus, ex quibus cito generarentur illi serpentes, & poterant etiam ijdem Dæmones serpentes aliunde generatos subito eò adducere tam inuisibiliter, & dextre, vt apparere posset eos à Magis generatos, quamuis reuera non generarentur ab ipsis: & poterant etiam non minus facile ipsorum opera facere, vt statuæ illæ discurrerent, & columba volaret, quod si ita fieret, experientiæ illæ non essent ad rem.

36. *Obiicies secundò.* Aurum fit arte chymica: ergo ars facit opera naturæ.

An aurum possit fieri arte chymica.

*Respondeo*, si antecedens esset verum, negando consequentiam, quia non producitur aurum illa arte, nisi applicando actiua naturalia passiuis naturalibus, vt patet ex determinatis rebus, quas Chymici solent applicare, & sine quibus nec ipsimet profitentur se aurum facere posse. Quod si quæratur de veritate ipsius antecedentis, an scilicet reuera per artem chymicam fieri possit aurum?

*Respondeo primo*, mihi non apparere vllam rationem, propter quam non posset fieri verum aurum ministerio cuius artis, quæ ostenderet, quæ actiua quibus passiuis applicari deberent, vt id fieret: nec magis difficile videtur aurum sic facere, quam multa alia, quæ compertum est per artem fieri: & speciatim non magis difficile videtur aurum facere ex aliis corporibus applicatis aliquo determinato modo, quam ex secta equina generari vermem, quod fieri quotidiana compertum est experientia; aut ex baculo aliquibus aquis immerso fieri ferrum, quod in Hibernia nostra contingere plures grauissimi testantur Historici.

37. *Respondeo tamen secundo*, mihi videri, quod per artem chymicam, quæ de facto habetur, absque saltem aliqua maiori perfectione non possit fieri aurum verum, atque ideo illos, qui eo fine in ea laborant, oleum perdere & operam. Moueor ad hoc, quia non apparet mihi verisimile, quod ars aliqua sufficiat ad aliquid præstandum, quam plures doctissimi, & ditissimi homines multis annis, summo labore, magnis expensis, & incredibili attentione ac diligentia exercuerunt, nec tamen consecuti sunt intentum: sed ita est de arte chymica: ergo non sufficit absque aliqua alia maiori perfectione. Nec credendum est illis, qui dicunt fuisse huius artis adminiculo factum verum aurum: tum quia id non refertur à talibus, quibus fides in re tali est adhibenda, tum quia Ecclesia in extrauag. *sponden*t, vsum huius artis prohibet, & ne aurum vllum beneficio eius factum vendatur præcipit, obligans vendentes ad restitutionem. Non est autem verisimile, quod hoc faceret si putaret, verum aurum beneficio eius factum fuisse; & quanquam posset prohibere vsum eius, nonobstante, quod aliquando per eam factum fuisset aurum; quia posset fieri magnus abusus in eius exercitio, qui præponderaret emolumento auri; tamen non deberet obligare absolute ad restitutionem, quia si verum esset aurum, non curreret, nec vtilis esset illa obligatio, modo adhibitis omnibus diligentiis compertum esset, quod reuera esset verum aurum Nisi forte diceretur, quod obligaret ad restitutionem, vt deterreret homines, quos facile lucri cupiditas ad huiusmodi studium impelleret, ab exercitio artis quæ plus adferret Reip. detrimenti, quam emolumenti.

# DISPVTATIO VIII.

## DE CAVSIS VT SIC, ET de causa materiali & formali.

Antequam de causis in particulari agamus, præmittenda sunt aliqua de illis in communi, quæ ad notitiam illarum in particulari conducere poterunt: & quia pauca præter dicta libro primo de materia & forma, dicenda sunt de causa materiali & formali, ad vitandam disputationum multiplicationem, in hac eadem disputatione illa tractanda videbantur.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit Causa vt sic?*

1. NOn agitur hic de causa, neque in acceptione largiori, in qua comprehendit etiam priuationem, quam supra vocauit Philosophus principium & causam rerum naturalium; neque in acceptione strictiori, in qua solum comprehendit causas, quæ verè efficiunt; sed in acceptione media, qua comprehendit quatuor vulgaria causarum genera, materiam scilicet, formam, efficientem, finem. In qua acceptione non vno modo ab omnibus describitur, & alteri alterius displicet descriptio, cum tamen in re ipsa fere quælibet ad eundem sensum reduci possit, & æque approbari vel improbari, vt ex dicendis patebit.

Variæ explicationes causæ.

Prima descriptio.

*Ruuius* & alij recentiores explicant Causam vt sic esse principium per se influens in effectum. Dicitur *principium*, quia in hoc, tanquam in genere, conuenit cum priuatione, quæ est principium corporis naturalis; puncto, quod est principium lineæ; instanti, quod est principium temporis. Dicitur *influens*, vt distinguatur ab illis aliis principiis, quæ non influunt in rem illam, respectu cuius dicuntur principium. Dicitur *in effectum*, vt distinguatur à Patre æterno, qui est principium influens in Filium æternum, sed non in effectum, quia Filius non est effectus eius.

*Hanc impugnant Complutenses*, quia non ponitur aliquid in hac definitione, per quod probetur quod Pater æternus non influat in Filium, tanquam in effectum, deberet autem aliquid tale poni. Verum hæc impugnatio non sufficit; negari enim deberet minor: satis enim ex perfectione infinita Filij æterni constat, quod non possit esse effectus; quia per effectum omnes intelligunt aliquid dicens imperfectam dependentiam, vnde non erat necesse, vt ex hac definitione probaretur, quod non esset effectus; sed quantum ad hoc abunde sufficiebat, quod aliquid poneretur in hac definitione, per quod constaret, quod Patet æternus non esset causa, vt hic agimus de causa; ponitur autem aliquid tale, nimirum ly *effectus*.

Impugnatio Complutensium reiicitur.

2. *Melius impugnatur hæc descriptio*: quia licet reuera causa influat in effectum, & per hoc distinguatur ab aliis principiis, quæ non sunt causa; tamen si quis ignoraret naturam causæ, per hanc definitionem non posset deduci in cognitionem eius; quia non posset intelligere hanc descriptionem, nisi intelligeret quid sit effectus, vt patet: sed nó posset intelligere, quid sit effectus formaliter (sic enim loquor de effectu) nisi intelligeret quid sit causa, & sic prius deberet, vel saltem æque primo cognoscere quid sit causa, quam cognoscere sensum huius descriptionis; vnde per hanc non deduceretur in cognitionem causæ.

*Confirmatur hoc*: quia vniuersaliter male describitur vnum correlatiuum per ordinem ad alterum, formaliter loquendo; quia in tali descriptione semper interuenit circulus, vt patet ex dictis in Logica pluribus locis: & sane ridiculum satis esset declarare alicui naturam Patris formaliter, dicendo, quod est id quod habet Filium formaliter. Quod si in hac descriptione non ponatur effectus formaliter, sed fundamentaliter, tum potest reduci ad sensum sequentis descriptionis.

3. *Fonse*

Alia descriptio.

3. *Fonseca* 1. *Met. c. 7. q. 1. sect. 3.* describit causam esse, à quo aliquid per se dependet, & per hoc excluditur Pater æternus à ratione causæ respectu Filij, quia Filius non dependet ab ipso.

Impugnatio Complutensium reiicitur.

*Hanc impugnant Complutenses* ex eo, quod non explicetur in ea, quid sit dependere, aut cur Filius non dependeat à Patre æterno, quandoquidem habeat esse ab illo, & sine illo nequeat habere suum esse.

*Verum nec hæc impugnatio sufficit*, quia poterat hic supponi tanquam satis notum, quid sit dependentia inuoluens imperfectionem, de qua hic, & quod Filius non posset ob suam infinitatem summam habere talem dependentiam.

*Magis faceret* contra illam, quod proprietates metaphysicæ dependeant à prædicatis essentialibus, à quibus emanant, & tamen ista prædicata essentialia non sunt causa respectu eius: Et etiam corpus naturale in fieri dependeat à priuatione, cum tamen priuatio non sit causa ipsius in fieri, vt hic definitur causa.

*Sed responderi* ad hoc quoque posset, hic per dependentiam intelligi dependentiam per influxum positiuum physicum, ad quam requiritur & entitas positiua in influente, & distinctio realis rei sic dependentis à re, à qua sic dependet: priuationi autem deest entitas positiua, & proprietatibus metaphysicis deest distinctio realis à prædicatis essentialibus, vnde nec priuationi, nec prædicatis essentialibus respectu proprietatum metaphysicarum potest competere hæc definitio sic explicata.

Descriptio D. Thomæ.

4. *S. Thomas hic lect.* 10. definit causam esse, ad quam sequitur esse alterius, *& opus*; 1. esse id, ex cuius esse sequitur aliud: quas descriptiones parum aut nihil discrepantes, tanquam profundi sensus, ac subtiliter ac proprie explicantes id, quod aliæ definitiones non explicabant, probant *Complutenses hic*.

Examinatur.

*Sed reuera* vt bonæ sint, quod negant alij, & nominatim *Fuentes* hic, nihilo meliores sunt, quam prædictæ bene explicatæ, nec ipsæ absque explicatione bona vlla ratione valent. Nam in primis si verba ipsa spectes, certum est quod ad priuationem sequatur esse compositi generati, & quod ad esse Patris sequatur esse Filij & Spiritus sancti, sequela originis. Vnde ipsimet Complutenses addunt hanc sequelam alterius ad causam debere esse sequelam mediante influxu aliquo, & ad hoc vt sit talis influxus, requirit distinctione numericam, ac realem inter essentiam rei, quæ per ipsum accipit; ac rei quæ per ipsum dat ac communicat esse, & propterea negant definitionem competere aut priuationi, aut Patri æterno. Itaque quemadmodum illi hoc modo explicant hanc definitionem, & sic defendunt eam esse bonam, quæ alio modo intellecta non valeret, cur non possent alij intelligere per suam dependentiam, dependentiam non quacumque, sed dependentiam rei realiter distinctæ & habentis diuersam numero naturam à re, quæ est causa, & mediante influxu positiuo talis rei: nihil ergo continet subtilitatis & profunditatis hæc definitio magis, quam aliæ definitiones; imo influxus causæ in effectum magis explicite denotatur per hoc, quod dicatur esse id, à quo aliud dependet, quam per hoc, quod dicatur aliud ad illud sequi.

Descriptio Atriagæ.

5. *Arriaga* definit causam esse illam, quæ per se influit producendo essentiam. Hanc præfert cæteris à se ex aliis Doctoribus adductis, quia excludit bene, cur Pater non dicatur causa Filij, quia non producit eius essentiam; & quia non specificat, quod illud, respectu cuius dicitur causa esse talis, debeat esse aliud, hoc est, distinctum realiter; nam ipsa specificatio impediret bonitatem descriptionis, quandoquidem idem possit esse causa sui ipsius supernaturaliter.

Reiicitur.

*Sed sane*, vel ex hoc ipso hæc descriptio cæterarum omnium pessima est, quia implicat, idem posse esse causam sui ipsius, vt postea dicetur. Deinde, quamuis Pater æternus non possit dici causa Filij, quatenus filius Deus est, quia non producit essentiam sibi realiter identificatam, tamen non sequitur quin esset causa ipsiusmet filiationis secundum se consideratæ, quæ vt sic ab ipso realiter distinguitur, & habet esse ab ipso, tanquam à principio.

## CONCLVSIO.

Vera descriptio causæ.

6. *Bene describitur causa esse id, quod per se communicat esse alteri, seu quod influit esse in aliud, quod ex se & ex natura sua intrinseca posset non esse, atque adeo dependet cum imperfectione ab illo, quod sibi communicat suum esse.* Hæc in re est communis, quamuis his verbis à nullo proponatur, quod sciam; præsertim quantum ad illam partem, *quod ex se*.

*Probatur* autem, quia omni & soli conuenit, & declarat sufficienter naturam causæ absque circulo, aut obscuritate, aut superfluitate, vt patebit ex eius declaratione. Dicitur *quod communicat seu influit esse*, quia reuera omnis causa communicat, seu dat esse, & in hoc differt à priuatione, quæ licet necessaria sit ad composita generanda; non tamen dat ipsis esse, nec influit esse in illa, tum quia non est quid positiuum, tum quia non est quando composita generantur aut producuntur. Additur *per se*, vt excludatur causa per accidens, de qua postea, & etiam moralis causa, quæ nimirum præcipit, suadet, iubet, de qua hic non agitur. Dicitur *alteri* seu alij, per quod denotatur, illud respectu cuius aliquid potest esse causa, debere esse distinctum realiter à causa, & habere naturam numero distinctam ab ipsa; nam aliàs non esset aliud aut alterum, proprie loquendo, à causa, sicut nec Filius æternus dicitur aliud à Patre, quia licet distinguatur realiter ab ipso, atque adeo posset dici alia persona ab ipso, & aliud etiam suppositum ab ipso; tamen quia habent eandem numero naturam, non potest dici aliud simpliciter ab ipso, vt docent Theologi in materia de Trinitate; quod tamen totum spectat ad vocem, nec alia controuersia potest esse, quam de nomine: vnde per hanc particulam excluditur essentia creata à ratione causæ respectu proprietatum metaphysicarum; quia hæ non distinguuntur realiter ab essentia in nostra sententia; & etiam ob eandem rationem excluditur essentia Diuina à ratione Causæ respectu attributorum Diuinorum, & relationum originis, quæ ab ipsa emanant. Similiter Pater æternus excluditur à ratione causæ respectu Filij æterni; quia licet distinguatur realiter ab ipso, tamen, vt dixi, non est aliud ab ipso, quia habet eandem naturam cum ipso. Addidi vlterius *quod ex se*, *&c.* vel necessitatis vel certe maioris claritatis gratia, quia licet per prædictas particulas sic explicatas possit excludi Pater æternus à ratione causæ respectu Filij, & licet etiam Filius possit dici non dependere à Patre, quemadmodum effectus dependet à causa, quia dependentia effectus à causa dicit imperfectionem, qualem nequit dicere Filius; tamen adhuc non videtur sufficienter, aut saltem æque clare explicatum, cur non dicatur causa filiationis, quia filiatio realiter distinguitur ab ipso, & secundum se formaliter considerata non est eiusdem naturæ cum Patre, siue consideremus Patrem, vt dicit essentiam Diuinam, siue vt dicit paternitatem, siue vt dicit vtramque.

7. Itaque in ordine ad hoc explicandum addidi illam particulam; quia nihil potest dependere dependentia inuoluente imperfectionem, nisi quod simpliciter, quantum est ex ratione sua formali, posset non esse; neque aliquid potest esse causa (vt hic agimus de causa) nisi respectu alicuius, quod sic dependet: vnde cum filiatio non possit simpliciter non esse, quia ex natura sua identificatur realiter essentiæ diuinæ, quamuis distinguatur realiter à Patre, & habeat etiam naturam distinctam minero à Patre; & quamuis etiam non habeat esse nisi à Patre, propterea non dependet à Patre dependentia inuoluente imperfectionem: nec est effectus Patris, aut Pater, causa eius: præsupponit quidem esse Patris, & indiget illo esse sic, quod si non esset Pater, non esset filiatio: tamen hoc non sufficit vt dicat dependentiam imperfectam, quæ iam communiter intelligitur per dependentiam, quando ponitur simpliciter absque addito in aliqua definitione; sed vt dixi, ad huiusmodi dependentiam requiritur illa possibilitas non existendi. Quod confirmari potest, quia non potest assignari ratio, cur habere aliquid ab alio esset imperfectionis magis, quam habere illud à seipso, nisi quatenus, ex eo

Quæ nam dependentia inuoluit imperfectionem.

quod haberet ab alio, sequeretur quod posset carere illo, & quod illa carentia esset imperfectio: quod valde considerandum est ad soluendum quomodo absque quæstione de nomine Filius æternus sit tam perfectus, quam Pater, & independens ab illo quantum ad dependentiam, quæ minoraret imperfectionem; & dico talem dependentiam, quia aliàs, si quis vellet vocare dependentiam necessariam indigentiam, quam habet Patris, posset dici dependere: sed talis dependentia non esset imperfecta.

8. *Obijcies primo*: Patres Græci dicunt Patrem æternum causam Filij: ergo non requiruntur omnes particulæ positæ in prædicta descriptione ad describendam causam; nec debet excludi à ratione causæ Pater diuinus, vt hactenus supposuimus.

*Respondeo* explicando Patres Græcos, qui loquuntur de causa in latiori significatione, quam hic facimus, quatenus coincidit cum principio influente; non vero loquuntur de causa in strictiori acceptione, in qua hic agitur de ipsa; vnde distinguo consequens: ad describendam causam in latiori illa acceptione, concedo consequentiam quoad vtramque partem: in strictiori acceptione, in qua accipitur causa hic, nego consequentiam.

*Obiicies secundo.* Finis est vera causa: sed non influit in aliud, quoties causat: ergo male dicitur quod causa debeat influere in aliud. Probatur minor, quia aliquando causat semetipsum, vt cum actus bonus cognitus vt talis, ob intrinsecam sui bonitatem mouet voluntatem ad ponendum realiter à parte rei talem actum: ergo tum non influit in aliud à se, & tamen tum exercet rationem causæ finalis.

*Respondetur* hic breuiter negando minorem; ad cuius ptobationem dico, quod nunquam finis causet immediate semetipsum, nec actus bonus ob bonitatem suam causat seipsum aut mouet immediate ad productionem sui, sed immediate finis mouet ad amorem sui & mediante hoc amore mouet ad productionem sui, siue sine mediis, siue cum mediis, vnde sequitur manifeste quod semper causet aliud.

Cæteræ obiectiones quæ opponi possunt, tum ex explicatione causæ iam proposita, tum ex dictis circa aliorum definitiones facile solui possunt.

## QVÆSTIO II.

*De diuisione causæ in materialem, formalem, finalem, & efficientem.*

Variæ diuisiones causæ.

9. PLuribus modis potest diuidi causa vt sic, & quidem adæquate: nam *in primis potest diuidi in primam & secundam*, intelligendo per primam DEVM, qui quoniam & in sua entitate independens est ab vlla alia causa, & in operando etiam non habet talem dependentiam à

Quid prima causa.

causis aliis, quin multa operari possit absque vllius alterius causæ concursu, nempe Angelos, & omnes substantias simplices, & omnia accidentia absoluta, propterea merito prima causa vocari debet. Dixi autem *multa* non omnia, quia nullum compositum substantiale potest producere independenter à concursu causæ materialis & formalis, & secundum Thomistas nequit etiam producere se solo effectiue actus vitales absque concursu potentiæ vitalis.

Quid secunda.

*Per causam vero secundam* intelligi debet quælibet causa creata, quæ cum & in sua entitate, & etiam in operatione à Deo dependet sic, vt esse nequeat, nec operari nisi Deo causante, causa secunda merito appellari potest. Certum autem est, quod detur causa prima, & secunda in hac acceptione; & quod non detur vlla causa, quæ non sit prima vel secunda hoc modo: vnde hæc diuisio sine dubio est bona, & adæquata.

Alia diuisio in mediatam & immediatam.

Et eodem modo patet esse bonam & adæquatam diuisionem causæ *in mediatam & immediatam*, intelligendo per causam immediatam illam, à qua immediate dependet effectus, sicut calor productus dependet à calore, qui ipsum immediate producit; per causam vero mediatam, illam, quæ non immediate effectum producit, sed producit tamen mediate vel immediate causam immediatam eius, sicut Adam est causa omnium hominum, & propterea vocatur primus parens noster, à quo omnes originem ducimus.

Diuisio in causam extrinsecam & intrinsecam.

10. *Tertia diuisio* adæquata eius esse potest in causam intrinsecam, & extrinsecam. *Causa intrinseca* est, quæ essentialiter & intrinsece rem constituit, tanquam pars eius, sicut hominem constituit corpus, & anima: *Causa extrinseca* est, quæ non constituit intrinsece, vt ignis producens alium ignem, & Deus respectu omnium Creaturarum, & vniuersaliter omnis causa efficiens, & finalis, & materialis etiam, in qua res producitur, sicut forma producitur in subiecto: vnde sola causa materialis & formalis, ex quibus res fit & componitur, sunt causæ intrinsecæ; cæteræ omnes extrinsecæ.

Quarta diuisio in causam per se & per accidens.

11. *Quarta diuisio* adæquata est in causam per se & per accidens. *Causa per se* est, quæ per se & ex natura sua habet virtutem productiuam effectus, sicut calidum potest producere calorem, & Musicus potest cantare. *Causa per accidens* est, quæ denominatur quidem producere effectum; sed ex se tamen non ordinatur ad talem effectum; sed casu quodam illam producit, ex eo quod reperiatur in ipso alia virtus ordinata ad talem effectum: & sic Musicus dicitur ædificare, si simul cum Musica habet virtutem ædificatiuam; vel ex eo quod casu cum effectu, ad quem ordinatur, coniungatur alius effectus, ad quem non ordinatur ex se; sic fodiens terram ad seminandum, si cum fossione illa coniungatur per accidens inuentio thesauri, dicitur esse causa illius inuentionis.

Quinta diuisio in adæquatam, & inadæquatam.

12. *Quinta diuisio* potest esse in causam *adæquatam* seu totalem, & in *inadæquatam*, seu partialem. Totalis est, quæ se sola ponit effectum; partialis est quæ non nisi partialiter, & concurrente alia causa, ipsum ponit.

*Sexta diuisio*, adæquata etiam, est in principalem & instrumentatem, de qua diuisione per se postea agemus.

Sexta in principalem & instrumentalem.

Sed omissis his diuisionibus & aliis pluribus, circa quas non est controuersia vllius momenti, alia satis vulgaris est diuisio causæ vt sic in materialem, formalem, efficientem & finalem, & de hac diuisione per se hic agendum. Et quidem plures circa eam examinandæ sunt difficultates: prima an dentur huiusmodi causæ; secunda, an sint distinctæ rationis; tertia, an adæquate in illas diuidatur causa, vt sic: quarta, num requirantur in ordine ad omnem effectum: quinta, an sint species infimæ causæ vt sic, vel species subalternæ: sexta, an diuisio sit vniuoci in vniuocata.

## CONCLVSIO I.

Bene diuiditur causa vt sic in quatuor genera.

13. *Bene & adæquate diuiditur causa vt sic superius descripta in materialem, formalem, finalem & efficientem.* Hæc conclusio satisfacit primis tribus difficultatibus, vt patebit ex eius probatione. Est autem communis omnium Peripateticorum.

*Probatur*, quia dantur tales causæ, & sunt distinctæ rationis, & nulla causa assignari potest, quæ non sit aliqua ex illis: ergo recte & adæquate causa vt sic diuiditur in illas. Consequentia patet quia nihil aliud potest requiri ad hoc, quod diuidatur bene & adæquate in illa, quam quod ponitur in antecedente. Probatur antecedens quoad primam partem, nimirum quod dentur, quia ad compositum substantiale (quale dari supponimus ex argumentis, quibus probauimus materiam, & formam substantialem) producendum requiritur materia, & forma, vt est euidens, & illud quod producit materiam & formam, & vnit illas inter se; & illud etiam quod mouet ipsum ad eas producendas ac vniendas: sed quodlibet ex his influit esse in compositum eo modo, quo influere esse spectat ad causam vt sic: ergo quodlibet ex ipsis est causa. Sed vnum ex ipsis est, quod vocatur causa materialis, nempe materia: alterum formalis, nempe forma: tertium efficiens, nempe quod producit materiam ac formam, easque vnit: quartum finalis, nempe quod mouet efficiens ad eas vniendas: ergo re vera dantur illæ quatuor causæ.

14.

14 *Deinde*, quando producitur calor in subiecto cum dependentia à subiecto, certum est, quod subiectum concurrat ad eius productionem, & quod præter subiectum concurrat etiam Deus, qui vel se solo, vel cum causa secunda producit calorem illum; & præterea illud à quo mouetur Deus ad illum producendum: sed subiectum vocatur materialis; Deus causa efficiens; illud, à quo mouetur, causa finalis, ergo dantur illæ tres causæ: sed non minus certum est quod calor ille productus sit causa formaliter constituens subiectum, in quo producitur, album: ergo etiam datur quarta causa.

*Probatur secunda pars* quod sint distinctæ rationis in esse causæ; quia diuersissimo modo concurrunt, materia enim concurrit recipiendo; forma informando aut inhærendo; finis mouendo & excitando efficiens; ipsum efficiens dando esse, nec informãdo, nec recipiendo, nec mouendo aliud, quatenus est efficiens; vnde etiam compositum dicitur fieri *ex materia*; *per formam*; *ab efficiente*; *& propter finem*; non autem dicitur fieri propter efficiens; nec à fine; nec propter materiam aut formam; nec à materia aut à forma; nec per materiam; quæ diuersitas modi loquẽdi de ipsis arguit diuersum modum causandi. Cur enim, si eodem modo causarent à parte rei, non diceretur æque quod fieret compositum propter efficiens tam bene ac ab efficiente?

*Probatur denique tertia pars* de adæquatione, quia non potest assignari vlla causa in particulari, quæ non habet aliquam ex his rationibus, & consequenter, quæ non sit aliqua ex his quatuor causis: ergo causa vt sic adæquate diuiditur in illas.

15 *Obijcies primo*: nec forma nec materia est æque perfecta, aut perfectior toto: sed causa debet esse perfectior vel æque perfecta ac effectus: ergo nec materia, nec forma est causa totius, & consequenter non datur causa materialis, vel formalis.

*Respondeo* distinguendo minorem: causa totalis, transeat; causa partialis, nego minorem. Et similiter distinguo primum consequens: causa partialis, nego; totalis, concedo; & nego secundam consequentiam.

*Obiicies secundo*. Si forma esset causa, deberet esse causa generationis: sed nequit esse causa generationis, quia est effectus eius, & idem nequit esse effectus & causa eiusdem actionis: ergo non est causa.

*Respondetur* negando maiorem: est enim causa formalis intrinseca compositi, & extrinseca materiæ, & est terminus actionis, per quam educitur; & consequenter generationis, si generatio coincidat cum illa actione.

*Obijcies tertio* efficiens non debet moueri à fine, qua ex natura sua determinatur ad agendum, quando applicatur, absque vllatali motione, vt patet de igne: ergo non datur causa finalis.

*Respondeo* distinguendo antecedens: efficiens, quod est naturaliter agens, qualis est ignis, concedo: efficiens, quod est agens à proposito, nego antecedens & consequentiam; quia vt detur causa finalis, sufficit quod detur respectu alicuius efficientis, nec requiritur, quod detur respectu omnis, quamuis etiam reuera detur respectu omnis, mediate vel immediate.

16 *Obijcies quarto*: finis non potest esse causa realis, quandoquidem caret, quando non existit: sed causa vt sic est causa realis: ergo male diuiditur in prædictas quatuor causas.

*Respondebitur* ad hanc obiectionem inferius in disputatione de Fine.

*Obijcies quinto*. Vnio est causa compositi; & approximatio ignis, verbi gratia, ad lignum est causa combustionis: sed nec vnio, nec approximatio est causa vlla ex illis quatuor: ergo dantur aliæ causæ, & consequenter diuisio hæc non est adæquata.

*Respondetur* negando maiorem: non enim influunt esse in compositum, nec in formam aut materiam; sed sunt solummodo conditiones, sine quibus non, & necessariæ solummodo ad applicationem causarum, quæ influunt: vnio quidem ad applicandam materiam formæ, & approximatio ad applicandum efficiens subiecto, ex quo forma est educenda, aut in quo est inducenda; nec vllus vnquam dixit vnionem causare compositum, aut approximationem causare calorem; quod si essent causæ, cur id non diceretur?

*Obiicies sexto*, datur causa exemplaris, & causa instrumentalis, vt postea ostendetur, sed natura est aliqua ex his quatuor: ergo dantur plures causæ, & consequenter diuisio non est adæquata.

*Respondetur* negando minorem; ad quam autem ex his spectent, dicitur inferius agendo de causa exemplari & instrumentali.

## CONCLVSIO II.

An hæc diuisio sit vniuoca.

17. *Hæc diuisio est tam vniuoca, quam diuisio vniuersalis metaphysici in quinque vniuersalia metaphysica; & etiã quam diuisio efficientis vt sic in omnem causam efficientem particularem.* Hæc hoc modo proposita est nullius, quod sciam, sed vix potest esse in controuersia.

*Probatur*, quia eodem modo potest ab his quatuor causis abstrahi ratio causæ vt sic superius descripta, quo ab omnibus efficientibus ratio causæ efficientis vt sic, & ab omnibus vniuersalibus metaphysicis ratio vniuersalis metaphysici vt sic: ergo diuisio, qua diuiditur causa vt sic in illas, erit tam vniuoca, quam illæ aliæ diuisiones.

*Ratio* autem cur non dicam, quod sit simpliciter vniuoca, sed cum illa restrictione, est, quia eadem argumenta possent vrgeri cõtra vniuocationem huius, quæ vrgentur contra vniuocationem aliarum illarum diuisionum, de quibus in Logica quantum ad diuisionẽ vniuersalis vt sic actum est: & quia accidentia diuersorum prædicamentorum possunt habere rationem causæ non minus, quam substantia, & tamen supponuntur non conuenire vniuoce in ratione vlla cum substantia præter rationem entis finiti; ex qua tamen ratione non habent rationem causæ.

## CONCLVSIO III.

Est diuisio in membra realiter distincta.

18. *Hæc diuisio est in membra ita realiter distincta, vt reuera dentur de facto quatuor causæ vnius effectus realiter distinctæ, quarum vna sit materialis, altera formalis, altera efficiens, altera finalis, non vero est in membra ita realiter distincta, quin eadem res realiter posset habere rationem finalis, materialis, efficientis, & formalis etiam.* Hæc in re debet esse communis: *& patet prima pars*, quia materia, forma, efficiens, & finis hominis sunt realiter distinctæ, vt est extra controuersiam. *Patet etiam secunda pars*, quia calor habet rationem causæ efficientis respectu alterius caloris, quem produceret; materialis respectu relationum in ipsomet subiectarum, formæ respectu sui subiecti, & finis respectu mediorum, quæ ad ipsum producendum essent applicata.

## CONCLVSIO IV.

Non requiruntur in ordine ad omnem effectum.

19. *Non requiruntur quatuor illæ causæ in ordine ad omnem effectum; requiruntur tamen in ordine ad omnem effectum compositum, & in ordine ad omnem formam eductam.* Hæc etiam debet esse communis, & patet prima pars; quia in ordine ad effectus simplices, quæ non sunt formæ informantes aut inhærentes, vt sunt Angeli, & materia prima, non requiritur causa materialis, nec formalis necessario, nec in ordine ad formas creatas, vt est anima rationalis, requiritur causa materialis, saltem à qua dependeat quantum ad existendum.

*Probatur secunda pars* ex probatione primæ conclusionis.

## CONCLVSIO V.

Membra illius diuisionis species subalternæ non infimæ.

20. *Illa membra sunt species subalternæ, non infimæ causa vt sic.* Hæc quoque est communis, & probatur quia quodlibet ex ipsis habet plures species sub se; nam efficiens diuiditur tanquam in duas species in causam efficientem naturalem ac liberam: materia diuiditur tanquam

in duas species, in materiam ex qua, & in materiam in qua: forma diuiditur tanquam in duas species, in formam informantem & inhærentem: & finis diuiditur tanquam in duas species, in finem cui & finem cuius, de quibus postea.

Solet hic examinari, quid sit causalitas causæ vt sic. Sed resolutio patebit ex dicendis de causalitatibus causarum in particulari. Solet præterea examinari, an causa debeat esse prior ac perfectior quam effectus: sed hoc etiam examinandum refero ad disputationem de comparatione causarum inter se, & cum effectibus.

## QVÆSTIO III.

### *Quid sit causalitas causæ materialis ac formalis.*

Quid causalitas.

21. PEr causalitatem intelligitur hic illud, à quo res formaliter denominatur causa; vnde quia res denominatur causa dupliciter, nempe in actu primo, & in actu secundo, duplex considerari potest causalitas: vna in actu primo, à qua scilicet res denominatur causa in actu primo, qualiter denominari potest, etiamsi nihil actu causet, modo habeat virtutem, qua possit causare. Altera in actu secundo, à qua formaliter denominatur causa actu causare, qualem denominationem nequit habere, quin habeat effectum in actu existentem. Non agimus autem hic de causalitate in actu primo, quia non est difficultas vllius momenti, quin consistat in ipsamet entitate materiæ & formæ, & in respectu aptitudinis identificato ipsis realiter, quem dicunt, quatenus sunt aptæ & potentes producere illos effectus, respectu quorum dicuntur causæ.

Quid causalitas in actu primo.

Quid in actu secundo.

Agitur ergo hic præcipue de causalitate in actu secundo, à qua denominantur hæ causæ causare actu suos effectus. Vt autem, in quonam consistit hæc causalitas, melius declaretur, præmittendum est quosnam effectus habeat causa materialis; & quos formalis: circa quod non video aliam posse esse controuersiam, quam de nomine, suppositis iis, quæ diximus libro primo de eductione formarum ex potentia materiæ, ac subiecti.

Quos effectus habet materialis causa.

22. Itaque in primis effectus principalissimus tam materiæ, quam formæ est compositum substantiale ex illis resultans, maxime si sit quid distinctum realiter ab illis simul sumptis & vniris, vt docuimus supra cum Scotistis communiter.

Deinde, alius effectus materiæ est quæcumque forma ex ipsius potentia educta, saltem quæ non sit causalitas eius. Omnis enim talis dependet à materia, tanquam à priori in esse, & conseruari; nec aliquid impedit, quo minus dicatur effectus eius tam bene, quam efficientis; cū non minus ab ea quam ab efficiente dependeat dependentia etiam à priori. Quamuis autem hoc ita sit, posset adhuc tamen dubitari, an hic effectus competat materiæ, qua materia est formaliter; nam quemadmodum intellectus habet virtutem effectiuam intellectionis in se ipso, & exercet circa intellectionem rationem causæ materialis & efficientis; ita posset quis imaginari, quod materia exerceret ratione causæ materialis circa illas formas, eas recipiendo præcisè, quemadmodum recipit animam rationalem, & præterea rationem causæ efficientis, in eas influendo, & quod sint effectus ipsius sub hac ratione, nō sub prima; quod si ita esset, nō essent huiusmodi formæ effectus materiæ, qua causa materialis est, sed qua causa efficiens.

Formæ eductæ sūt effectus causæ materialis vt materialis & non vt efficientis.

Verum tenendum est cum communi sentētia, quod hi effectus sunt effectus materiæ, qua materia est, non qua efficiens, tum quia harum formarum dantur aliæ causæ effectiuæ sufficientes, absque eo, quod materia effectiue ad illas concurrat, quales non dantur respectu intellectionis, vt suo loco ostendetur: tum quia nemo dicit materiam efficere etiam partialiter illas formas, quod tamen dici deberet, si ab ipsa dependerent, tanquam ab efficiente, sicut dicitur quod intellectus producat in se intellectionē; & est verisimile, quod propterea iste modus loquēdi non sit in vsu, quia omnes Philosophi supposuerunt non adesse talem concursum effectiuum in materia ad illas formas: vnde quamuis non posset ostēdi aliquo efficaci argumento, quod non sit talis concursus, tamen quia etiam nec potest ostendi quod sit, melius tenetur communis sententia, & accommodatur res ipsa communi modo loquendi, præsertim cum possit forma habere dependentiam in fieri, & conseruari à materia absque influxu effectiuo materiæ.

23. Alius effectus materiæ recensetur vnio ipsius ad formam, & generatio passiua seu mutatio ipsius ad formā: & quidem *Mastrius disp. 5. q. 3. a. 2.* videtur supponere vnionem illam, & generationem hanc esse diuersos effectus. Sed imprimis quantum ad hoc omnino fallitur, per hoc enim formaliter, quod vniatur materia formæ, quamuis nihil prorsus aliud in illa poneretur, mutaretur à priuatione ad formam; nec vllum prorsus est indicium distinctionis realis inter generationem illam, & vnionem.

An vnio sit effectus materiæ.

Quantum ad illud, an vnio sit effectus materiæ, est quæstio de nomine, & dicendum est quod si sit causalitas qua mediante causat, melius dicitur non esse effectum ipsius, sicut nec actio dicitur esse effectus causæ efficientis. Si vero non sit causalitas eius, potest vocari effectus eius non minus, quam aliæ relationes, quæ non sunt causalitates, & habent pro causa materiali suum subiectum.

Quinam sint effectus formæ.

24. Quantum autem ad effectus formæ alios à composito, quod supra dixi esse effectum eius, assignatur communiter pro effectu iuformatio seu actuatio materiæ, seu communicatio sui ipsius materiæ. Verum si rem ipsam explicemus; in hac actuatione nihil reperitur, quod sit aliud à forma, & respectu cuius forma potest habere rationem causæ secundum definitionem præmissam causæ, præter ipsam vnionem, qua vnitur materiæ. Certum autem est, quod non sit causa formalis istius vnionis, imo potius est causa materialis eius, si tamen sit causa eius vllo modo. Dicitur tamen causa formalis extrinseca materiæ, quia est forma adueniens materiæ, & non concluſa essentialiter in ratione materiæ, & dicitur esse causa formalis, cur materia dicatur actuata, & determinata, ac informata, quia non ab alio habet formaliter has denominationes, quam à forma sibi vnita; de quo quantum ad rem non potest esse difficultas, parum autem curandum est de nomine. Alter effectus formæ est expulsio alterius formæ secum incompossibilis, vt expulsio formæ ligni per formam ignis, expulsio frigoris per calorem. Et hic effectus vocatur effectus secundarius formæ, tum quia per accidens est ad introductionem formæ, quod præcesserit alia forma incompossibilis, quæ expelleretur, tum quia reuera forma primario ordinatur ad informandum subiectum, & constituendum totum, non vero ad expellendam aliam formam, quia natura per se non intendit destructionem rerum; sed mere per accidens illam meditatur.

Prima sententia.

25. His suppositis de materiæ & formæ effectibus, communior sententia videtur esse quod causalitas materiæ circa formam eductam & compositum sit vnio, qua mediante vnitur formæ tali vnione, vt forma ab illa dependeat in fieri & conseruari, & quod causalitas formæ circa compositum sit etiam vnio, qua forma vnitur materiæ informando ipsam. Ita *Suarez disp. 15. sect. 4. Ruuius hic tract. de materiali causa. Auersa q. 12. sect. 3.*

Secunda sententia.

*Hurtadus vero hic disp. 5. sect. 3. & Amicus tract. 10. q. 4. dub. 1.* concedunt vnionem esse causalitatem, tam materiæ, qnam formæ circa compositum; negant vero vnionem materiæ esse causalitatem eius respectu formæ, & dicunt hanc causalitatem consistere in receptione actionis agentis.

*Fonseca 5. Met. c. 2. q. 3. sect. 2.* assignat duplicem causalitatem materiæ circa formam, vnam, qua recipit, & hanc exercet etiam erga animam rationalem; alteram, qua sustentat, quam exercet circa formas eductas solummodo.

Tertia sententia.

*Complutenses* tenent causalitatem materiæ in fieri, esse generationem receptam in materia; causalitatem vero in facto esse, esse vnionem substantialem, prout recipitur in materia.

Quarta sententia.

*Mastrius* dicit causalitatem materiæ non consistere in receptione actionis agentis, aut in vnione; sed in concursu eductiuo explicato per habitudinem, ex quo aliud educitur.

Quinta sententia.

Alij Scotistæ putant necessarium esse influxum aliquem materiæ in formam eductam, qui influxus antecedat, saltem natura, vnionem.

## CONCLVSIO I.

Causalitas materiæ respectu formæ absolutæ est quid distinctum ab illa & forma & aliqua vnione.

26. *Causalitas materia in actu secundo respectu cuiuscumque formæ absolutæ siue substantialis, siue accidentalis distingitur realiter & à materia & à forma, & etiam ab aliqua vnione etiam simul sumptis.* Hæc est iuxta principia communia Scotistarum ac ipsius Scoti, quibus probat relationes extrinsecus aduenientes dari. Eam etiam ex recentioribus tenet *Arriaga disp.8.sect.2.*

*Probatur* manifeste, quia posset materia, & forma quæcumque talis esse vnita absque eo, quod materia causaret actu formam, sicut de facto est vnita animæ, quam tamen non causat: ergo id, à quo habet actualiter causare formam, & id à quo formaliter forma habet dependere à materia, est distinctum realiter ab omnibus illis simul sumptis, & à fortiori, à quolibet ex illis in particulari seorsim sumpto.

*Confirmatur* efficaciter, quia potest Deus producere formam & postea eam vnire materiæ tali vnione, qualis vnitur anima rationalis corpori: sed tum materia non causaret illam formam, cum non dependeret illa forma à materia, neque in fieri, neque in conseruari: ergo possunt omnia illa stare absque causalitate materiæ. Maior patet quia in hoc nulla est repugnantia. Dixi in conclusione, ab aliqua vnione, & non ab omni propter dicenda conclusione sequenti.

## CONCLVSIO II.

Causalitas materiæ circa formam, & compositum non est distincta ab vnione.

27. *Non datur aliquid positiuum realiter distinctum à materia, & vnione, qua vnitur formæ, per quod causet actu formam aut compositum siue in fieri, siue in facto esse.* Hæc est iuxta primam, & communiorem sententiam contra reliquos dicendi modos aliorum authorum supra specificatos.

*Probatur*, quia si poneretur vnio talis, à qua dependeret in esse, & fieri forma, in materia, secluso quocumque alio, causaret formam, & compositum, forma enim necessario dependeret tum à materia, mediante tali vnione & compositum necessario resultaret ex materia, & forma sic vnitis: ergo nihil aliud realiter distinctum à materia, & tali vnione datur in materia, per quod causet actu aut formam, aut compositum in fieri aut facto esse.

*Confirmatur*, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla prorsus est necessitas ponendi aliquid distinctum realiter à materia, & vnione, quod dicatur actu causare formam aut compositum in fieri aut facto esse.

*Dices* necessitatem esse ex eo, quod compositum & forma sunt realiter distincta, & consequenter, quod debent produci per actiones seu causalitates realiter distinctas.

*Respondeo* negando sequelam; nam quamuis effectus disparati realiter distincti exigant causalitates realiter distinctas; tamen quando effectus ita sunt subordinati, vt ad productionem vnius necessario sequatur alterum ita, vt de potentia absoluta nequeat produci primum, quin secundum producatur, causalitas vna realis sufficit ad vtrumque in eadē causa; ita autē contingit in proposito: ergo ex hoc capite non sunt multiplicandæ causalitates.

*Confirmatur* quia ideo potissimum colligimus causalitatem causæ efficientis esse distinctam realiter ab applicatione ad passum, & vnionem formæ ac materiæ esse distinctam realiter ab indistantia ac dispositionibus materiæ, quia potest esse causa efficiens applicata absque causalitate; & materia indistans à forma ac disposita ad ipsam absque vnione: ergo cum vnio nequeat esse absque causalitate materiæ circa compositum, non debet dici quod causalitas eius circa compositum sit distincta ab vnione.

28. *Probatur secundo.* Si esset aliquid distinctum à materia, & vnione in materia, per quod causaret formam ac compositū, vt distingueretur realiter ab vnione, deberet posse separari ab vnione, aut è contra vnio ab ipso; vel deberet produci ab vnione, aut producere vnionem; vel deberet subiectari in subiecto realiter distincto à subiecto vnionis: quia nullum est indiciū distinctionis realis præter alterum ex tribus: sed illud non subiectaretur in diuerso, sed in eodem subiecto cum vnione, nempe in materia prima; nec produceret, aut esset productio vnionis, aut è contra: id enim gratis assereretur; nec posset esse absque vnione, aut vnio absque illo: ergo non distingueretur realiter ab vnione.

Materia non habet influxum præuium ad vnionem in formam.

29. *Probatur tertio* specialiter contra illos, qui ponunt influxum aliquem præuium materiæ in formam antecedenter ad vnionem, quia ille influxus non posset distingui ab influxu efficienti, quem habet intellectus in ordine ad intellectionem, quam in seipso producit: ergo non deberet dici influxus causæ materialis, sed efficientis, & consequenter nequit esse causalitas causæ materialis.

*Adde*, non posse dari influxum terminatum ad formam eductam antequam vniatur, quia alias forma educta non educeretur, sed crearetur, quod est absurdum: nam per hoc dicitur anima rationalis creari, quod priusquam intelligatur induci in subiectum, aut vniri ipsi, intelligatur produci ac terminare influxum causæ sui productiuæ.

*Hinc sequitur*, per idem realiter causari formam & cōpositum in fieri & facto esse, & consequenter si per generationem intelligant *Complutenses* aliquid distinctum ab vnione, male eos dicere quod generatio sit causalitas materiæ in fieri, & vnio in facto esse.

*Sequitur secundo*, si per concursum eductiuum explicatum per habitudinem *ex quo aliquid*, intelligat *Mastrius* aliquem concursum actualem, qui dicat aliquid positiuum reale distinctum à materia & vnione, male eum sentire, dum multiplicat entia sine necessitate.

*Sequitur tertio*, male dicere eundem *q.4.a.5.* quod forma existat antequam sit intime præsens materiæ; nam non existit, nisi per vnionem; & pro quocumque instanti temporis aut naturæ est vnio, forma est intime præsens materiæ, nec existentia realis præsupponitur præsentiæ, quando per præsentiam ponitur ipsa res existens.

30 *Obiicies primo* authoritatem *Scoti* qui in *4.dist.13. q.1.* cum enumerasset plures respectus agentis, qui interueniunt, dum producit aliquod compositum, nempe respectum trāsmutationis ad subiectum, in quo producitur forma; respectum eductionis ad formam, quæ educitur; respectum productionis ad compositum, quod producitur; dicit respectum eductionis esse intrinsecus aduenientem: ergo non potest consistere in vnione materiæ, quia hæc est extrinsecus aduenies.

*Respondeo* Scotum ibi non facere mentionem vllam de causalitate materiæ, sed solum de causalitate & actione agentis: vnde quamuis eductio actiua pertinens ad agens esset relatio intrinsecus aduenies, tamen eductio materialis, qua materia influit in formam, non debet esse talis.

*Dices* esse eandēm rationem de vtraque eductione: ergo vel vtraque, vel neutra est talis respectus.

*Respondeo* conformiter ad ea, quæ dixi in Logica disputatione de actione, Scotum, quando vocat eductionem respectum intrinsecus aduenientem, non loqui de eductione, à qua habet res educi in fieri, sed de alia eductione, à qua habet res educi in facto esse, quæ sequitur ad illam necessario iuxta communiorē sententiam: illa autem prima eductio, à qua causa denominatur actualiter educere, est respectus extrinsecus aduenies, & coincidit cum actione transmutatiua, quam expresse vocat Doctor relationem extrinsecus aduenientem: vnde eductio, qua materia dicitur materialiter causare formam, eodem modo potest esse respectus extrinsecus aduenies, & consequenter potest consistere in vnione, non obstante hac difficultate.

31. *Obijcies secundo*, potest dari vnio materiæ ad formam, quæ educitur, absque eo, quod educatur illa forma, aut quod materia causet ipsam materialiter, sicut datur de facto vnio corporis ad animam rationalē absque eductione animæ, aut causatione materiali eius: ergo

causalitas materiæ aliquid addit supra entitatem materiæ, ac vnionem. Probatur antecedens, quia, si Deus produceret extra subiectum formam ignis, & eam postea vniret materiæ; non educeretur ex potentia materiæ, nec consequenter materia magis causaret ipsam, quam de facto causat animam rationalem, & tamen vniretur ipsi, & faceret cum ipsa vnum per se, non minus quam de facto facit; nam eductio impertinenter se habet ad constituendum vnum per se cum materia.

*Confirmatur*, quia ex vi vnionis forma non dicitur produci, aut recipere esse, sed supponitur prius habere esse, antequam sit vnio: ergo aliquid aliud debet superaddi, per quod materia dicatur dare esse formæ.

*Confirmatur secundo*, quia recipiens, quatenus tale, non dat esse recepto: sed materia quatenus habens vnionem ad formam est recipiens: ergo vt sic non dat esse formæ, quam recipit, & consequenter debet superaddi ipsi aliquid aliud, per quod det esse formæ.

*Respondetur* distinguendo antecedens: vnio talis, à qua dependeat forma in esse & fieri, nego: à qua non dependeat, nec in esse, nec in fieri, concedo antecedens, & nego consequentiam.

*Ad primam confirmationem* respondeo negando antecedens, loquendo de vnione, quæ de facto est ad formas eductas.

*Ad secundam confirmationem*, respondeo etiam negando maiorem, loquendo de recipiente tali modo particulari, quale recipiens est de facto materia respectu formarum, quæ ex ipsa educuntur.

32. *Obiicies tertio*, prius est formam existere, quam habere vnionem ad materiam: sed non habet existere causaliter à materia in illo priori absque causalitate distincta à materia, nec illa causalitas distincta potest esse vnio materiæ, quia vnio materiæ non præcedit vnionem formæ, vnio autem formæ non est in illo priori: ergo aliquid aliud distinctum à materia & vnione superaddi debet. Probatur maior, quia omne subiectum est prius natura existens, quam forma in ipso subiectata: sed vnio formæ est forma subiectata in forma, tanquam in subiecto: ergo forma debet prius existere, quam sit vnio.

*Confirmatur primo*, quia potest intelligi forma existere sine eo, quod intelligatur vnio eius; non vero potest intelligi vnio eius, quin intelligatur existere: ergo prius natura est formam existere, quam esse vnitam.

*Confirmatur secundo*, quia sicut modus essendi per se competit materiæ; ita modus essendi in alio competit formæ: ergo sicut materia est prius existens, quàm competat ipsi modus essendi per se: ita forma debet esse prius existens, quàm competat ipsi modus essendi in alio, & consequenter quàm competat ipsi vnio, per quam formaliter habet esse in alio.

*Confirmatur tertio*, quia vnio formæ habet pro causa materiali formam, & dependet à forma in fieri & conseruari magis, quam ipsa forma dependet à materia, quandoquidem forma possit esse absque materia supernaturaliter; vnio vero nec supernaturaliter quidem potest esse absque forma: ergo forma præsupponitur vnioni; & ergo vlterius vnio non potest esse ratio ponendi formam, quia aliàs daretur mutua causalitas in causis realiter agentibus, quod est contra Scotistas & veritatem, vt videbimus postea.

33. *Respondetur* negando maiorem, & distinguendo maiorem probationis: si forma illa non sit ratio ponendi ipsum existens, concedo; si sit, nego; & concessa minore, nego consequentiam, quia vnio est ratio ponendi formam in esse existentiæ, quoties educitur.

*Ad primam confirmationem, respondeo* distinguendo antecedens: potest intelligi forma existere absque vnione dependenter à causa materiali, nego; independenter à tali causa, concedo antecedens, & nego consequentiam.

*Ad secundam confirmationem*, respondeo negando antecedens, quia modus essendi per se identificatur materiæ, & est inseparabilis ab ipsa: modus autem essendi in alio non identificatur formæ: potest enim forma esse absque vllo subiecto de potentia absoluta, & consequenter absque modo essendi in alio.

*Deinde* falsum est suppositum consequentis, nempe, quod modus essendi per se competat materiæ post existentiam: est enim vel de essentia eius, vel saltem proprietas ipsius, & consequenter præsupponitur potius existentiæ, quam postponitur.

*Dices*, modus essendi sub forma tam naturaliter competit materiæ, quam modus essendi in materia competit formæ, & est etiam æque inseparabilis ab ipsa: ergo sicut ille modus non est causalitas, per quam ponitur materia: ita neque vnio formæ est causalitas, per quam ponitur forma.

*Respondeo*, negando consequentiam, quia supponuntur ad modum illum materiæ principia, & causalitates sufficientes ad eius productionem, & consequenter non debet dici produci per illum modum; antecedenter vero ad vnionem, non supponitur causalitas sufficiens, per quam producatur forma, quia aliàs crearetur & non educeretur; vnde potest dici produci per vnionem, tanquam per causalitatem: adde ab extrinseco prouenire, quod necessario materia habeat illum modum, & non ex indigentia ipsiusmet materiæ in ordine ad habendum suam existentiam propriam, vt patet ex dictis supra *disp.* 3. *n.* 59. secus autem est de forma.

34. *Ad tertiam confirmationem*, quæ longe certe difficilior est, respondeo primo, nisi posset solui commode, potius propter eam dici debere, quod non detur duplex vnio inter materiam, & formam, sed vnam sufficere subiectatam in materia; quàm quod aliquid aliud præter vnionem ponendum sit in materia, per quod causet formam. Et quamuis superius dexerimus dari duplicem vnionem, hoc tamen dictum est ex suppositione quod hæc difficultas solui possit; vnde si non possit solui commode, oppositum esset tenendum, & hæc ipsa ratio posset assignari, quare vnio non deberet poni ex parte formæ, licet poneretur ex parte materiæ: quod sincere insinuate placuit pro veritate examinanda.

*Respondeo secundo*, distinguendo antecedens pro vtraque parte, pro prima quidem sic; vnio habet pro causa materiali proprie dicta formam, hoc est, pro causa influente in vnionem materialiter, nego; pro causa materiali improprie dicta, hoc est pro causa, in qua producitur absque influxu, concedo antecedens. Pro secunda parte sic: magis dependet à formâ, tanquam ab influente, nego; tanquam ab aliquo cum quo habet maiorem connexionem, concedo antecedens, & nego consequentiam primam: secunda autem habet connexionem cum prima. Itaque quemadmodum relatio actionis subiectata secundum nos in agente, habet tam necessariam connexionem cum termino, vt non possit esse absque termino, & tamen non præsupponit terminum, nec dependet ab ipso, tanquam à priori, quia est ratio ponendi terminum: ita vnio formæ, licet habeat tam necessariam connexionem cum forma, vt nequeat esse absque forma, tamen non præsupponit formam nec dependet à forma tanquam à priori, sed potius forma dependet ab ipsa, tanquam à priori.

35. *Dices*: ergo creatur; quia omnis forma, quæ non educitur, nec dependet à subiecto tanquam à priori, creatur: ergo vnio illa crearetur, quod est absurdum.

*Respondeo* negando consequentiam, & distinguendo probationem, si non sit essentialis ratio ponendi subiectum, transeat; si sit, nego.

*Dices iterum* (quidquid sit de creatione, in qua posset esse quæstio de nomine) quantum ad rem ipsam, si possit produci vnio formæ independenter à materiæ influxu, non esse vllum inconueniens, quia cæteræ formæ possint similiter produci, & sic vniuersim tolleretur influxus causæ materialis. Nec refert, quod sit hæc disparitas, quod vnio illa sit causalitas passiua, cæteræ autem formæ non sint tales; nam adhuc restat ostendendum, cur si causa secunda potest producere formam, quæ est causalitas absque influxu subiecti aut causæ materialis, non possit similiter absque tali influxu producere

formam,

formam, quæ non est causalitas; nam ex eo, quod sit causalitas non sequitur aliud, quam quod sit ratio producendi, quod reuera non videtur facere ad propositum.

Sunt aliqui, etiam Scotistæ, qui propter hanc difficultatem putant admittendam mutuam causalitatem realem, & physicam, saltem inter causalitatem passiuam, qua producitur effectus, & ipsum effectum, & consequenter inter vnionem subiectatam in forma, si sit causalitas formæ, & ipsam formam: sed hic suppono, nihil absurdius quam hoc admitti posse in doctrina Scoti.

Cur vnio formæ possit produci absque dependentia subiectialiæ vero formæ non possint.

*Itaque respondeo* negando sequelam, & dando disparitatem inter vnionem formæ & alias formas, quæ non sunt causalitates, præsertim absolutas, quod possit dari ratio, cur vnio illa nequeat produci nisi in subiecto, absque influxu subiecti, nimirum quia ex natura sua essentialiter est determinatio subiecti talis, & consequenter, quamuis subiectum non influat in ipsum, debet produci in subiecto: non potest autem dari ratio, cur aliæ formæ absolutæ nequeant produci, nisi in subiecto, si subiectum non debeat influere in ipsas, quandoquidem non sint essentialiter determinationes subiecti, vt patet ex eo, quod possint existere absque omni subiecto supernaturaliter: ergo non eodem modo de ipsis quantum ad hoc discurrendum, ac de vnione.

*Dices*: ergo saltem posset dici quod vt vnio illa non producitur dependenter à subiecto, tanquam à causa influente, eodem modo aliæ relationes non educerentur à suis subiectis.

*Respondeo primo*, hoc potius concedendum, quam negandam hanc doctrinam.

*Respondeo secundò*, negando consequentiam; quia est ratio specialis, ob quam hæc vnio non posset causari materialiter, quæ non est de aliis relationibus, vnde non est eodem modo discurrendum de illis.

36. *Obiicies quarto*: vnio materiæ causatur à causa efficiente: ergo non est causalitas materiæ, quia causalitas vnius non causatur per aliam causam.

*Respondetur primo*, negando consequentiam, quamuis enim causalitas efficientis nequeat causari per aliud efficiens præsertim creatum, tamen non video ex quo capite esset inconueniens, quod causalitas materiæ posset produci per causam efficientem, quæ educit formam ex potentia materiæ.

*Respondeo secundo* negando antecedens: neque enim illa vnio producitur per efficiens sic, vt efficiens habeat actionem aliquam propriam immediate terminatam ad illam; sed eo modo quo actio efficientis emanat ab ipso immediate, quando applicatur sufficienter materiæ, ac adsunt cæteræ dispositiones requisitæ: ita etiam causalitas materiæ, ac consequenter illa vnio, si sit causalitas eius, emanat ab ipso quando applicatur efficienti, & dependet quidem illa causalitas ab efficiente in hoc sensu, quod non emanaret, nisi adesset efficiens, quemadmodum causalitas efficientis dependet à materia; neutra vero causalitas dependet ab altera causa tanquam ab influente in illam, & in hoc consistit subordinatio illarum causarum, quod neutra possit habere actionem suam, nisi applicetur altera.

37. *Obiicies quinto*, non remanet causalitas materiæ, nisi quamdiu remanet causalitas efficientis, sed materia cum vnione manet desinente causalitate efficientis, materia enim ignis producti ab alio manet vnita formæ istius ignis, etiam destructo igne producente: ergo causalitas materiæ dicit aliquid vltra materiam, & illam vnionem.

*Confirmatur*, quia causalitas materiæ in fieri non manet in facto esse, sed materia & vnio manent in facto esse: ergo causalitas materiæ, in fieri saltem, dicit aliquid distinctum à materia & vnione. Probatur maior quia causalitas in fieri solum manet pro instanti, pro quo verum est dicere, iam forma & compositum est, & immediate ante non fuit: sed hoc non est verum in facto esse: ergo.

*Respondetur* distinguendo maiorem; non remanet causalitas materiæ, nisi quandiu remanet illa ipsa causalitas efficientis, quod primo cum ea concurrebat ad productionem formæ & compositi, nego maiorem: nisi quamdiu manet illa causalitas, vel aliqua alia æquiualens, concedo maiorem; & concessa minori, nego consequentiam. Itaque quemadmodum illa forma & compositum manet semper, dum remanet eadem materia sub forma, quamuis varietur causa productiua: ita etiam potest manere eadem causalitas materialis circa ipsa, quandiu manet eadem materia sub forma, quamuis variarentur causæ efficientes & suæ causalitates.

*Ad confirmationem Respondeo* etiam distinguendo maiorem, sub denominatione illa in fieri, concedo maiorem; secundum se sine illa denominatione, nego maiorem; & concessa minori, distinguo consequens; dicit aliquid aliud, quod sit causalitas, aut quid positiuum, nego consequentiam; dicit aliquid, quod requiritur ad illam denominationem in fieri, concedo consequentiam, sed hoc non iudicat conclusioni.

38. *Ad probationem maioris*, distinguo similiter maiorem, sub illa denominatione in fieri, concedo maiorem; secundum se & sine illa denominatione, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens; sub denominatione illa in fieri, concedo, secundum se, nego consequentiam. Itaque eadem omnino est causalitas materiæ, qua primo influit in formam & compositum, & qua postea conseruat illa materialiter; & illa causalitas dicitur esse in fieri solummodo, quandiu verum est dicere, iam est, & immediate ante non fuit, est autem in facto esse, quamdiu verum est dicere: iam est, & immediate ante fuit; vnde vt habeat denominationem in fieri, requiritur quidem aliquid vltra suam propriam entitatem, nempe negatio existentiæ ipsius pro tempore immediate præexistente; vt vero habeat denominationem causalitatis in facto esse, requiritur, quod exiterit pro tempore vel instanti immediate præcedenti: sed nec negatio existentiæ ipsius pro tempore antecedenti est causalitas aut aliquid positiuum; nec etiam existentia ipsius pro tempore antecedenti est causalitas qua conseruat rem in facto esse, sed est conditio requisita vt sic conseruet: quod totum est conforme principiis eorum, qui tenent, actionem, & conseruationem non esse productiones realiter distinctas, quando eadem est causa, quæ producit & conseruat absque interruptione, de quo postea.

39. *Obiicies sexto ex Arriaga disputat. 4. numero 83.* compositum substantiale productum de nouo, verbi gratia ignis, est idem numero in primo instanti, ac in secundo & tertio: ergo vnio non est actio, qua producitur fuit; & consequenter distinguitur realiter vnio à causalitate, per quam producitur.

Probatur consequentia prima, quia actio non est in secundo instanti, posset enim desinere causa productiua in secundo instanti, sine qua tamen actio conseruari non potest; sed si sit idem numero in primo, & secundo instanti, vnio debet esse in vtroque instanti: ergo actio & vnio distinguuntur. Probatur minor, quia vnio est de essentia istius compositi, ergo si vnio non sit eadem numero, compositum non erit idem numero.

*Respondetur primo*, concedendo primam consequentiam & distinguendo secundum consequens: ergo distinguitur à causalitate causæ efficientis, concedo; causæ materialis, nego: nec verum est, vt postea dicam, quod vtraque hæc causalitas sit eadem realiter, vt hic author videtur supponere.

*Respondeo secundo*, admittendo gratis quod causalitas efficientis & materialis esset eadem realiter, negando consequentiam: ad cuius probationem dico actionem causæ productiuæ, & causalitatem materiæ identificatam ipsi, non esse in secundo instanti, negãdo tamen quod non esset idem numero compositum, dicitur enim idem numero ex identitate numerica partium, quamuis variarentur vniones, quæ non sunt de essentia eius, sed conditiones sine qua non, aut causalitates quibus causatur. Quod si etiam vniones essent de essentia compositi, nõ esset absurdum dicere, quod non esset idem numero aut specie compositum, in quantum formaliter dicit vnionem. Vnde patet quam parum vrgeat hæc obiectio.

## CONCLVSIO II.

Vnio eſt cauſalitas materiæ.

40. *Ex ſuppoſitione quod nihil aliud requiratur, parum refert an dicatur vnio eſſe cauſalitas materiæ, an vero dicatur vnio eſſe conditio, qua poſita, materia ſe ipſa cauſaret; melius autem videtur dicendum, quod ipſa vnio ſit cauſalitas.* Hæc non proponitur ab vllo. Probatur prima pars, tum quia ad cognoſcendum quomodo compoſita producantur, ac educantur formæ, ſufficit cognoſcere ex præcedenti concluſione, quod materia, poſita tali vnione ſola, cauſet, non curando an ipſa vnio ſit formaliter cauſalitas nec ne, tum quia vtrumque poteſt probabiliter defendi.

*Dices*, non poſſe defendi probabiliter, quod cauſa efficiens ſe ipſa agat, & quod actio ſit conditio, ſine qua non ageret, non vero ratio formalis agendi: ergo ſimiliter non poteſt defendi probabiliter, quod materia ſe ipſa cauſet, & quod vnio ſit conditio prærequiſita vt cauſet.

*Reſpondeo* negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quod omnis conditio ſine qua non, habet aliquem proprium effectum phyſicum formalem, vt applicatio habet approximare agens paſſo, calor habet expellere frigus: actio vero non habet aliquem effectum alium formalem, quam facere cauſam agentem: ergo debet neceſſario dici eſſe cauſa formalis tribuens illam denominationem agenti, non vero conditio ſine qua non requiſita ad illam denominationem. Vnio vero materiæ habet alium effectum formalem, quàm eſſe cauſalitatem, nimirum vnire materiam formæ, & conſequenter poteſt dici eſſe conditio requiſita vt cauſet materia ſeipſa, totum ſaltem; & dico *totum ſaltem*, quia difficile eſt aſſerere quod ſit conditio requiſita vt cauſet materia formam, nam vt eſſet talis conditio, deberet præſupponi ad cauſalitatem: ſed hoc implicat, quia non prius poteſt vniri forma educta materiæ, quam educatur, nec è contra, etiam noſtro modo cognoſcendi.

*Probatur ergo ſecunda pars*, tum propter hoc vltimum, quia nonniſi difficillime capi poteſt, quomodo vnio poſſet eſſe cõditio requiſita ad cauſationem formæ, tum quia nulla eſt difficultas in eo quod dicatur ipſamet eſſe cauſalitas, ex ſuppoſitione quod nihil aliud aſſignari debeat, quod ſit cauſalitas; tum denique quia quando cauſa poteſt exiſtere in rerum natura ſimul cum effectu, ſine eo quod cauſet illum, melius videtur aſſerere quòd cauſet per aliquid diſtinctum realiter, niſi id ſit incõueniens: ſed materia poteſt exiſtere ſimul cum forma, vt ſi ſepararetur ac conſeruaretur forma ſine ſubiecto, abſque eo quod cauſet formam, nec eſt inconueniens, quod per aliquid diſtinctum realiter cauſet illam: ergo melius dicitur quod ſic cauſet: ſed nihil aliud diſtinctum realiter aſſignari poteſt, præter vnionem: ergo per vnionem debet dici cauſare formaliter, tanquam per cauſalitatem.

## CONCLVSIO III.

Cauſalitas formæ eſt vnio.

41. *Cauſalitas, qua mediante forma communicat ſe materiæ, & producit partialiter compoſitum, non eſt aliud diſtinctum ab vnione: & idem eſt dicendum de cauſalitate, qua expellit aliam formam.* Hæc ſequitur ex dictis, & eſt omnium, quantum ad primam, & tertiam partem.

*Probatur*, quantum ad omnes partes, quia, poſita vnione ſola, communicatur materiæ, & cauſatur compoſitum, & expellitur alia forma, ſi præfuerit: ergo cauſalitas ipſius, qua præſtat omnes illos effectus, non eſt quid diſtinctum ab illa vnione.

*Confirmatur* per omnia, quæ diximus circa concluſionem primam, & ſecundam, quæ huc facile applicari poterunt.

*Obijcies* contra tertiam partem, poteſt eſſe vnio formæ ad materiam, abſque eo quod expellatur alia forma, ergo cauſalitas, per quam expellit aliam formam, non poteſt eſſe illa vnio, quia cauſalitas nequit eſſe abſque ſuo effectu.

42. *Reſpondeo* diſtinguendo antecedens: ſi præfuerit alia forma, nego: ſi non præfuerit, concedo, & nego conſequentiam: ad cuius probationem dico quod cauſalitas poſſit eſſe abſque effectu ſecundario, ſi ad illum effectum neceſſario requiritur aliqua conditio ſeparabilis à cauſalitate. Ita autem contingit in propoſito: nam deſtructio alterius formæ eſt effectus ſecundarius vnionis formæ, & requirit, tanquam conditionem ſine qua non præexiſtentiam formæ deſtruendæ; quæ conditio eſt ſeparabilis ab vnione: vnde bene poteſt eſſe vnio abſque illa deſtructione, quamuis ſit cauſalitas formalis, per quam ſit formaliter illa deſtructio.

Cauſalitas poteſt eſſe abſque effectu ſecundario.

*Dices*: etiam poſſet, de potẽtia ſaltem abſoluta, eſſe forma vnita abſque eo quod deſtruatur altera forma, quamuis præexiſteret, de potentia enim abſoluta duæ formæ contrariæ poſſent eſſe ſimul: ergo vnio non eſt cauſalitas, per quam ſecundario expellatur forma præexiſtens.

*Reſpondeo* negando conſequentiam, illa enim deſtructio non eſt effectus ſecundarius vnionis ſic, vt debeat neceſſario ſequi ad illam; ſed eſt effectus ſecundarius connaturalis ſolummodo ipſius, ſic ſcilicet, vt connaturaliter exigat expulſionem ipſius: poteſt autem Deus impedire huiuſmodi effectum, quamuis ponatur cauſa formalis, & etiam cauſalitas ſua.

43. *Dices* adhuc: non poteſt dici quod cauſa formalis iam non expellat, & poſtea expellat, niſi poſtea habeat cauſalitatem aliquam, quam ante non habuit: ſed forma vnita poteſt eſſe abſque eo, quod actu expellat aliam formam præexiſtentem, caſu quo Deus vellet miraculoſe aliã formam expellendam conſeruare, & poſtea illa forma vnita poſſet expellere illam formam, caſu quo Deus non vellet ſuum miraculoſum modum agendi continuare: ergo poſtea accederet formæ aliquid, per quod formaliter expelleret, quod antea non habebat, ſed illud non eſt vnio, quia illa ante fuit: ergo aliquid aliud diſtinctum realiter.

*Reſpondeo* negando maiorem: ſufficit enim quod poſtea Deus nolit conſeruare formam deſtruendam, & hoc intuitu formæ vnitæ, ſicut conſeruauit ipſam in priori inſtanti vel tempore ſimul cum forma expellente.

44. *Obiicies ſecundo*, contra ſecundam partem ex *Maſtrio d. 5. q. 4. ar. 2. Scotus* expreſſe ait *in 3. d. 2. litt. F.* vnionem materiæ, & formæ in compoſito non eſſe cauſalitatem earum, ſed conditionem ſine qua non: ergo hæc concluſio, & etiam prima eſt contra Scotum.

*Reſpondeo* negando antecedens, neque enim eo loco mentionem facit de cauſalitate, ſed dicit vnionem requiri quidem ad hoc quod totum ſequatur tanquam conditionem, ſed non eſſe tamen ipſum totũ aut de eſſentia ipſius: poteſt autem vnio, quamuis ſit cauſalitas, eſſe cõditio ſine qua non: nulla enim conditio ad effectum prævia eſt magis ſine qua non, quam cauſalitas per quam producitur formaliter; & ſane quamuis compoſitum ſequatur ad partes vnitas, & partes intelligantur vnitæ antequam cauſent totum, adhuc tamen non ſequeretur quin vnio eſſet cauſalitas earum realiter, quidquid ſit an formaliter ſub ratione vnionis præciſe deberet dici cauſalitas, vt patet ex dictis circa concluſionem primam.

## QVÆSTIO IV.

*An Deus poſſit ſeipſo ſupplere cauſalitates materiæ ac formæ, earumque effectus.*

45. QVandoquidem in confeſſo ſit Deum poſſe ſe ſolo ſupplere cauſalitatem cauſæ efficientis, & illam etiam impedire non obſtante quacumque applicatione prævia, primum quidem, producendo ſe ſolo abſque concurſu effectiuo cauſæ ſecundæ effectum, qui cum illo concurſu produci ſolet connaturaliter; ſecundum vero, ſubtrahendo concurſum ſuum à cauſa effectiua, à quo concurſu cum illa eſſentialiter dependeat, non poterit ſine dubio, eo ſubtracto, aliquid producere. Quærimus ergo ſimiliter hic, an pari ratione poſſet impedire cauſalitates cauſæ formalis ac materialis, aut ſe ſolo præſtare illos effectus, qui iis mediantibus præſtari ſolent.

## CONCLVSIO I.

Nequit Deus producere totum abſque concurſu materiæ & formæ.

*Deus nequit ſe ſolo abſque concurſu materiæ & formæ producere totum compoſitum, atque adeo non poteſt ſupplere cauſalitatem materiæ aut formæ circa ipſum.*

Hæc

Hæc debet esse omnium : & omissis aliis probationibus, quæ afferri solent, probatur hac vnica euidenti ratione, quia si posset producere compositum absque materia & forma, verbi gratia, hominem absque corpore & anima rationali, sequeretur quod esset homo & non esset homo, esset quidem ex hypothesi, quod produceretur; non esset autem, quia non includeret suas partes essentiales, quibus essentialiter constat ; constat enim, vt suppono, homo essentialiter ex anima & corpore : & sane hæc ratio conuincit conclusionem, quamuis non sequeretur imperfectio in Deo ex hoc, quod esset causa materialis aut formalis alicuius compositi, quia hoc non obstante non posset aliquid producere absque partibus intrinsecis essentialibus suis: & probat etiam, quod Deus non possit eminenter præstare quidquid potest formaliter præstare materia & forma; quia implicat quod vlla ratione faciat ignem aut hominem absque partibus essentialibus ignis aut hominis; vnde illud axioma, Deus potest facere se solo quidquid potest præstare mediatibus causis secundis, si vniuersaliter intelligatur, est falsum ; quare addi debet ad eius veritatem, nisi in hoc faciendo esset implicantia aliqua.

## CONCLVSIO II.

Potest supplere Deus causalitatem materiæ circa formam.

46. *Deus potest supplere causalitatem illam materiæ, quæ dat formæ esse, se solo dando ipsi esse & producendo ipsam absque vlla materia.* Hæc est communis & certa, tum quia in hoc nulla potest assignari implicantia ; tum quia de facto conseruat accidentia Eucharistica absque concursu materiæ, nec difficilius ipsi est eas absque illo concursu conseruare, quã producere. Verum quidem est quod hoc non faceret in genere causæ materialis, quia sic non posset eas producere aut conseruare, nisi recipiendo illas; hoc autem nequit facere, quia mutaretur physice, quod argueret in ipso imperfectionem: sed id faceret in genere causæ efficientis, nec est inconueniens quod causa efficiens suppleret defectum causæ materialis, in qua forma producitur, quantum ad dandum esse formæ.

## CONCLVSIO III.

Posset Deus supplere causalitatem formæ qua daret esse materiæ.

47. *Deus non potest supplere causalitatem illam, quam in nostra sententia causa formalis exerceret circa materiam, per sui communicationem, bene tamen posset supplere causalitatem illam formæ circa materiam (si talis daretur) qua forma dat esse materiæ.* Hæc est communis quantum ad primam partem, *& probatur* quia non potest facere se solo cum subiecto absque albedine, quod subiectum sit album, nec vt materia sit informata forma substantiali aquæ: ergo nequit supplere illam causalitatem formæ circa materiam aut effectum formalem ad ipsam sequentem: quæ probatio multo facilior est, quam alia, quam adducunt communiter, nimirum quod suppletione huiusmodi causalitatis sequeretur imperfectio in ipso, quam tamen nolo hic reiicere, quia forte reduci potest vltimate ad illam à me propositam.

*Secunda pars* est contra Thomistas communiter, sed communis tamen apud alios authores, qui tenent nobiscum materiam posse conseruari absque omni forma, quod supra probauimus *disp.* 3. & ex hoc ipso principio *probatur* conclusio, quia quando sic Deus produceret ac conseruaret materiam, profecto suppleret defectum istius causalitatis.

## CONCLVSIO IV.

Quomodo Deus potest supplere causalitatem expulsiuam.

48. *Deus potest supplere defectum causalitatis expulsiuæ, quam habet forma in ordine ad aliam formam, quam ex eodem subiecto expellit, quantum ad hoc, quod ipsemet solus posset tollere illam formam à subiecto illo absque interuentu formæ alterius.* Hæc est absque controuersia vlla, & patet tum quia in hoc nulla est repugnantia ; tum quia forma ignis verbi gratia, & calor dependent in conseruari à Deo libere illas conseruante : ergo si nolit exhibere concursum conseruatiuum, desinent esse in subiecto; sed potest id nolle absque productione formæ contrariæ: ergo absque tali forma potest efficere, vt tollatur forma à subiecto.

*Et si dicas* quod tum non tolleretur formaliter, *contra*, quia vel intelligis per hoc quod non tolleretur ita, vt reuera non esset ibi illa forma, & hoc manifeste falsum est: vel intelligis, quod non tollatur per aliam formam positiuam, & hoc quidem verum est, sed non ad rem, quia nec asserit conclusio sic eam posse à Deo tolli ; nec id venire potest in controuersiam: euidens enim est quod non possit tolli per formam absque forma.

## CONCLVSIO V.

Deus non potest impedire causalitatem materiæ, & formæ circa positam vnionem.

49. *Deus non potest impedire causalitatem materiæ, & formæ circa totum aut se inuicem, supposita ipsarum vnione ; potest vero supposito quocumque alio priori se tenente ex parte materiæ, & formæ ; & potest etiam supposita vnione impedire ne vna forma expellat alteram.* Hæc non habet vllam controuersiam præter eas, quas antea decidimus.

*Probatur prima pars:* quia ipsa vnio est causalitas productiua totius, & qua mediante educitur forma, & informatur materia, & consequenter implicat quod sit, quin sit totum, & quin causetur forma ac communicetur materiæ. Quod si non esset causalitas productiua totius, sed illa causalitas sequeretur vnionem, & esset ab illa realiter distincta, valde difficile esset assignare rationem, cur Deus suppositis etiam vnione nequiret impedire, quo minus sequeretur totum : nec refert quod ille non posset supplere causalitatem ipsarum circa totum causando totum sine ipsis ; nam inde non sequitur quin illam posset impedire in casu nostro: nam nequit ipse supplere causalitatem informatiuam formæ, & tamen potest illam impedire, posito quocumque præuio ex parte materiæ & formæ, quod non sit actio productiua vnionis.

50. *Probatur secunda pars*, quia non necessitatur ex vi vllius præuij ad vnionem se tenentis ex parte materiæ aut formæ ad concurrendum ad ipsam vnionem producendam: ergo posset quocumque tali non obstante, non concurrere; & consequenter eo etiam non obstante, impedire quo minus causarent totum aut seipsas.

*Probatur tertia pars* ex dictis supra *disputatione* 4. *quæstione* 3. vbi ostensum est plures formas substantiales non subordinatas posse esse simul in eadem materia de potentia absoluta : hinc enim sequitur quod possit impedire quo minus forma vnita materiæ expellat alteram sibi contrariam ab eadem materia, vt patet.

# DISPVTATIO IX.

## DE CAVSA EFFICIENTE.

AGGREDIMVR iam tractatum de causis extrinsecis corporum naturalium, ac aliarum rerum, quæ producuntur, ex quibus principalissima est causa efficiens, à qua propterea res, quæ producitur, desumit denominationem effectus.

## QVÆSTIO I.

### *Quid sit causa efficiens.*

Communis descriptio causæ efficientis reiicitur.

1. COmmuniter describitur *causa efficiens esse principium primum vnde, id est, à quo est mutatio ac quies* ; & quamuis verum sit quod hæc ratio conueniat soli causæ efficienti, & non materiali aut formali aut finali, quia res, quæ producitur, non dicitur produci à fine, sed propter finem : nec à materia, nec à forma, sed ex materia & per formam ; tamen reuera mihi nunquam placuit: primo quia causa creans est causa efficiens, & tamen non potest dici proprie esse principium, vnde est mutatio, quatenus est creans ; neque enim, dum Deus creat Angelum aut materiam primam, fit aliqua mutatio proprie dicta, cum nullum subiectum mutetur à priuatione ad formam ; & quamuis Angelus productus transeat à non esse ad esse, reuera tamen non dicitur proprie mutari. Secundo & præcipue quia non sufficienter explicatur hic, cur dicatur res ab efficiente potius, quam

à

à materia produci, verbi gratia, compositum non solum dependet ab efficiente, sed etiam à materia, & idem est de forma educta: vt autem intelligeremus an possent dici à materia produci, sicut dicuntur produci ab efficiente, oporteret significare, quo modo particulari efficiens concurrat ad earum productionem, vt ab illa potius quam à materia dicantur produci, & si hoc non fiat, non declaratur sufficienter natura causæ efficientis, vt distinguitur ab aliis causis; ille autem modus particularis non significatur sufficienter in prædicta descriptione, præsertim si explicetur solummodo, vt communiter solent auctores illam explicare; sed quidquid sit de eius sufficientia, vix enim vlla descriptio afferri potest, quin additis aut subintellectis aliis particulis defendi possit, aliam clariorem proponemus.

## CONCLVSIO I.

Melior descriptio causæ efficientis.

2. *Bene describitur causa efficiens esse quæ secundum suum esse reale facit, vt aliquid existat realiter, neque cum eo, qua talis, compositionem faciens, neque ipsum componens.* Hæc in re debet esse communis, & patet, quia omni & soli causæ efficienti conuenit, & declarat naturam eius, quatenus distinguitur à cæteris causis absque superfluitate, vt patebit discurrendo per singulas particulas. Dicitur *causa*, quia in hoc conuenit tanquam in genere cum cæteris causis.

Dicitur *quæ secundum suum esse reale facit vt aliquid existat realiter*, id est non quatenus existit obiectiue in intellectu, vt distinguatur à causa finali, quæ non concurrit ad productionem alicuius, nisi quatenus existit obiectiue in intellectu, & mouet voluntatem. Dicitur *neque cum eo, qua talis, compositionem faciens*, vt distinguatur à causa materiali, ex cuius potentia educitur forma, nam illa secundum suum esse reale facit vt forma illa existat; sed non nisi recipiendo ipsam, ac consequenter faciendo cum ipsa compositionem, siue per se, siue per accidens. Additur in eadem particula, *qua talis*, quia causa efficiens aliquando facit compositionem cum effectu, quem producit, quando illum in seipsa producit, vt intellectus producit in se intellectionem; sed non quatenus efficiens facit illam compositionem, sed quatenus est causa materialis, in qua ille effectus producitur. Dicitur denique *neque ipsum componens*, vt excludatur à ratione efficientis materia & forma secundum quod causant compositum: nam quamuis secundum suum esse reale concurrant ad productionem compositi, & faciant partialiter vt existat, & quidem per influxum realem; tamen id non faciunt nisi componendo ac constituendo ipsum, tanquam partes essentiales physicæ ipsius; efficiens autem facit vt res existat, non constituendo ipsum tali modo.

Iuxta hoc autem posset explicari communis definitio, intelligendo per ly *vnde*, aut *à quo* hunc particularem modum causandi iam descriptum: & restringendo definitionem non ad causam efficientem vt sic, sed ad causam efficientem cum dependentia à materia, qualis est causa efficiens spectans ad considerationem physicam.

## CONCLVSIO II.

Quæ causalitas causæ efficientis.

3. *Causalitas causæ efficientis in actu primo est virtus illa, à qua habet posse aliquid producere, causalitas in actu secundo, à qua formaliter denominatur causare actu effectum, est actio ipsius.* Prima pars est extra controuersiam, & patet quia nihil aliud intelligitur per causalitatem in actu primo, quam illud, à quo habet res formaliter denominari causa in actu primo, etiam cum nihil producit; & in hoc distinguitur causalitas in actu primo, & in actu secundo, quod hæc non denominet causam, nisi quando actu causat; illa vero denominat, etiam quando non causat actu: sed illa virtus est talis: ergo est causalitas eius in actu primo.

*Confirmatur*, quia eo ipso quo res habet talem virtutem, potest vocari causa, & eo ipso, quo nõ habet illam, nequit vocari causa; nec aliqua alia forma potest conuenientius assignari, quæ tribuat formaliter denominationem causæ, quam illa virtus: ergo illa virtus tribuit denominationem illam formaliter, & consequenter est causalitas in actu primo.

*Secunda pars* est etiam communis contra *Soncinam 5. Met. q. 4. Ianellum ibidem. Fonsecam ibidem q. 13. §. 3. Masium hic q. 3.* quorum sententiam quantum ad modum loquendi præferunt *Complutenses disp. 10. n. 135.*

*Probatur* autem, quia posita actione sine vllo alio denominatur causa actualiter agere, & efficere ac causare: ergo illa causalitas sola est in actu secundo.

Causalitas causæ efficientis est actio eius.

*Confirmatur*, quia frustra poneretur aliquid aliud, quod esset forma denominans causam causantem præter actionem: ergo actio est forma sic denominans, & consequenter causalitas in actu secundo.

4. *Dices* cum *Complutensibus* actionem non dare illam denominationem, nisi vt exercitam; sed vt sic, nõ est actio in abstracto, sed in concreto, idem enim est actio exercita, ac agere seu causare, non vero idem est ac actio.

*Confirmatur*, quia si per impossibile poneretur actio absque agente, non daretur causalitas formaliter, sed daretur actio: ergo actio formaliter non est idem ac causalitas.

*Respondeo* negando maiorem: actio enim secundum se est forma, quæ tribuit illam denominationem, sicut albedo secundum se est forma, quæ tribuit denominationem albi: & sane dicere, quod actio non tribuat illam denominationem nisi vt exercitam, mihi videtur idem ac nugari verbis: nam si actio vt exercita, sit idem ac agere seu causare, dicere quod agere, & non actio sit, quod tribuat denominationem illam, ratione cuius potest dici causam agere, est dicere quod agere tribuat denominationem, à qua dicitur agere: quod est ridiculum.

*Confirmatur*, quia non bene diceretur quod album tribueret denominationem *albam*, sed bene dicitur quod albedo tribuat illam denominationem: ergo non bene dicitur quod agere tribuat denominationem agere, sed debet dici quod actio tribuat illam denominationem.

*Ad confirmationem obiectionis respondeo* negando sequelam; tam bene daretur enim causalitas in illo casu, quam actio: & si per impossibile daretur agere absque causa, tam bene sequeretur non dari causalitatem, quam sequitur eam non dari, si per impossibile daretur actio absque causa; vnde ex hoc argumento æque sequeretur causalitatem non consistere in agere, ac in actione.

*Obiicies.* Causalitas debet esse in causa; sed actio est in effectu: ergo causalitas distinguitur ab actione.

*Confirmatur*, quia actio est quid realiter distinctum ab agente: ergo egreditur ab illo mediante aliquo alio modo: sed ille modus non est aliud quam causalitas: ergo causalitas distinguitur ab actione.

*Respondeo*, in sententia communi falsam esse maiorem; in sententia vero *Scotistarum* falsam esse minorem; & sane absolute & simpliciter vbicumque ponitur actio, ibi poni debet causalitas, siue ex parte causæ, siue ex parte effectus & termini.

*Ad confirmationem respondeo* negando consequentiam; quia quemadmodum illa causalitas egrederetur seipsa absque alio modo secundum aduersarios, ne detur processus in infinitum: ita actio potest se ipsa egredi absque modo alio distincto.

*Obiicies secundo.* Vna causa vnam tantum habet causalitatem; sed plures potest habere actiones: ergo causalitas non coincidit cum actione.

*Respondeo*, si vna tantum sit causalitas vnius causæ, vnam etiam esse actionem ipsius, & si plures sunt actiones, plures esse causalitates: eadem enim est ratio multiplicationis vtriusque: vnde si vera est maior, falsa est minor; & si vera est minor, falsa est maior.

Hic ostendendum esset in quo consistit actio agentis, & in quo subiectatur: sed de hoc satis actum in Logica.

## QVÆSTIO II.

### *Quomodo substantia producit effectiue alias substantias.*

6. PRima sententia est substantias, quæ producuntur de nouo, produci à solo Deo immediate, ita *Aresius 1. de generatione, qu. 10.*

*Secunda sententia* est eas produci à sola aliqua intelligentia separata, sic *Auicenna lib. 1. de suff. c. 5.*

*Tertia*

*Tertia sententia* est eas produci à solis substantiis cælestibus: ita *Ragusseius disp. 16. c. 16.*

*Quarta sententia* est substantiam nullo modo concurrere effectiue ad productionem earum, sed eas produci ab accidenti tanquam à causa principali. Hæc est *Pereyræ 8. Physicorum c. 11. 12. & 13.*

*Quinta sententia* est substantiam, etiam sublunarem esse principalem causam productiuam alterius substantiæ sublunaris, sed nō attingere tamen immediate productionem illius, sed illam attingi ab accidentibus solis immediate, licet non nisi in virtute substantiæ. Hæc est *Thomistarum* communiter cum *D. Th. 1. p. q. 54. a. 3.* quos sequuntur *Fonseca 5. Met. cap. 2. quæst. 6. Complutenses hic disp. 10. num. 22. Auersa quæst. 37. sect. 5.*

*Sexta sententia* est substantiam sublunarem attingere immediate productionem substantiæ productæ, sed accidentia etiam attingere æque immediate eandem productionem. Hanc tenet *Suarez disp. 18. Met. sect. 2.* & plures recentiores.

*Septima sententia* est substantiam solam attingere immediate illam productionem, & nullo modo attingi eam ab accidentibus immediate: ita *Scotistæ* omnes cū *Doct. 1. d. 37. & in 4. d. 12. q. 3 quem sequitur Durandus 2. d. 1. q. 4. Occamus 2. q. 23. Dandinus 1. de anima q. 8. Valles. contr. 3. Arriaga disp. 11. §. 2.* & plures alij.

Pro solutione huius grauissimæ controuersiæ aduertendum, illud attingere immediate productionem substantiæ, à quo immediate egreditur actio, per quam producitur. Deinde aduertendum esse mentionem hic potissimum de substantia corporea, quatenus est productiua independenter ab intellectu & voluntate.

## CONCLVSIO I.

Agentia sublunaria concurrūt ad productionem substantiarum.

7. *Nec Deus solum, nec Intelligentia separata sola, nec corpora cælestia sola producunt effectiue omnes substantias corporeas, quæ de nouo producuntur; sed etiam agentia sublunaria corporea, concurrunt etiam immediate ad aliquas substantias, quæ de nouo producuntur.* Hæc est contra tres primas sententias.

*Probatur* autem, quia in ipsismet substantiis sublunaribus, verbi gratia in igne est sufficiens proportio & virtus ad producendas alias substantias, & gratissime recurreretur siue ad solum Deum, siue ad intelligentiam separatam, quæ esset datrix formarum, siue ad corpora cælestia.

*Confirmatur*, quia substantiæ sublunares habent virtutem producendi accidentia, & dispositiones ad formas substantiales aliquas, vt fatentur aduersarii, quia alias non esset potior ratio, cur ad præsentiam ignis, verbi gratia, alius ignis produceretur, quam aqua: ergo cum nihil impediat, dicendum est etiam quod habeant virtutem productiuam formarum aliquarum substantialium. Dixi autem in conclusione *omnes substantias corporeas*, quia ad Deum solum recurrendum est, quantum ad productionem animæ rationalis, & etiam probabiliter aliarum animarum, vt alias dicemus.

8 *Dices*, non habetur maior experientia, quod ignis generet ignem, quam quod homo generet hominem; sed homo nō generat hominem nisi dispositiue: ergo nec ignis ignē.

*Confirmatur*, quia eadem experientia, qua probatur ignis producere ignem, constat animalia generata ex putri materia produci à causis sublunaribus; sed fallit experientia quantum ad hoc; nam illa animalia non producuntur à sublunaribus, nisi dispositiue, sed producuntur vel à solo Deo, vel à corporibus cælestibus: ergo idem dicendum est de productione ignis.

*Confirmatur secundo*, recurrendum est ad Deum, vel ad corpora cælestia in productione immediata animalium imperfectorum generatorum ex putri: ergo etiam in productione animalium perfectorum.

*Respondetur* negando consequentiam, quia non experientia sola colligimus potius ignem producere ignem, quam hominem producere hominem; sed quia præterea non constat nobis, quin ignis habeat virtutem sufficientē ad producendā formā ignis, quemadmodū constat, quod non possit homo immediate producere animā rationalem.

*Ad confirmationem primam respondeo*, similiter negando consequentiam propter eandem rationem, quia non experientia sola dicimus ignem producere alium ignem, sed quia præterea non est inconueniētia vlla quod illum producat: esset autem inconuenientia, quod illa animalia producerentur à causis secundis, quia supponimus non adesse causas sublunares, quæ sint tam perfectæ.

*Ad secundam confirmationem respondeo* negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod, vt supponitur, adsint causæ sublunares, quibus ascribi possit productio animalium perfectorum; non vero quibus possit attribui animalium imperfectorum, quando generantur ex putri.

9 *Obiicies secundo.* Nec Angeli, nec corpora cælestia habent virtutem productiuam sui similium: ergo nec sublunaria habent talem virtutem.

*Respondeo* negando consequentiam, tū quia non cōstat, quod producant sibi similia Angeli aut corpora illa; tum quia Angeli non possunt produci nisi per creationē, qualis actio nō competit causis secundis: sed sublunaria possunt produci per generationem, qualis actio competere potest causis sublunaribus. Retorqueri etiā potest argumētū: Nec Angeli nec corpora cælestia possunt producere dispositiones ad sibi similia producenda: ergo nec sublunaria: hæc consequentia non valet: ergo nec illa aduersariorum.

## CONCLVSIO II.

Substantia attingit immediate productionem substantiæ.

10. *Non sola accidentia attingunt immediatè productionem substantiæ.* Hæc est iuxta sextam, & septimam sententiam.

*Probatur primo*, quia aliqua accidentia possunt seipsis immediate producere effectiue alia accidentia, verbi gratia calor calorem; & colligitur ex eo, quod ad applicationem corporis calidi producatur calor; nec dari possit vlla ratio cur illa productio non attribuatur calori: sed ad applicationem substantiæ ignis producitur alia substantia ignis, nec est vlla ratio cur illa productio non attribuatur igni: ergo non sola accidentia immediate producunt substantiam.

*Confirmatur*, quia virtus immediate actiua est perfectior cæteris paribus: ergo si ascribatur accidētibus, debet ascribi substātiæ, quæ est perfectior accidētibus, si nihil impediat.

*Dices* esse proprium substantiæ infinitæ agere per suam substantiam immediate absque virtute realiter distincta; ergo non potest id competere substantiæ creatæ.

*Contra*, non est ita proprium substantiæ infinitæ, quin conueniat accidenti creato secundum aduersarios: ergo non debet dici esse ita proprium ipsi, quin conueniat substantiæ creatæ.

*Dices* illam virtutem attribui accidenti necessario, quia est instrumentum substantiæ, nullam vero esse necessitatem, cur tribuatur substantiæ.

*Contra*, quia si intelligas quod accidens sit virtus substātiæ in ordine ad productionem alterius substantiæ, petis principium, hoc est enim quod negatur. *Deinde*, si virtus immediate actiua vlla ratione tribuatur accidentibus, quæ sunt creaturæ, cur non tribueretur ipsimet substātiæ creatæ, aut cur est necesse tribuere substātiæ virtutem à se realiter distinctam in ordine ad productionem immediatam substātiæ alterius, & non est necesse tribuere talem virtutem accidēti in ordine ad productionem alterius accidentis? Et si tribuatur accidenti ex eo quod sit instrumentum substantiæ; quare non tribueretur ipsimet substantiæ?

Imperfectius nequit producere perfectius.

11. *Probatur secundo* conclusio, quia implicat quod imperfectius possit immediate producere, tanquam causa totalis effectiua aliquid se ipso perfectius: sed substātia est perfectior quam sit accidens: ergo nequit immediate produci à solo accidente tanquam à causa effectiua. Hæc est principalissima probatio ostensiua huius conclusionis, & propterea stabiliri debet & declarari magis refutatione responsionum, quas aduersarij solent adhibere.

*Aliqui, quos sequitur Pererius, dicunt* accidens esse quidem imperfectius substantia in ratione entis, esse tamen perfectius in ratione actiui, atque adeo posse ipsum producere substantiam.

*Contra primo*, quia virtus agendi in accidente non est distincta realiter ab entitate accidentis: ergo si accidens est perfectior substantia in ratione actiui, erit etiam perfectior in entitate, quod est absurdum, & contra responsionem.

*Contra*

*Contra secundo*, quia si accidens est perfectior in ratione actiui quam substãtia, nihil impedit quo minus possit producere substantiam, tanquam causa principalis, quod est contra aduersarios, aut si nõ sufficit maior perfectio in ratione actiui ad hoc, vt producat tanquã causa principalis substantiã, sed vlterius ad hoc requiritur maior vel æqualis perfectio in ratione entis; profecto illa maior perfectio non sufficiet etiam, vt ab ipso solo substantia procedat.

*Contra tertio*, quia si posset aliquid perfectius in ratione actiui, & imperfectius in entitate producere aliud, ex productione; effectus perfectioris non potuissemus colligere à posteriori perfectionem maiorem causæ, quod videtur absurdissimum.

12. *Alij, cum quibus videtur sentire Amicus, aiunt* imperfectius non posse per modum principij *quod* producere perfectius, bene tamen per modũ principij *quo*; nã potentia generatiua ignis est imperfectior igne, & tamẽ per ipsã tanquam per principiuum *quo* producitur ignis: ergo accidẽs quamuis sit imperfectius substãtia, & quamuis propterea nõ possit producere substãtiã vt principium *quod*, potest tamen illam producere tanquam principium *quo*.

*Contra*, quia falsum est quod virtus generatiua ignis sit imperfectior realiter ipso igne, quia identificatur ipsi realiter, & solum formaliter vel ratione distinguitur ab ipsa: ergo nec principium *quo* potest esse imperfectius realiter quam terminus productus; & consequenter quandoquidem substantia sit realiter perfectior quocumque accidenti, vt supponitur, non potest accidens vllum esse principium *quo* immediate productiuum substantiæ.

*Contra secundo*, quia in sententia Aduersariorum Accidens non solum est principium *quo*, sed principium *quod* productiuum substantiæ: ergo responsio prædicta non facit ad propositum. Probatur antecedens, quia secundum ipsos potest ab ipso substantia produci, etiam si nullum aliud existat, quod producat vt *quod* illam substantiam; nam colligunt ipsi suam sententiam ex eo, quod ad applicationem accidentis producatur substantia, non applicata vlla substantia, cui illa productio attribui possit: sed quod producit aliquid se solo, producit vt *quod*: ergo accidens producit vt *quod* secundum ipsos.

*Morisanus*, aut potius P. Iesuita aliquis præceptor ipsius (nam mihi certum videtur illum Cursum, qui impressus est nomine Morisani, compositum esse ab aliquo Iesuita in Vniuersitate Duacena, vbi ille studuit; nam sæpius citat Iesuitas hoc modo, Patres nostræ Societatis) plures dat responsiones nullius momenti. Melior est, quod forma accidentalis cum materia sit perfectior, quam forma substantialis: ergo potest cum materia producere formam substantialem.

*Sed* quidquid sit de antecedenti, *negatur consequentia*, quia causa efficiens totalis debet esse perfectior effectu: materia autem non efficit cum forma accidentali formam substantialem efficienter, sed sola forma accidentalis est causa efficiens proxima in sententia, quæ impugnatur hic.

13. *Communior Thomistarum responsio* est quod aliquid imperfectius possit producere perfectius, non tamen in virtute sua propria, sed in virtute alterius æque perfecti aut perfectioris: & sic dicunt quod accidens producat adæquate substantiam, non in virtute sua propria, sed in virtute alterius substantiæ.

*Hanc responsionẽ impugnat Scot. 4. d. 1. 2. q. 3.* sũma impugnationis cõsistit in hoc: quãdo dicitur quod accidẽs in virtute substantiæ aliam substantiam producit, vel intelligitur, quod producat per aliam virtutem communicatam ipsi à substantia, vt tenet *Capreolus*; vel quod agat in virtute substantiæ per hoc quod ipsummet sit virtus substantiæ, vt tenet *Caetanus*. Si dicatur primum, *contra est*, quia gratis, & absque fundamento vllo dicitur, quod communicetur accidenti talis motus: & deinde illa virtus quæ communicatur ipsi, vel est substantia, vel est accidens: si substantia, ergo vera conclusio: si accidens, ergo erit imperfectior substãtia producenda, non minus quam ipsum accidens cui communicatur; & consequenter quemadmodum ipsum accidens sine illa virtute non posset producere substantiam, quia est imperfectius: ita nec per solam virtutem poterit illam producere.

*Si dicatur secundum*, præterquam quod sit impropriissima locutio, quod aliquid agat in virtute substantiæ ex eo, quod sit virtus substantiæ; adhuc manet difficultas prætermissa, quia ex hoc quod accidens sit virtus substantiæ, non sequitur quod sit æque perfectum aut perfectius quam substantia: ergo ex eo non sequitur, quod possit producere substantiam. *Deinde* ex natura sua propria habet esse virtutem substantiæ; ergo si ex eo quod sit virtus substantiæ possit producere substantiam, etiam ex natura & virtute sua propria potest producere substantiam: & sic distinctio illa Caietani est impertinens.

*Confirmatur primo*, quia calor ex eo quod sit virtus substantiæ, vel habet aliquam virtutem aut perfectionem intrinsecam, quam non haberet, si non esset virtus ejus, vel non habet. Si non habet: ergo per hoc quod sit virtus substantiæ, non potest producere magis, quam si non esset; si habet, ergo vltra entitatem caloris recipit aliquid aliud, & hoc esset conuenire cum sententia Capreoli supra impugnata.

*Confirmatur secundo*, quia quæro cur calor, verbi gratia, dicatur esse virtus substantiæ in ordine ad producendam aliam substantiam: si propterea quod substantia non producat aliam substantiam nisi per calorem; ergo potest dici, quod sit virtus substantiæ in ordine ad producendum alium calorem: & consequenter potest dici hoc non obstante, quod sit causa principalis productionis substantiæ, quemadmodum est causa principalis caloris: sed hoc est contra aduersarios: ergo.

14. *Complutenses disp. 10. quæst. 5. num. 43.* dicunt accidentia per hoc, quod sint virtus substantiæ, recipere aliquid virtualiter distinctum ab illis, ratione cuius eleuantur ad producendum aliquid seipsis perfectius.

*Sed contra*, quia causa totalis immediate effectiua debet esse realiter æque, aut magis perfecta quã effectus; sed accidens non obstante illa eleuatione, per illud virtualiter distinctum, adhuc est realiter imperfectius substantia: ergo, non obstante illa eleuatione nequit producere substantiam.

*Confirmatur*, quia vel per illud virtualiter distinctum remanet in esse accidentis, vel non: si sic, ergo manet difficultas principalis: si non, ergo fit substantia, & præterquam quod hoc sit absurdum, adhuc vera est conclusio. Adde eleuationem illam per aliquid virtualiter distinctũ esse excogitatam gratis ad euadendam difficultatem.

5. *Probatur tertio conclusio*, quia sequeretur quod substantia, qua substantia est, non esset causa principalis productiua alterius substantiæ, sed quod accidens esset talis causa: sed hoc est contra aduersarios; ergo vera est conclusio. Probatur maior; illa non potest dici esse causa principalis effectus, à qua effectus immediate non emanat aut producitur, sed effectus secundum aduersarios non emanaret immediate à substantia, sed ab accidente: ergo accidens esset causa principalis, non substantia. Probatur maior hęc, quia non potest ostendi cur substantia esset causa principalis effectus, si nullo modo immediate influit in ipsum: nam quod influeret in ipsum mediate, quatenus scilicet influit in accidẽs, quod accidẽs influit in substãtiam, non arguit causalitatem principalem; alias auus esset causa principalis nepotis, non vero patet ipsius, quod est absurdissimum, & alias etiam substantia esset causa principalis caloris producti per calorem sibi inhærentem.

*Confirmatur hoc* quia si sufficeret ad hoc, quod substantia diceretur causa principalis alterius substantiæ, quod producat accidens productiuum eius, aut quod habeat accidens tanquam virtutem producendi ipsam, sequeretur quod Deus esset causa principalis creaturarum, quamuis immediate ipsas non produceret, modo produceret ipsas mediate per alias causas secundas, quæ essent virtutes Dei in ordine ad producendum: & sic non posset commode impugnari sententia Durandi de qua postea: sed hoc est inconueniens: ergo.

16. *Obiicies primo* substantia nequit immediate & formaliter producere aliam substantiam: ergo accidens solum immediate illam producit. Probatur antecedens à Compluten-

plutehsibus ratione Diui Thomæ : In creaturis esse & operari distinguuntur realiter : est enim proprium Dei, quod sit sua operatio : ergo potentia, quæ ordinatur ad esse seu existentiam, distinguitur realiter ab illa, quæ ordinatur ad operari: sed essentia substantiæ est potentia ordinata ad esse substantiale, & potentia operatiua est potentia ordinata ad operari : ergo substantia & potentia operatiua distinguuntur realiter. Probant primam consequentiam, quia potentiæ distinguuntur realiter, si actus sic distinguantur.

*Respondeo primo*, si loquamur de operatione, id est actione, qua producitur aliquis effectus, falsum esse in magis communi sententia, quod sit proprium Deo esse suam operationem; nam actio qua producit ad extra, distinguitur realiter ab ipso, quandoquidem se teneat ex parte effectus, vt communiter ipsimet Thomistæ & recentiores tenent.

*Respondetur secundo*, hanc obiectionem æque militare contra aduersarios : nam sequeretur quod calor non posset producere per semetipsum alium calorem; quandoquidem potentia ad esse ipsius, quæ est ipsius essentia, debeat secundum hanc obiectionem distingui à potentia ad operari ipsius : quæ instantia mihi est euidens.

*Respondetur tertio* directe in forma, negando antecedens cum consequentia suæ probationis : quemadmodum enim eadem potentia materiæ primæ potest respicere plures formas substantiales, & eadem causa efficiens respicere plures effectus, & idem intellectus plures intellectiones : ita eadem realiter potentia substantiæ potest respicere & esse & operari; vnde negatur probatio consequentiæ. Adde falsum etiam esse, quod substantia dicat potentiam proprie dictam ad esse, seu existentiam, quandoquidem hæc non distinguatur realiter à substantia. Sed supposito quod distingueretur, adhuc bene posset substantia per semetipsam & respicere existentiam tanquam aliquid, per quod recipiat esse extra causas, & operari, tanquam aliquid, per quod posset producere aliquid aliud, & sic eadem substantia, vt operatiua quidem, formaliter respiceret primo operari, sed simpliciter & realiter respiceret primario esse, & secundario tantum operari; in omni autem sententia aliquid potest respicere duo, modo vnum respiciat primario, & alterum secundario : ex quo patet ad doctrinam, quam tradunt *Complutenses num.* 23. §. *sed hæc solutio.*

17. *Obijcies secundo*, Accidentia se solis destruunt formam substantialem: ergo se solis producunt formam substantialem, quia nisi producerent vnam formam substantialem, aliam non destruerent.

*Confirmatur*, quia actio alteratiua est productiua substantiæ : sed accidentia sunt sufficiens principium actionis alteratiuæ : ergo & generatiuæ.

*Confirmatur secundo*, experientia constat substantias creatas non agere, nisi mediantibus accidentibus; ergo accidentia attingunt productionem substantiæ.

*Respondetur*, negando antecedens : solummodo enim destruunt formas substantiales dispositiue; vnde vt destruantur, debet adesse aliud agens, quod ipsas destruat, Ex quo patet ad confirmationem primam distinguendo antecedens : dispositiue concedo, formaliter nego antecedens & consequentiam.

*Ad secundam confirmationem, respondeo primo*, inde solum sequi ad summum, quod accidentia partialiter concurrant immediate ad productionem substantiæ.

*Respondeo secundo*, distinguendo antecedens, tanquam principijs disponentibus, concedo antecedens; tanquam immediate attingentibus omnes effectus qui producuntur à substantijs, nego antecedens : & distinguo etiam consequens; dispositiue, concedo; immediate & formaliter, nego consequentiam.

18. *Dices* : imperfectius potest corrumpere perfectius, non solum dispositiue, sed etiam immediate & formaliter: sic enim ignis corrumpit hominem : ergo potest etiam producere perfectius.

*Respondet Mastrius* ad hanc replicam ex doctrina quadam, quæ habetur in additione ad *Scotum in 4. distinct. 12. quæst. 3. litt. x.* sed responsio satis obscura est, & non necessaria ad solutionem difficultatis huius, vt legenti facile constare potest; nec additiones omnes ad Scotum sunt magnæ authoritatis.

*Respondetur* ergo breuiter, negando consequentiam, quia ad destructionem vnius sufficit productio alterius incompatibilis; vnde cum forma ignis sit incompatibilis cum forma viuentis, quicunque potest producere formam ignis, potest corrumpere formam viuentis, nec ad destruendum viuens requiritur maior virtus, quam quæ requiritur ad producendã formam ignis in eadem materia.

Ad quod addo contra eundem *Mastrium*, bene posse destrui viuens per virtutem accidentis vnius aut plurium, quia licet non sit formalis repugnantia inter formam viuentis, & accidens, est tamen aut esse potest formalis repugnantia inter dispositionem necessariam ad formam viuentis, nempe ad animam, & accidentia alia, quæ virtute aliorum similium accidentium possunt produci; vnde si producerentur illa accidentia destrueretur dispositio necessaria ad formam viuentis, & consequenter destrueretur forma viuentis, & sane sæpius hoc modo destruuntur verisimiliter animalia, & ipsimet homines : vel propter excessum aliquorum accidentium vt caloris, verbi gratia, vel propter defectum : & tam excessus, quam defectus iste oriri potest, & verisimiliter solet, ob virtutem aliorum accidentium applicatorum : & hinc negabimus suo loco in generatione viuentium axioma illud verum esse : Corruptio vnius est generatio alterius.

19. *Instabis* contra hoc: Si posset accidens corrumpere substantiam : ergo posset non solum viuens, sed & quæcunque substantia corrumpi virtute accidentis absque concursu substantiæ, & consequenter posset dari corruptio alicuius substantiæ, etiam non viuentis absque generatione viuentis : sed hoc est contra prædictum axioma & communem sententiam Scotistarum. Probatur sequela, quia posset accidens destruere dispositionem necessariam ad conseruationem aquæ, & ea destructa destrueretur aqua, quamuis nulla alia forma substantialis succederetur aqua, quamuis nulla alia forma substantialis succederetur at que adeo relinqueretur materia prima nuda absque vlla forma substantiali.

*Respondetur* negando sequelam, quia accidens non potest corrumpere substantiam non viuentem, nisi introducendo in ipsam alia accidentia (suppono enim hic accidentia subiectari in toto composito non viuenti) sed quamdiu introducit accidentia in ipsam, non potest illa corrumpi, immo debet necessario remanere, vt accidentia illa conseruentur; vnde vt destruatur illa substantia, debet interuenire concursus alicuius substantiæ, quæ possit introducere formam substantialem in materiam eius; qua forma introducta, destruetur illa substantia. Quod si illæ dispositiones accidentariæ subiectarentur in materia prima mediante quantitate, & non in composito, vt plurimi tenent, fateor, quantum est ex vi accidentis præcise, posse destrui substantiam (ex suppositione quod non posset connaturaliter conseruari absque dispositione accidentali conseruatiua) absque concursu substantiæ, & sic posset materia prima conseruari absque omni forma substantiali, & non esset necessarium, quod corruptio vnius, etiam non viuentis, esset generatio alterius : sed tamen de facto hoc nunquam contingit; quia quoties de facto peruenitur ad illud instans, in quo verum est dicere, iam non est aliqua pars dispositionis necessario conseruatiuæ formæ substantialis, adest aliqua causa, quæ producat formam substantialem, & consequenter quæ generet aliam substantiam: & si non adsit causa secunda, recurrendum est ad causam primam, quæ disposuit de facto nunquam tollere concursum, quo conseruat vnam formam substantialem, quin producatur alia forma substantialis : loquendo de non viuentibus.

20. *Obiicies tertio* fundamentum principale recentiorum aduersariorum : Experientia constat, multas substantias de nouo produci, quarum non potest assignari causa aliqua immediata, quæ sit substantia, saltem tam perfecta quam sint substantiæ illæ productæ : ergo dicendum est quod accidentia illa immediate producant substantiam,

& quod imperfectius possit producere quid perfectius se ipso. Probatur antecedens, quia ferrum candens producit ignem, & calor solis transiens per vitrum concauum : & semen hominis immediate producit corpus hominis : & metalla generantur in viscetibus terræ: & ranæ generantur ex putri materia sine præsentia alterius ranæ, aut causæ substantialis sufficientis ad illam productionem.

*Respondetur*, negando antecedens : & ad illas experientias, Respondetur primo generaliter, quod quotiescunque aliquis effectus producitur sine applicatione causæ perfectioris, vel æque perfectæ, cui possit illa productio adscribi, recurrendum sit ad Dominum Deum, tanquam ad auctorem naturæ, cui incumbit supplere defectus causarum secundarum efficientium sic, vt quotiescumqua reperit vltimas dispositiones ad formam aliquam, quam nulla causa secunda tum applicata producere potest, ipsemet connaturaliter loquendo debeat eam producere, quemadmodum producit animam rationalem positis vltimis dispositionibus ad illam.

*Dices* cum *Auersa*, esse valde inconueniens recurrere ad Deum in operationibus, quæ tam ordinarie fiunt ; sed potius dicendum quod in causis secundis sit virtus sufficiens ad illas.

*Respondeo*, non esse inconueniens, sed necessarium recurrere ad Deum, quoties non potest assignari causa secunda sufficiens, etiam si singulis momentis producerentur; at certe imperfectius nequit esse causa sufficiens ad producendum effectum perfectiorem. Et ex ipsismet aduersariis in casibus valde ordinariis, nempe quoties moritur aliquod animal, plurimi recurrunt ad Deum, tanquam ad causam immediate productiuam formæ cadaueris, quam tum fingunt produci in materia prima; & alii ex ipsis recurrunt ad alias causas vniuersales.

Soluuntur experientiæ prædictæ.

21. *Respondeo secundo* in particulari ad illas experientias, ignem, qui producitur ad applicationem ferri candentis, vel produci ab igne reperto in poris istius ferri, vel à corpore aliquo cælesti; à quo etiam producitur ignis productus ad applicationem caloris transeuntis per vitrum ; & ignis ille, qui excutitur è silice ( si tamen elementa non reperiantur formaliter in mixto ) & mineralia in viscetibus terræ. Ad semen dico, quod seipso non sufficit ad generationem vllius animati immediate, sed potius est materia secunda, ex qua corpus animati producitur à causis circumstantibus. An autem anima, qua postea informatur istud corpus, producatur à corporibus cælestibus, concurrentibus, vel non concurrentibus causis sublunaribus, dependet ab alia quæstione, an cælestia corpora sint perfectiora animalibus, de quo suo loco, quod si corpora cælestia non sufficiunt, recurrendum est ad ipsum Deum.

*Dices*, hinc sequiturum, quod equus non generaret alium equum. *Confirmatur*, si ignis non produceret aliud, quam dispositionem ad ignem, non diceretur producere alium ignem; ergo si animal non produceret, nisi dispositionem ad aliud animal, non debet dici ipsum producere.

*Respondeo*, id certum esse de generatione immediata, sicut & certum est hominem nõ generare immediate alium hominem: sed tam equus, quam homo dicuntur generare alium equum & hominem; quia effundunt semen, ex quo adaptatur corpus eius cum talibus dispositionibus, quæ connaturaliter exigunt infusionem animæ, & ad quas propterea sequitur illa infusio.

*Ad confirmationem respondeo primo* negando antecedens. *Respondeo secundo* negando consequentiam : & disparitas est, quod ignis non habeat solum virtutem immediate productiuam dispositionis, sed etiam ipsiusmet ignis; vnde posset censeri non producere ipsum, nisi ipsummet immediate produceret. Equus autem non habet virtutem immediate productiuam alterius equi, sed solum productiuam dispositionis præuiæ, & consequenter quoties illam dispositionem producit, potest dici producere equum, quantum est ex parte sua, quia fecit totum quod potuit in ordine ad illam productionem. Sed hoc totum est de nomine, & parum propterea curandum.

22. *Replicabis* cum aduersariis: ille concursus, quo Deus suppleret defectum causæ secundæ, vel esset naturalis, vel supernaturalis, & miraculosus : non naturalis, tum quia Deus nihil agit naturaliter, tanquam causa particularis; tum etiam, quia sequeretur, quod aliqui effectus particulares possent naturaliter produci à diuersis causis particularibus. Non secundum, quia alias miraculose producerentur ranæ ex putredine & animalia alia omnia, quæ immediate producuntur à solo Deo, si ipse solus producit illorum animam.

*Respondeo* illum concursum esse naturalem, sicut est concursus quo producit animam rationalem, quia est iuxta connaturalem exigentiam creaturarum; vnde nego subsumptum pro prima parte, nempe quod concursus ille non sit naturalis. Ad cuius primam probationem, respondeo esse quæstionem de nomine, an Deus dici debeat causa vniuersalis, vel particularis talis effectus: si enim intelligatur per causam particularem illa, quæ se sola producit immediate effectum, dicendus erit Deus causa particularis; nec propterea tamen ageret miraculose, sed naturalissime; si vero intelligatur per causam vniuersalem illa, quæ non magis ex se determinatur ad vnum effectum, quam ad alios omnes; aut illa, quæ hic, & nunc agit propter curam vniuersalem, quam habet supplendi defectus aliarum causarum, erit dicendus Deus causa vniuersalis talis effectus. Et eodem modo vel simili respondendum erit ipsis aduersariis, si quæratur ab ipsis quomodo Deus concurrat ad productionem animæ rationalis, ac formæ cadaueris.

Ad secundam probationem subsumpti respondeo non esse inconueniens, quod idem effectus in specie possit produci à diuersis specie causis, quod ipsis aduersariis fatendum est: nam concedunt ranas aliquando produci seminis virtute, aliquando sine semine. Quod si fiat mentio de eodem effectu numerico; quod ipsis sufficiet in casu murium generatorum ex semine, & sine semine, nobis sufficiet: & in re ipsa fortassis non est idem numero effectus, qui producitur à solo Deo quando supplet defectum causæ secundæ, & qui produceretur ab ipsamet causa secunda, si immediate illum produceret ; sed sufficeret, quod sit idem in specie : quod si debeat esse idem numero effectus, tum falsum est quod idem numero effectus non possit diuisim à diuersis causis produci.

## CONCLVSIO III.

Si accidentia sola immediate producerent substantiam, essent causæ principales productiuæ ipsius.

23. *Si accidentia sola immediate producerent substantiam, essent causæ principales productiuæ ipsius.* Hæc est iuxta sententiam *Pereiræ*, , & mihi probatur efficaciter ex eo, quod, modo actio ab ipsis solis immediate procedat, nihil impediat, quo minus sint causæ principales istius actionis, præsertim cum ex substantia nullam virtutem recipiat aut motionem aut impulsum, præter suammet entitatem : recipere autem suam entitatem ab ipsa non tollit, quo minus sint causæ principales. Quod si etiam ipsa non producerentur à substantia, in qua subiectantur, profecto non video, quomodo posset illa substantia vllo modo dici causa productionis alterius substantiæ, nisi denominatiue & materialiter ; sicut substantia, quæ est alba, dici potest disgregare visum, cum tamen sola causa principalis, & per se disgregationis sit albedo.

*Obiicies ex Complutensibus* : Actiones sunt proprie suppositorum seu subsistentium : sed forma substantialis est, qua suppositum habet esse tale : ergo quamuis actio illa, qua producitur substantia, immediate egrediatur ab accidentibus, accidentia tamen non possunt esse causæ principales ipsius, sed forma substantialis. Probatur antecedens tum *Aristotelis* authoritate 1. *de anima c.* 4. tum ratione, quia operari præsupponit esse : ergo operari per se conuenit saltem principaliter soli illi, quod habet esse per se: sed solum subsistens seu suppositum substãtiale habet esse per se: ergo solum illud operari poterit. Probatur prima consequentia, quia ex eo quod suppositum est id quod est, ideo est efficiens vt *quod* principale: ergo quia forma substantialis est id, quo ipsum suppositum est, est etiam id, quo principaliter agit.

*Confirmatur*, quia si forma substantialis in composito

non

non esset ipsi principium primum operandi, frustra esset in ipso: ergo debet esse tale principium.

24. *Respondeo* ad hanc difficultatem, quæ multum habet nominis, & parum rei; primo ex ea secuturum, quod etiam causa principalis calefactionis non esset calor; quod videtur absurdum. Sequela patet, quia calefactio est actio: ergo si actio debet esse necessario suppositorum, & illius, quod primo constituit suppositum, calefactio debet habere pro causa principali vt *quo* formam substantialem rei, in qua est, & consequenter calefactio orta ab aqua calida deberet principaliter procedere à forma aquæ, quod est prorsus ridiculum.

Ad actiones sint suppositorum.

*Respondeo secundo*, distinguendo maiorem, denominatiue concedo, formaliter, & ita vt ipsum suppositum sit causa vllo modo actionis nisi quatenus est causa sustentatiua accidentis, à quo oritur actio; sicut materia potest dici causa actionum prouenientium à forma, quam sustentat nego maiorem. Ad cuius probationem dico Aristotelem non alio modo velle quod actiones sint suppositorum, quam denominatiue. Imo nec vult ille aut alius vllus, quod actiones sint ita necessario suppositorum, vt nõ possint dari actiones, nisi prouenientes à suppositis, quia anima rationalis separata non est suppositum, & tamen habere potest etiam naturaliter plures actiones, & accidentia Eucharistica separata habent actiones, cum tamen non sint suppositа.

Ad secundam probationem respondeo distinguendo consequens: ergo operari per se, id est sine consortio alterius principij concurrentis, aut per modum causæ principalis, competit illi, quod habet esse per se, id est, quod non est existens in alio, nego consequentiam: ergo operari per se, id est, operari non existendo in alio competit soli substãtiæ naturaliter loquendo, concedo consequentiam, sed consequens non est ad propositum.

25. Breuius potest responderi absolute negando consequentiam, quia ad hoc quod aliquid operetur per se, tanquam causa principalis, impertinens est, quod habeat esse per se, seu quod sit in alio inhærens. Quod confirmo, quia causa per se, vt quo, principalis est secundum aduersarios forma substantialis; & tamen non habet esse per se, prout esse per se opponitur esse in alio, quia est in materia: ergo habere esse per se, prout esse per se opponitur esse in alio, est omnino impertinens ad causandum per se aliquid per modum causæ principalis.

*Respondetur tertio*, concessa maiori, distinguendo minorem: forma substantialis est, qua habet esse tale, id est, esse productiuum istius effectus, qui immediate egreditur ab accidentibus, nego; esse tale secundum quamcumque aliam rationem transeat minor, & nego consequentiam. Ad cuius probationem dico suppositum, non ideo esse efficiens quia est id quod est quomodocumque, sed quia est habens virtutem efficiendi: sed non habet virtutem efficiendi à forma substantiali ex hypothesi conclusionis; sed à forma accidentali, id quod manifeste constat, quia perinde est quam formam substãtialem habet ad habendas illas actiones, quæ egrediuntur à solis accidentibus; nam quodcunque suppositum quacunque forma substãtiali constat, si habeat formas tales accidentales, habebit eadem actiones immediate prouenientes ab illis accidentibus, vt patet in aqua calefaciente: sed sane si forma substantialis esset principium principale istarum actionum, non esset perinde, quam formam haberet.

*Ad confirmationem respondeo*, ex ea, si valet, sequi quod actiones immediate non egrediantur à solis accidentibus, quia sic inutiles essent in ordine ad illas actiones tales formæ.

*Respondeo secundo*, non futuram inutilem illam formam quamuis non esset causa operationum prouenientium ab accidentibus, tum quia constitueret ipsammet substantiã; tum quia esset principium productiuum ipsorum accidentium connaturalium isti substantiæ.

26. *Obiicies ex Ioanne à S. Thoma*, si forma substantialis esset immediatũ principium operationum, habens formam, semper haberet operationem in actu, sicut habẽs animam est semper viuens: sed hoc est falsum; vt patet experientia: ergo & antecedens; Probatur sequela, quia in quantum forma, est actus non ordinatus ad alium actum, sed in quantum actus non est principium operãs; alias esset operans actu & non potentia: ergo ratione alicuius superadditi fit operans.

*Respondeo primo*, hoc argumentum retorqueri posse contra aduersarios hoc modo: si forma accidentalis esset principium immediate operatiuum, habens formam illam semper haberet operationem in actu: sed hoc est tam falsum, quàm quod habens formam substantialem semper haberet operationem in actu: ergo & antecedens. Sequela probari potest eodem plane modo, quo probatur sequela probationis; nec prorsus facit ad rem quod forma accidentalis sit instrumentum vel non sit.

*Respondeo secundo*, negando sequelam, & distinguendo consequens probationis: ratione alicuius superadditi, quod sit principium operatiuum, nego: quod sit actio reducens principium operatiuum ad actum secundum, concedo consequentiam.

## CONCLVSIO IV.

Accidentia non producunt partialiter substantiam.

27. *Accidentia non producunt, partialiter etiam, immediate ipsam substantiam.* Hæc est iuxta septimam contra reliquas.

*Probatur*, quia ex suppositione ante probata, quod substantiæ habent aliquam actionem immediate terminatam ad substantias productas, habent sufficientem proportionem ad actionem totalem habendam, vel enim erit eiusdem vel maioris perfectionis quam effectus: ergo superflue recurreretur ad concursum aliquem etiam partialem accidentis.

*Confirmatur*, quia non sunt multiplicandi concursus absque necessitate & quotiescunque sunt duæ causæ, de quarum concursu ad effectum dubitatur, si inueniatur, quod vna necessario concurrat, & quod nihil impediat quo minus concurrat adæquate, nec constet aliunde, quod altera concurrat, debet dici, quod illa sola concurrat & quod altera non concurrat omnino: sed ita contingit in proposito, vt patet, ergo.

*Confirmatur secundo*, quia experientiæ superius positæ de substantiis productis ad applicationem accidentium, non magis probant concursum partialem, quam totalem accidentium ad productionem illarum substantiarum: sed non probant totalem: ergo nec partialem.

28. *Dices*: non repugnare concursum immediatum accidentis, nec repugnare quod substantia, etiam maioris virturi non haberet virtutem adæquate productiuam alterius substantiæ, licet haberet virtutem partialiter productiuam ipsius: ergo ita dicendum est.

*Respondeo*, negando consequentiam; quamuis enim ita posset esse: ita tamen non est dicendum absque causa aliqua aut ratione.

*Probari solet vlterius conclusio*: quia nulla est formalitas in substantia correspondens accidenti, ergo accidens non concurrit ad productionem ipsius. Respondet *Arriaga*, hoc argumentum esse debile, propter aliquas instantias: sed argumentum tamen est bonum, si bene intelligitur: Sensus ergo est, quod quotiescumque præsentes sunt plures causæ, dum producitur effectus, si non reperiatur aliqua formalitas in effectu correspondens vni ex illis causis, sed omnes formalitates correspondent alteri causæ, nec aliunde constet, quod requiratur concursus causæ non habentis formalitatem sibi particulariter correspondentem, non debeat dici, quod illa causa concurrat ad illum effectum; quod quidem satis apparens videtur; ad quid enim id diceretur? sed ita contingit in casu nostro, ergo &c.

29. *Obiicies pro Suario*, accidentia non sunt data substantiis pro ornamento solummodo, sed etiam vt iis mediantibus omnes suas operationes exerceant, ergo concurrunt ad productiones substantiales.

*Respondeo primo*, negando antecedens, quia prima productio ipsorum accidentium non fit mediantibus accidentibus: ergo omnes operationes substantiarum non fiunt mediantibus accidentibus.

*Respondeo secundo*, distinguendo antecedens: iis mediantibus, tanquam immediate concurrentibus, nego antecedens: tanquam immediate, vel mediate ac dispositiue concurrentibus, concedo antecedens, & nego consequentiam.

*Obiicies secundo.* Substantia est de se indeterminata ad hanc, & illam formam substantialem producendam: ergo debet determinari per accidens, & consequenter accidens debet concurrere immediate ad productionem substantiæ.

*Respondeo primo* negando antecedens, si intelligatur vniuersaliter, quia ignis est ex se determinatus ad ignem producendum tam bene, quam calor est determinatus ad producendum calorem.

*Respondeo secundo*, distinguendo primum consequens; debet determinari per accidēs dispositiue, transeat; tanquā per aliquod comprincipium immediate concurrens, nego cōsequentiam primam, & secundam etiam. Quod si calor etiam immediate concurreret ad productionem ignis, potius deberet dici quod ignis determinaret calorem ad producendum ignem alterum, quam calor determinaret ignem: nemo est enim qui bene negare possit, quin ignis ex natura sua sit magis determinatus ad ignem producendum, quam calor. Itaque quæcunque substantia est indeterminata ad plures effectus substantiales, determinatur ad vnum præ alio, vel per dispositiones præuias exigenter connaturaliter vnam formam præ alia, & consequenter per accidentia producentia illas dispositiones, tanquam per causas disponentes; vel per alias substantias applicatas, & immediate concurrentes ad productionem substantiæ illius, quæ producitur.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum substantia producat immediate accidens.*

30. DVobus modis posset substantia producere accidens: primo in semetipso: secūdo in alio subiecto: & de vtroque modo esse potest difficultas.

*Prima sententia* vniuersaliter negat substantiam vllam per semetipsam immediate producere productione vera, & reali vllum accidens, siue in se, siue in alio subiecto. Hanc tenent *Complutenses disp. 10. nu. 92.* pro eaque citant D. Thomam variis locis ac plures alios Thomistas; fatentur tamen substantiam aliquo modo effectiue se habere ad accidentia sua propria, & hæc à substantia immediate emanare, *verbi gratia* calorē à substantia ignis, frigus ab aqua; sed non tamen per veram actionem, & explicat postea *nu. 106.* illam emanationem consistere in ordine exeundi passionum post essentiam: & *num. 101.* dicunt ideo substantiam habere se per modum causæ effectiuæ licet non producat passiones per veram actionem, quia scilicet exigit connaturaliter illa accidentia; & propterea est ratio cur generans producat illa accidentia propria eadem ipsa actione, qua producit substantiam: quæ cum difficili, valde sint, mirabile est, cur absque necessitate vlla quis velit in eas se angustias conferre.

*Secunda sententia* est substantias immediate producere in semetipsis aliqua accidentia actione proprie dicta, non vero posse producere accidentia vlla, realia saltem, in alio subiecto per virtutem suam substantialem, *verbi gratia* aquam per suam virtutem substantialem posse producere in se frigus, sed non in alio corpore sibi quomodocunque applicato. Hanc quoad primam partem tenent *Scotistæ omnes cum D. 2. d. 16. & in 4. d. 12. q. 3.* quem recentiores communiter sequuntur, & nominatim *Suar. disp. 14. met. Hurtad. disp 9. Physicorum, Arriaga disp. 11 sec. 2. Auersa disp. 21. sec. 8.* quo ad secundam vero partem est *Suaris* & *Auersa.*

*Tertia sententia* est, quod substantia producat aliqua accidentia etiam in alieno subiecto. Hanc tenet *Maior 4. dist. 12. q. 2. Rubion. ibidem q. 6. Arriaga supra*, & *Mastrius disp. 7. ar. 3.* qui eam tribuit *Scoto 2. d. 9. q. 2.*

Substantia immediate producit aliqua accidentia actione proprie dicta.

## CONCLVSIO I.

31. *Substantia immediate producit aliqua accidentia in semetipsa actione proprie dicta.* Hæc est communior cum secunda, & tertia sententia contra primam.

*Probatur primo* authoritate *Aristotelis 7. Met. tex. 32.* vbi videtur tenere conclusionem. Sed quidquid sit de authoritate, quæ in rebus Philosophicis parui mihi est momenti, nisi vbi deficit ratio pro alterutra parte.

*Probatur secundo ratione*, quia aqua calida producit in semetipsa frigus, vt patet experientia, & quidem actione tā reali ac vera, quam est vlla actio: sed non producit in se frigus per vllum gradum frigoris, tum quia posset forte tātum calefieri, vt nihil maneret frigoris, tum quia quantumuis aliquis gradus maneret, nulla qualitas potest seipsam intendere: vt suo loco dicemus; nec vlla alia qualitas potest assignari, per quam illud frigus producat: ergo producit illud per virtutem suam substantialem.

*Dices* adesse ibi qualitatem aliquam occultam, quæ illud producat.

*Contra*: Si est occulta, vnde intelligitur adesse, si ex productione frigoris, petitur principium, quia quæritur cur frigus non posset ab ipsa substantia produci. Itaque gratis omnino asseritur qualitas occulta, & eam asserens multiplicat entia sine necessitate.

32. *Dices secundo cum Toleto*, frigus illud produci ab aëre circumstante.

*Contra*, quia aër circumstans non est tam frigidus quam aqua, & consequenter non potest tantum frigoris producere quantum habet aqua: Addit ad hoc *Mastrius* quod aqua in vacuo reduceret se ad frigus, vbi non adesset aër aut aliud corpus circumstans; sed hæc experientia incerta est & negaretur propterea à Toleto.

*Dices tertio*, illud frigus à generante aquam produci.

*Contra*, posset illud generans non esse, sufficienter applicatum; imo posset tum non existere in rerum natura.

*Dices quarto*, produci illud frigus à Deo, aut causis superioribus, supplentibus defectum causæ secundæ.

*Contra*, quia non est recurrendum ad Deum, nisi vbi deficit causa secunda sufficiens: sed hic non deficit, quia prorsus nihil impedit quo minus ipsamet substantia virtute sua illud producere possit.

*Dices quinto*, illud frigus produci à tali principio, à quo producitur in speciebus Eucharisticis vini, quando calefactæ reducuntur ad frigus connaturale: sed non producitur in his à substantia vlla, cum nulla sit substantia sub illis speciebus, à qua illud produceretur: ergo neque in aqua producitur à substantia aquæ.

*Respondeo negando* maiorem, quia illud frigus producitur à Deo supplente defectum substantiæ, quæ esset sub illis speciebus, nisi propter miraculum Eucharistiæ: in casu autem aquæ adest ipsamet substantia aquæ, cui potest illa productio adscribi sine recursu ad Deum.

33. *Probatur secundo* Conclusio quia intellectus effectiue concurrit immediate ad producendum in se intellectionem: sed vt suppono ex dicendis in libris de anima intellectus est substantia: ergo substantia immediate concurrit ad productionem accidentis.

*Probatur conclusio tertio*, & confirmatur vtraque præcedens probatio, quia nihil impedit quo minus substantia immediate producat aliqua accidentia: si enim potest producere substantiam, & si vnum accidens potest producere aliud accidens immediate, nulla ratio assignari potest, cur substantia non posset producere accidens.

Hinc sequitur quod substantiæ producant in seipsis in primo instanti, quo producuntur, qualitates suas connaturales; quæ dicuntur ab ipsis emanare: si enim habeant virtutem productiuam accidentiū, potius ipsis debet adscribi productio illorum accidentium, quam aliis causis, & quamuis dicantur emanare ab ipsis, tamen illa emanatio non excludit, quin fiant per veram, & realem actionem, quia quotiescunque aliquis terminus distinctus realiter ab aliquo emanat ab ipso, produci debet per actionem veram & realem, præsertim si ille terminus possit esse existens in rerum natura simul cum illo principio, à quo emanat, absque eo quod emanet: Sed sic est quod frigus aquæ distinguatur realiter ab aqua, & quod posset tam aqua quā frigus existere in rerum natura quin frigus emanet: ergo frigus nequit emanare ab aqua absque vera actione:

&

& sane qui hoc negaret, posset negare omnem veram actionem. Quod si etiam frigus non produceretur ab aqua, sed à generante aquam, profecto adhuc dicendum esset quod non produceretur per actionem, qua producitur ipsamet substantia aquæ, vt pessime aiunt Complutenses: tum quia bene posset esse actio productiua aquæ sine productione frigoris, de potentia saltem absoluta: sed nequit esse actio sine omni termino per illam posito; tum quia eadem ratione, qua actio productiua aquæ est actio productiua frigoris, etiam actio conseruatiua aquæ est actio conseruatiua frigoris; sed hoc est falsũ, quia actio conseruatiua aquæ remanet, etiam naturaliter, sine conseruatione frigoris, quando scilicet caleſit aqua; actio autẽ non remanet naturaliter sine omni termino per illam producto.

*Dices*: generanti adscribitur communiter productio illarum qualitatum, quæ sunt rei proprietates: ergo ab ipso producuntur.

*Respondeo* distinguendo consequens: ab ipso immediate, nego; mediate, concedo, quatenus scilicet ab ipso prouenit substantia, à qua producuntur in eodem instanti illæ operationes.

Quæ accidentia possit substantia in se producere.

Hic vlterius explicari solet, quænam accidentia possit substantia in semetipsa producere. Sed facile respondetur omnia illa, quorum productio absque inconuenienti ipsi adscribi possit; nec necesse est descendere in particulari ad specificationem maiorem.

## CONCLVSIO II.

Substantia aliqua potest producere accidentia in alieno subiecto.

34. *Substantia aliqua potest producere accidens in alio subiecto per suam virtutem substantialem immediate.* Hæc colligitur ex *Doct. 2. d. 9. q. 2. num. 32.* vbi supponit calorem posse produci à sole: eam tenet *Arriaga* & *Mastrius* supra.

*Probatur* ex illo ipso exemplo Scoti: Sol producit calorem: sed non producit illum per alium calorem, quia sol non est formaliter calidus, sed virtualiter tantum: nec assignari potest alia qualitas in sole, per quam potius quam per suam formam substantialem illum debeat producere: ergo per suam substantialem formã illum producit. Aliud exemplum, quo probari potest conclusio, est impulsus, qui imprimitur proiectis per virtutem loco motiuam, quæ in probabiliori sententia est substantia. Similiter instari potest in pipere, & vino, quæ producunt calorem maiorem, quam habent in seipsis formaliter: sed non est dicendum quod hoc faciant mediante qualitate aliqua occulta potius, quam per suam substantiam, quia multiplicaretur illa qualitas occulta absque necessitate, quod non est dicendum. Adde, nihil impedire quo minus huiusmodi virtus tribuatur substantiæ: ergo quoties ad applicationem substantiæ producuntur aliquæ qualitates in alieno subiecto, quæ non alij potius principio quam substantiæ attribui debent, dicendum est quod substantia immediate illas producat.

## CONCLVSIO III.

Productio aliquarum qualitatũ in alieno subiecto non est attribuenda substantiæ.

35. *De facto productio qualitatum in alieno subiecto, quæ sunt similes qualitatibus substantiæ, ad cuius præsentiam producuntur illæ qualitates, non est attribuenda ipsi substantiæ immediate, neque quidem partialiter, sed qualitatibus ipsius, & probabilius videtur substantiam se sola non posse illas qualitates producere.* Hæc quoad primam partem est *Auersæ*, & *Arriagæ* supra contra *Mastrium*, qui dicit oppositum doceri à Doctore supra. Sed toto cælo fallitur, Scotus enim tantum dicit quod calor possit produci tam à substantia, quam ab accidente; sed nullo modo dicit quod possit à substantia formaliter calida produci in alieno subiecto.

*Dices cum Mastrio*: calor à calore nequit produci, nisi in alieno subiecto, ergo si simul producatur calor à calore & substantia, debet etiam produci à substantia in alieno subiecto.

*Respondeo* distinguendo consequens: à substantia affecta calore, nego, ab alia substantia, *verbi gratia* à substantia cæli, transeat, quia non impedit conclusionem.

*Probatur conclusio* quoad primam partem: quia ipsæmet qualitates substantiæ sunt sufficientissima principia producendi alias qualitates illas in alieno subiecto: ergo illis solis adscribenda est illa productio.

*Confirmatur*, quia illæ qualitates aliquando producunt se solis, & quidem tam velociter ac perfecte qualitates sibi similes in alieno subiecto, vt patet in aqua calefacta, quæ calefacit per calorem solum immediate: ergo dicendum est, quod semper producant illas, quando applicantur se solis absque concursu substantiæ; neque enim maioris virtutis sunt in aqua, quam in substantia, cui sunt connaturales, *verbi gratia* igne aut homine.

36. *Obiicies ex Mastrio contra hanc partem.* Illud quod continet effectum aliquem in actu primo, potest illum producere in quocunque subiecto capaci talis effectus, si debite applicetur ipsi: sed ignis, verbi gratia, continet calorem in actu primo, aliàs non posset ipsum producere in semetipso, & alienum subiectum, verbi gratia aqua, est capax caloris, & sufficienter applicatur igni, quando ab igne calefit: ergo producit per suam formam substantialem calorem in aqua. Maior est Scoti; simili enim argumento probat intellectum posse producere intellectionem in alieno subiecto.

*Respondetur* in primis certum videri, quod aliqua causa contineat aliquem effectum virtualiter sic, vt possit eum in se ipso producere, qualem tamen effectum nequit producere in alieno subiecto etiam capaci talis effectus; nam substantia grauis producit in semetipsa grauitatem, quam nequit in alieno subiecto producere, & idem est de substantia leui; & similiter substantia materialis completa producit in seipsa quantitatem, quam nequit producere immediate in aliena substantia. Deinde oculus potest producere in seipso sensationem, quam nequit producere in alieno oculo, quod ipsemet Mastrius fatetur; nec tamen magis videtur illa sensatio petere immanenter produci, quam intellectio, quæ potest secundum ipsum etiam transeunter produci. Sed quidquid sit de experientiis, id certum est quod posset aliqua causa habere virtutem sic limitatam, vt non posset effectum in alio subiecto capaci & applicato producere, quem posset in semetipso.

37. *Vnde respondeo* in forma distinguendo maiorem: Si non limitetur ad determinatum subiectum, concedo; si limitetur, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia substantia calida formaliter limitatur ad calorem in semetipso producendum, vt magis apparebit ex probatione secundæ partis conclusionis. Ad probationem autem maioris & authoritatem Scoti respondeo, eum intelligendum esse iuxta distinctionem iam datam, vt quotiescunque scilicet non sit inconueniens, quod causa continens formam producat ipsam in quocunque subiecto applicato debeat dici quod producere possit ipsa; si vero sequatur inconueniens aliquod ex eo, quod producat formam, quam possit producere in alieno subiecto, in seipso, non debet producere illam in seipso; & si rursus sequatur inconueniens ex eo, quod producat in alio subiecto formam quam potest producere in seipso, debeat dici quod non possit producere illam in alieno subiecto: est autem inconueniens, quod producat substatia calida formaliter per suam substantiam calorem correspondentem illi calori in alio subiecto, vt statim dicam; non vero est inconueniens, quod intellectus possit producere intellectionem in alio intellectu mere passiue se habente (si vera sit illa sententia, de quo suo loco) vnde non est idem dicendum de intellectu in ordine ad producendum intellectionem in se & alio subiecto, ac de igne in ordine ad producendum calorem per suam substantiam in se, & in alio subiecto.

*Confirmatur* hæc responsio, quia vinum & piper sunt capacia tanti caloris formalis, quantum possunt producere in alio subiecto, & tamen non possunt tantum producere in semetipsis, vt patet experientia: ergo non est verum, quod agens omne potens formam producere in alio subiecto, possit eam in quocunque subiecto capaci, & applicato producere, & consequenter quamuis

ignis per suam substantiam possit producere in seipso calorem,non sequitur,quod per eam possit producere calorem in alio subiecto.

38. *Probatur secunda pars conclusionis*, quæ est contra *Arriagam*, & *Mastrium*, quia imprimis nulla est experientia aut ratio,quod id possit facere, nec debet adscribi illi vlla productio,nisi colligatur competere ipsi per rationem aut experientiam. *Deinde* si posset illas producere, nulla est ratio cur de facto illas non produceret;sed secundum Arriagam de facto eas non producit:ergo neque potest ex natura sua.Maior patet,quia non potest vel probabiliter dici,quod sit minoris virtutis ad illas producendas, quam ipsemet calor: ergo præsentia caloris non impedit illam productionem;sed aliud impedimentum afferri nequit;ergo.

*Dices cum Arriaga* calorem esse magis proportionatum ad producendum alium calorem,quam substantia ignis.

*Contra*,quia hoc gratissime dicitur, nam quamuis sit eiusdem speciei:tamen si res diuersæ speciei habet etiam virtutem, non debet dici minus proportionata propter a: neque enim agens vniuocum est magis proportionatum ad producendum suum effectum,quam agens æquiuocũ; vnde illa similitudo specifica nihil prorsus facit ad rem.

39. *Dices secundo* cum eodem:videmus quod calor,verbi gratia in subiecto inepto ad producendum calorem, vt in aqua,tam bene producat calorem, quam in igne, aut alio subiecto,cui est connaturalis : ergo signum est,quod se solo producat calorem,etiam in subiecto,cui est connaturalis,sicut se solo producit illum in alio subiecto.

*Respondeo* negando consequentiam ex suppositione quod subiectum connaturale habeat virtutem productiuam caloris in alio subiecto per suam substantiam : nam sicut licet ignis,se solo produceret ignem absque concursu alterius ignis,tamẽ si applicetur æque bene alius ignis,debet æque dici quod simul concurrat, quia non est maior ratio de vno,quam de altero , præsertim si vterque posset habere actionem partialem,ita quamuis calor se solo posset producere calorem,tamen quando applicatur alia causa naturalis æquè potens illum producere,productio caloris debet æque vtrique adscribi,præsertim cum vtrumque posset habere actionem partialem respectu illius:negare autem hoc propter maiorem proportionem caloris cum calore,quàm ignis cum calore in ratione productiui, est petere principium , constanter enim neganda est illa maior proportio,si ignis habeat virtutem productiuam.

40. *Probatur secundo* eadem pars, quia si ignis posset per suam substantiam producere calorem in alio subiecto, frustra daretur illi calor à natura , sed hoc non est dicendum:ergo.Probatur minor , quia quidquid posset facere per calorem,posset facere per propriam substantiam,nihil enim physicum præsertim,de quo potissimum loquimur, potest facere per calorem formaliter , & immediate quam producere alium calorem , aut resistere frigori in se producendo : sed hoc posset tam bene ac tam celeriter facere per suam substantiam:ergo frustra daretur ipsi a natura calor.

*Mastrius Respondet* calorem in igne non esse superfluum,quia cedit ad perfectionem substantiæ,vt citius possit agere, & perfectius existere iuxta statum suum connaturalem,ac denique vt esset perceptibilis à sensu tactus.

*Sed contra primam rationem*,quia sicut habet virtutem producendi calorem in se ipso in instanti:ita posset in instanti producere calorem in alio subiecto æque capaci, si non poneretur impedimentum , & posito impedimento frigoris verbi gratia , nulla prorsus est ratio cur non tam cito posset illud successiue tollere,quàm posset per calorem solum,nec haberur experientia vlla,quod subiectum, cui connaturale est frigus vt tria, citius calefaciat aquam applicatam,qua alia aqua calida vt tria ; ergo non citius ignis cum calore calefacit,quam tantus calor sine igne in simili subiecto, quantum ad raritatem & magnitudinem ; nec etiam citius consequenter potest cum calore , quam sine calore calefacere.

*Contra secundam* est,quod ex suppositione quod calor ad nihil deseruiat igni, non existeret ignis connaturalius sub calore quam sine calore , imo connaturalius existeret sine illo,quia existeret tum sine superfluitate.

*Contra tertiam* est, quod sentiretur ignis sine calore inhærente,mediante calore producto ab illo,nec alio modo sentiri deberet à sensu tactus.

41. *Obiicies pro Mastrio* contra vtramque partem conclusionis : agens naturale agit in distans vniformiter difformiter ita, vt quo magis passum distat, eo minus intensam producat qualitatem : sed calor v. g.in summo est producibilis ab igne in subiecto distanti,& de facto producitur,quando comburitur tale subiectum:ergo necessatio concurrit ad illum calorem in tali subiecto producendum substãtia ignis,quia solus calor non potest in distans tantum calorem producere.

*Respondeo primo*:Si vera est maior,falsam esse minorem: si enim non potest agens naturale producere tam intensam qualitatem, *verbi gratia* calorem , in subiecto distanti, quam potest in magis vicino ; ergo neque ignis etiamsi curreret cum calore poterit illud facere;quod si ignis possit in remoto magis intensum calorem producere quam in propinquo,nulla ratio est,cur etiam calor id facere non possit.

*Respondeo secundo*, distinguendo maiorem, quando totum medium est eiusdem rationis, transeat : quando pars remotior eius est diuersæ rationis,& magis capax ad recipiendum calorem , nego maiorem, & permissa minori(de qua dubitari etiam posset,quia forte non est necessarius tantus calor ad introducendam formam ignis in stupa aut subiecto quocunque combustibili:)nego consequentiam, quia sicut ignis posset producere in tali parte calorem tantum , non producendo tantum in parte viciniori : ita etiam & calor posset facere,vt ante dixi.

*Confirmatur* hoc, quia si aliud subiectum tam calidum quam igis,verbi gratia aqua , applicaretur tali modo stupæ in tali distantia , disponeret stupam ad formam ignis, quamuis nullo modo esset productiuum caloris per suam substantiam,neque in se , neque in alio:ergo signum est, quod concursus substantialis formæ non sit necessarius ad talem dispositionem producendum.

## QVÆSTIO IV.

*An accidentia conseruentur à substantia ?*

Doctrina Mastrii.

MAstrius supra conclusione tertia mirabilem proponit doctrinam:negat enim accidentia etiam connaturalia,quę ipsemet concedit produci à substantia,cui sunt connaturalia, conseruari ab eadem conseruatione proprie dicta,quam explicat per dependentiam effectus in fieri & conseruari;fatetur tamen ea conseruari ab illa,conseruatione improprie dicta,qualem explicat consistere in remotione,& impedimento contrariorum ne agant in illa accidentia.Verum est quod paulo post addat vlteriorem explicationem conseruationis proprie dictæ,dicendo,quod consistat in dependentia essentiali rei non solum in fieri, sed etiam in facto esse.

## CONCLVSIO I.

Accidentia producta à substantia conseruantur ab ipsa.

42. *Accidentia illa,quæ producuntur effectiue in substantia à semetipsa, vere etiam conseruantur a substantia eadem. Probatur* , quia virtus productiua non magis debet adscribi substantiæ respectu illorum accidentium , quam conseruatiua;nec alia causa secunda conseruatiua assignari potest conuenientius , & certum est quod illa accidentia in fieri , & conseruari dependent ab illa substantia. Quod autem non essentialiter dependeant sic , quin possent conseruari ab aliis causis sine dependentia ab illa substantia, nihil facit ad rem:falsum est enim, quod conseruatio proprie dicta inuoluat talem dependentiam , sufficit enim dependentia per se, quemadmodum enim proprie producuntur illa accidentia à substantia, & ab illa proprie vere dependent in fieri,licet non dependeant essentialiter sic,quin possint produci independenter ab illis;ita etiam possent proprie,& vere conseruari,& possunt vere & proprie dependere in facto esse ab illa , quamuis in facto esse non ita dependeant , quin possint esse conseruata in facto esse absque illa; quod totum mihi videtur euidens.

43. *Dices*:calor in aqua non dependet ab aqua effectiue

in

in conseruari: ergo neque in igne; quia dependentia est imperfectionis, & calor in aqua non est perfectior aut perfectionis conditionis quam in igne, vt patet: ergo non dependet ab igne, sicut non dependet ab aqua.

*Respondeo primo.* Si argumentum hoc valeret, secuturum quod non dependeret per se in fieri ab igne, quia non dependet per se in fieri ab aqua, & dependentia etiam in fieri est imperfectionis.

*Respondeo secundo*, negando consequentiam, quia aqua non habet virtutem conseruatiuam eius, sicut nec productiuam, vt statim dicetur; ignis vero sicut habet productiuam, habet conseruatiuam. Ad probationem consequentiæ.

*Respondeo primo* negando consequentiam, quia quamuis non dependeat ab aqua, sicut dependet ab igne, dependet tamen ab alio æquiualenti; vnde non obstante dependentia ab igne, non est peioris conditionis in igne quam in aqua.

*Respondeo secundo* negando antecedens pro secunda parte, quantum ad conditionem dependentiæ, quia sicut conditio dependentiæ est imperfectionis, ita conditio illius, à quo fit dependentia, est perfectionis, & potius debet substantiæ, cuius est accidens, tribui conditio hæc terminatiua dependentiæ, quæ est perfectionis, quamuis poneretur imperfectio, sine qua nequiret esse in accidente, quam poni conditio perfectionis consistens in independentia in accidente, negando conditionem illam perfectionis in substantia, quæ potest ipsi competere.

## CONCLVSIO II.

Accidentia destructiua substantiæ non conseruantur ab ea.

44. *Accidentia destructiua substantiæ non conseruantur ab illa*, verbi gratia *calor ab aqua. Probatur* hoc quia illa substantia non habet virtutem productiuam ipsorum; imo habet virtutem destructiuam: non est autem probabile, quod idem subiectum habeat virtutem conseruatiuam, & destructiuam respectu eiusdem formæ: quod autem habeat aqua virtutem destructiuam caloris, patet experientia, quia ipsum destruit producendo in se frigus contrarium.

*Dices*: non potest assignari alia causa conseruatiua illorum accidentium: ergo conseruantur ab illa substantia.

*Respondeo* negando antecedens: conseruabuntur enim vel à causis superioribus, vel à Deo vt authore naturæ.

## CONCLVSIO III.

Quæ accidentia alia non conseruantur à substantia.

45. *Accidentia substantiæ, quæ neque sunt conseruatiua ipsius, nec destructiua, neque etiam ab illa sola producibilia, non conseruantur ab ipsa sola, verbi gratia species impressa phantastica, habitus intellectus, & voluntatis, habitus supernaturales in substantia, & similia. Probatur*, quia imprimis nulla est ratio, nec experientia, vnde constet, quod huiusmodi accidentia à substantia conseruentur: ergo non debet asseri.

*Deinde*, sicut non habet virtutem totalem productiuam illorum, ita videtur non habere conseruatiuam: conseruatio enim est continuata productio rei: & sicut potest aliqua causa habere virtutem, ex qua sola effectus naturaliter, & necessario egrediantur pro vno instanti, ita posset pro omni, nisi ponatur impedimentum: ergo si non potest pro vno, neque potest pro vllo: sed intellectus v. g. respectu speciei intelligibilis impressæ, si conseruet ipsam se solo pro instanti aliquo, habet virtutem in actu primo, ex qua sola necessario egreditur, pro illo instanti: ergo & pro instanti primo quo producitur, si nullum ponatur impedimentum: sed etiamsi nullum ponatur impedimentum, non posset à solo intellectu egredi illa species pro instanti primo: ergo neque pro secundo, & consequenter nequit se solo conseruare illam speciem.

46. *Confirmatur hoc*, quia pro quocunque instanti producitur aut conseruatur res aliqua, debet in illo instanti esse causa sufficiens in actu primo applicata ad productionem aut conseruationem illius; nec sufficit, quod præfuerit pro vllo alio instanti: ergo pro instanti, pro quo conseruatur species intelligibilis in intellectu, debet esse prius natura aliqua causa effectiua continens illam conseruationem: sed illa causa non potest esse intellectus solus, aliàs posset exire ab illo solo species illa pro primo instanti, sicut exit pro illo instanti: ergo necessario recurrendum ad aliquid aliud, quod est intentum.

*Dices*, intellectum solum sufficere, vt exeat illa species ex suppositione, quod semel fuerit producta pro alio instanti.

*Contra*, quia productio ipsius pro alio instanti non potest iuuare pro hoc instanti, quandoquidem non sit in hoc instanti illa productio, qua ratione probamus quod productio causæ pro vno instanti non iuuet, vt illa causa producat in alio instanti, nisi causa etiam producatur in illo alio instanti.

## QVÆSTIO V.

*An causa prima concurrat immediate ad effectus causarum secundarum efficientium.*

Causæ secundæ producunt aliquid.

47. SVppono hic, quod etiam suppositum erat præcedentibus quæstionibus, nempe Creaturas, quas vocamus hic causas secundas, habere aliquam efficientiam physicam respectu multarum rerum, quæ de nouo producuntur: quamuis enim id negare videantur *Petrus Aliacensis*, & oppositum probabile teneat *Gabriel*; tamen horum sententia omnino falsa est, quod probatur primo argumento Theologico ex Scriptura desumpto: nam in ea sæpissime actiones tribuuntur Causis secundis, vt Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem. Producant aquæ reptile. Crescite & multiplicamini. Quid fecisti quia fecisti rem hanc*, & *Concilium Tridentinum* expresse definit, quod non habeamus nos respectu actuum supernaturalium mere passiuè, tanquam inanime instrumentum, sed actiuè.

*Probatur secundo*, quia homines aliàs non peccarent nec mererentur; & consequenter nec pœna plecti deberent, nec affici præmio.

*Probatur tertio* authoritate communissima ceterorum Philosophorum ac Theologorum, cui absque ratione aliqua vrgenti, qualem aduersarij non habent, contrairi non debet.

*Probatur quarto* experientia qua constat ad præsentiam aquæ produci frigus; ignis, calorem & ignem, obiecti & oculi non impediti visionem: ergo dicendum est, quod causæ secundæ illæ, ad quarum præsentiam ita illæ res producuntur, vt non nisi iis præsentibus producerentur, habeant efficientiam circa illas.

*Dices* cum Aduersariis Deum solum illas res ad præsentiam illarum aliarum rerum producere absque concursu physico illarum.

*Contra*: quia si Deus solus id faceret ad præsentiam tantum illarum non esset maior ratio, cur ignem produceret ad præsentiam ignis, quam ad præsentiam aquæ: cur enim ignem produceret ad præsentiam ignis potius, quam aquæ, nisi quia ignis vel concurreret ad productionem ignis, vel disponeret ad illam productionem? Sed disponere non potest ad illam, neque concurrere absque efficientia physica: ergo necessario attribuenda est illi efficientia physica.

48. *Dices*, se habere per modum conditionis sine qua non.

*Contra*, quia omnis conditio sine qua non, præstat aliquam vtilitatem ad productionem effectus, alias cur esset aut quomodo posset esse conditio sine qua non? sed ignis absque efficientia non potest præstare aliquam vtilitatem ad producendum alium ignem aut calorem: ergo absque efficientia nequit esse conditio sine qua non.

Replicæ Arriagæ.

*Arriaga* hunc discursum reuocat in dubium *disp.* 11. *n.* 3. asserit enim non satis solide resolutionem communem eo fulciri; quia, inquit, sicut nos tenemur explicare, cur ignis producat alium ignem, non vero vnus Angelus alium, & id reuocamus in proprias eorum naturas (quia scilicet natura ignis est efficere alium, non vero Angeli) ita aduersarij possent dicere, quod ex natura ignis proueniat, quod Deus eo præsente producat ignem, non vero aquam; & natura aquæ est, quod ea præsente producatur alia aqua, vel frigus, non vero ignis aut calor. Sed immerito sane tãtum probabilitatis tribuit hic author iner-

simæ sententiæ: nec est prorsus par ratio vtriusque casus: nam optime potest vna creatura habere ex natura sua virtutem effectuam sui similis, & alia non habere: nec est difficile intelligere, quod possent habere talem diuersitatem: eo autem supposito posset intelligi, cur vna produceret, alia non produceret, quia scilicet vna haberet virtutem productiuam, alia non haberet: sed quod vna ex natura sua haberet exigere, quod Deus producat vllum effectum, ad quem effectum producendum ipsamet creatura non habet virtutem productiuam aut dispositiuam remote aut proxime, est omnino inimaginabile & ridiculum: ergo non eodem modo possunt aduersarij recurrere ad naturas rerum in casu præsenti, ac nos in productione ignis per ignem; non vero Angeli per Angelum.

49. *Obiicies* contra hoc suppositum. Deus ipse solus potest omnes effectus causarum efficientium producere, & viderur esse perfectionis in ipso id facere: ergo ita est dicendum.

*Respondeo primo*, retorquendo argumentum. Deus solus posset illos effectus producere absque præsentia aliarum causarum, & id, etiam videtur esse perfectionis: ergo ita dicendum est. Aduersarij hic negare debent vel antecedens, vel consequentiam: ergo debent permittere nobis negare antecedens, vel consequentiam primi argumenti sui, quia est eadem ratio.

*Respondeo secundo*, negando antecedens pro secunda parte: imo esset imperfectionis in Deo se solo producere effectus peccaminosos; quantum autem ad alios effectus sufficit ad perfectionem Dei, quod ipse possit eos producere: & perinde prorsus est quod ipse solus actu illos producat, aut quod producat ipsos admittendo libere concursum causarum secundarum, quibus ipsemet tribuit virtutem concursiuam.

*Suppono secundo*, tum ex fidei principiis, tum ex rationibus naturalibus, dari Deum, qui est causa prima omnium rerum aliarum; quæ principia in Theologia proponi solent: sufficit modo vnicum Scoti, quo vtitur *Arriaga disput. 10. n. 1.*

Nulla res potest producere seipsam, nec potest dari mutua causalitas in causis efficientibus: ergo omnes res productæ habent dependentiam ab aliqua causa improducta: ergo datur talis causa: sed illa est Deus, & est causa prima in quam vltimo resoluitur tota collectio omnium rerum productarum.

*Suppono tertio*, quod nulla causa effectiua secunda possit producere aliquem effectum, nisi dependenter à Deo ita, vt si Deus nollet vllum effectum produci, non posset produci; quod probo, quia hoc est maximæ perfectionis, & esset magnæ imperfectionis, quod creaturæ aliquæ Deo inuito producerentur: & hinc habet ille rationem causæ primæ, creaturæ vero non nisi rationem causæ secundæ essentialiter subordinatæ causæ primæ.

His suppositis grauissima difficultas est, quomodo Deus concurrat cum causis secundis ad effectus suos producendos.

50. *Prima sententia est Durandi 2. d. 1. q. 5.* qui negat Deum influxu immediato producere effectus causarum secundarum; sed solum mediate, quatenus tribuit illis virtutem effectiuam, eamque in ipsis conseruat.

*Secunda sententia est*, de facto Deum quidem immediate concurrere ad illos effectus, sed posse tamen produci illos effectus sine eo, quod ipse sic concurrat. Hanc sententiam non putat absurdam *Hurtadus disp. 10. sect. 2.* & *Arriaga* non inuenit in ea repugnantiam, quamuis eam putet non esse veram, quia olet sententiam Durandi, quæ apud Theologos male audit.

*Tertia sententia* communissima est, Deum de facto concurrere immediate ad omnes effectus, qui immediate producuntur à causis secundis, & eos aliter produci non posse, etiam de potentia absoluta. Hanc tenet *D. in 1. d. 8. q. 5. & d. 42. in 2. d. 1. q. 1. & d. 37. in 4. d. 43.* quem omnes sui sequuntur, cum quibus etiam conueniunt omnes Thomistæ, & recentiores quantum ad primam partem, & quantum ad secundam quoque præter *Hurtadum* & *Arriagam*. Sed ex Thomistis aliqui dicunt Deum ad effectum causarum secundarum concurrere immediate immediatione virtutis non vero immediatione suppositi: alij dicunt cum *Ferrar. 3. contra gentes c. 7.* quod concurrat immediate etiam immediatione suppositi: & hi sunt, qui nobiscum totaliter sentiunt. Vt autem intelligatur diuersitas vtriusque modi dicendi, & nostra conclusio.

Quid est agere immediatione suppositi & virtutis.

Aduertendum illam causam dici agere immediatione suppositi, quæ causa per actionem à se immediate egredientem & immediate terminatam ad effectum producit effectum illum; sic obiectum concurrit cum intellectu ad intellectionem; ignis ad producendum alium ignem. Illa vero causa dicitur producere effectum, seu ad ipsum producendum concurrere cum alia causa immediatione virtutis & non suppositi, quæ non habet actionem immediate à se ipsa egredientem terminatam ad effectum, sed communicat tum alteri causæ producenti virtutem productiuam eius, sine qua nequiret ipsum producere: & sic concurrit causa calefaciens aquam cum eadem aqua ad calefaciendum. Illa denique causa concurrit immediate immediatione virtutis & suppositi, quæ habet actionem immediate terminatam ad effectum, & vlterius communicat alteri causæ, cum qua concurrit, virtutem productiuam, sine qua illa causa nequiret concurrere cum ipsa ad illum effectum.

## CONCLVSIO I.

51. *Deus concurrit ad effectus omnes causarum secundarum immediate, etiam immediatione suppositi.* Hæc est commissima cum *Scoto* supra & Thomistis contra *Durandum* & *Ferrariensem* ac paucos Thomistas hunc sequentes.

*Probatur prima pars*, scilicet, quod immediate concurrat, variis Scripturæ testimoniis, quæ eam sic suadent, vt sententia Durandi, tanquam erronea communiter iudicetur: ego ex multis pauca proponam, 1. Corinth. 15. *Deus operatur omnia in omnibus.* Isai. 26. *Omnia opera nostra operantes es in nobis.* Act. 17. *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* Ex primis duobus locis habetur, quod omnes operationes & actiones creaturæ attribuantur Deo: ex tertio vero, quod omnes creaturæ dependeant ab ipso in fieri & conseruari & operari etiam: ergo Deus immediate concurrit ad omnes effectus.

*Dices*, sufficere, quod mediate concurrat, quia eo ipso posset absolute & simpliciter dici, quod concurrat & quod effectus dependeant ab ipso: ergo non infertur bene, quod immediate concurrat. Ego fateor, loca illa & quæcunque alia ad propositum spectantia, posse, quantum est ex se, sic intelligi: sed quandoquidem communiter Doctores intelligant illa ad sensum conclusionis, & nihil impediat quin sic intelligantur, & præterea rationes adsunt efficacissimæ ad probandum, quod effectus dependent immediate à Deo, sic intelligenda sunt, & temerarium esset alio modo illa intelligere. Imo addo quod per eadem loca probetur etiam æque bene secunda pars conclusionis: quia licet posset intelligi, quod Deus immediate produceret omnia immediatione virtutis, ramen, quia potest etiam immediatione suppositi, & communiter loca illa intelliguntur de illa immediatione, quam etiam rationes efficacissimæ confirmant; propterea sic etiam intelligi debet.

52. *Probatur prima pars ratione à Complutensibus*: quia creaturæ sunt entia per participationem essentialiter, & ideo dependent à Deo essentialiter: sed sine respectu ad causam secundam intermediam sunt talia entia: ergo immediate debent dependere à Deo.

*Confirmant*, & declarant amplius prædictam probationem: quia Deus consideratus, vt præsupponitur decreto suo absoluto, quo instituit, vt creaturæ haberent vim productiuam suorum effectuum, habet tale esse, vt ex ipso, tanquam ex causa immediata omne ens à creaturis producibile haberet dependentiam necessariam; sed per huiusmodi decretum non est mutatus modus essendi in Deo: ergo non obstante illo decreto, creaturæ debent habere immediatam dependentiam à Deo.

Hæc

*Hæc probatio mihi nequaquam placet, & multo minus confirmatio*; vnde respondeo pro Durando ad probationem, distinguendo maiorem: sunt entia per participationem, quatenus necessario debeant habere aliquam dependentiam à Deo, siue immediatam, siue mediatam, concedo; quatenus debeant habere dependentiam immediatam, nego maiorem, & id asserere absque vlteriori probatione, est petere principium; hoc enim est, quod directe negatur a Durando: distinguo etiam minorem: sine respectu ad creaturas sunt entia per participationem, seu dependentes essentialiter eodem modo, quo sunt cum illo respectu, nego; alio modo, concedo minorem & nego consequentiam.

*Ad confirmationem etiam respondeo*, (omittendo falsam hypothesim, quod scilicet per decretum Diuinum habeant creaturæ vim productiuam communicatam sibi, quasi possent esse sine tali virtute) concedendo maiorem, hoc est, quod creaturæ omnes deberent necessario à Deo immediate dependere, si non fuisset decretũ, quo ordinaretur quod creaturæ ad alias creaturas producendas concurrerent. Distinguo autem minorem: non est mutatus modus essendi Dei quantum ad seipsum concedo, quantum ad modum quo produceret creaturas, nego: est enim euidens, quod tum mutaretur ille modus etiam in omni sententia; nam tum produceret creaturas se solo, supposito vero decreto non produceret se solo: & nego consequentiam. Itaque quemadmodũ non obstante quod creaturæ sunt essentialiter entia per participationem à Deo, & non obstante etiam quod si aliæ creaturæ ad eas producendas non concurrerent, deberent necessario produci à Deo solo; tamen de facto dependent etiam à creaturis & non producuntur à Deo solo, nec ab eo solo omnes conseruantur: ita etiam eo non obstante, si aliud non impediret, possent ab ipso dependere mediate tantum.

53. *Probat Mastrius* hanc partem, imo totam conclusionem variis rationibus, quarum aliquæ mihi non probantur. *Prima est*: Ens creatum dependet à Deo immediate in conseruari, ergo & in fieri: probat consequentiam tum quia conseruatio & productio sunt eadem omnino actio, tum quia dependet in conseruari, quia est ens participatum: sed in fieri est etiam tale ens, ergo dependet etiam sic in fieri.

*Respondeo primo* antecedens, licet sit verum de aliquibus creaturis, vt v.g. Angelis, & corporibus cælestibus & fortasse substantiis omnibus; non esse tamen magis certum de accidentibus, quæ necessario de facto exigunt causam secundam effectiuam tam bene ad conseruationem quam ad productionem (vt est calor in igne intellectiones & actus vitales) quam ipsamet conclusio; vnde male assumitur ad probandam conclusionem.

*Respondeo secundo* negando consequentiam: quemadmodum enim, licet conseruetur creatura aliqua à solo Deo, verbi gratia homo, inde tamen non sequitur quod in fieri dependeat à solo Deo: ita licet in conseruari dependeat à Deo immediate, inde tamen non sequitur quod in fieri ab ipso dependeat immediate. Vnde ad primam probationem consequentiæ respondeo negando conseruationem & productionem esse eandem actionem, quando non est eadem causa, quæ conseruat & producit: quod si etiam esset eadem actio, tamẽ hoc non obstante vt potest esse conseruatio Dei solius, quamuis productio non sit ipsius solius: ita etiam, eo non obstante, posset conseruatio esse à Deo immediate, quamuis productio non esset ab ipso immediate; neque enim facilius est actionem eandem nunc esse à duobus, nunc ab vno solo, quam nunc esse ab vno immediate, nunc non esse ab eodem immediate. Ad secundam probationem consequentiæ respondeo, non ideo esse conseruationem à Deo immediate, quia res conseruata est ens participatum solummodo; sed quia vlterius supponitur non esse aliam causam, à qua immediate proueniat: nam si esset talis causa, Durandus negaret eam esse à Deo immediate; & sane, an ita esset nec ne, tam incertum est quam conclusio. In fieri autem adest alia causa, à qua immediate fit: vnde non est eadem ratio de fieri, & conseruari.

54. *Probat idem secundo conclusionem*; quia essentialior est dependentia creaturæ cuiusque à Deo quam ab vlla alia creatura: ergo si dependeat ab alia creatura immediate in fieri, debet etiam sic dependere à Deo. Alia probatio eiusdem.

*Contra*, quia quidquid sit de antecedenti vniuersaliter loquendo (de quo dubitari posset propter accidentia respectiua, quæ essentialiter dependent à subiecto sic, vt non minus repugnet illa esse absque Deo, quam absque subiecto) negatur consequentia: quia essentialior illa dependentia potest consistere in hoc, quod non possit existere sine Deo, possit verò existere sine causa effectiua secunda; hoc autem posset stare, quamuis à Deo solum mediate procederent, quando procedunt à causis secundis.

55. *Probatur idem tertio* ex Scoto specialiter, eo quod Deus concurrat immediate ad actus voluntatis nostræ, quod si concurrat sic ad illos, certum est quod sic concurrat ad omnes effectus alios, quia nullus potius eximi deberet, quam actus voluntatis. Probat autem sic; quia aliàs Deus non esset nec omnipotens, nec omniscius: non omniscius, quia non posset cognoscere quid voluntas creata esset factura, nisi quatenus cognoscit determinationem suæ voluntatis, à qua immediate dependet actus voluntatis creatæ; non esset etiam omnipotens, quia non obstante determinatione suæ voluntatis efficaci, voluntas posset non habere illum actum, quem determinaret Deus: si enim est causa totalis actus, nec dependet ab immediato concursu Dei in productione eius, cur non posset eum non habere? Hæc probatio valeret, si ostenderetur, quod non posset impediri determinatio voluntatis creatæ à Deo absque necessitate concursus immediati ipsius ad illam determinationem; si enim posset eo non obstante impedire, & scire poterit quidquid illa determinabit, & nihil fiet, nisi quod ipse voluerit, patet: an autem posset Deus sic impedire iam declarabimus.

*Probatur ergo primo melius conclusio*, quia, vt dicemus postea; ad Deum spectat determinare ad individuum cuiuslibet speciei, quod produci debet, & impossibile est quod illa determinatio proueniat à causa secunda, siue libera, siue naturali: sed illa determinatio non posset prouenire à Deo nisi haberet concursum immediatum: ergo debet habere talem concursum.

56. *Probatur secundo*, principaliter conclusio, quia Deus potest impedire quoscunque effectus causarum secundarum, alias sufficientissime applicatarum cum omnibus conditionibus prærequisitis ad agendum, præter concursum immediatum Dei: sed hoc nequiret facere, nisi ille concursus esset necessarius; ergo est necessarius. Major patet tum ex igne Babilonico, qui applicatus tribus pueris non combussit illos sine vllo alio impedimento adhibito, præter impedimentum subtracti concursus diuini, tum etiam quia huiusmodi dependentia effectuum à Deo arguit perfectionem, ex suppositione, quod sit possibilis; sed est possibilis, cum nulla possit dari implicantia: ergo debet asseri. Nec valet dicere, quod Deus posset impedire tales effectus per productionem contrarij effectus, aut destructionem passi, aut causæ sufficientis: quia arguit perfectionem in Deo, quod possit directe absque productione contrarij, & absque destructione vllius alterius creaturæ tales effectus impedire.

57. *Dices*, posse Deum impedire huiusmodi effectus per hoc solum, quod nolit illum produci, quamuis effectus non dependeat à concursu ipsius immediato. Propter hanc replicam vulgarem existimat *Arriaga* non sufficere hanc replicam nostram probationem, nec tamen ipse meliorem affert; vnde fatetur difficulter posse ratione improbari sententia Durandi. Vt autem intelligatur melius vis replicæ, imaginandum est duobus modis posse creaturas in operando subordinari Deo: primo sic, vt indigerent concursu immediato eius, qui modus subordinationis est, quem assemimus in conclusione. Secundo sic, vt eo solum permittente, creaturæ, tãquam causæ adæquatæ, producerẽt suos effectus, & eo nolente non possent producere: & hæc subordinatio est, quam intendit replica hæc, & quæ sufficit Durãdo; vnde vt valeat prædicta probatio, & impugnetur replica

replica, impugnandus est hic secundus modus subordinationis.

*Contra* quem sic argumentor: vel illa permissio diuina consistit in volitione aliqua positiua Dei, qua vult, vt effectus producatur à causa secunda, vel consistit in suspensione omnis actus. Si primum dicatur, habetur intentum nostrum, quia nullum alium concursum immediatum requirimus præter huiusmodi volitionem efficacem, qua posita ponitur infallibiliter effectus, & qua non posita non ponitur. Secundum dici nequit; quia nulla negatio potest esse principium physicum aut conditio physica requisita necessario ad aliquem effectum, nisi ista negatio tollat aliquod impedimentum physicum effectus: sed illa permissio diuina consistens in negatione non est negatio vllius impedimenti physici effectus necessario, quia suppono, quod posset impedire effectum absque impedimento aliquo physico, præter suam nolitionem; vnde si permissio diuina esset negatio impedimenti physici, quando absque impedimento physico impediret Deus effectum, haberet permissionem effectus, quia haberet negationem talis impedimenti, quod implicat: ergo permissio diuina nequit consistere in negatione impedimenti physici.

58. *Dices*, illam permissionem esse negationem nolitionis diuinæ, qua nollet effectum produci, quæ nolitio est impedimentum physicum effectus, quandoquidem ea posita non poneretur effectus.

*Contra*, quia nisi volitio diuina requiratur ad positionem effectus, nolitio diuina non potest esse impedimentum effectus, quia nolitio diuina non est forma vllo modo directe opposita effectui producendo, verbi gratia, calori aut volitioni creatæ sic, vt possit eam expellere eo modo, quo opposita expellunt se mutuo ab eodem subiecto, nec per eam tollitur aliquod principium positiuum requisitum ad productionem istius effectus, præter volitionem diuinam (quæ hic supponi debet non requiri, quia alias requireretur concursus immediatus) ergo non potest esse impedimentum physicum effectus.

*Dices*, tolli per eam permissionem Dei, quæ est conditio necessario requisita ad productionem effectus.

*Contra*, quia per hanc replicam committitur circulus vitiosus; nam prius dicebatur permissionem requiri, quia tollebat nolitionem, quæ erat impedimentum physicum; & modo dicitur nolitionem esse impedimentum physicum, quia tollit permissionem, quæ requiritur, vnde vnum per alterum, & è contra probatur.

*Contra secundo*, quia si per impossibile posset esse permissio diuina simul cũ nolitione, nolitio non esset impedimentũ physicum effectus, & tamen effectus non egrederetur tum à causa secunda magis, quam si non esset illa permissio: ergo illa permissio non potest esse ex se conditio necessario requisita. Probatur antecedens, quia omnis conditio necessario requisita ad hoc vt causa aliqua agat, debet præstare ipsi aliquid, quod alias non haberet: sed illa permissio negatiua nihil prorsus præstat causæ ex se: ergo non minus ageret ea absente, quam præsente. Maior patet inductione in omnibus aliis requisitis: nec mihi videtur posse bene concipi, quomodo vna causa posset ita esse subordinata alteri causæ, vt ab vlla negatione, quæ esset in ipsa, dependeret, nisi illa negatio esset negatio aut principij requisiti ad agendum, aut impedimenti positiui: nec possum concipere quomodo posset nolitio vllius esse impedimentum physicum vllius effectus, nisi volitio physica ipsius esset requisita ad talem effectum: circa quod videri possunt vlterius quæ dixi in commentario ad tertium sententiarum *disp.* 25, *n.* 37. & seqq.

59. Ad hanc probationem reduci debet alia desumpta ex perfectissimo dominio Dei, quod exigere videtur, vt creaturæ ab ipso immediate dependeant. Si enim posset ita se habere, vt absque influxu aut concursu immediato producerentur, conseruarentur ac destruerentur res, etiam absque tali concursu haberet tam perfectum dominium, quam deberet habere, & perinde prorsus esset quod dependerent ab ipso mediate aut immediate: sed quia ex dictis, nisi concurreret immediate non posset immediate ac directe destruere res, sequitur quod absque tali concursu nõ haberet perfectissimum dominium quod posset habere.

*Iam peobatur secunda pars conclusionis*, quia illa volitio Dei, quæ necessario exigitur ad productionem effectus, immediate egreditur ab ipso Deo: ergo per eam concurrit immediatione suppositi: sic enim concurrere non est aliud, quam concurrere per actionem à se immediate egredientem. Quod si etiam præter volitionem diuinam reperiretur alia actio, vt per eam produceretur effectus, quæ actio reperiretur ex parte effectus, non esset vlla prorsus ratio, cur illa actio non diceretur immediate egredi à Deo tam bene, quam à causa secunda: vnde nulla esset ratio cur Deus non diceretur per eam producere effectum immediate immediatione suppositi.

*Obiicies primo pro Durando*: ipsæmet causæ secundæ habent sufficientem virtutem ad producendos effectus sibi correspondentes, verbi gratia ignis ad producendum ignem, calor ad producendum calorem: habent enim vel tantam perfectionem, vel maiorem, quam habent effectus: ergo se solis producunt effectus absque concursu diuino immediato.

*Respondeo*, negando antecedens: nam ex ratione causæ secundæ habent essentialem subordinationem ad causam primam sic, vt indigeant concursu ipsius, vt patet ex rationibus conclusionis: nec refert quod habeant tantam aut maiorem perfectionem, quia cum hoc potest stare talis subordinatio.

61. *Obiicies secundo*, Si Deus, & ignis deberent concurrere ad ignem, deberet aliqua pars ignis esse correspondens Deo, & alia igni: sed hoc est absurdum, quia illa pars, quæ correspondet igni, esset creatura non minus, quam alia pars, & consequenter non minus deberet à Deo immediate dependere.

*Respondetur*, negando sequelam; sed totus ignis indiuisibiliter ab vtroque debet prouenire, sicut intellectio indiuisibiliter producitur ab intellectu, & obiecto, aut specie impressa.

*Dices* inde sequeretur, quod Deus esset causa partialis, sed hoc est inconueniens. *Respondeo* negando minorem præsertim cum id accidat ex mera voluntate sua, quia posset se solo efficienter illum producere.

*Obiicies tertio*, non possunt dari duo fines immediati vnius effectus: ergo neque duæ efficientes.

*Respondeo* distinguendo antecedens: quorum quilibet sit finis totalis, transeat; quorum quilibet sit finis partialis, nego antecedens, & similiter distinguo consequens. Quod si non possent dari duo fines subordinati, & partiales, id oriretur ex natura particulari causæ finalis, seu ex repugnantia aliqua, quæ inde sequeretur ob illam naturam particularem, qualis repugnantia non sequitur ex pluralitate efficientium: vt patet quotidiana experientia: Vnde si verum esset simpliciter antecedens, negari deberet consequentia.

62. *Obiicies quarto*. Sequeretur Deum concurrere immediate ad actus peccaminosos, & consequenter eum esse causam peccati contra *Trid. sess. 6. canone 6. Si quis dixerit mala opera ita, vt bona Deum operari, non permissiue solum, sed etiam proprie, & per se, adeo vt sit proprium opus eius non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli; anathema sit.*

*Respondeo primo* hanc obiectionem soluendam esse ipsi Durando: nam in ipsius sententia, saltem debet esse causa mediata peccati, sicuti est causa mediata actus boni: ergo tam est causa actus mali, quam boni: quod si non obstante concursu mediato ad vtrumque actum, dici possit simpliciter causa actus boni, & non mali: ita etiam dici poterit non obstante concursu immediato.

*Quomodo Deus non sit causa peccati.*

*Respondeo secundo* relinquendo exactiorem huius rei discussionem pro materia de peccatis, distinguendo sequelam primam: per modum causæ vniuersalis, sine cuius concursu causa secunda non committeret talem actum, concedo sequelam: alio modo, nego sequelam primam: distinguo etiam secundam: eum esse causam physicam vniuersalem ipsius, concedo; causam physicam particularem,

larem, aut causam moralem, cui deberet imputari culpabiliter, quod committatur peccatum: nego sequelam secundam. Itaque quia Deus non concurrit nisi per modum causæ vniuersalis ad peccatum, & quia ipsemet dissuadet, & prohibet, ne committatur, nec alia auxilia dat in ordine ad commissionem ipsius, propterea non debet attribui ipsi, quod committatur peccatum; sed causæ secundæ, quæ non obstante prohibitione, & sine vlla obligatione causæ vniuersalis ipsum committit. Quia vero non solum per modum causæ vniuersalis concurrit ad actus bonos, sed etiam inuitat ad eos, ordinando, & præcipiendo illos, dandoque auxilia particularia, quæ non deberet præstare, quatenus causa vniuersalis est, propterea est causa non solum vniuersalis, sed particularis actuum bonorum, & ipsi acceptum referri debet quod exerceantur.

*Confirmatur hæc responsio*; quia quamuis Deus non concurreret immediate ad actus malos, tamen certum est quod eos posset impedire.

63. Quod si aliquis argumentaretur inde, quod ipse esset causa moralis peccatorum, cui ipsorum commissio attribui deberet, eodem modo, quo homo potens impedire commode peccatum alterius, deberet illud impedire, & maxime si esset superior ipsius, quemadmodum Deus est omnium creaturarum, & si non impediret, censeretur causa moralis peccati sic, vt commissio ipsius deberet ipsi attribui, si non impediret.

*Responderetur* negando pariratem, quia Deus licet posset impedire, deberet tamen ex ratione causæ vniuersalis præstare concursum, & non teneretur se gerere, vt causam particularem; homo autem non haberet obligationem causæ vniuersalis, & præterea habet præceptum charitatis, ex quo tenetur, si potest commode, impedire damnum proximi: ergo similiter quamuis Deus præstaret concursum immediatum ad actum peccaminosum; si tamen illum præstaret ex obligatione causæ vniuersalis, non deberet commissio peccati ipsi attribui culpabiliter, sic scilicet, vt deberet dici male facere præstando talem concursum, quamuis homo præstando talem concursum deberet dici male facere. Sed de hoc, vt dixi, fusius alibi.

## CONCLVSIO II.

Non potest effectus produci absque concursu immediato.

64. *Non potest etiam de potentia Dei absoluta produci aliquis effectus exigens concursum immediatum causæ secundæ, absque concursu immediato Dei.* Hæc est communissima contra *Hurtadum* & *Arriagam* supra.

*Probatur* ex dictis; quia si possent produci etiam de potentia absoluta absque tali concursu, de facto sic producerentur, & sane superflue præstaretur ille concursus de facto; id quod in causis naturalibus mihi est euidens, de quibus tamen ac causis liberis creatis, quantum ad hoc est eadem ratio.

*Confirmatur* efficaciter; quia si posset absque concursu Dei immediato ignis produci ab alio igne sufficienter applicato: ergo Deus non posset, nec de potentia absoluta, impedire immediate illam productionem, neque enim potest sic illam impedire, vt supra ostendi, nisi subtrahendo concursum: sed adhuc subtracto concursu illo esset sufficiens principium illius productionis: ergo adhuc sequeretur talis productio.

*Dices* posse illam impedire per nolitionem: quamuis enim posset effectus produci volente Deo, atque adeo ipso immediate concurrente, & etiam permittente Deo, hoc est, nec volente, nec nolente; tamen sufficeret ad impediendum effectum, quod accederet nolitio, quia aut volitio aut permissio essent conditiones necessario requisitæ ad illam, ergo quamuis absque concursu immediato posset effectus produci, tamen posset adhuc immediate impediri.

65. *Contra*; quia inintellibile est quomodo per nolitionem posset impedire, nisi quatenus per nolitionem illam tolleretur aliquod ex principiis, aut conditionibus prærequisitis, aut per eam poneretur aliquod impedimentum distinctum à se ipsa: sed, si volitio diuina non sit necessario requisita ad effectum, per nolitionem non tollitur aliud ex necessario requisitis; & ex alio capite suppono nihil aliud positiuum poni per illam nolitionem, quod esset impedimentum: ergo per nolitionem illam nequit impediri.

*Dices* per nolitionem tolli permissionem, quæ est conditio necessario requisita, ex suppositione, quod volitio non sit necessario requisita nec habeatur.

*Contra*: quia illa permissio Dei tam impertinens est ad effectum, quam permissio negatiua cuiuscunque alterius creaturæ, nisi quatenus nolitio Dei esset impedimentum, & nolitio creaturæ alterius non esset, sed nolitio non potest esse impedimentum, nisi quatenus volitio est necessario requisita, ergo si non sit requisita volitio, Deus de facto nequiret impedire directe illam productionem.

*Probatur vltimo*: impossibile est, quod aliquis effectus proueniat à causa secunda, quin sit aliquid, quod determinet ipsam ad vnum indiuiduum præ alio: sed nihil potest sic determinare absque concursu immediato Dei: ergo necessario debet adesse in omni casu concursus immediatus Dei.

66. *Obiicies*: potest Deus producere aliquid aliud, quo suppleatur immediatus concursus suus; ergo de potentia absoluta potest effectus produci absque tali immediato concursu. Probatur antecedens, quia licet de facto videatur Deus à Beatis, absque specie, ipsomet Deo immediate concurrente per modum obiecti, potest tamen produci à Deo species, quæ suppleat concursum illum immediatum obiecti: ergo similiter licet Deus concurreret de facto immediate ad effectus causarum secundarum; tamen posset producere aliquid aliud, quod suppleat talem concursum.

*Respondetur*, negando antecedens; ad cuius probationem respondeo primo negando consequentiam; quia ex eo, quod posset suppleri concursus ille immediatus Dei per modum obiecti, non sequeretur aliqua imperfectio in Deo; sequeretur autem ex eo, quod suppleretur concursus ille immediatus ipsius, qui est necessarius, vt ipse posset immediate & directe impedire productionē cuiusc nque effectus, non obstante applicatione causæ secundæ.

*Respondeo secundo* ad eandem probationem, concursum immediatum Dei per modum obiecti non esse concursum effectiuum, sed terminatiuum; neque enim per essentiam diuinam producitur etiam partialiter illa visio, quatenus essentia est, sed quatenus est omnipotens: concursus autem ille terminatiuus nequit suppleri per aliquid aliud, quia etiam si Deus posset videri mediante specie, tamen illa species non terminaret illam visionem, quia alias esset abstractiua, sed species concurreret per modum principij effectiui ad illam visionem, & si daretur, suppleret illam partem, vt ita dicam, illius concursus, quem Deus præstaret de facto ad illam intellectionem, ex suppositione, quod de facto illa visio nō producatur per speciem, sed posset tamen produci; quod totum intelligetur melius ex dicendis in materia de visione: neque enim hic omnia pertinentia ad alias materias exacte tradenda sunt, sed multa ad sua propria loca referenda.

## QVÆSTIO VI.

*An præter concursum immediatum Dei requiratur vt præmoueat causas secundas per aliquam qualitatem Physicam.*

67. EXaminando hanc quæstionem philosophicè, & quoad actus ac effectus pure naturales absque dependentia à principiis fidei, quæ examinanda relinquo in materia de auxiliis: tum quia illa principia Theologica sunt, tum vt obediam decretis Apostolicis cauentibus ne indirecte etiam hic aut alibi tractetur materia de auxiliis absque speciali licentia.

*Prima sententia* est Thomistarum dicentium quod ex principiis Aristotelis, & per rationem naturalem colligitur, ad hoc vt causa secunda agat, non solum necessarium esse quod Deus cum illa actualiter & immediate concurrat ad effectum, sed etiam quod debeat præmoueri per aliquam

aliquam qualitatem physicam antecedentem actionem: hac ratione dicunt quod Deus concurrat immediate ad effectus quoscunque, non solum immediatione suppositi, sed etiã immediatione virtutis, quatenus scilicet communicat virtutem causis secundis, à qua egreditur immediate actio causæ secundæ. Hanc expresse tenent *Complut. disputat.* 11. & dicunt eam esse communem inter antiquos Philosophos, ac inter Thomistas tam antiquos quam recentiores.

*Secunda sententia*, iam absolute communior est, non præmouere Deum causas secundas per communicationem huiusmodi qualitatis distinctæ à qualitatibus connaturalibus ipsarum causarum secundarum, & transeuntis statim ac transeunt effectus, aut producuntur. Hæc est *Doctoris in 4. distinct. 1. quæstion.* 1. quem præter suos recentiores omnes sequuntur.

## CONCLVSIO I.

Causa secunda non debet præmouere physicè à Deo vt agat.

68. *Nec secundum Philosophum, nec secundum rationem naturalem vllam, causa secunda debet præmoueri ad agendum per aliquam qualitatem Physicam præuiam ad actionem, & transeuntem transacta actione.* Hæc est iuxta secundam contra primam; loquor autem, vt ante dixi, de actione pure naturali.

*Probatur prima pars*, nimirum quod secundum Philosophum talis præmotio non requiritur, maxime quia *lib. 8. physicorum tex. 33.* habet hæc verba. *Vtrumq; igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, sed magis primum; illud enim mouet vltimum, sed non hoc, primum; & sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc, vt baculus non mouebit non mouente homine.* Sed ex hoc loco nihil inferri potest contra conclusionem pro aduersariis; ergo secundum Philosophum, illa præmotio per physicam qualitatem asserenda nequaquam est. Probatur maior quia aduersarii alium locum saltem magis fauentem non adducunt. Probatur minor, primo, quia Philosophus optime intelligi potest de corporibus, quæ mouent se subordinate motu locali, & quorum vnum non mouet alterum localiter, nisi ipsummet sic moueatur: de his enim verum est quod necessario recurrendum sit ad aliquod primum quod sit immobile, & à quo cætera quæ mouent, mouentur, quia alias daretur processus in infinitum; sed quamuis esset verum quod huiusmodi corpora deberent physice præmoueri per qualitatem physicam, non esset eadem ratio de cæteris causis secundis, quæ agunt: ergo ex illo loco nihil habetur contra conclusionem. Probatur minor ostendendo disparitatem inter talia corpora, & alias causas; quia cum illa corpora non moueant alia corpora nisi ipsamet moueantur localiter, vt patet experientia: mouent enim alia corpora occupando eorum loca, quandoquidem ipsa ex se non habeant virtutem loco motiuam sui, quod supponendum est, vt probatio Aristotelis valeat, debent necessario præmoueri ab aliqua causa, cui propterea principaliter omnes motus sequentes primam motionem tribuuntur. At aliæ causæ secundæ, verbi gratia, aqua, vt frigefaciat se non debet moueri localiter; nec est vlla ratio aut congruitas, cur, vt se frigefaciat, debeat præmoueri physice; ergo non est idem dicendum de cæteris causis, ac corporibus mouentibus localiter alia corpora. Confirmatur hæc explicatio exemplo baculi, & hominis, quo vtitur ipsemet Philosophus: nam & hominis, & baculi motus sunt locales.

69. *Complutenses* mirantur viros doctos adhibere hanc responsionem: quia Aristoteles inuestigat ibi ex causis secundis mouentibus primum motorem æternum, immobilem, infinitum: ergo non agit de corporibus tantum mouentibus, & mobilibus, sed de subordinatione causarum secundarum ad primum motorem.

Sed facile negari posset hæc consequentia: nam ex illismet corporibus mouentibus, & mobilibus posset inuestigare primum illum motorem.

*Probatur eadem minor principalis secundo*, explicando locum Aristotelis alio modo: Primum mouent mouet vltimum mouens, quatenus infundit ipsi talem qualitatem, qualem asserunt aduersarii, nego id voluisse Philosophum; quatenus dat ipsi occasionem mouendi aliud, seu agendi, applicando ipsum ad passum, & auferendo impedimenta ac præstando ipsi concursum suum ad effectum, concedo locum Aristotelis: sed in hoc sensu non præiudicat cnnclusioni.

*Confirmatur hoc*, quia alius sensus non debet adscribi Philosopho cum honore ipsius, quam ille, quem ipse discursu naturali poterat colligere: sed quod causæ secundæ deberent moueri per huiusmodi qualitatem, non poterat colligere vllo naturali discursu, poterat autem sic colligere quod applicatio causarum tali tempore, loco, circumstantiis, & ablatio impedimentorum deberet vltimate in primum motorem refundi: ergo quod asserit de motione causarum secundarum, potius intelligendum est, vt nos intelligimus, quàm intelligunt aduersarij.

70. *Probatur conclusio quoad secundam partem*, nimirum, quod ratione naturali probari non possit præmotio illa aduersariorum, soluendo rationes, quas aduersarii afferunt.

*Prima ratio*, quam ex S. Thoma adducunt Complutenses: Deus concurrit ad actionem causæ secundæ, non solum quatenus est causa illius actionis, sed quatenus per suum concursum est causa eiusdem actionis, prout est ab illa causa secunda; causa vero secunda non est causa illius actionis, quatenus est à Deo: ergo Deus per suum concursum facit actu, quod causa secunda necessario agat, & consequenter concurrit per aliquid præuium & intrinsecum, per quod physice mouet causam secundam ad operandum. Probant antecedens, quia illa actio, prout à causa secunda est aliquid creatum: ergo vt sic est à Deo. Probant etiam vltimam consequentiam, quia si Deus facit, vt causa secũda habeat illam actionem, oportet vt ponat in illa aliquid, quo faciat, vt habeat illam actionem, quia si solum daret ipsi vt ageret, quatenus dat ipsi esse & potentias operatiuas, solum remote concurreret ad illam actionem, prout est à creatura: ergo. Quinta ratio aduersariorum.

*Confirmant*, quia ratio entis creati transcendit omnes rationes, quæ in creaturis sunt: ergo non solum actio creaturæ debet esse à Deo quomodocumque, sed etiam ipsa causa secunda habebit à Deo tum esse, tum virtutem operatiuam, tum etiam principium actuale operandi.

*Respondetur* (quidquid sit de antecedenti, circa quod multa dici possent) distinguendo vltimum consequens: per aliquid præuium distinctum ab ipsa causa secunda & suis accidentibus connaturalibus, & applicatione ac remotione impedimentorum, nego consequentiam: per aliquid præuium, quod sit ipsa virtus agendi connaturalis causæ secundæ, & applicatio illa ac ablatio impedimentorum, transeat consequentia. Ad probationem vltimi consequentis similiter distinguo antecedens: aliquid intrinsecum, quod sit virtus agendi connaturalis, concedo; quod sit quid ab illa distinctum, nego antecedens: & ad probationem illius dico non esse inconueniens, quod Deus non sit alio modo ratio agendi causæ secundæ, quam quatenus dat ipsi seipsam, & suas virtutes, ac applicationem, & quatenus præterea immediate cum ipsa concurrit.

71. *Ad confirmationem respondeo* concedendo totum, sed nego illud principium actuale operandi antecedens actionem; esse quid distinctum à virtute actiua connaturali causæ secundæ. Quod si intelligunt per illud principium actuale, aliquid aliud distinctum ab illa virtute, nego consequentiam pro illa parte: quia actio creaturæ, & quidquid est in illa secundum omnem considerationem, inuoluet rationem creaturæ absque communicatione talis principii actualis.

*Confirmatur tota hæc responsio*: actio, quæ procederet ab illa qualitate physica, vt ab illa procederet formaliter loquendo, vel esset creatura & procedens à Deo, vel non esset: si non esset: ergo non esset inconueniens, quod actio, quæ procederet à creatura absque illa qualitate, vt procederet à creatura, non esset à Deo, nec esset creatura: quidquid enim monstrat primum non esse inconueniens, monstrat idem de secundo.

Si esset

Si esset vt sic à Deo, & si esset creatura : tunc sic: Actio vt procedit à tali qualitate, est à Deo, & est creatura, quamuis Deus aliam qualitatem non communicet illi qualitati: ergo quamuis procederet ab ipsamet virtute connaturali causæ secundæ absque qualitate aliqua superaddita, vt sic procederet esset à Deo, & esset creatura; & consequenter, neque ex ratione creaturæ, nec ex eo quod sit à Deo, quatenus procedit à creatura, debet prouenire ab aliqua qualitate distincta à virtute actiua creaturæ.

72 *Secunda ratio* eorundem est hæc: sequeretur, quod causa secunda esset primum se mouens, & primum se determinans ad illam operationem; sed hoc est falsum, quia aliàs darentur plura prima principia, & prima mouentia.

*Confirmatur*, quia ignem esse principium actuale operationis, & determinatum ad eam, est aliquid realiter distinctum, tum ab operatione, tum à principio habituali & potentiali operandi, quod quandoque operatur, quandoque non operatur; vel ergo habet à Deo esse tale principium actuale, vel à se: si primum, ergo mouetur ab illo ad operandum: si secundum, ergo est principium primum actuale operandi.

*Respondetur*, distinguendo maiorem: esset primum se mouens, ac determinãs, id est mouens ac determinans se, absque eo, quod moueatur ab alio priori per qualitatem illam physicam, concedo maiorem, nec id est inconueniens; primum se mouens ac determinans, ita vt non dependeat à concursu alterius, ac applicatione & ablatione impedimentorum per aliam causam facienda, nego maiorem.

*Dices* Deum indigere concursu creaturæ ad actiones vitales: & tamen hoc non obstante est prima causa istarum actionum; ergo quamuis causa secunda indigeret concursu Dei, hoc non obstante posset esse prima causa aut primum mouens.

*Respondeo* negando consequentiam; quia alio modo Deus indiget concursu causæ secundæ ad operationes vitales (si tamen hoc ipsum sit necessarium, de quo suo loco) alio modo dependent causæ secundæ à concursu Dei; nam causæ secundæ indigent concursu Dei sic, vt nec ipsæmet possint vlla ratione efficere, vt necessariò præstetur ipsis ille concursus. Deus verò non sic indiget, quin ipso volente omnino præstetur concursus causæ secundæ. Deinde causæ secundæ non solùm indigent concursu Dei ad suas operationes, sed ad suum proprium esse; Deus verò non sic indiget causis secundis.

73 *Confirmatur* totum hoc, quia ignis, verbi gratia, qui cum qualitate illa aduersariorum est causa secunda, vel mouet se primo ad operationem sequentem, vel non. Si mouet se primo: ergo est primum mouens, & consequenter non est inconueniens, quod causa secunda sit primum mouens. Si non mouet se primo: ergo nec ignis solus absque tali qualitate moueret se primo. Quod si dicas non esse inconueniens, quod causa secunda mota à Deo per qualitatem aliquam primo se moueat, absque vlteriori motione: ergo similiter non esset inconueniens, quod ignis absque qualitate illa aduersariorum, per hoc, quod moueatur à Deo per qualitates sibi connaturales, primo se moueat absque vlteriori motione.

*Ad confirmationem aduersariorum respondeo* negando antecedens: si enim loquamur de principio actuali operationis, id est, de principio, quod actualiter operatur, & de principio, quod est ex natura sua determinatum in actu primo ad talem operationem, non distinguitur à causa secunda aut virtute actiua & applicatione ad tale passum in talibus circumstantiis, &c. Si verò loquamur de principio actuali operationis, id est, de principio actualiter operante ac determinato in actu secundo, formaliter loquendo, non distinguitur realiter à causa secunda, & operatione, per quam operatur & determinatur in actu secundo.

74 *Tertia ratio* eorundem est: causa secunda nequit agere, quin Deus cogat simultaneè cum illa: ergo debet præmoueri ab illo. Probatur consequentia, quia quando duæ causæ coagunt ad aliquem effectum, vel vna alteram mouere debet, vel vtraque moueri debet ab aliquo tertio, aliàs casualiter sequeretur illa simultas concursuum, & Deus cæco modo & ignoranti influeret, quia nesciret, quando causa secunda esset adhibitura suum concursum.

*Confirmatur*; vt Deus concurrat cum igne simultaneè, oportet, vt prius ordine naturæ intelligatur paratus concurrere cum illo: sed non potest intelligi sic paratus, nisi aliquid imprimat ipsi præuium ad actionem: ergo. Probatur minor, quia esse sic paratum est aliquid, quod non esset, si Deus decerneret non velle concurrere: ergo debet esse aliquid distinctum à Deo, & causa secunda; sed non potest se tenere ex parte Dei: ergo ex parte creaturæ, & consequenter debet esse quid superadditum creaturæ, quia nihil aliud mutaret ipsam.

75 *Respondetur*, negando consequentiam cum sua probatione, quandoquidem enim Deus scit naturam ignis, v.g. esse cõburere in tali applicatione, si tribuatur ipsi concursus generalis; & cognoscat etiam illum hic & nunc esse sufficienter applicatum; & præterea liberè præstet suum concursum, quomodo potest dici, quod casualiter, aut cæco modo concurrat cum igne ad talem effectum? Quod si Deus naturaliter ageret ad talem effectum cum igne absque scientia, cæco quidem modo concurreret sicut ignis, sed non casualiter, nisi quatenus casus esset, quod sic applicaretur ignis; sed omnino per se.

*Confirmatur*; quia Deus concurrendo cum igne præmoto per qualitatem illam, vel cæco modo concurrit, vel non: si cæco modo: ergo non est inconueniens, quod cæco modo concurrat: si non; ergo nec quando concurrit cum igne non præmoto per talem qualitatem. Probatur hæc consequentia; quia ignis sine qualitate illa est tam determinatus ad agendum, supposito concursu Dei, quàm cum illa; & Deus tam scit, quod ignis sit combusturus in talibus circumstantiis, supposito suo concursu actuali, ac si haberet illam qualitatem; ergo si posita qualitate non concurreret cæco modo nec casualiter, nec ea non posita sit concurrit.

76 *Dicunt Complutenses*, naturam ignis esse comburere, si non impediatur, posse autem impediri illum, aut per causas secundas fortiores, aut per miraculum: ergo nisi Deus præmoueret, nescire an hic & nunc concurrerent.

Miror sane replicam: sed breuiter *respondeo*, negando consequentiam, quia Deus hic & nunc quando concurrit scit non futurum miraculum, nec adfuturas causas secundas fortiores impedientes, siue scientia media, siue absoluta; quod mihi euidens apparet.

*Ad confirmationem aduersariorum respondeo*, negando minorem, & distinguendo consequens probationis: aliquid positiuum, nego: aliquid negatiuum, concedo, & nego subsumptum, quia illud negatiuum, quod vlterius requiritur, vt Deus dicatur paratus concurrere in actu primo antecedenter ad actualem determinationem vllam concurrendi, est negatio istius decreti de non concurrendo; quæ negatio se habet ex parte Dei.

## CONCLVSIO II.

77 *Absolutè & simpliciter dicendum est, quod causæ secundæ non debeant præmoueri à Deo per qualitatem vllam physicam distinctam à suis qualitatibus connaturalibus ad effectus naturalis ordinis.* Hæc est eorum, qui tenent præcedentem contra Thomistas: & sensus directus est, quod ignis, verbi gratia, cum suo calore applicatus stupæ, & remotis cæteris causis impedientibus, possit cum concursu actuali DEI comburere ac calefacere absque eo, quod DEVS præmoueat ipsum in illo instanti, quo applicatur & quo comburit, per vllam qualitatem distinctam à calore, & reliquis, quæ sunt connaturales igni.

Causæ secundæ non debent præmoueri physicè ad effectus naturales.

*Probatur primo* sufficientissimè ex communissimo, & verissimo axiomate, quod non sint multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla prorsus est necessitas talis qualitatis, ergo non est afferenda, Maior patet primò, ex reiectione authoritatis Philosophi, ac rationum,

quibus aduersarij potissimum innituntur: patet secundò, quia ipsemet ignis ex se habet sufficientem proportionẽ, quantũ requiritur ex parte causæ secundæ, ad calefaciendum, quando debitè applicatur, ablatis impedimentis, & ad hoc, quod plenissimè subordinetur causæ primæ, sufficit, quod non possit agere, nisi dependenter à concursu causæ primæ, quem concursum possit causa prima, vel negare vel præstare ad libitum, sicuti sufficienter subordinatur intellectus obiecto per hoc, quod non possit agere, nisi concurrente obiecto per se aut suam speciem, quamuis obiectum non imprimeret ipsi aliquam qualitatem præuiam: ergo non est necessitas qualitatis præmouentis.

*Confirmatur* hoc, quia ideò ignis cum suo calore non esset determinatus sufficienter absque illa qualitate ad calefaciendum, vel quia est creatura, & causa secunda, vel quia non est æqualis aut maioris perfectionis, quam effectus productus; vel quia non constat experientia, quod ad eius præsentiam ablatis impedimentis fiat calefactio: sed secundum, & tertium membrum sunt manifestè falsa; primum autem nõ impedit; quia ignis cum qualitate superaddita est sufficienter determinatus, & tamen est creatura & causa secunda, ergo ignis etiam cum calore, non obstante, quod sit causa secunda & creatura, potest dici sufficienter determinatus absque qualitate superaddita, atque adeò superfluit qualitas superaddita.

78 *Dices* non ideò ignem non determinari sufficienter, quia est creatura quomodocunque; sed quia creatura talis rationis possit impediri ab effectu suo, vel miraculosè, vel per causas secundas alias fortiores; cum autem cum qualitate illa esse quidem causam secundam, sed talis naturæ, vt non possit, nec miraculosè, nec per alias causas secundas impediri.

*Contra primò*, quia hinc sequeretur, quod ignis supposito, quod Deus decerneret non facere miraculum impeditiuũ ipsius, nec permittere vt aliqua causa secunda adesset, quæ ipsum posset impedire, esset determinatus ex se absque qualitate superaddita; ergo nõ exigitur illa qualitas vniuersim, vt dicunt aduersarij. Deinde si non requiritur nisi vt impediat miraculũ, ac alias causas, illa possunt æquè commodè impediri per decretum Dei, quo non vellit facere miraculum, nec applicare alias causas secundas impeditiuas: ergo ad hoc etiã frustra ponitur illa qualitas.

*Contra secundò*, ista qualitas nõ sufficit vt ponatur effectus absque concursu actuali Dei, vt aduersarij communiter docent, quia aliàs conuenirẽt cum Durando, quandoquidem Deus non cõcurreret ad calefactionem immediatè immediatione suppositi, sed solùm immediatione virtutis: ergo posset per miraculum impediri, vt si Deus vellet negare illum suum concursum actualem; vnde cum non posset impedire ignem applicatum nisi miraculosè, sequitur quod ignis ex se sit tam determinatus, quàm illa qualitas. Dicere autem quod Deus necessitetur ad dandum suum concursum actualem posita illa qualitate, est omnino inconueniens, quæ enim virtus posset esse in causa vlla creata imaginabili, vt posset Deum omnipotentem ex se cogere ad coagendum?

79 *Contra tertiò*, si illa qualitas sit ita determinata ad agendum, vt supponitur in replica, erit ipsamet actio, per quam in actu secũdo determinatur agens ad producendũ effectum: sed hoc est contra aduersarios, tum quia dicunt actionem non esse in agente, sed in passo; tum quia illi dicunt esse eam qualitatem præuiam ad actionem. Probatur sequela maioris; quia habet omnes conditiones requisitas ad actionem, ea enim posita, necessariò determinatur causa agere ita vt, nulla ratione possit non agere, & ea posita, effectus similiter necessariò ponatur; nec remanet, nisi quandiu effectus est in fieri, & conseruari dependens ab illo agente: sed nihil prorsus aliud requiritur ad actionem, de prædicamento actionis.

80 *Confirmatur*: ideò ponitur aliqua actio distincta à virtute agendi, qua constituitur agens potens producere effectum in actu primo; qua agens potest esse existens cum illa virtute absque eo quod agat; & si non posset, profecto gratis, & absque vllo fundamento requireretur actio distincta: ergo si posita illa qualitate, necessariò causa est agens, & non potest esse agens absque illa, non debet habere actionem distinctam ab illa qualitate, & consequenter illa qualitas erit actio ipsius, & consequenter vlterius non erit qualitas.

Alias probationes quas principalissimas, nempe quod sequeretur tolli libertatem, si ad actus liberos requireretur huiusmodi qualitas; & quod etiam Deus esset per se causa actus peccaminosi, omitto tractare ac proponere, ne videar, vel indirectè tractare aliquid spectans per se ad materiam de auxiliis.

81 *Obijcies*: causæ secundæ non agunt nisi in virtute primæ, & nisi ab ea promoueantur, excitentur, adiuuentur, & applicentur; ergo aliquam entitatem recipiunt à Deo quando agunt; non aliam, quàm qualitatem prædeterminantem: ergo.

*Confirmari* posset variis locis Patrum, & Conciliorum quibus significetur, quod Deus antequam agant causæ secundæ liberæ, moueat ipsas intrinsecè.

*Respondeo* distinguendo consequens: aliquam entitatem, quæ sit talis qualitas, quã asserunt aduersarij, nego consequentiam; quæ non sit talis, transeat consequentia. Itaque causæ secundæ omnes possunt dici non agere, nisi in virtute primæ, quatenus non agunt nisi per virtutem communicatam ipsis à prima, id est per suas potentias, & qualitates connaturales, quas recipiunt à causa prima; & etiam quatenus non agunt, nisi concurrente prima per concursum immediatum actualem, quo non concesso nihil agerent: & in hoc ipso sensu possunt dici non agere, nisi adiuuentur & confortentur à prima.

82 *Deinde*, quia non possunt agere circa subiecta distincta, nisi applicentur illis, & nõ possunt applicari nisi concurrente Deo, optimè sequitur quod nequeant agere circa talia obiecta aut passa nisi applicẽtur à Deo; vel tãquam causa totali, vel tanquam causa partiali applicationis, quamuis nullam qualitatem actiuam reciperent, aut aliam vllam entitatem præter applicationem. Dixi autẽ, *circa obiecta aut passa distincta*, quia absque vlla applicatione propriè dicta posset producere in se frigus, si produceretur sine frigore aut cũ calore; vnde illud de applicatione, si intelligatur propriè, non debet intelligi vniuersaliter necessariò, sed quando agens, & passum possunt esse sine applicatione sufficienti.

83 Quantum denique ad illud, quod non agant causæ secundæ, nisi excitentur aut moueantur; dico; si intelligatur aliud per moueri, & excitari, quàm applicari, non esse verum quod causæ secundæ naturales non agant, nisi moueantur & excitentur; neque enim ignis applicatus stupę exigit vlteriorem aliquam excitationem, aut motionem præter concursum Dei immediatum, & actualem, quo sanè concursu non mouentur nec excitãtur propriè. Quod si quis tamen velit dicere, quod per illum concursũ moueantur aut excitentur, cum illo non erit nisi quæstio de nomine, & eo concesso nihil sequitur contra nos ad beneficium aduersariorum. Causę verò liberę debent etiam moueri & excitari à Deo, non tamen per qualitatem aduersariorum, sed per propositionem obiecti tali vel tali modo: nam obiectum sic propositum excitat & mouet illas, & ipsamet voluntas per vnum actum suum mouetur & excitatur ad alios actus, quos non eliceret sæpè, nisi haberet priores actus: loquor autem semper de actibus naturalibus.

84 *Ad confirmationem respondeo* relinquendo exactiorem solutionem pro Theologia, in illis locis Patrum, & Conciliorum non fieri mentionem nisi de motione, excitatione, & auxilio particulariter requisito ad opera bona conducentia ad vitam æternam, de quibus operibus modò non agimus, neque de auxiliis ad ea requisitis, sed de operibus naturalis ordinis præcisè, ad quæ opera in multis ex illis locis significatur esse potentia naturalis in causis liberis & naturalibus, absque motione, & excitatione aliqua particulari; vnde illa loca potius confirmant quàm infirmant nostram conclusionem.

85 *Respondeo secundò*, distinguendo antecedens: nisi moueat ipsas per qualitatem illã, quam astruunt aduersarij, nego

nego antecedens: nisi prius moueat ipsas per applicationem obiecti aut passi, & per communicationem cognitionis talis aut talis, concedo antecedens, & nego consequentiam. Cæteræ obiectiones solutæ sunt quæstione præcedenti.

## QVÆSTIO VII.

*In quo consistit concursus, quo concurrit Deus cum causis secundis?*

86 SAtis communis sententia est eandem omnino actionem, qua causa secunda producit suum effectum, esse illam ipsam, qua Deus cum illa eum producit: & iuxta hoc dicendum videtur, quod concursus Dei non sit aliud quàm actio creaturæ, quatenus egreditur immediatè à Deo, quemadmodum egreditur immediatè à creatura, verbi gratia igne, aut aqua, aut voluntate. Ita *Suarez disp. 22. Met. sec. 3. num. 2. Hurtadus disp. 10. §. 50.* qui hanc sententiam omnibus Iesuitis tribuit.

*Secunda sententia* est concursum Dei esse actionem distinctam à concursu seu actione creaturæ. Hanc proponit *Hurtadus §. 41.* sed neminem pro ea citat, sed videtur insinuare eam satis probabilem, & eatenus tantùm sibi displicere, quia absque vrgenti fundamento est contra communiorem.

## CONCLVSIO.

Concursus Dei non est actio creaturæ sed alia concomitãs.

87 *COncursus Dei non est actio creaturæ, sed alia concomitans actio.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam, eámque plurimi Scotistæ in suis manuscriptis amplectuntur.

*Probatur*, quia volitio Dei sine dubio distinguitur ab actione creaturæ, siue illa actio subiectetur in passo, siue in agente: sed volitio Dei est concursus ipsius cum creatura: ergo concursus ipsius cum creatura non est actio creaturæ, sed alia concomitans.

Probatur minor, quia quoties Deus concurrit, habet volitionem concurrendi, & nihil impedit quominus per illam volitionem actualiter concurrat; ergo volitio Dei debet dici esse concursus ipsius.

*Confirmatur*: quia ex dictis in Logica, disputatione de actione, actio qua Deus se solo producit aliquem effectum, est volitio ipsius: ergo & actio, quia concurrit cum creatura: eadem enim prorsus est ratio.

*Probatur secundò*: quando duæ causæ creatæ partiales subordinatæ producunt aliquem effectum verbi gratia intellectus & obiectum intellectionem, non eadem actione concurrunt, sed diuersa: ergo idem dicendum, quando Deus & creatura concurrunt, si non possit assignari aliqua disparitas particularis, qualem non facilè ostendent aduersarij. Probatur antecedens, quia vt suppono ex dictis in Logica de actione, actio subiectatur in agente, sed vnica indiuisibilis actio non potest subiectari naturaliter in duobus agentibus realiter distinctis: ergo quodlibet ex diuersis agentibus habet suam propriam actionem, qua concurrit: & hinc sequitur falsum esse quod dicit Hurtado, eandem actionem posse immediatè egredi à diuersis causis subordinatis.

88 *Obiicies primò.* Actio creaturæ dependet à Deo, cùm sit quid creatum, sed non dependet ab ipso per aliã actionem, quia ad actionem non datur actio, vt communiter supponitur: ergo immediatè egreditur à Deo, & cõsequenter est actio Dei: sed etiam est actio creaturæ, vt supponitur: ergo eadem est actio Dei & creaturæ: hoc autem supposito non requiritur vlla alia actio ex parte Dei; cur enim illa sola, quæ ipsius est, non sufficeret ipsi?

*Responderi posset primò* negando minorem, quam responsionem putat probabilem *Arriaga n. 25.*

An actio creaturæ producatur per aliam actionẽ Dei.

*Sed contra*: quia si actio creaturæ dependeret ab actione Dei ad ipsam immediatè terminata: sequeretur necessariò ad positionem istius actionis Dei: sed hoc est absurdum, ergo: probatur minor, quia tolleretur libertas creaturæ, tollitur enim libertas creaturæ, quando ex suppositione alicuius antecedẽtis necessariò sequitur actio illa creaturæ quæ dicitur libera, si illud antecedens non sit in potestate voluntatis: sed actio Dei, quæ terminaretur ad actionem causæ secundæ liberam est antecedens ad illam, & non est in potestate voluntatis, eáque posita, necessariò sequitur actio illa libera: ergo tolleret libertatem.

89 *Respondetur* ergo aliter, distinguendo consequ s: egreditur ab ipso tanquam actio ipsius aut absque eo quod ipse habeat aliam concomitantem actionem, nego: egreditur ab ipso, quatenus non egrederetur à creatura, nisi Deus aliam concomitantem actionem haberet, concedo consequentiam. Itaque quemadmodum in causis creatis partialibus ac subordinatis actio partialis vnius dependet ab alia, quia non posset egredi, nisi alia actio partialis egrediatur ab altera, licèt neutra producat actionem alterius per aliam actionem, & licèt neutrius actio procedat ab altera tanquam ipsius actio; sed dicitur procedere cum dependentia ab illa altera, quatenus non egrederetur à suo subiecto, nisi alia actio egrederetur ab alia causa propter essentialem subordinationem: ita planè in proposito dicendum est.

*Dices cum Hurtado num. 51.* non sufficere hanc dependentiam tanquam à concomitante: quia talem dependentiam habet concursus Dei à concursu causæ secundæ, & tamen non propterea potest dici, quod concursus Dei dependeat à causa secunda: ergo quamuis concursus creaturæ diceretur dependere à concursu Dei, tamen non propterea deberet dici, quod concursus ille penderet à Deo ex illo capite præcisè.

*Respondeo* negando illam dependentiam non sufficere, ad cuius probationem, dico etiam concursum Dei dependere à causa secunda, cum qua vult cõcurrere: si enim dependet à concursu causæ secundæ, vt fatetur Hurtado, cur non dependeret à causa secunda, à qua ille concursus dependet? Verum quidem est quod concursus causæ primæ non depẽdeat à causa secũda, neque à concursu eius, tanquam à principio à quo emanat; sed tanquam à cõditione sine qua non esset: & eodem modo cõcursus causæ secundæ non dependet à Deo, tanquam à principio, à quo immediatè emanat; sed tanquam à principio remoto, quod scilicet est causa principij proximi, à quo emanat, & tanquam ab aliquo à quo dependet alter concursus, sine quo non posset esse.

90 *Dices secundò*, omnis creatura dependet à Deo immediatè ex dictis quæstione præcedenti: sed concursus causæ secundæ est creatura: ergo dependet à Deo immediatè, & non sufficit dependentia mediatè.

*Respondeo* distinguendo maiorem: omnis creatura, quæ producitur per actionem effectiuam veram, & realem, transeat; quæ non sic producitur, sed vel emanat, vt emanant relationes intrinsecùs aduenientes, vel est ipsamet actio causæ effectiuæ, negatur: sufficit enim vt huiusmodi relationes, & actiones dependeant sic ab eo, vt possit ipsas pro quocunque instanti, aut producere aut destruere: sic autem potest facere absque dependentia, immediata, quæ prætenditur in replica, quia relationes potest destruere destruendo earum fundamenta aut terminos aut rationem fundandi: actiones verò aut subtrahendo concursum suum, aut destruendo causam effectiuam, aut ponendo alia impedimenta aliqua.

*Dices 3.* Sequeretur mutua causalitas inter concursũ Dei, & creaturæ, quia alter ab altero mutuò dependeret.

*Respond.* negando sequelam, & distinguendo eius probationem: tanquam à priori, nego; tanquam à concomitãti, cõcedo: sed inde non sequitur mutua causalitas, quia causalitas solùm reperitur in illo, quod est prius natura.

91 *Dices quartò*, Sequeretur Deum in productione talis creaturæ æquè dependere à causa secunda, ac causa secũda ab ipso, & consequenter non magis dependere à Deo creaturam, quàm hãc ab ipsa in illa productione: sed hoc est absurdum, ergo. Probatur sequela, quia ideò creatura depẽdet ac subordinatur in illa actione, quia actio ipsius, seu concursus non potest esse absque concursu Dei, sed idem est de concursu Dei: ergo.

*Respondetur* negando sequelam, quia creatura dependet à Deo & secundum concursum & secundum entitatem suam propriam, Deus verò solùm dependet à creatura, quantum ad concursum.

*Rursus* Deus non ita dependet à creatura quoad illam productionem, vt in manu creaturæ sit quod ponatur vel non ponatur; sed creatura, præsertim naturaliter agens, ita dependet à Deo quoad illam productionem, vt in manu Dei, sit posita quacumque præuia applicatione, quod creatura habeat vel non habeat suam actionem.

92 *Obiicies secundò:* Volitio quæcumque, quam Deus habet circa creaturas, est ab æterno, ergo si esset actio ipsius aut concursus actualis, quo procedit creaturas aut concurrit ad earum productionem, creaturæ producerentur ab æterno.

*Probatur* consequentia; quia nec actio nec concursus actualis potest esse absque termino suo: ergo si volitio, quæ est ab æterno, sit concursus actualis, aut actio qua producitur creatura, creatura producta esset ab æterno.

*Respondetur primò*, aduersarios etiam soluendam hanc difficultatem; quia ratio cur Deus actualiter habet in tempore vnam actionem potius quàm aliam, est quia habet volitionem talis actionis potius, quàm alterius: ergo quãdoquidem volitio sit ab æterno, actio quæcunque, quæ sequitur ad ipsam, deberet esse ab æterno; quod si volitio possit esse ab æterno, & actio sequens ad ipsam in tempore & non ab æterno, similiter quamuis ipsamet volitio esset actio, posset esse ab æterno, quamuis terminus per ipsam producendus, non esset ab æterno.

*Respondetur secundò* directè negando sequelam, quia licèt sit ab æterno, tamen non determinat Deum ad producendum nisi pro tali tempore; est enim volitio producendi rem pro tali tempore. Ad probationem consequentiæ respondeo distinguendo antecedens, si non determinetur actio ad certum tempus ex natura sua intrinseca, concedo: si sic, nego.

93 *Dices:* si sit actio ligata ex natura sua ad aliquod tempus, non potest existere ante illud tempus; aliàs potuissemus dicere, quod actio qua ignis producit hodie alium ignem, extiterit heri, quando illum non produxit: ergo volitio Dei non potest existere sine termino producto, si sit actio qua producitur.

*Respondeo* distinguendo antecedens: si sit quid limitatum, & solùm habeat rationem actionis, concedo: si sit illimitatum, & non habeat solùm rationem actionis: nego antecedens cum sua probatione; quia actio ignis est quid limitatum, & solùm habet pro munere causam producentem effectum. Volitio autem Dei est quid illimitatum, cum identificetur ipsi Deo, & non solùm habet facere ipsum producentem effectum, sed etiam facere ipsum volentem producere; vnde quia ipse debet esse volens producere ab æterno, debet esse volitio illa in ipso ab æterno.

*Dices iterum:* si actio sit ab æterno, debet tribuere suum effectum formalem ab æterno: sed effectus formalis ipsius est facere causam agentem seu concurrentem actu: ergo debet hoc præstare Deo ab æterno; sed non præstat: neque enim verum est dicere quod Deus agat aut concurrat ab æterno.

*Respondeo* distinguendo maiorem: si sit ab æterno sub ratione formali actionis, concedo: si non sit sub tali ratione, nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam, quia sufficit vt id ipsi præstet in tempore, quando habet rationem actionis. Itaque ipsamet volitio Dei, quæ est actio ipsius, non habet rationem formalem actionis, nisi pro illo tempore, pro quo determinat Deũ ad producendũ effectum; non autem determinat nisi pro illo tempore, quo producitur effectus. Et si quæratur quare non determinat, ratio est quia est volitio determinatiua pro tali tempore.

94 *Obijcies tertiò.* Volitio Dei habet pro obiecto concursum seu productionem, qua Deus producit effectum: ergo non est ille concursus aut actio; neque enim potest esse obiectum sui ipsius. Probatur antecedens, quia Deus habet hunc actum voluntatis seu hanc volitionem: volo concurrere cum causa secunda ad productionem effectus: seu volo producere effectum: sed huius actus seu volitionis obiectum est ipse concursus seu actio: ergo.

*Respondeo*, loquendo de volitione Dei, in qua constituimus rationem actionis seu concursus, negãdo antecedens (quidquid sit de aliis volitionibus reflexis) ad cuius probationem dico quod licèt nos explicemus actum voluntatis Diuinæ, quo producit effectum, per hæc verba, volo producere effectum; & hoc modo loquendo significetur, quod reuera volitio illa tendat in productionem, tanquam in obiectum; reuera tamen à parte rei actus ille formaliter non habet productionem pro obiecto, sed est ipsi ipsamet productio, & habet pro obiecto aut potius termino ipsam rem quæ producitur: & verus sensus est formalis, nempe volo te producere, id est per volitionem te produco: sicut quando dicimus: volo te amare, sensus sæpè saltem, est: quod per volitionẽ talem te amo, amor enim est quædam volitio, quæ terminatur ad rem amatã. Quod si aliquis velit in Deo distinguere & volitionem qua producit, & volitionem qua vult producere, dicere poterit eandem volitionem Diuinam esse virtualiter reflexam, & eam propterea posse considerari, vt per eam res producitur, & vt per eam Deus vult rem producere. Si consideretur autem primo modo, habet rationem actionis, & non habet actionem pro obiecto, sicut nec habet seipsam; si verò consideretur secundo modo, non habet rationem actionis & propterea potest habere actionem pro obiecto.

Vrgeri posset hîc difficultas illa maxima, quid dicat volitio libera Dei, qua vult producere effectum supra volitionem necessariam ipsius: sed differenda est solutio ad Theologiam.

## QVÆSTIO VIII.

### *Qualis sit concursus, quo concurrit Deus cum causis secundis.*

95 COncursus Dei cum causis secundis altero ex duobus modis se habere potest; primo ita vt sit taliter indeterminatus & indifferens respectu effectus producendi, vt mediante eodem concursu possit non solùm ille effectus, qui producitur, sed quicunque alius produci, si aliæ causæ applicarentur, sic scilicet, vt mediante eodem concursu, quo Deus producit cum igne ignem, posset aqua producere frigus, & eodem concursu, quo mediante voluntas amat obiectum, posset illud obiectum odio prosequi. Hæc sententia videtur esse *Suarij*, & Iesuitarum communis. Alio modo potest se habere sic, vt sit tam determinatus ex natura sua ad effectum, qui producitur, vt nullus alius effectus, nec numero, nec specie distinctus, qui tum non producitur, possit per illum produci. Hæc est *Doctoris in 1. d. 39. & d. 41.* quem præter suos plurimi Thomistæ sequuntur. Quærimus ergo hic, quo ex his modis se habeat concursus diuinus.

## CONCLVSIO.

96 *CConcursus diuinus est omnino physicè determinatus ad effectum, qui producitur, in specie ac individuo; sic vt per eundem, quo producitur amor, non possit produci odium, nec eodem quo producitur Petrus, possit produci Paulus: loquor autem de concursu, prout formaliter habet rationem concursus.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam. Concursus diuinus est physicè determinatus ad effectum qui producitur.

*Probari* solet à Scotistis; quia aliàs Deus non cognosceret, quinam effectus essent absolutè futuri: sed hoc est falsum, & contra fidem: ergo. Probatur sequela, quia eatenus potest cognoscere, quænam sunt absolutè futura, quatenus cognoscit determinationem voluntatis suæ: sed si illa determinatio non sit absoluta, non potest cognoscere ea mediante, quod absolutè sint futura: si sit determinata habetur intentum.

*Hæc probatio* difficilis mihi videtur, quia posset aliquis dicere quod Deus posset cognoscere quid creatura esset factura suppositâ determinatione sua, & concursu indifferenti ex plenitudine suæ infinitæ scientiæ; quod quidem de causis naturalibus applicatis bene, non habet difficultatem, quia ex natura sua sunt determinatæ ad agendum hoc vel illo modo, supposito concursu Dei sufficienti, qualis esset secundum aduersarios indeterminatus ille ac indifferens. De causis verò liberis

suaderi posset: quia quamuis non obstante concursu indifferenti, possent oppositum effectum: tamen difficile est ostendere cur Deus non cognosceret quid essent facturæ ex pluribus quę possent facere; sed de hoc fusius in Theologia.

Facilior probatio

97 *Probatur conclusio aliter, primò* quidem ex suppositione sententiæ probatæ quæstione præcedenti: concursus Dei est volitio, qua vult cum hac causa producere realem effectum: sed per illam volitionem non posset alius effectus produci: ergo concursus Dei non est indeterminatus, sed determinatissimus.

Probatur minor, quia sequeretur, quod esset & non esset illa volitio; esset quidem ex hypothesi; non esset autem, quia esset volitio producendi alium effectum: volitio autem producendi vnum effectum distinguitur formaliter aut ratione à volitione producendi alium, quando præsertim effectus non habent necessariam connexionem, aut quando ad productionem vnius non producitur alius necessario.

*Probatur secundò* aliter, independenter ab hac sententia, quia concursus Dei secundum aduersarios communiter, est identificatus concursui creaturæ, eadem enim actione secundum ipsos Deus & creatura producunt effectum, sed certum est actionem creaturæ, qua producit hunc effectum, esse ita determinatam ad illum effectum, vt non possit per eam alius effectus, qui tum non producitur, produci: ergo idem dicendum est de concursu Dei ipsi identificato: quæ quidem probatio mihi conuincit conclusionem supposita illa identificatione. Quod si etiã actio Dei esset aliqua particularis actio distincta ab actione creaturæ, & à termino, omnino necessarium esset, quod pro distinctione terminorum distinguerentur, quia determinatio actualis causæ ad effectum producendum nequit esse, quin causa determinetur per ipsum, præsertim si determinatio non sit infinita ac illimitata: ergo si determinatio, qua Deus determinatur de nouo ad producendum amorem, esset etiam determinatio, qua determinaretur ad producendum odium, sequeretur quod quoties produceret odium, produceret etiam amorem, quod est absurdum: ergo signum est, quod pro variatione terminorum debent variari determinationes, tum quia effectus non magis dependet à causa secunda, quàm à prima: ergo sicut non potest egredi à causa secunda per concursum, indeterminatum, sed per determinatum ac sibi soli correspondentem, nequit etiam per talem egredi à causa prima.

98 *Obiicies.* Sequeretur, quod effectus deberet necessario poni; & consequenter tolleretur libertas. Probatur sequela: quia quidquid Deus determinat absolutè futurum esse, ex ista hypothesi debet necessario fieri, quia aliàs non determinaret futuritionem eius absolutè, aut saltem determinatio absoluta Dei posset impediri, quod implicat.

*Respondeo* distinguendo sequelam, necessitate consequenti, aut concomitanti, transeat: necessitate antecedenti, negatur: nec id probatur per probationem sequelæ. Vt hoc intelligatur, aduertendum tum tolli libertatem causæ in ordine ad effectum, quando ex suppositione alicuius antecedentis determinationem istius causæ, non potest non ponere effectum, sed ipsum necessario ponit: cuius ratio est, quia potentia libera est illa, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum non necessario agit: ergo si ponatur hypothesis alicuius antecedẽtis determinationem actualem voluntatis; seu si supponatur esse in rerum natura aliquid antecedens illam determinationem, quo posito causa nequit non agere, non erit verum de causa dicere, quod positis omnibus præhabitis ad actionem possit agere, & non agere, & consequenter tollitur libertas eius, quæ in illo posse consistit: necessitas ergo agendi orta ex huiusmodi re antecedenti actionem, quæ vocatur necessitas antecedens, tollit omnino libertatem. Alia potest esse necessitas agendi ex suppositione alicuius consequentis actionem causæ, aut concomitantis ipsam, & hæc vocatur necessitas consequens, aut concomitans, aut secundum quid, nec tollit libertatem causæ; quia non obstante, quod supponatur tale quid, adhuc verum erit dicere de causa quod positis omnibus præhabitis ad actionem, possit habere actionem, vel eam non habere, quod sufficit ad hoc vt libere dicatur habere talem actionem.

Quid necessitas antecedens & consequens.

99 *Dices:* volitio Diuina, & decretum absolutum, quo decernit futuritionem effectus, antecedit determinationem voluntatis creatæ, ergo si eo posito non potest non poni effectus, tollitur libertas, quia infertur necessitas agendi, etiam ex suppositione antecedenti.

*Respondeo* distinguendo antecedens: antecedit illam determinationem voluntatis creatæ per se & ex indigẽtia causæ secundæ, aut effectus ab ea producendi sic, vt antecessio illa habeat aliquem influxum in causam secundam magis, quam si non antecederet, sed concomitaretur, nego antecedens: per accidens, & ex conditione Dei, qua non potest habere decreta noua, sed necessario habet ab æterno, quidquid habet in tempore, concedo antecedens, & nego consequentiam ac distinguo eius probationem: infertur necessitas ex suppositione antecedenti, quatenus antecedens est, nego; quatenus non est antecedens, sed concomitans, concedo, sed nihil inde infertur contra conclusionem.

Quomodo concursus Dei antecedit actionem creaturæ.

Quod autem æternitas decreti Diuini, aut volitionis concurrendi non faciat ad determinationem voluntatis creatæ, patet; quia nihil potest conducere ad determinandam aliquam causam, nisi quatenus existit pro illo instãti, pro quo causa determinatur: ergo decretũ aut volitio Diuina non habent aliquam vim influendi aut determinandi voluntatem creatam; quatenus sunt ab æterno, sed quatenus sunt coexistentia volũtati pro illo instanti, quo operatur; nec vt sic etiam possunt habere vllam prioritatem naturæ, & consequenter debent esse vel concomitãtia vel sequentia, atque adeo suppositio eorum non est suppositio antecedens determinationem voluntatis; Itaque suppositio antecedens, seu suppositio alicuius antecedentis determinationem voluntatis, & tollens libertatem, debet esse suppositio alicuius, quod, quatenus antecedit, habet virtutem necessario tractiuam voluntatis: talem autem non habet decretum Diuinum, quantumuis efficax, nec concursus quicumque Diuinus, quo cum voluntate concurrit, quia quidquid habere potest virtutem determinatiuam voluntatis, vel debet illam habere quatenus est aliquid quod habet rationem actus primi, vel ratione actus secundi: sed neutro modo ex his potest decretũ Diuinum, aut concursus eius determinare voluntatem necessario ad actum per modum antecedentis, ergo. Probatur minor: non per modum actus primi, quia quod sic determinat voluntatem: aut debet proponi ipsi per intellectum, aut debet habere aliquam actionem antecedentem actionem voluntatis, per quam actionem produceretur aut actus voluntatis, aut actio voluntatis; neque enim concipi potest, qua alia ratione posset determinari volũtas sed non est necessarium, vt decretum Diuinum proponatur ipsi, vt patet experientia; nec decretum Diuinum habet ante actionem voluntatis aliam actionem in ipsã voluntatem, qua producitur actus voluntatis, quia alias ante actionem voluntatis produceretur actus voluntatis; & sic non dependeret actus voluntatis effectiue à voluntate, contra omnes, nec habet etiam actionem, qua producatur actio voluntatis, quia secundum aduersarios præsertim non datur actio actionis; & quia gratissime poneretur talis actio; & quia vel illa actio se sola produceret illam actionem voluntatis, & sic non esset actio voluntatis; vel simul cum voluntate, & sic non determinaret voluntatem taliter, quin voluntas posset abstinere à suo cõcursu, atque adeo non sequeretur, necessario illa actio. Non etiam per modum actus secundi, quia aut esset actio totalis actus voluntatis, aut partialis, si totalis, ergo actus non produceretur à voluntate: si partialis ergo deberet simul natura adesse actio voluntatis, & sic non determinaretur voluntas determinatione antecedenti.

100 *Dices:* si decretum Diuinum non haberet aliquam vim determinatiuam voluntatis per modum antecedẽtis, non deberet esse necessarium, quod ex suppositione quod

antecederet decretum Diuinum, deberet sequi determinatio voluntatis creatæ: sed hoc est falsum: ergo.

*Respondeo* distinguendo sequelam maioris: ex suppositione quod antecederet præcisè, nisi etiam ex ista hypothesi sequeretur, quod concomitaretur concursum voluntatis creatæ, concedo maiorem: ex suppositione præcessionis, quatenus cum illa coniungitur, quod debeat concomitari concursum voluntatis, nego maiorem, & minorem.

*Dices secundò:* Sufficit ad tollendam libertatem, quod supponatur aliquid antecedens, cum quo coniungitur aliquid, quo posito necessariò ponitur effectus, siue illud antecedens secundum se determinet voluntatem, siue nó: sed ex dictis, ex suppositione decreti æterni, debet necessariò esse concomitantia concursus Diuini cum voluntate, & consequenter debet etiam necessariò esse concursus ipsius voluntatis creatæ, quia concursus diuinus non potest esse sine concursu creato: & his suppositis necessariò ponitur effectus.

*Respondeo* negando maiorem, quando illud, quod necessariò coniungitur cum antecedenti, non est antecedens determinationem voluntatis. Ad quod etiam intelligendum aduertendum est, quod illud quod ex natura sua non necessitat voluntatem, sed solùm ex ratione alterius coniuncti, non potest necessitare, nisi illud coniunctum necessitet: vnde cum decretum Diuinum non determinet secundum se, sed quatenus consequitur ipsum concursus, aut quatenus habet rationem concursus, non necessitabit nisi concursus necessitet: concursus autem non determinat voluntatem, quandoquidem non sit antecedens, sed concomitans: ergo nec decretum aut secundum se, aut secundum aliquid concomitans necessitat voluntatem, nisi ex suppositione consequenti aut concomitanti.

101 *Obiicies secundò*, Deus potest ita determinare futuritionem effectus, vt voluntas non possit impedire, quominus effectus sit futurus, sed omnino necessitetur ad illum: sed non potest id facere magis, quàm per decretum ac concursum absolutum; ergo posito illo decreto necessitatur voluntas, nec potest non ponere effectum.

*Respondeo* distinguendo minorem: per decretum absolutum, quo determinaret futuritionem effectus, provt determinat de facto, nego minorem: per aliud decretum: quo ita determinaret absolutè, vt voluntas non liberè, sed necessariò concurreret, concedo minorem, & nego consequentiam; seu potius distinguo consequens: per decretum, quod habet de facto, nego: per aliud decretum distinctæ rationis, transeat. Itaque si vellet Deus decernere futuritionem amoris absque dependentia à voluntate in genere causæ efficientis, sine dubio amor ille non produceretur liberè à voluntate; nec video cur Deus id decernere non posset præsertim in nostra, & meliori sententia tenente, quod Deus se solo possit producere actus vitales. Si autem Deus decerneret futuritionem amoris cum dependentia à concursu voluntatis absque eo, quod proponeretur voluntati aliquid ipsam intentionaliter determinans, aut aliquid physicum, ex quo necessariò sequeretur actio voluntatis, difficile est quomodo posset etiam Deus facere vt necessitaretur voluntas.

102 *Obiicies tertiò.* Si non necessitaretur voluntas per decretum absolutum ac concursum determinatum, eo non obstante posset oppositum facere; sed hoc est falsum: ergo. Probatur minor, quia sic posset frustrari decretum diuinum, & consequenter posset falli scientia diuina, qua infallibiliter cognoscit futurum esse, quod per tale decretum decernitur, quod est absurdissimum.

*Confirmatur:* quia non potest quis imaginari quomodo possit falli aut frustrari decretum diuinum magis quàm per hoc, quod eo non obstante in sensu composito possit poni oppositus effectus, seu non poni effectus, seu decretum.

*Confirmatur secundò*, quia voluntas non potest facere oppositum effectum absque concursu diuino, ac decreto de illo effectu: sed supposito decreto absoluto de amore, verbi gratia; ac concursu ad ipsum, non adest decretum nec concursus de odio, aut de omissione amoris: ergo voluntas nequit producere odium aut omissionem amoris, & consequenter necessitatur ad amorem.

Probatur minor, quia decretum ac concursus actualis ad odium aut omissionem amoris infert alterutrum, ergo cum non sit futurum odium, aut omissio amoris, non est decretum de illis.

*Deinde*, ex suppositione quod voluntas creata determinat se ad vnum, non habet vllam determinationem, nec potest habere in sensu composito ad aliud oppositum, & incompatibile: ergo idem dicendum est de voluntate diuina, quia eadem est ratio quantum ad hoc de vtraque voluntate.

103 *Respondetur* distinguendo maiorem: in sensu composito, nego maiorem: in sensu diuiso, & absolutè ac simpliciter, concedo maiorem, & nego minorem cum sua probatione. Ad hoc enim vt posset voluntas frustrare decretum diuinum, aut efficere fallibilem scientiam diuinã, non sufficit quod absolutè, & simpliciter posset ponere oppositum effectum in sensu diuiso, hoc est, ex suppositione, quod non esset tale decretum aut concursus; sed vlterius requiritur, quod in sensu composito, hoc est, ex suppositione decreti, ac concursus possit oppositum ponere: negandum autem est, quod dici possit voluntas creata facere magis, quàm potest facere, vt si quis sedeat, possit in sensu composito stare.

*Dices:* si in sensu composito decreti non possit oppositum: ergo quandoquidem ille sensus compositus de facto sit, de facto nequit oppositum, atque adeo de facto necessitatur.

*Respondeo*, distinguendo consequens pro prima parte: de facto, id est, ex suppositione omnium, quę de facto supponenda sunt, includendo concursum ipsiusmet voluntatis, concedo consequentiam; non includendo illum concursum, nego consequentiam pro prima parte; & absolutè, nego illam pro secunda parte; quia vt necessitetur voluntas, non sufficit, quod non possit oppositum quomodocunque; sed requiritur, vt non possit oppositum ex suppositione alicuius antecedentis determinationem suam, quod antecedens ex vi sua, aut ex vi alterius concomitantis, aut sequentis, quod etiam antecedit determinationem voluntatis, trahit illam determinationem necessariò.

104 *Ad primam confirmationem*, concedo totum', sed nego, quod in sensu composito decreti & concomitantiũ decretum possit voluntas oppositum ponere. Verum quidem est quod alij fateantur, non obstante decreto voluntatem posse etiam in sensu composito ponere oppositum, licèt non sit positura oppositum: & quia licèt possit ponere oppositum, infallibiliter tamẽ non est positura oppositum, propterea existimant, eo non obstante, decretum ac scientiam esse infallibilia. Imò addunt quod, si voluntas non posset, propositum, decretum, & scientia fallerentur, quia decretum & scientia sunt de effectu futuro liberè à voluntate: non esset autem sic futurus, nisi proueniret à voluntate tali modo, vt possit voluntas oppositum ponere si velit.

*Sed quamuis* non dubitem quin voluntas absolutè, & simpliciter producat effectum sic, vt posset oppositum ponere, & non requiritur ad hoc vt decretum diuinum, & scientia sint talia, qualia sunt de facto; tamen non credo debere voluntatem posse oppositum in sensu composito decreti, quia hic sensus inuoluit ipsam determinationem voluntatis vel actualem, vel futuram; & certum est quod in sensu composito determinationis suæ ad amorem non possit non habere amorem.

*Dices:* si decretum inuoluit determinationem voluntatis, ergo trahit illam necessariò: vel si non trahit: ergo non obstante decreto, in sensu composito eius, potest voluntas non habere determinationem illam.

*Respondeo* distinguendo sequelam, si inuoluat ipsam, ita vt ipsum decretum sit prius quam concursus; aut actualis, aut futurus, concedo sequelam; itavt sit concomitans, nego sequelam. Itaque decretum inuoluit determinationem voluntatis, non quasi ipsummet determinaret voluntatem ad illam, sed quia non esset

decretum,

decretum, nisi esset illa determinatio voluntatis, vel actu, vel futura, liberrimè egrediens à voluntate.

105 *Ad secundam confirmationem respondeo* negando maiorem: ad hoc enim vt possit oppositum effectum absolutè, & simpliciter, non requiritur, quod sit actualis cõcursus aut actuale decretum ad oppositum, sicut non requiritur, quod sit suus proprius concursus; sed sufficit, quod possit habere concursum ad oppositum, & quod possit esse decretum de oppositio; siue sit de facto, siue non.

*Dices:* Sed neque potest esse decretum de odio ex suppositione decreti de amore in sensu composito: ergo ex ista hypothesi in sensu composito nequit voluntas odium habere.

*Respondeo* concedendo totum, cuius ratio patet ex dictis. Hæc omnia valde difficilia sunt pro captu Tyronum, qui propterea non debent adiicere animum, si non tam facile possint illa percipere, persuadentes sibi quod successu temporis faciliora reddentur.

106 *Obycies quartò*, Deus concurrit cum causis secundis iuxta eorum naturam: ergo alio modo concurrit cum causis naturalibus, quàm cum liberis: sed cum naturalibus concurrit concursu determinato; ergo cum liberis concurrit concursu indeterminato.

*Respondeo* distinguendo antecedens: iuxta naturam suam, id est, tali concursu, qui sufficit vt ipsæ agant iuxta suas naturas, concedo: id est, dat ipsis concursum, qui sit absolutus ac determinatus, si causa secunda sit determinata in actu primo; qui sit indeterminatus, si causa secunda sit indeterminata in actu primo, nego antecedens. Quemadmodum enim actio causæ secundæ cuiuscumque siue liberæ siue naturalis est semper determinata ad effectum, nec in hoc est differentia inter actionem causæ naturalis, & causæ liberæ: ita etiam concursus actualis exhibendus vtrique causæ debet esse determinatus absque vlla disparitate.

*Confirmatur:* quia concursus Dei cum vtraque causa est liber vt patet, quamuis ex causis vna sit libera & altera naturalis: ergo similiter concursus eius cum vtraque causa potest esse determinatus, quamuis vna ex causis sit naturalis, & altera libera.

## CONCLVSIO II.

Præter concursum efficacem, & absolutum non requiritur alius vllus.

107 *Præter hunc concursum efficacem, & absolutum non requiritur alius concursus indeterminatus & inefficax ad oppositum; vel ad alium effectum.* Est contra quosdam, qui ad saluandam libertatem causæ liberæ exigunt huiusmodi decretum efficax.

*Probatur* tamen: quia vt saluetur libertas sufficit, quod voluntas habeat in actu primo totum, quod requiritur, vt possit agere vel non agere, & non requiritur aliquid pertinens ad actum secundum: ergo nullus concursus actualis Dei requiritur ad saluandam libertatem.

*Confirmatur primò*, concursus Dei actualis est simul cum actione voluntatis secundum aduersarios: sed voluntas ante actionem intelligitur, & est potens producere talem effectum: ergo & ante concursum Dei.

*Confirmatur secundò:* ante concursum absolutum est potens absolutè habere talem concursum: ergo ante concursum indifferentem, seu inefficacem est potens inefficaciter ponere effectum talis concursus.

*Confirmatur tertiò* concursus absolutus non ponitur, vt possit agere, sed vt agat efficaciter: ergo concursus inefficax non est necessarius, nec debet poni, vt possit inefficaciter, sed vt agat inefficaciter; si tamen vllo modo ponatur, quod additur, quia fortè de facto non datur, quia esset superfluus; imò forte est impossibilis, quia omnis actio, quæ ponitur debet habere aliquem terminum positum per ipsam, & consequenter omnis concursus actualis; sed nullus terminus aut ponitur, aut ponetur per illum concursum indifferentè & inefficacem: ergo omnino nequit dari.

*Dices*, per omnem concursum efficacem poni necessariò aliquid, non verò per concursum inefficacem.

*Contra*, quia implicat in terminis esse concursum actualem, per quem non ponitur, aut ponetur aliquid actualiter & consequenter qui sit inefficax, quia eatenus dicitur actualis, quatenus causa aliquid actualiter ponit vel ponet per illum.

*Confirmatur hoc:* quia ille concursus, quo nihil ponitur, sed per quem tamen aliquid potest poni, non potest distingui à concursu in actu primo: ergo non potest dici, quod sit concursus in actu secundo.

108 *Obycies:* voluntas non potest facere oppositum ipsius, quod facit, nisi tum, cum facit illud, habeat concursum Dei paratum ad illud oppositum; sed ille concursus paratus ad oppositum est inefficax: ergo præter concursum, quo concurrit Deus, vt faciat aliquid, debet dari alius concursus inefficax, quo possit oppositum facere.

*Respondeo* distinguendo maiorem: nisi habeat concursum Dei paratum in actu secundo, seu aliquem concursum, qui sit distinctus ab ipsamet voluntate Dei nego: nisi habeat concursum paratum in actu primo, id est, ipsammet voluntatem paratam dare ipsi concursum, licet non det, concedo maiorem, & similiter distinguo minorem & consequentiam. Itaque, sicut ego possum esse paratus ad auxiliandum alicui, licèt non dem ipsi vllum auxilium, ita etiam potest intelligi Deus paratus ad dandum concursum, licet non det vllum concursum.

109 *Obycies secundò:* Deus de facto habet duas volitiones, vnam efficacem damnandi aliquem, & aliam inefficacem saluandi illum ipsum: ergo potest habere concursum efficacem ad aliquid, & alium inefficacem respectu oppositi ipsius simul & semel. Antecedens quoad primam partem est certum: quoad secundam verò probatur ex Scriptura, vbi dicitur, quod Deus vult omnes homines saluos fieri, qui locus secundum communiorem & probabiliorem Patrum & Theologorum sententiam intelligitur de omnibus omnino hominibus tam damnandis, quàm saluandis, licèt Sanctus Augustinus & aliqui alij aliter exponant illum locum.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: & aliam inefficacem saluandi illum, quæ immediatè terminetur ad salutem per modum concursus, quo proximè posset acquirere salutem, nego; quæ immediatè terminetur ad aliquod aliud, quod possit ipsi concurrere ad acquisitionem salutis, si vellet ipse bene vti eo, concedo antecedens: similiter distinguo consequens, ita vt vterque terminetur immediatè ad illos oppositos effectus, nego; ita vt vterque terminetur immediatè ad effectus non oppositos simul & semel, concedo. Exactior huius rei discussio relinquenda est pro Theologia, sufficit modò aduertere, quod licèt posset dari huiusmodi volitio inefficax simul cum efficaci, non tamen est necessaria ad saluandam libertatem pro illo instanti, pro quo voluntas agit liberè.

## QVÆSTIO IX.

*A qua causa prouenit determinatio effectus, quoad speciem & indiuiduum.*

110 CErtum est ex dictis hucvsque, & Deum & causam secundã concursu suo immediatè attingere effectus, qui ab ipsis producuntur; tum quoad rationes specificas, tum quoad indiuiduales, atque adeo effectum quemcunque productum accipere ab vtraque & speciem & indiuiduationem. Sed quia, quando effectus procedit à pluribus causis subordinatis, solet accidere, & vni potius quàm alteri attribuatur, quod effectus habeat talem vel talem rationem particularem: sicut contingit in intellectione, quæ licèt procedat indiuisibiliter ab intellectu & obiecto, quoad speciem & indiuiduum, quod tamen sit talis particularis rationis, adscribitur obiecto, & non intellectui, quia intellectus, quantum est ex se, non magis petit producere intellectionem talis speciei, quàm alterius; obiectũ verò determinatur ad tales intellectiones, ita vt non possit concurrere ad alias quascumque, ad quas potest concurrere intellectus; quia inquam hoc accidit, ideo hîc etiam quæritur, cuinam per se formaliter attribuendum sit; Deone, an creaturæ, verbi gratia, igni, quod applicato igne in debitis circumstantiis, producatur ignis potius quàm aqua; & hoc numero indiuiduum

ignis potius,quam aliud indiuiduũ ex infinitis similibus, quæ possent produci:Quæ difficultas non solum in causis naturalibus procedit, sed etiam in liberis;vt cum voluntas cum Deo producit volitionem alicuius obiecti, circa quod posset habere nolitionem , cuinam adscribendum sit,quod producat volitionem , & ex infinitis volitionibus,quas habere posset,cuinam adscribendum sit , quod hanc numero volitionem habeat potius quam aliam?

Ego quoad me attinet,fateor difficile esse in casu huius controuersiæ,nimirum quando Deus , & causa secunda concurrunt , attribuere specificationem aut indiuiduationem effectus (secludendo præsertim peccatum)potius vni , quam alteri ; nam sicut non esset ignis productus quoad speciem, nisi adesset alius ignis aut alia causa secunda determinata ex se in illis circumstantiis ad producendum ignem:ita sane non esset productus,nisi Deus determinaret se ad productionem ignis ; nec quod ignis sit determinatus ad talem speciem efficit , vt Deus determinetur ad productionem;quod si Deus esset agens naturale,tam determinaretur naturaliter in talibus circumstantiis ad producendum ignem,quam ipsemet ignis.

*Confirmatur hoc* , exemplo causarum naturalium subordinatarum,verbi gratia intellectus, & obiecti:tam intellectus est ex se determinatus ad talem intellectionem in talibus circumstantiis,quam obiectum : ergo non potest attribui obiecto potius quam intellectui quod in talibus circumstantiis producatur talis intellectio. Nec refert quod intellectus sit causa magis vniuersalis,& quod possit producere ex se plures intellectiones diuersæ speciei: hoc enim non facit quin in talibus circumstantiis sit determinatus ad talem speciem,sicut ipsum obiectum,quod etiam in aliis circumstantiis non esset sic determinatum sed posset alios effectus producere. Itaque reuera censeo, si res bene examinetur,specificationem ac indiuiduationem absolute , & simpliciter non posse refundi in vnam tantum ex causis huiusmodi,sed in vtramque. Ex suppositione tamen communi,quod vni attribuenda sit, resoluam quæstionem,vt ( quod dicitur ) cum multis loquar.

## CONCLVSIO I.

Indiuiduatio effectus intra talem speciem refundenda est in causam primam.

111 *Determinatio effectus quoad indiuiduationem intra talem speciem absolute in causam primam refundenda est.*Hæc colligitur ex *Scoto in* 4.*dist.*43.*qu.*3. & est *Suar.disp.*5.*met.Hurt.disp.*10.*Phys.*§.4. *Auersæ quæst.* 16. *sect.*3.contra *Vasq disp.*74.*in* 3.*part.cap.*8.*Fonsecam* 3.*met. cap.*2.*qu.*14.*Raco.sect.*3.quibus fauet ex Scotistis *Eber* 1. *disp.*54.*num.*84.

*Probatur conclusio* quoad effectus procedentes à causis naturalibus:quia illi causæ absolutè illa conditio effectus attribuenda est,in cuius manu positum est in iisdem omnino circumstantiis intrinsecis & extrinsecis omnibus , præcedentibus concursum actualem, ponere illum , vel non ponere,etiam concurrentibus iisdem causis,ac velint nolint,nulla facta iis violentia,vt videtur euidens ; quia nihil aliud potest requiri vt conditio illa talis causæ attribuatur potius,quam alteri:sed in manu Dei est , quando applicatur ignis,verbi gratia ad stupã, vt in iisdem omnino circumstantiis,etiam concurrente igne,æque connaturaliter,intra speciem ignis hoc indiuiduum ignis, aut illud aliud ex infinitis,quæ produci possent,producatur: ergo illa indiuiduatio est illi attribuenda. Probatur minor:quia ignis in illis circumstantiis,licet sit ex se determinatus ad talem speciem connaturaliter loquendo;tamen non est magis determinatus ad hoc indiuiduum talis speciei,quam ad multa alia eiusdem omnino rationis, quæ possibilia sunt ab ipso produci:ergo æque connaturaliter in talibus circumstantiis posset alia indiuidua producere,ac illud,quod producit,si Deus concurreret;ergo in manu Dei positum est cum illa æque connaturaliter in iisdem circumstantiis omnibus producere quodcumque ex illis indiuiduis;& consequenter quod hoc indiuiduum producat,Deo attribuendum est.

Non possunt aduersarij,vt credo,tollere vim huius argumenti nisi dicendo quod inter indiuidua producenda ab aliqua causa secunda , detur talis,ordo , vt in talibus circumstantiis non possit nisi tale particulare indiuiduum produci.Sed hæc doctrina gratis excogitata est ad euadendam difficultatem:& præterea cùm indiuidua sint omnino eiusdem rationis, absurdum videtur quod vnum diceret aliquem respectum ad alias circumstantias, ratione cuius in iis deberet produci potius,quam aliud , de quo plura inferius.

112 *Probatur conclusio* quoad effectus procedentes à causis liberis:quia voluntas verbi gratia neque est ex se determinata ad vnam volitionem intra hanc speciem potius quam ad aliam,neque potest se determinare : ergo debet determinari à causa prima,& consequenter determinatio ad tale indiuiduum debet adscribi causæ primæ.

*Probatur minor quoad primam partem*;tum quia voluntas quoad effectus, ad quos est ex se determinata,habet rationem causæ naturalis, & consequenter eodem modo discurrendum est de ipsa ac de causis naturalibus,quibus iam probatum est non posse attribui illam determinationem:tum quia cum volitiones sint eiusdem rationis , non potest concipi quomodo ex se potius ad vnam,quam ad cæteras esset determinata.

*Probatur eadem minor quoad secundam partem:*quia voluntas non potest semetipsam determinare ad vnum præ alio , nisi proponatur ab intellectu ipsi vnum vt distinctum ab alio:sed intellectus(saltem pro hoc statu,de quo loquimur) non cognoscit vnum indiuiduum vnius speciei, vt distinguitur ab alio indiuiduo eiusdem omnino rationis sine vlla differẽtia etiam accidentali(qualia sunt duæ volitiones,quas in iisdem circumstantiis æquè connaturaliter habere potest voluntas)ergo non potest proponere voluntati vnum ex illis,vt distinguitur ab alio.

*Confirmatur:*eadem cognitio intellectus æque bene repræsentat quodcumque indiuiduum eiusdem rationis: ergo non potius proponit vnum quam aliud quodcumque.

113 *Obycies:*sequeretur Deum esse causam per se actus peccaminosi talis in indiuiduo, cui per se potius, quam causæ secundæ attribuendum sit quod producatur : sed hoc est absurdum:ergo.

*Respondetur breuiter*,sed sufficienter , ad hoc propositum:quantum ad hoc quod potius hoc indiuiduum talis speciei producatur, quam aliud , concedo maiorem;nec hoc est absurdum;nihil enim mali est in tali determinatione:& præterea,quia causa secunda , quæ vult talem speciem producere , nequit hoc facere , nisi causa prima determinet ad talem indiuiduationem, spectat ad ipsam tanquam ad causam vniuersalem illa determinatio:quantum ad hoc quod absolutè,& simpliciter indiuiduum talis speciei potius,quam alterius producatur, nego maiorem hoc enim esset inconueniens.

*Obycies secundò:*causa secunda attingit illud ipsum indiuiduum,quod producitur:ergo determinat ad ipsum, & consequenter indiuiduatio effectus illi est adscribenda.

*Respondeo* negando consequentiam , quia licet attingat,ideo tamen attingit , quia Deus vult potius ipsum produci,quam aliud , quæ tamen determinatio Dei non est antecedens determinationem causæ secundæ,sed concomitans.

## CONCLVSIO II.

Causa prima nõ determinat secundã ad speciem actus.

114 *Causa prima non determinat causam secundam naturalem ad speciem actus,ex suppositione applicationis & circumstantiarum , in quibus connaturaliter sequitur talis effectus in specie potius quam alius.* Hæc est communis & certa,quia ipsemet causa secunda naturalis est ex se determinata sufficienter in talibus circumstãtiis ad talem effectum;alias effectus ille non esset connaturaliter producendus potius,quam alius,ab illa causa,contra suppositionem cõclusionis. Addidi autem illam suppositionem data opera;quia si esset applicatio causarũ naturalium talium,quibus connaturaliter non potius deberetur Dei concursus ad vnum effectum,quam ad alium,ex eo scilicet,quod ipsæmet non potius exigerẽt producere

vnum

vnum,quàm alium ; determinatio ad speciem talem potius,quàm aliam,in causam primam refundenda esset, sicut determinatio ad vnum indiuiduum præ alio propter eandem rationem.

## CONCLVSIO III.

Causa secunda non determinat Deum simpliciter ad speciem effectus.

115 *Causa secunda naturalis non determinat Deum : simpliciter ad speciem talem,etiam ex suppositione cuiuscumque applicationis : sed bene determinat ipsum ex suppositione, quod velit concurrere modo connaturali.* Hæc etiam debet esse communis:& *probatur prima pars*;quia Deus absolutè & simpliciter,non obstante tali applicatione,posset non producere talem speciem;& forte etiam posset de potentia absoluta cum eadem causa producere alios effectus,etiam incompatibiles cum illa specie:ergo absolutè & simpliciter non determinatur à causa secunda ad talem speciem;neque est in manu causæ secundæ, quod ponatur,aut non ponatur talis species.

Causa secunda determinat Deum ex hypothesi, quod velit concurrere connaturaliter.

*Probatur secunda pars*:quia ex suppositione , quod sic velit concurrere,necessario exigit causa illa secũda,quod concurrat ad talem speciem , aliàs effectus ille in specie non connaturaliter produceretur à causa secunda potius, quàm alius contra hypothesim : ergo determinat causa secunda ipsum hoc modo.

*Dices*, ipsemet Deus ex ista hypothesi determinatur ex se:ergo nõ debet dici,quod determinetur à causa secũda.

*Hæc replica* mihi videtur optima,& est conformis ad dicta in initio quæstionis:sed supponendo tamen, quod vni causæ attribuendà est determinatio,dicendum,quod ex ista hypothesi Deus necessariò determinetur quidem ex se ad talem speciem; sed ratio tamen positiua , quare habet illam volitionem , est , quia causa secunda exigit connaturaliter illam volitionem:vnde finaliter in causam secundam refundendum est, quod talis effectus in specie producatur connaturaliter ex suppositione , quod in vllam vnam refundendum sit.

## CONCLVSIO IV.

Causa secunda libera determinat Deum ad speciem actus.

116 *Deus non determinat causam secundam liberam ad speciem actus in illis circumstantiis,in quibus liberè producit talem speciem , sed potius causa secunda libera determinat ipsum sicut causa naturalis.* Hæc est etiam communis,loquendo præsertim de actibus naturalis ordinis,& non conducentibus ad vitam æternam(de determinatione autem,quę fit per gratiam actualem,agendum est in materia de auxiliis.)

*Probatur prima pars*:quia licèt talis causa sit indifferens ad plures species,tamen habet ex se virtutem sufficientem determinandi se ad quamcunque ex illis ; sicut causa naturalis habet ex se esse determinata ad vnam speciem in talibus circumstantiis.

*Confirmatur :* quia aliàs determinaret tanquam causa per se ad speciem actus peccaminosi,cui esset attribuendum, quod potius talis species produceretur , quàm alia species,quod est absurdum.

*Dices:*non determinaret nisi ad actum peccaminosum materialiter.

117 *Contra*;quia homo non est causa per se actus peccaminosi,nisi quatenus per se concurrit ad speciem actus materialiter sumpti, sic vt ipsi sit determinatio eius per se adscribenda : ergo si Deo sit adscribenda illa determinatio,ille erit causa per se,cui debet per se attribui etiam ipsa malitia.

*Confirmatur hoc:*quia illi potius adscribendum est aliquid necessariò sequens ad aliud , cui adscribendum est præcipuè illud , ad quod sequitur necessariò , quàm illi cui non est adscribendum:ergo si Deo sit adscribendum, quod producatur tale materiale , ad quod necessariò sequitur talis malitia,ipsi erit potius adscribenda malitia quàm causæ secundæ.

*Probatur secunda pars :* quia si ipse velit connaturali modo agere cum causa libera,non potest non producere illam speciem,quam ipsa vult,& ideò vult illam speciem in talibus circumstantiis,quia causa secunda libera,quæ se determinat ad illam speciem;sicut ideò vult talem speciem determinatam producere cum causa naturalis, quia causa naturalis connaturaliter loquendo determinata est ad talem speciem.

*Confirmatur*,quia aliàs determinatio ad peccatum non esset tribuenda causæ secundæ potius,quàm primæ;quod videtur absurdum.

## QVÆSTIO X.

*Virum causa secunda possit cum prima concurrere ad producendos effectus supra suam naturam.*

Quid potentia obedientialis actiua,quid passiua.

118 IN hac quæstione inuoluitur celebris illa controuersia de potentia obedientiali, quam aliqui asserunt esse in qualibet re creata ad producendum quamlibet aliam rem creatam.Potest autem quæstio hæc versari,tam de potentia obedientiali passiua, secundum quam scilicet aliquid possit aliquam formam recipere,quæ nec esset ipsi connaturalis,nec producibilis in ipso naturaliter , quàm de potentia obedientiali actiua secundum quam aliquid possit producere aliud , quod naturaliter non posset producere.

*Prima sententia est* , non dari in creaturis potentiam obedientialem actiuam vllo modo; benè tamen passiuam Hanc videntur tenere *Thomistæ* communius,& præsertim *Martinez p.2.tom.1.Caraffa disp.2.de concursu*:eam etiam adscribit *Mastrius* Scotistis ferè omnibus: sed certum est Scotistas non negare intellectum habere virtutem actiuam ad visionem beatificam,quam tamen nequit absque supernaturali auxilio producere ; vnde si potentia obedientialis actiua dicatur illa , secundum quam potest res aliquid producere,quod naturalibus viribus solis absque supernaturali auxilio producere nequit, non possent negare potentiam obedientialem actiuam aliquam in creatura aliqua:propterea iudico , quod Scotistæ vel negant solùm potentiam obedientialem in sensu tertiæ sententiæ inferius ponendæ , vel in alio aliquo sensu, in quo tantum habent quæstionem de nomine cum admittentibus talem potentiam.

119 *Secunda* sententia est dari potentiam obedientialem actiuam in omnibus rebus ad omnia producenda, & passiuam ad omnes formas recipiendas. Ita *Suarez p. 3. disp.31.§.5. & disput.43. Met.§.4. Hurtadus disp.9.Phys. Arriaga disp. 9. Phys.num. 72.* qui eam dicit esse ferè omnium Iesuitarum recentiorum.

*Est* autem hîc aduertendum , quod aliqui dicunt potentiam obedientialem actiuam hanc esse qualitatem aliquam superadditam rei : sed qui sic eam explicant non possunt dicere,quod actu sit in omnibus rebus,sed quod possit esse in illis.Alij verò dicunt eam esse aliquid identificatum cuilibet creaturæ,& propterea quamlibet creaturam habere virtutem actiuam inchoatam ad producendum quamlibet rem producibilem , non tamen sufficere illam,vt dicatur causa principalis,etiam partialis,cuiusliber effectus,sed instrumentalis tantum ; quod tamen existimo spectare potissimum ad quæstionem de nomine.

*Tertia denique sententia* est dari potentiam obedientialem actiuam in aliquibus rebus ad aliquos effectus , non tamen in omni re ad omnem effectum. Hanc in re puto esse sententiam Scotistarum omnium , & expressè tenet *Mastrius disp.7.qu.6.art.5.* Scotum citabo in conclusionibus:eam sequuntur *Coninch. de Sacramentis qu. 62.art. 4.Turrianus opusc.2.disp.2.Morisanus disp.3.phys.4.q.28. Vasquez 3.p.d.132.num. 95.* Vnde nisi hos Iesuitas inter recentiores non reputet *Arriaga*, mirum est, quod suam sententiam ferè omnium Iesuitarum asserat.

## CONCLVSIO I.

Datur potentia obedientialis passiua ad aliquas formas.

120 *Datur potentia obedientialis passiua in qualibet re ad quamlibet formam , quæ non dicit essentialem dependentiam actualem ad determinatum subiectum.* Hæc videtur mihi communissima contra *Mastrium* supra.

*Probatur*,quia nõ videtur esse maior improportio vllius subiecti ad vllam formam talem,quàm naturæ humanæ ad vnionem hypostaticam ; sed in natura humana est talis potentia obedientialis ad vnionem hypostaticam vt

vt est de fide;ergo datur talis potentia in quolibet subiecto ad quamlibet formam,quam naturaliter nequit recipere,& quæ non dicit essentialiter ordinem actualem ad determinatum subiectum.

Dixi autem,*quam naturaliter nequit recipere*,quia potentia passiua,quam habet res ad formas,quas naturaliter potest recipere,non est obedientialis, sed potius naturalis. Dixi etiam, *quæ non dicit essentialiter ordinem actualem ad determinatum subiectum*,quia vnũ subiectum nequit recipere in se relationes alterius subiecti ; nec actus vitalis ex suppositione , quod essentialiter dependeret à potentia vitali,cuius est actus,potest recipi etiam supernaturaliter in alio subiecto,quàm in illa potentia, an autem sic dependeat, dicemus alibi.

*Confirmatur conclusio*,quia forma spiritualis potest esse in subiecto materiali,vt patet in anima,quæ recipitur in corpore;& forma supernaturalis in subiecto naturali,vt patet in gratia, quæ recipitur in anima;& forma etiam materialis in subiecto spirituali,vt patet ex dictis in Logica:ergo non debet negari , quin in qualibet re , talis forma supernaturaliter recipi debeat.

121 *Dices cum Mastrio*, antecedens huius confirmationis esse contra *Scotum in 4. d. 1. quæst. 3.* vbi negat spiritualia recipi in corporeis , & *d. 12. quæst 2.* vbi dicit nec lapidem posse recipere sapientiam, nec Angelum albedinem.

*Respondeo*, quantum ad primum locum Scotum non posse negare quin spiritualis forma possit recipi in corporeo , quandoquidem de facto anima recipitur in corpore;solùm ergo dicit,quod spiritualis forma non possit poni cum extensione in corpore,quandoquidem sit indiuisibilis;& quod non debeat de facto asseri,quod forma accidentalis spiritualis detur in subiecto corporeo, tota in toto,& tota in qualibet parte corporei subiecti, quia inquit ipsemet , *sola anima intellectiua ponitur taliter in corpore:* cum quo constat,quod de potẽtia absoluta possit forma accidentalis spiritualis poni taliter in subiecto.

Cur albedo in Angelo non faceret ipsum album.

Quantum ad secundum locum , dico Scotum intelligendum sic,vt velit tantùm dicere,quòd albedo non possit poni in Angelo sic,vt denominaret illum album,nec sapientia in lapide,sic vt denominaret illum sapientem; cuius ratio est, quod albedo non denominet album,nisi subiectum,in quo ponitur extenso modo, quo modo nequit poni in Angelo, qui est indiuisibilis ; nec sapientia denominat sapientem , nisi potentiam , quæ sapienter agere potest,qualis potentia non ponitur in lapide.

*Confirmatur secundò conclusio*,quia non potest assignari repugnantia in hoc,quod Deus posset, quamcunque formam talem cuicunque subiecto coniungere per inhæsionem,aut informationem.

## CONCLVSIO II.

Datur in aliquibus rebus potentia obedientialis actiua.

122 *Datur in aliquibus rebus potentia obedientialis actiua in ordine ad aliquos effectus, mediante qua concurrere possunt physicè ad productionem talium effectuum,tanquam causa principalis , sed non tamen tanquam causa instrumentalis.* Hæc est tertiæ sententiæ,& à fortiori secundæ, saltem quantum ad primam partem,colligitur autem ex *Scoto in 3. d. 4.* & omnibus principiis & locis, quibus probat intellectum concurrere,tanquam causam partialem physicam & principalem,ad visionem beatificam,& actus supernaturales.

*Probatur* breuiter , quantum ad primam partem, quia intellectus habet talem potentiam in ordine ad actus supernaturales in substantia,fidei scilicet;ergo.

Probatur antecedens; quia concurrit physicè ad illos producendos,& non potest absque auxilio supernaturali illos producere : ergo habet talem potentiam. Vltimum antecedens , quoad secundam partem conceditur ab omnibus , & patet, quia aliàs actus illi non essent supernaturales in substantia. Probatur idem antecedens quoad primam partem , tum quia in actibus illis reperitur vitalitas , quæ ipsis à nulla alia causa tribui potest; tum & magis præcipuè , quia in actibus illis reperitur aliqua specialis ratio , ratione cuius ab intellectu debeant connaturaliter potius produci , quam ab vlla alia causa , aut potentia ; tum quia nihil impedit quominus concurrat effectiuè ad illos , ac etiam physicè.

*Probatur conclusio quoad secundam partem* , quia intellectus est perfectior,quàm sit aut ipse actus supernaturalis,quem producit,aut habitus supernaturalis, quem dicunt aduersarij esse causam principalem talis effectus;nec aliquid impedit quominus dicatur causa principalis, respondétque ipsi aliqua formalitas propria in effectu, nimirum ratio intellectionis,quæ secundum aduersarios ita exigit prouenire ab intellectu,vt nec de potentia absoluta possit produci sine concursu intellectus: ergo debet dici causa principalis partialis:neq; enim aliud quippiam ad talem causam requiritur : quod totum amplius probandum remitto in materia de actibus supernaturalibus ac visione beatifica,vbi etiam soluentur obiectiones, quæ non possunt esse quàm Theologicę.

123 *Obycies.* Sequeretur,quod naturaliter posset videre Deum,& producere actus supernaturales : sed hoc est absurdum,ergo.Probatur sequela,quia si habet virtutem physicam innatam , debetur ipsi connaturaliter concursus,quo reducat ipsam in actu, quando obiectum præsertim sufficienter proponitur , non minus, quàm debetur aquæ concursus ad producendum frigus.

*Respondet Mastrius disp. 7. qu. 6. art. 5.* vbi bis sibi hanc obiectionem proponit , negando consequentiam , quia intellectus non habet virtutem completam respectu visionis,aut actuũ supernaturalium, nec potest producere dispositiones exigentes connaturaliter ipsos : non debetur autem concursus ad effectum , nisi causæ, quæ habet virtutem completam sufficientem,vel quæ potest producere dispositiones sufficientes.

*Hæc responsio* non placet propter duo,*Primum est*,quia in probabili sententia debentur Angelo connaturaliter concursus ad producendas cognitiones naturales, & species ad illas requisitas quamuis non possit disponere se ad ipsas , nec habeat virtutem completam productiuam earum : ergo vt concursus debeatur intellectui ad visionem , non est necesse vt habeat virtutem completam ad illam.Nec refert,quod Mastrius fortè negaret antecedens,quia saltem antecedens est in controuersia , & absque necessitate vna quæstio non est soluenda cum dependentia ab alia controuersia.

*Secundum est*,quod etiam nulla creatura habeat virtutem completam ad aliquem effectum,& tamen debetur ipsi concursus ad illum producendum, & principia necessaria, quando debitè applicatur , etiamsi non possit etiam disponere se ad ipsum , vt patet in aqua , quæ non est causa totalis frigoris in se producti,nec potest ad ipsum se disponere, & tamen debetur ipsi concursus ad ipsum producendum ablatis impedimentis extrinsecis : ergo similiter posset deberi intellectui concursus ac visionem & actus supernaturales,quamuis non sit causa totalis, & completa eorum secundum se absque concursu Dei,nec possit etiã se ad illa producendã disponere.

*Respondeo ergo aliter* negando antecedens , quia, vt supponendum est ex principiis fidei, illi actus sunt supernaturales in substantia: vnde quamuis sit in intellectu actiuitas aliqua in ordine ad illos , non tamen sufficiens cum concursu vniuersali connaturaliter debito , sed indigens concursu particulari indebito , aliàs non essent supernaturales in substantia,vt patet.

## CONCLVSIO II

Non datur in qualibet re ad quamlibet rem potentia obedientialis actiua.

124 *Non datur in qualibet re ad quamlibet rem potentia obedientialis actiua.* Hæc est primę & tertiæ contra secundam : colligitur etiam expresè ex *Scoto 4. d. 1. q. 1. & q. 5. & d. 44. q. 4. Probari solet* , quia non omnes effectus continentur intra sphæram actiuitati: cuiuscumque creaturæ ; nec est proportionatus ipsis ergo nequit omnis creatura concurrere physicè ad quoscumque effectus.

*Non placet hæc probatio*,quia petit principium in anteeedenti:hoc ipsum enim est in controuersia, an omnis effectus sit proportionatus cuilibet creaturæ quantum ad

potentiam

potentiam obedientialem,& an contineatur intra sphæram actiuitatis eius,quatenus dicit talem potentiam : id enim asserunt aduersarij,nos negamus.

*Probat Vasquez* conclusionem,quia illa potentia, vel esset supernaturalis,vel naturalis;non naturalis, quia est ad effectus supernaturales;non supernaturalis,quia identificatur entitati naturali creaturæ.

*Hæc etiam probatio non placet*, quia est totaliter de nomine : & respondetur breuiter, posse illam esse & supernaturalem,& naturalem sub diuersis considerationibus; naturalem quidem capiendo potentiam naturalem pro ea,quæ reperitur in entitatibus naturalibus:illa enim in tali entitate reperitur ; supernaturalem autem, quia nequit reduci ad actum absque auxilio supernaturali. Quomodo autem simpliciter debeat vocari, dependet à quæstione de nomine.

*Confirmatur hoc*, quia simili argumento posset impugnari potentia obedientialis, quam habet intellectus ad visionem beatificam,& actus supernaturales, quam asseruimus conclusione præcedenti : ergo sicut contra illam non valet, neque valere debet contra aduersarios huius conclusionis. Antecedens patet appli cando argumentum ad potentiam illam intellectus:nam vel est naturalis,vel supernaturalis:non supernaturalis, quia identificatur intellectui, qui est ens naturalis ordinis ; non naturalis etiam,quia respicit effectus supernaturales.

Omitto alias probationes æquè inutiles, quarum aliquas adducit *Mastrius & Arriaga*.

125 *Probatur conclusio melius,primò*,quia sequeretur quod aqua posset producere calorem : sed hoc est absurdum,ergo.

Probatur minor,quia absurdum videtur, quod aliqua entitas habeat inditam virtutem destructiuam sui ipsius, seu productiuam qualitatum sibi nociuarum & tendentium in destructionem eius : sed si aqua haberet potentiam obedientialem productiuam caloris,haberet talem virtutem inditam sibi, calor enim iuuat summoperè ad destructionem aquæ,cum expellat frigus, quod est ipsi connaturale:ergo absurdum est, quod habeat talem virtutem.

*Confirmatur*, quia si a qua haberet virtutem vllam sibi inditam productiuam caloris non posset conuinci, quin naturaliter concurreret ad eius productionem, quando calesit aqua:quod videtur valdè inconueniens.

Probatur sequela,quia nihil impediret, nisi quod expellat calorem remotis causis extrinsecis, à quibus calefiebat:sed hoc non impedit, quia posset habere virtutem adæquatam productiuam frigoris, & inadæquatam tantum caloris productiuam,vnde separatis aliis causis posset producere frigus,& non posset calorem,nisi præsentibus aliis causis.

*Dices*:aliæ illæ causæ essent ex se sufficientes:non ergo debet adscribi causalitas aliqua aquæ circa calorem.

*Respondeo primò*, posse negari antecedens,si aqua haberet talem virtutem.

*Respondeo secundò*, negando consequentiam,quia sæpè duæ causæ concurrunt ad vnum effectum, quem vna posset producere:cur ergo quamuis causæ illæ extrinsecæ possent sufficere,non posset tamen aqua cum illis concurrere?

126 *Probatur secundò*,adhuc meo iudicio fortius,quia si aqua,verbi gratia, habet virtutem partialem inditam sibi ad producendum ignem cum concursu aliquo,quem sibi præstare potest Deus, sequeretur, quod naturaliter posset ipsum producere:sed hoc est absurdum, vt omnes fatentur:ergo.

Probatur sequela maioris, quia ideò producit naturaliter frigus,aut quodcumque aliud, quia producit ipsum mediante virtute innata;& quia ipsummet non est supernaturale in substãtia, nec altioris ordinis,quàm sit aqua: sed ignis non est supernaturalis in substantia,neque altioris ordinis,quàm aqua : ergo si habet virtutem innatam ad ipsum producendum,sequitur,quod naturaliter possit ipsum producere.

*Dices*,vt producat naturaliter,debere ipsum producere per potentiam naturalem,& non per obedientialem:vnde quia per potentiam naturalem potest producere frigus,& non nisi per obedientialem,calorem aut ignem,licèt producat ipsa per virtutem innatam, non producit illa naturaliter.

*Contra* : non potest assignari ratio cur illa potentia innata, qua potest concurrere ad producendum calorem, sit obedientialis potius quàm altera,qua potest producere frigus.

*Dices*,primam esse obedientialem, quia non est nata concurrere,nisi cum concursu extraordinario,ac indebito,atque adeo supernaturali,ac miraculoso;secundam verò esse naturalem,quia nata est concurrere cum concursu ordinario,ac debito.

*Contra* : quia si habet virtutem innatam producendi vtrumque,non potest assignari,cur concursus ad vtrumque non sit æquè connaturalis,ac debitus,quantum est ex parte aquæ : quod autem vnus concursus præstetur ordinariè,& alter extraordinariè tantùm & rarò,nihil facit ad propositum:id enim oritur ex decreto Dei,ac dispositione,quam de facto habuit ab æterno;vnde si aliter disposuisset,ordinando scilicet concurrere cum aqua semper ad calorem,& non nisi rarò & extraordinariè ad frigus,aqua non posset producere frigus, nisi cum concursu extraordinario,& produceret calorem cum concursu ordinario. Quæro ergo tum, an esset dicendum, quod naturaliter per potentiam naturalem produceret calorem, & supernaturaliter,ac potentiam obedientialem frigus. Si dicatur,quod sic:ergo quantum est ex parte aquæ,æquè petit connaturaliter producere vtrumque,quod est absurdum. Si dicatur,quod non;ergo alia ratio assignanda est præter hoc,quod ad vnum non concurrat, nisi per concursum ordinarium, & ad alium per concursum extraordinarium : talem autem rationem non facile assignabunt aduersarij,si ad vtrumque habet virtutem innatam.

127 *Dices*:aquam exigere concursum ad frigus & non ad calorem,quia frigus est conseruatiuum aquæ,non verò calor.

*Contra*, quia si haberet virtutem innatam productiuam caloris in se ipso, etiam calor deberet esse conseruatiuus ipsius.

*Confirmatur hoc*,quia ideo frigus dicitur conseruatiuum aquæ,quia videmus aquam manere dum manet frigus,& eam etiam reducere ordinariè se ad frigus ablatis impedimentis:sed si Deus ordinariè decerneret concurrere cum aqua ad producendum calorem in se,& alio, ablatis impedimentis,aqua ordinariùs reduceret se ad calorem quã ad frigus,& conseruaretur etiam conseruato calore:ergo ex hoc capite non debetur potius concursus Dei aquæ ad producendum frigus,quàm calorem,quantum est ex partæ aquæ.

*Dices tertiò*,ex hoc discursu sequeretur, quod intellectus tam naturaliter concurreret ad actus supernaturales,quàm ad alios actus,quandoquidem habeat virtutem innatam ad vtrosque.

*Respondeo*,negando sequelam,quia eo ipso,quo actus sunt supernaturales in substantia, debent excedere potentiam naturalem intellectus;vnde non poterit ad illos concurrere nisi per concursum aliquem supernaturalem; sed in casu nostro ignis non est supernaturalis in substãtia;quare non est,vnde colligatur,quod si aqua habeat virtutem innatam partialiter productiuam ipsius, non possit per porentiam naturalem, absque aliquo auxilio supernaturali ipsum producere.

*Dices quartò*,saltem sequeretur, quod D. Virgo concurrerit per potentiam naturalem ad organizationem corporis Christi Domini factã in instanti,aut in breuiori tempore, quam solet naturaliter fieri;& similiter quod calor posset per potentiam naturalẽ concurrere ad productionem instantaneam caloris in subiecto,in quo naturaliter non solet sic produci:sed hoc videtur falsum & contra Doctorem in 3.*d*.4.Probatur sequela, quia organizatio illa non est supernaturalis in substantia, neque etiam calor instantaneè productus est sic supernaturalis.

An B Virgo cõcurrerit per potentiam naturalem ad organizationem Christi.

*Respondeo* concedendo sequelam maioris & negando

id

id esse aut falsum, aut contra Doctorem: non quidem falsum, quia nulla ratio assignari potest, cur falsum sit; non etiam contra Doctorem, quia licet dicat quod D. Virgo fuerit in potentia tantum obedientiali vt esset mater Christi, tamen capit ibi potentiam obedientialem, non vt dicit potentiam, quæ verè secundum se sit supernaturalis, sed vt dicit potentiam quæ non potest habere effectum nisi cum concursu extraordinario & præter leges vniuersales de facto positas & statutas. Itaque censeo, concursum quem Deus exhibuit D. Virgini ad organizationem Christi, & quem exhiberet calori ad producendum calorem in instanti, quantum est ex parte D. Virginis, & caloris, æquè connaturalem esse ipsis applicato obiecto, ac concursum, qui de facto exhibetur matribus ac calori ad organizationem & calefactionem quæ ordinariè fit; sed illum de facto dici extraordinarium & miraculosum, hunc verò ordinarium & connaturalem, quia ille rarissimè confertur, & habet oppositum modum concurrendi, quàm habet concursus communis & ordinarius: & licet hoc fortè difficile apparebit multis; tamen credo difficilius esse ipsis assignare rationem, cur vnus potiùs quàm alter exigatur à causis illis, aut sit ipsis connaturalis.

*Responderi potest secundò* negando sequelam; quia licèt organizatio, & productio caloris sint naturales in substantia: tamen modus ille producendi ipsos est supernaturalis, vnde ad illum modum non possent concurrere causæ illæ, nisi per virtutem verè obedientialem; neque est inconueniens quod causa potens connaturaliter attingere aliquem effectum quoad substantiam, possit miraculosè attingere aliquem modum eius: quamuis esset valdè inconueniens quod causa posset attingere substantiam aliquam naturalem miraculosè per virtutem innatam, quam connaturaliter nulla ratione posset attingere.

129 *Probatur tertiò conclusio:* quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate authoritatis aut rationis: sed nulla necessitas ex his est ad ponendam hanc potentiam obedientialem: ergo non debet statui.

*Dices*, necessitatem eius esse ad hoc, quod Deus possit per creaturam quamcunque quemcunque effectum producere.

*Contra*, quia non est necessitas vlla, quod possit Deus hoc facere.

*Dices secundò*, id arguere in ipso maiorem perfectionem, quod sufficit pro necessitate; quia necessarium est Deo attribuere omnem perfectionem possibilem.

*Contra*: quia non est perfectionis in Deo posse facere per creaturam, nisi creatura habeat ad hoc virtutem, quia sine virtute nequit id facere: ergo prius est colligendum, quod creatura habeat talem virtutem, quàm quod Deus per creaturam possit illud facere, aut quod id sit maioris perfectionis in Deo.

*Confirmatur* hoc: non est perfectionis maioris in Deo, quod possit facere chymeram, aut quod possit efficere vt id, quod est præteritum, non sit præteritum; quia illa sunt impossibilia: ergo prius colligendum quod aliquid sit possibile, quàm colligatur quod sit perfectionis in Deo illud facere.

130 *Dices tertiò:* Colligitur possibilitas illius virtutis ex eo, quod non repugnat, hoc modo: non repugnat illam virtutem esse in creatura: ergo datur in ipsa.

*Aliqui negant* consequentiam, quia multa non repugnant esse, quæ non sunt: non repugnat enim Petrum esse nigrum, aut doctum, aut sanctum, qui tamen posset non esse aut niger, aut doctus, aut sanctus.

*Sed qui sic respondent*, non intelligunt vim replicæ, provt adhiberi solet à Doctoribus; neque enim volunt quod omne illud, quod non repugnat, sit, sed quod omne illud quod non repugnat identificari alicui, debeat necessariò esse ipsi identificatum; quod quidem certum est mihi, & ratio est manifesta, quia si non identificatur aliquid alicui, omnino repugnat vt identificetur ipsi; quæ enim realiter distinguuntur, nequeunt identificari de potentia absoluta, vt est notum ex terminis: ergo, quod non repugnat identificari, identificatur necessariò: quia si non identificaretur, repugnaret identificatio eius, vt dixi. Itaque in propositionibus contingentibus non valet illa consequentia, non enim sequitur, non repugnat hominem esse album, ergo est albus: sed bene valet in propositionibus necessariis: si enim non repugnat hominem esse necessariò animal aut album, omnino debet esse animal aut albus.

Quidquid non repugnat identificari alicui identificatur illi.

*Replica* ergo prædicta consistit in hoc: non repugnat virtutem seu potentiam obedientialem, identificari cuicumque creaturæ: ergo identificatur ipsi.

131 *Ad quod respondeo negando antecedens:* repugnat enim ex dictis: nam sequeretur quod esset naturalis, & quod non esset naturalis; quod deberetur ipsi concursus Dei connaturaliter, & quod non deberetur: deberetur enim, quia est innata aquæ, & eiusdem ordinis cum multis effectibus ex illis, quos respiceret; non deberetur ex hypothesi. Deinde esset connaturalis creaturæ, & non esset: esset quidem, quia identificatur ipsi realiter, vt supponitur: non esset autem, quia tenderet in destructionem ipsiusmet creaturæ, vt patet in aqua, si haberet virtutem productiuam caloris aut ignis. Per quod patet ad principale fundamentum aduersariorum, quod in non repugnantia huius virtutis, & in eo quod cederet in maiorem perfectionem potentiæ Diuinæ, fundatur. Sed libet tamen simili argumento contra eos vti.

132 *Probatur ergo vltimò conclusio:* quia non repugnat quod Deus creet aliquâ creaturam, quæ sit ita limitatæ virtutis, vt non possit omnes effectus producere, & id videtur cedere in maiorem perfectionem Dei: neque etiam repugnat quod negatio talis virtutis, aut principium aliquod aut formalitas aliqua positiua, ad quam sequatur necessariò talis negatio, necessariò comitetur aliquam creaturam: ergo dicendum est quod talis negatio aut talis formalitas positiua aliquam creaturam comitetur; & quod possibilis sit creatura, quæ sit ita limitatæ virtutis, vt non possit concurrere ad quoscumque effectus. Hanc consequentiam si negauerint aduersarij, negari potest tam facilè illa consequentia: non repugnat dari talem virtutem in creaturis: ergo datur.

*Dices* cum *Arriaga* non esse similem rationem vtriusque casus, quia in casu aduersariorum admittendo potentiam obedientialem, dilatatur potentia Dei, poterit enim producere per quascumque causas quoscumque effectus: in casu autem nostro restringitur, quia non poterit per quascumque causas quoscumque effectus producere.

*Contra primò*, quia non debet extendi potentia Dei, nisi ad res possibiles; vnde prius cognoscendum est, quod in creaturis sit illa potentia, quàm dilatanda sit potentia Dei eò vsque, vt per quascumque causas quoscumque producat effectus.

*Contra secundò*, quia non magis extenditur potentia Dei in casu aduersariorum quàm in nostro; nam in casu nostro potest producere aliquas creaturas, quas non potest producere in casu aduersariorum, nempe illas quæ non haberent potentiam obedientialem; imò magis videtur extendi in sententia nostra quia in sententia nostra potest producere aliquos effectus, qui possint à causa secunda produci, & aliquos, qui non possint; & potest producere aliquas creaturas, quæ habent potentiam obedientialem ad aliquos effectus & quæ habent solam potentiam naturalem ad alios effectus, & non habent neque obedientialem, neque naturalem ad alios effectus: quæ varietas effectuum videtur habere maiorem perfectionem & dilatationem, seu extensionem omnipotentiæ diuinæ, quàm si non posset producere vllas creaturas, nisi quæ haberent potentiam obedientialem.

133 *Obicies secundo ex Arriaga:* datur potentia obedientialis passiua in omnibus rebus ad omnes formas: ergo & potentia actiua ad omnes effectus. Probat consequentiam; quia difficilius videtur esse, vt aliqua forma dependeat à subiecto, quod ex se non respiciebat, quàm vt aliquis effectus dependeat à causa extrinseca, ad quam non dicebat ordinem, quia imperfectior modus dependendi est dependere à causa materiali, quàm à causa efficiente.

*Respondeo primò* negando antecedens, quia, vt ex dictis patet,

patet, sunt plurimæ formæ, quæ non possunt, nisi in determinatis subiectis recipi; vnde retorqueri posset argumentum: non datur in qualibet re potentia obedientialis passiua ad quamlibet formam; ergo neque actiua ad quemlibet effectum.

*Respondeo secundo*, negando consequentiam cum sua probatione, quæ si valeret, sequeretur omnino, quod quemadmodum calor naturaliter dependet ab aqua, in qua naturaliter potest produci ab igne tanquam à subiecto, similiter posset naturaliter produci effectiue ab aqua; si enim difficilius est, vt dependeat à subiecto non connaturali, quam à causa non connaturali, quandoquidem dependeat de facto, tanquam à subiecto, à subiecto non connaturali, dependere etiam poterit, tanquam à causa efficiente.

*Confirmatur hoc*: de facto materia prima habet virtutem materialem respectu omnium sublunarium materialium, & nulla causa effectiua habet virtutem effectiuam respectu omnium illorum; ergo facilius est dilatare virtutem materialem quam effectiuam, & consequenter ex eo, quod aliquid habet virtutem materialem respectu omnium, non sequitur quod habeat effectiuam.

*Adde*: licet quælibet res posset recipere quamlibet formam, iuxta conclusionem primam, non tamen necesse est, quod quælibet forma possit dependere à qualibet re, tanquam à causa materiali influente (vt supponitur in obiectione) quia possent multæ formæ ex illis creari.

134 *Obycies tertio ex eodem*: intellectus habet potentiam obedientialem actiuam, qua mediante possit accedente auxilio diuino, ac concursu particulari indebito producere aliquid, quod excedat suas vires naturales: ergo & aqua ad producendum calorem habet talem virtutem.

*Et si dicas* consequentiam non valere, quia in actibus supernaturalibus, quos potest sic producere intellectus, datur aliqua formalitas, ratione cuius habent proportionem sufficientem, vt possint sic dependere ab intellectu, nempe formalitas vitalitatis: calor vero nullam habet formalitatem, ratione cuius possit habere proportionem sufficientem ad hoc, vt dependere possit ab aqua.

*Contra* vrgeri potest, quod in hac responsione petatur principium: supponitur enim, quod vertitur in controuersiam, an scilicet aqua habeat talem proportionem, vel ratione alicuius formalitatis, vel ratione omnium. Deinde formalitas vitalitatis in actu supernaturali sufficit, vt possit supernaturaliter produci ab intellectu, licet illa formalitas coniungatur cum aliis formalitatibus, quæ naturaliter attingi non possint ab intellectu; quia intellectus potest attingere naturaliter formalitatem vitalitatis vt sic: ergo similiter formalitates accidentis, & primæ qualitatis vt sic, quam potest naturaliter attingere aqua in frigore, quod producit, poterit sufficere, vt possit supernaturaliter attingere calorem, in quo reperitur illa formalitas, licet in calore coniungatur cum aliis formalitatibus, quas naturaliter nequit attingere.

135 *Respondeo* ergo aliter negando consequentiam; primo, quia constat nobis ex Scriptura & Patribus dari talem potentiam in intellectu in ordine ad aliquos actus supernaturales; non autem constat idem de aqua respectu caloris: & ex alio capite non repugnat, quod vna res habeat talem virtutem, quamuis repugnaret, quod alia res habeat illam.

*Secundo*, quia sequitur inconueniens ex eo, quod aqua haberet illam potentiam ad calorem, nempe quod haberet virtutem destructiuam sui, & quod calor esset ipsi ex parte sua tam connaturalis, quam frigus; non autem sequitur tale inconueniens ex eo, quod intellectus habeat virtutem obedientialem productiuam actuum illorum supernaturalium.

*Tertio*: quia quandoquidem intellectus habeat virtutem naturalem attingendi Deum, & obiecta actuum supernaturalium per cognitionem abstractiuam; & possibilis sit cognitio supernaturalis eiusdem obiecti, non videtur difficile, quod intellectus possit adiuuari ad producendas cognitiones illas supernaturales, tam abstractiuas, quam intuitiuas; imo est tanta congruitas in hoc, quod saltem valde probabiliter suaderi possit possibilitas cognitionis intuitiuæ ex cognitione naturali, quam habemus de ipso. Imo cum non repugnet cognitio supernaturalis producibilis à creatura, quandoquidem nulla creatura potius possit illam producere, quã intellectus, dicendum est, quod intellectus habeat talem virtutem obedientialem productiuam illarum cognitionum supernaturalium. At aqua nullam habet actionem naturalem tendentem in calorem aut ignem; quare non est, vnde colligamus vel probabiliter quod possit calorem etiam supernaturaliter producere. Et iuxta hanc doctrinam probari potest facile illud quod communiter dici solet ab authoribus nostræ sentẽtiæ, quod obiecta actuum supernaturalium omnium sint intra obiectum adæquatum intellectus, & ipsimet actus intra sphæram actiuitatis eius, atque adeo quod possit producere tales actus, ac tendere in talia obiecta; calor autem non sit intra sphæram actiuitatis aquæ; quandoquidem enim tendat intellectus naturaliter in illa obiecta, debent dici contineri sub obiecto adæquato eius: & hoc supposito, vt dixi, nulla est difficultas in eleuatione eius ad actus quoscumque perfectissimos, qui haberi possint de talibus obiectis: quandoquidem vero aqua non tendat naturaliter vllo modo in calorem, non est vnde colligatur, quod sit iutra actiuitatem eius, aut proportionatus ipsi tanquam effectus.

*Ex eadem doctrina* colligi etiam potest cur oculus corporeus non possit videre Deum aut producere visionem eius, de qua late agi solet in Theologia; quandoquidem enim non habeat vllum actum naturalem, qui tendat in Deum vllo modo, non est vnde colligi possit, quin Deus sit totaliter extra obiectum adæquatum eius, sic vt nec diuinitus eleuari possit ad eum producendum. Cur oculus corporeus nequeat videre Deũ.

136 *Obiiciunt præterea* dari potentiam obedientialem in Sacramentis sensibilibus ad producendam gratiam: ergo datur talis in qualibet re ad producendam quamlibet rem; quia non videtur vlla res minus proportionata ad producendam quamcumque aliam rem, quam Sacramenta illa sunt ad producendam gratiam. Antecedens probatur ex Patribus, & Conciliis dicentibus quod Sacramenta producant gratiam.

*Respondeo breuiter*, quia hæc obiectio est Theologica, & tractanda in materia de Sacramentis negando antecedẽs, & distinguendo eius probationem: physice vel moraliter, concedo: physice, nego. Et sane quod Sacramenta non causent physice gratiam mihi certissimum est, non solum ea certitudine, qua constat quod non detur huiusmodi potentia obedientialis actiua in Sacramentis, & quod creatura nõ possit creare; sed multo maiori ex eo scilicet quod Sacramenta nõ existunt quando producitur gratia.

*Resolutum* iam est, in quibusdam rebus dari potentiam actiuam obedientialem ad aliquos effectus, non tamen ad omnes, neque in omnibus; modo restat examinandum, quid sit illa potentia, & in quibus, ac ad quos effectus detur.

## CONCLVSIO IV.

137 *Potentia obedientialis est virtus ipsa actiua creatura identificata, quatenus potest cum auxilio supernaturali & extraordinario concurrere ad effectum, quem sine tali auxilio non posset attingere.* Hæc est communior contra Thomistas illos, qui putant eam esse accidens aliquod superadditum. Quid sit potentia obedientialis.

*Probatur* autem sufficienter, quia nihil impedit, quominus per illam virtutem identificatam possit attingere cum auxilio superaddito tales effectus: ergo nihil impedit quominus illa virtus dicatur obedientialis potentia, & ex alio capite absque necessitate multiplicaretur aliquid superadditum præter ipsum auxilium, quod cum potentia obedientiali requiritur.

*Confirmatur*, quia intellectus secundum se immediatè attingit actus supernaturales: tum quia alias non essent vitales, nec intellectus requireretur ad ipsos, nisi materialiter, & per accidens, sicut aqua requiritur ad

calefactionem, quæ fit, quando aqua calida calefacit: tum quia nihil impedit quominus sic concurrat tanquam causa partialis: licet enim actus sit superioris ordinis, quia supernaturalis, hoc non impedit, quominus intellectus partialiter concurrat: nam eo ipso erit actus supernaturalis, & altioris ordinis quod requirat auxilium supernaturale in substantia, quantumuis procedat ab alia causa, quæ non sit supernaturalis.

### CONCLVSIO I.

In quibus debet poni potentia obedientialis.

*IN omnibus illis rebus, & solis debet poni potentia obedientialis, quæ possunt habere actus circa aliquod obiectum naturaliter, circa quod possunt haberi ab iisdem potentiis actus perfectiores, quos naturaliter nequeunt habere; & in illis etiam quæ possunt producere aliquos effectus naturaliter aliquo modo, qui tamen alio modo ab ipsis possunt prouenire quàm naturaliter procedunt.* Hæc est conformis principiis positis conclusione tertia: *& patet* quia nulla alia ratione potest colligi quod detur in vllis, quam in huiusmodi: in huiusmodi autem quod poni debeat, probatur tum exemplo intellectus, & potentiæ generatiuæ Virginis, qua concurrebat ad organizationem corporis Christi in instanti, & etiam quia nihil impedit quominus in huiusmodi ponatur: nec hoc indiget meo iudicio alia meliori probatione.

*Quod si quæras*, an illud auxilium quo compleri debeat potentia obedientialis, debeat esse intrinsecum illi, nec ne.

*Respondeo* posse esse intrinsecum, sicut de facto in fidelibus in quibus ponuntur intrinsece habitus supernaturales communiter, tanquam complementa intellectus & voluntatis in ordine ad actus supernaturales; & in Beatis, in quibus intrinsece ponuntur lumen gloriæ in ordine ad visionem beatificam, & habitus charitatis in ordine ad amorem beatificum. Vel etiam potest esse extrinsecum, vt ipsamet omnipotentia Dei in actu primo, & concursus specialis supplens defectum concursus comprincipij intrinseci, sicut contingit in iis, qui per actus supernaturales disponunt se ad recipiendos habitus supernaturales: de quo fusius agi solet in Theologia: & sufficit modo pro principio ad vtrumque probandum, quod non implicet vtroque modo compleri potentiam illam, & quod de facto sic fiat, vt patet in exemplis allatis.

## DISPVTATIO X.

## *De Causa Exemplari, Finali, & Instrumentali.*

CONIVNGO in vnam disputationem omnes has Causas, quia pauca de iis consideranda sunt, & ad vitandam nimiam disputationum multiplicationem.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit Causa Exemplaris, & ad quod genus causæ reduci debeat.*

1 QVoad primam partem huius quæstionis, potissima difficultas est, an exemplar sit ipsamet cognitio, quam habet artifex agens exemplariter; an vero obiectum talis cognitionis: circa quam difficultatem communior sententia *Thomistarum* cum suo Doctore 1. *p. q.* 25. *a.* 1. est quod exemplar sit conceptus formalis seu cognitio artificis: quos sequitur *Suarez disp.* 25. *met. Fonseca* 7. *met. c.* 8. *q.* 2. *Ruuius hic tract.* 6.

*Secunda sententia* est quod exemplar sit conceptus obiectiuus, seu obiectum, quod intuetur artifex per cognitionem, dum operatur, & hoc vniuersaliter, tam in creatis, quam in Deo. Hanc tenet *Doctor.* 1. *d.* 35. quem præter suos communiter citatos à *Mastrio disp.* 7. *n.* 1. sequitur *Arriaga disp.* 8. *s.* 8.

*Tertia sententia* media asserit causam exemplatem creatam seu exemplar, quod respicit causa creata, esse conceptum obiectiuum non formalem, causam vero exemplarem seu exemplar, quo vtitur Deus, esse vel suam cognitionem, vel essentiam diuinam. Hæc est *Molinæi* 1. *p. q.* 1. *disp.* 2. *Vasquez disp.* 71. *c.* 2.

### CONCLVSIO I.

Quid sit exemplar.

2 EXemplar seu Idæa est id, ad quod respicit causa efficiens, dum operatur, vt ad eius imitationem producat effectum. Hæc descriptio in re est communis & conuenit cum aliis, quæ adduci solent ex mente Philosophi & Doctoris.

*Probatur* autem quod sit bona, quia omni & soli conuenit, & sufficienter declarat naturam exemplaris seu ideæ, vt patet ex eius declaratione. Dicitur, *ad quod respicit artifex seu causa efficiens dum operatur*, quia in hoc conuenit cum fine, quia finem etiam respicit artifex. Dicitur: *vt ad eius imitationem effectum producat*, vt distinguatur à causa finali, quæ respicitur quidem ab efficiente, sed nõ ad hunc finẽ. Hic quæri solet qua cognitione respici debeat exemplar: & communiter asseritur, quod cognitione intellectuali, vnde tenetur solas causas efficiẽtes intellectuales vti exemplari in operando: sed tamen, quia experientia constat Simias ad imitationem actionum humanarum facere multa, potest dici, quod ad exemplariter perfectè agendum requiratur cognitio intellectualis; sed quod sufficiat cognitio sensitiua ad agendum exemplariter imperfectè; nec in hoc alia quæstio potest esse quam de nomine.

Quæ causa agit exemplariter.

*Quæri etiam solet vlterius*, an causa agens per exemplar debeat esse causa libera. In quo etiam est alia quæstio de nomine, & mihi magis placet quod absolutè, & simpliciter sit per accidens ad causam exemplarem, quòd vtens illa sit agens liberum nec ne, & quod sufficiat quod conetur effectũ ad imitationem exemplaris sibi per cognitionẽ propositi producere. Dixi *conetur producere effectũ ad imitationem*; quia non est necesse vt actu sic producat, quia posset fieri, quod propter imperitiam, aut defectum instrumentorum non posset producere effectum sic vt imitetur, & tamen ageret exemplariter; sufficit ergo quod conetur imitari exemplar dum operatur.

### CONCLVSIO II.

Idæa seu exemplar non est conceptus formalis, sed obiectiua.

3 IDæa seu exemplar non est conceptus formalis, quam habet agens: sed conceptus obiectiuus, quem cognoscit conceptu formali. Hæc est secundæ sententiæ contra primam, & tertiam.

*Probatur primò* ex Philosopho 7. *met. text.* 26. vbi ait sanitatem corporis procedere ex sanitate, quæ est in anima; sed sanitas quæ est in anima, id est, illa quam respicit medicus dum conatur restituere infirmo sanitatẽ, est causa exemplaris; & non est conceptus formalis; neque enim vllus vnquam vocauit conceptum seu cognitionem sanitatis sanitatem; sed est ipsamet sanitas obiectiua; ergo exemplar est conceptus obiectiuus non formalis.

*Probatur secundò* ratione, & confirmatur præcedens probatio: Illud est exemplar & idæa operis faciendi, quod agens respicit & intuetur, dum operatur: sed patet experientia, quod non respiciat suam cognitionem, sed obiectum aliquod aliud; ergo illud obiectum quod est, quod vocamus conceptum obiectiuum, est exemplar.

*Respondet Suarez*, respicit ipsammet cognitionem per aliam cognitionem reflexam aliquando, quamuis quis id non aduertat: & aliquando per eandem ipsam cognitionem obiecti, quæ reflexa est supra seipsam.

4 *Sed contra*: præter quam quod gratis asserat cognitionem respici per aliam cognitionem quæ non aduertitur: si enim non aduertitur, ad quid deseruit, seu vnde colligi potest quod habeatur talis cognitio: Præter, inquam, hoc, si nõ daretur vlla alia cognitio reflexa formaliter, aut si ipsamet cognitio directa obiecti non esset virtualiter reflexa, sed sufficeret solum modo ad repræsentandũ obiectum, & sufficienter determinaretur agens ad

producen

producendum talem effectum exemplariter, potius quam alium effectum: ergo tum haberet exemplar sibi propositum: sed non haberet aliud quam conceptum obiectiuum: ergo conceptus obiectiuus est exemplar, & non cognitio ipsius.

*Deinde* vlterius non tollit respõsio *Suarij* vim rationis fundatæ in experientia, qua constat si quis reflectat supra se, dum agit exemplariter, non respici cognitionem, nec ad cognitionis similitudinem fieri effectum, sed respici obiectum cognitionis, & ad similitudinem eius produci effectum. Quod confirmatur exemplo Pictoris, qui sensibiliter respicit ipsum prototypum, non vero cognitionem eius.

*Obiectiones* Aduersariorum tendentes ad probandum, quod exemplar diuinum, quo vtitur Deus, sit conceptus formalis non obiectiuus, relinquo pro Theologia, quia Theologicæ sunt; quamuis etiam facile solui possint ex iis quæ hic dicuntur.

5 *Obiicies primo.* Si conceptus obiectiuus esset exemplar, vel esset ipsamet res, quæ facienda est, vel alia. Non primum: quia idem esset causa sui ipsius, & simile sibi: exemplar enim est causa exemplaris, & simile ipsi: non secundum, quia saltem sæpe artifex non habet aliud sibi propositum, quam ipsammet rem faciendam.

*Respondeo* exemplar esse obiectum cognitionis, quam dicunt aduersarij esse causam exemplarem, & fatentur haberi, quoties aliquid exemplariter fit; siue illud obiectũ sit ipsa res facienda, siue non. Quod si illud obiectum sit alia res, quam quæ facienda est, tollitur tota difficultas obiectionis; si vero sit ipsamet res facienda, vt fatentur aduersarij sæpe contingere, tum dicendum, non esse absurdum, quod idem seipsum causet exemplariter, tum quia causa exemplaris est intentionalis, & non requirit existentiam realem causæ; nec est etiam absurdum, quod res exemplata producta à parte rei sit similis sibi ipsi, quatenus habet esse obiectiuum in intellectu, sicut idem homo, qui est hodie, dicitur similis sibi ipsi, vt fuit heri; quamuis hæc similitudo dicenda sit potius negatiua quam positiua, quia potissimum consistit in negatione dissimilitudinis, & non in positiua aliqua relatione reali, quia omnis relatio realis requirit extrema realiter distincta & existentia.

An artifex respiciat rem faciendam.

*Et si quæras*, an ipsa res facienda sit, quæ respicitur, tanquam exemplar ab artifice; an vero aliquod aliud obiectum.

*Respondeo*, si loquamur de Deo, qui est perfectissimum agens, exemplar ipsius esse eandemmet rem, quæ producitur, quia ipse sua cognitione infinita attingit omnia indiuidua, quatenus inter se distincta sunt; vnde & potest vnum determinatum indiuiduum sibi proponere, dum agit, & illud ipsum conformiter producere: nec imaginabile est, quodnam aliud exemplar posset habere ad vnum indiuiduum potius quam aliud producendum, præter ipsummet indiuiduum, quod vult producere: de quo in Theologia fusius.

Si vero loquamur de causis secundis; respondeo ipsas nunquam habere ipsammet rem faciendam secundum propriam suam rationem numericam pro exemplari; quia non potest creatura vlla habere pro hoc statu cognitionem determinati indiuidui ipsius solius repræsentatiuum, nec ad vnum indiuiduum consequenter præ omnibus aliis determinare potest; & certum est quod per quamcunque cognitionem, quæ de facto habetur de indiuiduo, possit æque repræsentari aliud indiuiduum ita, vt nos non possemus discernere quodnam ex ipsis cognouimus primo; aut si successiue proponantur, an duo indiuidua proposita nobis sint, an vero idem bis; & in hoc sensu verum est quod indiuidua non cognoscantur vt indiuidua pro hoc statu.

6 *Obiicies secundo.* Exemplar debet esse expressiuum rei exemplatæ seu productæ exemplariter & principium cognoscendi ipsam: sed hoc conuenit conceptui formali, non obiectiuo: ergo conceptus formalis est exemplar, non obiectiuus.

*Respondeo*, distinguendo maiorem quoad primam partem: debet esse expressiuum ipsius, quatenus debet esse simile ipsi, transeat; alio modo, nego maiorem. Distinguo etiam maiorem pro secunda parte debet esse principium cognoscendi formale, id est ipsa cognitio eius, nego maiorem: principium cognoscendi obiectiuum, id est, obiectum quod determinat intellectum ad talem cognitionem, concedo maiorem; & conformiter ad hoc distinguenda est minor pro vtraque parte, & neganda consequentia.

## CONCLVSIO III.

Exemplar reduci debet ad causam efficientem.

7 *Exemplar reduci debet ad genus causæ effectiuæ & non formalis.* Hæc est *Doctoris in* 1. *d.* 8. cum suis & *D. Bon.* 3. *d.* 11. quos plures alij sequuntur contra *Albertum Magnum*: & alios.

*Probatur*: Causa efficiens vt sic diuiditur in causã naturalem, & artificialem: ergo sicut quidquid constituit ipsam in esse causæ naturalis, reduci debet ad causam efficientem; ita etiam quidquid constituit ipsam in esse causæ artificialis, debet ad causam efficientem reduci, & quidquid etiam habet similem rationem: sed exemplar vel constituit causam in esse causæ artificialis, vel certe similem habet rationẽ causandi, seu eodem modo reduci debet ad causam efficientem, ad quod constituit ipsam in esse causæ artificialis: ergo ad causam efficientem reduci debet.

*Dices*, artem constituere causam in esse causæ artificialis, non vero exemplar: ergo ex eo, quod causa artificialis sit species causæ efficientis, non sequitur, quod exemplar debeat reduci ad causam efficientem; sed solum requiritur quod ars ad illam reduci debet.

*Contra primo*, quia non est maior ratio, cur causa artificialis sit species causæ efficientis vt sic, quam causa exemplaris: ergo si ars ex eo, quod constituat causam artificialem, reduci debet ad causam efficientem, etiam exemplar, quia constituit causam exemplarem, similiter ad causam efficientem reduci debet.

*Contra secundo*, quia ars distinguitur ab exemplari penes hoc, quod ars sit principiũ vniuersale respiciens plures effectus, exemplar vero determinatur ad vnum: sed principium vniuersale, & particulare ad idem genus causę reduci debent: ergo si ars reducitur ad genus causæ efficientis, idem dicendum erit de exemplari, & idæa.

8 *Obiicies*: exemplar est forma: ergo potius debet dici causa formalis, quam efficiens.

*Confirmatur*: quia dat speciem effectui: sed quod dat speciem est formalis causa: ergo.

*Respondeo* distinguendo antecedens: est forma consistuens causam exemplariter agentem in esse talis, sicut forma ignis constituit ignem in esse causæ efficientis naturalis, cõcedo antecedens, sed nego consequentiam: est forma effectus constituens ipsum intrinsece aut alio modo, quam quatenus determinat agens ad ipsum producendum, nego antecedens. Quod autem sic sit forma eius, non facit ad hoc vt reduci debeat ad causam formalem, quia aliàs forma ignis, quæ determinat ignem ad producendum alium ignem, reduci deberet ad causam formalem alterius ignis, quod est contra omnes.

*Ad confirmationem* similiter Respondeo, distinguendo antecedens: dat speciem ipsi, quatenus intrinsece constituit ipsum in tali specie, nego; quatenus determinat agens ad producendum ipsum in tali modo potius quam alio, concedo antecedens, & nego consequentium: quia etiam forma ignis dat speciem igni producto, quatenus determinat ignem producentem ad producendum alterum ignem, qui producitur; & species intelligibilis talis determinat intellectum ad producendam talem cognitionem potius, quam aliam; ac consequenter dat ipsi speciem extrinsece, nec tamen aut forma ignis est causa formalis ignis producti, aut species intelligibilis causa formalis intellectionis. His tamen non obstantibus, si quis vellet extendere causam formalem non solum ad formam intrinsecam, qua constituitur res in esse tali; sed ad formam extrinsecam, ad cuius similitudinem produceretur, posset dicere quod exemplar sit causa formalis rei, & fortassis aduersarij nihil aliud volunt in re.

## CONCLVSIO IV.

Quid sit actio causæ exemplaris.

9 *Actio, qua exemplar producit effectum, aut concurrit ad productionem, est ipsamet actio realis, qua causa efficiens exemplariter agens producit realiter effectum cum aduertentia ad exemplar.* Hæc *probatur primo*, quia exemplar debet habere aliquam actionem, alias non esset causa in actu secundo; sed non habet causalitatem aliquam realem propriam sibi, & egredientem à se solo; tum quia illa esset superflua; tum quia non apparet huiusmodi influxus aliquis in causa exemplari: ergo aliam non habet præter assignatam in conclusione.

*Probatur secundo*, quia exemplar non habet aliam causalitatem circa effectum, quam quod maneat obiectiue coram agente, & quod sic manendo determinet causam ad producendum effectum talem potius quam alium: sed non determinat ipsum producendo aliquid in causa: ergo determinat ipsum, quatenus, eo posito, actio terminata ad talem effectum egreditur à causa, & consequenter actio illa est causalitas ipsius, quatenus procedit à causa respiciente exemplar.

*Confirmatur* hoc: quia forma ignis, qua constituitur ignis, in esse causæ naturaliter agentis, non habet aliam actionem præter illam realem, qua causa constituta per ipsam producit effectum: ergo nec exemplar, quo constituitur causa in esse causæ exemplariter agentis, habet aliam actionem præter illam, qua causa exemplariter agens producit effectum respiciendo exemplar.

10 *Dices* actionem realem illam non posse procedere ab exemplari, quia hoc non agit nisi intentionaliter: ergo vel nullam habet actionem, vel certe aliam distinctam ab illa.

*Respondeo* negando antecedens, ad cuius probationem dico actionem realem posse prouenire partialiter à principio *quo* intentionaliter actiuo, modo adsit aliud principium reale *quo* physice actiuum; sicut contingit in proposito nostro, & maxime quando illa actio refunditur in principium illud solum, quatenus non procederet à causa efficiente, nisi respiciendo exemplar, sicut etiam contingit in proposito: vnde reuera videtur quod actio illa nõ dicat ordinem essentialem ad exemplar; quia non video cur eadem actio non posset esse in causa, quamuis exemplar non ageret, nec proponeretur: sed tum non esset actio exemplaris; quia ad hoc requiritur, vt egrediatur ab agente respiciente exemplar, & volente effectum ad proportionem ipsius vel similitudinem producere; quare esse ab exemplari videtur esse denominatio extrinseca desumpta à respicientia exemplaris.

## QVÆSTIO II.

*Quid sit, & quotuplex est causa finalis?*

## CONCLVSIO I.

Quid sit finis.

11 *Finis bene describitur esse id, cuius gratia aliquid fit, seu illud propter quod aliquid fit.* Hæc est communissima, & *patet*, quia omni & soli conuenit hæc descriptio, nec in ea aliquid deficit aut superfluit.

*Dices:* propter causam efficientem res fit, & propter reuelationem aliquis credit, nec tamen causa efficiens est causa finalis, nec reuelatio est finis fidei: ergo non valet prædicta descriptio.

*Respondeo* distinguendo antecedens: propter causam efficientem, & reuelationem, id est, nisi esset causa efficiens aut reuelatio, non fieret res, nec haberetur fides, concedo antecedens: propter causam efficientem aut reuelationem ita, vt cedens aut faciens rem aliquam ordinet illam rem aut fidem ad reuelationem aut causam efficiẽtem, nego antecedens. Itaque quando dicitur, quod propter finem aut gratia finis aliquid fit, sensus est, quod id, quod fit, fiat ex amore finis; seu quod causa efficiens determinetur à fine amato ad illud faciendum, vel dirigendum in ordine ad finem: & hoc sufficiat ad resolutionem quæstionis pro prima parte. Pro resolutione vero secundæ partis solum sunt proponendæ & breuiter examinandæ aliquot principaliores diuisiones finis.

Diuisiones finis.

12 *Primo diuisio* est finis in finem cuius, & finem cui. *Finis cuius* est, propter quem consequendum alicui, quis operatur: sic Deus est finis omnium operationum nostrarum bonarum, quas ad eum nobis promerendum elicimus: & sic etiam sanitas est finis medicinæ, quia ad sanitatem infirmo procurandam quis applicat medicinam. *Finis cui* est illud, cui volumus & appetimus finem cuius, vt persona infirmi, cui desideramus sanitatem. Hic controuertitur, quisnam ex his finibus sit principalior: sed communis & vera resolutio est; vtrumque esse principalem in suo genere, & neutrum esse finem alterius, quia neuter ordinatur vt medium ad acquisitionem alterius, licet finis cuius ordinetur, vt perfectio, ad finem cui, & finis cui ordinetur, vt perfectibile, ad finem cuius; nec potest fieri quod finis cuius moueat, quin moueat finis cui; nec finis cui sine fine cuius.

Quid finis cuius.

Quid finis cui.

*Secunda diuisio* est finis cuius in finem efficiendum, & non efficiendum: *finis efficiendus* est, qui mouet vt producatur à parte rei, & talis est sanitas, quando deficit & applicantur remedia ad eius restitutionem: *finis non efficiendus* est ille, qui præsupponitur in esse, sed non coniungitur cum fine cui; mouet autem efficiens vt procuret illam coniunctionem: talis est Deus, quando mouet nos ad procurandam beatificam possessionem eius. Vbi tamen aduertendum, quod non appetatur huiusmodi finis, quin simul appetatur aliquid non existens, nempe ipsamet consecutio seu adeptio eius.

Quid finis efficiendus & non efficiendus.

13 *Tertia diuisio*, est in finem obiectiuum, & formalem: *finis obiectiuus* est illud bonum, quod nobis aut aliis desideramus, vt Deus & sanitas: *finis formalis est* ipsamet acceptio seu consecutio talis boni. Ex his finibus vterque est principalis in suo genere, & neuter mouet, non mouente altero, atque adeo integrant vnum finem totalem cuius gratia.

Quid finis obiectiuus.

Quid finis formalis.

*Quarta diuisio*, est in finem operis, & finem operantis. *Finis operis* est, ad quem opus ex natura sua ordinatur, vt sanitas est finis ad quem extractio tanti sanguinis ordinatur. *Finis operantis* est ille quem intendit operans: vt si intenderet medicus procurans sanitatem lucrum suum aut detrimentum alterius, quod ex sanitate succedere posset, non vero bonum illius quem sanaret, istud lucrum esset finis sanitatis, quantum est ex parte operantis, Posset autem contingere vt idem esset finis operis, & operantis, quando scilicet operans intenderet illum finem, ad quem opus ex natura sua ordinatur.

Quid finis operis, & operantis.

*Quinta diuisio* est finis cuius in finem vltimum, & non vltimum. *Finis vltimus est*, qui non ordinatur ad vlteriorem finem, tanquam medium ad ipsum consequendum aut producendum. *Finis non vltimus* est, qui ad vlteriorem finem ordinatur: v. g. si quis sumat potionem ad procurandam sanitatem, & desiderat ipsam sanitatem, vt ea mediante acquirat beatitudinem, sanitas erit finis respectu potionis, sed non vltimus, quia vlterius ordinatur ipsamet sanitas ad adeptionem beatitudinis. Beatitudo autem est finis vltimus, quia non ordinatur vlterius ad vlteriorem finem, vt suppono. Sunt tamen, qui cum *Vasquez* negant finem non vltimum habere veram rationem finis, quia scilicet non mouet gratia sui, sed gratia finis vltimi, quo non mouente non moueret finis non vltimus. Probabilior tamen videtur sententia opposita, quam ex Doctore 4. *d.* 14. *q.* 2. colligit *Mastrius*.

Quid finis vltimus, & non vltimus.

14 Ratio est, quia sufficit ad veram causam finalẽ, quod intentionaliter proposita moueat voluntatem ad applicanda media apta ad sui consecutionem seu productionẽ: sed hoc competit fini non vltimo, vt patet in exemplo allato: nã sanitas desiderata mouet ad sumptionẽ potionis, ad quam sumptionem ipsamet beatitudo non moueret secundum se, quia sumptio potionis nullam habet proportionem cum beatitudine, nisi quatenus sumptio potionis habet connexionem cum sanitate, quæ connexionem habet cum beatitudine. Nec refert, quod sanitas non moueret, nisi moueret beatitudo; hinc enim solum habetur, quod sanitas non habeat rationem finis vltimi; & sane sufficit, quod sanitas moueat ad sumendam potionem ex suppositione, quod appetatur, sine appeteretur absque appetitu beatitudinis, siue non.

*Dices*

*Dices* cum Vasquez, medium non potest habere rationem finis: sed finis non vltimus est medium, ergo nequit habere rationem finis. Probatur maior, quia medium, qua medium; non potest appeti propter se, sed propter aliud: sed vt haberet rationem finis, debere t appeti propter se: ergo nequit habere rationem finis.

*Confirmatur* quia secundum Philosophum 2. *Phys. text.* 29. omnia fiunt gratia finis: ergo finis nequit esse gratia alterius, & consequenter finis non vltimus, qui fit gratia alterius, nequit esse vere finis.

*Respondetur* distinguendo maiorem: finis vltimi, nego; non vltimi, concedo. Ad probationem maioris respondeo distinguendo minorem: vt haberet rationem finis vltimi, concedo minorem; non vltimi, nego minorem. Itaque sufficit ad rationem finis vt sic, quod moueat ad applicandum medium; per hoc enim habebit esse id, cuius gratia aliquid fit; siue ipsummet referatur ad aliud, siue non. Quando autem dicitur, quod finis appetatur propter se, vel hoc non est intelligendum vniuersaliter de omni fine, tam vltimo, quàm non vltimo, sed de vltimo tantum; vel certe intelligendum est sic, vt sensus sit, quod omnis finis comparatus ad media applicanda gratia ipsius appetatur propter se, quatenus scilicet non appetitur propter media; sicut media appetuntur propter ipsum aut gratia ipsius: cum quo bene stat, quod finis non ita appetatur propter se, quin ordinetur ad aliud tanquam medium. Ad confirmationem dico, quod omnia fiant gratia finis, in quantum omnia media, quæ applicantur ad consecutionem finis, fiunt gratia ipsius, non in quantum illud, quod est finis, non applicetur ad aliud, tanquam medium. Quod si Philosophus dicat, quod causa finalis non debet vlterius ordinari, vt aliqui existimant, exponendus est de causa finali vltima, vel negligenda est eius authoritas.

15 *Dices secundò*; illud quod appetitur, vt medium ad aliud, quatenus sic appetitur, non habet propriam bonitatem, sed bonitatem illius, propter quod appetitur: ergo nequit mouere tanquam finis.

*Respondeo primò* distinguendo consequens; tanquam finis vltimus, concedo; tanquam non vltimus, nego consequentiam; sufficit enim, vt moueat tanquam finis, quod moueat sic, vt volentes propter ipsum consequendum velit applicare media.

Media habent propriam bonitatem.

*Respondeo secundò*, negando antecedens: nam non potest negari, quin medicina ex natura sua intrinseca habeat conducentiam aliquam & vtilitatem in ordine ad sanitatem acquirendam, quem non habent aliæ res, quæ non sunt medicinæ; & quod huiusmodi conducentia sit bonitas vtilis, & tale quod merito moueat voluntatem desiderantem sanitatem ad illam applicandam: cur enim aliàs applicaret medicinam potius, quàm lapidem, aut vnam medicinam potius quàm alteram? Itaque hæc ipsa vtilitas medij in ordine ad consecutionem finis, est ratio sufficiens, propter quam aliquis possit applicare alia media ad eius consecutionem, & propter quam consequenter possit habere rationem finis, non vltimi seu intermedij.

*Dices* adhuc: bonum vtile, qua, non dicit ordinem, nisi ad illud, respectu cuius est vtile: sed non est vtile mediis: ergo non dicit ordinem ad media, & consequenter nequit esse finis mediorum.

*Respondeo* distinguendo maiorem: non dicit ordinem, qua tale, ad media sic, vt deberet esse bonum mediorum aut mediis, concedo antecedens: sic vt possit per media produci, nego antecedens; & concessa minore, nego consequentiam. Sicut enim ipsum bonum honestum, seu delectabile, quod potest constituere finem vltimum, non est bonum mediis, sed illi cui appetitur, & tamen habet rationem finis respectu mediorum, quia per media acquiri potest: ita bonum vtile, quamuis non sit vtile mediis, sed illi fini, propter quem acquirendum est vtile; potest tamen habere rationem finis respectu mediorum conducentium ad eius productionem. Fateor quidem quod ex eo, quod sit bonum vtile, non possit appeti, nisi appetatur illud aliud in ordine ad quod dicitur vtile, sed quandoquidem tamen ipsummet acquiri possit per alia bona vtilia, potest habere rationem finis ob quem illa appetuntur.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum finis sit vera & realis causa.*

HVrtadus *disp.* 13. de anima negare videtur finem esse causam realem & physicam: & idem sentire videtur *Mastrius d.* 7. *art.* 5. qui plures alios citat.

*Communior sententia* est finem esse veram & realem causam physicam. Ita tenet *Suar. disp.* 22. *metap.* §. 1. *Auersa qu.* 13. §. 1. *Complutenses disp.* 14. *quæst.* 3. & plures alij.

## CONCLVSIO.

Finis est vera & realis causa.

16 *Finis est vera & realis causa.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam. Et probatur: quia vere & non fictionem finis propositus per intellectum voluntati mouet voluntatem; & effectus, qui ordinatur ipsum, habet veram & realem dependentiam ab ipso si vt si finis non moueret voluntatem, voluntas non produceret illum effectum: sed nihil aliud præter hoc requiritur, vt sit causa realis & physica: ergo.

*Dices*: hoc totum, quod asseritur in maiori, posse esse verum, quamuis finis esset causa moralis tantum: sed causa moralis non est causa realis & physica: ergo falsa est minor.

*Contra*: quia causa moralis vel est illa, quæ non ex natura sua, sed ex ordinatione alicuius causæ extrinsecæ operatur; vel quæ per modum meriti aut demeriti obligat alteram causam ad ponendum effectum, quem aliàs posset ponere absque tali obligatione; vel illa quæ eatenus causat, quatenus iubet aut consulit alicui ponere effectum, quem aliàs ipsemet posset producere: nec est assignabile aliud genus causæ moralis: sed finis neutro ex his modis causat: ergo non debet dici causa moralis, nisi velimus quæstionem de nomine excitare, & vti nomine causæ moralis alio modo, quam communiùs Doctores vti eo solent, quod inutiliter & male fieret.

*Deinde*: quamuis esset causa moralis, non sequitur, quod non esset causa realis hoc est habens actionem veram & realem, quod est intentum conclusionis: nam certè causæ etiam morales verè influunt, & non ficte.

17 *Obijcies*: ad causam veram & realem requiritur, & quod ipsamet res, quæ talis dicitur, sit existens realiter, & causat, & quod habeat influxum verum & realem in effectu, respectu cuius dicitur causa; sed finis, qua finis, non debet existere realiter, vt patet in eo, qui habet pro fine sanitatem non existentem; & si aliquando existat realiter, hoc non est ex ratione causæ finalis vt sic, sed ex ratione particulari talis finis; nec etiam potest habere influxum realem in effectum, quia quod non existit realiter, non potest habere influxum realem: ergo non est causa realis.

*Respondetur*, negando maiorem pro prima parte: sufficit enim quod causet realiter, siue ipsamet sit realiter existens in se, siue non. Negatur verò minor pro secunda parte: quamuis enim nó posset res non existens habere influxum realem, non intentionalem; bene tamen potest habere influxum realem intentionalem, si proponatur intentionaliter per cognitionem potentiæ appetitiuæ; id quod videtur valde conforme doctrinæ communiori Scotistarum dicentium, quod passiones delectationis, tristiæ & similes producantur in potentiis pure passiue se habentibus ab obiectis propositis per intellectum; illa enim obiecta non necessario existunt realiter, quando causant illas passiones, & si existant, non causant quatenus existunt, sed quatenus obiectiue & intentionaliter proponuntur: ergo aliquid non realiter existens propositum intentionaliter potest causare aliquid realiter: imo non solum potest causare aliquid in genere causæ finalis, sed in genere causæ efficientis: nam sic causat bonum propositum delectationem, aut desiderium.

18 *Obijcies secundò*: Finis secundum Philosophum 1. *de gen.* non est actiuus, nisi metaphorice, & propterea satis cómuniter vocatur causa metaphorica: ergo non est causa

Cur finis accipitur causa metaphorica.

vera & realis ac Physica. Probatur consequentia, quia si esset talis, non deberet vocari metaphorica potius, quam causa efficiens.

*Respondeo* negando consequentiam cum sua probatione: vocari enim debet causa metaphorica, potius quam efficiens; quamuis non minus sit causa realis & vera, quia non causat, nisi intentionaliter propositus; quod si hoc non intendatur per causam metaphoricam, negari deberet finis esse causa metaphorica.

19 *Obijcies tertio*: si finis causaret aliquid realiter, maxime actus voluntatis aut appetitus, nimirum intentionem finis, aut electionem mediorum: sed non influit realiter in hos actus, quia voluntas est causa adæquata suorum actuum: ergo finis nihil causat realiter.

*Respondetur*, negando minorem, & ad probationem dico voluntatem esse ad summum causam efficientem adæquatam suorum actuum, & causam etiam materialem, cum quo bene stat, quo concurrat cum ipsa ad illos producendos causa finalis. Posset etiam ita esse quod finis non inuat immediatè in illos actus, sed mediatè tantum, quatenus scilicet causat illas passiones delectationis aut amoris, qui præsupponuntur volitionibus, & nolitionibus voluntatis; si tamen semper aliqua ex illis passionibus præcedat omnem volitionem aut nolitionem; nam hoc supposito volũtas, vt excitata per illas passiones, posset se sola absque immediato influxu finis causare in se illas volitiones, & nolitiones. Quod si illæ passiones nõ semper præsupponuntur, tum necessario dici debet quod finis concurrat cum voluntate immediate ad producendos actus illos voluntatis.

## QVÆSTIO IV.

### *Quanam sit causalitas finis in actu primo.*

20 QVemadmodum causa efficiens habet virtutem effectiuam, à qua, etiam cum non efficit aliquid, habet esse potens efficere; & hæc virtus vocatur causalitas ipsius in actu primo: ita pariter causa finalis, etiam cum non finalizat, habet virtutem à qua potens est finalizare seu causare aliquid finaliter: & hæc est causalitas eius in actu primo. Rursus quemadmodum causa efficiens, quando actu causat, habet aliquid, à quo dicitur actu causare, quod vocatur causalitas in actu secũdo, & est actio ipsius, vt supra resoluimus: ita etiam quando finis actu causat finaliter, debet habere aliquid, à quo habeat illam denominationem actualem actu causandi; & illud ipsum, quodcumque sit, est causalitas eius in actu secundo. Quæritur ergo hic, quidnam sit illud, quod est causalitas finis in actu primo: & quæstione sequenti quæremus, quid sit causalitas ipsius in actu secundo.

21 *Prima sententia* est ipsammet cognitionem seu apprehensionem finis esse virtutem causatiuam ipsius, seu causalitatem in actu primo. Hæc est *Socinæ 5. Metaphys. quæst. 3. Medinæ 1. 2. quæst. 1. art. 1.* & aliorum Thomistarum.

*Secunda sententia* est cognitionem esse quidem conditionem necessario requisitam, vt finis possit causare; non esse tamen eam rationem causandi in actu primo, sed hanc esse vel bonitatem, vel etiam malitiam finis, quia vtramque potest appetere voluntas. Hanc tenent Nominales, & ex Scotistis *Faber 1. disp. 13. c. 7. & disp. 9. de pœnitentia c. 8.* cum *Iribarne* & *Sghem.* quibus fauere videtur ipsemet *Scotus 1. d. 1. q. 1. & q. 4. ac in 1. d. 43. qu. 2.*

*Tertia sententia* est, solam bonitatem esse virtutem causatiuam finis; neque enim existimant authores huius sententiæ voluntatem vllo modo posse amare malum, vt malum: sic Thomistæ communius, & nominatim *Complutenses disp. 14. qu. 3.* cum *D. Thoma 1. 2. qu. 1. art. 1. & Scotistæ* etiam ac nominatim *Lychet. 2. dist. 43 qu. 1. Canellus* de anima *disp. 2. sect. 2. Mastrius disp. 7. qu. 8. art. 2.* qui tamen putat probabile esse, bonum præfixum etiam habere posse rationem finis, & vocat bonum præfixum illud, quod secundum se ante actum voluntatis non apprehenditur sub ratione boni, sed habet tamen esse bonum ab ipsem. t actu voluntatis ad ipsum terminato; ad quod putandum mouetur hic author propter loca Scoti fauentia secundæ sententiæ.

### CONCLVSIO I.

Cognitio finis non est causalitas ipsius.

22 *Cognitio non est causalitas finis in actu primo, sed conditio sine qua non posset mouere.* Hæc est communior eum secunda, & tertia sententia contra primam.

*Probatur prima pars*: quia illud est causalitas finis in actu primo, à quo habet posse mouere voluntatẽ ad amorem sui, seu à quo habet esse amabile: sed non à cognitione habet hoc, sed à sua perfectione aut bonitate: ergo cognitio nequit esse causalitas finis in actu primo. Probatur minor: quia certum est experientia, illud quod cognoscitur in fine esse id, à quo habet mouere, & esse amabile; sed ipsamet cognitio non cognoscitur esse in ipso: ergo ab illa non habet mouere tanquam à ratione formali. Probatur eadem minor secundo, quia ratione illius mouet aliquem, quod est perfectio ipsius, aut alterius cui desiderat finem, & secundum quod desiderat consequi finem, & quo adepto satiatur, si finis sit satiatiuus: sed non ratione cognitionis est perfectio, neque desiderat ipsam cognitionem, nec finis ratione cognitionis satiat, vt patet: ergo cognitio non potest esse virtus motiua.

*Confirmatur*: quia ideo potissimum cognitio esset virtus motiua, quia non mouet finis nisi habeatur cognitio: sed hoc nõ sufficit ad hoc vt dicatur cognitio esse talis virtus, quia posset esse talis dependentia à cognitione, quamuis cognitio esset tantum conditio sine qua non, vt patet de approximatione, & aliis conditionibus sine quibus non.

Cognitio finis est conditio sine qua non.

*Probatur secunda pars experientia*: quia nunquam mouemur à fine nisi cognito, & quia finis non causat nisi intentionaliter, hoc est dependenter à cognitione: ergo quandoquidem cognitio non sit ratio formalis motiua debet ad minus esse conditio sine qua non: sed nec de hac parte potest esse vlla controuersia, supposita prima parte.

23 *Obijcies primo*: ab illo habet finis esse causa finalis in actu primo, seu potens mouere, à quo habet esse prius effectus; sed à cognitione habet esse prius, quandoquidem secundum esse suum reale sæpe sit posterius effectu quem causat: sanitas enim, quæ mouet ad applicanda media acquirendæ sanitatis, est posterior realiter quoad esse existentiæ quàm ipsamet media, quandoquidem per illa realiter causetur.

*Respondeo* negando minorem: nam à seipso habet finis esse prius quoad essentiam, quam effectus ipsius sint quoad esse existentiæ; nec refert quod sit posterior effectibus quoad esse existentiæ suum, quia non causat illos effectus vt existit realiter. Quod si velit obiectio, finem habere à cognitione, quod applicetur voluntati prius quam voluntas causet effectus finis cum fine, verum quidem est; sed inde tantum habetur, quod illa cognitio sit conditio sine qua non applicatiua finis, quod asseritur in secunda parte conclusionis.

*Obijcies secundo*: diuersitas specifica actuum procedentium à fine debet procedere à virtute causatiua ipsius; sed ob apprehensionem variatam oriuntur actus distincti specie à fine; ergo apprehensio est virtus causatiua finis.

Probatur minor: quamuis finis secundum se esset honestus, si apprehensio habeatur de ipso sub ratione inhonesti, actus erit inhonestus, & è contra: ergo ab eodem fine ob varietatem apprehensionum procedunt varij specie effectus.

*Confirmatur primo*: quia idem malum, apprehensum vt præsens, causat tristitiam, vt futurum, timorem: ergo varietas apprehensionum sufficit ad varietatem effectuum.

*Confirmatur secundo*, eadem ipsa bonitas diuina cognita per fidem mouet ad amorem specie distinctum ab illo, ad quem mouet eadem bonitas cognita per visionem beatificam: ergo varietas cognitionum sufficit ad varietatem effectuum, & consequenter cognitio erit ratio motiua, & non conditio sine qua non, quia non videtur solam variationem conditionum sine quibus non sufficere ad effectuum varietatem specificam.

*Respondetur*, distinguendo minorem: ob solã varietatem cognitionis.

cognitionis, nego minorem: ob illam varietatem quatenus cum illa coniungitur varietas in ipsomet obiecto, seu fine, concedo minorem. Ad cuius probationem dico, quod quamuis à parte rei non mutetur obiectum, sed semper habeat eandem rationem, tamen variatur in apprehensione quoties ita variatur cognitio, vt vna proponat ipsum per modum honesti, & altera per modum inhonesti; neque enim posset talis variatio esse in cognitione, quin esset talis variatio ex parte obiecti in apprehensione, vt est euidens. Vnde diuersitas actus non prouenit à cognitione, nisi tanquam à proponente, & prouenit ab obiecto, propter diuersitatem rationis, quæ in ipso consideratur.

*Ad primam confirmationem respondeo*, distinguendo consequens: ex se præcise absque variatione obiecti in apprehensione, nego: quatenus cum ea coniungitur varietas ex parte obiecti, transeat.

Non omnis varietas cognitionis variat amorum sequentem.

25 *Ad secundam confirmationem respondeo primo*, non quamcunque varietatem etiam specificam cognitionum sufficere ad varietatem, seu distinctionem specificam amorum sequentium: alias amor naturalis hominis cogniti per fidem humanam esset distinctæ speciei ab amore ipsius cogniti per opinionem probabilem, aut per discursum certum, quod videtur falsum.

*Respondeo secundo*, negando secundam consequentiam: quia sicut ignis applicatus in tali distantia potest producere ignem, & in alia maiori non posset producere ignem, sed alium effectum distinctæ speciei, verbi gratia, calorem; cum tamen applicatio illa non sit aliud, quam conditio sine qua non; ita etiam variatio cognitionum, quamuis sit tantum conditio sine qua non, posset sufficere aliquando, vt amores essent distinctæ speciei; & hoc maxime locum habet, quando obiectum amoris sit causa libera, quæ posset ad talem cognitionem amorem vnius speciei producere, & ad aliam cognitionem amorem alterius speciei, vt accidit in casu confirmationis. Reuera autem existimo, à sola variatione conditionis applicantis, nisi cum illa aliquid aliud coniungatur, non posse fieri vt eædem causæ naturaliter agentes possint producere effectus distinctæ speciei, licet possit sine dubio oriri inde, vt possint effectus produci citius, aut cum maiori intensione. Quod autem ignis producat calorem vbi non possit producere ignem, inde accidit, quod in tali distantia, licet possit producere aliquid caloris, non tamen tantum, quantum requiritur tanquam dispositio ad formam ignis; quod si posset tantum in quacumque distantia, posset etiam & ignem. Et si quæratur tum, vnde oriatur distinctio amoris beatifici & amoris supernaturalis viæ?

*Respondeo*, quod posset oriri ex eo; quod charitas viæ & patriæ distinguantur specie. Posset etiam oriri ex eo, quod Deus ipse in se proponatur in patria, in via autem non proponatur in se, sed in specie aliqua confusa abstracta à creaturis; Deus autem, vt in se, est distinctæ rationis obiectiuè à seipso, vt propositus in specie.

## CONCLVSIO II.

Sola bonitas apprehensa in fine est ratio motiua.

26 *Sola bonitas illa, quæ apprehenditur in fine, est ratio motiua ipsius ac causalitas eius in actu primo.* Hæc est tertiæ sententiæ: & probatur: quia illud solum est talis causalitas eius, quo mediante potest excitare ad amorem, & propter quod potest appeti ac amari: sed hoc est bonitas sola: ergo bonitas sola est causalitas eius in actu primo.

*Probatur secundo*, quia malitia, qua talis, non potest excitare voluntatem ad amandum, seu appetendum: ergo sola bonitas potest sic excitare. Probatur antecedens; quia sequeretur, quod malitia esset bonitas, & non esset bonitas: non esset quidem, vt supponitur; esset autem, quia constitueret obiectum amabile & appetibile: illud autem, quod sic constituit est bonitas; cur enim aliquid potest dici potius bonitas, quam id, quod sic constituit?

*Confirmatur*, quia Philosophus 1. *Ethic. Ansel. de l. arb.* & *Dionysius de diuinis nominibus*, describunt ipsum bonum esse, quod omnes appetunt: quæ descriptio non valeret, si aliquid appeti posset, quod non esset bonum.

*Deinde*: iidem dicunt neminem aspicientem ad malum operari: quod esset falsum, si malum. vt malum posset appeti aut amari.

*Confirmatur secundo*, quia quamuis voluntas ex libertate sua posset velle malũ, vt malum, tamen omnino incredibile videtur, quod malum, vt malum, ipsam ad hoc excitet aut moueat: ergo adhuc, quamuis illud esset verum, malum qua tale non posset mouere finaliter: sed ideo potissimum asseritur malitiam, qua talis est, posse esse causalitatem finis, quia voluntas posset malum, quà tale, velle: ergo, cum hoc ipsum, quamuis esset verum, non sufficiat, sequitur malitiam non posse esse virtutem motiuam finis aut causalitatem ipsius in actu primo.

*Confirmatur tertio*, quia non obstante libertate voluntatis tam in exercitio, quam in specificatione, posset esse sic determinata, vt non posset vllo modo velle malum, qua malum, nec nolle bonum qua bonum; ergo cum non habeatur aliqua experientia aut ratio in oppositum, & communis sententia confirmata authoritate Patrum ita sentiat, id longe probabilius est dicendum.

27 *Dices*, maiorem futuram esse libertatem voluntatis, si posset etiam malum velle, & nolle bonum: ergo danda est ipsi illa perfectio maioris libertatis, si non implicet.

*Respondeo* negando consequentiam, quia non debemus maiorem libertatem aut perfectionem ipsi concedere, quã ratione aut authoritate aut experientia possumus colligere competere ipsi. Videri autem posset implicare contradictionem, quod posset velle malum qua malum; aut nolle positiue bonum qua bonum, quia volibile, qua volibile est essentialiter bonum, & nolibile, qua nolibile, est esse, essentialiter malum. *Scotus* autem in locis fauentibus aduersariis, solum loquitur dubitatiue & absque vlla resolutione, vt patet ex contextu. In primo autem loco nihil prorsus dicit, quod faueat aduersariis: quamuis enim dicat voluntatem posse sibi præstituere finem pro sua libertate, qui reuera non sit finis, loquitur de fine vltimo, & solum vult quod voluntas possit, si velit, præstituere sibi pro fine vltimo aliquid, quod reuera finis vltimus eius non sit; non dicit autem, quod ille finis vltimus non debeat habere aliquam bonitatem, ratione cuius ipsum possit voluntas appetere, imo expresse innuit oppositum.

28 *Obiicies*: eadem est potentia contrariorum: ergo voluntas potest tendere in bonum & malum, quæ sunt contraria, & consequenter malum potest esse causalitas in actu primo, respectu istius actus voluntatis, quo tenderet in illud.

*Respondeo*, distinguendo consequens primum: potest tendere per amorem in vtrumque, aut per odium, nego: per amorem in bonum, & per odium in malum, concedo primam consequentiam. Et ad secundum consequens dico primo cum *Scoto* 2. *d.* 6. *q.* 2. causalitatem, quæ mouet voluntatem ad fugam mali, esse bonitatem, cui illud malum opponitur; ideo enim moueretur ad fugiendum malum aliquod, quia amat bonum aliquod, cui illud malum opponitur aliquo modo: & iuxta hoc neganda esset secunda consequentia.

*Dico secundo*, ipsammet malitiam posse esse sufficienter motiuam ad odium absque vllo amore explicito boni vllius, & iuxta hoc concedi potest vltima consequentia; nec faciat contra conclusionem, quia in ea loquimur de causalitate finis in ordine ad actus persecutionis, non in ordine ad actus fugæ.

29 *Obiicies secundo*: experientia constat, quod velimus malum inimicis, quatenus malum ipsorum est, & multi inferunt sibi mortem, quam apprehendunt vt malum: ergo possumus tendere in malum sub ratione mali.

*Respondeo* negando consequentiam, quia illud ipsum malum inimicorum, licet consideremus ipsum, vt malum ipsis, tamen etiam consideramus vt bonum nobis, aut aliis, quòd illud malum accidat ipsis, & ratione huius bonitatis volumus illud. Similiter qui inferunt sibi mortem, apprehendunt mortem per modum boni, quia per modum alicuius, quod liberat eos à malis aliquibus præsentibus aut imminentibus; aut per modum medij ad vindicandum se de aliis, de quibus vindicare se existimant

esse sibi ipsis bonum, etiam cum præiudicio vitæ.

*Obijcies tertiò*: Si aliquis apprehendat odium Dei absque errore vllo per modum mali, nullam habentis rationem boni, vel voluntas poterit ipsum velle, vel non: poterit: si poterit, habetur intentum, quod possit scilicet amare malum qua tale: si non, ergo non erit liberum ipsi omittere illud odium, sed necessario nolet ipsum.

*Respondetur* voluntatem in casu illo non posse elicere odium Dei: si non posset habere puram omissionem non esset inconueniens quod in tali casu necessario nollet odium Dei; at si possit, vt communiùs Scotistæ tenent, habere puram omissionem, quamuis necessario omittere debeat illud odium, non tamen necessario debet ipsum nolle; quia poterit suspendere se à nolitione positiua, & mere negatiue se habere circa ipsum; quod sufficit vt libere se habeat circa illud odium, quamuis necessario debeat ipsum non habere.

## CONCLVSIO III.

Bonitas præfixa non potest sufficere pro causalitate finis.

30 *Bonitas præfixa non potest sufficere pro causalitate finis in actu primo*, est contra *Mastrium & Montepilosum*. Intelligo autem per præfixam bonitatem, illam, quæ ab ipsamet voluntate amante finem desumeretur, & non appareret in fine ante actum voluntatis: sic enim explicat *Mastrius*, vt ante dixi.

*Probatur*, quia finis ante actum voluntatis debet habere virtutem, qua possit mouere voluntatem, & excitare ad talem actum: sed non potest per aliquid sequens actum voluntatis mouere aut excitare ad actum: ergo nihil sequens talem actum potest sufficere pro tali causalitate.

*Dices cum Mastrio* intellectum concipere posse malum, vt malum, & concipere etiam posse bonitatem in se, ac posse voluntatem applicare illam bonitatem isti malo, & sic præfigere sibi malum pro fine.

*Sed contra primo*: per hoc quod voluntas velit aliquid esse bonum, quod non est bonum, nec concipitur ab intellectu vt bonum, non sequitur quod illud sit bonum, vt manifestum est: ergo per hoc quod voluntas applicaret bonitatem apprehensam malo apprehenso, non sequitur quod illud malum esset bonum.

*Contra secundo*: malum illud non habet rationem finis, antequam habeat rationem boni, & quamuis habeat rationem boni, non poterit mouere voluntatem per modum boni, antequam apprehendatur ab intellectu vt bonum, quia talis apprehensio est ad minus conditio necessario requisita, vt moueat: ergo debet sequi applicationem voluntatis, qua applicat bonitatem malo cognito, qua facta illa applicatione, cognoscatur malum istud esse bonum, & postea tantum illud malum poterit exercere rationem finis; sed tum non exercet rationem finis vt malum, sed vt bonum: ergo bonitas præfixa per voluntatem non potest sufficere pro causalitate finis, respectu istiusmet actus, quo præfigitur. Quod si velint aduersarij voluntatem posse aliquod malum habere pro bono, & postea illud tanquam tale amare.

*Contra* illud, quod primo dixi, non apparere qua ratione posset voluntas habere pro bono illud, quod non ostenditur ipsi ab intellectu esse bonum; nec quomodo possit tribuere bonitatem illi, quod cognoscit esse malum, & cuius malitiam auferre non est in manu sua.

## CONCLVSIO IV.

Bonitas finis non debet esse realis.

31 *Bonitas illa, quæ est causalitas finis, aut etiam mediorum, hoc est, illa, secundum quam mouet voluntatem ad amorem sui, non debet esse realis, id est realiter existens; nec etiam debet esse possibilis: in re*: sic scilicet, quod possibile sit finem cui posse acquirere finem cuius gratia, aut quod possibile sit media habere à parte rei illam vtilitatem, quæ apprehenditur in ipsis; *imo nec illa bonitas secundum se debet esse possibilis*, abstrahendo à fine cui, aut subiecto tali, aut mediis talibus. Hæc in re debet esse communis.

*Patet prima pars*: quia quando amamus nobis sanitatem, quam non habemus, per modum finis, certum est, quod illa sanitas non sit existens à parte rei: ergo non requiritur, quod bonitas finis sit realiter existens. Et idem patet de mediis non existentibus, quæ tanquam media amamus, antequam existant, & postea producimus à parte rei.

*Patet etiam secunda pars*: quia quamuis sit impossibile, quod equus cognoscat cognitione intellectiua à parte rei, si aliquis tamen iudicaret per errorem, quod esset ipsi possibilis, posset moueri ad eam desiderandam ipsi tanquam finem, vt patet experientia. Et quando medicus considerat aliquam medicinam, vt vtilem pro aliqua infirmitate, quæ reuera inutilis est, & per quam impossibile esset infirmitati illi succurrere, adhuc mouetur ab illa vtilitate apprehensa ad eam applicandam: ergo bonitas à parte rei impossibilis potest sufficere, vt finis, & media possint mouere.

*Tertia etiam pars patet*; quia æqualitas cum Deo, casu saltem quo Deus non esset trinus (quod addo, quia supposita Trinitate Pater est æqualis Filio, & hic Spiritui sancto) esset etiam secundum se impossibilis, & non solum impossibilis homini: sed illa æqualitas posset apprehendi vt possibilis per iudicium erroneum; & sic apprehensa posset mouere per modum finis.

Ex quibus omnibus patet, bonitatem, quæ est causalitas finis, esse bonitatem abstrahentem à bonitate reali, & impossibili; non quod possit dari vlla vna talis vniuoce abstracta ab illis; sed quod indifferenter voluntas possit moueri à bonitate reuera reali, & etiam à bonitate reuera impossibili, modò tamen hæc non cognoscatur vt talis: si enim cognosceretur vt talis, quamuis forte posset mouere ad simplicem complacentiam, & desiderium aliquod inefficax, non tamen ad amorem efficacem aut desiderium efficax; ex quo sequeretur consultatio, electio aut applicatio mediorum: quis enim vellet applicare media ad consecutionem illius, quod absolute iudicaret impossibile?

## QVÆSTIO V.

*Quid sit causalitas finis in actu secundo?*

VArij etiam sunt modi dicendi de causalitate finis in actu secundo, seu de eo, à quo formaliter denominatur actu causare effectum, respectu cuius dicitur finis.

Quid causalitas finis.

32 *Conimbricenses 2. Phys. c. 7.* existimant causalitatem finis consistere in motione quadam antecedente actionem efficientis, per quam mouetur efficiens ad illam actionem habendam. *Herueus quod 1. quæst. 8.* dicit eam consistere in communicatione appetibilitatis ac vtilitatis mediis. *Suarez disputat. 23. sect. 4.* & alij plures dicunt eam consistere in actione agentis, quatenus fit propter finem. *Mastrius quæstione 8. art. 3.* dicit eam consistere in motione, qua actu mouet finis agens ad agendum, & postea explicat hanc motionem in re non esse aliud quam actionem agentis, vt in gratiam finis factam: formaliter verò dicere imputationem illam, qua in genere moris effectus fini imputantur; vnde non est entitas realis, nec absoluta, nec relatiua, sed potius moralis. *Arriaga disputat. 8. sect. 7.* dicit causalitatem finis circa complacentiam de fine ac possessione eius, ac electionem mediorum esse hos ipsos effectus, vt habiti dependenter à cognitione finis: causalitatem verò eius circa executionem mediorum esse, & intentionem finis & electionem mediorum, & ipsammet executionem externam; non verò vllam ex illis seorsim sumptam.

## CONCLVSIO I.

Causalitas finis non est communicatio appetibilitatis mediis.

33 *Causalitas finis in actu secundo non consistit in communicatione appetibilitatis, bonitatis aut vtilitatis mediis.* Hæc est communis contra *Herueum & probatur primo*, quia media ex seipsis habent suam appetibilitatem, & bonitatem, vt supra dictum est: quamuis enim non habeant bonitatem talem, qua media sunt, propter quam possent appeti propter se aut vllo modo, nisi appeteretur finis; tamen habent ex seipsis talem bonitatem, ob quam ex suppositione, quod apperatur finis, possent appeti; & sane aliàs omnia media æquè desciscerent ad finem, quod est absurdum.

*Probatur*

*Probatur secundò*, quia media habent bonitatem ac vtilitatem suam, siue à se, siue à fine, antequam finis moueat efficiens actu, ergo causalitas finis, qua mouet actu efficiens, de qua modo agimus, non potest consistere huiusmodi communicatione appetibilitatis ac bonitatis.

*Adde*, non explicari ab Heruæo, in quonam formaliter consistit hæc ipsa communicatio, in qua ponit causalitatem finis: vnde quamuis in ea consisteret, adhuc non satis bene explicaret naturam huius causalitatis.

## CONCLVSIO II.

Causalitas finis non consistit in actione agentis ordinata ad agens, nec in effectu vt habito propter finem.

43 *Causalitas finis non consistit in actione efficientis vt ordinata ad finem, nec in effectu ipso vt habito propter finem.* Hæc est contra *Suarium* & *Arriagam*, & probatur: quia sine dubio consistit in motione, qua actu mouet efficiens ad agendum propter finem: sed illa motio non consistit in actione aut effectu; non quidem in actione, quia causalitas finis potius debet esse in ipso fine subiectata, quam in efficiente; actio autem subiectatur in efficiente. Non etiam in effectu, quia effectus posset esse à solo Deo absque concursu efficientis aut finalis, & idem effectus, qui est ab vno fine, posset esse ab alio & non ab illo: ergo causalitas, qua fit ab vno fine, non identificatur illi; & quia causalitas causæ potius debet esse in ipsa causa quam in alio, vt iã dixi, & patet ex dictis in Logica de Actione.

## CONCLVSIO III.

Quid causalitas finis.

35 *Causalitas finis consistit in motione ac determinatione formali obiectiua, qua mouet voluntatem ad agendum; quæ motio & determinatio non est respectus vllus, nec aliquid positiuum distinctum ab ipsomet fine proposito per potentiam cognitiuam.* Hæc est iuxta *Conimbricenses*: & *probatur prima pars primo*, quia communiter dicitur, quod finis sit prima causarum; sed hoc non potest tam bene saluari in vlla alia sententia, quam si dicatur causalitas ipsius consistere in illa motione, vt ex se patet, quia non potest esse prima, nisi quatenus prius causet; sed non potest prius causare, nisi quatenus causat mouendo: ergo mouendo causat.

*Dices*, finem esse primam causarum, non quod prius causet; sed quod sit dignior cæteris.

*Contra*, quia non potest esse dignior cæteris, nisi quatenus causat mouendo efficiens: ergo causat mouendo: sed non potest causare mouendo, nisi quatenus prius causat; nec potest prius causare nisi quatenus causalitas ipsius consistit in illa motione, ac determinatione: ergo consistit in illa.

*Probatur secundò*, quia certum est experientia: prius natura moueri voluntatem à fine ad effectus, quos producit gratia finis, quàm producat illos effectus; & certe si non prius moueretur, non posset dici, quod moueretur magis à fine, quam finis moueretur per ipsum; & vniuersaliter quotiescumque duæ causæ concurrunt ad effectum, quarum neutra habet causalitatem prius, quam altera, tũ non potest dici vere quod vna moueat alteram, sed debet dici, quod vtraque vel determinent se, vel determinetur simul: ergo datur huiusmodi motio, & quidem antecedens actionem efficientis sed ex suppositione quod detur, nihil impedit quominus sit causalitas finis; & frustra omnino requireretur aliqua alia causalitas: ergo causalitas finis consistit in illa causalitate.

36 *Probatur secunda pars*: quia nihil impedit quin finis propositus seipso absque vllo respectu determinet voluntatem: ergo motio, qua mouet, non debet dicere aliquem respectum.

*Probatur secundò*, quia si motio, qua mouet, esset aliquis respectus deberet esse respectus terminatus ad effectũ, vel ad voluntatem, vt est euidens; sed neutrum dici potest: ergo. Probatur minor quoad primam partem, tũ quia prius mouet quam producatur effectus; tum quia hoc præcise, quod haberet respectum terminatum ad effectum, non diceretur mouere voluntatem: ergo vt moueat voluntatem, debet aliquid aliud esse in ipso præter respectum illum. Probatur etiam minor quoad secundam partem: quia poshoc, quod haberet respectum terminatum ad voluntatem non moueret voluntatem formaliter, nec voluntas moueretur formaliter à fine.

*Confirmatur*: quia illud, per quod mouemur formaliter, est quod proponitur nobis, & illud ipsum est, quo sentimus nos moueri: sed respectus ille non proponitur nobis, nec sentimus nos illo moueri: ergo respectus non est quo mouemur.

Aduertendum autem hic, quod, quando dico finem mouere formaliter seipso, & non mediante aliquo respectu, hoc intelligendum de fine, quando immediate mouet; non vero quando mouet mediate, vt si moueret quatenus causaret delectationem in voluntate, tunc enim posset dici causare per respectum, quo produceret illam delectationem.

*Probatur tertia pars*; quia nullum est iudicium alicuius absoluti alterius, quæ esset causalitas.

*Obiicies*: causalitas finis non potest esse, nisi quando causat efficiens effectum finis: causalitas enim infert secũ effectum suum: sed motio illa sæpe habetur, quando non est effectus: ergo motio illa non est effectus. Probatur minor tum experientia, tum quia quando proponitur bonũ delectabile, & bonum honestum, & aliquis sequitur cum difficultate bonum honestum, tunc mouetur à bono delectabili, & ex illa motione oritur illa difficultas, quam habet in prosecutione boni honesti: sed tum non est aliquis effectus istius boni delectabilis productus à causa efficiẽte: ergo motio illa finis habetur quandoque absque effectu, qui producitur à causa efficiente.

*Confirmatur*: quia causa finalis est causa partialis essentialiter subordinata causæ efficienti: ergo nequit habere causalitatem, quin causa efficiens habeat causalitatem; sed potest habere illam motionem sine causalitate efficientis: ergo illa motio non est causalitas eius.

*Respondetur* distinguendo maiorem: non potest esse sub denominatione causalitatis, concedo maiorem: secundum se, & quoad omnia intrinseca, quæ dicit, nego maiorem, & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

*Ad confirmationem*, eodem modo distinguo consequens: sub denominatione causalitatis, concedo consequentiam; secundum entitatem suam intrinsecam, nego consequentiam.

*Dices*: causalitas causæ efficientis aut materialis non potest esse, quin habeat determinationem causalitatis: ergo nec finis: & consequenter, si motio illa potest esse absque denominatione causalitatis, non potest esse causalitas.

*Respondeo* negando consequentiam; quia quandoquidem causa finalis ex ratione sua particulari habet causare mouendo, propterea debet etiam ex ratione sua particulari habere, quod possit habere motionem suam absque eo, quod causa efficiens producat aliquid; & consequenter non est inconueniens, quod causalitas eius quoad omnia intrinseca possit esse absque causalitate aliarum causarum.

Et quia reuera non habet alium influxum in effectum præter istam motionem, quæ reuera non tendit in effectum per aliquem respectum realem actualem, propterea credo quod finis vocetur causa metaphorica, non quod moueat realiter intentionaliter efficiens, sed quod non habet aliquem influxum tendentem in effectum præter motionem illam efficientis.

## CONCLVSIO IV.

Si consistit in respectu intentionali, erit realis.

37 *Si causalitas finis consistit in respectu intentionali, quo concurrit cum voluntate ad producendos illos effectus, quos causat, erit realis.* Hæc est contra *Mastrium*.

*Probatur* quia ille respectus reuera daretur à parte rei independenter ab omni operatione intellectus aut potẽtiæ vllius potentis facere ens rationis: ergo esset realis: nihil enim aliud requiritur ad ens reale.

*Conf.* quia terminus eius est realis: & fundamentum etiam ac ratio fundandi: ergo nihil deest ad realitatem eius.

*Dices cum Mastrio*, sufficere quod dicatur esse moralis.

*Contra*,

*Contra*,quia ille respectus,quem vocas moralem, vel est aliquid positiuum,quod est à parte rei, vel non est:si est à parte rei, ergo est realis, prout ens reale opponitur enti rationis,siue vocetur postea moralis,siue non.

*Deinde* non video cur vocari commode possit moralis, cum ex natura intrinseca causæ finalis sequatur absque vlla ordinatione aut æstimatione voluntatis alicuius.

38 *Obycies*:Fundamentum istius respectus est ipsamet causa finalis cum sua bonitate:sed vt plurimum causa finalis non existit realiter,& aliquando est aliquid impossibile:ergo non potest respectus ille esse realis,quia quod non est reale,non potest fundare aliquid reale.

Propter hanc difficultatem,*P.Fuentes* concedit causalitatem finis esse respectum realem tum solum,quando actualiter existit.

Responsio Fuentes reiicitur.

*Sed certe* si non sit realis quando actualiter non existit, non erit talis,quando realiter existit,quia quamuis realiter existat,hoc tamen est omnino impertinens ad causationem eius,nam non causat,nisi vt cognitus,& posset eadem cognitione, qua cognoscitur quando actualiter existit,cognosci,quamuis non sic existeret,& vt sic cognitus eodem modo mouere efficientem; ergo existentia realis eius est impertinens ad influxum ac motionem eius; & consequenter, si influxus eius ac motio non est realis, quando non existit,nec erit realis quando existit: absurdum enim esset quod aliquid conduceret ad realitatem respectus,quod est impertinens ad ipsum.

Res impossibiliter existens potest fundare respectum realem.

*Respondeo* ergo aliter distinguendo minorem pro prima parte:non existit realiter secundum esse suũ proprium,& physicum,concedo minorem;secundum esse suum intentionale,nego minorem.& consequentiam Ad cuius probationem dico, quod illud quod non est reale secundum esse suum proprium,& physicum, nequeat fundare aliquid reale,nisi existat intentionaliter;sed si existat intentionaliter,bene potest vt sic existens fundare aliquem respectum realem.Finis autem semper quando causat,existit intentionaliter,vnde potest causare aliquid intentionaliter:& quia nõ causat nisi vt sic existens,propterea dixi in conclusione,quod respectus realis,in quo consistit causalitas finis,sit respectus intẽtionalis.Sicut ergo illud,quod existit obiectiue in intellectu,mouet voluntatem,& causat in ipsa delectationem in genere causæ efficientis,siue totalis siue partialis,quamuis illud non existeret à parte rei,nisi solum in intellectu,non video cur non posset fundare aliquem respectum realem.

39 *Dices*:illud esse obiectiuum,quod habet finis in intellectu,non est esse reale:ergo nequit fundare respectum realem.

*Respondeo* distinguendo antecedens;non est reale physicum, quale sufficeret ad producendas alias operationes præter intentionales,concedo,non est reale intentionale, quale sufficit ad producendas operationes intentionales, nego antecedens.

Quod si videatur difficile quod ipsemet finis fundet relationem realem, dici poterit non esse ipsum finem, qui fundat illam, sed speciem impressam supplentem locum finis.Quemadmodum enim licet dicatur cognitio produci ab obiecto, & intellectu, tamen non est ipsummet obiectum secundum se, quod causat ipsam, sed quandoque species impressa supplens locum eius,& quę propterea dicitur vicaria obiecti:Ita,quamuis dicatur finis mouere,& fundare huiusmodi respectum, nõ tamen est necesse quod secundum se immediate moueat aut fundet ipsum;sed sufficit quod id faciat mediante specie impressa obiectiue ipsum repræsentante.Iuxta quod potest

*Responderi secundò* ad obiectionem,concedendo maiorem,& minorem,& negando consequentiam, ac distinguendo eius probationem:quod non est quid reale, non potest secundum se immediate fundare relationem realem nec mouere realiter,transeat:non potest fundare talem respectum,& sic mouere mediante aliquo alio quod sit reale,& supplet locum eius, nego. Hæc responsio est facilis & in re conueniens cum priori responsione.

## QVÆSTIO VI.

*De effectibus Finis.*

41 PLures effectus producuntur,qui respiciunt finem, nempe ipsamet delectatio;quam, quando proponitur,causat in voluntate;amor seu desiderium eum consequendi,consultatio de mediis opportunis ad eius consecutionem;electio vnius medij præ alio,applicatio eiusdem,complacentia de eius consecutione;quibus addi possent alij plures,sed ex dicendis de his, de reliquis etiam quid dicendum facile constare poterit.

## CONCLVSIO I.

Consultatio de mediis est effectus finis, & electio, & executio.

*Consultatio de mediis,electio,& executio seu applicatio mediorum sunt effectus finis.* Hæc est communissima, *& probatur*, quia finis mouet efficiens ad hos effectus producendos:ideo enim consultat de mediis,& medium electum applicat,quia amat finem,& desiderat eum consequi:sed nihil aliud requiritur,vt sint effectus finis.

*Confirmatur*:Finis habet rationem causę,quia est illud, gratia cuius aliquid fit:ergo quidquid fit gratia finis,seu ob amorem finis,vel in ordine ad illum acquirendum,debet dici effectus eius:sed consultatio,electio,& applicatio prędicta fiunt gratia finis,seu in ordine ad eum acquirendum,ergo sunt effectus finis.

41 *Obycies*: Si finis esset causa respectu horum effectuum,vel si hi effectus essent effectus finis,deberet finis habere causalitatem aliquam immediate terminatam ad illos:sed non haberet:ergo.Probatur minor;quia eo ipso, quo causatur desiderium finis,ac amor eius,quamuis finis nullam aliam vlteriorem causalitatẽ haberet,illi effectus producerentur ab efficiente: ergo non dependet ab vlla causalitate immediata finis.

*Respondetur* negando maiorem.sufficit enim quod moueat formaliter efficiens vel seipso,vel mediante delectatione,vel amore in ipso causato.

## CONCLVSIO II.

Amor finis non est effectus finis vt finis.

42 *AMor finis,seu desiderium eius non est effectus finis, vt finis*.Hæc videtur mihi *Doctor.q.4.Prol.n.11.* quamuis ab aliis citetur pro opposito.Eam tenet *Fuentes hic q.7.n.21.Vasq.1.2.q.1.d.3.c.2.Lorca d.3.*& alij plures contra *Suarium disp.23.met.sect.3.Ruuium tract. de causa finali.Arriagam disp.8.n.74.* & alios quos sequitur *Mastrius disp.7.q.8.*

*Probatur primo*, quia finis non habet rationem finis, nisi quatenus est id,cuius gratia aliquid fit, seu ob cuius amorem aliquid fit,vt patet ex ipsius definitione.Et hinc Doctor supra ait,quod *finis non est causa*, nempe finalis formaliter loquendo,nisi *in quantum amatus ac desideratus mouet efficiens ad efficiendum*:sed non mouet,in quantum amatus ac desideratus,ad ipsum amorem & desiderium primum,quod habetur de ipso(de quo amore ac desiderio modo loquimur)vt patet, ergo non habet rationem causæ finalis formaliter loquendo,quatenus mouet ad illum amorem ac desiderium.

43 *Dic.*illud *cuius gratia* positum in definitione,finis non debere intelligi,vt nos intelligimus,ita sc.vt sensus sit,quod sit illud,ob cuius amorem aliquid fit;sed sensum esse, quod finis sit illud,ob cuius bonitatem aliquid fit.

*Contra*,quia quod aliquid fieret ob bonitatem finis,nisi fieret ob bonitatem eius amatam,& in ordine ad finem acquirendum ac perficiendum ordinaretur,non sufficeret ad hoc, quod diceretur fieri à fine in alio genere causæ, quam in genere causæ efficientis:ergo male explicatur in replica illud *cuius gratia*.Probatur antecedens;quia illud quod fit ob veritatem propositam intentionaliter,nempe cognitio tendens in illam veritatem,non fit à veritate aut ab obiecto vero in alio genere causę,quam in genere causæ efficientis:ergo nec amor ille,qui causatur ab obiecto ob bonitatem ipsius,& terminatur ad ipsum vt ad obiectum,debet dici fieri ab ipso in alio genere causę quam in genere causæ efficientis. Consequentia patet à paritate rationis.

*Dices*,

*Dices*, disparitatem esse, quod cognitio veritatis non determinet ad applicationem mediorum, sicut amor finis: vnde quamuis illa cognitio non fiat à veritate, nisi in genere causæ efficientis, amor tamen fiet à bonitate in genere causæ finalis.

*Contra*: ergo saltem ille amor præcisè & abstrahendo à mediis non causatur finaliter à bono, nec bonum, quatenus præcisè causat illū; aut debet dici causa finalis, quod est nostrum intentum. Hoc concedunt ex aduersariis aliqui, quia dicunt amorem illum solum non esse effectum finis, sed vt coniungitur cum voluntate mediorum. Sed certe si secundum se solum non est effectus, neque erit effectus finis non obstante, quod coniungatur cum illa voluntate mediorum, quia eodem modo influit finis in illum, quando sic coniungitur, ac influeret, si per impossibile aut possibile nunquam cum illa coniungeretur, aut posset coniungi.

45 *Probatur secundo conclusio*: quia voluntas non ordinat suum amorem ad bonū, nisi quatenus ipsemet amor est formaliter ex natura sua ordinatus ad illum tanquam ad obiectum: sed hoc non sufficit, vt dicatur ordinare illum ad obiectum tanquam ad finem, seu causam finalem, quia aliàs cognitio, quæ ordinatur ad illud, in quod tendit, tanquam in obiectum, ordinatur ad illud tanquam ad causam finalem, quod nemo dicit.

*Confirmatur*: quia bruta feruntur amore sensitiuo in bonum delectabile; & tamen secundum multos ex aduersariis non feruntur in ipsum, tanquam in finem; nec amor ille causatur ab ipso, tanquam à causa finali, sed tanquam à causa efficienti: ergo non sufficit, quod voluntas habeat amorem boni propositi ordinatum ad ipsum ex natura sua ad hoc, vt dicatur tendere in illud tanquam in finem, aut vt illud dicatur esse causa finalis istius amoris.

46 *Obiicies primo* ex *Mastrio*: *Scotus d. 2. q. 1.* ait omne infinibile, id est, illud, quod non habet finem pro causa, esse incausabile, ergo quidquid est causabile habet finem: sed amor finis est causabilis, cum causetur de facto: ergo habet finem: non alium quam obiectum, quod respicit. ergo habet obiectum pro fine. Probatur maior, non solum authoritate Scoti, sed ratione ipsius: omne agēs per se habet aliquem finem in agendo: ergo quidquid causat debet causare propter illum finem, & consequenter si sit aliquid, quod non habet finem debet esse incausabile.

*Confirmatur*: quia in *2. dist. 40.* ait idem *Scotus*, omnes actus humanos habere finem: sed amor primus ipsius finis est actus humanus: ergo habet finem: non alium quam ipsum finem, cuius est amor: ergo.

*Respondeo primo*, Scotum posse intelligi de fine non formaliter sumpto, sed realiter sumpto, ita scilicet vt omne illud, quod non respicit illam rem, quæ est finis, siue respiciat illum formaliter, vt finem, siue respiciat illum, vt obiectum, aut causam efficientem, non possit causari: quod non præiudicat conclusioni; & eodem modo potest responderi ad probationem maioris & ad confirmationem.

*Respondeo secundo*, Scotum posse intelligi cum distributione accōmoda, ita scilicet vt velit, omne illud, quod non habet causam finalem præter illos actus, quibus amamus & desideramus ipsam causam finalem, seu qui immediate in illum tendunt, esse incausabile, nisi sit finibile: quod etiam non præiudicat conclusioni.

Quod si ex his responsionibus neutra placeat, dicatur Scotus fuisse in hac re problematicus, & fundamentum hoc dicendi sit, & hic locus pro vna parte, & pro altera parte locus citatus pro nostra conclusione.

47 *Obiicies secundo*, obiectum fruitionis est finis vltimus, vel verus, vel apparens, vel præfixus secundum Scotum *in 1. dist. 1. q. 1. nn.* Sed fruitio est amor finis propter se: ergo amor finis propter se est effectus finis, & causatur à fine in genere causæ finalis.

*Confirmatur*: quia amor charitatis supernaturalis habet Deum pro finali causa: ergo amor finis est effectus eius in genere causæ finalis.

*Respondeo* distinguendo maiorem: ita vt sit dependens ab illo in genere causæ finalis, nego: ita vt tendat in illud, quod habet pro fine vltimo; quem vltimate, & principaliter intendit acquirere, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam: aliud est quod versetur ille amor circa illud, quod habetur pro fine; aliud verò est, quod dependeat ab ipso, tanquam à fine, seu in genere causæ finalis formaliter.

*Dices*: reuera illud obiectum est finis ipsius: nec enim alium finem habet, ergo dependet ab ipso, tanquam à fine.

*Respondeo* distinguendo antecedens: est finis ipsius, id est illud, in quod vltimate, tendit, concedo antecedēs: est causa finalis ipsius, id est à qua in genere causæ finalis dependet, nego antecedens, & consequentiam. Quod autem non sufficiat quod habeat ipsam pro fine priori modo, sic scilicet, vt tendat in ipsum vltimate, nec ex se petat tendere in aliud, patet: quia cognitio obiecti tendit in obiectum suum vltimate hoc modo, & tamen non habet obiectum pro causa finali, sed pro causa efficienti. Per quod patet ad confirmationem, cuius antecedens est negandum, loquendo de causa finali proprie dicta, quod scilicet influat in illum amorem per modum causæ finalis.

*Dices*, amor charitatis potest esse medium in ordine ad consequendum Deum: ergo potest causari à Deo, tanquam à finali causa proprie dicta.

*Respondeo* distinguendo consequens, quando vt medium assumitur, concedo; nec id negari debet ex dictis hactenus; quando non assumitur vt medium, nego consequentiam. Tunc autem assumitur vt medium, quando procedit ex desiderio finis consequendi, & ipsemet proponitur, vt quid vtile ad finis consecutionem.

*Obiicies tertio*: amor finis dependet à fine in aliquo genere causæ, sed non in alio, quam in genere causæ finalis: ergo sic dependet. Probatur minor; quia si in alio genere dependeret, maxime in genere causæ efficientis: sed sic non dependet; quia vt suppono ex dicendis in libris de anima disputatione de voluntate, voluntas est causa effectiua totalis sui actus, nec cum ea concurrit tanquam causa partialis obiectum.

*Respondeo*: si loquamur de amore finis, qui causatur à fine mediante delectatione aliqua præuia quæ causaretur à fine, illum amorem causari à fine, quatenus finis habet rationem causæ efficientis istius delectationis, quæ trahit voluntatem formaliter ad producendum amorem illum. Sed hoc fit absque vlla causalitate subiectata in fine aut delectatione illa, & terminata ad amorem, quia immediate causatur ab ipsa voluntate, tanquam à causa immediata adæquata sine concursu alterius causæ, quam causæ primæ. Si verò loquamur de amore finis, qui producitur à voluntate absque receptione vllius qualitatis præuiæ, qua inclinaretur voluntas ad amorem illum producendum; dico quod ille non proueniat vllo modo effectiue ab obiecto amato; sed ad eum producendum concurrit illud obiectum, quatenus ab intellectu propositum inclinat seipso voluntatem ad eum producendum: quod magis patebit ex dicendis in disputatione de voluntate, & de habitibus.

48 *Obiicies vltimo*: Finis mouet ad amorem sui, quia est per se appetibilis: ergo causat illum amorem in genere causæ finalis.

*Confirmatur*, quia finis, vt finis, est per se obiectum voluntatis: ergo voluntas in omni actione sua tendit in illum.

*Respondeo* negando consequentiam; quia posset sic mouere in genere causæ efficientis; sicut verum causat cognitionem sui.

*Ad confirmationem respondeo*, distinguendo antecedens: finis, vt finis, id est vt exercens actu rationem causæ finalis, nego antecedens; bene enim potest voluntas habere plures actus circa finem absque eo quod finis exerceat rationem talis causæ. Finis, vt finis, id est, vt est quid habens bonitatem, quæ sit virtus causatiua ipsius, qua potest causare in genere causæ finalis, transeat antecedens, & distinguo consequens: tendit in ipsum tanquam in obiectum, transeat: tanquam in aliquid, à quo dependet in genere causæ finalis proprie dictæ, nego consequentiam.

*Hinc vniuersaliter patet*, quod nulli, actus voluntatis, nec

nec effectus procedentes à fine, ac tendentes in illum sint effectus eius in genere causæ finalis, nisi illi, qui procedũt ab ipso, vt amato, & qui ordinantur ad ipsius consecutionem aut perfectionem; ac propterea sola media vere esse effectus causæ finalis, & quæ sequuntur ad media tanquam effectus; vnde gaudium de fine possesso, licet causetur immediate ab ipso fine, tanquam à causa efficiente, tamen etiam dependet ab ipso tanquam à causa finali, quia nisi vt talis causa moueret efficiens ad applicationem, non haberetur illud gaudium, sicut nec ipse finis obineretur: loquor autem de fine, qui non acquireretur, nisi per applicationem mediorum.

## QVÆSTIO VII.

*Quænam agunt propter Finem.*

Homines, & Angeli agunt propter finem.

49 CErtum est homines, & Angelos agere propter finem à se amatum, & ordinare posse ac solere media ad acquisitionem finis, quem amant: cum enim cognoscant finem, & media; non solum materialiter, sed formaliter; & cum sint capaces actuum, quibus tendant in finem, & media illa, vt sic cognita, qui actus vere efficienter producuntur, non potest dubitari, quin conueniat ipsis sic agere: si enim non possent sic agere, maxime quia vel non cognoscerent finem, & media vllo modo, quemadmodum non cognoscuntur ab illis, quæ non sunt animalia, nec rationalia; vel quia non cognoscerent illa formaliter, prout communiter supponitur ea non cognosci à brutis; vel quia actus, quibus tenderẽt in finem essent ineffecti, quemadmodum actus Dei sunt ineffecti: ergo cum neutrum ex his sit verum de hominibus & Angelis, debet concedi, quod possint agere propter finem.

Inanimati non agunt propter finem à se intentum.

*Præterea*, æquè certum est inanimata, ac ea omnia quę non habent virtutem cognoscitiuam, non posse agere propter finem à se intentum, quia vt sic agerent, deberent cognoscere finem, agunt tamen propter finem intentum à Deo, non quod ipsa proprie intendant illum finem, cum eum non cognoscant; nec quod moueantur ab illo, dum agunt, sed quod Deus dirigat omnes effectus ab illis productos ad aliquem finem à se intentum. Itaque sola difficultas huius quæstionis versatur circa Deum ipsum, & bruta, an scilicet agant propter finem à seipsis intentum.

## CONCLVSIO I.

Deus agit propter finem.

50 *DEus agit propter finem.* Hæc est communissima, & *probatur primo*, Prouerb. 6. *Omnia propter seipsum operatus est Dominus.*

*Probatur secundo* ratione: quia reuera in ordine ad manifestationem perfectionũ suarum condidit Mundum, eumque gubernat & protegit: ergo agit propter illum finem.

*Confirmatur*: quia agere propter finem arguit potius perfectionem, quam imperfectionem: ergo non debet Deo negari: imo esset maxima imperfectio, quod ipse efficeret aliqua quæ posset ordinare ad bonos fines & non ordinaret.

*Obijcies*: vt Deus ageret propter finem, deberet actio ipsius causari à fine, seu oriri ab ipso: sed hoc est falsum, quia actio Dei est ipsamet volitio eius, quæ esset, quamuis non moueretur à fine: ergo non potest agere propter finem.

*Confirmatur*: quia quod agit propter finem debet à fine moueri ad agendum: sed Deus nequit ab vllo fine moueri: ergo nequit agere propter finem.

Probatur minor: quia quod mouetur à fine debet quando sic mouetur, aliter se habere, quam si non moueretur; sed Deus non aliter se haberet, quando de facto fecit mundum aut decreuit illum facere, quam si non fecisset aut decreuisset: ergo non mouetur à fine ad faciendum aut decernendum.

*Respondeo* distinguendo maiorem: si posset ordinare res ad finem, seu producere eas propter finem, absque eo quod actio ipsius causetur aut oriatur à fine, nego maiorem: si non posset, concedo maiorẽ: & distinguo etiam minorem: ex suppositione quod actio ipsius sit ipsamet volitio identificata ipsi, concedo minorem: ex suppositione quod non sit, nego minorem & consequentiam. An autem volitio ipsius sit illa actio, nec ne, non spectat ad præsens; & propterea respondi conditionaliter, vt abstraherem hanc difficultatem ab illa alia de actione Dei.

51 *Respondeo secundo* distinguendo etiam maiorem: ita vt oriatur ex fine quod habeat denominationem formalem actionis, concedo: secundum suam entitatem realem, nego maiorem: & distinguo minorem: est falsum quod oriatur à fine ita, vt à fine oriatur quod habeat denominationem formalem actionis, nego; quod oriatur à fine ita, vt ipsamet actio secundũ entitatem suam realem identificatam Deo oriatur à fine, nego minorem, & consequentiã.

*Respondeo tertio*, distinguendo etiam maiorem, deberet oriri à fine: ita, vt Deus non diceretur formaliter agere aut decernere facere aliquid, nisi à fine moueretur aliquo modo, concedo maiorem: deberet oriri à fine alio modo, nego maiorem: distinguo etiam minorem: hoc est falsum, in sensu quo conceditur maior, nego minorem: in alio sensu, concedo minorem, & nego consequentiam.

*Ad Confirmationem respondeo*, distinguendo maiorem: deber moueri motione proprie dicta inuoluente imperfectionem aut mutationem aliquam realem in Deo, nego maiorem: deber moueri motione improprie dicta non inuoluente talem imperfectionem, sed æquiualente tamen motioni tali, quantum ad hoc quod æque propter illam Deus ordinat media ad finem, ac si sic moueretur, concedo maiorem, & distinguo similiter minorem: nequit priori modo, concedo; posteriori, nego. Ad cuius probationem dico quod sicut Deus potest decernere aliquid non habendo se aliter intrinsece quam ante haberet, si tale quid non decerneret: ita etiam potest moueri ad faciendum aliquid, non habendo se aliter intrinsece, quam haberet se, etiamsi sic non moueretur: & licet tale quid non posset accidere in creaturis propter earum finitatem, & limitationem; potest tamen in Deo ob suam illimitatam ac infinitam perfectionem; de quo tamen exactius spectat ad Theologiam tractare.

An Deus habeat causam finalem respectu actionum suarum immanentiũ.

52 *Quæritur* hic, an Deus habeat causam finalem respectu actionum suarum immanentium, verbi gratia, respectu intellectionis, & volitionis essentialis, qua intelligit, & vult se suaque attributa, & respectu actionis, qua producitur ac generatur Verbum, ac spirationis, qua spiratur Spiritus sanctus.

*Communis resolutio* est negatiua: quia illæ actiones non habent causam efficientem, cum sint indentificatæ Deo; causa autem finalis solum habet causare illa, quæ ab efficiente producuntur; quandoquidem non causat nisi mouendo efficiens. Verum quandoquidem detur principium productiuum verum, & reale in Diuinis, quod producit aliquid ad intra distinctum realiter à se ipso, productione vera, & reali, licet non efficiat illud, verbi gratia, Pater respectu Filij, & vterque respectu Spiritus sancti; non videtur excludi causa finalis à productionibus ab intra sufficienter per hoc, quod intra non sit principium effectiuum: gratis enim videtur dici quod requiratur causa efficiens, & non sufficiat principium productiuum. Itaque non video cur Pater & Filius non possent dici habere principium finale mouens ipsos absque imperfectione in ordine ad productionem Spiritus sancti: cur enim non ex amore essentiæ Diuinæ & communicationis perfectissimæ eius dicerentur producere Spiritum sanctum? & præsertim, si libere producatur ac non naturaliter, vt tenent *Scotistæ*. Sed de hoc nihil resoluo, solum propono hoc tanquam rationem dubitandi, & resolutionem vltimatam relinquo pro Theologia.

An actiones transeuntes.

53 *Quæritur* etiam similiter, an actiones transeuntes Dei habeant causam finalem: & *Respondeo* breuiter quod, si actiones transeuntes eius se teneant ex parte effectuum, eodem modo possint dici habere causam finalem, quo actiones transeuntes creaturarum producentium effectus propter finem: eadem enim est ratio. Si vero se teneant ex parte Dei, dicendum est quod habeant causam finalem in hoc

hoc sensu, quod non denominarent Deum causantem, nisi moverentur suo modo à fine ad producendos effectus: & hoc sufficit, vt dicantur simpliciter habere causam finalem, nisi quis velit reducere rem ad quæstionem de nomine.

## CONCLVSIO II.

Bruta agunt propter finem.

54 *Probabile est quod Bruta agant aliquando propter finem, vt bonum ab ipsis apprehensum, & applicando media cognita vt vtilia in ordine ad assecutionem eius.* Hæc videtur contra communiorem sententiam, eam tamen tenet expresse *Arriaga disp. 8. num. 65.* & mihi semper à tyrocinio placebat. Pro ea ipse citat *D. Thomam 1. p. q. 78.*

*Probatur* à posteriori similibus omnino rationibus, quibus probari posset de hominibus quod operentur propter finem: nam videmus manifeste quod ad propositionem boni, quod ipsis est delectabile, appetant illud, & moueant se ad acquirendum ipsum, applicentque media opportuna ad eius cósecutionem, quod patet mille exemplis animalium domesticorum. Quod si quis dicat animalia appetere hæc bona materialiter, & applicare media etiam materialiter; sane idem poterit dicere de hominibus. Nec refert quod homines habeant rationem & discurrat; hinc enim solum sequitur, quod perfectius cognoscant finem & media, quam animalia; & quod possint per discursum excogitare media nunquam proposita, & quæ aliàs non scirent esse media apta; quod brutis non conuenit, discursu carentibus: sed non sequitur hinc quin bruta etiam operentur propter finem, applicando media, licet non operentur tam perfecte quam creaturæ rationales.

55 *Obijcies:* non cognoscunt finem; vt acquisibilem per media vt vtilia formaliter, quia acquisibilitas est respectus & vtilitas etiam; cognitio autem materialis, qualem solummodo habent bruta, non tendit in respectus: ergo non agunt propter finem formaliter, sed tantum materialiter.

*Respondeo* negando antecedens, quia aliàs nunquam applicarent media. Ad probationem autem antecedentis dico, vel cognitionem sensitiuam tendere etiam in respectus transcendentales huiusmodi, vel certe acquisibilitatem, & vtilitatem, quæ debet considerari in fine & mediis ad hoc vt aliquis agat propter finem formaliter, & vt applicet media formaliter, non esse respectum secundum esse, sed secundum dici, hoc est tale, quod reuera non est respectus, sed nequit tamen explicari nisi per modum respectus.

*Dices,* Brutum, quando applicat medium, id facere ex instinctu naturali, & non in ordine ad acquisitionem finis quasi intenderet ipse per medium finem.

*Contra,* sic posset dici de hominibus, & sane ridiculum videtur dicere, quod quando felis auertit oculos à mure capto: dum ludit cum ipso, quasi negligeret ipsum, non intendat deceptionem muris; & quod dum catulus interprandendum assurgit in pedes posteriores, aut trahit vestimentum comedentis, non intendat inducere ipsum ad dandum sibi buccellam.

## QVÆSTIO VIII.

### *De causa instrumentali.*

56 LIcet fuse à multis tractari soleat de instrumentis in communi & particulari, quia tamen fere omnis controuersia est tantum de nomine, breuiter quid dicendum explicabo.

Vtiæ acceptiones instrumenti.

*Aduerto autem primo,* instrumentum varias habere acceptiones, *primo* enim capitur pro omni causa alteri superiori subordinata, & sic omnis creatura dici solet instrumentum Dei in ordine ad res, quæ producuntur per creaturas; quamuis alias dubium non sit, quin creaturæ multæ sint causæ principales suorum effectuum.

*Secundo* vocatur instrumentũ omne illud, quod deseruit alicui causæ in ordine ad producendum suum effectũ, disponendo subiectum virtute sua propria, vt ille effectus producatur, & non attingendo immediate ipsum effectum ad quem disponit: sic calor est instrumentum ignis ad producendum alium ignem, & idem est de cæteris accidentibus connaturalibus substantiarum, quæ similiter disponunt subiectum, vt forma substantialis producatur in materia eius per causam principalem, cui accidentia sunt instrumenta.

Capiendo Instrumentum in his duabus acceptionibus, facile est ipsũ distinguere à causa principali, & assignare quid sit causa principalis, quatenus opponitur instrumẽtali; erit enim illa causa, quæ non subordinatur alteri nec eatenus tantum causat, quatenus disponit ad effectum: causa vero instrumentalis est, quæ subordinatur alteri; aut quæ non causat nisi quatenus ex virtute sua propria disponit ad effectum, respectu cuius dicitur causa instrumentalis. In vtroque vero sensu certum est, quod sit actiua & quod non requirat eleuationem vllam: nec de hoc est vlla lis inter authores.

57 *Alia acceptio strictior instrumenti,* est illa, in qua instrumenta artificialia, vt sigillum, securis & similia dicuntur esse causæ instrumentales effectuum, qui per ipsa instrumentaliter produci dicuntur, & in qua Sacramenta dicuntur causare gratiam, tanquam instrumenta: & difficultas principalis huius quæstionis consistit in assignanda descriptione instrumenti hoc modo accepti.

Descriptio Instrumenti proprie dicti.

*Communior explicatio* videtur esse, quod Instrumentum sit id, quod agit vt motum à causa principali, aut quod sit illud, quod agit in virtute causæ principalis, non vero virtute propria.

*Sed contra hanc descriptionem facit primò,* quod serra omnino immota scinderet lignum, si nimirum ipsum lignum moueretur supra ipsam: & idem est de sigillo, quod imprimeret sine dubio figuram in cera, quæ moueretur supra ipsum immotum: in his casibus serra & sigillum agerent instrumẽtaliter, & tamen non mouerentur à causa principali, nec reciperet aliquam virtutem ab ipsa in seipsis, ergo non sufficit prædicta descriptio.

*Rursus,* aqua calida calefaceret, quatenus mota ab aliqua causa calida ad calorem, & per virtutẽ ab illa causa acceptam, & tamen non dicitur esse causa instrumentalis, sed principalis istius calefactionis, qua calefaceret aliud subiectum: ergo prædicta descriptio conuenit aliis, quam instrumentalibus, & consequenter non est bona.

58 *Præterea,* quando dicitur, quod causa instrumentalis agat, vt mota à principali, vel intelligitur, quod moueatur localiter ab alia causa, aut quod alia causa cõmuniceit ipsi aliquam virtutem in actu primo, quam à se non habet; aut quod concurrat alia causa cum ipsa, aut quod actio, qua producit alia causa effectum, egrediatur ab ipsa, quamuis non habeat in se virtutẽ correspondentem in actu primo, nec enim videtur, quo alio modo possit dici agere vt mota: sed nullus ex his modis sufficit: ergo non bene describitur esse illud, quod agit, vt motũ ab alia causa. Probatur minor: non primus, nec secũdus, quia sigillum absque cõcursu alterius causæ, aut absque, eo quod moueatur localiter ab alia causa, quando caderet deorsum ob grauitatẽ suam naturalem, ablato tantum impedimento, quo detinebatur sursũ, omnino imprimeret figuram in cera molli supra quam caderet. Deinde aqua calida accipit virtutem calefactiuam ab alia causa & tamen non dicitur causa instrumentalis calefactionis: ergo accipere virtutem ab alia causa non sufficit ad causam instrumentalem faciendam. Rursus omnes creaturæ accipiunt virtutem productiuã à Deo, & dependent vlterius ab actuali concursu eius, & tamen non propterea dicuntur causæ instrumentales in sensu in quo iam agimus de causa instrumentali; licet in alio sensu dicantur tales, vt dictum est supra.

59 *Tertius* etiam modus non sufficit, quia, vt iam dixi, Deus concurrit cum omnibus causis secundis, & vniuersaliter quando sunt causæ partiales plures principales, quælibet cum altera concurrit, & neutra respectu alterius dicitur causa instrumentalis.

*Deniq;* non sufficit quartus modus, quia impossibile est quod actio egrediatur ab aliqua causa, in qua nõ sit virtus productiua in actu primo, quæ est ratio fundãdi actionem; ergo si in aliqua causa non sit virtus productiua

in actu primo, non potest actio egredi ab ipsa. Probatur antecedens; quia actio est determinatio virtutis actiuæ in actu primo, qua actualiter constituitur causa habens illam actualiter causans.

Secunda explicatio. *Alia explicatio* causæ instrumentalis est quod sit illa, quæ agit per virtutem minus nobilem seu perfectam: quam ipsemet effectus, qui producitur. Quæ explicatio consequens est ad alteram explicationem, qua dicitur quod causa principalis sit illa quæ agit per virtutem æquè perfectam, aut perfectiorem effectu.

*Sed contra* hanc explicationem facit, quod species expressa, quæ concurrit partialiter cum oculo ad visionem, non sit causa instrumentalis propria respectu ipsius; & tamen est imperfectior illa; & vniuersaliter loquendo non est inconueniens quod aliqua causa principalis partialis sit imperfectior effectu, quamuis sit absurdum quod aliqua causa totalis sit illo imperfectior.

*Deinde*, si Deus eleuaret gratiam ad producendum calorem, sicut eleuat aquam ad producendum gratiam, grátia tum esset causa instrumentalis respectu caloris, & tamen esset perfectior quàm calor; ergo causa instrumentalis potest agere per virtutem æque principalem, aut principaliorem. Quod confirmari potest alio exemplo de Angelo superiori, qui esset eleuatus à Deo ad producendum alium Angelum inferiorem aut æque perfectum. Quæ exempla maximè deseruiunt contra asserentes potentiam obedientialem in quolibet ad quodlibet: sed & contra alios etiam, qui id negant, possunt seruire.

Tertia explicatio. 60 *Tertia explicatio* est, quod causa instrumentalis sit illa, quæ concurrit ad producendum effectum, in quo nulla sit formalitas particulariter correspondens ipsi: vnde quia in gratia nulla est formalitas particulariter correspondens aquæ, propterea aqua est causa instrumentalis gratiæ.

*Contra*: quia habitus non est causa instrumentalis actus; & tamen nulla videtur esse formalitas particulariter correspondens habitui in actu.

*Deinde*, in sole non videtur esse vlla formalitas particulariter correspondens calori, quem producit, aut motui, neque in igne respectu caloris: & tamen Sol est causa principalis caloris à se producti & ignis est causa principalis sui caloris.

*Rursus*, si Angelus vnus produceret alium ad hoc eleuatus à Deo, non esset causa principalis (maxime secundum, authores, qui vtuntur hoc modo dicendi) & tamen in Angelo producto essent omnes formalitates correspondentes Angelo producenti, non minus quam formalitates ignis producti correspondent formalitatibus ignis producentis.

## CONCLVSIO I.

Descriptio instrumentorum artificialium. 61 *INstrumenta artificialia bene describuntur esse illa, quæ concurrunt ad effectus, respectu quorum dicuntur instrumenta, ratione figuræ suæ, & quantitatis, absque vllo alio concursu effectiuo, præter illum, quem præstant ad expellendum aliud corpus à loco.* Hæc est nullius quod sciam in terminis. Sed quantum ad rem ipsam potest colligi ex *Scoto in 4. d. 1. q 4 n. 4.*

*Probatur autem*, tum quia non potest melius explicari, tum quia reuera declarat naturam instrumentorum huiusmodi, vt distinguuntur à causis efficientibus physicis, quæ non sunt instrumenta: tum denique considerando naturam particularium quorundam instrumentorum, & ex ea hanc descriptionem stabiliendo. Itaque sigillum est instrumentum artificiale, & habet pro effectu suo figuram illam, quam relinquit in alio corpore capaci, verbi gratia, in cera aut plúbo. Certum autem est, quod imprimat sigillum illam figuram ratione figuræ, quam habet in se, & ratione quantitatis suæ, vnde si haberet quantitem absque figura tali, aut figuram absque quantitate, non imprimeret illam: vtrumque ergo requiritur. Deinde si ponatur nullam habere virtutem actiuam præter illam, quam habet in ordine ad expellendum partes corporis, in quo figura imprimitur, per illam solam, suppositá figura & quantitate sua, poterit imprimere figuram, aliquando quidem absque vllo impulsu alterius causæ vt si caderet supra ceram mollem, ex grauitate sua: aliquando verò non nisi accedente tali impulsu, vt cum non cadit supra corpus figurandum ex sua grauitate, sed per impulsum alterius causæ, qui impulsus quandoque debet esse maior, quandoque minor iuxta resistentiam corporis figurandi; & aliquando etiam absque motione locali ipsius instrumenti, sed per motionem localem corporis figurandi ad ipsum, vt si cera applicetur fortiter sigillo immoto.

62 *Rursus*: penna est instrumentum scribendi, & certum est, quod concurrat ad scribendum ratione figuræ talis vel talis, ac quantitatis absque actiuitate vlla præter illam; quam habet ad expellendum aërem, aut aliud corpus à loco, per quem transit: suppositá enim illa figura, quantitate & expulsione, attramentum pennæ coniunctum adhæret tali modo chartæ iuxta concursum pennæ, qui cursus pennæ prouenit effectiue à causa ducente ipsam.

*Præterea*, fistula organica ratione figuræ & quantitatis suæ admittit tantum aëris & non plus, & impedit quominus progrediatur alio modo, quam iuxta concauitatem suam, propter quantitatem & virtutem expulsiuam alterius corporis, & non habet aliam causalitatem respectu soni causati per illum aërem.

Et si discurramus per singula instrumenta artificialia, videbimus, quod hoc modo tantum concurrat ad suos effectus: ergo bene describuntur per ordinem ad hunc modum causandi.

63 *Quod si quæras*, an huiusmodi instrumenta habeant virtutem actiuam. An instrumenta artificialia habeant virtutem actiuam.

*Respondeo*, quod illa instrumenta, quæ expellunt positiue alia corpora à loco, in quo alias fuerunt, habeant virtutem actiuam in ordine ad hoc faciendum, & quidem aliquando independenter ab vlla alia causa mouente aut impellente ipsa, vt cum sigillum grauitate sua naturali caderet supra ceram. Nam quamuis non effectiue sed formaliter expellat vnum quantum aliud quantum à loco, in quo ipsum est, & aliud antecedenter fuit, sicut frigus expellit calorem formaliter tantum, & non effectiue; tamen aliud vbi, quod corpus expulsum habet in alio loco, quando expellitur à primo loco, habet aliquam causam efficientem, & non aliam saltem aliquando, quam instrumentum, vt in casu, quo cadit instrumentum ob grauitatem naturalem.

Non est autem necessarium quod omne instrumentum habeat hanc virtutem actiuam expulsiuam, sed sufficit quod formaliter impediat accessum alterius corporis, absque eo, quod det ipsi effectiue vllum vbi, vt patet in fistula organica.

*Nec Scotus* supra, huiusmodi actiuitatem negauit instrumentis, sed solum voluit illam non esse necessariam ad rationem instrumenti vt sic: quod verum est, vt patet ex iam dictis de fistula organica; & in exemplo etiam Scoti de serra: quamuis enim ex motu serræ fiat, vt partes ligni secti occupent alium locum, tamen hoc est per accidens ad sectionem, nam eo ipso formaliter expellerentur à loco priori quamuis destruerentur sicut destruitur frigus quando expellitur à suo subiecto, lignum esset sectum eodem modo per serram. Vnde illa occupatio alterius loci est impertinens ad illam sectionem formaliter loquendo.

64 *Si etiam quæras* Vlterius, an causæ instrumentales huiusmodi subordinatæ aliis causis principalibus, ita vt effectus ipsorum debeant principalius tribui aliis causis, quam sibi ipsis. An causæ instrumentales sint subordinatæ aliis causis.

*Respondeo* imprimis sæpe contingere, vt effectus ipsorum nulli alij (non loquor de Deo) debeat adscribi immediate, nisi ipsimet instrumento, vt patet in casu quo sigillum caderet supra ceram mollem ex grauitate naturali. Dico autem *immediate*, quia mediate posset adscribi causæ efficienti sigillum, quod non facit ad rem, & posset adscribi causæ applicanti ceram, aut auferenti impedimentum motus deorsum tanquam causis applicantibus, & remouentibus prohibens, quod etiá non facit ad rem. Et vniuersaliter, quãdo nulla alia causa alio modo concurrit ad effectus instrumenti, quam applicando varia corpora

tali modo ad se invicem, quo modo quando applicantur naturaliter ex se ipsis debent causare talem effectum, vt contingit in organis artificiosis, quæ sonant seipsis, illa causa non debet censeri causa principalis physica istius effectus, sed solum causa applicans: sicut seminantes sunt causæ, quod crescat granum in tali loco, quod non cresceret ibi, nisi ab ipsis esset seminatum. Quando verò instrumentum non causat effectum, nisi per motum sui localem aut per motum localem alterius corporis, & iste motus localis prouenit ab alia causa, illa alia causa dicitur causa principalis effectus; quod tamen non existimo sic intelligendum, quod magis conducat ad effectum, quam ipsum instrumentum, sed quod magis effectiue se habeat.

63 *Et si vlterius quæras*, quomodo possit dici instrumentum esse causa instrumentalis, quando non subordinatur alteri causæ: nam videtur tum dici debere causa principalis, quandoquidem nulla alia sit principalior.

*Respondeo*, dici causam instrumentalem, non quia subordinatur alteri causæ, sed quia, vt plurimum, solet sic subordinari quia solet data opera reduci ad talem figuram in ordine ad effectus tali modo producendos; & quia producit effectum alio modo, quam soleant aliæ causæ efficientes physicæ, quæ non dicuntur instrumentales; hæ enim non producunt suos effectus ratione figuræ & quantitatis suæ, sed independenter à figura vlla; instrumentum autem producit suum effectum ratione figuræ. Et per hæc patet ad omnia, quæ contra hãc conclusionẽ obiici possunt.

## CONCLVSIO II.

Præter artificialia non dantur alia instrumenta actiua.

66 *PRæter huiusmodi instrumenta artificialia non potest dari aliquod physicum instrumentum, quod effectiue & physice attingat effectum, respectu cuius diceretur instrumentum, & non sit causa principalis physica ipsius eo modo, quo aliæ causæ, quæ non dicuntur instrumenta dicuntur causæ principales.* Hæc est conformis doctrinæ *Scotistarum* omnium, & contra *Thomistas*, & recentiores, qui dicunt intellectum esse causam instrumentalem physicam respectu actuum supernaturalium, & Sacramenta esse causas instrumentales gratiæ.

Intellectus non est causa instrumentalis actuum supernaturalium.

*Probatur autem*: quia si darentur huiusmodi causæ instrumentales, maxime essent intellectus respectu actuum supernaturalium, & Sacramenta respectu gratiæ, & quæ haberent se eodem modo respectu suorum effectuum, quo illa respectu illorum se habent; sed hæc non possunt esse causæ instrumentales physicæ; ergo non dantur tales, nec dari possunt etiam de potentia absoluta. Probari posset minor ostendendo, & quod intellectus virtute sua propria concurrat ad actus supernaturales, quamuis non nisi concurrente aliqua concausa supernaturali; & quod Sacramenta non attingant physice gratiam, sed solum moraliter. Sed quia hæc probatio dependet ab aliis principiis controuersis examinandis in Theologia, consultius est conclusionem probare alio modo, etiam supponendo illud ipsum, quod asserunt aduersarij in illa controuersia, nempe quod intellectus non concurrat ad actus supernaturales vllo modo virtute sua propria, sed quod tota ratio agendi habeatur à qualitate supernaturali ipsi ad agendum supernaturaliter cõcessa, & supponendo etiam, quod sacramenta concurrant physice ad productionem gratiæ: quæ tamen omnino falsa sunt

67 *Hoc* inquam, *supposito*, probatur minor: Intellectus & Sacramenta sunt causæ principales physicæ istorum effectuum, si attingant illos physice: ergo non sunt causæ instrumentales eorum in sensu, in quo modo loquimur. Probatur antecedens: quia non possunt attingere illos effectus physice, nisi quatenus habent virtutẽ aliquã cõmunicatam ipsis à Deo, quæ virtus est sufficiens ratio in actu primo, ratione cuius ipsa habeant actionem terminatam ad illos effectus; sed si habeant talem virtutem, omnino erunt causæ principales: ergo. Probatur minor: tum quia nihil aliud requiritur ad hoc, vt aliquid sit causa principalis quam quod habeat, in se subiectatam virtutem principalem, & sufficientem ad actionem; tum quia si quid impediret, maxime; quia illa virtus non esset connaturalis illis causis, sed communicata ipsis aliunde: hoc autem non impedit, quia aqua calida causat tanquam causa principalis alium calorem, & tamen calor, qui est virtus, qua mediante illum producit, non est ipsi connaturalis, sed communicata ipsi per aliam causam.

68 *Dices*, ad hoc vt esset causa principalis, deberet virtus illa esse eiusdem ordinis cum ipsamet, quod non contingit in proposito.

*Contra*, quia ex hac responsione ad minus habetur, quod non possit dari causa instrumentalis physica naturalis ordinis præter artificialia.

*Contra secundo*, quia quod virtus sit supernaturalis ordinis non facit aliud, quam constituere causam in ordine supernaturali, quæ absque illa virtute non esset in tali ordine: sed posset esse principalis causa hoc non obstante: ergo supernaturalitas virtutis non impedit, quominus causa illam habens sit principalis causa.

*Confirmatur*: quia quod aliquid constituatur potens agere per virtutem naturalem, non connaturalem, non impedit quominus sit causa principalis effectus naturalis producti per illam virtutem; ergo quod aliquid constituatur potens agere per virtutem supernaturalem non connaturalem, non impedit, quominus sit causa principalis effectus talis virtutis.

69 *Dices secundo*: causa principalis debet habere virtutem agendi, per quam constituitur talis causa in esse quieto & permanenti: sed Sacramenta & intellectus non habent virtutem causatiuam prædictorum effectuum in esse quieto & permanenti: ergo non possunt esse causæ principales.

*Respondeo*: in primis falsum esse, quod intellectus non habeat virtutem supernaturalem actiuam in esse quieto & permanenti: nam lumen gloriæ est quid permanens, & habitus etiam supernaturales in substantia.

*Deinde*, quod virtus illa sit quid transiens & dependens actualiter in esse & conseruari à causa alia, non tollit quin causa sit principalis pro illo instanti, quo habet illam virtutem: quid enim refert, quod permaneat, aut non permaneat pro aliis instantibus, quandoquidem pro illo instanti eodem modo causat per illam, ac si maneret vel non maneret pro aliis instantibus sequentibus.

*Confirmatur*: species visibilis, quæ est virtus, qua oculus producit visionem, dependet in esse & conseruari ab obiecto, à quo immittitur, & est quid transiens, si transeat obiectum: sed hoc non obstante oculus non dicitur esse causa instrumentalis visionis: ergo quod transeat vel non, nihil facit ad rem.

*Deinde*, si Deus communicaret virtutem aliquam supernaturalem permanentem Sacramentis, (prout in sententia aduersariorum debet esse possibile) certe Sacramenta non nisi instrumentaliter causarent gratiam, si modo sic illam causant, & tamen haberent virtutem permanentem, ergo permanentia aut defectus eius nihil iuuat nec impedit propositum.

## CONCLVSIO III.

Quid sunt instrumenta moralia.

70 *INstrumenta moralia sunt illa, quæ licet non attingant ipsamet physice effectum, ordinantur tamen ab alia causa ad causationem effectus in hoc sensu quod ijs applicatis, ipsamet physice causet effectum ex eo, quod illa sunt applicata.* Hæc est *Scotistarum*, & non video, quod ab vllo negari possit nisi faciendo quæstionem de nomine.

*Probatur autem*: quia hoc modo solummodo Sacramenta causant gratiam, vt suo loco dicetur, sed Sacramenta sunt causæ instrumentales gratiæ: ergo bene describitur causa instrumentalis per hunc modum causandi.

*Et si quæras rationem*, cur causa causans hoc modo vocetur instrumentalis.

*Respondeo*, in primis sic posse vocari, quia ea vtitur Deus in ordine ad producendos effectus, in ordine ad quos dicitur talis. Quo etiam sensu diximus in initio quæstionis omnes causas secundas posse vocari instrumentales.

*Deinde* potest vocari instrumentalis, quia non agit per virtutem aliquam physicam, mediante actione physica, & consequenter habet proportionem aliquam cum instrumentis artificialibus physicis, saltem quæ non sunt à vita.

1 *Quares* ad quod genus causæ debet reduci instrumentalis.

*Respondeo*: sine dubio ad genus causæ efficientis, quia non ad genus causæ finalis, nec materialis, nec formalis, nec exemplaris; nullum autem aliud genus causæ assignari posset, ad quod reduceretur, præter genus causæ efficientis nec circa hoc est vlterius immorandum, cum nulla in eo sit controuersia.

# DISPVTATIO XI.

## *De Collatione Causarum inter se cum suis effectibus.*

HAc disputatione complebitur tractatus de causis per se, de quibus cum seorsim antea actum sit restat iam, vt ad inuicem & ad suos effectus comparentur.

### QVÆSTIO I.

*An causæ debeant esse priores & perfectiores suis effectibus.*

### CONCLVSIO I.

Nulla causa debet esse prior tempore suo effectu.

1 *CAusa non debet esse prior tempore existens, quam effectus: potest tamen naturaliter contingere, vt causa materialis & efficiens, ac etiam finalis cuius assequendi gratia, præcedant effectum tempore, & etiam sequantur; non potest autem naturaliter contingere, vt causa formalis præsupponatur tempore effectui suo.* Hæc est extra controuersia. *Et probatur prima pars*: quia vt aliquid habeat rationem causæ, nihil aliud requiritur, quam vt habeat influxum in ipsum effectum: sed eo ipso, quo existat pro illo instanti aut tempore, quo existit effectus, poterit habere influxum in ipsum effectum, quamuis non existeret antecedenter: ergo non requiritur: quod existat antecedenter.

*Confirmatur*: quia influxus actualis causæ non habet dependentiam à causa, nisi pro instanti, quo existit ipsemet influxus, & idem est de effectu producto per talem influxum; sed influxus ille non existit, nisi pro instanti vel tempore, quo existit effectus; ergo habet dependentiam à causa, pro vllo instanti antecedenti, & consequenter existentia causæ pro instanti antecedenti est impertinens in ordine ad rationem causæ exercendam.

*Confirmatur secundo*: si causa non existeret antecedenter, & existeret in hoc instanti, haberet suum influxum & effectum in hoc instanti; & si existeret antecedenter, & non existeret in hoc instanti, non posset habere influxum aut effectum pro hoc instanti; quod enim non est, non potest aliquid realiter producere efficienter, & non intentionaliter, quamuis antea extiterit: ergo sola existentia pro illo instanti, pro quo producitur effectus, sufficit, nec existentia præcedens requiritur, nisi quatenus non haberet existentiam in hoc instanti, nisi extitisset antecedenter.

2 *Dices*: nisi Deus esset prior duratione effectu, non posset effectum producere, quia si non esset prior duratione, non posset esse simul duratione: non enim potest incipere de nouo: ergo requiritur prioritas durationis in causa.

*Confirmatur*: quia si Deus non existeret ab æterno, & haberet decretum ab æterno creandi, non possent creaturæ produci in tempore; quia Deus nihil potest producere in tempore, quod non decreuit ab æterno: ergo debet necessario præcedere effectus suos duratione, præsertim si effectus producantur in tempore.

*Respondeo* distinguendo antecedens: si posset ipse existere in tempore & decernere in tempore, nego: si non posset, concedo, & distinguo consequens: quando causa est infinita & nequit habere esse in tali instanti, aut decernere aliquid in tali instanti, quin habuerit esse & decretum tale ab æterno, concedo; quando non, nego consequentiam. Et per hoc patet ad confirmationem, quæ concedenda est totaliter. Itaque quod Deus debeat præcedere duratione necessario effectus suos, non oritur ex ratione causæ vt sic sed ex immutabilitate sua; & necessitate essendi.

3 *Dices secundo*: Sunt aliqui effectus, qui necessario præsupponunt tempore alios effectus etiam ab eadem causa producibiles: sed illi effectus necessario præsupponunt causam, etiam tempore, nimirum vt producat illos alios effectus: ergo causa, saltem aliquando, debet esse prior tempore.

*Respondeo primo*, concedendo totum, quia conclusio non dicit, quod non possit aliquando etiam necessario præsupponi tempore causa, sed quod non debeat semper sic præsupponi.

*Respondeo secundo*, distinguendo consequens: quando effectus necessario præsupponit alium effectum ab eadem causa producendum, vt secundus gradus intensionis præsupponit gradum primum, & secunda pars motus præsupponit primam, concedo; quando non præsupponitur alius effectus tempore ab eadem causa producendus, nego consequentiam: & in hoc sensu intelligenda est conclusio, ac probationes eius.

4 *Secunda pars conclusionis probatur*: quia de facto parentes hominum præcedunt ipsos tempore & sæpe sequuntur, & idem est de materia prima hominis, & quando aliquis habet pro fine Deum aut diuitias, certum est quod Deus, & diuitiæ illæ præcedant tempore actiones illas, quæ tanquam media applicantur ad earum acquisitionem, & quod etiam existant post transactas illas actiones.

Forma non præcedit tempore suum effectum.

5 *Tertia pars patet*, quia de facto omnis forma producitur in subiecto, nec potest naturaliter produci aliter, siue educatur, siue creetur, vt patet experientia, & ex dictis de eductione formarum: sed in eodem instanti, quo sic producitur, sequitur ad ipsam necessario compositum, & expellitur forma contraria: ergo non præcedit nec præcedere potest naturaliter, aut compositum aut expulsionem formæ incompossibilis. Bene tamen forma animæ rationalis existit tempore post suos effectus; alias non esset immortalis, sed desinente homine desineret, contra fidem, reliquæ autem formæ non existunt post suos effectus absque illis, loquendo præsertim de composito siue per se, siue per accidens, quod ex ijs & materia aut subiecto sequitur.

### CONCLVSIO II.

Omnis causa debet esse prius natura existens secundum illud quo causat quam effectus.

6 *OMnis causa debet esse prius natura existens secundum illud esse, secundum quod causat, quam suus effectus*, Dico autem *secundum illud esse secundum quod causat*, vt intelligatur, quod si causet secundum esse realis, existentiæ proprium suum, sicut causat causa efficiens, materialis, & formalis, & non intentionaliter tantum, debeat existere secundum illud esse prius natura. Si verò non causet secundum illud esse, sed secundum esse intentionale, quatenus scilicet proponitur in intellectu, tum non debet esse prius natura, nisi secundum illud ipsum intentionale, & potest esse posterius natura suo effectu secundum esse reale proprium suum. Hæc conclusio est communis omnium.

*Probatur*: quia esse prius natura, vt hic de eo agimus, est habere suum esse reale, & suam existentiam realem independentem ab illo, quod dicitur posterius natura, sic scilicet, vt absque concursu vllo illius posterioris habeat suam existentiam, vel à se ipso, sicut Deus habet, vel ab aliis causis sufficientibus ad dandam ipsi illam existentiam; sed quidquid causat aliam rem debet habere suam existentiam hoc modo independentem ab illa alia re: ergo debet esse prius natura quam illa. Minor probatur: quia existentia illa, secundum quam causat, est conditio necessario prærequisita ad hoc quod causet: ergo debet esse prior quam effectus per illam causatus.

*Confirmatur*: quia omnis talis causa habet alia principia sufficientia ad communicandum ipsi esse existentiæ suæ abq; influxu effectus & effectus non habet alia principia sufficientia absque influxu causæ; alias non esset effectus; ergo causa est independens ab effectu, & effectus dependens à causa, & consequenter causa debet esse prior natura quam effectus; quia nihil aliud, vt dixi, intelligitur per, esse prius natura, quam huiusmodi independentia ab illo, quod dicitur posterius, & dependentia huiusmodi posterioris ab ipso.

7 *Quod*

7 *Quod si quæratur*, an hæc prioritas sit realis & à parte rei, an vero rationis & dependens ab intellectu.

In prioritas causæ ad effectum sit realiter vel rationis.

*Respondeo* si explicetur hoc modo, quo iam explicatum est, esse sine dubio realem & à parte rei, quia certum est, quod à parte rei causa sit indepẽdens ab influxu effectus, & quod effectus non sit à parte rei, nisi cum dependentia ab influxu causæ. Si vero propter huiusmodi independentiam causæ, & dependentiam effectus, quod alij asserunt esse fundamentum prioritatis, & posterioritatis, intellectus velit fingere aliquod instãs in quo causa sit, & nõ sit effectus, & aliud instans posterius illo instanti, in quo sit effectus, & concipere causam coexistentem priori illi instanti, & effectum posteriori, atque adeo causam esse priorem formaliter effectu per hanc coexistentiam ad instans illud prius, cui nõ coexistit effectus, existimo prioritatẽ & posterioritatẽ causæ & effectus esse omnino rationis; quia est dependens à fictione illa intellectus: neque existimo esse à parte rei aliquod instans, in quo causa debeat necessario existere, & in quo non existat necessario effectus.

8 *Dices* verum hoc esse de instanti durationis, quia in eodem instanti reali durationis, quo existit effectus, debet causa existere: & licet causa possit antecedenter existere, hoc est impertinens, & non necessarium, vt causet effectum pro illo instanti: vnde quamuis non existeret antecedenter, modo existeret in illo instanti, causaret æque bene effectum, ac si antecedenter extitisset: sed tamen id non esse vlla ratione verum de instanti naturæ.

*Sed contra*, quia non potest explicari quid sit illud instans naturæ, nisi recurrendo ad conceptus intellectus: nihil enim à parte rei independẽter ab operationibus intellectus reperitur ex parte causæ & effectus, quod sit necessarium ad hoc, vt causa producat, nisi instans illud reale temporis, in quo existit causa: & effectus, independentia causæ ab effectu, virtus causatiua, applicatio sufficiens, & dependentia effectus à causa: neutrum autem ex his potest proprie aut solet, quod sciam, vocari instans, ergo à parte rei nõ reperitur instans aliquod naturę independenter ab operatione intellectus. Vnde mihi videtur hic dicendum, quod, quemadmoduminter illa, quorum vnum est prius alio dignitate, non debet assignari instans aliquod, in quo vnum sit, & aliud non sit; sed solum debet ad verificandam illam locutionem assignari maior dignitas in vno, quam in altero; ita etiam inter illa, quæ dicuntur priora naturâ aliis prioritate causalitatis, non debet à parte rei assignari aliquod instans, in quo vnum sit, & aliud non sit; sed solum assignari debet, quod vnum sit independens causaliter ab altero, & alterum è contra dependens causaliter ab ipso, quia reuera prioritas, & posterioritas naturæ, quam habent, consistit in hoc. Intellectus vero considerando hanc dependentiam in effectu, & independentiã in causa, potest fingere aliquod instans, in quo quasi prius existeret illud, quod est independens, & illud potest dici esse instans naturæ; & potest similiter fingere aliud instans, in quo potest imaginari, quod sequatur effectus & illud instans sic conceptum ac fictum potest vocari aliud instans posterius natura.

## CONCLVSIO III.

Causæ materialis, & Formalis sunt imperfectiores effectu, qui est compositum.

9 *Causa materialis, & formalis sunt semper imperfectiores composito, quod habent pro effectu; & causa finalis potest esse vel perfectior vel imperfectior effectu, ad quem applicandum mouet voluntatem.* Hæc est communis, & *probatur prima pars:* quia compositum tale vltra perfectionem materiæ, includit perfectionem formę, & vltra perfectionem formæ includit perfectionem materiæ: ergo est perfectius tam materia, quam formâ. Imo est perfectius quam vtraque simul sumpta, quia includit illas vnicas & actuantes se inuicem, illæ autem vt sic sunt perfectiores semetipsis, quando non vniuntur, nec actuant se inuicem.

*Rursus*, ex suppositione quod sit quid distinctum à materia & forma simul sumptis & vnitis, erit perfectius ipsis sic sumptis; quia habet virtutem receptiuam perfectionis, quam ipsæ non habent; verbi gratia compositum ex anima & corpore potest recipere actum vitalem, qui actus recipi nequit in partibus illis vnitis, vt dictum est libro primo disput. de Composito.

*Probatur secunda pars conclusionis*: quia quis potest moueri à delectatione aliqua corporea ad applicãdas operationes intellectuales intellectus & voluntatis, quę sunt illa perfectiores, in ordine ad illam acquirendam; & quis potest moueri à beatitudine ad eliciendos actus fidei ac charitatis, qui sunt imperfectiores beatitudine, vt patet experientia; ergo finis potest aliquando esse perfectior, aliquando imperfectior effectu suo.

## CONCLVSIO IV.

Finis potest esse perfectior suo effectu.

10 *Causa efficiens partialis potest esse imperfectior effectu, totalis vero non potest, sed necessario debet esse vel perfectior vel æque perfecta.* Hæc est communissima cum *Doct. in 4. dist. 12. qu. 3. num. 13.* & *patet prima pars:* tum quia species impressa concurrit tanquam causa partialis ad speciem expressam illa perfectiorem; tum quia nihil impedit, quominus aliquid imperfectius cum auxilio alterius posset aliquid perfectius se producere partialiter; tum quia, vt effectus producatur, sufficit esse in causa totali virtutem æque perfectam vel perfectiorem; sed posset esse talis virtus in causa totali, quamuis in aliqua parte ipsius non esset: ergo non est necessarium, vt causa partialis sit æqualis aut maioris perfectionis, & consequenter potest esse minoris.

Causa efficiens partialis potest esse imperfectior effectu, totalis non potest.

*Probari solet secunda pars:* quia si aliquid imperfectius posset esse causa totalis efficiens alicuius rei perfectioris, non potuisset ex actiuitate colligi perfectio causæ, & cõsequenter non posset ex omnipotentia Dei colligi infinita perfectio ipsius. Sed non video quomodo hęc sequela valeat; quamuis enim nõ posset præcise ex actiuitate respectu alicuius effectus colligi maior vel æqualis perfectio cum perfectione effectus, tamen posset colligi aliqua perfectio, quia ipsamet actiuitas est perfectio, & consequenter quo maior erit actiuitas, eo maior erit perfectio, & si actiuitas sit infinita, perfectio erit infinita. Imo quamuis perfectio causæ esse posset minor perfectione effectus, tamen adhuc ex perfectione effectus posset colligi perfectio causæ, sic, vt si vna causa posset producere perfectiorem effectum quam alia causa, esset iudicanda perfectior illa alia causa, licet non deberet iudicari perfectior effectu vel æqualis perfectionis cum ipso.

*Confirmatur hoc*: quia licet causa partialis non debeat esse perfectior effectu, vt patet ex prima parte conclusionis; tamen potest colligi ex eo quod possit concurrere ad effectum, quod dicat aliquam perfectionem; & si perfectior est effectus, quem potest producere, quam qui est producibilis ab alia causa, etiam causa erit perfectior altera causa; ergo similiter quantum ad hoc, dicendum est de causa totali.

11 *Dices* Scotum supra vti hac ratione.

Replica reiicitur.

*Respondeo* id negando: solum enim dicit, quod sequeretur non posse colligi Deum esse perfectissimum omnium rerum ex actiuitate; quod quidem videtur; verum nam si imperfectius potest producere perfectius, ex eo quod Deus producat omnia præcise, non posset colligi quod esset omnibus perfectior: sed non propterea tamen sequeretur quin diceret perfectionem, & quin aliũde posset colligi quod illa perfectio, quam diceret, esset infinita.

*Probari solet secundò*, quia nemo dat quod non habet, ergo si causa totalis non habet perfectionem tantam aut maiorem, quam effectus, non poterit dare effectui suam perfectionem.

*Confirmatur*: quia si effectus haberet maiorem perfectionem quam causa, posset per intellectum diuidi in plures gradus, nimirum in illos, in quibus esset æqualis causę, & in illos, quibus superaret causam. Sed causa non posset illos, in quibus superaretur, communicare. Hac probatione sicut & præcedenti vtitur *Mastrius disputatione septima, quæst. sexta articulo secundo.*

12 *Sed contra* posset responderi, quod imperfectius contineret virtualiter illam maiorem perfectionem, licet non contineret illam formaliter: & similiter posset dici, quod contineret gradum illum, in quo superaretur.

*Dices*: non posset continere illam vel vniuoce vel æquiuoce: non vniuoce, quia alias esset eiusdem rationis, ac consequenter perfectionis æqualis contra hypotesim: non æquiuoce, quia causa æquiuoca est maioris perfectionis.

*Contra*, quia in hac replica petitur manifeste principium; controuertitur enim hic an causa æquiuoca possit esse imperfectior: ergo non debet supponi, quod non possit; sed probari.

13 *Probatur tertio conclusio*: quia alias posset dici quod musca posset producere totum vniuersum, etiam Angelos, quod videtur absurdum.

Probatur sequela: quia id dicens non posset impugnari melius, quam hoc argumento, quod musca sit longe imperfectior vniuerso, & quod imperfectius nequeat producere perfectius: ergo, si hoc principium non sit verum, poterit dici, quod musca possit creare vniuersum.

*Contra* hoc argumentum, quod est ipsiusmet Scoti, vrgeri potest, quod aliunde quam ex imperfectione possit colligi muscam non posse producere Angelum, sicut potest colligi quod non possit producere multos effectus imperfectiores se, vt aquam, aut ignem, aut herbam: quæcunque enim principia sufficerent ad ostendendum quod musca, licet sit perfectior lapide, nequeat producere lapidem, sufficerent ad colligendum quod non posset producere vniuersum, quamuis imperfectius possit producere perfectius.

*Verum hæc responsio* non est ad intentum Scoti, nec probationis huius, vt ea vtitur *Scotus*. Vis enim probationis consistit in hoc, quod videatur absurdum non posse colligi ex imperfectione muscæ, quod non possit esse causa productiua vniuersi, quamuis id posset colligi ex aliis capitibus; sed non posset ex imperfectione eius id colligi, si imperfectius posset producere perfectius, aut quidquid sit de toto vniuerso, certe ex imperfectione eius non posset colligi, quin posset producere perfectissimam vniuersi creaturam.

14 *Probatur quarto eadem pars*: quia omnis causa perfectior debet necessario posse habere perfectiorem effectum quàm imperfectior causa, alias non esset perfectior, sed causa, quæ esset vniuoca respectu effectus perfectioris, qui produceretur à causa imperfectiori, esset perfectior, quam causa illa imperfectior, à qua produceretur ille effectus, quandoquidem esset æqualis perfectionis cum effectu illo: ergo deberet posse habere perfectiorem effectum. Sed non posset habere perfectiorem effectum, quam illum, qui esset eiusdem rationis, ergo talem non posset producere causa illa imperfectior.

*Confirmatur hoc*, Supponamus quod ignis sit perfectior in ratione causæ aquâ, & quod non possit producere perfectiorem effectum quam alium ignem: tum sic: Ignis, si sit perfectior aqua in ratione causæ, necessario debet posse habere perfectiorem effectum: quam aqua possit: sed non posset habere perfectiorem quam ignem: ergo implicat contradictionem quod aqua possit producere ignem, & hoc ex præcisa ratione imperfectionis, quantumuis non esset vlla alia ratio, ob quam non posset ignem producere.

*Confirmatur secundo*, quia non potest à posteriori colligi maior perfectio in causa, quam ex maiori perfectione effectus & modo producendi: ergo quotiescumque causa aliqua nequit habere perfectiorem effectum quam alia causa, nec perfectiorem modum agendi, non potest colligi quod sit perfectior: Sed in casu nostro ignis non posset habere perfectiorem effectum quam altum ignem; nec perfectiorem modum agendi quam haberet aqua, si aliqua produceret ignem; & præterea aqua posset eundem effectum producere; ergo non posset colligi quod ignis esset perfectior in ratione causæ, quam aqua.

15 *Probatur vltimo conclusio*: quia nulla est experientia, nec ratio probans quod imperfectius possit producere aliquid se perfectius per modum causæ totalis efficientis: ergo non est dicendum quod possit.

*Dices*, accidentia sæpe producere substantiam, quæ tamen sunt imperfectiora: ergo.

*Respondeo* negando antecedens, vt patet ex dictis supra.

*Dices secundo*, causas intrinsecas totales esse imperfectiores suo effectu, verbi gratia: composito, vt dictum est supra *num.* 9. & idem est de causa finali totali: ergo causa totalis efficiens potest esse imperfectior.

*Respondeo* negando consequentiam & disparitas desumenda est ex rationibus & experientiis, quibus probatur causas intrinsecas & finales posse imperfectiores esse effectu, quæ non habentur de causa totali efficienti; sed potius habentur rationes concludentes oppositum de ipsa.

*Obiictes* contra totam conclusionem: si causa partialis possit esse imperfectior effectu, & sufficit, quod causa totalis sit perfectior, non posset assignari casus, in quo ex defectu virtutis, ac perfectionis non posset quicunque effectus à quacunque causa secunda produci: sed hoc videtur inconueniens: ergo non sufficit causam totalem esse perfectiorem, aut æque perfectam cum effectu. Probatur sequela: quia in quocumque casu assignabili, causa totalis erit semper perfectior, quia causa totalis non est sola causa secunda, sed causa secunda cum prima; sed causa secunda cum prima est perfectior quocunque effectu, qui producitur: ergo.

*Respondeo* per causam totalem, quam dicimus debere esse maioris; aut æqualis perfectionis cum effectu, intelligi debere causam, quæ cum habet virtutem totalem productiuam effectus absque vlla dependentia à concausa alia effectiua præter illam dependentiam, quam habet à causa prima, & concursu generali ipsius, qui requiritur ex essentiali subordinatione causæ secundæ ad primam. Vnde non sufficit ad hoc, quod producatur effectus; quod causa totalis efficiens includens causam primam & secundam sit perfectior effectu, sed requiritur, quod ipsamet causa secunda sit perfectior, aut æque perfecta ac effectus; vel si non sit æque perfecta ex se, & tamen producat effectum, suppleri debet imperfectio ipsius per concursum aliquem particularem Dei, qui non præstatur ab ipso, quatenus causa vniuersalis, nec requiritur ex subordinatione essentiali causæ primæ, & secundæ, sed requiritur ex defectu sufficientis virtutis in causa secunda.

16 Quod vt melius adhuc intelligatur, aduertendum causam secundam, posse habere duplicem dependentiam à Deo, vnam quatenus Deus est causa vniuersalis, cui essentialiter subordinatur quæcunque alia causa, adeo vt quamuis causa secunda esset maioris perfectionis, quam effectus, & haberet actiuitatem respectus, non posset tamen illum producere absq; concursu Dei. Aliam dependentiam potest habere à Deo; quatenus hic & nunc non haberet virtutem adæquatam productiuam effectus; sed cum concursu vniuersali, vt illum produceret, deberet habere concursum aliquem particularem Dei. Prima dependentia non potest colligi ex improportione aliqua, quæ esset inter causam & effectum, nec ex ratione aliqua particulari, sed ex ratione æquè militante de omnibus causis, quoad omnes effectus, ac de quacunque particulari causa, quo ad quemcunque particularem effectum. Secunda dependentia potest colligi ex ratione particulari causæ, quo ad particularem effectum, & propter eam, quamuis poneretur causa secunda, non habere primam dependentiam à causa prima, sed dicerentur creaturæ agere posse absque immediato concursu Dei, adhuc tamen non posset producere effectum se sola, quia videlicet non haberet perfectionem sufficientem, aut proportionem ad effectum, Itaque illa causa, quæ non habet dependentiam aliam à prima causa, quam dependentiam illam priorem, debet necessario esse æqualis aut maioris perfectionis; quæ verò habet dependentiam posteriorem, potest esse minoris perfectionis sed non erit causa totalis se sola, sed ipsa simul cum Deo particulariter concurrente, erit causa totalis effectus; vnde in forma.

Duplex dependentia potest esse causæ secundæ ad primam.

17 *Respondeo*, negando sequelã: nam in casu, quo Deus cum causa secunda imperfectiori non vellet concurrere nisi per modum causæ primæ, causa totalis communicans perfectionem effectui non daretur, atque adeo non posset produci ille effectus: quamuis autem in tali casu adesset Deus, & Deus cum causa secunda esset perfectior effectu,

tamen

tamen Deus non concurrit particulariter ad perfectionem illm maiorem communicandam; vnde quod ille sit per se actior secundum se, materialiter se habet. Ad probationem maioris dico adesse quidem semper causam totalem perfectiorem; sed eam tamen non agere ad effectum vt perfectior est, quia non agit Deus nisi iuxta perfectionem secundæ: quod manifeste colligitur ex eo, quod quando concurrit tantum vt causa vniuersalis, non producitur vllus effectus; nisi qui posset à sola causa produci casu quo non haberet essentialem subordinationem ad causam primam; vnde si effectus sit causâ secundâ perfectior, sicut non produceretur ab ipsa in casu, quo non dependeret in agendo à causa prima, ita neque poterit produci, dũ depẽdet ab ipsa vt causa prima tãtũ, & vniuersalis.

18 *Quæres*, an causa æquiuoca totalis debeat esse perfectior effectu.

An causa æquiuoca debeat esse perfectior effectu.

*Respondeo* hoc dependere ab alia quæstione, an scilicet duæ res diuersæ speciei possint esse æqualis perfectionis, si enim possint, quando vna haberet æqualem perfectionem cum altera, nihil impedit quominus posset illam producere: & si produxisset, esset causa æquiuoca ipsius, ac consequenter causa æquiuoca non deberet necessario esse maioris perfectionis: si autem non possint duæ res diuersæ speciei esse æqualis perfectionis, tum quandoquidem causa æquiuoca debet esse diuersæ speciei, & non possit esse minoris perfectionis, debet esse maioris. Quid autem absolute dicendum sit, resolutum est in Logica.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum idem numero effectus possit produci, simul & semel à pluribus causis adæquatis.*

19 CErtum est, eundem effectum posse produci à pluribus causis diuersi ordinis simul, & semel; quarum quælibet sit adæquata in suo ordine; nam à quatuor generibus causarum, & à causa etiam prima vnus effectus de facto producitur, ex quibus quælibet in suo ordine est adæquata: nec minus certum est posse, & de facto produci eundem effectum à diuersis causis eiusdem ordinis, verbi gratia ordinis efficientis, modo tamen neutra ex ipsis sit simpliciter adæquata causa effectus: sic enim à Deo, & igne producitur de facto aliis ignis efficienter. Difficultas autem est, an possit idem effectus produci à diuersis causis, quarum quælibet est ita adæquata ipsius, vt eodem modo se habente, produceretur effectus per illam non minus bene quoad modum aut substantiam, siue altera produceret effectum, siue non. In hoc enim consistit ratio causæ adæquatæ, quod scilicet sit causa producens effectum absque dependentia actuali ab alia causa sic, vt quamuis alia causa non applicaretur nec concurreret, illa causa, quæ dicitur adæquata, vere produceret illum effectum eodem modo se habendo, quo se habet præsente alia causa.

*Prima sententia est*, quod possit idem effectus, etiam naturaliter, produci à diuersis causis, quarum quælibet adæquate effectum produceret. Hæc tribuitur *Nominalibus*, cum quibus conuenit *Hurtadus disp.* 13. *de anima sec.* 7. *Auersa q.* 16. *sec.* 5. & plures alij quantum ad causas finales diuersas.

*Secunda sententia est*, id non posse fieri naturaliter, saltem quoad efficientis causas, posse tamen supernaturaliter. Hanc tenent *Suares disp.* 26. *sec.* 4. *Auersa iam citatus. Arriaga disp.* 7. *n.* 116. *Caiet.* 1. *p. q.* 52. *a.* 3. quamuis oppositum teneat 3. *p. q.* 67.

*Tertia denique sententia est*, nec quidem supernaturaliter id contingere posse Ita *D.* 1. *d.* 2. *q.* 3. & alibi sæpe cum omnibus suis; & *D. Thoma* 1. *p. q.* 52. *a.* 3. & aliis locis citatis à *Complutensibus* ipsum in hoc sequentibus.

### CONCLVSIO.

Idem effectus nequit dependere à pluribus causis adæquatis.

20 *NOn potest idem effectus dependere à pluribus causis adæquatis simul, & semel, nec naturaliter, nec supernaturaliter.* Hæc est iuxta tertiam sententiam contra alias duas.

*Probatur quoad primam partem*, nimirum quod fieri nequeat naturaliter; quia superflue concurreret altera causa, quando vna producit adæquate effectum: ergo non potest naturaliter tum concurrere. Probatur consequentia, quia non debet attribui naturæ actiuitas vlla frustranea & inutilis: ergo si superflueret alter concursus, proposito primo adæquato, non debet asseri quod natura habeat virtutem actiuam respectu eius.

*Confirmatur* hæc pars maxime per secundam partem, quia si supernaturaliter id fieri nequeat, à fortiori non poterit fieri naturaliter.

*Probatur conclusio quoad secundam partem*: quia sequeretur effectum dependere per se, & non dependere per se ab alterutra ex illis causis, imo à neutra, & quamlibet ex illis esse causam adæquatam, ac non esse causam adæquatam: sed hoc implicat: ergo. Probatur sequela maioris: quia dependeret per se effectus, & quælibet ex causis esset adæquata vt supponitur: non depende-ret per se effectus nec vlla ex causis esset adæquata, quia nihil dependet per se ab aliquo, quo non posito, adhuc per alia, quæ tum ponuntur, sine vllo nouo superaddito poneretur, sed ablata alterutra ex illis causis, adhuc effectus per alteram absque vllo superaddito poneretur, alias non esset causa adæquata ipsius: ergo non dependet per se ab altera.

Deinde, illa non est causa adæquata, quæ non ponit effectum nisi concurrente altera causa: sed si altera causa poneret etiam effectum, neutra causa poneret effectum; nisi altera causa concurrente: ergo neutra esset causa adæquata. Hæc est probatio communissima huius conclusionis, qua tam Scotistæ quam Thomistæ vtuntur.

Responsio aduersariorum.

21 *Sed respondent aduersarij*, dependentiam per se effectus à causa totali non excludere simultatem dependentiæ eiusdem effectus ab alia causa; sed importare tantum quod ita producatur totaliter per illam causam, à qua sic dependere dicitur, vt eadem ipsa actione, qua producitur effectus per illam causam, produceretur, quamuis altera causa non haberet suam actionem.

Deinde, esse causam adæquatam non dicit exclusionem alterius causæ necessario, sed solum dicit quod illa causa, quæ talis dicitur, tali actione effectum producit, quæ sola sufficeret, quamuis non adesset alia vlla causa, nec actio vlla altera.

Impugnatur.

*Impugnatur hæc responsio primo*: quia quidquid sit, an excludat dependentia per se ab vna causa totali, dependentiam ab altera, saltem inuoluit hoc, quod res non esset pro illo instanti, pro quo dicitur dependere, nisi esset illa causa, à qua dicitur dependere, aut nisi esset aliquid aliud loco ipsius, quod non esset, quando res ab illa dicitur dependere: neque enim potest concipi quomodo aliàs dependeret. Sed in casu nostro, quamuis nihil poneretur loco vllius ex illis, à quibus dependere dicitur effectus, adhuc effectus maneret in esse, ablata quacunque ex illis: ergo non dependeret ab vlla ex illis.

*Dices*, effectum non dependere in tali casu proprie ab vlla ex illis determinate, licet determinate accipiat esse à qualibet ex illis.

*Contra*: quia dependentia effectus à causa consistit in acceptione sui esse ab illa: ergo si determinate accipit suum esse à qualibet ex illis, etiam dependebit à qualibet ex illis determinate.

*Dices secundo*, dependentiam vltra acceptionem esse, dicere vlterius, quod non esset res, nisi esset causa, à qua dicitur dependere, aut aliquid aliud loco eius, quod non est, quando dependet ab illa causa; vnde, quandoquidem effectus recipiens esse à duabus causis, haberet esse quamuis vna non esset, sine positione vllius alterius, quod in eodem ipso instanti non esset propterea absolute non debet dici dependere ab vlla ex illis determinate.

*Contra*: quia ad minus habemus, non obstante hac responsione, quod effectus non possit dependere proprie à pluribus causis adæquatis simul; quod videtur intentum potissimum Scoti. Deinde non videtur aliquid posse accipere esse ab vllo, quo non posito, adhuc haberet suum esse.

22 *Impugnatur secundo eadem responsio principalis*: quia si causa totaliter producit effectum actione tali, per quam solam absque consortio alterius necessario ponere-

cur effectus, & si effectus dependeat per se totaliter ab vna causa sic, vt ab ea haberet esse, quantumuis nulla alia adesset: ergo effectus non habet indigentiam, vllius alterius causæ, sed si non habeat indigentiam, non habet dependentiam, neque potest habere: ergo supposita vna causa totali, & vna dependentia totali, nequit adesse alia causa, neque totalis neque partialis, quæ actualiter influat in illum effectum, aut à quo ille effectus dependeat actualiter vllo modo. Probatur sumptum: quia indigentia actualis est ratio fundandi, aut conditio necessario requisita ad fundandam relationem actualis dependentiæ, non minus quam albedo est ratio fundandi relationem similitudinis: & hinc sequitur quod Deus non possit dependere ab vllo alio, quia nullo alio indiget; & sane, si non posset creatura indigere Deo, non posset ab ipso dependere, & si non indigeret ipso actu, non dependeret actu ab illo; quæ est etiam ratio cur idem non posset dependere à se ipso: ergo vbi non est indigentia, non potest esse dependentia.

23 *Dices* effectum habere indigentiam vt si ab illa alia causa, quia sic perfectius existet, & minus poterit destrui, nam posita dependentia ab altera causa, si destrueretur vna causa cum actione ipsius, non destrueretur tamen effectus, quia conseruaretur ab altera causa.

*Contra*: quia in illo instanti, in quo producitur effectus ab vna causa, non potest destrui: ergo non potest pro illo instanti habere indigentiam vlla ratione ab altera causa: tam enim perfecte existit pro illo instanti, & tam erit pro eodem instanti indestruibilis, quam si dependeret à mille. Quoad alia autem instantia sequentia, vt conseruetur, destructa vna causa, sufficit quod in illo instanti, quo destruitur illa causa, ponatur dependentia ipsius ab altera causa, neque potest habere indigentiam vllam alterius causæ, nisi in ordine ad hoc, quod deficiente concursu vnius, ponatur concursus alterius: ergo omnino superfluit in ordine ad quemcunque effectum possibilem duplex dependentia totalis eiusdem effectus à pluribus causis pro eodem instanti simul, & consequenter non potest esse indigentia respectu talis dependentiæ, quandoquidem impossibile est vt aliquid indigeat eo, quod est omnino superfluum.

*Dices*, non esse quidem indigentiam in effectu, respectu duplicis talis dependentiæ, & propterea connaturaliter loquendo, non debere vtraque poni: sed supernaturaliter non est inconueniens, quod aliquid superfluum ponatur.

*Contra est*, quia si illud quod superflue poneretur, necessario præsupponeret aliquam determinatam conditionem, profecto non poterit poni sine illa, nec supernaturaliter, sicut nec similitudo fundata in albo potest poni etiam supernaturaliter absque albedine: sed dependentia præsupponit necessario indigentiam: ergo vbi non est indigentia, nequit poni dependentia, quamuis alias non esset inconueniens, quod produceretur aliquid superfluum supernaturaliter.

24 *Probatur secundo conclusio*: quia eadem causa non potest habere plures effectus adæquatos simul & semel, licet posset successiue plures tales habere: ergo nec vnus effectus potest habere plures causas adæquatas simul & semel, quamuis successiue posset. Antecedens conceditur ab aduersariis communiter, & ratio eius est, quia alias sequeretur, quod effectus esset adæquatus & non esset adæquatus virtuti ipsius: esset quidem, vt supponitur, non esset autem, quia vltra illum effectum haberet alium effectum. Probatur consequentia à paritate rationis, quia tam sequitur causam non esse adæquatam, quæ admittit aliam causam, quam effectum non esse adæquatum si admittat alium effectum: ergo si sequeretur ex pluribus effectibus neutrum esse adæquatum: etiam sequitur ex pluribus causis neutram esse adæquatam.

*Quod si dicas*, causam non dici adæquatam ex eo, quod excludat alias causas, sed ex eo, quod se sola totaliter producit effectum tali actione, quæ sufficeret ad effectum ponendum, quamuis nulla alia causa, nec actio adhiberetur. Similiter dici poterit effectum non dici adæquatum ex eo, quod excludat alios effectus, sed ex eo, quod adæquate producatur à causa.

*Confirmatur* hæc probatio: quia sicut est in causa productiuitas tam limitata in ordine ad aliquem effectum tantæ perfectionis, vt non possit vllo modo extendere se ad vlteriorem gradum, nec quidem supernaturaliter, ita etiam videtur esse in effectu producibilitas talis rationis, quæ non possit extendere se, nisi ad causam talem simul & semel: sed nullam causam potest sic melius respicere, quam causam, quæ totalitet ipsum effectum ponit: ergo talem solum potest simul respicere, & consequenter nequit respicere simul aliquam aliam causam.

*Ex hac probatione* patet male argumentari aduersarios ex eo, quod idem effectus possit diuisim & successiue, & etiam pro eodem instanti iuxta dicenda quæstione sequenti, produci à pluribus causis, quod possit produci ab ipsis simul & collectiue: quia si valeret ista collectio, sequeretur quod quemadmodum eadem causa potest successiue & etiam pro eodem instanti diuisim producere plures effectus adæquatos, quod possit simul illos producere copulatiue, quod ipsimet negant.

25 *Complutenses* probant hanc conclusionem vlterius: quia sequeretur, quod actiones illarum causarum essent duæ, & non essent duæ, & consequenter etiam virtutes ac essentiæ earum essent, & non essent duæ, quod implicat. Probant secundam sequelam: quia confusio actionum redunditur in confusionem virtutum, quia quæ causæ agunt per diuersas actiones, debent agere per diuersas virtutes; quæ vero agunt per eandem actionem, si sint præsertim causæ eiusdem ordinis, debent agere per eandem virtutem. Probant etiam primam sequelam: quia essent duæ actiones, vt supponunt aduersarij, & patet ex eo, quod corresponderent diuersis virtutibus & rationibus agendi eiusdem ordinis; & ex eo quod, deficiente actione vnius causæ, effectus procederet ab altera causa, non essent autem duæ actiones, sed vna tantum, quia cum effectus sit vnus, fieri ipsius debet esse vnum, & consequenter actio debet esse vna, quia accidentia indiuiduantur à subiecto. Probatio Complutensium.

*Hæc probatio* parum vrget, nam non probat sufficienter quod in casu, de quo agitur, actio deberet esse vna: si enim actio ponatur in agente, certum est, quod pro diuersitate causarum debent esse diuersæ actiones, & si ponatur actio ex parte termini, seu effectus, non minus debet multiplicari pro diuersitate agentium, quando præsertim agentia non sunt essentialiter subordinata, nec sic concurrunt ad effectum quin quodlibet ex ipsis suum possit habere concursum, quamuis alterum non haberet suum. Falsum etiam est accidentia ita indiuiduari à subiecto, quin plura distincta possint subiectari in eodem numero subiecto, & præsertim si sint accidentia, quæ essentialiter respiciunt terminos distinctos, & quorum vnum non possit referre subiectum ad illud, ad quod referret alterum, vt contingit in casu proposito.

26 *Obiicies primo*: idem numero accidens potest esse simul in pluribus subiectis, & eadem numero forma in pluribus materiis: ergo & idem effectus à pluribus simul causis potest dependere adæquate. Probatur consequentia: quia accidens illud vnum dependeret à pluribus illis subiectis, & eadem illa forma dependeret à pluribus illis materiis, si poneretur in illis, tanquam à pluribus causis adæquatis.

*Respondeo* distinguendo antecedens: ita vt à quolibet ex illis subiectis adæquate dependeret, aut à qualibet ex illis materiis, nego antecedens: ita vt partialiter à quolibet ex illis, aut totaliter ab vno, & nullo modo, ab altero, concedo antecedens, & nego consequentiam cum probatione ipsius.

*Obiicies secundo*: vnum corpus potest simul supernaturaliter poni in pluribus locis: ergo & vnus effectus à pluribus causis.

*Respondeo* negando consequentiam: quia corpora non dependent in suo esse per se à locis, sicut effectus dependet à causis; vnde non militant eædem rationes de corpore respectu plurium locorum, & de effectu respectu plurium causarum.

*Confirmatur*

*Confirmatur hæc responsio* contra aduersarios: quia quãuis ipsi cõcedant vnum locum posse recipere plura corpora, non tamen concedunt eandem causam posse producere plures effectus adæquatos: ergo quamuis nos admittamus vnum corpus posse esse in pluribus locis, non debemus tamen admittere vnum effectum posse produci à pluribus causis adæquatis: & quæcunque disparitas dabitur ab ipsis pro sua parte sufficiet nobis, vel alia habens cum ipsa proportionem pro nostra parte.

27 *Obycies tertio*: si duo ignes applicarentur eidem stupæ æqualiter, & eodem omnino modo, vt si penetrarent se inuicem, producerent eundem calorem, & eundem ignem; ergo duæ causæ totales, producere possunt eundem omnino effectum.

*Respondetur* distinguendo antecedens, ita vt quilibet ex illis, aut etiam vnus sit causa totalis, nego antecedens: ita vt quilibet ex illis sit causa partialis, concedo antecedens.

*Et si quæratur* vter ex ipsis potius debeat dici producere illum effectum.

*Respondeo* neutrum ex natura sua, vnde spectabit ad Deum determinare quisnam debeat producere, nisi velit ita rem disponere, vt ab vtroque procedat partialiter; neque enim vterque potest toto conatu concurrere, tum quia sequeretur, quòd dependeret effectus adæquate ab vtraque causa; tum quia implicat causam perfectiorem agentem toto conatu non posse habere perfectiorem effectum, quam imperfectior possit; sed duo ignes sunt perfectior causa, quam vnus ignis, ergo si agant toto conatu quo possunt agere, debent habere perfectiorem effectum, quam vnus tantum ex ipsis: ergo quando producunt vnum effectum, qui tam cito & bene ab vno potest produci, quàm à duobus, non possunt habere tantum concursum, quantum haberent quando seorsim agerent, & consequenter tum concurrunt solum partialiter.

Aliorum responsio reiicitur.

28 *Obiicies quarto*: de facto si simul duo Sacerdotes proferrent formam consecrationis supra eandem hostiam, vterque adæquate illam consecraret: ergo illa consecratio haberet duas causas totales.

*Respondent* aliqui, aliud esse de causis physice agentibus & aliud de iis quæ agunt moraliter, qualiter Sacerdotes agunt ad consecrationem. Sed reuera videtur mihi eandẽ esse rationem de vtrisque; nam si ædæquate procedat effectus ab vna causa morali, non remanebit indigentia in ipso, vt possit dependere simul ab alia causa morali.

Ex duobus Sacerdotibus consecrantibus neuter adæquate consecraret.

*Respondeo ergo aliter*, negando antecedens: nam in tali casu vterq; tantum inadæquate producit illum effectum quia licet habeant virtutem adæquate productiuam moraliter loquendo, quando seorsim applicantur; tamen quando applicantur simul, non habent talem virtutem propter implicantiam, quæ inde sequeretur.

29 *Obiicies quinto*: de facto moueretur quis ad ponendum effectum aliquem propter duos fines adæquatos, quorum quilibet, si solus esset, moueret tam bene, quam mouet, quando vterque proponitur: ergo non solum supernaturaliter, sed naturaliter etiam potest idem effectus à duabus causis totalibus eiusdem ordinis; & non subordinatis produci.

Nequit quis habere duos fines adæquatos.

*Respondeo* negando antecedens: quamuis enim quis ambularet propter sanitatem solam, aut propter recreationem solam, & tum sanitas esset finis adæquatus, & recreatio etiam; tamen quando mouetur ab vtroque fine simul, ambulatio dependet ab vtroque, tanquam causis partialibus integrantibus vnicum finem totalem, nec eadem actione, qua alteruter ex ipsis concurrit concurrente altera concurreret quando ille solus moueret, quia actio ipsius, quando concurrit alter, est actio qua mouet ad volitionem effectus propter vtrumque finem; actio verò, qua mouet, quando solus mouet, est actio qua mouet ad volitionem effectus propter illum solum finem. Ex his autem duabus volitionibus vna distinguitur specie ab altera, & consequenter actio, quæ terminatur ad vnam: debet distingui specie ab illa, quæ terminatur ad alteram.

30 *Obiicies sexto*, quælibet creatura dependet essentialiter à Deo, tanquam à causa totali, mediante actione, quæ sola sufficeret ad ponendam creaturam, & tamen hon non obstante dependent multæ creaturæ ab aliis creaturis; ergo cum concursu causæ totalis & adæquatæ potest manere concursus alterius causæ.

Responsio aliquorum reiicitur.

*Respondent* multi, distinguendo consequens: concursus alterius causæ diuersi ordinis, conceditur; eiusdem ordinis, negatur. Sed hæc responsio nunquam placuit, nihil enim refert, quod sit eiusdem vel diuersi ordinis, quantum ad hoc. Si enim cum causa simpliciter totali, per quam solam eodem modo se habentem produceretur effectus, potest stare alius concursus qualiscunque, profecto argumenta supra posita pro nostra conclusione ex adæquatione causæ & indigentia effectus, omnino eneruantur, vt considerãti rem bene facile patet.

*Itaque respondeo aliter*, negando maiorem: quando enim concurrit alia creatura, profecto Deus non est causa simpliciter adæquata effectus; nec est possibile, vt actio illa, per quam producit effectum concurrente creatura formaliter considerata vt actio talis est, possit esse totalis productio effectus; nec est possibile, vt ponatur absque actione creaturæ concurrentis, & si poneretur, profecto non sufficeret se sola.

*Dices*, hoc argueret imperfectionem, in actione diuina.

*Respondeo* negando consequentiam: sicut enim non arguit imperfectionem in actione ipsius formaliter considerata, qua producit Leonem, quod per eam non possit produci lapis, quia ex natura sua intrinseca dicit ordinem tantum ad Leonem; ita etiam non arguit imperfectionem in actione, qua vult producere cum creatura, quod non sufficeret absque creatura, quia dicit ex natura sua ordinem, qua talis actio formaliter est, ad concursum creaturæ & non est productio effectus absolute, sed productio ipsius cum creatura.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum idem numero effectus possit produci à pluribus causis totalibus diuisim.*

31 HÆc quæstio in duplici sensu examinari potest. Primus est, an idem effectus, qui est productus ab vna causa, si destrueretur, possit iterum ab alia causa produci. Secundus sensus est, an effectus qui pro vno instanti productus est ab vna causa, posset idem numero produci ab alia causa, si eodem modo fuisset applicata cum omnibus circumstantiis & conditionibus intrinsecis & extrinsecis, ac causa illa fuit applicata, quæ illum produxit: v.g. an calor, qui hodie productus est in Hybernia à tali igne in tali subiecto, potuisset produci ab igne omnino simili Romæ existente, si poneretur in Hybernia loco illius alterius ignis.

Quantum autem ad primum sensum, ex suppositione, quod eadem causa, quæ semel produxit effectum, posset illum destructum reproducere, non est difficultas vlla, quin altera causa posset eundem iterum æque bene reproducere præter illam difficultatem, quæ est in secundo sensu. Vnde solutio quæstionis in secundo sensu est, quæ principaliter hic intenditur. Sunt autem de hac re tres sententiæ.

*Prima est*, quod neque supernaturaliter possit fieri, vt effectus procedens ab vna causa, possit produci ab altera. Pro hac citantur *Conimbricenses* 1. *Physicorum*, *c.* 9. *q.* 11. *Masius* 1. *Physicorum tract. de causis*, *sect.* 5. *Complutenses* 2. *Physic. disp.* 15. *Amicus* 1. *Phys. tract.* 14.

*Secunda* sententia est non posse id fieri naturaliter, posse tamen supernaturaliter. Ita *Marcia* 2. *Phys. disp.* 4. *q.* 8. *Franciscus de Raconis tract. de principiis sect.* 2. & quoad primam partem eam tenent omnes auctores prioris sententiæ.

*Tertia* denique sententia est id posse fieri absolute: ita *Scotus* 2. *d.* 20. *q.* 2. cum suis omnibus, & *Nominalibus*, quos sequuntur *Suar. disp.* 26. *met. sec.* 5. *Ruuius hic tract.* 7. *q.* 2. *Auersa q.* 16. *sec.* 4. Non autem determinant tam clarè hi authores, an dicant id fieri posse naturaliter nec ne: sed credo Scotum sic intelligendum, quia id vrgent eius rationes.

Vt autem tollatur omnis quæstio de nomine, quæ posset

rosset esse circa hoc quantum ad illud de naturaliter,& supernaturaliter,aduertendum,quod si effectus aliquis ex natura sua intrinseca non magis petat connaturaliter produci ab vna causa quam ab alia,quod tum debet dici,si naturaliter posset produci ab vna, quod naturaliter etiã possit produci ab altera,non obstante quod fortassis de facto ex libertate sua Deus determinauerit non concurrere cum vna ex ipsis,etiam si applicaretur ad talem effectum.

## CONCLVSIO I.

Idem numero effectus, qui producitur ab vna causa posset produci ab altera.

32 *IDem numero effectus, qui producitur ab vna causa, posset ab alia causa eiusdem speciei & perfectionis produci, si applicaretur eodem modo eidem passo in iisdem circumstantiis,etiam naturaliter.* Hæc est tertiæ sententiæ contra duas primas.

*Probatur*:omnis causa potens in vnum effectum naturaliter, potest in quemcunque similem effectum etiã naturaliter,nisi sit aliqua ratio particularis ex parte vnius effectus,ob quam non posset produci,quæ ratio non esset ex parte alterius:sed nulla est ratio particularis ex parte ignis producti,à *B*,ob qua non posset produci ab *A*,tã bene quam alius ignis eiusdẽ rationis,qui ab ipso producitur; ergo *A*,poterit producere naturaliter ignem producũ à *B*.Maior & consequentia sunt euidentes: Probatur minor:ignis qui producitur à *B*,est eiusdem omnino rationis cum igne producto ab *A*,absque vlla prorsus differentia præter indiuidualem:sed ex differentia indiuiduali non potest habere rationem particularem,ob quam non possit produci ab *A*,quia ex differẽtia indiuiduali nõ habet aliud quam esse numero distinctũ ab altero illo igne, qui producitur ab *A*,hoc autem non sufficit;quia ignis *A*, potest sine dubio producere alium ignẽ numero distinctu ab alio igne; ergo nullam habet rationem particularem ignis productus à *B*,ob quam non posset æque benè produci ab *A*,ac alius quicunque ignis ab ipso producibilis.

33 *Confirmatur hoc*:quia ignis productus à *B*,non est essentialiter determinatus ex natura sua ad hoc,vt producatur à *B*:ergo potest produci ab *A*, tam benè quam alius ignis,si sit distinctus realiter ab *A*,quod addo,quia si nõ esset distinctus,nõ posset ab ipso produci, quia inter producens & productum realiter requiritur distinctio realis. Probatur antecedens;tũ quia potest sine dubio à solo Deo produci,quod non negant aduersarij, tum quia de facto conseruatur connaturaliter absque *B*,quod esset falsum si ex natura sua intrinseca essentialiter peteret produci à *B*; tũ deniq;quia id gratis diceretur;nec potest cõmode stare cum sola distinctione numerica ignis producti ab *A*,& illius qui producitur à *B*;nam sane si aliquid essentialiter peteretur ab vno,quod non peteretur ab altero,præsertim si id nõ peteretur,ex eo quod ex natura sua intrinseca haberet essentialem connexionem cum illo quod peteret, plusquam numero differrent,atque adeo differrent vnus specie:In tali autẽ casu ignis petet ex natura sua intrinseca produci ab alio igne,cum quo non habet necessariã connexionem;& alius ignis ex natura sua intrinseca peteret non produci ab illo : ergo non distinguerentur solo numero,& consequenter distinguerentur specie.

34 *Confirmatur secundò*,quia quando aliqua causa limitatur ad certos effectus potius quam ad alios eiusdẽ specici,debet osteẽdi aliqua ratio,ob quam id dicatur:sed aduersarij nullam possunt assignare rationem,cur ignis qui producitur ab vno igne,non posset produci ab altero:ergo non debent id asserere.

*Probari solet* à Scotistis & Scoto ipso conclusio argumento Theologico huiusmodi:Idem homines,qui de facto sunt prædestinati essent prædestinati si manerent statu innocẽtiæ:sed plures ex illis de facto sunt nati à reprobis, qui non fuissent in illo statu:ergo in illo statu deberent nasci ab aliis & consequenter idem effectus,qui producitur ab vna causa posset produci ab aliis causis.Hæc probatio efficaciter conuincit conclusionem, sed quia dependet à principiis Theologicis, quæ hic examinare non placet sufficit modo eam innuere.

35 *Obiicies primo*:Effectus per se dependet à causa:sed hoc est falsum,si potest ab alia causa produci;neque enim per se dependere potest ab eo,quo non posito poneretur: ergo effectus vnicus causæ nequit ab alia causa produci.

*Confirmatur*:quia vnica numero actio ita petit ab vna numero causa egredi,vt non possit,nec quidem de potentia absoluta,egredi ab alia causa;ergo effectus,qui per illam producitur, nequit produci ab alia causa. Probatur consequentia:quia si ab alia causa produceretur,deberet produci per aliam actionem, si actio determinat sibi vnã causam;sed illa alia actio non posset habere eundem effectum,quia actiones distinctæ petunt terminos distinctos.

*Respondeo* negando minorem cum sua probatione:vt enim dependeat per se,sufficit quod ab illa directè producatur per actionem ad ipsummet terminatam,siue possit dependere ab alia causa,siue nõ. Et sane aliàs nec Deus ipse se solo posset effectus creaturarũ producere quod est absurdum. Aduertendum autem hic,vt vitetur quæstio de nomine,dependentiam per se posse capi duobus modis: primo sic vt nihil aliud velit,quam quod res accipiat suũ esse ab illo,à quo dicitur dependere & in hoc sensu accipitur in responsione & supponitur accipi in argumẽto. Alio modo accipi posset sic,vt coincidat cum dependentia essentiali,qualem habet res,quæ sine alia re nequit esse. Et in hoc sensu non accipitur in respõsione,& si accipiatur sic in obiectione neganda erit maior,quæ propterea absolute & simpliciter posset distingui,& cõcedi de depẽdentia per se in prima acceptione, & negari in secunda. Dependentia per se capitur duobus modis.

*Ad confirmationem*, nego consequentiam cum minori probationis:quamuis enim de facto forte actiones totales semper habeant terminos distinctos,tamen nõ est inconueniens quod diuersæ actiones possint terminari ad eundem effectum & certe alias Deus ipse non posset se solo producere effectum causæ secundæ, quia vt se solo produceret ipsum,deberet habere aliam actionem realissime distinctam ab actione causæ secundæ,quę vt supponitur, nequit existere absque causa secunda, quia essentialem habet connexionem cum ipsa.

36 *Dices cum Ioanne a S.Thoma hic q.10.a.5.* disparitatem esse,quod actio Dei sit infinita ac illimitata,& propterea per eam fieri potest,quod fit per actionem causæ secundæ.

*Sed contra*,quia est euidens,quod per eã formaliter,qua producitur calor,non producatur frigus,alias implicaret calorem produci,quin produceretur frigus;nequit etiam per eam, qua producitur vnus ignis,produci alius;aliàs vnus nequiret produci absque altero,nunquam enim est actio formalis qua producitur aliquid,quin sit illud quod producitur per ipsam:ergo actio Dei,quamuis sit infinita, tamen vt habet rationem talis actionis formalis, nequit habere rationẽ alterius actionis formalis,& consequẽter nequit esse eadem actio formalis,qua Deus cum causa secunda & sine causa secunda producit aliquid,atque adeo possunt diuersæ actiones terminari ad eundem terminũ. Adde falsum esse,quod actio causæ secundæ,vt supponit hic author,identificetur effectui,& sane,si identificaretur, non posset effectus produci,nisi per illam actionem,quod est absurdum.

37 *Obiic.secundò*:differentia specifica determinat rationem genericam ad certos specie effectus,vltra quos non potest producere alios effectus:ergo differẽtia indiuidualis determinat rationem specificam ad certa indiuidua, contenta sub illa specie,vltra quæ nequit alia producere.

*Respond.*negando consequentiam,& ratio disparitatis est,quod differentiæ specificæ cõtentæ sub ratione generica sint dissimilis naturæ,& plurimum,inæqualis perfectionis vnde non est mirum, quod vna differentia, licet posset ad aliquas species producendas sufficere cũ ratione generica,non possit tamen sufficere ad alias species omnino dissimiles,& forte maioris perfectionis:at differentię indiuiduales rerũ,de quibus loquimur,sunt omnino eiusdem rationis, absque vlla dissimilitudine, præter quam quod vna non sit altera,vnde mirum esset,quod quę causa posset sufficere ad productionem vnius,non posset sufficere ad cæterarum productionem.

38 *Obiicies tertiò*:quando aliquod indiuiduũ producitur

deber

debet assignari aliqua causa, cur illud potius quam aliud producatur, sed hoc esset falsum, nisi causa ex natura sua peteret ipsum producere, & non alium, & nisi effectus ex natura sua peteret produci ab illa: ergo ita dicendum est.

*Respondeo* negando minorem, nam determinatio provenit à causa prima, ad quam spectat, vt dictum est *disp. de causa efficiente* determinatio effectus quoad indiuiduum.

*Dices*, non esse recurrendum ad Deum, vt ad causam determinantem, quando potest recurri ad causam secundam: sed potest recurri ad causam secundam. Si dicatur, quod quælibet causa secunda habet determinatam seriem effectuum, qui ab ipsa sola naturaliter saltem possunt prouenire; ergo ita dicendum est, & consequenter effectus vnius causæ nequit produci ab alia causa.

*Respondeo primo*, quamuis si assignaretur cuilibet causæ sua propria series effectuum, determinatio ad talem effectum præ alio refundi posset in causam secundam, & non esset propterea recurrendum ad Deum: tamen si in effectibus non sit aliqua ratio particularis, ob quam possent appropriari vni causæ magis quam alteri, potius recurrendum ad Deum tanquam ad causam determinantem, quam dicendum, quod causa quælibet habeat ex natura sua tales effectus producere, & non alios eiusdem omnino rationis. Iuxta quod in forma concedo maiorem si commode recurri potest ad causam secundam, sed nego suppositum minoris, quod scilicet absque inconuenienti possit id dici: & nego etiam consequentiam.

*Respondeo secundo*, negando minorem: quia quamuis tribueretur sua propria series cuique causæ, tamen vt ex illa ipsa serie vnus effectus potius quam alius producatur debet recurri ad Deum, tanquam ad causam determinantem: ergo per determinatam illam seriem non vetatur recursus ad Deum.

39 *Dices*, non solum determinatam seriem effectuum tribui debere cuilibet causæ; sed etiam in ipsa serie effectus subordinari inter se ita vt in talibus circũstantiis talis effectus, & nullus alius possit à causa prouenire: quod si hoc dicatur, non erit recurrendum vllo modo ad Deum tanquam ad causam determinatam.

Causæ non habent determinatas series effectuum.

*Contra*, quia omnino absurdum videtur, quod cum vllis circumstantiis vllus vnus effectus, qui non necessario respicit illas sic, quin absque illis posset produci, habeat magis necessariam connexionem, quam alius omnino similis effectus. Deinde Deus ipse posset in quibuscunque circũstantiis effectum se solo producere: ergo si hoc non faciat, sed admittat simul concursum creaturę debet dari aliqua ratio: sed nulla potest, nisi quod ita ipsi placeat, aut ita velit: ergo vt effectus producatur à creatura debet necessario recurri particulariter ad Deum, & consequenter non vetatur ille recursus, neque per determinatam seriem effectuum, neque per subordinationem effectuum inter se, qualem fingunt aduersarij.

*Confirmatur tota hæc responsio*: quia si ponatur, quod effectus habeant inter se inuicem determinatum ordinem sic, vt hoc tempore & in illis circumstantiis talis numero & non alius produci debeat; quamuis vnus effectus posset produci à pluribus causis diuisim, posset assignari ratio, cur vnus effectus hic & nunc potius quam alius producatur ab illa causa. Nam ratio erit quod non sit alia causa applicata productiua talis effectus, & consequenter, quod illa causa sit determinata ex se ad talem effectum: ergo adhuc posset vitari recursus particularis ad Deum, quamuis diceretur, quod vnus effectus posset produci à pluribus causis.

*Dices*: hoc posse dici, quando altera causa abest, sed non posse, quando adesset.

*Contra*, quando adest altera causa; potest dici, quod effectus ille ipse, qui alias ab vna causa, si sola adesset, peteret ex natura sua produci potius, quam vllus alius, quando adest alia causa similis æquè applicata, petat ab vtraque produci potius, quam vllus alius effectus.

40 *Obiicies quarto* pro *Complutensibus*: per hoc, quod indiuidua sint eiusdem speciei, non habent in se inuicem eandem realiter naturam, sed similes naturas: ergo per hoc, quod habeant potentiam actiuam eiusdem rationis, non sequitur aliud, quam quod possint facere effectus similes: possent autem producere effectus similes, quamuis non possent facere eosdem numero effectus.

*Confirmant*: quia differentia indiuidualis limitat rem, cuius est, non solum in ratione essentiæ, sed etiam in ratione potentiæ actiuæ: sed per hoc quod limitat animam, v.g. rationalem in ratione essentiæ, facit quod anima nequeat constituere idem numero compositum, quod alia anima constituere potest: ergo per hoc, quod limitat eandem animam, v.g. in ratione naturæ seu potentiæ actiuæ, facit quod non possit eadem anima efficere illud ipsum, quod alia anima efficere potest.

*Confirmant secundo*, quia ratio potentiæ actiuæ abstractæ à cunctis particularibus potentiis actiuis aliquid amplius includit, quam quæuis singularis potentia, quæ sub illa continetur, quandoquidem in illa contineatur vis & perfectio totius speciei, cum tamen in quolibet indiuiduo non reperiatur, nisi partita: sed in illa potentia abstracta non reperitur nisi vis factiua respectu omnium indiuiduorum speciei, quam potest producere: ergo non potest tanta vis reperiri in quolibet indiuiduo sub ipsa contento; & consequenter hoc indiuiduum sub ipsa contentum non poterit producere, nisi aliqua indiuidua eiusdem speciei, & aliud alia.

41 *Respondetur* concedendo antecedens & consequentiam, etiam in sensu præciso: neque nos ex eo quod res sint præcise similes, colligimus quod possint eosdem effectus producere: sed ex eo, & quia nulla est ratio nec inconuenientia, cur effectus ille ipse numero, qui prouenit ab vna, non posset prouenire ab altera, quandoquidem æque distinguatur numero ab vtraque, & æque conueniat specifice cum vtraque: neque est eadem ratio, cur indiuidua eiusdem speciei nequeant habere eandem realem positiue naturam, & cur vnus effectus realis non possit prouenire à duabus causis; nam in primo est manifesta repugnantia; non in secundo. Quod si quemadmodum duo indiuidua, licet sint similia, non conueniant in eadem natura realiter: ita etiam vnus effectus non posset prouenire à duabus causis; profecto neque à Deo ipso posset produci effectus ille ipse idem numero, qui à creatura procedit contra aduersarios.

*Ad confirmationem primam respondeo* negando consequentiam: quamuis enim limitet rem quoad vtramque rationem, tamen non debet limitare rem eodem modo, quoad effectus, quos constituit per modum causæ intrinsecæ, & quoad effectus, quos causat per modum causæ extrinsecæ; effectus enim quos constituit intrinsece inuoluunt intrinsece illam ipsam rem, & consequenter, si non sit illa ipsa, nec erit ille ipse effectus, etiam de potentia absoluta; effectus autem quos causat extrinsece, & efficienter, non inuoluunt essentialiter illam, sic quin possint esse absque illa, etiam naturaliter; ergo bene posset produci ab alia causa ille ipse effectus, quamuis compositum idem numero nequeat esse absque iisdem numero causis intrinsecis.

42 *Et si quæras*, quomodo limitabitur in ratione potentiæ actiuæ.

*Respondeo*, quod limitetur ad talem numero potentiam quæ distinguitur numero ab omni alia potentia actiua, à sua singularitate. Quod si quemadmodum eadem numero anima non potest constituere idem numero compositum, quod constitueret alia numero anima: ita vnum indiuiduum nequiret producere eundem effectum, quem posset producere aliud indiuiduum, sequeretur quod nec Deus ipse posset effectus causæ secundæ absque concursu causæ secundæ producere, quod est absurdum.

43 *Ad confirmationem secundam respondeo primo*, concedendo totum, nec facit contra conclusionem nostram: neque enim nos dicimus quodlibet indiuiduum vnius speciei posse producere omnia indiuidua istius speciei, non enim potest producere seipsum. Itaque quandoquidem potentia productiua ignis, vt sic comprehendat omne indiuiduum ignis, ita vt nullum sit indiuiduum ignis;

nis, quod non possit per illam potentiam produci; nulla autem potentia productiua particularis ignis possit omne indiuiduum ignis producere, quia non seipsum; sequitur quod nullum indiuiduum comprehendat tantum, quantum ratio specifica abstracta, quamuis posset vnum indiuiduum omnia alia indiuidua præter seipsum producere, quæ ab aliis similibus indiuiduis produci possunt.

*Respondeo secundo*, distinguendo maiorem: si intelligatur, quod possit se extendere simul & semel ad plura, quâ vlla potentia factiua particularis, aut quod possit in pluribus reperiri, concedo maiorem; si intelligatur, quod possit producere aliquod particulare indiuiduum, quod potentia particularis, in qua contracta reperitur, nequeat producere (excipio semper illud ipsum indiuiduum potentiæ particularis) nego maiorem & consequentiam. Itaque quemadmodum potentia visiua vt sic non potest tendere in aliquod obiectum, in quod quęcunque potentia particularis non possit tendere; & quemadmodum potentia actiua vt sic, abstracta à Deo & creaturis siue vniuoce, siue analogice, nequit aliquid producere, quod non possit potentia actiua Dei producere: ita etiam non est inconueniens, quod potentia actiua ignis, vt sic, non possit aliquod indiuiduum particulare, quod non possit produci à quocumque igne particulari: cuius ratio à priori est, quod potentia quælibet particularis actiua comprehendat in se virtutem illam actiuam, vt sic, quoad omnia præter extensionem indiuidualem, quæ extensio est impertinens ad productionem cuiuslibet indiuidui producibilis per potentiam actiuam vt sic.

## CONCLVSIO II.

Effectus semel corruptus posset redire idem numero naturaliter.

44 *Effectus semel corruptus posset iterum produci etiam naturaliter, vel ab eadem, vel à diuersa causa, si applicaretur eadem materia, & Deus vellet concurrere simili concursu quo concurrebat antecedenter ad eius productionem.* Hæc est *Doct. 4. d. 43. q. 3. num. 11. cum suis*; & *Richardo 16. a. 3. q. 7.* contra eos, qui existimant causam quamcunque habere determinatam seriem effectuum, quos certo ordine ex natura sua debet producere; & contra communiorem sententiam recentiorum, quantum ad productionem naturalem.

*Probatur primo* ex Philosopho 5. *met. c.* 3. dicente, quod si agens est idem & materia eadem, effectus erit idem: quod intelligendum est, modo adsit concursus etiam diuinus determinans ad eundem effectum.

*Probatur secundo*, quia determinatio effectus quoad indiuiduum prouenit à Deo, nec causa secunda connaturalitet respicit vnum indiuiduum magis quam quodcunque eiusdem rationis ex se: ergo tam naturaliter potest quemcunque producere pro quocunque tempore. Nec refert quod productus fuerit effectus antea, modo desierit & sit iterum producibilis: quid enim facit illa præcedens productio ad rem? aut cur magis connaturaliter peteret causa concursum Dei ad alium numero effectum, quam ad illum ipsum, qui fuit destructus?

45 *Obycies*: Conclusio est contra experientiam: ergo non debet asseri.

*Respondeo* negando antecedens, non est enim vlla experientia, quin effectus posset produci in casu conclusionis. Fortassis est contra experientiam, quod causa secunda de facto produxerit effectum semel, destructum, sed aliud est quod produxerit; aliud, quod possit producere si applicaretur eadem materia & præstaretur concursus.

*Dices*, concursum illum non posse præstari, nisi miraculose: ergo conclusio inuoluit implicantiam, dum dicit, quod posset naturaliter effectus produci.

*Respondeo* distinguendo antecedens: nisi miraculose, quantum est ex natura causæ secundæ secundum se consideratæ, nego: ille enim concursus esset tam connaturalis illi, quam quicunque alius, aut quam ipsemet fuerat dum primo producebatur effectus: quantum est ex parte Dei, quatenus scilicet de facto generaliter instituit non præstare concursum talem vlli causæ secundæ, transeat antecedens: & similiter distinguo consequentiam: non produceret ipsum naturaliter, quantum est ex parte sua, nego consequentiam; quantum est ex parte Dei, modo iam explicato, concedo consequentiam.

46 *Dices secundo*: sequeretur quod non posset ostendi quin de facto plures effectus iterum reproducantur; nam non constat decretum aliquod diuinum de non præstando tali concursu, nisi quatenus ex natura rerum colligitur, quod non exigant illum concursum connaturaliter, sed potius exigunt illum non præstari.

*Respondeo*, si non possit id ostendi aliter, quam ex natura causæ secundæ secundum se consideratæ, concedendo sequelam, quia reuera ex parte causæ secundæ non sunt vllæ rationes ad hoc sufficientes: vnde absolute quantum ad rationem incertum existimo, an sint aliqui effectus iterum reproducti: sed quia communis authorum sententia est id non contigisse, ita cum multis loquendum & sentiendum etiam, quia nulla ratio est in oppositum.

*Obiicies secundo*: Philosophus asserit à priuatione ad habitum non dari regressum, nec eandem numero sanitatem posse redire: ergo conclusio est contra ipsum.

*Respondeo* negando consequentiam, quia Philosophus id non asserit, nisi ex suppositione, quod non præstetur concursus Dei ad eundem effectum determinans; conclusio autem loquitur ex suppositione talis concursus, & applicationis materiæ, ac dispositionum sufficientium ad eundem effectum.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum idem possit producere seipsum efficienter.*

Idem nequit seipsum producere quo ad primum esse.

47 CErtum est idem non posse, quoad primam productionem realem effectiuam producere seipsum, quia causa effectiua debet esse prius natura existens, quam causet aut producat: ergo productio, qua primo producitur nequit ab ipsamet causa procedere: quę etiam ratio probat, quod non possit conseruare seipsam pro vllo posteriori instanti, quantum ad primam conseruationem, sed quod necessario debeat esse alia conseruatio ipsius pro quocunque instanti, pro quo conseruatur præter suam conseruationem. Sed in controuersia est, an ex suppositione, quod producatur causa efficiens, verbi gratia, ignis ab aliqua alia causa pro aliquo instanti, ipsemet ignis posset seipsum iterum producere pro eodem instanti. *Suar.* tenet partem affirmatiuam in materia de Eucharistia, & eius sententiam probabiliorem existimat *Arriaga disp. 7. sect. 9.* Oppositam sententiam tenet *Vasq.* & alij recentiores: & videtur communissima veterum omnium, qui semper exigebant distinctionem realem inter causam effectiuam, & effectum.

## CONCLVSIO.

48 *Idem nequit agere in seipsum.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam.

*Probatur primo*: quia implicant duæ actiones, quarum vna sit totalis & adæquata, & alia sit siue totalis, siue partialis, vt patet ex dictis *q.* 2. sed causa efficiens, vt habeat actionem, debet esse producta per actionem totalem: ergo nequit superaddi alia actio vlla pro eodem instanti. Hæc probatio est euidens ex suppositione resolutionis nostræ in prædicta quæstione secunda; nec aduersarij oppositum huius conclusionis tenerent, nisi ex suppositione, quod non implicarent duæ causæ totales respectu eiusdem effectus. Vnde reuera difficultas particularis huius quæstionis, quatenus non coincidit cum difficultate illius alterius quæstionis, est, an ex suppositione, quod possint dari plures actiones totales respectu eiusdem effectus, possit causa efficiens habere actionem secundam terminatam ad seipsam.

49 Probatur ergo in hoc sensu à *Vasquez*, quia nihil potest esse subiectum sui ipsius, seu forma sui ipsius: ergo neque causa efficiens sui ipsius.

*Respondet Arriaga*, negando consequentiam, cuius negationis duplicem dat rationem. Prima est, quod materia non possit subiectare aliam materiam, quamuis distinguatur realiter ab ipsa: ergo ratio quare non possit sustentare seipsam non est defectus distinctionis realis quia quamuis distingueretur realiter à se ipsa, non posset sustentare seipsam, sicut non potest alteram, à qua distinguitur realiter. Secunda ratio assignat disparitatem

inter

inter causam effectiuam & materialem, nimirum ; quod causalitas materialis, vel est vnio, vel requirit essentialiter vnionem : vnio autem nequit esse, nisi inter extrema realiter distincta. Causalitas autem efficiens non requirit essentialiter vnionem, vnde, si aliunde non implicat, poterit dari absque vlla distinctione.

Contra primam ex his rationibus : quia licet ostendat defectum distinctionis realis non esse causam præcisam, aut solam, quare materia nequeat subiectare seipsam, tamen non ostendit quin illa sit vna causa & sufficiens, quamuis nulla alia causa esset. Vnde in forma *Respondeo* distinguendo consequens : ratio præcisa & sola, transeat, ratio sufficiens, negatur. Imo ipsemet *Arriaga* in secunda ratione fatetur rationem cur causa materialis nequeat materialiter causare seipsam esse, quod illa causalitas requirat distinctionem realem.

50 Contra secundam rationem: quia non magis videtur vnio exigere extrema distincta, quam actio, & qui negaret vnum, posset optime negare alterum.

*Probatur tertio*, idem nequit esse dominus aut rex aut pater sui ipsius: ergo nec causare seipsum.

*Negat Arriaga* consequentiam, & dat pro disparitate; quod dominus, ac rex debet esse superior, cui fiat obedientia; vnde requirit distinctionem voluntatum : non est autem idem de causa, quoad secundam productionem.

*Contra*, quia non debet magis requiri distinctio voluntatum ad superioritatem, aut obedientiam, quam entitatum ad causalitatem effectiuam. Imo sane videtur facilius multo quod aliquis posset obedire sibi ipsi, quam quod posset produci realiter a seipso.

*Probatur quarto conclusio* : quia implicat aliqua actio totalis respectu alicuius effectus, per quam solam non possit poni effectus : sed per actionem illam secundam non posset poni effectus, quia desinente prima actione deberet desinere res per illam producta, nec posset haberi illa secunda actio, quia alias causa non esset prius natura existens, quam actio ipsius contra ipsosmet aduersarios.

*Confirmatur hoc* : si darentur duæ causæ totales eiusdem effectus, esset hoc emolumentum ad minus, vt putant tenentes illam sententiam, quod destructa alterutra sola, effectus adhuc maneret in esse per actionem alterius, & hac ratione asserunt possibilitatem talis casus : ergo si id non ita se haberet, casus non esset possibilis: sed si destrueretur in casu nostro, causa quæ primo producit rem, non posset conseruari nec manere in esse per actionem à se ipsa procedentem: ergo quamuis non repugnarent duæ actiones totales, respectu eiusdem effectus, adhuc repugnaret, quod idem posset producere seipsum.

*Probatur quinto*: quia actio videtur repugnare in rerum natura etiam de potentia absoluta, quæ nullum prorsus præstare potest emolumentum, & per quam nihil potest fieri, quod alias non fieret necessario absque illa : omnis enim entitas possibilis habet aliquam bonitatem, & vsum: sed nihil prorsus fieri potest per illam actionem, nisi productio effectus in illo instanti, in quo fit: & effectus in eodem instanti necessario deberet esse per illam actionem, nec posset fieri per illam, quin fieret per illam aliam actionem: ergo prorsus habet vsum possibilem.

Ex qua ratione potest deduci implicantia hoc modo: Illa actio haberet vsum, & non haberet, haberet quidem, quia esset ens, & possibile ac volibile à Deo; non haberet autem, quia nihil posset fieri per illam solam, nec per illam, vt coniunctam cum alia actione, quod non æque bene fieret, & æque necessario per aliam actionem.

## QVÆSTIO VLTIMA.

*Vtrum causæ possint esse sibi inuicem causæ?*

52 IN præcedentibus quæstionibus comparatæ sunt causæ ad effectus, nunc ad se inuicem comparabuntur. Quamuis autem varie comparari possint ad se inuicem, tamen hæc comparatio in ratione causandi se mutuo est potissima & maioris difficultatis ; ac propterea de ea specialiter instituta est quæstio, sed breuiter aliquid etiam de aliis comparationibus dicetur.

Pro intelligenda autem principaliori difficultate aduertendum est, quod quæstio posset intelligi tam de causis eiusdem generis, vt sunt duæ causæ efficientes, aut duæ materiales; quam de causis diuersi generis, vt sunt causa materialis, & causa formalis, & controuersiam esse, an in eodem instanti, quo causatur vna causa ab altera, verbi gratia, forma à materia, possit materia à forma vicissim causari simul & semel.

Præterea, vt veniamus ad ipsam difficultatem, supponendum est, quod causa efficiens, & finis possint se inuicem causare, quia calor, qui efficitur realiter ab igne, posset esse causa finalis mouens aliud efficiens ad producendum illum ignem, à quo causatur, & de facto ambulatio, quæ causat sanitatem efficienter, habet pro fine eandemmet sanitatem. Ratio autem à priori est, quia causa efficiens non causat intentionaliter, sed physice effectum suum, & ad hoc sufficit, quod existat realiter independenter ab existentia reali sui effectus; vnde quia sic existere potest independenter à causæ suæ finalis existentia reali, nihil impedit, quo minus possit causare suam causam finalem, si alias habeat virtutem productiuam eius. Causa verò finalis causat intentionaliter, & vt sic causet, non requirit existentiam realem propriam; vnde potest habere prioritatem intentionalem sufficientem, vt causet illam causam, à qua ipsamet causatur realiter.

Causa efficiens & finis possunt se inuicem causare.

*Deinde* omnes fatentur, materiam in genere causæ materialis non posse causari ab alia materia, quam ipsamet causaret in genere causæ materialis; nec formam posse causari ab alia forma, quam ipsa formaliter causaret; nec efficiens posse causare formam, aut materiam, à quibus ipsummet constituitur formaliter & materialiter.

Materia nequit causari à materia, nec forma à forma mutuo.

Ratio primæ partis est, quis causa materialis non potest causare materialiter, nisi illud, quod recipit in se, aut in quo intrinsece reperitur per modum potentiæ, sicut corpus reperitur in homine, & materia prima in igne: sed non potest recipere aliam materiam in se tanquam in subiecto, nec recipi tanquam pars potentialis in alia materia, quæ causaret ipsam, vt est euidens : ergo non potest causare materialiter illud, à quo causaretur materialiter.

Ratio secundæ partis de forma est similis, quia forma non potest causare formaliter, nisi vel illud, in quo recipitur, tanquam subiecto, vel illud in quo recipitur tanquam pars intrinseca essentialis actuans alteram partem, vt anima se habet in homine : sed neque illud, in quo recipitur altero ex his modis, potest esse forma ipsius, ergo nequit causari formaliter ab vllo ex illis.

Ratio denique tertiæ partis est, quod efficiens non possit causare antequam existat realiter : non potest autem existere realiter pro vlla prioritate, etiam naturæ in quo aut à quo, antequam existant materia, & forma ipsius, vt est euidens : ergo nequit efficere materiam aut formam quibus constituitur. Verum quidem est, quod causa efficiens posset causare formam, quæ forma constitueret ipsammet causam in esse tali; verbi gratia ignis potest causare calorem, qui calor constituit, & causat ignem in esse calidi, sed non potest tamen constituere aut causare ignem in esse ignis.

Efficiens nequit causare formã aut materiã ex quibus constat.

Tota ergo difficultas huius quæstionis reducitur quantum ad causas eiusdem generis ad causas efficientes, & quantum ad causas diuersi generis, ad causam materialem, & formalem.

## CONCLVSIO II.

53 *CAVSÆ efficientes nequeunt sibi inuicem esse causæ pro eodem instanti ita, vt altera ab altera realiter dependeat in genere causæ efficientis.* Hæc est communissima.

Causæ efficientes nequeunt se mutuo causare pro eodem instãti.

*Probatur*, quia causa efficiens est prior suo effectu quoad realem existentiam prioritate naturæ, id est independens ab effectu tanquam ab aliquo dante sibi suum esse: ergo nequit causari ab illo, quod est suus effectus : sed sic causaretur, si daretur mutua causalitas pro eodem tempore inter duas causas efficientis : ergo non potest dari talis mutua causalitas.

Probatur antecedens: quia impossibile est quod possit egredi actio realis physica ab aliquo, quod non supponitur realiter existere, seu quod non habet sufficientia principia, per quæ realiter existat, independenter ab ipsamet actione, nisi saltem per actionem ipsam existat realiter aut recipiat suam existentiam: sed causa non existit per actionem suam, neque ab illa recipit existentiam suam, alias causaret seipsam: ergo independenter ab actione habet sufficientia principia: quibus existere possit, taliter vt, si per impossibile aut possibile non esset actio illa, adhuc existeret: sed si habet independentiam talem ab actione, debet necessario habere independentiam ab omni eo, quod ponitur per actionem, quodque non poneretur nisi per actionem; ergo habet independentiam à suo effectu, qui ponitur per actionem.

55 *Obiicies.* Duæ causæ efficientes possunt se mutuo conseruare: sic enim duo carbones & duæ manus calidæ se conseruant mutuo: similiter calor conseruatur ab igne & conseruat ignem; ergo possunt etiam se mutuo producere, neque magis repugnat duarum causarum efficientium mutua productio; quam mutua conseruatio, conseruatio enim & productio eatenus solum distinguuntur, quod productio dicat respectum ad non esse immediate præcedens, conseruatio verò dicat respectum ad esse immediate præcedens.

*Respondeo* negando antecedens, loquendo de conseruatione directa: neque enim sic carbones conseruant se inuicem, sed indirecte tantum, quatenus scilicet coniuncti magis possunt resistere contrariis, quam si essent separati à se inuicem. Eodem modo negandum est quod calor conseruet ignem per actionem aliquam directe terminatam ad ignem, licet conseruet ipsum indirecte, quatenus impedit introductionem dispositionum, quibus introductis destrueretur.

## CONCLVSIO II.

Materia & forma non possunt se mutuo causare.

56 *Materia & forma non possunt se mutuo causare realiter.* Hæc est *Doctor. 1. d. 12. q. 2.* cum suis omnibus, quos sequitur *Suar. disp. 15. Met. Hurtadus disp. 8. Arriaga disp. 7. Phys. n. 102.* contra *D. Thomam 1. p. q. 66. art. 1.* cum suis communiter, ac *Rubio, Fonseca, Conimbricensibus, & Complutensibus hic.*

*Probatur primo* conclusio ex Aristotele hic *tex. 30. & 5. Metaph. c. 2.* quibus locis agens de mutua causalitate, quam agnoscit causas diuersi ordinis posse habere circa se inuicem, solum adducit exemplum de causa finali, & efficienti, ergo sentit nullas alias causas posse habere mutuam causalitatem circa se ipsas præter illas. Probatur consequentia: quia eius institutum, & propositum erat declarare, quæ possent esse sibi inuicem causæ: ergo vel non est assecutus propositum, vel certe sentit solam causam efficientem, & finalem posse sibi inuicem esse causas. Et licet argumentum ab authoritate negatiua non soleat valere, tamen quando vnus ex proposito debet numerare omnes species, & solum enumerat duas, optime possumus colligere, quod saltem non existimauerit dari plures species.

57 *Probatur secundo ratione:* quia materia secundum totum esse realiter intrinsecum suum præsupponitur formæ: ergo secundum esse reale intrinsecum suum non potest dependere à forma tanquã à priori in vllo genere causæ influentis esse reale suum in materiam. Antecedens patet euidenter in materia prima ligni, quæ multis annis posset existere antequam sit in ipsa forma ignis: & præterea secundum suum esse reale causat ipsam formam: ergo habet præsupponi quoad totum suum esse reale ipsi formæ. Patet etiam consequentia, quia dependentia non potest esse sine indigentia: sed materia nullam habet indigentiam quoad esse suum intrinsecum à forma, cum habeat suum esse intrinsecum priusquam sit forma: ergo quoad esse suum intrinsecum non dependet à forma.

58 *Confirmatur primo*, quia si materia dependeret à forma, & forma à materia, idem esset prius & posterius alio; secundum idem esse, quod est absurdum. Probatur sequela: quia materia quoad esse suum reale existentiæ esset prior formâ, quandoquidem ad eam concurrit per influxum realem, & secundum illud ipsum esse reale existentiæ esset posterior eadem forma, si forma influeret realiter in ipsam.

*Confirmatur secundo*, quia idem esset existens, antequam esset, quod est absurdum. Probatur sequela: quia causa debet esse existens antequam causat: ergo forma, si esset causa materiæ, deberet esse existens antequam eam causare: sed tum deberet esse existens, antequam esset existens, quia non est existens antequam causetur à materia, & materia non posset eam causare antequam existeret.

Responsio aduersariorum.

*Respondent* ad hæc Aduersarij, non esse absurdum quod idem sit prius alio in vno genere causæ, & posterius ipso in alio genere, licet in eodem genere causæ non posset vnum esse prius & posterius altero: materia autem secundum ipsos, tantum habet esse prior in genere causæ materialis, & posterior in genere causæ formalis.

Reiicitur.

59 *Contra* quia ideo causa efficiens non potest vllo modo causari ab effectu suo in vllo genere causæ, quia præsupponitur secundum totum esse reale existentiæ ipsius suo effectui: & ideo colligitur quod sic præsupponitur quia non potest realiter causare, nisi sic præsupponeretur: ergo cum materia causet formam realiter, debet præsupponi formæ secundum suum esse reale existentiæ, & consequenter debet concedi quod secundum illud esse nequeat causari à forma in vllo genere causæ realiter influẽtis: & certe si hoc negetur de materia, æque bene potest dici, quod causæ in eodem genere causæ, nimirum in genere causæ efficientis, possint se inuicem causare; nam illa diuersitas generis quantum ad propositum est impertinentissima; quare enim res præsupposita alteri quoad totam entitatem realem suam posset causari ab altero in diuerso genere magis, quam in eodem & sane existimo aduersarios nunquã daturos in hac re sufficientem disparitatem.

60 *Confirmatur tertio*: quia ideo efficiens non potest causare materiam suam, à qua causatur materialiter tantum, in alio genere causæ, nimirum efficientis, quia materia præsupponitur in esse existentiæ efficienti, aut actioni ipsius: ergo si materia præsupponatur formæ, nequaquam poterit etiam in diuerso genere causæ à forma causari quoad entitatem intrinsecam suam.

*Præterea*: quando dicunt materiam esse priorem in genere causæ materialis, & posteriorem in genere causæ formalis, quid volunt per hoc? an materiam quoad aliquam formalitatem aut partem sui esse priorem, & quoad aliam posteriorem? Quod si hoc dicant, patet esse falsum, nam vt iam ostensum est, tota entitas materiæ primæ, verbi gratia ligni, est prior forma ignis, quæ postea producitur in ea, aliàs enim non potuisset causare realiter illam formam. Si verò dicant materiam esse priorem forma, secundum quod non informatur à forma, posteriorem verò secundum quod informatur, verum quidem dicunt, se nihil ad propositum: neque enim dubitatur materiam quoad informationem dependere à forma, sed vtrum quoad illud esse quod informatur per formam, eamque recipit, dependeat à forma. *Vlterius*: per illam limitationem in genere causæ materialis vel volunt significare, quod non prius existat simpliciter sed tantum in tali genere, vel non volunt; si non volunt: ergo admittent quod simpliciter prius existat, & consequenter admittere debent quod superflue addant illam limitationem, & quod nullo modo dependeat simpliciter à forma in sua existentia, & hoc est nostrum intentum. Si secundum volunt, falsum est quod sic prius existat, quia nihil prius existere dicendum est alio in aliquo genere, à quo illud aliud non existit, sicuti non potest res dici albior re, quæ nullo modo est alba.

*Confirmatur secundo*: quia si materia habeat suam existentiam in genere causæ materialis independenter à forma, vt concedunt aduersarij iuxta illam distinctionem: ergo in genere causæ materialis non dependet à forma; sed nullum aliud genus causæ habet: ergo in nullo genere causæ dependet à forma.

*Confirm. tertio*: quia si habeat suã existentiã in genere causæ materialis indepẽdenter à forma, non est opus quod habeat ipsam dependenter ab illa in genere causæ formalis, cũ nihil per hoc possit præstare quod sine eo non posset.

*Probatur*

*Probatur tertiò:* Ideo colligunt aduersarij dependentiam materiæ à forma; quia non potest naturaliter existere absque aliqua forma; sed hæc ratio non sufficit: ergo, cum aliunde mutua illa causalitas sit valde difficilis, non debet dici quod materia causetur à forma, si forma causetur à materia. Consequentia videtur ab omnibus admittenda, quia non debemus inuoluere res difficultatibus non necessariis.

Probatur antecedens: quia illa necessaria connexio posset facile & absque vlla difficultate prouenire ex eo, quod nunquam materia existeret vllibi, nisi vbi esset causa naturaliter inclinata, ac determinata ad producendam in ipsa formam aliquam, quamuis materia secundum se non dependeret ab vlla forma & posset sine vlla existere: ergo illa necessaria connexio materiæ cum aliqua forma potest aliunde prouenire, quam ex dependentia materiæ ab ipsa forma, tanquam dante sibi suum esse.

62 *Confirmatur:* quia ignis nequit esse naturaliter absque calore, & tamen non dependet à calore in vllo genere causæ per se dantis ipsi esse existentiæ ipsiusmet ignis.

*Deinde* materia, & forma vnitæ cum composito habent necessariam connexionem ita, vt non possint esse absque illo, & tamen compositum non causat illas.

*Rursus* relatio nequit esse absque correlatione, à qua tamen non recipit suum esse: ergo multa possunt habere necessariam connexionem cum aliis, à quibus tamen non dependent, tanquam à causis influentibus, & consequenter ex eo, quod materia nequeat esse absque aliqua forma, non sequitur quod dependeat à forma, tanquam à causa dante ipsi esse.

*Confirmatur secundo:* quia si aqua non posset esse vllibi, nisi vbi causæ essent calefactiuæ, non posset esse absque calore, & tamen non dependeret à calore, cùm potius calor tenderet in destructionem eius: ergo si similiter materia non posset esse naturaliter absque causa productiua alicuius formæ substantialis, necessario haberet aliquam, quamuis à nulla dependeret.

63 *Dices:* ideo colligimus formam dependere à materia, quia nequit esse naturaliter absque materia: ergo si materia nequeat esse naturaliter absque forma, debet dici quod dependeat à forma.

*Respondeo* negando antecedens in sensu præciso, quasi scilicet illa sola ratio sufficeret: sed vlterius addi debet quod si forma non dependeret à materia, crearetur, quod supponitur absurdum; & deinde quia si non dependeret, non esset ratio cur non produceretur absque materia à causis naturalibus, & præterea quia non esset vlla difficultas aut inconuenientia in dependentia eius: ex quibus rationibus nulla adest ad arguendum dependentiam materiæ à forma. Itaque connexio naturalis & necessaria vnius cum alio non semper arguit dependentiam illius ab illo altero tanquam à priori aut causa, sed solummodo quando aliunde non posset prouenire, nisi adesset talis dependentia. Ex his habemus quod causæ realiter influentes in effectum, prout realis influxus opponitur intentionali, non possint se mutuo causare neque in eodem, neque in diuerso genere causæ.

65 *Obiicies primo:* ingressus venti est causa formalis apertionis fenestræ, & rursus apertio fenestræ est causa materialis ingressus venti: non enim ingrederetur ventus, nisi aperiretur fenestra, neque fenestra hic & nũc aperiretur, nisi ingrederetur ventus. Similiter calor introductus est causa formalis expellendi frigus & expulsio frigoris est causa materialis introducendi calorem propter eandem rationem: ergo datur mutua causalitas inter causam formalem & materialem.

65 *Respondeo* negando antecedens proprie loquendo, hoc est loquẽdo de causa formali & materiali, quæ habent aliquam causalitatem positiuam directe terminatam ad suos effectus: neque enim ingressus venti, qui consistit formaliter in vbicatione noua venti, habet aliquem influxum in apertionem fenestræ, quæ consistit in alia vbicatione fenestræ, & si haberet vllam, profecto non haberet formalem, nam certe vbi venti non est forma vbi fenestræ vlla ratione; neque etiam apertio fenestræ consistens in vbi ipsius habet vllam causalitatem in vbi venti ingredientis; & si haberet vllam, non haberet materialem, cum non sit causa materialis in qua, aut ex qua constituatur illud vbi venti. Similiter calor introductus non habet vllam causalitatem positiuam in frigus quandoquidem frigus quod expellitur non fit in illo instant, in quo est calor, & implicat causalitatem realem & positiuam esse pro vllo instanti, pro quo non est terminu ipsius, & si haberet causalitatem vllam, non video quomodo possit esse formalis, quandoquidem calor introductus non sit forma frigoris aut expulsionis eius. Nec prius est vllo modo realiter ingressus venti quam apertio fenestræ, sed pro eodem instanti aut tempore quo ingreditur ventus, aperitur fenestra ab eadem causa, à qua mouetur ventus, quæ causa simul producit vtrumque vbi absque vlla prioritate temporis aut naturæ: & eodem modo discurrendum est de introductione frigoris, & expulsione caloris. Dicitur tamen apertio fenestræ esse causa materialis ingressus venti, quia videtur se passiue habere cum cedat suo loco; & ingressus venti dicitur esse formalis, quia nisi sisteretur ventus per modum formæ in loco, in quo fuit ante fenestra, non recederet fenestra ab illo loco ob incompossibilitatem quasi formalem, quam habent duo corpora naturaliter ad occupandum eundem locum: sed ex hac incompossibilitate non oritur quod exerceatur causalitas aliqua proprie dicta formalis, quæ directe terminaretur ad apertionem fenestræ.

66 Ad probationem antecedentis dico illum modum loquendi: nisi hoc esset, illud nõ esset, non arguere semper dependentiam à priori: nam si esset aliquis effectus necessario sequens aliquam causam, à quo non causaretur ipsa causa, verum esset dicere quod nisi esset ille effectus non esset illa causa; & tamen causa, vt suppono, non dependeret ab illo effectu tanquam à priori aut communicante sibi suum esse. Vnde de facto, licet verum sit dicere: nisi quis esset risibilis, non esset homo; tamen non est verum dicere, quod risibilitas sit causa à priori, à qua habet esse homo. Similiter etiam quando sunt duo effectus sic connexi, vt vnus non possit esse à causa sua, quin alter etiam sit à sua; verum erit dicere, quod nisi sit vnus effectus, non sit etiam alter, & tamen non necessario sequitur quod vnus dependeat ab altero tanquam à priori: & ita sane contingit in casu apertionis fenestræ ac ingressus venti, & in casu expulsionis frigoris & introductionis caloris.

Aliud exemplum solent afferre ad probandam mutuam causalitatem: nempe si lapis appensus filo frangat filum, descendet deorsum, tum autem motus lapidis esset causa fractionis fili, & fractio fili esse causa motus lapidis: ergo datur mutua causalitas. Hoc exemplum non est ad propositum, quia motus sequens fractionem fili non est causa istius fractionis, sed motus antecedens, cuius motus fractio non est causa, sed potius effectus.

67 *Obiicies secundò:* Fieri solet vt duo baculi cadentes occurrant sibi inuicem, & se mutuo ab vlteriori casu conseruent, sustentando se inuicem realiter: ergo causæ realiter influentes possunt se mutuo causare.

*Respondeo* negando consequentiam: & vt intelligatur quare, aduertendum est tria posse considerari in illo casu: *primum* ipsos baculos secundum existentiam realem suam: & certum est quod quoad illam non dependeant à se inuicem. *Secundum*, illa duo vbi noua, quæ habent: & si diceremus quod causarent in se inuicem illa vbi, non esse contra conclusionem, quia non est inconueniens quod duæ causæ efficientes agant in se inuicem, vna producente aliquem effectum in altera alium in ipsa.

*Dices:* vbi vnius baculi est causa vbi alterius & è contra, aut saltem sunt priora se inuicem, quia nisi vnum esset, alterum non esset.

*Respondeo* negando antecedens cum sua probatione, quia vt paulo ante dixi, posset fieri quod vnum non esset absque altero, quamuis non habeant prioritatem vllam inter se, ex eo scilicet, quod essent effectus simultanei.

*Tertium* quod considerari potest, est negatio vlterioris motus: & negatio motus vnius baculi sequitur ad vbi eiusdem, & negatio alterius sequitur ad vbi alterius.

Præterea ipsis aduersariis respondendum est, quia in quocumque genere causæ vnus baculus sustentat alterum, sustentatur ab altero: ergo ex hoc exemplo sequeretur mutua causalitas realis in eodem genere causæ, quod est contra aduersarios.

68 *Obiicies tertio:* si materia non dependeret realiter à forma tanquam à causa, esset perfectior forma, quandoquidem forma dependeret ab ipsa, & duobus comparatis ad inuicem illud videatur perfectius, quod minus dependet ab altero.

Maior perfectio rei non semper ex minori dependentia desumitur.

*Respondeo* negando sequelam, & ad probationem dico, quod maior perfectio rei non semper ex maiori, vel minori dependentia, sed aliquando etiam ex perfectiori operatione, vel actiuitate desumatur: ita vt si sint duo, quorum vnum dependet ab altero, & cum hoc habet maiorem actiuitatem quam ipsum, possit esse perfectius illo altero, quamuis alterum ab ipso non dependeat: sic qualitates, quamuis dependeant à quantitate materialiter, & quantitas non dependeat ab ipsis, sunt tamen perfectiores quam quantitas propter maiorem actiuitatem quam habent: sic etiam homo est perfectior cælo, à quo dependet, quia habet perfectiores operationes quam cælum.

69 *Obiicies quarto:* sequeretur quod materia esset perfectiua, & forma perfectibilis, contra omnes: patet sequela, quia illud est perfectiuum, quod dat perfectionem, & perfectibile, quod recipit perfectionem.

*Respondeo* negando sequelam, proprie loquendo, & distinguendo eius probationem: quod dat perfectionem distinctam à re, quæ dicitur perfectibilis seu perfici, concedo; indistinctam, nego: materia autem non dat perfectionem formæ distinctam ab ipsa forma, & consequenter non erit perfectiua ipsius, proprie loquendo.

*Obiicies quinto:* materia in ordine ad operandum indiget forma: ergo & in ordine ad existendum.

*Respondeo* negando consequentiam, quidquid sit de antecedenti: quamuis enim anima in operando intellectualiter dependeat ab obiecto, tamen non dependet in existentia ab ipso; & vniuersaliter causæ partiales dependent à se inuicem in operando, non tamen in essendo, vt patet in causa efficiente, quæ dependet à materia in operando, non in essendo.

70 *Obiicies 6.* Esse accidentale semper dependet à forma accidentali; ergo & esse substantiale à forma substantiali.

*Respondeo* negando consequentiã: & disparitas est, quod omne accidens sit forma accidentalis, omnis autem substantia non sit forma substantialis. Ex his patet, si Deus vellet conseruare materiam sine forma, quod eadem prorsus actione, qua de facto conseruat, id faceret, & non deberet vlterius supplere vllam causalitatem alterius causæ quia nulla est alia causalitas terminata ad materiam secundum se, & suam propriam existentiam, quam deberet supplere Deus.

*Obiicies vltimo:* Passio seu productio passiua dependet realiter ab effectu, in quo subiectatur eodem modo, quo cætera accidentia dependent à suis subiectis inhæsionis sed idem effectus dependet etiam realiter ab ipsa, quandoquidem per illam ponatur, & sit ratio formalis, per quam recipit esse: ergo datur mutua causalitas realis vel in eodem vel in diuerso genere, & consequẽter alterutra ex præmissis conclusionibus est falsa. Hæc est difficillima obiectio, quæ opponi potest; sed non habet locũ contra eos Scotistas, qui putant passionem esse posteriorẽ effectu, & effectũ ab illa non dependere tanquam à priori, neque tanquam à concomitanti; quorum tamen doctrina ex aliis capitibus displicet ob rationes positas in Logica *disp. de Action.*

71 *Respondetur autem primo* potius me negaturum, quod detur vlla passio ex parte effectus ab ipso realiter distincta, quam concessurum mutuam causalitatem à priori inter aliqua: principia enim suadentia hanc mutuam causalitatem esse impossibilem, sunt vrgentiora, quam quæ probant dari talem passionem; vnde si non posset solui hæc obiectio, propter illam non concederem mutuam causalitatem, sed negarem dari talem passionem.

*Respondetur secundo* negando maiorem: cum sit enim ratio formalis, à qua effectus habet recipere suam existentiam realem, nequit effectus habere existentiam realem ad causandum istam passionem antecedenter ad ipsam passionem: neque enim est eadem ratio de hac passione ac de aliis accidentibus, quia alia accidentia non sunt rationes formales, per quas sua subiecta recipiunt suas existentias, & propterea absque inconuenienti possunt causari à suis subiectis, quod non potest dici de illa passione. Sed neque passio etiam habet prioritatem *in quo*, sed *à quo*, respectu effectus; vnde vterque egreditur à causa pro eodem instanti temporis ac naturæ, cum hoc solo discrimine, quod actio sit ratio formalis, per quam ponitur effectus, effectus verò non sit ratio formalis, per quam ponatur ista passio, vt patet ex eo quod effectus posset esse absque passione illa, passio autem illa nequeat esse absque effectu.

72 *Dices:* si passio non dependeret ab effectu, in quo subiectatur in genere causæ materialis, crearetur: illud enim dicitur creari, quod producitur inde pendenter à concursu causæ materialis. Deinde non esset ratio vlla, cur non posset produci absque effectu, si non dependeret ab eo vt subiecto.

*Respondeo* negando sequelam pro vtraque parte: illud enim non creatur, quod vel producitur dependenter à subiecto tanquam ab influente & dante esse, vel etiam habet tam necessariam connexionem cum subiecto, vt nulla ratione possit esse absque subiecto, siue ab ipso dependeat tanquam à priori, siue non. Præterea quamuis passio illa non recipiat suum esse à subiecto, posset necessario exigere subiectum, quia ex natura sua intrinseca est essentialis determinatio talis subiecti.

*Confirmatur* hoc: quia relatio nequit esse absque termino, & tamen non recipit esse à termino in vllo genere causæ: ergo potest fieri quod aliquid nequeat esse sine alio, quamuis non recipiat suum esse ab illo.

Adde ad hæc, quamuis esset mutua causalitas inter effectum & passionem, non esse id contra conclusionem, quia conclusio loquitur de causis, & non de causalitatibus.

Modi causandi quatuor genera causarum non exigunt res realiter distinctas.

73 *Quæres*, an modi causandi quatuor causarum sint ita diuersi quin eidem rei possint competere.

*Respondeo negatiuè:* nam intellectio, verbi gratia, potest esse causa formalis reddens formaliter intelligentem; & causa materialis respectu relationum in ipsamet immediate subiectarum, vt similitudinis, dissimilitudinis; & causa efficiens respectu habitus ad illam sequentis; & alterius intellectionis, ad quam producendam obiectiue concurreret; & causa finalis respectu multorum mediorũ, quæ ad ipsam acquirendam possent conducere. Imo respectu eiusdem effectus aliquid potest esse causa efficiens & materialis; graue enim est causa efficiens; & materialis vbi; quod de nouo acquirit ablato impedimento, & posset esse finis etiam eiusdem vbi aliquo modo: sed nequaquam potest idem esse causa materialis, & formalis respectu eiusdem effectus ob rationes particulares harum causarum: calor enim nequit esse causa materialis calidi, cuius est causa formalis; nec anima hominis: nec materia potest esse forma compositi, aut alterius formæ, quæ cum ipsa facit compositum.

An causæ habeant in causando ordinem aliquem prioritatis.

74 *Quæres secundo*, an quatuor causæ, quando concurrunt ad aliquem vnum effectum, habeant aliquem ordinem in causando ita, vt vna prius natura agat quã altera, ex qua sequeretur, quod causalitas vnius causæ posset esse absque contradictione absque causalitate aliarum causarum; talis enim prioritas implicat, quia causæ hæ, quando concurruut, sunt essentialiter sibi inuicem subordinatæ, & causalitates ipsarum sunt essentialiter partiales ac dependentes ab inuicem sic, quod vna non possit egredi à sua causa, quin aliæ à suis egrediantur. Hec prorsus video quomodo etiam vna causalitas possit esse prior alia causalitate, etiam ratione, cum fundamento vllo in re; nisi quatenus potest dici quod, quia finis prius causat amorem sui ac desiderium, quam mouet ad applicanda media; causalitas ipsius sit prius quã causalitas, qua causa efficiens causat; seu applicat illa media: non tamen potest dici prior quam causalitas causæ efficientis producentis effectiue illum

illum amorem ac desiderium. Et quia efficiens prius producit formam, quàm forma constituit compositum, potest dici quod causalitas efficientis sit prior causalitate formæ. Sed reuera quando quatuor hæ causæ habent quatuor causalitates immediate terminatas ad aliquem effectum, aut quando quælibet ex ipsis immediate causat aliquem effectum siue vna causalite, siue pluribus; non credo esse vllam prioritatem, etiam rationis, cum fundamento in re inter causalitates illarum, aut ipsasmet quatenus causant.

An habeant ordinem dignitatis.

75 *Quares secundo*, an habeant aliquem ordinem dignitatis inter se, ita vt vna sit dignior altera.

*Respondeo* cum *Scoto in 1. disp. 2. quæstione secunda, numero decimo sexto*, in primis causas extrinsecas esse nobiliores in ratione causæ, seu habere nobiliorem modum causandi, quam habent intrinsecæ. Ratio est, quod causalitas causæ materialis inuoluit potentialitatē ipsius & limitationem, & causalitas etiam causæ formalis inuoluit limitationem & dependentiam ab alia comparte: efficiens autem, & finis non inuoluunt huiusmodi imperfectionem; vnde Deus ipse potest habere & de facto habet rationem causæ efficientis & finalis omnium rerum, & hac ratione vocatur *Alpha & Omega* in Apocalipsi.

Ex causis verò intrinsecis causa formalis est nobilior, quia causat actuando ac perficiendo; materia verò causat recipiendo. Nec refert, quod materia causat ipsam formam, cum tamen ipsamet non causetur à forma; nam comparamus ipsas in ordine ad effectum, quem causant, & dicimus, quod causa formalis habeat nobiliorem modum causandi quemcumque effectum, quem cum materia causat, quam ipsamet materia; quidquid sit an secundum alias considerationes materia posset esse perfectior, quam forma.

Denique si comparentur causæ extrinsecæ ad se inuicem, finis nobiliorem modum causandi videtur habere, quia agit qua bonum, & mouet ipsum efficiens, vt propter seipsum agat; & in moralibus magis attenditur ad finem, quam ad alias causas in ordine ad colligendam perfectionem actuum humanorum.

# DISPVTATIO XII.

## *De Fortuna, Casu, Fato, Monstro.*

ABSOLVTO Causarum per se tractatu, pauca restant dicenda de causis per accidens, de quibus Philosophus à *tex. 39.* vsque ad 68.

### QVÆSTIO VNICA.

*Quid sit Fortuna, Casus, Fatum, & Monstrum.*

Quid sit Fortuna.

76 FORTVNAM Deam esse, aut certe aliquid diuini numinis habere existimarunt veteres quidam, non solùm Poëtæ, quibus hoc suo mentiendi iure licuit, sed etiam Philosophi; sed ridicula eorum somnia optime arguit *S. August. 4. de ciuit. cap. 18. & Lact. lib. 3. cap. 28.* Itaque Fortuna vere loquendo nihil aliud est, quam causa per accidens in iis, quæ ex electione agunt. Dicitur *causa*, quia aliquo modo est principium, à quo prouenit effectus fortuitus, qui etiam aliquando vocatur fortuna, translato nomine causæ ad effectum. Dicitur *in iis, quæ agunt ex electione*, quia non omnis causa per accidens alicuius effectus est fortuna, sed sola causa libera, quæ dicitur fortuna, quando actionem eius intendentis per se aliquem effectū, alius effectus, quem non intendebat, aut qui, si intendebatur, non nisi accidentalem connexionem habebat cum actione causæ, sequitur: nec cognoscebatur ab operante habere connexionem cū effectu primario, quamuis haberet aliquam suspicionem, quod fortassis coniungeretur cum illo. Scotus vlterius requirit, vt effectus sit alicuius momenti, quia ex communi modo loquendi non dicitur quis fortunatus, aut infortunatus ex eo, quod præter intentionem eius acciderit aliquid parui momenti: requirit etiam vlterius, quod effectus, qui dicitur fortuitus, sit rarus, & non sequatur ad effectum per se intentum, vt plurimum; sed quæstio esset de nomine, si quis hoc non requiri contenderet.

Quamuis autem omnis talis effectus vocari posset fortuna in hoc sensu, non tamen dicitur quis fortunatus, cui sufficit talis effectus, nisi effectus sit bonus; nam si sit malus, potius dicitur infortunatus.

Quid sit Casus.

*Casus* dupliciter accipitur, primo large, vt etiam comprehendit fortunam, & non est aliud vt sic quam causa per accidens vt sic. Secundo sumitur stricte, prout distinguitur à fortuna: & secundum Aristotelem, nihil aliud est, quàm causa per accidens in iis, quæ non operantur ex electione, verbi gratia, in causis non liberis. Ex quibus constat primo dari fortunam, ac casum contra veteres; quia sine dubio dantur causæ huiusmodi.

Patet secundo, nihil esse fortuitum aut casuale respectu Dei: quia determinate cognoscit quidquid futurum est, siue per se, siue per accidens producatur à causis secundis.

77 *Obycies primo:* omnis actio humana seu libera est propter aliquem effectum, ergo nulla actio libera est fortuita, & consequenter causa libera non est fortuna.

*Respondeo* distinguendo primum consequens: respectu effectus per se intenti, concedo: respectu effectus connexi accidentaliter, & contingenter cum tali effectu, nego consequentiam.

*Respondeo secundo* distinguendo consequens alio modo, est fortuita, quantum ad hoc quod non producatur data opera, concedo; quantum ad hoc quod non habeat connexionem incertam cum alio effectu ratione cuius dicitur fortuna, nego consequentiam.

*Obiicies secundo:* Effectus necessario coniunctus cum sua causa non est fortuitus: sed effectus, qui dicitur fortuitus, necessario coniungitur cum fortuna, impossibile enim est esse effectum fortuitum, & non esse fortunam.

*Respondeo* distinguendo minorem, materialiter nego, formaliter concedo, & nego consequentiam. Itaque cum causa illa, quæ est fortuna, quatenus est fortuna, formaliter loquendo, necessario coniungitur effectus, ratione cuius dicitur fortuna, quia alias non esset fortuna, sed cum causa illa quæ est fortuna specificatiue loquendo, & materialiter, non necessario coniungitur ille effectus.

*Obiicies tertio:* Ludens ex lusu dicitur fortunatus, & tamen ipse intendit lucrari: ergo effectus fortuitus per se intenditur, & consequenter male descripta est fortuna.

*Respondeo* negando vltimam consequentiam: quia licet intenderet lucrum, tamen sequebatur valde contingenter ad actionem eius; & ipsemet non habet vllum principium, ex quo possit etiam cum probabilitate colligere quod sequeretur ex natura talis actionis, quam ipse applicat: vnde merito tales effectus vocantur præter intentionem actionis, quamuis non sint præter intentionem agentis.

Quid sit Fatum.

*Fatum* vno modo accipitur pro dispositione causarum inter se, non comprehendendo Deum, ex qua contingeret vt effectus omnes ineuitabiliter succedere debeant; & hoc sensu non datur: nulla enim potest esse dispositio causarum, quæ non posset inuerti per Deum, & causæ liberæ non patiuntur talem necessitatem. Alio modo sumitur pro tali dispositione causarum, secundum quam subsunt Diuinæ prouidentiæ, vt infallibiliter illi soli effectus sint futuri, & eo ordine ac tempore, iisque circumstantiis, quibus ordinatum fuit à Deo ab æterno vt euenirent: & Fatum sic sumptum datur sine præiudicio libertatis.

Quia tamen communiùs intelligitur fatum in priori acceptione illa, in qua non datur, quàm in posteriori, melius absolute negatur dari fatum, quam asseritur, & inter indoctos ac simpliciores caueri debet, ne asseratur.

Quid sit Monstrum.

79 *Monstrum* est effectus naturalis à recta solitaque dispositione secundum speciem degenerans. Dicitur *effectus naturalis*, quia proprie loquendo Mōstra reperiuntur tātū in naturalibus, & effectus artificiales deficiēres à regulis consuetis artis, non dicūtur Monstra nisi analogice. Dicitur: *degenerans à recta dispositione*, quia deflectit à lege statuta per naturā. Dicitur *solit a*, quia quāuis res deficeret

à lege naturæ, tamen si id semper accideret, non diceretur monstrum, sicut nec Pygmæi dicuntur, quia quamuis deflectant ab ordinaria lege naturæ, quantum ad magnitudinem, semper tamen tales nascuntur in certis mundi partibus. Sed hoc spectat magis ad quæstionem de nomine quã dere. Dicitur, *secundum speciem*, quia monstrum semper deficit à speciei generante, vel secundum partem, vt si quis cum vno oculo vel tribus nasceretur; vel secundum totum vt si bos parturiret agnum, quod ante excidium Hierosolymæ contigisse narrat *Nicephorus lib. 3. cap. 4.*

Dixi autem, quod deflectat seu deficiat à specie generante semper: quod tamen intelligendum est quando producitur ab aliquo individuo talis; nam posset produci ab aliis causis, & tum non deficeret à specie generante. Vnde clarius illa particula explicaretur dicendo quod deficiat à specie quantum ad hoc quod deficiat à perfectione, quam exigunt individua istius speciei, à quocumque demum producatur.

8o Multis de causis accidit vt generentur monstra: *Primo* ex abundantia aut defectu materiæ: & hinc provenit, quod aliqua animalia nimis magna vel nimis parua procreentur, & hoc secundum se totum, vel secundum aliquas sui partes. *Secundo* ex indispositione primar qualitatum. *Tertio* ex indispositione secundinæ, quæ est pellicula quædam, in qua continetur fœtus, dum est in ventre. *Quarto* ex debilitate virtutis productricis. *Quinto* ex influxu Astrorum, & temperamento Regionum. Deinde ex vi uida aliqua imaginatione: scribit enim Auicenna gallinam incubantem ouis milui aspectu perterrefactam, edidisse pullos miluino capite.

*Quæres*, vtrum Monstrum intendatur à natura.

*Respondeo* cum communi sententia, ipsum non intendi primario, quia est imperfectum, sed secundario tantum, quatenus cum non possit assequi effectum perfectum, ipsum imperfectum quærit producere. Sed si loquamur magis propriè de illis Monstris, quæ producuntur à causis naturalibus non cognoscitiuis, non potest dici, quod nec intendantur, nec non intendantur ab illis, nisi quatenus idẽ esset intendere, ac esse determinatum ad eorum productionem: sic autem potest concedi, quod intendantur. Si verò loquamur de monstris, quæ producerentur à causa libera, possent aliquando intendi, & aliquando non intendi: & certe non est dubium, quin Deus intendat illa non minus quam alios effectus non monstruosos, propter multa emolumenta quæ ex eorum productione succedere possent vniuerso.

# LIBER III. ET IV.
# PHYSICORVM.

HIs duobus libris agit Philosophus de Motu præcipue, & quia motus successiuus est de genere continuorum, continuum autem omne est aliquo modo diuisibile in infinitum, ideo ante absolutum tractatum de motu agit etiam libro tertio de infinito. Quæ autem in vtroque libro explicanda sunt, duabus Disputationibus sequentibus expedientur.

## DISPVTATIO XIII.
### *De Motu.*

QVANDOQVIDEM superiori libro definita est natura per ordinem ad motum, & omnia, quæ per quatuor causarum genera producuntur, indigent motu vt producantur, opportune satis hic de motu ipso agitur.

### QVÆSTIO I.
#### *Quid sit Motus.*

1 SVPPONENDVM est ex quotidiana experientia dari motum, quidquid senserint quidam antiqui Philosophi, quos tamen existimo non in eadem acceptione vsos fuisse nomine motus, qua nos eo vtimur, neque enim calefieri se ac frigefieri, & ab vno ad alium locum transire dubitare poterant.

Philosophus autem definit Motum esse *actum entis in potentia, prout in potentia.* Et hanc descriptionem approbant omnes Peripatetici. At circa eam duæ sunt difficultates hic examinandæ: vna quoad explicationem ipsius; & altera an conueniat etiam motui instantaneo. Vt verò tollatur omnis quæstio de nomine, aduertendum quod aliquid possit dici moueri dupliciter: vno modo ex eo, quod transeat à non esse ad esse, Et sic Angelus posset dici moueri quando creatur; ac in hoc sensu accipit motum Doctor quando in *4. d. 1 2. q. 4.* dicit non esse de essentia motus respicere subiectum aliquod existens, quod moueretur per illum ad aliquam formam. Alio modo dicitur aliquid moueri, quod transit à negatione formæ ad ipsam formam, aut à forma ad negationem formæ: & in hoc sensu; qui est prior, & communior, motus essentialiter respicit subiectum, adeo vt etiamsi calor produceretur post frigus extra subiectum, nihil tamen diceretur propterea moueri, nec daretur etiam tum motus vlla ratione. Et in hoc eodem sensu agimus hic de motu.

### CONCLVSIO I.

2 *BEne describitur Motus esse actus entis in potentia prout in potentia.* Hæc est communissima cum Philosopho *Et probatur:* quia omni & soli competit absque superfluitate aut defectu, vt patebit ex eius explicatione. Dicitur *actus*, non ex eo, quod perficiat subiectum, quia posset fieri quod non perficeret, vt quando esset neuter aut violentus, sed quia determinat subiectum, seu quia est determinatio actualis ipsius ad aliquid quod alias non haberet. Dicitur *entis*, vt significetur agi de motu in propriori significatione præmissa: vbi vlterius aduertendum, quod ly *ens* capiatur hic secundum communiorem opinionem, non nominaliter aut transcendentaliter prout significat illud quod existit vel potest existere; sed principaliter prout significat illud quod realiter est existens, quia motus nequit actuare aut determinare aliud subiectum quam illud quod realiter existit; imò debet existens realiter ante ipsum motum, & aliter non diceretur proprie moueri, vnde ignis simul productus cum calore non dicitur proprie moueri ad calorem, quia nunquam fuit absque calore. Verum mihi videtur quod possit ens capi hic nominaliter, modo capiatur per actus, non id quod actualiter actuat, sed quod potest actuare; nam quamuis motus non possit actuare nisi quod actu existit, tamen est aptus actuare tam id quod actu, quàm quod non actu existit. Imo videtur hoc modo melius intelligi & ens & actus, quia definitiones abstrahunt ab existentia, sicut scientiæ ipsæ, cui deseruiunt. Nec credo de hoc in re posse esse controuersiam. Definitio motus.

3 *Si quæras*, autem, quare Philosophus non posuit in definitione motus corpus naturale potius quam ens, præsertim si corpus naturale sit Physicæ obiectum adæquatum.

*Respondeo*, quia nondum determinauerat quidnam esset statuendum pro obiecto adæquato Physicæ, aut quia volebat abstrahere à controuersiis, quantum poterat, quod semper faciendum esset in definitionibus.

Dicitur *in potentia*, vt significetur, quod motus sit actus ordinatus essentialiter ad alium actum, nempe ad terminũ, qui per illum acquiritur; & hinc vocatur communiter actus imperfectus; ad differentiam aliorum actuum, qui essentialiter non ordinantur ad alios actus, vt forma substantialis, & formæ etiam accidentales, verbi gratia calor, frigus, vbi, & similia, quæ vocantur actus perfecti, quia

scilicet

scilicet essentialiter non ordinantur ad vlteriores actus, seu quod idem est, quia non sunt acquisitiones formales aliorum actuum, sed actus qui acquiruntur. Additur *prout in potentia*, vt intelligatur præcedens particula *in potentia* in sensu reduplicatiuo, non vero in specificatiuo: nam si intelligeretur in sensu specificatiuo sic, vt idem esset, ac ens, quod est in potentia, descriptio competeret calori; calor enim est actus entis, quod ens est in potentia ad calorem recipiendum, & consequenter non esset bona. At si intelligatur reduplicatiue ita, vt sensus sit, quod motus sit actus entis, quod est in potentia ad aliquam formam, & quod sit actus ipsius, prout in potentia, hoc est talis actus, qui se ipso non ita actuat, quin debeat vlterius actuari per aliam formam, ad quam essentialiter ordinatur, tum non conueniet calori nec vlli alteri actui, qui non est motus: quæ explicatio est facilis, & videtur satis genuina.

Facilius tamen meo iudicio explicaretur natura motus, si diceretur, quod sit ratio formalis, à qua habet aliquid aliter se habere nunc quam immediate ante se habuit, quamuis fatear libenter hanc ipsam descriptionem conuenire in re cum priori Aristotelica & communi, contra quam.

4 *Obijcies primo*: si motus esset actus mobilis, mobile esset in potentia ad ipsum, omne enim perfectibile, vel determinabile per aliquem actum est in potentia ad illum actum, potest enim determinari per illum: sed si est in potentia ad illum, potest moueri ad ipsum; & sic ad motum dabitur motus, atque adeo processus in infinitum, quod est absurdum: ergo motus nequit esse actus mobilis.

*Respondeo* distinguendo minorem pro prima parte: potest moueri ad ipsum per alium motum, nego: seipso, concedo minorem pro prima parte, & nego ipsam pro secunda, & nego etiam consequentiam. Itaque sicut agens principiat actionem non per aliam actionem distinctam, quia actio seipsa egreditur ab ipso; ita etiam mobile mouetur ad motum, non per alium motum, sed per ipsummet motum, quo mouetur.

*Obijcies secundo*: illa definitio non conuenit motui corruptiuo: ergo non est bona.

*Respondeo primo* negando consequentiam, quia Philosophus voluit solum describere motum per se intentum à natura, qualis non est motus corruptiuus, neque enim natura per se intendit corruptionem.

*Respondeo secundo* negando antecedens: nam motus quo mouetur aliquid à forma ad non formam, est etiam actus ipsius, quatenus est in potentia.

5 *Obijcies tertio*: motus est tendentia à termino à quo ad terminum ad quem, ergo deberet vterque terminus in eius definitione poni: sed non ponuntur in præmissa descriptione: ergo non est bona.

*Respondeo* negando subsumptum: nam per hoc, quod dicatur esse actus entis in potentia, vt in potentia, significatur terminus à quo nempe negatio illius formæ, quæ per motum acquiritur, & significatur etiam, quod motus sit acquisitio termini, ad quem mobile mouetur.

*Obiicies quarto*: prædicta definitio non conuenit motui instantaneo: ergo non est bona.

*Respondent Scotistæ* negando antecedens: *Thomistæ* vero respondent negando consequentiam, quia motus instantaneus non est proprie motus, sed mutatio: Philosophus autem hic definire voluit motum proprie dictum, qualis secundum ipsos est solus successiuus. An autem definitio in rei veritate conueniat motui instantaneo nec ne, sequenti conclusione declarabitur. Intelligo autem per motum instantaneum illum motum, quo aliquid mouetur in instanti acquirendo formam aliquam secundum omnes partes simul; & per motum successiuum intelligo illum, quo mouetur aliquid in tempore, acquirendo aliquam formam secundum partes vnam post alteram sine intermissione.

## CONCLVSIO II.

6 *Prædicta definitio conuenit etiam motui instantaneo.* Hæc est communior cum *Doctore* 2. d. 12. q. 1. cum suis omnibus, quos sequuntur *Ruuius*, *Hurtad.* *Auersa.* *Arriag. hic & Complut.* etiam, nisi quod hi distinguant de duobus motibus instantaneis. Primus est quo mouemur ad intellectiones & volitiones, aliasque sensationes, quem motum vocant actum rei perfectæ. Alius motus instantaneus est, quo mouemur ad alias formas, vt generatio substantialis, quem motum vocant actum rei imperfectę: primum motum negant, secundum affirmant comprehendi hac descriptione: vnde partim tenent conclusionem, partim negant.

*Probatur conclusio* ex Aristotele *tex.* 4. vbi antequam definiret motum, agit de rebus, quæ mouentur ac mutantur motu, quem intendit describere inquiens: *Mutatur enim semper id, quod mutatur, aut secundum substantiam, aut secundum quantitatem, aut secundum qualitatem, aut secundum vbi:* Sed motus ad substantiam, qui distinguitur à motu ad quantitatem, qualitatem, & vbi, est motus generationis & instantaneus: ergo Aristoteles volebat hunc motum in sua definitione comprehendere.

*Confirmatur primò*: quia hic debebat agere de motu omni, cuius dixerat naturam esse principium: sed non solum motus successiui, sed instantanei natura est principium: ergo de vtroque motu hic agit.

*Confirmatur secundò*: de motu vt sic abstrahente à successiuo & instantaneo spectabat ad ipsum agere, & ad Physicam, neque enim ad aliam vllam scientiam spectat magis per se: ergo quandoquidem nullo alio loco egerit in Physica de ipso, nisi egisset de eo hic, non satis fecisset suo muneri, quod absque graui causa non est dicendum: ergo de eo hic agit, & consequenter descriptio motus complectitur vtrumque motum.

7 *Probatur secundò ratione*: quia reuera motus, quo mouetur in instanti aër ad lumen, & motus, quo mouetur in instanti corpus ad animam, & materia prima ad formã substantialem, est actus imperfectus entis, quod est in potentia, & vt est in potentia, quandoquidem sit actus essentialiter ordinatus ad vlteriorem terminum, in ordine ad quem mobile est in potentia: ergo omnes particulæ descriptionis illi conueniunt.

Et hęc probatio æque currit de motibus, quibus mouemur ad intellectiones & volitiones, similesque actus vitales, præsertim si illi actus producantur per actiones distinctas, vt in nostra schola tenetur, de quo suo loco. Quod si etiam seipsis producerentur, adhuc definitio prædicta potest optime ipsis accommodari, quia vt habent rationem motus, quo mouetur quid ad ipsas, sunt actus entis in potentia, vt in potentia & ordinãtur ad seipsos, vt sunt formæ, quibus subiectum suum fertur vitaliter in obiectum ipsorum, nec huiusmodi actus vitales, vt seipsis egrediũtur à subiecto, sunt magis perfecti, quam motus, quo aliquid mouetur ad lumen, aut quamcunque aliam formam instantaneè acquisitam; vnde patet frustra Complutenses limitasse conclusionem & excluisse ab ea motum, quo mouemur ad actus vitales.

*Obiicies primò*: motus hic definitus debet esse actus, tam imperfectus, vt relinquat subiectum partim in potentia & partim in actu, & consequenter debet terminari ad terminum diuisibilem, cuius pars acquiritur & pars non est acquisita: sed hoc nequit competere motui instantaneo: ergo non definitur hic.

*Confirmatur*: quia pro illo instanti, quo est motus instantaneus, est etiam terminus eius in subiecto, ergo subiectum non est in potentia ad illum terminum, nec ad motum: ergo motus ille nequit esse actus in potentia vt in potentia.

*Respondeo* distinguendo maiorem: quantum ad hoc, quod per ipsum motum solum absque vlteriori termino non actuetur subiectum sic, quin vlterius actuari debeat per terminum, ad quem ordinatur motus, concedo maiorem, & nego consequentiam inde deductam, quia hoc potest bene contingere absque diuisibilitate termini. Quantum ad hoc quod debeat ipsum constituere sub parte termini acquirendi per motum, & relinquere ipsum sub carentia alterius partis, nego maiorem, & similiter distincta minori, nego consequentiam.

*Ad confirmationem respondeo* distinguendo primum consequens: simpliciter loquendo, concedo consequentiam, loquendo de potentia inuoluente carentiam seu negationem termini, seu formæ, ad quam est potentia: quātum est ex parte motus ita, vt motus ipse non sufficeret absque termino eius, nego consequentiam. Itaque, vt sæpe dixi, motus relinquit subiectum in potentia, quatenus vltra motum debet necessario acquirere aliquid aliud, sine quo esset indeterminatum, & inutiliter sub motu solum.

9 *Obiicies secundò*: motus vt sic, non est communis vniuoce vtrique motui, ergo non definitur hic motus vt sic.

*Respondeo primò* negando antecedens: nam quæcumque differentia, quæ est inter vtrumque motum, ratione cuius dicerentur non esse eiusdem rationis, prouenit ex differentia specifica ipsorum, & non ex ratione communi, quam participant.

*Respondeo secundò* negando consequentiā, maxime secundum aduersarios, qui fatentur illa, quæ cōueniunt solū analogice, posse vnica definitione analogica describi, & sic etiam secundū Scotistas definiuntur vltimæ differentiæ, & alia, quæ non conueniunt in aliquo vno conceptu positiuo vniuoco; ergo quamuis hi motus nō conuenirent vniuoce, quandoquidem negari non potest, quin ad minus conueniant analogice, poterunt definiri aut describi vnica definitione.

10 *Obiicies tertiò*: sequeretur creationem fuisse definitam hic à Philosopho, quod videtur absurdum, quia neque cognouit creationis possibilitatem: ergo non comprehenditur mutatio instantanea sub prædicta definitione.

*Respondeo* negando sequelam, quia creatio dicit independentiam à subiecto, motus autem hic definitus, tam qui successiuus est, quam qui instantaneus, dicit ordinem ad subiectum. Quod si etiam comprehenderetur creatio, nō esset inconueniens quod descriptio data ab Aristotele conueniret aliquibus rebus ab ipso nō cognitis, modo illæ res conuenirent cum rebus ab illo definitis, secundum quod definitæ sunt. Et certe definitio causæ efficientis, quod sit principium influens esse in aliud, sine dubio cōuenit causæ creatiuæ, quamuis hanc non agnouerit Philosophus.

11 *Obiicies quarto pro Complutensibus* quatenus tenent mutationes ad actus vitales nō comprehendi hac definitione: *Philosophus 3. de anima tex. 22.* ait motus ad actus vitales esse alias species motus à motibus aliis ac mutationibus imperfectis: ergo motus ad sensationes seu actus vitales non comprehenduntur sub motu hic definito.

*Respondeo* negando consequentiam, quia possunt specie distingui ab aliis motibus, quamuis cōuenirent cum illis in ratione motus vt sic, qui hic definitur. Nec Philosophus vocat motum ad actus vitales actum rei perfectæ, vt supponunt Complutenses, sed dicit ipsosmet actus vitales esse actus rei perfectæ, id est rei, quæ per illos actus non acquirit vlteriorem perfectionem, quod est longe diuersum.

12 *Obiicies quinto pro iisdem*: motus hic definitus est actus entis existentis in potentia: sed sensationes sunt actus entis existentis in actu: ergo non definiuntur hic. Probant minorem: quia illæ sensationes sunt operationes sensus vel intellectus iam facti in actu per suam speciem, non enim sentire conuenit sensui nisi actu existenti per illam, & prout in illo priori continet perfectionem specificam sensationis, & consequenter prout sic intelligitur perfectus & fœcundus.

*Confirmatur*: quia motus de quo hic, petit terminum à quo: sed motus ad actus vitales non requirunt terminum à quo: ergo non sunt motus, vt motus hic definitur.

Probatur minor: quia in instanti, quo creatur subiectum, possunt esse sensationes in ipso, vt patet in Adamo.

*Respondeo*: distinguendo minorem: si per sensationem intelligitur motus ad actus vitales, nego minorem: si intelligatur ipsemet actus vitalis, qui acquiritur per motum, aut se ipso, concedo minorem, Et similiter distinguo consequens: si per sensationes intelligatur motus ad actus vitales, nego consequentiam; si ipsimet actus vitales, qui acquiruntur per motum, concedo consequentiam. Probatio autem minoris non est prorsus ad rem; neque enim ad propositum facit, quod sensationes proueniant effectiuè à re, quæ mouetur ad ipsas, aut per ipsas; quia hoc non impedit: quo minus motus ille posset esse propie dictus motus: nam motus, quo mouet se aqua ad frigus, & quo graue mouet se deorsum, est proprie dictus motus, & prouenit tamen effectiue ab ipsis mobilibus, contineturque in eorum virtute quoad suam speciem. Et sane, si actus vitales non procederent effectiue à potentia vitali constituta per speciem, eodem modo haberent rationem actus rei perfectæ, quo de facto habent quantum ad propositum.

*Ad confirmationem respondeo* negando minorem: ad cuius probationem dico quod sensationes, prout habent rationem motus, nequeant esse in instanti, quo sentiens producitur, quamuis sub aliis rationibus possint esse in illo instanti. Itaque quemadmodum acquisitio caloris potest esse in instanti, in quo producitur ignis, & in illo instanti non habet rationem motus, quia motus vt sic, formaliter necessario præsupponit carentiam termini ad quē in subiecto, loquendo de motu in rigore, quamuis acquisitio caloris in quocunque instanti postea haberet rationem motus: ita quamuis sensatio habita in instanti, in quo sentiens produceretur, non haberet rationem motus, nec produceretur per motum, tamen quando haberetur in aliis instantibus, aut haberet rationem motus, aut produceretur per motum.

## QVÆSTIO II.

*Quid sit subiectum Motus, & quomodo Motus à subiecto, termino, actione & passione distinguatur.*

13 EX resolutione huius quæstionis multo magis patebit natura motus quantum ad entitatem suam intrinsecam.

### CONCLVSIO I.

*SVbiectum Motus, quo mobile mouetur ad aliquā formam intrinsecam, est ipsum mobile.* Hæc est communissima contra *Soncinam, Hernaum & Fonsecam 5. met. c. 15. q. 10.* qui licet concedant alios motus subiectari in mobili præter motum localem, dicunt hunc non subiectari in illo, sed in corpore locante. Subiectum Motus est mobile.

*Probatur*: omnis forma debet in ipso subiectari quod nominat, nisi sit aliquod inconueniens in tali subiectatione: sed motus est forma denominans mobile moueri actu, nec est vlla inconuenientia quod subiectetur in ipso: ergo debet in ipso subiectari.

*Probatur secundo*, quia motus est acquisitio termini, ad quem mobile mouetur cum respectu ad non esse immediate præcedens termini illius in mobili: sed illa acquisitio est in ipso mobili, & illa negatio termini fuit in illo in tempore aut instanti antecedenti: ergo motus est in illo, & quidem immediate.

*Confirmatur*: quia implicat quod aliquid moueatur ad aliquem terminum, quin vel ille terminus sit in illo, vel respectus aliquis aut vnio realis ad illum terminum: ergo motus debet esse in illo tanquam in subiecto.

Probatur consequentia: quia si terminus sit in illo receptus, etiam acquisitio termini quamuis identificaretur termino, debet esse in illo: si vero ipse terminus non sit in ipso receptus, sed solum dicitur moueri, quia vnitur realiter de nouo alicui in se non recepto, sicut corpus quasi vnitur loco extrinseco, quando mouetur localiter; tum ipsamet vnio seu applicatio illius ad locum illum extrinsecum debet esse in illo.

14 *Obiicies*. Secundum Philosophum *lib. 8. c. tex. 59.* per motum localem mobile nullam formam intrinsecam acquirit; ergo motus, quo mouetur localiter, non est in ipso, tanquam in subiecto, præsertim inhæsionis, quamuis sit in ipso tanquam in subiecto denominationis, quod scilicet denominatur ab ipso moueri, quod non negant aduersarij.

*Respondeo*

*Respondeo* distinguendo antecedens nullam formam intrinsecam absolutam, transeat; relatiuam, nego antecedens.

*Obiicies secundò*: Terminus motus localis est locus: sed locus est in corpore locãte, & nullo modo dicitur esse in locato, sed potius locatum dicitur esse in loco, ergo terminus motus localis non est in mobili: sed si terminus motus non sit in illo, nec ipse motus poterit esse in illo, quia aliàs fieri termini esset in subiecto & factum esse in alio.

*Respondetur*, loquendo de motu locali passiuo, quo mobile dicitur formaliter moueri, de quo hic loqui debemus (nam motus localis, actiuus, quo aliquid mouet effectiue aliud aut seipsum, non est ad propositum, non enim est actus mobilis, sed mouentis) concedendo totum primum syllogismum, & negando subsumptum cum sua probatione, quia fieri termini motus localis, vt est terminus, non est aliud, quam acquisitio ipsius, & consequenter ipse motus, prout dicit respectum ad nõ esse immediate præcedens; quæ acquisitio est in mobili; factum autem esse termini; prout est terminus motus localis, non est aliud quàm acquisitio loci prout dicit ordinẽ ad esse immediate præcedens, quæ etiam acquisitio est in mobili. Itaque de duplici fieri formæ possumus loqui, vel de illo, à quo recipit formaliter forma suum esse existentiæ, & concedo hoc fieri esse in ipsa forma tanquam in subiecto; nec hoc est motus proprie dictus, de quo hic loquimur; bene enim huiusmodi fieri posset esse absque eo, quod aliquid moueretur proprie. Aliud fieri formæ est fieri, quod habet in subiecto, & hoc etiam fieri potest dupliciter considerari; vel enim intelligitur de fieri, à quo formaliter dicitur forma vniri subiecto & recipi in ipso, & hoc fieri est in ipsa forma; vel de fieri formæ, ideſt, de eo, à quo subiectum dicitur formaliter recipere formam, & huiusmodi fieri est in ipso mobili immediate, & terminatur immediate ad ipsam formam.

## CONCLVSIO II.

Motus distinguitur realiter ab agente mobili, & termino.

15 *Motus distinguitur realiter ab agente, & mobili, & termino, quem per motum acquirit mobile.* Hæc est communissima tam *Scotistarum* quam *Thomistarum* contra *Masium* hic aliquos veteres Thomistas pro se citantem, & existimantem, quod non distinguatur realiter à termino.

*Probatur autem*: quia possunt existere simul in rerum natura agens, verbi gratia ignis, & mobile, verbi gratia aqua, & terminus per motum acquisitus, verbi gratia calor, quin moueretur aqua, & quin consequenter daretur motus, quo moueretur aqua ad calorem; vt si calor produceretur à Deo absque subiecto vllo, aut in alio subiecto: ergo motus, quo mouetur aqua ad calorem, distinguitur realiter à mobili, agente, & termino, siue sumantur seorsim siue simul.

*Dices*, terminum vt acquisitum non posse esse absque motu.

*Contra primo*: quia hic loquimur de termino, qui acquiritur, non vt acquiritur reduplicatiue loquendo, sed specificatiue tantum.

*Contra secundò*: quia vt acquisitus etiam distinguitur realiter à motu, quia motus subiectatur immediate in mobili quod mouetur; illud autem à quo formaliter habet terminus esse acquisitus subiectatur immediate in ipso termino: sed quæ subiectantur in subiectis distinctis realiter, distinguuntur realiter: ergo terminus, etiam vt acquisitus, distinguitur realiter à motu.

*Contra tertio*: quia potest esse terminus acquisitus à mobili, & coniunctus illi, quin mobile moueatur motu rigoroso, de quo hic loquimur: nam quando producitur ignis cum calore, in eodẽ ipso instanti, quo producitur, habet calorem acquisitum, & tamen non mouetur proprie ad calorem, quia vt sic moueretur, deberet existere pro aliquo instanti ante acquisitum terminum: ergo motus dicit aliquid distinctum realiter à termino acquisito.

16 *Obiicies*, motus est forma in fieri: sed forma in fieri non distinguitur re ipsa à forma In facto esse: ergo motus non distinguitur realiter à termino siue in fieri, siue in facto esse.

*Respondetur* negando maiorem, quia potest forma esse in fieri, absque eo quod aliquid moueatur, vt si produceretur extra subiectum, aut si produceretur in illo ipso instanti, in quo producitur subiectum in ipso subiecto: & quia fieri ipsius formæ subiectatur in ipsa forma, motus autem subiectatur in mobili: vnde quamuis forma non posset esse in fieri, quin motus esset, adhuc distingueretur realiter.

*Obiicies secundò*: sequeretur, quod mobile moueretur duplici motu, moueretur enim ad terminum, & moueretur ad motum, si realiter distingueretur à termino; seu quod idem est, acquireret duas realitates realiter distinctas, & consequenter moueretur duplici motu, non secus ac illud, quod moueretur simul ad calorem & siccitatem, moueretur duplici motu, quia moueretur ad duas realitates realiter distinctas.

*Respondetur*, negando sequelam, quia licet acquireret duas realitates, tamen vna tantum ex illis est motus, & altera non est motus, sed terminus acquisitus per motum.

17 *Dices*, eo ipso, quo acquirit mobile aliquam realitatem, quam ante non habuit, mouetur, quia eo ipso, quod aqua habet calorem, quem ante non habuit, mouetur ad calorem: ergo etiam eo ipso, quod habet motum, quem ante non habuit, mouetur: ergo mouetur duplici motu.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: itavt omnis realitas iam habita, & ante non habita tribuat ipsi denominationem moti formaliter loquendo, nego antecedens; ita vt quoties sit realitas aliqua iã habita, & non habita antecedenter, mobile vere moueatur, & sit aliquid, à quo habet formaliter illam denominationem moti, concedo antecedens: & similiter distincto primo consequente, nego vltimam consequentiam. Itaque quãuis quoties aqua habet calorem de nouo, necessario moueatur, tamen non necessario mouetur per ipsum calorem formaliter & proxime loquendo, sed mouetur per aliquid aliud ad calorem, nempe per ipsum motum; & consequenter quandoquidem, dum calefit, non sint in ipsa duo motus, non debet moueri duplici motu.

*Obiicies tertiò*: eo ipso quo intelligitur aqua, verbi gratia, recipere calorem, intelligitur moueri, etiamsi non intelligatur recipere aliquid realiter distinctum; ergo frustra poneretur aliquis motus realiter distinctus à calore.

*Respondeo*, antecedens implicare contradictionem, quia implicat intelligere intellectione vera, quod aqua recipiat calorem formaliter absque eo, quod intelligatur habere aliquid, à quo habeat illam denominationem recipientis; & implicat quod intelligatur vere habere illam denominationem; quin habeat aliquid distinctum à calore, à quo habeat illam denominationem; quandoquidem nec à se ipsa, nec à calore possit illam habere, nec ab vtroque simul.

## CONCLVSIO III.

Motus nihil positiuũ dicit distinctum ab vnione mobilis ad formam.

1 *Motus nihil positiuum dicit, quod sit realiter distinctum ab vnione mobilis ad formam, ad quam dicitur moueri.* Hanc puto in re communem esse, &

*Probatur*: quia impossibile est ponere motum, quin ponatur hæc vnio; aut vnionem hanc, quin ponatur motus; & præterea subiectatur hæc vnio in eodem subiecto, in quo debet subiectari motus, & motus in illo subiecto, in quo subiectatur hæc vnio: deinde vnio hæc habet illũ ipsum terminum, quem habet motus, nimirum formam, quæ acquiritur per motum: ergo non debent distinguí realiter.

*Confirmatur*: quia nulla est necessitas ponendi aliquid aliud positiuum distinctum realiter ab illa vnione, quod sit motus; ergo non debet poni, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

*Dices*: posset esse vnio illa absque motu, vt si vniretur subiectum

subiectum formæ,verbi gratia aqua calori in illo ipso instanti in quo producitur aqua,ergo est necessitas ponendi aliquid aliud, à quo denominetur aqua moueri ad calorem.

*Confirmatur:* quia manet illa vnio quando aqua est calefacta transeunte calefactione & motu,ergo vnio illa distinguitur realiter à motu.

*Respondeo* distinguendo consequens: aliquid aliud prærequisitum ad motum,concedo; aliquid aliud superueniens ipsi mobili, quod dicitur moueri pro illo instãti quo mouetur,nego consequentiã.Itaque ad hoc vt illa vnio habeat denominationem motus,requiritur necessario quod præextiterit subiectum quod mouetur;nec hoc negatur in conclusione,& qui id negaret, excitaret tantum quæstionem de nomine. Sed quod asserimus est, quod vt subiectum,quod existebat absque motu,moueatur de nouo,non requiratur aliquid positiuum,à quo formaliter denominetur moueri, præter illam vnionem: & quando diximus in probatione,quod vnio non posset esse absque motu, hoc intelligendum est sic,vt non possit esse in subiecto præexistenti;seu sic, vt non possit aduenire subiecto præexistenti tempore, quin sit motus, & quin moueatur illud subiectum,quod certum est.

19 *Ad confirmationem respondeo* concedendo totum,sed negando id esse contra conclusionem:nam aliud est quod motus nihil positiuum dicat distinctum realiter ab vnione;aliud quod nihil dicat aliud præter vnionem.

*Et si quæras*, quid aliud dicat?

*Respondeo*, quod dicat præter vnionem, negationem existentiæ vnionis pro instanti aut tempore immediate præcedenti:nunquam enim potest moueri subiectum aliquod,quin recipiat vnionem ad aliquid, quam vnionem non habuit antecedenter dum existebat absque motu,& quoties aduenit ipsi vnio,quam ante non habuit, quamuis nihil aliud prorsus adueniret ipsi præter vnionem & terminum eius,quem necessario affert secum vnio, non posset non moueri;vnde motus formalissime sumptus est vnio cum negatione existentiæ pro tempore aut instanti immediate præcedenti, quam negationem solet aliquãdo Scotus explicare per respectũ ad non esse immediatè præcedens;quia licet non detur à parte rei aliquis respectus talis,tamen potest intellectus concipere talem respectũ in forma aut vnione de nouo producta.Et si quæras,cur non daretur talis respectus,Respondeo,quia deberet esse vel realis vel rationis;neutrũ autem potest dici:non realis quidem,quia terminus eius non est quid positiuum, cum sit non esse immediate præcedens;non etiã rationis, quia est independenter ab operatione intellectus,vt supponitur.

Quomodo distinguitur motus ab actione & passione.

20 *Ex his patet*, quomodo distinguatur motus ab actione & passione:in sententia enim communi Scotistarum,qui ponunt actionem subiectatam in agente,distingui debet motus realiter ab actione,quia motus subiectatur in mobili;quæ autem subiectantur in diuersis realiter subiectis, distinguuntur realiter, maxime si illa subiecta distincta realiter,non faciant vnum per se,quod non contingit in proposito.Nec refert quod aliquando mobile,& agens coincidant,vt cum idem mouet seipsum:nam hoc contingit per accidens,& posset illud ipsum mobile eodẽ motu moueri,quamuis ipsum non moueret se,sed Deus, quod sufficit ad distinguendum realiter,motum & actionem eiusdem mobilis.In eadem etiam sententia Scotistarum,si capiatur pro passione respectus, quo forma formaliter recipit suum esse, etiam motus & passio distinguentur realiter,quia motus subiectatur in mobili immediatè,& passio illa subiectatur in forma, quæ acquiritur per motum. Si vero capiatur passio pro transmutatione subiecti, aut pro illo à quo habet formaliter mobile seu subiectum transire de non forma ad formam, quandoquidem illud sit vnio ipsius cum forma, motus & passio identificabuntur realiter.

In sententia verò aliorum philosophandum est cõformiter ad sua principia,secundum quod idẽtificant actionem & passionem inter se & cum vnione. Nam si idẽtificant actionem, & passionem inter se, & præterea cum vnione,motus,actio,& passio non distinguentur realiter; si verò identificent actionẽ & passionem inter se,sed nõ cum vnione, motus distinguetur realiter ab actione & passione;si denique distinguant realiter actionem & passionem; sed passionẽ identificent cum vnione subiecti ad formam;tum actio distinguetur realiter à motu,passio vero identificabitur illi,Quid autẽ dicendum sit à parte rei absolute,patet ex dictis in Logica de actione,& passione.

21 *Addendum autem* hic obiter, non facile posse defendi quod aiunt *Complutenses* citantes alios Thomistas hic *disp.*17.*n.*13.nempe formalitates actionis, passionis & motus distingui inter se formaliter secluso intellectu, licet in vna entitate modali identificentur:nam in primis secundum ipsos & Thomistas non datur distinctio vlla actualis antecedens operationem intellectus,quæ non sit realis; ergo quæ identificantur inter se aut in alia tertia entitate, non possunt habere vllam distinctionem actualem secluso intellectu;nec video quomodo si realiter identificantur aliqua, possint habere distinctionem actualem realem.

Reiicitur sententia Complutensium.

*Deinde*, vel entitas motus potest esse absque entitate actionis,aut è contra;vel habebunt subiecta distincta realiter,vel vnum est principium productiuum alterius; vel certe habebunt idem subiectum, & neutrum potest esse absque altero,nec alterum alterius est causa.Si hoc secũdum dicatur,ergo non distinguuntur realiter actualiter; alias poterimus dicere quod animalitas & rationalitas sic distinguantur.Si primum dicatur:ergo non identificabuntur realiter;alias poterimus dicere quod similitudo subiectata in hoc pariete identificetur realiter similitudini subiectatæ in altero pariete;& quod Pater æternus identificetur realiter Filio,& quod paries identificetur realiter similitudini de nouo sibi aduenienti.Nec refert quod actio & passio,& motus habeant diuersas definitiones, ac ponantur in diuersis prædicamentis;nã hoc nihil facit contra eos,qui tenent prædicamenta nõ distingui necessario realiter.Contra alios verò,qui putant,prædicamenta distingui realiter, probaret quidem quod distinguerentur realiter, sed ex hoc ipso capite colligeretur, quod non identificarentur realiter.

Eodem modo respondendũ est ad illud de definitionibus:nam qui tenebunt ea distingui realiter,concedent diuersas definitiones adæquatas,& negabunt consequenter identificationem realem eorum.Qui vero dicent illa identificari,negabunt diuersas definitiones adæquatas.

Motus non habet rationem subiecti quo respectu actionis, & passionis.

22 *Addendũ secundo*, contra eosdem,*n.*22.motum non habere posse rationem subiecti *quo* respectu actionis, & passionis:tum quia vel subiectantur inseparabiliter de potẽtia etiam absoluta in eodem subiecto,& identificabuntur realiter, nec alterum respectu alterius potest esse subiectum *quo*:vel subiectantur in diuersis subiectis,& sic etiam neutrum respectu alterius potest esse subiectum *quo*, quia subiectum *quo* se tenet ex parte subiecti,in quo subiectatur alterum, respectu cuius dicitur subiectum *quo*. Tum quia impossibile est intelligere, quod aliquid moueatur ad aliquam formam, quin patiatur recipiendo illam formam:ergo non abstrahit motus à passione sic, vt possit esse subiectum *quo* ipsius, & consequenter falsum est fundamentum Complutensium consistens in eo,quod motus abstrahat à passione.

*Quæres*, ad quod prædicamentum spectet motus.

23 *Respondeo*, quod ad prædicamentum passionis, non quidem capiendo passionem prout est correlatio actionis, & illud,à quo habet aliquid recipere esse existentiæ,sed prout dicit illud,à quo habet aliquid pati formaliter loquendo, siue ab agente dante ipsi esse existentiæ,siue à forma,quæ informat ipsum.

*Dices:* Philosophus excluſit motum à prædicamentis, & ideo de ipso egit in postprædicamentis.

*Respondeo* negando antecedens: sed solum non determinauit ipsi proprium prædicamentum distinctum à reliquis: & quia non determinauit ad quod ex reliquis spectauit,ideo de eo seorsim egit in postprædicamentis.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO III.

*Vnde sumatur vnitas numerica ac specifica Motus.*

24 CErtum est, motum, sicut & quamlibet aliam rem, habere ex natura sua & entitate vnitatem tam specificam quã numericam; sed quia nos non possumus naturas rerum declarare, nisi per ordinem ad aliqua extrinseca, quæritur hic per ordinem, ad quæ extrinseca possimus colligere, quod vnus motus distinguatur specie vel numero ab alio motu, sicut quæsiuimus in Logica, per quæ principia potuissemus colligere, quod vna relatio distinguatur specie vel numero ab alia relatione.

*Pro resolutione* aduertendum est motum habere duplicem terminum à quo, vnum negatiuum, & est negatio termini ad quem, quæ necessario debet præexistere in subiecto vt moueatur ad alium terminum, & hic est terminus à quo essentialis motus, quia sine ipso nequit esse de potentia absoluta. Alius est terminus à quo positiuus, & est aliquid positiuum, quod tollitur à subiecto quando mouetur; vt ab aqua tollitur frigus quando calefit seu mouetur ad calorem, & hic terminus vocatur terminus à quo per accidens motus, quia motus posset dari, quamuis non præexisteret hic terminus, aqua enim sine dubio posset calefieri quamuis non fuisset ante frigida; neque enim frigiditas iuuat, sed potius impedit calefactionem.

Aduertendum præterea duplicem posse considerari causam effectiuam motus, vnam adæquatam, sine qua scilicet non posset motus esse; sicut intellectus esset causa adæquata intellectionis, ex suppositione, quod non posset intellectio produci ab alia causa absque concursu intellectus. Alia est causa inadæquata, quæ scilicet potest quidem mouere mobile, sed non ita quin aliæ etiam causæ possint ipsum mouere simili motu. Talis causa supponitur esse ignis respectu calefactionis, quia non solus ignis potest calefacere, sed etiam Deus & Sol & aliæ causæ.

## CONCLVSIO I.

Distinctio specifica motus desumitur à distinctione specifica termini.

25 *DIstinctio specifica motus desumitur à distinctione specifica termini ita vt eo ipso quo termini distinguuntur specie, etiam motus debeant distingui specie.* Hæc est omnium, *& patet* manifeste: quia cum motus tendat essentialiter in terminum, ex eo quod sit acquisitio eius, non potest fieri, quin, si termini distinguantur specie, motus distinguantur specie.

*Confirmatur*: quia relationes distinguuntur specie quoties termini sic distinguuntur: sed motus est relatio: ergo quoties termini motuum distinguuntur specie, & motus etiam sic distingui debent.

*Confirmatur secundo*: quod essentialiter ex natura sua intrinseca dicit ordinem ad aliquid determinatæ speciei, ad quod alterum non dicit ordinem, debet distingui specie ab illo altero: sed motus ad vnam speciem, verbi gratia calorem, dicit ex natura sua intrinseca ordinem ad aliquid determinatæ speciei, ad quod non dicit ordinem motus ad aliam speciem, verbi gratia albedinem: ergo motus tendentes in diuersas species debent necessario distingui specie inter se. Hinc habetur quod vnitas specifica duorum motuum inter se, debeat partim desumi ab vnitate terminorum ad quos, ita vt non possit quis scire an aliqui motus sint eiusdem speciei, quin cognoscat quod termini sint eiusdem speciei, nam si distinguerentur specie ex distinctione specifica terminorum, debet cognosci, quod non sit talis distinctio in terminis, vt cognoscatur quod non sit distinctio in motibus.

Vnitas specifica motus desumitur partim ab vnitate specifica termini.

## CONCLVSIO II.

Et diuersitate specifica subiecti etiam desumitur distinctio motus.

26 *ETiam ex diuersitate specifica subiecti potest diuersitas specifica motus colligi.* Hanc tenet *Auersa q. 26. sec. 12.* & est contra communiorem, vt videtur sententiam, & speciatim contra *Mastrium d. 15. a 1.*

*Probatur manifeste*: quia motus quo mouetur vnum subiectum, verbi gratia homo, dicit essentialem ordinem ad hominem, nec de potentia absoluta potest esse motus alterius subiecti, verbi gratia leonis, aut motus leonis motus hominis, etiamsi haberent terminos eiusdem rationis, verbi gratia calores, vt si tam homo quam leo calefierent: ergo distinguuntur specie illi motus, & eorum distinctio specifica optime colligi potest ex eo, quod dicant ordinem ad subiecta specie distincta sine recursu ad terminum, sicut potest ex ordine motuum ad diuersos specie terminos colligi diuersitas specifica illorum absque recursu ad fundamentum seu mobile. Quæ probatio mihi euidentissima est. Et intelligenda est conclusio quocumque subiecto siue adæquato, siue inadæquato; si tamen detur aliquod subiectum inadæquatum motus, quod non puto, quia reuera nullus motus vllius subiecti distinctæ speciei ab altero subiecto potest esse eiusdem speciei cum motu vllo illius alterius subiecti propter rationem conclusionis. Fateor quidem communiter respici magis distinctione motus; quæ desumitur à termino, quam illam quæ desumitur à fundamento, & quamuis reuera non minus sit illa, quæ desumitur à fundamento, tamen habetur communiter tanquam si non esset; vnde communiter censeri solent motus distinctæ speciei, qui habent distinctos terminos, & eiusdem speciei, qui habent terminos eiusdem speciei. Et hoc tantum vult Philosophus *tex. 31.* & sic etiam quicumque alius ex antiquis Doctoribus, cuius authoritatem non placeret negare, exponi potest.

27 *Obijcies.* Idem calor erit in specie siue in ligno, siue in aqua: ergo & eadem eductio in specie, & consequenter idem motus in specie; ergo non desumitur specifica diuersitas motus à diuersitate subiectorum.

*Confirmatur*: quia denominatio motus accipitur à termino solummodo: ergo & specificatio. Probatur antecedens: quia motus ad calorem dicitur calefactio, motus ad albedinem dealbatio, & ita de reliquis.

*Respondeo* negando consequentiam: quia eductio dicit ordinem essentialem ad subiectum sic, vt non possit esse in alio, calor autem non dicit talem ordinem.

*Ad confirmationem respondeo*, negando consequentiam, quia denominatio illa est arbitraria, & si placeret hominibus possent etiam desumere illam à subiecto; vt si vellent vocare motum ligni ad albedinem ligni albationem, hæc enim denominatio non à termino solum, sed à subiecto desumitur.

## CONCLVSIO III.

Non desumitur specificatio motus à termino positiuo à quo.

28 *NOn desumitur specificatio motus à termino positiuo à quo.* Hæc est communior, *& patet*: quia acquisitio termini ad quem eadem numero & specie posset esse, quamuis diuersissimi essent termini positiui à quibus: eadem enim numero & specie dealbatio posset esse, siue subiectum mutaretur à nigredine, siue à rubedine, siue à quocumque alio calore, imo esset eadem, quamuis nullus præcessisset terminus à quo positiuus, quia reuera nullam habet essentialem connexionem cum termino positiuo à quo; frustra enim & absque vllo fundamento asseretur talis connexio. Quæ res tam clara est, vt non indigeat vlteriori probatione, præsertim cum oppositæ sententiæ nullum sit vllius ponderis fundamentum.

## CONCLVSIO IV.

Quomodo ab agente posset desumi specificatio motus.

29 *SI daretur aliquod agens, quod posset mouere determinatis motibus, quibus non posset mouere aliud agens diuersæ speciei, motus illi qui prouenirent ab ipso, possent specificari per ordinem ad illud agens, non recurrendo ad terminum ad quem; quando autem motus prouenies ab agente vnius speciei potest prouenire ab agente diuersæ speciei, distinctio specifica motus non potest prouenire ab agentibus.* Hæc videtur esse quoad primam partem contra *Mastrium*. *Sed probatur illa pars prima* ex dictis: quia ad cognoscendum quod aliqua distinguantur specie, sufficit quod cognoscatur vnum ex ipsis dicere ordinem ex natura sua intrinseca ad speciem aliquam, ad quam alterum non dicit ordinem, quia ex illo ipso ordine sequitur necessario distinctio specifica ipsius; ergo eo ipso, quo motus aliquis petit ex natura sua intrinsece prouenire ab agente vnius speciei, à quo alius motus nequit prouenire, debet colligi esse distinctæ speciei ab alio motu, & consequenter in tali casu specificaretur motus à tali agente.

*Probatur etiam secunda pars*: quia non potest colligi diuersitas specifica aliquorum per ordinem ad aliqua, nisi quatenus vnum respiceret aliquid, quod alterutrum non respicit: ergo quoties vnus motus potest prouenire à diuersis specie agentibus, non potest colligi quod motus

prouenies

proueniens ab vno ex illis agentibus distinguatur specie a proueniente ab altero agente.

30 *Obycies* contra primam partem: Aristoteles agens de specificatione motus, non facit mentionem de motore: ergo putauit motum specificari à motore.

*Respondeo*, quidquid sit de antecedente, negando consequentiam: quia sufficiebat intento ipsius dare aliqua principia, vnde specificatio motus posset colligi, nec erat necesse, vt assignaret omnia specificationis principia.

*Obycies secundo* quotiescumque sunt motus qui exigunt determinata agentia ita, vt vnus non possit prouenire ab eo, à quo alter prouenit, necessario illi motus habebunt distinctos specie terminos: ergo in tali casu sufficienter desumi potest specificatio eorum à terminis, nec est recurrendum ad agentia.

*Respondeo primo* concedendo totum; nec id est contra conclusionem, quæ non dicit, necessario debere desumi specificationem motus ab agente ita, vt aliunde non posset desumi; sed eam ab ipso etiam posse aliquando desumi in casu tali, si casus ille sit possibilis.

*Respondeo secundo* dubitari posse de antecedente, quia posset fieri quod calefactio vnius subiecti non posset prouenire ab vno agente, & posset ab alio: in tali autem casu motus istius subiecti specificaretur ab agente, hoc est colligeretur distinctio specifica ipsius ab alia calefactione alterius subiecti prouenientе ab alio agente; cum tamen vtraque calefactio haberet terminum eiusdem speciei.

31 *Dices*: si terminus vtriusque calefactionis sit eiusdem speciei & etiam subiectum; non videtur possibile quod vna posset ab vllo agente prouenire, à quo nō posset altera: vel ex parte termini vel ex parte fundamenti habetur specificatio motus, & cōsequenter nō specificatur ab agēte.

*Respondeo* negando vltimam consequentiam, tum quia licet sufficienter haberetur specificatio ipsius à termino & fundamento, tamen posset etiam sumere specificationem ab agente; tum præcipue quia posset distinctio subiectorum aliquando desumi ab agentibus: nam eo ipso quo videretur vnum subiectum posse calefieri ab aliquo agente, à quo alterum non posset, colligi posset optime distinctio vtriusque subiecti.

*Quod si quæras* absolute & simpliciter, an distinguantur etiam specie ex distinctione specifica agentium.

*Respondeo*, in sententia eorum qui identificant motum & actionem, affirmatiue, quia quoties agentia distinguuntur specie, toties necessario actiones distinguuntur specie, & consequenter motus, propter easdem rationes, quibus probatum est motus distingui specie, quoties subiecta distinguuntur specie. At in sententia nostra, qui distinguimus realiter actionem à motu, existimo eundem numero motum qui prouenit ab vno agente, posse prouenire ab alio agente specie distincto, & consequenter non necessario distingui specie motus ad distinctionem agentium specificam.

Quando motus sunt eiusdem speciei.

32 *Ex his patet* quomodo poterit colligi quinam motus sint eiusdem speciei: nam omnes illi motus, ad quos distinguendos specie non habemus principia sufficientia, neque ex parte termini ad quem, neque ex parte subiecti, neque ex parte agentis, debent dici esse eiusdem rationis, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

*Dices*: motus successiuus & instantaneus sunt diuersæ speciei, & tamen posset fieri quod ab eodem agente idem subiectum moueretur ad eundem terminum specie, nunc successiue nunc instantaneè, vt si Deus aquam calefaceret hodie in instanti & cras successiue: ergo non debet dici quod motus omnes sint eiusdem speciei, quando non habemus sufficientia principia ad eos distinguendos specie neque ex parte agentis, neque ex parte subiecti, neque ex parte termini ad quem.

Quomodo motus successiuus & instantaneus distinguantur specie.

*Respondeo* distinguendo maiorem: in quantum dicunt acquisitiones terminorum, nego maiorem: in quantum acquisitiones illæ, quæ sunt in motu successiuo, includunt negationem coexistentiæ in prima productione sui concedo maiorem; & concessa minori, distinguo consequens: in quantum dicunt acquisitiones terminorum, nego consequentiam; in quantum vnus ex ipsis dicit negationem istius coexistentiæ suarum partium pro prima productione, quam negationem non dicit alter motus, nempe instantaneus, concedo consequentiam.

33 *Dices secundo*: motus successiuus, vt successiuus, dicit essentialiter illam negationem: ergo si distinguitur ab instantaneo vt dicit illam negationem, distinguitur essentialiter ab illo, vt est successiuus, & consequenter si non potest colligi quod sit successiuus ex termino agente aut subiecto, non poterit esse vera doctrina præmissa.

*Respondeo*, negando consequentiam vltimam, quia doctrina præmissa tantum vult, quod motus, qui non apparent distinctæ speciei ex semetipsis, sed quorum distinctio specifica debet colligi ab extrinseco, non debeant distingui specie, nisi vel termini, vel subiecta, vel agentia sint distinctæ speciei, & non sufficere etiam quod agentia sint distinctæ speciei, distinctio autem illa successionis & instantaneitatis apparet in ipsis motibus ex semetipsis absque recursu ad extrinsecum principium. Deinde conclusio loquitur de motibus quo ad positiua, quæ includunt, non quoad negatiua, quæ ab illis positiuis separari possunt.

34 *Dices tertio*: motus quo mouetur voluntas libere, & quo mouetur necessario, sunt distinctæ speciei: sed ipsorum distinctio non apparet ex ipsismet motibus, neque colligi potest ab agente aut subiecto aut termino: ergo adhuc nō significatur sufficienter quomodo potest colligi distinctio aut vnitas specifica motus. Probatur minor quoad primam partem: quia qui videt hominem volentem aliquid, non scit eo ipso vtrum necessario velit an libere: ergo non apparet ex ipsis motibus quod sint distinctæ speciei motus liber, & motus qui est necessarius. Probatur quoad alias partes: quia si moueret voluntas se ipsam libere ad eandem volitionem, ad quam alias moueret se necessario, esset idem terminus & idem subiectum, & idem agens, & tamen motus illi essent distinctæ speciei: ergo distinctio illorum motuum non posset desumi à termino, subiecto aut agente.

*Respondeo* negando minorem: nam quando mouetur libere mouetur à se ipsa, quando verò mouetur necessario, mouetur ab aliquo alio, & consequenter illi motus habent agentia distinctæ speciei, imo & terminos, etiam ex suppositione, quod voluntas non possit necessitari ad volitionem aliquam quam libere producit, quæ est sententia multorum.

*Ad probationem minoris*, quoad alias partes, Respondeo negando suppositum, nempe quod voluntas posset mouere se necessario ad volitionem illam, quam libere producit, saltem absque concurrentia alicuius alterius causæ, quæ non concurreret, quando produceret illam libere; quod si concurreret alia causa, tum distinctio volitionum illarum, quantum ad libertatem & necessitatem posset desumi ab ordine ad illam aliam causam.

Quomodo distinguitur volitio libera à necessaria.

35 Sed vt rem ipsam declaremus, vel illa ipsa volitio, quæ est libera voluntati, potest esse necessaria ipsi, vel non; si non potest, tollitur tota difficultas, quia quando mouetur libere & necessario, habet terminos distinctæ speciei. Si potest, dicendum est, quod volitio libera & necessaria, & motus liber, ac necessarius non distinguantur specie, quoad entitatem suam, sed quod distinguantur accidentaliter, quia vna nimirum prouenit à voluntate, vt est potens eam producere, vel non producere, eadem verò volitio, vel alia eiusdem speciei, vt est necessaria, habet prouenire à voluntate, vt ponhabet falcultatem ponendi oppositum; de quo in libris de anima disputatione de voluntate.

## CONCLVSIO VI.

Vnitas numerica motus requirit vnitatem subiecti ac termini ad quem non vero temporis nec agentis.

36 *VNitas numerica motus requirit necessario vnitatem subiecti, ac termini ad quem; non verò temporis, nec termini à quo positiui, nec agentis, nisi quando agens conicidit cum subiecto.* Hæc est communior, *& probatur prima pars*: motus est respectus, & consequenter dicit essentialem connexionem cum fundamento, ac termino; ergo nequit esse vnus numero, nisi sit vnus numero terminus, & vnum numero subiectum.

*Probatur*, quoad secundam partem de tempore, ac termino à quo positiuo, quia non potest assignari, cur haberet necessariam connexionem cum illis sic, vt non

posset

posset esse absque illis idē numero motus: quæ etiā ratio probat de agente, nisi in casu, quo excipitur: excipitur autem ille casus, quia quando coincidunt agens & subiectū sicut motus idem numero nequit habere plura subiecta, sed numeratur pro numeratione subiectorum; ita etiam numerari debet pro numeratione agentiū. Quod si motus & actio identificarentur, vniuersaliter deberet motus numerari pro numeratione agentium: nam sicut vna numero actio non posset prouenire à pluribus numero agentibus, ita etiā vnus numero motus ab illis prouenire posset.

Aduertendum porro, quod de facto motus producti diuerso tempore sint distincti numero, quia idem terminus numero non producitur diuersis temporibus; & eodem modo etiā diuersificatur numero de facto pro diuersitate agentiū quia diuersa agētia adæquata (de quibus loquor) non producunt eundem numero terminum; nec hoc est contra conclusionem, quæ solum asserit, quod non necessario simpliciter loquendo motus numeretur pro numeratione temporis, aut agentis.

Addēdum deinde, quod quando dicimus motum specificari à termino, id præcipue intelligendum de termino proximo, qui per motum illum immediate acquiritur; nō vero de termino remoto, & mediate ad quem disponeret, & esset ordinatus à natura terminus ille proximus; nam calefactio ordinata ad ignem non necessario distinguitur specie ab ea, quæ ordinatur ad lapidem.

## QVÆSTIO IV.

*Quomodo Motus opponuntur inter se, & cum quiete, & ad quæ prædicamenta datur.*

Quomodo motus inter se contrariantur.

37 QVinque modis ait Philosophus motus inter se cōtrariari. *Primo* si terminus à quo vnius est terminus ad quē alterius: vt si mobile moueatur ab aliquo alio ad calorē, & si à calore moueatur ad aliquid aliud: cōtrariantur autem hi motus, quia non potest fieri, vt simul & semel mobile moueatur duobus motibus, quorum vno moueretur à calore, verbi gratia, & alio moueretur ad calorem, alias moueretur & non moueretur ad calorem.

*Secundo*, si termini à quibus sint contrarij, vt si quidpiā moueretur à nigredine & ab albedine; hi motus sunt cōtrarij: quia non potest fieri saltem naturaliter, vt mobile idem possit moueri simul & semel à formis cōtrariis, verbi gratia, à calore & frigore: tum quia vel calor & frigus non possunt esse simul in eodem subiecto, atque adeo nec poterit simul ab illis moueri; vel certe si possint esse simul, non potest moueri à calore, nisi per introductionem frigoris: sed quando introducitur frigus in mobile, non potest moueri à frigore, quia mouetur ad frigus, aliàs moueretur simul à frigore & ad frigus.

*Tertio*, si termini ad quos sunt contrarij, vt si moueretur quis ad calorem & frigus: & quidem hi motus sunt contrarij, quando termini ad quos, perueniunt ad illum gradum, in quo sunt incompatibiles, quia tum certum est idē mobile non posse simul illis motibus moueri; quia alias termini ad quos nō essent incompatibiles: at licet termini ad quos aliquorum motuum essent secundum speciem contrarij, si tamen hoc non obstante possunt esse incompatibiles in aliquibus gradibus remissis, motus ad illos in illis gradibus non erunt contrarij, proprie loquendo, quādoquidem idem subiectum posset illis simul moueri.

38 *Quarto*, si terminus à quo vnius est contrarius termino ad quem alterius, vt si quidpiam moueretur à frigore, & aliud vel idem ad calorem. Addit autem Philosophus, inter duos motus non esse contrarietatem, quia vnus & idem motus potest esse & à termino à quo & ad terminum ad quem, qui sunt termini contrarij, vt si quis moueatur à frigore ad calorem.

*Sed contra hoc dices*: si quis moueretur à frigore ad aliquid aliud quod non esset calor, vt verbi gratia, albedinem, & idem vel aliud moueretur ad calorem, non esset vnus & idem motus, sed duo motus distincti simi: ergo non obstante ratione Philosophi huiusmodi motus possent esse co trarij.

*Respondeo*, negando consequentiam, quia quotiescúque, transitur à frigore ad aliquid aliud, quod non est caloro ille motus erit compatibilis cum motu ad calorem: ergo nūquā potest fieri quod motus à termino, à quo qui est cōtrarius termino ad quem, sit contrarius motui, quo acquiritur terminus ille ad quem.

*Quinto* denique, si tam termini ad quos, quam termin à quibus sint contrarij, vt si detur motus à calore ad frigus, & à frigore ad calorem: & hi motus sunt contrarij propter rationes illas, propter quas motus contrarij secundo & tertio modo sunt contrarij.

*Dices*: motus à frigore ad albedinem, & à calore ad albedinem sunt eiusdem speciei: ergo non sunt oppositi, & consequenter falsa est secunda oppositio. Probatur antecedens quia motus non specificatur à termino à quo positiuo, vt dictum est quæstione præcedenti: probatur consequentia quia res eiusdem speciei non opponuntur.

*Respondeo*, distinguendo consequens: non opponuntur inter se proprie loquendo, concedo; non opponuntur in hoc sensu, quod idem vtroque motu nequeat simul moueri, sicut potest aliis diuersis motibus, nego consequētiam.

39 Et hoc sufficiat quantū ad oppositionem motuum inter se; quantum autem ad oppositionem motus cum quiete, aduertendum est duplicem posse considerari quietem mobilis: vnam quæ consistit in permanentia eius sub forma, à qua recedit per motum, & quæ est terminus à quo eius; alteram, quæ consistit in permanentia mobilis sub termino ad quem motus. Certum autem est, motum, vt motum, vtique quieti contrariari & opponi in hoc sensu, quod motus, vt motus, cum nequit quiete possit simul esse in eodem mobili: non quidem cum quiete, quæ est permanentia eius sub termino à quo, quia per motum tollitur illa quies, sicut & ipse terminus à quo, aliàs non esset terminus à quo: nec etiam cum quiete, quæ est permanentia eius sub termino ad quem; quia quando permanet sub illo termino, iam non est amplius motus, nec verum est proprie, quod mobile moueatur, sed quod fuerit motum. Quia tamen motus ordinatur ad illam quietem, & hæc acquiritur mediante motu; sicut tollitur per motum altera quies, potest dici quod non tam proprie contrarietur, aut opponatur quieti, quæ est permanentia sub termino ad quem; sicut contrariatur quieti, quæ est permanentia sub forma, quæ est terminus à quo: nec de hoc potest esse alia difficultas, quam de nomine, nec etiam indiget alia probatione quam explicatione: & propterea ad determinandas has duas quæstionis huius partes, non adhibui conclusiones vllas expressas, sicut iam ad vltimæ partis solutionem adhibebo.

### CONCLVSIO I.

Datur motus ad subſtantiā quantitatem qualitatem.

40 *Datur motus ad substantiam; quantitatem & qualitatem.* Hæc est communior, & *probatur quoad primam partem* de substantia: quia materia prima mouetur ab vna forma substantiali ad aliam, & mediante hoc motu ipsius producitur substantia ex materia & forma illa resultans: ergo datur motus ad substantiam.

*Dices* illum motum non esse motum proprie dictū, quia non est successiuus, sed esse instantaneam mutationem.

*Contra*, quia hic agimus de motu vt sic, abstracto à successiuo, & instantaneo.

*Deinde*, quando comburitur successiue palea, est satis probabile, vt alias dicemus, quod producatur successiue forma substantialis ignis, & quod materia prima paleæ moueatur successiue: ergo quamuis ageretur hic de motu successiuo, adhuc verum esset, quod daretur motus ad substantiam.

*Probatur quoad quantitatem*: quia quantitas de nouo acquiritur in augmentatione, ita vt substantia quæ antea erat minor, postea fiat maior, & quidem acquiritur successiue mediante actione vera & reali: ergo datur motus ad illam.

*Confirmatur* in illa sententia, que tenet quod in rarefactione acquiratur noua quantitas sine subiecto nouo substantiali, quia hoc supposito nō potest esse vlla tergiuersatio, quin admitti debeat hęc pars cōclusionis. An autē illa sentētia sit vera, suo loco dicetur in libris de generatione.

41 *Aduerte autem hic* quod si ponatur quantitas coæua materiæ, & in ipsa subiectata; & præterea negetur quãtitas noua absque nouo subiecto acquiri in rarefactione, nõ posse admitti motum ad quantitatem, quo moueretur aliquod subiectum inhæsionis ad quantitatem, quamuis posset admitti & deberet motus, quo aliquod subiectum acquireret nouã quantitatẽ, quæ continuaretur cum præcedenti sua quantitate per continuationem aut contiguationem, sic vt haberet denominationem aliquam quãtitatiuam nouam, quam ante non habuit. Quod sufficit ad veritatem cõclusionis quoad hanc partem. Si vero teneatur magis communis sententia Scotistarum, quam in Logica probauimus, quod sc. quantitas subiectetur in toto composito, quamuis dicatur, ab ipsomet composito physice & quidem per veram actionem realem produci, adhuc non deberet admitti motus proprie dictus, nec successiuus, nec instantaneus ad quantitatẽ sic productã, quo moueretur ad illam aliquod subiectum inhæsionis; quia substãtia illa composita, à qua emanaret ac produceretur quantitas non existit pro vllo instanti temporis, pro quo non existit quantitas; requiritur autem ad motum formaliter loquendo, & rigorose, quod sit trãsitus subiecti prius existentis ad formam, quam ante non habuit. Vnde in hac sententia non debet admitti motus subiecti inhæsionis ad quantitatem, nisi teneatur quãtitas noua absque subiecto acquiri per rarefactionem; sed solum debet admitti motus ad acquisitionem maioris quantitatis.

*Probatur conclusio quoad tertiam partem de qualitate*, experientia quotidiana, qua constat subiectum non calidum fieri de nouo calidum, & quidem successiue, de quo nulla est controuersia.

42 *Obijcies primo* ex Complutensibus contra primam partem: substantia non habet latitudinem successiue percurrendam, quia ratione sui non habet partes, sed ratione quantitatis: ergo non potest dari motus proprie dictus ad illam.

*Confirmatur*: quia non habet aliquod contrarium, cui determinare contrarietur, ergo non habet contrarietatem requisitam ad motum, quia hæc debet esse inter determinata extrema. Probatur antecedens: quia substantia non fit per se ex alia substantia, sed ex priuatione.

*Confirmatur secundo*: quia contraria sub eodem genere maxime distant, ergo in illo genere debent esse duo extrema, à quorum vno ad aliud non potest veniri, nisi ordinatim & per medium: sed materia, dum exuitur vna forma, potest indifferenter recipere quamcunque aliam formã, absque vllo ordine: ergo formæ substantiales non habent contrarietatem sufficientem ad motum.

*Respondeo* negando antecedens cum sua probatione: tam enim substantia habet ex se partes, quam quantitas, vt ostendimus in Logica. Deinde negari posset consequentia, quia non requiritur ad motum talis latitudo in termino suo.

*Ad primam confirmationem respondeo*, negando consequentiam, neque enim requiritur ad motum quod terminus eius habeat aliquid magis determinate contrarium quàm forma substantialis habet: & sane quamuis nullo modo haberet contrarium calor, sed mutaretur ad ipsum successiue aliquod subiectum, daretur motus successiuus ad ipsum: & quamuis de facto contrarietas qualitatis determinatæ conducat ad successionem motus, tamen non est sola ratio, cur detur in eo successio sic, quin posset dari successio in ipso, quamuis terminus eius non haberet qualitatem determinate contrariam. Adde, moueri aërem ad lucem motu physico, quamuis lux non habeat qualitatem vllam contrariam.

*Ad secundam confirmationem respondeo*, distinguendo antecedens: contraria propriissime dicta, qualia sunt qualitates, transeat: contraria quæcunque, nego antecedens, & admissis cæteris propositionibus, nego vltimam consequentiam, quia non requiritur ad motum contrarietas tã stricta; imo nullo modo requiritur per se contrarietas ad motum; nam vt iam dixi, sufficeret quod acquireretur vna forma de nouo præsertim successiuè, siue illa forma haberet aliquam formam contrariam, siue non: quod si etiam necessario requireretur contrarietas, sufficeret talis, vt vna forma formaliter excluderet alteram ab eodem subiecto.

43 *Obijcies* contra secundam partem: quantitas non habet aliquid contrarium, ergo non datur per se motus ad illam, quia contrarietas requiritur ad motum. Probatur antecedens, tum quia proprietas quantitatis est habere contrarium secundum Aristotelem; tum quia si quantitas haberet contrarium, maxime quantitas parua haberet pro contrario quantitatem magnam: sed quantitas parua, & magna nõ opponuntur contrariè, sed solum relatiuè: vnde non tollitur quantitas parua adueniente magna, sed illa ipsa manens simul cum adueniente quantitate facit maiorem quantitatem.

*Complutenses* negant antecedens, ad cuius primam probationem dicunt, Philosophum loqui de contrario propriissimo, quale solum habet qualitas, cum quo stat quod quantitas habeat contrarium minus proprium, quod sufficit ad motum. Ad secundam probationem dicũt quantitatem paruam sub ratione paruæ formaliter non manere, licet eadem quantitas, quæ erat parua specificatiue loquendo, maneat; & hoc sufficere ad hoc vt dicatur contraria quantitati magnæ.

*Sed facilius respondetur* negando requiri ad motũ contrarietatem, licet ad motum successiuũ in qualitatibus id fortassis de facto requiratur: & sane si sufficeret ad hoc quod quantitas parua cõtrarietur magnæ, quod sub ratione paruæ non maneat cum magna, similiter vnus gradus caloris posset dici contrarius duobus gradibus, quia sub ratione vnius nõ manet, quando aduenit secũdus. Videtur autẽ absurdũ dicere, quod calor paruus, seu minus intẽsus opponatur cõtrarie calori magno. Omitto breuitatis causa impugnare aliam doctrinam, quam Complutenses eodem loco adducunt ad probandum, quod quantitas parua dicatur parua absolutè & non respectiue ad aliam quantitatem; quæ quidẽ doctrina est facillimæ impugnationis.

## CONCLVSIO III.

Non datur motus proprie dictus ad relationes tertij prædicamenti, nec ad vbi nec ad alia prædicamenta.

44 *NOn datur motus proprie dictus ad relationes tertij prædicamenti neque ad vbi intrinsecum aut extrinsecum: neque ad entia reliquorum prædicamentorum bene tamen potest dari motus ad locum extrinsecum, hoc est ad superficiem continentem rem, quæ localiter mouetur.* Hæc est cõmunis præter illam partem de vbi intrinseco, quæ minus communis videtur.

*Probatur prima pars*: quia motus proprie dictus nõ datur ad aliquid, nisi ad illud, ad quod datur actio physica proprie dicta vt patet ex cõmuni consensu & acceptione motus proprie dicti: sed non datur talis actio ad relationes tertij prædicamenti, quæ habent suum esse per resultantiam & propterea debent necessario resultare suppositis prærequisitis ita, vt nec Deus ipse possit impedire earum resultantiam: ergo non datur ad ipsas motus.

*Probatur conclusio quoad secundum partem de vbi*: quia secundum communem sententiam non datur motus ad motum: sed vbi intrinsecum est formalissimus motus, quo mouetur mobile ad superficiem talem; ergo ad illud non datur motus.

*Probatur secundò quoad eandem partem*: quia mobile non acquirit vbi intrinsecum per alium respectum distinctum, tum quia daretur processus in infinitũ, tũ quia gratis assereretur aliquis talis respectus: sed illud, ad quod datur motus proprie dictus, debet acquiri per respectum distinctum; ergo ad vbi non datur motus proprie dictus.

*Confirmatur*: quia non est maior ratio cur daretur motus ad vbi intrinsecum, quam ad quando intrinsecum, & habere intrinsecum, sed ad hæc secundum omnes non datur motus: ergo nec ad vbi intrinsecum.

*Probatur tertia pars* de aliis prædicamentis, quia si nõ detur ad vbi, nec ad illa dari potest propter similem rationem, aut fortassis propter maiorem; quia multi dicunt dari motum ad vbi, qui negant dari motum ad alia prædicamenta.

Datur motus ad locum continentem.

*Probatur quarta pars*: quia reuera acquirit mobile de nouo locum extrinsecum, & quidem successiue, per vbi intrinsecum tanquam per acquisitionem formalẽ ipsius, non minus quam aqua acquirit calorem. Nec refert quod

consequen

locus ille intrinsecus non subiectetur in mobili:hoc enim non requiritur ad motum;nec etiam refert quod non accipiat esse per motum quantum ad substantiam : sufficit enim quod quando fit motus ad ipsam,accipiat per actionem causæ efficientis aliquid vndè contineat actu locatum,quod non habeat ante illam actionem.

45 *Obiicies*:Ad vbi intrinsecum datur actio:ergo & motus;ad omne enim illud , ad quod datur actio præsertim successiua,qualis datur ad vbi,datur motus proprie dictus.

*Respondeo* negando consequentiam cum sua probatione;nam ad hoc quod detur motus ad aliquid , vltra hoc quod terminet actionem , debet esse aliquid acquisibile per aliud,& quod non sit acquisitio alterius essentialiter: tale autem non est vbi.

*Obiicies secundo:*Philosophus dicit dari motum ad vbi.

*Respondeo* cum loqui de vbi extrinseco materialiter sumpto,id est de superficie continente.

*Obiicies tertio*:Scotus explicãs Philosophum,dum dicit ad relationem non dari motum,ait ipsum intelligendum de relationibus intrinsecus aduenientibus;non de relationibus extrinsecus aduenientibus:ergo secundum ipsum datur motus ad relationes extrinsecus aduenientes : sed ad nullas potius quam ad vbi,ergo &c.

*Respondeo* Scotũ loqui de motu agẽtis,vt agens est,qui motus coincidit cum actione:& concedo ad vbi dari talẽ motum,nec id est contra conclusionem:non vero loquitur de motu mobilis,vt mobilis est,qualis est ille,quẽ negamus terminari ad vbi,aut ad alia prædicamẽta vltima.

# DISPVTATIO XIV.

## *De Infinito.*

QVAMVIS Infiniti natura finiti intellectus capacitatem transcendat,qui in earum quæ limites habent,rerum contemplatione vt plurimum cæcutit ; non poterat tamen omnium manibus trita præteriti materia absque aliquo examine, vt vel inter vulgares dicendi modos,qui probabilior apparet,in nostra sententia, declaretur ; aut si nihil resolui possit,vtriusque partis difficultas appareat.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit Infinitum,& an dari possit.*

NOn agitur hic de re infinitæ & illimitatæ perfectionis qualis est Deus,quẽ certum est dari à parte rei, & quo non dato nihil aliud daretur ; sed de aliquo toto includente infinitas partes separabiles. Huiusmodi autẽ Infinitum describitur à Philosopho esse *illud,cuius semper est aliud extra accipere* : cuius descriptionis ab omnibus communiter admissæ sensus est,quod Infinitum sit illud, quod habet tot partes finitas,vt capiendo partẽ post partẽ semper remaneat aliqua pars accipienda sic,vt nunquã possit assignari aliquis numerus determinatus partium quas habet,nec quidem ab ipso Deo. Huiusmodi autem infinitum duplex communiter assignari solet:vnum quod vocant Categorematicum;alterum Syncategorematicum.

Descriptio infiniti.

Quid categorematicum.

*Categorematicum*,quod simpliciter infinitum dicitur,est quod includit actualiter tot partes determinatas,quarum vnaquæque assignabilis sit, vt si numeraretur,aut destrueretur vna post alteram , semper restarent aliæ numerandæ,ac destruendæ,tale infinitum esset linea infinite protensa,& aggregatum ex infinitis hominibus.

Quid syncategorematicum.

*Infinitum syncategorematicum* est , quod habet quidem tot partes,vt nunquam possit assignari numerus determinatus partium eius,quin plures adhuc partes habere possit,licet nunquã possit habere tot partes determinatas simul existentes,quin possit assignari numerus determinatus partium determinatarum eius:huiusmodi infinitũ est quodlibet continuum finitum ex suppositione quod non constet solis indiuisibilibus,quia nunquã potest assignari,nec ab ipso Deo , numerus determinatus partium eius sic , quin possit ostendi quod necessario debeat habere plures partes;reuera tamen potest assignari numerus determinatus omnium partium determinatarum eius:potest enim dici quod habeat tres pedes aut quatuor aut quinque aut mille,& quod nõ habeat plures:tale etiã infinitũ est collectio cogitationum omnium,quæ futuræ sunt per totam æternitatem,quia non potest assignari numerus vllus determinatus earum quæ erunt,quin necessario possit assignari maior numerus;& quia nunquam erũt nec fuerunt tot actu ex ipsis,quin possit assignari numerus determinatus earum,quo maior nec est nec erat,ex ipsis.Tale etiã infinitum est collectio omnium hominum possibiliũ, si simul poni nõ posstũt à parte rei,propter eandẽ rationẽ.

2 *Hoc supposito* de natura infiniti ; de triplici infinito communiter quæri solet an sit possibile;de infinito quoad numerum, vt an possit dari numerus infinitus hominum:de infinito quoad extensionem , vt an possit dari quãtitas verbi gratia linea infinite protensa:& de infinito quoad intensionem,vt an possit dari qualitas infinitæ intensionis. Additur denique,an etiam possit dari in creaturis infinitas perfectionis essentialis.

*Plures in hac re sunt sententiæ*, sed principaliores sunt tres:*prima negat* vllum infinitum categorematicum esse possibile.Ita *Thomistæ* magis communiter, quos & alios plures citat & sequitur *Auersa quæst. 24.sect. 5.* & *Complutenses disp.18.*

*Secunda* concedit infinitum in multitudine,extensione & intensione esse possibile de potentia absoluta. Hanc tenent *Nominales* cum *Occamo quodl. 1.q.5.*quos plurimi recentiores sequuntur & præsertim *Hurtadus & Arriaga hic & Fasolus* fusi ssime *1.p.q.7.*

*Tertia sententia* negat infinitum in magnitudine seu extensione , & concedit in multitudine : in hanc inclinat *Amicus* hic citans multos alios.

### CONCLVSIO I.

3 *DAtur infinitum syncategorematicum in magnitudine & intensione,& etiam in numero.* Hæc est communissima, *& probatur quoad magnitudinem*:quia quodcumque continuum finitum,quod de facto datur,est tale infinitum,nam quodcumque tale habet in se tot partes, vt nunquam possit assignari numerus aliquis determinatus partium eius,quin euidenter possit ostendi, quod habeat plures partes;quocunque enim numero assignato, verum erit dicere,quod quælibet pars ex illo numero sit diuisibilis in duas partes vlteriores:potest tamen assignari numerus aliquis determinatus partiũ determinatarum eius: ita vt ex similibus partibus non habeat plures:hoc autem est esse infinitum syncategorematicum quoad extensionẽ.

*Nec refert*,quod aliqui dicãt nullum continuum habere partes actu,sed solum potentia:nam præterquam quod hoc falsum sit,non facit ad propositum:sufficit enim ad veritatẽ conclusionis,quod habeat illas partes in potẽtia, modo possit habere illas in potẽtia,quin habeat eas actu.

*Probatur conclusio quoad intensionem* : quia quæcunque qualitas intensa,quæ de facto datur , potest diuidi in infinitas partes , alias constaret ex indiuisibilibus : non in infinitas determinatas, quia alias esset infinita categorematice:ergo in infinitas indeterminatas,hoc est , non in tot, quin possit in plures : ergo est infinita syncategorematice,quoad intensionem.An autem quælibet qualitas habeat aliam infinitatem syncategorematicam sic scilicet,vt non possit dari vnquam vlla tam intensa,quin possit dari alia intensior:alias dicetur : sed resolutio non est necessaria ad probandam hanc conclusionem, quamuis probaret etiam illam,si teneretur pars negatiua.

*Probatur denique conclusio quoad numerum*:quia numerus partium continui est Infinitus syncategorematice , vt patet ex probatione primæ partis,& etiam quia collectio cogitationum futurarum per totam æternitatem à parte post in cælo & in inferno est sic infinita:neque enim pro vllo vnquam tempore aut instanti dabitur tanta multitudo earum , quin possit assignari determinatus numerus omnium cogitationum:quæ sunt in illa multitudine;& præterea nunquam assignari potest vllus numerus determinatus cogitationum,quæ futuræ sunt per totam æternitatem,quin necessario plures adhuc sint futuræ.

CONCLVSIO II.

4 *Probabilius est dari posse infinitum categorematicum tam secundum extensionem, quam secundum numerum.* Hæc est iuxta secundam sententiam: pro qua non citaui Scotum, sicut nec modo cito illum pro hac conclusione, quia de hac re nihil resoluit, quoniam vel erat problematicus, vel dubius; nec immerito sane, quia sunt ingentes difficultates ab vtraque parte, quas vix, aut ne vix quidem quis bene soluere possit, vt ex dicendis patebit.

*Probatur primo & principalissimè*: quia huiusmodi infinita non repugnant: ergo possunt produci per infinitam potentiam Dei. Probatur antecedens: quia nulla potest assignari repugnantia in huiusmodi infinitis, cui similis nó potest reperiri in infinito syncategorematico ab omnibus concesso: ergo non est repugnantia vlla, quæ impediat possibilitatem infiniti categorematici, sicut non est, quæ impediat possibilitatem infiniti syncategorematici.

*Probatur secundo*: quia omnis collectio entium realium potest simul poni à parte rei, nisi sit aliqua incompossibilitas inter partes eius, sed non est vlla incompossibilitas inter partes collectionis infinitorum hominum, aut infinitarum partium continuatarum vnius lineæ: ergo potest vtraque collectio poni, & consequenter potest dari infinitum categorematicum, quoad numerum & extensionem, collectio enim illa infinitorum hominum erit infinitum, quoad numerum, & collectio infinitarum partium continuatarum lineæ erit infinitum, quoad extensionem. Probatur minor: quia non est incompossibilitas inter illas partes, nisi vel ex ratione sua specifica, aut indiuiduali, vel ex ratione infinitatis: sed non est incompossibilitas inter illas ex ratione specifica, aut indiuiduali, alias collectio duorum hominum, aut duarum linearum nequiret esse simul: nec ex ratione infinitatis; quia datur infinitum syncategorematicum à parte rei.

*Dices*: Incompossibilitatem non oriri ex ratione infiniti vt sic: sed ex ratione infinitatis particularis talis, nempe categorematicæ.

*Contra*, non debet dici id oriri ex ratione talis infinitatis, nisi possit ostendi aliqua repugnantia particularis, quæ sequeretur ex positione huiusmodi infinitatis, qualis non sequeretur ex positione infinitatis syncategorematicæ: sed non potest talis ostendi, vt dictum est in prima probatione & patebit ex dicendis: ergo &c.

5 *Confirmatur vtraque hæc probatio*: quia Deus videt actu infinitos homines simul, & vnumquemque ex ipsis cognoscit, quatenus ab aliis omnibus distinguitur, & cognoscit etiam actu infinitas partes coniungi posse cum quacumque linea, quæ de facto datur: sed omnis repugnantia, quæ adduci potest contra illos homines & illas partes lineæ, si darentur à parte rei, possunt afferri contra illos, vt terminant cognitionem diuinam: ergo quandoquidem reuera actu terminant hoc non obstante cognitionem diuinam; licet non possimus bene soluere difficultates oppositas, debet etiam iudicari, quod possint poni à parte rei, quamuis non possimus soluere satis commode difficultates oppositas. Et sane hæc sola est ratio cur existimem hanc partem esse probabiliorem; quia quotiescumque aliqua conclusio, de qua dubitatur, non habet maiorem difficultatem, quam alia conclusio, de quà non dubitatur, debet omnino teneri non obstante illa difficultate, quamuis esset insolubilis.

*Respondent* aduersarij ad hanc confirmationem distinguendo antecedens: cognoscit infinitos homines syncategorematice, concedunt; categorematice, negant; cum enim secundum se non sint infiniti, nisi syncategorematice, non possunt à Deo alio modo cognosci, nam Deus debet cognoscere res vt sunt.

6 *Contra primo*: quia implicantiæ, quæ sunt contra infinitos homines categorematice, sunt contra infinitos syncategorematice: ergo si infinitos categorematice non vider, nec videbit infinitos syncategorematice: antecedens patebit postea.

*Contra secundo* quia certũ est quod ipse actu videat aliquem numerum hominum possibilium, sed ille numerus debebit esse infinitus categorematice, vel finitus categorematice, nec enim inter hæc datur medium, nam numerus infinitus syncategorematice, qui solũ posset cogitari medius, debet necessario esse vel finitus categorematice vel infinitus: sed non potest dici, quod sit finitus categorematice, quia si numerus ille, quem actu videt hominum possibiliũ, sit finitus categorematice, potest illum producere actu sine dubio, quia nemo negat quin Deus possit producere quemcunque numerum determinatum & finitum hominum: ergo Deus non posset plures homines producere quã essent in numero aliquo determinato & finito; quod est absurdum: tum quia hinc sequeretur contra aduersarios quod numerus hominum possibilium non esset infinitus categorematice: tum quia absurdum est potentiam infinitã Dei non posse extendere se ad maiorẽ numerum indiuiduorum alicuius speciei non incompatibiliũ, quã est quicumque numerus determinatus & finitus.

*Confirmatur*: quia quando dicunt quod cognoscat infinitos syncategorematice tantũ, vel intelligunt quod ipse nó videt tot, quin plures possit videre, quod est absurdissimum, quia poneret in Deo aliquem defectum scientiæ, cum nó videret omnia possibilia; vel intelligunt quod nó videat infinitos homines vt possibiles simul existere, & hoc non facit ad rem quia iam non quærimus an videat infinitos homines qui simul possint existere, sed an videat infinitos homines, quorum quilibet seorsũ possit existere.

7 *Dices* per hoc intelligi quod videat infinitos homines in infinitum.

*Contra*, quia non potest actu videre finitos in infinitũ, quin actu videat plures homines quam sint in numero quocumque determinato finito: ergo numerus ille quem actu videt, debet esse absque fine & infinitus consequenter.

*Aduertendum* autem pessime & mala fide ab *Hurtado* adduci Scotum pro sententia, quæ negat Deum cognoscere actu infinita; neque enim id ipsi vnquã venit in mentem: quamuis enim in 3. *dist.* 13. *quæst.* 4. neget gratiam actualem posse intendi in infinitum: hoc tamen est longe diuersũ ac dicere quod Deus nó cognoscat infinitos homines possibiles; & quamuis etiã gratia non posset intendi in infinitum secundum Scotum, tamen non sequeretur inde quod homines nó essent multiplicabiles in infinitũ; neque in toto Scoto quidpiã reperitur certius quã quod sint possibiles infiniti homines, seu quod numerus hominum possibiliũ sit infinitus, vel categorematice, vel syncategorematice, & quod vt sic debeat necessario cognosci à Deo, qui omnia cognoscibilia necessario cognoscit.

*Solutio obiectionum.*

8 VAriæ afferuntur ab aduersariis implicantiæ contra possibilitatem infiniti, ex quibus plurimæ nullius sunt momẽti, & ab aliquibus ex ipsismet soluuntur, vt videre est apud *Auersam q.* 24. Aliæ vero sũt sane valde difficiles, & propter quam oppositam sententiam tenerẽ, nisi militarent contra obiecta possibilia cognita à Deo, & cõtra infinitum syncategorematicum. Has ergo difficiliores hic proponam, & quantum possum soluere conabor.

*Prima implicantia est* contra infinitum in extensione; si daretur linea infinita ab hoc puncto protensa in Orientẽ in infinitum, posset ab eodem puncto alia linea infinita protendi in Meridiem in infinitũ; non n. est maior ratio de possibilitate vnius lineæ, quam alterius: sed si hoc fieret, sequeretur vtramque lineam à se inuicem in infinitum distare, quia facerent angulum in pũcto, à quo vtraque duceretur, & quia duæ lineæ facientes angulum, quò longiores sunt, eo magis inter se distant, & consequenter si sint infinitæ longitudinis, distabunt in infinitum: sed implicat quod distent in infinitum, quia daretur distantia infinita inter duo puncta determinata, seu inter duas lineas illas determinatas.

*Respondeo primo*, huiusmodi argumentum posse proponi contra illas lineas vt terminant cognitionem diuinam nam extensio possibilis quam actu videt Deus linearum duarum ab hoc puncto incipiendum & protrahendarum ad orientẽ & meridiẽ, est omnino infinita, & cõsequenter

distantia

distantia possibilis,quæ est inter vtramque,debet esse infinita:non obstante, quod claudatur illis duabus lineis possibilibus.

*Respondeo secundo*, negando subsumptum:quemadmodum enim si daretur circulus aliquis infinitus,qualē possibilem iudico nō minus,quam quodcunque aliud infinitum,daretur punctum,in quo inciperet,& finiret, & tamen hoc non obstante linea illa incipiens in illo puncto, & in eodem desinens esset simpliciter infinita:ita etiam non est inconueniens,quod linea incipiens ab vna ex illis lineis,& desinens in alia esset infinita:& ratio vtriusque est,quod ad infinitum sufficiat habere tot partes determinatas,quæ non possent reduci ad vllum numerum determinatum, & quæ si numerarentur vna post alteram,non posset quis ad finem peruenire,nisi infinito tempore.

*Secunda implicantia* contra idem infinitum est,Si Deus crearet lineam aliquam, quæ & versus orientem & versus occidentem esset protracta in infinitum,posset illā diuidere in puncto A,& applicare partem illam, quæ erat versus orientem ad partem illam, quæ erat versus occidentem lateraliter.In hoc casu quæritur,an in quocunque puncto fieret diuisio,lineæ essent æquales;vel potius vnū certum punctum sit,in quo si secentur, erunt æquales: neutrum dici possit.Non primum,quia si quando secarētur in puncto A,essent æquales,si secarentur in puncto B, non essent æquales, quandoquidē vna linea haberet aliquas partes,quas non haberet, quando fieret sectio in puncto A,& altera non haberet aliquas partes, quas tum haberet,nimirum illas,quas haberet altera.Non etiam secundum,quia non esset ratio cur sectæ in hoc puncto essent potius æquales,quam in alio puncto,quandoquidem vbicunque secaretur vtraque linea esset infinita.

5 *Confirmatur*:quia si daretur linea infinita,posset auferri ab ea vnus palmus,& adhuc maneret infinita.Tum quæro an cum illo palmo ablato esset maior, quam sine illo:si esset maior,ergo vno infinito daretur aliquid maius:si non esset maior,ergo additio partis non facit maius:quod videtur absurdum.

10 *Respondetur* hanc obiectionem non vrgere magis contra infinitum in extensione,quam contra infinitū in numero: vrget simile argumentum de ablatione vnius hominis à numero infinito hominum; vnde non potest bene proponi ab illis authoribus,qui concedunt possibilitatem infiniti in numero,& negant possibilitatē infiniti in extensione.Qui sane authores minus consequenter loquuntur;nam vel eædem implicantiæ de vtroque infinito concludunt, vel non minus difficiles implicantiæ adduci possunt de infinito in numero; quam de infinito in extensione;vnde idem sentiendum est de vtroque.

*Respondetur secundo* directe, quod in quocunque puncto secaretur illa linea,si vtraque pars esset infinita,vtraque etiam esset æqualis, & si adderentur post sectionem milliones partium vni ex illis lineis, nulla addita alteri, adhuc essent æquales in ratione infiniti,quia non obstāte illa additione, altera esset diuisibilis in tot finitas & determinatas,& in tot partes infinitas, in quot posset diuidi altera;quod tamen omnino difficile est,nec admitti deberet,nisi cogeremur ad idem admittendum in infinito syncategorematico; nam lignum bipedale est æquale in ratione infiniti syncategorematici ligno millepedali,quādoquidem hoc nequeat diuidi in plures partes quam illud. Vnde in forma nego subsumptum quoad primam partem cum sua probatione. Ad confirmationem patebit ex statim dicendis de infinito in multitudine.

11 *Implicantia tertia* contra idem infinitū:si Deus crearet corpus quantum infinitorum palmorum, posset destruere infinitos semipalmos ex illo corpore,relictis aliis infinitis semipalmis;vel ergo illi infiniti semipalmi relicti occuparēt totum locū occupatum ab infinitis palmis,vel non.Si sic,ergo essent æquales infinitis palmis,& præterea est euidens ex terminis quod non deberent occupare illud spatium, quandoquidem non necessario mouerentur localiter ad illud.Si non, ergo daretur finis loci occupati ab ipsis,& consequenter locus ipsorum non esset infinitus. Et deinde quandoquidem in infinitis semipalmis sunt infiniti palmi, videtur quod necessario debent occupare locum infinitorum palmorum.

*Confirmatur*:quia infiniti non est assignabilis prima & vltima pars:sed si daretur linea circularis infinita(qualis sine dubio dari posset si infinitum categorematicum in multitudine esset possibile)posset assignari prima & vltima pars eius, quia vbicunque scinderetur à Deo, duo eius extrema apparerent.

12 *Respondeo primo*, hoc etiam argumentum currere contra corpus quantum possibile cognitum à Deo, nam Deus videt actu infinitos palmos possibiles, & in illis videt actu infinitos semipalmos, & videt actu spatium possibile,quod ab illis posset occupari: vel ergo totum spatium quod posset occupari à palmis,posset occupari à semipalmis, vel non:& sequitur omnino idem inconueniens obiectionis.

*Respondeo secundo* directe, quod Deus posset quidem infinitos semipalmos istius corporis infinitorum palmorum destruere,nec in tali casu necesse esset vt semipalmi relicti occuparent spatium ante occupatum à semipalmis destructis;occuparent tamen tantum spatij quantum ad infinitatem ita,vt non essent plures partes in spatio occupato ab vtrisque semipalmis infinitis quam à semipalmis infinitis derelictis, sicut non sunt plures partes proportionales,& indeterminatæ in ligno bipedali,quam in pedali.

*Ad confirmationem dico* non repugnare infinito primam & vltimam partem, modo inter illas intercedant partes infinitæ.

13 *Implicantia quarta* contra Infinitum in multitudine;si essent infiniti homines,numerus suorum oculorum, pedum & capillorum,esset maior quam numerus illorum hominum,vt apparet ex terminis:ergo vnum infinitum esset maius alio;& sic infinitum minus esset finitum.

*Confirmatur*: si cum quolibet ex infinitis hominibus produceretur vnus liber, tunc sequeretur quod repositis illis libris in vnum cumulum, quilibet hominum posset accipere ex eodem cumulo centum libros, & sic cum creati essent solum cum singulis libris absque noua productione,aut multiplicatione librorum,singuli haberent centum libros,quod videtur impossibile.

*Confirmatur secundo*,quia si ex infinitis hominibus destruerentur centum,adhuc remanerent infiniti homines, non minus quam si nullus destrueretur;vel ergo numerus remanens,esset tantus,quantus numerus præcedens, includens centum illos destructos, vel esset minor:tantus nequit esse,quia numerus præcedens includit aliquid vltra id quod includit numerus remanens: minor esse non potest,quia alias daretur numerus maior infinito,& vnum infinitum maius alio,quod videtur repugnare.

14 *Respondeo*; hæc etiam omnia currere contra infinitos homines possibiles, quos actu videt Deus:nam videt illos possibiles cum suis oculis, dentibus & capillis, vel ergo numerus capillorum, quem videt, est maior, quam numerus hominum,vel non est maior,sed æqualis aut minor.Et quidquid dicetur,nos poterimus dicere in proposito.

*Respondeo secundò*,mihi in re videri obiectionem insolubilem esse reuera,sed non propterea negari debet conclusio,quia contra oppositam conclusionem militat argumentum deductum ex possibilibus cognitis à Deo: quod æque insolubile est.Et similiter argumentum deductum ex æternitate à parte post: nam animæ creatæ post centum annos non durabunt tamdiu quam animæ creatæ hodie, quandoquidem intercedat differentia durationis centum annorum, & tamen illæ durabunt in infinitum non minus quam hæ:vel ergo vnum infinitum est maius alio,vel potest non esse maius, quamuis vnum infinitum includat aliquas partes vltra illas, quas includit aliud infinitum.

*Respondeo tertio*, distinguendo antecedens: in ratione infiniti,nego antecedens,quia non potest diuidi numerus oculorum aut capillorum in plures partes; quam numerus hominum infinitus;nam in hoc numero sunt infiniti binarij & centenarij hominum, sicut in illo sunt infiniti

quo oculi & infinities mille capilli: numerus ille est maior materialiter loquendo, quantū ad hoc quod cuilibet parti determinatæ infinitorum hominum correspondent plures partes determinatæ capillorum & pedum, concedo antecedens.

*Ad primam confirmationem*, quæ etiam militat contra infinitum cognitum à Deo; *Respondeo* sicut in infinito numero hominum, sunt infinities centum homines, ita non esse inconueniens, quod ex numero infinito librorum possent accipi infinities centum libri, sed non acciperentur tamen plures quam fuerunt creati, quia creati fuerunt infiniti. Ego tamen iterum fateor me capere non posse, quomodo postea quilibet homo posset habere centum libros, cum ante non haberet nisi vnum, nec vllus liber de nouo sit productus præter libros, quos habuerunt homines ante, cum singuli singulos haberent. At ex alio capite video necessarium esse concedere, quod possent singuli centum libros accipere, quia alias sequeretur quod numerus librorum esset finitus.

15 Fasolus *1.p.q.7.de infinitate Dei dub.6.num.14.* negat posse in tali casu ex infinitis hominibus quemlibet accipere plures libros ex illo infinito librorum cumulo quàm vnum; sicut vnum tantum quilibet reposuit. Quam doctrinam deducit ex conclusione, quam præmisit *num.1.* eiusdem dubij, quod dari possit vna multitudo semel infinita infinitate afficiente per se primo, & adæquate vnitates tantum, & non numeros binarios, nec ternarios: talis autem numerus infinitus esset numerus hominum & librorum in casu præmisso; vnde non possent reperiri infiniti duo libri, nec infiniti duo homines in illo numero.

Verum hæc doctrina admodum difficilis est: si enim non repugnat vnus numerus totalis, qui diuidi possit in duos numeros, quorum quilibet sit infinitus, vt ipse fatetur de numero conflato ex oculis infinitorum hominum: profecto difficile est negare cur numerus conflatus ex infinitis hominibus non possit diuidi in duos numeros, quorum quilibet sit infinitus: cur enim numerus hominum hoc non haberet, & numerus oculorum haberet? aut cur infinitas hominum afficeret immediate & adæquate vnitates hominum, infinitas vero oculorum non afficeret immediate vnitates oculorum.

*Rursus*; Deus videt in infinito cumulo librorum reperiri aut numerum determinatum & finitum categorematice omnium duorum librorum, aut numerum infinitum categorematice. Si videt numerum omnium duorum librorum quotquot reperiuntur: ibi, esse finitum: ergo totus numerus est finitus contra hypothesim. Si videat esse infinitum, ergo quilibet homo ex infinitis posset accipere duos libros non minus quam potest accipere vnum librum ex eo quod numerus singulorum librorum, qui sunt in illo, sit infinitus. Sed in re vndequaque inexplicabili non est curiosius in qualibet difficultate insistendum.

*Ad confirmationem secundam respondeo*, quod in ratione infiniti numerus remanens post destructos aliquos homines sit æqualis, aut saltem non sit minor, nec maior numero anteriori, licet numerus anterior includeret vltra aliquas vnitates hominum destructorum, quæ vnitates non includerentur in numero remanente.

16 *Implicantia quinta* contra vtrumque infinitum: sequeretur partem esse æqualē toti contra primum principium. Probatur sequela quia numerus conflatus ex decem hominibus, & ex infinitis hominibus, aut ex decem partibus, & ex infinitis partibus quantitatis extensæ in infinitum esset totum respectu infinitorum hominum & partium, & respectu istorum decem hominum aut decē partium. Sed infiniti homines, quos præter decem homines includeret, sunt pars istius numeri, & illa pars est æqualis isti numero, quia non minor nec maior; non maior quidem, cum nulla sit ratio id asserendi, sed potius oppositum deberet dici, non etiam minor quia est numerus infinitus, nec infinito numero maior excogitari potest.

*Confirmatur*: quia in infinitis hominibus dantur infiniti centenarij hominum, & in infinitis his centenariis includuntur infiniti decennarij tanquam pars, sicut decem est pars inclusa in centum. Sed numerus infinitorum decennariorum est æqualis numero infinitorum centenariorum, aut saltem non est minor illo, tum quia est infinitus, tum quia etiam in eo sunt infiniti centenarij: ergo pars est æqualis toti, aut saltem non est minor toto, quod æquè repugnat.

*Confirmatur secundo*: quia si daretur corpus pyramidale infinitum, illud corpus constaret lineis finitis, nimirum illis quæ essent prope punctum in quo costæ pyramidis facerent angulum, & etiam lineis infinitis, quæ à parte superiori costæ deberent in infinitum distare, alias pyramis non esset infinita. Tum sic: Deus cognosceret omnes lineas finitas istius pyramidis, & vltimam determinatam ex ipsis, quæ esset omnium maxime linea: ergo linea determinata immediate sequens esset, & non esset infinita: esset, quia excederet lineam maxime longam ex omnibus finitis, non esset autem, quia non deberet excedere illam nisi excessu finito duorum v.g. punctorum.

17 *Respondeo primo*, hanc etiam obiectionem cum his confirmationibus mihi esse insolubilem, sed currit æquè contra possibilia cognita à Deo.

*Respondeo secundo*, si consideremus partem, vt pars est, eam necessario semper debere considerari vt minor toto, quia consideratur vt inclusa in toto simul cum aliis partibus; si vero consideretur secundum se, modo sit infinita, potest esse æqualis toti aut non minor illo, quantum ad hoc quod possit esse diuisibilis in tot partes, in quot poterit ipsum totum; & exemplum huius habemus in quanto semipedali, quod licet, si consideretur vt pars quanti pedalis, sine dubio sit minus illo, tamen si consideretur vt diuisibile in partes indeterminatas, esset æquale ipsi; quia quantum bipedale non potest diuidi in plures partes, quam semipedale possit. Vnde in forma distinguo sequelam: pars vt pars, nego sequelam; vt diuisibilis in partes suas, concedo sequelam, quando est infinita; quod autem hoc non sit inconueniens, patet in exemplo iam dato, & in possibilibus hominibus.

*Ad primam confirmationem respondeo*, distinguendo minorem: numerus infinitorum decennariorum, si consideretur vt pars, est æqualis numero infinitorum centenariorum in quo includitur, nego minorem; si consideretur vt diuisibilis in partes suas, concedo minorem, & similiter distinguo consequens.

*Ad secundam confirmationem respondeo*, quemadmodum Deus non videt de facto vltimum numerum determinatum & finitum hominum, quem potest producere simul, etiam secundum aduersarios, quia non potest simul tot producere, quin plures possit, & quemadmodum in numero infinito hominum, quem produceret, non potest cognoscere numerum finitum supremum, quia quocunque assignato, si adderetur vnus homo ex reliquis, qui vltra illum numerum reperiuntur in infinito, daretur numerus maior: ita etiam non posse illum cognoscere in tali pyramide quænam sit linea finita vltima & suprema. Et quamuis hoc sit mirabile, cum ipsemet omnes illas lineas producat, & quidem liberè, tamen simile quid æquè mirabile contingit in cōpositione continui, nam quāuis Deus totū continuū producat cum suis indiuisibilibus (suppono indiuisibilia in continuo dari) non potest secundū indiuisibile assignare, quamuis necessariū sit aliquid secundū dari, & ipsemet Deus liberè illud producat.

*Aliæ obiectiones* plures afferri solent, sed nullæ maioris difficultatis quam præcedentes, quas qui soluere poterit, facile reliquis satisfaciet.

Pro maiori autem intelligentia huius rei hic breuiter aliquot dubitationes particulares, quę de infinito proponi solent, sigillatim soluendæ sunt, quamuis ex dictis earum solutio colligi posset.

*Dubia aliqua concernentia hanc materiam.*

18 QVæres 1. An Infinito aliquid addi, vel detrahi possit? *Resp.* affirmatiuè, quia ex infinitis hominibus Deus posset destruere vnum hominem, imo & quemcunque numerum finitum, & adhuc restaret infinitus numerus hominum, nam alias si destructo numero finito hominū restaret numerus finitus, ex duobus numeris finitis, nimirum

An infinito aliquid ad di, vel detrahi possit.

nimirum ex numero finito destructo, & numero finito remanente coalesceret numerus infinitus, quod est absurdum, ergo potest aliquid detrahi ex infinito.

*Rursus*, posset Deus iterum producere eosdem homines, & sic adderentur numero infinito: ergo potest aliquid addi infinito. Imo quandoquidé in infinito numero hominum essent duo infiniti numeri oculorũ, & plures infinitates capillorum, possent ex toto numero oculorum infiniti oculi destrui, & adhuc manere numerus infinitus oculorum: posset enim Deus destruere omnes & solos oculos dextros, & adhuc manerent infiniti oculi sinistri: & rursus quandoquidem posset restituere iterum eosdem oculos dextros, sequitur quod possit numero infinito detrahi, & addi numerus infinitus.

Quomodo pars possit esse æqualis toti.

Contra hoc nihil obiici potest grauius, quã quod sequeretur partem esse æqualem toti, & posse aliquid dari maius infinito. Sed ex dictis constat partem posse esse æqualem, si consideretur vt diuisibilis in suas partes, modo habeat infinitas partes, licet non possit esse æqualis toti, si consideretur vt pars totius, quia vt sic consideratur, vt inclusa in toto simul cum aliis partibus. Deinde constat etiam ex dictis, posse dari aliquid maius infinito quantum ad inclusionem alicuius vltra illud, quod necessariam est ad constitutionem infiniti, licet non possit dari aliquid maius infinito quantum ad diuisibilitatem in partes, ita sc. vt possit aliud esse in plures partes diuisibile, quantum infinitum possit.

Quomodo possit aliquid dari maius infinito.

19 *Quæres secundo*, an vnum infinitum possit esse æquale alij infinito, & maius aut minus illo.

An vnum infinitum possit esse æquale alteri.

*Respondeo*, in ratione infiniti, formaliter loquendo omnia infinita esse æqualia, aut saltẽ non esse inæqualia (quod addo quia æqualitas proprie dicta supponitur cõuenire tantum posse quantitati finitæ, quo supposito infinitum non posset esse æquale vlli proprie loquendo, de quo non posset esse alia controuersia quam de nomine) quia omnia æque possũt diuidi in infinitas partes determinatas, & quot binarij, ternarij, centenarij ac millenarij reperiuntur in vno infinito quocumque, tot reperiri possunt in quocumque alio. Vnum tamen infinitum potest esse inæquale alteri quantum ad inclusionem alicuius vltra omnia quæ includit alterum, nam numerus conflatus ex infinitis oculis sinistris & dextris includit aliquid vltra illa quæ includit numerus conflatus ex solis dextris oculis, aut sinistris solis.

An infinito posset conuenire figura & motus.

20 *Quæres tertiò*: An infinito possit conuenire figura & motus.

*Respondeo* figuram circularem posse competere infinito corpori & motum etiam localem circularem.

*Ratio primæ partis est*, tum quia alias non posset dari corpus infinitum, non enim potest dari corpus nisi cum aliqua figura, nulla autem figura potius poterit competere corpori quam circularis; tum quia si quid impediret, maxime quia possent assignari duo extrema circumferentiæ istius corporis: sed supra diximus hoc non esse inconueniens, quoties inter illa extrema darentur infinitæ partes.

*Ratio secundæ partis* conclusionis est, quia si daretur linea infinite longa, quamuis non posset (de quo modo non curo) moueri motu directo secundum longitudinem, posset tamen ad latus moueri, quia nihil impedit. Deinde corpus circulare infinitum posset tẽpore infinito moueri ab hoc puncto spatij imaginarij ad idem pũctum, & posset in instanti pars illa, quæ infinite distat ab hac parte, poni in loco huius partis, & hæc pars poni loco illius: neque in hoc est maior difficultas rationis aut imaginationis, quam in ipsamet constitutione infiniti, vt mirum sit, eum qui concedit vnum negare alterum.

An infinita corpora possint poni extra se in loco.

21 *Quæres quarto*, An infinita corpora possint poni in loco, verbi gratia infiniti homines, ita vt sint extra se inuicem & non penetrent se.

*Respondeo* affirmatiue contra *Fasolum* supra dub. 8. num. 4. *Probatur*: quia si non repugnant infiniti homines, & infinita linea, non repugnabit infinitum spatium: sed si non repugnat infinitum spatium, nõ repugnabit illos homines in illo poni, aut infinitam lineam, quandoquidem spatium infinitum habeat sufficientem proportionem ad recipiendos infinitos homines.

*Obiicies ex Fasolo*: nulla infinita multitudo potest occupare totum spatium hinc versus Orientem in infinitũ: ergo nulla multitudo infinita potest poni in spatio. Probatur consequentia: quia si multitudo hinc incipiens nõ occupat totum: ergo spatium à multitudine occupatum est finitum, tum ex hac parte, vt supponitur, tum ex parte Orientis, & consequenter illa multitudo non est infinita: & sic esset finita & infinita. Probatur antecedens: quia spatium illud hinc in Orientem, non solum est capax infinitorum lapidum vnius palmi, sed infinitorum lapidum mille palmorum; nec est assignabile vllum corpus tam magnum multiplicabile in infinitum, quin corpus maius possit creari æque multiplicabile in infinitum: ergo nulla infinita multitudo potest totum illud spatium implere, quandoquidem sit capax multitudinis corporum maiorum.

22 *Respondetur*, sicut non repugnat secundum *Fasolum*, vt sit vnus numerus conflatus ex pluribus infinitis numeris: ita non repugnare, vt spatium hinc in Orientem in infinitum protensũ includat plures infinitas partes, atque adeo quod possit sufficere ad recipiendos infinitos homines, & infinitos montes. Vnde in forma.

*Respondeo* admisso antecedente, negando consequentiam cum sequela probationis: quia quamuis non occupet totum, sed possit Deus assignare quousque pertigerit, hoc non impedit infinitatem eius, aut spatij ab ipso occupati, modo inter punctum, quo hinc incipit & ibi terminatur, intercedant infinitæ partes: & sicut non impedit infinitatem hominum, quod infinitas oculorũ sit aliquo modo maior ipsa in hoc sensu, quod infinitas oculorum possit diuidi in plures infinitates, infinitas autem hominum non sic secundum Fasolum, ita non debet impedire infinitatem vnius spatij, quod aliud spatium possit diuidi & in partes illius spatij & in alias infinitas partes.

*Confirmatur hoc*: aut numerus infinitus mõtium est maioris extensionis aliquo modo, quam numerus infinitus hominum, aut muscarũ, aut non est, Si non est; ergo quodcumque spatium occupabile ab vno potest totaliter occupari ab altero, & sic numerus infinitus hominum posset totum spatium hinc in Orientem occupare, quamuis in eodem spatio posset poni numerus infinitus montium & quorumcunque aliorum corporum maiorum, atque adeo falsum esset antecedens obiectionis, & neganda esset consequentia probationis. Si sit maioris extensionis, nonobstante infinitate numeri hominum infinitorum: ergo non est inconueniens, quod quãuis numerus hominum occuparet spatium infinitum versus Orientem, adhuc remaneret spatium infinitum occupandum per excessum infinitorum montium supra infinitos homines.

23 *Quæres quintò*: an infinitum sit numerabile & pertransibile.

*Respondeo*, si quis viueret infinito tempore, & moueretur infinito tempore, quod posset numerare infinitus partes numeri infiniti, easque perrtansire. Si daretur etiã actu, Deus posset numerare omnes partes eius, easque distinctè cognoscere & significare nobis, quod essent in corpore illo infinitæ partes; nos vero de facto nostra experientia non possemus peruenire vnquam ad cognitionem, an esset infinitum nec ne, quia deberemus viuere infinito tempore, vt per omnes transiremus, easque numeraremus.

## QVÆSTIO II.

*An Creaturæ habeant infinitatem in perfectione essentialis.*

24 Dupliciter considerari possent creaturę habere infinitatem in perfectione essentiali. *Primo*, si esset aliqua ex illis quæ haberet infinitam perfectionem aliquam simpliciter loquendo, vt si haberet sapientiam infinitam; aut actiuitatem infinitam. *Secundo*, si ita se haberent creaturæ in perfectione, vt nulla creatura determinabilis, etiam ab ipso Deo, esset tantæ perfectionis, quin Deus posset aliam creaturam maioris perfectionis,

producere. Si creaturæ vel plures vel vna haberent infinitam perfectionem priori modo, haberent perfectionem infinitam categorematice; si posteriori, non haberent infinitam perfectionem, nisi syncategorematice.

*Alij* proponunt hanc quæstionem hoc modo: an possit dari infinitum categorematicum in essentia, vel syncategorematicum: Sed quamuis prima pars quæstionis huius hoc modo propositæ habeat sensum, reuera tamen secunda pars vix ad bonum sensum reduci posset. Licet enim verum esset, quod non possit dari aliqua creatura, qua perfectior dari non potest, nó apparet quomodo propterea posset bene dici, quod daretur infinitum syncategorematicum in essentia: quæro enim quodnam illud sit; nó certe creatura illa, qua perfectior dari possit: cur enim illa vocari deberet vllo modo infinita ex eo quod alia perfectior illa, & aliæ etiam in infinitum perfectiores dari possint: Sed hoc ipsum maxima ex parte est de nomine.

*Quantum ad rem autem ipsam*, sententia communior est, quod nó detur infinitum categorematicum creatum in substantia, nec dari possit: cuius contrarium docere videtur *Auersa q. 24 sect. 8. & 9.* quoad vere infinitatem syncategorematicam, aliqui putant dari terminum in speciebus sic, vt vna aliqua detur de facto aut dari possit, qua, licet sit finitæ perfectionis, non possit dari maior. Sic *Henricus quod l. 8. Aureolus 1. d. 44 ar. 4. Durandus ibidem q. 2. Occam. q. vn. Scotus 2. met. q. 6.* & cum eo communior Scotistarum opinio, ac nominatim *Vulpes, Smising. Fuentes*, quos sequi videtur *Arriaga disp. 13. n. 20.*

Alij existimant non dari huiusmodi terminum in speciebus; sed quacumque possibili assignata posse dari perfectiorem. Hæc est communior *Thomistarum* sententia cum *Suario disp. 30. metaphys. Conimbricen. hic c. 8. q. 3.* quos ex nostris sequuntur *Herrera 1. dist. 15. Canelus 2. met. q 6. schol. 2. Mastrius disp. 10. ar. 2.* qui dicunt Scotum ipsum de hac re tantum dubitatiue locutum fuisse.

## CONCLVSIO I.

Non potest dari aliqua creatura infinitæ perfectionis essentialis.

25 *NOn potest dari aliqua creatura infinitæ perfectionis essentialis.* Hæc est communissima contra *Auersam.*

Probant *Complutenses disp. 18. q. 2.* conclusionem: quia omnis creatura completa, qualis esset illa creaturæ, quæ esset infinita essentialiter, deberet constare genere & differentia: ergo nequit esse infinita essentialiter, quia clauderetur terminis generis & differentiæ.

*Confirmatur*: quia omnis creatura debet habere esse suum receptum à creatore, & dependens, ergo nequit esse infinita.

*Hæc probatio* non sufficit, quia quamuis constaret genere & differentia, & clauderetur illis extremis, si tamen differentia illa esset infinitæ perfectionis, certe essentia per illam constituta esset sic infinita, sicut Deus qui constituitur per rationem entis & modum infinitatis, vel quemcunque alium, quo contrahitur ratio entis ad ipsum, est infinitæ perfectionis, licet possit dici claudi illis extremis tam bene quam clauderetur substantia illa genere & differentia sua. Quod si esset inconueniens substantiam infinitam constare genere & differentia, tum dici posset illam substantiam creatam, quatenus infinita esset, non constare talibus; licet secundum alias rationes, secundum quas esset finita, illis gradibus constaret.

*Ad confirmationem* responderi posset cum sententia communi aduersariorum, & non tantum iunioris illius, quem citant Complutenses, distinguendo consequens: nequit esse infinita in omni genere, concedo: nequit esse infinita in aliquo genere particulari, nego consequentiã. Quam responsionem non sufficienter impugnant Complutenses recurrendo ad illud de constitutione ex genere & differentia.

26 *Probat secundo Fasolus quæst. 7. de infinitate Dei dub. 13. num. 11.* Quacumque specie creata assignabili Deus potest facere perfectionem: ergo non potest vlla species esse infinita essentialiter. Probatur antecedens: quia inter quamlibet speciem creatam & Deum est infinita distantia in perfectione, ergo semper remanet in essentia Diuina aliqua ratio imitabilitatis, & participabilitatis maioris, quam habet vlla species creata. Probatur consequentia prima, quia infinito, qua parte infinitum est, non potest dari aliquid maius: ergo si potest dari species perfectior quacumque specie creata, nulla species creata potest esse infinita in perfectione.

*Hæc etiam probatio* non sufficit, quia si daretur species infinita possibilis, falsum esset antecedens; & ad probationem eius responderi posset, quod Deus non posset, quamuis esset infinities perfectior illa creatura, perfectius participari quam ab illa in illa ratione in qua illa species esset perfectior, quidquid sit de aliis rationibus; quod magis patebit ex dicendis in secunda conclusione.

27 *Probatur ergo conclusio* aliter: quia si posset dari aliqua perfectio creata infinita, nulla potius assignari posset, quam sapientia aut iustitia aut potentia actiua: sed repugnat vllam ex his perfectionibus esse infinitam in creaturis: ergo repugnat vllam creaturam esse perfectionis vllius essentialiter infinitæ. Probatur minor: quia repugnat vt perfectiones particulares Dei non excedant in ratione sua formali particulari perfectiones particulares cuiuscumque creaturæ: sed perfectiones sapientiæ, iustitiæ, & potentiæ actiuæ infinitæ sunt perfectiones particulares Dei, & si darentur tales in creaturis, non excederentur ab illis: ergo repugnat vt dentur in creaturis tales.

*Confirmatur*: ex infinitate cuiuscumque perfectionis absolutæ in diuinis oritur quod debeat identificari omnibus aliis perfectionibus absolutis: ergo si daretur perfectio aliqua absoluta infinita essentialiter in creatura, deberet in illa creatura identificari cæteris perfectionibus absolutis infinitis, & sic illa creatura nó solum esset infinita in determinato genere, sed in omni; atque adeo esset Deus, quod extremum est absurditatis.

*Confirmatur secundo*: quia non magis conuenire potest vlli rei, quæ non est Deus, infinita perfectio aliqua determinata, v. g. potentia actiua infinita, aut sapientia infinita, quàm independentia aut necessitas essendi à se: sed hæc nequit, etiam secundum aduersarios, competere vlli creaturæ: ergo nec illa. Probatur maior: tum quia non potest assignari disparitas, tum quia reuera independentia in essendo, non videtur maior perfectio, quam sapientia infinita, aut potentia infinita essentialiter: ergo non magis potest vna alicui rei competere quam altera.

28 *Dices* esse manifestam repugnantiam in eo, quod independentia in essendo seu necessitas essendi à se poneretur in vlla re, quæ non esset Deus, quia sequeretur manifestè quod esset creatura, & non esset; esset quidem, quia quidquid non est Deus est creatura: non esset verò, quia non dependeret à Deo in esse suo, cum ex se haberet necessario esse.

*Contra*: quia si poneretur illa necessitas existendi à se in re aliqua, quæ non esset Deus, illa res non deberet dici creatura, & falsum esset, quod omnis res deberet esse vel Deus vel creatura: & quamuis de facto id verum sit, tamen veritas huius dependet ab alio, quod non possit poni necessitas essendi simpliciter, nisi in solo Deo: at certè si posset poni sapientia infinita in creatura, posset dubitari, an in ea similiter, talis necessitas implicaret: & quod ad me attinet existimo vtrumque æque implicare: vnde qui concedit vnum, difficulter poterit assignare rationem, cur implicaret alterum.

*Confirmatur tertiò*: quia si non implicaret sapientia infinita in creatura, non repugnaret etiam in eadem intellectus infinitus, & posito intellectu infinito, deberet etiam in ea poni voluntas infinita & actus voluntatis infinitæ: at certe absurdissimum videtur, quod creatura vlla posset esse tam perfecta in intelligendo, & volendo, quam Deus ipse; esset autem in hoc casu, ergo non est admittendus, nec consequenter id vnde sequitur.

*Fundamentum* vnicum aduersariorum esse potest, non implicare in creatura infinitam perfectionem essentialem in aliquo genere, sed hoc esse falsum patet ex probationibus conclusionis.

CONCLV

## CONCLVSIO II.

Dari status in speciebus quantum ad perfectionem.

29 *DAtur status in speciebus quantum ad perfectionem essentialem, ita vt inter omnes possibiles species cognitas à Deo vna sit, qua magis perfectam nequeat producere.* Hæc est iuxta secundam sententiam supra relatam, & communior Scotistarum.

*Probatur primo*, supponendo omnes species esse inæqualis perfectionis, vt communius tenent Doctores: quamuis enim reuera ad propositum perinde est ita esse vel non, tamen facilius apparebit vis huius rationis, si id supponatur. Itaque eo supposito.

*Probatur conclusio*: Deus actu videt omnes species rerum, quas potest producere, vt est euidens: alias non esset omniscius, nec posset producere illas species, quas non videret: videt etiam vlterius omnes illas excedere se inuicem ita, vt nullæ duæ sint æqualis perfectionis: ergo videt ex omnibus illis vnam aliquam, quæ excedit cæteras omnes: sed illa non est infinitæ perfectionis, quia species creata infinitæ perfectionis essentialis repugnat: ergo est finitæ perfectionis: sed illâ, quæ omnes alias species possibiles excedit, non potest dari alia perfectior: ergo datur in speciebus possibilibus status talis quantum ad perfectionem, vt vna aliqua sit possibilis, qua perfectiorem Deus nequeat producere.

*Dices*, species omnes possibiles esse infinitas, atque adeo Deum non posse determinare, quænam ex illis sit maioris perfectionis, quia excedunt se inuicem in infinitum: sicut enim ex circulationibus cæli, si sint in perpetuum conseruandæ, Deus non potest cognoscere vltimum, nec vltimam etiam cogitationem ex omnibus, quas Beati per æternitatem sint habituri in Cælo: & sicut non potest assignare vltimam partem continui: ita non est mirum quod nequeat Deus assignare, quænam sit species, quæ excedat cætera omnia, nec etiam est mirum quod non sit assignabilis vlla talis species.

Reiicitur primo.

30 *Contra primo*, quia si essent possibiles infinitæ species, possent produci à parte rei simul, non minus quam infinita hominum multitudo, cum nulla esset maior implicantia in productione infinitarum specierum, quarum quælibet esset possibilis, quàm in productione infinitorum indiuiduorum: si autem producerentur actu quandoquidem vna aliqua determinata ex ipsis haberet excessum supra cæteras, certum est quod Deus posset determinate assignare speciem illam, quæ esset perfectior: sed illa species deberet sine dubio esse vel finitæ vel infinitæ perfectionis: non infinitæ: ergo finitæ.

*Confirmatur* hoc: si producerentur infiniti homines, quorum vnus tantum haberet albedinem, Deus posset determinate assignare, quis esset ille homo, qui esset albus: ergo si in infinitis illis speciebus vna aliqua esset, quæ haberet conditionem aliquam particularem, quam nulla ex cæteris haberet, Deus posset ostendere, quænam illa esset, quæ haberet illam conditionem. Nec est eadem ratio de assignatione illius speciei & vltimæ circulationis Cæli, aut vltimæ cogitationis habendæ à Beato, aut vltimæ partis continui: quia quandoquidem circulationes & cogitationes illæ sunt sibi inuicem succeßuræ absque fine, vt supponitur, implicare videtur in adiecto assignari posse vltimam, quia vltra illam non essent aliæ cogitationes aut circulationes succeßuræ, & sic aliquando haberent finem. Deinde vltima pars, seu minor pars continui debet necessario includere plures partes, quarum vna sit potius dicenda vltima & minor, quàm pars illa in qua includebatur, propterea repugnat, vt possit assignari vlla quæ esset vltima: at non est vlla inconuenientia in eo quod assignaretur ex omnibus speciebus illa quæ esset perfectior cæteris.

*Contra secundo*, quia implicat infinitus numerus specierum diuersæ perfectionis essentialis; quia in tota collectione omnium illarum daretur infinitas perfectionis essentialis, siue posset assignari, siue non: sed infinitas illa est omnino propria Deo: ergo nequit conuenire toti illi collectioni.

*Arriaga* pluribus conatur probare hãc conclusionem, sed omnes fere rationes eius patiuntur instantiam in parte minima continui, & in vltima circulatione Cæli, quorum neutrum potest Deus aut assignare aut producere determinate. Melior probatio est præmissa iam, quæ confirmari potest, tum soluendo obiectiones aduersariorum, tum quia non repugnat dari statum in perfectione essentiali creaturarum.

31 *Obiicies primo*: non implicat quod quacunque specie data possit dari perfectior, neque ex parte potentiæ Dei, quæ est infinita, neque ex limitatione creaturæ: ergo.

*Confirmatur primo*, quia infinita perfectio Dei est infinitè participabilis & imitabilis à creaturis: ergo non potest per vllam speciem limitatæ perfectionis essentialis participari tam perfectè, quin possit participari perfectius, aliàs non esset infinities participabilis, sed limitato modo.

*Confirmatur secundo*, quia si Deus non posset quacumque specie limitatæ perfectionis perfectiorem producere, limitaretur illius potentia, atque adeo non esset potentiæ infinitæ: hoc est absurdum: ergo.

*Respondeo* negando antecedens; implicat enim ex limitatione creaturæ, quæ non potest sortiri infinitam perfectionem essentialem, qualem sortiretur, si non daretur huiusmodi status.

*Ad primam confirmationem respondeo* distinguendo antecedens: quantum ad numerum & extensionem, concedo; quantum ad perfectionem essentialem, nego.

*Ad secundam confirmationem respondeo* distinguendo etiam antecedens: quantum ad hoc quod non posset perfectiorem speciem producere quam illam, quæ est supremæ perfectionis, concedo, simpliciter loquendo, aut ita vt non deberet dici infinita, nego antecedens. Itaq; sicut non est inconueniens, quod ita limitetur potentia Dei, vt non possit producere chymeram, quia hæc est impossibilis: ita non est inconueniens quod limiteretur ita, vt non possit producere perfectiorem speciem quam supremam, in qua est status, quia perfectior non est possibilis.

*Et si quæras*, quomodo ergo sit infinita, si non possit producere nisi finitum effectum.

*Respondeo* esse infinitam, & quia potest infinita indiuidua omnium specierum possibilium producere æque facile ac vnum, & hoc absque dependentia à causis efficientibus secundis; & quia est perfectio identificata Deo, quæ ex se sufficeret ad infinitas etiam species producendas, si essent possibiles.

*Confirmatur hoc*: secundum aduersarios potentia Dei est infinita categorematice, & tamen non potest producere vllum infinitum categorematicum, saltem quoad perfectionem essentialem, sed limitatur ad productionem limitatam categorematice: ergo non est inconueniens quod sit infinitæ perfectionis, quamuis non possit species infinitæ perfectionis producere.

32 *Obiicies secundo*: Deus potest producere quamcumque speciem limitatæ perfectionis; sed data quacumque specie assignabili finitæ perfectionis; species, quæ excederet ipsam, non deberet necessario esse infinitæ perfectionis, quia vt excederet, sufficere posset excessus in vno gradu: sed excessus vnus gradus supra perfectionem finitam non constitueret perfectionem infinitam: ergo quacumque specie finita assignabili potest dari alia species finitæ perfectionis etiam superior illa, & consequenter Deus potest illam producere.

*Respondeo* negando suppositum minoris, nempe quod sit possibilis alia species quæ excederet illam, in qua esset status.

33 *Obiicies tertio*: Si daretur creatura aliqua perfectißima cæterarum & limitatæ perfectionis, sequeretur infra illã non dari infinitas species, quia alias esset limitatæ perfectionis & non esset: esset quidẽ vt supponitur, non esset autem, quia quandoquidem superaret infinitas species diuersæ perfectionis, deberet esse infinitæ perfectionis.

*Respondeo primo* in sententia eorum, qui putant intra quaslibet duas species assignabiles, v. g. intra hominem & formam, posse dari infinitas species, quarum quælibet sit perfectior formica & imperfectior homine argumẽtum nihil valere, quia non obstãte quod homo excedat in perfectione illas infinitas species, adhuc erit finitæ perfectionis

fectionis in illa sententia, quæ est satis communis inter aduersarios, contra quos ad hominem valet hæc solutio.

*Responderi posset secundo* concedendo sequelam; nam si infinitæ species inæqualis perfectionis essent possibiles, non daretur status in perfectione essentiali: si enim homo excederet infinitas species inæqualis perfectionis, esset infinitæ perfectionis, sicut linea excedens infinitas lineas esset infinitæ extensionis. Nec refert quod excessus ille quem haberet homo supra infinitas species non ita fiat vt cuilibet speciei correspondaret in homine particularis gradus, sed ita vt vnico indiuisibili gradu excederet omnes. Hoc inquam non refert, quia si sequeretur infinitas in homine, ex eo quod haberet infinitos gradus perfectionis, multo magis sequeretur infinitas in ipso ex eo, quod includeret vnicum gradum æquialentem illis infinitis.

*Sed contra hanc responsionem* facit, quod quemadmodum licet linea finita excedat lineas infinitas syncategorematice, quas includit; quandoquidem sit infinita syncategorematice; inde tamen non sequitur quod sit infinita simpliciter: eodem modo, quamuis homo excederet alias perfectiones syncategorematice infinitas, non deberet esse simpliciter infinitus.

*Itaque melius respondetur* distinguendo sequelam; infinitas species categorematice, cõcedo sequelã; nec hoc est inconueniens, sed necessarium; quia alias illa creatura esset illimitatæ ac infinitæ perfectionis simpliciter: infinitas species syncategorematice, nego sequelam; nec hoc etiam esset inconueniens, quia non sequeretur quod illa species esset illimitata, aut infinita, simpliciter.

34 *Obycies quarto:* in numeris potest in infinitum iri, nec vllus assignabilis est finitus numerus, cui non possit addi vnitas, qua redderetur maior, vt docet *Aug. 12. ciuit. c.* 18. & ex se patet: sed quælibet vnitas variat speciem numeri: ergo non est dabilis status in speciebus numeri, quin alia & alia in infinitum perfectior possit dari.

*Confirmatur:* quia in actibus reflexis potest dari processus in infinitum, qui tamen actus reflexi sunt distinctæ speciei; ergo non datur status in speciebus.

*Confirmatur secundo*: quoniam si sequeretur infinita perfectio in aliqua specie ex eo, quod excederet infinitas species inæqualis perfectionis, sequeretur, quod visio beatifica esset infinitæ perfectionis, quia excederet visionem, qua videretur Angelus, & infinitas visiones reflexas, quæ haberi possent de visione illa Angeli.

In aliquibus speciebus dari processum in infinitum.

*Respondeo* ad hoc, quod est præcipuum aduersæ sententiæ fundamentum. In omnibus illis speciebus, quarum quælibet ex natura sua intrinseca dicit ordinem ad aliam speciem vlteriorem, ita vt repugnet assignari vnam, supra quã alia addi non debet necessario, dari processũ in infinitum, & infinitatem syncategorematicam tantum. Tales autem sunt species numerorum, & actus reflexi, ac similia quæ proportionem habent cum partibus infinitis syncategorematice, quæ includuntur in continuo; & propterea sicut in continuo, licet possit assignari pars includens infinitas partes syncategorematicas, illa tamen pars non est infinita categorematice, sed syncategorematice, quia non potest assignari vltima pars etiam de potentia absoluta: ita etiam in huiusmodi speciebus multiplicabilibus in infinitum, licet esset assignabilis aliqua, qua excederet infinitas alias, quia tamen illæ non sunt infinitæ, nisi syncategorematice ex eo, quod non potest assignari vlla ex illis supra quam aliæ in infinitum non possint superaddi, non debet dici illa species esse simpliciter infinita; sed secundum quid tantũmodo & syncategorematice. Vnde in forma distinguo cõsequens obiectionis & confirmationis: non datur status in speciebus illis quæ ex naturæ sua exigunt vlteriores species, concedo consequentiam: quæ non exigunt, nego.

*Ad secundam confirmationem respondeo* distinguendo sequelam: sequeretur, quod visio beatifica esset infinitæ perfectionis secundum quid & syncategorematice, concedo: simpliciter & categoramatice, nego sequelam.

Fateor tamen syncere, hanc obiectionem reddere mihi oppositam sententiam valde probabilem, & in rebus his concernentibus infinitatem, nullam partem esse, quæ non habeat magnam difficultatem.

*Quæres*, an sicut potest dari in creaturis aliqua perfectissima, quæ excedi nequeat in perfectione essentiali, ita etiam possit dari aliqua imperfectissima, qua imperfectior dari nequeat.

*Respondeo* mihi videri quod sic, quod etiam docet *Arriaga* supra. Fundamentum potissimum est, quod non implicet talis species, & quod quemadmodum dari potest status in perfectione summa, ita etiam possit in minima, à paritate rationis. Sed aduertendum tamen, quod quemadmodum sunt aliquæ species, in quibus potest procedi ad maiorem perfectionem in infinitum, v. g. species numeri; ita etiam esse aliquas species, in quibus possit procedi ad minorem & minorem in infinitum: vt sunt species visionum reflexarum, quarum prima habeat obiectum perfectius seipsa, quia eadem prorsus est ratio.

Potest dari imperfectissima species.

Posset hic agi de infinitate intensionis, an scilicet possit dari qualitas infinite intensa: sed de ea agemus in libris de generatione & corruptione.

# LIBER IV.

# PHYSICORVM.

QVandoquidem mobilitas localis, secundùm quam moueri possit res à loco in locum, sit vna ex proprietatibus corporis physici, vt melius intelligatur natura talis mobilitatis & motus localis correspondentis ipsi, agit hic de Loco Philosophus, & hac occasione agit pariter de Vacuo. Deinde quia omnis motus aut fit in tempore aut in instanti, agit præterea de Tempore.

## DISPVTATIO XV.

### *De Loco.*

NOn agimus hic de loco, provt capitur metaphorice pro subiecto, in quo inhæret forma, quo sensu materia solet vocari locus formarum, & mens locus specierum intelligibilium; nec etiam de loco artificiali, qualis est vas respectu liquoris in eo repositi, & sedes seu cathedra vocatur locus hominis in ea sedentis: sed de loco proprie dicto, qui necessario requiritur ad motum localem tanquam terminus à quo & ad quem eius, qualem locum dari tanta experientia constat, quanta constat ipsemet motus.

### QVÆSTIO I.

#### *Quid sit Locus?*

*PRima sententia* circa hanc quæstionem est, locum esse spatium imaginarium repletum corpore locato, quod spatium intercedit inter latera corporis continentis, & est tantæ extensionis quantæ est ipsum corpus locatum. Hanc plures ex recentioribus tenent, speciatim *Auersa q. 27. a. 1. Amicus tract. 20. q. 3.* Et si opponatur ipsis Aristoteles, qui antiquos Philosophos hanc sententiam tenentes acriter impugnauit, respondet ipsum non locutum de spatio imaginario hoc, sed de spatio vero & reali iuxta sequentem opinionem.

Variæ sententiæ.

*Secunda sententia* est locum esse corpus reale trinæ dimensionis, in quo penetratiue recipitur corpus locatum, quod corpus vocatur spatium reale ad distinctionem spatij imaginarij. Hæc pluribus antiquis Philosophis adscribitur, & ita placuit *Masio*, vt in eam fateatur se iturum, nisi authoritate Philosophi & D. Thomæ moueretur.

*Tertia sententia* est ipsum vbi esse locum: hanc referunt *Complutenses*, sed nullum pro ea citant authorem.

*Quarta sententia* est, locum esse vltimam superficiem corporis ambientis locatum. Hæc est communior Scotistarum & Thomistarum cum Philosopho hic.

CON

## CONCLVSIO I.

2 *Nec spatium imaginarium nec spatium, reale, nec vbi nec aliquid intrinsecum locato est locus proprie dictus.* Hæc est iuxta quartã sententiam contra tres primas.

Spatium nec imaginarium nec reale est locus.

*Probatur prima pars*: quia spatium imaginarium est quid fictum, nullo modo existens à parte rei, nec potens existere; ergo locus realis & physicus, de quo loquimur, non potest consistere in illo. Probatur antecedens: quia non est substantia aliqua realis, nec accidens, nec negatio aut priuatio aliqua realis; alias non esset imaginarium.

*Confirmatur*: quia si esset substantia aliqua, deberet esse creata ià Deo, & sic conueniret hæc sententia cum secunda: si esset accidens, deberet habere aliquod subiectum, quale nequit assignari: si esset negatio, idem esset rem esse in loco, ac esse in negatione, quod est absurdum. *Deinde*, si spatium imaginarium est negatio, non alia negatio quam corporis: sed illa negatio corporis tollitur posito ipso corpore: ergo quando poneretur res in loco, tolleretur locus, quod est absurdum.

*Rursus*, si dicatur illud spatium esse capacitatem ad recipienda corpora, quæro quid sit illa capacitas; an positiuum quid, an negatiuum: si positiuum, ergo vel substantia, vel accidens reale, quod non asserunt aduersarij: si negatiuum, ergo vt ante dixi, idem esset corpus esse in loco, ac in negatione, quod viderur absurdum.

3 *Probatur secunda pars*: quia spatiũ reale debet esse substantia trinæ dimẽsionis: sed absurdũ est dari talẽ substantiã, in qua penetratiuè darẽtur corpora quæ locantur: ergo nõ debet asseri quod locus sit tale spatiũ. Probatur minor: tũ quia nullum est iudiciũ talis substãtiæ, ex quo colligeretur dari nihil autẽ debet dici dari absq; aliquo indicio, ex quo colligatur dari: tũ quia vel esset substantia corporea, vel spécialis; non corporea, quia aliàs duo corpora penetrarent se naturaliter; non spiritualis, quia locus proportionatus corporibus non debet esse spiritualis; tũ quia illa ipsa substantia extensa trinæ dimensionis deberet esse in loco alio non minus, quam substantiæ corporeæ quæ in loco ponuntur; quæro ergo de illo alio loco, an sit alia substantia? si sic, dabitur processus in infinitum: si non, ergo quemadmodum istius substantiæ locus non debet dici alia substantia, quam penetraret, sed aliquid aliud: ita etiam neque substantiarum corporearum locus debet dici alia substantia quam penetrarent: quæ ratio mihi conuincit hanc partem conclusionis, sicut & prima ratio.

*Probatur tertia pars conclusionis*: quia vbi est illud, per quod ponitur res in loco: ergo non est ipsemet locus.

*Probatur quarta pars*: quia nihil intrinsecum potest excogitari, quod sit locus, nisi materia vel forma, vel quantitas, vel aliqua qualitas, vel presentia localis, quæ est ipsum vbi intrinsecum: sed neutrum ex his est locus corporis; non præsentia aut vbi, vt paulo ante ostensum est, non materia nec forma, aut qualitas aut quantitas, tum quia hæc comitari solent corpus: locus autem deseritur ab ipso, quando mouetur; tum quia ipsamet materia & forma, & quantitas & qualitas sunt in loco, & de loco in quo sunt, hic æque quæritur de loco ipsius corporis; tum denique, quia nemo dicit corpus esse in sua materia aut quantitate aut qualitate, tanquam in loco.

Locus non est vbi nec aliquid intrinsecum.

5 *Obijcies primo*, maius spatium occupatur à corpore magno quam paruo, & à toto mundo quam à parte mundi: ergo datur spatium vel reale vel imaginarium, in quo sit corpus magnum distinctum à spatio, in quo sit corpus paruum, & in quo sit totus mundus secundum se totum: sed illud spatium non est corpus aliquod ambiẽs; nullum enim est corpus ambiens totum mundum; & quodcunque corpus ambiens aliud corpus posset destrui relicto illo corpore adhuc occupante tantum spatij, quantum ante occupauit: ergo aliquod aliud spatium: sed nullum assignari potest præter spatium, quod asseritur à prima aut secunda sententia, & quod negatur in conclusione: ergo conclusio est falsa.

*Respondeo* nullum spatium occupari ab vllo corpore, nisi superficiem corporis ambientis, quæ si habet partes suas magis distantes quàm partes alterius speciei ambientis aliud corpus, dicitur esse maius, quam spatium occupatum à corpore circumscripto per aliam superficiem, cuius partes minus à se inuicem distant. Quod si nulla superficies ambiat corpus, sicut nulla ambit totum mundum, includendo in mundo cælos omnes, profecto corpus illud non debet dici occupare vllum spatium nec magnum nec paruum; sed solum potest dici, si partes ipsiusmet magis à se inuicem distant, quam distant inter se partes alterius corporis, quod possit occupare maius spatium, quam alterum corpus. Vnde in forma.

*Respondeo* distinguendo antecedens: si vtrumque occuper spatium sibi proportionatum, concedo; si non occuper, nego antecedens; distinguo consequens similiter pro prima parte, negando vero ipsum pro secunda parte, nempe quod detur spatium maius occupatum à toto mundo quam à parte mundi: & per hoc patet ad reliquam partem.

6 *Obijcies secundo*: omnia incompossibilia habent incompossibilitatem respectu alicuius tertij duo corpora quanta habent incompossibilitatem localem: ergo respectu alicuius tertij: non respectu superficiei ambientis, quia ea ablata adhuc maneret incompossibilitas eorum nec aliud tertium assignari potest præter spatium: ergo spatium illud est locus.

*Respondetur* negando subsumptum pro prima parte: habent enim incompossibilitatem respectu superficiei sic vt non possint naturaliter sub eadem superficie contineri simul: nec refert ad hoc quod superficies existat aut non existat; sufficit enim, quod duæ quantitates non possint naturaliter intra se inuicem sic applicari, vt eadem superficies vtrique correspondere possit, si ponerentur sub superficie aliqua.

## CONCLVSIO II.

7 *Locus est vltima superficies corporis continentis immobilis.* Hæc est iuxta quartam sententiam cum Philosopho hic. *Probatur*: tum quia nihil aliud potest conuenientius assignari, quod locus: tum quia reuera eo ipso, quo aliquod corpus sub tali superficie continetur, dicitur esse in loco, & eo ipso, quo aliquod corpus non habet superficiem talem, sub qua contineatur, quemadmodum de facto non habet vltimum cælum, non dicitur esse in loco proprie loquendo: ergo locus consistit in huiusmodi superficie, loquendo de loco circumscriptiuo corporeo, de quo hic agimus.

*Confirmatur conclusio* declarando singulas descriptionis particulas: Dicitur *vltima superficies*, quia hic loquimur de loco immediato & proximo. Dicitur *corporis*, quia agimus de loco corporeo, in quo corpora actualiter extensa locantur. Vbi tamen aduertendum, non esse loco essentiale quod sit superficies, quæ sit actu alicuius corporis superficies; quia si daretur per potentiam absolutam aliqua superficies circumscribens aliud corpus absque vllo corpore, cuius esset superficies, esset tam bene locus illius corporis contenti sub illa, ac si esset superficies alterius corporis. Et hinc optime *Scotus in 1. d. 2. q. 6. n. 7.* negat vltimitatem esse de ratione loci: sicut est continentia. Dicitur *continentis*: id est circumscribentis seu intra se tenentis illud, quod dicitur esse in loco totali; per quod significatur agi hic de loco totali; vnde per hanc particulam etiam excludi potest à ratione loci, cathedra respectu hominis, & vltima superficies eius, quia non circumscribit singulas partes eius, prout debet facere locus totalis. Dicitur denique *immobilis*, quia locus, vt locus, debet esse terminus à quo motus localis; non esset autem talis, si moueretur cum locato. Et hinc optime negat Philosophus, vltimam superficiem dolij, quod simul cũ vino mouetur, esse locum vini; quæ tamen superficies si maneret immobilis, & inde moueretur vinum ad alium locum, posset habere rationem loci non minus, quam quæcumque alia superficies.

8 *Obijcies* contra hanc particulam, quæ valde difficilis est, & totam conclusionem. Superficies aëris ambientis turrim est locus eius, & tamen facile mouetur huc illuc vel flante vento vel succedente quocunque alio corpore: ergo vel locus non est superficies corporis continentis vel non debet locus esse immobilis.

*Complutenses*,

*Complutenſes*, hic ex doctrina D. Thomæ, reſpondent ſuperficiem materialiter conſideratam poſſe moueri localiter, non vero ſi conſideretur formaliter, vt ſcilicet dicit talem vel talem diſtantiam ad partes fixas mundi, v. g. ad polos primi mobilis.

*Sed contra*, quia etiam vt dicit talem diſtantiam ad illas partes, poteſt moueri localiter: nã, ſi Deus moueret totum mundum ac cælos (vt bene poſſet facere) relictis omnibus partibus in eadem diſtantia inter ſe, quam iam habent, ſuperficies continens turrim moueretur localiter ſimul cum turri etiam vt diceret eandem diſtantiam ad partes fixas mundi: ergo ſuperficies non ſolum poteſt moueri materialiter conſiderata, ſed etiam formaliter.

*Propter hoc reſpondent* alij locũ dici immobilẽ nõ à reſpectu ad partes fixas mũdi, ſed ad partes ſpatij imaginarij.

9 *Sed contra*: quia ſpatium imaginarium non eſt aliquid reale, ſed aliquid imaginatium; ergo ſi ſuperficies habet eſſe locus formaliter à reſpectu ad ſpatium imaginarium non eſt formaliter loquendo, aliquid reale, ſed aliquid imaginarium, quod videtur abſurdum.

*Confirmatur*: quia omnis reſpectus realis debet habere terminum realem: ergo reſpectus terminatus ad ſpatium imaginarium nequit eſſe realis; quandoquidem nec ipſum ſpatium ſit quid reale.

10 *Reſpondeo ergo aliter* immobilitatem loci deſumi à tali diſtantia ad terminum ad quem motus localis, quo mouetur corpus à loco ad illum terminum: nam locus vt dicit talem diſtantiam, nequit moueri etiam de potentia abſoluta. Vnde in forma.

*Reſpondeo* diſtinguendo maiorem: ſecundum ſe præciſe, nego maiorem; vt dicit talem diſtantiam ad terminum ad quem motus localis, concedo maiorem, & ſimiliter diſtinguo minorem, & nego conſequentiam.

*Dices*: ſuperficies cæli Lunæ poteſt retinere eandem diſtantiam ad ſuperficiem conuexam terræ, quæ ſuperficies poteſt eſſe terminus ad quẽ motus localis, quo moueretur aliquid graue à ſuperficie illa cæli Lunæ ad ſuperficiẽ illã connexam terræ; & tamen moueri: nam ſi moueretur totus mũdus ſimul retineretur eadem diſtantia inter vtramque ſuperficiem, ſed tum vtraque moueretur, etiam vt habens eandem diſtantiam: ergo non ſufficit noſtra reſponſio magis, quam Complutenſium, quæ reiecta eſt.

*Reſpondeo*, immobilitatem loci deſumi debere à diſtantia prædicta, non in hoc ſenſu, quod locus cum eadem diſtantia non poſſit moueri localiter quomodocunque ſed quod non poſſit moueri localiter ad terminum ad quẽ, neque recedere ab ipſo. Ratio autem quare debet huiuſmodi immobilitas conſiderari in loco, eſt quia ſine ea non poſſemus ſcire extenſionem motus localis, qui fieret à termino à quo, ad terminum ad quem.

*Dices*: etiam Complutenſes poſſent hoc modo dicere quod immobilitas loci deſumi debeat ad partes fixas mũdi in ordine tamen ad motũ, qui fieret à ſuperficie à partibus illis diſtante, ad quemcunq; alium locum: nam vt ſic eſt immobilis & ſeruans eandem diſtantiam neceſſario ad terminum ad quem iſtius motus.

*Contra*: quia quamuis non darentur vllæ partes fixæ mũdi, poſſet motus talis eſſe à loco ad locum: ſi enim ſolũ eſſent duo corpora diſtantia, vnum poſſit moueri localiter ad alterum: ergo ordo ad partes fixas mundi eſt impertinens ad locum.

*Confirmatur*: ad hoc vt poſſit dari motus localis, ſufficit dari duas ſuperficies inter ſe diſtantes, à quarum vna ad alteram tranſire poſſit corpus mobile, & ad hoc vt locus vnus ſit immobilis ad alterum locum, ſufficit quod vt ſic diſtans non poſſit ad ipſum moueri.

*Deinde*, hæc ſola neceſſario requiruntur ad motum localem: ergo impertinenter conſideratur aliqua alia diſtantia loci præter hanc, aut aliqua alia immobilitas per ordinem ad quodcunque aliud.

12 *Obijcies ſecundo*: ſequeretur quod corpus immotum localiter poſſet mutare locum: ſed hoc eſt abſurdum: ergo. Probatur maior: quia turris manens in eodem loco, non retinet ſemper eandẽ ſuperficiem continentẽ, ſed nunc habet hanc ſuperficiem nunc illã; ergo ſi ſuperficies etiam cũ reſpectu quocunque diſtantiæ ad quæcũque ſit locus corpus immotum mutat locũ & tranſit ab vno loco in aliũ locum.

*Reſpondent Complutenſes*: ſupra diſtinguendo maiorem mutare locũ materialiter, concedunt; formaliter, negant; & ſimiliter diſtinguunt maiorem probationis. Intelligunt autem per locum formaliter, ſpeciem, vt ſubſtantem tali diſtantiæ, abſtrahendo ab eſſe numerico talis numero ſuperficiei & talis numero diſtantiæ, per locum autem materialiter intelligunt hanc numero ſuperficiem, & hanc numero diſtantiam.

*Hæc reſponſio*, quamuis fortaſſis in re conueniat cũ alia communi Scotiſtarũ ſtatim adducenda, non tamen placet quoad modum loquendi: quia licet aliqua duo individua humana conueniant formaliter in ratione ſpecifica hominis, tamẽ peſſime diceretur deſtructo vno individuo, v. g. Petro, non deſtrui hominem formaliter, ſed materialiter tantum; ergo licet duæ ſuperficies cum tali reſpectu diſtãtiæ conueniant in ratione ſuperficiei vt ſic, & diſtantiæ etiam, male dicitur, deſtructa vna non deſtrui ſuperficiem cum diſtantia formaliter, ſed tantum materialiter.

*Confirmatur*: quoties cunque deſtruitur individuum, deſtruitur etiã ratio ſpecifica in illo incluſa formaliter; ergo ſi deſtruatur hæc ſuperficies cum tali reſpectu diſtantiæ, deſtruitur ratio ſuperficiei vt ſic, & ratio diſtantiæ in illa incluſa.

*Confirmatur ſecundo*, quia quoties locatũ tranſit de vno numero loco ac alterũ numero locũ, videtur debere moueri localiter: ſed turris immota ſecundũ aduerſarios trãſit de vno numero loco tam quoad rationem, formalẽ, quàm materialem ad alium numero locum; neque enim eadem numero ratio formalis loci poteſt reperiri in ſuperficiebus numero diſtinctis: ergo adhuc manet vis obiectionis, non obſtante hac reſponſione.

13 *Reſpondetur ergo aliter* diſtinguendo maiorem: poſſet mutare locum accipiendo alium locum numero diſtinctũ à priori loco, ſed æquiualentem tamen illi & non diſtantẽ localiter ab illo; concedo maiorem: accipiendo aliũ locũ diſtantem localiter à priori loco, & propterea non æquialentem illi, nego maiorem, & conformiter ad hoc diſtinguo minorem, & nego conſequentiam.

Itaque vt aliquid moueatur localiter, non ſufficit quod acquirat varia loca quomodocunque, ſed requiritur quod ab vno loco tranſeat ad alium locum diſtantem localiter; vnde quia turris immota, licet tranſeat ab vno loco ad alium, quãdo variæ ſuperficies ſibi inuicẽ ſuccedentes eã ambiunt, quia tamẽ non eſt diſtantia localis inter illas ſuperficies, propterea non dicitur moueri localiter, & hinc etiã dicuntur illa plura loca, quæ ſuccedunt circa illã turrim eſſe æquialẽtia ſibi inuicẽ: & quaſi vnus locus æquialenter; quia quantum ad motum localem turris perinde eſt, quod ſuceedant ſibi inuicem, aut quod maneat ſemper vnus tantum locus, nã quemadmodum ſi maneret ſemper vnus locus, turris non moueretur localiter, ita etiam nec mouetur localiter, quamuis ſuccedant circa ipſam varia illa loca non diſtantia à ſe inuicem localiter.

14 *Obiicies tertio*. Quidquid mouetur localiter, acquirit alium & alium locum: ſed primum mobile poſſet moueri localiter, quamuis non daretur aliud cælum, aut corpus ſupra ipſum, ſub cuius ſuperficie contineretur; ergo acquirit alium & alium locum: ſed non acquirit ſuperficiem: ergo ſuperficies non eſt locus.

*Reſpondeo* diſtinguendo maiorem: ſi ſit in loco, dum eſt in termino à quo, & in termino ad quem, concedo maiorem: ſi non ſit, nego maiorem, & conceſſa minore nego conſequentiam: quia non eſſet in loco, ſi non eſſet aliud corpus ſupra ipſum, ſub cuius ſuperficie contineretur.

*Et ſi quæras* quomodo ergo poſſit moueri localiter quandoquidem motus localis ſit motus mobilis à loco in locum.

*Reſpondeo*, dici moueri localiter, quia mutat præſentiã ſuam localem ad corpora contenta ſub ipſa: & in hoc etiã ſenſu poteſt dici eſſe in loco, quia ſcilicet dicit talem præſentiã ad alia corpora: quod tamen non ſufficit vt dicatur eſſe in loco, prout locus hic definitur, & eſt aliquid continens aliud ſeu in quo aliud continetur.

*Diuiſionis*

*Diuisiones Loci.*

15 PRo maiori autem declaratione loci aduertendæ sunt aliquot loci diuisiones.

Quid locus intrinsecus, & extrinsecus.

*Prima est*, qua diuiditur in locum extrinsecum & intrinsecum: *intrinsecus* est ipsum vbi, seu id à quo formaliter res habet poni in loco; quod tamen meo iudicio satis improprie locus dicitur, quia ex hac ipsa illius explicatione non tã locus dici debet, quã id quo res collocatur in loco. *Locus intrinsecus* est illa alia res, ad quam aliquid dicitur habere præsentiam, sic enim explicandum sentio locum extrinsecum, vt sic; commuuem omni loco extrinseco, tam definitiuo quam circumscriptiuo; quod si velit quis restringere locum extrinsecum ad locum physicum, & proprium, quatenus de eo egit Philosophus, dicat locum extrinsecum esse vltimam superficiem corporis continentis immobilis.

Quid definitiuus & circumscriptiuus.

16 *Secunda diuisio* loci est in circumscriptiuum, & definitiuum. *Locus circumscriptiuus* est, qui continet corpus totaliter ambiendo illud sic, vt vna pars corporis cõtinentis correspondeat parti corporis locati, & alia alteri; & hic est locus proprie dictus, de quo hic agitur præcipue; quia est locus competens corporibus naturalibus. Porro aduertendum quod huiusmodi locus possit considerari vel cum impenetrabilitate, vel cum penetrabilitate: si consideretur cum penetrabilitate, aliqui reducunt ipsum ad locum definitiuum, & competeret substantiæ, quamuis non esset affecta quantitate, sed haberet tamen partes extra partes: verum quoad etymologiam nominis, penetrabilitas nõ impedit circumscriptionem: vnde non obstante penetrabilitate posset superficies esse locus circumscriptiuus, sed de hoc non potest esse alia quæstio, quàm de nomine.

*Locus definitiuus* est ille, cui alia res est præsens sine commensuratione partis loci ad partes locati, sed sic, vt tota res locata sit correspondens cuilibet parti loci: sic corpus Christi est in Eucharistia, seu in superficie continente Eucharistiam, & Angelus indiuisibilis sic potest esse in loco diuisibili, palmari verbi gratia.

Quid cõmunis ac proprius,

*Tertia diuisio* loci est in communem, & proprium: *communis* est qui continet multa locata: sic aqua dicitu locus piscium, aër auium terra animalium terrestrium: *proprius* est qui vni soli correspondet.

Naturalis violentus, neuter.

*Quarta diuisio* est in naturalem, violentum & neutrum: *naturalis* est, ad quem res inclinatur; *violentus* à quo abhorret: *neuter* ad quem res nec inclinatur, nec ab eo abhorret.

Aliæ diuisiones loci in dextrum, sinistrum, sursum, deorsum ante, retro, totalem, partialem patent ex ipsis nominibus.

*Dubia circa locum.*

17 *Quæres primo*, an locus possit esse in loco?

An locus possit esse in loco.

*Respondeo* quod sic: certum enim est quod superficies aëris, qua continetur terra, sit saltem mediante reliquo aëre, contenta sub superficie concaua Cæli Lunæ, aut sphæræ ignis, si detur talis inter aërem & Cælum Lunæ; nec denique est aliqua inconuenientia in eo, quod vnus locus sit in alio loco.

*Dices*: sequeretur processus in infinitum.

*Respondet* negando sequelam: quia stabitur in loco vltimo, qui alium circa se non habet, qualis est superficies connexa Cæli primi superioris.

*Quæres secundo*, an locus dicat essentialiter continentiã actualem, an vero solum potentialem aut aptitudinalem.

An locus dicat essentialiter continentiã actualem.

*Respondeo* quæstionem esse de nomine, atque adeo vtrumque posse dici, prout explicabitur illa particula definitionis *continentis*: melius tamen est dicere quod dicat solum essentialiter continentiam aptitudinalem aut radicalem, tum quia definitiones communiter, quamuis dentur per verba significantia actum, intelliguntur tamen aptitudinaliter: & deinde dicimus communiter vnam rem tendere in talem locum antequam actu eo perueniat, qui tamen locus eo tempore non continet ipsam actu. Nec oppositum huius traditur à *Scoto in 2.d.2.q.6.litt.G.* aut *n.* 10. quidquid dicat *Mastrius*, pro quo.

18 *Dices*: si potentialis continentia sufficeret, pars deberet dici esse in toto, tanquam locatum in loco: sed hoc est contra omnes; ergo.

*Respondeo* negando sequelam, quia licet vna pars totius ambiatur à superficie conuexa alterius partis, tamen vnitur physice illi parti ambienti, ita vt necessario secũ deferre debeat alteram partem; locatum autẽ non vnitur sic loco.

*Deinde* hæc replica retorqueri potest contra *Mastrium*; quia alia pars actu ambitur ab altera parte totius: ergo si continentia actualis constituat locum, illa pars erit in loco; quod si non obstante quod locus sit superficies actu continens secundum *Mastrium*, illa pars non sit in toto tanquam in loco, quia scilicet aliquid impedit: sic similiter quãuis locus esset superficies aptitudine continens, illa pars non esset in toto tanquam in loco, propter idem impedimentum, quod tam bene sufficiet nobis quã *Mastrio*.

*Dices secundo* pro eodem: sequeretur quod baculus extractus in aqua, adhuc posset dici esse in aqua tanquam in loco & quod aqua esset locus eius, quia aqua potest eum recipere.

*Respondeo* negando sequelã pro prima parte: cum enim non sit an aqua vllo modo, quomodo possit esse in illa tãquam in loco? concedo autem sequelam pro secunda parte: verum enim est quod aqua sit locus baculi etiam extracti non quidem in quo sit actu, sed in quo possit esse.

An materiale & formale loci faciant vnum per se.

19 *Quæres tertio*: An superficies, quam materialiter importat locus, & continentia ac immobilitas quam dicit formaliter, faciant vnum per se ex genere & differentia, aut potius vnum per accidens ex subiecto & accidente, aut ex subiecto & propria passione.

*Respondeo*, si loquamur de continentia actuali, clarum esse quod illa sit accidens superficiei, quandoquidem possit ipsi adesse, & abesse, & sit respectus, nec habeat vllam proportionem actus per se respectu superficiei magis quã albedo habeat respectu parietis: & idem dicendum est à paritate rationis de respectu distantiæ talis, à quo habet locus esse immobilis. Si vero loquamur de continentia aptitudinali, illa est proprietas superficiei, non secus ac risibilitas est proprietas hominis. Si denique loquamur de continentia radicali, illa conuenit cum vltima differentia superficiei, nec consequenter facit vnum per se cum superficie, sicut nec rationalitas cum homine; sed bene facit vnum per se cum genere, in quo conuenit superficies cum aliis rebus, sicut rationalitas facit cum animali: nec hæc res maiori digna est consideratione, aut examine.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum possit aliqua creatura produci absque vllo loco, aut vbicatione.*

20 CErtum est, siue loquamur de loco extrinseco circumscribente, siue etiam de respectu aut modo, quo haberet res aliqua collocari in tali loco, supremum Cælum esse absque vllo loco, aut vbicatione: si autem loquamur de respectu, aut modo, à quo habet res distare tantum, vel tantum ab alia re, siue esse indistans ab illa; & dicamus rem esse in loco, quæ ab alia re distat, aut indistat; non minus est certum, quod de facto nulla res sit, quæ non sit in loco, & quæ non habeat vbicationem; vel enim inter quamcumque rem assignabilem, & aliam rem quamcumque potest interponi alia res, vel non potest. Si potest, iam distant: si non potest, iam non distabunt: ergo necessario debet omnis res habere vbicationem in hoc sensu. Sed si Deus crearet aliquem Angelum solum, nulla alia re simul creata, ille Angelus non esset in loco nec priori nec posteriori modo; nec enim circumscriberetur, nec esset distans aut indistans ab vlla re magis, quam corpora iam existentia possunt dici esse distantia, aut indistantia ab Antichristo nondum existente.

Res potest poni absq; distantia aut indistantia ab alia &c.

22 *Dices*: esset indistans à Deo Angelus ille: ergo esset in loco posteriori modo.

*Respondeo* negando consequentiam, quia esse in loco posteriori modo dicit distantiam, vel indistantiam, ab eo à quo possit res localiter discedere, vel accidere magis aut minus, hoc autem non conuenit creaturæ in ordine ad Deum, quia Deus ob immensitatem debet necessario esse indistans ab omni creatura existente, vnde creatura nulla potest ab illo recedere, aut ad illum accedere.

In alio ergo sensu examinari debet præsens quæstio, vt habeat controuersiam; nempe, an res creata quæcumque debeat necessario habere aliquam vbicationem determinatam, à qua dicatur esse hic & non alibi, verbi gratia, in hoc loco reali vel imaginario. *Suarez 4. de Angelis c. 3.* tenet partem affirmatiuam, quem sequitur *Arriaga* hic affirmans eam esse communem sententiam. *Vasquez, Moncæus* & alij tenent negatiuam.

## CONCLVSIO.

Potest res creari à Deo absq; vlla præsentia aut vbi.

22 POtest res creari à Deo absque vlla præsentia aut vbi. Hæc est conformior Scoti principiis dicentis, vbi esse relationem extrinsecus aduenientem, & eam expresse tenet *Vasquez & Moncæus.*

*Probatur* autem: quia si Angelus solus crearetur à Deo, nec esset imaginabile, ad quid ipsi deseruiret aliquod vbi aut præsentia; nec posset explicari effectus formalis, quem tribueret Angelo; nec potest etiam assignari vlla ratio, ob quam Angelus deberet vllum vbi habere.

*Dices* Angelum habere necessario esse suum in aliqua parte spatij imaginarij.

*Contra*: quia spatium imaginarium non est aliquid reale, sed quid fictum, vt etiam aduersarij fatetur, præsertim *Arriaga*; sed omnino absurdum est, quod aliquid debeat habere necessario præsentiam realem ad aliquid fictum.

*Dices*: Deus ipse coexistit spatiis imaginariis, & quidem necessario, ergo creatura potest illis coexistere.

Deus non coexistit spatijs imaginarijs.

*Respondeo* negando antecedens, quamuis enim Deus sit immensus & sic se habeat, vt nihil possit produci, cui non sit intime præsens; tamen non propterea censendus est coexistere spatiis imaginariis extra mundum positis, quia talia spatia eo ipso, quo solum sunt imaginaria, nequeunt habere Deum sibi realiter coexistentem.

*Confirmatur*: quia vel vbi quodcumque debet esse quid absolutum, vel respectiuum; si absolutum: ergo debet habere aliquem effectum absolutum: sed talis non potest assignari, qui necessario sit coniunctus cum Angelo, qui solus esset productus. Si respectiuum, ergo debet necessario habere aliquem terminum realem: sed nullus esset terminus relationis, quam diceret Angelus; ergo non solum non haberet vbi, sed nec posset habere.

23 *Probatur secundò*, quia vbi quodcumque, siue sit absolutum, siue respectiuum, est quid posterius re vbicata, & producibile per actionem realiter distinctam ab actione, per quam producitur res, quæ vbicatur: ergo potest res vbicata produci absque vllo vbi. Antecedēs cōceditur cōmuniter: probatur consequentia axiomate celebri Scoti, quod omne prius realiter distinctum à posteriori & producibile per actionem distinctam ab actione qua producitur posterius, possit conseruari, ac produci absque posteriori, & ratio est primo, quia aliàs non esset prius, quia dependeret in suo esse reali à posteriori, quandoquidem non posset habere suum esse absque posteriori: secundo, quia non potest assignari cur prius tale haberet tam necessariam connexionem cum posteriori tali, vt nō posset esse absque illo posteriori: quod maxime locum habet, quando prius est quid absolutum, & non est actualis relatio habens posterius pro termino.

Prius potest conseruari absque posteriori.

24 *Dices* contra hanc rationem primo: partes vnitæ sunt priores toto compositō, & tamen nequeunt esse absque illo: ergo falsum est prædictum axioma.

*Respondeo* negando sequelam, tum quia partes vnitæ, vt vnitæ, non sunt priores prioritate in quo, quam totū, sed prioritate à quo, quia vt suo loco diximus, ipsamet vnio est causalitas, qua producunt totum: causalitas autē non est prior prioritate in quo, sed à quo, respectu termini, qui causatur ea mediante; tū etiā quia in partibus vnitis reperitur relatio vnionis, quæ, cum etiā sit causalitas, qua causant totam, ex natura sua intrinseca exigit totum, quemadmodum omnis relatio exigit suum terminum. Quod si etiā non esset causalitas, vt alij plures tenent ex Scotistis, tamē esset talis naturæ, vt ea supposita, emanaret necessario causalitas partium circa totum sine vlla actione causæ efficientis præter actionem productiuam vnionis & partium vnitarum: vnde non est idē de partibus vnitis, ac toto, & de cōseruatione prioris absque posteriori, quando vtrumque est producibile per actionem propriam ad se immediatè terminatam. Ex quo patet retorqueri posse hoc argumentum: si totum esset producibile per actionem ad se immediate terminatam distinctā ab actione, qua producitur vnio partium, posset vnio partium esse producta absque eo quod produceretur totum: ergo similiter dicendum in proposito.

25 *Dices secundò*. duo alba sunt priora similitudine, & tamen nequeunt produci absque similitudine: ergo falsum est axioma.

*Respondeo*, admittendo similitudinem distinctam, negando consequentiam, quia similitudo sequitur per emanationem, & non producitur per actionem vllam physicam ad se immediatè terminatam: axioma verò loquitur de posteriori producibili per actionem ad se immediatè terminatā. Quod si similitudo produceretur per actionē ad se immediatè terminatam, falsum esset antecedens, & ex falsitate eius confirmari posset axioma nostrum.

*Dices tertiò*, linea est prius quam curuitas aut rectitudo, & corpus quam figura vlla: sed tamen nec linea potest esse absque curuitate, aut rectitudine, nec corpus absque aliqua figura: ergo falsum axioma.

*Respondeo* negando minorem, quia tam linea, quam corpus possunt reduci ad punctum indiuisibile, & tum non haberent, nec curuitatem, nec rectitudinem, nec figuram vllam.

26 *Dices*: saltem linea extensa & corpus extensum sunt priora curuitate & rectitudine ac figura quacumque: sed tamen nequeunt esse absque aliqua ex illis: ergo adhuc axioma est falsum.

*Respondeo* distinguendo maiorem: sunt priora eo modo, quo gradus superior est prior gradu inferiori, concedo maiorem: sūt priora eo modo quo aliquid singulare realiter distinctum ab alio singulari est prius illo, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam.

Quod vt intelligatur, aduerte lineam curuam & rectam conuenire vniuoce in ratione lineæ extensæ vt sic, sicut homo & brutum in ratione animalis; & similiter corpus extensum figuratū hac figura & illa figura, verbi gratia orbiculari, & quadrangulari, conueniunt in ratione corporis, extensi, vt sic, eodem modo: vnde quemadmodum non est idem realiter animal quod contrahitur ad hominē & brutum, licet sit idem formaliter, aut similitudinarie; ita etiā non est idem realiter corpus extensum vt extensum, quod contrahitur ad corpus extensum quadrangulare & orbiculare; nec eadem realiter linea extensa, quæ contrahitur ad lineam extensam rectam, & lineam extensam curuam. Axioma autem loquitur de aliquo priori, quod nō est gradus superior ad posterius, sed quid determinatum singulare. Vnde hæc replica nōn facit ad propositum: nec credo vllam posse haberi, quæ infringat prædictum axioma.

27 *Obycies primò*: Angelus ille solus, qui esset productus à Deo, necessario deberet habere distantiam à Mundo, qui postea produceretur, aut indistantiam: ergo necessariò deberet habere aliquod vbi, quia distantia ac indistantia concomitantur necessario vbi.

*Respondeo primò*, distinguendo consequens: quando produceretur Mundus aut alia creatura, transeat; antea, nego consequentiam.

*Respondeo secundò*, & melius distinguendo antecedens: deberet habere distantiam aut indistantiam, capiendo indistantiā pro negatione distantiæ, concedo antecedens: capiendo ipsam pro proximitate aut contiguitate, aut pro eo, à quo res habet non esse procul, nego antecedens & consequentiam. Itaque existimo quod de facto non obstante creatione mundi Deus posset producere hominem absque eo quòd esset in mundo, aut distans aut indistans à mundo, capiendo indistantiam secundo modo iam explicato.

Aliquid posset produci nec intra nec ex tra mundum positum.

*Et si quæras* vbi esset. *Respondeo*, nullibi, sicut respōderem de Deo antequam vllam rem creauit.

*Dices*: ille homo deberet esse extra hunc mundum, & consequenter

consequenter in spatiis imaginariis, ac in aliqua parte determinata illorum spatiorum.

*Respondeo* distinguendo antecedens: extra, id est non intra mundum concedo; extra, id est in aliquo alio loco, qui non esset in mũdo, nego antecedens & consequentiã, quia spatia imaginaria sunt vere nihil, & absurdum est quod res realiter producta sit in nihilo, & quod nihil habeat partes determinatas.

28 *Obiicies secundo*: Posset Deus mouere realiter totum mundum à loco, in quo iam est, ad vlteriorem locum versus occidentem aut orientem: ergo iam habet vbi aliquod determinatum, quod non haberet tum, quando sic moueretur: sed si totus modus iam habet aliquod vbi determinatum, etiam Angelus haberet tale vbi, etiamsi solus crearetur. Probatur antecedens: quia posset Deus creare alium mundum extra hunc mundum ad Orientem, & posset hunc mundum loco illius mundi ponere, vel ponere ipsum magis aut minus vicinum illi: ergo potest de facto absque creatione alterius mundi illum à loco, in quo iam est, mouere ad orientem vel occidentem.

Num. Posse mundus totus de facto moueri, si creatur vel alia creari.

*Respondeo* negando antecedens & suppositum: neque enim mundus totus secundum se totum est in aliquo loco iam; neque potest moueri ad alium locum de facto, nisi creetur de nouo alius locus, quia non datur alius locus ad quem posset moueri. Ad probationem antecedentis concedo antecedens, & nego consequentiam, quia creato alio mundo, & hic mundus haberet locum, quia haberet talem distantiam ad alterum illum mundum, & alius etiam ille mundus haberet similiter locum, vnde possent ad se inuicem moueri localiter & vnus loco alterius poni.

29 *Obiicies tertio*: Non potest aliqua res produci, quin habeat aliquam durationem, ergo nec potest res produci quin habeat aliquod vbi. Consequentiã putat euidentem *Arriaga*, quia sicut se habet duratio ad diuersa tempora, siue vera, siue imaginaria; ita vbi se habet ad diuersa loca, siue vera, siue imaginaria: & sicut res potest durare, & non in hoc, sed alio tempore, ita res potest vbicari, & non in hoc, sed in alio loco.

*Respondeo primo*, ex suppositione antecedentis, negando consequentiam: & disparitas desumi debet ex ipsismet principiis, ex quibus colligitur necessaria connexio rei existentis cum aliqua duratione, talia enim principia non habentur ad probandam necessariam connexionem rei existentis cum aliquo loco.

*Respondeo secundo* distinguendo antecedens: si loquamur de duratione, à qua habet res existere tanto, vel tanto tempore, seu taliter, vt si existeret tempus, illa res haberet coexistere necessario vel instanti eius, vel tantæ aut tantæ parti eius, concedo antecedens: & sic etiam transeat, quod corpus non possit produci, quin habeat se taliter, vt si existeret aliud corpus, cui commensuraretur, & relinqueretur illo modo, quo producitur, deberet commensurari tantæ parti alterius illius corporis; nec posset etiam Angelus produci, quin si relinqueretur eodem modo, quo producitur, & daretur alia creatura simul producta, deberet habere talem vel talẽ proportionem cum illa alia creatura, quantum ad commensurationem; sed hoc non est habere vbi.

30 *Respondeo tertio*: si loquamur de duratione, à qua res haberet esse tali vel tali tempore, nego antecedens: Angelus enim solus productus à Deo non esset productus in vllo tempore proprie loquendo, nisi in hoc sensu, quod non esset productus ab æterno, aut sic quin alia creatura posset antecedenter produci, & aliæ postea, & aliæ simul: & in hoc ipso sensu intelligendus est mundus ipse esse productus in tempore. In quo etiam eodem sensu potest dici, quod quidquid producitur, ita producatur, vt possit aliquid aliud produci in tanta, vel tanta distantia ad illud, quod non est contra nos.

Si vero loquamur de duratione, à qua habet res durare tanto vel tanto tempore, hoc est taliter, vt si existeret tempus reale, quando producebatur, deberet coexistere aut instanti eius, aut tantæ vel tantæ parti eius, concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas autem est, quod duratio rei non distinguatur à re & actione, per quã producitur: vnde res durans non est prior quoad existentiam realem quam duratio, vt manifestum est, res autem, quæ vbicatur, prior est, vt supponitur, quam vbicatio; quare non est eadem ratio de illis quantum ad hoc.

31 *Quares*, An præsentia localis sit res an modus. Hoc dubium proponitur particulariter ab *Arriaga hic num.* 49. qui absolute asserit eam esse rem, & non modum, contra communem sententiam.

Vt soluatur autem hæc difficultas, ac videtur quæstio de nomine, aduertendum rem posse capi multipliciter. *Primo* prout opponitur enti rationis, & sic certum est, quod vbicatio seu præsentia realis sit res. *Secundo* pro eo quod est quid absolutum, & sic, si præsentia sit relatio, vt tenent Scotistæ, non erit res, sed modus. *Tertio* pro eo quod potest existere sine alia re, cum tamen alia res non possit existere sine illa: & in hoc sensu materia prima comparata ad formam est res, quia potest existere sine vlla forma, præsertim in nostra sententia: & idem est de forma substantiali respectu materiæ primæ: in hoc verò sensu videtur *Arriaga* dicere quod præsentia sit res, quia potest existere sine re præsente. Modus autem, prout opponitur rei in hoc sensu, est illud quod non potest existere sine re, respectu cuius dicitur modus; & sic cognitiones cæteræque actus vitales essent modi in sententia Thomistarum negantium eos posse de potentia absoluta conseruari absque subiectis; in Scotistarum vero sententia tenentium oppositum essent res. Hoc supposito.

*Respondeo* absolute contra *Arriagam*, præsentiam localem esse modum in secundo & tertio sensu: quia est quid pure respectiuum & consequenter impotens existere de potentia absoluta absque subiecto, hoc est, re locata, & non potens: vniri ipsi per vnionem distinctam: ergo est modus & non res in secundo & tertio sensu.

*Probatur* antecedens quoad primam partem: quia est determinatio actualis rei locatæ ad locum, ergo est respectus non minus quam similitudo est respectus purus.

*Confirmatur* per omnia illa, quibus probauimus sex vltima prædicamenta esse respectus extrinsecùs aduenientes.

32 *Dices*: cognitio est determinatio actualis intellectus ad obiectum, & tamen est qualitas absoluta: ergo non obstante quod præsentia localis sit determinatio actualis rei ad locum, poterit esse quid absolutum.

*Respondeo primo*, si non sit aliqua ratio particularis, ob quam dicatur cognitionem esse quid absolutum magis, quam præsentiam, vtramque debere dici quid respectiuũ; si autem sit ratio aliqua particularis, quamuis propter eam debeat dici, quod cognitio sit quid absolutum, non debet idem dici de præsentia: quæ solutio est mihi realissima respectu huius difficultatis, & satis sufficiens.

*Respondeo secundo* distinguendo antecedens: est determinatio actualis, quæ fit per formationem similitudinis expressæ obiecti in intellectu, qualis similitudo nequit esse absque qualitate absoluta, concedo antecedens; est determinatio actualis, quæ non exigit productionem vllius qualitatis, nego antecedens, & consequentiam, quia determinatio, quæ fit per præsentiam, non exigit productionem vllius absoluti.

*Probatur* antecedens quoad secundam partem: quia nullus respectus petit vniri per vnionem à se distinctam, nec potest existere absque subiecto.

33 Quod si etiam præsentia esset quid absolutum adhuc potius deberet dici seipsa vniri subiecto absque vnione distincta, quàm per vnionem distinctam (præsertim si aliquid absolutum possit seipso vniri, vt tenent recentiores de actione & vnione) & consequenter, si id censendum est modus, quod vnitur subiecto seipso, & nequit existere absque subiecto, quamuis sit quid absolutum, potius præsentia dicendus est modus, etiam tenendo quod sit quid absolutum, quàm res: quod est directe contra *Arriagam*, qui, nescio cur, tam sollicite contra communem sententiam contendit præsentiam esse rem & non modum. Probatur hoc, quia licet sit absolutum, tamen adhuc est determinatio actualis sui subiecti

ad locum non minus quam vnio aut actio: ergo quemadmodum hæc vniuntur seipsis: ita & præsentia seipsa vniri debet.

*Confirmatur:* quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed non est necessitas dicendi quod præsentia debeat vniri per aliam vnionem: ergo non debet asseri alia vnio, per quam vniatur, sed debet potius dici quod vniatur seipsa.

34 *Dices*, non esse necessitatem multiplicandi vniones, per quas alia accidentia, verbi gratia albedo & nigredo vniantur: & tamen vniuntur per alias vniones: ergo argumentum hoc à multiplicatione entium sine necessitate non vrget.

*Respondeo* negando antecedens, quod si verum esset, profecto non deberent multiplicari illæ vniones; sed deberent dici illa accidentia seipsis vniri. Ratio autem cur vniri debeant aliis vnionibus est, quod, cum sint absolutæ entitates, & non determinationes actuales subiecti ad aliud, non possit assignari ratio, cur de potentia absoluta saltem non possint conseruari absque subiecto: ex suppositione autem, quod possint sic conseruari, sequitur manifeste, quod debeant vniri per alias vniones, & non seipsis; quia quæ seipsis vniuntur non possunt simul existere, quin vniantur.

## QVÆSTIO III.

*An vnica præsentia sufficiat substantiæ corporeæ, suisque partibus ac accidentibus.*

35 QVamuis certum sit quod non solum substantia corporea, verbi gratia equus, sed etiam materia prima, forma substantialis, quantitas, qualitates omnes in ipsa subiectatæ, sint in loco; dubitari tamen posset, an quodlibet ex his debeat habere præsentiam particularem distinctam, an vero sufficiat vt vnum ex ipsis habeat præsentiam, & cætera omnia solum sint in toto per accidēs, ratione coniunctionis cum illo alio. Non est ergo hic cōtrouersia, an vnica indiuisibilis vnio sufficiat pro substantia corporea distincta. quia sine dubio non sufficit, debet enim præsentia substantiæ corporeæ esse entitatiue diuisibilis sicut ipsamet substātia; neque enim præsentia manus est præsentia pedis, sed quælibet pars integralis habet propriam præsentiam. Sed vt dixi quæstio est, an quælibet pars essentialis, & quodlibet accidens, præsertim absolutum, debeat habere suum proprium vbi, aut præsentiam localem ad illum locum, in quo ponitur.

### CONCLVSIO.

Quælibet pars essentialis & quodlibet accidens absolutum substantiæ habet propriam præsentiam.

36 *Quælibet pars essentialis substantiæ corporeæ, & quodlibet accidens absolutum ita separabile ab aliis accidentibus & partibus illis essentialibus, vt posset esse in loco absque illis habet propriam præsentiam in loco.* Hæc est communior sententia cum *Suario disp. 51. met. sec. 5. Hurtado disp. 14. sect. 4. Auersa qu. 28.* contra *Vasquez, Ruuium & Complutenses hic qu. 6.*

*Probatur ab Amico*: quia si aliquod vnum vbi sufficeret, maxime vbi quantitatis: sed illud vbi non potest modificare aliquid nisi ipsam quantitatem: ergo non potest reddere alias formas vbicatas aut præsentes: modificatio enim exercetur in genere causæ formalis, forma vero non communicat effectum formalem nisi subiecto.

*Contra:* quia esse præsens hic non magis est effectus formalis præsentiæ, quam esse quantum quantitatis: sed quantitas non solum potest tribuere hunc effectum suo subiecto, verbi gratia substantiæ, sed formis etiam subiectatis in seipsa, aut in suo subiecto, vt qualitatibus; ergo Vbi posset dare suum effectum præsentiæ non solum suo ubiecto, sed illis etiam quæ coniungerentur illi. Itaque quamuis forma non posset communicare suum effectum directe nisi subiecto (quod tamen ipsum non est verum vniuersaliter) tamen posset sine dubio indirecte & quasi secundario; & aduersarij non volunt aliud, quam quod vnum vbi sufficiat ad reddendum aliquod vnum per se directe præsens & cætera indirecte, quæ coniunguntur cum illo vno.

37 *Probat Auersa:* quia si quantitas aut substantia posita hic cum suis qualitatibus poneretur in alio loco absque illis qualitatibus, & postea ponerentur illæ qualitates in illo alio loco, non essent in loco illo per præsentiam substantiæ, sed per præsentiam distinctam: ergo in quocumque loco habent præsentiam distinctam.

*Impugnat Mastrius* hanc rationem, quia falsum in ea supponitur, nempe quod possit poni substantia in illo loco, vbi non debeant poni omnes qualitates absolutæ suæ. Verum quia hæc etiam impugnatio dependet ab illa cōtrouersia, melius impugnatur negando antecedeus, quia essent illæ qualitates in alio loco quantū ad hanc probationem per præsentiam ipsiusmet substantiæ existentis in alio loco, supposita tamen vnione inhæsionis, aut informationis illarum cum illa substantia, vt existente in alio loco.

38 *Probat Mastrius*: quia si destrueretur quantitas absque substantia, non ideo deberet substantia perdere locum, in quo fuit ante; &, si substantia destrueretur relicta quantitate, quantitas non deberet mutare suum locum: ergo neutra est in loco per alterius præsentiam, sed quælibet per suam: & hæc ratio æque militat pro omnibus à se inuicem mutuo separabilibus, vt patet.

*Sed contra* resp. potest: quod si destrueretur illa vna res, in qua vnum vbi illud, quo omnia coniuncta cum illa re, sunt præsentia loco, reliqua quidem possent manere in eodem loco, quo ante, sed non per illud ipsum vbi quo ante erant in illo loco; sed per aliud de nouo à Deo producendum. Nec maius inconueniens videtur, quod Deus de nouo producere debeat nouum, si velit ea manere in eodem loco quo ante, quam quod ab initio producat duo vbi aut plura, cum vnum solum sufficeret: quod si vnum non sufficiat, alia ratio præter hanc assignanda est.

39 *Probatur ergo melius primo:* quia non est potior ratio, cur ex pluribus rebus absolutis, quæ reperiuntur in substantia corporea, præsentia vna subiectetur in vna, quā in cæteris; nam quemadmodum si poneretur vna præsentia in substantia, & cætera absque præsentia coniungerētur cum illa substantia, deberent cætera necessario esse in quocumque loco, in quo esset illa substantia; ita etiam si vna præsentia poneretur in quantitate, & coniungeretur substantia cum illa quantitate, deberet poni in quocumque loco poneretur quantitas, saltem naturaliter: ergo similiter, si poneretur vna præsentia in albedine, & hæc inhæreret quantitati, & quantitas substantiæ, vbicunque esset albedo naturaliter, ibidem deberet esse substantia, & quantitas: ergo non est maior ratio ponendi præsentiam in vna ex rebus, quam in reliquis: sed quotiescumque forma aliqua potest poni in pluribus, & non est maior ratio cur ponatur in vno quam in reliquis, debet poni in omnibus: ergo tot debent poni præsentiæ, quot sunt res in substantia à se inuicem mutuo separabiles.

40 *Confirmatur:* quia non habet accidens aliquod subiectatum in substantia aut quantitate esse in loco substantiæ aut quantitatis per hoc præcise, quod inhæreat aut coniungatur cum illa substantia aut quantitate: ergo ab aliquo alio: sed nihil aliud potest assignari nisi præsentia particularis: ergo talis admittenda est.

Probatur antecedens: quia secundum *Scotistas* formæ dependentes à loco non ponuntur in alio loco, quo replicaretur substantia, quamuis coniungerentur cum illa substantia intime; & secundū plures recentiores idem sequitur de formis absolutis quantum ad hoc, quod non necessario quæ sunt in vno loco, sint in alio loco, in quo simul esset subiectum earum: ergo ex coniunctione formæ alicuius cum quantitate aut substantia, non habet quod sit in loco, in quo est quantitas, & substantia: & fortassis *Auersa* in sua probatione nihil aliud intendit quam hoc.

*Aduertendum* autem hic, quod data opera limitauerim conclusionem ad formas à se inuicem realiter & mutuo separabiles, quia si essent aliquæ necessario connexæ, vnum vbi sufficeret ipsis, & sic vnum vbi sufficit toti & partibus vnitis, tam in sententia Thomistarum quam nostra: Thomistarum quidem, quia non distinguunt totum à partibus vnitis, nostra vero quia quāuis distinguamus totum à partibus, tamen non sunt mutuo separabilia, &

consequenter

consequenter eo ipso quo partes vnitæ ponuntur in loco, necessariò sequitur totum esse in loco, & è contra.

*Si autem quæras*, in quo debeat poni ipsum vbi.

In quo subiectatur vbi quo totum ponitur in loco.

*Respondeo*, quod potius in partibus: tum quia priores sunt toto, tum quia possunt manere in eodem loco in quo est totum, absque eo quod totum sit in illo loco, separata scilicet vnione; totum autem nequit esse in loco, quin illæ sint in loco ipsius.

41 *Obiicies*. Superfluit omnis alia præsentia præter præsentiam quantitatis aut substantiæ, quæ est subiectum quantitatis: nam eo ipso, quo poneretur illa sola præsentia, & cætera coniungerentur cum quãtitate aut illa substantia, ponerentur in loco; & eo ipso quo quantitas aut illa substantia moueretur ab hac præsentia ad aliam, cætera illa mouerentur similiter; ergo sufficit vna præsentia.

*Respondeo* negando antecedens, nam aliæ præsentiæ requiruntur vel ex hoc ipso capite, quod non sit maior ratio ponendi præsentiam in vno quam in reliquis, & quod possit poni in omnibus. Ad probationé antecedentis dico primo, eam posse negari iuxta principia posita in nostra confirmatione: dico secundo, quamuis concederetur, tamen non inde sequi sufficientiam vnius præsentiæ sic, quin aliæ debeant poni propter rationem iam dictam: quod totum confirmari potest per ea quæ diximus de duplici vnione lib. 1.

42 *Obiicies secundò*: In illo solo debet poni præsentia, quod per se moueri potest motu locali: sed quantitas aut substantia affecta quantitate est quæ sola per se moueri potest localiter: ergo in illa sola debet poni præsentia.

*Respondeo* negando maiorem, debet enim poni in omni illo, quod mouetur, quomodocumque moueatur, si possit habere præsentiam absq; eo quod illud aliud, quod per se moueri dicitur, habeat præsentiam in eodem loco. Deinde quando dicitur quod sola quantitas aut substãtia affecta quantitate per se moueatur; si intelligatur per hoc, quod illæ solæ moueantur, aut illæ solæ habeant præsentiam, falsum est: si intelligatur quod motus illorum solum intendatur à mouente, etiam falsum est: nam sæpe mouens per se solum intẽdit motum qualitatis alicuius, vt caloris, verbi gratia; si vero intelligatur quod per se moueatur illa substantia, quantum ad hoc quod denominationes effectuum potius simpliciter debeant dici de toto, quam de partibus aut accidentibus, quando etiam istæ denominationes competunt toti, concedi potest minor, & negari, vt dixi, debet maior.

43 *Obiicies tertiò*: omnia, quæ sunt in toto quanto, sunt quanta eadem quantitate: ergo omnia quæ sunt in toto præsentia localiter sunt præsentia eadem præsentia.

*Respondeo* negando consequentiam, quia plures quantitates sunt incompassibiles, non vero plures præsentiæ.

*Dices*: quantitas est fundamentum seu ratio fundandi præsentiam, ergo si quantitas sit vna, præsentia debet esse.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: præsentiam circumscriptiuam impenetrabilem, concedo antecedens; præsentiam definitiuam & penetrabilem nego antecedens, & similiter distinguo consequens: præsentia circũscriptiua & ex se impenetrabilis, transeat; præsentia definitiua & ex se penetrabilis, nego consequentiam.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum duo corpora possint esse simul in eodem loco.*

44 CErtum est plures res & substantias etiam materiales esse de facto naturaliter in eodẽ loco, vt patet de materia prima, forma substantiali, quantitate & accidentibus omnibus competentibus composito ex materia prima & forma illa: & hinc sequitur, quod ex pluralitate rerũ ac distinctione non sequatur, quin possint omnes esse in eodem loco naturaliter; & consequenter, quandoquidem nulla alia ratio sit, ob quam Angeli plures non possunt naturaliter esse in eodem loco, dicendum esse potius quod possint. Difficultas ergo est de substantiis aut rebus affectis diuersa quãtitate seu de substantiis aut rebus, quę nõ vniũtur inter se mediãte informatione aut inhęsione.

### CONCLVSIO I.

Plura corpora possunt esse in eodem.

*PLures substantiæ, quæ naturaliter expellunt se ab eodem loco, atque adeo naturaliter nequeunt esse in eodem loco, possunt diuinitus seu supernaturaliter esse in eodem loco.* Hæc est communissima cum *D. 4. d. 49. quæst. 16. & D. Thom. ad 44. quæst. 2. art. 2.* contra *Durandum* ibidem.

*Probatur autem primò*, quia nulla est in hoc repugnantia, vt patebit ex solutione obiectionum.

45 *Confirmatur primo*: quia difficilius captu est, quod vnum corpus possit simul & semel esse in duobus locis, quam quod duo corpora possint esse in eodem loco: illud potest fieri, vt dicemus quæstione sequenti: ergo & hoc. Maior patebit comparando obiectiones huius conclusionis ad obiectiones, quæ proponuntur contra replicationem corporis vnius in diuersis locis.

*Confirmatur secundò*, quia non magis repugnat duo huiusmodi corpora poni in vno loco, quam duo contraria in summo in eodem subiecto: sed hoc potest fieri supernaturaliter: ergo & illud.

*Probatur secundò*, quia de facto corpus Christi dum exiuit ex vtero Virginis, & ingressus est ad suos Discipulos ianuis clausis, necessario fuit pro aliquo tempore vel instanti simul cum vtero Virginis, & parte illa domus, per quam intrauit. Præterea quando in Ascensione sua penetrauit Cælos, vt ait Paulus ad *Hebræos quarto*, necessario fuit simul cum Cælis, neque aliter intelligi potest, quomodo penetraret Cælos: ergo possunt duo esse naturaliter in eodem loco.

*Confirmatur*: quia Patres exponunt modum, quo Christus fecit hæc omnia sic, vt velint ipsum penetrasse illa corpora, per quæ transiuit, absque apertione eorum: ergo ita sentiendum est potius quam tenendum cum Durando oppositum, qui frustra & gratis confugit ad aliam explicationem, dicendo Christum exiuisse è claustro Virginis, intrasse ad Discipulos, & penetrasse Cælos, transeundo de extremo in extremum non transito medio; nam hic modus operandi est aut difficilior, aut æquè difficilis, ac modus ille penetrandi corpora, quem communis sententia, & Patres amplectuntur.

46 *Obiicies*. Expulsio alterius quantitatis est effectus formalis quantitatis: ergo quando quantitas ponitur in loco, debet necessario expellere aliam quantitatem; effectus enim formalis non potest impediri, quando applicatur sufficienter ipsamet forma.

*Confirmatur*: impenetrabilitas, quæ est passio quantitatis, non distinguitur realiter ab ipsa: ergo necessario semper debet esse impenetrabilis, & consequenter nequit admittere simul aliam quantitatem.

*Respondeo* distinguendo antecedens: est effectus formalis primarius, & inseparabilis ab illa, nego antecedens est effectus formalis & separabilis, concedo antecedens, & nego consequentiam.

*Ad confirmationem respondeo* distinguendo primam consequentiam: debet esse impenetrabilis illa impenetrabilitate, quæ est proprietas ipsius, concedo consequentiam: alia impenetrabilitate, nego consequentiam primam, & secundam etiam. Itaque, vt dixi in prædicamento Quantitatis, solum impenetrabilitas naturalis, seu in ordine ad potentiam naturalem, est proprietas quantitatis, non verò impenetrabilitas in ordine ad potentiam supernaturalem.

*Obiicies secundò*: Duæ partes eiusdem quantitatis nequeunt penetrari vlla ratione: ergo nec vna quantitas cũ alia quantitate. Probatur consequentia: quia est eadem ratio de penetrabilitate duarum partium eiusdem quantitatis, ac de penetrabilitate duarum quantitatum distinctarum. Probatur antecedens: quia de essentia quantitatis est habere suas partes extra se inuicem; ergo nequeunt partes ipsius esse simul.

*Confirmatur*: quia duæ partes motus aut durationis, nequeunt coexistere vni durationi: ergo nec duæ partes quantitatis possunt coexistere eidem loco.

*Respondeo* negando antecedens cum sua probatione, cuius ratio patet ex dictis in disputatione de Quantitate.

*Ad confirmationem* nego cõsequentiam, & disparitas est: quod partes motus dicunt successionem essentialiter, qualem non possent dicere, si essent simul: duæ vero partes quantitatis nihil essentialiter dicunt, propter quod repugnaret eas esse simul. Imo ipsis aduersariis concedenda est disparitas inter partes motus, & quãtitatis, quia alias, quemadmodum duæ partes motus nec simul nec successiue possunt coexistere eidem durationi: ita nec duæ partes quantitatis possent coexistere eidem loco, quod est absurdum, ac contra experientiam.

48 *Obiicies tertiò*: sequeretur eundem locum bis repleri, & latera eius à duobus causis totalibus extendi, & reddi à se inuicem distantia; & præterea eundem locum, in quo esset vnũ corpus, repleri & esse vacuum: repleri quidem, quia contineret vnum illud corpus; esse vero vacuum, quia non haberet corpus aliud, cuius esset capax.

*Respondetur*, si per bis repleri intelligatur repleri à duobus, quorum quodlibet sufficienter repleret, quamuis alterum non adesset, concedendo illam partem sequelæ; si aliud intelligatur, quod sit inconueniens, nego illam.

Ad illud de distantia laterum *respondeo*: si illa duo corpora penetrata mouerẽtur simul à seipsis ad locum, quòd effectiue efficerent vt latera loci, quem occuparent, distarent à seinuicem, non tamen ita, vt quodlibet esset causa totalis, sed vt partialis tantum. Si vero illa extensio laterum nõ fiat ab ipsis effectiue, sed ab alia causa; minus vrget difficultas, vt patet. Quod si de extẽsione formali loquamur, quæ scilicet fit per hoc, quod illa corpora impediant, quo minus latera loci possint cõuenire inter se, sicut facerent si non essent illa corpora inter illa: Dico illam formalem extensionem & impedimentum illud prouenire à duobus illis corporibus, tanquam a pluribus causis partialibus totalis extensionis & impedimenti; quamuis enim quodlibet ex ipsis esset sufficiens impedimentum, & actu totaliter impediret, si alterum non fuisset; tamen quando alterum est, neutrum est totale impedimentum.

*Ad tertiam partem sequelæ respondeo* eam negando, quia nõ ab eo dicitur locus vacuus, quod careat corpore quod posset habere, sed ex eo quod nullum contineat corpus, & quod posset tamen continere; vnde locus continens vnum corpus sibi commensuratum, non est vacuus, quamuis careat alio corpore, quod simul cum priori corpore posset habere.

## CONCLVSIO II.

Substantiæ sublunares nequeunt naturaliter esse in eodem loco.

49 *Substantiæ illæ corporeæ, quæ naturaliter expellere solent se inuicem à loco, non possunt naturaliter esse in eodem loco; & huiusmodi substantiæ sunt omnes sublunares ad minus.* Hæc est omnium quantum ad primam partem, & communissima quoad secundam contra *Fernelium*, *Petrum*, *Ioannem*, & *Argentinam*.

*Probatur prima pars*: ideo illæ substantiæ expellunt se inuicem naturaliter, quia habent virtutem naturalem expellendi se inuicem, quando debitè applicantur: sed non potest naturaliter ab illis tolli illa virtus: ergo nõ potest fieri quin naturaliter expellant se inuicem, & consequenter nequeunt naturaliter esse simul in eodem loco.

Probatur minor: quia principium naturale expellẽdi se inuicem à loco est quantitas: sed non possunt priuari naturaliter quantitate: ergo nequeunt priuari virtute naturali expulsiua.

*Confirmatur*: quia nulla potest experientia aut ratione ostendi, qua suadeatur contrarium; sed omnis experientia fauet nostræ conclusioni: ergo tenenda est potius quam opposita.

*Probatur secunda pars conclusionis*: quia omnes substantiæ sublunares habent quantitatem: ergo omnes expellunt se inuicem à loco, & nequeunt esse in eodem loco.

*Confirmatur* experientia, quæ de qualibet substantia sublunari corporea haberi potest.

50 *Dixi* autem in conclusione: *substantia corporea sublunares ad minus*; quia non est adeo certum quod Cæli sint impenetrabiles, neque enim adest sufficiens principium colligendi cum certitudine, quod astra errãtia nõ moueantur per Cælum penetrando ipsum, vt etiam non est certum quod afficiantur quantitate, quę est principiũ impenetrabilitatis cum enim hæc vocetur proprietas materiæ, & non sit certum, quod Cæli constent materia, non erit etiam certum quod habeant quantitatem: & licet etiam haberent quantitatem, posset adhuc dubitari, an quantitas in Cælis petat connaturaliter expulsionem astrorum errantium ab eodem loco: licet enim esset eiusdem rationis cum quantitate sublunari, adhuc tamen posset in Cælis non exigere expulsionem aliorum corporum omnium ab eodem loco, quamuis illam exigeret in sublunaribus. Sed de hoc in libris de Cælo.

51 *Obiicies*. In condensatione plures partes quantitatiuæ reducuntur ad eundem locum, & consequenter penetrant se.

*Confirmatur*: quia scyphus plenus aqua admittit vlterius aliquos nummos, si dimittantur in ipsum, absque effusione aquæ: & panis recens vino immersus imbibit vinum ita, vt vtrumque retineat eundem locum: ergo naturaliter fit penetratio corporum sublunarium quantitatiuorum.

*Respondeo*, abstrahendo iam à modo, quo fit condensatio, negando consequentiam in hoc sensu huius conclusionis, quia hæc conclusio vult quod non possint res quãtitatiuæ penetrare se inuicem fic, vt manente re vna in eodem situ, quo ante, alia res possit occupare eundem locum, quidquid sit an possit occupare eundem, mutato situ prioris corporis per qualitates aut agentia condensantia. Sed de hoc melius, quando agemus de generatione & corruptione.

*Ad confirmationem respondeo* negando consequentiam: quia dum iniiciuntur nummi in scyphum, aqua intumescit, & crescit in cumulum in medio scyphi, accipiendo tantum loci ex parte aëris, quantum reliquit nummis, & ideo potius crescit sic in cumulum: quàm superfluit, quia siccitas labiorum scyphi impedit superfluentiam, cuius signum est, quod humectatis labiis statim incipiat defluere. Ad illud de pane dico, manifeste apparere quod intumeat, & acquirat plus loci quam ante: & deinde quamuis non acquireret, non sequeretur consequentia, quia vinum recipitur in poris panis, expulso aëre, aut aliis substantiis tenuibus.

## QVÆSTIO V.

*An idem corpus possit esse simul in duobus locis.*

52 CErtum est experientia & communi consensu, vnũ corpus non posse naturaliter esse in pluribus locis simul, nec circumscriptiue, nec definitiue. Certum est etiam vnum corpus posse esse in plurib us locis, ita, vt in vno sit circumscriptiue, & in alio definitiue aut sacramentaliter, acita etiam, vt in pluribus locis sit definitiue, vt patet in mysterio Eucharistiæ: nam corpus Christi est sacramentaliter in pluribus locis, & circumscriptiue in cælo. Itaque difficultas huius quæstionis est, an idem corpus possit esse supernaturaliter in pluribus locis circumscriptiue, hoc est cum correspondentia partium sui ad partes cuiuslibet ex illis locis; quæ tamen difficultas, ex suppositione quod corpus posset vlla ratione esse simul in pluribus locis, meo iudicio non deberet moueri in dubium, quia prorsus est eadem ratio de existentia corporis in duobus locis circumscriptiue, ac definitiue, seu sacramentaliter, vt ex dicendis apparebit.

## CONCLVSIO.

Idem corpus potest esse in pluribus locis circumscriptiuè.

53 *IDem corpus potest esse in pluribus locis simul circumscriptiue*. Hæc est *Scoti in quarto distinct. 10, quæst. 1. art. 2.* cum suis & recentioribus fere omnibus, quos citat & sequitur *Suar. tom. 3. in 3. par. disput. 8. sect. 4. Arriaga hic sect. 8.* contra *D. Thomam 4. distinct. 10. qu. 2. & alios Thomistas*, quos citant, & sequuntur *Vasquez tom. 3. in 3 partem disp. 189. & Complutenses hic*.

*Probatur*

*Probatur primo*, quia de facto id contingit: ergo potest fieri. Probatur antecedens: quia multi authores dignifide referunt, sæpè Christum Dominum apparuisse extenso modo in terris: sed non est dicendum, quod non fuerit in cælis etiam tũ extenso modo, quia id esset contra illud Act. 4. *Quem oportet cælum suscipere vsque ad tempus resurrectionis hominum*, & contra sanctum Augustinum relatum *distinct. 2. cap. prima hæresis, Donec finiatur sæculum, su sum est Dominus*, & denique contra ipsum *S. Thomam 3. par. quæst. 76.* ergo fuit in cælo, & terra simul extenso modo. *Bellarminus* refert prædictas historias ad longum *lib. 3. de Eucharistia, cap. 3. & 4.*

*Confirmatur*, quia in Breuiario Romano legitur de sancto Ambrosio, quod simul fuerit Mediolani, & adfuerit funeri Sancti Martini in ciuitate Turonensi: cui simile quid etiam refertur de Sancto Antonio nostro de Padua, ac aliis Sanctis. Nec sane ex hypothesi quod non possit manifesta implicantia ostendi in simultanea existentia corporis in duobus locis, debent hæ historiæ aliter quam sonant explicari, aut negari.

54 *Probatur secundo*, quia de facto corpus Christi ponitur extensum, & circumscriptiue in cælo, ac simul intensum, & definitiue in Altari sub speciebus panis: ergo potest poni extensum simul in cælo & alio loco. Probatur consequentia primo, quia omnes ferè implicantiæ, quas adducunt Aduersarij contra extensam existentiam corporis in duobus locis, militant contra existentiam extensam in vno loco & inextensam simul in altero: ergo si iis non obstantibus potest poni corpus extensum in vno loco, & inextensum in altero; poterit etiam iis non obstantibus poni extensum in pluribus locis. Probatur eadem consequentia secundo, quia difficilius est ponere corpus Christi inextensum in Altari, quam intensum: ergo si non obstante existentia extensa, quam habet in cælo, potest adhuc poni inextense in Altari, poterit etiam poni, ea non obstante, extense in Altari. Probatur antecedens: nam vt ponatur inextense in altari: debent fieri duo miracula, vnum quo ponatur in pluribus & alterum quo poneretur absq; modo suo connaturali, hoc est extensione. Vt autem ponatur in altari modo extenso, non esset necesse vt fieret aliud quam vnum miraculum, quod scilicet poneretur in pluribus locis.

*Confirmatur*: quia facilius est ponere in materia simul duas formas, quorum vtramque potest successiue recipere naturaliter, quam quarum vnam nec successiue quidem potest recipere naturaliter: ergo facilius est ponere in corpore simul duas vbicationes extensas, quarum quamlibet potest naturaliter recipere successiue; seu seorsim sumptã, quam duas vbicationes, quarum vnam; nempe intensam, nequit recipere naturaliter successiue, aut seorsim sumptam

*Confirmatur secundo*. Vnus locus potest circumscribere simul supernaturaliter duo corpora, quæ nequit naturaliter circumscribere: ergo vnum corpus potest circumcribi à duobus locis supernaturaliter, licet ab illis naturaliter circumscribi non possit. Probatur consequentia, quia vnum non est magis difficile quam alterum, ergo si vnum fieri potest, potest & alterum.

55 *Probatur tertio*, & quidem principalissime conclusio, soluendo implicantias, quæ contra conclusionem proponi solent, tam à Thomistis, quam ab hæreticis, quorum hi ad impugnandam veritatem Catholicæ fidei de existentia reali corporis Christi sub dinersis hostiis eadem ipsa arma sumunt, quibus illi vtuntur aduersus nostram conclusionem.

*Obiicies primo*: idem nequit esse simul in pluribus temporibus, ergo nec in pluribus locis.

*Respondeo* negando consequentiam, quia ipsa tempora plura nequeunt esse simul, vt possit idem simul coexistere ipsis, loca vero possunt simul coexistere, & propterea poterit corpus, quantum ad hoc, ipsis simul esse præsens: quod si diuersa tempora possent esse simul, corpus posset cœxistere illis simul, imo necessario coexisteret, si coexisteret vni. Adde contra Thomistas, si velint vti hoc argumento, idem posse vrgeri contra præsentiam sacramentalem in pluribus locis: si enim ex eo quod corpus idem nequit esse simul in pluribus temporibus, sequitur, quod nequeat esse in pluribus locis circumscriptiue, sequitur etiam æque bene, quod nequeat esse in pluribus locis sacramentaliter: quod si ipsi negent hanc consequentiam, nos æque bene primam negare possumus: nec ipsi dabunt vnquam disparitatem sufficientem.

56 *Obiicies secundo*: sequeretur quod corpus existens, Romæ naturaliter, coexisteret corpori existenti Corcagiæ; quia si Deus poneret vnum corpus Romæ & Corcagiæ, illa loca, in quibus esset, deberent necessario esse simul: quæ enim sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.

*Respondeo primo*, hoc argumentum probare æque, quod vnum corpus nequeat esse definitiue in diuersis locis, & quod eadem indiuisibilis anima non possit esse vnita simul capiti & pedi, quin caput & pes sint simul loco: sed hæc non probat: ergo nec illud.

*Respondeo secundo* negando consequentiam: ad cuius probationem dico, si intelligatur axioma, vt debet in hoc proposito intelligi, quod ea quæ sunt eadem loco cum vno tertio, debeant esse eadem loco inter se, axioma esse verum: sed non facit ad propositum, quia illa duo loca, in quibus existeret idem corpus, non essent eadem loco cum illo, quia non essent in eodem vno loco, in quo ipsum esset, sed vnum esset in vno loco cum illo, & alterum in altero. Si vero intelligatur sic, quod illa, quæ coniunguntur, aut sunt præsentia vni alicui intime & indistanter, debeant intime & indistanter esse præsentia inter se, falsum est, vt patet in capite & pede præsentibus eidem animæ rationali, & tamen non præsentibus intime inter se, sed à se inuicem distantibus.

57 *Obijcies tertio*: sequeretur idem esse æquale maiori & minori loco, quod manifestè implicat, quia alias maior non esset maior, nec minor esset minor. Probatur sequela: corpus positum in duobus locis esset æquale cuilibet ex illis, & etiam vtrisque simul: sed vterque simul est maior, quam quilibet seorsim sumptus: ergo esset æquale maiori & minori.

*Respondeo primo*, simile argumentum posse formari contra aduersarios: sicut enim sequitur, quod corpus positum in diuersis locis esset æquale illis simul & seorsim sumptis, atque adeo æquale maiori & minori: ita etiam sequitur, quod locus circumscribens duo corpora posita in eo supernaturaliter, esset æqualis vtrique simul & seorsim sumpto: ergo non possent duo corpora poni in ipso, quod est contra aduersarios, & communem Catholicorum sententiam probatam quæstione præcedenti. Quod si aduersarij aut negauerint secuturum quod ille locus esset æqualis maiori & minori, aut affirmauerint id non esse inconueniens, permittant nobis idem dicere in nostro casu: & quæcumque alia responsio sufficiet ipsis, eadem nobis æquè bene sufficiet.

*Respondeo secundo* directe, distinguendo sequelam: id est habere tot partes, quot locus maior, & tot solum partes quot minor habet, nego sequelam; neque enim corpus positum in duobus locis habet tot partes, quot vterque locus simul sumptus habet, sed tot solum, quot locus vnus ex ipsis, quem occuparet connaturaliter: esset æquale maiori & minori loco, id est repleret totaliter maiorem & minorem locum secundum easdem partes replicatas, concedo sequelam, nec i dest inconueniens, nec sequitur inde quod locus maior non esset maior; quamuis enim repleretur eodem ipso corpore, quo repleretur minor, replicato tamen, semper esset maior minori loco, qui plures partes includeret, quam minor.

*Confirmatur hoc*: quia anima de facto est æqualis capiti in quantum ad hoc, quod informet ipsum totaliter; & est etiam æqualis toti corpori, quod est maius capite, quia informat ipsum totum: ergo similiter non est incõueniens quod vnum corpus secundum se totum positum in pluribus locis sit æquale vtrique, & cuilibet ex illis, quantum ad hoc, quod occupet totaliter vtrumque, & quamlibet ex illis.

*Rursus*, de facto corpus Christi habet æqualem præsentiam sacramentaliter vni loco & pluribus locis: ergo

posset habere æqualem præsentiam circumscriptiuam vni loco & pluribus locis.

58 *Obiicies* ex *D. Thoma & Complutensibus*: De ratione loci circumpscriptiui est, quod vndequaque circumscribat & comprehendit locatum, & quod sit adæquatus ipsi: ergo implicat quod corpus ab eo circumscriptum ac comprehensum, sit extra illum locum; quia alias locus ille esset & non esset adæquatus.

*Confirmatur*: Implicat locatum contineri ac adæquari ab aliquo loco, & partem ipsius esse extra illum locum: ergo multo magis repugnat quod totum sit extra illum locum.

*Confirmatur secundo*, quia non vtcumque continet locus locatum, sed tanquam terminus: sed id quod continetur in alio tanquam in termino, nequit esse extra illud: ergo. Maior patet ex definitione loci tradita à Philosopho, quod sit terminus seu extremitas corporis continentis: probatur minor: tum quia extremum seu terminus definitur à Philosopho esse id, extra quod nihil rei possumus vsurpare; tum quia terminus vltimus motus est id, extra, vel vltra quod nihil datur motus.

*Confirmatur tertio*: quia sicut de ratione infiniti est, quod non possit perueniri ad terminum eius: ita de ratione finiti est, quod non possit perueniri ad amplius esse eius: sed de ratione locati circumscriptiue est quod terminetur & finiatur ab hac mensura loci: ergo non est peruenire ad amplius esse in loco circumscriptiuo.

*Confirmatur quarto*, quia quantitas ratione suæ essentiæ est prima ac principalis ratio, per quam corpus redditur formaliter aptum ad extensionem & præsentiam localē: ergo si non potest naturaliter reddere substantiam idoneam ad duplicem extensionem, nec id poterit facere per ordinem ad Diuinam omnipotentiam, & consequenter nequit corpus poni circumpscriptiue in pluribus locis. Probatur consequentia: quia effectus proueniens ab aliqua forma, vt à causa formali principali, causatur ab illa, ratione suæ natiuæ virtutis, vnde non potest causari ab ipsa naturaliter. Hoc est primum fundamentum D. Thomæ secundum Complutenses.

59 *Respondetur* distinguendo antecedens: quod circumscribat, & comprehendat, & sit adæquatus in quantum ad hoc, quod totum locatum quoad omnes suas partes intra se contineat, & quod superficies extima locati habeat proportionem cum superficie concaua corporis locantis, concedo antecedens: in quantum ad hoc, quod nihil locati, aut totum locatum sit etiam extra illum locum, manendo tamen intra illum, nego antecedens, & consequentiam; & distinguo probationem consequentiæ: esset adæquatus, & inadæquatus, capiendo inadæquationem vniformiter & vniuoce, nego: æquiuoce, seu difformiter, transeat. Itaque locus circumscriptiuus potest dici esse adæquatus dupliciter.

*Primo* in hoc sensu tantum, vt sufficiat ad continendum totum locatum, nec possit aliquid vlterius continere absque penetratione: & in hoc sensu esset adæquatus corpori, quamuis corpus esset in alio loco; sed in eodem sensu non esset inadæquatus.

*Secundo* potest dici adæquatus, id est, quod sit talis, vt in eo solo possit poni corpus, cui dicitur adæquatus; & in hoc sensu non esset adæquatus, si corpus posset poni in alio loco. At falsum est locū circumscriptiuum debere esse adæquatum locato in hoc sensu: nisi quis velit facere quæstionem de nomine, intelligendo per locū circumscriptiuum illum, extra quem res locata non est; quod si quis hoc intelligat per locum circumscriptiuum, verum est quod nō posset poni corpus in duobus locis circumscriptiue, imo nec in vno circumscriptiue, & in alio definitiuè; & sic Christus de facto non esset circumscriptiue in cælo, contra omnes. Quod si etiam vellet quis intelligere per locum circumscriptiuum, illum in quo esset res, ita vt non esset alibi circumscriptiue, Christus quidem posset esse circūscriptiue in cælo, non obstante quod alibi esset definitiue, sed vnū corpus nequiret esse etiam supernaturaliter in duobus locis circumscriptiue, quia sequeretur quod quilibet ex locis esset & nō esset circumscriptiuus; esset quidem, vt supponitur; non esset autem, quia corpus esset extra illum circumscriptiue. At hæc acceptio loci circumscriptiui non facit ad propositum, vbi agitur de quæstione vere reali, & quæritur an corpus, quod est extēsum impenetrabiliter in vno loco vbi correspondente secūdum proportionem partis ad partem, posset esse in alio loco cum simili extensione, & proportione partis ad partem, siue vocetur ille locus circumscriptiuus, siue non vocetur, nos autem contendimus quod sic; & contrarium non suadetur hoc argumento, cum vlla probabilitate.

60 *Ad primam confirmationem respondeo*, distinguendo antecedens: contineri & adæquari ab aliquo loco ita, vt totum locatum sit in illo loco & nihil amplius, nego antecedens: ita vt non sit extra illud, concedo antecedens, & similiter distinguo consequens.

*Confirmatur hoc*: quia corpus Christi continetur intra locum, in quo sunt species ita, vt sit totaliter intra illum, & non sit extra illum locum in partibus vicinioribus, aut vllis omnino sublunaribus, casu, quo vna tantum hostia esset consecrata: & tamen hoc non obstante potest poni extra illum locum; ergo quod corpus contineatur circumscriptiue ab hoc loco sic, quod totum intra illum ponatur cum proportione partis ad partem, non impedit quo minus ponatur in alio loco. Simile exemplum potest etiam proponi de anima, quæ circumscribitur à capite quantum ad hoc, quod tota reperiatur in capite, quamuis etiam reperiatur extra caput in pede.

61 *Ad secundam confirmationem* respondeo distinguendo maiorem: tanquam à termino sic, quod nulla pars ipsius sit extra illum vlla ratione: ita quod hoc esset de ratione formali loci: quæ contineret locatum cum proportione partis ad partem, nego maiorem: sic quod nulla pars locati sit, quæ non sit intra illum, nec etiam extra illum absque replicatione, concedo maiorem, & similiter nego minorem, & nego consequentiam.

*Ad probationem maioris*, dico definitionem loci à Philosopho traditam intelligi debere de termino, id est includente locatum totaliter ita, vt nihil ipsius sit extra, quod non sit intra. Ad probationem etiam minoris respondeo extremum dici esse id, vltra quod nihil est, quod non sit intra. Ad alteram probationem minoris eiusdem, dico nō esse eandem rationem de termino motus, ac de termino locati: quia motus, cum sit successiuus, nequit existere post terminum suum, vnde nec extra, seu post terminum eius aliquid ipsius potest existere: res autem locata existit sic, vt possit poni in alio loco extra locum primum; quod si motus posset existere post termium suum, aliquid ipsius posset reperiri post terminum, nec destrueretur per hoc ratio termini, quia sufficeret ad hoc, quod totum motum clauderet, quamuis rursus idem motus inciperet de nouo, & clauderetur alio termino.

92 *Confirmatur responsio*: quia corpus Christi continetur in loco suo in cælo, tanquam à termino & extremo circumscribente, & tamen reperitur in alio loco, nimirum in hostia: ergo falsum est, quod locus circumscriptiuus contineat tanquam terminus, extra quem non sit res locata.

*Dices*, locum circumscriptiuum non continere tanquam terminum, vltra vel extra quem res non sit vllo modo, sed extra quem non sit circumscriptiuè, seu cum proportione partis ad partem.

*Contra*: quia si ex eo quod sit totaliter in loco circumscriptiuè, hoc est cum proportione partis ad partem, non sequitur quin possit esse in alio loco definitiuè, seu sine tali proportione, profecto non sequitur quod non possit esse extra illum locum in alio cum tali proportione; imo, vt in tali in secunda probatione, facilius esset ponere ipsum extra cum tali proportione.

64 *Ad tertiam confirmationem respondeo* distinguendo minorem: quod ita finiatur, vt nihil ipsius sit, quod non sit in illo loco, concedo; vt nihil ipsius sit extra illum locum, nego minorem & consequentiam.

*Ad quartam confirmationem respondeo*, quidquid sit de maiori, distinguendo consequens: si non potest naturaliter, seu ex natura sua reddere substantiam aptam, seu potentem,

potentem,vt possit supernaturaliter poni in duplici loco, neque supernaturaliter poterit,concedo consequentiam: si non potest ex natura sua,seu naturaliter reddere ipsam aptam,vt possit naturaliter poni in duplici loco, neque poterit reddere ipsam aptam,vt supernaturaliter ponatur in duplici loco,nego consequentiam.

64 *Confirmatur hæc responsio*:quia non magis quantitas in natura sua est ratio formalis,quare possit substantia habere extensionem in loco,quam ipsamet substantia est ratio formalis,cur possit ipsamet habere vbi definitiuum in loco secundum aduersarios;sed quamuis hoc cõpetat substantię ex se,potest tamen supernaturaliter poni in diuersis locis,in quibus naturaliter nequit poni:ergo quamuis id competeret quantitati,poterit tamẽ poni supernaturaliter in pluribus locis,in quibus non potest naturaliter poni:& ratio vtriusque est,quia licet substantia & quantitas habeant ex ratione sua formali esse fundamentum vbi extensiui,aut intensiui, tamen illa vbi possunt causari à causis extrinsecis effectiuis,quę causæ,si nõ possint naturaliter causare duo vbi,non poterit substãtia nec quantitas esse naturaliter in pluribus locis;si vero aliqua causa possit supernaturaliter duo vbi ponere in illis, poterunt esse supernaturaliter in illis,vt manifestum est.

*Confirmatur secundò*,quia quantitas ex natura sua non petit esse in loco vno circumscriptiuè taliter,quin possit poni naturaliter in alio definitiuè,licet nõ possit poni in alio loco naturaliter,vt patet in corpore Christi existẽte in Cælo circũscriptiuè,& in Eucharistia sacramentaliter: ergo similiter posset poni supernaturaliter in alio loco circũscriptiuè,licet naturaliter poni nequeat in alio loco.

65 *Obiicies quintò*,sequeretur idem corpus posse poni in infinitis,si possent dari infinita loca:sed hoc est absurdũ, quia inde sequeretur quod esset immensum sicut Deus.

*Respondeo primò*, quod secundum aduersarios posset poni corpus idem definitiuè in pluribus locis,atque adeo in infinitis,& tamen hoc non obstante non esset immensum sicut Deus;aut esse sic immensum non repugnat creaturæ : ergo similiter quamuis corpus posset esse circumscriptiuè in pluribus,& consequenter in infinitis,non sequeretur,quod esset immensum,sicut Deus , aut si id sequatur;non est inconueniens.

*Confirmatur*:quia si corpus esset definitiuè in infinitis locis potius esset immensum , sicut Deus , quam si esset circũscriptiuè in infinitis, quia si esset definitiuè in infinitis locis,magis accederet ad modum quo Deus est, aut esse potest in infinitis locis,quam si esset circumscriptiuè in illis , cum Deus ipse sit definitiuè in loco , & non circumscriptiuè.

*Respondetur secundò*, negando minorem cum sua probatione:& ratio quare non esset immensum, sicut Deus, est, quia nõ habet necessario esse in infinitis illis locis,si darentur,sicut Deus debet esse:immensitas enim quæ est perfectio propria Deo & incommunicabilis creaturæ,est illa perfectio,ratione cuius competit ipsi necessario existere in omni loco existenti;sed corpus,quod poni posset in omnibus locis , non haberet necessario existere in illis , & consequenter non esset immensum immensitate , quæ est proprietas Dei. Quod si esset inconueniens admittere quod corpus posset poni in infinitis locis,si darentur,tum

*Responderi posset tertiò* , negando maiorem : quamuis enim posset poni in pluribus locis simul,non tamen necessario inde sequeretur quod posset poni in infinitis , quia restringi posset ad aliquẽ determinatum numerum locorum,propter limitationem,& finitatem suam:sicut quamuis intellectus posset plura simul intelligere , non tamen infinita propter suam limitationem.

66 *Obiicies sextò* : sequeretur idem corpus esse diuisum à seipso & indiuisum ; indiuisum quidem quia esset vnum corpus,diuisum vero,quia esset distans à seipso.

*Respondeo primò*,nõ magis sequi,quod corpus existens in pluribus locis circumscriptiuè,esset diuisum,ac indiuisum à seipso,quam si existeret in pluribus locis definitiue & sacramentaliter;ergo cum admittant aduersarij , hoc non obstante,quòd possit esse in pluribus locis sacramentaliter,debent etiam admittere , quod possit esse in pluribus locis circumscriptiuè , quantum ad hanc rationem;quod mihi videtur euidentissimum. Et mirum est , Complutenses non proposuisse solutionem hanc obuiã & communem,vt eam impugnarent ; nisi data opera id fecerint,quia non poterant sufficienter ei satisfacere:quã etiam ob causam omisisse credo proponere sibi primam responsionem ad obiectionem præcedentem, quæ etiam est communis & obuia.

*Respondetur secundò*,distinguendo sequelam maioris : diuisum substãtialiter,aut entitatiue,ac indiuisum,nego; diuisum localiter ac indiuisum localiter,nego etiam maiorem:diuisum localiter ac indiuisum substantialiter, ac entitatiue,concedo maiorẽ.Itaque non sequeretur aliud, quam quod vnum indiuisum corpus esset à se ipso, vt in vno loco,distans ac seiunctum,seu diuisum localiter, vt existens in alio loco:sicut corpus Christi, vt existens sacramentaliter Romę est seiunctum, ac diuisum localiter se ipso,vt existens circumscriptiuè in Cęlo,& vt existens sacramentaliter Corcagiæ;& sicut anima, vt existens in capite,est diuisa à se ipsa vt existit in pede, non quidem entitatiue,sed localiter.

67 *Dices* cum *Complutensibus*,non posse corpus diuidi à se ipso localitet,quin diuidatur entitatiue,quia nõ potest diuidi localiter,quin habeat plures extensiones locales:sed nequit habere plures extensiones locales,quin habeat plures quantitates,nec pssunt plures quantitates esse simul absque pluribus corporibus.

*Confirmatur*:quia nequit multiplicari effectus formalis, etiam secundarius,quin multiplicetur forma;at extensio, & præsentia quantitatiua est effectus formalis secundarius quantitatis;ergo nequit multiplicari, non multiplicata quantitate.

Probatur maior:tum quia posterius dependet à priori; ergo effectus,qui est posterior causa,nequit multiplicari immultiplicata causa : tum quia effectus formalis affert formam vt communicatam subiecto:ergo multiplicatio effectus affert multiplicationem formæ.

*Confirmatur secundò*,quia sicut se habent principia essentialia ad constitutionem rei specificam : ita quantitas se habet ad constituendam rem aptam, vt sit in loco circũscriptiuè:sed implicat quod sine multiplicatione principiorum essentialum res constituantur in multiplici specie,ergo sine multiplicatione quantitatis nequit corpus collocari in multis locis.

68 *Respondetur* negando sequelam cum minori probationis:quemadmodum enim eadem anima ponitur in diuersis locis naturaliter,nimirũ in loco capitis & pedis, & idem Angelus potest poni naturaliter in diuersis partibus eiusdem loci totalis,& potest poni supernaturaliter in diuersis locis discretis:ita etiam eadem quantitas potest poni in diuersis locis per diuersas extensiones,hoc est per diuersas vbiationes extensas , & mihi mirum est id verti in dubium.

*Ad primam confirmationem respondeo primo* , negando minorem, nam ab eadem numero anima rationali de facto naturaliter constituitur caput animarum formaliter, & pes animatus,& reliquæ partes viuentes; nec est idem effectus formalis, quem tribuit capiti & pedi , supposito quod effectus formalis distinguatur à forma , nec enim idem est formaliter:caput est animatum,& pes est animatus;sed sunt distincti effectus formales etiã realiter, cum bene possit stare quod caput sit animatum,& pes non sit animatus:ergo distincti effectus formales possunt prouenire ab eadem forma indiuisibili.Itaque vniuersaliter loquendo,quando eadem causa formalis potest communicari diuersis subiectis, potest tribuere ipsis diuersos effectus formales absque multiplicatione sui:& sane in sentẽtia aduersariorum eadem quantitas facit materiam , & formam substantialem quantam in genere causæ formalis,nec est idem realiter effectus,quem tribuit materiæ & formæ,sicut nec materia & forma sunt idem realiter.

96 Ad probationem autem primam maioris , nego consequentiam ; & instantiæ infinitæ sunt in effectibus variis,qui dependent ab eadem causa efficiente,vt mirum

sit quod aduersarij inferant ex multiplicatione posterioris multiplicationem prioris, à quo dependent. Quod si loquantur non de quocumque posteriori, sed de posteriori in genere effectus formalis, probant idem per idem, & instari potest non solum exemplo effectuum causæ efficientis, sed exemplis præmissis de animatione capitis & pedis, extensione quantitatiua materiæ & formæ, albedinis, & dulcedinis.

Ad secundam probationem eiusdē maioris, *Respondeo* etiam negando consequentiam, propter easdem instantias, & quia quamuis effectus formalis affert formam communicatam, tamen quando eadem forma potest communicari pluribus, non est necesse quod multiplicato effectu, multiplicetur forma.

70 *Respondeo secundo* ad eandem confirmationem distinguendo minorem: extensio & præsentia quantitatiua, id est, præsentia illa extensa, quam habet quantitas, est effectus formalis ipsius, nego: est enim forma aduenies ipsi per actionem causæ effectiuæ: extensio illa seu præsentia, vt est quantitatiua, & habet à quantitate, quæ est subiectum ipsius, esse impenetrabilis, est effectus formalis ipsius, concedo minorem: nam sicut albedo vt impenetrabilis potest dici effectus formalis quantitatis, non obstante quod sit secundum se forma quantitatis, non effectus eius, ita similiter potest discurri de præsentia quantitatiua. Distinguo etiam conformiter ad hoc consequens; ergo nequit multiplicari extensio, quæ est in quantitate, nego consequentiam: ergo nequit multiplicari vt est impenetrabilis à quantitate, non multiplicata quantitate, si nequeat effectus formalis multiplicari non multiplicata forma, à qua prouenit, concedo consequentiam. Sed quamuis corpus poneretur extense in duobus locis per diuersas præsentias, quarum quælibet esset quanta, non tamen sequeretur, quod illæ diuersæ præsentiæ essent, vt quantæ, distinctæ, aut multiplicatæ: quia vt quantæ, dicerent eandem numero quantitatem: & sicut non est inconueniens, quod albedo, & dulcedo sint quantæ eadem quantitate, ita non est inconueniens quod duæ extensiones in loco, seu duæ præsentiæ sint quantæ eadem quantitate.

71 *Ad secundam confirmationem respondeo* negando consequentiam: sed solum sequeretur, quod sicut sine multiplicatione principiorum essentialium non possint multiplicari species; ita sine multiplicatione quantitatis nequeant multiplicari aptitudines ad essendum in loco, loquendo de aptitudinibus identificatis ipsi quantitati.

*Confirmatur hæc responsio*: quia non magis quantitas est principium constituendi rem aptam, vt sit in loco circumscriptiue, quam ipsamet natura substantiæ, aut qualitatis, aut Angeli, aut animæ separatæ, est principium constituendi rem aptam, vt sit in loco definitiue: sed hoc non obstante substantia potest poni in diuersis locis sine multiplicatione sui: ergo & quantitas similiter.

*Confirmatur secundo*: non obstante quod quantitas sit principium constituendi rem aptam, vt sit in loco circumscriptiue, potest poni supernaturaliter in alio loco definitiue absque multiplicatione sui: ergo & circumscriptiue, quia ex hac ratione æque repugnaret vtrumque.

*Confirmatur tertio*: ideo principia essentialia nequeunt absque multiplicatione facere diuersas species, quia sunt determinatæ essentialiter ad vnam speciem; & quia nequit intelligi quomodo facerent eadem principia diuersas species, imo id aperte repugnat, tum quia essent & non essent distinctæ realiter & specie inter se: sed quantitas, licet sit principium constituendi rem aptam vt sit in loco; non tamen determinatur ad vnum locum, ita, vt non possit poni in alio: nec est repugnantia in hoc, quod sic constituatur, aut maior difficultas in modo intelligendi quomodo constitueretur in diuersis locis circumscriptiue quàm definitiue: per quod totaliter ruit prædicta confirmatio.

62 *Obijcies septimo ex Ioanne à S. Thoma* principalem implicantiam, ad quam cæteræ reducuntur, & quæ in re forte coincidit cum præcedentibus, & soluitur sufficienter ex dictis, quamuis non absque erit eam particularius proponere & soluere, vt clarius veritas conclusionis nostræ appareat: Sequeretur diuisio quantitatis & consequenter corporis, & sic tam quantitas, quam corpus esset & non esset diuisa à seipsa, quod implicat. Probatur sequela: quia illud corpus haberet duplicem superficiem terminantem: ita vt si simul accederent, aut si poneretur corpus in duobus locis immediate coniunctis, tangerent se inuicem non secus ac tangunt diuersa loca, in quibus poneretur illud corpus: sed illa dicuntur tangere se, quorum extrema sunt simul; ergo deberet habere duplicem superficiem, qua se inuicem tangerent, & consequenter diuideretur eius quantitas.

*Confirmatur*: quia inter quantitatem corporis existentis Romæ, & quantitatem corporis existentis Corcagicæ, intercedunt aliæ quantitates non continuatæ: ergo diuideretur, quia tum quantitas diuiditur, quando inter hanc & hanc quantitatem interponitur alia quantitas, aut aliud corpus intermedium, quod non continuatur cum illa quantitate.

73 *Respondetur* negando sequelam cum sua probatione: sicut enim esset idem corpus in diuersis locis, ita etiam & eadem quantitas, & consequenter eadem, & non duplex superficies terminans: nec etiam illæ duæ superficies aut tangerent se, aut tangerent duo loca, in quibus ponerentur, quia omnino non sunt duæ, sed vna quæ tangeret illa duo loca; & illa vna quantitas, si replicaretur in loco proximo, non tangeret seipsam, quia tactus est inter realiter distincta; sed apparet tamen sensui, quod essent duæ superficies tangentes se; quia quantū ad sensum, eodē modo se haberet illud corpus replicatum in illis duobus locis, ac si essent duæ quantitates in illis. Quod si nihil aliud velit hic author per tactum quantitatis, quam quod quantitas existens in vno loco sit etiam in alio loco contiguo, concedo, quantitatem existentem in duobus locis contiguis vt est in vno loco ex illis, tangere seipsam, vt est in alio loco.

*Ad confirmationem respondeo* negando consequentiam, & distinguendo eius probationem: quando inter hanc & hanc, id est aliam distinctam, interponitur alia quantitas, aut corpus ab vtraque distinctum, concedo: sed id non accidit in casu nostro: quando inter hanc & hanc, quæ non est alia, sed eadem replicata, interponitur alia quantitas distincta & discontinuata, nego: & ita accidit in casu nostro.

74 *Confirmatur vtraque hæc responsio*: de facto inter quantitatem corporis Christi existentis in hoc altari, & eandem quantitatem existentem in alio altari interponitur alia quantitas discontinuata ab illis, & tamen nequit dici discontinuari, aut diuidi propterea: ergo nec ex eo, quod poneretur quantitas eadem circumscriptiue in diuersis, & interponeretur alia quantitas inter ipsam vt existentem in vno loco, ac seipsam vt existentem in alio loco, sequitur quod debeat diuidi entitatiue; licet possit dici quantum ad hoc, quod occupet loca inter se diuisa. Rursus corpus Christi, vt existens sub vna hostia, potest esse in loco contiguo, quatenus existit in alia hostia, & tamen nequit dici tangere seipsum: & idem est de Angelo existente in loco bipalmari, nam vt coexistit & commensuratur secundo palmo istius loci, non potest dici tangere se vt commensuratur primo palmo: ergo quamuis eadem quantitas esset circūscriptiue in diuersis locis contiguis, non debet dici quod tangat se. Nec refert, quod corpus existat modo indiuisibili in hostia, atq; adeo quod non possit discontinuari aut tangi, vel tangere: nam si nihil aliud requiratur ad tactum, quam quod ponatur in locis contiguis, omnino sequitur quod tangat se; aut si aliud requiritur ad tactum, ergo eadem quantitas circumscriptiue posita in locis contiguis, ex hoc præcisè non debet dici tangere se.

*Rursus*, si nihil aliud requiritur ad diuisionem quantitatis, quam quod ponatur in locis separatis, & alia quantitas ponatur in locis intermediis, est euidens, quod quantitas Christi diuidatur; quod si aliud requiratur ad diuisionem, ergo ex hoc præcisè, quod quantitas circumscriptiue ponatur in diuersis locis separatis, & quod alia quantitas

ponatur,

ponatur in locis intermediis, nō sequitur quod diuidatur, differētia enim illa existendi modo diuisibili, & modo indiuisibili omnino nihil facit ad rem; neq; poterit vnquā assignari ratio, cur debeat dici diuidi quantitas diuisibiliter posita in diuersis locis separatis, posita alia quantitate in locis intermediis, & non debeat dici diuidi quantitas similiter posita indiuisibiliter: nec poterit similiter dari ratio cur quantitas diuisibiliter posita in duobus locis contiguis tangat se (loquor de tactu physico, qualem possunt habere duo lapides; non de sensibili aut intētionali, qui fit per potentiam vitalem tactiuam, & conuenit solis animalibus, nec facit ad propositum) & non tangeret se, si poneretur in locis contiguis indiuisibiliter.

*Ex hactenus dictis patet*, præcipuas difficultates, quæ proponuntur ab aduersariis contra existentiā corporis in duobus locis circumscriptiue, militare contra existentiam corporis sacramentaliter in duobus locis, Vnde si quis admitteret ob illas difficultates implicare vnum, nō posset defendere alterum, quo sane fateor meum intellectum conuinci.

71 *Obiicies octauo*: sequeretur quod idem posset ponere se naturaliter in pluribus locis discontinuis, sed hoc est absurdum.

Probatur sequela: quia homo existens Romæ posset se ibi localiter mouere & naturaliter quidem; & idem si replicaretur Corcagiæ, posset similiter se mouere: ergo poneret se naturaliter in illis duobus locis.

*Respondeo* distinguendo sequelam: absolute, & simpliciter, nego: ex suppositione miraculi replicationis, concedo. Sicut enim nō est inconueniens quod Angelus Romę existens intelligeret naturaliter res existentes in Indiis, ex suppositione quod replicaretur in illis; ita etiam non est inconueniens quod corpus idē positū in diuersis locis miraculosè, posset se deinceps ponere in diuersis locis simul. Quod si id etiam esset absurdum, tum negari deberet sequela maioris cum sua probatione: neque enim posset mouere se ab illo loco, in quo replicaretur miraculosè.

*Confirmatur*, quia non magis difficile est ponere naturaliter corpus circumscriptiuè in duobus locis discontinuis, quam diffinitiuè, sed secundum Aduersarios potest quis naturaliter ex suppositione miraculosè trāsubstātiationis in diuersis hostiis ponere corpus Christi in diuersis locis definitiue: ergo ex suppositione miraculosę replicationis in loco circūscriptiuo, non est inconueniens, quod naturaliter possit poni in duobus locis circumscriptiuè.

*Obiicies nono*: sequeretur quod idem corpus calefieret, & frigefieret; moueretur & quiesceret, esset viuum & mortuum loqueretur & taceret; amaret & odio haberet idem obiectum; esset plenus cibo ac consequenter satur, sine vllo cibo ac consequenter famelicus; duceret choreas; construeret integrum exercitum, & huiusmodi alia, quæ videntur absurda.

*Respondetur primò*, has etiam difficultates procedere cōtra positionē corporis circumscriptiue in vno loco, & sacramentaliter in pluribus, nam vt in vno loco, moueretur, & loqueretur, & posset amare, & esset plenus cibo, & vt in alio loco, nihil ex his ipsi competeret; aut si competeret, non esset absurdum quod hæc competerent eidem subiecto, replicato tamen in diuersis locis, & sic minor argumenti esset neganda.

*Respondeo secundò* directe, distinguendo sequelam: si affectiones aut formæ contrariæ possint competere eidem subiecto, vt tenent plurimi, & speciatim *Auersa*, concedo sequelam & nego minorem: si non possint, vt tenent plures alij, & speciatim *Arriaga* cum Scotistis, nego sequelam. An autem formæ contrarię possint competere eidem subiecto replicato, nec ne, quæstione sequenti examinabitur. & quia cōmuniter tenetur quod non à Scotistis, pro distinctiori solutione huius obiectionis iuxta principia eorundem Scotistarum, negandum est, corpus replicatum habere maiorem virtutem actiuam ad aliquid faciendum, quàm si non esset replicatum; nec etiam maiorem virtutem receptiuam vllarum formarum absolutarum. Vnde si existens in vno loco, non posset tollere plus ponderis, quam centum libras; nec replicatum poterit tollere centum libras in vno loco, & alias centū in alio imo si tollat centum in vno loco, non poterit tollere vnam libram in alio loco: Similiter si duo agentia, verbi gratia frigefactiuum & calefactiuum non possent producere in ipso frigus & calorem, quando applicarentur in eodem loco, nec poterunt id facere, si applicarentur in diuersis. Sed eodē modo discurri debet de actione eorum agentium, quando applicarentur corpori in diuersis locis posito, quo si applicarentur ipsi in eodem loco. Hoc supposito.

77 *Respondetur* in particulari, quod non sit absurdum quod corpus moueatur in vno loco & quiescat in altero, loquendo de motu locali, quia hoc non est aliud quam quod ab vno ex duobus locis, in quibus esset, recederet, non recedendo ab altero loco: & idem est de loquendo & tacendo. Quantum autē ad frigefactionem & calefactionem, negandū est quod posset frigefieri & calefieri in diuersis locis, nisi posset in vno: & idem est de amore & odio eiusdem obiecti, & de fame & saturitate, quatenus fames includit sensationem illam, qua sensibiliter molestamur, dum famem patimur. Quantum autem ad hoc, quod corpus esset plenum cibo in vno loco, & sine cibo in altero, hoc non esset inconueniens, quia nihil aliud sequeretur, quam corpus applicari alteri corpori in vno loco: cui non esset applicatum in altero; quod necessario contingit quando corpus ponitur in duobus locis. De vita & morte iuxta hæc principia neganda est sequela, quia si corpus afficiatur anima, aut vlla forma absoluta in vno loco, debet necessario affici eadem forma in alio loco, & sic non poterit in vno loco esse viuum, id est coniunctum cum anima, & in alio loco mortuum, id est priuatum anima; vnde si occideretur quis in vno loco, desineret anima esse in eius corpore in omnibus aliis locis, atque adeo nullibi esset viuum. Illud de exercitu & choreis concedendum est, nec habet difficultatem.

78 *Quares*, per quam actionem ponererur corpus in duobus locis; an per adductionem, hoc est per actionem, qua produceretur solummodo nouū vbi in ipso; an vero per actionem substantialem, per quam reproduceretur ipsamet substantia ante producta. Per quam actionem ponerentur corpus in duobus locis.

*Respondeo* quod connaturaliter deberet produci per adductionem solam, quia illa sola sufficeret & debet adesse, & altera omnino esset superflua, imo verisimilius esset impossibilis, quia ex suppositione, quod res sit semel producta: non potest nisi destruatur iterum reproduci: sicut nec pro eodem instanti bis reproduci, propter principia illa, ex quibus sequitur quod non potest idem effectus dependere à pluribus causis totalibus.

*Dices*: tale corpus transit de non esse in hoc loco, secundō verbi gratia in quo replicarentur, ad esse in hoc loco: ergo per productionem nouam ponitur in illo loco.

*Respondeo* distinguendo consequen. per productionem nouam terminatam ad vbi, à quo formaliter habet corpus esse in secundo loco, concedo consequentiam: per productionem nouam, quæ terminaretur ad ipsum corpus, nego consequentiam.

*Confirmatur*: quia licet corpus habeat esse de nouo album, cum ante non esset album, aut habeat de nouo poni sub albedine; tamen hoc non habet per actionem aliam, nisi per illam, quæ terminatur ad albedinem eductam ex ipsius potentia: ergo similiter quando corpus de nouo ponitur in hoc loco, id fit per actionem solam illam, per quam producitur vbi intrinsecum in ipso eductum ex eius potentia.

79 *Dices secundo* cum *Coninko de Sacramentis, qu. 76. art. 4. dub. 3.* Si Deus Ioannem Romæ existentem vellet in instanti ponere Dublinij, hoc non posset facere per adductionem, seu per reproductionem: ergo quotiescumque replicatur res, debet replicari per reproductionem. Patet consequentia à paritate rationis: probatur antecedens: quia si fieret per adductionem, vel produceret illud vbi in Ioanne Romæ existente, vel existente Dublinij: non primum, quia aliàs vbi Dublinense esset Romæ, quod est absurdum: non secundum, quia sic deberet Ioannes Dublinij prius existere, quam haberet *vbi* Dublinense, & sic frustra poneretur tale *vbi*, & præterea

non

non posset esse prius ibi, nisi per actionē reproductiuam.

*Confirmatur*: quia illa duo vbi habent se, sicut calor, & frigus respectu sui subiecti: ergo vbi Dublinense deberet recipi in Ioanne habente vbi Romanum, & sic illud vbi Dublinense deberet esse Romæ.

*Respondet Mastrius* quod illud vbi Dublinense produceretur in Ioanne, non Romæ, sed Dublinij existente, pro aliquo priori naturæ fundamentaliter.

*Sed contra*: quia quæro à quo habet Ioannes formaliter pro illo priori naturæ esse Dublinij fundamtaliter? non à seipso, quia Ioannes ex se est differens vt sit fundamentaliter in quocumque loco, in quo potest esse formaliter: non ab aliqua alia forma distincta, quia nulla potest assignari, & si assignaretur, frustra poneretur vbi sequens; nec esset ratio cur ab illa forma non esset formaliter Dublinij, & non tantum fundamentaliter: non etiam ab actione quia nullam admittit *Mastrius*, nisi adductiuam, quæ non versatur circa Ioannem, nisi quatenus dat ipsi, vbi, & consequenter non versatur circa ipsū pro vllo priori instanti naturæ in quo antecedit vbi.

80 *Melius Respondetur* negando antecedens cum minori probationis pro secunda parte, & probatione eiusdem partis: nam cum ab ipso vbi habeat Ioannes formaliter esse Dublinij, non debet prius vlla ratione esse Dublinij quàm habeat ipsum vbi.

Quæ responsio confirmatur, & simul impugnatur doctrina *Coninchij*: quando homo mouet seipsum ab vno loco ad alium locum, non habet actionem substantialem, per quam producat suam substantiam, vt est euidens, sed tantum actionem adductiuam, per quam producit vbi: Sed posset probari quod haberet actionē substantialem, & quod non sufficeret adductiua, si valeret obiecto Coninchij, aut si non sufficeret nostra responsio: ergo illa non valet, & hæc sufficit: probatur minor proponendo eandem obiectionem contra actionem, qua Petrus ponit se naturaliter in alio loco: Vel per illam actionem producit vbi in seipso existente in loco priori, vel existente in loco nouo: non in loco priori, quia implicat vbi, quod ponitur in secundo loco, esse in primo loco, tam benequam implicat vbi Dublinense esse Romæ: non in seipso existente in secundo loco, quia sic prius esset in secundo loco, quam produceretur in ipso secundum vbi, quod æque absurdum est, ac quod prius existeret Dublinij quàm haberet vbi Dublinense. Ecce argumentum Coninchij directe æque probare quod homo mouens se ab vno loco ad alium, moueat se per reproductionem, ac quod homo motus à Deo ab vno loco in alium per talem moueatur. Itaque quemadmodum potest quis se ab vno loco ad alium mouere per actionem adductiuam seu productiuam noui *vbi* solummodo: ita etiam potest Deus per talem actionem ponere illum in alio loco, relinquendo ipsum in priori.

81 *Ad confirmationē respondeo* negando consequentiam: imo si *vbi* Dublinense reciperetur in Ioanne, vt habente vbi Romanum, non expelleret *vbi* Romanum, & consequenter non haberent se sicut calor, & frigus contra suppositum antecedentis. Itaque illa duo *vbi* expellunt se formaliter ab eodem subiecto, quia in instanti, quo producitur vnum, desinit esse alterum: & verum est dicere quod iam non sit, & ante immediate fuit: & sicut quando vnus homo mouet se ab vno loco ad alium, solum producit vbi nouum absque vlla alia actione, qua produceret suam substantiam, licet illud nouum vbi non sit productum in ipso, vt existente sub priori vbi: non obstante quod illa duo vbi habeant se sicut calor, & frigus quantum ad expulsionem connaturalem sui inuicem ab eodem subiecto; ita etiam Deus potest ponere subiectum productum in hoc loco in alio loco absque vlla alia actione præter adductiuam.

82 *Dices tertio*. Homo primo productus Romæ, & replicatus Corcagiæ, quamuis non conseruaretur vbi Romanum, conseruaretur Corcagiæ non solum quoad vbi, sed quoad substantiam: ergo signum est quod productus fuerit Corcagiæ non solū actione adductiua, sed substantiali, quia alias non deberet conseruari substantialiter ibi, nec consequenter vlla ratione, quia nisi conseruaretur substantia ipsius, non posset conseruari vbi ipsius, quod habet pro subiecto substantiam.

*Respondeo* negando consequentiam cum sua probatione, quia deberet conseruari ibi quoad substantiam, quandoquidem non desiit, vt supponitur, actio conseruatiua ipsius, quæ independens est ab hoc & illo vbi, & potest cum quolibet ex ipsis coexistere, imo præsupponitur omni actioni adductiuæ, & omni vbi: quod si illa desisteret, periret res quoad substantiam, & quoad omnem locum, & vbi consequenter.

## QVÆSTIO VI.

*Quas formas debet, & potest habere corpus positum in diuersis locis.*

Variæ sententiæ.

83 PRima sententia est, formas omnes absolutas, independētes à loco, eoque priores, quæ insunt corpori in vno loco, debere necessario ipsi inesse in quocumque loco ponātur, ita, vt oppositum nequeat fieri de potentia Dei absoluta; formas vero dependentes per se à loco non debere inesse corpori in omnibus locis, sed aliquas in vno, & alias in alijs locis. Hanc tenent *Scotistæ* communiter hic, & 4. d. 10. q. 1. n. 13. vbi Doctor videtur idem sentire & *in q. 4. n. 10.* Hos sequuntur *Vasq. 3. p. disp. 189. c. 4. Ruuius hic q. 7.*

*Secunda sententia* tenet formas absolutas omnes, quæ insunt in vno loco, debere inesse in quocumque connaturaliter loquendo, oppositum tamen posse contingere de potentia absoluta. Hanc tenet *Gabr. lect. 46. in can. Scotus & Hurtado hic, Pesantius 3. par. quæstione 76. art. 5. disp. 3.*

*Tertia sententia* est, posse naturaliter contingere vt aliquæ affectiones seu formæ absolutæ sint in vno loco in corpore, quæ non sint in illo in alio loco. Ita *Alens. 4 p. q. 44. Occam. 4 q. 4. Maior. d. 10. q. 4. Auersa q. 27. sec. 7. Arriag. disp. 14. sec. 7.* Et si quæratur quænam sint illa accidentia, aut formæ absolutæ, quæ possunt naturaliter non replicari: respondent illa, quæ non sunt de complemento naturali corporis, nec proprietates physicæ eius. Ex iis autem qui tenent hanc sententiam, aliqui, vt *Suarez* & *Auersa* tenēt posse corpus in diuersis locis habere formas oppositas, vt calorem, & amorem in vno, & frigus ac odium in alio, quamuis eas non posset habere simul in vllo loco. Alij vero, vt *Arriaga*, negant formas absolutas, quæ sunt ita contrariæ, vt nequeant esse in eodem subiecto in eodem loco, posse esse in ipso in diuersis locis simul.

## CONCLVSIO.

Naturaliter loquendo formæ absolutæ existentes in substantia in vno loco, debent existere in altero.

84 NOn potest naturaliter contingere vt vlla forma absoluta sit in corpore in vno loco, quæ non sit in illo in quocumque alio loco. Hæc est iuxta primam, & secundam sententiam contra tertiam.

*Probatur autem*: quia ideo nequit naturaliter corpus moueri ab vno loco ad alium locū absque eo, quod moueantur cum ipso omnia accidentia, quæ erant in priori loco, & ab ipso independentia: quia & erant independentia à priori loco, & quia vnicbantur physice corpori tanquam subiecto: ergo quando corpus poneretur in pluribus locis, talia accidentia debent naturaliter ipsum comitari. Probatur consequentia à paritate rationis.

*Confirmatur*: quia non solum accidentia, quæ sunt de complemento naturali corpotis, ipsum sequuntur à loco in locum, sed etiam quæ sunt ipsi violenta, vt calor est aquæ: ergo, quando corpus replicatur: non solum debent in ipso replicari accidentia connaturalia, & quæ sunt de complemento ipsius; sed etiam alia quæcumque absoluta, ac independentia à loco, etiamsi non sint connaturalia, sed violenta.

65 *Obiicies* cum *Auersa*: aliquæ affectiones sunt, quæ ex natura sua dependenti à circumstantia loci, & rerum vicinarum in loco, videlicet visio albedinis dependet ab obiecto albo posito in hoc loco, & non in alio, & calor

dependet

dependet ab igne applicato in hoc loco,& nō in alio:ergo tales affectiones nequeūt esse nataraliter in alio loco.

*Confirmari potest*:quia actus vitales non sequūtur corpus ab vno loco in alium locum propter dependentiam, quā habe nt ab obiecto posito in tali loco.& nō in alio: ergo non debent naturaliter replicari in aliis locis.

*Respondeo* distinguendo antecedens : quantum ad productionem,& conseruationem etiam,loquendo de actibus vitalibus,qui in esse, & cōseruari dependent à præsentia obiecti,concedo;quantum ad hoc,quod non possent esse in alio loco, modo tamen corpus permaneat in illo loco,vbi erat obiectum, à quo causabantur,& conseruabantur,nego antecedens,& consequentiā. Et sane mirum est adduci illud exemplum de calore ab *Auersa*: nam quemad modum ille calor, licet dependeat in fieri ab obiecto applicato in tali loco, tamen conseruatur in aliis locis vel à subiecto vel ab aliis causis ex suppositione quod semel productus sit:ita ex tali suppositione deberet connaturaliter conseruari in corpore replicato vel ab ipsomet corpore,vel aliis causis à quibus conseruaretur,si corpus produceretur in aliis locis relicto priori in quo productus est in ipso calor.

*Ad confirmationem* nego consequentiam:ideo enim non comitatur corpus, quia in alio loco nō est causa conseruatiua ipsius:at si maneat in priori loco est causa conseruatiua ipsius,&consequenter poterit esse in aliis locis.

86 *Obiicies secundo*:Actiones sensuum externorum non possunt naturaliter exerceri, nisi circa obiectum præsēs: nec obiectum aut ignis hic existens habet virtutem siue producendi aliquid in India,siue replicandi aliquid:ergo non potest fieri vt visio aut calor hic productus connaturaliter sit in India,quamuis idē ipsū corpus,in quo produceretur,& conseruaretur hic,esset replicatū in Indiis.

*Confirmatur*, quia si corpus Christi,dum esset in terris in statu suo naturali, calefieret à causa naturali,&existeret sacramentaliter in alio loco,non posset fieri naturaliter, quod calor in illo productus reperiretur in illo in Eucharistia, quia causa naturalis nihil potest producere in corpore Christi existente modo sacramentali.

*Respondetur* distinguendo antecedens quoad primā partē ; nisi circa obiectum quod sit præsens alicubi corpori habenti istas actiones,cōcedo antecedēs:quod sit præsēs in omnibus locis, in quibus reperitur illud corpus , aut illæ actiones, nego antecedēs,& cōsequentiā.Distinguo etiā idē antecedēs pro secūda parte:nec obiectū nec ignis existēs hic habet virtutem productiuā alicuius in India, directe & immediate,cōcedo:indirecte, & quasi secūdario,quatenus scilicet producit illud hic in eodē subiecto, quod est etiam in India,nego antecedens:nā ex suppositione replicationis corporis,& quod obiectū aut ignis producat formā hic in illo subiecto , sequitur connaturaliter saltē,quod debeat replicari in India, quia vel illū ipsum vbi corporis in India replicatū facit etiā accidētia absoluta replicata,vt tenere debēt qui nō multiplicāt vbi in eodē subiecto, vel certe cōnaturaliter debetur replicatio per vbi distinctū accidentibus absolutis ex suppositione quod ponatur replicatio in eorū subiecto,sicut datur connaturalis vis motiua respectu accidentium absolutorum illi,cui datur vis motiua respectu subiecti eorum.

A quo produceretur vbi replicatiuum accidentis absoluti.

*Quod si quæratur*,à qua causa produceretur vbi replicatiuum,quo replicaretur calor hic productus ab igne hic existentē,in India,vbi idem subiectum reperiretur:

*Mastrius* respondet virtutem productiuam ipsius vbi, non posse tribui igni,quia virtus ignis hic existentis non potest se extendere ad producendum immediate aliquid in India;vnde tenet illud vbi debere produci à soloDeo immediate,qui ea voluntate qua decreuit ponere corpus in duobus locis , decreuit etiam replicare cum ipso omnia accidentia absoluta,quæ aduenium ipsi , in quocumque loco aduenium ipsi.

*Ego certe fateor*, difficile esse adscribere igni hic existēti productionem immediatam vbi Indici , quod ibi tantum producitur,atque adeo recurrendum esse ad Dominum Deum:sed non video tamen quomodo possit Dominus Deus simpliciter obligari ad illud producendum etiā ex suppositione replicationis ac productionis formę hic productæ:quandocūque enim actiones sunt realiter distinctæ,& separabiles à se inuicem,non videtur quod possit Deus ex suppositione vnius obligari necessario ad positionem alterius:Sed actio , qu replicatur corpus,& actio qua producitur hic calor,& actio, qua producitur vbi Indicū iitius caloris,sunt actiones realiter distinctæ, potest enim corpus replicari absque eo quod producatur calor hic , & potest replicari calor in Indiis absque eo quod producatur hic ab igne,& potest esse actio productiua ipsius hic absq; eo quod replicetur in Indiis:ergo Deus nō potest obligari ad producendum vbi Indicum quamuis replicauerit corpus in Indiis,&productus sit in ipso calor hic. Quod si ad replicationē corporis,& productionem caloris in ipso hic necessario deberet produci vbi Indicum , sic vt de potentia absoluta non posset nō produci,deberet tū vbi Indicum produci per resultātiā,& non per actionē ad se immediate terminatā,sicut discurrimus de relationibus intrinsecūs aduenientibus; hoc autē aliunde esset inconueniens,quandoquidem directe per actionem ad se immediate terminatam posset produci;quod non debet dici de formis producibilibus per resultantiā.Itaque suppositō quod vbi Indicū producatur à solo Deo,existimo Deū posse absolute illud non producere,non obstante replicatione corporis, ac productione caloris in ipso;& hoc ipsum est fundamentum satis bonum pro conclusione sequenti.

88 *Obiicies tertio*:Si corpus replicaretur hic,vbi adesset ignis,&in Indiis,vbi adesset nix,deberet necessario naturaliter loquendo habere calorē hic causatū ab igne, & frigus ibi causatū à niue.Probatur sequela:quia ignis hic esset causatiuus caloris naturaliter,& nullū haberet impedimentum,&similiter nix in Indiis est naturaliter causatiua frigoris,nec habet impedimentum : nec enim credibile est in casu tali ignē impedirià niue,aut niuem ab igne:ergo etiam connaturaliter loquendo non deberent qualitates absolutæ replicari cum corpore.

*Respondeo* iuxta secundam propositionem *Doctoris in 4. dist.10.quæst.2. n. 13.* eodē modo posse diuersa agentia agere in corpus applicatum ipsis in duobus locis,ac si applicarentur ipsi in eodē loco;vnde sicut si ignis & nix applicarentur corpori in eodem loco , non possent ipsū frigefacere & calefacere in gradibus, in quibus calor & frigus sunt cōpossibiles naturaliter;sic nec si applicarētur ipsi in diuersis locis;vnde in forma, nego sequelā cū sua probatione : nam illud ipsum impedimentum quod haberet ignis & nix,si applicarentur in vno loco,haberent, quando applicarentur in diuersis locis:nec in hoc est vlla difficultas ; nam distantia ipsorum ad hoc nihil facit ; cum non debeant impedire se agendo in se inuicem;sed impediant se præcise propter incompatibilitatem, quam habent effectus eorum ; ex hac enim oritur quod vterque non possit agere ad illos effectus, sed vel fortius agens producet suum effectum, & alterum nihil producet, impeditum ab effectu alterius;vel vtrumque producet aliquem effectum medium, ad quem vtrumque concurrere potest;vel si vtrumque sit æqualis virtutis,neutrum aget,vel non aget nisi illud quod determinabitur à Deo.

89 *Obiicies quarto*. Petrus positus Romæ deberet cone naturaliter videre obiecta sibi ibi proposita,& existens in Hibernia deberet connaturaliter videre obiecta proposita in Hibernia : sed hoc non posset facere, si vtrobique haberet visiones habitas in vtroque loco: ergo non deberet illas habere.

*Respondeo* iuxta tertiam propositionem Scoti , nempe quod corpus positum in diuersis locis non haberet maiorem actiuitatem circa obiecta sibi applicata in illis , quam haberet , si applicarentur in eodem loco , quia diuersitas loci non auget virtutem ipsius.

*Respondeo*,inquam, iuxta hoc,distinguendo minorem: si deberet connaturaliter illa videre, casu quo applicarentur in eodem loco , transeat ; sed nego minorem: si non deberet , nego maiorem.

*Si quæratur autem*, quænam videret? *Respondeo*, illa ad quæ determinaret Deus, aut quæ essent fortius motiua.

## CONCLVSIO II.

Potest nō replicari accidens absolutū in corpore replicato.

90 *De potētia Dei absoluta fieri potest vt replicato corpore non replicetur accidens absolutum in illo subiectatū.* Hæc est iuxta secundam, & tertiam sententiam contra primam: & quamuis Doctor dicat absolute, debere replicari accidens quodcumque absolutum replicato corpore, & secururam alias contradictionem, hoc tamen debet intelligi in ordine ad potentiam naturalem, & ordinariam, sicut intelligitur id, quod dicit Philosophus, nempe quod si contraria possent esse simul in eodem subiecto, etiam contradictoria possent esse simul.

*Probatur conclusio*: quia non debent accidentia absoluta replicari necessario, nec ex eo quod coniungātur physice cum subiecto replicato, nec ex eo quod sint independentia à loco, ac ipso priora, nec ex vtroque capite simul, nec vlla alia ratio necessariæ connexionis afferri potest in ordine ad potentiam extraordinariam Dei: ergo non debent sic necessario replicari. Probatur antecedens quoad primam partem: quia secundum aduersarios nō replicatur vbi, nec aliquod accidens dependens à loco, & tamen subiectantur physice in corpore replicato: ergo coniunctio illa physica non infert necessario replicationem. Probatur antecedens quoad secundam partē, quia independentia à loco, & prioritas respectu ipsius, non facit aliud, quam quod posset replicari, licet accidens dependens à loco non posset replicari; sed ex hoc non sequitur quod debeat necessario replicari, cur enim id sequeretur? aut cur necessariū est, vt accidēs independens à loco debeat replicari replicato subiecto, quātum ad potentiam absolutam? Probatur antecedens quoad tertiam partem, quia si nec coniunctio physica secundum se, nec independentia à loco secundum se infert necessario illam replicationem, non est vlla ratio cur vtrumque simul inferat illam.

91 *Probatur secundo* idē antecedens, & ipsa etiam conclusio directe; de facto naturaliter loquendo, aliquid absolutum, & prius loco ac independens ab illo coniungitur, & vnitur physice ac intime cū alio absoluto, nec tamen reperitur vbicumque reperitur illud aliud absolutū: ergo licet ex duobus absolutis vnum ponatur in alio loco, manendo in priori, non est necesse, vt aliud absolutū, quamuis coniungatur physice cum ipso, & sit prius loco, ponatur in illo alio loco. Probatur antecedens: quia caput vnitur physice animæ rationali, & est quid absolutū ac prius loco, & tamen non ponitur vbicunque ponitur anima, nec enim ponitur in loco pedis, vt etiam reperitur anima. *Nec valet dicere* quod anima sit illimitata, atque adeo quod possit poni in diuersis locis simul, in quibus nequeat vlla pars corporis poni simul. Non inquam, valet hoc, tum quia quemadmodum anima habet hanc illimitationem naturaliter, ita etiam quæcumque alia forma absoluta potest habere talē illimitationem in ordine ad potentiam supernaturalem; tum etiam quia vis huius argumenti, solum consistit in hoc, quod non repugnet replicari vnum ex absolutis coniunctis, quin replicetur alterum, id quod euidenter ostendit hoc exemplum de anima, vndecumque proueniat, quod id competat animæ. *Nec etiam valet dicere*, quod non sit quidem necesse vt replicata forma replicetur subiectum formæ, sed quod sit necesse, vt replicato subiecto replicetur forma: nam est eadem ratio de vtroque, nec vnquam poterit dari disparitas vlla sufficiens.

92 *Confirmatur hoc*: quia non ratione formæ, vt sic, oritur vt replicato subiecto replicari debeat, quandoquidem secundum aduersarios aliquæ formę non replicentur, verbi gratia illę, quę dependent à loco: nec etiam oritur ex ratione formę talis, verbi gratia absolutæ, quia non potest ostendi cur ex ratione absolutionis, vt ita loquar, oriatur quod necessario debeat replicari replicato subiecto, licet ex illa oriatur, quod possit replicari.

*Arriaga* confirmat hanc conclusionem exemplo intellectionis, quæ est in capite cū anima, non vero in pede: sed aduersarij id negant, nec probatur ab *Arriaga*, aut ab vllo probari potest.

*Melius exemplum* potest afferri de humanitate Christi, quæ est intime coniuncta Verbo, & in ipso subsistēs, quę tamen non reperitur vbicumque reperitur ipsum Verbum: ergo non est necessarium vt vbicumque reperitur subiectum reperiatur ipsa forma etiam absoluta; & consequenter quamuis replicetur subiectum, non debet necessario replicari forma absoluta in ipso subiectata.

93 *Probatur tertio cōclusio*: quia nō potest assignari vlla implicantia in eo, quod nō replicaretur forma absoluta replicato subiecto: ergo dicendum est, quod de potentia absoluta possit non replicari, licet replicaretur subiectum: antecedens probatur ex solutione obiectionum.

*Probatur quarto*, ex dictis supra *n.* 84. Calor productus hic in corpore hic, & in Indiis posito nō replicatur absq; vbi nouo Indico in ipso producto, quod vbi à solo Deo est producibile: sed Deus non tenetur necessario illud producere: ergo potest calor non replicari. Probatur minor: quia actio, qua produceretur, distinguitur realiter ab omnibus aliis actionibus, quæ ibi reperiuntur: ergo non obstantibus illis Deus potest non habere illā actionem, videtur enim necessarium, quod Deus possit abstinere à quacumque actione realiter distincta ab alia actione, non obstante, quod sit altera actio.

94 *Obicies primo* authoritatē Scoti *in 4. d. 20. q. 2. n. 13.* vbi proponit tres propositiones ad soluendas implicantias, quæ proponi possent contra replicationem corporis circumscripti uam: quarum propositionum prima est, quod quæcumque sint priora vbi, vniformiter insint corpori habenti diuersa vbi: ergo debent accidentia absoluta replicari, si replicetur subiectum eorum.

*Respondeo, Scotum* non velle, quod illa absoluta debeant ita necessario inesse subiecto suo vbicumque ponitur, quin oppositum fieri possit de potentia absoluta; sed tantum quod naturaliter loquendo, deberent accidentia illa subiectum comitari, ac replicari cum illo. Hæc explicatio patet, tum quia ipsa verba nihil aliud præ se ferunt; tum quia ratio Scoti, qua probat illam propositionem, nihil aliud concludit; propositiones autem ac conclusiones Doctorum non debēt extendi ad aliquid, nisi ad quod se extendit probatio & fundamentum, quo vtuntur. Quod ratio vero eius nihil aliud cōcludat, patet quia hæc est ipsius ratio: Prius naturaliter nō variatur propter variationem posterioris: hoc est dicere, ex eo, quod aduenient plures formæ subiecto, quæ sunt posteriores aliis formis, in ipso existentibus, non debet subiectū variari quoad illas formas priores, sed quoad illas, non obstantibus formis posterioribus, vniformiter se habere potest. Sed hæc probatio imprimis nō dicit quin possint variari formæ priores, sed solum, quod non variantur, aut quod non debeant variari. Deinde non dicit, quod non possit esse variatio in subiecto quoad formas absolutas, sed quod illa variatio nō oriatur necessario ex vi varietatis, quæ est in formis posterioribus: quod verū est, quia sine dubio possūt formę absolutæ manere eodē modo in subiecto aduenientibus pluribus respectibus posterioribus: vnde si fiat variatio quoad formas absolutas, nō oritur præcise ex variis vbi, sed ex alio capite: ergo hæc probatio nō cōcludit nō posse fieri variationem quoad formas absolutas, quando fit variatio quoad formas respectiuas posteriores.

95 *Obicies secūdo* Doctorē in eadē distinctione *q. 4. n. 10.* vbi expresse habet, quod necesse sit easdē proprietates & partes inesse corpori in diuersis locis: ergo nō potest fieri quod habeat aliquod accidens absolutum in vno loco, quin habeat illud in quocumque alio loco existit.

*Respondeo* imprimis, illud necesse posse optime intelligi, vt ante dixi, de necessitate quoad potentiam ordinariam & connaturalem; hoc autem non esse contra nos. *Respondeo secundo*, Scotū solum velle, quod necesse sit vt eędem proprietates absolutę sint in subiecto in omnibus locis, si non fiat alia variatio circa ipsū, quā quod sit in pluribus locis; at si aliquid aliud fiat circa subiectum & proprietates illas, illud non erit necesse, nec vult Scotus quod sit in tali casu necesse. Hæc etiā expositio patet ex

ratione,

rationē, quam affert Scotus, quæ est hæc: Nullum absolutū desinit esse in aliquo adueniente sibi præcise, nouo respectu extrinsecùs adueniente. Ex hac ratione nihil aliud sequitur, vt patet ex terminis, quam quod ex vi præcisa plurium vbi, non debeat desinere aliqua forma absoluta, & cōsequenter, quod nisi aliquid aliud fiat circa subiectum, & formas suas absolutas, præter hoc quod dentur in subiecto plura vbi, quod illæ formæ absolutæ necessario debeant inesse ipsi in omnibus locis, in quibus ponitur: non vero consequenter quod ex aliis capitibus non possit oriri, vt non haberet easdē formas absolutas in omnibus illis locis, si alia capita possint afferri, ex quibus id oriri possit; sed possunt afferri alia capita: nam ex eo, quod Deus nollet producere vbi replicatiuum in aliqua forma absoluta, illa forma tum non replicaretur, & consequenter non esset replicatū cum suo subiecto: ergo ex hoc loco Scoti nihil concluditur contra nostram conclusionem, quod sane mihi videtur euidens.

96 *Obijcies tertio*: sequeretur contradictoria verificari de eodem. Si enim paries in hoc loco afficitur albedine, & in alio loco non afficitur albedine, absolute & simpliciter potest dici, quod sit album, & non album.

*Respondeo* negando sequelem; nam si subiectum habeat formam in vllo loco, quamuis non habeat illam in alio loco, absolute, & simpliciter debet dici de illo quod habeat illam formam, & non potest dici de ipso absolute & simpliciter, quod non habeat illam, quamuis possit dici de ipso, quod non habeat illam in tali loco. Habere autem formam absolute, & simpliciter, & non habere ipsam in aliquo particulari loco, non est contradictio; nec habere ipsam in vno loco, & non habere ipsam in alio loco.

*Confirmatur* hoc primo ad hominem, quia aduersarij concedunt corpus in vno loco habere vbi, quod non habet in alio, nec tamen, admittent inde sequi contradictionem: ergo habere formam in vno loco, & non habere ipsam in alio loco, non est contradictio.

*Confirmatur secundo*: anima est in vno loco vnita capiti & in alio loco cum negatione vnionis ad caput, nec inde sequitur vlla contradictio; & similiter humanitas est in vno loco vnita Verbo, & in alio loco non vnita absque contradictione: ergo potest subiectum esse vnitum formæ in vno loco, & in alio loco non esse vnitum ipsi absque contradictione.

97 *Dices cū Mastrio*, non esse contradictionem, quod anima sit vnita capiti in vno loco, & non vnita in alio, non quidem propter diuersitatem locorum, sed propter diuersas vniones, quas habet ad diuersas partes corporis. Deinde non est contradictio, quod humanitas sit vnita Verbo in vno loco, & non in alio, quia non vnitur Verbo nisi inadæquate, propter illimitationem subiecti, sicut nec caput vnitur animæ nisi inadequate propter illimitationem animæ: sed forma vnitur subiecto adæquate, & sic debet esse in ipso vbicumque.

*Cōtra primū* ex his de anima: anima quia potest habere diuersas vniones ad diuersas partes, potest etiā ratione istarum diuersarū vnionum accidere vt aliquid sit coniunctū cū illa, vt subest vni vnioni, quod non est coniūctū cū illa, vt subest alteri vnioni: ergo si corpus potest habere diuersas præsētias locales ad diuersa loca, poterit ratione istarum diuersarū præsentiarum habere aliquid coniunctū secum, vt subest vni præsentiæ, quod nō est coniunctum cum ipso, vt subest alteri præsentiæ, à paritate rationis. Deinde falsū est quod diuersitas vnionum animæ sit ratio præcisa, cur habeat coniunctionē cum capite, & negationem coniunctionis cū capite: nā si omnes partes corporis ponerentur in eodē loco, haberet illas diuersas vniones, & tamen non esset verū de illo dicere, quod haberet vllibi negationē coniūctionis cū capite: vnde vt habeat hanc negationem, necessario requiritur, quod sit in diuersis locis, & hoc sufficit ad hoc, vt absq; contradictione possit habere coniunctionem in vno loco, & negationē coiunctionis in altero loco, quāuis non haberet diuersas vniones ad diuersa subiecta: quod probo euidenter alio exemplo de Angelo: Angelus potest esse intime præsens penetratiue cum corpore Petri in loco Petri, & simul existere in alio loco absque illa præsentia intima ad Petrū, & hoc precise ex eo, quod habeat diuersas præsentias locales, seu vnam præsentiam æquiualentem diuersis: ergo diuersitas præsentiæ localis præcise sufficit, vt subiectum habeat formam, vt sub vna præsentia existit, & negationem eius vt existit sub altera præsentia.

98 *Contra secundum* de Verbo & humanitate: Ideo humanitas non dicitur vniri Verbo adæquate, sed inadæquate, quia non sic vnitur ipsi, vt debeat esse vbicumque sit Verbum; sed si subiectum replicaretur absq; replicatione formæ, etiam dici posset de forma, quod non vniretur subiecto illi adæquate: ergo falsum supponit *Mastrius*, quod forma vniatur subiecto adæquate sic, vt non posset inadæquate vniri ipsi.

*Confirmatur*: quemadmodum Verbum est quid illimitatum, quoad locum naturaliter, ita corpus quod poneretur supernaturaliter in pluribus locis, esset quid illimitatum quoad locum, non tamen naturaliter, sed supernaturaliter: ergo quemadmodum ex illimitatione Verbi potest etiā fieri, quod humanitas non vniatur ipsi adæquate, potest etiā fieri, quod accidens non vniatur subiecto existenti in diuersis locis, nisi inadequate; & hoc supposito posset forma esse coniuncta cum ipso, vt in vno loco, quin coniungeretur cum ipso, vt in alio loco: quemadmodum humanitas coniungitur cum Verbo, vt in vno loco quin coniungatur ipsi vt existenti in alio loco.

99 *Obijcies quarto*: non alia ratione anima Christi ponitur sub speciebus Eucharisticis cōcomitanter & cęterę affectiones Christi, quā quod habeat naturalem connexionē, & vnionem cū corpore, quod per se ponitur sub illis speciebus: ergo non potest poni subiectum vnitum cum forma absoluta, vllibi absque illa forma absoluta.

*Respondeo* distinguendo antecedens: non alia ratione, quam quod habeat naturalem connexionem, & vnionē præcise, nego antecedens; & sane alias caput deberet poni vbicunque ponitur anima, quia habet naturalem connexionem, & vnionem cū anima, non minus quam anima cum illo: non alia ratione quā quod habeat illā naturalem connexionem, ac vnionem, & quod preterea connaturalius est vt vbicunque ponitur subiectum ibi ponatur quidquid spectat ad complementum ipsius, nec sit vlla ratio, cur separaretur etiam loco corpus Christi ab anima ipsius & aliis affectionibus absolutis, concedo antecedens, & nego consequentiam.

100 *Dices*: actio, quia ponitur corpus Christi sub speciebus, est extraordinaria: ergo nō deberet obseruare modū connaturalem rerum, sed tantum modum simpliciter necessarium: & consequenter, si non separat corpus, quod per se respicit, ab anima quam non respicit, nisi secūdario, signū est, quod non possit ab anima separari corpus.

*Respondeo* distinguendo consequens primum: non deberet sic, quin bene posset aliter fieri connaturaliter loquendo, nego consequentiam primam & secundam. Itaque, quemadmodum actio, qua Deus resuscitaret mortuum, licet sit supernaturaliter, potest tamen terminari ad mortuum cum iisdem accidentibus, quæ connaturaliter petit, aut sine illis, prout placet resuscitanti: sic actio qua ponitur corpus Christi sub speciebus, licet sit supernaturalis, potest tamen ponere corpus sub illis, vel cum anima, prout exigit connaturaliter, vel sine anima, prout placet Deo; & connaturalius est, vt primo modo ponat illud, quam secundo modo; & ex hoc connaturali modo colligit Concilium Tridentinum, quod de facto ita fiat; non ex eo, quod aliter fieri non posset.

*Dices*, proprietates inseparabiles concomitantur corpus necessario ita, vt non possit vllibi reperiri absque illis: sed huius ratio est, quia sunt absoluta, & priora loco, ac ab ipso independentia: ergo quæcumque accidentia absoluta sic priora ac independentia debent necessario concomitari corpus.

*Respōdeo* negādo minorē: sed ratio est quia supponuntur absolute inseparabiles ac identificatæ consequenter

subiecto; non autem essent tales, si poneretur subiectum absque illis; vnde si non concomitarentur necessario corpus, sequeretur contradictio, quod scilicet essent, & non essent separabiles; qualis contradictio non sequitur ex eo, quod accidentia absoluta separabilia non concomitantur ipsum.

101 *Ex hac conclusione* sequitur vel à pari, vel à fortiori, quod accidētia respectiua & dependentia à loco non debeāt replicari cum corpore, quod communiùs docent Doctores, & videtur asserere Doctor supra in prima propositione sua: si enim non debent replicari formæ absolutæ, quæ non dependent à loco, cur deberent replicari relatiuę à loco dependētes? Quod si tamē necessario deberent replicari formæ absolutæ propter necessariam connexionem cum subiecto; & quia alias sequeretur, quod subiectum haberet & nō haberet illas; profecto, ego cōsequenter tenerem formas, etiam respectiuas dependentes à loco debere replicari, quia & æque vniūtur physice subiecto, & æque sequeretur contradictio illa, si non replicarentur. Nec refert, quod dependeāt à loco determinato; nam dependentia illa non debet esse talis, vt non possint esse in alio loco; sed vt non determinent subiectum nisi in ordine ad illum locum; & licet sint in alio loco, non tamen faciunt subiectū præsens in illo alio loco, à quo dicuntur dependere: & hoc tantum credo voluisse Scotum. Vnde licet respectus sessionis, à quo corpus hic positū habet sedere, poneretur simul cum eodem corpore in Indiis, non faceret illud corpus sedere in Indiis, & consequenter posset corpus illud non obstāte illo respectu stare in Indiis: sicut enim si poneretur intellectio obiecti hic existentis in India, faceret intellectū intelligētem hoc obiectum, & non aliquod obiectum Indicum, quia ex natura sua determinatur ad hoc obiectum; ita sessio, qua corpus sedet hic, posita in Indiis, faceret corpus sedere hic & nō in Indiis, quia ex natura sua ad hoc determinatur. De facto autem, quandoquidem non sit necessarium replicare formam replicato subiecto, melius est dicere, quod illi respectus non replicentur, quia frustra ponerentur in illis locis, in quibus non haberent aliquem effectum magis quam si non ponerentur in illis.

## CONCLVSIO III.

Corpus habere nō potest formas repugnā tes in diuersis locis.

102 *Corpus positū in diuersis locis non potest habere formas repugnantes in eodem loco*, vt v.g. amorem & odium, calorem & frigus in gradibus incompatibilibus. Hæc est communior cum Scotistis, quos nouissime sequitur *Arriaga* contra *Suarium & Auersam*.

*Probatur*: quia formę incompossibiles in eodem loco inferunt absolutam negationem, altera alterius; vnde ex eo quod dicatur absolute, & simpliciter de aliquo subiecto quod amet, debet dici de ipso absolute & simpliciter, quod non prosequatur odio; & ex eo quod absolute dicatur de aliquo, quod sit calidū vt octo, debet dici de ipso, quod nō sit frigidū vt octo, spectata potētia naturali: quia alias non essent incompatibiles: sed si ex huiusmodi formis vna esset in subiecto in vno loco, & altera in altero, non inferret vna negationem alterius simpliciter loquēdo, quod enim habet odium in vno loco, licet in cæteris illud non habeat, non potest dici de eo simpliciter, & absolute, quod non habeat odium, vt patet: quia vt diceretur simpliciter non habere odium, deberet nullibi habere illud: & idē est de amore, & frigore ac calore: ergo non potest fieri, vt corpus replicatum in duobus locis habeat odium in vno, & amorem in alio.

*Confirmatur*: non potest de subiecto aliquo dici absolutè, & simpliciter, quod amet & odio habeat, alias non essent formæ incompatibiles: sed si in vno loco haberet amorem, & in alio odium, absolute & simpliciter posset vtrumque de ipso dici, sicut potest absolute dici de ipso replicato in duobus locis, quod sit in illis duobus locis, & sicut potest dici de ipso absolute, quod habeat odium, si odium solus haberet: ergo nequit habere in diuersis locis.

*Probatur secundo*: contrarietas, quam habent amor, & odium, oritur, vel ex natura sua formali respectiue ad dem subiectū, vel ex limitatione & incapacitate subiecti, quod non habet virtutem sufficientem ad illa simul recipienda; & non oritur ex ratione loci, vnde potest intelligi absque ordine ad locum, sed in diuersis locis retinent naturam suam; & subiectum ex eo, quod ponatur in diuersis locis, non redditur maioris capacitatis, quam esset in vno loco, vt manifestum est: ergo illæ formæ erunt sibi contrariæ respectu eiusdem subiecti, quamuis ponatur in diuersis locis, non minus quam essent, si poneretur in vno tantum loco.

*Confirmatur*: quia si possent huiusmodi formæ contrariæ esse simul de potētia illa in subiecto replicato, posset vnus & idem homo damnari ac pati omnia torměta infernalia, & cōmittere omnia peccata mortalia, ac rursus beari ac frui omnibus consolationibus cælestibus, & exercere omnes actus virtutum: quod videtur valde ridiculum & inintelligibile: & si ita fieret, quæro quid potius deberet optare secundum affectum commodi, an carere vtroque statu, vel vtrumque possidere, & magisnè displiceret cruciatus Inferni quam gaudium paradisi placeret.

104 *Obiicies primo*: Potest quis diuersis temporibus odio habere, & amare idem obiectum: ergo & diuersis locis.

*Respondeo*, negando consequentiam: quia diuersa tēpora non sunt simul, & sic non est contradictio, quod subiectum in illis afficiatur formis incompatibilibus: diuersa vero loca, in quibus replicaretur corpus, essent simul, & sic contractio verificaretur, si in illis afficeretur formis incompatibilibus.

*Obiicies secundo*: oppositio contradictoria est magis, quam cōtraria; sed diuersitas loci sufficit vt eidem subiecto posito possint competere contradictoria: ergo sufficiet etiam vt formæ contrariæ possint ipsi competere. Probatur minor: quia ex conclusione præcedenti potest subiectum habere calorem hic, & negationem caloris in alio loco: sed calor, & negatio caloris sunt cōtradictoria: ergo diuersitas loci sufficit, vt contradictoria possint competere eidem subiecto.

*Confirmatur*: quia quidquid saluat contradictionem simpliciter quando poneretur forma hic, & negatio formæ in alio loco, saluat etiam contradictionem simpliciter quando poneretur vnum contrarium hic, & alterum alibi in eodem subiecto; ergo si primum potest fieri, potest esse secundum.

*Respondeo* negando minorem, & distinguendo minorem probationis: calor & negatio absoluta caloris, secūdum quam scilicet diceretur absolute de subiecto, non habet calorem, concedo minorem; calor & negatio caloris non simpliciter, sed respectiue ad aliquid aliud, v.g. ad locum hunc vel illum, nego minorem. Itaque quemadmodum non est contradictio, quod anima sit vnita capiti simpliciter, & non sit vnita ipsi provt in pede, ita non est contradictio, quod corpus sit calidum simpliciter in summo, & non calidum vt in hoc vel illo loco.

*Ad confirmationem*, nego antecedens, quia saluatur contradictio posito calore in subiecto hic & non ibi, quia ex eo, quod non sit ibi non sequitur simpliciter, & absolutè, quod non sit in subiecto: sed si ponerētur amor & odium in diuersis locis, sequeretur simpliciter, quod esset amans, & odio habens, atque non amans. vnde non saluaretur contradictio.

105 *Obiicies tertio*: nihil impedit positionem formæ compatibilis subiecto in ipso, nisi forma opposita, nec aliqua dispositio requiritur ex parte subiecti quam negatio formæ oppositæ; ergo si Petrus Romæ habet negationem amoris, poterit habere Romæ odium oppositum.

*Respondeo*, concedendo antecedens pro prima parte, & distinguendo ipsum pro secūda: quàm negatio absoluta, concedo: quam negatio secundum quid seu in ordine ad aliquid particulare, nego antecedēs, & nego consequētiā: quia licet Petrus Romæ non habeat odium, non inde sequitur quin absolute, & simpliciter habeat odium, nec consequenter sequitur, quod habeat absolutā negationem odij, secundū quam diceretur de ipso absolute, & simpliciter; non habet odium: talis autem negatio requiritur in ipso, vt possit habere amorē obiecti odio habiti.

*Obiicies*

*Obiicies quarto*:non sequeretur contradictio in illo casu,quia non competerent ipsi formæ contrariæ secundum eundem locum,sed secundum diuersa.

*Respondeo* negando sequelam,quia illud idem, secundum quod cõtradictoria nequeunt eidem conuenire,est idem subiecti,& non idem loci:in casu autem nostro esset idem subiectum, & diuersitas loci nihil facit ad rem.

# DISPVTATIO XVI.

## DE VACVO.

SVperiori disputatione ostensum est quomodo corpora replere possint loca , nunc agendum est de Vacuo, quod inuoluit quid oppositum huic repletioni.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit , & an dari possit Vacuum.*

Quid vacuum interminatum. DVplex communiter assignari solet vacuum:vnum impropriè dictum,quod interminatum vocant,& est spatium imaginariũ,non cõtentum intra aliquod corpus vel superficiẽ corporis,in quo tamen posset produci corpus,& tale vacuum est,quod imaginamur esse extra totum vniuersum. Alterum est vacuum propriè dictũ,de quo hic principaliter agimus,quod vocatur terminatũ, & describitur esse *locus seu superficies non repleta corpore quantitatiuo,apta tamen repleri*,& tale esset in schola , si parietes eius distarent à se inuicem sicut modo, nec aer aut aliud aliquod corpus esset intra illas,& intra concauum lunæ,si omnia inferiora corpora distruerentur aut annihilarentur.Dixi autem *corpore quantitatiuo*,quia si in huiusmodi spatio essent substantiæ spirituales, aut corpora non quantitatiua, adhuc esset vacuum , provt hic agitur de vacuo;& si esset plenum quantitate absque vlla substantia,non esset vacuum:vnde superficies continens species Eucharisticas non est vacua, quamuis non contineat intra se substantiam quantitatiue extensam.

Quid terminatũ.

2 Per hoc patet ad primam partem quæstionis,in qua nulla est controuersia vllius momenti. In secunda vero parte varij sunt Authores.

*Prima sententia* est,nec naturaliter,nec supernaturaliter posse dari vacuum huiusmodi terminatum.Ita *Vulpes 1. part. disp.* 18. *art.* 3. *num.* 6. *post Bannem ibidem quæst.* 8. *art.* 2.

*Secunda sententia* est non posse Vacuum dari vlla virtute creata,posse tamen Diuina & extraordinaria.Hanc tenent *Conimbric.Complutenses,Ruuius & Fuentes,Arriaga*,& alij hic.

*Tertia sententia* est,non solum Diuina virtute,sed etiã creata posse dari vacuum , si considerentur creaturæ secundum vires suas,& non vt substant Diuino decreto ac prouidentiæ ordinanti de facto , vt non detur vacuum,quamuis,vt subsunt tali decreto,non possint procurare vacuum.

### CONCLVSIO I.

Potest dari vacuum supernaturaliter.

3 *Potest supernaturaliter dari vacuum.* Hæc est communissima cum *Doctore in 4. dist.* 43. *q.* 5. *& quodl.* 11. *art.* 2. contra primam sententiam, quam miror *Vulpem* tenere.

*Confirmatur manifestè*:nihil impedit,quo minus Deus omnes Creaturas sublunares annihilaret conseruatis Cælis,provt de facto sunt:nec enim conseruatio Cælorum habet vllam dependentiam à conseruatione sublunarium,vt manifestum est:sed in tali casu daretur vacuum intra concauum Lunæ:ergo potest dari vacuum supernaturaliter.

*Confirmatur* : quia nulla potest assignari implicantia in hoc , quod Deus , vel annihilaret , vel expelleret totum aërem in schola contentum , non permittendo aliud corpus succedere ipsi:sed tum daretur vacuum:ergo potest dari vacuum.

*Confirmatur secundo*,quia difficile est ostendere rationem à priori,cur naturaliter non possit dari vacuum,nec est adeo euidenter certum,quin de facto detur in Cælis, vt de eo aliqui non dubitauerunt : ergo non est negandum Diuinæ omnipotentiæ.

4 *Obiicies primo*, corpus locatum , & repletiuum loci est,quod facit formaliter latera corporis continentis distare : ergo nequeunt esse distantia absque corpore replente , & consequenter nequit dari vacuum, quia deberet esse superficies habens latera distantia. Probatur prima consequentia:quia effectus formalis nequit suppleri à Deo:ergo nequit Deus facere vt distent latera continentia,absque corpore replente.

*Respondeo* negando antecedens,ipsamet enim distantia est,quæ formaliter facit latera illa distare,& corpus replens solum effectiue facit illa distare,vel quatenus producit illam distantiam,vel quatenus dat occasionem,vt aliud agens illam producat:quod si etiam formaliter hoc faceret,non nisi per modum effectus secundarij:effectus autem formalis secundarius potest produci absque causa,cuius est effectus,vt patet in nigredine,quæ potest expelli absque albedine, quia albedo non expellit illam formaliter,nisi per modum effectus secundarij.

5 *Obiicies secundo* : vacuum est contra ordinem vniuersi,qui est repræsentatio Diuinæ bonitatis, & sapientiæ Diuinæ:ergo est quid inordinatum,ac contra repræsentationem diuinæ bonitatis, ac Diuinam artem ; ergo nequit à Deo causari.

*Respondeo* distinguendo antecedens:contra ordinem de facto statutum,transeat:contra ordinem omnem possibilem,quem posset habere,nego antecedens , & similiter distinguo consequens:quid inordinatum,hoc est contra ordinem de facto institutum,concedo : inordinatum, id est contra ordinem aliũ possibilem,nego consequentiam quoad primam partem:distinguo etiam idem consequens quoad secũdam partem:contra illam repræsentationem diuinæ bonitatis,quæ de facto est,concedo:contra omnem repræsentationem eius, nego consequentiam pro illa parte,& absolute nego secundam consequentiam.

6 *Obiicies tertio*:ex discontinuatione partium hominis destruitur homo:ergo ex discontinuatione partium vniuersi destruitur vniuersum : sed discontinuarentur partes eius,si daretur vacuum:ergo nequit dari vacuum remanente vniuerso.

*Respondeo primo* distinguendo vltimum consequens: remanente vniuerso secundum esse totale quale de facto habet,transeat;secundum partes eius, nego consequentiam. Sicut enim ex discontinuatione partium hominis, licet destruatur homo , non tamen destruuntur partes eius , sic nec ex discontinuatione partium vniuersi destrui debent partes eius,licet ipsummet destrueretur:nec ad nostram conclusionem necessarium est quod possit dari vacuum manente vniuerso,sed sufficit, quod possit dari quomodocumque.

*Respondeo secundo* negando subsumptum , quia quamuis aër expelleretur ex schola,nullo alio corpore accedente,partes vniuersi essent continuæ mediate vel immediate,vt patet,quia parietes continuarentur inter se, &cum aëre,& aliis corporibus vniuersi extra se positis.

7 *Obiicies quarto*,Latera illa essent & non essent distantia;essent quidem,vt supponitur;non essent autem, quia nihil mediaret inter illa.

*Respondeo* negando sequelã pro secunda parte,ad cuius probationem dico,posse distare illa absque aliquo medio positiuo interiacente,modo sic se habeant,vt absque recessu à loco suo possit poni medium positiuũ inter illa.

*Obiicies quinto*,sequeretur quod daretur locus,& non daretur ; daretur quidem,quia vacuum dicitur esse locus non repletus corpore : nõ esset autem,quia locus formaliter dicit respectum ad locatum, tum autẽ nihil esset locatum in illo loco : ergo non esset locus.

*Respondeo* distinguẽdo sequelã:sequeretur,quod daretur locus fundamentaliter,id est superficies apta fundare respectum,à quo constituitur formaliter in esse loci,& nõ daretur talis locus,nego sequelam : aut sequeretur quod

daretur & non daretur locus formaliter, id est superficies actu continens aliud, nego etiam sequelam: sequeretur quod daretur locus fundamentaliter; & non daretur formaliter, concedo sequelam; nec hoc est inconueniens aut contra nos.

## CONCLVSIO II.

Non potest dari vacuum naturaliter.

8 *Non potest dari vacuum naturaliter, nec quidem virtute angelica; & hoc oritur ex defectu virtutis propriæ in creaturis, & non tantum ex decreto extrinseco Dei.* Hæc quoad primam partem est communis, & quoad secundam est iuxta secundam & primam sententiam contra tertiam.

*Probatur prima pars* variis experientiis, quibus cõstat, multa corpora moueri contra propriam inclinationem ad impediendum vacuum, sicut aqua quandoque mouetur sursum; & alia corpora non mouentur iuxta inclinationem propriam: sic oleum ex lampade turrita non effluit dum lampas est à parte superiori bene obturata, quod tamen effluereret totaliter si non esset bene obturata. Alia etiam corpora rumpuntur eandem ob causam, vt patet in vase pleno aqua, quod positum in loco frigido vbi condensetur aqua, rũpitur, quia aqua ex illa condensatione occupat minus locum quam ante: & propterea, quia nisi rumperetur vas, non succederet aliud corpus, & daretur vacuum, rumpitur vas. At certe quamuis communiter adducatur hæc experientia ad hoc propositum, valde incertum mihi est, an rumpatur ad impediendum vacuũ, propter dicenda in quæstione sequenti *n. 26.* quare potius aliis experientiis est fidendũ, quę plurimæ sunt & satis obuiæ, vt propterea superfluum sit illas hic adducere, ex quibus satis patet naturam abhorrere à vacuo, & consequenter non posse naturaliter dari.

*Complutenses* probant hanc conclusionem: quia Deus & natura nihil agunt frustra, sed vacuum esset frustra.

9 *Confirmatur*; quia cederet in detrimentum vniuersi: ergo non potest causari à natura, quæ sibi nequit esse aduersa.

*Sed contra*: quia vacuum non esset frustra, quandoquidem ostenderet ad quid posset se extendere natura. Et præterea quamuis ex se esset frustra, tamen non esset frustra, quantum ad eiectionẽ corporis à loco, & impedimentum alterius corporis succesſuri; hoc autem esset, quod intenderetur per se à natura causante vacuum, non ipsum vacuum.

*Ad confirmationem* facile negari posset antecedens, loquendo de vacuo aliquo, paruo præsertim.

*Deinde* quid impedit, quo minus Angelus posset facere aliquid, quod caderet in damnũ vniuersitatis rerũ corporearum; aut quid esset inconuenientiæ, quod aliquæ partes vniuersi possint per accidens facere aliquid quod aliqualiter cederet in damnum vniuersi?

10 *Secunda pars probatur*: tum quia potest satis commode & absque difficultate negari talis potentia creaturis, & potius dicendum est, quod ex defectu ipsius non possint efficere vacuũ, quam recurrendum est ad Dominum Deum; tum quia nulla potest assignari ratio, cur Deus haberet illam ordinationẽ extrinsecam: si non exigeretur à creaturis; non autẽ exigeretur ab his, nisi quia ipsæmet non haberent talẽ virtutem; tum quia non constaret nobis, quod haberet illã ordinationem, quamuis enim in casibus illarum experientiarum id constaret; tamen quis scit, quin in aliis casibus multis nobis incognitis habeat oppositam ordinationem, & consequenter, quin detur vacuum?

*Dices* contra secundam probationem: ratio cur Deus haberet talem ordinationem esset, vt vniuersum esset perfectum, quale non esset si daretur vacuum; vel vt possent res omnes in se inuicem agere, aut à se inuicem pati, & præcipue vt cælestia corpora possint habere influxus in omnia inferiora corpora quod non possent, si daretur vacuum, quia non potest dari actio in distans; vel ne aliquid esset otiosum, & inutile.

*Contra primam* ex his rationibus: quia vniuersum non debet esse necessario tã perfectũ quin possit esse perfectius quam est, & etiam imperfectius: ergo ex perfectione, quam debet habere, non necessario caret vacuo. Probatur consequentia: quia habendo vacuum, non sequitur aliud quam quod non esset tam perfectum, quã si careret illo, ergo si non debet habere omnem perfectionem possibilem, aut si potest esse imperfectius quam est, poterit habere vacuum non obstante perfectione, quam debet habere.

11 *Contra secundam*: quia possent res omnes agere & pati inter se inuicem mediate vel immediate, quamuis daretur vacuum, nec etiam poset dari actio in distans: continuantur enim, aut contiguãtur omnia corpora cũ superficie non continente intra se corpus, & partes superficiei illius continuantur inter se non obstãte vacuo: ergo non obstante vacuo possent agere inter se inuicẽ & pati: quæ etiam ratio probat, quod corpora cælestia possent agere & influere in inferiora omnia, nõ obstante, quod daretur vacuum in hac aula, verbi gratia; quamuis non agerent in inferiora, si daretur vacuum inter totum concauum Lunę & superficiem conuexã terræ & aquæ; nisi possit dari actio in distans.

*Contra tertiã* negat *Arriaga*, vacuum esse otiosum aut inutile, quia est nihil, & tamen ipsemet postea *n.* 160 dicit Deum loco corporum Christi & B. Virginis in Cęlum assumptorum creasse alia corpora, quia vacuum, quod alias daretur esset inutile: ergo male negat rationem, cur vacuum non detur, esse, quod vacuum esset otiosum, aut male ipsemet assignat eandem rationem.

12 *Melius contra tertiam illam rationem* facit, quod non esset inutile, quia ostenderet virtutem causæ secundæ; & quamuis esset inutile, ac otiosum quantum ad hoc, quod nõ esset necessarium, nec haberet effectum positiuum, tamen talis inutilitas, ac otiositas non sufficit ad probandum, quod non posset dari: nam datur naturaliter negatio huius, aut illius intellectionis in homine, quę in hoc sensu est inutilis, quia nõ est necessaria, nec habet effectum positiuum. Deinde licet vacuum per se nõ esset vtile, quia est nihil, tamen per accidens poset esse vtile, nimirum ratione motus, quo moueretur corpus à loco, & detineretur aliud corpus à succedendo ipsi.

13 *Probatur secundo hæc secunda pars conclusionis*: quia nulla creatura nec quidem Angelica potest penetrare duas quãtitates, hæc enim sunt naturaliter impenetrabiles; sed nõ poset fieri vacuum absque penetratione: ergo nulla creatura potest efficere vacuum. Probatur minor: vt ponatur vacuum hic, debet tolli corpus hic positum: ergo cum vniuersum sit plenum antea, vt suppono deberet poni in alio loco, & ab eo alio loco expelli corpus, quod ibi fuit, nisi fieret penetratio; ac tandem vltimum corpus quod expelletur, deberet poni hic, & consequenter hic non esset vacuum.

*Dices* quando expellitur corpus ab hoc loco, posse condensari alia corpora, & corpus hic expulsum posse occupare partem illam loci, quam ante condensationẽ occupabant, & post condensationẽ non occupant, & sic non esse necesse, vt aliud corpus moueatur ad hunc locum, atque adeo posse dari vacuum saltem, virtute Angelica, quæ videtur posse impedire, quo minus aliud corpus succedat corpori hinc expulso.

*Solutio huius replicæ* dependet à doctrina danda de rarefactione & condẽsatione; nam si dicatur condensatio fieri absque deperditione quantitatis vllius, aut absque egressu corpusculorum, replica erit bona, & sufficienter tollit vim huius probationis. At si dicatur non posse fieri absque egressu corpusculorum quantorum, non valet, quia ipsamet corpuscula egressa occupabunt partẽ illam loci relictam à corpore densato, & sic non erit locus corpori hinc expulso. Hæc ergo probatio est bona ex suppositione huius secundæ sententiæ, & non proponitur hic, nisi ex ista hypothesi.

14 *Obiicies* contra primam partem: Dum consumitur oleum in lucerna turrita, seu ad modum turris cõfecta, nõ potest ingredi aër: ergo remanet vacuũ in sũmitate lucernæ. Deinde in lapidibus quibusdam durissimis, quãdo franguntur, reperiuntur quædam concauitates, in quibus nulla corpora erant, integris lapidibus. Præterea

rea dum extrahitur clauus cum violentia ex trabe, debet reperiri vacuum in interiori parte foraminis, quia aër eo pertingere non potuit.

*Respondetur*, dum consumitur oleum, & extrahitur clauus, semper ingredi aërē, quamuis imperceptibiliter quoad sensum. In concauitatibus autē illis lapidum reperiebatur aër ab initio simul cum lapidibus productus.

*Obijcies* cum *Mastrio* contra secundam partem: Doctor in *quarto dist. 43. quæst. 5.* ait: Si natura in instanti faceret minus ex maiori, vacuum posset esse absque miraculo: ergo datur virtus ad faciendum vacuum in natura secundum Scotum.

*Respondeo* negando consequentiam; quamuis enim daretur talis virtus, ex suppositione prioris virtutis, nō tamen sequitur, quod de facto, quandoquidē de facto non detur prior virtus; sicut quamuis equus esset risibilis, si esset rationalis, non sequitur, quod de facto sit risibilis.

15 *Obiicies secundo* pro eodem: secundum Scotum in *3. dist. 27. n. 12.* Aqua non mouet se sursum ad impediendum vacuum, sed à virtute regitiua vniuersi: hoc supposito sic argumentatur: Secludenda diuina ordinatione, nulla vis in vniuerso reperitur resistens separationi, seu disiunctioni illi corporum, ad quam sequeretur vacuum: imo potius corpora vniuersi inclinantur ad illam separationem: ergo secluſa illa ordinatione diuina dari posset vacuum naturaliter.

*Respondeo* concedendo authoritatem Scoti, qui nihil aliud vult, vt patet ex ipsa littera, quam quod aqua moueatur à causa aliqua extrinseca ad impediendum vacuū: nego vero antecedens, quia vel impenetratio corporum erit causa impediens illam separationē: vel aliquæ causæ creatæ contentæ in vniuerso habent virtutē naturaliter impulsiuam aliorum corporum ad impediendum vacuum, quæ virtus nequit impediri ab vlla causa creata.

16 Fateor tamen, mihi non satis constare, si impedimentum vacui non proueniat ex impenetratione iuxta secundam probationem, quin Angelus posset impedire, quo minus impelleretur corpus ad impediendum vacuum, & sic non satis constare, quin virtute Angelica posset dari vacuum, nisi, vt dixi, impedimētum eius proueniat ex illa impenetrabilitate: nam illæ experientiæ, quibus suadetur non dari de facto, nec posse naturaliter dari, habent locum quantum ad alias causas naturaliter agentes, non vero quantum ad Angelos.

*Dices* cum Complutensibus: vacuum esset miraculosum: ergo nequit fieri ab Angelis.

*Contra*: quia in antecedente petitur principium: supponitur enim quod esset probandum, & quod negarent quotquot dicerent Angelos posse vacuum causare.

## QVÆSTIO II.

### *Quæ causa impedit vacuum.*

Causæ impedientes vacuum.

17 TRibus aut quatuor modis, vt plurimum impediri censetur vacuum. *Primo* per motum localē, quo aliqua res mouetur contra propriam inclinationem, vt quando aqua ascendit sursum. *Secundo* per rarefactionem, qua corpus in ampliorem molem reducitur, vt possit impediri vacuum, quod alias oriretur ex condensatione aliorum corporum. *Tertio* per fractionem alicuius vasis. *Quarto* per detentionem corporis in loco sic vt dimoueri nequeat, vt in follibus, quorum latera, obstructo orificio, nequeunt à se inuicem diuelli, quia non datur locus aëri aut alij corpori, quod succedere posset. Quæritur ergo hic, à qua causa effectiue oriantur hæc impedimenta, & particularius id examinari solet de impedimento primo, quod fit per motum localem rei contra suam propriam inclinationem.

*Prima sententia* est, huiusmodi corpora moueri à seipsis per virtutem sibi intrinsecam. Authores vero huius sententiæ in assignanda hac virtute inter se discrepant: nam *Scaliger exercit. §. 1.* eam esse grauitatem ac leuitatem existimat, non tamen vt sunt naturæ particulares, sed vt respiciunt bonum vniuersi. *Conimbricenses* autem dicunt eam esse qualitatem quandam aliam, cuius munus sit impedire semper vacuum.

*Secunda sententia* est, ea moueri à causa aliqua extrinseca, quam alij dicunt esse Deum, alij intelligentiam aliquam rectricem vniuersi, alij formam totius vniuersi, alij influentiam quandam cælestem, alij corpus secedens à loco, quod attrahit post se aliud corpus, vel sicut Magnes attrahit ferrum, vel propter viscositatem, quæ causa est cur aliud corpus adhæreat ipsi, ac sequatur. *Mastrius* vero sequens *Amicum*, ait causam huius motus esse, quod ex ordinatione Diuina, corpora debeant esse contigua, ac colligata inter se, & quod hoc supposito, corpus motum à loco trahat post se aliud corpus. Vnde quod est causa, cur moueatur corpus à loco, est etiam causa, cur aliud corpus sequatur ipsum.

## CONCLVSIO I.

Corpora non mouentur seipsis ad impediendum vacuum.

18 *Corpora non mouentur seipsis seu ex sua propria virtute ad impediendum vacuum, sed ab aliqua causa extrinseca.* Hæc est expresse Doctoris *in 3. d. 27. & Probatur*: quia non habent virtutem motiuam respectu talis motus: ergo non se mouent illo motu.

Probatur antecedens: quia nec grauitas aut leuitas est talis virtus, nec alia adscribi debet: non quidem grauitas in corpore graui, v. g. aqua, quia grauitas ex se est principium formale descendendi, & ad hoc naturaliter determinatum: nec pari ratione leuitas in corpore leui: absurdum enim est, quod principium vnum naturale possit habere duos effectus incompatibiles non dependentes à propositione aliqua obiecti, nec à causa aliqua libera: nec etiam alia virtus debet attribui aquæ, v. g. à qua moueatur sursum, quia omnis virtus aquæ est naturalis, & consequenter deberet habere effectum suum semper quoties non ponitur impedimentum: ergo si aqua ex se haberet virtutem adæquatam ac totalem respectu motus sursum, deberet semper moueri sursum, quoties non ponitur impedimentum: sed non ponitur impedimētum de facto aquæ expositæ aëri, nā aër ipse non est impedimētum sufficiēs; sicut enim non impedit motum aquę deorsum prouenientem à grauitate aquæ determinatæ naturaliter ad talem motum, ita nec deberet impedire motum aquæ sursum, qui prouenire deberet ab alia illa qualitate tam naturaliter, quam motus deorsum à grauitate.

*Dices* illam aliam qualitatem datam esse aquæ ad bonum vniuersale, ne scilicet daretur vacuum in vniuerso, atque adeo non debere causare motum, nisi quando est periculum vacui; vnde impedimentum istius motus est negatio periculi vniuersi.

*Contra*: licet ignis haberet virtutē combustiuam in ordine ad bonum vniuersi, tamen quia illa virtus est causa adæquata combustionis, si applicaretur hic, & nunc materiis combustibilibus, ex quarum combustione sequeretur malum vniuersi, aut non sequeretur bonum ipsius, deberet comburere: ergo & illa virtus si esset causa adequata motus sursum, deberet illum causare quotiescumque esset applicata sufficienter; nec haberet aliud impedimentum, quā quod non sequeretur bonum vniuersi ex motu ipsius. Et ratio vtriusq; à priori est quod causa naturaliter agens non potest impediri à negatione vlla nisi à negatione concausæ aut conditionis positiuæ applicātis ipsum ad materiam, vel disponētis materiam aut obiectum, circa quod agit; periculum autem vacui non est concausa motus illius, nec conditio applicans aquam ad motum, aut disponens siue aquam, siue aliud subiectum ad recipiendum motum: ergo aqua non obstante negatione eius potest tantum agere, quantum si non fuisset.

*Probatur secundo*: Si aqua haberet virtutem aliquam intrinsecam motus sursum, illa non deberet esse nisi in ordine ad impediendum vacuum, vt fatentur aduersarij: ergo non deberet mouere nisi quantum sufficeret ad impediendum vacuum: nec consequenter deberet mouere aquam ascendentem per fistulam nisi vsque ad extremitatem fistulæ, sic vt nulla pars aquæ deberet effluere, quia eousque ascendendo impediretur vacuum: sed experientia constat quod moueatur amplius, ergo non mouetur ab illa virtute.

*Confirmatur*: non deberet potius dari virtus aquæ contra propriam inclinationem ad motum illum, quē solum

causare potest impendente periculo vacui, quam virtus attractiua ipsius corpori recedenti; imo potius videtur concedenda illa virtus corpori recedenti, quia corpus recedens non habet virtutem contrariam tali virtuti, sicut habet aqua virtutem contrariam virtuti motiuæ sursum, nimirum grauitatem, vt motiua est deorsum: ergo non solum gratis, sed minus probabiliter asseritur illa virtus motiua esse in aqua ac cæteris corporibus, quæ sic mouentur.

## CONCLVSIO II.

Motus impediēs vacuum non oritur à corpore recedente.

21 *Motus ille non prouenit à corpore recedente, nec etiam à colligatione corporum orta ex decreto Dei, & motore corporis recedentis.* Hæc quoad primam partem est contra *Mastrium & Amicum.*

*Probatur prima pars:* quia corpus recedens haberet virtutem attractiuam, vel propter adhærentiam aliorum corporum, vel propter virtutem occultam attractiuam: neutrum dici potest: ergo.

Probatur minor: quia non propter adhærentiam ortã scilicet ex viscositate aliqua, quia falsum est talem dari inter duo corpora dura præsertim, quorum tamen vnum sequitur alterum, ne fiat vacuum; tum quia si daretur talis viscositas seu adhærentia, ratione illius sentiremus difficultatem separandi vnum corpus ab alio, quando non adesset periculum vacui, contra experientiam; tum quia certum est illam adhærentiam non esse tantam, quin deberet superari à grauitate aquæ, sicut superatur quando descendit.

22 *Et si dicas* illam adhærentiam non impedire separationem nisi occurrente vacuo.

*Contra* opponi potest totus discursus Conclusionis præcedentis vsque ad vltimam confirmationem, quo etiam discursu probatur, quod corpus recedens non habet virtutem illam quasi magneticam attractiuam corporis, quia si talem haberet, semper deberet attrahere etiam non occurrente periculo vacui.

*Confirmatur*, quia si esset illa adhærentia corporum inter se, non potius propter illã deberet sequi aqua, verbi gratia ad impediendum vacuum, quam aër recedens manere in loco suo proprio: ergo illa adhærentia non est causa adæquata istius motus.

*Confirmatur hoc ipsum*: quia folles, quando est periculũ vacui, non possunt extẽdi, sed remanent compressæ non minus quam aqua ascendit ad impediendum vacuum: ergo aër ad impediendum vacuum posset remanere immobilis contra naturam particularem suam, non minus quam aqua posset moueri contra suã inclinationem sursum: ergo adhærentia viscosa aquæ ad aërem ad impediendum vacuum non potius deberet esse ratio, cur aqua moueretur sursum, quam cur aër aut aliud corpus recedens deberet manere immobile iuxta aquam.

23 *Probatur secunda pars*: tum quia male asseritur illa coniunctio, & colligatio oriri ex decreto Diuino, si non sit exigentia aliqua in ipsis rebus ex natura sua: quod si sit talis exigẽtia colligatio ipsismet naturis rerum potius attribuenda est, quam ordinationi extrinsecæ Dei. Tum quia, vt paulo ante dixi, si sit talis colligatio ex ordinatione Diuina inter corpora, non potius ex ea deberet oriri, quod corpus recedens deberet mouere seu trahere post se corpus subsequens, quam corpus subsequens detinere corpus illud quod recedit; tum denique, quia sicut illa colligatio attribuitur Deo, ita etiam & motus illi attribui debet; non vero motori corporis recedentis, nisi per modum conditionis sine qua non, quatenus scilicet si ipsum non moueret corpus recedens, nec Deus moueret corpus subsequens.

Probatur hoc: quia ipsamet colligatio non est aliud, quã positio corporum in locis cõtiguis: ergo si colligatio aquæ cum aëre recedente oriatur à Deo, positio aquæ in loco contiguo loco aëris attribui debet Deo: sed positio illa fit per motum localem aquæ: ergo motus ille debet adscribi causæ contiguationis.

## CONCLVSIO III.

Ille motus non debet adscribi Deo nec Angelo nec formæ totius vniuersi.

24 *Ille motus non debet adscribi Deo, nec Angelo rectori vniuersi, & multo minus formæ totius vniuersi.* Hæc est iuxta eos, qui adscribunt motum illum virtuti intrinsecæ, & eos etiam, qui assignant aliam causam extrinsecam.

*Probatur prima pars, & secunda*: tum quia ad Deum ac Angelos in effectibus naturalibus non est recurrendum, nisi vbi deficiunt aliæ causæ naturales, quales hic non deficiunt, vt patebit postea: tum quia ad impediendum vacuum nec Deus nec Angelus deberet potius mouere corpus contra propriam inclinationem, quam detinere alia corpora in loco priori, aut impedire actiones illas, quę darent occasionem vacuo, nec deberet etiam mouere illa corpora plusquam necesse esset ad impediendum vacuum. Cur enim Deus, quemadmodum detinet graue sursum aliquãdo, ne fiat vacuum, vt dicunt aduersarij, nec permittit, vt aut ex se moueatur deorsum aut ab alio agente, quod alias ipsum moueret, similiter nõ detinet aërẽ in fistula ne fiat vacuum tam bene quã impelleret aquam renitentem ad motum sursum vacui impediendi gratia, aut cur potius frangeret vas, in quo congelaretur aqua, quam impediret condensationem aquæ in illo vase, quæ alias succedere deberet, nisi immineret vacuum, vt supponitur?

*Probatur tertia pars* tum iisdem rationibus, tum etiam quia non datur forma aliqua vna totius vniuersi, nisi aggregatum ex omnibus formis particularibus repertis in illo, illa autem forma aggregata non habet hoc facere, nec secundum se totã, quia secundum se totam non applicatur; nec secundum partem vllam determinatam, quia talis assignari non potest; &, si possit, ipsamet potius deberet dici causa quam forma totius, vt distinguitur ab illa.

## CONCLVSIO IV.

Motus corporis ascendẽtis ad impediendum vacuũ prouenit à corpore succedẽte, & impediẽte.

25 *Motus corporis ascendentis contra propriam inclinationem ad impediendum vacuum, fit ab alio corpore succedẽte ac impellente ipsum immediate, & mediate ab agente mouente primum corpus, quod mouetur, quando incipit motus, quo fieret vacuum, nisi succederet corpus ascendens.* Hæc est conformis principiis supra insinuatis, quod in rarefactione acquiratur noua quantitas cum subiecto nouo, & in condensatione deperdatur aliqua quantitas simul cum subiecto suo: supposito enim hoc, ac impenetrabilitate corporum, facile

*Probatur conclusio*: quia non potest vnum corpus à loco recedere quin expellat aliud corpus, & illud aliud, & sic necessario debet vnum aliud expellere donec perueniatur ad corpus succedens primo corpori, quod impellitur à corpore sibi immediate succedẽte, etiam contra propriam inclinationem, sicut impellimus lapides sursum. Itaque sic fit hic, quemadmodum in rota, cuius cum vna pars impellitur, illa impellit aliam, & hæc alteram, donec pars immediate succedens impellatur ad succedendum: quod exemplum magis ostendet propositum, si rota fieret ex partibus omnibus contiguis, & non continuis: nam si partes sint continuæ, non potest moueri vna quin altera succedat, etiam absque impulsu aliquo partis succedentis, vt patet in linea mota seu tracta à capite; at si partes sint contiguæ, & non continuæ, nec adhærentes sibi inuicem, quamuis vna pars moueretur, alia sequens moueri non deberet, nisi ab altera succedente impelleretur vt patet. Quod si etiam posset fieri conuersatio per deperditionem aut quantitatis, aut modi quantitatiui, absque deperditione subiecti; tamen adhuc neganda esset contingere in casu, quo moueretur corpus sursum ad impediendum vacuum, aut saltem negari deberet contingere in tanta mensura, quanta sufficit ad excludendum hunc modum mouendi aquam sursum.

26 *Adde*, in hoc modo dicendi non esse aliquid difficultatis, nisi quod mirum videatur, quomodo ab aëre moto in fistula possit etiam moueri tã cito mediate aqua à parte inferiori, à qua aer ille posset distare secundum lineam illam, qua progreditur motus per multa miliaria:

at

at hæc difficultas imaginationis debet tolli per rationé, qua colligitur necessarium esse ita fieri, & per aliam imaginationem de rota facta ex globulis non continuatis, sed contiguis, quæ quamuis esset maximæ magnitudinis, supposito quod impelleretur vnus globulus, 'deberet necessario per huiusmodi impulsum partis ad partem tota moueri tam breui tempore, quam moueretur primus globulus impulsus propter impenetrabilitatem corporum; quod exemplum est valde aptum ad persuadendum hoc quod dicimus.

*Ex hoc patet*, cur non descendat graue deorsum, quãdo ex descensu sequeretur vacuum, quia scilicet cũ non possit propter impedimentum succedere ipsi aliud corpus, non potest impellere ante se alia corpora, & consequenter debet manere vbi est: quæ est etiam ratio cur follium latera extendi nequeunt obstructo orificio. Fractio vero vasis nullo modo oritur ad impediendum vacuum, quando condensatur in ipso aqua, v. g. tum quia natura non potius tam deberet extraordinarie rumpere vas in ordine ad hunc finem, quam impedire illam condensationem: tum quia reuera, quando condensatur aqua, tantum corpusculorum egreditur ex aqua, quantum sufficit ad occupandum illam partem loci ab aqua relictam, & sic non daretur vacuum, licet non rumperetur vas: oritur ergo illa fractio ex impetu aquæ retrahentis se ad vnam partem, vel ex aliis capitibus, de quo suo loco.

Non frãgitur vas ad impediendum vacuum.

*Quæres*, an motus aquæ sursum ad impediendum vacuum sit naturalis an violentus.

An motus aquæ sursum ad impediendum vacuum sit naturalis.

Omnes quotquot dicunt illum motum prouenire ab intrinseca aliqua virtute aquæ ob inclinationem, quam habet quasi vniuersalem ab bonum vniuersi, *Respondent & merito, affirmatiue*: & similiter debent omnes respondere, qui ponunt talem inclinationem, vndecumque oriatur efficienter motus eius: motus enim tendens in bonum quodcumque quod est secundum inclinationem rei motæ, est ipsi naturalis. At quia reuera probabilius puto motum illum non esse ad bonum vniuersi, magis quam quicumque motus etiam violentus potest dici cedere in bonum ipsius, & quia quamuis cederet etiam in bonum vniuersi, adhuc pars appetitu innato non appetit bonum totius, nisi quando bonum ipsius partis ab ipso dependet, bonum autem aquæ non dependet à bono illo vniuersi quod sequitur ex motu ipsius contra propriam inclinationem, quandoquidem sæpe ex illo motu oritur, vt applicetur causis destructiuis; ideo simpliciter censeo motum illum non debere esse naturalem, sed bene posse esse violentum; & dico posse esse, quia non est necesse, vt sit semper violentus, quandoque enim posset mediante illo motu aqua acquirere aliquam perfectionem licet hoc esset per accidens ad illum motum, & hæc est expressa sententia *Scoti supra dist.* 27. Nec refert quod *in* 4. *dist.* 49. *q.* 13. *n.* 13. dicat: *Aquam esse sursũ, vt saluetur plenum in vniuerso, non est simpliciter violentum: imo si tunc descenderet relicto vacuo superiùs, esset simpliciter violentum, & secundum quid naturale, quia natura totius vniuersi magis est principium naturalitatis quam natura istius particularis, & magis naturale est, quod tali toti conuenit, quam quod proprie huic parti*: quæ verba sũt fundamentum P. *Fuenti*, vt teneat oppositum huius resolutionis: sed non sunt tam expresse in fauorem ipsius, quam ipse putat, vnde

28 *Respondeo*, aliud esse quod motus ille sit violentus simpliciter, aliud quod sit violentus aquæ: vt sit enim simpliciter violentus, requiritur, quod nulli sit naturalis, aut quod non sit naturalis principaliori: vt sit autẽ violentus aquæ, sufficit esse contra inclinationem ipsius, quamuis esset secũdum inclinationem alterius, & quidem dignioris. Itaque Scotus his verbis dicit motum illum non esse simpliciter violentum, quia non est violentus vniuerso, sed potius secundum inclinationem vniuersi; sed non dicit non esse violentum aquæ, imo in loco pro nobis citato dicit esse violentum, & nullo modo naturalem aquæ, & hæc expositio patet ex ipsis verbis, si quis ponderauerit illa.

## QVÆSTIO III.

*An possit dari motus in vacuo, & qualis.*

29 Quamuis per se hic solum agere oporteret de vacuo terminato, tamen non erit abs re aliquid adiungere de vacuo interminato.

*Prima sententia* est, non posse fieri motum in vacuo vllo, & si fieret, illum debere esse instantaneum. Ita *Albertus*, *Ægidius*, *Burlæus* hic.

*Secunda sententia* communissima cum *Doctore* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. asserit possibilem esse motum in vacuo, & quidẽ successiuum: sed adhuc tamen inter huius sententiæ authores non conuenitur adequate: nam aliqui dicunt in vacuo non esse possibilẽ motum causatum à rebus corporeis, sed bene tamen à Deo, vel Angelis: aut *Complutenses*. Alij aiunt in vacuo interminato non posse fieri motum grauium, aut leuium, bene tamen posse esse motum animalium, & proiectorum. Alij existimant in vacuo terminato nõ posse esse motum progressiuum rei positæ in medio istius vacui, nec motum volatiuum. Alij putant etiam quod, si esse vacuum inter terram & Cælum, non posset quispiam ab vno loco ad alium mouere se, neque eleuare se super terram.

## CONCLVSIO I.

Potest dari motus grauium, & leuium in vacuo terminato, & progressiuus.

30 *Potest dari motus grauium, & leuium in vacuo terminato, & motus progressiuus corporis existentis super superficiem terræ ab vna parte ad aliam partem, & motus progressiuus in medio vacui virtute Diuina ac Angelica, non verò virtute corporea, loquendo de motu progressiuo totius corporis, seu animalis.*

*Probatur prima pars*: quia nihil impedit quo minus lapis positus supra terram in vacuo, quod esset intra terrã & Cælum Lunæ ad altitudinem hominis descenderet ad terram, quæ est locus naturalis eius; nec enim aer iuuat illum motum, sed potius impedit ipsum: ergo debet concedi ipsi virtus: & certe si ipsimet non concederetur virtus descendendi, nõ potest cum vlla probabilitate negari, quin Deus posset ipsum deorsũ aut sursũ impellere, prout placeret ipsi: & idẽ dicendũ est de Angelo. *Deinde* nihil impedit, quo minus leue ascenderet sursum ad locum suum naturalem v. g. ignis ad concauum Lunæ, supposito quod sit locus naturalis eius.

*Dices*: motus ille si daretur, deberet esse instantaneus: sed hoc implicat.

*Respondeo*, negando ante cedens, cuius ratio patebit ex dicendis.

*Dices secundo*, Motus istius corporis dependet ab influxu cœlorum: sed talis non potest communicari ipsi in vacuo, quia non datur actio in distans.

*Respondeo primo*, illam dependentiam non esse tam necessariam, quin possit suppleri à Deo: ergo saltem à Deo possent moueri corpora sursum & deorsum in vacuo.

*Respondeo secundo*, negando maiorem: neque enim omnis effectus sublunarium debet dependere immediate à cælestibus corporibus: & oppositum gratis asseritur.

31 *Probatur secunda pars*: quia nihil prorsus impediret, quo minus homo existens super hanc partem terræ moueret se ad aliam: ergo asserendum est quod sic: quandocumque enim datur virtus loco motiua, & terminus à quo & ad quem sufficiens, nec aliquod impedimentum assignari potest, gratissime & male negaretur possibilitas motus ab illo, quod haberet illam virtutem.

*Dices*, ex diuina ordinatione, aut ex natura rerum de facto procedere, vt nunquam aliquid recedat à loco in quo est, quin aliud ipsi succedat, vt patet experientia: sed in tali casu nihil succederet homini recedenti à suo loco: ergo non posset ab illo recedere.

*Respondeo* distinguendo maiorem: ex natura rerũ præcise, aut ordinatione aliqua Diuina non supponente rationem ex parte rerum, nego maiorẽ: ex illa natura supposita contiguitate rerum & defectu vacui, ex qua natura, & defectu oritur quod vna remota, alia moueri debeat, donec perueniatur ad corpus succedens, concedo maiorem, & nego consequentiã, quia in casu nostro non esset necessitas successionis, sicut est de facto propter defectum vacui, & impenetrabilitatem corporum.

*Probatur*

*Probatur tertia pars* simili ratione, quia nihil impedit.

*Probatur denique quarta pars*: quia motus progressiuus fit cum dependẽtia à corpore, supra quod quis progreditur, & hinc non possumus progredi supra terram eleuati, licet moueamus pedes nostros, quos etiam mouere possemus taliter in medio vacui; neque enim ille motus dependet à corpore sustentante.

*Obiicies contra primam partem*: non potest dari aliquis motus, qui non sit vel sursum, vel deorsum, vel dextrorsum, vel sinistrorsum: sed in vacuo terminato non potest motus habere vllam rationem ex his: ergo nequit dari motus in eo.

*Respondeo primo*, distinguendo maiorem: vbicumque dantur aliqua, per ordinem ad quæ possunt desumi istæ denominationes, concedo maiorem: vbi non dantur talia, nego maiorem; & permissa minori, nego consequentiam, quia si non possint in tali casu reperiri aliqua, per ordinem ad quæ motus aliquam ex illis denominationibus habere possit, non habebit vllam ex illis, & sic non erit nisi accidentale motui illas habere.

*Respondeo secundo* negando minorem: quia si motus fiat à terra ad Cælum, erit motus sursum, si à Cælo ad terram, erit deorsum.

*Obiicies secundo*: motus ille non haberet vbi reale pro termino: ergo non potest esse realis. Probatur antecedens: quia vbi reale terminatur ad superficiem ambientem, qualis non daretur in casu conclusionis.

*Respondeo* negando antecedens, ad cuius probationem dico, vbi reale nõ necessario debere terminari ad superficiẽ ambientẽ immediate contiguã rei motæ, & vbicatæ; sed sufficit quod ambiatur ab aliqua remota, nec hoc etiam requiritur necessario; quia satis esset quod ponatur distans tantũ vel tantum ab alia re, siue ambiatur siue nõ.

## CONCLVSIO II.

Qualis motus posset dari in vacuo.

35 *Si poneretur corpus graue, verbi gratia homo, extra cælum in vacuo interminato, non posset habere motum progressiuum, posset tamen mouere manus, & pedes motu animali, imo moueretur naturaliter ad Cælum ob grauitatem suam, sed corpus leue non posset mouere se ob leuitatem.* Prima, & secunda pars est communis, tertia videtur contra communem.

*Probatur prima pars*: quia si non potest animal positum in vacuo terminato mouere se progressiue, non poterit etiam in interminato à paritate rationis.

*Secunda pars patet*: quia nihil impedit talem motum, quo scilicet approximaret manus ori, pedes ad se inuicẽ.

*Tertia pars probatur*: quia cum haberet suum centrum seu locum naturalem sub se, deberet eò ferri naturaliter, cum nihil impediat. Itaque perueniret ad cælum Empyreum; & quia hoc non posset penetrare, maneret supra ipsum, & posset supra ipsum ambulare, ex suppositione quod posset viuere supra ipsum.

*Quarta pars etiam patet*: quia non haberet locum naturalẽ supra se: ergo non deberet eò ferri virture grauitatis; si tamen duo corpora ponerentur in illo vacuo, vt aqua, & oleum, oleum tum positum sub aqua moueret se naturaliter ob leuitatem supra aquam, quia petit naturaliter esse supra aquam, & aqua petit esse sub oleo.

## CONCLVSIO III.

Motus qui fieret in vacuo à causis secundis esset successiuus.

34 *Motus localis, qui fieret in vacuo quocumque à corporibus virtute propria vel aliena creata, esset successiuus.* Hęc est communis cum Doctore 2.*d*.2.*q*.9.& *D. Thoma hic lect*.12. quos sequuntur præter suos, etiam recentiores, contra authores primæ sententiæ.

*Probatur*: quia implicat ex corporibus æqualibus aut virtute sua aut virtute extrinseca creata æqualiter applicata, quod æquali tempore, vnum pertranseat distantiam vnius milliaris, & alterum distantiam centũ milliariorũ: sed si in vacuo motus corporũ proueniens à virtute propria aut aliena creata fieret in instanti, hoc esset falsum: ergo non debet esse in instanti. Probatur minor: si lapis à concauo Lunæ ad terram, supposito vacuo inter vtrũque & manente eadem distantia, quæ est de facto, moueretur in instanti, deberet illam totam distantiam, quę est maior quam mille milliariorum, in instanti pertransire: sed etiã in instanti deberet lapis descendens per vacuũ, cuius latera distarent vno tantum milliari, pertransire illud spatium: ergo æquali tempore vtrumque pertransiret suum spatium.

35 *Confirmatur*: quia si à concauo Lunæ ad terrã protenderetur vna hasta, & corpus palmare iuxta illam moueretur ad terram in instanti, deberet esse simul præsens omnibus partibus, & sic esset æqualis longitudinis cum hasta, quod est absurdum: ergo non posset moueri in instanti. Probatur minor: quia si non esset simul præsens omnibus, ergo deberet aliquando esse præsens vni parti, & aliquando alteri, & sic non moueretur in instanti.

*Confirmatur secundo*: quia lapis positus iuxta summitatem istius hastæ, & alter iuxta medium non possent æque cito pertingere ad terram, si essent æqualis grauitatis, & æquali impulsu impellerentur à causis mouentibus: ergo vnus moueretur citius alio, & consequenter motus vnius esset successiuus, quod est intentum.

*Probatur secundo*, quia successio in motu non solum oritur ex resistentia medij, sed ex limitata virtute mouẽtis, & ex distantia maiori vel minori, qualis posset esse in vacuo: ergo posset esse motus successiuus in illo, & deberet cõsequenter esse quoties proueniret à causis creatis.

*Dixi* autem: quoties proueniret ab huiusmodi causis, quia Deus, sicut potest in spatio pleno mouere in instanti corpus ab vno loco ad alium, quantumuis distantem, non pertransito tamen formaliter, & positiue medio: ita etiam posset mouere corpus in spatio in vacuo, vel à potiori, vel à pari.

36 *Obiicies primo*, ex Philosopho *hic text*.71. quæ est proportio medij ad medium in densitate, & subtilitate, ea est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate: sed medij vacui ad medium plenum nulla est proportio: ergo nulla est proportio motus facti in spatio pleno ad motum factum in vacuo in velocitate aut tarditate: ergo alter ex illis debet esse instantaneus, quia si vterque esset successiuus, necesario deberent habere aliquam proportionem ad inuicem, ita scilicet, vt necessario vel essent æqualis tarditatis aut velocitatis, aut alter altero esset tanto vel tanto velocior aut tardior.

*Confirmatur* ex *tex*.72. Non potest motus factus in vacuo esse æqualis motui facto in pleno, quantum ad velocitatem, si cætera sint paria, quia medium plenum aliquo modo resistit motui: sed si daretur motus successiuus in vacuo, hoc esset falsum: ergo nequit esse successiuus. Probatur minor: quia si motus factus in vacuo esset successiuus, deberet peragi in media hora verbi gratia, & motus factus in pleno esset ipso tardior aliquo determinato tempore, verbi gratia media hora. Tũ sic: possibile esset quod daretur aliud medium duplo subtilius, & minus resistens quam illud medium, in quo motus corporis erat vnius horæ: sed si daretur, motus in ipso factus deberet esse mediæ horæ tantum: ergo motus in alio medio factus esset æqualis motui facto in spatio vacuo.

*Confirmatur secundo*: quia Sol illuminat in instanti aërem, eo quod nihil reperiat resistentiæ: sed nihil est resistentiæ in vacuo: ergo debet motus fieri in ipso in instanti, & consequenter non erit successiuus.

37 *Respondeo* distinguendo maiorem, ac sic explicando Philosophum: quantum ad tarditatem ac velocitatem ortam ex resistentia positiua medij maiori vel minori, concedo; quantum ad tarditatem aut velocitatem ortam ex aliis capitibus; nego antecedens, quia certum est quod duo corpora inæqualis grauitatis aut inæqualiter impulsa per idem spatium aut per duo spatia eiusdem subtilitatis aut densitatis inæqualiter mouerentur.

*Ad Confirmationem Respondeo* negando minorem, ad cuius probationem dico impossibile esse dari medium aliud tanto subtilius medio in quo fieret motus, vt motus in ipso factus, esset cæteris paribus æqualis velocitati cum motu facto in vacuo, quia quæcunque subtilitas admittit aliquid resistentiæ supra resistentiam vacui; vnde proportio medij positiui ad medium positiuum quodcunque, semper debet esse talis, vt minor sit proportio nædij negatiui ad ipsum, quam ipsius.

Ad

*Ad secundam confirmationem* respondeo negãdo minorẽ, est enim resistentia distantiæ termini à quo ad terminum ad quem, quæ sufficit; non est autem talis resistentia ad illuminationem: neque enim gradus luminis productus in vna parte aëris est qui trãsit ad aliam, sed simul producuntur varij gradus, & partes luminis, vna in hac parte, & alia in altera: hic vero in casu nostro est idem corpus quod transit ab hac distantia maiori ad minorem.

# DISPVTATIO XVII.

## DE TEMPORE AC DVRATIONE.

QVamuis natura temporis tã difficilis visa sit *S. Augustino*, vt, licet qualis fuerit, ipse conceperit, fateatur tamen se verbis eam explicare non posse, ac propterea nõ immerito præsumptioni attribui posset quod alius inferioris ingenij ac doctrinæ eius explicationem aggrederetur; tamen quia Philosophus, & cum eo cæteri expositores de ea agunt, non erat prætermittendum, quin quam clare ac breuiter fieri posset, Scoti sententia proponeretur.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit duratio, & quomodo distinguatur à re durante.*

1 QVamuis durare in esse videatur importare perseuerantiam quandam seu permanentiam, in esse, nec consequenter deberet dici quod res existens vnico tantum instanti duraret, aut haberet durationem vllam: tamen vsus communior dicendi iam obtinuit, vt omnia quæ existunt, dicãtur durare, siue existant tempore aliquo diuisibili, siue solo instanti; vnde solemus respondere quærẽtibus quam diu solent durare res istæ vel illæ, anno, horâ, instanti; & iuxta hunc vsum Scotus *in 2. d. 2. q. 4.* ait quod si Angelus existeret pro vnico tantum instanti, adhuc duraret: hoc autem negare aut contendere quod sit improprius modus loquendi, est reducere rem ad quæstionem grammaticam de nomine, parui semper faciendam Philosopho, rem ipsam examinanti. Itaque iuxta hunc communiorem loquendi modum hic agendum de Duratione.

### CONCLVSIO I.

Duratio non est actualis coexistentia rei ad tempus.

2 *Duratio non est actualis coexistentia rei ad tempus.* Est conformis Scoto *in 2. d. 2. q. 2.*

Probatur: quia potest res durare, existere ac perseuerare in esse, etiam si nullum tempus esset, cui actualiter coexisteret, verbi gratia si Deus ante productionem Mũdi produceret Angelum: ergo duratio nõ consistit in coexistentia actuali ad tempus.

*Dices* hinc sequi quod non consistat necessario in coexistentia actuali ad tempus reale, non vero quin consistat in coexistentia ad tempus imaginarium.

*Contra* Duratio in tali casu esset realis, & actualis: sed coexistentia ad tempus imaginarium non est realis & actualis, sed imaginaria: ergo duratio realis non consistit in coexistentia ad tempus etiam imaginarium.

*Confirmatur*: quia res secundum eandem durationem posset realiter coexstiere diuersis temporibus realibus: sed non potest habere eandem coexistentiam, siue realem ad diuersa tempora realia, siue imaginariam ad diuersa tempora imaginaria: ergo duratio non consistit in coexistentia actuali. Minor patet: quia diuersi termini, saltem qui non possunt simul existere, exigunt diuersas relationes, & consequenter cùm coexistentia sit relatio, non potest esse eadem ad diuersa tempora, quæ nõ possũt esse simul. Maior probatur, quia duratio est res illa, à qua formaliter quid sit tanto vel tanto tempore, verbi gratia per tres horas vel dies, &c. sed potest res habere hoc quocumque tempore tanto existit: ergo, &c.

3 *Obijcies tertio*, non potest res intelligi durare sine ordine ad tempus, vel verum vel imaginarium: ergo dicit essentialiter ordinem ad tempus: sed non alium quam coexistentiæ: ergo &c.

*Respondeo* distinguẽdo antecedens, sine ordine actuali, nego, sine aptitudinali, concedo.

*Dices* ipsa res, quæ duraret per mediam horã, haberet aptitudinem ad durandum per integram horã, & tamen non haberet durationem vnius horæ: ergo duratio dicit aliquid vltra aptitudinem.

*Respõdeo* distinguendo maiorem: aptitudinem remotã, concedo; proximam, seu talem qualem haberet, si haberet durationem horæ, nego: & concessa minore similiter distinguo consequens. Itaque res durans duratione horaria verbi gratia habet talẽ aptitudinem proximam, vt eo ipso, quod sic duraret, sine vlteriori conseruatione durationis posset coexistere cuicumque horæ tẽporis simul cum ipso incipienti; res vero existens, & durans media hora non haberet coexistere toti horæ incipienti simul cũ ipsa, nisi vlterius conseruaretur: ergo nõ haberet aptitudinem tam proximam quam haberet res, quæ duraret duratione horaria.

*Obijcies secundo*, eo ipso quo intelligatur res actu coexistere tempori, intelligitur durare; ergo coexistentia actualis est durato eius.

*Respondeo*, negando consequentiam, quia id non prouenit ex eõ, quod coexistentia illa sit duratio eius, sed ex eo quod necessario præsupponatur duratio ad illã coexistentiam. Sicut ergo non posset intelligi quod subiectũ reciperet actu calorem verbi gratia, quin intelligeretur existere, non quod receptio caloris esset existentia, sed quod præsupponeret existentiã, ita in proposito. Ex his patet quod male explicetur durario esse illud, à quo res habet formaliter esse nunc, vel tunc actu; sed potius dicendũ est quod sit illud, à quo haberet res quod possit tanto vel tanto tẽpore existere, comprehendendo sub nomine temporis non solum partem diuisibilem eius, sed etiam instans indiuisibile.

### CONCLVSIO II.

*5 Duratio si consisteret in coexistentia relatiua actuali ad tempus; esset quid successiuum: & idem dicendum est, si esset aliquis modus, aũ forma distincta à re durante, & actione, seu cõseruatione eius, loquendo ea de duratione tẽporaria rei permanentis.* Est cõformis *Scoto* supra.

*Probatur prima pars*: quia coexistentia qua coexisteret vni parti temporis, non esset illa, qua coexisteret alteri parti, nec illę duæ coexistentiæ possent esse simul: ergo coexistentia totalis, qua coexisteret toti isti tẽpori esset quid successiuũ. Cõsequentia patet, quia illud est successiuũ, quod constat partibus nõ potentibus simul existere. Probatur antecedens quoad primam partem: quia quod est essentialiter determinatio ad vnũ, nõ est essẽtialiter determinatio ad alterum, quod nõ potest esse simul cũ illo vno, alias esset, & nõ esset essẽtialiter determinatio ad illud alterum; sed partes temporis, vt tales, non possunt esse simul: ergo quod est essentialiter determinatio ad vnã partem, nõ est essentialiter determinatio ad alteram partem; sed coexistentia rei ad tempus est essentialiter determinatio ipsius ad tẽpus: ergo &c. Probatur antecedens quoad secundã partem, quia coexistẽtiæ partiales ad aliqua nõ possũt esse simul, nisi illa possint esse simul: ergo cũ partes tẽporis nequeant esse simul, coexistẽtię partiales rei ad illas nõ possũt esse simul.

*Confirmatur*: quia istæ coexistentiæ sunt relationes, sed relationes multiplicãtur ad multiplicationem terminorum, qui possunt esse sine se inuicem, & nequeunt simul existere nisi termini simul existant, aut possint existere.

*6 Probatur secũda pars*: quia non posset illud, à quo haberet dur re alia media hor, esse illud ipsũ, à quo haberet durare alia media hora sequenti; ergo deberet illud, à quo dur ret integra hora, esse quid successiuum. Probatur sequela antecedẽtis: quia illud, à quo durar t prima media hora, non deberet necessario existere pro secunda: ergo esset indifferens, vt existeret vel nõ existeret pro secunda media hora: ergo vlterius, vt existeret pro secũda deberet superaddi ipsi aliquid quo determinetur ad existendum pro secunda illa media hora: quemadmodum enim

enim ideo ponitur duratio distincta à re, quia res est indifferens ad existendum, vel non existendum tali, vel tanto tempore: ita etiam, si duratio, qua durat res pro prima media hora, sit indifferens, vt duret pro secunda media hora, debet necessario superaddi aliquid distinctũ alioquin si non obstante indifferentia sua potest absque aliquo distincto durare pro secunda media hora, etiam ipsamet res posset durare absque aliquo distincto, non obstante indifferentia.

7 *Dices* illud, à quo res durans per horam habet durare pro media hora istius horæ, necessario debere durare pro altera media hora, & sic non esse indifferens, vt duret pro altera media hora, nec indigere consequenter aliquo distincto, vt sic duret.

*Contra*, quia si necessario deberet durare pro secunda parte horæ, Deus necessitaretur ad eius conseruationem pro secunda parte horæ: sed omnino absurdum est, quod Deus ex suppositione solum, quod producat creaturam vllã pro hoc instanti, necessitaretur ad eius conseruationem pro vlteriori instanti; tum quia productio rei non magis debet esse libera Deo, quã conseruatio; tum quia alias non esset sub perfectissimo dominio Dei, quandoquidẽ non posset ipsum productum destruere pro omni tempore, seu instanti posteriori; tum quia qua ratione posset res exigere, vt conseruaretur pro secundo instanti necessario à Deo, posset etiam dici quod exigeret necessario produci pro aliquo instanti, quod absurdum sine dubio ab omnibus admittetur; tum denique, quia non potest concipi qua ratione res vlla creata existens in hoc instanti haberet trahere necessario, ac determinare Deum ad sui conseruationem pro secundo instanti.

8 *Dices*, posse habere rem hanc naturam, vt si existat, debeat existere tamdiu, quemadmodum duratio horaria ex natura sua intrinseca petit esse horaria, & lignum trium palmorum petit habere tres palmos.

*Contra*, licet duratio horaria debeat sine dubio, si existat, existere pro hora, quia alias non esset horaria, & lignum trium palmorum necessario debeat includere tres palmos, quia aliàs non esset trium palmorum: & vniuersaliter licet vnaquæque res debeat, si existit, habere suã naturam, quia sine ea nequit existere; tamen implicat quod illud, quod existit totaliter secundum omnem naturam intrinsecam suam pro vno instanti, debeat necessario obligare Deum ad dandum ipsi existentiam pro alio instanti, & implicat quod naturam habeat hoc necessario exigentem, propter rationes dictas.

*Confirmatur*: quia existentia rei pro hoc instanti nullam habet necessariam connexionem cum alio instanti sequenti: ergo ex suppositione existentiæ ipsius pro primo instanti, non necessario sequitur existentia ipsius pro alio instanti.

*Confirmatur secundo*: quia nihil potest determinare Deũ ad aliquid faciendum physice, nisi vel moraliter vel physice; sed nihil existẽs in hoc instanti potest alterutro modo determinare Deum ad conseruationem eiusdẽ rei pro alio instanti: ergo. Probatur minor: non potest ipsum determinare moraliter, vt fatentur aduersarij, & patet quia non potest assignari, qua ratione sic ipsum determinaret. Non etiam physice, quia nihil determinat aliũ physice nisi producendo aliquid in ipso, vel concurrendo physice cũ ipso, ad aliquid: sed res existens in hoc instanti nihil producit in Deo, vt patet, nec concurrit cũ ipso ad aliquid producendũ pro secundo instanti, nihil enim produci debet præter ipsammet rem: sed ipsamet res non concurrit ad productionem sui in vllo instanti, & si concurreret etiã, absurdum esset quod creatura ex concursu suo physico habeat determinare Deum necessario ad concurrendum secum. Hinc patet male dicere *Arriagam*, quod non repugnet creatura indiuisibilis, quæ deberet necessario existere pro aliquo tempore.

9 *Obiicies* pro *Camerario p* 2.*q*.22. vbi tenet æuum & consequenter durationem cuiuscumque rei permanentis esse indiuisibilem, ac totam simul. Duratio sequitur modum essendi rei durantis, vnde tempus est duratio successiua, quia sequitur modum essendi motus; ergo duratio rei permanentis ac indiuisibilis debet esse tota simul ac indiuisibilis.

*Confirmatur*; ideo in æternitate Dei nulla est successio, quia in Diuino esse nulla est successio: ergo duratio rei permanentis, in suo esse nullam habentis successionem; debet esse tota simul.

*Respondeo* negando antecedens, loquendo de duratione, qua ponitur coexistens alicui successiuo, suppositio, quod illa duratio esset forma aliqua se tenens ex parte rei durantis; nec ideo præcise & solum tempus est duratio successiua, quia sequitur motum successiuum, quamuis hæc ratio sufficeret; sed etiam quia est duratio, qua ponitur motus coexistens tanto tempori.

*Ad confirmationem respondeo* negando antecedens in sensu præciso: sed potius ratio est, quia æternitas est infinita, ac se ipsa determinata ad coexistendum necessario cuicumque tempori existenti. Duratio autem, qua Angelus existit hodie, si sit quid creatum, non est infinita, nec determinata ex natura sua necessario ad faciendum ipsum existentem cras; vnde necesario debet addi aliquid quo determinetur ad existendum cras, & consequenter tota duratio Angeli nequit esse tota simul.

## CONCLVSIO III.

10 *Duratio creata non distinguitur realiter à re durante, & actione qua producitur ac conseruatur.* Hæc est conformis Scoto qui *in* 2.*dist*.2.*q*.2. dicit non esse necesse ponere aliquid reale siue absolutum siue respectiuum intrinsecum Angelo, quod sit mensura eius: sequuntur *Scotistæ* communius, & recentiores, *Suar. met. Valentia* 1. *tom. disp. & q*.10. *Hurtad. disp*.17 contra *Thomistas* communius, præsertim *Ruuium, Conimbricenses, & Complutenses, & Arriagam hic.*

*Probatur*: quia eo ipso, quo res aliqua producitur ac cõseruatur, seu eo ipso quo terminat actionem productiuã ac cõseruatiuã, durat vel instãti vel tẽpore; ergo nihil aliud requiritur vt duret, & cõsequẽter duratio nõ est aliquid realiter à re durãte, & huiusmodi actione distinctũ.

*Confirmatur*: quia nullum est indicium distinctionis realis inter rem conseruatam ac durantẽ, seu inter durationem, & conseruationem rei: ergo non debent distingui, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Probatur antecedens solutione Argumentorum, quibus innituntur Aduersarij.

11 *Complutenses* hic *q*. 3. Respondent durationem non esse quamcumque permanentiam rei in esse, sed permanentiam formalem.

Ad quod intelligendum *aduerte secundum ipsos*, quemadmodum datur inter duo similia duplex similitudo, vna fundamentalis, quæ consistit in albedine, v.g. reperta in duobus similibus; & altera formalis, quæ consistit in respectu adueniente albedini, ac ipsa posteriori; ita duplex etiam permanentia in rebus reperitur: vna fundamentalis. quæ est permanentia illa in esse, quam habet substantia ab actione conseruatiua; & altera formalis, quæ est duratio formalis, & accidentalis.

*Contra* hanc responsionem: quia gratis, & absque vllo fundamento asseritur permanẽtia illa formalis distincta à fundamẽtali, & gratis dicitur illam, quam ipsi vocant fundamentalem, non esse durationem formalem: nã eo ipso, quo illa poneretur, & adesset tẽpus, res coexisteret tanto vel tanto tempori: quod si non esset fundamentũ aliquod distinguendi similitudinem formalem, & fundamentalem, profecto male distinguerentur.

12 *Probatur secundo*, quia si esset aliquid distinctum, vel esset quid absolutum, vel respectiuum: neutrum dici potest: ergo non est aliquid distinctum ab illis.

Probatur minor: non respectiuũ, quia omnis respectus realis debet habere terminum realem, potest autem res durare absq; eo quod sit aliquid reale aliud, ad quod diceret respectũ, vt si Deus vnum Angelum solum produceret. Non etiam absolutum, quia esset posterius re durãte, & consequenter res durans posset produci absque illa, quod est absurdum: quia sic duraret, & non duraret, duraret quidem, quia produceretur; non duraret autem, quia non haberet durationem, quæ esset aliud absolutũ

posterius

posterius quod non esset productum. Quod autem posset res durans produci absque illo positiuo posteriori, patet, quia omne absolutum prius alio posteriori potest produci absque illo posteriori, alias dependeret ab illo posteriori, & sic non esset prius illo, & hoc maxime locum habet quando non potest dari ratio necessariæ connexionis vtriusque absoluti, vt contingit in proposito; nec enim potest ostendi quænam sit ratio cur homo, verbi gratia, realiter distinctus à modo absoluto durationis non posset poni sine illo.

*Dices*, quia sequeretur, quod durarer, & non duraret.

*Contra*: si durare haberet ab illo posteriori, id nō sequeretur: neque esset inconueniens, quod aliquid esset in rerum natura absque duratione: & quamvis reuera absolute loquēdo nihil potest esse existens absque duratione tamen hoc ideo verum est, quia non habet res durare ab aliquo se ipsa posteriori, sed ab hoc, quod producatur ac conseruetur secundum esse suum proprium.

13 *Dices secundo*, actio ipsa habet durare tanto tempore ab aliquo à se realiter distincto: ergo & res producta per actionem.

*Respondeo*, quidquid sit de consequenti, negando antecedens. habet enim formaliter à seipso durare, & efficienter à causa efficiente per ipsa, quatenus talis causa vel naturaliter determinatur ad talem actionem habēdam; vel libere se ad eam determinat: & quemadmodum illa ipsa duratio, si esset aliquid distinctum à re durante, haberet se ipsa durare formaliter, & efficienter à causa, à qua producitur; ita de actione, & re terminante actionem est dicendum.

*Dices tertio*. Actio, qua conseruatur Angelus, verbi gratia, per vnam horam, est actio, qua producitur pro qualibet parte istius horæ: ergo Angelus nō habet durare per horam à seipso, & illa actione. Probatur consequētia: quia si haberet à se, & illa actione durare per horam, non posset esse cum illa actione, quin duraret per horam: sed potest, quia actio illa est cum ipso pro prima parte horæ, pro qua tamen parte Angelus nō durat per horam.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: est actio illa præcise & secundum se, nego: vt continuatur pro hora concedo antecedēs & similiter distinguo consequēs. à seipso & illa actione quomodocūque, concedo consequentiā: à seipso & illa actione continuata, nego consequentiam.

*Et si quæras*: à quo habet continuari: *Respondeo*, à se ipsa, & causis efficientibus, à quibus procedit.

14 *Probatur tertio*, quia si deberet poni aliquid distinctum à re & actione seu cōseruatione, quod esset duratio rei, maxime quia res est indifferēs vt sit tali vel tanto tēpore: sed hoc non sufficit: ergo nō debet poni duratio distincta à re & actione. Maior probatur, quia in eo consistit principale aduersariorum fundamentum ab *Arriaga* fuse propositum, & confirmatum.

*Probatur minor primò*, quia determinari potest res ad durandum tandiu absque recursu ad modum aut formā distinctam à re, & actione, vt patebit ex solutione obiectionū. *Probatur secundo eadē minor*, quia si proper indifferentiā rei ad existendū vel tādiu vel tādiu, debet aliquid distinctū in ipsa poni, quo determinetur, sequeretur quod deberet poni aliud quid distinctū à re durāte hoc tēpore, ad hoc vt coexistat cuicunque alteri rei, cui coexistit sed hoc est inconueniens: Probatur maior, quia est indifferens ad coexistendum cuicunque tali, quāuis enim res existat pro hora, nō tamē eo ipso debet coexistere alteri rei, quæ existit pro illa hora: ergo vt duratio huius rei coexistat alteri durationi, debet superaddi alia duratio. probatur minor, nempe quod hoc sit inconueniens: quia inde sequeretur maxima ac incredibilis modorū superaddendorum multiplicatio, deberent enim in vna, & eadē re productę esse tot coexistentiæ, quot sunt res, & accidentia, & modi realiter distincti in toto mundo.

15 *Obiicies primo*: si res posset durare à seipsa & actione sine vllo alio superaddito, etiā posset esse in loco à seipsa & actione absque superaddita forma illa, quam vocamus vbi, contra nostram propriam sententiam: ergo nō debet id asseri: probatur sequela à paritate rationis.

*Respondeo*, negando sequelam cum sua probatione, & disparitas est, quod res non habeat necessario esse in loco ex eo, quod producatur, posset enim produci absque eo, quod esset in loco; habet autem durare eo ipso quo producitur, ac conseruatur; vnde vt sit in loco aliquid aliud debet aduenire præter actionem & conseruationem; non debet autem aliquid, præter actionem, ac conseruationem aduenire, vt duret.

*Confirmatur hoc*: quia res potest poni in loco ab aliqua causa, à qua non potest produci, nec conseruari; nō potest autem per actionem vllius durare, nisi illius, qui potest producere & conseruare vt patet; ergo signum est, quod non ponatur in loco per actionem productiuam, aut conseruatiuam, sed per actionem distinctam; quamuis per talem actionem poneretur durans.

16 *Obiicies secundo*: Angelus, v.g. est tam indifferens, vt sit in hoc & illo tempore, ac vt sit in hoc & illo loco: ergo quemadmodum propter illam indifferentiam ponitur vbi distinctum, quo determinatur ad hunc locum potius quam alium, etiam vt ponatur in hoc tempore potius quam alio debet poni aliquid superadditum; illud autem non est aliud, quam duratio: ergo duratio est aliquid superadditum, ac distinctum realiter à re durante.

*Respondeo primo*, negando subsumptum, quia duratio non est illud, à quo res habet esse hoc, vel illo tempore, vt dictum est in prima conclusione.

*Respondeo secundo*, concedendo totum, sed non facit contra conclusionem, quia non dicimus durationem non esse distinctam à re durante, sed eam non esse distinctam à re durante, & actione ac conseruatione eius.

*Dices*: ipsamet actio est indifferens, vt sit hoc vel illo tempore, aut vt duret tantum vel tantum: ergo vt sit hoc tempore, aut vt duret tantum, debet aliquid ipsi superaddi, quemadmodum ipsimet Angelo debet aliquid superaddi vt sit hoc tempore, aut vt duret tamdiu, quia est sic indifferens

*Respondeo*, distinguendo antecedens: ex suppositione, quod causa ipsius sit applicata cum illis circumstantiis, in quibus sequitur actio, nego antecedens: ex suppositione, quod non sit, concedo antecedens, & consequentiam. Itaque actio causæ naturalis determinatur ad hoc, quod sit hoc tempore, & quod tamdiu duret per hoc præcise, quod causa eius ponatur cum omnibus conditionibus requisitis ad agendum in hoc tempore, vel tam diu. Actio autem causæ liberæ similiter determinatur ad esse per volitionem causæ liberæ existentis tali tempore.

17 *Dices iterum* ipsamet causa tam naturalis quam libera est indifferens, vt sit tali vel tali tempore: ergo debet determinari per aliquid aliud.

*Respondeo* primam determinationem prouenire à Deo, qui voluit producere creaturas tali tempore, & nō alio: suppositā autē illa prima productione aliæ determinationes proueniunt à causis secundis concurrente Deo.

*Dices*: ipsæ res primo productæ à Deo sunt indifferentes, vt producantur hoc vel illo tempore, & vt durent tam diu vel tam diu: ergo debent determinari per aliquid aliud.

*Respondeo*, eas determinari per volitionem Diuinam, qua vult eas producere ac conseruari tali ac tanto tempore, vel ab actione distincta ab illa volitione, si detur talis actio.

18 *Dices*: volitionem Diuinam, qua vellet Deus rem conseruare pro vna hora, v.g. non posse distingui à voluntate, qua vellet rem conseruare pro media hora, nisi obiectum vnius ex illis habeat aliquam differentiam ab obiecto alterius: sed nisi illud à quo res haberet durare per horam esset quid distinctum ab ipsa re, & volitione Diuina, non esset aliqua differentia ex parte obiecti vt patet: ergo necessario admittendum est aliquid distinctum à re & volitione Diuina, à qua res, quæ est indifferens, vt duret tam diu vel tam diu, habeat durare tam diu, & non plus nec minus. Hæc est summa difficultas huius rei, ad quam tamen

*Respondeo*, negando antecedens, ex infinitate enim

volitionis Diuinæ oriri potest vt possit circa idem obiectum inuariabile alio,& aliomodo se habere,& obiectū idem potest ab illa habere diuersas denominationes. Quod probo vlterius ; quia Deus potest per eundem actum voluntatis suæ velle producere Petrum, & nolle producere Petrum pro eodem instanti in sensu diuiso;& Petri productio posset consequenter habere denominationem noliti,& voliti ab illa eadem volitione Diuina: ergo similiter posset res habere denominationem durātis per horam,& denominationem durantis per mediam horam ab eadem volitione Diuina,absque vlla variatione ex parte obiecti præter variationem ortam ex ipsamet voluntate Diuina formaliter.

*Dices*, nolitionem habere pro obiecto, negationem productionis, non vero ipsam productionem, & consequenter non esse idem obiectum vtriusque istius actus.

*Contra* : quia non haberet nolitionem negationis, sed potius volitionem:ergo obiectum nolitionis non est illa negatio,sed ipsamet productio, quam nollet.

*Confirmatur hoc*:quia nolitio,& volitio sūt actus essentialiter diuersi non minus quam amor, & odium:ergo non potest fieri quod actus,qui est nolitio, sit volitio, aut è contra : ergo nolitio productionis,non est volitio negationis productionis.

*Rursus* per eundem actum voluntatis suæ potest instituere Regem aliquem, quem actum realiter posset habere absque eo,quod instituat ipsum Regem absque vlla variatione ex parte obiecti, præter variationē desumptā formaliter ab ipsamet volitione Diuina. plura de hac re tractanda sunt in materia de voluntate Dei.

20 *Obiicies tertio*:sequeretur,quod illa res,quę ponitur in prædicamento *quando*,non esset respectus intrinsecùs aduenies:non est enim aliud,quam id, quo coexistunt tempori tali vel tali:sed secundum doctrinam hic traditam non esset aliquid distinctum à productione, & conseruatione rerum, à quo haberent coexistere tempori, vel inter se:ergo non daretur respectus aliquis coexistentiæ pertinens ad prædicamentum *quando*,quod est contra Scotum, & dicta in Logica in eodem prædicamento.

Probabile quod non detur respectus quādo.

*Respondeo*,mihi probabilissimū esse propter hanc ipsā rationem quod non detur ille respectus,*quando*:& quatū ad auctoritatem Scoti dico ipsum posse intelligi sic, vt non voluerit absolute, quod daretur ille respectus ; sed ex suppositione tantum, quod entitas istius prædicamēti esset forma distincta realiter ab actione, & conseruatione tenens se ex parte rei durantis : ex qua suppositione melius fine dubio ponitur esse respectus extrinsecùs aduenies, quam forma absoluta.

21 *Confirmatur* autem hæc sententia:quia si coexistentia ad alias res esset respectus extrinsecùs aduenies,deberet produci per actionē ad se immediate terminatam, aut se ipsa egredi à causa producente rem, vt sic coexistentē:& consequenter causa,quæ produceret rē hodie, deberet simul cum re hodie producta producere tot respectus extrinsecùs aduenientes in illa re, quot sunt res realiter distinctæ in rerum natura,quod absque necessitate maxima dici nequit.

*Deinde* causa producens respectū extrinsecùs aduenientem in vno subiecto,est illa ipsa,quæ causat correlatiuū istius respectus in termino eius : verbi gratia,causa quæ producit in Ioanne coexistentiam ad Petrum producit etiam in Petro coexistentiā ad Ioannem:hoc autem videtur valde difficile,quia sequeretur,quod Ioannes existens Romæ produceret per actionem physicā respectū coexistentiæ in illis, qui sunt in Indiis ; aut si illi respectus non producuntur per actionem, sequeretur, quod respectus illi in India physice egrederētur immediate à Ioanne existente Romæ:quod videtur durum non solū in sententia non admittentium actionem in distans:sed etiam in sententia admittentium, quia non admittunt actionem creaturæ posse naturaliter esse in quacumque distantia,sed concedunt sphærā determinatam actiuitatis cuicumque creaturæ iuxta naturam, & vires eius.

*Respondeo secundo*, negando sequelam : quia quamuis illud,à quo haberet res durare tam diu, non sit quid distinctum à re conseruata& conseruatione : tamen illud à quo res haberet esse coexistens alij rei, esset quid respectiuum,quia denominatio illa coexistentiæ ad aliam rem est relatiua,& separabilis à productione,ac conseruatione rei tanta vel tanta. Angelus enim solus productus posset conseruari in æternum, quamvis nulla alia res creata esset producta, cui coexisteret.

22 *Obiicies quarto pro Complutensibus* : duratio motus distinguitur realiter à motu, & est aliquod accidens ipsius ipsi intrinsece aduenies : ergo & duratio cuiuscumque rei à paritate rationis.

*Respondeo*,negando antecedens, de quo quæstione sequenti. Quod si antecedens esset verum, ideo esset verum, qui aliqua ratio particularis id probaret de motu, quæ non curreret in aliis rebus. Et hoc supposito, quāuis antecedēs esset verum,neganda esset consequentia, & dandum pro disparitate,quod ratio id suadens de motu,non curreret in aliis durationibus.

*Obiicies quinto*:prius est rem existere, quam durare:ergo duratio habet se vt accidens respectu existentiæ,seu rei existentis:probatur antecedens, quia existentia est magis intrinseca rei,quam duratio.

*Confirmatur*,quia duratio Dei intrinseca,nempe æternitas,solum distinguitur virtualiter eminenter ab essentia,& esse diuino;ergo in creaturis duratio earum distinguetur actu ab illis etiā vt existentibus. Probatur cōsequētia,quia distinctio virtualis,quæ est in Deo inter esse eius,& attributa,sumitur ex distinctione reali,quæ est in creaturis inter similes rationes,vt distinctio virtualis sapientię & iustitiæ desumitur ex distinctione reali,quæ est inter sapientiam creatam, & iustitiam creatam.

23 *Respondeo*,distinguendo antecedens : prius est rem existere,quam durare,capiendo durationem,prout extēditur ad durationem instantaneā, nego antecedens, ab eodem enim habet formaliter recipere existentiam & durationem:& si duratio sit formaliter existentia, non est magis intrinseca vna, quam altera;si vero duratio sit actio productiua, aut conseruatiua, quamvis magis sit intrinseca existentia quam actio,non sequitur quod duratio sit accidens distinctum ab actione & conseruatione:nos autem solum contendimus non esse aliquod accidens ab his distinctum;& Complutenses volunt,quod sit accidens ab his distinctum.

*Respondeo secundo*,negando consequentiam, quia licet sit prius,hominem esse rationalem, quam resibilem,nō sequitur,quod risibilitas sit accidens distinctum realiter ab homine;ergo quamvis prius esset hominem existere quam durare,non sequitur vi formæ,quod duratio sit accidens distinctum realiter ab homine.

*Respondeo tertio*, distinguendo consequens:vt accidens distinctum ab actione,& conseruatione,nego ; vt accidens identificatum realiter illis;transeat consequentia: nec hoc sufficit Complutensibus,aut officit nobis.

24 *Ad confirmationem respondeo primo* negando consequentiam:ad cuius probationē,nego ex sola distinctione reali rerum creatarum argui distinctionem virtualē aut formalem in diuinis:nam talis daretur distinctio inter intellectum diuinum,& voluntatem diuinā,quę tamen in creaturis secundum meliorem Scoti sententiam non distinguūtur realiter. Quod si solummodo ex distinctione reali creaturarum infertur distinctio virtualis in Deo, petunt Complutenses principiū,dum dicunt dari distinctionem virtualem inter esse diuinum,& durationē;aut probant ignotum per æque ignotum, quia tam ignotū erit dari illam distinctionem inter esse diuinū & æternitatem, quam dari distinctionem realem inter durationem creatam,& existentiam creatam, vt patet.

*Respondeo secundo* distinguendo consequens : distinguitur actu ab illis,vt existentibus,& actione,& conseruatione earū,nego consequentiā:ab illis solis,non connotatis actione,& conseruatione, concedo consequentiā: sed non est contra conclusionē, nec inde sequitur quod duratio sit accidens aliquod distinctum ab actione, &

conserua

conseruatione, & intrinsece afficiens rem existentem. *Scotistæ* communiter, vt dixi, conueniunt in hac conclusione, nimirum quod nihil requiratur, vt res duret, quam ipsamet res cum actione productiua, & conseruatiua. Sed *Magistri* tamen dicit ipsammet existentiã esse formaliter durationem. Et si opponatur ipsi quod existentia possit esse absque eo quod duret per horam aut annum; Respondet hinc sequi solummodo, quod duratio vltra existentiam, quam per se primo formaliter dicit, importet per modum connotati aliquid aliud; & explicat illud aliud esse respectum coexistentiæ alicui durationi imaginariæ, qui est respectus rationis.

Verum, quidquid sit, an duratio formaliter, & per se primo sit sola existentia rei, licet præterea dicat cõnotatiue, & secundario aliquid aliud, nempe actionem aut cõseruationem, aut respectum aliquem: an vero per se primo sit ipsamet actio seu conseruatio: an denique dicat per se primo vtrumque, & existentiam, & actionem seu conseruationem: quidquid inquam sit de hoc, quod parui prorsus momenti est; cum sufficiat ad cognitionem realé durationis scire, quot, & quæ realia requiruntur ad hoc, quod res duret; nullo modo placet illud de respectu rationis: neque enim duratio, à qua realiter res durat, potest dependere, etiam tanquam à connotato, à respectu rationis: quamuis enim nullus esset intellectus possibilis, nec consequenter vllus respectus rationis esset possibilis adhuc res possent durare, & vna res magis, quam altera: ergo impertinens est ad rationem durationis realis omnis talis respectus.

26 *Confirmatur*: quod vna duratio realis connotet respectum aliquẽ rationis, quem non connotet alia duratio, non oritur præcise ex operatione intellectus absque fundamento aliquo ex parte durationis, alias vna duratio haberet esse maior altera per hoc præcise quod cõsideratur ab intellectu maior altera; aut per hoc quod fingeret intellectus aliquem respectum in vna, quem non fingeret in altera, quo nihil est absurdius: ergo debet ad illum respectum præsupponi aliquod fundamentum reale, ratione cuius sit talis in vna, qualis non est in altera: sed illud fundamentũ non est ipsamet existentia præcise absque aliquo alio reali distincto: ergo debet aliud connotatum distinctum ab illo respectu assignari pro durationes: sed illud solũ sufficit, vt res à parte rei duret tãdiu, vel tamdiu: ergo non requiritur respectus ille rationis, vt res dicatur durare à parte rei, quidquid sit, an requiratur, vt intellectus intelligat rem durare tamdiu vel tamdiu: Quod argumentum mihi videtur conuincere intentum, non solum intelligendo per respectum rationis respectum aliquem, qui fingeretur ab intellectu, sed etiam illum, qui esset à parte rei independenter ab intellectu, & vocaretur rationis, non quod haberet esse à ratione, sed quia non haberet terminum realem.

## CONCLVSIO VLTIMA.

*Duratio adæquate diuiditur in æternitatem, æuum & tempus.* Hæc est communissima, & *probatur* quia nulla est duratio, quæ non sit vel rei permanentis, id est existentis secundum omnes suas partes simul; vel rei successiuæ, id est non existentis secundum omnes suas partes simul, vt est motus successiuus. Si sit duratio rei successiua, erit tempus, si rei permanẽtis, vel rei permanentis carentis principio & fine, & est æternitas; vel est duratio rei permanentis carentis principio siue careat fine, siue non, & est æuum: ergo nulla est duratio, quæ non spectet ad aliquã ex his tribus, & consequenter duratio vt sic adæquate diuiditur in illas. Nõ nego tamen quin ex his tribus duratio, quæ est æternitas, posset diuidi in illã, quæ est talis ex natura sua intrinseca necessario sine dependentia, qualis est æternitas propria Dei; & illam quæ non est talis sine dependentia à causa efficiente extrinseca, qualis esset æternitas, quæ cõpeteret creaturæ, si produceretur à Deo aliqua creatura ab æterno, & conseruaretur in æternũ; quæ vocatur æternitas participata. *Rursus*, æternitas participata potest diuidi in illã, quæ caret principio & fine, & illam quæ caret principio, sed non caret fine, qualem haberet Angelus productus ab æterno; & destructus hodie. *Præterea*, æuum potest diuidi in durationẽ rei permanentis habentis principium & carentis fine, qualis est duratio quam habent Angeli, & animę rationales, & secundum aliquos corpora cælestia; & illam quæ habet principium & finem, qualis est duratio rerum permanentium, quæ corrumpuntur, ac destruũtur de facto, vt ignis, caloris, brutorum, hominum in mundo degentium. Sed de æternitate, & æuo fusius agi solet in Theologia, hic pauca de Tempore subiungere sufficiet.

## QVÆSTIO II.

*Quid est tempus?*

28 DVplex considerari solet ab authoribus Tempus, vnum intrinsecum, alterum extrinsecum. Tempus *intrinsecum* est *duratio rerum successiuarum*, vt duratio motus localis, quo quis ab vno loco ad alium locum se conferret: quemadmodum enim æuum, & æternitas est intrinseca duratio rerum permanentium, ita tempus intrinsecum est duratio rerum successiuarum. Tempus *extrinsecum* est *numerus motus secundum prius, & posterius*, pro vt communiter explicatur id est, quod est aptum natum declarare, & certificare nos de duratione intrinseca motus, itavt per ordinem coexistentiæ motus ad illud possimus scire, quamdiu durauit motus. & quinam motus alio diutius durauerit. De vtroque hoc tempore aliquot hic difficultates expediemus, ex quarum solutione vtriusque natura melius percipietur.

## CONCLVSIO I.

29 *Tempus intrinsecum non distinguitur realiter à re successiua, vt successiua est, cuius tempus dicitur esse duratio intrinseca: v.g. Tempus intrinsecum, seu duratio intrinseca motus, quo nauis mouetur ex Hibernia in Angliam, seu Sol ab oriente ad occidentem, non distinguitur realiter ab ipso motu.* Hanc insinuat *Scotus 6. metaph. q. 10 2. d. 2 q. n. 8.* sed longe expressius in opere de rerum principio *q. 28.* nuper reperto, ac inter opera Scoti excuso. Est autem contra *Thomistas*, ac illos, qui putant vniuersaliter durationem creatam esse modum superadditum existentiæ rei durantis: & nominatim contra *Complutenses hic q. 3. Camerarium q. 22.* qui multos Scotistas pro se citat.

*Probatur*: quæ distinguuntur realiter, aut possunt realiter separari, aut subiectantur in diuersis subiectis, aut ex illis vnum producitur realiter ab altero: sed idem numero motus nequit separari realiter à duratione sua intrinseca, aut hæc ab illo; nec alterum ab alio causatur realiter, nec subiectantur in diuersis subiectis: ergo non distinguuntur realiter.

*Confirmatur*: quia nulla est necessitas ponendi durationem distinctam realiter à motu: ergo non est ponenda: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

*Confirmatur secundo*: quia duratio rerum permanentiũ non est quid intrinsecum ipsis, & realiter distinctum, vt patet ex dictis: ergo nec duratio rerum successiuarum, à pari, vel à potiori: quia res permanens videtur magis indifferens, vt duret diuersis durationibus, quam res successiua, vt successiua.

30 *Obiicies primo*: Idem motus potest esse duplo velocior, vt si primum mobile spatio duodecim horarum circũiret orbem, quem de facto non circumit, nisi viginti quatuor horis; potest etiam esse duplo tardior, vt si quadraginta octo horis eũdem conficeret circuitum: sed idem tempus non potest esse velocius, aut tardius, quàm semel est; alias ex coexistentia aliquorum ad idem tempus non posset colligi, quod æque diu durarent: ergo tempus distinguitur realiter à motu.

*Confirmatur*: quia potest contingere, vt duo motus sint inæquales in partibus suis, & æqualis durationis: ergo duratio distinguitur à motibus illis, & consequenter tempus intrinsecum. Probatur antecedens: quia motus Solis per orbẽ posset esse æqualis durationis cũ motu lapidis à S. Petro ad S. Ioannem Lateranensem, v.g. si lapis tam tarde moueretur, vt nõ perficeretur motus eius, nisi vigintiquatuor horis: sed nõ posset habere tot partes, quot haberet motus Solis, cũ non percurreret tantum spatij.

Probatur etiam consequētia: quia si duratio non distingueretur, deberet habere tot partes, quot haberet motus, & sic duæ durationes æquales nequirent esse in motibus inæqualibus, seu inæqualium partium.

*Confirmatur secundo*: aliæ sunt proprietates motus, & aliæ temporis, seu durationis motus: ergo distinguuntur realiter: Probatur antecedēs: quia proprietas motus est, quod sit tardus, vel velox; hoc autem non est proprietas temporis; sed quod sit longum vel breue.

31 *Respondetur* negando maiorem: quamuis enim idem spatium possit velocius aut tardius percurri, tamen non eodem numero motu, vt motus dicit successionem talem vt talem; vt sic autem tempus non distinguitur realiter ab illo. Itaque in motu possumus considerare & acquisitiones particulares termini ad quem fit v.g in motu locali vbi particularia intrinseca, quibus fit corpus successiue præsens spatio per quod transit, & possumus etiam considerare moram illam quam faciunt istæ acquisitiones, seu ista vbi partialia in succedendo sibi inuicem; si autem per motum intelligeretur aggregatum ex istis acquisitionibus absque successione, sine dubio tempus distingueretur realiter à motu: quia motus sic acceptus posset esse in instanti, quidquid enim acquiritur per motū vnius horæ ad calorem, posset acquiri in instanti, saltem supernaturaliter: sed si per motum intelligeretur, vt certe debet intelligi, loquendo de motu ptoprie dicto, qui est successiuus, nō aggregatū ex illis acquisitionibus quomodocumque, sed aggregatum ex illis & ex successionibus particularibus etiam, quas illæ acquisitiones habent inter se, tempus nō distinguitur realiter ab illo.

32 *Si autem quæras*, à quo habeant istæ acquisitiones, quæ possunt esse simul, non esse simul, sed succedere sibi inuicem, & aliquando quidem cum minori mora, aliquando cum maiori.

*Respondeo*, quod efficienter habeant hoc à causa efficiente motum, & impedimentis, aliisque conditionibus concurrentibus, formaliter autem habent hoc à se ipsis suppositа actione tali, quali producuntur; saltem nihil aliud requiritur realiter, vt sit talis successio inter illas quam quod tali actione à tali causa in illis circumstantiis proueniente producantur.

*Per hoc patet ad confirmationem*, cuius antecedens est distinguendum: potest contingere vt duo motus, quorum partes sunt inæquales, quantum ad acquisitiones, quas motus importat, sint æqualis durationis, cōcedo antecedens; vt duo motus inæqualium partium, quantum ad successionem, quam vltra istas acquisitiones motus importat, sint æqualis durationis, nego antecedens, & similiter distinguo consequens: ergo duratio distinguitur à motu, in quantum dicit istas acquisitiones, concedo consequentiam; in quantum dicit successionem, nego consequentiam.

33 *Ad secundā confirmationem respondeo primo*, negando consequentiam, quia possent habere diuersas proprietates formaliter, & essentialiter, quamuis distinguerentur solum formaliter, vt habet intellectus & voluntas.

*Respondeo secundo*, distinguendo antecedens; quatenus motus includit tot partes quæ succedunt sibi inuicē, cōcedo antecedens; quatenus includit tot partes ipsiusmet successionis, nego antecedens: & similiter distinguo probationē antecedentis: quatenus motus includit illas partes quæ succedunt sibi inuicē, cōcedo, quatenus dicit ipsam extensionē successionis, secundū quā potest coexistere tanto vel tanto tēpori extrinseco, nego antecedēs.

Itaque motus dicitur tardus vel velox precise, quatenus partes formæ, quæ acquiruntur per motum, citiùs vel lentius acquiruntur quam alias possent acquiri, aut quam tot partes acquisitæ per alium motum acquiruntur; sub hac autem ratione non habet rationem temporis intrinseci aut durationis, sed quatenus habet tandiu durare aut tamdiu.

*Obiicies secundo*, secundum Augustinū 11. *Confess. c.* 24. motus non est tempus, quia fit in tempore: quæ etiam ententia videtur Philosophi variis in locis hoc libro. *Respōdeo primo*, Augustinum ac Philosophum loqui de tempore extrinseco, quo mensuratur motus, & in quo dicitur motus fieri; non verò de tempore intrinseco.

*Respondeo secundo*, eos intelligi posse optime in sensu formali, sic vt velint quod tempus non sit formaliter idem quod motus: quod est verum; sed non sequitur, quod tempus & motus non sint realiter idem. Quod autem motus & tempus formaliter distinguantur, patet, quia motus consideratur in ordine ad formam, quæ acquiritur: tempus vero in ordine ad quantitatem durationis, quam habet motus.

## CONCLVSIO II.

34 *Tempus extrinsecum est necessario quid successiuum.* Hæc est *Doctoris in 2.d.2.q.3.* quem præter suos sequitur *Suarez disp.50.met.sect.5. Vasquez 1.p.d.34. c.2.* Tempus extrinsecum est necessario quid successiuum.

*Probatur*: quia nihil, nisi successiuum potest mensurare nobis quantitatē motus, hoc est certificare nobis, seu certiores nos facere de extensione durationis eius: sed tempus extrinsecum est id, quod potest mensurare motum: ergo nihil præter aliquid successiuum potest esse tempus extrinsecum.

*Cōfirmatur*: quia ex coexistentia motus ad quid permanens, vt sic, non potest cognosci, an vnus motus magis durauerit, aut minus quam alius, imo quam motus instantaneus, quia hic etiam posset eidem rei permanenti coexistere: ergo res permanens nequit esse mensura motus, quatenus permanens, & cōsequenter res permanens nequit esse tempus extrinsecum, sed necessario pro tali tempore requiritur quid successiuum.

*Dices*, ex coexistentia motus ad æternitatem, quæ est quid indiuisibile & permanens, posset cognosci, quamdiu duraverit, ex eo scilicet; quod longius, vel breuius coexiterit illi.

*Contra*, quia non possemus scire, quod lōgius vel breuius coexisteret æternitati, nisi quatenus compararemus æternitatem alicui successiuo: ergo æternitas ex se non certificaret nobis quanta esset duratio motus; sed tantū ratione successiui, cui compararetur. Quod autem duratio permanens, vt coexistens alicui successiuo possit habere rationem temporis extrinseci, non est nec incōueniens, nec contra conclusionem, quæ solum loquitur de eo, quod potest per se esse tempus, & ratione alterius, & de necessitate successiui ad tempus, ita vt nihil possit esse tempus, nisi vel successiuū vel aliquid coexistens successiuo, vt coexisteus ipsi. Hoc modo autem explicata conclusione, credo eam esse cōmunem: & saltem non est contra *Auersam quæst. 29. sect.7.* quamvis citetur pro oppositо ab aliquibus.

## CONCLVSIO III.

35 *Motus quicumque successiuus præsertim finitus est tempus extrinsecum particulare: motus vero primi mobilis est tempus extrinsecum vniuersale.* Hæc est communis, quia omnis motus successiuus, præsertim finitus, potest certificare nobis quātitatem alterius motus: ergo omnis talis est tempus extrinsecum, quia per tempus extrinsecum nihil aliud intelligimus, quam id, quod potest nobis declarare quandiu durauit motus aliquis. Dixi *præsertim si sit finitus*: quia supponitur communiter quod mēsura debeat esse certa & limitata, qualis nō videretur esse motus etiam infinitus. Sed certe motus etiā infinitus posset mensurare nobis quantitatem alterius motus infiniti, ita vt quicumque cognosceret vnum motum esse infinitum, posset etiam eo ipso cognoscere, quod alius motus semper coexistens ipsi debeat esse infinitus. Motus omnis successiuus potest esse tempus.

*Probatur secunda pars conclusionis*: quia illud est tempus vniuersale, quo communiter omnes homines vti solent ad mensurandas durationes rerum: sed illud est motus primi mobilis, & hinc iste motus est diuisus ad hominum commoditatem in horas, dies, menses, annos; & motus qui coexistit vel coexistere potest vigesimæ quartæ parti motus, quo voluitur primum mobile circa terram, dicitur durare per horam; ille vero, qui coexistit motui eius circa terram, dicitur durare per diem ac noctem, seu per viginti quatuor horas. Motus omnis successiuus potest esse tempus.

*Et si quæratur*, cur iste motus sit tam vniuersaliter aceptus.

*Respondeo*

*Respondeo*, quia est valde regularis, inuariabilis, ac notus omnibus, nec alius aptior assignari potest, quod deberet assumi.

*Et si quæras* præterea: cur motus Solis ipsius non dicatur esse tempus vniuersale? *Respondeo* secundum communiorem sententiam, de qua tamen in libris de Cælo, Solem habere duos motus, vnum proprium, & alterum ratione alterius. Proprius autem motus non est tam notus, quam motus illius ratione alterius, qui est ille motus, quem habet ratione motus primi mobilis, & coincidit cum motu illo primi mobilis; vnde motus primi mobilis potius pro tempore vniuersali acceptari debebat quam motus Solis, nempe proprius.

*Obijcies* contra primam partem: si quicumque motus posset esse tempus, vnum tempus posset mensurari alio tempore: vnus enim motus potest mensurari alio motu; sed hoc videtur inconueniens.

*Respondeo* negando minorem: sicut enim vna vlna, quæ est mensura panni, potest mensurari per aliam vlnam; ita vnum tempus, licet esset mensura alterius, potest tamen per aliud mensurari absque inconuenientia.

## CONCLVSIO IV.

Tempus extrinsecum est quid reale.

37 *Tempus extrinsecum est quid reale, & nullo modo necessario indigens entis rationis, neque tanquam rationis formalis, neque tanquam complementi.* Hæc est communior, & vix in re ipsa potest esse controuersia, quamvis aliqui autores aliter videantur loqui.

*Probatur prima pars*: quia motus est ens reale: res enim realissime nouentur, vt euidens est: sed tempus realiter identificatur motui: ergo erit quid reale.

*Confirmatur*; quia motus realis habet ex natura sua posse certificare intellectum de extensione durationis rerum; sed quod hoc habet facere, est tempus: ergo tempus est quid reale.

*Dices*, non posse certificari intellectum per motum, nisi intellectus aduertat ad coexistentiam rei, de cuius duratione redditur certus, cum motu; ergo tempus dependet ab aduertentia intellectus, vt certificet, & consequenter licet habeat rationem mensuræ remotæ absque intellectu, non tamen rationem mensuræ proximæ. Sed quando dicitur, quod tempus sit mensura motus, id debet intelligi de mensura proxima, non de remota: ergo tempus non est quid reale, quod enim dependet ab intellectu aduertente & considerante, non est quid reale, sed rationis.

*Respondeo*, quidquid sit de subsumpto, quod posset negari tanquam gratis assertum: cur enim potius de mensura proxima, quam de remota id debet intelligi? sed quidquid sit inquam de hoc,

*Respondeo* negando vltimam consequentiam cum sua probatione. Itaque quamvis tempus extrinsecum vltra motum diceret formaliter aduertētiam intellectus, sicut res cognita dicit formaliter cognitionem, tamē cum illa aduertentia sit quid reale, tempus etiam sic acceptum erit quid reale, non minus quam cognitum vt cognitum, & visum vt visum.

38 *Hinc probatur secunda pars conclusionis*: nō indiget tempus aliquo ente rationis vlla ratione, nisi quatenus indiget aduertētia intellectus, seu applicatione eius: sed posset indigere hoc absque eo quod indigeat ente rationis, sicut potest habere hoc absque eo, quod accedat ipsi ens rationis: ergo nulla ratione indiget ente rationis.

*Confirmatur* per omnia illa, quibus in Logica probauimus non necessario sequi entia rationis ad denominationes extrinsecas.

*Ex quo etiam patet*, quod quamuis tempus vniuersale dependeret ab intellectu, quantum ad distributionē determinatā eius in tales vel tales partes, verbi gratia, in horas, dies, menses, annos, quod adhuc non diceret ens rationis, quia haberet illam denominationē ab actibus realibus intellectus ac voluntatis, absque eo, quod esset necessarium fingere, aut concipere aliquid realiter impossibile.

39 *Obijcies*: tempus est compositū ex partibus successiuis vt successiuis, atque adeo talis naturæ, vt implicet vllam partem eius simul existere, & multo minus totum tempus: ergo non est quid reale. Probatur consequentia: quia illud non est reale, quod neque secundum partem sui, neque secundum totum vnquam existit, aut existere potest.

*Confirmatur*: tempus componitur ex præterito & futuro: sed nec præteritum est realiter existens, nec futurum; nec vt sic possunt existere: ergo nec tempus.

Hæc obiectiō æquè probaret motum successiuum non esse quid reale, contra omnem experientiam & rationē; vnde sicut id non probat; nec probare poterit, quod tēpus non sit quid reale. Tolleretur autem difficultas eius, si diceretur tempus componi ex indiuisibilibus vltimatē sibi inuicem succedentibus, quia omnis pars vltimata ipsius aliquando existeret.

*Sed respondetur* independenter ab illa sententia, negando consequentiam, cum suppositō probationis; tantum enim tempus existit, & secundum se totum, & secundum omnes partes, sed successiue tamen & non simul. Sicut enim res permanens debet posse existere secundum omnes partes simul, & res indiuisibilis nequit existere secūdum successionem partis ad partem, quia hoc esset contra rationem, ac naturam ipsius: ita etiam res successiua, vt successiua, non debet existere secundum partes simul, quia sic non esset successiua. Itaque motus hodiernus existit hodie realissime, & externus extitit realiter heri, & futurus existet realiter postea, & possibilis potest existere, non tamen pro vllo instanti.

40 *Ad confirmationem respondeo*, negando, quod omne tempus componatur ex præterito & futuro; nam ipsum præteritum non includit aliquid futurum, nec futurum includit aliquid præteritum: solum ergo tēpus aggregatum ex præterito & futuro componitur ex præterito & futuro, & illud ipsum est reale, quia præteritū fuit realiter, & futurum erit realiter. quod si sensus antecedentis sit, quod tempus componatur ex partibus, quarum vna necessario est prior, & altera posterior; & consequenter quarum vna, id est prior, debet esse præterita, quando aduenit altera, quæ est posterior, & quarum vna, id est posterior, debet esse futura, quādo altera, id est prior est præterita, concedo antecedens, sed nego consequentiā: quia hoc non obstante potest esse quid reale, quandoquidem, & illa pars præterita sit præterita realiter, & pars futura sit realiter futura.

*Alij respondent*, tempus esse reale ratione instantis realis, quod partes ipsius copulat, & quod existit realiter: sed sane ipsæ partes temporis non essent reales, nec instans temporis copularet illas; nec esset verum, quod tempus realiter existeret, quamuis instans ipsius existeret, præsertim cum instans non sit pars temporis, quod si partes temporis sint reales, ipsum tempus conflatum ex illis, vt conflatum ex illis erit reale absque eo, quod sit recurrendum ad instans eius, vt ab eo sumat denominationem realitatis.

*Addo*, quando quæritur, an tempus sit reale, non esse quæstionem, an sit reale per denominationem desumptam ab aliquo, quod non est tempus, nec pars temporis: sed an secundum entitatem suam propriam, & secundū suas partes sit reale. Huic autem quæstioni non satisfacit responsio illa de instanti, vt patet; vnde reuera non est ad propositum.

*Alij dicunt*, partem aliquam proportionalem indeterminatam temporis simul existere; sed cum illa pars debeat esse successiua, ac includens prius ac posterius, implicare videtur, quod secundum se totam simul existat. Itaque in nostra responsione, quæ est satis communis, sistendum est. Et hæc de hoc libro difficili sufficiant ad Dei gloriam.

# LIBER VI.

# PHYSICORVM.

SIcvt libro quinto egit Philosophus de vnitate numerica & specifica motus, ita hoc libro agit de partibus integralibus, ex quibus integratur, & fit vnum continuum, seu vnum quid integratum, & constitutum ex partibus inter se continuatis.

## DISPVTATIO XVIII.

## DE CONTINVO.

QVia omnes difficultates, quæ sunt de motu, quantũ ad hoc æque concludunt de quocumque continuo; propterea consultius est quæstiones proponere de continuo vt sic.

### QVÆSTIO I.

*An dentur partes actu in Continuo?*

2 PEr *Continuum* intelligitur hic quodcumque compositum ex pluribus partibus integralibus continuatis inter se ac vnitis physice sic, vt vna pars non possit moueri motu progressiuo, quin cæteræ partes, cum quibus continuatur, etiam moueantur, nisi ablata vnione discõtinuentur, & per hoc facile distingui possunt ea, quæ cõtinuantur, ab ijs, quæ contiguantur, nam hæc, nempe contigua, sunt, quæ tangunt se inuicem absque vnione physica & quorum propterea vnum moueri potest localiter, immoto altero; vnde nec cõstituunt vnum quid nisi per aggregationẽ: ex quo patet bene distinxisse Philosophum continua & contingua, quod, quę continuantur, faciunt vnum quid, quæ vero contiguantur, non faciunt vnum.

*Prima sententia* est in continuo non dari partes actu realiter distinctas, sed solũ in potentia, ante designationem, quæ fit per intellectum, aut per aliqua accidẽtia distinctæ rationis. Hanc tenent aliqui recentiores citantes pro se *Simplicium*, *Auerroem*, *D. Thomam*, *Durandum*, *Capreolum*, *Gregorium*, quos tamen ab hac sententia vindicant alij. *Cameracius* 2. *p. q.* 18. absolute ait partes non esse inter se actu distinctas in cõtinuo; sed id explicat sic, vt idem sit, ac partes in continuo non esse actu secundum multitudinem realem, licet sint actu secundum entitatem suam, & eam sententiam putat esse *D. Thomæ*, *Scoti*, & antiquorum communiter.

*Secunda sententia* est reuera dari in continuo plures partes actu realiter distinctas ante omnem designationem per quodcumque extrinsecum factam. Hæc est sine dubio communissima cum *Scoto in* 2. *d.* 1. *q.* 3. *ac* 4. *d.* 12. *q.* 4. *& D. Tho.* 5. *met. c.* 1. 2. *lect.* 15. quos præter suos sequuntur *Conimbricenses*, *Ruuius*, *Suarez*, *Hurtadus*, *Auersa*, *Arriaga*, *Complutenses*.

### CONCLVSIO

2 *Dantur in continuo quolibet plures partes actu, quæ ante omnem designationem factam per extrinsecum quodcumque distinguuntur realiter.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam, quæ tam absurda *Hurtado* visa est, & sane merito, vt propterea dixerit nullam esse fœditatem sine amatore, nec fatuitatem sine patrono.

*Probatur prima pars primo*, ex descriptione continui data à Philosopho, nempe quod sit *illud, quod componitur ex partibus copulatis termino communi, ac facientibus vnum*: ergo habet partes actu, quod enim actu componitur habet actu partes, ex quibus componitur.

*Confirmatur* ex definitione, quam dat Philosophus, Quantitatis, quod sit *diuisibilis in ea, quæ insunt*: ergo quantitas habet actu partes in quas potest diuidi, secundum Philosophum.

*Respondet Cameracius*, solũ velle Philosophum, quod in continuo sint partes assignabiles.

*Contra*: quia si nõ essent ibi partes actu, non essent ibi assignabiles, assignari enim in aliquo vere nequit, nisi quod est in ipso actu.

*Idem ad confirmationem respondet*, solum haberi, quod in continuo sint partes, quoad entitatem, non vero quoad distinctionem.

*Contra*: quia eo ipso, quo habent entitates actu, habent actu quod vna non sit altera, & consequenter, quod sint distinctæ.

*Probatur secundo*: quia totum actuale in hoc distinguitur à toto partiali, quod hoc non habet partes actu, illud vero habet: sed continuum est totum actuale: ergo habet actu partes.

*Confirmatur*: quia totum, vt totum, dicit ordinem ad partes, ergo totum actuale ad partes actuales, & consequenter, quod est totum actuale, habet partes actu.

*Confirmatur*: quia ridiculum est dicere, quod Petrus, v.g. non habeat actu manus, pedes, caput: ergo continuum habet actu partes.

*Aliqui respondent*, continuum conflatum ex partibus heterogeneis habere partes actu, non vero quod componitur ex heterogeneis.

*Sed contra*: quia tam ridiculum est, Oceanum non habere actu plures amphoras aquæ, quam vnum dolium aquæ, ac Petrum non habere actu manus, & pedes: ergo etiam continuũ homogeneum habet actu partes. *Deinde* eadem est ratio de continuo heterogeneo, ac homogeneo quantum ad hoc: propterea enim homogeneum non haberet actu, quia vniuntur, & ipsum est vnum quid: sed partes heterogeneæ etiam vniuntur, & ipsũmet est vnum quid: ergo idem de vtroque dicendum.

*Probatur tertio*: quia quando continuũ diuiditur, vel diuiditur in partes, quas habet, aut quas non habet. Secundum dici non potest; neque enim partes, quas nõ habet, sunt eius partes: ergo dicendũ est primum, & consequenter fatendum, quod cõtinuum habeat actu partes.

*Confirmatur primo*: quia alias, qui diuideret partes ligni produceret illas, quod est absurdum.

*Confirmatur secundo*: quia duæ aquæ ante continuationem erant partes continui in potentia: ergo post continuationem erunt partes actu continui.

*Confirmatur tertio*: quia inter duas aquas, quæ erant discretæ, & postea continuantur, vel datur vnio realis, vel non datur; si datur: ergo dantur & ipsæ entitates aquarum actu; sed neutra ex ipsis est totum continuum: ergo est pars cõtinui, & cõsequẽter dabitur pars actu in continuo. Si nõ datur; ergo istæ aquę erunt iam actu post continuationem, sicut erant ante, quod implicat.

*Probatur secunda pars Conclusionis*: quia vna ex partibus continui potest esse à parte rei sine altera, & è cõtra ergo distinguentur realiter ante omnem designationẽ, quæ fieret per intellectum vel per aliquid extrinsecum ipsis.

*Probatur secundo*: quia duæ aquæ continuatæ antequam vniantur, erant distinctæ realiter: ergo & postquã vniuntur; quæ enim semel distinguuntur realiter, non possunt vlla virtute identificari.

*Confirmatur*: quia per continuationem nihil tollitur ab ipsis, nisi quod tollitur per vnionem suam ad inuicem, quã solum, vt continuẽtur, requirunt habere; sed per illã vnionem non tollitur distinctio quã habent, vt vna nõ sit altera, alias tolleretur ipsamet vnio, quia ipsa vnio nõ potest esse realis inter aliquas, nisi quorum vnum non sit alterum.

*Confirmatur secũdo*: quia vnio realis producta de nouo per actionem realẽ requirit extrema realiter distincta: ergo istæ duæ aquæ, si sint sic vnitæ realiter (pro vt esse debent, vt continuentur) distinguuntur realiter.

*Confirmatur tertio*: quia materia, & forma, non obstante vnione sua ante omnem designationem, & sunt duæ entitates & distinguuntur realiter: ergo duæ aquæ non

obstante

obstante vnione sua, & erunt duę entitates & distinguentur realiter: eadem enim prorsus est ratio.

*Confirmatur quarto*, duæ illę entitates aquæ per continuationem non perdunt suam entitatẽ: ergo non obstãte continuatione habẽt suas entitates: ergo & distinctionem, quia hęc est proprietas cuiuscumque entitatis.

*Probatur tertio*: aqua, quæ augetur, habet aliquid actu, quod non habuit antecedẽter, antequã augebatur, alias non augeretur; seu, quod idẽ est, aliquid actu accessit ipsi, quod non habuit ante: sed illud, quod accessit, nõ est tota aqua: ergo est pars aquę, & consequẽter habet actu iã illam partem simul cum entitate antecedente; sed illa pars est realiter distincta ab entitate antecedẽti, quãdoquidẽ entitas antecedens fuerit existens in rerum natura sine illa parte, quod est euidentissimum signum distinctionis realis: ergo habet partes realiter distinctas.

4 *Probatur quarto*, specialiter contra *Camerarium*: secundum ipsum partes secundum suam entitatẽ sunt actu in continuo: ergo & secundũ multitudinem. Probo consequentiam, quia illa habent multitudinem realem actu quæ habent multas entitates realiter distinctas: sed si sũt in cõtinuo partes actu secundũ entitatẽ, erunt ibi multę entitates realiter distinctæ; ergo erunt in cõtinuo partes actu secundum multitudinem. Probatur minor: quia entitas accedẽs de nouo est actu in aqua aucta, & illa distinguitur realiter ab entitate, cui accessit; ergo in illa aqua sunt plures entitates realiter distinctæ, & consequẽter multæ entitates, quia per multas entitates nihil aliud intelligimus quam plures entitates.

*Camerarius* quidem in solutione argumẽtorum videtur hanc difficultatem reducere ad quęstionem de nomine: nam videtur intelligere per partes distinctas actu, partes non vnitas actu, & hoc supposito certum est quod continuum non cõponatur ex partibus actu distinctis. At nos contendimus tantum partes in continuo actu sic distinctas, vt vna ex ipsis sit entitas actualis, quæ possit existere absque eo quod existat altera; & hoc plane cõuincunt prędictæ probationes, & in hoc sensu solũ ventilanda est hæc controuersia vt sit realis; nam in alio sensu Camerarij esset tantum de nomine; & in hoc etiam ipso ille peiorem partem habet; tum quia minus communem; tum quia compositum physicum habet partes suas actu distinctas, secundũ omnes non obstante vnione sua, & caput hominis dicitur esse actu distinctum à pede: ergo & partes continui non obstante vnione sua debent dici actu distinctæ.

*Probatur vltimo* conclusio generaliter: quia ideo negant aduersarij partes in continuo actu, & concedunt eas solum in potentia ad vitandas difficultates nostræ, & communis conclusionis: sed vel eæ difficultates non sunt vllius momenti, vel si quæ sunt, etiam premunt ipsosmet: ergo sine fundamento negant illas partes.

5 *Obiicies primo* secundum Philosophum 8. *Physicorum* & alibi sæpe, partes continui non sunt in ipso actu, sed potentia.

*Respondeo* per hoc eum velle quod non sint in continuo actu diuisę, & discontinuatæ à se inuicem, quemadmodum partes contiguæ, à quibus propterea per hoc distinguit Philosophus partes continui.

*Dices cum Camerario*: si quando Philosophus dicit respondendo ad argumentum *Zenonis*, motum posse pertransire quantitatem, quia in illo non sunt infinita actu, hoc intelligeretur de infinitis actu, quantum ad diuisionem, non tolleret vim argumenti, quia tam difficile est pertransire infinita actu non diuisa; quam diuisa: ergo sic nequit intelligi.

*Respondeo primo* eodem modo non soluendam obiectionem Zenonis, etiãsi intelligeretur de infinitis in potentia, quia tam difficile est motum pertransire actu infinita in potentia, quam infinita in actu; vnde soluit obiectionem explicatus modo nostro, vel non soluit ipsam explicatus modo *Camerarij*.

*Respondeo secundo* eum, quando dicit motum posse pertransire quãtitatẽ, quia in ea nõ sunt infinita actu, intelligẽdũ de infinitis actu categorematice, siue illa infinita sint diuisa; siue non sint diuisa; vnde hæc replica Camerarij non est ad rem.

6 *Obiicies secundo*: sequeretur quantitatem constare ex indiuisibilibus, quod est contra Philosophum, & cõmunem sententiã, ergo falsa conclusio. Probatur sequela: accipiatur certa aliqua pars quantitatis, de illa quæro vtrum distinguatur à qualibet alia parte, necne. Si secũdũ dicatur, habeo intẽtum. Si primum, sequitur non esse diuisibilem in semper diuisibilia, quandoquidẽ actu nemine cogitante, distinguatur ab illis, in quas est diuisibilis: illud autem quod distinguitur ab illis, in quæ est diuisibile, non est diuisibile in illa; nam ad hoc vt sit diuisibile in illa debet illa includere.

*Confirmatur*: Si continuum esset diuisum in omnes suas partes, illæ essent indiuisibiles: ergo si sit distinctum in omnes suas partes, illæ erunt indiuisibiles.

*Respondeo* negando sequelam, ad cuius probationem dico, quod quæcũque pars accipietur, illa erit distincta à qualibet alia parte continui, sed non eodẽ modo, nã ab aliquibus, ab illis scilicet quæ in ipsamet nõ includuntur, distinguetur eo modo, quo distinguuntur illa quorũ neutrum in altero includitur; ab aliis autẽ nimirũ illis, quæ includuntur in ipsamet, distinguetur tanquã includens ab incluso; nec verũ est quod illud, quod est distinctum ab aliquibus, non possit in illa diuidi, quando nõ distinguitur ab illis, nisi per modum includentis, & inclusi. Nec etiã est verũ, quod præterea addit *Camerarius*, hic non quęri vtrum vna pars continui distinguatur ab alia per modum includentis & inclusi: nam quando quęritur de distinctione vnius partis continui ab omnibus aliis partibus, necesse est, vt agatur de distinctione ipsius, etiam à partibus in ipsamet inclusis.

*Ad confirmationem*, nego possibile esse suppositum antecedentis, nempe continuũ posse esse diuisum in omnes suas partes, quia quælibet pars, in quã diuideretur, deberet esse diuisibilis, & consequenter non esset diuisum in omnes partes, quandoquidem remanerent aliquæ partes in quas posset vlterius diuidi. Quod si velit argumentum, quod si esset actu diuisum in omnes partes, in quas potest simul diuidi, quælibet pars esset indiuisibilis, negandum est antecedens iuxta sententiam communiorem de constitutione continui ex diuisibilibus.

*Adde*, hoc argumentum soluendũ esse aduersariis, quia tam bene sequeretur partes continui esse indiuisibiles ex eo, quod possit diuidi in omnes suas partes, & quod possint illæ partes distingui, ac ex eo, quod actu diuidatur ac distinguatur in omnes suas partes: sicut tam bene sequitur, quod quælibet pars ex tribus partibus æqualibus cõstituentibus lignum tripalmare, sit palmatis, ex eo, quod lignum actu diuidatur & distinguatur in illas, ac ex eo, quod possit diuidi, ac distingui in illas.

7 *Obiicies tertio*, sequeretur circulum maiorem æqualem esse minori, & multa alia similia contra sensum. Probatur sequela: quia quot puncta essent in maiori, tot essent in minori: ergo & tot partes.

*Respondeo* negando sequelam, & distinguo probationem: tot puncta determinabilia, ac tot partes æquales vni certæ, nego antecedens; indeterminabilia, concedo antecedens

*Adde*, hoc etiam argumentum esse contra aduersarios, quia circulus minor posset diuidi in infinitas partes, & puncta; tam bene, quam maior; ergo esset tam magnus si valet hoc argumentum: ergo sequitur, quod vnus circulus sit æqualis alteri ex eo, quod possit diuidi in tot partes æque ac ex eo, quod diuidatur actu.

*Obiicies quarto*: sequeretur omnes partes continui posse actu esse diuisas; quandoquidem enim Deus cognoscit omnes illas actu distinctas, posset illas diuidere actu simul: sed hoc est absurdum, quia sequeretur, quod constitueretur ex indiuisibilibus.

*Respondeo primo*, eodem modo secuturum, quod posset lignum diuidi in omnes partes simul ex eo, quod Deus cognoscat omnes partes, in quas potest diuidi, vt concedunt aduersarij eũ cognoscere, vnde si hoc nõ sequatur secundũ ipsos, nec sequi debet, quod inferunt cõtra nos

*Respondeo secundo* negando sequelam cum sua probatione, nam quemadmodum, si signarentur in ligno bipalmari tres partes, duæ non communicãtes, quarũ quælibet esset palmaris, & alia palmaris constans ex medietate vtriusque illius partis palmaris, licet illæ partes essẽt determinatæ, & actu distinctæ, propter signationem; tamen Deus non posset simul lignũ diuidere in illas partes, propter naturam particularem istarũ partium, quarũ vna includit aliquam partem aliarum partium; ita etiam propter naturam partium continui nequit in omnes simul diuidi, quamuis omnes sint actu, & cognoscantur à Deo.

Cæteræ obiectiones ex his & dicendis facile solui poterunt.

## QVÆSTIO II.

*Ex quibus partibus constet Continuum.*

8 SVpposito, quod continuũ constet partibus actu, aut etiam potentia (nam sane perinde est quid dicatur quantum ad difficultates sequentes) non est dubiũ quin continuũ tripalmare constet tribus partibus determinatis palmaribus, quarum quælibet sit diuisibilis in plures alias partes; sed difficultas maxima est; an cõponatur vltimo ex indiuisibilibus sic, vt si omnes partes diuisibiles ipsius diuiderentur, tandem deueniretur ad indiuisibilia, ex quibus & ipsum continuum, & quælibet pars diuisibilis eius componitur.

9 *Prima sententia* est, continuum componi ex diuisibilibus. Hæc est *Zenonis*, quem nuper aliqui recentiores contra *Aristotelem* secuti sunt.

*Secunda sententia*, communissima *Scotistarum*, *Thomistarum*, ac recentiorum cum *Philosopho*, est continuum nõ componi hoc modo ex indiuisibilibus, sed ex partibus diuisibilibus in infinitum ita, vt nunquam possit dari tã minima pars continui, nec de potentia absoluta, quæ nõ possit saltem diuinitus diuidi in plures alias partes.

*Ego sane* quod ad me attinet, fateor difficultates vtriusque sententiæ huius meũ superare captum atque adeo quantum ad rationem attinet, nescire me quænã verior sit; sed quia Doctores communiter conueniunt cum Philosopho in secunda sententia, cui etiam fauet *Concilium Constantiense sess.* 15 dicens errorem esse in Philosophia, quod linea cõtinua componatur ex punctis immediatis; propterea iudico probabiliorẽ esse secundam sententiam; (quamuis *Arriaga* neget hanc censurã reperiri in ipso Concilio, vt nec in propositionibus, quas *Martinus v.* Cõcilij confirmator *VVicclefo & Hussio*, referens eorum errores, damnat; sed in appẽdice addita illi Concilio desumpta ex codice cuiusdam Canonici Colonienſis; & quidem eo ipso mẽdoso, vt fatetur Typographus, ac propterea nõ magnæ autoritatis) sed probabilitate tamẽ desumpta magis ex autoritate, quã ex ratione, non quod nõ habeat optimas pro se rationes, sed quod nõ possint meo iudicio solui bene rationes alterius sententiæ, sicut nec ipsius rationes à fautoribus alterius sentẽtiæ solui possũt; vnde quamuis operæ pretiũ sit vtriusque sentẽtiæ difficultates, ac fundamenta examinare, tamen non puto cõsultũ esse de alterutra publice disputare, nec ingenio tribuendũ quãcunque sufficienter probare, aut improbare; sicut nec ingenij defectui, si quamcumque ex illis defendens nequeat satisfacere argumentis opponendis, quandoquidem nemo possit illis satisfacere: & hæc sit conclusio mea. Modo difficultates proponam contra vtramque.

Ex quibus partibus constituatur continuum quantum ad rationem in certum.

*Difficultates contra sententiam Zenonis.*

Prima ratio cõtra constitutionem continui ex indiuisibilibus.

10 *Prima*, & mihi quidem principalissima est; quod si continuum constaret ex indiuisibilibus, nõ haberet extensionem partium extra partes contra sensum omnem & rationem. Probatur sequela: quia indiuisibile additũ indiuisibili non facit maius: ergo duo indiuisibilia vnita sibi inuicem non occuparent plus spatij, quã vnũ solum ex ipsis, nec consequenter infinita, quia est eadem ratio de duobus, ac de infinitis aut quantumlibet multis.

Quod autem vnũ indiuisibile additũ alteri indiuisibili nõ faciat maius, patet, quia deberet tangere ipsum secundum se totum: si enim non tangeret secundum se totũ deberet tangere ipsum secundum partẽ, & sic nõ esset indiuisibile, contra hypothesim: sed si tangat secũdum se totum, non poterit correspõdere vlli parti spatij, cui alterum indiuisibile nõ correspondet, & consequenter vtrũque non occupabit plus spatij, quam quodlibet seorsim sumptum.

Indiuisibile additum indiuisibili non facit maius.

*Confirmatur hoc*: quia si duo corpora diuisibilia tãgerẽt se mutuo secundum omnes partes, vt fit in penetratione, non occuparet plus spatij, quam vnum solum ex illis: ergo si duo indiuisibilia tangant se secundum se totum, ita vt nulla pars vnius correspondeat vlli parti spatij, cui non correspondet alterum, non occupabit plus spatij vtrumque, quam alterum.

*Confirmatur secundo*: quia si duo indiuisibilia immediate iuxta se posita occuparent plus spatij, quã vnum, si superaddatur tertiũ, vel deberet immediate se habere ad primũ indiuisibile, vel non deberet. Si deberet: ergo nõ occuparet plus spatij, quã secundum, vt euidens est, nec consequenter secundum deberet occupare plus spatij, quam occupat primum. Si nõ deberet: ergo non tangeret illud, quod tangit primum, secundum eandem partẽ, & sic non immediate tãgeret secũdum indiuisibile, quod tangitur à primo, contra hypothesim.

*Confirmatur tertio*: quia si duo puncta diuinitus penetrarent se, non magis tangerent se secundum se totum quam si ponantur iuxta se eo modo, quo debent, vt constituatur ex illis continuum: sed in tali casu non occuparent plus spatij: ergo nec in casu præsenti.

11 *Aliqui negant* puncta posse se tangere, quia tactus proprie spectat ad corpora: sed hoc est reducere rem ad nomen, & non facit ad propositum; quia per tactũ nihil aliud hic intelligi debet, quam ita se habere, vt nihil mediet inter illa; sic autem posse se habere duo puncta non est dubium.

*Arriaga* respondet, ex tactu duorum indiuisibiliũ non sequi eorum penetrationẽ, nec consequẽter occupationem eiusdem spatij: tũ quia aliàs superficies duarũ manuum tangentes se inuicem penetrarent se; tum quia penetratio requirit, vt vnum sit intra aliud, quod nequit fieri, quando vtrumque est indiuisibile.

*Sed contra primam rationem est*, quod falso supponat superficies manuum se mutuo tangentes non penetrare se: cum enim necessario debeant correspondere eidem parti spatij, debent etiam necessario penetrare se: & hinc Philosophus bene dixit contigua esse quorum extrema sunt simul; id est correspondentia eidem loco.

*Contra secundam etiam rationem* est, quod falso putet penetrationem exigere, vt vnum sit intra aliud, atque adeo non posse esse nisi inter diuisibilia: hoc inquam, & gratis dicitur, & contra ipsummet *Arriagam*, qui concedit duo puncta diuinitus penetrari posse, cum tamen in illo casu vnum non esset intra aliud, quandoquidem vtrumque esset indiuisibile, nec haberet partes interiores, intra quas alterum esse posset. Verum quidem est quando aliquid est diuisibile, illud ab alio diuisibili penetrari non posse, quin secundum aliquas saltem partes vnum intra alterum recipiatur, quia alias non possent occupare idem spatium: sed certe superficies extimę duorum corporum penetratorum, quamuis essent penetratę, non essent intra se inuicem: & idem est de duobus Angelis penetrantibus se.

12 *Idem Arriaga confirmat* suam responsionem hoc modo: si ponatur vnum indiuisibile in medio cubiculo, quãuis sit indiuisibile, respicit quatuor partes mundi, & habet dextram & sinistrã non quidem per intrinsecã, quia non habet partes, sed per extrinsecam denominationem desumptam ab aliis corporibus aut indiuisibilibus: ad huiusmodi punctum possunt duo corpora cedere, vnũ ab oriente, ab occidente alterum, sic, vt nihil mediet, nisi illud punctum. Sed in tali casu illa duo corpora essent cõtigua puncto, sed tamen non essent sibi inuicẽ contigua, nec secundum aliquid sui, corresponderent eidem spatio, cui corresponderet illud punctum.

*Respondetur* negãdo minorẽ: essent enim, vt & puncto,

ita

ita sibi contigua secundum quamcumque rationem, secundum quam tangerent punctum.

13 *Sed difficultas* est quod sequeretur diametrum quadri esse æquale costæ eius, contra sensum. Probatur sequela: quia si linea constet ex punctis, diametrum tot sola habebit puncta, quot costæ: ergo non poterit esse æquale ipsi. Probatur antecedens: quia ducendo à quolibet puncto costę vnius lineas ad quodlibet punctũ alterius costæ, & non plures, nec pauciores; cooperietur diametrum lineis, & consequenter non relinquetur vllum pũctum ipsius absque linea, alias non cooperiretur: sed hoc fieri non posset si constaret pluribus punctis: ergo non constat, & consequenter erit æquale.

*Contra hanc instantiam* vrgeri potest; quod simili argumento probari posset, quod haberet costa tot partes determinatas, & æquales vni certæ, quot diametrum, etiãsi dicatur diametrum non constare diuisibilibus: ergo cum hoc sit falsum manifeste, signum est quod argumentum non concludat. Probatur antecedens: quia si à costa constante duobus palmis determinatis ducantur superficies tot palmorum ad aliam costam, cooperietur Diametrum: ergo Diametrum non constat pluribus partibus determinatis quam duobus palmis, quia si constaret aliqua parte determinata vlteriori, nõ cooperiretur totaliter per superficiem duorum palmorum. Itaque quemadmodum ex situ lineæ diametralis oritur vt possit cooperiri totaliter per superficies minus longas, ex eadem ratione oriri potest, vt, quamuis constaret punctis, posset cooperiri per lineas non constantes tot punctis: & ratio cur vtrobique id fieri possit, est, quia duo puncta aliqua aut plura lineæ diametralis debent necessario tangi ab vna linea propter situm. Itaque quod ad me attinet non multum innitor huic difficultati.

14 *Tertia difficultas est*, quod sequeretur duos circulos, quorum vnus intra alium includitur, esse æquales contra sensum. Probatur sequela; quia à centro vtriusque circuli potest duci linea recta ad quodlibet punctũ lineæ superioris: sed illæ lineæ debent transire per circulũ inferiorem, & nullæ duæ poterunt transire per idem punctum; aliàs essent curuæ contra hypothesim; ergo tot erunt puncta in circulo inferiori, quot in superiori, & consequenter erit tam magnus quam superior.

*Responderi posset* necessario futurum, vt ex omnibus lineis, quę à circulo exteriori maximo ducuntur ad centrũ per circulum interiorem valde paruum, aliquæ transire debeant per idem punctum circuli inferioris absque curuitate, non quidem quia inferior non possit habere tot partes indeterminatas, quot superior, ac tot puncta; nam quamuis difficile valde sit quod habeat tot partes; tamen in sententia Aristotelica & communi tot habere debet: sed quia non potest habere tot puncta, seu partes determinatas, quot exterior: nec enim in circulo minimo prope centrum possumus assignare de facto centum mille puncta distincta, sicut possumus in circulo maximo, vnde quia à quocunque puncto determinato assignabili in circulo maximo possumus ducere lineam rectam per circulum minimum, necessario plures ex illis debent transire per idem punctũ circuli inferioris; aliàs potuissemus assignare ac determinare centum mille puncta distincta in inferiori, sicut in superiori.

Plures aliæ difficultates mathematicæ proponi solent contra *Zenonis* sententiã, sed in re coincidunt cum his, atque adeo qui has soluerit, æque illas possit soluere.

15 *Quarta difficultas est*, quia si continuum componeretur ex indiuisibilibus, tantum spatii percurreret media hora mobile velox, ac tardum, quod implicat. Probatur sequela: quia in vno instanti non potest tardum mobile minus acquirere loci noui quam vnum punctum si moueatur, nec mobile velox plus quam punctum: ergo si hora constat viginti instantibus, mobile velox non acquiret per horam plus quam viginti puncta, & totidem acquiret mobile tardum, atque adeo æque velociter mouebitur vtrumque.

*Fautores Zenonis*, negant sequelam, ad cuius Probationem negant suppositum, nempe quod mobile tardum moueatur tam continuo per horam, quam mobile velox; dicũt enim tarditatẽ motus prouenire ex morulis aliquibus aliquando per sensũ imperceptibilibus, quæ morulæ plures sũt, quo tardior est motus, & pauciores quo velocior. Sed omnino difficile est, quod quando aliquis homo minus fortis trahit aliquẽ lapidem impetu magno, lapis ille mouetur durante illa retractione; & tamẽ nõ mouebitur tã velociter quasi traheretur ab alio fortiori impetu maiori: & valde difficile est, quod lapis molaris descendens per aërem ex grauitate sua moretur aliquãdiu, cum nihil sit impeditiuum, nec potius impediri deberet quãdo moratur, quam quando non moratur. Deinde quando rota mouetur, quandoquidem pars interior tardius moueatur quam superior, deberet pars interior aliquando quiescere, non quiescente parte exteriore, quod absque discontinuatione fieri non posse videretur; ergo motus non habet semper tarditatem ex morulis.

16 *Alij recentiores* tenentes continuũ componi ex indiuisibilibus, vt soluant omnia hæc argumenta hactenus facta contra Zenonem, dicunt indiuisibilia, ex quibus constat, esse virtualiter diuisibilia, & occupare locum diuisibilem, sicut Angelus potest, cũ hac tamẽ differẽtia quod sint impenetrabilia, & quidem *Arriaga* dicit eos putare, quod etiam puncta illa sint indifferentia vt occupent nunc minus, nunc maius spatium.

Non dantur in continuo indiuisibilia virtualiter indiuisibilia.

Hæc sententia nunquam mihi apparuit vel probabilis, sed inutiliter ac gratis excogitata contra apparentes rationes: eam fuse & bene impugnat *Arriaga*.

*Impugnatur primo*, quia illud punctũ quod ponitur virtualiter diuisibile, propterea dicitur tale, quia occupat spatium diuisibile, & ideo quia potest occupare spatium diuisibile, possunt tolli præcedentes difficultates: sed omnes illæ difficultates æque currunt de ipso spatio occupato, ac de ipso continuo occupante spatium: ergo frustra ponuntur puncta illa virtualiter diuisibilia ad eu adendas illas difficultates.

*Confirmatur*, ac declaratur hoc: spatiũ illud quod occupatur à pũcto & est diuisibile, vel est diuisibile in partes diuisibiles in infinitũ, vel in indiuisibilia. Si in partes: ergo illud quod occupat ipsũ, potest dici similiter constare partibus: si ex indiuisibilibus, ergo idem potest de illo, quod occupat ipsum, quodcunque enim dicitur absque inconuenienti de spatio quantum ad hoc, potest dici de occupante ipsum: ergo illud, quod occupat spatium diuisibile debet esse diuisibile, & quidem formaliter eo modo, quo ipsum spatium. Nec prorsus refert quod spatium illud, per ordinem ad quod explicatur virtualis diuisibilitas puncti sit quid imaginarium, nam eodẽ modo loqui de ipso debemus quantum ad hoc, ac si esset quid reale, & quidquid esset inconueniens de eo, si esset reale, debet adscribi ipsi in esse imaginario; vnde nec corpus occupans superficiem realem trium pedum solummodo, debet dici occupare spatium imaginarium maioris extensionis.

19 *Impugnatur secundo*, & præcipue, ostendendo quod nõ satisfaciãt hi autores difficultatibus præmissis propter quas soluendas solum tenent hanc sententiam.

*Ad primam difficultatem*, quod indiuisibile additum indiuisibili non faciat maius, dicunt hoc esse falsũ quando indiuisibilia sunt virtualiter diuisibilia: quia quandoquidem secundum punctum non tangat adæquate primum punctum, quia scilicet non est in loco adæquato eius, primum enim punctum occupat tres partes spatij, secundum vero punctum non occupat illas tres partes, sed alias tres, & sic vtrumque facit maius quantum ad occupationem spatij.

*Sed Contra*: quia quæro de illis partibus spatij occupatis an sint indiuisibiles vel diuisibiles seper. Si indiuisibiles: ergo non faciũt maius, vel si posset facere maius, similiter indiuisibilia continui, quamuis non essent diuisibilia virtualiter. Si diuisibiles semper, ergo idem dicas de partibus continui: & ne longior sim, per hæc patet eos nõ sufficienter respondere, vlli fere ex prędictis difficultatibus, præterquã quod satis absurde imaginentur indiuisibile vnius lineæ, vel circuli occupare plus spatij, quã alterius

alterius lineæ aut circuli, cum nulla prorsus sit huius ratio, & cum eadem ipsa linea ex iisdem indiuisibilibus constans possit ad costam quadri, & ad diametrum extẽdi sine vlla extensione ipsius maiori aut minori, cum tamen de eadem sic extensa possint fieri prædictæ demõstrationes mathematicæ tam bene quam si diuersæ lineę proponerentur. Qui voluerit plura, videat *Arriagam.*

*Aliqui impugnant* constitutionẽ lineæ ex indiuisibilibus ex eo, quod inde sequeretur lineam non fore extẽsam, quia res inextensa non potest facere rem extensã.

*At hæc impugnatio non valet*: quemadmodũ enim plures vnitates indiuisibiles faciunt numerum diuisibilem, & plures partes physicæ incompositæ, & simplices faciunt compositum physicum: ita plura diuisibilia inextẽsa possent facere aliquod diuisibile extensum, modo essent extra se inuicem, & ratio est manifesta, quia vt sit extensum quid, sufficit quod habeat partes extra partes, sed hoc habere posset si haberet plures partes, etiamsi quælibet ex illis seorsim accepta esset indiuisibilis, modo tamen possent esse extra se inuicem; quod si non possint ita esse, non oritur ex hac difficultate, sed ex alia, quod indiuisibile additum indiuisibili non faciat maius.

*Difficultates contra sententiam Aristotelis, & communem.*

18 *Sententia Philosophi* asserens cõtra Zenonem, continuum non constare solis indiuisibilibus, dupliciter defendi solet ab authoribus. Aliqui enim putant continuũ cõponi ex partibus in infinitũ diuisibilibus, quæ inter se continuãtur entitatibus indiuisibilibus; vnde admittũt in cõtinuo præter partes diuisibiles indiuisibilia; sed adhuc autores huius sententiæ non conueniunt, nã quidam cõcedunt indiuisibilia tam continuatiua quam terminatiua, alij sola terminatiua, alij sola continuatiua.

*Quidam vero alij negant* vniuersim indiuisibilia, & quoad reliqua cũ aliis Peripateticis conueniunt. Hic examinandæ sunt difficultates principales contra hanc sententiã; quomodocunque explicetur; & postea quid ea supposita melius dicendũ sit circa indiuisibilia, proponam.

Prima difficultas cõtra constitutionem ex indiuisibilibus.

19 *Prima difficultas est*, quod sequeretur quantitatem palmarem habere tot partes quot tota mundi machina: quod incredibile prorsus ex terminis ipsis apparet, & videtur esse contra primũ principium, quod totũ sit maius sua parte: si enim quantitas palmaris, quæ est pars exigua mundi, tot partes habet quot ipse mundus, videtur debere esse tã magna quam mundus. Probatur sequela: quia illa quantitas in hac sententia est diuisibilis in infinitum, non minus quam totus mundus, & pro qualibet parte quæ potest assignari à Deo in toto mundo, poterit etiã ab ipso ex quantitate palmari aliqua pars assignari, alias deueniretur ad aliquam partem, quam Deus diuidere non posset, & quæ propterea esset indiuisibilis iuxta Zenonem contra hanc sententiam.

*Respondetur* communiter quod quantitas palmaris habeat tot partes syncategorematicas, seu proportionales ac communicantes, quot totus mundus, non vero categorematicas, ac determinatas, & æquales vni certæ parti: id autem non est inconueniens, nec inde sequitur, quod totum nõ sit maius parte, quia ad hoc requireretur quod pars haberet tot partes determinatas, ac æquales vni certæ parti, quot totum.

*At contra hoc obiici posset* quod imprimis non solum reperiuntur tot partes indeterminatæ, & proportionales, ac communicantes in quantitate palmari, quot in toto mundo; sed tot partes determinatæ, & assignabiles, vna post alteram: nã vt dixi, pro qualibet parte determinata, quam potest Deus assignare in mundo, potest in quantitate quacunque minima assignare aliquã partem, & eã à reliquis partibus seiungere, ac separatam conseruare: ergo non solum sunt tot partes syncategorematicæ, sed categorematicæ in parte, ac toto. Nec refert quod non possit assignare tot partes æquales vni certæ, sufficere enim videtur ad partes categorematicas, quod sint assignabiles vna post alteram, & separabiles.

Deinde, quandoquidem partes omnes determinatæ, & categorematicę quantitatis cõstent, & constituantur per partes proportionales, ac indeterminatas, si sint tot partes indeterminatæ, ac proportionales, in quãtitate minori ac maiori, videtur necessario dicendũ quod sint in illis tot partes categorematicæ, ac æquales vni certę: vnde licet ad sensum pateat quod non sint reuera in illis tot partes, tamen ex alio capite iuxta hanc sententiam deberent esse in illis tot partes, & in hoc consistit contradictio huius sententię.

Secunda difficultas.

20 *Secunda difficultas* præcedenti cognata est, quod sequeretur dari actu infinitũ in multitudine, & extẽsione; sed hoc reputatur absurdũ, quia quamuis de potentia absoluta multi probabiliter putent nõ repugnare quod detur; tamen plures id reputant impossibile, & cõmuniter negatur dari de facto, quidquid sit de possibili. Probatur sequela: quia numerus partiũ actualium quantitatis palmaris, v.g. (etiam loquendo de partibus nõ communicantibus, & quæ assignari possunt à Deo) non est finitus actu, alias posset determinari quantus esset; & sequeretur quod nulla ex partibus istius numeri esset diuisibilis, contra hanc sententiam: ergo est infinitus.

*Respondetur* sequi, quod detur infinitum syncategorematice, non categorematice.

*Sed hoc* est verba obtrudere, non rem: si enim sunt partes assignabiles quarũ vna post aliam assignari potest, quæ non habent terminum, cur non sunt infinitę categorematice? *Deinde*, non magis repugnat, aut est inconueniens Infinitum categorematicũ, quam huiusmodi infinitum; omnia enim argumenta, quę contra infinitum categorematicum in numero adduci solent, contra infinitatem hanc eque militant.

*Confirmatur*, ex eo colligo numerum omnium hominum posibilium fore infinitum simpliciter, si poneretur à parte rei; quia excederet actu quemcunque numerum finitum, nec vllus tam magnus assignari potest, quin eo accepto, adhuc plures homines essent accipiendi, ex numero omnium hominum: sed numerus omnium partiũ repertarũ actu in continuo, & distinctarũ actu à se inuicem excedit quemcumque finitum numerum; nec Deus ipse tam magnum numerum finitum assignare potest, quin eo accepto, ex illis partibus adhuc plures essent accipiendæ.

21 *Confirmatur*: quotiescumque quælibet pars ex illis partibus, quę conflãt numerũ simpliciter infinitũ, potest accipere partem ex alio numero simul, ille alius numerus debet esse infinitus simpliciter: sed numerus omniũ hominum posibilium, si existeret, esset infinitus simpliciter, & quilibet ex illis hominibus posset habere à Deo partem ex quantitate palmari, ergo numerus quantitatis palmaris esset infinitus simpliciter. Nec refert, quod omnes partes quantitatis palmaris faciunt numerum finitum partium æqualium vni certæ: & quod propterea numerus earum debet esse finitus: nam ex hoc capite id quidem verum est: sed ex alio capite sequitur, quod numerus ille sit infinitus simpliciter, & in hoc consistit implicãtia, quæ apparet in hac sentẽtia, vt dixi paulo ante.

*Confirmatur secundo*: quia in sententia admittente indiuisibilia in quolibet cõtinuo, sunt infinita entia æqualia vni certo enti, & quorum neutrum includitur in altero, nimirum infinita indiuisibilia, & quidem determinabilia, ergo iuxta rigorem illum, quo exigitur ad infinitum simpliciter, infinitas entium æqualium vni certo enti, daretur actu infinitum simpliciter.

22 *Tertia difficultas* est præcipue contra admittentes indiuisibilia continuatiua, seu vniones, quibus vniuntur partes continui, quia cum illa indiuisibilia sint entia positiua realiter inter se distincta, & etiam à partibus quas vniunt; ex vno capite videtur, quod Deus posset omnia separare ab illis partibus, & separata conseruare, ex alio vero capite id implicat, quia quælibet pars, à quibus separarentur, deberet includere vniones. Hæc difficultas potissimum vrget contra eos, qui dicunt indiuisibilia continuatiua esse entia absoluta; nã qui dicũt ea esse vniones relatiuas, negarent vllum ex ipsis conseruari posse absque parte, quam vnit, quia nulla relatio potest conseruari absque suis extremis.

23 *Quarta difficultas* contra eosdem, quia quandoquidem Deus ipse libere produxit omnia & singula indiuisibilia, quæ sunt in continuo, nec vllum prorsus ex illis sit, quod ipse non cognoscat, videtur sequi necessario, quod assignato quocumque indiuisibili, ipse possit assignare secundum indiuisibile, quod proxime sequitur illud indiuisibile: sed in hac sententia hoc non posset facere; quia assignato quocunque, inter illud, & sequens primum indiuisibile intermediat pars aliqua indiuisibilis, in qua propterea necessario inuoluitur aliud indiuisibile copulatiuum suarum partium: ergo illa sententia non est admittenda.

*Confirmatur*: quia omnia indiuisibilia in continuo sequuntur se inuicem, nec vlla duo sunt simul: ergo aliquod vnum ex omnibus immediatius sequitur ad primum indiuisibile, quam vllum aliud: ergo cognoscitur illud vnum à Domino Deo, & consequenter poterit ipsum assignare.

*Dices*: aliquod vnum indiuisibile immediatius se habere quam cætera, sed indeterminatum tamen & inassignabile:

*Contra*: quia si à parte rei aliquod vnum sic se habet, quandoquidem ipsum non includatur in vllo ex aliis indiuisibilibus, nec vllum ex ipsis includat; & producatur libere à Deo, omnino debet esse sufficienter determinatum, vt possit assignari à Deo.

24 *Ad hanc difficultatem* potest reduci alia, qua dicitur quod inter primum diuisibile, & reliqua sequentia, vel mediat aliquid, vel nihil mediat: si nihil mediat, ergo duo indiuisibilia sequuntur se inuicem immediate contra hanc sententiam: si aliquid; ergo vel pars diuisibilis, vel aliquid indiuisibile: non aliquid indiuisibile, quia comprehenderetur in numero cæterorum indiuisibilium, atque adeo non intercederet inter primum indiuisibile, & reliqua; non pars diuisibilis, quia illa pars deberet includere aliquid indiuisibile, & consequenter non posset intercedere inter primum indiuisibile, & reliqua omnia indiuisibilia.

*Responderi* solet communiter, quod inter primum indiuisibile, & reliqua distributiue accepta aliqua pars intercedat, quia nulla prorsus est ex cæteris seorsim accepta inter quam & primum indiuisibile non intercedat pars. Inter primum vero diuisibile, & cætera omnia collectiue accepta, nihil mediat, in quo non sit aliquod ex cæteris indiuisibilibus. verum cum cætera indiuisibilia collectiue accepta, sic enim in difficultate agitur de illis, sequantur primũ indiuisibile, videtur necessarium esse, quod aliquid vel nihil intercedat: & quia si nihil intercederet, sequeretur indiuisibilia se inuicem immediate sequi, concedendũ est ex vno capite, & quod pars diuisibilis intercederet, & ex alio capite id repugnat, quia illa pars includit indiuisibile; quæ est implicantia huius sententiæ.

## QVÆSTIO III.

*An admittenda sint indiuisibilia in continuo positiua realia.*

PArtem affirmatiuam tenent *Scotist. Thomist. & recentiores* cum *Philosopho hic*: negatiuam vero *Nominales*, quos sequitur *Poerius lib. 10 c. 6. & Auersa q. 22 sect. 4.*

## CONCLVSIO.

25 *Etiam in hac difficultate existimo incertum esse quid dicendum, quia sunt argumenta insolubilia pro vtraque parte.* Vt veritas huius conclusionis appareat, prius proponenda sunt argumenta pro parte affirmatiua.

*Probari ergo solet primo*, argumento mathematico, quia potest diuinitus dari corpus perfecte sphæricum, & corpus perfecte planũ, & corpus sphæricum potest tangere corpus planum: sed non potest tangere ipsum in parte aliqua diuisibili: ergo in aliquo indiuisibili, & consequenter datur in continuo aliquod indiuisibile. Probatur minor: quia non potest fieri contactus in indiuisibili nisi secundum vniformem figuram: sed superficies corporis sphærici non habet vniformitatem cum superficie corporis plani: ergo non possunt tangere se in parte diuisibili.

*Respondent aliqui*, talia duo non posse tangere se inuicem, aut si tangant, debere penetrare se. Sed primum est incredibile: quid enim detineret sphæricum corpus valde graue locatum in aëre supra corpus planum, à descensu super ipsum? Secundum autem est contra rationem quantitatis.

*Respondent alij*, sphæricum corpus tacturum corpus planum in parte diuisibili, sed indeterminata & inassignabili.

*Quæ responsio*, quamuis difficilis sit, quia præterquam quod durum sit, Deum non posse assignare quid, & quãtum tangatur vnius corporis ab alio corpore, adhuc illa ipsa pars diuisibilis plani, quantumuis indeterminata est plana, & pars indeterminata corporis sphærici est sphærica, aut non plana: ergo non habent proportionẽ sufficientem, vt tangant se. Sed quamuis inquam hæc responsio patiatur hanc difficultatem, adhuc videtur æque sufficere ac alia, quam dant Patroni indiuisibilium, quando obiicitur ipsis, quod indiuisibile continuatiuum partium lineæ, si daretur, deberet tangere partes diuisibiles, quas copulat, & inter quas collocatur. Solent enim respondere, quod tangat illas secundum partem aliquam indeterminatam; at non est difficilius partem aliquam indeterminatam corporis sphærici tangere partem corporis plani, quam quod indiuisibile tangat diuisibile; vnde existimo eos autores non debere multum vrgere hoc argumentum, quandoquidem ipsismet sit soluendum.

26 *Probatur secundo*: quia quando duo corpora tangunt se inuicem, tangunt se solum secundum aliquid indiuisibile quoad profunditatem, hoc est secundum superficiẽ indiuisibilem; alias penetrarent se: ergo dantur talia indiuisibilia: sed si dantur vlla indiuisibilia, nihil impedit quo minus reliqua dentur: ergo.

*Confirmatur*: quia lumen recipitur in superficie indiuisibili corporis colorati opaci, & in hoc distinguitur opacum corpus à diaphano: ergo datur superficies indiuisibilis.

*Hoc argumentum* meo iudicio non sufficit: quia quemadmodum qui ponunt indiuisibilia, dicunt ea tangere partes diuisibiles, quas copulant, aut terminant, quamuis non penetrent illas; aut si penetrent, non penetrant nisi secundum partem aliquam indeterminatã: ita posset dici, quod vna quantitas non includens aliquid indiuisibile tangeret aliam, aut non penetrando ipsam vllo modo, aut si penetraret, non penetrando nisi secundum partem indeterminatam. Tactus autem earum potest explicari per hoc, quod vna quantitas diuisibilis immediate ponatur post aliam, ita vt inter duas quantitates se tangentes nihil mediet.

27 *Confirmatur hoc*: quia si Deus afferret superficiem vltimã vtriusque quantitatis, vt bene posset facere quãdoquidem sit quid absolutum distinctum realiter ab illa quantitate, quæro vtrum illæ duę quãtitates possent tangere se inuicẽ. Si sic, ergo ex tactu nõ potest argui, quod habent superficies indiuisibles: si non, præterquã quod id sit incredibile potest dici eodẽ modo à negãtibus indiuisibilia, quod non tangant se de facto vlla corpora.

*Ad confirmationẽ* probationis respõdent aduersarij negãdo antecedens, & dicunt lumen recipi in aliqua parte diuisibilis quoad profunditatẽ, sed adeo minima, quãdo corpus est opacum, vt per sensũ nõ possit discerni, quod sit sic diuisibilis; in quo distinguitur corpus opacũ à diaphano, quod sensui appareat corpus diaphanum secundum partes diuisibiles quoad profunditatem, opacũ vero nõ ita. Quæ responsio satis mihi probabilis apparet, nisi aliunde probẽtur indiuisibilia: quod si aliunde probẽtur indiuisibilia; tũ melius est dicere quod lumen recipiatur in indiuisibili, quandoquidẽ posset in eo recipi, & quantum ad sensum apparet esse in eo, debemus enim sequi sensum, nisi quando per rationem corrigi debet.

28 *Probatur tertio*, quia possibilia sũt omnia hæc indiuisibilia tã continuatiua quã terminatiua: ergo de facto dãtur. Probatur consequẽtia primo quia omnia fere argumenta, quæ adducuntur contra actualem existentiam ipsorum, militant æque contra possibilitatem ipsorum; quia

quia si sint possibiles, possunt poni actu, & supposito quod Deus eos iam produxerit actu, illa argumenta omnia possunt vrgeri cõtra ipsos. Probatur consequẽtia secũdo quia si sint possibilia, debet esse possibile aliquod spatium ipsis proportionatum de facto, in quo ponatur, cui spatio nulla pars diuisibilis esset proportionata, & consequenter de facto illud spatium non esset repletum, nisi de facto admittantur indiuisibilia.

*Auersa* existimat consequentiam esse bonam, & propterea negat absolutè antecedẽs: nam sicut in spatio diuisibili correspondente parti diuisibili, quæ terminatur vel continuatur indiuisibili, non potest poni indiuisibile, quia est ipsi improportionatũ: ita nec in illa parte spatij potest poni, quia omnis pars spatij, & quidquid reperitur in illo, est diuisibile. Verum non potest *Auersa* dare repugnãtiam, quo minus possit Deus creare aliquod indiuisibile materiale, sicut potest creare, & creauit de facto indiuisibilia spiritualia, Angelos, & animam rationalem.

29 *Probatur quarto* quoad indiuisibilia continua: Prima pars quantitatis bipalmaris coniungitur cum secunda parte palmari per vnionẽ aliquam distinctam; neque enim à seipsis iuxta se immediate positis habẽt esse continuæ, quia possunt esse iuxta se immediatè positæ, etiãsi non essent continuæ, sed solum contiguæ; vt patet: sed illa coniunctio earum, seu vnio, non potest dari absque indiuisibili: ergo dãtur indiuisibilia continuatiua. Probatur minor: non coniunguntur per vnionẽ aliquam diuisibilem, nec per vnionẽ indiuisibilem subiectatã in ipsis partibus, siue vtrisq; siue alterutra ex illis, ergo vniuntur vel per indiuisibile intercedens inter illa, vel per vnionẽ subiectatam in tali indiuisibili, & terminatã ad illas partes, siue vnam ad vtramq; siue duas, quarum vna terminetur ad vnã partem, & altera ad alterã: cõsequentia patet, quia non potest imaginari, quo alio modo vnirentur ex suppositione antecedentis. Probatur ergo antecedens, quoad primam partem, nimirũ quod non continuentur per vnionẽ diuisibilem, quia vel interponeretur inter illas partes & nõ subiectaretur in ipsis, vel subiectaretur in ipsis partibus: nõ primum, quia sic illæ duæ partes non immediate vnirentur, quandoquidem aliquid diuisibile interiaceret; & præterea si vnio interiacẽs esset diuisibilis, destructa vna parte altera manere posset & deberet aliquid vnire: nihil autem posset vnire præter partes illas: ergo se sola sine altera parte destructa sufficeret, & frustra esset pars destructa. Non secundum, quia vel subiectaretur secundum se totam in vna ex partibus vel in vtraque parte secundum se totam, vel in vna parte secundum partem sui, & in alia secundum alteram partem; neutrum dici potest.

30 Probatur minor quoad primam partem, nimirum quod non in vna parte secundum se totam: tum quia non esset potior ratio quare in vna, quam in altera; tum quia vel subiectaretur in vna alia parte ita, vt coextenderetur toti illi parti cum proportione partis ad partem, vel ita vt coextenderetur parti alicuius istius partis: non itavt coextenderetur toti illi parti cum proportione partis ad partem; tũ quia quamuis aliqua pars illius vnionis, quæ scilicet correspõdeat initio primæ partis, nõ daretur manente parte vnionis correspõdente reliquæ parti, cõtinuarẽtur illæ duæ partes: ergo ad continuationẽ nõ requiritur coextensio vnionis ad omnes partes quãtitatis, quæ continuatur; tum quia alias quando continuaretur vnica gutta aquę totiOceano, produceretur ab agẽte hic applicato vnio in parte Oceani distante prope Indias, quod videtur incredibile, nec ita vt coextẽderetur cuicunque parti istius primæ partis, propter eandem rationẽ, quia quæcunque pars est diuisibilis, & ablata parte vnionis correspõdente primæ parti, manente parte correspondente alteri parti, adhuc fieret continuatio. Probatur eadem minor, quoad secundam partem, nimirum quod secundum se totam non subiectaretur in vtraque parte; quia sic esset forma spiritualis, vt est anima rationalis, contra omnes, & quia quamuis non subiectaretur in vtraque parte cum correspondentia ad illas omnes, adhuc continuarentur. Probatur denique illa ipsa minor, quoad tertiam partem, nimirum quod non subiectaretur secundum partem sui in vna parte, & aliam partem in altera; quia quælibet ex illis partibus esset diuisibilis, & consequenter haberet subiectum diuisibile: sed ablata prima parte adhuc esset continuatio: ergo frustra esset prima pars

*Probatur* nunc antecedens primarium quoad secundã partem, nempe quod non vniantur partes continuatæ per vnionem aliquam indiuisibilem subiectatã in ipsis, prout philosophatur *Hurtadus*; quia accidens indiuisibile materiale nequit esse in subiecto diuisibili, in hoc enim distinguitur forma materialis à spirituali. Per hoc patet efficaciter probari partẽ affirmatiuam: nunc proponenda sunt argumenta partis negatiuæ.

31 *Probatur ergo primo.* Ad vniendas partes continui non conducunt indiuisibilia positiua, & realia: ergo in ordine ad hoc poni non debent. Probatur antecedens quia vel vnirent illas partes se ipsis, vel vnirent illas mediantibus respectibus aut vnionibus aliquibus superadditis: nõ seipsis, tum quia sunt absoluta, tum quia potest indiuisibile terminatiuũ vnius quantitatis reperiri absque eo quod vniatur alteri quãtitati, cui posset vniri, quod fieri nõ posset si seipsa vniret illas quantitates: non etiam per respectus aut vniones superadditas, quia illi respectus possent sufficere sine indiuisibilibus.

*Dices*, antecedens esse falsum, quia indiuisibilia deseruire possunt ad vniendas partes continui, quatenus recipit in se vniones distinctas à se terminatas ad illas partes, quæ vniones non possent esse in alio subiecto, quam in indiuisibili, & consequenter non possent dari absque indiuisibili.

*Contra*: illæ vniones subiectatæ in indiuisibili, debent habere correlationes in partibus, ad quas terminantur: ergo possunt dari vniones continuatiuæ subiectatæ in alio subiecto quam in indiuisibili.

32 *Dices* etiam, hoc antecedens esse falsum propter incapacitatem partium ad recipiendam vnionem, per quam immediate coniungantur aliis partibus.

*Contra*: quia quemadmodum terminare possunt vnionem, per quam immediate vniantur non obstante diuisibilitate sua, ita etiam possunt subiectare vnionem per quam sic vniantur.

*Et si dicas*, hoc non esse verum, quia vel illa vnio esset diuisibilis, & sic pars ipsius sufficeret, vel esset indiuisibilis, & non posset subiectari in subiecto diuisibili.

*Contra*: illa pars, quæ immediate terminat vnionem, est diuisibilis; & quamuis media pars ipsius posset sufficere, tamen tota illa pars, vt supponitur, terminat immediate vnionem: ergo posset sufficere, tamẽ posset ipsa vnio diuisibilis de facto poni, per quam pars in qua subiectaretur immediate vniretur alteri parti tam bene, quam vnitur indiuisibili.

*Confirmatur*: quia non apparet quomodo pars diuisibilis posset per vnionem ad se immediatè terminatã immediate vniri, quia si terminatur vnio ad mediã partẽ ipsius, adhuc continuum tam bene continuaretur, quam si terminaretur ad illam totam, & cum pars diuisibilis continui constet duabus partibus sequentibus se inuicẽ non potest cogitari quomodo vna pars ex ipsis non debeat immediatius vniri quã altera pars, siue vnio ponatur subiectiue in illa parte, siue terminetur tantum ad ipsam.

33 *Probatur secundo*, per quartam difficultatem positam quæstione præcedenti contra eos, qui dicunt continuum componi ex diuisibilibus, & indiuisibilibus.

*Probari solet tertio*, quia indiuisibilia quantitatis debent habere aliquod subiectum: sed non potest assignari in quo subiecto sint, nõ enim possũt subiectari in partibus diuisibilibus, aut ipsius quantitatis, quas copulãt, aut substantiæ, in qua subiectatur illa quãtitas: quia indiuisibile materiale nequit esse instar formæ spiritualis, in subiecto extenso; nec etiam subiectatur in indiuisibili

substantiæ,

substantiæ, quia non datur tale; nam si daretur, sequeretur quoties diuisibilis continuaretur materia prima, verbi gratia, quod toties annihilaretur indiuisibile continuatiuum, & quoties continuaretur toties crearétur puncta continuatiua, & sic creatura crearet & annihilaret, aut recurreretur ad Deum absque necessitate.

*Hoc argumentum non multum urget*: Respondetur enim indiuisibilia quantitatis subiectari in indiuisibilibus substantiæ, & hæc esse in substantia, sed nec creari, nec annihilari à causa secunda, nec recurrendũ ad Deũ ad nouam creationem aut annihilationem eorum: nam duæ quãtitates, quæ terminantur indiuisibilibus, quando continuantur nõ perdunt sua indiuisibilia, sed ponitur vnio in vno iniudisibili terminata ad aliud indiuisibile, & è cõtra; nec producitur nouum aliquod indiuisibile. Rursus quãdo discontinuantur duæ quatitates aut substantiæ, non perdũtur indiuisibilia vlla, sed tollitur vnio vtriusque indiuisibilis remanentis, & terminantis partes separatas: & hinc habetur probabile argumentum ad probanda puncta terminata, quia si non darentur de nouo quando continuarẽtur quantitates separatæ, deberet produci per creationem nouum indiuisibile, quod est inconueniens, si potest aliter dici.

34 *Probat Arriaga* hanc partem: quia vel punctum additum parti facit maius, vel non facit maius. Si non facit maius, ergo non est extra partem, sed intra illã, & sic penetrat illam, & præterea ad nihil deseruit. Si facit maius: ergo etiam punctum additum puncto facit maius, & sic tollitur præcipuum argumentum contra *Zenonem*.

*Respondeo* non facere maius; sed immediate secũdum se totum sequi partem, & intercedere inter ipsam ac aliam partem simul cum indiuisibili alterius partis.

*Probat idem Author* alio modo: quia vel puncta sunt eiusdem rationis cum partibus, vel non; si primum, ergo pars non differt à puncto, nisi quod constet variis punctis: si secundum, ergo in igne & aqua sunt partes heterogeneæ.

*Respondeo* esse diuersæ rationis, quia impossibile est, quod punctum possit constituere per additionem punctorum continuum, supposito quod continuum non componatur ex indiuisibilibus. Ad illud autem, quod opponitur, dico in igne reperiri aliqua diuersę rationis, non tamen partes proprie loquendo, quia indiuisibilia non sunt partes continui, sed copulatiua partium ipsius.

*Probat* adhuc illo modo: quia sequeretur quod baculus, cuius pars esset in aqua, & pars in aëre contiguo, haberet duo indiuisibilia immediata, vnum correspondens superficiei aquæ, & alterum superficiei aëris.

*Respondeo* negando sequelam: quia quamuis vnicum tantum indiuisibile reperiretur inter duas partes baculi, quarum vna esset in aqua, & altera in aëre, adhuc duæ superficies contiguæ possent tangere ipsum, sunt enim simul illæ duæ superficies.

## QVÆSTIO IV.

### *An indiuisibile separatum posset moueri.*

35 NOn est dubium, quin si separaret Deus aliquod indiuisibile à continuo ipsumque separatum conseruaret, posset ipsum ab vno in alium deferre, & quod sic posset moueri; sed quæstio est, an posset successiue, & continue moueri ab vno loco ad alium locum, petransęundo spatium aliquod diuisibile.

## CONCLVSIO.

*Indiuisibile separatum potest moueri continue & successiue ab vno loco ad alium.* Hæc est *Doctoris in 2. d. 2. q. 9.*: cum suis contra *Conimbricenses*, *Ioannem à S. Thoma*, & *alios*.

*Probatur*: quia quando sphæra tangens planum in puncto, mouetur super planum successiue, & continue, punctum illud, quod tangit planum, mouetur etiam successiue: imo quando mouetur quodcumque continuum solidum, vt lignum aut ferrum continue, omnia indiuisibilia ipsius mouentur continue & successiue; neque enim continuum tale potest moueri, quin omnia in ipso inclusa moueantur.

*Dices*: hinc sequi, quod indiuisibile possit moueri continue per accidens, ratione scilicet motus alterius; nõ vero, quod possit moueri sic per se: sed si esset separatum, non posset moueri alio modo, quam per se: ergo separatum nequit moueri, quamuis possit coniunctum.

*Contra primo*: quia si potest naturaliter moueri successiue, & continue per accidens, nihil impedit quo minus possit supernaturaliter moueri sic perse, quod nobis sufficit.

*Contra secundo*: quia quidquid est difficultatis in motu per se ipsius, etiam reperitur in motu per accidens ipsius: ergo si vnus concedatur, alter concedi debet.

Probatur antecedens: quia difficultas motus per se ipsius est quod non appareat quomodo, cum sit indiuisibile, possit pertransire partem diuisibilem: sed vt moueatur per accidens, debet pertransire partem illam diuisibilem æque, ac si moueretur per se.

36 *Dices secundo*: punctum sphæræ aut continui non moueri continue, sed discrete, quamuis ipsemet globus moueatur successiue, & continue.

*Contra*: quia præterquam quod hoc sit, & contra sensum, adhuc est contra duplicem rationem.

*Prima est*, quod impossibile sit moueri aliquod continuum præsertim progressiue, quin quidquid in illo sit moueatur: ergo puncta continui nunquam quiescunt dum mouetur ipsum continuum, & consequenter non mouentur motu discreto, inter cuius partes intercedit quies.

*Secunda est*, quod inde sequeretur, quod naturaliter aliquid transiret de loco in locum distantem, non tranęundo per medium, quod est absurdissimum.

Probatur sequela: quia si punctum continui in hoc instanti sit in hoc puncto loci, si debeat quiescere pro tempore immediate succedenti, & expectare aliud instans, in quo debeat poni in alio indiuisibili distanti (prout debet fieri secundum hanc replicam) ergo ab hoc puncto spatij ad illud punctũ spatij distans transit, non pertranęundo per partem diuisibilem interiacentem.

*Quices primo*, Sequeretur, quod indiuisibile posset commensurari parti diuisibili, quod implicat: ergo.

37 *Confirmatur*: quia si moueatur indiuisibile continue, immediate, postquam tangit hoc punctum, deberet tangere aliud punctum; neque enim vnquam potest tangere aliquid diuisibile.

*Respondetur*, distinguendo maiorem: quantum ad hoc quod possit ipsum pertransire in tẽpore, concedo maiorem; quantum ad hoc, quod sit diuisibile, aut quod in instanti possit esse præsens ipsi, nego maiorem: & similiter distinguo minorem: est absurdum, quod commensuretur ipsi primo modo, nego minorem: secundo modo, concedo minorem, & nego consequentiam.

*Ad confirmationem respondeo* negando sequelam, quia cum immediate post instans sequatur tẽpus, in quo indiuisibile mouetur, non poterit tangere indiuisibile, sed aliquid diuisibile; nec est inconueniens, quod indiuisibile motum successiue tangat aliquid maius se: sicut enim ipsum corpus palmare motum per horam, potest tangere tota illa hora spacium decem palmarum, quod est multo maius, quam tale corpus, cum tamen non possit quiescere nisi in spatio palmari; ita indiuisibile motum per aliquod tempus necessario debet spatium maius tangere, & percurrere, quam ipsummet sit, & quam illud etiam, in quo potest quiescere.

indiuisibile potest in tempore esse tangere diuisibile.

*Et hinc patet* ad argumentum, quo ex tactu globi ad planum in indiuisibili inferre conantur aliqui, quod totum planum constaret indiuisibilibus; quia scilicet, si traheretur continue globus super planum illud continue, nihil plani relinqueret intactũ: ergo, cum non possit tangere vnquam nisi in indiuisibili, sequeretur quod planum constaret ex indiuisibilibus.

*Respondetur*, inquam, ad hoc ex iam dictis, quod licet non possit tangere aliquid plani in instanti, nisi indiuisibile, possit tamen & debeat in tempore successiuo tangere aliquid diuisibile.

38 *Obiicies secundo*, omne mobile est diuisibile secundum Philosophum: ergo punctum nequit moueri.

*Respondeo*, Philosophum loqui de iis mobilibus, quæ

per se mouentur de facto ; non vero de ijs quæ in quocumque casu supernaturaliter tantum possibili moueri possunt.

*Obijcies tertio*, quod mouetur debet partim esse in termino à quo, & partim esse in termino ad quam, dum mouetur : sed hoc non potest conuenire puncto : ergo nec moueri.

*Confirmatur*: quia mobile secundum Philosophum debet prius conficere, & acquirere spatium minus & æquale sibi, quam spatium maius.

*Respondetur* breuiter hæc debere intelligi de mobili, quod est diuisibile, non de indiuisibili.

*Respondeo secundo*, negando minorem obiectionis, quia indiuisibile dum in tempore mouetur est partim in prima parte, & partim in secunda, quatenus transit per primam, & secundam.

## QVÆSTIO V.

*Vtrum detur primum & vltimum mutatum esse in motu, ac prima & vltima pars eius?*

HÆc quæstio solum habet difficultatem ex suppositione, quod continuum componatur ex partibus diuisibilibus in infinitum copulatis per indiuisibilia; nam si componeretur ex indiuisibilibus, posset assignari prima & vltima pars ipsius. Itaque suppono quantitatem vt sic, debere constare partibus indiuisibilibus in infinitũ syncategorematice, quę partes continuantur inter se indiuisibilibus, & consequenter quamlibet quantitatem siue successiuam, siue permanentem similibus partibus constare; & quemadmodum indiuisibile copulans partes lineæ, vocatur punctum, & indiuisibile copulans partes superficiei, linea; ita etiam indiuisibile copulans partes motus vocari mutuatum esse, & indiuisibile copulans partes temporis vocari instans. Quærimus ergo vtrum, quando aliquid mouetur successiue, possit assignari aut prima aut vltima pars istius motus, aut primum aut vltimum mutatum esse, id est, primum aut vltimum indiuisibile continuatium partium istius motus.

## CONCLVSIO I.

39 *Non potest assignari prima aut vltima pars motus.* Est communis cum Philosopho : *Probatur* : quia nulla pars motus est, quæ non est vlterius diuisibilis : ergo non potest assignari prima aut vltima pars eius.

Probatur consequentia: quia illa pars non est prima aut vltima, qua potest assignari prior aut posterior: sed omni parte motus potest assignari prior & posterior ; nam omnis pars eius est diuisibilis in partes, quæ secundum prius, & posterius sibi succedunt : ergo, &c.

## CONCLVSIO II.

40 *Non datur primum mutatum esse in motu, vltimum vero mutatum esse aliquando datur, aliquando non datur.* Prima pars est communis, & sequitur ex dictis : nam primum mutatum esse est indiuisibile motus præsupponens primam partem ipsius : sed ex dictis non datur etiam pars motus : ergo neque primum mutatum esse.

Vltimũ aliquando datur aliquando non.

*Secunda pars* non est tam communis.

*Probatur* tamen, quia omnis motus finitus habet terminum indiuisibilem, quo clauditur: ergo si mobile persistat in esse, donec acquirat illud indiuisibile, poterit assignari vltimum indiuisibile sui motus: verbi gratia si aliquod lignum moueatur ad calorem vt tria, quandoquidem iste calor vt tria habeat indiuisibile terminatiuũ suum in instanti, quo acquiret istud indiuisibile, finietur motus eius, & in eodem instanti reperietur vltimum mutatum esse motus.

*Probatur tertia pars*: quia si mobile desineret esse in illo instanti, in quo deberet acquirere vltimum indiuisibile formæ, ad quam mouetur: motus ipsius non haberet vltimum mutatum esse, vt patet: ergo, &c.

## CONCLVSIO. III.

41 *Primum indiuisibile motus aliquando datur, aliquando non* : est contra *Ruuium lib. 6. Physic. c. 6.*

*Probatur prima pars* : non potest acquiri aliqua forma diuisibilis quin omnia indiuisibilia eius acquirantur ; sed calor vt quatuor sicut habet indiuisibile terminatiuum suæ vltimæ partis, ita habet indiuisibile initiatiuũ primæ partis, vt patet, eadem enim est ratio: ergo sicut non potest acquiri secundum se totum, nisi acquiratur illud vltimum indiuisibile terminatiuum, ita etiam non acquiritur perfecte, nisi acquiratur indiuisibile initiatiuum: sed illud indiuisibile initiatiuum acquiritur per indiuisibile initiatiuum motus, sicut indiuisibile terminatiuum acquiritur per vltimum indiuisibile motus : ergo datur quandoque in motu primum indiuisibile initiatiuum.

*Probatur secunda pars*: quod mouetur localiter ab vno loco ad alium continuum, non prius acquirit indiuisibile loco acquirendi, quam partem ipsius: ergo motus eius non habet indiuisibile initiatiuum. Cõsequentia patet, quia si motus ille haberet indiuisibile initiatiuum, deberet per illud acquiri indiuisibile initiatiuum loci, ad quem est motus. Probatur antecedens : quia indiuisibile initiatiuum sequentis loci est terminatiuum præcedentis ; sed dũ erat mobile in loco præcedentis, habuit illud indiuisibile iã acquisitum: ergo non acquirit illud per motum sequentem, neque per aliquid ipsius, & consequenter, quod primo acquiritur per illum motum est aliqua pars diuisibilis loci sequentis.

42 *Obijcies* contra primam partem Philosophus negat primum indiuisibile in motu: ergo, &c.

*Respondeo*, eum loqui de indiuisibili, quod vocatur mutatum esse.

*Obijcies* contra secundam partem : sequeretur illum motum non habere principium, & consequenter esse infinitum.

*Respondeo*, distinguendo antecedens : non habere principium intrinsecum positiuum, concedo : principium extrinsecum, in quo verificaretur, quod non esset motus, nego: & distinguo consequens: categorematice, concedo; syncategorematice, nego consequentiam.

*Dices* : si vllus motus potest initiari per diuisibile, quare non possit omnis sic initiari ?

*Respondeo*, quia aliquando supponitur ante motum esse acquisitum terminum acquirendum per indiuisibile ipsius, & aliquando non supponitur acquisitus : hinc enim potest aliquis motus habere indiuisibile initiatiuum suum, & aliquis non potest.

## QVÆSTIO VI.

*Quomodo incipiant & desinant res.*

43 HÆc etiam quæstio supponit constitutionem continui, & tẽporis ex partibus diuisibilibus in infinitum : nam si cõponeretur ex indiuisibilibus, esset extra controuersiã, quod omnis res inciperet in instãti intrinseco, in quo verum esset dicere, quod iã est res vel secundum se totum, vel secundũ aliquid sui, & immediate ante non fuit, nec secundum se totum, nec secundũ aliquid sui, nec minus esset extra controuersiã, quod desineret in instan i, in quo verum esset: iam hæc res non est, nec secũdum se, nec secundum vllam partem sui, & immediate ante fuit, vel secundum se, vel secundum a iquam partẽ sui. Supponit etiam præterea secundum communem resolutionem, quod præter partes dentur in continuo indiuisibilia ; alias non posset esse verum, quod communiter supponitur, res incipere, & desinere in instãti extrinseco, vel intrinseco: neque enim in eo, quod non esset, incipere, aut desinere posset : Verum quidem est, eos, qui non admittunt indiuisibilia, adhuc conari explicare, quomodo res incipiant ac desinant: sed suppositio hæc est secundum communiorem sententiam.

44 In hac ergo communi sententia, quandoquidem non possit assignari nec prima, nec vltima pars tẽporis, in qua res vlla, aut incipere aut desinere posset, recurritur ad aliquod instãs, in quo res dicatur incipere aut desinere, & quia nec res successiua, nec quę successiue producitur, potest produci in instãti, quia si sic produceretur, non esset successiua, nec successiue produceretur, sed simul: propterea dicunt assignanda esse duo instantia, in quorum alterutro omnis res incipit produci; & duo alia instãtia, in quorũ alterutro incipit desinere : illa enim de quibus verum est dicere : *in hoc instanti sunt, & immediate*

Quomodo incipiant & desinant res.

ante

*ante nõ erant*, dicuntur incipere in instanti extrinseco, & per primũ sui esse; & talia solum sunt res, quæ non producuntur successiue: illa vero, de quibus non est verum dicere; *iam sunt, & immediate ante non erant*; sed potius de quibus verum est dicere, quod *iam non sunt, & immediate postea erunt*, dicuntur incipere per vltimum sui non esse: & hoc instans vocatur extrinsecũ, quia non est verum dicere de rebus, quod sint in illo; vocatur etiã vltimum non esse, quia est vltimũ instans ex omnibus, quibus non fuit poducta res. Vnde patet duo esse instantia inceptionis rerum, intrinsecum, in quo verum est: *iam primo res est*; & intrinsecum, in quo verum est, *iam vltimo res non est*. Similiter aut res desinũt in instanti: in quo verum est dicere: *iam non est, & immediate ante fuit*, & dicitur desinere per instans intrinsecum, non quidem desitioni, sed potius durationi rei; ac etiam per primũ sui non esse, quia illud instans est primũ ex omnibus, quibus res post existentiã non est. Aut desinunt in instanti, in quo verum est dicere: *iam res est, & immediate post nõ erit*: & quæ hoc modo desinunt, dicuntur desinere in instanti intrinseco, non tamen desitioni, sed durationi; & etiam per vltimum sui esse, quia illud instans est vltimũ ex omnibus, in quibus res existit. Quod si aliquis vellet dicere rẽ vllam posse incipere in instanti, in quo nõ est, nec desinere in instanti, in quo est, excitabit quæstionem de nomine tantum; nec enim de re ipsa dubitari potest; nam certũ est posse dici de aliquibus rebus, quod in hoc instanti non sint, & immediate post erunt; & hoc est, quod significatur per inceptionẽ in instãti extrinseco, & per inceptionẽ secundum vltimum sui non esse: nec minus certum est posse dici de aliquibus rebus, quod in hoc instanti non sint, & immediate ante fuerint; & hoc est quod significatur per desitionem in instanti extrinseco, ac per desitionem secundum primum sui non esse.

## CONCLVSIO I.

45 *Non est necesse ad explicationem inceptionis ac desitionis rerum recurrere ad instantia extrinseca sic, quin æque bene possit explicari quando incipiunt ac desinunt, non recurrendo ad illa instantia ac recurrendo, etiam supponendo, quod dentur instantia temporis ac partes in infinitum diuisibiles.* Hæc est nullius, quod sciam.

*Probatur*: si esset recurrendum ad illa instantia, maxime propter entia successiua, quasi horum inceptio, & desitio aliter explicari non possit: sed potest: ergo non est necessario ad illa recurrendum.

Probatur minor: quia potest dici quod motus hodiernus inceperit hodie, & quod desinet post diem hodiernum.

*Confirmatur primo*: incipere rem aliquam est idem, ac esse pro aliquo tempore, ac immediate ante non fuisse; sed est verum quod motus hodiernus sit hodie, & quod non fuerit ante; ergo potest dici de ipso, quod hodie incipit.

*Confirmatur secundo*: qui dicunt quod motus incipit in instanti extrinseco, in quo verum est dicere, iam non est, & immediate post erit, debent admittere quod immediate post erit positiue quoad esse suũ; & quod ante illud tempus, quod immediate post erit, non fuerit: ergo possent dicere quod incipiat in illo tempore, quod immediate post erit, & sane non potest aliter dici de inceptione positiua intrinseca ipsius.

46 *Confirmatur tertio*: quia quando dicitur quod immediate post instans extrinsecũ, in quo motus non est, motus erit, supponitur esse aliquod tempus sequens: sed non est vllum tempus immediate sequens quoad omnes partes illius temporis, ita, vt quælibet pars ipsius temporis immediate sequatur, quia prior pars temporis immediatius sequitur quam posterior, sed solũ tempus immediate sequitur sic, vt inter instans illud, & omnes partes temporis sequentis collectiue acceptas, nihil mediet: ergo similiter quando diceretur quod motus incipere in tempore illo sequenti, nõ esset sensus quod motus inciperet in omni parte tẽporis sequentis, sed sensus esset quod motus quoad omnes partes suas habuerit esse in tẽpore illo, & quod non habuerit esse suum, nec vllius partis suæ ante omnes partes illius temporis collectiue acceptas: sed hoc est certum: ergo certum est quod incipiat in tempore illo immediate sequenti.

*Confirmatur quarto*: Quando quæritur de inceptione rei successiuæ, vel quæritur de inceptione eius quoad omnes suas partes collectiue acceptas, vel de inceptione ipsius quoad aliquam partem sui. Si primum, impossibile est assignare aliquod instans aut intrinsecũ, aut extrinsecum, in quo incipiat; quia alias non esset successiuum, cum suæ partes deberent necesario esse simul. Sed bene potest assignari tẽpus intrinsecum, in quo incipit, nimirum hora, aut dies, in quo verũ est dicere, motus ille habuit omnes suas partes in illa hora, & nunquam antea habuit omnes suas partes. Si secundum dicatur, cum vel quæritur de inceptione ipsius quoad partem aliquam determinatam, quæ secundum se totam accipit esse suum post non esse immediate præcedens ita, vt nunquam ante habuerit totum suum esse; & potest etiam assignari tempus intrinsecum, in quo sit, nempe si pars illa determinata, sit media pars motus horarij, potest dici quod incipiat motus horarius in prima media hora quoad primam partem simpliciter, ante quam non est vlla alia pars, & hoc modo non potest dici quod incipiat vnquam; quia non habet primam partem talem, vt patet ex dictis quæstione præcedenti.

## CONCLVSIO II.

47 *Non potest assignari vllum instans, in quo successiua per se, aut illa, quæ acquiruntur successiue, incipiant, nisi instans extrinsecum, vnde si debeant dici incipere in vllo instanti, debent dici incipere in instanti extrinseco, & per vltimum sui non esse.* Hæc est certa apud omnes: & *ratio est manifesta*, quia eo ipso, quod sunt successiua, aut quod successiue acquirantur, non potest fieri quod vlla pars ipsorum simul producatur, & consequenter nequit dici pro vllo instanti de ipsis: iam primo sunt & immediate ante non fuerunt. Sed bene potest assignari instans, in quo verum sit dicere: iam non sunt, & immediate post erunt: & illud instans est vltimum ex omnibus, quibus non acceperunt suum esse, & est extrinsecum durationi ipsorum, quandoquidem in eo non sint: ergo solum possunt dici incipere in instanti extrinseco, & per vltimum sui non esse.

Non potest assignari vllum instans in quo successiua incipiant nisi extrinsecũ.

## CONCLVSIO III.

48 *Non potest assignari aliquod instans intrinsecum, in quo successiua desinunt per vltimum sui esse, sed necessario debent desinere in instanti, in quo verum est dicere: iam non sunt, & immediate erant.* Hæc est extra controuersiam: *& patet*, quia cum sint successiua, nec secundum se tota, nec secundum vllam partem sui possunt esse in instanti; ergo nequit pro vllo instanti vere dici de ipsis, iam sunt, proprie loquendo: sed pro aliquo instanti potest dici de ipsis, iam non sunt, & immediate ante erant, & illud instans est primum instans, quo post esse non habuerunt esse: ergo non possent desinere per vltimum sui esse, sed per primum sui non esse.

Non potest assignari instans desitionis successiorum nisi extrinsecũ.

*Dices contra has duas conclusiones*: potest primum indiuisibile initiatiuum motus acquiri in instanti, & potest etiam vltimum indiuisibile terminatiuũ motus esse in instanti: ergo potest dici quod motus incipiat intrinsece in instanti intrinseco durationi eius, in quo verũ sit dicere: iam est motus, & immediate non fuit, & potest etiã desinere in instanti, in quo verũ est dicere, iam est motus, immediate post non erit. Probatur consequentia, quia in illo instanti, in quo acquiritur primũ indiuisibile motus, potest dici quod ipse motus sit, sicut & in instanti in quo acquiritur vltimum indiuisibile eius.

*Respondeo* distinguendo consequens: potest dici quod incipiat in tali instanti, quatenus aliquid spectãs ad motũ, sed quod non sit reuera motus, tum incipiat, concedo; & sic etiam potest dici quod desinat motus in tali instanti intrinseco, quatenus aliquid motus tum sit, & postea non erit, quod tamen non sit motus: potest dici quod motus secundum se tum incipiat, aut desinat,

quantenus aliquid, quod sit reuera motus aut successiuum sit in illis instantibus, nego consequentiam.

## CONCLVSIO IV.

Successiue acquisita possunt desinere in instanti intrinseco. & extrinseco

49 *Quæ successiue acquiruntur, sed non sunt essentialiter successiua, sed permanentia, & conseruabilia, vt calor, & frigus, ac similia, possunt desinere aut in instanti intrinseco aut extrinseco ita, vt possit dici de ipsis, aut quod iam sint, & immediate postea non erunt, aut quod iam non sint, & immediate ante fuerint* De hac etiam nequit esse controuersia vlla realis: & *patet*: quia Deus potest conseruare calorem productum per horam vsque ad vltimum instans istius horæ inclusiue, vt certum est, & potest non conseruare ipsum vlterius: sed in tali casu esset verum dicere: iam calor est, & immediate post non erit: ergo potest calor desinere per vltimum sui esse.

*Rursus*, posset conseruare calorē per horam, vsque ad vltimum instans, exclusiue, & nō conseruare ipsum in illo instāti: sed in illo casu desineret, & verum esset dicere iam nō est, & immediate ante erat: ergo potest desinere per primum sui non esse.

Indiuisibiliter acquisita desinant aliquādo intrinsece.

## CONCLVSIO V.

50 *Indiuisibilia quæcumque, & diuisibilia etiam indiuisibiliter acquisita, hoc est, quorum partes non producuntur successiue, incipiunt in instanti intrinseco per primum sui esse, ita, vt verum sit dicere: nunc sunt, & immediate ante non erant; desinunt etiam quandoque in instanti extrinseco per primum sui non esse; quandoque in intrinseco per vltimū sui esse.* Hæc quoad secundam partem est communissima: & *patet*, quia huiusmodi producta in instanti possunt nō conseruari vlterius, & sic desinerent in instanti intrinseco per vltimum sui esse: quia verum esset dicere, iam sunt, & immediate post non erunt; possunt etiam conseruari vlterius vsque ad aliquod instans, & in illo non conseruari: tum autem desinerent per primum sui non esse in instanti extrinseco, in quo verum est dicere; iam non sunt, & immediate ante erant: & sane hoc modo necessario debet desinere omnis forma substantialis, quæ per illam formam productam in instanti expellitur: nam in instāti, in quo producitur forma expellens, non potest existere altera forma, aliàs duæ formæ contrariæ essent simul in eodem instanti reali, in gradibus, in quibus opponuntur; & si possent esse pro vno instanti simul, possēt pro tota æternitate, & consequenter non essent cōtrariæ: ergo debet non esse tum forma expellenda, & eadem debet esse in tempore immediate antecedenti: alias materia prima naturaliter esset absque vlla forma substantiali pro aliquo tempore.

51 *Dices*: forma expellens est causa formalis expulsionis: ergo debet prius esse in materia, quam fiat expulsio; sed antequam fiat expulsio, debet esse forma expellens; ergo pro aliquo priori sunt simul forma expellenda, & expellens.

*Respondeo*, distinguendo subsumptum: debet esse forma expellenda ante expulsionem negatiue in prioritate aliqua naturæ, transeat subsumptum; debet esse prius positiue, nego subsumptū. Et ne difficilis hæc doctrina appareat, confirmanda est exemplis certis, & communiter admissis. Itaque, quemadmodum prius est negatio volitionis, ac nolitionis in potentia volitiua, quam exerceat actum, quia per actum formaliter expellitur illa negatio; & quemadmodum materia prima producta simul cum forma substantiali prius natura habet priuationē formæ substantialis, quam ipsam formam; cum tamen certū sit, quod negatio non sit positiue in voluntate ante actum, aut priuatio in materia positiue ante formam, quia alias contradictoria essent simul vera simpliciter loquendo de eodem subiecto, verbi gratia, habere formam & non habere formam pro aliquo instanti tēporis: quæ enim sunt positiue in aliquo subiecto pro aliquo instanti etiā naturæ, simpliciter dicuntur de ipso pro instanti temporis, in quo omnia instantia naturæ includuntur: ita forma expellenda potest esse negatiue in materia ante expulsionem, licet non possit esse positiue in illa.

Quid est formam esse ne.

*Si autem quæras*, quid est formam esse negatiue in materia, aut subiecto ante expulsionem.

*Respondeo*, non esse aliud, quam quod forma esset ibi, quantum est ex parte subiecti, & formæ, nisi aduenisset impedimentum alterius formæ incompatibilis, ac consequenter expulsionis. Vnde si intellectus cōsideraret subiectum sub aliqua forma in aliquo tempore, aut instāti, quia non habet ex natura subiecti, aut formæ rationem aliquam ob quam posset considerare formam nō manere in illo subiecto, nisi consideret aliam formā non manere in illo subiecto, nisi consideret aliam formam aduenire; propterea potest existimare, quod forma sit in aliquo priori in illa materia, & quod expellatur per formā posterius aduenientem. Reuera autem forma non est tū, sed esset; & alia forma non expellit ipsam per aliquem influxū positiuum, sed eatenus expellit ipsam, quatenus positio ipsius est causa, quare illa non ponatur in illo instanti. Vnde non debet proprie loquendo intelligi forma esse ibi pro illo instanti, quia reuera non est tum; sed debet intelligi quod esset, nisi altera forma poneretur: & in hoc consistit causalitas formalis expulsiua, quam exercet forma, quæ aliam expellit: de quo in re nequit esse difficultas.

Ga ine. in subiecto ineſſe positiuè.

54 *Probatur prima pars conclusionis*, quæ est etiam communis, licet aliqui putent tales formas, non tam necessario produci in instanti, quin possint produci in tempore.

Indiuisibiliter acquisita semper producuntur in instanti.

*Probatur* inquam, hæc pars: quia cum sint indiuisibilia, seu indiuisibiliter producibilia, nihil impedit quo minus in instanti semper producantur: & ex alio capite cōnaturalius est, quod sic producantur, quam quod producantur in tempore.

*Probari solet secundo* communiter quia implicat produci rem indiuisibiliter productam in tempore: ergo necessario debet produci in instanti.

Probatur antecedens: quia si producerentur in tēpore, deberet produci tota secundum omnes partes in toto illo tempore, & non secundum partem in parte tēporis, & aliam partem in alia parte tēporis. aliàs non produceretur indiuisibiliter: sed nō posset sic produci, quia eo ipso quo produceretur tota in prima parte temporis, non posset produci in secunda parte; nam productio dicit ordinem ad non esse præcedens rei productæ; sed productio rei in secunda parte temporis non diceret talem ordinē, quoandoquidem supponatur res producta in priori parte temporis: ergo non esset productio; sed potius conseruatio.

*Hæc probatio*, si valet, euidēter probat dari indiuisibilia in tempore, quia certum est res indiuisibiles, vt Angeli, & indiuisibiliter productas, vt lumen in aëre, & animæ viuentium, saltem perfectorum, posse produci, ergo cum nequeant produci in tempore, iuxta hanc probationem, debent necessario produci in instanti: imo illa ipsa productio ipsorum potest esse instans extrinsecum, quo durario aliarum rerum instantanearum mensurari possit. At reuera non caret difficultate hæc probatio: nam sicut post productionē instantaneā possunt conseruari in suo esse in tempore immediate sequenti, & hoc siue per eādem ipsam actionem, qua producebantur, vt multi putant, siue per aliam diuersam, vt existimant alij: ita videtur fieri posse, vt quamuis non producerentur in instanti antecedenti, possent produci primo in illo tempore.

53 *Confirmatur*: quia si actio illa, per quam producitur in tempore, sit illa, ipsa actio, per quam producitur in instanti, existentia ipsius in tempore illo nō videtur depēdere vlla ratione ab instāti antecedēti; neque enim assignari potest, in quo genere causæ dependeret, nec etiā ostendi potest quomodo existētia illa instantanea possit habere rationē conditionis sine qua non ad existentiā eiusdē actionis in tēpore post instans; & vniuersaliter loquēdo nō videtur, quod vlla res existens pro tempore posteriori possit habere necessariā, ac immediatā dependentiā ab vllo existente tēpore, aut instanti priori, vnde nec vlla causa per se effectus debet existere tempore ante ipsum effectum, &, si existat, id impertinens est ad productionem effectus. Quod si actio, qua ponitur res in tempore, sit illa actio, eadē ratione, & forte clarius

sequitur

sequitur, quod non possit habere dependentiam ab actione instantanea priori.

54 *Dices*: rem indiuisibilem conseruari posse in tempore, quia in hoc nulla est repugnantia; nam ad conseruationem non requiritur, nisi productio cũ respectu ad esse immediate præcedens. Supposito autẽ, quod res producatur pro instanti ante tempus, si maneat aut eadem productio, aut adueniat alia pro tempore sequenti, dicet respectum ad esse rei immediate precedens, & consequẽter potest habere rationẽ conseruationis. At talis res nõ potest produci primo in tempore: hoc enim implicaret, quia productio dicit respectum ad non esse immediate præcedens: sed in tempore illo nullũ est instans, nec pars temporis, in quo possit dici: iã est res illa, & immediate ante non fuit; quandoquidem non detur prima pars in tempore illo, nec primum instans: ergo res non potest produci in illo tempore, quamuis posset conseruari.

*Contra*: quia licet non posset assignari aliqua pars, aut instans, in quo primo producatur res; tamen potest ita produci in illo tẽpore toto sic, vt verum sit dicere, quod sit in illo tempore, & quod non fuerit in instanti immediate præcedenti. Deinde quamuis non posset propter hanc replicam incipere in instanti, aut tempore intrinseco, quemadmodum nec successiua incipiunt; posset tamen incipere in instanti extrinseco, in quo verum est dicere: iam non est, & immediate post erit.

55 *Confirmatur*: vt res permanens ac indiuisibi is producatur simpliciter, non est necesse, vt possit assignari aliquod instans, in quo dicatur, iam est, & immediate ante non fuit; vt patet manifeste in creatura, quæ produceretur ab æterno: ergo nec, si producatur in tempore, est necesse assignare tale instans.

*Præterea*, Angelus productus in instanti potest non conseruari vlterius, & ipsa non conseruatio ipsius est intrinsece in tempore sequenti; ergo productio etiam ipsius posset esse in illo tempore: quidquid enim difficultatis est de productione, est de desitione, meo iudicio. Hoc est quod occurrit mihi contra prædictam probationem; quam qui voluerit tamen amplecti, soluat hanc difficultatem.

## CONCLVSIO VI.

56 *Non datur modus incipiendi aut desinendi, præter prædictos, supposito quod continuum componatur ex partibus diuisibilibus copulatis indiuisibilibus.* Hęc est communis contra quosdam recentiores, qui volunt etiam aliquas res incipere sic, vt verum sit de ipsis dicere: in hoc instãti est res, & immediate etiã ante fuit; sic tamen, vt nõ possit assignari aliquod determinatum instans, in quo verum sit dicere, quod fuerit, quia scilicet producta fuit in tempore indeterminato; & qui similiter volunt quasdam res sic desinere, vt verum sit dicere de ipsis: in hoc instanti non sunt, & immediate ante non fuerunt; sic tamen, vt inter instans, quo inceperunt, & instans huiusmodi, quo desinunt, non possit assignari aliquod instans, in quo verum sit dicere, quod non sint. Quod si quæratur quomodo possit dici incipere res in instanti, ante quod possit dici, quod fuerit; aut desinere in instanti, ante quod verum sit dicere, quod non fuerit; respondebũt fortassis, quod dicatur tum incipere, quia illud est primũ instans determinatum, in quo non sit; & dicatur tum desinere, quia illud est primum instans determinatum, in quo verum sit dicere, quod non sit.

*Probatur conclusio*: sicut assignari potest instans determinatum post tempus indeterminatum, in quo res antecedenter fuit, ita potest signari instãs determinatũ antecedenter ad tempus illud indeterminatum; neque enim est maior ratio de vno, quam de altero: ergo posset recurri ad illud instans antecedens, tanquam ad instans inceptionis rei, in quo verum esset dicere, iã res non est, & immediate post erit, iuxta vnum ex modis incipiendi supra specificatis, & communiter admissis; & sic frustra recurritur ad hunc nouum incipiendi modum.

*Confirmatur*: quia absurdum esset, quod Deus non sciret, quãdiu habuit negationem alicuius actionis successiuæ, quam habere debet in tempore: ergo potest assignare vltimum instans, in quo verum est dicere, iam nõ habuit illam actionem, & immediate post eã habebit: ergo non potest assignari aliqua actio ipsius aut res producta per actionem, quin verum sit dicere determinate, pro hoc instanti non est actio illa, aut res producta per actionem, & immediate post erunt.

57 *Confirmatur secundo*: quia si detur primũ instans determinatum post tempus indeterminatũ, in quo res sit, vt datur secũdum aduersarios, ac instans vltimum determinatum, in quo vltimo res non sit, vt debet dari ex iã dictis, sequitur quod tempus intermedium sit determinatum: tempus enim quodcumque, cuius extrema sunt determinata, est determinatum. Sed hinc vlterius sequuntur duo absurda; vnum quod tempus, quod volunt assarij esse indeterminatũ, nõ sit indeterminatũ, quod est contradictio; Alterũ, quod possit assignari aliquod instans ante instans inceptionis assignatũ ab aduersariis, in quo verum sit dicere, quod res sit, vel secundũ se totã, vel secundum aliquã partem sui, quia inter quęcumque duo instantia determinata potest Deus assignare aliquod aliud instans determinatũ: ergo in illo instanti potest dici, quod res sit; neque enim potest dici, quod res non sit; alias instans antecedens tẽpus illud non esset instans vltimum, in quo verum esset, iam vltimo res non est, cum daretur aliud instans posterius, in quo non esset: Hoc argumẽtum probat non dari modum inceptionis ab aduersarijs significatum, & simile potest fieri facile contra modum desitionis, de quo eadem est ratio, ac de altero inceptionis, quantum ad hoc.

*Confirmatur tertio*: quia absurdum videtur, quod Deus non sciat quantum temporis impenderit in productione alicuius rei, nec posset scire quantum excesserit duratio vnius rei durationem alterius: sed hoc non sciret secundum aduersarios, quia si non vellet rem, quæ incepit determinate in hoc instanti, & indeterminate in tẽpore indeterminato antecedente, vlterius conseruare, nõ posset ostendere quandiu extiterit, aut quamdiu res conseruata per integrã horam extiterit diutius, quam illa res: si enim posset id ostendere, iã tempus indeterminatum non esset indeterminatum. Adde ad hæc sine necessitate, aut fandamen o excogitati hunc modum incipiendi, aut desinendi, vt patebit ex solutione obiectionum.

58 *Obijcies primo*: Deus potest imponere homini præceptum amandi ipsummet aliquando ante mortem, non determinando aliquod tempus. Sed si talis non amaret, nisi immediate ante mortem, non transgrederetur præceptum; nec potest assignari, quando determinate obligabitur ante mortem, quia quodcumque instans assignaretur, adhuc remaneret tempus obseruandi præceptum: ergo peccatum ipsius incipiet indeterminate, & consequenter gratia ipsius expulsa per illud peccatum desinet indeterminate.

*Respondeo*, talem non posse obligari pro tempore indeterminato, vt volũt aduersarij: Sed obligabitur pro quocumque instanti, aut tempore determinato, pro quo aduertit periculum esse, nisi tum obseruet præceptum, non posse obseruare illud postea, aut timendũ esse probabiliter, quod non possit; nec in hoc est aliqua difficultas.

59 *Obiicies secundo*: Sacramenta, quæ sunt entia successiua, causant gratiã: sed non causant ipsam in instanti, in quo non sunt: ergo in parte indeterminata, in qua sũt secundum aliquam partem indeterminatã sui: ergo gratia incipit in instanti, in quo desinunt Sacramenta extrinsece; sic tamen, vt verum sit dicere, iam sunt, & immediate ante erant, licet non possit determinari instans aliquod, in quo ante erant.

*Respondeo primo*: si ideo Sacramenta non causant gratiã in instanti, in quo non sunt, quia non sunt in illo instanti, & quod non est nequit aliud producere; etiã ea nõ posse causare gratiã in parte indeterminata, quia neque sũt in parte illa indeterminata Et si dicas, quod sint in illa parte, quia sunt ibi secundũ partẽ aliquam sui, possunt etiam dici causare gratiã in instanti, in quo verũ est dicere, iã non sunt, & immediate ante erãt, quia sunt in illo

instanti secundum vltimum indiuisibile terminatiuum sui esse; vnde non est recurrendum ad partem indeterminatam.

*Respondeo secundo* directe, negando antecedens; cum enim causent moraliter, secundum veriorem sententiã, bene possunt causare quando non sunt. Quod si etiam causarent physice, adhuc causare possent, vt paulo ante dixi, tum ratione sui indiuisibilis terminatiui, tam bene quam possent causare in parte indeterminata temporis, ratione partis indeterminatæ suæ.

## QVÆSTIO VLTIMA.

*Vtrum corpora continua habeant terminum suæ magnitudinis & paruitatis.*

60 DVo sunt corporum continuorum genera, de quibus dubitari potest quantum ad hãc quæstionẽ; vnum enim est eorum, quę non sunt ordinata ad animam, vt sunt homogenea, verbi gratia ignis, aqua, oleũ, vinum. Alterum eorum, quæ sunt ad animam ordinata, vt sunt organica corpora, hominis, verbi gratia, leonis, formicæ, &c.

Terminus autem magnitudinis & paruitatis alicuius rei est duplex; vnus intrinsecus: extrinsecus alter.

*Terminus intrinsecus magnitudinis* est illa quantitas, sub qua res ita esse potest, vt non possit sub maiori esse, vt si homo possit esse quinque cubitorum, & non maior; tum enim si haberet quantitatẽ quinque cubitorum, haberet terminum intrinsecum magnitudinis suę; vocatur autem hic terminus à philosophis *maximum quod sic*, quia est maxima quantitas, quam res potest habere.

*Terminus extrinsecus magnitudinis* est illa quantitas, quam res habere non potest, sed habere possit quamcũque minorem; vt si homo habere non possit magnitudinem sex cubitorum, possit tamen habere quamcumque minorem, tum magnitudo sex cubitorum esset terminus extrinsecus magnitudinis hominis. Et hic terminus vocatur *minimum quod non*, quia ex omnibus quantitatibus, quas res habere nequit, maioribus sua quantitate, illa est minima.

*Terminus intrinsecus paruitatis* est illa quantitas, quam res habere potest, & qua minorem habere non potest, vt si homo possit conseruari sub magnitudine vnius cubiti, sed sub minori conseruari non possit; ista quantitas cubitalis esset terminus intrinsecus paruitatis eius. Hic terminus vocatur *minimum quod sic*, quia est minima quantitas, sub qua res potest esse.

*Terminus extrinsecus paruitatis* est illa quantitas, sub qua res esse non potest, sed sub quacũque maiori vsque ad terminum intrinsecum vel extrinsecum magnitudinis suæ possit esse: & hic terminus vocatur *maximum quod non*, quia ex omnibus quantitatibus minoribus quantitate sua, quam non potest res habere, illa esset maxima. Quæritur ergo modo, vtrum corpora naturalia siue viuentia siue non viuentia habeant terminos intrinsecos vel extrinsecos suæ magnitudinis, & paruitatis naturaliter, nam de potentia Dei absoluta non est alia difficultas hic præter eam, quam habuimus in disputatione de Infinito, in qua resoluimus Deum posse producere corpus infinitæ magnitudinis: quod si etiam non possit, non est vlla implicantia quocumque finito corpore maius vel minus producere: vnde in ordine ad ipsius potentiam non potest assignari terminus finitus determinatus magnitudinis aut paruitatis.

### CONCLVSIO I.

61 *Corpora non viuentia seu non ordinata ad animam non habent terminum finitum determinatum magnitudinis aut paruitatis.* Hæc est *Scoti* 2. *d.* 2. *q.* 9. *n.* 31. quem præter suos sequuntur recentiores communiter, speciatim *Ruuius* 1. *Physic. cap.* 4. *qu.* 2. *Auersa q.* 38. *sect.* 1. *Amicus tract.* 16. *qu.* 2. *Arriaga disp.* 3. *de generat. num.* 51. contra *Thomistas* communiter, quorum tamen aliqui concedunt conclusionem quoad terminum magnitudinis, negant quoad paruitatem: alij eam negant quoad vtrumque vt *Complutenses disp.* 27.

*Probatur prima pars*: quia corpora aliqua huiusmodi quo maiora sunt, eo maiorem habent in se virtutẽ agendi, vt patet in igne: ergo assignata quacũque magnitudine finita ignis, si applicetur stupa, poterit ipsam cõburere, & conuertere in ignem, eoque igne sibi continuato se augere quoad magnitudinem, quantum est ex natura sua, nisi eousque creseeret, vt iam non esset amplius locus vlterius occupandus, nec plus materiæ in quam ageret; quo casu haberet quidẽ terminum, vltra quem non posset crescere, sed hoc non esset ex natura sua, sed ab extrinseco, & consequenter impertinenter ad quæstionem præsentem: ergo non datur terminus vllus determinatus, vltra quem ignis excrescere non posset naturaliter, quantum est ex se, si haberet locum quem occupare posset, & materiam in quam ageret.

*Confirmatur hoc*: quia ignis in minori quantitate, quam esset ignis maximus possibilis, posset augere suam magnitudinem per combustionem materiæ combustibilis sibi applicatæ: ergo & ignis ille maximus.

Probatur consequentia: quia ignis virtus non diminuitur vlla ratione per additionem partium ignis, quibus redditur maximus, vt manifestum est: ergo si in minori quantitate potest augere se, poterit in maiori; & sane oppositum videtur prima facie tam impossibile, vt mirum sit viros doctos id tenere.

62 *Complutenses respondent primo*, satis probabile esse, quod ignis maximus possibilis possit in se conuertere stupam applicatam; sed tum, inquiunt, ignis ille nõ esset in statu debitę dispositionis vel conseruationis, sed in statu corruptionis ac viæ ad interitum: quando autem ipsi dicunt corpora habere terminum intrinsecum magnitudinis, loquũtur de illis, vt sunt in statu debitæ dispositionis ac conseruationis.

*Contra*: quia adiunctio aliarum partium ignis non ponit ipsum in statu corruptionis, aut viæ ad interitum magis quam ante erat: tum quia, vt dictum est in probatione, & patet ad sensum, quo maior est ignis, eo magis resistit, & difficilius corrumpi potest; tum quia illa pars adiuncta non diminuit aliquid de qualitatibus conseruatiuis ignis, nec agit vllo modo in partes priores, nec auget virtutem actiuam agentium contrariorum: ergo non reducit ignem ad statum interitus, aut indebitæ dispositionis.

63 *Respondent secundo* ex *Caiet.* & *Nazario*, in eo casu ignem combusturum quidem stupam, sed non vniturum sibi ignem ex eo generatum vnione continuatiua, sed tantum contiguatiua; & quamuis oppositũ appareret sensui, corrigendus esset, sicut in alijs casibus corrigi debet.

*Confirmant hoc*: virtus, quam habet ignis ad vniendũ sibi nouam materiam, habet statum suum non minus, quam augmentatiua in homine: ergo sicut hæc quando pertingit ad statum suum, nequit vlterius aliquid homini adiungere, quo crescat, ita nec illa igni.

*Hæc responsio* non magis sufficit, quam præcedens, nec minus est incredibilis; quod probo: quia ignis minoris virtutis, aut saltem non maioris nempe ignis minor, non solum habet virtutem productiuam ignis, sed vnitiuam sibi, secundum aduersarios: ergo & ignis maximus, quem assignant ipsi, qui vel est maioris virtutis, vel certe non minoris.

*Confirmatur*: quia ignis non habet virtutem vnitiuam alterius ignis sibi, nisi producendo ipsum in parte propinqua ac contigua: ergo si ignis maximus producat ignem alium in parte sibi propinqua, habet virtutem continuatiuam non minus, quam ignis minor.

*Confirmatur secundo*: quia duo ignes non habent continuari ex se, ex eo, quod vnus alterum producat, sed ex eo, quod applicentur inter se contigue; vnde si sic applicarentur, quamuis vnus alterum non produceret, adhuc continuarentur, nec continuatio illa fit virtute magis vnius, quam alterius: ergo quando sic applicaretur ignis aliquis igni maximo, continuarentur; & quamuis non esset ad illam continuationem virtus sufficiens in igne maximo (quod tamen ridiculum esset

somnia

somniare) esset tamen in paruo igne applicato, modo sit in vllo igne.

64 Ad illud de corrigendo sensu, fateor eum debere sæpe corrigi, sed non nisi, quando vrget ratio: quod non contingit in proposito, vt patebit ex solutione obiectionum.

*Ad confirmationem respondeo*, negando antecedens cuius falsitas patet ex duobus capitibus. Primo, quia de facto videmus hominē quēque peruenire ad talem terminum, vltra quē nequit se augere virtute augmentatiua; sed de facto id non videmus de igne, vt fatentur ipsimet *Complutenses num.* 16. & patet experientia. Secundo quia iidem Authores concedunt igni virtutem productiuam ignis vlterioris vltra terminum suum, licet nō vnitiuam ipsius; sed tamē non admittunt hoc de virtute augmentatiua hominis.

Ratio etiam disparitatis est, quod augmentatiua virtus debilitetur per deperditionem partium, & acquisitionem partium imperfectiorum, ac actionem aliarum causarū successu temporis; & etiam propter indispositionem materiæ, quam augere deberet, verbi gratia, ossiū & neruorū, quæ, quo duriora sunt, eo minus sunt apta ad augmentum suscipiendum; ignis autem virtus non debilitatur per acquisitionem aliarum partium ignis; nec materia applicabilis, ideo redditur ineptior ad conuersionem sui in ignem.

65 *Probatur secunda pars conclusionis*, de termino parvitatis: quia assignata minima parte ignis, sub qua minori non posset existere secundū aduersarios, illa pars esset diuisibilis, alias non esset continua, aut continuum componeretur ex indiuisibilibus (cuius oppositum hic supponimus; nā si componeretur ex indiuisibilibus, pars illa, quæ constaret ex duobus indiuisibilibus, esset minima pars cōtinua, qua minor nō posset dari, quæ esset continua, & absolute, & simpliciter indiuisibile esset minima pars continui, qua minor non posset dari, quamuis non esset pars continua, cū non esset constans partibus) sed si diuideretur, non eo ipso præcise, quo diuideretur, deberet desinere ignis sub vtraque parte: ergo non potest assignari minimus terminus huiusmodi corporum.

*Confirmatur*: quia materia prima, quæ est sub quantitate ignis illius minimi, non potest annihilari, aut destrui facta diuisione illius ignis: ergo materia prima non habet terminum paruitatis suæ: sed certe, si materia non habet, nec alia corpora homogenea habent ex se talem terminum, quia est eadem ratio de ipsis, ac de materia prima quantum ad hoc.

*Respondent Complutenses primo*, retorquendo argumentum contra Scotum assignantem viuentibus terminum paruitatis: sed de hoc postea conclusione sequenti.

66 *Respondent secundo*, posse quidem ignem minimum diuidi; sed non futurum eum tum in termino debitæ dispositionis, ac conseruationis.

*Contra*: quia præterquam quod hoc sit euadere difficultatem, recedendo ab ipsa vera controuersia, quæ est, an reuera detur terminus magnitudinis, quoad paruitatem, qualem secundum hanc responsionē absolute concedūt Complutenses non minus, quā Scotistæ; præter, inquā hoc ex illa diuisione præcise non oritur, quod vlla pars ex illis partibus per se sit minus in statu debitæ dispositionis quam ante: neque enim ex diuisione præcise vlla pars ex partibus relictis, perdit aliquā qualitatem cōseruatiuam sui; & si non accederet actio aliqua causarū aliarum, semper cōseruaretur in esse quælibet pars post diuisionem; tam bene, quam pars ipsa diuisa: ergo ex se esset in statu debitæ dispositionis. Verum quidem est quod diuisio illa conduceret ad hoc, vt posset facilius corrumpi, quia vtraque pars simul sumpta fortius resisteret contrariis, quam alterutra seorsim sumpta: sed hoc est per accidens, & à nullo negatur.

*Confirmatur*: quia etiam illa pars, quā aduersarij dicunt minimā, potest dici esse in statu corruptionis, ac nō esset consequenter in statu debitę dispositionis ac cōseruationis, sicut ipsi dicunt de partibus, in quas diuideretur: ergo responsio est nulla. Probatur antecedēs: quia sine dubio ipsi assignabunt valde paruam partem, verbi gratia, scintillam aliquam exiguam ignis pro minima parte, quam assignent pro termino magnitudinis, quoad paruitatem sed certū est illam exiguam partem facile ab agentibus contrariis corrumpi, & eam naturaliter de facto non diu persistere: ergo potest dici, quod non sit in statu debitæ dispositionis, ac conseruationis.

67 *Respondent alij*, partem minimam ignis, verbi gratia, posse quidem diuidi, vt quanta est, non tamen vt est substantialis.

*Contra primo*, quia cuicumque conuenit essentia, cōuenit proprietas rei: sed illi parti minimæ conuenit esse quanta & extensa: ergo conuenit ipsi diuisibilitas consequens ad quantitatem, & extensionem.

*Contra secundo*, quia implicat illam quantitatem posse diuidi, quin distantia, quæ est sub ipsa, possit diuidi: sicut implicat quantitatem ligni bipalmarem diuidi, quin diuidatur ipsa substantia ligni.

*Confirmatur tertio*, quia cuilibet parti ex partibus ipsius quātitatis correspōdet sua propria pars substantiæ; nec enim est eadē pars, quæ est sub vtraque parte: ergo diuisa quātitate, maneret sub ipsa naturaliter sua propria pars istius substātiæ, nisi poneretur aliquod agēs extrinsecū, quod eā corrūperet; de quo casu nō loquimur, quia est per accidens, quod adesset tale agens, & desitio substantiæ nō oriretur ex eo quod substātia illa hāberet terminum magnitudinis quoad paruitatem ex natura, sed ex eo, quod adesset aliqua causa extrinseca corrumpens, quod valde hic aduertendum est.

*Conimbricenses* aiunt, posse quidem diuidi illam substantiam minimam, & quoad quantitatem, & quoad substantiam, sed non posse illam produci, aut conseruari in minore quantitate, quam sit quantitas illa minima; quia natura nequit generare, aut conseruare aliquid, nisi in ordine ad operationem; determinata autem magnitudo requiritur ad operationem.

*Contra*: quia quælibet pars in partibus inclusis in parte minima, est determinata, & habet etiam determinatam operationem sibi correspondentem: ergo quantum ad hoc nihil deest, quominus & produci & conseruari possit à natura.

68 *Probatur secundo* eadem pars conclusionis & simul impugnatur responsio Conimbricensium: agens naturale approximatum passo diuisibili, prius, & fortius agit in partes viciniores, quam remotiores: ergo quacumque minima parte stupæ applicata igni, v.g. ignis aget prius in parte viciniori ipsius, quam remotiori: ergo natura habet virtutem generatiuam formæ in minori magnitudine, quam sit minima vlla determinabilis: quod si possit generari in minori quantitate, poterit etiam & conseruari, quantum est ex natura sua.

*Respondent Complutenses*, nōn posse produci formam in parte viciniori, donec dispositio qualitatiua necessaria introducatur per totam partem minimam, quoad partes viciniores, ac remotiores.

*Contra*: quia dispositio qualitatiua requisita ad introducendam formam prius producitur in parte viciniori: ergo & ipsa forma.

*Confirmatur*: quia absurdum videtur, quod ad introductionem formæ diuisibilis, cuius pars reperitur in hac parte, sit dependentia vlla à dispositione alterius partis eiusdem rationis, in quam illa pars formæ introduci nequit, præsertim si forma non sit actus corporis organici. Adde gratis dici quod dispositio illa debeat introduci in totam illam partem minimam, & inde sequi quod agēs naturale non prius ageret in partem propinquam, quam remotam, dum producit formam homogeneam non respicientem essentialiter subiectum diuersarum partium heterogenearum.

*Confirmatur*: quia si ignis minimæ quātitatis poneretur extra Cælum, posset ab Angelo diuidi: & tum quęro, an maneret pars ignis sub qualibet parte quantitatis necne. Si sic, habeo intentū; si non, ergo annihilaretur materia prima, vel diuisa maneret sine forma, quod nequit fieri

secundum Thomistas diuinitus:& qua ratione materia potest esse sub minori quantitate,posset etiam esse ipsa forma:non posset autem annihilari virtute creata.

*Caietanus respondet* annihilandam, sed virtute tamen diuina.

*Contra*: quia nihil obligaret Deum ad ipsam annihilandam.

*Respondent Conimbricenses*: Angelum non posse diuidere illam.

*Sed contra*:quia nihil impedit, cum sit diuisibilis: si tamen Angelus potest diuidere aliquid continuum.

69 *Obiicies* contra primam partem Philosophum 2.de anima *tex.*41.dicentem: *Eorum omnium quæ à natura sunt,est finis tam magnitudinis,quam accretionis.*

*Respondetur*, eum loqui de viuentibus:neque refert, quod loquatur vniuersaliter de constā ibus natura, quia capit a iquando naturam pro vita, & quod ita capiat hoc loco manifestum videtur,quia alias falsū esset,quod dicit,nam inanimata, quæ constant natura in alio sēsu, non habent terminum,aut finem accretionis proprie loquendo,quandoquidem crescere proprie conueniat solis viuentibus.

*Obiicies secundo*:omnis forma naturalis est definita ad certam,ac determinatam perfectionem: ergo & ad determinatam quantitatem.

*Confirmatur*:quia ex eo,quod sit determinata ad certā perfectionem, petit qualitates conseruatiuas in certo termino:sed quantitas est dispositio conseruatiua: ergo petit illam in certo termino.

*Respondeo* distinguendo antecedens: quoad speciem, concedo antecedens, quoad extensionem,aut numerū effectuum à se producendorū,nego antecedens, & consequentiam:Quod autem non sit determinata ad certā perfectionem,quoad extensionem,aut numerum, patet, quia hic numero ignis potest producere infinitos,& ipsimet *Complutenses* concedunt,ignem maximum, qui potest dari,posse producere alias partes ignis.

*Ad confirmationem respondeo* similiter distinguendo antecedens:petit qualitates conseruatiuas in certo termino intensionis,transeat;extensionis,nego antecedens,& concessa minori, nego consequentiam: quia tam bene potest disponere ad conseruationem ipsius in maiori quantitate quacumque,quam in minori.

70 *Responderi potest secundo* ad obiectionem & confirmationem, omnem quidem formam finitam habere determinatam perfectionem & quantitatem,ac qualitates conseruatiuas tam quoad intensionem,quam quoad extensionem: ita vt eadem numero forma sine additione aliarū partiū nequeat esse sub maiori,ac minori quantitate in infinitū,saltem naturaliter loquendo:sed non ita quin possit esse sub maiori quātitate,modo adiungātur ipsi aliæ partes. In hoc autem sensu, in quo solum vera sunt antecedens probationis,& maior confirmationis,nō faciunt ad propositum, quia non contendimus, quod forma trium palmorū possit esse sub quantitate centū palmorū. Itaque bene potest ignis triū palmorū esse determinatus ad comburendum tanto tēpore tantum materiæ sibi applicatæ,ita, vt amplius pro eodem tempore nihil comburere possit;sed idem ignis auctus per ignem tum productum poterit sine dubio vlteriorē ignē producere. Imo argumentum aduersariorum retorqueri potest: formæ sunt ita determinatæ ad agendum, vt quo maiores sunt, plus possint cæteris paribus, quam quæ minores, ergo ignis maximus plus poterit quam minimus: ergo si minimus potest adiungere sibi alias partes, poterit & maximus,nisi ostendatur impedimentum.

*Confirmatur*:quia ignis quicumque haberet determinatam perfectionem, quamuis posset augeri in infinitum: ergo ex determinata sua perfectione non sequitur,quin fic possit augeri.

Probatur antecedens:quia haberet determinatā perfectionē:tum quia non posset quæcumque facere, nec esset infinitæ perfectionis; tum quia non posset agere, nisi intra certam,ac determinatā sphæram:tum quia non posset tanto tempore,nisi tot alias partes sibi vnire:tum quia non posset absque additione partium;nisi tantum quantitatis accipere,& tantum loci replere:sed non obstantibus his determinationibus posset augeri quicūque ignis finitus cuiuscūque magnitudinis. Quod autē vllus ignis habeat talē determinationē, vt augeri non possit, aut fieri minor extensiue, nunquam probari poterit ab aduersarijs.

71 *Obycies* contra secundam partem: potest esse tam exigua materia,in qua forma non viuentis, verbi gratia ignis, nequeat operari:ergo nequit naturaliter conseruari sub illa forma.

*Respondeo* negando antecedens, quia in quantumuis minima materia potest aliquam operationem minimam correspondentem exercere.

*Obiicies secundo*:si non viuentia possint esse sub quacūque minima quantitate, maxime quia essent homogenea:sed hæc ratio nihil probat,quia alias forma viuentium nata informare carnem homogeneam posset esse sub minori & minori quantitate:ergo,&c.

*Respondetur* distinguendo maiorem:quia sunt homogenea quomodocumque:nego maiorem; quia sunt homogenea non ordinata ad constitutionē corporis organici, nec nata informari ab anima,quæ est actus corporis organici, concedo maiorem, & nego minorem in sensu, quo conceditur maior,nec in illo sensu probatur, sed in alio sensu; & nego etiam consequentiam.

## CONCLVSIO II.

72 *Viuentia habent determinatum terminum magnitudinis, ac etiam paruitatis sic, vt virtute sua propria non possint augere se vlterius, nec subsistere in quacumque minima quantitate.* Hæc est communis cum *Philosopho 4. de generatione animalium c.* 5.& 2.*de anima tex.*41 quem sequitur *Scotus* 2.*d.* 2.*q.*9. *D.Thomas* 1.*p. q.* 7. eorumque sequaces cum recentioribus.

*Probatur prima pars*,experientia, qua constat animalia nō crescere, quando perueniunt ad certum terminū:cuius ratio à priori potest esse,vel quod calor naturalis deseruiēs ad augmentū deficiat paulatim,fiatque remissior adeo,vt non posit tantum substantiæ producere,quantum possit sufficere ad augmentum;vel quod ossa,cartilagines,ac nerui successu temporis adeo indurentur, vt non sint apti ad recipiendū plus alimenti per intra susceptionem:Quod si per infirmitatē tumeat aliqua pars hominis,verbi gratia,vltra magnitudinē,quam haberet alias,adhuc datur terminus ipsiusmet magnitudinis,quā per tumefactionem acquirere potest:neque enim tumescere potest ad quācumque magnitudinē, proinde crepare solent quandoque partes tumefactæ,& homines mori, quia scilicet non patiuntur vlteriorem tumefactionem.

*Probatur secundo* quia nimia magnitudo officeret operationibus viuentiū connaturalibus:ergo non est verisimile datam esse virtutem à natura perueniendi ad illam magnitudinem.

*Probatur secunda pars*:quia viuentia constant anima & corpore organico habente partes,ac membra diuersæ rationis,quæ exigunt aliquam determinatam quantitatem,vt apta sint ad functiones vitæ:ergo nisi habeant illam quantitatem, non possunt viuere: sed illa non haberent in quacumque minima quantitate:ergo.

*Confirmatur* vtraque pars: quia nō est verisimile, quod possit homo esse tam paruus naturaliter loquēdo,ac formica,aut formica tam magna,quam homo magnus:ergo homo habet terminum paruitatis & formica magnitudinis:sed non est maior ratio de illis,quam de reliquis viuentibus:ergo de omnibus idem dicendum est.

73 *Obiicies*:si homo esset interminō magnitudinis suæ, adhuc posset per infirmitatem tumefieri;& si esset in termino paruitatis, posset extenuari:ergo non habet talem terminum.

*Respondeo*,ex dictis antea,hominem posse habere aliū terminum magnitudinis & paruitatis,quātum ad statum naturalem suppositā sanitate,& alium quantum ad statū violentū,& infirmitatis superuenientis ita, vt vltra magnitudinem,quā posset habere in statu sanitatis, posset

vlterius

vlterius habere maiorem magnitudinẽ in statu infirmitatis,sed non nisi vsque ad certam periodum:& similiter discurrendum de termino paruitatis. Vnde in forma respondeo distinguendo antecedens:si esset in termino magnitudinis,quoad statum connaturalem tantum,cõcedo antecedens,& nego consequentiam;si esset in termino magnitudinis quoad statum connaturalem,& statum etiam infirmitatis superuenientis,nego antecedẽs.

74 *Dices*,si homo existens in termino magnitudinis maioris,quam posset habere quoad vtrumque statũ,desineret per introductionẽ nouæ quantitatis,aut magnitudinis,deberet desinere in tẽpore,quod est contra omnes:sed deberet desinere per introductionẽ nouæ quantitatis,si haberet terminum magnitudinis , vltra quam crescere non posset:ergo non habet talem terminum.

*Respondeo* negando sequelam maioris;desineret enim in instãti extrinseco istius temporis,quo deberet acquiri noua quantitas ita,vt verum esset dicere : in hoc instanti est,& immediate post non erit.

*Confirmatur hoc*:quia certum est quod homo desinat esse de facto,propter introductionem dispositionũ contrariarum suis dispositionibus necessariis , quæ dispositiones producuntur in tempore non minus,quam quãtitas:ergo vel saluatur desitio hominis in tempore,& sic poterit saluari in casu obiectionis ; vel non obstante productione temporaria dispositionum illarum non fiet desitio hominis in tempore:& eodem modo potest dici in casu nostro;vnde quidquid dicunt aduersarij in hoc casu,nos poterimus dicere in casu ab ipsis obiecto. Et hæc sufficiant de libro sexto physicorum.

# LIBER VII.

# PHYSICORVM.

DE duabus difficultatibus, quas hoc Libro tractat Philosophus, agit etiam libro sequenti ; vnde non defuere qui hunc librum ipsius esse dubitauere. At eum ipsi ascribunt *Simplicius*, *Auerroes* & cæteri commentatores,& certe stylus ac doctrina correspondet , nec insuetum est eadem bis repeti in diuersis partibus.

## DISPVTATIO XIX.

### DE DVABVS CONDITIONIBVS requisitis , vt aliquid moueatur.

HAC disputatione quidquid ad duas difficultates hoc libro contentas spectat,examinabo: quarum prima est, vtrum omne quod mouetur, ab alio realiter distincto moueatur. Secunda:vtrum agens debeat simul esse cum passo.

### QVÆSTIO I.

*Vtrum quidquid mouetur , ab alio moueatur.*

1 PRopositio hic in dubium reuocata,videtur esse expressa sententia Aristotelis hoc libro,quem sic intelligit *D. Thomas*,& plures Thomistæ,quos citant , & sequuntur *Complutenses* hic.

Oppositam tamen sententiam,nempe aliquid à se ipso moueri posse,tenet *Scotus in 2.disput. 2. quæstione* 10. quem præter suos sequuntur plures recentiores & nominatim *Auersa quæst.14.sect.5.& Arriaga dis.3. de generatione sect.10.*

Pro solutione difficultatis aduertendum,triplicem esse motum, de quo hæc difficultas examinari potest.Primus est intentionalis,quo scilicet potentiæ vitales mouent se ad actus vitales.Secundus emanatiuus, vt ita dicam,ille scilicet, quo mouetur subiectum ad formam, quæ emanat ab ipso,& non producitur.Tertius est physicus,& realis,quo subiectum mouetur ad formam, quæ nec emanat ab ipso,nec producitur intentionaliter,sed vere & physice.

Quidquid mouetur ab alio mouetur in aliquo sensu.

Vt autem certa ab incertis separẽtur suppono 1. quod quidquid mouetur,ab alio mouetur in eo sẽsu, vt nihil possit mouere se absq; dependẽtia ab aliquo alio distincto realiter,& vt idẽ non possit mouere se tanquã causa totalis.Hæc resolutio est communis,& certa,cuius ratio est,quia nihil potest moueri nisi creatura,sed nulla creatura potest mouere se,aut vllo modo agere absque dependentia à creatore:creator autem distinguitur realiter ab omni creatura:ergo quidquid mouetur,ab alio mouetur in hoc sensu;& hoc ipsum est quod aliis verbis dici solet nihil moueri à se ipso tanquam à causa totali.

Aliquid potest se mouere tanquam causa efficiens partialis, et.

2 *Suppono secundo*,quod aliquid potest mouere seipsũ, tanquam causa efficiens partialis secunda. Hæc resolutio est etiam communis & patet manifeste , quia intellectus sic mouet seipsum partialiter ad intellectionem, ad quam producendum concurrunt partialiter cum obiecto aut specie obiecti.

*Suppono tertio* , nullam causam naturalem secundam posse mouere se de nouo absque aliqua dependentia ab aliquo extrinseco, naturaliter loquendo, quia si absque dependentia ab aliquo extrinseco haberet mouere se, quandoquidem naturaliter agat , deberet æque producere effectum ante , ac tum cum producit ipsum de nouo,vt patet.

*Confirmatur* : quia quando graue descendit de nouo deorsum , tollitur impedimentum aliquod talis motus, quale non erat antea ablatum;& quando aqua producit in se frigus de nouo,remouentur agentia calefacientia, quæ antea erant applicata:& denique quãdo subiectum producit in se relationem intrinsecus aduenientem de nouo,ponitur de nouo terminus aut aliqua conditio noua,quæ ante non fuit posita.

Ex quibus patet,sensum controuersiæ esse,an aliquid possit à se moueri,tamquam à causa totali secunda absq; dependentia à concursu effectiuo alterius causæ secundæ concurrentis cum ipso immediate ad efficiendã formam ad quam mouetur, supposito solum concursu vniuersali Dei.Fortasis etiam esse posset controuersia cum Thomistis , an posset aliquid mouere se motu physico tanquã causa partialis secunda:quãuis enim id non possent negere de motu intentionali , propter exemplum intellectus ; tamen forte id negarent de motu physico: sed si ostendatur posse aliquid mouere se motu physico, tanquam causa effectiua totalis secunda , à fortiori sequeretur quod poterit mouere se,tanquã causa partialis.

#### CONCLVSIO.

3 *Potest aliquid mouere seipsum,tanquam causa effectiua totalis secunda,non solum motu emanatiuo , & intentionali,sed etiam physico.* Hæc est iuxta secundam sententiam præmissam, & quoad vltimam partem est contra primam Thomistarum sententiam.

*Probatur primo*,quoad motum emanatiuum ; talis est motus,quo subiectum mouet se ad relationem , quæ ab ipso emanat posito termino : sed illa relatio non habet aliam causam emanatiuam, quam illud subiectum , neque enim terminus habet alium influxum in illam,quam conditionis sine qua non,vt communiter asseritur:ergo aliquid potest mouere seipsum , tanquam causa totalis motu emanatiuo.

*Probatur secundo*,quoad motum intentionalem:quia, vt suppono ex dicendis in libris de anima , & communiter tenetur,voluntas est causa totalis efficiens volitionis:ergo mouet se motu intentionali tanquam causa totalis secunda,motus enim ad volitionem est motus intentionalis,vt omnes supponunt.

*Probatur tertio*,quoad motum realem physicum, quo

ad

ad quem est potissimum controuersia: Talis est motus localis physicus, & successiuus, & motus frigefactiuus successiuus: sed graue tanquam causa totalis efficiens secunda mouet se motu locali successiuo, quando aufertur impedimentum; & aqua, vt totalis causa, mouet se motu frigefactiuo successiuo, postquam est calefacta semel, & remouetur agentia calefacientia, vt patet quotidiana experientia; ergo aliquid potest mouere se motu reali physico, tanquam causa totalis efficiens.

Probatur minor: quia nulla causa secunda potest assignari, à qua proueniũt isti motus: ergo proueniũt ab istis causis, tanquam ab adæquatis causis secundis. Probatur antecedens: quia secluſis quibuscũque causis actiuis secundis præter causas auferentus impedimenta, esset isti motus: sed causę auferentes impedimenta non habent influxum aliquem positiuum in illos motus, tũ quia non sunt nisi causæ per accidens eorum, vt omnes fatẽtur etiã aduersarij: tum quia etiã si destruerentur illæ causæ, & impedimẽta, adhuc perseuerent illi motus: tum denique quia si remouerẽtur agẽtia calefacientia ab aliis corporibus aptis quidem ad recipiendum, sed non exigentibus frigus connaturaliter, non mouerentur ista corpora ad frigus: ergo signum est quod remouentia causas calefacientes non habeant producere frigus.

4 *Dices primo*, frigus produci in aqua à residuo frigoris remanente in ipsa vel aëre.

*Contra*: quia vel aliquãdo adeo calefit, vt nihil remaneat frigoris in ipsa, vel si quid maneat, tam exiguũ est, vt non possit producere tantum frigoris, quantum postea producitur. Quæ eadẽ ratio probat aërem non posse producere tantum frigoris, quia ipsemet non est tã frigidus, & quamuis non esset frigidus vlla ratione, modo non esset calidus, frigefieret aqua.

*Dices secundo* cum *Complutensibus* ac aliis *Thomistis*, grauia, & leuia (& idem est de reliquis, quæ videtur mouere se motu physico) moueri à generante, tanquam à causa principali, & grauitate ac leuitate vel tanquam à principio actiuo proximo, sed instrumentali tamen, vel tanquam à principio passiuo disponente mobile, vt melius moueatur à generante.

*Contra primo*: quia si grauitas & leuitas sit vllo modo principium actiuum talis motus, gratis dicitur quod nõ sit principium actuũ principale, & tam facile dici posset quod intellectus non sit principium principale intellectionis, nec volitionis.

*Contra secundo*: quia absurdissimũ videtur dicere quod aliquid sit causa principalis efficiẽs alicuius effectus, qui producitur, quando illa causa non existit in rerũ natura, & cuius existentia actualis est omnino impertinens ad illam productionem: sed generans potest existere realiter, quando grauia mouentur deorsum, & aqua ad frigus; & si existat, potest esse longissime distans, & existentia ipsius est prorsus impertinens ad productionẽ quæ ea non existente esset: ergo non debet dici causa principalis.

5 *Confirmatur*: quia causa instrumentalis non agit nisi mota à principali aut simul coagẽte causa principali, & in hoc distinguitur potissimũ à causa principali: sed grauia mouẽtur à sua grauitate, si sit principium actiuũ, nõ existente, & consequenter non agente generante: ergo grauitas nequit esse causa instrumẽtalis, sed si sit causa vlla ratione, debet esse causa principalis. Quod sit autẽ causa aliqua ratione, & quod non sit principiũ passiuũ disponens, vt probabile reputant *Complutenses* cum *Soto*, *Iauello*, *Toleto*, & aliis, patet manifeste, quia impossibile est esse aliquem effectum absque aliqua causa tum realiter influente, quando est effectus: sed generãs secũdũ se immediate realiter non influit, cum possit tũ non existere, ergo debet esse aliqua causa alia tũ influẽs saltem instrumentaliter: sed nulla assignari potest in motu grauium prẽter grauitatem, & virtutem motiuã corporis grauis, nec in aqua præter virtutẽ frigefactiuã identificarã ipsius substantiæ: ergo illa virtus aut grauitas nõ potest esse tantùm principiũ passiuũ disponens: & sane nihil absurdius excogitari potest, quam quod aliquid disponeret aliud ad hoc, vt moueatur ab eo quod non est.

6 *Dices* posse causam instrumentalem agere non agẽte principali, quando non est causa instrumentalis coniuncta; licet non posset quando esset coniuncta: Sed virtus motiua grauis, & frigefactiua aquæ est causa instrumẽtalis non coniuncta generanti, vt pote ab ipso separabilis: ergo potest agere non agente generante.

*Contra*: quia si instrumentum non coniunctum posset agere non agente causa principali, id etiam poterit dici de instrumento coniuncto; & si coniunctum non possit agere, non agente causa principali, nec poterit agere, ea nõ agente, instrumentum non coniunctum, quia prorsus est eadem ratio de ipsis, & gratis asseritur vlla disparitas quantum ad hoc, qualis assignari nequit.

*Confirmatur* tota hæc impugnatio: quia gratissime, & absque vlla prorsus necessitate recurritur in his productionibus ad generans, & æque posset ad ipsum recurri in omnibus causarum secundarum productionibus; quod absurdũ fatebuntur ipsi aduersarij. Probatur antecedẽs: quia vel ideo recurritur ad generans, tanquam causam principalem, quia communicauit hic mobilibus virtutẽ instrumentalem siue actiuam siue passiuã, vel quia repugnat idẽ moueri à se tanquam à causa principali, & quia alia caus principalis assignari nequit, propterea necessario ad generans sit recursus: sed neutrum ex his capitibus sufficit: non primum, quia etiam generans cõmunicauit agentibus quibuscumque omnẽ virtutem quam habent, & consequenter ipsi tanquam causę principali deberet omnis actio ab illis virtutibus procedens attribui. Non secundum, tum quia non magis implicat aliquid mouere se motu physico, quam mouere aliud, neque enim maiorem implicantiã vnius quam alterius assignare possunt aduersarij: tum quia ipsimet aduersarij fatentur aliquid posse mouere se motu intentionali, tanquam causa adęquata: vnde ex hoc

*Probatur conclusio secundo*, quoad eandem partem, & confirmatur iam dicta. Aliquid potest mouere se, tanquã causa totalis secunda motu intentionali: ergo & motu reali. Probatur consequentia: tum quia nõ potest assignari sufficiẽs disparitas, nec alterũ altero difficilius est tum quia, quod idem nõ possit mouere seipsum motu physico, tanquam causa principalis, nõ oritur ex ratione mouentis, & mobilis talis, sed ex ratione mouentis, & mobilis vt sic: sed non oritur ex ratione mobilis, & moũtis vt sic; alias idem nequiret se mouere motu intẽtionali: ergo. Probatur antecedens: quia voluntas potest mouere se ad volitionem, tanquam causa totalis.

*Respondent Complutenses* voluntatem non moueri à se, tanquam à causa principali ad aliquã volitionem, nisi vt afficitur alia volitione anteriori; primam autem volitionem determinatiuã ipsius ad alias volitiones in se producendas, esse volitionem finis, quæ volitio in ipsa producitur ab Authore naturæ: & similiter dicunt intellectũ moueri ab authore naturæ ad quamcumque cognitionem, ad quam non mouetur ab alio.

*Sed cõtra primo*, quia gratissime hic etiã recurritur ad authorẽ naturę, cũ ipsamet volũtas habeat sufficiẽtẽ virtutẽ ad volendum bonum sibi proportionatum ac propositũ.

*Deinde* intentio finis, quam posset habere volũtas hic & nunc, posset esse mala: ergo non est adscribẽda productio ipsius authori naturę, tanquam causæ principali, sed ipsimet voluntati.

*Confirmatur hoc*: quia saltem ipsamet voluntas, & intellectus etiam habent virtutem, saltem partialem effectiuam mouendi se intentionaliter: sed quidquid inconuenientis sequeretur ex eo, quod possent mouere se tanquam causa totalis effectiua, sequeretur etiam ex eo, quod mouerent se partialiter: ergo vt vnum, ita etiam concedi debet alterum.

8 *Obiicies primo* Philosophum, qui hic expresse non solum asserit, sed probat, idem à seipso nõ posse moueri. Et *lib. 8. tex. 33.* expresse ait grauia, & leuia non à seipsis, sed à generante, vel à tollente impedimentum moueri: ergo nostra conclusio est contra Philosophum.

*Respondeo primo*, fundamenta nostræ conclusionis,

quam

quantum est ex parte rationis esse tam manifesta, & aduersæ sententiæ tam leuia, vt quamuis Philosophus expresse oppositum teneret, potius ab eo recedendum esset, quam nostra conclusio deserenda.

*Respondeo secundo*, quando Philosophus ait, idem à seipso moueri non posse, intelligendum ipsum vel sic, vt non possit aliquid mouere se de nouo ad aliquid, ad quod non se poterat mouere ante, absque dependentia ab aliquo extrinseco; & hoc sane est certum, sed non contra conclusionem: vel intelligi potest sic, vt velit quod nihil possit moueri à se tanquam à causa totali independente ab omni causa distincta; & hoc etiam supra supposuimus esse verum, sed non facit ad propositum: vel denique intelligendus est velle tantum quod nihil possit se mouere, quin moueatur ab alio prius quantum ad recipiendum virtutem motiuam ab illo alio, & hoc est non minus certum sed non contra conclusionem.

9 Quando autem Philosophus negat, grauia, & leuia moueri a se, sed à generante aut tollente impedimenta, tantum vult quod grauia non mouerent se, nisi vel ideo quod tollatur impedimentum motus, vel ideo, quia à generante producantur in loco, qui cũ non sit ipsis naturalis, nec ponitur in eo obstaculum motus, ad locum naturalem propterea debent necessario moueri; vnde si essent in loco naturali primo producta, & relinquerentur ibi, nõ mouerentur; & si non essent in loco naturali, sed poneretur tamen impedimentum, quo minus possent mouere se ad locum naturalem, adhuc non mouerentur: quare motus ipsorum debet adscribi aut tollenti impedimentũ aut generanti ipsa extra locum naturalem, non tamen tanquam principiis influentibus physice & efficienter in illum motum, sed tanquam conditionibus sine quibus non. Contraponit autem grauia & leuia contra animata, quod grauia & leuia, si essent in loco naturali, non mouerentur, mouerentur autem animata, quamuis essent in statu naturali: & hinc optime deducit quod motus grauium & leuium oriatur vel ex generante vel ex remouẽte prohibens in sensu explicato iam; motus autem animaliũ ex neutro oritur in eodem sensu, sed ex seipsis, quandoquidem à loco naturali suo possint se mouere. Adde, ex hac authoritate, si quid valeret, argui posse contra *Cõplutenses*, quia ex ea Philosophus concedit animata moueri sine dependentia à causa extrinseca: ergo male dicũt Complutenses in productione primæ volitionis recurrendum esse ad causam extrinsecam.

10 *Dices*: Philosophus *secundo de generatione, & corruptione* ait grauitatem & leuitatem non esse actiuas: ergo ab ipsis non prouenit motus actiue.

*Respondeo* Philosophum solum velle, quod non sint actiuæ in ordine ad producendas alias similes formas, sicut est calor & frigus; quod non facit ad propositum.

*Dices*: si idem posset mouere seipsum in sensu nostro, non posse colligi primum motorem: sed Philosophus ex eo quod idem non possit mouere se, colligit primum motorem: ergo negat idem moueri à se in sensu nostro.

*Respondeo* negando sequelam: quia ex eo, quod non posset mouere seipsum tanquam causa totalis, & tanquam independens ab vllo extrinseco, siue independentia esset tanquam à conditione, aut tanquam à concausa, optime posset colligi primus motor, vt suo loco patebit. Quod si non colligeret Philosophus primum motorem, nisi ex eo, quod idem non posset mouere seipsum in sensu nostro, profecto pessime colligeret primum motorem. Vnde vel ex hoc ipso patet, quod non debeat intelligi Philosophus, vt volunt aduersarij, vt ab hac nota sit immunis.

11 *Obijcies secundo* fundamentum Philosophi: nihil idem est in actu & potentia respectu eiusdem; sed quod mouetur est in potentia, & quod mouet, est in actu: ergo nihil est respectu eiusdem formæ mouens & motum.

*Respondeo* distinguendo maiorem; nihil potest esse in potentia formali, prout potentia formalis dicit vltra potentiam susceptiuam, & productiuam, carentiam actus, & in actu simul; concedo maiorem: nihil potest esse in potentia virtuali, id est habere virtutem productiuã aut susceptiuam actus, & simul in actu formali, id est, simul habere actum formalem, nego minorem: similiter distinguo minorem: sed quod mouetur est in potentia ad illud ad quod mouetur, prout potentia dicit talem carentiam, pro illo instanti aut tempore quo mouetur; & quod mouet est in actu, id est, habet actum oppositum isti carentiæ, nego minorem: est in potentia, prout potentia non dicit talem carentiam & in actu, concedo minorem, & nego consequentiam. Quod si hoc argumentum aliquid valeret, probaret, quod idem non posset mouere se tanquam causa partialis actiua, quod absurdissimum est.

12 *Dices ex Complutensibus*: si aliquod mobile esse in potentia virtuali ad formam, ad quã esset mobile, sequeretur quod haberet simul potentiam formalem, & potẽtiam virtualem: ex eo enim, quod esset mobile ad formã, posset eam recipere, & consequenter haberet potẽtiam formalem ad ipsam, & ex alio capite supponitur, quod habet potentiam virtualem si posset se mouere: sed non potest esse in vtraque potentia simul: ergo, &c.

*Probatur minor primo*, quia Philosophus in omnibus, quæ habent potentiam formalem ad aliquid, recurrit ad aliud extrinsecum, tanquam ad motorem: quod non deberet facere, si illud ipsum simul cum potentia formali posset habere potentiam virtutalem.

*Probatur secundo*, quia ideo Philosopus potissimum negat, aliquid posse esse simul in actu, & potentia, quia nequit esse simul perfectum, & imperfectum: sed hoc magis sequeretur ex eo, quod haberet simul potentiam formalem, & virtualem: nam esse in actu virtuali est esse in actu perfectiori modo, quam esse in actu formali: ergo sicut sequitur ex eo, quod esset in potentia formali, & actu formali, quod esset perfectum, & imperfectum, idem sequitur ex eo, quod esset in potentia formali, & virtuali, à fortiori.

*Probatur tertio* eadem minor: quia quod habet potentiam formalem ad aliquam formam, debet illam posse recipere; sed quod est in potentia virtuali ad formam, nõ debet eam posse recipere, quia continet ipsã longe perfectiori modo quam si esset in actu formali; vnde Sol continens virtualiter calorẽ, nequit calorem habere formaliter, nec consequenter potest habere potentiam formalem in ordine ad illum recipiendum.

*Confirmatur*; quia saltem agentia naturalia nequeunt simul habere potentiam virtualem, & formalem; quod sufficit ad impugnandam solutionem nostram; nam agens naturale non impeditum habens virtutem productiuã formæ, debet ipsam necessariò producere pro quocumque instanti: ergo nequit esse vnquam sine illa, & consequenter nunquã erit in potentia formali: ergo potẽtia formalis & virtualis in eodem sunt incompossibiles.

13 *Respondeo* negando minorem: ad cuius primam probationem respondeo ex supradictis, Philosopum recurrere ad extrinseca, nõ quasi intrinseca illa semper debeãt esse causæ per se motus, sed quia vel debeãt esse tales causę, vel conditiones sine quibus nõ, quod nõ facit ad rẽ.

*Ad secundam probationem respondeo* negando minorem: ad cuius probationem dico quod aliquid potest esse in actu virtuali, seu cõtinere illud virtualiter duplici modo: primo sic, vt posit efficere sine ipsomet formaliter tãtum quantum posset formaliter; & in hoc sensu intellectus non est in actu virtuali respectu intellectionis, nec voluntas respectu volitionis, nec substantia aquę respectu frigoris. Alio modo, quatenus potest illud producere, quamuis sine ipso formaliter non posset efficere quidquid posset cũ ipso; & in hoc sensu intellectus continet intellectionem, voluntas volitionem, aqua frigus. Itaque cõtinere actum virtualiter primo modo est cõtinere ipsum perfectius quã si contineret ipsummet formaliter, & propterea si esset in potẽtia & in tali actu virtuali, esset in statu perfecto, & imperfecto, quod implicaret, nec sic se habent, quæ mouent se ad formam. Continere autem formam secundo modo est non continere ipsam perfectius, quã si haberet ipsam formaliter, sic quod non sit ipsi perfectius habere illam formaliter quam non habere: vnde habendo formam in actu virtuali hoc modo, & habendo simul potentiam formalem ad ipsam, non sequitur quod

sit

sit in statu perfecto, & imperfecto, loquendo de statibus oppositis. In casu autem nostro, quæ mouent se ad aliquam formam, non continent illam formam priori modo, sed posteriori tantum.

14 Hinc respondetur ad tertiam probationem, distinguendo minorem: quod continet ipsam virtualiter posteriori modo, negatur: quod continet ipsam priori modo, transeat. Sol autem continet calorem priori modo, quia potest in alio producere calorem sine calore formali, non minus, quam si haberet calorem formalem: calor autem formalis non iuuaret ipsum nisi ad producendum calorē in alio: vnde non esset perfectius Soli habere calorē formalem, quam nō habere: sed potius imperfectius, tū quia esset superfluum, tum quia argueret fortassis in sole corruptibilitatem aut aliquam aliam imperfectionem.

*Adde* ad vtramque hanc probationem, potentiam virtualem non excludere potentiam formalē respectu eiusdem formæ, nisi quando esset imperfectionis in habente potentiam virtualem, habere actū formalem, nec sequuturum in alio casu, quod habendo potentiam virtualem, & formalem esset in statu perfecto, & imperfecto incompossibili: per quod ruit totaliter vtraque illa probatio minoris, ad quam iam respondi.

*Ad confirmationem respondeo* negando antecedens cum prima consequentia suæ probationis, quia potest, poni impedimentum quo minus producat illum: & licet posito impedimento non possit mouere se, nisi eo ablato, atque adeo habeat dependentiam ab extrinseco, non tamen dependentiam tanquam à concausa concurrente ad effectum per influxum positiuum terminatum ad ipsum effectum, sed tanquam à remouente impedimentum.

*Dices secundo*, contra prædictam nostram responsionem ad fundamentum Philosophi. Philosophus vsus est illa probatione in ordine ad probandum dependentiam omnis mobilis à motore extrinseco, vt inde probaret primum motorem: sed si aliquid posset esse in potentia virtuali ad formam, ad quam posset moueri, non posset colligi talis dependentia: ergo signum est quod Philosophus non potuerit admittere aliquod mobile esse in tali potentia.

*Respondeo* negando minorem, quia quandoquidem motus naturales non liberi præsupponantur motibus liberis, quia voluntas non tendit in incognitum, & omnis motus naturalis habet dependentiam ab aliquo extrinseco impedimento, quod posset esse & abesse, & cuius absentia, & præsentia non est in potentia mobilis, quod mouetur naturaliter; hinc necessario deueniri debet ad aliquem primum motorem mouentem, & non motum. Quod si nō esset huiusmodi dependentia mobilis ad aliquod extrinsecum, quandoquidē haberet virtutem motiuam sui, sequeretur, quod necessario moueret se, & consequenter, quod nō esset vnquam in potentia formali ad actū, & sic quod esset in potentia formali, & non esset in potentia formali; quod cum sit absurdum, sequitur euidenter dependentia ad extrinsecum motorem, vt in Theologia fusius: & hic sane mihi videtur verus sēsus ac mens Philosophi, non ille, quem attribuunt ipsi aduersarij, tanto ingenio indignus.

16 *Obiicies tertio*. Quidquid ita mouetur, vt ad quietem alterius quiescat, non mouetur per se primo à se, sed ab alio: sed sic mouetur quidquid motu physico mouetur Probatur maior: quia si moueretur à se primo, non deberet habere dependentiam ab alio, & consequenter quamuis aliud illud quiesceret, non deberet quiescere. Probatur etiam minor: quia quod mouetur motu Physico, debet esse diuisibile in plures partes, Tunc sic: dato quod vna illarum partium quiescat, vel mouetur totum secundum se totum, vel non mouetur: primum implicat, quia supponitur pars quiescere. Si secundum dicatur, habetur intentum, quia motus ille totius dependet à motu partis, & sic est ab alio.

*Confirmatur* ex D. Thoma: aliquid mouere seipsum per se primo, est esse sibi ipsi per se primo causa sui motus: sed nullum mobile est huiusmodi: ergo debet necessario moueri ab alio. Probatur minor: quia id, cui primo conuenit motus, non debet in suo moueri pendere à motu alterius: sed omne mobile, cū sit indiuisibile, pendet in esse totius à partibus, & in motu suo à motibus partium: ergo non potest per se primo esse sibi ipsi causa motus.

Hæc obiectio, ac confirmatio nullius prorsus sunt momenti, non solum, quia supponunt falsum, nempe quod mouetur motu physico (id est motu reali etiam successiuo, sic enim hic loquimur de motu physico, quia capimus motum physicum, prout opponitur motui intentionali & emanatiuo ac etiam instantaneo) esse diuisibile; cuius oppositum patet de Angelis, ac puncto etiam, quod sic moueri posse supra ostendimus: sed etiam quia est facillimæ solutionis, vt iam patebit.

17 *Respondetur* ergo, distinguendo maiorem: si quiescat ob quietem alterius, ex eo, quod supposita illa quiete, mobile non haberet virtutē adæquatam mouendi se propter defectum alterius causæ quiescentis, quæ concurrere debet: transeat maior: si non quiescat ob illam rationem ad quietem alterius; sed ex eo, quod motus alterius esset conditio sine qua non, concedo maiorem. Distinguo etiā minorem: omne quod mouetur, sic mouetur, vt quiescat ad quietem alterius, ob primam rationem iam in distinctione maioris assignatam, nego minorem; ob secundam, transeat minor, & nego consequentiam.

Ad probationem autem minoris, quæ videtur probare ipsam in se: su negato, dico quod quiescente parte quiesceret totum: sed nego inde sequi aliquid contra nos; quando enim dicimus aliquid posse moueri à se ipso, & nō necesario debere per se moueri ab alio, non loquimur de alio, quod sit pars inclusa in illo ipso, quod mouetur, sed de alio, quod sit distinctum ab illo, & non sit pars ipsius: in hoc autem sensu non probatur hic quod mobile, quamuis diuisibile, moueri debeat ab alio. Plures alias solutiones ac instantias contra conclusionem adducunt *Complutenses* ex Suario & aliis, quæ & bonæ sunt, nec ab ipsis bene ad propositum soluuntur: sufficiet autem abunde præsens responsio, per quam etiam patet

*Ad confirmationem*, cuius minorem nego, & distinguo eius probationem: non debet dependere à motu alterius, quod non sit pars constitutiua sui ipsius, concedo: quod sit, nego. Nam quemadmodum in esse dependet ab omni sua parte, ita nihil ipsi debet per se primo competere, nisi cum tali dependentia. Et sane si hæc ratio aliquid valeret, probaret quod non posset allquid mobile per se primo moueri ab ipso Deo, quia non potest moueri à Deo, nisi cum dependentia à suis partibus; quod adeo verum est, vt si quiesceret vlla pars ipsius, repugnaret ipsummet totum moueri quoad se totum.

18 *Obiicies quarto*, ex Complutensibus iisdem specialiter id improbandum quod diximus de grauibus, & leuibus. Genitor alicuius grauis & leuis in instanti generationis tribuit ipsis suum proprium esse: ergo debet etiam tribuere ipsis quidquid ad naturalem eorum dispositionem in eo instanti spectat; alioquin in necessariis deficeret: sed esse in loco ipsis connaturali spectat ad eorum naturalem dispositionem: ergo hoc tribuendum est ipsis à generante, & consequenter motus, quo postea eò perueniunt, ipsi adscribendus est, quia ab eodem principio, à quo oritur aliquis terminus, debet esse motus ad illum, & quia alias deficeret generans in necessariis, non tribuens generato motum, qui est via ad acquirendum locum naturalem quem deberet ipsi tribuere.

*Confirmatur*: emanatio passionum tribuitur generanti, siue emanent in instanti generationis, siue postea: ergo & motus grauium ac leuium ad locum suum naturalem.

*Respondetur* negari posse consequentiam, quia posset impediri à dando illi illam perfectionem, & deficere in necessariis ob tale impedimentū: sicut enim generans hominē aliquando non generat ipsum cum omni perfectione connaturali ac substantiali debita, vt apparet in iis, qui nascuntur cum defectu alicuius membri; ita non est necessarium vt generans tribuat omnem dispositionem naturalem rei genitæ, nec est necesse vt non deficiat quantū ad hoc in aliquibus necessariis: & sane magis necessariū est homini habere suos oculos ac manus, quam lapidi esse in

centro

centro terræ, aut in quocumque alio loco suo naturali: modo in loco non naturali non adessent causæ corrumpentes illum.

19 *Respondeo secundo*, distinguendo consequens: debet dari ipsis quidquid ad naturalē dispositionē spectat vel immediate, vel mediate, hoc est quatenus dat ipsis virtutē qua mediante ipsamet possunt ablatis impedimentis, reducere se ad illū statum, concedo consequentiam, immediate, nego consequentiam: sufficit enim vt non deficiat in necessariis quod det ipsis illud vel immediate, vel mediate in sensu iam explicato: nec est necesse vt det illi illud immediate: & concesso subsumpto, similiter distinguo consequens: immediate, nego: immediate vel mediate, concedo consequentiam. Et eodem modo distinguo consequens: motus ille erit à generante immediate, nego; mediate, transeat.

*Confirmatur* hæc doctrina: quia non magis spectat ad complementum lapidis esse in loco naturali, quam hominis intelligere, & velle, & augere se, & generare etiam alium hominem: sed hę actiones non attribuuntur per se immediate generanti hominem, sed ipsimet homini tanquam principio quod, & solum mediate & quasi per accidens generanti: ergo similiter motus grauium, & leuium ad loca sua non debet immediate prouenire à generante tanquam principio quod, sed solum mediate, & remote: quo sensu nemo negat illos motus ab ipso prouenire.

*Ad confirmationem*, supposito quod passiones distinguantur realiter à suo subiecto, vt supponitur in confirmatione, de quo iam non curo, distinguo antecedens: immediate & proxime, nego, mediate & remote transeat: & similiter distinguo consequens.

20 *Obiicies quinto ex Ioan. à S. Thoma* ad idem: in grauibus, & leuibus quà talia, partes sunt eiusdem rationis, nec est alia mouens aliam, & alia mota ab alia; tū quia æque primo omnes mouentur; tū quia non est potior ratio cur vna diceretur alteram mouere, quàm è contra: sed quod mouetur à se debet habere partes diuersæ rationis, loquendo de motu physico non intentionali, & vna debet alteram mouere, vt patet ex Philosopho *lib.* 8. *cap.* 5. ergo nequeunt mouere se.

*Respondeo* negando minorem: nec id voluit Philosophus de alio motu quam de motu viuentium seu animalium, aut simili motu.

## QVÆSTIO II.

### *Virum agens & passum debeant esse simul, seu vtrum possit dari actio in distans.*

21 SEnsus quæstionis est, an aliqua causa possit producere aliquem effectum in loco à se distanti, seu aliquam formam in subiecto, inter quod & causam sit localis distantia.

Quot modis possit agi quis agere in distans.

Aduertendum autem variis modis posse cōsiderari causam agere in distans. *Primo* si agat in distans immediate: agendo tamen etiam in medium interiacens. *Secundo*, si ageret in distans tantum mediate, quatenus scilicet ageret immediate in medium, & medium ageret in illud quod esset ab agente distans. *Tertio*, si ageret in distās agendo simul in medium actione eiusdem rationis cū actione, qua ageret in distans. *Quarto*, si ageret in distans agendo etiā in mediū, sed actione diuersæ rationis ab actione, qua ageret in distans. *Quinto*, si ageret in distans agendo in medium actione diuersæ rationis, sed per se conducente ad actionem in distans. *Sexto*, si ageret in distans agendo in medium actione, quæ per se non conduceret ad actionem in distans. *Septimo*, si ageret in distans nullam actionem habendo im medio.

## CONCLVSIO I.

Agens infinitum potest agere in distans non agendo immediate.

22 *Agens infinitum non debet ex ratione agentis esse ita præsens passo, aut secundum se, aut secundum suam virtutem, quin possit agere in passum distans, etiam si nihil ageret in medio.* Est *Scoti in 1. dist.* 37. cum suis, & *Nominalibus*, quos sequuntur *Vasquez* 1. *p. d.* 8. *disp.* 28. *Auersa q.* 14 *Physicæ sect.* 7. & multi alij contra *D. Thomam* 1. *p. quæst.* 8. *a.* 1. & *lib.* 3. contra gentes *c.* 68. *Suar. disp. met. sect. Conimb. Physi. cap.* 2. *q.* 1. *Rub.* ibidem, & Thomistas communiter, qui propterea colligunt præsentiam Dei vbique, ex operatione sua vbique.

*Probatur primo*, quia si per impossibile Deus non esset vbique, sed solum deberet esse in Cælo vt multi Philosophi existimarunt, haberet que infinitam virtutem agendi; potuisset agere in quacunque parte huius mundi, etiāsi non ageret in medio, hoc enim esset maioris perfectionis in ipso, vt etiam ipse *D. Thomas quodl.* 11. *a.* 2. licet parum consequēter, fatetur; ergo ex ratione causæ formaliter non oritur, quod non possit agere in distans, etiam si non ageret in medio. Dixi *ex ratione causæ vel agentis*, quia ex alio capite Deus non potest agere in distans, scilicet quia habet immensitatem, ratione cuius nihil potest esse ipsi distans.

*Probatur secūdo*: nulla prorsus est ratio, ob quam virtus infinita non possit agere in distans, & præterea posse ita agere conduceret ad maiorem perfectionem eius: ergo non debet asseri quod non possit sic agere. Consequentiam admittunt aduersarij. Antecedens probatur soluendo rationes ab ipsis assignatas.

23 *Prima est Capreoli, Sancij, & Suaris*, quod actus, & potentia debeant esse simul; sed agens, & passum se habent per modum actus, & potentiæ, ergo debent esse simul, quando reducuntur ad actum secundum.

*Respondeo* distinguendo maiorem: actus formalis, & potentia susceptiua, transeat (licet etiam id non sit verum, nā visio est actus formalis cōstituens parietem in esse visi, tamen non est simul loco cū ipso) actus effectiuus, & potentia susceptiua termini producti per talem actum: nego maiorem.

*Et si dicas* eandem est rationem de actu formali, & effectiuo; *Respondeo* id esse falsum, quia actus formalis cōmunicat se intime, & immediate; actus vero effectiuus non communicat se immediate, sed mediante aliquo alio, quod communicat illi.

*Secunda ratio* est *Molinæ*: sicut mobile non potest transire à loco in locum nisi transeundo per medium: ita agēs non potest transmittere actionem suam in distans, nisi transmittendo ipsam per medium.

*Respondeo primo*, hanc rationem esse ad oppositum quia Deus de potentia absoluta potest transmittere corpus de loco ad locum sine eo quod transeat per medium: posset enim rem hic existentem in instanti ponere in Indiis: ergo ex hac similitudine potius sequitur Deum posse agere in distans.

24 *Respondeo secundo* negando paritatem, quia eadem numero res, quæ est in vno loco, dum mouetur localiter ponitur in altero loco; non est autem eadē numero actio quæ est in medio, & in passo distanti, sed alia omnino distincta, quę sicut secūdum Aduersarios producitur in illo passo, licet nō ponatur in medio, posita tamē alia actione in medio; ita de Dei potentia absoluta, imo naturaliter etiam, vt dicemus conclusione sequenti, posset poni in passo, etiam si nulla actio poneretur in medio.

*Tertia ratio* est, quia agens debet esse simul tempore cum passo: ergo & simul loco.

*Respondeo* negando consequentiam: quia si non essent simul tempore, alterum non deberet existere realiter, & consequenter non posset dari actio; sed si non essent simul loco, possent existere realiter, & consequenter vnum in altero aliquid producere posset.

*Obiiciunt* præterea multa loca Scripturæ, & Patrum ex quibus colligitur immensitas Dei ab operatione eius vbique, quæ collectio non valeret iuxta nostram conclusionem.

*Respondeo*, ex illis locis non colligi immensitatem Dei ab eius operatione, consequentia formali, sed connaturali tantum, vt fusius tractari solet in Theologia.

## CONCLVSIO II.

25 *Agens creatum agit immediate in distans, & non tantum mediate.* Hæc est communior contra *Valentiam* 1. *p. q.* 8. *a.* 1. *p.* 1 *Raunudum disp.* 7. *q.* 1. *a.* 7.

*Probatur prime*, quia corpora cælestia producūt mineralia

in viſceribus terræ,& ignis producit ignẽ in ſtupa à ſe diſtanti:nec dici poteſt quod mineralia illa aut ignis immediate producantur ab vlla virtute transfuſa ab his cauſis, quia virtus quæcunque transfuſa ab ipſis eſt accidens,& nullum accidens poteſt immediate producere ſubſtantiã abſque ſaltem concurſu immediato ſubſtantiæ,vt probatum eſt *diſp.9.num.*10.Et ſane mirum eſt *Auerſam* putate hac ratione meliorẽ eſſe,quam ipſe adducit ex experiẽtia effectuum,qui producũtur à corporibus cæleſtibus in locis diſſitis,quales non producuntur in medio;nam æque bene poteſt reſponderi illos effectus produci à virtute transfuſa per totũ mundũ,& non immediate ab illis corporibus;ac reſpondetur ad noſtram experientiam;nec eſt inconueniens quod tot virtutes transfundantur à corporibus illis per totum medium,quot ſunt requiſitæ ad illos effectus,qui producuntur in locis diſtantibus,modo poſſint prouenire ab illis virtutibus.

26 *Probatur ſecundo*,experientia alia : quia ſi quis applicet ſe igni abſq; alio corpore interpoſito,præter aerẽ,maiorẽ ſentiet calorẽ,quam ſentiret,ſi interponeretur aliud aliquod corpus:ſed huius non eſt alia ratio , quam quod ignis per ſuum calorem immediate agat in diſtans:ergo. Probatur minor:quia ſi iſte maior calor proueniret immediate à parte viciniori aeris,deberet cauſari non obſtante interiectione iſtius alterius corporis,neque enim calor in parte illa vicina productus debet deſinere ſtatim ac interponitur illud aliud corpus:ergo poſſet producere non obſtante illa interpoſitione tantum caloris quantum ante,& conſequenter,ſi ante produxit totum calorem in corpore,producet aut conſeruabit illum poſt interpoſitionem alterius corporis,ſaltem ad modicum tempus.

*Verum* hæc experientia mihi non ſufficit ; quia negari poteſt minor,& antecedẽs ſuæ probationis:quemadmodum enim calor productus in corpore applicato igni deſinit quoad magnam partem, interiecto alio corpore;inter ipſum & ignem;ita calor productus in parte illa vicina aeris poſſet deſinere ſtatim quoad magnam partem eodem corpore interiecto.

27 *Probatur tertio experientia*, qua conſtat,quod calor & lumen producantur in intenſiori gradu in parte remotiori,quam in parte viciniori ad agens principale, verbi gratia ad Solem:nam illa maior intenſio nequit totaliter prouenire à parte viciniori in qua nõ eſt tãta intenſio:abſurdũ enim eſſet quod minus intenſũ poſſet reddere aliquid magis intenſũ:ergo debet prouenire immediate ab agente principali remoto,verbi gratia, à Sole.

*Confirmatur*,quia nihil prorſus impedit,quo minus poſſit immediate agere in diſtans quodcunque contentum intra ſphæram actiuitatis , vt patebit ſoluendo fundamenta aduerſariorum infra poſt concluſionem quintam proponenda.

## CONCLVSIO III.

*Agens poteſt agere in diſtans,non agendo in medio actione eiuſdem rationis cum actione , qua agit in diſtans.* Hæc eſt communiſſima, & *Probatur* ex iam dictis:quia quando Sol producit ſubſtantias mineralium & alias in patibus his inferioribus , non producit in toto medio tales ſubſtantias:ergo non agit in medium ſimili actione, qua agit in diſtans.

*Confirmatur*:quia quando Sol producit calorem ſub cælo Lunæ , non producit in partibus cæli interiacentibus inter ipſum & partes illas inferiores calorem , quia cæli ſunt incapaces caloris,vt omnes ſupponunt.

## CONCLVSIO IV.

Quando actio in medium eſt requiſita ad actionem in diſtans.

28 *Quoties agens,ſi impeditum eſſet ab actione in medium, non poſſet agere in diſtans , actio in medium, ſiue ſit diuerſæ rationis, ſiue eiuſdem, eſt per ſe requiſita ad actionẽ in diſtans,taliter, vt quod producitur per actionẽ in medium ſit vel diſpoſitio ſubiecti diſtantis ad recipiendam formam quæ producitur in ipſo ab agente in diſtans ,vel comprincipium productiuum eiuſdem formæ.*

*Probatur* hæc concluſio , quæ videtur eſſe contra quoſdam Scotiſtas : quia ſi non eſſet hoc modo neceſſaria, quando impediretur , non deberet impediri actio in diſtans.

*Confirmatur* : quia quotieſcunque agens habet virtutem producendi diuerſos effectus , niſi vnus effectus ſit diſpoſitio ad alterũ , aut principium ipſis mediatum aut immediatum, non debent habere tam neceſſariam connexionẽ,quin vnus poſſit produci, non producto altero, & conſequenter quamuis impediretur agens ab vno producendo , non deberet impediri à productione alterius: ergo potens producere effectum in medio,& in ſubiecto diſtanti,quamuis impediatur à producendo effectu in medio non debet impediri ab effectu producendo in ſubiecto diſtanti,niſi effectus productus in medio ſit cauſa diſpoſitiua ſubiecti diſtantis,aut comproductiua formæ,quæ in ipſo producitur.

29 *Dices* , effectum productum in medio eſſe conditionem,ſine qua non poſſet produci effectus in remoto , & hoc ex natura agentis,quæ limitatur ad hoc,vt non poſſit producere effectum in remoto , niſi producat in medio,quæ natura colligitur à poſteriori ex eo , quod impedita effectus productione in medio , non produ atur effectus in remoto.

*Contra*:quia dicere quod aliquid ſit conditio ſine qua non ad aliquem effectum, niſi munus aliquod habeat cõducens ad talem effectum.eſt omnino præter rationem, cur enim eſſet talis conditio ? quod ſi approximatio non applicaret agens paſſo,&intellectio non eſſet propoſitio obiecti ad voluntatem,prof.cto non deberet nec approximatio dici conditio ſine qua non ad agendum in paſſum,nec intellectio ad voluntatem.

*Dices* actionem in medio eſſe quandam approximationem agentis ad paſſum remotum.

*Contra* quia poſita actione in medio, non redditur magis vicinum paſſo quam ante,& quam eſſet ſine ipſa.nec poteſt explicari qualem aliam rationem approximationis haberet.

Non poteſt ab obiecto diſtanti producere ſpecies viſibilis ſine actione in medio.

*Ex hac concluſione, patet* quod ſpecies viſibiles productæ ab obiecto viſibili in medio , vel ſint cauſæ totales partiales productiuæ ſpeciei viſibilis in oculo, quia poſito impedimento quo minus producantur in medio , non poſſũt produci in oculo,nec poteſt dici quod requiruntur in medio ad diſponendum oculum , quia oculus non requirit aliquam diſpoſitionem ad recipiendum ſpeciem viſibilem.

*Patet* etiam quod calor productus ab agente calefactiuo in medio,concurrat partialiter vel totaliter ad productionem caloris in loco remoto : & idem eſt de luce,ac ſimilibus, à paritate rationis.

## CONCLVSIO V.

Incertum an agens creatum agat de facto in diſtans.

30 *Non repugnat agens creatum agere in diſtans, non agendo vllo modo in medium , an tamen de facto aliquod agens creatum id faciat , incertum eſt, præſertim ſi loquantur de cauſa totali , & non de parte quacunque iſtius cauſæ.*

Prima pars huius concluſionis eſt *Scoti in* 1. *d.* 37. cum omnibus ſuis,quos ſequitur *Veſques* 1.*p.diſp.* 28. *Auerſa quæſt.* 14. *ſect.* 7. *Arriaga* hic contra *Thomiſtas* communiter citatos in prima concluſione.

Secunda vero pars videtur eſſe contra *Scotiſtas*, qui de facto dari actionem in diſtans ſine actione in medium aſſerunt,& probant variis experientiis,quod refert & ſequitur *Camerarius parte* 2.*quæſt.*7.

Non repugnat agens creatum agere in diſtans.

*Probatur prima pars* : tum quia nulla poteſt aſſignari in hoc repugnantia,tum quia ex dictis de facto datur actio in diſtans, & quamuis de facto habeat dependentiã ab actione in medium , illa dependentia ſuppleri poteſt à Deo;eſt enim dependentia in genere cauſæ effectiuæ ſolummodo,ſaltem in multis caſibus( quidquid ſit de omnibus) qualem dependentiam Deum ſupplere poſſe omnes admittunt.

*Confirmatur* , quia experientiæ, quibus probatur non dari actionem in diſtans , ad ſummum id probant ſolummodo de creaturis de facto exiſtentibus:ſed poteſt à Deo creari creatura diuerſæ rationis,de qua non eſset neceſse, quod eadem eſset quantum ad hoc ratio,ac de creaturis actu

actu existentibus: ergo non est negandum quin possit aliqua creatura agere in distans, nullo modo agendo in medium.

*Probatur secunda pars*: quia experientiæ, quæ communiter afferuntur ad probandam actionem in distans, & ex quibus solis potest probari, non sufficiunt ad eam probandam: ergo non est certũ quod detur. Ex alia autem parte non est vlla experientia nec ratio, quæ vniuersaliter probat eam non dari: ergo non est certum, quin detur, & cõsequenter absolute incertũ reputari debet, detur-ne necne. Addidi autem huic parti conclusionis illam limitationem, præsertim si loquamur de causa totali, & non de parte ipsius; quia partes remotiores ignis magis cõcurrunt ad producendum calorem in longiori distantia quam alias produceretur, & tamẽ non agunt in alias partes intermedias ignis. simile enim non agit in simile vt communiter tenetur, & suo loco probabitur; quo argumento vtuntur Scotistæ ad probandum de facto dari actionem in distans.

*Confirmatur* vtraque pars huius conclusionis solutione argumentorum.

31 *Obiicies* contra primam partem: sequeretur agens creatum esse infinitæ virtutis: quia si ageret in aliqua distantia non agendo in medium, ageret in quæcunque; atque adeo in infinita.

*Respondeo primo*, hanc rationem destruere seipsam: nam vel requiritur maior virtus ad agendũ in magna distãtia, quam in parua, vel non requiritur; si requiritur maior, ergo non sequitur, quod si posset agens agere in aliqua distantia, quod posset in quæcunque, quia ex eo, quod conueniat ipsi minor virtus, nõ sequitur conuenire ipsi maiorem. Si non requiritur maior: ergo ex eo, quod posset agẽs agere in infinita distantia, non sequeretur quod esset infinitæ virtutis, quia non deberet esse maioris virtutis, quã requireretur ad agendum in distantia; ex hoc autem non sequeretur, quod esset infinitæ virtutis.

*Respondeo secundo*, absolute negando sequelam, quia agẽs finitum habet finitam sphæram actiuitatis, vltra quã nequit agere, & sane, sicut agẽdo in medium, potest agere in certam distantiam tantummodo; ita etiam non agẽdo in medium, potest tantummodo agere intra certam sphæram.

32 *Obiicies secundo* ex *Complutensibus*: necesse est virtutem actiuam esse coniunctam actioni: ergo & effectui, quia actio se tenet ex parte effectus. Probatur antecedens *primo* experientia omni quæ de facto habetur potest: *secundo*, quia causalitas est id, quo causa attingit effectum; impossibile autem est, id, quo attingit causa effectum, esse separatum a causa: *tertio* quia virtus actiua, & principium *quo* debent esse coniuncta causæ: ergo à fortiori causalitas: *quarto* quia actio, & causalitas est datio seu communicatio quia causa dat entitatem effectui: ergo debet esse coniuncta causæ, & effectui.

*Respondeo primo*, si actio sit in agente, vt Scotistæ tenemus, concedendo antecedens, & negando consequentiam cum sua probatione: & nulla fere est difficultas in concipiendo, quomodo aliquid per actionem in se subiectatam possit producere effectum in loco distanti, imo de facto ita contingit, licet præsuppositis actione in medium. Si vero actio se teneat ex parte effectus, & non subiectetur in agente,

*Respondeo secundo*, negando antecedens, ad cuius primam probationem nego vllam experientiam esse, quæ concludat actionem aliquam, saltem partialem, qua producitur effectus, non posse esse loco distantem à virtute causatiua.

Ad secundam probationem nego minorem: ad tertiam & quartam nego consequentiam.

33 *Obiicies contra secundam partem* ad probandum quod detur de facto actio in distans sine actione in mediũ: Magnes trahit ad se ferrũ distans, Torpedo mortificat manũ piscatoris distantem, Basilicus visu interimit homines distantes; nec videtur quod aliquid producatur ab his causis in medio, cum non sit vlla experientia effectus vllius producti in medio: ergo de facto datur actio in distans sine actione in medium.

Experientiæ pro. 1 pro. 2 actionem in distans.

*Respondeo* in omnibus his experientijs aliquid produci in medio, idque meo iudicio euidẽter colligi ex eo, quod si interponatur copus aliud densum, ac opacum inter magnetem, & ferrum non traheretur ferrum; & si manus piscatoris esset in eadẽ distantia, in qua mortificatur à torpedine, sine eo quod tangeret virgã piscatoriam, & quod torpedo non tãgeret filum piscatorium virgæ appensum, non mortificaretur; & si corpora opaca interponerentur inter Basilicum & homines, profecto non interficerentur. Sed huius sane nulla alia ratio reddi potest, nisi quod agentia illa sint limitata ad non agendum in distans, quin agant in medium.

*Dices*, Corpus interpositum impedire positiue, quo minus actio detur in distans.

*Contra*: quia non potest impedire actionem positiue, nisi per hoc, quod retardet aut debiliter virtutem causę, vel per hoc quod non sit capax actionis ab illo. Sed certũ est corpus interpositum inter magnetem, & ferrum, aut hominẽ, & Basiliscum, nihil agere in Magnetem aut Basiliscum; ergo ex hoc capite non impedit actionem: ergo impedit ipsam quatenus est incapax actionis, & consequenter vt habeatur actio distans, debet haberi actio in medio.

34 *Melior experientia* contra conclusionem est acus nauticæ; quæ [illegible] ictu magnetis ita disponitur, vt à stella polari distans non obstante quorumcunque corporũ interpositione, moueatur ad se, & detineatur in certo situ. *Alia similis experientia* est de ijs, qui in quacunque distantia sentiunt se moueri interius quando moriuntur aliqui amici aut cognati.

*Respondeo* tamen etiam ad primã ex his, posse dici quod agat stella polaris per totum aerem vsque ad acum nauticam, & inde fortassis si poneretur acus illa in loco tã occluso, in quem aer exterior non posset peruenire, non moueretur.

*Ad secundam* posset dici, quod quandoquidem nõ moueantur omnes in similibus occasionibus, nec ille idem semper, illa cõmotio attribui potius deberet Angelo bono aut malo, quam alijs causis. Fateor tamen, exemplum acus nauticæ si tr hatur à stella polari, vt communius asseritur, reddere incertum, an detur de facto actio in distans. Ad quod etiam facit alia experiẽtia de metallis in visceribus terræ productis, ad quæ loca incertum est, an trãsmittantur qualitates aliquæ occultæ per totum medium.

*Obiicies vltimo* ad probandum quod non detur actio in distans: propterea natura abhorret à vacuo, quia non posset actio transfundi per medium: ergo signum est quod non detur huiusmodi actio saltem de facto.

*Respondeo*, negando antecedens: quamuis enim daretur aliquod vacuum terminatũ; adhuc posset actio transfundi per medium planum: nempe superficiem, & corpora circumscribentia illud vacuum absque actione in distans. Deinde quamuis vacuum impediret actionem, & propterea natura ab ipso abhorreret, tamen inde non sequeretur, quin aliqua agentia de facto agerent in distans quamuis sequeretur quod aliqua non agerent.

# LIBER VII.

# PHYSICORVM.

QVæ in hoc Libro tractat Philosophus de æternitate mundi ac motus, de primo motore, ac conditionibus eius, commodius tractabuntur partim in libri de Cælo & Mundo, & partim in Theologia ac Metaphysica. Quare hic solum agendum de motu proiectorum, quod vnica disputatione satis commode fieri potest.

# DISPVTATIO XX.

## DE MOTV PROIECTORVM.

PEr *proiecta*, quorum motus hic examinabitur, intelligi debent illa corpora, quæ non mouẽtur localiter ex virtute sibi innata, vt mouẽtur grauia, & leuia; sed ex eo, quod aliqua causa extrinseca, non solum tollat impedimentum sui motus, sed etiam cum impetu quodam ea aliquò impellat: & hinc huiusmodi motus solet vocari violentus, non quod non possint eo moueri, etiam ad locum naturalem; quis enim non videat lapidem posse impelli deorsum ad locũ, quò ex sua virtute tenderet ablato impedimento? sed quod fiat ab agente extrinseco, & quod satis frequenter fiat contra inclinationem corporis moti.

### QVÆSTIO I.

*A quo moueantur proiecta.*

1 NOn est dubium quin causa principalis secunda, vnde principium motus proiectorum oritur, sit ipsamet causa impellens; sed quæstio est, postquam semel sunt proiecta, & separantur à causa proiiciente, à quonam moueantur.

Quatuor de hac re sententias refert *Camerarius p. 2. q. 14.*

*Prima est*, quod motus ille proueniat quantum ad primam partem ab ipso proiici nte, illam vero partem producere aliam, & illam aliam vsque ad finem.

*Secunda est*, quod proueniat à grauitate aut leuitate, seu propria virtute motiua proiectorum, extrinsece tamen determinata à proiiciente: existimant enim hi authores, grauitatem, & leuitatem ex se ad quemcunque motum esse indifferentes, sed determinari tamen ea ad talem vel talem motum, vel à forma substantiali corporis, vel à proiiciente aut impellente: hæc adscribitur quibusdam recentioribus.

*Tertia sententia* est, quod ille motus proueniat proxime tanquem à principio quo, à qualitate aliqua impressa illis, quam vocant impulsum. Hæc est communissima sententia recentiorum, quos citat & sequitur *Auersa q. 40. sec. 6.*

*Quarta sententia* est, causam huius motus esse medium aerem, verbi gratia, vel quam, per aquam defertur proiectum. Hanc tenet ipsemet *Camerarius* ex *Pererio* potissimum, alios multos & inter illos *Philosophum*, *D. Thomam & Scotum in Physica* pro ea citans.

### CONCLVSIO IV.

2 *Motus proiectorum non prouenit à motu, aut grauitate ac leuitate, aut solo medio.* Hæc est tertiæ sententiæ contra tres alias.

*Probatur prima pars* contra primam sententiam: quia motus formaliter loquendo est relatio: sed absurdum videtur vnam relationem esse causã effectiuam alterius relationis. *Præterea*, motus localis est ens successiuum, cuius partes simul non existunt; ergo dum existit pars posterior, non existit prior, & consequenter pars posterior non causatur à priori.

*Probatur secunda pars* contra secundam sententiã: quia non potest assignari nec intelligi; quomodo possunt grauitas & leuitas determinari per causam extrinsecam, nisi producatur aliquid in corporibus, quibus insũt, ratione cuius sic determinentur. Quod si admittatur aliquid in ipsis produci, illud solum sufficiet absque concursu grauitatis aut leuitatis, aut saltem grauitas & leuitas se solis nõ sunt causæ istius motus, quod est nostrum intentum in hac parte conclusionis. *Adde* ex hac sententia, grauitatem & leuitatem non fore distinctæ rationis: sed eandem qualitatem vocari grauitatem, quatenus coniungeretur cum forma, quæ peteret esse deorsum, & leuitatem cũ forma quæ peteret esse sursum; & præterea si eadem forma indifferens ad omnes motus determinaretur à forma substantiali aut proiiciente nunc ad hunc motum, nunc ad illum, eadem ratione ipsa res, quæ dicitur grauis aut leuis, absque illa qualitate posset sic determinari, & consequẽter absque necessitate diceretur esse grauitatem aliquam aut leuitatem in rebus distinctam à sua forma substantiali.

*Probatur tertia pars* cõtra quartam sententiã: quia omnino incredibile videtur, corpora grauissima, vt lapides grandes & globos ferreos, similiaque in altum proiecta, à solo aere mediante suo motu eleuari: ergo aliquid aliud concurrit ad illum motum.

3 *Confirmatur*: quia quantum ad omnem experientiam, & rationem fortius mouetur aer spirãte magno vẽto, quam quando proiicimus aliquid per ipsum sursũ: sed nec aer sic motus à vento aut se solo aut simul cũ vento, mouere potest corpora sursum proiecta ad partem illam, quo tendit ventus, tanto impetu, quanto mouentur sursum, ergo non mouentur sursum à solo aere moto.

*Confirmatur secundo*: quia si quis circa trochum in gyrũ velociter motum adhiberet omnem diligentiam impediendi motus aeris, eum ad alias partes contrarias impellendo, adhuc nisi tangeretur trochus, non desineret cõtinuare suum motum: ergo signum est, quod non perueniat ille motus ab aere solum. Ad quod etiam facit non experiri nos motum aeris tam vehementem post corpora proiecta, quam opus esset ad illum motum: imo, quod bene aduertit *Auersa*, si circa rotam velociter motam applicaremus chartam, aut aliam rem facile mobilem, non inueniremus quod admodum celeriter moueatur, cum tamen aer illa mouere deberet, si suo motu solo rotam moueret.

*Confirmatur tertio*: quia nauis contra aerem, ac ventum & ipsum aquæ fluxum, remorum impetu pulsa, desinẽte remorum motu adhuc ad illã par ẽ moueretur: sed dici nequit illum motum tum prouenire ab aere, aut aqua, quæ potius ipsum impediunt ad aduersam partem tendentia.

*Confirmatur quarto*: si ex agitatione aeris, quam facit impellens, oriretur motus proiecti, quamuis non tãgeret proiectum, concitando aerem maiori impetu, quam facit quando proiicit, deberet ipsum impellere, id hoc est contra experientiam: ergo non prouenit à solo illo motu.

*Obiicies primo*, contra hanc partem: non potest ostendi, ex quo alio capite oriretur hic motus, quam ex solo medio: ergo ab eo fit. Antecedens probant impugnãdo tenetis alias, & præsertim tertiam sequenti conclusione proponendam.

*Respondeo*, negando antecedens, cuius ratio patebit soluendo obiectiones eiusdẽ sequentis conclusionis. Quod si etiam non posset assignari alia causa, adhuc non deberet dici, quod proueniret ab aere: sed potius dicendum esset quod ignoraretur causa eius. Vnde permisso antecedenti, negari debet consequentia.

*Obiicies secundo*: motus huiusmodi prouenit ab re solo sæpissim, & non à qualitate aliqua impressã: ergo dicendũ est semper, quod ab aere, vel alio medio, per quod fit, procedat. Probatur antecedens: quia compana ingens eleuata sursum ab eo, qui trahit chordã ipsius manubrio alligãta, & postea sibi derelicta, non solũ descendit deorsum ad perpendiculum, sed sursum ab altera parte, & postea ab altera, & huiusmodi motus continuatur diu: at non potest hic motus tribui qualitati alicui impressæ, ergo aeri. Qualis etiam experientia est de rota, & alijs multis corporibus.

*Respondeo* negando antecedens, ad cuius probationẽ, nego minorem: ille enim motus, qua parte sursum est prouenit ab impulsu impresso ipsi à trahente chordam vnde quo fortius trahit, fortius mouetur & diutius; qua parte autem deorsum est, potest attribui grauitati campanæ, & potest dici, quod aer motus iuuet vtrumque motũ siue imprimendo impulsum, siue seipso expellendo, quamuis hoc secundum difficilius sit.

*Dices*: tollens campanam non potest, relinquendo ipsam suæ naturæ, imprimere qualitatem aliquam, ergo falsa nostra responsio.

*Respon*

*Respondeo*, impulsum non imprimi per hoc, quod relinquat suæ naturæ campanam, sed per ipsam attractionem; illa autem derelictio est conditio, sine qua non moueretur campana tali modo. Et per hoc patet ad quascunque huiusmodi experientias, & vniuersaliter mihi videtur non posse aliquod corpus aliud corpus trudere à loco suo, nisi imprimendo illi impulsum aliquem quod deseruit multum ad soluendas huiusmodi experientias.

*Obiicies tertio* Philosophum, qui huiusmodi motum adscibit aëri, ac medio.

*Respondeo*, eum solum velle, quod aer concurrat ad ipsum, non vero, quod sit causa adæquata ipsius: nec refert, quod non fecerit mentionem de alia causa illa, quam nos assignabimus; quia ad intentū ipsius sufficiebat concursus aeris. Fortassis etiam loquebatur ad hominem in sententia veterum, vt intentum suum principale quomodocunque concluderet, non immiscendo se aliis non necessariis difficultatibus.

## CONCLVSIO II.

Motus proiectorum prouenit ab impulsu.

5 *Huiusmodi motus prouenit tanquam à principio quo, à qualitate proiectis impressa, & ab ipsis proiectis tanquam à principio quod.* Hæc est quoad primam partem, iuxta tertiam sententiam, & quoad secundam etiam exceptis *Thomistis*, qui attribuunt illum motum proiicienti tanquam principio quod, simili fere modo, quo adscribunt generanti motum grauium & leuium.

*Probatur prima pars* ex dictis: quia alia causa assignari non potest, nec in hac causa est magna aliqua difficultas vt patebit ex solutione obiectionum.

*Confirmatur*, quia debet prouenire ab aliquo illis impresso, sed non a relatione vlla, nec à quantitate, nec à substantia, vt patet: ergo à qualitate.

*Et si quaras*, ad quam speciem qualitatis pertineat. *Respondeo*, quod ad illam speciem, quæ vocatur dispositio, quia est insensibilis qualitas ab extrinseco veniens, & facile mobilis.

Impulsus spectat ad speciem qualitatis quæ est dispositio.

*Probatur secunda pars*: quia proiiciens potest esse destructum, durante adhuc motu proiecti: sed prorsus ridiculum est adscribere motum aliquem realem rei non existenti realiter, tanquam principio quod immediato, quamuis posset ipsi adscribi, tanquam principio mediato, sicut productio omnium hominum potest adscribi primis parentibus.

*Obiicies primo*: illa virtus impressa producitur cum motu, vel sine motu: neutrum dici potest: ergo non datur. Probatur antecedens: quia non sine motu, vt patet experientia: non etiam cum motu, quia motus ipse non producit illam, nec potest assignari ad quid iuuaret in ordine ad eius productionem.

*Respondeo* negando antecedens pro secunda parte: sicut enim sonus non producitur sine motu, & ad illum producendum propterea motus iuuat: ita in proposito dicendum est: nec in hoc est vlla difficultas, nec est necesse ostendere ad quid iuuet motus ad productionem hanc, alio modo quam quod à posteriori constet eum iuuare.

*Obiicies secundo*, quia vel produceretur successiue, vel in instanti: non in instanti, quia sic non produceretur cum motu: non successiue, quia sic haberet contrarium.

*Respondeo*, eam produci successiue sicut sonus, nec est necesse, vt quicquid successiue producitur habeat cōtrarium vt patet in eodem exemplo soni, qui non habet contrarium: sola ergo illa successiue producuntur ratione contrarij, quæ alias ex natura sua peterent produci in instāti, non vero, quæ ex natura sua petunt produci in tempore. Quod si etiam diceretur hæc qualitas produci in instanti quoad aliquam partem, & quoad aliam in alio instanti, & in hoc sensu diceretur produci successiue, & cum motu, non quod sine intermissione produceretur successiue, fortassis non esset inconueniens; quod magis iudico quam affero.

7 *Obiicies tertio*, illa virtus, vel esset eiusdem speciei in omnibus; vel diuersæ: non eiusdem speciei, quia alias eodem modo, & ad eandem partem propelleret proiecta semper, nempe vel semper sursum, vel semper deorsum, vel semper ad latus, aut circulariter: non diuersæ speciei, quia omnino incredibile videtur, quod ex eo quod proiiciens impellat sursum, producat aliquid distincte speciei ab illo quod produceret impellendo deorsum, & præsertim cum eodem impulsu possit mouere res sursum & deorsum vt patet in motu rotæ & resilientibus, de quibus postea.

Omnis impulsus est eiusdē speciei.

*Respondeo*, illam qualitatem esse semper eiusdem speciei, & indeterminatam ex se ad quemcunque motum, quo potest moueri proiectum; sed determinatur tamen ad talem, vel talem motum partim ex natura motus, quo mouetur proiectum, dum imprimitur illi ista virtus, & partim ex conditione subiecti, & aliis impedimentis eius, ac circunstantibus corporibus. Et sicut aduersarii dicunt illos motus prouenire ab aere eiusdem rationis, cur non posset prouenire à qualitate impressa eiusdem rationis? & quemadmodum aer potest aliunde determinari ad motum talem potius quam alium, idem dici poterit de qualitate illa impressa.

8 *Obiicies quarto*: nulla est qualitas, quæ non sit naturalis alicui subiecto; sed illa, qua impelleretur corpus non esset illi naturalis: ergo non datur.

*Respondeo* negando maiorem: nam sonus est qualitas & tamē nulli est naturalis subiecto. Quod si sonus sit naturalis, dicatur similiter hæc qualitas esse naturalis.

*Obiicies quinto*: si daretur illa qualitas, non esset distinctæ rationis à virtute motiua naturali, & consequenter additio ipsius esset superflua. Probatur antecedens: quia haberet impellere corpus eo ipso modo; quo virtus motiua naturalis.

*Respondeo*, negando antecedens cum sua probatione: nam virtus naturalis motiua est ex se determinata ad vnū certum motum; hæc autem qualitas est indifferens ad quemcumque, & determinatur ad talem, vel talem iuxta conditionem rei proiectæ, & modum quo applicatur.

*Deinde*, virtus motiua naturalis est quid omnino permanens, quod solet produci simul, & desinere simul: hæc autem qualitas petit produci successiue, & successiue perire solet, instar soni Et dico quod soleat successiue perire, quia fortassis etiam posset quandoque in instanti, vt si quis rem proiectam in instanti sic fortiter comprehenderet, vt non permitteret illam moueri ad vllam partem.

9 *Obiicies sexto*, non potest ostendi, quomodo desineret hæc qualitas: ergo non est asserenda. Probatur antecedēs quia nulla forma absoluta desinit in subiecto nisi per productionem contrariæ formæ, vel per destructionē subiecti, aut alicuius conditionis se tenentis ex parte subiecti ad illius conseruationem prærequisitæ; vel per defectum causæ conseruationis; sed subiectum huius qualitatis nō desinit nec aliqua conditio se tenens ex parte ipsius, nec habet forma contrariam, quæ produceretur; nec desinit aliqua causa conseruatiua, quæ ante fuit: ergo non potest assignari quo modo desinat.

*Respondeo*, simili modo eum desinere, quo desinit sonus, quem nemo negat, & esse, & desinere aliquando: & quacunque ratione dicent aduersarij desinere sonū, nos poterimus idem dicere de dissitione huius qualitatis.

Vt autem in particulari appareat quomodo desinat, quidam cum *Suario* dicunt eam desinere ex repugnantia virtutis natiuæ, verbi gratia, grauitatis, aut leuitatis, quæ est quasi contraria, licet non proprie contraria isti qualitati.

10 *Sed contra*, quia grauitas, ac leuitas compatiuntur simul cum illa qualitate, non solum pro instanti, sed pro tempore: ergo ex repugnantia, quam habent cum illa qualitate, non desinit illa qualitas.

*Confirmatur*: quandocunque aliqua forma introducitur in gradu, in quo habet repugnantiam, aut contrarietatem, siue propriam, siue improriam modo sit expulsiua, cum alia forma, debet aliam formam illam tollere; vel aliquam partem, aut gradum ipsius; alias non haberent repugnantiam; sed nihil grauitatis tollitur à corpore proiecto, dum imprimitur illi hæc qualitas: ergo non habet repugnantiam hæc qualitas cum grauitate, nec est illi quasi contraria.

*Confirmatur secundo*, contra eos, qui putant ad impressionem huius qualitatis aliquid tolli de grauitate natiua corporis proiecti: quia omnino absurdum videtur, quod quando lapis impellitur deorsum, aliquid perdat de grauitate sua; & præterea non minus absurdum est, quod aliquid requisitum tanquam conditio sine qua non ad productionem alicuius qualitatis, debeat formaliter tolli per illam qualitatem; sed grauitas est conditio, sine qua non potest tantus impulsus imprimi; vnde grauia fortius proiici possunt, quam leuia.

Sententia Vasquis refelli. tur.

11 *Vasquez* ait impulsum expelli, ac desinere ex eo, quod corpus impulsum producat ipsi contrarium. Sed certe ridiculum videtur produci à corpore graui deorsum proiecto impulsum contrarium illi impulsui; neque enim alium impulsum potest in se graue producere, nisi impulsum quo impelleretur deorsum, & talis impulsus non est contrarius impulsui, quo ab alio deorsum proiicitur.

*Deinde*; nec experientia, nec ratio probat graue habere virtutem productiuam impulsus in se, vnde fictitius est talis impulsus.

Plane autem inconueniens videtur, quod præterea in suo de hac re discursu addit idē auctor, quando lapis proiicitur in terram, totam terræ machinam simul moueri aliquantulum, & postea statim redire in suum locum, ac inde prouenire, quod impellatur sursum lapis. Nec enim ratio aut experientia id probat: & præterea incredibile videtur, tam ingens corpus ad motum tam exiguum integre moueri.

*Confirmatur hoc*, supponendo quod duo proiicerent simul duos lapides æquali impetu in terram, vnus ex hac nostra mundi parte, & alius ad Antipodas, in parte directissime opposita, qui casus est omnino possibilis etiam naturaliter, non solum per Angelos, sed per homines, & fortassis quandoque accidit. In hoc casu non propelleretur per lapidem proiectum terra ab hac parte propter resistentiā lapidis proiecti ab altera parte, nec propelleretur ab illa parte propter impedimentum lapidis hic proiecti: ergo quidquid diceretur in tali casu de lapidibus proiectis absque motu terræ, posset dici de facto, & consequenter non est necessarius motus terræ vlla ratione ad saluandum aliquid, quod de facto contingit.

Verior sententia.

*Itaque melius dicitur* hanc qualitatem desinere ex eo quod non petat connaturaliter conseruari nisi tanto tempore iuxta conditionem subiecti, & circumstantia um, sicut omnibus philosophandum est de sono, dē quo suo loco.

## QVÆSTIO II.

*A quo mouentur corpora, quæ resiliunt.*

12 CErtum est quotidiana experientia corpora, quæ proiiciuntur, si occurat ipsis aliud corpus impediēs motum, quem ex proiectione haberent, resilire retro; & etiam æque certum est illum motum prouenire à qualitate aliqua ipsis impressa, ac motum vllum proueni e à tali qualitate; sed controuertitur, à quanam causa imprimatur illa qualitas, an à corpore, à quo resiliunt, vel à proiiciente in illud corpus, vel ab alia aliqua causa.

## CONCLVSIO.

Impulsus resiliens à quo fit.

*Probabilius videtur quod impulsus, quo proiectum resilit, causatur à proiiciente vel impellente, & non à corpore, à quo fit resultantia.*

*Probatur primo* autoritate Philosophi hic *tex. 32.*

*Probatur secundo*, quia quo fortius impellitur, eo fortius resilit: ergo signum est quod impulsus, quo resilit, procedat ab impellente.

*Confirmatur*: quia non potest intelligi quo modo corpora, à quibus fit resultantia, fortius impellant corpora, quę fortius proiiciuntur, quam quæ debilius.

*Dices*, quia quo fortius impellitur, eo melius disponitur ad recipiendum impulsum.

*Contra*: quia nulla forma est dispositio ad formam sibi directe oppositam; sed secundum aduersarios impulsus deorsum, verbi gratia, est directissime oppositus impulsui sursum à terra: ergo ille impulsus non potest esse dispositio ad hunc; sed esset secundum hanc responsionem: ergo, &c.

*Probatur tertio*, quia quæcunque alia impellunt aliqua corpora præter illa, de quibus est controuersia non impellunt ea, nisi ipsa etiam moueantur: ergo verisimile est quod corpora de quibus controuertitur, id est, illa, quibus fit resultantia, non possint impellere, nisi moueantur: sed non mouentur quoties fit resultantia: ergo nec impellunt.

*Confirmatur*: quia reflexio luminis fit ab agente à quo actione directa productum est, & non à corpore, à quo fit reflexio, ergo & reflexio seu resultantia corporis reflexi fit à proiiciente.

13 *Obiicies primo*. Si pila descenderet ob suam naturalē grauitatem, nō haberet impulsum ab aliquo proiiciente, sed tamen resiliret à terra: ergo terra habet virtutem impellendi ipsam.

*Respondeo* negando maiorem, quia, vt dicemus postea aer impelleret illam vltra quam moueretur à sua grauitate; & eius resultantia proueniret ab impulsu aēris, quod si non impelleretur ab aliquo, vt si descenderet in vacuo, non fieret resultantia.

*Obiicies secundo*, motus sursum & deorsum distinguitur specie: ergo non possunt prouenire ab eodem impulsu: ergo est diuersus impulsus quo resilit pila à terra sursum, & quo proiicitur vel impellitur deorsum.

*Respondeo* negando consequentiam: quemadmodum enim eadem virtus loco motiua potest mouere sursum & deorsum, ita & idem impulsus, supposita diuersa determinatione.

*Obiicies tertio*: non eodem modo resilit pila à corpore molli, & duro: ergo signum est quod corpus durum imprimit aliquid illi, quod non imprimitur à corpore molli.

*Respondeo* negando consequentiam, nam prouenit potius ex eo, quod corpus molle minus resistat, quia magis cedit, quam corpus durum; quo enim magis continuatur motus directe; eo minus fit resultantia motus, præsertim si protendatur vltra illud tempus ad quod solet crescere motus eius.

14 *Obiicies quarto*. Impulsus à proiiciente emissus non manet nisi quamdiu manet motus, vt patet experientia: sed quando corpus resilit, quiescit in puncto reflexionis: ergo non manet impulsus à proiiciente immissus, & consequēter si resiliat debet accipere aliū impulsum ab aliquo alio. Probatur minor primo, quia alias duo motus contrarii possent continuari, quod vid tur absurdum. Probatur minor secundo, quia idem posset esse terminus à quo, & ad quem eiusdem motus localis.

Non fit quies in puncto reflexionis, sed motus.

*Respondeo* negando minorem, tum quia nihil cogit ad talem quietem asserendam, tum quia si pila minima proiiceretur sursum & occurreret maximo lapidi descendenti, efficeret vt quiesceret iste lapis, quod est absurdissimum. Ad primam autem probationem minoris *Respondeo* non esse absurdum, quod duo motus contrarii continuentur magis, quam quod ipsa loca sic continuentur.

*Dices*, id esse expresse contra Philosophum. *Respondeo* Philosophum non esse locutum vniuersaliter de omnibus motibus contrariis, sed de aliquibus; vel non nisi probabiliter ita sensisse. Ad secundam etiam probationem, dico id non esse absurdum in motu, cuius pars est directa, pars reflexa.

## QVÆSTIO III.

*Vnde oritur, quod motus grauium & leuium sit velocior in fine quam principio aut medio; motus vero proiectorum sit velocior in medio?*

15 TEnetur communiter tanquā experientia compertum, quod supponitur in vtraque parte huius quæsiti. Sed *Arriaga* propria experientia edoctus negat primum suppositum *disputat. quarta de generatione num. 33.* & expresse tenet *Primo*, omnia grauia quantumuis inæqualis magnitudinis, æque velociter moueri per idē medium, præsertim si sint eiusdem naturæ, absque vlla differentia præter magnitudinis maioris, & minoris. *Secundo* grauia in fine motus non velocius moueri, quam in initio, aut medio.

Quod

Grauia inæqualia æquè cito mouentur per idem medium.

Quod ad me autem attinet, libenter cum eo conuenio quoad primam partem: facta enim experientia lapidis magni, & parui, quos simul ex eodem loco altissimo data opera proieci, non citius comperi vnum altero ad terram peruenisse. Nec satisfacit dicere, non æque cito eos descendisse, sed differentiam tamen fuisse tam exiguam, vt vix percipi potuerit: nam si nō percipiatur non debet asseri, quia aliunde probari non potest nisi experientia. & præterea si grauitas maior causaret velociorem motum, quando esset notabilis differentia inter duo corpora, deberet etiam notabilis esse differentia inter motus vtriusque. Ratio autem cur non debeat esse velocior motus vnius, quam alterius est, quia licet vnum habeat plus grauitatis, habet etiam plures partes conformiter ad hoc, quas mouere debet, & plures partes resistentes ipsi in medio, quam habet corpus minus graue: vnde grauitas minor corporis minoris æque cito poterit ipsum mouere ac grauitas maior corpus maius: nec vniuersaliter verum est quod grauitas maior velociorem causet motum quam minor, sed hoc solum intelligendum est respectu eiusdem corporis, & cæteris paribus, ita scilicet, vt idem corpus, quando haberet maiorem grauitatem, & cætera essent paria, velocius moueretur quam si haberet minorem grauitatem; quod quidem certum est, quia alias non haberet maiorem grauitatem.

An grauis velocius moueatur in fine motu

16 Difficilior est secunda pars huius doctrinæ, & magis contra communem Philosophorum opinionem, quæ potissimum fundatur in hac experientia, quod si lapis prægrandis caderet supra aliquem valde prope locum, à quo caderet, non tantopere læderet illum, quam si in loco valde distanti caderet: huius enim non videtur alia ratio assignari posse, nisi quod quo amplius progreditur, eo velocius moueatur, ac impellatur, & consequenter fortius impellat corpora occurrentia.

Doctrina Arriagæ.

Ad hanc autem experientiam respondet *Arriaga*, id non oriri ex eo quod velocius moueantur, sed ex eo quod maiorem impulsum imprimant corporibus occurrentibus, quia scilicet quo longius mouentur, eo habent maiorem vim ad imprimendum talem impulsum.

Hoc autē probat, quia si pila coriacea caderet velocius quam lapis, non offenderet tantum quantum lapis: ergo signum est quod læsio illa non proueniat à motu. Verum quidquid sit de ipsa sententia, hæc probatio nihil valet; & retorqueri potest. Nihil valet quidem,

Reicitur.

Quia nemo dicit solum motū esse causam læsionis, sed motum simul cū tali, vel tali grauitate, & figura, cæterisq; concurrentibus; vnde cum pila illa non habeat tantum grauitatis, quantum habet lapis, non debet tantum lædere, quamuis velocius moueatur. Retorqueri etiam potest, quia illemet fatetur, impulsum imprimi maior in loco distanti ob longiorem motum: sed si pila longius moueretur non imprimeret tantum impulsum quantum lapis: ergo si valet argumentatio ipsius, sequitur quod non proueniat impulsus ille maior à longiori motu.

17 Melius probari posset illa responsio *Arriagæ* ex eo quod non possit commode assignari vnde causetur motus velocior in fine, quam in principio, aut medio; & ex eo quod illa maior læsio prouenire posset ex maiori impulsu sine velociori motu. Primum patebit ex difficultatibus proponendis infra contra sententiam communem. Secundum patet, quia impulsus maior non videtur habere vllam connexionem cum motu velociori.

*Dices*, motum præteritum non posse esse conditionem ad hoc, vt agens aliquod iam fortius agat, quam si non fuisset præteritus, nisi per ipsum aliquid producatur in agente, ratione cuius fortius posset agere quam alias: sed nihil producitur: ergo quod impulsus sit maior, nequit oriri ex eo, quod motus sit longior.

Hæc est potissima difficultas, quam patitur hæc sententia. Ad quam dupliciter responderi potest ex doctrina *Arriagæ primo* negando minorem: posset enim dici, quod producatur in graui descendēte per ipsum motum aliquis impulsus seu aliqua qualitas, qua adiuuetur ad fortius agendum postea. *Secundo*, negando maiorem, posset enim secundum ipsum dici, quod motus præteritus sit cōditio sine qua non, sicut præextitisse in loco vicino est conditio, vt possit quis acquirere aliquem locum.

18 Ex his responsionibus secunda longe improbabilior est: neque enim potest assignari qua ratione motus præteritus sit conditio necessaria ad productionem impulsus postea producti, sicut potest assignari ratio cur præexistentia in loco vicino sit conditio, vt quis ponatur in alio loco: quia illa præexistentia applicat corpus ad locum alterum, sic, vt immediate in ipso posset poni absque eo quod transferatur corpus de loco in locum, non pertranseundo medium.

*Contra primam* etiam posset opponi, quod eo ipso quo produceretur talis impulsus, deberet graue ratione illius descendere velocius: tum quia omnia alia quibus imprimuntur impulsus etiam versus partem, ad quam naturaliter tendunt, velocius mouentur: tum quia aliàs frustra imprimerentur ipsis. *Deinde*, ipsemet motus, formaliter loquendo cum sit respectus, non habet virtutem productiuam qualitatis absolutæ, qualis esset impulsus, & ipsum graue non debet habere illam virtutem: cur enim nō sufficeret ipsi ferri deorsum iuxta' vim grauitatis suæ, & impellere alia corpora iuxta eandē virtutem sine noua aliquo impulsu à se producto in se?

Vnde oriatur quod motus grauis sit velocior in fine.

Sed quidquid sit de hac doctrina, supponendo quod communiter supponitur, motum grauium esse velociorem in fine quam in principio, examinemus à qua causa oriatur quod ita fiat.

Prima sententia.

*Aliqui dicunt* rationem istius maioris velocitatis in fine esse, quod grauia in alieno loco acquisierint aliquas qualitates resistentes motui deorsum, quas mediante motu paulatim superant. & sic velocius in fine mouentur, vbi minus habent de illis qualitatibus.

Reicitur.

*Contra*, quia non potest assignari à quo huiusmodi qualitates producantur, nec ob quem finem.

19 *Dices*, à proiiciente eas produci. *Contra*: quia possent grauia produci primo sursum absque vllo impulsu: deinde quiescunt sæpe sursum, & in illa quiete, præsertim si longior sit, perdunt quidquid producitur impulsus à proiciente.

Secunda sententia.

*Alii dicunt* propterea motum esse velociorem in fine, quia vigoratur in progressu motus.

*Contra*: quia hæc vigoratio nequit fieri, nisi mediante aliqua qualitate, quæ acquireretur: aut mediante aliqua causa, qualis causa iam examinatur, & non assignatur ab his auctoribus.

Tertia sententia.

*Alii dicunt* rationem esse, quod locus naturalis trahat ad se corpora illa, vt magnes ferrum, & quo magis accedunt, vt magis applicentur, ita magis trahere.

*Contra*: quia sic duo corpora saltem eiusdem rationis, & omnio similia, quando essent in æquali distantia à loco naturali, æqualiter deberent moueri quamuis alterum ab altiori loco moueretur, quod est contra experientiam hic suppositam. *Quæ etiam ratio* improbat aliorum sententiam dicentium motum esse velociorem in fine, quia aer prope locum naturalem minus resistit; nam sic æque cito deberet moueri corpus per illum aërem, siue ab altiori loco descenderet, siue à minus alto.

Quarta sententia reicitur.

Quinta sententia.

*Alii dicunt* causam esse, quod grauia producant in se qualitatem impellentem, quæ quo longior est motus, augetur.

*Contra*, quia, vt dixi ante, illa virtus frustra ipsis esset concessa, cur enim non sufficeret ipsis æquali motu semper tendere in locum naturalem iuxta suam grauitatem sine additione huius nouæ qualitatis?

Sexta sententia reicitur.

*Alii volunt* motum causare nouum impulsum in mobili.

*Contra*, quia est respectus formaliter loquendo, vt tenent Scotistæ, aut modus, vt tenent alij: sed nec respectus nec modus potest esse principium productiuum absolutæ qualitatis.

Septima sententia reicitur.

*Alii putant* rationem esse quod aer quo magis mouetur, eo minus resistit; quo longior autem est motus, magis mouetur.

*Contra* quia posset magis moueri aer per alia agentia: quando descēderet corpus à loco parum alto, quam mo-

ueretur quando descenderet corpus à loco magis alto; & tamen quod descenderet à loco magis alto, moueretur velocius : ergo signum est quod motus velocitas maior non proueniat à minori resistentia orta ex longiori motu.

Octaua & communior sententia.

20 *Communior sententia* tenet velocitatem maiorem prouenire ex impulsu aëris succedentis graui decedenti: succedit enim ipsi cum aliquo impetu iuxta proportionem motus ita, vt quo velocius mouetur, eo maiori impetu succedat; vnde quia prima pars aëris succedens impellit vltra, quam per naturalem virtutem descenderet, fit vt succedente illa parte velocius moueatur, quam incipiat moueri, & quia tum velocius mouetur, succedit alia pars, cum maiori impetu, & cogit ad velociorem motum, & ita deinceps vsque in finem.

Reiicitur

*Contra* hanc tamen sententiam facit *primo*, quod nõ appareat maior motus in aëre in fine, quam in medio; nec etiam apparet quomodo possit esse talis impulsus ab aëre, nam non fit ab aëre antecedente, potius enim ille resistere deberet: nec ab aëre sequenti, quia cum sit in loco naturali, non debet grauitare nec impellere corpus sub se positum: nec ad impediendum vacuum id est necessarium, sufficit enim ad hoc quod subsequatur immediate absque huiusmodi impulsu. *Adde*, quando nos ipsi cadimus non sentire nos impulsum aeris subsequentis; quem tamen si daretur, deberemus sentire, sicut sentimus impetum venti impellentis nos à tergo, qui tamen non impellit tantum, quantum supponitur impellere aer prope finem grauia descendentia.

*Confirmatur*: quia motus aeris non est verisimiliter tam magnus etiam impulsiuus, ac ventus valde vehemens: sed certe ille ventus non posset impellere tantum quantum impellitur graue in fine motus longi, ergo ille impulsus non oritur ex aere.

21 Hæ sunt præcipuæ, quas de hac re reperio sententias, quarum nulla non caret sua difficultate; nec ego aliam faciliorem inuenio: vnde ex hoc ipso potest assumi argumentum ad probandum quod motus non sit velocior in fine.

At si quis tamen velit ex his dicendi modis scire, quem putem faciliorem;

*Respondeo* mihi faciliorem esse illum, quo dicitur quod moueatur velocius, quia producunt in se ipsis quali atem aliquam impellentem, aut quia producitur in ipsis qualitas resistens motui; quod colligi potest experientia & finis eius erit vt eo modo expellant maiori impetu corpora distantiora ob beneficium vniuersi. Vltima etiam sententia ob auctoritatem probabilis censeri debet: & quia non absolute resoluo hanc quæstionem quoad hanc partem, propterea non propono Conclusionem.

Cur proiecta minus velociter mouentur post medium.

22 Nunc soluenda est quæstio quoad secundam partem & dico rationem esse cur proiecta minus velociter mouentur post medium quam in medio, quia vsque ad medium qualitas impressa ipsis non remittitur, tum autem incipit remitti. Ideo autem velocior in medio, quam in principio, (si tamen ita fiat) quia ipsum proiectum habet virtutem productiuam impulsus in se ex suppositione quod impellatur ab extrinseco; & hoc paulatim donec remitti incipit virtus ipsi impressa ab illo extrinseco, vel quia (vt communiùs tenetur conformiter ad vltimam sententiam de prima parte) quo velocius mouetur per impulsum, eo magis impellitur ab aere seruata simili proportione. qualis seruatur in motu grauis deorsum.

*Queri hic solet*, an elementa grauitent in locis proprijs: sed commodius tractabitur hæc quæstio in disputatione de Elementis. Vnde hæc sufficiant de octo libris Physicorum, ad primi Motoris, ad quem indagandum potissimum compositi sunt, honorem, & gloriam. Amen.

# LIBRI DE COELO ET MVNDO.

QVæ vtiliora sunt, & magis indigent examine in quatuor libris, quos de Cælo & Mũdo scripsit Philosophus, quorumque obiectum adæquatum, seu attributionis est, vel vniuersitas rerum omnium de facto repertarum intra superficiem conuexam Cæli supremi; vel corpus simplex commune Cælis, & Elementis terrestribus; vel Cælum ipsum, quæ controuersia parui prorsus momenti est; hic pauc s disputationibus co nprehendere placuit, easque numero cum præcedentibus connectere.

## DISPVTATIO XXI.

### DE MVNDO.

PEr Mundum, qui & græce Κόσμος dicitur, vniuersitas rerum omniũ præsertim corporearum intelligitur, quæ inter se ordinem quendam habent ac sub rdinati nem, absque subordinatione, aut dependẽtia ab alijs corporibus, quæ extra illam vniuersitatem, seu multitudinem collocata essent. Dixi, *ordinem quendam, ac subordinationem habent*: quia mul itudo rerum, quæ non haberent huiusmodi ordinem, chaos potius, quam mundus appellari deberet; tum etiam quia si non caperetur hoc modo, non posset esse quæstio de pluralitate mundorum, quia absque dubio impossibilis esset; nam plures, qui excogitarentur mundi, vnicam vniuersitatem rerum omnium corporearum facerent, atque adeo essent necessario vnus mundus: Dixi etiam *absque dependentia ab alijs corporibus, aut subordinatione ad illa*, quia alias potuisset vocari mundus collectio creaturarum omnium sublunarium, & collectio etiam creaturarum cælestium posset vocari alius mundus, atque adeo de facto posset dici dari duos mundos; vtraque enim collectio est rerum corporearum inter se bene dispositarum.

### QVÆSTIO I.

*An Mundus sit vnus.*

1 SI caperemus Mundum pro vniuersitate omnium rerum corporearum, quæ de facto fuerint, sunt, & erũt, certum est mundum esse vnum: illa enim vniuersitas est vna; posset tamen in hoc sensu dari alius mundus, quia alia vniuersitas rerum posset esse. Item si caperemus mũdum pro vniuersitate omnium rerum corporearum possibilium, adeo mundus esset vnus, vt nec essent plures possibiles, quia extra vniuersitatem rerum corporearum omnium, aliæ res non essent, ex quibus conflari posset alius mundus. Itaque controuersia hic examinanda est, an de facto præter vniuersitatem rerum omnium corporearum contentarum sub summo Cælo, detur alia rerum vniuersitas extra summum Cælum; aut an sit possibilis talis vniuersitas: si enim detur, de facto plures dantur Mundi: si non detur, sed sit tamen possibilis, non dantur de facto, sed sunt possibiles plures mundi.

### CONCLVSIO.

*De facto vnicus tantum est mundus; sed plures sunt possibiles.* Prima pars est communis cum *Philosopho*. Secunda etiam pars est communis, sed videtur esse contra *Philosophum*, & *Platonem* etiam *in Thymæo*. Probat Philosophus primam partem tribus rationibus, quibus etiam ad negandam inducebatur secundam partem.

Vnus mũdus datur de facto: plures sint possibiles.

Probationes Philosophi.

2 *Prima ratio est*: si darentur plures mundi, terra vnius mundi moueri deberet naturaliter ad vniuscuiusque mundi centrum, sicut terra huius mundi de facto ad eiusdem mouetur centrum: sed hoc non solum inconue-

niens

niens est, sed prorsus implicat naturaliter: ergo nec datur nec dari potest pluralitas mundorum.

*Secunda ratio* est, quod mundus hic noster contineat omnem materiam possibilem: ergo nequit dari alius mundus constans saltem rebus materialibus.

*Tertia est*, quod sit tantum vnus primus motor: ergo vnum tantum primum mobile, & consequenter vnus mundus.

Verum hæ rationes parum aut nihil concludunt, nec tanti Philosophi ingenio dignæ videntur.

*Responderi* enim facillime potest *ad primam* negando maiorem: cur enim terra huius mundi, ad centrum alterius nullam cum eo connexionem aut subordinationem habentis, moueri deberet?

*Ad secundam* negatur antecedens: & sane si contineret omnem materiam possibilem, deberet constare infinita materia, quod est contra ipsum Philosophum mundo huic limitatos tribuentem fines.

*Ad tertiam* negatur consequentia, non obstante enim vno primo motore, possunt dari plura prima mobilia non subordinata inter se, quorum quodlibet in suo mundo esset primum.

Reiciuntur. 3 *Melius ergo probatur prima pars*, quia existentia rerum vllarum non debet asseri absque aliqua ratione à priori aut posteriori aut experientia, aut authoritate, sed nulla est ratio, aut experientia, aut authoritas magni facienda, vnde colligatur existentia alterius mundi, imo est authoritas omnium fere Philosophorum in contrarium: ergo non debet asseri,

*Confirmant aliqui*: quia poterat Deus omnes creaturas corporeas in vnico mundo collocare: ergo non debebat ad plures mundos recurrere.

*At hæc confirmatio est difficilis*: quia si loquatur de hoc mundo, qui de facto existit, id omnino falsum est: nam alius mundus eiusdem magnitudinis, & formæ qui possibilis est, non poterat intra hunc mundum contineri. Si vero loquantur de alio mundo maiori,

*Contra* est, quia quamuis in eo possent creaturæ alterius mundi, qui de facto diceretur existere, contineri; tamen quia ille de facto non est creatus, non sequitur quin de facto sit alius mundus ab hoc nostro distinctus. Deinde non est vllus mundus finitus tam magnus, cui non posset alius mundus æqualis creari, qui propterea intra terminos istius mundi quantumuis magni non posset contineri. Rursus Sol, Luna, Stellæ alterius mundi non possent intra vnum mundum, in quo essent aliæ similes, tam bene collocari.

*Confirmant secundo*, quia cum Deus ipse vnus sit, congruum erat vt opificium eius esset vnum. At hæc congruentia non est magni momenti: posset enim aliquis dicere non magis congruum esse vt opificium Dei esset vnum ad habendum aliquam proportionem cum Deo, quoad vnitatem, quàm quod esset multiplex ad ostendendam ipsius omnipotentiam. Deinde cur esset nec esse vt opificium totale Dei deberet habere proportionem vllam in vnitate cum Deo?

*Probatur secunda pars* conclusionis: quia in hoc nulla prorsus est repugnantia: quo argumento melius haberi non potest ad probandas similes conclusiones. Philosophus autem, qui sensit contrarium huius partis, valde leuibus, & extraneis ad id adducebatur principijs; vt propterea in hoc non sit curanda eius authoritas.

4 *Quares* quam vnitatem habet hic mundus noster in se.

*Respondeo* non nisi vnitatem ordinis & subordinationis: non enim vnitatem aliquam per se, aut metaphysicam, cum partes plures eius realiter distinguantur; aut physicam, cum etiam plures partes eius sint secundum se entia completa: quæ non actuant alias partes, nec actuantur ab alijs partibus, vt lapides, arbores, homines, elementa: non etiam continuationis, neque enim cæli inter se continuantur, nec pisces, cum mari aut alijs partibus, aut homines cum terra aut aere; nec etiam vnitatem mere per accidens, vt patet ex ordine & subordinatione partium mundi; ergo vnitatem ordinis & subordinationis.

## QVÆSTIO II.

*De perfectione Mundi.*

5 CErtum est mundum esse perfectum; nam vt Scriptura ait, *Dei perfecta sunt opera, & vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Quod non quamcumque mundi perfectionem, sed eminentem aliquam denotat. Et sane multitudo, varietas, pulchritudo, proportio & connexio ordinatissima partium mundi maximam eius perfectionem abunde ostendunt, vt alia id probatione non indigeat. Et quamuis ex monstris, animantibus venenosis ac per se deformibus, infectionibus aeris, terræ motibus, tempestatibus, & similibus posset quis arguere aliquam mundi imperfectionem, vt pote qui sine iis perfectior appareret; tamen, præterquam quod hæc omnia deseruiant ad particulares aliquos fines; cum causentur à causis naturalibus, quæ si ea carerent virtute, non haberent aliam ad mundi vtilitatem requisitam, perfectioni potius mundi attribui debent quam imperfectioni. *Difficultas ergo hic examinanda* est solummodo, an mundus sit ita perfectus, vt perfectior esse non possit Quæ difficultas cõuenit in re cum alia in Theologia examinari solita, an Deus teneatur semper facere quod optimum est: si enim teneatur, non poterat perfectius quid facere quam mundum; alias eum faciendo non fecisset quod optimum est: si vero non teneatur, nihil impedit, quo minus posset mundum longe perfectiorem nobis condidisse. Mundus est perfectus.

An possit dari mundus perfectior.

6 *Prima sententia* est, quod non possit Deus perfectiorem mundum facere absolutè, & simpliciter, quam quem de facto fabricauit. Variæ sententiæ.

*Secunda sententia*, quod posset Deus absolute perfectiorem mundum facere, sed supposito tamen fine de facto intento, ob quem creauit mundum, quod non potuerit.

*Tertia*, quod potuerit perfectiorem, etiam supposito fine.

Vt autem clarius soluamus hanc difficultatem, aliquid dicendum videbitur de illa alia difficultate annexa, an scilicet Deus teneatur facere quod optimum est.

An Deus teneatur facere quod optimũ est.

Qua in re *Granadus* 1. *tract.* 2. *de volunt. Dei disp.* 3. distinguit inter duo genera rerum: sunt enim aliquæ res, in quibus assignari potest optimum ex illis, vt v. g. creatio mũdi & negatio creationis mũdi, redemptio generis humani & non redemptio: aliæ sunt res, in quibus nequit assignari optimum, vt sũt species alicuius generis, in quibus cũ sit processus in infinitum, & nulla species assignari possit, qua perfectior fieri nequit, non potest assignari quid sit ex illis optimum. Dicit ergo hic author, in priori genere rerum Deum non solum semper de facto facere, quod optimum est, sed ad id ex bonitate sua infinita ita inclinari, vt moraliter loquendo oppositum facere non possit, quamuis ad id faciendum potentiam physicam habeat.

Hanc sententiam data opera impugnat *Lugo disp.* 2. *de incarnatione sect.* 1.

### CONCLVSIO. I.

Deus non tenetur facere quod optimũ est.

7 *Deus non tenetur facere, quod optimum est, etiam ex illis rebus, quarum optimum assignari potest.* Hæc est contra *Granadum*, & iuxta communia principia.

Probatio P. de Lugo.

Probat *Lugo*: quia potentia physica cum impotentia morali, quam haberet Deus in sententia opposita ad non faciẽdum optimum, est valde debilis, & arguens libertatem valde limitatam ac imperfectam in Deo: ergo non debet illi poni in Deo, sed potentia physica cum potentia morali. Hoc argumentum fusius prosequitur.

*At facile responderet Granadus*, licet in sua sententia magis limitata libertas in Deo poneretur in ordine ad non faciendum optimum, tamen hoc non arguere imperfectionem, sed potius perfectionem, in Deo, præsertim cum radix eius sit summa bonitas ipsius; & sicut nos sumus in statu perfectiori, quando habemus gratiam efficacem moraliter determinantem nos ad bonum, quam quando non haberemus ipsam, sed essemus eque indifferentes ad bonum, & malum absque gratia ad bonum incitante

citãte, aut tentatione ad malũ, quãuis tum magis limitatã haberemus libertatem: ita Deus posset dici quantum ad hoc esse in perfectiori statu, quando esset mor liter determinatus, præsertim ex perfectione sua intrinseca ad optimum, quam quando non esset, sed esse potius aq e indifferens ad maius bonum, & minus bonum.

*Probat secundo*, quia Incarnatio de facto, si non fuisset peccatum secundum *Thomistas*, & recentiores. quos ipse *Granadus* sequitur, non poner tur à Deo, sed tum esset æque excellens, & bona, ac est de facto, & sine dubio melior quam non incarnatio: ergo falsum est quod Deus necessitetur ad optimum in sensu Granadi.

*Hæc etiam ratio non vrget*, quia licet secundum se, Incarnatio esset æque semper bona, & melior quam negatio eius, sicut quodlibet positiuum est melius physice & secundum se, quam negatio ipsius; tamen *Granadus* negaret Incarnationem esse meliorem in o dine ad manifestandum gloriam Dei, aut alium finem quem Deus haberet, casu quo non esset peccatum, nec oppositum probat *Lugo*, quod tamen deberet facere, vt hæc probatio haberet vim.

8 *Probat tertio*, quia si Deus necessitaretur moraliter ad ponendam Incarnationem post peccatum, aut ad faciendum quod optimum est, frustra oraret quis Deum vt incarnaret Filium suum, aut vt faceret illud, quod optimum est, & sic omnes nostræ orationes saltem pro maiori parte essent inutiles, præsertum quantum ad doctos, qui cogn scerent Deũ moraliter necessitari ad id quod optimum est. Huc tendit totus discursus huius Au horis *num.* 11. Addidi autem ipse, *præsertim quantum ad Doctos*, quia quantum ad indoctos, licet frustra esset eorum oratio quantum ad assecutionem finis intenti, non tamen quantum ad meritum orantis, vt patet in oratione, quam facimus pro animabus, quæ damnatæ sunt, sed quarum damnatio nobis non constat.

*Confirmat Lugo* hanc probationem verbis Christi Marc. 14. *Omnia tibi possibilia sunt, transfer à me calicem hunc*: vbi Christus præmittit omnia possibilia Deo, & rogat pro translatione passionis, quæ tamen melior erat, qu m quod liberaretur ab illa.

*Responderet Granadus* multa esse, quæ secundum se non essent melius cuipiam facere, sed essent tamen, ex suppositione intercessionis aut orationis alicuius: sic quãuis non esset melius alicui non castigare seruum quàm castigare, nisi intercederet amici oratio; esset tamen melius intercedente amico non castigare ipsum; vnde quãuis ille teneretur ad optimum, amicus tamẽ non frustra intercederet, quia intercessione sua faceret optimum, quod alias non esset optimum. Et hinc in forma *respondetur* ad hanc probationem distinguendo sequelam: si incarnatio esset optima aut quodcũque aliud quod peteretur, esset optimũ, independenter ob oratione, transeat; si non esset, negatur sequela prima, & etiam secunda quia deseruirent ad faciendum optimum quod alias non esset optimum.

9 *Ad confirmationem* responderi posset quantũ ad possibilitatem omnium rerũ, quæ adscribitur Deo, eam si de morali intelligatur, extendendam ad res illas omnes, quarum productio non argueret aliquo modo imperfectionem, vnde quia productio rei imperfectioris, relicta perfectiori, talem argueret in sententia opposita, propterea illa possibilitas respectu totalis productionis non debet attribui D o sicut nec etiam possibilitas producendæ reuelationis falsæ, aut actus peccaminosi.

Quantum autem ad orationem Christi, habet difficultatem non solũ in sententia *Granadi*, sed in sententia ipsius *Lugo*. Nam non magis vtiliter potest aliquis orare pro re aliqua, quam ipse sciret certo non concedendam quam pro re aliqua, ad quã producendam videret causam moraliter determinatam esse applicatam: sed Christus, quà homo sciuit infallibiliter non transferendũ calicem; & tamen orauit, & quidem vtiliter: ergo quamuis infallibiliter sciret Deum determinatum moraliter ad non impediendam Passionem, poterat tamen vtiliter pro ea impedienda orare: aut si nõ poterat sic vtiliter orare, non poterat etiam, si vidit Deũ determinasse eã nõ impedire

*Confirmatur*: magis Deus determinatur per decretum absolutum de non impedienda Passione ad eam non impediendam, quàm in sententia *Granadi* determinatur ad id, supposito quod Passio Christi esset optimum, quod Deus posset statuere: ergo magis inutilis esset oratio Christi, si notum esset ipsi istud decretum, quam si notum esset ipsi Deum determinari ex bonitate Passionis. Probatur consequentia: quia inutilitas orationis oritur ex impossibilitate assecutionis finis cognita certo: ergo vbi maior est impossibilitas cognita, minus vtilis est oratio: sed vbi maior est determinatio ad vnum, minor est possibilitas ad oppositum, & maior impossibilitas, vt patet. Probatur antecedens: quia in sensu composito perfectionis maioris in effectu manet potentia physica ad oppositum effectum minus perfectum: at in sensu composito decreti absoluti non manet nec potentia physica ad oppositum effectum: ergo magis determinatur Deus per tale decretum, quam per perfectionem effectus in sententia Granadi.

10 *Quod si dicas*: Christum orasse pro translatione calicis, non vt suberat voluntati absolutæ Dei de ea ponenda sed secundum se abstrahendo ab illa voluntate, ita, vt sensus orationis esset: transfer à me calicem illum nisi sit talis voluntas absoluta in te: aut ita, vt voluerit significare, quod ipse haberet maximum desiderium transferendę Passionis, nisi esset illud decretum absolutum.

*Quarto*, an sic considerata Passione cognouerit ipsam absolute meliorem, an non. Si non cognouerit, tum patet orationem non esse inutilem; si sic: ergo imperfectionis erat in Christo desiderare, quod prius erat. Posset etiam dici, quod quamuis ex se esset melior, tamen supposita oratione Christi, non esset, & consequenter satis vtiliter poterat Christus orare pro ea transferenda. Sed de hac oratione Christi fusius agendum in materia de Incarnatione.

*Probatur quarto*: libertas illa tantum physica cum impotentia moraali inuoluit multas imperfectiones indignas omnipotentia Dei: sequeretur enim, quod ipse non esset Dominus suarum creaturarum omnium, quia non posset ponere, & non ponere aliquas ex illis, nempe illam, quæ esset optima, & ad quam producendam propterea necessitaretur.

*Confirmatur*: quia si Deus necessitaretur moraliter ad producendu m aliquem mundum, creato ante creationem alius mundi, Angelo, non posset reuelare se non creaturum vllum mundum; quæ tamen reuelatio est creatura possibilis, saltem possibilitate physica: ergo Deus non posset moraliter aliquam creaturam realem possibilem ponere à parte rei.

*Confirmatur secundo*: quia secundum *Aug. 13. de Trin. cap.* 10 potestati Dei cuncta æqualiter subiacent; sed hoc non esset verum, si ex creaturis suis aliquas posset, producere, & physice & moraliter; aliquas vero non posset, nisi physice tantum, vt tenet Granadus: ergo id non est asserendum.

11 *Hæc etiam probatio non sufficit*; negatur enim antecedens cum sua probatione, sufficit enim ad dominium potestas physica.

*Ad primam confirmationem respondeo* distinguendo antecedens: physice nego, moraliter concedo: nec est inconueniens in sententia Granadi, quod Deus non posset moraliter producere aliquam creaturam physice producibilem, quando productio ipsius impediret productionem creaturæ perfectioris, vt contingeret in proposito.

*Ad secundam confirmationem respondet Granadus*, æqualiter omnia possibilia subiacere potestati physicę, nõ tamen morali: & sane in principijs *Augustini*, Deus non posset potẽtia morali saltẽ absque culpa punire hominẽ pœna æterna dãnatorũ, & tamẽ illa punitio est possibilis saltem physice: ergo Augustinus non debet intelligi in illo rigore, quem prætendit *Lugo*.

*Probatur quinto*: impotentia moralis in nobis arguit debilitatem potentiæ nostræ: oritur enim ex difficultate faciendi rem physice nobis possibilem, quod est imperfectionis

ctionis:ergo talis non est adscribenda Deo.Hæc est summa probationis adductæ ab hoc *Authore num.* 14.

*Sed nec hæc etiam sufficit*: nec enim in nobis, vt antea dixi, impotentia moralis ad male agendum argueret debilitatem imperfectam, aut imperfectionem, licet talis impotentia ad bonum id arguerer;vnde nec in Deo etiam impotentia moralis ad minus bonam faciendum arguit imperfectionem quantum ad hoc;presertim cum illa difficultas faciendi maius bonum oriatur ex propensione ipsius ad maius bonum, & infinita sua bonitate.

12 *Probat sexto* ad hominem, quia sicut non necessitatur ad productionem mundi perfectissimi, quia ex mundis possibilibus non potest assignari optimus, quandoquidem possit dari melior,& melior in infinitum: ita etiã neque necessitari potest ad quodcũque optimum;v.g. ad Incarnationem, quia Incarnatione datur aliud melius medium ad gloriam Dei,& hoc in infinitum.

*Sed neque hæc probatio sufficit*, quia negari potest sequela,& ad eius probationem dici, quod non detur aliud medium melius, quã Incarnatio aliqua cũ aliquo modo; vnde sicut aliqua creatio mũdi alicuius est optimum medium manifestandi gloriam Dei, quo nullus alius æque bonus aut melior, in quo non inuolueretur creatio mundi, assignari potest, & consequenter Deus in sententia *Granadi* necessitatur moraliter ad volendum creationem aliquam mundi;non tamen ad volendum vllã creationẽ determinatam, quia quacunque dererminata posset dari alia melior:ita quia Incarnatione aliqua cum aliquo modo non posset assignari melius medium,in quo nõ inuolueretur aliqua incarnatio, necessitabitur Deus moraliter ad aliquam indeterminate ponendam;non tamen ad aliquam determinatam, quia quacunque determinata alia melior assignari potest:quam responsionem innuit ipsemet *Lugo*,nec sufficienter impugnatur ab ipso.

probatio melior conclusionis. 13 *Probatur ergo conclusio aliter*:quia non potest assignari,ex quo capite necessitaretur Deus etiam moraliter ad optimum facendum: non enim ex bonitate, seu perfectione maiori ipsius optimi, quia cum sit bonitas finita tantum,non potest habere virtutem allectiuã voluntatis infinitæ Dei;neque etiam ex infinita volũtate, ac bonitate Dei quia hæc non habet vllam proportionem cũ obiecto finito,ratione cuius necessitaret sic Deum ad producendum bonum vllum finitum,aliud autem caput, ex quo profluueret illa necessitas, assignari nequit;ergo non necessitatur sic Deus.

*Confirmatur* efficaciter: quotiescunque causa adæquata alicuius effectus est necessitata, siue moraliter, siue physice ad eum producendum, & sufficienter applicatur ad eum producendum absque vllo impedimento, producitur ille effectus infallibiliter,& si non producitur, est signum efficax, quod causa non sit sic necessitata:sed voluntas diuina ante productionem mundi erat causa adequata productionis mũdi, tã bene,ac in tempore productionis,& tũ erat æque bene applicata ad eius productionem, & æque inimpedita;ergo quandoquidem tum non produxit mũdum,nec Incarnationẽ, nec aliquid optimũ signum est quod non sit necessitata,nec physice nec moraliter ad eius productionem, sed quod liberrima sit ad eius productionem, tam libertate physica, quam morali.

*Confirmatur secundo*: quia non ex maiori perfectione præcisa deberet optimum producere,nec tanquam ex ratione motiua,nec tanquam ex conditione sine qua non: sed alia ratio assignari non potest cur necessitaretur etiã moraliter: ergo. Probatur minor: quia mundus perfectior mundo de facto existente habet maiorem perfectionem, quam de facto existens, & tamen Deus non necessitatur moraliter ad eius productionem, quandoquidem illum nec produxerit,nec producturus sit.

*Dices*,nõ ex maiori perfectione præcise id oriri,sed ex maiori perfectione, in qua sit status,iuxta responsionem ad probationem præcedentem *Patris de Lugo*.

*Contra*,quia quod sit ibi status nihil facit ad rem;si enim bonitas infinita non sit inclinata necessario ad volẽdum bonum perfectius, cur esset necessitata ad bonum finitũ vltra quod non est aliud bonum perfectius,in quo bonitas ipsius non includitur?& si ex eo, quod non sit status in perfectione vlla rerum,sequitur, quod Deus nequeat ad rem perfectissimã producendam necessitari, sequitur etiam inde, quod non necessitetur ad vllum bonum producendum ex maiori perfectione ipsius.

14 *Obiicies primo*: Quisquis aliquem efficaciter & perfecte amat, vult etiam omnem perfectionem, & bonum ipsius,& si necessitatur ad amandum necessitabitur consequenter ad volendum omnem perfectionem & bonũ ipsius:sed creatio mundi aliqua,& Incarnatio aliqua,suppositio saltem peccato, est maximum bonum Dei extrinsecum, cedunt enim ad magnum honorem ipsius;& præterea amat Deus seipsũ necessario amore efficaci & perfecto: ergo necessario vult creationem aliquam mundi, & Incarnationem aliquam, & consequenter quodcumque bonum maximum, in quo est status.

*Confirmatur*: quia qui homo efficaciter amat seipsum summo amore,vult sibi maxima bona,quæ potest acquirere sibi efficaciter:ergo idem dicendum de Deo.

*Respondeo*, si ex necessitate efficacis amoris ad cuius sequeretur necessario volunt s efficax perfection s maioris eiusdem,quando necessitas esset physica respectu amoris etiam talis necessitas esset respectu volẽdi efficaciter bona quæcunque ipsius, & consequenter quandoquidem Deus necessitetur physice ad sui amorem,sic etiam necessitaretur ad volendum mundum & Incarnationem, quod est contra *Granadum*, & omnes.

15 *Respondeo secundo* distinguendo maiorem, omnem perfectionem, & bonum intrinsecum eius, & etiam extrinsecum,sine quo non possent esse bona intrinseca, ut quibus indigeret persona amata,& quæ doleret aut moleste ferret sibi abesse,transeat; bona extrinseca, quibus non indigeret persona amata, & quorum absentiam non moleste ferret,sed eq; in se perfecta esset ac beata ijs positis ac non positis, nego maiorem. Cuius ratio est,quod ideo alia bona vellemus necessario personæ efficaciter amatæ, quotiens essent media necessaria, vel ad sui esse intrinsecum,vel ad felicitatẽ & consolationẽ eius. Minorem autem concedo simpliciter, & nego consequentiam, quia illa bona non sunt talia, quibus indiget Deus, nec molestiam vllam capere potest ex eorum absentia:& sane si necessitaretur ad illa volenda ex amore sui,deberet illa velle producere ab æterno saltẽ quantũ ad ea quę sic producibilia sunt. Hanc responsionem quę satis est communis,fuse proponit *Lugo*, sed hęc abunde sufficiunt.

*Ad confirmationem respondet Lugo* negando antecedẽs quia peccatores ardentissime se amant & non volunt sibi maiora bona, sed inferiora verbi gratia,bonum delectabile, relicto bono honesto, & bono delectabiliori temporalia relictis bonis æternis delectabilioribus.Cuius rationem assignat, quod non sit bonitas personę amatę trahens ad amorem efficacem ipsius, quę etiam sola mouet ad volenda alia bona,aut saltem ad volẽdo hęc bona præ aliis, sed etiam æstimatio & amor aliorum bonorum;vnde,quia peccator magis æstimat bonum delectabile temporale quam bonum honestum, aut delectabile æternum propterea vult sibi à se intensissime amato bonum delectabile temporale;non vero bonum honestum, aut delectabile æternum procurari.

16 *Contra* quam responsionem ipsemet plures instantias proponit,quas nec sufficienter soluit,& presertim in responsione ad instantiã quartã coincidere videtur cum principiis *Granadi*, quem impugnat:asserit enim Deum non necessitari moraliter ad volenda sibi perfectiora bona quę potest:licet beati necessitẽtur sic ex amore ipsius ad volenda ipsi perfectissima bona, quæ possunt, quia Deus inquit,non habet terminum in bonis quæ sibi possent efficaciter velle:beati vero habent: ergo secundum ipsum vbi Deus haberet terminum in bonis aliquibus, necessitaretur ad optimum ex illis,licet non necessitaretur quando non adesset talis terminus,quę est expressissima doctrina *Granadi*.

*Deinde*, quando immediate post,dicit *num.* 27. beatos necessitari ad volendum Deo maxima bona,quia necessitan

sitantur ad id, quod Deo magis placet, supponit quod maxima bona semper Deo magis placent; alioquin enim non sequeretur, quod beati ad placendum ipsi necessitarentur ad alia maxima bona volenda ipsi: hoc autem suppositum etiam est contra doctrinam quam defendit.

17 *Sed placet respondere melius ad confirmationem*, & non exponere nos difficultatibus huius responsionis absque necessitate.

*Respondeo ergo* negando consequentiam, & ratio disparitatis est quod homines propterea necessitarentur moraliter ad volenda sibi maiora bona proposita sibi, quia illa maiora bona vel redderet ipsosmet moraliter aut physice perfectiores, aut quia præsentia ipsorum esset ipsis delectabilis, aut absentia molesta: in Deo autem ita res se non habet, qui propterea bonorum nostrorum non indiget.

*Obiicit secundo Granadus*: ex eo quod creatura omitteret præstare Deo obsequia maiora, conuinceretur non amare Deum perfectissime: ergo necessitaretur ex perfectissimo amore Dei saltem moraliter ad ea præstanda: ergo similiter, si Deus ipse non faceret quæ meliora putaret ad honorem suum, conuinceretur non amare seipsum perfectissimo, & summo amore, & consequenter si amat se sic, necessitabitur ad volendum illa maiora bona.

*Respondet Lugo primo*, negando consequentiam, quia si creatura non præstaret meliora obsequia, non faceret quod magis placeret Deo: Deus autem faciendo etiam minus bonum, facit quod sibi magis placet.

*Sed contra*, quia, vt dixi antea, eatenus non faceret quod magis placeret Deo, non faciendo meliora bona, quia meliora bona magis placent Deo: sed hoc non est ita, si Deus non necessitetur ad volendum maius bonum, vt patet. Quæ impugnatio efficaciter currit, si responsio supponit colligi Deo placere meliora bona ex eo præcise, quod meliora sunt. At si sensus reponsionis sit, quod non facerent quod magis placet Deo, nisi præstarent meliora obsequia, quia Deo de facto magis placet quod faciant illa, non ex eo, quod ad hoc necessitetur, sed quia de facto id libere voluit, vt constat nobis ex cõsiliis suis propositis in Scriptura, & sanctis Patribus, responsio bona est. Posset autem absolute & simpliciter negari antecedens, loquendo ex natura rei independenter à declaratione vlla voluntatis Diuinæ.

18 *Obiicies tertio*. Voluntas Diuina debet conformari intellectui Diuino: sed intellectus Diuinus iudicat melius esse velle Deo maxima bona quam minora bona: ergo voluntas Diuina debet velle illa maxima bona.

*Respondeo* cum cõmuni sententia negando minorem, loquendo de ipsa volitione Diuina, quatenus intrinseca est Deo. Quod si loquamur de volitione Diuina ex parte obiecti ita, vt sensus sit, quod maiora bona sint meliora quam minora, est euidens quod ita sit: sed voluntas Diuina nõ debet ita se conformare intellectui, vt debeat velle, quæ intellectus iudicat meliora secundum se.

*Obiicies quarto*: de facto semper Deus facit quod optimum est: ergo necessitatur ad id faciendum.

*Respondeo primo*, negando consequentiam, quia poterat illa facere libere absque vlla necessitate etiã morali.

*Respondeo secundo*, negando antecedens, quia fortasis multa sunt meliora, quæ Deus non fecit etiam in quibus est status, quam quæ facit.

19 *Obiicies quinto*; Partes semper dicunt Deum velle, & facere quod optimum est: autoritates citat *Granadus* & *Lugo*, nobis sufficit instar omnium vnicus Augustini locus libro de quantitate animæ *cap.* 33. *Iustitia Dei factum esse, vt non modo sint omnia: sed etiam sic sint, vt melius esse non possint*; ergo necessitatur Deus.

*Respondeo primo* negando consequentiam, quia posset meliora velle absque necessitate vlla. Verum quia si antecedens esset verum in sensu aduersarij, quem præ se ferunt Patrum verba, sequeretur conclusionem sequentem, principaliter in hac quæstione intentam esse falsam, illud explicare oportet. Et quidem *Lugo* quatuor explicationes dat: *Prima est*, quod significetur Deum omnia facere absque defectu aliquo positiuo, scilicet malitia aut imprudentia. *Secunda*, quod Deus faciat semper meliora in ordine ad finem à se intentum. *Tertia*, quod intelligenda sunt illa loca de perfectione cõnaturali ipsismet rebus ita, vt non potuerit maiorem perfectionem rebus de facto conditis tribuere, quam naturaliter exigerent, ea perfectione quam de facto ipsis tribuit. *Quarta* denique, quod fecerit omnia, perfectissimo modo non solum secundum conuenientiã naturalem, sed etiam secundum congruentiam, & proportionem pulchritudinis, & decoris, in ordine ad totum vniuersum.

*Sed contra primã explicationem* facit, quod non sit idem rem aliquam non habere defectum, ac ea re melius non posse produci; ergo cum Patres hoc dicant, non sufficienter explicantur per illud.

*Contra secundam* est, quod non minus repugnat Deo ex duobus medijs minus bonũ proportionatũ eligere, quã ex duobus finibus minus bonum intendere: ergo si hoc non repugnat, nec repugnabit illud de quo postea.

*Contra tertiam facit*, quod quamuis hoc vniuersum non posset reddi perfectius quantum ad perfectiones cõnaturaliter requisitas à partibus ipsius de facto existentibus, tamen redderetur perfectius si aliæ partes perfectiores in illo ponerentur, quæ exigerent perfectionem maiorem: & quis dubitat quin si totus mundus esset instar Paradisi, & homines in mundo existentes essent in tali perfectione constituti in qua erant primi parentes, melius esset totum vniuersum, quam de facto est, aut certe, si melius est iam, quam erat tum cũ illa parte; ergo tum non faciebat Deus, quod optimum est secundum se.

*Quæ etiam impugnatio* tollit vltimam explicationem: nam si maior pars mundi esset instar Paradisi, & in alijs partibus relinquerentur illæ diuersitates, quæ modo sunt, & esset maior perfectio substantialis, & sufficiens varietas ad pulchritudinem, & decorem vniuersi.

21 *Respondetur ergo aliter*, Partes velle quod Deus fecerit meliora, & quod non potuerit facere meliora quam ea, quæ fecit; quantum ad hoc quod non omiserit vllam perfectionem rerum, ex qua sequeretur quod ipse esset imprudens artifex aut malus, aut quod commiserit errorem aliquem moralem in dispositione aut creatione rerum: non potuit ergo facere meliora, quam quæ fecit quantum ad excludendam à se omnem suspicionem imprudentis, aut mali opificis, & gubernatoris: & in hoc sensu quæ fecit sunt perfectissima, quia sufficientissima.

Duæ aliæ obiectiones.

Duas alias obiectiones proponit Lugo, in quibus soluẽdis fusissimus est, cùm paucis res facile expediri possit. *Vna est* ex inclinatione infinita Dei ad bonum volendum, ex qua sequi videtur, quod tollatur eius indifferentia, & consequenter quod necessitetur ad bonum volendum. *Altera* ex eo quod homines committerent imperfectionem moralem eligendo bonum: ergo & Deus.

22 *Respondetur* facile ex dictis. Deum non habere inclinationem vllam actualem ad vllum bonum, nisi liberam: inclinatio autem eius in actu primo, quæ consistit vel in bonitate ipsius, vel in potentia, quæ posset tendere in bonum, nullam exhibet illi difficultatem in relinquẽdo bonum quodcunque, præsertim non infinitum. Per quod patet ad primam difficultatem.

*Ad secundam respondeo* negando antecedens, loquendo de imperfectione positiua.

*Respondeo secundo*, negando consequentiam, quia eo ipso quo relinqueret homines maius bonum, electo minori, carerent perfectione maiori quam haberet actus quo vellent maius supra actum quo vellent minus bonum. Actus autem Diuinæ voluntatis omnis est infinitus, tam ille quo vult maius bonum, quàm quo vult minus, & propterea non esset perfectior Deus habendo vnum actum potius, quam alterum: vnde non posset dici carere perfectione maiori, non habendo actum circa maius bonum.

CONCLV

## CONCLVSIO II.

Deus potuit facere mundum perfectiorem & quoad accidentia & quoad substantias.

23 *Deus potuit facere mundum meliorem, ac perfectiorem quam præsens est, & quoad accidentia, & quoad substantiam, & hoc non solum absolute, sed etiam supposito quocumque fine à Deo de facto præfixo.* Hæc quoad primam partem est communissima contra *Durandum* 1.d.44.q.3. quoad secundam vero est contra *Auersam.* q.31.sect.5. & *Lugo supra.*

*Probatur prima pars*: quia Deus non necessitatur ad optimum, vt ex dictis patet; & ex alio capite nulla est implicantia quin mundus posset esse perfectior, & accidentaliter per hoc, quod auferrentur aliqua accidentia nociua, aut quod communicarentur aliqua accidentia proficua de facto non communicata; & etiam substantialiter per productionem aliquarum substantiarum perfectiorum loco aliorum, quæ de facto sunt producta; ergo debet dici, quod Deus posset vtroque modo reddere mundum perfectiorem.

*Confirmatur* per dicta supra de statu innocentiæ, & Paradisi: mundus enim, si duraret ille status, esset perfectior, aut imperfectior, quam modo est. Si perfectior, sine dubio potuisset modo mundum ad talem statum redigere, & sic faceret mundum perfectiorem. Si imperfectior: ergo quemadmodum mundum reddidit perfectiorem, quam tum fuit, ita posset ipsum reddere perfectionem, quam modo est. Nec in hoc est vlla prorsus difficultas, ex suppositione, quod Deus non teneatur semper ad meliora.

Deus nō tenetur ad meliora media.

24 *Probatur secunda pars*: quia sicut Deus non tenetur intendere meliorem finem, ita neque ad finem quemcunque intentum debet eligere meliora media: æqualiter enim determinari debet ad vtrumque: ergo non obstante quocumque fine, quem de facto habuit, potuit facere mundum meliorem, etiam in ordine ad acquisitionem talis finis. Quod Deus autem non teneatur intendere meliorem finem, patet ex dictis conclusione præcedenti; & præterea, quia si intenderet necessario meliorem finem, deberet intendere meliora etiam media, & consequenter non posset mundus absolute esse perfectior, quam modo est, quia non potest esse absolute perfectior, nisi possit conducere ad perfectiorem finem; sed non posset habere perfectiorem finem, si Deus necessitetur ad perfectissimum finem.

*Confirmatur*: quia sicut in finibus est processus in infinitum secundum aduersarios, ita vt nullus possit assignari perfectior, quo alius perfectior assignari nequit, & propterea Deus non potest intendere finem aliquem determinatum perfectissimum: ita etiam in mediis ad finem est similis processus in infinitum: ergo non potest Deus eligere medium perfectissimum, & consequenter quocumque medio assignabili posset adhibere melius, & perfectius.

*Confirmatur secundo*: quia quamuis daretur status in finibus adhuc Deus posset nō eligere perfectissimum: ergo quamuis daretur etiam status in medijs, idem dici posset de ipso.

25 *Obiicies* contra primam partem authoritates Patrū, quibus significatur Deum facere semper meliora, & non posse facere meliora, quam quæ fecit. Sed *Responsio* patet ex dictis supra num. 21.

*Obiicies secundo* ex *Durando*, omnes species possibiles cum ijs, quæ de facto sunt, habent ordinem superioris, vel inferioris: ergo faciunt cum ipsis vnum ordinem: sed iste ordo, aut classis est hic mundus: ergo mundus non potest reddi perfectior, saltem quoad perfectiores species, quam de facto sunt.

*Respondeo*, quamuis concederetur consequentia, non esse contra conclusionem; quia saltē posset hoc non obstante, mūdus reddi perfectior extensiue, & substantialiter, vt si fieret maior multo, quam modo est, & multiplicarentur in ipso aliquæ vtiliores creaturæ, aut omnes omnino, seruata proportione tali, qualis de facto obseruatur.

*Respondeo secundo*, negando maiorem: nam iste ordo, seu classis est mundus possibilis, quem posset decernere Deus, non qui de facto existit, & est decretus.

*Confirmatur*: quia Deus posset ab æterno nō decernere productionem speciei equinæ sine dubio, sed aliam aliquam speciem loco ipsius; & in tali casu species equina non spectaret ad hūc mundum, licet esset superior, aut inferior omnibus alijs speciebus in mūdo existētibus; ergo quamuis de facto esset aliqua species rerum, quam Deus decreuit nunquam producere, & quæ esset, vel perfectior vel imperfectior omnibus speciebus, quarum productio est decreta, adhuc non deberet spectare ad hunc mundum.

26 *Obiicies tertio*: si Deus potuisset perfectiorem mundum facere, & non fecisset, posset argui inuidiæ, iuxta illud *Sancti Augustini libro.* 83. *qq. quæst.* 30. *Si Deus Pater potuisset meliorem Filium gignere, & non genuisset, esset inuidus; si voluisset, & non potuisset, esset infirmus.*

*Respondetur*, negando sequelam: id enim non esset defectus bonitatis, sed effectus libertatis. Ad authoritatē Sancti Augustini responderi solet communiter, non esse paritatem de productione Filij & Mundi, quia Filius producitur naturaliter, mundus vero libere. Vnde, inquiunt, si Filius non produceretur perfectissimus, sequeretur defectus bonitatis in Deo.

*Verum hæc responsio* non placet; tum quia hypothesis Augustini est, quod si Filius produceretur libere, & non produceretur perfectissimus, qui produci posset, id adscribendum esset inuidiæ Patris nolentis id facere: & sane si non ex libertate oriretur, quod Filius non produceretur perfectissimus, sed ex alio quocumque capite, non posset dici Pater inuidus ob non productionem illius cum tali perfectione, inuidia enim proprie spectat ad voluntatem liberam.

*Itaque respondeo primo*, Augustinum discurrere ad hominem in sententia Philosophorum, qui simili argumento vtebantur ad probandum æternitatem mundi.

Soluit ur locus Augustini.

*Respondeo secundo*, negando paritatem vtriusque casus & disparitas est, quod si Pater non produceret Filium perfectissimum, cum posset ipsum producere, id alteri non posset adscribi, quam inuidiæ, aut alicui bonitatis defectui, quandoquidem bonitas Filij infinita inuitaret, & alliceret ad sui productionem. Si autem nō produceret Deus mundum perfectissimum, non posset hoc attribui tali defectui, quandoquidem mundus non habeat perfectionem infinitam, quę alliceret ad sui productionem; sed posset adscribi libertati Diuinę, & defectui infinitę bonitatis in mundo.

27 *Obiicies contra secundam partem*: non temere, aut casu Deus de facto decreuit mundum producere cum illa perfectione, quam habet, potius quam cum maiori, aut minori, sed ex eo, quod ad finem à se de facto intentum mundus cum perfectione, quam de facto habet, sit optimum medium: ergo supposita determinatione finis de facto intenti mundus non poterat produci perfectior in ordine ad acquisitionem talis finis.

*Confirmatur*: argueret imperfectionem in agente propter finem, non assumere perfectissima media in ordine ad illum acquirendum, præsertim si æque bene posset illa assumere, ac minus perfecta; ergo Deus fecit mundum perfectissimum ad acquisitionem finis de facto à se intenti. nec consequenter poterat in ordine ad talem finem perfectior mundus creari.

*Respondeo*, eodem modo, quo nec temere, nec casu fecit mundum cum hac perfectione, quam de facto habet potius, quam cum minori, aut maiori, non temere etiam, nec casu intendisse ipsum talem finem potius, quā etiam perfectiorem, aut minus perfectum. Vnde sicut hoc non obstante elegit hunc finem, cum tamen posset hæc media eligere potius, quam alia perfectiora, aut minus perfecta: sufficit autem ad hoc, quod non temere id fecerit, quod libere, & suppositā plena deliberatione determinauerit se ad hoc medium potius, quam ad aliud quodcumque.

*Ad confirmationem respondeo* negando sequelam; sufficit enim quod applicet media valde conducentia, & sufficientia: & sane non magis arguit imperfectionem eligere media minus perfecta, quam eligere finem minus perfectum, vnde meo iudicio satis inconsequenter loquuntur Authores, qui tenent primam partem conclusionis, & negant secundam.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum Mundus fuerit de facto productus ab æterno.*

MVndum esse factum ab aliquo, & non esse ens simpliciter necessarium, ac independēs sicut Deus est, hic omnino supponendum est ex principiis Theologicis, ac metaphysicis, quidquid somniauerint aliqui olim Philosophi. Quæritur autem hoc supposito, an fuerit factus ab æterno absque principio durationis, vel in tempore aliquo determinato, ante quod posset Deus aliquid producere, si vellet.

Mundus fuit factus ab æterno.

### CONCLVSIO

28 *Mundus nec quoad se totum, nec quoad vllam partem sui fuit factus, creatus, aut productus ab æterno.* Hæc est de fide contra Philosophum, & multos antiquos, quamuis multi ab eo errore vendicent Philosophum, rectene, an non, parum omnino refert; nec in mente ipsius explicando, aut vniuersa doctrina defendenda, quasi nullum impegerit in errorem, laboriosius hærendum videtur.

Probatur Genesis 1. *In principio creauit Deus Cælum & Terram.* Prouerb. 8. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Ioc. 17. *Clarifica me Pater ea claritate, quam habui priusquam mundus fieret.* Ephes. *Elegit nos ante mundi constitutionem.* Quæ loca non solum expresse videntur importare conclusionem, sed etiam à Conciliis, Patribus, & Theologis in eo sensu intelliguntur; vt non possit iam esse locus vllus dubitationi, aut altercationi.

Quamuis autem hoc fidei dogma euidenter demōstrari non possit, supposito præsertim, quod non repugnet productio mundi ab æterno; non desunt tamen aliquæ probabiles rationes, quibus id suaderi possit negantibus Scripturæ authoritatem.

Quatuor rationes Complutenſium

*Complutenses* quatuor adducunt congruentias ad probandam temporariam mundi productionem. *Prima est*, vt creatura non esset æqualis Deo duratione. *Secunda*, vt ostenderetur, Deum non indigere creaturis. *Tertia*, vt nemo dubitaret de creaturarum productione, nec eas putaret necessario à Deo productas. *Quarta*, vt vna cum libertate diuina ostenderetur eius potentia.

29 *Verum* hæ congruentiæ non multum vrgent.

*Non prima*: si enim creatura posset esse par Deo in duratione absque inconuenientia, cur esset inconueniens, quod ita esset de facto?

*Non secunda* quia eo ipso, quo constaret Deum esse ens infinite perfectum, & realiter distinctum à creaturis, eo gnosceretur facile, quod non indigeat illis.

*Deinde*, sicut per reuelationem, aut rationem de facto constat Deum ipsis non indigere; posset etiam id tum simili modo innotescere; nec sane posset dubitanti de facto, an Deus indigeret creaturis, persuaderi pars negatiua, per hoc medium, quod Deus fuerit aliquando absque creaturis, quia hoc medium esset æque ignotum ac id, ad quod probandum assumeretur: ergo productio æterna mundi non debuit ob hanc congruentiam omitti.

*Non etiam tertia*, ob eandem rationem, quia quamuis esset ab æterno, posset per reuelationem, & rationem ostendi, quod produceretur libere, non minus quam de facto ostenditur.

*Non denique quarta*, quia sicut posset cognosci, quod quāuis producerentur ab æterno, produceretur tamen libere, atque adeo sic, vt possent produci in tempore: ita non obstante tali productione, cognosci posset, quod Deus producens ipsas esset tam liber, ac potens, ac modo est.

Sed omisso aliarum congruentiarum examine, duas principaliores hic subiungere placuit, quibus tamen non tam fidendum est, quam authoritati.

30 *Prima est*, quod res humanæ successu decrescant, & peiorentur ita, vt ipsi homines non solum, quoad diuturnitatem vitæ, sed etiam quoad robur corporis, & magnitudinem notabiliter declinent: ergo si fuisset infinitū tempus transactum, per quod semper vixissent homines; sequeretur, quod aliquando viuerent homines incredibilis magnitudinis, & fortitudinis, & quod iam haberemus statum infinite imperfectiorem, quam antiqui olim homines habuerint: ergo non existit mundus per infinitum tempus, & consequenter non existit ab æterno.

*Confirmatur*: quia ante octo mille annos homines viuebant naturaliter per 600. 700. annos, & consequenter generabant multos filios: ergo cum in temporibus præcedentibus debebant naturaliter diutius viuere, si fuissent, & consequenter plures alios generare, sequeretur totum mundum fuisse repletum hominibus, imo non fuisse satis loci in eo pro illis, quod est ridiculum.

*Secunda est*, quia ex historijs non habemus memotiam vllarum rerum, quæ præcesserunt 8000. annos; sed non est verisimile, ex omnibus, quæ ante illos annos contigisse oporteret, si mundus fuisset ab æterno, nullam prorsus esse memoriam: ergo mundus non erat ab æterno.

*Confirmatur*: quia ex historiis habemus, qui, & quando fuerint omnium artium inuentores; sed si mundus fuisset ante illa tempora ab æterno, vel esset falsum hoc, vel sequeretur, quod longissimo tempore absque vllis artibus fuerit, quod est absurdissimum.

31 *Obiicies primo* ex Philosopho: omnis motus supponit mobile, cū sit actus eius, & omne mobile supponit motum, per quem fit: ergo ante quemcumque motum fuit mobile, & è contra, & consequenter nullus assignari potest primus motus, aut primum mobile, quod est falsum, si mundus non fuisset ab æterno.

*Respondeo primo*, distinguendo antecedens pro prima parte: supponit mobile in prioritate durationis, nego; in prioritate naturæ, concedo: similiter distinguo primum consequens, & nego secundam consequentiam.

*Respondeo secundo*, negando antecedens pro secunda parte: nam capiendo motum in rigore pro actu mobilis, quo mediante acquirit mobile aliquid aliud distinctum à se, & à sua existentia, quo modo accipitur in obiectione, falsum est, quod omne mobile præsupponat motum; quæ enim creātur, vt sunt materia prima, anima rationalis, & Angeli, possunt esse mobilia, & tamen non præsupponunt talem motum.

*Obiicies secundo*: primus motor est ab æterno: ergo & motus.

Probatur consequentia: quia si inciperet mouere in tēpore & antea non moueret, mutaretur realiter.

*Respondeo* negando consequentiam cum sua probatione, cuius oppositum patet quotidiana experientia.

23 *Obiicies tertio*: Cælum est sedes Dei: sed Deus est ab æterno: ergo & Cælum, alias Deus esset ab æterno sine sede.

*Confirmatur primo*: quia bonum est communicatiuum sui; sed Deus est summe bonus; ergo summe se communicat, & consequenter ab æterno creaturas produxit, quibus ab æterno se communicauit.

*Confirmatur secundo*: quia si non communicaret se cum posset, esset inuidus; cur enim alias se nō communicaret?

*Confirmatur tertio*; quia si produxit mundum in tempore, verum est dicere, quod ante illud tempus non fuerit productus; sed per illud *ante* designatur tempus, ergo antequam fuerit tempus, esset tempus, quod implicat.

*Respondeo* cælum non esse sedem Dei proprie loquēdo, quasi in eo solo contineretur; neque enim quantum ad se perfectiūs est in cælo quam in terra; sed dicitur cælū esse domicilium & sedes eius, quia ibi se magis communicat Beatis cum stabilitate ac firmitate status; nec est absurdū quod ab æterno fuerit absq; aliqua sede distincta à seipso

Ad

*Ad primam confirmationem respondeo*, Deum ab æterno summe se communicare Filio & Spiritui sancto, non vero creaturis quibus non tenetur communicare se, nisi pro suo arbitrio.

*Ad secundam confirmationem respondeo*, negando sequelam; sed ratio cur non se communicaret est, quia non necessitatur ad se communicandum; sed id libere & liberaliter facit, vnde poterat id omnino non facere, absque nota inuidiæ aut alterius defectus.

*Ad tertiam confirmationem respondeo* distinguendo minorem: tempus reale actualiter existens, nego minorem: tempus imaginarium seu possibile existere, concedo minorem: & similiter distinguo consequens.

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrum Mundus potuerit esse ab æterno.*

33 VT intelligamus, an mundus potuerit esse ab æterno, oportet considerare mundū constare ex duobus generibus rerum, nimirum ex rebus successiuis, vt motu, tempore, & quæ per motum ac successiue producuntur: & ex rebus permanentibus, quæ simul absque successione producuntur, vt sunt Angeli, materia prima, animæ rationales ac similia. Itaque si quoad vtrasque has res potest ab æterno produci, potest dici simpliciter de ipso quod ab æterno produci possit: si vero, nec quoad vtrasque nec quoad alterutras sic produci possit, negari debet simpliciter eius æterna productio: si autem denique possit, quoad aliquas & non quoad vtrasque vt verbi gratia quoad permanentes, non quoad successiuas, debet dici de ipso, quod potuerit esse ab æterno non simpliciter, sed quoad illas res permanentes.

Variæ sententiæ.

*Prima sententia* est, quod non potuerit esse ab æterno quoad vllas res siue permanentes siue successiuas. Ita *Albert. Magnus, Ru. Marsil. Henricus*, & plures moderni, ac antiqui, quos sequitur *Camerarius disp.* 2.

*Secunda sententia* est, quod potuerit esse ab æterno quoad res permanentes, non quoad successiuas: ita *Coimbric. Ruuius, Placa* 8. *Physic.* cum multis recentioribus & *Suario disp.* 20. *met. sect.* 6. quos sequuntur *Ioannes à Sancto Thoma quæst.* 24.

*Tertia sententia* est, posse esse mundum ab æterno quoad res permanentes, & successiuas infinitarum partium, qualis posset esse motus cæli ab æterno, ac similia.

Hæc quoad permanentes res est *Scoti in* 2. *dist.* 1. *qu.* 3. vbi etiam alteram partem relinquit sub dubio, nihil de ea resoluendo; eam tenent *Complutenses hic*, qui plures pro ea citant *Thomistas* cum *Sancto Thoma*, & addunt non implicare, generationes, & corruptiones totius vniuersi fuisse ab æterno, vnica excepta humana propagatione: videtur etiam *Arriaga* 8. *Physi.* tenere hanc sententiā, quandoquidem admittit posse esse res permanentes ab æterno cum duratione successiua.

## CONCLVSIO I.

34 *Mundus potuit esse ab æterno quoad res permanentes.* Hæc est iuxta secundam, & tertiam sententiam contra primam.

*Probari solet prima*, quia secundum *Augustinum* 6. *de Trinit. cap.* 7. Si aliqua creatura esset ab æterno, produceret aliā creaturam ab æterno; si enim Sol esset ab æterno, ab æterno illuminaret: sed Deus existens ab æterno est multo potentior ad producendum aliquid quam creaturæ: ergo posset ab æterno producere creaturam.

*Verum* meo iudicio hæc probatio non sufficit; & ratio est, quia si creatura esset ab æterno, eo ipso nō repugnaret quod alia creatura esset ab æterno, & consequenter non repugnaret quod produceret ab æterno vna creatura alteram: imo necessario illam produceret, si esset applicata sufficienter: at in sententia aduersariorum illa hypothesis, ex qua procedit consequentia Augustini, est impossibilis, vnde non sequitur absolute quod Deus posset producere aliquam creaturam ab æterno ex eo, quod, si creatura esset ab æterno, posset aliam creaturam producere.

*Confirmatur* hoc clarissimo exemplo: hæc consequentia est optima: si homo esset spiritualis, & productiuus alterius hominis, posset producere alium hominem spiritualē: & tamen non sequitur: ergo Deus qui est maioris actiuitatis, potest producere hominem spiritualem: sed similis prorsus est hæc consequentia, ac illa, quæ infertur ex dicto Augustini: ergo non sequitur.

35 *Probari solet secundo*, quia non est necesse vt causa præcedat duratione effectū, sed sufficit prioritas naturæ: ergo Deus posset creaturam producere, quamuis non præcederet ipsum tempore, modò præcederet natura; sed si produceret ipsam ab æterno, præcederet ipsam natura: ergo potest illam sic producere; nihil enim aliud videtur impedire, quam quod deberet præcedere tempore aut duratione.

*Hæc etiam probatio non placet*; quia non ex eo Deus non posset producere creaturam ab æterno, quod præcessio durationis requiratur in causa ad effectum: sed ex eo, quod æternitas non posset competere creaturæ. Vnde in forma respondeo distinguendo primum consequens: quamuis non præcederet creaturam tempore ex ratione causæ, concedo: ex ratione infinitatis suæ, & limitationis creaturæ, nego consequentiam: nam ex infinitate, & necessitate Dei oritur quod ipse debeat esse ab æterno, & ex limitatione creaturæ secundum aduersarios oritur, quod non possit esse ab æterno; & hinc necesse est quod Deus præcedat tempore creaturam. Concedo autem subsumptum, & nego consequentiam cum sua probatione. Aliā autem causam iam assignaui in sententia aduersariorum, quæ aliunde debet impugnari, vt valeret hæc probatio.

36 *Probatur tertio*, quia si Deus esset causa naturaliter agens, necessario produceret creaturas ab æterno: sed non est minus potens iam, cum sit causa libere agēs, quā esset tum: ergo sicut tum necessario produceret creaturas ab æterno, iam potest ab æterno eas libere producere.

*Non magis arridet hæc probatio*, quam præcedentes; quia vel non sequeretur vlla ratione, quod Deus necessario produceret creaturas ab æterno, ex eo quod esset causa naturaliter agēs, quoniam creaturis repugnat talis productio secundum Aduersarios; vel certe, si ex vna parte id sequeretur, nempe ex potentia infinita Dei, & ex necessitate agendi, tamen ex alia parte id repugnaret; ex eo scilicet, quod repugnaret creaturæ talis productio, vt contendunt aduersarij. Vnde aliis rationibus persuadendum est ipsis, id non repugnare, vel certe hæc probatio non sufficiet.

37 *Melior probatio conclusionis* est, quod non possit assignari vlla repugnātia in productione æterna rei permanentis; sed Deus potest facere quidquid nō implicat; ergo potest producere ab æterno rem permanentem. Maior, in qua sola est difficultas non potest melius probari, quā soluendo obiectiones aduersariorum, in quibus proponuntur rationes implicantiæ.

*Confirmari* posset ex *D. Thoma*: nulla ratio naturalis docet mundum fuisse factum in tempore, quia id est dogma fidei, & quod fides docet, ratio naturalis non concludit: ergo nulla ratio naturalis docet mundum non potuisse esse ab æterno.

*Verum hæc confirmatio* satis infirma est: negari enim facile potest antecedens cū minori probationis. Licet enim multa, quę fides docet, nequeant probari euidenter ratione naturali, vt mysterium Trinitatis, Eucharistiæ, & simile naturali, vt mysterium Trinitatis, Eucharistiæ, & simile naturali, tamen multa etiam docet, quæ probari euidenter possunt, tamen multa etiam docet, quæ probari euidenter possunt, vt existentia vnius Dei, sapientissimi, optimi, &c. Et sane hoc ipsum quod fides docet, mūdum factum in tempore, potest probari ratione naturali quantum ad nō implicantiam. Et idē est de plurimis aliis, quæ reuelata sunt Itaque sistendum in ipsa non implicantia sola, tanquam vnico principio huius conclusionis.

38 *Obiicies primo*. Multi sancti Patres docent impossibilem esse creationem æternam vllius creaturę; eorū verba citat *Camerarius* supra, vbi etiam impugnat multas aliorum responsiones.

*Sed respondetur* breuiter & clare, eos tantum voluisse, creaturas nō potuisse esse ab æterno eo modo, quo à Philosophis quibusdā asserebatur æternitas earū, & eo modo,

quo Filius æternus est productus, nempe necessario: hoc autem verissimum est, sed non sequitur inde, quin possint esse ab æterno libere, sicut in conclusione asseritur.

*Confirmatur* hoc: quia Partibus sufficiebat impugnare tam Philosophos, qui asserebant æternitatem mundi, quam Arrianos, qui dicebant Filium esse creaturam: sed vtrosque sufficienter improbant, dicendo & probando creaturam non posse esse necessario ab æterno: hinc enim sequebatur manifeste falsum esse quod dicebant illi Philosophi; & præterea Filium non esse creaturam, quandoquidem necessario producebatur ab æterno: ergo non sunt trahendi Patres ad alium sensum non necessarium & contrarium ipsorum intento.

39 *Dices cum Camerario*, rationes Patrum probare quod nulla ratione possint produci ab æterno: arguunt enim ex eo non posse eas produci ab æterno, quia cum creaturæ sint, debent produci ex nihilo: quod autem sic producitur, nequit esse ab æterno, quia nihilum deberet præcedere, ex quo produceretur: id autem quod est ab æterno nihil præcedere potest, vt patet.

*Confirmat Camerarius* hanc Patrum rationem, quia quando aliquid resoluitur in nihil posterius est nihil illud, in quo resoluitur, quam esse rei resolutæ: ergo quando aliquid fit ex nihilo, posterius est esse ipsius, quam nihil ex quo fit.

*Confirmari potest secundo*, quia repugnat annihilationem esse ab æterno, ergo & creationem: Consequentia patet à paritate rationis: antecedens vero patet, quia res quę annihilaretur, deberet esse ab æterno producta positiue vt annihilaretur, & consequenter annihilatio eius non esset ab æterno, alias contradictoria essent simul ab æterno.

*Respondeo*, negando assumptum, ad cuius probationem dico, ex eo quod aliquid producatur ex nihilo, sequi solum quod non possit produci ab æterno necessario; non vero quod non possit sic produci libere: ergo potius ratio Patrum est iuxta, quam contra nostram præbationem. Consequentia est certa: probatur antecedens; quia ex eo quod præducatur ex nihilo, debet nihilum procedere vel tempore vel natura: sed si creatura necessario produceretur ab æterno, nec tempore, nec natura præcederet: ergo, probatur minor: non tempore, vt manifestum est: non natura etiam, quia si sic præcederet, deberet præcedere vel priuatiue, aut negatiue, vel positiue: nõ positiue, quia, quę sic præcedunt, sunt simul tempore seu duratione cum rebus quas præcedunt; sic enim animal est simul tẽpore cum rationalitate, causa est simul tempore, cum effectu: sed nihilum, ex quo fit creatura, debuit esse simul duratione cum creatura, alias contradictoria essẽt simul duratione: non etiam priuatiue aut negatiue; quia quæ sic præcedunt, posunt antecedere duratione, & sic priuatio cuiuscumque formæ, quę præcedit natura formam, potest esse tempore antecedens formam: sed si creatura esset necesario ab æterno, nihil, ex quo fieret, non posset esse duratione præcedens ipsam: ergo non esset negatiue aut priuatiue prior ipsa natura.

Creatura esset ex nihilo si produceretur ab æterno libere nõ vero si necessario.

40 Ex alio vero capite, si creatura produceretur ab æterno libere, nihil, ex quo fieret, licet non præcederet duratione creaturam, nec etiam natura positiue loquendo, tamen præcederet ipsam naturâ negatiue seu priuatiue, quandoquidem posset precedere duratione, & præcederet etiam actu, nisi Deus determinaret producere creaturam.

*Confirmatur* hoc: quia non magis nihilum debet præcedere creaturę productionem, quam priuatio debet præcedere in subiecto generationem, ac inductionem; sed non requiritur quod priuatio præc dat tempore formam nec etiam positiue loquendo, vt ostendimus primo Physicorum, sed sufficit quod præcedat natura priuatiue seu negatiue loquendo: ergo idem dicendum de præcessione nihili ad rem productam ex nihilo.

*Ad confirmationem* Camerarij respondeo negando consequentiam, quia ad hoc vt resoluatur aliquid in aliud debet illud aliud aliquando esse; vnde cùm non possit esse simul cum illo, quod resoluitur; quia alias non resolueretur, debet necesario subsequi etiam duratione: at vt aliquid fiat ex illo, non est necesse vt illud aliud aliquando sit, sed sufficit quod sit, vel quod esse posset & esset, nisi produceretur illud, quod ex illo fieri dicitur.

*Ad secundam confirmationem* respondeo, negando sequelam: & ratio disparitatis est: quod annihilatio præsupponat positiue rem, quæ annihilari dicitur, creatio vero non præsupponat positiue non esse sui, vnde potest esse ab æterno, vt patet in productione æterna Filij & Spiritus sancti. Nec refert has productiones esse necessarias, & nõ esse ex nihilo, quod non competit productioni creaturæ: nam hinc solum habetur quod creaturæ possint habere non esse ab æterno, non vero habetur, quod non esse debeat præcedere positiue ipsorum esse.

41 *Obicies secundo*, Creatura est finita, & limitata: ergo non est capax vllius rationis infinitæ, & consequenter nequit habere durationem infinitam, qualem tamen haberet si esset ab æterno, duratio enim finita ad hoc non sufficit.

*Respondeo*, negando sequelam: sicut enim, si esset locus infinitus, vna creatura finita posset poni per vbi infinitum in illo, nec hoc repugnat: ita etiam non repugnat, vt, cum sit æternitas de facto in Deo, creatura possit per durationem infinitam coexistere illi.

*Obicies tertio*, nulla perfectio Dei propria potest communicari creaturæ vlli: sed æternitas est talis perfectio, ergo nequit creatura esse æterna:

*Respondeo* distinguẽdo minorem: æternitas participat, & dependens, qualem solam haberet creatura si esset a Deo producta ab æterno libere, & non necessario, nego minorem: æternitas independens, & imparticipata, concedo minorem: sed talis non communicaretur creaturæ productæ ab æterno.

*Confirmatur hoc*: quia immensitas est tam propria Deo, quam æternitas: sed immensitas participata posset communicari creaturæ, si daretur locus iufinitus, vt paulo ante dixi: ergo æternitas etiam participata potest ipsi competere, quandoquidem de facto existat æternitas infinita Dei, cui posset coexistere.

42 *Alij confirmant* eandem responsionem: quia æternitas à parte post potest competere, imo de facto competet tam iustis in Cælo, quam peccatoribus in inferno: ergo communicari æternitatem creaturę non repugnat.

*Verum hæc confirmatio* non admodum placet, tum quia est aliqua disparitas inter vtramque æternitatem ab omnibus concedenda, ratione cuius de facto omnes concedunt congruum esse dari æternitatem à parte post, & non esse congruum dari æternitatem à parte ante: tum quia non sequeretur ex æternitate à parte post æternitas similis æternitati Dei: illa enim habet principium, licet non habet finem, hæc vero nec principium nec finem habet; at si æternitas à parte ante posset competere creaturæ posset etiã ipsi æternitas à parte post cõpetere, & sic posset competere ipsi æternitas carens principio & fine, quod magis sine dubio accedit ad similitudinẽ æternitatis Diuinæ, quàm æternitas à parte post; vnde quamuis hæc posset competere creaturę, non sequeretur eo ipso præcise quod illa posset ipsi competere. Quod etiam vlterius confirmatur ex eo, quod certum est motum à parte post posse esse, & de facto futurum æternum, & tamen valde dubitatur an possit dari motus æternus à parte ante.

Facilius est æternitatem à parte post conferre creaturæ quam à parte ante.

43 *Obicies quarto*. Si creatura esset ab æterno, vel duraret duratione indiuisibili, vel diuisibili: sed neutrum dici potest; ergo non potest esse ab æterno. Probatur minor pro prima parte: quia si duraret duratione indiuisibili natura istius durationis indiuisibilis esset facere creaturã eternali er durantem, atque adeo non posset esse, quin ipsamet existeret æternaliter: sed hoc est absurdum: quia inde sequeretur, quod aliqua creatura non esset sub perfecto dominio Dei, illa enim duratio non esset sub perfecto dominio eius: illud enim non est sub perfecto dominio Dei, quod est talis naturę, vt Deus non possit ipsum destruere pro quocumque instanti, pro quo voluerit ipsum destruere: sed non posset illam durationem destruere pro quocumque instanti, quandoquidem necesario deberet durare p r ęternitatem ex natura sua extrinseca.

*Probatur*

*Probatur* eadem minor pro secunda parte: quia si duraret ab æterno duratione diuisibili, tota duratio quã ab æterno ad hũc vsque diem durauit, deberet esse simpliciter infinita: & quandoquidem tota fuerit actu posita extra causas, sequeretur quod aliquod infinitum simpliciter sit actu productum.

*Respondetur*, eodem modo, quo res, quæ durat per horam, habet durare per illam horam siue duratione indiuisibili, siue diuisibili, habere etiam durare rem, quæ ab æterno existeret. Et si dicatur quod res durans per horam duret duratione indiuisibli, sicut non est absurdum quod duratio ipsius sit talis naturæ, vt si producatur necessario, debeat durare per horam, & hoc non obstante est sub tam perfecto dominio Dei quam potest esse, quamuis non posset destrui per totam illam horam: ita discurrendum de duratione, qua res duraret ab æterno, si esset indiuisibilis: Quod si duratio rei existẽtis per horã sit necessario diuisibilis, idem etiam dicẽdum de duratione rei æternæ, & tum concedatur infinitum actu esse possibile de potentia absoluta; & qui hoc negauerit, vel cui incertum est, neget etiam, vel incertam habeat hanc conclusionem.

Duratio creaturæ ab æterno durãs esset quid indiuisibile.

44 In mea autem sententia, si poneretur duratio esse aliquid distinctum à creatura se tenẽs ex parte creaturę, & in ipsa subiectata, admittendum esset quod duratio esset quid successiuum formaliter, & consequenter si implicaret infinitũ in actu, quod implicaret ob hanc rationem creaturam esse ab æterno. At si ponatur illud, à quo habet creatura à solo Deo durare tanto tempore, nõ esse quid distinctum à volitione Dei libera, duratio quidem esset formaliter indiuisibilis: & non est inconueniens quod ex suppositione quod Deus vellet creaturam existere ab æterno, non posset creatura illa ita per æternitatem destrui, quin necessario deberet durare æternum à parte ante, & etiam à parte post, si Deus id vellet; sicut non est inconueniens quod si Deus velit hominem conseruare per annum, non possit homo destrui per totum illum annum ex illa hypothesi: nec est inconueniẽs quod quod ipsa volitio libera Dei qua velit aliquid sit indestruibilis ex suppositione quod semel sit. Forma autem creata indiuisibilis, quę deberet ex suppositione quod produceretur à Deo pro hoc instãti, cõseruari pro aliis instantibus sequentibus, omnino mihi repugnare videtur: cum enim habeat totam suam existentiam, & omnes proprietates ac accidẽtia sibi necessario connexa in hoc instanti, nec durare in alio instanti sit connexum cum ipsa quandoquidẽ hoc non habeat in primo instanti; certe non potest vel cum vlla apparentia dici, quod debeat necessario à Deo conseruari, pro alio instanti, nec potest bene concipi, qua ratione posset hoc necessario exigere ex natura sua intrinseca, quandoquidem sit realiter distinctum ab ipsa, & ipsa possit absque hoc existere. Videantur, quæ dixi supra de hac re in disputatione *de duratione*.

Probatio Arriagæ.

45 *Arriaga* probat creaturam non posse ab æterno durare duratione indiuisibili, quia illa duratio deberet deperdi in tempore quam primum posset, & eius loco produci duratio successiua: sed non posset ostendi quando deperderetur: si enim dicatur deperdi hodie, non est verũ quod hodie primum deperdi potuit, quia quamuis deperderetur heri, adhuc esset æterna: & si diceretur deperdi heri, adhuc posset deperdi ante, & sic in infinitum sine eo quod desineret esse æterna.

*Hæc probatio*, quæ sufficiens videtur Arriagæ, nihil concludit: *Respondetur* enim durationem quamcumque indiuisibilem, qua creatura duraret ab æterno, non solum habere ponere rem ab æterno, sed vsque ad tale tempus vel instans; vnde tum primum poterit destrui, quando venit illud tempus vel instans, non ante. Itaque aliqua res posset ab æterno produci vsque ad hodiernum diem, & alia res vsque ad crastinum, & alia vsque ad tempora Christi: quælibet autem ex his rebus haberet durationes distinctæ rationis, nec vlla ex illis destrui posset vsque ad tempus illud ad quod vsque deberet res per illam durare: non vero est imaginandum, quod posset dari duratio æterna, quæ respiceret æternitatem tantum vt sic, sine ordine etiam ad hoc vel illud tempus finitum, vsque ad quod deberet res durare.

Daretur infinitũ actu si daretur duratio indiuisibilis æterna in creatura.

*Multo melius impugnaretur* illa duratio indiuisibilis per principia quibus probatur non posse dari infinitum in actu, nam illa duratio esset infinita actualiter, quia æquialeret durationibus infinitis successiuis; vnde tam implicaret quam illæ infinitæ durationes, vnde qui negaret infinitum in actu, deberet negare consequenter huiusmodi durationem.

46 *Obiicies quinto*: Si homo esset productus ab æterno, non posset vnquam ostendi, quando primo moueret manum suam, quia quocumque instanti vel tempore moueret manum, daretur aliud tempus vel instans, in quo prius posset illam mouere.

*Confirmatur*: quia posset ab æterno producere actum liberum ex vno capite, quandoquidem esset liber, & ex alio capite non posset, quia non posset cessare ab eius productione per infinitum tempus.

*Respondetur*, non esse inconueniens, quod non posset ostendi quando primo posset mouere manum, quia non posset assignari primum instans, aut pars temporis, in quo primo posset mouere manum, sicut non potest assignari prima pars vllius motus, aut vllius continui secundum sententiam communem, quæ asserit, quod continuum componatur ex diuisibilibus in infinitum.

*Ad confirmationem dico*, quod si esset inconueniens, quod posset ab æterno elicere actum liberum, quamuis homo esset liber ab æterno, non posset producere ab æterno actum liberum, nec libertas eius in hoc consisteret, sed in eo, quod posset in tempore producere actum liberum.

Homo ab æterno produci & posse habere actum æternum liberum.

Absolute autem dico, quod posset ab æterno producere actum liberum, nec libertatem talis actus impedit, quod necessario deberet esse æternus, sicut nõ impedit libertatem actuum diuinæ voluntatis, quod sunt ab æterno: & ratio vtriusque est, quia nõ sunt necessario ab æterno nisi ex suppositione, quod ab æterno libere producantur: & sicut si voluntas vellet per horam aliquid libere velle, ex hypothesi illa necessario ageret per horam, & tamen simpliciter libere ageret: ita in proposito dicendum est.

47 *Obiicies sexto*: si productus esset ignis ab æterno applicatus stupæ, vt bene poset, si vera est conclusio, sequeretur, quod combureret & non combureret stupam: sed hoc implicat: ergo nequit sic produci.

Probatur sequela maioris: quia combureret, quandoquidem esset causa naturalis naturaliter agens. & secundum Augustinum si creatura esset ab æterno, haberet effectus suos necessarios ab æterno: non combureret autem quia ante introductionem formæ ignis supponitur esse forma stupæ, & quidem positiue: sed nihil potest esse positiue ante illud, quod producetur ab æterno, vt patet: ergo non combureret ab æterno.

Ignis ab æterno applicatus stupæ non posset ipsam comburere ab æterno.

*Respondeo*, negando sequelam maioris cum probatione pro prima parte: quamuis enim causa naturalis possit habere effectum naturalem suum ab æterno, quando non poneretur impedimentum ipsius: non tamen quando poneretur impedimẽtum: In proposito autem casu esset impedimentum combustionis ab æterno, quia esset forma stupæ ab æterno, quæ est incompatibilis cum forma ignis. Itaque sicut ignis non potest in tempore producere formam suam in stupa applicata quomodocumque pro vllo instanti, pro quo forma stupæ existit in stupa, quia aliàs duæ formæ substantiales non subordinatæ essent simul in materia, quod naturaliter impossibile est secundum omnes, & secundum multos etiam supernaturaliter; quandoquidem in casu nostro supponatur forma stupæ esse in materia stupæ ab æterno, non potest in ea esse forma ignis ab æterno, alias ab æterno haberet vtramque formam.

*Et si quæras*, quando in tempore deberet produci forma ignis in illa materia.

*Respondeo*, quando determinaretur à Deo, ad quem solum illa determinatio spectaret, quia ignis ex se non esset magis determinatus in vno instanti quam in aliis antecedentibus, aut consequentibus.

48 *Obiicies septimo*: Creatura existens ab æterno

non solum conseruaretur, sed produceretur : at hoc fieri non posset, quia conseruatio præsupponit productionem & hoc non solum negatiue, vt non esse aliquando præcedit productionem, & priuatio formam, sed positiue, implicat enim rem conseruari, quę positiue non producitur: ergo implicat creaturam esse ab æterno.

*Respondeo* negando minorem: sicut enim actus liber Dei producitur ab illo libere ab æterno quatenus liber formaliter loquendo, & similiter ab æterno conseruatur, etiam libere : ita de creatura illa philosophandum est. Ad probationem autem minoris dicendum est, quemadmodum actio successiua, qua producitur res in tempore, habet rationem conseruationis, & productionis, productionis quidem quatenus comparatur ad non esse rei præcedés illud tempus, conseruationis vero quatenus res producta consideratur in ordine ad quamcumque partem illius tẽporis, ante quam est alia pars, in qua produceretur; ita etiam actio, qua producetur res ab æterno, haberet rationem productionis & conseruationis, productionis quidem quatenus comparatur res ad non esse quod haberet, nisi esset alia actio, & quod propterea præcedit natura illã actionem, & rẽ negatiue; cõseruationis vero, quatenus comparatur illa res ad quodcumque instans aut partem temporis siue realis siue imaginarij, ante quod daretur aliud instans, aut pars temporis cui illa res esset coëxistens, aut posset esse vi illius actionis: quod etiam cõfirmari potest exemplo volitionis liberæ Dei, & productionis æternæ Filij, ac Spiritus sancti.

49 *Obiicies octauo.* Si homo produceretur ab æterno cum gratia iustificante, posset elicere actum meritorium condignum vitæ æternæ, qui actus esset æquiualens durationi ac continuationi infinitis actibus, qui successiue producerentur, ergo esset infiniti valoris, atque adeo mereretur lumen gloriæ infinitum quo videretur Deus cõprehensiue. Probatur consequentia, quia quo magis continuatur actus, eo magis est meritorius ac maius præmium debetur illi.

*Respondetur primo.* Si esset inconueniens, quod daretur actus charitatis libere ab æterno productus, & conseruatus, negando sequelam antecedentis, propter eandem ipsã inconuenientiam: nec inde tamen sequeretur ipsum hominem cũ gratia non posse ab æterno creari, quia talis inconuenientia ex hoc non sequeretur.

*Respondeo secundo*, distinguendo consequens, quoad primam partem infiniti valoris extensiue, concedo; intensiue, nego : & similiter distinguo secundam partem: meretur lumen infinitũ extensiue, si tale esset possibile, trãseat (si autem non sit possibile, secunda pars est de subiecto non supponente, vt dici solet, & tota vis argumenti corruit) intensiue, nego consequentiam pro illa parte; & nego etiam quod comprehenderetur Deus per illud lumẽ infinitum extensiue, quia vt videretur Deus comprehẽsiue, requireretur lumen infinitum intensiue, & potentia etiam intellectiue infinita, alias enim visio nõ posset attingere ad perfectionem visionis increatæ, nec consequẽter posset esse perfectissima visio, quod requiritur ad visionem comprehensiuam, quando præsertim obiectum ex se est intelligibilitatis perfectissimæ.

## CONCLVSIO. II.

Motus æternus infinitus non repugnat si non repugnet infinitũ in actu.

50 *Si repugnet infinitum in actu, repugnat motus æternus à parte ante. Si vero non repugnat infinitum in actu, non repugnat motus æternus à parte ante, qui sit infinitus, bene tamen repugnat motus æternus finitus.* Hæc conclusio est quoad primam partem contra *Complutenses*, Quoad secundam vero, & tertiam partem est iuxta tertiam sententiam, & contra primã, & multos ex Authoribus secundæ sententiæ. Dico vero *multos*, quia aliqui ex illis ideo negant successiua posse dari ab æterno, quia inde sequeretur dari infinitum actu, quod putant repugnare: contra hos autem non facit hæc conclusio, sed contra eos qui alias ob rationes negant possibilitatem successiuorum ab æterno. Propterea autẽ proposui conclusionem hanc conditionate, quia agendo de infinito dixi rem fuisse ab vtraque parte mihi incertissimam, & ab ea controuersia hic abstinere volui.

*Probatur autem prima pars*: quia motus ille successiuus, qui esset ab æterno vsque in hanc diem esset simpliciter infinitus, & quoad omnem partem sui productus actualiter, & includeret infinitas partes determinatas, & æquales vni certæ parti, tempus enim æternum includeret infinitos dies, & motus æternus infinitas partes correspondentes motui horario aut diurno : ergo esset infinitus simpliciter, & categorematice, atque adeo si repugnaret infinitum categorematicum, repugnaret talis motus. Nec prorsus refert quod omnes partes ipsius simul non existant; quia motus continuatus per annum est categorematice maior quam motus semi-anni, licet partes ipsius simul non existant, & categorematice potest dici de ipso quod includat tot partes determinatas æquales vni certæ; ergo similiter motus æternus potest dici categorematice includere infinitas partes determinatas, licet omnes partes eius simul non existant, de quo postea amplius.

51 *Probatur secunda pars* : quia præter implicantiam quæ oriretur ex eo quod esset infinitus, nulla alia peculiaris potest assignari in æternitate motus; ergo si non implicet infinitum actu, non implicabit talis motus, & consequenter dari potest dependentia absoluta.

*Confirmatur primo*, quia nulla afferri potest hic implicãtia, quæ habeat maiorem apparentiam, quam implicantiæ quæ afferuntur contra infinitum: ergo si iis non obstantibus tenetur dari posse infinitum categorematicum, etiam dari poterit motus æternus. Fateor tamen, si darentur tam apparentes implicantię particulares contra æternitatem motus à parte ante, quales dantur contra infinitum actuale, & illæ implicantiæ non haberent connexionem cum implicantiis infiniti; quemadmodum ob illas implicãtias, & rationes probantes possibilitatem infiniti, incertum videtur an posset dari infinitum; ita etiam ob has implicantias, & rationes probantes possibilitatem motus successiui, incertum similiter debere iudicari, an possit dari motus æternus à parte ante. Vnde absolute censeo, si consideremus motum æternum à parte ante secundum rationem suam particularem, quatenus non habet connexionem cum infinito, incertum esse omnino possit ne dari nec ne, quia reuera rationes vtriusque partis sunt meo iudicio insolubiles, si bene considerentur.

Incerta est possibilitas motus æterni.

*Confirmatur secundo conclusio*: quia rationes fere omnes, quæ adducuntur contra æternitatem motus à parte ante, militant aduersus æternitatem motus à parte post, & aduersus infinitas partes motus, quas Deus videt actu potuisse præcedere motum hodiernum: sed æternitas motus à parte post est sine dubio possibilis, & Deus videt posse præcedere infinitos motus motum hodiernum : ergo non obstantibus illis rationibus debet admitti possibilitas æterni motus à parte ante.

Motus finitus nequit esse ab æterno.

*Probatur tertia pars*, quæ est omnium : quia motus quicumque finitus habet principium ante quod posset esse alius motus, & aliæ res, non solum anterioritate naturæ, sed durationis, alias esset infinitus à parte ante.

52 Vt soluantur obiectiones contra secundam partem conclusionis, & illa ipsa secunda pars intelligatur melius, *aduertendum est* nos posse imaginari rem aliquam posse esse ab æterno duobus modis.

Quomodo motus possit esse ab æterno.

*Primo* secundum se, & omnes suas partes ita, vt quælibet pars ipsius sit ab æterno, aut aliqua pars secundum se totam, & in hoc sensu manifeste implicat motum aut aliquid successiuum posse esse ab æterno, quia omnis motus, & omne successiuum, qua tale essentialiter inuoluit prius, & posterius, & posterius debet præsupponere existentiam prioris; vnde ipsum posterius nequit esse ab æterno, nec consequenter totum, in quo inuoluitur, potest esse ab æterno, quoad omnes suas partes, quia nequit esse sic, quoad partem posteriorem : sed neque potest etiam esse ab æterno, quoad partem priorẽ, quia illa pars prior etiam est quid successiuum, vt suppono, & consequenter includens partes priores, & posteriores, & ita in infinitum producendo, numquam poterit eò deueniri, vt possit assignari, etiam ab ipso Deo,

aliqua

aliqua pars successiui, quæ possit esse secundum se totam ab æterno in hoc sensu: vnde hic sensus non potest esse sensus conclusionis, nec in controuersia apud Doctores.

*Alio modo* possumus imaginari rem aliquam esse ab æterno, quæ & ita se habeat, vt æternitas non possit coexistere vlli tempori imaginario aut reali, cui illa res secundum aliquid sui non coexistat, quamuis non coexistat ipsi secundum se totam; & ita etiam, vt nunquam possit assignari, quænam sit prima pars determinata ac finita eius, ante quam non præcessit alia pars: & in hoc sensu est controuersia, an quid successiuum possit esse ab æterno; & pars affirmatiua proponitur in conclusione.

51 *Obicies primo.* Illo, quod est æternum, nihil est prius: sed quacumque parte temporis vel motus aliquid est prius: ergo nec tempus, nec motus potest esse æternus.

*Confirmatur*: quia quod est æternum, debet manere idem in tota æternitate: successiuum non potest sic manere: ergo.

*Confirmatur secundo.* Ens successiuum debet incipere per vltimum sui non esse: sed quod est ab æterno, nequit sic incipere; quia alias non esse ipsius præcederet ipsum positiue, quod implicat.

*Respondetur* distinguendo consequens: quoad vllam partem, qua datur aliquid prius, concedo consequentiam; in hoc enim sensu tantum sequitur consequens ex præmissis; quoad vllam partem, qua non datur aliquid prius, vt est pars infinita, aut quoad se totum in sensu supra explicato, nego consequentiam: nec consequens in eo sensu sequitur ex præmissis illis in forma, in hoc enim sensu si intelligeretur consequens, syl ogismus totus constaret quatuor terminis, vt patet.

*Confirmatur hæc responsio*: sicut illo, quod est æternum à parte ante, nihil est prius, ita illo, quod est æternum à parte post, nihil est posterius: sed quacumque parte temporis à parte post datur aliquid posterius; & tamen hoc non obstante tempus potest esse æternum à parte post; ergo quamuis quacumque parte temporis à parte ante potest dari aliquid prius, adhuc potest esse æternum à parte ante.

54 *Ad primam confirmationem* distinguo maiorem: si sit permanens, transeat, si successiuum, nego ut, & concessa minori, nego consequentiam.

*Responderi* etiam potest aliter distinguendo maiorem alio modo: eo modo quo est æternum, concedo; alio modo, nego maiorem: similiter distinguo minorem: non manet idem eo modo, quo est in æternitate, id est, successiuo modo, nego minorem: alio modo, id est, permanenti, concedo minorem, & nego consequentiam.

*Confirmatur* hæc responsio: quia non magis, quod est æternum à parte ante, debet manere idem tota æternitate, quam quod est sic à parte post: sed id, quod est æternum à parte post, potest esse successiuum hoc non obstante: ergo & quod est à parte ante æternum, similiter potest esse successiuum.

*Ad secundam confirmationem respondeo* distinguendo maiorem: quando producitur in tempore, aut vere potest dici de ipso, incipit, hoc est quando potest dici de ipso nunc est & immediate ante non fuit, aut nunc non est, & immediate post erit, concedo maiorem: quando id nequit dici, vt cum producitur ab æterno, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam.

55 *Obicies secundo.* Si aliquis motus posset esse ab æterno, maximè motus circularis cæli: sed hic non potest: ergo nullus.

Probatur minor: tum quia ipsum cælum deberet esse prius suo motu, & quid in duratione, quia cælum producitur in instanti, motus autem in tempore, tum etiam quia sequeretur, quod Sol esset semper, & non esset in nostro hæmisphærio: esset quidem, quia ab æterno esset productus in aliquo hæmisphærio, & non esset maior ratio, cur in alio quam in nostro: non esset autem, quia moueretur ab æterno ab vno ad alterum hæmisphærium,

*Respondetur* negando minorem: ad cuius primam probationem dico, cælum productum ab æterno non esse prius motu æterno ipsius alio modo quam natura, nec quando producitur ab æterno, producitur actione instantanea, quia quod producitur tali actione habet solum vi actionis suæ coexistere instanti: sed actio, qua cælum producitur ab æterno, est actio à qua habet cælum posse coexistere tempori infinito, si daretur per possibile aut impossibile. Ad secundam probationem minoris dico, quod si Sol cum suo motu produceretur ab æterno, deberet esse ab æterno successiue in vtroque hæmisphærio, ita vt non possit vnquam assignari instans aut tempus, quo ita esset in vno, quin antecedenter fuerit in altero. Et sicut nō potest assignari hæmisphærium, in quo vltimo finietur motus cæli æternus à parte post, quia motus ille nunquam finietur; ita nec potest assignari hæmisphærium in quo incepit esse Sol motus ab æterno, quia talis motus non habet principium, nec vnquam incepit.

56 *Dices*: Sol debebat produci actione aliqua determinata, & in loco consequenter determinato: ergo vel in nostro, vel altero hæmisphærio determinate debebat produci.

*Respondeo* distinguendo antecedens: actione determinata instantanea, quæ nō esset nec virtualiter nec formaliter successiua, nego antecedens: quæ esset vel virtualiter vel formaliter successiua, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quandoquidem enim illa actio, qua produceretur Sol esset virtualiter successiua & æterna, ac infinita, non deberet determinate producere cælum in hoc aut illo hæmisphærio, sed in vtroque successiue absque principio successionis, sicut actio, qua conseruabitur, & mouebitur cælum in æternum à parte post, non debet determinate ponere cælum in alterutro hæmisphærio, sed in vtroque successiue in infinitum absque fine.

*Confirmatur hoc*: quia Deus videt de facto omnes circulationes Solis, quæ possunt haberi ante circulationem hodiernam, alias cognitio alicuius possibilis lateret Deum, & sic non esset omniscius: tunc sic: Vel videt primam circulationem, vel non videt: si videt, ergo ante illam primam non est possibilis alia circulatio, quod videtur absurdum; cum enim sit eiusdem rationis cum reliquis, non potius deberet esse prima quā reliquæ; nec potius deberet non posse præsupponere aliam, quam reliquæ. Si nō videt: ergo non datur prima circulatio, & huius ratio est, quia sunt infinitæ: sed qua ratione non datur prima circulatio, non potest ostendi in quo primùm hæmisphærio sit productus Sol, qui est motus motu infinito, quia alias posset assignari prima pars aut initiū istius motus, quod æque implicat ac assignare primam circulationem ex infinitis circulationibus à parte ante, aut primum hominem possibilem ex infinitis hominibus.

57 *Confirmatur secundo*, quia Deus ipse non videt in quo primum hæmisphærio sit producibilis Sol ita, vt non possit prius produci in alio hæmisphærio, quia res ita non est à parte re in vllo hæmisphærio sic producibilis; ergo quamuis de facto daretur motus æternus cæli à parte ante, non deberet videre in quo primum hæmisphærio productus sit Sol, quia reuera in motu æterno non datur prima pars determinata, sicut in motu finito non potest assignari prima pars, qua alia pars non sit prior, licet in eo possit assignari aliqua pars, qua alia pars tanta aut maior non sit prior, & in hoc differat à motu infinito, cuius nec prima pars determinata potest assignari, quin alia pars determinata tanta, ac etiam maior assignari possit, quę sit illa prior.

Cętere difficultates, quę contra hanc conclusionē opponi possunt, sunt illę, quę proponi solent contra infinitum in actu, vel habent connexionem cum illis; vnde hic omittendę sunt, & earum solutio ex dictis in disputatione de Infinito est petenda; vt omittam, quod non faciant contra hanc partem conclusionis, quandoquidem eam non tenemus nisi ex suppositione, quod possit dari infinitum actu, & quod consequenter possint rationes omnes, quæ contra tale infinitum adducuntur, solui.

## CONCLVSIO III.

Generationes hominũ tam possunt esse ab æter. mo quam aliæ generationes.

58 *Si possunt fieri ab æterno aliæ generationes & corruptiones præter generationes hominum, etiam possunt esse generationes hominum ab æterno.* Hæc est directe contra *Complutenses, disp. 29. qu. 5. n. 70.* plures alios Thomistas pro se citantes, quos propterea merito *Ioannes à S. Thoma*, negat consequenter procedere *qu. 24. a. 2.*

*Probatur* manifeste, quia est eadem prorsus ratio de humanis generationibus, ac reliquis: ergo si reliquæ possunt esse ab æterno, humanæ etiam poterunt.

Replicat Complutenses.

*Dices cum Complutensibus*: si generationes hominum essent ab æterno, quandoquidem naturaliter loquendo animæ semel productæ semper deberent existere, de facto darentur infinitæ animæ actu existentes, sed hoc est impossibile: at si darentur infinitæ generationes aliarum rerum, non deberent formę earum simul manere, sed ad introductionem vnius aliæ desinerent, & consequenter non sequeretur dari infinitum actu, nec aliquid aliud impossibile: ergo est tanta disparitas inter has generationes, vt quamuis possibiles sint aliæ, non sint possibiles humanæ.

59 *Verum* contra hanc replicam facit, quod perinde prorsus implicat dari actu simul infinitas categorematice animas, ac productas fuisse infinitas categorematice formas, quamuis simul omnes non existerent: illa enim simultas existentiæ nihil prorsus facit ad rem, & omnes cõtradictiones, quæ opponi possunt contra infinitas animas actu simul existentes currunt quatuor, vt aiunt pedibus contra infinitas animas aut formas, quæ omnes productæ sunt, licet non simul existant; vnde vel vtrumque, vel neutrum repugnat.

*Confirmatur hoc*: quidquid est de facto productum à Deo, & secundum se conseruabile in perpetuum, potest conseruari ab ipso, non obstante productione cuiusque alterius vel quorumcumque aliorum, cum quibus non habet ex ratione sua formali incompatibilitatem in existendo: sed nulla forma ex infinitis, quę productę sunt, habet incompatibilitatem in existendo cum aliis formis, nisi in ordine ad idem subiectum; & quælibet ex illis est secundum se conseruabilis in perpetuum: ergo omnes quotquot sunt productę, possent simul conseruari à Deo extra sua subiecta, atque consequenter si de facto infinitę essent productę successiue vsque ad diem hodiernum, possent omnes simul hodierna die conseruari: sed non libet immorari in re clarissima.

## CONCLVSIO IV.

Generationes omnes substantiales possunt esse successiuæ ab æterno.

60 *Generationes omnes substantiales tam humanæ, quam aliarum rerum possunt esse successiuè ab æterno.* Hęc est *Complutensium* supra quoad reliquas excepta humana, & authorum ab ipsis citatorum, cõtra omnes illos, qui negant successiua esse posse ab ęterno, & etiam contra *Arriagam*, qui quamuis concedat durationem successiuam ab ęterno, negat tamen expresse vllas generationes substantiales successiuas esse ab ęterno.

*Probatur conclusio*: quia si repugnaret huiusmodi generationes esse ęternas, repugnaret vllum successiuum esse ab ęterno: hoc est falsum, vt patet ex conclusione secunda: ergo & illud, vnde sequitur, & consequenter vera conclusio: quia si non repugnat generationes successiuas esse ab æterno, poterunt sine dubio esse ab æterno.

Probatur minor: quia implicantiæ omnes, quæ adduci possunt contra æternitatem harum generationum, possũt applicari æqualiter contra ęternitatem vllius successiui: ergo repugnat æque vtrorumque æternitas.

Probatur antecedens: quia omnes implicantiæ formaliter reducuntur, vel ad hoc quod sit contra rationem includentis prius & posterius esse ab æterno, vel quod ex æternitate generationum sequeretur processus in infinitum: sed ex vtroque hoc capite repugnaret quod vllum successiuum esset ab æterno, si in vllo ex illis esset repugnantia, vt patet, ergo.

*Confirmatur* specialiter soluendo rationes implicantiæ, quæ particulariter solent opponi contra hanc conclusionem.

61 *Obijcies ex Arriaga*: in serie eorum hominum, qui essent producti per generationes successiuas, deberet tandem deueniri ad aliquem, qui produceretur à solo Deo: vel ergo inter generationem illius & generationem alterius hominis ab illo factam intercessit finitum, vel infinitum tempus: si infinitum tempus, ergo alia generatio nõ fuit æterna nec vlla ad illam sequens, & consequenter successio generationum nõ est æterna, quod est intentũ: si finitũ, ergo nec secũda generatio fuit æterna, nec prima etiam, quæ enim non præsupponit nisi infinitum tempus non fuit æterna, nec etiam illa, quæ non antecedit aliam nisi finito tempore, potuit durasse ab æterno.

*Respondetur* negando posse assignari ab ipsomet Deo, quisnam sit primus homo qui esset productus à solo Deo ex suppositione, quod essent infiniti homines successiue producti, quia repugnat in infinito successiuo dari primũ, quod ante cætera omnia existeret saltem anterioritate temporis, aut durationis: & per hoc corruit tota argumenti huius vis.

*Confirmatur hæc responsio*: quia qua ratione Deus deberet videre primum hominem, qui esset productus ex infinitis successiue productis, deberet etiam videre vltimũ hominem ex infinitis, qui successiue sint producendi, eadem enim prorsus est ratio: ergo cum hoc videre non posit propter infinitum numerum eorum, qui sunt producendi, nec illud etiam poterit videre.

*Confirmatur secundo*: ex infinitis durationibus successiuis, quibus res ab æterno producta deberet durare in sententia *Arriagæ*, aliqua vna debebat esse cæteris prior, omnes enim illæ durationes nullam aliam præsupponũt, & nullæ duæ simul producuntur, quia alias nõ essent successiuæ: ergo posset Deus illam videre, & consequenter illa sola esset æterna, non autem cæteræ posteriores.

62 *Ad hoc argumentum* non potest responderi, nisi negando dari primam durationem assignabilem, & hoc ob infinitatem, & successionem illarum durationum: ergo ob infinitatem, & successionem hominum nequit assignari primus homo in tota illa collectione infinitorum hominum qui successiue producerentur.

*Responderi posset secundo*, quamuis ex substantiis aliqua determinata posset assignari, quæ à Domino Deo solo crearetur, illum tamen, verbi gratia, hominem non posse dici antecedere vllam generationem alterius hominis determinatam, antequam non darentur infinitæ generationes aliorum hominũ, & consequenter licet antecederet quamcumque determinatam generationem, non tamen omnes, sic, vt posset assignari aliquod instans tẽporis veri aut imaginarij, in quo existeret ille homo, quin antecedenter existerent infinitæ generationes. Vtraque quidẽ hęc responsio difficilis est, sed non difficilior tamen quam aliæ multæ responsiones, quæ dantur ad obiectiones contra infinitum actuale; vnde sicut tenet *Arriaga* infinitum illud non obstantibus illis difficultatibus, deberet etiam hanc conclusionem tenere non obstante difficultate huius obiectionis.

63 *Obiicies secundo*, non datur processus in infinitum in causis efficientibus, alias nõ probaretur ex motibus, & efficientia existentia Dei: sed si darentur infinitæ generationes, daretur huiusmodi processus, cum vna præsupponeret causam efficientem alterius, & illa alterius, ac ita in infinitum: ergo.

*Respondeo* distinguendo maiorem: in causis efficientibus essentialiter subordinatis, transeat; accidentialiter tãtum subordinatis, nego, & concessa minori, nego consequentiam.

Quæ sunt: causæ essentialiter subordinatæ.

*Quod si quæras*, quænam sint causæ essentialiter subordinatæ, & quæ accidentaliter.

*Respondeo* causas essentialiter subordinatas esse illas, quæ sunt talis naturæ, vt subordinata nequeat producere effectum non concurrente subordinante actualiter; accidentaliter vero subordinatæ sunt illæ, quarum vna quidem alteram præsupponit, sed non dependet tamen ab actuali cõcursu ipsius in sua actione, sed potest agere ea destructa: primo modo se habẽt creatura & Deus, secundo modo se habent pater, & auus respectu filij à patre immediate procedentis.

Et quæ accidentaliter.

Si

*Si quæras* iterum, cur non possit dari processus in infinitum in causis essentialiter subordinatis, possit vero in accidentaliter.

Cur nequeat dari processus in infinitum in causis essentialiter subordinatis.

*Respondeo* pro nunc breuiter rationem esse, quod absurdum videtur effectum finitum debere indigere per se concursu actuali infinitarum causarum, præsertim cum vna ex ipsis, nempe Deus sit infinitæ actiuitatis: sed si posset dari processus in infinitum in causis essentialiter subordinatis hoc deberet fieri: ergo non debet dari talis processus. Quamuis autem daretur processus in infinitū in causis accidētaliter subordinatis, quilibet effectus particularis posset produci independenter à concursu omnium istarum causarum, vt patet.

## QVÆSTIO VLTIMA.

*Vtrum Mundus sit in æternum duraturus ex natura sua.*

64 CErtum est mundum non esse, nec ex natura sua, nec ex alio capite duraturū quoad omnia indiuidua in ipso contenta; plurima enim quotidie naturalissima pereunt; nec etiam quoad omnes species sic, quin absque miraculo vllo integrę species possent destrui, nullo relicto individuo, vt si homines omnes concurrere vellent ad speciem equinam, aut bouinam, aut etiam ipsam humanam delendam. Nec minus certum est, mundum non esse ita ex natura sua semper duraturum, quin Deus possit ipsum libere destruere, ac in nihilum redigere, sicut ex nihilo ipsum libere fabricauit. Sed quæritur, an ex natura sua ita exigat perpetuo conseruari, vt non possit perire actione vlla causarum naturalium, aut defectu virtutis alicuius, quę ad eius conseruationem esset necessaria, & etiā, an exigat connaturaliter influxum conseruatiuum Dei, sic vt miraculum esset cēsendum, si Deus nollet illum cōcursum præstare, quemadmodum miraculum esset si non conseruaret semper Angelos, ac animas rationales semel productas.

## CONCLVSIO. I.

Mundus nequit naturaliter perire.

65 *Mundus non potest naturaliter perire, nec quoad cælestia corpora, nec quoad sublunaria sic quin debeat naturaliter tota hæc sublunaris pars esse plena corporibus: nec etiam potest naturaliter loquendo immutari principalium partium eius, verbi gratia, Elementorum, ordo ille, quem de facto habent, atque adeo ex natura sua est in æternum duraturus in hoc sensu, & exigit connaturaliter influxum conseruatiuum Dei, & non nisi miraculose interire potest.* Hæc est communis cū Philosopho contra quosdam antiquos, quibus fauere videtur *Plato* in Tymæo.

*Probatur manifeste*: quia quantum ad corpora cælestia, animas rationales, & materiam primam, illa non depēdent ab vlla causa creata in fieri, aut conseruari, nec possunt destrui per actionem aliquam positiuam, sed solum per substractionē influxus, quo conseruaretur à causa prima, quem concursum æque connaturaliter petunt ex natura sua pro omni tempore futuro in æternū ac pro tempore præsenti aut præterito; est enim eadem ratio, vt patet: ergo quoad hæc non potest naturaliter perire mundus.

*Rursus* materia prima naturaliter nequit esse absque aliqua forma, & proinde quoties desinit vnum indiuiduum, debet produci necessario aliud: ergo fieri nequit quin pars sublunaris mundi sit repleta corporibus, sicut de facto est.

*Præterea* nō potest quis imaginari, qua ratione inuerti posset naturaliter ordo, quem de facto habent partes principaliores mundi, ita scilicet vt terra nō sit sub aqua, hæc sub aëre, aër sub igne, ignis sub Cælo Lunæ (si tamen ille sit locus naturalis ignis) & orbes cælestes eo loco, quo modò sunt.

66 *Obicies*: Deus ideo non habet finem in essendo, quia non habet initium; ergo quod habet initiū suæ existentiæ, debet habere finem existendi, naturaliter loquendo.

*Confirmatur*: quia quod non habet finē existendi naturaliter, debet habere virtutem conseruatiuam finitam talem non habet mundus: ergo debet naturaliter aliquando desinere.

*Respondeo primo*, negando consequentiam, quia quantumuis Deus ex eadem necessitate essendi, ex qua habet carere principio, habeat etiam carere fine, tamen aliæ res possunt carere fine connaturaliter ex suppositione, quod sint semel productæ, quamuis habeant principium existentiæ suæ.

*Rursus* quamuis Deus ex eo quod careat principio, debeat carere fine; tamen ex alio etiam capite potest carere fine, nempe ex eo, quod non sint causæ quæ possint connaturaliter ipsum destruere; vnde quia non sunt causæ naturaliter destructiuæ mundi, non debet habere finem, quamuis habeat principium. & iuxta hoc.

*Respondeo potest secundo*, distinguendo antecedens: ideo solum, nego antecedens; ideo, sed non solum, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia illud quod habet principiū potest habere alias causas, ob quas non debet desinere, aut habere finem.

*Ad confirmationem respondeo* negando antecedens *primo* quia sufficeret illa virtus in causa conseruatiua; illud autem ipsum, quod non habet finem, non debet habere virtutem conseruatiuam sui ipsius: *secundo*, quia ad conseruandum aliquid in perpetuum non requiritur virtus infinita: virtus enim quæ sufficeret ad conseruandum hodie sufficeret ad conseruandum semper, si ipsamet ab illo conseruaretur, aut à seipsa, nisi aduenirent impedimēta ab ipsa insuperabilia: non esset autem necesse, vt quāuis mundus duraret in æternum, aduenirent impedimenta suę durationis.

67 *Obicies secundo*: principium interitus est compositio ex contrarijs: mundus componitur ex contrariis; ergo naturaliter petit interire.

*Confirmatur*: quia virtus generatiua paulatim debilitatur: ergo successu temporis eo imbecillitatis deueniret, vt non posset amplius generare, & sic deficerent generationes, & consequenter cum vetera indiuidua nequeant semper durare, perire debebit mundus.

*Confirmatur secundo*: quia ab ipso initio mundi hucusque notabiliter minuta est virtus hominum, complexio, ac statura; vix enim pauci pertingunt ad centum annos, & nullus est giganteæ staturæ, cum in initio mūdi viuerent ad plusquam Nestoreos, vt aiunt, annos, & essent maximæ staturæ.

*Respondeo*, distinguendo maiorem: compositio ex contrariis est principium interitus sic, vt loco rei intereuntis non succedat alia res, nego maiorem: sic vt succedat, concedo maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: petit interire quoad partes aliquas, quibus tamē succedere debent aliæ partes, concedo consequentiam; sic vt non debeant aliæ partes succedere, nego consequentiam.

*Respondeo secundo*, distinguendo maiorem alio modo, compositio ex cōtrariis est principium interitus rei quoad illa ipsa, quæ sunt contraria, quando applicantur sufficienter, concedo maiorem: quoad alia, quæ non sunt contraria, aut quoad ipsa contraria, quamdiu non applicātur sufficienter ad destructionem mutuam sui, nego maiorē: & concessa maiori, distinguo consequens: quoad contraria sufficienter sibi inuicē applicata, transeat consequentia; quoad non contraria, aut contraria non applicata sufficienter, nego consequentiam.

68 *Ad confirmationem primam respondeo*, si virtus generatiua, quæ est in mundo, eousque debilitanda esset aliquando, vt non possint fieri generationes vlteriores, tum mundum permansurum in eodem statu in quo tum erit, nec desinēt vetera indiuidua, quia desinere nequeunt naturaliter, nisi per corruptionem: corruptio autem nequit esse absque generatione iuxta commune axioma *corruptio vnius est generatio alterius.*

*Adde*, licet virtus generatiua in aliquibus speciebus fortasis deficiat, vt in heterogeneis viuentibus, non tamen id verum esse in homogeneis non viuentibus, vt in Cælis, ac elementis; quis dubitet enim quin ignis hodiernus sit tam potens ad comburendum, quam qui fuit tempore Adami? Deind nec in viuentibus etiam debilitatur sic quin vnum indiuiduum ab alio productum possit esse tam potens, aut potentius ad generandum, quam

causa

causa à qua producebatur ob dispositionem accidentalem meliorem.

*Ad confirmationem secundam*, quamuis daremus hinc sequi speciem humanam aliquando perire debere naturaliter, hoc tamen non præiudicaturum conclusioni, vt patet ex dictis in principio huius quæstionis.

69 *Respondeo secundo*, virtutem hominum non perire cum proportione vlla ad decursum sæculi ita, quin eadem posset in æternum manere, sicut modo manet; nam certe alias deberet esse notabilis differentia inter ætatem hominum hac ætate, ac ætate Prophetæ Dauid; quod falsum tamen esse constat ex ipsomet Propheta Psalm. 89. *Si in potentatibus octoginta anni & amplius eorum, labor, & dolor*: quibus verbis innuit vitam hominum suo tempore solitam non pertigisse communiter vltra octoginta annos, quo etiam nunc pertingere solet.

Quod autem in initio sæculi diutius vixerint homines, & maioris fuerint staturæ, attribuendum est, vel particulari prouidentiæ Dei volentis eos tam diu conseruare ad propagationem generis humani; vel certe prouenit ex eo, quod tum perfectius calluerint homines Medicinam, ac Astrologiam, quam postea aut modo; & quod modus viuendi istius temporis erat accommodatior ad vitæ conseruationem, ac staturam grandiorem communicandum, quam temporum sequentium, quibus homines tamdiu non viuebant.

## CONCLVSIO II.

Mundus in æternum durabit.

70 *Mundus in æternum durabit.* Hæc est communis Theologorum, ac Philosophorum cum *S. August.* 20. *Ciuitat. cap.* 14. *Gregor. lib.* 17. *moral. cap.* 1. *& aliis Patribus.*

Probatur primo ex Scriptura Eccl. 1. *Terra autem in æternum stat*: & Psal. 148. *Ipse dixit & facta sunt, statuit ea in æternum & in sæculum sæculi.*

*Confirmatur*: quia Beati erunt semper in Cælo, & damnati in Inferno; ergo erit semper Cælum & Infernus.

*Probatur* ratione: quia ex dictis mundus exigit ex natura sua conseruari in æternum adeo, vt miraculum esset, quod sic non conseruaretur: ergo cum non constet quod Deus sit facturus tale miraculum debet potius censeri, quod sit conseruandus, iuxta exigentiam connaturalem suæ naturæ.

*Dices*: mundus factus est propter homines; sed post diem Iudicij non potest esse hominibus vsui: ergo debet tum cessare, quia conseruatio eius esset inutilis.

*Confirmatur* hac ratione: secundum Thomistas communiter post diem Iudicij cessabit motus cælorum, & desinet mixta omnia: ergo similiter debent cessare cætera corpora mundi, saltem præter Cælum Empyreum, ac Infernum & sic non conseruabitur mundus, quoad plenitudinem illam creaturarum, quam de facto habet.

*Respondetur*, distinguendo antecedens: propter homines solummodo, nego: propter homines & alios fines, qui possunt manere post diem Iudicij, nimirum ad ostensionem bonitatis, ac potentiæ diuinæ, concedo antecedens, & nego consequentiam.

71 *Ad confirmationem respondeo*, meo iudicio eadem ratione, qua cessare deberet motus cælorum, ac mixta, reliqua etiam corpora præter Cælum Empyreum, ac Infernum, cessare debere à paritate rationis; nec scio ad quid magis seruirent alia corpora, quam motus ille cælorum ac mixta; vnde puto non debere cessare illos motus, aut mixta, quorum productio, & conseruatio potest habere alios fines, præter vtilitatem particularem hominum.

Motus Cælorum non debet cessare vnquam.

Nec refert, quod dicatur Isaiæ 60. *Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua non minuetur.* Et quod Apocal. 10. *Angelus iuret per viuentem in sæcula sæculorum non futurum amplius tempus.* Ex quibus locis pro certo colligunt *Complutenses* cessaturum Cæli motum post diem Iudicij. Non inquam refert hoc, quia ad primum locum respondetur facile, non debere ipsum vlla ratione intelligi de Sole materiali, quasi hic non deberet in hoc mundo cadere & oriri sed sensum esse, quod Beatis in Cælo non cadet Sol, nec minuetur Luna, quia in Cælo Empyreo nõ erunt Sol & Luna, *sed ipse Dominus*, vt in eodem loco dicitur, *erit illis in lucem perpetuam*, vt propterea non indigere possint alia luce Solis, aut Lunæ.

Soluuntur loca Scripturæ.

*Confirmatur* hoc efficaciter: quia sicut dicitur in eo capite, non casurum Solem, dicitur non futurum Solem ad lucendum; sed ipsimet *Complutenses* asserunt post diem Iudicij futurum Solem & Lunam, & quidem multo luciores, quam modo sunt: ergo non fit mentio in illo capite de Sole, quantum ad non lucendum, nec consequenter quantum ad non cadendum in hoc mundo.

*Confirmatur secundo*: quia non dicit Scriptura, quod non cadet Sol mundo, sed quod nõ cadet hominibus: Sed hoc esset verum, quamuis caderet mundo, quia homines non essent in hoc mundo inferiori quibus caderet, saltem illi homines, de quibus loquitur Scriptura, nempe homines iusti ac beati non erunt in hoc mundo, vbi cadere posset ipsis Sol, aut Luna minui: ergo ille locus non facit ad propositum.

72 *Confirmatur tertio*: quia ratio, quam affert Scriptura cur non debeat cadere Sol aut Luna minui, est quod ipse Dominus erit in lucem perpetuam: sed hæc ratio non sufficit vt non cadat Sol, aut minuatur Luna in hoc mundo inferiori; nam ibi Dominus Deus sine dubio non lucebit post diem Iudicij; ergo non loquitur Scriptura de casu Solis quantum ad hunc mundum inferiorem, & sublunarem: quod sane mihi certissimum est.

Quantum ad secundum locum *Respondeo* cum *Alcasar in illud ipsum caput*, sensum esse non quod non erit tempus concomitans motum Cæli, sed quod non erit tempus amplius pœnitentiæ, postquam obduratum erit cor Iudæorum ac aliorum peccatorum sic, vt Deus amplius nolit ipsis dare gratiam ad conuertendũ seipsos. Et sane cessatio motus Cæli ac temporis ipsum comitantis post diem Iudicij, si contingeret, non esset res tanti momenti, vt Angelus ad illud inculcandum deberet adhibere iuramentum tam solemne. Sed non est Philosophici instituti in explicatione Scripturæ diutius inhærere.

73 *Obiici* præterea possunt aliqua loca Patrum, quibus significatur destructio mundi post diem Iudicij, saltem quoad Cælum, & stellas.

*Respondetur primo*, ex illis locis solum haberi ad summum quod sint destruendi hi Cæli, qui modo sunt, sed nõ habetur quin alij Cæli sint succesuri, imo habetur quod sint: sed hoc sufficit ad conclusionem, quia sufficit ad eius veritatem quod nunquam sit futurum aliquod tempus aut instans, in quo non sit mundus quoad Cælum, & Elementa, siue idem numero Cælum sit futurum semper, siue diuersum: quod si diuersum physice Cælum sit futurum aliquando, adhuc mundus semper erit idem moraliter, sicut fluuius dicitur semper idem, licet non semper habeat easdem partes physice.

*Responderi potest secundo* cum communi sententia Sanctos Patres solũ velle quod Cælum, & Terra perficiẽtur post diem Iudicij tantopere, vt merito videri possint Cælum nouum, & Terra noua; lux enim Lunæ supponitur tum futura sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter maior, quam modo est, vt innui videtur *Isaiæ* 3. si tamen iste locus debet intelligi in hoc sensu literali, de quo modo nolo discurrere. Denique Elementa purgata omnibus sordibus, quibus modo abundant, in sua naturali ac perfectissima dispositione relinquentur. At hoc ipsum cõfirmat quod paulo ante dixi: sũ enim augenda sit perfectio mundi post diem Iudicij, quamuis tum illa maior perfectio nõ sit cessura in beneficium hominum; cur non deberet etiã durare motus Cæli, & esse conseruatio mixtorum? Deinde cur lux Solis deberet ad vnam partẽ terræ pertingere, altera eo beneficio priuata: aut quomodo posset naturaliter absque miraculo conseruari perfectio Elementorum, Sole semper remanente in eodem situ? Si vero quæras cur mundus debeat esse perfectionis status, postquam desinit habitari ab hominibus quam ante: non facile erit assignare rationem, nisi recurrendo ad liberam Dei voluntatem: quod tamen huc non spectat.

DISPV

# DISPVTATIO XXII.

## DE NATVRA ET ESSENTIA, numero & motu Cælorum.

1. PEr *Cælum* intelligimus in hac disputatione substantias illas extensas, in quibus residēt astra & si quę aliæ sunt supra ipsas. Quamuis autem non desint, qui has substantias *Cælum* dictas putent à *celando*, quod nobis celare videntur, quæ intra ac supra se fiunt; tamen quia sic potius cum e simplici, quam cum æ diphtōgo scribi deberet, potius existimarem hoc nomen deriuari à verbo *celo*, quod significat sculpere, quod scilicet ob varietatem syderum, quibus ornatur, sculptum appareat.

Cælum vnde dictum.

### QVÆSTIO I.

*Virum Cælum sit corpus simplex.*

CErtum est, Cælum non esse ita simplex, quin constet pluribus partibus integrantibus, & quin consequenter sit compositum integraliter ex illis partibus. Præterea non est dubitandum quin constet pluribus partibns metaphysicis, genere scilicet, quo cum aliis substantiis materialibus conuenit, & differentia qua ab illis differt. Vnde controuersia est, an sit ita simplex, vt componatur ex partibus essentialibus physicis; materia scilicet, & forma substantiali: & præterea si non sit hoc modo simplex, sed compositum, alia difficultas est, an sit aliquod ex quatuor Elementis, an vero mixtum quid ex illis constans eo modo quo alia mixta corpora componuntur ex illis, vt ligna, lapides, metalla.

### CONCLVSIO I.

Incertū quoad rationē an cælum sit simplex.

2 *Si ratio spectetur, incertum est an Cælum sit simplex an compositum: si auctoritas, probabilius est, quod sit compositum.* Hæc in terminis non est vllius, quod sciam, in re vero videtur esse *Auersa*.

Probabilius quod non quātum ad authoritatem.

*Secunda pars* patet quia Doctores communiter cum Philosopho 1. *Cæl. tex.* 92. contra *Simplicium*, *Auerroem* & *Durandum* tenent absolute Cælum esse compositum. ergo id probabilius asseritur spectando authoritatem, quam oppositum, præsertim cum nulla sit ratio, quæ oppositum vrgeat euidenter.

*Confirmatur*: quia S S. P P. communius tenent Cælos ex materia aquæ factos, & aliqui ex illis dicunt stellas ex igne confectas: videantur citati apud *Salianum tom. 1. die 2. & 4.*

*Dices*: facilius ostenderetur incorruptibilitas Cæli, si diceretur esse simplex quam compositum: si enim esset simplex, non solum naturaliter non posset destrui, sed nec supernaturaliter magis, quam Angeli: at si sit compositum, saltem supernaturaliter poterit destrui, & non adeo facile ostendi potest, quomodo non possit etiam destrui naturaliter; ergo cum certum sit Cælos esse incorruptibiles, melius dicuntur esse substantiæ simplices, quam compositæ.

*Confirmatur*: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed non est necessitas multiplicandi partes physicas distinctas realiter in Cælo: ergo non debent multiplicari in Cælo tales partes, & consequenter Cæli sunt substantiæ simplices.

*Respondetur* negando consequentiam, quia quamuis magis essent Cæli incorruptibiles, si essēt simplices, quā compositi, & facilius etiam incorruptibilias eorum sic ostendi posset; tamen possūt habere omnē incorruptibilitatem quæ ipsis attribui debet, quamuis sint compositi, & poterit ostendi quomodo sint sic incorruptibiles: vnde ad hōc non est aserenda eorum simplicitas.

*Ad confirmationem respondeo* necessitatem multiplicandi illas partes principalem esse authoritatis.

3 *Dices secundo*: argueret perfectionem vniuersi, quod Cæli essent simplices, quia sic darentur aliæ rerū species in ipso, quàm de facto dantur, & quidem perfectiores, nā Cælum si esset simplex, perfectius esset, quam si esset compositum, quandoquidem minus esset corruptibile, & præterea in cæteris perfectionibus conuenirent: ergo asserendum est Deum creasse Cælos simplices.

*Respondeo* negando consequentiam, quia Deus non tenetur omnem perfectionem tribuere vniuerso, quam potest, & sane in communiori sententia potest perfectiores species rerum producere, quam de facto produxit.

*Dices tertio*: materia quandoque est in potentia, quandoque in actu secundum Philosophum; sed hoc non esset verum de materia Cæli: ergo non datur.

*Respondeo primo* distinguendo maiorem: quantum est ex se, concedo; absolute ita, vt omnis materia de facto sit quandoque in potentia, quandoque in actu, nego maiorem: & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

*Respondeo secundo*, etiam distinguendo maiorem: quantum ad omnia individua ipsius, aut omnem partem, nego maiorem; quantum ad aliqua individua, aut aliquas partes, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam.

Quod autem materia quoad omnes partes non sit quandoque in potentia, quandoque in actu, patet manifeste in aliquibus partibus terræ, & lapidibus, qui à creatione mundi hucusque semper perseuerauerunt, & quorum consequenter materia semper fuit in actu ad formam, quam habent, & nunquam fuit in potentia proxima ad vllam aliam formam.

4 *Dices quarto*: materia prima in sublunaribus dari colligitur ex transmutatione substātiali, quæ fit dum corrumpitur vna substantia, & ex ea alia generatur; qualis transmutatio, si non daretur, profecto non deberet asseri materia prima in sublunaribus: sed huiusmodi transmutationes non dantur supra Cælum Lunæ: ergo non debet asseri materia esse ibi.

*Respondeo* negando consequentiam: quia licet non posset colligi in sublunaribus, nisi per transmutationes, posset tamen esse, quamuis non essent transmutationes, & licet non deberet tum asseri, quamuis esset, quia nō esset fundametum asserendi, tamen posset asseri esse in Cælis absque transmutationibus, non solum, quia posset esse, sed quia ex suppositione quod sit in sublunaribus, & quod dicatur à communiori sententia esse in Cælis, hoc ipsum est sufficiens fundamentum ita dicendi, quando nihil conuincit oppositum.

*Probatur tam prima pars*: quia nulla potest efficax ratio adduci pro vna, aut altera parte, nec quidem congruētia aliqua magni momenti: ergo incertum est quantum ad rationem quomodo se habeant Cæli.

Probatur antecedens proponendo, & soluendo rationes vtriusque partis: & quidem rationes partis affirmantis Cælos esse simplices, & non compositos, iam propositæ, & solutæ sunt, vnde restant rationes partis affirmātis, quod sint compositi.

5 *Prima ratio est*, quod repugnet substantia corporea completa, simplex.

Probatur hæc propositio primo, quia esset immaterialis, & consequen er non corporea, quod implicat.

Probatur antecedens: quia non constaret materia.

*Respondetur* distinguendo antecedens: esset immaterialis, id est, non constans materia, concedo antecedens, sed nego consequentiam, quia non omne illud, quod est immateriale in hoc sensu, debet esse incorporeum: esset immaterialis in hoc sensu, debet esse incorporeum: esset immaterialis, prout substantia immaterialis opponitur substantiæ corporeæ, nego antecedens.

*Probatur secundo eadem propositio*: non potest dari corpus sine principijs, & partibus essentialibus corporis: sed partes physicæ sunt principia intrinseca & partes essentiales corporis: ergo nequit dari corpus absque illis, & consequenter nequit dari corpus simplex.

*Respondetur* negando minorem, loquendo de corpore materia

materiali, vt sic: ad hoc enim, quod detur huiusmodi corpus, sufficit quod sit substantia constans partibus integralibus petentibus esse extra se inuicem in ordine ad locum.

*Probatur tertio eadem propositio*: non potest dari substantia creata incapax formæ accidentalis: ergo nec substantia corporea incapax formæ substantialis.

*Respondetur* negando consequentiam: & certe ex hoc antecedenti tam bene inferri posset, quod nulla posset dari substantia incapax formæ substantialis, quod falsum esse patet in Angelis.

6 *Probatur quarto*: quia substantia corporea simplex nullam posset habere operationem; non enim immanentem, quia non esset viuens, vt supponitur; nec transeuntem, quia talis actio non competit vllis substantijs creatis.

*Confirmatur*: quia quantitas est proprietas materiæ: vel ergo tale corpus haberet quantitatem, & sic haberet materiam, vel non haberet, & sic non esset corpus.

*Confirmatur secundo ex Hurtado*: quia quantitas est accidens ordinatum per se ad formam substantialem: ergo non potest reperiri connaturaliter, nisi vbi potest reperiri forma substantialis, & consequenter materia prima.

*Confirmatur tertio*: quia sicut Cælum non est capax caloris, quia est incapax formæ ignis, ad quam ordinatur calor: ita substantia simplex deberet esse incapax quantitatis, quia esset incapax formæ substantialis illius, ad quam ordinaretur quantitas. Propter hæc dicit *Hurtado* tenentes possibile esse corpus simplex, tenere etiam debere, quod non sit extensum quantitate nostra, sed vel seipso, vel per quantitatem diuersæ rationis.

Substantia simplex potest habere actiones immanentes, & transeũtes.

*Respondetur*, illam substantiam posse habere actiones immanentes talis rationis, quales sunt illæ, quibus aqua producit in se frigus, & quælibet substantia in se proprias, & connaturales qualitates, nec ad hoc necesse est eam esse viuentem.

*Deinde*, posset habere etiam operationes transeuntes quibus produceret in alieno subiecto qualitates, siue per suam substantiam, siue per sua accidentia: nec sane quando volumus probare substantias sublunares esse compositas, ad id probandum, vtimur hac probatione, aut vlla ex præmissis, quod mihi signum est eas non multum ad hoc valere.

7 *Ad confirmationem respondeo*, negando antecedens in hoc sensu, quasi nulli alteri connaturaliter posset competere quam materiæ, aut rei ab ea dependenti: & sane id hic supponere est petere principium.

*Deinde* non est tam certum, quod substantia omnis corporea deberet esse capax quantitatis; vnde permisso antecedenti, negari posset, quod substantia simplex carens quantitate non esset corpus.

*Et si quæras*, quomodo distingueretur à spiritu.

*Respondeo*, per hoc, quod peteret habere partes extra partes connaturaliter, ita vt non posset eas habere penetratas naturaliter.

*Ad secundam confirmationem respondeo*, distinguendo antecedens: ita vt non habeat alium finem, nec possit esse absque tali forma, nego antecedens: ita vt habeat, concedo antecedens: & nego consequentiam.

*Ad tertiam confirmationem*, nego suppositum, nempe ideo cælum non esse capax caloris, quia non est capax formæ ignis; multa enim possunt esse capacia caloris, quæ non sunt capacia formę ignis, imo sane, si ignis esset impossibilis, non propterea aliqua non essent calida.

7 *Probatur quinto*: quia esset cognoscitiuum, & consequenter viuens.

Probatur sequela: quia esset perfectissima substantiarum corporearum: sed perfectissimæ substantiæ deberent competere operationes perfectissimæ, operationum autem perfectissima est cognitio.

*Confirmatur*: quia esse cognoscitiuum necessario sequitur ex immaterialitate, vel saltem cum ea habet necessariam connexionen: ergo competeret illi substantiæ.

*Respondetur* negando sequelam, & ad probationem dico, quod illa substantia, quamuis simplex physice, non esset tamen perfectior homine, nec consequenter ex perfectione sua deberetur ipsi cognitio vlla.

*Dices cum Hurtado*: saltem esset perfectior quam anima rationalis, quia esset actus completus subsistens: hoc autem est esse perfectius, quam esse actum informantem, qualis est anima: ergo deberet habere operationem perfectiorem.

*Respondeo*, quod esset perfectior anima, quatenus esset quid completum, sed esset imperfectior, quatenus non esset spiritualis, nec intellectiua, aut viuens, & nego consequentiam. Quod si ex eo quod esset quid completum, deberet dici simpliciter perfectior anima, & propterea deberet habere perfectiores operationes: sane idem sequeretur de lapide, quod est absurdum.

*Ad confirmationem respondeo*, distinguendo antecedens: ex immaterialitate, quæ dicit carentiam materiæ, aut ordinis ad illam, nego antecedens: ex immaterialitate substantiali, quæ coincidit cum spiritualitate, transeat antecedens, & nego consequentiam; quia substantia corporea simplex non esset immaterialis immaterialitate coincidente cum spiritualitate, licet esset in alio sensu immaterialis, id est non dicens ordinem ad materiam primam.

9 *Probatur sexto* ab *Hurtado* eadem propositio: quia tale corpus non esset vegetatiuum nec sensitiuum. Probat antecedens, quoad primam partem: quia vegetatio fit inter subiecta affecta qualitatibus contrariis quibus inuicem destruere se contendunt. Sed corpus simplex non habet contrariam qualitatem, quia non habet materiam capacem duarum formarum nec formam expellendam: ergo.

Probatur maior: quia augmentatio est ad resarciendas partes, per decretionem amissas: nec potest dici, quod augeri posset ab intrinseco, sicut augetur aqua, quia sic augeri possunt solum, quæ corrumpuntur ab intrinseco.

*Confirmatur vlterius*: quia corpora diuidua sunt corruptibilia, tandem enim perueniretur ad tam exiguam partem, quæ conseruari non posset: sed illud corpus esset diuiduum, & non posset esse corruptibile, cum non constaret materia.

*Probat deinde* idem antecedens quoad secundam partem: quia sensatio fit medio calore, cæterisque primis qualitatibus, vt patet experientia: sed tale corpus non haberet primas qualitates, hæ enim sunt dispositiones ex natura sua ad formas substantiales, & instrumenta ex natura sua data corporibus ad generanda sibi similia: tale autem corpus non haberet formam substantialem, nec posset generare sibi simile.

*Confirmat*; quia non posset illa substantia sentire qualitates, quas modo sentimus, hæ enim sentiri non possunt, nisi à potentiis formarum vitalium, quia non sentiuntur, nisi per species à se emissas, quæ ordinantur ad tales potentias, & quę indigent temperamento humido & calido, aut frigido & sicco.

Corpus simplex non necessario esset vegetatiuũ aut sensitiuum.

10 *Respondeo* illud corpus non necessario debere esse vegetatiuum, aut sensitiuum, aut cognoscitiuum; vnde frustra tã operose laborat in probando antecedente. Sed nec bene probat illud, quoad vlla n parte: non quidem quoad primam: tum quia licet quantum ad experientiam in sublunaribus habitam, vegetatio fiat i ter talia, tamen posset quis dicere possibilem esse vegetationem alio modo: & si id esset possibile, quis scit quin ita fiat, aut fieri posset à corporibus cælestibus? tum etiam quia corpora simplicia possent habere cõtrarias qualitates, nec ad hoc requireretur, quod haberent formas contrarias: nec etiã verum est, quod augmentatio solũ fiat ad resarciendas partes perditas, esset enim vtilis etiam ad substantiam augmentandam, quamuis nullas partes deperderet, & si fieret solum ad resarciendas partes perditas, non deberẽt plures partes acquiri, quam perderentur, & sic non augeretur substantia vlla vegetatiua. Illud autem quod dicit de augmento ab intrinseco instar aquæ, nõ intelligo: neque enim aqua ab intrinseco augeri potest, nisi quatenus

habet

habet virtutem productiuam alterius aquæ: hoc autem modo posset augeri res etiam incorruptibilis, non obstante incorruptibilitate, quæ prorsus est impertinens ad hoc.

*Ad confirmationem respondeo primo*: si vera esset maior, Cælos de facto futuros corruptibiles contra communiorem sententiam. Et si dicas, quod Cælum non sit diuiduũ, quamuis sit extensum, & propterea, quod nõ debeat ese corruptibile; similiter dici posset, quod corpus simplex non esset diuiduum, quamuis extensum, & sic minor confirmationis esset falsa.

*Respondeo secundo* negando maiorem cum sua probatione; quod si etiam peruenirtur ad tam paruam partem, vt non deberet vlterius conuersari, non corrumperetur, sed annihilaretur.

11 *Facilius multo posset probari antecedens quoad hanc partem*: quia non possent augere se, aut crescere, nisi per productionem partis sibi similis: sed hoc non possent facere nisi creando, supponitur autem communiter creaturam non posse creare: & sane si substantia simplex posset se augere creando de nouo alias partes, deberet se augere ad maximam quantitatem possibilem, neque enim posset assignari vnde limitaretur naturaliter loquendo.

Ad probationem antecedentis quoad secundam partem, respondeo primo negando maiorem, si intelligatur sic, vt aliter fieri non posset.

*Respondeo secundo* negando minorem, & ad probationem dico, quod illæ qualitates non sint solum modo ordinatæ ad formas substantiales, nec collatæ substantijs in ordine ad generandum sibi similia; & quidem hoc secũdũ est euidens, quia plura mixta habent qualitates primas, quæ non possunt generare sibi similia, vt metalla, gemmæ, lapides.

*Ad secundam confirmationem respondeo* negando antecedens cum sua probatione, in qua tota petitur manifeste principium.

Aliud fũdamẽtũ cõtra simplicitatem Cæli.

*Secundum fundamentum* ad probandum compositionem in Cælo de facto est, non quidem, quod repugnet substantia simplex, sed quod in eo reperiantur accidẽtia similia illis accidentibus, quæ reperiuntur in sublunaribus constantibus materia, vt quantitas, raritas, densitas: ergo verisimilius est, quod constet materia, & consequenter, quod sint compositi.

*Respondeo*, quidquid sit de antecedente, nego consequentiam, quia possent habere qualitates & accidentia eiusdem rationis cum ijs, quas habent substantiæ compositæ, quamuis non essent compositæ.

*Dices*: arum & densum describuntur per ordinem ad materiam: densum enim est, quod multum habet materiæ sub parua quantitate; & rarum quod parũ habet materiæ sub magna quantitate: ergo raritas & densitas nequeunt esse absque materia, & consequenter si in Cælo dentur, debet dari in Cælo materia.

*Respondeo*, vt definitio illa sit bona, per materiam non intelligi debere materiam primam, sed substantiam materialem, prout substantia materialis opponitur spirituali: sic autem intellecta æque posset dari raritas in Cælo simplici, ac in aqua composita.

Probabilius quoad rationẽ cælum esse simplex.

*Ex his patet* incertitudo compositionis ac simplicitatis Cælorum, quantum attinet ad rationem. Si vero quæratur, quænam pars probabilior appareat spectata solum modo ratione, *Respondeo* ex suppositione incorruptibilitatis Cæli minus probabilius esse, quod sit simplex, quia rationes motiua illius partis sunt vrgentiora quam oppositæ, vt patet ex replicis quæ contra probationem secũdæ partis conclusionis adductæ sunt, & præsertim ex confirmatione primæ replicæ, & ex quarta replica.

## QVÆSTIO II.

*An Calum sit corpus simplex eodem modo quo Elementa sunt simplicia, an vero mixtum quid?*

13 PEr *Elementa* hic intelligimus substantias non exigentes connaturaliter quatuor primas qualitates vt sunt ignis, aër, aqua, terra: & per mixta intelligimus substantias exigentes illas, vt sũt metalla ac animata omnia: propterea autem illa vocãtur simplicia, quia nec virtualiter nec formaliter fiunt ex his aliis aut ex se inuicẽ: & hæc vocantur mixta quia fiunt ex illis vel virtualiter vel formaliter, de quo fusius suo loco. Itaque si Cælũ esset corpus physice simplex non constans materia, & forma, esset sine dubio simplex, & non mixtum: vnde supponit hęc quæstio quod non sit physice simplex, sed compositum. Quod si etiam esset quid compositum; & non factũ tamen ex quatuor Elementis, non esset mixtum sed simplex, & si non esset vllum ex quatuor Elementis, esset quinta quædam substantia simplex, quę tamen Elementum dici non deberet quia ex illa alia corpora mixta non fierent.

*Prima sententia est* Cælum non esse vllum ex quatuor Elementis, nec mixtum ex illis: ita *Philosophus* 1. *de Cælo, cap.* 2. & 3. quem communiter omnes fere Peripatetici & posteriorum ętatum Theologi, ac Philosophi secuti sunt.

*Opposita sententia*, nempe quod Cælum sit aliquod ex Elementis aut mixtum quid illis constans, erat cõmunis apud alios philosophos ante Aristotelem: cui sententię fauent multi ex sanctis Patribus quos in eo sensu citat, & sequitur *Camerarius p.* 2. *qu.* 4. Ex his autem authoribus, qui tuentur hanc sententiam, quidam dicunt Cælos esse ignę naturę, quidam aquęæ, quidam terreæ; & aliqui Solem putauerunt ignem proprium, sed purissimum, alij ferrum candens: alij denique existimauere Cælum esse compositum ex quatuor Elementis, siue ex floribus eorum, hoc est, perfectionibus eorum partibus: quam sententiam expresse *Camerarius* tenet supra.

### CONCLVSIO.

14 *Verisimilius est Calum non esse vllum ex Elementa aut mixtum ex illis, sed quintam substantiam diuersa ab vtriusque natura.* Hæc est iuxta primam sententiam contra secundam. Cælum non est vllum ex Elemẽtis nec mixtum ex illis.

*Probatur primo* quod non sit vllum ex Elementis: non enim est terra, quia non habet vllam prorsus similitudinem aut proportionem cum terra; imo quæ parte incudit stellas, habet sine dubio diuersissimos effectus ab effectibus terræ, & cõsequenter qua ratione colligimus illa corpora distingui specie, debemus distinguere Cælum specie à terra: quæ etiam ratio probat, quod non sit ignis aut aqua, aut aër: non ignis quidem, quia humectat, & frigefacit, non aqua quia calefacit: non aër quia vtrumque facit.

*Confirmatur*: quia si esset vllum ex Elementis, esset corruptibile, sicut illa sunt, contra communiorem sententiam inferius probandam.

*Confirmatur secundo*, quia si esset terra aut aër aut aqua, deberet comburi nimio Solis ardore; & si esset ignis, deberet destrui per Planetas frigidas, & proterea cum sit tãtæ magnitudinis deberet comburere tandem vniuersum, aut saltem deberet tam notabiliter aërem vicinum calefacere, vt non possent generari in eo mixta frigida, nec ipsemet deberet tam frigidus esse quam in hyeme sẽtitur. Præterea nulla pars Cælorum minorem habet cum igne similitudinem quam stellę, quę tamen non suntignes vt patet ex earum effectibus.

*Probatur secunda pars*, quod scilicet non sit mixtum ex Elementis: quia si loquamur de partibus Cęli excludendo stellas, nulla experientia aut ratione cõstat quod habeat in se subiectatas quatuor primas qualitates: si vero loquamur de stellis v.g. de Sole; non apparet quod sit vllo modo frigidus, imo si sit calidus formaliter, vt tenent debẽt aduersarij, debet esse calidus intensissimè, & consequenter nequit esse frigidus vlla ratione magis quam ignis.

*Probari posset vlterius conclusio*: quia vnum Elementum non deberet tam incomparabiliter excedere reliqua, quàm Cælum excedit corpora omnia sublunaria: sed non me mouet hęc ratio, quia qua ratione ob bonum vniuersi quinta substantia Cæli asserta à nobis deberet excedere omnia alia: ita etiam vnum Elementum posset illa commodissime excedere.

15 *Probatur vlterius*: quia si esset Elementum, non deberet esse supra loca naturalia Elementorum: & eadem ratio viget quod non sit mixtum, quia mixta habent suum locum naturalem infra Elementa.

*Confirmatur*: quia mixtis omnibus debetur aliquis motus naturalis sursum aut deorsum, nec motus circularis competit ipsis.

*Hæc etiam ratio parum probat*: nam si diceretur cælum esse ignis, nõ esset supra loca naturalia omnium quatuor Elementorum, sed in suo loco naturali supra aërem: & si esse aër, eodem modo dicendum esset, & negari deberet locum naturalem ignis esse sub concauo Lunæ: si autem esset terra, dici posset, quod non esset ex se, & natura sua posita in illo loco, sed à Deo conditore ad bonum vniuersi, & posita ibi non posset mouere se naturaliter ad centrum mundi: quia cum esset globus solidus descendere non posset ab omni parte simul, vnde cum nec potius deberet ab vna parte quam ab alia descẽdere, non deberet descẽdere omnino. Nec refert quod esset extra locum suum naturalem, aut in loco violento: multa enim corpora diu extra loca naturalia conseruantur: quæ etiam ratio probat quod quamuis esset mixtum ex Elementis, modo esset solidum, non deberet, nec posset naturaliter descendere. Vnde solum sequeretur ex hac ratione, quod non esset aqua, quia non apparet quomodo aqua supra aërem aut ignem posita non deberet descendere, naturaliter loquendo.

*Ad confirmationem* dici posset motum circularem cæli non deberi ipsi naturaliter, sed sic moueri ab extrinseco sine inclinatione vlla ad talem motum aut auersione ab ipso: quod si esset terra, deberetur ipsi motus deorsum, vnde, si aliqua pars ipsius esset à cæteris sparata moueretur deorsum. Si autem esset ignis, & aliqua pars ipsius poneretur deorsum sub aëre, ascenderet sursum: quod si esset mixtum, & separaretur aliqua pars ipsius ab alijs partibus moueretur sursum aut deorsum iuxta naturam Elementi prædominantis donec perueniret ad locum naturalem suum.

Al qua substãtia mixta posset esse incorrup. tibilis.

16 *Probari posset præterea*, quod non sit mixtum ex Elementis: quia alias non esset incorruptibile quod videtur absurdũ. *Camerarius* negat minorem: sed de hoc paulo post, modo dico non videre me cur non posset esse incorruptibile quamuis esset mixtum: quamuis enim esset mixtum haberet formam diuersæ speciei à formis omniũ aliorum mixtorum, & illa forma posset habere aliquam qualitatem cõseruatiuam ex particulari ratione istius formæ, quæ non haberet contrarium, & quæ consequenter naturaliter non posset expelli: quod si it a fieret, mixtum illud esset incorruptibile; ergo ex eo quod sit mixtum nõ sequitur necessario quod sit corruptibile. quod autem cætera mixta essent corruptibilia non facit ad rem, quia cœlestia mixta non deberent in hoc conuenire cum sublunaribus mixtis.

Probatio quod cœlum sit substãtia simplex distincta ab elementis ex Philosopho.

*Probari posset denique* quod Cælum sit substantia simplex vt Elementa, ab illis distincta, ex principiis Philosophi: Tot sunt corpora simplicia distincta, quot sunt motus simplices distincti: sed sunt tres motus simplices distincti, nempe motus ad medium, & motus à medio, & motus circa medium: ergo tot sunt corpora simplicia: sed motus circa medium non competit vlli ex Elementis, & competit Cælo: ergo cœlum est substantia simplex distincta ab elementis.

*Confirmatur*: reperitur in vniuerso motus circularis: ergo reperitur aliquod corpus simplex, cui perse primo competit, & illud necessario debet esse distinctæ rationis ab illis corporibus, quibus per se primo non competit: sed nulli corpori per se primo competit, nisi Cælo; ergo Cælum est corpus simplex, & distinctæ rationis ab Elementis.

17 *Hæc probatio*, quamuis Philosophi, multas patitur difficultates. *Prima est*, quod si tres tantum sint motus simplices distincti, & tot tantum sint corpora simplicia, quot motus simplices: ergo tria tantum erunt corpora simplicia, & sic non dabuntur quatuor Elementa, contra eundem Philosophum.

*Dices* non esse tot tantum corpora simplicia quot motus simplices, quin motus simplex vnus potest competere corporibus simplicibus distinctis.

*Contra*, si vnus simplex motus potest competere per se corporibus simplicibus distinctis: ergo etiam duo motus simplices possent competere corporibus eiusdem rationis, & quod ita sit de facto patet, quia aër si sit infra terram mouebitur sursũ supra terrã, & si sit supra ignẽ mouebitur deorsũ: motus autẽ sursum, & deorsum sunt distincti motus simplices; alias non darentur tres motus simplices.

*Secunda difficultas est*, quod supponat motum circularem cõpetere Cælo per se ex natura sua, sicut motus simplices competunt Elementis: hoc autem falsum est, quia competit ipsi ab intrinseco, vt infra dicetur, & communiter tenent Philosophi, ac Theologi asserentes Cœlos moueri ab Angelis vel à Deo.

18 *Tertia difficultas est*, quod supponitur motus aliquis simplex non posse competere substantiæ mixtæ: si enim posset, quomodo sequeretur Cælum esse simplex ex eo, quod competat ipsi motus simplex circularis? quod autem posset motus simplex competere corpori mixto ex natura sua, patet in hominibus ac lapidibus, qui mouentur naturaliter ad medium.

Quod si dicas hoc ipsis competere ratione Elementi dominantis in illis: dici etiam potest, quod posset ipsis competere motus simplex alius non competens Elementis ex natura sua, & non ratione elementi dominantis; nec in hoc apparet vlla difficultas; vnde in forma responderi potest primo, negando minorem, quia vt iam dixi, motus simplex potest competere corpori mixto.

*Responderi potest secundo*, negando suppositum minoris, nimirum, quod dentur tres motus simplices qui per se competerent corpo ibus, motus enim ille circularis nulli corpori competit per se.

*Respondetur tertio*, distinguendo subsumptum,: competit Cælo per se, nego subsumptum; per accidens ex motione alterius extrinseci agentis quo modo posset competere tam elementis quam mixtis, concedo subsumptum, & nego consequentiam.

*Ad confirmationem* etiam respondeo negando consequentiam; nam sicut datur motus rectus simplex ab oriente ad occidentem, (vt cum sic proijcitur aliquid) qui nulli per se competit: ita sane posset motus circularis dari, quamuis non daretur aliquid, cui per se competeret; in quo etiam nulla prorsus est difficultas.

Quid motus simplex.

Vt melius autem intelligatur, & hæc Philosophi probatio, & responsio, aduertendum, motum vt sic localem, de quo loquimur, diuidi in simplicem, & compositum: *Simplex est*, qui fit per lineam simplicem; linea autem simplex dicitur esse illa, quæ ab vno ad aliud punctum, quam breuissime pertingit: & talis est linea recta, vel cuius omnes partes ab aliquo vno puncto æque distant, & talis est circularis.

Quid motus compositus.

*Motus compositus est*, qui non est simplex, & talis est omnis motus, qui fit per lineam curuam non circularem.

19 *Obijcies primo ex Camerario*: omne illud, quod est calidũ, vel est elementũ ignis, vel constat ex elemento ignis, aliisq; elementis: sed Cælũ est calidũ, & secundum nos nõ est ignis, nec potest esse, quia ignis est corruptibi is, Cœlũ verò incorruptibile: ergo est mixtum ex elementis. Probat minorem, qua parte asserit Cælum esse calidum: quia ita Scriptura asserit Psal. 18. de Sole: *Non est qui se abscondat à calore eius*: & quia id patet experientia.

*Respondeo primo* negando maiorem: nam aër est secundum communem sententiã calidus, & tamen non est nec ignis, nec mixtum ex igne; & præterea, quia nihil impedit quo minus detur aliqua alia substantia calida formaliter, quæ neque sit ignis, quia non haberet alias qualitates connaturales ignis præter calorem; neque mixtum quid ex igne, & alijs elementis, & hoc posset esse verum, siue illa substantia esset simplex physice, siue composita.

*Respondeo secundo*, iuxta communem sententiam, distinguendo minorem pro prima parte: est calidum formaliter, nego minorem; virtualiter, id est potens producere calorem, concedo minorem: nec experientia, aut Scriptura probat, aut dicit oppositum.

20 *Dices*

20 *Dices cū Camerario*: non aliūde colligimus aliqua esse virtualiter, & non formaliter calida, nisi quia experientia comprobamus multa calefacere, quę non sunt formaliter calida, vt patet de pipere, & vino formaliter frigidissimo: ergo vbi sensu non percipimus aliquod calefactiuum non esse formaliter calidum, non debemus dicere, quod sit virtualiter tantùm calidum, sed formaliter, alias non potuissemus colligere quod ignis esset calidus formaliter: at sensu non potest constare Cęlos non esse formaliter calidos, ergo cum calefaciant debent dici formaliter calidi.

*Confirmat* hoc ex sensu Ecclesię qui est, contineri in Cęlo calorem & ignem, vt patet ex hymno ferię secundę ad vesperas.

*Immense cæli conditor*
*Qui mixta ne confunderes,*
*Atque fluenta diuidens*
*Cælum dedisti limitem,*
*Firmans locum cælestibus,*
*Simulque terræ riuulis,*
*Vt vnda flammas temperet,*
*Terræ solum ne dissipent.*

*Confirmat secundo* ex patribus, qui hac de causa aquas supra Cælos à Deo positas asserunt.

*Respondeo* negando consequentiam cum sua probatione, quia possumus cognoscere ignem esse calidum non solum virtualiter, quatenus potest producere calorem, sed formaliter quia tangendo physice ipsum experimur illum esse sic calidum; quod si non potuissemus experiri ignem esse calidum formaliter, aut rationem ad hoc dicendum non haberemus, profecto ex calefactione pessime id colligeretur, quia posset calefacere per hoc, quod esset calidum virtualiter, sicut piper & vinum, & vt Deus ipse potest. Vnde retorqueri potest hic discursus: nisi constaret nobis alia experientia, aut ratione, aliquid esse calidum formaliter, quàm ex hoc, quod calefaceret, non deberemus dicere, quod esset calidum formaliter potius, quam virtualiter; sed non constat nobis experientia aut ratione, quod Cælum sit calidum formaliter, nisi ex eo quod calefaciat: ergo non debemus dicere, quod sit calidum formaliter.

*Confirmatur* directe simili discursu, quo vtitur *Camerarius*: non aliunde constat aliquid esse formaliter calidum, nisi quia experientia tactus constat aliqua esse sic calida, sed non potest haberi talis experientia de Cælis: ergo non debent dici formaliter calidi.

*Ad primam & secundam confirmationem respondeo*, tam verba illa hymni, quam dicta Patrum posse intelligi in sensu figurato, sic vt vocent Solem *flammam*, quia scilicet est tam virtualiter calidus, vt possit generare flammas, ac comburere, non secus quam si fuisset ignis, & possent etiam aquæ collocari supra Cælum, vt temperarent concursu suo ardorem, quem alias Sol causaret in terris, quamuis Sol non esset calidus formaliter.

21 *Obiicies secundo*: omnia accidentia Cæli sunt eiusdem naturæ cum accidentibus aliorum corporum: ergo & natura Cæli. Probatur antecedens in quantitate, raritate, densitate, motu locali.

*Respondeo* negando maiorem: ad cuius probationem transeat, quod illa accidentia sint eiusdem rationis, sed nego omnia tamen accidentia esse eiusdem rationis, Cælum enim habet aliqua accidentia propria. Rursus quamuis nulla haberet propria secundum speciem posset non esse eiusdem rationis cum elementis ex eo, quod determinaret sibi aliquas ex qualitatibus elementaribus in alio gradu, quam determinarent elementa, & distingueretur à mixtis per hoc, quod non peteret omnes quatuor primas qualitates.

*Obiicies tertio*: si pars Cæli poneretur in terra, vel moueretur supra, & sic esset ignis, aut aqua, aut aër, vel quiesceret, & sic esset terra.

*Respondetur primo* cum communi, quod in tali casu pars illa Cæli quiesceret, non tamen quiete sibi naturali orta ex inclinatione ad illum locum, sed ex eo, quod nec ab extrinseco moueretur, nec ipsamet haberet virtutem mouendi se, & ideo talis virtus non fuit ipsi ab initio communicata, quia esset frustranea, cum naturaliter Cælum nec secundum se totum, nec secundum partem vllam sui possit vnquam poni extra locum suum naturalem.

*Respondeo secundo* concedendo antecedens pro prima parte, & negando consequentiam, quia ascenderet supra ignem, quidquid autem sic ascendit, non debet esse ignis, aut aliquid aliud ex elementis consequenter.

22 *Obiicies vltimo*, Sanctos Patres communiter docere Cælos compositos esse ex materia aquæ, & aliqui ex illis dicunt Solem & Lunam esse naturæ igneæ: ergo sunt mixtæ ex elementis. Antecedens patet apud *Salianum to. 1. die 2. cō 4.* vbi multas ad hoc propositum adducit Patrum authoritates.

*Respondetur* negando consequentiam, quia possent ex aquæ materia fieri, quamuis non essent mixtæ, & similiter possent stellæ esse igneæ naturæ, quamuis non essent nec ignis nec mixtum propter similitudinem, quam habent cum igne quantum ad calefaciendum & lucendum.

*Addo* autem hic obiter, Patrum illorum testimonia valde confirmare sententiam communem Scotistarum, quod scilicet materia prima cælestium, & sublunarium sit eiusdem speciei: nam materia aquæ sine dubio est eiusdem speciei cum materia sublunarium: ergo & materia Cælorum factorum ex materia aquæ.

## QVÆSTIO III.

*An Cæli sint animati?*

23 TAnta pertinacia Cælos animatos defenderunt antiqui aliqui Philosophi, vt *Anaxagoras*, teste *Laertio in eius vita*, & *S. August. 15. de Ciuit. cap. 14.* quod Solem inanimem asseruerit, impietatis apud Athenienses accersitus, ac deinde condemnatus fuerit; communis tamen iam Theologorum, ac Philosophorum sententia est Cælos ac Stellas inanimes esse, cum qua sit

CONCLVSIO

Cælum non est animatum.

*Cælum non est animatum vlla anima, siue vegetatiua, siue sensitiua, siue rationali.*

*Probatur primo* authoritate Patrum, Damasceni 2. *fid.* 6. Cyrilli *l. 2. contra Iulianum*, Ambrosij. 2. *Hexam.* 4. D. Basilij *in Psal.* 48. Augustini *lib. de duabus animabus, cap.* 4. qui etiam *lib.* 1. *retract. cap.* 5. retractat quæ de animatione mundi: & *lib. 2. cap.* 7. asserit quæ de animatione Cęlorū scripserat, posse figurate intelligi. Propter quas authoritates *D. Bonauentura* oppositum existimat erroneum: quæ sane censura non debet videri grauis, cum D. Hieronymus in *Deuteron.* illam sententiam inter *Origenis* numeret errores, & ab *Epiphanio*, ac *Irenæo* inter *Marcasiorum* dogmata damnata: & *Iouerius in Summa Conciliorum* refert hæc verba ex S. Synodo: *Si quis dicit Cælum, Solem, Lunam, Stellas, & aquas, quæ supra cælos sunt, animantes quasdam esse, ac materiales virtutes anathema sit.*

41 *Fundamentum principale* à ratione est, quod nullum sit vestigium animationis in illo, nec vlla prorsus ratio, aut experientia, aut authoritas, vnde colligi possit, quod sit animatum; gratis ergo id asseritur, præsertim contra torrentem Doctorum.

*Probant Conimbricenses* conclusionem: quia anima Cæli esset in qualibet eius parte: sed est absurdum, quod vna anima posset esse in tam vasto loco, quā occupatur à Cęlo, quia supremus Angelus non posset simul tantum spatij occupare.

*Contra*, quia si anima Cæli diceretur diuisibilis, aperte falsa est minor: sicut enim forma substantialis Cæli, imperfectior anima de facto, secundum omnes debet occupare illud spatium, cur anima similiter diuisibilis, id facere non posset? quod si anima Cæli diceretur indiuisibilis, etiam negari deberet minor, quia quandoquidē esset ordinata ad informationem tanti corporis, deberet etiam tantum locū occupare. Quod ad Angelum vero attinet, omnino incertum est quantum possit spatij tenere, & si

non posset tantũ quantum illa anima, non esset inconueniens, quia non esset ex natura sua ad hoc ordinatus.

25 *Probant secundo*, quia anima est actus corporis organici: Cælum non est tale corpus, neque enim habet varia organa, ergo.

*Contra primo*: quia quamuis definiatur à Philosopho anima esse *actus corporis organici*, propterea posset dici hoc feciſſe, quia existimauit Cælos non esse animatos, & aliarum animatum experientiam non habuit præter sublunarium, quæ omnes sunt actus talis corporis; oporteret autem hic probare quod bene definiuerit animam, quod sane facile fieri non potest, nisi probetur aliunde Cælos non esse animatos, aut si sint, nisi probetur, quod sint organizati. Vnde iuxta hoc supponendo minorem, negarent aduersarij maiorem, nec curarent authoritatem Aristotelis magis in definitione animæ, quam in hac ipsa conclusione.

*Contra secundo*: quia negari posset minor, tantam enim organizationem posset habere Cælum quoad sensum nostrum, quantam habet caro nostra, quæ si informaretur anima vt posset diuinitus contingere, sentire posset absque organizatione alia.

*Deinde* Cœli possent habere organa diuersa, quamuis sensibus nostris non appareant propter distantiã nimiam.

*Probatur vlterius*: quia cum proprium viuentium sit seipsa mouere, non indigerent Cæli Intelligentia assistente.

*Contra*: quia in primis non esset necessarium, quod cælum, si esset viuens vita vegetatiua tantùm, posset mouere se localiter, nisi augendo se, & acquirendo nouas partes, vt patet: ergo ex hoc non sequeretur quod non animarentur anima vegetatiua.

*Deinde* motus ille circularis tam velox posset exigere Intelligentiam assistentem, posset enim fieri, quod virtus propria cæli ad illum non sufficeret.

*Denique* eatenus constat Angelos assistentes, quatenus constat cœlos non esse animatos: ergo non debet probari ex assistentia Intelligentiarum inanimatio cœlorum. Aliæ probationes eorumdem Authorum coincidunt cum iam examinandis.

Probatio quod nõ habeant animam vegetatiuam.

26 *Probatur quarto* ab iisdem, & aliis descendendo ad omnes species animarum in particulari: & primo, quod non habeant animam vegetatiuam, quia alias deberent se augere, & sic tanto tempore porrigerent se in latiorem locum, & quotidie excrementa defluerent.

*Confirmatur*: quia quæ possunt nutriri, & augeri, possunt corrumpi.

*Hæc probatio* non sufficit; quia homines ipsi, qui habent sine dubio animam vegetatiuam, quando peruenĩut ad debitum terminum non possunt se vlterius augere; Cœli autem ab initio receperunt debitum terminum.

*Deinde*, quamuis possent se augere, si applicaretur debita materia, de facto tamen ob defectum talis materiæ non augerent se.

*Præterea*, quamuis augerent se de facto, non deberent excrementa vlla apparere, quia totam substantiam ex qua augerentur, possent in suam substantiam transmutare; & quia si eijcerent excrementa, possent euanescere antequam peruenirent ad cognitionem nostram.

*Ad confirmationem*, qui dicerent cælos esse animatos anima vegetatiua, possent concedere sequelam, imo multi de facto absolute id concedunt, de quo postea.

*Præterea*, quando augmentum fieret absque deperditione partium, & nõ in ordine ad restaurationem, vt posset in hoc casu dici contingere, non esset necesse, quod id, quod augmentari posset, posset corrumpi.

Melior probatio

27 *Melius probaretur* hoc de anima vegetatiua, quia inutilis esset cœlo, præsertim si esset incorruptibilis: quia quandoquidem ab initio debebat recipere iustam suam magnitudinẽ nec postea aliquã partẽ deperdat, ad nihil prorsus deseruiret illi virtus nutritiua aut augmentatiua: quod si etiam esset corruptibilis, ac de facto corrumperetur, sufficeret ipsi virtus generatiua, qualis assignatur igni & aquæ, quæ virtus non arguit vegetatiuam animam.

*Secundo quod non habeant animam sensitiuam probari solet*: quia sensatio indiget calore, qualem non habent cœli: deinde indiget organis particularibus.

Probatio quod nõ habeant animam sensitiuã

*Confirmatur*: quia sensitiua supponit vegetatiuam; sed cæli non habent vegetatiuam; ergo nec sensitiuam.

*Confirmatur secundo*: quia omnes sensus alij fundantur in tactu, & tactus in temperie primarum qualitatum, qualem non habent cæli.

*Confirmatur tertio*, quia sensus sunt dati animatis à natura vel propter disciplinam, vel propter salutem: ad neutrum deseruiunt cælis: ergo non sunt ipsis dandi.

28 *Responderi* facile potest imprimis, non esse certum, quod omnis sensatio indigeat calore: deinde non est certum, quin cæli sint calidi, & habeant organa sufficientia ad tactum, quemadmodum habet caro.

*Ad primam confirmationem respondeo* non esse certum, quod omnis anima sensitiua sit etiam vegetatiua, aut presupponat vegetatiuam: & quamuis in sublunaribus ita contingat; non propterea statim sequeretur, quod idem dicendum esset de cælestibus.

*Ad secundam confirmationem respondetur* non probari satis, an tactus omnis prærequirat talem temperiem, nec probatur sufficienter, quod talis temperies non sit etiam in cælo; nec inde sequeretur eius corruptibilitas; nec denique probatur sufficienter quòd alij sensus omnes fundentur in tactu.

*Ad tertiam confirmationem dico*, sensus non solum ad illos fines datos animalibus, sed etiam ad delectationem, quam percipiunt ex sensibilibus gratis.

29 *Tertio probant* de intellectiua, quia res omnino materialis nequit intelligere: tales sunt cæli: ergo.

Quod nõ habeant intellectiuam.

*Confirmatur*: alias essent capaces meriti, & demeriti, ac etiam visionis beatificæ, ad quam tamen soli Angeli, & homines sunt conditi.

*Respondetur* negando minorem: si enim constarent anima intellectiua, non essent omnino materiales, magis quam homines; & supponere, quod essent tales hic, est manifeste petere principium.

*Ad confirmationem respondeo* negando sequelam, quia non implicat creatura aliqua, quæ posset intelligere aliqua obiecta, quamuis non posset intelligere omnia, & quamuis non haberet voluntatem liberam; quod si tales dicerentur Cæli, manifestum est, quod neque deberent esse capaces meriti, ac demeriti, nec possent videre Deum.

*Deinde* quamuis possent videre Deum, non esset necessarium vt ad hoc eleuarentur aut ordinarentur de facto: est enim gratia particulariſſima, quod ipsi homines, ac Angeli sint ad hoc eleuati.

*Rursus* quamuis essent capaces meriti ac demeriti, non tamen meriti respectu cæli, nisi ad hoc eleuarentur aut ordinarentur.

*Denique* probandum esset cælos non posse videre Deũ, ratione aliqua; quam non facile adducent aduersarij.

*Itaque probatio conclusionis* consistit in authoritate potissimum, & quod non sit fundamentum vnde colligatur quod cæli sint animati vlla anima, & hoc est, quod intendit *Scotus in 2.d.14.qu.1.* dum ait, nulla euidenti ratione posse demonstrari, quod cœli non sint animati; vnde male eum propterea reprehendit *Auersa*.

*Obijcies*: Cæli mouent se localiter ab intrinseco motu locali, etiam quando non sunt extra locum suum naturalem: ergo viuunt.

Probatur consequentia; quia quamuis aliquid, quod non viuit, virtute intrinseca posset mouere se localiter, quando esset extra locum suum naturalem, vt patet in grauibus, & leuibus: tamen id non potest accidere, si non sint extra locum naturalem.

*Respondeo* negando antecedens: mouentur enim cæli ab Angelis assistentibus.

## QVÆSTIO IV.

### *An Cælum sit corruptibile.*

30 SI Cælum esset substantia physice simplex, hoc est, non composita ex materia prima, & forma substatiali, certum esset quod nulla ratione corrumpi posset, tam

nec quidem ab ipso Deo, capiendo corruptionem pro destructione rei, manente subiecto ipsius, hoc est, materia & quamuis possit simpliciter destrui, vt nihil eius maneat, sicut possunt Angeli, hoc tamen cõtingere non posset virtute creaturæ vllius, sed sola Diuina, quæ vt sola potest creare, sola etiam annihilare potest. Quod si Cælum sit compositum ex materia, & forma, simili modo extra dubium est quod possit à Deo, & destrui taliter, & corrumpi, etiam relicto subiecto, & ex eo aliam substantiam generando: vnde in ordine ad Diuinam potentiam esset corruptibile, etiam corruptione proprie dicta. Vnde tota difficultas huius quæstionis est, an Cælum ex suppositione quod constet materia, & forma sit corruptibile per aliquod agens naturale, quod posset naturaliter ex Cælo alias substantias generare.

*Prima sententia* tenet, Cælos esse corrptibiles ex natura sua intrinseca incorruptibiles, tm ab agente naturali, quam etiam à Deo, quantumcumque ad potentiam absolutam mirabiliter corrumpi possent. Hæc est communior sententia Peripateticorum, & Theologorum citatorum apud prædictos authores eamque videntur tenere ex Patribus *Dionysius de Diuinis nominibus cap. 4. August. 14. de ciuit. 24. Hieron. in Isaiæ c. 51. D. Gregor. 17. mor. cap. 5.*

## CONCLVSIO I.

Cæli possent esse incorruptibiles quamuis constarent materia sublunari.

31 *Cæli possent esse incorruptibiles ex natura sua intrinseca, siue constarent materia eiusdem speciei cum sublunari, siue diuersa.* Hæc est contra eos authores qui putant materiam primam Cæli esse diuersæ speciei à sublunari: ideo enim id asserunt, quia putant alias non posse defendi incorruptibilitatem Cæli.

*Probatur conclusio* quoad vtramque partem breuiter, sed efficaciter: quia non obstante compositione ipsius ex quacumque materia, potest habere aliquas qualitates conseruatiuas, quæ non haberẽt contrarias qualitates, neque enim in hoc est vlla prorsus repugnantia: sed habebit, non posset corrumpi naturaliter, & hoc ob naturã suam intrinsecam; ergo esse posset incorruptibile ex natura sua non obstante compositione eius ex quacumque materia, siue eiusdem, siue diuersæ speciei cum sublunaribus. Probatur minor; quia agentia naturalia non possunt corrumpere substantias de facto, nisi prius destruendo qualitates conseruatiuas, aut nisi reperiant illas destructas, nec possunt destruere illas nisi introducẽdo formas cõtrarias: ergo si qualitates conseruatiuæ alicuius compositi non haberent qualitates contrarias, non possent illa composita corrumpi, & hoc ob naturam intrinsecam illius compositi exigentis qualitates non habentes vllas alias contrarias sibi.

32 *Confirmatur*: quia ideo substantiæ sublunares possunt corrumpi ex natura sua, quia exigunt ex natura sua qualitates habentes qualitates contrarias: ergo quod non exigeret qualitates contrarias non esset ex natura sua corruptibile.

*Confirmatur secundo*: si non obstante quod constarent materia diuersæ speciei exigerent ex natura sua qualitates conseruatiuas habentes contrarias qualitates, adhuc esset ex natura sua corruptibiles, quia possent recuperare tantum contrariarum qualitatum, vt non manerent qualitates propriæ conseruatiuæ in gradu requisito: nulla autem substantia potest naturaliter conseruari absque qualitatibus conseruatiuis in gradu necessario: ergo quamuis constaret materia eiusdem speciei cum sublunari, adhuc esset incorruptibile ex natura sua, modo exigeret ex natura sua qualitates conseruatiuas non habentes vllas qualitates sibi contrarias. Nec sane ad hoc facit quod compositi materia sit huius aut illius speciei, nisi quatenus ex hoc sequeretur, quod exigeret tales, vel tales qualitates, quæ non haberent contrarias, quod tamen non videtur posse competere composito ex ratione materiæ, sed ex ratione formæ.

33 *Obiicies primo*: materia prima sublunaris est radix corruptionis ob appetitum, quem habet ad omnes formas, ergo quidquid includit illam, debet esse corruptibile ex natura sua, & consequenter, si Cælum esset ex ea compositum, non posset esse incorruptibile.

*Respondeo primo*, absolute negando consequentiam quia ad hoc, vt dicatur aliquid corruptibile simpliciter, non sufficit, quod includat radicem corruptionis, sed requiritur vlterius, quod ex natura sua non habeat impedimentum aliquod corruptionis, quod habere posset cælum, quamuis includeret materiam primam, quæ esset radix corruptionis.

*Respondeo secundo* distinguendo maiorem: materia prima est sola radix corruptionis rei, negone radix partialis, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia non sufficit, vt aliquid dicatur corruptibile, quod habeat causam partialem corruptibilitatis, sed debet habere totalem. Itaque corruptibilitas compositorum oritur, & ex eo, quod habeant materiam, quæ possit informari alia forma, & ex eo, quod habeant formam, quæ exigit dispositiones, quæ destrui possunt naturaliter; vnde si esset aliquod cõpositum, quod non haberet materiam primam, aut si haberet illam, non haberet formas exigentes dispositiones, quæ auferri possent naturaliter, illud non esset ex natura sua corruptibile, & hinc oritur vt quorum dispositiones difficilius destrui possunt, ea minus facile possint corrumpi.

*Addo* ad hoc appetitum ac inclinationem materiæ primæ ad alias formas nullo modo requiri ad corruptionem, quidquid dicatur communiter: nam quamuis non haberet talem appetitum, sed posset tamen motu, siue neutro siue violento, moueri ad alias formas: profecto cõstanter ipsa posset corrumpi, non minus quam potest corrumpi aqua frigida, vt frigida, per mutationem violentam ad esse calidum.

34 *Obiicies secundo* si cælum constaret materia prima eiusdem speciei cum sublunari, constaret etiam quantitate eiusdem speciei, & consequenter posset calefieri, ac frigefieri, ac recipere omnes dispositiones ad formas tam Elementorum quam mixtorum: ergo ex natura sua esset corruptibile, quod enim potest recipere dispositiones ad aliquam formam in gradu requisito, potest eius materia recipere illam formam, & consequenter ipsummet totum potest corrumpi.

*Respondeo primo*, quamuis poneretur habere materiam diuersæ speciei, adhuc non esse verisimile, quin quantitas cæli sit eiusdem rationis cum quantitate sublunari; vnde hæc difficultas æque applicari potest contra incorruptibilitatem cæli, quamuis diceretur constare materia diuersæ rationis.

*Respondetur secundo*, meo iudicio non posse negari quin cælum ex suppositione, quod habeat quantitatem, possit recipere colorẽ & alias qualitates primas, & quin de facto recipiat calorem & sit formaliter calidum: cum enim qualitas sit subiectum capax caloris, & Sol sit causa sufficiens productiua caloris, & applicentur sufficienter quantitates cælorum tam superiorum quam inferiorum, nec possit assignari vllum impedimentum, cum nihil possit impedire productionem formæ in aliquo subiecto capaci, quando applicatur causa totalis effectiua, præter formam incompatibilem cum forma illa introducenda, nulla autem sit forma incompatibilis cum calore præter frigus quale non potest reperiri in cælo, nisi calor in illo possit reperiri, sequitur cælum calefieri.

35 *Itaque respondeo* concedendo antecedens & negando consequentiam, & distinguendo probationem eius: quod potest recipere tales dispositiones modò per eas destruantur dispositiones propriæ cõseruatiuæ eius cõcedo:

si non destruantur, nego consequentiam. Ex suppositione autem, quod cælum esset incorruptibile ex natura sua, haberet qualitates conseruatiuas, quæ non possent destrui per vllas alias dispositiones ad quascumque alias formas, & consequenter quamuis introducerentur, non deberet corrumpi: cuius ratio esse potest optima, quod non deberet potius agens productiuum istarum dispositionum habere virtutem productiuam formæ, ad quam disponerent, quàm agens conseruatiuum aliarum dispositionum conseruatiuarũ alterius formæ, habere virtutẽ conseruatiuam illius alterius formæ; Imo potius deberet alterum agens conseruare priorem formam, quia melior est conditio possidentis ceteris paribus. Ex quo patet non esse inconueniens, quod dentur in eodem subiecto dispositiones diuersæ ad duas formas incompatibiles simul & semel quando ipsæmet dispositiones non sunt contrariæ, nec incompatibiles.

*Hinc patet* quomodo optime posset ostendi, qua ratione cælum haberet esse incorruptibile de facto ex natura sua intrinseca in ordine ad quamcumque causam naturaliter agentem, & in ordine ad ipsum Deum etiam quatenus agit secundum potentiam ordinariam, modo constaret de facto, quod esset incorruptibile: & sane melius hoc modo ostenderetur, quam recurrendo ad vnionem indissolubilem; neque enim vnio habet esse indissolubilis naturaliter, nisi quatenus naturaliter nõ potest introduci forma incompatibilis cum forma vnita in subiecto istius formæ, vt patet: non potest autem prouenire ab vnione formaliter quod alia causa non posset producere talem formam, sed ex eo, quod non detur talis forma incompatibilis, aut quod nulla causa possit ipsam producere, aut quod subiectum non sit capax ipsius: ergo ad aliquod ex his principiis recurrendum est potius quam ad illam vnionem.

Male assertur incorruptibilitas cæli ex vnione indissolubili.

## CONCLVSIO II.

Quamuis cælum corrumperetur in die Iudicij per actionem ignis, posset esse ex natura sua incorruptibile.

36 *Quamuis cælum corrumperetur in die Iudicij aut postea, & hoc etiam mediante actione ignis, non sequeretur inde, quod cælum esset ex natura sua corruptibile.* Hæc est contra omnes Authores, qui tenent primam & secundam sententiam ex eo, quod Scriptura, ac Patres videantur dicere cælos esse corrumpendos de facto.

*Probatur conclusio*: quia illa corruptio posset fieri à Deo miraculose, sicut fieret corruptio eorum facta hodierno die.

*Confirmatur*: quia ex eo, quod habetur in Scriptura Dæmones, & animas damnatorum comburi ac torqueri ab igne, non sequitur, quod aut Angeli aut animæ sint ex natura sua cõbustibiles ab igne aut etiam receptiui caloris aut vllius qualitatis materialis ab igne producibilis: nec sequitur, quod ignis sit ex natura sua combustiuus eorum, omnes enim fatentur, aut eos nulla ratione pati posse physice ab igne, vt tenent Scotistæ; aut si possint ab eo physice pati, nõtamẽ virtute naturalis ignis, sed propter eleuationem aliquam supernaturalem eius: ergo quamuis habeatur in Scriptura, quod Cælum sit corrumpendũ aliquando, non sequitur inde quod sit corrumpendum ex natura sua, aut quod possit aliquod agens creatum aut etiam increatum secundum potentiam ordinariam ipsum corrumpere.

*Confirmatur secundo*, quia id quod fit magis ordinarie, & sæpius, potius deberet dici fieri naturaliter & secundum potentiam ordinariam, quam quod fit semel tantum: sed combustio damnatorum fit singulis diebus, & corruptio illa, si fiet, non fiet vnquam nisi semel tantum: ergo si illa non dicatur fieri naturaliter, nec hæc etiam debet dici fieri naturaliter, nisi id constet ex alio capite, quam ex eo quod aliquando constet esse futura.

*Confirmatur tertio*, habetur in Scriptura futuram resurrectionem mortuorum, homines visuros intuitiue, & beatifice Deum; tamen non inde sequitur alterutrum ex his futurum naturaliter: ergo ex eo, quod diceretur cælos corrumpendos, non sequitur id futurum naturaliter.

*Probatur secundo*: mutatio alicuius rei facta in vno instanti aut tempore; in quo non est dispositio aliqua noua ad illam, aut applicatio vllarum causarum naturaliũ, quæ ante non fuit, quando non erat illa mutatio, non debet censeri naturalis, sed supernaturalis ac extraordinaria: aut si sit naturalis, debet conseri supernaturale, quod ante nõ fuisset: sed non est verisimile vllam dispositionem aut applicationem causarum naturalium futuram in, aut post diem Iudicij, quæ exigeret corruptionem Cælorum physice, quæ dispositio aut applicatio non fuit antecedenter aliquando in decursu tot annorum, quo præcesserunt à condito mundo: ergo non est dicendum, quod illa corruptio oriatur tum naturaliter, aut ex natura Cælorum, aut ex actiuitate causarum secundarum, aut ex concursu ordinario physico Dei, quem præstare debet secundum legẽ ordinariam iuxta exigentiam causarum secundarum; aut si id dicatur, debet dici, quod miraculum sit, non præcessisse eam corruptionem antecedenter.

*Confirmatur*: inde colligi potest miraculum esse, quod ignis applicatus non comburat stupam dispositam, quia petit ex natura sua talem concursum; & inde hoc colligi potest, quia semper solet comburere sic applicatus, nisi in casu aliquo rarissimo: & inde colligi potest, quod annihilatio Angeli esset miraculosa si fieret hodie, quia si cõnaturaliter fieret, deberet fieri ante, cũ nõ sit maior ratio, cur fieret hodie quam ante: ergo quandoquidem Cælum ex natura sua petat conseruari vsque ad diem Iudicij, & non negetur ipsi concursus conseruatiuus, nisi semel tantum; nec maior ratio sit ex natura physica sua, aut aliarum rerum, cur tum potius quam ante corrumpi deberet, sequitur quod corruptio tum futura sit miraculosa, & consequenter ex ea non debet colligi, quod Cælum sit ab intrinseco corruptibile naturaliter, aut etiam ab intrinseco.

*Hinc manifeste patet*, male colligere dictos authores, contra quos est conclusio, corruptibilitatem naturalem, siue intrinsecam siue extrinsecam Cælorum, ex eo quod Scriptura, ac Patres dicant eos aliquando corrumpendos ac conflagrandos. Patet etiam male alios authores negare Cælos corrumpendos de facto, ex eo quod inde sequeretur Cælos esse ex natura sua corruptibiles naturaliter, quia quamuis corrumperentur aliquando, posset id contingere miraculose. Et sane id cõgruentius diceretur, quam quod fieret naturaliter si non esset a iud principium vnde alterutrum colligeretur, quam ipsa actualis corruptio aliquando futura.

## CONCLVSIO III.

Cælum secundũ se totum est naturaliter incorruptibile.

38 *Cælum secundum se totum est naturaliter incorruptibile sic, vt supposita dispositione rerum, quæ est de facto, non possit naturaliter contingere, vt secundum se totum corrumpatur.* Hanc credo debere esse communem omnium, propter eos, qui dicunt, quod aliquando naturaliter corrumpetur.

*Probatur* autem manifeste; quia non possunt vllæ causæ ex iis, quæ de facto productæ sunt applicari Cælo sic, vt possent ipsum totum corrumpere; neque enim possunt, manente hac rerum dispositione, applicari alio modo, quam de facto aliquando applicatæ sunt: ergo cum de facto non potuerint corrumpere vllam notabilem partem Cælorum decursu tot mille annorum, non potest fieri vt vnquam sint applicandæ sic, vt possint totum corrumpere.

*Confirmatur*: quia de facto nec terra ipsa, nec aqua, nec mixta omnia possunt naturaliter quoad se totum corrumpi: ergo multo minus potest Cælum secundum se totum naturaliter corrumpi.

## CONCLVSIO IV.

Probabilius Cælum non posse de facto corrumpi.

*Probabilius est de facto Cælum non posse corrumpi quoad vllam etiam partem sui: sed inde tamen præcise non sequitur quin quantum est ex natura sua sit corruptibile, & quin dentur aliquæ causæ secundæ, quæ possent ipsum quoad aliquas partes corrumpere.* Hæc quoad primam partem est communissima inter eos, qui absolute cælos incorruptibiles vocant, & speciatim est contra eos authores qui dicunt de facto factas fuisse corruptiones in cælo quos authores sequitur expresse *Camerarius qu. 24. nu. 5.*

Secunda

*Secunda pars* est contra multos ex ijs, qui tenent primam partem, & ex eo, quod de facto non fuit facta tot annis corruptio vllius partis cæli, colligunt illud ex natura sua esse incorruptibile, & ex defectu virtutis naturalis, quę possit ipsum quoad vllam partem destruere.

39 *Probatur prima pars*: si posset de facto corrumpi naturaliter per causas secundas vllas, possent de facto applicari tales causæ: sed si possent naturaliter applicari, verisimile autem potius certum est quod tot annorum decursu aliquando applicarentur: ergo si possunt applicari aliquando sunt applicatæ, neque enim apparet quomodo vllæ causæ naturaliter de nouo applicari possint ad corruptionem cæli, quæ aliquando nó sint applicatæ: sed non sunt hactenus applicatæ tales causæ: ergo nó possunt naturaliter applicari. Probatur subsumptum: quia alias de facto essent corruptiones factæ in cælo: quod est falsum, tum quia nulla prorsus experiętia habetur quod sint factę tales corruptiones, sed potius quantum ad experientiá & rationem apparet contrarium, vt patebit ex solutione experientiarum, & rationum, quibus mouentur aduersarij: tum etiam, quia communis sententia Patrum, Theologorum & Peripateticorum tenet oppositum.

*Probatur alij* hanc primam partę: quia si posset destrui, de facto destrueretur, quoad aliquas partes cælum Lunæ per elementum ignis sibi contiguum, imo quoad multas & notabiles partes: quod est contra experientiam.

*Hæc probatio non valet*, non solum, quia incertum est, an elementum ignis sit in concauo Lunæ de quo suo loco; sed etiá, quia quantumuis esset, adhuc posset cóingere quod non posset destruere cælú sicut nec potest destruere cineres, & sicut non destrait aérem sibi vicinú, quoad vllam notabilem partem, & hoc vel ex eo, quod nó possit destruere qualitates connaturales cæli, licet alia agętia possent si applicata fuissent: vel ex eo, quod sit valde rarus in eo loco ac paruus propterea actiuus, & quod cælum possit facile eius actiuitati resistere.

Non obstante quod de facto nó possit corrumpi probatur esse ex natura sua incorruptibile.

40 *Probatur secunda pars*: quia posset esse incorruptibile de facto ex eo, quod de facto non posset applicari illi aliqua causa, quæ alias esset corruptiua ipsius si applicaretur: ergo ex eo, quod de facto nó posset corrúpi non equitur quod ex se sit incorruptibile, aut quod nó sit aliqua causa, quæ posset corrúpere, si esset applicata.

*Confirmatur*: quia illa pars terręe, quę est vicina centro terrę, non potest corrumpi de facto ex eo, quod de facto non possit applicari naturaliter causa corruptiua, quátuis illa pars ex se sit eiusdé rationis ac partes aliæ terrę, quæ corrumpuntur, atque adeo ex se posset corrumpi, & quátuis detur causa corruptiua ipsius, si applicaretur: ergo ex eo, quod de facto Cælum non possit corrúpi quoad vllá partem, nó sequitur quin ex natura sua sit corruptibile.

41 *Obiicies primo*: Virtus finita nequit persistere infinito tępore: sed virtus cælorum est finita: ergo nequit persistere infinito tempore, & consequenter debet esse ex natura sua aliquando corruptibilis.

*Hoc argumentum* posset proponi etiam contra precedentem conclusionę, & si valeret probaret Angelum ac animas rationales posse naturaliter annihilari, quia naturaliter nequirent sęper persistere: *vnde nego antecedens*: qua enim ratione potest perseuerare duobus diebus, posset infinitis, & debet naturaliter nisi sit aliqua ratio disparitatis, cur tot diebus conseruetur potius, quá tot alijs.

*Obiicies secundo*, quod contrarias subit motiones, fugitur ac labefactatur; sphęræ cælestes contrarias subeunt motiones, mouentur enim ab Oriente ad Occidentem, & è conuerso.

*Respondeo* negando maiorem nisi ex illis cótrarijs mutationibus sequatur, quod perdát dispositiones conseruatiuas.

Experientia probantes corruptibilitatem cæli.

42 *Obiicies tertio*, & est fundamentum potissimum oppositę sententiæ: de facto visę sunt mutationes substantiales in cęlo, quæ saluari non possunt absque corruptione aliquarum partium cæli: visæ enim sunt in ipso nouæ stellę, tum olim tempore *Hypparchi*; tum nostra ętate anno 1572. & anno 1600. ac 1604. quin & *S. Augustin.* ex *Varrone* refert stellam Veneris mutasse colorem, magnitudinem, & cursum.

*Respondetur* communiter, negando antecedens cum sua probatione: ad illas autę experiętias dicunt aliqui illas non fuisse veras stellas, sed cometas productos infra cęlum Lunæ.

*Sed contra*, quia Stella visa anno 1572. in signo Cassiopeę semper tenuit eundem situm, ac distantiam cú stellis fixis in remotissimis mundi partibus, quod núquam accidit Cometæ. *Deinde* qua ratione per sua instrumęta Astrologi cognoscunt vllam stellam esse alia altiorem, cognouerunt illam stellam supra Lunam fuisse, vnde non potest dici, quod fuerit infra Lunam.

*Alij dicunt* illam stellam visam in Cassiopea (& idem de reliquis dicendum) non fuisse nouam, sed antiquam quæ tamen non poterat antea videri propter paruitatę, potuisse vero tum propter ingentem expirationú terrestrium copiam, quæ viguit eo tempore.

*Contra*, quia prętęrquam quod gratis asseratur tantam multitudinem expirationum fuisse tum, quæ nunquam ante fuit nec postea, & quod nó possit dari vlla causa naturalis, vnde id oriri posset: adhuc qua ratione posset deseruire, vt videretur illa stella, quæ ante nó poterat videri cum tanta claritate, debet etiam deseruire, vt aliæ stellæ claræ & magnæ viderentur: at hoc est falsum, ergo & illud.

43 *Respondetur ergo aliter primo* negando antecedens cum sua probatione, & dicendo, quod illæ stellæ potuerint produci à Deo in cælo sine destructione vllius partis ipsius, ponędo scilicet illas penetratiue in aliqua parte ipsius. *Deinde* posset fieri quod nó fuerit tú vlla substantia producta à Deo, sed quod produxerit tántú lucis in aliqua parte Cæli, quantum sufficeret, vt apparet et instar stellæ.

*Respondeo secundo* distinguendo antecedens: quę non possent fieri absque corruptione aliquarum cęli partium, quæ fieret naturaliter, nego antecedens; quæ fieret naturaliter aut supernaturaliter, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia ex eo, quod corrumperetur cælum quoad aliquas partes de facto supernaturaliter & miraculose, non sequitur quod posset corrumpi naturaliter, quoad vllam partem, vt est euidens.

*Dices*, iuxta has duas responsiones, recurrendum esset ad Deum, tanquam ad authorem extraordinarium & miraculosum illarum stellarú; sed hoc non est philosophicum, quoties potest saluari absque inconuenienti, quomodo produci possint naturaliter: potest autę assignari absque inconuenienti, quomodo fierét naturaliter, si dicatur cælum esse corruptibile, quoad aliquas partes: ergo non sunt bonæ responsiones.

44 *Respondeo* concedendo maiorem, quemadmodum recurritur ad ipsum, tanquam ad causam illius stellæ quę Magos perduxit ad Prædę, in quo Christus natus est: nego autem minorem pro secunda parte; quia quamuis Cælum esset naturaliter corruptibile, secundum aliquas partes, non apparet quomodo naturaliter illæ stellæ producerentur in ipso: neque enim excogitari potest aliqua applicatio particularis causarum illarum, quę fieret tum, & conseruaretur tanto tępore, quanto durauit illa stella, & nunquam ante, nec post facta fuit: & sane iuxta ipsos Cometas generatos sub Luna in aére corruptibili, non produci naturaliter, ab eandem rationem, saltem sęper.

Cometæ nó producuntur naturaliter.

*Confirmatur hoc*: quia Cometæ huiusmodi semper portendunt aliquos effectus futuros: ergo non potest ipsorú productio bene refundi in causas secundas, quæ ignorát futurition em talium effectuum; vnde sine dubio melius ad Deum ipsum recurritur tanquam ad eorum authorem. & ita tenent *Conimbricenses*, *Ruuius*, *Arriaga*, & *alij*.

## CONCLVSIO VLTIMA.

45 *Probabilius est cælos esse ex natura sua quoad omnem partem incorruptibiles naturaliter*. Hæc est communior & *Probatur*: tum quia ad pulchritudinem maiorem vniuersi spectat sine dubio, quod sint in ipso corpora incorruptibilia naturaliter: tum quia nihil arguit oppositú, tum denique, quia id conformius est sanctis Patribus citatis pro tertia sententia, quibus in hoc nó aduersátur alij Patres citati pro prima sentętia. Nam quamuis dicát Cælos corumpendos, non inde sequitur eos velle, quod sint

Probabilius cælos esse ex natura sua incorruptibiles.

naturaliter corruptibiles: imo si qui ex illis dicunt, quod sint ex natura sua corruptibiles, possunt commode exponi in eo sensu, vt velint tantum, quod sint ex natura sua corruptibiles, quatenus nō repugnat ipsis ex natura sua, quod corrumpantur: non vero vt velint quod sint ex natura sua corruptibiles sic, vt possint quantum attinet ad naturam suam, per actionem vllius causæ naturalis naturaliter agentis corrumpi.

46 *Queres*, an de facto cælum aliquando corrūpetur. *Respondeo*, quandoquidem plures sancti Patres teneant partem affirmatiuam, ij scilicet qui citati sunt pro prima sententia supra posita, & alij plures teneant negatiuā, & res ipsa sit dependens à voluntate Dei, nō vero à ratione naturali, difficile esse asserere absolute alterutram partē, ac propterea consultius esse vtramque pro probabili, aut incerta habere. Et sane vtraque pars habet fundamentum magnum in Scriptura: nam imprimis pars affirmatiua colligi posse videtur ex 2. Petri cap. vlt vbi habetur: *alij autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem Iudicij*: & postea *Aduenit autem dies Domini, vt fur, in quo Cæli magno impetu transient Elementa vero calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur*: & postea: *Cum igitur hæc omnia dissoluenda sunt, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus expectantes & properantes in aduentum diei Domini per quem Cæli ardentes soluentur, & Elementa ignis ardore tabescent, nouos vero Cælos & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus.* Cum ergo dicat omnia, de quibus ante mentionem fecerat, dissoluenda, mentionem autem omnia fecerit Cælorum, & cum expresse dicat quod cæli ardentes soluentur, & cælos nouos dandos eorum loco, videtur colligi corruptio cæli; nec hæc dissolutio, nisi satis violenter potest intelligi de dissolutione aliqua, quæ fieret per transmutationē aliquam accidentalem, quatenus scilicet cæli & elementa tum ornarentur melioribus accidentibus; ex hoc enim non nisi impropriissime dicerentur dissolui. Neque etiam nisi satis violenter potest per cælum intelligi aër, tū quia aperte contraponitur cælum elementis, tum quia licet aër vocetur cælum, vt in illo loco volucres cæli, tamen non solet vocari cæli numero plurali.

*Altera etiam pars* fundatur in Scriptura, vt patet ex locis, quibus supra probauimus perpetuitatem mundi.

## QVÆSTIO V.

### *An Cæli sint fluidi, vel solidi.*

47 SEnsus quæstionis est, an cæli sint talis naturæ, vt per eos alia corpora trāsire possint absque penetratione, sicut per aquam transeunt pisces & aues per aëra; an vero sint ita solidi & duri, vt lapides, ferrum, similiaque, per quæ tali modo alia corpora transire non possint: si primum dicatur, erunt fluidi; si secundum, solidi.

*Prima opinio est*, cælum quoad illam etiam partem, qua stellatum est stellis fixis, hoc est ijs, quæ semper inter se eundem ordinem seruant, esse fluidum. Hanc tenuere multi antiqui Philosophi teste *Aristotele* 2. *de cælo*, quos sequitur *Camerarius q.* 24.

*Secunda sententia est* cælum stellatum esse solidum, reliquos vero inferiores esse liquidos. Hanc tenent cum aliquot antiquis *nonnulli iuniores.*

*Tertia sententia est*, cælum esse mediæ naturæ aliquid fluiditatis participans. Hanc videtur tenere *D. Bonauent. in* 2. *d.* 12.

*Quarta sententia*, eaque communissima est, cælos omnes esse solidos.

Quamuis Cælum esset fluidum posset esse corruptibile.

Antequam resoluatur hæc difficultas, aduertendum est soliditatem, aut liquiditatem cæli nihil prorsus iuuare aut impedire incorruptibilitatem, posset enim esse incorrupti bile, siue fluidum esset, siue solidum, & posset esse corruptibile, non obstante fluiditate aut soliditate.

## CONCLVSIO I.

Non constat certo cælos esse fluidos, aut etiam solidos.

48 *Nulla ratione aut authoritate Scripturæ, aut Patrum conuincitur Cælum esse solidum, aut fluidum, aut partim solidum, ac partim fluidum.* Hæc res ipsa fortasis est communis: quamuis enim plures authores absolute dicant Cælos esse solidos, & plures alij fluidos, & aliqui, partim fluidos, partim solidos; tamen non reperio vllum dicere, quod id certo constet siue ratione, siue authoritate, quā quis non posset negare absque vlla mala nota.

*Probatur* soluendo rationes omnes ac authoritates, quę pro quolibet parte adduci solent.

### *Argumenta pro soliditate soluuntur.*

Prima probatio pro soliditate cæli.

49 *Prima authoritas*, quę adducitur pro soliditate est, quod Cælum vocetur in Scriptura Firmamentum, & mentio fit de tota illa parte, in qua stellæ omnes tam fixæ, quā errantes reperiuntur: nam in firmamento dicuntur Sol, & Luna, ac Stellæ posita esse: sed hoc nomen Firmamentum solidit tem denotat: ergo.

*Confirmatur* ex illo Iob. 37. *Tu forsitan fabricatus es Cælos qui solidissimi quasi æs fusi sunt.*

*Confirmatur secundo*, quia ad *Hebræos* 4. Christus dicitur Cælos penetrasse: quod non esset necessarium, si essent fluidi.

*Respondetur facile primo* hinc non sequi, quin partes Cæli, per quæ mouentur astra, sint fluidæ, quia adhuc, hoc non obstante, Cæli possent dici simpliciter solidi, quia longe maior pars eorum esset solida.

*Confirmatur hoc*: quia per firmamentum secundum *Aversam*, qui vtitur hac probatione non solum intelligitur Cæli, sed etiam spērīat aër est fluidus: ergo non est necessarium, vt firmamentum quoad omnem partem sit solidum, prout de solido hic agimus.

*Respondeo secundo* negando consequentiam, quia nomē Firmamēti non necessario significat soliditatem oppositam fluiditati, sed posset optime significare firmitatem, & perseuerantiam in eadem dispositione absque alteratione aliqua eo ruptiua: hoc autem posset competere Cælo, quamuis esset substantia fluida.

*Ad confirmationem respondeo* similiter Cælum posse vocari solidissimum quasi æs fusum, propter stabilitatem incorruptibilem, continuationē, expansionem; quas tamen conditiones posset habere quamuis esset fluidum: ergo nō sequitur ex illo quod Cæli sint solidi in sensu presenti. Deinde verba illa sunt verba *Heliu* amici *Iob*, cui non cōstat astitisse Spiritum sanctum in omnibus, quæ locutus est sic, vt non potuerit errare.

*Cameracius* addit sequenti capite, ipsum à Deo increpatum tanquam inuoluentem sententias sermonibus imperitis. *Quis est*, inquit Deus, *Ille inuoluens sententias sermonibus imperitis*: quod si verū esset, profecto locus hic nō deberet vlla ratione vrgeri: sed omnino videtur potius argui eo loci *Iob* quam *Heliu*, ipsi enim loquitur, & ipse respondet.

*Ad secundam confirmationem respondeo*, Christum potuisse Cælos penetrare, quamuis essent fluidi, etiam penetratione proprie dicta, & sic citius peruenturū ad Cælum Empyreum, quam alias potuisset transeundo absque penetratione propter resistentiam corporis fluidi.

*Deinde* quando dicitur penetrasse, non est necesse; vt id intelligatur de penetratione proprie dicta, sed de tali, per quam transiret Cælos: quo sensu ferrum dicitur penetrare lignum, & milites dicuntur penetrare interiora alicuius regni. Sic autem intellecta penetratione, locus hic non est ad propositum.

50 *Probatur eadem soliditas* ratione; quia si cælum esset fluidum; non tenerent astra fixa inter se semper eādem distantiam, nec errantia tam vniformē ordinem in suo motu tam quoad se, quam quoad astra fixa; non enim apparet quomodo in corpore fluido, in quo facile possent vel eleuari vel deprimi, tam vniformis motus tanto tempore durare posset.

*Quod si dicas* hoc fieri per assistentiam Angelicam.

*Contra*, quia quamuis septem Planetarum motum adscribere possemus Angelis assistentibus, tamen omnino videtur distantiā illā immutabilem, quę seruatur inter tātam multitudinem syderum non errantium, non posse cōmode Angelis attribui, nisi multiplicentur plures Angeli, qui valde attendant ad eas conseruandas semper eo ordine, dum vel Cælum fluidum, in quo sint mouetur simul cum illis, vel illæ ipsæ moueantur in Cælo.

*Deinde*, difficile valde apparet quomodo Angelus deferret per spatium circulare tam ingens in corpore fluido

Planetam

Planetam motu tam regulari ac recto, & id omnino ingentem videtur exigere attentionem.

51 *Respondetur* hanc probationem non vrgere eos qui dicerent Cælum esse totaliter solidum quoad illam partem, in qua sunt stellæ fixæ, & etiam quoad reliquas partes præter Canales illos, in quibus mouerentur Planetæ; si enim hi canales essent repleti corpore fluido, facile motus illi Planetarum esse possent vniformes, nec Cælum totum quoad omnes partes esset solidum.

*Deinde*, quidquid sit, an possit motus tam vniformis fieri per corpus fluidum tam ingens virtute creata, certe increata Dei virtute fieri posse nemo dubitat: vnde ergo constat certo quod non moueantur ab ipso Deo immediate stellæ per Cælum? *Rursus* quamuis difficile sit vt ministerio Angelico motus ille ita gubernaretur per corpus fluidum, tamen non constat aliquo argumento certo, quin ita fieri possit.

*Argumenta pro fluiditate soluuntur.*

52 Iam veniamus ad argumenta probantia Cælos esse fluidos. *Primum* est ex authoritate Patrum, qui videtur dicere Cælos non moueri, sed astra, & hæc in Cælis non esse fixa, sed posita: Ita *Iustinus Martyr*, *Eusebius Emyssenus*, *Gregorius Nissenus*, *Chrysostomus*, & alij quos citat *Camerarius*, & *Arriaga*: sed hoc non esset verum, si Cæli essent solidi: ergo sunt fluidi.

*Respondetur* negando minorem, possent enim astra in Cælis solidis immotis moueri, modo in illis reperirentur canales, qui vel vacui essent vel pleni substantia aliqua fluida, & si ita moverentur non essent fixa in Cælis: sed non est adeo certum, quin possint in Cælo dari canales alterutro ex his modis.

*Deinde* sic possent moueri, & non esse fixa in Cælis, si penetrarent Cælos, nec adeo certum est quin penetrare possint ipsos, siue ex natura sua, siue ex dispositione Diuina ad bonum vniuersi.

*Probatur secundo*: non possunt commode cum solidit ate Cælorum explicari omnes mutationes, quę cernuntur in motibus Planetarum, qui nunc vicinius nunc remotius se habent ad inuicem, nunc propius ad terram, nunc à terra altius apparent.

*Respondeo* negando sequelam, quia possent saluari per canales, in quibus essent, vel non essent corpora fluida, vel per penetrationem, vt paulo ante dixi.

*Probatur iam* quod sint partim solidi, partim fluidi; quia alias non posset saluari commode motus Planetarū absque multiplicatione magna Cælorum, aut vacuo, aut penetratione: sed nec illa multiplicatio nec vacuum nec penetratio admitti debet: ergo dicendum est Cęlos esse partim solidos, partim fluidos.

*Respondeo* negando minorem quantum ad hoc quod non constet certo, quin minor sit falsa quoad quamcumque partem eius.

## CONCLVSIO II.

Probabilius cęlos non esse liquidos, totaliter etiam quoad partem in qua sunt planetæ.

53 *Probabilius est Cælos non esse totaliter liquidos, etiam quoad illam partem, in qua sunt Planetæ.* Hæc est expresse contra *Camerarium*, & *Arriagam*.

*Probatur*: Probabilius est Deum non mouere immediate Planetas, sed adhuc adhibere ministerium Angelicū, nisi astra ex natura sua habeant virtutem mouendi se: sed si astra, siue à se, siue ab Angelis moueantur, est omnino valde difficile quomodo possint moueri tam vniformiter per corpus liquidum: ergo si potest excogitari alius modus facilior, ille modus probabilior censendus est: sed facilius moueri possunt cum illa vniformitate, si Cæli dicantur aut totaliter solidi ac multiplicati, aut quoad partem solidi, ac quoad partem fluidi: ergo probabilius est quod non sint totaliter fluidi, etiam quoad partem correspondentem omnibus Planetis.

54 *Obicies* pro *Camerario* loca Patrum asserentium stellas non esse fixas in Cælo: sed essent, si Cæli non essēt fluidi, neque enim alias possent moueri per Cælum, saltem Cælis immotis.

*Respondeo* negando minorem, quia possent moueri per canales aut vacuos, aut plenos corpore fluido, aut penetrando Cælos.

*Dices* non esse probabile quod astra possint penetrare Cælum, nec etiam quod detur in Cælo vacuum: ergo.

*Respondeo*, si non sit id probabile, tum dicendum quod astra moueantur per canales repletos corpore fluido, vnde nego consequentiam. An autem id sit probabile necne, postea dicam.

*Obicies* pro *Arriaga*. Si Cælum Planetarum non esset liquidum, quoties moueretur quilibet Planeta, deberet ingens machina totius Cæli, in quo esset, moueri: sed hoc videtur inconueniens: ergo non est dicendum.

*Respondeo* negando sequelam, quia posset in ipso moueri Planeta per loca sine vacua, siue repleta corpore fluido, siue per penetrationem.

*Respondeo secundo* negando minorem, de quo postea iterum *numero* 63.

## CONCLVSIO III.

Probabilius est cælum esse totaliter solidum.

53 *Probabilius est Cælum esse totaliter solidum, quoad omnes partes.* Hæc est communissima sententia, eamque supponit *Doctor in* 2. *d.* 14. *q.* 4. in cuius commentario magnam partem doctrinæ huius antea tradidi. Est autem contra *Camerarium*, & *Arriagam* & cæteros authores trium primarum sententiarum.

*Probatur primo*, illa ipsa communis sententiæ authoritate, à qua absque ratione vrgenti, qualis assignari nequit non est recedendum, præsertim cum Sancti Patres apud *Tannerum tom.* 1. *de creatione mundi quæstione* 3. *dub.* 2. citati magis clare insinuent hoc, quam oppositum, vt ipsemet *Arriaga* fatetur.

*Probatur secundo*: si dicantur cæli esse solidi, quoad omnem partem, Planetæ poterunt moueri ab Angelo assistēte, quin ipsemet Angelus cum ipsis moueri debeat motu tam veloci ac ingenti. Si autem dicatur esse vel totaliter vel quoad partem fluidum, non poterit, neque enim motu locali potest mouere Angelus corpus à se distans, vt communiter tenetur.

*Dices*, posse Angelum mouere astrum per impulsum, quo impulsu mou bitur Angelo distāte antequam perueniat iterum ad ipsum Angelum. Fateor hoc posse dici, sed tam ingens impulsus, quo corpus tam magnum per tantum spatium moueatur, non est facile concedendus absque necessitate, qualis non est hic.

*Obicies pro Camerario*, quod stellæ non mouerentur cælis immotis, & quod essent fixæ in cælo, cuius contrarium insinuatur à Patribus.

*Respondeo* negando sequelam: quia possunt moueri per canales vacuos, aut penetrationem. Alia Responsio dabitur quęstione sequenti: hæc sufficit ad defendendā hanc conclusionem, prout iacet contra hanc obiectionem, & aliam supra positam ex *Arriaga*, nempe, quod quæreretur maximam partem cæli moueri debere vt moueretur vnicus Planeta longe minoris quantitatis: negatur enim sequela ob rationem iam datam.

## QVÆSTIO VI.

*Quot sint Cæli ac Astra.*

56 DVo sunt genera astrorum, vnum eorum, quæ vocantur errantia, seu erratica, quæ scilicet inter se non tenent semper eandem distantiam: aliud eorum, quæ vocantur fixa, quia scilicet eandem inter se distantiam semper tenent. Priora illa vocantur etiā *Planetæ*, & sunt septem tantum, colliguntque ab Astrologis clarissima experientia: & quantum ad Solem & Lunam, nemo est qui non videat ea dari, ac huiusmodi esse. Hi septem Planetæ appellantur: primus nobis vicinior *Luna*; secundus *Mercurius*; terius *Venus*; quartus *Sol*; quintus *Mars*, sextus *Iupiter*; septimus *Saturnus*: & hunc ipsum ordinē eos inter se tenere tenent Astrologi communiter, quibus in sua arte credendū, quoties nihil habetur in contrarium. Hic autem Planetarum ordo comprehenditur hoc versu, quem memorię iuuandæ causa hic subiungere placuit.

*Saturnus* prior est, hinc *Iupiter*; inde *Gradiuus*,
Post sequitur *Phœbus*; Cypria quinta *Venus*:
*Mercurius* sextus, verum infima, & vltima *Luna* est.
Sed & comprehensus est ab alio hoc vnico carmine.
Post *sim sum* sequitur, proxima *Luna* subest.

*Prima*

*Prima sententia* quantum ad numerum Cælorum, est vnicum tantum esse cælum, in quo omnes stellæ sint. Ita omnes, qui tenent cælos esse totaliter fluidos, aut partim fluidos & partim solidos; & etiam ij, qui putant astra errantia moueri in cælo per canales vacuos aut per penetrationem.

*Aduertendum autem*, hos authores non negare dari alios cælos, nempe Empyreum ac aëreum; sed negant solummodo dari plures cælos, in quibus stellæ aliquæ sint.

*Secunda sententia* est dari plures cælos, in quibus sint stellæ, & ex his aliqui nimium multiplicant Cælorum numerum, asserentes tot esse cælos distinctos, quot sunt stellæ tam fixæ quam errantes; alij vero stellas fixas omnes collocant in vno cælo, & assignant cuilibet Planetæ cælum suum.

## CONCLVSIO I.

Dantur plures.

57 *Absolute, & simpliciter plures cæli sunt admittendi* Hæc apud Catholicos est extra controuersiam.

*Probatur* aperte ex *Scriptura psal.* 148. *Laudate eum Cæli Cælorum* (id est omnes cæli) *& omnia, quæ sunt super Cælos sunt.* Ad Ephes. 4. *Ascendit super Cælos Cælorum*, Deinde Paulus Apostolus asserit se raptum fuisse ad tertium Cælum: ergo dantur tres Cæli. Nec hanc conclusionem, vt dixi, negant authores Catholici primæ sententiæ, qui solum volunt non dari plures Cælos, in quibus sint stellæ.

## CONCLVSIO II.

Dantur octo cæli in quibus sunt stellæ.

58 *Dantur octo Cæli, in quibus sunt Stellæ, non vero plures.* Hæc est communissima cum *doctore in 2. d. 14. q. 4.* contra authores primæ sententiæ, & contra eos qui pro multiplicatione stellarum multiplicant Cælos.

*Probatur secunda pars*, in qua est minor difficultas: quia omnes stellæ fixæ possunt poni in vno cælo, nec ex motibus earum, aut alia ratione aut experientia vlla constat quod sint in cælis distinctis: ergo gratis multiplicantur cæli pro illarum multitudine: nec hæc pars indiget alia probatione.

*Probatur prima pars*: quia nullus ex Planetis potest esse in eodem cælo cum alio Planeta, aut stellis fixis: ergo quilibet ex Planetis habet cælum proprium distinctum, & consequenter sunt septem cæli eo respondentes septem Planetis, & præterea aliud cælum correspondens stellis fixis. Probatur antecedens; quia si esset in eodem cælo cum vllo alio Planeta aut cum stellis fixis, semper haberet eandem distantiam cum aliis Planetis aut stellis fixis, nisi vel penetraret cælos, vel pars aliqua cæli esset fluida; vel certe darētur in cælo canales vacui in quibus moueretur: sed neutrum ex his dici potest: ergo nullus Planetarum potest esse in eodē cælo cum aliis Planetis aut stellis fixis. *Probatur minor quoad primam partem*, nempe quod non debeat dici quod astra errantia moueantur in cælo penetrando ipsum, prout asseruerunt aliqui antiqui, quos sequitur *Petrus Ioannis Prouenzalis quodl. 3. q. 7.* Probatur inquam minor quoad hanc partem: quia quantitas est impenetrabilis naturaliter, ergo naturaliter loquendo astra non possunt sic moueri in cælo: nec dicendum est, quod supernaturaliter ac miraculose ita moueantur, quia non est recurrendum ad tam continuum miraculum absque necessitate.

59 *Contra* hanc communem probationem proposui tres replicas in commentario ad prædictam quæstionem Scoti; quarum præcipua est, quod non adeo constat cælos habere quantitatem, præsertim in sententia, quæ mihi quantum ad rationem probabilissima est, quod scilicet cælum sit corpus physice simplex: nam communiter quantitas dicitur proprietas materiæ, & hoc intelligitur communius de materia prima: ergo cum in illa sententia non constaret cælum materia, non deberet habere quantitatem. Nec refert quod habeat partem extra partem, quia hoc posset habere absque quantitate in nostra, & communiori iam sententia, asserente extensionem entitatiuam non haberi formaliter à quantitate, nec ita quin maneret in nostra substantia, quamuis separaretur quantitas: de quo in Prædicamento Quantitatis.

*Confirmatur* hæc replica: quia secundum communem sententiam Cæli non sunt calidi formaliter loquendo: sed certe si haberent quantitatem præsertim eiusdem speciei cum quantitate nostra, difficulter posset defendi, quod non esset sic calidum, vt patet ex dictis supra: ergo vt defendatur non esse sic calidum debet dici quod non sit quantum. *Et si dicas*, quod possit esse quantum quantitate distincte speciei à sublunari, quin esset calidum formaliter, quia natura talis quantitatis non esset esse receptiuum qualitatum primarum, sicut est quantitas nostra sublunaris: *eodem modo posset dici*, quod non esset illa quantitas impenetrabilis, licet nostra sit.

60 *Melius ergo probatur illa prima pars* minoris: quia si cæli essent hoc modo penetrabiles: eadem difficultas esset in modo quo mouerentur astra per ipsos ac si essent fluidi; vnde cum propter illam difficultatem sup adictum sit Cælos non constare partibus fluidis, per quos moueretur astra, debet consequenter dici, quod astra non mouentur per ipsos mediante penetratione.

*Probatur eadem minor quoad secundam partem*: quia non dantur tales partes fluidæ in cælo, vt probatum est quæstione præcedenti.

*Probatur minor quoad tertiam partem*, quæ est contra *Hurtadum* hic, non putantem absurdum esse, concedere vacuum in cælo, quia præterquam quod absque necessitate magna non debeat, contra torrentem authorum fere omnium ad nitti huiusmodi vacuum, adhuc contra est, quod astrū non posset per canales vacuos moueri magis, quam per canales plenos substantia fluida, absque eo, quod Angelus assistens comitaretur ipsum: sed inconueniens videtur, quod Angelus, tam perpetuo debeat localiter moueri tanta velocitate ac per tantum spatium, si potest saluari commode qua alia ratione astrum moueatur: potest autem si dicatur, quod habeat cælum sibi propriū, & quod moueatur eodem motu, quo mouetur illud cælū.

61 *Obiicies primo*, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed non est necessitas multiplicandi cælos, ergo. Probatur minor: quia ideo multiplicarētur quia alias non possent saluari difformes astrorum motus: sed possent per quamcumque viam ex tribus assignatis in minori: ergo non est necessitas multiplicandi illos.

*Respondeo* negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: quia alias non possent æque bene saluari, & rationabiliter, ac per multiplicationem cælorum, concedo maiorem: quia alias non possent saluari vllo modo, nego maiorem: & similiter distinguo minorem: possent absolute, & simpliciter, concedo; possent æque bene ac rationabiliter, nego minorem, & consequentiam.

*Obiicies secundo Chrysostomum* homil. 4. in Genesim: *quomodo* inquit, *dicunt aliqui factos multos cælos? non ex Diuina scriptura hoc didicerunt, sed ex suis opinionibus, vt ita dicam, impelluntur.*

*Confirmatur*: quia si darentur plures cæli, quorum motu Stellæ mouerentur, vt asserimus in conclusione, stellæ essent fixæ in cælo, contra eundem *Chrysostomum hom. 6. & 13, in Genes.* dicentem: *Absit vt cogitemus Deum affixisse cælo astra; cernimus namque ea moueri, & de vno loco in alterum transferri.*

*Deinde* sequeretur non astra solum, sed Cælos moueri contra eundem hom. 12. ad Populum Antiochenum: vbi ait Cælum esse fixum & immobile, Solem vero & reliqua astra in ipso circumuolui continuo.

*Confirmatur secundo*: quia ex modo loquendi Scripturæ de Astris, colligitur illa moueri, non vero Cælos, vt patet Iosue 10. *Sol contra Gabaon non moueris, & Luna contra vallem Aialon: Steteruntque Sol & Luna. Steitque Sol in medio Cæli, & non festinauit occumbere.* Hæc obiectio cum his confirmationibus est fundamentum *Camerarii.*

62 *Respondetur* Chrysostomum esse explicandum ipsi Camerario, qui fatetur tres dari Cælos ex D. Paulo id asserente: quod tamen esset falsum, si non darentur plures Cæli. Quare sicut ipse explicat illum loqui de pluribus Cælis stellatis, cum tamen ipse absolute neget plures Cælos, ita debet permittere nobis adiungere aliā explicationem. Itaque dico Chrysostomum tantum velle, vltra aggregatum ex omnibus Cælis, in quibus videmus Stellas

tam

tam fixas, quam errantes, non esse alios stellatos, qui colligi possint ex Scriptura, aut ratione vlla; atque adeo, qui eos vellet aſserere, eũ ad hoc non nisi propria imaginatione absque fundamento sufficienti, impelli. Cum hoc autem stat, quod in hoc ipso aggregato ex omnibus his Cælis, in quibus cernimus Stellas, sint plures Cæli sibi inuicem subordinati. Et sane quemadmodũ amplum alicuius Principis Palatium includens plures domos inter se discontinuas, vocatur tamen commun ter vna domus; ita aggregatum ex omnibus his Cælis vocari potest vnum Cælum propter ordinem, quem habent inter se.

*Ad confirmationem respondeo* distinguendo antecedens quoad primam partem: esſent ita fixæ in Cælo, vt non possint moueri, nego antecedens; id enim est contra experientiam: ita esſent fixæ, vt possint tamen moueri, concedo antecedens, sed nego id esse contra *Chrysostomum*.

*Ad secundam partem respondeo*, eatenus Cælum dici esse immobile, quatenus totum Cælum nuquam relinquat locum totalem suum; non vero quatenus in eodem loco non moueatur circulariter, & in hoc distinguetur mobilitas Cæli à mobilitate astrorum, quia astra mouentur totaliter extra locum suum.

*Ad secundam confirmationem* nego id colligi ex Scriptura: quamuis enim dicat Solem stetisse; non inde sequitur, quod Cælum etiam Solis non steterit: & data opera fecit mẽtionem de statione Solis potius, quam de statione Cæli, tum quia illa erat magis sensibilis; tum quia erat statio, ratione cuius non mutauit locum totalem, quem alias mutaret; statio vero Cæli non erat talis, quia non mutaret alias locum totalem, licet mutaretur in illo loco totali circulariter.

63 *Obiicies tertio ex Arriaga*: si quilibet Planeta haberet Cælum suum, sequeretur, quod moueri deberet ad hoc, vt Planeta moueretur, & ita ingens machina Cæli septimi, quod magis, excedit Saturnum in eo positum quàm guttam maris excedit totus Oceanus, mouer deberet, vt moueretur Saturnus: sed videtur alienum à sapientia diuina ordinare, vt res tam magna moueatur ad solum finem, vt res tam exigua moueretur, sicut si quis ordinaret, vt totus Oceanus moueri deberet in ordine ad mouendam vnam guttulam in eo contentam.

*Respondetur* concedendo sequelam maioris, & negando minorem, præsertim quando alias res illa minor tam commode moueri non posset à causis secundis, nisi moueatur motu rei maioris; vt contingit in proposito ex fũdamentis conclusionis. Quod si gutta Oceani non posset moueri commode quin totus Oceanus moueretur, prudentissime ordinaretur motus Oceani ad hoc, vt moueretur illa gutta, quando motus guttæ esset necessarius, aut vtilis vniuerso.

*Confirmatur efficaciter*: quia non esset magis alienum à prudẽtia diuina ordinare motum machinæ istius grandis, vt moueatur stella in eo fixa, quam ordinare rem tam grãdem, vt in ea moueretur res tam parua, præsertim cum posset moueri absque illa machina, supra scilicet alios Cælos inferiores: ergo sicut non obstante hoc fecit machinã illam grandem in ordine ad hoc, etiam poterat eo nõ obstante ordinare motum illius, vt moueretur res illa parua.

*Deinde* posset fieri, quod motus ille Cæli non haberet pro fine solo motum stellæ suæ, sed quod alium vsum haberet, nobis quidem ignotum, sed vniuerso valde vtilem; hoc autem supposito deberet moueri ad illum alium finem, & consequenter melius ordinaretur, vt tam ipsum, quã stella vnico motu moueretur, quã duplici distincto.

64 *Obiicies quarto ex Auersa q. 32. sect. 5.* possent commode moueri stellæ errantes, quamuis non multiplicarẽtur Cæli integri, modo multiplicarentur in Cælo zonæ quædam; seu fasciæ prægrandes incluſæ in concauitatibus correspondentibus in ipso vnico Cælo, in quo sunt stellæ fixæ: ergo non sunt multiplicandi Cæli pro multiplicatione Planetarũ, sed sufficit multiplicare tales partes Cæli.

*Respondeo primo*, eos qui multiplicant Cælos, non curare, an Cæli isti sint integra corpora rotunda ex omni parte, sed sufficere ipsis, eorumque intento illam multiplicationem partium, quam concedit *Auersa*. Vnde frustra hoc argumento conatur infringere communem sententiam de Cælorum multiplicitate.

*Respondeo secundo* æque facile posse multiplicari integros Cælos, ac fascias illas; vnde cum communis sententia, vt ipse supponit, ita sentiat, non est recedendum ab illa absque vrgenti aliqua ratione, aut authoritate, qualem non affert pro se hic Author.

## CONCLVSIO I.

65 *Præter hos octo Cælos non est necesse ponere alios Cælos mobiles nec immobiles præter Cælum Empyreum quod etiam ponendum est sicut & aer; qui nomine Cæli sæpe appellatus venit.* Hanc conclusionem colligo ex Doctore, quatenus tractando de numero Cælorum mobiliũ, non nisi octo Cælorum mẽtionem facit: eam expresse tenet *Arriaga*, & probabilem censet *Amicus* hic cõtra *Conimbricenses*, qui duos alios Cælos mobiles, vnum, quod vocant primum mobile, supra Cælum stellarum fixarum collocatum, & alterum supra ipsum, glaciale appellatũ ponunt, pro qua sententia plures alios authores citat *Amicus*, qui etiam ob authoritatem Astrologorum eam putat probabilem. Præter octo Cælos & empyreũ non esse. Contra plures.

*Probatur prima pars conclusionis*, quod scilicet non dentur plures Cæli mobiles quam octo: quia non est fundamentum sufficiens ad plures Cælos mobiles ponendos: ergo nõ sunt ponendi iuxta vulgatum axioma, quod nõ sint multiplicanda entia sine necessitate. Probatur antecedens quia fundamentum ponendi Cælum nonum, quod vocãt authores oppositæ sententiæ *primum mobile*, est quod obseruatum sit Cælum sydereum, in quo scilicet sũt stellæ fixæ, nõ solũ moueri ab oriente ad occidentẽ, sed ab occidente etiam ad orientẽ motu retrogrado, quo non conficitur nisi vnus gradus in centum annis, qui motus non posset ipsi conuenire ex se, nisi quatenus moueretur motu aliquo cæli superioris, quod totali motu moueretur: ergo datur cælum aliud superius cælo sydereo.

*Rursus* obseruauerunt alium motum trepidationis in eodem cælo sydereo, qui non posset ipsi conuenire nec ratione motus sui nec ratione motus cæli noni, à quo habet moueri retrograde ab occidẽte ad orientem: ergo debet poni aliud cælum decimum, quod totali motu moueatur per se, & propterea vocatur Chrystallinum, aqueũ & glaciale: hoc autem cælum putat esse nonum ordine, & præcedens cælum esse vltimum omnium cælorum mobilium, ac propterea primum mobile.

*Sed hæc fundamenta* non sunt sufficientia: nam non apparet quo modo motus tam tardus, quo non conficeretur nisi vnicus gradus centum annis, aduerti possit: & præterea posset commodissime fieri, sicut & ille motus trepidationis ab Angelo assistente, ac mouẽte cælum absque interuentu aliorum duorum cælorum: ergo non est sufficiens fundamentum asserendi illos duos cælos mobiles.

66 *Probatur conclusio*, quoad illam partem, qua negat alios cælos mobiles præter Empyreum, simili argumento: quia non est fundamentum aliquod vnde colligantur, & si absque fundamento posset quis asserere aliquos cælos, posset centum alios mobiles ac totidem immobiles asserere: quod est absurdum. Datur cælum empyreũ.

*Probatur conclusio*, quatenus asserit cælum Empyreum, tum communi Theologorum sententia cum *Magistro in* 2. *d.* 2. *ac* D. *Thoma* 1 *p. q.* 66. tum etiam quia datur cælum, in quo Beati vident Deum, & in quo Christus post ascensionẽ sedet à dextris Dei, vt est de fide: sed illud vocamus Empyreum. Quod autem sit immobile ac propterea distinctũ à cæteris cælis mobilibus, patet ex eo quod nõ sit vlla ratione cõueniens cælũ, in quo residẽt Beati, cõtinue moueri, quia in eo Beati etiam cõtinue mouentur.

*Adde* hic obiter, si cælum stellarum esset immobile, & præterea solidum secundum eam partem in qua residet stellæ fixæ, vt aliqui existimant, non esse necessarium, vt daretur cælum Empyreum distinctum ab ipso, quia illud ipsum cælum posset sufficere Beatis quantum ad partem superiorem eius, quæ posset esse tam magna quam de facto est cælum Empyreum. Dicitur autem hoc cælum *Empyreum*, id est igneum, non quod reuera sit nimis calidum, sed ob nimiam lucem, qua perfunditur. Cur sic dicatur.

*Quares*

*Quæres*, si habet tantum lucis, cur non videtur? *Respondeo*, vel quia à parte exteriori aut est opacum, aut non est tam lucidum; vel quia superficies extima seu conuexa vltimi cæli impedit transmissionem lucis ab illo ad nos; vel quia Deus aliqua alia via procurat, ne videatur à peccatoribus in hac vita.

67 Hic solet discurri de Epyciclis, & aliis Cælis excentricis, & concentricis; ex quibus supponunt Astrologi componi cælos Planetarum propter diuersas mutationes, quas obseruant in motibus Planetarum: sed quia res est dependens ab obseruationibus huiusmodi, & facilius capi potest experimentali directione peritorum in ea facultate, quam discursu, non videbatur mihi hic vlterius inhærendum in ea: videri tamen potest Doctor supra & recentiores. Ex his habetur quantus sit numerus Planetarum & cælorum, & quem ordinem inter se seruent. Restat aliquid addere de numero stellarum fixarum, & de earum ac Planetarum magnitudine.

Quantus numerus stellarū fixarum.

Itaque quantum ad numerum stellarum fixarum, omnes Astronomi fatentur eas omnes numerari non posse; quia non apparent distinctæ semper; dicunt tamen illas, quæ quouis anni tempore facile discerni possunt, esse mille viginti duas tantum, quas omnes in quadraginta octo constellationes redegerunt: per constitutionem autem intelligunt certum numerum stellarum quendam inter se ordinem habentium, quo distinguuntur à quocumque alio stellarum numero: Inter has constellationes principalem locum obtinent duodecim signa Zodiaci siue Cælestia quorum primum est *Aries*, secundum *Tauru*, tertium *Gemini*, quartum *Cancer*, quintum *Leo*, sextum *Virgo*, septimum *Libra*, octauum *Scorpio*, nouum *Sagittarius*, decimum *Capricornus*, vndecimum *Aquarius*, duodecimum *Pisces*: quæ his nominibus vocantur, vel quia effigiem præ se ferunt rerum, quarum ista sunt nomina, vel quia, dum Sol sub iis mouetur, actiones fiunt in mundo inferiori nostro aliquo modo correspõdentes naturis istarum rerum: verbi gratia, quia dum Sol est sub signo vel constellatione, quæ vocatur *Libra*, dies adæquantur noctibus, istud signum vocatur *Libra*: similiter; quia quando Sol mouetur sub signo, quod vocatur *Virgo*, terra nimiis caloribus adusta, nihil aut nisi parum parit, istud signum vocatur *Virgo*, & ita de cæteris.

Quantum autem ad magnitudinem stellarum, respondeo varias fuisse circa hoc opiniones Philosophorum veterum, nam teste *Plutarcho lib. 2. de placitis Philosophorum c. 2. Stoici* Lunam terra maiorem esse, asserunt. *Parmenides* æqualem Soli. *Anaximander* decies nouies terra maiorem *Heraclitus* Solem ipsum magnitudine humani pedis terra maiorem esse existimauit, *Anaximander* æqualem terræ, qui tamen putauit circulum, quo secundum ipsam fertur septies, & vigesies terra esse maiorem. Stellas Firmaméti quidam existimarunt esse eiusdem magnitudinis, sed inæquales videri, quia quædam consistunt in infima parte crassitudinis sphæræ, quædam in suprema, quædam in media. Verũ hæc priotis sæculi errata correxere peritiores Astronomi, tum ratione, tum artificiosa suę artis notatione. Itaque asserũt ex stellis fixis supra enumeratis minimam terra maiorem esse: illas autem omnes in sex classes diuidunt magnitudine inter se distinctas; quarum *Prima* complectitur 15. stellas maximas, & splendidissimas quas vocant stellas primæ magnitudinis, & harum quælibet terram superat centies, & septies. *Secunda* comprehendit 45. quę dicuntur secundæ magnitudinis, & harum quælibet superat terram nonagesies. *Tertia* 208 quarum quælibet terram superat septuagies & bis. *Quarta* habet 474. quarum quælibet terram superat quinquagies & quater, *Quinta* includit 227. ex quibus vnaquæque terram vincit magnitudine trigesies & nouies. *Sexta* habet 46. & earũ singulæ continent magnitudinem terræ decies & octies Præterea dicunt ex stellis errantibus *Saturnum* continere magnitudinem terræ decies & nouies: *Iouem* nonagies, & quinquies: *Martem* semel, & paulo amplius: *Solem* centies & saxagesies sexies: sed *stellam Veneris* dicunt superari à terra septuagies & ter. *Mercurium* quinquagies & bis. *Lunam* trigesies & nouies. Verum hęc omnia magis ex fide quam ratione aliqua certa corrigi posse censeo, ac propterea parum, aut nihil habere certitudinis.

## QVÆSTIO VII.

*Vtrum omnes Cæli, & Astra differant specie.*

69 BReuiter hæc quæstio exp dienda est, quia ob distãtiam cęlorum à nobis, non nisi coniecturis pro maiori parte locus est, quæ vt plurimum incertissimæ sunt.

### CONCLVSIO I.

Astra à suis orbibus distinguũtur.

*Astra omnia tam fixa quam errantia à suis orbibus distinguuntur specie.* Hæc est communis, & *Probatur* ex notabili differentia, quæ apparet quoad speciem externam inter cælos & astra.

*Confirmatur*: quia maior conuenientia apparet stellarum inter se quam cum cælis: sed inter se distinguuntur specie ergo & à cælis.

*Confirmatur secundo*: quia probabilius est cælos inter se esse eiusdem speciei, vt postea dicemus: sed astra inter se non sunt eiusdem speciei: ergo non sunt eiusdem speciei cum cælis.

### CONCLVSIO II.

Stellæ errantes sunt distinctæ inter se, & à stellis fixis.

*Omnes stellæ errantes sunt distinctæ speciei à se inuicem & à stellis fixis, & multæ etiam stellæ fixæ distinguuntur inter se speciei.* Hæc etiam est communis.

*Probatur* quoad primam partem ex notabili diuersitate quæ est inter effectus ab ipsis procedentes, quæ diuersitas colligitur experientia. Saturnus enim frigiditatem, & melancholiam; Mars siccitatem & bilem; Venus sanguinem Mercurius subtilitatem influit: de Sole autem, & Luna manifesta apparet differentia.

*Probatur secunda pars*: quia alio modo influunt, quando sunt in vna positione ad stellas fixas, quam in alia: quod fieri non deberet, si essent eiusdem speciei cum ipsis.

*Probatur prima pars*: quia Vrsa minor trahit magnetem, quod aliis stellis non competit. Deinde si illæ stellę non distinguerẽtur specie, Planetæ sub illis in vna di positione non deberent producere dissimiles effectus illis, quos producunt in alia dispositione. Deinde, quãdoquidem varietas effectuum multorum in sublunaribus dependet potissimum ab illis, est verisimilius, quod in ipsismet sit maxima varietas quoad speciem: ob quam rationem probabile puto quod omnes stellæ fixæ sint distinctæ speciei, quamuis non sit certum, quin aliquæ ex illis sint eiusdem speciei: & propterea data opera in conclusione dixi *multæ stellæ fixæ*, non vero omnes.

### CONCLVSIO III.

Probabilius, quod cęlestes omnes sint eiusdem speciei.

70 *Incertum est an Cæli mobiles sint distincta speciei inter se, sed probabilius tamen est, quod non, si spectetur præcise ratio*: Hæc est minus communis, sed eam docet expresse *Arriaga* & alij recentiores.

*Probatur prima pars*: quia imprimis non repugnat quod sint diuersæ vel eiusdem speciei, nec est vlla ratio aut authoritas certa, quæ euidenter probet alterutram partem.

*Probatur secunda pars*: quia imprimis quantum ad speciẽ externam non apparet notabilis differentia, nec vlla, quæ non posset refundi in accidentia: & quod vnum habeat astra distincta speciei aut locum superiorem, nihil probat, nam non est necesse quod ex natura sua intrinseca hoc ipsis competat: vniuersaliter autem quoties non datur ratio sufficiens authoritas pro distinctione specifica rerũ, potius neganda est, & fauendum vnitati, quamuis pro ea non haberetur ratio aliqua positiua.

*Confirmatur*: quia secundum ipsosmet aduersarios, partes omnes eiusdem cæli sunt eiusdem speciei & tamen in cælo stellato aliquæ partes habẽt distinctas speciei stellas ab illis, quæ sunt in alijs partibus: alias stellæ fixæ omnes essent eiusdem speciei contra eosdem aduersarios: ergo quod cæli habeant stellas specie distinctas, non arguit distinctionem specificam ipsorum.

*Rursus* in eodem cælo, sunt partes inferiores, & superiores, & tamẽ non sequitur propterea quod partes superiores distinguantur specie ab inferioribus: ergo quod vnũ cælum sit superius altero, non arguit distinctionem specificam vtriusque.

CONCLV

## CONCLVSIO IV.

Etiamsi cæli distinguerentur specie incertū an superiores essent nobiliores.

17 *Quamuis cæli distinguerentur specie, incertum tamen esset an superiores sint perfectiores inferioribus.* Hæc est contra *S. Thomam 12. met. c. 8.* & *Conimbricenses*, qui tenent oppositum de omnibus cælis, excepto cælo Solis quod putant cæteris perfectius, vt Sol est præstantior Planetis reliquis.

*Probatur*: quia nulla prorsus ratio est, ob quam quod minus præstans est, non possit esse in superiori loco etiam ex natura sua: nec sane ex eo, quod aqua sit superior terra colligitur sufficienter quod sit ea perfectior, nec ex superioritate aeris ad aquam sequitur perfectiorem eum esse.

*Confirmatur primo*, quia licet si peterent superiorem locum ex natura sua, daremus superiores inferioribus in perfectione præferendos, tamen non constat quod id petant potius ex natura sua, quam quod cõpetat ipsis mere accidentaliter; & ex eo, quod habeãt maiorem quantitatem, ac propterea non possint contineri sub cælis, qui sũt inferiores, nisi augeretur eorum quãtitas: sed si id competeret ipsis accidentaliter, certum est, quod non argueret in ipsis distinctionem specificam.

*Confirmatur secundo*: quia ex Astris Sol est perfectissimum, & tamen non habet altiorem locum secundum aduersarios, & idem est de cælo ipsius secundum *Conimbricenses*: ergo altior locus non arguit maiorem dignitatem, nec humilior minorem.

## QVÆSTIO VIII.

*An Astra habeant lucem à semetipsis.*

72 SVppono lucem esse accidẽs, & Solem ex semetipso esse lucidissimum, quod extra controuersiam facit quotidiana experientia, qua etiam probatur cætera astra, quæ videntur, lucida esse, neque alias viderentur; sed controuersia est, an cætera astra, quidquid lucis habent, Soli acceptum referre debeant, habeant ne vero ex natura sua aliquid lucis.

## CONCLVSIO I.

Planetæ suam lucẽ principaliter à Sole participant.

*Planetæ suam lucem principaliter à Sole participant.* Hæc est communis & *Probatur*: tum quia ex diuersa approximatione ad Solẽ magis ac minus lucent; & hac de causa Sol medio inter Planetas loco cõstitutus dicitur, vt melius posset illis lucem communicare; tum quia alias interposita terra inter Solem, & Lunã dum fit Ecclypsis, deberet Luna apparere lucida contra experientiam. Dixi in conclusione *principaliter*, quia non improbabile est eos aliquid à se lucis habere, vt colligi videtur ex eo quod in Eclypsi lucem aliquam retineat Luna, quamuis nõnulli putent illam ipsam habere à Sole non quidem directe, sed indirecte, quatenus scilicet illuminat cælum, & hoc illuminatum Lunam etiam illuminat aliqualiter.

73 *Obiicies.* Alij planetæ non obscurantur propter interpositionem terræ ipsos inter & Solem, ergo suam lucem à se ipsis principaliter habent.

*Respondetur* communiter negando consequẽtiam: cuius ratio assignatur, quod vmbra terræ non perueniat nisi ad Venerem, & propterea interpositio terræ nequit impedire illuminationem altiorum planetarum, vt Saturni, Iouis, Martis. Ipsa autem Venus & Mercurius ad quorũm cælum pertingit vmbra terræ, nunquam à Sole tantum receduut, vt ex diametro ipsi opponantur, nec propterea potest interponi terra inter ipsos, & Solem, vt possint Eclypsari.

## CONCLVSIO II.

Stellæ fixæ habẽt principaliter lucem suam à seipsis.

74 *Stellæ fixæ habent lucem suam principaliter à seipsis.* Hæc est communior, & *Probatur*: quia perfectionis est habere à seipsis lucem, & non constat vlla experiẽtia quod stellæ illæ mutuẽt à Sole suam lucem; imo potius suffragatur experientia opposito, nã in ipsa meridie ex altissimis puteis stellæ fixæ videri possunt; cũm tamen tum illuminari non possent à Sole, qui supponitur esse à tergo opticus, nec roteſt consequenter illuminare nisi quod aspicit: tum autem non aspicit illas stellas, nec potest dici quod indirecte eas illuminaret, sicut secundum multos illuminat Lunam in Eclypsi, quia sic non apparerent nisi parum lucidæ contra experientiam.

An lux sublunaris, & cœlestis sint eiusdem speciei.

75 *Quæres*, an lux corporum cælestium & sublunarium sit eiusdem speciei. *Resto deo*, quantum ad sensum nostrum & experientiã attinet, videri quod sic, tummã enim videntur habere similitudinem, nec est inconueniens quod cælestia & sublunaria sint affecta qualitatibus eiusdẽ speciei. Posset tamen fieri quod lux cælestium corporum sit diuersæ speciei, quia posset habere virtutẽ actiuam respectu multorũ effectuũ, quos attingere non posset lux sublunaris. Et ita sane dicendũ esset, si per lucem produceret Sol calorem, neque enim lux sublunaris est calefactiua: existimo tamen omnino falsum esse, quod Sol per lucem tanquam per instrumentum calefaciat: cur enim non produceret calorem immediate, siue per virtutem suam substantialem; siue per calorem formalem, si habeat talem?

*Confirmatur*: quia astra aliqua habent producere frigus, sed non per lucem, nec per aliam qualitatem, nisi dicãtur esse frigida formaliter; sed per virtutem suã substãtialem, ergo pari ratione virtutẽ producit Sol calorem, & non per lucem aut aliam qualitatem, nisi sit calidus formaliter: consequentia patet à paritate rationis.

76 *Dices*: si Sol produceret calorem, & non per lucem, ageret in distans, quia non producit calorem in orbibus intermedijs inter ipsum & sublunaria: ergo producit calorem mediante luce.

*Respondeo primo*, mihi valde incertum esse, an Sol producat calorem in cælis, & probabilius esse quod sic, modo habeant quantitatem eiusdem rationis cum quantitate sublunari, & modo hęc sit subiectum immediatum qualitatum primarum, vt communiter tenetur; vnde negari posset sequela cum sua probatione.

*Respondeo secundo* distinguendo sequelam: ageret in distans non habendo vllam actionem in medio, nego sequelam; ageret in distans, non habendo similem actionem in medio, nec aliam etiam, quæ esset principium actionis in distans, concedo antecedens.

*Responderi posset tertio*, concedendo absolute sequelam iuxta communia Scotistarum principia.

## QVÆSTIO IX.

*De motu Cælorum.*

77 PLures in hac quæstione expediuntur difficultates motũ concernentes, vt an orbes inferiores moueãtur motibus orbium superiorum, an moueantur à seipsis, an motus sit ipsis naturalis, an per motum agant in hæc inferiora tanquam per principium *quo*: an cessante motu corporum cælestium cessarent omnes motus sublunarium.

Omnes cæli mouentur ab oriẽte ad occidentẽ.

Alium particularem motum habent planetæ.

Antequam resoluantur hæ difficultates, suppono omnes cælos moueri ab oriente ad occidentem, & quidem spatio vigiti-quatuor horarũ qui motus vocatur motus diurnus ac raptus, & ab Astronomis dicitur per se primo ire ad occidentẽ. competere primo mobili & per accidẽs cæteris inferioribus orbibus, ex eo scilicet quod eos trahat secũ primum mobile. Præter hunc autem motum omnibus cælis communem planetæ habeant suos proprios motus quibus curſum suum circa orbem pergunt, *Lunæ* quidem 29. diebus, septem horis, & 44. minutis. *Mercurius* & *Venus* 365. diebus, septem horis, 46. minutis, & totidem fere *Sol*. *Mars* vno anno, diebus trecentis, viginti vno, horis 23. *Iupiter* vndecim annis, 313. diebus, 20. horis. *Saturnus*, 29. annis, 162. diebus, 20. horis, vt Astronomi diuturna obseruatione notauerunt.

Terra non mouetur cælo immobili.

78 Fateor quidem *Copernicum* de reuolutionibus orbiũ cælestium, & quosdam alios negauisse cælos moueri, sed eos esse penitus immobiles, ac terram ipsam moueri, quamuis nobis immobilis appareat deceptis ea ratione, qua nauigantes iuxta terram putant terram potius quam nauem moueri. At hæc opinio prohibita est a Congregatione Indicis, & non solum Scripturæ aduersatur Eccl. 1. *Generatio præterit & generatio aduenit, terra autem in æternum stat; oritur Sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem:* & *Iosue* 10. vbi Sol stetisse refertur, &

4. *Reg.* 20. vbi Sol retroceſſiſſe fertur decem gradibus Non ſolum inquam Scripturæ aduerſatur, ſed etiam rationi: nam imprimis impoſſibile eſſet ſaluare quomodo Sol & Luna, & cæteri planetæ accederent, & recederent a ſe inuicem per quemcunque motum terræ, iiſdem immotis, ſicut nec poſſent ſaluari per quemcunque vnicum motum ipſiuſmet cæli: & hinc vel multiplicantur cæli, vel fluidi aut penetrabiles ſtatuuntur, vel canales in ipſis eſſe tenentur, in quibus ſtellæ mouentur: ſed nec *Copernicus* videtur negare moueri planetas.

*Deinde*: ſi terra moueretur tam velociter, quam volunt aduerſarij, vt nec percipi poſſet à nobis vlla experiẽtia, & ita vt poſſit ſpatio 24. horarum volui ab vno puncto cæli ad idem punctum, ſagitta in altum vi magna proiecta nõ poſſet in eundem locum cadere, ſed omnino deberet retro ad maximam diſtantiam cadere, quia pars terræ ex qua proiiciebatur valde multum ab eodem puncto debebat vltra procedere, quod eſt cõtra experientiam. Nec ſufficit dicere quod aer etiam moueatur motu propriõnato ad motum terræ, quia ſi ſic moueretur non poſſet contra ipſum aliquid leue proiici, & præterea non ſic mouetur, ſed potius contra.

*Addo* nullum eſſe fundamentum oppoſitæ ſententiæ, quod reſponſione dignum ſit: ſed in re certiſſima non eſt vlterius immorandum.

## CONCLVSIO I.

Cæli nõ mouentur à ſeipſis.

70 *Cæli non mouentur à ſeipſis: ſed vel à Deo ſolo, vel ab Angelis.* Hæc eſt communis cum *Sententiariis in* 2. *d.* 14. *& D. Thoma* 1. *p. q.* 78. *art.* 3. contra quoſdam antiquos Philoſophos, quos ſecutus eſt *Albertus à Saxonia* 8. *Phyſ. q. vltima*, & partim *Valleſius controu.* 11. qui motum cælorum partim ab Intelligentia, partim à propria forma prouenire putat, ac nouiſſime *Camerarius diſp.* 25. cui peregriniores viderentur placuiſſe ſententiæ.

*Probatur prima pars*: quia ſi mouerentur à ſeipſis vel mouerentur motu ſenſitiuo præſupponente cognitionẽ, ſicut mouentur animantia; vel motu naturali non ſẽſitiuo tali, quali mouentur grauia deorſum, & leuia ſurſum, vt patet: ſed non mouent ſe primo modo, quia alias eſſent animata contra dicta *quæſtione* 3. nec ſecundo modo, quia alias motus eſſet ipſis naturalis contra dicenda.

*Confirmatur*: materia prima optime colligitur non habere virtutem adæquate productiuam vllius formæ ſubſtantialis, quia non magis deberet vnius quam alterius, & quia non poteſt ſimul omnes habere, nec quando habet vnam, producit in ſe alteram, aut poſſet producere in æternum niſi adueniret agens extrinſecum; ſed cælum non magis eſt productiuum vnius vbi, quam cuiuſcunque alterius, & quando habet vnum ſtatim illud perdit, & acquirit alterum: ergo ſignum eſt, quod non ſit productiuum vllius ex ipſis, ſicut nec materia prima vllius formæ.

*Confirmatur ſecundo*, quia nullum aliud agens naturale quando producit vnam formam in ſe producit aliam formam incompatibilem cum ipſa, ex qua non ſequatur aliquod emolumẽtum ipſi magis quam ſequebatur ex priori ſed ex vno vbi acquiſito per motum cæli, non ſequitur ipſi aliquod emolumentum magis quam ex alio quocunque: ergo quando producit vnum, non deberet ipſum perdere, & acquirere alterum incompatibile.

*Confirmatur tertio*, ſpecialiter contra *Valleſium*: quia ſi cælum haberet virtutem partialem productiuam ſui motus, nihil impedit quo minus haberet totalem: ergo vel hanc habet, vel illam non habet.

*Probatur ſecunda pars*: quia nulla alia cauſa, à qua moueatur præſertim tanto ordine ac velocitate, aſſignari poteſt.

80 *Si autem quæras*, cuinam potius attribuendus ſit ille motus, Deo ne an Angelis? *Reſpondeo* cum cõmuni ſententia contra *Leſſium lib.* 11. *de diuin. perf. c.* 8. Angelis cum attribuẽdum, ſic enim ſignificatur in Scriptura Iob. 9. *Sub quo curuantur, qui portant orbem*, id eſt Angeli, qui etiam propterea *Lucæ* 21. vocantur *Virtutes cælorum*. Cuius ratio eſt, quod ſine dubio poſſint Angeli eos mouere & quod magis congruum ſit vt Deus per eos id faciat quam ſe ſolo, vt ſic maior ſit in toto vniuerſo ſubordinatio quoad omnes partes, dum corpora ſublunaria cæleſtibus, & hęc Creaturis ſpiritualibus ſubordinantur, & hę denique Deo, ne detur proceſſus in infinitũ. Quę tamen ratio non eſt cenſenda conuincens, aut per ſe ſufficiẽs ad probandũ quod dentur Angeli, quia ſicut Deus immediate eõſeruat ipſos Angelos, ita poſſet immediate mouere cælos abſque interuentu vllius creaturæ cum ipſo concurrentis, & hoc ſine vlla prorſus imperfectione aut inconuenientia, præſertim ſi non fuiſſent creati Angeli; vnde ſi iis creatis eſſet inconueniens, quod ſe ſolo cęlos moueret, ad hoc vt probetur quod id non faciat, debet probari prius quod dentur Angeli, quorum miniſterio vti ipſum deceret.

*Obiicies primo*, alia corpora inferiora minoris perfectionis habent ex ſe virtutem loco motiuam: ergo non eſt deneganda cæ o.

*Reſpondetur* negando conſequentiam, quia aliis vtilis eſt illa virtus, ex eo, quod poſſint eſſe extra ſuum locum naturalem; cęlo vero non item ob contrariam cauſã, quia ſcilicet non poteſt eſſe extra ſuum locum natu alem; neque quicunque perfectio tribuitur rei imperfectiori, debet etiam perfectiori concedi, ſed ſufficit quod perfectior res, ſi non habeat illam, habeat aliam perfectionem maiorem.

*Obiicies ſecundo*, non repugnat cælum moueri à ſeipſo: ergo debet dici, quod ſic moueatur. Probatur antecedens: tum quia non poteſt aſſignari repugnantia, tũ quia de facto impulſus impreſſus corpori ſphærico habet virtutem mouendi ipſum circula iter: ergo non repugnat, quod cęlum ex natura ſua habeat virtutem mouendi ſe ta i motu, quale moueri poſſet vi impulſus Probatur etiam conſequentia: quia quoties videmus effectum aliquem coniunctum cum aliqua re, & non conſtat nobis, quod illa res non poſſit eſſe cauſa illius, debemus exiſtimare quod ſit cauſa eius: ſed videmus modum circularem coniunctum cum cęlo, & non conſtat nobis quin cælum ſit cauſa eius ſi non repugnet quod ſit cauſa eius; ergo debemus dicere, quod ſit cauſa eius, & ſane alias potuiſſemus negare, quod grauia à ſeipſis deſcendant deorſum, aut quod ignis calefaciat, quod eſt abſurdum.

82 *Reſpondeo* negando antecedens cum ſua prima probatione; & repugnantia eſt clara, quia ſequeretur, quod illa virtus loco motiua eſſet cęlo naturalis, & non eſſet naturalis ipſi: eſſet enim quia conueniret ipſi ex natura ſua, vt ſupponitur: nõ eſſet autem, quia nulla virtus naturalis rei reſpicit aliquam formam ſpectantem ad ipſammet rẽ, niſi formam ſpectantem ad bonũ ipſius rei, & hac ratione nulla res naturaliter producit in ſe aliquam formam ſibi violentam, aut neutram: ſed illa virtus non reſpiceret talem formam, quia non reſpicit niſi vbi, aut locum, quæ non ſpectant ad bonum cęli, vt poſtea dicemus: ergo non eſſet virtus naturalis cælo.

*Ad ſecundam probationem* antecedentis nego conſequentiam: & ratio eſt, quod impulſus non ſit virtus naturalis rei, ſed violentus potius; atque adeo non implicat, quod moueat ipſum ad diuerſa vbi non ſpectantia ad bonum rei motæ: nec ex hoc ſequitur implicantia vlla, qualis tamen ſequeretur ex eo, quod res naturali virtute produceret in ſe talia vbi, vt patet ex iam dictis.

83 *Obiicies contra vtramque partem concluſionis*: poſſet motus cæli prouenire ab impulſu ipſi à Deo impreſſo ab initio ſuæ creationis; ergo aſſignari poteſt alia cauſa, ex qua proueniat ille motus, quam Deus aut intelligentia: & præterea ſi daretur ille impulſus ipſis impreſſus, mouerentur à ſe ipſis.

*Reſpondeo* mihi valde difficile apparere, cur Deus non poſſet talem impulſum imprimere, quo ſic mouerentur: ſicut enim agentia creata poſſunt imprimere impulſum, quo aliquandiu corpora circulariter moueãtur, cur Deus non poſſet imprimere impulſum quo cæli ſemper mouerentur, & quidem tali ordine & velocitate, quo de facto mouentur; haberet enim vnũ quodque cęlũ impulſũ ſuũ proportionatum ſuo motui: quod ſi daretur talis impulſus, non inde falſificaretur prima pars concluſionis, quæ

ſolum

solum vult quod cælum non moueatur à seipso, mediante aliqua virtute sibi connaturali; non vero, quod non moueat seipsum, mediante virtute non connaturali aliunde accepta absque exigentia suæ naturæ; quia tamẽ non constat eos accepisse à Deo talẽ impulsum, & non melius per ipsum moueri possunt, quam per Angelos aut solum Deum, communisque sententia teneat eos ab Angelis moueri; à potius dicendum est.

84 *Fortassis* aliquibus videretur huiusmodi impulsus implicare, quo cæli perpetuo mouerentur, quia sequeretur, quod esset infinitus. Verũ difficulter probabunt sequelam: sicut enim ignis potest producere infinitos ignes successiue absque infinitate; & graue, si daretur spatiũ infinitum inter ipsum, & locum naturalem, descenderet per totum illud spatium absque fine per virtutem suam finitam; & ipse Angelus per virtutem finitam mouebit perpetuos cælos, si perpetuo sint mouendi; cur ille impulsus non posset, non obstante finitate sua esse principium, quo mouerentur cæli semper dum mouebuntur.

*Dices*: de facto, quo motus impulsorum est longior, eo impulsus est maior, quando non occurit obstaculum: ergo si sit impulsus aliquis, cuius motus est infinitus, impulsus erit similiter infinitus.

*Respondeo* distinguendo consequens: si motus ille secundum omnem partem procedat ab eodem impulsu indiuisibiliter, nego consequentiam: si non procedat ab ipso indiuisibiliter, sed sic, vt pars impulsus concurrat ad partẽ motus, & alia pars ad alteram, concedo consequentiam.

Itaque impulsus censetur de facto esse maior, cuius motus est longior, quia impulsus est quid aliquantulum successiuum, cuius partes desinunt successiue; & propterea non posset vnus impulsus protrahere motum longius, quã alter, nisi plures partes haberet; impulsus autem ille, à quo mouetur perpetuo cælum, non esset quid successiuum, sed permanens. ac propterea non deberet habere infinitas partes, nec infinitam virtutem magis, quam virtus ignis aut virtus Angeli, vt dixi antea.

85 *Obiicies tertio ex Camerario*: in Scriptura habetur de Sole, quod exultauit vt gigas ad currendam viam: ergo tribuitur Soli virtus motiua.

*Confirmatur*: quia in præfatione Missæ virtutes cælorum ponuntur ab intelligentijs distinctæ: ergo non mouentur ab intelligentijs, sed à se ipsis.

*Respondeo*, præterquam quod ille locus posset optime explicari de agio, quam de Sole materiali, admisso quod agatur de eo Sole, negando cõsequentiam: quia sicut potest dici, quod Sol moueatur, quamuis à seipso non moueatur; ita potest dici, quod exultauit se vt gigas ad currendum, quamuis à se ipso non currat, & præsertim cum locutio tota sit figurata.

*Ad confirmationem dico*: si per virtutes cælorum intelligendum sit aliquid distinctum ab Angelis, & spectans ad cælos, non intelligendum esse virtutes motiuas sed productiuas aliarum rerum: vnde nego consequentiam.

*Obiicies quarto* pro *Lessio* ad probandum, quod ab intelligentijs non moueantur, si mouerentur ab intelligentijs, inteligeũ iæ deberen ipsi magna cum cura, & aduertẽtia assistere, & non possent nec inuisere homines in terra, nec adire cælum empyreum.

*Confirmatur*: quia inde sequeretur, quod Angeli possent cælos sistere, & vel celerius vel tardius pro libito eos mouere, ac sic perturbare facile ordinem vniuersi.

86 Hoc argumentum adducit etiam *Camerarius* pro se, sed inutiliter, quia quãuis sequeretur Angelos non mouere cælos, non inde sequeretur, quod mouerentur à se ipsis, possent enim commode à Deo moueri.

*Respondetur* igitur *Lessio*, concedendo totum, nec Angelis beatis est vllo modo incommodum esse affixos cælis ex imperio voluntatis diuinæ, cui ipsis se conformare summa est voluptas. Quod si conueniens esset, vt aliquãdo ea cura liberarentur, facile possent alij Angeli eorum loco substitui donec reuerterentur, neque necesse est vt idem Angelus semper assistat eidem cælo.

*Ad confirmationem* concedo etiã totum, si consideretur natura physica eorũ; at ex suppositione determinationis de facto habitæ à Deo, non est verendum ne id faciãt, nec possunt facere alio modo, quia non possunt non conformare se Deo.

## CONCLVSIO II.

Motus cæli est ipsi neutralis.

78 *Motus cæli non est ipsi naturalis nec violentus, sed neuter, id est: non est secundum inclinationem ipsius, neque contra inclinationem, sed indifferenter se habet ad illum.* Hæc est *Doctoris in 2. d. 2. q. 6. & in 4. d. 48. q. 2.* cum suis omnibus, quem sequitur *Hurtadus hic disp 2. sect. 4. Arriaga sect. 5. Amicus tract. 5 dub 7. art. 2.* contra *D. Thom. 3. contra Gentes cap. 23.* cum suis e multis aliis, quos sequuntur & citant *Conimbricenses 1. de cælo, cap. 2. q. 3. a. 2. & Ruuius etiam cap. 2. q. 2.* quamuis hic concedat motum illum non esse ipsis naturalem, si considerentur secundum se præcise, sed solum, quatenus considerantur, vt partes vniuersi.

*Probatur prima pars*: quia ideo aliquis motus dici potest naturalis subiecto alicui, vel quia procedit à principio actiuo intrinseco, vel quia est cõformis ad inclinationẽ ipsius: sed motus cæli nõ prouenit a principio actiuo intrinseco cæli, vt fatentur aduersarij, & probatũ est conclusione precedenti, neque etiam est iuxta inclinationẽ, cæli: motus enim nihil aliud est, quam acquisitio termini per eum acquisiti, verbi gratia, motus localis est acquisitio loci: vnde eatenus potest esse iuxta inclinationem mobilis, quatenus terminus per eũ acquisitus, verbi gratia, locus est iuxta inclinationem mobilis; sed locus acquisitus per motũ circularem cæli non est iuxta inclinationem ipsius, ergo neque motus ille. Probatur subsumptum: quia locus quem hodie habet Sol, non cedit vlla ratione in emolumentum ipsius, neque enim iuuat ad conseruationem ipsius aut ad delectationem: non quidẽ ad conseruationem, quia quamuis non moueretur vlla ratione, nec haberet illum locum, sed alterum, quem ante medium annum habuit, æque conseruaretur, eo vel maxime quod sit incorruptibile etiam secundum aduersarios: non etiam ad delectationem, quia non est animatum, etiam secundum aduersarios; nihil autem, nisi animatum potest percipere delectationem vt patet; ergo ille locus non est ipsi naturalis: sed eadem est ratio de illo loco, ac de quocunque quem acquirit per motum; ergo nullus ex illis est ipsi naturalis.

88 *Probatur secundo* idem subsumptum, & ipsa conclusio directe: si cælum haberet inclinationem naturalem ad motum, aut motus ille esset ipsi naturalis, deberet habere virtutem productiuam istius motus, sed hoc est contra aduersarios & communem sententiam paulo ante probatam, dicunt enim cælos non à seipsis moueri, sed ab intelligentiis: ergo nec habet talem inclinationem, nec motus est ipsi naturalis.

*Probatur sequela primo*: quia grauia & leuia ex eo quod habent inclinationem ad motum sursum & deorsum, & quod illi motus sunt ipsis naturales habent etiam virtutem productiuam talis motus, aut saltem non requirunt aliam causam, à qua moueantur physice, tum actualiter existentem ut præsentem (quod addo propter Thomistas, qui existimant ea moueri à generantibus) ergo similiter dicendum de cælis: neque enim debent esse inferioris virtutis ad producendum motum sibi connaturalem, quam grauia & leuia.

*Probatur eadem sequela secundo*: quia nihil impedit quominus talis virtus ipsis concederetur, & quantũ ad experientiam & rationem potius ipsis attribui deberet, quam intelligẽtiis spiritualibus, quę superflue & gratis dicerẽtur in eo ministerio exercere quod posset commode ab ipsismet cælis sine ipsarum assistentia prouenire.

*Dices cum Ruuio*, his rationibus probari bene, quod motus circularis non sit cælo naturalis, si spectetur secũdum naturam suam particularem, quia vt sic non accipit beneficium vllum ab illo motu, sed si consideretur, vt est pars vniuersi, & vt consequenter habens inclinationem ad bonũ vniuersi, omnino accipit beneficiũ ab illo motu, quia vniuersum inde maximum capit emolumentum sine eo enim non fierent generationes & corruptiones rerum cum ea vicissitudine & varietate, cum qua

fiunt, & consequenter vt sic habet inclinationem ad illum motum, quia etiam propterea est ipsi naturalis.

89 Hæc sane est vnica via, qua posset cum aliqua apparentia defendi hæc sententia: & confirmari potest exemplo aquæ, quæ habet inclinationem ad motum sursum, vacui impediendi causa; non quidem secundum naturam suam particularem, sed secundum quod est pars vniuersi, & inclinata consequenter ad bonum vniuersi quærendum.

*Impugnatur tamen primo*: quia sicut conceditur aquæ inclinatio vniuersalis ad motum illum sursum cõtrarium inclinationi suæ particulari; ita etiam conceditur ipsi virtus actiua correspondens tali inclinationi, secundum quã mouet se tali motu, non minus quam mouet se deorsum iuxta inclinationem suã propriam, quando non est periculum vacui: ergo similiter si cælum haberet huiusmodi inclinationem vniuersalem ad motũ circularem, deberet habere virtutem actiuam conformem, & sic non esset recurrendum ad intelligentias; aut si recurrendum esset ad intelligentias, ex eo quod ille motus, licet sit iuxta inclinationem vniuersalem cæli, non est tamen iuxta inclinationem particularem: ergo similiter in motu aquę sursum recurrendum esset ad intelligentias, aut ad alias causas, quia, licet esset iuxta inclinationem vniuersalem; non tamen esset iuxta particularem inclinationem ipsius, sed potius contra.

*Confirmatur hoc*: quia ideo poneretur inclinatio hæc ad bonum vniuersale in qualibet parte vniuersi, quæ non esset distinctæ rationis ab inclinatione particulari, vt inde melius conseruaretur ipsum vniuersum cum omni perfectione sua: sed per inclinationem passiuam tantum absque actiua non sic conseruaretur, quia per inclinationem passiuam, quam haberet aqua ad motum sursum, aut cælum ad motum circularem, nec impediretur vacuũ, nec fierent vicissitudines & variationes generationum in vniuerso, nisi esset facultas actiua, quæ reduceret illam inclinationem passiuam ad actum, ergo talis facultas actiua est coniungenda cum passiua.

90 *Quod si dicas* ponendam quidem virtutem actiuam, sed non in ijs quibus est inclinatio passiua.

*Contra*: si ponatur virtus actiua productiua talis motus in aliis rebus, v.g intelligentiis, saluabitur eo ipso bonũ vniuersi, sine inclinatione passiua in rebus mouendis, verbi gratia, in cælo, aut aqua: quia intelligentiæ absque tali inclinatione passiua possunt ea mouere; ergo frustra ponitur illa inclinatio passiua; quod valde considerandum est: deinde quemadmodum in aqua & inclinatio & virtus actiua coniungitur, etiam in cælis coniungi pari ratione deberent.

*Impugnatur secundo*: quia non deberet res contra inclinationem propriam inclinari ad bonum vniuersi, nisi quia ex bono vniuersi conseruato, sequitur melius conseruatio boni proprij; & hinc aqua ascendere dicitur sursum, quia si non ascenderet, sequeretur vacuũ & ex hoc impedirẽtur influxus causarum conseruatiuarum partim corruptibilium vniuersi, & consequẽter nõ posset cõseruari ipsa aqua: quod si hoc non esset, aqua gratissime diceretur inclinari ad bonum vniuersi. Sed quamuis desineret motus cælorum, & desinerent vicissitudines generationum & corruptionum rerum, ac bonum vniuersi inde proueniens, tamen non sequeretur, quod cæli ipsi vllo modo desisterẽt aut perderent aliquid de perfectione sua substantiali aut accidentali: ergo non debent dici habere huiusmodi inclinationem ad bonum vniuersi.

91 *Confirmatur primo*: quia motus aquæ sursum, ex quo colligitur communiter inclinatio illa vniuersalis cõtra inclinationem propriam, fortassis non prouenit ab ipsamet aqua, sed ex aliis causis, hoc autem supposito non sufficiẽter ex illo motu colligeretur inclinatio aliqua in aqua ad talem motum.

*Confirmatur secundo*, quia si constaret motũ aquæ sursũ nõ prouenire effectiue ab ipsamet aqua, sed à causa aliqua extrinseca, posset dici, quod ille motus esset ipsi naturalis, imo tam deberet dici esse violentus, quam motus proiectorum contra inclinationem ipsorum: ergo cum cæli non moueantur effectiue à seipsis, non debet dici quod motus ille sit ipsis naturalis aut secundum inclinationem ipsorum.

*Confirmatur tertio*: quia ex motibus violentis, quibus moueretur terra ab aratoribus sursũ contra suam inclinationem sequitur bonum vniuersi, quia sequitur generatio multarum rerum, quæ alias non generarentur, & tamẽ nemo dicit illum motũ esse terræ naturalem: ergo quãuis ex motibus cælorum sequantur huiusmodi generationes, non debent dici naturales ipsis, quod sane valde facit ad hoc propositum.

92 *Probatur secunda pars conclusionis*: quia quemadmodum non recipit cælum ex eo motu emolumentum, ita nec est ipsi detrimẽto, & consequenter non debet habere auersionem ab ipso, nec debet ipsi esse violentus. Et hinc probatur facile tertia pars: quia omnis motus, qui non est mobili aut vtilis aut inutilis, est ipsi neuter, id est, nec naturalis nec violentus; talis est motus cæli si veræ sunt duæ primæ partes conclusionis, ergo est neuter.

*Obiicies primo*, omne corpus physicum vendicat sibi aliquam lationem: cælum est corpus physicum: ergo vendicat sibi aliquam lationem, non aliam quam circularem: ergo.

*Confirmatur*: natura est principium motus etiam localis ergo cum cæli sint constantes natura, debent posse principiare aliquem motum localem; non alium autem quam circularem: ergo.

*Respondeo*, quidquid sit de maiori, quæ negari posset, quando nulla latio esset benefica mobili: sed quidquid sit de hoc, nego subsumptum, quia exigeret vbi a iqaod indeterminatum in illo spatio, in quo circumuoluitur de facto, non tamen exigeret moueri in vllo spatio, nec lationes successiuas, quas requirit mediantibus illis motibus.

*Ad confirmationem respondeo* distinguendo antecedens: quoties ponitur extra locum suum naturalem, concedo, quoties non ponitur, nego. Et similiter distinguo consequens, & nego subsumptum, peterent enim motum rectum, si ponerentur extra illum locum.

*Confirmatur responsio*: non magis natura est principium passiuum motus localis ac lationis alicuius, quam actiuũ quãuis à passiuo dicatur natura secundum *Scotum*; & hinc omne aliud corpus, præter cælum habet principium passiuum, ac actiuum motus alicuius localis ac lationis: ergo cælum deberet similiter habere principium actiuum motus localis circularis tam bene, quam principium passiuum.

*Quod si dicas* non habere principium actiuum propter rationem aliquam particularem disparitatis inter ipsum & alia corpora; *similiter* propter eandem rationem potest negari, quod habeat principium passiuum, quamuis cætera corpora naturalia habeant tale principium.

## CONCLVSIO III.

93 *Cæli inferiores non mouentur motu vno, quo trahuntur à motu primi mobilis ab oriente ad occidentem, & altero quo mouerentur contrario motu à sua intelligentia propria, & qui sit motus proprius eorũ.* Hæc iam est satis communis cum *Hurtado disp. 2. sec. 3. Arriaga sect. 5. Amico tract. 5. q. 6. dup. 9 a. 3.* qui *a. 2.* multos pro ea cita contra *Conimbricer. lib. 2. c. 5. q. 4.* & plures alios ab ipsis citatos. Cæli inferiores non mouentur duplici motu.

*Probatur primo*, quia nihil cogit ad ponendos diuersos illos motus, nisi diuersæ approximationes Planetarũ ad se inuicem & stellas fixas, & diuersæ apparentiæ ipsarũ stellarum fixarum: sed hoc totum potest saluari posito vno tantum motu in quolibet cælo aut planeta, ita tamẽ vt non moueantur æque celeriter, neque per eosdẽ axes: verbi gratia, quod Luna non apparet qualibet nocte in eodem puncto cæli, oriri potest ex eo, quod paulo tardius respectiue moueatur quam Sol.

*Confirmatur*: quia si differentia vlla sit, quæ per motum tradiorem saluari nequeat, illa attribui potest intelligentiæ assistenti, cui non est minus facile mouere cælum, quam ipsum tali vel tali modo mouere.

94 *Probatur secundo*, quia cum cæli non sint continui

sed

sed cõtig ui & solidi vt ex dictis suppono, non est vlla ratione necesse, quod superius moueat inferius; imo est valde difficile, quod id facere possit, si inferius contra moueatur, nam experientia potest constare quod in his inferioribus ex duobus circulis positis solum contiguis, quorum vnus sit infra alterum, inferius vel non mouetur omnino ad motum superioris, vel certe facile posset per quemcumque leuem impulsum à tali motu cohiberi; ergo non est dicendum quod ita fiat.

Probat *Arriaga*, *Ruuius* & alij: quia impossibile est vt vnum corpus moueatur simul ab oriente ad occidentem, & ab occidente ad oriens, quin sit in duplici loco simul, quod fieri nequit naturaliter.

At reuera experientia manifestum est posse aliquid moueri simul eodem tempore absque intermissione vlla, quę nostris sensibus pateat duobus motibus, vno ab oriente ad occidentem, & altero ob occidente ad oriens: nam si quis existens in puppi nauis motę ab oriente ad occidẽs traheret ad se tardissime, sed absque intermissione lapidem existentem in prora, ille lapis moueretur, & motu nauis, & motu proprio, quo moueretur ab illo homine; motus autem nauis esset ad occidens, & motus proprius esset ad oriens.

Potest aliquid moueri duobus motibus contrariis

*Confirmatur*: si non moueretur lapis motu illo proprio, sed maneret fixus in prora, remotior esset in fine motus nauis ab oriente, quã esset supposito illo motu, vt est euidens: ergo mouebatur ad oriens illo motu proprio, nullus enim motus posset efficere vt esset propius ad oriens; quam alias esset, nisi motus ad oriens: ergo mouebatur tali motu, sed etiam mouetur altero motu ad occidens, ergo eodem tempore mouetur vtroque motu sine eo, quod sit in duobus locis simul.

95 Fatetur tamẽ quod simpliciter debeat dici moueri ad occidens, quia simpliciter semper recedit ab oriente, licet propter illum motum, quo mouetur ad oriens ecundum quid, non tantum moueatur ad occidens, quantum alias moueretur. Et sane hoc ipso modo veteres dixerunt cælos inferiores duobus motibus moueri: vnde non videtur vlla impossibilitas in sententia ipsorum, & consequenter hæc probatio non sufficit pro cõclusione, nisi vigeatur vlterius. Itaque ex alio capite ostendendum est non posse cælos moueri hoc modo duplici motu. Illud quod mouetur supra nauim motam ab oriente ad occidens, non mouetur immediate motu nauis, sed mediante aliquo alio quod mouetur motu nauis, verbi gratia, mediante motu hominis sedẽtis in puppi & trahentis illud; vnde si ab aliquo homine non existente in naui traheretur lapis existẽs in prora ad oriens: quantumuis velocissime moueretur nauis, nullo modo moueretur ad occidens lapis, sed simpliciter moueretur ad oriens, vt patet & experiẽtia, & ratione: quia non posset moueri ad occidens, quin homo ipsum trahens, & existẽs in terra sic moueretur; supponimus autem quod non mouetur: ergo si cælum Lunæ verbi gratia, moueretur motu proprio ad oriens, non posset moueri ad occasũ nisi aliquid aliud præter cęlũ sub quo moueretur ad occasũ, simul cũ illo cælo moueretur: sed nihil aliud assignari potest præter intelligentiam, quæ nequit naturaliter moueri propter motum vllius corporis, vt est euidens: ergo si moueatur motu proprio ab occidente ad oriens, non potest moueri motu cæli superioris ab oriente ad occidens.

96 *Dices*: homo existens in prora potest seipsum mouere ad puppim quamuis ipsemet motu nauis moueatur ad occidens: sed tum non mouetur ad occidens ratione vllius alterius, qui moueretur motu nauis, ergo falsum supponitur in antecedenti huius probationis.

*Respondeo*, negando minorem: nam ille mouetur motu nauis ratione partis insistentis naui, neq; enim quãdo mouetur ad puppim habet omnes partes immediate insistentes naui, & si haberet, nunquã moueretur ad puppim; sed habet aliquas partes insistẽtes naui, & alias partes ab illa parte motas ad puppim, & eleuatas à naui vt patet: quod si omnes partes simul eleuaret à naui nullo modo moueretur motu nauis: sed quomodocunque homo moueatur in naui mota, id certum est quod res inanima, & quæ secundum omnes partes simul moueri debet eque primo, quale est cælum, non possit moueri motu nauis, & motu proprio contra motum nauis, quin aliquid aliud cum quo coniungitur moueatur motu nauis, & consequenter cælum non potest moueri, & motu proprio ad oriens, & motu cæli superioris ad occidens, si nihil aliud, cui m quo coniungitur, moueatur motu illo cæli superioris.

97 Ex hac doctrina potest ostẽdi ratio, cur a iquid possit moueri duplici motu, qui videntur oppositi, nimirũ ab oriente ad occidens, & è contra; quandoquidem enim ex eo quod coniũgitur cũ alio moto ad occidens, necessario debeat cũ ipso sic moueri, & cum nõ moueatur sic nisi quatenus coniũgitur cum illo, si ipsũmet alio motu proprio moueatur in oppositum, & possit esse coniũctũ cum illo non obstãte illo suo motu proprio in partẽ oppositam; hinc fit vt possit moueri in partem illam oppositam, quia motus in illam partem non tollit coniunctionẽ ipsius cum illo altero, quæ coniũctio est conditio sine qua non moueretur in alteram partem, & qua posita debet necessario sic moueri.

Quomodo possit quid moueri duplici motu qui videantur oppositi.

*Fundamentum aduersariorum* à ratione, desumptum ab experientia de diuersis apparitionibus Astrorum, olutum est in prima probatione.

*Alterum fundamentum*, ab authoritate plurimorum Philosophorum diuersos huiusmodi motus cęlis inferioribus adscribentium, solui debet vel negãdo ipsis autoritatem in hac re, quam ratione probare non possunt; vel si qui sũt tanti nominis, vt autoritas ipsis tribuẽda videatur, eos explicando sic, vt ve int tantũ cęlos habere duos motus quantum ad apparentiam & æquialẽter, quatenus sic scilicet mouẽtur, vt non minus inter se inuicẽ accedãt ac recedant varioſque situs subeant, quam si diuersis motibus mouerentur, cum tamen reuera non nisi vnico quodlibet moueatur. id quod in nostra sententia verissimum est.

Fundamenta aduersatiorum.

## CONCLVSIO IV.

98 *Cæli non agunt in hac inferiora per motum, tamquam per virtutem actiuam, sed solum quatenus motus habet rationem applicationis agentium, aut quatenus per motum applicantur tali vel tali modo.* Hæc est *Doctoris in* 2. *d.* 14. *quæst.* 2. cum suis, quos sequitur *Ruuius* 2. *de cælo c.* 3. *q.* 3. *Vallesius*, *Toletus*, *& alij* contra *Bagn.* 2. *de gen. c.* 10. cui videtur fauere *S. Thomas*, *& plures Thomistæ*, teste *Ruuio*.

Cæli nõ agunt in inferiora per motũ tanquam per virturem actiuam.

*Probatur manifeste*, quia motus formaliter loquendo est respectus: ergo non potest esse virtus actiua: nullus enim respectus est actiuus secundum omnes. *Præterea* ignis licet nõ geret in hoc loco, nisi moueretur ad hunc locũ, tamẽ nemo dicit quod agat in hoc loco per motum, quo mouebatur ad hunc locum, tanquam per virtutẽ actiuam; sed omnes dicũt quod motus sit conditio applicans: ergo idem dicendũ de cælo à paritate rationis: nec sane hęc res indiget vlteriori probatione, præsertim cũ præter motum cælum habeat alias virtutes actiuas, vt lucem & formam suam substantialem, per quas posset agere, quamuis nullo modo moueretur, non minus quam ignis aut aqua.

99 *Obiicies*. Motus est causa caloris, vt patet experiẽtia, qua constat quod mouentes se per aerem frigidum calefiant, & quod cultellus alias frigidus motus fortiter supra lignum reddatur valde calidus: ergo motus est actiuus respectu formę absolutæ: hoc autẽ supposito & currit prima nostra probatio, & præterea nihil prorsus impedit quo minus cæli dicantur, aliqui saltem, agere per motum, tanquam per actiuam virtutem.

*Respondeo* negando antecedens, nisi capiatur causa large pro conditione sine qua non (quod si sic caperetur, concedendum esset, sed neganda consequentia) & ad probationem dico experientia constare quod cum motu, producatur calor, sed non constat quod producatur per ipsum motum alio modo quam per conditionem sine qua non, & sic concedo vltro quod causet calorem.

Calor nõ producitur per motum nisi tanquam per conditionẽ sine qua non.

*Dices* non posse assignari alias causas caloris in experientijs præmissis: ergo motus debet dici causa, & non conditio.

*Respondeo* negando antecedens: impulsus enim ille vehemens, qui imprimitur corpori dum mouetur suppositis aliis dispositionibus, est causa istius caloris: & hinc si leuiter moueretur culter supra lignum quamuis celerrime, non calefieret tantum, quantum si moueretur tardius sed fortiùs, vt patet experientia; ex quo sane patet quod calor ille non proueniat à motu solum. Quod si dicatur aliud concurrere, tum nihil restat ad probandum quod motus se habeat aliter quam tanquam conditio sine qua non.

## CONCLVSIO VLTIMA.

Quamuis cessarent motus cælestes nõ cessarent omnes motus in inferioribus.

100 *Cessante motu cæli non cessarent omnes alij motus in his inferioribus siue locales, siue alteratiui, siue generatiui.* Hæc est communior cum *Doctore supra. D. Thoma 2. de cælo lib.* quos sequuntur *Suar. Rumus, Arriaga,* & plurimi alij contra *Capreolum, Soncinatem, Scotum,* & alios.

*Probatur*, quia nihil magis ridiculum videtur, quam si, stante Sole, ignis applicaretur stupæ, & non cõbureret, aut si lapis grandis poneretur in medio aeris, nec moueretur deorsum: ergo fierent alij motus tam locales, quam alteratiui & generatiui, non obstante quod cæli non mouerentur.

*Confirmatur*: quia quamuis poneremus subordinationem essentialem causarum sublunarium ad cælestes, adhuc possent causæ sublunares habere actiones multas suas, cessantibus cælis qui cæli quoad illas partes, quæ essent applicaræ inferioribus, possent concurrere cum illis absque motu.

*Confirmatur secundo*, quia quando cessauit Sol tempore *Iosue*, non cessauerunt eo ipso sine dubio omnes causarum inferiorum; nec est dicendum etiam, quod id per miraculum accidit; nam licet miraculum fuerit cessatio Solis, tamen non est dicendum, quod miraculose fiebant istæ aliæ actiones, quia id gratis, & absque fundamento diceretur. Verum quidem est, quod multæ actiones cessarent cessantibus cælis, quia per motum, alio modo applicantur, & ex varietate applicationis sequuntur varietates in effectibus, quæ propterea non essent cessante motu.

101 *Aduersarij* fundant suam sententiam in quibusdam locis *Philosophi*, quæ facilis sunt explicationis, vt propterea eos hic proponere piguerit: & sane si expresse teneret oppositum huius conclusionis, non esset sequendus, præsertim cum nullam habeat pro se rationem.

*Obiicies* à ratione ex *Iauello*: omnis motus reducitur in aliquod principium immobile: ergo & omnis actio generatiua in aliquam causam ingenerabilem, qualis non est assignabilis præter cælum.

*Respondetur*, quamuis totum concederetur, nihil contra conclusionem haberi, quia cæli possent absque motu concurrere ad aliquas actiones generatiuas.

*Respondeo secundo* negando minorem, quia posset recurri ad Deum.

*Dices*: Deus immediate non concurrit cum causis secundis. *Respondeo* hoc esse falsum: sicut enim immediate producit & conseruat Angelos, ita immediate concurrere potest ad effectus causarum secundarum, & non solũ per modum causæ vniuersalis, sed etiam aliquando per modum causæ particularis supplendo defectum concursus particularis quem deberet talis causa præbere, & sic communiter recurritur ad ipsum in productione animarum, non solum rationalium, sed etiam aliarum quotquot perfectiores sunt, quam formæ corporum cælestium.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### De influxu cælorum in sublunaria.

Corpora cælestia influunt in sublunaria.

PLures difficultates comprehendit præsens quæstio, quas sequentibus conclusionibus breuiter expediam.

## CONCLVSIO I.

102 *Corpora cælestia habent varios influxus in sublunaria.* Hæc est communissima cum *Doctore in 2. d. 14. q. 3.* & *D. Thoma in 2. dist. 15. q. 1.* contra quosdam antiquos, quibus fauere videtur *Damascenus de fide c. 6.*

*Probatur primo* authoritate non solum Philosophi, sed sanctorum Patrum, *Dionysij cap. 4. de Diu. nom. Aug. 13. Trinit. c. 4. Basilij homil. 6. Hexameron.*

*Probatur secundo* ratione: quia varietas illa corporum cælestium, & diuersitas maxima motuum, quam habent, non debebat esse absque aliquo fine ac vtilitate mundi: sed nullam afferret vtilitatem, nec haberet finem congruum, nisi conduceret ad hoc, vt alio, & alio modo influerent in corpora sublunaria: ergo sic influunt.

*Probatur tertio* experientia quotidiana, qua constat Solem illuminare, calefacere, siccare, & ex eius accessu, ac recessu cum tali vel tali ordine ad alias partes cæli variari quatuor anni tempora, quorum vicissitudine producuntur varij effectus alias non producendi; vnde & medici in morbis curandis, astrorum congressus obseruandos iubent longa experientia edocti. Sed in re clarissima probanda non est diutius immorandum.

103 *Obiicies primo*: agens & passum debent communicare in materia eiusdem rationis secundum Philosophum 1. *de Generat. tex.* 87. sed cælestia corpora non conueniunt cum sublunaribus in tali materia, aut enim non constant materia vlla ratione, aut si constant, materia ipsorum est diuersæ speciei à materia sublunarium.

*Respondeo primo* negando minorem: secundum enim communem sententiam constant materia, & secundum Scotistas materia illa est eiusdem rationis cum sublunari.

*Respondeo secundo* distinguendo maiorem: in materia, quæ sit materia prima pyhsica, nego maiorem; in materia, id est in subiecto capaci actionis, ac formę per illam producendæ, transeat maior. Et similiter distinguo minorem; non constant materia prima, transeat minor, non constãt subiecto capaci formæ producendæ per actionem, nego minorem, alias enim nec mouerentur, nec illuminarentur; & nego consequentiam.

*Respondeo tertio*, absolute negando maiorem, alias Deus ipse non posset agere in corpora vlla, nec Angeli. Philosophus autem solum vult quod agens & passum in sublunaribus debent conuenire in materia & disconuenire in forma, quia alias essent vniuoca & vniuoca non agunt in se inuicem; simile enim non agit in simile actione alteratiua aut corruptiua, de qua actione loquitur Philosophus.

104 *Obiicies secundo*: omne agens agit, vt assimilet sibi passum secundum Philosophum 1. *de generat. tex* 51. sed cælum nequit sibi assimilare sublunaria: ergo non agit in illa, quia non debet agere ad finem impossibilem.

*Confirmatur*: quia omne agens naturale agendo repatitur: sed cælestia corpora non repatiuntur à sublunaribus: ergo non agunt in illa.

*Respondeo* distinguendo maiorem: omne agens, quod potest producere sibi simile, & quod agit actione, quę possit ad hoc deseruire, concedo maiorem; quod non potest, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam, neque intendit cælum, dum agit, illam assimilationem. An omne agens agat vt assimilet

*Respondeo secundo* distinguendo maiorem alio modo: sibi passum. quod agit actione vniuoca, concedo: quod agit actione æquiuoca, nego maiorem: & concessa minori, ex suppositione, quod cæli nõ habeant formaliter tales qualitates, quales producunt in inferioribus (quod si tales habeant negari debet minor) nego consequentiam.

*Confirmatur* vtraque responsio: quia si nihil posset agere, nisi in ordine ad assimilandum sibi passum, Deus ipse non deberet mouere cælos, nec Angeli etiam, quia sic agendo cælos non assimilant sibi ipsos.

105 *Respondeo tertio*, distinguendo etiam maiorem alio modo: omne agens sublunare, quod agit actione alteratiua, concedo maiorem, & de his loquitur Philosophus; omne agens omnino siue sublunare, siue non sublunare, & siue agat actione alteratiua, siue non, nego maiorem; quia alias, vt dixi, Angeli non possent mouere cælos, nec lapis cadens deorsum impelleret aliud corpus occurrens ipsi ante se, quia certum est, quod non impellat ipsum, vt

assimilet

assimilet sibi illud, loquendo de assimilatione proprie dicta. Quod si loquamur de assimilatione improprie dicta, secundum quam passum haberet illud formaliter quod virtualiter contineretur in agente, potest vniuersaliter concedi maior, & negari minor, vt patet: & hæc sit quarta responsio.

*Ad confirmationem obiectionis respondeo* distinguendo maior: omne agens actione alteratiua, & potens pati alias ab eo, in quod agit, concedo maiorem; si alias non posset pati, nego maiorem; & distinguo etiam minorem: si cælum supponatur non posse alterari à sublunaribus, vt supponitur in obiectione, concedo minorem, & nego consequentiam: si ponsit, nego minorem. Respondeo autem hoc modo conditionatè, quia mihi incertum est, an cæli possent calefieri, aut frigefieri à sublunaribus debite applicatis, & rationem dubitandi præmisi supra *nu* 34.

*Confirmatur* hæc responsio: quia si omne omnino agés deberet repati à passo, in quod ageret, Deus & Angeli non possent agere in cælos, quia ab ipsis repati nequeunt.

## CONCLVSIO II.

Corpora cælestia producũt mineralia, ac gemmas.

106 *Corpora cælestia producunt mineralia, seu metalla, ac gemmas, ac cætera corpora vitæ expertia quorum non potest assignari alia causa particularis.* Hæc communis cum *Doctore supra Coimbricensibus tract.* 13. *in libros Meteororum c.* 2. *Rubio* 2. *de cælo. c.* 3. *tract.* 2. *q.* 1.

*Probatur prima pars*: quia metalla ac gemmæ mul æ de nouo producuntur, & debent habere aliquã causam effectiuam ssecundam: neque enim absque necessitate ad solum Deum debet, tanquam ad eorũ causam adæquatam, recurri; sed nulla alia causa conuenientius assignari potest, quam corpora cælestia; ergo.

*Confirmatur*: quia cæli habent sine dubio sufficientem perfectionem ad ea producenda: ergo non debet negari ipsis actiuitas respectu eorum, propter defectum perfectionis: sed ex alio capite non potest id ipsis negari; erga absolute non est negandum ipsis.

*Confirmatur secundo*, quia elementa non habent tantam perfectionem, vt possint ea producere, quandoquidem sint minus perfecta quam illa; ergo non potest recurri ad vllam aliam causam secundam, quam cælos.

Producũt cætera vitæ expertia, quorum non potest assignari alia causa secunda.

*Probatur secunda pars*: quia cætera vitæ expertia, quæ producuntur, & non habent causam particularem sublunarem, sunt imperfectiora cælo, ergo eorum productio commode in cælum refundi debet.

*Dices*, non ex eo, quòd aliquid sit alio perfectius sequitur quod ipsum possit producere, alias homo posset producere lapidem: ergo quamuis cælum sit perfectius rebus huiusmodi vitæ expertibus, non propterea debet dici quod illas producat.

*Respondeo* distinguendo consequens: non propterea tantum, concedo; non propterea, & ex suppositione quod alia causa aptior assignari nequeat, nego consequentiã. Itaque ex perfectione maiori colligitur optime, quod nõ repugnet ipsi ex defectu perfectionis talis productio, quemadmodũ repugnaret muscæ producere hominem, & quandoquidem non constet quod repugnet illi ex alio capite, & nulla alia causa possit assignari, bene recurritur ad cælum.

107 *Obiicies*; Sequeretur quod producerentur in omnibus locis, nam corpora cælestia possunt in omnibus locis habere suos influxus: sed hoc est falsum, vt patet experientia: ergo.

*Respondetur* negando sequelam, tum quia corpora cælestia non applicantur æqualiter omnibus locis, sunt enim aliquæ partes mundi, quæ semper magis distant à polis cælestibus, & stellis illis vicinioribus, quam aliæ partes; vnde nos nũquam videmus polum antracticum, nec Antipodes arcticũ; tum etiam quia non inueniunt in omnibus locis dispositiones determinantes ad formas metallorum aut gemmarum.

*Quæres* ex qua materia generẽtur metalla. *Respondetur* communiter cum Philosopho, quod ex vapore quodam humido intra terræ viscera lapidibus potissimum concluso, & ob terræ lapidumque siccitatem ac frigiditatem congelato. At certe mihi apparet coniecturis hic tantum locum dari, nec quidpiam certi posse concludi de materia aptiori ad horum generationem, donec aliquis experientia aliqua id comperiat, quæ non facile haberi potest.

## CONCLVSIO III.

Corpora cælestia concurrunt ad generationem vniuersũ etiam hominũ.

108 *Corpora cælestia concurrunt ad productionem viuẽtium omnium, etiam hominum, disponendo materiam tali vel tali modo in ordine ad receptionem animarum: non tamen attingunt immediate productionẽ vllius animæ etiam animalium imperfectiorem, neque tanquam causa principalis neque tanquam instrumentalis.* Hæc est quoad primam partem communis, & quoad secundam est Scotistarum cõmuniter cum *Doctore hic*, quos sequitur *Fonseca* 7. *met. cap.* 7. *q.* 2. *Suares disp.* 18 *sect.* 2. cõtra *Marsilium.* 1. *q.* 1. *a.* 2. *Auersam q.* 35. *sect.* 8. qui putant animas animalium imperfectorũ, eorum scilicet, quæ producuntur absque interuentu seminis, ex putri materia, vt sunt ranæ, vespæ, pulices, & similia, produci a cælis. Quoad tertiam vero partem est contra *Conimbricenses* & *Ruuium supra q.* 2. qui putant cælos producere animas animalium inperfectiorum, tanquam instrumentum Dei.

*Probatur prima pars* non solum authorita e Philosophi dicentis 2. *Physic. tex* 26. quod sol & homo generet hominem; sed etiam ratione quia cæli sine dubio habẽt virtutem productiuam dispositionum conducẽtium ad formationẽ fœtus, & experientia constat, quod partus productus sub tali cõstellatione habeat alias inclinationes, quam productus sub alia cõstellatione: & hinc aliqua astra merito censentur propria viuentium generationi, alia verò noxia.

109 *Probatur secunda pars*: quia anima quæcunque est perfectior formis cælestibus, ergo nõ possunt à corporibus cælestibus produci, quia imperfectius nõ potest producere immediate perfectius. Probatur antecedens authoritate *S. Augustini lib. de vera, & falsa religione c.* 29. *Non enim qualiscunque moles, quamquam ista visibili luce præfulgeat si vita careat magni æstimanda est, quælibet namque viua substantia cuilibet non viuæ substantiæ naturæ lege præponitur.* Ex quo etiam principio in libro de duabus animabus dicit muscam Soli esse præferendam.

Rationem autem assignare cur cæli sint imperfectiores quolibet viuente, est mihi valde difficile, nec sane occurrit vlla quæ comprehendat viuentia vita vegetatiua tantum. Pro viuentibus autem sensitiuis addaci potest, quod perfectius absolute sit cẽsendum, quod potest delectationem concipere ex sua natura, quam quod non potest; sensitiua autem possunt, & cæli non possunt; ergo cæli sunt imperfectiores viuentibus saltem sensitiuis, de quibus forte intelligendus est *Augustinus*, quamuis indefinite loquatur, quod si sic intelligatur, productio animarum vegetatiuarum tãtum attribui potest cælis, & conclusio hæc restringenda est ad animas sensitiuas.

*Confirmatur conclusio* contra *Auersam*: secundum ipsum animalia perfecta, hoc est illa, quæ non generantur nisi medio semine, sunt perfectiora cælis, ergo & imperfecta. Probatur consequentia: quia non ex eo quod solũ fecta. Probatur consequentia: quia non ex eo quod solũ possint generati medio semine, sunt perfectiora, quid enim hoc facit ad propositum? non etiam ex eo quod sint perfectiora animalibus imperfectis, quia inter illa animalia, quæ vocantur perfecta, dantur alia alijs perfectiora, & hoc non obstãte omnia sunt cælis perfectiora, ergo quamuis animalia, quę dicuntur imperfecta, sint alijs animalibus imperfectiora, non sequitur quin sint cælis perfectiora: nec deniq; vlla ratio assignari potest, ob quam animalia imperfectiora sint imperfectiora cælis, & animalia perfecta non sint imperfectiora illis.

*Dices* colligitur ex eo quod producantur à cælis animalia imperfecta, & perfecta non producantur, illa esse imperfectiora, hæc non item.

*Respondeo* negando inde id bene posse colligi, non

solum ex eo quod falsum sit animalia imperfectiora à cœlis produci, sed etiam quia id concedendo, imprimis non constat quin similiter possent producere animalia perfecta, & quin de facto illa producant, præsertim cum alia causa secunda assignari non possit, quæ sit sufficiens. *Deinde* quamuis ea non possent producere, non sequitur quin essent ipsis imperfectiora, sicut homo est perfectior asino quamuis eum non possit producere.

*Probatur tertia pars*: tum quia eadem ratione, qua dicerentur producere tales animas, vt instrumẽta Dei, possent dici producere animas animaliũ perfectiorum præter hominum: sed hoc ipse non admittit: ergo nec illud admittere deberet; tum quia quando dicuntur producere illas animas vt instrumentũ Dei, vel hoc intelligendum est sic, vt recipiant à Deo aliquam virtutem distinctam à sua propria forma, & accidentibus ei naturaliter consequentibus, ratione cuius virtutis, & cõstituantur instrumentum Dei, & possint illas animas producere, vt tenẽt *Conimbricenses*; vel sic intelligendum est, vt non recipiãt talem virtutem, sed ipsamet sint instrumenta Dei ex natura sua, & propterea per naturam suam, quatenus habet rationem talis instrumenti, possint producere illas animas, vt vult *Ruuius*; sed neutrum dici potest. Non primum, um quia gratis fingitur communicata talis virtus; tum quia illa virtus vel est perfectior anima illa, & sic cælum habens illam erit perfectius anima contra hypoth sim: vel nõ erit perfector & sic nec poterit cælum ea mediante, illa producere magis quam sine ea Non secundum quia quamuis possint esse ex natura sua instrumentum Dei, tamen cũ ex natura eadem sint imperfectiores, non possũt producere illas animas, nisi concurrat cum illis aliqua alia causa, nimirum ipsemet Deus, vel aliquid aliud: quod si dicatur aliqua alia causa concurrere, illa sola sufficiet absque concursu cælorum, aut aliorum instrumentorum, quæ immediate influunt in ipsam animam.

*Addo*, per hoc quod cæli sint instrumenta Dei, nihil prorsus eos habere, per quod possint aliquid producere magis, quam si non essent, nisi per hoc sint distinctæ naturæ, aut habeant diuersa accidentia, nec diuersitas etiã naturæ aut accidentium sufficiet, nisi diuersitas sit tanta, vt propter eam reddãtur perfectiores, aut æque perfecti, ac illud, quod producere dicerentur.

111. *Dices cum Conimbricensibus*: cælum est nobilissima pars mundi, & nihilominus expers vitæ: ergo conueniẽs fuit dari ipsi fœcunditatem productiuam huiusmodi animarum, sicut semen habet virtutem generatiuam respectu eorum, quæ ex semine generantur.

*Respondeo* distinguendo consequens: si sit tam nobilis, vt sit perfectius animalibus imperfectis, concedo; si nõ sit, nego. Suppono autem cum aduersarijs, quod non sit: si enim esset, non tantum per modum instrumenti, sed per modum causæ principalis ea produceret; vnde absolute nego id fuisse conueniens, aut etiam possibile.

*Obijcies* contra secundam partem: si cæli non producerent animalia ex putri materia generata, nulla alia causa productionis illius posset assignari; ergo dicendum est, quod cæli illa producant.

Quæ sit causa animaliũ generatorum ex putri materia.

*Respondetur* negando minorem: Etsi quæratur quęnam alia causa ea producat: varie respondẽt autores. Quidã enim dicunt esse quandam formã abstractam & separatam, quam vocant datricem formarum: ita *Themistius* & *Auicenna* apud Auerroem 12. *met. com.* 18. sed si non intelligant per huiusmodi formã abstractam, intelligẽtiam, omnino cõmenticia est; & præterea aut est viuẽs, aut non. Si est viuens; ergo non potest esse forma vlla, quæ non sit intelligentia, aut anima rationalis. Si nõ sit viuens, ergo non magis poterit producere illa animalia, quam ipsimet cœli. Si autem intelligant per illam formã Angelum aliquem, non poterit producere illa animalia, quia, vt suppono hic ex materia de Angelis, Angeli nõ habent virtutem productiuam alicuius accidentis, aut formæ corporeæ præter motum localem: & si haberent talem virtutem, possent optime dici producere illa animalia, etiam absque alio concursu cælorum, quam dispositiuo.

Non forma abstracta, quæ non sit intelligentia.

*S. Thomas* 1. *p. q.* 100. probat Angelos non posse esse causas principales talium animalium, quia non sunt similes tali composito nec formaliter, vt patet, nec eminenter aut virtualiter, quandoquidem non contineant in virtute sua materiam.

112 *At hæc probatio non placet*, quia vt producerent talia composita animata, non esset necesse, vt essent similes aut continerent virtualiter aut eminenter materiam, sed sufficeret abunde quod continerent formas ipsorum, per hoc enim educerẽt ipsas, & ad illam eductionem sequerentur talia composita. Quod si dicas, non posse aliquid educere formam ex materia, nisi vel quod continet in se materiam similem formaliter, vel quod potest materiam creare: id tam facile negari debet, quam asseritur gratis & absque fundamento, & sane hoc dicere hic, est petere principium, & præterea inde sequeretur, quod non possent producere vbi in corporibus, quod est absurdum.

*Alij dicunt* causam principalem productiuã talium animalium esse alia animalia similia, verbi gratia, causam principalem productiuam ranæ esse aliam ranã, in cuius virtute cælum, tanquam causa instrumentalis, producit illam ranam.

*Contra* quia posset fieri quod nulla rana esset tum applicata sufficienter aut etiam existens in rerum natura: sed absurdum est tribuere actionem alicui, tanquam causę principali, quod neque applicatum est, neque existit, inde enim sequeretur quod causa non existens in se realiter nec applicata sufficienter ad passum haberet actionem realem physicam.

113 *Confirmatur primo*, quia causa principalis debet habere aliquem influxum realem in effectum, aut mediatum aut immediatum; sed nulla rana habet talem influxum in ranam productã ex puti materia absque semine, nam quamuis nulla vnquam rana ante fuisset producta, aut postea produceretur, produceretur illa rana; sed nihil possibile est, vt possibile præcise, potest habere influxum realem mediatum aut immediatum: ergo.

*Confirmatur secundo*: quia etiamsi rana non haberet virtutem productiuam alterius ranę, sed esset animal sterile, instar mulæ, adhuc produceretur rana ex putri materia non minus quam de facto producitur: sed in tali casu alia rana non posset dici causa productiua principalis eius: ergo nec de facto.

*Confirmatur tertio*, quia si virtus generatiua hominis tribueretur lapidi à Deo per possibile aut impossibile, & ea mediante lapis produceret hominem, alius homo non deberet dici vlla ratione causa productiua istius hominis producti, quamuis alicui homini connaturaliter deberetur illa virtus communicata lapidi; ergo quamuis alicui ranæ deberentur connaturaliter istæ qualitates, quibus disponitur materia ad formam ranæ, non debet tamen propterea dici producere illam ranam, quando istæ dispositiones producuntur à cælo.

Per quod patet, falsum esse fundamentum aduersariorum, qui propterea dicunt ranam esse causam principalem, quia exigit connaturaliter qualitates illas, quibus disponitur materia ad illam formam.

114 *Confirmantur omnia hæc*: quia si aliquid non existens posset esse causa principalis vllius effectus qui producitur, eo non existente, potest dici quod filius producat suum partem de facto, & quod primum animal productum à Deo fuit productum ab animali aliquo possibili, & mille alia absurda.

Deus ipse est causa principalis.

*Itaque respondeo aliter* causam principalem productiuam istorum animalium esse ipsum Deum, nisi Angelus habeat talem virtutem. Patet: tum quia nulla alia assignari potest; tum quia non est inconueniens recurrere ad Deum, deficiente causa secunda, tanquam authorem naturæ, sicut de facto recurritur ad ipsum communiter ad determinationem effectus, quoad individuum, & ad producendas animas rationales.

*Obiicies pro Ruuio* contra tertiam partem: quodcumque agẽs potest producere dispositiones ad aliquam formam substantialem requisitas, ac sufficiẽtes, potest educere

cere illam formam, aut eam vnire materiæ sic dispositæ, aut tanquam causa principalis, si forma non excedat perfectionem formæ istius agentis, aut tanquam instrumentum causæ alicuius perfectioris, si excedat: sed cælum potest disponere sufficienter ad formam ranæ: ergo potest illam educere, aut vnire altero ex illis modis; non tanquam causa principalis, quia forma cæli est imperfectior anima ranæ; ergo tanquam causa instrumentalis. Probatur maior: quia forma substantialis naturali sequela sequitur illas dispositiones: ergo quod producit illas dispositiones educit illam formam.

115 *Respondetur negando* maiorem, cum consequentia probationis; sufficit enim pro naturali sequela ipsius, quod vel ab illa causa disponente, vel ab alia educatur, quoties autem illa causa non sufficit tanquam principalis, debet adesse alia causa principalis, & illa ipsa sufficit absque concursu instrumentario istius causæ disponentis distincto à concursu dispositiuo.

*Confirmatur*: quia causæ secundæ disponunt ad animam; animam vero nullo modo attingunt immediate, quia ipsa um virtus non habet tantam activitatem; ergo non est vniuersim verum, quod attingens, dispositiones sufficientes ad aliquam formam, attingat ipsam formam immediate: nec refert quod anima creetur, aliæ vero non creentur; nam quemadmodum ex eo quod creetur, nequit produci ab illis causis, quamuis disponant ad eam, ita etiam ex eo, quod aliæ formæ eductæ excedant in perfectione formam agentis disponentis, non debent ab ipso educi, quamuis disponat ad ipsas, quia non magis difficile est causæ secundæ immediate attingere, formâ creabilem, quam agenti imperfectiori producere aliquid seipso perfectius.

An animalia generata ex putri materia sint eiusdem speciei cum similibus generatis ex semine,

116 *Quæres* hic obiter an animalia, verbi gratia, vespæ, ranæ, ex putri materia absque semine generata, sint eiusdem speciei cum animalibus, verbi gratia, cum vespis & ranis ex semine generatis?

*Respondeo* affirmative cum *Doctore* 1. *dist.* 2. *q.* 7. & *D. Thoma* 7. *met. sect.* 6. quos præter suos sequuntur *Ricardus* 2. *d.* 17. *quæst.* 2. *Occam.* 2. 3. *q.* 2. & recentiores communiter contra *Auerroem* 8. *Physic. com.* 46. *Iandun* 7. *met. q.* 15. *& alios.*

*Probatur primo* authoritate non solum Philosophi 7. *met. tex.* 23. *& sect.* 11 *problem. q.* 64. sed etiam *sanctorum Patrum Augustini* 3. *Trinit. cap.* 4. *Ambrosij lib. de incarnatione Verbi.*

*Probatur secundo*: quia nulla apparet ratio distinctionis specificæ inter illa; & omnia alia iudicia sunt, quod sint eiusdem speciei, non minus quam duo homines; ergo sunt eiusdem speciei.

*Dices* sufficere ad diuersitatem specificam eorum, quod non producantur à causis eiusdem rationis, & quod quæ ex putri materia generantur, non possint generare sibi similia, vt possunt illa, quæ procreantur mediante semine.

*Respondeo* negando hoc, quia effectus eiusdem speciei facile possunt produci à causis diuersæ speciei; alias Deus ipse non posset se solo producere effectus causarum secundarum. *Deinde* sterilitas illa, quæ dicitur esse in animalibus sine semine productis posset oriri ex diuersitate aliqua accidentali, quam haberent ab animalibus generatis ex semine, & non arguit distinctionem specificam, sicut nec arguit inter ipsos homines, quorum aliqui sunt steriles, aliqui non. *Deinde* negari posset esse sterilitas talis in omnibus animalibus talibus, neque facile oppositum experientia, aut ratione probari potest.

## CONCLVSIO IV.

Corpora cælestia non influunt directe in animam rationalé.

117 *Corpora cælestia non habent aliquam actionem directam in animam intellectiuam, bene tamen indirectam, tum quoad intellectum, tum quoad voluntatem.* Hæc est *Doctoris hic* cum suis, & *D. Thomæ* 1. *p. q.* 115. quos sequuntur Theologi & Philosophi communiter; & quoad primam partem est contra Priscillianistas, & iudiciariæ Astrologiæ professores, eosque qui illis fidem adhibent.

*Probatur* quoad illam primam partem, quia anima rationalis est omnino spiritualis & indiuisibilis: ergo nullam actionem habere potest in illam aliqua causa corporea. *Probatur secundo*: quia anima non est capax aliarum qualitatum, quam intellectionum, volitionum, habituum, specierum intelligibilium, & passionum lætitiæ, tristitiæ, similiumque, quæ causantur ab obiectis cognitis talibus, vel talibus; neque enim assignari potest, quas alias qualitates recipere possit, nec vlla est experientia, quod alias recipiat. Sed certum est, quod cælestia corpora non habent particulare vim directam ad huiusmodi qualitates producendas; species enim intelligibiles non sunt natæ produci, nisi ab obiectis, quorum sunt species; actus non sunt nati produci, nisi à potentiis mediantibus his speciebus. Habitus solum producuntur mediantibus actibus (loquendo de naturalibus, acquisitis; supernaturales autem a solo Deo sunt producibiles) & passiones demum solum produci possunt ab obiecto taliter, vel taliter proposito per intellectum.

*Secunda pars conclusionis patet quoad intellectum*, quia certum est corpora cælestia posse alterare organa sensitiua, & bene vel male illa disponere ad exercendas functiones suas; & hinc fit vt Luna habeat particularem influxum in phreneticos, qui propterea Lunatici vocantur. Sed non minus certum est, iuxta bonam vel malam sensuum dispositionem intellectum bene vel male posse discurrere, homines esse melioris, vel peioris ingenij; ergo indirectam habent corpora cælestia actionem in animam quoad intellectum, quatenus scilicet agendo in organa sensuum impedit vel iuuat intellectum in suis operationibus.

*Probatur eadem pars quoad voluntatem*, quia exploratum est, iuxta variam dispositionem corporis, aliquos esse magis inclinatos ad hæc, vel illa vitia, & virtutes, & his inclinationibus aliquo modo impelli voluntatem ad actus illarum virtutum, ac vitiorum: sed non minus compertum est corpora cælestia suis influxibus posse causare istas dispositiones; ergo agere possunt indirectè in animam rationalem quoad voluntatem.

## CONCLVSIO V.

Non necessitant vllo modo voluntatem.

119 *Corpora cælestia non habent vllum influxum directum aut indirectum in voluntatem, ita vt necessitent ipsam ad suas actiones.* Hæc est communis cum *Scoto hic* & *patet* ex omnibus locis Scripturæ & Patrum, quibus probatur dari liberum arbitrium in hominibus pro hoc statu.

*Et hinc patet* quamuis Astrologi iudiciarij possint cognoscere ex influxu astrorum inclinationes particulares hominum, & hinc etiam prædicere multa futura coniecturalite; nullo tamen modo eos posse scire certo & infallibiliter vllum effectum determinate futurum, qui dependet à libera voluntate vllo modo. Quare cũ dignitatum collatio, mors etiam, & vita dependeat à tali voluntate, quatenus nullus est, qui non possit occidi ab aliquo, si vellet, omnino stupidum est credere Astrologis asserentibus aliquem victurum tot annis, moriturum morte naturali, consecuturum tot, & tales dignitates. Sed nec admodum certam possunt habere coniecturam ex influxu cælorum de illismet inclinationibus particularibus: quia multæ aliæ possunt adesse circumstantiæ particulares, & influxus aliarum causarum, quibus impediri possit influxus ille cælorum, qui alias esset: vnde vlterius patet ne probabilem quidem coniecturam posse prædictos Astrologos habere de effectibus liberis dependentibus vllo modo à voluntate. Quare merito Astrologia illa iudiciaria prohibita est, quoad se extendit ad iudicium ferendum de huiusmodi effectibus.

Per quas formas astra producũt suos effectus.

*Quæres* an astra habeant producere hoc effectus, quos ipsis adscribimus per lucem, & motum tantummodo, an vero habeant etiam aliquas influentias occultas, præter has qualitates sensibiles, quibus mediantibus illos producant.

Quod per solum lumen & motum sine vllis aijs occultis qualitatibus, tenent *Auerroes* 2. *Cali, com.* 42. *Zimaras theorem.* 45. *Mirandulanus, Sirenus, Zabarella, Piccolomi*

*Piccolomineus, & alij.*

Quod vero non agant per solum lumen & motum, sed etiam per calorem & frigus, & alias etiam qualitates occultas, communis est sententia Philosophorum cum *Doctore in 2. d. 1. q. 4. ac D. Thoma de cælo lect. 10. D. Bonauentura ac Ricardo in eadem distinctione secundi*, quos sequuntur *Conimbricenses 2. cæli cap. 3. q. 3. Ruuius tertia quæst. 2. Auersa q. 35.*

*Probatur* hæc communis sententia; quia primo incredibile prorsus est quod per vnam qualitatem lucis cum quocunque motu possint cæli producere tam varios effectus, quam producunt. *Secundo*, quia producunt minera lia in viscer ibus terræ; sed ad illa vi cera non pertingit lumen, aut lux.

*Dices*: pertingere tamen calorem, qui calor producitur per lucem à cælis. Sed quamuis *Conimbricenses* existiment calorem à cælis per lucem produci, id nullo modo videtur mihi credibile; tum quia nihil impedit quominus calorem ipsum immediate producerent; tum quia cæli eodem modo producunt frigus, quo calorem: sed frigus non producunt per lucem, vt patet: ergo nec calorem.

*Confirmatur* hoc: quia non est verisimile quod per vnam qualitatem lucis formas tam contrarias producant, quam sunt frigus & calor.

*Probatur tertio*, quia magnes trahit ferrum per qualitates aliquas occultas: ergo agere per tales qualitates conuenit corporibus sed certe nullis potius quam cælestibus.

*Confirmatur*, quia non est probabile quod vlla qualitate sensibili vrsus minor trahat ad se magnetem, aut Sol heliotropij, aut scorpinarij flores: sed isti motus omnino tam debent tribui qualitati alicui occultæ illis impressæ, quam motus ferri: & idem dicendum de motu, quo mare fluit, & aliis multis similibus effectibus.

*Adde* ad hæc, nullo prorsus fundamento inniti aduersarios, quod responsione dignum sit, vt mirum sit eos à communi recedere sententia.

Totam hanc conclusionem cum reliquis huc transtuli ex meo commentario ad quæstionem 3. d. st. 14. secundi Sententiarum, in quo etiam plura de influen ijs cælorũ in sublunaria videri possunt: sed hæc præ enti sufficiunt instituto. Cætera autem, quæ de Elementis in his libris tractantur, sequenti tractatu explicabuntur cõmodius.

TRACTA

# TRACTATVS
# DE GENERATIONE
# ET CORRVPTIONE.

Quid? obiecti huius tractatus

VT numquam Auctores in assignando vllius tractatus obiecto adæquato conueniunt: ita non eodem modo philosophantur de obiecto adæquato duorum librorum, quos Philosophus scripsit *de generatione & Corruptione*, seu ortu, ac interitu rerum naturalium. Verum cum ipsemet in ipso titulo significare videatur, de quo agat, nec aliquid impediat, quin illud ipsum sit intentum principale ipsius, & omnes conditiones obiecti adæquati æque bene conueniant generationi, ac vlli alteri, quod assignari possit pro obiecto adæquato; non est cur non teneatur absolute, quod generatio sit tale obiectum, nec in re parui momenti examinanda diutius inhærendum videbatur.

## DISPVTATIO XXIII.

### DE GENERATIONE.

VANDOQVIDEM ex suppositione quod generatio sit obiectum adæquatum horum librorum, cætera quæ in iis tractantur, ad eius considerationem referenda sunt, nec ad eius cognitionem habenda aliorum prius cognitionem habere necesse sit, merito ab ipsamet auspicamur.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit Generatio.*

Tres acceptiones generationis.

1 NOn agitur hic de generatione in latissima significatione quam habet, prout dicitur mutatio de non subiecto ad subiectum, hoc est, mutatio qua aliquid subiectum transit de negatione formæ ad ipsam formam, quia sic comprehendit alterationem, quæ distinguitur à generatione, de qua hic agitur; nec etiam de generatione in nimis stricta acceptione, quatenus capitur pro productione viuentis à viuente. Sed in acceptione quasi media, pro vt significat productionem substantialem quandam magis late patentem, quam productionem substantialem, per quam viuens à viuente producitur.

Tres generationis descriptiones.

Generationem in hac acceptione tripliciter describit Philosophus: *Primo* in 8. Physic. c. 7. *Generatio est mutatio de non ente ad ens. Secundo* hic c. 4. *Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili subiecto manente. Tertio* hic etiam c. 5. *Generatio est mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu.* Quæ tres definitiones secundum interpretes communiter in re conueniunt, & sine dubio possunt explicari, vt non solum conueniant, sed sufficienter etiam declarent naturam generationis substantialis vt sic, quatenus distinguitur ab omni alia re, quæ non est talis generatio.

Sensus primæ.

*Sensus autem primæ descriptionis est*, quod generatio substantialis sit mutatio alicuius à non ente, id est à negatione formæ substantialis (quæ vocantur ens simpliciter comparatiue ad formas accidentales) ad ens, id est, ad formam substantialem.

Sensus tertiæ.

*Sensus tertiæ est*, quod sit mutatio, qua mutatur substantia, quę est in potentia ad aliquem actum substantialem, & cum carentia eius quantum est ex se, ad ipsummet actum substantialem. Vnde patet hanc descriptionem omnino conuenire cum prima, nisi quod hæc magis specificet subiectum huius mutationis quam prima; quandoquidem dicat expresse quod sit substantia, quod non dicebatur in prima tam expresse, quamuis facile poterat intelligi quod subiectū quod hic mutari posset, deberet esse substantiale: neque enim accidens mutari potest ad formam, seu actum substantialem, & propterea non erat necesse, vt expresse id significaretur.

Sensus secundæ.

2 *Sensus demique secundæ descriptionis* esse potest duplex. *Primus* quod generatio sit mutatio, qua mutatur totum in potentia, id est, aliquid quod potest facere cum alio totum substantiale, in totum actuale, faciendo actu totum substantiale quod poterat facere, sed non faciebat nisi adueniente generatione; & in hoc sensu patet quod conueniat cum prioribus duabus descriptionibus, non minus quam illę inter se. Addi tur autem, *nullo sensibili subiecto manente*, id est, nullo accidente sensibili ex iis, quæ erant ante mutationem hanc generatiuam, manente post ipsam, non quod hoc sit necessarium ad essentiam generationis, quia quamuis manerent eadem sensibilia quæ ante vt manent secundum plurimos Doctores, siue ex eo quod subiectātur in materia prima, siue ex eo quod trāsmigrarent de subiecto in subiectum, adhuc saluaretur essentia generationis, modo subiectum quod erat sub ipsis ante mutaretur à negatione formæ substantialis ad formam illam. Additur ergo ad significandum quod comitari soleat generationem substantialem completam huiu modi non permanentia accidentium sensibilium antecedentium, vt vel ex hoc possit aliquis colligere tanquam à posteriori, an fieret hic & nunc mutatio generatiua alicuius subiecti. *Dixi autem* generationem completam, per quam scilicet producitur omnis forma substantialis essentialiter inclusa in substantia completa, aut per quam destruitur omnis forma substantialis essentialiter inclusa in alia substantia completa, quia certum est, quod generatio incompleta, per quam producitur aliqua forma inclusa in tali substantia, non habet naturaliter connexam huiusmodi non permanentiam, nam quando generatur homo, & quando corrumpitur, manent accidentia sensibilia corporis ingredientia antecedentia.

Alius sensus descriptionis secundæ.

2 *Alius sensus*, & fortassis magis genuinus, & proprius est, quod generatio sit mutatio, seu conuersio vnius totius substātialis in aliud totum substātiale; ex qua sequitur quod totum illud quod dicitur mutari, non sit, sed sit alterum totum substantiale, in quod dicitur cōuerti, & sic sine dubio de facto conuertitur lignum in ignem. Quod si intelligatur in hoc secundo sensu, hæc descriptio inuoluit aliqua quæ non sunt essētialia generationis, nec necessario connexa cum illa; nam si mutaretur materia prima existens sine vlla forma ad formam substantialem, daretur generatio substantialis, & tamen tum non cōuerteretur substantia quæ desineret, in substātiam quæ de nouo produceretur; neque enim tum vlla substantia desineret, vt patet: nequ tamen esset mala alia descriptio, quia reuera omnis generatio quæ de facto fit à causa secunda, est etiam huiusmodi conuersio, & talis conuersio nullam actionem positiuam includit, præter ipsammet generationem, & consequentia ad ipsam.

Eo

Eo enim ipso quod materia aquæ mutetur à negatione formæ ignis ad formam ignis absque vlla actione positiua, aut vllo prorsus positiuo, præter ea quæ esset quãdo mutaretur illa materia ad formam ignis, casu quo non esset affecta antecedenter per formã aquæ, fieret conuersio aquæ in ignem propter incompatibilitatem formæ substantialis aquæ, & ignis: ex qua oritur, quod vna introducta, altera destrui debet, & consequenter totum compositum ex ipsa, & materia conflatum desinere. Itaque sensus descriptionis hoc modo intellectæ est, quod illa mutatio sit generatio substantialis, per quam de facto fit, vt vna substantia deficiens conuertatur in aliam substantiam, quæ de nouo producitur: quæ descriptio est optima, quandoquidẽ ex ea possit quis colligere ex omnibus mutationibus, quæ de facto dantur, quænam sit generatio, & quænam non. Imo, potest defendi hæc descriptio hoc ipso modo intellecta esse essentialis, si intelligitur aptitudinaliter, seu radicaliter, hoc modo: Generatio est mutatio, qua ex natura sua intrinseca potest conuerti totum in totum: nam quamuis sit separabile à generatione quod actu conuertat, posse tamen cõuertere, si in materia poneretur alia forma incompatibilis cũ forma per ipsam acquisita, est inseparabile ab ipsa, non minus quam posse comburere est inseparabile ab igne.

Quamuis autem ex his pateat quid sit generatio, tamen maioris claritatis causa sequenti conclusione amplius explicanda videbatur.

## CONCLVSIO

Quid sit generatio substantialis.

4 *Generatio substantialis est mutatio quia aliquid mutatur ad formam substantialem, cum qua facit vnum per se corpus substantiale.* Hæc in re debet esse communis, & quod sit bona patebit ex eius explicatione. Dicitur *mutatio*, quia in hoc conuenit tanquam in genere cum mutatione vt sic, quæ est qua aliquid se habet iam aliter, quam ante. Dicitur, *qua aliquid mutatur ad formam substantialem*, quia in hoc distinguitur à quacunque alia mutatione, quæ non est generatio substantialis. Additur maioris explicationis gratia, *cum qua facit* illud quod mutatur, *vnum per se corpus substantiale*, vt significetur quale debeat esse illud quod possit mutari per generationem; quandoquidem enim debeat posse facere vnũ per se cum forma substantiali, ad quam mutatur, sequitur quod debeat esse incompletum physicè; & deinde per hoc exprimitur terminus ad quem generationis, qui denominatur generari *vt quod*: ipsa enim forma substantialis nõ dicitur sic generari, sed *vt quo* tantum; quod tamen spectat ad modum loquendi.

Descriptio Auerſæ reiicitur.

*Auersa q. 37. sect. 3.* describit generationem esse productionem termini, vel compositi substantialis dependenter à subiecto aptam naturaliter exerceri: & explicat postea ad hanc dependentiam requiri, vt forma educatur de potentia subiecti.

*At sane*, vel ex hoc ipso conuincitur descriptio hæc non esse bona, quia productio hominis est vera generatio, quod & ipsemet fatetur, & tamen anima rationalis non educitur, sed creatur.

*Deinde* quando dicitur, quod sit productio compositi, hoc ipso significatur quod sit productio dependens à subiecto; impossibile enim est concipere compositum sine dependentia à subiecto. *Rursus* illud: *apta naturaliter exerceri*, non solum superflue additur, sed falso: superflue quidem, quia perinde est ad essentiam generationis quod producatur naturaliter, vel supernaturaliter; falso etiam, quia de facto productio vermium facta mediante alteratione specierum eucharisticarũ est essentialiter generatio, & tamen non est apta fieri naturaliter absque concursu supernaturali.

Possibilis est generatio.

5 *Ex his autem*, & ex principijs quibus colligimus *primo physicorum* dari materiam primam & formam substantialem, sequitur non solum possibilem esse generationem substantialem, sed eam de facto dari: nam ex transmutatione actuali, quæ de facto contingit, vt patet experientia, sequitur quod aliquod subiectum transeat ab vna forma substantiali ad alteram, & consequenter quod detur generatio substantialis de facto. *Deinde* quamuis non darentur huiusmodi mutationes de facto, adhuc certum est quod non implicat dari aliquod subiectum substantiale, quod possit carere aliqua forma substantiali, cum qua faceret vnum per se, & quod possit etiam cum ea coniungi: ergo certum est non implicare generationem substantialem, atque adeo eam esse possibilem.

*Complutenses* afferunt duas alias probationes ad probandum possibilitatem generationis substantialis

Probatio Cõplutensium pro possibilitate generationis.

*Prima est*, quod viuens perfectum habeat naturalem appetitum ad generandum sibi simile: ergo talis generatio est possibilis: quia appetitus naturalis non est ad impossibile. Antecedens probatur, quia naturaliter appetit perpetuitatem in suo esse. Vnde cum hoc nequeat habere in suo esse proprio, quia est corruptibile, appetit illam consequi in alio sibi simili.

*Hæc probatio nullo modo placet*, *Primo*, quia (quod ipsimet aduertunt) supponitur ex ea quod detur corruptio: atque hoc tam incertum est, quàm dari generationem; nec refert quod ipsi dicant, dari corruptionem notum esse euidenti experientia, nam non magis notum est, quàm quod detur generatio; Vnde qui negaret vnum negaret alterum, & male vnum per alterum probaretur.

*Secundo*, quia vel loquuntur in antecedenti de appetitu elicito, vel de appetitu innato: si de elicito, certum est quod possit dari talis ad impossibile, præsertim si apprehenderetur per modum possibilis; Vnde falsa esset consequentia cum sua probatione. Si vero loquantur de appetitu innato, negari posset antecedens cum sua probatione; nec sane probari potest alterutrum ex ipsis nisi probetur prius possibilitas generationis, ac perpetuitatis ipsorum.

*Tertio*, quia quamuis daremus dari appetitum in Viuentibus ac perpetuitatem, non tamen ex hoc præcise sequitur appetitus ad generationem, nisi probetur quod perpetuitas non possit acquiri nisi per generationem, quod non faciunt hi Authores.

6 *Quarto*, Viuentia non magis debent appetere perpetuitatem quam aliæ omnes substantiæ, nisi quatenus constaret quod haberent potentiam generatiuam per quam possint perpetuare se; qualem potentiam non constaret esse in aliis substantiis; sed non constat ex appetitu aliarum substantiarum quod possint generare quia non obstante appetitu quocumque, quem habent, non possunt generare alias, vt patet de lapidibus multis & metallis aliisque mixtis, quę carent virtute generatiua: ergo ex appetitu viuentium ad perpetuitatem, non constat ea posse aliquid sibi simile generare, nisi quatenus aliunde à posteriori constaret ex eo quod generarent, ea habere potentiam generatiuam: Vnde prius constat generatio esse possibilis, quam constat eos habere talem appetitum.

Secunda probatio eorumdẽ reiicitur.

*Secunda ratio est hæc.* Possibilis est alteratio: ergo & generatio, quia alteratio ordinatur ad generationem. *Hæc etiam non placet*: nam petitur principium manifeste in probatione consequentię, nam quicunque negaret possibilem generationem, negarer alterationem ad eam ordinari; & cuicunque vnum esset ignotum, esset sine dubio ignotum alterum: ergo male vnum per alterum probatur. Imo sane quamuis prius cognoscatur alteratio esse, quàm generatio, tamen prius cognoscitur generatio esse, quàm alteratio ad ipsam ordinari, & generationem esse possibilem, quàm alterationem posse ad illam ordinari, vt patet.

Itaque sistendum est in probatione priùs proposita; rationes vero, quæ adducuntur contra possibilitatem generationis, tam facilis sunt solutionis, vt non sit necesse eas proponere.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO II.

*An generatio sit essentialiter mutatio.*

7 VIderetur ex dictis pars affirmatiua debere esse extra controuersiam, quandoquidem non solum Philosophus in tribus sui descriptionibus explicauerit generationem per mutationem, sed & id etiam concluſimus, quia tamen non desunt qui hoc in controuersiam vertunt, oportet id examinare distinctius.

Sensus controuersiæ.

*Pro quo aduertendum* punctum huius controuersiæ consistere in hoc, an generatio habeat esse essentialiter id, à quo subiectum mutatur à negatione, seu priuatione formę ad ipsam formam, quę priuatio prius insit subiecto, & excluditur per formam; an vero sufficiat ad generationem quod sit id, quo subiectum acquirat formam, quam sine generatione non haberet, licet de facto nunquam fuerit sub negatione, aut priuatione formæ. Multi enim qui dicunt generationem esse essentialiter mutationem, intelligunt per mutationem transitum subiecti de nõ esse vere & positiue ad esse, & consequenter negarent productionem compositi, cuius materia non præcederet formam tempore, esse generationem; omnes autem, qui negant generationem esse essentialiter mutationem, idem etiam intelligunt per mutationem, sed tamen dicerent productionem compositi, cuius materia non præcederet forma tempore, esse generationem, licet non esset mutatio. Vnde quia eadem positiua productio compositi posset secundum se vel præsupponere priuationem formę in subiecto, vel nõ præsupponere, & si præsupponeret haberet rationem mutationis, si vero non præsupponeret, nõ haberet rationem mutationis, semper vero haberet rationem generationis propterea consequenter asserunt generationem non esse essentialiter mutationem, sed hoc esse ipsi valde accidentale quantum ad naturam suam intrinsecam, licet generationes omnes, quæ de facto fiunt per causas secundas, habeant hoc accidens annexum, quia semper materia in quam aguntur præsupponitur tempore actioni generatiuæ.

*Alij vero*, qui dicunt generationem esse essentialiter mutationem, & tamen non necessario præexigere negationem subiecto prius tempore existentem, non intelligunt per mutationem transitum de non esse (quod non esse vere, & actu fuit in subiecto) ad esse: sed transitum à non esse quod fuisset, nisi impediretur per formam, ad quam sit transitus.

*Ego sane existimo*, in primis quæstionem esse de nomine, an mutatio dicat essentialiter ordinem ad non esse termini actualiter præexistens, vel sufficiat ordo ad negationem, quæ vere præextitit, vel præextitisset, quæ est controuersia inter Authores tertij modi dicendi, & eos qui tenent duos primos modos; vnde potius conueniendum esset in nomine, quam altercandum: & idem etiam sentio de controuersia quæ est inter Authores duorum primorum modorum dicendi: dependet enim à significatione generationis. Neque rea is aliqua potest esse difficultas hac in re, nisi an acquisitio formæ substantialis, seu actio positiua, per quam coniungitur forma substantia is cum materia prima existente an ecedenter sub negatione formæ, sit distinctæ rationis ab acquisitione, seu actione positiua, per quam coniungeretur illa forma materiæ nõ præexistenti sub negatione: si enim distinguerentur specie istæ acquisitiones, tum posset vna ex ipsis vocari mutatio & generatio, & altera non deberet sic vocari, & consequenter posset optime dici quod generatio esset essentialiter mutatio. Si vero illæ actiones non distinguuntur specie, quodcumque nomen tribuitur vni, quod nõ tribuitur alteri, deberet ipsi tribui ratione alicuius conditionis accidentalis, & consequẽter posset dici accidentaliter conuenire. Itaque hoc quod solum est in controuersia reali hic examinabimus, & deinde etiam qui absolute dicendum sit in controuersiis nominalibus resoluemus.

### CONCLVSIO I.

8 *Respectus positiuus, quo subiectum recipit formam siue eductam, siue non eductam, & actio positiua, per quam producens producit formam in subiecto, siue educendo ipsam, siue non educendo, est eiusdem rationis, siue prius tempore fuerit priuatio formæ in subiecto; siue non fuerit.* Hanc non inuenio propositam ab Authoribus, sed videtur omnino certa: quia quod præsupponatur subiectum tempore ante illam receptionem, & actionem, est minimo impertinens ad naturam ipsarum, & quæcumque dependentiam, quam debent habere, siue ad subiectum, siue ad agens: ergo sunt eiusdem rationis, siue præsupponatur negatio formæ, sine non.

Respectus positiuus, quo subiectum acquirit formam est eiusdem rationis, siue priuatio præcesserit tempore, siue non, & idem est de actione, per quam vnitur forma.

*Confirmatur*: quod negatio actionis præsupponatur tempore in agente, vel non præsupponatur, est impertinens ad variationem specificam actionis, quoad entitatem suam int in eam: & quamuis posset habere aliquam denominationem quando proueniret ab agente præsuppsito tempore cum tali negatione, quam non haberet si præsupponeretur agens cum illa; tamen ista denominatio esset ipsi extrinseca, & accidentalis, & nullo modo orta ex natura intrinseca ipsiusmet actionis quoad entitatem suam positiuam: ergo similiter quod negatio formę præsupponatur in subiecto, vel non præsupponatur ante coniunctionem ipsius cum forma, & ante actionem, per quam coniungitur cum forma; est omnino impertinens ad variationem naturę istius coniunctionis, & actionis; & si aliqua denominatio tribuatur actioni ac coniunctioni, quando præsupponitur negatio, quæ non tribuetur, ea non præsupposita, erit omnino accidentale, & extrinsecum isti coniunctioni, & actioni; quod mihi apparet certum.

*Confirmatur secundo* quia gratis, & absque fundamento vllo diceretur, quod illa præsuppositio negationis variaret intrinsecam naturam actionis, etiam arguitiue: ergo non est dicendum.

### CONCLVSIO II.

9 *Productio compositi ex materia non præexistente tempore ante formam sine eductam, siue non eductam, est generatio, & etiam mutatio.* Hæc est conformis principiis *Doctoris* de eductione, quatenus asserit ad eam nõ præreq uiri quod negatio formæ eductæ sit prius tempore in subiecto quã forma, & eam tenent omnes *Scotistæ* communiter; quos sequuntur plurimi recentiores & specialiter *Aduersa quæstione 37. sectione 3.* quamuis eam leuiter tantum insinuet; est autem quoad primam partem contra *Ruuium* hic *cap. 4. tract. 1. quæst. 2.* Quoad secundam vero partem est contra eos authores, qui putant generationem non esse essentialiter mutationem: propterea enim hoc putant, quia existimant generaretur compositum ex materia non præexistente tempore, non esse mutationem, quos authores suppresso nomine citat *Ruuius*.

Productio compositi ex materia non præexistente tempore, est generatio, & mutatio.

*Probatur conclusio quoad primam partem*, quia productio talis compositi non esset creatio, quandoquidẽ esset productio dependens à subiecto & consequenter non esset productio rei ex nihilo: ergo esset generatio, quia productio substantialis, vt sic, adæquate diuiditur in generationem substantiæ, & creationem substantiæ.

*Probatur secundo*, quia omnis productio substantialis, quæ fit per causam secundam de facto, est generatio: neque enim causa secunda de facto creat, quidquid sit de possibilibus, sed aliqua productio substantialis fit à causa secunda de facto ex materia non præexistente tempore ante formam, quæ producitur: ergo productio compositi ex materia non præexistente tempore est generatio.

Probatur minor, quia quando ignis comburit species Eucharisticas, & ex iis generat ignem, quandoquidem nihil substantiæ sit sub illis speciebus, omnes fatentur de nouo produci à Deo materiam in illo ipso instanti temporis, quo ignis deberet educere formam substantialem & producere ignem: ergo aliqua productio substantialis fit à causa secunda ex materia non præsupposita tempore.

*Confirmatur*: quia si Deus in instanti A produceret

materiam vltimè disposítam ad formam ignis, ignis ipsi applicatus sufficienter produceret ignem ex illa materia naturaliter, non per creationem: ergo per generationem.

*Confirmatur*, quia gratis, & absque vllo fundamento diceretur illa actio non habere denominationem creationis aut generationis, sed nouam aliquam excogitatam ab aduersariis ad euadendam difficultatem: & per hoc patet responsionem *Ruuij* non satis facere.

19 *Respondet Ioannes à Sancto Thoma quæst. 1. art. 1.* ad casum de Eucharistia, adesse tum ibi quantitatē prius tempore, quæ supplet vicem materię per receptionem dispositionum præuiarum, & negationem formę præcessisse tempore non formaliter in ipsa materia, sed virtualiter.

*Contra primò*; quia ad intentum conclusionis sufficit quod negatio non debeat præcedere in materia formaliter ad hoc, quod aliquid generetur: ergo cùm hoc concedatur, frustra & impertinenter ad propositum recurritur ad quantitatem supplentem vices materiæ, & ad virtualem processionem materiæ.

*Contra secundo*, quia ipsemet postea cum vid ret suam responsio em non quadrare alteri casui de materia, quæ produceretur vltimate disposita, & applicaretur in eodem instanti agenti, respondet tum sufficere quod priuatio præcedat natura formam, quæ est doctrina *Sco i* & nostra inferius proponenda. Sed hæc eadem r spo sio æquæ sufficeret, & sine dubio esset melior ad casum de Eucharistia: ergo altera illa obscurior non erat adhibenda.

Aduerte autem, ex hac secunda ipsius responsione hunc authorem videri tenere, in re ipsa nostram conc usionem.

*Proba ergo eadem pars* ex dictis in prima conclusione, gener tio est a iquid vnum positiuum, sed quidquid positiuum reperitur quando producitur compositum ex materia præexistente tempore, reperitur quando producitur compositum ex materia non præsuppositio tempore; imò eadem ipsa numero positiua possunt esse in vtroque casu: ergo si interueniat generatio in vno casu, interuenit in altero, sed interuenit in vno secundum aduersarios: ergo & in altero.

*Dices* eadem quidem interuenire, sed cum diuersis denominationibus, quia in vno casu coniunctio subiecti cu forma sequitur priuationem: ergo ratione huius in vno casu illa coniunctio vocari potest generatio, licet in altero non posset.

*Contra primò*: quia quamuis sic posset vocari tamen non debet de facto dici quod sic vocetur, quia de facto omnis productio substantialis, quæ non est creatio, vocatur generatio: ergo non sola productio substantialis præsupponens negationem termini in subiecto prius tempore debet vocari generatio, & præsertim cum nulla sit ratio aut authoritas vnde colligatur quod illa sola sic vocanda sit.

*Contra secundò*: quia si actio eadem numero vocatur generatio ob talem denominationem, ergo saltē hoc h betur, quod illa actio, quę denominatur generatio, non distinguatur essentialiter ab actione, quę non est generatio magis, quàm pa ies qui denominatur albus, distinguitur ab illo, qui non denomin tur albus.

11 *Probatur secunda pars*: quia nihil impedit quo minus illa productio dicatur mutatio, quemadmodum dici potest generatio: est enim eadem ratio de vtraque: & quãdo Philosophus semper dicit quod generatio sit mutatio, gratis diceretur quod nō intelligeretur in sensu essentia i.

*Confirmatur*, quia sufficit ad mutationem, quod priuatio formæ, ad quam mutatur subiectum, præcedat natura modo iam statim explicando, & gratis requiretur præcessio temporaria.

*Obiicies primò*: generatio nequit dari absque tribus principiis intrinsecis, ad ipsa requisitis, materia verbi gratia, forma, & priuatione; ergo necessario prærequirit priuationem, & consequenter, quando non præest priuatio, non potest esse generatio.

*Respondetur cum Scotistis* communiter, distinguendo primum consequens: priuationem, quæ prius tempore existat in subiecto, nego; quæ prius natura, concedo primum, & nego secundam consequentiam.

*Dico*: quod solū præsupponitur natura, reperitur in eodem instanti temporis cum re, quam præcedit: sic enim causa efficiens, quæ solum præsupponi debet natura ad actionem & effectum, debet esse in eodem instanti temporis cū illis; & sic ipsa materia quæ solum debet præesse natura ad formam, debet esse in eodem instanti cum forma: ergo si priuatio debeat solum prędcedere prius natura, debet esse in eodem instanti temporis.

*Confirmatur*, quia omnia instantia naturæ se inuicem priora & posteriora clauduntur in eodem instanti temporis: ergo & omnia illa, quæ sunt in illis instantibus naturæ, debent esse in eodem instanti temporis; sed priuatio formæ nequit esse in eodem instanti temporis cum forma: ergo debet magis præcedere quam natura, & consequenter debet præcedere tempore, si præcedat vllo modo.

*Respondetur* distinguendo antecedens, quod præcedit natura positiue, concedo; negatiue, nego antecedens: & similiter distinguo consequens, si præcedat positiue, concedo; sed nego sic præcedere: si negatiue, nego, & dico quod solum sic præcedere debeat p iuatio.

12 *Iuxta hoc respondeo ad confirmationem* distinguendo consequens: omnia illa quæ sunt in illis instantibus negatiue tantum, nego: positiue, concedo consequentiam cum consequentia probationis. Vt hæc etiam responsio intelligatur, aduert illa dici præcedere aliud natura positiue, quæ & præcedunt actu, & possunt dici esse absolute, & sic se habet materia respectu formæ, efficiens respectu actionis, & effectus, animalitas respectu rationalitatis; hæc respectu risibilitatis: Sic autem non se habet priuatio in casu nostro ad generationem, aut formam, quia non potest dici absolute, existit priuatio in subiecto. Illa vero dicuntur existere prius natura negatiue, quæ absolute non existunt; sed existerent tamen, nisi impedirentur per existentiam earum rerum, quibus dicuntur prius natura, & sic se habet priuatio respectu formæ; nam quamuis absolute non existat in materia, existeret tamen nisi fuisset propter inductionem formæ. Quæ præcedũt alia natura positiue, & negatiue.

*Hæc responsio* est in re optima, ac veram continens doctrinam, potest tamen adhuc clarius responderi aliter ad obiectionem, distinguendo antecedens, absque tribus principiis quæ existunt quando est generatio, aut ante, nego: absque illis eo modo quo requiruntur ad generationem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Itaque ex illis principiis priuatio non debet existere, nec quando est generatio, quod omnes concedunt, & hinc nos dicimus quod causet quando non est; nec antecedenter; quia quod præcesserit ante, est omnino impertinens ad principationem ipsius. Alia responsio.

*Et si quæras*, quomodo ergo requiritur, aut cur? *Respondeo* quod requiritur quod non sit, quia quamdiu esset, impossibilis esset generatio; & requiritur etiam ad hoc quod intelligatur aliquid posse generari ex subiecto, quod intelligatur illud subiectum posse esse tam cum habitione formæ, quàm cum priuatione formæ: aliàs non posset intelligi per modum subiecti, quod posset recipere formam per actionem physicam, & realem, & alio modo non requiritur priuatio ad principiandum rem aliquam. Cur requiratur priuatio.

*Obiicies secundò*: si poset generatio esse ex materia quę non præsupponeretur cum priuatione, sequeretur quod productio cælorum esset generatio; sed hoc est falsum, quia alias cæli essent generabiles contra communem sententiam.

*Respondetur* negando minorem, ex suppositione quod cæli componantur ex materia & forma, provt supponitur in obiectione: ad cuius probationem dico, non esse contra commu em sententiam quod cęli sint generabiles, & corruptibiles per actionem causæ primæ, sed solum asseritur communiter, quod sint ingenerabiles, & incorruptibiles respecti

respectiue ad causas secundas: quod verum esset, quamuis productio eorum esset generatio.

13 *Obijcies contra secundam partem*: mutatio est transitus subiecti à nõ esse tale ad esse tale: sed subiectum in casu nostro non transiret à non esse tale ad esse tale, quãdoquidem numquam, vt supponitur, fuerit sub non esse: ergo quamuis fieret tum generatio, illa tamen generatio non haberet rationem mutationis.

*Confirmatur*, quia mutatio est id, mediante quo aliquid aliter se habet, quam ante se habuit: sed nihil in casu nostro aliter se haberet, quam ante: ergo non posset esse mutatio.

Respõsio. *Respondetur* distinguendo maiorem: à non esse tale, quod non esse fuit antecedenter, nego maiorem; quod nõ esse fuisset tum in subiecto, si non aduenisset generatio, concedo maiorem, & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

*Ad confirmationem respondeo* negando maiorem, si loquamur de mutatione vt sic: licet enim aliqua mutatio in particulari habeat hanc rationem, tamen hæc ratio non requiritur ad mutationem omnem, neque consequenter ad mutationem vt sic, ad quam sufficit, vt iam dixi, quod per eam aliter se habeat quàm haberet se sine ea, siue de facto aliter se habuerit, siue non. Posset quidẽ doctrina præmissa de anterioritate naturæ, quam habet priuatio ad formam, & generationem, huc applicari, sed responsio adducta est facilior, & alias æque bona.

## QVÆSTIO III.

### *Quid sit subiectum, & terminus generationis.*

14 HÆc quæstio quantum ad rem ipsam videretur esse facilioris resolutionis ex dictis; sed diuersitas modorum loquendi, quibus authores eam resoluendo vtuntur, aliquantulum eam intricatam reddunt.

Pro maiori autem claritate eius aduertendum est posse considerari duplicem generationem; vnam actiuam, à qua habet agens formaliter generare, aliam passiuam, à qua aliquid dicitur generari. Et quidem si loquamur de generatione actiua, ex suppositione quod actio subiectanda sit in agente, non est dubium quin illa etiam habeat agens pro subiecto tam denominationis, quam inhæsionis: inhæret enim illi, & denominat ipsum generans actu: nec in hoc potest esse difficultas specialis, præter illam, quæ est de subiectatione actionis in agente. Vnde solum controuerti hic particulariter potest de generationis passiuæ subiecto, de qua quod resoluetur eodem modo currit de generatione actiua, ex suppositione quod identificaretur generationi passiuæ, vt extra scholam Scotisticam communius ab authoribus defenditur, qui propterea hic non distinguunt inter vtramque generationem, quia scilicet supponunt eas identificari realiter, atque adeo quod est subiectum vnius, alterius etiam esse subiectum.

Generatio dat multas denominationes. *Aduertendum secundo* à generatione haberi multas denominationes: nam in primis per eam materia mutatur ad formam, compositum præcedens conuertitur in subsequens; illud ipsum subsequens generatur vt quod; forma quando educitur, acquirit suum esse, & vnitur materiæ; & quando non educitur, vnitur. Vnde non est dubium, quin omnia hęc sint subiecta denominationis eius, hoc est subiecta quæ recipiunt denominationem ab illa. Quod si omnes hæ denominationes prouenirent ab vnica forma, quæ in vnico subiecto inhæreret, hic tantum esse posset difficultas, in quonam ex illis omnibus subiectis, quæ accipiunt illam denominationem ab ipsa, subiectaretur, ac inhæreret illa vnica forma.

15 *Si* vero non prouenirent omnes illæ denominationes ab vnica forma, sed à pluribus, tum non esset vnicum subiectum, sed plura generationis adæquate sumptæ. Vnde hic primo examinandum an sint plures formæ, à quibus proueniunt istæ denominationes.

*Itaque in primis suppono* compositum substantiale, quod conuertitur, non habere in se subiectatam vllam formam, à qua habet illam denominationem, neque enim habet illam denominationem nisi in instanti in quo non est, tum autem non habet in se aliquam formam actu existentem, sicut nec ipsum met actu existit, vt patet.

*Rursus suppono* materiam, quando mutatur ad formam, recipere in se vnionem ad illam formam & ab illa habere mutari ad formam, siue forma habeat suum esse à materia, siue non, & rursus in nostra sententia aliam dari vnionem in forma ad materiam; & ex his vnionibus vnam non magis spectare ad generationem quàm alteram: vnde certum est, quod generatio, quatenus includit vnionem materiæ, habet pro subiecto ipsam materiam; quatenus includit alteram vnionem formæ, ipsam formam. Quod si solum vnica vnio poneretur inter vtramque, tum dicendum quod generatio quatenus dicit vnionem, haberet illud subiectum solum, in quo illa vnica vnio diceretur inhærere, nimirum vel materiam solam vt putant aliqui, vel formam solam, vt alij; vel vtramque simul, vt nonnulli; nec in hoc etiam potest esse vlla altercatio.

*Præterea* in generatione omni, quæ de facto reperitur præter hominis, vltra vnionem sub conceptu vnionis interuenit influxus causæ materialis in formam, quia ex ipsius potentia omnis forma educitur præter animam rationalem, quæ creatur. Et licet hic concursus sit impertinens ad generationem cuiuscunque compositi substãtialis, in quantum nullum sit tale compositum, quod non posset generari, quamuis non educeretur forma ipsius, sed crearetur instar animæ rationalis; tamen posset dici quod in generatione tali particulari, educta scilicet, includeretur essentialiter iste concursus: & hoc supposito, quia iste concursus quasi actiue consideratus se habet ex parte materiæ, siue distinguatur ab vnione, vt aliqui etiam Scotistæ putant, siue non distinguatur, vt tenent alij, de quo supra actum est, & quia passiue consideratus se habet ex parte formæ; & distinguitur etiam realiter à concursu materiæ in sententia Scotistarum: sequitur manifeste quod concursus actiuus subiectetur in materia, & passiuus in forma: quod si identificentur isti concursus, tum ponendi sunt vel in materia sola vel in forma sola, secundum quod authores philosophantur de subiecto actionis & passionis.

*Denique* præter hæc, ex suppositione quod detur tertia entitas causata à partibus simul sumptis & vnitis, influxus quasi actiuus istarum partium in compositum est considerabilis in generatione, & influxus passiuus correspondens ipsi in composito: & quidem concursus ille quasi actiuus subiectatur in partibus, & in mea sententia non distinguitur realiter ab vnione partium; influxus vero passiuus subiectatur in toto composito, & ab illo proxime, & immediate denominatur totum compositum generatum.

Præter hos autem respectus, aut modos iam specificatos, non videtur generationem dicere aliquid positiuum vltra subiectum, formam, & compositum.

Quare abunde constat, quid in rei veritate sit subiectum generationis, secundum omnia, quæ dicit iuxta diuersas authorum sententias, quarum examen non spectat huc, sed ad Physicam, ac Logicam.

Nunc ergo restat maioris doctrinæ causa examinare aliquos modos particulares dicendi, quorumdam Thomiquorum modos particulares dicendi, quorumdam Thomistarum, quorum aliqui quamuis negent tertiam entitatem, dicunt tamen subiectum generationis absolute esse totum compositum. Ita *Bannes* hic *c. 4. q. 11.* quem sequitur *Ioannes à S. Thoma*: alij vero dicunt, quod sit ipsa materia prima, *Ruuius* supra *q. 4. Complutenses*, quamuis hi probabilem censeant priorem sententiam.

## CONCLVSIO

Si generatio sit quid vnum & non detur tertia entitas, subiectatur in materia.

16 *Ex suppositione, quod detur tertia entitas distincta à partibus simul sumptis, & vnitis, & quod generatio sit aliquid vnum, non debet collocari in toto compositio, tanquam in subiecto inhæsionis, sed potius in materia prima.*

Hæc est communissima sententia contra *Bannem*, & *Ioannem à Sancto Thoma*.

*Probatur manifestè*, quia totum compositũ ex hypothesi

conclusionis, non est aliud quam materia, & forma vnita sed vnũ accidens simplex nequit inhærere immediate in duobus subiectis realiter distinctis, imo sunt plurimi qui existimant illud esse impossibile etiam supernaturaliter, præsertim si accidens sit materiale, vt est generatio: ergo. Nec refert quod illa plura faciunt vnum per se, quia hoc non impedit quominus sint distincta realiter subiecta, etiam vt sunt in composito, & consequenter non tollit, quin illud ipsum accidens quod inhæret vni, inhæreat immediate in illis duobus subiectis.

*Probatur secundo*, quia prius est natura, ac nostro modo concipiendi, quod materia mutetur ad formam, quàm intelligatur oriri compositum, & ab illo ipso, à quo denominatur materia mutari ad formam substantialem, habet, realiter saltem, totum generari; nec aliquid aliud realiter distinctum requiritur ad hoc quod totum generetur, si generatio consistat in aliquo vno: sed illud à quo materia sic mutatur, ponitur inhæsiue in ipsa materia: ergo & generatio in ipsa ponenda est, & non in toto composito.

*Confirmatur*, quia ideo subiectant aduersarij generationem in toto generato, quia existimant materiam primam non esse capacem vllius formæ ante formã substantialem: sed hoc est falsum, quia cum habeat existentiam distinctam ab existentia formæ, & possit independenter à forma existere, vt probatum est *primo Physicorum*, nihil impedit quominus possit respicere aliqua accidentia, & præsertim illa, quæ requiruntur vt recipiat ipsam formam substantialem: ergo non est dicendum quod generatio subiectetur in toto composito, sed potius in materia prima. Nec sanè necesse est dicere quod generatio sit quid substantiale, & non accidens, vt dicunt *Cõplutenses*, quasi accidens non posset præcedere formam substantialem, & aliquid substantiale posset: nam quaratione posset recipere modum substantialem ante formã, posset etiam accidentalẽ: & ex alio capite cum generatio, siue actiue sumatur, siue passiue, spectet ad prædicamentum actionis ac passionis, & cum habeat etiam omnes conditiones accidentis, omnino debet dici esse accidens, & male dicitur esse intrinsece substantialis: & per hanc confirmationem patet ad fundamentum præcipuum aduersariorum.

Generatio non debet esse intrinsece substantialis.

*Confirmatur secundò* ostendendo modum, quo possit generatio inhærere toti, assignatum ab aduersarijs, & præsertim *à Ioanne à S. Thoma*, esse impossibilem. Itaque ipse dicit actionem subiectari in toto, quia non inhæret materiæ, nisi mediante termino producto, seu ab ipsa actione attracto: vnde quandoquidem identificetur actio cum illo termino & generatione, sequitur quod non sit aliud subiectum cui inhæreat, quàm totum.

Sanctia Ioannis à S. Thoma.

*Contra*, quia si actio identificetur termino, quandoquidem terminus sit substantia, siue terminus sit forma, siue totum compositum, sequitur actionem non posse esse accidens & consequenter non posse inhærere.

*Deinde*: falsum est actionem identificari termino: præterea potest assignari aliud subiectum: & denique hic modus explicandi obscurissimus est in ipsomet authore.

17 *Obijcies*: totum denominatur generari & non materia prima; ergo generatio potius subiectari debet in toto quam in materia prima.

*Respondeo primo*, retorquendo argumentum: materia prima denominatur mutari per generationem, & non totum generatum: ergo potius debet subiectari in materia prima quam in toto.

*Rursus* totum destructum denominatur conuerti per generationem: ergo generatio in ipso subiectari debet. Quod si aduersarij negent has consequentias, nos poterimus similiter negare consequentiam ipsorum; & quamcumque responsionem dabunt, sufficiet vel similis, vel eadem nobis.

*Respondeo secundò*, negando consequentiam, & ratio est, quia multa possunt dare denominationes aliquibus, in quibus non inhærent, quales non dant ipsis, quibus inhærent, sic visio dat denominationem visi obiecto, qualem non dat oculo: & actio secundum aduersarios dat denominationem agentis causæ, qualem non dat passo, in quo ponitur secundum ipsos. Si autem quæratur, cur potius generatio, cum tribuat aliquam denominationem materiæ, & aliquam composito, potius in materia quam in composito subiectari debet, ratio petenda est ex fundamentis conclusionis.

## QVÆSTIO IV.

*De termino generationis*

18 NOn agimus hic de termino à quo generationis, quia si loquamur de termino per se, est priuatio formæ, vel quæ fuit ante in subiecto, vel quæ fuisset tum quando est generatio, nisi per generationẽ introduceretur forma substantialis: si vero loquamur de termino per accidens, est forma illa positiua, quæ ante præfuit in materia, & etiam totum compositum quod destruitur. Agitur ergo de termino ad quem tam denominationis, hoc est de quocumque termino ad quem, qui mediante generatione recipit aliquam denominationem, quàm immediatæ terminationis, hoc est ad quem generatio immediate terminatur.

Qui est terminus ad quem generationis actiuæ.

Et quidem, si loquamur de generatione actiua, quæ in nostra sententia subiectatur in agẽte, terminus principalis ipsius est totum compositũ, quod per eam producitur ac generatur, *vt quod*, & quando generatio est eductiua, terminus *quod* ipsius est ipsa forma substantialis, quę etiã dicitur produci ac generari *vt* quo, quia est pars formalis ipsius termini principalis: & si præterea per eam producatur vnio istius formæ, illa vnio potest similiter dici terminus quo ipsius, quia est aliquod per eam productum, mediante quo producitur ipsum compositum, & educitur forma; si vero non producatur illa vnio per actionem agentis, non debet dici terminus generationis actiuę, sed concurs. qui necessario concomitari debet ipsam: quãdo vero generatio non est eductiua, non habet alium terminum, qui producitur, præter vnionem formæ & compositum: potest tamen dici, quod terminus quo ipsius sit forma non educta, quia quamuis per eam non producatur, tamen est ratio formalis physicè constituens compositum, quod sufficit ad hoc, vt dicatur terminus *quo*.

At si loquamur de generatione passiua, vel etiã de actiua, ex suppositione quod identificetur generationi passiuę considerãda sunt omnia illa, quæ interueniunt in generatione, vt sunt respectus vnionis materię ad formã, formę ad materiam, eductionis qua materia influit in formam, & eductionis passiuæ correspondentis subiectatę in forma: & deinde productio passiua totius compositi terminata ad causas generantes: & certum est, quod sicut generatio non est aliquid vnum in hoc sensu, & nõ habet vnum subiectum, sed plura: ita etiam non habet vnum terminum, sed plures; quod ex ipsorum diuersorum illorum respectuũ natura patet: nam vnio & causalitas eductiua materiæ habet pro termino ipsam met formam, vnio formæ materiã; & causalitas passiua ipsius tam materiam quam agens; productio passiua compositi omnes causas, à quibus generatur; nec in hoc potest esse vlla difficultas, ex suppositione quod illa plura interueniãt in generatione imo quamuis plura realiter distincta non interuenirẽt in ipsa, sed vnicus tantum respectus aut modus; ille ipse vnicus modus potest cõsiderari tot considerationibus distinctis, ac si includeret illa plura, & sub vna consideratione haberet vnum terminum, sub alia alterum.

Quid sit terminus generationis passiuæ.

*Et hæc quidem de re*; quantum vero ad modum loquendi, supposito quod generatio esset vnica tantum actio, siue subiectetur in agente, siue in composito, & quod per terminum illius debeat intelligi illud, quod producitur per ipsam.

19 *Aliqui dicunt* terminum ipsius totalem adæquatum & *vt quo* esse totum compositum, non solum vt dicit naturam conflatam ex partibus physicis, & existentia; sed etiam substantiam; terminum vero vt quo totalem esse ipsam naturam vt contradistinguitur à composito; & terminum *vt quo* partialem, ac minus principalem esse formam substantialem: ita *Ioannes à Sancto Thoma*, & *Complutenses*.

Alij

*Alij vero assignant* pro termino totali compositum, nulla facta mentione suppositalitatis, & pro termino formali formam. Ita *Ruuio* hic.

*Alij autem* conuenientes cum *Ruuio* in assignando termino primario vt *quod*, differunt in termino *quo*, quem ipsi putant esse vnionem. Ita *Hurtadus* hic, & plures recentiores.

Quod ad me autem attinet, existimo quæstionem hic nullam posse esse de re, sed solummodo de nomine, ac parui propterea momenti, quam tamen sequentibus conclusionibus resoluam.

## CONCLVSIO I.

Compositum subsistés in aliquo sensu, est terminus qui generationis, in alio non est.

20 *Compositum ex natura, & substantia est terminus principalis* vt qui *generationis, in quantum est perfectissimus terminus, qui ad ipsam sequitur; non tamen est talis terminus, sine quo non posset intelligi generatio esse, etiamsi per possibile, aut impossibile non sequeretur subsistentia: sed terminus* qui *essentialiter requisitus, sine quo nec intelligi nec esse potest generatio substantialis, est compositum ex materia & forma, atque adeo simpliciter huiusmodi compositum dicendum est terminus* qui *principalis generationis.*

Hæc quoad hanc vltimam partem est *Ruuij* contra *Complutenses*, ac *Ioannem a Sancto Thoma*: quoad primas vero duas partes credo non posse esse contra vllum in re ipsa; quidquid sit de modo dicendi.

*Probatur prima pars*, quia sine dubio compositum vt subsistens est perfectius quàm vt non subsistens, & sequitur ad generationem: ergo intelligendo per terminum principalem vt *qui*, perfectissimum terminum, qui sequitur ad generationem, & denominatur generari, talis erit illud compositum.

*Secunda pars probatur*, quia eo ipso quo intelligitur per actionem aliquam produci compositum substantiale ex materia, saltem præsupposita, & forma quamuis non consideraretur illud compositum vt includens suppositalitatem vllam distinctam siue realiter, siue ratione, à singularitate, intelligeretur actio illa esse generatiua, prout actio generatiua distinguitur à creatiua, & alteratiua, ac quacumque alia, quæ non est generatio; & eo ipso quo à parte rei produceretur tale compositum absque suppositalitate distincta à singularitate, daretur à parte rei generatio: & nisi daretur à parte rei tale compositum, nó daretur actio generatiua, nec posset intelligi esse, quin intelligeretur esse productio talis compositi: ergo vera est secunda pars conclusionis.

*Confirmatur*, quia non habuerunt Philosophi conceptum suppositi, vt distinguitur à natura singulari, ante cognitionem mysterij Incarnationis, vt mihi certum est, & probabitur in Metaphysica Deo volente: & tamen habuerunt conceptum generationis: ergo conceptus suppositi est omnino impertinens ad conceptum generationis.

*Hinc probatur tertia pars*: quia ille absolute censendus est terminus principalis, qui magis habet necessariam connexionem cum generatione quoad esse & concipi, & sine quo nec potest concipi nec esse: sed tale est compositum ex materia & forma præcise: ergo.

21 *Obijcies*: secundum Philosophum 1. *met. sect.* 27. quod generatur non est forma, nec quidditas, sed compositum: ergo per Philosophum terminus *qui* generationis est suppositum.

Probatur consequentia, quia per formam in prædicto loco intelligitur forma partialis, & per quidditatē forma totalis, quæ est ipsum compositum ex materia & forma: ergo per compositum intelligit suppositum, quod contradistinguitur à cōposito ex materia & forma, & cōsequenter secundum Philosophum suppositum est terminus *qui* generationis; Vnde, inquit *Ioannes a S. Thoma*, patet aut non legisse, aut non aduertisse verba Aristotelis eos qui dicunt eum non agnouisse suppositum.

*Sed respondetur* negando consequentiam, ad cuius probationem dico, formam totalem per modum formę conceptam, non esse formaliter ipsum compositum, sed abstractum metaphysicum, & consequenter non solum suppositum contradistingui à quidditate, seu forma illa totali; sed ipsum etiam compositum ex materia & forma in concreto metaphysico consideratum: & hinc patet prædictum Authorem non intellexisse verba illa, quæ & legit & aduertit, & non potuisse eum colligere alios authores putantes Philosophum nec somniasse quidem de suppositalitate, ea aut non legisse, aut non aduertisse.

*Obiicies secundo*: Generatio per se primo tendit ad dandum esse integrum, & perfectum: sed compositum non habet esse perfectum absque suppositalitate: ergo suppositum & non compositum est terminus primario intentus & principalis generationis.

*Confirmatur*, quia ad generans non solum spectat dare formam, sed consequentia ad ipsam vt propria passiones: ergo etiam spectat ad ipsum dare suppositalitatem, quæ intimior est quam proprietates.

*Respondeo* negando consequentiam, quia licet sequatur suppositum, & sit perfectissimum ex omnibus, quæ producuntur; tamen generatio potius debet principaliter intendere illud, sine quo non potest concipi nec esse etiam in casu impossibili, quam illud sine quo possit intelligi, & esse etiam in tali casu: hoc autem non est suppositum, sed compositum, ergo.

*Ad confirmationem concedo* totum, sed non præiudicat conclusioni quoad partem, vt patet.

## CONCLVSIO II.

In quo sensu vnio potius est terminus formalis generationis quam forma.

22 *Si per terminum formalem* quo *generationis intelligatur aliquid productum aut recipiens esse de nouo, sine quo non posset esse terminus adæquatus* qui, *vnio potius est dicendus terminus formalis, quam forma, etiam si forma producere-tur: si vero intelligatur ratio formalis constitutiua physica termini totalis, forma dicenda est terminus formalis, non vnio, siue educatur forma, siue non: absolute autem censendum est, quod forma sit terminus formalis ipsius.*

Hæc quoad duas primas partes videtur esse extra controuersiam; quoad tertiam vero est cum *Ruuio contra Hurtadum.*

*Probatur prima pars*: quia quamuis forma producatur, tamen productio ipsius est impertinens ad generationem termini totalis, quia licet non produceretur illa forma per generationem, sed fuisset ante producta, aut produceretur per creationem, modo produceretur vnio, esset generatio substantialis totius compositi: ergo terminus formalis generationis, prout tendit in compositum, nequit esse forma, vt producta aut educta: sed potius vnio, qua producta sequitur illud compositum necessario; si per terminum formalem intelligatur aliquid distinctum à composito, cuius productio ad esse compositi sit requisita.

Quo sēsu forma potius debeat dici terminus formalis.

*Probatur secunda pars*: quia vnio licet sit conditio necessario requisita ad compositum, non tamen est constitutiuum ipsius: ergo si per terminum formalem intelligatur ratio formalis physica constitutiua compositi, forma, & non vnio esset terminus formalis.

Absolute forma est terminus formalis

*Probatur denique tertia pars, primo*, quia ille est absolute censendus terminus formalis quo, qui constituit physicè terminum principalem & adæquatum *qui*: sed hoc competit formæ, non vnioni.

*Probatur secundo*, quia illud est terminus formalis quo generationis, per ordinem ad quod vna generatio distinguitur ab altera, sed distinguitur per ordinem ad formam & non per ordinem ad vnionem, quia cum vnio reperiatur in omni generatione non potest per ordinem ad illam distingui vna generatio ab altera, nisi quatenus potest cognosci quod vna vnio distinguitur ab altera: sed hoc ipsum non potest cognosci nisi cognoscendo terminum eius esse distinctum à termino alterius: ergo per ordinē ad formam potius quam ad vnionem debent distingui generationes. Quæ opponi possunt, sunt nullius momenti, & eorum solutio patet ex dictis: nec in hac re nominali est diutius hærendum.

## QVÆSTIO V.

*An generatio distinguatur ab alteratione.*

23 PEr alterationem intelligitur hic actio illa, per quã producitur vltima disposicio accidentalis, quam connaturaliter concomitatur compositum esse productum: & quæritur an illa actio distinguatur realiter ab actione, per quam producitur ipsamet substantia compositi.

*Prima sententia* est, generatiuam actionem non esse distinctam realiter ab actione alteratiua, per quam producitur vltima dispositio ad formam substantialem. Hanc probabiliorem reputant *Complutenses*, & pro ea citant *Caiet. Sotum, Fonsecam*, & iuniores *Thomistas* communiter.

*Secunda sententia* est, actionem generatiuam esse distinctam realiter à tota alteratione dispositiua. Hæc est communior longe cum *Scoto 2. distinct. 2. q. 9.* quem præter suos & recentiores fere omnes ex *Thomistis* sequuntur *Ruuius hic quæstione 5. & Ioannes à Sancto Thoma quæstione 1, art. 3.* qui *Sanctum Thomam & plures Thomistas* pro ea adducunt.

## CONCLVSIO.

Actio generatiua distinguitur realiter ab alteratiua.

*Actio generatiua distinguitur realiter à dispositiua seu alteratiua.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam.

*Probatur primo*: quia terminus alterationis est accidens, & terminus generationis est substantia, & posset esse acquisitus terminus alterationis sine eo, quod esset acquisitus terminus generationis; nec enim necesse est, vt si producatur calor in quocumque gradu, forma etiam ignis producatur; nam quamuis naturaliter concomitentur, tamen certum est de potentia absoluta ea posse separari: sed quotiescumque termini actionum distinguuntur, & sunt separabiles, actiones debent esse distinctæ realiter: ergo alteratio & generatio distinguuntur realiter.

*Probatur secundo*, causa principalis, & totalis alterationis sunt accidentia, vt fatentur aduersarij: sed causa principalis generationis est substantia; quæ etiam immediate concurrit ad productionem alterius substantiæ, vt ostensum est *secundo Physicorum*: sed quotiescumque causæ à quibus actiones immediate egrediuntur distinguuntur, actiones etiam distinguuntur; & quidem realiter, si causæ sunt realiter distinctæ, maxime si actiones subiectentur in agente, vt *Scotistæ* tenemus. Quod si etiam essent actiones in passo, licet eadem actio posset prouenire à diuersis causis, tamen actio generatiua eo ipso, quo debet egredi à substantia immediate, frustra egrederetur ab accidentibus, & consequenter debet distingui realiter ab omni actione, quæ egreditur ab accidentibus.

24 *Probatur tertio*, etiam admittendo gratis quod substantia non attingat immediate productionem alterius substantiæ, sed quod producatur immediate ab accidentibus in virtute substantiæ, & tanquam ab instrumẽtis ipsius, vt tenent aduersarij: tum quia adhuc possent habere actionem alteratiuam omnem sine generatiua, tum quia non est maior ratio cur habeant actionem immediate terminatam ad accidentia, quàm alteram immediate terminatam ad substantiam; non enim obstat, quod ad alterationem sequatur necessario naturaliter loquendo generatio, tum quia etiam ad productionem primi gradus caloris à calido vt octo producti, in aqua verbi gratia, sequitur naturaliter productio secundi gradus; & tamen vterque gradus non producitur eadem actione; tum quia id prouenire posset eo, quod causa, sicut est determinata ad alterationem, posita alteratione esset determinata ad generationem.

*Probatur quarto* eâdem doctrinâ admissâ: alteratio præuia ad formam substantialem terminatur ad vltimam dispositionem præuiam, quæ secundum aduersarios producitur, non in materia prima, sed in composito destruendo: ergo desinit desinente illo composito: sed in instanti, in quo est generatio, non est illud compositum, vt patet: ergo nec alteratio illa, sed generatio debet esse in illo instanti: ergo generatio distinguitur realiter ab alteratione præuia. Hoc conuincit generationem distingui debere in sententia aduersariorum ab alteratione. *Sed dici posset cum Complutensibus*, quod tamen non sit actio distincta, sed resultantia quædam formæ substantialis & totius compositi ex suppositione alterationis præmissæ, quæ sola habet rationem actionis.

*Sed contra*, quia illa resultantia est aliquid distinctum à termino producto, & agente, vt patet ex omnibus principijs, ex quibus colligitur actio distincta, & est illud per quod agens producit substantiam, & sine quo substantia producta non esset producta ab illo agente: ergo habet propriam rationem actionis, tam bene quam vlla alia acti o.

*Praterea* falsum est, quod sit resultantia aliqua orta ex vi præcisa actionis alteratiuæ, quia nihil habet virtutem, vt aliquid ex ipso resultet, nisi sit existens, quando est resultans: sed actio alteratiua non est, quando est hęc resultan ia: ergo non fit hæc resultantia vi actionis istius alteratiuæ; nisi velis quod fiat vi ipsius, quatenus illa prę requiritur tanquam conditio sine qua non: quòd concedi potest, sed non facit ad rem; nam etiam ista actio alteratiua prærequirit conditiones sine quibus non, & quibus positis naturaliter sequitur, & tamen hoc non obstante habet rationem actionis.

25 *Obijcies Complutensibus*: sequeretur quod substantia esset immediate operatiua: hoc est falsum: ergo.

Probatur sequela, quia actio substantialis debet habere principium substantiale: ergo si detur actio substantialis in generatione, necessario debet prouenire à substantia, quia non est aliud principium substantiale, ex quo proueniat.

*Hanc rationem fusissime proponunt*, & multa immiscent, quæ facile impugnari possent, si liberet in re facillima inhærere.

*Itaque omisso longiori examine, Respondetur breuiter primo*, negando minorem, quia vt dictum est *secundo Physicorum*, non solum non est inconueniens, sed summè necessariũ quod substantia immediate concurrat ad productionem alterius substantiæ: neque enim vllus concursus accidentis ad hæc sufficere posset.

*Respondeo secundo*, negando sequelam, quia sicut potest terminus substantialis produci immediate ab accidẽte secundum aduersarios, ita etiam actio substantialis potest ab illis exire: sicut enim actio accidẽtalis ab illis exire debet, vt producant accidens; etiam substantialis actio ab illis prouenire potest, vt producant substantiam; & hoc, siue dicatur actio substantialis esse substantialis intrinsece, ita vt non sit accidens, quemadmodũ tenent plurimi; siue dicatur esse substantialis propter ordinem quem dicit ad terminum, cum quo stat quod in se sit accidens, vt tenemus Scotistæ.

*Dices*, vel illa actio proueniret ab ipsis mediante virtute aliqua deriuata in ipsis à substantia, qua fulciantur & eleuentur: vel ab ipsismet, vt sunt virtus substantiæ sine aliqua virtute. Si primum dicatur: ergo substantia est operatiua immediate contra hypothesim. Si secundum: ergo non est necessaria illa excellentior actio distincta ab alteratiua.

*Confirmatur*: quia quemadmodum calor in actu primo sufficit & vt producat accidens in virtute propria, & vt producat substantiam in virtute substantiæ, absque virtute superaddita; ita etiam calefactio, quæ est actio caloris, sufficere debet tanquam productio caloris, quatenus exit à calore in virtute propria caloris, & tanquam productio substantiæ, quatenus exit ab eodem calore quatenus est virtus substantiæ: ergo non est ponenda altera actio.

*Confirmatur secundo*: quia ex eo quod aqua per ablutionem nõ producat gratiam baptismalem, sed debet habere aliam actionẽ altiorem; sequitur, quod alia virtus in actu

primo

primo debet dari ipsi à Deo: ergo si calor non potest per calefactionem producere substantiam, debet habere aliam virtutem altiorem sibi communicatam.

26 *Respondeo*, quod illa actio exire poterit ab accidentibus secundum quamcunque rationem, secundum quam possunt producere substantiam; melius autem diceretur ab ipsis exire, vt sunt virtus substantiæ, non vt recipiunt virtutem distinctam à substantia, quia illa esset superflua, & gratis asseritur: neque tamen inde sequeretur, quod non requiratur illa actio substantialis excellentior, quam actio alteratiua.

*Ad confirmationem respondeo* negando sequelam: nam quemadmodum licet aliqua causa in actu primo possit producere in virtute sua diuersos effectus, vt calor potest producere hunc calorem, & illum calorem; non potest tamen sufficere in actu secundo vna & eadem actio, sed plurificandæ sunt actiones ad plurificationem terminorum separabilium: ita etiã quamuis calor possit producere calorem & substantiam; vna tamen actio non potest sufficere, & præsertim cum quando producitur substantia, possit non esse calefactio, seu actio productiua caloris.

*Ad secundam confirmationem respondeo*, negando sequelam antecedentis: non enim ex illa ratione id colligitur, sed quia per nullam actionem prouenientem à sua virtute potest id facere, & ex eo quod non habet virtutẽ producendi gratiam ex se, nec est virtus ipsam producendi. Calor autem est virtus (vt suppono hic cum aduersarijs, quamuis sit falsum) producẽdi substantiam, & consequenter potest habere & actionem productiuam caloris, & aliam actionem superiorem productiuam substantiæ, absque alia virtute superaddita.

## QVÆSTIO V.

### *De Generatione viuentium.*

QVamuis generatio, qua vnum viuens producit aliud viuens, conueniat in ratione generationis, vt sic cũ generatione quacũque substantiali, & vt sic describi possit eodem modo, quo supra descripsimus generationem vt sic; tamen quia habet rationem particularem, secundũ quam differt ab alijs generationibus, quæ non sunt viuentium, & hoc non solum ex eo quod terminus ipsius sit distinctæ rationis à termino aliarum generationum; quia sic etiã generatio ignis distinguitur à generatione aquæ; sed ex alia particulari ratione, qua omnes generationes viuẽtium conueniunt inter se, & differunt à generationibus non viuentium, propterea non erit absre hic generationes, secundum hanc rationem particularem describere, seu potius descriptionem communiter à Philosophis assignatam explicare.

### CONCLVSIO.

Descriptio generationis viuẽtium.

27 *Bene describitur generatio viuentium esse origo, seu productio viuentis à viuente, mediante principio vitæ coniuncto in similitudinem naturæ.* Hæc conclusio est communis.

*Probatur*; quia omni & soli conuenit, vt patebit ex explicatione singularum particulã. Dicitur origo hoc est productio quia in hoc conuenit tanquam in genere cum quacunque alia productione. Dicitur *viuentis*, quia per eam non solũ substantia debet produci, sed substantia viuens; & per hoc distinguitur à generatione substantiali quacunque, quæ haberet pro termino substantiam non viuentem. Dicitur *à viuente*, quia viuens necessario requiritur ad generationem viuẽtis, qualem iam describimus; Vnde quamuis cælum non viuens produceret animalia imperfecta, illa productio ex hoc capite nõ esset generatio huiusmodi. Dicitur: *mediante principio coniuncto*, scilicet *à principio vitæ coniuncto*, quia ad hanc generationem requiritur, quod genitum & generans coniũgantur in principio substantiali concurrente ad aliam generationẽ, hoc est quod in generãte reperiatur intrinsece principiũ aliquod substantiale requisitum ad generationem; & quod illud ipsum principium reperiatur in ipsomet genito: & sic sane in homine generante reperitur semen quod requiritur ad generationem alterius hominis, quod semen secũdum materiam saltem, ex qua componitur, reperitur etiã intrinsece in homine generato: & idem est de alijs animalibus, & plantis etiam generatis, vt patet. Per hanc autem particulam excluditur productio, qua Deus qui est viuens producit alia viuentia, siue corporea, siue incorporea; neque enim producit illa mediãte principio coniuncto, cũ nihil reale physicum & singulare in Deo existens reperiatur in viuente vllo creato ab ipso producto. Per hanc autem particulam non excluditur productio Filij æterni à ratione generantis, imo potius includitur, quia fit mediante cooperatione essentiæ Diuinæ, quæ ipsa eadem numero reperitur in Patre & Filio.

28 Excluditur etiam per hanc particulam productio, qua cælum, quamuis esset viuens, produceret animalia aut viuentia sublunaria, quia non fieret mediante principio coniuncto.

Sed non videtur excludi productio, qua producuntur vermes ex hominibus, nec etiam Eua ex costa Adæ; quia vtraque productio fit mediante principio coniuncto concurrente ad illam productionem: productio enim vermium fit ex materia prima in homine existente, & productio Euæ facta est ex materia prima, ex qua constabat costa Adæ.

*Et si quæras* per quam aliam particulam excludantur istæ productiones.

*Respondetur* eas excludi per particulam *à Viuente*, per quam significatur causalitas effectiua, talem enim causalitatem non habuit Adam respectu productionis Euę; nec habent homines respectu vermium qui producuntur ab alijs causis extrinsecis.

*Contra*: homines habent actiuitatem respectu humoris seu substantiæ illius, ex qua producuntur vermes: ergo possunt dici habere actiuitatem respectu vermium: nec enim alia ratione mares habent actiuitatem, aut dicuntur principia productiua aliorum hominum, nisi quatenus habent actiuitatem productiuam seminis, ex quo fiunt.

*Respondetur* negando consequentiam: ad cuius probationem dicitur, quod non propterea præcise homo dicatur esse principium alterius hominis ex eo, quod producat semen ex quo fit alter homo, sed etiam, quia illud semen habet aliquam actiuitatem in ordine ad producendum alium illum hominem.

*Contra*: quia idem posset dici de humoribus.

*Respondeo* ergo aliter negando consequentiam, quia homines non producunt humores illos quatenus sunt viuentes; nec vermes ab ipsis, quatenus sunt viuentes, procedunt, vt patet ex eo, quod ex mortuorum cadaueribus procreentur vermes, cum tamen illa cadauera non viuãt.

29 Dicitur denique *in similitudinem naturæ*, per quam particulam denotatur quod viuens productum per generationẽ à viuente debeat esse simile ipsi in natura, & sic sine dubio homo productus ab alio homine producitur in similitudinem naturæ. Hinc aliqui excludunt productionem vermium & capillorum, ex suppositione quod capilli viuant, à ratione generationis hic descriptæ, quia scilicet non sunt similes homini. Sed contra hoc est, quod sint excluſi per aliam particulam anteriorem.

*Deinde* productio muli communiter dicitur comprehendi sub generatione hic descripta; & tamen mulus est diuersæ speciei ab equo & asina, à quibus generatur, & consequenter illa productio non est in similitudinem naturæ: ergo productio viuentium non debet excludi à generatione per hoc quod nõ sit in similitudinem naturæ, & ergo præterea male additur illa particula *in similitudinem naturæ* in prædicta descriptione.

*Propter hanc replicam communiter dicitur*, quod per illam particulam non debeat intelligi similitudo vniuoca, ac perfecta in natura specifica, sed similitudo aliqua particularis, quam habent generãs & genitum in aliqua ratione generica particulari, in qua conueniũt inter se magis quam cum alijs rebus: talem autem similitudinem mulus habere videtur, & cum equo, & cum asina: non vero apparet vlla similitudo inter vermes aut capillos &

hominem; vnde possent excludi per illam particulam; nec refert quod excludantur etiam per illam: potest enim lapis excludi à ratione hominis & per genus ipsius, nempe animal; & etiam per differentiam, nempe rationalitatem.

30 *Verum quidem est*, quod in definitione non debent poni plures particulæ sed ummodo ad excludendam vnam rem, quia id esset superfluum, vnde si per alias particulas excusæ sunt productiones vermium & capillorum, hæc particula non debebat superaddi, nisi ad excludendum aliquid aliud. Quid ergo excusum est particulariter per hanc particulam?

*Respondeo* excludi per illam generationes viuentis à viuente mediante principio coniuncto, quæ non essent in similitudinem naturæ, nec secundum rationem specificam, nec secundum rationem etiam genericam particularem; qualis generatio, quidquid sit an detur de facto, saltem est possibilis; vt si verbi gratia Deus crearet aliquam substantiam viuentem & sensitiuam diuersissimæ rationis ab animalibus, quæ de facto sunt producta, quæ posset producere mediante principio coniuncto aninalia diuersissimæ rationis, sicut corpora cælestia producunt varios effectus sublunares, cum quibus non habent particularem aliquã similitudinẽ nec in specie, nec in genere aliquo proximo. Hæc autẽ generatio est origo viuentis à viuente mediãte principio coniuncto, sed non esset in similitudinẽ naturæ, & consequenter non esset talis generatio, qualem iam describimus. Vnde existimo per hanc descriptionem generationis viuẽtium non describi generationem viuẽtis, vt sic, quatenus comprehendit omnem generationem viuentis, quæ habet particularem modum ac rationem, secundum quam conuenit cum alijs generationibus viuentium, & disconuenit à generationibus omnibus non viuentium.

*Et si quæratur*, cur generatio, vt sic, non sit descripta.

*Respondeo* quia Authores voluerunt tantum describere generationes viuentium, quas de facto constat dari.

An descriptio generationis viuentiũ competat productioni Spiritus sancti.

*Potest autem obiici* contra hanc descriptionem, quod æque videatur cõpetere generationi Filij æterni, ac productioni Spiritus sancti, & consequenter quod productio Spiritus sancti esset generatio, non minus quam Filij: sed hoc est contra fidẽ, vt patet ex Symbolo sancti Athanasij: *Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*, nempe alia processione distinctæ rationis à productione: quæ esset aut factio, aut creatio, aut generatio: ergo mala est prædicta descriptio. Minor & consequentia patent: probatur sequela maioris, quia Spiritus sanctus est tam similis Patri, quam Filius, & eodem modo procedit mediante principio coniuncto viuens à viuente: ergo prædicta descriptio æque conuenit productioni ipsius, ac productioni Filij. Hæc difficultas examinari solet in materia de Trinitate, & ea oppressi Doctores varias exhibent solutiones, nec eorum vllus propter eam ausus est negare, hanc descriptionem esse bonam, sed ea suppositia conantur excludere ab ea productionem Spiritus sancti, & includere processionem Filij.

Porro aliquid hic breuiter dicendum de hac difficultate: videbatur vt si quis eam definitioni opponat, habeatur quid responderi possit.

Sententia Richardi

*Richardus* excludit processionem Spiritus sancti, quia per naturã hic intelligit essentiam rei, prout productiua est: Spiritus autem sanctus licet habeat essentiam Diuinam, non tamen, vt productiua est ad intra, sicut quemadmodum est in Patre ac in Filio, nec consequenter vt natura, prout hic capitur natura.

Confirmatio Arriagæ.

32 Pro hac sententia confirmanda ait hic *Arriaga* olim adduxisse hunc locum ex *Concilio Florentino* sessione vltima *Nam credentes Spiritum Sanctum à Filio nequaquam procedere, necesse est vt intelligant Spiritum Sanctum à solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium.* Ex quo loco sic argumentatum se dicit ex mente Concilij: Qui negant Spiritum sanctum à Filio procedere, cogũtur negare dari Filiũ in diuinis: quia scilicet Filius in ratione talis constituitur per virtutem productiuã Spiritus sancti: ergo natura, in cuius similitudinem producere debet Filius, dicit virtutem producendi alium sibi similem.

Addit præterea, doctos aliquos recentiores hunc locũ pro ea sententia ita libenter arripuisse, vt putarint eam de fide; alios vero propter illum motos ad tuitandam illam sententiam.

At tandem ipsemet fatetur, locum illum non suffice ẽ ad persuadendum illam sententiam, propter duas responsiones quas adhibet: Prima est, quod illud, & consequenter, non necessario debeat denotare consequentiam aliquam ex sententia illa particulari Græcorum, sed consequentiam ad doctrinam, quam tam Græci quam Latini credere debent, nempe dari Trinitatem personarum, ita, vt sensus sit: & consequenter Spiritum Sanctum non esse Filium.

Secunda responsio est: quod quamuis denotaret consequentiam ex doctrina particulari Græcorum, & sensus esset, & consequenter non dari vllo modo in diuinis Filium; consequentia tamen non esset de fide; neque enim argumenta, & absurda illata à Consilijs ad probandum aliquid quod definiunt, debent esse de fide, sicut ipsæ conclusiones definitæ, vt communiter Theologi docent.

Im ugnatur doctrina Arriagæ.

*Verum* nec locus ille ad hoc propositum vllo modo facit, nec si faceret, hæ duæ responsiones sufficerent ad enervandam vim eius, vt mirum sit aut vllos doctos viros potuisse se in eo fundare, aut Arriagam propter has responsiones cum ijs non conuenisse, si alia fundamenta non haberet. Vtrumque hic breuiter ostendam.

33 Itaque quod responsiones non valeant, patet: nam sensus ille, qui in prima responsione prætenditur dari posse ijs verbis, quamuis posset dari ipsis secundum se; tamen non potest dari ipsis ad mentem Concilij, nec sit, vt discursus Cõcilij possit habere alium sensum quam ineptum, ac ridiculum: aliquid enim deberet concludi contra Græcos, & illa consequentia debebat habere aliquem finem, sed prorsus in illo sensu nihil concluderetur contra Græcos, nec illatio illa finem vllum habere poterat: & per hoc sufficienter impugnata manet prima responsio.

Contra secundam vero facit, quod quamuis illatio Cõciliorum non esset de fide, tamen semper magnifacienda est, & sufficit pro probabili fundamento, quando ex alio capite non constat oppositum. Quod vero locus ille ad præsens propositum non facit, probatur manifeste: quia quãuis ex mente Concilii & veritate sequeretur (vt certe sequitur) quod si Spiritus Sanctus non esset productus à Filio, non daretur Filius, tamen hoc non esset ex eo quod ad conceptũ Filij requireretur absolute virtus productiua, sed ex eo quod si Spiritus Sanctus non esset productus à Filio, sequeretur quod Filius non haberet essetiam & voluntatẽ diuinam sibi communicatam pro illo instanti quo esset producendus Spiritus sanctus, & consequenter non esset Filius, quia si esset, deberet esse in illo instanti, & habere essentiam, & voluntatem sibi cõmunicatam; & si haberet illa sibi tum communicata, deberet tam necessario producere Spiritum Sanctum quam Pater.

Quamuis itaque si Filius diuinus non esset productiuus de facto, sequeretur quod non esset, tamen non ideo hoc sequeretur, quia necessarium sit ad conceptum Filij productiuitas. Vnde si Spiritus sanctus per impossibile non esset producibilis non sequeretur quod secunda persona producta non esset Filius.

*Hinc in forma respondeo* ad argumentum *Arriagæ* ex Concilio negando antecedens: illa enim non est ratio, sed quia sequeretur ex defectu productionis per discursum à posteriori, quod Filius non esset similis in essentia cum Patre, vt iam dixi. Itaque ex hoc loco sententia præcedens Richardi non potest cum illa probabilitate confirmari.

Impugnatio sententiæ Richardi facta ab Arriaga.

Sed nec bene etiam impugnatur ab *Arriaga num.* 45. hoc modo: natura licet primo definita sit esse principium motus, & quietis eius in quo est; & in hoc sensu nec

Deus

Deus, nec Angelus haberent naturam; tamen postea ab omnibus illa definitio sic explicata est, vt posset cõpetere omni essentiæ, etiam diuinæ, quæ propterea natura vocari potest quatenus est principium primum constituiuũ rei, & radix operationum ac perfectionum sibi competentium; Vnde, inquit, constat nomen naturæ in definitione generationis capi pro essentia, & non pro principio productiuo.

Reiicitur. *Contra hanc impugnationem facit*, quod quamuis natura vtroque illo modo capiatur, non tamen inde sequatur quod in definitione generationis non accipiatur alio modo, nempe illo quo vtitur *Richardus*: nec *Arriaga* probat quod id sequatur; sed gratis asserit quod expresse negat *Richardus*: vnde manifeste petit principium.

Melior impugnatio Richardi 34 *Melius impugnatur sententia Richardi*, quia gratis asserit, quod natura debeat capi in illa definitione pro essentia, vt est productiua.

*Deinde* mulus generatur propriissime, vt omnes fatentur, & tamen non habet potentiam generatiuam: ergo vt aliquid generetur, non requiritur talis potentia.

*Præterea* si requiritur ad generationem potentia productiua, non certe nisi talis potentia, qualis requiritur ad ipsammet generationem, hoc est potentia generatiua, sed de fide est hanc non requiri, alias Filius diuinus non esset generatus, quia non habet potentiam generatiuam proximam, qualem habet Pater; remota autem non sufficit, quia aliis Spiritus sanctus haberet potentiam generatiuam, eo modo quo requiritur ad generationem, & sic esset generatus quantum ad hoc; quod est contra *Richardum*.

Sententia Thomistarum. *Thomistæ* communiter intelligunt per illam particulam *in similitudinem naturæ*, quod res generata debet esse similis generanti ex vi processionis, seu productionis: Et propterea excludunt productionem Spiritus sancti à ratione generationis, quia licet habeat esse similis Patri tam bene quàm Filius, tamen non habet hoc ex vi processionis, seu productionis formaliter.

*Verum* quandoquidem ex vi istius productionis producatur in esse Spiritus sancti, & illa productio ex natura sua particulari quatenus distinguitur à quacumque alia productione, terminetur ad Spiritum sanctum, vt Spiritus sanctus est, omnino difficulter ostendent quomodo non habeat esse similis ex vi suæ productionis: ad tollendam quam replicam varias adhibent responsiones, de quibus in suo loco proprio.

Sententia Scotistarum. *Scotistæ* demum intelligunt per illa verba id, quod sonant, nempe genitũ debere esse simile in natura generanti, & non excludunt per hanc particulam Spiritum sanctum, quem ex vi processionis fatentur esse similem in natura Patri & Filio, non minus quam Filius est similis Patri: sed excludunt ipsum per aliam particulam subintellectam in descriptione, nempe per ly *naturalis*, quæ debet adiungi: nam sensus definitionis est, quod generatio sit productio naturalis, seu naturaliter & non libere facta; hoc autem non competit productioni Spiritus sancti secundum ipsos, libere enim producitur per voluntatem libertate essentiali: quæ doctrina vt verior hic supponi debet, suo loco examinanda & probanda.

Clarior descriptio generationis viuentium. *Ex his patet*, & sensus & bonitas descriptionis communis; qui tamen vellet clarius definire generationem viuentium, vt sic posset dicere quod sit *productio, qua aliquod viuens producit naturaliter aliud mediante principio coniuncto*. Et si vellet postea definire determinatam illam speciem generationis viuentium, per quam terminus producitur similis, dicat quod sit *productio, qua aliquid producit aliud sibi simile naturaliter, mediante principio coniuncto*; & vtramque generationem tam communem quàm particularem bene describet, vt patet ex dictis.

Quomodo generans concurrat ad generationẽ viuentiũ. 35 *Quæres*, quomodo ad generans concurrat ad generationem viuentium.

*Respondeo* breuiter, relicto prolixiore examine ad medicos, & anatomistas, patrem nunquam concurrere immediate, quia sæpe non est in instanti generationis, & si sit, omnino eius existentia est impertinens ad generationem: & fere idem sentio de matribus contra *Arriagam* & *Martrium*; nam quamuis existant quando fit generatio, & sufficienter etiam applicentur; tamen quantum ad productionem substantialem geniti, illa existentia & applicatio non est sufficiens absque aliqua alia causa. Quod si alia admittenda sit, illa sola sufficiet: quod autem non sufficiat præsentia, & existentia matris, vt mater dicatur actiue se habere ad productionem substãtialem viuentis geniti, patet, quia non aliter videtur mater se habere ad formationem fœtus immediate quam terra se habet ad formandas plantas in ea generatas. Sed certum est, quod terra non concurrat immediate actiue ad illas producendas, quamuis existat & applicetur, dum producuntur: ergo idem dicendum de matre quantum ad concursum immediatum: & dico quantum ad concursum immediatum, quia habet concursum mediante semine, qualem non habet terra.

*Confirmatur* hoc euidenter, quia non habet maiorem concursum immediatum ad formationem fœtus, quam gallina incubans ouis habet ad formandos pullos ex ouis genitos: sed non habet gallina concursum immediatum substantialem ad illos formandos, sed tantùm concursum dispositiuum, vt colligitur euidenter ex eo, quod non solum mediante eius concursu producantur pulli suæ speciei, sed diuersarum specierum, si supponantur ouа aliarum auium.

*Confirmatur secundo*, quia si gallina haberet concursum substantialem ad producendos ex ouis pullos, non producerentur pulli in absentia gallinæ per applicationem aliarum causarum disponentium: sed hoc falsum, quia experientia constat, pullos ex ouis nasci, quibus applicatur calor hypocausti aut furni.

*Confirmatur tertio*, quia non est verisimile, quod mater sit magis principalis, & immediata causa generationis, quam pater: ergo sicut hic non habet concursum immediatum, ita nec illa.

Concurrit ergo pater & mater actione substantiali, quatenus producunt substantialiter semen, ex quo formatur fœtus & viuens.

*Quod si quæras*, an ipsum semen immediate concurrat effectiue; Philosophus videtur tenere quod semen patris sic concurrat, non vero matris, quia dicit semen patris esse actiuum, matris vero passiuum tantum. Medici vero dicunt vtrumque semen esse actiuum; & consequenter videtur in eorum sententia vtrumque actiuè concurrere.

Philosopho fauet, quod vtrumque semen non videatur eiusdem rationis, quia si essent, sufficeret vnum tantum, nec requireretur commixtio alterius. Quod si sint diuersæ rationis, satis verisimile est, quod vnum agat in alterum, ipsum conuertendo aut corrumpendo, & consequenter quod vnum sit actiuum & alterum passiuum. Medicis vero non desunt suæ congruentiæ, quarum vna est, quod si semen matris non esset actiuum, non esset ratio cur filius referret tam notabiliter matrem quandoque, quam solet facere.

*Sed ad rem ipsam quod attinet*, imprimis semen, si non sit animatum, non attingit productionem animæ, quia forma seminis quæcumque, quæ non est anima, est sine dubio imperfectior anima, & consequenter impotens animam producere.

*Deinde* si non sit animatum, est difficile quod attingat productionem corporis organici, quod est subiectum animæ: tum quia illud corpus est perfectius semine, tum quia in instanti, quo producitur illud corpus, videtur destrui semen, ex semine enim fit: sed quod destruitur in illo instanti non producet aliquid tum existens, vt est euidens: tum denique, quia reuera productio corporis organici, vt & augmentatio ipsius, videtur esse productio vitalis vegetatiua, & consequenter exigens procedere connaturaliter ab anima: si autem esset animatum, facilius posset ipsi adscribi productio tam animæ (excipio semen humanum) quam formæ corporeitatis de nouo producendæ ad eum modum quo ramo viuo plantato in terra conceditur vis actiua immediate attingens productionem substantialem tam animæ, quam formæ corporeitatis, correspondentis

parti

partibus arboris ex ramo generatæ. An autem semen sit animatum, postea dicam disputatione prima de Anima.

36 *Solet etiam hic quari*, quænam sit causa immediata generationis aliarum substantiarum, an scilicet accidentia, an substantia. Sed hæc difficultas soluta est *secundo Physicorum*, vbi ostensum est, substantias immediate per virtutem suam substantialem producere alias substantias absque concursu immediato accidentium; hoc enim supposito, substantia generans debet dici causa immediata istius generationis.

*Præterea quæri solet*, an quando fit generatio, detur resolutio compositi destructi vsque ad materiam primam; hoc est, vtrum tum sicut destruitur compositum præcedens, destruantur etiam omnia accidentia absoluta istius compositi, ita vt in genito nihil remaneat ex iis, quę erãt in corrupto præter materiam primam. Sed & hæc etiam difficultas soluta est ex dictis in Physica, nam in sententia eorum, qui ponunt accidentia illa absoluta, vt quantitatem, & qualitates, subiectari in materia prima, dicendum est, quod non detur talis resolutio; in nostra vero, & Thomistarum, qui putamus accidentia illa subiectari in toto composito, dicendum est quod detur talis resolutio; quandoquidem pereunte composito perire debent omnia accidentia in illo subiectata.

## QVÆSTIO VI.

### *Quid sit corruptio substantialis.*

### CONCLVSIO.

Quid corruptio substantialis.

37 *COrruptio substantialis est mutatio totius substantialis in non totum substantiale, manente subiecto, seu parte materiali istius totius.* Vel *mutatio, qua aliquid mutatur à forma substantiali ad priuationem, seu negationem illius formæ.* Hæc in re debet esse communis; *& patet*, quia omni & soli competit: quotiescumque enim materia quæ erat sub forma substantiali, habet postea priuationem, aut negationẽ istius formę, corrũpitur necessario totũ compositum ex materia, & illa forma; siue forma destruatur vt cõtingit in omnibus corruptionibus, præter humanam; siue non, vt contingit in hominis corruptione: & nunquam fit corruptio substantialis propria opposita generationi, de qua hic agimus, quin materia transeat à forma ad priuationem; nec potest assignari in quo melius collocanda sit corruptio quàm in tali transitu, seu mutatione.

*Deinde* quotiescumque de aliquo toto, de quo verum erat dicere, existit, postea verum est dicere, non existit; si maneat subiectum ipsius, dicitur corrumpi proprie, & consequenter datur vera, ac propria corruptio; & nunquam datur corruptio, quin sit verum dicere, quod aliquid compositum quod prius extitit, non existat; nec in aliquo melius collocanda est ratio formalis corruptionis quam in huiusmodi transitu: ergo bene describitur esse talis transitus.

Dixi autem, *manente subiecto*, quia si totum compositum quoad subiectum & formam, seu quoad omnes partes substantiales desineret, non corrumperetur, quod tamen spectat ad quæstionem de nomine

38 *Dices*, si destrueretur totaliter, siue per annihilationem, siue per transubstantiationem corpus hominis, manente anima, aut materia prima ignis manente forma ignis, tum corrumperetur homo & ignis: sed tamen non mutaretur totum in totum manente subiecto, nec mutaretur materia prima à forma ad priuationem: ergo male describitur corruptio substantialis in conclusione.

Probatur sequela maioris, quia non annihilaretur, nec transubstantiaretur illud totum, quandoquidem maneret aliqua pars ipsius: ergo corrumperetur, quandoquidem non datur aliqua actio destructiua substantialis media inter annihilatiuam, transubstantiatiuam, & corruptiuam.

*Respondetur* negando sequelam maioris, ad cuius probationem dico, non dari quidem de facto aliquam mediam, sed possibilem esse, nimirum illam, de qua fit mentio in obiectione, quę quia non est data de facto vnquam, non erat necessario nec nominanda nomine aliquo proprio, nec definienda.

*Quod si quis tamen velit definire* actionem destructiuam substantialem, vt sic communem omni actioni, quæ non est annihilatiua, aut transubstantiatiua, dicat esse mutationem totius substantialis in non totum substantiale manente aliqua parte substantiali ipsius: & hanc actionem postea potest diuidere in eam, quæ est mutatio totius, manente parte materiali; & in eam, quæ est non manente parte materiali: & rursus potest diuidere eam, quæ est mutatio manente parte materiali, in eam, quę est manente parte materiali tantum, & talis est destructio omnis compositi de facto præter humanum; & in eam quæ est manente parte materiali & formali, & talis est destructio hominis, vt patet.

Datur corruptio substantialis?

*Quæres primo*, an detur corruptio substantialis?

*Respondeo* quod sic, ex omnibus principiis ex quibus colligitur dari de facto materiam primam, & formas substantiales.

An sit naturalis

*Quæres secundo*, an hæc mutatio sit naturalis, hoc est secundum inclinationem subiecti?

*Respondeo primo* non posse esse secundum inclinationem compositi, quod denominatur mutari in non esse, & corrumpi, quia nihil potest inclinari naturaliter ad non esse tuum inclinatione innata, de qua loquimur, quidquid sit de elicita.

*Respondeo* etiam, non esse secundum inclinationem saltem primariam, & per se materiæ, quæ per corruptionem transit ab esse formæ ad non esse eius, quia alias materia non appeteret formam, à qua transit per corruptionem; neque enim potest aliquid inclinari per se primo ad aliquam formam, & ad non esse istius formæ. Dixi autem *primariam*, *& per se*, quia quandoquidem materia non solum appetit formam, quam habet, sed alias formas, & priuatio istius formæ sit medium necessarium ad alias formas, potest dici quod secundario & per accidens appetat illã priuationem, quatenus aliquid appetit necessario inferens illam priuationem, nimirum alias formas incompatibiles cum illa forma, nec in hoc videtur posse esse alia quæstio, quam de nomine.

An intẽdatur per se à natura.

40 *Quæres tertiò*, an natura per se intendat corruptionem.

*Respondeo*, si per naturam hic intelligatur causa secunda naturalis ordinis, substantialem corruptionem nullomodo intendi per se primo vlla ratione, bene tamen potest intendi per se secundario tam à causa particulari quàm ab vniuersali.

Hæc resolutio quo ad primam partem est communissima, & probatur, tum quia ideo corrumpit vt generet: vnde si posset generare absque corruptione non corrumperet: tum quia ex corruptione nullum bonum particulare aut vniuersale oritur, nisi quatenus concomitatur eam generatio.

Intẽditur secundario tam à causa vniuersali quam à particulari.

Secunda pars videtur esse contra *Complutenses hic qu. 3. disp. 3. nu. 14.* dicunt enim naturam particularem non intendere per se etiam intentione secundaria corruptionem, bene tamen sic intendi à natura vniuersali.

*Probatur*, quia tam natura vniuersalis, id est causæ naturales vniuersales, quam etiam natura particularis assequitur mediante corruptione bonum per se intentum primario ab illis, nempe res illas, quas generant: ergo intendunt secundario saltem corruptionem, sine qua non assequerentur illud bonum.

*Confirmatur* specialiter contra *Complutenses*, quia non magis sequitur bonum vniuersi ex corruptionibus, quam bonũ ignis ex corruptione aquæ verbi gratia ex qua corruptione sequitur propagatio ignis, & etiam conseruatio: ergo si natura vniuersalis intendit per se intentione secũda corruptionem, etiam particularis illam sic intendit. Nec sanè fauet *Complutensibus D. Thomas* dum dicit corruptionem esse de intentione naturę vniuersalis nõ particularis: nam intelligendus est de intentione naturę particularis istius rei, quæ corrumpitur, non vero de intentione naturæ particularis rei, quæ corrumpit.

*Dices cum illis*: Corruptio per accidens tantum coniungi

coniungitur eũ bono naturę particularis, & consequenter nõ intenditur per se secundario, sed per accidẽs, ab illa; sed coniungitur per se cum bono naturæ vniuersalis, seu vniuersi, quia ex ea sequitur varietas & diuersitas specierum ac individuorum, & consequenter intenditur per se secundario à natura vniuersali: ergo non est eadem ratio dicendi, quod vtraque natura per se intendat corruptionem.

*Respondeo*, tam per accidens coniungi corruptionem cum bono vniuersi, quàm cum bono particulari: ideo enim coniungitur cum bono vniuersi, quia nõ potest haberi illud bonum absque illa, sed nec potest etiam bonum particulare haberi sine illa.

*Deinde* sicut bonum particulare posset haberi absque corruptione, casu quo formæ substantiales non essent incompatibiles, aut quo materia prima sufficienter disposita applicaretur causę effectiuę absque illa forma substantiali; & propterea dicitur corruptio esse per accidens requisita ad generationem nita etiam tota varietas rerum quæ est in vniuerso, posset haberi absque corruptione, si materię applicarentur absque formis: ergo per accidens est corruptio ad bonum vniuersale sicut est ad bonum particulare.

An destructio formæ accidentalis intendatur per se à natura.

41 *Quæres quarto*, an destructio formæ accidentalis intendatur à natura per se. *Arriaga hic disp. 2. num. 71.* existimat quod sic, quia aliqua forma accidentalis potest esse disconueniens subiecto, vt error respectu intellectus, dolor respectu animalis: & licet non esset disconueniens posset aliquis velle non esse ipsius, vt si homo non vellet conseruare volitionem aut nolitionem vllam.

Non potest hic esse alia quæstio quam de nomine. Vnde *Respondeo*, si solum dicatur natura intendere per se illud quod potest in ipsa naturaliter produci absque productione alterius incompatibilis, nõ posse intendi per se destructionem formę accidentalis, quia nulla causa naturalis potest cessare ab actione conseruatiua, quam habet circa formam semel habitam, nisi vel remoueatur, vel ponatur impedimentum: sed non potest remoueri nisi producta alia forma, nec impedimentum potest poni, nisi forma aliqua incompatibilis: ergo.

Si vero per se diceretur etiam intendi à natura destructio formæ, à qua abhorreret, sic posset dici quod intenderetur per se destructio erroris, & doloris, ac similium.

Denique si diceretur intendi per se à natura illud, quod per causam naturalem fieri posset directe, siue illa causa naturalis esset libera siue non; tũ posset etiam dici quod destructio volitionum, & nolitionum posset intendi per se & quidem primario à natura.

## QVÆSTIO VIII.

*Quomodo se habeant ad inuicem generatio & corruptio, & quomodo generatio vnius est corruptio alterius.*

Quatuor difficultates hic examinandæ.

PLures difficultates hic examinabimus. *Prima* est, an vnica sit actio corruptiua & generatiua; *Secunda*, an generatio & corruptio sint duæ mutationes; *Tertia*, quo sensu generatio vnius sit corruptio alterius; *Quarta*, quem ordinem prioris & posterioris retineant inter se.

### CONCLVSIO I.

In generatione corruptiua non interueniunt duæ actiones positiuæ.

*Quando generatur vnum ex altero corrupto, non interueniunt duæ actiones positiuæ, vna per quam corrumpatur substantia corrupta & altera per quam producatur substantia genita.* Hæc est communis.

*Probatur* manifestè, quia corruptio non potest fieri absque cessatione actionis cõseruatiuæ, & potest fieri per illam, nec illa debet poni per actionem vllam positiuam ad se immediate terminatam, cum sit negatio, nec per vllam aliam positiuam, nisi per illam qua generatur alterũ compositum; & debet poni hac posita, quia est connaturalis saltem, si nõ absoluta, incompatibilitas actionis generatiuæ substantiæ genitæ cum actione conseruatiua substantiæ corruptę, quia est talis incompossibilitas inter formas substantię genitę & corruptę, & alias non corrumperetur substantia corrupta, quando generatur altera substantia ex materia ipsius: ergo nõ interuenit nisi vnica actio positiua, quando generatur vna substantia ex altera corrupta. Imo nec in hac vnica actione est consideranda formalitas vlla positiua præter formalitates illas ipsas, quas requirit per se in ordine ad formam generandã, & quas haberet, quamuis non præcederet, nec posset præcedere alia forma destruenda in materia, quæ per ipsam mutatur ad formam generandam, quia omnis formalitas positiua in actione debet habere munus positiuum, illa autem formalitas tale munus non haberet, & quia sufficetent illæ formalitates secundum quas respicit formam generandam ex suppositione incompatibilitatis illius cum forma destruenda, seu supponenda.

### CONCLVSIO II.

In tali generatione interueniunt duæ mutationes realiter distinctæ.

43 *Interueniunt duæ mutationis realiter separabiles dum generatur vnum & corrumpitur.* Hæc est iuxta principia *Doctoris in 4. dist. 16 quæst. 2. num. 4.* vbi probat emissionem culpæ, & infusionem gratiæ esse duas in eruemutationes; quem equuntur in eo sensu omnes discipuli: & quamuis *Thomistæ aliqui* tenere videantur oppositum: tamen in re vix potest esse difficultas, & certe *Caietanus* expræsse 1. 2. q. 11 . ait generationem & corruptionm esse distinctas duas mutationes.

*Probatur manifeste*, quia corruptio potest esse sine generatione, vt si Deus suspenderet concursum conseruatiuum formæ à materia, & non concurrere ad productionem alterius formæ: & ursus generatio potest esse absque corruptione, vt si applicaretur materia prima bene disposita absque vlla forma substãtiali agentis: tunc enim illud agens generaret compositum inducendo nouam formam absque destructione alterius formæ, aut compositi: ergo.

*Probatur secundo* quia corruptio formaliter loquendo est negatio, seu suspensio actionis conseruatiuæ formæ in subiecto: & per illam suspensionem materia transit à forma ad negationem formæ: generatio autem formaliter loquendo est actio positiua, per quam materia transit de priuatione ad formam: sed actio positiua, & negatio non possunt identificari. Imo ex hoc sequitur quod non solum sint distinctæ realiter, sed specie, & etiam ex eo, quod habent terminos distinctæ speciei: corruptio enim terminatur ad non esse formæ; generatio verò ad esse formæ.

### CONCLVSIO III.

De facto omnis generatio non miraculosa habet annexam corruptionẽ & è contra.

44 *De facto omnis generatio, quæ de nouo fit absque miraculo, habet secum concomitantem corruptionem, & è conuerso.* Hanc tenent omnes.

*Probatur primo* de generatione non viuentium; nunquam enim talis fit de nouo absque miraculo, nisi in materia, quæ ante habuit formam substantialem incompatibilem cum forma introducenda: ergo de facto tollitur illa forma quando fit generatio: & consequenter nunquam fit generatio de nouo absque miraculo, quæ non habeat concomitantem corruptionem.

*Rursus* numquam corrumpitur aliqua forma, quin introducatur alia; ergo corruptio habet semper concomitantem generationem.

Dixi autem *absque miraculo*, quia quando generantur de nouo ex speciebus Sacramentalibus aliquæ substãtiæ, fit generatio absque vlla corruptione. Dixi etiam de nouo, quia prima generatio elementorum & cæterorum facta fuit absque vlla corruptione.

*Probatur etiam conclusio* de generatione viuentium: nam licet quando proximè generatur homo, verbi gratia ex corpore, non fiat tum necessario aliqua corruptio, sicut nec quando corrumpitur homo per separationem animę, fit necessario aliqua generatio in nostra sẽtentia, qui ponimus præter animam in animantibus formam corporeitatis (in alia vero negante formas corporeitatis est eadẽ ratio de generatione viuentium, ac non viuentium) tamen generatio completa hominis, quatenus etiam dicit generationem corporis habet annexam corruptionem illius substantiæ, ex qua producebatur corpus, quod est altera pars hominis (& idem est de cęteris animantibus) &

corru

corruptio adæquata ipsius, quatenus dicit destructionem corporis istius organici, habet annexam generationem substantiæ alicuius, quæ producitur ex illo corpore, vt patet. nec in hoc in re ipsa potest esse controuersia: & qui *Scotistæ* putant conclusionem non intelligendam vniuersaliter, vt comprehendit generationes & corruptiones viuentium, loquuntur de generationibus illis inadæquate, quatenus dicunt separationem aut coniunctionem animæ, non vero adæquate, quatenus etiam dicunt generationem & corruptionem corporis; vnde in re conclusionem non negant, sicut nec nos negare possumus quod ipsi dicunt.

## CONCLSIO IV.

Generatio & corruptio sunt simul tempore generatio prius natura.

45 *Generatio vnius & corruptio alterius sunt simul tempore: sed generatio est prius natura.* Hæc est communis.

*Probatur prima pars*, quia si altera esset altera prior tempore, sequeretur materiam primam esse posse naturaliter absque omni forma substantiali, aut sub duabus formis incompatibilibus simul in illo instanti aut tempore, quia si in tempore, aut instanti, quo esset corruptio & verum esset dicere, iam non est compositum corruptum, nec forma eius in materia, non esset generatio, materia non haberet aliam formam, nec consequenter vllam; si autem generatio esset prior corruptione, tũ in illo priori maneret forma postea corrumpenda, & consequenter essent illæ duæ formæ simul, nimirum generata, & corrumpenda.

*Probatur etiam secunda pars*, quia reuera ratio formalis positiua, ob quam agens non conseruat formam corrumpendam, est, quia inducitur in illo instanti temporis altera forma incompatibilis; vnde nec destrueret illam, si aut illa non esset introducta, aut non esset incompatibilis.

46 *Obicies contra primam partem*: forma generata expellit formaliter formam destructam per modum causæ formalis, vt patet ex secunda parte conclusionis: ergo debet esse in eodem instanti temporis cum forma destructa, aliàs non posset expellere illam, quia nemo expellit illud quod non est.

*Propter hoc argumentum aliqui etiam Scotistæ* putant in eodem instanti esse formas substantiales, non subordinatas & connatu aliter incompatibiles simul, non quidem in esse permanenti, sed in fluxu, ac fieri.

*Sed hæc doctrina nullo modo placet*, tum quia est falsa; tum quia non est ad rem.

*Est quidem falsa*, quia repugnantia & oppositio formalis non est magis pro decem annis quam pro vnico instãti: omnis enim contradictio, quæ sequeretur ex eo, quod essent simul pro decem annis, sequeretur ex eo, quod essent simul pro vnico instanti, vt est euidens: & præterea alias posset quis simul & semel pro eodem instãti naturaliter loquendo habere nolitionem & volitionem imo & contradictoria; quia nolitio expellit formaliter volitionem eiusdem obiecti, & è contra, & ex contradictorijs vna expellit aliam formaliter loquendo: ergo si quæ expellunt se formaliter, debent esse in eodem instanti, contradictoria debent esse in eodem instanti, & nolitio ac volitio eiusdem obiecti.

*Non est etiam ad rem*, quia si forma expellenda & expellens debent esse in eodem instanti, in illo instanti nõ est corruptio: ergo non sequitur quod generatio & corruptio sunt simul ex eo, quod illæ formæ essent simul.

*Respondetur ergo melius ad obiectionem*, negando consequentiam, cum sua probatione: illud enim, quod expellitur formaliter, debet non esse quando expellitur, aliàs non expelleretur, imo posset fieri quod nunquam existeret; nam in prima terræ productione expellebatur à materia priuatio formæ, quæ nunquam fuit, per ipsam formam.

*Obicies contra secundam partem*: generatio non habet illam causalitatem respectu corruptionis: ergo non est prior natura illa.

*Probatur antecedens*, quia corruptio est quid negatiuum, non datur autem causalitas ad aliquid negatiuum.

*Respondeo* negando antecedens & distinguendo minorem probationis: non datur aliqua causalitas formalis distincta à forma productiua in subiecto, concedo: nõ datur causalitas formalis identificata ipsi formæ productæ in subiecto, nego. Itaque ipsa forma producta se ipsa causat illam corruptionem propter incompatibilitatem quam habet cum forma, quatenus est ratio formalis ob quam non potest conseruari forma præcedens in illo instanti, in quo producitur forma generata.

*Obicies secundo contra eandem partem.* Corruptio est causa generationis, & consequenter prior illa, ergo generatio non est causa corruptionis, nec prior illa, aut certe dabitur mutua causalitas in causis realiter agentibus.

Probatur antecedens, tum quia prius debet esse negatio formæ corruptæ in materia, quam possit introduci forma generanda: forma enim generanda non posset introduci, nisi in materiam dispositam; non est autem dispositа, antequam sit negatio illa: tum quia nisi fuisset corrupta prior forma, non esset introducta altera: ergo corruptio est causa cur generatio fiat.

*Confirmatur*, quia debet esse forma præcedens in materia, donec ponatur negatio ipsius: ergo si generatio sit prior natura quam illa negatio, pro illo priori pro quo est forma generata ante negationem, debet esse forma antecedens; & sic vtraque forma erunt simul, quod implicat.

*Confirmatur secundo*, quia ipsa materia est prior natura quàm forma generanda, & vt sic habet negationem formæ corruptæ; neque enim habet formam corruptam: ergo prior est negatio formæ corruptæ, & consequenter corruptio, quæ consistit in illa negatione formæ, quam generatio; atque adeo generatio non potest esse causa cur corruptio fiat.

*Propter hæc Thomistæ, & aliqui etiam Scotistæ* (sed hi sine dubio satis inconsequenter ad principia *Scoti*) concedunt corruptionem esse priorem generatione in genere causæ materialis, genetationem vero esse priorem in genere causæ formalis, neque existimant hanc mutuam causalitatem in diuerso genere causæ esse inconuenientem.

Sed quia hæc doctrina de mutua causalitate est falsa, vt suppono ex dictis 2. *Physicorum*.

*Respondetur aliter* negando antecedens: & ad primam probationem dico negationem formæ corrumpendæ nõ debere præcedere formam introducendam, nec spectare ad dispositionem, quæ præcedere debet formam introducendam.

*Ad secundam* probationem distinguo antecedens, nisi antecedenter esset illa corruptio, nego, nisi consequẽter, concedo antecedens, & nego consequentiam.

*Ad primam confirmationem distinguo* antecedens: debet esse pro quocunque instanti reali temporis, donec ponatur negatio, concedo antecedens: debet esse pro quocunque instãti naturæ donec adueniat instans naturæ, in quo ponitur negatio ipsius; nego antecedens & consequentiã

*Et eodem modo Respondeo ad secundam confirmationem* negando antecedens pro secunda parte; vt sic enim neque debet habere negationem positiue, neque formam oppositam ipsi.

Quid est instans naturæ prius alio.

49 *Vt hæc responsio* ad vtramque confirmationem intelligatur bene, *aduertendum est*, instantia naturæ, in quibus aliqua dicuntur præcedere alia, esse instãtia conceptibilitatis, ita scilicet, vt illud quod potest concipi cum fundamento in re existere pro aliquo instanti reali sine dependentia ad aliud, dicatur prius natura alijs, quę non possũt sic intelligi sine dependentia ab illo, respectu cuius dicũtur esse posteriora natura. Quia ergo non potest in instãti reali, in quo introducitur forma generanda, intelligi cum fundamento in re esse negatio formæ corruptæ, nisi intelligatur esse introducta altera forma; quandoquidem ratio cur illa negatio ponitur in illo instanti, est compatibilias istius alterius formæ: neque etiam potest intelligi vere esse ipsamet forma corrupta, tum quia reuera nõ est, tum quia non habetur sufficiens principiũ colligẽdi, quod

sit in

sit in illo instanti, nisi intelligatur abesse causa productiua formæ in roducendæ, & hinc neque in instanti n turæ, in quo prius est materia quam forma introducenda, neque in vllo instanti naturæ, negatio formæ corruptæ potest intelligi aut esse positiue, antequam sit, ac intelligatur forma introducenda esse, sed quia potest intelligi esse forma introducenda in hoc tempore, & hoc sine dependentia à negatione alterius formæ tanquam à priori, licet non possit intelligi esse sine dependentia ab illa tanquam à posteriori, propterea debet dici esse prius natura quam illa negatio, & consequenter quam corruptio. *Et si quaras* cur potest intelligi forma existere independenter à negatione tanquam à priori, non vero è contra, *Respondeo* propter rationes conclusionis.

## CONCLVSIO V.

Generatio vnius est corruptio alterius in sensu causali non formali.

50 *Generatio vnius est corruptio alterius non in sensu formali, neque solum in sensu concomitanti, sed etiam in sensu causali, quatenus formalis ratio ob quam debet esse corruptio, est incompossibilitas formalis, quam habet generatio seu forma per eam producta cum forma corrupta.* Hæc est communissima, *& patet prima pars*, quia generatio & corruptio distinguuntur specie ac realiter, & sunt separabiles: ergo vna non est altera formaliter loquendo.

*Probatur secunda pars* quia licet habeaut concomitantiam, tamen non magis habet generatio concomitantem corruptionem, quam è contra: generatio vero dicitur esse corruptio in aliquo sensu, in quo corruptio non dicitur esse generatio: ergo alio modo dicitur corruptio quam in sensu concomitanti.

*Probatur denique tertia pars*, quia, vt dixi, generatio est causa, ob quam fit formaliter expulsio, non vero è contra.

Aduertendum vero hic pro complemento, totum quod dixi de generatione & corruptione in hac quæstione non solum habere locum in generatione & corruptione substantiali; sed in generatione & destructione, quæ intercedit inter formas accidentales contrarias, ac incompatibiles: eadem enim est ratio de omnibus. Quando vero mutatur aliquid præcise à priuatione ad formam, aut à forma ad priuationem, vt cum aër de tenebroso fit lucidus, aut de lucido tenebrosus: tum non interueniunt duæ mutationes reales, sed vna tantum, nec prior est expulsio tenebrarum quam introductio lucis, aut lucis introductio quam tenebrarum expulsio, quia quandoquidem non detur negatio negationis realiter loquendo, ipsamet expulsio tenebrarum est introductio lucis, & expulsio lucis est negatio lucis, ac consequenter ipsæ tenebræ; in quo non est difficultas vlla.

# DISPVTATIO XXIV.

## DE ALTERATIONE.

VANDOQVIDEM generationes nouæ, quæ fiunt à causis secundis, prærequirunt dispositiones aliquas præuias, quæ per alterationem subiecti præexistentis fiunt, hinc in ordine ad intelligendum, quomodo generatio fiat, agendum erat in hoc tractatu de Alteratione, & etiam satis congrue immediate post considerationem ipsiusmet generationis.

## QVÆSTIO I.

### *Quid est Alteratio.*

Alteratio varie accipitur.

1 VT intelligatur de qua alteratione hic agatur, aduertendum, alterationem varias habere significationes: *Primo* enim significat mutationem quamcumque, per quam subiectum fit alterum ab eo quod ante fuit, & sic comprehendit omnem mutationem subiecti ad formam accidentalem quamcunqe: sicut enim differentia essentialis facit aliud; ita differentia accidentalis facit illud, cui aduenit alterum, seu alteratum. *Secundo* pressius sumitur alteratio pro mutatione subiecti ad qualitatem quamcumque siue spiritualem siue corporalem, & sic sumpsit eam Philosophus 5. *Phys. tex.* 28. desc bens etiam esse motum ad qualitatem.

Quia vero quædam qualitates sunt, quæ non habent contrarium, vt lumen, species intentionales tam sensibiles, quam intelligibiles; quædam vero quæ habent contrarium, vt calor, frigus, albedo, nigredo, hinc alteratio in hoc vltimo sensu, vt scilicet est motus ad qualitatem diuiditur in illam quæ habet pro termino qualitatem non habentem contrarium, & quæ habet pro termino qualitatem habentem contrarium: & ex hic alterationibus duabus *prima* vocatur *perfectiua subiecti*, quia subiectum perficitur, quin deperdat aliquid positiuum ex ijs, quæ habuit ante; *secunda* vero vocatur corruptiua, quia licet subiectum perficiatur per ipsam, quatenus recipit mediante ea aliquam formam, tamen hoc non fit absque deperditione alterius formæ positiuæ.

Quia etiam qualitates habentes contrarium sunt in duplici differentia: nam quædam ex ipsis sunt diuisibiliter sibi oppositæ, & quædam indiuisibiliter; hæ producuntur instantaneè, vt amor & odium, iudicium affirmatiuum & negatiuum, ac similia; illæ vero producuntur successiue, vt calor & frigus, albedo & nigredo: hinc alteratio corruptiua potest vlterius diuidi in alterationem ad formas diuisibiliter oppositas & formas indiuisibiliter oppositas. Et denique quia qualitates aliquæ disponunt ad generationem, & aliæ non disponunt, propterea rursus potest diuidi alteratio in eam, quæ non disponit ad generationem, & eam quæ disponit; & sine dubio de hac alteratione in præsenti potissimum agitur, quamuis ex iis, quæ de eius natura dicentur, multa applicari possunt ad alias alterationes, propter conuenientiam, quam hæc alteratio, quæ dispositiua vocari potest, cum aliis alterationibus habet.

## CONCLVSIO

Quid est alteratio dispositiua.

2 *Bene describitur alteratio, de qua hic per se agitur, esse mutatio, qua aliquid mutatur successiue ab vna qualitate ad alteram diuisibiliter oppositam.* Hæc in re debet esse cõmunis, & desumitur ab *Aristotele* hic *textu* 23. *Probatur* autem, quia omni & soli conuenit, nec continet aliquid superfluum, vt patebit ex eius explicatione.

Dicitur *mutatio*, quia in hoc tanquam in genere conuenit cum aliis mutationibus etiam instantaneis, & substantialibus. Dicitur *qua aliquid mutatur successiue*, quia in hoc differt ab omnibus mutationibus instantaneis. Dicitur *ab vna qualitate ad alteram*, quia per hoc distinguitur à mutatione successiua, qua aliquid mutaretur ab vno loco ad alterum, & à mutatione successiua substanti li, si talis detur, de quo suo loco.

Dicitur *diuisibiliter oppositum*, tum quia si non fuisset talis motus ab vna ad alteram, non posset esse successiuus; tum etiam vt intelligatur ad quas possit qualitates alteratio terminari.

*Dices* per hoc quod diceretur alteratio esse mutatio à qualitate ad qualitatem diuisibiliter oppositam, significaretur sufficienter quod esset successiua: ergo superflue additur.

*Respondeo primo*, distinguendo antecedens: sufficienter sic, vt possit facile colligi quod deberet esse successiua, transeat: sic vt tam cito id daretur intelligi, quam addendo ly *successiue*, nego antecedens & consequentiam.

*Respondeo secundo*, negando antecedens absolute, quia habitus intellectuales sunt qualitates diuisibiliter oppositæ, & tamen motus, quo anima mouetur ab vna ad alteram, non est successiuus, sed instantaneus: & ratio

huius est, quod illi habitus producuntur per actus intellectus, aut voluntatis, illi autem actus sunt instantanei, vnde habitus illi nequeunt produci successiue, & continue.

*Posset etiam alteratio alio modo describi, esse mutatio, qua subiectum aliquod mutatur ad qualitatem dispositiuam ad generationem*: nam hæc etiam descriptio omni & soli alterationi, de qua hic agitur, conuenit, nec continet aliquid superflui. Sed magis tamen explicite in priori descriptione manifestantur multæ formalitates repertæ in alteratione, quam in hac.

*Quares*, an si generatio esset impossibilis, daretur alteratio? videtur quod sic, quia sunt mutationes realiter distinctæ, vt suppono ex supradictis; videtur quod non, quia ordinatur per se ad generationem, & generatio ponitur in descriptione vltima ipsius paulo ante proposita, quam diximus esse bonam.

Alteratio esset possibilis quamuis generatio non esset.

*Respondeo* breuiter, simpliciter loquendo, quod alteratio esset possibilis, quamuis generatio non esset possibilis, & quod si de facto daretur subiectum calidum & frigidum, quamuis de facto non posset dari naturaliter generatio, aut corruptio, adhuc daretur alteratio de facto.

*Probatur prima pars*, quia non est tam intima connexio ex natura intrinseca caloris aut frigoris, in quantum sũt calor & frigus, & in quantum etiam calor est productiuus calo is, & frigus frigoris, aut in quantum sũt opposita formaliter, inter calorem ac frigus & generationem, quin sub illis conceptibus possint esse calor & frigus, quamuis generatio esset impossibilis, vt patet manifeste tum ex eo, quod possunt isti conceptus haberi de calore & frigore absque conceptu possibilitatis aut impossibilitatis generationis, imo cum iudicio positiuo de impossibilitate eius; nec etiam hi conceptus ex ratione sua formali præsupponunt formalitatem aliquam respicientem generationem, nec ad eas vt sic sequitur ordo vllus ad illam: ergo possunt esse à parte rei in aliqua substantia quantum ad naturam suam intrinsecam, & omnia necessario præsupposita & consequentia ad illam naturam, quamuis generatio esset impossibilis adeo, vt non possit ut ex impossibilitate generationis deduci aliquod argumẽtum adostendendã impossibilitatem illarum qualitatum, nec ex possibilitate earum aliquod argumentum ad persuadendam possibilitatem generationis. Sed si darentur illæ qualitates sub illis conceptibus, non obstãte impossibilitate generationis daretur sine dubio alteratio, secundum quod est mutatio successiua subiecti ab vna qualitate ad alteram diuisibiliter oppositam: ergo absolute & simpliciter posset dari alteratio, quamuis non posset dari generatio.

*Et hinc patet secunda pars*, quia si de facto darentur agentia calida & frigida, quamuis de facto non posset dari generatio: sine dubio agentia illa calida & frigida alterarent se mutuo alteratione supra descripta.

*Dices*: qualitates alteratiuę dicunt ordinem aptitudinalem ad generationem: sunt enim aptæ natæ disponere ad ipsam, & sunt aptæ natæ emanare ex composito generabili ac corruptibili: ergo si esset impossibilis generatio, illæ etiam essent impossibiles.

*Respondeo* distiguendo antecedens: quasi ex conceptu qualitatis alteratiuæ ordo ille sequeretur præcise ad illas qualitates vi istius conceptus præcise; aut quasi ex illo conceptu præcise haberent esse sic aptæ natæ, nego antecedens: dicunt illum ordinem & aptitudinem, sed tamen non vi istius conceptus formaliter loquendo, concedo antecedens, & similiter distinguo consequens: illæ essent impossibiles ex vi conceptus formalis requisiti & sufficientis ad alterationem, nego consequẽtiam: realiter loquendo, & ex vi alicuius, realiter identificati, transeat.

*Instabis*: ergo quandoquidem iste ordo identificetur realiter cum illis qualitatibus taliter, vt eo destructo, qualitates etiam destrui debeant, absolute & simpliciter debent dici istæ qualitates impossibiles esse, si esset impossibilis generatio, quia si hæc esset impossibilis, istæ ordo esset impossibilis, & consequenter quidquid identificatur realiter psi.

*Respondeo* negando sequelam, quia absolute & simpliciter non debet dici id repugnare alicui, quod non repugnat ipsi ex vi rationis formalis suæ; & ne fiat in hoc quæstio de nomine, quando nos dicimus in resolutione huius quæsiti, quod non repugnaret alteratio quamuis repugnaret generatio; in hoc sensu id intelligimus, quod non repugnaret ex vi & conceptu formalis alterationis, vt est mutatio successiua inter qualitates diuisibiliter oppositas aut ex vi illarum qualitatum, vt sunt sic diuisibiliter oppositæ, & per motum successiuum acquisibiles ac destruibiles; quidquid sit an ex alio capite repugnaret: & in hoc sensu tantum debet quæsitum intelligi, ac esse in controuersia aliqua reali.

Soluitur ratio dubitandi pro parte negatiua.

*Hinc autem patet ad rationem dubitandi pro parte negatiua*: nam non ordinatur ad generationem ex conceptu alterationis, aut aliquo per se præsuppositio aut consequente ad ipsum: quod autem ex alio capite sic ordinetur, non impedit partem affirmatiuam dubij, nec probat negatiuam.

Nec etiam generatio ponitur in secunda descriptione, quam approbaui, tanquam aliquid essentialiter requisitum ad conceptum alterationis habendum, sed tanquam aliquid, quod quia de facto solet sequi ad qualitates, ad quas fit alteratio, & non ad alias sine illis, potest deseruire ad habendum conceptum de illis qualitatibus, etiam independentem à generatione, nisi quatenus generatio erat occasio habendi talem conceptum.

6 *Obiicies* præterea ex *Rubio*, qui oppositum tenet hic *tract. 3. q. 1.* alteratio proprie dicta est motus physicus, qui versatur inter qualitates proprie contrarias: ergo disponit subiectum ad corruptionem, ad differentiam alterius alterationis, quæ non disponit: ergo si non esset corruptio possibilis, alteratio non esset possibilis: sed corruptio non esset possibilis, nisi generatio esset possibilis: ergo.

*Respondetur* negando primam consequentiam: distingueretur enim ab alijs alterationibus per hoc, quod esset mutatio successiua inter qualitates diuisibiliter oppositas.

*Obiicies secundo* ex eodem: expulsio qualitatum positiue contrariarum dicit intrinsecum ordinem ad expulsionem possibilem formæ substantialis: ergo & ad generationem possibilem, sine qua expulsio illa non esset possibilis.

*Confirmatur*, quia corpora cælestia ex eo, quod non sint generabilia & corruptibilia, non sunt etiam capacia accidentium proprie contrariorum, etiam de potentia absoluta; ergo signum est, quod subiectum incapax corruptionis sit etiam incapax alterationis; & consequenter quod si corruptio esset impossibilis, etiam alteratio esset talis. Hæc est summa probationis secundæ huius authoris, quam fusissimè proponit.

*Respondeo* breuiter negando antecedens, quod ab ipso potius debebat probari, quam cætera, quæ superflue probat.

*Ad confirmationem Respondeo* negando antecedens: & quidem difficile est probare quod non alterentur ad tales qualitates naturaliter, aut saltem quod non possint sic alterari; vnde nec apparentiam habet quod non possint sic alterari de potentia absoluta, cum in hoc nulla sit repugnantia. Quod si etiam non essent capacia talium qualitatum, sicut non sunt, vt aduersarius dicit, qualitatum spiritualium; profecto hoc non necessario proueniret ex eo quod non sunt generabilia, aut corruptibilia, sed ex alio aliquo capite.

*Obiicies tertio*, ex Philosopho hic *c. 1. tex. 1. Quapropter* inquit *si non sit possibile ex igne fieri aquam, neque ex aqua terram, neque ex albo nigrum, neque ex molli durum, eadem autem ratio & de aliis: hoc autem erit alteratio*: ergo secundum ipsum si non esset possibilis generatio, neque etiam alteratio est possibilis, hic enim est sensus istorum verborum.

*Respondeo*, Aristotelem loqui de facto, & vult tantum quod quandoquidem non sit maior ratio cur agens naturale

rale alteret, quam generet de facto, si non potest generare, nec poterit etiam alterare. Sed ex hoc non sequitur, quod si impossibilis esset generatio ex natura sua intrinseca, etiam alteratio impossibilis esset; sed sequitur, quod suppositis possibilitatibus intrinseca vtriusque, si agens naturale non possit vnum, nec alterum etiam poterit, de quo eadem est ratio.

An mutationes polypi & cameleontis sint alterationes.

8 *Quæres secundo*, an mutationes, quibus mutantur polypus, camæleon, & similia animalia ad colores corporum, quibus insident, sint alterationes comprehensæ sub alteratione hic descripta.

*Respondeo* breuiter cum Conimbricen. negatiuè, tum quia mutantur in instanti, tum etiam quia longè verisimilius est quod non mutentur tum ad calores veros, sed quod appareant mutari, quia colores suppositi apparent per eorum corpora, sicut per vitrum apparet color corporis ipsi suppositi: neque enim apparet quomodo isti colores producerentur in ipsis tam cito.

*Dices cum Theophrasto*, produci ipsos propter metum eo modo, quo nos albescimus ob metum, & erubescimus ob erubescentiam. Contra, quia sæpè mutantur quando non adest occasio metus, & quamdiu manent super talia corpora habent talem colorem, cum tamen non sit verisimile quod tamdiu semper metuant; & deinde si ob metum proueniret, semper deberet mutatio esse eiusdem rationis, nec deberet alia & alia esse pro varietate corporum, quibus insident, contra experientiam.

*Dices secundo*: illos produci vi imaginationis. Contra, quia illum colorem habent, quandiu insident corpori, nec tamen verisimile est imaginationem tamdiu fixam esse in consideratione istius corporis. Contra secundo, & melius, quia si mutarentur à corpore ad corpus absque eo quod aduerterent ad varietatem coloris, vt bene posset fieri, adhuc apparerent colorati: ergo id non prouenit ab imaginatione.

Nec refert quod camæleon pallescat in morte, nec referat colores suppositos: nec enim hoc oritur ex eo quod deficiat tum virtus imaginatiua, aut metus, sed ex eo quod profundatur corpus dispositione aliqua impediente transparentiam.

## QVÆSTIO II.

### *An alteratio sit motus continuus.*

Motus alteratiuus posset esse cõtinuus duobus modis.

9 EX ipsa descriptione alterationis, de qua hic agitur videretur sufficienter colligi quod sit motus continuus: descripta est enim esse mutatio, qua subiectum successiue mutatur à qualitate in qualitatem diuisibiliter contrariam. Sed quia duobus modis potest aliquid successiue mutari, Primo proprie quando mutaretur ad formam aliquam pro aliquo tempore sine morula vlla, in qua quiesceret, præter morulas instantaneas, quæ intercedere debent inter partes quascunque temporis. *Secundo* improprie quando moueretur successiue ad aliquam formam acquirendo ipsam in aliquo tempore, sed ita vt intercederent inter acquisitiones partiũ eius aliquæ morulæ non instantaneæ, sed temporaneæ; licet tamen imperceptibiles: & quia descriptio præmissa posset intelligi de qualibet ex his mutationibus, hic examinandum est de qua intelligatur.

*Deinde* quomodocumque intelligeretur illa descriptio, quidquid sit de possibilitate talis alterationis, posset adhuc dubitari an motus ad qualitates corruptiuas, quales censentur esse calefactiones & frigefactiones, sint successiui. Vt inde colligatur an prædicta descriptio conueniat ipsis, nec ne: propter hoc etiam præsens quæstio proponi vtiliter potuit.

*Præterea* quandoquidem subiectum aliquod dupliciter alterari potest per qualitates corruptiuas, v. g. per calorem & frigus, ac similia, nimirum extensiue acquirendo secundum vnam partem sui, partem qualitatis, & secundum aliam partem sui aliam partem; & intensiue acquirendo qualitatem in vna & eadem parte magis ac magis intensam; quæstio examinanda est de vtraque mutatione & extensiua & intensiua.

*Prima opinio docet* alterationem extensiuam esse successiuam, sed cum morulis temporaneis imperceptibilibus; intensiuam vero esse successiuam absque talibus morulis, aut vllis, nisi instantaneis. Hanc tenet *Aegidius* 1. *de Gen. q.* 16. *& Iand.* 8. *Phys. q.* 8.

*Secunda opinio* tenet vtramque esse successiuam, sed cum morulis temporaneis; neutram vero cum instantaneis solummodo. Ita *Capreolus*, *Soncin.* *Iauel.* *Ferrar.* quos sequitur *Arriaga* hic *disp.* 2. *n.* 33. Variæ sententiæ.

*Tertia denique sententia est*, quod vtraque alteratio sit successiua absque aliis morulis, præter instantaneas correspondentes instantibus temporis. Hæc est communissima inter *Scotistas*, *Thomistas*, ac *recentiores* hic, & eam expresse docet *Scotus* 2. *d.* 2. *q.* 2.

Vt autem intelligatur bene, aduertendum est, non esse sensum quin possit aliquod subiectũ alterari successiue cum morulis temporaneis, nam certum est quod pro hac parte temporis possit aliquid caloris recipere, & postea amota causa quiescere pro aliquo tempore, ac rursus applicata causa plus caloris recipere. Sed sensus est, quod non possit agens alterari siue extensiue, siue intensiue, quin aliqua saltem pars alterationis sit successiua absque morulis temporariis, & quod agens debite applicatum, quamdiu sic applicatum est, si alteret omnino, successiue alterare debeat absque morulis.

## CONCLVSIO.

1° *Alteratio est motus continuus proprie dictus in sensu tertiæ sententiæ.* Hæc est contra duas primas sententias. *Probatur primo* Philosophi auctoritate 5. *Phys. tex.* 39. dicentis omnem motum proprie dictum esse continuum; sed nullus est motus proprie dictus magis quam alterationis: ergo.

*Dices* hoc intelligendum de motu continuo cum interpositione morularum imperceptibilium. Contra, quia sic aliqua pars ipsius deberet produci in instanti, sed hoc est contra Philosophum 6. Physicorum, vbi ait motum non fieri in instanti, nempe proprie dictum.

*Deinde* si morulæ intercedentes sunt imperceptibiles: ergo absque fundamento asseruntur: neque enim potest colligi per rationem, quod intercedant, nisi constet experientia aliqua; non potest autem colligi experientia, nisi sint perceptibiles.

*Probatur secundo ratione*, quia successio in qualitate oritur ex diuisibilitate ipsius, ac qualitatis sibi oppositæ sed est diuisibilis in infinitum etiam secundum aduersarios; ergo non potest vlla pars ipsius produci in instanti, & consequenter quæcumque pars ipsius debet produci in tempore per motum continuum, & non per motum discretum. Probatur prima sequela, quia illa pars, quæ produceretur, haberet plures partes, & consequenter haberet principium successionis, seu rationem, ob quam deberet successiue produci.

*Confirmatur experientia*, qua experimur manum nostrã applicatam igni continue, ac sine vlla intermissione magis ac magis calefieri; ergo cum nihil obstet, debemus iudicare conformiter ad sensum, quod ita fiat.

*Probatur tertio conclusio*, & simul impugnatur vtraque aduersa sententia, quia sequeretur ex iis quod agens naturale debite applicatum passo pro aliquo tempore nihil in ipso producat, quod est absurdum. Patet sequela, quia in tempore illo, quo fieret interruptio motus, nihil produceret, & tamen tum esset tam sufficienter applicatum, quam ante vel post.

*Dices* in tempore illo produci dispositionem ad sequentem gradum qualitatis, quæ producitur.

*Contra*, quia non est maior ratio, cur ista dispositio produceretur in tempore quam ipsamet qualitas. Præterea ipsamet productio talis dispositionis est alteratio; ergo si productio illa est continua, aliquis motus alterationis est continuus, quod nobis sufficit. Deinde falsum est requiri dispositionem aliquam ad recipiendum, vel producendum secundum gradum, vel tertium, vel vllos alios sequentes qualitatis, & aduersarij nullum habent fundamentum id dicendi.

11 *Dices cum alijs*, in tempore illo, quo non extenditur calor, intendi ipsum.

*Sed hæc responsio admittit conclusionem* quoad partem vltimam. Præterea qui ea vtuntur, non possunt ostendere rationem quare sicut calor, v. g. potest continuo produci quoad intensionem, non possit etiam quoad extensionem. Deinde pro illo tempore non solum agens sufficienter applicatur ad intendendum calorem sed etiam ad extendendum calorem; vnde manet adhuc difficultas probationis.

*Dices denique* cum alijs, agens illo tempore conseruare qualitatem antecedenter productam, donec acquirat maiorem virtutem, vt possit aliam gradum producere post illud tempus.

*Contra*, quia habet sufficientes vires sine acquisitione maioris virtutis: ergo responsio nulla. Probatur antecedens, quia non potest esse dubium, quin ignis immediate post productum primum gradum caloris habeat tantam virtutem, quantam habet calidum aliquod vt duo: sed calidum vt duo habet vires sufficientes producendi secundum gradum caloris; ergo etiam & ignis in illo tempore sine acquisitione maiorum virium.

12 *Confirmatur hæc probatio*, quia si quis explodat bombardam in parietem semel, nisi aliquid tum detrimenti faceret illi, perinde esset fuisse explosum, ac non fuisse; vnde si per viginti ictus deiiciatur paries, qui alias non esset deijciendus, quilibet ictus debet aliquid in ipso operari: ergo similiter si calidum vt octo pro primo instanti nihil producit caloris, nec pro secundo aliquid producet, quia si nihil facit in primo instanti, perinde est quod fuerit applicatum pro primo instanti, ac quod non fuerit.

*Respondet Arriaga primo*, posse fieri, quod licet ex æqualibus ictibus plures nihil fecerint, aliquis tamen tandem aliquid faciat, quod nō feciſſet, nisi præcessissent alij ictus, qui tamen nihil fecerunt: cuius exemplum dat de marmore optime læuigato, quod licet à puero primum calcante nihil omnino patiatur, tandem tamen potest repetita calcatione alteri.

*Respondet secundo*, negando consequentiam, quia aliud est de eadem causa loqui respectu effectus, aliud de diuersis causis.

*Sed contra secundam responsionem*, quia eadem prorsus est ratio de vna, ac pluribus causis, quantum ad hoc

*Contra primam responsionem*, quia impossibile est aliquid posse facere, quod non feciſſet alias, ex suppositione alterius, nisi illud alterum iuuet aliquo modo: ergo nisi primi ictus aliquo modo iuuent ad deijciendum murum, aut conquassandum, sequentes ictus nihil facient magis, quam feciſſent, si non præcederent. Sed nisi prodiuxisset aliquid in muro, nihil prorsus iuuarent, nec per modum dispositionis, nec per modum conditionis sine qua non: ergo nisi agant aliquid in muro, sequentes ictus nihil facient magis, quam si primi nō præcessissent. Probatur subsumptum, quia non per modum causæ, quandoquidem supponatur eos nihil producere; non etiam per modum dispositionis, quia vel disponerent formaliter vel effectiue: non formaliter, quia non existunt realiter quando succedunt sequentes ictus; non etiam effectiue quia nihil producunt, aut tollunt à muro, vt supponitur: nec etiam per modum conditionis sine qua non; quia omnis talis conditio debet habere aliquod munus respectu agentis, aut passi: sed non potest imaginari, quod munus habeant ictus illi præteriti, si nihil fecerunt magis, quam si non fuissent præteriti, quod videtur manifestum.

Non potest aliquid facere ex eo quod aliud præcesserit nisi quod præcessit, aliquo modo iuuet.

*Et hinc patet*, exemplum *Arriagæ* de marmore nihil concludere; nam eadem prorsus est ratio de illo ipso exemplo, ac de ictibus bombardæ; & sanè si prima vice puer calcando nihil officeret marmori, nec marmor postea redderetur aliunde magis dispositum, vt ageret secunda vice, aut tertia, aut quarta, aut milleſima, nec postea etiam aliquid faceret, & sic numquam per calcationem attereretur marmor.

*Dices cum eodem*, Agentia physica sæpe dependent à conditionibus non existentibus in agendo: ergo posset secundus ictus dependere tanquam à conditione à priori non existenti & idem est de calcatione. Probat antecedens, quia, vt aliquis habeat in instanti *B* vbi aliquod, debet in instanti *A* antecedenti habuisse aliquod aliud vbi vicinum, alias in instanti *B* non posset habere illud vbi.

Quomodo agens posset dependere à conditione non existente.

*Contra*, quia licet posset agens dependere à conditione non existente, quod non negamus; non tamen nisi à conditione, cuius munus aliquod assignari possit. In exemplo autem de *vbi*, vsus manifestus vbi prioris, habetur: nam per illud applicabatur agens ad spatium vbi sequētis, qua iter non applicaretur absque illo vbi, vel alio simili; at in casu nostro per ictus priores bombarda non magis applicatur, nec magis disponitur aut ipsa, aut passum: & similiter calidum vt duo per cessationem ab actione non magis disponitur, nec magis applicatur, nec magis reparatur, aut fortificatur eius virtus, quam si non cessaret: ergo nec præcessio ictuum illorum, nec cessatio ab actione, nec etiam applicatio calidi pro tempore, aut instanti quo non agit, potest esse conditio sine qua non ad actiones sequentes.

*Dices iterum cum eodem*, maior est virtus continue operatiua, quam quæ esset operatiua cum morulis: ergo non est danda illa virtus maior omnibus agentibus naturalibus, & consequenter potest dari agens naturale, quod non debeat agere continuo, sed cum morulis.

Quando maior est virtus continēter actiua quam actiua cū interruptione.

*Respondeo* distinguendo antecedens, quando operando remittitur actiuitas agentis, vt contingit in agentibus organicis quæ patiuntur fatigationem, concedo antecedens: in aliis agentibus eodem modo applicatis continue respectu passi æque dispositi, nego antecedens. Et similiter distinguo consequens: agentibus primæ conditionis, transeat; secundæ conditionis, nego consequentiam. Itaque sicut non est maior virtus illa, qua per decem annos ignis successiue applicatus pluribus passis posset in eis cum interiectione morularum calorem producere, quam qua per duos dies; quia virtus sufficiens ad vnum, sufficit ad alterum; Ita dicendum est de virtute quam haberet sic agendi continue absque morulis.

*Obiicies primo* Philosophum qui 8. *Phys. tex.* 23. ait: *Dicere alterationem fieri continue, est aduersari valde manifestis.*

*Respondeo*, eum solum velle alterationē non fieri continue, id est semper, cuius contrarium docuerunt aliqui antiqui Philosophi. Itaque motus potest fieri dupliciter continuus: vno modo sic, vt numquam interrumpatur, & hoc sensu dixit *Philosophus*, alterationem non esse, vel non fieri continue: alio modo sic, vt licet possit vniri, & etiam interrumpi, eo tamen tempore, quo fit, sine interruptione fiat, si maneat applicatum agens, sine impedimento: & hoc sensu nos contendimus alterationem esse continuam.

*Obiicies secundo*. Si calor, verbi gratia, produceretur continue per integram horam, in quolibet instanti istius horæ aliquid producitur, vel non: si non, ergo interrumpitur ille motus in quolibet instanti, & consequenter non erit continuus: si sic, ergo verum est quod aliqua pars qualitatis producatur in instanti, & consequenter quod non obstante diuisibilitate eius possit produci in instanti.

*Respondeo*, in quolibet instanti produci aliquid qualitatis, nimirum indiuisibile continuatiuum partium ipsius, non vero aliquam partem eius; quod si nihil produceretur in instantibus, non tamen fieret interruptio motus, quam hic negamus, quia non fieret per partem aliquam temporis sed tantum per instans.

14 *Dices*: Si in quolibet instanti producatur aliquid indiuisibile qualitatis; sequeretur quod infinita indiuisibila producerentur (sunt enim infinita instantia in hora) & consequenter infinitæ partes intensionis & extensionis qualitatis.

*Respondeo* non esse absurdum quod qualitas habeat tot indiuisibilia, & partes, quot ipsū tempus, nec ex hoc sequitur quod sit infinita simpliciter & categorematice, sed

sed tantum secundum quid & syncategorematice, sicut omnes dicunt de tempore.

*Dices* vlterius: sequeretur quod ignis magnus non posset per horam producere maiorē calorem quā parvus. Probatur sequela, quia ignis magnus non potest producere nisi vnum indiuisibile caloris pro quo libet instanti temporis, tantum autem & non minus potest produci à minori igne, & consequenter fine horæ tot erunt indiuisibilia & partes productæ à minori, quot à maiori.

*Respondeo* negando sequelam, ad cuius probationem dico quod excessus effectus producti ab igne maiori supra effectum ignis maioris non debet mensuari penes partes indeterminatas; ex huiusmodi enim partibus non sunt plures in vno effectu, quàm in altero, sicut non sūt plures partes istiusmodi in anno quam in hora, sed penes partes determinatas, quarum plures multò producit maior ignis quam minor in eodem tempore.

15 *Obiicies tertio* ex *Arriaga*: sonus producit species sui ad certum spatium in instanti: sed illæ species non producunt alias species statim in instanti, sed paulo post; ergo cessant aliquando ab operatione; ergo potest esse aliquod agens naturale quod non operetur, sed quod debeat aliquando cessare ab operatione, & consequenter falsum est præcipuum fundamentum conclusionis consistens in tertia probatione. Probat maiorem, quia qui est iuxta findentem ligna, æque cito audit sonum ac videt ictum, quod fieri non posset, si non statim produceret sonus species sui in illo spatio, in quo tam cito auditur, ac videtur ictus. Probat etiam minorem, quia qui remotior est, citius videt ictum, quam audit sonum, etiam cum notabili differentia, si valde longe distat; quod verum non esset, si in instanti producerentur species in loco illo remotiori.

Antequam respondeam in forma ad hanc obiectionem, ob quam putat hic author suam sententiam esse extra omne dubium, & oppositam quamuis communem esse falsam, placuit proponere aliquas difficultates eius.

Prima difficultas contra doctrinam Arriagæ.

Prima est, quod species soni productæ ab ipso sono, maneant transacto sono, & causent alias species; nam communiter ab authoribus supponitur species sensuum exteriorum in fieri, & conseruari, dependere ab obiecto à quo causantur, & nullo modo percipi ab vlla potentia externa nisi obiectū esset actu existens; quorum vtrūque falsum esset in hac sententia, in qua & species soni non existentis manerent, & audiretur ipsemet sonus non existens.

Secunda.

16 *Secunda est*, quod species soni productæ intra tantam distantiam à sono, producant postea alias species in alia distantia, in qua tardius auditur sonus, quam in prima distantia; non verò ipse sonus: nam hinc videretur sequi, quod ipse sonus non audiretur, sed species illæ ipsius; id enim auditur, quod producit species in aure, sicut id videtur, quod producit species in oculo. Deinde sequeretur, quod in illa distantia deberet audiri sonus per illas species, quando postea auditur in aliis partibus, remotioribus, quia quando auditur in partibus remotioribus, debent manere species in illa prima distātia, vt causent species in partibus illis remotioribus: quandiu autem manent species in illa distantia, tandiu debet manere auditio ab illis in eadem distantia esse usabilis.

Tertia.

*Tertia est*, quod supponit species primas à sono produci in instanti, nam cum sonus ipse sit quid successiuum, vt omnes fatentur, & patet experientia, non potest producere aliquid in instanti, & præsertim non potest producere in instanti species illas in auribus instantanee, cū experientia constet ipsammet auditionem soni esse successiuam, & consequenter species quibus causatur, debeant esse successiuæ.

Quarta.

17 *Quarta est*, quod supponit tanquam certum experientia, in aliqua determinata distantia æque cito audiri sonum ab omnibus, quamuis aliqui sint remotiores, aliqui viciniores: hoc enim non adeo certum est, quin potius debeat iudicari oppositum esse probabilius; nam quemadmodum in aliis partibus successiue auditur iuxta maiorem, vel miniorem distantiam auditorum, ita etiam in quacumque determinata parte dicendum est fieri à paritate rationis, licet ob exiguam differentiam temporis intercedentis inter auditionem vicinioris, & remotioris in certa quadam distātia vix appareat interceſſisse aliquid temporis. Et hinc patet falsum esse, quod omnes qui sunt intra illam primam distantiam, in qua secundum ipsum producit sonus speciem sui in instanti, æque primò audiant sonum, & videant ictum, quo causatur sonus, vt ipse asserit in probatione maioris.

*Nunc respondeo in forma primò* negando maiorem cum sua probatione, cuius ratio patet ex prima, & quarta difficultate.

*Respondeo secundo* negando suppositum minoris, nempe quod species à sono productæ postea producant alias species in aliis partibus, hoc enim patet esse falsum ex secunda difficultate. Responsio ad obiectionem.

*Respondeo tertio*, admissa maiori, minori, & prima consequentia, distinguendo secundum consequens: ergo potest agens naturale non continue operari quoad effectum, qui est, continue producibilis, nego; quoad effectum, qui non est, concedo consequentiam. Itaque si species illæ primæ à sono productæ non producunt alias species in illo ipso instanti, in quo ipsæmet producuntur, sed postea, species illæ, quæ ab ipsis postea producuntur, erunt successiuæ, & consequenter non producibiles in instanti, sed in tempore. Quomodo autem audiatur sonus, & producatur, dicetur in libris de anima Deo volente.

18 *Obiicies quarto* ex eodem authore aliam experientiam: lapis grauis supra asserem grauitans non statim frangit asserem, sed post multos dies, aut etiam annos; ergo non erit à primo instāti continue in asserem, aliàs à primo instanti incepisset ipsum diuidere.

*Ad hanc obiectionem* ipsemet proponit tres responsiones aliorum, in quibus supponitur, quod illa depressio asseris fiat à lapide mediante impulsu aliquo, quo premeretur asser etiam remoto lapide. Quas responsiones ipse refutare conatur, sed sic, vt facile possent ipsius confutationes reiici. Magis opportunum videbatur rem ipsam explicare, & soluere obiectionem vt debet solui. Itaque dico lapidem non grauitare supra asserem, nec eum premere, incurua re, aut frangere mediante impulsu aliquo, quæ sit qualitas; sed hoc solum præstat lapis mediante vbi, quod producit in lapide, quo mediante facit vt recedat à loco priori aliquantulum, & hoc paulatim & successiue propter resistentiam passi; neque illa pressio asseris, incuruatio, aut fractio fit nisi mediante tali vbi, & qua ratione lapis posset in ipso producere talem impulsum, posset etiam ipsum vbi immediate producere sine impulsu, vnde qui asserunt impulsum, multiplicant entia sine necessitate. Quia vero integritas asseris valde iuuat ad resistendum lapidi deprimenti, posset fieri vt lapis ab initio nullo modo deprimeret, quia scilicet tam integer esset asser, vt integre resisteret, donec consumerentur aliquæ partes eius, & redderetur debilior ita, vt amplius non posset resistere quin aliquantulum deprimeretur, licet insensibiliter; & rursus post aliquam depressionem posset interrumpi vlterior depressio donec redderetur aliunde debilior. Posset etiam fieri quod depressio ab initio inciperet, & semper continuaretur donec frangeretur asser, iuxta dispositionem asseris, & grauitatem lapidis.

19 *Iuxta hanc doctrinam claram, & facilem Respondeo*, in aliquo casu (quod sufficit ad propositum) negando consequentiam, & admittendo quod ab initio inceperit lapis premere, & frangere asserem. Dices si continue deprimeret lapis per tres annos, per successiuam productionem nouorum vbi, deberet esse producta fere infinita multitudo vbi Respondeo non debere plura vbi produci quàm essent partes & instantia in toto illo tempore: quod si producerentur tot, non esset vllo modo inconueniens, vt est euidens; vnde si admittatur fere infinitus numerus partium in tempore illo, tot etiam admittentur vbi fuisse producta.

## QVÆSTIO III.

*Quando fiat intensio qualitatis.*

20 NOn solum hæc quæstio, sed præcedens etiam supponit qualitates intendi, hoc est perfici in eadem parte subiecti ita, vt illa pars subiecti, quæ ante erat calida v. g. possit fieri calidior: quæ suppositio constat experientia; nam quamuis aqua reddatur calida quoad omnem partem ita, vt nulla pars ipsius sit absque calore, tamen potest reddi calidior secundum eadem partes: ergo tum intenditur calor eius: neque enim extenditur, nec extensio fit quando qualitas producitur in aliis partibus.

Quæritur igitur, qua ratione hoc fiat: & eadem difficultas est de remissione qualitatis quoad intensionem, quomodo scilicet accidat, vt subiectum in eadem parte reddatur minus calidum aut minus frigidum.

Varię sẽtentiæ. *Prima sententia est*, intensionem fieri per productionem qualitatis perfectioris, & destructionem qualitatis prioris, quæ erat imperfectior; remissionem vero fieri per productionem imperfectioris qualitatis, destructa perfectiori. Hæc tribuitur *Durando*, *Gotfredo*, *Alberto*, &c.

*Secunda sententia* tenet intendi qualitatem per hoc præcise quod diminuatur qualitas ipsi contraria sine productione nouæ entitatis, aut aliqua variatione facta in qualitate, quę intendi dicitur. Hanc tenet *Ægidius quodl.* 2. *q.* 14.

*Tertia sententia* vult eam intendi per destructionem primæ existentiæ & communicationem alterius perfectioris, ita *Astudillo hic quæstione* 9.

*Quarta sententia est*, quod intendatur absque productione nouæ partis aut gradus eiusdem aut diuersæ rationis à priori, per solam maiorem radicationem in subiecto. Hanc tenent rigidiores omnes Thomistæ cum D. *Thoma* variis locis citatis à *Complutensibus hic disp.* 4. *q.* 9 Sed vt melius hæc sententia intelligatur, si tamen intelligi possit & impugnetur, aduertendi sunt varij modi explicandi illam, quos excogitare & rei ipsius difficultas & aduersariorum impugnationes coegerunt Thomistas.

Quid sit maior radicatio in subiecto. 21 Itaque aliqui dicunt illam maiorem radicationem consistere in communicatione perfectioris existentiæ, destructa priori, & sic explicata hac sententia coincideret cum tertia. Alij, vt Capreolus, dicunt eam consistere in maiori eductione qualitatis ex subiecto. Alij putant illam fieri per maiorem ac perfectiorem vnionem qualitatis cum subiecto, aut per hoc quod vniatur secundum plures formalitates. Complutenses, qui fusissime hanc rem explicare conantur, dicunt illam maiorem radicationem in subiecto consistere in modo aliquo actualitatis maioris, qui superadditur essentiæ, existentiæ, & vnioni eius ad subiectum, ratione cuius perfectius se habet intra lineam caloris, & ad hunc modum reducunt varios modos loquendi Diui Thomæ quibus vtitur in hac re.

*Ioannes* verò à *Sancto Thoma* existimat maiorem illam radicationem fieri per additionem modi, non qui præbeat formæ nouam vim informatiuam, seu nouam rationem formalem informandi; sed qui præbeat nouam explicationem & potentialitatem eius, & reducendo illam ad maiorem vnitatem.

*Vltima denique sententia* est qualitatem intendi per additionem gradus ad gradum in eadem parte subiecti. Hæc est *Doct. 1. d. 17. q. 4* cum omnibus suis, quos recentiores communiter sequuntur, & nominatim Suar. disp. 46. met. sec. 1. Ruuius, Hurtado, Arriaga, Auersa hic.

## CONCLVSIO I.

Intensio qualitatis non fit per destructionem qualitatis præ- 22 *Intensio qualitatis non fit per additionem nouæ entitatis destructa priori entitate qualitatis.* Hæc est communissima contra primam sententiam: & Probatur primo ex Scoto: quando augetur seu intenditur charitas, & idem est de quocunque habitu naturali, per actum, charitas & habitus præsuppositus actui existit in illo ipso instanti: ergo quando fit intensio non deperditur qualitas præcedens. Probatur antecedens, quia tam charitas, quam habitus præcedens actum concurrunt physicè ad actum sequentem, alias frustra darentur: ergo debent existere pro illo instanti pro quo existit actus: sed pro eodem ipso instanti fit intensio per actum, neque enim potest fieri per actum physice, nisi pro instanti, pro quo existit actus. Hanc rationem quatenus includit charitatem, attribuit Arriaga Hurtado, & ipsemet quasi ex se adiungit alteram partem de aliis habitibus, cum tamen Scotus vtramque partem expresse habeat. cedentis, & productionem quæ.

*Probatur secundo* ex eadem: si intensio fieret per productionem perfectioris entitatis destructa priori, etiam remissio fieret per productionem imperfectioris entitatis, destructa perfectiori: eadem enim est ratio; & ita fieri fatentur aduersarij; sed remissio non ita fit: ergo nec intẽsio. Probatur minor: quia quando aqua reducit se ad frigus sibi connaturale, & remittit calorem, non adest vlla causa, à qua posset denuo calor imperfectior produci neque enim ipsa aqua habet virtutem productiuam caloris, nec alia causa calefactiua debet adesse, nisi recurratur ad causam vniuersalem aut Deum, ad quem non debet recurri in hoc casu, cum nulla sit necessitas ad illum recurrendi, nisi vt defendatur hęc sententia, quę vel hoc ipso defendi non debet. Verum quamuis hæc ratio habeat magnam apparentiam; ego tamen non multum fiderem ipsi; quia satis probabiliter responderi potest, quod quemadmodum recurritur ad Deum, vel ad causam aliquam vniuersalem in ordine ad conseruandum calorem in aqua, neque enim ab ipsamet aqua calor est conseruabilis: ita recurri posset facile ad eandem causam in ordine ad producendum calorem remissiorem; neque enim est facilius ipsi conseruare calorem remissum, quam ipsum producere: & si esset naturaliter determinata ad ipsum conseruandum in instanti A, neque haberet ad hoc impedimentum, esset etiam in eodem instanti determinata ad ipsum producendum casu quo non esset ante productus. Et si dicas non esse eandem rationem recurrendi in vtroque casu, quia ad conseruationem necessario debet recurri, quandoquidem non sit alia causa, eodem modo dici debet de productione, quia non est etiam alia causa.

23 *Probatur tertio* argumento satis communi, quia quando intendit ignis calorem in aqua, v. g. non est vlla causa, à qua destruatur præcedens calor: ergo non destruitur. Probatur antecedens, quia ignis non est destructiuus ipsius: absurdum enim videtur, quod ignis haberet virtutem destructiuam caloris, & quod calorem, quem necessario producebat, iam immediate post destruat; nec alia causa assignari potest.

*Dices cum Arriaga*, posse dici, quod ignis habeat virtutem destructiuam caloris à se producti, per accidens; eo scilicet, quod debeat perfectiorem calorem producere, qui calor nequit produci, nisi destructo priori: quod exemplificat de causa generatiua embrionis, hæc enim primo producit formam embrionis, & eam postea destruit ad introducendam formam perfectiorem, animam scilicet cum ipsa incompatibilem. Replica Arriagæ.

*Contra*, quia falsum est quod destruatur forma embrionis, aut quod sit incõpatibilis cum anima. Deinde quamuis duæ formæ substantiales diuersæ rationis (quales sunt anima, & forma embrionis) sint incompatibiles, & propterea debeat ad introductionem vnius altera expelli: tamen non propterea duæ formæ accidẽtales eiusdem speciei debent esse incompatibiles, nec ad productionem consequenter vnius debet altera expelli. Reiicitur

*Confirmatur*, quia si deberet destrui ab igne calor remissus ad productionem caloris perfectioris intensi, non deberet ab ipso primo produci: neque enim vna forma potest, aut debet esse dispositio necessario prærequisita ad alteram formam eiusdem speciei, & præsertim talis dispositio, quæ destrui debet.

*Dices*, posse esse dispositionem, quatenus requireretur ad expulsionem vnius gradus frigoris.

*Contra*

*Contra*; si primus gradus requireretur tanquam dispositio ad secundum gradum, quatenus deberet per ipsum expelli gradus frigoris impediens introductionem secundi gradus, sequeretur quod quoties non esset ille primus gradus frigoris, & subiectum esset tam aptum ad secundum gradum caloris, ac esset quando auferretur ille gradus primus frigoris, quod produceretur secundus gradus caloris absque primo, sed hoc est falsum, quia frigidum vt sex est tam dispositum ad recipiendum secundum gradum caloris, ac est frigidum vt septem, post ablationem vnius gradus frigoris per primum gradum caloris: & tamen non potest recipere calorem vt duo ab igne, verbi gratia, in illo instanti in quo frigidum vt septem, à quo auferretur vnus gradus frigoris, posset ipsum recipere, vt omnes fatentur, quia alias secundus gradus produceretur ante primum.

24 *Obijcies primo*: terminus à quo, & ad quem motus, sunt contrarij. & consequenter incompatibiles: sed terminus à quo motus, quo fit intensio, est qualitas remissa, & terminus ad quem est qualitas intensa de nouo producta: ergo destruitur prior, introducta posteriori

*Respondetur* distingu ndo maiorem: terminus à quo recedit subiectum per motum, concedo; terminus à quo non recedit, nego maiorem, & similiter distinguo minorem: qualitas remissa est terminus à quo recedit, nego minorem: à quo non recedit, concedo minorem, & nego consequentiam.

*Dices*, si non recedit subiectum ab illa qualitate remissa, non potest dici terminus à quo: ergo si sit terminus à quo, debet subiectum recedere ab illa.

*Respondeo*, hãc difficultatẽ spectare ad quæstionẽ de nomine; & dico, quod qualitas remissa eatenus dicitur terminus *à quo*, quia præsupponitur, non quia deseritur. Quod si solum debeat vocari terminus *à quo* motus, illud quod deseritur, tum falsa est minor obiectionis, loquendo de qualitate remissa specificatiue secundum totam entitatem absolutam, quam dicit: & dico: loquendo de ipsa hoc modo specificatiue, quia potest considerari formaliter, vt remissa, & vt sic dicit vltra entitatem positiuam caloris carentiam intensionis: quatenus vero dicit talem carentiam est sine dubio terminus *à quo* propriissime, & est incompatibilis cum termino *ad quem*.

*Vode secundo responderi potest* distinguendo minorem; qualitas remissa formaliter vt remissa, hoc est, vt dici carentiam intensionis, concedo; qualitas intẽsa specificatiue loquendo, hoc est, illa qualitas quæ habet talem carentiã secundum se vt abstrahit ab illa carentia, nego minorem, & similiter distinguo consequens: destruitur vt dicit illam carentiam, concedo: secundum se, nego consequentiam: quæ solutio est valde facilis, & realis.

*Obiecies secundo*, sonus, vox, & motus localis intenduntur per productionem nouæ partis, destructa priori: ergo & qualitas sic intenditur, à paritate rationis.

*Respondeo* negando consequentiam: quia illa sunt entia successiua, quorum propterea partes non debent simul existere; qualitas autem intensa est quid permanens, & propterea non debet ad productionem vnius partis destrui altera, quæ alias permaneret.

## CONCLVSIO II.

Intensio non fit per minorẽ admixtionẽ contrarij.

25 *Intensio qualitatis non fit formaliter per minorem admixtionem contrarii*. Hæc est communissima contra secundam sententiam.

*Probatur manifeste*, quia intenditur qualitas, quæ non habet contrarium, vt gratia habitualis supernaturalis, & lumen: ergo intensio vt sic, nequit fieri per minorem admixtionem contrarij.

*Probatur secundo*, quia non potest fieri quod aqua calida remisse habeat minus contrarij postea admixtum, quando sit intẽse calida, nisi aliquid aliud producatur de nouo, ratione cuius destrueretur aliquid frigoris: ergo intensio nequit fieri formaliter per minorem admixtionem contrarij. Et dico *formaliter*, quia non nego, quin quando forma habens contrarium intenditur, soleat habere minus contrarij admixtum, quam quando non intenditur, sed contendo intensionem qualitatis non haberi formaliter ab illa minori admixtione; sed potius ab illo, ratione cuius oritur, vt sit illa minor admixtio.

*Confirmatur efficaciter*, quando aqua fit remisse calida, vel tollitur totum frigus antecedens; vel per aliqua ipsius relicta alia parte: si tollatur totum frigus, ergo tum calor nihil habet contrarij ad mixtum, & consequenter quando fit magis calida; non habet minus admixtum quam ante, quando quidem ante nihil habuerit illius admixtum: si non tollatur totum: ergo iam admittuntur plures partes in qualitate intensa, ad quod tamen negandum aduersarij excogitauerunt hanc sententiam, quam impugnamus.

*Probatur tertio*, quia qualitates intensæ possunt supernaturaliter esse simul: sed tum neutra haberet minus admixtum de contrario: ergo intensio non habetur formaliter per illam minorem admixtionem.

Obiectio

*Obiecies*, secundum Philosophum 5. *Phys. text.* 29. magis & minus in intensione, & remissione fit per minorem, aut maiorem admixtionem contrarii: ergo conclusio est contra Philosophum.

Respon. sio.

*Respondeo*, Philosophum non loqui in sensu formali, sed causali, vel concomitanti, quatenus scilicet, vt supra dixi, solet quando intenditur vna qualitas habens contrarium in subiecto, remitti altera qualitas contraria, vnde nego consequentiam.

## CONCLVSIO III.

Intensio non fit per communicationem perfectioris existentiæ.

26 *Non intenditur qualitas per communicationem existentiæ perfectioris, destructa imperfectiore existentia*. Hæc est communissima contra tertiam sententiam. Et *Probatur primo* quia existentia (vt suppono ex dicendis in Metaphysica) non distinguitur realiter à re existente: ergo nequit de nouo communicari alia existentia, quam ante non habuit.

*Probatur secundo*, quia qualitas intensa habet perfectius agere quam minus intensa: ergo habet aliquam differentiam præter differentiam existentiæ; & consequenter non habet esse intensa formaliter ab illa perfectiori existẽtia. Secunda consequentia est euidens: Probatur prima, quia existentia non est ratio formalis agendi, sed conditio sine qua non: ergo maior illa actiuitas prouenit ab alio quam ab existentia formaliter, & consequenter qualitas intensa si sit magis actiua, debet habere aliquam differentiam quam differentiam existentiæ.

*Probatur tertio*, quia non potest imaginari quomodo posset res habere perfectiorẽ existentiam sub ratione existentiæ, quam illamquę sufficienter ponit ipsam extra suas causas, cũ tanta, vel tanta dependentia aut independentia sed calor remissus est tam perfecte extra suas causas, & tam dependenter, aut independenter ac calor intensus: ergo calor intensus non habet perfectiorem existentiam quam remissus, & consequenter non habet esse intensus a perfectiori existentia. Probatur minor, quia calor remissus est totaliter extra suas causas, & non habet dependentiam nisi ab iisdem causis, à quibus habet dependentiam calor intensus, & præterea habet independentiam ab omnibus, à quibus est independens calor intensus: ergo.

27 *Probatur quarto*, quia quando producitur actus supernaturalis charitatis per concursũ physicum charitatis charitas in illo instanti existit per existentiam priorem, aliàs non posset causare actum illum physicè: sed in eodẽ instanti intenditur, vt est euidens: ergo si intensio fiat per productionem nouæ existentiæ charitatis simul, & semel pro eodem instanti, habet duas existentias, perfectiorem scilicet, & imperfectiorem: sed hoc est absurdum, & contra aduersarium, qui asserit producta perfectiori existentia destrui imperfectiorem. Hæc probatio mihi conuincit conclusionem.

*Probatur quinto*, quia vel illa existentia perfectior est eiusdẽ speciei cum imperfectiori, & inæqualis perfectionis individualis, sicut aliqui discurrunt de gradibus intensionis; de quo postea; vel diuersæ speciei. Si primum dicatur, ergo similiter posset dici de calore intenso,

& remissio, quod scilicet sint eiusdem speciei, & inæqualis perfectionis indiuidualis, & consequenter tã bene posset dici quod perfectior calor produceretur de nouo destructo priori calore, quam quod perfectior existentia produceretur destructa priori existentia: imo sanè id conuenientius multo diceretur. Vnde potius prima sententia tenenda esset quam tertia.

Si dicatur secundum: ergo similiter posset dici, quod calor intensus esset diuersæ speciei à calore remisso; consequenter quod produceretur, dum fit intensio, calor nouus tam bene quam existentia noua.

*Confirmatur*, quia quando remittitur calor aquæ per intensionem frigoris, non est assignabilis vlla causa, à qua produceretur existentia imperfectior caloris; quæ secundum hanc sententiam, quam impugnamus, produci debet: tam enim absurdum est quod aqua producat existentiam caloris, quam quod producat ipsum calorem; imo nõ potest existentiam caloris producere quin producat calorem: sed est absurdum quod producat calorem; & propterea reiecimus primam sententiam, quia ex ea sequeretur quod aqua produceret calorem: ergo est absurdum quod producat existentiam caloris.

## CONCLVSIO IV.

Intensio nõ fit per maiorem radicationem in subiecto.

28 *Intensio non sit per maiorem radicationem eiusdem qualitatis in subiecto.* Hæc est Doctorum vltimæ sententiæ, contra quartam sententiam.

*Probatur manifeste*, quia impossibile est quod aliqua forma de nouo habeat formaliter maiorem radicationem in subiecto, quin aliquid producatur de nouo, aut in ipsa aut in subiecto, aut in aliquo extrinseco: sed non debet potius in subiecto, aut in extrinseco illud produci, quam in ipsamet qualitate, quæ dicitur magis radicari, vt fatentur ipsimet aduersarii: ergo vt magis radicetur, quomodocumque demum explicetur illa maior radicatio, debet aliquid de nouo produci. Tum sic: vel illud quod de nouo producitur, & ratione cuius magis radicatur forma, est compatibile cum illo quod in forma producebatur prius, & ratione cuius minus radicabatur; vel est incompatibile cum illo priori. Si non est compatibile omnia argumenta adducta pro prima conclusione militant expresse pro hac etiam conclusione. Si sit compatibile; ergo intensio fit per additionem entitatis ad entitatem. Sed si fiat per additionem entitatis ad entitatem, nihil impedit quo minus intensio caloris fiat per additionem vnius partis caloris ad aliam partem: eadem enim est ratio, imo facilius multo intelligitur quomodo fiat intensio hoc modo quam per additionem cuiuscunque alterius entitatis ad entitatem, si possit hoc modo fieri.

29 *Confirmatur efficaciter*: propterea recurrunt aduersarii ad inintelligibilem hanc radicationem maiorem (in qua explicanda ipsimet mirabiliter laborant, nullis duobus fere conuenientibus in eodem modo explicandi ipsam) quia putant impossibile esse duas partes caloris simul reperiri naturaliter saltem in eodem subiecto; sed sane id non est magis impossibile, quam duas illas entitates, à quibus habet magis & minus radicari in subiecto, esse simul in eadem forma: ergo vel hoc negare debent aduersarii, vel confiteri possibilitatem illius alterius, quod negant esse possibile naturaliter.

Nec vis huius rationis tollitur, si dicatur, illud, quod de nouo produci debet, non esse entitatem aut formam, sed modum. Nam præter quàm quod hoc sit tantũ modo loquendo, adhuc tam est inconueniens duos modos simul poni in eadem forma, quam duas formas in eodem subiecto; & tam inconueniens est quod ad productionem vnius modi destruatur præcedens, quam quod ad productionem vnius formæ destruatur forma præcedens.

Non fit per maiorem eductionem.

*Probatur secundò*, impugnando præcipuos modos explicandi hanc radicationem, quibus vtuntur aduersarij.

*Itaque imprimis probatur quod intensio qualitatis non fiat per maiorem eductionem ex subiecto*, quia qualitas remissa est tam perfecte educta ex subiecto quàm qualitas perfecta: est enim totaliter extra suas causas, & dependet ab iisdem causis & principiis, & est etiam independens ab omnibus aliis, à quibus qualitas perfecta est independens: ergo tam perfecte est educta. Nec prorsus potest intelligi, qua ratione vna magis perfecte sit educta quam altera, si vtraque secundum se totam, & quidquid reperiretur in illa, sit educta.

*Deinde* quando intenditur charitas per actum, in illo ipso instanti habet eductionem minus perfectam secundum quam influebat in actum, & magis perfectam secundum quam intendebatur: ergo habet duas eductiones simul, quod est absurdum.

*Confirmatur efficaciter*; quia quando remittitur calor aquæ, deberet educi imperfectiori eductione, aut minori: sed non est vlla causa à qua sic educatur; neque enim aqua ipsa habet virtutem eductiuam caloris, alias posset ipsam primo producere; quo nihil est absurdius.

30 *Dices* ipsam formam educere se ex vi prioris actionis, quæ in ipsa formã virtualiter manet.

*Contra*, quia sic idem posset causare se aut conseruare naturaliter quo etiam nihil est absurdius.

*Deinde*, si entitas formæ per hoc quod sit producta, in hoc instanti, per eductionem maiorem in alio instanti nõ habet maiorem virtutem quam si non fuisset sic producta, non habet vllam virtutem, ratione cuius possit habere aliquam eductionem, quam alias non posset habere: ergo vel illa actio in illa virtualiter non manet, vel si manet, nihil producit magis quam si non maneret, & consequenter, si forma non posset educere se tali eductione, nisi ex suppositione istius actionis, non poterit se producere etiam ea suppositа.

Non fit per magis perfectam vnionẽ.

*Deinde probatur quod non fiat intensio per maiorem aut perfectiorem vnionem Primo*, quia etiam est inintelligibile quo modo perfectius vniatur forma intensa quam remissa, cum hæc secundum se totam intime vniatur priori inhærentiam tam bene quam illa: nec assignari potest quænam formalitas in forma remissa non vniatur, quæ vniretur in forma intensa, & æque facile potest tolli vnio formæ intensæ vt octo, à qua habet sic intendi, ac vnio formæ vt duo: nam calidum vt octo tam cito potest tolere vnionem, à qua habet frigus vt octo esse vt octo, quam calidum vt sex vnionem frigoris vt sex; imo & quam ipsũ calidum vt octo potest destruere vnionẽ frigoris vt quinque, præsertim si sit indiuisibilis, vt asserunt communiter aduersarii; nam vtramque vnionem potest tollere in instanti, vt patet. *Secundo*, quia vel vnio illa noua manet simul cum præexistenti, vel ea producta destruitur præcedens. Si primum dicatur, potest fieri intensio mediante additione partis ad partem contra aduersarios: si dicatur secundum, currunt omnia argumenta contra primam sententiam.

Non fit per additionem noui modi.

31 *Probatur etiam quod intensio non fiat per additionem noui modi qui præbeat formæ maiorem explicationem in subiecto, tollendo confusionem & potentialitatem eius, & illam reducendo ad maiorem vnitatem.* Probatur inquam, hoc *primo*, quia reuera hæc omnia sunt tantum verba absque vllo sensu prorsus, nisi coincidant cum modis dicendi iam impugnatis; neque intelligi potest, quid velit illa maior explicatio, aut quæ confusio, aut potentialitas formæ tollatur per intensionem, aut quomodo reducatur ad maiorem vnitatem.

*Confirmatur hoc*, quia forma intensa non facit nisi vnum per accidens cum subiecto, & secundum se non est magis vna quam forma remissa, cum sit eadem secundum aduersarium: sed forma remissa facit vnum etiam per accidens simili omnino vnione, hoc est vnione inhærentiæ: ergo forma intensa, nec secundum se est magis vna, nec facit magis vnum cum subiecto quam forma remissa: ergo forma remissa per intensionem non reducitur ad maiorem vnitatem quam sine intensione.

*Confirmatur secundo*, quia non potest explicari quam confusionem, aut potentialitatem habet forma remissa in subiecto: ergo ridicule dicitur quod tollatur eius confusio & potentialitas per intensionem præsertim cum non possit ostendi qua ratione tollatur.

32 *Proba*

32 *Probatur idem secundò*, quia illa maior explicatio non fit de nouo absque superadditione alicuius realis, quod ante non fuit: impossibile est enim quod aliqua denominatio realis noua habeatur absque aliquo nouo, vel intrinseco, vel extrinseco, præsertim si non prouenit à forma infinita (quod addo propter denominationes liberas prouenientes à volitione diuina:) sed nihil nouũ potest excogitari, quod possit ad hoc sufficere, nisi noua vnio aut hærentia, aut eductio, aut existentia: sed ex his nihil potest sufficere ex hactenus dictis: ergo noua pars requiritur ad illam maiorem explicationem.

Dices sufficere nouam actionem. *Contra primò*, quia actio noua realis requirit terminum nouum realem, vt suppono, tanquam euidens. *Contra secundò*, quia illa ipsa actio noua non subiectatur in agente, secundum aduersarios: ergo se habet ex parte termini de nouo: sed hoc supposito de ea omnis difficultas potest moueri, quę moueretur de quocumque alio distincto quod poneretur ex parte termini.

Non fit per communicationem maioris actualitatis.

33 *Probatur denique quod intensio non fiat per communicationem maioris actualitatis*, vt volunt *Complutenses*, qui etiam verba obtrudunt; quia illa maior actualitas nequit esse absque productione noua entitatis positiuæ, quæ entitas vel debet esse compatibilis cum priori actualitate, vel incompatibilis, & sic redeunt eædem difficultates de quibus supra.

*Probatur secundò*, & simul impugnatur præcedens modus, quia illa actualitas noua, & ille nouus modus qui deberet produci in re ni sione qua itatis, non potest habere causam aliquam productiuam; neque enim aqua reducens se ad frigus potest producere actualitatem aliquam nec modum caloris, sicut nec potest producere ipsum calorem, nec etiam ipsa forma caloris potest producere in se illum modum aut actua itatem absque concursu causæ efficientis, nec recurri debet ad Deum, aut aliam causam vniuer alem, quia nulla est necessitas sic recurrendi.

*Confirmatur conclusio*, & omnes hæ impugnationes, quia nulla est difficultas in assignando quomodo intendi possit qualitas alio modo quam per radi ationem, quacũque demum ratione explicetur: quæ difficultas accedat ad difficultates, quas patitur illa maior radicatio: ergo male recurritur ad illam maiorem radicationem, & deseritur sententia facilior. Et sane hæc confirmatio sufficere deberet cuicumque bene dispositio & indifferenti ad negandum hanc radicationem, & amplectendam communem sententiam.

## CONCLVSIO VLTIMA.

Fit per additionem gradus ad gradum.

34 *Intensio qualitatis fit per additionem nouæ partis eiusdem qualitatis in eadem parte subiecti, sicut extensio eius fit per additionem nouæ partis eius in aliis partibus subiecti.* Hæc est iuxta vltimam sententiam contra alias omnes alio modo explicantes.

*Probatur sufficienter* ex impugnatione aliorum modorum: nam intensio non potest fieri nisi aliqua ex impugnatis modis, vel hoc modo: non fit vllo ex illis: ergo fit hoc modo.

*Obiicies primo*: secundum *Philosophum* ex calido fit magis calidum, nullo facto de nouo calido; ergo non producitur nouus gradus caloris, quando fit intensio qualitatis.

*Respondeo* negando consequentiam, quia quamuis produceretur, dum fit intensio, nouus gradus caloris, adhuc non fieret aliquid de nouo calidum, quod non fuit antecedenter calidum: ille enim nouus gradus producitur in eodem subiecto, in quo fuit præcedens calor, & quod consequenter fuit calidum antecedenter. Quę responsio in se clarissima est, & ex ipso textu patet esse conformis intentioni *Philosophi*, cuius etiam authoritas si staret pro aduersarijs expresse, non esset tanti facienda, quanti rationes contra eos oppositæ.

35 *Obiicies secundo* ex *Ioanne à sancto Thoma*, non potest fieri intensio per additionem nouæ formæ, absque aliqua distinctione, & numero illarum formarum, quæ superadduntur sibi inuicem: sed hoc non potest esse, ergo. *Probatur minor primo*, quia alias duo accidentia eiusdem speciei possent esse simul in eodem subiecto: sed hoc est falsum, quia accidentia indiuiduantur à subiecto, & consequenter diuersa numero accidentia debent habere diuersa numero subiecta. *Probatur secundo*, quia nulla forma habet partes, nisi quantitas, aut ratione quantitatis, nec potest habere partes ratione quantitatis, nisi quatenus respicit diuersas partes quantitatis: sed forma intensa non est quantitas, nec respicit vt sic plures partes eius.

*Confirmatur*, quia si forma haberet plures partes, non esset pura forma, sed constitutum, seu compositum expluribus partibus: sed hoc est absurdum, ergo.

*Confirmatur secundo*, quia si forma esset composita, vel ex partibus essentialibus, vel ex integrantibus: non ex essentialibus, quia alias vna ex partibus esset diuersæ rationis essentialis ab altera, & in perse potentia ad illam: non ex partibus integrantibus, quia forma est principium compositi: ergo non debet esse composita.

*Respondetur* negando minorem, ad cuius primam probationem nego minorem cum sua probatione, cuius ratio patet ex dictis in Logica de principio indiuiduationis.

*Ad secundam probationem* nego maiorem; nec sane à quantitate habere potest partes, nisi eas haberet à se ipsa. Posset etiam distingui maior: nulla forma habet partes ex ensas absque quantitate, transeat maior, intensas, nego maiorem.

36 *Ad confirmationem respondeo*: si per puram formam intelligatur aliquid simplex, & incompositum integraliter, siue quoad extensionem, siue quoad intensionem; concedo maiorem, & nego minorem. Si per puram formam intelligatur liqu d quod nõ inuoluit rationem subiect, seu materiæ, nego maiorem: quamuis enim qualitas sit composi a integralite, tamen neutra pars ex partibus ipsius haberet rationem materiæ, aut subiecti respectu alterius partis; neque enim vlla pars qualitatis aliam partem info mat, aut inhæret alteri parti.

*Confirmatur hoc*, quia plures partes intensionis non debent tollere puritatem formæ, quam debet habere quatenus forma, magis quam plures partes extensionis; sed hæ non tollunt puritatem vllam, quam debet forma habere: ergo nec illæ.

*Ad secundam confirmationem respondeo*, quod esset composita ex partibus integrantibus, nec hoc est contra rationem formæ: nam quamuis sit principium compositi accidentalis ex subiecto, & ipsamet, huic non obstat quod ipsamet sit composita ex partibus integrantibus, vt ex terminis patet.

*Obiicies secundò*: sequeretur, quod qualitas spiritualis, verbigratia, charita, esset diuisibilis in partes entitatiuas sed hoc repugnat: entitas enim spiritualis per hoc à materiali distinguitur quod sit indiuisibilis.

*Respondetur*, negando minorem cum sua probatione: nam quamuis repugnet spirituali entitati, quod habeat partes diuisibiles extensiue, nullo modo tamen intensiua diuisibilitas ipsi repugnat.

## QVÆSTIO IV.

*An gradus, seu partes qualitatis, quæ acquiruntur dum intenditur, sint heterogeneæ, seu homogeneæ.*

SEnsus quæstionis est, an quemadmodum illa pars qualitatis quæ de nouo acquiritur, dum extenditur ad diuersas partes subiecti, est homogenea, hoc est, eiusdem omnino rationis cum partibus præcedentibus; & non heterogenea, hoc est, diuersæ rationis ab illis; idem dicendum sit de partibus quæ in intẽsione qualitatis acquirũtur, ita scilicet, vt pars primo acquisita, quantũ est ex sua natura, tam bene possit esse secunda pars, quam ipsamet pars quæ postea producitur, sicut primus filius posset quantum est ex natura sua esse productus secundo loco, & esse secundus filius: vel an secunda pars sit omnino

dissimi

dissimilis primæ parti, & inæqualis perfectionis cum prima, adeo vt connaturaliter non possit primo loco produci ante primam partem, nec prima pars produci post partem, quæ est secunda.

## CONCLVSIO

37 *Gradus intensionis, seu per intensionem acquisiti, sunt homogenei, seu eiusdem rationis cum prioribus, absque vlla distinctione, præter numericam.* Hæc est *Scotistarum* communiter cum *Scoto* 1. *d.* 17. *quæst.* 4. quos sequuntur *Vasquez* 1. 2. *disput.* 28. *Ruuius*, *Conimbricenses*, *Arriaga hic*, *Auersa quæst.* 23. *sect.* 7. *ac recentiores* communiter contra *Suarez*, *disp.* 46. *sect.* 1. *Hurtadum hic disp.* 5. *sect.* 6.

Gradus intensionis sunt homogenei.

*Probatur primò*, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla prorsus est necessitas aut experientiæ, aut rationis, aut authoritatis, ad multiplicandos gradus heterogeneos: ergo solum ponendi sunt homogenei.

*Confirmatur*, quia ad intensionem non requiritur aliud, quam vt plures partes qualitatis ponantur in eodem subiecto, & quod medientibus illis subiectum possit plus facere, quam alias potuisset: sed si ponerentur plures gradus homogenei in eadem parte subiecti, potuisset plus facere quam sine illis: sicut enim quo calor habet plures partes extensionis eiusdem rationis, eò plus potest agere, ita etiam quo plures haberet partes in eodem subiecto, etiam si essent eiusdem rationis, eò amplius agere posset; & hinc colligitur, pluralitatem partium eiusdem rationis non esse superfluam in eodem subiecto.

*Probatur secundo*, quia secundum omnes color remissus non est distinctæ speciei à calore intenso: sed est, si gradus essent heterogenei: ergo sunt homogenei. Minor probatur *primo* ex dicendis alibi, vbi probabimus indiuidua eiusdem speciei non posse habere inæqualitatem perfectionis aut dissimilitudinem vllam, & si haberent, inde sequuturum quod non essent eiusdem speciei.

*Probatur secundo* eadem minor soluendo rationem, quam aduersarij assignant ad probandum, quod non esset distinctæ speciei: quæ ratio est, quod concurrant ad constituendam vnam per se qualitatem, & ista qualitas intensa producitur vnico specie motu: sed hæc ratio nihil valet, quia possunt res diuersæ speciei, præsertim si sint incompletæ & subordinatæ, concurrere ad constituendam vnam per se speciem completam.

38 *Deinde*, si non possent sic concurrere, non esset vnde colligeretur, quod constituerent vnam per se qualitatem magis quam albedo & dulcedo: & licet dicatur qualitas intensa esse vna per se qualitas, tamen hoc non oriretur ex eo, quod ita reuera esset, sed ex eo, quod sensu non appareat, quod sit qualitas aggregata ex partibus diuersæ rationis: propterea enim moraliter reputatur vna, quamuis alias non esset.

*Denique*, si illæ partes distinctæ speciei, non obstante distinctione specifica, facere possunt vnum per se, etiam motus quo producuntur potest dici vnus per se motus; & si non possunt facere vnum per se proprie, nec motus quo producuntur dici debet vnus per se motus: nec enim maiorem vnitatem debet habere motus quàm suus terminus.

*Confirmatur hoc*, ex termino specificatur motus, & habet esse vnus specie ex eo, quod terminus sit vnus specie, loquendo de specificatione extrinseca; ergo prius debemus colligere terminum alicuius motus totalis esse per se vnum, quàm possimus scire an motus sit per se vnus, & consequenter male ex vnitate motus colligitur vnitas termini, quando dubitatur de vnitate termini.

39 *Probatur tertio conclusio*, quia si gradus essent heterogenei & inæqualis perfectionis, secundus gradus esset perfectior primo gradu, & contineret eminenter, aut virtualiter perfectionem primi gradus: ergo frustra conseruaretur primus gradus, & consequenter deberet destrui, & ita vera esset sententia prima impugnata quæstione præcedenti, nempe, quod intensio fiat per destructionem formæ prioris imperfectioris & introductionem nouæ formæ perfectioris.

*Aliqui respondent* negando sequelam antecedentis, quos impugnat *Arriaga*, quia secundus potest producere primum gradum: sed hoc negaretur ab ipsis tam bene quam sequela, vnde ab ipso debuit probari.

*Probatur ergo pro ipso*, quia si non posse produci primus à secundo, non esset vnde colligeretur quod secundus esset perfectior primo, & vniuersaliter, nisi gradus aduenientes contineant virtualiter aut eminenter præcedentes, non potest vllus effectus attribui ipsis, ratione cuius essent perfectiores, & consequenter non essent perfectiores, quandoquidem quidquid est altero perfectius, habet aliquem effectum possibilem perfectiorem quam illud alterum habet in aliquo genere causæ.

Respon-sio Arria gæ.

40 *Ipsemet Arriaga respondet* ad hanc probationem tertiam negando consequentiam: sicut enim non frustra coniungitur calor igni, quamuis ignis contineat virtualiter calorem: ita in proposito.

Impug-natur.

*Sed contra*, quia si non posset ignis mediante calore aliquid facere, quod non posset sine ipso, non obstante continentia illa virtuali, sane frustra coniungeretur calor cum ipso, & non deberet habere ea em continentiam virtualem. Sed si gradus tertius potest producere gradum secundum', nihil posset facere cum ipso quod non posset facere sine ipso: ergo frustra maneret cum ipso gradus secundus.

Alia respon-sio melior.

*Melius ergo respondetur* aliter ad probationem *Primò*, quod quamuis tertius gradus posset producere se solo, tantum quantum posset cum duobus primis; & consequenter quamuis ex hoc capite primus & secundus deberent destrui, aut non necessario conseruarentur, tamen ex alio capite conseruari deberent, & essent vtiles, nimirum, vt separato tertio gradu adhuc subiectum esset calidum, verbi gratia, donec plus oppositi frigoris introduceretur in ipso.

*Secundò*, quia non esset necesse vt tertius gradus contineret virtualiter priores gradus, quia posset esse illis perfectior absque tali continentia, quia posset vlteriorem gradum producere quàm posset, si non esset illis perfectior, maxime secundum aduersarios; nam si non esset illis perfectior, non posset plus caloris producere quam illi soli, iuxta dicenda inferius. Et per hoc confirmari potest prima responsio ad hanc probationem, & satisfieri impugnationi eius.

41 *Obiicies primo*: qualitas intensa vt tria, est perfectior quam extensa vt tria: sed hoc non esset verum, nisi includeret gradus heterogeneos, quales non includit qualitas extensa.

*Respondeo* diuinguendo maiorem: magis perfecta quantum ad entitatem ipsam qualitatis, nego, quantum ad modum, quia scilicet partes ipsius intimius coniunguntur, concedo maiorem & nego minorem.

*Aduerto autem* hic perfectionem maiorem qualitatis intensæ non haberi ex eo, quod partes ipsius vnica vnione vniantur, & partes qualitatis extensæ duplici, vt asserit *Arriaga*, quia etiam partes qualitatis intensæ duplici vniuntur vnione, vt suo loco dictum est: si tamen vniantur inter se alia vnione, quàm vnione ad subiectum, de quo valde dubitari potest, quia omnes sufficienter vnirentur inter se per hoc, quod vniantur in eadem parte subiecti. Aliquas replicas nullius momenti conglomerat hic *Arriaga* facilis solutionis, quæ propterea vt inutiles omitto.

*Obiicies secundo*: si ad intensionem sufficeret duos gradus qualitatis poni in eadem subiecti parte, si Deus poneret duas partes quantitatis in eadem parte subiecti (& videtur posse facere de potentia absoluta non minus, quàm potest eas ponere penetratiue in eadem parte spatii) sequeretur quod intenderetur quantitas; quod videtur absurdum.

*Respondeo*, si per illas duas partes subiectum possit aliquid perfectius agere per quantitatem, quam per vnã ex illis, concedendo sequelam, nec id esse absurdum: si autem non possit, negatur sequela, & ratio disparitatis est, quia per plures partes qualitatis positas in eodem subiecto potest aliquid fortius agere ac citius quam per vnam

ex

ex illis, vt patet experientia; hoc autem non esset verum de pluribus partibus quantitatis ex hypothesi.

Et si quæras, quid absolute dicendum an possit plura agere, aut perfectius per plures illas partes quantitatis quam per vnam

Quantitas intédi negatur.

*Respondeo* mihi probabiliorem partem negatiuam, quia à quantitate non habet nisi extensionem impenetrabilem hanc autem ab vna haberet æque, ac à centum.

42 *Obiicies tertio*; sequeretur quod calidum vt duo possit intendere calorem alterius calidi vt duo, producendo aliquem gradum caloris: sed hoc est absurdum, quia alias simile ageret in simile contra experientiam: ergo: probatur sequela maioris, quia potest producere aliquem gradum caloris in quocumque subiecto capaci: sed calidum vt duo sibi applicatum est capax vlterioris gradus caloris eiusdem rationis cum illo, quem potest illud calidum vt duo producere; & si reciperet illum, intenderetur eius calor, si intensio fiat per gradus homogeneos; ergo calidum vt duo posset intendere calorem alterius calidi vt duo.

*Hoc est potissimum fundamentum aduersæ sententiæ*, & propter illud aliqui Authores concedunt in huiusmodi qualitatibus operatiuis, quales sunt calor & frigus, ac similia, intensionem fieri per gradus heterogenos ac dissimiles, sed in aliis qualitatibus non operatiuis, vt sunt albedo & nigredo, dicunt intensionem fieri per homogeneos, quia non est huiusmodi ratio nec alia vlla probans in his heterogeneitatem.

*Respondetur* negando sequelam: & ad probationem dico non posse calidum vt duo producere vnum gradum caloris in quocumque subiecto capaci talis gradus, nisi sit capax illum recipiendi ab illo calido; aliud autem calidum non est capax recipiendi vllum gradum à calido sibi simili, vt patet experientia.

43 *Dices*, patere quidem experientia quod simile non possit agere in simile, nec pati ab ipso; sed in nostra sententia non posse rationem à priori dari huius experientiæ; in aduersa vero posse, atque adeo aduersam nostræ esse præferendam. Quod autem posset dari ratio huius experientiæ in aduersa sententia, patet, quia quandoquidem intensio fiat per gradus perfectiores, si calidum vt duo intéderet calorem alterius calidi vt duo, deberet producere perfectiorem gradum quàm in se habet, quod implicat: in nostra vero sententia nulla datur ratio quare nō posset intendere calorem alterius calidi similis, quia si produceret vlteriorem gradum, non produceret perfectiorem effectum quàm contineret virtualiter in se ipso.

*Respondeo*, non esse necesse, vt cuiuscumque experientiæ possimus dare rationem à priori, nisi quod ex ipsamet experientia constat talem esse naturam rerum, ex quibus principiatur effectus, quem experimur; ad quod probandum adducit *Arriaga* manifestam, vt putat, instantiam: quia nullum agens perfecte assimilat sibi passum, producendo tot gradus qualitatis in ipso, quot habet in se, etiāsi non inueniat resistentiam, vt patet in lucido vt octo: sed huius non est alia causa, quam quod sit talis naturæ. *Verum* hæc instantia non videtur tam directe ad rem: nam quidquid sit de maiori, de cuius veritate agemus inferius, quamuis experientia possit colligi, quod agens non possit nisi talem, vel tantum effectum producere, etiam si non haberemus rationem aliam; sed potius deberemus iudicare oppositum vt si v. g. esset aliquod mixtum, quod non posset comburi ab igne, aut mutari à statu suo connaturali, quemadmodum scribitur de Salamandra; quantum ad rationem enim deberemus iudicare, quod posset comburi ab igne, sed experientia cogeret nos ad sentiendum oppositum. Tamen non habemus extra propositum vllam experientiam, qua constet, quod aliquid potens producere aliquam formam, & habens sibi applicatum passum capax talis formæ, non possit in illo talem formam producere: vnde si sit aliquid applicatum agenti, quod capax esset formæ alicuius, si non reciperet eam ab illo, videretur inde recte cōcludi, quod illud agens non esset productiuum talis formæ nec in illo passo, nec in alio; & si posset producere illam in alio, quod etiam deberet in illo, ex axiomate communi, quod *ad actiuum naturale & passiuum debile approximata, necessario sequitur effectus.*

*Melior ergo instantia adduci potest ad propositum*, quod calidum vt duo sit productiuum caloris, vt vnum in quocumque subiecto capaci applicato, siue intendat calorem ipsius, siue non; & quod calidum vt tria sit capax talis gradus caloris, qualem posset producere calidum vt duo. Quamuis enim in sententia aduersariorum non intēderetur calor vt tria per additionem talis gradus, & quamuis calidum vt tria habeat talem gradum ante, tamen cum nulla sit incompatibilitas inter duos gradus similes cum non opponantur vllo genere oppositionis, æque sequitur quantū ad rationem, quod calidum vt duo possit producere aliquem gradum in calido vt tria, similem primo, vel secundo gradui, ac in calido vt vnum; & si experientia constet oppositum, illius experientiæ videtur non posse dari rationem vllam magis quam experientiæ nobis obiectæ.

*Dices*, posse dari pro ratione in hac experientia, quod frustra produceretur ille gradus similis, quandoquidem non intenderet, nec extenderet formam: ergo non deberet produci: sed non esset frustra productio gradus similis in altera experientia, si posset produci, quia intenderet formam.

*Contra primo*, quia quamuis esset frustraneus ad hæc, tamen deberet produci, si contineretur in virtute agentis, & possum esset capax eius.

*Contra secundo*, quia sicut ex eo quod ille gradus esset frustraneus, agens non posset illum producere, quamuis alias posset, & hoc sufficeret pro ratione experientiæ qua constaret quod non posset illud producere; ita etiam inconuenientia, quæ sequeretur ex eo quod simile ageret in simile, sufficere deberet ad hoc vt dicatur id nō posse fieri quamuis ex aliis capitibus videatur id fieri posse; inconuenientia autem hæc assignabitur inferius; vnde patet etiam in nostra sententia posse dari rationem cur calidum vt duo nihil possit caloris producere in alio calido vt duo.

*Alia etiam instantia potest dari ad idem* de impulsu impresso proiectis, qui conseruatur aliquamdiu in eadem intensione, & paulatim postea deficit: nam causæ conseruatiuæ ipsius pro tempore pro quo conseruatur, sunt eodem modo applicatæ, dum incipit deficere, & tamen non possunt ipsum conseruare, vt patet experientia; nec potest dari vlla ratio cur non possunt, sicut potuerunt ante, nisi recurrendo ad naturam impulsus, & bonum vniuersi; sed similiter potest recurri ad naturam calidi, dicendo quod non possit producere calorem in simili calido, & ad bonum vniuersi hinc sequens, nec debet illa causa melior requiri.

45 *Obiicies quarto*: sequeretur quod habens visionem Dei, vt quatuor, non perfectius videret Deum, quam habens visionem vt duo: sed hoc est absurdum. Probatur sequela maioris, quia non perfectius videret Deum quàm duo homines quorum quilibet haberet visionem vt duo: sed duo illi homines non viderent ipsum perfectius, quam vnus tantum.

*Hoc argumentum* supponit intensionem visionis fieri per additionem graduum ita vt vnica visio intensa includat plures visiones partiales eiusdem obiecti, quarū qualibet posset seorsim videri; quod tamen fortassis non est verum, de quo postea; nunc vero eo supposito, *Respondeo* negando sequelam cum sua probatione, quia ille haberet quatuor gradus eiusdem visionis vnitos in eadem parte subiecti; illi vero duo non haberent hoc.

*Dices*, si ille haberet duas visiones aliorum simul, non posset plus videre per ipsas aut perfectius, quam illi: ergo nulla responsio.

*Respondeo*: negando antecedens: perfectius enim videret, quamuis non plus.

*Obiicies quinto*: sequeretur quod qualitas non haberet terminum intrinsecum magnitudinis quoad intensionē contra Scotum, & dicēda inferius. Probatur sequela, quia si gradus sunt eiusdem rationis, nihil impedit quominus

suppositæ

ſuppoſita quacumque determinata intenſione, addi poſſit vlterior gradus, & ſic intendi qualitas.

*Reſpondeo* negando ſequelam: cuius ratio patebit ex dicendis quæſtione ſexta.

*Obiicies ſexto*, ſi poneretur qualitas extenſa vt duo, & alia intenſa vt duo, extra ſubiectum, vna non eſſet altera perfectio ſecundum nos: ſed hoc eſt abſurdum: ergo.

*Reſpondeo* concedendo ſequelam: niſi quatenus qualitas intenſa haberet partes ſuas magis intime vnitas, ſic ſcilicet, vt poſſit poni in eadem parte indiuiſibiliter: nec eſt neceſſarium vt alio modo ſit perfectior.

*Obiicies ſeptimo*: non poteſt in noſtra ſententia dari ratio, cur primus gradus prius produceretur in intenſione quam ſecundus: ſed hoc eſt inconueniens.

*Reſpondeo* negando ſequelam; nam determinatio illa poteſt, & debet prouenire à Domino Deo, ſicut in ſententia aduerſariorum ab eo prouenit determinatio ad vnum indiuiduum præ alio, & ad vnum gradum ſecundum heterogeneum, potius quam ad alium gradum ſecundum ex infinitis, qui produci poſſunt.

## QVÆSTIO V.

*Quænam qualitates intendi poſſint.*

Doctrina Complutenſium.

47 *Complutenſes hic q. 6.* ex *Diuo Thoma* duo genera qualitatum proponunt, vnum earum quæ ex natura ſua habent ſuas ſpecies, & non per ordinem ad aliquid extrinſecum, vt calor, & frigus, ac ſimilia; aliud earum quæ recipiunt ſpeciem ex aliquo extrinſeco, ad quod ordinatur, vt habitus Philoſophiæ, Geometriæ, &c. Dicunt ergo qualitates poſterioris generis non poſſe intendi aut remitti quoad ſuam formam aut eſſentiam, priores vero poſſe; quæ doctrina fortaſſis connexionem habet cum alia Thomiſtarum, nempe, quod idem indiuiſibilis habitus ſcientiæ poſſit inclinare ad varias concluſiones, & obiecta.

Impugnatur primo.

*Verum hæc doctrina nullo modo placet*, non ſolum ob connexionem ipſius cum illa alia, quam falſam eſſe in Logica oſtenſum eſt, ſed vlterius primo, quia ſi loquamur de ſpecificatione intrinſeca, omnes qualitates habent intrinſecam ſibi ſuam differentiam ſpecificam; nec in hoc eſt vlla diſparitas inter vllas qualitates, & alias formas. Si vere loquamur de ſpecificatiuo extrinſeco, certum eſt albedinem & nigredinem ſpecificari ab intrinſeco non minus, quam ſcientia, aut habitus: ſicut enim ex diuerſis obiectis cognoſcimus diuerſitatem actuũ, & ex diuerſis actibus diuerſitatem habituum, & propterea obiectum dicitur ſpecificatiuum extrinſecum actuum ac habituum, & hæc dicuntur propterea ſpecificari ab obiecto tanquam ab intrinſeco; & habere reſpectum aptitudinalem ad illud: ita etiam ex diuerſis immutationibus, ſeu ſenſationibus, quas cauſant albedo & nigredo in oculo noſtro, cognoſcimus illa diſtingui ſpecie inter ſe, & conſequẽter habent pro ſpecificatiuo extrinſeco illas ſenſationes, & dicunt reſpectum aptitudinalem ad illas. Vnde patet, quod ex hoc capite non poſſit colligi quin eodem modo qualitates vtriuſque generis præmiſſi poſſint intendi ac remitti.

Omnes qualitates ſpecificantur ab intrinſeco.

*Nec tollitur hæc difficultas* per reſponſionem *Complutenſium*, quam ex *D. Thoma* aſſignant *n.* 70 dicentes, ex ignorantia noſtra oriri, quod albedinem, & ſimiles qualitates deſcribamus per ordinem ab obiecta, quia non cognoſcimus earum differentias.

*Contra* enim hoc eſt, quod eodem modo poſſemus dicere, ex ignorantia noſtra oriri, quod diffiniamus actus & habitus per ordinem ad obiecta, quia non cognoſcimus eorum differentias.

Impugnatur ſecundo.

*Secundo contra eandem doctrinam facit*, quod quando dicunt, quod in qualitatibus ſpecificatis ab extrinſeco reperiri poſſet ſua propria intenſio, & remiſſio, ex eo quod variabiliter illud reſpiciunt, vel intelligunt hoc de intenſione quę fit per additionem gradus ad gradum; vel vt ipſi dicunt per maiorẽ radicationẽ in ſubiecto: & talis intenſio competit aliis qualitatibus illis quæ ſecundum ipſos non ſpecificantur ab extrinſeco, & ſic male diſcriminarẽt eas qualitates quantum ad intenſionem. Vel intelligunt de alia intenſione, & omnino falſum eſt abſque additione graduum aut maiori radicatione intendi illas qualitates, quas ipſi putant ſpecificari ab intrinſeco.

*Præterea* quando dicunt quod variabiliter reſpiciunt tales qualitates illud intrinſecum, ſi intelligunt per hoc quod poſſint magis vel minus perfecte illud attingere propter intenſionem, & remiſſionem, cuius ſunt capaces, idem dicendum eſt de alijs qualitatibus; nec his aut illis competere poteſt abſque graduũ additione aut maiori radicatione. Si vero intelligunt quod illa ipſa qualitas, quę recipit illud obiectum extrinſecum, poteſt illa obiecta plura, vel pauciora attingere abſq; additione vllius entitatis ſpecifice diſtinctæ, omnino falſum eſt quod poſſit ſic variabiliter ipſum reſpicere, vt patet ex dictis in Logica.

Plura alia circa hanc difficultatem congerunt hi auctores, quæ facile eſſet impugnare, ſi tanti intereſſet.

*Reiecta ergo hac ſententia*, difficultas præſentis quæſtionis conſiſtit in hoc, an quemadmodum vnus calor nõ dicitur intenſior altero, niſi ex eo, quod habeat plures gradus aut partes realiter diſtinctas, eodem modo quælibet alia qualitas, quæ dicitur intenſior altera eiuſdem rationis quantum ad omnia præter differẽtiam intenſionis, habeat eſſe intẽſior ob pluralitatem graduum; & ſi ſint vllę qualitates, quæ abſque pluralitate graduum intenſiores dicuntur, quænam illæ ſint: in quo ſenſu vix examinatur hęc quæſtio ab auctoribus, quamuis non ſit tam facilis ſolutionis.

## CONCLVSIO I.

Omnis qualitas materialis non intentionalis fit intenſior per plures gradus.

49 *Omnis qualitas materialis non intentionalis, quæ altera eiuſdem rationis dicitur intenſior, habet hoc ex pluralitate graduum & conſequenter eſt capax intenſionis, ac remiſſionis proprie dictæ.* Hæc eſt communis, & *probatur*, quia calor & albedo habeat intenſionem ex pluralitate graduum, vt patet ex dictis: ſed eadem ratio eſt de ipſis, ac de quibuſcumque alijs non intentionalibus: ergo.

*Dices* potentia naturalis eſt qualitas non intentionalis, & tamen non augetur per gradus diſtinctos.

*Reſponde*: ſi loquamur de potentia naturali, quæ eſt de prædicamento qualitatis, negando minorem; ſi vero loquamur de potentia naturali, qualis eſt intellectus & voluntas & ſimilia, negando maiorem; indentificatur enim ipſimet ſubſtantiæ.

## CONCLVSIO II.

Habitus acquiſiti per actus intenduntur per plures gradus.

40 *Habitus omnes acquiſiti per actus intenduntur per additionem gradus ad gradum.* Hæc eſt etiam communis. *Probatur* quia eſt eadem ratio de ipſis, ac de alijs qualitatibus, de quibus in præcedenti concluſione.

*Confirmatur*, tum quia quando augetur habitus, manet habitus prius acquiſitus, etiam quando producitur augmentum eius: tum etiam experientia, qua conſtat quod ſi quis eliceret actum vt duo primo, nõ haberet tam intenſum habitum quam ſi eliceret primo actum vt vnum, & poſtea actum vt duo: ergo ſignũ eſt quod totus habitus, qui manet poſt duos illos actus, non ſit productus ab vllo ex illis, & conſequenter quod pars illius ſit producta ab vno & altera ab altero; tum denique quia habitus primo acquiſitus concurrit vel effectiue, vel formaliter cum potentia ad actum ſequentem quo intenditur habitus: ergo debet eſſe in illo inſtanti, in quo eſt ille actus: ſed in illo ipſo inſtanti debet eſſe aliquid habituale acquiſitum per actum: ergo habitus totalis conſtat pluribus gradibus.

CONCLV

## CONCLVSIO III.

Actus vitales & species impressæ non intenduntur per gradus.

51 *Probabilius est quod actus potentiarum vitalium non intendantur per plures partes, verbi gratia, visio albedinis, quæ altera visione eiusdem albedinis intensior est, non habeat hoc ex pluribus partibus, quarum qualibet esset visio: & idem dicendum est de speciebus impressis.* Hæc est contra communiorem sententiam, quæ oppositum videtur supponere.

*Probatur prima pars*, quia non est eadem ratio de his actibus, ac de aliis qualitatibus, de quibus in præcedenti conclusione: ergo quamuis illæ intendantur per plures gradus seu partes realiter distinctas; idem non est dicendum de his. Probatur antecedens; quia quando potētia priùs habet minus intensum actum circa obiectū, & postea magis intensum, vt quando quis à longe videt albū imperfectius, & postea accedens amplius, videt illud perfectius, non constat quod actus ille, quem primo habuit permaneat, sed potius constat, oppositum; sed in aliis qualitatibus prædictis quando subiectum habet magis intensam qualitatem post minus intensam, constat manere qualitatem quæ prius erat: ergo non est eadem ratio de illis, ac de actibus.

Probatur minor quoad primam partem, quia non potest ostendi vlla ratione aut experientia quod maneat.

Probatur eadem maior quoad secundam partem, quia si maneret actus primo habitus, quando habetur actus perfectior seu intēsior, deseruiret vel in ordine ad constituendum illum secundum actum, vel tanquam dispositio, aut conditio sine qua non actus ille, qui est perfectior, haberet illam perfectionem: sed constat experiētia hoc esse falsum: quia si quis primo poneretur in illa distantia, in qua habet perfectiorem actum, non præcederet ille actus imperfectior, & haberetur ille actus perfectior in eadem omnino perfectione, ergo constat non manere priorem actum.

Probatio clarior.

52 *Confirmatur primo*, quia omnino superflue maneret ille primus actus, & absque vlla prorsus vtilitate: ergo non est dicendum quod maneat. Ex his potest formari ratio pro conclusione clarius hoc modo: si intensio actus haberetur per pluritatem graduum qui adderentur sibi inuicem, quando post actum minus intensum succederet magis intensus, maneret actus ille qui est minus intensus, sicut contingit in aliis qualitatibus, quæ intenduntur: sed hoc est falsū, vt patet ex iam dictis, & quia illæ ipsę causæ, quæ applicantur quando habetur actus ille magis intensus, sufficienter possunt totum illum producere cum omni perfectione, quam habet: ergo non est dicendum quod maneat actus præcedens.

*Probatur conclusio quoad secundam partem*, quia eadem prorsus est ratio de speciebus huiusmodi ac de actibus: nam de speciebus eadem argumenta formari possunt, vt patet: ergo.

53 *Obiicies*: non posset intelligi quomodo actus esset perfectior intensiue, aut species, nisi haberent plures gradus: ergo debent habere tales gradus.

*Respondeo* negando antecedens, quia secundum sententiam communem possent habere inæqualitatem perfectionis indiuidualis, sicut duo indiuidua substantiæ; & hoc sufficeret ad hoc quod vna diceretur intensior altera, non quidem tam proprie quam calor dicitur intensior, quia intensio proprie loquendo importat pluralitatem partium, aut maiorem radicationem eiusdem formæ, quod tamen spectat ad quæstionem de nomine.

Deinde si hæc sententra non esset vera, possent habere distinctionem specificam, & sic vna altera perfector esset, atque adeo posset dici intensior. Quamuis enim non sufficiat maior perfectio indiuidualis, aut essentialis, ad hoc vt quodcumque vnum diceretur altero perfectius, quia alias vnus homo posset dici magis homo, aut magi, inten us homo quam alter, quod est absurdum, tamen id sufficeret in qualitatibus respicientibus eadem principia & obiecta absque vlla variatione, præter variationem illam maioris perfectionis.

*Dices*, visio magis intensa albedinis non dicitur esse diuersæ speciei à visione minus perfecta: ergo maior intensio non potest prouenire à diuersitate specifica.

*Respondeo*, id quidem non dici, vel quia supponitur communiter quod non sint distinctæ speciei; quod tamen suppositum non probatur, vel quia consideratur natura visionum penes obiectum, & certos effectus, exceptā maiori illa perfectione, & vt sic consideratæ, certum est quod non sint diuersæ speciei: sed hinc non sequitur quin reuera sint diuersæ speciei.

54 *Obiicies secundo*: sequeretur, quod intensio fieret eo modo quo docuit Godfredus & Durandus, per destructionem prioris formæ, & productionem nouæ formæ. Sed hoc est contra dicta in quæstione quarta supra, vbi impugnata est illa sententia: ergo hæc conclusio aduersatur illi resolutioni.

*Respondeo* distinguendo sequelam maioris: omnis intensio cuiuscumque formæ, nego; intensio aliquarum formarum, transeat; nec id est contra conclusionem illam, in qua tantum asseritur, quod intensio vt sic non ita fiat, de illa enim ibi loquebamur.

Adde, re vera non dici proprie loquendo, quod intenditur visio iuxta hanc nostram sentētiam, quia adhoc visio minus intensa deberet reddi secundum se magis intēsa, quod non est verum in nostra sententia, quandoquidem secundum eam visio imperfectior, ac minus intensa non maneat producta perfectior.

55 *Obiicies tertiò*: non potest assignari causa, à qua destrueretur visio præcedens, ergo debet manere, & consequenter falsum est fundamentum nostrum.

*Confirmatur*, quia species intelligibilis imperfectior, quæ prius producitur, non deperditur acquisita perfectiori: ergo.

*Respondeo* negando antecedens, nam causa cur destruatur est, quia dependeret ab obiecto taliter applicato, vnde quando non applicatur sic, desinere debet visio.

*Ad confirmationem respondeo primo*, fortassis antecedens non esse verum: sed eo supposito, de quo in libris de anima, nego fundamentum nostrum esse falsum; neque enim fundamentum consistebat in hoc præcise, quod non maneret forma imperfectior præcedens formam perfectiorem, sed quod non maneret necessario in ordine ad producendam formam illam perfectiorem, quæ perinde produceretur, quamuis non maneret illa; vnde permanentia eius est omnino impertinens ad propositum. Deinde certum videtur, non permanere actus imperfectiores præcedentes, nec species impressas visiuas: vnde saltem hæc nequeunt intendi per additionem partis ad partem: at eadem prorsus est ratio de his, & speciebus impressis intelligibilibus, & internis quantum ad hoc.

## QVÆSTIO VI.

*Vtrum qualitates habeant terminum suæ intensionis.*

56 SEnsus quæstionis est, an qualitates natura sua petant terminum intrinsecum suæ intensionis, ita vt vltra determinatum gradum, verbi gratia octauū, vel decimum, non possint vlterius intendi, vel remitti; an verò quemadmodum quoad extensionem non petunt determinatum gradum, quin vlterius in infinitum possint extendi quantum est ex se, & etiam diminui; ita etiam dicendum sit de intensione.

Sententiæ

*Prima sententia est*, quod quælibet qualitas intensa habeat terminum intrinsecum suæ intensionis versus magnitudinem, ita vt eo habito non possit nec naturaliter, nec supernaturaliter intendi magis. Hæc tribuitur Scoto ex eo quod in 3. d. 13. teneat gratiam Christi fuisse summam possibilem, & eum videntur sequi in hoc sensu omnes Scotistæ.

Quælibet qualitas de facto habet determinatum terminum magnitudinis.

*Secunda sententia est*, qualitatem quamlibet habere statum naturaliter, non vero supernaturaliter. Ita Ruuius Auersa, & recentiores cum Thomistis communiter.

## CONCLVSIO I.

57 *De facto quælibet qualitas habet determinatum terminum intensionis quoad magnitudinem naturaliter loquendo.* Hæc est communis cum vtraque sententia.

*Probari solet*, quia subiectum quodcumque habet limitatam virtutem receptiuam, alias esset infinitæ perfectionis, quod enim potest magis intensam formam recipere, est maioris perfectionis: ergo si potest formam magis & magis intensam in infinitum recipere, erit infinitę perfectionis: ergo debet necessario dari status in intensione formæ.

Verum hæc probatio omnino displicet, quia subiectum receptiuum formę non magis debet esse limitatæ virtutis receptiuæ, quàm causa creata debet esse limitatæ virtutis productiuæ: sed ex limitatione, quam habet causa in virtute actiua, non sequitur dari statum in effectu ab ipso producibili, ita vt assignato quocumque termino nō possit vlterius aliquid producere: ergo nec ex limitatione in virtute susceptiua, sequitur status in forma receptibili.

*Confirmatur*, quia ex eo quod vna superficies possit recipere naturaliter intra se infinita corpora penetratiue, nō sequeretur quin esset limitatæ capacitatis, aut si sequeretur aliqua illimitatio, non erit illimitatio inconueniens rei finitæ: ergo ex eo præcise quod idem subiectum reciperet naturaliter infinitos gradus eiusdem qualitatis, non sequitur quod esset illimitatæ virtutis illimitatione aliquitur quod esset illimitatæ virtutis illimitatione aliqua repugnante entitati simpliciter finitæ.

Melior probatio

58 *Probatur ergo* melius conclusio: nulla causa naturalis potest naturaliter producere qualitatem vllam nisi determinatæ intensionis: ergo naturaliter loquendo datur status intensionis in qualibet qualitate.

Probatur antecedens, quia si esset aliqua causa naturaliter productiua vltra determinatum gradum, natura iterum produceret: sed non producit, vt patet experientia: ergo.

*Confirmatur*: ignis est determinatus ad certum gradum caloris: ergo & quælibet alia causa est determinata ad certum gradum formæ à se producibilis.

Probatur consequentia tum à paritate rationis; tum quia non videtur vlla forma alia esse intensior quam calor ignis.

*Probatur secundo*, quia qualitates primæ habent determinatam intensionem naturaliter: ergo & reliquæ: quia vel est eadem ratio: vel certe nullæ potius deberent non habere determinatum gradum quàm illæ primæ.

Probatur antecedens, quia non debent habere aliam intensionem, quam quæ sufficit ad disponendam materiam ad formam substantialem, & introducendam, & conseruandam: sed determinata intensio sufficit ad hoc, vt patet ergo habent determinatam intensionem.

*Obijcies*: non habent determinatum gradum extensionis: ergo nec intensionis.

*Respondeo* negando consequentiam: & disparitas est, quod extensio sine fine possit conducere ad producendas formas substantiales sine fine; secus est de intensione. Alia etiam disparitas est, quod extensio fiat per applicationem successiuam alterius, & alterius materiæ; intensio vero fiat in eadem materia, quæ posset manere applicata sine argumento, quod esset impossibile, si non daretur status, nisi produceretur infinita intensio.

Quot gradus determinant sibi qualitates naturaliter.

*Quæres*, quot sint gradus in intensione, quam sibi determinat qualitas naturaliter.

*Respondeo* quamlibet qualitatem huiusmodi esse diuisibilem in infinitum, & propterea non posse determinari quot gradus determinatos habet ita, quin possint in illa plures, vel pauciores gradus determinati, alterius tamen magnitudinis, reperiri: sicut enim lignum palmare licet possit dici constare duobus semipalmis, & non pluribus, nec paucioribus, potest tamen dici constare decem digitis aut tot, quot constituunt palmum: ita in proposito dicendum. Hoc tamen non obstante, communiter qualitas sũme intensa dicitur constare octo gradibus, quia sine dubio tã bene potest diuidi in octo partes æquales, ac in sex aut duodecim: & quantum ad examinandas quascumque veritates, perinde est determinare octo gradus, ac quemcumque alium numerum; & ideo arbitrarié conuenerunt in illo numero Philosophi, quia aliquem deligere voluerunt.

Cur maxima intensio dicitur octo graduum.

## CONCLVSIO III.

60 *Si nihil aliud inconueniens sequeretur ex eo, quod non daretur status in intensione versus magnitudinem, quàm quod dari possit qualitas infinite intensa per additionem gradus ad gradum, & quod subiectum aliquod finitum posset eam recipere, & ea mediante similem qualitatem producere, non deberet dari status in qualitate quoad intensionem versus magnitudinem.* Hæc videtur simpliciter esse contra aliquos Scotistas & partim etiam est contra alios Doctores, qui negant statum, quamuis absurdum esset dari infinitum in intensione.

*Probatur*, quia vel non sequeretur quod dari posset qualitas infinita, etiam si non daretur status in gradu vllo determinatio finito, sicut in sententia satis communi ex eo quod non possit dari status in termino extensionis quoad magnitudinē, non sequitur posse produci corpus etiã homogeneum infinitæ magnitudinis; & sicut ex eo quod nō detur status in diuisibilitate quantitatis palmaris, verbi gratia, in numero aliquo determinato categorematico, nō sequitur quod posset actu diuidi in partes determinatas infinitas. Vel si sequeretur quod posset dari talis qualitas infinita, quæ recipi posset in subiecto finito, & esse ipsi ratio producendi talem qualitatem, id non esset inconueniens, nisi aliud aliquod inconueniens inde sequeretur: ergo vera conclusio. Consequentia est euidens. Antecedens quoad primam partem iam probatum est exemplis illis.

Nō esset inconueniens quod qualitas infinita reciperetur in subiecto finito; nec quod produceret aliam qualitatē infinitam

61 *Probatur quoad secundam partem*, in qua sola est difficultas, quia neque esset inconueniens ex infinitate ipsius qualitatis, neque ex capacitate subiecti ad eam recipiendam, neque ex actiuitate illa ad producendam similem qualitatem: ergo non esset inconueniens nisi aliud quam hoc sequeretur.

*Probatur antecedens hoc vltimum quoad primam partem*, quia nō est inconueniens quod daretur infinita qualitas quo ad extensionem gradualem: ergo neque quoad intensionem.

Probatur consequentia, quia gradus intensionis, & extensionis sunt eiusdem rationis, vt suppono ex dictis, nec habent vllam differentiam, nisi quod vniantur diuerso modo: sed diuersitas vnionis non arguit vllam imperfectionem in vna qualitate magis quam in altera; licet enim qualitas intensa sit perfectior quam extensa, tamen illa perfectio non est nisi gradualis, & coniunctionis magis intimæ illorum graduum, quæ non inconuenit vlla ratione.

*Confirmatur*, quia qualitas magis extensa est perfectior minus extensa: & tamen non propterea repugnat qualitas infinite extensa: ergo quamuis qualitas intensa esset perfectior quam extensa, non propterea repugnaret qualitas infinite extensa.

*Probatur idem vltimum antecedens quoad secundam* partem, quia illa capacitas subiecti non esset infinita: sed non repugnaret capacitas ipsius in ordine ad recipiendā illam qualitatem, nisi quia sequeretur quod esset infinita: ergo. Probatur maior, quia eadem illa capacitas realis, & finita etiam formaliter considerata, qua reciperet vnum gradum, esset capacitas quā reciperet alterum; nec maior requireretur ad recipiendos infinitos gradus illos, quā finitos quoscumque, quod probo, quia eadem capacitas superficiei ambientis, quę sufficit ad vnum corpus aut vnũ Angulum sufficit ad recipiendum infinita corpora, ablata impenetrabilitate, & infinitos Angelos, si darentur; nec ad hoc requiritur capacitas infinita. Similiter capacitas obedientialis, quam habet corpus, vt possit poni miraculose in duobus locis, sufficit vt poni possit in infinitis: & capacitas productiua quam habet ignis ad producendos duos ignes, sufficit vt possit producere infinitos, quos etiã actu produceret si infinitę materię applicarentur ipsi; & idem est de capacitate quam habet intellectus ad producendas intellectiones, quæ enim sufficit vt possit producere centum, sufficit pariter vt possit infinitas, saltem successiue, & sufficeret etiam ad eas simul producendas, nisi ex alio capite quam ex naturali productione id repugnaret.

62 *Probatur*

62 *Probatur denique antecedens primarium quo ad certiam partem*, quia ex suppositione quod non repugnaret ipsamet qualitas infinite intensa secundum se, & etiam quod non repugnaret eam poni in subiecto aliquo, non repugnaret quod illud subiectum ea mediante producere posset in alio subiecto applicato similem qualitatem tantę perfectionis; si no forte deberet eam producere; neque ex productione illa sequeretur magis inconueniens quam illud ipsum de infinitate qualitatis productæ: quod non est inconueniens vllo modo in casu.

*Confirmatur*, quia non est inconueniens quod qualitas infinite extensa producat aliam similem: ergo neque quod qualitas infinite intensa, à paritate rationis.

*Dices* contra secundam partem antecedentis iam probati: si qualitas infinitè intensa communicaretur alicui subiecto finito, sequeretur, quod perficeretur perfectione infinita: sed hoc videtur inconueniens.

*Respondeo* distinguendo sequelam: perfectione intrinseca orta ex coniunctione alicuius formæ infinitæ cum ipso, concedo, nec id est vllo modo inconueniens; in perfectione intrinseca & identificata sibi, nego sequelam.

## CONCLVSIO III.

Si detur status in speciebus datur etiam in intensione qualitatũ sensibilium.

63 *Si detur status in speciebus, ita vt possit dari aliqua finita & limitata tantæ perfectionis, qua perfectior à Deo nequit produci, debet etiam consequenter dari status in intensione qualitatum saltem sensibilium, & earum, quæ concurrunt ad actus vitales.* Hæc sine dubio est *Scoti in 3. dist.* 13. & eam tantum intendunt *Scotistæ*.

*Probatur* manifeste, quia si detur status in speciebus debet dari status in intensione actuum vitalium: sed non potest dari status in illa intensione absque statu in qualitatibus ad illas concurrentibus; quo enim qualitates sunt magis intensæ, eo magis intensi sunt actus, ad quos concurrunt; nec possibilis est maior intensio aut actiuitas in principio, quàm possit requiri ex parte effectus: ergo si detur status in speciebus, debet dari status in qualitatibus huiusmodi.

*Probatur maior primo*, quia actus vitales, vt supra dixi, non intenduntur per additionem gradus ad gradum, & consequenter actus intensior est specie perfectior quàm actus minùs intensus: ergo si detur status in speciebus, debet dari status in intensione actuum huiusmodi.

*Probatur secundo eadem maior*, quia licet non repugnaret aliquod infinitum, quod haberet esse infinitum ex inclusione plurium partium siue extensionis, siue intensionis, videtur tamen repugnare aliquid infinitum indiuisibile, non minus quam repugnaret aliqua species infinita: ergo, si ex repugnantia speciei infinitæ, debet dari status in speciebus, debet etiam dari status in intensione actus, quandoquidem repugnet actus infinite intensus non minus quam species quæcumque infinita.

*Expressi* in conclusione qualitates sensibiles & concurrentes ad actus vitales, quia si sint aliquæ qualitates aliæ, de quibus non est eadem ratio, ex eo quod non essent natæ concurrere ad aliquem effectum indiuisibilem, quatenus sunt intensæ, ob hanc ipsam disparitatem posset admitti, quod non daretur status in intensione earum, nec id esset aut inconueniens, aut contra *Scotum*.

Proposui etiam conclusionem conditionaliter & non absolute, quia nolo iam examinare, an detur status in speciebus: & hoc supposito, conclusio non habet difficultatem, meo iudicio.

## CONCLVSIO VLTIMA.

Qualitas intensa non habet terminum quo ad paruitatem.

64 *Qualitas quæcumque intensa per inclusionem plurium graduum non habet terminum, quo ad paruitatem, nec etiam qualitas intensa sine inclusione plurium graduum.* Hæc est communior; & licet citetur *Scotus* pro opposito in 2. *dist.* 2. *q.* 9. nihil tamen dicit *ibi*, quod sit oppositum huic conclusioni.

*Probatur prima pars*, quia est diuisibilis in infinitum, alias non esset acquisibilis per motum successiuum & continuum, vt patet: ergo non datur vlla minima pars ipsius, quæ non sit vlterius diuisibilis; nec certe video quomodo de hoc possit dubitari. Fortassis volunt aduersarij, quod quamuis sit diuisibilis in infinitum, possit tamen produci in instanti aliqua pars ipsius.

Sed si loquamur de productione qualitatum non habentium contrarium in subiecto, nec resistentiam aliquam, vt est lux, omnes concedunt illas produci cum tota sua intensione in instanti; si vero loquamur de qualitatibus diuisibilibus habentibus contrarium, certum est illas produci & destrui per motum successiuum; & consequenter quemadmodum non datur minima pars motus, ita nec dari posse minimam partem termini per illum acquisiti aut deperditi: neque hæc res maiori indiget declaratione, aut meliori fundamento; nec prorsus intelligo discursum *Arriagæ*, quo oppositum conatur ostendere *hic disput.* 3. *sect.* 4.

*Probatur etiam secunda pars*, quia sicut non potest dari status in qualitate diuisibiliter intensa, ita nec in indiuisibiliter intensa: tum quia eadem est ratio, tum quia qualitas diuisibiliter intensa in quacumque intensione quantumuis remissa potest habere qualitatem intentionalem sibi conformem: ergo si non detur status in vna qualitate, nec etiam in altera.

*Dices*: si non daretur status in qualitatibus indiuisibiliter intensis quo ad paruitatem, sequeretur quod qualitas intensa vt vnum verbi gratia esset infinitæ perfectionis, quia excederet infinitas species maioris, & minoris perfectionis, quæ sub se darentur.

*Respondeo*, quemadmodum non sequitur quod lignum palmare sit infinitæ extensionis, quamuis fit maius quacumque parte ex infinitis partibus in quas diuidi potest, licet esset infinitæ extensionis, si excederet infinitas partes æquales vni certæ, & determinatæ, ita actus vitalis intensus indiuisibiliter vt octo, verbi gratia non est infinitæ extensionis simpliciter & categorematice, licet excedat in perfectione infinitos alios actus se imperfectiores, qui possent dari, quia illi actus non sunt determinatæ perfectionis & æqualis vni certæ.

## QVÆSTIO VII.

*De contrarietate qualitatum.*

65 EXperientia compertum est quasdam qualitates ita sibi inuicem opponi, vt ad introductionem vnius expellatur altera, vel diminuatur. Sic enim quotidie quando introducitur frigus, expellitur calor. Et quia oppositio huiusmodi qualitatum non est contradictoria, nec priuatiua, cum vtrumque extremum sit positiuum quid; nec relatiua, cum neutrum extremum sit relatio, hinc communiter vocantur contraria, & qualitates sic oppositę vocantur contrariæ, & quidem communiter supponuntur esse contrariæ propriissime loquendo. Sed *Arriaga disput.* 5. *met. num.* 37. putat eas non esse proprie loquendo contrarias, nisi sicut duo vbi, aut duæ formæ substantiales sunt contrariæ.

Vt intelligatur autem sententia huius Authoris, & res ipsa in se, *aduerte* secundum ipsum, illas formas solas censendas proprie contrarias, quæ non ex incapacitate subiecti, sed ex natura sua formali habent contrarietatem: vnde quia duo vbi distincta in eodem subiecto non habent oppositionem ex natura sua, vt patet ex eo quod possint reperiri naturaliter in eadem anima & eodem Angelo, sed ex limitatione subiecti; non debent censeri proprie contraria: At quia amor & odium, assensus & dissensus eiusdem subiecti, ex natura sua habent oppositionem, & non ex limitatione subiecti, vt patet ex eo, quod neque in ipso Deo reperiri simul possint, quamuis ex se nullam habeat limitationem; propterea sunt propriissime contraria. Hoc supposito, probat hic author calorem, & frigus non esse contraria proprie, quia non habent ex sua natura se expellere, sed ex incapacitate, ac limitatione subiecti, sicut duo *vbi*. Quod probat: tum quia non est vlla ratio, ex qua colligatur oppositio inter illa, nisi ex eo quod expellant se inuicem: sed illa ratio non probat oppositionem proprie dictam inter illas magis, quam inter duo

que expellunt se inuicem: tum quia ex natura rei, sed clusa limitatione subiecti, non magis opponuntur octauus gradus caloris, & octauus frigoris, quam primus gradus caloris, & primus frigoris: sed hi non opponuntur: ergo neque illi.

Probatur maior, quia in nostra præsertim sententia, octauus gradus est eiusdem rationis cum primo.

*Confirmatur hoc vlterius*, quia si explicetur contrarietas propriè dicta esse illa, quæ oritur ex natura formarum independenter à limitatione subiecti, facile ostendi poterit cur formæ substantiales non sint contrariæ proprie loquendo; quod tamen difficile esset in alia sententia.

*Alij recentiores* fatentur quidem, huiusmodi qualitates esse propriissime contrarias, sed dicunt tamen eas non habere contrarietatem ex natura sua formali, quia alias non essent compatibiles in gradibus remissis contra experientiam, & dicenda inferius, sed ob limitationem subiecti: & sane hæc sententia in re conuenit cum sententia *Arriagæ*, & solum differt in modo loquendi, seu in quæstione de nomine: an scilicet quæ hoc modo opponuntur, debeant vocari proprie contraria nec ne.

## CONCLVSIO I.

Qualitates exp lentes se eodem subiecto sunt proprie contrariæ.

66. *Qualitates quæ excludunt se inuicem ab eodem subiecto, sunt proprie contrariæ.* Hæc est omnium contra *Arriagam*.

*Probatur*, quia illa debent vocari proprie contraria, quæ sic vocantur ab omnibus Philosophis communiter: sed sic vocantur prædictæ qualitates: ergo.

*Confirmatur*: nihil aliud intelligitur per formas proprie contrarias, quam qualitates excludentes se mutuo ab eodem subiecto; tales sunt prædictæ qualitates, vt patet experientia: ergo sunt proprie contrariæ.

*Dices* exigi ad qualitates contrarias, quod ex natura sua expellant se mutuo; quod non competit dictis qualitatibus.

*Contra primo*, quia statim ostendam id competere ipsis.

*Contra secundo*, quia gratissime id dicitur requiri, si non competat illis qualitatibus; nec refert quod duo vbi expellant se, & duæ formæ substantiales, cum tamen non dicantur contrariæ proprie loquendo: nam imprimis solæ qualitates expellentes se possent vocari proprie contrariæ, & hoc supposito nullæ aliæ formæ essent dicendæ proprie contrariæ, quæ non essent qualitates: sed nec formæ substantiales, nec vbi sunt qualitates, vt omnes fatentur communiter.

*Deinde*, illæ possent vocari qualitates proprie contrariæ, quæ expellunt se successiue ita, vt per partem vnius expellatur aliqua pars alterius, non omnis, & hoc modo excluderentur duo *vbi* & duæ formæ substantiales à ratione formarum proprie contrariarum.

*Rursus*, possent formæ contrariæ proprie vocari illæ, quæ expellerent se ab eodem subiecto inhæsionis, & sic excluderentur formæ substantiales, non vero duo *vbi*, quæ possunt admitti esse proprie contrariæ; quod si place et hæc vbi etiam excludere, addi posset, ad contrarias formas vltra exclusionem ab eodem subiecto inhæsionis requiri, quod non sint determinationes actuales essentialiter determinantes subiectum ad diuersa actualiter, quod non conuenit illis vbi, conuenit vero calori & frigori.

## CONCLVSIO II.

Qualitates excludunt se à subiecto ex natura sua.

67 *Illæ qualitates habent oppositionem ex natura sua, & non ex incapacitate aut limitatione subiecti.* Hæc est communis apud antiquos contra *Arriagam*, & *recentiores multos*.

*Probatur primo*, quia alias non esset maior oppositio inter calorem & frigus, quam inter duo frigora, vnum vt octo & alterum vt duo: Probatur sequela, quia si non est oppositio inter illa ex natura sua, sed solum ex incapacitate subiecti, quod quia limitatum est ex natura sua ad tot gradus caloris & frigoris, si habet octo caloris, non potest habere vllum frigoris; omnino talis oppositio reperitur inter duo frigora illa: nam ex limitatione subiecti oritur, quod si habeat octo gradus frigoris, non possit habere vllum gradum vltetiorem: ergo tanta est contrarietas inter duo frigora, ac inter frigus & calorem, quod omnino videtur absurdum & contra sensum.

*Probatur secundò*, quia si ex limitatione & capacitate subiecti oriretur vt habitis octo gradibus caloris, non posset vllum gradum frigoris recipere, & non ex oppositione vlla caloris & frigoris inter se, sequeretur quod habitis octo gradibus caloris non posset habere vllum gradum alterius qualitatis, contra experientiam: neque enim potest capacitas subiecti limitari ad tantum caloris & frigoris magis quam ad tantum caloris & lucis, nisi calor & frigus ex natura sua haberent aliquam specialem repugnantiam, quam non habent calor & lux, seu calor & humiditas.

68 *Probatur tertio* quia ex natura sua intrinseca exigunt connaturaliter vt introducta vna in tali intensione expellatur altera, aut secundum se totam, aut secundum partem sui, etiam si subiectum secundum se esset capax vtriusque: ergo opponuntur contrarie ex natura sua, & non ex limitatione subiecti. Consequentia est euidens. Probatur antecedens, quia illud exigit connaturaliter expulsionem alterius ex eodem subiecto, quod habet effectum incompatibilem connaturaliter cum effectu alterius: sed ita est de illis qualitatibus: ergo.

Probatur minor, quia albedo habet posse disgregare visum, & nigredo congregare: sed euidens est ad sensum non posse visum respectu eiusdem obiecti congregari & disgregari simul.

Deinde calor in tali determinata intensione est dis ositio ad formam ignis, connaturaliter il am exigens; & frigus ad formam aquæ: sed forma aquæ & ignis non possunt naturaliter simul produci; ergo calor & frigus habent effectus connaturaliter oppositos.

*Confirmatur*, quia illa duo, quæ æqualiter deberent habere suos effectus ita, vt non posset dari ratio, cur vnum potius quam alterum habeat suum effectum, si non possent habere illos effectus simul, debet dici non posse connaturaliter conseruari in eodem subiecto: cuius ratio est, quod non magis deberet suspendi concursus ad effectum vnius, quam concursus ad ipsius met conseruationem, & quod inutiliter conseruaretur illud, quod non haberet effectum; & quod de facto semper videamus, quod non conseruentur: sed talia sunt huiusmodi qualitates; ergo.

69 *Confirmatur secundo*, quia ideo colligit Arriaga assensum & dissensum opponi ex natura sua, & non ex limitatione subiecti, quia Deus, qui est illimitatus, non potest habere illos: sed sane licet Deus esset capax caloris & frigoris non posset illa simul habere connaturaliter: ergo ex natura sua habent oppositionem.

Et hinc falsum est, quod dicit Arriaga, nimirum posse aliquod subiectum à Deo produci, quod naturaliter posset huiusmodi qualitates simul habere.

*Probatur quarto*, quia subiectum idem potest supernaturaliter recipere frigus & calorem in summo, secundum aduersarios: sed certe quando reciperet illos non augeretur illius capacitas: ergo ex se habet capacitatem ad illa, & consequenter non ob defectum capacitatis accidit quod non possit eas recipere etiam naturaliter.

*Dices*, subiectum habere capacitatem ad illa recipienda supernaturaliter, non verò naturaliter.

*Contra*, quia non ex defectu capacitatis in illo oritur quod non possit illa etiam naturaliter recipere; sed ex eo quod nulla causa efficiens possit ea producere simul, ob incompossibilitatem, quam habent ex se: nam certe eadem capacitas, quæ sufficeret ad ea recipienda supernaturaliter, sufficeret ad ea recipienda naturaliter, si naturaliter ex se simul possent produci.

70 *Obicies primo* fundamentum *Arriagæ*, nempe quod non sit ratio vnde colligatur maior contrarietas inter has qualitates, quam inter duo vbi, quandoquidem vtrorumque contrarietas colligatur solum ob expulsionem mutuam: sed inter duo vbi non est contrarietas ex natura sua, sed ex limitatione subiecti, quia alias non compaterentur in eodem Angelo, aut anima.

*Respondeo* negando maiorem cum sua probatione: non enim ex incompossibilitate earum in eodem subiecto

præcisè

præcisè id colligitur de qualitatibus, quia, vt supra dixi, alias non magis essent oppositæ, quam duo calores vt octo, aut vnus vt octo, & alius vt vnus. Colligitur ergo contrarietas qualitatum ex fundamentis supra positis pro conclusione, quæ fundamenta nullo modo currunt de duobus *vbi*, vt patet: tum quia naturaliter competere possunt eidem subiecto, quod falsum est de qualitatibus tum quia reuera non apparet ex natura intrinseca ipsorũ vbi, neque ex aliquo effectu, quem exigunt ex natura sua, quod non possint esse simul in eodem subiecto. Vnde tota ratio, vnde colligatur quod non sint incompossibiles in aliquo subiecto, est deducta ex experientia, ex qua constat quod corpus naturaliter non possit esse in pluribus locis: quam experientiam si non haberemus, non possemus colligere, quod non possent esse duo vbi in eodem corpore tam bene, quam sunt de facto in eodem Angelo; sed quamuis non haberemus vllam experientiam de mutua expulsione qualitatum, de quibus loquimur, considerando naturam ipsarum & effectus quos connaturaliter exigunt, deberemus dicere quod non possent connaturaliter poni in eodem subiecto. Vnde patet maxima differentia, quæ est inter oppositionem duorum vbi & duorum qualitatum.

71 *Obijcies secundo ex eodem & recentioribus aliis*: si ex natura sua haberent oppositionem, deberent illam habere in quocumque gradu tam bene quam in gradu summo: nam in quocumque gradu habent naturam suam intrinsecam tam bene quam in summo gradu: calor enim vt vnus est eiusdem speciei, & perfectionis cum calore vt octo.

*Propter hoc argumentum* olim recurrebam partim ad capacitatem subiecti, & partim ad ipsam naturam formarũ, & conformiter ad hoc negabam sequelam & dabam pro disparitate, quod subiectum erat limitatum ex natura sua ad tot gradus contrariarum qualitatum; vnde tot poterat habere & non plures. *Sed longe verius existimo*, capacitatem subiecti nihil facere ad propositum; ipsumque habere capacitatem ad formas, in quibuscumque gradibus ex natura sua intrinsecè non sunt oppositæ, & prius debere cognosci in quibus gradibus sunt oppositæ secundum se quam possit cognosci quanta sit limitatio subiecti in ordine ad illas, quia alias non essent oppositę magis quam duo frigora vt tria; & quia reuera subiectum habet capacitatem ad illas recipiendas in quibuscumque gradibus; alias de potentia absoluta non possent qualitates contrariæ in summo esse simul.

*Respondeo ergo aliter* negando sequelam, quia quandoquidem non habeant oppositionem ex natura sua, nisi quatenus exigunt effectus incompatibiles, non debent habere oppositionem nisi in gradibus, in quibus exigunt illos effectus, vt est euidens: sed non exigunt illos effectus incompatibiles in gradibus quibuscumque, sed in aliquibus determinatis; neque enim calor in quocumque gradu exigit connaturaliter formam ignis, aut frigus formam aquæ: ergo non debent habere oppositionem in omni gradu, sed in gradibus aliquibus determinatis.

72 *Obijcies tertio* Confirmationem *Arriagæ* præmissam, quod nempe ex hac sententia non possit ostendi, cur formæ substantiales non dicantur formaliter contrariæ.

*Respondeo primo*, Authores omnes, qui negant formas substantiales contrarias adhuc inferere calorem, & frigus esse contraria: ergo sentiunt esse aliquam disparitatem inter illa, ratione cuius dicerentur hæ qualitates contrariæ, quamuis formæ substantiales non dicerentur contrariæ.

*Respondeo secundo*, potius dicendum quod formæ substantiales essent contrariæ, si eadem esset ratio de illis, ac de his qualitatibus, quàm quod hæ qualitates non essent ex natura sua contrariæ.

*Respondeo tertio*, negando sequelam, quia contraria proprie dicta iuxta communem doctorum acceptionem debent posse se expellere ab eodem subiecto inhæsionis, quod non competit formis substantialibus: & fortassis etiam debent contraria habere latitudinem graduum, ratione cuius possint se successiue expellere; quod totum tamen dependet à quæstione de nomine; vnde parui facienda est hæc obiectio.

## CONCLVSIO III.

Contraria aliqua possunt esse simul in gradibus remissis.

73 *Contrariæ aliquæ qualitates in gradibus remissis possunt esse simul naturaliter, non in summo. Est Doct.* 1. *distinct.* 19. *q.* 4. quem præter tuos sequuntur Thomistæ, & recentiores hic communiter contra Durandum 2. *d.* 30. *q.* 1. quantum ad primam partem.

Probatur ex Philosopho 5. Physicorum: vbi dicit, magis & minus esse in qualitatibus, ex eo quod plus, aut minus insit contrariis; & 4. met. text. 26. vbi asserit, impossibile esse (intellige naturaliter) contraria simul inesse subiecto; sed aut ambo secundum aliquid; aut alterum simpliciter, alterum secundum aliquid. Quorum verborum communis interpretatio est, quod contraria simul inesse nequeant, nisi vel in gradu remisso, & æquali, ita vt tantũ sit de vno, quantum de altero; vel ita vt plus sit vnius quã alterius: ergo supponit posse esse his modis simul, & non posse in summo.

*Probatur prima pars ratione*, quia alias totum frigus aquæ destrueretur statim, ac applicaretur igni, & aliquantulum calefieret, contra experientiã, & rationem: si enim tum totum frigus destrueretur, nihil impedit quo minus calefaciens totum calorem produceret: impedimentum enim producendi calorem statim, est resistentia frigoris, vel subiecti: sed non deberet magis resistere productioni caloris quam istius alterius qualitatis, per quam totum frigus destrueretur: ergo totus calor deberet produci.

*Probatur secundò*, quia aqua tepida habet aliquid caloris, & aliquid frigoris: quia potest calefacere, & frigefacere; potest enim frigefacere manum calidam valde, & calefacere manum frigidam valde, vt patet experientia: ergo.

74 *Dices*, aquam tepidam habere qualitatem mediam distinctæ speciei à calore & frigore, qua mediante possit calefacere, & frigefacere.

*Contra*, illa qualitas distincta, quæ esset in tali aqua, & per quam expelleretur frigus antecedens, esset producta ab igne, à quo aqua redditur tepida, ergo non esset frigefactiua: absurdum enim est, quod ignis habeat virtutem producendi aliquam qualitatem frigefactiuam.

*Contra secundo*, quia inde sequeretur, quod non solus calor esset formaliter oppositus frigori, imo sequeretur, quod calor nunquam expelleret actu frigus; quia ante calorem semper expellitur.

*Contra tertio*, quia sequeretur ignem habere virtutem productiuam qualitatum plurimarum distinctæ speciei in eodem subiecto applicato eodem modo: nam quando applicatur primo aquæ, producit aliquid quo destruitur totum frigus, secundum hanc sententiam, & quod non sit calor; & rursus paulo post producit aliud distinctæ speciei, per quod illa qualitas primo producta destruitur, & ita paulatim semper producit, & destruit qualitates contrarias distinctæ speciei, donec producat calorem in summo, quod est absurdum.

*Confirmatur*, quia sequeretur, nullum agens esse calefactiuum, nisi quod produceret calorem intensissimum, quod est absurdum; Probatur sequela: quia illa qualitas quæ non esset calor intensissimus, non esset calor, sed alia qualitas distinctæ rationis.

*Confirmatur secundò*, quia sequeretur, quod eliciens vnum actum bonum temperantiæ, destrueret quidem habitum intemperantiæ totaliter, sed produceret alium habitum distinctæ rationis, qui non esset temperantiæ, sed omnino magis determinatus ad actus intemperantiæ, quam temperantiæ, quod est absurdissimum.

*Probatur conclusio quasi à priori*, quia non ex natura sua formali præcisè habent oppositionem, sed quatenus exigunt effectus incompatibiles; sed in gradibus remissis non exigunt hoc: ergo non sunt incompatibiles in gradibus remissis. Contraria non possunt esse simul naturaliter in summo.

*Probatur secunda pars conclusionis à posteriori*, quia videmus aliquid remitti de frigore, quando applicatur agens calidum: ergo signum est quod in summo non possint esse simul naturaliter.

*Probatur secundo*, quia in aliquibus gradibus exigunt effectus incompatibiles: ergo sunt incompatibiles in aliquibus gradibus; in nullis autem potius quam in summis, imo si in aliis haberent incompatibilitatem, consequeter deberent habere incompatibilitatem in summo, quandoquidem non possent peruenire ad summum gradum, quin transirent per illos alios gradus.

Dixi in conclusione, aliquas qualitates, non omnes: quia amor & odium, assensus & dissensus non possunt esse simul vllo modo.

75 *Obycies primo*: magis repugnant calor & frigus in quocumque gradu, quam maius & minus frigus: sed hæc nequeunt esse simul: ergo nec illa.

*Respondetur* distinguendo maiorem: quam maius & minus frigus specificatiue secundum suam entitatē absolutam, transeat maior; quam maius & minus frigus formaliter, prout dicunt maioritatem, & minoritatem, hoc est, quatenus maius frigus excludit aliud minus frigus, non inclusum in semetipso, & quatenus minus frigus dicit negationem inclusionis, & coniunctionis cum maiori frigore in eodem subiecto, nego maiorem, & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

*Dices*, saltem magis repugnat calor & frigus in quocumque gradu, quam duo frigora in vllo gradu: sed nec duo frigora in summo, nec vnum in summo, ac alterum in remisso possunt esse simul: ergo nec frigus & calor in vllo.

*Respondeo* negando maiorem, loquendo de frigore & calore, vt afficiuntur quocumque gradu intensionis; quia vt in aliquo gradu non repugnant vlla ratione, ita non possunt magis repugnare quam quæcumque alia.

Et licet per hoc satisfactum sit replicæ, tamen respondeo secundo distinguendo maiorem: quam duo frigora quæcumque ex natura sua intrinseca, transeat; ex ratione aliqua extrinseca, nego maiorem, & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam. Itaque duo frigora in summo naturaliter repugnant, quia nullum est agens, quod possit ea producere, nec passum quod possit ea exigere connaturaliter, non vero ex eo quod in natura sua reperiatur aliqua ratio repugnantiæ, aut secundum speciem, aut secundum gradum intra eandem speciem. Quod etiam confirmatur: quia nunquam vnum frigus expellit alterum, quia scilicet nunquam potest produci, supposito altero summo. At calor & frigus possunt produci in eodem subiecto, & ex natura sua habent incompatibilitatē in aliquo gradu, licet non in omni, & expellunt se inuicem: ergo maiorem habent incompatibilitatem, quam duo frigora possint habere, licet æque repugnet ea esse simul naturaliter.

76 *Obycies secundo*: sequeretur, quod aliquid possit moueri simul motibus contrariis, quibus scilicet acquireret qualitates contrarias, verbi gratia frigus, & calorem; sed hoc videtur absurdum: ergo.

Probatur sequela; quia inter motus non est maior incōpatibilitas quam inter terminos eorum: ergo si non sit incompatibilitas inter frigus & calorem in gradibus aliquibus, neque erit inter motus ad ipsos.

*Respondeo* distinguendo sequelam: si per motus contrarios intelligūtur motus, qui habent terminos contrarios, & oppositos ex natura sua in aliquibus gradibus non tamen in omnibus, concedo sequelam: si per motus contrarios intelliguntur motus incompatibiles, nego sequelam; distinguo etiam minorem: esset absurdum, quod moueretur aliquid motibus contrariis, primo modo, nego; secundo modo, concedo, & nego consequentiam.

*Obycies vltimo*: qualitates mediæ inter albedinem, & nigredinem, vt flauedo & viriditas, non includunt aliquid nigredinis, aut albedinis formaliter: ergo nec qualitates mediæ inter calorem & frigus, vt tepiditas maior, aut minor.

*Respondeo*, supposito quod antecedens sit verum, negando consequentiam: quia habemus rationes, quibus probamus oppositum de tepiditate, non vero de flauedine, & viriditate; nec est necesse, vt qualitates eodem modo quoad hoc se habeant. Quod si albedo destrueretur successiue per nigredinem, & eadem ipsa causa destrueret ab initio albedinem, quæ directe introducit nigredinem; eodem modo diceremus de qualitatibus mediis inter albedinem & nigredinem, quo de qualitatibus mediis inter calorem & frigus.

## CONCLVSIO VLTIMA.

77 *Qualitates contrariæ possunt simul inesse subiecto in gradu summo de potentia absoluta.* Hæc est communissima cum Doctoribus hic contra Capreolum, Soncin. Masilien. & quosdam alios. Cōtraria possunt esse simul in summo supernaturaliter.

*Probatur primò*, & principaliter, quia nulla in hoc apparet repugnantia, & aliqua alia, quæ tam naturaliter repugnant fieri, possunt fieri supernaturaliter, vt accidens conseruari extra omne subiectum, corpus circumscriptiue poni in duobus locis; & duo corpora penetratiue in eodem loco: ergo quamuis naturaliter qualitates huiusmodi nequeant esse simul in eodem subiecto, non debet negari quin supernaturaliter id fieri possit.

*Confirmatur*, quia nullum effectum actualem habet vna qualitas ex his necessario connexum, qui sit incompatibilis cum effectu actuali necessario coniuncto cum altera: ergo possunt supernaturaliter esse simul Consequentia patet, quia eatenus repugnarent, quatenus haberent connexos huiusmodi effectus.

Probatur antecedens, quia non habet calor effectum vllum actualem, nisi communicationem sui, qua mediante facit subiectum calidum, & potens producere alium calorem, ac terminare actum potentiæ sensitiuæ, & excludere frigus, & frigus non habet alios effectus quam proportionatos ad hos: sed in primis communicationes illæ non sunt incompatibiles, nisi quatenus alij effectus cum illis coniuncti necessario sunt incompatibiles: posse autē producere frigus, & terminare actum sensationis talis nō est incompatibile cum posse producere calorem, & posse terminare actum sensationis etiam oppositū, quia aliqua vna res potest habere naturaliter potentiam ad opposita, vt patet de voluntate, quæ potest nolle & velle idē. Denique, exclusio actualis frigoris est quidem incōpatibilis cum frigore, sed illa exclusio non necessario connectitur cum calore: habetur enim illa exclusio formaliter per negationem concursus conseruatiui frigoris, quæ negatio posset haberi quamuis calor non poneretur in subiecto: nec potest ostendi cur necessario deberet esse illa negatio quoties calor esset in subiecto; vnde solum debet esse vi caloris, quatenus calor exigit illam connaturaliter; ex hoc autem non debet necessario esse; quia multa quæ exiguntur connaturaliter ab aliquibus, non conceduntur ipsis etiam naturaliter; & quāuis deberent ita naturaliter illa habere vt non possint iis carere naturaliter; tamen nisi ostendatur ratio necessariæ connexionis, non debet dici quin possint iis carere supernaturaliter.

78 *Obycies primo*: secundum Philosophum, 4. Metaphys. text. 17. si contraria essent simul, contradictoria essent simul: sed contradictoria non possunt esse simul etiam supernaturaliter, ergo nec contraria secundum Philosophum.

*Confirmatur ex Scoto, 3. dist. 1. qu. 4.* vbi idem videtur sentire.

*Respondetur* Philosophum non agnouisse potentiam supernaturalem Dei, secundum quam posit facere, & disponere de rebus aliter quam exigerent connaturaliter, quia ponebat dependentiam essentialem inter causā primam, & secundas mutuo, & hinc negaret etiam simpliciter posse poni accidens extra subiectū, & multa alia, quæ de fide constat posse fieri, & in quibus, quo ad rationem etiam naturalem, nulla potest haberi repugnantia. Vnde quia naturaliter loquendo vnum contrarium expellit necessario alterum, si aliter fieri non posset, sequeretur necessario quod si contraria essent simul, contradictoria etiam essent simul.

*Respondeo* ergo in forma concedendo totum; nec in hac re admittenda est Philosophi auctoritas. Quod si quis velit ipsum agnouisse etiam potentiam supernaturalem

Dei

Dei, distinguat maiorem : supernaturaliter nego ; naturaliter, concedo;& concessa minori, distinguat similiter consequens.

*Ad confirmationem ex Scoto*, *Respondeo* eum posse intelligi locutum iuxta mentem Philosophi, non iuxta proprium.

*Deinde* non dicit contraria non posse esse simul ; sed quod si non esse possent simul in eodē subiecto,cui per se conueniunt, eodem modo non possent esse simul in illo, per accidens conuenirent ; quod verum est, sed non est propositum.

79 *Obicies secundò* : Deus non potest impedire effectū formalem causæ existentis in subiecto,neque enim potest impedire quo minus albedo existens in subiecto faciat illud album:sed effectus formalis caloris est expellere frigus:ergo Deus nequit impedire quo minus ipsum expellat, quando est in subiecto.

*Responderi solet* communiter distinguendo maiorem; effectum formalem primarium, concedo ; secundarium, nego;& similiter distinguo minorem;effectus primarius, nego;secundarius, transeat. Effectus itaque primarius, quem per se intendit,& quem posset habere albedo etiā si per impossibile non daretur nigredo, est facere album, & hūc Deus nequit impedire,si albedo sit in subiecto,quia ab hoc præ isè habetur, neque indiget aliqua alia cōditione, aut causa realiter distincta : expellere autem aliam formam est secundarius effectus, qui non intenditur per se,& non haberetur à forma nisi ex incompossibilitate cum altera forma.

*Confirmatur* hoc quia Deus potest impedire illum effectum, quem potest præstare absque forma, & sine quo potest forma esse in subiecto:sed Deus absque calore possit expellere frigus,substrahendo suum concursum, & potest calor induci absque actuali expulsione frigoris, vt si frigus non succederet:ergo potest impedire expulsionem frigoris per calorem.

80 Verum *contra hanc responsionem facit*, quod etiam aliqui effectus secundarij formarum non possint impediri à Deo:neque enim Deus potest impedire quin forma expellat privationem sui, & tamen illa expulsio est effectus secundarius ipsius:& rursus non potest impedire quo minus amor expellat odium,vt communiter supponitur, ergo ex eo, quod expulsio frigoris sit effectus secundarius, & non primarius præcise,non sequitur quod possit impediri à Deo.

*Et hinc patet* confirmationem non valere, quia Deus potest similiter expellere odium absque amore, substrahendo concursum ; & potest amor induci etiam naturaliter quin odium præcesserit, & tamen non potest impedire quin si odium præcesserit,amor illud expellat.

*Melius ergo respondetur* distinguendo maiorem : effectum formalem necessario coniunctum cum ipsa forma, & non indigentem alia conditione aut ratione realiter distincta, quam inexistentia formæ in subiecto, concedo maiorem:effectum formalem non necessario coniunctum cum forma inhærente, nego maiorem;& similiter distinguo minorem,& nego consequentiam.

# DISPVTATIO XXV.

## DE CONDITIONIBVS ALIQVIBVS AD AGENDVM REQVISITIS.

HÆC disputatio instituitur hic principaliter, vt possimus cognoscere,quænam res possint alterare alias,easque ad generationē disponere, & quænam impedimenta possint dari actionis alteratiuæ ac generatiuæ;qua etiam ratione hic solet tractari à multis de natura Actionis vt sic,de qua egi in Logica ac Physica.

## QVÆSTIO I.

*Virum simile possit agere in simile.*

1 CErtum est experientia quod illud, quod est simile alteri in aliqua qualitate quod ad speciē, possit agere secundum illam qualitatem in alterum simile : sic enim aqua frigida potest frigefacere alteram aquam minus frigidam. Vnde sensus controuersiæ huius est,an illud quod est simile alicui in aliqua qualitate quoad speciem & intensionem possit agere in illud alterum secundum eandem qualitatem : verbi gratia, an calidum,vt quatuor, possit calefacere alterum calidum vt quatuor, seu producere in illo aliquid caloris.

### CONCLVSIO

Simile nequit agere in simile.

*Simile nequit agere in simile.* Hæc est communissima cum Philosopho hic.

Probatio Complutensium.

*Probatur primò à Complutensibus disputat.* 8. *quæst.* 1. quia omne agens agit in quantum est in actu, & patiens patitur in quantum est in potentia;sed quodlibet ex duobus calidis,vt quinque,est in actu respectu caloris vt quinque, & neutrum est in potentia respectu talis caloris aut minoris,sed respectu maioris tantum; & deinde neutrum ex illis est in actu respectu maioris caloris;ergo neutrum in alterum agere potest.

*Verum* in hac probatione manifeste petitur principium: supponit enim quod probandum est, nempe calidum vt quinque non esse in potentia ad recipiendum plus caloris ab alio simili calido, & non esse in actu sufficienter ad efficiendum, quod alterum simile plus caloris habeat, quod est directe illud,quod est probandum.

*Probatur ab iisdem secundo*, & aliis etiam Authoribus communiter,quia finis agentis est assimilare sibi passum; vnde si inuenerit ipsum perfecte sibi simile,non poterit in ipsum agere. *Quod si obiiciatur* ipsis cælos agere in hæc inferiora,& non in ordine ad assimilanda sibi ipsa, quandoquidem producant in illis qualitates, in quibus non fiunt ipsis similes ; producunt enim calorem in inferioribus, qualem ipsimet non habent in se, vt communiter supponitur.

*Respondetur* agens dupliciter posse sibi assimilare passum, vel formaliter, vel virtualiter ; formaliter quidem quando producit talem qualitatem in specie in ipso,qualem ipsummet habet;virtualiter autem, quando producit in ipso qualitatem, cuius producendæ habet virtutem, quamuis nō habeat similem ipsi in specie qualitatem.Itaque cæli agunt in hæc inferiora, vt reddant ipsa sibi similia virtualiter, licet non formaliter.

2 *Sed vt verum fatear*, mihi nunquam placuit hæc probatio primo,quia satis impropriè dicitur aliquid simile alicui virtualiter ex eo præcisè quod aliquid habeat quod continetur in virtute alterius ; neque simpliciter solet dici quod paries vt albus est similis Deo, licet contineatur in virtute eius.

*Secundo & præcipue*, quia omnino videtur hic etiam peti principium;nam ideo colligimus finem agentis actione vniuoca, de quo agente hic principaliter agitur,esse assimilare passum, quia aliunde colligimus quod nunquam agat in passum sibi simile;& cui hoc esset incertum id etiam esset æque incertum:vnde per hanc probationem ignotum per æque aut magis ignotum probatur.

*Tertio*,quia quamuis daremus finem agentis esse assimilare sibi passum, non sequitur quin etiam si passum esset aliunde sibi simile,deberet agere in ipsum, vt scilicet actione sua faciat ipsum simile

Melior probatio.

*Melius ergo probatur* à posteriori, quia quamuis applicaremus duo frigida vt duo sibi inuicem, non inueniemus quod augebunt suam frigiditatem & si id possent facere,deberent augere illā mutuo vsque ad octauum gradum;qua enim ratione frigidum vt duo posset producere aliquem gradum in alio frigido vt duo,posset etiam aliū in frigido vt tria,& alium in frigido vt quatuor,& sic vsque ad octauum gradum,quod est contra manifestam experientiam.

*Confirmatur*, quia si frigidum vt duo posset producere frigus in alio frigido vt duo, posset etiam in se ipso. Sed hoc est contra manifestam experientiam: ergo.

Probatur sequela: nam ipsummet est capax vlterioris gradus non minus, quam illud alterum, & idem potest agere in se ipsum.

3 *Dices*, idem posse agere in seipsum actione non vniuoca, sed æquiuoca.

*Contra*, quia si posset agere in simile actione vniuoca, nihil impedit quo minus etiam ageret in se ipsum tali actione.

*Dices* non esse paritatem, quia determinatur ad non agendum in se tali actione; non vero ad non agendum in alio.

*Contra*, quia non colligitur quod sit sic determinatum ad non producendū in se, nisi experientia: sed similis experientia habetur quod non possit agere in aliud simile: ergo eadem prorsus est ratio.

*Quod si quæratur ratio* à priori huius, illi qui ponunt heterogeneitatem graduum in intensione, dant pro ratione, quod calidum vt duo non contineat in virtute sua gradum tertium; qui est perfectior prioribus duobus gradibus, & consequenter non possit ipsum producere: quæ ratio esset bona, si verum esset quod daretur ista heterogeneitas. Alij vero dant pro ratione finem agentis actione vniuoca, quem colligunt tamen à posteriori ex eo, quod non videant agentia agere quando passum est simile: & hæc etiam ratio est in se bona, sed vt dixi supra, quando non constat an agens possit agere in simile, non debet hęc causa adduci, tanquam medium ad probandum quod non.

*Alia ratio posset dari* ex determinatione ipsius causæ, dicendo scilicet quod propterea non agit in simile; quia ex natura sua est determinata ad non agendum, vt colligitur à posteriori: & hæc etiam est optima ratio & sufficit ad non recurrendum ad heterogeneitatem, vt dixi supra.

4 *Obijcies primo*: causa naturalis adæquata alicuius formæ, necessario produceret talem formam in quocūque subiecto applicato capaci talis formæ, & non habente vllum impedimentum ipsius: sed calidum vt duo est causa naturalis adæquata respectu vnius gradus caloris, & aliud calidum, vt duo, est capax talis gradus; nec habet vllum impedimentum ipsum recipiendi: ergo necessario calidum vt duo producit illum gradū in illo. Probatur etiā minor quoad primam partem, quia necessario talem gradū produceret in alio subiecto. Probatur etiam minor quoad secundam partem quia, vt suppono, non habet aliud impedimentum quam calorem vt duo: sed hoc non est impedimentum recipiendi talem gradum, quandoquidem possit ipsum recipere ab alio agente.

*Respondetur*, distinguendo minorem pro secunda parte: est capax illius à tali causa, nego; ab alia, concedo minorem, & nego consequentiam. Et si quæratur, cur non esset capax recipiendi illum ab hac causa tam bene quā alia quacumque. Respondendum est rationem esse principia nostræ conclusionis.

5 *Obiicies secundo*, duæ manus calidæ coniunctæ calefaciunt se inuicem, & conseruant suum calorem magis, quam si vna ex ipsis esset frigida, aut vtraque separata: ergo simile agit in simile.

*Respondeo*, negando consequentiam: si enim calefaciunt se positiue, non erant similis intensionis, sed altera maioris. Conseruant autem suum calorem, non per actionem aliquam positiuam directam, sed impediendo alia agentia frigefactiua.

*Obiicies tertio*: duæ phialæ vitreæ omnino similes frangunt se inuicem: ergo simile potest agere in simile.

*Respondeo*, argumentum hoc non esse ad propositum; quia neutra ex phialis producit vllum gradum qualitatis in altera phiala quam rumpit, in qua qualitate est similis alteri. Vnde nego consequentiam, loquendo de actione similis in simile in sensu huius controuersiæ; nec sane in hoc videtur esse vlla difficultas.

*Obijcies quarto*: minus intensum producit aliquid in subiecto magis intenso: ergo multo magis potest simile agere in simile. Consequentiam admittunt omnes. Probatur antecedens, quia radius solaris immediatus ante lumen reflexum producit ipsum, quod sine dubio est ipso intensius; & aër intendit frigus aquæ dū ipsum congelat, cum tamen non sit tam frigidus quam aqua; & ferrum candens accendens stramen, producit maiorem calorem quam ipsummet habeat: non enim habet in se octo gradus caloris, alias esset ignis; tot autem producit in stramine; alias non produceret dispositionem sufficientem ad ignem.

*Confirmantur* hæ experientiæ ratione, quia agens potētius potest agere in minus potens: sed aliquid simile in qualitate potest esse potentius alio simili in eadem qualitate: nam ex duobus calidis vt tria, si vnum sit altero densius, ut maius mole, erit etiam illo potentius, vt patet experientia: nam manus illæsa trahi potest per mediam flammam, non vero per mediam aquam calidam, quia aqua est densior flamma.

6 *Respondeo* negando antecedens: ad cuius probationem dico, quod neque radius immediatus ante reflexionem producat lumen reflexum, præsertim nisi sit intēsior: nēque aqua congeletur ab aëris vel alterius corporis frigore solū; sed etiam à cōmunicatione aliarum qualitatum, & præsertim siccitatis. Alij dicunt quod aqua tum se ipsam reducat ad illum statum, remotis impedimentis: sed hoc non est verisimile, quia tum status naturalis aquæ esset esse cōgelata, quod est incredibile. Ad aliud de ferro candenti, Respōdeo vel esse ignem in poris eius latitantē, & sic tollitur tota difficultas, vt patet; vel si non sit, negandum esse quod ferrum producat ignem, & dicendum quod producta caloris congrua dispositione, ignis producatur à causa aliqua superiori

*Dices*: congrua dispositio ad ignem est calor vt octo: ergo si ferrum producat tantum calorem, producet maiorem calorem, quam suus est, nam non habet octo gradus caloris in se, alias esset ignis.

*Respondeo* non esse nec esse, vt in quocumque subiecto conuertendo in ignem producatur calor vt octo, licet in aliquibus fortassis sit verum: nam non requiritur dispositio prævia, nisi vt expellantur accidentia conseruantia formæ cor umpendæ; ad hoc autem in aliquibus videtur sufficere minus intensa dispositio quam in aliis; quis enim non existimet, si ad expellendam formam lapidis requiratur introductio caloris vt octo, ad expellendam formam stramінis sufficere introductionem caloris vt sex?

Calor vt octo non est requisitus sem. per ad productionem ignis.

7 *Potest etiam dici*, quod ferrum candens haberet calorē vt octo, non tamen haberet sufficientem dispositionē ad ignem, quia non solum calor ad ignem disponit, sed etiam siccitas, quæ non reperitur in tali ferro in sufficienti dispositione.

Non est dispositio necessitans ad ignem semper.

*Ad confirmationem respondeo* distinguendo minorem: potest esse potentius ad producendam intensiorem formam nego; ad citius producendam formam, vel ad agendum in maiori distantia, concedo minorem, & nego consequentiam. Quod autem diuersitas & extensio maior non iuuet ad producendum intensiorem effectum, colligitur ex multis capitibus, & præsertim quia frigidum vt octo, quamuis rarum, potest in aliquo subiecto capaci non resistenti nimium, producere frigus vt octo; & si fieret densius, aut magis extensum, applicareturque eidem subiecto; non posset producere magis intensū frigus: ergo densitas & extensio maior non conducunt ad intensiorem effectum producendum, licet possent conducere ad effectum citius producendum, vel ad eum producendum in remotiori parte.

Densitas & extensio maior non conducūt ad intensionem faciendam.

*Præterea* sequeretur, quod duo corpora calida vt duo, possent se mutuo summe intendere, quod est absurdum. Patet sequela, quia si vnum esset densum, posset alterius rari calorem intendere, & consequenter facere ipsum calidum vt tria, & illud alterum factum sic calidum posset producere vnum gradum caloris in illo calido denso, & consequenter ita progrediendo facerent se mutuo calida vt octo.

*Deinde* si densitas aut magnitudo extēsionis essent ratio,

ob

ob quam possit magis intensa qualitas produci vel essent principium quo, seu ratio formalis agendi, vel essent tantum conditio sine qua non: sed neutrum dici potest: ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia nulla forma accidentalis particularis potest esse principium formale producendi oppositas omnino qualitates: sed si densitas esset principium formale quo producendi cum frigore frigus, deberet etiam esse principium formale producendi cum calore calorem, & etiam cum siccitate si citatè, & cũ humiditate humiditatẽ, & consequenter esset principium formale productiuum non solum qualitatum oppositarum, sed etiam omnium primarum qualitatum, quod est absurdum. Et hac ratione colligitur communiter densitatem non esse qualitatem actiuam. Simile autem argumentum potest fieri de magnitudine. Probatur eadem minor quoad secundam partem, quia nulla conditio potest esse ratio, vt forma actiua, præsertim vniuoci agentis, plus producat quam in se contineat formaliter: ergo densitas & magnitudo, si sint conditiones sine quibus non tantũ, non possunt esse ratio vt calor vt duo producat calorem vt tria. Probatur antecedens, quia alias frigidum vt duo cum maiori applicatione posset producere frigus vt tria.

8. *Obijcies tertiò*: si candela produceret in aula tantum lucis, quantum posset verbi gratia, duos gradus, & alia candela potens tot solum gradus producere, poneretur in aula; lumen aulæ intenderetur: ergo simile ageret in simile.

*Respondeo* negando antecedens: in tali enim casu non intenderetur magis per candelam adueniente m, quã per præexistentem: vnde si præexistens non intenderet lumẽ nec altera etiam intendere ipsum posset; de facto tamen altera candela intendit lumen aulæ, quia quælibet candela nata est producere plus luminis in parte sibi viciniori, quam in partibus remotioribus, & consequenter cũ quælibet ex pluribus candelis habeat aliquas partes aulæ sibi viciniores quam altera, fit vt lumen totius aulæ intendatur.

*Obijcies quartò*: olla bulliens habet superficiem calidiorem fundo: ergo fundum, quod est minus calidum, intendit calorem superficiei vltra suum calorem.

*Respondeo* negando consequentiam: nam ista intensio maior procedit aliunde quam à fundo, verbi gratia, ab igne vel ab exhalationibus aliquibus, quæ in maiori abundãtia reperiuntur, quam in fundo.

*Et si quæras* cur fundum lebetis pleni liquoris in initio calefactionis calidius multo sit quam liquor in ea contentus; in processu autem calefactionis minus calidus, & quam liquor, & quam ipsummet etiam ante fuerit.

Cur liquor vasis in processu calefactionis minus calidus quandoque fit.

*Respondeo*, quia ignis, dum calefacit lebetem, transmittit per poros eius exhalationes igneas, quæ detinẽtur in ipso lebete propter resistentiam liquoris nondum calefacti, & propterea non est mirum quod in initio calefactionis lebes sit valde calidus; at postquam calefit etiam liquor, quia non possunt detineri vlterius exhalationes istæ, ascendunt per ipsum liquorem, & peruenientes ad superiorem partem excitant ipsam, efficiuntque, vt bulliat liquor: & hinc oritur vt liquor sit calidior lebete, & lebes minus calidus quam in initio.

## QVÆSTIO II.

*Quomodo fit actio reflexa.*

9 EXperientia constat quod quãdo opponitur aliquod corpus impediens progressum actionis, calefactiuæ verbi gratia, aut illuminatiuæ, sentiatur maior calor ac lux in aere viciniori isti corpori, quam alias produceretur in illo: & quia illa actio per quam producitur maior iste calor aut lux, egredi videtur & redire à corpore illo opposito, propterea vocatur actio reflexa, hoc est, quę reuertitur ad agens principale; ad differentiam actionis directę, quæ ab illo agente progreditur semper. Hic ergo examinandum est quomodo hoc fiat.

Aliqui putant, obstaculum, hoc est corpus oppositum, esse causam istius actionis reflexæ, & quidem principalẽ. Alij volunt esse tantum instrumentalem causam. Alij existimant ipsum obstaculum esse principium quod istius actionis, & qualitatem ab agente principali in ipso productam esse principium quo eius.

Alij vero tenent, principium quo esse potius species intentionales qualitatis illius, verbi gratia, lucis aut caloris.

### CONCLVSIO I.

Reflectio non fit per species intentionales.

*Reflexio non fit per species intentionales qualitatis, quæ reflectitur.* Hæc est contra *Marsilium hic q. 17. Paulum Venetum & alios.*

*Probatur* manifestè, quia species intentionales solum habent virtutem productiuam actuum vitalium aut aliarum specierum intentionalium: nec ex vlla experientia aut ratione constat, quod dentur vlla ratione nisi in ordine ad illas actiones vitales: ergo gratis dicitur quod possint producere calorem aut lucem.

*Rursus* illæ species intentionales producuntur ab ipsa qualitate directè producta, verbi gratia, à calore aut luce: ergo non possunt esse perfectiores quam illa qualitas, & consequenter non possunt efficere qualitatem perfectiorem quam qualitas, à qua producuntur: sed efficerent, si possent intendere ipsam: ergo nequeunt eam intendere.

*Confirmatur*, quia potest assignari alia causa, à qua oriatur reflexio: ergo non debet recurri ad illas species intentionales: & per hoc destruitur fundamentum Aduersariorum, qui propterea ad species has confugerunt, quod aliam causam non repererint.

### CONCLVSIO II.

In reflectione intenditur qualitas.

10 *In reflexione tam lucis, quam caloris intenditur qualitas ab obstaculo vsque ad determinatam sphæram, & non solum extenditur.* Hæc etiam est communis: & *prima* pars est contra Conimbricenses disp. 8. num. 19. qui putant apparere maiorem lucem, vbi fit reflexio, non ex eo quod intendatur, sed ex eo quod corpuscula aliqua opaca, quæ non illuminabantur totaliter per qualitatem directè productam, illuminentur per qualitatem reflexè productam.

*Probatur primo*, quia gratis fingunt semper quoties fit reflexio, dari talia corpuscula, quæ non illuminabantur quoad omnem partem per actionem rectam lucis: Et deinde non potest dici quod per calefactionem directã non calefiant etiam illa corpuscula, quoad omnem partem: ergo saltem reflexio caloris nequit suluari absque intẽsione eius: sed si in reflexione caloris intenditur calor directè productus, idem à pari dici debet de reflexione luminis, præsertim cum tam facile solui possit quomodo fiat in vno casu, atque in altero.

*Confirmatur*, quia quantum ad experientiam omnem, tam patet intendi lucem & calorem, quam vllam qualitatem vnquam intendi: ergo deber dici quod intendatur

### CONCLVSIO III.

Causa directè producens quæ intendit qualitatẽ in reflexione.

11 *Causa directè producens qualitatem intendit ipsam actione reflexa à se ipsa immediatè exeunte.* Hæc est Doctoris *in 4. d. 5. quæst. 9.* quem præter suos sequuntur *Auersa q. 39. Philosophiæ. Arriaga hic d. 3. nu. 143.* contra *Suar. disp. 10. met. sect. 9.*

*Probatur primo*, quia quandoquidem impediatur per obstaculum ab actione directè pro endenda, congruum erat vt posset eam reflectere in idem spatium: ergo dicendum est quod ita fiat.

*Hæc probatio non placet*, quia inde sequeretur, quod quoties agens impediretur ab actione protendenda, deberet eam reflectere; hoc autem est falsum, quia non à quocumque obstaculo fit reflexio, vt patet experientia.

Melior probatio.

*Melius ergo probatur*, tum quia nihil impedit quo minus actio reflexa egrediatur à causa principali directè agente: tum quia nulla alia causa aptior assignari potest, cui illa actio tribuatur: ergo ab illa egreditur. Antecedens quoad primam partem probatur, quia nihil aliud assignari potest præter obstaculum, aut secundum se, aut secundum qualitatem directè in ipso productam: sed neutrum dici

potest

potest: ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia obstaculum secundum se, verbi gratia speculum, aut paries, non habent virtutem producendi calorem aut lucem vt sex, cum non sit secundum se sic calidum, aut lucidum, imo posset esse frigidum & obscurum. Probatur etiam quoad secundam partem, quia non recipit maiorem lucem ab agente principali actione directa, quàm si productũ sit in medio, cum non sit melius approximatum quam ipsum medium, nec magis etiam semper capax maioris intensionis: ergo nequit per qualitatem directe productam intẽdere medium, quandoquidem, nec simile possit agere in simile, nec minus intensum intendere qualitatem magis intensam.

*Dices*, obstaculum, licet sit remotius ab agente principali, quam medium, posse tamen recipere ab ipso intensiorem qualitatem quam medium, quia esset subiectum aptius ad illam recipiendam: hoc autem supposito, reflexio posset oriri ab ipsomet obstaculo cum illa qualitate intensiori in illo ab agente principali producta.

12 Respondeo, quidquid sit an aliquando obstaculum aliquod recipiat magis intensam qualitatem, quàm medium, propter suam meliorem dispositionem; non tamen semper omne obstaculum esse melius dispositum ad intensiorem formam: nec enim corpus aliquod durum & frigidum est aptum ad recipiendum intensiorem formam quam aër medius inter ipsum & agens principale: ergonõ recipit intensiorem calorem quam aër; & consequẽter quãdo fit ab ipso reflexio, non fit ab ipsomet secundum qualitatem in ipso subiectatam, sed ab agente principali; quod si agens principale in vno casu reflectat, non est quod negetur semper reflectere, nisi ostendatur alia causa, cui potius debeat ascribi reflexio hoc autẽ vix assignari vnquam potest, etiam dato quod in obstaculo produceretur intensior forma aliquando quàm in medio; nam tum etiam æque bene, imo forte melius recurreretur ad agens principale ac ad ipsum obstaculum.

Sententia Ioannis à S. Thoma

*Ioannes à Sancto Thoma hic quæst. 5. n. 2.* ait qualitatem minus intensam actione directa productam in medio, occurrente corpore, à quo fit reflexio, producere in illo corpore magis intensam qualitatem, non quatenus est formaliter minus intensa, sed quatenus est virtualiter magis intensa: existimat enim qualitatem secundum se minus intensam posse, vt est virtus agentis alicuius, producere qualitatem magis intensam.

Reiicitur

13 *Sed contra*, quia calor verbi gratia, vt tria, vt est virtus cuiuscumque agentis, non redditur secundum se perfectior, quam si non esset: neque enim recipit per hoc aliquid, quod alias non haberet: ergo si secundum se non posset producere calorem vt quatuor, nec poterit illum producere vt est virtus illius alterius.

*Confirmatur* hoc per ea, quæ diximus in Physica, probando quod accidens in virtute substantię non possit producere substantiam.

*Confirmatur secundò*, quia sic sufficeret igni ad producendum alium ignem, & expellendum frigus quantumuis magnum, producere calorem vt vnum, ille enim in virtute ignis sufficeret tam bene ad expellendum octo gradus frigoris, ac ad producendum calorem vt duo, vt patet.

*Confirmatur tertiò*, quia calor medij remissus non est virtus ignis magis quàm calor intensior: ergo calor intẽsior nequit ab ipso, etiam vt est virtus ignis produci. Probatur consequentia, quia calor intensior vt est virtus ignis, est æque saltem perfectus ac calor minus intensus, & vt est intensior formaliter, est simpliciter perfectior, & consequenter nequit ab illo produci.

*Obiicies primò*: si agens principale produceret maiorem illam intensionẽ in medio, deberet illam producere directe absque reflexione, quandoquidem medium sit capax eius, & sufficienter applicatum: sed hoc est falsum, vt patet experientia: ergo.

*Respondeo* negando sequelam: neque enim est capax illius maioris intentionis ab agente principali, nisi per reflexionem, vt patet experientia; cuius ratio à priori non est alia nisi quod agens principale sit natura sua determinatum ad non producendum nisi tantum qualitatis actione directa, & quod determinetur postea ad tantum vlterius producendum actione reflexa.

*Obiicies secundo*: si reflexio fieret ab agente primario, deberet esse intensior in partibus vicinioribus ipsi quam in partibus vicinioribus obstaculo, sed hoc est contra experientiam; ergo.

14 *Respondeo* negando minorem, quia reflexio incipit à parte remotiori, & taliter debet produci, quemadmodum si ipsum agẽs esset in illa parte, in qua reflexio incipit, quia productio reflexa fit in loco productionis directæ & eodem modo seruata proportione, quo si non poneretur obstaculum, fieret productio directa ab obstaculo: Vnde cum plus produceretur in parte viciniori corpori, à quo fit reflexio, quam in parte remotiori, si actio fieret directa, sed productio esset ab agente primario; eodem modo quando impeditur actio directa debet per actionem reflexam plus poni in parte viciniori obstaculo, quam in remotiori.

*Obiicies tertiò*: experientia constat ex varietate obstaculi variari reflexionem, & si obstaculum sit incapax qualitatis reflectendæ, non fieri reflexionem vlla ratione: ergo signum est, quod reflexio oriatur ab obstaculo mediante qualitate illa.

*Respondetur* negando consequentiam, solum enim sequitur quod actio reflexa debeat necessario incipere in ipso obstaculo, & consequenter sicut si poneretur obstaculum in initio sphæræ actiuitatis gentis, in quod non posset aut vllo modo agere, aut nõ nisi remisse, inde fieret, quod per reliquam sphæram, vel nullo modo ageret, vel nõ nisi remisse iuxta modum, quo se haberet in initio sphęræ; eodem modo cum reflexio debeat incipere in obstaculo, agens non potest reflectere actionem suam, nisi possit agere in obstaculum, vel non potest reflectere eam nisi remesse, si non possit agere in obstaculum nisi remisse.

15 *Obiicies quarto*: quando qualitas producta in obstaculo est actiua, tum habebit vim producendi aliquid reflexe in medio; ergo tum obstaculum mediante illa qualitate erit causa reflexionis.

*Respondetur*, concesso toto, nihil esse contra nos, qui damus causam essentialem & per se reflexionis, non vero per accidens, qualis esset istud partiale obstaculum cum tali qualitate.

Deinde tale obstaculum ad summum erit tantum causa partialis reflexionis; quia cum agens partiale sit etiam potens reflectere actionem, & sit sufficienter etiam ad hoc applicatum, sine dubio reflectet illam, & consequenter reflexio fiet etiam ab illo; quamuis forte in casu obiectionis obstaculum cum qualitate illa actiua concurreret cum ipso, & consequenter futura sit maior reflexio, quàm si qualitas illa non esset actiua, licet hoc etiam ab Auersa negetur.

## QVÆSTIO III.

### *Vtrum ad agendum requiratur maior actiuitas agentis quàm resistentia passi.*

16 *Notandum primo* resistentiam esse impedimentum, quo agens ab alio retardatur in sua actione. Huiusmodi autem resistẽtia duplex esse potest, vna positiua, vt est actio, qua passum reagendo in agens diminuit eius vires, ne tam fortiter agat, quam alias ageret, si passum non ita reageret, vt cum nix infrigidat manum calefaciẽtem ipsam, & hęc resistẽtia vocatur positiua; quia fit mediante actione positiua. Alia resistentia est negatiua, seu priuatiua, seu formalis, & est incompatibilitas effectus procedentis ab agente cũ aliqua forma, seu proprietate passi, in quod fit actio, vt est incompatibilitas frigoris cũ calore; vocatur autem negatiua, seu priuatiua, quia fit sine actione, & sine productione alterius qualitatis in agens: vocatur etiam formalis, quia re vera est incõpossibilitas formalis istarum formarum, quarum vna à passo expellitur introducta altera. Quod autem hæc resistẽtia fiat sine actione, patet quia subiectum album mediãte albedine resistit agenti producendi nigredinem, cum tamen

albedo

albedo non sit actiua; & graue resistit eleuanti ipsum mediante sua grauitate, quæ non est actiua, aut saltem non agit in causa n eleuantem

*Confirmatur*, quia a iqua minus actiua magis resistunt quam actiuiora: terra enim quæ minus actiua est quam ignis, magis resistit contrariis corrumpentibus, quam ignis.

17 *Notandum secundo*, primas qualitates; scilicet calorem, frigus, siccitatem, & humiditatem, habere resistentiam actiuam sic, vt maiorem habeat calor, & post ipsum frigus post frigus autem humiditas, & deinde siccitas: hoc enim ordine habent actiuitatem maiorem, & minorem; vt patet experientia, communi Authorum sensu comprobata: minus enim potest detineri manus intra ignem, aquam intra qua n frigidissimam, & intra talem aquam quam intra corpus humidissimum, & intra huiusmodi corpus, quam intra maxime siccum corpus. Resistentia autem formalis non hoc ordine, sed omnino opposito ipsis conuenit, ita scilicet, vt calor habeat minorem, post calorem frigus, post frigus humiditas, & post hanc siccitas. Et hinc à Philosophis communiter recipitur, qualitates quò magis sunt actiuæ; eo minus resistere: quod cum non possit intelligi de resistentia actiua quæ maior est, vbi maior est actiuitas, debet intelligi de resistentia formali.

*Confirmatur hoc etiam experientia*, quia terra omnium maxime resistit aliis elementis: ergo siccitas, quæ est qualitas ipsi maxime propria, maxime resistit reliquarum omnium qualitatum. Præterea ignis facilius corrumpitur ab aqua, quam é contra: ergo calor minus resistit, quam frigus. Denique facilius rollitur frigus aquæ, quam humiditas eius: ergo à primo ad vltimum qualitates, quo magis sunt actiuæ, eo minus possunt resistere.

*Verum hæc confirmatio* patitur aliquas difficultates, quas tamen iam non libet proponere; sed ea supposita & doctrina hactenus tradita.

18 *Quæritur* vtrum, vt aliquid possit agere in passum, debeat habere maiorem actiuitatem quam sit resistentia passi; seu vtrum quod idem est, actio procedat à proportione maioris inæqualitatis. Si agens non possit agere in passum, nisi habeat maiorem actiuitatem quam sit resistentia passi, actio procedet à proportione maioris inæqualitatis. Si vero possit agere in passum, quod plus habeat resistentiæ formalis quam agens habet actiuitatis, actio procedet à proportione minoris inæqualitatis.

## CONCLVSIO.

*Agens debet habere maiorem actiuitatem quam sit resistentia formalis passi.* Est communis cum *Rub. 1. de gen. cap. 9. quæst. 3.* contra *Tolet. q. 13. de gen. & quosdam alios.*

*Probatur*: si esset æqualis resistentia passi cum actiuitate agentis, non fieret actio: ergo multo minus fieret, si maior esset resistentia passi quam actiuitas agentis. Consequentia est euidens: Probatur antecedens: non potest esse actio nisi agens superet resistentiam passi: sed si passum tantum resistat quantum agens agit, non superabitur resistentia passi: ergo.

*Confirmatur*, quia tunc dicitur esse maior agentis actiuitas quam resistentia passi, cum ab hac non potest illa impediri: ergo quoties agens agit, habet maiorem actiuitatem, quam sit resistentia passi.

19 *Obiicies*: sequeretur quod non possit reactio dari, quod est falsum. Probatur sequela: passum debet habere minorem actiuitatem quam sit resistentia agentis, alias non esset passum, sed agens: ergo si non potest procedere actio à proportione minoris inæqualitatis, non potest dari reactio.

*Confirmatur* experientia: videmus paruam guttam aquæ excauare lapidem durissimum, cuius resistentia est maior quam actiuitas.

*Respondeo*, negando sequelam, & distinguendo antecedens probationis; passum debet habere minorem actiuitatem quam sit agentis resistentia actiua, concedo; quam sit resistentia formalis, nego.

*Ad confirmationem respondetur*, maiorem esse actiuitatem guttæ excauantis, quam sit resistentia formalis lapidis, quoad partem, secundum quam excauatur.

## QVÆSTIO IV.

### *An agens possit perfecte assimilare sibi passum.*

NOn est dubium, quin possit agens producere aliquid sibi simile, & in hoc sensu assimilare sibi passum: sic enim ignis ignem producit, & homo hominem; sed difficultas est, an in passo aliquo sibi applicato possit producere tot gradus qualitatis alicuius, quot in se ipso habet, verbi gratia, an calidum vt octo posset aliquod corpus, quod non haberet tantum caloris, efficere calidum vt octo.

20 *Ruuius hic qu. 6.* existimat agens calidum vt octo, verbi gratia, si haberet passum sibi penetratiue applicatum, posse illud perfecte assimilare, faciendo ipsum calidum vt octo, sed si applicaretur ipsi quocumque alio modo, quamuis esset summe contiguum, aut etiam continuum ipsi, non posse. Sententia Ruuij.

*Fundamentum ipsius pro prima parte* est, quod calidum vt octo habeat actiuitatem sufficientem ad producendos octo gradus caloris, & aliud corpus aliquod posset esse capax tot graduum: ergo si perfectissimo modo applicarentur, producerentur octo gradus caloris in illo alio corpore: sed si ponerentur penetratiuæ in eodem loco, perfectissime applicarentur.

*Fundamentum secundæ partis* est, quod non applicentur tam perfecte per contiguationem, aut continuationē, aut quocumque alio modo, ac per penetrationem: ergo agens non potest tantum caloris producere, quantum si applicarentur penetratiue, & consequenter non poterit perfecte assimilare passa non penetrata.

21 *Verum*, quidquid sit de ipsamet opinione huius authoris, hoc fundamentum secundæ partis non sufficit; quia non est necesse vt quo perfectius applicetur passum, eo perfectiorem recipiat ab ipso effectum, nisi ostendatur quod non possit perfectissimum effectum in passo remotiori producere; nam eo ipso quo produceret perfectissimum effectum in passo minus applicato, si melius applicaretur nō produceret in eo perfectiorem effectum, vt est euidens, nec tamen sequeretur quod maior aut perfectior applicatio esset inutilis aut frustranea, quia deseruiret ad hoc quod agens citius produceret illum perfectiorem effectum. Fundamentum secundæ partis impugnatur.

*Confirmatur hoc primo*, quia ignis potest in passo remotiori producere ignem, vt patet experientia: sed in passo viciniori non potest perfectiorem effectum producere: ergo non sequitur non posse produci calorem vt octo in corpore contiguo ex eo quod non applicetur tam bene, ac si esset penetratum.

*Confirmatur secundo* ad hominem, quia ipsemet *Ruuius* fatetur agens, quod non posset alias corpus contiguum assimilare sibi perfecte, si augeretur notabiliter densitas aut magnitudo eius, posse illud sic assimilare: sed quantumuis augeretur eius magnitudo, & densitas, corpus contiguum non esset ipsi tam perfecte applicatum, ac si esset penetratum cum ipso; ergo illud fundamentum non sufficit ad probandum quod non possit perfecte sibi assimilare passum contiguum, si potest sic assimilare sibi passum penetratum.

## CONCLVSIO

22 *Agens non potest naturaliter assimilare sibi perfecte passum quomodocumque applicatum, absque penetratione. An autem posset, si penetratiue applicaretur ipsi, incertum est: sed probabilius tamen est, quod non, licet redderet ipsum vniformiter simile, quoad omnem partem, & non vniformiter difformiter, sicut assimilat sibi de facto corpora contigua.* Hæc quoad primam partem est *Ruuij* & *Arriagæ*, & videtur communis; quoad secūdam vero partem & quoad tertiam videtur esse contra *Ruuium*; sed quod ad quartam puto debere esse omnium: quamuis in terminis non reperiam ipsam apud vllum auctorem. Agens nequit assimilare sibi passum perfecte nisi penetratum.

*Proba*

*Probatur prima pars*, quia calidum vt sex verbi gratia in aëre sibi vicino non producit calorem vt sex, etiam si maneat per integrum annum applicatum ipsi; ergo agens nequit naturaliter assimilare sibi totaliter passum contiguum. Consequentia patet, quia si posset, calidum vt sex deberet calefacere vt sex aërem illum. Probatur antecedens, quia si posset calefacere vt sex aërem illum, aër ille sic calefactus posset calefacere vt sex aërem sibi vicinum, & sic calidum vt sex posset sufficere ad calefaciendum totum mundum vt sex, quod est absurdum.

*Confirmatur*, quia experientia constat quod pars remotior aëris non sit vnquam tam calida quam pars vicinior: ergo signum est, quod nunquam possit illud passum perfecte assimilari agenti principali; & in hac experientia & ratione fundatur vulgare axioma Philosophorum, quod agentia per qualitatem intensibilem agant vniformiter difformiter, hoc est, quod in parte sibi viciniori producant magis intensam formam quam in remotiori, proportione seruata; quod cæteris paribus ab omnibus admittitur: & dico *cæteris paribus*, quia si pars remotior esset capacior ac magis disposita ad intensiorem formam, secundum multos reciperet intensiorem formam, & iuxta hoc aliqui limitant prædictum axioma, quę tamen limitatio necessaria ne sit an non, parum facit ad propositum.

*Dices* axioma illud intelligendum esse quantum ad initium actionis non vero si diu continuetur.

*Contra*, quia experientia, vt dixi, constat, quod si diu etiam continuetur agës calidum applicatum passo homogeneo, verbi gratia aëri, nunquam pars remotior redditur tam calida quam vicinior: ergo intelligi debet non solum quantum ad initium, sed quantum ad continuationem.

Incertum an agens possit perfecte assimilare passum penetratum.

23 *Probatur secunda pars conclusionis*, quia non habemus experientiam vllam de eo, quod fieret in casu penetrationis, nec rationem vllam euidenter concludentem alterutram partem; ergo incertum est, quod fieret in tali casu.

Probabilius quod non.

*Probatur tertia pars*, quia verisimile est agens, sicut limitatur ad non producendum tantum, quantum habet qualitatis in vlla parte corporis contigui, ita etiam determinari ad non producendum tantum in corpore penetrato secum: neque enim illa maior applicatio necessario infert oppositum.

Vniformiter assimilare passum penetratum.

*Probatur quarta pars*: quia omnes partes corporis penetrati sunt ęquè bene applicatę: ergo tantum debet producere in qualibet parte & consequenter non aget in ipsum vniformiter difformiter, sicut agit in passum, cuius partes non applicantur æquè aut eodem modo.

24 *Obicies contra primam partem*: passum contiguum est capax caloris vt sex, vt suppono, & calidum vt sex, est potens producere calorem vt sex: ergo tantum potest producere in passo contiguo.

*Confirmatur*: calidum, vt sex, potest producere naturaliter calorem vt sex in aliquo subiecto, nõ in alio potius quam in contiguo, aut continuo, quia naturaliter nihil potest melius ipsi applicari quam per contiguationem aut continuationem.

*Confirmatur* secundo, quia agens naturale habet inclinationem naturalem ad assimilandum sibi passum: ergo potest naturaliter illud assimilare aliquando, alias frustra esset inclinatio illa naturalis.

*Respondeo* negando antecedens pro secunda parte, cuius ratio desumenda est ex natura agentis naturalis, quæ determinatur ad non producendum in tali passo, quantum habet in se, vt colligitur ex fundamento conclusionis; & hinc negatur maior primæ confirmationis.

*Ad confirmationem secundam respondeo* distinguendo antecedens: ad assimilandum sibi passum in specie qualitatis, quam habet in se, concedo; in intensione & gradu, nego antecedens. Et sane si inclinaretur ad assimilationẽ in gradu, vt fatetur *Ruuius*, qui propterea putat quod assimilaret sibi perfecte corpus penetratũ, omnino deberet dici, quod posset æque aut potius assimilare corpus contiguum quam penetratum; quod ipse tamen negat: nã inclinatio naturalis potentiæ actiuæ debet potius posse reduci ad actum in casu aliquo naturaliter possibili, quàm in casu miraculoso.

25 *Obicies secundo*. Ignis potest producere dispositionem sufficientem ad formam ignis: sed illa dispositio est tantus calor, quantum habet ipsemet ignis: ergo ignis potest in passo tantum caloris producere & consequentet poterit perfecte sibi assimilare passum.

*Confirmatur*, quia ferrum candens habet tantum caloris quantum ignis, aliàs non posset comburere stupam: ergo ignis perfecte assimilauit sibi ipsum.

*Respondeo* negando minorem: minor enim calor sufficit ad disponendum.

*Ad confirmationem respondeo* distinguendo antecedens, si habeat ignem in poris, transeat; si non habeat negatur antecedens cum sua probatione: potest enim minor calor, quam ignis aut tale ferrum habet, sufficere ad disponendum subiectum aliquod ad formam ignis, suppositis cæteris conditionibus.

*Obicies tertiò*: potest agens perfectè sibi assimilare passum in forma substantiali: ergo & in forma accidentali, quæ est imperfectior.

*Confirmatur*, quia forma substantialis non videtur habere maiorem proportionem ad producendum per modum principij aliam formam similem, quam forma accidentalis.

*Respondeo*, negando consequentiam; quia experientia constat vnam posse, & alteram non posse, & propter hoc ipsum negatur antecedens confirmationis.

## QVÆSTIO V.

*Vtrum idem possit agere in seipsum actione vniuoca, & quomodo fiat actio per antiperistasin.*

Actio æquiuoca & vniuoca.

26 NOta, actiones alias esse *vniuocas*, alias *æquiuocas*. *Vniuocæ* sunt quibus agens producit aliquid eiusdem speciei cum principio suo productiuo formali, vt cũ calidum per calorem suum producit calorem in alio subiecto. *Æquiuocæ* sunt, quibus producitur aliquid diuersę speciei à principio formali productiuo; vt cum ignis per formam suam substantialem producit calorem, aut intellectus intellectionem, aut Deus creaturam, aut Sol ranam. Quæritur ergo vtrum posset idem agere in se ipsum, non actione æquiuoca; nam de hoc actum est in Physica; sed quæstio actione vniuoca; & non est difficultas vtrum hoc possit fieri secundum diuersas partes taliter, vt idem secundum vnam partem ageret in se ipsum secundum aliam; sed vtrum id posset fieri secundum vnam partem taliter, vt eadem esset mouens, & mota.

Sensus quæstionis.

### CONCLVSIO I.

27 *Idẽ non potest agere in se ipsum actione vniuoca nec perfectiua, id est actione qua produceret in se qualitatem sibi conuenientem; neque corruptiua, id est actione, qua produceret in se qualitatem disconuenientem; neque directa; neque reflexa.* Est communis cum *Secto in 1, disp. 3. quæstione 7.*

Idem non potest agere in se actione vniuoca vlla.

*Probatur*, quia si produceret aliquid in se actione vniuoca aliquam qualitatem, vel produceret aliquam qualitatem in se primo ita, vt nihil istius antea in ipso esset productum, vel ita vt non primo produceret, sed intenderet qualitatem iam antea productam: sed neutrum dici potest: ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia actio non esset vniuoca, quandoquidem principium formale istius productionis, non sit qualitas eiusdem speciei cum termino istius productionis. Probatur minor quoad secundam partem, tum quia quod non potest qualitatem primo producere, non potest eam intendere; tum etiam quia qua ratione calidum vt duo posset actione vniuoca intendere suum calorem, producendo tertium gradum, eadem ratione, cum iam esset calidum vt tria, posset facere se calidum vt quatuor, & consequenter vt octo, quod est absurdum secundum omnes.

*Obicies*: in æstate aqua inclusa in altis puteis de frigida facit se frigidiorem, ergo idem agit in se ipsum actione vniuoca.

*Respondeo*

*Respondeo*, negando antecedens. Vt autem intelligatur quomodo fiat aqua frigidior, veniendum est ad secundam partem quæstionis, pro qua intelligenda.

Nota quod Antiperistasis sit vox Græca Latine significans circumobsistentiam contrarij: vnde actio per antiperistasim est actio qua intenditur qualitas alicuius subiecti propter circumobsistentiã qualitatis contrariæ, quod dupliciter contingere potest. Primo cum intenditur qualitas innaturalis subiecto, vt calor aquæ in hieme augetur. Secundo cum intenditur qualitas naturalis subiecti; vt cum intenditur frigus aquæ in æstate.

## CONCLVSIO II.

Datur actio per antiperistasin.

28. *Datur actio per antiperistasin.* Est communis omnium Philosophorum & medicorum contra *Cardanum lib. 2. de subtilitate ad finem.*

*Probatur primo* authoritate Philosophi aperte id asserentis, 1. *Met. cap.* 1. & alibi.

*Secundo* experientia: sentimus enim aquam putealem calidiorem esse in hieme, quam in æstate, & è contra frigidiorem in æstate, quam in hieme.

*Respondet Cardanus*, negando hanc experientiam: dicit enim sensum decipi ita iudicantem. Et dicit deceptionẽ inde prouenire quod cum corpus sit calidius in æstate quam in hieme, existimet aquam sibi applicatam esse frigidiorem in æstate, quam in hieme. Sed multo, magis decipitur *Cardanus*, nam non solum sentimus aquam calidiorem in hieme, dum manus nostra calida est, sed etiam dum valde friget; & similiter in æstate quando frigemus etiam, sentimus aquam frigidiorem, quam in hieme.

## CONCLVSIO III.

Non fit per species intẽtionales.

29. *Intensio qualitatis in antiperistasi non fit per species intentionales tangibiles qualitatis, quasi hæ ex repercussione ad corpora qualitatibus contrariis affecta, redirent ad corpora, vnde primo emanarunt, & in iis, qualitates, quarum sunt species, augerent.* Est communis contra *Marsil. 1. de gen. quæst.* 18. & alios quosdam.

*Probatur*, quia si species tangibiles reflexæ frigoris aut caloris possent producere frigus aut calorem, etiam species tangibiles directæ id facere possent contra aduersarium. Probatur sequela à paritate rationis.

*Confirmatur*, quia nulla alia species accidentis aut substantiæ producit accidens aut substantiam, cuius est species: ergo species frigoris aut caloris nequeunt producere calorem, aut frigus.

*Confirmatur secundo*, quia species intentionales solum sunt productiuæ actus vitalis, & ad hoc solum ponuntur in rerum natura: ergo non possunt producere calorem aut frigus.

## CONCLVSIO IV.

Quomodo intenditur qualitas naturalis in antiperistasi.

39. *Qualitas naturalis in antiperistasi augetur per accidens quidem ob transpirationem exhalationum qualitatibus contrariis affectarum; per se vero tum ex naturali emanatione propriæ qualitatis, tum ex actione exhalationum propriarum, qua ob antiperistasin non transpirant: verbi gratia, propterea aqua putealis in æstate frigidior est, quam in hieme, quia exhalationes calidæ, quæ in ipsa remanebant tempore hiemali, transpirant per poros aquæ ad vicina corpora, & quia aqua remotis impedimentis illis reducit se ad naturale frigus, adiuuantibus exhalationibus frigidis, quæ propter circumobsistentiam corporum calidorum non transpirant.* Hæc conclusio est communis.

*Probatur*, quia assignatur in ea sufficiens ratio, ob quã qualitas naturalis possit intendi, obsidente cõtraria qualitate, & quia non potest assignari conuenientior ratio.

## CONCLVSIO V.

Quomodo intenditur innaturalis qualitas.

*Qualitas innaturalis intenditur ob antiperistasin per accidens quidem, quia exhalationes propriæ transpirant; per se vero, tum quia exhalationes affectæ simili qualitate à corporibus affectis opposita qualitate circumobsidentibus detruduntur ad corpus, cuius qualitas innaturalis intenditur; tum etiam quia exhalationes similes, quæ antecedenter erant in isto corpore ab antiperistasi, non possunt transpirare.* Hæc etiam est communis.

*Probatur* eadem ratione qua præcedens.

*Quæres primo*, cur exhalationes innaturales præualent exhalationibus propriis in antiperistasi.

*Respondetur*, quia sunt in multo maiori abundantia, transpirantibus vndequaque propriis, & confluentibus innaturalibus.

*Quæres secundo*, cur non fiat ordinariè actio per antiperistasin, nisi in loco remoto ab agente contrario ambiente.

*Respondetur*, quia agens illud contrarium à locis proximis repellit ad loca remotiora exhalationes sibi contrarias, & producit in iis qualitatem sibi naturalem.

*Ex his patet*, quantumuis detur actio per antiperistasin, idem tamen nunquam agere in se ipsum actione vniuoca, licet in antiperistasi naturali idem quandoque agat in seipsum actione æquiuoca.

# QVÆSTIO VI.

## *Vtrum detur reactio, seu vtrum agens agendo repatiatur à passo.*

31. REactio est alicuius patientis actio in illud ipsum, à quo patitur, & repassio est passio alicuius agẽtis ab illo, in quod agit. Potest autem repassio, & reactio contingere, & secundum eandem partem quæ agit, aut quæ patitur, & secundum diuersas partes; vt si eadem pars ignis, quæ agit in aquam, repateretur ab ea, aut si ignis calefaciens aquam secundum vnam partem, frigefieret ab ea secundum aliam partem. Posset etiam contingere reactio & repassio vel secundum contrarietatem, vt si agens producat in passo frigus, & passum in agente calorem; vel secundum duas contrarietates, vt si agens producat in passo calorem, passum vero producat in agente humiditatem. Non est autem dubium, quin posset dari reactio secundum diuersas contrarietates; sed tota difficultas versatur circa reactionem, & repassionem secundum easdem partes, & secundum eandem contrarietatem.

## CONCLVSIO.

Datur reactio secundum eãdẽ partem, & cõtrarietatem.

32. *Datur reactio secundum eandem partem & contrarietatem.* Est communis cum *Sceto dist. 44. q. 1. art. 1. & D. Thoma in 4. dist. 17. q. 1.* contra *Richardum Suetonium* nostrum, qui ob solertiam argumentandi calculatoriè, communiter *Calculator* per antonomasiam appellatur.

*Probatur primò* authoritate *Philosophi c. 5. text. 55.* & expresse 4. *de generat. animal. cap. 3.*

*Probatur secundò* experientia: nam ferrum calidum iniectum in aqua frigida calefacit aquam, à qua frigefit; & idem est de aqua calida immixta frigidæ, quæ in se inuicem agunt. Item glacies manu calida apprehensa frigefacit manum, à qua secundùm omnes partes calefit adeò, vt liquefiat.

*Probatur tertiò*, ratione à priori, quia corpus frigidum applicatum calido, habet virtutem producendi frigus in ipso, & corpus illud calidum habet virtutem producendi calorem in corpore illo frigido: ergo quando applicantur sibi sufficienter, agunt in se mutuo, & consequenter datur reactio.

*Confirmatur*, quia aliàs non fieret mixtio, quod est absurdum. Probatur sequela, quia mixtio fit per hoc, quod elementa agant in se mutuo, & attemperent qualitates suas.

33. *Obiicies*: sequeretur quod idem moueretur motibus contrariis. Probatur sequela à *Calculatore* sic: sit ignis bipalmaris, cuius medietas tantum agat in passum aliquod frigidum, & ab eodem passo repatiatur, reliqua vero pars ignis sit extra sphæram passi, & non patiatur consequenter ab eo. Tunc sic, illa medietas ignis si repatiatur à passo, mouebitur ab ipso ad frigus & in eodem ipso tempore mouebitur à parte non repassa ignis ad calorem: pars enim non repassa aut melius, aut saltem æque bene applicatur parti repassæ, ac passum, & consequenter tam poterit producere calorem in illa parte, quam passum poterit producere frigus. Hoc est funda-

mentum *Calculatoris*, in quo soluendo tantam difficultatem inueniunt Authores, vt vnusquisque alterius solutione reiecta, propriam excogitare voluerit sic, vt tot sint solutiones quot Authores qui nostram conclusionem tenent, quibus omnibus impugnatis facile sibi respondere videtur

*Auersa respondet* concedendo sequelã, quam non putat absurdã: Sed re vera non vidit aut saltem non effugit difficultatem: nam quamuis non sit absurdum, quod idem simul moueatur motibus diuersis ad qualitates contrarias in gradibus, in quibus sunt compossibiles, tamen, vt ipse *Auersa* fatetur & ex se manifeste patet, non potest simul moueri ad illas in gradibus incompossibilibus: argumentum autem vult hoc, non primum.

*Itaque respondeo* negando sequelam, quia prius debet frigidum producere frigus in illa parte repatiẽte, quam pars ignis non repassã agat in ipsam: ergo non patitur simul pars repassa à passo frigido, & à patte non repassa.

Probatur antecedens, quia pars non repassa non potest agere in partem repassam, nisi inueniat ipsam dissimilem: non fit autem dissimilis, nisi par actionem passi producentis frigus in ipsa: ergo prius debet frigefieri à passo, quã pars non repassa poterit agere in ipsam. Quod si supponatur pars repassa habere septem gradus caloris, & tam passum esse applicatum ad producendum secundum gradum frigoris, quam partem non repatientem ad producendum vnum gradum caloris; tum dico potentiùs habiturum effectum; & si sint æque potentia, vel neutrum productum aliquid, vel determinandum à Deo quodnam ex ipsis debet producere.

34 *Simile huic est aliud argumentum*, quod proponunt sibi *Complutenses*; si ignis dum ageret in aquam medio aëre, simul repateretur ab aqua, medio eodem aëre, aër deberet calefieri ab igne & frigefieri ab aqua, & sic moueretur motibus contrariis.

*Respondent Complutenses* in aëre illo intermedio assignandam esse partem determinatam ipsius cuilibet ex agentibus contrariis, maiorem vel minorem, iuxta maiorem vel minorem actiuitatem cuiusque; vnde duo illa contraria agentia non agent simul in eandem partem istius medij; sed vnum in vnam partem & alterum in alteram; & quando alterant suas partes, tum quodlibet ex illis facit vnum agens cum sua parte & sic immediate in se inuicem agunt & reagunt, nec mouent idem motibus contrariis.

Facilior respõsio.

*Hæc responsio forte in re est bona, sed facilius respondetur*, non esse inconueniens, quod idem moueatur motibus diuersis ad qualitates contrarias in gradibus, in quibus compatiuntur se inuicem naturaliter; in casu autem argumenti aliud non sequeretur de aëre medio inter igne m & aquam.

35 *Quæres*, an omne agens dum agit in passum, ab eodem passo repatiatur.

An omne agens agendo repatiatur.

*Respondeo primò* non esse dubium, quin agens spirituale, verbi gratia Angelus, possit agere, mouendo corpora, absque eo quod patiatur ab ipsis; & quin etiam agentia naturalia possint producere species intentionales in subiectis, à quibus non patiuntur. Vnde difficultas est tantum; an quando agens agit in passum producendo in ipso aliquam qualitatem contrariam qualitatibus passi, semper ab eodem passo repatiatur recipiendo ab ipso aliquem gradum contrariæ qualitati suæ. In hoc ergo sensu

Resolutio affirmatiua.

*Respondeo secundò* cum communi sententia affirmatiue, contra *Arriagam disp.... num.* 19.

*Probatur manifeste*, quia illud passum est applicatum tam sufficienter, vt agat in agens illud, quam vt patiatur ab ipso, & est causa naturalis naturaliter productiua talis formæ, qualem in se habet in quocumque subiecto capaci: sed agens est subiectum capax: ergo.

*Confirmatur* respondendo ad rationes huius authoris.

*Obiicies ergo primò*: stupa habens septem gradus caloris, & vnum frigoris applicatum igni, patitur ab igne & non agit in ignem: ergo falsa est nostra resolutio.

Probat antecedens quoad primam partem, quia recipit ab igne octauum gradum, quo disponitur ad formam ignis.

Probatur etiam quoad secundam partem, quia in eo instanti, in quo applicatur & deberet agere in ignem per illum gradũ frigoris non habet illum gradum frigoris: nam in eodem instanti producit ignis octauum gradum, quo expellitur ille vnicus gradus frigoris.

*Respondetur*: hoc argumentum supponere falsum, nimirum gradus intensionis esse indiuisibiles, cum tamen quilibet ex illis sit diuisibilis in infinitum.

*Sed respondeo in forma*, negando antecedens, quoad secundam partem: & ad eius probationem dico quod in eo instanti, quo applicantur, non tollatur gradus frigoris, sed in tempore sequenti tollitur successiue, & successiue etiam per illum reagit in ignem.

36. *Obiicies secundo* nulla est necessitas fingendi dependentiam agentis à reactione: ergo.

Probatur antecedens; licet enim quando passũ habet fortem qualitatem, reagat; tamen non est necesse vt semper habeat tam fortem qualitatem, vt possit reagere.

*Confirmatur*, quia non est credibile exiguam stupam in maximum ignem proiectam infrigidare illum: ergo.

*Respondeo*, negando antecedens, & ad probationem dico, quod sicut quando passum habet fortem qualitatem, fortiter reagit: ita quando habet minus fortem, minus fortiter reagit; nec vnquam habet tam debilem quin aliquo modo reagere possit.

*Ad confirmationem Respondeo*, negando antecedens: cum enim habeat aliquid actiuitatis, & ignis quantumuis magnus possit aliquantulum pati, cur non ageret in illũ?

# DISPVT. XXVI.

## *De nutritione, augmentatione, rarefactione, condensatione.*

DE omnibus his actionibus, quæ conducere solent ad generationes, & corruptiones rerum corruptibilium, hac vnica disputatione agendum est.

## QVÆSTIO I.

### *An, & quid sit Nutritio.*

1. NVtritio duas potissimum significationes habet.

*Primo* significat conuersionem alimenti in propriam substantiam, & sic non solum viuentia corpora, sed etiam non viuentia nutriuntur; vnde ignis dum conuertit lignum in propriam substantiam, dicitur consequenter nutrire se. Duplex nutritio.

*Secundo* propriùs significat conuersionem nutrimenti, quæ virtute vitali fit, id est virtute intrinseca viuentis, & de nutritione hoc modo accepta in hac disputatione agimus.

### CONCLVSIO I.

*Nutritio est aggeneratio vnius partis substantialis ad aliam factam per virtutem viuentis transmutantis materiam alimenti in suam substantiam, seu mutatio substantialis facta virtute vitali viuentis, per quam materia alimenti mutatur ex priuatione formæ substantialis nutriti viuentis ad illam, & simul coniungitur integraliter cum nutrito.* Hæc est in re communis, patetque veritas eius ex declaratione. Quid nutritio proprie dicta.

Dicitur *mutatio substantialis*, vt distinguatur ab augmentatione, & alteratione, quæ cum habent pro termino ad quem accidens, dicuntur accidentales: significatur autẽ hæc particula in priori descriptione per ly *aggeneratio*, per quod intelligitur quod nutritio sit generatio quædam, & consequenter sit mutatio substantialis.

Dicitur *facta virtute vitali agentis*, vt excludatur nutritio primo modo sumpta. Reliqua ponuntur, vt distinguatur

guatur à generatione, per quam viuens producit sibi simile, sed non aggenerat illud sibi, hoc est non coniungit secum illud integraliter.

## CONCLVSIO. II.

Datur nutritio.

2. *Datur huiusmodi nutritio.* Est *Scoti* 1. *d* 47. *quæst.* 1. *Rub. cap.* 5. *quæst* 1. *de augmentatione*; & communis *contra Magist.* asserentem viuens nunquam acquirere nouam substantiam, sed cum ea, quam accepit à parentibus, semper perseuerare; cibo tamen indigere, non vt conuertat illum in propriam substantiam, sed vt sit pabulum caloris naturalis, ne deficiente alio pabulo ageret in propriam viuentis substantiam, eamque consumeret.

*Probatur conclusio primò* authoritate Philosophi *primo de generatione cap.* 5.

*Probatur secundò* ratione, quia certum est per actionem caloris naturalis hominem & cætera alia non solum deperdere aliquid sanguinis sui, sed etiam carnis, vt manifeste videtur in grani infirmitate: ergo si non repararetur iste sanguis, & caro, præterquam quod valde cito deficeret, nunquam conualesceret ex infirmitate, nec ad pristinum statum perueniret: sed illa restauratio fit per nutritionem: ergo datur nutritio.

*Confirmatur*, quia euidens est quod homo crescat, & decrescat in substantia: sed non potest explicari quomodo hoc fiat, nisi perdendo, & acquirendo aliquas partes substantiales: ergo datur talis acquisitio, & consequenter nutritio.

*Dices primò*, hominem crescere per rarefactionem substantiæ à parentibus acceptæ.

*Contra*, quia sic, cum perueniret aliquis ad magnam molem, ipsius substantia esset valde tenuis & multo minus solida quam substantia pueri; quod est absurdum, & contra experientiam.

*Dices secundò*, homo fit maior per acquisitionem nouæ quantitatis in eadem ipsa substantia, quæ antea erat sub minori quantitate.

*Contra*, quia nil potest acquirere nouam quantitatem sine nouis partibus substantialibus, quin saltem rarefiat: sed homo dum crescit, non rarefit: ergo.

*Probatur tertiò*, quia æquè perfecta est vis vegetatiua in homine, ac in brutis: ergo sicut bruta nutriuntur secundum Aduers. ita dicendum est de homine.

*Confirmatur*, quia propterea iudicamus bruta propriè nutriri, quia videmus ipsorum corpora augeri mediante comestione: sed idem videmus de homine: ergo.

3. *Obijcies primò* dictum illud Christi, *Quod intrat in os, non coinquinat animam, sed vadit per secessum*: ergo non conuertitur in substantiam.

*Respondetur*, distinguendo consequens: secundum partes impuriores, concedo, secundum partes puriores, nego consequentiam.

*Obijcies secundò*, si conuerteretur materia alimenti in substantiam hominis aliti, deberet anima rationalis vniri isti materiæ virtute potentiæ nutritiuæ: sed hoc est falsum: ergo. Probatur minor; quia potentia nutritiua, cum sit corporea, non potest attingere vnionem animæ, cum sit spiritualis.

*Respondetur*, si potentia generatiua non obstante corporeitate sua producat vnionem animæ cum corpore in generatione, potentiam nutritiuam posse similiter producere vnionem animæ ad partem corporis nutritione acquisitam. Quod si potentia generatiua non poterit nec debeat id facere, idem dicendum erit de nutritiua; vnde quidquid dixerint aduersarij de illa, nos dicemus de hac. In rei tamen veritate probabilius est, quod vnio animæ producatur à solo Deo tam in generatione, quàm in nutritione.

Quomodo fit nutritio.

5. *Quæres*, quomodo fiat nutritio. *Respondeo* multas mutationes intercedere in nutritione: nam in primis cibus alteratur in ore per contritionem & admixtionem saliuæ; inde autem delatus ad stomachum calore naturali eiusdem, adiuuantibus etiam vicinis partibus, præsertim hepate, concoquitur, & in massam quandam, quam chylum Medici vocant, transformatur; cuius chyli per intimum stomachi orificium ad ima detrusi, & per intestina, flexuosa circuitione deducti, perfectissima pars per venas massaraycas sugitur, & reliquis partibus per secessum transmissis, trahitur ad iecur, à quo amplius depurata conuertitur in chimum, quæ est massa quædam aggregata ex quatuor humoribus, scilicet sanguine, pituita seu flegmate, flaua bili seu colera, & atra bili, seu melancholia. Ex quibus flaua bilis in folliculum fellis, qui ad iecoris portas situs est, coniicitur; & atra bilis ad splenem amandatur; pituita proprium receptaculum non habet, sed deseruit tanquam vehiculum ad deferendum sanguinem per vniuersum corpus, & ad humectandos artus, ne frequenti agitatione arefiant. Sanguis denique per venam, quæ caua magna dicitur, ad omnes partes corporis deducitur, & ex ipso vnaquæque pars aliquam partem conuertit in suam substantiam. In hac autem conuersione consistit ipsa nutritio formaliter loquendo & realiter: nam si hæc sola fieret, nutriretur viuens, quamuis reliquæ mutationes non præcessissent; non autem nutriretur, si hæc non fieret, quamuis reliquæ adfuissent.

An nutritio distinguatur essentialiter à generatione.

5. *Quæres secundo*, an nutritio distinguatur essentialiter à generatione.

*Respondeo*, affirmatiuè, quia nutritio est actio, per quam vitaliter coniungit vna substantia alias partes nouas sibi: generatio autem non est talis.

*Dices* terminum nutritionis esse formam substantialem aggeneratam: sed illa forma est eiusdem rationis cum forma substantiali producta per generationem: vt patet in nutritione equi: ergo non distinguuntur specie nutritio & generatio equi: quia actiones non distinguuntur specie, nisi termini earum sic distinguantur.

*Respondeo*, distinguendo maiorem: vt aggenerata, hoc est producta secundum se, & continuata cum substantia nutrita, concedo maiorem; secundum se præcise, aut secundum quod producitur præcise, nego maiorem. Distinguo similiter minorem; secundum se præcise, concedo minorem; vt aggenerata, nego minorem & consequentiam.

Terminus nutritionis est substantia vt habet rationem partis.

*Quæres tertiò*, an terminus nutritionis sit substantia viuentis, vt intra lineam substantiæ habet rationem partis. Hanc difficultatem fusissimè examinant *Complutenses hic quæstione tertia*, & defendunt partem negatiuam, quia putant substantiam non habere partes entitatiuas ex se, sed à quantitate. At ex dictis in Logica de quantitate satis constat hoc esse falsum: Vnde absolute tenenda est pars affirmatiua, quæ sane mihi tam euidens apparet, vt mirer homines doctos de ea dubitare posse: nam tam certum est, quâ dari nutritionem, quod per nutritionem aliquid substantiale acquiratur, quod ante acquisitum non fuit, & illud esse distinctum realiter ab eo, quod ante acquisitum fuit: alias ante fuisset; & deinde illud coniungi cum eo, quod ante fuit: ergo facit aliquod totum cum illo quod ante fuit, cuius totius ipsum est pars. Sed non est perdendum tempus in rei manifestissimæ probatione, videantur dicta in Logica de quantitate.

## QVÆSTIO II.

### *Vtrum viuens maneat idem numero toto tempore quo viuit.*

6. RAtio difficultatis est, quia per actionem caloris naturalis & aliorum agentium, tam internorum quàm externorum, certum est, quod viuentia deperdant aliquid suæ substantiæ, & quod per nutritionem acquirant sibi nouas partes substantiales, aliquando maiores, quàm perdiderunt, aliquando æquales, aliquando minores. Cum ergo secundum omnes partes hoc modo consumantur & reficiantur viuentia, dubium est, vtrum si diu viuat aliquod viuens, aliqua pars ex illis, quas accepit à generante, in fine vitæ permaneat. Et quidem, quantum ad homines, cum semper maneat anima rationalis eadem, quæ est eorum præcipua pars, quamuis

succederent aliæ & aliæ partes corporis, nec maneret aliqua pars ipsius recepta à parentibus, posset dici bene quod maneant iidem homines secundum partem principaliorem; & ita etiam posset responderi de animantibus perfectis, si, vt multi sentiunt, habeant animas indiuisibiles, de quo postea: Sed cum secundum omnes animalia imperfecta & plantæ habeant animas diuisibiles, de iis principaliter procedit hæc difficultas.

*Sed prima sententia* est, huiusmodi animalia esse eadem numero secundum formam seu animam, non secus ac, si haberent animam indiuisibilem, quia semper eadem forma producta à generante manet inuariata, nec aliqua pars ipsius, aut per calorem naturalem, aut aliunde deperditur, aut per nutritionem acquiritur; sed solum partes materiæ informatæ per illam formam perduntur, & aliæ partes materiæ acquiruntur, quæ per eandem ipsam informantur.

*Secunda sententia* est quod licet reuera aggeneretur per nutritionem non solum pars noua materiæ, sed etiam formæ; tamen in viuente quolibet reperiuntur aliquæ partes, quæ semper remanent in ipso, & ratione quarum dicatur manere idem numero quamdiu viuit. Vnde iuxta hanc sententiam admittenda sunt in viuentibus duo genera partium integralium: nam quædam sunt *fluentes*, & hæ per calorem naturalem paulatim extinguuntur, & reficiuntur per nutritionem; quædam vero *permanentes*, quas non consumit calor naturalis, sed semper integræ, & saluæ permanent.

*Si vero quæratur* ab iis, quænam sint partes illæ fluentes, & quænam permanentes.

Respondent aliqui, quos citat, & sequitur *Toletus*, permanentes esse spermaticas, quæ scilicet immediatè generantur ex semine, & ex quibus immediatè generatur substantia primo producta per generationem; partes vero fluentes esse nutrimentales, illas scilicet, quæ nutritione acquiruntur, & adduntur primis. Alij vero, vt *Philoponus & quidam Recentiores*, dicunt, partes permanentes esse partes solidiores, vt sunt ossa, nerui, cartilagines; partes vero fluentes esse partes molliores, vt caro.

## CONCLVSIO I.

In nutritione acquiritur noua pars materiæ, & formæ.

7. *IN nutritione viuentium, quorum animæ sunt diuisibiles simul cum noua parte materiæ, acquiritur noua pars animæ.* Est communis cum *Scoto in 4. d.44.q.1. Conimb. 1. de generatione c.5.q.12.art.2. & Rubio ibidem q.9.* contra *Albert. Magnum & paucos alios.*

*Probatur*, quia anima diuisibilis ita informat corpus, vt sit tota in toto, & pars in parte taliter, vt non sit eadem pars animæ, quæ informat duas partes materiæ seu corporis; sed vt cuilibet parti corporis correspondeat propria pars animæ; & per hoc distinguuntur huiusmodi animarum informationes ab informationibus animarum indiuisibilium: ergo pars materiæ, quæ nutritione producitur, debet informari per partem animæ, quæ non informat aliquas alias partes materiæ, & consequenter debet produci de nouo aliqua pars animæ. Probatur hæc consequentia, quia alias illa pars materiæ non informaretur ab anima, contra veritatem, & ipsos etiam Aduersarios.

*Confirmatur primo*, quia anima diuisibilis, & materialis educitur de potentia sui subiecti, & consequenter dependet in esse, & fieri ab ipso: ergo pereunte parte subiecti, perit etiam pars animæ correspondens ipsi, & producta de nouo alia parte subiecti, debet etiam produci de nouo aliqua pars animæ.

*Confirmatur secundo*, quia sicut tota anima materialis non migrat de subiecto in subiectum: ita nulla pars ipsius potest migrare de vna parte subiecti ad aliam: eadem enim est ratio de toto & de parte quantum ad hoc: ergo pars animæ materialis, quæ informauit partem corporis destructam, non informat postea partem corporis de nouo productam per generationem.

*Confirmatur tertiò*, quia qua ratione aduersarij dicerent eandem partem animæ, quæ informauit partem corporis per generationem primo productam, etiam informare partes corporis frequentibus nutritionibus acquisitas, quæ sæpè duplo excedunt partes primo productas, eadem ratione posset dici quod pars animæ informans caput, informet etiam pedem, & consequenter tolleretur diuisibilitas animæ, quod est absurdum & contra aduersarios.

8. *Obijcies*: Philosophus ait, id quod nutritur manere secundum partes formales easdem, non vero secundum materiales. Sed hoc non esset verum, si acquireretur aut perderetur aliqua pars formæ: ergo, &c.

*Respondetur*, Philosophum vel loqui *ibi* de nutritione perfectorum animalium, quorum animæ, ex suppositione quod essent indiuisibiles, non paterentur incrementum aut decrementum, vel intelligere per partes formales, partes secundùm rationem specificam; per partes vero materiales, partes secundum rationem indiuidualem: nam cum partes nutritione acquisitæ, sint eiusdem rationis specificæ cum partibus deperditis, licet sint diuersæ numero ab ipsis, sequitur quod nutritum semper habeat partes formales, nequaquam vero materiales easdem.

*Posset etiam dici cum Scoto*, quod per partes formales, seu secundum formam intelligat partes illas totius, quæ habent tantam actiuitatem vt possint resistere agenti destruenti; & per partes materiales, seu secundum materiam, partes illas, quæ non habent talem actiuitatem, & propterea destruuntur; ideo autem illæ vocantur partes secundum formam: & hæ secundum materiam, quia formæ est agere & materiæ pati.

## CONCLVSIO II.

Partes spermaticæ non permanent semper eædē nec partes solidæ.

9. *Partes spermaticæ non manent integræ & inconsumptæ in viuente toto tempore vitæ eius, nec etiam partes solidiores, vt ossa.* Hæc est *Scoti & Rubij* supra.

*Probatur* authoritate *Philosophi* expresse dicentis *primo de generatione cap. 5.* quod sicut in augmentatione quælibet pars viuentis augetur, ita & in diminutione quælibet pars eius diminuitur. Sed omnes partes tam spermaticæ quam solidiores augentur in nutritione, vt fatentur aduersarij, & constat experientia; ergo in diminutione quælibet pars, siue spermatica, siue solida, siue mollis, siue nutrimentalis, diminuitur & consequenter non manent integræ & inconsumptæ.

*Probatur specialiter prima pars*, quia partes spermaticæ sunt eiusdem rationis cum nutrimentalibus: ergo sicut hæ consumuntur & fluunt; ita & illæ, præsertim cum calor naturalis & etiam infirmitates consumentes æquè applicentur ipsis.

*Deinde* si non consumerentur partes spermaticæ, pueri non indigerent nutritione, nisi vt augerentur, sed hoc est falsum: sequela patet.

Probatur minor quia constat experientia, quod si non acciperent nutrimentum, non solum non augerentur, sed etiam omnino perirent: ergo falsum est quod ad augmentum solum indigeant nutritione.

10. *Probatur etiam specialiter secunda pars*, quia illæ partes solidæ, non secus ac molles, nutriuntur per totam vitam, vt fatentur Aduersarij, & tenet expresse Philosophus: ergo semper crescerent, nisi aliqua ex illis consumeretur, quod est contra experientiam.

*Confirmatur*, quia certum est, quod hæ partes sunt corruptibiles: ergo quandoquidem sæpè applicetur ipsis causa corruptiua, saltè quoad aliquas partes, cōsumūtur.

*Nec obest*, quod in infirmitate hominis quando caro multum extenuatur, non aduertatur diminutio ossium. *Quia* hinc solum sequitur, quod non diminuantur tam facile partes solidiores, quam molliores; vel quod non requiratur nutrimentum externum pro conseruatione partium istarum solidarum, sicut requiritur pro conseruatione carnis.

*Obijcies*: si in progressu nutritionis aliæ & aliæ partes nouæ acquirantur deperditis antiquis, non senescceret homo vuquam; quia in fine multorum annorum haberet partes nouas, & non antiquas.

*Respondetur* negando sequelam: nam calor naturalis ex continua actione debilitatur, & nō potest tam bene conseruare partes hominis, quàm in initio vitæ, nec tam

bene

bene cooperati ad digestionem alimenti, eiusque cõuersionem in substantiam aliti; hinc autem senescit homo, quamuis quotidie nouas partes acquirat.

*Dices*: sicut debilitatur calor in ordine ad conuersionem alimenti: ita etiã debilitatur in ordine ad consumptionem substantiæ viuentis: ergo non obstante ista debilitate caloris, si acquirantur nouæ partes, non senescet viuens.

*Respondetur* negando consequentiam, quia licet debilitetur in ordine ad vtramque, facilius est tamen ipsi consumere quam conuertere. Et certe Aduersariis etiam est respondendum ad hanc difficultatem, si quæratur ab ipsis, cur plures partes nouæ materiæ, aut plures partes fluidæ acquirantur à viuentibus in principio, & medio vitæ, quàm in senectute.

## CONCLVSIO III.

11. *Quamuis nutritum non haberet in fine vitæ vllam partem acquisitam in generatione primaria, erit idem numero in fine vitæ quod fuit in initio, non quidem physicè, sed moraliter ratione continuationis partium, & modi quo deperduntur & acquiruntur.* Hæc est communis cum *Scoto supra*: & *probatur* ex communi hominum sensu, qui pro vno numero reputant id, quod habet talem continuationem: nam fluuius censetur idem numero ex tali continuatione, & nauis, quæ reficeretur semper successiue per adiunctionem vnius partis ad aliam cũ tali cõtinuatione, censetur vna numero, etiam si tandem non haberet vllam partem ex iis, quas habuit in initio.

# QVÆSTIO III.

## *Quid sit augmentatio, & quomodo à nutritione distinguatur.*

Variæ acceptiones augmẽtationis.

12. AVgmentatio varie sumitur, largissimè, prout significat quemcumque motum seu mutationem, per quam aliquid crescit seu augetur in quocumque genere, siue in quantitate, siue in qualitate; & in hoc sensu dicitur calor augeri tam secundum extensionem, quàm secundum intensionem; & homo dicitur crescere in virtute, vel vitiis. *Secundò* minus large, prout significat mutationẽ, per quã acquiritur pars integralis substantialis; quæ rei alicui quomodocũque superadditur, & sic dicitur aqua augeri, infusa alia aqua, vel etiam vino. *Tertiò* demũ accipitur strictiùs, & propriùs quantum ad præsentem materiam, prout significat mutationẽ, qua acquiritur quãtitas maior ex conuersione alimenti vitaliter facta: & in hoc sensu hic agimus de augmentatione, ad eamque tres præcipuè cõditiones requirit Philosophus: *primo de generatione tex.* 32. *Prima* est, quod res aucta maneat, postquam aucta est, eadem numero, quæ fuit antea. *Secunda*, quod res augeatur ob accessionẽ alicuius materiæ extrinsecus aduenientis. *Tertia*, quod res augeatur secundum omnes suas partes.

Tres cõditiones ad augmẽtationem requisitæ.

## CONCLVSIO I.

Descriptio augmẽtationis.

13. *Bene definitur augmentatio quod sit mutatio rei ad maiorem quantitatem per intus susceptionem vitaliter factæ.* Ponitur *mutatio* pro genere, in quo conuenit cum generatione, alteratione, & latione. Dicitur, *ad quantitatem*, vt distinguatur à cæteris illis mutationibus. Additur, *ad maiorem*, vt distinguatur à mutatione, qua viuens acquireret quantitatem, sed minorem, vel æqualem cum quantitate deperdita; per talem enim mutationẽ viuens non augeretur. Dicitur denique *per intus susceptionem vitaliter factæ*, vt distinguatur ab augmentatione secundo modo facta.

Per hæc patet *ad primam partem quæstionis*. Vt autem resoluatur secunda, *aduertendum est*, dum viuens augmentatur, ipsum acquirere & nouam partem substãtialem maiorem, quam perdiderat ante per actionem caloris naturalis, & præterea quantitatem maiorem correspondentem isti maiori parti substantiali; & eodem modo etiam, dum nutritur, acquirit partem substantialem nouam, & quantitatem correspondentem.

*Rursus aduertendum est*, quòd nec in sententia nostra, & *Thomistarum*, qui subiectamus quantitatem in toto composito, nec in sententia recentiorum communiori, qui subiectant ipsam in materia prima, & faciunt ipsam illi coæuam, sit necessarium, vt agens producens substãtiam de nouo, aut aggenerans partem substantialem nouam habeat actionem immediate terminatam ad producendam quantitatem: nam in sententia recentiorũ quãtitas omnis est coæua materiæ, & consequenter non debet produci de nouo magis, quam ipsa materia; in sententia vero nostra ipsa substantia de nouo producta sufficienter est productiua quantitatis in se absque concursu immediato causæ effectiuæ alterius.

*His suppositis*, non est dubium quin nutritio, qua non acquireretur maior pars quam deperdita, sit distincta realiter ab actione illa, qua acquireretur maior pars, sed difficultas est, an siue in nutritione, qua non ocquiritur maior pars, siue in illa, qua acquiritur, sint duæ actiones realiter distinctæ, quarum vna terminatur ad partẽ substantialem acquisitam siue maiorem, siue minorem, & altera ad quantitatem.

## CONCLVSIO II.

14. *Si capiatur nutritio & augmentatio actiuè pro actione per quam viuens nutrit, & augmentat se ipsum, non sunt duæ actiones realiter distinctæ.* Hæc videtur esse de mente *Marsilij de generatione q.* 10. *Alb. de Saxonia* 16. *q.* 9. *Veneti ibidem c.* 6. *Vallesij controu.* 29. contra *Complutenses hic disp.* 5. *num.* 14.

Augmentatio, & nutritio non sunt duæ actiones realiter distinctæ.

*Probatur*, quia quantitas siue subiectetur in materia prima, siue in toto composito, non producitur à nutriente, aut augmentante se: ergo nutriens non habet duas actiones, quarum vna terminetur ad substantiã, & altera ad quantitatem, & consequenter nutritio, & augmentatio actiuè sumptæ non sunt duæ actiones.

*Confirmatur*, quia eo ipso, quo viuens habet actionem acquisitiuã maioris partis substantialis, absque vlla alia actione acquirit maiorem quantitatẽ: ergo præter actionem illam substantialem nõ est dicendum, quod habeat aliam terminatam ad quantitatem; sed potius dicendum est quod eadem actio, quatenus per eum acquiritur immediate, & per se, pars maior substantialis, vocetur nutritio, & quatenus ad eam sequitur acquisitio maioris quantitatis, vocetur augmentatio; & hoc ipsum videtur doceri à *Philosopho hic cap.* 5. dum ait nutritionem, & augmentationem ratione tantum differre.

15. *Obijcies*: termini harum actionum sunt distincti realiter, quantitas, verbi gratia, & substantia: ergo ipsæmet distinguuntur realiter; quia quando termini distinguuntur realiter, actiones etiam sic distingui debent.

*Confirmatur*, quia potest acquiri pars substantialis sine acquisitione quantitatis: ergo nutritio, & augmentatio sunt separabiles, & consequenter distinguuntur realiter.

*Respondeo* negando suppositum antecedentis, quod scilicet sint plures actiones.

*Dices* vna actio non potest terminari ad duos terminos realiter distinctos: ergo cum sint hi duo termini realiter distincti, debent esse duæ actiones.

*Respondeo* negando consequentiam, quia illi duo termini non producuntur à nutriente; vnde non debet habere duas actiones ad illas terminatas.

*Respondeo secundo*, distinguendo antecedens: immediate transeat; immediate ad vnum, & mediate ad alterum, nego antecedens.

*Ad confirmationem respondeo* negando consequentiam, loquendo de ipsis actiuè; quia licet hinc sequatur, quod nutritio vt nutritio distinguatur realiter ab augmẽtatione, non tamen sequitur quod sint duæ actiones realiter distinctæ, quarũ vna sit nutritio, & altera augmentatio: nam vnica actio potest nunc habere denominationẽ augmentationis, & nunc non habere; habere quidem quãdo sequitur ad ipsam quantitas, non habere vero, quando non sequitur.

*Dices*: si potest esse actio nutritiua quin sequatur quãtitas: ergo debet esse alia actio, per quam sequatur, & consequenter erunt duæ actiones.

*Respondeo* distinguendo sequelam: in nutriente, vel augmentante se, nego; in alio aliquo, transeat. Itaque

non nego quin, vt augmentetur quis, debeat necessario interuenire actio distincta ab actione, qua viuens aggenerat sibi partem substantialem: nam debet sine dubio esse actio illa, per quam producitur de nouo quantitas à composito de nouo producto, vel actio continuatiua quantitatis, quæ est coæua materiæ; sed negat conclusio duas actiones debere esse in nutriente, per quas nutriat & augmenter se.

16. *Obiicies secundò*: augmentatio consistit formaliter in actione, per quam viuens coniungit suæ quantitati maiorem quantitatem: sed illa actio est in viuente augmentante se, & distinguitur ab actione, quæ terminatur ad substantiam aggeneratam, quandoquidem hæc posset esse absque: illa ergo nutriens, dum augmentat se, habet duas actiones realiter distinctas.

*Respondeo* nutriens non debere habere actionem particularem, per quam coniungat sibi quantitatem distinctam ab actione, per quam coniungat sibi partem substantialem, in qua est quantitas subiectata, siue in materia istius partis, siue in tota illa parte; nam eo ipso, quo coniungit secum substantiam illam, coniungit secum omnia coniuncta isti parti.

*Vnde in forma respondeo*, permissa maiori, negando minorem pro secunda parte, ad cuius probationem dico quod quamuis possit actio coniungens substantiam esse absque eo quod coniungatur quantitas; tamen non inde sequitur, quod detur alia actio in nutriente, per quam coniungat sibi quãtitatẽ; sed solum sequitur quod actio coniunctiua substantiæ non habeat à se ipsa præcise esse etiam actio coniunctiua quantitatis absque dependentia ab aliqua conditione.

*Dices*: nullam conditionem sufficere posse absque alia actione nutrientis: ergo.

*Respondeo* negando antecedens: nam sufficit pro conditione, quod quantitas inhæreat parti illi substantiali, quæ conditio haberi potest absque eo, quo nutriens, & augmentans se habeat aliam actionem, vt patet.

## CONCLVSIO III.

Nutritio fit successiue & cõtinuę.

17. *Si capiatur nutritio, & augmentatio passiuè, pro respectu, à quo habet, & substantia nutriti præcedens nutritionem coniungi cum parte substantiali aggenerata per nutritionem, & quantitas ipsius coniungi cum quantitate in ea parte subiectata, sunt mutationes realiter distinctæ.*

*Probatur*, quia reuera quantitas præcedens vnitur immediate quantitati de nouo acquisitæ sic, vt posset cum ipsa manere vnita, quamuis destrueretur vtraque substantia, & etiam substãtia præcedẽs vnitur parti substantiali acquisitæ sic, vt posset sic manere vnita, quamuis destrueretur vtraque quantitas: ergo quantitas præcedens habet respectum vnionis particularis ad quantitatem acquisitam distinctam realiter à respectu vnionis, quem habet substantia præcedens ad partem substãtialem de nouo acquisitãm; & cõsequenter si capiatur nutritio, & augmentatio pro his respectibus, erunt mutationes realissime distinctæ. Et iuxta hoc forte posset reconciliari diuersæ sententiæ, quæ sunt de distinctione reali nutritionis, & augmentationis, dicendo quod qui volunt eas distingui, loquantur in sensu huius conclusionis; qui vero nolunt, in sensu præcedẽtis cõclusionis.

# QVÆSTIO IV.

*Secundum quas partes viuentis fiat augmentatio.*

18. Certum est experientia, quod nullum sit membrũ viuentis, nec caput, nec pes, nec os, nec vena, quæ non indigeat nutrimento, & non crescat, ac augmẽtetur vsque ad determinatam aliquam ætatis periodum. Vnde corpus viuentis ita est à natura formatum, vt plenum sit poris, & venis vndequaque versum, per quos sanguis ex cibo post plurimas alterationes generatus ad omnes eius partes deferri possit ad quamlibet iuxta indigentiam suam, admirabili seruata proportione.

Quia ergo membra viuentiũ, vt & ipsum viuens, constant, & partibus integralibus, & essentialibus, quæstio hæc non est de partibus essentialibus, quia certum est quod quoties augetur, ac nutritur viuens quodcumque constans anima diuisibili, non solũ augeatur quoad corpus, sed etiam quoad animam; quando autem nutritur viuens cõstans anima indiuisibili, quale est in nostra sẽtentia solus homo, augetur tantum quoad corpus, non vero quoad animam secundum se, licet etiam augeatur quantum ad extensionem vnionis animæ ad partes corporis de nouo acquisitas. Est ergo quæstio potissimum de partibus integralibus. Hæ autem sunt in duplici differentia, nam quædam sunt homogeneæ, quæ integrantur scilicet ex partibus eiusdem rationis, vt caro, os, neruus; quædam heterogeneæ, quæ scilicet constant partibus diuersæ rationis, vt digitus constans carne, pelle, ossibus, & neruis, ac iuncturis.

19 In hoc secundùm *Ruuium hic q.7.* omnes conueniunt, quòd licet viuens augeatur secundũ omnes partes, hoc tamen ita fit, vt primo augeatur secundum omnes partes homogeneas, & ratione harum augeantur heterogeneæ, quia scilicet heterogeneæ constant ex homogeneis, & non requirunt aliud, vt augeantur, quam vt augeantur homogeneæ, ex quibus coalescunt.

Nõ prius augentur homogeneæ partes quam heterogeneæ.

*Verum quamuis hoc vltimum sit certum*, quod scilicet eo ipso, quo augeantur homogeneæ, augeri etiam necesse sit heterogeneas; cum tamen totum integrale, siue heterogeneum, siue homogeneum, non sit quid distinctum à partibus simul sumptis, & vnitis, vt ostensum est primo Physicorum, non videtur prius proprie loquendo augeri partes homogeneas, quàm augentur heterogeneæ; imo eo ipso quo intelliguntur partes homogeneæ simul augeri, intelliguntur etiam partes heterogeneæ augeri.

*Confirmatur hoc*, quia si partes heterogeneæ non augeantur per se primo, sed secundario ob augmentũ partium homogenearum, ex quibus coalescunt, etiam partes homogeneæ nõ augerentur per se primo; sed secundario ratione partium homogenearũ, ex quibus constãt: ergo eodem modo discurrendum est de vtrisque, & sic nihil est particulare hic dicendum de partibus heterogeneis magis, qnam de homogeneis.

*Nec obest fundamentum Ruuij* ex *Philosopho* desumptum *hic c. 5. text. 35.* dicente: *Ea quæ sunt dissimilium partium augentur, quia ea quæ sunt consimilium partium augentur.* Hinc enim non sequitur, quod prius partes similes omnes augeantur, & postea partes heterogeneæ.

## CONCVSIO I.

Non nutriuntur immediatè omnes partes minimæ.

*Non nutriuntur immediate omnes partes minimæ, & indeterminatæ viuentis.* Hæc est communior cum *Scoto in 4. dist. 44. q.2.* *Probatur* argumento ipsius, quia alias in qualibet nutritione, & augmentatione notabiliter augeretur homo.

*Probatur secundò*: quia illa pars augetur immediate, cui immediate applicatur alimentum in poris, & quæ ambit immediate porum; sed non omnis pars minima immediate amqit porum, nec omni tali consequenter immediate applicatur alimentum: ergo non omnis talis immediate nutritur.

## CONCLVSIO II.

Nõ potest assignari vlla pars quæ immediatè augeatur secundũ se totam.

22. *Non potest assignari vlla pars, quæ secundum se totam immediate augeatur, ac nutriatur.* Hæc debet esse communis, & patet, quia omnis pars assignabilis est diuisibilis in plures partes, quoad omnem dimensionem: ergo nequit alimentum applicari immediate vlli tali parti secundum omnes partes in illa inclusas; nec etiam pars de nouo acquisita potest immediate vniri ipsi secundum omnes partes.

## CONCLVSIO III.

Quomodo omni pars determinata possit dici augeri.

*Quæcumque pars determinata assignabilis in viuente potest dici augeri immediate ratione sui in hoc sensu, quod non augeatur propter augmentũ vllius alterius partis extra ipsam collocata.* Hæc videtur esse iuxta mentem *Doctoris supra.*

*Probatur* manifestè, quia non potest assignari vlla pars determinata, quæ non crescat independenter ab accretione vllius alterius partis.

*Quæres,*

Quomodo se habeāt augmētatio & diminutio ad inuicē.

*Quæres*, qnomodo se habeant augmentatio, & diminutio ad inuicem.

*Respondetur*, si loquamur de diminutione, quatenus est negatio conseruationis substantiæ, ac quantitatis quæ deperditur, quando dicitur diminui viuens, esse mutationes distinctæ speciei, eum vna sit positiua, & altera negatiua.

*Et si quæras*, quænam mutatio positiua connectitur cum diminutione.

*Respondeo*, illam, qua ex viuente diminuto producuntur aliæ substantiæ, vt sudores, rheumata, & similia. Si vero loquamur de diminutione, quatenus est acquisitio minoris partis substantialis, ac quantitatis, quam per actionem causarum destruentium deperduntur, est eiusdem speciei cum augmentatione eodem modo quo generatio ignis bipalmaris, ac tripalmaris, nec in hoc est difficultas vlla examine vlteriori digna.

## QVÆSTIO V.

### *Vtrum nutritio, & augmentatio sint motus continui.*

21. NOn est in controuersia an viuentia semper dū viuunt nutriantur, & augmentētur absque vlla intermissione, certum est enim quod non; quia nō semper applicatur ipsis materia sufficienter disposita, ex qua nutriant se, & augmentatio quoad omnem dimensionē in hominibus non fit vltra trigesimum annum secundū omnes, id quod & experientia constat; imo secundum *Hippocratem* non fit, nisi vsque ad annum vigesimū secundum, & secūdum alios ad annum vigesimum quinrū. Difficultas ergo hic examinanda est, an quando quis se nutrit, & augmētat, id faciat motu cōtinuo, & successiuo; an vero motibus instātaneis interruptis per aliquas morulas. Qua in re qui putant alterationem esse motū instātaneum, sine dubio idem dicent de augmentatione, & argumētari bene possunt ex eo quod alteratio sit instantanea, quod etiam augmentatio sit talis: cui argumento responderi debet ab aliis negando antecedens.

*Prima sententia* est nutritionem, & augmentationem esse motus instantaneos: ita *Toletus hic quæst. 11.* citans pro se *Auerroem*, & *Albertum Magnum*: *Hurtadus*, & *Arriaga hic disp. 3.*

*Secunda sententia* est eos esse motus continuos, ac successiuos: ita *Ruuius hic qu. 3. Complutenses hic disp. 5. q. 8.* citantes pro se *Philosophum, ac plures alios.*

### CONCLVSIO I.

Qualis motus est nutritio talis est augmentatio.

22. *Qualis motus est nutritio, talis est augmentatio* Hæc est contra aliquos qui putant nutritionem esse motum instantaneum, augmentationem vero esse motum continuum.

*Probatur*: quia quantitas maior non acquiritur, nisi quatenus acquiritur pars substātialis maior, in qua subiectatur quantitas: ergo si pars illa substantialis maior acquiritur instātaneè, & quantitas similiter acquiretur; si vero acquiratur successiue, similiter acquiretur quantitas.

*Confirmatur*, quia quantitas, quæ acquiritur per augmentationē, non subiectatur inhæsiue in substantia præcedenti, quæ augetur, vt omnes concedunt: ergo subiectatur in alia substātia acquisita: ergo nō potest acquiri, nisi acquiratur illa substantia, & consequenter eodē modo debet acquiri quo acquiritur illa substantia.

*Confirmatur secundo*: quia illa substantia, quæ acquiritur per nutritionem instantaneè, secundum aduersarios, in illo instanti reali, quo acquiritur, non potest esse absque aliqua quantitate: ergo habet aliquam quantitatem tum: ergo tum acquiritur quātitas, & consequenter motus ad quantitatem illam debet esse instantaneus: ergo nec debet expectari tempus aliquod sequens, vt acquiratur illa quantitas.

*Ex probatione huius conclusionis apparet* eos, qui probant nutritionem esse motū successiuum, quia augmentatio est successiua, reuera probare incertū per æquè incertum, aut minus certum: nā quamuis omnino talis debeat esse augmentatio, qualis nutritio, & è contra; reuera tamen quando quidē augmentatio quatenus est acquisitio quantitatis sit consequenter ad nutritionem, cum eatenus acquiramus quantitatem, quatenus acquirimus partem substantialem nouam, in qua inhæret quantitas, prius debemus cognoscere an acquiramus partem illam substātialem in instanti, quam possimus cognoscere, an acquiramus quantitatem in instanti. Vnde melius longe probatur augmentatio esse instantanea, aut successiua, ex eo quod nutritio si talis, quam è contra.

### CONCLVSIO II.

Nutritio & augmētatio passiua sunt duæactiones.

23. *Nutritio sit successiue, & continuo, non vero in instantib. per morulas interruptis; & consequenter sic sit augmentatio.* Hæc est iuxta secundam sentētiam contra primam.

*Secunda pars patet* ex conclusione præcedenti.

*Probatur prima pars primo*, quia eadem ratio successionis continuæ reperta in alteratione, reperitur etiam in nutritione: sed alteratio ob illam rationem est motus continuus successiuus, vt probatum est supra, & fatentur aduersarij præter vnum *Arriagam*: ergo idem dicendum de nutritione.

Probatur maior, quia successio contina in alteratione oritur ex diuisibilitate qualitatis ad quā fit, & qualitatis quæ expellitur diuisibiliter per illam: sed forma substantialis acquisita per nutritionem est diuisibilis, & habet incompatibilitatem diuisibilem cum forma substantiali, quæ per illam expellitur: ergo.

*Confirmatur*: quia alteratio non solum est motus successiuus secundum intensionem, sed etiam secundum extensione n ex eo, quod forma ad quam fit, & forma, quæ per illam expellitur, sunt diuisibiles non solum quoad intensionem; sed etiam quoad extensionem: sed forma substantialis acquisita per nutritionem est diuisibilis quoad extensionem, & forma per illam expellenda, licet non sit diuisibilis quoad intensionem, est tamen quoad extensionem: ergo nutritio debet esse motus successiuus extensiue, licet non intensiue.

*Confirmatur secundo*: quia si non esset motus successiuus, maxime, quia motus successiuus non posset dari ad substantiam: sed hoc est falsum, vt patet experientia straminis, quod successiue cōburitur, & conuertitur in ignem absque vlla intermissione, quantūm potest per sensum colligi, cui debet se conformare intellectus, quando non habet rationem aliquam in oppositum, qua corrigat deceptionem eius, qualis non habetur in proposito.

24. *Probatur secundo*: si nutritio fieret in instanti, posset Deus determinare primum instans in quo fieret: sed hoc est falsum: ergo.

Probatur minor: quia antecedenter ad quodcumque instans assignabile, esset verum quod fuit facta nutritio: ergo instans illud, quod assignaretur à Deo pro primo, non esset primum.

Probatur antecedēs: quia materia illa, in quam introduceretur forma nutriti est diuisibilis, & alteratur vniformiter difformiter ab agente alterante: ergo prius agens disponit partem proximiorem quàm remotiorē: sed in quocumque instanti in quo disponitur vlla pars materiæ, forma nutriti debet in ipsa introduci: ergo ante illud instans fuit nutritio.

*Aduersarij ad hanc probationem respondent* eam reforquendo; quia si ex eo quod agens naturale vniformiter difformiter disponat materiam, sequitur quod nō possit assignari aliquod instans, ante quod nō fieret nutritio, & consequēter quod nutritio sit successiua; similiter sequitur quòd idem dicendum sit de ipsa prima generatione, ad quam etiam similiter disponitur subiectum per alterationem continuam successiuam vniformiter difformiter factam: sed hoc est contra authores qui tenent nostram conclusionem: ergo sicut negarent hanc consequentiam de prima generatione, non debent eam vrgere de nutritione, nec mirari, si eam vrgeant, quòd negetur. Hæc sane est optima responsio, quæ dari potest ad hanc probationem.

25. *Replicatur tamen communiter* ostendendo disparitatem, nempe quod forma viuentis determinet sibi, quā-

tum ad primum sui esse, aliquam determinatam quantitatem minimam, sub qua minori nequeat esse naturaliter; & consequenter donec disponatur materia vsque ad tantam quantitatem, non debet introduci illa forma, quamuis secundum aliquam partem minorem sit antecedenter disposita sufficienter, at postquam simul habet productam materiam sufficienter ad hoc vt recipiat primum suum esse, non exigit determinatam aliquam quãtitatem minimam, in quam aut ipsamet præcedens, si sit indiuisibilis, aut alia noua pars eius, si sit diuisibilis, debeat introduci. Quemadmodum enim potest conseruari sub quacumque minima parte totius subiecti in quo conseruatur & producitur, supposito quod illa pars minima coniungatur cum aliis partibus istius totius: ita etiam potest informare de nouo quamcunque minimã partem coniunctam cum aliis partibus, licet non posset informare illam secundum se.

*Confirmatur hoc*, quia secundum ipsosmet aduersarios; licet nutritio fieret instantaneè sicut generatio, tamen non posset generatio fieri in tam parua quãtitate, in qua fieret nutritio: ergo dispositio illa, quæ esset sufficiens ad nutritionem, non est sufficiẽs ad generationem primam; & consequenter non sequitur ex eo, quod vna pars materiæ reperiatur prius disposita ad animam quàm altera, quòd anima prius debeat in illa parte produci quam in altera, licet id sequatur de nutritione: quæ sane confirmatio videtur aptissima contra aduersarios ad declarãdum hanc rem, & disparitatem vtriusque casus.

*Verum contra suppositum huius discursus*, nempe quod generatio fiat in instanti, obiici potest quod materia ex qua fit generatio, si disponitur vniformiter difformiter, prius debeat vltimate disponi ad formam viuẽtis quoad aliquam partem minorem, quam quoad partem illam determinatæ magnitudinis, quam exigit illa forma, & sub qua minori esse nequit: ergo in illo priori non manet in materia dispositio conseruatiua præcedentis formæ, & consequenter non manebit in ipsamet præcedens forma, & ita materia erit absque vlla forma, nisi producatur forma viuentis in illa.

*Hæc difficultas*, vix tolli potest non admittendo formam corporeitatis simul cum anima in viuentibus; ea autem supposita:

Generatio nõ viuentium fit successiue.

*Respondeo*, concedendo antecedens & duas primas consequentias; negando vero tertiam, quia in illo priori introducitur forma corporeitatis, quam puto generati successiue vsque ad certam magnitudinem determinatam, ad animæ introductionem necessariam, & tum instantaneè introduci animam.

*Dices*: ergo prima generatio formæ substantialis fit successiue non minus quam nutritio.

Nutritio hominis est successiua.

*Respondeo*, id mihi videri verissimum de quacumque generatione non viuentium: & sane in generatione ignis ex stramine aut carta, vt antea dixi, ita fieri apparet ad sensum: & ratio conclusionis pro nutritione tam efficaciter idem probat de generatione omni præter illam, qua producuntur animæ viuentium, quæ etiam, nisi exigerent determinatam magnitudinem quoad paruitatem, eodem modo successiue produci dicendæ essent excepta rationali; quod valde aduertendum est.

26. *Obijcies primò*: saltem nutritio hominum non potest fieri successiue, quandoquidem non acquirantur nouæ partes, nec anima rationalis sit diuisibilis: ergo.

*Respondeo*, negando antecedens: nam sufficit ad hoc quod fiat successiue, quod anima vniatur successiue partibus corporis de nouo successiue acquisitis: illæ enim vniones sunt diuisibiles, & possunt tam successiue produci quàm ipsæ partes ad quas terminantur.

*Obijcies secundo*: si nutritio fiat successiue, incipit per vltimum sui non esse sic, vt verum sit dicere: in hoc instãti non est, sed in tẽpore immediate sequenti erit. Tunc sic; in illo instanti, in quo est vltimum non esse eius, vel alimentum est complete dispositum, vel non est; si est complete dispositum: ergo introducitur in eodẽ instanti forma viuentis sine expectatione temporis sequentis. si nõ est, ergo debet compleri tempore sequenti, & consequẽter in tẽpore erit forma expellenda, & ita forma viuentis & forma alimenti erunt in eodem tempore simul in materia.

Probatur prima consequentia, quia forma expellenda debet esse in materia donec compleatur dispositio ad eius destructionẽ requisita; & quia si non esset illa forma tempore sequenti, non posset in illo tempore reperiri dispositio ad illam, & sic esset completè ablata in illo instanti contra hypothesim.

*Respondetur* in instãti, in quo incipit nutritio, esse subiectum vltimate dispositum in ordine ad hoc vt pro tẽpore sequenti possit fieri nutritio: non vero sic vt in eodem instanti fieri possit; neque verum est, quod quando completur dispositio ad aliquam formam, debeat tolli oppositа dispositio in illo instanti, nisi compleatur in ordine ad producendam formam pro eodem instãti: sic autem non fit in proposito; nec in hoc videtur esse vlla difficultas specialis.

27. *Dices*: si non sit expulsa qualitas conseruans formam alimenti pro illo instanti, nec etiam ipsamet forma expellenda: ergo erit tempore sequenti vtraque.

*Respondeo* negando consequentiam, quia licet non sit expulsa volitio in toto tempore antecedenti instãs, quo producitur nolitio, non sequitur quod maneat in illo instanti: ergo similiter licet non sit expulsa forma alimenti in toto tempore præcedenti tempus, in quo fit nutritio, non sequitur quod maneat in illo tempore.

*Dices secundò*: si non sit expulsa in illo instanti: ergo expellitur in tempore sequenti, & consequenter quandoquidem expellatur successiue, debent in tempore sequenti esse aliquæ partes eius.

*Respondeo*, hanc difficultatem æque currere de alteratione successiua, qua à calore mutatur successiue subiectum ad frigus. Vnde non facit specialiter contra nutritionem, sed contra omnem mutationem successiuam à contrario ad contrarium.

*Dico ergo*, formam alimenti expelli successiue in tẽpore sequenti, & consequenter pro quacumque parte temporis sequentis, in quo expellitur, verũ esse dicere quod aliqua pars ipsius sit in subiecto pro alia parte posteriori expellenda donec compleatur totum tempus illud sic, vt possit dici, iam non est alteratio & immediate ante fuit: nec est inconueniens, sed necessarium, quod in eodem tempore duæ formæ contrariæ, sint ita, vt vna expellatur & altera introducatur, quamuis esset inconueniens quod pro vllo instanti istius temporis verum esset dicere, iam est vtraque forma ex illis.

*Obiicies vltimo Scotum 4. di. 44. quæst. 1. num. 14.* vbi dicit quod aggeneratio quæ fit in nutritione, est momentanea.

*Respondeo, Scotum* obiter omnino eo loco tetigisse hoc & propterea non tam ex propria sententia quàm ex ea quæ suo tẽpore communior erat, id dixisse, cuius signum est, quod nullam adhibuerit probationem, & quod ad intentum ipsius, perinde erat quid quis sentiret.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### *Quomodo fiat rarefactio, & condensatio.*

28. ADuertendum primo aliquod corpus posse esse rarum, & densum duobus modis. Duobus modis potest corpus esse rarũ & densum.

*Primò* quatenus ex natura sua intrinseca est subtile aut crassũ, seu tale, vt facile, vel difficulter possint separari eius partes ab inuicem per interpositionẽ aliorũ corporum, quibus pertranseuntibus minus vel magis resistere potest, siue hoc habeat ex natura sua substantiali formaliter, siue ex aliquo accidenti proueniente ex natura sua substantiali connaturaliter.

*Alio modo* corpus potest esse rarum vel ex eo quod occupet maiorem locum quàm alias occuparet, vel ex eo, quod habeat aliquam qualitatem, ratione cuius exigat occupare talem maiorem locum; & cum proportione ad hoc potest esse corpus dẽsum, quatenus vel occupat minorem locũ quam alias occupauit, vel habet qualitatẽ aliquam

aliquam, ratione cuius petat occupare minorem illum locum. Hic autem agimus non de raritate aut densitate priori, nec de actione per quam corpora reddãtur sic rara, aut densa; sed de raritate & densitate posteriori, & de actione per quam corpora sic rara ac densa redduntur, quæ propriè rarefactio & cõdensatio dicitur. Et pro hac rarefactione, & condensatione melius intelligenda,

29. *Aduertendum viterius*, posse corpus rarefieri hoc secundo modo dupliciter: *Primò*, largè & impropriè per discontinuationem notabilem & distantiam partium determinatarum ipsius, sicut fit in spongia compressa, ac relicta postea naturæ suæ. *Secundo*, strictiùs & propriè per extensionem maiorẽ alicuius corporis sine sensibili intromissione alterius corporis & distantia notabili partium determinatarum ipsius, vt contingit in aqua, quãdo notabiliter calefit, & quando reducitur à congelatione ad statum proprium; & cum proportione ad hoc dupliciter potest condensari corpus: Primò, per compressionẽ notabilem partium determinatarum, ac expulsionẽ sensibilem alterius substantiæ, vt fit in spongia manibus compressa: Secundò, per contractionem rei ad minorem locum absque compressione sensibili partium determinatarum, vt contingit in aqua congelata. Distinguitur autem vtraque rarefactio ab augmentatione, quod hæc fiat virtute vitali & habeat secum annexam nutritionem substantialem solisque viuentibus propterea conueniat; rarefactio vero non item.

Quomodo distinguitur rarefactio ab augmentatione.

*Prima sententia* est rarefactionem fieri per deperditionem antiquæ quantitatis, & acquisitionem nouæ maioris; condensationem vero per deperditionem totius quantitatis maioris, & acquisitionem nouæ minoris. Hanc tenet *Godfredus*.

Variæ sẽtentiæ.

*Secunda sententia* est rarefactionem fieri per aduentum nouæ quantitatis absque nouo aliquo subiecto, in quo inhæret; & condensationem per deperditionem alicuius partis quantitatis habitæ manente altera parte. Hanc tenent aliqui *Scotistæ*, & proponitur ab ipsomet *Scoto* 4. *d.* 12. *q.* 4. quamuis absolute non asserat eam esse veram.

*Tertia sententia* est rarefactionem fieri per nouam extensionem quantitatis præexistentis, quæ noua extensio est nouus modus quantitatiuus aduenies sine noua quantitate. Hanc tenet *Ruuius hic quæst* 1. *Hurtadus* 4. *Physicorum*, & *Recentiores* satis communiter.

*Quarta sententia* est per rarefactionem non produci nec nouam quantitatem, nec nouam etiam extensionem quantitatiuam saltem per se; & per condensationem non deperdi quantitatem vllam aut extensionem. Hanc tenent *Complutenses hic*, & pro se citant authores tertiæ sententiæ, sed immerito, cum ipsi admittant rarefactionem fieri per nouam extensionem.

*Quinta denique sententia* est rarefactionem fieri per aduentum nouæ quantitatis cum nouo subiecto, quatenus scilicet intromittuntur aliqua corpuscula intra poros, ac partes rei rarefactæ; & condensationem similiter fieri per deperditionem quantitatis ac subiecti, quatenus scilicet extramittuntur aliqua corpuscula reperta intra partes rei, quæ condensatur. Hanc etiam proponit *Scotus supra* eodem modo quo secundam, absque assertione, & eam expresse tenet *Occam. cum Nominalibus*, quos sequitur *Arriaga disp.* 26. *Phys. n.* 195.

## CONCLVSIO I.

Rarefactio non fit absque acquisitione nouæ quantitatis, vel noui modi quantitatiui.

30. *Rarefactio non fit absque acquisitione nouæ quantitatis, aut nouæ extensionis quantitatiuæ.* Hæc est communis omnium sententiarum contra quartam *Complutensium*: & licet ipsimet non videantur absolute tenere oppositum, quia non tam dicunt rarefactionem fieri absque noua quantitate aut extensione, quàm rarefactionem non terminari ad nouam quantitatem aut extensionem; nec hoc ipsum dicant absolute, sed cum alia restrictione, saltem quæ per se primo producatur; tamen probationes eorum tendunt ad oppositum conclusionis directe: & præterea, si noua quantitas aut extensio acquiratur rarefactione, omnino per se primo habetur per ipsam, vt hic probabitur.

*Probatur ergo conclusio*, quotidiana experientia; quia nunquam videmus aliquid rarefieri absque occupatione maioris loci, nec condensari absque occupatione minoris loci quam ante: sed euidens est absque acquisitione maioris quantitatis, aut extensionis quantitatiuæ non posse occupari maiorem locum, neque minorem absque deperditione quantitatis, aut extensionis.

*Confirmatur*, quia non constat nobis dari rarefactionem aut condensationem, nisi experientia qua videmus corpora nunc maiorem, nunc minorem occupare locum: ergo nunquam fit absque tali occuparione.

Quod autem per se primo, & non secundario tantum producatur rarefactione noua quantitas aut extensio, per quam formaliter corpora occupant maiorem, aut minorem locum: *Probatur*, quia illud per se primo produci debet per rarefactionem, quatenus rarefactio est, à quo formaliter corpus haberet esse rarius quàm ante: sed ab eo ipso quo corpus occuparet plus loci quàm ante; quamuis nullæ aliæ qualitates essent in ipso distinctæ ab antecedentibus, esset rarius quàm ante: ergo per rarefactionem, vt rarefactio, per se primo producitur noua quantitas aut extensio in corpore rarefacto, seu fit vt corpus rarefactum habeat occupare plus loci quam ante per applicationem quantitatis nouæ, aut extensionis ad partes ipsius.

31. *Probatur hoc idem secundò*, quia secundum *Philosophum*, *Rarum est quod habet multum quantitatis & parum materiæ*: *Densum* vero *quod habet multum materiæ*, *& parum quantitatis*: ergo ab eo formaliter loquendo habet esse rarum, à quo habet formaliter multum quantitatis sub parua materia; sed certum est, quod à nulla qualitate habeat formaliter multum quantitatis: ergo non habet esse rarum formaliter à qualitate, loquendo de raritate de qua hic agimus & quæ describitur à Philosopho.

*Confirmatur*, quia Philosophus in prædicamento qualitatis expresse asserit, rarum & densum non significare qualitates.

*Respondent Complutenses*, rarum posse considerari dupliciter, *vno modo* formaliter & secundum effectum primarium, quem à raritate habet; *secundo*, secundum connotata, & necessaria connexa. Hoc supposito dicunt Philosophum explicare rarum secundum connotata, & non formaliter secundum id quod directe, & primario dicit; & eodem modo intelligendus est, quando negat rarum dicere qualitatem.

*Verum hæc explicatio*, & gratis excogitata est ad euadendam difficultatem, & omnino torta est, & indigna Philosopho, qui, si rarum, & densum diceret formaliter, & primario qualitatem, pessime negaret absolute & simpliciter, quod non diceret qualitatem, quamuis non diceret illam secundum connotata.

*Deinde* quando describeret raritatem, potius deberet describere ipsam secundum illud quod formaliter & primario diceret, quam secundum id quod secundario, & connotatiue dicit.

*Confirmatur*, quia in prædicamẽto qualitatis dicit quod rarum putabitur qualitatem significare, & tamen cẽsendum sit alienum à qualitate: sed non putatur qualitatem dicere secundum extensionem, sed secundum aliquid quod præterea dicit: ergo quando dicit quod tamen sit alienum à qualitate, vult intelligere quod non dicat formaliter qualitatem, quamuis videatur eam dicere.

32. *Adde ad hæc* non posse aduersarios constituere raritatem in qualitate, nisi recurrendo ad mutuam prioritatem Physicam in diuerso genere causæ, ita scilicet vt extensio maior quæ aduenit quantitati, præsupponatur ad qualitatem rarefactiuam in genere causæ materialis, & hæc præsupponatur isti extensioni in genere causæ formalis, vt videre est apud ipsosmet: sed hæc mutua prioritas omnino repugnat, vt patet ex dictis *secundo Physicorum*: ergo & hæc doctrina ab illa dependens.

*Non nego quidem* quod rarefaciens producat aliquas qualitates in rarefacto, sine quibus de facto nõ occuparet plus loci; sed dico ab illis qualitatibus non rarefieri corpus formaliter, sed ad summũ dispositiuè, seu effectiuè;

vnde

vnde si ille producerentur absque occupatione maioris loci, non fieret corpus magis rarum quam ante, & si fieret illa maior occupatio loci, quam habet corpus rarefactū absque illis qualitatibus, corpus esset rarius. Imò si corpus aliquod redderetur rarius quam ante per qualitatem aliquā superadditā absque eo, quod occuparet plus loci, non rarefieret rarefactione, de qua hic agimus, sed rarefactione distinctissimæ rationis, qua redderetur magis subtile, & minus aptū resistere aliis corporibus trāseuntibus per raritatem similem raritati natiuæ, quam habēt aliqua corpora præ aliis absque eo quod habeant partes suas magis extensas quā haberent absque illa qualitate.

33. *Obijcies primò, ex Philosopho 4. Phys. text. 84. Magnitudo, & parnitas sensibilis corporis, non accipiente aliquid materia, extenditur: sed quia potentia est materia vtriusque: itaque idemmet rarum, & densum, & vna materia vtriusque:* ergo corpus fit rarum, & densum per qualitates, & non per quantitatem, aut extensionem.

*Respondeo*, negando consequētiam: imò ex antecedenti videtur potius inferri debere quod fiat rarum per extensionem. Illud autem, *non accipiente aliquid materia*, non debet intelligi sic, vt nihil omnino accipiat, qui aliàs nec qualitatem deberet accipere contra *Complutenses*; sed sic quod non adueniat corpori, quod rarefit, aliqua pars noua materialis, aut substantialis, quæ sit de substantia ipsius, ad differentiam rei, quæ augmentatur, quæ necessario accipit aliquid materiæ, aut substantiæ de nouo. *Complutenses* afferunt expositionem istius loci ex *D. Thoma*; ex qua etiam non sequitur ipsorum intentum, vt patet ex ipsis verbis; sed hoc relinquo Thomistis.

34. *Obijcies secundò*: vnum corpus potest esse alio rarius quin habeat maiorem quantitatem, aut extensionem: ergo non habet esse rarum à quantitate, aut extensione in ordine ad locum; & consequenter rarefactio neque ad quantitatem, neque saltem per se primo, ad extensionem localem potest terminari.

Probatur antecedens: quia si duo vasa æqualis magnitudinis plena essent, vnum aqua gelata, alterum rarefacta, neutra ex aquis esset maioris quantitatis altera, & tamen vna esset rarior altera, vt patet: ergo.

*Confirmatur*, quia quantitas Christi Domini habet suam raritatem in Eucharistia, & tamen non habet extensionem localem actualem ibi: ergo raritas non habet illam maiorem extensionem annexam.

*Hæc probatio* si valeret, non solum probaret rarefactionem non terminari per se primo ad quantitatem, & extensionem; sed etiam, nec secundario quidem, quandoquidem absque extensione vlla concedat dari rarefactionem: sed certè, nec hoc, nec aliquid probat ad rem.

*Vnde respondeo in forma*, distinguendo antecedens: quam aliud, concedo; quam ipsummet haberet, si non fuisset tam rarum, nego antecedens; & distinguo etiam consequens: non habet esse rarum raritate, quæ acquiritur per rarefactionem, de qua hic agitur, & à qua habet corpus aliquod esse rarius, quàm ipsummet esset alias, quando non occuparet tantum loci, nego consequentiam; alia raritate, transeat consequentia.

*Ad confirmationem respondeo*, distinguendo consequens, absque extensione locali miraculose, transeat; naturaliter, nego. Deinde quando dicimus, quod rarefactio non possit esse absque quantitate, aut extensione, non loquimur de extensione, à qua haberet actu esse in loco; sed de ea, à qua exigeret connaturaliter esse sic, & talem habet Christus in Eucharistia; vnde illud exemplum de Christo prorsus non est ad propositum.

35. *Obijcies tertiò*: rarefactio distinguitur essentialiter ab augmentatione: ergo non terminatur ad quantitatē, neque saltem per se primo, ad maiorem extensionem.

Probant antecedens; quia augmentatio semper est coniuncta cum nutritione, & productione partiali nouæ substantiæ, quod non est verum de rarefactione.

*Probant consequentiam pro prima parte*, quia augmentatio habet prò termino maiorem quantitatem: ergo maior quantitas non posset esse terminus rarefactionis, quæ est actio specie distincta.

*Probant eandem consequentiam pro secunda parte*, quia rarefactio distinguitur genere ab augmentatione, quatenus est alteratio, & terminatur per se primo ad qualitatem: ergo nō potest, saltem per se primo, terminari ad extensionem quantitatiuam, quæ est alterius prædicamenti.

*Respondetur*, negando consequentiam, cuius probatio pro secunda parte, si valeret, sufficeret etiam pro prima parte: nam si rarefactio ex eo quod sit alteratio, non potest terminari per se primo ad extensionem quantitatiuam, nec poterit etiam sic terminari ad quantitatem.

Sed *Respondeo* ad primam probationem negando consequentiam: idem enim terminus potest acquiri per actiones specie distinctas, quando non acquiritur per eas eodem modo: sic idem numero calor potest acquiri per actionem successiuam & instantaneam: eadem qualitas potest acquiri actione naturali & supernaturali. In proposito autem non acquiritur maior quantitas per augmentationem & rarefactionem eodem modo: nam per augmentationem acquiritur simul cum partibus substantialibus nouis spectantibus ad substantiam rei augmentatæ; per rarefactionem autem non item, vt fatentur ipsimet *Complutenses*.

Deinde per augmentationem non solum acquiritur, sed producitur noua quantitas vt fatentur aduersarij; sed per rarefactionem non producitur quantitas, sed acquiritur quantitas præexistens, vt postea apparebit, proposita propria sententia.

*Ad secundam probationem Respondeo*, falsum esse quod rarefactio formaliter loquendo vt rarefactio, sit alteratio, quamuis vel realiter, vel secundum aliquid quod connotat aut præsupponit sit alteratio, vt statim patebit.

*Alium adhibent probationem in eadem quæstione* ad probandum, quod in rarefactione non acquiritur noua quantitas; sed non probāt nisi non acquiri nouam quantitatem quæ subiectetur in substantia quæ rarefit, quod ipsum etiam nos tenebimus statim: Vnde non debet à nobis solui.

36. *Obijcies quartò*, ex iisdem *qu.* 3. Rarefactio terminatur per se primo ad qualitatem: ergo per se primo non terminatur ad quantitatem aut extensionem. Probant antecedens, quia terminatur per se primo ad raritatem; sed raritas est qualitas: ergo.

Probatur minor, quia raritas est tangibilis per se non minus quam calidum & frigidum, sed nihil potest tangi nisi qualitas.

*Confirmatur primò*, quia raritas & densitas sunt contraria, habentque latitudinem debitam, & cæteras conditiones ad motum requisitas: sed non terminant motum localem nec augmentationem; ergo alterationem, & consequenter sunt qualitates.

*Confirmatur secundò*, quia rarefactio non potest per se primo terminari ad quātitatem, vbicationem, vel extensionem localem: ergo erit vera alteratio ad qualitatem.

*Respondeo primò*, ex hac probatione non haberi quin, dum res rarefit, acquirat maiorem quantitatē aut extensionem, quomodocumque producitur illa noua quantitas aut extensio, siue per se primo, siue secundario.

*Respondeo secundò*, negando antecedens cum minori probationis, loquendo de raritate, de qua hic agimus, & ad eius probationem dico non sentiri per tactum raritatem, de qua hic loquimur, nisi quatenus corpus rarefactum minus resistit transeuntibus corporibus: hoc autē posset sentiri absque productione vllius nouæ qualitatis per interpositionem substantiarum magis subtilium, quam esset res rarefacta: vnde raritas acquisita per rarefactionem, de qua hic agimus, non est qualitas vlla sensibilis de nouo producta, vt volunt aduersarij.

*Ad primam confirmationem Respondeo*, negando minorem: terminant enim motum localem quo vnum corpus extenditur ad maiorem locum per motum localem alterius corporis recepti intra partes ipsius. Et per hoc patet negandum esse antecedens *secundæ confirmationis*: poterit enim per se primo terminari ad extensionem quantitatis per intra-receptionem alterius quantitatis intra suas partes.

CON

## CONCLVSIO II.

In rarefactione & condensatione non perit tota quantitas præcedés.

37. *Dum res rarefit aut condensatur, non perit tota quantitas præcedens.* Hæc est communis omnium sententiarum contra primam.

*Probatur primò*: si periret tota quantitas præcedens, perirent etiam omnia accidentia absoluta; hæc enim subiectantur in quantitate & nõ migrant de subiecto in subiectum, atque adeo pereunt eo pereunte: sed hoc est cõtra experientiam: lac enim rarefactum conseruat suam albedinem & dulcedinem: ergo.

*Respondet Godfredus* negando minorem: quamuis enim notum sit experientia quod sint in re rarefacta qualitates absolutæ similes qualitatibus præcedentibus; tamen non constat experientia quod sint eædem numero, vnde potest dici quod sint diuersæ numero, sicut & ipsa quantitas rei rarefactæ est diuersa numero à quantitate præexistente.

*Contra*, quia non debemus dicere quod sint diuersæ numero, si appareant eædem numero sensui, absque aliqua ratione, qua colligatur sensus decipi: alias posset quis dicere quod singulis momentis destruantur omnia accidentia rei cuiuslibet, & producantur alia similia. Sed non est vlla ratio, ex qua id colligatur: ergo.

*Alij impugnant hanc responsionem*, quia non adest causa productiua talium accidentium de nouo quando res rarefit: quando enim ignis rarefacit lac, non adest causa productiua albedinis aut dulcedinis.

*Sed facile posset euadere* hanc impugnationem *Godfredus*, negando assumptum: posset enim dicere quo ipsamet substantia lactis esset nata producere in se illas qualitates ex suppositione quod afficiatur de nouo quantitate; sicut enim in primo instanti generationis produxit in se illas qualitates, supposita quantitate, cum qua est producta; ita etiam supposita altera quantitate producta per rarefactionem, potest in se similes producere. Itaque nisi possit afferri aliqua experientia, qua constet aliquam qualitatem non connaturalem rei rarefactæ manere, quoad speciem ante & post rarefactionem, cuius non sit vlla causa productiua tum applicata, sistendum est in prima impugnatione: sed aduertendum quod tota hæc probatio dependet ab alia sententia, nempe quod qualitates absolutæ subiectentur immediate in quantitate; quam sententiam multi negant.

*Probatur secundo conclusio*; quia accidens absolutum permanens nõ desinit nisi vel per destructionem subiecti, vel per introductionem formæ contrariæ, vel per absentiam causæ conseruatiuæ; sed quantitatis præexistentis non desinit subiectum, nec introducitur forma contraria, nec abest causa conseruatiua eadem, quæ ante, dum fit rarefactio aut condensatio: ergo non desinit tum.

38. *Probatur tertiò*, & mihi quidem principalissime, quia qua ratione eadem materia potest affici maiori quantitate quàm ante, eadem posset simul cum antecedenti quantitate affici parte aliqua quantitatis, quam ante non habuit: ergo vt afficiatur quantitate maiori, non est necesse vt destruatur quantitas præcedens, sed sufficit v superaddatur ipsi aliqua pars, qua fiat maior: sed existimant aduersarij deperdi antiquam quantitatem, & produci nouam, quia non posset cum antiqua accipere partem vlteriorem: ergo non debent dicere quod deperdatur antiqua.

*Probatur quartò*, quia quantitas, quæ de nouo acquiritur in rarefactione, non subiectatur in eadem materia aut subiecto, in quo subiectabatur præexistẽs: ergo non debet perdi præexistens. Antecedens patebit ex dicendis: consequentia patet, quia ideo secundum aduersarios deberet deperdi, quia deberet noua in ipsius subiecto subiectari: ergo cum hoc sit falsum, non debet deperdi.

Respõsio ad fundamentum aduersũ.

*Et per hoc patet ad fundamentum Godfredi*, nempe quod duæ quantitates non possint subiectari in eodem subiecto: ergo si adueniat de nouo vna quantitas debet perire altera.

*Respondetur enim primò*, iuxta quartam probationem, negando suppositum, quod scilicet quantitas de nouo aduenies subiectatur in subiecto præexistentis quantitatis.

*Respondetur secundo* iuxta tertiam probationem, negando antecedens, si quantitas maior potest subiectari in eodem subiecto solo, in quo subiectabatur ante minor, vt secundum ipsum potest.

## CONCLVSIO III.

Acquiritur quantitas noua in rarefactione.

39. *In rarefactione acquiritur noua pars quantitatis, & in condensatione deperditur aliqua pars quantitatis.* Hæc est *Scoti* expresse dicentis quod in omni sententia ponenda sit noua quantitas in corpore rarefacto; vnde videtur fuisse communis eo tempore: eam tenent authores secundæ & quintæ sententiæ contra tertiam & quartam.

*Probatur*, quia secundum omnes in rarefactione extenditur corpus rarefactum in ordine ad locum: ergo acquirit nouam quantitatem.

Probatur consequentia, quia non potest dari effectus formalis nouus sine causa formali noua: sed effectus formalis quantitatis est extensio in ordine ad locum: ergo, si detur extensio maior, debet dari quantitas maior, & consequenter noua.

*Dices*, eandem quantitatem cum nouo modo posse communicare maiorem extensionem in ordine ad locum.

*Contra*, quia sic possunt dicere, quod corpus valde extensum non habet maiorem quantitatem quam corpus paruum, quia non habetur aliud principium colligendi, quod corpus magnum habeat maiorem quantitatem, quàm quod habeat maiorem extensionem quàm corpus paruum.

40. *Dices*: potest colligi maior quantitas ex maioritate materiæ.

*Contra primò*: quia maioritas materiæ colligitur ex maioritate quantitatis: ergo maioritas quantitatis non debet colligi ex maioritate materiæ.

*Confirmatur pr.mo responsio, & impugnatur replica*: quia si valeret replica, non possemus vnquam colligere quãtam quantitatem haberet res aliqua: nam etiam si sciremus quod haberet extensionem bipedalem, non inde sequeretur quod haberet quantitatem bipedalem; nam iuxta replicam posset habere tantam extensionem cum minori quantitate.

*Deinde* non potest explicari quis sit ille modus superadditus quantitati, nisi dicendo, quod esset nouus respectus quem diceret quantitas præcedens ad nouas partes loci: sed non potest esse talis nouus respectus manentibus præexistentibus, sine noua quantitate: ergo.

Probatur minor, quia quantitas præexistens habet tot respectus tam determinatos, quam indeterminatos quot habuit partes, tam determinatas, quam indeterminatas: ergo si sint plures respectus determinati, quam erant ante, debent esse plures partes determinatæ quãtitatis; quã erant ante, & consequenter nouæ aliquæ partes.

*Confirmatur hoc primo*: quia eadem quantitas secundũ easdem partes non potest esse naturaliter in pluribus locis simul, nec habere plures modos, quibus mediantibus sit in pluribus locis simul: ergo replica est falsa.

Probatur minor, quia quantitas præcedens rarefactionem, qua corpus rarefieret in duplũ, (qualem fieri naturaliter posse omnes concedunt) occuparet simul locum præcedentem rarefactionem, & alium locum tam magnum: ergo esset simul in istis duobus locis.

*Confirmatur secundò*, quia posita illa maiori extensione ad locum, omnes partes quantitatis rei rarefactæ magis distabunt ab inuicem, quàm ante, vt patet: ergo deberet aliquod aliud corpus, vel quãtitas alia intercedere inter ipsas; quia non potest concipi, qua alia ratione inter se inuicem magis distarent, nisi admittendo vacuum, quod à nemine admittitur.

41. *Confirmatur tertiò*: quia post rarefactionem quantitas esset duplo maior quam ante: ergo acquireret plures partes determinatas.

Probatur antecedens primo quia haberet tot partes determinatas,

determinatas, quot corresponderent spatio duplo maiori quam erat spacium præcedens: ergo esset duplo maior.

Probatur idem antecedens secundo, quia ideo dicitur quod extensio quantitatis sit maior post rarefactionem quam ante, quia correspondet spatio maiori: ergo cum quantitas etiam correspondeat spatio maiori, debet dici maior.

*Probatur secundo conclusio*, quia ideo Aduersarij negant acquiri quantitatem nouam, quia non acquiritur subiectum nouũ; nec duæ quantitates possunt subiectari in eodem subiecto: sed & falsum est non acquiri subiectum nouum, vt postea videbimus; & præterea sicut maior extensio potest esse cũ extensione præcedenti in eadem quantitate, vt ipsi asserunt, non est vlla ratio cur noua quantitas non poterit esse simul cũ præexistẽti in eadẽ parte materiæ; quia determinata materia non est magis limitata ad determinatam quãtitatem, quã determinata quantitas ad determinatam extensionẽ: ergo si determinata quantitas potest habere maiorem extensionẽ quàm semel habet, etiam determinata materia potest habere maiorem quantitatem quàm semel habet.

*Probatur tertio*, quia secundum Philosophum, quod rarum est habet plus quantitatis, quam quod densum; ergo quando aliquid de denso fit rarum, habet plus quantitatis, quam ante; & quando de raro fit densum, habet minus quantitatis, alias dictum Philosophi esset falsum, vt patet.

*Respondet Rubius* ipsammet extensionem quantitatis in ordine ad locum vocari etiam quantitatem, & de quantitate sic accepta loqui Philosophum.

*Sed quis non videt* hanc explicationem esse coactam & gratis datam ad eluendam vim argumenti?

*Deinde* cum non sit maior ratio cur intelligatur de extensione, quam de quantitate, de hac potius est intelligendum.

*Probatur quarto*, qui à alias sequeretur quod quantitas esse penetrabilis, quod est absurdum.

Probatur sequela, quia si manus affecta quantitate esset in eodem loco naturaliter cum alia manu similiter affecta quantitate, sine dubio quantitas esset penetrabilis naturaliter: sed idem contingeret secundum oppositam sententiam.

Probatur minor, quia medietas lactis rarefacti in duplum, quæ occuparet locum distinctũ ab alia medietate, haberet quantitatem, & supposita condensatione occuparet cum eadem quantitate eundem locum cum alia medietate etiam affecta quantitate: ergo &c. Nec refert quod nõ occuparet eundẽ locũ sine motu locali vtriusque medietatis, & sine deperditione extẽsionis alicuius: quia nec mediãte motu aut extẽsione potest naturaliter fieri vt duæ partes alicuius corporis quãti occupent eũdem locum. Omitto plures alias rationes, quibus & nostra conclusio confirmari, & oppositа poterit impugnari, quas vnusquisque per se facile excogitare potest.

## CONCLVSIO IV.

Non acquiritur noua quãtitas sine nouo subiecto.

42. *In rarefactione non acquiritur noua quantitas sine subiecto nouo.* Hæc est communior contra quosdam *Scotistas* & antiquos, quibus eatenus suffragatur *Scotus*, quatenus non resoluit vtrum acquiratur noua quantitas sine subiecto vel cum subiecto nouo, sed vtramque sententiam sine resolutione alterutrius proponit. Verum quidem est quod quidam *Scotistæ* existimẽt ipsum assertiuè tenuisse nostram conclusionem ex eo, quod supra *n.* 14. habet hæc verba: *Quantum ad secundam conclusionem istius opinionis, vbi est pondus fundamentale istius quæstionis, quia vt dictum est, in ea difficultas contra vtramque opinionem, scilicet & ponentem totam quantitatem nouam, & ponentem eam nouam secundum partem, arguo contra*, &c. Et *num.* 20. subiungit: *breuiter ergo vt prædictum est quantum ad propositum opinio communis* (notentur hæc verba pro præcedenti conclusione) *imo omnis dicens quod aliqua quantitas est noua, patitur eandem difficultatem, quam & illa quæ ponit totam quantitatem esse nouam, nisi ibi teneatur via tacta, quod rarefactio est quædam iuxtapositio corporum subtiliorum inter partes corporis grossioris.*

Sed re vera ego existimo ex his locis non colligi quod *Scotus* resoluerit aliquid: tãtũ enim dicit quod difficultas principalis militet contra vtramque opinionẽ, scilicet & ponentem totam quantitatem nouam, & ponentẽ partem tantum nouam quantitatis; quod quidem verissimum est, quia difficultas principalis istius quæstionis erat, quomodo possint rarefieri species sacramentales: nõ enim possunt rarefieri sine productione nouæ quantitatis siue totalis, siue partialis; nec poterit produci ab agente naturali vlla noua quantitas sine subiecto, subiectum autem non est in speciebus Eucharisticis: licet autẽ hæc difficultas principalis æque faciat contra vtramqu opinionem secundum *Scotum*; tamen *Scotus* nunquã dixit alias difficultates æque militare contra illas; imo expresse impugnat per alias rationes primam opinionem de quantitate totali noua, & impugnat secundam de quantitate partiali noua.

*Vnde sic argumentor* in forma, vt melius intelligatur quod dico. Quamuis idem esset dicendũ de vtraque opinione, quantum ad difficultatem rarefactionis specierũ Eucharisticarum, non tamen inde sequitur quod idem esset dicendum de ipsis quantũ ad cæteras difficultates: nam etsi secundum illam difficultatem nõ esset disparitas, posset tamen esse disparitas quoad alias: sed *Scotus* tantum dicit idem esse dicendum de ipsis quantum ad istam difficultatem: ergo non sequitur hinc quod dicat idem esse dicendum de ipsis quantum ad cæteras difficultates; & consequenter licet ipse non teneat primam opinionem de quantitate totali, non sequitur quod non teneat secundam opinionem de quantitate partiali, præsertim cum non reiiciat primam propter difficultatem illam, quæ est ipsi communis cum secunda; sed propter alias, quæ non sunt speciales contra primam, & nihil faciunt contra secundam.

43. *Confirmatur*, quia ipsemet soluit istam difficultatem principalem, quam dicit æque militare contra vtrãque opinionem; ergo ex eo quod dicat illam difficultatem esse communem vtrique, non sequitur quod si reiiciat vnam, reiiciat etiam & alteram. Itaque dicendum est *Scotum* nihil resoluisse in hac re.

*Probatur ergo conclusio ratione*; *Primo*, quia illa quantitas, quæ produceretur sine nouo subiecto non haberet vllum subiectum: ergo non potest produci. Consequentia est euidens, quia non potest accidens secundum omnes naturaliter esse sine subiecto inhæsionis.

Probatur antecedens, quia non potest subiectari in subiecto præexistentis quantitatis neque esset aliquod aliud subiectum, in quo subiectaretur, si non produceretur, aut adduceretur subiectum nouum: ergo.

Probatur antecedens pro prima parte, in qua est difficultas, quia tam implicat duas quantitates determinatas esse simul in eodem subiecto, quàm in eodem loco, sed in eodem loco non possunt esse simul naturaliter: ergo nec in eodem subiecto.

*Confirmatur primo*, quia implicat quod, sint in eodem subiecto quin sint etiam in eodem loco: ergo si non possint esse in eodem loco, nec poterunt etiam esse in eodem subiecto.

Probatur antecedens, quia si sint in eodem subiecto, debent esse in quocumque loco, in quo esset subiectum: sed illud subiectum deberet esse in vno loco: ergo illæ quantitates deberent esse in eodem loco, si essent in eodem subiecto.

*Confirmatur secundo*, quia si poterit eadẽ materia, quæ semel afficitur vna quantitate determinata simul cum illa quantitate recipere aliam quantitatem immediate, qua extenderetur ad maiorem locum, nunquam poterimus colligere quantam substantiam aut materiam haberet aliqua res; quod est absurdum.

Probatur sequela, quia non possumus colligere quantitatem materiæ, nisi ex extensione quantitatiua eius; sed ex hoc non poterit colligi, quin posset eadem materia & substantia nunc habere maiorem, nunc minorem extensionem secundum Aduersarios.

44. *Confirmatur tertio*, quia aliàs quantitas esset intensibilis,

intensibilis,quod est falsum secundum omnes. Probatur sequela, quia accidens absolutum intenditur per productionem plurium partium eiusdem rationis in eodem subiecto:ergo si plures partes quantitatis recipi possunt in eodem omnino subiecto, quantitas poterit omnino intendi.

*Confirmatur quarto*, quia alias sequeretur quod partes entitatiuæ materiæ vel substantiæ rarefactæ replicarentur; hoc est ponerentur simul in duobus locis, quod est absurdum.

Probatur sequela,quia essent in loco quem haberent à quantitate præexistente rarefactionem, & etiam in loco quem haberent à quantitate sequēte rarefactionē.

*Non euaditur hæc difficultas* recurrendo ad partes proportionales & indeterminatas, ad quas recurrūt Aduersarij, quia pars determinata esset in duobus locis. *Nam* quantitas acquisita per rarefactionem,est sine dubio determinabilis à Deo,cum poterit esse tanta,& consequēter tam determinata,quam quantitas præcedens rarefactionem; & pars materiæ ipsi correspondens est etiam determinata:sed illa eadem pars haberet sibi correspondentem quantitatem, quam habuit ante rarefactionem, quæ quantitas, non secus ac illa pars, esset etiam determinabilis per Deum: ergo pars determinata materiæ esset in duobus locis determinatis simul, vt patet.

*Probatur secundo conclusio*, quia inde colligitur post rarefactionem acquiri nouam quantitatem, quia corpus rarefactum habet plures partes quantitatiuas quam ante, etiam determinatas, sed etiam haberet plures partes determinatas entitatiuas quam ante: ergo per rarefactionem acquiritur non solum pars quantitatis, sed etiam pars substantialis.

Probatur minor,quia post rarefactionem haberet tot partes determinaras entitatiuas,quot partes determinatas quantitatis,& ante non haberet,nisi tot partes determinatas entitatiuas, quot ante habuerat quantitatiuas: ergo si post rarefactionem haberet plures partes quantitatiuas quam ante, etiam habebit plures entitatiuas.

*Probatur tertio*: quia partes determinatæ extremæ entitatiuæ rei rarefactæ magis distant à se inuicem quam ante rarefactionem: ergo intercedunt aliquæ partes entitatiuæ inter illas, quæ non erant ante.

Probatur consequentia, quia alias non posset intelligi quomodo magis distarent, nisi daretur vacuum, vel intercederent aliquæ partes,quæ non essent entitatiuæ, nec subiectarentur in partibus entitatiuis.

45. *Probatur quarto* ab aliis, quia non potest produci aliqua quantitas determinata noua in corpore mixto, præsertim magna, sine aliquo colore:sed illa quantitas noua, quæ produceretur in lacte rarefacto sine subiecto nouo,non haberet aliquē colorem, quia si aliquem haberet, maxime albedinem: sed non haberet albedinem, quia neque albedo existens in quantitate præcedenti poterit informare quantitatem illam nouam, vt patet, neque agens rarefaciens, verbi gratia,ignis,haberet vim producendi albedinem:ergo, &c.

*Confirmatur*, quia non potest vlla pars lactis non esse alba,nisi producatur in ipso opposita qualitas;sed si afficeretur per rarefactionem in duplum noua quantitate, daretur media pars ipsius sine albedine, nimirum illa media pars, quæ afficeretur altera tanta quantitate, quantam habuerat antea, acquisita per rarefactionem.

*Sed in primis hæc difficultas* nullam habet vim in sententia eorum, qui dicunt qnod qualitates subiectentur immediate in ipsa substantia, & non in quantitate, vt patet.

*Deinde* tenendo etiam sententiam communem quod scilicet qualitates subiectētur immediate in quātitate,& non in substantia,potest facile respōderi negando minorem vtramque,& obiectionis,& confirmationis,& dicēdo quod lac ex sua natura petat albedinē sicut ignis calorem, & aqua frigus;& consequenter quod quando afficeretur noua quantitate, emanaret ab ipso in illa noua quantitate, noua albedo, sicut emanauit in quantitate præ existēte,vnde non esset necesse quod aut ignis rarefaciens lac produceret albedinem, aut albedo præexistens informaret quantitatem de nouo acquisitam.

46. *Probatur quinto* ab aliis, quia ex opposita sententia non poterit agens naturale rarefacere species Eucharisticas, contra experientiam.

Probatur sequela, quia non posset producere quantitatem sine subiecto: sed vt rarefaceret secundum oppositam sententiam, deberet producere quantitatem nouam, quæ in illis speciebus non præsupponeret aliquod subiectum:ergo, &c. Hæc est difficultas communis æque militans contra Aduersarios huius conclusionis,& Aduersarios primæ conclusionis.

*Sed reuera* non conuincit illos:potest enim dici cum ipso *Scoto*,quod rarefactio istarum specierum dispositiuè fiat ab agentibus naturalibus; efficienter vero ab ipso Deo,qui solus in illis speciebus produceret quantitatem nouam siue totalem, siue partialem.

*Neque hæc responsio mira videri debet*:nam quemadmodum secundum omnes, dum generantur vermes ex illis speciebus,Deus miraculosè creat aut transfert eo aliunde materiam primam, sine qua ista generatio fieri nequiret:Ita non est mirum quod productis istis dispositionibus à causis naturalibus ad rarefactionē, producat de nouo quantitatem, sine qua rarefactio non poterit esse secundum illos Aduersarios. Et sicut recurritur ad solum Deum,vt ad causam productiuam animarum eorum animalium,quæ generantur ex putri materia,ex eo quod non sit causa secunda potens producere tales animas; cur non recurreretur ad ipsum, vt ad causam productiuam quantitatis, quando produci deberet, & non adesset causa secūda quæ posset ipsam producere?Et per hoc euanescit replica *Aduersæ* dicentis tam videri quantitatem in istis speciebus produci à causa secunda,quàm in aliis corporibus rarefactis. Hæc inquam replica euanescit ex dictis,quia etiam tam videtur quod anima producatur à causis secundis in prædictis animalibus,quàm quod aliæ formæ ab ipsis producantur, & tamen non producitur ab ipsis:ergo licet videretur quātitas noua à causa secunda produci in illis speciebus, non tamen dicendum esset quod produceretur ab ipsis,si aliquid aliud impediret;quamuis si nihil impediret, deberet dici fieri eo modo quo videtur.

*Fundamentum oppositæ sententiæ est*, quod non apparet quomodo aliter fieri poterit rarefactio, quam per aduentum nouæ quantitatis sine nouo subiecto:sed ex sequenti conclusione constabit oppositum.

## CONCLVSIO V.

47. *Rarefactio corporis fit per receptionem corpusculorum insensibilium ex se intra poros rei rarefactæ, & dilatationem insensibilem ipsorum pororum; condensatio autem fit per egressum corpusculorum à poris & compressionem insensibilem istorum pororum.* Hæc est Authorum quintæ sententiæ contra reliquas. Quomodo fit rarefactio.

*Probatur* sufficienter, quia potest intelligi sine vlla difficultate quomodo rarefactio fiat hoc modo; & ex dictis patet quod nullo alio modo sine maximis difficultatibus poterit fieri: ergo dicendum est, quod hoc modo fiat.

*Confirmatur*, quia dum aqua rarescit apparet ad sensum interponi aërem; & illa corpora, quæ sunt magis porosa,sunt aptiora ad rarefactionem, ac condensationem: ergo signum est, quod per huiusmodi interpositionem corpusculorum fiat rarefactio.

*Obiicies primo cum Hurtado*: Vas plenum aqua, si obturetur & congeletur aqua, rumpitur,ex eo,quod alias daretur vacuum;sed si condensatio fieret per egressum corpusculorum intra rem condensatam inclusorum,non esset periculum vacui,nam locus derelictus ab aqua condensata occuparetur à corpusculis egredientibus ab ipsa: ergo non deberet rumpi vas ad impediendum vacuum.

48. *Respondetur primo*, negando maiorem:neque enim videtur probabile quod rumpatur vitandi vacui causa: *primo*, quia, vt bene aduertit *Arriaga*, etiam vas plenum aqua apertum, & non obturatum sæpissime frangitur Nō rumpitur vas plenū ad vitandum vacuum.

ad congelationem aquæ,tum autē non potest dici,quod frangatur vt impediatur vacuum:sed illa causa ob quam frangitur tum,potest sufficere, vt frangatur, quando est obturatum:ergo non debet dici quod frangatur tum ad vitandū vacuum. *Secundò*:quia vt idem aduertit,vas plenum oleo,aut butiro,si obturetur,& condensetur oleum aut butirum, non frangitur,& tamen tum esset tantum vacui periculum, ac quando esset plenum aqua, & hæc congelaretur. *Tertiò*:quia quando in vase obturato congelatur superior pars,non frangitur vas,nisi congeletur tota aqua,aut maxima pars illius, & tamen esset periculum vacui,congelata parte,tam bene,ac congelata tota: ergo non frangitur ad impediendum vacuum. *Quartò*: quia si ad impediendum vacuum deberet rumpi vas, si fieret cōgelatio, potius deberet impediri congelatio naturaliter,quam rumpi vas:quæ etiam ratio mihi probabilissime ostēdit quod ascensus aquæ sursum,non fiat ad impediēdum vacuum, de quo suo loco *in Physica* actum est. *Quintò*,quia potest assignari alia causa cur rumpatur vas,nēpe,quia agentia condensantia aquam habent vim comprimendi partes ipsius vasis, atque adeo rumpendi ipsum; vnde & sæpe rumpuntur,quando sunt vacua ob nimium frigus,vel etiam ob nimium calorem;& deinde aqua condensata,& reddita durior,impulsu suo ad illam confractionem multum iuuare potest.

*Dices* : licet hoc dici posset, si vas esset testaceum,aut vitreum;non tamen si esset ferreum, aut æneum,ac valde crassum. Sed huiusmodi etiam vasa rumperentur, si bene obturarentur ac congelaretur aqua : ergo solutio non sufficit.

*Respondeo*, negando minorem : nec credo aduersarios ea de re habuisse vnquam experientiam. Vnde ipsimet solent proponere hanc difficultatem de vase testaceo, aut vitreo.Et si supponatur vas non habere poros,negari debet futuram rarefactionem:nec hoc erit contra experientiam,quia nunquam facta est in vase,de quo constaret experientia quod non haberet poros. Adde quod quemadmodum condensans habet virtutem extrahendi corpuscula illa,& comprimendi partes aquæ : ita etiam habere potest virtutem partes vasis comprimendi, & extrahendi corpuscula ab ipsius poris : per hanc autem compressionem facile potest rumpi vas,etiam si non esset periculum vacui. Vnde patet quod vas non rumperetur ad impediendum vacuum;& sic tolleretur difficultas obiectionis.

49. *Obijcies secundo*:sicut aqua potest rarefieri per calorem,ita etiam corpuscula,quæ producerentur in ipso, possent sic rarefieri, & consequenter deberent intra se recipere alia corpuscula, & sic in infinitum.

*Confirmatur* : quia rarefactio, quæ fieret hoc modo, non distingueretur à rarefactione improprie dicta,quod est absurdum.

*Confirmatur secundò* : quia non videtur posse dari corpuscula magis tenuia,quam sint aër,& ignis;sed hæc rarefiunt : ergo rarefactio non fit per receptionem huiusmodi corpusculorum.

*Respondetur*,quidquid sit vtrum possent rarefieri quæcumque corpuscula, negando tamen quod corpuscula producta per ignem rarefacientem in aqua possent rarefieri ab igne;quod si etiam potuissēt, non sequeretur processus in infinitum:nam duo,vel tria genera substantiarum potuissent sufficere ad rarefactionem sui mutuā: ita vt partes vnius substantiæ ingrederentur poros alterius substantiæ rarefactæ, & è contra.

*Ad confirmationem primam respondetur*, negando sequelam:cuius ratio patet ex dictis ante primā conclusionē.

*Ad secundam respondetur*, si antecedens sit verum, negando consequentiam,quia tum non necessario requireretur ad rarefactionem quod fiat per receptionem corporum magis subtilium,quam sit res rarefacta.Quod si aër ipse,& ignis possent fieri rariores,quā semel sunt, vt fatentur Aduersarij, cur negaretur possibilitas corporum magis subtilium,& tenuium, quam sit aër, aut ignis?& iuxta hoc posset negari antecedēs confirmationis huius.

50. *Obijcies tertiò* : sequeretur quod Deus non posset producere aliquod nouum corpus in mundo cum materia, & forma sua, quin destrueret aliquid aliud, aut dilataretur ambitus cœli lunæ, aut poneret duo corpora in eodem loco, quod videtur absurdum.

Probatur sequela, quia non haberet locum distinctum à locis omnium aliorum corporum . nec illa omnia possunt occupare minorem locum sine penetratione.

*Respondetur* admittendo sequelam; nec id est magis absurdum, quam quod non poterit producere aliquod corpus de nouo sine condensatione,aut destructione alicuius alterius corporis, vel dilatatione cæli lunæ, aut penetratione.

*Obiicies quarto*:quædam corpora sunt aliis rariora sine admixtione aliorum corpusculorum in suis poris,vt patet in aqua, & plumbo, etiam si nulla alia haberent intermixta corpora, & etiam secundum communem sententiam in cælis, quorum aliquæ partes sunt aliis densiores, aliæ rariores,: ergo nec raritas fit per ingressum corpusculorum, nec densitas per egressum.

*Respondetur*, distinguendo antecedens:raritate, de qua hic loquimur, nego:alia, transeat, & nego consequentiam:quæ responsio facilis est ex suppositione dictorum in initio quæstionis.

*Obiicies quinto*, secundum Philosophum : rarum est quod habet multum quantitatis,& parum materiæ:densum vero quod habet multum materiæ,& parum quantitatis : ergo quando aliquid de raro fit densum, perdit plus quantitatis, quam materiæ, & consequenter potest esse plus quantitatis quam materiæ in aliquo, & plus etiam materiæ, quam quantitatis;quod est contra principia, quibus probauimus non posse acquiri quantitatem nouam sine subiecto nouo.

*Respondetur* distinguendo antecedens : quod habet multū quantitatis suæ propriæ primo in seipso inhærētis,nego:quod habet multum quantitatis suæ propriæ,& etiam alienæ,sed non inhærētis in se ipso,concedo antecedens;& similiter distinguo consequens. Itaque, quando corpus fit rarū,quia intra poros suos recipit corpuscula habentia quantitatem, & consequenter extenditur ad occupandum maius spatium, quàm antea occupabat sine augmento suæ materiæ ; inde dicitur quod habebat multum quantitatis,& parum materiæ;& similiter quia ab illo quod condensatur recedunt corpuscula, & comprimuntur partes ipsius ad occupandum minorem locum sine deperditione vllius partis suæ materiæ, dicitur habere multum materiæ, & parum quantitatis.

52.*Dices*:non est maior ratio cur rarum dicatur habere plus quantitatis quam ante,ob quantitatē corpusculorum interceptorum,quàm etiam plus materiæ ob materiam istorum:ergo responsio non saluat difficultatem.

*Respondetur*, negando antecedens,quia quantitas corpusculorum tribuit rei rarefactæ maiorem extensionem quàm ante,& propterea potest dici aliquo modo sua;materia vero illorum nihil ipsi confert, & propterea non tam commode potest vocari materia ipsius.

*Dices secundo* : quamuis hoc modo saluetur in re rarefacta multum quantitatis,& parum materiæ;tamen in re condensata non potest saluari multum materiæ, & parū quantitatis,quia in tali re tantum ad minus est quātitatis, etiam suæ propriæ, quantum est materiæ secundum nostram sententiam:ergo adhuc manet difficultas.

*Respondetur*, distinguendo antecedens:multum materiæ & parum quantitatis in consideratione ad quantitatem, quam ante habuit,aut quam poterit habere per rarefactionem,nego;sine tali consideratione, concedo antecedens, & nego consequentiam.

*Quæres primo*,vnde adueniunt corpuscula illa,quæ ingrediuntur poros rei rarefactæ?

*Respondetur*, illa partim generari de nouo per rarefactionem, partim reperiri in corporibus vicinis; ac vel ad vacuum impediendum confluere ad illos poros ; vel eo detrudi per aliquas causas.

53.*Quæres secundo*,in qua actione consistat formaliter rarefactio?

*Respon*

In qua actione consistit rarefactio.

*Respondeo*, si loquamur de actione, per quam ignis, verbi gratia rarefacit aquam, aut quamcumque aliam substantiam, quod consistat in calefactione, non quidem quatenus calefactio est formaliter, quia vt sic habet facere illam substantiam calidam, & per hoc præcisè non habet rarefieri; sed quatenus ad eá sequitur, quod dilatétur partes corporis rarefacti per intromissionem alterius corporis. Si vero loquamur de rarefactione quatenus præcisè habet dilatare illas partes per illam intromissionem, consistit in actione per quam producitur illa partium extensio & intromissio alterius substantiæ.

*Et si quaras*, in quanam ex his actionibus simpliciter, & formaliter debet dici consistere?

*Respondeo* quod in posteriori, quia per illam solum corpus rarefieret, si esset absque altera; per alteram vero non rarefieret, si hæc non esset; vnde mihi videtur quod illa actio productiua caloris aut cuiuscumque alterius qualitatis, ad quam sequitur illa extensio, dicatur rarefactio eo modo, quo actio quam habet homo circa materiam conuertendam in substantiam hominis, dicitur generatio, quatenus scilicet est actio, ad quam connaturaliter sequitur generatio.

# DISPVT. XXVII.

## *De Elementis.*

DVOBVS locis solet tractari de elementis cum Philosopho, & in libris de Cælo, & etiam in præsentibus, in quorum secundo de iis solis & spectantibus ad ipsa agit Aristoteles. Ideo autem eorum consideratio ad hos libros spectat, quia cum actum esset de generatione, & corruptione corporum in communi, descendendum erat primo ad generationes elementorum, ex quibus cætera corpora generari solent.

## QVÆSTIO I.

### *Quid est Elementum & quot sunt.*

1. NOn agimus hic de elemẽtis in latissima acceptione, quatenus principium, & initium cuiusque rei solet vocari elementum eius; quo sensu litteræ dicuntur elementa orationis, & propositiones per se notæ elemẽta demõstrationis: sed in alia strictiori, quatenus elemẽtũ capitur pro corpore aliquo rationem aliquã specialem habente, ratione cuius dici debet elementum potius quã alia corpora, quæ ratio specialis hic assignanda est.

Descriptio Arriagæ reiicitur.

*Arriaga*, reiecta descriptione Philosophi, describit elementũ esse, quod vna tantum ex primis qualitatibus constat. *Hæc descriptio non placet primò*, quia supponit non dari alias qualitates plures quam duas: ex hoc enim solum sequitur quod elementum quodlibet nõ haberet duas qualitates; sed hoc suppositũ est falsum, vt postea videbitur. *Secundò*, quia licet quodlibet elementum solum constaret vna ex primis qualitatibus, tamen non ex hoc formaliter haberet esse elementum: nã esse elementum competit ipsi, quatenus habet aliquo modo rationẽ principij aliarũ rerum, vt omnes fatentur: ergo per hãc descriptionẽ non declaratur sufficienter ratio elementi vt elementum est, quamuis describeretur ratio rei, quæ est elementum, quatenus distinguitur ab omnibus aliis rebus, quæ non sunt elementum.

*Confirmatur*, quia si quis vellet describere risibile dicẽdo quod esset illud quod esset rationale; quamuis reuera describeret rẽ illã, quæ est risibilis, quatenus distinguitur ab omni alia re, quæ nõ est risibilis, tamen certũ est quod nõ describeret illã vt est risibilis formaliter: ergo idem dicendum in proposito. Et per hoc patet quod male describeretur elementũ esse quod exigeret duas ex primis qualitatibus, quam descriptionem idem *Arriaga* refutat ex eo quod supponat non dari nisi duas primas qualitates, & consequenter falsum esse quod quodlibet ex mixtis postulet duas ex primis qualitatibus: sed hoc suppositum illius est falsum.

### CONCLVSIO I.

Descriptio elementi.

2. *Bene describitur Elementum, de quo hic agitur, esse corpus in quod alia corpora diuidi possunt, in quibus actu, vel potentia continetur; cum tamen ipsum in alia corpora specie diuersa diuidi non possit.* Hæc est communis cum *Philosopho 3. de cælo tex. 31.* contra *Arriagam*, quem miror à communi Philosophorum opinione absque meliori, quam ipse affert, impugnatione recedere.

*Probatur*, quia & declarat hæc descriptio naturam elementi, quatenus habet rationem principij ac elementi; & omni ac soli cõpetit absque superfluitate, vt patebit exponendo singulas particulas. Dicitur *corpus*, vt ostendatur elementum, de quo agimus, esse corpus, & per hoc distinguatur à materia, & forma substãtiali, quæ quatenus sunt principia prima, ex quibus omnia corpora naturalia fiunt, possent vocari elemẽta corporum naturalium. Dicitur, *in quod alia corpora* (intellige generabilia, & corruptibilia) *diuidi seu resolui possunt*, via generationis, & corruptionis, quatenus ex aliis corporibus corruptis generari potest elementum. Dicitur etiam, *in quibus actu vel potentia insunt*, tum vt significetur, quomodo habeat elementum esse principium aliorum corporum, quatenus scilicet in illis continetur aliquo modo: tum etiam vt sciatur, quod licet vnum elementum ex alio fieri possit, tamen vnum in aliud diuidi, aut resolui non possit, quia scilicet vnũ in alio non continetur actu aut potentia. Ad hoc autem vt aliquid in aliud resolui possit proprie, illud in quod resoluitur debet actu aut potentia contineri in eo, quod in ipsum resoluitur: vnde licet ex aëre fieret ignis; tamen ignis non resoluitur, nec diuiditur in aërem, quia aër non continetur actu, aut potentia in igne; resolutio autem, & diuisio est in ea quæ continẽtur in resoluto, aut diuiso. *Dicitur actu vel potentia*, vt abstrahatur à controuersia inferius examinanda, an scilicet elementa actu, & formaliter contineantur in mixtis; an vero in potentia tantum seu virtualiter. Dicitur, *cum tamen ipsũ in alia corpora specie diuersa diuidi non possit*, quia si posset sic diuidi, non esset primum elementum, sed potius illa alia corpora, in quæ diuidi posset. Dicitur, *in corpora*, & non in res, aut substantias, quia elementum corporeum quodcumque potest diuidi in materiam, & formam, quæ sunt res & substantiæ; non vero corpora, hoc est constantia materia, & forma. Dicitur denique, *specie distincta*, quia possunt elementa diuidi in partes integrantes suas, quarum quælibet est corpus; quia vero non habent partes integrantes diuersæ rationis, propterea nequeunt diuidi in corpora specie distincta.

3. *Obiicit Arriaga*, alia corpora non componi ex elementis, nec elementa esse minus diuisibilia in alia corpora.

*Sed hoc ipsum*, quod est directe contrarium definitioni præmissæ, & propterea negandum ab omni assertore definitionis, probare certe deberet *hic Author*; nec quidpiam magis ridiculum est ad impugnandam aliquam sententiam, quam assumere oppositum eius absque vlteriori probatione.

*Verum in forma respondeo* negando illam propositionem *Arriagæ* quoad vtramque partem. Nec certe possent elementa habere rationem elementorum vlla ratione potius quam alia corpora nisi essent principia aliquo modo constituentia alia corpora, nec essent prima elementa, si eodem modo possent diuidi, & resolui in alia corpora, quo alia corpora possunt in ipsa: ergo aliqua sunt constitutiua aliorum corporum, & aliquo modo minus diuisibilia quam alia corpora. Quomodo autem constituant alia corpora, & quomodo non sint indiuisibilia in alia corpora melius videbitur inferius, dum agetur de modo quo mixta constituuntur ex elementis.

### CONCLVSIO II.

Quatuor tãtũ sunt elemẽta.

4. *Quatuor tantum dantur elemẽta, nempe ignis, aër, aqua, & terra.* Hæc etiam est communis cum *Philosopho hic.*

*Probant Complutenſes*, quia ex primis qualitatibus, verbi gratia frigore, calore, humiditate, ſiccitate, quatuor tantum combinationes naturales fieri poſſunt, ſcilicet, calidum & ſiccum, calidum & humidum, frigidum & humidum, frigidum & ſiccum: ergo tantum ſunt conſtituenda quatuor prima corpora, quibus prædictæ combinationes conuenire poſſunt connaturaliter.

Probant antecedens, quia quamuis duæ combinationes poſſint ex prædictis qualitatibus fieri, vt frigidum & calidum, humidum & ſiccum, hæ tamen non poſſunt alicui corpori ſimplici eſſe connaturales.

*Verum hæc probatio*, niſi aliunde perficiatur, nullo modo ſufficere poteſt: *Primò*, quia dubitari poſſet de conſequentia; ad cuius valorem probari deberet, quod combinationes illæ, quæ poſſunt fieri ex illis, debeant ſolis elementis competere, quod ſupponunt hi authores, ſed probatione valde indiget. *Secundo*, quia, ſi darentur corpora, in quibus reperirentur primæ qualitates ſic, vt cuilibet vna tãtum ex illis cõpeteret, illa ſine dubio eſſent elementa tam bene, quàm ea, quibus duæ ex illis competerent. *Tertiò*: quia illæ ipſæ combinationes quatuor poſſunt habere latitudinem maiorem & minorem, ita ſcilicet, vt vni corpori duæ ex illis qualitatibus in ſummo competant, & alij vna ex illis in ſummo, & altera in remiſſo; & alij vtraque in gradu remiſſo: ſed corpora, quibus ſic competerent, eſſent elementa, non minus quam quatuor illa, quæ de facto ſunt, & eſſent diuerſæ ſpeciei inter ſe non minus, quam mixta corpora, quæ exigunt quatuor qualitates primas, ſunt diuerſæ ſpeciei inter ſe ex eo, quod exigunt illas qualitates ſecundum diuerſam intenſionem. Nec vim huius rationis eneruat quod reſpondent *Complutenſes num.* 11. & 12. vt leuiter conſideranti patet, nec conſequenter opus eſt vt hic particulariùs demonſtretur.

5. *Probari ſolet concluſio ſecundo* ex *Philoſopho*, ex eo, quod ſint quatuor loca infra cælum; ſummum quod tãgit cælum, infimum quod eſt centrum terræ, alterum propè ſummum, & alterum propè infimum: ergo quatuor tantum dantur elementa, quorum vnum, quod eſt ſummæ leuitatis, poſtulat eſſe in loco ſummo, nempe ignis; alterum quod eſt ſummè graue, in loco infimo, nempe terra; tertium, quod eſt mediocriter leue, in loco propiori ad ſummum, vt eſt aër; & quartum, quod eſt mediocriter graue, in loco propiori ad infimum, nempe aqua.

*Hæc etiam probatio* per ſe non ſufficit; *Primò*, quia non conſtat quin corpus mixtum poſſet exigere eſſe in loco ſummo, & etiã in loco infimo; & ſane lapis grauis æque bene deſcenderet naturaliter ad centrum terræ, ac terra ipſa, ſi non poneretur obſtaculum: ergo ex locis non ſequitur dari quatuor elementa. *Secundo*, quia infra locum ſummum & infimum, quantum ad rationem, nihil impediret, quo minus vnum tantum elementum poſſet occupare totum locũ medium; & ſi hoc eſſet verum, tria tantum darentur elementa. *Tertiò*, quia ſicut poſſunt aſſignari duo loca, vnus in tanta propinquitate, & alius in maiori vel minori; & poſſent dari corpora diſtincta, quæ peterent occupare illa loca ex maiori vel minori leuitate aũt grauitate ſua: ergo poſſent ex locis repertis in vniuerſo æque concludi plura elemẽta, ac quatuor. *Quartò*, quia non conſtat dari quatuor loca diſtincta occupabilia ab elementis magis quam duo, niſi quatenus conſtat dari quatuor elementa, quæ occupant omnia loca ſub cælo, & occupant loca diſtincta: ergo potius ex quatuor elementis deberent probari illa loca, quàm ex illis locis quatuor elementa.

6. *Melius ergo probatur concluſio*, quia de facto datur aër, ignis, aqua, terra, quorum quodlibet eſt elementum, & nihil aliud de facto datur, quod ſit elementum: ergo quatuor tantum ſunt elementa: conſequentia eſt euidẽs. Antecedens quoad primam partem eſt etiam euidens, & probatur quo ad ſecundam; quia quodlibet aliud corpus conſtat ex illis, & eſt reſolubile in illa; nec vllum ex illis eſt reſolubile in alia corpora: ergo quodlibet ex illis eſt elementum.

Probatur etiam idẽ antecedens, quoad tertiam partẽ, quia nullum aliud corpus poteſt aſſignari, quod non ſit reſolubile in alia corpora ſpecie diſtincta: ergo nullum aliud corpus eſt elementum.

*Confirmatur hoc*, quia in quolibet ex cæteris corporibus reperiuntur qualitates connaturales primæ horum quatuor, vt calor, frigus, humiditas, ſiccitas: ergo vel virtualiter, vel formaliter reperiuntur hæc quatuor corpora in aliis corporibus: ſed in nullo ex his reperiuntur omnes qualitates connaturales primæ aliorũ corporũ: ergo alia corpora non continentur aut formaliter, aut virtute in his, & conſequenter hæc quatuor erunt elementa; cætera vero corpora non erunt.

7. *Obiicies*: ex igne fit aqua, & aer, quæ ſunt ſpecie diuerſa: ergo ignis eſt reſolubilis, & diuiſibilis in corpora ſpecie diuerſa, & conſequenter non eſt elementum.

Probatur conſequentia, quia eatenus mixtum dicitur eſſe reſolubile in ſpecie diuerſa, quia ex ipſo poſſunt fieri corpora ſpecie diuerſa: ergo ſi ex igne poſſunt fieri corpora ſpecie diuerſa, erit reſolubilis, ac diuiſibilis in ſpecie diuerſa.

*Reſpondeo* negando conſequentiam cum antecedenti ſuæ probationis: non ideo enim præciſe id dicitur; ſed quia ex ipſo fiunt corpora ſpecie diuerſa, quæ in ipſomet cõtinentur virtualiter, aut formaliter. Quamuis autem aer, & aqua poſſint fieri ex igne, tamen non continentur formaliter, aut virtualiter in igne, & propterea ignis non debet dici eſſe diuiſibilis, aut reſolubilis in illa.

*Dices*: non fierent ex ipſo, niſi continerentur in ipſo: ergo cum fiant ex ipſo, debent contineri in ipſo, aut virtualiter, aut formaliter: ergo falſum eſt quod ſic in ipſo non contineantur.

*Reſpondetur* diſtinguendo antecedens: niſi contineantur in ipſo, quatenus poſſunt educi ex potentia materiæ ipſius, concedo antecedens: quatenus ipſæmet formaliter in ipſomet igne continerentur, aut quatenus ipſorũ virtutes, hoc eſt qualitates primæ, quas connaturaliter exigunt, in ipſo formaliter reperiuntur, nego antecedẽs. Quando ergo dicimus quod elementa non contineant alia corpora formaliter, aut virtualiter, ſenſus huius eſt, quod alia corpora, nec ſecundum ſe formaliter, nec ſecundum qualitates ſuas primas connaturales ipſis contineantur actu.

## CONCLVSIO III.

Quomodo ſunt ſimplicia elementa.

8. *Quatuor elementa non ſunt ita ſimplicia, quin componantur non ſolùm ex partibus metaphyſicis, ſed etiam ex partibus phyſicis, materia ſcilicet, & forma ſubſtantiali.* Hæc eſt communiſſima inter *omnes Peripateticos* contra aliquos antiquos, & modernos, quos citat, & ſequitur *Camerarius p.* 2. *q.* 1. exiſtimans elementa eſſe materiam primam.

*Probatur primo*: experientia conſtat ignem de nouo produci & extingui, etiam per virtutem cauſarum ſecũdarum: ſed hoc eſſet falſum, ſi eſſet materia prima, aut ſi non conſtaret materia prima, & forma ſubſtantiali.

Probatur minor tum quia materia prima non eſt generabilis, nec corruptibilis. tum quia agens creatum nequit producere aliquid, niſi dependenter à ſubiecto, vt patet ex principiis quibus collegimus in Phyſica dari materiam primam.

*Probatur ſecundo*: quia ſi elementa eſſent materia prima, darentur quatuor materiæ primæ ſublunares diſtinctæ rationis, & præterea materia prima daretur naturaliter abſque vlla forma ſubſtantiali.

9 *Obiicies ex Camerario*: elementa ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia: ergo nõ diſtinguuntur à materia prima: ideo enim diſtinguerentur, quia non eſſent ingenerabilia & incorruptibilia, ſicut illa debet eſſe.

Probatur antecedens, quia nec aer conuertere poteſt in ſe ignem, nec ignis aerem, nec aqua poteſt conuerti in ignem, aut etiam terra; quod ſatis fuſe ipſe conatur oſtendere: ergo.

*Sed miror ſane* tam leui fundamento innixum hunc authorem à communiſſima doctorum ſententia recedere.

*Reſpondeo*

*Respondeo* autem negando antecedens: & quidquid sit de antecedēti, quod ab *Arriaga* expresse defenditur, quāuis non negauerit propterea nostram conclusionē, nego consequentiā: quamuis enim non possent conuertere se in se inuicē immediate, non inde sequitur quin sint generabilia & corruptibilia per alias causas; & generatio & corruptio ignis tam nota est experientia, quam vlla prorsus generatio & corruptio, vt mirū sit hunc authorem hanc sibi experiētiam non obiecisse, si eam soluere potuerit; & si non potuerit, ob eam non reliquisse suam sentētiam, quæ defendi nequit nisi eā soluta. Innuit quidem in responsione ad replicam tertiam, ignem de nouo non produci, sed inclusum in mixto ab ipso separari. At prorsus incredibile est ignē illum immēsum, qui ex puluere tormētario aut stramine fit, inclusum fuisse actualiter in puluere aut in stramine isto: & quamuis admitteretur elementa omnia esse formaliter in mixtis; tamen tantā esse quantitatē elementi ignis in puluere aut stramine, quantus producitur ex puluere, aut stramine, aut carta, non potest cū vlla probabilitate asseri: & deinde nō est credibile quod totus ille ignis remaneat in corporibus illis, quæ ex igne extincto generantur. Adde falsum esse quod elementa maneant formaliter in mixto, vt postea probabitur.

## QVÆSTIO II.

### *Quomodo elementa continentur in mixtis.*

10. *SVppono primo*, ex dictis, elemēta esse corpora composita ex materia prima, & forma substantiali: quamuis enim ex illis ipsis authoribus, qui elementa distinguunt à materia prima, aliqui putauerint illa constitui in esse elementi, non per formam substantialem aliquam, sed per ipsasmet qualitates primas; tamen ex omnibus principiis, ex quibus constat dari formas substantiales in mixto distinctas à materia prima, constat etiam dari formas substantiales in elementis. Imo vtimur cōmuniter ad probandam formam substantialem experiētia, qua constat nobis quod aqua calida reducat se ad pristinum frigus, quod non posset facere nisi haberet formam substantialem: & certe si dubitaretur de hoc, non posset saltem dubitari, quin debeat habere supra materiam primam, aliquam formam distinctam à qualitatibus primis, ratione cuius reducat se ad pristinum statum frigoris; & consequenter dubitari non potest quin elementum aquæ (& idem est dicendum de reliquis) constituatur in esse talis elementi per illam aliam formam potius, quam per primas qualitates.

*Nec refert quod opponunt aduersarij*, formas non cognosci nisi ex operationibus: sed nullas habent operationes elementa, nisi quæ conueniunt ipsis ratione primarum qualitatum: ergo non habent alias formas, quam primas qualitates.

*Respondetur* enim facile negando minorem; ignis enim habet producere alium ignē, quod non competit ipsi ratione primarum qualitatum præcise. Deinde aqua habet reducere ad se frigus deperditum: hoc autem nō cōpetit ipsi ratione frigoris, aut vllius alterius primæ qualitatis.

*Suppono secundò*, elementa altero ex duobus modis solum posse reperiri in mixtis, vel secūdum entitatem suā substantialem, ita vt formaliter quodlibet ex illis sit in quolibet mixto, in ligno, verbi gratia, & homine, ignis, aēr, aqua, terra cum materia prima, & formis suis substantialibus propriis; vel solum secundum virtutem suā, quatenus scilicet qualitates primæ, quæ sunt virtutes elementorum, quia per eas agunt, & disponunt alia corpora ad generationem, & corruptionem, reperiuntur in quolibet. Si primo modo reperiuntur in mixto, debent dici esse in mixto formaliter; si secundo tantum modo, non debent dici esse in mixtis nisi virtualiter.

### CONCLVSIO I.

12. *Elementa non manent formaliter in mixt.* Hæc est communissima *Peripateticorum cum Doctore in 2. dist. 15. & Philosopho hic, ac in libris de cœlo*, quos sequitur *Arriaga disp. 2. Phys. sect. 1.* contra *Auicennam, Philipponum, Albertum Magnum*, & plures alios, quos citat, & sequitur *Camerarius p. 2. q. 2.*

*Probatur primò*, quia si elementa manerent formaliter in mixto, vel essent in qualibet parte mixti; vel vnum in vna, & alterum in altera: sed neutrum dici potest: ergo.

Probatur minor, quia non quodlibet in qualibet parte, quia alias duæ substantiæ penetrarent se inuicem naturaliter: & præterea manifeste patet aquam, & ignem non compati simul, sed ad applicationem vnius corrumpi alterum; non etiam vnum in vna, & alterum in altera parte: tum quia experientia constat omnes partes integrales mixtorum esse mixtas, & nullam partem ex illis esse vllum ex elementis; tum etiam quia ignis & aqua non compatiuntur se contigue.

*Probatur secundò*, quia ignis magnus fortius resistere potest contrariis destruentibus, & diutius se conseruare quam paruus: sed ignis quantumuis magnus nequit diu perseuerare apud nos absque pabulo; ergo neq; paruus. Sed si daretur ignis in mixto verbi gratia in homine, aut ligno, aut lapide, maneret ibi absque pabulo: ergo non datur; & consequenter elementa non manent formaliter in mixto.

*Confirmatur*, quia exigua scintilla potest accendere magnam quantitatem puluēris tormentarij; ergo posset etiam accendi ab igne in ipsomet incluso, si includeretur in illo, & consequenter quandoquidem non accendatur ab illo, debet dici quod non includatur in ipso.

13. *Probatur tertiò*, quia si elementa cum suis formis substantialibus manerent formaliter in mixto verbi gratia in lapide, vel simul cum illis in mixto reperitetur alia forma substantialis, vel non daretur. Si non daretur, ergo omnia mixta sunt eiusdem speciei. Si daretur, ergo nullum elementum est substantia completa, quandoquidem possit vlterius compleri per formam substantialem superuenientem. Et præterea, ergo vna forma potest subiectari in subiectis realiter distinctis: illa enim forma substantialis superueniens elementis subiectaretur in omnibus elementis, quod omnino apparet absurdum.

*Nec satisfacit*, quod dicit *Camerarius*, vnam formam posse subiectari in multis faciendo ipsa vnum per se, licet non possit subiectari in multis non faciēdo ipsa vnū per se. Non satisfacit, inquam. *Primò*, quia non potest assignari ratio cur vna forma possit subiectari in multis faciendo ipsa vnum per se, & non possit subiectari in illis non faciendo illa vnum per se. *Secundò*, quia nulla forma superueniens pluribus potest facere, quin illa sint plura, quamuis forte posset facere forma superueniens, vt aliqua plura constituant vnum per se.

*Confirmatur probatio hæc*: quia illa forma superueniens formis elementorum se sola sufficeret cum materia elementorum absque formis elementorum: ergo non est dicendum quod cum illa forma maneant formæ elementorum.

*Probatur denique*, quia quando generatur mixtum, vt adunarentur elementa formaliter in ipso, vel elementa antecedenter existentia in ipso adunarentur, vel alia elementa de nouo in ipso producerentur: neutrum dici potest: ergo.

Probatur minor quoad primam partem, quia non sunt applicata alia elementa, quoties producuntur mixta, quæ sic adunarentur: & per hoc ipsum probatur minor quoad secundam partem, quia si non sint applicata, non adsunt aliæ causæ, quæ de nouo producerent elementa omnia.

*Obiicies primò*. Proprietates elementorum, verbi gratia primæ qualitates, sunt in mixtis actualiter: ergo & formæ substantiales eorum, & consequenter ipsamet.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: in ea intensione, in qua sunt proprietates physicæ elementorum, nego antecedens; in alia intensione, concedo antecedens & nego consequentiam.

*Obiicies secundò*: vnumquodque componitur ex iis formaliter, in quæ potest resolui formaliter: sed mixtum

potest resolui formaliter in elementa: ergo constat ex elementis formaliter.

*Respondeo*, distinguendo maiorem: in quæ potest resolui tanquam in partes, aut tanquam in ea quæ in ipso ante actu fuerunt, & non producuntur de nouo, quando resoluitur in ipsa, sed solum aufertur vnio ipsorum, concedo maiorem: in quæ potest resolui non tanquam in partes, nec tanquam in aliqua, quæ ante fuerunt; sed quæ de nouo producuntur ex ipso, nego maiorem: & similiter distinguo minorem: potest resolui priori modo, nego minorem; posteriori modo, concedo minorem, & nego consequentiam.

*Obijcies tertio*: sequeretur mixtum non esse magis compositum, quam ipsamet elementa, nec consequenter hæc esse magis simplicia, quàm mixtum, quod est absurdum.

Quomodo mixta sunt magis composita quã elementa.

*Respondeo*, distinguendo sequelam: quantum ad compositionem substantialem, concedo, nec id est absurdum; quantum ad accidentalem, nego, & id solum esset absurdum. Itaque mixta dicuntur magis composita, & elementa magis simplicia, quia ex qualitatibus primis elementa solum exigunt aliqua; mixta vero omnia; & quia forma substantialis mixti exigit connaturaliter omnes illas qualitates, forma vero elementi non exigit, propterea illa potest dici esse virtualiter magis composita, quàm hæc.

15. *Obijcies quarto*: ex silice per ferrum percusso exit ignis, & ex ligno applicato igni, dum comburitur, exeũt humores aquei, & denique si nix, aut grando conseruetur in cypho mundo, donec liquefiat, reperientur in eius fundo pulueres terrei: sed hoc non contingerer, nisi elementa formaliter reperirentur in mixtis illis: ergo.

*Respondetur*, negando minorem: nam ignis, qui ex silice exit, non erat aute formaliter in ipso, sed tum producitur de nouo ab aliqua causa vniuersali, quia ad attritionem silicis producitur dispositio sufficiens ad ipsum; quod si ideo exiret ex silice percusso, quod formaliter in ipso reperiatur, quandoquidem similiter reperiatur in aliis mixtis, deberet etiam exire ex aliis, quando similiter percuterentur, ac attererentur, contra experientiam: quod sanè valde aduertendum est ad eneruandum vim huius experientiæ de igne silicis, cui aduersarij multum fidunt.

Humores autem isti ex ligno viridi exeuntes, vel non sunt vera aqua, sed substantiæ humidæ distinctæ speciei deseruientes ad nutritionem arboris, sicut sanguis deseruit ad nutritionem hominum; & si tales sunt, obiectio non est ad propositum: vel si sunt vera aqua elementaris, non spectabant ad constitutionem ligni, sed per accidens reperiebantur in ipsius poris, & sic etiam non facit illa experientia ad rem.

Denique pulueres illi reperti in cypho post liquefactionem niuis aut grandinis, similiter non spectabant per se ad substantiam niuis, aut grandinis, sed adhærebant accidentaliter ipsis descendentibus ad terram, & fortassis non semper reperietur illa experientia esse vera.

16. *Obijcies quintò*: mixtio est miscibilium alteratorum vnio, *secundum Philosophum*; & in hoc distinguitur à generatione, quòd subiectum ex quo fit generatio corrumpatur, subiectum vero ex quo fit mixtio, scilicet ipsamet miscibilia, non corrumpantur, sed alterentur: ergo quando per mixtionem ex elementis producuntur mixta, elementa non corrumpuntur, & consequenter manent formaliter in mixtis.

*Respondetur*, distinguendo antecedens pro secunda parte: In hoc distinguitur mixtio à generatione, quod illius subiectum non corrumpatur quantum ad esse suum proprium & formale, huius vero subiectum sic corrumpatur, nego antecedens; quod non corrumpatur sic quin maneat secundum virtutem suam, hoc est, secundũ qualitatem primam, quam connaturaliter exigit in mixto, subiectum vero generationis, quæ non est mixtio, corrumpatur, & secundum se, & secundum virtutem suam, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Itaque distinctio vtriusq; mutationis est, quòd subiectũ generationis non debeat manere post generationẽ, nec formaliter, nec virtualiter: quod intellige de subiecto destruendo, nõ de subiecto per se, quod est materia prima.

17. *Obijcit sextò Camerarius* multa loca *Philosophi*, quibus videtur significare quod elemẽta formaliter remaneãt in mixto. *Sed omnia explicari possunt* de permanẽtia virtuali.

*Confirmatur* hoc ad hominem: Ipsemet *Camerarius* non putaret elemẽta manere formaliter in mixto, iisque aduenire aliam formam substantialem, nisi putaret ea esse materiam primam, sed fatetur secundum *Philosophum* ea non esse materiam primam: ergo debet existimare *Philosophum* non ponere ea formaliter in mixto.

*Obiicies septimo ex eodem*: secundum communem modum loquendi mixta componuntur ex elementis: sed hic modus loquendi saluari nequit, nisi elementa formaliter maneant in mixtis: ergo.

*Respondeo*, negando minorem; sufficit enim ad illum saluandum, quod maneant virtualiter in mixtis.

*Deinde*, si hoc non sufficeret, potius corrigendus esset ille modus communis loquendi, qui posset fundari in aliquo supposito incerto, quàm relinquenda communis sententia peritiorum, ac meliorum Philosophorum, tam validis innixa rationibus.

18. *Obijcies octauo*: mixta mouentur motu prædominantis elementi: sed non possent sic moueri, nisi maneret formaliter in ipsis elementum prædominans: ergo.

*Confirmatur hoc*, quia motus ille non potest referri in formam mixti, cum sæpe in loco, qui per talem motum acquiritur, corrumpatur, & intereat: nulla enim forma exigit locum naturaliter vbi debet corrumpi.

*Respondetur*, negando minorem, *& ad confirmationem* qua probatur, nego antecedens; ad cuius probationem dico, quod sæpe posset quis naturaliter moueri ad locũ, vbi corrũpitur, quãdo per accidẽs in via ad locum naturalẽ quò tendit, & vbi per se corrũpi non deberet, reperiuntur causæ destructiuæ, cuius exemplum manifestum patet in igne, qui secundum communem sentẽtiam fertur naturaliter sursum, & tamen dum eò fertur, corrũpitur. Sic etiam, si terra decideret naturaliter in magnum ignem, corrumperetur ab igne, modò ignis haberet virtutem corruptiuam eius, vt communius asseritur.

## CONCLVSIO II.

Elementa continentur virtualiter in mixtis.

19. *Elementa continentur virtualiter in mixtis, & hoc non solum quatenus qualitates primæ eorum continentur in mixtis in gradu tamen remissiori, quàm in elementis; sed etiam quatenus forma substantialis mixti habet quandam affinitatem cum formis elementorum in eo, quòd exigit connaturaliter qualitates primas, quas exigunt connaturaliter formæ elementorum.* Hæc est communis cum *Doctore* sententia. *Patet prima pars*, quia aliquo modo continentur in ipsis secundum omnes: non formaliter: ergo virtualiter: neque enim est alius modus, quo continerentur.

*Probatur secunda, & tertia pars*, quia certum est quod mixta habeant qualitates illas primas, & etiam similitudinem in forma substantiali: ergo vt sic possunt dici continere virtualiter elementa.

*Confirmatur hoc*, quia illud potest dici cõtinere virtualiter aliud, quod potest facere illud, quod ab illo alio fieri potest; sed mixtum quodcumq; potest facere, quod potest fieri ab elemento quocumque quãtum ad productionẽ qualitatum primarum in se, & alio subiecto, potest enim in se per formam substantialẽ producere qualitatem quamcumq; primam, quam potest quodcumque elemẽtum in se producere, & potest etiam similem qualitatẽ in aliquo gradu in quocumq; alio subiecto capaci producere, non minus quam elementum, licet non in eadem intensione: ergo potest optime dici quod elementa contineantur virtualiter in mixto ratione conuenientiæ non solum in forma accidentali, sed etiam substantiali.

*Dices*: si hoc sufficeret, posset dici, quod mixta contineantur virtualiter in elementis, quod est contra communem modum loquendi.

*Respondeo*, non posse dici, quod mixtum contineatur virtualiter in vllo vno ex elementis, quia nullum vnũ ex

elementis

elementis exigit connaturaliter omnes qualitates primas, quas exigit mixtum, nec consequenter potest illas qualitates, aut in ordine ad illas facere quod potest facere mixtum; bene tamen potest dici, quod mixta contineantur virtualiter in omnibus elementis simul sumptis; imò perfectius sic continentur in elementis, quam elementa in illis, quia perfectius possunt omnia elementa disponere ad productionem mixtorum, quàm hæc ad productionem elementorum, quandoquidem elementa cum contineant qualitates primas in summo, possunt producere omnem gradum dispositiuum ad formas mixtorum: hæc vero, cum non habeant illas qualitates in summo, nequeunt producere ex se gradum dispositiuum ad formam elementi.

20. *Obijcies pro Caietano*, qui putat mixtum ratione formæ substantialis suæ, non posse dici continere elementa virtualiter: Si elementa virtualiter hoc modo continerentur in mixtis, possent mixta producere operationes elementorum perfectiori modo quam elementa, quod est falsum: neque enim vllum mixtum potest magis, aut perfectius calefacere, quam ignis: non ergo continentur sic virtualiter in illis.

*Respondeo*, negando sequelam, quamuis enim quod continet aliud virtualiter continentia perfecta, possit facere quod possit aliud, vel perfectius, vel æquè perfectè; tamē non omnis continētia virtualis debet esse sic perfecta, & si non sit sic perfecta, non sequitur quod continens sic aliud, possit facere operationes alterius æquè perfectè, aut perfectius. In proposito autem mixta non continent elementa virtualiter continentia virtuali perfecta, sed solum illa, quæ declaratur in conclusione, quatenus scilicet habent conuenientiam cum elementis, & in qualitatibus primis, & in forma substantiali.

*Dices*: si talis conuenientia sufficeret, vnum elementum contineret aliud, verbi gratia, ignis terram, aut è contra, quandoquidem conueniat cum terra in siccitate, & in forma etiam substantiali quatenus est principium exigens siccitatem.

*Respondeo*, negando sequelam, quia conuenientia, quæ est inter mixta, & elementa, ratione cuius dicuntur hæc in illis virtualiter contineri, est conuenientia in omnibus primis qualitatibus, quas elementa habent; terra autem non habet conuenientiam cum igne in calore, vt communius tenetur, de quo tamen postea, nec ignis cum terra in frigore. Quod si vnum elementum haberet conuenientiam cum alio in omnibus qualitatibus primis, fatendum esset quod vnum in altero contineretur virtualiter, nec hoc esset inconueniens.

21. *Obijcies secundo*: si qualitates elementorum essent formaliter in mixtis, sequeretur contrarias qualitates esse simul in eodem subiecto: sed hoc est contra *Scotum* supra dicentem illas qualitates non contineri formaliter in mixtis.

*Respondeo*, distinguendo sequelam: in gradibus remissis compatibilibus, concedo; incompatibilibus, nego sequelam. *Ad Scotum* autem dico, quod ipse non asserat absolute qualitates elementorum non esse in gradibus remissis in mixto, sed solum quod non esset id necessarium ad rationem formalem mixti, neque ad hoc quod continerentur in illo virtualiter elementa: quod quidem verissimum est: nam si mixtis non darentur illæ qualitates formaliter, sed alia qualitas vna simplex, qua mediante posset mixtum actione æquiuoca calefacere, & frigefacere, & cætera, haberet rationem mixti, & elementa possent dici in ipso virtualiter manere non minus, quam habendo illas qualitates omnes formaliter.

*Obijcies tertiò*: sequeretur mixtum esse perfectius elementis, quia quod continet aliqua virtualiter, est perfectius illis: sed hoc est falsum, quia sic elementa non possent causare mixta.

*Respondetur primò*, negando sequelam; quia non continet illa continentia virtuali perfecta.

*Respondeo secundò*, negando minorem, ad cuius probationem dico elementa sola non causare mixta, sed disponunt tantum ad formam mixti, quæ producitur ab aliqua alia causa, vel inferiori, si adest sufficiens; vel superiori, si non adest.

## QVÆSTIO III.

### *Quid, & quot sint qualitates primæ.*

22. SVpponebamus hactenus dari qualitates primas, & eas conuenire tam elementis, quàm mixtis, diuerso tamen modo. Hic ergo examinandum quid sint istæ qualitates primæ, & quot sint. Et quidem satis notum est experientia, quid sint illa, quæ communiter vocantur *qualitates primæ*: nemo enim non scit quid sit calor, quid frigus, quid siccitas, quid humiditas; nec melius hæc explicari possunt ignoranti ipsorum naturam, & non potenti ea ab aliis rebus discernere, quàm applicando illa ad potentiam actiuam ipsius, & dicendo illi quod calor sit id, quod causat talem sensationem, qualem ipse tum sentit applicato calore: per hoc enim ipse poterit postea calorem distinguere ab aliis omnibus rebus non minus, quam per disgregationem visus quam percipit, obiecta albedine potentiæ visiuæ, potest discernere albedinem ab omnibus aliis rebus. Et eodem modo explicari potest natura frigoris, siccitatis, & humiditatis: sed per hoc tamen non explicatur cur sunt qualitates primæ. Hoc ergo est quod hic declarandum est, quid sit scilicet qualitas prima, & quot sunt. Nec difficultas mouetur generaliter de quacumque qualitate, quæ posset habere rationem primæ qualitatis quomodocumque, sed de ea, quæ potest habere rationem primæ qualitatis, in ordine ad generationem, & corruptionem ex iis omnibus, quæ solis sublunaribus competunt & sunt sensibiles, vnde ab hac quæstione semoueri debet non solum lux, quæ non solum sublunaribus competit & intellectiones ac volitiones, quæ sunt spirituales qualitates, sed etiam qualitates occultæ quæcumque non sensibiles, qualis supponitur esse illa, qua mediante magnes attrahit ferrum, & similia.

### CONCLVSIO I.

Descriptio qualitatū primarum.

23. *Bene describuntur qualitates primæ esse, quæ neque ex se inuicem, neque ex alijs fiunt; cæterum vero qualitates sensibiles sublunares fiunt ex illis.* Hæc est communissima.

*Patet*, quia omni & soli qualitati primæ, de qua hic agimus, hæc descriptio conuenit, & declarat sufficienter naturam eius quatenus habet rationem primæ qualitatis, nec melius explicari potest.

### CONCLVSIO II.

Quatuor tantū dātur qualitates primæ.

24. *Quatuor tantum dantur huiusmodi qualitates, nimirum calor, frigus, humiditas, siccitas; si tamen humiditas & siccitas sunt qualitates, de quo postea, & si non, duæ tantum dantur qualitates primæ, nempe calor & frigus.* Hæc est communis.

*Patet*, quia in primis ex his qualitatibus nulla connaturaliter loquendo præsupponit alteram, aut aliam vllam sensibilem, ex qua fieret vlla ratione: ergo neque ex se, neque ex aliis fiunt hæ qualitates.

*Deinde* nulla potest assignari alia sensibilis qualitas, quæ non possit dici fieri ex his aliqua ratione: ergo aliæ omnes qualitates ex his fiunt: & consequenter hæ quatuor erunt qualitates primæ, & nullæ aliæ.

*Confirmatur primò*: quia hæ qualitates sunt qualitates propriæ elementorum, ex quibus alia corpora fiunt, & quæ nec ex se ipsis neque ex aliis fiunt: ergo similiter dicendum est quod hæ qualitates non fiunt ex se, aut ex aliis qualitatibus, sed potius aliæ omnes ex illis fiunt.

*Confirmatur secundò*: quia nullæ qualitates aliæ sensibiles competentes aliis corporibus mixtis reperiuntur absque his qualitatibus omnibus; quælibet autem ex his reperitur absque vlla ex qualitatibus illis aliis, & etiam sine quacumque ex se ipsis: ergo signū est quod hæ non præexigant connaturaliter vllas ex illis aliis qualitatibus, nec ex se ipsis, & quod aliæ omnes qualitates præexigant has.

25. Probatur antecedens quoad primam partem, quia aliæ qualitates illæ per se non reperiuntur in mixtis; hæ

autem qualitates omnes in illis reperiuntur. Probatur etiam quoad secundam partem, quia licet siccitas reperiatur cum frigore in terra, vt communius tenetur, tamen reperitur etiam in igne sine frigore; & licet reperiatur in igne cum calore, tamen reperitur in terra aut aliis corporibus sine calore. Similiter licet humiditas reperiatur in aqua cum frigore, reperitur tamen in aëre aut aliis corporibus sine frigore; & licet reperiatur in aëre, aut aliis corporibus cum calore, reperitur tamen in aqua sine calore.

*Confirmatur tertiò*; quia omnes aliæ qualitates sequuntur ad formam mixtorum, & non debent produci per se ante generationem formæ mixti: hæ autem debent necessario produci antecedenter ad generationem formæ mixti: ergo sicut ipsamet mixta possunt dici fieri ex his qualitatibus, etiam illæ aliæ qualitates sequentes ad formam mixti debent dici fieri ex his.

*Confirmatur quartò* quia secundum *Philosophum secundo de partibus animalium*, cæteræ qualitates tangibiles fiunt ex his qualitatibus. Idem ait de saporibus *cap. 4. de sensu, & sensibili*, & de saporibus *ibidem cap. 5.* & de coloribus *sect. vlt. problem.* & de sonis *ibid. sect. 11.* & de grauitate & leuitate *cap. 3. de partibus animalium*. Quæ etiam doctrina ipsius *confirmatur* experientia, qua constat ex mutationibus harum qualitatum corpora laxari, stringi, addensari, rarescere, reddi duriora, aut molliora, asperiora aut leniora; & insuper sapores, odores, colores aliquo modo quoad sensum alterari.

## CONCLVSIO III.

Qualitates primæ sunt reales, & positiuæ.

26. *Prædictæ quatuor qualitates sunt reales & positiuæ.* Hæc est etiam communis contra quosdam antiquos, qui existimauerunt frigus & siccitatem non esse qualitates positiuas, sed priuationes tantum caloris & humiditatis, quamuis concederent calorem & humiditatem esse qualitates positiuas: est etiam contra *Arriagam*, qui *hic n. 9.* contra torrentem Peripateticorum probabilius putat siccitatem & humiditatem non esse qualitates; & consequenter duas tantum dari qualitates primas, calorem scilicet, & frigus.

*Probatur primò* contra antiquos, quia non est potior ratio cur frigus esset priuatio caloris, aut siccitas humiditatis, quàm è contra calor esset priuatio frigoris, & humiditas siccitatis.

*Probatur secundò*, quia quidquid probat calorem & humiditatem esse qualitates positiuas, probat etiam idem de frigore & siccitate.

*Probatur tertiò*, quia corpus frigidum facit aliud corpus frigidum, & diminuit calorem ipsius, non producendo aliquid aliud in ipso quam frigus: sed hoc esset falsum, si frigus esset priuatio; neque enim priuatio potest directè, & per se produci ab aliqua causa; aut aliud producere, vt est euidens.

*Probatur conclusio contra Arriagam*, quia per tactum sentimus corpora esse humida & sicca: ergo humiditas & siccitas sunt qualitates: nihil enim per se sentitur à tactu, quod non sit qualitas, secundum omnes *Philosophos*, & ipsum etiam *Arriagam*. Probatur antecedens, quia si non experiremur tactu aliqua corpora esse humida, aliqua sicca, aliunde nobis id non constaret: & sane mirum est, cùm *Arriaga* fateatur dari corpora humida & sicca, eum tamen asserere humiditatem & siccitatem non percipi à tactu, aut alio sensu.

27. *Dices cum ipso*: si aliquis tangat aquam humidam, nec dolorem, nec molestiam inde sentit, nisi quatenus aqua est frigida aut calida, nec homo quamuis in se siccissimus sit, sentit quidpiam, nisi febrim vel ardorem habeat: ergo humiditas & siccitas non reperiuntur.

*Sane miror* hunc huius authoris discursum, & multo magis miror eo ipsum duci potuisse ad discedendum ab opinione communissima omnium *Philosophorum*: *sed Respondeo* negando consequentiam, quidquid sit de antecedente: nam non consequitur ex eo, quod aliquis dolorem aut molestiã non sentiat ex perceptione alicuius obiecti, quod illud obiectum non sentiatur ab ipso; neque enim omnia obiecta sensibilia debent esse illatiua doloris aut molestiæ; & certe ipse calor & frigus non semper, dum percipiuntur, inferunt dolorem aut molestiam: & de colore experientia constat raro, aut nunquam eum inferre dolorem; nec etiam est necesse vt quod sentitur semper inferat voluptatem, & certè non potius debet causare dolorem quàm voluptatem.

*Ad illud de homine*, qui non sentit in se siccitatem, imprimis est falsum, si vna manu tangat alteram siccam, quod non sentit in se siccitatem. Et si velit hic author quod nisi per vnam partem tangat alteram, non possit in se sentire siccitatem, quamuis id esset verum, non facit ad rem: quia posset esse talis natura siccitatis, quod non causaret sensationem sui, nisi in altero subiecto sibi applicato, in quo non causaret siccitatem.

*Probatur secundo contra eundem*, quia humor vini manet in speciebus Eucharisticis post consecrationem; sed in iis non remanet vlla pars substantiæ vini: ergo humor vini distinguitur realiter à substantia eius, & consequenter erit qualitas; neque enim est quantitas aut relatio vlla extrinsecus adueniens.

*Respondet Arriaga*, non manere ibi humorem, sed partes quantitatis cum ea fluxibilitate quam haberent, si adessent ibi partes substantiales vini.

*Sed contra*, quia illa fluxibilitas, à qua habent esse humidæ, est quid distinctum à substantia, quantitate, & accidentibus aliis vini: ergo est qualitas, & consequenter habemus intentum.

*Obijcies primo pro antiquis*: solo absceſſu caloris augetur frigus absque productione vllius gradus frigoris: ergo signum est quod frigus sit priuatio caloris.

*Respondeo*, negando antecedens: quando enim affertur calor, producitur frigus, per quod expellatur: quod si etiam non semper produceretur frigus, licet tum sentiretur abscedente calore frigus magis quam ante, tamen adhuc negari deberet consequentia, quia hoc non oriretur ex eo, quod frigus sit priuatio caloris; sed ex eo, quod abscedente calore, minus distrahatur potentia tactiua, & magis possit consequenter attendere frigori. Imò argumentum potest retorqueri, quia si magis sentiretur frigus: ergo est aliquid positiuum: neque enim priuatio sentiri potest propriè loquendo.

*Obijcies pro Arriaga*: humiditas, & siccitas non sunt operatiuæ, nec sentiuntur in se, aut aliunde: ergo non dantur. Probat antecedens quoad primam partem, quia totus Oceanus applicatus subiecto capaci humiditatis, si vel tenuissimum vitrum interponeretur, non humectaret illud. Simili experientia idem probari potest de siccitate. Probat etiam quoad secundam partem per dicta supra.

*Respondetur*, negando antecedens quoad secundam partem; cuius ratio patet ex dictis supra. An autem antecedens sit verum quoad primam partem, nolo hic examinare, quia non est necessarium ad præsentem difficultatem.

## CONCLVSIO IV.

Non dantur in elemẽtis aliæ qualitates eiusdẽ nominis cum primis.

29. *Non dantur in Elementis præter prædictas primas qualitates, aliæ qualitates virtuales eiusdem nominis cum ipsis*, verbi gratia, præter qualitatem caloris formalis non datur aliqua qualitas caloris virtualis in igne; nec præter qualitatem frigoris formalis datur alia qualitas frigoris virtualis in aqua. Hæc est communis contra quosdam antiquos.

*Probatur ab aliquibus*: quia alias illæ quatuor qualitates formales non essent primæ qualitates: sed potius illæ virtuales contra *Philosophum*.

*Verum hæc probatio non sufficit primò*: quia falsa est sequela: illæ enim essent primæ ex sensibilibus, nam qualitates virtuales non sunt sensibiles.

*Secundò*, quia si ex hoc sequeretur quod non essent primæ, id non haberent aduersarij pro inconuenienti.

*Probatur ergo melius conclusio*, quia nullum est indicium, vnde vel à priori, vel à posteriori colligi possit dari huiusmodi qualitates: ergo non sunt asserendæ, ex regula communi de non multiplicandis entibus sine necessitate.

*Dices*,

*Dices*, id colligi bene ex eo, quod aqua calefacta producat in se frigus: hoc enim non facit mediante frigore formali: ergo mediante virtuali, & consequenter habet frigus virtuale.

*Contra*, quia falsa est consequentia; nam posset se reducere iterum ad frigus per formam suam substantialem.

30. *Confirmatur hoc*: quia quæro quomodo produxit in se illam qualitatem virtualem? non mediante alia qualitate virtuali, quia sic daretur processus in infinitum: ergo mediante forma sua substantiali: sed qua ratione posset per formam substantialem producere in se frigus illud virtuale, posset etiam in se mediante ea forma producere frigus formale: ergo non est necessarium frigus virtuale.

*Quod si dicas* frigus virtuale produci à generante in aqua, & conseruari in ea à causa conseruante aquam; similiter posset dici quod causa conseruans aquã produceret in ipsa frigus formale, quando aufertur causa calefactiua; & sic etiam non est necessarium frigus virtuale.

*Dices secundò*: mixta habent huiusmodi qualitates virtuales: ergo & elementa.

Probatur antecedens, quia piper, & vinum formaliter frigida calefaciunt stomachum: non mediante calore formali, cum supponatur talem non esse in ipsis: ergo mediante calore virtuali.

*Respondeo* negando consequentiam; quia experientia constat mixta illa tales qualitates habere (si tamen eas habeant, & non producunt potius illum calorem per suam formam substantialem) non autem constat idem de elementis.

*Confirmatur hoc*: quia non est experientia vlla, quod aqua calida frigefaciat aliud corpus quemadmodum vinum frigidum calefacit aliud corpus; sed potius experientia est de oppositio: ergo non est idem dicendum de aqua, & vino quantum ad hoc. Deinde non constat experientia quod piper calefaciat se ipsum per calorem virtualem, sicut est de aqua calefacta quod frigefaciat se: ergo non est eadem ratio de ipsis.

## QVÆSTIO IV.

### *Quomodo primæ qualitates distributæ sunt per Elementa.*

Sententiæ diuersæ.

31. MIrum est quam parum in huius quæstionis resolutione conueniant inter se authores. *Aliqui* putant duas qualitates in summo conuenire cuilibet ex duobus extremis elementis, verbi gratia, igni calorem, & siccitatem; aliis vero duobus mediis conuenire vnam qualitatem in summo, & alteram in gradu remissiori, verbi gr. aquæ frigus in summo, & humiditatem infra summum; aëri vero humiditatem in summo, & calorem infra summum. Ita *Auersa q. 41. sect. 8.*

*Alij* existimant vnam tantum in summo qualitatem cuilibet conuenire, & alteram infra summum; & in assignanda qualitate summa cuiuslibet elementi dissentiũt. Nonnulli putant aëri ex se nullam qualitatem conuenire, sed esse indifferentem ad quascumque. Varios alios dicendi modos relinquo videndos apud *Auersam*, contentus proponere quid probabilius apparet iuxta experientiam, quæ in hac re videtur debere esse vnicum fundamentum; nam rationes nullæ possunt afferri præter congruentias aliquas parui momenti, quales nulli ferè sententiæ deesse possunt.

### CONCLVSIO I.

Igni conuenit sũmus calor, & summa siccitas.

32. *Summus calor conuenit igni, & summa etiam siccitas.* Hæc est *Auersæ supra*; & quantum ad calorem est communissima, ac etiam quantum ad siccitatem, præter quã quod non asseratur siccitatem ignis esse summam.

*Probatur experientia*, quia non habemus experientiam quod vllum aliud elementum, aut mixtum sit calidius, aut magis siccum, quam ignis; nec est vlla ratio impediens, quo minus habeat vtramque qualitatem in summo.

### CONCLVSIO II.

33. *Summa humiditas competit aquæ, & probabiliter etiam summum frigus.* Hæc *quoad primam partem* est plurimorum antiquorum, quos sequitur *Arriaga*, & *probatur experientia*, quia non experimur vllum aliud elementum, aut aliud corpus esse humidius aqua; nec vlla ratio impedit quo minus sit humida in summo: ergo ita dicendum est. Probatur antecedens, quia si esset vllum aliud elementum humidius, maximè aër: sed omnino non habemus vllam experientiam, aut rationem quod aër sit humidior aqua; nec etiam tam humectat corpora sibi exposita; nec etiam tam facile potest aqua priuari sua humiditate quam aër.

*Dices*: quod aër non tantopere humectet, non oriri ex defectu humiditatis, sed ex eo quod non sit substantia tam densa, quàm sit aqua; & hinc etiam oritur quod possit facilius priuari sua humiditate.

*Contra*, quia licet ignis sit secundum aduersarios rarior quã aër, magis tamen calefacit quàm aër calefactus quantum potest esse, quia in se habet maiorem calorem quam aër: ergo quamuis aër esset rarior quàm aqua, non obstante hoc, si haberet plus humiditatis, deberet magis humectare.

*Confirmatur*, quia quamuis densitas materiæ possit iuuare vt magis esset actiua, & magis sentiretur qualitas ipsius, vt patet in ferro candenti, cuius calor magis sentiretur quam calor ignis, vt supponitur; tamen non est tanta differentia in densitate aquæ, & aëris, vt possit sufficere ad eam notabilem differentiam in humectando, quam experimur inter aquam & aërem.

*Alij dicunt*, aërem apud nos nunquam habere humiditatem tantam, quantam exigit ex natura sua, quia à contrariis causis impeditur.

*Sed contra*, si apud nos nunquam habet tantam humiditatem, & propterea nulla experientia nostra possumus colligere quod exigat tantam, non est vlla alia via relicta, vnde colligatur quod tantam exigat ex natura sua, quantam aqua.

*Probatur secundo*, sententia eorum qui dicunt quod summum frigus non competat aquæ: quia aliqua qualitas debet competere aquæ in summo secundum aduersarios: sed nulla alia sic competit ipsi, præter humiditatem; si enim vlla alia, maxime frigus; sed hoc non, vt supponitur in eorum sententia.

*Probatur secunda pars* de frigore, quia experientia nulla constat aliquod aliud elementum esse frigidius, quàm aqua sit ex natura sua, & quia quemadmodum ignis habet duas qualitates oppositas qualitatibus aquæ in summo, verisimile est quod aqua similiter habeat duas suas qualitates in summo.

34. *Dices*: experientia constat ex nimio frigore aquam congelari: ergo qualitas naturalis sua non est nimium frigus. Probatur consequentia, quia alias ex natura sua exigeret esse congelata; quod prorsus est absurdum, quia in tali statu non esset apta habitatio pro piscibus, nec pro nauigatione, & aliis potioribus vsibus, pro quibus credendum est aquam à Deo fuisse creatam.

*Confirmatur*, quia nullam prorsus experientiam habemus, vnde constat nobis aquam esse tam frigidam ex se, quam est dum congelatur, aut dum regnant influentiæ frigidæ cælorum, ac aëris: ergo non est dicendum quod ex se petat connaturaliter frigus in summo.

*Respondeo*, negando antecedens: neque enim congelatio illa ex frigore solo prouenit; sed ex aliis etiam qualitatibus tum in ea productis simul cum frigore.

*Ad confirmationem respondeo*, esse experientiam quod aqua quandoque sit tam frigida absque congelatione, ac cum congelatione præter saltem differentiam illam exiguam, quæ oriri posset non ex maiori frigore, sed ex densitate eius.

*Alij probant conclusionem quoad hanc partem*, quia aqua est summe contraria igni, vt patet ex eo quod extinguat ignem: ergo debet habere frigus in summo, sicut ignis calorem.

*Sed facile respondetur*, distinguendo antecedens:

ratione

ratione frigoris, nego antecedens: ratione humiditatis & fluiditatis, aut alterius qualitatis suæ, concedo antecedens,& nego consequentiam. Quod autem non ratione frigoris habeat summam contrarietatem patet; tum quia terra secundum multos ex aduersariis est frigida in summo,& tamen non tam contrariatur igni quam aqua; tum quia aqua calida non minus contrariatur igni contrarietate de qua hic loquimur, secundum quam scilicet extinguat ignem, & non possint pati contiguationem, tam bene, quam frigida: ergo non ratione frigoris, & caloris habent illam summam contrarietatem.

## CONCLVSIO III.

Terræ competit summa siccitas, & caliditas infra summum.

35. *Terra conuenit summa siccitas, & aliqua caliditas, non summa.* Hæc est *Arriaga.*

*Probatur prima pars*, quia secundum authores communiter,aliqua ex primis qualitatibus debet ipsi conuenire in summo:sed nulla conuenit præter siccitatem:ergo siccitas summa ipsi tribuenda est.

*Confirmatur*, quia si sumatur terra pura, ac remota ab humoribus aqueis admixtis ex applicatione maris, fluminum, fontium, & pluuiarum, omnino apparebit quantum fieri potest sicca, & hinc etiam videtur vocari in Scriptura nomine *aridæ*. Ex quo etiam patet ad argumentum quod opponi posset de partibus terræ, quas experimur humidas:hoc enim illis competit non ex natura sua intrinseca, sed ex admixtione, vt dixi, aliorum humidorum.

36. *Obijcies*: ignis magis exsiccat,quam terra:ergo est magis siccus, & consequenter terra non habebit summam siccitatem.

*Respondeo*, negando consequentiam; quia ignis non exsiccat magis ratione siccitatis, sed etiam ratione caloris maioris, & melioris applicationis.

*Probatur secunda pars* conclusionis, quia aliàs frigus competeret tribus elementis,nempe aëri,aquæ,& terræ, & calor vni tantum,nempe igni,quod non videtur proportionatum.

*Deinde* nulla est experientia, qua constat terram ex se habere frigus;& ex alio capite,siccitas videtur habere maiorem connexionem cum calore, quam cum frigore, quandoquidem non possumus reperire maiorem siccitatem, quàm illam,quam habet ignis cum summo calore; neque maiorem humiditatem,quàm illam quam reperimus cum aqua valde frigida,imò frigidissima secundum aduersarios. Et præterea ad generationem rerum, quæ producuntnr ex terra, magis videtur conducere quod terra habeat calorem quàm frigus.

*Dices*: in specubus subterraneis, quo non peruenit actio Solis maximum sentitur frigus: ergo signum est quod terra sit valde frigida,& quod licet in partibus superioribus non sentiatur tam frigida, id tamen oriatur potius ex actione Solis aliarumque causarum, quàm ex natura terræ.

*Confirmatur*, quia summa grauitas terræ videtur exigere summum frigus:'nam ex frigore videtur prouenire grauitas. Hoc fundamento vtitur *Auersa* ad probandum non solum quod terra sit frigida,sed summè etiam frigida.

*Respondetur*,negando consequentiam: & sane in ipsis illis locis subterraneis, licet terra appareat frigida, non tamen apparet tam frigida esse quam aër;Vnde potius dicendum esset quod aër esset frigidus quam terra, & præsertim cum terra ex densitate sua, si esset frigidior, deberet sentiri etiam frigidior, maxime secundum Aduersarios, qui hanc ob causam dicunt, quod aqua sentiatur humidior quam aër, quia licet non sit humidior secundum se, tamen quia est densior, sentitur frigidior.

*Ad confirmationem*, nego maiorem grauitatem prouenire ex maiori frigore solummodo, alias nix, & aqua deberent esse grauiores lapide & plumbo, quod est absurdum.

Aër habet summum frigus, & humiditatem infra summum.

## CONCLVSIO IV.

36. *Aër habet summum frigus,& humiditatem infra summum.* Hoc est *Stoicorum* apud *Plutarchum, lib.1.de frigido*, quos sequitur *Galenus*, *Philo Iudæus*, *Cardanus*, & *Arriaga.*

*Probatur*, quia quantum ad humiditatem aliquam, omnes præter *Aresium* tribuunt illam aëri;imò Peripatetici communiter dicunt aërem esse humidum in summo: quod si hoc non sit verum,ad minus concedenda est ipsi aliqua humiditas,quod etiam patet experientia,nam experimur aliquam humiditatem in aëre,præsertim absente Sole.Nec refert fundamentum *Aresij*,quod per aërem exsiccentur vestes: hoc enim non accidit vi siccitatis aëris, sed vel ob frigus constringens partes vestium, ratione cuius constrictionis humores aquei exeunt ab illo;vel ob calorem,quem habet aër non ex se,sed virtute Solis, & exhalationum calidarum intermixtarum, quo calore resoluuntur humores isti aquei in vapores, & discedunt à vestibus.Vnde experientia constat,quod quo magis calidus est aër, eo citiùs fiat exsiccatio. Quod vero humiditas aëris non sit summa, quidquid dicat communior sententia, probatur sufficienter; quia nec experientia, nec ratio id suadet, sed potius experientia fauet opposito.

37. *Probatur conclusio, quoad frigus*, tum quia in media regione aëris vbi minus subiacet contrariis calefacientibus, sentitur aër esse frigidus etiam in æstate, vt experiuntur qui altissimos montes subeunt;ex quo fit etiam, vt conseruentur niues toto anno in aliquibus montium cacuminibus: tum etiam quia in specubus subterraneis aër sentitur frigidus valde: tum denique, quia alia qualitas in summo ipsi attribui nequit: quod enim habeant calorem in summo aut siccitatem,aut humiditatem,nulla prorsus ratione,aut experientia colligi potest, vt iam dixi de humiditate.

*Obijcies cum Auersa*: cuilibet elemento conuenit distincta combinatio primarum qualitatum:ergo quandoquidem combinatio frigoris, & humiditatis conueniat aquæ, non debet conuenire aëri.

*Respondeo*, negando antecedens: nam vt ante dixi,eadem combinatio conuenit terræ,& igni:ergo eadem potest conuenire aquæ & aëri. Deinde eatenus debet dici quod combinationes qualitatum conueniant elementis, quatenus id colligitur ratione,aut experientia:nulla autem ratio,aut experientia docet non posse eandem combinationem conuenire diuersis elementis.

*Dices*: possibilis est combinatio humiditatis,& caloris,ergo debet dari: sed non datur in vllo elemento nisi in aëre, ergo datur in aëre.

*Respondeo*, negando consequentiam; quia non omnis possibilis combinatio primarum qualitatum debet dari, alias daretur combinatio siccitatis summæ & caloris infra summum, qualis non datur secundum *Auersam*: & deinde deberet dari combinatio humiditatis summæ & caloris summi, qualis etiam secundum eundem non datur,sicut nec combinatio frigoris summi & humiditatis summæ.

*Non adduxi Philosophum* pro, aut contra vllam ex his conclusionibus,tum quia non desunt diuersa loca ipsius, quæ pro qualibet fere sententia citari possint, vt propterea nihil hic determinasse videatur; tum quia res est experientiæ magis quam rationis, & propterea minus dependens ab auctoritate,nisi quatenus adduceretur auctoritas in confirmationem alicuius experientiæ, quæ alias negaretur nisi probaretur auctoritate; quod non contingit in proposito.

## CONCLVSIO V.

Præter duas qualitates nulla alia prima cõuenit ex se vlli elemẽto.

38. *Probabilius est præter duas qualitates nullam aliam ex quatuor primis conuenire vlli ex elementis ex natura sua intrinseca.* Hæc est *Auersæ, sect.8.* contra *Conimbricenses hic* putantes præter gradus qualitatis remissæ conuenientis elementis, etiam ipsis conuenire tot gradus qualitatis oppositæ,quot desunt isti qualitati remissæ: v.g.si aquæ conueniunt sex tantum gradus frigoris,ipsi etiam secundum hoc conueniunt duo gradus caloris.

*Probatur principaliter*, quia nullum est indicium, vnde colligatur quod ex natura sua exigant aliam qualitatem: ergo non debet asseri.

*Confirma*

*Confirmatur*, quia secundum Philosophum nó omnia elementa sunt sibi inuicem assymbola, id est, conuenientia in aliqua vna qualitate, sicut terra conuenit cum igne in siccitate: sed hoc esset falsum, si præter duas haberent tertiam, vt patet.

*Respondent aduersarij*, Philosophum intelligendum de conuenientia in aliqua qualitate notabili, & sensibili.

*Contra primo*, quia gratis sic explicatur.

*Secundo*, quia si non habent conuenientiam in aliqua qualitate sensibili; vnde colligitur quod vlla ratione habeant talem conuenientiam?

*Obiicies*: si aqua verbi gratia non haberet cum sex gradibus frigoris, verbi gratia, duos caloris, sequeretur quod ignis in instanti absque successione produceret in ea duos gradus caloris; quia ratio successionis in calefactione oritur ex resistentia formæ incompatibilis; sex autem gradus frigoris non sunt incompatibiles cum duobus caloris, vt patet: ergo producerentur illi duo gradus in instanti.

*Respondeo*: si successio solum oriatur ex incompatibilitate formæ contrariæ, concedendo sequelam: nec id est vllo modo inconueniens.

## CONCLVSIO VLTIMA.

Omnes qualitates primæ symbolicæ sunt eiusdem speciei.

38. *Omnes qualitates primæ symbolicæ, id est, eiusdem nominis, verbi gratia omnes calores, omnes frigiditates, sunt eiusdem speciei in quocunque subiecto; & præsertim hoc est verum de qualitatibus per se competentibus elementis & mixtis.* Hæc est communissima.

*Probatur*, quia non sunt multiplicandæ species rerum absque necessitate: sed non est vlla necessitas rationis, authoritatis, aut experientiæ multiplicandi speciem huiusmodi qualitates, sed potius quantum ad experientiã omnem & rationem, constat, quod non habeant vllam distinctionem præter maioris, aut minoris intensionis, ac extensionis.

*Dixi autem* id esse præsertim verum de qualitatibus huiusmodi per se competentibus corporibus sublunaribus, quia mihi non tam certũ est quod calor à sole productus, sit eiusdem speciei cum calore ignis, quia quantum ad mutationem quam sentimus in tactu nostro, inter vtrumque calorem videtur esse alia differentia præter maiorem, aut minorem intensionem: sed hoc relinquo cuiuscumque propriæ reflexioni. At quantum ad rationem existimo nullam esse, quæ probet diuersitatem specificam etiam inter calorem solarem, & ignis.

*Dices*: sub sole extinguitur ignis: ergo calores solis, & ignis distinguuntur specie, quia alias non deberet extingui ignis.

*Respondeo*, negando consequentiam, quidquid sit de antecedenti (de quo sane dubito, si adsit pabulum sufficiens ad conseruationem ignis) nam illa destructio ignis posset prouenire ex aliis qualitatibus introductis aut in ipso igne, aut in pabulo ipsius.

*Dices secundo*, calor elementaris destruit plantas, quas conseruat solaris: ergo distinguuntur specie.

*Respondeo* negando consequentiam, quia destructio plantarum posset prouenire, vel ex nimia, vel mala applicatione caloris elementaris, & non ex diuersitate specifica ipsius, vnde etiam calor Solis immodicus eas destruere solet sæpissime.

## QVÆSTIO V.

### *An Elementa in se inuicem conuerti possint.*

40. RVuius hic cap. 6. quæst. 1. putat elementa symbola, quæ scilicet, conueniunt in aliqua qualitate, posse immediate in se inuicem conuerti, vt terra in ignem, aqua in aërem, non posse vero dissymbola, id est, quæ non conueniunt in aliqua qualitate, vt aquam & ignem. *Auersa sect.* 10. existimat quodlibet elementum in quodlibet immediate conuerti posse. *Arriaga* opinatur nullum in alterum posse immediate conuerti, licet quodlibet possit conuerti in quodlibet mediate, supposito scilicet quod prius conuertatur in aliam substantiã.

## CONCLVSIO I.

Non omne elemẽtum potest in se aliud cõuertere, etiã symbolum.

*Non omne elementum potest in se aliud elementum immediate conuertere sine symbolum, sine dissymbolum*: est *Arriagæ* contra *Ruuium*, ac *Auersam*.

*Probatur experientia*, quia quantumuis aqua, aer, & terra sint sibi inuicem optimè applicata, non constat tamen quod vllum ex illis augeatur per conuersionem alterius in se. Quod ad ignem vero attinet, in primis non apparet quod possit in se conuertere aquam, nec in aquã immediate conuerti; quandoquidem ad applicationem aquæ ad ignem, ignis ipse extingui solet sine augmento aquæ, sed potius cum vtriusque destructione: Sed nec aerem conuertere solet in se, alias posset per applicationem aeris solius conseruari, quemadmodum potest per applicationem ligni, aliarumque materiarum, ex quibus immediate generari ipsum videmus. Nec etiam videtur quod per aerem conuerti possit: nam si aer sit calidus & humidus, non potest destruere vllam partẽ caloris ignis, & per humiditatem ipsius non videmus vnquam aliquid remitti de siccitate ignis: quomodo ergo poterit conuertere in se immediate ignem?

41. Quod si aer sit frigidus, profecto apud nos non est frigidior aqua: ergo non poterit magis quam aqua diminuere calorem ignis. Adde nulla experientia constare, quod aer applicatus igni ipsum in se immediate conuertat. Fortassis autem ignis posset immediate conuertere in se terram, quia potest augere calorem terræ vsque ad gradum dispositiuum ad formam suam, si calor dicatur esse vna ex qualitatibus propriis terræ; & potest destruere frigus ipsius, si dicatur terra esse frigida & non calida. Fateor tamen hanc rationem non sufficere, quia qua ratione posset producere in terra tantum caloris, quantum sufficit pro dispositione ad formam suam, posset etiam in cineribus; tamen non potest conuertere cineres in se, vt patet experientia.

*Confirmatur totum hoc*, specialiter contra *Ruuium*, quia licet ex elementis symbolis, quæ conueniunt in aliqua qualitate, illud quod haberet plus qualitatis symbolæ, posset fortassis conuertere alterum, quod minus haberet, vt dixi iam de igne respectu terræ; tamen quod minus habet non videtur vlla ratione posse conuertere alterum quod magis habet.

*Obiicies*, elementa habent qualitates, secundum quas possunt in se inuicem agere: ergo possunt immediate se inuicem conuertere.

*Respondeo* distinguendo antecedens: secundum quas possint agere sufficienter in se inuicem ad conuersionẽ mutuam immediatam, nego antecedens: secundum quas possint agere insufficienter ad hoc, transeat antecedens, quia non apparet quomodo terra possit agere in ignem per qualitates primas, cum nullam habeat qualitatem primam maioris intensionis quam ipsemet ignis: & eadem ratio est de aere respectu aquæ, loquendo de aere inferioris regionis, qui non est frigidior, nec humidior quam aqua. Et si dicatur esse calidus, certe nec humilior quam aqua. Et si dicatur esse calidus, certe non habet virtutem reducendi aquam ad tantum calorem ad quantum ipsum reducit ignis, nec tamen calor ab igne productus sufficit ad destruendam aquam; nec consequenter potest esse dispositio sufficiens ad aliam illam formam substantialem: ergo multo minus ad hoc sufficeret calor ab aere in eo productus.

42. *Obiicies secundò*: exigua gutta aquæ in magnum rogum iniecta conuertitur in ignem: ergo male diximus aquam non conuerti in ignem.

*Respondeo* negando antecedens: conuertitur enim prius in fumum, aut aliam aliquam substantiam.

*Confirmatur hoc, & simul conclusio*: quia quando aqua, & ignis agunt in se inuicem, necessarium est, vt prius producatur temperamẽtum quatuor qualitatum in elemento conuertẽdo in eo gradu, in quo est dispositio ad aliquam formam alterius elementi, aut mixti, quam in eo gradu, in quo est dispositio aut ad aquam, aut ad ignẽ: ergo prius produci debet forma aliqua mixti, aut alterius

rius elemẽti,quã forma aquæ,aut ignis,quia quãdo producitur diſpoſitio ad formam aliquam, illa forma debet introduci naturaliter. Probatur antecedens, quia combinatio quatuor qualitatum in aliquo gradu ex gradibus,in quibus debent eſſe ſimul in ſubiecto, antequam expellantur duæ ex illis, neceſſario debet eſſe diſpoſitio ad formam mixti,aut alterius elementi.

43. *Obiicies tertiò*, flamma ignis, quando deſtruitur, conuertitur in aërem, & hoc actione ipſius aëris: ergo aër conuertit ignem immediate in ſe.

*Reſpondeo* negando antecedens pro ſecũda parte,quod probo manifeſta experientia, quia ſi quis ſubtraheret pabulum igni diſtanti à maxima flamma,periret:ſed certum eſt quod in illo inſtanti non poſſit conuerti in aërem actione aëris:ergo non conuertitur in aërem virtute aëris.

*Reſpondeo ſecundo*, negando antecedens pro ſecunda parte,quia licet deſinat tum, non conuertitur in aërem, ſed in aliquas exhalationes, aut alias ſimiles ſubſtantias tenues.

*Obiicies quarto*, Philoſophum 2. *de gen. c.*4.qui ait,elementa eſſe in ſe inuicem tranſmutabilia:ergo quodlibet poteſt generare ſibi ſimile ex quolibet alio immediate.

*Reſpondeo*, negando conſequentiam: ſufficit enim ad veritatem iſtius locutionis quod poſſint generari ex ſe inuicem mediate.

*Deinde*, ſi loquatur Philoſophus de immediata tranſmutatione,poteſt adhuc eſſe verum per hoc,quod quodlibet poſſet in ſe conuertere quodcumque aliud etiam immediate, ſi inueniret ipſum per alias cauſas ſufficienter diſpoſitum;hoc autem eſt contra concluſionem,quæ tantum negat elementa actione ſua ſola poſſe quælibet alia in ſe conuertere.

An ſymbola elementa facilius cõuertantur in ſe inuicem, quam diſſymbola.

44. *Quæres*, an ſi elementa conuerterent ſe in ſe inuicem, facilius eſſet elementis ſymbolis conuertere ſe quã diſſymbolis. Huius quæſiti pars affirmatiua communiter tenetur, & ſolet probari, quia facilius eſt agenti expellere duas qualitates cõtrarias à ſubiecto quàm vnam ſolam:ſed,vt vnum elementum conuertat aliud ſymbolum, deberet per ſe tantum expellere vnam qualitatem, nempe illam,in qua non conueniret; vt vero conuerteret diſſymbolum, deberet expellere per ſe duas qualitates contrarias ſuis: ergo facilius poteſt conuertere elementum ſymbolum quam diſſymbolum.

*Hæc probatio*, imprimis ſupponit falſum in ſententia noſtra, nempe quod elementa ſymbola conueniunt in vna qualitate,& diſconueniunt in altera:nam cum terra ſit ſicca & calida,in vtraq; qualitate conuenit cum igne, cui eſt ſymbola, & in vtraque diſconuenit cum aqua & aëre, quibus eſt diſſymbola; & cum aër ſit humidus & frigidus,in vtraque qualitate conuenit cum aqua,cui eſt ſymbolus,& in neutra conuenit cum igne,aut terra,quibus eſt diſſymbolus. *Præterea*,quamuis terra eſſet frigida & ſicca,& aër humidus & calidus, ac propterea conuenirent in vna tantum qualitate cum elementis ſibi ſymbolis, vt ſupponitur in hac probatione, adhuc difficile eſt oſtendere quod facilius ſit agenti expellere per ſe vna qualitate aliam qualitatem contrariam, quàm duas; quando habet duas contrarias illis duabus per ſe expellendis,per quas eas expellat:tam enim videtur facile per calorem,& ſiccitatem expellere frigus,& humiditatem, aut è contra, quam per ſolum calorem ſolum frigus aut contra. Vnde maior præmiſſæ probationis facile negari poſſet.

*Nec tollitur vis huius replicæ* dicendo quod facilius ſit agenti agere per vnam ſolam virtutem quam per duas, vt patet experientia,qua conſtat quod facilius ſit homini per potentiam viſiuam ſolam videre bene, quam per viſiuam & auditiuam videre, & audire.

*Nam contra hoc eſt*, quod quamuis hoc verum ſit in potentiis vitalibus requirentibus attentionem, & conatum;non tamen in potentiis naturalibus non vitalibus, quæ non requirunt huiuſmodi conatum, ac attentionem,nec fatigantur in ſuis operationibus.

*Probatur eadem pars aliter* in ſententia aſſerente terram eſſe ſiccam & frigidam,& aërem humidum & calidum; aquam vero humidam ac frigidam,& ignem calidum & ſiccũ:facilius eſt igni expellere per ſe frigus infra ſummum à terra, quàm frigus ſummum ab aqua:ergo facilius eſt elemento conuertere ſymbolum in ſe,quàm diſſymbolum.

*Hæc etiam probatio non ſufficit*,quia licet probet fortaſſis quod ſit facilius igni cõuertere terram,quam aquam; tamen non probat vniuerſaliter, quod ſit facilius elemento conuertere ſymbolum quam diſſymbolum, quia non ſequitur inde quod ſit facilius igni expellere humiditatem ſummam ab aëre, quam humiditatẽ infra ſummum ab aqua:(in quo gradu humiditas reperitur in illis ſecundum ſententiam quæ in hac probatione ſupponitur) deinde non probat quod facilius ſit aquæ expellere ſiccitatem ſummam à terra, quàm infra ſummam ab igne,quamuis forte probet quod facilius eſſet ipſi expellere calorem infra ſummum ab aëre, quàm ſummum ab igne.

*Deinde* quamuis frigus ſummum difficilius tolli poteſt, quam frigus infra ſummum, tamen fortaſſis eſt facilius igni tollere frigus ſummum ab aqua, quam infra ſummum à terra,propter duritiem terræ ſupra aquam.

46. *Probari poſſet eadem opinio* in ſententia noſtra, qui ponimus elementa ſymbola conuenire in vtraque qualitate; quia facilius eſt igni augere calorem terræ, quam expellere totum frigus aquæ, & humiditatem eius:ergo facilius eſt ipſi conuertere terram ſymbolam in ſe,quam aquam diſſymbolam.

*Verum hæc etiam probatio non probat* vniuerſaliter hanc partem:nam non probat quod terræ facilius ſit conuertere ignem, quam aquam, & oppoſitum potius conſtat, quia non poteſt vlla ratione expellere aliquid de calore ignis, aut ſiccitate;poteſt vero aliquid tollere de frigore aquæ,& humiditate.

*Itaque concludo*:quando dicitur quod facilius ſit conuerti ſymbola in ſymbola, quam diſſymbola, hoc non intelligi per ordinem ad actiuitatem ipſorum elementorum:ſed quatenus ex natura rei facilius eſt ſymbolũ per alia agentia diſponi ad formam elementi ſymboli, quã diſſymboli; quia magis accedit diſpoſitio ſymboli cum diſpoſitione alterius ſymboli, quam cum diſpoſitione diſſymboli.

## QVÆSTIO VI.

### *An elementa poſſint generare elementa diſtinctæ ſpeciei.*

47. DVas difficultates continet hæc quæſtio: *Prima*, an vnum elementum poſſit producere aliud elementum diſtinctæ ſpeciei,verbi gratia, ignis terram,aut aquam, aut aërem. *Secunda*, an duo elementa diſtinctæ rationis poſſint producere tertium elementũ, verbi gratia ignis,& aër aquam,aut terram; vel ignis & aqua aërem, aut terram. Pro reſolutione aduertendum ex dictis *quæſt.*4. ſecundum nos aquam & aërem eſſe ſymbola inter ſe,& diſſymbola igni & terræ; & ſimiliter ignem & terram eſſe ſymbola inter ſe,& diſſymbola aquæ & aëri.

*In ſententia vero aliorum*, qui ponunt terram frigidam, & aërem calidum, ignis & aër ſunt ſymbola, & ignis etiam,ac terra;ignis vero,& aqua ſunt diſſymbola:aqua autem & aër ſunt ſymbola,& aqua etiam, ac terra; aër vero, & terra ſunt diſſymbola. Vnde ſequitur primo quod duo tantum ſunt paria elementorum diſſymbolorum, nempe ignis ac aqua,& aër ac terra; quatuor vero ſunt paria elementorum ſymbolorum; nempe aqua & aër,& aqua ac terra, ignis & aër,& ignis ac terra in hac ſententia;in ſententia vero noſtra è contra duo ſunt paria ſymbolorum, & quatuor diſſymbolorum.

Sequitur ſecundo, Elementa ſymbola in noſtra ſententia conuenire in vtraque qualitate, in alia vero ſententia in vna tantum.

### CONCLVSIO I.

48. *Vnum elementum non poteſt producere aliud elementum diſtinctæ rationis.* Hæc eſt communis.

*Probatur à Ruuio* 2. *de gen. cap.*6. *quæſt.*3. quia ſi vllum elementum

elementum possit aliud producere, vel tanquam causa vniuoca, vel tanquam causa æquiuoca: non tanquam vniuoca, quia est distinctæ speciei à quolibet alio elemento; non tanquam æquiuoca, quia æquiuoca causa debet esse perfectior effectu, & præterea debet continere ipsum eminenter; sed ex elementis aliqua aliis sunt imperfectiora: ergo non possunt illa alia perfectiora producere. *Deinde*, quæ sunt aliis perfectiora non continet illa eminenter; *Primo*, quia forma substantialis etiam perfectioris elementi limitata est ad propriam speciem, sicut & mixta elementis perfectiora. *Secundo*, quia non potest producere dispositionem sufficientem ad formam alterius elementi distinctæ speciei.

*Hæc probatio* adhuc fusius ab hoc authore proposita reduci potest breuius ad hoc: Forma cuiuslibet elementi est limitata ad propriam speciem, nec vllum elementum potest producere dispositiones ad formam alterius elementi: ergo nullum elementum potest generare aliud elementum distinctæ speciei.

49. *Sed certe in hac probatione*, siue hoc modo breuius, siue vt ab ipso *Ruuio* prolixius proposita, manifeste perit principium: dubitatur enim de limitatione formæ elementi, & defectu virtutis ad producendam dispositionē ad formam alterius elementi; & quantum ad hoc vltimum in sententia, quæ ponit quod terra sit sicca, & calida, videretur omnino quod ignis posset producere dispositiones ad eius productionem non minus, quàm ipsa terra, quia potest producere tantum caloris, ac siccitatis, quantum potest terra. Neque ex eo quod mixta elementis perfectiora sint limitata ad proprias species tantum, sequitur quod elementa sint sic limitata, quia maior vis actiua respectu generationis substantialis potest competere rei imperfectiori, quam perfectiori, vt patet in Angelis, qui non possunt producere vllam substantiam; & in adamante, & cælis, quæ non possunt producere aliam rem sibi similem; cum tamen sint perfectiora igne, qui potest alium sibi similem producere.

*Probatur ergo aliter*, quia nulla experientia constat vllum ex elementis posse vllum aliud producere, quantumuis applicentur, & sibi inuicem, & aliis quibuscunque mixtis; & ex eo, quod quodlibet elementum, si habeat vllam actiuitatem generatiuam, habeat sine dubio virtutem generatiuam sui similis: ergo non debet habere virtutem generatiuam formæ oppositæ non disponentis ad formam suam; sed potius impedientis eius productionem.

## CONCLVSIO II.

50. *Duo elementa nequeunt producere tertium elementum distinctæ rationis, v.g. ignis, & terra aquam, aut aqua, & aër ignem.*

*Probat Ruuius* vniuersaliter, quia nullum vnum ex elementis continet aliud eminenter: ergo nec duo simul. Probat consequentiam primò, quia duo elementa non efficiunt vnum tertium per se substantialiter perfectius singulis, & eminenter continens aliquid, quod singula per se non continerent: ergo. Secundo, nulla duo elementa habent eminentiorem formam quam singula seorsim: ergo si singula seorsim nequeant producere aliud elementum, nec vtrumque simul id facere potest.

*Confirmatur*, quia duo elementa non producunt dispositiones per se in ordine ad tertium, sed in ordine ad propriam formam: ergo si sequitur tertia forma, sequetur per accidens, & consequenter duo elementa non producent per se tertium elementum.

*Verum hæc etiam probatio cum confirmatione* patitur suas difficultates. *Quod vt videatur*, *Respondeo* negando consequentiam, quæ si valeret, probaret, quando nulla ex duabus causis posset per se producere effectū, quod nec vtraque simul illum possent producere: quod manifeste falsum esse patet ex eo, quod nec intellectus solus, nec species sola possit producere intellectionem; vtrumque tamen simul eam producere possint: & idem est de habitu caritatis supernaturalis, ac voluntate respectu amoris supernaturalis; & vniuersaliter de quibuscunque causis essentialiter subordinatis quantum ad aliquem effectum. *Ad primam autem probationem consequentiæ dico*, petiri manifeste principium in antecedenti: id enim negarent aduersarij, quod assumitur, loquendo de aliquo vno sufficienti vnitate ad causandum aliquem effectum: quemadmodum enim vt dixi, duæ causæ subordinatæ faciunt vnam causam totalem sufficientem ad pruducendum aliquem effectum, qualē neutra ex illis seorsim sumpta possit producere: ita de duobus elementis discurri potest, nisi oppositum aliunde, quam ex hac ratione probetur. *Ad secundam probationem eiusdem consequentiæ Respondeo similiter*, petiri principium in antecedenti: nam sicut duæ illæ formæ simul sumptæ sunt perfectiores quam vlla vna ex illis, ita possunt esse eminentiores quantum ad producendum aliquem effectum, quàm vlla vna ex illis, & oppositum asserere absque probatione, est assumere quod erat probandum ac consequenter, vt dixi, petere principium. Quod etiam petitur similiter in confirmatione: qui enim assereret duo elementa per se producere tertium, diceret consequenter ea per se producere dispositiones ad illud.

51. *Melius ergo longe probatur* duo elementa non posse producere tertium. Primo, quia si sint symbola, vel conueniunt in vtraque qualitate, vt nos tenemus de igne, & terra, & de aëre, & aqua; & sic certum est, quod non possint producere vllam ex qualitatibus dispositiuis ad alterutrum ex duobus aliis alimentis, & consequenter nō habeant virtutem productiuam formæ substantialis vllius ex illis: neque enim ignis & terra, si sint sicca, & calida, possunt producere humiditatem, aut frigus, nec aër & aqua si sint humida, & frigida, possunt producere calorem, aut siccitatem.

Vel disconueniunt in vna qualitate, vt disconuenit ignis, & terra in frigiditate, si terra sit frigida; & aqua ac aër in calore, si aër sit calidus; & etiam aër, & terra: & tunc vnum tantum ex illis disponet, & alterum nihil faciet ad dispositionem, & consequenter etiam nihil facit ad productionem formæ substantialis, vnde si hæc producatur, producetur ab vno solo elemento, nempe à disponente; non vero ab vtroque. Quod autem vnum solū disponet, sic probo discurrendo per singula paria elementorum symbolorum; quia ignis & terra non possunt disponere ad formam aquæ, nisi per productionem frigoris, cum non possint producere humiditatem; sed sola terra potest producere frigus, & ignis potius impedit, imo tam impedit, vt eo applicato nunquam possit produci frigus sufficiens ad formam aquæ.

*Deinde* ignis, & terra non possunt producere formam aëris, nisi introducēdo calorem, sed solus ignis producit calorem. Rursus aqua, & aër non possunt disponere ad ignem, nisi producēdo calorem; nec ad terram, nisi producendo frigus, sed solus aër potest producere caloré & sola aqua frigus: ergo. Si vero elementa sint dissymbola vt est aqua, & ignis secundum omnes, & aër, ac terra secundum sentētiam ponentem terram frigidam, & aërem calidum, non possunt producere dispositionem ad tertium: quod ostendo, quia aqua, & ignis non possunt disponere ad terram, nisi producendo siccitatem, & frigus, sed certum est non posse ignē, cuius solius est producere siccitatem, eam producere, quin simul producat calorē; vnde si impediatur à producendo calore, impedietur etiam à siccitate producēda: sed vel impedietur ab aqua, vel aqua non producet frigus competēs: ergo simul applicata nequeunt producere dispositionem sufficientem ad terram. Idem discursus potest fieri de vtriusque respectu aëris, ad quem dispositio deseruiens est calor, & humiditas, vt iam suppono: sed aqua nequit producere humiditatem absque frigore ex se, neque potest frigus producere, si producat ignis calorem requisitum ad aërem. Eodemque modo potest discurri de aere, & terra respectu ignis, & aquæ: ergo à primo ad vltimum, neque duo symbola neque duo dissymbola possunt producere aliud tertium elementum.

52. *Confirmatur*, quia illæ causæ, quæ impediunt se inuicem in productione alicuius dispositionis totalis, non possunt esse per se ordinatæ ad producendam illam dispositionem,

ſpoſitionem,neque formam ad illam ſequentem;ſed elementa diſſymbola impediunt ſe inuicem in productione diſpoſitionis totalis ad formam alterius elementi,vt patet ex dictis: ergo non ſunt per ſe ordinata ad eam producendam, nec conſequenter debent dici habere virtutem productiuam reſpectu ipſius.

*Confirmatur ſecundo*,quoad elementa ſymbola,quia illud non debet cenſeri cauſa alicuius effectus ſubſtantialis,quando ille effectus perinde produceretur,ſiue ipſum adeſſet,ſiue non:ſed elementum tertium,quod produceretur ad præſentiam duorum ſymbolorum,perinde produceretur,ſiue alterum ex duobus adeſſet,ſiue non,quādoquidem alterum ex illis non producit vllam ex qualitatibus diſpoſitiuis ad ipſum vt dictum eſt:ergo.

*Probari poteſt breuius*,& clarius in noſtra ſententia,quia duo elementa ſymbola non poſſunt producere vllam ex qualitatibus primis tertij elementi,quia ſunt ipſi neceſſario diſſymbola,v.g.ignis,& terra,aquæ & aeri,& aqua & aer,igni & terræ:ergo duo ſymbola nequeunt producere tertium.

*Præterea* ex duobus diſſymbolis alterum nequit producere vllam qualitatem ex diſpoſitiuis ad tertium,quāquidem debeat ipſi eſſe diſſymbolum: ergo neque duo diſſymbola poſſunt producere tertium.

53. *Quæres*, an mixtum poſſit producere aliquod elementum.

An mixtū poſſit producere elementum.

*Reſpondeo*,cum cōmuni negatiue,quia non habet vllū mixtum qualitates diſpoſitiuas ad formam elementi in ea intēſione, in qua requireretur:quodlibet enim mixtū habet qualitates primas in gradibus remiſſis ſolūmodo.

*Confirmatur*,quia ſi conſideremus mixtum quodcunq; quatenus præciſè continet quodcumque ex elementis, etiam illud quod prædominatur in ipſo eſt imperfectius illo elemento contento:ſecundū alias autem formalitates quas includit,& ſecundum quas excedit elementa in perfectione(vt ſupponitur)non poteſt cōcurrere ad productionem vllius elementi:ergo abſolute dicendum eſt, quod nullum mixtum poſſit producere elementum:nec refert quod ſit perfectius elemento quocumq; quia homo eſt perfectior lapide,quem tamen nequit producere.

## QVÆSTIO VII.

### *De ſitu Elementorum.*

54. COmmuniter ſupponuntur hæc quatuor elemēta ita ſe habere, vt terra ſit infima, & ſupra hanc immediate aqua;ſupra aquam vero aēr,& denique ſupra aērem in ſupremo loco vſque ad concauū Lunæ ignis.

*Circa hoc autem imprimis* certum eſt aquam,licet habeat vbique ſub ſe terram: tamen in multis partibus etiam habere terram ſupra ſe, vt patet in aquis ſubterraneis. Deinde certum eſt, quod aqua non ſit in omnibus locis infra terram & aērem,cum ad oculum pateat ſupra terram quoad maximam partem eius eſſe aērē tam immediate, quàm vllibi eſt ſupra aquam; Vnde ſenſus huius communis hypotheſis, ſeu ſuppoſiti videtur eſſe, quod qua parte ſunt ſupra ſe inuicem hæc quatuor elementa, retinent prædictum ordinem; adeo vt ſi relinquerentur ſuæ naturæ abſque impedimēto aliquo, neceſſariò terra caderet naturaliter ſub igne,aēre, & aqua; & aqua ſub igne & aēre,& aēr ipſe ſub igne.In hoc autem ſenſu experientia videtur colligi veritas eius, niſi quatenus dubitari poſſit de exiſtentia ignis ſub cœlo Lunæ,quæ difficultas hic examinanda eſt.Et quamuis in ſupplemento meo ad *diſt.14.ſecundi* eam reſoluerim,hic tamen iterum tanquam in proprio loco reſoluenda videbatur.

*Omiſſis autem variis aliis ſententiis* de loco ignis *ibi* videndis, hic tantum duas proponam. *Prima* eſt, quod elementum ignis in maxima quantitate & ſtatu connaturali ſuo reſideat in concauo Lunæ, hoc eſt immediate ſub ſuperficie concaua Lunæ ex qua occupat totum ſpatium vſque ad ſuperficiem conuexam aēris,quemadmodum aēr totum ſpatium à ſuperficie concaua ignis vſque ad ſuperficiem conuexam terræ & aquæ. Hanc ſententiam ſupponit *noſter Doctor ſupra* abſque vlla tamen probatione tanquam Ariſtotelis & communem Peripateticorum,quam etiam ſupponunt ex ſanctis Patribus, *Origenes,Baſilius, Clemens Alexandrinus, Hieronymus,& Auguſtinus ſupra citati.*

*Altera ſententia* oppoſita eſt, quod ignis nullo modo reperiatur in concauo Lunæ ſupra aērem. Hanc tenet *Franciſcus Patritius, Scipio Capicius, Alexander Taſſonius, Paulus Areſius* ſupra citati, & alij plures quos ſequitur *Arriaga* hic *num.67.*

### CONCLVSIO I.

An ignis ſit ſub concauo Lunæ.

55. *Quod ad rationem attinet, probabilius videtur ignem non reperiri ſub cælo Lunæ immediate: ſi vero authoritas ſpectetur, longe probabilius eſt,quod reperiatur ibi.* Hæc quoad primam partem eſt iuxta ſecundam ſententiam; & quo ad ſecundam eſt iuxta primam; nec credo eam negandam ab authoribus ſecundæ ſententiæ.

*Probatur autem ſecunda pars*, quia Doctores tenentes primam ſententiam ſunt longe maioris authoritatis, quam qui tenent hanc,vt patet. *Probatur prima pars.* Primo,quia nulla eſt ratio aut experientia,vnde colligatur, quod reſideat in illo loco; neque aſſignari poteſt vllum emolumentum, aut ornamentum, quod accederet vniuerſo ex eo quod ſit ibi magis quam ſi non eſſet.

Replica quæ eſt fundamētū oppoſitæ ſententiæ.

*Dices* colligi,quod ſit ibi ex experientia illa,qua conſtat quod aſcendat ſurſum ſupra aerem motu naturali, nam elementa non debent habere motum naturalem niſi ad loca ſua naturalia, vnde terra & aqua non mouentur niſi deorſum vbi eſt locus naturalis ipſorum:ergo cum ignis moueatur ſurſum ſupra aerem, debet dici quod locus naturalis ipſius ſit ſupra aerem.

*Confirmatur*, quia debet habere aliquem locum naturalem peculiarem ſibi;non circa centrum mundi,vt aliqui putauerunt, quia alias deberet potius eo moueri quam ſurſum;nec alius aliquis aſſignari poteſt niſi ſupra aerem:ergo eſt ſupra aerem.

*Confirmatur ſecundo*,quia debet habere aliquem locū,in quo poſſit naturaliter quieſcere:ſed nullibi quieſcit niſi ſupra aerem: ergo ibi reſidet tanquam in loco naturali ſuo.Hoc eſt potiſſimum fundamentum à ratione oppoſitæ ſententiæ.

56. *Sed contra primo*, quamuis ex toto diſcurſu haberetur, quod locus naturalis ignis, in quo poſſet quieſcere,eſſet ſupra aerem & ſub cælo lunæ; tamen inde non ſequitur quod de facto ſit ibi collocatus, ſed ſolum in partibus illis vbi apud nos reperitur: nam cum nullum poſſit vniuerſo emolumentum accedere ex eo,quod collocaretur in illo loco, & maximum accederet emolumentum ex eo,quod poſſit apud nos reperiri, non debebat inutiliter ſupra aerem collocari.

*Confirmatur* hoc,quia aqua non minus habet pro loco naturali cētrum terræ,quam ipſamet terra,vt mihi patet euidēter,quia ſi remoueretur impedimentum terræ,deſcenderet vſque ad illud centrum naturaliter, tam bene quàm terra ipſa,& idem eſt de lapidibus qui mouerētur ad illud centrū ſi non obſtaret terra,quæ ipſa etiam impediri poſſet à deſcenſu,ſi interponerētur lapides aut ligna,vt patet:ſed hoc non obſtante non ponūtur de facto aqua,lapides aut ligna eſſe immediate circa cētrū terræ: ergo quāuis ignis peteret eſſe ſupra aerē, non debet dici quod de facto ſit ſupra aerem, niſi id aliunde conſtet.

57. *Confirmatur ſecundo*:quamuis aqua petat naturaliter eſſe ſupra terram,vt ſupponunt aduerſarij,tamē non debet dici eſſe ſupra terram ex omni parte,neque deberemus dicere,quod eſſet ſupra terram vlla in parte, niſi id aliunde nobis conſtaret,quam ex eo,quod naturaliter petat eſſe ſupra terram: ergo quamuis ignis naturaliter petat eſſe ſupra aerem,non debemus ex hoc dicere quod ſit ſupra aerem.

*Confirmatur tertio*:quia non minus petit ignis qui dicitur eſſe ſupra aerem,eſſe ibi,quam qui apud nos eſt;nam ex eo, quod petit ignis noſter eò aſcendere, colligitur quod ignis ille qui eſt ibi,petat eſſe ibi:ſed non ſequitur ex appetitu ignis noſtri,quod ſit ibi: ergo neque ex appetitu vllius ignis id ſequitur.

*Confirma*

*Confirmatur quartò*: quia exhalationes multæ, & fumus ascendunt naturaliter sursum supra aërem, donec corrumpuntur, aut occurrit obstaculum: & tamen non propterea dicitur, quod resideat aliqua quantitas eorum supra aërem totum: ergo ex ascensu ignis non debet similiter colligi, quod resideat aliqua quantitas ipsius supra aerem totum à paritate rationis.

*Contra secundò*: quia ignis ex se non petit esse sursum, nisi quatenus generatur ex tali, vel tali materia; vnde in carbone accenso quiescit à motu sursum, & in ferro candente: ergo falsum supponitur in prædicta replica. Quod autem flamma ignea videatur ascendere sursum, oritur ex eo, quod fumus ex quo generatur, ascendat sursum, & in eo successiue secundum quod ascendit, ac disponitur, generatur ignis.

58. *Confirmatur hoc*: ignis etiam aliquando mouetur deorsum, & ad latera, si applicetur ipsi carta deorsum, aut ad latera; nec vllus propterea dicit, quod ignis ex se petat moueri illis motibus, sed per accidens tantum, ratione materiæ: ergo similiter quamuis moueri videatur sursum non debet dici quod id petat ex se, sed ratione materiæ, quæ sic ipsi applicatur. *Ex his in forma respondeo primo* iuxta primam impugnationem, concedendo totum, & negando inde sequi quod de facto reperitur ibi vllus ignis; Vnde etiam nego consequentiam primæ confirmationis, & secundæ.

*Respondeo secundo*, iuxta secundam impugnationem negando suppositum antecedentis, nempe quod ex se moueatur sursum. Ad primam autem confirmationem, nego quod debeat habere vllum locum particularem, nisi illum quem petit pabulum ipsius. Ad secundam confirmationem, respondeo negando minorem: quiescit enim in carbone, tam bene quam vllibi, quantum ad hoc quod non moueatur sursum in carbone, aut deorsum, nisi prout mouetur ipse carbo.

59. *Dices secundo*, esse maximum emolumentum vniuersi, quod ignis sit in concauo Lunæ in magna quantitate, vt per hoc temperare posset rigorem aeris, ac influxuum humidorum, ac frigidorum Saturni, & Lunæ, aliarumque stellarum: ergo debet ibi collocari.

*Contra*, quia posset iste rigor temperari aliunde per influentias Solis, aliarumque stellarum. Deinde nulla ratione, aut experientia constat quod rigor istorum influxuum sit tantus, quod debeat temperari per ignem: ergo ad hoc non est ponendus.

*Probatur secundo conclusio*, quia ignis ex natura sua indiget pabulo sic, vt non possit conseruari absque illo; sed non habet pabulum sub cælo Lunæ supra aërem: ergo non potest ibi remanere.

*Respondent* aliqui aerem vicinum esse pabulum ipsius. *Sed contra*, quia apud nos aër non pascit ignem; tum quia alias nunquam deficeret, tum quia nunquam possumus conseruare ignem per solum aërem.

*Respondent alij* ignem indigere hic nouo pabulo, vt conseruetur, quia per causas circumstantes destruitur: vnde si non adesset materia quam in se conuerteret, statim desineret: sed sub cælo Lunæ non adsunt causæ destructiuæ, & propterea potest conseruari idem ignis semper absque necessitate producendi noui ignis ex pabulo aliquo.

*Hæc responsio* mihi ipsi placuit *supra in supplemento*; & videtur optima, quæ afferri potest. Verum non adæquate satisfacit, *primo*, quia, vt obseruauit bene *Arriaga*, si poneretur ignis accensus in fornace calidissima, circa quam alius ignis vndequaque accenderetur, deficiente pabulo deficeret ignis existens in fornace: sed tum non adessent causæ destructiuæ: ergo non deficeret propter aliam rationem, quã propter defectum pabuli.

60. *Confirmatur hoc*, quia maxima flamma periret in instanti, si in instãti auferretur pabulum: sed non est verisimile quod sic perire posset per actionẽ causarũ circumstãtium, quæ non tam velociter possunt destruere qualitates conseruatiuas omnium partiũ istius flammæ; vt paret. Et hinc mihi probabilissimum videtur igné esse substãtiã, quæ ex natura sua intrinseca non petit conseruari aliquãdiu in esse; sed instar soni debere ex natura sua intrinseca connaturaliter perire statim ac producitur: nã alias ex defectu pabuli non deberet statim desinere: neque enim pabulum facit ad conseruationem ignis producti, sed ad productionem noui ignis: & quamuis in carbone ignis videatur diu manere, probabile est quod non maneat idem ignis: sed quod paulatim succedant nouæ, & nouæ partes generatæ ex materia ligni, quæ paulatim disponitur, ac conuertitur in nouas ac nouas partes signis sibi inuicẽ succedentes; quod valde aduertẽdũ est. Et hinc etiam existimo quod ignis infernalis si nõ habeat pabulum, conseruetur miraculose, & non naturaliter, qualiter etiam conseruari deberet ignis existens in cælo Lunæ, si ibi daretur.

61. *Aduersa* triplicẽ dat responsionem huic rationi. *Primo* enim quærit, si ignis sine pabulo extingui debeat, an materia ipsius maneat sine forma, an vero debeat habere aliquam formam: primũ dici nõ potest naturaliter, vt patet, nec secundum etiam, quia non potest assignari quã formam haberet; neque enim aeris, quandoquidem aer non habeat maiorem actiuitatem ad ignem conuertendum in se, quam ignis ad aerem. Vel hinc ergo, inquit, videant argumenti huius imbecillitatem.

*Sed certe hic discursus* nulla ratione ostendit imbecillitatem eius. Nam imprimis euidens est experientia, quod deficiente pabulo deficiat ignis, quomodocumque maneat materia eius, siue sine vlla forma, siue cum aliqua forma. *Deinde* ipsimet aduersario assignanda est forma, quæ deficiente pabulo introducitur in materiam ignis. Quod si dicat introduci formam aeris, imprimis hoc est contra se ipsum: & deinde cur nobis idem dicere non licet? Si vero aliam, assignet illam, & eam etiam æque nos assignare poterimus. *Denique* absolute dico introduci posse formam aeris in eo casu, non quidem ex eo quod aer possit actiuitate sua destruere ignem præsertim tam cito quã destruitur deficiente pabulo, sed quod desinente forma ignis ex natura sua intrinseca, materia ipsius sit capax formæ aeris, vt & aliarum substantiarum v.g. exhalationum siccarum, & calidarum, aut similium.

62. *Respondet secundo* ignem residentem in concauo Lunæ pasci aere, quem in se conuertit quo ad partem, licet quo ad partem etiam conuertatur in ipsum. *Sed contra* hoc supra obiecimus, quod sic ignis apud nos posset etiam pasci solo aere, quod tamen falsum esse compertum est experientia.

*Tertio respondet*, præcipue illum ignem supernum non indigere pabulo, sicut noster, quia noster ideo indiget pabulo, quia sẽ per ascẽdit; Vnde nisi alius de nouo succederet, qui generaretur ex pabulo, non maneret apud nos: ideo ergo indiget pabulo, quia sic ascendit; vnde quia in concauo Lunæ non habet, quo vlterius ascendat, remanet ibi quietus, nec debet propterea, vt ibi maneat, nouus ex aliquo pabulo produci.

*Verum contra hanc etiam responsionem facit*, quod si ignis esset substantia permanens, nõ deberet statim deficere ignis qui primo producitur, & ascendit sursum, & præsertim in fornace, aut loco calidissimo, & sicco, vbi non essent applicatæ causæ contrariæ: ergo quamuis indigẽtia pabuli oriatur ad continuationẽ ignis apud nos in illo loco, vbi primo generatur; tamẽ nõ inde sequitur quod possit perseuerare in loco, vbi non esset pabulum.

63. *Probatur tertio*: quia si ignis esset in concauo Lunæ, præsertim in tanta quantitate, quantã volunt aduersarii, deberemus sentire eius calorem, & videre eius lucem quemadmodum videmus lucem Cometæ, & sentimus eius calorem, sed hoc est falsum: ergo non datur.

*Respondent* aduersarii negando sequelam, quia in illo loco est valde rarus ac tenuis, ac propterea non potest tantum calefacere, quia facile impediri posset, quo minus nos calefaceret per aerem interpositum, qui in media regione est frigidissimus; nec tantum lucere vt possit in tanta distantia videri.

*Sed contra*, quia raritas ignis non potest haberi nisi per intermixta corpuscula: non est autẽ verisimile quod plura habeat intermixta corpuscula in illo supremo loco,

quam apud nos: ergo non habet tum maiorem raritatem.

*Deinde* hoc quod dicitur de magna illa ignis raritate ac tenuitate, ratione cuius non possit tantum calefacere, aut lucere, omnino excogitatum est ad euadendam hanc difficultatem; & si ibi ignis non possit tantum calefacere, vt lucere, non remanet nobis vlla experientia, ex qua possimus colligere quod ibi sit.

64. *Obiicies primò*: sicut dantur tria elementa tantæ molis, quorum vnumquodque habet locum determinatum, in quo naturaliter quiescit; ita etiam dicendum est de igne.

*Respondeo* negando consequentiam, tum quia experientia constat dari illa alia elementa in locis determinatis, talis autem non habetur de igne; tum quia ignis habet diuersissimam naturam ab aliis elementis, vt patet ex eo quod non possit absque pabulo diu subsistere extra locum suum, sicut possunt alia elementa, & quod non possunt recipere qualitates contrarias qualitatibus connaturalibus suis, saltem in notabili aliqua intensione, sicut possunt alia elementa: ergo similiter posset habere differentiam ab illis quantum ad non habendum locum naturalem aliquem, in quo quiescat. Tum tertio quia quidquid emolumenti nobis constat haberi ab igne habetur melius ex eo, quod nó habet locum determinatum. Tum quarto, quia cum ignis non sit substantia permanens diu ex natura sua, sicut sunt cætera elementa, non debet habere locum determinatum in quo quiescat.

65. *Obiicies secundò*: sequeretur quod totum spatium à terra ad cœlum esset repletum aere; & sic vnum elemẽtum aeris excederet in proportione notabili, & improportionata quodcumque aliud elementum, & deinde sequeretur quod deesset mundo elementum ignis per se nam ignis ille qui reperitur apud nos, omnino per accidens reperitur.

*Respondeo* concedendo sequelam quo ad primam partem; nec nos debemus tribuere vllam proportionem elementis in magnitudine, nisi quæ constat nobis ratione, aut experientia. Quantum ad secundam etiam partem.

*Respondeo*, non dari aliud elementum ignis, nisi qui apud nos est, & qui includitur in multis partibus terræ (omitto ignem Purgatorij, & Inferni) & si hic reperitur per accidens, concedo elementum ignis non dari nisi per accidens, nec id est inconueniens.

*Si obiiciatur Scotus in 2. dist. 34. qu. 3.* Responderi debet eum tantum, ibi supposuisse ob auctoritatem, ignem esse in concauo Lunæ; Vnde nullam ipse adducit rationem ad id probandum. Quantum autem ad authoritatem diximus in secunda parte conclusionis, quod sit probabilius ignem dari eo loci; vnde *Scotus* & quicumque posset absolute, & simpliciter dicere, quod ignis esset in concauo lunæ, nec hoc esset contra conclusionem nostram, qui solum eam asserimus specificata ratione, & secluſa authoritate.

## QVÆSTIO VIII.

### *De grauitate, & leuitate Elementorum.*

66. PEr *grauitatem* intelligimus virtutem illam, à qua habet corpus, si ponatur supra aliud corpus fluidum, descendere sub ipso, sicut habet lapis virtutem si ponatur supra aerem, aut aquam, descendere sub ipsis; & per *leuitatem* intelligimus virtutem illam, secundum quam aliquod corpus ex se si ponatur sub alio corpore, mouet se supra illud; sicut aër, si includatur in vesica, & ponatur sub aqua, mouet se supra aquam; & ignis, vt supponitur communiter (de quo, quæstione præcedenti) mouet se supra aërem.

Ex quibus ipsis exemplis patet duo elementa esse leuia, v.g. ignem, & aërem; & duo grauia, verbi gratia aquam & terram. Ex duobus autem leuibus, ignis, si ex se habeat esse sursum supra aërem, est leuior, quia ascendit supra aërem, non è contra; ex duobus vero grauibus terra est grauior, quia descendit infra aquam.

*Si autem quæras*, cur non dicantur omnia esse grauia, sed cum hac differentia, vt vnum altero grauius sit, aut omnia leuia cum simili differentia.

*Respondeo* rationem esse, quod si omnia essent grauia cum tali differentia, aër si poneretur supra ignem, quandoquidem grauior esset, deberet descendere sub igne: quemadmodum terra, quia grauior est, descendit sub aqua. Et si omnia essent leuia cum simili differẽtia, aqua si poneretur sub terra, deberet ascendere supra terram, quorum vtrumque falsum esse constat experientia. Itaque quia ex quatuor elementis duo ita se habent, vt si ponantur supra cætera, descendant naturaliter sub aliis duobus, & vnum ex illis sub altero, alterum vero si ponatur sub ipso, non ascendant supra ipsum, neque supra alia elemẽta, propterea dicuntur duo esse grauia, ac nullo modo leuia; & ex illis duobus vnum altero grauius: & quia alia duo ita se habent, vt si ponantur sub aliis duobus, ascendant supra illa, & vnum ascendat supra alterum, alterum vero si ponatur supra illud, non descendat; propterea duo dicuntur, & merito esse leuia, & nullo modo grauia, vnum autem ex illis esse altero leuius, nimirum illud, quod supposítum eleuat se supra. Cur omnia elemẽta non sunt, vel grauia, vel leuia.

*Vbi aduerte obiter primò*, malè dici ab *Auersa qu. 40. sect. 3.* quod aër, & aqua participent aliquid leuitatis, & grauitatis; leuitatis, quatenus petunt aqua ascendere supra terram, & aër supra terrã, & aquam; grauitatis autem, quatenus aqua petit descendere sub igne, ac aëre; aër vero petit descendere sub igne. Hoc enim omnino falsum est: neque enim, aut aqua petit ascendere supra terram; neque aër si poneretur supra ignem descenderet sub ipso, sed potius ignis supra ipsum ascendere deberet. Aqua nihil habet leuitatis.

*Aduerte secundo* male etiam supponi ab *Arriaga num. 50.* quod aër sit grauis, & quidem grauitate eiusdem speciei cum grauitate aquæ, nam in primis non habet grauitatem vllo modo, cum non sit natum descendere sub vllo corpore. Aer nihil habet grauitatis.

*Dices cum ipso*, dum ignis ascẽdit supra aërem aër descendit infra ignem. *Respondeo* hoc esse falsum, si loquamur de motu, qui oritur ex virtute ipsius aëris; loquendo vero de motu ipsius orto ex eo, quod impellatur aliunde, quamuis sit verum, non facit ad rem.

*Quod si quæras tertio*, an grauitas aquæ & terræ sint distinctæ speciei. *Respondeo* mihi videri quod sic, quia ex hoc, quod vnum ex ipsis petit, si ponatur supra alterum elementum, descendere sub ipso, potest argui quod distinguatur ab ipso specie; ergo cum hoc conuenit ipsi ratione grauitatis suæ, grauitas ipsius debet esse distinctæ speciei: & hoc maxime habet locũ secũdũ sẽtẽtiã inferius probandã, quod scilicet grauitas non distinguatur à substantia rei grauis, nec accipiat intensionem per additionem gradus ad gradum. Quod autẽ dico de grauitate proportione seruata dici similiter debet de leuitate. Quod si etiam terra & aqua non haberẽt grauitates distinctas specie, nec aer & ignis leuitatem, adhuc grauitas terræ & aquæ distinguẽtur specie à leuitate ignis & aeris, quia hæc non est grauitas vllo modo, nec illa leuitas, vt supra dixi; & quia effectus distinctissimi conuenirent ipsis; nimirum grauitati mouere se infra aliud, si ponatur supra, non vero mouere se supra, si ponatur infra contrariũ vero cõuenit leuitati. Dantur quidem aliqua corpora, quæ participant vtramque rationẽ, respectiue tamen ad diuersa corpora: nam oleum ascendit supra aquam, si ponatur infra, & sic potest dici leue; mouet vero se infra aerem, si ponatur supra ipsum, & sic potest dici graue: hoc tamen ipsi competit per virtutem distinctæ speciei à grauitate & leuitate; nisi dicatur habere duas virtutes, secundum quarum vnam conuenit ipsi ascensus & secundum aliam descensus, quod fortassis non est improbabile, siue ponatur virtus ipsius esse realiter distincta, siue non. An grauitas aquæ & terræ sint eiusdem speciei.

*Dices*, si tolleretur superficies conuexa terræ, & aquæ, vsq; ad profunditatẽ vnius palmi, exempli gratia,

aer

aer deberet descendere ; alias daretur vacuum ergo aer habet grauitatem.

*Respondeo*, quod si tum moueretur, hoc accideret non ex inclinatione sua propria, sed ea ratione, qua mouetur aqua sursum ad impediendum vacuum ; vnde quemadmodum ex tali motu aquæ non dicitur esse vllo modo leuis, neque etiam ex tali motu aeris debet dici esse grauis, vt patet.

*Quod si quæras secundo*; an mixta aliqua sint tam grauia, aut leuia, quæ elemẽta, vel grauiora, aut leuiora ipsis.

*Respondeo imprimis* mihi videri, quod lapides aliqui ex natura sua sint æque graues, ac terra, vel grauiora, & aliæ substantiæ leuiores aere. Ratio mea est, quia si non poneretur impedimentum terræ, descenderent ad centrum mundi non minus quam terra, & si ponerentur lapides isti sub terra circa centrum mundi impedirẽt descensum terræ, & si ponerentur tam lapides, quàm terra supra aquam, non citius descenderet terra, quam ipsi, & fortassis citius descenderent ipsi. *Rursus* experientia constat, quod fumus, vapores, & exhalationes ascendant supra aerem. An autem possint etiam ascendere supra ignem existentem in cælo Lunæ, aut etiam supra ignem nostrum, non adeo potest colligi per experientiã, tum quia non constat dari supra aerem elementum ignis, tum quia etiam non constat quod aliquid positum sub igne nostro ascendat per ipsum supra ipsum.

*Et hinc patet primò*, non constare grauitatem & leuitatem esse proprietates qualitatum primarum, ac esse maioris, aut minoris intẽsionis in corporibus iuxta participationem maiorem vel minorẽ qualitatum primarum : quia si hoc esset verum, elementa ipsa, quæ magis participant illas qualitates essent leuiora, aut grauiora.

An grauitas & leuitas sint proprietates qualitatũ primarum.

*Confirmatur hoc*, si orirentur ex primis qualitatibus, aut haberentur iuxta maiorem, vel minorem participationem primarum qualitatum, elementa symbola deberẽt magis conuenire in illis : sed hoc est falsum, nam terra & ignis, quæ sunt symbola in vtraque qualitate secundum nos, minus conueniunt inter se quam ignis cum aere, aut terra cum aqua in grauitate ac leuitate : ergo grauitas, ac leuitas nõ habẽtur ex huiusmodi participatione.

*Patet secundo*, mixta non grauitare aut leuitare iuxta qualitatem prædominantis elementi in hoc sensu, quod ex participatione maiori eleméti illius habeat grauitare, aut leuitare, quia ex participatione præcisè non potest habere æqualem grauitatem ipsimet elemento, & multo minus maiorem, vt patet manifeste ex eo, quod ex participatione tantum elementi in minori gradu aut quantitate, impossibile sit quod habeat maiorem grauitatem, quàm si esset ipsummet elementum, tum quia participatio elementi quoad partem intensionis aut extensionis, non posset tribuere ipsi pluspuam si haberet totam intensionem & plures partes elementi ; tum quia cum mixtum non solum participet vnum elementum, sed alia, consequenter grauitatio ac leuitatio ipsius, quatenus deriuatur ab vno elemento, deberet impediri aliquantulum per participationem aliorum elementorum oppositorum.

*Patet tertio*, pessime colligi à *Camerario* & aliis quod elementa sint formaliter in mixtis ex eo, quod iuxta prædominans elementum magis vel minus grauitent, aut leuitent.

*Quod si quæras*, quomodo ergo debeat intelligi illud quod communiter dicitur à Philosophis, nempe quod iuxta participationem prædominantis elementi leuitẽt vel grauitent.

*Respondeo* id solum posse esse verum facta comparatione mixtorum inter se quoad excessum maioris, vel minoris leuitatis aut grauitatis, non quod solum habeant grauitatem, aut leuitatem suam ex prædominante elemento formaliter, sed quod quæ sunt grauiora, magis participent de elemento grauiori, aut maiorem habeant proportionem cum ipso quantum ad hoc ; & quo sunt leuiora magis participent de leuiori elemento, aut maiorem habeant proportionem cum illo quantum ad hoc. His præmissis, difficultates hic examinandæ sunt *Prima*, an grauitas & leuitas sint acidentia distincta à substantia rei grauis & leuis ; *Secunda* an elementa grauitent in propria regione, seu in loco suo naturali.

## CONCLVSIO I.

Grauitas & leuitas non sunt accidẽtia distincta à substãtia.

71. *Probabile est grauitatem & leuitatem, non esse accidentia distincta à substantia, cui conueniunt, sed identificata ipsi realiter.* Hanc tenet *Arriaga hic num.* 73. contra *Auersam q.* 40. *sect.* 3.

*Probatur*, quia non sunt multiplicanda entia sine nẽcessitate. Sed nulla prorsus est necessitas multiplicandi huiusmodi accidentia, quæ sint grauitas & leuitas : ergo.

*Confirmatur primo* : si essent accidentia, deberent esse absoluta, & consequenter vel quantitas, vel qualitas, vt omnes fatentur : sed non sunt quantitas, quia quantitas in omnibus corporibus est eiusdem rationis, nec differt nisi penes maius ac minus : grauitas autem & leuitas distinguntur specie ; Deinde si essent quantitas, tum illud esset grauius, quod haberet plus quantitatis : sed hoc est falsum, vt patet experientia, qua constat sæpe descendere corpora minoris quantitatis, & ascendere maioris. Non etiam sunt qualitas, quia vel esset aliqua qualitas prima, vel secunda ; non prima, quia alias elementa essent grauiora ac leuiora aliis corporibus omnibus, quod etiam falsum conuincit experientia : non etiam secũda, quia sic requireret aliquam mixtionem primarum qualitatum, & sic non daretur in ipsis elementis, aut certe non videtur posse esse in mixtis ac elementis in tali proportione, quia magis deberent dominari in elementis quàm in mixtis, aut è contra.

*Confirmatur secundo*, quia non constat nobis dari grauitatem ac leuitatem, nisi ex eo, quod videamus aliqua corpora moueri à se deorsum ac sursum, & imprimere maiorem ac minorem impulsum in alia corpora, faciliusque ac difficilius posse proiici : sed ipsamet substãtia rei potest principiare huiusmodi motum & impulsum, ac esse ratio, ob quam possit facilius aut difficilius proiici : ergo non est recurrendum ad aliquod accidens distinctum.

*Confirmatur tertio*, quia ipsamet substantia, absque qualitate distincta potest producere aliquos effectus, vt intellectionem & volitionem, & calorem ac frigus, vt patet ex dictis 2. *Physicorum*, & ex dicendis *de anima* : ergo potest etiam producere in se vbi sursum ac deorsum, & imprimere impulsum in alia corpora mediante suo motu, & consequenter in ordine ad hoc non est recurrendum ad qualitatem distinctam.

*Obiicies primo*; grauitas est eiusdem speciei in omnibus corporibus : sed formæ substantiales non sunt eiusdem speciei : ergo grauitas non identificatur realiter formis substantialibus, & consequenter erit accidens.

*Respondet Arriaga*, negando maiorem, quia quamuis impulsus, qui causatur à graui, sit eiusdem speciei, tamen ipsamet grauitas, à qua prouenit, non debet esse eiusdem speciei : sicut, inquit, motus localis hominis & bruti sunt eiusdem speciei ; & tamen potentia loco motiua est diuersæ speciei.

*Sed hæc responsio non placet* : nam si grauitas non habet alium effectũ, quam illum impulsum, & ille sit eiusdem speciei, profecto & grauitas etiam vt grauitas debet esse eiusdem speciei, alias posset quis dicere quod albedines essent diuersæ speciei, quamuis sensationes ab ipsis prouenientes sint eiusdem speciei. Et per hoc ipsum patet quod si potẽtiæ loco motiuæ hominis, & bruti non habeant aliquem effectum quam motum localem, quod si hic sit eiusdem speciei, etiã potentia illa debet esse eiusdem speciei, siue identificetur substantiis, siue non.

*Respondetur ergo aliter*, negando consequentiam, quia aliqua formalitas eiusdem speciei potest identificari realiter rebus distinctæ speciei, vt animalitas identificatur homini & bruto.

*Posset etiam responderi secundo*, distinguendo minorẽ ; formæ substantiales omnes quæ habent secum connexã grauitatẽ, vt dicunt formaliter grauitatem, aut sunt grauitas, nego minorem ; secundum alias considerationes concedo minorem & nego consequentiam.

*Confirmatur hæc responsio*, quamuis grauitas esset distincta, si sit eiusdem speciei in omnibus corporibus, debent illa corpora conuenire inter se in aliqua ratione vna, ratione cuius exigunt illam qualitatem grauitatis, quæ est eiusdem speciei, & illa ratione non potest esse diuersæ speciei in illis; ergo potest illa ipsa ratio esse grauitas quantum ad hanc difficultatem.

*Obijcies secundo*: Grauitas & leuitas sunt capaces intensionis & remissionis: sed substantia non: ergo grauitas & leuitas non identificantur substantiæ.

*Respondeo*, negando maiorem, loquendo de grauitate aut leuitate vnius corporis, illa enim semper manet eiusdem intensionis. Quod si velint aduersarij grauitatem & leuitatem esse capacia maioris ac minoris intensionis, quatenus vnum corpus potest esse grauius altero, & alterum alio leuius, id certum est, sed eodem modo potest substantia esse capax intensionis & remissionis, quatenus vna est alia perfectior, verbi gratia quatenus vna exigit plus caloris quam alia, & quatenus potest velocius currere quam altera.

*Obiicies tertio*, Grauitas percipitur sensu; sic percipi nequit substantia; ergo grauitas non est substantia.

*Respondeo* negando antecedens: grauitatem enim corporum non cognoscimus per sensum, nisi à posteriori, quatenus sentimus impulsum ab ipsis impressum, aut quatenus videmus motum ab ipsis causatum.

*Obiicies quarto*: remanet grauitas eadem in venerabili Sacramento, quæ fuit, dum erat substantia panis & vini sub illis speciebus: ergo grauitas est accidens distinctum à substantia illa, aliàs non maneret ea destructa.

*Respondetur* negando antecedens, quamuis enim appareat esse eadem grauitas, quia sentimus effectum ipsius; tamen re vera non est ibi; ille autem effectus eius causatur à Deo supplēte defectum istius grauitatis; sicut enim supplet defectum substātiæ, quantum ad concursum materialem & effectiuum quem tribueret accidentibus si adfuisset; & sicut etiam ipse substituit materiam nouā miraculosè, quando agens naturale producit dispositiones sufficientes ad formam substantialem, quæ absque tali materia produci nequit, non est mirum quod etiam miraculosè suppleret defectum istius grauitatis.

*Dices* hinc sequi multiplicari miracula absque necessitate: nam si poneretur grauitas esse accidens, non esset recurrendum ad hoc miraculosum supplementum, ad quod recurri debet, si non sit accidens.

*Respondeo* negando sequelam: nam necessitas sufficiens recurrendi ad hoc miraculum est, quod alias multiplicarentur entia naturalia, absque necessitate rationis, aut experientiæ.

75. *Obiicies quinto*: grauitas hominis nequit identificari substantiæ ipsius; neque enim idētificari potest materiæ primæ, quæ ex se est indifferens ad grauitatem, ac leuitatem, neque animæ ipsius, quæ est spiritualis.

*Respondeo* negando antecedens: quemadmodum enim secundum aduersarios debet ipsi identificari illud, ratione cuius exigit grauitatem, ita etiam potest identificari ipsi ipsamet grauitas. Ad probationem autem dico in nostra sententia rem esse facilem, quia non debet identificari materiæ aut animæ, sed vel formæ corporeitatis, quam in homine præter animam ponimus, vel in toto composito ex materia & illa forma resultāte; quod si etiam nulla alia forma poneretur in ipso præter animam, adhuc posset identificari toti composito ex anima & materia prima: hoc enim totum compositum posset ex se esse determinatum ad motum deorsum, & ad impellenda alia corpora; nec hoc impediret spiritualitatem animæ. Alias obiectiones proponit *Arriaga*, quæ facile solui possunt ex dictis, vt propterea non sit necessarium eas hic proponere.

*Hæc quoad primam difficultatem sufficiant*; nunc vt ad secundam veniamus, aduertēdum, grauitare elementa, non esse aliud, quàm ea vel tendere deorsum, vel imprimere impulsum in subiectum corpus, quo impellant ipsum deorsum; sicut terra, aut aqua, ac lapides in aëre posita imprimunt suppositis corporibus sic, vt etiam animalia fatigent, & etiam quandoque interficiant.

## CONCLVSIO II.

76. *Neque ignis, neque aër grauitant in propriis locis, aut in alienis, ex virtute sua natiua, nec leuitant etiam dum existunt in propriis locis, bene tamen in alienis.* Hæc in re debet esse communis, *& patet prima pars*, quia nullo modo sunt grauia, vt supra ostensum est: ergo non possunt grauitare in vllo loco. Ignis & aër non grauitant vllibi ex se.

*Probatur tertia pars*, quia dum aër infra aquam existens ascendit sursum, & ignis, dum ascendit supra aërem, impellunt alia corpora ante se: ergo eodem modo leuitant, quo corpora grauia grauitant, dum descendunt deorsum.

*Probatur secunda pars*, quia ideo impellunt, vt pertingant ad locum suum: ergo quando sunt in loco suo, non impellunt, nec conantur vlterius tendere.

*Confirmatur prima pars*, quia si aër grauitaret, sentiremus nos grauari pondere tanti aëris, quantus est super nos, quemadmodum sentimus pondus exigui lapidis: sed hoc est falsum: ergo non grauitat.

*Confirmatur similiter secunda pars*, quia sentiremus impetum aëris manui suppositi, sicut sentimus impetum eius eleuantis se supra aquam, quod est falsum.

*Dixi* in conclusione *virtute sua*, quia si moueatur ab extrinseco in loco suo sursum, aut deorsum, potest sentiri impetus eius; sed hoc non est ad propositum.

77. *Obiicies contra primam partem* duas experientias ab Aristotele propositas; prima est de ligno centum librarum, quod plus ponderat in aëre quàm plumbum vnius libræ, cum tamen in aqua plus ponderet plumbum illud; cuius non est alia ratio, nisi quod lignum contineat multum aëris, & quod aer grauitet in loco suo proprio, non vero in aqua. Secunda experientia est de vtre, qui inflatus aere plus ponderat, quam si non esset sic inflatus; quod non esset verum, si aer non grauitaret in proprio loco.

*Respondeo primo*, rationem harum experientiarum non posse refundi in grauitationem aeris, quia plus aeris est supra nos quàm possit includi in ligno, aut vtre, & tamē non sentimus grauitationem ipsius, sicut sentimus grauitationem ligni, & vtris; ergo non potest oriri illa grauitatio ex aere præcise, & consequenter hæ experientiæ non faciunt ad rem.

*Respondeo secundo*, quamuis daremus quod ideo lignum non descenderet sub aqua, nec grauitaret ibi, quia contineret multum aeris, inde tamen non sequi quod grauitaret in aere ratione aeris in se inclusi; sed ratio cur grauitaret in aere esset, quod aer in ipso inclusus non impediret descensum eius; vnde non obstante illo aere posset descendere ratione grauitatis suæ, quam haberet ex sua substantia, quatenus non includit aerem; in aqua vero non descenderet nec grauitaret; quia ratione aeris inclusi impediretur descensus eius, quandoquidem aer petat esse supra aquam. Et per hoc patet ad primam experientiam.

*Ad alteram experientiam* de vtre inflato aere, ac magis grauitante, ac ponderante, quam si non esset sic inflatus.

*Respondet Auersa* rationem esse, quod dum inflatur vter, condensetur aer, hic autem condensatus magis grauitet quam non condensatus. Respōsio Auersæ ad experientiam vtris reiicitur.

*Verum hæc responsio difficilis est*, præsertim suppositā sententia veriori de condensatione, nimirum quod fiat per egressum corpusculorum, & quod grauitas non sit accidens distinctum à substantia rei grauis; nam hinc sequitur quod aer condensatus, vt condensatus præcise, non possit esse grauior, quam non condensatus, quia per hoc quod sit condensatus non habet nisi habere partes suas proprias magis vnitas inter se propter exitum corpusculorum, quæ intermiscebantur, sed aer ex natura sua non habet vllam grauitatem: ergo quamuis vnirentur magis ac magis ipsius partes, non potest habere maiorem grauitatem. Vnde existimo quod si omnes partes totius aeris penetratiue ponerentur intra vtrem, non magis grauitarent, quam si solum ponerentur in eo tot partes, quot de facto.

*Respondeo*

*Respondeo ergo aliter*, si experientia illa sit vera (de quo aliqui dubitant, & facile esset probare) rationem potius esse, quod quando vter inflatur, coadunentur in ipso simul cum aëre aliqua corpuscula aëre grauiora, quæ descendunt deorsum, & causant illam grauitatem vtris.

## CONCLVSIO III.

Terra & aqua non grauitant in locis propriis neque extra, si non cedatur ipsis.

79. *Probabile est, neque terram, neque aquam in loco naturali suo grauitare aut secundum se totam, aut secundum partem, neque etiam extra locum naturalem, quando est supra aliquod corpus non potens cedere ipsi.* Hæc quoad primam partem est communis, & eam expresse tenet *Auersa quæst.*40. *sect.*4. *Arriaga hic num.*111. quoad secundam vero partem non inuenio illam ab authoribus propositam.

*Probatur pro prima parte:* quia ideo grauitare deberent, vt pertingant ad locum naturalem suum, ergo si sunt in loco naturali suo, non possunt grauitare.

*Confirmatur primo*, de terra tota, quia si grauitaret deberet grauitare supra aliquid: sed non est aliquid, supra quod terra grauitare posset: ergo terra nõ grauitat. Probatur minor, quia non est aliquid infra terram totam, sed illud supra quod grauitaret, deberet esse infra ipsam: ergo non est aliquid supra quod grauitare possit.

*Confirmatur secundo* de terra quoad partes, quia nulla pars terræ petit esse sub alia parte naturaliter: cum enim partes eius sint eiusdẽ rationis, nulla per se potest petere esse sub altera magis, quam altera sub ipsa: ergo nulla debet grauitare supra alteram: & hæc ratio probat etiam quod aqua tota non grauitet supra terram, neque vna pars aquæ supra alteram.

*Probatur secunda pars:* grauitatio est impressio impulsus, aut productio vbi deorsum, sed nullum corpus quantumuis graue positum supra aliud corpus non cedens, aut mouetur deorsum, aut imprimit impulsum; ergo nullum tale corpus sic collocatum grauitat. Probatur minor, quia nõ producit vbi deorsum, alias cederet corpus suppositum; non etiam imprimit impulsum, quia impulsus non imprimitur, nisi mediante motu locali; & hinc impulsus impressus per motum localẽ, quando sistit motus, desinit, vt patet experientia. *Adde* nullam posse haberi experientiam, quod imprimatur impulsus tali corpori, & impressionem ipsius esse inutilem omnino.

*Dices* colligi, quod imprimitur impulsus ex eo, quod corpus valde graue suppositum supra aliud corpus, verbi gratia lapis ingens supra trabem, frangat illud successu temporis: hoc autem non esset verum, nisi imprimeret continue ipsi aliquem impulsum, quo tandem perueniente ad intensionem debitam, rumperetur trabs: ergo imprimitur impulsus tali corpori.

*Respondeo* negãdo corpori suppositio v.g. trabi imprimi impulsum à corpore supra posito, nisi cedat ipsi: quoties vero trabs aliqua successu temporis cadit, paulatim cedit siue continue, siue cum interruptione, & si non cederet, non caderet, nec imprimeretur impulsus ipsi.

80. *Ex probatione autem huius partis confirmatur quod dictum est in prima parte*, nempe vnam partem terræ, aut aquæ, non grauitare supra aliam partem, neque totam aquam supra terram, quia scilicet per se vna pars non cedit alteri parti, neque terra cedit aquæ: ergo neque vna pars aquæ, aut terræ grauitat supra aliam, neque aqua supra terram.

*Probari potest secundo conclusio quoad primam partem experientia*, quia natans sub aqua, non sentit pondus altissimæ aquæ supra positæ, & vas plenum aqua non grauitat infra aquam magis, quam vacuum grauitaret in aëre: sed huius non potest assignari aliqua causa, nisi quod aqua non grauitet in loco suo naturali neque secundum se totam neque secundum partem: ergo non grauitat in tali loco.

*Contra hanc experientiam obiicit Arriaga*: nam si homo nataret sub aqua in cubiculo posita non sentiret aquam supra positam; & tamen aqua non esset in loco naturali suo, sed grauitaret supra cubiculum: ergo non ideo non sentiret homo grauitantem aquam in casu probationis, quia aqua esset in loco naturali suo.

*Confirmari potest ex eodem*: quia tota aqua grauitat supra cubiculum, quia cubiculum, aut pauimentum cubiculi interpositum est inter aquã & aërem: sed corpus natantis interponitur inter vnam partem aquæ & aliam: ergo deberet pars superior grauitare supra natantem.

*Propter hanc replicam respondet* ipse, rationem cur non grauitet pars superior supra vrinatorem, hoc est illum, qui natat intra aquam, esse, quod partes aquæ non grauitent quando inter se coniunguntur. *Et si replices*, vas plenum aquæ positum infra aquam non grauitare, quamuis partes aquæ inclusæ non continuentur cum alia illa aqua, intra quam remanet; ergo non ideo non grauitat pars superior, quia coniungitur cum aliis partibus: *Respondet* distinguendo consequens; non ideo solum, transeat: non ideo, negat: dat autem aliam causam, cur aqua illa inclusa in vase non grauitet, quia scilicet aqua illa inclusa in vase non petit esse sub aliis partibus & propterea non debet grauitare, vt sit infra illas.

*Verum in tota hac doctrina primum displicet*, quod supponatur aquam positam in cubiculo grauitare supra pauimentum, etiamsi pauimentum non cedat. *Deinde & magis ad propositum displicet*, quod supponat partes superiores aquæ non grauitare, quando coniunguntur cum aliis partibus aquæ, & vas plenum aqua non grauitare infra aquam: quorum vtrumque videtur falsum; nam si vrinans conaretur eleuare vnam partem aquæ coniunctæ cum aliis partibus, aut etiam vas plenum aqua, sentiret difficultatem ortam ex grauitatione, vt experientia colligi potest.

*Itaque existimo* vrinatorem propterea non sentire aquam suprapositam, aut vas plenum aqua, quando non conatur attollere aut aquam, aut vas, quia non sustentantur ab ipso solo, sed maxima ex parte ab aqua quam circum se habent: & licet, quia partim sustentat illa, etiam grauitent partim, tamen grauitatio est tam exigua, vt vix sentiatur.

*Vnde ad probationem potest responderi*, negando maiorem: nam si natans cedit, grauitabit pars superior; si autem non cedit non grauitabit; sed hoc non orietur formaliter ex eo, quod aqua sit in loco naturali, sed ex eo, quod corpus infra positum non cedat, siue aqua sit in loco naturali, siue non, aut siue partes suprapositæ continuentur cum aliis partibus, siue non continuentur.

# QVÆSTIO VLTIMA.

## *Quid sit Mixtio.*

NOn quæritur hic de *mixtione* in largiori significatione, qua capitur pro cõiunctione plurium corporum distinctæ rationis, qua inter se localiter confunduntur & intermiscentur absque eo, quod vllum ex illis perdat suam naturam specificam, aut accidentia connaturalia, vt fit quando farina triticea & hordeacea coniunguntur inter se: Sed de *mixtione proprie dicta*, qua ita coniunguntur aliqua corpora, vt ex eorum coniunctione sequatur destructio eorum, secundum naturam specificam, & productio alicuius alterius corporis ab ipsis distincti, & in quo ipsa tamen aliquomodo includuntur.

## CONCLVSIO I.

Descriptio mixtionis.

82. *Bene describitur mixtio esse miscibilium alteratorum vnio.* Hæc est communis cum *Philosopho*: & *patet* ex eius explicatione. Dicitur *miscibilium*, id est corporum, quæ inter se applicari possunt. Dicitur *alteratorum* ad significandum quod, vt fiat mixtio, vnio in qua consistit, debet præsupponere talem alterationem rerum, quæ miscentur, vt non maneant secundum rationem suam formalem: & per hoc distinguitur mixtio propriè dicta, quæ est etiam vnio corporum dictinctorum, quæ aliquo modo misceri inter se inuicem possunt.

*Dices*, si quæ miscentur, debẽt alterari sic, vt destruantur quoad rationem suam formalem: ergo non possunt dici vniri per vnionem sequentem.

*Respondeo*, distinguendo consequens: formaliter, quatenus ipsa secundum se formaliter vnirentur, & manerent vnita, concedo consequentiam, nec sic debent vniri; vnione, quæ est mixtio virtualiter, quatenus forma substantialis, quæ producitur per mixtionem, includit res illas, quæ miscentur virtualiter, modo supra explicato, dum quærebatur an elementa maneant formaliter in mixto, nego consequentiam.

Quomodo mixtio distinguitur à generatione.

*Itaque mixtio*, si capiatur actiuè, est actio illa causæ efficientis per quam ex corpotibus aliquibus alteratis ad destructionem producitur aliquod corpus virtualiter includens corpora illa sic alterata; si vero capiatur passiue, est productio passiua qua corpus includens virtualiter alia corpora ex illis alteratis ad destructionem producitur. Et hinc patet quomodo mixtio distinguatur à generatione: distinguitur enim à generatione, vt sic, quod habeat pro termino ad quem substantiam mixtam, hoc est continentem elementa, cum tamen generatio vt sic non petat talem terminum; distinguitur etiam vlterius, & à generatione vt sic, & à quacunque generatione, quæ non est mixtio, per hoc, quod habeat pro materia, ex qua fiat, corpora diuersæ rationis, ex quorum materia debet fieri. Existimo tamen hanc differentiam esse tantum accidentalem, & actionem illam, per quam producitur fumus, v.g. ex igne, aqua, & aere, esse eiusdem speciei cum actione per quam produceretur ex solo igne & ex alio corpore; sicut actio per quam produceretur calor ex frigido esset eiusdem rationis specificæ cum actione, per quam produceretur ex non frigido; & ratio est, quia vt frigus præcedens calorem non est terminus per se, sed per accidens calefactionis: ita etiam formæ miscibilium non sunt termini per se, sed per accidens actionis, qua producitur mixtum.

Quod sit téperamẽtum mixtorum.

*Quæres*, quodnam sit mixtorum corporum temperamentum.

*Respondeo* breuiter temperamentum mixtorum esse aggregatum ex quatuor primis qualitatibus redactis ad quandam intensionis mediocritatem iuxta exigentiam mixti, vnde quia mixta sunt diuersissimæ naturæ, non habent idem temperamentum; sed magis, vel minus diuersum, prout magis aut minus inter se conueniunt. Omissis autem aliis temperamenti diuisionibus, vna satis vulgaris est, qua diuiditur in temperamentum ad iustitiam, & ad pondus.

Quod tẽperamentum ad iustitiam.

*Temperamentum ad iustitiam* est illud, quod est iuxta exigentiam mixti, quacunque demum proportione se habent in mixto illæ qualitates primæ quoad intensionem, hoc est si omnes sint eiusdem intensionis, vel si duæ, vel tres, vel vna excedant in intensione cæteras.

Quod tẽperamentum ad pondus.

*Temperamentum ad pondus* est illud, in quo omnes qualitates sunt eiusdem intensionis: quod si huiusmodi temperamentum sit iuxta indigentiam mixti, cui conuenit, erit etiam ad iustitiam; sin minus, non erit.

De hoc temperamento ad pondus dubitatur an sit possibile naturaliter, de quo *Complutenſ. d.* 12. Sed res est parui momenti, & propterea *breuiter dico* imprimis nihil impedire quo minus sit naturaliter possibile, & etiam requisitum connaturaliter ex vi alicuius formæ substantialis, quæ non minus illud exigat, quam aliæ formæ exigunt alia temperamenta: non potest autem reperiri in homine, aut vllo alio animante, quoad omnes partes integrantes eorum, quia cum partes eorum sint heterogeneæ, seu diuersæ rationis, oportet etiam earum temperamentum heterogeneum esse; & consequenter si in vna aliqua parte sit temperamentum ad pondus, in cæteris nequit esset tale temperamentum: quod si non posset esse temperamentum ad pondus in mixto simul cum dominio vllius ex elementis, non esset necessarium quod dominaretur elementum vllum in quolibet mixto. Et hæc sufficiant de his libris ad maiorem Dei gloriam. Amen.

# DISPVT. XXVIII.

## *De Meteoris.*

PHILOSOPHVS postquam de generatione rerum in communi, ac particularius etiam de elementis, & de mixtione vt sic disseruisset; quatuor libros de generatione mixtorum quorundam imperfectorum composuit, quos & de *Meteoris* inscripsit, hoc est, de rebus, quæ in parte sublimiori mundi generantur, nam Μετέωρον græcè, idem est ac *sublime* latinè, Μετεωρολογία idem est ac *verum sublimium ratio*. Quamuis ergo in his libris agat etiam Philosophus de aliis rebus quam de rebus sublimibus, seu quæ in sublimi fiunt, vt de metallis, aliisque, quæ producũtur in subterraneis, ac inferioribus locis; tamẽ quia maiori ex parte tractat de rebus illis, quæ in superioribus locis generantur, & maiorem afferunt hominibus admirationem, propterea hos libros *Meteorologicos*, aut *Meteororum*, vel de *Meteoris* non immerito inscripsit: de quibus etiam libris, seruata eadem inscriptione, *Doctor noster* satis fuse egit in opere nuper transmisso ex Anglia, & in tertio tomo operum ejus impresso: Itaque in præsentiarum de rebus, quæ in iisdem libris considerantur, ne quid completo Philosophiæ Cursui desit, quam possum breuiter & clare vnica hac disputatione agam.

## QVÆSTIO I.

### *De Meteoris ignitis.*

METEORA ignita, seu, vt alij vocant, *impressiones ignitæ*, de quibus hic agam particulariter, *sunt stellæ comatæ; stellæ cadentes; capræ saltantes* seu *æges; areæ stipularum ardentium; fulgura, fulmina, tonitrua; fax, lancea, iaculum; sydera discurrentia; sydus volans; ignis perpendicularis; ignis lambens; draco volans; Castor, Pollux, Helena.* De quibus omnibus quantum satis fuerit pro ratione notitiæ, quæ de iis per discursum, aut experientiam haberi potest, discurrendum erit.

### *De Cometis.*

Nemo non nouit per *Cometas* intelligi corpora illa lucida iustar stellarum, quæ raro apparent, & durant non modico tempore, non leuem admirationem mortalibus incutientia. Horum autem varia sunt genera; nam aliqui habent comam suam, à qua & nomen accipiunt, ex omni parte circumfusam; aliquando vero non nisi ex vna parte tantum. Quando autem diffusam habet comam per totum circuitum, appellatur *Cometa crinitus*; sed si ab vna tantum parte habet comam protensam; vel habet illam protensam valde, & tum vocatur *Cometa caudatus*: vel non ita multum, & tum vocatur, *Barbatus*. At hæ differentiæ sunt solum accidentales prouenientes à diuersa tantum magnitudine, & figura; vnde quod resoluetur de vno ex ipsis quoad substantiam, cæteris similiter conuenit.

*Doctor noster* 1. *Meteororum. q.* 17. sex ponit veterum opiniones de natura cometarum.

*Prima opinio* est, quod Cometa sit coniunctio plurium ex septem planetis, vel vnius planetæ cum aliqua stella fixa, ita, vt disgregatio luminis stellarum illarum coniunctarum efficiat comam Cometæ, prout protenditur vel ad vnam vel ad omnes partes ipsius. Quam sententiam *Conimbricenses* videntur attribuere *Democriso*, & *Anaxagoræ*.

*Hæc sententia manifeste refellitur* ex eo quod obseruatum sit, omnes planetas quandoque videri posse in Cælo, quando apparet Cometa, ab ipso separatos. *Deinde* nulla tam determinata coniunctio plurium Planetarum potest permanere per sex menses, quibus nonnunquam

quam curant cometæ;& *præterea* cum motus Cælorum, ac planetarum sit regulatissimus,deberet illa coniunctio ordinatis temporibus contingere,quod falsum esse constat experientia.

*Secunda sententia* est,Cometam esse vnum ex Planetis, & comam eius fieri ex attractione humorum ab istis inferioribus,ad quos refrangeretur lumen planetæ. *Hæc sententia reiicitur* efficaciter per primam rationem, qua impugnabatur præcedens, quia scilicet simul videntur quandoque stellæ errantes omnes distinctæ esse à cometa.

4. *Tertia sententia* est, cometam esse stellam errantem distinctam à planetis, habentemque comam,vel ex dispersione sui luminis in halitibus in altum euectis,vel ex sua ipsius natura. Pro hac sententia citant *Conimbricenses,Pythagoricos,& Hippocratem*, non *Coum*,sed *Chium*: & contra opponunt, quod ex ea sequeretur non posse apparere plures cometas simul,contra experientiam,quam se habuisse viri fide digni testantur. *At certe ego non video* quomodo id sequatur;nam sicut vnus cometa posset esse vna stella errans à planetis distincta; ita etiam posset dari tam bene alius Cometa, qui esset alia stella errans.

*Melius ergo impugnatur*, quia tam ingens stella, quàm cometa deberet esse, non posset occultari à nobis tanto tempore, & rursus apparere tam irregulariter, nam recessus, & accessus ipsius à Sole deberet esse omnino regularis. Rursus non posset totus in tanta magnitudine statim apparere,& tam cito desinere, quam quandoque contingere docet experientia.

5. *Quarta sententia* est, cometas produci à Deo miraculose,siue id fiat in Cælo,siue sub Cælo.*Hanc impugnat Doctor*,quia miraculose quæ fiunt à Deo, non successiue producuntur, vt contingit saltem sæpe in cometis, sed tota simul,& tota simul desinunt.

*Et si dicas* Deum posse res miraculose producere & successiue & instantaneè: ergo ex successiua productione Cometarum non sequitur quin miraculose producantur à Deo;neque satis constat omnia,quæ à Deo miraculose producuntur, produci instantaneè.

*Responderi potest*,posse quidem Deum miraculose producere res successiue: attamen in casu nostro non esse rationem, cur successiue Cametas produceret, nisi dependentiam haberent ab aliquibus causis secundis: atque adeo talem dependentiam non debere negari; ea vero concessa, sequitur non esse recurrendum ad miraculosam illam Dei productionem.

*At sane* quamuis verisimile sit, ex Cometis multos produci à causis naturalibus, qui tamen aliquando terribiliori aliqua forma simul apparent,incutiuntque maximum timorem intuentibus, ac designant effectus quosdam valde notabiles futuros, à libera voluntate partim dependentes, eorum productio in Deum ipsum commodius refunditur: sicut enim ipse solus Stellam ipsam,quæ apparuit Magis,causauit:ita non habet difficultatem,quin solus producere posset absque prouidentiæ ordinariæ detrimento alias Stellas,& præcipue Cometas;ex alia vero parte,quod causæ naturales,à quibus produci possent Cometæ,tum solum applicarẽtur,quando essent secuturi tales effectus, non habet meo iudicio probabilitatem vllam, quod & ante aduerti in libris *de Cælo*, & id præcipue locum habet in Cometis, qui in ipsis cælis apparent, si qui tamen tales sunt, vt esse existimant nonnulli.

6. *Quinta sententia* est, quod Cometa sit vna ex stellis fixis,quæ tantæ magnitudinis apparet quandoque propter interpositionem exhalationis grossæ.

*Contra*, quia qua ratione interpositio talis exhalationis iuuaret,vt videretur maior illa stella quam aliàs,cum tam notabili differentia, etiam conduceret, vt maiores viderentur aliæ Stellæ,quod est contra experientiam.

*Deinde*,vt opponit *Doctor*, sequeretur quod non videretur in diuersis climatibus, quia eadem exhalatio non reperitur in diuersis clymatibus.

*Sed contra hanc rationem* opponi potest, quod quemadmodum eadem materia, ex qua generatur Cometa sub cælo, secundum communem sententiam, potest videri in diuersis clymatibus;similiter eadem exhalatio posset reperiri in tali loco, vt posset deseruire ad hoc,vt Stella illa posset videri in diuersis clymatibus.

*Impugnantur autem omnes hæ quinque sententiæ*, & quotquot aliæ excogitari possunt tenentes Cometas esse in Cælo per fundamenta inferius ponenda sententiæ communioris.

7. *Sexta sententia est*, quod Stella Cometa non sit aliud, quam vapor quidam aqueus eleuatus ad superiorem aëris regionem, lucescens ex refractione radiorum solarium super eum inspissatum, sed non simpliciter densum.

*Contra hanc opponit Doctor*, quod Cometa quandoque apparet in vmbra terræ, quod esset falsum, si causaretur ex refractione luminis solaris. *Deinde* quandoquidem radij refracti in vapore refranguntur in oppositum Solis ad angulos æquales angulis incidentium radiorum, sequeretur quod cauda Cometæ semper appareret ad oppositum Solis. *Addi potest* non apparere quomodo possit in vlla radiorum refractione substantia vlla reddi tam lucida quam apparet cometa, inter quem & alias stellas, quoad sensum nostrum non versatur vlla differentia quantum ad lucem.

Eandem habet cum hac sexta sententia,& verisimilitudinem, & difficultatem, *Septima opinio*, tenens cometam esse partem quandam aëris, vel ignis in superiori loco,certa syderum vi ea opacitate, & lumine affectam, vt appareat esse stellam;aut esse terrestrem halitum cælesti lumine sic illustratum,provt tenet *Scaliger,Guiducius,Galilæus*.

*Auersa* post *Cardanum, Camillum, Glorioſum,& alios recentiores*,putat saltem caudam cometæ non esse substantiam aliquam accensam, provt est corpus ipsius,sed potius substantiam illustratam lumine Solis penetrante, ac pertranseunte corpus cometæ, quod non est opacum penitus.

*Hic etiam modus dicendi* patitur easdem difficultates cum vtraque præcedenti sententia,& innititur obseruationibus, & in se incertis, & quæ si veræ essent, adhuc non conuincerent intentum,vt patebit ex solutione obiectionum, quæ contra sententiam communem proponentur.

*Vltima denique sententia*,quam communius tenent Peripatetici cum *Philosopho* 1. *Meteor. cap.*7. & speciatim *Doctor ibidem quæst.*18.*& Conimbricen. tract.*3. *de Cometis cap.*3. est, quod Cometa sit exhalatio terrestris tenax, vnctuosa, eleuata ad locum, in quo apparet cometa, & inflammata per virtutem aut superioris partis aëris, aut ignis, aut alicuius planetæ, aut stellæ, siue constellationis cælestis. Propterea autem durat cometes tanto, vel tanto tempore, quia eodem tempore continue eleuatur materia sufficiens ad inflammationem, vel quia materia semel inflammata est talis naturæ, vt non possit consumi vsque ad tantum temporis.

*Hæc sententia probatur*, quia cometæ, si non omnes, certe plurimi, sedem habuerunt sub Cælo, vt obseruationibus mathematicis eadem certitudine collectum est, qua ex planetis hos esse superiores, illos inferiores. Sed hoc supposito non potest assignari qua meliori ratione generarentur,nec ex qua materia,aut quam substantiam potius haberent,quam discurratur hoc modo: ergo ita discurrendum est.

*Confirmatur* per impugnationes aliorum modorum dicẽdi,& præterea, quia aliqua materia noua debet tum adesse,quando fiunt cometæ, ex qua fierent:neque enim apparet quomodo ex materia aliqua antiqua semper in illis superioribus partibus reperta, absque interuentu nouæ materiæ possint per corpora cælestia tam incerto modo generari: sed alia melior assignari nequit quam præmissa:ergo.

9. *Quod si quæratur*, an cometa producatur in superiori parte aëris, aut in ipsamet sphæra ignis, supposito quod detur sphæra ignis supra aërem:*Scotus* quidem *supra num.*5. dicit eum generari in suprema aëris regione;

&

& fundamentum ipsius est duplex, *Primum fundamentum* est quod propter actiuitatem ignis facile consumeretur materia ex qua fit, & consequenter non posset diu durare. *Secundum*, quod, cum illa materia sit grauior quam ignis, qui est rarus, & subtilis valde, non posset sustentari ab igne.

*Verum, vt fatear veritatem*, hæc non conuincunt, nec credo à *Scoto*, nisi per modum coniecturarum adduci: *nam ad primum posset dici* quod ignis in illa sphæra propter raritatem, & subtilitatem sit parum actiuus; vnde sicut illa materia resistit partibus inflammatis suis propriis, ita posset resistere igni. *Ad secundum posset dici*, quod sustentetur illa materia à stella, vel constellatione, quæ ipsam attraheret virtute aliqua occulta. Itaque existimo incertum esse, in quonam ex his locis generetur cometes.

10. *Obiicies* contra resolutionem hanc communiorem pro *Auersa* & illis, qui existimant caudam cometæ non esse halitum, seu exhalationem accensam, quamuis corpus eius sit tale: Si cauda cometæ esset halitus accensus, esset rarior quam corpus eius, & propterea etiam appareret minus fulgens: sed si esset rarior esset leuior, & consequenter deberet esse altior quàm corpus eius, contra experientiam.

*Confirmatur*, quia figura ipsa pyramidalis caudæ satis indicat illam esse effluxum solarium radiorum: ergo.

*Confirmatur secundo*: quia cauda cometæ semper protenditur in aduersam Soli partem, & quò longius à Sole distat, eò breuiorem habet caudam: ergo.

*Respondetur primo*, negando maiorem, neque ideo appareret minus fulgens, quia minus rara, sed quia minoris quantitatis.

*Respondeo secundo*, distinguendo maiorem: esset magis rara raritate orta ex intermixtione corpusculorum, transeat maior; raritate natiua inferente leuitatem, nego maiorem. Et similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

*Respondeo tertio*, negando minorem, quia licet leuiora, dum sunt extra locum suum naturalem in loco inferiori ascendant supra minus leuia; tamen dum essent supra locum suum naturalem ex attractione causæ extrinsecæ, non deberent esse supra minus leuia: materia autem illa ex qua fit cometa, posset esse supra locum suum naturalem, eleuata virtute corporum cœlestium.

*Ad primam confirmationem* nego antecedens; posset enim esse talis figuræ ex eo, quod materia quæ accenderetur, esset tali modo particulari applicata.

*Ad secundam confirmationem* nego consequentiam, quia posset id contingere ex eo, quòd cauda cometæ in tali applicatione taliter posset à lumine Solis illuminari.

*Adde*, experientiam hanc non esse adeo vniuersaliter certam, præsertim si verum sit, quod ait *Scotus*, in vmbra terræ quandoque videri cometam cum sua cauda.

11. *Obiicies secundo*, pro iis, qui negant, aut corpus, aut caudam cometæ esse exhalationem, aut substantiam vllam accensam. Non apparet quomodo attrahi posset tanta exhalationum copia, tam continue quam necesse esset, vt duraret cometa tam diu, quam diu solet durare; nec verisimile est à corporibus cælestibus posse illam copiam attrahi tam irregulariter; ergo non est dicendum, quod cometa fiat ex huiusmodi exhalationibus.

*Confirmatur*: quia deberet ignis accensus ex illa exhalatione sursum moueri pyramidaliter, sicut apparet in aliis ignibus: quod patet esse contra experientiam.

*Respondetur*, quacumque ratione potest tanta copia dispositionis requisitæ ad hoc vt producatur ex quacumque materia, aut illuminetur alia substantia, tali modo particulari à Sole attrahi, aut produci tam irregulariter, idem posse dici de tanta copia exhalationum, quanta sufficit pro tanta permanentia cometæ; vnde negatur antecedens.

*Ad confirmationem respondetur* ex *Doctore num.6.* concedendo maiorem; sed id non est contra experientiam; quamuis enim non sit experientia particularis in cometa, quod sic ascendat, tamen non est experientia ostendens contrarium. Quod autem non videatur ascendere, oritur ex eo, quod interponatur corpus cometæ inter nos, & flammam ilam quæ ascendit.

*Responderi etiam posset aliter*, negando maiorem, quia flamma ignea apud nos ascendit ex eo, quod sit extra locum naturalem suum, vt tenet communis sententia; vbi autem generatur cometa, præsertim si generetur in sphæra ignis, non est extra locum naturalem suum, & propterea non debet moueri sursum.

*Responderi potest tertio*, negando generari flammam ex illa materia, sed potius ipsamet forma ignis producitur in partibus exterioribus istius materiæ, & in iisdem remanet, sicut producitur in carbone, aut in poris istius materiæ, sicut in poris ferri candentis; nam posset dici quod cometa sit substantia ignita, seu candens ad similitudinem ferri candentis, cum differentia sit solum ex parte substantiæ, quæ redditur ignita.

12. Hæc quantum ad cometarum illorum, qui sub cælis virtute causarum naturalium producuntur: de iis enim qui producuntur in Cælis, aut miraculose, dixi *in libris de Cœlo.*

*Nunc duæ restant difficultates*, de motu, & effectibus cometarum. *Quantum autem ad motum*, plures obseruantur in iis motus, circularis ab ortu ad occasum, & quidem aliquando celerior apparet motu diurno, aliquando tardior. Præterea quandoque ascendere apparet sursum, quandoque vergit à septentrione ad austrum, & quandoque è contra ab austro ad septentrionem. Ex his motibus diurnus ipsi competere dicitur ratione motus elementi, in quo producitur, vel aëris scilicet, vel ignis; tarditas autem, & velocitas competit vel ratione loci eleuationis aut depressionis, vel ratione influxus alicuius constellationis aut stellæ, cui etiam motus ille ab austro ad septentrionem, & à septentrione ad austrum adscribi debet. Motus denique sursum posset etiam satis commode in similem aliquem influxum refundi: nec videtur posse à propria natura cometæ aut substantiæ ex qua fit, procedere, quia vel cometa generatur in regione aëris, vel sphæra ignis. Si in regione aëris, & habet virtutem ascendendi supra ex se: ergo semper deberet ascendere, contra experientiam. Si in sphæra ignis: ergo cum non possit esse leuior igne, non deberet posse moueri se in illa sphæra. Vnde oritur motus cometæ.

13. *Quantum ad effectus cometæ*, seu potius significationes eius, varias refert *Scotus quæst.19. art.2. Primo* significat ventos. *Secundo* caliditatem, & siccitatem. *Tertio* terræ motum. *Quarto* sterilitatem fructuum. *Quinto* inundationes aquarum. *Sexto* mortalitatem magnam animalium. *Septimo* contentiones, rixas, bella. *Octauo* mortem Principum. *Nono* mutationes regionum. *Decimo* variationes legum, & sectarum. Effectus quos significet.

Hæc significari per cometam probat *Scotus* per obseruationes prædecessorum, qui in suis libris posteritati tradiderut se semper obseruasse accidisse hos effectus quoties apparebat cometa: & sane non potest aliunde probari. Sed dubiũ mihi est, an singuli cometæ habuerint semper annexos hos omnes effectus, & præsertim illum de morte Principum, translatione Regnorum, & variatione sectarum ac legum; & præsertim id valde incertum est de cometis, qui naturaliter causantur. Quam autem cõnexionem naturalẽ habeat cometa cum his effectibus, ratione cuius eos significaret per modum signi naturalis (neque enim aliter eos significat, cum non sit signum ex placito) non facile est assignare. *Scotus* quidem refundit totũ finaliter in hoc, quod cometa generetur ex magna copia exhalationum siccarum & calidarum, illæ autem non possent generari, nec eleuari, nisi tempore calido, & sicco extraordinarie, & ita vt ex iis magna pars conuertatur in ventos; vnde & sequũtur venti, & etiam terræ motus ex eruptione talium exhalationũ ex cauernis terræ, quibus includebantur, & sterilitates, ac mortalitates propter intemperiem extraordinariam aëris: quãtum ad siccitatem, & caliditatem, & inundationes aquarum propter motum insolitum ortum ex terræ motu;

&

& ratione siccitatis,& caliditatis augetur cholera, quæ causat rixas,& contentiones, & bella; ex his autem facile possunt oriri Principum mortes, mutationes Regnorum,Legum,& Sectarum.

*De Fulgure,Fulmine,& Tonitru.*

Quid fulgur. 14. *Fulgur* est *exhalatio sicca, & calida intra nubem accensa, & dispersa absque notabili impetu, parumque durans*: talis scilicet, qualem videmus, quando audimus tonitru: & quidem *Conimbricenses* videntur dicere, quod sit illa ipsa exhalatio accensa, quæ tunc apparet: *Scotus* vero innuere videtur quod non, sed similis,qualem scilicet videmus, quando non sentiuntur tonitrua. Sed quæstio est de nomine.

Quid fulmen. *Fulmen est exhalatio similis accensa, sed diutius durans, ac magno impetu deorsum vt plurimum impulsa*; quam quandoque concomitatur lapis intra nubes ac aera, vi cælesti potissimum formatus, qui tamen lapis non est fulmen, sed alius effectus ipsum quandoque concomitans. Nec mirum videri debet, quod tanto impetu exhalatio illa accensa feratur quando inuenit resistentiam nubis, substantiæ sibi contrariæ, quandoquidem simile apud nos habeamus experientiam de puluere tormentario intra bombardam, vel cartam, vel aliud corpus eruptioni resistens incenso. Solum apparet difficile,quomodo nubes possint tantopere resistere,cum non videantur esse tam difficulter permeabiles.

Diuersa genera fulminū. Fulminum differentias accidentales nonnullas adfert *Scotus* 3. *Metaphys. quæst. secunda, articulo tertio*, ex quibus tres placet adducere, conuenientes cum iis,quas adferunt *Conimbricenses* ex *Plinio*, *Seneca*, *Damasceno*. Itaque fulminum quoddam est *penetrans*, seu terebrans, quale est illud, quod cadens super lignum non combusit ipsum, sed per poros eius transit; & huiusmodi est valde subtile. Aliud est *dissipans*, quod scilicet absque combustione dissipat, & frangit corpora dura resistentia, in quæ impellitur,& est valde conglobatum ac viscosum. Tertium est *adurens*, quod scilicet comburit corpora, quæ ferit, & est exhalatio magis iguea quam flammea.

15. *Doctor* enumerat septemdecim fulminis effectus, ex quibus aliquos proponam, cæteros apud ipsummet videndos relinquens.

Effectus fulminū. *Primus* est liquefacere gladium intra vaginam,ac pecunias intra perā, & inciuerare ossa animalis intra carnem, intactis vagina, pera, carne. Hunc effectum causat *fulmen penetratiuum*, quod ob suam subtilitatem pertranſit poros donec inuenit resistentiam in aliquo corpore,in quo iuxta naturam corporis, ac suam virtutem operetur:non inuenit autem resistentiam in prædictis casibus, donec peruenit ad pecunias, gladium, & ossa. Sed admodum difficile est, quod tam vehementer calidum sit, vt tam cito possit liquefacere gladium, ac pecunias; nec tamen multum calefaciat corpora illa per quæ transit.Ex hac ipsa causa accidere dicitur,quod fulmen comburat quandoque carnes hominis intactis vestibus.

*Secundus* est, deiicere ac frangere corpora dura resistentia,quod fit quandoque propter concomitantem lapidem, quandoque vi ipsiusmet fulminis viscosi,ac conglobati.

*Tertius* est odor sulphureus, & fœtidus,qui oritur ex materia,ex qua fit fulmen;propterea attribuitur ipsimet fulmini. Ex qua eadem causa oritur

*Quartus* effectus,qui est, quod animalia, & plantæ à fulmine percussa,non nisi cum periculo comedantur,ob quem effectum fulmina dicuntur venenosa.

*Quintus* effectus est,quod dolio vini combusto vi fulminis,ac dissipato, vinum remaneat quasi congelatum, & eodem modo, ac si intra vas contineretur. Hoc autem contingere ait *Doctor* ex eo, quod tota viscositas vini trahatur vi fulminis ad superficiem, contineatque intra se vinum, quod & facere possit vsque ad tres dies. Cuius veritas ab experientia dependet, sicut & an qui biberent illud vinum,statim morerentur.

16. *Sextus* effectus est,à venenosis,quæ percutit,remouere venenum,& efficere venenosa, quæ non erant talia antecedenter. Ad quam experientiam valde difficilé persuadendam, cum non reperiret rationem à priori, *Doctor* vsus est similitudine aeris sufflati, qui candelam extinctam accendit,& accensam extinguit. Posset etiam esse, quod venenosa sint capacia aliarum qualitatum oppositarum qualitatibus venenosis, quæ causari possunt à fulmine, & causantur etiam potius quam venenosæ, quæ antecedenter sunt productæ in tali corpore; non venenosa autem sunt capacia qualitatum venenosarum, quas propterea cum non reperiat ante productas, fulmen producit in illis.

*Septimus*, quod homo ex quacumque minima parte percussus à fulmine, quandoque moriatur, & quod ex cæteris animalibus nullum euadit mortem, solo homine excepto,qui nonnumquam percussus, adhuc manet incolumis. Causa primæ partis est,quod fulmen causat qualitatem venenosam, quæ serpit statim ad alias partes,sicut contingit in morsu rabidi canis. Causam secūdæ partis assignat *Scotus* reuerentiam,quam homini potius, quàm aliis animalibus exhibet natura; quæ potius moralis causa est quam physica: physica autem posset esse, quod homo habeat circa se aliqua præseruatiua, aut dispositionem aliquam resistentem veneno,& impedientem progressum eius.

*Octauus* est, quod dormiens, si percutiatur fulmine, reperiatur mortuus oculis apertis,vigil clausis. Causam assignat *Scotus*, quod dormiens sentiens fulmen statim aperiat oculos,quos contra vigil claudit.

*Nonus*,quod corpora hominum percussorum fulmine generent paulò post vermes, cum tamen si pereant veneno,id non contingat; cuius rei admirationem auget, quod fulmina ipsa sint venenosa.

*Sed responderi potest*, venenum fulminis diuersæ esse rationis ab aliis venenis,atque adeo non impedire illam vermium generationem,sicut illa impediunt.

Tonitru quid & vnde. 17. *Tonitru est sonus ille, quem audimus in aere quando generantur fulmina*; & oritur vel ex percussione exhalationis accensæ ad latera nubis,in qua continetur, vel ex eruptione istius nubis facta per exhalationem, vel ex motu istiusmet exhalationis cum impetu per aerem.

Nec refert quod quandoque tonitru audiatur,quando non apparent fulmina. Quia hoc contingit,nō quod nō sint tum fulmina, sed quod erumpant per partem superiorem nubis, & propterea à nobis videri non possint, interposita scilicet parte inferiori.

*De cæteris impressionibus ignitis.*

18. *Flamma*, seu *fax est illa exhalatio longa, & lata, quæ tota simul accenditur, & maximum aliquando exhibet lumen.*

*Lancea,trabs*,*jaculum* idem significat, & est *exhalatio accensa,similitudinem harum rerum præ se ferens.*

*Ægis* seu *capreæ saltantes*, est *exhalatio accensa magis ad longitudinem quam ad latitudinem, habens quasi filæ quædam accensa ad latera inter se interrupta, sed connnata corpori*; huiusmodi autem exhalatio accensa vocatur *capreæ saltantes*, quia propter talem situm materiæ, & modum,quo accenditur,videtur saltare.

Sydera discurrentia. *Sydera discurrentia* contingunt,quando exhalatio aliqua,ad longum porrecta accenditur in duabus partibus remotis simul,& cōtinuatur accensio successiue ab vtraque parte,per partes intermedias, donec accenditur tota;tum enim apparet, quod vtraque prima pars accensa sibi inuicem obuiam factura discurrat.

Sydus volans. *Sydus volans* est exhalatio accensa,quæ in loco in quo accenditur,vel in latus,vel in altum,siue natiua virtute, siue aliunde impulsa ascendit.

Stella cadens. *Stella cadens* est *exhalatio accensa, à loco, in quo producitur deorsum, ob resistentiam alterius corporis, deiecta.*

Ignis perpendicularis. *Ignis perpendicularis*, est *exhalatio sic accensa, vt perpendiculi, seu columnæ pyramidalis præ se figuram ferat.*

Ignis fatuus. *Ignis fatuus* est *exhalatio viscosa, ac bene conglutinata in inferiori parte aeris accensa, siue per antiperistasin ob*

*obsessum*

*obsessum corporum frigidorum circumstantium: siue ex eo, quod partes exhalationis collidant se mutuo*, quæ exhalatio, sic accensa facile agitatur huc illuc ad aeris motum: vnde fit vt modo sequatur nos, modo antecedat, modo alio discurrat.

Ignis lambens. *Ignis lambens* est *exhalatio rara, & subtilis, quæ hominum, aliorumque animalium capillis adhærescere solet in flammam conuersa.*

*Draco volans* est *exhalatio accensa, in sublime sendent, sed inde deorsum quoad partem sic detrusa, ac figurata, vt aliquam speciem Draconis exhibeat.*

Castor, Pollux, Helena. *Castor, Pollux, Helena* sunt *exhalationes viscosæ, & pingues accensæ, quæ solent apparere nauigantibus tempestate agitatis, & antennis aliisque nauium partibus quandoque adhærere.* Quod si ex illis duæ apparent, vocantur *Castor, & Pollux*, & habentur pro signis fastis: sin vna tantum, dicitur *Helena*, & infelix signum existimatur. Id vero mirum si vnquam plures quam duæ conspiciuntur: quod vero adhæreant partibus nauigij oritur ex viscositate materiæ, ex qua fiunt, & ex fortuito occursu illius partis.

Ex his apparet, omnes impressiones ignitas esse eiusdem speciei, quantum est ex parte formæ ignis, & flammæ quam dicunt, licet differant accidentaliter ex ratione siue loci, siue figuræ, siue subtilitatis maioris, aut minoris, &c. ex parte vero materiæ ex qua fiunt posse esse in ea differentiam specificam, quamuis omnis materia earum sit ficca, & calida.

## QVÆSTIO II.

### *De spectris, aliisque imaginibus non ignitis, apparentibus in locis superioribus.*

IN hac quæstione agemus de *Circulo lacteo, Voragine, Hiatu, Arca, siue corona, Virgis, Parelijs, Iride.*

#### *De Circulo lacteo.*

19 Satis notus est ad sensum circulus ille, qui *lacteus* appellatur, propter similitudinem, quam in candore habet cum lacte, quemque *Scotus* 1. *Meteororum q.* 20. vocat *Galaxiam*; quia Græcè sic dicitur. De quo circulo quinque opiniones proponit Doctor.

Vnde fiat circulus lacteus. *Prima* est, quod oriatur ille circulus ex eo, quod Sol, & alia Astra calefacientia discurrant sub illa parte cœli, quæ vocatur circulus lacteus, eamque comburant, & quod hinc oriatur ille candor; adusta enim apud nos candidiora fiunt; vt patet in ossibus in ignem proiectis.

*Hæc opinio refellitur*, tum quia asserit cœlum naturaliter combustibile; tum quia combustio illa non posset fieri semper in iisdem determinatis partibus cœli, & etiam quia deberet esse in aliis, contra experientiam.

*Secunda opinio* est, quod illa pars cœli præbeat illum colorem ob reflexionem radiorum Solis.

*Sed contra*, quia non appareret sic semper in eadem parte, & eodem modo, deberent etiam aliæ partes cœli ob similem reflexionem, talem speciem externam habere.

*Tertia* est, quod appareat circulus ille lacteus, quia ex se illa pars cœli est lucida, sed non potest transfundere ad nos lumen, nisi interponatur terra inter illam partē, & Solem; quoties autem apparet ille circulus, fit ista interpositio.

*Contra*, quia non potest interponi terra inter illam partem, & Solem, quin interponatur etiam inter alias partes: ergo aliæ partes cœli deberent sic apparere.

*Deinde* vmbra terræ non pertingit ad firmamentum, seu cœlum stellatum: ergo non potest impedire quo minus Sol illuminet istud cœlum cum suis astris, & consequenter non deberet apparere vnquam ille circulus, si nunquam apparere posset, nisi interposita terra.

20. *Quarta opinio* est ipsius Philosophi qui putat circulum illum non esse partem cœli, sed exhalationes attractas ab his inferioribus, quæ apparent istius candoris, vel ob inflammationem, vel propter refractionem luminis procedentis à stellis.

*Hanc Scotus, & cæteri Philosophi communiter reiicium*, quia exhalationes illæ tam continue, ac regulato modo non possunt in eadem quantitate, & qualitate, quæ sufficiat ad tam vniformem apparentiam, attrahi. Nec sane indiget hæc sententia maiori impugnatione. *Et si opponatur* Philosophi authoritas, *Scotus*, vt & alij Peripatetici dicunt textum eius esse corruptum, & ipsummet ita non sensisse.

*Alij* vero non curant expresse fateri quod in hoc defecerit, humanum scilicet quid passus.

Sic *Conimbricenses*, *Auersa*, & nonnulli alii, quibus ego libenter assentior; sed animaduersum optarem, si in re tam facili lapsus sit, mirum videri, cur tam tenaciter adhæreatur eius authoritati in rebus difficillimis, vt per fas ac nefas verum esse, quod dixerit, existimari debeat.

*Ioannes à Sancto Thoma* dicit *Galaxiam* esse quidem partem firmamenti, sed rationem, cur appareat lactei coloris, oriri ex exhalationibus aeris suppositā densitate, & multitudine stellarum, quæ in illa parte sunt; & iuxta hoc explicat Aristotelem.

*At incidit in easdem difficultates*: quod enim tales exhalationes essent tam continuæ, & vniformiter in aere, ratione cuius eodem modo semper videretur Galaxia, improbabile est; *& deinde* certum est Philosophum velle quod id, quod talis coloris videtur, non reperiatur in cœlo, sed sub ipso.

*Communis sententia est*, quod illa pars cœli appareat istius candoris ex eo, quod sit aliquantulum densior cæteris partibus, & plurimis minutissimis stellis referta, quæ licet non videntur communiter, videri tamen possint beneficio tubæ opticæ.

#### *De Iride, seu arcu cœlesti.*

Quid Iris 21. Notissimus est semicirculus ille hoc nomine appellatus, qui tam frequenter in aëre apparet variis coloribus tam pulchro ordine illustratus, vt non immerito à *Platone* ex ingeniosis Poëtarum fictionibus *Thaumantis*, id est, *admirationis filia* sit nuncupata, quòd scilicet non mediocri soleat admiratione intuentium animos afficere.

Quomodo causatur. Hic autem arcus, seu semicirculus, secundum omnes causatur ex reflexione radiorum Solis incidentium, vel in nubem roridam proxime conuertibilem in aquam, quæ qua nos respicit sit pellucida, vt lumen intra se recipiat; & ex altera parte aliquantulum opaca, vt possit melius repercutere lumen, vt communius dicitur; vel in guttas aquæ pluuiales minutim, & non copiosè cadentes, quæ propter frequentiam apparent continuæ, vt vult *Auersa*, & fauet *Scotus* hic expresse asserens, lumen Solis, dum fit Iris, cadere ad nubem super aliquam guttam. Ex huiusmodi enim reflexione luminis à tali nube seu guttis, iuxta dispositionem subiecti, à qua fit, apparere possunt diuersi colores, quos Iris exhibet, vt facile colligere licet aliis experientiis: nam si quis à Sole auersus aquam ex ore spargat in aerem, in minutissimas guttas, videbit similes colores, quales etiam videre poterit in aqua minutim cadente ex fontibus quibusdam artificialibus, Solem inter, & aquam collocatis. Quæ experientiæ certum reddunt posse lumen per similia aquea corpora transiens præ se ferre tales colores, qui propterea censendi sunt potius apparentes, quam reales: & ex huiusmodi coloribus in arcum reductis confici censenda est Iris solaris, de qua potissimum agimus; nam Iris lunaris, quæ fit quandoque ex reflexione luminis Lunæ, non nisi vno, eoque albicante confici dicitur colore.

Duæ possunt apparere Irides. 22. *Porro Iris*, quandoquidem fiat ex reflexione luminis à Sole exeuntis, non fit, nisi in parte oppositā Solis, nec videri potest, nisi ab iis, qui inter Solem, & partem illam, à qua fit reflexio, reperiuntur. Vnde sequuntur duo notatu digna. Primum, quod quando Sol est in medio cœli, si reperiatur nubes apta ad huiusmodi reflexionem, tam ex parte Orientis quam Occidentis, duas posse apparere Irides, ad Orientem vnam, alteram ad Occidentem, quæ & quandoque ab eodem

videri

Nulla à nobis cōspici potest ad meridiē.

videri solent. Alterum, ad meridiem nunquam respici posse à nobis Iridem in hac plaga mundi existentibus, quia nunquam possumus constitui inter Solem & illam partem.

Vna Iris causat quandoque aliā & hæc alteram.

Accidit etiam quandoque, vt per reflexionem vnius Iridis alia formetur, coloribus tamen inuersis; & ex huius reflexione tertia, quæ tamen tam debilium colorum sit, vt vix possit quartam efficere. Ex quo sequitur posse simul sex Irides in aere reperiri, nam duæ possunt à Sole quasi directe formari, vt dictum est, & ex qualibet ex his possunt duæ aliæ per reflexionem formari: neque enim maior ratio est, cur vna potius quam altera id præstare possit; quod si septima quandoque conspecta sit, vt scribit *Cornelius Gemma* contigisse 1551. pari ratione octaua conspici posset, si tamen septima naturaliter formata fuerit.

Hæc quoad substantiam Iridis; quoad effectus eius varij numerantur.

Effectus Iridis.

23. *Primus* est conducere vt apes mel conficiant, & relinquere post se suauem odorem, quod tamen conuenit ipsi magis verisimiliter ratione nubis, aut pluuiæ, in qua colores illi apparentes conspiciuntur, quam eorumdem colorum, qui nihil aliud sunt quam lumen Solis directum, & reflexum tali particulari modo.

*Secundus* est, significare pluuiam, & serenitatem; quæ cum sint effectus oppositi, non possunt significari per omnem Iridem, sed aliqua Iris serenitatem, alia pluuiam præsagire censenda est. Communiter autem quæ pluuiam sequitur, serenum tempus denotat, quæ antecedit, pluuiam; cuius ratio hæc esse potest, quod quādoquidē formetur in nube rorida dispositā ad pluuiam, aut in guttis tenuibus, & minutim cadentibus, quando antecedit pluuiam, denotat iam disponi nubes ad pluuiam, & consequenter hanc secuturam. Quando vero succedit pluuiæ, denotat materiam pluuiosam diminui, & ad finem pertingere eius consumptionem.

Alij dicunt matutinam Iridem, quæ ad Occidentem conspicitur, & propterea occidentalis vocatur, prænunciare pluuiam; vespertinam vero, quæ orientalis est, serenitatem. Cuius etiam ratio naturalis reddi potest hæc: quod matutino tempore significet nubes esse paratas ad resolutionem in aquam, quæ propterea ascendente iam Sole facile fieri potest: vespertino vero tempore, quamuis eodem modo significet nubes dispositas, tamen recedente Sole, & succedentibus aliis stellis diuersorum influxuum, facile impediri posset resolutio per Solem alias facienda. Quænam autem reuera significet alterum ex his effectibus, & an id faciat infallibiliter, vel vt in plurimum, per experientiam facilius addisci potest.

Quomodo significat non futurum diluuium.

24. *Tertius effectus*, isque longe difficilior, quem Sacra Scriptura *Genesis* 9. Iridi attribuit, est significare non secuturum postea diluuium vniuersale, quale erat Noëticum, vt ita dicam, ad quod significandum eodem loco dicitur Iris in aere à Deo collocata esse: vnde, & non defuere, qui ante diluuium Iridē in Cælo nunquam apparuisse putauerunt. Verum vt ab hoc vltimo incipiā, quādoquidem Iris causetur naturaliter, & non nisi miraculose formatio eius impediri possit, dicendum potius est cum Doctoribus communiter, apparuisse etiam ante diluuium suo tempore, & appariturum postea fuisse, quāuis nunquam diluuium illud adfuisset; præsertim cùm nulla ratio, aut authoritas suadeat oppositum. Ille enim locus Scripturæ nullo modo id suadet.

Quamuis enim Deus de nouo poneret Iridem in cælo ad denotandum non secuturum diluuium, tamen inde non sequeretur quod naturaliter non formaretur in cælo antea sæpe.

Deinde non dicitur Deum positurum de nouo iridem in cælo, quasi naturaliter ibi non esset & ante posita, & postea ponenda: sed positurum illam in tale signum, qualiter poni naturaliter non posset nec ante nec postea.

Restat ergo videre, qua ratione possit Iris significare non futurum diluuium.

*Respondeo* cum communi sententia non posse iridem id significare naturaliter, quia diluuium tale non fit naturaliter, nihil autem naturale potest naturaliter significare aliquid supernaturale non futurum, vt est euidens.

*Dices* cum *Caietano*, *Burgensi*, & *Abulensi*, iridem significare non futuram proxime magnam aquarum inundationem: ergo significat naturaliter non futurum diluuium.

*Respondeo primo*, negando consequentiam, quia diluuium, de quo loquimur, non fieret naturaliter; vnde quāuis iris significaret naturaliter, non futurum diluuium ab agentibus naturalibus, non posset significare, quod non fieret supernaturaliter.

*Respondeo secundo*, negando consequentiam, quia quamuis significaret immediate post non futuram magnam inundationem, tamen non posset significare, quin aliquando postea esset futura.

*Respondeo tertio*, negando antecedens, quia quamuis iris ipsis non formaretur in nubibus valde copiosis, ac nimium, vt ita dicam, grauibus, tamen possent succedere immediate post nubes, in quibus appareret iris, aliæ nubes copiosæ, ac grauidæ; quæ non sufficerent ad iridem.

*Respondeo quarto*: quamuis iris à parte rei haberet cōnexionem talem cum pluuiis minoribus, quæ ad diluuiū non sufficeret, nō tamen suffecturam esse pro signo hominibus nō sequuturi diluuij ex natura sua; tū quia diluuium, vt dixi, posset succedere supernaturaliter; tū etiam quia non esset tam facile hominibus cognoscere quod haberent talem connexionem; tum quia quando incipiunt pluuiæ absque iride, vt sæpe contingit, possent dubitare tum de secuturo diluuio.

Itaque Iris non habet hanc significationem, nisi ex diuino beneplacito, eo fere modo, quo Sacramenta habent significare gratiam, quam conferunt, & quo hedera ad significandum vinum.

*De cæteris figuris, quæ in aere apparent.*

26. Videtur quandoque in aere serena nocte hiatus quidam, inde ortus, quod plures vapores congreganter, in medio obscuri, reliqua parte in circuitum lucidi, ac clari; qui si magni sunt, *Voragines*, quod voraginum præ se ferant speciem; si minores, *hiatus* similem ob causam dicuntur. Hiatus voragines.

*Præterea* apparere solent similes colores, quales habet Iris; & similiter causari ex reflexione solaris luminis, sed in directum protensi per lineam rectam, non curuam, vt Iris. Qui colores, seu nubes iis illustratæ vocantur *Virgæ*, & si plures sint simul congregatæ, vt assolet, *Virgæ* dicuntur. Virgæ.

*Vlterius* conspicitur interdum circa Solem & alia etiā astra, at frequentius circa Lunam lucida quædam *Corona*, quam Græci ἅλον dicunt, quæ fit ex eo, quod radius astri exceptus in nubem, in medio ob nimiam densitatē apparere non possit, & non tam desiliat in latera, vt *Conimbricenses* volunt, quam in ipsis lateribus primo recipiatur, sic vt valeat conspici. Parelia.

*Denique* ex illuminatione Solis circa nubem bene compactam ad latera Solis formari solet imago ipsiusmet Solis, vna quandoque, quandoque duæ, quandoque etiam tres, & nunquam, quod hactenus memoriæ proditum sit, plures: quæ imago *Parelia* appellatur.

*Alia spectra notabilissima* in aere apparuisse narrant variæ historiæ, & speciatim libri Machabæorum; quorum vt aliqua potuerunt naturaliter effingi ad dispositionem nubium, ac spirationum, credibile est alia supernaturali potentia Dei in hominum instructionem effecta fuisse.

## QVÆSTIO III.

*De aliis Meteoris, quæ circa aerem contingunt.*

27. IN hac quæstione agam de Ventis, Nubibus, Pluuia, Nebula, Caligine, Niue, Grandine, Glacie, Rore, Pruina, Melle, Manna, Saccharo.

*De Ventis.*

*Ventorum* natura, & origo tam remota est ab humana cognitione, vt non immerito à *Conimbricensibus* dicatur hoc vnum esse ex iis, quæ in naturæ contemplatione maxima ex parte latent, idque significari in Scriptura, *psal.* 134. dum dicitur: *Qui producit ventos de thesauris suis.* Id est (inquiunt hi authores) de occultis naturæ causis. Vnde & *Augustin.* ibidem. *Quia flat ventus, sentis; qua causa flat; vel de quo thesauro rationis eductus sit; nescis.*

quomodo generatur Ventus.

Antiquorum Philosophorum sententia erat, Ventum nihil aliud esse, quàm aerem commotum; quos sequitur *Isidor. l.* 13. *Etimolog. Damascenus* 2. *fid.* & ex recentioribus *Cardanus*, & *Aresius.* Non conueniunt autem authores huius sententiæ in assignanda causa effectiua istius commotionis; *quidam enim* existimãt aerem moueri propria sua virtute. *Alij* ab extrinseco, scilicet vel à sole rarefaciente, vt *Seneca*, vel per raptum Cæli, vt *Cardanus*; vel ab astris aliquibus particularibus, vt *alij*: vel ab intelligentiis, vt *nonnulli*, teste *Scoto l.* 2. *q.* 4. *a.* 3.

*Hanc sententiam*, quatenus dicit Ventum ipsum esse commotum aerem, impugnant Peripatetici communiter: quia sæpe commouetur nullo flante vento, vt cum cymbala pulsantur ac campanæ, & tormenta bellica exploduntur: ergo non consistit ventus in aere commoto.

An ventus sit aer commotus.

28. *Quod si quis obiiciat*, aerem flabello motum esse ventum, *Respondent Conimbricenses*, illum aerem sic motum non esse proprie ventum, licet more ventorum perflet, ac refrigeret; quia ventus, inquiunt, secundum propriam suam rationem est agitata exspiratio.

*Sed certe*, neque hæc impugnatio prædictæ sententiæ, nec responsio ad hanc obiectionem placet. Non quidem impugnatio, quia Philosophi qui prædictam sententiam tenent, non tam intellexerunt de quacumque commotione aeris, ita vt aer quomodocumque commotus esset ventus; sed de aere sic commoto, vt reddat illos effectus, quos experimur dum flat ventus: sicut ipsimet Peripatetici, quorum est hæc impugnatio, statuentes ventum in spiratione, seu halitu terrestri agitato aut moto, non id intelligunt de quacumque agitatione, sed de agitatione aliqua particulari: ita etiam prædicti authores possunt intelligere per commotum aerem, non aerem quomodocumque commotum, sed aerem commotum particulari aliqua ratione.

*Non placet etiam responsio* supra dicta *Conimbricensium*; tum quia manifeste petunt principium, dum dicunt vẽtum ex propria notione esse expirationem agitatam: tũ quia, cum aer commotus refrigeret & perflet iustar venti, gratis omnino negatur esse ventus etiam secundum propriam ventilationem, præsertim cum quoad sensum nulla appareat differentia, nec ratio habeatur in contrarium.

*Itaque existimo* hanc sententiam esse probabilissimam, non solum, quia eam tenent Sancti Patres citati, & quia nõ potest afferri vlla efficax ratio in contrariũ: sed quia experientia illa de aere flabello agitato conuincit ventũ causari posse per talem aeris commotionem, quamuis nihil aliud fieret, in quo consisteret ventus; & quemadmodum ex tam leui motione tam exigui aeris potest sentiri tam notabilis ventus, facile erit capere quomodo ex maiori motione totius aeris, aut magnæ partis eius excitati possit ventus tam magnus, quàm vnquam experti sumus.

A quo mouetur aer.

29. *Circa autem causam effectiuam istius motionis*, non est probabile eum à seipso sic moueri, quia alias deberet semper moueri & vniformiter, & quia nulla corpora inanimata habent virtutem mouendi se alio motu, quã sursum aut deorsum. Nec etiam moueri potest sic per raptum cæli; tum qui alias semper moueri deberet, cum semper rapiatur cælum; tum quia non deberet moueri contra raptum cæli, vt sæpe mouetur; tum denique, quia non posset moueri motibus tam diuersis ac contrariis sine vllo ordine.

*Probabilius longe est*, quod dicit *Seneca*, moueri ab Astris. Sed certe, nec etiam hoc sufficit, nisi assignetur vlterius aliqua particularis dispositio, ratione cuius tũ, quando mouetur, possit moueri potius quam ante, & præsertim cum moueatur tam contrariis motibus.

*Recursus ille ad Angelos*, seu Intelligentias difficilius impugnari potest, quemadmodum enim illis tribuitur motus Cælorum, ita posset etiam ipsis tribui motus ille aeris, qui requiritur ad ventum.

Nec arridet vlla ratione impugnatio, quæ habetur in *Scoto* supra diuerso charactere, & quæ notatur in margine esse additio; nempe quod ille motus deberet esse, vel à bonis, vel à malis intelligentiis; non à malis, quia venti conducunt semper ad bonum aliquod, mali autem spiritus non operantur bonum directe: non à bonis, quia hi non debent premi tanto labore, nec tot mala facere quot fiunt per ventos.

*Hæc inquam, impugnatio non arridet*: tum quia si prouenirent à malis spiritibus, bona illa, quæ sequuntur, non sequerentur ex ipsorum intentione, sed ex eo, quod deberent obedire nutui Creatoris, qui eos ad illum motum causandum, vel inuitos cogere posset: & si prouenirent à bonis, non deberet ipsis esse laboriosum magis quam motus Cælorum continuus: & præterea mala, quæ sequuntur ad ventos, licet mala essent respectiue ad aliqua particularia indiuidua, possent tamen esse bona respectiue ad vniuersum, & propterea simpliciter bona.

Deinde possent esse bona quatenus conducerent ad fines à Deo intentos, siue corrigendi malos, siue exercẽdi, & admonendi bonos; vnde non esset, quantum ad hãc impugnationem, inconueniens, quod aer sic commoueretur siue à bonis, siue à malis Angelis.

30. *Melius impugnatur hic recursus*, quia posset habere illa commotio aeris alias causas naturales; nunquam autem recurrendum est ad Deum aut Angelos, nisi deficientibus aliis causis naturalibus.

Nec refert, quod non possit à nobis assignari, quænam essent illæ causæ: quamuis enim assignari non possent, non propterea sequeretur, quod non darentur: Ad recurrendum autem ad Deum, aut Angelos, oporteret probare, quod non possent dari aliæ causæ; hoc vero nõ ostenditur sufficienter, per hoc, quod non possent assignari.

An Ventus sit halitus calidus, & siccus.

*Communior sententia Peripateticorum* est, quod ventus sit spiratio, seu halitus calidus & siccus, cui tamen quãdoque admisceri vapores quosdam humidos probabile censent *Conimbricenses.*

*Probari solet hæc sententia* variis experientiis.

*Primò*, quia quando vigent exhalationes, vt Vere, & Autumno, crebriores sunt venti. *Secundò*, quia matutino tempore sæpe excitantur venti, quod tum multa exhalatio ascendat è terra. *Tertiò*, quia liquefacta niue oritur ventus, dato exeundi loco spirationi siccæ, quæ niui permixta erat. *Quartò*, quia ideo igneus color in aere ventos denunciat, quia ille color apparet in exhalationibus aptis ad generationem venti: *Quintò*, quia venti exsiccant, ex eo scilicet quod calida, & sicca materia constant.

31. Quod autem quandoque admisceantur vapores, probant *Conimbricenses*, qui etiam prædictas rationes adducunt, quia venti quandoque humectant, & quia ex iisdem locis ex quibus oriuntur venti, oriuntur etiam vapores.

*Sed certe hæ rationes* parui sunt momenti ad stabiliendam hanc sententiam. Quia licet ex prioribus rationibus habeatur quod exhalationes illæ siccæ, & calidæ conducant ad ciendos ventos; non tamen probant quod ventus constet ex ipsis commotis, nam illæ exhalationes possent conducere ad ventos, quatenus conducerẽt ad commouendum aerem. Posteriores vero rationes licet probent aeri, aut exhalationibus commotis permisceri vapores, non tamen probant ipsum ventum consistere in ipsis commotis etiam partialiter.

Aliunde tamẽ posset probari quod ventus posset cõsistere in huiusmodi exhalationibus, quia non videtur ratio maior, cur ventus posset cõsistere in aere commoto

&

& non posset etiam consistere in exhalationibus huiusmodi commotis, tam quando admiscerentur vapores, quàm quando non admiscerentur.

A quo moueretur exhalatio, quæ est ventus.

32. Porro authores huius sententiæ, supposito quod esset vera, adhuc laborant in assignanda causa à qua moueantur illæ exhalationes.

*Theophrastus dicit* exhalationes in obliquum moueri, ex eo, quod partibus leuibus ac grauibus constent, hinc enim fit, vt cum à partibus leuibus surſum, à grauibus deorsum impellantur, necessario in obliquum tendant.

*Verum hæc ratio nullo modo sufficit*: tum quia ex illa, vt ita dicam, lucta partium grauium, & leuium, quamuis posset oriri motus ille obliquus, tamen quod motus obliquus tanti impetus, quantum habet ventus, ab illis oriretur, incredibile est. Deinde quamuis constent huiusmodi partibus, tamen vel sunt æqualis ponderis ita, vt non sit plus grauitatis, quam leuitatis, & tum non debent moueri vlla ratione, sed sistere in eo loco, vbi generantur; vel si plus sit grauitatis, debent descendere, & ascendere, si plus leuitatis: ergo motus ille obliquus non debet ab ipsis prouenire ex illis diuersis partibus. Quod manifeste probatur experientia aliorum corporum mixtorum, quæ partim sicca, partim humida sunt, & consequenter partim leuia ac grauia, secundum principia huius Philosophi, & tamen non mouentur oblique, vt patet in ligno, & lapide, & plumis.

*Communior sententia est*, quod exhalationes illæ moueantur motu illo, à quo habent constitui in esse venti, ex eo quod ex leuitate sua ascendant surſum vsque ad mediam aëris regionem, quæ quia frigidissima est, eas propellit magna vi deorsum: inde enim fit, vt, cum tali motui resistant, in partem aliquam obliquam, provt via datur illis facilior, nunc hac nunc illac, iuxta impulsum receptum flectantur.

At sane mihi semper incredibile videbatur, exhalationes quascumque posse tanto impetu derrudi à parte illa frigida aëris. Itaque satius est dicere quod exhalationes illæ in obliquum moueantur ex eo, vel quod ad obliquum tantum detur ipsis exeundi aditus ex illo loco, ex quo primum eunt; vel ex eo quod sic attrahantur per influxum occultum stellarum, vel ex vtroque capite. Sed si dicatur ventus consistere in commoto aëre, illa commotio attribui potest motui, & impulsui, quem mediante suo motu aëri imprimit.

Quod si rarefactio fieret absque ingressu corpusculorum, posset etiam motus aëris, ac exhalationum attribui quandoque rarefactioni & condensationi, vt aduertit etiam *Auersa hic*: nam quando rarefieret subito magna pars aëris, deberet propellere ante se alium aërem, & hic alium, & ita causari posset ventus; & quando etiam condensaretur magna pars aëris, deberet statim succedere alius aër, & sic etiam posset causari ventus. Nec alia mihi probabilior via occurrit ostendendi quomodo causetur ventus, aut in quonam consistat natura eius.

Quantum autem ad diuisionem venti in triginta duos, quæ diuisio excogitata est pro commoditate nauigantium, non est res vllius difficultatis, nec in ea declaranda hic immorandum videbitur.

Id addendum, ventos habere alias & alias qualitates; vel ex natura halituum & vaporum aëri commoto intermixtorum, vel ex qualitatibus productis in ipso aëre pro diuersitate locorum, per quæ defertur.

Quid Ecnephias.

Addendum præterea aliquid de tribus speciebus ventorum, quæ vocantur *Ecnephias*, *Typhon*, *Præster*. *Ecnephias* est magnus ventus, qui impetu horrendo directe ab alto in terram descendit absque circulatione, quidquid ante se reperit prosternens: qui ventus fieri secundum *Scotum* consueuit ex eo, quod exhalatio multa terrestris infra nubem nimis frigidam inclusa, ac per antiperistasim fortificata exitum sibi faciat per nubem illam à parte inferiori cum illo impetu.

Quid Typhon.

*Typhon* est ventus descendens deorsum circulariter à nube, & iterum ascendens similiter, simili fere modo generatus ac præcedens ventus, à quo per motum illum circularem solum discernitur.

Quid Præster.

*Præster* denique est ventus deorsum descendens, siue circulariter, vt *Typhon*, siue recte, vt *Ecnephias*, & inferius incensus, ac propterea comburens; differt autem à fulmine tum quod non soleat comitari per tonitru; tum quia minus flammæ habet, & plus venti.

*De Pluuia.*

34. Non solum ex his corporibus inferioribus ad superiora tendunt exhalationes siccæ & calidæ, quæ sunt materia impressionum ignitarum & ventorum; sed etiam vapores quidam humidi, ex quibus aliqui possunt esse frigidi, aliqui calidi. Huiusmodi ergo vapores sublati in altum, vel ex leuitate sua, quæ maior est quam leuitas inferioris partis aeris, vel ex attractione facta per calorem, aut aliam influentiam occultam Solis, condensatur in *Nubem*, & postea resoluuntur in *Pluuiam*, seu aquam, quæ reducta ad statum naturalem suapte virtute descendit deorsum. Et si descendat crebrioribus & minutioribus guttis vocatur *Imber*, si grandioribus vero, *Nimbus*. Quæ etiam ipsa diuersi ras potest prouenire ex diuersa dispositione materiæ & varietate temporis quoad frigus & calorem. Non est autem dubium quin magnam partem habeant in generatione pluuiæ Astra cælestia ac Planetæ. Præter nubes autem, ex quibus generatur pluuia, datur alia substantia nubi simillima, quæ vocatur *Nebula*, ab illa differens, quod hæc prope terram reperiatur, vt pote grauior aere, illa vero feratur in altum.

Quomodo fit Pluuia.

Quid nubes.

Quid imber & nimbus.

Quid nebula.

Varia autem præsagia referuntur à *Conimbricensibus* pluuiæ & serenitatis, ac ventorum, quæ apud ipsos, cum examine non indigeant, nec vera esse, aut falsa comprobari possint, nisi experientia, & fide, legi poterunt.

*De Niue, & Grandine.*

Quomodo fiat nix.

35. *Nix*, vt & pluuia, vaporibus in altum elevaris, ac condensatis ad nubem fit, quæ nubes si congeletur prius quam in pluuiam resoluatur, conuertitur in niuem, & ita descendit ad nos, nisi aeris per quem transit, calore, aut aliunde, prius quam ad conspectum nostrum pertingat, liquefiat.

Est alba albedine vera.

*Est autem Nix alba* albedine vera, & non apparenti, vt tenent *Scotus*, *Conimbricenses*, *Auersa*, & alij, contra *Albertum*, & *Louanienses*.

*Probatur*, quia ad omnem aspectum Solis, & illuminationem semper apparet alba, non minus quam quæcumque alia, quæ vere alba sunt; & qua ratione negaretur vera albedo niui, negari posset quibuscumque aliis corporibus. Causatur autem ista albedo ex temperamento aliquo primarum qualitatum, sicut causari solet in cæteris rebus, in quibus reperitur. Neque hinc sequitur niuem, quoad substantiam esse distinctæ speciei à pluuia, quia non est necesse vt ex substantia sua petat albedinem: sed id aliunde prouenit ipsi.

An distinguatur specie à nube.

*Dices*: Nix essentialiter dicit illam substantiam cum illis accidentibus, & concretionis, & albedinis, pluuia non dicit illa accidentia: ergo nix essentialiter distinguitur à pluuia.

*Respondeo* distinguendo consequens: in quantum dicit illa accidentia, concedo; in quantum dicit aliquid substantiale, quod subest illis accidentibus, nego consequentiam.

Quomodo fit grando.

36. *Grando* à *Conimbricensibus*, & *Auersa* dicitur fieri ex pluuia, quæ dum cadit in terram, congelatur tali modo, quali cernitur grando. Sed sane, quamuis ita posset contingere, tamen nulla apparet ratio, cur non posset etiam grando immediate ex nube generari, antequam resoluatur in aquam. Aduertunt vero *Conimbricenses*, quod, quando decidit grando minuta, & rotunda, generatio eius fiat in altiori loco, quam quando decidit grauior, ac asperior, quia scilicet existimant per longitudinem itineris diminui grandinem.

*Mihi vero magis placet sententia Auersæ* putantis potius grandinem maiorem generari in loco superiori, quia ibi inuenitur aqua minus dispersa, & minuta, quæ propterea, in maiori quantitate congelari possit, quam in loco

inferiori, vbi minus est congregata in partes grandiores.

*De Rore, Pruina, Glacie.*

Quid ros. 37. *Ros* est aqua facta ex vapore valde subtili elevato supra terram, sed non ad magnam altitudinem, quæ insensibiliter cadit, & congregatur in guttulas super illas partes, super quas videtur. Non reperitur supra altos montes, quia vapor, ex quo fit, non ascendit tantùm, nec supra regulas aut cineres, nisi raro admodum, quia vt paulatim decidit, ob siccitatem illorum, ita paulatim desiccatur. Non cadit tempore ventoso, quia per ventum dispergitur; nec tempore hyemis valde frigido, quia vel prohibetur ascensus vaporis, vel ros, antequam descendat, congelatur; nec tempore valde calido, quia ante resolutionem, & etiam forte ante ascensum, consumitur vapor ob nimium calorem; nec denique tempore valde nebuloso, quia grossities nebularum impedit ascensum vaporis tam subtilis.

Quid pruina. *Pruina* non est aliud quam vapor ille subtilis, ex quo fieri deberet ros, concretus; ad eundem prorsus modum seruata proportione, quo nix est vapor ille, ex quo generari deberet pluuia, concretus per causas ad id virtutem habentes. Vnde patet Rorem, & Pruinam tam inter se, quam à pluuia, niue & grandine probabiliter non distingui specie, sicut dictum est de niue & pluuia, ob eandem etiam rationem.

Quomodo fit glacies. Quod *Glacies* sit aqua congelata certum est, sed quomodo congeletur, eadem obscuritate, quam cætera Meteora, inuoluitur. Aliqui putant eam congelari ex nimio frigore. Sed id non est verisimile, præsertim in sententia communiori, quæ attribuit aquæ ex naturali sua indigentia summum frigus: hoc enim supposito, si à frigore haberet congelari, status connaturalis eius exigeret congelationem, quod absurdum est. Itaque verisimilius est, frigus solum non sufficere ad congelationem; sed vlterius requiri admixtionem aliquorum halitum, aut vaporum, qui vna cum frigore, non vero seorsim congelare possint: ad quod etiam concurrunt sine dubio occultæ quædam astrorum influentiæ.

*De Melle, Manna, Saccharo.*

Quid Mel. 38. *Mel*, de quo *Plinius* dubitat sit-ne cæli sudor, an Astrorum saliua, vel purgantis se aëris succus, generari arbitrantur Philosophi ex partibus quibusdam terræ subtilibus simul cum vapore, ex quo ros concrescit sub-lucanis præsertim temporibus, elatis, cum eodemque commixtis; ex hac enim commixtione oritur succus ille dulcis & viscosus, qui Mel dicitur, quemque apes non tam generant, quàm ex floribus hinc inde collectum in aluearia deferunt.

Quid Saccharum. *Saccharum* quoque simili fere modo, quo Mel, cuius speciem ipsum vocat *Dioscorides*, ex rore cælesti, hoc est, ex aëre decidente, & partibus aliquibus subtilibus terræ commixtis inter se, ac concretis efformatur, concurrente tamen dispositione aliqua cannarum, in quibus excipitur, ac cælestium corporum influxu.

Quid Manna. *Manna* est liquor quidam candidus melleo sapore instar mellis ex vapore rorido, ac partibus terræ subtilioribus parum humidis confectus, ad varios medicinæ vsus deseruiens, ac etiamnum in Calabria, aliisque locis repertus. Dubitari autem solet, an sit diuersæ speciei hoc manna ab illo, quod populo Israëlitico ex Ægypto proficiscenti in deserto prouidit Deus. Negatiuam partem tenent *Conimbricenses*, quamuis fateantur miraculose fuisse productum illud Hebraïcum: affirmatiuam sustinet *Auersa*, in quam etiam ego magis propendeo, quia naturale Manna non videtur posse sufficere ad sustentationem tot hominum diuersarum complexionum tam longo tempore.

## QVÆSTIO IV.

*De Mari, Fontibus & Fluminibus.*

IN hac quæstione agimus de iis, quæ spectant ad elementum aquæ.

*De Mari.*

40. Duo hic examinanda sunt de Mari: primum, vnde accidat, quod salsum sit, deinde quomodo moueatur.

Vnde oriatur salsedo maris. Quantum ad primum, *Scotus* proponit vnam sententiam de salsedine Maris *lib. 2. Met. quæst. 3. num. 6.* quod oriatur ex eo, quod illa aqua sit diuersæ speciei ab aqua dulci, & ex illa diuersitate specifica determinet sibi talem salsedinem, sicut aqua dulcis determinat sibi dulcedinem, seu potius carentiam salsedinis. Quæ sententia non facile conuinci potest.

*Communior tamen*, vel hoc ipso, quia communior, est præferenda, asserens marinas aquas, non ex natura sua, sed ex causis extrinsecis habere suam salsedinem. Causas autem assignat admixtionem exhalationum terrestrium siccarum & adustarum, & influxum Solis, cui adiungit *Auersa* succum salsum ex venis salis per terram sub mari sparsis ortum; cuius admixtionem non male probat ex eo, quod aqua maris potest resolui in salem, quæ etiam causa esse potest, cur aliqui fontes & lacus salsedine imbuantur. Quod etiam commixtio exhalationum terrestrium adustarum, & siccarum possit iuuare ad salsedinem, patet experientia, tum lixiuij, quod salsum fit ex commixtione cinerum & aquæ: tum etiam sudoris ac sputi, quæ similem ob causam salsa redduntur.

Tres motus maris. 41. Nunc vt ad secundam partem accedamus, Tres potissimum considerandi sunt motus maris, *vnus* à Septentrione ad Austrum; *secundus* ab Ortu ad Occasum; *tertius*, quo fluit, & refluit.

Vnde oriatur motus maris à Septentrione ad Austrum. *Quantum ad primum motum*, quem dari experientia compertum esse, supponendum est: causam eius assignat *Scotus supra quæst. 2. art. 3.* quod pars Septentrionalis cum sit remotior à Sole, & humidior ac frigidior, aptior sit ad generationem aquæ; meridionalis vero vicinior Soli facile patitur aquas in se consumi. Hinc enim sequitur quod quandoquidem aqua naturaliter petat loca demissiora, & crescat ad Septentrionem, moueri debeat ad Austrum vbi decrescit. Aliam causam assignat *Philosophus*, quod in Septentrione sit maior abundantia fluminum in illam partem maris intrantium & ipsum mare minoris profunditatis.

Vnde oritur motus ab Ortu ad Occasum. *Secundus motus* deprehenditur hac experientia, quod cæteris paribus naues citius conficiunt suum iter ab Ortu ad Occasum, quam è contra; quæ experientia, si vera est, conuincit illum motum.

Hunc autem motum aliqui putant prouenire ex eo, quod cælum motu suo rapiat secum etiam mare; at hoc mihi non est probabile, neque enim potest secum ferre aquam, nisi ferendo simul aërem, quoad partem etiam inferiorem, & mediante hoc aquam: sed hoc non contingit, tum quia non est experientia vlla, quod inferior pars aëris sic feratur, sed potius omnis experientia suadet contrarium: tum quia etiam sæpe mouetur aër contrario motu, flante scilicet vento ex diuersis aliis partibus. Potius ergo dicendum, quod hic motus proueniat à corporibus cælestibus mediante aliqua virtute attractiua occulta.

Vnde oritur fluxus, & refluxus. 45. *Tertius denique motus* omnium difficillimus ab antiquioribus Philosophis, ac Astronomis, quos sequitur *Scotus 2. sent. distinct. 14. quæst. 3.* (vbi & ego in commentario hac ipsa de re egi, ex quo etiam, quæ hic trado, desumpsi) Lunæ potissimum adscribitur, adhibito tamen aliorum astrorum concursu, & considerato terrarum ac regionum situ. Lunam autem habere magnam partem in hac actione, vel inde sufficientissime colligitur, quod æstus hic maris augeatur, ac minuatur cum proportione ad Lunæ incrementum, ac decrementum, adeo vt quando Luna est plena, longe maior sit æstus, quam alias: neque enim hoc contingeret absque speciali Lunæ influxu. Nec etiam cum vlla probabilitate potest dici, quod absque influentia aliqua cælestium corporum, possit tam ordinato, ac inuariabili motu in aliquibus locis, vt in Hybernia, ac Anglia, bis quolibet die, spatio sex horarum fluere, bis refluere, idque

Non potest fieri absque influxu aliquo cælesti.

idque tanto incremento, vt multa terrarum millia cooperiat, adeo vt vbi, mari refluente, nihil aquæ reperiatur, eodem influente maximæ naues natare possint.

46. *Dices* cum *Camerario quæst.* 26. mare ex natura sua habere illam virtutem mouendi se.

*Contra*, quia causa naturalis inanimata non potest habere effectum nouum absque applicatione aliqua noua, aut coniunctione cum aliqua causa, aut conditione noua, vt est euidens; sed non potest assignari vlla applicatio noua maris, aut coniunctio vllius causæ, aut conditionis cum illo, ratione cuius de nouo inciperet se mouere, nisi recurrendo ad influentias cælestes: ergo non potest motus ille prouenire ab aqua, virtute sua propria solummodo.

Quod vero iuuent alia sydera, & terrarum situs, deduci potest ex eo, quod non eodem modo fiat hic fluxus vbique, cum vix discerni possit in mari Tyrrheno, satis notabilis sit in Adriatico, sed longe notabilior in Hybernico; in aliquibus etiam locis, pluribus horis fiat fluxus, quam refluxus; in aliis vero è contra: quæ varietas in solam Lunam refundi nequit, & potest satis commode in alia astra, ac locorum dispositiones diuersas.

Quomodo Luna moueat mare.

49. *Si autem quæratur*, quomodo possit Luna mouere aquas.

*Aliqui putant*, id fieri per lucem à Luna diffusam. Sed hoc non habet apparentiam; quia non est verisimile lucem habere illam virtutem attractiuam: & præterea fluit mare æque, quando impeditur diffusio luminis lunaris, ac quando non impeditur; & tum etiam cum Luna apud Antipodas existens nostrum hemisphærium illuminare nequit.

*Alij dicunt* Lunam, astra mouere mare rarefaciendo ipsum, & condensando. Sed hoc etiam non placet, quia notabilissima deberet esse rarefactio, quæ ad tantum fluxum requireretur, qualis tamen non apparet prorsus in mari influente magis, quam refluente, aut etiam immoto. Itaque probabilius est motum illum causari à Luna, & astris concurrentibus per influentiam occultam similem proportionabiliter illi, qua magnes trahit ferrum, quam sententiam tribuit *Scotus Albumasari*.

*Nec obest* quod Luna non moueat sic, aut alio modo aquas fluuiales. Quia sicut magnes non trahit plumbum, sed ferrum, propterea quod in ferro sit aliqua dispositio particularis ad talem motum conducés, qualis non reperitur in plumbo: ita similiter in mari potest reperiri dispositio quæpiam specialis, quæ iuuare possit vt moueatur ab astris: à quibus tamen fluuij sic moueri nequeant ob defectum talis dispositionis. Id difficilius est cur aqua maris extracta à reliqua parte, quandoquidem habeat similes dispositiones cum reliquo mari, non moueatur à Luna, aut astris. Sed responderi potest id oriri ex eo, quod nunquam reperiatur in aqua separata illa dispositio, quæ est in partibus maris, quæ per se à Luna mouentur.

48. *Alij putant* mare moueri per hoc, quod Luna, & astra attrahant ad se exhalationes.

*Contra*, quia quemadmodum possunt trahere exhalationes, possunt etiam trahere ipsum mare. Deinde sicut exhalationes fluminum trahuntur immoto flumine, ita possent attrahi exhalationes maris immoto mari. Rursus non est verisimile quod tot semper, & tam continue reperiantur in mari, per quarum attractionem posset semper tam vniformiter moueri absque vlla differentia.

*De Fontibus, & Fluminibus.*

Vnde orta flumina, & fõtes,

49. Nihil hic de fontibus, ac fluminibus examinandum, nisi quod spectat ad originem eorum.

*Veterum quorundam sententia*, cuius *Philosophus* recordatur, erat, quod fontes, & flumina originem haberent ex aquis pluuialibus in terram cadentibus.

*Sed contra* hanc sententiam facit, quod flumina magna semper absque intermissione in tanta copia fluentia plus sine dubio aquæ habeant, quam vllo vnquam tempore cadat è cœlo.

*Deinde*, si non originarentur flumina aliqua ex mari, sed ex aqua pluuiali quotannis decidente fierent, quandoquidem perpetuo intrent in mare, mare deberet iam ad maximam quantitatem excrescere contra experientiam: neque enim est vlla ratio cur non excrescat, nisi quod quantum recipit ex ingressu fluminum ab vna parte, tantum perdat ex aqua ad aliam partem in flumina ab ipso profluente.

*Secunda sententia*, quam amplectitur *Philosophus*, tenet flumina ac fontes oriri ex aqua de nouo generata ex aëre & vaporibus.

*Sed hæc etiam sententia* iisdem rationibus, & maxime secunda improbatur: non nego tamen quin aliqui fontes creari possint, ac augeri tam per aquas pluuiales decidentes è cælo, quam per aquas etiam de nouo generatas; neque enim in hoc est vlla difficultas: & cum consumatur multum aquæ quotidie, si à solo mari originem & augmentum haberent, iam mare valde extenuatum esset.

*Adde*, ad sensum videri fluuios crescere notabiliter in hyeme, & crescere in æstate pro ratione pluuiarum.

50. *Tertia itaque sententia est*, flumina ac fontes perennes, ac perpetuos è mari originem habere. Hæc communior est Patrum & expositorum Scripturæ, & fundamentum habet illo *Ecclesiastis* 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Quæ verba quamuis *Auersa* aliter exponi posse dicat, quam vt faueat huic sententiæ; tamen imprimis nulla expositio naturalior, ac clarior est, quam illa quam præse ferunt verba, & quæ suadet hanc sententiam; & deinde cum ita exponant Patres communius, quamuis paterentur alias explicationes, male tamen negaretur exponi etiam debere hoc modo.

*Probatur etiam eadem sententia ratione*, quia vt inter oppugnandas alias duas sententias præmissas dictum est; alias sequeretur mare debere notabiliter crescere, nec apparet modus, quo saluari possit magnorum fluuiorum continua magnitudo, nisi tenendo hanc sententiam; cui nullo modo præiudicat quod aquæ pluuiales & aliæ aquæ de nouo generatæ augeant flumina & fontes, nec etiam quod aliqui sint fontes & riui, qui non habeant originem ex mari immediate, vt patet ex eo, quod in æstate præ nimia siccitate, & defectu aquæ pluuialis, & aquæ de nouo generatæ, deficiant nihil prorsus aquæ in se continentes.

51. *Dices* contra hanc sententiam primo: Aqua fluminum & fontium est dulcis, aqua vero marina salsa: ergo flumina non habent originem ex mari.

*Respondeo* negando consequentiam; quia quamuis originem habeant ex mari, possunt tamen non habere salsedinem: vel quia salsedo non est accidens connaturale aquæ marinæ, sed causatum in ipsa per causas extrinsecas, quibus absentibus in fluminibus & fontibus non debent illam habere: vel etiam si esset ipsi connaturalis, adhuc in transitu subterraneo, quem facit ad flumina & fontes, posset ipsam perdere per actiuitatem aliarum causarum.

*Dices secundo*, Fontes erumpunt ex locis altissimis, quibus longe demissius est mare; ergo non possunt originem ducere ex mari, quia non possunt naturaliter ascendere supra principium vnde fluunt.

Propter hoc argumentum, *Arriaga disput. 2. de Generat. numero 59* putat mare quoad aliquam partem esse altius terra, & montibus etiam. *Sed imprimis* non est necesse recurrere ad hanc singularem doctrinam, vt soluatur hæc obiectio; nam *Responderi potest* fontes illos, qui erumpunt ex locis illis altissimis, non habere originem à mari, præsertim quoad illam partem, quæ ascendit supra mare: potest enim dici, quod quoad illam partem originem habeant ex aliqua alia terræ parte æque alta, vel altiori, à qua per canales occultos deducitur aqua illa. Dixi autem, *præsertim quoad illam partem, quæ ascendit*, quia sub aqua illa ascendente posset dici quod reperiretur aqua à mari prouenies,

quamuis id non esset necessarium. Nec fundamenta *Arriagæ* aliquid concludunt: non quidem illud ex prædicto Scripturæ loco deductum, quia imprimis non loquitur de fontibus, & deinde non dicit omnia flumina reuerti ad mare vt iterum fluant, licet dicat omnia intrare in mare. Nec cætera à ratione petita, quæ solùm militant contra eos qui ponerent omnia flumina & fontes ex aquis pluuialibus & de nouo generatis confici, quod non debent asserere illi, qui putant fontes ex montibus altissimis erumpentes, non originari à mari.

Cæterum variæ qualitates, quæ in fluminibus ac fontibus diuersarum partium reperiuntur, quorum quædam calida, quædam sapida, quædam ad has & illas infirmitates conducentia sunt, ex natura locorum, per quæ transeunt, ac influxibus particularibus corporum cælestium oriuntur.

## QVÆSTIO V.

### *De iis, quæ circa terram contingunt.*

IN hac quæstione reliquam Meteororum partem de *Montibus, Insulis, Terræ motu, Ignibus, subterraneis,* ac *Metallis, agendum.*

#### *De Montibus & Insulis.*

Origo Montium.

52. *De Montibus* nihil hic agendum quam de origine ipsorum ac altitudine. Quantum ad originem, nullomodo probabile est eos naturali virtute syderum in illam altitudinem euectos, quidquid dicat *Conarenus lib. 2. de Elementis*; quia si talis vis esset in syderibus, deberent de nouo erigi montes per illam, contra experientiam. Nec etiam putandum est, eos formatos vi diluuij, quia non est credibile, quin ante diluuium extiterint montes; & deinde saxosi montes ex ingentibus rupibus compacti nulla vi aquarum formari poterant.

*Melius asseritur*, Montes maiori ex parte ab ipso Domino Deo in initio mundi creatos fuisse ad decorem, ac vtilitatem vniuersi, aliosque sibi cognitos fines. An autem id fecerit primo die quo creauit terram, an tertio quo segregauit aquas ab aquis, incertum & parum vtile cognitu.

Eorum altitudo.

Quoad altitudinem, sunt qui valde magnam altitudinem quibusdam montibus attribuunt, vt monti *Venariffem* sexaginta milliaria. Verum cum hæc res pendeat ab experientia, & fide eorum, qui id asserunt, non præbet occasionem discursui. Id magis examinandum, an Montes altiores communiter excedant mediam regionem aëris, vbi pluuia, grando, nix, venti generantur. Id de *Olympo* plures scribunt moti ad hoc experientia, quod cineres ad summitatem eius deportati integri reperirentur post annum; quod esset verisimile, si in illa summitate plueret aut ningeret, aut si pertranstret ventus aliquis.

At teste *Auersa*, *Franciscus Philelphius* dicit se in illa summitate, & pluuias, & ventos, & niuem fuisse expertũ. Cui tamen an potius credendum, quam illis aliis, qui oppositum referunt, cuiusuis genio, & voluntati relinquendum; nec vlterius in hac re immorandum.

Insularum origo.

53. *De Insulis* præcipue hic considerandum venit, an ab initio in diuisione aquarum separatæ sint à reliqua terra, an vero postea per diluuium, aut terræ motus, aut extraordinario aliquo aquarum impetu. Verisimile autem est, cùm vtroque modo id fieri potuerit, quasdam Insulas ab initio seiunctas, quasdam per diluuium, & quasdam postea per terræmotus, ac aquarum impetus, vt legitur de Siciliæ à Calabria separatione. Homines autẽ nauigationis beneficio, vel ministerio Angelico, Deo ita disponente, facile ad eas inhabitandas pertingere poterant, eoque secum ducere animalia perfectiora, quæ absque seminali propagatione generari non poterant; ex quibus, quæ ferociora sunt & damnosa magis quam vtilia, vt lupi, vulpes, leones, ac similia; vel curiositas, ac magnificentiæ causa, vel bonorum, ac malorum Angelorum opera, eo deferri facile potuerunt.

Si quæ vero Insulæ sunt, quæ integræ natant, & huc illuc ad maris motum feruntur, vt scribunt nonnulli, nec creditu difficile est, propterea sic natare iudicandæ sunt, quod intra se contineant magnam leuitatem, quæ terrenæ grauitati descensum prohibeat, vndecumque illa leuitas proueniat, quæ varia posset habere principia.

#### *De Terræ motu.*

Quomodo fit terræ motus.

54. Omissis veterum *de Terræ motus causa* opinionibus, nullam probabilitatis speciem habentibus, communis Peripateticorum cum *Philosopho lib. 2. Meteororum* sententia est, eum causari per exhalationem siccam, & calidam, quæ in magna quantitate intra terram inclusa, exitum quærens, summo impetu terræ latera percutit, & agitat, & tremorem illum causat, quandoque quidem incensa, aliquando sine incensione. Posse autem causari terræ motum vi, & impetu huiusmodi exhalationum ex impetu illo, quo aliquando delatus ventus maxima prosternit ædificia, arbores eradicat, saxa ingentia propellit, & etiam ex impetu pulueris tormentarij intra loca subterranea incensi, facile quis sibi persuadeat.

Effectus varij terræ motus referuntur à *Scoto*, & *Conimbricensibus*; sed cum ipsis oculis pateant iis, qui, vbi terræ motus accidit, degnnt, quos causat effectus, in iis recensendis hærendum non videbatur; neque etiam in præsagiis, seu signis terræ motum prænunciantibus, quorum nullum tam conuertibile est cum terræ motu, quin alterum sine altero contingere possit.

#### *De Ignibus subterraneis.*

Ignes subterranei.

Esse magnam sub terra ignium copiam, ex continuo eorum ex quibusdam Montibus, vt *Ætna*, *Vesuuio*, & similibus egressu manifeste patet. Hi autem ignes pro ordinario pabulo, ex quo generantur, sulphur & bitumen habere dicuntur, ad quos etiam nutriendos exhalationes intra terram inclusæ, & aliæ substantiæ combustibiles conducere sine dubio possunt.

Hoc autem pabulum accenditur quidem, quoties non adest alius ignis, virtute corporum cælestium, sed disponitur ad combustionem per calorem, quem causare possunt exhalationes calidæ & siccæ in terra inclusæ, quandoque per antiperistasim, quandoque per motum & attritum, ac collisionem ad alia corpora exitum impedientia calidiores effectæ & aptiores, tum vt ipsæmet incendantur: tum vt alia corpora calefaciant ac disponant ad incendium.

#### *De Metallis.*

56. *Metalla*, de quibus hic agitur, sunt *Aurum*, *Argentum*, *Æs*, *Ferrum*, *Plumbum*, *Argentum viuum*, *Stannum*, ad quæ reliquæ, quæ enumerantur, species reduci possunt. De his autem hoc loco quæri solet, ex qua materia fiant, à qua causa producantur, & quibus locis.

Metallorũ materia.

*Quantum ad primum*, Chimici existimant ea fieri ex sulphure & argento viuo, tanquam ex materia proxima; *Philosophus* ex exhalationibus aliquibus vaporosis, seu vaporibus aquosis; Alij ex terra & aqua. At certe non video qua certitudine posset alterutra ex his sententiis, aut aliis præferri, aut cum aliqua vrgenti ratione fulciri, & fortassis fieri posset vt ex quauis ex his materiis, aliisque cum illis proportionem aliquam habentibus metalla generari possint.

Fiunt per influxum cælestem.

57. *Quantum ad secundum*, communior consensus est, quod non nisi mediante aliquo influxu particulari corporum cælestium produci possint; neque enim aliæ causæ secundæ assignari possunt, quæ sufficiant: & præterea quod incertis quibusdam locis generentur potius, quam in aliis, difficulter assignari potest ratio, nisi ad causas superiores recurrendo. Imo quamuis per artem chimicam fieret aurum, & alia metalla, adhuc opus esset influxu corporum cælestium, qui iuxta dispositiones causatas per directionem artis à rebus inferioribus debito applicatis exhiberi deberet. Nec consistit in qualitate aliqua à cælestibus corporibus producta, nec in productione talis qualitatis, quia vt suppono iam ex dictis *Libro secundo Physicorum*, nullum accidens potest sufficere

cere ad productionem substantiæ, sed necessario debet vnà cum quocumque accidentium influxu interuenire etiam actio immediata alicuius substantiæ, quæ sit vel perfectior, vel æque perfecta ac substantia producenda, siue hæc simplex sit, vt sunt elementa, siue composita, vt sunt mixta omnia.

58. *De loco* denique, vbi Metalla generantur, nihil per rationem certi potest haberi: ex historiis vero fide & experientia constat, aliqua loca, in quibus de facto reperiuntur, & in quibus propterea ea generata esse debebant; nec enim verisimile est ab aliis locis inde translata fuisse, maxime cum in nullis aliis potius quam in his ipsis formata fuisse credendum sit. Communiter autem quantum ad experientiam hactenus habitam, loca montuosa & syluestria iis generandis aptiora videntur.

Et hæc breuiter de Meteoris sufficiant. Plura qui voluerit, *Scotum* ipsum & *Conimbricenses* adeat; neque in rebus obscuris ac valde dubiis, vbi parum loci habere possit discursus, hærendum vlterius videbatur.

# TRACTATVS

## *De Anima.*

## PROOEMIVM.

Præstantia huius Tractatus.

1. HVius partis Philosophiæ naturalis dignitas & excellentia ex obiecto eius, siue dicatur anima, vt inscriptio præ se fert, siue corpus animatum, hoc est illud, quod constat anima, tanquam parte essentiali constituente, vt homo, equus, & similia, facile deduci potest: neque enim ab vlla alia parte etiam illa, quæ cælos contemplatur, aliud obiectum non solum præstantius, sed nec quod æqualis sit perfectionis, consideratur. Quod si quis vtilitatem etiam respiciat, in hac summam reperiet, non tantum quia, quæ hic examinantur, adeo ad reliquam Philosophiam vniuersam, etiam Vtilitas. Metaphysicam & ipsam Logicam, quamuis hæc scientiarum omnium sit instrumentum, comparandam vtilia sunt, vt non desint plurimi magnæ doctrinæ & ingenij qui ab hoc tractatu Philosophiam auspicandam censeant; verùm etiam, quia præterea per hanc maxime nos ipsos, quod summæ sapientiæ munus existimatur, cognoscere possimus, & ex nobis Deum Authorem nostrum.

De hac ergo tam præstanti, ac vtili materia principaliora, ac magis proficua, quæ tam ab ipso Philosopho tribus Libris, quos de ea confecit, quam à Commentatoribus, ac cæteris Peripateticis tractantur, sequentibus nouem Disputationibus comprehendam: quarum *Prima* erit de Anima, vt sic. *Secunda* de Potentiis sensitiuis externis, vt sic: *Tertia* de sensibus externis in particulari. *Quarta* de sensibus internis *Quinta* de substantia animæ rationalis. *Sexta* de potentia intellectiua. *Septima* de voluntate. *Octaua* de habitibus. *Nona* de anima rationali separata; quibus omnibus, tanquam complementum adjungam vnicam disputationem *de Paruis naturalibus*, in quibus agitur de aliquibus affectionibus competentibus animalibus, quorum anima est principium formale constitutiuum. Quas tamen disputationes antequam aggrediar, duas hic difficultates Proœmij loco expediam: quarum *Prima* est de obiecto huius tractatus: *Secunda*, an consideratio animæ spectet ad Philosophiam naturalem, an vero ad Metaphysicam.

Quoad primam difficultatem *Toletus hic quæst.* 4. & *Ruuius quæst.* 2. aliique putant Animam ipsam, vt sic, esse obiectum adæquatum huius Tractatus.

*Conimbricenses* existimant hunc tractatum, si per se consideretur, habere pro obiecto adæquato Animam; si vero consideretur vt integrans vnum tractatum Philosophiæ naturalis cum alio tractatulo qui inscribitur *Parua naturalia*, animam non esse obiectum eius, sed corpus animatum. *Complutenses* & *Arriaga* cum multis aliis dicunt obiectum adæquatum *vt quo* eius in esse rei esse animam; obiectum vero adæquatum *vt quod* esse corpus animatum. Et in hoc sensu explicantur plures authores à Ruuio pro sua citati sententia.

Anima est obiectum horum librorum.

2. *Mihi magis placet prima sententia*, à qua in re ipsa non differt *secunda*: nam quando prima asserit obiectum esse animam, loquitur sine dubio de hoc tractatu secundum se considerato, & sane vt sic de eo quæritur, hoc autem concedit secunda sententia, quæ propterea magis displicet quàm prima, quia vtitur distinctione impertinente ad propositum; & eadem ratione, qua possunt *Conimbricenses* dicere, quod corpus animatum sit obiectum horum librorum, ex eo scilicet quod possit hic tractatus considerari, vt pars integrans alium tractatum cum tractatulo paruorum naturalium, posset quis dicere quod obiectum adæquatum huius tractatus esset corpus naturale vt sic, quia potest considerari hic tractatus, vt pars integrans alium tractatum, cum cæteris Philosophiæ naturalis tractatibus: vt sic autem corpus naturale erit obiectum adæquatum eius, nou minus quam totius Philosophiæ naturalis, vt negari non potest.

*Mouear* autem ad præferendum cæteris primam sententiam.

*Primo* ab ipsa Tractatus inscriptione, nam quamuis denominatio alicuius scientiæ posset quandoque desumi ab aliquo particulari obiecto, quod non esset adæquatum, tamen nisi aliunde constet quod obiectum, à quo desumitur denominatio, non sit adæquatum, potius debet dici quod sit, quia certe scientia potius ab adæquato, quam ab vllo particulariori obiecto denominationem suam accipere debet: nulla autem prorsus est ratio cur anima ipsa, de qua dicitur esse hic tractatus, non sit obiectum ipsius adæquatum.

*Secundo*, quia in toto hoc tractatu non definitur corpus animatum, nec describitur, nec demonstrantur passiones de ipso, aut proprietates; definitur autem anima ac describitur, demonstrantur proprietates ipsius, examinantur accidentia, & nihil prorsus in eo consideratur nisi in ordine ad animæ cognitionem, quæ sunt conditiones obiecti adæquati.

*Tertio*, quia ex omnibus scientiis partialibus, quæ de anima vt sic, suisque speciebus, proprietatibus, accidentibus, aliisque spectantibus ad ipsam, potest fieri vnus tractatus, non minus quam de corpore naturali vt sic, suisque speciebus: sed ille tractatus haberet pro obiecto adæquato animam vt sic, non minus, quam tractatus de corpore naturali, & suis speciebus haberet pro obiecto adæquato corpus naturale vt sic: ergo hic tractatus habet pro obiecto adæquato animam vt sic.

Probatur consequentia; quia prorsus hic tractatus non distingueretur ab illo alio: ergo si ille alius haberet animam pro obiecto, & hic etiam habet.

3. *Quarto*, quia quod anima sit pars constitutiua corporis animati, & quod cognitio ipsius ad illius corporis cognitionem conducat, possitque scientia de anima reduci ad illud obiectum, tanquam ad obiectum adæquatum, non sufficit ad hoc, quod dicatur hic tractatus habere pro obiecto adæquato illud corpus; sed hoc est potissimum fundamentum id asserendi: ergo non corpus illud, sed anima ipsa secundum se considerata dici debet adæquatum huius tractatus obiectum.

Probatur maior, in qua sola est difficultas: quia inde solum habetur quod hic tractatus, vt consideratur tanquam pars integrans alium tractatum cum aliis partibus, quæ agerent de illo corpore, haberet pro obiecto adæquato illud corpus iuxta secundam sententiam, non vero quod corpus esset obiectum adæquatum huius tractatus secundum se consideratum.

4. *Confirmatur* manifeste, quia licet corpus animatum sit pars subiectiua corporis naturalis vt sic, & licet cognitio ipsius iuuet ad cognitionem corporis istius, ac

possit propterea reduci ad ipsum, tanquam ad obiectum adæquatum, quatenus corpus animatum est vnum ex obiectis partialibus totius Physicæ; tamen si quis quæreret quodnam esset obiectum illius partis Philosophiæ, quæ agit de corpore viuente vt sic, eiusque speciebus, pessimè assignaret pro obiecto corpus naturale vt sic, quod est obiectum adæquatum totius Philosophiæ naturalis, aut vllum aliud obiectum, quod non magis esset obiectum adæquatum illius partis, quam alterius alicuius; cuius ratio est, quia quando quæritur de obiecto adæquato alicuius partis scientiæ totalis, quæritur de obiecto peculiari istius partis, de quo in illa ipsa parte per se directe agitur, quale necessario debet esse aliquod vnum ex multis obiectis, quæ in ipsa illa parte considerantur, aut aggregatum ex omnibus illis simul: ergo quamuis anima possit reduci vna cum cognitione eius ad corpus viuens, tanquam ad obiectum, quod esset adæquatum ipsi & aliis partibus, tamen non inde sequitur, quod ipsemet tractatus, qui est de anima, secundum se consideratus, habeat pro obiecto adæquato illud corpus.

*Confirmatur secundo*, quia si quis quæreret quodnam esse obiectum adæquatum disputationis, quæ instituitur de Vacuo, aut Tempore, aut Vbi in Physica, male sine dubio diceret esse corpus naturale aut vllum aliud obiectum, de quo per se directe in illa ipsa Disputatione non ageretur. Et similiter si quis quæreret quodnam esset obiectum adæquatum disputationis logicæ, quæ est de Propositione, male diceret esse syllogismum, aut modum sciendi, aut demonstrationem; & male etiam diceretur Anima ipsa esse obiectum adæquatum istius disputationis, quæ instituitur de speciebus intelligibilibus: ergo eodem modo male assignatur pro obiecto adæquato scientiæ agentis de anima corpus viuens.

5. *Hinc respondetur* facile ad fundamenta tertiæ sententiæ, quorum primum est, quod anima non sit species corporis naturalis vt sic, quod est obiectum adæquatum totius Philosophiæ naturalis; ergo non potest esse obiectum adæquatum huius tractatus.

Probatur consequentia ex principiis *Arriagæ*, quia Philosophus in his libris agit in particulari de illis, quorum rationes communes explicuerat in præcedentibus: sed illæ sunt species corporis naturalis: ergo.

Probatur eadem consequentia ex principiis *Complutensium*: quia obiectum formale adæquatum totius Physicæ debet esse abstractum ab obiectis adæquatis partialibus omnium partium istius scientiæ: sed non potest esse abstractum ab anima, cum hæc non sit species eius: ergo anima non potest esse obiectum adæquatum horum librorum, qui sunt pars Philosophiæ naturalis.

*Respondetur* negando consequentiam. Ad cuius primã probationem, respondeo distinguendo minorem: illę solæ, nego: illæ cum aliis, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque non solum egit in præcedentibus Philosophus de rationibus communibus speciebus corporis naturalis: sed etiam de multis aliis rationibus communibus, vt de forma substantiali vt sic, de loco, de tempore, de materia prima. Illud autem quod intendit *Arriaga*, agi scilicet hic de specie, aut speciebus aliquibus corporis naturalis, est manifeste petere principium, & aperte falsum, cum in nulla parte horum librorum agatur de corpore vllo, per se, vt percurrẽti ipsosmet libros constabit, & ipsi aduersarij fatentur, qui propterea recurrunt ad alias partes Philosophiæ, quas volunt cum his conficere integrum tractatum: quod quamuis verum esset, non facit ad rem, quia agimus de hac parte integri istius tractatus, & de eius obiecto secundũ se quærimus.

Ad secundam probationem nego maiorem, cuius falsitas constat ex exemplis superius propositis de obiecto adæquato disputationis de loco, de vacuo, de forma substantiali, de speciebus intelligibilibus, & mille aliis.

6. *Secundum fundamentum* est, quod idem sit obiectum adæquatum horum librorum, & paruorum naturalium; at anima non est obiectum adæquatum paruorum naturalium, sed potius corpus animatum: ergo.

Probatur maior: quia vterque tractatus tam hic, quã ille de paruis naturalibus conficiunt vnum integrum tractatum eo modo, quo octo libri Physicorum: ergo sicut idem est obiectum adæquatum omnium octo librorum, ita idem erit obiectum horum librorum, & paruorum naturalium.

*Respondetur* distinguendo maiorem: idem est obiectum adæquatum horum librorum secundum se consideratorum, ac paruorum naturalium, nego maiorem; quatenus conficiunt vnum tractatum cum paruis naturalibus, transeat maior. Et concessa minori, distinguo consequẽs: anima non est obiectum adæquatum horum librorum secundum se consideratorum, nego consequẽtiam; vt conficiunt vnum tractatum cum paruis naturalibus, concedo consequentiam. Ad probationem maioris respondeo distinguendo similiter consequens: quatenus faciunt vnum tractatum, concedo consequentiam; quatenus tractatus de anima consideratur secundum se, nego consequentiam.

7. Et sane exemplum de octo libris potest retorqueri contra aduersarios: quia licet idem sit obiectum adæquatum octo librorum, vt conficiunt vnum tractatum; tamẽ si quæreretur quodnam sit obiectum adæquatum partiale tertij libri, pessimè assignaretur illud quod est cõmune omnibus; ergo licet idem esset obiectum adæquatum horum librorum, & paruorum naturalium, malè tamen assignaretur illud pro obiecto adæquato partiali horum librorum secundum se consideratorum.

*Deinde* non minus octo libri Physicorum possunt inter se facere vnum tractatum contemplantem aliquam partem obiectorum partialium Physicæ naturalis, quam omnes libri Physici possunt facere vnum tractatum cõtemplantem omnia obiecta Physica: sed ex hoc tamen non sequitur, quod possit assignari pro obiecto adæquato partiali librorum de cælo, verbi gratia, illud, quod posset assignari pro obiecto adæquato omnium librorum Physicorum; ergo ex eo, quod possint hi libri facere vnum tractatum cum paruis naturalibus, non sequitur quod adæquatum obiectum istius tractatus possit assignari pro obiecto adæquato huius partis istius tractatus secundum se consideratis.

8. *Tertium fundamentum* esse potest, quod in aliqua parte Physicæ debeat agi de corpore animato, vt sic, tanquam de obiecto adæquato: sed nullibi potius, quam in his libris: ergo.

*Respondeo* negando minorem, quia potius deberet agi in parte, quæ de ipsomet ageret, definiendo ipsum, & tractando de partibus, proprietatibus, & accidentibus eius, quæ pars si non sit tradita in libris Physicis Aristotelicis, tum non sunt tractata omnia physica in illis libris, & addi debet illa pars, vt libri illi sint completi. Supponitur autem à multis, quod illa pars sit tradita à Philosopho, & sit illa ipsa, quæ inscribitur *Parua naturalia*; de quo, quando de illa parte agemus, mentio facienda est iterũ. Et hæc de prima difficultate procemiali sufficiant.

9. *Quoad secundam difficultatem*, supponendum pro certo, animam vt est pars corporis physici, & secundum quamcumque considerationem, secundum quam dependet à materia siue actualiter siue aptitudinaliter tam in essendo, quam in operando, spectare ad Physicam non minus, quam aliæ formæ substantiales; omnes enim species corporis naturalis, & omnes partes essentiales Physicæ istarum specierum spectant sine dubio ad Physicam: vnde sequitur manifestè, quod anima non solum vegetatiua, & sensitiua quæcumque, sed etiam rationalis, vt rationalis, ad Physicam spectat, quia vt rationalis, est principium physicum hominis; homo autem est species corporis naturalis. Sequitur etiam secundò, quod non solum anima vnita spectat ad Physicam, sed etiam separata: quia vt separata etiam dicit aptitudinem ad constituendum hominem, & est principium physicum intrinsecum alicuius hominis possibilis. Vnde difficultas est, vtrum spectet ad Physicam quatenus habere potest operationes aliquas independentes à corpore, aut phantasmate.

Sed

*Sed respondeo* breuiter, quod si consideretur anima vt anima, quatenus est principium cuiuscunque operationis, semper debet pertinere ad Physicam, quia vt sic semper dicit ordinem ad corpus, ac materiam, quod sufficit; nec refert quod operationes ipsius sint independentes à corpore, quia vt spectent ad Physicam, sufficit quod sint operationes rei pertinentes ad corpus. Quod si consideretur anima non vt anima & actus corporis, sed sub conceptu entis, & præterea consideretur vt sic esse principium intellectionis, abstrahendo à modo particularis intellectionis quam habet, an scilicet sit intellectio dependens à corpore tanquam à subiecto, nec ne tum dico quod consideratio eius spectat ad Metaphysicam, quia est consideratio rei sub ratione independenti à corpore aut materia omni. Nec est inconueniens, aut difficile, quod vna res spectet ad diuersas scientias sub diuersis considerationibus. Nec in hac re est vlla difficultas vllius momenti, quamuis fusè tractetur à multis. Iam ergo disputationes ipsas aggrediamur.

Quomodo spectat ad Metaphysicã.

# DISPVT. I.

## *De Substantia Animæ.*

QVANDOQVIDEM horum librorum vt paulo ante dixi, obiectum adæquatum sit anima vt sic, & hæc non habeat partes aliquas, aut principia Physica, ex quibus componatur, quæque prius cognosci deberent quam ipsa anima; non ab alio incipiendus erat hic tractatus, quam à considetatione ipsiusmet substantiæ animæ.

## QVÆSTIO I.

### *Quid sit viuens.*

QVandoquidem in vtraque definitione animæ à Philosopho tradita, & inferius explicanda fit mentio viuentis & vitæ, nec possint propterea intelligi, nisi intelligatur quid sit viuens, & vita, quod non adeo facile est, vt patebit ex dicendis; operæ precium duxi explicationi illarum definitionum hanc quæstionem præponere, quæ vt intelligatur,

Aduertendum est viuens dupliciter capi solere.

Dupliciter capitur viuẽs.

*Primo participialiter*, quatenus scilicet est participium præsentis temporis, & significans aliquid habẽs vitam, actu existere, & sic dicitur Petrus viuere dum actu existit, & quando non existit, aut definit existere, non viuere.

*Secundò nominaliter*, quatenus scilicet est nomen, & significat illud quod habet vitam in se intrinsecam, siue actu existat, siue non; & sic de omnibus hominibus etiam possibilibus dicitur quod sint substantiæ corporeæ viuentes. Et in hoc sensu hic agimus de viuente.

Cùm ergo viuens in hoc sensu sit habens vitam, vt sciatur quid sit viuens, debet sciri quid sit vita. Duplex autem communiter assignari solet vita, in actu primo, & in actu secundo. *Vita in actu secundo* sunt operationes illæ, quæ solis viuentibus competunt, vt intelligere, sentire, mouere se progressiuè, nutriri, & similia, quæ operationes propterea vocantur vitales. *Vita in actu primo* est principium operationum huiusmodi. Vnde illa viuunt vita in actu secundo, quæ habent huiusmodi operationes siue omnes, siue aliquas; illa vero viuunt vita in actu primo, quæ habent principia huiusmodi operationum, siue habeant vitam in actu secundo, siue non habeant. Alio modo posset intelligi per vitam in actu primo illud principium substantiale solis viuentibus conueniens, ratione cuius, & conueniunt inter se, & disconueniunt ab omnibus non viuentibus. Vt autem præterea sciatur quid sit hoc principium,

Duplex vita.

Quænam

Aduertendum vltetius ex communi omnium vsu dici viuentia, primò Deum optimum maximum; deinde Angelos omnes, tum homines, ac omnia animalia; præterea arbores, plantas, flores, & fruges. Vnde vt sciatur quid sit vita in actu primo, oportet examinare quid sit illud quod omnibus his, & solis conuenit per se primo: illud enim est quod vocatur nomine vitæ in actu primo, vt patet ex secunda descriptione vitæ in actu primo: & si quis hoc negaret, excitaret quæstionem de nomine contra acceptionem communem nominis vitæ, quod nec ingenium arguit, nec iudicium.

Cæteraviuentia.

### CONCLVSIO I.

*Malè describitur vita vt sic communis omnibus viuentibus esse principium mouendi se ab intrinseco.*

Vita non est principium mouendi se ab intrinseco.

*Probatur*: quia vel hoc intelligitur de motu intentionali, vel de motu reali, vel de motu abstrahente ab intentionali, & reali: sed neutrum dici potest: ergo.

Probatur minor quoad primam partem de motu intentionali; quia plantæ non mouentur sic.

Probatur quoad secundam partem de motu reali, tum quia Deus non mouetur tali motu, tum quia non viuentia sic se mouent, vt patet de grauibus & leuibus, & de aqua quæ calefacta mouet se ad frigus.

Probatur quoad tertiam partem de motu abstracto eadem ratione; quia scilicet Deo non conuenit, & conuenit non viuentibus, quibus conuenit motus realis ab intrinseco.

*Quod si dicatur* Deus mouere se ab intrinseco motu improprie dicto, ad intellectionem & volitionem, quatenus hæc ab ipsius essentia mediante intellectu & volantate emanant;

*Contra*, quia huiusmodi productio ab intrinseco conuenit non viuentibus; nulla enim est substantia non viuens, quæ huiusmodi motu non moueat se ad proprias passiones, ac proprietates metaphysicas, quia in *Scotistica* & meliori sententia, hæ proprietates identificantur essentiis.

### CONCLVSIO II.

Non est principiũ mouendi se ab intrinseco vitaliter.

3. *Malè etiam describitur esse principium mouendi se ab intrinseco vitaliter, aut mouendi se ad terminum, qui ab extrinseco nequeat in ipso produci, aut ad terminum, quem non potest in aliquo extrinseco producere.*

*Probatur* hæc conclusio quoad duas primas partes: quia Deus habet vitam, & tamen nequit mouere se ab intrinseco vllo modo propriè loquendo; motus autem improprius mouendi se per emanationem metaphysicam, non sufficit, quia conuenit non viuentibus, vt paulò ante dixi.

*Probatur secundo conclusio*, quoad primam partem, secludendo illud exemplum de Deo, quia non potest intelligi quid sit mouere se vitaliter, nisi intelligendo prius quid sit vita; motus enim vitalis, aut vitaliter habitus non potest declarari nisi dicendo quod sit motus, cuius principium est vita, aut qui determinatur ad vitam: ergo male explicatur vita per ordinem ad motum vitalem, aut vitaliter factum.

Non est principiũ mouendi se ad terminũ qui ab extrinseco nequeat in ipso produci.

*Probatur tertio* quoad secundam partem: quia Angeli & homines & plantæ non habent principium mouendi se ad vllum terminum, qui nequeat ab alio produci, nisi principium, quo possunt mouere se ad intellectiones & partes acquisitas per nutritionem: sed Deus potest producere in illis illos terminos se solo, id quod de termino nutritionis fatentur omnes, nostroque sufficit proposito, & de intellectione tenent *Scotistæ* cum multis aliis, posteaque probabitur.

4. *Quod si dicas* non intelligi in prædicta descriptione, quod non possit terminus, cuius principium est vita, produci ab extrinseco supernaturaliter, sed quod possit produci ab extrinseco naturaliter.

*Contra*, quia quamuis possint isti termini produci naturaliter, adhuc certe non sequeretur inde quin homines & Angeli & plantæ viuerent tam bene quam de facto viuunt: ergo non habent viuere ex hoc quod possunt producere terminum aliũde in ipsis non producibilem.

*Deinde* substantia materialis, quæ immediate subiectat quantitatem

quantitatem,habet virtutem in se producendi illã quantitatem,& illa quantitas nequit naturaliter per aliã causam extrinsecã in illa produci,sed tamen non viuit;ergo conceptus vitæ non consistit in principio producendi terminum,qui ab extrinseco naturaliter nequit produci.

*Probatur tertia pars*,quia substantia quantitatiua, quæ potest in se producere quantitatem, non potest illam producere in extrinseco, & tamen non viuit;& quia licet homo per oculum,aut intellectum posset etiam producere visionem in alio oculo,& intellectionem in alio intellectu, hoc non tolleret quin viueret. Et denique quia Deus non habet principium producendi perfectionem in se vlla ratione sufficiente ad vitam, vt patet ex dictis supra.

## CONCLVSIO III.

Non est principiũ producẽdi perfectionem maiorem quam debetur in instanti generationis.

5. *Nec etiam bene describitur esse principium mouendi se ad perfectionem maiorem, quam illa, quæ debetur sibi in instanti generationis.*

*Probatur primo*,quia Deus non habet tale principium, vt patet.

*Probatur secundo*, quia quamuis Angeli non possent producere in se intellectiones, aut volitiones,nec vllam aliam perfectionem,modo tamen possent recipere intellectiones, & volitiones, & per eas intelligere & velle, viuerent sine dubio : & qui authores dubitant vtrum intellectiones aliique actus vitales potentiarum sensitiuarum proueniant actiue ab illis potentiis, non dubitant, quin habentes tales potentias viuant; nec solent impugnari per hoc principium, quod alias homines & animalia non viuerent.

## CONCLVSIO IV.

Non datur vllus cõceptus cõmunis vniuoce omnibus viuentibus,& solis.

6. *Non datur vllus conceptus vnus vniuoce communis omnibus & solis viuentibus,& speciatim Deo, Angelis, Animalibus, & Arboribus.* Hanc cum docuissem multis ab hinc annis,reperio iam tamen apud *Arriagam disp.2. de anima num.60.*& est contra *Hurtadum hic disp.3.§.5.& 6.*

*Probatur*:quia si esset assignabilis,maxime esset aliquis ex prædictis iam refutatis.

*Dices cum Hurtado*,conceptum illis omnibus communem esse ita habere perfectionem ab intrinseco, vt non possint naturaliter illam habere ab extrinseco;hoc enim competit in primis Deo, neque enim vllam perfectionẽ intrinsecam suam potest naturaliter habere ab extrinseco : competit etiam plantis,& animalibus quantum ad intellectiones, & sensationes, & terminum nutritionis: naturaliter enim habent hæc ita ab intrinseco, vt non possint illa habere naturaliter ab extrinseco.

Hanc doctrinam impugnat *Arriaga*:quia Deum habere perfectionem ab extrinseco non est Deum habere perfectionem à se productam in se,sed eum habere perfectionem suam improductam ab extrinseco : sed hic conceptus non potest esse conceptus vitæ, communis Deo & cæteris viuentibus,quia inde sequeretur duo absurda : Primum quod Deum esse viuentem non esset aliud quam Deum esse improductum; vnde si per impossibile nec intelligeret, nec amaret, nec aliquid produceret,esset viuens, quod est contra communissimã acceptionem vitæ:& præterea si per impossibile lapis esset improductus ab vllo alio, esset viuens, quod est absurdum. Secundum absurdum esset, quod planta non esset viuens, contra hunc authorem, quia non haberet perfectionem improductam.

*Contra hanc impugnationem* facit *primo*,quod nullo modo sequatur secundum absurdum,quod prætẽdit *Arriaga*:nam planta licet non haberet perfectionem suã improductam,haberet tamen illam improductã ab extrinseco,& ratio vitæ vt sic,non consistit,secundum *Hurtadum* in habendo perfectionem improductam, sed in habendo perfectionem improductam ab alio, & in hoc sine dubio conuenit Deus, vt habet suas perfectiones, cum plantis,& aliis viuentibus,quidquid dicat *Arriaga*, qui non videtur bene intellexisse doctrinam *Hurtadi*.

*Secundo*,facit contra illam, quod nec primum etiam absurdum sequatur : nam Deum esse viuentem non est Deum non esse improductum ab alio,sed Deum habere perfectionem aliquam à se aliquo modo distinctam, ab alio improductam; nec consequenter lapis eo ipso quo esset improductus ab alio,esset viuens, sed ad hoc deberet habere aliquam perfectionem à se improductam ab alio.

7. *Melius ergo impugnatur* doctrina *Hurtadi*, primo: quia inde sequeretur quod Deus vt habens immensitatem, & æternitatem esset viuens, quia vt sic habet perfectionem, quam ab extrinseco nequit habere : sed hoc est falsum; quia alias substantiæ omnes vt habent suas proprietates essent viuentes, quia vt sic habent perfectiones,quas ab extrinseco nequeunt habere.

*Per quod directè impugnatur Hurtadus secundo* : habere perfectionem, quam non potest habere ab extrinseco, conuenit non viuentibus, conuenit enim omnibus substantiis respectu suarum propriarum passionum : ergo non est conceptus vitæ.

*Impugnatur tertio*:quia si intellectio connaturaliter loquendo produceretur in Angelo effectiue ab extrinseco, & ipsemet nullo modo haberet vim effectiue producendi ipsam,adhuc viueret, modo per eam posset intelligere formaliter:ergo cõceptus vitæ,vt sic, communis omnibus viuentibus secundum omnem rationem, secũdum quam viuunt,non dicit negationem productionis ab extrinseco, & consequenter malè dicitur, quod conceptus vitæ vt sic,sit habere perfectionem, quæ non possit naturaliter haberi ab extrinseco.

*Confirmatur*:quia omnes substantiæ corporeæ,in quibus subiectatur quantitas,habent perfectionem quantitatis ab intrinseco in hoc sensu, & tamen non omnes viuunt : ergo habere perfectionem ab intrinseco in hoc sensu non est conceptus vitæ.

8. *Obiicies cum Hurtado* : Deus magis conuenit cum plantis in ratione aliqua, quàm cum aliis vllis rebus inanimatis,& hinc tam de Deo,quam de plantis dicitur quod viuant, cum id tamen non dicatur de vllis inanimatis:sed illa ratio, in qua sic conuenit cum plantis, est ratio aliqua vna communis vitæ vt sic;ergo datur aliqua talis ratio.

*Respondeo* negando maiorem,nec indè dicitur de Deo, & illis, quod viuant, nam viuere conuenit illi merè æquiuocè,aut analogicè, sicut Gallus conuenit homini nato in Gallia, & Gallo gallinaceo, aut sicut risus conuenit homini & prato virenti.

## CONCLVSIO V.

Datur cõceptus vitæ vniuocus Deo, & animalibus.

9. *Datur conceptus communis vniuocè Deo, & omnibus, ac solis animantibus, qui conceptus potest vocari vitæ.* Hæc est communissima.

*Probatur*: quia posse percipere aliquid est ipsis omnibus, & solis commune; Deus enim percipit, dum cognoscit & vult; & nullum est animal, quod etiam non percipiat dum sentit, nec aliquid aliud potest assignari, quod percipiat;ergo omnia illa sunt perceptiua, & nulla alia, & consequenter esse perceptiuum est commune ipsis omnibus, & solis.

## CONCLVSIO VI.

Datur cõceptus vitæ vniuocus omnibus viuentibus creatis.

10. *Datur conceptus vitæ, vt sic,communis omnibus viuentibus creatis, & solis.* Hæc est communior contra *Arriagam num.73.*

*Probatur* : quia nullum est viuens creatum, quod non habeat in se virtutem acquirendi sibi aliquam perfectionem absolutam sibi intrinsecam de nouo vltra illam, quam connaturaliter debet, aut exigit habere pro instãti generationis,& nullum aliud,quod non est viuens habet talem virtutem, & præterea illa virtus potest commodissimè vocari vita,& solet etiam:ergo datur conceptus vitæ vt sic, communis omnibus, & solis viuentibus creatis.Tertia pars antecedentis non habet difficultatem,nisi de nomine,nec credo vllum contraueniturum in ipso nomine, si concedat duas illas partes.

Probatur ergo antecedens, quoad primam partem, nempe

nempe quod nullum sit viuens creatum, quod non habeat talem virtutem: quia imprimis Angelus potest in se producere nouas, & nouas intellectiones, quæ non debentur ipsi in instanti generationis connaturaliter, & idem est de hominibus quantum ad intellectiones, & de hominibus, ac animalibus quantum ad præceptiones, seu sensationes.

*Deinde* plantæ & cætera etiam viuentia corporea possunt in se de nouo producere per nutritionē, & augmentationem nouas partes substantiales, quas non exigunt habere pro instanti generationis, vt patet.

Prnbatur minor quoad secundam partē, nempe quod nihil aliud præter viuens habeat talem virtutem; quia si aliquid aliud illam haberet, maximè aqua, quæ si calefiat potest producere in se frigus de nouo; aut grauia & leuia, quæ de nouo post instans generationis possunt se mouere localiter, illa deorsum, hæc sursum; aut ignis qui potest augete se substantialiter producēdo nouum ignē, eumque sibi adiungendo: sed hæc non habent talem virtutem: ergo nihil aliud non viuens habet illam virtutē.

11. Probatur hæc vltima minor primo, quoad aquam, quatenus frigefactiua est sui; quia licet posset de nouo frigefacere se, nō potest tamē producere in se perfectionem vltra illam, quam potest habere in instāti generationis, quia in illo instāti debetur ipsis frigus connaturaliter, vnde ipsummet in se produceret frigus pro illo instanti, nisi poneretur impedimentū, & si derelinqueretur in illo statu, nūquā postea posset producere in se frigus: ergo non habet virtutem producendi in se perfectionem vltra illam, quæ debetur ipsi in instanti generationis, ex hoc quod possit reducere se ad frigus quando calefacit.

Hinc probatur eadem minor, quoad secundam partē de grauibus, & leuibus: quia si hæc producerentur in loco connaturali suo, in quo petunt connaturaliter produci, non possent vlterius se mouere; vnde non possunt producere in se perfectionem vltra illam, quam exigunt habere pro instanti generationis.

Probatur denique minor quoad tertiam partem de igne: quia ignis non habet virtutem producendi in se alium ignem, sed extra se; & licet ignis ille alius vniatur sibi, non tamen intra ipsum, aut in ipso recipitur; ergo non habet virtutem producendi in se perfectionem vltra illam, quæ debetur ipsi in instanti generationis, seu quod idem est, vltra illam, quam ipsemet necessario produceret in se in instanti generationis, si non impediretur, & poneretur in loco suo naturali.

12. *Dices*: habet virtutem producendi in se vnionem cum altero igne, quam vnionem non deberet in se producere, aut habere in instanti generationis: ergo adhuc manet difficultas de igne.

*Contra*: quia vnio non est perfectio absoluta, quandoquidem sit respectus in nostra sententia. Quod si teneretur cum aduersariis, quod esset modus absolutus, magis vrgeret replica. Sed respondeti tamen posset non esse perfectionem absolutam simpliciter, quia talis non est, nisi perfectio, quæ non est modus.

*Replicabis adhuc ex Arriaga*, contra doctrinam datam de aqua & grauibus, ac leuibus. Hominibus, ac plantis est debita augmentatio pro complemento naturali suo, & tamen hoc non obstante dicuntur viuentia per hoc, quod quando non datur ipsis in instanti generationis, possint illam acquirere: ergo quamuis aquæ debetur connaturaliter frigus, & grauibus vbi deorsum, adhuc debent dici viuere per hoc, quod possint ea acquirere, quando non habent illa.

*Respondeo* falsum esse, quod hominibus, & plantis debeatur pro instanti generationis connaturaliter illa magnitudo, quam postea acquirunt, alias aliquando illam haberent in instanti generationis, & alia media generandi homines, & plantas darentur à natura, quam de facto data sunt.

13. *Melius replicari posset*: quod si homines, & plantæ deberent ab initio produci iuxta magnitudinem, qua maiorem postea acquirere non possent, adhuc dicerētur viuere, per hoc quod per nutritionem restaurare possint partes deperditas actione caloris naturalis, sed tamen tū non haberent virtutem producendi perfectionem vllam vltra illam, quam peterent habere pro instāti generationis, nam licet alias partes produceant, non tamen nisi similes illis partibus, quas haberent ab initio productas, nec illas ipsas possent producere de nouo, nisi deperditis aliis; quod si hoc sufficeret, vt dicerentur posse producere perfectionem vltra illam, quam peterēt habere in instanti generationis, aqua posset dici habere virtutem producendi perfectionem vltra illam, quam peteret habere in instanti generationis, quia potest producere in se aliud frigus ab illo, quod habet in instanti generationis quando priuatur illo frigore.

*Hæc replica mihi confirmat* maxime probabilitatem sententiæ tenentis, quod non detur conceptus communis vitæ viuentibus creatis, quatenus viuunt vita vegetatiua, & sensitiua.

*Responderi tamen posset* distinguendo maiorem: adhuc viueret conceptu communi vitæ, vt sic communi omnibus viuentibus creatis, nego: alio conceptu, qui non est comunis omnibus viuentibus creatis, transeat. Et concessa minori nego consequentiam.

*Si vero quæras*, quis sit conceptus ille particularis, à quo haberent viuere in hypothesi hac, qui conceptus non esset communis omnibus viuentibus;

*Respondeo*, quod esset virtus illa producendi in se perfectionem substantialem modo illo particulari, quo videmus homines, & plantas producere in se talem perfectionem, scilicet per intra susceptionem pabuli, & conuersionem illius in substantiam tali modo admirabili, quem cernimus fieri in illis corporibus, quæ vocamus viuentia.

14. *Pro complemento* autem huius rei aduertendum, licet aliqui requirant ad conceptū vitæ creatæ communis omnibus viuētibus, quod sit principiū producendi perfectionem in se, quā non potest in alio producere, vt hac ratione excludant ignē à ratione viuentis, quæ, licet in se producat aliquando ignē, eum sibi aggenerādo, non potest tamen in alio etiam ignem producere; hoc tamen nec verum est, nec necessarium, quia quamuis intellectus posset producere naturaliter intellectionē talem in alio, qualem potest in se producere (vt tenent multi *Scotistæ*, quibus multum fauet ipse *Scotus* de intellectu Angelico, putant enim vnum Angelum loqui alteri Angelo producendo per suum intellectum intellectionem in intellectu ipsius) tamen sine dubio esset viuens per hoc, quod produceret intellectionem in se: & eodem modo licet posset vnus homo nutrire alium hominem, non propterea deberet dici non viuere per hoc quod posset se ipsum nutrire; neque sane ad hoc quod intelligimus aut homines viuere, aut arbores, examinamus vtrum possint producere talem perfectionem in aliis, qualem videmus quòd producant in se: vnde ille conceptus est omnino impertinens ad rationem vitæ.

Non requiritur ad viuens quod non possit producere in actu perfectionē vitalē.

*Deinde* aqua ex sua substantia habet virtutem producendi in se frigus, & non habet virtutem producēdi frigus in alio per eandem suam substantiam, vt communiter tenetur; nec tamen dicitur viuere: & substātia quantitatiua habet virtutem productiuam quantitatis in se, qualem non potest producere in extrinseco. Et quamui calor non esset actiuus, & ignis haberet virtutem productiuam illius in se, non diceretur viuere: ergo ille conceptus est omnino impertinens ad conceptum vitæ.

15. *Alij existimant* ad conceptum vitæ communis omnibus viuentibus creatis requiri, quod sit virtus producendæ perfectionis talis in se, qualis in ipso non possit produci ab extrinseco.

Sed neque hoc etiam verum est propter easdē rationes: nam substantia quantitatiua potest producere in se quātitatem quæ non potest ab extrinseco in illa produci, & si per impossibile aut possibile posset arbor ab extrinseco nutriri, & homo ab exrrinseco habere intellectionē: non tamē propterea negari deberent viuere, modò haberent ex se ipsis virtutē se nutriēdi, & intelligēdi: neque etiā vt cognoscamus an viuāt nec ne, examinamus

Non requiritur ad viuens quod perfectio vitalis nequeat produci ab extrinseco.

an possint per virtutem extrinsecam nutriri, sed indagamus an ipsamet se ipsa possint nutrire, & hoc reperto, iudicamus ea viuere. Deinde etiam si aqua non posset ab extrinseco frigefieri, neque graue ab extrinseco moueri deorsum, non propterea dicerentur viuere: ergo ille cõceptus non est conceptus vitæ, sed omnino ad illam impertinens: & hoc valde notandum est.

16. *Ex his habetur primo*, viuentia vocari, & esse omnes illas substãtias, quæ possint aliquo modo percipere, eo ipso quo possint percipere, easque viuere in actu primo per hoc quod habeant virtutẽ, per quam percipere possint; in actu vero secũdo per hoc, quod actu percipiãt, habeantque actualem perceptionem; & in hoc conceptu conuenire vniuoce Deum, Angelos, animalia, & animam rationalem separatam. Ad hunc autem conceptum impertinens est, quod quæ percipere possint habeant virtutem actiuam producendi illum actum, quo mediante percipiant: tum quia Deus ipse habet talem conceptum absque tali virtute, tum quia, modò haberent actũ in se subiectatũ, ab eoque determinarentur formaliter ad percipiẽdum, siue ille actus produceretur ab ipsis, siue non, adhuc per hoc ipsum deberent dici viuere, quòd per illũ perciperent, & sane eo ipso iudicamus homines, & animalia viuere, quo videmus eos videre sine cõsideratione vlteriori de productione istius visionis. Ad eundẽ etiam æquè impertinẽs est, quod illa perceptio aut non possit produci ab extrinseco in illis, quæ per ipsam percipiũt, & propterea dicuntur viuere; aut non possit produci ab illis in extrinseco alio, nec illa perceptio dicitur propterea vitalis, sed ex eo quod sit actus secundus cõstituens illud, quod viuit in actu primo, viuẽs in actu secũdo, vnde non rectè *Thomistæ* negãt intellectionem aut posse produci à solo Deo absq; concursu effectiuo intellectus; aut posse produci ab vno intellectu in alio, ex eo, quod sit vitalis. Deniq; impertinens est ad hunc conceptum, quod perceptio illa, in ordine ad quã describitur vita sic accepta, sit debita in instãti generationis, aut non sit debita.

*Ad vitam in actu secundo impertinens est quòd producatur à viuente, & quod non possit produci ab ipso in alio.*

17. *Habetur secundo*, quod viuentia vocentur omnia illa, quæ possunt nutrire se & augmentare per intus susceptionem eo modo quo arbores, & animalia nutriunt & augmentant se, non respiciendo vtrum per illam nutritionem recipiant partem indebitam in instanti generationis, aut debitam; & in hoc sensu non conuenit Angelis viuere nec animalibus, quatenus sunt perceptiua, aut etiam loco motiua.

*Habetur tertio* probabiliter, sed non tam certo, quod omnia illa dicãtur viuentia, quæ possunt acquirere perfectionẽ aliquam in se vltra illam, quam petunt habere in instanti generationis, & quod in hoc sensu de facto conueniant vniuoce Angeli, homines, animalia, plantæ. Vnde homo habet ex triplici capite viuere. *Primo* quatenus percipit; *Deinde* quatenus potest acquirere perfectionem vltra illã, quam petit habere pro instãti generationis; & *Tertio*, quatenus potest nutrire se, & augmentare per intra susceptionem. Angelus vero non habet viuere nisi ex duplici capite, quatenus scilicet est perceptiuus, & quatenus acquisitiuus perfectionis vlterioris, quam debet habere pro instanti generationis: & similiter Plãtæ non habent viuere nisi ex duplici capite, nempe quatenus possunt nutrire se per intra susceptionem, seu acquirere nouas partes substantiales per intra susceptionem, & quatenus possunt acquirere perfectionem vltra illam quam natæ sunt habere in instanti generationis.

*Homo habet viuere ex triplici capite.*

18. Deus denique ipse, licet perfectissimum viuens, non habet viuere nisi ex vno capite, quatenus scilicet perceptiuus; vnde vlterius sequitur quod hic conceptus viuẽdi sit perfectissimus, & solus ille qui ex ratione formali sua non inuoluit imperfectionem; & præterea quod ex duobus aliis conceptibus ille, qui est acquirendi perfectionẽ vltra illam, quæ debetur in instanti generationis, licet inuoluat illam imperfectionẽ, quod supponat carẽtiam istius perfectionis pro instanti generationis, sit tamen perfectior conceptu illo vitæ, qui consistit in acquirendo perfectionem per nutritionem & augmentationem; quod colligitur tum quia ille conuenit Angelis, quibus alter ille conceptus non conuenit: tum quia ille alter supponit carentiam aliquarũ perfectionũ substantialium, aut defectibilitatem illarũ in iis, quæ sic viuunt; conceptus vero ille acquirẽdi perfectionem vltra illam, quæ debetur in instanti gẽnerationis, non inuoluit talem carentiam seu defectibilitatem, sed potest stare cum carentia perfectionis accidentalis.

*Quis conceptus viuẽdi perfectissimus.*

19. *Quæres*, an intellectus sit potentia vitalis?

*Respondeo*, si consideremus intellectum, vt est productiuus cognitionis, esse sine dubio vitalẽ, si vitalis potẽtia dicatur, quæ in seipsa producit intellectionẽ; sed multo melius dicitur vitalis ex eo, quod mediãte actu possit percipere; nam si per impossibile posset in se producere intellectionẽ absque eo quod per ipsam posset percipere, non esset vitalis, hoc est, arguens vitam: si vero perciperet, quamuis non producetet, nec posset producere, esset vitalis secundum conceptũ magis perfectum vitæ, Deo, Angelis & hominibus communẽ: posset tamẽ esse vitalis, vt productiuus præcisè, secundũ conceptũ vitæ communẽ omnibus creatis viuentibus. Si vero loquamur de intellectu agente, hoc est illo, qui potest in intellectu possibili producere species intelligibiles: Respondeo nõ esse vitalem secundum conceptum illum vitæ communem Deo, Angelis & animalibus; posset tamen dici vitalis secundum conceptum illum acquirendæ perfectionis vltra illam quæ debetur in instanti generationis.

*An intellectus sit potentia vitalis.*

20. *Quæres secundo*, An habitus intellectualis sit vitalis.

*Respondeo*, sine dubio esse vitalem, quatenus talis diceretur ille qui spectaret ad potentiam vitalem, & posset concurrere ad actum vitalem: & hoc siue loquendo de habitu naturali, siue de supernaturali, de quibus quoad hoc eadem est ratio; & in hoc etiam sensu species intelligibiles sunt vitales; & idem est de aliis speciebus externis, & internis. Non est autem nec habitus, nec species vitalis aut viuens, quatenus virale, aut viuens dicitur quod potest percipere, aut quod est perceptio; nec quatenus viuens dicitur illud quod potest in se producere perfectionem vltra illam quam debet habere pro instanti generationis.

*An hãbitus intellectualis sit vitalis.*

21. *Quæres tertio*, quid significatur per viuens positum in prædicamento substantiæ sub corpore.

*Respondeo*, per illud viuens posse intelligi substantiam corpoream constantẽ corpore, & anima vt sic, communi animæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationali: vel etiam substãtiam completam potentem acquirere sibi partes substantiales, eas intra se producendo. Vel denique substantiam corpoream completam potẽtem acquirere sibi perfectiones vltra illam, quam petit habere, pro instanti generationis, si tamen omnis substantia talis sit viuens. Ex his autem explicationibus prima est magis physica, aliæ duæ magis metaphysicæ.

*Quid est viuẽs positum in prædicamẽto substantiæ sub corpore.*

*Quæres quarto*, An potentia loca motiua sit vitalis, seu an eo ipso, quo aliqua substantia habet virtutem loco motiuam, debeat dici quod sit viuens. Per potentiam autem loco motiuam intelligo potentiam, non quamcũque, qua possit produci motus localis, quia alias grauia, & leuia possent dici viuentia, vt patet; sed illã, qua possit produci motus localis progressiuus, quæque non determinatur ad certum motum, sed potest habere varios.

*An potẽtia loco motiua sit vitalis.*

*Respondeo primo*, illam potentiam per se formaliter non esse vitalẽ, quatenus vitalis diceretur illa, quæ esset perceptiua, quia reuera illa non est perceptiua, quamuis, quia illa subordinatur potentiæ perceptiuæ, & nũquam reperitur in aliquo, in quo non est potentia perceptiua, possit ex ea colligi quod habens illam sit viuens vita perceptiua, & in hoc sensu possit dici vitalis, id est dependens à vita, & arguens vitam.

*Respondeo secundo*, illam non esse potentiam vitalem formaliter, quatenus talis appellatur illa, per quam aliquid potest acquirere perfectionem absolutam vltra illam, quam natum est habere pro instanti generationis, quia habens illam per eam non potest acquirere nisi diuersa vbi, quæ non debebantur ipsi in instanti generationis: sed illa diuersa vbi non sunt perfectiones absolutæ, sed respectus: ergo.

*Respondeo*

*Respondeo tertio*, eam esse vitalem, vt talis dicitur illa, per quam aliquid potest se mouere modo tali, quo videmus animalia posse se mouere; qui motus vocari solet motus organicus, nam certe communiter homines non minus vocant viuentia illa, quæ se nutriunt; sicut nutrire se solent animalia, quàm quæ hoc modo se mouent, & omnino videtur quod motus ille & motus nutritionis habent aliquam similitudinem inter se, qualem non habent cum motibus aliis siue prouenientibus ab animalibus, siue ab inanimatis.

## QVÆSTIO II.

### *Quid sit corpus, & quid spiritus.*

23. QVandoquidem ponatur in prima definitione animæ, quod sit actus corporis organici; & postea etiam resoluatur de anima rationali quod sit spiritualis forma, hic examinandum censui, quid sit esse corpus, & quid esse spiritum; vbi aduertendum est quæstionem hanc esse de corpore, & spiritu, prout opponuntur sic, vt illud quod est corpus, non sit, nec possit esse spiritus, nec è contra; vnde patet agi hic de spiritu prout capitur, non pro vento, & aëre, sicut accipitur Genes. 8. *Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ*, id est, aëre, & véto siccauit Deus terram; nec pro humore animalis, vt Prouerb. 17. *Spiritus tristis exsiccat ossa*, id est humor melãcholicus; nec pro spiritibus vitalibus aut animalibus, vt satis communiter accipi solet, nec pro anima sensitiua, vt Eccles. 3. *Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus iumentorum descendat deorsum?* In quo etiam sensu, quæ animalia moriuntur, dicuntur emittere spiritum; non inquam agitur de spiritu hic in vlla ex his acceptionibus, quia quæ sic sunt spiritus, sunt etiam corpora; sed agitur, vt dixi, de eo, vt opponitur corpori sic, vt illud, quod est spiritus non sit corpus, in quo sensu sumitur spiritus in eo loco Lucæ 24. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet.*

Variè capitur spiritus.

### CONCLVSIO I.

24. *Corpus vt sic non bene describitur esse substantia naturaliter petens habere trinam dimensionem.* Hæc est contra *Hurtadum disp. 2. sect. 3.*

Corpus vt sic non est substantia petés trinam dimensionem.

*Probatur*: quia superficies est corpus, prout corpus opponitur spiritui, secundum omnes, & tamen non habet nec petit habere trinam dimensionem. Et idem dicendum est de linea, ac puncto substantiali, ergo corpus vt sic non bene sic describitur.

*Confirmatur*: si daretur aliqua substantia indiuisibilis potens occupare locum diuisibilem impenetrabiliter, vt secundum multos est possibile, esset corpus, & tamen non esset trinæ dimensionis.

*Deinde* si daretur substantia trinæ dimensionis, quæ esset nata occupare locum diuisibilem, ita vt esset tota in toto, & tota in qualibet parte, vt aliqui philosophantur de facto Angelos esse, non esset corpus.

*Obicies*, secundum *Augustinum de quantitate animæ* non potest concipi corpus, quod non habeat longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ergo ratio corporis consistit in habendo illam trinam dimensionem.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: prout corpus opponitur spiritui, nego antecedens; prout opponitur superficiei, lineæ, & puncto, transeat antecedens. Et similiter distinguo consequens: ratione corporis vt sic, prout corpus opponitur spiritui, nego consequentiam; prout opponitur superficiei & lineæ, transeat consequentia.

### CONCLVSIO II.

Aliæ descriptiones corporis reiiciuntur.

25. *Non bene describitur corpus vt sic, esse illud quod exigit connaturaliter quantitatem; neque quod est impenetrabile cum alio eiusdem speciei; neque quod dicit ordinem ad materiam; neque quod habet partes integrantes.*

*Probatur quoad primam partem*; quia anima rationalis exigit connaturaliter quantitatem, & tamen non est corpus.

*Et si dicas* quod non exigat ita, quin naturaliter possit esse absque quantitate.

*Contra*, hinc non sequitur quin mala sit prædicta descriptio, quæ solum ponit exigentiam connaturalem, & non specificat illam particularem exigentiam, quæ ponitur in responsione.

*Probatur secundo*, eadem pars: quia si daretur aliqua substantia diuisibilis, quæ non exigeret quantitatem, vt multi ex Antiquis Patribus philosophati sunt de Angelis, & exigeret tamen esse in loco diuisibili cum proportione partis ad partem, illa substantia esset corpus; & ideo illi Patres dixerunt consequenter Angelos esse corporeos; ergo ratio corporis, vt sic non infert exigentiam quantitatis.

*Confirmatur*, quia cæli absque dubio sunt corpora, & tamen non adeò certum est, quod habeant aut exigant quantitatem: ergo conceptus corporis potest haberi absque exigentia quantitatis.

*Probatur secunda pars* conclusionis, quæ est contra *Arriagam*: quia si Deus crearet substantias habentes partes extensas, quæ peterent ex natura sua esse penetrabiles, nõ minus quam corpora gloriosa exigunt, beneficio dotis gloriosæ penetrabilitatis, in quo difficulter potest dari implicantia, illæ essent corpora non minus quã corpora gloriosa de facto sunt, etiam vt gloriosa: ergo ratio corporis vt sic non includit illam impenetrabilitatem.

*Confirmatur*, per illam sententiam Patrum de Angelis corporeis, quos tamen non putabant impenetrabiles.

*Confirmatur secundo*, quia *Arriaga* non habet vllam rationem pro sua sententia, nisi quod non possit explicari ratio corporis melius: sed hoc est falsum, vt postea patebit: ergo.

26. *Probatur tertia pars*: quia si non detur de facto corpus simplex completum, vt multi asserunt dari, certe potest de potentia absoluta dari tale corpus, vt ostensum est *in libris de Cælo.*

*Probatur denique quarta pars*: quia punctum substantiale quale datur de facto secundum multos, & possibile est dari, saltem de potentia absoluta, est corpus, & tamen non habet partes integrantes, & idem est de substantia indiuisibili potenti occupare locum diuisibilem cum impenetrabilitate.

*Deinde* substantia spiritualis diuisibilis posset dari, vt postea.

*Aduerte* autem hic pro solutione obiectionum, quæ opponi possunt contra quamcumque partem huius Conclusionis, non velle me quin substantia exigens quantitatem aut impenetrabilitatem sic, vt non possit esse naturaliter absque quantitate & impenetrabilitate, sit corpus; imo existimo quod omnis talis sit corpus, & in hoc fundatur illud Christi argumentum: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet*, quia scilicet ex palpatione, quæ absque quantitate & impenetrabilitate fieri non poterat, optime sequebatur quod Christus, qui palpari poterat, non esset spiritus, cum hic propter defectum quantitatis, & impenetrabilitatis palpari nequeat. Sed contendo hic rationem corporis vt sic, in hoc non consistere, quamuis ratio corporis particularis posset hoc habere vnà cum ratione corporis vt sic.

### CONCLVSIO III.

Descriptio corporis, vt sic.

27. *Corpus, seu substantia corporea vt sic, prout opponitur substantiæ spirituali, bene describitur esse substantia connaturaliter impotens occupare locum diuisibilem indiuisibiliter, ita vt possit esse tota in toto, & tota in qualibet parte illius loci, saltem sic, vt possit aliquando plus, aliquando minus loci occupare, nec determinetur ad determinatum locum.* Hæc est nullius, quod sciam.

*Probatur* tamen: tum quia alia melior explicatio nequit dari; tum quia omnis substantia, quæ de facto est corporea, etiam punctum substantiale, habet hanc rationem, & nulla ex iis, quæ de facto dicũtur spirituales habent illam; nec potest assignari vllus cõceptus substãtiæ corporeæ possibilis, cui nõ possit hæc ratio cõpetere, aut vllus conceptus substãtiæ spiritualis possibilis, cui competat. Addidi autem illam vltimam particulam: *Saltem sic, vt non determinetur naturaliter ad determinatum locum*,

propter sententiam eorum, qui putant possibile esse aliquod materiale indiuisibile, quod possit occupare spatium diuisibile, sed ita vt semper determinetur ad tantũ spatij; quæ sententia si vera est, necessario adiungenda erat illa particula, alias descriptio competeret isti rei materiali indiuisibili. Quod si non sit vera illa sententia, non erit illa particula necessaria, sed reliquæ sufficient.

*Obiicies*: Anima brutorum perfectiorum, vt equi, bouis, leonis, est indiuisibilis, & occupans locum diuisibilé indiuisibiliter, secundum Thomistas, & tamen non est corporea: ergo non est bona illa descriptio.

*Respondeo*, quamuis ita teneant *Thomistæ*, negandam tamen esse maiorem: de quo postea suo loco.

## CONCLVSIO IV.

Omnis forma corporea dependet à corpore sibiecto, sed illa dependentia nõ est ipsi essentialis.

28. *De facto omnis forma, tam substantialis, quàm accidentalis corporea, ita dependet a substantia corporea, tanquam a subiecto, siue immediato, siue mediato; vt non possit connaturaliter esse absque illo; nec tamen illa dependentia inuoluitur necessario in conceptu formæ corporeæ vt sic, quæ opponitur formæ spirituali* vt sic. Hæc quoad primam partem est communissima.

*Probatur*: quia omnis forma substantialis præter animam rationalem, educitur è potentia materiæ, aut corporis, vt probatum est primo Physicorum: ergo omnis forma substantialis corporea habet talem connaturalem dependentiam à substantia corporea.

*Deinde* nulla forma accidentalis potest reperiri naturaliter absque subiecto substantiali: sed nullum est subiectum substantiale, nisi quod sit, vel spirituale, vel corporale, sed omnis forma, quæ solum habet dependentiam à spirituali subiecto est spiritualis; ergo omnis forma corporea, quæ non est spiritualis, debet habere dependentiam de facto à corpore.

*Confirmatur*: quia nulla potest assignari forma corporea, siue accidentalis, siue substantialis, quæ non dependet sic à corpore: ergo dicendum est, quod omnis talis sic dependeat.

*Probatur secunda pars*, quam apud nullum authorem reperio, & videtur esse contra communiorem modum loquendi, est tamen conformis ad principia communia *Scotistarum*, & aliorum, qui arguunt ex indiuisibili modo existendi, quem tribuunt *Thomistæ* animabus brutorum perfectiorum, quod esset spiritualis, quamuis non penderet in esse & fieri à corpore.

Probatur, inquam, quoad hanc partem: quia quamuis per impossibile anima rationalis esset dependens in esse, & fieri à corpore, sanè non propterea sequeretur, quod non esset spiritualis, modo esset tota in toto, & tota in qualibet parte, & hinc non obstante, quod animæ brutorum haberent talem dependentiam, benè adhuc inferunt *Scotistæ*, & alij quod essent spirituales, si essent indiuisibiles, & totæ in toto, ac totæ in qualibet parte corporis: ergo illa dependentia non inuoluitur in conceptu formæ corporeæ.

29. *Probatur secundo*: quia quamuis albedo non haberet dependentiam à corpore, aut subiecto vllo magis, quam anima rationalis habet à corpore, non propterea perderet rationem formæ corporeæ, & gratis omnino ac absque vllo fundamento diceretur, quod non esset corporea, si sic non dependeret; ergo illa dependentia non inuoluitur in conceptu formæ corporeæ vt sic.

*Confirmatur*: quia, vel inuolueretur tanquam prædicatum essentiale, vel tanquam proprietas, (loquor de dependentia aptitudinali aut radicali, nam certum est dependentiam actualem posse separari à forma corporea tam substantiali, quam accidentali absoluta, vt patet in accidẽtibus separatis. Sed neutro modo inuoluitur: ergo.

Probatur minor quoad primam partem: quia si tanquam prædicatum essentiale, vel tanquam prædicatum essentiale commune ipsi, & aliis formis, sicut animal includitur, tanquam prædicatum essentiale in homine; vel tanquam prædicatum essentiale proprium, & constituẽs ipsam formaliter in esse corporeæ; non tanquam prædicatum commune, quia deberet competere aliis formis spiritualibus, quod manifestè falsum est; non etiam tanquam proprium, & formaliter constitutiuum in esse tali; tum quia hoc gratis diceretur, tum quia sic non possemus concipere vllam formam spiritualem per modum sic dependentis, quod manifestè patet falsum; tum denique, quia ideo haberet vna forma dependentiam ad corpus potius quam alia, quia habet aliquam formalitatem distinctæ rationis à formalitatibus inclusis in altera forma: ergo ante dependentiam illam quomodocumque consideratam debet assignari aliqua alia formalitas, ad quam sequitur dependentia, & sic dependentia illa non erit formalitas essentialiter constitutiua.

Probatur eadem minor, quoad secundam partem, nempè quod non inuoluatur illa dependentia tanquam proprietas: quia si sic inuoluereturr, posset in forma corporea assignari aliquod prædicatum essentiale, per quod tanquam per medium posset inferri illam proprietatem competere formæ corporeæ, vt corporea est. Sed hoc est falsum: ergo.

## CONCLVSIO V.

Descriptio formæ corporeæ absolutæ & respectiuæ.

30. *Forma corporea absoluta bene describitur esse, quæ non potest connaturaliter esse in pluribus locis simul secundum se totam aut easdem partes. Forma vero corporea respectiua bene describitur esse, quæ habet determinare subsistantiam aut formam absolutam corpoream, tanquam subiectum cui inhæreat.*

*Hæc probatur quoad primam partem*: tum quia omnis & sola forma, quæ solet aut potest vocari corporea, habet hanc rationem; tum quia in hac explicatione habet proportionem cum substantia corporea, provt ante ipsam explicaui; tum denique, quia non potest assignari melior explicatio.

*Dices* posse explicari formam corpoream per hoc quod dicatur esse illa, quæ connaturaliter exigit esse impenetrabilis cum aliis formis eiusdem rationis.

*Contra primo*, quia illæ ipsæ rationes propter quas supra reieci similem explicationem substantiæ corporeæ vt sic, deseruiunt etiam ad impugnandam hanc explicationem.

*Contra secundo*, quia duo gradus intensionis caloris, verbi gratia, sunt eiusdem speciei & corporei, nec tamen expellunt se inuicem ab eodem loco, sicut nec expellunt se ab eodem subiecto.

*Probatur eadem Conclusio, quoad secundam partem*: quia omnis forma, quæ habet talem vim determinandi rem corpoream, qualem habet accidens respectiuum in ordine ad suum subiectum, habet essentialem connexionem cum ipso, ratione cuius nec de potentia absoluta posset esse absque ipso; sed hoc abunde sufficit, vt dicatur corporeum, & differat ab omnibus illis formis respectiuis, quæ non dicũt talem ordinem ad corporeum: ergo bene describitur per hoc forma respectiua corporea vt sic.

*Si autem quæras*, cur illi non sufficiebat descriptio assignata pro forma corporea absoluta.

*Respondeo*, quia secundum multos *Scotistas* aliqua forma spiritualis respectiua habet non posse esse naturaliter in pluribus locis, quamuis sit in subiecto existente in pluribus locis, verbi gratia Vbi, quod habet anima ad locum, in quo est caput, & quam habet ad caput, non est, nec potest naturaliter esse in loco pedis, aut simul cum vnione quam habet anima in pede propter essentialem dependentiam ad terminum: quæ doctrina si sit vera, descriptio illa formæ absolutæ corporeæ non posset esse bona descriptio formæ respectiuæ corporeæ, quandoquidem conueniret vnioni spirituali subiectatæ in anima. Vt ergo vel conformarem me huic doctrinæ *Scotistarum*, vel certe abstraherem ab illa, consultius videbatur aliam assignare descriptionem formæ corporeæ respectiuæ.

## CONCLVSIO VI.

31. *Spiritus seu substantia spiritualis non corporea, vt sic, optime describitur esse substantia potens connaturaliter occupare*

Quid substantia spiritualis vt sic.

*occupare locum diuisibilem indiuisibiliter, saltem sine necessaria exigentia loci determinati sic, quin possit esse in maiori vel minori, & similiter potest describi forma spiritualis absoluta; forma vero spiritualis respectiua potest describi esse forma petens subiectum spirituale ex natura sua extrinseca essentialiter.* Hæc debet esse omnium eorum, qui tenent præcedentes conclusiones.

*Probatur* ex dictis; quia ad explicandas substantias & formas spirituales tam absolutas quàm respectiuas, sufficit conceptus, quo distinguantur à substantiis & formis corporeis quibuscumque, habeantque oppositionem cum ipsis. Sed hoc fit per has descriptiones, vt patet, ergo hæ descriptiones sunt bonæ: nec in hoc potest esse vlla difficultas præter illas, quæ militant contra præcedentes Conclusiones, quarum probationes maxime confirmant hanc conclusionem.

## CONCLVSIO VII.

Indiuisibilitas partium integralium non est de ratione accidentis spiritualis.

32. *Indiuisibilitas partium integralium non est de ratione accidentis spiritualis, nec vlla ratione necessario connexa cum illo.* Hæc est iam communior *Scotistarum & recentiorum*, & nominatim *Suarij* 5. *Met. par.* 1. *Arriaga hic disput.* 1. *num.* 61. contra *Hurtadum disput.* 2. *sect.* 3. *Vasq. & alios.*

*Probatur* manifeste: quia Fides, Spes, & Charitas tam supernaturales quàm naturales, sunt accidentia spiritualia secundum omnes: sed sunt diuisibiles in plures gradus; quandoquidem intendi possint; intensio enim non fit, quidquid dicant *Thomistæ in libris de Generatione* impugnati, absque additione gradus ad gradum.

*Hæc probatio* efficaciter facit contra Thomistas, qui nequeunt respondere nisi iuxta sua principia de intensione, quorum impugnatio ad supradictum locum remittenda est.

*Hurtadus* vero non conueniens cum *Thomistis* in illis principiis,

*Respondet* diuisibilitatem partium integralium intensionis non repugnare accidenti spirituali, sed diuisibilitatem partium extensionis, qualem secundum ipsum haberet vnio animæ ad corpus si esset diuisibilis, ac vna pars ipsius corresponderet vni parti corporis, altera alteri, & idem tenet de vbi Angelico, quo est præsens loco diuisibili, vnde putat tam vnionem animæ ad corpus diuisibile, quam vbi Angelicum terminatum ad locum diuisibilem, necessario esse indiuisibilia, & aliàs illa non fore spiritualia.

Vnio animæ ad corpus est diuisibilis.

*Contra primo*, quia quoties diuisibilitas extensiua non exigit diuisibilitatem subiecti, non magis repugnat accidenti spirituali, quam diuisibilitas intensiua; nulla enim ratio adferri potest, cur magis repugnaret: sed diuisibilitas, quæ esset in vnionibus & vbi prædictis, non exigeret diuisibilitatem subiecti, imo potius exigeret indiuisibilitatem eius, quandoquidem idem ipsum subiectum secundum se totum, quod deberet vniri vni parti corporis & poni in vna parte loci, deberet vniri aliis partibus corporis & poni in aliis partibus loci.

33. *Contra secundo*, & sit etiam secunda probatio Conclusionis; vnio animæ ad corpus est diuisibilis in plures partes integrantes non intensionis, sed extensionis: sed illa vnio est spiritualis, vt fatentur aduersarij, & patet ex Conclusione sexta: ergo diuisibilitas in partes integrantes etiam extensiuas, non repugnat accidenti spirituali.

Probatur maior quoad illam partem, quia dicit quod illa vnio sit diuisibilis, in qua sola esse potest difficultas: nã quoad alteram partẽ, in qua dicit, quod sit diuisibilis in partes extẽsionis, cõcederetur ab aduersariis si concederent vllam diuisibilitatem in vnione; & patet quia per illas plures partes non magis intensè vnitur anima corpori, quam per vnam partem ex illis.

Probatur inquam, maior quoad illam primam partem: quia alias, quoties acquireret homo aliquam partẽ corporis nouam per quamcumque nutritionẽ, etiamsi illam solum acquireret ad manum, vnio animæ præcedens, etiam illa qua vniebatur pedi, deberet destrui, & deberet de nouo vniri pedi, ac reliquis corporis partibus: sed hoc est falsum, tum quia id gratis diceretur accidere, tum quia apparet tam incredibile ex terminis, vt absque magno fundamento non debeat asseri, quale non habent aduersarij; tum denique, & præcipue quia pro instanti, quo homo nutrit se mediante anima, manet vnio præcedens: ergo non destruitur, nec aduenit alia vnio totalis. Consequentia quoad primam partem est euidens: probatur quoad secundam: quia sic duplici vnione vniretur simul & semel eidem parti corporis, quod omnes fatentur absurdum propter superfluitatem.

Probatur ergo antecedẽs: quia in quocumque instanti producitur effectus realis, debet existere causa realis istius effectus, nec sufficit quod extiterit ante, alias quod non esset, posset aliquid producere: sed homo est causa istius vnionis, quæ producitur in instãti nutritionis, non vero homo constitutus per illam ipsam vnionem: ergo homo constitutus per vnionem præcedentem, & consequenter in illo instanti debet esse vnio præcedens.

*Confirmatur*: quia causa debet esse prius natura, quam effectus: ergo homo causans illam vnionem acquisitam per nutritionem debet esse prius natura, quam illa vnio: sed non potest esse homo absque aliqua vnione: ergo debet habere pro priori illo naturæ in eodem instanti temporis alteram vnionem.

*Confirmatur secundo*: quia non est ipsa anima sola, & vt non vnita corpori, quæ potest causare illã vnionẽ: ergo causat illam vt vnita, & consequẽter vnio ad corpus alẽ qua antecedit in anima anterioritate naturæ pro eodem instanti tẽporis illam aliam vnionẽ, quod est intentum.

34. *Alij probant* maiorem, quia inde sequeretur quod ad singulas nutritiones, seu ad singulas partes corporis, quas perderet, homo moreretur, quia ad singulas illas tolleretur tota vnio animæ ad corpus: mors autem consistit in tali separatione, seu ablatione vnionis.

*Verum hæc probatio* mihi non satis placet, quia aduersarij dicent, mortem non consistere in ablatione quacũque vnionis; sed in ablatione tali, à qua fieret vt pro aliquo tempore, vel instanti temporis non haberet vnionẽ vllam, nec illam quæ aufertur, nec aliam succedentem, talis autem ablatio vnionis non fieret secundum aduersarios; vnde secundum ipsos non sequeretur mors hominis ad singulas nutritiones, quamuis ad singulas illas tolleretur tota vnio præcedens, quia etiam ad singulas illas produceretur noua vnio.

35. *Alij probant* eandem maiorem: quia quandoquidem nutritio fieri debeat continue & in tempore, in quo sunt infinita instantia, deberent produci infinitæ vniones totales sibi inuicem succedentes.

*Hæc etiam probatio* nihil prorsus vrget, tum quia sicut in tẽpore illo non dantur infinita instantia simpliciter, sed syncategorematice; ita etiam nec in vnionibus ipsi correspondentibus debet dari infinitus numerus simpliciter, sed tantum syncategorematice. Tum quia æque militat contra admittẽtes diuisibilitatem vnionis, nam tam sequeretur in ipsorum sententia, quod acquirerentur infinitæ partes vnionis, quam infinitæ vniones totales in aliorum; & ex alio capite tam repugnant infinitæ partes vnionis quam infinitæ vniones, quantum ad infinitatem, vt manifestum est.

35. *Probatur tertio conclusio*: quia si requireretur indiuisibilitas in forma accidentali spirituali, nec posset ipsi competere diuisibilitas, maxime quia alias non posset distingui à forma corporea accidentali: sed hoc est falsum: ergo. Probatur minor: quia posset distingui per conceptum illum, per quem descripta est conclusione sexta: in illo autem non ponitur indiuisibilitas, aut aliquid, ex quo necessario sequatur.

*Probatur secundo*: quia indiuisibilia materialia accidentalia, quæ admittuntur in quantitate, & qualitatibus, sunt formæ accidentales corporeæ: ergo forma accidentalis corporea non habet distingui à spirituali per diuisibilitatem præcisè.

*Confirmatur* in sententia Thomistarum ad hominem, quia ipsi dicunt animas perfectorum brutorum esse corporeas, & indiuisibiles.

*Confirmatur secundo*: quia dantur aliquæ formæ corporeæ diuisibiles, aliquæ indiuisibiles; ergo possunt dari aliquæ formæ spirituales diuisibiles, & indiuisibiles absque præiudicio spiritualitatis.

quid substantia spiritualis posita in prædicamento substantiæ.

*Ex his patet* spiritum, seu substantiam spiritualem, vt sic, quæ ponitur directè in prædicamento substantiæ finitæ, esse substantiam completam potentem naturaliter occupare locum diuisibilem indiuisibiliter. Et corpus vt sic, seu substantiam corpoream, quæ ponitur directè in eodem prædicamento, esse substantiam completam, non potentem sic occupare locum. Hæc autem substantia completa potest diuidi in eam, quæ petit quantitatem connaturaliter; & eam quæ non petit, modo tamen possibilis sit talis substantia; & conceptus substantiæ corporeæ petentis quantitatem est magis notus & vulgaris, vtpotè qui competit omnibus substantiis, quas de facto cognoscimus esse corporeas.

In hac autem ita vulgari acceptione potest diuidi corpus in organicum, & non organicum. *Organicum* est, quod habet partes diuersæ rationis ordinatas ad operationes diuersas sibi mutuo subordinatas, & talia sunt corpora omnium substantiarum corporearum viuentium, quæ viuunt vita, siue vegetatiua, siue sensitiua, siue rationali.

*Non organicum* est quod non habet partes huiusmodi, sed vel eiusdem rationis, vt est corpus aquæ, ignis, aeris, vel si habeat partes diuersæ rationis, illæ tamen non sibi inuicem subordinantur in suis operationibus, & talia corpora sunt corpora cælestia, si habeat partes subtiliores & densiores, & lapides etiam aliqui, in quibus reperitur quædam diuersitas in suis partibus.

## QVÆSTIO III.

### *Vtrum in viuentibus corporeis detur alia forma substantialis præter animam.*

37. SVppono iam ex dicendis dari animam in quolibet viuente corporeo, quod de facto datur, quidquid sit an possit dari de potentia absoluta aliquid viuens corporeum, quod esset substantia simplex atque adeo quod non constaret anima.

*Quæritur ergo*, an præter animam detur in illis alia forma substantialis, cum qua quæstione in re coincidit alia quæ solet examinari *lib. 1. Physicorum*, an possint dari naturaliter duæ formæ substantiales subordinatæ in eodem composito substantiali; nam si præter animam in viuentibus detur alia forma substantialis, sine dubio poterunt dari duæ tales formæ; & si non detur, non poterunt dari, quia nullibi possunt potius quam in viuentibus dari.

*Communior sententia Thomistarum & recentiorum cum D. Thoma 1. qu. 76. art. 3. Suarez disput. 15. Met. Hurt. disp. 4. Phys. Auersa q. 20. sect. 3.* est negatiua, quam sententiam tanta acrimonia defendendam suscepit *Arriaga disp. 3. Phys. num. 50.* & deinceps, vt non contentus oppositæ sententiæ impugnatione, vlterius etiam ei inuidiam cõciliare nitatur, asserens non solum nullum in Hispania eam docere, paucos in Italia, & Germania rarissimos, sed præterea in Hispania nullum eam ex professo impugnare dignari, tanquam rem sine solido fundamento.

*Sed, vt ab hoc ipso incipiam*, certum est quotidiana experientia omnium fere professorum, eos non dedignari sententias solido fundamento carentes impugnare, imo eas potius impugnare deberent; & sane aliàs maxima pars opinionum particularium ipsiusmet *Arriagæ*, & inter cæteras hæc ipsa, quam in hac controuersia tenet, ab omni esset impugnatione secura, vtpote quæ sine dubio minus solido caret fundamento quam sententia opposita.

*Deinde* cum in Hispania, Gallia, Germania, Italia præter quamplurimos Professores nullius se authoris sententiæ alligantes, tantus numerus *Scotisticæ doctrinæ Professorum* sit, hanc sententiam affirmatiuam tenentium, vt vix dubitem quin & *Thomistarum & Iesuitarum* numerum adæquent, nisi eos hic Author tam paruifaciat, vt pro nihilo reputandos existimet, non video quomodo ex veritate stare possit, quod de paucitate eorum, qui eam sententiam profitentur, tam libere pronunciat. Quod si de iis ipse tam humiliter sentiat, dabit nobis, si modestia aliam vetet comparationem, ipsius ea de re censuram, vt & de hac ipsa controuersia opinionem, contemnere.

*Secunda sententia est affirmatiua*, quam tenet *Scotus in 4. dist. 12. qu. 3. cum omnibus suis*, nominatim *Fabro theorem. 37. Cauello hic disp. 1. sect. 4. Mastrio disp. 2. Phys. qu. 4. art. 2. & disp. 5. art. 1.* quos sequuntur *Zabarellus, Murcia, Dandinus, Piccolomineus, Coninch. de Sacram. qu. 76. art. 2. Camerarius 2. par. q. 27.*

## CONCLVSIO.

Dantur in viuentibus præter animã formæ corporeitatis.

18. *Dantur in substantiis corporeis viuentibus aliæ formæ substantiales præter animam quamcumque.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam.

Probatio ex authoritate philosophi.

*Probat Camerarius* hanc conclusionem fuse ex variis authoritatibus *Philosophi*, quas apud ipsum videndas relinquo, quia non tam authoritati quam rationi in hac re fidẽdum cẽseo: sufficit vnus locus ipsius ex 1. *de anima tex. 72.* vbi probat animam non esse corpus, quia alias duo corpora essent naturaliter in eodem loco: Si enim non daretur aliud corpus in viuẽtibus præter ipsam animam, hæc sequela non valeret; ergo secundum *Philosophum* datur corpus in homine distinctum ab anima, cum quo est simul in eodẽ loco anima: sed illud aliud corpus debet esse quid constitutum substantialiter per aliquam formam substantialem: ergo præter animam in viuẽtibus datur talis forma: & illa ipsa est, quam vocant *Scotistæ* formam corporeitatis, quia scilicet constituit illud corpus, ex quo & ex anima constituitur viuens.

*Respondere possunt aduersarij*, illud corpus, cum quo simul in eodem loco est anima, esse materiam primam, siue secundum se sumptam, vt volunt aliqui, siue vt afficitur diuersis accidentibus organizantibus illam, vt volunt alij.

*Sed contra*: quia qua ratione materia prima potest vocari corpus, ex eo scilicet, quod sit substantia non spiritualis, eadem ratione anima quælibet præter rationalem esset etiam corpus; neque in hoc sensu accipiendo corpus, est incõueniens quod duo corpora sint in eodem loco, imo de facto debent esse: ergo nõ intellexit Philosophus corpus in hoc sensu, sed in alio. Quod si materia prima per se nõ est corpus in sensu Philosophi, profecto nec ab accidẽtibus vllis potest accipere esse corpus: ergo Philosophus non intellexit in prædicto loco per corpus, aut materiam primam secundum se, aut materiam primam cum accidentibus.

*Probatur secundò* argumento Theologico desumpto ex *Scoto* supra: quia si in triduo mortis Christi Domini aliquis Apostolorum consecrasset Panem, posuisset sub speciebus Panis corpus Christi Domini, qui est terminus per se istius conuersionis; sed hoc esset falsum, si corpus Christi Domini non diceret formam substantialem distinctam ab anima; ergo dicit talem formam.

Probatur minor: quia non poneretur tum corpus Christi Domini, quatenus est constitutum per animam, alias reduceret Christum ad vitam: ergo quatenus constituitur per aliquam aliam formam substantialem, non per formam cadaueris, quod de nouo fingunt aduersarij produci post separationẽ animæ, quia corpus constitutum per illam formam, non est corpus Christi magis, quam ignis generatus ex ligno est corpus ignis, vt patet.

*Dices*, corpus, quod est terminus conuersionis, esse vel materiam primam solam, vel materiam primam cum accidentibus disponentibus ad esse carnis, ossis, & reliquarum partium corporearum Christi; vnde quia in triduo mortis existebat materia Christi cum illis accidentibus, propterea poterat panis conuerti in corpus Christi.

41. *Contra primò*, quia nemo dicit corpus ligni esse sub forma ignis, quãuis materia prima ligni maneat sub illa forma: ergo quãuis materia prima Christi poneretur sub

speciebus

speciebus panis, non recte diceretur corpus Christi esse sub illis speciebus. *Deinde* si idem esset corpus Christi, ac materia Christi, posset quis æquè consecrare cum hac forma, hæc est materia mea, ac cum hac alia, hoc est corpus meum, quod est falsum secundum omnes.

*Contra secundo*: quia secundū *Thomistas*, qui dicunt accidentia subiectari in toto composito, non possunt in triduo mortis accidentia eadem numero, quæ erant in Christo, esse in materia Christi, neque in cadauere eius: ergo non poterat tum poni sub speciebus panis corpus Christi, vt dicit materiam Christi, & accidentia Christi. Nec refert quod essent accidentia similia: nam illud quod vi consecrationis debet poni sub speciebus panis, non est corpus simile corpori Christi, sed verum, & proprium corpus Christi, vt puto esse de fide.

*Contra tertio*, contra recentiores putantes accidentia subiectari in materia prima, & consequenter eadem numero accidentia Christi manere in cadauere eius, quamuis cadauer illud constituatur per aliam formam substantialem. Contra, inquam, hos est non solum, quod illa sententia sit falsa: sed quod terminus per se transubstantiationis sit substantia, & quod accidentia Christi ponantur sub speciebus panis per concomitantiam solummodo: ergo corpus, quod per se ponitur sub illis, non debet per se dicere illa accidentia, & consequenter corpus Christi, quod poni debet sub illis speciebus, non est materia prima cum accidentibus Christi.

*Confirmatur*, specialiter contra *Suarium*: corpus, quod est per se terminus transubstantiationis secundū ipsum, est materia prima, vt accipit esse corporeum ab anima: sed in triduo non posset materia Christi accipere esse vllum ab anima, quia supponitur separata tum ab illa materia: ergo falsum est, quod terminus transubstantiationis sit corpus illo modo acceptum.

41. *Possent alio modo respondere aduersarij*, in triduo illo, vel Apostolos non potuisse consecrare, quia non existebat corpus Christi proprium & verum; vel si non existente corpore Christi posset fieri consecratio, per consecrationem illam produci corpus Christi, ipsumq; consequenter Christum, quatenus homo est, reduci posse ad vitam, nec esse inconueniens, quod esset mortuus extra Sacramentum, & viuus in Sacramento.

*Sed contra primum* est, quòd falsum sit, tum non extitisse verum corpus Christi, vt statim dicetur: & *præterea* aduersarij communius concedunt potuisse tum fieri consecrationem.

*Contra secundum* est, quod in illo triduo supponatur Christus simpliciter mertuus, quod non esset verum si viueret vllibi.

*Fateor tamen hanc responsionem* quantum ad præsentem difficultatē vix posse benè impugnari, suppositā alia doctrina non improbabili, nēpe quod materia prima replicata posset habere formam substantialem in vno loco, & ea carere in altero. Sed tamen potest saluari, quomodo posset consecratio fieri alio modo, & si potest per corpus Christi aliud intelligi, quam materia constituta per animam, non est sine dubio recurrendum ad illam doctrinā ad saluandam consecrationem, vt ipsimet aduersarij fatebuntur; sed potest id fieri, vt patebit ex dicendis.

*Confirmatur*: quia non potest corpus, quod ponitur per se sub speciebus panis, esse aliquid constitutum ex anima, & materia prima: ergo, & habetur intentum principale, & præterea non deberet in triduo mortis, facta cōsecratione, anima Christi vniri materiæ eius.

Probatur antecedens: quia secundum *Trid. sess.* 13. anima Christi ponitur vi naturalis connexionis, quā habet cum corpore, & sanguine, quæ per se ponuntur vi verborum, & non ponitur directe sub illis: sed hoc esset falsū, si corpus cōstitueretur per animā: ergo non constituitur.

Probatur minor: quia quidquid per se producit aliquid, verbi gratia hominem, per se producit omnia constitutiua eius, quæ tum producuntur, animam, verbi gratia & corpus ipsius: ergo si corpus constituatur in esse tali per animam, quidquid per se ponit corpus, ponit etiam per se animam sub speciebus.

*Dices*: animam poni per concomitantiam, quatenus est constitutiua in esse viuentis sensitiui, & rationalis; vt sic vero non esse constitutiuam corporis, sed sub alia retione v.g. quatenus est forma substantialis.

*Contra*: quia concomitantia, quam habent formaliter omnes animæ inter se, est concomitantia realis identitatis secundum omnes: sed concomitantia, de qua loquitur *Concilium*, non est talis; sed concomitantia naturalis fundata in connexione naturali, qua partes Christi, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur, vt ait *Concilium*; vnde supponit, quod si esset moriturus, non deberet esse talis concomitantia; ergo loquimur de concomitantia, quam habent res realiter separabiles: sed concomitantia quam habent illæ formalitates, est concomitantia necessaria, & inseparabilis de potentia absoluta: ergo de ea non agit Concilium.

*Contra secundo*: quia anima intrinsecè, & essentialiter includit formalitates illas, à qua habet esse forma substantialis, & constituere corpus, non minus, quam homo includit per se animalitatem: ergo nisi ponantur illæ formalitates per concomitantiam, anima non potest poni per concomitantiam, sicut nisi poneretur animalitas, non poneretur homo, in quo per se essentialiter includitur.

Alia præbatio theologica.

43. *Probatur tertio* etiam theologicè conclusio, & simul confirmatur vtraque præcedēs probatio. Idem corpus Christi Domini, quod fuit natum de Virgine, fuit passum, & sepultum secundum *S. Ambrosium*, vt refertur *dist. 2. de consecratione*, quod etiam sequitur ex articulo fidei, quo tenemur credere quod Christus sit sepultus, nēque enim totus Christus quoad corpus & animam fuit sepultus: neque quoad animam; ergo quoad corpus: sed non fuisset sepultus quoad corpus, si aliud corpus fuisset sepultum, quam quod erat aliquando suum, & quod ipse accepit à B. Virgine: ergo idem corpus, quod natum est de Virgine fuit sepultum; sed hoc esset falsum, nisi daretur in Christo præter animam alia forma substantialis, quæ cum materia constitueret corpus illud: ergo datur talis forma.

Probatur minor: quia corpus sepultum nō est aliquid constitutū per animam vlla ratione, quandoquidem anima ab ipso fuerit separata, & vt sic non potuerit constituere illud corpus sub vlla ratione, vt est euidens: nec est materia prima secundū se, alias posset dici, quod corpus ligni esset in igne, qui ex ipso generatur, & quod ignis constaret corpore & forma substantiali, quod nemo dixerit: nec etiam materia prima cum accidentibus iisdem numero: tum quia secundum *Thomistas* non manent eadē numero accidentia in cadauere Christi, quæ fuerunt in ipsomet: tum quia corpus, quo constare dicitur Christus simul cum anima, quatenus homo, non inuoluit accidētia, alias hæc essent de substātia Christi: tum quia si materia prima cum accidentibus diuersæ rationis esset corpus organicū, eadem materia cum accidentibus eiusdem rationis esset corpus non organicum, & sic ignis posset dici constare corpore & forma ignis contra cōmunem modū loquendi: sed aliud, quod sit corpus Christi assignari non potest, nisi dicatur corpus Christi esse aliquid constitutū ex materia & forma substantiali distincta ab anima: ergo nisi id dicatur, & asseratur consequenter talis forma, non potest esse verū quod idem corpus Christi, quod fuit natum de Virgine, sit sepultum.

44. *Respondet Caietanus*, quem sequitur *Suares & alij*, quod quādo dicitur idem corpus Christi sepultum fuisse, quod fuit natum de Virgine, & quod fuit viuum, hoc debere intelligi non de eodem corpore formaliter, sed de eodem corpore suppositaliter, quatenus scilicet illud corpus, quod fuit sepultum, suppositabatur eadem suppositalitate Verbi æterni, qua suppositabatur corpus viuum Christi, quod erat natum de Virgine.

*Addit* ad hoc *Suares*, posse dici idem corpus sepultum, quod erat natum de Virgine quatenus erat idem sensibiliter, hoc est, affectum iisdem accidentibus sensibilibus, forma, figura, colore, &c.

*Sed contra Caietanum primo*, quia quamuis in triduo

mortis Verbum Diuinum dimitteret animam & corpus, adhuc verum esset dicere, quod corpus Christi natum de Virgine esset sepultum, & tamen in tali casu, non esset idem corpus suppositaliter: ergo inutiliter recurritur ad illam distinctionem de eodem suppositaliter, & formaliter, quæ sine dubio excogitata est ad euadendam difficultatem potius, quam superandam.

*Secundo*, quia si verbum assumeret aliam naturam humanã non posset dici simpliciter, quod esset idem Christus, qui de facto est, nec posset dici simpliciter quod haberet eandem humanitatem, aut eandem animam, aut idem corpus: & tamen haberet eandem humanitatem suppositaliter, & eandem animam, idemque corpus; ergo non sufficit ad hoc, quod dicatur idem corpus esse sepultum, quod fuit natum, quod sit idem suppositaliter in sensu *Caietani*.

*Tertio*, quia falsum esset, illud corpus quod fuit sepultum esse assumptum à Verbo; ergo non esset idem suppositaliter cum Corpore Christi nato de Virgine.

Probatur antecedens: quia Verbum non assumpsit de facto nisi humanitatem Christi, & spectantia ad illam, tanquam partes, aut proprietates, aut accidentia: sed illud corpus sepultum, ac constitutum per formam cadaueris prorsus non spectabat ad humanitatem Christi vlla ratione, cum nec de potentia Dei absoluta secundum aduersarios posset esse pars humanitatis Christi, aut proprietas aut accidens eius; ergo non debebat assumi à Verbo.

45. *Et si dicas*, materiam primam eius spectare ad Christum, & consequenter ratione huius debuisse illud cadauer assumi à Verbo.

*Contra*, quia materia prima partiũ Christi, quæ actione caloris naturalis consumebantur, & quarum loco successerũt aliæ partes per nutritionem acquisitæ, æque spectabat ad Christum, & tamen substantia illa, quæ de nouo ex consumptione partium Christi generabatur, non assumebatur, nec assumi debebat à Verbo, quia illa substantia fuit pars Christi, nec spectans ad ipsum, quãuis componebatur intrinsece ex materia prima, quæ erat pars Christi: ergo nec totum compositum ex materia Christi & forma cadaueris, debebat assumi à Christo; nec etiam materia prima eius, à paritate rationis, quæ mihi videtur esse maxima.

*Confirmatur*: quia vt optime aduertit *P. Hiquæus*, meus Præceptor, qui doctissime hanc quæstionem tractat *in Commentario ad Scotum citatum*, Patres statuerunt, idem corpus, quod fuit natum de Virgine, fuisse sepultum, vt conuincerent Hæreticorum varios errores de corpore Christi, quorum aliqui putauerunt Christi corpus in morte eius fuisse resolutum in elementa. Sed hic error non redargueretur bene à Patribus, per hoc quod dixerunt idem corpus fuisse sepultum, quod fuit natum de Virgine, intelligendo per idem corpus, idem corpus suppositaliter & non formaliter; nam quamuis resolueretur corpus in elementa, & succederet aliud corpus phantasticum, seu aëreum, vt alij hæretici somniabant, adhuc posset dici, quod esset idem corpus Christi suppositaliter, quod fuit sepultum & natum de Virgine.

46. *Dices cum Ioanne à S. Thoma*: Scotus ipse non potest maiorem identitatem in Corpore Christi seruare, quam suppositi, quia ablata anima tollitur esse specificum corporis, & manet tantum esse genericum, desumptum à forma generica corporeitatis remanente: ergo non manet idem indiuiduum specificum; quod ante fuit, nisi ratione identitatis suppositi.

*Respondeo* hanc replicam supponere multa principia absurda, nec in se vera, nec à *Scoto* asserta; vt quod forma corporeitatis tribueret esse genericũ, & anima esse specificum: & quod esse genericum possit absque esse specifico ac indiuiduali reperiri in rerum natura: & quod ipsum esse indiuiduale proprium, ac formale corporis Christi non manserit in triduo mortis.

Vnde in forma respondeo negando assumptum, & ad probationem dico, quod ablata anima, destruatur esse genericum & specificum, ac indiuiduale corporis, quod poterit dici de Christo in recto, sicut destruebatur ipse Christus, ac humanitas eius; illud enim corpus identificatur realiter Christo ac humanitati eius, nec poterat consequenter manere destructa humanitate ac Christo, nec constituebatur illud corpus per formam corporeitatis solam cum materia, sed ad ipsum constituendum realiter concurrebat etiam anima. Nec illud corpus est, quod dicunt Patres sepultum fuisse ac mansisse in sepulchro, aut quod est subiectum animæ, ac pars physica hominis. Ablata vero anima manet adhuc corpus, quod est altera pars physica Christi secundum esse genericũ, specificum, ac indiuiduale suum proprium, & huius corporis multo maiorem identitatem potest saluare *Scotus* in triduo mortis, quam ratione identitatis suppositi, vt cuicumque manifestum est.

*Contra additionem Suarij* primo facit, quod falsum sit manere eadem accidentia sensibilia, nisi maneat eadem forma. Secundo, quod si sufficeret ad hoc quod diceretur corpus Christi esse in sepulchro, esse in sepulchro accidentia sensibilia eius, posset dici quod substantia panis maneat in Eucharistia, quia manent ibi accidentia sensibilia eius omnia: sed hoc est falsum: ergo & illud.

*Confirmatur* vtraque impugnatio: quia si potest commode explicari quomodo idem corpus Christi formaliter & proprie sit sepultum, quod fuit natum de Virgine, sic melius & propriùs intelligitur iste locus *Ambrosij*, & modus communis loquendi; & non erit consequenter recurrendum ad illas explicationes difficiles & omnino improprias: sed potest, tenendo nostram sententiam, quæ nullã prorsus habet difficultatẽ huic æquiualentẽ: ergo.

47. *Probatur quarto conclusio*, ex definitione prima animæ à Philosopho assignata & ab aduersariis admissa, quæ est quod *Anima sit actus corporis organici potentia vitam habentis*, & ex communissimo modo loquendi, quod viuentia corporea omnia constent corpore & anima: Illud corpus, per ordinem ad quod describitur hæc anima, & quo dicitur constare viuens, non potest esse aliquid aliud nisi compositum ex materia prima & forma substantiali: ergo datur talis forma.

Probatur minor: quia non materia prima nuda; nec materia prima cum accidentibus; nec compositum ex materia prima & ipsa anima secundum vllam considerationem: sed aliud præter hæc assignari non potest, quod sit corpus organicum: ergo.

Probatur maior quoad primam partem de materia sola, quia si materia prima vocaretur corpus, posset dici quod ignis constaret corpore & forma substãtiali ignis.

Probatur etiam, quoad secundam partem de materia & accidentibus quibuscumque siue eiusdem, siue diuersæ rationis; quia anima non actuat materiam cum accidẽtibus, & viuens constat essentialiter corpore & anima; non constat vero essentialiter accidentibus: & præterea sicut materia cum accidentibus diuersæ rationis esset corpus organicum, ita materia cum accidentibus eiusdem rationis esset corpus non organicum, & sic ignis constaret corpore & forma substantiali.

48. *Respondet Arriaga*, quamuis viuens dicatur constare essentialiter anima & corpore, tamen inde non sequi, quod corpus non sit materia prima cum accidentibus, quia corpus non debet esse de essentia hominis secũdum totum illud, quod dicit, sed secundum materiam primam tantum, quam in recto dicit, non vero secundum accidentia, quæ solum dicit in obliquo.

*Addit* etiam, hoc argumento nos etiam premi, & necessario recurrendum nobis ad similem Responsionem. Nam si materia prima cum accidentibus externis diuinitus conseruaretur vnita animæ, absque forma corporeitatis, vere esset homo, & tamen non esset forma corporeitatis, qua constituitur corpus, quo constare debet homo: ergo corpus secundum totum, quod dicit, non debet esse, etiam secundum nos, de essentia hominis.

*Contra*, quia si corpus sit de essentia hominis, impossibile est, quod illud, quo constituitur in esse talis, non sit de essentia eius: ergo si materia cõstituitur in esse corporis per accidẽtia, accidẽtia debẽt esse de essẽtia hominis.

Deinde

Deinde si sola materia est de essentia hominis: ergo ex materia sola absque accidentibus & anima resultaret homo. Tum sic: vel constaret corpore & anima, vel non. Si constaret, ergo sola materia est corpus, & non dicit vlla ratione accidentia, contra *Arriagam*. Si non, ergo potest dari homo absque corpore, & sic falsum est dicere quod constet corpore.

*Ad illud*, quod ait retorquendo argumentum contra nos, *Respondeo* falsum esse, quod in eo casu esset homo, & vt verum fatear, non possum satis mirari quod *Arriaga* putauerit, id à nobis concedendum, aut ab vllo vllius iudicij. Fortassis quidem tum appareret nobis esse homo, quia deciperemur ex accidentibus externis, sicut decipimur quando Angelus assumit corpus & loquitur nobis instar hominis: sed tamen reuera non esset homo.

Corpus quo constat homo non constituitur per animam.

49. *Probatur denique minor principalis, quoad tertiam partem*, quia, si sic caperetur corpus, non bene diceretur quod viuens constaret corpore & anima, si enim ipsum corpus constituatur intrinsece per animam, eo ipso quo dicitur constare corpore, dicitur etiam constare anima; imo si corpus nihil aliud est quam constitutum per animam, non potest dici quod viuens constet corpore, sed quod sit corpus.

*Confirmatur hoc*: quia non potest dici quod res alba constet albo & albedine, quia ipsum album constituitur formaliter in esse talis per albedinem; ergo nec potest dici quod viuens corporeum constet corpore & anima, si constituatur corpus in esse talis formaliter per ipsammet animam.

*Et si dicas*, quod materia prima constituatur in esse corporis per animam, non secundum omnem formalitatem animæ, sed secúdum aliquam ex omnibus, & quod viuens possit dici constare corpore, hoc est, materia informata ab anima secundum illam formalitatem, & anima quatenus anima dicit alias formalitates.

*Contra est primo*, quod anima dicit omnes formalitates suas, ergo non debet dici viuens cõstare corpore & anima, si anima secundum vllam formalitatem constituit formaliter corpus. Probatur consequentia: quia quando dicitur quod viuens constat corpore & anima, sensus est, quod dicat & corpus, & præter corpus animam: sed si anima dicat omnes formalitates suas, & ex illis vlla constituat intrinsece corpus, falsum esset quod præter corpus diceret animam.

50. *Confirmatur hoc*: quia illæ aliæ formalitates, quas includit anima, non sunt anima sed partes metaphysicæ animæ, sicut rationalitas non est homo, sed pars metaphysica hominis; sed anima est totum conflatum ex omnibus suis formalitatibus, sicut homo est totum conflatum ex animalitate & rationalitate: ergo illud, quod præter corpus dicit viuens, non est anima, si aliqua formalitas animæ constituat formaliter corpus.

*Contra secundo*, quia non potest dici quod illud, quod est coloratum constet colorato & albedine, quia per aliquam formalitatem inclusam essentialiter in albedine constituitur in esse colorati, licet albedo præter illam formalitatem dicat alias formalitates, verbi gratia, illã, per quam ratio coloris vt sic contrahitur ad esse talis coloris: ergo non potest dici, quod homo constet corpore & anima, si corpus constituatur per vllam formalitatem animæ quamuis anima includeret alias formalitates præter illam formalitatem.

*Contra tertio*, quia non solum viuens vt sic, potest dici constare ex anima & corpore vt sic, sed viuens tale potest dici constare & corpore & anima tali; sed illud corpus tale debet constitui per vltimam differentiam animæ talis tam bene, quàm viuens vt sic per vllam formalitatem eius: sed non posset sic dici iuxta responsionem prædictam, quia non diceret vllam formalitatem præter formalitates constituentes tale corpus: omnes autem formalitates eius concurrerent ad illud constituendum: ergo non potest dici habere in se corpus tale, & aliquam formalitatem vlteriorem, ratione cuius diceretur etiam constare anima.

*Probatur secundo eadem tertia pars*: quia licet posset vere dici quod aliqua forma sit actus compositi per ipsam constituti, sicut lux dicitur actus lucidi, & calor calidi, & forma substantialis ignis actus ignis; & consequenter posset dici verè quod anima esset actus corporis, quãuis intrinsecè constitueret corpus, nec præter illam daretur alia forma, per quam constitueretur; tamen non potest bene describi forma per ordinem ad illud compositum, quod intrinsece constituit; sicut nec bene describeretur calor, dicendo quod esset actus calidi; aut lux, dicendo quod esset actus, aut forma, aut constitutiuum lucidi; cuius ratio est, quia ad hoc, vt describatur aliquid per ordinem ad aliud, illud aliud debet esse notius quàm illud quod describitur, siue ex natura rei, siue in ordine ad intellectum illius, cuius sit descriptio: alias per illam descriptionem non magis cognoscetur res, quæ describitur quàm ante: sed illud quod cõstituitur intrinsecè, & formaliter, per aliquam formam, non potest esse notius illa forma, & quicumque ignorat formam, ignorat illud cõstitutum, vt constitutum est: ergo non potest forma per ordinem ad illud describi bene, & consequenter si corpus sit constitutum per animam, non potest anima per ordinem ad illud bene describi.

Forma male describitur per ordinem ad subiectum quod constituit intrinsece.

*Confirmatur*: quicumque ignorat naturam caloris, profecto ignorare debet naturam calidi, quia hoc nihil aliud est, quam constitutum per calorem, & constitutum per calorem nequit intelligi non intellecto calore: ergo quicumque ignorat naturam animæ, non potest intelligere naturam corporis, si corpus sit constitutum per animã, & nihil aliud sit quam materia prima informata ab anima: ergo per intellectionem corporis non potest aliquis deduci in cognitionem animæ, & consequenter pessimè describitur anima per ordinem ad corpus.

52. *Hæc probatio* solet valde vrgeri à Scotistis: & sane in sensu iam proposito, quod scilicet constitutum per formam, seu actum non potest intelligi vlla ratione, nisi vt constitutum per formam, seu actum formaliter, est euidens; sed si constitutum per formam posset intelligi aliquo conceptu, in quo non inuolueretur conceptus formæ explicitè, quique posset haberi absque conceptu formæ, tum forma optime posset explicari per ordinem ad illud constitutum: vnde quandoquidem posset haberi conceptus corporis de viuente corporeo independenter à conceptu animæ, aut formæ substantialis vllius, quamuis à parte rei constitueretur per animam, posset tamen anima describi per ordinem ad illud sub tali conceptu.

*Itaque possent respondere aduersarij*, quod quando definitur anima per ordinem ad corpus; per corpus intelligatur substantia habens partes integrales diuersæ rationis & diuersarum functionum subordinatarum sibi inuicẽ, vt habens tales partes præcisè, non vero vt constituitur per aliquam formam in esse tali; & quod optime declarari possit anima per ordinem ad corpus hoc modo, dicendo quod sit illud, quo intrinsece constituitur res illa, quæ habet illas partes, & à qua tanquam à forma physica habet illas partes.

Quæ mihi responsio satis bona videtur, & tollere prædictam difficultatem, si aliunde non posset probari quod corpus non habeat ab anima illas diuersas partes; vade prædicta probatio nostra dependet ab aliis principiis, ex quibus id constat, de quibus statim.

*Confirmatur*, bonitas huius responsionis, quia Philosophus explicat animam in secunda descriptione per ordinem ad nos qui componimur intrinsece ex ipsa anima; dicendo quod anima sit illud *quo viuimus*, &c. ergo forma aliqua potest describi per ordinem ad illud quod constituitur formaliter per ipsammet.

53. *Probatur quintò conclusio*, quia, quando moritur homo, remanent in corpore eius eadem accidentia numero, quæ erant antecedenter: ergo remanet aliquod compositum conflatum ex materia prima & forma substantiali, quæ fuit antecedenter in homine, dum viueret.

Probatur consequentia contra *Thomistas*, quia ipsi cum *Scotistis* tenent, accidentia non subiectari in materia prima sed in toto aliquo composito ex materia prima &

forma substãtiali;& præterea tenent cum omnibus Philosophis eadem numero accidentia non transire de subiecto in subiectum; ergo si sint eadem numero accidentia post mortem hominis,quæ fuerunt ante mortem,debet esse aliquod vnum compositum idem numero post & ante mortem, & consequenter debet esse aliqua forma substantialis in cadauere post mortem, quæ fuit ante. Probatur antecedens ad sensum : apparent enim esse eadem figura,longitudo,color pro maiori parte, cicatrices, delineamenta externa cadaneris post mortem, quæ fuerunt ante.

*Nec valet dicere*, quod sensus decipiatur, & quod retuera non sint eadem ancidẽtia, sed similia de nouo producta,idque colligi non per experientiam sensus,sed per discursum, quo sæpenumero corrigendi sunt errores sensus. Non valet, inquam, hoc, tum quia non est vllus discursus sufficiens,ex quo possit colligi quod decipiatur sensus : tum quia si essent alia accidentia similia,& non illa ipsa,quæ erant antecedenter,deberet esse aliqua causa,à qua de nouo producerentur : sed non est ; ergo non sunt alia accidentia, sed eadem ipsa.

Probatur minor:quia nec causa interficiens hominem habet virtutem producendi omnia illa accidentia ; neque enim aqua suffocans,aut gladius perfodiens, aut laqueus suspendens, aut infirmitas habent virtutem illam, vt euidens est;neque est applicata vlla causa particularis, quæ possit illa producere,neque potest recurri ad aliquã causam vniuersalem , quia causæ vniuersales non magis determinatur ad illa accidentia,quam ad alia ex se;vnde nec possunt hæc ex se potius producere, quàm alia , nisi determinentur per causas secundas particulares:sed non est vlla causa secunda particularis , quæ determinet ad illa accidentia potius,quàm ad alia:ergo.

54. *Dices* determinari causas vniuersales ad hæc accidentia tum producenda, per accidentia similia, quæ antecedenter fuerunt subiectata in materia.

*Contra:*quia prorsus absurdum est,quod vnum accidẽs esset dispositio determinans per desitionem sui ad producendum aliud accidens eiusdem rationis : ergo quandoquidem accidentia desinentia non sint in instanti,quo producitur cadauer, non possunt tum determinare causas , quæ producunt cadauer ad ipsa producenda ; quod enim fuerint antecedenter , nihil prorsus facit ad rem magis quam si non fuissent.

*Præterea*,si accidentia præexistentia determinarent ad similia producenda , semper in composito generato ex alio composito deberent esse accidentia similia accidentibus compositi destructi, quod manifeste falsum est.

*Dices* accidentia similia non semper debere esse in producto,sed solum quando productum ex se non habet petere accidentia dissimilia.

*Contra*,quia in casu nostro cadauer deberet petere accidentia dissimilia accidentibus hominis , quandoquidem sit substantia distinctissimæ rationis ab illo : ergo non deberet habere accidentia similia.

*Rursus* quando aqua generaretur ex vino, deberet habere accidentia illa vini,verbi gratia , acedinem & dulcedinem,quandoquidem aqua non petat ex se accidentia illis dissimilia.

*Confirmatur*: quia non debent esse accidentia similia, sed eadem , nisi sit forma substantialis de nouo producta. Sed non est : ergo. Probatur minor,quia non datur causa productiua talis formæ, vt statim probabitur.

*Probatur consequentia principalis* contra *Recentiores primo* quia accidentia subiectantur in toto composito & non in materia prima, vt suo loco probatum est:ergo si sint eadem numero accidentia , debet esse idem numero compositum in quo sint,& consequenter eadem numero forma substantialis.

*Probatur secundo* eadem consequentia,dando quod accidentia subiectarentur in prima materia : quia accidentia eadem numero licet subiectentur in materia prima non tamen possunt manere eadem numero cum eadem forma ac figura , nisi forma substantialis maneat eadem numero, aut similis in specie:sed forma cadaueris quam ipsi fingunt produci in morte hominis,non est eiusdem speciei cum forma præcedenti:ergo accidẽtia non deberent esse eadem numero & consequenter si sint eadẽ numero debet esse eadem numero forma, aut saltem debet forma post mortẽ adueniens esse eiusdem speciei cũ forma præcedenti , quod esset falsum nisi ante mortem simul cum anima daretur forma aliqua alia substantialis.

55.*Probatur sextò conclusio*,& simul confirmatur præcedens probatio:datur in cadauere hominis aliqua forma substantialis:sed non alia , quam quæ fuit ante mortem hominis;ergo datur præter animam forma substantialis corporeitatis in homine.Maiorem cõcedunt communiter omnes Philosophi:quia putant impossibile esse naturaliter,quod materia prima existeret absq; aliqua forma substantiali.Consequẽtia est euidens.Probatur ergo minor:quia non potest assignari aliqua causa,quæ in morte hominis produceret illam formã;non quidem particularis, vt patet ex dictis supra de accidentibus:non etiam vniuersalis, quia hæc non producit aliquã formam particularẽ,nisi quatenus determinatur à causis vel dispositionibus particularibus:sed non dantur vllæ dispositiones aut causæ particulares,quæ determinent ad formam aliquam nouam cadaueris;si enim essent aliquæ,maximè accidentia illa, quæ sunt in cadauere,& subiectantur in materia prima,vt supponunt aduersarij;sed illa non subiectantur in materia prima , & si subiectarentur, adhuc non deberent determinare ad aliam formam omnino dissimilem formæ præcedenti. Nam formæ dissimiles exigũt dispositiones,& causas determinatiuas dissimiles.

*Confirmatur*: si accidentia omnia illa eadem numero, quæ reperiuntur in homine,& hominis cadauere,præcedunt natura tanquã dispositiones,formam substantialem cadaueris introducendam,nullus prorsus est vsus formæ cadaueris:ergo non debet dici quod detur. Probatur antecedens : quia si esset aliquis vsus,maximè vt causaret, aut conseruaret illas dispositiones,sed illæ dispositiones possent causari à forma substantiali præcedenti,& conseruari quamdiu manet illa forma,& etiam postea absq; influxu vllius formæ substantialis,eodem modo,quo cõseruatur calor in aqua, ad quem conseruandum non est verisimile quod cõcurrat forma substantialis aquæ,quæ ab illo abhorret & destruit ipsum producendo frigus.

56.*Dices*,dari formam cadaueris de nouo productam, ne materia prima sit absque vlla forma substantiali.

*Contra*:quia si non sit incõueniens quod materia prima habeat in se dispositiones tales accidentales , quales sunt in cadauere absque influxu formæ substantialis alicuius , non est inconueniens quod materia prima sit absque vlla forma substantiali , supponendo præsertim ex Physica veriorem sententiam , quod materia prima habeat suam propriam existentiam distinctam ab existentia formæ, & quod non dependeat in esse , aut conseruari ab vllo influxu formæ.

*Et si dicas* cum *Arriaga* potius admittendum materiam esse in morte animalis absque vlla forma substantiali,quam dari formam corporeitatis.

*Contra* : quia si admittatur cadauer esse absque forma substantiali,poterit etiam idem admitti de aqua,& quacumque substantia non viuente;nullum enim est principium probans formam substantialem in aliis non viuentibus potius quam in cadauere : ergo non potest admitti cadauer absque forma substantiali.

57.*Probatur septimò cõclusio*,& cõfirmantur vlterius præcedẽtes probationes:in homine debet dari aliqua forma substãtialis præter animam rationalẽ : ergo datur forma corporeitatis:nam illam aliam formã vocamus hoc nomine.Probatur antecedẽs:quia accidẽtia illa diuersæ rationis,quæ sunt in homine, à quibus habet partes integrales heterogeneas,debent habere aliquod principium substantiale intrinsecũ,ratione cuius vel emanent à toto composito in quo subiectantur, ( si accidentia dicantur subiectari in toto)vel cõueniant materiæ primæ(si dicãtur in ipsa subiectari)alias nullũ esset principiũ colligendi formam substantialem : sed non haberent, nisi daretur alia forma præter animam rationalem ; neque enim

materia

materia prima potest esse illud principium, quæ ex se est æque indifferens ad omnes formas accidentales; neque etiã anima rationalis, quia hæc etiam est ex se indiuisibilis formaliter, & æquè indifferens ad omnia illa accidentia, quæ conueniunt homini: ergo non potest principiare in vna parte materiæ accidentia diuersæ rationis ab illis, quæ principiat in altera parte, nisi aliunde determinetur. Cuius ratio est, quod causa naturalis eadem applicata eodem modo passo eiusdem rationis, debet habere effectum eiusdem rationis, iuxta illud: Idem manens idem, semper facit idem.

*Nec refert* quod anima rationalis dicatur virtualiter extensa, & continere in se perfectionem formarum extensarũ: neque enim ex hoc aut vllo capite imaginabili potest fieri quod in hac parte materiæ causet accidentia spectantia ad oculum, & in alia parte materiæ accidentia spectantia ad ossa, aut carnem; nisi ponatur aliquid determinatiuũ, impossibile est enim quod possit ab aliqua causa prouenire naturaliter, & non liberè aliquis effectus hic distinctæ rationis ab effectu, qui producitur ibi, nisi ponatur aliqua ratio particularis, ratione cuius hoc competat ipsi hic, & non competat ipsi ibi.

58. *Scotistæ cum Scoto probant vlterius* alia ratione, quod non producatur de nouo forma cadaueris in morte animalis, & consequenter quod maneat aliqua forma substãtialis quæ fuit ante, quia impossibile est quod ad dispositiones quascumque diuersas producatur forma eiusdem rationis: sed si produceretur forma cadaueris de nouo quoties interit homo, id esset falsum, nam quomodocumque pereat homo, siue suspendio, siue submersione, siue sclopeto, siue pugione, siue veneno, siue infirmitate, semper remanet cadauer eiusdem rationis, & cõsequenter, si constituitur in esse cadaueris per formam cadaueris de nouo productam, forma eiusdem rationis produci deberet ad dispositiones diuersissimas.

*Caietanus, Iandunus, & alij* respondent formam cadaueris eiusdem rationis non produci ad illas diuersas dispositiones, sed formam vnius rationis ad vnam dispositionem, alterius ad alteram.

*Verum* quantum ad sensum attinet & ad omnem discursum, apparet forma cadaueris esse eiusdem semper rationis: quamuis enim sit aliqua diuersitas in accidentibus, non tamen sufficiens ad distinctionem specificam, quia talis diuersitas reperitur in ipso eodem viuente pro diuersis temporibus.

59 *Ioannes à Sancto Thoma* addit ad hanc responsionem, quod quamnis omnia illa cadauera essent eiusdem speciei, adhuc restat eadem difficultas, quia vel sũt omnia eiusdem speciei infimæ, & sic præter formam genericam corporis necesse erit producere formã specialem cadaueris, & de illa manet difficultas, à qua causa producatur; vel forma cadaueris est sola forma generica corporeitatis remota anima, & sic homo ante mortem habet in se formam cadaueris; vnde per mortem non fier generatio aliqua, & consequenter mors non erit corruptio substantialis, quia corruptio vnius est generatio alterius.

*Deinde* addit formam cadaueris, quia est via ad diuersas formas, posse produci à diuersis agentibus.

*Contra*: quia falsũ est manere difficultatem huius probationis, si statuatur forma corporeitatis; hac enim statuta, omnia cadauera illa erunt eiusdem speciei infimæ, & ad hoc nõ est necesse produci aliquã formã specificã de nouo; nec verũ est, quod forma corporeitatis sit forma generica, vt hic satis absurdè supponit. Quãdo etiã moritur homo, licet tũ fiat vera corruptio substãtialis hominis, tamen non fit generatio aliqua noua; & quando dicitur quod corruptio vnius sit generatio alterius, hoc intelligendũ est de corruptione, in qua omnes formæ substantiales inclusæ in re corrupta separãtur à materia, nõ vero de illa, in qua vna tãtum separatur, manẽte altera.

*Ad illud* quod addit, posse formam cadaueris produci per plures causas diuersas, quia est via ad diuersas formas

*Respondeo* imprimis, quod sit via ad diuersas formas, non facere ad rem, & perinde eam posse produci à diuersis, siue esset talis via, siue non.

*Deinde* nõ respondet ad difficultatem, quæ non consistit in hoc, quod eadem forma posset produci à diuersis causis; sed quod eadem forma nõ possit produci ad diuersas dispositiones omnes dissimiles, ac disparatas.

60. *Melius respondetur*, quotiescumque producuntur formæ cadaueris eiusdem rationis, sẽper manere in materia prima dispositiones eiusdem rationis determinãtes ad illas formas: quamuis enim accedant aliqua accidentia diuersæ rationis, dum ex diuersis causis interit homo, tamen semper remanent accidentia aliqua similia, quæ ex suppositione destructionis animæ possunt determinare ad formas nouas eiusdem rationis; illa autem accidentia diuersæ rationis, quæ superueniunt, non disponunt positiuè, neque exigunt connaturaliter formas illas nouas per se, sed solum iuuabunt ad separationem animæ: hæ autem separata, alia accidentia, quæ sunt eiusdem rationis in viuente & cadauere, disponunt positiuè ad formam cadaueris.

*Confirmatur hoc valdè* quia si illæ dispositiones, quæ reperiuntur post mortem hominis, ex quantumcumque diuersis causis ortã, exigunt connaturaliter semper formam corporeitatis eiusdẽ rationis, quam non asserimus; ita possent exigere formam nouam cadaueris eiusdẽ rationis: & sicut diuersitas accidẽtiũ, quæ producuntur ex diuersis causis interficientibus hominem, verbi gratia, non inducit diuersitatem formarum substantialium, quia non obstante illa diuersitate remanent accidentia sufficiẽtia ad conseruationẽ formæ corporeitatis; ita etiã nõ obstante illa diuersitate possunt produci formæ nouæ cadaueris eiusdem rationis, quia remanere possunt accidentia eiusdem rationis sufficienter disponentia ad hoc.

Vnde in forma potest responderi ad argumentum præmissum *numero* 55. distinguendo maiorem: ad dispositiones quãtumuis diuersas, quæ quatenus diuersæ sunt disponant ad illas formas positiue, concedo maiorem; quæ non disponant ad illas formas positiue, secundum quod diuersæ sunt, nego maiorem: & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam. Potest etiam distingui eadem maior alio modo: quando in dispositionibus illis diuersis includitur dispositio eiusdem rationis sufficiens ad aliquam formam secundum se, nego maiorem: quando non, concedo maiorem. In casu autem nostro, dum interficitur homo per diuersas causas, licet reperiatur dispositio diuersæ rationis; tamen in omnibus illis dispositionibus diuersis reperitur inclusa dispositio eiusdem rationis, quæ sicut potest in sententia nostra sufficere ad conseruandam formam corporeitatis eiusdem rationis, ita posset quantum ad hoc sufficere ad formam cadaueris nouam producendam.

*Verum* ex alio capite, nõ debet dici quod dispositio illa positiua omnis, quæ connaturaliter ordinabatur ad animam, exigat connaturaliter formam cadaueris nouã, quæ non ordinabatur ex natura sua ad animam, nec habet similitudinem cum anima quantum ad functiones illas, ad quas deseruiebant illa accidẽtia & dispositiones: & nisi ipsa forma corporeitatis, quam nos asserimus, esset ordinata ad animam ipsi subordinatam, non deberet dici quod dispositiones illæ, quæ conducebant ad introductionem animæ, possent exigere illam formam.

61. *Obiicies*: vnius entis vnum est esse, ergo & vna forma, quia forma est, quæ dat esse; ergo si viuens habeat plures formas, non erit vnum ens per se.

*Respondeo* distinguendo primum consequens: vna forma completa & adæquata, ita vt nõ debeat habere duas formas non subordinatas sibi inuicem, concedo consequentiam; ita vt non possit habere duas formas subordinatas sibi inuicem, nego consequentiam. Et iuxta hoc distinguo secundum cõsequens: si habeat plures formas non subordinatas: concedo consequentiam; si habeat plures formas, sed subordinatas, nego consequentiam.

*Confirmatur* hæc responsio: quia ens vnum per se vnitate metaphysica, debet habere vnum esse metaphysicũ, & consequenter vnam formã metaphysicam, tam bene, quàm ens per se vnum physice debet habere vnũ esse, & consequenter vnam formam physicam: sed vnitatem per

se

se metaphysicam non tollit pluralitas formarum metaphysicarum subordinatarum sibi inuicem : vnde homo est vnum per se metaphysicum, quamuis includat sensitiuitatem & rationalitatem , aliasque differentias metaphysicas:ergo vnitatem per se physicam non tollit pluralitas formarum physicarum per se subordinatarum.

62. *Obiicies secundo*,quod aduenit enti in actu est accidens:sed,si daretur forma corporeitatis,anima aduenire enti in actu , aduenire enim materiæ informatæ per illam formam corporeitatis , materia autem vt sic informata est ens in actu:ergo non datur talis forma.

*Respondeo* distinguendo maiorem : quod aduenit enti in actu completo , seu enti vltimate completo, transeat maior;quod aduenit enti in actu incompleto,seu non cõpleto vltimate,nego maiorem,& similiter distinguo minorẽ:anima aduenire enti in actu cõpleto, nego minorẽ;in actu incompleto, concedo minorẽ:nam totũ constitutũ ex materia & forma corporeitatis est ens incompletũ,quia vlterius complebile substãtialiter per animã.

*Dices*:si illud totum esset substantialiter incompletũ, & vlterius per se perfectibile per animã, non posset naturaliter existere absque aliqua anima aut alia forma substantiali supplente defectum animæ:Sed hoc est falsum secundum nos : ergo. Probatur sequela : quia ideo materia prima nequit naturaliter esse absque aliqua forma substantiali, quia est ens per se incompletum, & per se perfectibile per aliquam formam substantialem;ergo si totum conflatum ex materia prima & forma substantiali corporeitatis sit quid incompletum,& per se perfectibile per vlteriorem formam substantialem , non poterit naturaliter esse absque aliqua forma.

*Respondeo*,negando sequelam cum sua probatione:sed potius ratio est,quia materia prima est ex se semper sufficienter dispositа ad aliquam formam substantialem,& semper applicatur aliqua causa sufficiens ad producendam aliquam formam talem in illa;ac propterea necessario debet habere aliquam formam , naturaliter loquendo. Totum autem illud, quod est constitutum ex materia & forma corporeitatis , non semper habet dispositiones requisitas ad animam , aut aliam vlteriorem formam , & propterea non debent semper naturaliter loquendo habere animam, aut talem aliam formam.

63. *Dices secundo*,secundum Philosophum 5. *Physicorũ*, *text*.8. quod mouetur est,quod generatur non est:id est, quidquid mouetur quocumq; alio motu præter motum generationis,est compositum substantiale ; quod autem mouetur motu generationis , non est compositum substantiale:Sed hoc esset falsum,si forma substantialis animæ posset aduenire materiæ actuatæ per formã corporeitatis:ergo non potest,& consequenter non datur talis forma:& præterea malè responsum est ad obiectionem.

Probatur minor:quia si aduenire anima materiæ sic actuatæ,totum compositum ex matetia & forma corporeitatis mutaretur motu generationis,quo generetur viuens. Nec valet dicere quod loquatur Philosophus de composito completo;quia vniformiter capit esse,& non esse in eo loco ; sed per esse non intelligit compositum incompletum,sed potius compositum abstrahẽs à completo & incompleto ; neque enim quod mouetur aliis motibus , debet esset semper completum compositum, aut incompletum compositum : sed aliquando est completum,vt quando mouetur ignis;aliquando incompletum, vt quando mouetur corpus hominis post mortem.

*Respondetur* breuiter , sensum istius loci esse , quod quidquid mouetur aliis motibus à generatione , debeat ita esse independens à motibus illis, vt non recipiat aliquod esse simpliciter per illos motus,quia per illos non recipit aliquam formam substantialem , quæ sola posset dare esse simpliciter in sensu Philosophi;quod vero mouetur motu generationis debet non esse , quantum ad hoc quod careat aliquo esse simpliciter,quod per generationem possit acquirere;hoc autem nihil facit contra nos. Vnde in forma nego explicationem axiomatis positã in maiori replicæ ; & si assumatur explicatio iã data in maiori, concedenda est maior, & neganda minor.

*Ioannes à sancto Thoma q.1.a.3.* hanc obiectionem proponit alio modo, aut potius proponit aliam obiectionẽ huic in re affinem hoc modo:de natura formæ substantialis est dare esse simpliciter , & accidentalis dare esse secundum quid : sed nulla forma superueniens formæ substantiali potest dare esse simpliciter:ergo omnis forma superueniens debet esse accidentalis, & consequenter,quod aduenit enti in actu,siue completo siue incompleto , hoc est , enti includenti formam substantialem siue completam siue incompletam, debet esse accidens, & sic anima esset accidens,quod est absurdum.

Probat minorem : quia dare esse simpliciter est facere rem esse extra suas causas,& simpliciter ac absque addito existentem : sed per primam formam substantialem redditur tam materia quàm totum compositum ex ipsa, & illa prima forma absolute , & simpliciter existens & extra causas : ergo non potest reddi sic existens per vllã formam aduenientem, & consequenter nulla forma aduenies potest dare esse simpliciter.

*Respondetur* negando maiorem intelligendo per dare esse simpliciter illud,quod intelligit hic Author quia,vt suppono ex dictis *primo Physicorum* , forma substantialis non dat materiæ existere , aut esse extra suas causas, habet enim materia suam propriam existentiam , per quam formaliter existit , & est extra suas causas , etiam prius natura quàm adueniat ipsi vlla forma.

65. Vidit ipsemet hanc solutionem posse dari, & propterea fundat se principaliter in principiis , quibus *Thomistæ* conantur probare,quod materia prima non existat simpliciter nisi per formam. Addit tamen , ne alligetur probatio prædicta illi sententiæ de materia prima, quòd est contra rationem formæ substãtialis dare esse incompletum:,quod sit in potentia ad vlterius esse ; quia vel illud esse , quod præbet prima forma , quæ diceretur incompleta, esset sufficiens ad ponendam rem, quam constituit extra causas;vel non sufficit. Si non sufficit , non est esse formæ substantialis,quia non est principium alicuius esse sufficientis existere per se,si sufficit,illa forma est completè substantialis, & non incompletè, quod est contra nos.

*Sed contra* hanc doctrinam facit,quod licet forma substãtialis daret esse simpliciter in hoc sensu materiæ primæ,si hæc esset pura potentia,vt putant *Thomistæ*,tamen adhuc non sequeretur esse de conceptu formæ substantialis dare esse simpliciter ita, vt nihil posset esse forma substantialis, quod non daret esse simpliciter, sed solum hoc deberet conuenire formæ substantiali immediate receptibili in materia prima;& sic corruit tota vis huius fundamenti. Et potest responderi secundo ad obiectionem distinguendo maiorem ; de ratione formæ substantialis immediate receptibilis in materia prima est dare esse simpliciter , concedo maiorem;formæ substantialis non immediate receptibilis, aut formæ substantialis, vt sic , nego maiorem , & concessa minori , nego consequentiam.

*Deinde* ad additionem ipsius *Respondeo*,negãdo assumptum,ad cuius probationem dico primo quod supponat doctrinam illam ipsam,à qua dicit se abstrahere,nempe de ratione formæ substãtialis esse,quod det esse simpliciter, hoc est,quod faciat rem,cui aduenit existere & esse extra suas causas. Dico secũdo,si forma faceret illud,quod informatur ab ipsa, esset extra suas causas, illud esse quod daret, esset sufficiens ad hoc ; nec materiam indigere ad existendum extra suas causas alia vlla forma , & consequẽter illam primam formam esse completam in ordine ad hoc ; sed tamen inde non sequeretur quin posset vlterius compleri substantialiter,& esse substantialiter incompleta, quia non deberet vlterius compleri quantum ad hoc quod haberet existere ab illo alio , quo compleretur;sed compleretur per vlteriorem formam quantum ad hoc,quod per aduentum vlterioris formæ posset melius conseruari in rerum natura,& exercere operationes multas,quas sine vlteriori illo complemento non posset exercere.

66. *Idem Author* addit vlterius ad idem probandum:

Illa

Illa prima forma, quæ diceretur incompleta secundum nos, vel diceretur talis, quia habet potentiam vt vlterius informetur, vel quia relinqueret in materia lucem vt vlterius compleri possit. Primum dici nõ potest, quia nulla forma quantumuis imperfecta, est informabilis ab vlteriori forma substantiali, quia nihil habet de materia, nihil autem est informabile à forma substantiali nisi materia; hæc enim sola potest componere cum forma substantiali. Cuius ratio, inquit est, quod illud quod componit substantialiter cum forma, debeat esse in potentia ad talem formam ita, quod educatur ex illa, vel infundatur illi; non potest autem vna forma substantialis educi ex potentia alterius. Secundum etiam probat non posse dici; sed quia responsio non spectabit eo, omitto proponere probationem eius.

*Respondeo*, dici posse incompletam, quia vlterius informabilis est per aliam formam, quæ informat totum constitutum ex materia prima, & prima forma incompleta. Et ad improbationem huius dico formam substantialem habere aliquid materiæ in hoc sensu, quod possit recipere aliquid vlterius: sicut enim vna forma accidentalis, verbi gratia, quantitas potest recipere alias formas accidentales, vt albedinem, nigredinem, dulcedinem; & in hoc sensu habet aliquid materialitatis, idem potest conuenire formæ substantiali. Dicere autem quod nihil sit informabile à forma substantiali, & quod nihil possit componere cum forma substantiali nisi materia; & quod forma substantialis non possit educi nisi ex materia, aut infundi nisi materiæ, est directè petere principium, & tam facile à nobis negantur omnia illa, quam ab ipso supponuntur.

67. *Obiicies tertio*: Aut illæ plures formæ educerentur ex eadem potentia materiæ, aut ex diuersis: non primum, quia secundum Commentatorem numerus potentiarum est secundum numerum specierum; ergo vna potentia nequit correspondere pluribus formis diuersæ speciei. Non etiam secundum, quia illæ plures potentiæ inessent materiæ sine ordine, & consequenter ipsæ formæ non essent subordinatæ.

*Respondeo* animas (excipio animam rationalem, quæ non educitur vllo modo) non educi proximè ex potentia materiæ primæ, sed ex potentia corporis conflati ex materia & forma corporeitatis, quæ forma educitur proximè ex potentia materiæ: vnde negari potest maioris suppositum, quod scilicet vtraque forma educatur ex potentia materiæ primæ immediatè. Quod si supponatur solùm vtramque educi, sed vnam immediatè ex sola materia, alteram verò mediatè ex toto conflato ex materia, & forma corporeitatis; tum concessa maiori negãda est minor, & potest dici quod vtraque educatur ex eadem potentia materiæ, sed vna immediatè, altera mediatè; nec hoc est contra Commentatorem, qui non potest negare quin vna potentia possit respicere diuersas specie formas, nam ipsamet materia prima respicit omnes formas substantiales etiam diuersæ speciei; & intellectus respicit assensum & dissensum, voluntas amorem & odium, lac albedinem, & dulcedinẽ, quas etiam simul potest recipere. Vnde quando dicit numerum potentiarũ esse secundùm numerum specierum, intelligi debet, vel de potentia obiectiua, ita vt sensus sit, quod quot sunt species actu existentes, tot sunt in potentia obiectiua, vt possint existere; vel in aliquo alio sensu, qui non faciat ad propositum; quem curantibus auctoritatem Commentatoris indagandum relinquo.

68. *Obiicies quarto*, sequeretur quod caro viua & mortua essent vniuoca vniuocata, quod videtur absurdũ. Cõfirmatur: quia secundum *Philosophum 2. gen. animalium c. 1. Neque facies, nisi animam habeat, neque caro, sed corrupta æquiuoce dicitur facies aut caro, perinde quasi lignea, aut lapidea facta sit.*

*Respondeo*, negando sequelam: quamuis enim illa pars corporis, quæ vocatur *caro*, dum informatur ab anima, sit eiusdem speciei cum parte cadaueris non informata ab anima; tamen nomen carnis posset simpliciter imponi ad significandum illam partem corporis solum, vt afficeretur ab anima, & pars corporis eadem non affecta anima non potest vocari caro simpliciter in hoc sensu, sed solum æquiuoce: vnde caro viua, & mortua non essent vniuoca vniuocata; sed æquiuoca analoga. Quod si nomen *caro* esset impositum ad significandam illam partem corporis, quæ dicitur caro, absque ordine ad animã: tum certum est quod caro viua, & mortua in ratione carnis essent vniuoca, non minus quam homo albus, & homo niger essent vniuoca ratione hominis, eadem enim est ratio: sicut enim idem homo potest affici nunc albedine, & propterea dici albus, & nunc nigredine, & propterea dici niger; ita etiam eadem caro potest dici nunc affici anima, & propterea dici viua, & nunc carere anima, ac propterea dici mortua, id est, priuata anima, non vero mortua in eo sensu, quo dicitur homo mortuus, quia homo dicitur mortuus ex eo, quod ipsemet homo desinat existere in rerum natura, caro vero non dicitur mortua ex eo quod desinat existere, sed ex eo quod desinat informari ab anima, quamuis non desinat existere.

*Ad confirmationem respondeo* breuiter, Philosophum intelligere per faciem & carnem illas partes corporis sic dictas, vt informatas ab anima; vnde quamuis separata anima remaneant illæ eædem partes, tamen non deberent habere illam denominationem carnis & faciei, nisi æquiuoce, quod non facit ad propositum.

*Adde* totam hanc difficultatem esse de nomine, ac propterea parui momenti ad determinandum quomodo se habeat ipsa res.

69. *Obiicies quinto ex Arriaga*, frustra multiplicati formam corporeitatis supra animam: quia ipsa varietas organorum, ac dispositionum diuersarum, quæ sunt in viuente, potest oriri ab ipsamet anima. Quod probat suo iudicio euidenter: quia per nos ipsa anima petit immediate illam varietatem formarum partialium substantialium, quæ præcedunt animam, & organizant materiam: ergo poterit immediate petere ipsam varietatem dispositionum sine illa forma substantiali.

*Confirmat*: quia illæ formæ partiales nihil operantur: ergo frustra ponuntur.

*Respondeo*, negando antecedens cum sua probatione: quamuis enim anima connaturaliter petere posset tanquam subiectum sibi proportionatum totum integrale substantiale conflatum ex pluribus partibus substantialibus diuersæ rationis, tamen non potest petere tanquam subiectum sibi proportionatum materiã solam cum accidẽtibus. Deinde accidẽtia diuersa connaturaliter conueniẽtia alicui substantiæ, debent habere principium intrinsecum, ratione cuius conueniunt ipsi, ex quo principio profluere seu emanare debẽt: anima vero non potest esse tale principiũ, vt patet ex probatione septima Conclusionis; forma vero substantialis non debet præsuppore aliquod principium intrinsecum, ratione cuius conueniat rei, vnde anima bene posset exigere formam substantialem præuiam, licet non posset accidentalem.

*Ad confirmationem respondeo*, formas illas substantiales tantum operari in viuẽtibus, quantum operatur in igne forma ignis, aut in aqua forma aquæ: constituit enim corpus, quod est subiectum animæ, & est radix dispositionum accidentalium, quæ reperiuntur in viuentibus maxima ex parte.

70. *Obiicies sexto ex eodem*: illæ formæ, quæ antecedũt animam non essent substantiales, & essent: ergo implicant. Probatur antecedens: essent quidem ex hypothesi; non essent vero, quia substantiæ conceptus non consistit in eo quod primo antecedit, nam quantitas, ac dispositiones sunt priores natura quam forma substantialis, & tamen non sunt formæ substantiales; sed conceptus substantiæ consistit in eo, quod sit prima radix non effectiua tantum, sed finalis: sed illa forma corporeitatis non est talis, quandoquidem ordinetur ad animam.

*Respondetur*, negando antecedens, ad cuius probationẽ dico conceptum formæ substantialis consistere in hoc, quod sit forma, quæ non præsupponit aliquam aliam formam, ex qua sequatur, & est principium aliquarum formarum conseruatiuarum istius rei, cuius est forma

constitu

constitutiua,vt dictum est suo loco 1.*Physicorum*. Quod vero conceptus substantialis formæ non cõsistat in hoc quod sit illa forma, ad quam tanquam ad finem cæteræ formæ ordinãtur, patet:quia certe intellectiones,& volitiones, & habitus & species intelligibiles, ac impressæ non ordinantur ad animam tanquam ad finem;& tamen sunt accidentales & anima est forma substantialis.Vnde in forma negatur maior probationis pro secunda parte.

71. *Obiicies septimò ex Ioanne a sancto Thoma*: omnes gradus generici, & specifici prædicantur essentialiter de quol bet inferiori: sed non potest essentialis prædicatio de eadẽ re sumi à diuersis formis: ergo debet prouenire ab eadem Probatur minor:quia quæ sumũtur à diuersis formis prædicantur de aliquo,cui conueniunt iuxta modum,quo tales formæ in eo sunt:formæ autem quæ sunt in aliquo,vel subordinantur inter se,vel non.Si non,solum sequitur prædicatio per accidens;si sic, prædicatio potest esse per se,sed in secundo modo dicendi.

*Hæc obiectio* in re nullius est momenti,& continet obscuri simam doctrinam:sed quomodocumque

*Respondetur*, negãdo minorem,ad cuius probationem dico,si sensus sit quod prædicata desumpta à formis diuersis habeant prædicari de re iuxta modũ,quo tales formæ in ea sunt, quatenus debeant prædicari essentialiter de illa,si formæ constituant ipsã essentialiter, & accidẽtaliter, si non transeat;si vero sensus sit quod prædicata illa debeant prædicari de re tanquam realiter distincta; si formæ sint realiter distinctæ à re,est manifeste falsum.

*Ad illud* de subordinatione formarum dico quòd formæ illæ,de quibus loquimur sint subordinatæ,nec tamẽ inde sequitur quod prædicata ab ipsis desumpta non prædicentur essentialiter:quando enim prædicata desumuntur à formis subordinatis,quarum quælibet est pars essentialis rei,in qua includitur prædicabuntur essentialiter,quia non est maior ratio,cur vna prædicetur essentialiter quam altera.

*Confirma ur hoc*: quia prædicata quæ desumuntur ex materia,& forma, prædicãtur essentialiter de composito constituto ex materia & forma, quia materia, & forma sunt subordinata sibi inuicem,& partes essentiales compositi:ergo similiter prædicata quæ desumerentur à diuersis formis subordinatis, quæ essent partes essentiales eiusdem cõpositi,possent prædicari essentialiter de ipso.

72. *Respondet ipse*,negando consequentiam,& assignãdo disparitatem,quod materia,& forma ex intrinseca sua ratione habent rationem actus, & potentiæ, & constituunt compositum essentialiter, & in primo modo per se:sed duæ formæ non se habent sicut actus,& potentia, nec possunt constituere aliquid vnum essentialiter, quãuis haberent aliquam subordinationem inter se.

*Sed contra*:quia in hac disparitate manifeste petit principium, dum dicit duas formas non posse se habere vt actus & potentia, aut constituere essentialiter aliquod compositum;hoc est enim quod nos negamus.

*Adde* ad hæc in hoc argumento videri supponi quod *Scotus* velit vnum prædicatum desumi ab vna forma, & alterum ab altera,verbi gratia, genericum à forma corporeitatis, & specificum ab anima: sed omnino falsum est Scotum tale quidpiam sensisse:imo omnia prædicata generica & specifica quæ dicuntur de viuentibus, desumuntur ab vtraque forma,& etiam à materia, vt patet ex dictis in Logica, dum examinabatur ex quo desumebatur genus & differentia.

An forma corporeitatis sit heterogenea.

73. *Quæres primo*, an forma corporeitatis, quam iam asserimus antecedere animam,& ea ablata manere,cõstet partibus integralibus heterogeneis,aut homogeneis.

*Arriaga* supra putat, *Scotum* tenere quod detur vnica tantum forma corporeitatis, & quod in hoc dissideat à recentioribus admittentibus cum ipso plures formas substantiales in viuentibus, quòd hi putent dari plures formas partiales corporeitatis in viuentibus, vnam correspondentem vni parti corporis, & alteram alteri parti diuersæ rationis;& vlterius addit sibi placere magis sententiam *Scoti*.Verum cum *Scotus* non possit ponere formam corporeitatis indiuisibilem instar animæ rationalis, necessario debet asserere eam constare pluribus partibus integralibus, quarum vna sit forma manus, verbi gratia, altera pedis, &c non minus quam isti recentiores; vnde non potest habere dissidium quantum ad hoc cum recentioribus aut vllis;vnde dissidium tantum esset, si ipse putaret illas partes, ex quibus integratur forma totalis corporeitatis viuentis,verbi gratia, esse eiusdem rationis, recentiores vero existimarent eas esse diuersæ rationis; quare credo *Arriagam*, *Scotum* intelligere in hoc sensu.

*Respondetur* tamen, formam corporeitatis integram totius hominis constare pluribus partibus integrantibus heterogeneis,ac diuersæ rationis;nec Scotũ aliter sẽsisse.

*Probatur secunda pars*:quia licet *Scotus* magis inclinet quod detur vnica tantum forma corporeitatis, loquitur tamen de vnica integraliter diuisibili, quæ sicut vnica posset vocari,quia constaret pluribus partibus homogeneis: ita etiam vnica posset vocari, quamuis constaret pluribus partibus heterogeneis: ergo ex eo quod dicat Scotus dari vnicam formam corporeitatis,non sequitur quod voluerit illam formam non constare ex partibus integralibus diuersæ rationis.

74.*Probatur ergo prima pars*,quæ est solutio huius quæsiti: quia si pars illa formæ, quæ est in oculo,esset eiusdem rationis cum parte, quæ est in aure aut manu, deberet habere accidentia eiusdem rationis in vtraque parte:sed hoc est falsum:ergo.

*Confirmatur primo*, quia in oculo debet esse aliquod principium intrinsecum substantiale, ratione cuius habeat illa accidentia, quæ habet, potius quam accidentia alia diuersæ rationis,verbi gratia,accidentia similia accidentibus manus:sed nisi pars formæ corporeitatis,quam habet, esset diuersæ rationis à parte formæ correspondente manui,non haberet tale principium:ergo illa pars est distinctæ rationis.

*Confirmatur secundo*, quia habemus tantam rationem quoad sensum,& discursum distinguendi specie formam substantialem oculi,à forma substantiali manus, & formam substãtialem carnis à forma substantiali ossis,quãtam habemus ad distinguendam aquam à vino,aut lapidem à ligno;neque enim habemus principia distinguendi hæc,nisi quod videamus ea exigere accidentia distincta:sed certè oculus, & manus, caro,& os exigunt accidentia notabilissime distincta: ergo debet dici quod distinguantur specie.

75.*Quæres secundo*,an corpus quod constituitur ex materia & hac forma corporeitatis, sit illud corpus, quod ponitur directe in prædicamento substantiæ, aut aliqua species contenta sub illo corpore.

An corpus cõstitutum ex forma corporeitatis, & materia, sit corpus directe positũ in prædicamẽto substantiæ.

*Respondeo negatiue*, illud enim corpus quod ponitur directe in prædicamento substantiæ, debet esse quid completum physicè, aut conceptus abstractus à rebus completis physicè:& idem est de quacumque specie sub illo contenta: hoc enim corpus est quid incompletum physicè non minus quam materia prima, quia est pars physica viuentis:nulla autem talis pars ponitur directe in prædicamento vllo; & valde cauenda est vtriusque corporis æquiuocatio,quæ fundamentum præbet Thomistis præsertim *Ioan.à S.Thoma*,non semel impingendi in hac materia.

## QVÆSTIO IV.

### *De prima definitione Animæ.*

76. Refutatis variis,iisque satis absurdis antiquorum Philosophorum de animæ natura sententiis,quorum aliqui eam ex atomis sphærica figura compositis, qui continuo egrederentur & ingrederentur per respirationem;alij ex vnitatibus constitutam putauerunt;nonnulli existimabant eam esse vnum ex elementis: pleriq: harmoniam seu temperamentum quoddam resultans ex contrariis.His,inquam,vel ex hoc ipso,quod nulli inniterentur fundamento,facile reiectis opinionibus,*Philosophus lib.*2. duas proponit animæ definitiones. Primam

cap.1.

*cap.* 1. quod *Anima sit actus primus corporis organici physici potentia vitam habentis.* Secunda vero *cap.* 2. nempe quod *Anima sit quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus primo.* Quas definitiones hac & sequenti quæstione examinabimus, vt quid sit anima intelligatur.

Supponendum autem per animam intelligi formam illam, à qua viuentia omnia corporea habent viuere secundum quemcumque conceptum, quem communiter habemus de viuentibus, & à cuius separatione dicuntur, quæ antea viuebant, mori.

## CONCLVSIO I.

77. *Bona est prima descriptio animæ qua dicitur, quod sit actus primus corporis organici physici potentia vitam habentis.* Hæc est communissima apud omnes interpretes Philosophi, quamuis non eodem modo ab omnibus explicetur.

*Probatur:* quia omni, & soli conuenit absque superfluitate, aut defectu, vt patebit ex eius explicatione. Dicitur *actus*, quia est forma adueniens materiæ primæ aut corpori organico, omnis autem forma est actus, quia informat, & actuat determinando illud, cui aduenit, ad cõstituendam certam speciem aut ad faciendas certas operationes, quas ex se non magis peteret facere quam oppositas, si opposita forma aduenisset illi. Dicitur *primus*, quia est forma substantialis, & in hoc distinguitur à formis accidentalibus, quæ dicuntur actus secundi, quatenus comparantur ad formas substantiales, quamuis ex formis accidentalibus vna soleat etiam dici actus primus in comparatione ad alias formas accidentales, v.g. calor in comparatione ad calefactionem, & habitus in comparatione ad actus, & intellectus (in sententia Thomistarum putantium quod sit accidens) in comparatione ad intellectionem. Dicitur *corporis organici*, vt distinguatur ab aliis formis substantialibus, quæ non sunt actus talis corporis. Additur *physici*, vt significetur corpus illud, cuius anima est actus, non esse corpus mathematicum, hoc est, quantitatem trinæ dimensionis, aut corpus artificiosum mediante arte confectum. Et quamuis hoc ipsum significatum fuerit sufficienter per illud, quod dicebatur ante, nempe animam esse actum primũ, hoc est formam substantialem, neque enim vlla forma substantialis potest esse actus per se corporis mathematici, aut artificiosi, qua artificiosum est, tamen addi poterat maioris claritatis causa in ordine ad illos qui non cognoscerent statim an actus primus, seu forma substantialis posset informare talia corpora. Dicitur denique *potentia vitam habentis*, vt intelligatur quale corpus censeri debeat organicum illud, in ordine ad quod descripta est anima; solum enim censeri debet tale corpus illud quod potest exercere operationes vitæ, quales sunt illæ, ex quarum processu ab aliqua re cognoscimus illam rem viuere, vt sunt operationes vegetationis, nutritionis, sensationis, intellectionis, volitionis.

Hic est sensus primæ descriptionis à Philosopho traditæ. Vt melius autem appareat quod omni, & soli animæ conueniat, proponendæ sunt aliæ Conclusiones spectantes ad naturam animæ declarandam.

## CONCLVSIO II.

Anima est forma substantialis.

78. *Anima est forma substantialis informans materiam, seu corpus organicum.* Hæc est omnium Peripateticorũ contra eos, tum qui putauerunt eam esse formam assistentẽ, & non informantem, nec vnibilem physicè corpori; tum qui dixerunt eam esse temperamentum quoddam resultans ex contrariis, aut elementum, aut conflatum ex elementis, aut atomos egredientes ac ingredientes.

*Probatur* autẽ theologice: quia anima rationalis est talis forma: ergo & omnis, quia nulla potius deberet non esse talis, quam rationalis; nec hæc potius debebat esse quàm omnis alia anima, vt omnes fatentur. Probatur antecedens ex *Concilio Viennensi Clement. de summa Trinitate, ac fide catholica*, vbi damnantur tanquam hæretici, negantes animam rationalem esse veram corporis formam.

*Probatur ratione:* quia anima est substantia: sed non est materia prima, nec corpus, nec actus subsistens completus instar Angeli: ergo est forma substantialis informãs. Consequẽtia est euidens: quia non datur aliqua alia substantia media inter has substãtias. Probatur maior; quia viuens & non viuens substantialiter differunt, non minus quàm ignis, & aqua: ergo illud, à quo habet viuens per se primo differre à non viuente, est substãtia, si enim non esset, non posset substantialiter differre à non viuentibus quatenus viuens. Sed illud, quo per se primo differt, est anima: ergo anima est substantia. Probatur secundo eadem maior: quia illud, quo per se primo constituuntur non viuentia corporea in esse tali, est substantia: ergo & illud, quo constituuntur per se primo viuentia debet esse substantia. Neque enim viuentia debent habere imperfectiora constitutiua quam non viuentia.

Anima nõ est corpus.

79. Probatur minor quoad primam partem: quia alias omnes substantiæ materia constantes deberent esse viuentes, ac animatæ, quod est absurdum. Probatur eadem minor quoad secũdam partem primo: quia anima rationalis non est corpus, cum sit spiritualis, vt postea videbitur: ergo anima vt sic non est corpus, ratio enim animæ vt sic includitur in anima rationali. Secundo, quia si esset corpus, vel esset corpus compositum ex materia & forma, vel esset corpus simplex completum, sicut aliqui philosophantur de Cœlo; vel esset corpus simplex incompletum. Non corpus compositũ ex materia, quia sic reperirẽtur in viuentibus duæ materiæ, quod est absurdum, tum quia vna superflueret, tum quia nullum indicium est alterius. Nõ corpus simplex completum quia non deberet recipi in materia. Non est etiam corpus incompletum simplex, quatenus corpus distinguitur à forma substantiali corporea, quia sic non deberet recipi in materia, aut alio corpore. Et dico; *in quantum corpus distinguitur a forma substantiali corporea*, quia capiendo corpus pro substantia non spirituali, sed opposita substantiæ spirituali, anima posset esse corpus, quantum ad hãc rationem: sed hic non capimus corpus hoc modo.

Anima nõ est forma assistens.

80. Probatur denique eadem minor quoad tertiã partem primo: quia alias viuens non esset vnum ens per se. Secũdo, quia non deberet indigere corpore in ordine ad suas operationes. Tertio, quia corpus viuẽtis indiget cõnaturaliter aliquo complemento substantiali, & secundum se est quid substantialiter incompletum, vt patet; quia nõ potest aut exercere functiones suorum organorum, aut perseuerare in esse; sed vergit statim ad corruptionem, nisi habeat animam: sed hoc non esset verum, si anima esset substãtia completa assistẽs ipsi, eo modo quo Angeli assistunt corporibus, quæ assumunt. Quarto, quia quãdoquidem sunt aliquæ operationes, quæ producũtur à viuentibus, ad quas concurrit tam anima quam corpus viuẽtium, vt sensationes internæ & externæ, potius dicẽdum est, quod illæ proueniant ab anima tanquã à forma informante, sicut operationes aliarum substantiarum cõpositarum proueniunt à tali forma, quàm quod proueniant ab ipsa tãquam ab assistente. Quinto, si fuisset substantia assistẽs, non deberet vlla anima dependere in conseruari ac produci à corpore, quod falsum est de sensitiua & vegetatiua; nec dependeret vlla anima, etiam rationalis, ab vllis determinatis dispositionibus, vt maneret in corpore, sed posset ad nutum exire & redire quando vellet, quod manifeste falsũ est. Sexto denique: quia omnes rationes, quæ probant alias formas substantiales esse informantes & non assistẽtes, æque idem concludunt de anima sensitiua & vegetatiua: sed ex suppositione quod hæ sint formæ informãtes, sequitur corpora, quæ informant esse ex se substantialiter incompleta, & posse vlterius compleri; sed si corpora aliorum viuentium sint incompleta, idem dicẽdum de corporibus humanis à paritate rationis: hæc vero non essent sic cõpleta nisi anima rationalis esset forma informans: ergo talis dicenda est.

Ex hac Conclusione patet vere dici de anima in præmissa definitione, quod sit actus primus in sensu, in quo id explicatum est in primæ Conclusionis probatione.

81. *Obiicies primo:* dissoluto temperamẽto corporis tali vel tali, perit vita eius, & eo manẽte manet: ergo vita eius consistit formaliter in tali temperamẽto, & consequen-

ter anima, quæ est vita physica corporis in actu primo.

*Respondeo* negando consequentiam, quia potest vita ac anima dependere à temperamento illo sic, vt eo ablato naturaliter manere non possit, quamuis non consisteret formaliter in illo temperamẽto, & de facto aliæ formæ substantiales sic dependent à dispositionibus accidẽtalibus aliquibus, in quibus tamen nõ consistunt, ac vniuersaliter omnis effectus est per se depẽdẽs, in fieri & cõseruari ab aliqua causa taliter applicata, eaque applicata naturaliter existit, & ea ablata non existit; nec tamen inde sequitur quod consistit effectus formaliter in illa causa.

*Obicies secundo*: Aug. 22. *ciuit. cap.* 11. docet secundum Aristotelem animam esse substantiam compositam ex materia, & forma: ergo est corpus, & consequenter non est forma informans.

*Confirmatur*: quia Philosophus 2. *de gen. animalium c.* 3. ait animam participare corpus quoddam elementis diuinius.

*Respondeo*, Augustinum ita docuisse ex *Cicerone*, qui eam sententiam *Philosopho* imponit 1. *Tusculanarum quæstionum.*

*Ad confirmationem Respondeo*: Philosophum solum velle quod corpus constitutum per animam in esse viuentis, sit diuinius quam corpus elementare, propter maiorem similitudinem, quam habet cum Deo in ratione viuentis.

## CONCLVSIO III.

Quid intelligitur per corpus positum in definitione animæ.

82. *Per corpus organicum positum in definitione viuentis potest intelligi quantum ad rem ipsam vel corpus, quod est altera pars viuentis, constitutum ex materia prima, & forma corporeitatis; vel corpus, cuius anima est pars essentialis intrinseca; sed ex mente Philosophi per corpus intelligi debet altera pars viuentis.* Hæc quantum ad primam, & tertiam est *Scotistarum* communiter, quantum ad secundam vero *Thomistarum.*

*Probatur prima pars*: quia omnis actus informans potest definiri per ordinem ad subiectum, quod natum est ab eo informari: sed corpus, quod est altera pars viuentis, est subiectum natum informari ab anima: ergo anima potest definiri per ordinem ad tale corpus, & consequenter, ly *corpus* positum in eius definitione, potest intelligi de illo corpore, eatenus enim nõ posset, quatenus non benè describi posset anima in ordine ad ipsum.

*Confirmatur*, illud corpus quod est altera pars viuentis, est ad sensum notissimum, nec minus etiam est notum, quod nulla substantia corporea possit informari ab anima nisi tale corpus, ex suppositione quod detur, & quod omne tale possit informari ab anima: ergo optime potest describi anima per ordinem ad tale corpus.

*Probatur secunda pars* ex dictis supra in explicatione definitionis: quia quotiescumque constitutum essentialiter per aliquã formã potest concipi aliquo conceptu, in quo non inuoluitur ipsa forma, qua constituitur, potest forma describi per ordinem ad illud, vt sic conceptũ: sed corpus constitutũ essentialitẽr per animam potest concipi sub ratione substantiæ viuentis, id est potentis sentire, aut crescere; & in hoc conceptu non inuoluitur anima aut vlla forma physica, potest enim de viuentibus corporeis haberi hic conceptus antequam cognoscatur quod constent materia, & forma, aut corpore, & anima: ergo quandoquidẽ reuera anima sit illud quod vltimate constituit illud in esse tali, potest describi in ordine ad illud.

83. *Probatur denique tertia pars*; quia *Philosophus* post traditam prædictam definitionem subiungit, *anima & corpus* (illud scilicet corpus de quo ante fecit mentionẽ) *est homo*, sed hoc est falsum de corpore per animam constituto essentialiter, sicut esset falsum dicere quod animal constaret animalitate & sensibilitate, & homo humanitate & rationalitate, aut album albo & albedine; esset autem verum de corpore, quod est altera pars viuentis: ergo secundum Philosophum per corpus debet intelligi corpus, quod est altera pars viuentis.

*Confirmatur ex tex.* 4. vbi habet: *Atque cum tale etiam sit corpus*, id est, habens vitam, *corpus profecto non erit anima, sed vt subiectum potius est & materies.* Sed quod se habet vt subiectum & materia re spectu formæ; non potest constitui essentialiter per illam formam: alias posset dici quod album, vt dicit aggregatum, seu conflatum ex pariete, & albedine, esset subiectum & materia albedinis, quod est absurdum: ergo corpus, de quo *Philosophus* mentionem faciebat, non est constitutum essentialiter per animam, sed altera pas viuentis.

## CONCLVSIO IV.

Corpus viuentis debet esse organicum; sed non necessario hoc erat specificãdum in definitione animæ.

84. *Corpus tam quod est subiectum animæ, quàm quod est constitutum intrinsece per eam, debet esse organicum, id est, habens partes diuersæ rationis aptas ad operationes vitales exercendas, hoc est, ad illas operationes, ex quibus colligimus res viuere, v. g. sensationes & nutritionem ac similia: non esset tamen necesse addere illam particulam in descriptione animæ, quamuis poterat addi.*

*Probatur prima pars*: tum quia anima nec subiectatur nec constituit intrinsece vllum aliud corpus, vt patet; tum quia non potest assignari aliud corpus ab ipsa aut informatum, aut constitutum; tum quia cum anima sit principium talium operationum & hæ exigant diuersa organa, nec organum vnius sufficiat ad alias, exigit sine dubio connaturaliter corpus habens diuersa illa organa; & propterea naturaliter non debebat subiectari, aut informare alia corpora, saltem modo connaturali, quod sufficit nostro intento.

*Probatur secunda pars*: quia eo ipso quo ponitur in definitione animæ, quod sit actus corporis potentia vitam habentis, sufficienter declararetur anima, vt distinguitur ab aliis formis, quamuis nec poneretur illa particula, nec conciperetur corpus ab anima informatum aut constitutum, vt integratũ ex partibus distinctæ rationis.

*Probatur denique tertia pars*: quia quandoquidem nullum sit corpus aptum ad tales functiones, aut potens viuere, nisi organicum, & præterea quandoquidem diuersitas illa partium integralium corporum viuentium seu potentium viuere, sit notabiliter differens à diuersitate quacunque, quæ reperitur in aliis corporibus, non male addebatur illa particula, vt facilius posset quis cognoscere quænam corpora essent apta viuere.

85. *Dices*: forma cadaueris est actus corporis organici non minus quam anima: ergo inutiliter additur illa particula, siue ad distinguendam animam ab aliis formis, siue ad facilius cognoscendum quænam corpora sint apta viuere.

*Respondeo* hanc difficultatem solum currere in sentẽtia *Thomistarum* & recentiorum, qui asserunt dari illam formam cadaueris post recessum animæ; vnde *Scotistæ* ad eam impugnandam vtuntur hoc argumento, nempe quod sequeretur illam formam cadaueris esse animam, quandoquidem esset actus corporis organici non minus quàm anima.

*Et si dicant* illud corpus organicum, cuius actus est forma cadaueris, non esse potentia vitam habens, & cõsequenter formam illam non esse animam, quia tota descriptio animæ ipsi non conuenit.

*Contra*, quia saltem sequitur hanc particulam *organici* nihil iuuare ad facilius cognoscendum quodnam corpus sit aptum ad operationes vitæ, aut quænam forma sit anima.

*Dices secundo*: nostra forma corporeitatis est actus corporis organici potentia vitam habens: ergo prædicta difficultas militat etiam contra nos.

*Respondeo*, si intelligeretur per corpus subiectum formæ, quod ab ipsa informari deberet, prout potest & debet intelligi secundũ mentẽ *Philosophi*, negando antecedẽs: quamuis enim constituat corpus organicum, nõ tamẽ subiectatur in ipso, sed in materia prima, quæ nõ est corpus organicum, vt est euidẽs. Si vero intelligatur per corpus organicum corpus constitutũ essentialiter per illum actum, quo describitur in ordine ad ipsum, tũ fatẽdum est, quod illa forma sit actus corporis organici & quidẽ potẽtia vitã habẽtis, tã substantialem quam accidentalẽ, imo actu habens vtramque vitam quando animatur & exercet operationes vitales. Et quamuis hinc sequeretur,

sequeretur, quod per illam particulam non posset facilitari quis ad cognoscendam naturam corporis quod constituitur per animam, vt distinguitur à corpore quod constituitur per formam corporeitatis, posset tamen deseruire ad discernendum illud corpus ab aliis corporibus, & in ordine ad hoc poni in descriptione animæ: quæ etiam responsio posset adhiberi à *Thomistis* ad primam replicam. *Deinde* posset intelligi per *potentia vitam habentis*, illud quod est potens vitam habere in actu secundo absque accessu vllius complementi substantialis, hoc enim modo solum corpus, quod cõstituitur per animam intrinsece esset potentia vitam habens.

## CONCLVSIO V.

Vita posita in descriptione animæ est vita in actu secundo.

86. *Melius intelligitur per vitam positam in definitione animæ vita in actu secundo, quam in actu primo.*

*Probatur*, quia si intelligatur per corpus quid constitutum per ipsam animam, non recte potest dici, quod sit in potentia ad vitam in actu primo, quandoquidem vita in actu primo sit ipsamet anima; sicut non bene diceretur ignis esse in potentia ad formam ignis, & homo ad rationalitatem. Si vero intelligatur per corpus altera pars viuentis quæ est subiectum animæ, licet verum sit, quod illud sit in potentia ad vitam in actu primo, tamẽ vita in actu primo ad quam est in potentia, est ipsamet anima, nec potest intelligi anima, quin intelligatur talis vita, neque talis vita quin intelligatur anima: ergo si describeretur anima per ordinem ad talem vitam, describeretur per ordinem ad seipsam, aut ad aliquid æque ignotum ac obscurum ac ipsamet, & consequenter definitio esset vitiosa: ergo vlterius melius intelligitur per vitam vita in actu secundo, hoc est operatio vitalis, ex qua colligitur aliquid viuere.

Clara descriptio animæ.

Per hæc explicata manet sufficienter, & prima descriptio *Philosophi*, & declarata natura animæ, quæ tamen breuissimè, & clarissimè describi posset dicendo quod sit *forma substantialis, ratione cuius competit corporibus viuere*. Supposito enim conceptu vitæ, per hanc descriptionem poterit facilè quis animam distinguere ab omni alia forma, & tolluntur æquiuocationes, quas pati potest communis descriptio præmissa, quæ tamen, quia communis, vsurpanda, & explicanda erat.

# QVÆSTIO V.

## *De secunda definitione Animæ.*

SEcunda definitio hic explicanda est, *quod anima sit principium primum quo viuimus, sentimus, locomouemur, intelligimus.*

## CONCLVSIO I.

Secunda descriptio animæ copulatiue intellecta est mala.

87. *Hæc descriptio, si copulatiue sumantur omnia, quæ in ipsa ponuntur, non est bona descriptio animæ vt sic.* Hæc est communis, & *probatur*: quia alias quælibet anima deberet esse principium intelligendi, & consequenter rationalis, quod est absurdum. Probatur sequela, quia si anima vt sic esset principium intelligendi, quælibet anima deberet esse talis; definitio enim animæ vt sic debet conuenire omni animæ, sicut definitio animalis vt sic conuenit homini & bruto.

## CONCLVSIO II.

Quo sensu est bona.

88. *Illa descriptio sufficit ad cognoscendam quamcunque animam, eamque ab aliis formis, quæ non est anima, discernendam, & in hoc sensu est bona.*

*Probatur*: quia eo ipso, quo dicitur quod anima sit principium illarum operationum sic, vt quamuis omnis anima non sit principium omnium illarum, nulla tamen illarum ab alio principio primo physico procedat, quã ab anima; facile potest quis cognoscere quænam formæ sint animæ, & quænam non sint. Nec sane credo *Philosophum*, dum vsus est hac descriptione, aliud intẽdisse quã hoc. Vnde absolute & simpliciter existimo hanc descriptionem, quomodocunq; sumatur, non exactè describere naturam animæ vt sic, sicut nec bene describeretur ratio animalis vt sic, dicendo quod esset substantia corporea, quæ posset sentire, & discurrere. Potest tamen ex illa descriptione colligi descriptio animæ vt sic, dicendo, quod anima vt sic sit *forma substantialis, in qua particulariter conueniunt illæ formæ, quæ sunt principia viuendi, & sentiendi, & loco mouendi progressiue, & intelligendi.*

Potest etiam describi alio modo dicendo quod sit *principium primum physicum, à quo substantiæ corporeæ habent viuere*, intelligendo per vitam conceptum illum, in quo diximus quæstione prima omnia viuentia creata conuenire vniuocè.

Quia vero anima est principium primum physicum, à quo habent substãtiæ corporeæ viuere, & quia ex communi hominũ sensu illa corpora dicuntur viuere, & quæ nutriuntur, & quæ sentiunt, & quæ loco mouentur progressiue ex virtute sua intrinseca, & quæ intelligũt; propterea omnis forma, quæ est principium cuiusuis ex his operationibus, est anima; & hoc tantum, vt dixi, Philosophus voluit explicare per prædictam definitionem.

89. Porro quoniam operationes hæ vitales, ex quibus colligitur substãtias viuere, sunt operationes, quæ requirunt in substantia, à qua procedunt, diuersas partes heterogeneas, optime sequitur quod anima, quæ est principium harũ operationũ debeat esse actus corporis organici, quod corpus potest habere vitã, seu exigere operationes vitales, & in hoc sensu prior descriptio animæ potest per hanc posteriorem probari, quantum ad illas partes, in qua dicitur quod sit actus corporis organici.

*Rursus* eo ipso, quo anima sit actus corporis organici potẽtis exercere operationes vitales sequitur quod ipsamet anima sit principium primum physicũ talium operationum: nec enim corpus illud organicum habet ab alio principio quam ab anima posse illas exercere; & in hoc sensu potest per priorem descriptionem hæc posterior probari. Vtraque vero definitio, si intelligatur radicaliter, est essentialis, tam bene quàm quæcunque alia, quæ de vlla substantia potest a nobis dari. Intelligitur autem radicaliter, si intelligatur sic, vt velit quod anima sit illa forma, quæ ex natura sua intrinseca petit actuare tale corpus, & principiare tales operationes.

90. *Obicies.* Deus est principium primum, quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus; ergo esset anima, si vllo modo bona esset prædicta descriptio.

*Respondeo primo* negando antecedens; nam licet dicamur in Deo viuere, non tamen potest dici proprie quod ipse sit principium, quo viuimus.

*Respondeo secundo* distinguendo antecedens: principiũ physicum effectiuum & extrinsecum; transeat maior: principium intrinsecum formale & essentiale, nego antecedens & consequentiam: quia quando dicitur, quod anima est principium quo viuimus, hoc intelligitur de principio intrinseco, quod sit nobis essentiale.

*Dices*: materia prima nostra est principium intrinsecum & essentiale, quo elicere possumus illas operationes, neque enim sine materia potuissemus illas elicere: ergo illa definitio conuenit materiæ.

*Respondetur* distinguendo antecedens: principium intrinsecum materiale, concedo: formale, nego antecedens & consequentiam.

*Dices secundo*: forma corporeitatis est principium formale intrinsecum istarum operationum, ad eas enim eliciendas concurrit non minus quam anima: ergo prædicta definitio conuenit ipsi, & consequẽter non est bona.

*Respondeo* distinguendo antecedẽs: principium intrinsecum formale, quod absque alio principio formali superueniente possit sufficere ad illas operationes, nego; quod non possit, concedo, & nego consequentiam: quia quando dicitur quod anima sit principium intrinsecum formale istarum operationum, hoc intelligitur de principio intrinseco formali non requirente aliud principium formale superueniens.

91. *Obicies secundo*, vt prædicta descriptio sit aliquo modo bona, nulla forma potest esse principium vllius ex illis operationibus, quæ non sit anima: sed hoc est falsum, quia forma grauium & leuium est principium motus localis quo descendunt & ascendunt, & tamen illa forma non est anima: ergo.

*Respondeo* negando minorem, ad cuius probationem dico, quod motus localis, per ordinem ad quem describitur anima, non est motus localis quomodocumque, nec motus localis, qualis est motus grauium & leuium; sed motus localis organicus petens procedere à substantia mediantibus partibus diuersæ rationis, ita vt earum diuersitas iuuet ad illum motum: huiusmodi autem motus localis non competit vlli rei, nisi animatæ, nec ab alio principio intrinseco potest prouenire nisi ab anima.

## QVÆSTIO VI.

### *De diuisione Animæ vt sic in quinque genera potentiarum, & quatuor gradus viuentium.*

92. IN hac quæstione examinabitur diuisio vulgaris animæ vt sic, in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem; & præterea quo sensu sunt quinque genera potentiarum, & quatuor gradus viuentium.

### CONCLVSIO I.

Bene diuiditur anima in vegetatiuã, sensitiuã, & rationalem.

*Optime diuiditur Anima vt sic tanquam in species realiter distinctas & diuersæ rationis, in animam vegetatiuam tantum, hoc est, illam quæ vltra operationes vegetatiuas, non habet operationes sensitiuas ac rationales: & in animam sensitiuam tantum, hoc est, quæ supra vegetatiuas & sensitiuas non habet rationales operationes: & in rationalem; quæ scilicet vltra vegetatiuas & sensitiuas habet etiam rationales.*

Hæc est communis, & *patet*: quia reuera dantur huiusmodi tres species animarum inter se realissime distinctæ, in plantis, brutis, & hominibus; nec vlla prorsus anima assignari potest, quæ nõ sit aut vegetatiua tantum, aut sensitiua tantum, aut rationalis in sensu iam explicato: sed nihil aliud requiritur ad hoc, vt diuisio illa sit bona: ergo.

93 *Aduertendum autem*, quod non sit diuisio generis in species infimas, quia anima vegetatiua, quæ est vnum ex membris diuidentibus, est genus respectu plurium animarum vegetatiuarum sub se comprehensarum: anima enim vegetatiua cedri & cypressi, sine dubio distinguuntur specie; & idem est de anima sensitiua vt sic; siquidem anima ouis & leonis distinguuntur specie. Non est etiam diuisio generis in species subalternas, quia anima rationalis, vt communiter supponitur est species infima. Est ergo diuisio generis in plures species, quarum aliqua est infima, aliqua non est, sicut diuisio animalis in brutum, & hominem.

Quod si placeret alicui hanc diuisionem reducere ad bimembrem, quamuis id non sit necessarium, facilè poterit, diuidendo animam, vt sic, in *vegetatiuam*, quæ scilicet vltra vegetationem non habet sentire, & in *sensitiuam*, quæ vltra vegetationem habet sentire. Deinde subdiuidendo animam *sensitiuam* in eam quæ vltra vegetationem, & sensationem non habet discurrere, quæ est *sensitiua* tantum; & in eam quæ vltra vegetationem, & sensationem habet discurrere, quæ est *rationalis*. Vnde potest dici quod illa diuisio trimembris sit æquiualenter bimembris, quatenus scilicet est facile reducibilis ad bimembrem; sed hoc est parui momenti.

94. *Obiicies primo* membra diuidentia bonæ diuisionis excludere debent se inuicem, ita vt vnum ex illis non possit dici de altero in recto, sicut homo non potest prædicari de bruto, nec brutum de homine: sed anima vegetatiua potest dici de sensitiua, & hæc de rationali, nam sensitiua est etiam vegetatiua; & rationalis est etiam sensitiua, & vegetatiua; ergo illa diuisio non est bona.

*Respondeo* distinguendo minorem: vegetatiua, quæ est membrum diuidens huius diuisionis, potest dici de sensitiua; aut sensitiua, quæ est alterum membrum diuidens potest dici de rationali, nego minorem; vegetatiua & sensitiua abstracta ab his membris & anima rationali, transeat minor, & nego consequentiam. Quod autem vegetatiua, quæ est membrum diuidens huius diuisionis, non possit prædicari de sensitiua, patet manifestè, quia quæ est membrum diuidens non est vegetatiua quæcunque, sed vegetatiua tantum in sensu supra explicato: talis autem anima non potest verè prædicari de sensitiua, & eodem modo discurrendum est de sensitiuo in ordine ad rationale.

95. *Obiicies secundo*: quæ ordinatim ponuntur in aliqua serie per modum superioris, & inferioris, non possunt esse membra diuidentia bonæ diuisionis; vnde pessimè diuideretur substantia in animal, & hominem: sed vegetatiua anima est superius ad sensitiuam, & hæc ad rationalem: ergo mala est præmissa diuisio.

*Respondeo* ex dictis distinguendo minorem: vegetatiua tantum, quæ est membrum huius diuisionis, nego: vegetatiua abstracta ab illa & sensitiua, quæ non est membrum huius diuisionis, concedo minorem, & nego consequentiam.

### CONCLVSIO II.

Quatuor sunt genera viuentium.

96. *Quatuor sunt genera viuentium, quæ à se inuicem sunt separabilia, & ad quæ omnia viuentia reduci possunt ita, vt nullum sit viuens, quod non contineatur sub aliquo genere ex illis.* Hæc est communis cum *Philosopho*, & *patet*; quia sunt quædam quæ vegetantur & non sentiunt, nec loco mouentur progressiuè, nec discurrunt, vt sunt Plantæ: quædam vero quæ non vegetantur tantum, sed etiam sentiunt, sed non loco mouentur progressiuè, nec discurrunt, vt conchæ: quædam, quæ rupibus, ac lapidibus adhæresunt, nec vnquam ab vno in alium locum progressiuè feruntur, licet moueant se localiter quoad partem sui, quando tanguntur: quædam quæ & vegetantur & sentiunt & locomouentur, sed non intelligunt, vt cætera Bruta: quædam denique quæ vltra has omnes functiones etiam intelligunt, vt homines: ergo dantur quatuor huiusmodi genera viuentium. Quod vero non dentur plura, patet: quia non potest assignari aliud genus. Quod autem omnia viuentia ad hæc quatuor genera reducantur, aut sub illis contineantur, patet etiam: quia non potest assignari vllum quod non continetur.

*Aduerte autem* hæc quatuor viuentium genera esse propriè dicta genera, si quartum tantum excipias quod est intelligens, nam alia tria continent sub se plures species, quartum vero non comprehendit nisi solos homines, qui sunt omnes eiusdem speciei. Et licet vocentur gradus viuentium, hoc non obstat, quia tales vocantur ex eo, quod conceptus abstracti ab illis possint reperiri in vna & eadem anima, v.g. rationali, quæ habet omnes illas functiones.

97. *Obiicies*. Si darentur quatuor genera viuentium, darentur etiam quatuor genera animarum, & consequenter anima, vt sic deberet diuidi in quatuor animas specie distinctas, & non in tres.

*Confirmatur*: quia si potest sensitiua non locomotiua haberi, non magis distinguitur vegetatiua à sensitiua, quam sensitiua non locomotiua à sensitiua locomotiua, & consequenter tam bene possunt sensitiua locomotiua, & non loco motiua poni tanquam membra diuidentia animum vt sic, quam vegetatiua, & sensitiua.

*Respondetur breuiter*, omissa superflua aliquorum speculatione ad saluandum trimembrem animæ diuisionem, & quatrimembrem generum viuentiũ; concedendo primam sequelam, & negando consequentiam: quia licet posset anima diuidi in tres animas, adæquate, bene explicatis illis animabus diuidentibus, vt supra explicatæ sunt; hoc non impedit quo minus etiam optime, & adæquate diuidi posset in quatuor membra, modo saluetur distinctio sufficiens membrorum, & adæquatio.

Itaque optime diuideretur anima, vt sic in *vegetatiuã non sensitiuam: sensitiuam non locomotiuam: sensitiuam locomotiuam, non rationalem: & rationalem*, & similiter optime possent assignari tres tantum gradus, aut genera viuentium, nimirum eorum quæ vegetantur, quæ sentiunt, & quæ intelligunt. Vnde concedo totam confirmationem, nec id est inconueniens.

Quod si non daretur aliquod viuens sensitiuum, quod non esset locomotiuum, illa quatuor genera viuentium nõ essent realiter distincta, & si sufficeret distinctio formalis, posset assignari plura genera, posset enim assignari gradus appetentium, nam appetitus elicitus tã arguit vitam,

vitam,& habet connexionem cum anima,quam motus localis qualiscumque. Vnde existimo *Philosophum* dum assignauit quatuor hæc genera viuentium, fuisse in opinione quod sensitiuitas, & loco motiuitas essent separabilia realiter.

## CONCLVSIO III.

Quomodo dantur quatuor genera potentiarum vitalium, & quomodo quinque.

98. *Dantur quatuor genera potentiarum vitalium, quæ realiter reperiri possunt separatæ in diuersis animabus, dantur vero quinque, ex quibus tamen vna non est sic separabilis ab aliis sicut reliquæ.* Hæc in re debet esse communis ex suppositione præcedentis Conclusionis. &

*Probatur prima pars:* quia quodlibet genus animæ habet sibi potentiam particulariter conuenientem: sed sunt quatuor genera animarum ac viuentium separabilium, vt patet ex præcedenti Conclusione: ergo.

*Confirmatur:* quia datur potentia vegeratiua, sensitiua, loco motiua, & intellectiua, & ex his vegetatiua reperitur sine reliquis in plantis; sensitiua sine locomotiua & rationali, in aliquibus animalibus, locomotiua sine rationali in aliis animalibus: ergo dantur quatuor genera potentiarum realiter separabiliium hoc modo.

*Probatur secunda pars:* quia præter illas quatuor potentias datur appetitiua, quæ tamen nequit esse absque sensitiua, nec hæc sine illa, si loquamur de appetitiua sensitiua: si vero loquamur de appetitiua rationali, hæc nequit esse absque intellectiua, nec è contra: ergo dantur quinque potentiæ vitales, quarum tamen vna non est sic separabilis sicut reliquæ.

*Obiicies:* potentia nutritiua & generatiua sunt potentiæ realiter separabiles, est enim vna, nempe nutritiua, sine altera in mula, ac aliis fortassis animalibus, ergo dantur plura quam quatuor genera potentiarum vitalium.

*Respondeo* negando consequentiam, quia illæ duæ potentiæ comprehenduntur nomine potentiæ vegetatiuæ, per potentiam enim vegetatiuam intelligitur potentia vitalis non sensitiua.

*Obiicies secundo:* deberent dari quinqe genera animarum, si darentur quinque genera potentiarum: ergo vel hæc Conclusio est falsa, vel præcedens, aut prima.

*Respondeo* negando sequelam antecedentis: quia plura genera potentiarum possent prouenire ab vno genere ex generibus, aut speciebus animarum, & sic de facto genus potentiæ sensitiuæ & appetitiuæ prouenit ab anima sensitiua vt sic.

## QVÆSTIO VII.

### *Vtrum sint plures animæ in quolibet animali.*

99. QVandoquidem ex animalibus cætera præter hominem & vegetantur, quod ipsis conuenit ratione animæ, quatenus vegetatiua est, & sentiunt quod ipsis conuenit ratione animæ sensitiuæ; homo autem ipse præterea intelligat, & hoc habeat ab anima rationali, qua talis est; non defuere qui dixerunt in homine esse tres animas realiter distinctas, à quarum vna haberet vegetare, ab altera sentire, & à tertia intelligere; in cæteris vero animalibus duas, vegetatiuam scilicet, & sensitiuam. Hinc examinari solet an ita sit; an potius quodlibet animal vnicam tantum animam habeat, quæ præstet omnia vitalia munera, quæ ipsi competunt.

Vt autem controuersia huius quæstionis melius intelligatur, *aduertendum*, non quæri, an sint plures animæ integrantes vnam totalem animam, quarum vna corresponderet vni parti corporis, & altera alteri, hoc enim examinandum est quæstione sequenti *de diuisibilitate animæ*: sed an sint plures animæ non natæ integrare vnam animam totalem, & correspondentes eidem parti corporis.

## CONCLVSIO I.

100. *In homine tantum datur vnica anima, quæ est rationalis, & in aliis animalibus vnica anima, quæ est sensitiua.* Hæc est communissima cum *Philosopho 2. de anima text. 31. Scoto 4. distinct. 44. quæst. 1. num. 4. D. Thoma 1. part. q. 76.* quos sui sequuntur & recentiores contra *Platonem, Galenum, Occamum, Mayronium & alios:* & ita videtur aliquibus colligi ex *Scriptura, Patribus, & Conciliis*, vt oppositam sententiam hæreticam censeant; alij vero temerariam & in fide periculosam. Sed omissis Theologicis probationibus ac censuris eas consequentibus: hic examinanda res est philosophice, & quoad rationem naturalem.

*Probant aliqui primo:* quia omnis anima est forma substantialis, sed plures formæ substantiales nequeunt esse simul in eodem subiecto naturaliter: ergo.

*Verum hæc probatio* admittentibus formam corporeitatis in viuentibus simul cum anima non est probanda: nisi quatenus supponeretur quod, qui ponũt plures animas in animalibus, putent animam vegetatiuam, quam in ipsis ponunt cum sensitiua, esse eiusdem speciei cum anima vegetatiua plantarum; & animam sensitiuam, quã in homine ponunt præter rationalem, esse eiusdem speciei cum anima sensitiua brutorum. Hoc autem supposito hæc probatio posset esse bona hoc modo formata: Non potest formæ completæ substantiali aduenire naturaliter alia forma substantialis, alias non esset cõpleta: sed anima vegetatiua plantarũ est completa, & sensitiua etiam brutorum, alias plantæ essent entia incompleta, & bruta pariter: ergo non potest in brutis aut homine simul cum tali anima esse alia anima. At si quis putaret animam vegetatiuam brutorum esse distinctæ speciei à vegetatiua plantarum, & hanc esse formã completã, illã non; hæc probatio nihil valeret contra eos. Et hinc sequitur non valere aliam probationem, qua dicitur quod alias sequeretur hominem non esse vnum ens per se; nam si animæ dicerentur esse incompleræ & subordinatæ, id non sequeretur magis quam sequitur de homine constituto ex forma corporeitatis.

101. *Probat secundo Ruuius;* quia anima rationalis est forma substantialis informans ac tribuens materiæ esse substantiale, tum corporeum, quia non est capax esse incorporei, neque datur medium inter esse corporeum & incorporeum, tum viuens, quia cum sit principium vitæ, non potest dare esse non viuens: sed non potest dare ipsi esse viuens insensibile: ergo sensibile, & consequenter à primo ad vltimum dat materiæ tres gradus vitæ, nempe vegetatiuum, sensitiuum & rationalem, & consequenter superfluerent aliæ animæ.

*Hæc probatio* eo tendit, vt non possit dari vlla anima rationalis, quæ non tribueret esse vegetatiuum & sensitiuum: sed certe difficile est assignare repugnantiam in hoc: & facile responderi posset ad rationem hanc *Ruuij*, dicendo quod anima rationalis non aduenirer materiæ, nisi iam constitutiæ in esse viuentis per animam vegetatiuã, & in esse sensitiui per animã sensitiuam, & ipsamet constitueret compositum constitutum per illas animas in esse intellectiui; nec ab illa haberet vlla ratione illud compositum, aut posse se nutrire, aut posse sentire, præsertim sensatione distincta à sensationibus rationalibus.

*Hinc sequitur* non valere aliam probationem *Toleti*, nẽpe quod sequeretur, si anima non esset sensitiua, quod non esset forma informans, sed forma subsistens instar Angeli; quamuis enim non esset sensitiua, posset aduenire corpori sensitiuo incompleto & ipsum informare.

*Probatur tertio*, quia sensatio & nutritio impediunt contemplationem: ergo proueniunt ab eadem anima, à qua prouenit contemplatio: alias enim contemplatio non deberet impediri per illas: sed si omnia illa proueniant ab eadem auima, non sunt multiplicandæ plures: ideo enim essent multiplicandæ, quia non possent prouenire ab vna anima.

*Contra*: quia quamuis prouenirent hæ operationes à diuersis animabus, hæ tamen animæ possent habere subordinationem talem inter se, vt vna anima posset impedire operationes alterius.

102. *Melior probatio conclusionis est*, quod non sint multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas ponẽdi in animalibus plures animas, nec vlla prorsus

est ratio,cur vna & eadem anima non posset esse in brutis principium vegetandi & sentiendi ; & in hominibus principium vegetandi, sentiendi, & intelligendi : ergo non sunt asserendæ plures animæ.

*Confirmatur* : quia si essent plures animæ in animalibus,posset ab homine, verbi gratia,tolli dispositio sufficiens ad animam rationalem , relicta dispositione sufficienti ad animam sensitiuam , & sic non obstante quod moreretur homo, posset esse animal & viuens, quod est contra omnem experientiam. Probatur sequela:quia sic contingit in aliis formis substantialibus subordinatis,vt ablata vna, maneat aliquando altera, vt patet de forma corporeitatis, & anima : ergo idem dicendum etiam de animabus à paritate rationis , si sunt similiter subordinatæ.

*Obiicies secundo*, & est fundamentum *Platonis* : Homo habet inclinationes oppositas : secundum enim sensum affectat , secundum rationem respuit,& è contra , & in hoc consistit rebellio carnis aduersus spiritum , de qua intelligitur illud Pauli Gal.6.*Caro concupiscit aduersus spiritum,& spiritus aduersus carnem*:ergo habet diuersas animas,neque enim ab eadem anima,illæ oppositæ inclinationes prouenire possunt.

*Respondeo* negando consequentiam,cum sua probatione, nihil enim impedit , quo minus eadem anima posset inclinari ad obiectum prosequendum propter vnam consideratione in ipso repertam, v. g. quia esset delectabile,& ad idem fugiendum propter alteram considerationem , verbi gratia , quia haberet concomitantem aliquam pœnam.

*Confirmatur* hæc responsio:si ex diuersis inclinationibus colligeretur diuersitas animarum, ex quibus procederent, deberent esse duæ animæ sensitiuæ in cane;nam habet diuersas inclinationes sensitiuas , vnam ad manducandum panem propositum, & alteram ad non manducandum propter timorem castigationis : sed hoc est falsum : ergo diuersæ inclinationes non necessario exigunt duas animas.

103. *Obiicies secundo*, & est fundamentum *Galeni* , qui *lib.7. de decretis Aristotelis & Platonis* gloriatur se demonstrasse contra *Philosophum* tres animas in homine : Virtus sentiendi deriuatur à cerebro ad omnes alias partes corporis , in cerebrum vero non deriuatur ab vlla alia parte : ergo à se eam habet , & consequenter in eo ponenda est anima rationalis , quæ à sensitiua cognitione in suis operationibus dependet:sed irascibilis ponitur in corde , & concupiscibilis in iecore : ergo sunt diuersæ animæ in diuersis partibus corporis collocandæ.

*Respondeo* , omisso diligentiori examine doctrinæ in hac obiectione traditæ , negando consequentiam , quia eadem anima inexistens diuersis partibus corporis , potest principiare operationes illas diuersæ rationis.

*Obiicies tertio*:Homo habet operationes proprias animæ sensitiuæ & vegetatiuæ non minus quam rationalis : ergo non minus debet habere animam rationalem, quam vegetatiuam, ac sensitiuam.

*Confirmatur* : quia vna anima dat tantum vnum esse: sed homo habet tria esse,nimirum esse vegetatiuum,esse sensitiuum, & esse rationale:ergo debet habere tres animas.

104. *Respondeo* distinguendo antecedens : operationes proprias animæ sensitiuæ & vegetatiuæ distinctæ realiter à rationali, nego antecedens:animæ sensitiuæ & vegetatiuæ vt sic , in qua conuenit anima rationalis cum aliis animabus sensitiuis & vegetatiuis,concedo antecedens;& similiter distinguo consequens : animam vegetatiuam & sensitiuam distinctam realiter à rationali,nego consequentiam : animam vegetatiuam & sensitiuam vt sic, identificatam realiter rationali , concedo consequentiam.

*Ad confirmationem* distinguo maiorem : vnum esse realiter,concedo:vnum esse formaliter, nego maiorem, & distinguo etiam minorem:tria esse realiter distincta, nego:formaliter distincta, transeat minor, & nego consequentiam. Itaque in homine non magis distinguitur esse viuens,esse sensitiuum,& esse rationale,quam in lapide esse substantiam & esse corporeum , & consequenter sicut ab eadem forma lapis habet esse substantiam & corporeum , ita ab eadem anima , homo habere potest esse viuens, sensitiuum, & rationale.

105. *Obiicies quarto*:corruptibile & incorruptibile differunt genere : ergo non possunt identificari , & consequenter anima intellectiua,quæ est incorruptibilis, nequit identificari vegetatiuæ aut sensitiuæ,quæ sunt corruptibiles.

*Respondeo*,quidquid sit de antecedentis veritate & bonitate consequentiæ,negando suppositum vltimi consequentis , nempe quod intellectiua identificetur animæ sensitiuæ aut vegetatiuæ corruptibili ; solæ enim animæ plantarum & brutorum sunt corruptibiles , & hæ non identificantur animæ rationali;anima autem vegetatiua & sensitiua vt sic abstrahūt à corruptibilitate & incorruptibilitate non minus,quam ratio substantiæ vt sic,vt autem contrahitur ad animam rationalem , recipit incorruptibilitatem simul cum differentia rationalitatis.

106.*Obiicies quinto* : Homo seu potius embrio hominis prius viuit vita plantæ, deinde vita sensitiua , & postea rationalis:ergo prius informatur ab anima vegetatiua,tum anima sensitiua,& denique rationali;ac consequenter hæ tres animæ admittendæ sunt in homine.

*Respondere solent Thomistæ cum Diuo Thoma 1.p. q.118. art.2.* concedendo antecedens & primam consequentiam,& negando consequentiam secundam, quia ad introductionem animæ sensitiuæ destruitur vegetatiua, & hæc destruitur ad introductionem rationalis ; ac consequenter non manent tres hæ animæ in homine. *Et si dicatur* hinc secuturum , mediante semine hominis prius produci plantam aliquam,& postea brutum aliquod, & denique hominem , quod videtur absurdum ; *negant* sequelam,quia secundum ipsos anima vegetatiua & sensitiua, quæ producuntur prius quàm rationalis, sunt animæ distinctæ speciei ab animabus plantarum & brutorum ; & eorum distinctionem specificam colligunt ex eo,quod illæ ordinentur ad animam rationalem,& non habent esse permanens , sed vel statim , vel paulò postquam producuntur , debeant connaturaliter interire.

*Sed certe* hæc responsio reducit difficultatem ad quæstionem de nomine,nec dat vllam rationem cur constitutum ex corpore & anima quacunque vegetatiua tantum , non sit planta, aut cur constitutum ex anima quacunque vegetatiua & sensitiua tantum non sit brutum; quod enim illæ animæ,de quibus agimus, non sint permanentes,aut quod sint ordinatæ ad aliam animam,non facit prorsus ad rem.

Nō prius introducitur anima vegetatiua,aut sensitiua in materia seminis humani quā rationalis.

*Confirmatur*,quia in conceptu,ac definitione animalis aut plantæ vt sic,non ponitur quod sit quid permanens, aut non ordinatum ad aliud , quod ex ipso generari deberet : sed id fieri deberet,si valeret prædicta responsio: ergo non valet.

*Confirmatur secundo*, quia gratis asseritur produci illas tres animas sibi inuicem subordinatas, eo modo quo asserunt authores huius responsionis.

107. *Dices cum Ruuio* , animam rationalem esse perfectissimam formam , ac exigere perfectissimam dispositionem, quæ naturaliter non potest produci statim, sed paulatim,procedendo ab imperfecto ad perfectum,vnde cum producatur aliquando dispositio illa in semine in tali gradu imperfecto, vt non sufficiat ad introductionē animæ rationalis,nec tamen possit naturaliter consistere cum forma seminis,debet hæc forma destrui & introduci alia forma,quæ non est anima rationalis, & prima quæ producitur est vegetatiua:deinde producuntur perfectiores dispositiones incompatibiles cum anima illa vegetatiua , & insufficientes pro rationali, & propterea introduci debet alia forma , nempe anima sensitiua ; ac demum productis perfectioribus dispositionibus incompatibilibus cum hac forma,& sufficientibus pro rationali,introducitur anima rationalis.

*Contra*, quia quamuis anima rationalis sit perfectissima , ac exigat perfectissimas dispositiones successiue

produ

producēdas in materia seminis, non constat eas produci in illa materia in gradu aliquo incompatibili cum forma seminis, qui gradus non sufficiat ad introductionem animæ rationalis: sed nisi hoc constet, tota illa doctrina *Ruuij* corruit: ergo supponit probādum. Probatur maior: quia si id constaret, maxime ex perfectiōne animæ, sed inde non constat; quia quemadmodum anima vegetatiua, licet excedat omnes formas quæ non sunt animæ, non tamen exigit, vt producatur in semine ante se dispositio requirens vllam aliam formam: ita etiam anima rationalis licet excederet in perfectione alias animas, non tamen exigere deberet, vt prius produceretur alia anima in materia seminis quam ipsamet. Imo omnino absurdum videtur quod aliqua forma completa substantialis ordinetur ex natura sua ad introductionem alterius formæ, qua introducta, destrueretur illa altera forma: hoc autem sequeretur in sententia horum authorum.

*Deinde*, quemadmodum in materiam alimenti mediāte virtute nutritiua hominis prius introducitur ipsamet anima rationalis, quàm vlla alia forma, cum tamen illa materia debeat perfectissime disponi; ita etiam quāuis materia seminis debeat perfectissime disponi, non debet prius produci vlla alia forma quàm anima rationalis. Nec refert prorsus id, quod pro disparitate adfert *Ruuius*, nempe primam introductionem animæ rationalis esse longe perfectiorem quam sit nutritio, seu introductio in ipsius partes acquisitas per nutritionem: nam illa maior perfectio non infert productionem priorem alterius formæ ante animam.

Melior? responsio. 108. *Itaque Respondeo aliter* ad obiectionem præmissam, distinguendo antecedens: prius viuit vita plantæ, ac vita sensitiua in actu secundo, quàm rationali, hoc est, prius habet operationes vitales ac sensitiuas quam rationales, concedo antecedens; in actu primo, hoc est, prius habet animam vegetatiuam, aut sensitiuam, quæ anima est vita in actu primo, nego antecedens & consequentiam. Prima igitur anima, quæ in semine humano per generationem humanam introducitur est anima rationalis. Sed hæc, quia prius inuenit aut principiat dispositiones. Sufficientes ad operationes vegetatiuas quā sensitiuas, & ad has quam ad rationales: propterea prius constitutum per ipsam exercet operationes vegetatiuas, quam sensitiuas, & has quàm rationales.

*Confirmatur* hæc doctrina, & simul impugnatur præcedens doctrina: Sicut paulatim introducuntur dispositiones ad animam, ita paulatim etiam expelluntur: ergo in illa successiua destructione dispositionis peruenire deberet ad gradum talē, qui esset incompatibilis cum anima rationali, & sufficiens ad sensitiuam; & rursus peruenire tur ad gradum incompatibilem cum sensitiua, & sufficientem ad vegetatiuam, non secus, ac in prima productione dispositionum peruenire debebat prius ad gradum sufficientem pro vegetatiua, & insufficientem pro sensitiua; & postea ad gradum sufficientem pro hac, & insufficientem pro rationali. Est enim prorsus eadem ratio: sed hoc est falsum: quia alias quando moreretur homo, produceretur sensitiua, & quando moreretur aut destrueretur compositum ex illa anima, produceretur vegetatiua, quod est contra omnem sensum & experientiam.

109. *Dices*: si embrio statim ac incipit habere operationes vegetatiuas, haberet in se animam rationalem, esset irregularis, qui eum destrueret: sed hoc est falsum secundum Theologos communiter: ergo non habet talem animam, sed aliquam aliam distinctam.

*Respondeo primo*, ad hanc difficultatem, quæ merè Theologica est, negando sequelam maioris, quia irregularitas hæc oritur ex lege positiua, quæ poterat determinare vt non incurreretur, nisi destrueretur fœtus, postquam haberet operationes aliquas determinatas: vnde si destrueretur embrio antequam posset habere tales operationes, quamuis haberet animam rationalem, non incurreretur irregularitas.

*Respondetur secundo*, ante illos dies, quibus propter destructionem embrionis non incurritur irregularitas, posse dici quod nulla sit anima in ipso, sed solum forma corporeitatis, quæ paulatim introduci posset iuxta materiæ applicationem, ac dispositiones: nec vllus motus aut augmentum ipsius intra tempus illud habitum arguit animam vllam: nam augmentum posset ab extrinseco aduenire, & motus quicumque quem experiuntur matres, posset habere pro causa spiritus vitales ipsius matris.

An anima rationalis sit vegetatiua & sensitiua formaliter. 110. *Quæres*, an vnica illa anima, quæ in homine ponitur iuxta resolutionem huius quæstionis, & à qua habet homo, tanquam à principio formali physico, vegetare & sentire non minus quam intelligere, sit dicenda vegetatiua & sensitiua formaliter, sicut animæ plantarum & brutorum dicuntur, an vero virtualiter tantum?

*Respondeo* ad hanc difficultatem, quæ meo iudicio est solummodo de nomine, ac propterea breuiter expedienda, animam rationalem esse formaliter vegetatiuam, & sensitiuam. Ita communior iam sententia cum *Conimbricensibus, & Complutensibus, Ruuio, Suario* hic, contra *Caietanum, Toletum, & paucos alios hic.*

*Probatur primò*, quia esse formaliter vegetatiuam & sensitiuam, non est aliud quam esse formam substantialem, à qua habet compositum per ipsam constitutum posse elicere operationes vegetatiuas & sensitiuas: sed hoc competit animæ rationali, si sola reperitur in homine: ergo.

*Confirmatur*: quia non aliam ob rationem dicitur anima brutorum esse formaliter sensitiua, aut anima plantarum formaliter vegetatiua, quam quia sunt formæ, à quibus habet compositum ex ipsis exercere illas operationes: ergo cum hoc competat animæ rationali, debet dici formaliter vegetatiua, ac sensitiua.

*Probatur secundo*: homo est formaliter viuens vita vegetatiua, & est formaliter animal seu viuens sensitiuum: ergo habet formam, quæ est formaliter vegetatiua & sensitiua: non aliam quam animam rationalem: ergo.

*Confirmatur*. Ideo dicitur homo formaliter animal, & sensitiuum, & non virtualiter, nec eminenter formaliter, quia conuenit cum aliis animalibus, quæ formaliter dicuntur animalia in conceptu animalis vt sic, qui conceptus intrinsece reperitur in homine secundum propriā rationem formalem ipsius, licet contractus per differentiam nobiliorem, quam sint differentiæ quibus contrahitur ad alia animalia: sed anima rationalis conuenit non solum in ratione animæ, vt sic, sed in ratione animæ vegetatiuæ vt sic, cum omnibus animabus vegetatiuis, & in ratione animæ sensitiuæ vt sic cum omnibus animabus sensitiuis, & ille conceptus, in quo cum illis conuenit, reperitur secundum rationem suam propriam & formalem in ipsa, licet contractus per differentiam perfectiorem quàm sunt differentiæ aliarum animarum: ergo est formaliter vegetatiua ac sensitiua; & sane qui hoc negaret, posset ac deberet etiam negare consequenter hominem esse animal formaliter, sed virtualiter, aut eminenter.

111. *Obiicies*. Anima vegetatiua formaliter debet esse materialis, & crescere secundum se, hoc repugnat animæ rationali: ergo non est vegetatiua formaliter.

*Respondeo* negando antecedens, quamuis enim verum sit de omnibus animabus præter rationalem, hoc tamen non competit ipsis ex ratione animæ vegetatiuæ vt sic, sed ex differentia contrahente illam rationem ad alias animas.

*Obiicies secundo*: Differentia superior non includitur formaliter in inferiori: ergo nec anima vegetatiua vt sic includitur formaliter in anima rationali.

*Respondeo* negando consequentiam, quia non sunt tales rationes vtrobique ad idem probandum de ipsis quātum ad hoc. Imo si argumentum valeret, etiam probaret quod animæ vegetatiuæ plantarum non essent formaliter vegetatiuæ, quia eadem est ratio de ipsis, ac de anima rationali quantum ad hoc. Deinde probaret quod anima rationalis non esset virtualiter vegetatiua contra aduersarios, quia differentia superior non includitur etiam virtualiter in inferiori.

112. *Pro resolutione aliarum difficultatum*, quæ opponi possent, *aduerte*: quando dicimus animam rationalē esse formaliter vegetatiuam & sensitiuam, non loqui nos de anima vegetatiua plantarum, aut sensitiua brutorum secundum rationem specificam istarum animarum, aut secundum etiam rationem genericam in qua possent inter se inuicem particulariter conuenire, & distingui ab anima rationali: certum est enim, quod secundum illas rationes non continentur formaliter in anima rationali; sed loquimur de conceptu formali animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ vt sic communissimo, & hunc contendimus reperiri formaliter in anima rationali, ab eoque eam dici formaliter vegetatiuam, ac sensitiuam.

Anima rationalis habet formalitatē particularem contrahētem animam vegetatiuā & sensitiuā, distinctam à rationalitate.

*Deinde aduertendum* quod non solum reperiatur formaliter gradus communissimus animæ vegetatiuæ, ac sensitiuæ, sed vlterius etiam formalitas particularis contrahens illum gradum communem, & perficiens ipsum in ratione vegetatiui ac sensitiui. Hoc patet: quia operationes particulares vegetatiuæ, & sensitiuæ proueniunt ab anima hominis distinctæ rationis ab operationibus, quæ proueniunt ab ipsa vt rationalis est, & etiam ab illis, quæ proueniunt à plantis, & animalibus: ergo debet anima habere formalitatem specialem in se, quatenus vegetatiua & sensitiua, distinctam à formalitate animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ vt sic, & à formalitate à qua dicitur rationalis, quæ formalitas sit principium istarum operationum.

*Confirmatur*, quia si per impossibile homo non haberet intelligere, & haberet tamen cæteras operationes, quas de facto habet, deberet habere principium aliquod particulare illarum operationum: sed illud ipsum principium habet de facto, & non est formaliter loquendo principium intelligendi, quia potest concipi homo vt habens tale principium, qui intelligatur habere principium discurrendi formaliter loquendo: ergo reuera habet homo formalitates aliquas in se inclusas, distinctas formaliter à rationalitate, seu formalitate, à qua habet intelligere, & à formalitate animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ vt sic, quod est intentum. Hinc habetur quod anima rationalis non solum sit vegetatiua & sensitiua formaliter à conceptu animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ vt sic, sed etiam à conceptu animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ talis; sicut dicitur de plantis, & brutis.

113. *Dices pro Suario*, qui *hic cap. 6. num. 7.* oppositum huius doctrinæ docere videtur: si daretur in anima rationali aliqua huiusmodi differentia, qua distingueretur in esse animæ vegetatiuæ à cæteris animabus vegetatiuis, quæ differentia esset distincta à differentia illa, à qua habet esse rationalis formaliter, sequeretur quod totum constitutum ex illa differentia & anima vegetatiua vt sic, esset species atoma completa animæ vegetatiuæ vt sic, non minus quam anima cuiusuis plantæ, v. g. rosæ, aut cedri: sed hoc est falsum, quia sic non posset accedere ipsi formalitas sensitiuitatis aut rationalitatis, sicut non potest accedere talis formalitas animæ rosæ aut cedri, quia sunt species atomæ animæ vegetatiuæ, vt sic.

*Confirmatur*: quia sub viuente quod est genus commune omnibus viuentibus creatis, & cuius constitutiuum physicum est anima vegetatiua secundum gradum communem animæ vegetatiuæ vt sic, non continetur aliud genus immediatius quam animal: ergo nulla differentia contrahit rationem illam viuentis vt sic ad animam, præter differentiam sensitiuitatis. Deinde sub animali non continetur aliquid immediatius quam homo: ergo differentia qua contrahitur ad hominem, non est alia quam rationalitas: sed hoc est falsum, si vera esset nostra doctrina: ergo non est vera.

*Confirmatur secundo*, quia alias in homine essent tres differentiæ atomæ, nimirum illa particularis, quæ contraheret animam vegetatiuam in esse tali; & alia quæ ob eandem rationem contraheret animam sensitiuam in esse tali; & præterea rationalitas, à qua haberet intelligere: sed hoc videtur absurdum: ergo.

114. *Respondeo* distinguendo sequelam maioris: esset species atoma completa realiter, nego antecedens; completa formaliter in esse vegetatiui, concedo sequelam & nego minorem, ad cuius probationem dico: quod quando species aliqua atoma est completa tantū formaliter & non realiter, optime potest aduenire ipsi alia formalitas, quæ non debet determinare illam formaliter in illa ratione, in qua est completa, sed secundum aliquā aliā rationem. *Deinde* potest negari simpliciter, quod sit completa illa species; quāuis enim non perficiatur vlterius in ordine ad operationes vegetatiuas aut sensitiuas, perfici tamen potest per formalitatem rationalitatis in ordine ad productionem aliarum operationum, v.g. intellectiuarum.

*Ad primam confirmationem respondeo* negando consequentiam, quia in ipsomet animali possunt reperiri plures differentiæ æque immediate contrahentes viuens vt sic ad animal, à quarum vna habeat esse tale viuens vita vegetatiua, & ab altera esse animal; & idem est de animali respectu hominis. *Et per hoc patet ad secundam confirmationem*, cuius minor est neganda.

## QVÆSTIO VIII.

### *Vtrum anima vt sic sit diuisibilis.*

115. RESolutio huius quæstionis dependet à declaratione diuisibilitatis animarum in particulari: si enim quæuis species animæ sit diuisibilis, anima vt sic, diuisibilis dicenda est; si autem quæuis species animæ est indiuisibilis, idem dicendum est de anima vt sic; quod si denique aliqua species animæ sit diuisibilis, aliqua indiuisibilis, anima vt sic abstrahere debet à diuisibilitate & indiuisibilitate, hoc est, nec esse diuisibilis, nec diuisibilis, sicut abstrahit à corporeitate & spiritualitate ex eo, quod aliquæ animæ sint corporeæ, & aliquæ spirituales. Difficultas autem est non de diuisibilitate in partes metaphysicas, nam anima vt sic, cum constet genere, & differentia, est sic diuisibilis; nec de diuisibilitate in partes physicas, hoc est, materiam, & formam realiter distinctas; est enim sic diuisibilis, vt postea ostendetur. Difficultas igitur est de diuisibilitate in partes integrantes, quarum vna corresponderet vni parti corporis, altera alteri.

*Prima sententia* est omnem animam esse diuisibilem, etiam rationalem, si solum spectetur ratio naturalis. Ita post *Cleanthem*, & *Chrisyppum* tenet *Iandunus*, & *Pomponatius*.

*Secunda sententia* est omnem animam esse diuisibilem. Ita *Simplicius*, & *Thienensis* hic.

*Tertia sententia*, ait animam rationalem, & etiam animas perfectorum animalium, vt equi, bouis, leonis, ac similium esse indiuisibiles; animas vero aliorum animalium imperfectorum, vt sunt angues, vermes, & similia, quorum partes diuersæ à se inuicem separatim viuunt, esse diuisibiles. Ita *D. Thomas 1. p. q. 76. a. 8.* & sui communiter, quos citant, & sequuntur *Complutenses* hic disp. 5. & *Ioannes à S. Thoma q. 2. art. 2.*

*Quarta sententia* est animam rationalem esse indiuisibilem, cæteras omnes diuisibiles. Hæc est *Scoti in 4. d. 1. q. 5. n. 8. & d. 44. q. 1.* cum omnibus suis, quos sequuntur *Recentiores* cōmuniter, *Suares*, *Hurtadus*, *Ruuius*, *Arriaga*.

### CONCLVSIO I.

116. *Anima rationalis est indiuisibilis.* Hæc est secundæ, tertiæ, & quartæ sententiæ contra primam. Anima rationalis est indiuisibilis.

*Probant* aliqui: quia aliàs non esset spiritualis, contra dicenda postea.

*Contra*, quia vt dictum est, *q. 2.* non repugnat diuisibilitas in partes integrantes substantiæ spirituali, & præsertim ei, quæ est forma.

*Melius probatur*: quia si esset diuisibilis: aut ita esset diuisibilis, vt pars parti corporis, & alia alteri parti corresponderet, & nulla pars corresponderet pluribus partibus secundum se totam indiuisibiliter; aut ita, vt quāuis esset indiuisibilis, tamen secundū se totam, & omnes illas partes, in qua esset diuisibilis, corresponderet omnibus partibus corporis indiuisibiliter. Si primum dicatur,

tur, sequitur manifeste quod non esset spiritualis, vt patet ex dictis de conceptu substantiæ spiritualis. Si secundum, sequeretur plures partes eiusdem formæ substantialis poni in eadem parte corporis; sed hoc est absurdum, quia superflueret altera pars.

*Probatur vlterius*, quia sequeretur quod quando perderetur aliqua pars corporis, aut abscinderetur manus & pes, pars animæ correspondens illi desineret, & sic anima non esset immortalis. Probatur sequela, quia illa pars, aut posset intelligere, aut operari, aut non posset. Si posset: ergo deberet esse in inferno, si separaretur in statu peccati mortalis; & alia pars animæ separata in statu gratiæ deberet esse in Cœlo, aut Purgatorio, quod est absurdum. Si non posset intelligere aut operari: ergo non deberet conseruari, sicut nec conseruantur aliæ formæ quæ separatæ nequeunt operari: & sic anima non esset immortalis.

*Confirmatur*: quia vel partes separatæ conseruarentur, vel non, si non, sequitur mortalitas animæ: si sic: ergo aliquando deberent vniri iterum, saltem in resurrectione, aliis partibus, & sic post resurrectionem homo haberet omnes partes animæ, quas aliquando habuit: sed hoc est absurdum, quia non habebit tum omnes partes corporis quas aliquando habuit, & non debet habere plures partes animæ, quã corporis; & sane maxima esset improportio inter animam & corpus in resurrectione, si omnes partes, quotquot vnquam perdidit & acquisiuit animæ deberet simul habere, & non haberet forte mediã partem partium corporis, quas perdidit & acquisiuit.

117. *Arriaga* ad argumentum de separabilitate partium, & existentia vnius in Cœlo, ac alterius in inferno, *Respondet* negando, quod deberent separatæ ab aliis partibus animæ conseruari, quia quamuis separarentur ab aliis partibus corporis, possent tamen esse vnitæ aliis partibus animæ: & præterea posset dici, inquit, quod omnes partes eius informarent omnes partes corporis indiuisibiliter.

*Sed vtraque hæc responsio* ex dictis facile refutatur, quia inutiliter plures partes eiusdem animæ informarent eandem partem corporis; & præterea si forma diuisibilis posset esse indiuisibiliter in corpore extenso, æque bene forma indiuisibilis posset sic esse, nec est vlla difficultas contra hanc, quæ non posset vrgeri contra illam.

*Deinde* non minus inutiliter conseruaretur vnita aliis partibus animæ, quando non vniretur partibus corporis, & præsertim cum numquam possent omnes partes quæ acquirerentur & perderentur, post resurrectionem vniri simul aut successiue partibus corporis.

*Obiicies*. Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur: sed anima recipitur in corpore extenso: ergo debet esse extensa.

*Confirmatur*: quia quantitas recipitur in toto composito conflato ex anima & corpore, aut materia prima: ergo debet extendere totum illud corpus quoad vtramque partem, non minus quam extendit alia composita, quibus aduenit.

*Respondetur* distinguendo maiorem: id est, recipitur iuxta capacitatem recipientis, concedo: id est, debet habere talem modum, qualem habet recipiens, nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam. Quod si argumentum valeret, probaret etiam animam rationalem esse corpoream, quia illud, in quo recipitur, est corporeum. Quod si intelligatur per maiorem, quod debeat receptum habere partes, si recipiens habeat partes, aut carere partibus, si recipiens careat partibus, negari debet absolute, & in ea petitur manifeste principium.

*Confirmatur* hoc: quia non est inconueniens quod aliquid indiuisibile commensuretur rei diuisibili sic, vt sit totum in toto, & totum in qualibet parte: ergo ita potest dici de anima. Probatur antecedens, tum exemplo Angeli, qui potest occupare locum diuisibilem, quamuis ipse sit diuisibilis; tum etiam exemplo Dei, qui secundum se totum est vbique indiuisibiliter.

*Ad confirmationem*, admisso gratis quod quantitas subiectari deberet in toto composito ex anima & corpore, quod tamen falsum est in nostra sententia. Respondeo negando consequentiam, quia non potest extendere nisi subiecta, quæ extendi possunt: anima autem rationalis extendi nequit.

*Et si dicas* inde secuturum quod quantitas in anima recipi nequiret, quia non potest recipi, nisi in eo cui posset tribuere extensionem. *Respondeo* negando sequelam cum sua probatione, sufficit enim quod tribueret ipsi impenetrabilitatem, hanc autem posset tribuere absque extensione partium.

*Obiicies secundo*, sequeretur quod idem posset moueri motibus contrariis secundum easdem partes, anima enim vt in pede posset moueri sursum, & vt in manu deorsum, & quod anima, quæ est in manu confugiat ad alias partes corporis, abscissa manu, neque enim desinit esse, nec separata manet extra corpus: ergo retrahit se ad alias partes corporis.

*Respondeo*, non esse inconueniens quod idem collocatum in diuersis locis possit, vt in illis locis existens, moueri motibus talibus; & etiam moueri vt in vna parte existens, ac quiescere vt in altera.

*Deinde* non confugeret anima abscissa vna parte ad alias partes, sed solum tolleretur vnio illius ad illam partem, quæ abscinderetur.

*Obiicies tertio*: quia vtraque pars hominis mouet se simul, quando separantur: ergo quælibet ex illis habet partem animæ sibi correspondentem, neque enim vna numero forma potest esse in diuersis subiectis separatis.

*Respondetur* negando antecedens naturaliter loquendo; quod si naturaliter contingat, vt vna pars moueatur ab anima, si altera etiam pars videatur moueri, motus ille non animæ tribuendus est, sed spiritibus vitalibus, vnde non solet nisi exiguo tempore durare.

## CONCLVSIO II.

Cæteræ animæ sunt diuisibiles.

120. *Cæteræ animæ sunt diuisibiles*. Est primæ, & quartæ sententiæ contra secundam & tertiam.

*Probatur primo de animabus vegetatiuis, & sensitiuis* imperfectorum animalium: quia partes ipsarum separatæ exercent operationes vitæ, vt patet experientia, qua constat quod ramus abscissus ab arbore virescat, & reliqua etiam arbor; & quod partes vermium oblongorum per medium sectæ moueantur, & sentiant longissimo tempore, & quidem tali motu, qui non possit adscribi spiritibus vitalibus. Quod si etiam motus ille localis adscribi posset illis spiritibus, certe sensatio non potest: illæ autem partes separatæ, sentiunt si tangantur.

*Probatur secundo generaliter* de omnibus animalibus aliis à rationali: quia non adsunt motiua vlla, quæ arguant indiuisibilitatem in illis, sicut in anima rationali: sed quotiescumque reperitur forma in subiecto extenso, potius debet dici quod sit extensa quàm inextensa, nisi aliunde constet contrarium, sic enim magis proportionabitur suo subiecto: ergo. Maior probabitur solutione obiectionum, Minor ab aduersariis conceditur.

*Probatur tertio generaliter*: quia si esset vlla anima indiuisibilis præter animam rationalem, quæ esset tota in toto, & tota in qualibet parte alicuius rei diuisibilis, & præsertim ita, vt posset nunc esse in paucioribus, nunc in pluribus partibus, sicut secundum aduersarios competeret animabus animalium perfectorum, illa forma esset spiritualis, vt patet ex dictis quæstione secunda: sed fatentur ipsi aduersarij nullas animas esse spirituales præter rationalem: ergo nullæ erunt sic indiuisibiles præter illam.

121. *Probari solet quarto* generaliter: quia omnis anima præter rationalem educitur è potentia sui subiecti, vt fatentur aduersarij, & consequenter dependet ab ipso in esse, & conseruari: sed anima indiuisibilis non sic educeretur: ergo nulla datur talis. Probatur minor: quia anima bruti, v. g. non dependet à partibus corporis deperditis per calorem naturalem, aut acquisitis per nutritionem, aut vllis aliis, sine quibus naturaliter existere posset,

posset,sed deberet secundum se totam subiectari in illis partibus, si esset indiuisibilis: ergo anima indiuisibilis non educeretur è potentia subiecti, nec dependeret ab ipso in esse,& conseruari.

*Confirmatur*: quia sequeretur quod anima bruti, v. g. esset principium *quo* eductiuum sui ipsius ex parte illa materiæ;quæ de nouo per nutrionem acquiritur, quod omnino videtur absurdum.

Ad hoc argumentum de eductione animæ responderet *Daniel Sennertus*, qui suo vel ingenio, vel diligentiæ nimium confisus, *in suis Hypomnematibus physicis* merito prohibitis,multa contra communem Scholasticorum doctrinam persuadere conatur;Responderet,inquam,ad hoc argumentum iuxta doctrinam ab eo statutam. *Hypomnemate 4. cap.4.* negando expresse formas vllas educi è potentia materiæ.De qua re quamuis *primo physicorum*, vbi de eductione formarum agitur, differendum esset; tamen quia *hic auctor* tum ad meas manus non peruenit, iam quod de ipsius doctrina sentiam exponendum videbatur.

*Itaque* imprimis in suæ sententiæ confirmationem affert, quod eductores formarum potius ad suam sententiam stabiliendam aduersarios conentur ad absurda deducere,quam euidentes rationes pro se adducere; quem modum procedendi valde suspectum putat *hic Author*.

*Sed in hoc ipso valde fallitur*:nam hoc ipsum argumentum est efficacissimum ad probandam quamcumque sententiam;quod si non teneretur illa,sed opposita, sequerentur absurda, quæ non sequerentur, neque alia similia,aut æquiualentia, si eam quis amplecti vellet.

Deinde §. *Primo ergo*, conatur soluere primum Scholasticorum argumentum,quo probant eductionem,quia formæ dependent in esse,& conseruari à materia. Quod sane argumentum & ipse reieci *primo Physicorum*, non quia non sequeretur intentum, si constaret antecedens: sed quia non satis probatur antecedens nisi recurrendo ad aliud fundamentum.

*Sed hic Author* in sua responsione non videtur intelligere quid Scholastici velint per eductionem à materia; & dum ait materiam mere se passiue habere ad formas omnes eo modo(sic intelligendus est,vt dicat aliquid ad propositum) sicut secundum Scholasticos mere passiue se habet ad animam rationalem,petitionis principij,cuius alios accusat, ipsemet peccat vitio.

*Quando porro quæritur* an formæ educantur ex potentia materiæ, quæritur quidem vnde originem ducant, non tanquam à causa materiali:quod hic author si sapere vellet ad sobrietatem,animaduertere deberet,antequam sententiam ferret contra Scholasticos, quos non intellexit,vt paulo ante dixi.

§. *Secundo quæ an sit, &c.* Proponit secundum argumentum in hoc consistēs, quod nisi educerentur formæ vel non producerentur de nouo, vel crearentur, & sic non fieret generatio;nam vel existerent antequam apparerent,& sic non producerentur de nouo;vel si non existerent ante, sed producerentur de nouo absque dependentia à materia, eo modo quo Theologi philosophantur de anima rationali, sine dubio crearentur sicut anima rationalis dicitur creari. Hoc argumentum eleuat tamquam nullius momenti;sed satis imperito ac inepto discursu, dicens Theologos, à quibus hoc argumentum proponitur, perpendere debuisse illud sacræ paginæ: *Crescite, & multiplicamini*; & illud Philosophi axioma, *Omnem formam esse sui multiplicatiuam*. Si enim, inquit, hoc intelligerent, intelligerent etiam, cum indiuiduum aliquod viuens generatur de nouo animam non creari, sed multiplicari, atque iis multiplicatis non auferri generationem, sed stabiliri.

*Verum* hac responsione verba obtrudit hic author;& nullo modo satisfacit argumento quod forte non intellexit:nam quamuis verum sit animas se multiplicare;tamen dum se multiplicant producunt animam de nouo, quæ ante non fuit eadem numero, licet fuerit ante alia eiusdem speciei;quod hic ipse author non negat,nec potest negari nisi dicendo absurdissime quod eadem numero anima esset omnium indiuiduorum. Illa ergo anima distincta numero ab anima se multiplicāte, aut producitur independēter à materia, aut corpore;& sic creatur, hoc est enim quod per creationem intelligitur: aut producitur dependenter à corpore & materia;& hoc est quod intelligunt Theologi per eductionem: ergo cum non possit per creationem produci à causa secunda, sequitur euidenter quod educatur, quod est intentum huius argumēti,& nullo modo soluitur à *Sennerto*;nec certe solui potest nisi admittendo causā secundā creare posse.

Præterea §. *Vt vero isti, &c.* ad infirmandam eandem communem sententiam de eductione formarum, conatur ostendere non posse explicari quomodo fiat ista eductio. Sed quam hoc verum non sit,patet ex iis quæ dixi primo Physicorum; vbi ni fallor satis clare id explicatum est; nec hic author videtur ipsos terminos in hac materia intelligere.

Item etiam *cap.6.* vbi videtur tenere indiuisibilitatem animarum,dicit eandem animam quæ primo parui surculi corpus replet, postea vbi surculus ille in proceram quercum excreuit, illud ipsum corpus nihil auctam implere.

*Quæ doctrina* & in se falsa est & contraria videtur alij doctrinæ ab ipsomet paulo post eodem capite propositæ:dicit enim in arboribus,v.g.salice,animam multiplicari abscisso ramo: sed in animalibus, vbi per semen fit propagatio, anima in corpore suo, etiam parte abscissa, integra manet. Est quidem doctrina in se falsa;quia certum est quod non eadem numero anima sit in corpore quercus,ac in ramis quia sine dubio est eadem anima in ramo abscisso, quæ erat in ipso coniuncto: neque enim dicendum est quod ob abscissionem producatur in ipso noua anima:sed non est eadem anima in ipso abscisso,ac in quercu à quo euulsus est, alias eadem numero anima esset in duobus corporibus distinctis numero,ac localiter separatis, quorum vnum posset esse in India,& alterum in Hybernia; & sic posset dici, quod vna numero anima esset omnium quercuum, & alia omnium asinorum,quo nihil absurdius excogitari potest. Verum quidem est quod in qualibet arbore possit, & debeat dici esse vna anima,sed non tamen alia vnitate,quam vnitate aggregationis, & continuationis plurium partium: sicut dicitur vnus ignis qui constat ex pluribus partibus;sed non potest dici quod sit eadem ipsa pars animæ, quæ est in vna parte arboris,ac in alia;sicut non potest dici quod vna pars ignis vnius totalis integralis, sit alia pars eiusdē ignis. Et licet hic author supponat sola corpora quanta esse proprie diuisibilia, & habere partes, id tamen non probat,nec probari potest;quacunque enim ratione potest dici quod ignis constet pluribus partibus,potest idem dici de anima arboris cuiuscunque,nisi quis velit inutilissimam quæstionem de nomine excitare, cuius etiam ipse qui negaret animæ partes, peiorem haberet partem, quia minus communem, & minus rationabilem.

*Est etiam eadem doctrina* contraria illi alteri, quia si multiplicatur anima in ramo abscisso hoc fieri non posset,nisi quatenus in ramo abscisso produceretur anima de nouo diuersa numero ab anima, quæ prius erat in ipso; vel quatenus maneret anima eadem ipsa quæ prius inerat; non quatenus produceretur de nouo, vt ante dixi:ergo quatenus manet anima quæ præfuit: sed non manet anima,quæ præfuit, nisi anima totius arboris ex ramo abscisso, & reliquo corpore integrata esset diuisibilis in plures partes, quarum vna corresponderet ramo,& altera reliquo corpori. Nec hoc posset fieri,nisi anima arboris per aggenerationem rami auctæ, maior esset quam anima, quæ erat in ipsa, antequam sic aucta fuisset.

*Confirmatur* totum hoc, & simul probatur hūc auctorem debere admittere eductionem:illa anima quæ est in ramo abscisso,est numero distincta ab anima arboris cui abscissa est,vt est euidens,& ipsemet fatetur;& non erat producta ab alia causa quam ab arbore illa, mediāte sua anima; nec ab hac etiam erat producta ante ipsū ramū.

Ex

*Ex hoc* quod videtur manifestum, *sequitur primo* animam arboris post productionem rami fuisse auctam non minus quam ipsa arbor, & consequenter animam totius arboris esse diuisibilem.

*Sequitur secundo* dari eductionem, quia arbor non poterat producere illam animam nisi cum dependentia à corpore istius rami, & talis dependentia non potest saluari absque eductione, ex suppositione quod arbor non habet virtutem creatiuam; imo si haberet virtutem creatiuam, non posset cum vlla probabilitate dici quod haberet illam respectu illius animæ: si enim illa anima non haberet dependentiam ab illo cdrpore in fieri, sed posset produci per creationem absque concursu ipsius, nihil impediret quin posset produci extra illud corpus, imo deberet sic produci: arbor enim est causa naturalis, & consequenter quidquid potest tanquam causa totalis adæquata producere absque vllo, nisi eo; à quo in actione dependet.

*Dices*: anima rationalis creatur, & tamen non producitur nisi in subiecto: ergo idem in proposito dici posset.

*Respondeo* negando consequentiam, quia anima rationalis producitur à Deo, qui est causa libera, atque adeo potens producere animam prout voluerit: vnde quia disposuit eam non producere nisi in subiecto, propterea non producitur nisi in illo: sed arbor non est causa libera vnde deberet producere quidquid potest producere absque dependentia à subiecto, quamuis non adsit subiectum.

Per hæc autem reliqua huius Authoris hac de re doctrina impugnari potest, & respõsiones ipsius ad obiecta sibi proposita refutari, nec opus est specialius id facere.

122. *Complutenses respondent* animas indiuisibiles materiales, ex eo quod sint mediæ inter animas diuisibiles materiales, & animam rationalem, participare de vtrisque aliquid; de illis quidem, quod dependeant à materia; de hac vero, quod possint informare aliquas partes materiæ absque dependentia, & eductione: vnde negant animas omnes materiales dependere ab omni parte subiecti, in quo existunt, licet dependeant ab aliquibus. *Et si quæratur*, à quibus partibus dependet potius quam ab aliis; respondent quod ab illis, in quibus in prima sui productione producebatur. *Et si dicas* quod etiam possit esse absque aliqua ex illis partibus, vt si scindatur manus, aut pes animalis, tum enim scinditur sine dubio pars aliqua ex illis, in quibus primo producebatur; nec etiam est vlla pars corporis primo producti & informati ab anima, quæ non perdit aliquid sui per actionem caloris naturalis, aut aliarum causarum; vnde necesse est animam posse esse absque aliqua parte ex illis, in quibus primò producitur.

*Respondent*, animas illas ex sua perfectione supra alias animas imperfectas, & accessu ad perfectionem animæ rationalis habere, quod licet in fieri dependeant ab illis partibus, in quibus primo producebantur, in conseruari tamen non dependeant ab vlla determinata parte materiæ, sed ab illis partibus sine quibus naturaliter consistere nequeunt, quæcunque illæ sint.

123. *Contra* hanc responsionem primo facit, quod illud de mediatione animarum perfectarum inter imperfectas & rationalem in ratione illa ibi assignata, sit petitio principij: id enim à nobis negatur, & est quod modo examinatur.

*Secundo*, quod non nisi effugium merum sit, quod gratissime fingunt esse particulare animabus illis, nempe posse educi & dependere in fieri à subiecto, à quo non dependent in facto esse, seu conseruari, cuius nec experimentum habent in vlla alia forma, nec etiam in his animabus, nec rationem vllam ob quam id asserant. Sed nec videtur posse fieri quia non potest aliquid dependés per se in fieri ab aliquo, conseruari absque illo, nisi sit aliquid aliud supplens influxum illius, à quo dependebat in fieri vt manifestum est, sed non est assignabile aliquid, quod suppleat defectum influxus partium à quibus dependebat anima in fieri, quando conseruatur sine illis, nisi quis velit recurrere ad Deum aut ad causas superiores ad quas absque necessitate non est recurrẽdum, qualis necessitas non est hic. Quod si quis etiam recurreret ad illas partes, posset æque dicere quod animæ illæ non dependeant in conseruari ab vllis partibus, sed quod quemadmodum conseruãtur absque influxu partiũ pereuntium, à quibus dependebant in fieri, Deo, vel causis aliis superioribus illarũ partium concursũ supplẽtibus; ita etiam conseruentur absque concursu vllius partis.

Et sane quod ad me attinet, si tenerem *aduersariorum* sententiam, dicerem illas animas potius creari quam educi de potentia subiecti, & sic longe facilius tollerem vim huius difficultatis, & magis consequenter philosophari me existimarem.

124. *Tertio* facit contra eandem, quod anima bruti in hoc instanti, in quo conseruatur, habeat dependentiam ab aliquibus partibus materiæ determinabilibus à Deo, sine quibus non potest consistere pro illo instanti, nisi succederent earum loco aliæ partes; sed vt dixi in argumento, aliquæ partes inclusæ in illis partibus possunt perire, non pereunte anima: ergo anima non dependet etiam ab illis partibus in conseruari magis quã à manu.

*Dices* animam dependere in conseruari ab aliquibus partibus corporis ita, vt non possit esse sine illis, Deumque videre quot & quænam sint partes ad animæ conseruationem requisitæ, sed illas partes non esse determinate has: sed vel has vel alias æquiualentes & succedentes illis; vnde in hoc instanti potest dependere ab hoc corde, v.g. cum illis omnibus partibus, quas includit, & in alio instanti à corde constante aliis partibus.

*Contra*: quia sic aliqua forma naturalis non creata migraret de subiecto in subiectum cum dependentia; quod omnino nouum est, & non dicendum absque vrgenti causa. *Deinde* ipsa anima, vt dictum est in confirmatione, est principium quo physicum & effectiuum vniendi se ad partes quascunque acquisitas per nutritionem: sed non potest esse principium quo vniendi se cum dependentia: ergo non potest habere dependentiam à partibus illis nouis. Probatur minor: quia in illo instanti in quo vniri debet partibus nouis, debet ipsamet prius natura existere quam producat vnionem, sed non posset si dependeret in illo instanti ab illa vnione aut influxu materiæ, cui per eam vnitur: ergo.

125. *Obiicies primò*, non repugnat aliquam formam materialem esse indiuisibilem: ergo cum nulla experientia constet quod id non conueniat animabus brutorum perfectorum, ita dicendum est.

*Respondeo* negando consequentiam, quia quamuis experientia non haberetur de contrario, haberi posset ratio, & habetur etiam de facto, vt patet ex probationibus Conclusionis.

*Respondeo secundo*, distinguendo antecedens: non repugnat forma materialis indiuisibilis, petens occupare locum aut subiectum diuisibile indiuisibiliter, & ita vt possit esse quandoque in maiori, quandoque in minori, nego antecedens, cuius ratio patet ex dictis *quæst.* 2. non repugnat forma materialis indiuisibilis alio modo, concedo antecedens.

*Quod si etiam* non repugnaret talis forma, absolutè adhuc repugnaret forma talis, quæ connaturaliter dependeret à subiecto extenso, sicut aduersarij dicunt animas dependere.

126. *Obiicies secundo*: si animæ illæ essent diuisibiles, deberent conseruari partes earum separatæ, sicut conseruantur partes aliarum animatum diuisibilium: sed hoc est falsum: ergo non sunt sic diuisibiles.

*Confirmant Complutenses*: quia non est necesse vt forma extensa pereat per solam diuisionem, neque enim videtur natura prouidisse extensionem formarum, nisi vt partes separatæ possent existere, & tales formæ exigere videntur dispositiones tales, vt saltem paruo aliquo tempore possint conseruari in partibus abscissis ac separatis.

*Respondetur* negando sequelam maioris, potest enim forma esse diuisibilis, & tamen talis naturæ, vt connaturaliter

raliter exigat ad sui conseruationem talem particularem dispositionem subiecti, vt non possit sine illa naturaliter conseruari: talis autem posset esse hæc dispositio, vt non reperiretur in pluribus partibus diuisis simul: & licet aliquando reperiretur in vna ex partibus, in quas posset diuidi subiectum formæ, aliquando tamen diuisio posset esse talis, vt non reperiretur in vlla ex illis.

Quomodo animæ perfectorum animalium sint magis indiuisibiles quã imperfectorum.

*Et per hoc patet*, ad locum Philosophi *de iuuentute, & senectute cap.* 1. vbi dicit quod animæ perfectorum animalium sint magis vnæ & indiuisibiles quam imperfectorum: per hoc enim vult tantum quod sint magis indiuisibiles quantum ad hoc, quod partes earum non possint conseruari diuisæ, aut quod non sint diuisibiles in partes, quæ separatæ conseruari possunt, sicut sunt diuisibiles animæ imperfectæ.

*Confirmatur* hoc primo: quia licet animæ animalium imperfectorum sint diuisibiles quaqua versum ex omni parte, si tamen anguilla, aut lacerta diuideretur penes longitudinem à capite ad caudam, nulla pars viueret, & tamen inde non sequeretur, quin in qualibet ex illis partibus fuerit pars animæ ante diuisionem: ergo ex eo quod non possint conseruari partes animæ perfectorum animalium in partibus cor oris separatis, non sequitur quin fuerint ante diuisionem diuersæ partes animæ in illis partibus.

*Ex hoc patet, ad confirmationem* negandum esse quod diuisibilitas, ac extensio tribuatur omni formæ, vt possint partes eius separatæ conseruari, & quod non possit per solam diuisionem forma extensa deficere; & denique quod omnis forma extensa perat connaturaliter dispositiones, quæ possent sufficere ad conseruationem partium quando separarentur pro modico tempore.

*Confirmatur secundo*: quia forma indiuisibilis licet informet quamcunque partem sui subiecti secundum se totam, non potest tamen conseruari in omni parte, nisi illa pars coniungatur cum aliis partibus determinatis habentibus certam dispositionem, & organizationem: ergo similiter posset pars formæ diuisibilis esse talis naturæ, vt licet possit informare subiectum suum quando coniungeretur cum aliis partibus, non posset tamen ipsum informare, quando non coniungeretur cum illis.

127. *Obiicies tertio*: si vna pars animalis perfecti doleat verbi gratia, pes, aliæ partes, nempè caput, sentit dolorem, & non est tam habilis ad suas functiones quam alias esset: sed hoc fieri non posset, nisi esset eadem anima in omnibus illis partibus: ergo est.

*Respondeo* negando minorem. Et si argumentum quidquam concluderet, probaret etiam animas imperfectorum animalium esse indiuisibiles contra aduersarios: nã si lædatur cauda anguillæ, & lacertæ, sentient dolorem in capite non minus quam animalia perfecta. Quod ergo sentiatur ille dolor in capite, non oritur ex indiuisibilitate, sed ex eo quod à parte læsa species immittatur ad caput ad phantasiam qua percipit partem illam fuisse læsam: quod si ex diuisibilitate animæ id oriretur, quando doleret pes hominis, non solum deberet sentiri dolor ille in capite, sed etiam in manu, quod falsum esse patet experientia nostra de nobis ipsis, quorum animæ sunt indiuisibiles.

128. *Obiicit quarto Ioannes à S. Thoma* ex *eodem S. Thom.* quando forma perit corpus organicum integratum ex partibus diuersæ rationis, est indiuisibilis in informando, sed quæ est sic indiuisibilis, non recipit extensionem à quantitate, aliunde autem nequit habere extensionem: ergo nulla talis forma potest habere partes extensas. Sed anima brutorum perfectorum est talis forma: ergo.

*Respondeo* distinguendo maiorem: indiuisibilis in informando, id est, requirit tale corpus, vt simul informet ipsum, & non potest prius informare partem, ac postea aliam, & ita totum, transeat maior: id est secundum se totam informat totum illud, & omnem partem eius, non vero cum proportione partis ad partem, nego maiorem, & minorem etiam (si tamen vlla forma recipiat extensionem à quantitate, de quo *in Logica* actum est.

Et si argumentum hoc valeret, probaret etiam quod animæ inperfectorum animalium essent indiuisibiles, nam petũt corpus organicum. Quam replicam licet sibi opponat dictus autor, nullo tamen modo eam soluit.

*Obiicies quinto ex Caietano*: si hæ animæ essent diuisibiles, per nutritionem acquirerentur nouæ partes: sed hoc est falsum, quia alias animalia, quo maiora, eo essent fortiora contra experientiam.

*Respondeo* negando minorem cum sua probatione: ratio autem cur maiora non deberẽt esse semper fortiora, est, quia partes eorum non essent tam bonæ dispositionis ad fortitudinẽ; ex qua etiam ratione oritur quod ex animalibus eiusdem magnitudinis vnum altero sit fortius.

## QVÆSTIO IX.

### *Vtrum partes integrantes animarum sint heterogeneæ, an homogeneæ.*

129. Svppositio quod animæ omnes, præter rationalem, sint diuisibiles in plures partes integrantes, quarum vna correspondet vni parti corporis, altera alteri: quæritur iam an illæ partes in quas diuidi potest, & à quibus integratur, sint eiusdẽ rationis, an diuersæ. Non est autẽ difficultas de partibus correspõdẽtibus partibus corporis, quæ sunt eiusdem rationis, omnes enim fatentur omnes partes animæ, quæ subiectantur in carne esse eiusdem rationis, sicut partes carnis, nulla enim est ratio vnde colligatur diuersitas talium partium: sed controuersia est de partibus, quæ correspondẽt partibus diuersæ rationis, v. g. an pars animæ, quæ correspondet carni, sit diuersæ rationis ab illa, quæ correspondet ossi, & hæc diuersæ rationis ab illa, quæ correspondet oculo, &c.

*Prima sententia* est eas esse homogeneas: ita *Thomistæ* communius, quos sequuntur *Conimbricenses 1. de generat. c. 4. q. 22. a. 2. Arriaga hic n.* 204.

*Secunda sententia* est eas esse heterogeneas: ita *Suares disp. 15. met. sect. 10. Hurtad. disp. 5. de anima sect. 5. aliique plures.*

### CONCLVSIO I.

130. *Probabilius est illas partes esse homogeneas.* Est iuxta primam sententiam, & *patet*: quia non sunt diuersificandæ illæ partes absque necessitate, nulla autem est necessitas id faciendi: ergo. Probatur minor: quia si esset vlla, maxime diuersitas illa quæ est in partibus corporis: sed hæc non sufficit, quia illa prouenit ex diuersis partibus formæ corporeitatis, quas supra dixi fuisse heterogeneas.

*Dices*: illa pars animæ, quæ petit subiectum distinctæ rationis à subiecto alterius partis, debet distingui specie ab alia parte, alias non posset tale subiectum ex natura sua requirere: sed pars animæ, quæ est in oculo, exigit subiectum distinctum à subiecto partis, quæ est in carne aut osse: ergo.

*Respondeo* negando minorem, illa enim pars est ex natura sua indifferens, vt sit in hac aut illa parte, & determinatur vt sit hic potius, quam ibi ab extrinseco, eodem modo, quo pars carnis, quæ est in capite, quãuis sit eiusdem rationis cum illa, quæ est in pede, determinatur, vt sit potius in capite quam pede. Et per hoc etiam patet ad aliam rationem, quæ posset afferri, nimirum quod pars animæ, quæ est in oculo, habet elicere operationes distinctas ab illis, quas potest elicere pars animæ existẽs in carne; hoc enim nõ oritur ex vi istius partis, sed ex coniunctione eius cum illa parte corporis, vnde si eadẽ pars poneretur in aure, non videret ibi, sed potius audiret.

*Confirmatur totum hoc, & probatur Conclusio secundo*: quia anima rationalis eiusdem rationis indifferens est ad plures partes corporis, & iuxta diuersitatem earum, diuersas elicit cum illis operationes: ergo similiter animæ aliæ, quãuis essent constantes partibus eiusdem rationis, possẽt esse ex se indifferẽtes ad plures partes corporis diuersæ rationis, & ad eliciẽdas cum illis diuersas operationes.

131. *Alij probant* hanc Conclusionem: quia si partes animæ essent diuersæ, etiam partes bruti essent diuersæ speciei, & consequenter non possent inter se continuari quod est absurdum.

Hæc

Hæc probatio nihil valet: neganda enim est vltima consequentia, nihil enim impedit quo minus, quæ sunt diuersæ speciei possint continuari inter se, modo ex natura sua essent ad hoc ordinata, vt bene posset esse, & de facto est in partibus bruti, quæ sunt diuersæ speciei ob diuersitatem partium formæ corporeitatis, quibus constat, quamuis partes animæ sint eiusdem speciei Nec hinc sequeretur quod omnia, quæ sunt diuersæ speciei, possint continuari: sicut enim quamuis aliqua eiusdem speciei possint continuari, non tamen omnia: ita etiam de rebus diuersæ speciei dicendum est.

132. *Difficilius potest* Conclusio hæc probari in sententia *Arriagæ & aliorum*, qui non tenent dari formas corporeitatis; nam ex suppositione quod non daretur talis forma, quæ esset principium illarum variarum dispositionum accidentalium, quæ reperiuntur in diuersis partibus bruti, iisdem principiis, ex quibus colligitur forma corporeitatis habere partes heterogeneas, haberetur etiã quod anima quæcumque diuisibilis deberet habere partes heterogeneas; neq; enim alias posset exigere & principiare illas dispositiones diuersas; & si semel concederetur quod anima constans partibus eiusdem rationis posset esse principium *quo* dispositionum diuersarum in diuersis partibus corporis, posset etiam dici quod forma substantialis lapidis & ignis essent eiusdem speciei.

*Nec refert, si dicatur* quod anima rationalis posset principiare illas diuersas dispositiones in diuersis partibus corporis, quamuis non habeat partes diuersæ rationis; nam ex vno capite sequeretur quidem quod id esset verum de anima illa, si non daretur præter animã alia forma in viuentibus, & consequẽter etiam sequeretur posse dici de aliis animabus, quod absque heterogeneitate partium, possent in diuersis partibus principiare diuersas dispositiones: sed ex alio capite sequeretur oppositum de vtrisque: neque enim intelligibile est, quomodo possit forma eiusdem rationis principiare naturaliter ex se in subiecto eiusdem rationis, vnde implicat animam rationalem indiuisibilem solãm esse in corpore heterogeneo absque alia forma substantiali.

133. *Nec etiam refert*, si dicatur partes homogeneas formæ spectantis ad idem suppositum posse principiare accidentia diuersæ rationis, licet formæ substantiales spectantes ad diuersa suppositа id præstare non possint; ac consequenter non sequi, quod forma substantialis lapidis, ac ligni esset eiusdem speciei, licet formæ substantiales oculi, carnis, & ossis essent eiusdem speciei. Nam quod spectent ad idem, vel ad diuersum suppositum, nihil prorsus facit ad rem; neque enim ex eo, quod formæ spectent ad diuersa suppositа, colligitur quod sint distinctæ speciei: nam etiam formæ eiusdem speciei spectant quandoq; ad diuersa suppositа, vt forma Ioannis & forma Pauli: sed ex eo, quod principient diuersa accidentia, & se solis fiant principia *quo* diuersarum operationum: vnde si hoc competat diuersis partibus eiusdem suppositi, debent dici esse diuersæ rationis.

Ex quo patet impugnationes *Arriagæ* contra sententiam aduersariorum nihil concludere.

*Dices*: quamuis diuersæ partes eiusdem animæ spectãtes ad idem suppositum, & informantes partes corporis diuersæ rationis, sint eiusdem speciei, tamen animæ exigentes corpora diuersæ rationis in diuersis suppositis non possunt esse eiusdem rationis: ergo quamuis partes animæ exigentes diuersa accidentia ac dispositiones spectantes ad idem suppositum, non sunt diuersæ rationis, sed eiusdem; tamen animæ exigentes diuersa accidentia, ac dispositiones in diuersis suppositis debent dici distinctæ speciei; & consequenter spectare ad diuersa suppositа, aut ad idem, est magni momenti ad colligendam diuersitatem specificam formarum.

134. *Respondeo* distinguo consequens: si exigeret illa præsuppositiue, & ita vt ipsamet non esset principiũ *quo* elicitiuum eorum, concedo consequentiam; si vero exigeret illa sic, vt ipsamet deberet esse principiũ quo productiuum eorum, nego consequentiam: & ad secundam consequentiam dico spectare ad idem suppositum, vel diuersa suppositа distinctæ rationis, facere multum ad cognoscendam diuersitatem formarum, quando ipsamet diuersitas non oritur ex ipsismet formis; quando vero oritur, nihil prorsus facit ad rem.

*Et si quæras*, cur colligatur anima equi & bouis esse diuersæ rationis, & anima oculi & carnis non esse.

*Respondeo* rationem esse, quod anima equi & bouis nõ habent vllam attributionem ad se inuicem, ratione cuius deberent dici esse vna forma, & consequenter quandoquidem præexigunt corpora distinctæ rationis nõ integrabilia, debent dici esse distinctæ speciei; neque enim vllum indicium est identitatis specificæ ipsarum; at partes animæ correspondentes oculo, ac carni bouis, sunt compartes spectantes ad eandem formam, & exigentes vnum corpus: vnde si non constat ex aliquo capite quod sint diuersæ speciei, potius dici debet quod sint eiusdẽ.

*Fundamentum aduersæ sententiæ* est, quod non implicet partes animæ esse diuersæ rationis: sed hoc suppositо facilius saluatur diuersitas partium corporis organici, si dicatur animа constare talibus partibus: ergo.

*Confirmatur*: quia anima habet in diuersis partibus corporis diuersas operationes, ac dispositiones: ergo ipsamet habet diuersas specie partes.

*Respondeo* ex dictis negãdo minorem, quia illa diuersitas saluatur propter diuersas partes formæ corporeitatis tam bene absq; diuersitate partium animæ, ac cũ illa.

*Respondeo* etiam ad confirmationem negando consequentiam, quia potest habere illas ob diuersitatem partium corporis, quæ concurrunt cum ipsa ad illas operationes.

## QVÆSTIO X.

### *Quasnam partes corporis informat Anima.*

PArtes, de quibus hæc quæstio potissimum examinãtur, sunt caro, ossa, nerui, vngues, dentes, capilli, sanguis, ac tres alij humores animalium.

### CONCLVSIO. I.

135. *Anima quæcumq; informat omnes partes corporis, quæ aliquam operationẽ vitalem exercent, taliter vt sit diuisibilis, tota omnes, & pars partem; si vero sit indiuisibilis, tota omnes, & tota etiam quamlibet partem informat.* Est omnium Philosophorum, & Theologorum cum *Philosopho lib. 2. de anima c. 3.* contra quosdam antiquos, præsertim *Xenocratem*, qui in vertice; *Hippocratem*, qui in cerebro; *Hierophilum*, qui in cerebri concauo, *Stratonum*, qui in membranulis; *Epicurum*, qui in solo, & toto pectore; *Stoicos*, qui in corde, vel circa cor, animam tanquam imperatricem in regia collocatam esse voluerunt. Anima informat omnes partes exercẽtes operationes vitales.

*Probatur*: quia omnes illæ partes viuunt: ergo informantur ab anima.

*Confirmatur*: quia inde colligitur vllam partem corporis informari ab anima, quia in illa parte exercentur operationes vitales: ergo omnes partes exercentes operationes vitales informantur ab anima.

*Confirmatur secundò*: quia operatio vitalis, connaturaliter loquendo, exigit prouenire à principio intrinseco suo subiecto: sed non aliud principium intrinsecum formale potest habere quàm animam: ergo omnes partes exercentes tales operationes informabuntur ab anima.

*Obicies primo* Philosophum *lib. de animalium motu* dicentem non oportere animam esse in vnaquaque parte corporis, sed in aliqua parte præcipua.

*Respondetur primò*, solum velle quod non sit in qualibet parte corporis cum tanta dependẽtia, ac est in certa quadam parte nimirum in corde, vel in capite: quod verum est, quia ita est in corde, vt eo transmoto anima relinquat corpus: non est autem ita in manu aut pede.

*Respondetur secundò*, eum velle quod non sit in qualibet parte corporis exercente operationes vitales per modum motricis, nam sic solum secundum Philosophũ est in corde, quia inde transmittit spiritus vitales ad reliquas partes corporis: licet sit in qualibet parte tali per modum informantis.

*Obicies secundo*, anima est actus corporis organici: ergo non actuat partes similares, seu homogeneas, quæ non sunt organicæ.

*Respondetur* distinguendo consequens: non actuat illas per se separatim existentes, concedo: existentes in membris exercentibus actus vitales, seu coniunctas cum aliis partibus cum quibus constituunt corpus organicum, nego consequētiam. Quod si hoc argumentum valeret, probaret quod non esset in vlla parte corporis, quia nulla est in qua non sint partes aliquæ homogeneæ.

137. *Obiicies tertio*: Sequeretur quod intellectus esset in pede, & consequenter intellectio, quod est absurdum, quia sic pes intelligeret.

*Respondetur* concedendo sequelam cum consequentia, & negando id esse absurdum. An autem sequeretur quod pes intelligeret, est quæstio de nomine, melius autem dicitur quod non sequatur, quia denominatio illa intelligendi & volendi conuenit toti homini & non parti, secundum communem loquendi modum fundatum forte in eo, quod potentia intellectiua (& idem est de volitiua) non determinet sibi determinatam aliquam partem, sicuti potentia visiua & auditiua, & consequenter ista denominatio non debeat competere alicui parti.

*Quod si dicatur* caput aliquando scire & recordari; *illa denominatio* tribuitur capiti non ratione intellectionis præcise, sed ex eo, quod alij sensus, quorum operationibus mediantibus quis intelligit, in capite potissimum vigeant: quæ etiam est ratio, ob quam videmur nobis experiri quod habeamus intellectionem & volitionem in capite, non autem in aliis partibus.

*Obiicies quarto*. Sequeretur quod anima rationalis, quæ est indiuisibilis, esset in duobus locis, scilicet in loco capitis & pedis simul: ergo, &c.

*Respondetur* non esse absurdum quod anima, quæ est illimitata ad corpus, posset esse simul in pluribus locis inadæquatis constituentibus vnum locum adæquatum; sicut nō est absurdum quod Angelus indiuisibilis occuparet locum diuisibilem huius aulæ ita, vt nulla pars ipsius esset, cui Angelus secundū se totū nō esset præsēs.

*Ex his sequitur* carnem & ossa, neruosque ac cartilagines, membraque ex illis coalescentia informari ab anima, quia omnes hæ partes exercent operationes vitæ aut nutritiuæ, aut sensitiuæ, aut vtriusque.

## CONCLVSIO II.

Sāguis nō animatur, nec alij humores.

138. *Sanguis non animatur, & idem est de aliis humoribus animalium, vt aira bile, flaua bile, pituita, quæ vocantur partes fluidæ animalium, ad differentiam aliarum partium, quæ vocantur solidæ.* Hæc est *Galeni lib. 4. de vsu partium. Scoti in 3. dist. q. 2. & in 4. d. 10. q. 4. n. 3. D. Th. 1. q. vlt. art. 1.* quos præter suos sequuntur *Suarez, Ruuius, & alij* contra *Hurtadum, Toletum, Arriagam hic.*

*Secunda autem pars* sequitur ex prima, quia nullus humor potius deberet animari, quam sanguis, vt omnes fatentur: ergo si hic non animatur, nec alij humores animabuntur.

*Probatur ergo prima pars primo*: quia si sanguis vllius animalis animaretur, maximé humanus: sed hic non: ergo.

Sāguis nō continuatur cum aliis partibus,

Probatur minor: quia anima indiuisibilis non potest animare partes discretas non continuatas: sed sanguis non continuatur cum aliis partibus solidis hominis: ergo non animatur anima rationali indiuisibili, qua aliæ illæ partes animantur.

Probatur minor ex Philosopho 3 *Hist. animalium c. 14.* vbi expresse docet sanguinem esse dispersum per omnes partes corporis, ac in illis moueri. Et 2. *de partibus animalium c. 3.* vbi ait quod sanguis non sit cōtinuus carni, sed in corde, ac venis contineri quasi in vase; hoc autem nō esset verum si esset continuus vlli parti corporis; nulli enim potius deberet continuari quàm carni, aut venis, aut cordi: nec videtur quomodo posset res fluida, quæ secundum se totam moueri potest, continuari cum re solida, quæ ad motum eius non mouetur.

139. *Probatur secundo eadem pars*: quia sanguis est alimentum viuētis: sed absurdum videtur aliquam partem integralem viuentis esse à natura institutam pro alimento eiusdem viuentis, ac aliarum partium eius.

*Confirmatur*: quia quando per nutritionem sanguis cōuertitur in substantiam viuentis, debet perdere formam substantialem, quam habet, & acquirere formā viuentis: ergo ante non habuit formam viuentis, & consequenter non habuit animam, quia alias deberet perdere animam vt acquireret illam, quod videtur ridiculum.

*Hæc confirmatio* est satis apparens contra aduersarios non admittētes formas corporeitatis, quod si hæ admitterentur, non esset adeo vrgens; qui possent respondere sanguinem debere per se perdere illam partem formæ corporeitatis, à qua habet esse sanguis, ac consequenter etiam perdere vnionem, quam habet ad animā, aut partem animæ correspondentem illi formæ, vt acquirat aliā partem formæ corporeitatis diuersæ rationis, ac consequenter aliam vnionem ad animam, aut aliam partem animæ correspondentem illi formæ, quod non est adeo inconueniens, ac primum.

*Dices* cum Hurtado: vnum viuens potest esse alimentum alterius viuentis, v. g. vnus pisces alterius pisces, & ouis lupi, ac hominum: ergo sanguis animatus posset esse alimentum alterius animati.

*Confirmatur*: quia caro animata conuertitur in os animatum.

*Respondeo* distinguendo antecedens: quod non sit pars istius alterius viuentis, concedo; quod sit nego.

*Ad confirmationē* nego antecedēs tā facile quā asseritur.

Distinctio sanguinis nutrimentalis, & nō nutrimētalis est inutilis.

140. *Dices secundo*, duplicem esse sanguinem in homine, vnum perfectum, & non nutrimentalem, alterum imperfectum, & nutrimentalem; priorem vero animari, & non esse alimentum viuentis; sed solum posteriorem, qui non animatur.

*Contra*, quia hæc distinctio de duplici sanguine est gratis excogitata absque vlla experientia, vel ratione ad effugiendam difficultatem præmissam; & vel hoc ipso capite reiicienda est. Deinde cæteræ probationes æque probant de vtroque hoc sanguine, quod non animentur.

*Arriaga negat* nutritionem esse actionem substantialem, per quam vna substātia conuertatur in aliam, & dicit nutriri hominem per hoc, quod sanguinem mutet accidentaliter, ab accidentalibus, quæ habet, dum vocatur sanguis ad accidentia, quæ habet dum est caro, aut os.

*Contra*: quia hic modus dicendi est contra communem omnium Philosophorum sensum de nutritione: Deinde supponit carnem, ossa & sanguinem non esse substantialiter diuersa, quod est falsum. Rursus absurdum videtur quod vna pars viuentis ordinaretur à natura, vt conuerteretur totaliter in aliam partem, siue illa conuersio sit substantialis, siue accidentalis.

141. *Probatur tertio conclusio*, nullus sanguis exercet vllam operationem vitæ, nec enim sentit, nec nutritur, nec augetur vitaliter alio modo, quā augetur aqua per iuxta positionem. Et quamuis *Arriaga* hoc neget, fatetur nulla experientia sibi constare oppositum, ait tamen nos etiam non habere vllam experientiam pro nostra parte. Sed quandoquidem non videmus vlla alia liquida sic augeri, & præterea videamus sāguinem posse augeri per meram iuxtapositionem naturaliter, quod tamen non cōpetit aliis rebus, quæ crescunt vitaliter, profecto longe verisimilius est sanguinem non augeri vitaliter.

142. *Probatur quarto Theologicè*: quia ex vi consecrationis aduenit sub speciebus panis totum corpus Christi quoad omnes partes per se primo spectantes ad primariam constitutionem ipsius: sed secundum *Trident. sess. 13. cap. 3.* non aduenit sanguis nisi concomitanter: ergo sanguis non spectat ad primariam constitutionem corporis; sed nihil debet animari nisi quod sic spectat: ergo sanguis non debet animari.

*Hurtadus respondet*, alias partes Christi non animatas, vt capillos, aduenire primario sub istis speciebus & non tantum concomitanter.

*Sed quidquid sit* de veritate huius, non facit ad propositum *Hurtadi*, sed potius confirmat probationem: quia si aliquæ partes corporis non animatæ per se primo ponantur sub illis speciebus, & non tantum ex concomitantia, multo magis omnes partes corporis animatæ deberent sic aduenire: vnde si sanguis non sic aduenial, signum est, quod non sit animatus.

*Arriaga*

*Arriaga dicit* corpus aliquando accipi,prout opponitur sanguini ac partibus fluidis , vt scilicet significat conflatum ex partibus solidis;& sic capi,prout dicitur poni sub speciebus panis per se;ac propterea sanguinem non poni sub illis primario,sed concomitanter tantum.

*Contra*:quia si sanguis non spectat ad constitutionem corporis hoc modo accepti, non debet animari,nec vlla est ratio, ob quam dicatur animari.

143. *Obiicies primò*:sanguis est vera pars hominis pertinens ad veram eius constitutionem:ergo animatur.

Probatur consequentia:quia partes totius debent forma totius informari.

Probatur antecedens, ex *Innocen. III. extrauag. de celebratione Missar.* vbi dicit aquam & sanguinem fluxisse de latere Christi,vt ostenderetur Christum habuisse quatuor humores qui pertinent ad veram hominis constiturionem. Item ex *Trident. sess.* 13. *c.* 3. Vbi docet per concomitantiam , qua partes Domini inter se copulantur, sanguinem esse sub speciebus panis , & corpus sub speciebus vini ; ergo secundum Concilium sanguis & caro sunt veræ compartes. Item ex *Concilio Ephesino*, vbi dicitur Verbum factum esse hominem assumptione carnis & sanguinis , quibus verbis clare sentit carnem & sanguinem esse partes hominis.

*Confirmatur* , quia Verbum Diuinum non assumeret sanguinem , nisi sanguis esset informatus anima , alias assumeret duas naturas,vnam animatam,& alteram non animatam.

*Confirmatur secundò*,quia si assumeret sanguinem non animatum nec animabilem,posset dici quod sanguis esset Deus,sicut diceretur de aqua,si assumeretur à Verbo.

*Confirmatur tertio*, quia *Leuit.* 17. dicitur quod anima carnis sit in sanguine,& *August. quæst.* 57. *in Leuit.* dicit quod anima, quia spiritus est, nequit habitare in sicco, & ideo in sanguine habitare dicitur.

144. *Respondeo* distinguendo antecedens : est vera pars hominis spectans ad primariam eius constitutionem,aut talis,quæ debet informari ab anima hominis,nego antecedens;est pars hominis,hoc est,aliqua substantia reperta in homine , & ad ipsius non solum conseruationem, sed etiam ad operationes vitales eius eliciendas necessaria,concedo antecedens, & nego consequentiam:ad cuius probationem dico non omnes, quæ dicuntur partes hominis,informari debere ab anima hominis.

*Ad probationem antecedentis respondeo* , sanguinem spectare ad constitutionem hominis secundariam,non primariam , & eum esse compartem cum carne licet non eodem modo , quia hæc est de primaria constitutione, sanguis solum de secundaria constitutione ; & ob hanc ipsam rationem fuit assumptus sanguis à Verbo,non ex eo,quod esset de primaria constitutione hominis.

*Nec refert* quod *Concilium* non faciat differentiam inter modum, quo caro est pars, & sanguis, aut modum quo assumerentur;quia sufficiebat intento ipsius,quod Verbũ assumpserit veram carnem & sanguinem,siue vtrumque per se primario,siue vnum primario & alterũ secũdario assumpserit ; & præterea eo quod sanguis reperiatur in homine connaturaliter, & requiratur ad conseruationẽ & operationes ipsius exercendas , poneretur concomitanter sub speciebus panis;& corpus sub speciebus vini.

*Dices* cũ *Arriaga*:si sanguis diceretur pars quia necessarius esset ad conseruationem hominis aliasq; eius operationes,calor etiã posset talis dici:sed hoc est falsũ:ergo.

145. *Respondeo* negando suppositionem maioris, quod scilicet ideo solum dicatur sanguis pars,sed quia est etiã aliquid substantiale se habens intra alias partes hominis;hoc autem non competit calori,nec vlli accidenti.

*Ad primam confirmationem respondeo* negando sequelam, & distinguendo eius probationem : assumeret duas naturas, quarum vna spectaret & ordinaretur ex natura sua intrinseca ad alteram, concedo ; quæ non essent sic subordinatæ , nego.

*Ad secundam confirmationem Arriaga* admittit posse dici in rigore quod sanguis esset Deus , quamuis etiam sanguis esset pars animata hominis , sicut dicitur quod sit caro. Sed quidquid sit de hoc , quod ad modum loquendi spectat :

*Respondetur* , iuxta communiorem modum loquendi, negando sequelam , quia non debet dici Deus absolute & proprie de vlla natura assumpta, nisi de natura omnino completa , quæ non spectat ad constitutionem primariam,aut secundariam alterius naturæ. Sic autem sanguis non est natura completa,aqua vero est;vnde quamuis de aqua assumpta potest dici,quod est Deus,non tamen de sanguine assumpto.

*Ad tertiam confirmationem respondeo*,animam carnis esse in sanguine non informatiue,sed causaliter,quatenus scilicet sanguis est alimentum carnis, & necessarius ad cõseruationem animæ, ac vitæ in carne:eodem modo quo solet dici quod anima hominis sit in cibo,& potu, quo modo Scriptura dicit quod non in solo pane viuit homo:& iuxta hoc intelligendus est *Augustinus*,qui prorsus non potest intelligi ad sensum aduersariorum nisi satis inepte:nam si vellet, quod anima non posset habitare in sicco informatiue, sed quod sic deberet habitare in sanguine, id falsum est , quia etiam informatiue habitat in carne & ossibus quæ non sunt sanguis.

*Adde*,quamuis ille locus *Augustini* non faciat contra nos,eum tamen in se esse obscurum satis ; nam illa ratio ob quam dicit quod non possit anima habitare in sicco, nempe quod sit spiritus,non videtur esse satis apta;quãdoquidem nihil prorsus obstet spiritui, qua spiritus est, habitare in sicco potius quam in humido ; & quandoquidem aliæ animæ , quæ non sunt spiritus , æque exigant habitare in sanguine,ac anima rationalis secundum omnes. Itaque glossandus est sine dubio ille locus , vt verus sit.

*Obiicies secundo*, sine sanguine homo esset mutilus,ac magis imperfectus ad vitæ functiones, quam si perderet manus:ergo est pars integralis ipsius.

146. *Respondeo* negando consequentiam, solum enim sequitur quod sanguis spectet ad aliquam constitutionẽ hominis,& quod sit magis necessarius ad vitæ conseruationem;hoc autem posset esse verum , quamuis non spectaret ad primariam constitutionem hominis,tum quia calor etiam magis necessarius est ad vitæ conseruationem, quàm manus,nec tamen est pars integralis;tũ quia maior illa dependẽtia vitæ à sanguine non oritur ex eo, quod sit pars integralis ; alias aliæ partes integrales essent sic necessariæ , quod est falsum ; sed ex eo quod ob humiditatem ac fluiditatem suam peruadat omnes partes corporis,& deseruiat pro vehiculo ad deferẽdos spiritus vitales, & quod habeat in se qualitates aliquas deseruientes ad cõseruationem carnis in illa dispositione, in qua apta esse possit ad exercendas operationes vitales, quod totum posset competere illi, quamuis non animaretur;neque enim ex animatione hoc habet, maxime secundum *Arriagam* , sed ex accidentibus particularibus suis, quæ non competunt ipsi ratione animæ.

*Obiicies tertio* Philosophum 3. *de Historia animalium cap.* 19. vbi ait,quod semper quamdiu vita seruatur, sanguis animatur , & feruet.

*Respondeo* eum velle quod semper animetur,non dum persistit in esse sanguinis,sed dum conuertitur in substãtiam aliti,quod semper fit dum viuimus in hac vita.

147. *Obiicies quarto ex Complutensibus*:sicut comparantur quatuor elementa ad mundum,ita quatuor humores ad hominem:sed quatuor elementa ita spectant ad mũdum,vt & secundum se sint partes integrantes ipsum,& præterea aliæ partes integrantes ipsum,nempe mixta,ex illis fiant:ergo sanguis & reliqui humores & sunt partes integrantes hominem,& præterea deseruire possunt ad aliarum partium nutrimentum.

*Confirmatur primo*, quia sanguis habet & plures & diuersos motus in animali, ita vt modo versus vnam partem , modo versus alteram media apprehensione & appetitu moueatur,nunc in faciem in erubescentibus, nũc ad cor in timentibus : ergo animatur , quia ex vi apprehensionis, & appetitus solum moueri possunt , quæ eadem forma substantiali informantur.

*Confirmatur secundo*: quia est instrumentum animalis ad exercēdas operationes vitales:ergo habet vitam substantialem ab anima formaliter prouenientem,non minus quam cætera organa,vt manus, pes, oculi,quæ hoc ipso quod sunt organa ad exercendas operationes vitales viuunt.

*Confirmatur tertio*, quia elementa informantur partialiter forma totius vniuersi: ergo & humores forma totius animalis.

*Respondetur* illam comparationem humorum respectu hominis, ad elementa respectu mundi, nihil facere ad propositum aduersariorum;quia solum consistit in hoc, quod quemadmodum in mundo magno reperiūtur elementa quatuor, ita in homine reperiuntur quatuor humores, quod nihil facit ad rem. Imò si comparatio illa valeat,ex ea sequitur intentum nostrum contra aduersarios, quia ita se habent quatuor elementa ad mundum, vt non informentur forma illa,qua reliquæ partes mundi informantur:ergo si eodem modo habeant se humores quatuor ad hominem,non debent animari ea anima, qua reliquæ partes hominis animantur.

*Et si dicunt aduersarij* non eodem modo quoad omnia se habere humores ad hominem,quo elementa ad mundum,quemadmodum ipsi dabunt aliquam disparitatem ad suum intentum;debent nobis permittere, dare etiam disparitatem ad nostrum intentum,& consequenter obiectio hæc est meo iudicio nullius momenti.

148. *Vnde Respondeo* in forma distinguendo maiorem: quantum ad hoc,quod homo contineat intra se quatuor humores,sicut mundus quatuor elementa, & quod non possit consistere absque illis, sicut nec mundus absque his,transeat:quantum ad hoc quod,quemadmodum elementa sunt partes principales integrales mundi de prima constitutione ipsius,non minus quam mixta:ita humores sint partes integrales hominis de prima constitutione ipsius, negatur, & concessa minori distinguo consequens:sunt partes integrales de prima constitutione ipsius,negatur,de secundaria, transeat.

Quæ partes sunt de primaria constitutione viuentis.

*Et si quæras*,quænam partes sint de prima cōstitutione hominis,& quænā de secunda. *Respondeo* illas partes,quæ informātur anima hominis, esse de primaria cōstitutione,quæ vero non animantur anima,esse de secundaria.

*Ad primam confirmationem respondeo* distinguendo antecedens:ex virtute sua intrinseca, negatur;ex causa aliqua extrinseca mouente & impellente, concedo antecedens,& nego consequentiam;solum enim illa, quæ mouentur ex virtute sua intrinseca, debent dici animari; non vero, quæ mouentur ab extrinseco.

149. *Ad secundam confirmationem respondeo* distinguendo antecedens:est instrumentum deseruiens ad illas operationes exercendas virtute sua effectiua,ac aliquas ex illis producens in semetipso, nego antecedens; alio modo, transeat antecedens,& nego consequentiam; nec enim cætera illa organa animari dicuntur ex eo, quod sunt instrumēta deseruientia quomodocumq; ad operationes vitales;sed ex eo,quod tales operationes in se ipsis producant, seu ex eo,quod operentur per illas operationes.

*Ad tertiam confirmationem respondeo* negādo consequētiam,quia forma totius vniuersi est aggregatum ex omnibus formis partialibus,quibus constant omnes partes vniuersi,& æque primo omnes illas includēs. Vnde quādoquidem elementa sint partes integrales æque primo spectantes ad integritatem vniuersi, ac aliæ quæcumque partes,nec ex eo præcise spectant ad vniuersum,quia reperiuntur inclusæ in aliis partibus vniuersi, aut quod deseruiāt ad conseruationem aliarum partium;propterea necessario debent particulariter informari forma totius vniuersi,id est, habere in se partem istius totius formæ: sed humores spectant ad animalia, quatenus reperiuntur intra alias partes illius, & quatenus conducunt ad conseruationem aliarum partium & ad exercendas operationes vitales competentes animalibus, vnde non debent informari forma totius animalis, nec esse partes integrales de primaria constitutione ipsius.

*Ex his habetur* à fortiori, quod semen & lac animalium non informentur,quod etiam authores,qui negant præcedentem Conclusionem,fatentur,dantes pro disparitate, quod semen & lac ordinentur ad bonum non istius indiuidui in quo sunt,sed alterius indiuidui generandi ex semine & nutriendi per lac: quidquid autem animatur anima debet spectare ad bonum indiuidui constantis illa anima. At reuera hæc ratio non mihi videtur magni momenti, tum quia semen & lac quamuis haberent illum vsum extrinsecum,possent etiam spectare ad bonum ipsiusmet indiuidui in quo sunt.

Non informātur anima semen & lac.

## CONCLVSIO III.

150. *Dentes animantur.* Hæc est sententia communior cum *Philosopho 2. de generatione animalium c.4.& D.Thom. 4.dist.44.q.1.*

Dentes animātur.

*Probatur* propter magnam similitudinem eorum cum reliquis ossibus,quæ secundum omnes animantur, & ex modo quo augmentantur secundum omnem dimensionem,qualis augmentatio non potest commode dici fieri per iuxta positionem,quia partes exteriores,quæ in pueris sunt minus à se distantes,in adolescentibus & hominibus fiunt magis distantes, quod fieri non posset nisi attraherent nutrimentum intra seipsos & nutrirent se vitaliter.

*Obiicies*,secundum *Philosophum supra*, dentes non continuantur cum reliquis partibus corporis:ergo non animantur anima totius: nam anima rationalis nequit informare partes non continuatas.

*Confirmatur primo*, quia per totam vitam crescunt:sed hoc non competit vllis aliis partibus informatis anima totius: ergo signum est, quod illi non animentur illa anima.

*Confirmatur secundo*, quia sponte decidunt;hoc autem non esset verum si animarentur.

*Respondeo* Philosophum velle,quod dentes non continuentur immediate cum aliis ossibus, cum quo tamen stat,quod possint cū ipsis mediate continuari,quod sufficit,vt animētur eadē anima;alias ipsa ossa non animarētur,quia non omnia immediate inter se continuantur.

*Ad primam confirmationem respondeo* augmentum tam patuum ac exile, quod recipiunt dentes ad reparationem iacturæ,quam patiuntur ex comestione,non obstare animationi.

*Ad secundam confirmationem respondeo* eos cadere ob indispositionem non prouenientem ex natura animalis, sed ab extrinseco; hoc autem non potest impedire animationem.

## CONCLVSIO IV.

151. *Vngues & capilli non animantur anima totius animalis,nec etiam alia distincta ab ipsa.* Hæc est *Galeni lib. artis medicæ,Fernelij,Achillini,Fracastorij, Toleti*, & quoad primam partem *D.Bonauenturæ in 4.dist.44.q.2. Durādi q.1.* quos sequitur *Auersa*, contra *D. Thomam 4. distinct.44. quæst.1.* quem præter plures ex suis sequitur *Ruuius & Arriaga*. Quoad secundam vero partem est contra eosdem, & etiam *D.Bonauenturam*, *Durandum* ac *Auersam*, qui putant ea non animari anima totius animalis, sed alia anima distincta, quæ manet quandoque destructo animali.

Vngues & capilli nō animātur.

*Probatur prima pars*, quia nullum est indicium quod animentur, nisi quod crescant, sed experientia constat eos crescere post mortem animalis: ergo non habent crescere ab anima totius, & consequenter non informantur anima totius.

*Confirmatur*:quia capilli & vngues crescunt ad nimiam magnitudinem, ac prorsus improportionatam animali, adeo vt necesse sit eos abscindere:sed prorsus non videtur animam totius habere ex se connaturaliter vim augmentatiuam partium, quas informat ad tam improportionatam magnitudinem: ergo non est dicendum quod animentur anima totius.

*Probatur secunda pars primo*:quia alias ponerentur plures animæ in animalibus:sed hoc est inconueniens;quēadmodum enim vna anima sufficit ad informandas cæteras partes,quæ animātur;ita etiam deberet habere virtutem animandi has partes, si animarentur vllo modo.

*Arriaga*

*Secundò*, quia augmentum harum partium potest dici fieri per iuxta positionem, nec est vllum indicium, quod fiat per vitalem intra susceptionem, ac conuersionem alimenti: sed nullum aliud indicium est, quod animentur: ergo non animantur.

*Confirmatur de vngubus*: quia signatis duobus punctis in medio eorum, semper reperientur inter se cum eadem distantia; sed hoc esset falsum, si augmentarentur organice ac vitaliter per intra susceptionem & conuersionem alimenti: ergo non sic augmentantur.

*Hinc confirmatur quoad capillos* quia si vngues non animantur, nec animabuntur capilli, vt omnes concedunt.

152. *Arriaga* quamuis concedat vngues non augmentari vitaliter, negat tamen inde sequi, quod non viuanti sicut enim, inquit, ossa animantur anima sensitiua licet non sentiant, ita vngues possent animari anima vegetatiua, quamuis non exercerent vllam operationé vitalem.

*Sed contra*, ideo ossa dicuntur animari anima sensitiua, quia hæc identificatur realiter vegetatiuæ, & quia constat ex modo quo augmentantur ossa, quod animentur anima vegetatiua: quod si non constaret ossa animari vlla anima, cui identificaretur sensitiua, & præterea non haberent vllas operationes sensitiuas, omnino dicendum esset quod non animarentur anima sensitiua: sed si vngues non habent operationes vegetatiuas, certe non habent vllas operationes alias vitales, ratione quarum deberent dici animari vlla alia anima, cui identificaretur vegetatiua: ergo non debent dici animari vlla anima, nisi habeant operationes vegetatiuas.

153. *Obicies*, vngues & capilli crescunt secundum omnem dimensionem, non secus ac gramen, quod secùdum omnes viuit: ergo animantur anima totius, aut alia particulari propria. Probatur antecedens: quia non solum iuuenibus longiores sunt capilli, sed crassiores quam in pueris, & vngues in iisdem sunt longiores, latiores, ac crassiores: hoc autem est signum quod augmentantur vitaliter, sicut gramen: ergo.

*Respondeo* negando antecedens, cum minori probationis; nec enim omne augmentatum, etiam quoad omnem dimensionem, fit vitaliter; potest enim aqua quoad omnem partem augeri per meram iuxta positionem non vitalem; sed debet talis augmentatio fieri per intra susceptionem & conuersionem alimenti. Quod autem augmentatio capillorum & vnguium non fiat hoc modo, sicut augmentatio graminis, patet: quia, signatis duobus punctis in gramine, videbuntur magis à se inuicem distare post augmentum, & non est vlla pars graminis, quæ non apparet augeri secundum omnem dimensionem; sed signatis duobus punctis in capillis aut vnguibus, semper reperientur æquè distare, & præterea numquam reperietur quod illa eadem pars capilli sit crassior quàm semel fuit, licet partibus minus crassis in pueris, succedant in iuuenibus partes magis crassæ ob augmentum pori & materiæ ex qua fiunt, ex quo patet magnum discrimen esse inter capillorum & graminis augmentum.

154. *Obicies secundo ex Arriaga*: experientia constat aliquos vehementi consternatos metu canescere intra vnius noctis spatium. Sed hoc fieri non posset nisi capilli haberent intra se poros, per quos vitaliter qualitates & humores sugerent, ex quibus causatur illa canities: ergo habent virtutem talem attractiuam & consequenter animantur.

*Respondeo* negando minorem, posset enim humor propulsus vi metus ad radices capillorum ob eorundem dispositionem per toros capillos paruo tempore serpere, eosque canos facere, absque vlla vitali virtute, sicut oleū penetrat chartam ac per eam paulatim extenditur.

*Dices*: si applicarentur capilli abscissi capiti hominis canescerent: ergo signum est, quod non canescant capilli absque attractione vitali.

*Respondeo primo*, non constare antecedens, nec credo *Arriaga* vnquam fecisse experientiam ea de re.

*Respondeo secundo*, negando consequentiam; nam ideo non canescerent capilli abscissi, quia non applicarentur sufficienter ad partes interiores capitis, in quibus humores infecti reperiuntur.

## QVÆSTIO XI.

### *Quomodo distinguitur anima à suis potentiis.*

155. QVælibet anima in particulari habet suas proprias potentias, *Vegetatiua* enim habet potentiam nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam, *Sensitiua*, habet quinque potentias externas, & aliquas internas; *Rationalis* habet intellectum & volūtatem. Quæritur ergo hic in genere, quia difficultas est communis, quomodo hæ potentiæ ab anima distinguantur.

*Aduertendum autem*, si per potentias vegetatiuæ & sensitiuæ intelligatur facultas coalescēs ex animæ facultate & corporis, etiam sine dubio illas potētias distingui realiter ab anima, quia anima potest esse absque corpore, & consequenter absque facultate conflata ex sua & facultate corporis; nec in hoc esse potest vlla difficultas.

At si per potētias illas intelligatur facultas propria correspondens ipsi animæ, & connaturaliter concomitans ipsā, siue sit in corpore, siue extra corpus, eadé erit ratio de his potentiis sic acceptis, ac de potentiis spiritualibus animæ, nempe de intellectu & voluntate, vt omnes fatebuntur; vnde resoluenda est quæstio claritatis causa de solo intellectu & voluntate, & inde solutio transferenda ad alias potentias animæ concomitātes ipsam animam.

### CONCLVSIO I.

156. *Anima rationalis non distinguitur realiter ab intellectu & voluntate, & consequenter potentiæ cuiuslibet animæ concomitantes ipsam & non includentes aliquid corporis identificātur ipsi.* Hæc est *Doctoris in 2. dist. 16. cum suis omnibus*; quos præter *Nominales omnes* sequuntur *Hurtadus & Arriaga hic* contra *D. Thom. 3. p. q. 77.* quem sui sequuntur, & præterea *Conimbricenses, Suarez, Vasquez, Ruuius.* Anima rationalis nō distinguitur realiter ab intellectu & volūtate.

*Probatur primo*, auctoritate sanctorum Patrum, *Augustini tract. 15. in Ioannem* dicentis intellectum non esse aliud quam animam *Isidori lib. 11. Etymologiarum*, vbi ait: *Anima dum viuificat corpus, anima est: dum vult, voluntas; dum intelligit, mens: dum recolit, memoria; dum aliquid sentit, sensus*: & *Bernardi serm. 11. in Cantica* dicentis: *In anima tria intuear, rationem, memoriam & voluntatem, & hæc tria eandem esse animam.*

*Probatur ratione* fundamentali; quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, vt omnes fatentur: sed nulla prorsus est necessitas distinguendi realiter potentiam intellectiuam, ac volitiuam ab anima, vt patebit ex solutione obiectionum.

*Probatur secundo*, quia anima ipsa immediate concurrit ad intellectiones & volitiones: sed ex suppositione quod sic concurrat, non indiget potentiis realiter distinctis, quibus mediantibus concurrat ad illas, vt fatentur aduersarij, qui ideo distinguunt realiter potentias ab anima; quia putant animam ipsam non posse immediatè ad illas concurrere: ergo non distinguuntur realiter intellectus & voluntas ab anima.

Probatur maior: quia vt probatum est 2. *Physicorum*, substantiæ possunt immediate agere: ergo & anima. Sed nihil potius debet posse immediate producere, quā has operationes: ergo potest illas producere immediate, & consequenter de facto illas producit: si enim potest producere illas, quandoquidem sufficienter applicetur & nullū ponatur impedimentū, debet dici quod actu producat illas, non minus quā dicitur quod calor calefacit.

157. *Arriaga* probat eandem maiorem ex eo, quod si anima non concurreret immediate ad volitiones, non peccaret; nec digna esset odio aut amore, pœna aut præmio, de quo fusissime discurrit.

*Sed facile negabunt aduersarij sequelam*, sicut enim ignis calefacit, quāuis calefactio ab ipso immediate non egrediatur, sed à calore ipsi inhærente, ita anima peccaret & bene ageret, quāuis actus peccaminosus & bonus ab ipsamet immediate non procederet, sed à voluntate ipsi inhærente, & eodem modo esset odiosa & grata ratione

operationis bonæ aut malæ procedentis immediate,non ab ipsa, sed à sua voluntate;& hoc esset verum,siue volũtas emanaret ab ipsa,siue produceretur in ipsa à Deo.

*Dices*, esset inconueniens , quod anima puniretur ob actionem, quam non posset impedire.

*Respondeo primo* id non esse inconueniens , sicut non est inconueniens quod manus puniatur in inferno propter actiones alias volũtatis, quas non potuit impedire.

*Respondeo secundo* consequenter ad principia aduersariorum,animam non puniri nisi eodem modo,quo concurrit ad illas operationes,sicut enim non concurrit immediate ad illas , ita nec vllæ operationes immediate subiectantur in anima, sed in potentiis eius : vnde cum pœna consistat formaliter in operationibus , aut passionibus vitalibus , anima non punitur immediate , sed solum mediantibus potentiis , in quibus solis immediate recipiuntur illæ operationes.

Melius probari posset illa maior ex doctrina in præcedẽti probatione insinuata, quia omnino absurdũ videtur quod ipsa anima non sentiat voluptatem & gaudiũ, aut tristitiam,aut dolorem,aut intellectionem,aut volitionem;sed quod hoc totum comperat accidentibus:hoc autẽ sequeretur ex sententia aduersariorũ:ergo est falsa.

158. *Probat Arriaga* eandẽ maiorem aliter quia si voluntas sola sine concursu animæ produceret volitionem, ferretur in incognitũ,contra omnes,neq; enim cognitio intellectus posset sufficere,vt voluntas cognosceret,sicut nec cognitio Petri potest sufficere,vt Paulus cognoscat.

*Hæc probatio* non habet vim contra eos , qui licet distinguerent potentias realiter ab anima, non tamen distinguerent illas inter se : quemadmodum enim eadem anima posset moueri ad volendum ex cognitione,quam haberet de obiecto aliquo , & sic volendo non ferretur in incognitum : ita etiam eadem potentia posset ex cognitione obiecti ferri in amorem,aut odium ipsius.

*Hæc ergo probatio* solum habere potest locum in sententia aduersariorum , qui vt distinguunt potentias ab anima,ita ipsas etiam inter se distinguunt.

159. *Solent tamen respondere primo* , ob radicationem earum potentiarum in eadem anima , posse voluntatem moueri ab obiecto proposito per intellectum , licet hic realiter ab illa distinguatur. Sed certe illa radicatio nihil facit ad rem , quia per eam voluntas non percipit rem propositam ab alia potentia realiter distincta, sicut potentia olfactiua non percipit res perceptas ab aliis potentiis, & sicut voluntas humana Christi, licet reperiatur in eodem supposito cum intellectu Diuino , non percipit res positas per illum intellectum.

*Respondere possent secundo*,voluntatem posse moueri per cognitionem potentiæ distinctæ realiter, sicut vna pars corporis potest moueri suppositа sensatione alterius,sicut, v.g. caput potest moueri ad læsionem pedis.

*Sed respondetur facile* non moueri immediate propter illam sensationem, sed quatenus ab illa sensatione producitur species in potentia cognitiua,per quam cognoscit illam læsionem, & quatenus postea potentia appetitiua mouet alias partes sibi subordinatas ad auxilium istius partis : quod si vna pars moueretur naturaliter ad motum alterius propter subordinationem aut connexionem,modo non moueatur mediate cognitione, non facit ad rem:hic enim agimus de motione,qua moueretur per excitationẽ obiecti propositi per cognitionẽ , & contẽdimus nihil posse sic moueri quod non cognoscit.

160. *Obiicies primò*:actus & potentia spectant ad idem prædicamentum ; sed actus vitales,qui producuntur per potentias vitales , sunt qualitates & accidentia : ergo & potentiæ vitales : sed hoc esset falsum, si illæ potentiæ identificarentur animæ, nullum enim accidens est identificatum substantiæ , nihil enim identificatum substantiæ est aptum inhærere , & omne accidens debet esse aptum inhærere ,in hoc quippe differt à substantia.

*Respondeo* distinguendo maiorem:actus qui producitur,& potentia,quæ producit, nego maiorem;actus entitatiuus & potentia obiectiua , hoc est res possibilis & res actu existens sunt eiusdem prædicamenti , concedo maiorem, & concessa minori nego consequentiã. Quod autem maior non sit vera in sensu,in quo negata est,patet;tum quia nulla prorsus est ratio,ob quam colligatur eius veritas,sed gratis omnino asseritur ; tum quia ipsamet anima principiat potentias , hæ enim emanant ab anima secũdum aduersarios,cum tamen non sit eiusdem prædicamẽti cum illis secundũ eosdem aduersarios:sed nulla prorsus est ratio,ob quam res vnius generis possit emanare à re alterius generis , & non possit ab illa produci;tum quia Vbi producitur à substantia vel qualitate rei mouentis aliam rem, & tamen non est eiusdem prædicamenti cum substantia aut qualitate.

Quod si loquantur in maiori de potentia susceptiua actus,& actu,qui recipitur in illa,etiam falsa est,vt patet ex iisdem fere rationibus & præcipue ex instantia ipsius animæ,quæ recipit ipsas potentias immediatè,cum tamẽ non sit eiusdem prædicamenti cum illis;& quia sicut potest forma spiritualis recipi in subiecto materiali ; v. g. anima in corpore : ita etiam poterit forma accidentalis recipi in subiecto substãtiali immediate:nec enim magis requirit forma accidentalis subiectum accidẽtale,quam forma spiritualis subiectum spirituale.

161. *Obiicies secundò* : anima semper intelligeret si haberet sibi identificatum intellectum.

*Respondeo* negando sequelam ; sicut enim ipse intellectus non semper debet intelligere,si ponatur realiter distinctus;ita etiam nec debet semper intelligere, si ponatur realiter identificatus animæ;neque enim quod intelligat aut non intelligat semper,oritur ex identificatione aut distinctione ipsius ; sed ex eo,quod non sit causa totalis intellectionis,sed requirat alias causas ac conditiones, quæ non semper adsunt.

*Obiicies tertio* , idem non potest esse susceptiuum aut actiuum diuersarum formarum , quales sunt intellectio & volitio ; ergo voluntas, quæ est susceptiua & productiua volitionis , debet distingui realiter ab intellectu, qui est susceptiuus & productiuus intellectionis : sed si intellectus , & voluntas distinguantur realiter inter se, sine dubio distinguentur realiter ab anima ; nam saltem in creatis, quæ sunt realiter identificata vni tertio, sunt realiter identificata inter se.

*Confirmatur* ex *Suario* : quia habitus perficientes animam, & actus ab illis procedentes , sunt realiter distincti:ergo & subiecta immediata eorum.

162. *Respondeo* negando antecedens,quia quemadmodum eadem anima potest recipere voluntatem & intellectum immediate,licet sint diuersæ rationis ; ita etiam posset recipere intellectionem & volitionem immediate,non obstante sua diuersitate, & quemadmodum eadẽ volũtas potest producere & recipere volitionem & nolitionem, quæ sunt magis oppositæ,quam intellectio & volitio,ita eadem anima potest producere,& recipere intellectionem & volitionem, & quidem simul, cum non habeant oppositionem inter se, quo minus simul existere possint in eodem subiecto magis , quàm albedo & dulcedo:& cum volitio exigat simultatem cognitionis.

*Ad confirmationem* nego consequentiam , sicut enim potentiæ realiter distinctæ,& habentes actus & habitus realiter distinctos non debent habere subiecta immediata distincta : ita nec habitus distincti habentes actus distinctos,à paritate rationis.

*Confirmatur*. Habitus Spei & Charitatis sunt habitus distincti & exigentes actus realiter distinctos, & tamen subiectantur immediate in eadem voluntate , secundum *Aduersarium* : ergo habitus distincti non exigunt subiecta immediata realiter distincta.

163. *Obiicies quarto*,operari per suam substantiam immediate sine potentia realiter distincta est summus gradus operandi:ergo non est conueniens creaturæ.

*Respondeo* negando antecedens, summus enim gradus operãdi est operari sine depẽdẽtia ab alia causa superiori,aut sine dependentia à subiecto:non vero operari sine concursu potentiæ realiter distinctæ,vt patet euidẽter ex eo , quòd sic operari conueniat accidenti creato , v. g. calori , hic enim calefacit per suam entitatem absque

potentia

potentia realiter distincta. Quod si formæ accidentali conueniat hæc perfectio operandi immediate absque potentia realiter distincta, satis inconuenienter negatur formæ substantiali longe perfectiori, præsertim absque causa sufficienti.

164. *Obiicies quinto*: Aliæ substantiæ operantur mediantibus accidentibus realiter distinctis, vt ignis mediante calore, aqua mediante frigore: ergo idem dicendum de anima.

*Respondeo primò* negando consequentiam, quia si id est verum de aliis substantiis, habentur aliqua principia id colligendi de ipsis, qualia non habentur ad dicendum idem de anima: vnde non debet dici de anima, quod dicitur de illis aliis.

*Respondeo secundo* distinguendo antecedens: in subiecto externo, transeat; in seipsis, nego antecedens, & similiter distinguo consequens: ergo anima debet operari mediantibus accidentibus in seipsa, nego; in subiecto externo, transeat. Nec id est contra nos, quia iam agimus de distinctione intellectus & voluntatis, quæ sunt potentiæ, quibus operatur immanenter.

*Respondeo tertio* distingnendo antecedens: operatur mediantibus accidentibus in productione accidentium similium illis accidentibus, concedo: in productione aliarum formarum, quæ ab ipsismet produci possunt absque concursu talium accidentium, nego antecedens: & similiter distinguo consequens: ergo idem dicendum de anima quantum ad accidentia similia suis accidẽtibus propriis; transeat; quantum ad alia accidentia non similia illis, & quæ ab ipsamet produci possunt, nego consequentiam. Itaque anima non producit per vlla accidentia sua alia accidentia similia illis, sicut ignis producit calorem similem calori suo, & aqua frigus; vnde quamuis ignis dicatur producere calorem per calorem, qui est sibi accidens, anima non debet dici producere operationes vitales per alia accidentia: neque enim vnas operationes producit per alias vt omnes fatentur.

165. *Obiicies sexto*: anima non concurrit immediate absque potentia realiter distincta ad actus supernaturales: ergo nec ad naturales.

Probatur antecedens: quia non, vt causa principalis, cum sit inferioris ordinis, nec vt instrumentalis, cum sit perfectior illis.

*Respondeo* negando antecedens, ad cuius probationem dico, animam esse causam principalem partialem istorũ actuum, nec id impediri per hoc quod sit inferioris ordinis, vt in Theologia pluribus locis ostendi solet.

*Obiicies septimò*: sequeretur quod intellectus velit, & voluntas intelligat.

*Respondetur* hoc esse verum realiter loquendo, non vero formaliter. Et exemplum manifestum est, quod hoc non sit inconueniens in Diuinis, in quibus idem omnino sequitur.

*Quæres*, an potentiæ animæ distinguantur formaliter ab ipsa & inter se.

*Respondeo* imprimis quod eodem modo quo distinguuntur inter se, distinguantur ab anima, & eodem modo quo distinguuntur ab anima, distinguantur etiam inter se; an autem distinguantur formaliter ab anima, aut inter se, dependet ex principiis ex quibus colligitur dari distinctio formalis, de qua in Metaphysica.

## QVÆSTIO XII.

### *Quomodo specificantur potentiæ Animæ, seu à quo sumant suam specificationem.*

166. HÆc quæstio perinde habet locum, siue potẽtiæ animæ distinguantur ab ipsa realiter, siue non; & verus sensus est, non à quo habent suam specificationẽ intrinsece, & formaliter: omnes enim concedunt quod hanc habeant ex suis prædicatis essentialibus intrinsecis, sicut homo habet ab animalitate & rationalitate; sed à quo habeant suam specificationem extrinsece, hoc est, per ordinem ad quæ extrinseca, possumus colligere potentias esse talis speciei, & vnam ab altera distingui.

*Communis sententia* est potentias immediate specificari peractus, & quia actus specificantur per obiecta, etiam potentias ab obiectis mediate sumere suam specificationem. Verum non potest hæc sententia sic intelligi, vt possit colligi semper ex diuersis specie actibus, quos anima possit producere, potentias animæ per quas producit illos, esse diuersæ speciei, nam eadem potẽtia potest actus diuersæ speciei producere, vt intellectus assensum & dissensum, apprehensionem & iudicium, voluntas amorem & odium, oculus visionem albedinis, & nigredinis.

Quomodo ex actibus & obiectis specificẽtur potẽtiæ.

Itaque in hoc sensu per actus & obiecta possumus specificare potentias, seu colligere quod sint eiusdem vel diuersæ speciei, si videamus quod vna potentia ex illis determinat sibi certos actus & certa obiecta, & quod alia potentia determinat sibi alios actus distinctæ rationis aut alia obiecta, tunc enim ex distinctione actuum & obiectorum, ad quæ determinatur vna potentia, ab actibus, & obiectis, ad quæ determinatur altera, possumus colligere quod distinguantur specie illæ potentiæ: quod si ex potẽtiis distinctis neutra possit habere vllos actus, quibus similes non possit habere altera, nec versari circa vlla obiecta, circa quæ non possit versari altera; tum possumus colligere quod erunt eiusdem speciei.

167. *Hoc patet*, tum quia hac ratione distinguimus specie potentiam visiuam & auditiuam, & identificamus specie duas potentias visiuas duorum hominum: tũ quia si non essent distinctæ speciei, nõ posset fieri, quod vna ex illis ad tales actus, & obiecta determinaretur, potius quàm alia; & si essent distinctæ speciei, non posset fieri quod vna nõ haberet actus aliquos distinctæ rationis ab actibus, quos altera posset habere. Dixi: *præsertim si non identificentur rebus specie distinctis*, quia si sic identificantur, vt in sententia nostra potentia visiua hominis identificatur homini, & bruti bruto, non improbabiliter ex hoc capite possent distingui specie inter se: quemadmodũ enim potest colligi distinctio eorum ex eo, quod respiciant diuersa obiecta aut actus in sensu explicato, ita etiã viderur posse colligi distinctio specifica ipsorum ex eo quod ex natura sua respicerent diuersa specie subiecta quibus identificarentur. Solet tamen hæc consideratio potentiarum in ordine ad subiecta vocari materialis; altera vero consideratio & distinctio orta ex respectu ad actus & obiecta solet vocari formalis: sed hoc ad nomen spectat, & est parui momenti, modo cognoscatur res ipsa.

Specificari possent potentiæ ex subiectis cui identificarentur.

Quod si deniq; ex diuersis potẽtiis vna respiciat omnia obiecta alterius ita, vt quidquid percipitur per vnam potentiam, possit etiam percipi ab altera, sicut quidquid percipit visus, percipit phantasia, & quidquid hæc percipit, percipitur ab intellectu; modo tamen altera non possit etiam tendere in omnia obiecta ipsius, sufficit ad distinctionem specificam vtriusque, vt patet principiis iam positis: at si vicissim vtraque in quodcumque obiectum alterius tendere possit, vt si porentia intellectiua Angeli possit tendere in quodcumque obiectum potẽtiæ intellectiuæ humanæ & è contra; modo tamen actus quibus tenderent essent diuersæ naturæ, vt benè posset contingere absque vlla implicantia; adhuc ex diuersitate actuum posset colligi distinctio potentiatum: imo quamuis actus non haberent diuersitatem specificam in natura sua intrinseca, sed diuerso modo producerentur, vt si vna potentia produceret libere actum, & altera sic illum libere non posset producere, aut si vna posset producere actum absque discursu, & altera non posset; ex hoc etiam capite posset colligi distinctio specifica potẽtiarum, ob easdem rationes, quas supra posui.

Possent specificari potentiæ per actus quamuis obiecta essent eadem.

*Et si quæras*, quomodo posset colligi diuersitas in actibus, si non esset diuersitas in obiectis.

*Respondeo* id posse colligi ex experientia illius, qui vtrumque actu perciperet, aut per visionem intuitiuam vtriusque actus, aut per aliquem discursum.

169. Nullo vero modo admitti debet, quod dicunt *Thomistæ*, ex diuersitate quacumque actiuum, aut obiectorum posse colligi potentias distingui realiter, nã nul-

la maior potest esse diuersitas in actibus, aut obiectis potentiarum ad distinctionem realem arguendam, quam illa quæ est inter obiecta, & actus voluntatis, & intellectus vt fatentur *Thomistæ*: sed ex dictis quæstione præcedenti patet intellectum & voluntatem non distingui realiter.

Non distinguuntur realiter potentiæ per distinctionem realem obiectorum.

Itaque distinctio realis potentiarum debet colligi ex principiis generalibus, ex quibus aliarum rerum talis distinctio argui solet, vt ex separabilitate mutua, aut non mutua, aut ex processione reali vnius ab altera, aut ex subiectatione in subiectis realiter distinctis.

*Et per hoc patet responsio* ad fundamentum *Thomistarum à Complutensibus hic disp.*7. propositum, nempe quod non sit aliud principium ad colligendum distinctionem realem potentiarum in eodem subiecto, quam ex distinctione actuum, ac obiectorum formalium; nam si nō sit aliud principium, tum dicendum erit quod non distinguantur realiter: aut si distinguuntur realiter, certè aliud principium erit ad colligendum, quod sic distinguantur, quam actuum, aut obiectorum distinctio.

*Confirmatur hoc*: quia si quis non cognosceret autem, & oculos separari loco, aut posse etiam separari realiter, sed in eadem parte corporis aut experiretur ipse se audire sonos, & videre colores, aut putaret alios id facere; profecto nullo, vel probabili discursu posset deducere, quod potentia auditiua, & visiua essent distinctæ realiter; sed potius deberet existimare quod vna, & eadem potentia realiter, & audiret sonos, & videret colores: quamuis videret sonum, & colorem, actusque quibus perciperentur, tum esse tam distincta, quam modo sunt.

An à potentiis distinctis specie possint prouenire actus vitales eiusdem speciei.

170. *Quæres* an à potentiis distinctis specie possint prouenire actus vitales eiusdem speciei.

*Respondeo*, si loquamur de potentiis realiter distinctis, quarum distinctio specifica colligitur ex distinctione actuum, & obiectorum, vt sunt potentiæ sensitiuæ externæ, & internæ, ac potentiæ intellectiuæ, non posse naturaliter loquendo, vllam ex ipsis producere actus eiusdem speciei cum actibus alterius potentiæ: hoc patet inductione, quia oculus non potest producere vllum actum eiusdem rationis cum actibus auris, nec sensus internus vllum actum eiusdem rationis cum vllo actu vllius potentiæ externæ, nec intellectus vllum actum eiusdem rationis cum vllo actu vllius potentiæ sensitiuæ.

*Si vero loquamur* de potentiis, quarum distinctio non desumeretur ex actibus, sed ex identitate cum re specie distincta, vt sunt potentiæ visiuæ hominis, & bruti.

*Respondeo* mihi incertum esse, an possint elicere actus eiusdem rationis, quia nescio an visio ocularis bouis, & visio ocularis hominis sint eiusdem speciei nec ne.

171. *Quod si loquamur* de eo quod possit fieri de potentia absoluta, non video repugnantiam cur non possit dari aliqua vna potentia siue identificata animæ alicui, quæ posset produci à Deo, siue non identificata, quæ potentia posset, & audire auditione eiusdem speciei cum auditione nostra; & videre visione eiusdem speciei cum visione nostra, illa autem potentia esset distinctæ speciei à potentiis auditiua, & visiua nostra, distinctione etiam desumpta ab actibus, & obiectis, quia posset habere aliquos actus, quos neutra ex nostris posset habere; & tamen produceret actus eiusdem speciei cum actibus nostris, taliter, vt habens illam potentiam, & actus visiuos ipsius, si etiam haberet actus nostros, non posset colligere experientia vllam differentiam inter illos magis quam inter duas visiones Petri & Pauli. Et si actus illi ex natura sua essent determinati essentialiter ad subiecta sua ita, vt actus vnius potentiæ non posset, nec produci ab alia potētia, nec subiectari in illa; quamuis ex hoc capite posset colligi distinctio specifica illorum actuū; hoc tamen non præiudicat huic resolutioni, quia loquor de distinctione, quam posset aliquis habens vtrumque actū, aut videns vtrumque actū intuitiue, vt nati sunt repræsentare sua obiecta, & secundum omnem rationem, præter illum essentialem ordinem ad tale subiectum & causam effectiuam, cognoscere, & dico quod nullam talem distinctionem necessario deberent habere.

*Et si quæras* iterum, an ex potentiis realiter, & specie distinctis, quæ de facto dantur, vna possit de potentia absoluta producere actus similes actibus alterius potentiæ, v.g. an oculus de potentia absoluta possit audire, aut intelligere, vel auris videre; *resolutionem remitto* ad tractatum *de visione beata*, in qua solet examinari occasione quæstionis ibi propositæ, an scilicet oculus corporeus possit videre Deum.

## QVÆSTIO XIII.

### *In quonam subiectentur potentiæ Animæ.*

172. HÆc quæstio habet locum directè in sententia *Thomistarum* distinguente potentias ab anima; quia in illa sola potentiæ possunt subiectari propriè loquendo: sed ex resolutione eius facilè etiam poterit colligi cuinam subiecto identificentur, quod quæri solum deberet in nostra sententia, qui non distinguimus potentias realiter à re habente illas.

Non est autem dubium de potentiis spiritualibus, quæ animam vbique concomitantur, vt est intellectus & voluntas, quia omnes conceduut, quod illæ habeant animam pro subiecto, siue cui inhæreant, si distinguantur realiter ab illa; siue cui identificentur, si non distinguantur sic. Sed difficultas tota est de potentiis materialibus totalibus, vt de visiua, auditiua, imaginatiua, appetitiua, quæ communes sunt hominibus, & brutis.

Dixi autem: *potentias materiales totales*, quia quandoquidem non sola anima videt, aut audit aut appetit, nec solum corpus, quod est altera pars animalis, sed totum compositum ex anima, & corpore, per potētiam vitalem totalem, qua exercet illas operationes, intelligi debet potentia concomitans totum illud compositum, non vero pars vlla illius, quæ concomitaretur animam, aut corpus.

Alio modo potest explicari potentia totalis de qua fit quæstio, quod sit illa, quæ immediate in se recipit actus illos vitales, v.g. visionem, auditionem.

*Gregorius in* 2. *dist.* 17. *q.* 3. dicit has potentias subiectari in sola anima, quem sequitur *Arriaga hic disp.* 3. *n.* 56. quoad sensationes brutorum.

*Conimbric.* 2. *de anima c.* 1. *q.q. Suar. ibidem, cap.* 2. *Auersa q.* 47. tenent illas potētias subiectari in ipso corpore solo.

*D. Thom.* 1. *p. q.* 77. *art.* 5. cum suis communiter, ac specialiter *Complutensibus disp.* 7. *num.* 36. opinantur potentias materiales subiectari in toto composito, quod cum secūdum ipsum nihil aliud sit, quam corpus, & anima vnita, illæ potentiæ debent immediate recipi partim in anima, & partim in corpore.

*Doctor vero noster*, quia putat totum distingui realiter à partibus simul sumptis, & vnitis, propterea quamuis teneret cum *Thomistis* has potentias, si distinguerentur realiter à subiectis, subiectari in toto composito, diceret tamen eas non immediatè subiectari, nec in anima nec in corpore, sed in toto resultante ex anima, & corpore.

### CONCLVSIO I.

173. *Potentiæ animæ materiales non subiectantur in solo corpore immediatè.* Hæc est reliquarum sententiarum contra secundam.

Potentiæ materiales non subiectātur in solo corpore.

*Probatur*: quia illud est subiectum immediatum potentiæ visiuæ, v.g. quod videt, & mediante potentia immediatè in se recipit visionem ocularem: sed non est solum corpus, quod est altera pars animalis, siue illud dicatur esse materia prima sola, siue materia prima cum accidentibus, siue conflatum ex materia prima, & forma corporeitatis, quod videt immediatè per visionem mediante potentia visiua: ergo potentia visiua non subiectatur in illo corpore solo.

Probatur minor: quia si corpus illud, quatenus includit animam, seu quatenus est aliquid non constitutum per animam videret immediate, vt sic, esset viuens sensitiuum, & sic anima non esset principium physicum dans formaliter substantiæ materiali viuere vita sensitiua, contra omnes.

Probatur

Probatur sequela: quia reuera eatenus aliqua substãtia potest viuere vita sensitiua, quatenus potest sentire per visionem, aut alios actus vitales.

*Confirmatur*: quia potentia visiua est in oculo, sed non in oculo, quatenus dicit partem illam corporis, quæ vocatur oculus, absque animatione, sed in oculo animato, & hinc, ablata anima, illa pars non habet illam potentiam, etiam positis quibuscumque dispositionibus, in quibus non inuoluitur quod infermetur ab anima: ergo non in solo corpore residet potentia vitalis.

*Probatur secundo*: quia si potentia visiua est in corpore, vel emanat ab ipso corpore, vel producitur ab anima in corpore. Si primum, ergo non est vitalis, nec potentia animæ, & præterea deberet esse in corpore, quamuis separaretur anima, quod prorsus est absurdum. Si secundum: ergo non habet dependentiam ab anima, nisi in genere causæ efficientis, & sic posset conseruari in corpore saltem de potentia Dei absoluta, absque anima; quod ab aliquibus saltem ex aduersariis, & merito putatur absurdum.

*Confirmatur*: quia sic anima nullo modo diceretur videre formaliter, etiam vt quo, neque enim vllo modo videt, nisi quatenus efficit potentiam in corpore: sed hoc non sufficit, vt dicatur videre formaliter *vt quo*, alias ignis producens calorem in manu posset dici esse calidus *vt quo* ab illo calore.

174. *Obiicies primo, ex Auersa*: omnia alia accidentia materialia subiectantur in materia, & non in toto composito, aut anima: ergo idem dicendum de his accidentibus, ac actibus vitalibus ab illis productis.

*Respondeo primo*, negando antecedens; vt patet ex dictis in Physica.

*Respondeo secundo*, negando consequẽtiam, quia quamuis id esset verum de aliis accidentibus, non posset esse verum de accidentibus vitalibus propter fundamenta huius conclusionis, ex quibus colligitur maxima disparitas accidentium vitalium quantum ad hoc, ab aliis accidentibns non vitalibus.

*Obiicies secundo*, potentiæ sensitiuæ in aliis animalibus sunt corporeæ: ergo & in hominibus: sed si sint corporeæ, non possunt subiectari in anima sola, nec etiam partialiter: ergo necessario debent subiectari in corpore solo: sed si subiectantur in corpore hominis, eodem modo possent subiectari in corpore solo reliquorum animalium, vt omnes fatebuntur.

*Respondeo primo*, si non possent istæ potentiæ esse corporeæ in hominibus, quin subiectarentur in solo corpore, negari potius debere consequentiam, quam id esset admittendum; nec tam facile probari posset ab aduersariis: nam ex diuersitate animæ rationalis ab aliis animabus, si illæ operationes subiectari deberent in anima, posset dici quod, quamuis illæ operationes essent corporeæ in aliis animalibus, quorum animæ sunt corporeæ, quod essent spirituales in hominibus, quorum anima est spiritualis.

*Respondeo secundo* concedendo consequentiam, & distinguendo antecedens subsumpti: immediate, transeat; mediante toto composito ex ipsa, & corpore resultante, negatur.

175. *Obiicies tertio*, actus vitalis visionibus nõ elicitur à sola anima, quasi per se operante, sicut intellectio, & volitio, sed mediante organo corporeo, igitur potentia elicitiua talium actuum non residet in sola anima: ergo residet in organo corporeo, neque enim fiunt illæ operationes per organum corporeum, nisi quatenus organum corporeum habet in se potentiam elicitiuam istarum operationum.

*Respondeo* negando consequentiam cum sua probatione, residet enim in toto conflato ex organo corporeo & anima, & ad eam concurrit tam anima quàm corpus, quatenus habent virtutem constituendi totum compositum in quo residet, & à quo immediate emanat illa potentia.

Potest autem argumentum retorqueri contra aduersarium, quia operatio illa non fit à corpore solo, nisi mediante anima: igitur potentia elicitiua ipsius debet esse in anima, tanquam in subiecto, & non in corpore solo: hæc consequentia est omnino talis, qualis est consequentia obiectionis; vnde si non valet hæc, nec illa valere debet; & si illa valet, hæc etiam bona est.

## CONCLVSIO II.

176. *Potentiæ huiusmodi non subiectantur in sola anima.* Hæc est reliquarum sententiarum contra primam.

Potentiæ sensitiuæ nõ subiectantur in sola anima.

*Probari solet*: quia non potest accidens corporeum, extensum præsertim, qualis est omnis huiusmodi actus, recipi in subiecto spirituali solo: ergo.

*Verum* imprimis hæc probatio difficulter potest vrgeri à *Thomistis*, qui admittunt huiusmodi operationes subiectari particulariter in anima: nam reuera eadem prorsus ratio, quæ probat non posse subiectari tale accidens in solo subiecto spirituali, videtur æquè probare quod non possit recipi in subiecto spirituali partialiter. Vnde meo iudicio tam bene potest negari antecedens, quàm ipsi negarent illud, si adderetur partialiter.

An accidens corporeum subiectari possit in sola anima.

*Sed nec* ab omnibus probatur illud antecedens satis sufficienter. *Aliqui probant* illud, quia alias non haberet extensionem suam.

*Contra*, quia licet non posset habere extensionem in subiecto spirituali determinato ad locum indiuisibilem; posset tamen in subiecto spirituali, quod propter diuisibilitatem virtualem suam posset occupare locum diuisibilem, nec video cur corpus extensum possit coniungi physicè cum anima indiuisibili, retenta sua extensione, & non posset qualitas extensa vnius ipsi per inhæsionem, retenta sua extensione.

*Alij probant illud*: quia non potest forma extensa inhærere vlli, cui non tribuat extensionem, quia extensio est effectus formalis eius: ergo.

177. *Contra*, quia facile negari potest antecedens cum sua probatione, neque enim accidẽs extensum facit formaliter suum subiectum extensum, absurdum enim esset albedinem facere quantitatem extẽsam. Quod si faceret etiam subiectum extensum, non tamen omne subiectũ, sed subiectũ capax extensionis, quale subiectum non esset anima: quemadmodum enim licet quãtitas extendat formaliter omnes formas, cũ quibus coniungitur, siue in ipsamet recipiãtur, siue recipiatur in illis, siue tã illa, quã illæ recipiãtur in eodẽ subiecto, non tamen extendit animam rationalem, quæ est incapax extensionis: ita etiam licet forma extensa faceret omnia subiecta sua extensa, quæ essent capacia extẽsionis, non tamen deberet facere extensa subiecta sua, quia essent incapacia extensionis.

*Deinde* posset etiã dici quod accidens extensum extenderet animã virtualiter, quatenus scilicet esset ratio, cur anima occuparet tantum loci actualiter, quantum exigeret illud accidens occupare, quandoquidem accidens non posset occupare tantum loci, nisi subiectum ipsius etiam tantum loci occuparet; quod valde aduertendum est.

*Melius ergo probatur illud antecedens*: quia partes istius accidentis connaturaliter essent in eodem loco; nam naturaliter loquendo omnis forma absoluta, quæ est in aliquo subiecto, debet esse vbicumque est illud subiectum, quidquid sit de potentia absoluta: ergo illa pars accidentis extensi, quæ esset in anima in hoc loco, in quo esset extra aliam partem, deberet esse simul cum anima in alio loco, in quo esset altera pars ipsius, & sic illæ duæ partes extensionis deberent esse connaturaliter in eodem loco: quod est absurdum.

*Dices*: forma spiritualis potest esse in subiecto corporeo, vt patet de anima rationali: ergo & corporea in subiecto spirituali.

*Respondeo* negando consequentiam, quia sequitur inconuenientia connaturalis ex consequenti, non vero ex antecedenti.

178. *Probatur conclusio secundo*, quia sequeretur quod illæ potentiæ essent spirituales, emanarẽt enim connaturaliter à subiecto spirituali, in eoque reciperentur: sed quod sic emanat & recipitur, dicẽdũ est spirituale: ergo.

*Probatur tertio*, quia sequeretur quod anima separata haberet illas potentias; nec posset ostẽdi, cur anima quo-

ad

ad illarum actus habeat dependentiam à corpore: sed hoc est absurdum.

*Confirmatur*: quia si potentia visiua sit in sola anima etiam sensitiua, non est vlla ratio cur visio ocularis non esset in pede tam bene, quam in anima.

*Dices*: licet illa esset in anima, tamen oculus corporeus deberet concurrere ad productionem ipsius.

*Contra*, quia nulla potentia debet concurrere ad visionem, nisi potentia visiua: ergo si potentia visiua non sit in oculo, oculus non debet concurrere efficienter ad ipsam.

*Confirmatur*: quia si oculus debet concurrere eum anima: ergo debet habere potentiam visiuam effectiuam tam bene, quam anima: sed in ipsamet potentia, quæ est visiua effectiue, debet produci visio: ergo tam debet produci in oculo, quam in anima.

Probatur minor: quia hæc est natura actus creati, immanentis, vitalis, intentionalis, vt debeat produci in ipsamet potentia vitali, quæ nata est ipsam producere connaturaliter loquendo.

## CONCLVSIO III.

Potentia vitalis nõ subiectatur in corpore, & anima simul.

179. *Potentia vitalis non subiectatur in corpore & anima simul, sed in toto composito ex ipsis.* Hæc quoad primam partem est primæ, & secundæ sententiæ, & quartæ sententiæ contra tertiam *Thomistarum*; & quoad secundam est quartæ contra reliquas sententias.

*Probatur prima pars*: quia vnum numero accidens non potest subiectari naturaliter in subiectis realiter distinctis immediate.

*Probatur secunda pars*: tum quia nihil aliud assignari potest, in quo subiectetur; tum quia ex suppositione, quod detur totum realiter distinctum à partibus, erit subiectum proportionatissimum, & effectiuum, & receptiuum istarum potentiarum & actuum vitalium ab ipsis productorum; tum quia difficultates aliarum sententiarum tolluntur per hanc sententiam; nec habet aliam difficultatem, quam illam, quæ est de distinctione totius à partibus simul sumptis, & vnitis, quas difficultates soluimus 1. *Physicorum suo loco.*

Si nõ daretur tertia entitas, potentia vitalis subiectaretur in anima.

Quod si hæc sententia non esset vera, ex his aliis sententiis præferenda esset illa, quæ dicit, quod potentia vitalis sensitiua passiua recipiatur, aut identificetur soli animæ, eamque concomitetur, nam reuera anima debet per illas operationes sentire, corpus autem nequit per illas sentire, neque anima etiam posset per illas sentire, si in solo corpore reciperentur. Ideo vero requireretur organum, quia deberet concurrere effectiue cum anima ad illas sensationes producendus connaturaliter loquendo.

180: *Ad difficultates* autem alias contra positas dicendum est, ad primam, quæ est de subiectatione formæ corporalis in subiecto spirituali, quod potentia visiua receptiua visionis, quæ est in anima rationali, sit spiritualis, & licet potẽtia vitalis productiua totalis sit partim spiritualis, partim corporalis, & propterea absolute vocari possit corporalis, aut corporea, sicut homo dicitur absolute substantia corporea, quamuis includat partem corpoream, & partem spiritualem, illa autem pars corporea potest dici non esse potentia immanenter agens, nec arguens vitam in re cuius est, nisi quatenus diceretur potentia immanenter agens illa, quæ non est nata agere, nisi in forma in se, aut suo subiecto recepta.

*Et si obiiciatur* contra hoc, quod visio corporalis hominis sit extẽsa; Altero ex duobus modis potest responderi, tenendo hanc sententiam, vel id negando; nec credo adeo facile id probari posse: vel dicendo non esse inconueniens, quod forma extensa recipiatur in subiecto inextenso formaliter, sed virtualiter extenso, & occupante locum diuisibilem. Et ad id, quod contra obiiciebatur supra dici debet, quod non omnis forma absoluta debeat connaturaliter poni in quocumque loco, in quo ponitur suum subiectum; sed id solum dici debeat de formis absolutis, ex quarum positione in omnibus locis, in quibus poneretur suum subiectum, non sequeretur superfluitas in ordine ad subiectum, & locum; hoc autẽ sequeretur ex eo, quod forma extensa poneretur in omnibus locis, in quibus poneretur suum subiectum, quia sequeretur quod illud subiectum, vt in vno loco, haberet duas partes eiusdem formæ, quod esset omnino superfluum. Et hæc doctrina confirmari potest per ea, quæ dicta sunt in Physica in Disputatione de Loco.

# DISPVT. II.

## *De Potentiis animæ Sensitiuæ in communi.*

ANTE hanc disputationem agendum esset, & de anima vegetatiua, suisque potentiis, & etiam de anima sensitiua quoad substantiam, quia anima vegetatiua est vniuersalior, quam sensitiua, & substantia huius est radix potentiarum suarum. Verum quia non nisi paucissima tractanda sunt, non videbatur disputatio particularis de iis instituenda; sed hic breuiter quod opus erat proponendum.

Quid sit anima vegetatiua.

Itaque de ipsamet anima *vegetatiua*, quoad substantiam, nihil aliud particulariter dicendum est, quàm quòd *sit actus corporis organici potentia vitam vegetatiuam habentis*, seu quod *sit illud, à quo substantiæ corporeæ viuentes vita vegetatiua, habent sic viuere.*

Tres eius potentiæ

Tres autem principales potẽtiæ eius numerari solent; *nutritiua*, qua huiusmodi viuentia se nutriendo conseruant; *augmentatiua*, qua se augent, & perducunt à statu minus perfecto ad perfectum integraliter; & *generatiua*, qua possunt sibi similia producere.

2. Harum autem potentiarum, & actuum ipsis competentium naturam ex dictis *in libris de generatione, & corruptione* facile cognoscere est, nec hic addendum aliquid remanet, nisi

Quomodo distinguuntur à suo subiecto.

*Primo*, quod non distinguantur realiter à toto composito ex corpore, & anima; propter rationes illas, ob quas idem concluſum est de potentiis corporeis animæ in genere. Quod si etiam potentiæ sensitiuæ receptiuæ operationum vitalium identificarentur soli animæ, aut soli corpori, vel in sola anima, aut solo corpore subiectarentur; idem tamen non esset dicendum de his potentiis, hæ enim sunt merè actiuæ, & non susceptiuæ, & consequenter non esset eadem ratio de ipsis, ac illis aliis quantum ad hoc.

Nutritiua, & augmentatiua non distinguuntur realiter.

*Secundo* nutritiuam ac augmentatiuam potentiam non distingui realiter inter se, tum quia ita sentit *Philosophus 2. de anima cap.* 4. tum quia nulla est necessitas ea distinguendi; entia autem non sunt multiplicanda sine necessitate.

*Dices*: sequeretur quod viuens sicut semper nutritur: ita semper crescceret contra experientiam.

*Respondeo* negando sequelam, quia licet per eandem potentiam realiter iudicemus, & discurramus, nõ tamen est necesse, quod quoties iudicamus, toties discurramus; & quia non est necesse, vt applicetur semper sufficiens materia augmentationis, quoties applicatur sufficiens materia nutritionis; nec etiam est necesse, vt illa ipsa potentia semper sit æque dispositа ad vtrumque actum, nec erat conueniens vt esset, quia sic viuentia excrescerent ad maiorem, quam ipsis esset conueniens, magnitudinem: & denique, cur homo non semper excrescat quemadmodum semper nutritur perinde difficultatem habet, siue augmentatiua dicatur distingui realiter à nutritiua, siue non; neque enim perdit tum augmentatiuam quando desinit augmentari.

Potentia generatiua non consequitur animã vegetatiuã vt sic.

3. *Tertio* potentiam generatiuam non consequi animam vegetatiuam vt sic, nec ipsi identificari, quandoquidem reperiantur aliqua animalia, quæ ipsam non habeant, vt mulæ: & sicut hoc est verũ de aliquibus animalibus, ita etiã verum esse posset, & fortassis de facto est de aliquibus plantis: & quemadmodum, non omnes potẽtiæ corporeæ animæ sensitiuæ sequuntur animã sensitiuam vt est.

sic, nec in quolibet animali omnes reperiuntur: ita etiam non est necesse vt omnes potentiæ animæ vegetatiuæ sequantur animam vegetatiuam vt sic, aut reperiantur in qualibet specie eius; sed sufficit, quod non reperiantur in aliqua anima, quæ non sit vegetatiua.

Nō identificantur generatiua & sentitiua.

*Quarto*, in iis viuentibus in quibus generatiua & nutritiua reperiuntur, eas non identificari realiter.

*Probatur hoc*: quia nutritiua per totum viuens spargitur, generatiua vero residet in determinata parte: ergo distinguuntur realiter.

Probatur consequentia: quia ideò gustatiua, & tactiua dicuntur distingui realiter, quia gustatiua est in determinata parte, v.g. in lingua, tactiua vero per totum corpus, aut saltem in aliis partibus.

*Nec valet dicere* generatiuam esse in toto corpore, licet habeat actum in determinata tantum parte propter dispositiones particulares quas inuenit in illa parte; quia idem posset dici de gustatiua contra omnes; & quia si nunquam habeat dispositiones in aliis partibus sufficienter ad illos actus, frustra poneretur à natura in illis: ergo debet dici quod ponatur in illa parte, in qua habere potest suum actum. Quænam autem sit illa pars, est res incerta etiam ipsis medicis, qui exactius de hac re agere solent; vnde inter se circa hoc dissentiunt, aliquibus dicentibus quod resideat in corde, aliis in hepate, aliis in arteria renum, aliis alibi.

Actus nutritiuæ nō sunt tam immanentes quam actus potentiarum sensitiuarum.

4. *Quinto*, actus harum potentiarum non esse tam immanentes ac actus potentiarum animæ sensitiuæ, ac rationalis, quia terminus per illas productus non recipitur in ipsismet potentiis, quod maxime verum est de actu potentiæ generatiuæ, cuius terminus est alia substantia à generante; possunt tamen dici immanentes, quatenus intra partes viuentis aut ipsimet termini, aut principium ipsorum ex quo fiunt, producuntur sic, vt naturaliter alio modo ab ipsis produci non possint, nec ab aliis similibus causis. Et hæc de prima animæ vt sic specie, sufficiant quoad suam naturam & potentias.

Quid sit anima sēsitiua.

Quoad animam autem *sensitiuam*, quoad substantiam non desideratur aliud, quàm ipsius definitio, quæ est, quod *sit actus corporis organici potentia vitam sensitiuam habentis*; aut *quod sit actus primus, à quo habent substantiæ materiales exercere operationes sensitiuas omnes*, præter rationales spectantes ad animam rationalem, qua rationales.

## QVÆSTIO I.

### *Vtrum potentiæ animæ sensitiuæ sint actiuæ & passiuæ, & an detur sensus agens.*

5. POtentiæ animæ sensitiuæ, de quibus hic agimus, quædam sunt *externæ*, illæ scilicet, quarum organa apparent exterius in corpore, vel quarum actus sentiūtur in exterioribus partibus corporis, aut quarum actus nō præsupponunt alios actus, vt sunt quinque sensus corporei, visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Quædam sunt *internæ*, quarum actus interius percipiuntur, & præsupponunt actus illarum aliarum potentiarum, vt imaginatiua, & appetitiua. De his ergo quæritur hic vtrum habeant virtutem productiuam suorum actuum; & præterea vtrum in se istos actus recipiant.

### CONCLVSIO I.

Quælibet potentia sensitiua materialis est receptiua sui actus.

6. *Quælibet potentia sensitiua materialis est receptiua sui actus, neque adeo passiua.* Hæc est communissima contra quosdam antiquos, & *Probatur primo*, quia illi actus deberent recipi in aliquo: sed in nullo potius, quam in illa potentia.

*Probatur secundo*, quia dicuntur sensitiuæ potissimum per hoc, quod experimentaliter per suos actus sentiant obiecta, & ferantur in ipsa; sed non posset hoc ipsis competere, nisi reciperent suos actus.

*Confirmatur*: quia experimur intrinsecè in potentiis nostris illos actus, v.g. in oculo visionem, auditionem in aure, &c. Sed oculus, & auris sunt potentiæ sensitiuæ: ergo potentiæ sensitiuæ sunt receptiuæ actuum suorum.

*Aduertendum tamen hic*, quod qui dicunt sensationes, seu actus sensitiuos materiales subiectari in sola anima, & corpus ad illos producendos effectiue tantum concurrere, aut in solo corpore, anima effectiue tantum concurrente, non posse dicere quod potentiæ materiales secundum quod constantur ex anima & corpore, sint receptiuæ, seu passiuæ, nec id est necesse ad veritatem huius conclusionis.

### CONCLVSIO II.

Potentiæ illæ sunt productiuæ suorū actuum.

7. *Potentiæ sensitiuæ sunt productiuæ suorum actuum, & consequenter sunt actiuæ.* Hæc est communissima iam cum *Doctore in 1. dist. 3. q. 7. n. 20. & hic q. 12.* contra aliquos, qui existimauerunt actus sensitiuos non distingui à speciebus impressis, & consequenter à solis obiectis produci. Et contra alios, qui quamuis concesserint actus illos à speciebus impressis distingui, tamen putauerunt eos produci à solis speciebus potentiis merè passiuè se habentibus, & quoad species & quoad actus.

Probatio cōmunis.

*Probatur*: quia non potest alia aliqua causa assignari, quæ sufficiat: ergo debet dici quod sensus habeat actiuitatem respectu suorum actuum.

Probatur antecedens: quia non potest produci à sola specie impressa, tum quia actus vitalis, quo sentimus, est perfectior quam illa species; tum quia illa species reperitur in potentia absque actu: hoc autem non esset verum, si esset causa totalis actiua istius speciei. Nec etiam à solo obiecto, aut ab obiecto, & specie impressa simul potest produci iste actus propter rationem iam dictā, quia scilicet, & obiectum, & species non sunt tam perfectum, quam est actus vitalis, secundum plurimos; & quia obiectum, & species proponuntur oculo sufficienter, quin producatur visio, v. g. vt patet in dormientibus oculis apertis: sed hoc esset falsum, si essent causæ totales effectiuæ istius visionis: ergo non sunt.

*Dices*: quamuis obiectum, & species sint causæ actiuæ adæquatæ visionis, ea tamen requirere aduertentiam potentiæ, quæ à dormiente præstari nequit.

*Contra*, quia illa aduertentia, vel consistit in productione, vel in receptione alicuius distincti à specie impressa: si in productione: ergo quandoquidem præstari debet à potentia, potentia debet esse actiua: si in receptione; ergo quandoquidem illud aliud quod reciperet, non producatur ab obiecto, & specie solis, vt patet ex eo, quod non producantur in oculo aperto dormientis; sequitur aliquid aliud actiue concurrere ad visionem præter obiectum, & speciem, quod est intentum.

8. *Melius replicari posset* contra hanc communem probationem, quod eodem modo, quo hic probamus obiectum, & speciem non esse causas adæquatas visionis, probari etiam possit, ipsam potentiam cum specie, & obiecto non esse causam adæquatam contra communem sententiam: ergo sicut non benè probaret hoc, ita neque illud.

Probatur antecedens: quia oculus dormientis habens speciem in se receptam, & consequenter obiectum per ipsam applicatum eo modo, quo potest applicari, non producit visionem: ergo sicut ex eo, quod obiectum cum specie non producit visionem in oculo dormientis, colligitur, quod non sit causa totalis, etiam ex eo, quod oculus ipse cum specie & obiecto non producit visionem, sequitur quod non sit causa totalis, sed quod requiratur aliqua alia causa.

*Et si dicas* requiri quidem aliquid aliud, sed non quod sit causa, sed quod sit conditio, aut dispositio potentiæ in ordine ad recipiendam, aut producendam visionem; *Similiter* posset dici quod aliquid aliud requireretur præter obiectum, & speciem eius, non tamen tanquam causa, sed tanquam conditio, aut dispositio potentiæ ad recipiendam visionem.

*Hæc replica* mihi eneruat totam vim prædictæ probationis, quatenus ex eo, quod obiectum, & species possint esse sufficienter applicata absque visione, inferebatur, quod requireretur actiuitas potentiæ, nisi vlterius perficiatur.

9. *Probant alij*: quia de ratione potentiarum vitalium

est

est, quod sint actiuæ; & actuum vitalium, quod producantur effectiue à principio immanenti: ergo obiectum, & species non possunt esse causæ totales; sed necessario debet admitti concursus actiuus potentiæ.

*Hæc probatio* manifeste petit principium, assumitur enim in antecedenti conclusio hic probanda.

*Probatur ergo aliter*: quia habere virtutem actiuam est perfectionis, & illa perfectio conuenit aliis potentiis nō vitalibus, & potentiis etiam vitalibus inferioris ordinis quam sint sensitiuæ, vt nutritiuæ, ac augmentatiuæ: nec est inconueniens quod tribuatur potentiis sensitiuis; ergo debet his tribui, quæ enim perfectio tribuitur rebus inferioribus, debet etiam perfectioribus tribui, si non constet oppositum.

*Confirmatur hoc*: quia nisi potentiæ vitales sensitiuæ essent actiuæ, animalia non conuenirent cum plantis in ratione viuentis creati vt sic, contra dicta *disp. q* 1.

*Verum hæc confirmatio* non est magni momenti, nisi ad hominem, si quis scilicet aduersariorum concederet creata viuentia omnia conuenire in ratione viuentis vt sic; quia quod dicebatur in illa quæstione de conuenientia omnium viuentium creatorum in vna ratione, supponebat omnia illa viuentia, vt talia, esse actiua; quod negari deberet ab his, qui negarent hanc conclusionem: vnde id assumere contra ipsos ad probandam hanc conclusionem esset petere principium.

*Confirmatur melius*: quia intellectus, & voluntas sunt actiuæ potentiæ, vt postea probabitur: ergo potentiæ sensitiuæ, à paritate rationis.

10. *Obiicies primo*, Philosophus vocat sensum passiuum, & non vocat ipsum actiuum, ergo non est actiuus.

*Confirmatur*: quia dicit eundem esse actum obiecti sensibilis, & sensus, eumque recipi in sensu, & esse passionem, quatenus in sensu recipitur; actionem vero, quatenus ab obiecto producitur: ergo.

*Confirmatur secundo*: quia secundum *Aug.* 11. *Trin. c.* 2. forma ab obiecto impressa sensui est visio: sed illa forma est species impressa, & ad hanc non concurrit potentia visiua; & consequenter non est actiua; non enim est actiua, nisi respectu visionis.

*Respondeo* negando consequentiam, quia per hoc quod vocauit passiuum, non negauit actiuum; & propterea vocauit passiuum potius, quam actiuum, quia habet sentire magis formaliter ex receptione actus, quam ex productione ipsius.

*Ad confirmationem primam* nego etiam cōsequentiam, quia quamuis sensatio, v.g. visio, sit actus obiecti, à quo partialiter producitur, & sensus, in quo recipitur, & qui per ipsum sentit; & quamuis sit passio, quatenus recipitur in sensu, ac actio, quatenus producitur ab obiecto; non sequitur quin etiam idem ille actus producatur etiam partialiter à sensu, & sit etiam actio, quatenus sic producitur.

*Deinde* posset explicari Philosophus de specie impressa, qui est actus sensus, & obiecti, & solū reipitur in sensu absque concursu actiuo eius, ac ab obiecto solo producitur; ex hoc autem nihil sequitur ad propositum.

*Ad secundam confirmationem*, *respondeo* distinguendo minorem: illa forma sola est species impressa, nego. nam species etiā expressa imprimitur ab obiecto, quatenus obiectum partialiter concurrit ad productionem ipsius: forma quæ imprimitur ab obiecto, est species impressa, sed non sola, concedo minorem: & nego consequentiā.

*Cætera obiectiones*, quæ communiter opponuntur, fundantur in hoc, quod idem non possit aliquid producere in seipso; sed hoc esse falsum patet ex dictis *in Physica*.

*Obiicies præterea*: si sensus esset actiuus, semper produceretur visio saltem quoties applicaretur ipsi obiectum per speciem impressam: sed hoc est falsum, vt patet ex experientia illa oculi dormientis, in quo aperto recipitur species absque productione visionis: ergo.

*Respondeo* negando maiorem, quia potentia sensitiua externa, præter speciem obiecti requirit etiam concursum spirituum animalium, aut vitalium, quorum accessus ad potentiam impeditur per somnum.

## CONCLVSIO III.

11 *Non datur sensus agens distinctus realiter, aut formaliter à sensu patiente, seu à sensu, qui recipit sensationem, & per eam percipit obiectum.* Hæc est communis. Nō datur sensus agens distinctus à patiente.

*Probatur*; quia nulla est necessitas talis sensus; nec indicium aliquod experientiæ, aut rationis, quod detur.

*Confirmatur*: quia si daretur sensus agens distinctus à patiente, vel quia deberet producere aliquid distinctum à sensatione requisitum ad ipsius productionem: vel quia eadem potentia non posset aliquid in se producere, neque enim aliud munus eius assignari potest. Non primum, quia nihil tale assignari potest, quod à sensu vllo produci potest: non secundum, quia, vt sæpe dixi, idem potest aliquid in se producere.

*Confirmatur secundo*, quia non ideo datur intellectus agens distinctus à patiente, quod intellectus, & habeat virtutem productiuam, & receptiuam intellectionis; sed quod necessarium sit, vt anima possit producere species intelligibiles, impressas, vt postea ostendetur: sed sensus non debet producere species sensibiles impressas, vt etiam postea videbitur: ergo non datur sensus agens.

*Ex hac autem confirmatione* patet solutio ad obiectionem, quæ hic proponi solet: nempe, datur intellectus agens distinctus à patiente: ergo & sensus agens. Negatur enim consequentia, quia est aliquod munus, ad quod requiritur intellectus agens; nempe productio speciei intelligibilis; non datur vero munus, ad quod requiratur sensus agens.

12. *Obiicies præterea*: sensus, vt est productiuus, est agens, & vt est receptiuus, est patiens; sed vt est productiuus distinguitur formaliter à seipso, vt est patiens: ergo datur sensus agens distinctus formaliter saltem à sensu patiente.

*Respondeo* distinguendo maiorem: est agens, vt hic agitur de sensu agente, nego maiorem: in alio sensu, concedo maiorem, & concessa minori distinguo consequens: datur sensus agens, vt hic agitur de sensu agente, nego consequentiam, in alio sensu, concedo consequentiam.

Quod autem quando negatur sensus agens communiter, non capiatur pro sensu, qui habet virtutem productiuam, patet: quia alias non posset communiter negari, quandoquidem communiter tribuatur sensui vis actiua iuxta secundam conclusionem.

Capitur ergo *sensus agens*, prout negatur communiter ab omnibus, & in hac conclusione, pro sensu, qui haberet aliquam actiuitatem respectu alicuius alterius distincti à sensatione, & maximè speciei impressæ.

*Et hinc aduertendum* conclusionem potissimum intelligendam de sensibus externis: an autem extendi debeat etiam ad sensus internos, dependet ab alia difficultate inferius examinanda, an scilicet sensus interni producāt in seipsis aliquas species impressas necessarias ad producendas sensationes, quibus sentiant: si enim producant, admitti possunt sensus agentes interni; si non producant, non debent tales sensus asseri.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum sensus decipiatur circa suum sensibile.*

13. Hæc difficultas præcipuè locum habet in sensibus externis, pro cuius solutione. Obiectum sensibile magis habet esse tale à terminatione, quam à productione sensationis.

*Aduertendum est*, sensibile esse, quod potest percipi per sensum, & ipsam sensibilitatem esse ordinem aptitudinalem ipsius ad sensum, quem ordinem dicit non tantum, vt est productiuum speciei sensibilis, vt vult *Auersa*; sed etiam vt est terminatiuum sensationis, seu actus quo percipitur; imo hic ordo multo magis pertinet ad ipsum, qua sensibile est, quàm alter ordo; quia ab hoc solo habet esse sensibile sine illo, & ab illo non haberet esse sensibile sine hoc, alias Deus esset sensibilis, quia potest producere speciem impressam obiecti sensibilis.

Quid sensibile proprie, quid commune.

Sensibile per sensum externum est duplex, proprium, & commune: *sensibile proprium* est, quod ab vno solo sen-

su

sensu percipi potest, vt color à solo oculo, sonus à sola aure. *Sensibile commune* est, non quod ab omnibus sensibus externis percipi potest, vt volunt aliqui, tum quia alias figura non esset sensibile commune, quandoquidem nec ab aure, nec ab odoratu percipiatur; tum quia potest habere rationem sensibilis communis per hoc, quod habeat rationem sensibilis proprii, hanc autem rationem haberet, modo posset percipi à pluribus sensibus, quamuis non posset percipi ab omnibus.

Est ergo sensibile commune *illud quod potest à pluribus sensibus externis percipi*, vt motus, quies, numerus, figura, magnitudo: quæ non solum per visum apprehendi possunt, sed per tactum. Hoc supposito,

Variæ sententiæ.

*Prima sententia* est sensum nequaquam decipi posse circa vllum sensibile. Ita *Epicurey* teste *S. Aug. 8. de ciuit. cap. 7. & Cicerone in quæstionibus Academicis.*

*Secunda sententia* erat *quorundam Academicorum*, qui semper errasse sensus in omnibus suis operationibus existimauerunt.

*Tertia sententia* est *Peripateticorum* communiter, sensus aliquando errare, aliquando vero non errare, & hoc tam circa proprium sensibile, quam circa commune.

Sunt tamen autores huius sententiæ inter se diuisi: nam quidam ex ipsis dicunt sensum non decipi proprie, nec vlla ratione, nisi quatenus præbet occasionem deceptionis ac erroris intellectui. Ita *Conimbricenses 2. de anima cap. 6. quæst. 6.* Alij vero dicunt sensum in seipso decipi, ac actum ipsius esse erroneum, ac falsum, non quidem falsitate iudicatiua, quæ solum reperiri potest in actibus iudicatiuis, quales non sunt actus potentiarum materialium, saltem externarum: sed falsitate consistente in difformitate apprehensionis simplicis ad obiectum.

## CONCLVSIO I.

Sensus sic versatur circa sensibile proprium & commune, vt decipiat intellectum.

14. *Sensus tali modo fertur tam circa sensibile proprium quam circa commune, vt quandoque tribuat occasionem errandi intellectui, quandoque non tribuat.* Hæc est tertiæ sententiæ contra vtramque primam, &

*Probatur prima pars*: ex apprehensione, quam habet visus de baculo aquæ infixo, intellectus nonnumquam iudicat baculum esse fractum, qui reuera non est fractus; & ex apprehensione, quam habet de terra, dum quis iuxta terram nauigat, & de Sole, iudicat intellectus quandoque terram moueri, & Solem esse paruæ magnitudinis: ergo sensus ita versatur quandoque circa sensibile commune, vt det occasionem erroris intellectui. *Rursus* ex modo, quo percipit gustus male dispositus cibum dulcem, iudicat intellectus quod non sit dulcis: & ex apprehensione quam habet visus de coloribus iridis, iudicat intellectus esse veros colores in iride, cum tamen cibus sit dulcis, & non sint veri colores in iride, sed apparentes, ergo ita versatur sensus circa sensibilia propria, vt det occasionem errandi intellectui.

Quandoque non decipit intellectum.

*Probatur Conclusio* quoad secundam partem; quia quando visus percipit veram albedinem subiectatam in corpore quadro, non dat occasionem intellectui errandi circa albedinem aut figuram eius, nam si intellectus iudicauerit conformiter ad apparentiam sensus albedinem esse quadram non errabit: ergo ita versatur aliquando sensus circa sensibile proprium & commune, vt non det occasionem erroris intellectui.

15. *Obiicies* pro prima sententia contra primam partem si sensus hoc modo erraret tribuendo ex perceptione sua occasionem erroris intellectui, non potuissemus habere vllam certitudinem in intellectu, quia omnis cognitio intellectiua dependet à cognitione sensitiua.

*Respondeo* negando sequelam, quia per discursum & alias reflexiones facile posset intellectus intelligere vtrum res ita se habeat, ac apparet sibi ad primam perceptionem eius, & sic poterit mediante illo discursu acquirere sibi certitudinem cognitionis suæ, aut cognoscere illam inesse aut non inesse: v. g. licet ex modo quo videt oculus baculum in aqua, intellectus posset decipi iudicando quod baculus sit fractus: tamen per discursum poterit facile cauere sibi & corrigere illud iudicium extrahendo baculum & reperiendo ipsum non fractum, & considerando naturam aquæ ac baculi, ex qua videbit non posse aquam tam facile frangere baculum, nec baculum, si fractus esset in aqua, per extractionem posse reddi integrum.

Vnde oritur quod sensus decipiat intellectum.

16. *Quod si quæras* quænam sit causa, ratione cuius oritur, vt non semper eodem modo feratur sensus in obiecta: ac propterea quandoque deducat intellectum in errorem.

*Respondeo*, causam esse, vel quod organum sit male dispositum, vt contingit in infirmis, qui iudicant cibum dulcem esse amarum, vel medium interiacens, quod impedit traiectionem debitam specierum, vt contingit in casu baculi qui in aqua apparet fractus: vel distantiam magnam obiecti sensibilis, ratione enim talis distantiæ illud quod est magnum, apparet paruum, vt patet de Sole: vel variatio sensationum, quibus aliter ac aliter apparet obiectum, vt contingit in experientia nauigantis iuxta terram, cui apparet terra moueri, cum tamen non moueatur.

## CONCLVSIO II.

Sensus quandoque errat circa sensibile commune.

17. *Sensus errat quandoque circa sensibile commune.* Hæc est communis cum *Philosopho 2. de anima tex. 63.* & quantum ad rem ipsam non potest esse in controuersia.

*Probatur*: quia apprehendit visus motum in terra, dum quis iuxta eam nauigat; & magnitudinem paruam in Sole, & curuitatem in baculo, cuius pars existit in aqua: sed hoc est errare circa illa sensibilia communia: ergo sensus circa illa errat, ac decipitur.

*Confirmatur*: quia errare non est aliud quam habere apprehensionem de re aliter quam est: sed talem habet sensus in experientiis præmissis, ac aliis similibus: ergo decipitur ac errat.

*Confirmatur secundo*: quia sensus præbet occasionem erroris intellectui conformanti se ipsi per apprehensionem quam habet de sensibili communi; sed hoc esset falsum, nisi apprehensio illa esset difformis obiecto, si enim esset conformis, intellectus conformando se non decipereturr: ergo illa apprehensio est difformis, & consequenter erronea.

*Obiicies* pro *Conimbricensibus*, qui putant sensum non decipi, nec errare. Veritas & falsitas solum conuenit actibus iudicatiuis, quibus aliquid prædicatur, aut negatur de aliquo: sed potentiæ materiales non habent huiusmodi actus: ergo.

*Respondeo* distinguendo maiorem: veritas & falsitas iudicatiua, concedo maiorem; non iudicatiua, nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam.

18. *Aduerte autem hic*, ad vitandam quæstionem de nomine, aliquos vocare veritatem formalem & proprie dictam illam, quæ est in actu iudicatiuo, & eodem modo etiam capiunt errorem proprie dictum ac deceptionem; sic autem acceptis his vocabulis, tam certum esset sensum non posse errare aut decipi, aut habere actum falsum, quam constat eum non habere actum iudicatiuum, nec in hoc sensu asseritur in Conclusione quod possit decipi aut habere actum falsum; sed quatenus actus falsus, ac erroneus dicitur omnis ille, quo vel apprehenditur, vel iudicatur aliquod obiectum aliter quam est.

*Itaque verus sensus Conclusionis est*, quod in quocunque sensu potest actus potentiæ externæ, quo percipit rem vt est, esse verus, ac non erroneus, in eodem sensu alii actus, quibus percipiuntur obiecta aliter, quam sunt, possint dici falsi, ac erronei. In hoc autem sensu non credo vllum posse negare Conclusionem.

## CONCLVSIO III.

Sensus errat circa sensibile proprium.

19. *Sensus errat circa sensibile proprium.* Hæc etiam est communis. *Sic probari solet*: quia gustus hominis infirmi apprehendit illud, quod est dulce alias, esse amarum.

*Verum* non videtur sufficere hæc probatio, quia reuera illud quod percipitur à gustu tum, est amarum. Nec refert quod potus, aut cibus, quem sumit infirmus, non sit secundum se amarus, nec enim gustus apprehendit potum aut cibum secundum se: sed solum apprehendit amaritudinem, & reuera datur amaritudo illa quam apprehendit

prehendit,nam ille sapor cibi illius & potus qui est dulcis respectu organi benè affecti, est amarus respectu organi male affecti, siue secundum se, siue quatenus conjungitur aut afficitur qualitatibus aliquibus gustus male dispositi.

*Melius probari potest*: quia apprehendit visus lucem aut lumen, quod est in illa parte aeris, vbi cernitur iris per modum colorum,cum tamen reuera illa lux non sit color, nec includat colores, & propterea tum dicitur videre colores apparentes, & Iris dicitur consistere ex coloribus apparentibus, & non ex veris,ac realibus.

*Deinde* color albus apparet in aliqua distantia esse flauus,& in alia niger, & ita etiam percipitur à sensu,tanquam si esset alius color,cum tamen à parte rei ita non sit: ergo contingit deceptio in sensu ipso circa sensibile proprium, non minus quam circa sensibile commune.

*Obiicies Philosophum*, qui *text.*63.ait sensum errare circa commune, non vero circa proprium sensibile.

*Respondeo*,illum per hoc tantum velle quod rarius contingat error circa proprium quam circa commune;non quod nunquam contingat error circa proprium, quemadmodum contingit circa commune.

## QVÆSTIO III.

### *Vtrum sensus possit sentire sensibile supra se positum?*

20. SEnsus huius quæstionis est an vt potentia sensitiua externa percipiat aliquod obiectum sensibile, debeat interiacere spatium aliquod inter ipsam, & obiectum illud; & solet eadem quæstio hoc alio modo proponi: an sensibile supra sensum positum faciat sensationem, aut impediat illam.

*Prima sententia* est solam potentiam visiuam indigere medio & non posse videre sensibile supra se immediate positum. Ita *Scotus q.4.de anima. Cauellus ibidem. Toletus 3. de anima cap.*10. *& alij.*

*Secunda sententia* putat præter visum etiam auditum & odoratum indigere medio. Ita *Conimbricenses 2. de anima cap.*11.*q.*1.

*Tertia sententia* defendit solum visum & auditum requirere medium. Ita *Ruuius lib.3.cap.*1.*q.*3.

*Quarta demque sententia* omnibus his contraria asserit omnes sensus externos indigere ad sentiendum medio. Hanc tenent *Complutenses disp.*11. *n.* 43, alios *Thomistas* pro ea citantes.

### CONCLVSIO I.

Sensibile positum supra visũ impedit sensationem.

21. *Visus ita indiget medio, vt non possit sensibile supra se immediate positum sentire.* Hæc est communis omnium prædictarum sententiarum:*& patet experientia* qua constat nos non videre nisi res distantes: cuius experientiæ ratio à priori vltra naturam potentiæ visiuæ,erit forte, quod obiectum visibile, vt immutet potentiam, debet illuminari; non posset autem illuminari si immediate poneretur supra sensum.

*Obiicies*: compressa oculi pupilla,etiam in ipsis tenebris apparet quidam fulgor in oculo,& reperiuntur aliqui, qui ob male affectum organum videntur sibi videre intra oculum telas aranearum,& muscas volantes:ergo sensibile indistans videri potest.

*Respondeo* negando consequentiam, nam quæ videntur sic intra oculum,sunt distantes ab ipso sensorio,hoc est, à parte oculi, in qua producitur visio.

### CONCLVSIO II.

Tactus potest percipere sensibile supra se positum.

22. *Aliquis sensus,nempe tactus,potest sentire sensibile immediate applicatum.* Hæc est cæterarum sententiarum contra quartam, *& patet*: tum, quia nulla experientia aut ratione constat oppositum, tum quia sensorium tactus,hoc est illa pars,in qua producitur sensatio tactiua, seu actus ille vitalis quo percipimus tangibilia, vel est ipsa caro, vel neruus aliquis in carne existens: sed patet experientia quod caro,etiam detracta pelle,sentiat obiectum sibi immediate applicatum,& idem constat de neruo quocumque.Nec valet dicere quod sensatio non fiat in parte carnis, aut nerui immediate tacta, sed in alia parte vicina: quia id gratissime dicitur, & quantum ad sensum potius apparet perceptio in ipsamet parte quæ tangitur; & certe absurdum videtur quod ipsamet pars læsa non sentiat, sed alia pars non læsa.

*Obiicies Philosophum*, cuius axioma est quod sensibile supra sensum positum non faciat sensationem: ergo.

*Respondeo primo* id verum esse de aliquo sensu; nec à Philosopho vniuersaliter de omni sensu pronunciatur: & quamuis indefinite loquatur,propositiones tamen indefinitæ non debent vniuersaliter semper intelligi,etiam in materia doctrinali, nisi sit eadem ratio.

*Respondeo secundo* cum Doctore supra, sensum axiomatis illius posse esse,quod sensibile ex eo quod sit realiter supra sensum non faciat sensationem; nisi etiam immutet ipsum intentionaliter per productionem speciei impressæ,hoc autem posset esse verum vniuersaliter de omni sensu,quamuis aliquis sensus non indigeret medio. Vnde in forma concesso antecedenti in hoc sensu, nego consequentiam. Quod si Philosophus expresse teneret contrariam sententiam, nisi adduci posset aliqua ratio ad id probandum,potius experientiæ adhærendum est, quam ipsius nudæ autoritati.

23. *Obiicies secundo, ex Complutensibus*:sensus non sunt in infimo immaterialitatis gradu:ergo neq; species,quibus vtuntur, debent habere infimum immaterialitatis gradum, sed eundem gradum cum ipsis sensibus, cum quibus debent habere proportionem:sed species immediatè productæ ab obiecto sensibili non habent immaterialitatem sufficientem, & proportionatam, immaterialitati sensuum:ergo debet intercedere medium,vt aliæ species magis immateriales, ac proportionatæ producantur.Probant minorem: quia species primo exiens ab obiecto immediatè est admodum crassa, quia obiectum non parum materialitatis habet, & consequenter non habet immaterialitatem proportionatam potentiæ.

Hæc doctrina de crassitudine maiori, ac minori specierum,& de maiori,ac minori immaterialitate propter multa semper mihi displicuit, & certè verbis magis quam re,aut sensu, satisfactionis vllius speciem præ se fert. Sed quantum ad propositum.

Impugnatur doctrina Complutensium.

*Impugnatur primo*: quia gratis asserit speciem primo exeuntem ab obiecto non esse sufficientis immaterialitatis ad hoc, vt cum potentia possit producere sensationem; & gratis dicit quod sit tam crassa, vt ad hoc non possit sufficere.

24. *Impugnatur secundo*, quia si species primo producta nõ esset sufficientis immaterialitatis,aut subtilitatis,aliæ species deinceps productæ non essent sufficientes, & sic nunquam perciperetur obiectum.Probatur sequela:quia obiectum nõ est natum producere perfectiorem speciem in parte remotiori, quam in proximori: sed si sit aliqua differentia, certè species vicinior debet esse perfectior, sicut calor vicinior igni est intensior quàm remotior.

*Quod si dicas* cum *Complutensibus* speciem productam in remotiori parte esse magis proportionatam, quia est tenuior, ac remissior.

*Contra*, ex hoc non habet, quod sit magis immaterialis, nec magis perfecta, alias posset dici quod calor remissior esset magis immaterialis, ac perfectior calore intenso, quod est absurdissimum.

*Impugnatur tertio*, nulla species impressa est possibilis quæ non possit producere aliquam speciem expressam, seu sensationem, neque enim alium effectum habet,aut ad aliud est institutum,quam ad hoc, maximè secundum aduersarios, & omnes qui negant naturaliter posse produci sensationem vllam,absque specie,& speciem ipsam non posse sentiri: ergo prima species, quæ producitur ab obiecto, potest concurrere ex se immediatè ad sensationem aliquam, & consequenter habet sufficientem immaterialitatem ad hoc.

25. *Impugnatur quarto*, quia species producta in remotiori parte medij non potest habere aliam differentiã ab ea,quæ producitur in parte vicina,quam quod sit minus intensa; nec imaginabile est quomodo possit explicari,

maior

maior subtilitas eius, aut immaterialitas, aut minor crassitudo, quam per hoc: sed vel non esset minus intēsa; vel si esset, hoc non deberet impedire quo minus altera species, quæ esset magis intensa, sufficeret: ergo si species producta in parte remota habet sufficientem proportionem, etiam illa, quæ producitur in parte proximiori, talem habebit. Probatur minor, quia si esset minus intensa, altera species magis intēsa deberet posse efficere quidquid ipsa posset, nisi posset efficere aliquid amplius, nam calor vt tria, quamuis impediretur à producendo calore vt tria, non tamen impediretur necessario à producendo calore vt duo: ergo, quamuis species intensa, vt tria, v.g. non posset producere visionem meliorem quam species vt duo, poterit tamen producere visionem talem, qualem potest species vt duo. Quod si per excessum illum intensionis non possit aliquid producere species intensior, certè obiectum non debet dici habere virtutem productiuam talis excessus, qui ad nihil prorsus deseruiret, & consequenter falsum esset quod species remotior esset minus intensa quam proximior.

26. *Confirmatur*: quia tertius gradus intensionis non potest impedire effectum aliorum duorum, nisi quatenus produceret aliquid aliud incompatibile cū ipso, aut saltem quatenus produceret aliquid aliud simul cū ipso, alias enim perinde esset quantum ad productionē illius effectus, quod esset, aut quod non esset: ego nisi intensio speciei productæ immediate ab obiecto facit, vt illa species aliquid produceret, quod non produceret sine illa intensione, non potest impedire quin producatur ille effectus, qui produceretur ab illa, si non haberet illam intensionem: sed species illa intensa, quæ producitur ab obiecto, nihil prorsus producit in illa parte sensus, in qua immediate producitur secundum aduersarios: ergo illa intensio non debet impedire quo minus producatur illud, quod alias produceretur, si non esset illa intensio: sed si non esset illa intensio, species esset satis subtilis, & immaterialis, ac proportionata, & consequenter posset concurrere ad sensationem producendam: ergo non obstante illa intensione posset sic concurrere.

*Quod si quæras*, de aliis sensibus quid sit dicendum.

*Respondeo*, si sonus ipse immediatè deferretur ad sensotium auris, & odor ad sensorium odoratus, & gustabile ad sensorium gustus, ea posse percipi, neque enim, aut ratio, aut experientia vlla est in contrarium. Vnde absolutè prima sententia *Doctoris* est tenenda, quamuis contrarium insinuare videatur *Philosophus*, cui, vt dixi, absque ratione non est adhærendum, præsertim contra experientiam; & sanè mihi consultius videtur autoritatem ipsius negligere, quam in eo explicando multum temporis impendere ad nullam vtilitatem.

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrum sensus lædatur à sensibili excellenti.*

27. CErtum est experientia oculos offendi aspectu lucis Solaris, quæ est sensibile excellens; & tactum offendi nimio calore, qui etiam est sensibile magnæ intensionis. At cum hoc duobus modis contingere possit: *primo* ita, vt organum lædatur à sensibili, quatenus sensibile est præcisè, separata quacunque alia ratione: *secundo* ita, vt lædatur à sensibili, non tamen quatenus sensibile est, sed quatenus præter sensibilitatem illam habet virtutem productiuam alterius qualitatis per quam lædit organum; Hinc modo examinatur quonam ex his modis sensibile lædere possit sensum, nam quod absolute quandoque lædatur, omnes concedere debent propter prædictas experientias.

*Prima sententia* est quod lædatur sensus à sensibili priori modo, hoc est, quatenus sensibile est præcisè. Ita *Complutenses disput. 11. n. 62.* post *D. Thomam, Caiet. & alios Thomistas.*

*Secunda sententia* tenet sensum lædi à sensibili, posteriori modo, non scilicet quatenus sensibile est, sed quatenus est productiuum aliarum qualitatum præter qualitates deseruientes ad sensationem. Hanc tenet *Ruuius lib. 2. c. 12. q. vn. & alii recentiores.* Et ex *Thomistis Ioannes à S. Thoma q. 4. artic. 3.*

### CONCLVSIO.

Sensus nō lædit à sensibili excellenti quatenus sensibile est.

28. *Sensus non lædit à sensibili excellenti quatenus sensibile est.* Hæc est iuxta secundā sententiam contra primā.

*Probatur*: quia sensibile, qua tale, non habet aliud munus, quam terminare sensationem & producere speciem impressam, ac ipsammet sensationem: sed per hoc non potest lædere sensum aut ipsum corrumpere: ergo quatenus sensibile, non potest ipsum lædere. Probatur minor, quia non quatenus terminat: illa enim terminatio est ex parte obiecti & non ex parte sensus: neque etiam quatenus est productiuum speciei impressæ, quia species impressa nec sentitur à sensu, nec tollit vllam qualitatem ex qualitatibus connaturalibus eius, cum non habeat vllam incompatibilitatem cum vlla ex illis, vt manifestum est: nec denique quatenus productiuum speciei expressæ seu sensationis, propter eandem rationem, quia scilicet sensatio non tollit vllam ex qualitatibus connaturalibus sensus, neque enim cum vlla habet imcompatibilitatem: nec est eiusdem ordinis cum illis quandoquidem sit qualitas intentionalis, illæ vero sint qualitates physicæ ac reales.

29. *Confirmatur hoc*: quia oculus cæci offenditur à Sole non minus quam oculus videntis: sed non offenditur ratione sensationis, hoc est visionis: ergo neque videns etiam sic offenditur; & consequenter læsio organi, quæ oritur à Sole non oritur à Sole quatenus visibilis, sed quatenus est productiuus aut terminatiuus visionis.

*Confirmatur secundo*: quia quando sentimus nos lædi, dum aspicimus Solem, non sentimus displicentiam in ipsamet visione, sed potius ex parte tactus, quo percipimus dolorem aliquem, aut molestiam, sed ille dolor non causatur à Sole, quatenus visibilis est, vt est euidens: ergo.

*Confirmatur tertio*: quia si calor intensus, quatenus est sensibile excellens, læderet tactum, etiam albedo intensa parietis, aut cartæ læderet oculum: sed hoc est falsum, vt patet experientia: ergo & illud.

*Confirmatur quarto*: quia non est verisimile, quod magis intensa species visibilis producatur in oculo à Sole tam distante quam ab igne vicino: sed non tam læditur oculus ab igne quam à Sole: ergo læsio Solis non prouenit ex intensione speciei ab ipso productæ, & consequenter non prouenit ab ipso vt est visibilis.

30. *Obiicies primo* experientias præmissas, & alias similes, ex quibus videtur colligi quod ipsum sensibile vt sensibile lædat sensum.

*Respondeo*, ex illis experientiis id non recte deduci, nam illæ saluari possunt per hoc, quod lædatur sensus, siue lædatur à sensibus quatenus sensibilia sunt, siue quatenus sunt productiua aliarum qualitatum in sensibus, quibus lædantur: & quod hoc secundo modo lædant potius, quam primo, patet ex fundamento Conclusionis iā propositō: & iuxta hoc potest explicari Philosophus, quando dicit à sensibili excellenti lædi sensum.

*Obiicies secundo ex Complutensibus.* Tunc sensus per se & ab intrinseco habet esse connaturaliter commensuratum & proportionatum cum sensibili, quando est reductus ad aliquam mediocritatem seu temperiem, non vero quatenus est vehemens aut excedens sensibile: ergo quoties per species intentionales immutatur ab eodem sensibili secundum mediocritatem, talis mutatio erit iuxta naturam eius, quando vero immutatur secundum excellentias, immutatio erit contra naturam eius, & consequenter lædetur & corrumpi poterit præcisè per talem immutationem. Probant antecedens: quia experientia constat ex perceptione obiecti sensibilis secundum sua extrema, seu secundum excellentias, subsequi in nobis molestiam, sicut subsequitur delectatio ex perceptione eius secundum mediocritatem: ergo signum est quod illud obiectum non sit connaturale potentiæ secundum sua extrema, seu excellentias, & consequenter quod vt sic possit lædere ipsam.

*Confirmatur hoc* : quia ideo aer non læditur per species intentionales vehementis sensibilis, quia non habet ab intrinseco connaturalem coaptationem cum ipso, vt pertinet ad ordinem intentionalem : ergo quandoquidem sensus habeat talem coaptationem cum ipso, debet immutari ab ipso contra suam naturam, quoties secundum excellentias immutatur, & consequenter debet lædi, vt sic immutetur. Alia huius farinæ addunt circa hoc, sed tota substantia in his consistit.

31. *Respondetur*, omittendo petitionem principii, quæ sit in antecedente, sensum habere sufficientem harmoniam & proportionem cum sensibili, quoties habet virtutem sufficientem ad ipsum percipiendum : vnde si sit aliquod sensibile, quod non potest perfecte ab illo percipi, non habebit proportionem, nec symphoniam sufficientem cum ipso, nec tamen inde sequitur quod possit ab ipso lædi, quia oculus non potest lædi à sono, & tamen non habet sufficientem proportionem ad percipiendum sonum.

*Deinde*, quoties sensus non habet magis intensam speciem impressam à sensibili, quàm possit sufficere ad percipiendum ipsum sensibile, non tollitur harmonia ipsius, quod adeo verum est, vt potius tolleretur harmonia sufficiens & proportio ipsius cum sensibili, quoties non haberet tam intensam speciem : & hinc si oculus habeat tam intensam speciem, quam potest haberi de albedine, habebit sufficientem proportionem cum albedine, & si minus intensam habeat speciem, quam requiratur ad hoc, non habebit sufficientem proportionem & harmoniam ad videndum ipsam tam perfectè, quam possit ab ipso videri : ergo per quamcunque intensionem speciei impressæ à sensibili quantumuis vehementi non potest tolli symphonia, seu proportio potentiæ ad ipsum, sed potius confirmatur & perficitur.

32. *Ex his respondetur in forma* (quamuis id difficile sit clare facere propter defectum boni sensus in antecedenti) distinguendo antecedens : si sensus sit, quod habeat commensurationem & proportionem cum sensibili quando redigitur ad aliquam mediocritatem in intensione speciei, seu quando non habet species nimis intensas iuxta excellentiam sensibilis, nego antecedens; imo quando habet tales species est magis commensuratus & proportionatus. Si sensus sit, quod tunc sit commensuratus & proportionatus, quando est ita redactus ad mediocritatem, vt non habeat species magis intensas quam requiratur ad percipiendum sensibile, concedo antecedens, & similiter distinguo consequens : quando immutatur secundum mediocritatem & non secundum excellentias, id est, quando immutatur per species minus intensas quàm sensibile exigat producere, nego consequentiam : quando immutatur per species quæ non sunt ita infra mediocritatem, vt non excedant intensionem requisitam ad videndum sensibile, concedo consequentiam, & nego secundam consequentiam (quamuis consequens non sit ad propositum) quia licet species excederet intensionem debitam, quia tamen est intentionalis, non corrumperet nec læderet sensum, sicut non lædit aerem aut quodcunque aliud subiectum in quo est.

*Ad probationem antecedentis respondeo* iuxta responsionem ad primam obiectionem lædi sensum ad propositionem obiecti sensibilis excellentis, propter alias causas concomitantes, non ex vi ipsiusmet obiecti, vt sensibile est.

*Adde ad hæc*, si sit aliqua improportio inter sensibile excellens, & sensum, & consequenter si non sit symphonia inter illa, quamuis id concedatur, tamen inde solum sequi potest, quod sensus non possit percipere illud sensibile; sed non sequitur quod possit ab illo, quatenus sensibile est, lædi; quod mihi videtur euidens.

*Ad confirmationem respondeo* supponi falsum, quod magis lædetur sensus per species sensibilis vehementis, quatenus tale est, quam aer : Deinde nego antecedens. Sed ratio est, quia illæ species non habent virtutem physicam destructiuam aeris, aut vllius subiecti; & ob hanc ipsam rationem non lædunt etiam sensum.

## QVÆSTIO V.

### *Vtrum potentiæ sensitiuæ possint percipere aliquod obiectum spirituale, aut non existens.*

33. QVantum ad experientiam omnem, quam possumus habere de facto, certum est potentias sensitiuas non posse percipere res spirituales, aut res non existentes actu, vel quoad se, vel quoad suas species : quod addo propter sonum, qui secundum aliquos mediante specie sua auditur, etiam quando iam desinit existere quoad esse suum reale. Vnde difficultas tantum est, vtrum possit de potentia absoluta huiusmodi percipere.

*Quantum ad primam partem*, sententia communis est, potentias materiales non posse etiam de potentia absoluta obiecta spiritualia percipere, Quod tamen *Arriaga* limitat ad potentias illas, quæ de facto dantur, nam putat posse à Deo creari aliquam potentiam materialem distinctæ rationis ab illis, quæ possit etiam obiectum spirituale percipere.

*Fundamentum* communis sententiæ est, quod nulla potentia vitalis potest tendere in obiectum aliquod, in quo non reperitur ratio obiecti proprii ipsius : sed ratio propria obiecti potentiarum sensitiuarũ, saltẽ harũ, quæ de facto dantur, non reperitur in aliquo spirituali; obiectũ enim propriũ potentiæ visiuæ, verbi gratia, est color aut lux; sed nullum spirituale est color, aut lux : ergo nullum spirituale potest attingi ob oculo. Et eodem modo discurri potest de cæteris potentiis, de quibus est eadem ratio quantum ad hoc, ac de oculo secundum omnes. Probatur quod sensus non materialis possit ferri in obiectum spirituale.

*Hæc ratio* coincidit cum alia communi, nempe quod diuinitus fieri nequeat, vt aliqua potentia transcendat suum obiectum adæquatum, quia alias esset & non esset obiectum adæquatum eius : sed obiectum adæquatum potentiarum materialium est aliquod materiale, v. g. oculi lux & color; auris sonus; odoratus odor : ergo non possunt attingere aliquod spirituale.

34. *Verum* in vtraque ratione petitur principium, aut non concludunt : nam quando dicunt quod proprium obiectum, seu adæquatum obiectum potentiæ, verbi gratia visiuæ, sit color & lux, vel intelligunt hoc de proprio & adæquato obiecto eius naturali, ac naturaliter per vires naturales attingibili; & quamuis hoc concedatur vt verum, ac notum experientia, non sequitur inde, quin supernaturaliter possit videre aliquod aliud; res enim sine dubio potest aliquid supernaturaliter facere, quod nequit facere naturaliter. Vel intelligunt quod color & lux sint obiectum proprium & adæquatum eius, tam quoad naturalem, quam quoad supernaturalem attingentiam, & hoc est petere principium, est enim directe quod negant aduersarij, & quod iam examinatur.

*Arriaga aliter probat* hanc sententiam : quia lapis non potest de potentia absoluta cognoscere, & id colligitur ex eo quod naturaliter nihil cognoscat, & consequenter quod non sit cognoscitiuus : ergo si sensus non possit cognoscere naturaliter aliquid spirituale, non habebit potentiam cognoscitiuam ipsius, & consequenter nec supernaturaliter poterit illud percipere.

35. *Hæc etiam ratio* non multum probat, consequentia enim facile negatur : nam cum constet sensum habere potentiam vitalem sensitiuam, non reperitur in ipso ex natura sua tanta improportio ad cognitionem sensitiuam quamcunque, quanta reperitur in eo quod non habet potentiam cognoscitiuam aut vitalem vllo modo. *Deinde*, quamuis intellectus non possit naturaliter habere cognitionem intuitiuam Dei; potest tamen supernaturaliter : ergo quamuis sensus non possit naturaliter habere cognitionem obiecti spiritualis, potest tamen supernaturaliter talem habere.

*Idem Arriaga probat* possibilem esse potentiam materialem, quæ percipere possit obiectum spirituale; quia in hoc nulla est repugnantia; & hoc probat soluendo repugnantias communiter adductas. *Sed certe* si non sit repugnantia, quod vlla potentia materialis percipiat obiecta spiritualia, non erit repugnantia quod visus de facto existens

existens id facere possit : nam quod de facto non percipiat illa, non arguit hoc, quandoquidem possit Deus ob eandem ipsam rationem, ob quam non voluit producere potentiam materialem possibilem, quæ possit sentire obiecta spiritualia, non concurrere cum potentiis de facto existentibus ad illa percipienda ; & si hoc faceret, quamuis possent percipere talia obiecta, de facto illa non perciperent.

## CONCLVSIO I.

Non est eadem ratio de potentia in ordine ad percipiendum obiectum spirituale, ac de intellectu in ordine ad videndum Deum.

36. *Non est eadem ratio colligendi quod potentia materialis possit eleuari ad videndum obiectum spirituale, ac colligendi quod intellectus possit videre Deum intuitiue per eleuationem supernaturalem, & consequenter male argumentantur, qui ex possibilitate huiusmodi eleuationis intellectus inferunt possibilitatem eleuationis potentiæ materialis.*

*Secunda pars* sequitur ex prima. *Probatur prima pars:* quia intellectus potest habere aliquem actum circa Deum naturaliter, visus autem, v.g. non potest habere naturaliter vllum actum circa obiectum spirituale: facilius autem est concipere quomodo aliqua potentia possit habere perfectiorem actum circa obiectum aliquod per auxilium supernaturale, quam possit naturaliter habere, si habeat naturaliter vllum actum circa ipsum, quàm quod possit habere aliquem actum per eleuationem circa obiectum, circa quod nullum actum potest habere naturaliter absque eleuatione : ergo non est eadem ratio de intellectu, & visu quantum ad hoc.

*Rursus*; intellectus attingit formalitatem entis seorsim sumptam, quæ formalitas reperitur intrinsece in Deo non minus quam in creaturis ; visus autem non attingit intrinsece vllam formalitatem seorsim sumptam, quæ reperitur in obiecto spirituali: sed facilius est concipere quomodo possit potentia eleuari ad videnda ea quæ continentur sub quacunque formalitate quam attingit secundum se, quam ad videndas res quæ non continentur sub vlla formalitate quam attingit.

## CONCLVSIO II.

Repugnat potentiæ materiali percipere obiectum spirituale naturaliter.

37. *Repugnat vllam potentiam materialem dari, quæ possit naturaliter percipere rem spiritualem.* Hæc est contra *Arriagam. Probatur*: quia repugnat aliqua virtus naturalis naturaliter tendens ad superfluum & inutile, & hac ratione repugnat, quod duæ quantitates naturaliter possint poni in eodem subiecto, aut duo calores non facientes intensionem; sed si obiectum spirituale posset mouere naturaliter potentiam materialem ad sensationem, hoc contingeret : ergo. Probatur minor supponendo, quod potentia materialis, de qua hic agimus, debeat esse diuisibilis extensiue, & quod obiectum spirituale, debeat esse indiuisibile; nam obiectum illud deberet imprimere speciem sui toti illi potentiæ: sed non posset imprimere speciem indiuisibilem, quia deberet esse tota in toto, & tota in qualibet parte istius potentiæ; & hoc ipsum esset superfluum & implicatorium, quia esset spiritualis, & non esset: non esset ex hypothesi; esset autem propter indiuisibilitatem & aptitudinem ad occupandum locum diuisibilem indiuisibiliter: ergo deberet producere speciem diuisibilem: sed esset illa species si diuisibilis, quælibet pars ipsius debere posse repræsentare totum obiectum, tam benè quàm aliæ partes aut omnes simul: ergo aliæ partes essent superfluæ.

Non potest assignari repugnantia quod visus tendat in obiectū spirituale.

38. *His tamen non obstantibus*, non occurrit mihi vlla ratio conuincens, quo minus de potentia absoluta possit visus, v.g. tendere mediante auxilio supernaturali in obiectum spirituale: neque enim vlla ratio adduci potest, ex qua sequatur contradictio, quin in ea petatur manifeste principium : sed de hoc fusius in Theologia agi solet. Et hæc sufficiant ad solutionem quæstionis pro prima parte.

*Quantum ad secundam partem quæstionis*, supposito quod sensationes, sicut & intellectiones, sint qualitates absolutæ vt postea ostendetur, sit

## CONCLVSIO III.

39. *Sensationes possunt conseruari in potentiis absque existentia obiectorum aut specierum ; sed potentia tamen non possunt per ipsas videre.* Sensationes possunt conseruari nō existentibus obiectis.

*Prima pars patet :* quia non dependent ab obiectis aut speciebus nisi in genere causæ efficientis : Deus autem potest supplere omnem causalitatem causæ efficientis præsertim extrinsecè, qualis est obiectum & species respectu visionis.

*Confirmatur*: quia nulla potest assignari ratio necessariæ connexionis quoad existentiam inter sensationem & obiectum aut speciem obiecti : ergo de potentia Dei absoluta possunt separari quoad existentiam.

*Probatur secunda pars*: quia visio obiecti talis non potest facere oculum formaliter videntem, nisi tale obiectum secundum modum, secundum quem nata est ipsum repræsentare, si intuitiue, intuitiue; si abstractiue, abstractiue, & hoc habet visio ex natura sua formali, non quatenus producitur ab obiecto, quia quamuis ab ipso non posset produci, haberet hanc naturam, & ad hoc impertinens est, quod ab ipso producatur aut non: sed non potest repræsentare obiectum secundum esse reale proprium vt videtur intuitiue, nisi existat realiter secundum esse suum proprium, nec potest videre speciem ipsius, nisi species ipsius sic existat: ergo non potest constituere potentiam percipientem quando conseruaretur in ipsa, non existente obiecto aut specie eius.

*Confirmari solet hoc :* quia si posset cognitio sensus intuitiua, ac experimentalis conseruari & reddere potentiam videntem absque obiecto, non possemus ex ea colligere quod obiecta existant, quia possemus dubitare, an à Deo conseruaretur absque obiecto.

*Sed hæc confirmatio* non admodum fauet : nam licet non potuissemus cum euidenti certitudine probare existentiam obiectorum ex illis actibus, tamen per discursum sufficientem possemus id colligere, quia scilicet nisi constaret oppositum authoritate aut ratione, potius deberemus dicere quod illud, quod appareret nobis actu existere actu existeret, quàm quod non actu existeret: sicut licet Deus se solo posset producere ad præsentiam ignis calorem, nisi tamen constaret nobis quod ita faceret, longe melius diceretur quod non ita faceret, sed quod permitteret igni agere iuxta suam naturam.

40. *Confirmari* posset vlterius in sententia multorum *Scotistarum*: quia visio non facit videntem nisi vltra qualitatem absolutam suam sequatur ad ipsam respectus actualis tendentiæ, siue ille respectus sit intrinsecus aduenies, siue extrinsecus : sed ille respectus nequit esse absque termino suo realiter existente, ille autem terminus est vel obiectum, vel species eius : ergo nequit potentia videre absque existentia obiecti aut speciei. In hac confirmatione, illud de respectu tendentiæ superaddito actui fuit mihi semper difficile, & de eo postea agam.

*Confirmari posset tertio* : quia non implicat quod visio habeat ex natura sua talem dependentiam ab existentia obiecti in ordine ad constituendam potentiam formaliter videntem ; vt id non possit facere ; nisi obiectum existat in se aut sua specie. Sed hoc supposito etiam de potentia absoluta, non posset constituere videntem absque existentia obiecti aut speciei, quantumuis existeret in intellectu absque illis; ergo ita dicendum.

Sed vt verum fatear, non inuenio etiam in hac resolutione aliquod motiuum conuincens: vnde satis probabile iudico oppositum, & magis arridet si dicatur incertum esse, an videret potentia per visionem, quæ conseruaretur in illa absque existentia obiecti aut speciei eius; illumque solum posse ea de re sententiam ferre, in quo sic conseruaretur.

## QVÆSTIO VI.

### *An potentiæ materiales indigeant speciebus ad percipienda sua obiecta.*

CErtum est potentias materiales sensitiuas indigere speciebus expressis : nam ipsæmet sensationes,

quibus formaliter percipiunt sua obiecta, sunt quæ vocantur species expressæ. Sed difficultas est de aliis qualitatibus, quæ producerentur ab obiectis in potentiis sensitiuis, ad hoc vt concurrant cum potentiis ad producendas istas species expressas, quæ qualitates vocantur species, quia aliquo modo repræsentant obiectum; & vocantur impressæ, tum quia imprimuntur ab obiectis, tum ad differentiam specierum expressarum. Inter vtrasque autem species est hæc notabilis differentia, quod per species impressas potentia nihil formaliter percipiat, per species autem expressas sic.

*Prima sententia est*, quod non requirantur species huiusmodi impressæ in vlla potentia sensitiua externa, ita *Nominales* cum *Occamo in* 1. *q.*14.& 17.

*Secunda sententia* est eas requiri in omnibus potentiis externis. Hanc amplectitur *D. Thomas* 1.*p.q.*73. *art.*1.*cum suis communiter*, quos citant & sequuntur *Complutenses disput.*18.*n.*7.& *Auersa q.*5.*sect.*1.

*Tertia sententia* eas requirit in visu, auditu & olfactu, hanc sequitur *Toletus* 2. *de anima q.*2.

*Quarta sententia* ait visum & auditum speciebus indigere, reliquas non, ita *Hurtadus disp.*12. *de anima*, & *Arriaga disp.*4.

## CONCLVSIO I.

Visus indiget speciebus impressis.

42. *Visus indiget speciebus impressis adeo, vt absque iis naturaliter nihil prorsus videre possit.* Hæc est reliquarum sententiarum contra primam.

*Probant Complutenses*: quia sensus habet rationem puræ potentiæ in ordine sensibili: ergo nisi prius actuetur per formas sibi proportionatas, hoc est, per species impressas non poterit producere sensationes. Probant consequentiam ex proportione ad materiam primam, quæ quia pura potentia est, non potest concurrere ad operationem sibi propriam, hoc est, constituendo suppositum, nisi actuetur per formam. Probatur antecedens: quia sicut in ordine naturali datur aliquid, quod sit pura potentia, ita etiam in ordine intelligibili, ac sensibili debet reperiri aliquid, quod sit pura potentia.

*Confirmant*: quia anima mediante sensus debet fieri suum sensibile, v. g. visus videns colorem debet fieri quodam modo color, sed hoc non potest fieri, nisi quatenus recipit imaginem ipsius, v.g. speciem impressam.

*Hæc probatio nullo modo placet.* Responderi enim potest distinguendo antecedens: puræ potentiæ, quatenus ex se non includat vllum actum aut formam sensibilem; concedo: quatenus ex se non habet potentiam productiuam formæ sensibilis, qua sensibiliter actuaretur, nego antecedens & consequentiam, & iuxta hoc respondetur ad probationem antecedentis.

43. *Responderi potest secundo* negando consequentiam, & negando esse paritatem inter materiam primam & sensum, quantum ad hoc: sed solum est paritas in quantum vtraque excludit ex se formam, materia quidem formam physicam, sensus autem formam intentionalem.

*Confirmatur*: non licet arguere secundum aduersarios ex paritate sensus ad materiam, quod vt materia nequit existere absque forma qua actuatur in genere physico, etiam sensus non possit existere absque forma, qua actuatur in genere intentionali: ergo non est seruanda proportio quoad omnia inter illa.

*Confirmatur secundo*: ideo materia non potest concurrere ad operationem sibi propriam absque forma, quia ipsa non est causa totalis constituendi suppositum; neque aliqua alia causa præter formam ad hoc sufficiens adest: sed aliqua alia causa posset adesse, quæ cum sensu posset sufficere ad sensationem, nempe obiectum ipsum, nisi aliunde quam ex hac ratione constaret quod obiectum non posset concurrere: ergo non est eadem ratio de sensu & materia.

*Ad confirmationem Complutensium respondetur* sensum fieri potius obiectum per speciem expressam, quam per impressam: vnde ex hoc quod fieri debeat obiectum, non sequitur necessitas speciei impressæ. Itaque in forma negatur minor, quam deberent *Complutenses* probare potius, quàm maiorem.

44. *Probant idem Authores secundo*, quia potentia est indifferens ad plura obiecta; ergo debet intrinsece determinari ad hoc, vt possit producere vnum præ alio; quia si non determinaretur intrinsece per aliquid in ipsa receptum esset æque indeterminata intrinsece ac ante.

*Hæc etiam probatio non valet*, negari enim potest consequentia; nam sufficit quod determinetur extrinsece per ipsum obiectum applicatum ipsi; quemadmodum enim obiectum potest determinare ipsam ad habendam vnam speciem præ alia, ita posset determinare ipsam ad vnam sensationem præ alia, si haberet virtutem immediate concursiuam cum potentia ad sensationem producendam, quam virtutem posset habere non obstante hac ratione.

*Dices*: potentiæ vitales passiuæ quales sunt sensitiuæ, in hoc distinguuntur à vitalibus actiuis quales sunt nutritiuæ, augmentatiuæ, quod illæ antequam agant recipiant aliquam formam, & non possint agere ea non recepta, hæ vero non requirant formam vllam in se recipere, vt agant: ergo potentiæ sensitiuæ requirunt talem formam, sed illa est species, & consequenter non poterunt agere nisi determinentur intrinsece.

45. *Contra*: hæc differentia vtrarumque potentiarum à negantibus species tam facile negari potest quàm asseritur; & certe probari non potest, nisi prius probetur necessitas specierum, vnde non recte adducitur ad eas probandas: nec etiam ex eo, quod sensitiuæ sint passiuæ, & aliæ illæ potentiæ sint actiuæ, colligi potest illa differentia, quia sensitiuæ possunt esse passiuæ per hoc quod actus, quem producunt, recipiatur subiectiuè in ipsis, cum tamen actus aliarum illarum potentiarum non producatur in ipsis subiectiuè.

*Dices secundo*: species expressa vitalis, seu sensatio, est partus potentiæ, & hæc habet se instar matris: ergo debet fœcundari ab obiecto, prius quam pariat seu producat illam speciem, sed non fœcundatur, nisi quatenus recipit ab ipso speciem impressam.

*Contra*: quia, si quando dicitur speciem esse partum potentiæ & obiecti, intelligitur quod sit aliquid ptoductum à potentia priùs immutata per formam aliquam productam ab obiecto in illa, petitur principium in antecedenti, & facile negari potest: si aliquid aliud intelligatur per hoc, concesso antecedenti, consequentia neganda est: & nisi aliunde probetur necessitas speciei impressæ, dici potest speciem expressam vocari partum, quatenus producitur à potentia in seipsa mediante concursu obiecti, & quia est vlterius repræsentatio obiecti.

46. *Alij probant Conclusionem* ex eo quod obiectum visibile sit nimis materiale, ac improportionatum ad producendam visionem intentionalem, quæ minus est materialis quam obiectum.

*Sed hæc etiam probatio* non sufficit: quia quamuis esset obiectum magis materiale quam visio; & quamuis propterea non posset producere visionem, tanquam causa totalis; tamen posset sine dubio quantum ad hoc concurrere ad ipsam tanquam causa partialis, quemadmodum species, seu actus materiales potentiarum internarum concurrunt cum intellectu ad producendas species intelligibiles spirituales, secundum omnes qui admittunt illas species.

*Confirmatur*: quia species impressa, vel est magis immaterialis, quam obiectum, vel non est: si non est, ergo non obstante materialitate obiecti posset concurrere ad visionem tam bene quàm illa species potest: si est, ergo materiale potest concurrere ad productionem minus materiali, obiectum enim concurrit ad productionem illius speciei; imo est causa effectiua ipsius, & consequenter quamuis obiectum sit magis materiale, quam visio, poterit concurrere ad productionem ipsius.

47. *Quod si dicas* visionem esse magis immaterialem quam species, & consequenter licet obiectum habeat virtutem productiuam speciei impressæ, non tamen visionis.

An visio sit magis

*Contra*: quia imprimis difficulter aut nullo modo potest ostendi quomodo visio sit magis immaterialis quam species:

immaterialis quâ species.

species : & deinde licet esset, adhuc non potest ostendi, cur actiuitas obiecti non possit extendere se ad ipsius productionem, si potest attingere productionem alicuius quod est minus materiale quam ipsummet. *Deinde*, licet ex suppositione quod, si detur species impressa, possit colligi quod visio sit minus materialis quam species, & quod ex illa maiori immaterialitate possit prouenire quod non producatur immediate ab obiecto; tamen nisi probetur dari speciem impressam aliunde, non poterit probari, quod visio habeat minorem materialitatem, quam de facto attribuitur speciei, & consequenter non potest probari quin ab obiecto possit produci, quemadmodum producitur ab ipso species impressa.

48. *Alij probant* : quia alias posset obiectum videri in quacumque distantia & per medium vacuum.

*Hæc ratio etiam non placet*, quia *quantum ad secundam partem*, id non esset absurdum secundum aduersarios, nec poterit sane inconuenientia ipsius ostendi, nisi aliunde probetur necessitas specierum.

*Quantum ad primam vero partem*, quæ est contra experientiam, negari potest optime sequela: quemadmodum enim asserentes speciem ponunt limitatam virtutem in obiecto adeo, vt non possit æque perfectas species in quacumque distantia producere, aut vllas in aliqua : ita etiam eas negantes possunt dicere, quod obiectum habeat limitatam virtutem adeo, vt non possit æque perfectam visionem in quacumque distantia producere, aut vllam in aliqua : sed cum proportione ad modum, quo potest species impressas producere.

*Probatur* ab aliis experientia illa, quæ habetur quotidie de speciebus rerum apparentibus in speculo & aliis corporibus. Sed quamuis hæc experientia conuincat forte dari species impressas visibiles aliquas, non tamen sufficit ad probandas species impressas, quæ cum potentia necessariæ sint semper ad omnes visiones eliciendas, & propterea recipi debeant in ipsamet potentia: potest enim dici quod illæ species, quæ relucent in speculo, ac similibus corporibus, requirantur ad determinandam potentiam obiectiue ad videnda obiecta, quando ipsamet obiecta non proponuntur secundum se directe: inde vero non sequitur, quod requirantur species ex parte potentiæ ad producendam cum ipsa visionem ; & licet in oculo ipso appareant species rerum obiectarum, tamē dubitari potest, an requirantur illæ species ad concurrendum cum ipsamet potentia, an vero ad hoc vt concurrat obiectiue cum alia potentia aspiciente ipsas.

49. *Melius ergo probatur Conclusio*; quia oculus ad visionem hanc præ alia producendam debet determinari ab obiecto, vel immediate concurrente cum ipsa, vel mediate, quatenus scilicet producit aliquid aliud quod determinat potentiam, neque aliter potest determinari potentia: sed non potest determinari ab obiecto immediate : ergo determinatur mediate, & consequenter datur species impressa necessario requisita ad omnem visionē nam illud quo mediante obiectum determinat, est, quod vocatur species impressa. Probatur minor, in qua est principalis difficultas huius rationis : quia obiectum, quod videtur, est semper distans à potentia : sed non potest immediate agere in distans: ergo non potest immediate determinare potentiam distantem. Probatur vltima minor, quam omnes concedunt præter *Scotistas*, qui putant agens creatum posse agere in distans: quia quamuis non repugnet actio in distans, & quamuis etiam fortassis de facto dentur aliquæ actiones tales, tamen obiectum visus non habet virtutem sic agendi, vt colligitur ex eo quod, si interponatur aliquod corpus opacum inter ipsum & oculum non possit determinare oculum: sed certe si posset agere immediate in oculum distantem non agendo in medium, nulla prorsus esset ratio, cur nō determinaret ipsum interposito illo corpore tam bene, quàm non interposito; nec concipi potest quomodo interpositio corporis vllius possit impedire actionem, nisi quatenus actio aut aliqua dispositio ad actionem per ipsum transire deberet, & non posset.

*Probatur secundo*, conclusio experientiis illis perspiciliorum, quibus applicatis melius videri possunt ab oculo aliqua obiecta, quam sine illis : neque enim huius ratio vlla potest dari nisi quod in illis producuntur species diuersæ rationis siue essentialis siue accidentalis ab illis, quæ producuntur in aere : ergo dantur species impressæ concurrentes cum potentia alio modo quam obiectiue.

## CONCLVSIO II.

Auditus & odoratus indigent speciebus.

50. *Probabilius est auditum indigere speciebus impressis, & etiam odoratum.* Hæc est communis reliquarum sententiarum contra primam, tertiam, & quartam.

*Probatur prima pars* potissimum, quia sonus distans auditur : ergo sicut ex eo, quod color distans videatur; colligitur visum indigere speciebus, idem dicendum erit de auditu.

*Probari solet secundo*: quia datur reflexio soni, vt quando fit echo: sed illa reflexio non fieret, nisi darentur species impressæ soni : ergo dantur tales species.

*Aliqui respondent* negando minorem, dicunt enim ipsum sonum realem reflecti.

*Hæc responsio refutatur ab Arriaga primo*, quia alias totus aer, per quem sentitur sonus, esset plenus solo reali. Secundo, quia similiter posset quis dicere, quod colorum species non reflecterent, nec producerentur in medio, sed ipsimet colores; quod est absurdum.

*Sed neutra ex his impugnationibus placet*: non prima, quia qui dant prædictam responsionem, id concedunt, & supponere contra ipsos id esse falsum, absque probatione vlteriori, est petere principium. Non secunda, quia si colores veri producerentur per medium, viderentur in medio contra experientiam.

*Melius impugnat* prædictam responsionem ex eo, quod si sonus realis reflecteret, tum ipsemet sonus, qui pertingeret ad aures audiretur, & non sonus aliquis distans; sed experientia constat, cum fit reflexio, audiri sonum distantem, & discerni aliqualiter; vnde fiat reflexio: ergo quod defertur ad aures non est sonus realis, qui auditur, sed sonus intentionalis, seu species, per quam auditur sonus absens.

*Secunda pars probatur*: quia non est verisimile quod extendantur exhalationes odoriferæ à corpore odorifero ad tantam distantiam, quanta intercedit inter locum, quo vultures sentiunt odorem cadaueris, & ipsum cadauer: sed hoc esset necesse, nisi darentur species intentionales odoris: ergo dantur, & requiruntur, vt in tanta distantia percipiatur corpus odoriferum. Dixi autem *requiruntur ad hoc*, quia quoties ipsæmet exhalationes odoriferæ applicantur, non est necessitas vlla speciei: quod melius intelligetur ex dicendis infra de odoratu.

## CONCLVSIO III.

Gustus, & tactus non indigent speciebus.

51. *Non sunt necessariæ species pro gustu, aut tactu.* Hæc est contra secundam sententiam, est autem iuxta reliquas sententias.

*Probatur*: quia hæ potentiæ non percipiunt, nisi obiecta præsentia, nec est consequenter vlla ratio, aut experientia, vnde colligatur, quod indigeant speciebus; nec valet argumentari à potentia visiua ad ipsas, quia deficit in illis ratio, ob quam colligitur necessitas specierum in potētia visiua; quoties autem ob aliquam rationem specialem colligitur aliquid cōuenire alicui rei, non potest bene inferri, quod illud competit alteri rei, cui non cōuenit illa ratio specialis, & præsertim si comperat ipsi opposita ratio, vt contingit in proposito, nam non solū gustus, & tactus non percipiunt obiecta absentia, sed percipiunt obiecta præsentia.

*Obiectiones* principales, quæ contra hanc Conclusionem opponi possunt, sunt rationes illæ, quibus aliqui probant præcedentem Conclusionem, quas reieci, & per refutationem illam solui possunt etiam, vt contra hanc conclusionem faciunt.

*Obiicies præterea* ex *Auersa*: obiectum tangibile, & gustabile non ita potentiæ iungitur, vt illi insit, vel illi intimè vniatur : sed omnis potentia cognoscitiua suum actum elicere nata est, vel quia per se afficitur forma

determinante, vel quia est ipsi intimè vnitum suum obiectum: ergo requiritur species præter hæc obiecta.

*Confirmat*: quia quamuis qualitas sensibilis inhæret organo sensitiuo, adhuc non sufficeret, quia omnis actus cognitionis est quodámodo à materia eleuatus: sed obiectũ per se est maximè materiale: ergo per se non sufficit.

*Respondeo* negando minorem, neque enim debet magis coniungi quam per applicationem contiguam, nisi nata sit sentire formam in se subiectatam.

*Ad confirmationem respondeo* negando antecedens, si potest sentire qualitatem sibi inhærentem: & ad probationem dico, quod actus cognitionis non sit ita à materia eleuatus, vt obiectum sensibile non possit ipsam saltem partialiter causare: nam quacumque ratione potest causari à specie impressa causata ab obiecto, posset ab ipsomet obiecto causari.

## CONCLVSIO IV.

Potentiæ internæ requirunt species.

52. *Potentiæ internæ requirunt species* Hæc est communissima omnium Doctorum, & *probatur*: quia possunt sentire quando ipsum obiectum non existit, & quando non existit vllus actus potẽtiæ externæ; sed non possent sentire absque specie: ergo requirunt species. Probatur antecedens experientia, qua constat quod sentiamus dormientes. Probatur consequentia, quia ex seipsis non habent sentire, quandoquidem sint indifferentes ad omnes sensationes, sed in absentia obiectorum, & actuum sensuum externorum non est aliud, quod determinet ipsas præter species.

*Dices* hinc sequi quod non requirantur species semper, sed non haberi quin aliquando requirantur. *Contra primo* quia hoc sufficit ad intentum Conclusionis. *Contra secundo*: quia eodem modo sentiunt tum, quo ante, nisi perfectius sentiant tum: ergo si tum producunt sensationes suas mediantibus speciebus, semper debet dici, quod producant illas iis mediantibus.

# QVÆSTIO VII.

## *De natura, & essentia specierum sensibilium materialium.*

HÆc quæstio mouetur non solum, vt sciatur natura specierum, quas dari iam probatum est: sed etiam vt soluantur obiectiones, quas specierum aduersarij mouent contra sententiam eas asserentem ex eo, quod non possit ostendi qualis sint naturæ.

## CONCLVSIO I.

Species impressæ non sunt eiusdẽ naturæ cum obiecto.

53. *Species impressæ non sunt eiusdem naturæ cum obiecto.* Hæc est communissima quoad rem ipsam, & licet *Complutenses disp.* 18. *n.* 40. asserant eas esse eiusdem rationis ex parte formæ cum obiectis, addunt tamen id non esse intelligendum absolutè, & simpliciter, seu sub modo essendi naturali; sed quodammodo, seu in esse intentionali, & repræsentatiue; vnde in re non sunt contra Conclusionem, nec consequenter contra authores, quos impugnant; nullus enim author admittens species, negat illas esse eiusdem rationis repræsentatiue & intentionaliter cum suis obiectis, quantum ad hoc quod possent concurrere ac determinare potentiam ad cognoscendum obiectum non minus quam si ipsummet obiectum immediate concurreret cum potentia.

*Probatur Conclusio*, quia si essent eiusdem naturæ cum obiectis, non compaterentur simul species albedinis, & nigredinis, quemadmodum albedo, & nigredo non compatiuntur: sed hoc est falsum.

*Probatur secundo*, quia sequeretur quod aer, in quo sunt species albedinis, esset albus, quod est absurdum.

*Probatur tertio*, quia species albedinis est qualitas intentionalis, albedo vero ipsa non est talis qualitas, sed physica & realis.

*Obiicies*: sunt similes formaliter obiectis: ergo sunt eiusdem naturæ cum ipsis: similitudo enim fundatur in identitate.

*Respondeo* distinguendo antecedens: intentionaliter, & repræsentatiue, transeat: realiter & physicè, nego antecedens, & similiter distinguo consequens: sunt eiusdem naturæ repræsentatiue & intentionaliter, transeat, physice & realiter, nego consequentiam.

## CONCLVSIO II.

Species non facit vnum per se cum potentia.

54. *Species non facit vnum per se cum potentia, nec potentia fit per identitatem speciei impressa aut obiectum repræsentatum per speciem.* Hæc etiam est cõmunis contra *Ruuium tract. de speciebus q.* 8. *Complutenses disp.* 18. *n.* 51. qui plures pro sua sententia *Thomistas* citant.

*Probatur prima pars*: quia est qualitas de prædicamento qualitatis, & potentia est de prædicamento substãtiæ sed accidens & substantia non faciunt vnũ per se. Antecedens quoad primam partem conceditur ab omnibus; quoad secundam vero supponendum ex dictis supra *disput. præcedenti*, vbi probatum est potentias animæ esse identificatas ipsi animæ.

*Probatur secundo* independenter ab illa controuersia de identificatione potentiarũ cum suis subiectis: species inhæret potentiæ, & educitur ex ipsius potentia non minus, quam quodcunque aliud accidens inhæret suo subiecto, & educitur ex ipsius potentia: sed accidens inhærens alteri accidenti non facit vnum per se cum ipso: ergo species non facit vnum per se cum potentia.

*Confirmatur*: quia albedo non facit vnum per se cum quantitate, quamuis inhæreat ipsi: ergo neque species cum potentia. Probatur consequentia: quia eadem prorsus est ratio, nec impedit paritatem, quod species sit quid intentionale & repræsentatiuum, & supplens locum obiecti; hoc enim totum nihil facit ad propositum.

55. *Dices*: species, quatenus est accidẽs: non facit vnum per se cum potentia, sed quatenus repræsentatiuum.

*Contra primo*: quia quod realiter est accidens non potest vlla ratione facere vnum per se cum substantia, aut cum subiecto cui inhæret, alias posset quis dicere quod albedo vt accidẽs, non faceret vnũ per se cum subiecto, sed vt ens, & vt disgregatiuum visus, quod est absurdũ.

*Contra secundo*, quia habet esse repræsentatiuum à differentia per quam contrahitur accidens vt sic ad esse talis accidentis: sed illa differentia est accidentalis: ergo neque etiam vt repræsentatiuum potest facere vnum per se cum potentia, si non potest facere tale vnum cum ipsa vt accidens.

*Confirmatur* quia non solum accidens vt sic nequit facere vnum per se cum subiecto, sed nec vllum accidens tale qua tale, potest facere tale vnum cum illo; sed species vt repræsentatiua est accidens tale, hoc est talis speciei distinctæ ab aliis accidentibus, quæ non sunt repræsentatiua: ergo vt sic nequit facere vnum per se cum potentia.

*Contra tertio*, quia non potest facere vnum per se cum potentia secundum vllam rationem, secundum quam non coniungitur physicè cum potentia nisi per inhæsionem; & vt sic coniungitur, non potest facere vnum per se cum illa: ergo non potest secundum vllam rationem facere vnum per se cum ipsa.

Potentia non fit vnum per identitatem cum speciebus.

56. *Probatur secunda pars*: quia potentia & species realiter distinguuntur; ergo potentia non fit vnum per identitatem cum ipsis secundum vllam rationem.

*Confirmatur*: quia secundum omnem rationem species est accidens, & inhærens potentiæ: ergo secundum nullam rationem fit vnum per identitatem cum potentia, quatenus vnum per identitatem opponitur vni per inhæsionem.

*Confirmatur secundo*, quia prorsus est inintelligibile quomodo fiant vnum per identitatem, & præterea potest potentia elicere sensationem absque tali vnitate: ergo non est asserenda.

57. *Obiicies pro Complutensibus*: in specie intelligibili (& idem cum proportione dicendum de sensibili) per accidens est, & de materiali, si consideretur sub formalissima ratione speciei, quod sit accidens vel substantia in esse entitatiuo, & naturali, vel quod inhæreat, aut informet, aut quod vniatur intellectui per modum subiecti substantialiter ipsum sustentantis: ergo si sumatur secũdum propriissimã rationem speciei, debet vniri cum ipso per

identita-

identitatem in esse intelligibili. Probāt antecedens: quia species intelligibilis aliquando est accidens, vt in nobis, aliquando est substantia, vt in Deo, & in Angelis, vt cognoscunt suam propriam essentiam: nec perdit speciem suam atomam aut propriam rationem per hoc quod sit substantia vel accidens; vnde speciem qua Michael, verbi gratia, intelligit Gabrielem, quamuis sit accidens, est eiusdem rationis in esse speciei cum specie qua Gabriel intelligit seipsum, quamuis hæc sit substantia.

58. *Respondeo primo*, negando antecedens, tam bene enim est essentiale speciei intelligibili esse accidens, quā colori. Et ad probationem dico essentiam Angeli non habere se per modum speciei intelligibilis, vt determinat intellectum Angelicum ad cognitionem sui, sed per modum obiecti immediate determinantis; & idem est de essentia diuina respectu intellectus diuini, quidquid dicant *Thomistæ*, gratissimè, & sine vllo prorsus fundamento fingentes rationem speciei intelligibilis, vbi non est necessaria.

*Respondeo secundo* admittendo gratis, quod aliquando species intelligibilis sit substantia, aliquando accidens hoc inquam gratis dato, *Respondeo*, distinguendo antecedens: per accidens est ad rationem speciei intelligibilis vt sic, transeat: ad rationem speciei intelligibilis talis, aut talis in particulari, nego antecedens, nec oppositum probatur in probatione antecedentis. Itaque quemaddum licet aliqua sapientia sit substantialis, nempe diuina, & aliqua accidentalis, nempe creata, & licet propterea sapientia vt sic abstrahat ab vtraque ratione, nec per se alterutram determinatè includat, tamen non est per accidens ad sapientiam creatam, quod sit accidens: ita licet aliqua species intelligibilis sit substantia, & aliqua accidens, ac propterea species intelligibilis vt sic abstrahat ab vtraque ratione: tamen species intelligibilis obiecti realiter distincti, quæque nata est inhærere realiter, est essentialiter accidens, & non est per accidens illi, quod sit talis.

*Respondeo tertio*, admisso gratis antecedenti, negando consequentiam, quia licet species non deberet potentiæ vniri per modum accidentis, aut informare ipsam; tamen non deberet ipsi identificari, quia impossibilis est identificatio illa.

*Dices*: non potest determinare potentiam per modum speciei, nisi vel inhæreat, vel informet, vel identificetur; ergo si quatenus species non debeat inhærere, nec informare, debet identificari.

*Respondeo* negando antecedens, *si enim vt species non informet nec inhæreat*, determinabit vt species absque informatione, aut inhæsione, aut identificatione, & si hoc sit impossibile, impossibile est quod vt species determinet non inhærendo, aut informando.

Iuxta hæc potest responderi ad discursum satis obscurum, quo *Ioannes à S. Thoma* probat eandem sententiam *Complutensium q. 6. art. 3.*

## CONCLVSIO III.

An species sit similitudo formalis obiecti.

59. *Si species ipsa videatur, aut percipiatur per modum obiecti visione, qua appareat ipsum obiectum videri, est similitudo formalis intentionalis obiecti; sed si sic non videatur, aut percipiatur, non est nisi similitudo virtualis.* Hæc conclusio hoc modo proposita est nullius in terminis, videtur tamen esse conformis principiis eorum autorum, qui absolute dicunt quod non sit similitudo formalis obiecti, vt sunt *Tolet. Suar. Ruuius, Arriaga hic*, & contra eos autores, qui absolutè dicunt quod sit similitudo formalis obiecti, vt sunt *Thomistæ* communius quos citant, & sequuntur *Complutenses disp. 18. n. 26.*

*Probatur* manifestè: quia, nisi possit sic videri, nulla prorsus est ratio, vnde colligatur quod sit similitudo formalis obiecti; & frustra haberet talem rationem, nam ad rationem speciei impressæ sufficeret quod esset quid impressum ab obiecto potentiæ, & natum determinare ipsam ad visionem obiecti: hanc autem ratione habere posset absque eo quod esset similitudo formalis, per hoc solum quod esset similitudo virtualis, seu quid potens concurrere physicè cum potentia loco obiecti ad visionem ipsius obiecti.

60. *Dices*: si sufficeret ad rationem speciei impressæ, quod esset quid determinatiuum potentiæ concurrendo physicè cum ipsa ad visionem obiecti per modum causæ efficientis, Deus posset esse species impressa, quia sic posset determinare: sed hoc est absurdum.

*Respondeo* negando sequelam, quia non posset determinare per modum alicuius impressi ab obiecto, & recepti in potentia.

*Dices secundo*: Philosophus vocat species impressas, similitudines obiecti. *Respondeo*, nisi species videri possint, hoc intelligendum de similitudine virtuali, quatenus scilicet species est nata loco obiecti producere similitudinem expressam obiecti, hoc est, ipsam perceptionem, seu sensationem.

Impertinens est ad rationē speciei impressæ quod sit similitudo formalis obiecti.

*Ex his patet* quod quamuis species albedinis, v. g. concurrens cum potentia visiua ad visionem intuitiuam albedinis, esset similitudo formalis obiecti, quia esset talis entitas, quæ videri posset per modum obiecti intentionaliter similis albedini, illa tamen ratio sit impertinens ad rationem speciei impressæ & ad causandam illam visionem intuitiuam albedinis, & in hoc credo, potissimū punctum difficultatis, ac controuersiæ cum *Thomistis* consistere, quod hi putent speciem non posse concurrere cum potentia ad visionem obiecti, nisi esset similitudo formalis intentionalis ipsius, quod omnino falsum existimo.

*Alij probant Conclusionem*: quia species albedinis est distinctæ rationis ab albedine ergo non potest esse similitudo formalis obiectiua ipsius.

*Verum* hæc probatio parum vrget; quia facile distingui potest consequens: non potest esse similitudo formalis physica & realis ipsius conceditur; intentionalis, negatur. Itaque quamuis species non posset esse similis physicè, quia reuera non potest illas operationes physicas elicere, quas albedo; posset tamen esse similis intentionaliter, quia posset apparere similis sine physica illa similitudine.

61. *Obiicies ex Complutensibus*: species est per se primo institura ad repræsentandum: ergo primum quod competit ipsi est esse repræsentatiuum sui obiecti, sed quod competit virtualiter alicui non est primum quod competit ipsi, sed esse formaliter tale: ergo species debet esse formaliter repræsentatiuum & non virtualiter tantū. Probatur minor: quia ex eo quod lux Solis est virtualiter calida, primum quod conuenit ipsi, non est esse virtualiter calidam, sed esse formaliter lucem.

*Respondeo* admissa prima consequentia, negando secundam consequentiam. Nam quamuis quod virtualiter competeret alicui, non competat ipsi per se primo, sed quidquid competit per se primo debeat competere formaliter; tamen non inde sequitur quin esse repræsentatiuum virtualiter competat per se primo speciei; quia hoc ipsum potest competere ipsi formaliter: aliud enim est, quod esse repræsentatiuum conueniens speciei sit esse repræsentatiuum virtualiter; & aliud, quod illud esse repræsentatiuum virtualiter, competat ipsi virtualiter: primum est verum, secundum falsum, & sic corruit vis obiectionis, quæ solaconsistebat in æquiuocatione. Quod si velint *Complutenses*, omne prædicatum, quod primo competit alicui rei, debere posse dici de ipsa cum additione istius particulæ *formaliter*, & consequenter quandoquidem esse repræsentatiuum competat per se primo speciei, posse dici de ipsa quod sit repræsentatiua formaliter, omnino decipiuntur; nam esse impenetrabile conuenit per se primo quantitati, & tamen non potest dici, quod sit per se primo impenetrabilis formaliter, quia impenetrabilitas formalis est proprietas ipsius, sed solum potest dici de ipsa per se primò quod sit impenetrabilis fundamentaliter.

*Respondeo secundo*, distinguendo primum consequens: esse repræsentatiuum, prout esse repræsentatiuum dicit aptitudinem, quam habet ad determinandum potentiam ad sensationem, nego consequentiam: quia illa aptitudo

est

est proprietas speciei ; prout dicit radicem,ad quam sequitur illa aptitudo , transeat consequentia;& nego secundam consequentiam , quia illa radix conuenit formaliter , & non virtualiter speciei : quamuis ab ea non habeat esse formaliter repræsentatiuum , sed virtualiter tantum.

*Confirmatur hoc* : primum,quod potest competere speciei, est vel aptitudo ad determinandam potentiam, vel radix ad quam sequitur illa aptitudo : sed nec ab ipsa aptitudine, nec à radice habet esse formaliter repræsentatiuum:ergo si primum quod competit speciei , sit esse repræsentatiuum,non potest esse repræsentatiua formaliter.

62.*Obiicies secundo*,productio Verbi creati est generatio quædam vitalis;& Verbum, hoc est species expressa procedit,vt Filius, aliquo modo, hoc est secundum esse intentionale : ergo species impressa, qua mediante producitur verbum illud,debet esse similitudo formalis obiecti. Probant consequentiam : quia id , quod procedit tanquam quid vitaliter genitum , & vt filius, debet esse simile suo principio , realiter quidem si procedat realiter, & in esse naturali , intentionaliter vero si procedat tantum intentionaliter : ergo cum species impressa sit principium verbi fæcundans intellectum in ordine ad eius generationem, verbum,& species debent esse eiusdem naturæ intentionaliter : sed verbum est similitudo formalis expressa obiecti:ergo species debet esse similitudo formalis impressa eius.

*Respondeo* negando consequentiam , ad cuius probationem dico, quod illud, quod procedit vt Filius intentionalis,non debet esse simile formaliter omni suo principio,vt euidens est,quia sensatio non est similis potentiæ,quæ tamen est principium ipsius : debet ergo id esse simile suo principio principaliter determinatiuo,& hoc est ipsum obiectum, non vero species ; neque enim species determinat , nisi quatenus supplet vicem obiecti. Quod si notitia genita non posset habere rationem verbi, aut filij intentionalis , nisi esset similis intellectui vt affectus est specie impressa, profecto prius deberet constare,quod species illa impressa esset similitudo formalis obiecti, quam posset constare, quod notitia genita esset verbum : vnde reuera in hac probatione petitur principium, si bene res examinetur.

## CONCLVSIO IV.

Species impressa est similitudo formalis.

63.*Species impressa materialis est similitudo formalis obiecti.* Hæc deducitur ex *Scoto in* 2. *d.*3. *quæst.*9. vbi dicit quod si species Trinitatis esset Angelo ratio vt quæ videndi Trinitatem, posset etiam alteri videnti ipsam esse ratio videndi Trinitatem:nam hoc non esset verum nisi esset similitudo formalis obiectiua Trinitatis. *Et quodlib.* 14. expresse ait quod species intelligibilis impressa sit formale repræsentatiuum obiecti. Sed est eadem ratio de specie impressa materiali,ac intelligibili.*Rursus in* 2. *dist. num.*14. expresse ait species coloris videri instar coloris in pariete,vt quando per vitrum rubrũ trãsit radius solaris vsque ad murum , & quando reflectitur à plantis viridibus idem radius. Conclusionem hanc sequuntur etiam *Complutenses supra , & plures alij Thomistæ* quos citant.Est autem contra *Conimbricenses* 2. *de anima, cap.*7 *q.*8. *Arriagam disp.*4. *sect.*3. *& alios.*

*Probari potest primo* : quia sensus internus in absentia reali obiecti videt ipsum visione abstractiua , quæ visio terminatur ad aliquid , quod est simile obiecto absenti, non realiter, sed intentionaliter ; sed illud non est aliud quam species istius obiecti:ergo species impressa obiecti est similis illi formaliter similitudine formali obiectiua.

*Hæc probatio* efficaciter conuinceret Conclusionem , si visio illa abstractiua terminaretur ad aliquid, quod realiter existeret ; quia certè aliud assignari non posset, aut deberet potius , quam species. Sed non est adeo certum quin visio realis , & intellectio abstractiua possit terminari ad aliquid non existens,ipsum repræsentando:& licet hoc non posset fieri naturaliter absque specie,tamen posset dici quod illa species requireretur, non ad terminandam illam visionem , sed ad producendam ipsam simul cum intellectu, aut potentia vidente, sicut requiritur ad producendam visionem intuitiuam ocularem, quam sine dubio non terminat. Itaque vt valeat hæc probatio, ostendi debet visionem abstractiuam non habere ex natura sua repræsentare suum obiectum immediatè, siue existat, siue non existat , seu facere ipsum intentionaliter præsens potentiæ cognoscenti , quæ intentionalis præsentia consisteret in hoc , quod percipereretur , aut cognosceretur : ad quod ostendendum mihi certè non occurrunt principia vrgentia. Verum quidem est , si cognitio dicat respectum actualem attingentiæ actualis ad obiectum , vt existimant Scotistæ , inde secuturum quod obiectum deberet actualiter existere secundum aliquod esse reale. Sed hoc ipsum est æque difficile probatu , ac illud alterum , & de eo postea agam.

*Probari solet secundo* : quia in speculo videtur species obiecti ipsaque apparet tam similis obiecto , vt ipsum obiectum dicatur communiter in eo apparere:ergo species sensitiua est similitudo formalis obiectiua rei,cuius est species.Hæc probatio etiam conuinceret Conclusionem si verum esset antecedens , circa quod est magna controuersia:nam non solum *Ruuius, Auersa, Arriaga*,& quotquot aduersantur Conclusioni , negant illud antecedens:sed *Scotus ipse supra in* 2. *dist.*13. *num.*4. ait ipsam rem videri in speculo,non vero speciem eius,quod etiam docet *in* 4.*dist.*10.*quæst.*9. *ad finem* vbi ait:*Et hæc est ratio quare non videtur in speculo imago ipsa corporis multiplicata vsque ad speculum , sed ipsum corpus cuius est imago.* Vnde non solum non concedendum , sed impugnandum est illud antecedens , & consequenter reiicienda hæc probatio.

An species videatur in speculo.

*Itaque impugnatur primo à Ruuio & Auersa*:quia obiectum adæquatum potentiæ visiuæ est color & lux ac lumen:sed species colorum non est lux,nec lumen,nec color:ergo nequit videri ab oculo.

*Hæc probatio minoris non placet*,quia prius debet colligi quod species non possit videri; quàm cognosci possit obiectum adæquatum visus comprehendere solum lumen, lucem & colores , & qui assereret speciem videri, tam facile negaret maiorem quam ab his authoribus asseritur,vt & negari debet à *Scotistis*,quia *Scotus expresse asserit in* 2.*dist.*13.§.*ex hoc patet,speciem coloris quandoque videri* : nec probari poterit ab aduersariis , nisi aliunde probauerint species non videri , quam ex hac probatione. Quod si vtantur authoritate deducta ex communi modo loquendi,quo dicitur quod obiectum adæquatum visus sit color,lux & lumen, responderi potest,id intelligi de luce & colore comprehendente lumen & colorem non solum realem,& physicum, sed etiam intentionalem ; vel certè communis ille modus loquendi corrigendus est.

*Impugnat secundo* idem antecedens *Canellus,& Auersa*, quia,quod videtur apparet esse maius speculo,& in profunditate eius,sed species est minor speculo,& in superficie eius tantum:ergo non videtur species.

*Hæc etiam probatio non sufficit* , quia ex hac experientia non habetur aliud,quam quod species reflectens habeat talem naturam , vt ostendat speciem à qua fit reflexio cum illa magnitudine,& profunditate,non quod habeat talem magnitudinem, aut quod sit in illa profunditate. Et quemadmodum species repræsentat obiectum quandoque minus quam in se est,quia talem habet naturam, cur etiam non posset repræsentare aliquando obiectum maius quam in se est ?

*Impugnat tertio* illud antecedens *Arriaga*:quia si quod videtur in speculo esset species, non obiectum , illa species esset eiusdem rationis,& speciei cum obiecto, apparet enim ipsi valde similis quoad colores & figuram , vt patet experientia.

*Hæc etiam probatio non placet*,quia non sequeretur aliud quam quod esset eiusdem rationis intentionaliter,quantum ad repræsentandum ipsum obiectiuè , hoc autem non esset inconueniens secundum aduersarios.

66,*Idem Arriaga* impugnat illud antecedens alio modo,

do,quia si species viderentur, quandoquidem in qualibet parte speculi, aut obiecti, in quo viderentur species, sint species omnium partium obiecti,deberent in qualibet parte videri species omnium partium obiecti, & nõ deberet potius in vna parte videri vna pars obiecti quã reliquæ partes:ergo non videtur species,sed obiectum.

*Contra*: quia hæc difficultas militat etiam contra visionem obiecti tam benè quàm contra visionem specierum:nam si ex eo quod in qualibet parte speculi sit species cuiuslibet partis obiecti, deberet videri cuiuslibet partis obiecti species in qualibet parte speculi, modo species videri posset, similiter quandoquidem in qualibet parte speculi sit species repræsentatiua cuiuslibet partis obiecti, deberet videri in qualibet parte quælibet pars obiecti.

*Vidit Arriaga replicam, & respondet* disparitatem esse, quod species repræsentent obiectum secundum situm suum & dispositiones suarum partium,vnde non debent videri partes omnes quasi penetratæ, sed extra se inuicem,at si species ipsæ viderentur,deberent videri omnes quasi penetratæ in quacumque parte speculi.

*Contra*, quia sicut species ex eo quod repræsentent partes obiecti,sicut sunt,non debent repræsentare ipsius partes in eodem loco:ita etiam ex eo quod essent repræsentationes obiectiuæ obiecti, & formaliter similes illi similitudine intentionali, non deberent videri in omni parte speculi confusæ, sed quasi essent extra se inuicem cum proportione ad partes obiecti,& hinc etiam repræsentant distantiam obiectorum inter se: per quod patet ad aliam probationem eiusdem.

67. *Melius ergo impugnatur* antecedens, vt ante illud impugnaui in commentario ad *Scotum supra in 2.dist.13.* quia nihil impedit quo minus ipsum obiectum videatur, & præterea quantum ad sensum & experientiam omnino apparet ipsum videri. Nec potest dici quod ipsum quidem videatur, sed simul cum ipso species:quia nulla ratio aut experientia probat videri speciem, si videatur obiectum; aut obiectum,si videatur species, sed potius omnis experientia ostendit vnicum tantum obiectum videri,siue illud sit obiectum,siue species obiecti.

*Sed dices* cum aduersariis:obiectum in speculo apparet multo minus quam in se est,ac in diuerso situ,& figura: ergo non ipsummet videtur sed species eius.

*Respondeo* negando consequentiam:sicut enim quando videtur obiectum directè, propter tamen diuersitatem medij aliquando videtur maius, aliquando minus, aliquando vt in se est;cum tamen tum secundum omnes ipsummet videatur, & non species eius: ita propter diuersam applicationem eius per speciem rectam & reflexam,oritur vt in alio situ, figura ac magnitudine videatur,quamuis ipsummet semper videatur.

68. *Dices secundo*,secundum *Doctorem 2.d.13.n.14.* species colorum & non ipsimet colores aliquando videntur,vt quando lumen reflectitur ad plantas virides,tunc enim in parietibus, ad quos fit reflexio, apparet color viridis,non quidem realis sed intentionalis: ergo etiam in speculo non ipsum obiectum reale, sed species eius videtur,eadem enim est ratio.

*Respondeo* negando consequentiam,& ratio disparitatis est,quod quando videntur species coloris non videntur per species reflexas, sed per directas, vnde ipsæmet videri debẽt, non vero obiectum:colligitur autem quod videantur per species directas, & non reflexas;quia non repræsentant distantiam obiecti à loco in quo apparent, nec enim videntur intra illum locum,sed in ipsa superficie extima. Quod si quis benè rem perpenderit, videbit tantam differentiam inter modum quo apparent colores in speculo,& in pariete,vt non mirabitur,sed probabile valde iudicabit colores ipsos videri in speculo, species vero colorum in pariete,in casu prædictæ experientiæ ac similium.

*Et hinc probatur conclusio*:videntur species colorum taliter vt appareant esse similes ipsis coloribus: ergo habent similitudinem formalem obiectiuam cum ipsis coloribus, non realem tamen, sed intentionalem. Consequentia videtur euidens. Antecedens probatur ex illis experientiis.

69.*Obiicies*:si species essent visibiles,deberent sẽper videri quoties proponerẽtur oculo,& sic viderẽtur quãdo obiectum ipsum intuitiuè videtur, contra experiẽtiam.

*Respondeo* ex Doctore, negando sequelam: non enim debent videri,nisi quando contiguantur corpori opaco: neque enim habent virtutem producendi alias species, quibus ipsæmet videantur, nisi quando applicantur tali corpori.Nec hæc doctrina debet mira videri aduersatiis, quia ipsimet debẽt recurrere ad ipsam aut similem, quæ nobis etiam sufficeret, quando quæritur ab ipsis,cur color apparet in pariete,quando transit radius per vitrum rubeum, & non apparet in aëre intermedio.

*Ex hac probatione sequitur* probabile esse, quod quando videtur obiectum abstractiuè,tum terminetur cognitio immediatè ad speciem impressam, quia si species possit cognosci & habeat similitudinem formalem obiectiuam cum re cuius est species, quandoquidem tum habeatur species,melius dicitur quod cognoscatur actu, quam quod nihil sit realiter existens, ad quod actu terminetur cognitio. Cognitio abstractiua terminatur ad speciem impressã.

*Sequitur secundo*, non esse inconueniens quod detur aliqua species impressa Dei,per quam abstractiuè videatur, quæ est sententia Scoti: quia si esset inconueniens quod daretur, maximè quia deberet esse similitudo formalis ipsius;sed non esset inconueniens quod esset similitudo formalis obiectiua ac intentionalis ipsius, modo non inde sequeretur quod deberet esse similitudo realis & physica ipsius: sed non deberet, vt patet ex speciebus colorum,quæ sunt similes obiectiuè intentionaliter coloribus,cum tamen non sint similes illis realiter & physicè. Et quemadmodum non repugnat cognitio creata intuitiua Dei,quæ est similitudo expressa ipsius, ita non repugnat species,quæ sit similitudo impressa ipsius. Sed de hoc in Theologia agendum erit. Dari potest species impressa Dei.

70.Hæc autem omnia dicta in gratiam *Doctoris*.Quãtum autem ad proprium meum sensum attinet,existimarem, vel in speculo etiam videri species obiecti immediate & non ipsum obiectum; vel si in speculo videatur obiectum,etiam in pariete videri colores & non species colorum.Et vniuersaliter loquendo,in vtroque casu putarem species videri immediatè & non obiectum, quia notabilissima prorsus est differentia inter visionem vtramque, illam scilicet,quæ habetur de obiecto immediatè, & quæ habetur de ipso in speculo aut in pariete, ad quem extendit suas species;& illa varietas non videretur mihi posse prouenire ab alio quam à diuersitate obiecti:non enim a medio, hoc est, aëre, suppono enim vtrobique esse eiusdem rationis:nec etiam à specie,quia etiam illa videtur esse eiusdem rationis, si repræsentet obiectum immediatè,& causetur immediatè ab ipso, vt tenent autores huius opinionis præter *Rubium*: ergo à sola diuersitate obiecti oritur.

*Confirmatur hoc*: reflexio oritur à causa principali ex eo quod quidquid natum esset producere actione directa,quando impeditur, producat illud actione reflexa,vt communiter tenetur:sed illæ species, quas produceret actione directa, essent species eiusdem rationis, & natæ repræsentare rem in suo situ,ac alio prorsus modo, quã videtur in speculo:ergo etiam species reflexæ immediatè procedentes ab obiecto deberent esse eiusdem rationis, & similiter ipsum repræsentare.

*Confirmatur secundo*, quia difficile est percipere, si species illa reflexa immediatè oritur ab obiecto,& est eiusdem rationis cum aliis speciebus, quomodo ostendat obiectum in speculo.

*Dices* speciem esse talis naturæ, vt ostendat obiectum in illo loco,à quo prouenit ipsamet.

*Contra*:non prouenit illa species à speculo,nisi quatenus procedit ab obiecto principali immediatè,postquam producit vltimam partem speciei directæ, quæ producitur vel in speculo,vel in parte aeris ipsi contigua: sed species non debet repræsentare obiectum suum in parte vbi est species,postquam ipsamet producitur,alias obiectum

ctum principale visum visione directa videretur propè oculum, aut saltem non videretur tam distans, quam aliquando videtur, sed videretur vbi est aliqua species postquam producitur species, quæ est in oculo. Sed hæc propono examinanda magis quam amplectenda.

## CONCLVSIO V.

Species sensibiles externæ sunt diuisibiles & in essendo & in repræsentando.

71. *Species sensibiles externæ non solum sunt diuisibiles subiectiuè, & in essendo, sed etiam obiectiuè, & in repræsentando.*

Hæc conclusio quoad primã partem est communis & *probatur*: quia est accidens materiale subiectatum aut in corpore, aut toto composito ex anima, & corpore, vt probabilius existimo: ergo constat pluribus partibus integralibus correspondentibus pluribus partibus istius corporis, aut totius in quo subiectatur, & consequenter est diuisibilis in se subiectiuè & in essendo, seu entitatiuè, nihil enim aliud per hoc volumus, quam quod constet pluribus partibus integralibus.

*Secunda pars* est *Cauelli nostri & Ruuij hic* contra *Auersam, & Toletum*. Vt autem intelligatur controuersia, *aduertendum*, speciem esse indiuisibilem in repræsentando, nihil aliud esse, quam quod sit talis naturæ, vt quæcumque pars speciei, quæ repræsentat totum obiectum, possit totum repræsentare, non vero possit pars istius speciei partem obiecti repræsentare & alia pars aliam partem, sed quod tota species secundum omnes suas partes repræsentet indiuisibiliter totum obiectum & omnes partes eius: esse vero diuisibilem in repræsentando, est esse talis naturæ, vt pars ipsius possit repræsentare partem obiecti, & alia pars alteram, & hoc, totaliter, vt quãuis tolleretur vna pars, altera pars adhuc partem sibi correspondentem posset repræsentare. In hoc ergo sensu secunda pars Conclusionis

72. *Probatur primo*: pars speciei nequit repræsentare nisi partem obiecti, à qua producta est: sed totum obiectum quoad omnes partes suas non producit omnem partem speciei: ergo omnis pars speciei non potest repræsẽtare totum obiectum. Maior patet, quia species est essentialiter determinata ad repræsentãdum solum illud obiectum, à quo producitur. Probatur minor, quia nulla pars obiecti est, quæ adæquatè non potest producere speciem sui sine consortio alterius partis: ergo cum sit causa naturalis non libera, etiam quãdo coniũgitur cum alia parte, producit speciẽ sui adæquatè, & consequenter quæcũq; pars speciei totalis productæ ab obiecto totali non debet produci ab omnibus partibus istius obiecti.

*Confirmatur*: quia per coniunctionem cum alia parte non perdit actiuitatem suam, vt manifestum est: ergo sicut produceret adæquatè speciem sibi correspondentem, si non coniungeretur cum alia parte, ita etiam quando coniungitur producit talem speciem.

*Probatur secundo*: quando videmus parietem palmarem totum, potest tegi pars ipsius manente specie alterius partis: ergo species totius parietis istius est diuisibilis in repræsentando, tum enim est sic diuisibilis, quando secundum vnam partem sui potest repræsentare vnam partem obiecti, & secundum aliam alteram. Qua ratione etiam probatur minor præcedentis probationis & maxime contra *Auersam*: quia illa pars remanens recta parte obiecti non causabatur à parte recta, quia alias non potuisset manere ea recta: ergo obiectum quoad omnes partes sui non concurrit ad productionem cuiuscumque partis speciei.

73. *Obicies*: si species visibilis non esset indiuisibilis in repræsentando totum obiectum non posset videri ex quacumque parte medij, sed in vna parte eius videretur vna pars obiecti, & in alia altera contra experientiam.

*Confirmatur*: quia per quamlibet partem speciei totalis, quæ producitur à toto obiecto in toto medio, videtur totum obiectum: ergo quælibet pars ipsius causatur à toto obiecto.

*Respondeo* negando sequelam, obiectum enim secundum omnem partẽ sui per totum medium intra sphæram actiuitatis suæ producit quaqua versum speciem repræsentatiuam sui secundum se totum & omnes suas partes; & hinc fit vt in qualibet parte medij possit totaliter videri: nec hoc debet videri mirum aduersariis; nam sicut secundum ipsos potest quælibet pars obiecti concurrere ad producendam in qualibet parte medij vnam speciem totalẽ indiuisibiliter repræsentatiuam istarum partium; cur similiter non posset quælibet pars ipsius concurrere ad producendam in qualibet parte medij speciem partialem sibi tantum correspondentem.

*Ad confirmationem respondeo* distinguendo antecedens: per quamlibet partem totalem, concedo, per quamlibet partem partialem inclusam in parte totali, nego antecedens & consequentiam. Per partem autem totalem intelligo aggregatum ex omnibus speciebus partialibus productis ab omnibus partibus obiecti in qualibet parte medij, quod aggregatum vocatur pars in comparatione ad omnia similia aggregata, quæ sunt in toto illo medio: per partem autem partialem intelligo partem correspõdentem vni tantum parti obiecti, & inclusam in aggregato correspondente toti obiecto. Neque est absurdum quod tot partes recipiantur in qualibet minima parte medij, & in pupilla oculi, quæ est tam parua, quia non sunt impenetrabiles nisi ratione quantitatis subiecti, sicut nec albedo & dulcedo, nec etiam sunt omnino eiusdem rationis, quia vna pars est determinata essentialiter ad repræsentandam partem obiecti, quam altera repræsentare non potest.

74. *Dices*: istæ plures partes vel facerent in eodem subiecto intẽsionem, vel extensionem; non intensionem, quia ordinantur ad diuersos effectus, & quia visio producibilis per omnes illas partes non est nisi extensiuè perfectior, quam quæ producibilis est per vnam partem: non extensiuè, quia non sunt extra se inuicem.

*Respondeo primo* negando maiorem, quemadmodum enim albedo & dulcedo in eodem subiecto non faciunt intensionem, & extensionem, ita etiam de illis speciebus posset dici.

*Respondeo secundo* negando minorem pro secunda parte, quia quemadmodum vniones partiales petentes existere in eodem indiuisibili subiecto, id est, anima rationali, faciunt extensionem eo quod ordinentur ad cõiungendam animam cum pluribus partibus corporis extra se inuicem positis, ita etiam istæ partes speciei, licet non recipiantur in eodem subiecto, possunt facere extensionem, eo quod ordinentur ad repræsentandas diuersas partes obiecti extra se inuicem positas.

## CONCLVSIO VI.

Species impressæ possunt esse diuisibiles intensiuè.

*Species impressæ possunt esse diuisibiles intensiuè secundum plures gradus intensionis.* Est *Ruby supra q. 9.*

*Probatur*: quia albedo intensa vt vnum, est causa naturaliter productiua speciei repræsentantis ipsam secundum illam rationem: ergo & albedo vt duo: sed hoc non posset fieri, nisi species albedinis vt duo haberet intensionem: ergo.

*Confirmatur*: distantes ab obiecto valde albo non vident illud tam perfectè quam cum sunt propinquiores: ergo species, quas habent cum sunt propinquiores sunt intensiores.

## QVÆSTIO VIII.

*De causis specierum materialium.*

75. NOn est difficultas de causa materiali, nam ea est subiectum in quo inhærent; inhærent autem in variis subiectis, vt in aëre, aqua, speculo: & si loquamur de subiecto illius speciei quæ immediatè concurrit ad sensationem, illud erit ipsummet subiectum in quo recipitur sensatio, tam enim capax erit speciei impressæ quã sensationis, & quandoquidem producat in se sensationem mediante specie, magis congruum videtur ponere illam speciem in illo quam in vllo alio subiecto. Quæritur ergo de causa efficienti.

## CONCLVSIO I.

Obiectum perceptũ est causa effectiua totalis speciei sensibilis externæ.

*Solum illud obiectum quod mediante specie impressa externa percipitur, causat illam speciem, & quidem immediate.* Hæc colligitur ex *Scoto in 2. d. 13.* quem præter suos sequuntur *Conimbricenses*, & *Auersa*. Est autem contra *Ruuium hic quæst. 10.* quatenus asserit speciem, per quam videtur

per quam videtur obiectū reflexè, vt in speculo produci à specie, quæ est in ipso speculo, & non ab obiecto quod in speculo videtur. Est etiam contra *Arriagam* quatenus asserit, quod ab obiecto immediate producantur species in parte medij obiecto immediata, & ab illis speciebus aliæ species, & ita donec perueniatur ad potentiam.

*Probatur conclusio*, quia ipsum obiectum est potens se solo producere aliquas species, per quas percipi possit; vt fatetur tam *Ruuius* de speciebus directè productis, quàm *Arriaga* de speciebus productis in parte viciniori medij: sed est sufficienter applicatum æquè ad producēdas cæteras species ac illas, nec constat alias causas esse tum applicatas, quæ cum ipso concurrere possint: ergo debet dici quod omnes species, quibus percipitur ab ipsomet immediatè producantur.

*Confirmatur contra Arriagam* de speciebus potentiæ visiuæ, quia omnes illæ in instanti per totum medium producuntur & dependēt in fieri & cōseruari ab ipso obiecto: ergo quamuis propter experientias aliquas, quæ haberentur de speciebus soni, colligeretur quod non producantur instantaneè, & quod existant, cum sonus ipse non existit, & consequenter quod non producerentur à sono immediatè; non tamen idem deberet dici de speciebus potentiæ visiuæ.

*Confirmatur etiam contra Ruuium*: quia ipse fatetur quod obiectum sit causa principalis speciei reflexæ: ergo non indiget concursu vllius alterius; quia qua ratione potest adhibere influxum principalem, potest totalem & adæquatum.

*Aduerte* autem non asseri hic, quin species vna impressa causet aliam impressam, hoc enim esset falsum, si vlla species videri possit; sed quod negatur, est, species vllas externas, per quas aliquod obiectum videtur, siue illud obiectum sit species, siue non sit species, produci ab alio quam ab illo obiecto quod per eas videtur; vnde si videatur in speculo species, & non obiectum principale, species per quas habebit oculus illam visionem, producentur à specie visa tanquam à causa totali: si vero non videatur species, sed obiectum principale, tum illa species, per quam habetur visio obiecti in speculo, producetur ab ipsomet obiecto & non à specie, quæ est in speculo, à qua fit reflexio.

An species sit imperfectior obiecto.

*Ex hac conclusione sequitur* speciem impressam externam non posse esse perfectiorem obiecto quod per illā videtur, quia effectus nequit excedere perfectionē causæ efficientis adæquatæ. An autem debeat esse imperfectior, dependet à difficultate discussa in Logica, an scilicet possint dari duæ entitates specie distinctæ æqualis perfectionis: cuius qui partem negatiuam tenuerit, debet consequenter dicere species externas impressas debere esse imperfectiores obiecto, quandoquidem non possunt esse perfectiores: qui vero defendnt partem affirmatiuam, non tenentur eo ipso dicere quod species sint imperfectiores, sed debent ad hoc habere alia principia, ex quibus id colligant: & quod ad me attinet, non occurrunt mihi vlla; vnde incertum puto, suppositā illa sententia an species sint imperfectiores obiectis, an vero æque perfectæ.

77. *Dices*: species externa est immaterialior, ac magis subtilis quàm sit obiectum: ergo est perfectior, & consequenter non potest produci ab ipso.

*Respondeo* breuiter negando antecedens, loquendo de immaterialitate aut subtilitate vlla, quæ arguat maiorē perfectionem: & certe *Thomistæ*, qui vtuntur communiter isto modo loquendi, nunquam satis bene explicare possunt in quonam consistit illa maior immaterialitas aut subtilitas, nisi reducendo rem ad quæstionem inutilem de nomine.

Et præterea patiuntur difficultatem secundæ consequentiæ. Ad quam respondet *Ioannes à S. Thoma quæst. 6. art. 3*, posse dici cum aliquibus, quod obiecta producant illas species virtute participata à cælo & intelligētia mouente, dūmodo tamen illa virtus non dependeat à motu cæli. Sed prorsus gratis & sine vllo fundamēto dicitur requiri ad hoc virtutem illam participatam, distinctā à natura ipsius obiecti, quod si existeret sine cælis aut intelligentiis, posset sine dubio, non minus quam iam, speciem sui in potentia applicata producere.

## CONCLVSIO II.

78. *Species impressa sensiui interni non producuntur neque ab ipsa potentia interna, neque à potentiis externis, neque à speciebus impressis potentiarum externarum, neque ab omnibus simul.* Hæc est *Fonsecæ 1. Metaphys. c. 2. q. 3. Molin. 1. p. q. 1. a. 2. disp. 4. Auersa supra, & aliorum* contra *Suarium* existimantem illas produci à potentia interna, & contra *Cauellum disp. 2. sect. 1.* qui eas probabiliter putat produci à potentiis externis, sed probabilius ab interna.

Species impressa sensus interni non producitur à potentia interna aut externa, aut speciebus externis.

*Probatur prima pars*: quia potentia interna est indifferens ad omnes illas species: ergo se sola non potest vnas potius, quam alias producere, & consequenter debet determinari ad illas producendas ab aliquo alio: sed illud aliud, quodcumque assignabitur, potest habere causalitatem respectu earum, & quidem totalem, non minus quā obiectum habet causalitatem totalem respectu specierū impressarum externarum: ergo potentia interna non debet habere vllam causalitatem respectu earum, & multo minus potest habere causalitatem totalem.

*Confirmatur*: quia si potentia interna haberet causalitatem totalem respectu earum, deberet semper eas producere absque dependentia ab vllo alio: sed hoc est falsum: ergo.

*Confirmatur secundo*: quia non habet maiorem actiuitatem sensus interni respectu suæ speciei, quam intellectus agens respectu suæ: sed intellectus non est causa adæquata suæ specici, neque eam producit nisi concurrente causa ipsi intimè applicata: ergo neque internus sensus potest alio modo producere speciem suam; sed potentia tactiua residens in pede, v.g non est intimè applicata sensui interno, nec sensatio eius: ergo debet aliquid aliud applicari sensui interno: sed nihil aliud assignari potest: ergo.

70. *Dices* si nihil aliud assignari potest quod intimè applicetur, non poterit vnquam habere speciem, quia non poterit illam habere ab aliquo distanti.

*Respondeo* posse assignari aliud, quod intimè applicetur, nempe speciem impressam per totum medium inter potentiam tactiuam, & sensum internum diffusam: hæc autem non producitur à potentia interna in illo medio, vt patet: ergo ab aliquo alio: sed illud aliud quod potest illam producere per totum medium, poterit etiam illam producere in potentia interna, absque concursu eius: ergo non producitur species impressa sensus interni nec partialiter quidem ab ipso sensu interno. Quæ sanè ratio mihi conuincit hanc partem conclusionis.

*Probatur secunda pars*, ob eandem rationem: quia potentia externa est etiam indifferens ad quascumque species internas ex variis, quibus diuersa obiecta ab illa perceptibilia repræsentari possunt potētiæ internæ, & quia necessario produceret omnes illas absq; aliquo alio determinatiuo. Nec valet dicere quod requirat species impressas & sensationem, tanquam conditiones sine quibus non, non vero tanquam concausas concurrentes: tum quia hoc gratis diceretur, tum quia non potest ostendi quomodo habere possint rationem conditionis tantum.

*Confirmatur* quia potentia externa non repræsentatur per species internas: ergo non producitur adæquatè per illas, quia species debet repræsentare illud, à quo adæquatè producitur: quæ ratio militat particulariter cōtra *Cauellum*, quia ideo negat ipse illas species produci per sensationes externas, quia non repræsentant illas, debēt autem repræsentare illud, à quo producuntur.

80. *Dices*: species impressa intelligibilis non repræsentat intellectum agentem à quo producitur: ergo non debent species materiales internæ repræsentare potētiam externam, quamuis producantur ab ipsa.

*Contra primo*, quia hinc eodem modo sequeretur quod non deberent repræsentare sensationem externam, quāuis ab illa producerentur.

*Cōtra secūdo*, quia nō producūtur illæ species adæquatè ab illo intellectu, sicut species internæ sensitiuæ dicūtur

produci à potentia externa:quamuis autem species non deberent repræsentare causam partialem, tamen deberent repræsentare causam adæquatam, aut aliquam partem eius:ergo si producerentur à potentia externa adæquatè,deberent repræsentare ipsam.

*Contra tertio*,quia ideo species intelligibiles producũtur ab intellectu agente, quia sunt spirituales, & nulla alia causa potest dare ipsis spiritualitatem, & ideo non repræsentant ipsum, quia non producuntur ab ipso, vt recipiant ab ipso repræsentationem, sed spiritualitatem repræsentationis. Sed species internæ non habent vllam rationem ob quam possint aut debeant produci ab vllo, nisi ab eo, quod debent repræsentare: ergo debent repræsentare omne illud,à quo producuntur,& consequẽter non est idem dicendum de illis,ac de speciebus intelligibilibus impressis quantum ad hoc.

*Probatur tertia pars*:quia potest esse species externa in potentia externa, quin causetur species interna, vt patet in cæcis,& dormientibus, in quorum potentiis externis producuntur species externæ non causatis speciebus internis.

*Confirmatur*:quia si quis videret colorem absque specie impressa,causaretur species interna tam bene, quàm modo:ergo non causantur à specie externa.

*Probatur denique quarta pars*: quia omnia illa simul possunt esse absque productione speciei internæ.

81. *Obiicies primo,ex Cauello*:videtur sensus internus se habere ad suam speciem, sicut intellectus ad suam: sed intellectus agens producit suam speciem:ergo & sensus suam.

*Respondeo primo*,argumentum hoc esse ad oppositum; quia intellectus agens non producit suam speciem tanquam causa totalis, ergo nec sensus internus.

*Respondeo secundo*, negando consequentiam, quia ideo requiritur concursus intellectus ad speciem suam, quia illa est spiritualis,& debet habere aliquam causam spiritualem,qualis non habetur,præter intellectum: species autem sensus interni non est spiritualis,nec habet vllam conditionem,ob quam requirit concursum sensus interni magis,quàm species externa requirit concursum sensus externi.

*Obiicies secundo*, ex eodem; non satis capi potest,quomodo sensus, vel sensatio externa possit illam producere:ergo debet produci à potentia interna.

*Respondeo*, tam capi posse, quomodo possit produci à sensu,& sensatione externa,quam à potentia interna.

## CONCLVSIO III.

Species interna obiecti externi non producitur ab obiecto suppositæ sẽsatione externa.

82. *Species interna,qua mediante percipitur obiectum sensus externi, non producitur ab ipsomet obiecto, supposita sensatione externa tanquam conditione sine qua non.* Hæc est *Cauelli disp.2.sect.1.& Arriagæ* contra *Molinam*,& *Fonsecam supra*.

*Probatur*:quia non potest explicari quomodo sensatio externa haberet rationem conditionis sine qua non,neque enim tollit aliquod impedimentum, neque disponit sensum internum, aut partem illam vicinam sensui externo, in qua species interna primo produci debet, quandoquidem non subiectatur in illis, sed in sensu externo; neque proponit obiectum illi parti vicinæ, quia illa non est cognoscitiua,aut appetitiua;neque applicat, aut approximat obiectum isti parti magis, quam ante erat applicatum per speciem impressam externam:ergo non potest habere rationem conditionis sine qua non.

83. *Dices*, eam posse habere rationem talis conditionis; quia obiectum ex se habet talem naturam, vt non possit producere speciem internam impressam in parte vicina sensui externo,v.g.oculo,nisi prius producat sensationem.

*Contra*: quia ideo haberet talem naturam, quia illa species haberet à sensatione aliquam dependentiam, vel tanquam à causa,vel tanquam à conditione sine qua non. Si tanquam à causa,habetur intentum.Si tanquam à conditione: ergo debet ostendi, quomodo habeat rationem conditionis.

*Confirmatur*: non potest dici,quod potentia producat habitum immediatè, & totaliter, supposito actu tanquam conditione,sed potius debet dici,quod actus ipse, vel totaliter, vel partialiter producat illum habitum: sed certè id posset dici tam benè ac diceretur,quod sensatio externa haberet se per modum conditionis tantum,& non causæ:ergo hoc non debet dici.

*Confirmatur secundo*:ex dicendis sequenti Conclusione.

## CONCLVSIO IV.

Species interna producitur à sensatione externa.

84. *Species interna impressa producitur à sensatione externa.* Hæc est contra *Suarium & Cauellum*.

*Probatur*: quia nihil aliud assignari potest,à quo producatur.

*Probatur secundo*:quia quamuis obiectum non daretur à parte rei quando perciperetur à potentia externa, vt multi putant possibile esse de potentia saltem Dei absoluta,adhuc produceretur species impressa eius in potentia interna:sed tum non esset aliquid aliud,à quo produceretur quam sensatio externa: ergo sensatio externa habet ex natura sua producere talem speciem se sola:sed hoc supposito omnino dicẽdum est quod de facto illam producat,nam propterea id non diceretur, quia non haberet talem virtutem.

*Confirmatur*:quia certum videtur potentiam internam percipere sensationem externam, potest enim differentiam cognoscere inter disgregationem visus, quæ fit per albedinem, & congregationem quæ fit per nigredinem, alias certè intellectus non posset illas cognoscere; neq; enim per discursum peruenit ad cognitionem differentiæ istarum sensationum,sed per experientiam:nihil autem potest per experientiam cognoscere pro hoc statu, quod non proponitur à sensu aliquo interno: ergo ipsa sensatio producit speciem impressam internam,qua mediãte percipi possit;neq; enim aliud id potest facere:sed eo ipso quo producit illam speciem, producit speciẽ internam, qua percipi possit obiectum istius sensationis, neque enim sensatio percipi potest, nisi percepto obiecto,siue obiectum existat, siue non existat.

85. *Obiicies primo*,species interna non debet repræsentare, nisi illud à quo producitur:ergo non debet repræsentare obiectum, nisi ab ipso producatur.

*Respondeo* negando antecedens, debet enim etiam repræsentare illud,sine quo non posset repræsentare illud, à quo producitur,& maximè si sit obiectum illius,à quo producitur.

*Obiicies secundo ex Cauello*. Sæpé habetur sensatio, quando non producitur species interna: ergo non producitur species interna à sensatione.

Probatur antecedens in casu, quo nimis occupantur internæ potentiæ in consideratione alicuius obiecti,tum enim non recipiuntur species aliorum obiectorum à sensibus externis.

*Respondeo primo*, quod hæc probatio æquè probaret quod species interna non producatur à potentia externa,media sensatione, siue tanquam conditione,siue tanquam concausa;quod est contra ipsummet conclusione tertia.

*Respondeo secundo*,negando consequentiam:quia intercederet aliquod impedimentum, nempe defectus spiritus animalis in parte vicina propè sensationem, in qua deberet produci species interna, ne daretur actio in distans in hoc proposito.

*Respondeo tertio*,facilius, negando antecedens, quia in illo casu, licet non posset potentia interna sic occupata percipere obiectum illius speciei, posset tamen bene recipere illam speciem & ea vti in aliis occasionibus.

86. *Obiicies tertio*,si produceretur species à sensatione siue partialiter,siue totaliter,deberet etiam in conseruari dependere ab illa: sed hoc est falsum, vt patet experientia.

*Respondeo*, negando sequelam; quia multæ qualitates dependẽt in fieri ab aliqua causa,à qua non dependẽt in conseruari:& licet species externæ dependeant in fieri & cõseruari ab obiecto à quo causãtur,vt patet experiẽtia, qua

qua constat quod eo ablato, habeant etiam species; tamen id non est dicendum de speciebus internis, de quibus non habetur similis experientia.

*Confirmatur*: quia species intelligibiles impressæ dependent in fieri à phantasmatibus, & non dependent ab illis in conseruari, vt tenetur communiter: ergo idem dici potest de speciebus internis phantasticis.

*Obijcies quarto*, sensatio pedis est nimis remota à potentia interna: ergo nequit speciem in illa producere.

*Hæc etiam obiectio* æquè probat quod potentia externa cum sensatione, & obiecto etiam, nequeat producere speciem internam. Sed

*Respondeo* distinguendo consequens: non potest immediatè, transeat; mediate, nego. Itaque producit illa sensatio speciem in spiritu vitali, aut aliquo alio sibi applicato, & ita successiuè donec perueniatur ad potentiam internam.

*Ex hac conclusione sequitur* species internas posse esse perfectiores speciebus externis impressis, non vero speciebus externis expressis, hoc est, sensationibus.

## QVÆSTIO IX.

*Virum sensibile commune imprimat speciem propriam.*

Sensibilia cómunia nó imprimunt species proprias.

87. SVppono dari sensibilia communia, quæ scilicet percipiuntur à pluribus sensibus externis, vt *motum, quietem, numerum, figuram, & magnitudinem*. Et hoc non solum propter authoritatem Philosophi, & communis sententiæ, sed etiam quia experientia constat eas à nobis concipi absque discursu: non possent autem cõcipi nisi perciperentur à sensibus externis, nihil enim, præsertim positiuum, cõcipere potest intellectus noster, nisi quod concipitur à sensu interno, aut mediante discursu; nec aliquid potest concipi à sensu interno, nisi quod percipitur à sensu externo, nisi habeat aliquem discursum imperfectum saltem: certum autem est, quod non concipiat hæc sensibilia mediante vllo discursu, sed propter diuersam immutationem quam percipit in sensu externo.

*Prima sententia* est hæc sensibilia communia non imprimere species proprias, sed ea percipi per species proprias sensibilium propriorum, modificatas tamen tali, vel tali modo. Hanc tenet *D. Thom. 1. part. q. 78. art. 3. & Thomistæ ac recentiores communiter*, quos citant & sequuntur *Complutenses dist. 9. n. 24.*

*Secunda sententia* est, sensibilia communia imprimere species proprias, sed subordinatas tamen sensibilibus propriis, taliter vt non possint imprimere illas, nisi sensibile proprium imprimat simul suas. Hanc amplectuntur *Ægidius, Iandanus, Gandauensis*, & eam æque propabilem ac priorem sentit *Cauell. in annotat. q. 6. de anima n. 18.* Tribuitur etiam scoto *in 4. dist. 12. q. 3. n. 33.* Sed nihil prorsus ibi resoluit, tantum proponit vtramque sententiam, vnde potius problematicus videri deberet.

## CONCLVSIO I.

88. *Probabilius est non imprimi species proprias à sensibilibus communibus, sed ea percipi per species sensibilium propriorum modificatas proportionaliter ad modum, quo sensibilia propria modificantur a sensibilibus communibus.* Hæc est iuxta primam sententiam.

*Probatur primo à Complutensibus ex D. Thoma*: sensibilia propria distinguuntur in ratione sensibilis à sensibilibus communibus: sed sensibilia propria qua talia habent immutare sensum per speciem propriam condistinctam à specie alterius sensibilis proprij: ergo sensibilia communia non habent immutare sensum per speciem propriam condistinctam à specie sensibilis proprij.

*Minor probatur*: quia quemadmodum intellectus non immutatur per propriam speciem, nisi à proprio obiecto per quod specificatur: ita sensus externus non erit immutabilis per propriam speciem, nisi tantum à sensibili proprio, à quo specificatur.

*Probatur secundo eadem minor*: sensus distinguuntur penes diuersos modos immutandi per proprias species, quas recipiunt: ergo sicut sensibilia propria sola specificant, ita pariter sola illa imprimunt species proprias.

*Probatur tertio*, quia quod per propriam speciem omnino condistinctam attingitur à sensu, potest per se primo ab eodem attingi: ergo cùm sensibilibus propriis competat per se primo attingi à sensu, iis solis competet producere species proprias omnino condistinctas.

*Confirmant*: quia sensibile commune nequit producere speciem propriam, quæ sit aut eiusdem rationis in omnibus sensibus, aut diuersæ: ergo non potest speciem propriam vlla ratione imprimere.

Probatur antecedens pro prima parte: quia sensus diuersi requirunt species diuersas.

Probatur etiam pro secunda parte, quandoquidem idem sensibile nequit species diuersæ rationis producere.

*Hæc probatio nulla ratione arridet*, cuius ratio ex responsione patebit. Itaque *respondeo* distinguendo minorem: sensibilia propria, qua propria habent immutare sensum, ita, vt non possit competere illis, nisi quatenus propria sunt, nec vllis aliis consequẽter, nisi quæ propria sunt, nego minorem: nam quamuis sensibilia communia, etiam producerent proprias species, adhuc distinguerentur à propriis non quidem per productionem specierum propriarum, sed per hoc quod propria sensibilia ab vno sensu sunt perceptibilia, communia vero à pluribus: sensibilia propria, qua propria, immittunt species proprias distinctas, id est, qua propria immittunt species repræsentatiuas ipsorum secundum propriam rationem, concedo minorem, & nego consequentiam.

*Ad primam probationem minoris*, quæ procedit in sensu, in quo negatur. *Respondeo* negando consequentiam: & ratio disparitatis est, quod obiectum intellectus, non percipitur ab ipso vt percipitur ab aliqua alia potentia, & consequenter quodcumque obiectum ab ipso perceptum, potest participare rationem obiecti specificatiui ipsius; sed aliquod obiectum perceptibile à sensu externo potest percipi secundum eandem rationem ab alio externo sensu, nempe sensibile commune, vnde potest illud sensibile immutare sensum per speciem propriam, quamuis non participet rationem obiecti proprij, & specificatiui istius sensus.

90. *Ad secundam probationem respondeo* distinguendo consequens: proprias species, per quarum actus, & obiecta sensus distinguantur, transeat consequentia; per quarum actus, & obiecta sensus non distinguantur, nego consequentiam.

*Ad tertiam probationem respondeo*, per se primo attingi sensibile commune, tam bene quam proprium, siue producat speciem propriam, siue non; vnde negatur in forma suppositum consequentis. Quod si etiam sensibile commune non attingatur per se primo, *Respondeo secundo* negando antecedens.

*Ad confirmationem* nego antecedens, & ad probationem dico posse dici, quod illa species sit diuersæ rationis nec est inconueniens, quod idem obiectum producat species diuersas in diuersis potentiis; sicut eadem albedo potest producere speciem visibilem in oculo, & intelligibilem in intellectu separato. Potest etiam dici, quod sit eiusdem rationis, neque enim est inconueniens, quod potentiæ diuersæ habeant species eiusdem rationis, quando possint percipere idem obiectum, nisi aliunde ostendatur id repugnare.

*Probant secundo iidem Authores conclusionem*: quia nulla potentia potest ferri in obiectum omnino distinctum à suo obiecto adæquato: sed obiectum adæquatum cuiusuis sensus externi est sensibile proprium: ergo non potest ferri in aliquod aliud sensibile, nec immutari ab illo per speciem propriam.

*Respondeo* negando minorem, quia etiam sensibile commune percipitur ab ipso, & cõsequenter continetur sub obiecto adæquato. Verum quidem est quod sensibile proprium sit obiectum adæquatum eius, quatum ad adæquate distinguendum ipsum ab alijs potentijs, cui quibus conuenit in perceptione sensibilis cõmunis: sed potentia potest bene ferri in aliquod obiectum quod non cõtinetur sub obiecto adæquato eius hoc modo accepto.

91. *Melius ergo probatur conclusio*: quia numerus, quod est sensibile commune quatenus percipitur à sensu, nihil aliud dicit, quam plura sensibilia propria non continuata quantum ad perceptionem sensus, vnde non dicit formaliter, nisi negationem illius continuationis: sed euidens est istam negationem non producere posse speciem aliquam propriam: ergo sensibilia communia non producunt speciem propriam, eadem enim est ratio de vno sensibili communi, ac de omnibus.

*Confirmatur*: quia figura, quæ est aliud sensibile commune, nihil aliud dicit supra sensibile proprium præter ordinem talem partium inter se, vel in ordine ad locum, qui ordo est relatio: sed relatio non potest causare speciem, quæ est qualitas absoluta, ergo sensibile commune non potest causare speciem propriam.

*Probatur secundo*, si sensibile commune produceret speciem propriam distinctam realiter à specie sensibilis proprij, posset Deus concurrere ad speciem sensibilis proprij non concurrendo ad speciem sensibilis communis: sed in tali casu adhuc videretur color, v.g. cum tali magnitudine, & figura: ergo videretur sensibile commune per speciem sensibilis proprij, & consequenter superfluit species sensibilis communis.

*Confirmatur*: quia posset Deus de potentia saltem absoluta producere speciem sensibilis communis, non producta specie sensibilis proprij: sed tum deberet aliquid videri per ipsam ex vno capite, quia omnis species distincta ab alia, & dabilis absque illa potest repræsentare aliquid: ex alio vero capite, nihil posset repræsentare, implicat enim visum posse videre figuram per se sumptam absque colore, aut luce: ergo implicat illa species propria.

*Probatur tertio*: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed vnica species sensibilis proprij producta ab ipso, vt habet talem figuram, aut magnitudinem, omnino sufficit, vt sic percipiatur: ergo non est asserenda alia species.

91. *Obiicies*: sensibile commune imprimit speciem aliquando, cum sensibile proprium non adest, nec immittit speciem propriam: ergo etiam quando adest proprium talem speciem imprimit, neque enim præsentia sensibilis proprij diminuit vires eius.

Probatur antecedens: quia si quis esset propè cælum, percipere posset magnitudinem, & figuram eius per manum: sed in cælo non est sensibile aliquod proprium: ergo sensibile commune percipitur non percepto proprio; & consequenter immittit species, non immissis speciebus sensibilis proprij.

*Respondetur* negando antecedens: & ad eius probationem *respondent Complutenses*, in cælo reperiri qualitates tangibiles, quia tales qualitates non sunt solum qualitates primæ, & mediæ ex illis ortæ, sed aliæ etiam, vt soliditas, mollities, tersities. Et quia potest responderi, quod Deus omnes illas qualitates possit à cælo separare, & tamen quod adhuc posset manus tangere cælum, & percipere eius magnitudinem, & figuram,

*Respondent secundo*, quod non possit tangi tactu vitali, & consequenter quod non possit sensus percipere magnitudinem, aut figuram eius; licet fortè intellectus id posset facere per discursum. Quæ doctrina est bona, si tamen solæ qualitates percipi possint. At si nõ solæ qualitates sint perceptibiles, tum dicendum est, quod licet in tali casu tactus perciperet quãtitatem cæli, propter impenetrabilitatem, tamen illa quantitas non est sensibile cõmune, sed proprium tactui: quando vero dicitur quod magnitudo sit sensibile cõmune, hoc non debet intelligi de magnitudine quantitatiua, ac impenetrabili, sed de magnitudine extensionis partium extra partes, hæc enim sola est, quæ à visu, & auditu potest percipi, & etiam à tactu simul cum illa alia magnitudine quantitatiua impenetrabili, quæ est vnum ex sensibilibus propriis eius.

## QVÆSTIO X.

### *An dentur species insensatæ.*

Quid species insensata.

93. PEr *species insensatas* intelliguntur illæ, quæ repræsentant obiectum potentiæ internæ secundum aliquam rationem, secundum quam non percipitur sensu vllo externo, siue illa species, quæ sic repræsentat obiectum, etiam repræsentet ipsum secundum rationes perceptibiles à sensu interno, siue non. Quod si cognoscatur à sensu interno obiectum sub tali ratione, non est dubium quin detur species insensata, quia sub nulla ratione potest percipere obiectum, nisi sub ratione, secundum quam nata est ipsi repræsentari per aliquam speciẽ. Quare tota difficultas reducitur eò; an sensus internus cognoscat obiectum sub aliqua ratione, sub qua non percipitur à sensu externo, v. g. an ouis non solum cognoscat lupum sub ratione alicuius habentis tales colores externos, & talem figuram, ac magnitudinem, qualia apparent sensui externo, sed etiam sub ratione inimici, aut disconuenientis, sub qua ratione certum est quod à sensu externo non percipitur.

*Aduerte autem*, non esse dubium hic, quin sensus internus multa percipiat, quæ non sunt obiecta sensuum externorum, nam percipit ipsosmet actus sensuum externorum, & delectationes, ac dolores ipsos consequenter, & hoc quidem per species distinctas à speciebus obiectorum illorum, quæ species possunt vocari species insensatæ, quia sunt species rerum quæ non obiiciuntur sensibus externis; sed dubium præcise est, vt dixi, an percipiat obiecta sensuum externorum sub aliqua ratione, sub qua ab ipsis sensibus externis non percipiuntur.

*Prima sententia* est dari huiusmodi species insensatas, quibus cognoscatur obiectum secundum rationes aliquas non perceptas à sensibus externis. Ita *D. Thom. 1. p. q. 78.* cum suis communiter, quos sequuntur *Ruuius, Complutenses, Auersa, Arriaga & alij hic.*

*Secunda sententia* est non dari tales species. Hanc tenet *Scotus in 1. dist. q. 2. & in 3. dist. 15. num. 7. cum suis communiter*, quos sequitur *Hurtadus hic disp. 13.*

## CONCLVSIO I.

Non dantur species insensatæ.

94. *Non dantur huiusmodi species.* Est secundæ sententiæ contra primam.

*Probatur primo*: quia ipsemet intellectus non potest absque discursu considerare obiectum sub vlla ratione, sub qua non percipitur à sensibus sibi subordinatis: ergo neque potentia materialis interna, sed hæc non potest discurrere secundum aduersarios; & quamuis possit, certe non discurrit tories quoties elicit actus illos, ob quos ponuntur in illo species insensatæ: ergo.

*Probatur secundo*: vt darentur tales species, vt cognosceretur obiectum à potentia interna sub tali ratione nõ sensata, deberet dari aliquid quod ipsam ad hoc determinaret, vt est euidens: sed non potest, ergo.

Probatur minor: quia nihil potest ad hoc determinare potentiam præter obiectum quod percipitur à sensu externo, aut speciẽ sensatam eius expressam & impressam, aut ipsam potentiam internam, aut omnia simul: sed neutrum ex his, nec omnia simul possunt determinare potentiam internam ad illam speciem aut perceptionem insensatam: non quidem potentia se sola, quia illa est indeterminata, nec species sensata se sola, siue expressa siue impressa; aut obiectum solum, quia species sensata expressa & impressa lupi habetur ab alio lupo, quin determinetur potentia interna eius ad percipiendũ ipsum per modum inimici aut disconuenientis, quæ est ratio insensata, sub qua dicunt aduersarij ipsum apprehendi ab oue; & similiter ipsum obiectum, nempe lupus aut accidentia externa ipsius, proponuntur æque alteri lupo ac oui, nec tamen determinant potentiam alterius lupi ad cognitionem illam insensatam. Nec etiam omnia illa simul, quia alias quoties omnia simul applicarentur, deberet causari in potentia interna species insensata vel expressa, vel impressa: quod est falsum, quia si ouis educaretur cum lupo, non perciperet lupum sub ratione disconuenientis aut inimici.

95. *Probatur tertio*: quia potentia interna æstimatiua verbi gratia non potest percipere lupum per modum inimici, nisi per modum inimici actualis, hoc est actualiter offendẽtis, vel per modum inimici aptitudinalis, hoc

est

est potentis aut solentis offendere: sed neutrum dici potest; aut si potest, non debet dici fieri per species insensatas, sed per sensatas: ergo.

*Probatur minor quoad primam partem*: quia non per modum inimici actualis, nisi actualiter offendat: sed actualiter non offendit, nisi quatenus ex perceptione externa ipsius sequeretur aliqua molestia; illa autem molestia si sit in sensu externo, non percipitur per speciem insensatam de qua hic agimus, vt patet ex dictis in initio quæstionis; si vero sit in potentia interna debet antecedere ipsam perceptionem eius, & tunc debet causari ab obiecto secundum rationē sensatam sensu aliquo externo, vt patet: ergo non est necessaria species insensata.

*Probatur etiam eadem minor quoad secundam partem*, nempe quod non per modum inimici aptitudinalis, aut potentis offendere: quia non potest aliquid apprehēdere per modum calefactiui, nisi actualiter expertus est quod aliquando calefecerit, aut ipsum, aut aliquid aliud simile: ergo non potest percipere aliquid per modum apti, aut potentis nocere, nisi aliquando expertus est quod nocuerit. Sed imprimis experientiæ in quibus se fundant aduersarij ad ponendas perceptiones insensatas, habentur in casibus in quibus non præcessit actualis experientia nocumenti. Et deinde, si actuale nocumentum debuit præcessisse, illud cognosci debebat per species sensatas: ergo & aptitudinalis inimicitia per easdem cognosci poterat, & consequenter non dantur species insensatæ.

*Probatur denique conclusio*: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla prorsus est necessitas specierum insensatarum: ergo non dantur.

Probatur minor ex solutione obiectorum.

96. *Obiicies*: ouis fugit lupum non propter indecentiam coloris, aut figuræ, sed quia inimicus est naturæ suæ; & auis congregat paleas, non quia id delectat sensum, sed quia est vtile ad nidificandum: ergo percipit ouis inimicitiam lupi, & auis vtilitatem palearum: sed illa non percipiuntur à sensibus externis: ergo sensus internus percipit in obiecto aliquas rationes insensatas.

*Confirmatur*: quia natura non deficit in necessariis: deficeret autem, nisi communicaret animalibus facultatem perceptiuam istarum rationum non sensatarū; sine enim illa, nec ouis fugeret lupum, nec auis nidificaret, nec animalia cognoscerēt herbas sibi vtiles, & nociuas.

Vnde sit vt ouis fugiat lupum.

*Respondetur* ouem fugere lupum ob aliquam molestiā, quā sētit in se eo viso, quæ molestia causatur ab ipsismet accidentibus externis lupi in ipso, vel immediatè vel mediate: hanc autem molestiam, cū experitur in se, naturali instinctu fugit sine cognitione vlla, præter cognitionē obiecti externi sic molestantis. Facile vero percipi potest cur alteri lupo, aut aliis animalibus non inferatur talis molestia, nec consequenter fugiant; quia propter diuersitatem complexionum accidentia illa externa lupi possunt bene causare molestiam in animali talis speciei, quamuis non causarent ipsā in animalibus alterius speciei, sicut aliquibus hominibus odores displicēt, qui aliis placent. Ad illud de auibus dico, eas etiam instinctu naturæ moueri ad colligendas paleas, & nidificādum sine vlla cognitione vtilitatis, aut alterius rationis nō sēsatæ.

97. *Ad confirmationem respondeo* prouidisse naturam sufficienter animalibus tribuendo ipsis illum instinctum, ratione cuius exerceant illas operationes, siue exerceant ipsas mediante specie, aut cognitione sensata, siue non. Vnde in forma, nego minorem.

*Dices*: si accidentia lupi percepta à sensibus externis ouis causarent illam molestiam in oue, ratione cuius fugeret, etiam si educaretur cum lupo deberet fugere: sed hoc est falsum: ergo.

Probatur sequela maioris: quia simili probatione vsi sumus ad ostendendum, quod non causetur species insensata per lupum, aut sua accidentia, aut species externas.

*Respondeo* negando sequelam maioris, quia ex consuetudine accommodari posset ipsius complexio taliter, vt non offenderetur præsentia lupi, sicut odores, & cibi ingrati redduntur aliquando grati, aut saltem non ingrati per consuetudinem, & è contra, qui grati sunt fiunt ingrati.

Deinde fuga illa potest impediri per metum, & molestiam illatam ab eo, qui cogit ouem ad cohabitandum cum lupo.

Ad probationem sequelæ, nego paritatem, quia species intentionalis cuiuscumque obiecti applicata sufficienter debet semper determinare ad cognitionem illam, ad quam est determinata, nec hoc potest impediri vlla consuetudine, aut mutatione complexionis, sicut possunt aliæ alterationes naturales, & physicæ, & etiam delectationes, ac molestiæ.

98. *Obiicies secundo*, ex *Arriaga*, sensus internus percipit concordiam vocum, in qua consistit musica, & proportionem colorum in qua consistit pulchritudo: sed sensus externus non percipit illa: ergo dantur species insensatæ.

*Respondeo* distinguendo maiorem: percipit illam concordiam & proportionem formaliter, quatenus dicit respectum, aut vllam rationem, quæ non percipitur à sēsu externo, nego maiorem; fundamentaliter, id est, percipit ipsasmet voces, & colores, quæ habent illam concordiam, & proportionem, concedo maiorem, & similiter distinguo minorem: sensus non percipit illa formaliter, concedo, fundamentaliter, nego minorem, & consequentiam: & dico, quacumque ratione percipiuntur illa à sensu interno, eadem ratione ea percipi ab externo.

*Obiicies tertio*, ex eodem. Bruta agunt propter finem applicando media ad eius acquisitionem: ergo cognoscunt vtilitatem medij respectu finis: sed hanc non percipit sensus internus: ergo.

*Respondeo* distinguendo antecedens: formaliter loquendo, aut cognoscendo finem, & media alio modo, quam cognoscuntur à potentiis externis, nego, materialiter, applicando ea quæ reuera sunt media ad finem, concedo maiorem. Et similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

Vbi aduerte, quod brutum si cognosceret media, & finem formaliter loquendo, omnino deberet discurrere, & ex effectu procedere ad causam, neque enim ipsemet homo potest alia via cognoscere media apta ad finem. Quod si concedatur semel brutis vis discurrendi, non est dubium, quin possint sibi acquirere species insensatas; vnde Conclusio nostra, & tota controuersia hæc supponit bruta non discurrere: quare hæc obiectio non est ad propositum, quia est contra hypothesim conclusionis, & controuersiæ.

# DISPVT. III.

## *De potentiis externis in particulari.*

POTENTIÆ externæ, de quibus hic tractandum est, sunt quinque omnibus notæ, nempe Visus, Auditus, Gustus, Odoratus, & Tactus, quas dari certum est experientia.

## QVÆSTIO I.

### *Quid sit organum, & obiectum potentiæ visiuæ.*

1. ORganum seu sensorium visus, est illa pars oculi in qua producitur, ac recipitur ipsa visio. Vt autem decernatur quænam sit illa pars, supponendum ex anatomia oculum constare, ac componi ex variis partibus diuersæ rationis, nempe ex tribus humoribus, ac quatuor tunicis. Ex his humoribus, qui in centro oculi residet, vocatur *chrystallinus*, seu *glacialis*: hunc circumdat secundus, quem vocant *vitreum*, circumdatus vicissim ipse à tertio humore, qui dicitur *aqueus*, seu *albugineus*. Porro quatuor tunicarum prima dicta *specularis*, & ana- Structura oculi.

uea, proxime ambit humorem chrystallinum: secunda dicta *reticularis* circumdat humorem vitreum, & ipsa ambitur à tertia quæ vocatur *uuea*, & est in diuersis hominibus diuersi coloris; quarta denique, quam vocant *corneam*, amplectitur totum oculum.

*Præterea* reperiuntur duo nerui à cerebro vsque ad oculum protracti, qui paululum postquam à cerebro recedunt, inter se vniuntur, & postea separantur, vno ad vnum oculum, altero ad alterum directo. Hos neruos appellant *opticos*, seu *visorios*.

Ex his ergo partibus diuersis, *Auicenna* existimat sensorium visus esse neruos opticos in ea parte, qua conueniunt: *Toletus* tunicam araneam: Communior sententia pupillam oculi, seu humorem chrystallinum; *Complutenses* denique, & humorem chrystallinum, & neruos opticos, præcipuè in ea parte qua conueniunt.

## CONCLVSIO I.

Sensorium visus est pupilla seu humor chrystallinus.

2. *Sensorium visus est pupilla oculi, seu humor chrystallinus.* Hæc est, vt dixi, communissima cum *Galeno lib. 8. de vsu partium cap. 6. Conimbricen. Suario, Ruuio, Auersa, Arriaga hic* contra reliquas sententias.

*Probatur*: quia quantum ad experientiam nostram attinet, omnino magis apparet visionem produci in aliqua parte ipsiusmet oculi, quam intra oculum in neruis vllis, & hinc etiam oculus dicitur videre, sed ex suppositione, quod producatur in oculo, nullibi melius, quam in humore illo chrystallino, qui in centro oculi ponitur, velut cæterarum omnium partium præcipua, ad quam ordinantur.

*Confirmatur contra Auicennam*: quia ideo ipse sensorium visus ponit in neruis opticis qua parte conueniunt, quia alias obiectum videtur duplicatum: sed hoc est falsum: ergo.

Probatur minor, tum quia *Vesalius lib. 4. de fabrica corporis humani, c. 4.* affirmat se reperisse quemdam hominem Patauij, in quo isti nerui non conueniebant, qui tamen nunquam conquestus est vidisse se semper obiecta duplicata; tum quia quamuis visio produceretur in pupilla, quandoquidem idem videretur visione vtriusque pupillæ, non deberet videri duplicatum, nisi poneretur impedimentum aliquod.

*Confirmatur secundo contra Toletum*, quia ideo ipse non ponit sensorium visus in humore illo, sed in tunica, quia humor non est animatus: sed hoc est falsum, quamuis enim alij humores fluidi, qui decurrunt hinc inde per corpus, non sint animati, hic tamen, qui non est sic fluidus animari potest, & debet.

3. *Confirmatur tertio contra Complutenses*, quorum sententia hac de re cæteris minus habet probabilitatis; quia illi præcipuè mouentur ad ponendum sensorium visus partim in neruis opticis, vt visio sit vna, & potentia visiua vna, quia altera visio esset superflua.

*Contra*, inquam, *hanc doctrinam primo*: quia multo magis esset vna illa visio, si in solis neruis opticis qua parte conueniunt, produceretur, quam si etiam produceretur in oculis: & si produceretur ibi vlla ratione, nihil prorsus impediret quo minus ibi solummodo produceretur: ergo, vel tenendum esset, quod ibi solum produceretur, vel quod non producatur ibi vlla ratione.

*Contra secundo*, quia quamuis visio extenderetur à pupillis ad neruos, adhuc essent duæ visiones, nam certe visio vnius distinguitur realiter à visione alterius oculi, & potentia illa productiua visionis, quæ est in vno oculo distinguitur realiter à potentia productiua visionis, quæ est in altero oculo.

*Nec refert*, quod secundum sententiam *Complutensium* cõtinuarentur inter se per illam extensionem ad neruos opticos qua parte conueniunt; quia illa continuatio non impedit quo minus, quæ continuantur visiones, sint realiter distinctæ, & separabiles à se inuicem.

*Contra tertio*, quia plura ponuntur in sententia *Complutensium* quàm communi: ergo ad superfluitatem vitandam non est tenenda illa sententia, sed potius communis.

Probatur antecedens: quia communis non ponit, nisi visionem vnam in vna pupilla, & alteram in altera: sed illi & hoc ponunt, & præterea alias visiones, seu partes visionis extensas per totum medium interiacens inter pupillam, & partem illam capitis, in qua nerui optici conueniunt.

4. *Contra quarto*: quia superflue ponitur illa extensio visionis, neque enim vlla prorsus est necessitas ipsius.

*Dices*, necessitatem esse, vt visio sit vna.

*Contra*, quia si non sit vna omnino simplex, & excludens partes loco notabiliter separatas, non debet esse vna vlla ratione: ergo non est asserenda illa extensio ob illam vnitatem conseruandam.

*Confirmatur* hoc ex paulo ante dictis: quotiescumque vnitas alicuius rei non potest teneri absque multiplicatione maiori entium, quam alias esset asserenda, non debet asseri illa vnitas, propter principium commune, quod non sint multiplicanda entia sine necessitate: sed non potest teneri vnitas visionis, quin plures partes eius asserantur, quam deberent asseri, si non teneretur, vt est euidens: ergo non est asserenda illa vnitas.

*Obicies primo*, pro *Auicenna*, quem sequitur *Ioannes à S. Thoma*. Nerui optici, seu visorij propterea tales vocantur, quia in ipsis producitur visio: ergo sunt sensorium visus.

*Respondeo* negando antecedens: sed ratio inditi istius nominis est quod per eos ad oculum deferuntur spiritus animales, sine quibus oculus videre nequit, & quod per eos etiam species deferantur ab oculo ad potentiam interiorem.

5. *Obicies secundo*: sufficit vna visio, & superfluit duplex eiusdem rationis de eodem obiecto: sed si produceretur in pupillis, essent duæ visiones, si vero in neruis in illa parte qua conueniunt, esset vnica tantum.

*Respondeo*, sicut non suffecit naturæ prouidere vnum oculum, nec superfluunt duo, quamuis suffecit ipsi prouidisse vnam linguam pro gustu; ita etiam non sufficisse ipsi prouidisse vnam visionem, nec superfluere duas.

*Confirmatur*: secundum aduersarios, species similes speciebus delatis per vnum oculum deferuntur per alterum etiam ad neruos opticos, sine superfluitate: ergo etiã sine superfluitate potest produci in vno oculo visio similis visioni alterius oculi, ad quamcumque enim vtilitatem deseruiet illa multiplicatio specierum eiusdem rationis, poterit deseruire multiplicatio visionum.

6. *Obicies* pro *Complutensibus*. Philosophus *lib. de sensu, & sensibili* postquam dixisset visionem esse in oculo, vt denotaret illum non esse in superficie oculi, sed interius in neruis opticis, ait: *Non enim in vltimo oculi anima, aut animæ sensitiuum est, sed manifestum quoddam interius.*

*Confirmatur*: quia *in eodem libro* dixit: *Si autem quemadmodum oculi duo sunt, dicat quis nihil prohibere; sic etiam in anima dicendum, quod forte ex his vnum aliquid sit & vna operatio ipsorum*: ergo non sunt duæ visiones non continuatæ.

*Respondeo*, ex hoc loco, neque cum coniectura posse colligi aliquid de neruis opticis, solum enim expresse dicitur quod visio non producatur in superficie oculi, hoc est in humore, aut tunica exteriori, sed interius, hoc est in pupilla, quæ est intima pars oculi: quod si etiam loqueretur de superficie ipsius pupillæ, adhuc posset esse verum, quod non esset producta visio in illa superficie, sed interius in parte interiori pupillæ; nec hinc sequeretur, quod deberet esse producta in neruis.

*Ad confirmationem respondeo* imprimis, *Philosophum* nihil hic determinare, vt patet ex particula *forte*. Deinde illud de vna operatione potest intelligi de vna quantum ad æquiualentiam, non quod reuera sint duæ: vnde nego consequentiam in forma.

7. *Hæc quantum ad primam partem quæstionis*; nunc secunda pars resoluenda est. Ad quod *aduertendum*, illud esse obiectum visus, quod percipitur per visum, seu ad quod terminatur visio: vnde quandoquidem visio ocularis terminetur quandoque ad colorem, quandoque ad lucem & lumen, non est dubium quia tam color, quam lux & lumen

lumen sit obiectum eius;& quandoquidem etiam nihil aliud videat oculus, quod percipi non possit per alias potentias externas, aut omnes, aut aliquas, si caperetur pro obiecto adæquato visus aggregatū ex omnibus obiectis in quæ posset visus tendere, & in quæ non posset tendere vlla alia potentia externa, obiectum adæquatum visus sine dubio esset aggregatum ex omnibus coloribus,& ex omni luce,ac lumine. Sed si capiatur pro obiecto adæquato aliquod vnum ex pluribus obiectis, quæ percipere potest visus;non potest assignari aliquod vnū obiectum, per ordinem ad quod posset explicari bene potentia visiua,tanquam ad obiectum adæquatum;nam illud vnum,vel esset lux, vel color,vel aliquid abstractū ab illis: sed non potest esse lux, quandoquidem posset videri præter lucem color, & color nullo modo spectat ad lucem; neque potest esse color,quia præter colorem potest lux videri,quæ non spectat ad colorem;neque aliquid abstractum ab illis, tum quia visus non tendit in rationes abstractas; debet autem tendere in obiectum adæquatum; tum quia non potest explicari quænam sit illa ratio abstracta.

Quid est obiectum visus.

*Dices*,posset explicari dicendo quod sit illud quod potest videri,in hoc enim conueniunt lux,& color.

*Cōtra*,quia non potest intelligi vt sic,quin intelligatur ipsamet potentia visiua:ergo illa explicatio non est sufficiens explicatio eius in ordine ad perueniendum ad cognitionem potentiæ visiuæ.

Itaque nihil vlterius circa obiectum visus declarandū manet, quàm vt ostendatur quid sit color, quid lux, & lumen, & quomodo requiritur lux, & lumen ad videndum colorem;de qua re quamuis egerim in commentario ad distinctionem decimam tertiam Secundi, tamen hic etiam iterum tractanda videbatur.

## CONCLVSIO II.

Lux non est substantia.

8. *Nec lux nec lumen est substantia.* Hæc est communissima sententia cum *Philosopho 2. de anima text.69. Doctore in 2.dist.13.D.Thom.1.part.q.79. ac cæteris Peripateticis hic* contra *Empedoclem, Lucretium, Simplicium*, quos ex recentioribus sequitur *Sebastianus Basſonus 2. de cœlo, intentione 2.*

*Probatur primo ex Doctore*,quia vtrumq; est per se sensibile, vt patet experientia: ergo neutrum est substantia, nulla enim substantia est per se sensibilis sensu externo, nisi ratione accidentis. Hac probatione vtuntur *Conimbricenses,& Ruuius:* & quamuis negari posset consequentia cum sua probatione;tamen quandoquidem non possit assignari vlla alia substantia, quæ sit per se sensibilis, & omnia alia quæ per se sentiuntur à sensu externo,sunt accidentia, omnino verisimilius est, quod lux ac lumen sint accidentia & non substantiæ.

*Probatur secundo quoad primam partem* etiam ex *Doctore*, quia lux in aliquo est accidens:ergo in omni. Consequētia est euidēs,quia quod in aliquo est accidens est aptum natum inhærere, & quod est tale non est aptum natum per se existere, & consequenter non est substantia. Probatur antecedens: quia in igne est accidens,neque enim est tota substantia ignis, nec materia prima nec forma substantialis eius:non quidem materia prima, quia alias omnia corpora essent lucida, cōstant enim materia prime:non tota substātia ignis,quia sic lux stellæ esset tota substantia istius stellæ,& consequenter stella & ignis & quodcumque aliud lucidum essent eiusdem speciei;non etiam forma substantialis ignis, propter eādem rationē.

9. *Dices*: quamuis ignis aut forma ipsius esset lux,& eodem modo stella, & quodcumque aliud lucidum, vel forma eius esset lux, tamen non sequeretur quod essent eiusdem speciei,quia licēt conuenirent in ratione lucidi, tamen disconuenirent in ratione lucidi talis aut talis lucis, non quasi esset differentia in ratione ipsius lucis, quatenus lux est, seu quatenus perceptibilis à sensu externo,sed quod lux cœlestis, v.g.haberet aliquas operationes & influxus quos non haberet lux ignis, aut alia terrestris; aut quod lux cœlestis esset substantia simplex aut incorruptibilis,& lux terrestris esset substantia composita & corruptibilis.

*Confirmatur hoc*:quia corpora cœlestia conueniūt cum sublunaribus in ratione substantiæ vt sic;& etiam conueniunt cum igne in ratione exigentis lucem connaturaliter ex suppositione quod lux sit qualitas:ergo similiter possent conuenire in ratione lucis aut lucidi, quāuis illa ratio esset substantialis vtrisque.

Quod ad me attinet, syncere fateor hac responsione eneruari posse vim prædictæ probationis: vnde potius innitendum primæ.

Lumen non est substātia.

10. *Probatur facilius conclusio*, quoad secundam partem de lumine: quia lumen in aëre est accidens: ergo vbicumque.

Probatur antecedens:quia non est substantia,aut forma,aut materia aëris,vt est euidens; neque est alia substantia, aut materia aut forma substantialis:non quidem materia, quia alias omnia constantia materia essent luminosa: non etiam substantia, quia sic duæ substantiæ essent in eodem loco,nimirum substantia luminis & aëris;neque forma substantialis,quia hæc non datur nisi in aliqua materia & substantia composita:ergo si non datur cum aëre aliqua composita substantia, neque dabitur cum ipso aliqua forma substantialis.

*Hæc probatio* efficaciter probat lumen esse accidens, & si lumen esset eiusdem speciei cum luce, consequenter probaret lucem esse accidens;vnde *Thomistæ* tenentes eam esse eiusdem speciei, merito vtuntur hac probatione ad probandum lucem esse accidens: At *Scotistæ*, quia sunt in oppositā opinione, deseruire non potest ad probandum lucem esse accidens.

*Dices cum Basſono*, lumen non esse eodem loco cum aëre;sed esse particulas aliquas tenues substantiales immissas à corpore lucido, & immixtas aëri.

*Contra primo*: quia incredibile videtur tot particulas substantiales immiscēri per totum aërem quin aër moueatur; ex illuminatione autem constat experientia ipsum non moueri.

11. *Contra secundo*:quia illæ particulæ immixtæ aëri,& egredientes à corpore lucido,v.g. Sole,vel egrederentur ab illo corpore eo modo, quo vapores egrediuntur à corporibus humidis, & exhalationes à siccis & calidis; vel producerentur de nouo in ipso aëre. Neutrum dici potest:ergo non dantur tales particulæ.

Probatur minor, quoad primam partem, nempe quia dicit, quod non egrediantur vt vapores, aut exhalationes:tum quia non possunt exire in instanti, illuminatio autem fit in instanti; tum quia darentur pori in cœlis, per quos transirent istæ particulæ, quod absurdum est, quia exeuntibus illis particulis, nihil ipsis succederet; tum quia corpora cœlestia lucida essent corruptibilia, & extenuarentur paulatim per egressum quotidianum tot corpusculorum.

Probatur eadem minor quoad secundam partem, nēpe quod non essent corpuscula de nouo in aëre generata:quia,vel generarentur ex materia aëris, vel ex alia. Si ex materia aëris, ergo aër corrumperetur quoad maximam sui partem, quod est absurdissimum; imo quoad omnem,quia non est potior ratio de aliquibus partibus eius,quàm de omnibus;si ex alia materia, præterquam quod assignari non possit, ergo in instanti quo fit illuminatio in cubiculo magno, v. g. ad apertionem fenestræ,fieret generatio istarum particularum,& destructio aliorum corporum ex quorum materia generarentur,& rursus clausa fenestra fieret destructio illarum particularum,& productio aliarum succedentium;quod totum est absurdissimum.

12. *Obiicies* Philosophum *sect.11. problematum 13.* vbi radios solares,ac lumen vocat corpora.

Deinde *Augustinus 2. de lib. arb.* dicit lumen primum locum tenere inter corpora. Et *Theodoretus q.7.in Gen.* asserit lucem esse substantiam per se cohærentem. Et denique *Damascenus 2. de fide. Neque enim*, inquit, *ex quorundam sententia ignis quidquam aliud est quam lux*: & *cap.8.* dicit substantiam luminis esse diuersam ab aëre.

*Respondeo*,Philosophum eo loci nihil determinare,sed dubitatiuè tantum procedere, sicut solet plerumque in

problematicis. *Augustinus,& Theodoretus* capiunt lumen, & lucem pro corpore luminoso,& lucido,quod sine dubio est substantia *Damascenus* autem primo loco loquitur in sententia aliorum. Et in secundo capit substantiam pro natura,ac entitate; ita vt sensus sit, quod lux habeat entitatem & naturam distinctam ab entitate ac natura aëris;ex hoc vero non sequitur quod sit substantia, aut quod non sit accidens.

13 *Obiicies secundo* fundamentum *Bassoni*: Radij Solares incidentes in foramen camini notabiliter impediunt egressum fumi,sed hoc fieri non posset nisi illuminatio fieret per intermixtionem corpusculorum;ergo *Confirmatur* per rationem, quam *Philosophus* in problematibus supra dat, cur nox aptior ad audiendum sit quam dies:nempe,quia aer de die densior est ob radios solares ac lumen,quam noctu,& vox facilius fertur per minus densum: neque enim de die deberet esse densior ob radios,nisi illuminatio fieret per corpusculorum intrareceptionem.

*Respondeo* negando minorem: nam aer ipse affectus qualitatibus quibus afficitur, sic illuminatus posset resistere fumo,tam bene quàm cum illis corporibus; si tamen vera est illa experientia,de qua sane dubito,nisi tum spiret ventus impediens fumum:quod si spiret tum ventus,experientia illa nihil facit ad propositum.

*Ad Confirmationem respondeo*,veram rationem non esse illam;sed potius, quia noctu minus vocis excitatur per aerem,quiescentibus scilicet magna ex parte animalibus:nec refert quod illa ratio proponatur à Philosopho;quia non omnes rationes,quas proponit in problematibus,sunt sufficientes.

## CONCLVSIO III.

Lux malè describitur esse actus perspicui aut illuminati.

14 *Non bene definitur lux aut lumen esse actus perspicui, vt illustrati aut illuminati.* Hæc est contra *Complutenses disput. 10.num. 11.& patet*,quia qui non cognoscit lumen aut lucem non potest cognoscere quid sit esse illustratum aut illuminatum;ergo alicui no cognoscenti lumen aut lucem, perfime describeretur per ordinem ad illuminatum,aut illustratum, quod mihi tam euidens est, vt mirer oppositum ab vllo teneri.

## CONCLVSIO II.

Descriptio lucis.

15. *Lux optime describitur esse qualitas ex se visibilis independenter ab alia qualitate, quæ non sit species intentionalis eius,consequens naturam sui subiecti,ita vt connaturaliter nequeat produci, aut destrui,nisi eo destructo aut producto.* Hæc est in terminis nullius.

*Probatur tamen*: quia omni & soli luci conuenit hæc descriptio, & potest deducere ignorantem quid sit lux, ad cognitionem naturæ eius, & ad ipsam ab omnibus aliis formis discernendam, vt magis patebit ex eius explicatione.Dicitur *qualitas*,quia si non sit substantia,certum est quod debeat esse qualitas,neque enim esse potest quãtitas,aut relatio.Dicitur *ex se visibilis independenter ab aliis qualitatibus*,vt excludantur colores, qui sine lumine nequeunt videri. Dicitur, *quæ non sit species intentionalis*, quia tam certum est,quod requirantur species intentionales ad videndum quodcumque aliud. Dicitur *consequens naturam subiecti*,&c. vt excludatur lumen,quod distinguitur specie à luce,vt patebit statim.Quod si lux & lumen essent eiusdem speciei, vt tenent *Thomistæ*, non esset necessaria hæc particula,nec vera.

*Hinc patet* bonam etiam esse illam descriptionem lucis,qua dicitur quod sit qualitas,à qua quæ ex natura sua perspicua sunt, independenter ab aliena qualitate quæ non sit species intentionalis ipsorum,habent esse perspicua,hoc est, habent posse videri, quia nulla qualitas tribuit ipsis hoc nisi qualitas concomitans connaturaliter eorum naturam, & quæ videri possit absque dependentia ab alia qualitate.

## CONCLVSIO V.

Lumen est species visibilis lucis.

16. *Lumen est species visibilis lucis.* Hæc est *Doctoris in 2.distinct.13.suorumque*, quos sequitur *Ægidius de anima q.81.76.Thiennensis ad text.71. Buridanus quæst.71. & alij*, eamque probabilem existimat S.*Thomas in 4.d.1. q.1.* est autem contra *eundem 1.p.q.67.Ruuium, Auersam,& Complutenses hic.*

*Probatur*:quia si lumen non esset species visibilis, sed qualitas intentionalis, deberet impedire sensationem, sensibile enim reale non intentionale positum supra sensum, visus præsertim,impedit sensationem; sed certum est lumen non impedire visionem siue alterius luminis,siue lucis,siue coloris, sed potius conducere ad illam habendam:ergo est qualitas intentionalis,& consequenter species visibilis.

*Hæc probatio*,quamuis *Caietano* difficilis appareat,cuius responsio & impugnatio ipsius videri potest in Commẽtario meo ad Scotum *n.11.* mihi tamen se sola non sufficit, quia responderi facilè potest, sensibile positum supra sensum impedire sensationem sui, non tamen alterius:& licet aliqua sensibilia posita supra sensum impedirent etiam sensationes aliorum obiectorum; tamen id negari posset de omni sensibili,nec facile posset probari vniuersaliter quod omne sensibile impediat sẽsationem.

*Melius ergo probatur*, quia omnes conditiones speciei impressæ visibilis lucis conueniunt lumini:ergo est talis species.

Probatur antecedens:quia dependet à luce in fieri & conseruari;caret contrario, producitur in instanti,deseruit & omnino necessarium est ad videndam lucem.

*Confirmatur*: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed non est necessitas ponendi alias species lucis præter lumen: ergo solum est species lucis.

17.*Obiicies primo*,lumen videtur: ergo non est species visibilis impressa,quia hæc est ratio videndi non visa.

*Respondeo* negando consequentiam,ad cuius probationem dico quod species impressa sit ratio videndi non visa, quatenus illa species quæ est in oculo & eum determinat ad visionem non videtur ab ipso oculo; non vero quatenus non possit illa species, aut alia eiusdem rationis videri quando esset remota ab oculo.

*Dices*:si species visibiles remotæ ab oculo possent videri, deberent semper videri quoties proponerentur in oculo;hoc autẽ est falsum:ergo nũquam possunt videri.

*Respondeo* cum Doctore negando sequelam:nam quẽadmodum ipsum lumen diffusum per medium non potest semper videri, secundum aduersarios, etiam si non esset species visibilis secundum ipsos, sed tum solum quando contiguatur corpori opaco: ita etiam quamuis sit species visibilis,& possit videri,non debet semper videri, sed tum quando contiguatur corpori opaco.

18. *Obiicies secundo*,lumen denominat medium luminosum, sed species visibilis non denominat medium, vt patet de speciebus colorum, quæ non denominant medium:ergo lumen non est species visibilis.

Species sensibiles denominãt suum subiectũ.

*Respondeo* negando minorem,impossibile enim est aliquam formam esse in subiecto, quin ipsum denominet, quandoquidem denominare ipsum non est aliud quam communicare se formaliter ipsi.

*Confirmatur hoc*:quia si imponeretur hoc nomen *Albedo* ad significandum speciem visibilem albedinis,& *album* ad significãdum subiectum in quo esset illa species, profecto non minus albedo tribueret suo subiecto esse album formaliter, nec magis denominaret ipsum albũ, quam *albedo* denominaret suum subiectum *album*:ergo illa species realiter denominat à parte rei suum subiectũ, tam bene quam albedo, aut lumen, licet non sit nomen de facto impositũ ad significandum istam denominationẽ speciei,sicut est ad significandũ denominationẽ albedinis. De quo meo iudicio non potest esse controuersia.

19. *Si autem quæras*,cur non sit impositum nomen ad significandum effectum formalem,quem tribuũt species colorum suis subiectis, sicut est ad significandum effectum formalem quem tribuunt species lucis, nempe lumen.

*Respondeo* rationẽ principalem esse, quia homines id noluerunt, & fortassis sunt ad hoc adducti, quia lumen habet alium effectum valde principalem, & sensibiliter notum;præter illum effectum quem habet,vt est species

visibilis

visibilis præcisè: nam vt species habet tantum determinare potentiam ad visionē lucis; sed præterea habet posse causare visionem per modum obiecti, & deseruire ad videndos colores; species autem colorum non habent aliū effectum communiter notum, quàm determinare potentiam ad visionem colorum producendam.

*Obiicies tertio*, lumen habet effectus reales, potest enim producere calorem, & corrumpere physicè oculum. Sed huiusmodi effectus non competit speciei visibili, aut qualitati intentionali: ergo.

*Respondeo*, si maior sit vera, negando minorem, neque enim est vlla ratio cur qualitas intentionalis non possit habere effectus reales non intētionales, modo simul habere etiā possit effectus intentionales. Dixi autem, si maior sit vera, quia existimo probabilius esse cum *Durando*, *Auersa*, & aliis contra *Conimbricenses 2. de cælo cap. 7. q. 5.* Lumen non esse productiuum caloris; sed calorem, qui producitur simul cū lumine, produci à causa illuminante per calorem; aut formalē, si illa causa sit calida formaliter, vt est ignis, aut virtualem, si illa causa non sit calida formaliter: vt non est Sol. Ratio autē huius est, tum quia nulla prorsus est ratio, vnde colligatur inesse talē virtutem lumini, aut etiam luci: tum quia si per lumen producerent corpora cælestia caloré, per aliam aliquam qualitatem similiter diffusam deberent producere frigus quādo frigefaciunt: talis autē qualitas assignari nō potest, & gratissime fingeretur; tum denique quia si per lumē produceretur calor à Sole, iuxta proportionem luminis deberet esse proportio caloris: sed hoc est falsum, quia certum est non esse tantam differentiam inter lumen æstatis, & hyemis, quanta est inter colores vtriusque. Vnde in forma *Respondeo secundo*, negando maiorem.

Lumē nō producit calorem.

20. *Obiicies quarto*, si lumen esset species lucis, à qua procedit, verbi gratia, Solis, quoties proponeretur sufficienter lumen sic, vt visio ad ipsum terminari posset, deberet videri illa lux in eadem forma, & figura, quam habet, sicut quādo proponitur species hominis in speculo, ipsemet homo in sua forma & figura apparet: sed hoc esse falsum patet experientia: ergo.

*Respondeo* negando maiorem, neque enim obiectum, à quo producuntur species, debet videri in loco vbi est species, nisi quando ipsummet producit speciem reflexā: Sol autem non habet vim producendi speciem reflexam ab omni loco in quo potest videri lumen.

Hinc patet lumen posse optime describi per hoc ipsū, quod sit species visibilis lucis: sed quia non solum competit lumini esse talem speciem formaliter loquendo, sed etiā vlterius alij effectus competunt ipsi, qui & possunt considerari in lumine, quin consideretur lumen esse species visibilis, nec colligūtur inesse ipsi ex eo quod sit species visibilis lucis; & verisimile est, quod hoc nomen *lumen* sit impositum ad significandum illam qualitatē, quæ vocatur lumē, secundum quod est apta nata habere illos alios effectus: Ideo describi potest secundum hanc aliam rationem esse qualitatem per se visibilem independentē ab alia qualitate non intentionali, & non consequentem vllum subiectum ex natura talis subiecti connaturaliter; cuius descriptionis sensus & bonitas patet ex iis, quæ dicta sunt circa descriptionem lucis, à qua per vltimam particulam, *& non consequentem*, &c. differt.

Descriptio luminis.

## CONCLVSIO VI.

Descriptio coloris.

21. *Color bene describitur esse qualitas non intentionalis, qua potest videri; sed non sine dependentia ab alia qualitate, quæ non sit species intentionalis eius.* Hæc etiam in terminis est nullius: sed in re vix negari potest.

*Probatur* autem: quia omni & soli conuenit, & absque superfluitate declarare potest naturam coloris ignoranti quid sit, ita quod possit ipsum discernere à quacūque alia qualitate sibi proposita. Dicitur, *Qualitas, quæ videri potest*, quia omnis color videri potest, & in hoc conuenit cū luce & lumine. Dicitur *non intentionalis*, vt distinguatur à specie coloris, quæ probabiliter videri potest. Dicitur, *sine dependentia ab alia qualitate*, &c. quia non potest videri sine luce aut lumine, & in hoc differt à luce & lumine.

*Alij* solent colorem describere esse *qualitatem quæ mouet actu perspicuum*, hoc est, quæ potest videri per mediū transpatens & lucidum seu luminosum, cum tamen non constituat istud medium lucidum ac luminosum. Quam descriptionem nō improbo; sed magis placet altera, quia hæc non potest intelligi quin intelligatur quid sit lux aut lumen, illa autem altera potest.

## CONCLVSIO VII.

Colores veri distinguuntur à luce & lumine.

22. *Colores veri, & sensibiles, qui scilicet semper ad quamcumque illuminationem lucis in eadem distantia apparent iidem, distinguuntur à luce & lumine.* Hæc est communis contra *Platonem in Timæo*. Et probatur manifestè: quia si non distinguerentur à lumine, non deberent semper apparere eodem modo ad quamcumque illuminationem lucis aut luminis, contra experientiam.

*Confirmatur*: quia colores apparentes, quia non distinguuntur à luce aut lumine, non sunt stabiles, & ad diuersam applicationem lucis apparent diuersi: ergo qui non apparent diuersi ex quacumque applicatione diuersa lucis, erunt distincti à luce & lumine.

*Obiicies*, secundum *Philosophum 3. de anima tex. 38.* lumen quodammodo facit, vt qui sunt potentia colores, sint actu colores: ergo non distinguuntur actuales colores à lumine.

*Respondeo* negando consequentiam, quia non faciunt actu colores constituendo ipsos formaliter in esse coloris, sed quatenus qui sunt colores actu, nec tamen possunt proximè actu videri absque lumine, antecedente lumine actu videri possunt; qui est verus sensus *Philosophi*, & insinuatus etiam aliqualiter per particulam *quodammodo*.

23. *Quæres primo*, an requiratur lumen ad videndum obiectum aliquod tam ex parte obiecti, quam medij.

An lumē requiratur ad videndum ex parte obiecti & medij.

*Hurtadus & Arriaga* hic existimant lumen requiri ex parte obiecti tantum. *Ruuius* existimat ipsum requiri etiam ex parte medij, ad videndos colores, non vero ad videndam lucem. *Complutenses* existimant non requiri lumen ex parte obiecti colorati, vt videatur color, sed solum ex parte medij: explicant autem necessitatem luminis ex parte obiecti, quam negant, consistere in hoc, quod necessarium esset ad dandam actiuitatem coloribus, ad producendas species in medio illuminato, & ad determinandam visionem.

Ad hanc difficultatem *dico primo*, ex suppositione quod lumen sit species sensibilis lucis, ipsum sine dubio requiri ex parte totius medij, tam vt videatur color, quam vt videatur lumen. Patet manifestè, quia quotiescumque applicatur lux taliter vt possit videri, applicatur etiam sufficienter ad hoc vt possit producere speciem sui vsque ad potentiam videntem, alias videri non posset; & quotiescumque etiam proponitur color sufficienter vt possit producere species, debet illuminari: sed quotiescumque illuminatur, lux vel lumen, per quod illuminatur, applicatur sufficienter ad producendas species visibiles suiipsius per totum medium: ergo non potest nec color nec lux videri quin illuminetur totum medium si lumen sit species sensibilis seu visibilis lucis.

24. *Dices* cum *Hurtado & Arriaga*: aliquando videtur lux remota, aut color remotus ex loco obscurissimo, in quo non videntur colores proximiores: ergo non potest esse lumen productum per totum medium, quia alias viderentur colores illi proximiores: ergo non requiritur lumen ex parte medij.

*Respondeo* negando sequelam cum sua probatione: quamuis enim lumen sit diffusum per totum illud medium, tamen est tam exiguum, vt non possit sufficere ad videndos colores alios quam remotos magis perfectè illuminatos per lucem aut lumen, se tenens ex parte ipsorum. Hæc tamen experientia ostendit sufficienter plus luminis requiri ex parte obiecti, quam sit necessarium ex parte medij, imo existimo ex ea haberi quod lumē requiratur ex parte obiecti, non vt est species visibilis præcisè, sed vt habet aliam rationem; ex parte vero medij ipsum requiri solum, vt habet rationem speciei visibilis; vnde si non esset species talis, non requireretur.

*Dices*

*Dices cum Runio*, corpora quædam lucida videntur in tenebris, vt oculi felium, fungi, capita quorundam piſcium: ergo non requiritur lumen ex parte medij.

*Confirmatur*: quia ſi eſſet lumen aliquod in medio, per quod viderentur iſta corpora, maximè lumen ab ipſiſmet productum: ſed ſecundum *Philoſophum de ſenſu & ſenſibili cap. 2.* illa non producunt lumen: ergo.

*Confirmatur ſecundo*: conſtat non ſolum corpora lucida videri in tenebris, ſed quo magis eſt obſcurum medium, eo magis perfectè ea videri: ergo non requiritur lumen ex parte medij.

*Reſpondeo* diſtinguendo antecedens: in tenebris, hoc eſt, vbi nihil eſt luminis, nego antecedens; in tenebris, hoc eſt, vbi non eſt ſufficiens lumen ad videndos alios colores intermedios, concedo antecedens, & nego conſequentiam.

25. *Ad primam confirmationem reſpondeo* explicando *Philoſophum* cum diſtinctione minoris: illa corpora non producunt lumen ſufficiens ad videndos colores intermedios, concedo minorem, non producunt aliquid omnino luminis, nego minorem & conſequentiam.

*Ad ſecundam confirmationem reſpondeo primo*, illam militare contra *Runium*; nam ſimilis experientia eſt, quod quo magis medium ſit obſcurum, eo magis videantur colores remoti: ergo non requiritur lumen ex parte medij ad videndos colores contra ipſum.

*Reſpondeo ſecundo* diſtinguendo antecedens: quo magis eſt obſcurum per negationem omnis luminis, nego: per negationē luminis ſufficientis ad videndos colores alios intermedios, concedo antecedens. Cuius etiam ratio eſt, quod quando non eſt lumen ſufficiens ad videnda alia obiecta, totus conatus potētiæ poteſt adhiberi videndis coloribus, aut lucidis remotis; vnde perfectius videri poterunt, quam ſi eſſet tantum luminis in medio, vt aliis obiectis videndis deberet potentia attendere.

Si lumen nō ſit ſpecies non requiritur ex parte medij ad videndum colores aut lucē.

26. *Dico ſecundo*: ſi lumen ſit cauſa realis & non intentionalis, nec ſpecies viſibilis lucis, ipſum non requiri ex parte medij, nec ad videndos colores, nec ad vidēda corpora lucida. Si autem requireretur ad colores videndos, requireretur pariter ad videnda lucida. Hæc eſt directè contra *Runium* quantum ad vtramque partem, & etiam vt videtur, contra *Complutenſes*: eſt quoque contra *Conimbricenſes* quantum ad primam partem, eam intendunt ſine dubio *Hurtadus* & *Arriaga*.

*Probatur autem prima pars*: experientia illa ſupra obiecta priori reſolutioni, qua ſcilicet conſtat quod ex obſcuriſſimo loco videantur lucida ac colorata remota, nō videantur vero viciniora ex parte medij: nam in illo caſu non conſtat experiētia vlla quod ſit lumen in medio, ſed potius conſtat oppoſitum; & ex ſuppoſitione quod lumen non ſit ſpecies lucis, non eſt vlla ratio vnde ſuadeatur eſſe lumen ſparſum per totum medium; ergo nō eſt aſſerendum quod ſit lumen in toto illo medio, & cōſequenter lumen non requiritur ex parte medij.

27. *Dices*, color deſcribitur à *Philoſopho* eſſe *id quod mouet actu perſpicuum*, id eſt, corpus tranſparens illuminatum: ergo non poteſt producere ſpecies in medio non illuminato: & conſequenter vt videantur colores requiritur lumen.

*Reſpondeo* explicando *Philoſophum* per diſtinctionem antecedentis; mouet actu perſpicuum, hoc eſt, aliquod corpus tranſparens quod eſt illuminatum ex aliqua parte, nempe ex parte obiecti colorati, concedo antecedens; quod eſt illuminatum ex omni parte medij, per quod videtur, nego antecedens, & ſimiliter diſtinguo vtrumque conſequens. Ratio autem huius explicationis deſumitur ex eo, quod non poſſit veritas iſtius deſcriptionis oſtendi, ſi intelligatur in ſenſu aduerſariorum; poſſit autem in ſenſu iam dato: ergo melius ſic explicatur, quàm vt explicant aduerſarij.

*Dices*, non magis debet requiri lumen ex parte aliqua medij, quam ex omni: ergo ſi ex vlla requiritur, requiretur ex omni.

*Reſpondeo*, negando antecedens: tum quia experientia conſtat requiri ex aliqua, non vero ex omni; tum quia requiritur ex parte medij vicina obiecto colorato, v.g. quia alias coloratum non eſt illuminatum; non poteſt autem producere ſpecies, niſi illuminetur, vt patet experientia; poteſt autem illūminati poſito lumine in parte medij ſibi vicina, quamuis non ponatur lumen in omni parte medij.

*Confirmatur* hoc, & ſimul etiam ipſa principalis reſolutio: ſecundum ipſos aduerſarios requiritur plus luminis ex parte obiecti quàm ex quacumque parte medij, ex qua videri poteſt; id quod & colligitur etiam experientia ſupra propoſita: ergo non eſt eadem ratio requirendi lumē ex omni parte medij, ac ex aliqua parte. Itaque quemadmodum plus poteſt ex vna parte medij deſiderari luminis, quam ex omni, bene poteſt lumen requiri ex vna parte, quamuis ex cæteris non requiratur, niſi aliunde probetur id fieri non poſſe quam ex hoc argumento: requirit ex vna parte: ergo ex omni.

28. *Dices tertio*: lumen requiritur ex parte obiecti ſecundum *Scotum*, quia lumen eſt ptius viſibile quam color, vt patet ex eo, quod lumē poſſit videri non viſo colore, color autem videri non poſſit, non viſo lumine; & quia conſequenter non poteſt color producere ſpeciem ſui, quin lumen etiam ſui producat: ſed ſi color nequit producere ſpeciem ſui abſque lumine, nec ſpecies coloris poteſt producere ſpeciem aliam ſui abſque lumine, & conſequenter quandoquidem color videri nequeat, quin diffundatur ſpecies eius per totum medium, lumē etiam debet diffundi per totum medium: quo argumento vtuntur *Conimbricenſes*.

*Reſpondeo* negando minorem (ex ſuppoſitione quod lumen non ſit ſpecies viſibilis) quia ſufficit quod non poſſit ſpecies coloris producere aliam ſpeciem, niſi vbi ſpecies luminis producit aliam ſpeciem. Itaque dependentia coloris à lumine conſiſtit in hoc, quod non poſſit color nec per ſpeciem ſui producere ſpeciem viſibilem in vlla parte medij, vbi lux vel lumen producunt ſpeciem ſui; hoc autem poteſt fieri, quamuis poſſit producere ſpeciem vbi non eſſet lux aut lumen, vt eſt euidēs, ipſa ſpecies lucis non ſit lumen.

*Probatur iam reſolutio præſens quantum ad ſecundam partem*: quia eadem prorſus eſt ratio, & eædem experientiæ de lucidis & coloratis, quantum ad hoc: ergo ſi requiritur lumen ex parte medij ad videnda colorata, requiritur etiam ad videnda lucida.

29. *Dices* cum *Runio*, diſparitatem eſſe, quod lumen eo quod ſit qualitas perfectior, mouere poſſit medium non illuminatum, color vero imperfectior non poſſit.

*Contra*: quia quamuis eſſet perfectior, ex hoc non ſequeretur quod poſſit mouere actu non perſpicuum, ſeu non illuminatum: nam perfectio maior ipſius non deſumitur ex hoc, ſed ex aliis capitibus, quæ non habent neceſſariam connexionem cum huiuſmodi motione: ergo ex perfectione maiori ipſius non rectè arguitur, quod poſſit mouere actu non perſpicuum. Quod ſi perfectio maior ipſius, partim deſumeretur ex hoc, omnino neganda eſſet, nec probari poſſet, niſi prius probaretur, quod competeret ipſi actu mouere perſpicuum, & quod id non competeret colori.

*Confirmatur* hoc: quia aliquid aliud non magis perfectum quam color poteſt mouere medium actu non perſpicuum, vt ſonus, v.g. ergo non mouere actu non perſpicuum, non arguit maiorem perfectionem; neque ex maiori perfectione oritur quod poſſit lux mouere actu non perſpicuum.

*Dices ſecundo*, lumen non requirit actu perſpicuum tanquam ſubiectum; conſtituit enim actu perſpicuum: ergo non requirit actu perſpicuum medium, vt moueat intentionaliter.

*Reſpondeo*, negando conſequentiam, quæ ſi valeret, ſequeretur etiam quod color non requireret medium actu perſpicuum vt moueat intentionaliter, quia non requirit aliquid actu perſpicuum tanquam ſubiectum.

Quomodo requiritur lumen ex parte obiecti.

30. *Dico tertio*, lumen requiritur ex parte obiecti colorati ſic, vt abſque concurſu actino luminis non poſſit color producere ſpeciem ſui. Hæc videtur eſſe contra

*Complu-*

*Complutenses*, & patet: quia quandoquidem color non possit producere speciem sui quin illuminetur, potius est dicendum quod id oriatur ex eo, quod indigeat concursu actiuo luminis, quam ex eo, quod lumen esset conditio sine qua non; neque enim potest ostendi quomodo haberet rationem conditionis, quandoquidem non applicet colorem, nec tollat impedimentum aliquod specierum eius.

*Dices*: color per se est visibilis: ergo non redditur visibilis per lucem.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: est visibilis secundum se, ita vt se solo absque concursu effectiuo luminis possit producere speciem sui, nego antecedens: est visibllis per se, id est, ita vt visio possit ad ipsummet immediate terminari, concedo antecedens, & nego consequentiam.

*Dices*, in hoc distinguitur sensibile proprium à communi, quod proprium per se primo attingitur à potentia, & non ratione alterius; commune vero attingatur non per se primo, sed secundario & ratione alterius: sed color est sensibile proprium: ergo per se primo & non ratione alterius est visibilis, & consequenter erit visibilis sine dependentia à concursu effectiuo luminis.

*Respondeo primo* negando maiorem, sed potius differunt in hoc, quod sensibile proprium percipiatur ab vno solo sensu; commune vero percipiatur à pluribus; vnde si solus oculus videret motum, motus esset sensibile proprium, quantumuis non videretur nisi mediante colore, aut lumine.

*Respondeo secundo*, distinguendo maiorem: non ratione alterius, cuius ipsum sit modus, transeat; non ratione alterius, id est mediante concursu effectiuo alterius, cuius tamen ipsum non sit modus, nego maiorem: & similiter distinguo primum consequens, & nego secundam consequentiam.

An color sit obiectum materiale visus vel formale.

31. *Quæres vltimo*, an color sit obiectum materiale visus, an vero formale.

*Respondeo*, hic non posse esse quæstionem vllam nisi de nomine, nam si per obiectum materiale intelligatur obiectum, quod terminat quidem immediate visionem, sed tamen non nisi cum dependentia ab alio, quod aliud potest videri sine ipso, color sine dubio erit obiectum materiale, & lux seu lumen erit obiectum formale. At si per obiectum materiale intelligatur illud, ad quod visio immediatè non terminatur, color non erit obiectum materiale, sed formalissimum. Et quia hic modus loquẽdi est sine dubio melior, & proprior, propterea absolutè dicendum existimo quod color sit obiectum formale visus tam bene quam lux: nec refert quod inde sequatur dari plura obiecta formalia visus, hoc enim non est inconueniens de pluribus obiectis partialibus attingibilibus per diuersos actus.

Alia de lumine & luce possunt videri *in Commentario ad distinct. 13. supra*. Hæc ad propositum præsens sufficiunt.

## QVÆSTIO II.

### *De organo & obiecto Auditus.*

Structura auris.

32. IN aure reperiuntur plura quemadmodum in oculo, de quibus dubitari potest in quonã ex illis producatur & recipiatur auditio. Intra enim partem externam aurium, quam oculis videmus, & foramen earum, reperitur membrana quædam, quæ miringa, seu tympanũ dicitur, & intra illam substantia quædam aerea, hoc est, similis aeri, sed animata: ipsa porro membrana sustinetur tribus ossiculis, quorum vnum simile est incudi, alterum malleolo, tertium stapedæ; & ad eam à cerebro duo nerui descendunt, qui auditorij possunt vocari, sicut nerui pertingentes ad oculos visorij appellantur.

### CONCLVSIO I.

Organum auditus est aer in tympano inclusus.

33. *Organum auditus est aer ille seu potius substantia aeri similis intra tympanum inclusa.* Hæc est communissima cum *Philosopho 2. de partibus animalium* contra *Vesalium*, qui in ossibus; *Themistium*, qui in spiritibus: & *Complutenses*, qui non solum in aere illo, sed etiam in neruis auditionem produci putant.

*Probatur*, quia nulla alia pars magis ad hoc accommoda videtur: ergo cum communiter ita teneatur, nec aliqua ratio sit in contrarium, dicendum est quod illa pars sit organum auditus.

*Confirmatur primo*, contra *Vesalium*, quia illa tria ossicula non continuantur immediate: ergo in illis tribus auditio non fit.

*Confirmatur secundo* contra *Themistium*, quia spiritus illi non remanent stabiliter in aure: sed organum debet esse quid stabile: ergo.

*Confirmatur tertio*, contra *Complutenses*, per ea, quæ dicta sunt contra illos quæstione præcedenti de organo visus: & præterea quia illi duo nerui non continuantur inter se, sicut nerui optici, seu visorij.

### CONCLVSIO II.

Sonus est obiectum adæquatum auditus.

34. *Sonus est obiectum adæquatum auditus, & non bene describitur esse qualitas sensibilis resultans ex forti percussione corporum sonororum, & medij resilientia: sed bene describitur esse qualitas illa, quæ sentitur per aurem solum.*

*Prima pars* est omnium, & patet, quia omnem sonum potest percipere, & nihil alind, tanquam obiectum proprium, quod non sit sonus.

*Secunda pars* est contra *Complutenses*, & patet breuiter, quia ignorãs sonum non potest intelligere quid sit corpus sonorum, quandoquidem hoc ipsum explicetur præsertim ab aduersariis esse corpus aptum efficere sonum: ergo pessime explicatur sonus per ordinem ad corpus sonorum. Omitto alias imperfectiones illius descriptionis, quia hæc sola sufficit ad illam reiiciendam.

*Probatur tertia pars*: quia quicumque ignoraret quid esset sonus, per hoc, quod diceretur ipsi esse talis qualitas, posset ipsam distinguere ab omnibus aliis qualitatibus & rebus: ergo bene sic describeretur.

35. *Dices* non constare quod id, quod auditur sit qualitas: ergo supponitur in definitione aliquid competere sono, de quo non habetur vlla certitudo.

*Contra*, quia illud quod auditur debet esse aliquid: non substantia, nec quantitas, quia hæc manere possent quando nihil auditur æque ac quando quidpiam auditur; non etiam relatio, quia hæc nequit producere speciem absolutam, nec per se primo percipi potest: ergo debet esse qualitas, quia nihil aliud relinquitur in quo possit consistere.

*Dices* esse motum.

*Contra primo*, quia potest esse motus vehementissimus, & nihil audiri. *Secundo*, quia motus est sensibile commune non proprium. *Tertio*, quia sonus causatur per motum secundum *Philosophum tex. 78. Quarto*, quia motus formaliter est relatio: ergo non potest percipi per se directe ab vlla potentia externa, nisi simul percipiatur ab ea aliquid aliud. Quando autem *Philosophus* dicit 2. *de anima c. 8.* sonum esse motum; intelligendus est in sensu causali, non formali, ita scilicet, vt non velit sonum esse formaliter motum, sed eum mediante motu causari.

### CONCLVSIO II.

Sonus nõ defertur ad auditum realiter sed intentionaliter.

36. *Sonus non defertur ad auditum quoad esse reale suum, sed mediantibus speciebus impressis.* Hæc est communis; & *probatur*: quia si sonus quoad esse reale suum deferretur ad auditum, vel idem ipse sonus, qui primo producitur ad collisionem duorum corporum, vel alius sonus distinctus: *non primum*, quia ille sonus primo productus non potest deferri absque subiecto in quo primo producebatur; quia alias accidens migraret de subiecto in subiectum, neque potest deferri cum subiecto, tum quia aer ille, in quo primo producebatur non potest esse tantus, vt possit sufficere ad hoc vt realiter spargatur per omnes illas partes in quibus auditur vox; tum quia si aer ille cũ sono in se producto deferretur ad organum auditus, quemodmodum odor defertur ad odoratũ: non perciperetur sonus vt distans, sed vt præsens, contra experientiam.

*Non*

*Non etiam secundum*, quia alias primus sonus non audiretur, sed alius ille sonus qui deferretur ad auditū; ideo enim deberet deferri ad auditū realiter, vt posset audiri: ergo primus sonus, si non deferatur realiter, nō audietur.

*Confirmatur*: quia ille alius sonus qui deferretur realiter, vel produceretur simul cum primo sono, vel postea. Si simul: ergo frustra produceretur, quia sufficeret ipsemet primus sonus: si postea, ergo non audiretur sonus ab iis qui sunt vicini statim ac producitur, contra experientiam.

*Probatur secundo conclusio*: quia color potest videri à visu, quin deferatur realiter ad ipsum, per hoc quod deferatur intentionaliter: ergo & sonus, à paritate rationis.

## CONCLVSIO IV.

Sonus nō defertur ad auditū per species successiue productas transacto sono.

37. *Sonus non defertur ad auditum per species intentionales successiue productas post transactum sonum.* Hæc est contra *Arriagam*, qui putat sonum statim ac producitur producere aliquas species, quibus statim audiri possit dum est; eo autem transacto perseuerare illas species, & producere postea alias species in parte remotiori, quibus mediantibus postea idem sonus audiri possit.

*Probatur*: quia species externæ intentionales dependent in fieri & conseruari à suo obiecto: ergo species soni nequeunt existere non existente ipso sono. Probatur antecedens, tum authoritate communi omnium *Philosophorum*, vno *Arriaga* excepto; tum quia sic dependent reliquæ species præter species soni, vt ipsemet fatetur; nec est vlla specialis ratio de sono, ob quam diceretur non habere talem dependentiam: tum denique quia ideo dantur istæ species vt possit ipsum obiectum, quoad esse reale suum percipi: sed non potest percipi quoad esse reale suum, nisi quando existit: ergo nec species eius debent perseuerare nisi dum ipsum existit.

*Probatur secundo*, quia auditio non potest percipere nisi aliquid realiter existēs, sicut nec vlla alia potētia externa: sed posset secundum sententiam *Arriagæ*: ergo.

*Confirmatur* vtraque hæc probatio: quia experientiæ, ob quas mouetur hic author ad tenendam hanc singularem doctrinam de natura specierum & auditionis, possunt saluari absque ea: ergo male recurritur ad ipsam. Antecedens patebit ex dicendis inferius.

*Probatur tertio*, quia si species productæ in prima sphæra durarent post sonum & primā auditionem eius, vt tenet aduersarius, deberet iterum mediantibus illis speciebus audiri idem sonus, contra experientiam. Probatur sequela: quia sicut transacto sono illæ species possunt producere in alia sphæra alias species, quibus audiatur sonus transactus, ita in eadem sphæra in qua ipsæ sunt, poterunt determinare auditum ad auditionem soni transacti.

38. *Confirmatur hoc*: aliæ species productæ in alia sphæra determinant auditum existentem in illa alia sphæra ad auditionem soni transacti, secundum ipsum: ergo & primæ species similiter determinabunt auditum existentem in prima sphæra, quia sunt eiusdem rationis cum speciebus secundis; nec vlla prorsus est ratio disparitatis.

*Confirmatur secundo*: quia propterea ipsemet negat sonum realem deferri ad auditum, quia deberet bis audiri in eodem loco: sed non magis hoc sequeretur de sono, quàm de specie, si ponatur species eo modo quo hic author: ergo non debet sic poni.

*Probatur quarto*: quia illæ species primo productæ, si essent aptæ natæ producere species in altera distantia transacto sono, essent etiam natæ illas producere existēte sono, neque enim existentia soni potest eas impedire, sed potius deberet eas adiuuare: ergo in illo instanti in quo producuntur, causarent species in altera illa distantia, & sic audiretur sonus æque cito in vlteriori distantia, ac in proximiori contra experientiam. Probatur prima consequentia: quia causa naturalis debite applicata debet producere effectum: sed illæ species essent causæ naturales & æquè bene applicatæ pro primo instanti, ac pro secundo: ergo.

## CONCLVSIO V.

quando sonus audiatur.

39. *Quotiescumque sonus aliquis audiuit bis, prius à vicinioribus, & postea à remotioribus, ipsemet sonus realis debet multiplicari per medium.* Hæc videtur esse communior sententia cum *Diuo Thoma* 2. *de anima sect.* 16. contra *Arriagam & Ruuium*.

à successiue debet multiplicari realiter in medio.

*Probatur*: quia sine tali multiplicatione non posset ab vllis posterius audiri, quàm ab aliis: ergo. Probatur antecedens; quia non posset sic audiri si maneret in eodem loco quo prius audiebatur, quin audiretur bis ab iis à quibus primo audiebatur, semel quidem, cùm primo producebatur, & postea etiam cum auditur à remotioribus, à quibus posterius auditur: neque enim possibile est, quod sonus realis existens hic pro secundo instāti posset determinare siue mediate siue immediate remotiores ad audiendum, quin etiam determinet proximiores. ergo debet sonus reperiri in alio loco quando postea auditur, in quo non fuit quando primo audiebatur: sed idem ipse sonus, qui primo producebatur, non est qui reperitur in illo alio loco: ergo alius, & consequenter multiplicatur sonus per medium in illo casu. Probatur minor, quia nō est verisimile quod idem ipse exiguus aer, in quo primo producitur vox aut sonus possit dispergi in tot partes, vt possit accedere ad omnes illas partes, ex quibus audiri potest ab illis, à quibus omnium vltimo potest audiri.

40. *Obicies*, non potest explicari quomodo hæc multiplicatio fieret: ergo non est asserenda.

*Respondeo* negando antecedens; facile enim fieri potest per agitationem illam aeris sequentem primum motum, per quem primus sonus producebatur. Itaque sicut sonus primus producitur per motum aëris resilientis ex percussione duorum corporum, & sicut iste primus sonus producit in eodem ipso tempore quo existit, species vsque ad determinatam sphæram, per quas statim potest intra illam sphæram audiri; ita alius aer in aliqua distātia motus cum proportione ad motum prioris aeris, causat postea alium sonum similem, qui etiam alias species ad aliam sphæram vltra se immittit, per quas in illa sphæra audiatur; & ita successiue.

Quomodo fit multiplicatio ni.

*Obicies secundo*: si sonus alius produceretur vltra illam distantiam, in qua audiebatur primus sonus; deberet postea audiri in eadem distantia.

*Respondeo primo*, hanc difficultatem æque valere contra omnes alios modos dicendi, & quidem magis contra aliquos.

*Respondeo secundo* negando sequelam, quia ille sonus non debet audiri nisi vbi transfundit species; non transfundit autem species nisi ad partes illas vlterius, ad quas motus dirigitur, vt patet experientia, & certe sicut impulsus impressus proiecto non mouet ipsum nisi ad partem ad quam dirigitur motus: ita non est mirum quod sonus non deberet producere suas species nisi ad partem ad quā antepellitur; cuius ratio à priori posset esse, quod ille aer sit dispositus ad recipiendas illas species, aer vero contentus intra primā sphæram non sit sic dispositus.

*Obicies tertio*: sonus potest causari intra vas æneum, sed non potest extra vas illud aer moueri per motum illum factum intra illud vas: ergo non debet multiplicari sonus extra vas.

*Respondeo* hanc obiectionem, quæ est *Rubij*, æque facere contra ipsummet, quia si non potest aer extra illud vas per motum intra factum moueri, profecto nec poterit aer intra ipsum moueri extra ipsum.

*Dico ergo* si sonus ille audiatur ab aliquibus prius, & ab aliis posterius, necessario moueri debere aerem extra ipsum positum, postquam mouetur aer intra ipsum inclusus, idque fieri potest siue per hoc quod aer inclusus motus perpellat aerem intra poros ipsius repertum, & hic aerem exteriorem; siue per impulsum impressum isti vasi, & mediante ipso aere exteriori.

*Hinc sequitur primo*, nunquam audiri sonum, qui non existit cum auditur, nec manere speciem impressam absque suo obiecto, nec causam naturalem debite applicatā pro vllo instanti aut tempore suspendi à suo effectu, quas omnes inconuenientias incurrit *Arriaga*.

Sonus nō est qualitas partim permanens & partim successiua.

42. *Sequitur secundo*, sonum non esse qualitatem partim permanentem & partim successiuam, secundum eadem partes reales & formales, cuius oppositum tenet

*Ruuius*

*Ruuius*: quia ideo esset huiusmodi qualitas, quia nisi esset successiuus, non posset successiuè produci, nec desinere contra experientiam; & nisi esset aliquantulum permanens idem sonus quando primo auditur deberet desinere, & sic non posset postea audiri à remotioribus: sed ex conclusione habetur quod non sit idem ipse sonus realis formaliter loquendo & propriè, qui auditur postea, sed alius omnino distinctus. Dixi autem, *secundum easdem partes reales & formales*, quia posset dici esse idem sonus æquiualenter & moraliter, sicut dicitur idem fluuius esse hodie & heri; & in hoc sensu etiam posset dici quod sonus habeat aliquam permanentiam moralem.

Sonus non producit species sui prius in vno loco & postea in alio.

43. *Sequitur tertio*, species soni non produci successiuè ab eodem sono, ita scilicet, vt prius producat species in vna parte medij; & postea in altera parte: nam cum idem ipse non sit postea, non potest producere species: itaque omnes species quas potest producere idem sonus, æquè cito illas producit per totam suam sphæram, & consequenter etiam æquè cito auditur in tota illa sphæra, neque quoad hoc est aliqua differentia inter species visibiles & audibiles, quamuis possit esse differentia quantum ad hoc, quod visibilia possint transfundere species ad longiorem distantiam quam audibilia; & hinc oriatur quod color aut lux existens in aliquo loco possit videri in alio loco, in quo sonus quantumuis magnus, excitatus in eodem loco in quo erant isti colores, non posset audiri.

Cur lux citius videatur quam sonus audiatur.

44. *Sequitur quarto*, rationem cur lux etiam successiuè producta simul cum sono, citius multo videatur in aliqua distantia quam audiatur sonus, quia scilicet per totam illam distantiam potest transfundere species, sonus vero cum ipsa productus non potest; alius autem sonus, qui postea auditur in illa distantia producitur post lucem; vnde non potest audiri æquè cito, ac lux videtur.

Quomodo fit echo.

45. *Sequitur quinto*, echo fieri mediante progressu soni, & reflexione specierum ab ipso causatarum ob oppositum obstaculum, estq; verisimile quod ipse etiam sonus aliquando reflectatur, præsertim quãdo fiunt variæ specierum reflexiones. Propterea autem audiuntur vltimæ voces, & non omnes per hanc reflexionem, quia quando reflectebantur primæ voces, audiebantur vltimæ voces per species directas, his autem per illas species auditis, non est impedimentum aliquod quominus eædem iterum per illas species reflexas audiantur.

Sonus producitur in aëre tanquã in subiecto.

*Sequitur sexto*, sonum produci in aëre, tanquam in subiecto, neque enim alia corpora, quæ ad productionem soni concurrunt, mouentur localiter ad tantum spatij, ad quantum sonus extenditur & multiplicatur: ergo debet necessario produci in aëre.

## CONCLVSIO VI.

Aqua etiã recipit species soni.

46. *Non solum aër, sed etiam aqua est medium aptum ad recipiendas species soni.* Hæc est communis contra *Hurtadum hic.*

*Probatur*: quia experientia constat pisces sonos in aëre apud nos excitatos audire, nosque pariter motus sub aquis ab iis editos, & fragorem lapidum sub aquis se mutuo collidentium audire. Dicere autem quod hoc accidat ratione aëris in poris aquæ inclusi, est diuinare absque fundamento.

*Confirmatur*: quia nihil impedit, quo minus aqua sit subiectum sufficiens ad recipiendum speciem soni; & quemadmodum species coloris non solum per aërem, sed per vitrum deferuntur, non est vllum inconueniens, quin similiter species soni per aërem, & aquã deferri possint. Nec refert quod Philosophus dicat medium, in quo fieri debet sonus, esse aërem; nam loquitur de medio magis accommodato, & per quod communius defertur.

## CONCLVSIO VLTIMA.

Tria corpora realiter distincta requiruntur ad sonum.

47. *Tria corpora realiter distincta requiruntur ad productionem soni, quæ tamen non debent esse semper discontinua.* Hæc est communis, & *probatur*: quia si aliquando non requirerentur, maximè, quando excitaretur sonus percutiendo aërem virga, hoc enim exemplo vtuntur aduersarij ad probandum oppositum: sed tum concurrunt tria realiter distincta, nempe virga, & duæ partes aëris, quæ diuiduntur. Et ex hoc ipso probatur secunda pars, nam illæ duæ partes aëris, quæ cum virga concurrunt, continuantur inter se. Quod vero aliquando etiam concurrãt tria corpora realiter discontinuata, patet quando excitatur per collisionem duorum lapidũ, v.g. tum enim illi duo lapides, & aër concurrunt, quæ omnia inter se non solum distincta, sed discontinuata sunt.

# QVÆSTIO III.

## *De Olfactu.*

IN interiori parte nasi reperiuntur duæ carunculæ similes extremitatibus mammillarum, quas propterea carunculas mammillares appellant, seu processus mammillarum; præterea sunt ibi rami neruorum, quos vocant membranam narium. Hoc supposito, aliqui putant sensorium olfactus esse ventriculos, seu sinus anteriores cerebri, à quibus deriuantur prædictæ partes repertæ intra nasum. Alij putant illud sensorium esse neruos descendentes à cerebro. Communiter vero tenetur carunculas mammillares esse sensorium odoratus.

## CONCLVSIO I.

Carũculæ mammillares sunt sensorium olfactus.

48. *Probabilius est carunculas mammillares esse sensorium olfactus.* Hæc, vt dixi, est communis cum *Philosopho 2. de anima text.* 10.

*Probatur*: quia nihil aliud conuenientius assignari potest.

*Confirmatur primo*, contra primam sententiam: quia sicut cæteri sensus externi habẽt suum sensorium in parte aliqua inclusa in toto organo deseruiente ad sensationẽ; ita etiam de olfactu dicendum est: ergo non debet collocari in vlla parte cerebri.

*Confirmatur secundo*, contra secundam sententiam: quia nerui illi extenduntur ad exteriores partes nasi, in quibus non sentimus odores; & quia quemadmodum visus, & auditus non habent sensorium in neruis procedentibus à cerebro, ita nec olfactus in illis collocari debet, præsertim cum nulla sit ratio, quæ ad id vrgeat, vel experientia.

49. *Obiicies primo*: cerebrum recreatur odoribus: ergo est organum olfactus.

*Respondeo* negando consequentiam, quia non recreatur per odores percipiendo ipsos, sed quatenus ipsi habent, vel secundum se, vel secundum qualitates concomitantes conuenientiam aliquam physicam cum cerebro.

*Obiicies secundo*: secundum *Philosophum* nares sunt organum odoratus.

*Respondeo* ipsum non intelligendum de organo, in quo immediatè fit olfactio, sed de instrumento per quod defertur odor ad sensorium: vel certè capit nares pro integro naso quatenus constituitur ex omnibus partibus interioribus, & exterioribus, & sic potest vocari organũ olfactus, sicut oculus organum visus, quamuis non in omni parte ipsius fiat olfactio immediatè, sed in mammillis, sicut non in omni parte oculi fit visio, sed in pupilla, aut aliqua alia parte eius.

## CONCLVSIO II.

Odor est obiectum adæquatũ olfactus. Eius descriptio.

50. *Odor est obiectum proprium adæquatum olfactus, & optimè describitur esse qualitas perceptibilis à solo sensu olfactus.* Hæc est communis, & solum negari potest quoad secundam partem, ab illis, qui eum putant esse substantiam.

*Probatur autem prima pars*: quia omnis odor potest percipi ab olfactu, & nihil aliud potest olfactus percipere præter odorem, quod non possit ab aliis sensibus percipi: ergo. Dixi autem, quod non possit percipi ab aliis sensibus, quia sensibile commune aliquod potest percipi ab odoratu, quod non est odor, at illud potest ab aliis sensibus percipi.

*Probatur secunda pars*: quia per illam descriptionem potest distingui ab aliis sensibilibus: à propriis quidem, per hoc quod percipiatur ab odoratu; à communibus vero per hoc quod à solo odoratu sit perceptibilis. Quod

autem sit qualitas patet,tum quia obiectum cuiusuis alterius sensus externi est qualitas, tũ quia nulla alia substantia est per se sensibilis:nec dici debet absque ratione euidenti quod obiectum huius sensus sit substantia, aut quod hæc sola substantia sit sensibilis;tum quia quando magna Ecclesia repletur odore ex vnguento aliquo aut fumo odorifero vel electro, non est verisimile substantiam aliquam per totam Ecclesiam produci.

51. *Dices*: non debere totam repleri substantia odorifera, quia sufficit illam substantiam esse in parte Ecclesiæ, vnde emittat species intentionales.

*Contra*,quia ablata illa substantia odorifera, v. g. electro, adhuc maneret odor: ergo odor ille non causatur à speciebus intentionalibus, quia hæ nequeunt esse absente obiecto.

*Dices secundo*: posse manere odorem in eo casu, quia licet auferretur substantia principalis odorifera, manerent tamen exhalationes odoriferæ ab ipsa per aërem transfusæ.

*Contra*:quia non est verisimile quod tot exhalationes à corpore odorifero emittantur absq; notabili extenuatione ipsius, quot essent necessariæ vt tantus odor maneret,eo ablato,in tot locis in quibus poni posset.

52. *Obicies*:Philosophus *l.de sens.& sensib.c.*1.ait odorem esse vaporem;sed vapor est substantia:ergo & odor.

*Respondeo*, cum intelligendum de odoris subiecto, qui aliquando potest esse vapor.

*Confirmatur* hæc explicatio:quia negat *c.*5. *eiusdem libri* odorem esse vaporem: ergo quando dixit quod esset vapor, non loquebatur in eodem sensu in quo negabat eum esse vaporem,sed in alio sensu,quando autem negat eum esse vaporem, hoc intelligendum est in sensu formali,propter fundamenta Conclusionis, & consequenter quando asserit eum esse vaporem, intelligendus est non in sensu formali,sed in alio aliquo.

## CONCLVSIO III.

Odor est qualitas secunda non productiua alterius similis.

53. *Odor est qualitas secunda non productiua alterius odoris sibi similis, deferturque per medium aërem aut aquam aliquando realiter, aliquando solum intentionaliter.* Hæc *quoad primam partem* est omnium,*& probatur*:quia alias aliquod ex elementis, in quibus primæ qualitates sunt diuersæ, esset odoriferum,contra experientiam.

*Secunda pars* est communis contra *Arriagam* & *probatur*: quia nulla alia qualitas sensibilis secunda est actiua sui similis:ergo nec odor debet dici sic actiuus,nisi constet aliqua ratione particulari;quod sit sic actiuus;id autem non constat: ergo.

*Confirmatur*: quia si esset aliqua ratio, ob quam deberet illa actiuitas odoribus attribui, maximè esset experientia, quam proponit *Arriaga* de electro relinquente odorem in manibus & vase, in quo conseruatur tam tenaciter,vt etiamsi lauentur,remaneat.Sed hæc experientia non sufficit: ergo.

Probatur minor:quia ille odor non potest esse qualitas producta in manu, sed exhalatio adhærens ipsi; quia si esset talis qualitas,non desineret successu temporis absque qualitatis contrariæ productione, aut mutatione aliqua facta ex parte subiecti, quæcumque enim qualitas potest manere in subiecto naturaliter per aliquod tẽpus, deberet in ipso manere semper, nisi mutetur subiectum aliquo modo,vel intrinsecè vel extrinsecè,vt patet ex principio vulgari:idem manens idem semper facit idem. Quod intelligi debet de causa naturaliter agente. Quod autem remaneat odor lauatis manibus, oritur ex nimis firma adhæsione exhalationum odoriferarum, non ex alio capite.

Odor defertur intentionaliter per medium.

*Tertia pars* est communior, contra eundem putantem non deferri odorem intentionaliter per vllum medium.

Probatur autem: quia sæpè aër, qui est medium per quod defertur odor,retinet odorem ablato obiecto odorifero principali:sed hoc non potest fieri nisi deferretur realiter per medium: neque enim species intentionales externæ manere possunt absque suo obiecto.

*Deinde* non est verisimile quod odores deferantur realiter ad tantam distantiam ad quantam percipiuntur à vulturibus, qui ad multa milliaria absentes cadauerum mortuorum sentiunt odores: ergo per aliquam partem istius medij deferuntur intentionaliter tantum. Quod autem deferantur per aërem tanquam medium, ex eadem experientia constat,& non minus constat quod deferantur per aquam, experientia piscium accedentium ad ripam fluuij quando afferuntur cibi grati, quos nec dum vident.

*Aduertendum autem*,quod quando dictum est,odores deferri per medium realiter,id intelligi debeat sic, vt nõ producatur in medio qualitas odorifera, sicut vult *Arriaga*;sed quod exhalationes odoriferæ exeant à corpore odorifero per medium.

54. *Dices*, si odores diffunderentur per medium mediantibus exhalationibus huiusmodi, deberet extenuari corpus odoriferum post exitum plurimarum exhalationum:sed hoc est contra experientiam.

*Respondeo*, negando minorem,nam quamuis non tam cito appareat extenuatio, tamen reuera accidit aliqua iuxta proportionẽ exhalationum, & naturam corporis.

*Obicies* contra tertiam partem; si odores deferrentur per medium intentionaliter, sentirentur vt distantes:sed hoc est falsum.

*Respondeo* negando minorem,in casu enim quo deferuntur per species solummodo, sentiuntur vt distantes, licet imperfectiori fortè modo, quam sentitur sonus vt absens, sicut sonus minus perfectè sentitur vt distans, quam color.

An sensus externi sint perfectiores in brutis quam hominibus.

55. *Quæri solet* hic, an sensus odoratus sit perfectior in brutis, quam in hominibus, & id quæri posset de aliis sensibus. Ratio autem dubitandi est, quia *pro parte affirmatiua* facit illud vulgare Carmen,

*Nos aper auditu,lynx visu,simia gustu,*
*Vultur odoratu,præcedit aranea tactu.*

& præterea authoritas *Philosophi* 2.*de anima c.*9.

*Pro altera vero parte* facit, quod anima in hominibus sit perfectior quam in brutis, & quod consequenter videatur exigere perfectiores potentias sensitiuas.

*Circa hanc difficultatem* aliqui putant potentias sensitiuas omnes esse simpliciter perfectiores in hominibus, sed aliquas tamen esse secundum quid perfectiores in aliquibus brutis,quatenus scilicet ad longiorem distantiam & maiori cum facilitate possunt operari, & iuxta hoc intelligunt prædictum carmen & *Philosophum*.

*Ego tamen existimo*,sicut conceditur potentiis brutorũ maior perfectio quantum ad percipiendum obiectum in maiori distantia, & minori cum difficultate: ita etiam concedi ipsis posse maiorem perfectionem simpliciter in ratione potentiæ sensitiuæ, modo non consideretur id, quod materialiter dicunt potentiæ sensitiuæ, nimirum esse potentiam exigẽtem animam talem vel talem;quod addo,quia si sic considerarentur,absque dubio potentiæ sensitiuæ humanæ deberent esse perfectiores, quia exigunt perfectiorem animam, cui etiam in nostra sententia ex parte idenficantur.Itaque in hac controuersia abstrahendum est ab illa consideratione & solum considerandæ sunt potentiæ in ordine ad actus & obiecta, & etiam ipsemet actus non debet considerari vt actus natus subiectari in tali subiecto, sed solum considerari debet vt perceptio talis obiecti, abstrahendo ab aliis rationibus in ipso inclusis. Sic autem si res consideretur, potius dicendum est, quod excedant potentiæ aliquorum brutorum potentias sensitiuas humanas: nec est vllo modo necessarium quod homo, quamuis sit perfectior brutis, & habeat animam perfectiorem, habeat etiam omnes facultates perfectiores; sed sufficit quod habeat plures, aut vnam excedentem cæteras facultates in quibus exceditur.

*Quæres secundo*,ex qua mixtione primárum qualitatum resultat odor.

Ex qua mixtione primarum qualitatũ resultat odor.

56. *Responderi solet* communiter cum *Philosopho de sensu,& sensibili cap.*5.quod ex mixtione in qua siccum vincit humidum,& calor dominatur:idque colligitur experientia, quia odorifera parum spirant odoris in frigore, quod procedit ex defectu dominantis caloris: deinde quando

quando nimis humida sunt, aut organum ipsum nimia distillatione humescit, vix percipiuntur ob defectum prævalentis siccitatis.

Quando autem opponitur alia experientia, quod idem cibus sit quandoque boni odoris & saporis, sapor autem non minus requirat dominium humiditatis, quam odor siccitatis, nec possit fieri, vt in eodem cibo vtraque qualitas dominetur.

*Responsio melior adhiberi solita* est quod idem cibus sit sapidus & boni odoris, non secundum easdem partes, propter obiectionem, sed secundum diuersas. Hæc est communis doctrina.

*Ego tamen puto* rem esse incertam, & potius inclinor ad existimandum quod odores omnes non exigant prædominium siccitatis in omni corpore, & quod aliqua humida possint esse odorifera sicut aliqua sicca. Moueor ad hoc, tum prædicta experientia de cibo, cui non satisfit per recursum ad diuersas partes: tum quia illa diuersitas partium non apparet: tum quia quamuis adesset, reuera, nulla pars esse potest, quæ non sit aut possit esse humida: tum etiam quia odores extremi, hoc est maxime oppositi non videntur exigere posse prædominium eiusdē qualitatis; sed potius vnus deberet exigere prædominiū vnius v. g. humiditatis, & alter alterius oppositæ v. g. siccitatis: & quod dico de siccitate, intelligi potest etiam de calore seruata proportione.

57. *Ad experientias* autem, quibus communior sententia innititur, *respondeti potest ad primam*, defectum spirandi odoris in frigore non oriri necessario, ex eo, quod diminuatur calor corporis odoriferi: cuius signum esse potest, quod si introduceretur in locum frigidum subito non spiraret odorem tantum quantum alias, sed ex eo potius quod aer frigidus non tam facile admittat exhalationes odoriferas. Posset etiam contingere, vt corpus tantum spiraret tum odoris, quantum alias, sed quod organum frigidum non esset tam dispositum ad illos percipiendos: hinc autem non sequitur vlla ratione quod odor ipse exigat prædominium caloris.

*Ad secundam experientiam dico* imptimis, impedimentum ortum ex humiditate organi non facere ad rē, quia inde non sequitur quin odor posset prouenire ex humiditate aliquando sicut ex siccitate; sed solum sequitur quod humiditas tolleret dispositionem requisitam ex parte organi, dispositio autem requisita ex parte organi, nō debet esse dispositio requisita ad productionem obiecti, quod ab organo sentiri debet. Alterum etiam impedimentum ex parte humiditatis obiecti, quod magis facit ad rem, non concludit, quia posset prouenire non ex eo, quod requireretur siccitas ad odorem, sed quod humiditas impediret egressum exhalationum.

*Deinde* illa experientia licet quandoque habeatur de aliquibus odoribus, non tamen de omnibus, imo opposita videtur haberi in cibo sapido & odorifero.

*Ad authoritatem Philosophi*, qui ea mouetur, responderi poterit, eum loqui vt plurimum, non vniuersaliter.

## QVÆSTIO IV.

### *De Gustu, & Tactu.*

Sēsorium gustus sūt nerui in linguā reperti.

58. LIngua, quam instrumentum esse gustandi experientia docet, ex duabus potissimum partibus consistit, nempe ex duobus neruis deriuatis à cerebro per mediam linguam, hinc atque inde in vtraque parte alios minores, instar ramusculorum, neruos à se extendentibus ad vtramque linguæ partem, & ex carne rara spongiosa ac porosa: vnde difficultas est, in quanam ex his partibus consistat sensorium gustus.

### CONCLVSIO I.

*Sensorium gustus sunt nerui prædicti.* Hæc est communis cum *Philosopho hic l. 2. text. 100.* & *probatur* magis authoritate, quàm ratione vlla; quantum enim ad rationem attinet, tam posset sensorium illud collocari in carne, quam in neruis: imo fortassis potius in carne, quia illi nerui non magis requiri debēt ad gustum, quam alij nerui correspondentes requiruntur ad auditum, & visum: sed nerui correspondentes istis aliis potentiis non sunt sensorium illarum, sed requiruntur ad hoc, vt per eos transmittantur species ab illis potentiis ad potentias internas, & vt à cerebro descendant spiritus animales: ergo similiter posset dici de neruis linguæ. Sed quia non est necesse vt omnes potentiæ habeant conuenientiam in sensorio, & quia etiam est aliqua disparitas inter neruos linguæ, & neruos auditus, ac visus, quia nerui linguæ intra ipsam linguam reperiuntur, alij autem isti nerui non includuntur intra oculum, aut aurem, licet pertingant ad ipsa, propterea tenenda est Conclusio. Posset etiam fieri quod sensorium huius potentiæ sit non solum nerui illi, sed etiam caro, propter similitudinem quam habet hæc potentia cum tactiua, cuius sensorium non solum in neruis, sed in carne reperitur diffusum.

### CONCLVSIO II.

Sapori descriptio.

59. *Sapor, qui est obiectum adæquatum Gustus, bene describitur esse qualitas perceptibilis à gustu: ex quonam autem temperamento primarum qualitatum oriatur omnino incertum est, quamuis communiter dicatur resultare ex mixtione, quæ calor, & humiditas vincunt.* Hæc est *quoad primam partem* communis, & quoad *vtramque partem patet* ex dictis de odore, de quo ac de sapore, quantum ad hanc resolutionem, eadem prorsus est ratio.

### CONCLVSIO III.

Organum tactus diffunditur per carnē & neruos;

60. *Organum Tactus non solum diffunditur per neruos per totum corpus extensos vndequaque, sed etiam per carnem.* Hæc est *Suary hic cap. 7. Auersa qu. 54. sect. 13. Arriaga, & alio rum plurimorum*, contra *Complutenses disp. 14. n. 72.* plures alios pro se citantes.

*Probatur* autem experientia qua constat sentire nos tā bene in carne, quā in neruis: ergo cum nulla ratio probet oppositum, debet dici quod in vtroque fiat sensatio, & consequenter, quod vtrumque sit sensorium tactus.

*Probari etiam solet authoritate Philosophi 1. de historia animalium cap. 4. & 2. de partibus animalium cap. 1*, vbi dicit carnem esse sensorium tactus: sed si caro sit sensorium eius, non dubium quin etiam nerui sentiant: ergo vtrumque erit sensorium.

*Verum*, quandoquidem *hic l. 2. text. 116.* dicat carnem non esse sensorium, propterea existimo eum fuisse dubium de hac re, atque aliunde, quam ex eius authoritate vtramque sententiam confirmari debere.

61. *Obijcies primo*, authoritatem *Scoti q. 2. de anima*, vbi neruos solos videtur proponere tanquam sensorium tactus.

*Respondeo* eum ita sensisse probabiliter cū Philosopho.

*Obijcies secundo*, organum tactus debet esse continuum cum organo sēsus cōmunis, qui est in cerebro, sed caro non est sic continua: ergo caro non est organum tactus.

*Confirmatur*: quia alias tactus haberet plura organa distinctæ rationis. Sed hoc est inconueniens: ergo.

*Respondeo* negando minorem, caro enim continuatur cum neruis, & hi cum sensu communi, & ita caro mediate continuatur cum sensu communi, quod sufficit.

*Ad confirmationem respondeo* distinguendo maiorem: diuersæ rationis materialiter, concedo maiorem: formaliter & in esse potentiæ tactiuæ, nego maiorem, & similiter distincta minore negatur consequentia.

62. *Obijcies tertio* ex *Complutensibus*: sensibile supra sensum positum impedit sensationem; sed obiectum tactus debet poni supra carnem, vt sentiatur: ergo caro non est sensorium tactus.

*Confirmatur*: quia organum tactus debet esse terreum, caro autem non est terrea, sed aërea; ergo.

*Respondeo*, quidquid sit de maiori, quam negaui supra, quatenus extenditur ad omnes sensus, & præsertim ad sensum gustus, ac tactus; sed quidquid inquam sit de hoc, *Respondeo* negando consequentiam, quia solum sequitur quod caro illa supra quam immediate ponitur tangibile, non percipiat illud, non vero sequitur quod alia caro vicina non percipiat ipsum. Et argumentum retorqueri potest, quia si incideretur caro, & tangeretur immediatè neruus, non est dubium, quin sentiretur illud

quod tangeret ipsam,& tamen immediatè supra neruum poneretur:ergo neruus non esset sensorium tactus, si valeret prædictus discursus.

*Ad confirmationem respondeo* sensorium tactus non debere esse magis terreum quam sit caro:vnde, vel non debet esse terreum omnino & sic negari debet maior; vel caro est terrea,& sic negari debet minor.

## CONCLVSIO IV.

Tactus,& gustus sũt potentiæ realiter distinctæ.

63. *Tactus, & Gustus sunt potentiæ realiter, & specie distinctæ.* Hæc est communis; *& probatur*,quia habent actus distinctæ rationis,vt patet ad sensum, & vna potest haberi absque altera: nam quamuis potentia gustatiua nequeat esse absque tactiua, tamen tactiua potest esse absque gustatiua,est enim in manu,vbi non est gustus.

*Dices*,potentiam gustatiuam simul cum tactiua esse diffusam per totum corpus,licet non exerceat actus, nisi in lingua, quia in lingua sola reperit dispositiones ad tactum requisitas.

*Contra*, quia nulla est ratio, ob quam deberet tam inutiliter diffundi per reliquas partes corporis,in quibus nunquam in vllo casu debet, aut potest habere dispositiones requisitas ad gustandum. Et eodem sanè modo posset dici,quod auditus,visus,ac odoratus deberent diffundi per totum corpus, & identificari tactui, quod est absurdum.

*Dices secundo*:quamuis hinc sequatur quod distinguatur realiter à sensu tactus residente in reliquo corpore; tamen non sequitur quod distinguatur realiter à sensu tactus residente in lingua.

*Et si respondeas* sensum tactus residentem in lingua esse eiusdem rationis cum sensu tactus aliarum partium, & consequenter sensum gustus, sicut non identificatur realiter tactui in aliis partibus, ita nec identificari posse in lingua.

*Contra*, quia non est necesse, vt omnes partes sensus tactus sint eiusdem rationis materialiter loquendo,vt patet ex dictis conclusione præcedenti:hoc autem supposito posset illa pars tactus,quæ est in lingua, esse diuersæ rationis materialiter ab omnibus aliis partibus,& ratione illius diuersitatis materialis oriri posset vt vterque sensus in ea parte identificarentur realiter,quamuis formaliter distinguerentur.

*Confirmatur hoc*: quia siue ponamus sensorium gustus esse carnem linguæ, siue neruos, siue vtrosque, certum est, quod tam nerui, quam caro linguæ possint tangere tam bene quam possunt alij nerui corporis, & alia caro:ergo nõ sunt ibi duæ substantiæ realiter distinctæ, quarum vna esset tactiua, altera gustatiua;sed vna & eadem substantia, quæ est gustatiua, est etiam tactiua, & consequenter potentiæ illæ ea in parte debent esse realiter identificatæ, maximè in nostra sententia, qui identificamus potentias substantiæ,sed & in Thomistica etiã sententia distinguente potentias ab anima, quia eadem substantia eiusdem omnino rationis non debet habere potentias diuersas non subordinatas.

Gustus & tactus in lingua identificantur.

64. *Propter hanc replicam* existimo,probabile esse quod gustus, & tactus in lingua identificentur, quantum ad partem in qua fit tactus; nec credo posse solui hanc rationem bene, nisi dicatur quod gustatio, & tactus non fiant in eadem parte linguæ,sed quod per totam linguã reperiantur dispersæ partes carneæ diuersæ rationis, ita immixtæ inter se, vt non possint facile discerni à se inuicem,in quarum aliquibus fiat tactus, & in aliis gustatio: hoc autem supposito distinguerentur realiter sine dubio. At hoc ipsum cum non constet experientia,nec ratione, est prorsus diuinare, & multiplicare entia sine necessitate: vnde mihi probabilius videtur gustum & tactum identificari in sensorio linguæ,quodcumque illud sit.

*Nec refert* quod remaneat aliquando facultas tactiua in lingua,desinente gustatiua.Nam potest dici quod hoc non sit verum de tactiua,& gustatiua in actu primo,quæ semper manent,sed de gustatiua, & tactiua quantum ad actum secundum.Ratio autem cur posset esse tactiua expedita ad actum secundum, absque eo, quod gustatiua esset sic expedita,esse posset,quod desinerent dispositiones aliquæ requisitæ ad gustandum, quando non deficerent dispositiones ad tangendum.

*Quod maximè confirmatur*, tum quia aliquando non possumus audire, aut videre ob aliquas indispositiones, absque iactura tamen potentiæ visiuæ, aut auditiuæ in actu primo:ergo similiter possemus non posse gustare ob similes indispositiones,manente integra potentia tactiua in actu primo;tum quia quando perditur potentia gustatiua,non perditur ipsa substantia carnis,aut neruorum linguæ, nec tollitur ab illis anima:ergo nihil substantiæ illius,quæ est gustatiua,perditur:sed quamdiu nihil ipsius perditur,non potest deperdi potentia ipsi identificata:ergo non deperditur tum potentia tactiua in actu primo, sed solum perduntur dispositiones ad habendum gustationem requisitæ.

## CONCLVSIO V.

Non sunt duo tactus realiter distincti in qualibet parte tactiua corporis.

65. *Non sunt duo tactus realiter distincti, quorum vnus haberet pro obiecto vnam contrarietatem nempe humiditatem, & siccitatem, alter alteram, nempe calorem, & frigus.* Hæc est communiter contra *Auerroem, & Ægidium 2. de anima tex.*108. *Auicennam 6. nat. de tactu. Iandunum quæst.* 27. *Toletum ad prædictum textum Philosophi.* Quorum sententia attribuitur *Scoto quæst.*1. *de anima.* Sed prorsus immerito, quia ille non ait esse plures tactus realiter, sed tantum formaliter distinctos, vt patet ex propriis verbis ipsius. *Respondeo*, inquit, *quod sensus tactus sint formaliter duo.*

*Probatur conclusio*: quia nulla est necessitas eos multiplicandi,quandoquidem non sint separabiles,nec quoad organum, nec quoad actum; sed quandoquidem nulla pars corporis sit quæ possit tangere vnam contrarietatem,quæ non possit tangere alteram,nec vnquam potest esse apta ad percipiendam vnam,quin pariter apta sit ad percipiendam alteram.

*Confirmatur* efficaciter per ea quæ dicta sunt paulo ante de identificatione gustus, & tactus;nam sine dubio omnes tactus debent realiter potius identificari quam gustus,& tactus vllus,quod credo omnes concessuros.

66. *Obiicies*: tactus percipit simul humidum, & calidum in eadem parte subiecti simul & semel, vt patet, si quis immittat manũ suam in aquam calidam; tum enim sentiet calorem, & humiditatem aquæ: sed vnus sensus non potest habere duos actus simul circa obiecta disparata præsertim non subordinatos:ergo debent necessario esse duo tactus in illa parte, quibus percipiantur istæ qualitates.

*Quod si dicas* non esse tum duos actus,sed vnum. *Contra* est primo, quod vnus sensus nequeat etiam habere vnum actum circa duo obiecta disparata. *Secundo*,quia si remoueretur humiditas, maneret eadem sensatio caloris;& si remoueretur calor, maneret eadem sensatio humiditatis:ergo sunt duæ sensationes.

*Confirmatur*, quia intellectus ipse non potest habere duos actus simul circa obiecta disparata præsertim, nisi conferendo illa ad se inuicem:ergo multo minus id competere potest sensui materiali imperfectiori.

*Confirmatur secundo*, quia secundum *Philosophum* 2. *de anima text.*107. vnus sensus vnius tantum est contrarietatis, hoc est, vnus tantum sensus potest extendere se ad qualitates vnius contrarietatis,verbi gratia,ad calorem, & frigus,non vero ad has, & etiam ad humiditatem, & siccitatem.

*Respondetur* negando minorem:sicut enim vna potentia visiua realiter potest simul videre albedinem,& nigredinem, vt patet experientia, ita vnus tactus realiter potest simul & semel percipere calorem,& humiditatem.

*Quod si dicas* visum per vnum actum non videre illa, aut si videt per duos,vtrumque non esse perfectissimum actum, aut vtrumque non haberi in vna parte oculi,sed vnum in vna parte,& alterum in altera.

*Similiter prorsus discurri potest* de tactu, dum sentit illas duas qualitates: neque ratio aut experientia aliquid quantum ad hoc magis probat de tactu, quam de visu, aut è contra.

*Ad primam confirmationem respondeo primo*, intellectum simul

simul & semel posse apprehendere duo obiecta disparata, vnde nego antecedens. Quod si hoc non esset verum, neganda esset consequentia, quia non est necesse vt omnis perfectio competens inferiori, competat etiam superiori seu perfectiori rei: sicut nec aurum potest producere aliud aurum sibi simile, quamuis calor imperfectior possit producere alium calorem sibi similem.

*Ad secundam confirmationem respõdeo* Philosophum intelligendũ de vno sensu formaliter, non de vno realiter.

## CONCLVSIO VI.

Quod obiectũ adæquatum tactus.

68. *Obiectum adæquatum tactus est illud quod potest percipi per illum; illud autem non habet aliquod vnum nomen absolutum, sicut habet obiectum gustus & auditus, & odoratus; nec comprehendit solas qualitates primas.* Hæc conclusio quoad duas primas partes debet esse communis omnium; sed quoad tertiam videtur esse contra communem.

*Probatur prima pars*, quia sine dubio potest percipere quidquid est perceptibile per ipsũ, & nõ potest percipere aliquid aliud: ergo illud est obiectum adæquatum eius.

*Probatur secunda pars*: quia non potest assignari nomen vnum impositum ad significandum ipsum; nec hoc est mirum, quia neque etiam est impositum nomen ad significandum obiectum adæquatum visus, quod dicatur de omnibus obiectis quæ ab ipso percipi possunt.

*Probatur tertia pars*: quia sentit tactus dolorem ex cõpressione facta per applicationem alterius corporis duri, nec tum experitur se percipere vllam ex primis qualitatibus: imo si tale corpus priuaretur omnibus qualitatibus primis, non minus causaret illum doloré: ergo dolor ille non causatur per perceptionẽ qualitatũ primarum.

*Confirmatur*, quia sentit duritiem, & mollitiem, quæ secundum plurimos sunt qualitates secundæ: ergo non solum sentit primas qualitates.

## CONCLVSIO VII.

Non solũ qualitas interna, sed externa percipitur à tactu.

69. *Non solum qualitas tangibilis inhærens ipsimet animali percipitur à potentia tactiua eius; sed etiam illa, quæ inhæret obiecto externo, quando applicatur debite, non vero sentitur qualitas obiecti externi per qualitatem inhærentem.* Hæc est communis.

*Probatur prima pars*: quia sentimus frigus & calorem nobis ipsis inhærentia etiam quando accedimus ad locũ calidum, in quo non est frigus, & calor extrinsecus, quẽ sentiremus. Nec in hoc potest esse difficultas: *sed dubitari posset*, an frigus inhærens percipiatur ab eadem parte, cui inhæret, an vero ab alia parte continua & vicina.

*Ad quam dubitationem respondent Complutenses disp. 14. n. 7.* ea percipi ab alia parte, propter duas rationes, prima est quod sensibile contiguum sensui impediat sensationem: ergo multo magis sensibile inhærens illam impediet. Secunda, quia qualitas sensibilis non potest sentiri à tactu, nisi alteret ipsum prius physica, & reali alteratione: sed qualitas inhærens nequit sic alterare partem cui inhæret: ergo non potest sentiri ab illa parte.

*Verum neutra ex his rationibus subsistit*: non quidem prima quia illud axioma non est verum in omnibus sensibus: non etiam secunda, quia aut falsa est maior, aut tam dubia, quam hoc ipsum quod per hanc rationem probatur, vt postea magis apparebit.

*Confirmatur hoc* breuiter: quia duæ manus æquè calidæ applicatæ sibi inuicem sentiũt calorem suum mutuum, & tamen neutra alteram mutat alteratione reali, & physica: ergo talis alteratio non requiritur ad tactum.

70. *Nihilominus* probabilius existimo non percipi qualitates primas inhærentes ab eadem parte subiecti, cui inhærent: cuius ratio à priori non est alia, quam quod nõ habeat virtutem immutandi intentionaliter illam partem, vt colligitur à posteriori ex eo quod non sentiamus qualitates nobis inhærentes, in eo gradu in quo sentimus qualitates extrinsecas nobis applicatas.

*Probatur secũda pars conclusionis* experientia quotidiana, qua constat nos percipere obiecta aliqua nobis applicata, esse valde calida ac frigida, etiam antequam possint in nobis tantum caloris producere, quantum in nobis sentimus.

*Confirmatur* prædicto exemplo de duabus manibus æquè calidis aut frigidis, quæ sentiunt se mutuo esse sic frigidas aut calidas, & tamen non calefaciunt, nec frigefaciunt se mutuo.

*Probatur tertia pars conclusionis*: quia qualitas inhærens non est nec principium eliciendi sensationem respectu qualitatis externæ, nec dispositio ad recipiendam illam sensationem necessaria; nec potest assignari in quo genere causæ, aut conditionis requireretur.

*Confirmatur*, quia calor externus si sentiatur, habet ex se virtutem sufficientem ad hoc vt determinet potentiã ad sensationem sui, siue dicatur determinare ipsam per speciem, siue sine specie impressa: ergo calor internus nõ requiritur ad ipsum sentiendum.

*Confirmatur secundo*, quia manus calida sentit vehementissimum frigus corporis alterius antequam ipsamet possit frigefieri cum proportione sufficienti ad frigus quod sentit: ergo frigus intrinsecum non requiritur ad percipiendum frigus extrinsecum.

71. *Obiicies* contra secundam partem: si quis esset applicatus immediatè Soli, sentiret vehemẽtissimum calorem nõ minus quam si esset applicatus immediatè igni, & tum videretur sibi sentire caloré externũ, non minus quam quando applicatur igni: sed tamen non sentiret calorem externum, sed internum, quandoquidem Sol nõ sit formaliter, sed virtualiter calidus: ergo quando applicatur igni non sentit calorem externum sed internum, & consequenter nũquam sentit calorem externum, quia si vnquam sentiret, maximè quando applicaretur igni.

*Responderi posset ex Suario*, in tali casu sensurum quidẽ tactum calorem externum, sed decipiendum tamen, quia reuera talis calor non existeret: proueniret autem illa sensatio à calore virtuali Solis, quia natus est producere species intentionales, quibus repræsentari possit calor formalis, sicut lumen natum est producere species repræsentatiuas coloris, vt patet in Iride, in qua apparent oculo colores, & non sunt.

*Sed hæc responsio non placet primo*, quia non est vlla ratio vnde colligatur quod calor virtualis Solis habeat illam virtutem; nec bene sequitur ex eo quod lumen habeat virtutem determinatiuam in aliqua dispositione ad visionem apparentium colorum, quod calor virtualis Solis habeat similem virtutem dererminatiuam ad sensationem caloris apparentis. *Secundo*, quia obiectio facilius solui potest alio modo, vt statim patebit. *Tertio*, quia sensatio externa debet terminari ad aliquod obiectum realiter existens, & sic etiam visio colorum apparentium terminatur ad lumen, seu lucem: ergo illa sensatio qua perciperetur calor in Sole, deberet habere aliquod obiectum reale, sed non haberet: ergo non daretur talis sensatio. Probatur minor, quia non potest assignari aliquod obiectum aliud ab ipso calore virtuali: sed calor virtualis Solis non est accidens, sed ipsamet substantia Solis, quatenus productiua caloris. Substantia autem nulla est per se sensibilis sensu externo, vt fatetur ipsemet *Suarez* cum communissima sententia.

72. *Itaque responderi potest melius*, negando quod statim ad tactum Solis sentiretur calor, sicut sentitur ad tactum ignis: sed solum sentiretur calor tum iuxta proportionem caloris qui produceretur à Sole in ipsamet re tangente; & facile posset quis ex diuersitate immutationis, quam in se sentiret, colligere non habere se idem fundamentum ad iudicandum quod Sol esset formaliter calidus, quod habet ad id iudicandum de igne.

Hæc eadem experientia adduci solet ad probandum quod calor inhærẽs sentiatur; sed si hoc intelligatur sic, vt velit calorem inhærentem sentiri in eadem parte in qua inhæret, id non sequitur; neque ex experientia quæ tum habetur, aliud colligi potest, quam quod sentiatur calor inhærens: an autem sentiatur ab eadem parte, an ab alia parte distincta vicina, aliunde deduci debet.

## CONCLVSIO VIII.

Tactus potest sẽtire qualitatẽ qualis intentionis cui qualitas inhærente sibi.

73. *Tactus potest sentire qualitatem primam equalis intensionis cum qualitate sibi inhærente, non tamen sensatione, qua possit discerni, quod sensatio causetur prius*

*à qualitate quæ tangitur quam à qualitate rei tangentis quam eum ad experientiam;ad huiusmodi enim sensationem requiritur quod qualitas, quæ sentitur excedat in intensione qualitatem organi sentientis.* Hæc quoad primam partem est minus communis,& quoad tertiam communissima.

*Probatur primæ pars*, experientia duarum manuum æquè calidarum, quæ sentiunt se mutuo affectas calore & duritie, aut mollitie.

*Probatur secunda pars*, etiam experientia,quia nũquam possumus experiri quantum ad sensum nostrum moueri nos ad sensationem à qualitate alicuius obiecti, nisi quando obiectum in illa qualitate excedit qualitatem nobis inhærentem.

*Solet probari hæc pars ratione*: quia organum tactus debet esse in potentia ad qualitates quas tangere potest,sed non est in potentia ad qualitates eiusdem intensionis: ergo non potest sentire qualitates eiusdem intensionis.

*Confirmatur*: quia primæ qualitates non possunt intentionaliter immutare organum, nisi prius immutent illud physicè & realiter: sed qualitates eiusdem intensionis non possunt sic mouere:ergo.

74. *Hæc probatio* opponi posset contra primam Conclusionis partem: *sed responderi facile potest* distinguendo maiorem: quas potest tangere tactu,quo discerni posset ex qua parte esset qualitas tacta,transeat; alio tactu,nego: & similiter distingui potest maior confirmationis: non potest mouere intentionaliter producendo sensationem, in qua perciperetur distinctè in qua parte esset qualitas tacta,cõcedo;in qua id non perciperetur, nego.

*Sed neque valet* prorsus ad probandam hanc ipsam secundam partem, quia manifestè petitur principium in vtraque maiori tam probationis quàm confirmationis, & quicumque negaret hanc partem conclusionis, æquè illas deberet negare.

*Dices cum Complutensibus*:Organum sensus debet pati ab obiecto sensibili: ergo oportet organum esse in potentia ad sensibile,& consequenter non debet habere in se qualitatem quam sentit.

*Confirmatur*: quia secundum *Philosophum libro 2. de anima*:Oportet sicut debens sentire album & nigrum neutrum ipsorum habere actu,potentia vero vtrumque; sic autem & in aliis & in tactu neque calidum neque frigidum.

*Respondeo* distinguendo primum consequens secundum quod debet pati ab ipso,concedo; secundum aliam rationem,nego consequentiam. Itaque sensus non debet esse in potentia ad sensibile,nisi quatenus à sensibili potest recipere sensationem;ad hoc autem impertinens est quod habeat in se qualitatem similem qualitati illi sensibili, aut quod non habeat;quamuis enim haberet illam, adhuc non haberet sensationem alterius qualitatis, & consequentee esset in potentia ad illam.

*Ad confirmationem respondeo*,si esset proportio inter sensum visus & tactus, quantum ad non habendum in se obiectum,quod percipere possunt,quod sequeretur tactũ nullo modo posse habere qualitates tangibiles, neque quidem in gradu remisso, sicut pupilla non habet in se vllo modo colores visibiles.

*Itaque verus sensus* istius loci est, quod sensus non debet habere in se illud ipsum obiectum quod sentit, licet habeat aliam qualitatem eiusdem speciei cum ipso; & hoc est probabilius, vt dixi inter probandum primam partem Conclusionis præcedentis: sed inde non sequitur,quod qualitas,quæ sentiri possit,debeat esse maioris intensionis.

75. *Melior ergo probatio conclusionis* à priori desumi debet ex eo, quod non possit calor vt duo obiecti extrinseci magis perfectam sensationem producere in parte organi sibi applicata, quam calor vt duo organi in alia parte,& consequenter ad hoc vt sit differentia inter sensationem prouenientem ab obiecto extrinseco, & illam quæ prouenit ab ipsomet organo, debet obiectum extrinsecum habere magis intensum calorem.

*Obiicies* contra primam partem conclusionis:si qualitas eiusdem intensionis cum qualitate inhærente sensui posset mouere sensum,sequeretur quod in omnibus partibus corporis sentiremus qualitates nobis inhærentes, quælibet enim pars aliam partẽ determinare deberet ad sensationem sui.Sed hoc est contra experientiam:ergo.

*Respondeo* negando minorem,licet enim non aduertamus fortassis qualitatem nobis inhærentem, nisi quãdo est in excessu in aliqua parte, tamen inde non sequitur quin fit sensatio in nobis. Ratio vero cur non aduertamus illam,est,quia illa sensatio est semper vniformis in nobis,& sensationes non afferentes voluptatem aut dolorem non solent aduerti, nisi cum incipiunt de nouo, aut cum habetur memoria de statu, quẽ habuimus ante illarum productionem.

*Dices*, quando aliquis euigilat producuntur de nouo sensationes omnes quotquot sunt: sed tum non aduertuntur sensationes illæ prouenientes à qualitatibus non excedentibus:ergo non sunt tales sensationes.

*Respondeo*, negando consequentiam: quia licet tum producantur de nouo non debent aduerti, quandoquidẽ non possit haberi cognitio de statu antecedenti, vnde quantum ad experientiã,perinde est quod tum incipiant, ac quod inciperent, sed fuissent antecedenter.

## CONCLVSIO IX.

76. *Quod obiectum sensibile mutet realiter sensum tactus, est impertinens in ordine ad mouendum ipsum intentionaliter, & hoc sine loquamur de qualitatibus primis tangibilibus, sine de secundis, vt est duricies ac mollities.* Hæc est *Ruuij hic quæst.*3. contra *Complutenses disp.*14. *num.*42. Sensus autem eius est quod calor, verbi gratia, ad hoc vt sentiatur à manu, non debeat calefacere manum, & si calefaciat,id omnino impertinens sit in ordine ad hoc quod sentiatur, adeo vt si per impossibile non calefieret manus à calore obiecti applicati, adhuc sentire posset illum calorem.

Tangibile in ordine ad mouẽdum intẽtionaliter nõ debet mouere realiter.

*Probatur manifestè* de duritie,& mollitie,quia hæ qualitates non sunt actiuæ,nec producunt qualitates sibi similes in sensu percipiente illas, vt patet experiẽtia;ergo saltem hæ qualitates non debent necessario immutare sensum realiter producendo qualitatem aliquam, quæ non sit intentionalis,ad hoc vt immutent ipsum intentionaliter producendo in ipso sensationem, aut speciem impressam. Sed certè qualitates primæ, v.g. calor & frigus non debent esse minus actiuæ intentionaliter, nec magis dependentes ab alteratione physica & reali,quam qualitates illæ secundæ: ergo etiam qualitates primæ possunt mouere sensum intentionaliter, quamuis non mutarent ipsum realiter,& si de facto mutent etiam realiter, id tamen impertinens est ad mutationem realem.

*Dices cum Complutensibus* duritiem & mollitiem non esse actiuas quantum ad productionem qualitatum sibi similium,sed eas tamen esse productiuas aliarum qualitatum innominatarum,quas etiam producunt in sensu à quo percipiuntur.

*Contra*, quia nec ratione nec experientia constat eas producere vllas tales qualitates:ergo gratissime id dicitur & consequenter contra principium de non multiplicandis entibus sine necessitate.

*Dices*,experientia patet durum contactum exasperare manum mollem.

*Respondeo*,si hoc intelligatur de exasperatione aliqua' quæ sit formaliter per qualitatem, id esse falsum,& potius contrarium constare experientia;si vero intelligatur de exasperatione quæ fieret per compressionem partium substantialium & quantitatiuarum,& contritionem aliquarum partium, vnde sequeretur inæqualitas in partibus istius rei mollis,transeat,sed non facit ad rem.

77. *Probatur secundo conclusio*,vniuersaliter:quia ad sensationem non requiritur aliud quam applicatio, secundum quam obiectum quod sentitur, possit concurrere vel secundum se immediatè, vel secundum speciem sui cum sensu ad producendum sensationem; sed potest sic applicari absque immutatione reali sensus:neque enim per illam immutationem realem magis applicatur, quã si non fuisset facta,vt est euidens.

*Confirmatur*,quia nõ potest ostẽdi in quo genere causæ

vel

vel conditionis dependeret immutatio intentionalis facta à sensibili immutatione reali ab eodem facta.

*Confirmatur secundo*, experientia, qua constat duas manus æque calidas sentire se mutuo, cum tamen non possit alterare se mutuo alteratione reali calefactiua, quia alias simile ageret in simile.

*Confirmatur tertio*, quia manus frigida applicata subito rei valde calidæ, sentit maiorem calorem quam in ipsamet tam subito producatur, vt patet experientia: ergo immutatio realis non requiritur ad intentionalem.

78. *Obucies*, quo magis manus calefit ab igne, eo magis sentit calorem: ergo signum est quod calor tunc habeat producere intensiorem speciem, & consequenter quod habeat dependentiam in producendis suis speciebus ab alteratione calefactiua, adeo vt sicut non posset producere species intensas, nisi produceret calorem intensum, ita non posset producere species vllo modo, nisi produceret calorem.

*Respondeo* distinguendo antecedens: calorem ipsummet ignis nego, calorem in se productum, concedo antecedens; & nego consequentiam. Itaque quo magis calefit, eo magis recipit intra se calorem, & ille calor receptus eo magis natus est producere species perfectiores in partibus aliis in quibus sentitur, si requirantur species; aut si non requirantur, eo magis natus est producere sensationem perfectiorem suiipsius; sed inde non sequitur vlla ratione quod calor qui sentitur, debeat producere calorem alium in parte sentiente.

79. *Obicies secundo* ad probandum quod etiam duricies & mollities debeant mutare realiter sensum, vt percipiantur: est vna & eadem potentia tactiua, quæ percipit durum & molle, ac calidum & frigidum: ergo debet ab omnibus his qualitatibus eodem modo immutari, quo petit tactus ex sua ratione peculiari immutari ab obiecto tangibili; sed proprius & peculiaris modus quo tactus petit immutari à suo obiecto est, quod simul intentionaliter & realiter immutetur: ergo debet sic immutari à duritie & mollitie, si percipiat ipsas.

Probatur minor, quia in hoc distinguitur tactus ab aliis sensibus, quod auditus, visus, odoratus, non petant immutationem materialem ex parte organi faciendam à visibili, audibili, odorabili; gustus vero licet petat talem immutationem, non tamen à re gustabili vt gustabilis est; hoc est, quatenus sapida est, sed quatenus humida. Tactus vero petat immutationem materialem à tangibili, vt tangibilis est.

80. *Confirmant hoc Complutenses* prolixo satis discursu: cuius summa est, quod sensus quo minus est perfectus, eo magis ad sensationem requirat immutationem physicam siue ex parte sua, siue ex parte obiecti: sed tactus est imperfectissimus sensus: ergo requirit aliquam maiorem immutationem realem quam cæteri sensus; sed non requireret nisi requireret immutationem realem sui à qualitate sensibili: ergo requirit talem.

*Confirmant secundo* eandem doctrinam quoad qualitates secundas tangibiles, ex suppositione, quod qualitates primæ tangibiles debeant mutare realiter vt mutent intentionaliter: quia si idem non diceretur etiam de qualitatibus secundis, sensus tactus non esset vnus, sed duplex; nam tactus qui posset mutari intentionaliter absque mutatione reali à qualitatibus secundis, deberet esse distinctus à tactu, qui non posset mutari intentionaliter à qualitatibus primis absque mutatione reali.

81. *Respondetur* negando minorem cum sua probatione, in qua directe petitur principium (quod familiare est his authoribus) distinguitur enim tactus sufficienter ab aliis sensibus per hoc, quod habeat distinctum obiectum, quod ab aliis percipi nequeat, & quod sensatio ipsius sit distinctæ rationis à sensationibus eorum, vt patet experientia: & sane omnibus nota est manifesta differentia inter tactum & alios sensus, quamuis omnibus non sit notum, quod debeat magis immutari realiter ab obiecto suo, quam alij sensus: ergo differentia illius ab aliis potest aliunde colligi quam ex tali immutatione: & si Deus reuelaret quod non possunt sic realiter immutari, adhuc colligeretur sufficienter esse distinctus ab aliis omnibus sensibus externis. Nec sane colligi potest differentia visus & auditus ex diuersa immutatione reali, quam habent obiecta ipsorum; vnde si sonus esset quid permanens, quod non deberet moueri localiter, quemadmodum est color, adhuc distingueretur à visu: sicut etiam distinguerentur inter se, quatenus obiectum visus esset quid successiuum & mobile localiter, tam bene quàm sonus. Vnde hæc differentia quoad immutationem diuersam ex parte obiecti, est omnino impertinens ad distinctionem harum potentiarum.

*Ad confirmationem respondeti potest primo* negando minorem: & sane valde difficile est probare quod tactus sit imperfectior quam gustus.

*Respondeo secundo* negando maiorem; nam quamuis sensus tactus magis petat realiter mutari ab obiecto suo, quam vllus alius sensus, tamen hoc omnino per accidens competit ipsi, quatenus est sensus & potens sentire suum obiectum, vt sic enim non magis petit mutari realiter, quam sensus visus.

*Ad secundam confirmationem* nego sequelam cum probatione; quemadmodum enim idem tactus sufficit ad percipiendas qualitates primas cum mutatione reali ad qualitates eiusdem rationis, & ad percipiendas secundas qualitates sine tali mutatione, sed cum mutatione reali ad qualitates distinctæ rationis secundum aduersarios: ita etiam posset sufficere ad percipiendas aliquas qualitates cum mutatione reali aliqua, & alias sine vlla mutatione reali.

## CONCLVSIO X.

Datur dolor & delectatio in sensu externo.

81. *Datur dolor & delectatio in sensu externo tactus, qua sunt qualitates particulares, quas percipit tactus sine actione vitali distincta, & quibus mediantibus, non percipit aliquod aliud obiectum.*

*Prima pars* est communis cum *Doct. in 3. dist. 15. q. 1.* & *D. Thoma 1. 2. q. 35.*

*Secunda pars* est contra eos qui putat dolorem esse sensationem, seu perceptionem obiecti disconuenientis, voluptatem vero esse perceptionem obiecti cõuenientis, & colligitur ex *Scoto supra*, vbi dicit quod dolor sit cõiunctio obiecti disconuenientis cum potentia non formaliter, sed causaliter, quia scilicet ex illa coniunctione, quæ consistit in apprehensione obiecti, sequitur dolor.

*Tertia denique pars* est conformis *Scoto*, quatenus dicit voluntatem mere passiue se habere ad passiones delectationis & tristitiæ, *in 3. dist. 15. q. vn.* eamque sequitur *Auersa* hic expresse dicens eas esse qualitates, quæ seipsis sentiuntur absque aliquo actu, seu sensatione distincta ab illis & potentia.

*Probatur prima pars*, quia ad sensum ipsum apparet esse dolor & delectatio in carne externa, & præterea appetitus internus non dolet aut delectatur nisi ob aliquod obiectum propositum ipsi vt conueniens aut disconueniens: sed compressio carnis tanta vel tanta non proponitur ipsi vt conueniens aut disconueniens, nisi quatenus cognoscitur illa compressio esse conueniens aut disconueniens carni; nec cognoscitur esse conueniens, aut disconueniens carni, nisi quatenus infert dolorem aut voluptatem carni: ergo in ipsa carne est delectatio & dolor, & non tantum in appetitu aut potentia vlla interna.

*Probatur secunda pars primo*, quia idem obiectum potest aliquando placere, & delectare, aliquando displicere, & inferre dolorem: sed si delectatio, & dolor consisterent in perceptione obiecti, hoc esset falsum; quod enim est dolor formaliter, semper debet esse dolor, & quod est delectatio formaliter, semper debet esse delectatio: sed perceptio eiusdem obiecti ab eadem potentia, est semper eadem perceptio: ergo non potest esse nunc dolor, nunc delectatio, & consequenter si dolor, & delectatio essent perceptio obiecti, idem obiectum non posset nunc inferre dolorem, nunc voluptatem, seu delectationem.

*Probatur secundo*, quia dolemus, quando non percipimus aliquid præter ipsum dolorem, vt patet in morbis articularibus, & renalibus, & quando scinditur caro

peracta scissione remanet dolor, nec apparet illud tum percipi.

83. *Probatur tertia pars*, quod scilicet non sentiantur actu aliquo vitali distincto; quia possunt se ipsis percipi, nec est vlla necessitas multiplicandi duas qualitates ad hoc, quod aliquis doleat. Et præterea actus ille alius, quo sentiremus qualitatem doloris, potius esset dolor, quam obiectum eius, quia illo mediante doleremus formaliter.

*Confirmatur*, quia per visionem percipimus obiectum, & ipsam visionem, non quod ipsa visio sit reflexa supra se, aut quod habeat se tanquam obiectum, quod videtur; sed quod seipsa percipiatur: ergo illa qualitas doloris potest habere similem rationem.

*Obijcies*: sensus non potest aliquid vitaliter percipere, nisi mediante sensatione, nam ipsamet perceptio est sensatio: ergo illa qualitas vel deberet sentiri per sensationem, & perceptionem distinctam, & sic habetur intentum, vel deberet esse sensatio; sed non potest esse sensatio: quia omnis sensatio est alicuius obiecti, per dolorem autem, aut delectationem nullum sentimus obiectum: ergo non sunt sensationes.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: mediante sensatione, qua aliquid aliud obiectum percipiatur, nego; qua percipiatur aliquod aliud obiectum, vel ipsamet sola percipiatur, concedo antecedens, & distinguo consequens, quoad vltimam partem: deberet esse sensatio, qua aliquid aliud sentiretur, nego: qua ipsamet sentiretur, concedo consequentiam, & nego subsumptum cum sua probatione.

*Quæres*, ex qua causa proueniat dolor.

*Respondeo*, quod non solum proueniat ex diuisione continui, vt volunt aliqui, qua dolemus ob vehementem calorem, & frigus, cum nulla pars nostri discontinuatur: nec etiam ex excessu aliquorum supra mensuram debitã, vt putant alij; quia quando dolemus ob incisionem, aut compressionem carnis, non est verisimile tantam alterationem fieri in qualitatibus nostris tam subito, vt fiat talis excessus in illis vltra debitam mensuram; & quamuis fieret talis alteratio, tamen non est verisimile illam esse causam istius doloris; quia posset esse tantus, & maior excessus in qualitatibus illis, quin esset tantus dolor.

Itaque potius dicendum est, quod non proueniat semper ab eadem causa, sed aliquando ex diuisione continui, vt cum scinditur caro; aliquando ex intemperie qualitatum, vt fit in febribus; aliquando ex compressione, aliquando ex aliis causis. Credo tamen quod ipsa diuisio continui non sit causa effectiua eius, sed potius conditio sine qua non, & idem credo de compressione: vnde qualitates primæ in aliqua dispositione particulari sunt causæ effectiuæ ipsius, quæ dispositio particularis non est semper eadem, sed diuersissima.

# DISPVT. IV.

## *De Potentijs internis Sensitiuis.*

HAc disputatione claudetur tractatus de Anima, qua sensitiua est. Potentiæ autem, de quibus hic agendum est, sunt, *Sensus communis*, *Phantasia*, seu *Imaginatiua*, *Æstimatiua*, *Memoratiua*, & *Appetitiua*.

## QVÆSTIO I.

### *An, & quotuplex sit sensus internus cognoscitiuus.*

Varij actus interni quos habent animalia.

1. EXperientia constare videtur, homines & animalia habere varios actus internos cognoscitiuos, qui non producuntur à sensibus externis, & consequenter necessario debent prouenire à potentia aliqua cognoscitiua interna distincta ab externis; nam *imprimis* habent actus, quibus discernunt inter obiecta sensuum externorum, & cognoscunt colores percipi à visu, & sapores à lingua; & potentia quæ potest elicere huiusmodi actus, vocatur *sensus communis*; quia scilicet est communis omnibus obiectis sensuum particularium, quatenus omnia illa percipit.

*Secundo*, percipimus nos, & bruta res absentes dum sunt absentes, ac etiam destructæ; & si percipiamus illa provt aliquando illa percepimus per sensus externos, potentia qua id facimus, vocatur *Phantasia*: si vero non percipiamus ea sic, sed alio modo, quo nunquam externè nobis proponebantur, vt cum apprehendimus montes aureos ac similia, potentia quæ ea sic proponit, vocatur *Imaginatio*.

*Tertio*, apparet esse in nobis, & brutis actum, quo percipimus obiecta sub ratione insensata, vt quando apprehenditur sub ratione conuenientiæ, aut disconuenientiæ, quæ non oritur ex displicentia aliqua, aut voluptate causata in sensu externo, sicut, verbi gratia, ouis apprehendit lupum, & propterea ab ipso fugit; potentia autem, quæ elicit hunc actum, quatenus illum elicit, seu potest elicere, vocatur *Æstimatiua*.

*Quarto*, denique experientia patet bruta repetere loca in quibus ante fuerunt, & cognoscere homines ante visos; & potentia qua id faciunt, vocatur *Memoria*.

2. De his omnibus actibus non est dubium, quin dentur in hominibus & brutis, si excipias duos vltimos; nam qui negant species insensatas, negabunt consequenter actus illos, qui dicuntur prouenire ab æstimatiua, & consequenter negabunt dari æstimatiuam. Quid autem in re dicendum sit, patet ex dictis supra de istis speciebus.

*Præterea*, sunt qui negant brutis actus memoriæ, & *Doctor in 4. d. 45.* 3. vtramque partem tenet problematicè. Tamen quamuis difficile sit quod bruta cognoscant præterita, vt præterita, aut quod possent cognoscere se habuisse aliquando cognitionem talem vt talem, quod necessarium videtur ad memoriam proprie dictam: & licet etiam possent omnes actus quos habent, ex quibus colligitur ea habere memoriam, saluari probabiliter non ponendo memoriam in ipsis, vt saluat *Doctor supra*. Tamen, vt ipsemet *ibid.* asserit *n.* 12. facilius saluantur ponendo in eis memoriam.

*Hoc ergo supposito*, quantum ad existentiam, & numerum potentiarum cognitiuarum internarum, duæ restant difficultates examinandæ.

*Vna*, an ex suppositione quod dentur omnes isti actus; dentur etiam plures potentiæ internæ correspondentes illis realiter distinctæ: an vero vna & eadem potentia realiter sufficiat pro omnibus, quæ potentia sortiatur diuersa nomina, quatenus habet virtutem productiuam istorum diuersorum actuum. *Secunda* est de organo sensus interni.

## CONCLVSIO I.

Vnica tãtum potẽtia sensitiua interna ponenda in animalibus.

3. *Quamuis darentur omnes prædicti actus in hominibus & animalibus, non deberet tamen poni in illis, nisi vnica potentia interna sensitiua, realiter loquendo.* Hæc est *Alensis 2. p. quæst. 70. Tartareti 2. de anima, Cauelli quæst. 2. de anima, num. 16.* qui eam magis confortem asserit principiis *Scoti, Suarij, Ruuij, Hurtadi, Arriagæ*, contra *D. Thomam 1. part. quæst. 78. art. 4. Conimbricenses, & Complutenses hic.*

*Probatur*, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: nulla autem est necessitas multiplicandi has potentias: vna enim & eadem realis potest omnes illos actus elicere, & habere diuersa nomina, secundum quod respicit illos actus.

*Confirmatur*, quia non magis disconueniunt inter se illi actus quam intellectio & volitio: sed intellectio & volitio prouenient ab eadem reali potentia, quæ vocatur intellectus, quatenus potest producere intellectionem: & voluntas quatenus potest producere volitionem.

*Confirmatur secundo*, quia Angelus per vnam potentiam cognoscitiuam intelligit obiecta sensuum externorum, eaque inter se distinguit non solum cum sunt præsentia, sed etiam absentia; & præterea potest apprehendere illa provt proponuntur externa, & alio etiam modo,

quo

quo non proponuntur. Deinde potest cognoscere illa, obiecta esse nociua vel proficua, & potest cognoscere quod talia obiecta fuerint ante à se cognita; neque vllus, quod sciam, posuit in Angelo plures potentias cognoscitiuas realiter distinctas correspondentes his actibus: ergo vnica potentia realis potest habere omnes illos actus, & consequenter ad eos habendos non sunt ponendæ plures potentiæ realiter distinctæ.

Nec diuersitas actuum, aut obiectorum prorsus sufficit ad illam multiplicationem faciendam: quamuis enim potentiæ specificentur ab obiectis, & actibus, hoc tamē non ita intelligitur quasi eadē realis potentia nō posset per plures actus diuersissimæ rationis tendere in plura obiecta: sed ita, vt si sit aliqua potentia tendens in obiectum in quod altera potentia realiter distincta tendere nequeat, ex hoc distinctio illarum specifica colligi possit.

4. *Obiicies primo*: Philosophus agit de sensu communi, & Phantasia tanquam de potentiis distinctis: prius enim agit de Sensu communi, & postea de Phantasia: ergo secundum ipsum sunt potentiæ distinctæ.

*Respondeo* distinguendo antecedens: tanquam de potētiis distinctis realiter nego, formaliter, transeat; & nego cōsequentiam. Fateor tamen, aliqua loca Philosophi fauere aduersariis; & si authoritatem spectes, eorum sententiam esse probabilem: quantum autem ad rationem, quæ præcipuè spectanda est Philosopho in rerum naturalium indaganda natura, Conclusio nostra longe probabilior est.

*Obiicies secundo*: in aliquibus animalibus reperitur sensus communis sine memoria, ergo saltem hæ potentiæ sensitiuæ distinguuntur realiter.

*Respondeo* distinguendo consequens: secundum suas rationes formales, vt sic, nego consequentiam: secundum rationes particulares alicuius sensus cōmunis & alicuius memoriæ, concedo consequentiā. Itaque non dubitatur, quin sensus cōmunis in aliquo animali possit esse distinctus realiter ab omni memoria, quando nulla memoria reperiri posset in illo animali; sed difficultas est, an sensus communis repertus in eodem animali cum memoria, distinguatur realiter ab illa memoria: & nos tenemus partem negatiuam. Et sicut non valet inferre ex eo, quod animalitas possit reperiri absque rationalitate, quod animalitas, & rationalitas in homine distinguantur realiter: ita non valet inferre ex eo, quod sensus communis in aliquo animali non habente memoriam reperiatur absque memoria, & distinguatur realiter à memoria; quod sensus communis hominis aut bruti habentis memoriam distinguatur realiter à memoria.

5. *Obiicies tertio*: in eodē animali sæpè læditur vna potentia, illæsa altera; hinc enim oritur, quod absque defectu vllo in sensu communi memoria deterior quandoque reddatur, & quandoque totaliter perdatur: ergo signum est quod illæ potentiæ distinguantur realiter.

*Respondeo* negando consequentiam: sed id oritur ex eo, quod dispositiones aliquæ requirantur ad exercendos actus memoriæ, v.g. quæ non requiruntur ad exercendos actus sensus communis, quæ dispositiones possunt deperdi per oppositas, & ita potentia, quamuis remaneat secundum se integra, tamen non poterit habere actus illos, quos aliàs habere posset.

## CONCLVSIO II.

organum potentiæ internæ est cerebrum.

6. *Organum potentiæ internæ cognoscitiuæ est cerebrum.* Hæc est *Gal. l. 8. de vsu partium c. 8* quem sequitur *Doctor q. 10. de anima. D. Thomas 1. p. q. 8. ac Doctores communiter*, contra aliquos, qui illud collocant in corde, quibus fauere videtur *Philosoph. in lib. de somno & vigilia.*

*Probatur* autem sufficienter: quia quantum ad omnem experientiam nostram, apparent actus sensus interni esse in capite, & non in corde, aut alia parte; nec est vlla inconuenientia in hoc, quod dicantur esse producti in capite solo, aut vlla ratio, ex qua colligatur quod decipiamur dū videmur nobis eos experiri in capite: ergo dicēdum est, quod in eo producantur, & consequenter quod sensus internus habeat organum suum in capite. Quod si dicatur semel esse in capite, nulla pars capitis magis apta est quam cerebrum pro hoc munere: ergo signum est quod sit in cerebro.

*Confirmatur*: quia læso capite minus habiles sumus ad illos actus eliciendos, & qui vehementer speculantur, solent dolere potius capite, quam corde, aut alia parte: ergo verisimilius est illas operationes produci in capite quam in corde, aut vlla alia parte.

7. *Confirmatur secundo*: quia non est verisimile, quod residear in Meningis, hoc est, in duabus membranulis circumdātibus cerebrum, horum enim vsus videtur esse tantum conseruare, ac continere cerebrum; nec etiam in concauitatibus, quæ reperiuntur in cerebro, quia illæ concauitates repleri solent excrementis cerebri, nec est verisimile potentiam tantæ perfectionis residere in excrementis: ergo debet collocari in ipsomet cerebro. Qua autem parte cerebri collocanda sit, non credo vlla experientia nostra, aut ratione sufficienter colligi posse.

*Obiicies* Philosophum, qui variis locis ait sensus internos residere in corde.

*Confirmatur*: quia cerebrum non continuatur cum reliquo corpore, nec habet motionem vllam sensitiuam; ergo non est organum sensus interni.

*Respondeo* Philosophum sic explicandum, vt velit sensus internos residere in corde, quatenus habent dependentiam à spiritibus vitalibus generatis in corde, & inde communicatis sensibus internis. Quod si hæc explicatio non placeat, præferendum est eius authoritati fundamentum Cōclusionis, & authoritas eorum qui eā tenēt.

*Ad confirmationem respondeo* negando antecedens pro prima parte & pro secunda ipsum distinguendo: nullam habet motionem sensitiuam internam, nego antecedens habet enim motum actuum cognoscitiuorum internorum; nullam habet motionem sensitiuam externam, quæ scilicet correspondeat vlli sensui externo, concedo antecedens, & nego consequentiam.

# QVÆSTIO II.

## *De appetitu sensitiuo.*

Datur in hominibus appetitus sensitiuus.

8. NOn agitur hic de appetitu innato, qui non est actus aliquis elicitus, nec principium eius; nec supponit cognitionem rei circa quam fertur; sed est inclinatio rei ad suam perfectionem; nec minus competit animantibus, quàm inanimatis; sed de appetitu elicitiuo, quæ est potentia illa sensitiua materialis, à qua prosequimur bonum sensibile propositum nobis per cognitionem, & fugimus malum sensibile, similiter propositum; qualem dari in animalibus irrationalibus certum est experientia quotidiana, & in hominibus etiā cum dari patet tum quia sunt animalia non minus quā alia, & hic appetitus conuenit animali, qua animal: tum quia pueri ante vsum rationis appetunt aliqua, & aliqua fugiunt; tum quia sentimus in nobis desideria quædam boni delectabilis in parte sensitiua contranitente voluntate; tum denique quia sicut datur in nobis sensus internus cognoscitiuus distinctus à ratione, non potest esse dubium quin detur etiam in nobis potentia appetitiua conformis ipsi, distincta à voluntate rationali. De hoc ergo appetitu hic examinandum præcipue, an vnus sit tantum realiter; an vero plures in quolibet homine. Qui diuidunt appetitum sensitiuum in duas partes, concupiscibilem scilicet & irascibilem, & vtrique parti organum distinctum assignant, debent consequenter asserere duos esse ad minus appetitus sensitiuos realiter distinctos; quam sententiam docere videtur *Doct. in 3. dist. 34. n. 12.* quem in eo secutus sum *in Comm. eiusdem quæst.* Eam tenet etiam *D. Thom. 1. 2. q. 81. art. 3. cum suis ibidem, & Toleto, 3. de anima q. 26.*

Qui vero non distinguunt has duas partes realiter, consequenter negāt dari plures appetitus realiter distinctos, & ita sentiunt expresse *Suar. 3. de anima, & in tract. de habitibus, Auersa q. 56. Philosophia, Hurtadus hic.*

CONCLV

## CONCLVSIO II.

Vnus tantum est appetitus elicitiuus in homine.

9. *Appetitus sensitiuus elicitiuus cuiusque actus prosecutionis, & fugæ est vnus tantum in homine, & quolibet animali.* Hæc est conformis secundæ sententiæ contra primam, non tamen contra *Scotum*, vt patebit paulo post.

*Probatur* sufficientissime, quia non sunt multiplicandæ potentiæ vllæ animæ sine necessitate, sed nulla est necessitas ponendi plures huiusmodi appetitus realiter distinctos: ergo.

Probatur minor, tum quia nulla est ratio, cur vna realis potentia non possit sufficere ad omnes actus eliciendos, qui attribuuntur potentiæ appetitiuæ; tum quia eadem voluntas potest habere tot actus & tam diuersos, ac disparatos, quot potest habere appetitus sensitiuus, & propterea potest considerari vt concupiscibilis, & vt irascibilis; concupiscibilis quidem vt principiat certos quosdam actus, irascibilis autem vt principiat alios: ergo similiter appetitus sensitiuus vnus realiter posset principiare omnes diuersos actus quotquot reperiuntur in parte sensitiua, & vt principiat aliquos, vocari concupiscibilis; vt alios, irascibilis.

*Probatur secundo*, quia vt suppono ex dictis, sensus internus cognoscitiuus, cuius est proponere appetitui obiectum suum, est vnus etiam secundum aduersarios: nam quamuis *Thomistæ* putent dari varios sensus cognoscitiuos internos realiter distinctos, tamen per eundem omnino sensum existimant proponi appetitui concupiscibili bonum, quod putant esse obiectum eius, & appetitui irascibili bonum arduum, circa quod versari debet: ergo etiam appetitus sensitiuus debet esse vnus tantum realiter.

Probatur consequentia, tum quia non potius deberet multiplicari appetitus quam sensus internus cognoscitiuus, tum & præcipue, quia sicut voluntas & intellectus, licet distinguerentur realiter ab anima, deberent tamen identificari inter se, vt postea dicetur; ita etiam appetitus sensitiuus & potentia sibi correspondens similiter identificari debent, propter easdem omnino rationes, quæ æque vtrobique currunt, vt considerati patet.

10. *Obycies primo*, ex *Thomistis* appetitus concupiscibilis & irascibilis habent diuersa obiecta & actus omnino dissimiles: ergo sunt distincti realiter.

*Respondeo* negando consequentiam, quia nihil impedit quominus vna & eadem potentia possit versari circa tam diuersa obiecta & per tam dissimiles actus, vt patet manifeste de voluntate & intellectu, ac sensu cognitiuo interno.

*Obycies secundo*, non solum authoritatem *Scoti* supra expresse tribuentis diuersa organa vtrique appetitui: sed rationem etiam eius, nempe quod idem organum non possit moueri motibus diuersis simul & semel v.g. calefactionis & frigefactionis, dilatationis & constrictionis: sed, quando irascitur quis mediante appetitu sensitiuo irascibili, dolor, quem sentit tum in parte cõcupiscibili, fit cum restrictione & frigefactione: ergo isti dolores non fiunt in eadem parte, sed in distinctis partibus realiter: sed partes corporis, in quibus isti dolores fiunt, sunt organa appetituum istorum: ergo habent distincta organa realiter, & consequenter ipsimet erunt sic distincti, sicut visus & gustus distinguuntur realiter ex eo, quod habent diuersa organa.

11. *Vt soluatur hæc obiectio*, & aperiatur mens *Scoti*, aduertendum appetitum sensitiuum in homine habere duo munera, vnum prosequendi & fugiendi aliqua obiecta per actum elicitum, & alium sentiendi molestiam aut voluptatem ex propositione intentionali aliquorum obiectorum. Quod si delectatio huiusmodi & molestia sentiantur aut in corde, aut circa cor, & non in capite, vbi residet sensus cognoscitiuus internus, tum admittendi sunt duo appetitus realiter distincti, vnus in corde, aut circa cor, cuius sit delectari, & dolere, seu tristari; non vero velle aut nolle, siue prosequi aut fugere vllum obiectum; alius vero in capite identificatus sensui interno, cuius est prosequi conuenientia, & fugere inconuenientia. *Scotus* ergo & ratio ipsius, solum intelligi debent de appetitu, cuius est delectari & dolere sensibiliter; & possunt esse plures inter se distincti, si diuersæ sint partes corporis, in quibus molestia illa & delectatio sentitur; nec hoc est contra Conclusionem, quæ loquitur de appetitu elicitiuo operationis, qua prosequitur quis aut fugit obiectum sibi propositum. An autem dentur huiusmodi appetitus interni sensitiui, in quibus sentitur dolor & voluptas, non aliunde magis quam experientia colligi potest, & satis faceret parti affirmatiuæ experientia, quam habemus de motibus, quos sentimus in corde, aut circa cor, quando proponuntur certa obiecta.

Quod si non sentiatur dolor aut delectatio vlla circa cor præter dolorem aut delectationem sensus tactus, qualem habemus etiam in manu aut pede, tum vnicus omnino appetitus ponendus est, quo & eliciat operationes, & moueatur à passionibus molestiæ & voluptatis, & solum possunt admitti diuersa organa appetitus irascibilis & concupiscibilis, quatenus diuersæ sunt partes corporis, in quibus sentiuntur per sensum tactus alterationes diuersæ, quando proponuntur obiecta appetitus conuenientia aut disconuenientia, nec aliud velle censendus est *Scotus*, sicut nec aliud concludit eius ratio.

12. Vnde in forma *Respondeo primo*, iuxta primum modum dicendi distinguendo subsumptum; Sunt organa appetituum, qui mouentur passionibus; non vero operationibus prosecutionis & fugæ, concedo subsumptum: sunt organa appetitus operatiui, nego subsumptum, & similiter distinguo vtrumque consequens, concedendo consequentiam de appetitu non operatiuo, & negando eam de operatiuo.

*Respondeo secundo*, iuxta secundam viam etiam distinguendo subsumptum: istæ partes sunt organa appetitus, in quibus actus & passiones propriæ ipsiusmet appetitus exercentur & inhærent, nego: sunt organa eius, quatenus in iis fiunt aliæ alterationes consequentes actus & passiones proprias appetitus, concedo subsumptum: & similiter distinguo primum consequens, & nego secundam consequentiam.

Ad quam Responsionem confirmandam conduceret potest exemplum de alterationibus palloris & ruboris; quæ apparent in facie ex motibus internis appetitus, cũ tamen organũ appetitus non dicatur ab vllo esse facies: nã similiter quamuis ad actus seu motus internos appetitus, sentiremus interius in corde, aut circa cor siue in diuersis partibus, siue in eadem, diuersas alterationes, nõ potest sequi inde, quod organum appetitus sint illæ partes, aut, quod actus appetitus subiectentur in illis. *Solum mihi facit difficultatem*, quantum ad hanc doctrinam, ne quid dissimulem, quod quantum ad experientiam nostrã attinet, ipsimet motus delectationis & doloris, quos videmur nobis percipere in parte nostra sensitiua, appareãt nobis in corde, aut circa cor, & nõ solum appareant nobis ibi aliæ alterationes; sed quando rubescimus aut pallemus in facie, non apparent nobis esse in facie nostra operationes, aut passiones appetitus interni, sed solum sentimus per tactum alterationem aliquam: vnde quamuis non debeamus dicere quod appetitus, aut motus proprij eius sint in facie, non inde sequitur quin debeamus dicere quod sit in corde, aut circa cor.

13. *Ex hac tamen ipsa difficultate*, non sequitur pluralitatem debere appetitum, sed ad summum eum ponendum in corde, aut circa cor, & hoc nõ esset inconueniens, nisi quatenus inconueniens esset ponere in corde sensum cognoscitiuum internum; quantum autem ad me attinet, mallem ponere vtrumque in corde, quam eos inter se distinguere realiter; vnde quandoquidem vbicumque debet collocari vnus, debet collocari alter propter identitatẽ realem ipsorum, quæ ex principiis huius Conclusionis colligitur, cum nõ sit vlla ratio, cur debeant poni in corde, aut circa cor, quàm quod ea in parte videamur nobis sentire motus appetitus; quãdoquidem etiã videamur nobis æque sẽtire in capite motus sẽsus interni, nõ magis ex experiẽtia debemus dicere, quod sint ponendi in

vbi colocandus est appetitus.

in corde, quam in capite; imò potius debet dici quod in capite, quia facilius est nobis decipi ex experientia, quam videmur nobis habere de existentia motuum appetitus in corde, in quo reperiuntur aliæ alterationes spectantes ad tactum; quam ex experientia, quam videmur nobis habere de existentia actuum sensus interni in capite, quia non adsunt aliæ alterationes ibi, quæ decipiendi occasionem dent, sicut adsunt in corde, aut circa cor. Ex quo patet quid sit dicendum organum appetitus.

Impugnatur sententia Fabri.

*Faber in sua Metaphysica, disp. 6.* identificat realiter appetitum sensitiuum, tam concupiscibilem, quam irascibilem potentiæ cognoscitiuæ; sed tenet tamen vtrumque appetitum habere organa realiter distincta: vnde videtur capere potentias animæ etiam sensitiuæ pro aliquo identificato ipsismet animabus, non vero pro aliquo identificato toti composito ex anima, & corpore: nos autem hic loquimur de potentiis sensitiuis conuenientibus toti corpori, & vel identificatis ipsi in nostra sententia, vel subiectatis in ipso, si essent accidentia realiter distincta, vt tenent *Thomistæ*. Sed nec videtur consequenter loqui in ipsa sua sententia: nam si isti appetitus habent organa realiter distincta, vt ipse asserit, ipsimet appetitus erunt realiter distincti in omnibus animantibus præter homines; quod probo euidenter, quia si organa illa sint distincta realiter, quandoquidem omnes animæ, præter rationalem sint diuisibiles in partes integrales correspondentes diuersis partibus corporis, sequitur enidenter, quod non sit eadem realiter pars animæ, quæ correspondet vtrique isti organo, sed quod sua propria cuique parti conueniat: sed certum etiam videtur quod illa operatio, quæ est in vno organo producta ab anima, potius ab illa parte animæ, quæ inhæret isti organo, producatur, quam à parte inhærente alteri organo: ergo potentia irascibilis, etiamsi identificetur animæ, debet identificari isti parti animæ, quæ inhæret suo organo; & similiter potentia concupiscibilis debet identificari isti parti animæ, quæ inhæret suo organo; & consequenter, sicut illæ duæ partes realiter distinguuntur, ita etiam appetitus illi identificati ipsis, debent realiter distingui. Quod si velit, quod appetitus vterque in homine, in quo est vnica tantum anima rationalis indiuisibilis, identificetur, sicut identificatur animæ, id quidem verum est qua parte ille appetitus concomitatur animam. Sed ipse videtur vniuersaliter loqui de omni appetitu concupiscibili, & irascibili, tam hominis quam brutorum.

## CONCLVSIO II.

Datur in appetitu sensitiuo pars concupiscibilis, & irascibilis identificata realiter.

14. *Datur in appetitu sensitiuo pars concupiscibilis, & irascibilis, quæ tamen non distinguuntur realiter, sed vnus & idem realis appetitus vocatur concupiscibilis, quatenus principiare potest aliquos actus: irascibilis vero quatenus principiat alios diuersa rationis.*

Hæc quoad primam partem est communissima cum *D. Augustino de spiritu & littera, D. Hieronymo super cap. 13. Matth. Damasceno lib. 2. de fide, Aristot. 3. de anima, text. 46.*

*Probatur* autem, quia in appetitu est aliquid, per quod ferimur in bonum, & in bonum arduum, & in impedimentum boni; sed illud, à quo habet ferri in bonum, est pars concupiscibilis; & illud, à quo fertur in bonum arduum, seu in impedimentum boni, est pars irascibilis: ergo datur in appetitu pars concupiscibilis, & irascibilis.

*Secunda pars*, quæ est contra aduersarios præcedentis conclusionis, probatur ex dictis in eadem conclusione.

*Probatur denique tertia pars*: quia ex suppositione secundæ partis idem ipsum, quod est concupiscibile, est irascibile, nec potest dici concupiscibile & non irascibile, nisi vt principiatiuum aliquorum particularium actuum; nec irascibile, & non concupiscibile, nisi vt principiatiuum aliorum actuum determinatorum, quod omnes fatentur.

## CONCLVSIO III.

Concupiscibilis non est quæ fertur in bonum, & irascibilis in bonum arduum.

15. *Non bene describitur pars concupiscibilis esse illa, quæ fertur in bonum, & irascibilis, quæ fertur in bonum arduum.* Hæc est *Doctoris supra cum suis* contra *D. Thomam 1.2. q. 23. art. 1. & Henricum quodl. 8. q. 15.*

*Probatur*, pars concupiscibilis tendere potest in obiectum virtutis, sed obiectum virtutis est bonum arduum: ergo pars concupiscibilis tendit in bonum arduum, & consequenter male distinguitur ab irascibili per hoc quod hæc tendat in bonum arduum, illa non item.

*Confirmatur*: quia pars concupiscibilis tendit in omne illud, in quod virtus in ipso subiectata tendere potest: sed virtus aliqua subiectata in parte concupiscibili tendit in bonum arduum: ergo.

Probatur minor, tum quia omnis virtus videtur versari circa difficile, aliàs facile esset acquirere virtutes; tum quia Charitas, & Temperantia, quæ spectant ad partem concupiscibilem, sine dubio versantur circa bonum difficile, vt patet experientia; intemperato enim valde difficile est temperate viuere; & diligere Deum super omnia & proximum sicut se ipsum, & maxime inimicum, est difficile cuicumque; & ex illa difficultate oritur, vt sæpe committatur defectus contra vtramque virtutem.

*Nec refert* si dicas cum *Thomistis*. Charitatem & Temperantiam non spectare ad partem concupiscibilem, quia spectant ad voluntatem, in qua non est pars concupiscibilis.

Pars concupiscibilis & irascibilis reperiuntur in voluntate.

*Nam in primis*, falsum est quod non sit vtraque illa pars, etiam in voluntate, potest enim voluntas ferri circa bonum, & bonum arduum, & impedimentum boni: ergo non minus in illa, quam in parte sensitiua, ponendæ sunt illæ partes. Nec enim potius dicendæ sunt poni in parte sensitiua illæ partes ex eo quod feratur in bonum sensibile quandoque, & quandoque in bonum sensibile arduum, aut in impedimentum boni sensibilis ardui, quam in voluntate ex eo quod feratur in bonum non sensibile, & in bonum non sensibile arduum, ac impedimentum eius, vt videtur manifestum.

*Deinde*, quamuis ex hac doctrina exemplum Charitatis non esset ad propositum, manet adhuc exemplum Temperantiæ, quæ spectat ad partem sensitiuam.

## CONCLVSIO IV.

Descriptio partis concupiscibilis, & irascibilis.

16. *Melius describitur pars concupiscibilis illa, quæ fertur in bonum, siue arduum, siue non, illud prosequendo quibuscumque actibus illud prosequitur, exceptis actibus, quibus vindicatiuè prosequitur impedimenta ipsius; pars vero irascibilis est illa, quæ prosequitur impedimenta eius vindicatiuè.* Hæc est *Doctoris supra, & suorum* contra *Thomistas*.

*Patet autem*, tum quia ex suppositione conclusionis præcedentis, non possunt hæ partes melius explicari; tum quia per hanc distinctionem sufficienter distinguuntur hæ partes inter se; tum denique, quia ex ipso nomine irascibilis satis congrue illi parti debet ascribi ferri cum vindicta in impedimentum boni, & alteri parti concupiscibili, etiam ex ipso nomine, omnis alius actus circa bonum adscribi potest: ergo hoc modo bene describuntur. Quod totum, vt melius intelligatur, declarandum est exemplo. Quando proponitur homini quoad partem sensitiuam cibus conueniens, & gratus, solet desiderare sibi illum, & applicare media ad eius consecutionem, tollere etiam consequenter impedimenta, timere ne ponatur aliquod impedimentum, sperare consecutionem, dolere de absentia; & omnes isti actus possunt prouenire à parte concupiscibili, adeo, vt si distinguerentur realiter concupiscibilis, & irascibilis, & maneret in homine sola pars concupiscibilis, omnes hos actus habere posset; quod mihi videtur euidens.

*Præterea*, potest homo, quando videt impedimentum aliquod positum, non solum desirerare, & procurare ablationem eius, sed etiam cum indignatione, & ita illud reiicere, ac vindicare, quandoque etiam per destructionem eius, & desiderare, procurare, sperare talem vindictam, de eaque facta gaudere, timere ne fiat, & dolere quod non fiat: & omnes huiusmodi actus possunt dici spectare ad irascibilem, vnde ex illis nullus haberetur, si distinguerentur realiter illæ partes, & sola concupiscibilis maneret. Quia vero non solet appetitus ferri in impe

impedimenta boni concupiti hoc modo vindicatiuo, nisi ponatur impedimentum aliquod graue, propterea potest dici quod obiectum ipsius sit bonum arduum, intelligendo per bonum arduum non bonum quomodocumque difficile, sed bonum difficile ex impedimento aliquo graui, quod solet causare huiusmodi motus vindicatiuos; & intelligendo bonum arduum hoc modo, posset concupiscibilis, & irascibilis distingui per hoc, quod hæc versaretur circa bonum arduum, & illa circa bonum non arduum, & in hoc sensu posset bene explicari sententia *Thomistarum*, & conciliari cum nostra; sed neque ipsimet sic explicant illam, nec sic reiecta est in conclusione præcedenti, sed in alio sensu specificato in probationibus, qui est sensus ipsorum.

Quo sensu bonum arduum possit statui obiectum irascibilis.

17. *Dices* contra hanc explicationem, omnis actus, qui potest esse circa medium acquirendi boni concupiti, potest prouenire à parte concupiscibili; sed vindicta de impedimento potest esse tale medium: ergo potest prouenire à concupiscibili, nec debet necessario prouenire ab irascibili: ergo male distinguitur vtraque pars per hoc.

*Respondeo* ex dictis *in commentario ad Doctorem supra num. 69.* distinguendo maiorem: vt medium formaliter, concedo maiorem: alio modo nego maiorem; & concessa minori distinguo consequens; vt est medium, concedo: alio modo, nego consequentiam, & nego vltimam consequentiam. Itaque pars irascibilis non fertur vindicatiuè in impedimenta, vt media sunt, seu in ordine ad cõsecutionem finis, quia etiam fertur in illa sic, quando desperatur de fine: & quando non consideratur talis modus ferendi, vt necessarius ad finem, aut vtilis; quando enim simplex remotio impedimenti absque destructione posset sufficere ad finem acquirendum, destructio impedimenti non esset necessaria, nec medium eius acquirendi, vt patet: ergo tum non vellet quis destructionem, vt medium. Pars autem concupiscibilis nunquam fertur in illam vindictam, nisi quatenus, vel est necessaria, aut vtilis, vel consideratur vt talis in ordine ad consecutionem finis. Quod vale aduertendum est.

Quomodo appetitus sensitiuus subditur voluntati.

18. *Quares hic primo*, quomodo appetitus sensitiuus subditur voluntati, despoticè, an politicè? *Vt resoluatur hoc quæsitum*, aduertendum, quod subiectio despotica vocetur illa, qua quis ad nutum absque resistentia obedit alteri in omnibus occasionibus, quibus alter imperat & talis deberet esse obedientia mancipiorum dominis suis, præsertim quoad omnia, quæ non apparerent manifestè esse contra rectam rationem, & à quorum executione non possent se defendere. Subiectio vero politica est, qua quis obedit quidem alteri, vt plurimum, sed non tamen semper ita, quin resistat aliquando, vel quia apparet, non esse obediendum, vel quia potest defendere se à coactione; & talis viderur esse obedientia Reipublicæ, ad Principem, cui nonnunquam resistit. Hoc supposito, quod ad nomen spectat,

*Respondeo*, subiectionem appetitus, quantum ad actus externos suos, qui ab ipso & potentia locomotiua exeunt, esse omnino despoticam, adeo, vt necessario debeat cessare ab illis nolente voluntate: quoad actus vero internos, & passiones est potius similis politicæ, quantum ad hoc, quod non obediat semper.

Hæc resolutio non solet hoc modo proponi, sed absolute communis sententia cum *Doctore 2. dist. 29. & D. Thoma 1. 2. qu 17. art. 7.* tenet quod subiectio appetitus ad voluntatem sit politica non despotica.

*Probatur tamen prima pars*, quia experientia constat, quoties volumus efficaciter non habere actus illos externos, quantumuis desiderentur à parte sensitiua, & sentiamus displicentiam quod non habeantur; eos non haberi. Cuius etiam ratio à priori potest esse, quod appetitus dependeat, vel ab imperio voluntatis, vel à non contranitentia ipsius, tanquam à conditione sine qua non, in ordine ad illos actus: ergo quoties non vult voluntas, non poterit habere tales actus.

19. *Dices*: sæpè fit vt percutiamus aliquem etiam vsque ad interfectionem, sine dependentia ab actu voluntatis; ergo non habet talem subordinationem appetitus ad voluntatem.

Probatur antecedens, quia si isti motus essent dependentes à voluntate, peccaret quis; quod est contra omnes, quia omnes Theologi negant quem peccare per motus, quos vocant primò primos, qualis esset ille motus, de quo fit mentio in replica.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: independenter à voluntate, quantum ad hoc, quod fiat absque vllo imperio, aut actu voluntatis, transeat; quantum ad hoc, quod non fieret si voluntas efficaciter nollet, nego antecedens, & consequentiam. Similiter distinguo antecedentis probationem: si essent dependentes à voluntate volente, aut imperante illos, saltem cum deliberatione, concedo: si essent dependentes à voluntate in hoc sensu, quod non essent, si voluntas nollet efficaciter eos esse, nego.

*Dices*: si voluntas posset impedire per nolitionem, peccaret non impediendo: ergo adhuc isti motus nequeunt esse absque peccato: & consequenter, vel voluntas non potest impedire per nolitionem, vel semper erunt peccata.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: modo posset habere nolitionem, concedo: quando non posset, nego antecedens. Itaque aliud est, quod si voluntas haberet nolitionem, cessarent isti motus, & hoc est quod intendo; aliud est, quod semper posset habere illam; & hoc non assero, quia non semper deberent proponi motus vt nolendi voluntati, quoties habentur à parte sensitiua. Quod si etiam motus ille fiat positiuè à voluntate, adhuc dicendum quod non sint semper peccaminosi, quia ad hoc requireretur vt producerentur à voluntate cum deliberatione, id autem non semper esset necessarium.

*Probatur iam secunda pars*, quia certum est etiam experientia, quod, quamuis voluntas nolit efficacissime, vt sint motus in parte sensitiua, non propterea eos desistere; & hinc vti debet magna diligentia ad eos sedandos, nec credo eam posse eos impedire vlla ratione, nisi auertendo obiecta, à quibus causantur; quod non est in manu eius sic, quin ea inuita aliquando maneant, aut occurrant de nouo illa obiecta. Quod magis patebit ex dicendis de modo quo causantur motus, & actus partis sensitiuæ.

Quomodo appetitus sensitiuus concurrit ad motum localem.

21. *Quares*, quomodo appetitus sensitiuus concurrit cum potentia locomotiua ad motum localem. *Supponit quæsitum hoc*, motum localem organicum, & sensitiuum, qui præsupponit cognitionem, habere aliquam dependentiam ab actu appetitus; & quærit qualem habeat, an dependentiam, tanquam à conditione sine qua non præsupposita, & non tanquam à causa physica partialiter concurrente, an vero tanquam à causa physica partiali ex suppositione quod detur alia virtus locomotiua in membris externis animalis distincta ab appetitu & actu eius; & dico ex ista suppositione, quia si non supponeretur talis virtus locomotiua, tum certum est quod motus ille localis deberet prouenire ab appetitu mediante suo actu tanquam à causa totali physica, ni forte in hominibus concurrat etiam cum illis voluntas physicè, quod non facit ad præsens.

*Respondeo*, ergo quod appetitus cum suo actu concurrat per modum causæ physicè immediatè ad motum hunc localem: cuius ratio est, tum quod necessario prærequiratur talis actus ad illum motum, ab eoque proueniat determinatio eius quoad hanc, vel illam partem, talem vel talem modum, tum quod nihil impediat quo minus sit causa physica: tum denique, quod difficile sit assignare quomodo se habeat per modum conditionis sine qua non tantum.

An detur in membris externis alia virtus locomotiua.

22. *Quod si rursum quæras*, an reuera detur in membris alia virtus locomotiua partialis distincta ab appetitu.

*Respondeo*, mihi videri quod non, primo; quia illa ipsa virtus deberet esse vitalis, & sensitiua: non autem esset, quia

quia vel esset externa sensitiua, vel interna;non externa, vt patet,quia quinque tantum sunt sensus externi : non etiam interna,quia vel esset cognoscitiua, vel appetitiua: non primum,vt certum est:ergo secundum;& cõsequenter non est distincta ab appetitu interno. Secundo, quia non sunt multiplicandæ potentiæ sine necessitate : solus autem appetitus internus vbicumque residet, siue in capite, siue in corde, aut circa cor, sufficit ad principiandum motum localem : ergo non est ponenda alia potentia,aut virtus ad eum principiandum.

*Dices*, experientia constare quod non sequatur motus localis alicuius membri aliquando, etiam cum valde appetimus illum:ergo non sufficit appetitus ad ponendum illum motum, sed debet poni alia virtus in membris.

*Respondeo*, distinguendo antecedens : quando membrum illud est dispositum in se sufficienter,& non impeditum ab extrinseco,nego : qnando non est in se dispositum, aut est impeditum ab extrinseco, concedo antecedens,& nego consequentiam pro secunda parte.

Appetitus producit motũ localem per actionem distinctã à suo actu.

23. *Si denique quæras*,an appetitus per ipsummet suum actum formaliter absque vlteriori actione producat illum motum, aut per actionem distinctam;

*Respondeo*, quod non per suum actum solum,quia ille potest esse absque motu,vt in casu replicæ paulo ante positæ, quando scilicet poneretur impedimentum ex parte membri mouendi;actio vero causæ efficientis non potest esse absque suo termino, nec illud,quod habet rationem talis actionis,vt patet : producit ergo motum illum mediante alia actione de prædicamento actionis,non minus quam cæteræ causæ efficientes producunt suos effectus, & illa actio subiectatur immediatè in ipsomet actu,& nó in appetitu : tum quia actus requiritur ad motum, & nil impedit quominus requiratur tanquam causa immediata; tum quia sic facilius est ostendere quomodo non sequi posset actio illa in appetitu,quamuis nõ esset in eo actus; si enim actus ipse non haberet influxum, difficile esset ostendere,cur non posset esse actio terminata ad motum, quamuis non esset actus. Dicere autem quod ratio huius esset,quod actio terminata ad motum, & actus appetitus haberent subordinationem talem inter se, vt actio non possit esse absque appetitu, est inconueniens, nisi possit inter actum appetitus, & actionem illam ostendi aliqua ratio particularis ex natura sua, ratione cuius haberent illam subordinationem.

Item & voluntas.

*Eodem autem modo*,quo disputritur de cõcursu appetitus cum potentia locomotiua ad motũ,debet discurri de concursu voluntatis cum appetitu ad motum localem omnem appetitus,qui non possit haberi sine imperio voluntatis propter eandem rationem;sed si sit aliquis motus localis in hominibus,qui possit haberi absque actu voluntatis,vt est motus ille fortassis,quo dormiẽtes se quãdoque mouent, dicendum est quod ille motus non dependeat à voluntate,nisi quatenus voluntas per nolitionem possit impedire illum; & existimo quod nec sic etiã impediatur per nolitionem præcisè, sed quatenus ad illã nolitionem sequitur productio, vel conseruatio physica alicuius alterius effectus incompossibilis cum illo motu.

## QVÆSTIO III.

### *De passionibus, & motibus appetitus sensitiui.*

24. EXperientia compertum est reperiri in nobis quosdam motus interiores gaudij, timoris, & similes alios;quos in parte etiam corporea nostra excitari colligitur, quia similes reperiuntur in aliis animalibus, cum quibus conuenimus in ratione animalis.De his ergo motibus in generali,eorumque diuisione hic agendum ; sed ante omnia aduertendum quod quamuis non solum omnes huiusmodi motus possint appellari passiones,quia iis mediantibus patimur sine eo, quod feramur in obiecta aliqua quasi actiuè volendo,aut fugiendo ipsa;sed etiam similes motus, qui in parte rationali etiam reperiuntur: quis enim neget animam separatam, & Angelos moueri posse suis delectationibus,& timoribus ? tamen ex communiori acceptatione soli illi,qui in parte corporea sentiuntur, passiones nuncupantur ; imo secundum multos, non omnes motus huiusmodi corporei censendi sunt passiones, sed qui impellunt ad malum ; & iuxta hoc solui posset illa quæstio, an passio possit esse cum virtute morali:nam, si per passionem intelligeretur motus inclinans ad malum,virtus moralis perfecta cum ea cõsistere nequit,quia hæc tolleret omnem difficultatem,& consequenter non relinqueret inclinationem ad oppositum, quia illa inclinatio faceret exercitium virtutis difficile; posset tamen cum passione esse virtus imperfecta:loquor autem de virtute habituali,quia actualis virtus valde perfecta posset esse cum summa difficultate,imò actus virtutis cæteris paribus magis est meritorius, & bonus quo magis fit cum difficultate. Si autem loquamur de passionibus in latiori significatione,vt comprehendunt omnes motus partis sensitiuæ aut voluntatis,qui non sunt actus aut operationes, quibus tendit in obiectum aut recedit ab ipso, possunt sine dubio ij, qui non inclinant ad malum, nec reddunt difficile exercitium virtutis, esse cum virtute. *Quod totum confirmatur*,& ex eo quod aliquis possit absque peccato irasci, iuxta illud *Psal* 4. *Irascimini & nolite peccare*,& ex tristitia Christi Domini, cuius anima erat tristis vsque ad mortem.

An passio possit esse cũ virtute morali.

Ex quo etiam colligitur hos motus omnes non esse vituperabiles, sed & licere qnandoque eos excitare, tum ad impellendos nos ad exercendos actus virtutum ; tum etiam ad acquirendum habitum iis resistendi, quando nobis inuitis excitarentur;vnde merito *Plato* igniculos, *Aristoteles* arma virtutum eos appellat.& *Plutarchus* asserit non esse sapientis eos radicitus euellere.

Variæ diuisiones passionũ.

25. Hi ergo motus varie ab authoribus diuiduntur,& primo quidem in eos, qui spectant ad partem concupiscibilem, vt *amor, desiderium, delectatio, odium, fuga, tristitia*, & in eos qui spectant ad partem irascibilem, vt *spes, desperatio, timor, audacia, ira*. Sed quamuis non dubitem, quin satis adæquatè diuidi possint passiones omnes in spectantes ad concupiscibilem, & irascibilem ; tamen quod assignetur amor & odium ac delectatio, &c. parti concupiscibili, & spes, timor & desperatio ad partem irascibilem, non placet vlla ratione, quia quandoquidem concupiscibilis sit quæ versetur circa bonum quod non est impeditiuum,& irascibilis circa impedimentum, certum est quod spes & timor possit esse in concupiscibili; nam etiam timemus malum oppositum bono,quod est impedimentum, & speramus nos tale bonum consecuturos.

Spes spectat ad concupiscibilem partem.

*Deinde* sicut per partem irascibilem volumus cum indignatione remouere impedimentum, & id speramus,ac timemus ne non possimus ipsum remouere, ita etiam quoties sic remouemus ipsum,delectamur,sicut & quando cognoscimus certo, quod sit sic remouendum.

Delectatio spectat ad irascibilẽ.

*Alia diuisio* est in eas, quæ à bono,& eas, quæ à malo proposito per cognitionem causantur siue immediate, siue mediante actu. Hæc diuisio est bona & adæquata, sed non in species infimas, verum in subalternas diuisibiles vlterius in varias alias species.

26. *Tertio*, possunt diuidi adæquate tanquam in species subalternas non infimas,in voluptatem & dolorem, intelligendo per voluptatem omnem passionem gratam, & per dolorem, omnem passionem, aut motum,qui esset ingratus.

*Quarto*,possunt diuidi in bonos,& malos,intelligendo per bonos, qui iuuant, seu impellunt ad bonum, & per malos, qui iuuant ad malum. Quæ diuisio est quidem adæquata, sed non in membra necessario essentialiter ita distincta,quin eadem passio possit quandoque esse bona, quandoque mala ; nam motus voluptatis, quem cibus propositus causat in sensu,impelleret ad bonum quando bonum esset comedere,& ad malum quando non esset id bonum, sed prohibitum.

Variis etiã aliis modis diuidi possunt,quos inutile esset proponere:sufficit enim naturam passionum cognoscere, & hoc poterit fieri agendo de illis in particulari:ex hoc autem facile poterit quis eas varie diuidere,& discernere

ex omnibus diuisionibus, quæ proponentur, quæ bona sit, quæ mala, & qualis sit quælibet bona.

Suppono autem per passiones intelligi aliquos motus, quos sentimus, distinctos ab actibus, quibus positiuè prosequimur, aut fugimus aliqua obiecta volendo, aut nolendo illa.

Quid Amor. 27. Ex his autem motibus, seu passionibus *primus* vocatur *Amor*. Hunc satis communiter explicant authores esse volitionem, seu appetitum boni secundum se sumpti: & similiter cæteras etiam passiones per volitiones, & nolitiones cum particulari aliqua differentia describere solent. Sed si loquantur in sensu formali, pessima esset hæc explicatio, quia quandoquidem per passiones intelligamus motus distinctos ab actibus, quibus fertur potentia in obiectum prosecutiuè, aut fugitiuè, vt ita loquar, non potest esse verum quod vlla passio sit formaliter volitio, aut nolitio vlla. Si autem intelligant illas descriptiones in sensu causali, intelligendo quod passiones sint volitiones, aut nolitiones, quatenus vel causant nolitiones, aut volitiones aliquo modo, vel causantur ab illis, quamuis id esset verum, melius tamen explicarentur ponendo in ipsismet explicationibus illud, quod formaliter dicunt.

Itaque melius describitur *Amor sensitiuus* esse illa passio, quam sentimus in nobis, dum proponitur nobis aliquod obiectum sub ratione boni, ex quo fit vt si illud obiectum esset absens, desideraremus illud acquirere, & si esset præsens ac possessum à nobis desideraremus continuationem istius possessionis: quod si non detur huiusmodi motus distinctus ab actu appetitus, quo fertur in bonum sic propositum, tum non dabitur passio vlla in appetitu, quæ debeat vocari amor formaliter, sed amor appetitus erit actus vitalis ipsius, quo prosequitur obiectum sic propositum, quem actum non possumus melius describere, quam quod sit actus ille, quo prosequimur bonum secundum se propositum absque consideratione absentiæ, vel præsentiæ, aut aliarum circumstantiarum, quæ quando considerantur sunt causa, vel conditio cur alij actus distincti sint in appetitu.

28. An vero sint in appetitu, & passio distincta ab appetitione, & appetitio, non est tam facile ostendere, nec potest melius cognosci quàm per experientiam, quam ego fateor me nunquam in me percipere potuisse, etiam facta diligentissima reflexione & quidem data opera: vnde prorsus existimo, si posito bono delectabili fertur in ipsum aliqua ratione appetitus, non produci in eo præterea passionem vllam. Et certe ex communi sensu amor potius in actu consistere debet, quam in passione aliqua, quæ non sit actus; nam per amorem dicitur quis ferri in obiectum, ipsumque amare, quod denotat aliquem actū: nec hoc potius intelligi debet de amore rationali, quam de appetitiuo, seruata proportione. *Nec refert etiam* quod amor sensitiuus præsertim, vocetur passio satis communiter; hoc enim potest satis commodè intelligi non de passione, quatenus est aliquid distinctum ab actu vitali appetitus, sed quatenus fit cum alteratione corporis, & sæpe trahit voluntatem etiam contra ordinem rationis ad male agendum.

29. *Vulpes parte 2. diff. 79. art. 2.* satis mirabilem proponit doctrinam de amore, dicit enim amorem voluntatis rationalis consistere in actu vitali de prædicamento qualitatis, qui non sit actio, nec passio de prædicamento actionis & passionis, nisi præsuppositiuè, quatenus scilicet producitur per talem actionem.

*Deinde* dicit amorem partis sensitiuæ esse passionem in vtroque genere qualitatis & passionis, & ad hoc probandum dicit appetitum sensitiuum non esse vitaliter operatiuum.

*Sed quidquid sit de prima parte*, contra quam opponi posset quod si detur amor in potentia sensitiua, qui non sit actus vitalis, similiter detur in parte rationali à paritate rationis & experientiæ, quæ habetur æquè de vna ac altera parte. Quidquid, inquam, sit de hoc, non potest esse dubium, quin potentia appetitiua sit vitaliter operatiua non minus quam intellectus, nec vllus vnquam negare potest quin eliciat etiam effectiuè aliquas operationes nō minus quam potētia cognoscitiua sensitiua tam externa, quam interna. *Deinde*, quamuis non eliceret actum vllum nec consequenter amorem, sed ad hunc mere passiuè se haberet: tamē non sequeretur quod amor sensitiuus esset passio de prædicamēto qualitatis & passionis, alio modo quam actus amoris rationalis; nam illa passio sensitiua, quæ est de prædicamento qualitatis, non dicit passionē, quæ est de prædicamento passionis, alio modo quā præsuppositiuè; sic autem dicit illam passionem actus omnis, ac consequenter amor rationalis. *Nec refert*, quod appetitus sensitiuus ducatur ab obiecto: hinc enim non sequitur quin etiam actiuè concurrat ad illum effectum, ad quem ducitur: sicut ex eo, quod obiectum determinet potentias cognoscitiuas, tam externas, quàm internas, & moueat ipsas, non sequitur quod non habeant se actiuè ad illos actus, ad quos determinantur.

30. *Odium quæ* est *secunda passio*, vel versatur circa malum disconueniens, vel oritur ex ipso, & de eo eodem prorsus modo quoad omnia discurrendum, proportione seruata, ac de amore. Solum addendum, quod quamuis odium sequatur quandoque ex amore, non quidem respectu eiusdem obiecti, sed respectu alterius obiecti, quod esset impeditiuum obiecti amati, aut contrarium ipsi aliquo modo; meo tamen iudicio, non est necessarium, vt omne odium in particulari præsupponat amorem; nam si proponeretur appetitui obiectum, vt disconueniens præcisè, non video cur appetitus non possit tam directè fugere ipsum, quàm directè potest prosequi obiectum conueniens. Non video cur non possit sensus cognoscere combustionem, vt disconuenientem sensui externo, & corpori, quamuis non consideraret aliquod aliud obiectum sub ratione contraria conuenientiæ. Non omne odium præsupponit amorem.

Quando autem *Scotus in 2. dist. 6. q. 2.* diuidens actum voluntatis vt sic in velle, & nolle, dicere videtur quod omne nolle præsupponat necessario velle, quod huic doctrinæ aduersari videtur, quandoquidem omne odium supponatur esse nolle, vel saltem coniunctum cum nolle;

*Respondeo* ipsum intelligendum; vel de omni nolle, quod esset circa obiectum, quatenus impeditiuum alterius obiecti, vel ipsi contrarium; hoc autem non esset contra doctrinam præmissam. Vel loquitur de omni nolle, quod actu ordinaretur à nolente ad aliquem finem amatum: talis enim deberet necessario præsupponere amorem finis; nec hoc etiam esset contra nos. Vel denique vult tantum, quod omne odium, seu nolle debeat præsupponere amorem, seu velle aliquod, quatenus versari debet circa aliquod disconueniens alicui rei, quæ si proponeretur tum actu quando proponitur obiectum disconueniens, amaretur actu, & amor ipsius esset optima ratio ob quam aliquis odio haberet obiectum disconueniens, aut contrarium: non vero quod necessario semper debeat odium præsupponere amorem actualem: nec enim est verisimile, quod quoties refugimus aliqua obiecta disconuenientia nobis, toties actualiter etiam nos ipsos alio amore amemus: & dico *alio amore*, quia illud ipsum odium obiecti nobis disconuenientis potest dici virtualiter amor nostri, quatenus est actus cedens in emolumentum nostrum.

31. *Tertia passio* vocatur *concupiscentia*, quæ versatur circa bonum propositum vt absens, quod consequi desideramus, siue nobis, siue aliis. Hanc etiam puto non esse passionem oppositam actui, sed actum omnino elicitum propter rationes propositas de amore. Quid concupiscentia.

*Quarta passio* vocatur *fuga*, seu *abominatio*, quæ respicit malum absens, & est nolitio, qua nolumus illud esse præsens, & eodem modo ponenda est in actu, & non in passione, quo concupiscentia. Quid fuga, & abominatio.

*Delectatio* est *quinta passio*, & est motus ille placens, quē sentimus in appetitu ex possessione boni amati, cuius præsentiam concupiscebamus, si esset absens, vel etiā ex cognitione certa, aut probabili de possessione ipsius, neque enim existimo delectationē quæ oritur ex possessione boni, esse distinctæ rationis specificæ à delectatione, quæ oritur ex eo quod cognoscatur illa possessio Quid delectatio.

esse

esse futura. Hanc puto esse propriam passionem, quæ non sit actus, quia non apparet quod per eam tendimus in obiectum aliquod, vnde dicitur communiter delectari de obiecto, qui modus loquendi non denotat tendentiam vllam in obiectum: & quamuis soleat semper fortassis habere secum annexum amorem; tamen id mihi non videtur necessarium: vnde si Deus non concurreret cum voluntate aut appetitu ad amorem, tamen adhuc obiectum conueniens possessum posset causare illam delectationem, & fortassis sæpissime de facto delectatio præsupponitur amori; præsertim quando obiectum non possidetur per ipsum amorē, quod addo; quia aliquando non possidetur obiectum ad appetitu nisi per ipsum amorē, vt patet in Beatis, qui non alio modo possident Deum per voluntatem, quam quatenus amant ipsum tali amore particulari, nempe beatifico: quando autem possidetur per ipsum amorem, delectatio orta ex possessione debet præsupponere amorem, si tamen sit quid distinctum ab amore tali; de quo quis merito dubitare posset: nec, quod ad me attinet, concurrit vlla ratio magis fauens distinctioni eorum, quam si Christus Dominus qua homo de facto, non obstante amore beatifico quem habuit in via de Deo, non habuerit summam illam consolationem & declarationem, quam ex illo amore habuit post mortem. De quo in materia de Incarnatione.

Quid tristitia.

32. Iuxta hoc proportione seruata discurrendum de *sexta passione*, quæ est *tristitia*, quam sentimus de malo præsenti ac imminenti.

Quid spes

*Septima passio* est *spes*, quam etiam puto non esse passionem, sed actum vitalem, siue spectet ad appetitum, vt communius tenetur, siue ad potētiam cognoscitiuam, vt aliqui existimant, quia apparet nos dum speramus tendere in aliquod obiectum; concomitari quidem solet illam aliquis motus placens, qui est passio proprie dicta, quam non puto esse specie distinctam à motu delectationis, sed accidentaliter tantum, quatenus scilicet in se non est tantæ intensionis, quantæ est delectatio de obiecto possesso, & quatenus sequitur ad spem, quæ est actus tendens in bonum absens; alia vero delectatio sequitur ad possessionem boni.

Desperatio quid?

*Octaua passio* est *desperatio*, quæ est motus ille, quem experimur in nobis, quando iudicamus nos non consecuturos bonum, quod optaremus consequi. Existimo autem quod tum non habeamus alium motum, quam illum displicentem, qui est passio eiusdem rationis cum tristitia, & accidentaliter tantum distincta, sicut dixi de eo motu, qui concomitatur spem; & præterea opinionem, seu cognitionem iudicatiuam de non consequendo bono.

Quid timor.

*Nona passio* est *timor*, qui est motus, quem sentimus quando dubitamus de consecutione boni concupiti, & est propria passio, indistinctæ tamen verisimiliter rationis à motu illo, quem sentiunt desperantes.

Quid audacia.

33. *Decima passio* vocatur *audacia*; & est motus ille, quo impelluntur aliqui ad prosecutionem alicuius obiecti, non obstantibus magnis periculis. Hanc existimo non esse passionem, sed actum positiuum voluntatis, quo desiderat obiectum non obstantibus impedimentis.

Quid excandescētia & furor.

*Vndecima passio* est *ira*, & est ille motus, quem sentimus, quando proponuntur impedimenta rei, quam facimus aut vellemus facere aut fieri; qui quando est tam vehemens, vt quis excrudescat, vocatur *excandescentia*; & quando est talis, vt quis se gerat tanquam si esset priuatus vsu rationis, dicitur *furor*. Hanc credo esse propriam passionem, quia est quædam displicentia de impedimento posito.

Quid pudor.

*Duodecima passio* est *pudor*, qui est motus ille internus quem sentimus ex consideratione alicuius actionis nobis indignæ, factæ vel faciendæ, vel obiectæ nobis.

Quid indignatio.

*Decimatertia* est *indignatio*, seu motus, quem percipimus quando fit nobis aliquid modo aliquo indigniori.

*Decimaquarta* est *æmulatio*, seu motus, quem sentimus ex eo, quod videamus aliquem alium quem superare vellemus, acquirere aliquod bonum, quod ad hoc impediendum posset conducere.

Hæ sunt passiones, quas communiter explicare solent authores, & si quæ aliæ sunt facile explicari possunt iuxta dicta de his, aduertendo semper ad experientiam nostram.

## QVÆSTIO IV.

### *Quomodo causentur passiones in appetitu.*

34. SVpposito ex quæstione præcedenti quod sint aliquæ qualitates placentes, & displicentes in appetitu & voluntate, quæ non sunt operationes, quibus fertur in obiectum propositum per potentiam cognoscitiuam, quæritur iam, à qua causa effectiuè producuntur illæ qualitates: & quidem quod obiectum concurrat est extra controuersiam, sed dubium est, an sit causa adæquata productiua ita, vt ipsa potentia, quæ patitur illos motus, hoc est, quæ delectatur aut tristatur, non concurrat effectiuè ad illos, sed mere passiuè se habeat.

*Prima sententia* est, passiones produci partialiter à potentia vitali, in qua subiectantur non minus quam intellectio, & quæcunque alia sensatio. Ita *Suarez 1.2.disp.7. sect.1.*

*Secunda sententia* tenet eas non produci effectiuè à potentia etiam partialiter. Hanc sequuntur *Scotistæ* communiter cum *Doctore in 1.d.1.q.3.* & variis aliis locis, & etiam sequitur *Auersa 1.2.q.22.*

### CONCLVSIO I.

35. *Siue passiones producantur effectiuè à potentia, siue non, sunt motus vitales, ex quibus potest argui quod qui mouetur per illas sit viuens conceptu vitæ communi Deo, hominibus & Angelis; nec ex hoc sufficienter colligi potest, quod producuntur a potentia effectiuè vlla ratione.* Hæc hoc modo proposita est nullius, est tamen conformis principiis Doctoris.

Quid æmulatio. Passiones sūt motus vitales.

*Patet prima pars*: quia per illas potentia sensibiliter mouetur: sed sic moueri non potest, nisi quod viuit tali vita: ergo.

*Confirmatur*, quia nemo est qui si cognosceret quod aliquis delectaretur aut tristaretur, non statim ex hoc ipso, quamuis nullam aliam operationem haberet, non iudicaret ipsum viuere.

*Confirmatur secundo*, quia Deus ipse viuit per hoc quod percipiat & velit sensibiliter obiecta, quamuis non producat suam perceptionem aut volitionem: ergo etiam homo per hoc, quod percipiat aliquid, debet dici viuere, siue producat suam perceptionem, siue non.

Ex eo quod sint vitales, non rectè colligitur, quod producātur effectiuè à suo subiecto.

*Hinc patet secunda pars*, quia si potest viuere per hoc quod sic percipiat, absque eo quod producat perceptionem, male colligitur ex eo, quod sic viuat, & quod perceptio sit motus vitalis, eam ab ipsa produci, & consequenter etiam fundamentum *Suarij* pro prima sententia non valere, nempe quod illi motus sint vitales: quod si intelligeret illos motus esse vitales in sensu aliquo, in quo requireretur ad motum vitalem quod produceretur à potentia, quæ mouetur; peteret manifestè principium quia assumeret quod erat probandum.

### CONCLVSIO II.

An delectatio & iustitia producātur effectiuè à subiecto.

36. *Si delectatio & tristitia sit perceptio alicuius qualitatis conuenientis, aut disconuenientis productæ in ipsamet potentia ab obiecto proposito, effectiuè se habet ad illam non minus quam potentia visiua ad visionem, si verò non sit talis perceptio, sed qualitas seipsa percepta à potentia, sine eo quod potentia percipiat aliquid aliud per ipsam, probabilius est quod potentia non concurrat ad ipsam effectiuè.* Hæc etiam est nullius, quod sciam.

*Probatur prima pars*, quia eadem prorsus est ratio, quod illa perceptio sit producta à potentia, ac quælibet alia, per quam percipitur aliquod obiectum.

*Probatur secunda pars*: quia nihil impedit quo minus ipsummet obiectum producat illam qualitatem, nec est necessarium recurrere ad concursum potentiæ.

### CONCLVSIO III.

Passiones non producuntur effectiuè à subiecto.

37. *Absolutè probabilius est dicere, quod delectatio & tristitia, & similes passiones non producantur effectiuè à potentia partialiter.*

*Probatur*: quia vt dixi supra *disput. præcedenti num.* 83. de dolore, probabilius est, quod delectatio & tristitia sint qualitates, quæ seipsis percipiuntur: & hoc supposito nihil cogit ad dicendum quod effectiuè producantur à potentia. *Deinde* sic melius saluatur quomodo voluntas non producat in se aliquid vitale, quod non est liberum ipsi; & quemadmodum posset naturaliter necessitari ad actum, quo perciperet qualitatem doloris, non obstante quod concurreret effectiuè; ita posset dici quod necessitari posset ad alios actus vitales volitionis, & nolitionis: & præterea delectationes & tristitiæ non essent passiones, sed operationes: nam illæ actus, quo sentiret voluntas qualitates illius, esset operatio non minus quam intellectio, aut volitio, & sic haberet voluntas actum aliquem elicitum à se, qui non esset volitio, aut nolitio, quod est contra omnes.

# DISPVT. V.

## *De Anima rationali.*

VPEREST consideratio Animæ, quatenus rationalis est, & potentiarum ac actuum ipsi, qua talis est, competentium. Et quidem, quantum ad substantiam ipsius attinet, solum examinandum est, an sit spiritualis, ac immortalis, & quando, ac à quo producatur, nam diffinitio ipsius ex dictis de anima vt sic, & animabus vegetatiua, ac sensitiua, facile colligi potest esse, quod *sit actus corporis organici potentia vitam rationalem habentis*, seu *principium quo physicum, ratione cuius competit substantijs corporeis discurrere*; qualem animam dari omni illa experientia constat, qua colligere possumus nos discurrere.

## QVÆSTIO I.

### *An Anima rationalis sit spiritualis.*

1. VArij erant antiquorum errores circa naturam animæ rationalis. Ex quibus aliqui putarunt eam esse ignem cum *Zenone*; alij aërem cum *Anaxagora*: alij sanguinem cum *Empedocle*.

### CONCLVSIO I.

Anima rationalis est spiritualis.

*Anima rationalis est spiritualis.* Hæc est communis omnium Philosophorum, & Theologorum præter paucos antiquos, quorum sententiam paulo ante proposui.

*Probatur primo* ex Scriptura *Eccles. vltimo*: *Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat: & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et *Lucæ*: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Quibus verbis anima dicitur spiritus: & quamuis in Scriptura spiritus aliquando capiatur pro re corporea, vt *Geneseos* 8. *Adduxit spiritum super terram, & imminuta sunt aquæ*: vbi spiritus capitur pro aëre, ac vento, quibus Deus exsiccauit terram; tamen in locis prædictis spiritum capi, provt opponitur corpori, constans est Patrum ac Theologorum sententia, & patet vlterius ex Concil. Lateranens. sub Innocent. III. relato in *cap. firmiter de summa Trinitate*, vbi dicitur natura humana constituta ex spiritu & corpore: & ex *cap. quidam autem hæreticorum*, vbi refertur inter hæreses sententia tenens animam intellectiuam non esse spiritum, provt spiritus opponitur corpori.

2. *Probant Complutenses* ex *S. Thoma* 1. *part. qu.* 75. *art.* 2. Omne quod est in potentia ad aliquid caret eo: sed intellectus est in potentia ad intelligibilia omnia recipienda in se per intellectionem eorum: ergo caret ex se omnibus illis intelligibilibus; sed sensibilia ac corporalia sunt intelligibilia: ergo caret omni materia ac corporeitate, & consequenter est spiritualis; sed si intellectus sit spiritualis, anima cui conuenit connaturaliter, debet esse spiritualis.

*Confirmant primo*: si visus haberet in se aliquem colorem, ille impediret quo minus vllos alios colores videret: ergo si intellectus esset materialis, seu haberet in se materialitatem, non posset intelligere alia materialia.

*Confirmatur secundo*, quia intellectus est pura potentia in ordine intelligibili, quatenus ex se non includit aliquē actum istius ordinis, seu aliquod obiectum intelligibile quod habeat sē ratione sui, vel ratione speciei, vt forma, & actus in ordine intelligibili, vt constituēs ipsū in actu primo & completo ad intelligēdum: ergo non habet aliquam quidditatem materialem, quia obiectum intellectus pro hoc statu est quidditas rei materialis, & consequenter si intellectus ex se non habet obiectum aliquod intelligibile, non debet habere talem quidditatem.

3. *Hæc probatio*, prorsus est insufficiens cum suis probationibus: quia si valeret, sequeretur manifestè quod intellectus non esset spiritualis: intelligit enim spiritualia: ergo si deberet carere omni illo quod potest intelligere, deberet carere spiritualitate, quia spiritualitatem potest intelligere.

*Viderunt Complutenses* hanc replicam, quæ satis obuia est, & ad eam soluendam præmittunt longum discursum, cuius tota vis consistit in hoc, quod potentiæ materiales eo ipso, quo materiales, non possint concipere res vniuersales; intellectus vero possit, vnde necessarium est quod non sit materialis. Qua doctrina suppositā;

*Respondent*, negando sequelam replicæ, & rationem disparitatis assignant, quod quidditas spiritualis non tollit indeterminationem & indifferentiam, per quam natura aliqua in esse repræsentatiuo potest fieri vniuersalis; secus vero est de materiali quidditate.

4. *Sed contra*, quia quamuis forte ex intellectione rei vniuersalis sequeretur quod intellectus sic intelligens esset spiritualis; tamen ex hoc non sequitur quod ex eo quod posset intelligere rem materialem, debeat non esse materialis magis, quam ex eo quod possit intelligere rem spiritualem, debeat esse materialis. Et præterea in disparitate petunt principium, quia asserentes intellectum esse materialem, dicerent vel non intelligi ab ipso rem vniuersalem vt vniuersalis est, vel potentiam materialem posse talem rem intelligere.

*Deinde*, vt dixi, quamuis potentia deberet carere materialitate, vt intelligeret vniuersale, & ex hoc directè posset probari conclusio; tamen ex hoc non sequitur veram esse hanc propositionem, quod intellectus vt intelligat debeat ex se carere re quam intelligit. Itaque in forma ad prædictam probationem, vt magis clare pateat quod non sufficiat.

*Respondeo primo*, negādo minorē: nam non est in potētia ad semetipsum, cum tamen sit intelligibilis à seipso.

*Respondeo secundo*, distinguendo maiorem, quidquid est in potentia ad aliqua recipienda secundum suam entitatem physicam, caret illis secundum illam entitatē: quidquid est in potentia ad aliqua recipienda secundum esse intentionale, caret illis ex se secundum illud esse intentionale, concedo maiorem; quidquid est in potentia ad aliqua recipienda secundum esse intentionale caret illis secundum esse reale, nego maiorem: nam, vt dixi, intellectus est potentia ad seipsum recipiendum secundum esse intentionale, & etiam ad recipiendas qualitates, & species sibi inhærentes, quoad esse intentionale, quia potest & se & illas intelligere, & nihil aliud est esse in potentia ad recipiendum aliquid quoad esse intentionale, quam posse illud intelligere, & tamen intellectus non caret seipso nec illis habitibus aut speciebus quoad esse reale, sed habet necessario se & potest habere illa alia in se realiter subiectata. Iuxta hoc distinguo minorem: quoad esse intentionale, concedo, quoad esse reale, nego, & distinguo similiter consequens: quoad esse reale, nego, quoad intentionale, concedo consequentiam, & concesso subsumpto, nego consequentiam.

5. *Ad primam confirmationem respondeo*, negando consequentiam; visui enim ex ratione particulari sua competit quod color in ipso inhærens impediat ipsum, quo minus possit videre alium colorem, vt colligitur experientia, hæc autem ratio cur erit in aliis potentiis?

*Confir*

*Confirmatur hoc*: quia licet visus per colorem impediatur, quo minus videat aliud coloratum, tamen per materialitatē non impeditur quo minus possit videre aliud materiale; ergo neque intellectus per materialitatem deberet impediri à videndis aliis rebus materialibus.

*Ad confirmationem secundam respondeo*, intellectum non esse ex se in pura potentia in ordine intelligibilis, nisi quatenus ex se non habet cognitionem vllius intelligibilis absque concursu alicuius obiecti determinantis ipsum siue per se, siue per speciem impressam, sic autem esset pura potentia: quamuis esset materialis.

Et quamuis etiam quidditas materialis esset obiectum per se ipsius. Sicut enim intellectus Angelicus est in pura potentia in ordine intelligibili, quamuis sit spiritualis, & obiectum per se ipsius sit quidditas spiritualis, tā bene quàm obiectum adæquatum intellectus coniuncti sit quidditas materialis; quia scilicet ex se non habet intellectionem vllius rei, quatenus est potentia; ita in proposito dicendum.

6. *Probant ijdem Authores*, alio modo, quod intellectus, & consequenter anima sit spiritualis: quia non læditur ab vllo intelligibili, quantumuis vehementi, sicut sensus læditur à vehementi sensibili: sed huius non est alia ratio, nisi quod non sit materialis sicut sensus: ergo.

*Hæc etiam ratio* non sufficit, quia facile negari potest minor, & assignari pro ratione, quod nullum intelligibile habeat ex se offendere intellectum quamuis materialem, licet aliquod sensibile habeat ex se offendere sensum, quod tamen ipsum omnino incertum est.

*Confirmari potest hoc* quia vt fatentur aduersarij, imaginatiua quantumuis sit materialis non læditur à vehementi imaginabii: ergo nec intellectus quantumuis esset materialis deberet lædi à vehementi intelligibili.

*Dices* cum aduersariis, per accidens esse quod imaginatiua non lædatur à vehementi imaginabili, quia scilicet non datur tale.

*Contra*, quia eodem modo posset dici, quod per accidens esset intellectum non lædi à vehementi intelligibili, quia non daretur tale: & confirmari posset hoc, quia ideo potest colligi quod non detur vehemens seu excellens imaginabile, quia non datur aliquod tale, quod lædat imaginatiuam: ergo si non detur aliquod intelligile lædens intellectum debet dici quod non detur vehemens intelligibile.

7. *Alij probant Conclusionem*: quia anima est indiuisibilis, & carens partibus. Hæc probatio non debet admitti nec à *Thomistis*, quia asserunt animam perfectorum brutorum esse indiuisibilem & tamen materialem; nec etiam à *Scotistis*, quia putant puncta quantitatiua esse indiuisibilia & tamen materialia.

*Arriaga* probat eam; quia est independens à materia. Sed neque hæc etiam probatio sufficit, quia quamuis dependeret à materia, vt bene posset de potentia absoluta, adhuc tamen esse posset spiritualis, vt supra dixi *disp.* 2. de anima.

*Probat idem secundo* ex inclinationibus contrariis, quas habet homo ad virtutes & vitia, quia hinc sequitur quod habeat principium spirituale, quod inclinat ad virtutem & materiale quod inclinat ad vitia.

*Verum neque hæc etiam sufficit*, quia potest habere illas inclinationes secundum diuersas considerationes bonitatum, quæ essent in obiecto, vt inclinationem ad virtutem, secundum quod obiectum esset bonum honestū, & ad vitia, secūdum quod essent bona vtilia: & certe verisimile est Angelum in via posse habere huiusmodi diuersas inclinationes, quamuis esset totaliter spiritualis: vnde ex illis inclinationibus non sequuntur duo principia, in nobis, vtrum spirituale, & alterum corporale.

8. *Probatur ergo melius*: ex dictis in disputatione prima de anima; quia anima est tota in toto, ac tota in qualibet parte corporis, & consequenter petit occupare connaturaliter locum ac subiectum diuisibile: sed in hoc consistit conceptus rei spiritualis, vt ibi dictum est: ergo est spiritualis.

*Obijcies*. In septima Synodo generali *act.* 2. refertur testimonium cuiusdam Ioannis Thessalonicensis Episcopi dicentis, animam esse corpoream: quod dictum ipsius potius approbatur quam improbatur à Concilio.

*Respondeo* Concilium illam doctrinam non approbasse, quamuis approbauerit conclusionem, ad quam confirmandam adducebatur, nempe Angelos & animas posse depingi instar corporum, quia alio modo non poterant depingi, neque enim omnes rationes adductæ ad probandas conclusiones definitas in Concilio aliquo approbantur à Concilio, vt multis exemplis ostendi potest. Ioannes autem ille non est tantæ authoritatis, quin facile errasse admitti possit.

## QVÆSTIO II.

### *Vtrum Anima rationalis constet materia prima, & forma substantiali.*

NOn defuerunt aliqui, qui existimauerunt Angelos & animas rationales constare materia & forma, pro qua opinione citari solet *S. Bonauentura in 2. distin. 3.* & *Scotus etiam in quæstionibus de anima q. 15.* problematicus in ea quibusdam visus, speciatim *Cauello eodem loc.*: quos nonnulli recentiores *Scotistæ* sequuntur. Itaque quomodo se res habeat de anima hic examinabo, & ex resolutione quid etiam de Angelis dicendum sit facile innotescet.

### CONCLVSIO I.

9. *Anima rationalis non constat materia prima.* Hæc est iam communissima sententia contra *S. Bonauenturam* & nonnullos alios, quos citat *Cauellus* supra.

*Probatur primo*, quia anima esset corruptibilis; posset enim Deus separare vnionem, quæ esset inter materiam & formam, & si hoc fecisset corrumperetur.

*Verum hæc probatio non sufficit*, quia quamuis Deus posset ipsam corrumpere, tamen causa secunda non posset; non esset autem inconueniens in sentētia opposita, quod Deus eam posset corrumpere. *Confirmatur*, quia cæli quamuis constent materia & forma secundum communiorem sententiam non sunt corruptibiles dicendi, quia quamuis Deus de potentia absoluta posset eos corrumpere, tamen neque ipse, neque causa secunda potest corrumpere illos de potentia ordinaria: ergo idem dici posset de anima, quamuis constaret materia & forma: nec prorsus est vlla ratio quare debeat dici magis incorruptibilis quam cælum, nisi quatenus aliunde constaret, quod non includeret materiam.

10. *Probatur secundo*, quia sequeretur quod anima non esset actus primus corporis organici potentia vitam habentis, contra definitionem Philosophi, quia constaret alio actu, qui potius deberet dici actus primus.

*Hæc etiam probatio* non est magni momenti secundum se considerata. *Responderi enim facile potest primo*, nisi posset esse actus primus, si esset composita ex materia & forma, illam definitionem *Philosophi* non esse bonā, nec eam datam à *Philosopho*, nisi quatenus putauit animam non esse sic compositam, vnde vt constet illam definitionem esse bonam, debet aliunde probari quod anima non sit sic composita.

*Responderi potest secundo* negando sequelam, quia esse actum primum corporis, non est aliud quam esse actū, qui posset cum corpore facere vnum per se substantiale: hoc autem posset facere anima quamus esset composita ex materia & alio actu: quemadmodum enim corpus organicum potest facere vnum per se cū anima, quamuis constet alio actu; & alio subiecto in nostra sententia: ita anima posset facere vnum per se cum corpore, quamuis constet alio actu, & materia. Quod si quis velit intelligere per actum primum, actum qui non constaret alio actu, dicendo animam esse actum primum corporis, peteret principium, vt patet.

11. *Probatur tertio*: quia sequeretur materiam ex qua constaret anima, non esse materiam primam, & esse; esse quidē, quia id supponitur; non esse vero, quia præsupponeret connaturaliter aliam materiam, nimirum illam

ex qua constat corpus;nam præsupponit necessario corpus connaturaliter.

*Non placet etiam hæc probatio*, quia aduersarij facile possunt dicere materiam primam non dici primam ex eo, quod non præsupponat aliam materiam quomodocunque, sed ex eo, quod non præsupponat materiam aliam, ex qua tanquam ex parte componente ipsamet fiat.In hoc autem sensu materia animæ esset prima,quia quamuis præsupponeret connaturaliter materiam in qua fieret,nimirum corpus,& cõsequenter materiam ex qua constituitur corpus;tamẽ non præsupponeret materiam ex qua ipsamet componeretnr, tanquam ex parte intrinseca.Dicere autem,quod materia prima non diceretur prima in vno,sed in altero sensu,est reducere rẽ ad quæstionem de nomine,cũ difficultas realis sit,an anima constet duabus partibus,vna determinabili,& altera determinatiua, quomodocunque vocandæ sint illæ duæ partes.

12. *Probatur quarto*, quia si anima constaret materia prima, vel constaret materia prima eiusdem rationis cum nostra,vel diuersæ: neutrum dici potest;ergo.

*Aduersarij non conueniunt* in respondendo ad hanc probationem; nam quamuis negent minorem; tamen quidam ex illis eam negant pro prima parte, quatenus dicit materiam animæ non posse esse eiusdem rationis cum nostra; quidam vero eam negant pro secunda parte, quatenus negant eam posse esse diuersæ rationis. Itaque minor est probanda pro vtraque parte; & imprimis.

*Probatur pro prima parte primo*: si constaret materia eiusdem rationis cum nostra, deberet constare materia corporali,& sic anima non esset spiritualis,sicut nec homo dicitur spiritualis, quia quamuis constet vna parte spirituali; tamen constat alia corporali.Probatur sequela,quia materia nostra est corporalis:ergo si illa materia est eiusdem rationis cum nostra,esset corporalis.

*Respondent aduersarij* negando sequelam cum antecedente probationis. dicunt enim materiam primã quamcunque esse indifferentem ex se vt sit spiritualis,vel corporalis,& habere tantum esse corporalem à forma corporali, & spiritualem à forma spirituali non præsupponente formam corporalem.

*Contra*,quia diuisio substantiæ vt sic in spiritualem,& corporalem est diuisio adæquata, qua diuiditur totũ potentiale metaphysicum in species metaphysicas,ad quas per differentias metaphysicas contrahitur, non minus quã diuisio animalis in animal rationale,& irrationale: ergo implicat dari aliquã vnam singularem substãtiam, quæ non sit vel spiritualis vel corporea; aut quæ possit esse indifferens ad vtramque, & nunc spiritualis, nunc corporalis; sicut implicat dari aliquod vnum singulare animal quod non sit vel irrationale vel rationale, aut quod sit indifferens ad vtrumque.

*Confirmatur* hoc,quia materiæ secundum se consideratæ conuenit conceptus substantiæ corporalis,vt sic, vel non conuenit; si conuenit, est corporalis,& sic falsa est responsio aduersariorum;si non conuenit,conueniet ipsi necessario conceptus substantiæ spiritualis, & sic erit spiritualis, quod æque facit contra eandem responsionem.

*Confirmatur hoc* etiam vlterius per dicta supra *q.1.*

13. *Probatur secundo* eadem minor pro eadem prima parte;quia si illa materia sit eiusdem speciei cum nostra, debet esse diuisibilis in plures partes integrales:sed hoc nequit dici.Probatur minor primo;quia si esset diuisibilis deberet forma animæ ipsi correspondens esse etiam diuisibilis,vel indiuisibilis; non diuisibilis,tum quia sic anima rationalis non esset indiuisibilis, quandoquidem constaret pluribus partibus integralibus,tum quia quælibet anima rationalis constaret pluribus partibus, quarum quælibet esset anima rationalis æque bene ac tota anima ex illis composita, sicut quælibet aqua constat pluribus partibus,quarũ quælibet est aqua tã bene,quam tota aqua ex illis composita;partes enim illæ animæ essent homogeneæ:sed hoc est absurdũ,quia quælibet pars ex illis haberet sibi identificatum intellectum,& consequenter darentur plures intellectus in homine,& plures intellectiones eiusdem rationis,quo nihil absurdius excogitari potest:tum denique,quia in qualibet parte corporis humani essent plures partes eiusdẽ rationis, quod est etiam absurdum, quia connaturaliter loquendo non possunt esse simul duæ formæ eiusdem rationis non facientes vnionem;cuius etiam ratio est quia altera superflueret. Nõ etiã esset indiuisibilis illa forma,quia si esset indiuisibilis, nõ deberet exigere connaturaliter subiectũ diuisibile, nisi in ordine ad operationes diuersas, quas posset habere in illis partibus diuersis,sicut anima exigit corpus diuisibile,quia potest habere in partibus diuersis ipsius diuersas operationes, sed illa forma indiuisibilis non habet operationes diuersas, quarum vnas exerceret in vna parte subiecti,& alias in alia parte.

*Probatur secundo*,quod illa materia non sit diuisibilis: quia si esset diuisibilis, omnes partes ipsius deberent esse in qualibet parte corporis,sicut tota anima reperitur in qualibet parte ipsius:sed hoc nequit dici,quia sic ponerentur duæ partes substantiales eiusdem rationis in eodem subiecto, quod est absurdum,vt patet tum inductione, quia in nulla alia re possunt ostendi plures partes eiusdem rationis in eodem subiecto;tum quia, vt sæpe dixi, alterutra sufficeret,& altera superflueret.

14. *Probatur iam eadem minor principalis pro secunda parte*, quod nimirum materia illa qua constaret anima, non esset diuersæ rationis à nostra,quia fundamẽta aduersariorum, ex quibus probatur quod detur vlla ratione, probant quod sit eiusdem rationis: ergo non debet dici quod sit diuersæ rationis.

*Confirmatur* quia si sit diuersæ rationis, non est vllum principium vnde colligatur dari.

*Probatur quinto conclusio*:quia implicat animam constare materia tanquam parte essentiali physica, vt patebit ex quarta responsione ad vltimam obiectionem.

*Probatur sexto conclusio*: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla prorsus est necessitas multiplicandi plures partes physicas realiter distinctas, ex quibus constaret anima:ergo non est dicendum quod constet talibus partibus. Probatur minor soluendo rationes illas, ob quas aduersarij asserunt necessario concedendas plures tales partes; quas rationes proponam instar obiectionum maioris claritatis causa.

*Itaque obijcies primo*:materia est principium distinctionis numericæ intra eandem speciem:ergo quotiescumque dantur indiuidua distincta numero intra eandem speciem, debent constare materia.

*Respondeo primo*: si hoc argumentum valeret, quod probaret contra aduersarios & omnes,quod formæ accidentales omnes,vt calor & albedo,constarent materia & forma, quia multiplicantur numero intra eandem speciem. Quod si dicas materiam quidem esse principiũ multiplicationis numericæ harum formarum, sed non tamen materiam ex qua componuntur, sed materiam in qua producuntur. Similiter dici poterit quod quamuis materia esset principium multiplicationis numericæ animarum rationalium, id tamen non intelligendum de materia ex qua componantur, tanquam ex parte componente intrinseca, sed de materia in qua producuntur, & ad quam dicunt ordinem aptitudinalem, ex hoc autem non sequeretur, quod constarent materia & forma physica, vt patet.

*Respondeo secundo*, negando antecedens, si intelligatur vniuersaliter sic, vt velit nullum aliud esse principium distinctionis numericæ præter materiam, aut nullas res posse distingui numero tantum, nisi quæ constant materia, nec id etiam Philosophus asseruit,& si asseruisset, quandoquidem nulla id ratione colligi possit à priori aut posteriori, negari deberet eius authoritas.

16. *Obijcies secundo*, vbi reperitur proprietas materiæ, ibi reperitur materia: sed in animabus reperitur proprietas materiæ: ergo reperitur in illis materia. Probatur minor, quia proprietas materiæ est, quod sit ingenerabilis & incorruptibilis,& quod sit producibilis solum per creationem, sed hoc competit animabus ra-

tionalibu s.

tionalibus. Deinde proprietas materiæ est subſtare accidentibus, subſtantia enim corporalis habet subſtare accidentibus ratione materiæ: sed animæ rationali competit subſtare accidentibus: ergo competunt ipſi proprietates materiæ.

*Reſpondeo* negando esse proprietatem quarto modo materiæ, esse ingenerabilem & incorruptibilem, aut subſtare accidentibus, ita vt hæc non competant vllis aliis nisi aut ipsi materiæ, aut constantibus materia.

Ingenerabilitas & incorruptibilitas non est proprietas quarto modo materiæ.

Ratio autē cur hoc negem est, quia gratis asseritur ab aduersariis, & quia secundum *Thomistas* & *Scotistas* communiter, gratia est ingenerabilis, & incorruptibilis, & tamen non constat materia; & idem etiam aduersarij debent fateri de ipsamet forma qua cōstaret anima, alias anima ipsa non crearetur, sicut nec homo creatur proprie loquendo. Deinde etiam quantitas subest accidentibus, quæ tamen non constat materia.

*Deinde*, sicut materia conuenit cum forma corporea in hoc quod sit subſtantia & quod habeat partes extra partes tam bene, quam forma: ita etiam posset conuenire cum anima in hoc quod est subſtare accidentibus, & esse ingenerabile quid, ac incorruptibile: hoc autem supposito illa prædicata non essent proprietates ipsius in actu primo. Adde materiam habere alias proprietates, quibus posset distingui à posteriori ab animabus: ergo nec esset necesse tribuere ipsi illas proprietates, vt ab illis distinguatur.

*Præterea* quòd non sit proprium materiæ subſtare accidentibus, patet, quia ipsamet forma, qua constaret anima, subſtaret accidentibus casu quo separaretur à materia, nam esset similis ac dissimilis. Nec refert quod hæc sunt accidentia relatiua; nam si potest vlla, nihil obstat quin possit recipere absoluta accidentia.

17. *Obiicies tertio*: impossibile est aliquod agens secundum agere non agente primo agente: ergo impossibile est aliquid pati nisi in virtute primi passiui: sed anima potest pati: ergo in virtute primi passiui: sed non pateretur in virtute primi passiui nisi constaret materia prima, quæ est primum passiuum: ergo constat illa.

Potest aliquid pati independenter a materia prima.

*Reſpondeo* negando consequentiam intelligendo per primum passiuum materiam primam, de qua loquimur; neque enim potest ostendi cur omne passiuum deberet habere dependentiam in patiendo ab ipsa, sicut potest ostendi quòd omnis causa secunda debet habere dependentiam in operando à causa prima. *Quæ reſponſio confirmatur*, quia certum est, quòd quantitas & accidentia separata possint pati sine dependentia à materia prima.

*Quod si per primum passiuum* intelligatur primum subiectum motus, potest concedi quod nihil potest pati nisi in virtute primi passiui: nam quidquid patitur mediante motu, aut est primum subiectum istius motus & primū passiuum respectu eius, aut constans alio subiecto, vel præsupponens aliud subiectum, & sic dependebit ab alio subiecto; quod aliud erit primum, si non præsupponat alterum, aut componatur ex altero, & iuxta hoc potest *reſponderi ſecundo* concedendo totam obiectionem vsque ad vltimum subsumptum, quod est negandum: posset enim anima pati in virtute primi passiui, quamuis non constaret materia prima, nam ipsamet esset primum passiuum respectu motuum sibi conuenientium in statu separationis; non tamen esset materia prima, de qua loquimur, quia non esset primum ex quo aliquid fit, cum insit primo per se & non per accidens.

*Obiicies quarto*: nō repugnat dari subſtantias spirituales physice compositas: ergo asserendum est, quod dentur tales. Probatur consequentia; quia varietas illa quæ oriretur ex hoc spectaret ad maiorem decorem vniuersi. *Reſpondeo*: si non repugnat dari subſtantias compositas spirituales, non repugnare etiam subſtantias simplices tales; vnde si sequererur dari subſtantias compositas tales sequeretur etiam dari simplices, & æque vtrumque spectaret ad decorem vniuersi; vnde habetur quod non detur materia in omnibus subſtantiis spiritualibus, quod est contra aduersarios.

*Reſpondeo ſecundo* directe, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam: ad cuius probationem, nego debere asseri, quod detur quidquid spectaret quomodocumque ad decorem vniuersi, nisi aliunde constet ipsum dari quàm ex eo, quod ad hoc spectaret: nam secundum communiorem sententiam, posset Deus facere mundum perfectiorem quam est subſtantialiter & accidentaliter: ergo deest ipsi aliquid, quod si daretur spectaret ad maiorem decorem ipsius & consequenter non sequitur si aliquid cederet in maiorem decorem mundi, quod debeat dari à parte rei.

Non debet dari quidquid spectat ad maiorem perfectionem vniuersi.

*Reſpondeo tertio* negando consequentiam cum sua probatione; neque enim varietas, quæ oriretur ex eo, quod darētur subſtantiæ compositæ spirituales, cederet in decorem, aut perfectionem mundi, nisi aliquæ operationes aut aliquis vsus subſtantiæ spiritualis compositæ possent assignari, quæ non possent tam conuenienter in omni casu præstari & haberi per subſtantias spirituales simplices: non potest autem assignari vlla operatio, aut vsus subſtantiæ compositæ spiritualis, quæ operatio & vsus exigeret compositionem ipsius, ita vt non possent haberi quamuis non esset composita.

Subſtantia spiritualis cōposita nō augeret perfectionem vniuersi.

19. *Et hinc reſpondeo quarto* negando antecedens; quia impossibile est vt detur aliqua pars passiua intrinsece, & per se inclusa in aliquo composito quin aliquæ operationes illius compositi, aut vsus aliquis ipsius per se requirant connaturaliter illam partem, ita vt non possint esse connaturaliter absque tali parte: sed nullæ prorsus assignari possunt operationes animæ separatæ, nec vllus vsus ipsius, quæ per se necessario præsupponat in anima materiam (& idem est de Angelis) ergo impossibile est, quod anima constet materia prima, tanquam parte physica essentiali. Probatur minor, quia nullæ sunt operationes in anima separata, vt suppono, præter intellectiones, & volitiones, ac motum localem, quo potest mouere se secundum se totam, & alios: certum autem est quod ex natura sua non magis connaturaliter exigant hæ materiam dari quam non dari in anima; & idem est de quocumque vsu ipsius assignabili.

Repugnat anima cōposita.

## QVÆSTIO III.

### *Vtrum Anima sit immortalis.*

20. IMmortale, & incorruptibile potest esse aliquid tripliciter: *Primo* si nulla ratione possit desinere, etiā de potentia Dei absoluta, & hoc modo Deus ipse est immortalis, iuxta illud, *Regi ſeculorum immortali, & inuiſibili*, &c. *Secundo*, quod licet possit de potentia Dei absoluta & etiam de ordinaria desinere, non desinet tamē vnquam, sed perpetuo conseruabitur, & sic esset immortalis anima bruti, si Deus decerneret perpetuo ipsam conseruare, siue vnitam corpori bruti, siue ab ipso separatam. *Tertio denique*, quod licet possit de potentia absoluta desinere esse, siue per corruptionem, siue per annihilationem, siue per conuersionem; tamen ex natura sua exigit connaturaliter in perpetuum conseruari, adeo vt miraculosum esset si desineret vnquam, & sic se habent Angeli, & cæli etiam, ac materia prima.

Tripliciter potest aliquid esse immortale.

In præsenti ergo quæstione non est controuersia de immortalitate animæ primo modo, quia cum sit creatura ex natura sua intrinseca subiacet omnipotentiæ Creatoris, qui vt libere eam condidit, & conseruat, ita etiam penes eius potestatem est eam vlterius conseruare. Itaque dubium esse potest tantum de immortalitate eius aliis duobus sensibus.

### CONCLVSIO I.

21. *Anima rationalis est immortalis, & quidem ex natura ſua connaturaliter loquendo adeo, vt eſſet miraculum ſi non conſeruaretur, non minus quam Angelus eſt immortalis, aut vlla alia creatura abſolute poteſt eſſe immortalis.* Hæc est omniū Theologorum, & Philosophorum ferè omnium contra *Sadducæos*, & *Epicureos*, qui putauerunt eam interire statim ac separatur à corpore non minus, quam cæteræ animæ, ac formæ subſtantiales; & contra aliquos alios, qui quamuis nun-

Anima rationalis est immortalis ex natura sua connaturaliter.

quam interituram existimauerint, id tamen non ex natura sua, sed particulari dono Dei, ac gratiæ, indebitæ connaturaliter ipsi, adscribendum putauerunt.

*Probatur prima pars* de immortalitate eius, Sap. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem perpetuo sunt in pace* Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum viuent* Matth. 20. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et ex articulo fidei de vita æterna, qui stare non potest absque immortalitate animæ, vt est euidens. Et denique *ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess.* 8. vbi definitur hæc veritas his verbis: *Damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, & hoc in dubium vertentes; cum illa non solum vere per se essentialiter humani corporis forma existat; verum & immortalis, quod manifestè constat ex Euangelio.*

22. Per quam etiam autoritatem *probari solet secunda pars*, quia scilicet videtur dicere quod per se, & essentialiter sit immortalis. Verum quod ad me attinet, existimo id in prædicta autoritate non dici, nam illud *per se, & essentialiter* sine dubio non coniungitur cũ illa parte, qua dicitur quod sit immortalis; imo videtur nõ posse commode cum ea parte coniungi, quia Concilium dicit immortalitatem, quam attribuit animæ, manifestè constare ex euangelio: at certè immortalitas ex natura sua connaturaliter debita non potest manifestè colligi ex Scriptura, ad quam saluandam sufficeret immortalitas qualiscunque, siue debita connaturaliter, siue data extraordinariè absque exigentia connatnrali.

*Pluribus rationibus solet probari hæc conclusio*, quarum præcipuas examinare placuit, non solum veritatis indagandæ causa, sed etiam ne quis fidens aliquibus rationibus insufficientibus, si postea occurreret, qui earum vim probabiliter, aut clare eneruaret, de ipsa conclusione debitare inciperet ad summum animæ suæ detrimentum.

Prima ratio probans immortalitatem animæ reiicitur.

23. *Prima ratio* est, quod sit forma per se subsistens, & spiritualis: ergo est immortalis. *Hanc fusè proponunt Conimbricenses*, & *Complutenses*, & æque probat vtramque partem. *Sed omnino est insufficiens*; quia intelligitur in antecedente, quod sit subsistens aut subsistentia completa & hoc est falsum, aut subsistentia partiali, quam connaturaliter posset habere extrà corpus, & hoc est directe petere principium: vel intelligitur de subsistentia, quam potest habere in composito, siue illa subsistentia sit subsistentia totius, siue partialis, & in hoc sensu, quamuis concedatur antecedens, neganda est consequentia, quam non facile probabunt *Conimbricenses.*

*Probatur secundo*, appetitus perpetuitatis omnibus insitus est à natura: ergo sumus immortales: neque enim talis apperitus insereretur ad illud, quod nõ exigeretur connaturaliter, & quod non deberet haberi à natura nostra nisi opponeretur aliquod impedimentum.

*Hæc etiam ratio probat vtramque partem: sed non videtur sufficere*: nam si loquamur de appetitu innato non constat nobis talem inesse nobis ad immortalitatẽ, nisi quatenus cõstat im mortalitatem esse nobis connaturalem. Si vero loquamur de appetitu elicito, certum est talem posse reperiri in omnibus hominibus ad aliquid, quod non conueniet ipsis vnquam, imo, & quod non possit competere, modo apprehenderetur illud vt bonum, & possibile; nam bonum apparens potest mouere voluntatem ad desiderium etiam efficax ipsius, vt est extra controuersiam; & sic si aliquis conciperet vitã præsentem plenam voluptate præsẽti, absque interruptione vlla, siue per mortis siue per aliarum ærumnarum interuentum, possibilem per hæc, aut illa media, sine dubio appetereet illam, cum tamen non esset consecutus vnquam ipsam, nec etiam naturaliter posset eam consequi.

24. *Rursus* non magis apparet insitum nobis desideriũ, & appetitus, siue elicitus, siue innatus perpetuitatis, quàm beatitudinis: & tamen Theologi communiter negant posse probari ratione naturali vnquam beatificandos: ergo similiter negari debet ex illo appetitu perpetuitatis colligi posse sufficienter nos esse immortales.

*Præterea*, quamuis ex appetitu beatitudinis colligeretur possibilitas beatitudinis; tamen non potest colligi consecutio ipsius, cũ de fide sit ob demerita plures beatitudine casuros æterna miseria plectendos: ergo quamuis ex appetitu perpetuitatis possit colligi possibilitas ipsius; tamen non potest colligi eius consecutio; quia posset dubitari de ea admittenda, vel propter demerita, vel propter aliqua impedimenta physica.

*Vnde ex his in forma respondeo* negando consequentiam, ad cuius probationem dico primo posse esse appetitum elicitum in omnibus ad aliquid, & quod non essent vnquam consecuturi naturaliter & quod non possent etiam consequi. Dico secundo, ex ea sequi, quod perpetuitas animæ sit possibilis, sed inde non sequitur quod sit habenda; quia rerum possibilium, & quæ etiam connaturaliter exiguntur, multa possunt esse impedimenta, quo minus succedant. Et certè quamnis anima peteret connaturaliter durare in æternum ex se, quemadmodum pœna æterna statuitur ipsi de facto pro pœna peccatorum, posset etiam statui ipsi pro pœna loco ipsius destructio vel annihilatio, & nulla est ratio naturalis quæ conuincere possit quin ita sit statutum de facto.

25. *Probatur tertio*, quia anima habet aliquas operationes independentes à corpore, vt sunt illæ quibus intelligit spiritualia v.g. Deum, Angelos, seipsam, suasque operationes, & cognitiones reflexè: ergo non habet dependentiam talem à corpore, quin debeat connaturaliter existere quamuis separaretur à corpore, & consequenter est immortalis. Prima consequentia patet: quia ideo debet desinere separata à corpore, quia non haberet operationes vllas, & consequenter frustra conseruaretur. Probatur secunda consequentia, quia eatenus non esset immortalis, quatenus posset destrui à causis secundis, sed causæ secundæ non possunt destruere aliquam formam nisi quatenus separant ipsam à subiecto, & sic separata non debet conseruari vlterius à Deo.

*Hæc probatio* est satis communis, & currit pro vtraque parte, sed non videtur multum vrgere. *Primo*, quia incertissimum est antecedens, & potius apparet falsum: nam quantum ad experientiam, in omnibus nostris operationibus dependemus à phantasmatibus: & quamuis daretur aliqua operatio in nobis sic independens proxime, tamen nemo dubitet, quin quoad illam operationem dependeremus à corporeis phantasmatibus quantum ad excitationem ipsius. Vnde posset dici, quod non haberetur talis operatio ab anima separata, atque adeo quod talis anima conseruari non deberet.

*Secundo*, quia difficilis est prima consequentia: quemadmodum enim albedo quanta separata à substantia potest disgregare visum non minus quam si esset in substãtia, & tamen hoc non obstante non debet connaturaliter conseruari absque substantia; ita etiam quamuis anima posset habere aliquas operationes independentes à corpore non deberet eo ipso connaturaliter conseruari absque corpore.

26. *Quarto probatur*: quia certum est Deum iustissime regere, ac prudẽter suas creaturas: sed nisi anima post separationem à corpore existeret, id non faceret: ergo manet separata à corpore, & consequenter non desinit eo ipso quo sic separatur: sed si non desinat per separationem, non desinit vllo modo, & consequenter erit immortalis. Probatur minor quia non regeret iustissime, & sapienter, ac honestè mundum, nisi bonos maiori præmio afficeret, & minori pœna quam malos: sed in hac vita sæpe videmus sceleratissimos homines euehi ad honores, cumulari diuitiis, nulla aduersitate ad extremum vsque affligi, summa denique rerum omnium prosperitate gaudere; è contra vero magna virtute præditos rerum omnium inopia laborare, infirmitatibus premi, affligi persecutionibus, nulla denique voluptate, aut honore affici: ergo magis præmiantur in hac vita sæpe mali quam boni, & consequenter nisi est alia vita, in qua præmium detur bonis & pœna malis, Deus non regit iuste & sapienter hunc mundum.

27. *Hoc*

27. *Hoc morali argumento* vtuntur S.Patres, Theologi ac Philosophi communiter,& est satis probabile,sed nō est euidens, nec tam seruit pro secunda parte quam pro prima.Nam imprimis posset aliquis dicere quod homines virtute præditi ex ipsa conscientia vitæ rectè institutæ tantam habeant consolationem interiorem,vt præualeant omnibus bonis, quibus affluunt impij, quod si hoc ita esset,sufficienter præmiarentur,& mali punirentur carentia tantæ consolationis, & aliis mentis perturbationibus, quibus solent esse obnoxij. *Nec refert quod Complutenses dicunt contra hoc*, præmiū debere dari à Rectore ob virtutem,& esse ab ipsa virtute distinctum, delectationem autem virtutis concomitari ipsam virtutē, ac proinde non esse præmium. Hoc inquam non refert, quia quidquid sit an delectatio vnius actus virtutis possit dici præmium ipsius collatum à Gubernatore : non est dubium quin concursus ad alios actus virtutis posset habere omnem rationm præmij distinctissimi pro alio actu priori, & sic Deus conferendo gratis gratiam pro primo actu, & ratione istius dando tanquam præmium gratiam pro alio actu, & ita deinceps, optimè præmiaret iustum,sicut & puniret impium denegando gratiam, qua bene faceret.

*Secundo*, quamuis deberet anima cōseruari post separationem à corpore,vt pro meritis castigaretur & præmiaretur:tamen non sequitur inde quod sit immortalis, quia præmium & pœna finitæ durationis, v. g mille vel bis mille annorum, posset sufficere quantum ad rationē naturalem:& certè si conseruaretur in esse anima boni, & destrueretur anima mali, videretur esse sufficienter obseruata iusta gubernatio:& tamen inde non requireretur quod quælibet anima esset immortalis, quatenus immortale dicitur quod perpetuo sit duraturum.

28. *Probatio quinta* desumitur ex communi omnium gentium, ac virorum doctrina conspicuorum consensu, qui omnes,pauciſſimis, iisque peioris vitæ,exceptis, habent hunc conceptum de immortalitate animæ.

*Confirmatur* hoc experientia multarum animarum,quæ post mortem apparuerunt in omnibus ferè sæculis, viuentibus,& cum iis de statu sæculi tractauerunt.

*Hæc probatio* est satis vrgens ad conciliandam opinionem aut fidem Conclusioni quoad primam partem,sed non sufficit ad eam reddēdam omnino certam,tum quia indocti facilè possent accipere illum conceptum à doctis, ipsi vero docti possent moueri quantum ad Christianos, & omnes qui credunt Scripturis, authoritate Scripturæ & traditione;quantum ad alios vero,poterant ab his illam doctrinam accipere.

Itaque existimo potissimum fundamentum conclusionis *pro prima parte* esse Scripturam, & motiua fidei; *pro secunda vero parte* præter locum *Concilii Lateranensis*, non esse aliud solidius quam sit consensus communis Theologorum,& possibilitas alicuius formæ, quæ sit ex natura sua immortalis ; hinc enim probabiliter deducitur,quod si sit aliqua forma talis possibilis, quandoquidem forma,quæ de facto est,sit immortalis,quod debeat dici talis ex natura sua : quandoquidem enim Deus statuit producere formam quæ esset immortalis,potius videtur congruum quod produxerit illam quæ est talis ex natura sua,quam quæ non est.

29.*Obiicies primo*:*Eccles.* 3. dicitur,vnum esse interitum hominum & iumentorum, & æquam vtriusque conditionem:ergo sicut mortuis iumentis anima eorum desinit,ita etiam dicendum de animabus hominum.

*Respondeo primo*, negando consequentiam, quia comparatio hominis & iumenti insinuata in illo loco secūdum *S. Hieronymum* consistit tantum in hoc quod homines,vt iuméta debeant mori,& quod non possint vnquam naturaliter resurgere sicut nec iumenta possunt, cum quibus quoad hoc habent æqualem conditionem non tamen quoad distinctionem animæ vtriusque.

*Respondeo secundo*, etiam negando consequentiam,quia illa verba dicta sunt in persona impiorum, qui vt liberius indulgerent vitiis, eam doctrinam falsam, sibi & aliis proponebant.

30. *Obiicies secundo* : *Sophronius in 6.Synodo act.* 11. ait animas & Angelos esse immortales,non natura sed gratia:ergo falsa est secunda pars conclusionis.

*Respondeo*,distinguendo antecedens:non natura,ita vt debeant necessario esse immortales absque vllo beneficio, quod Deus,si vellet, posset ipsis denegare, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ita vt non exigant connaturaliter esse immortales absque vllo beneficio indebito ipsis connaturaliter,nego antecedens,

Itaque gratia accipitur dupliciter:*primo* largè pro quocunque dono quod Deus posset negare, si vellet,absque iniustitia, & in hoc sensu anima non habet esse immortalis nisi per gratiam, quia non habet esse immortalis nisi Deus conseruet eam;posset autem non conseruare si vellet,absque vlla prorsus iniustitia, & hoc est quod voluit Sophronius. *Secundo* pro beneficio extraordinario non debito etiam connaturaliter,& in hoc sensu anima non habet per gratiam esse immortalis ; nec id voluit Sophronius.

*Obiicies tertio*, anima non habet vllas operationes independentes à corpore : ergo non petit connaturaliter conseruari extra corpus, & consequenter non est ex natura sua immortalis. Probatur antecedens ; quia omnes operationes eius dependent à phantasmatibus,phantasmata autem non erunt extra corpus,cum sint operationes corporeæ.

*Confirmatur primo ex Psal.* 145. *In illa die* (scilicet mortis) *peribunt omnes cogitationes eorum.*

*Confirmatur secundo ex Eccles.* 9. *Melior est canis viuus homine mortuo*:*viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nihil nouerunt.* Et paulo infra,*nec ratio,nec scientia,nec sapientia est apud inferos.*

31. *Respondeo*, distinguendo antecedens,pro hoc statu coniunctionis cum corpore, transeat antecedens : pro statu separationis, nego antecedens, & consequentiam.

*Ad primam confirmationem respondeo* negando consequentiam ; neque enim sensus istius loci est quod post mortem homines non sint habituri cogitationes aliquas;sed quod cogitationes,quas habebant in vita, hæc & illa faciendi pro hac ipsa vita,per mortem sint impediendæ ab executione ,& propterea dici possunt perire, quatenus scilicet non possunt reduci ad effectum prætensum.

*Ad primum locum* secundæ confirmationis *respondeo* ex eo non haberi quod animæ hominum mortuorum non cognoscant aliqua, sed quod ipsi homines mortui non cognoscant dum sunt mortui,quod certum est,quia tum non sunt;sed hoc non facit ad propositum.Omitto alias explicationes illius loci,quia hæc abundè sufficit Philosopho ad præsens intentum.

*Ad secundum locum,dico* illum intelligendum de ratione,scientia ac sapientia proficua,quæ non sunt apud inferos;non vero sensum esse quod non sint ibi vllæ cognitiones, aut rationes. Adde ex illo loco potius haberi quod anima maneat post mortem , quia supponit locus ille dari inferos : tales autem non darentur, nisi animæ manerent post mortem.

## CONCLVSIO II.

32. *Non potest demonstrari aut probari vlla ratione euidenti, quod anima sit immortalis, aut ex natura sua, aut ex vllo alio capite,per se vel per accidens.* Hæc est *Doctoris in 4.dist.* 43.*q.*2.*n* & *quod lib.*9.*art.*2. *Caiet.in cap.*9. *epist. ad Romanos*,*Conimbricen.s. de anima separata art.*3. *Arriagæ disp.*10. *de anima num.*12. Et *patet* ex solutione præmissa probationum præcipuarum quibus solet probari immortalitas animæ.

*Obiicies* : Concilium Lateranense *supra* damnat non solum asserentes animam rationalem esse mortalem;sed etiam qui ita dicunt secūdum Philosophiam:ergo probari potest per Philosophiam quod sit immortalis, & consequenter falsa est nostra conclusio.

*Respondeo* negando consequentiam;quia aliud est dicere,quod anima sit mortalis secundum Philosophiam, aliud vero quod non possit euidenter secundum Philosophiam

sophiam probari, quod sit immortalis: hoc secundum asserit conclusio, & non damnatur à Concilio, sed illud primum.

*Quares*, quid senserit Philosophus de immortalitate animæ?

33. *Hanc difficultatem* plurimi fusissimè tractant, quibusdam sustinentibus quod tenuerit partem affirmatiuam, quibusdam quod negatiuam; & aliis quod fuerit omnino dubius, nec quidpiam deciderit, aliquando in vnam partem propensus, aliquando in alteram; quibus ego assentior; nec rem iudico maiori examine dignam; quoad doctos enim, non deberent moueri autoritate Philosophi, nisi quatenus ratio etiam eam stabiliret, quoad alios vero magis sufficere debet illis autoritas Patrum, & Theologorum, ac Philosophorum aliorum, quam Aristotelis.

## QVÆSTIO IV.

### *Quando primum, & à quo producitur anima rationalis.*

### CONCLVSIO I.

34. *Animæ rationales non fuerunt creatæ ante corpora, sed producuntur primum pro instanti aliquo reali, in quo corpora sunt vltimatè dispositæ ad eas recipiendas.* Hæc est communissima apud Patres, Theologos, ac Philosophos, contra Origenem ac Platonem existimantes eas productas ante, & extra corpora, & postea corpori tanquam carceri inclusas in pœnam peccatorum.

*Probatur conclusio* theologicè autoritate *Concilij Bracharensis primi c.6. & Leonis X. epist.31.* à quibus damnatur opposita sententia.

*Probatur etiam ratione* quia non est indicium aliquod, vnde colligatur, quod fuerint antecedenter creatæ: & præterea quandoquidem sint actus incompleti nati informare corpus, potius in ipso quam extra aut ante ipsum debeant produci.

*Obijcies primo*, secundum *Philosophum 2. de generatione animalium*, Anima rationalis de foris venit: ergo producitur antequam infundatur corpori.

*Respondeo* distinguendo antecedens: de foris venit sic, vt foris prius existeret & postea adueniret corpori, nego antecedens: sic vt non dependeat à corpore in genere causæ materialis, ex cuius potentia educeretur, concedo antecedens, & nego consequentiam.

*Obijcies secundo*: *Augustinus lib.7. de Genesi ad litteram* dubitare videtur de concreatione animæ Adæ cum corpore ipsius: ergo dubium est an ante producatur nec ne.

*Respondeo* negando consequentiam, quia tempore Augustini non fuit res definita, sicut modo est; vnde licet tum dubitari potuit, non tamen iam.

### CONCLVSIO II.

35. *Anima rationalis creatur & non producitur virtute seminis, nec Angelorum, sed à solo Deo.* Hæc est communissima Patrum, Theologorum, ac Philosophorum Christianorum.

*Probatur prima pars* primo autoritate *Diui Hieronymi epist.17. ad Damasum, Diui Hilarij 10. de Trinitate, Ambrosij lib. de Noë, & Arca, Chrysostomi, Gregorij Nysseni, Theodoreti, Cyrilli, & Bernardi*, quos citant *Conimbric. 2. de anima cap.1. q.3.*

*Probant idem Conimbricenses* hanc partem ex D. Thoma, quia non generantur neque per se, cum non sint compositæ; neque per accidens sicut generantur aliæ formæ substantiales, quia sic orirentur ex virtute seminali, quod falsum patebit ex secunda parte conclusionis: ergo creantur.

*Confirmatur*, quia nobilitate præstant cæteris formis; ergo habent nobiliorem modum producendi, & consequenter debent produci per creationem.

*Hæc probatio non placet*, facilè enim negari potest antecedens pro secunda parte cum sua probatione, nam aliqua forma substantialis nata produci à solo Deo, absque concursu effectiuo vllius causæ secundæ, potest alio modo quam per creationem produci, vt patet de formis cœlorum, quæ non creantur, & tamen producuntur effectiuè à solo Deo; & quidquid sit an detur aliqua talis forma, saltem non necessario sequitur ex eo, quod aliqua forma non creetur, sed educatur ex corpore, quod dependeat ab influxu effectiuo corporis, aut vllius se tenentis ex parte ipsius.

*Adde committi circulum* ab his autoribus, nam probant animam creari, quia alias produceretur virtute seminis, & probant non produci virtute seminis, quia creatur.

*Confirmatio* etiam non sufficit, quia posset habere maiorem illam nobilitatem, quamuis non peteret creari: ergo ex maiori nobilitate non sequitur, quod creetur.

*Alij probant* ex spiritualitate animæ, quod non educatur, & consequenter quod creetur, quia forma spiritualis non potest educi è potentia subiecti corporei. Verum hæc probatio etiam absolutè non sufficit, quia sicut potest informare subiectum corporeum, prorsus nulla est ratio cur non posset dependere ab ipso in genere causæ materialis.

36. *Melius ergo probatur conclusio*: quia anima rationalis non dependet in fieri & conseruari à suo subiecto: ergo non educitur ex illo, & consequenter non creatur. Consequentia patet: quia quæ educuntur, dependent in fieri, & conseruari naturaliter loquendo ab eo, ex quo educuntur. Probatur antecedens ab aliquibus: quia manet separata à corpore. Sed hæc probatio antecedentis non sufficit, quia tam incertum est quoad rationem naturalem, quod anima maneat separata, ac quod sit immortalis, vt patet ex dictis, quam quod non dependeat in conseruari: & præterea, quia posset manere separata, & esse immortalis quamuis dum esset in corpore dependeret in fieri, & conseruari à corpore: sicut enim Deus conseruat connaturaliter, quæ producuntur ab aliis causis, dum absunt illæ aliæ causæ, supplēdo defectum ipsarum: ita etiam posset connaturaliter conseruare animam separatam supplendo concursum corporis, à quo dependebat dum erat in corpore. Probatur ergo aliter antecedens: quia anima non dependet à manu, v.g. nec à pede, nec ab vlla alia parte determinata corporis in fieri, aut conseruari, vt patet euidenter primo ex eo, quod destructa manu, aut pede non desinat anima esse in corpore; & ex eo, quod non possit dependere totaliter ab omnibus partibus quas informat, nec etiam partialiter quia alias quacunque parte destructa deberet desinere, nisi aliquod aliud suppleret concursum istius partis.

*Quod si dicatur* Deus supplere concursum istius partis; *melius dicetur* quod ipse solus producat, & conseruet eodem modo, sine concursu aliarum etiam partium, quo conseruat, & producit illam sine concursu illius partis, sic enim non debent variari concursus Dei toties quoties deperduntur partes corporis, & consequenter melius dicetur, quod non dependeant in fieri, aut conseruari ab illis partibus illa ratione.

37. *Secunda pars conclusionis*, quæ est contra *Tertullianum, & Apollinarem*, quos *Sennertus hypomnemate 4.* sequitur, existimat enim seminis humani virtute produci hominem absque noua vllius animæ creatione. *Probatur primo* autoritate *S. Aug.* qui *hæres.84.* oppositam sententiam refert inter hæreses: & ex *decret.32.q.2.c. Moyses.*

*Probatur secundo ratione a Conimbricensibus*: agens corporeum nequit producere aliquid spirituale, aut perfectius se: sed semen est corporeum, & anima spiritualis, & anima est perfectior semine: ergo.

*Hæc probatio suadet* bene animam non produci virtute seminis tanquam causæ principalis totalis, sed non probat quin possit illam producere per modum causæ partialis, nam certum est phantasmata corporea concurrere partialiter cum intellectu ad producendas species intelligibiles, si dentur, vel intellectiones, si non dentur illæ species, vt postea dicemus: nec minus certum est aliquid imperfectius posse concurrere partialiter ad effectum perfectiorem.

*Probant secundo*: quia dissolutio corporis non causat interitum animæ, quia est immortalis: ergo nec generatio

tio eius causat ortum ipsius,quia quando generatio alicuius est causa, quod aliquid sit,eius dissolutio est causa cur non sit.

*Hæc etiam non vrget*, tum quia supponit immortalitatem animæ, quæ difficilius probari potest ratione,quam hæc ipsa doctrina; tum quia bene potest aliquid dependere à causa efficienti in fieri quod non dependeat ab ipsa in conseruari; forma enim ignis dependet efficienter ab igne producente in fieri; non tamen dependet in conseruari,vt manifestum est:vnde in forma, nego consequentiam cum sua probatione.

37. *Melius ergo probatur hæc,& tertia pars,etiam* ex prima parte,quia nulla creatura de facto concurrit physicè ad terminum creationis, vt suppono cum communissima sententia ex tractatu de creatione:ergo nec Angelus,nec semen,nec aliqua alia creatura concurrit effectiuè ad producendam animam.

*Confirmatur*: quia nullum est indicium concursus Angelici, aut seminis ad animas rationales producendas,ergo male asseritur talis concursus.

*Confirmatur secundo*,quia semen non concurrit effectiue ad producendas alias animas, sed solum ad productionem corporis:ergo non concurrit ad productionem animæ rationalis alio modo.

39.*Obijcies primo*;attingens vltimam dispositionem attingit etiam physicè formam,ad quam sit dispositio:sed semen attingit vltimam dispositionem ad organizationem corporis:qua posita introducitur anima: ergo attingit ipsam animam.

*Respondeo* negando maiorem,nulla enim est ratio,cur vna causa non posset producere dispositionem ad formam,non à se,sed ab alio producibilem.

*Obijcies secundo*, semen humanum est animatum anima rationali:ergo potest effectiue producere hominem. *Sennertus hypomnemate* 4.fuse conatur probare, quod semen etiam humanum sit animatum, & hinc impegit in errorem de propagatione animæ humanæ per traducē, & non per creationem: existimat enim semen humanū animatum anima rationali diffusum ab homine,& coniunctum in ventre matris cum semine eiusdem absque creatione noua animæ formare fœtum in vtero, & deuenire hominem propria virtute, ad eum fere modum quo ramus animatus excisus ab arbore, & plantatus in terra auget se, & deuenit tandem arbor.

Semē humanum non est animatū.

40. *Respondeo*, quidquid sit de consequentia, negando antecedens.Neque sanè doctrina huius autoris de seminis humani animatione habet probabilitatem vllam prorsus:nam dum manet in homine,si est animatum,vel est animatum eadem numero anima, qua reliquus homo, vel diuersa. Non diuersa, quia alias essent in vno homine plures animæ rationales realiter distinctæ, quo nihil absurdius:ergo si sit animatum, debet animari eadem anima: sed si animetur eadem anima,non deseruit ad intentum *Sennerti*, ob quod principaliter asserit semen animari:ergo non debet dici animari.Probatur minor, in qua sola est difficultas, quia si semen animetur eadem anima, illa non sufficiet ipsi, vt exerceat operationes vitæ, quas debet habere transfusum à patre in vtero matris, quandoquidem anima patris non maneat cum semine in vtero matris,vt est euidens;nisi dicamus absurdissime eandem numero animam esse simul in diuersis hominibus:sed dicitur à *Sennerto* esse animatum, vt possit exercere illas operationes:ergo non deseruit ad intentum *Sennerti*, quod animetur eadem anima, qua animatur reliquum corpus.

*Deinde*,quando semen effunditur,& exciditur ab homine,non potest dici quod producatur in ipso,suppositā effusione, & excisione, noua anima rationalis, nec ab homine, nec à Deo, alias tot animæ rationales producuntur quot effunduntur semina humana, siue in somno,siue in vigilia, siue modo naturali, siue innaturali, quo nihil etiam absurdius excogitari potest: nec etiam debet produci in ipso anima, quoties ex naturali coitu coniungitur cum semine mulieris semen viri, quia alias quoties vir, & mulier legitimè coirent, infunderentur plures animæ rationales, quod est etiam æquè absurdū.

*Denique*:quando producitur in semine patris bene, & debito modo commixto cum semine matris, anima diuersa numero ab anima patris,ac matris,illa anima non producitur à semine ipso;quia semen in illo instanti in quo producitur anima illa,non habet aliam animam,per quam illam produceret, quia alias haberet duas animas simul, quod est absurdum:sed sine anima non potest illam producere; tum quia omnis alia forma, per quam eam produceret esset imperfectior anima,& consequenter insufficiens ad animam producendam; tum quia si per aliam formam posset producere in se animam, non deberet esse animatum,vt illam produceret,contra *Sennertum*.

41. *Addo ad hæc breuiter contra Arriagam*, malè ipsum dicere *n.*3. 14. quamuis non possit probari naturali ratione animam nō posse produci ab alia anima,posse tamen sic probari quod non possit produci ab Angelo, quia licet Angelus sit perfectior anima, non sequitur quod contineat virtualiter animam,sicut licet aurum sit perfectius aqua, non tamen potest producere aquam. *Hæc inquam doctrina omnino mala est*,nam quæcunque ratio naturalis potest adduci ad probandum animam non posse produci ab Angelo, potest etiam eadem seruire ad probandum, quod non possit produci ab alia anima. Quod probo manifestè,quia nulla est ratio qua primum possit probari, nisi quod anima creetur, aut quod non habeatur vlla experientia, quod producatur,aut produci possit ab Angelo,aut quod non sequatur ex maiori perfectione Angeli, quod illam possit producere, propter exemplum præmissum ab *Arriaga*. Sed anima non magis potest attingere terminum creationis quam Angelus, vt patet, nec est vlla experientia, quod vna anima producatur ab alia, & sicut non sequitur ex maiori perfectione Angeli,quod possit animam producere, ita etiā non sequitur ex æquali perfectione animæ cum alia anima,aut ex identitate specifica,quod possit illam producere, neque enim omnia, quæ sunt eiusdem speciei possunt se inuicem producere,vt patet de lapide,qui nequit alium producere:ergo eodem modo potest probari de anima, ac de Angelo quod possit, vel non possit animam producere.

*Confirmatur*: quia maior perfectio Angeli non impedit quo minus possit animam producere,quandoquidem omnes causæ æquiuocæ, vel semper, vel vt plurimum sint perfectiores suis effectibus.

An vnio animæ ad corpus producatur ab vlla causa secunda.

42. *Quæres* saltem,an vnio animæ ad corpus producatur à semine vel corpore,vel causa aliqua secunda,an vero à solo Deo.

*Respondeo* negatiuè contra *Arriagam*.Et probatur primo autoritate *Leonis Magni epist* 93. qui asserit animas à nullo incorporari,nisi à Deo ipsarum Creatore:incorporatio autem animæ fit formaliter per vnionem:ergo vnio fit à solo Deo.

*Respondet Arriaga*, Pontificem intelligi debere sic vt velit tantum dicere, quod incorporatio fiat à Deo, quatenus producit animam in corpore dispositio sic,vt ad illam productionem necessario sequatur vnio, quæ producitur per animam matris. Sed hæc explicatio vel hoc ipso sufficienter reiicitur, quod difficilis sit & gratissima.

*Probatur secundo*: vniones aliarum formarum producuntur à causis illas producentibus: ergo & vnio animæ rationalis.

*Confirmatur*,quia non est vllum indicium, vnde colligatur, quod ab vlla causa secunda producatur illa vnio: ergo id non debet asseri.Hoc tamen non obstante,si ponatur duplex vnio inter animam, & corpus, vtraque educetur de potentia sui subiecti,quia in esse, & conseruari dependet necessario ab illo; & consequenter non creatur;quod etiam dicendum est de vnione vna, si vna tantum ponatur.

43. *Quares secundo*, quid dicendum de productione aliarum animarum.

*Respondeo* in primis quod educantur è potentia corporis,

poris, quia nec ratio, nec autoritas ostendit contrarium, & quantum ad experientiam attinet, dependent in esse & fieri à corporibus, & præterea aliàs crearentur, de quo vide dicta lib. 1. Physicorum de eductione formarum.

Aliæ animæ non producũtur effectiuè à semine.

*Respondeo secundo* cum *Doctore in 2. dist.* 18. *D. Thoma* 1. *p. q.* 118. *art.* 2. contra *Suar* 2. *de anima cap. vltimo, & Coninbricens.* 1. *de gener. cap.* 4. Eas non produci effectiuè à semine.

*Probatur primo*, quia in instanti generationis semen non est, destruitur enim forma seminis introducta anima secundum aduersarios. Nec dicas aliquam partem seminis manere incorruptam, eamque in materiam alterius partis producere animam; tum quia verisimilius est, totum semen concurrens ad generationem corrumpi adueniente anima, si vlla pars ipsius corrumpatur: tum quia non requiritur semen, nisi vt ex eo producatur corpus, & viuens: ergo semen ex quo non fit corpus, aut viuens non habet influxum in viuens, sed ex parte manente non fit corpus, aut viuens. Tum denique, quia gratissimè adscribitur illa facultas isti parti remanenti. *Hæc probatio* est bona contra omnes qui tenent, quod ex semine corrupto producatur corpus: non valeret autem contra id negantes, quorum sententia mihi magis placet propter dicenda statim.

44. *Probatur secundo*: quia non magis requiritur semẽ ad producendas alias animas, quàm rationalem: ergo sicut non concurrit ad producẽdum animam rationalem, non debet etiam concurrere ad alias animas immediatè, sed sufficit ad omnes concursus dispositiuus.

*Probatur tertio*, quia semen non potest esse causa totalis, cum sit imperfectior anima: ergo debet adesse alia causa: sed illa alia, quæcunque sit, sufficit pro causa totali: ergo non debet causalitas aliqua immediata attribui semini. Quotiescunque enim duæ entitates applicantur ad aliquem effectum, si constet quod vna ex illis debeat concurrere, & non constet illam non habere virtutem totalem nec constet alteram habere virtutem partialẽ, debet potius dici quod illa causa, cuius concursus constat esse necessarius, sit causa totalis, quam partialis; præsertim si alius effectus possit attribui alteri entitati, propter quem effectum posset dici esse necessarius ad alterum effectum, quamuis non concurreret immediatè ad alterum effectum.

*Hæc doctrina supponit* semen non esse animatum: nam si esset, imperfectio ipsius non impediret quo minus posset producere animas. Quod suppositum negatur à *Sennerto*, supra. Verum ex doctrina supra posita contra animationem seminis humani deducitur satis probabile argumentum, quod nec semina aliorum animalium sint animata, quia non est necesse vt sint magis perfecta, aut actiua, quam humanum; nec vnum animal debet producere aliud animal alio modo, quam homo hominem.

45. *Si vero quæras*, ad quid ergo deseruit semen? *Respondeo*, quod requiratur ad hoc, vt ex eo formetur corpus aptum pro anima.

*Et si quæras rursum*, quomodo concurrat ad formandum illud corpus.

*Respondeo*, tribus potissimum modis posse quem imaginari quod semen concurreret. *Primo*, vt ex eo tãquam ex parte integrali, constitueretur corpus. *Secundo*, sic, vt ipsummet tanquam principium actiuum produceret corpus. *Tertio*, sic, vt ex eo corrupto generaretur corpus. Ex his autem tribus modis examinandum hic quomodo concurrat semen.

Non destruitur semẽ producto corpore.

*Dico ergo primo*, quod non cõcurrat per modum principij passiui, ex quo corrupto generaretur corpus. *Probo hoc*, quia requiritur semen ad corpus sic, vt non quodcunque sufficiat pro quocunque, sed ad tale corpus producendum necessario requiratur tale semen: sed hoc esset impossibile si solum requireretur per modum principij passiui, ex quo corrupto generaretur corpus: ergo non sic concurrit, nec requiritur.

*Probatur minor*: quia quod requiritur necessario ad determinatum effectum, debet vel secundum se, vel secundum aliquod ratione ipsius habitum existere pro illo instanti pro quo producitur effectus: sed illud ex quo corrupto producitur effectus, non existit pro instanti pro quo producitur effectus: ergo illud non potest requiri ad determinatum illum effectum. Probatur vltima maior, quia quod non est, nec secundum se, nec secundum aliquid aliud realiter, aut intentionaliter, non potest determinare, nec efficienter, nec formaliter pro tempore, aut instanti, quo non est.

46. *Dices* non requiri semen ad determinandam causam pro illo instanti, sed ex suppositione præsuppositionis seminis causam seipsa determinari ad effectum. *Contra* quia non potest causa pro vllo instanti esse determinata ad producendum effectum, nisi pro illo instanti sint omnia necessario existentia; quibus positis sequeretur effectus: sed omnia illa, quæ sunt applicata in instanti quo producitur effectus, possent esse applicata sine præsuppositione seminis corrupti, nam nihil tum reperitur, præter causam productiuam corporis, quæcunque illa sit, & materiam primam quæ erat in semine (suppono enim accidentia non subiectari in materia prima) sed causa illa, & materia prima possent esse sic applicata, quamuis non præsupponeretur forma seminis, sed alia in materia prima: ergo non requiritur per se præsuppositio seminis ad determinationem talis effectus.

*Confirmatur hoc*, quia causa illa, quæ est determinata ad corrumpendum semen, posset æquè benè corrumpere aliquas alias substantias, quæ applicarentur, & si id faceret, æquè deberet producere formam corporis organici ex illo alio corpore, ac ex semine: & consequenter non requireretur necessario semen ad producendum corpus organicum.

Non requiritur semen ad immediatè producendum corpus.

47. *Dico secundo*, quod non requiratur semen ad immediatè producendum corpus organicum. *Probatur hoc*, quia si requireretur ad producẽdum corpus organicum, necessario illud corpus deberet esse distinctum à seipso, neque enim se potest producere. Tunc sic: vel illud corpus distinctum produceret ex seipso toto, vel ex parte sui, vel ex aliquo alio corpore; non ex seipso toto, quia sic deberet esse destructum pro instanti, pro quo fieret productio, & consequenter productio non posset ab ipso prouenire; neque enim actio productiua potest immediatè prouenire ab eo quod non est pro instanti, vel tẽpore pro quo est actio. Non etiam ex parte sui, quia pars seminis talis, ex qua generatur corpus organicum tale, necessario requiritur, vt ex ea producatur corpus tale: sed hoc esset falsum, si ea corrupta produceret pars seminis non corrupta corpus organicum; Non etiam ex aliquo alio corpore; tum quia sic non produceretur corpus ex semine, sed per semen contra communem modum loquendi & experientiam, ex qua patet quod generato corpore non maneat semen totum; id quod non deberet accidere, si semen produceret corpus ex alia materia, vel subiecto.

Requiritur semen ad constitutionem integraliter corpus.

48. *Dico tertio*: verisimilius est, quod semen concurrat ad corpus per modum constituentis ipsum integraliter. *Hoc patet*, quia aliquo modo concurrit, sed non alio, quã hoc, vt patet ex dictis: ergo. Itaque loquendo de semine animalium, quando semina apta commiscentur debito modo, constituunt integraliter vnam substantiam heterogeneam, quæ dispositas per qualitates aliquas determinatas est capax talis determinatæ animæ, v. g. substãtia conflata ex semine humano animæ rationalis, ex equino animæ equinæ, & ita de reliquis. Quando autem sic disponitur, producitur in ipso anima non quidem ab vlla causa secunda sublunari, & cœlesti, quia nulla talis applicatur, quæ sit perfectior animali, aut æquè perfecta, ac ipsum: sed ab ipso Domino Deo. Producta autem anima ab illa substantia, eodem modo totum conflatum ex vtraque format corpus organicum animatum, quo animalia iuniora augent suam staturam, & acquirunt partes per nutritionem. Augmentum autem istius massæ conflatæ ex semine, & formatio ipsius non potest refundi in ipsam massam absque anima, quia reuera illa augmentatio, & formatio est operatio vitalis, tam præ-

supponens

anima, quam mutatio, aut augmentatio arborum præsupponit.

gemẽ maeris est actiuum sicut patris.

*Ex hac autem doctrina* habetur verum esse, quod medici dicunt, quidquid dicat Philosophus, semen matris esse actiuum, sicut semen patris; quia vtrumque concurrit per modum partis integralis, & consequenter neutrum per modum partis passiuæ, seu potentialis Quod si concurrat actiuè semen patris ad producendas effectiuè partes illas, quæ de nouo producuntur ad augmentum corporis, pari ratione ad hoc concurrere debet semen matris.

49. *Dices primo*: secundum *Philosophum* 2. *de generatione animalium*, omnis anima, præter intellectiuam producitur vi seminis: ergo.

*Respondeo* negando *Philosophum* id dicere, solum enim habet, quod omnis anima, præter intellectiuam educatur ex potentia seminis: quod si etiam haberet illam ipsam doctrinam, intelligendus esset de productione nõ immediata, sed mediata, & dispositiua ad eductionem.

*Dices secundo*, si semen non produceret effectiuè animam, sequeretur, quod viuentia non producerent sibi similia: sed hoc videtur absurdum.

*Respondeo* alia viuentia non debere posse producere sibi similia magis, quam homo. Itaque sicut homo dicitur producere sibi simile, quamuis non producat animã hominis sibi similis, per hoc solum, quod producat dispositiones requisitas ad introductionem animæ, ad quã dispositionem necessario, connaturaliter loquendo, infunditur anima; ita de aliis viuentibus dicendũ est, quòd simili modo, & non alio producant sibi similia.

# DISPVT. VI.

## *De Potentia Intellectiua.*

DE hac ago primo non quia nobilior est; nam oppositum inferius ostendam contra *Thomistas*; sed quia prior est in operando, prius enim intellectus debet aliquid intelligere, quam voluntas possit agere, vt experientia patet. Intelligimus autem per potentiam intellectiuam illam, qua apprehendimus, iudicamus, & discurrimus de rebus: qualem potentiam nobis inesse, etiam experientia constat.

## QVÆSTIO I.

### *Quodnam sit obiectum intellectus adæquatum.*

1. CErtum est, omne illud esse obiectum intellectus, circa quod intellectus potest versari ipsum intelligendo, aut vno verbo, quod potest concipi ab intellectu, siue sit quid rationis, siue reale, siue positiuum, siue negatiuum. Sed difficultas est ex pluribus obiectis, quæ potest concipere, quodnam sit obiectum adæquatum ipsius, iuxta sensum illum, quo quæritur de scientiis totalibus quodnam ex pluribus obiectis, quæ attingunt, sit obiectum adæquatum earum.

Quia vero aliqua sunt obiecta, quæ mouent intellectum ad intellectionẽ, & terminant eandẽ; & aliqua alia sunt obiecta, quæ terminant intellectionem, sed non mouent ad ipsam; propterea duplex assignari solet obiectum intellectus, vnum motiuum, & alterum terminatiuum tantum, & non motiuum: & de vtroque hoc obiecto est præsens quæstio.

*Rursus*, quia aliqua obiecta sunt, quæ intellectus posset intelligere in statu separationis, quæ non potest intelligere in statu coniunctionis cum corpore, propterea obiectum adæquatum ipsius in statu separationis magis late patet, quam obiectum adæquatum in statu coniunctionis; vnde etiam hic examinandum est de obiecto adæquato pro vtroque statu.

*Rursus*, quia sunt aliqua obiecta, quæ potest videre per auxilium supernaturale, quæ non posset videre naturaliter absque tali auxilio, cõsiderari debet hic etiam, quodnam sit obiectum adæquatum naturalis attingentiæ ipsius; hoc est, quod possit naturaliter attingi ab illo; & quodnam supernaturalis attingentiæ, quod scilicet non potest naturaliter, sed potest supernaturaliter cognosci ab ipso.

### CONCLVSIO I.

Nõ potest assignari aliquod vnũ obiectũ intellectus, quod possit formaliter prædicari de omnibus, quæ intelligit.

2. *Non potest assignari aliquod vnum obiectum adæquatum terminatiuum intellectus, quod comprehendat sub se omnia obiecta cognoscibilia ab intellectu, sic vt possit prædicari de illis omnibus aut formaliter aut realiter; & sic vt possit explicari alio modo quam per respectum ad intellectum, vt per modum cognoscibilis.* Hæc est extra controuersiam in re ipsa: *& patet*: quia intellectus potest intelligere entia realia & entia rationis; positiua & negatiua. Sed nihil vnum vniuocum potest assignari, quod de omnibus his possit formaliter aut realiter prædicari, & quod possit explicari alia explicatione, quam per ordinem ad intellectum, vt patet: ergo.

### CONCLVSIO II.

Potest assignari aliquod vnum obiectum, quod cõprehendat omnia intelligibilia.

3. *Potest assignari aliquod vnum obiectum intellectus, explicabile sine ordine ad intellectum, quod comprehendat omnia, quæ possunt vlla ratione in quocumque statu ab intellectu considerari, & illud non est verum formaliter, sed potius ens, & in hoc sensu ens potest vocari obiectum terminatiuum adæquatum intellectus.*

Hæc est cõformis *Scoto* 1. *d.* 3. *q.* 3. *&* *q.* 20. *de anima*, videtur esse contra *Thomistas aliquos* quoad secũdam partẽ.

*Probatur prima pars*, quia ens est aliquod vnum subiectum sic explicabile, & comprehendit omnia prorsus intelligibilia aliqua ratione, vel tanquam species, aut quasi species sui, vel tanquã modos aut differentias, quibus aut ipsum, aut contenta sub ipso contrahũtur & cõstituuntur siue physice, siue metaphysice, vel tanquam proprietates aut accidentia, vel tanquam aliquid sibi aut suis speciebus oppositum: ergo vera est prima pars.

*Probatur secunda pars*: tum quia verum non potest explicari nisi per ordinem ad intellectum, vt dicetur in Metaphysica; tum quia cum sit passio entis, potius ens debet dici ipsum comprehendere, quam ab ipso comprehendi; & hinc patet tertia pars.

*Quod si quæras*, cur addiderim illam particulam in cõclusione, *explicabile sine ordine ad intellectum*.

*Respondeo* rationem esse, quia hic agitur de obiecto intellectus, secundum aliquam rationem, secundum quã posset quis per ordinem ad ipsum explicare intellectum, & ipsum distinguere ab omnibus aliis potentiis cognoscitiuis: sic autem non assignaretur sufficienter quando non assignaretur nisi secundum rationem, secundum quam non posset intelligi, nisi intelligeretur ipsemet intellectus, vt patet.

4. *Obiicies*: communiter distinguitur intellectus & voluntas inter se, per hoc, quod intellectus feratur in obiectum sub ratione veri tantum, voluntas vero sub ratione boni: ergo veritas est obiectum formale saltem adæquatum intellectus, sicut bonitas est obiectum formale voluntatis.

Quomodo intellectus, nõ fertur nisi circa verum.

*Respondeo* distinguendo antecedens: ita vt intellectus non consideret vllam rationem in obiecto, quæ non sit vera, concedo antecedens: quæ non consideratur ab ipso sub ratione veri formaliter loquendo, nego antecedens, quia manifestum est, quod intellectus etiam considerat rationem boni in obiecto, alias voluntas non posset ferri in bonum sub ratione boni; neque enim potest ferri in obiectum sub vlla ratione, secundum quam non cognoscitur ab intellectu; manifestum etiam est quod distinguat intellectus rationem veri à ratione boni formaliter, & consequenter quod cognoscat rationem boni formaliter non sub ratione veri formaliter: si enim solũ cognosceret ipsum sub ratione veri, non posset distinguere ipsum à ratione boni. Et similiter distinguo consequens: ita vt nihil cognoscatur ab ipso quod non sit verum, cõcedo: ita vt nihil consideretur ab ipso nisi sub ratione veri formaliter loquendo, nego consequentiam.

Itaque quando dicitur quod intellectus non cognoscit aliquid nisi sub ratione veri, sicut voluntas non fertur in aliquid nisi sub ratione boni, sensus huius est, vel quod intellectus non feratur actu iudicatiuo in aliquam propositionem obiectiuam, quæ propositio non appareat ipsi habere extrema connexa, siue ex vi terminorũ, si propositio sit per se nota, siue ex aliquo medio euidenti aut probabili, aut fidei: & si hoc modo explicetur, veritas propositionis, in quam tendit, est connexio illa extremorum sic apparens: nec est necesse vt cognoscat semper formaliter ipsammet apparentiam formaliter loquendo, quia illam non potest cognoscere nisi reflectendo supra actum suum, & comparando propositionem ad ipsam: non est autem necesse vt semper sic reflectat. Quando ergo cognoscit totum esse maius sua parte, non cognoscit aliud tum quam totum esse maius: & licet tum illa propositio sit apparens, & consequenter vera, tamen non cognoscit illam vt apparentem: quando vero cognoscit illam, vt determinantem se ad cognitionem sui, aut vt potentem sic determinare, tum cognoscit illam vt veram formaliter loquendo.

*Vel* sensus est, quod non cognoscit aliquid, nisi quod habet intelligibilitatem, & in hoc sensu veritas formaliter consistit in intelligibilitate obiecti: & licet nihil possit intelligere, nisi quod est verum, tamen potest multa cognoscere, non cognoscendo ipsorum veritatem formaliter loquendo, quia quando apprehenditur animal vt potens sentire, non apprehenditur vt potens intelligi formaliter: ita vt ipsamet potentia quam habet ad intelligi, cognoscatur, aut apprehendatur in ipso, vt certum est, & valde aduertendum.

*Obijcies secundo*: si ens vt sic, esset obiectum adæquatum intellectus comprehendens omnia intelligibilia ab ipso, posset intellectus naturaliter intelligere quidquid comprehenderetur sub ente vt sic, & quidem tam distinctè quam potest cognoscere ens vt sic: sed hoc est falsum, quia alias posset naturaliter cognoscere Deum cognitione distincta: ergo.

Probatur maior: quia quæcumque potentia potest ferri in quodcumque contentum sub obiecto adæquato suo tam naturaliter quàm potest in ipsum obiectum adæquatum.

*Respondeo* negando maiorem cum sua probatione: licet enim potentia posset ferri in rationem aliquam superiorem, qualis est ratio entis, naturaliter & clarè ac distinctè, tamen potest aliqua res contenta sub illa ratione superiori esse tantæ perfectionis, vt non possit attingi ab illa potentia, nisi eleuetur per auxilium aliquod supernaturale.

## CONCLVSIO III.

Quidditas rei materialis non est obiectũ adæquatum motiuum aut terminatiuũ intellectus humani.

5. *Quidditas rei materialis non est obiectum adæquatum terminatiuum aut motiuum intellectus humani, neque ex se, neque in statu separationis, neque in statu coniunctionis cum corpore.* Hæc est *Doctoris supra n.* 10. cum omnibus suis, & videtur esse contra *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 2.*

*Probatur* quod non sit terminatiuum adæquatum pro vllo statu; quia si esset pro vllo, maximè pro hoc statu: sed non pro hoc statu, quia experientia constat nos concipere obiecta spiritualia, vt Deum & Angelos, quæ non comprehẽduntur sub quidditate materiali aut sensibili.

*Probatur etiam quod* non sit adæquatum motiuum ex natura potentiæ, quia aliàs intellectus separatus non posset moueri ab aliis obiectis, quod est falsum: nulla enim est ratio cur intellectus separatus non posset intelligere directe res spirituales absque dependentia vlla à rebus materialibus: & per hoc patet quod talis quidditas non sit obiectum intellectus pro statu separationis.

*Probatur denique* quod non sit obiectum adæquatum ipsius pro statu coniunctionis cum corpore; quia alias intellectus beatus Sanctorum post resurrectionem non posset moueri ad intelligenda spiritualia directe absque dependentia à sensibilibus, nec possent videre clarè ipsum Deum.

6. *Dices*, aduersarios, quando dicunt talem quidditatem esse obiectum adæquatum motiuum intellectus, loqui de intellectu pro statu coniunctionis cum corpore in via.

*Contra*: quia nulla est ratio cur intellectus non possit pro statu naturæ integræ quamuis esset coniunctus, ac in via intelligere directe spiritualia tam bene quam intellectus Angelicus.

*Confirmatur* hoc, quia nulla est ratio, ob quam etiam colligatur quod pro hoc ipso statu non possit intelligere spiritualia directe, præter experientiam; vt postea videbimus: sed quamuis sit talis experientia pro hoc statu, non necessario deberet esse pro illo alio statu; & quod intellectus sit pro hoc statu dependens à sensibilibus, posset oriri ex peccato originali, quod non haberetur pro illo alio statu: ergo non est eadem ratio de hoc statu & illo statu quantum ad hoc.

*Confirmatur secundo*, quia si illud dicatur obiectum motiuum simpliciter intellectus coniuncti pro statu viæ, quod de facto mouet, profecto quidditas rei materialis non potest esse obiectum motiuum vlla ratione, quia nulla quidditas substantialis materialis de facto mouet intellectum ad cognitionem, sed solum hoc competit quidditati sensibili, aut rebus sensibilibus, vt postea dicetur.

7. *Obijcies*: debet esse proportio inter obiectum motiuum, & potentiam: ergo quandoquidem intellectus coniunctus sit in materia, obiectum ipsius debet esse in materia, & consequenter res spiritualis nequit mouere intellectum coniunctum, saltem naturaliter: quod addo ne instetur de intellectu coniuncto beati, quamuis enim intellectus moueri possit à spiritualibus, potest tamen dici id non competere ipsi naturaliter, sed supernaturaliter.

*Respondeo*, non debere esse proportionem in essendo inter obiectum & potentiam, alias si potentia esset accidens, non posset intelligere substantiam; & si esset substantia, non posset intelligere accidens.

*Confirmatur hoc*: quia non est de facto talis proportio inter intellectum & obiectum, qualis prætenditur in obiectione; nam obiectum sensibile motiuum intellectus non est necessario in materia vlla, vt patet in speciebus Eucharisticis, quæ extra subiectum possunt mouere intellectum, intellectus autem coniunctus est in materia.

*Confirmatur secundo*: quia quamuis requireretur huiusmodi proportio in materialitate inter intellectũ & obiectum, adhuc sequeretur quod intellectus posset intelligere aliquid spirituale; nam habet proportionem in materialitate cum alio intellectu coniuncto: ergo posset alium illum intellectum intelligere: sed alius intellectus est spiritualis vt patet: ergo. Sufficit ergo proportio in attingendo, qualem habere potest intellectus absque proportione in essendo.

## CONCLVSIO IV.

Quidditas rei materialis non est obiectum adæquatum motiuum intellectus pro hoc statu, sed ens sensibile.

8. *Quidditas rei materialis non est obiectum adæquatum motiuum intellectus pro hoc statu; sed ens sensibile vt sic, comprehendens omnia, quæ apprehendi possunt per sensus externos.*

Hæc est *Scoti supra*, & videtur esse contra *Thomistas*, præsertim *Complutenses disp. 17. n. 24.*

*Probatur primo*: quia experientia patet nos non moueri ab vllis rebus nisi à sensibilibus, & hinc est illud: quod nihil est in intellectu, quod non priùs fuit in sensu: sed nec quidditas rei materialis vt sic, nec quidditas substantiæ materialis est sensibilis: ergo illa non est obiectum adæquatum motiuum, ac proportionatum intellectus nostri pro hoc statu, & consequenter ens sensibile erit tale obiectum.

*Confirmatur*: quia non cognoscimus quidditates rerum materialium substantialium, nisi per discursum, sicut cognoscimus res spirituales, vt Deum & Angelos: ergo illa quidditas non minus erit extra obiectum adæquatum motiuum intellectus nostri, quam Angeli, & Deus.

*Probatur secundo prima pars*, in qua sola est difficultas, impugnando fundamentum præcipuum aduersariorum, quod

quod proponitur à *Complutensibus* hoc modo: Intellectus debet conuenire cum obiecto motiuo in eodem gradu immaterialitatis; sed intellectus pro hoc statu solum cõuenit cum quidditate materiali seu sensibili in eodem gradu immaterialitatis: ergo ab ipso solum connaturaliter moueri potest. Maior probatur: quia debet connaturaliter recipere suum obiectum proportionatum, seu cõnaturale, & illi vniri; ergo prædictum obiectum non debet habere modum essendi per se requisitum ad rationẽ obiecti cognoscibilis eleuatiorem, quàm sit modus essendi potentiæ cognoscitiuæ: alioquin erit supra naturã huius potentiæ, nõ vero naturale ipsi: ergo cum modus essendi per se requisitus ad cognoscibilitatem obiecti sit immaterialitas, obiectum & potentia debent esse in eodem gradu immaterialitatis.

Probatur etiam minor: quia sicut quidditas rei materialis quodammodo est in materia, quia includit & concernit illã in communi sumptam, & est præterea à parte rei identificata cum indiuiduis materialibus; & quodãmodo non est in materia, quia consideratur vt præscindens à materia singulari: ita intellectus est pro hoc statu quodammodo in materia, quia est in anima, quæ est forma corporis; & quodammodo non est in materia, quia non est in organo corporeo, sed in anima, quæ quodammodo non est in corpore, quia non dependet à corpore; ergo intellectus & quidditas rei materialis conuenit in eodem gradu immaterialitatis.

*Contra* hoc fundamentum multa occurrunt. *Primo* enim contra maiorem eius facit, quod falsum sit intellectum & obiectum debere cõuenire in eodem gradu immaterialitatis: tum quia intellectus intelligit singulare materiale, quod tamen non est vllo modo extra materiam, intellectus autem est aliquo modo extra materiam: tum quia intellectus etiam eleuatus lumine gloriæ non est in eodem gradu immaterialitatis cum Deo, & tamen intelligit ipsum connaturaliter, clarè & directè; tũ quia intellectus separatus non conuenit cum materialibus in eodem gradu immaterialitatis, & idem est de intellectu Angelico, & tamen potest intelligere illa, & moueri etiã ab ipsis, vt verior *Scotistarum* sententia tenet: tum quia gratis omnino asseritur, debere esse talis conuenientia; tum denique quia intellectus pro hoc statu non conuenit in eodem gradu immaterialitatis cum quidditate rei materialis, vt statim dicam; cum tamen ipsam intelligat.

*Deinde* contra minorem facit, quod intellectus non conueniat in eodem gradu immaterialitatis cum quidditate rei materialis; nam intellectus est omnino spiritualis & independens in esse suo à materia prima, sic autem nõ est quidditas rei materialis, quæ essentialiter dependet à materia prima: & quamuis sit aliquo modo in materia, quatenus mediante anima informat corpus, & aliquo modo extra materiam, quatenus non dependet à corpore; tamẽ quidditas rei materialis non est hoc modo in materia, neque extra materiam, sed diuersissimo modo, vt patet ex ipsamet explicatione *Complutensium*.

*Confirmatur hoc*: quia prorsus ridiculum videtur, quod intellectum esse in materia prima informatiuè & independens ab ipsa in genere causæ materialis ex qua educeretur, sit proportio sufficiens ad hoc, vt possit quidditatem rei materialis includẽtem essentialiter materiam primam, & abstractam solum à materia singulari intelligere: quid enim potest ad intelligendam talem quidditatem iuuare quod intellectus sit, vel non sit in corpore, & dependeat vel non dependeat à corpore?

*Confirmatur secundo*, quia quamuis intellectus cum anima dependeret à materia prima, profecto non eo minus intelligeret quidquid intelligit de facto; neque ex intellectione rerum, quas de facto intelligit, potest colligi quod dependeat, vel non dependeat à corpore: ergo illa pars proportionis, quam assignant *Complutenses*, est omnino impertinens ad propositum.

10. *Rursus* contra eandem minorem facit, quod intellectus vnius hominis magis sit in eodem gradu immaterialitatis cum intellectu alterius, quam cum quidditate materiali, vt supra dixi, quia prorsus est in eodem omnino gradu immaterialitatis absque vlla differentia, & tamen non est quidditas rei materialis: & hinc inferri potest, quod si sufficiat conuenientia in eodem gradu materialitatis, vt intellectus possit intelligere obiectum cõnaturaliter pro hoc statu directè, ab eoque moueri, intellectum vnum posse mouere alium intellectum, quod est absurdum & contra aduersarios.

*Ex his respondeo* in forma, primo negando maiorem: ad cuius probationem *dico primo*, quamuis vera esset consequentia, non inde sequi maioris veritatem, quia aliud est quod obiectum non possit habere eleuatiorem modum essendi quam potentiæ: aliud quod potentia & obiectum debeant habere eundem modum essendi requisitum ad intelligẽdum; neque hoc secundum sequitur ex illo primo: nam si obiectum haberet modum essendi minus eleuatũ, quàm sit modus essendi intellectus, vt si esset magis materiale, sicut reuera quandoque est; tum non haberet eundem modum immaterialitatis cum intellectu, & tamen non haberet eleuatiorem.

*Dico secundo*, consequentiam esse falsam: quamuis enim in essendo esset immaterialior, tamen non deberet esse supra naturam intellectus in cognoscibilitate sic, vt non posset mouere intellectum ad cognitionem sui, alias certè Deus non esset connaturaliter cognoscibilis ab intellectu eleuato.

*Probatur secunda pars*, quia illud solum est obiectum motiuum intellectus, sine cuius motione non potest moueri ad intelligendum vllam rem: sed tale est ens sensibile: ergo.

Probatur minor: quia vt patet experientia, intellectus pro hoc statu, ita dependet à phantasmatibus, vt nisi moueretur ab illis, nihil prorsus intelligere posset: ergo sine eius motione nequit moueri ad intelligendum, sine quo non haberentur phantasmata: sed nisi moueret ens sensibile potentiam aliquam externam, non haberetur vllum phantasma internum, vt patet etiam experientia: ergo ens sensibile vt sic est obiectum adæquatum motiuum intellectus pro hoc statu.

*Vt autem melius intelligatur hæc pars conclusionis*, aduertendum, non esse sensum quod solum ens sensibile sensu externo moueat intellectum sic, quin aliquando moueri possit ad intelligendum absque eo, quod actu moueatur sensus vllus externus per sensibile aliquod; hoc enim esset manifestè falsum. Nec sensus est, quod solum ens sẽsibile sensu externo aut etiam interno, moueat immediatè intellectum ad quamcumque cognitionem, quam habeat, quia quando cognoscit se habere cognitionem intellectualem cognitione reflexa, non mouetur immediatè ad illam habendam per aliquid sensibile perceptũ à sensu externo aut interno. Itaq; verus sensus est, quem insinuaui in ipsa probatione: vt ens sensibile sensu externo, ita sit pro hoc statu obiectum adæquatum motiuum intellectus, vt possit moueri intellectus ad intellectiones aliquas habendas per quodcumque ens sensibile sensu externo; & quod non possit moueri ad vllam intellectionem habendam absque motione aliqua vel præsenti, vel præterita entis sensibilis.

## CONCLVSIO V.

Quodnam sit obiectum adæquatum naturalis attingentiæ intellectus pro hoc statu.

11. *Non benè assignatur pro obiecto adæquato naturalis attingentiæ intellectus pro hoc statu ens finitum non dicens ordinem ad supernaturale increatum, sed potius ens vt sic, quatenus comprehendit omnia, quæ possunt cognosci à nobis pro hoc statu.* Hæc videtur esse contra quasdam *Scotistas*.

*Probatur prima pars*: quia si loquamur de cognitione confusa siue simplici, siue iudicatiua, certum est, quod possimus cognoscere ipsum Deum & Trinitatem, ac vnionem hypostaticam, quæ dicit ordinem ad quid supernaturale increatum, nempe ad suppositalitatem Verbi, quæ est supernaturalis, si aliquid sit sic supernaturale.

Si vero loquamur de cognitione distincta & propria, qua videretur res intuitiuè aut abstractiuè cõceptu proprio & non causato ex aliarum rerum conceptibus, non

minus certum est, quod sic non possimus cognoscere Angelos, animas, aut substantias vllas: ergo nullo modo potest assignari pro obiecto adæquato naturalis attingentiæ intellectus ens finitum non dicens ordinem ad supernaturale.

*Dices*: licet possimus concipere Deum trinum & vnionem hypostaticam, non tamen naturaliter: ergo non sequitur quod illa sint obiectum naturalis attingentiæ.

*Contra*: quia attinguntur cognitione naturali, vt patet in hæreticis, quorum aliqui credunt Deum trinum, & Incarnationem, cum tamen non habeant cognitionem supernaturalem.

*Confirmatur* per probationem secundæ partis.

*Probatur secunda pars*: quia nihil aliud conuenientius assignari potest pro obiecto adæquato naturalis attingentiæ, & quia omnia illa potest naturaliter cognoscere.

*Dices*: illa sola naturaliter attingi possunt, quæ possunt attingi viribus naturæ absque auxilio, supernaturali vllo extrinseco aut intrinseco: sed quamuis aliquis posset concipere Trinitatem & quodcumque aliud intelligibile pro hoc statu absque auxilio supernaturali intrinseco, tamen non potest absque extrinseco, quia non posset cognoscere Trinitatem, aut Incarnationem absque reuelatione particulari Dei, quæ est auxilium supernaturale.

*Contra*, quia potest absque reuelatione cognoscere quæcumque potest pro hoc statu per reuelationem aliquo genere cognitionis: si enim possumus ex speciebus desumptis à rebus materialibus formare nobis conceptus chymerarum & rerum impossibilium, non est mirum quod formaremus nobis, quoscumque conceptus possibiles, qui ex illis speciebus formari possunt: sed omnis conceptus, qui pro hoc statu haberi potest per reuelationem est conceptus formabilis ex illis speciebus: neque enim alias species pro hoc statu habemus, & est conceptus possibilis: ergo potest formari ex illis speciebus absque reuelatione.

*Dices* posse quidem formari conceptus de Trinitate & quibuscumque aliis Fidei mysteriis absque reuelatione; sed tamen non posse haberi cognitionem illam de illis absque reuelatione, quæ habeat certitudinem aut probabilitatem.

*Contra*, quia præterquam quod hoc totum non sit cõtra cõclusionem; adhuc posset quis habere cognitionem tam certam de illis, ac habet de multis aliis rebus: nam posset habere cognitionem fidei humanæ prodientem de ipsis, nam si quis vir doctus, & aliàs bonus, conciperet Deum esse trinum, & proponeret hoc alteri tanquam verum, prudenter crederet alter ipsi, & sic haberet fidem humanam prudentem de illo mysterio absque reuelatione supernaturali.

## CONCLVSIO VI.

Quomodo potest intellectus intelligere singularia.

12. *Non solum conceptus vniuersales rerum comprehenduntur sub obiecto intellectus etiam pro hoc statu, sed etiam singularia materialia: non potest tamen de vllis singularibus habere cognitionem distinctam, per quam vnum posset distinguere ab omnibus aliis propositis sibi.*

Hæc quoad primam partem est communissima ac extra controuersiam.

*Probatur*, quia concipimus hominem, albedinem, sonum, secundum rationem communem, quæ conuenire potest pluribus, vt patet experientia. *Secunda pars est Doctoris in 4. d 4.* cum suis omnibus, quos sequuntur *Conimbricenses 3. de anima cap. 8. quæst. 5. Runius ibi c. 4. quæst. §. 5* & comm unior sententia contra *D. Thomam 2. part. q. 86 art. 1. Caiet. ibidem & alios Thomistas. Tertia pars* est *Doctoris* supra, & credo non posse esse in controuersia.

*Probatur secunda pars*, quia cognoscimus dari à parte rei accidentia illa, quæ per sensus percipimus; & cognoscimus etiam nihil dari à parte rei, quod non sit singulare: ergo cognoscimus accidentia illa, quæ videmus per sensus esse singularia: deinde cognoscimus per discursum sub illis accidentibus esse substantiam materialem, & vlterius cognoscimus illam substantiam non posse esse à parte rei sub illis, nisi esset singularis: ergo cognoscimus illam substantiam esse singularem.

*Confirmatur*: quia possumus distinguere vniuersale materiale à singulari materiali: ergo vtrumq; cognoscimus.

*Confirmatur secundo*, quia materialitas non impedit, alias non possemus quidditates materiales intelligere; nec etiam singularitas, quia intellectus potest secundum *Aduersarios* intelligere singularia spiritualia: nec vtrumque simul, quia id gratis omnino diceretur.

*Tertia pars probatur* experientia, quia nullum conceptum interiorem habemus de albedine, quam videmus sensu externo, nec de Petro, v.g. aut Paulo, qui quantum ad nostram experientiam non esset omnino similis conceptui, quem haberemus de alia albedine, ac alio indiuiduo humano eiusdem magnitudinis, figuræ, intensionis, ac cæterarum conditionum, quæ Deus posset facere: vnde si proponeretur nobis post visam vnam albedinem singularem, alia omnino similis, non potuissemus cognoscere, an esset illa albedo, quæ ante fuit visa à nobis, necne: ergo non possumus habere cõceptum distinctum de vllo indiuiduo sub ratione sua propria quo distingui possit ab omnibus aliis indiuiduis modo iam specificato: & sanè fortassis *D. Thomas* nõ aliud voluit quam hoc, dum videtur negare secundam partem; & hæc ipsa videtur esse ratio cur dicat *Philosophus*, & cũ eo *Doctores* cõmuniter quod de singularibus nõ detur scientia qua talia sunt, quia scilicet non possunt concipi conceptu vllo tã peculiari sibi, vt possit sufficere ad distinguẽdum ipsũ ab omni alio indiuiduo quod proponeretur potentiæ; cæterũ posse dari cognitionẽ certissimã de aliqua re quòd sit indiuidua, patet manifeste ex ratione secundæ partis.

14. *Obiicies* contra secundam partem, nullum materiale est actu intelligibile, sed tantum potentia: ergo vt singulare materiale sit actu intelligibile, debet abstrahi à materia, & consequenter debet abstrahi à singularitate, quia à nulla alia materia abstrahi potest.

*Respondeo* distinguendo primum consequens: debet abstrahi à materia, quatenus debet habere esse intentionale in sensibus externis ac internis, concedo consequentiam: quatenus non debeat concipi vt singulare, nego consequentiam primam & secundam. Itaque abstractio à materia, quæ debet fieri circa rem materialem pro hoc statu est, quod ponatur in sensibus intentionaliter; & hæc ipsa abstractio non est necessaria pro statu separationis, nec pro statu beatitudinis, aut etiam naturæ integræ, vt supra dixi, & multo minus pro intellectu Angelico.

*Obiicies secundo*: sequeretur non esse necessarium intellectum agentem.

*Respondeo* negando sequelam, si dentur species intelligibiles; quod si non dentur tales species, concedo sequelam. Itaque intellectus non ponitur pro abstractione quidditatum materialium à singularitatibus, quasi necessario deberent sic abstrahi ita, vt non possent intelligi vt singulares; & si hoc esset munus ipsius, non deberet poni, & male oppositum assereret Philosophus; sed ponendus est propter aliam rationem inferius assignandã.

15. *Quares*, an per eandem speciem repræsentetur intellectui natura communis & singularitas.

*Respondeo* quod sic, licet illa species se sola non sufficiat ad hoc, vt possit cognoscere illam rem, aut vt vniuersalem formaliter, aut vt singularem.

*Probatur prima pars*: quia per eandem speciem repræsentatur natura generica & specifica, quia illa in hac includitur: ergo & per eandem speciem potest repræsentari natura vniuersalis & singularis, natura enim vniuersalis tam bene includitur in natura singulari, quam generica in specifica.

*Confirmatur*: quia sicut tota illa res singularis percipitur à sensu, & est per se vna, ita potest producere vnam speciem repræsentatiuam sui totius in intellectu, supposito quod requiratur species; aut si non requiratur species, poterit ipsamet vt proposita per sensum internum determinare intellectum ad cognitionem sui secundum se totum.

*Probatur secunda pars*:quia habita illa specie potest intellectus dubitare vtrum res illa sit singularis aut vniuersalis,& debet vti discursu ad colligendam veritatem: ergo virtute istius speciei non percipiebat illam rem, nec vt vniuersalem,nec vt singularem.

## QVÆSTIO II.

### *Quodnam sit primum cognitum ab intellectu.*

16. NOn est quæstio, quodnam ex pluribus obiectis distinctis, quæ cognosci possunt ab intellectu, primum omnium debeat cognosci;quia omnia obiecta non habent inter se talem subordinationem, vt multa ex illis non possint indifferenter cognosci vel prius vel posterius quam alia obiecta, nec enim prius debemus cognoscere colorem quam sonum;aut albedinem quam dulcedinem:sed difficultas est de variis conceptibus,qui possunt haberi de eadem omnino re inter se inuicem subordinatis;quisnam prius haberi debeat,v.g.de Petro potest haberi conceptus quatenus est ens, & quatenus substantia,& quatenus homo, & quatenus Petrus, seu indiuiduum humanum;& hi conceptus sunt inter se inuicem sic subordinati per modum minus, vel magis communis,vt patet. Quæritur ergo ex his conceptibus, quem debeat intellectus prius habere.

Potest autem hæc comparatio fieri,*vel inter conceptus vniuersales & singulares*, vt si quæratur an prius debeat concipi Petrus sub aliqua ratione vniuersali,an vero sub ratione aliqua singulari. *Vel inter ipsosmet conceptus vniuersales*, vt si quæratur an Petrus prius debeat concipi sub ratione animalis, quam hominis,aut è contra: *Vel denique inter plures conceptus singulares qui possunt haberi de ipso*,vt si quæratur, an prius debeat concipi per modum animalis singularis quam per modum hominis singularis.

Quæ omnes comparationes,& quæstiones possūt fieri in ordine ad cognitionem distinctam rei,& in ordine ad cognitionem confusam. Est autem cognitio distincta rei in hoc proposito illa cognitio, qua cognoscitur vt includens suas partes essentiales,qualis est cognitio,qua cognoscitur homo, vt constans animalitate & rationalitate: cognitio vero confusa rei est, qua cognoscitur imperfectius quàm hoc modo, sic scilicet, vt licet cognoscatur aliqua ratione, non tamen cognoscitur secundum partes suas essentiales, aut intrinsecas.

### CONCLVSIO I.

An prius cognoscatur res cognitione distincta quoad gradus superiores quam inferiores.

17. *Quando cognoscitur aliqua res cognitione distincta secundum se & suas partes, non prius cognoscitur quoad gradus superiores seu magis vniuersales,quam quoad inferiores & minus vniuersales, in quibus illi gradus superiores non includuntur tanquam partes; prius tamen debet cognosci quoad gradus superiores quam quoad inferiores, in quibus gradus superiores includuntur tanquam partes*; verbis gratia vt cognoscatur homo cognitione distincta, non prius debet cognosci quoad animalitatem, quam quoad rationalitatem;bene tamen prius debet cognosci quoad animalitatem quàm quoad humanitatem.

*Hæc conclusio* hoc modo proposita non videtur esse posse in controuersia,& iuxta eam debet explicari *Scotus* absolute asserens, in cognitione distincta prius cognosci debere gradus magis vniuersales.

*Probatur prima pars*: quia nulla est ratio cur prius ad vnum gradum, quam ad alterum terminetur, siue cognoscat illos gradus vnica cognitione,siue pluribus;potest enim cognito rationalitatis haberi absque cognitione animalitatis, & è contra, nec per cognitionem vnius deueniri potest in cognitionem alterius,vt patet: ergo nulla est ratio, ob quam necessario prius debeat cognosci vnus gradus, quam alter.

*Probatur secunda pars*; quia impossibile est cognoscere distincte gradum inferiorem includentem gradum superiorem,quin cognoscatur superior.v.g.hominem sine animalitate: potest autem gradus superior cognosci distincte secundum suas partes absque gradu inferiori, v. g. animal absque homine: ergo prius debet cognosci cognitione distincta gradus superior quam inferior includens ipsum.

18. *Dices* licet posset cognosci gradus superior absque inferiori includente ipsum alia cognitione, non tamen cognitione illa distincta, qua cognoscitur gradus inferior distincte:ergo non prius cognoscitur per illam cognitionem gradus superior quam inferior includens.

*Contra*,quia vel est eadem ipsa cognitio,qua cognoscitur distincte homo v.g.& animal, vel sunt diuersæ cognitiones. Si diuersæ, sine dubio eadem ipsa cognitio, qua cognoscitur animal,quando cognoscitur homo,potest haberi absque cognitione hominis, nihil enim impedit. Si sit eadem; adhuc eadem cognitio tendens in plura obiecta,potest priùs natura tendere in vnum obiectum quam alterum,quando nimirum non potest intelligi tendere in alterum quin intelligatur tendere in primum: potest autem intelligi tendere in primum quin intelligatur tendere in alterum.Sic autem est in proposito:impossibile enim est quod cognitio illa vna distincta possit intelligi terminari ad gradū inferiorē,distincte ipsum repræsentando, quin intelligatur tēdere in partes ipsius:potest autem intelligi tendere in partes, distincte ipsas repræsentando saltem seorsim sumptas;quin intelligatur tendere in ipsam rem includentem partes,& cōsequenter potest intelligi tendere prius in gradum superiorem quam inferiorem includentem illum.

### CONCLVSIO II.

Quis gradus prius cognoscitur in cognitione confusa.

19. *In cognitione confusa, qua cognoscitur res insensibilis debitè applicata sic, vt possit determinare ad cognitionem sui secundum rationem minus vniuersalem,& magis sibi propriā, cognoscitur primum,secundum illam rationem propriam; v.g. albedo quando applicatur in illa distantia visus,vt causare possit visionem sui,quatenus albedo est,primo omnium cognoscitur secundum illam rationem ab intellectu.* Hæc est *Doctoris supra*,vbi dicit in cognitione confusa,prius cognosci speciem specialissimam, quam gradus vniuersaliores:quod intelligendum est iuxta conclusionem.

*Probatur manifestè*, quia causa naturalis debitè applicata,& non impedita, necessario producit perfectissimū effectum quem potest:sed albedo applicata sensui secundum illam distantiam, secundum quam potest causare visionem sui, quatenus est albedo,est causa naturalis, & illa visio est perfectissimus effectus, quem potest tum producere, nec haber impedimentum: ergo necessario illam producit.

*Rursus*,producta illa visione, necessario à sensu interno concipitur sub illa ratione,& concepta ab hoc,necessario concipitur similiter ab intellectu non impedito,ob eandem rationem: ergo quando sic proponitur,primus conceptus, qui habetur de ipsa, est conceptus minus vniuersalis,& magis proprius ipsi.

*Nec refert* quod aliquando causa naturalis debite applicata prius producat imperfectiorem effectum, quam perfectiorem. Hoc enim solum accidit,quando effectus imperfectior necessario præexigitur ad effectum perfectiorem,aut effectus perfectissimus non est producibilis ex natura sua ante imperfectiorē:sed in proposito nullus alius effectus exigitur ante conceptum albedinis sub ratione sua minus vniuersali,& magis peculiari.

20. *Dices* albedinem per illam applicationē,qua applicatur sufficiēter ad producendam visionem sui,quatenus albedo,applicari etiam sufficienter ad producendū conceptum sui,quatenus color:ergo non prius debet determinare ad cognitionē sui quatenus albedo,quam quatenus color,& consequenter conceptus minus vniuersalis non est primū cognitū necessario in cognitione cōfusa.

*Respondeo* distinguendo vltimum consequens:non est primum cognitum positiue,sic vt prius cognoscatur illa ratio,& postea aliæ rationes magis cōmunes,transeat;nō est prius cognitum negatiue, sic scilicet,vt nulla alia ratio prius debeat cognosci ante ipsā, nego consequentiā. Et in hoc sensu potest intelligi conclusio,& *Scotus*.

*Respondeo secundo*,distinguendo antecedens:applicatur sufficienter ad causandum conceptum sui,qua color est,

qui conceptus esset distinctus à conceptu ipsius quatenus albedo,aut talis qualis habetur de ipso,quando non cognoscitur vt albedo,nego antecedens ; qui conceptus est identificatus conceptui albedinis,transeat antecedēs, & similiter distinguo consequens : quàm quatenus color conceptu distincto à conceptu albedinis,nego;identificato ipsi,transeat.

*Dix.* in conclusione : *quando applicatur tali modo*, quia potest applicari taliter,vt non causet conceptum sui secundum rationem minus vniuersalem, vt quando est valde remota, aut medium est male dispositum, tunc enim causaret speciem sui quatenus color vt sic, aut quatenus alius color,vt patet.

*Dices:* si posset in maiori distantia ac peiori applicatione causare speciem sui quatenus color,multo magis poterit in meliori applicatione id facere.

*Respondeo* negando sequelam,quia sicut ex natura sua est limitata albedo,vt non possit in illa maiori distantia causare vllo modo speciem albedinis, per quam posset videri vt albedo, cum tamen ratio albedinis sit perfectior quam ratio coloris ; ita etiam potest ex natura sua esse limitata, vt in applicatione qua producit speciem, qua repræsentetur vt albedo, non possit producere speciem, qua repræsentetur vt color.

## CONCLVSIO III.

Per discursū cognoscitur res cognitione cōfusa aliquando quoad superiores aliquando quoad inferiores rationes.

21. *Quando cognoscitur res cognitione confusa per discursum mediantibus effectibus & operationibus,aliquando cognoscitur prius secundum rationes minus communes, aliquando secundum magis communes.* Hæc in re debet esse communis ; quia aliquando res producit operationes,ex quibus solum possit colligi quod habet cōceptum magis communem, vt quando homo producit sensationes externas,vt visionem ; aliquando vero producit operationes, ex quibus colligi potest ratio minus communis,vt quando discurrit : ergo aliquando prius cognoscitur secundum alteram.

Ex hoc patet,quādo *Scotus* absolute dicit in cognitione confusa prius videri conceptum minus vniuersalem, ipsum limitādum ad cognitiones,quæ habētur de rebus sensibilibus absque discursu, & de cognitionibus intuitiuis, quæ immediatè causarentur ab obiecto.

## QVÆSTIO III.

### *Vtrum intellectus indigeat speciebus intelligibilibus.*

IAm diximus in superioribus dari species in aliquibus sensibus materialibus externis,& in sensibus etiā materialibus internis,earumque naturā & causas indagauimus. Nunc de anima rationali eiusque potētia intellectiua tractantes oportet videre,an eodē modo dentur species aliquæ obiectorum,quæ intelliguntur ab intellectu, quibus mediantibus efficienter producat intellectiones rerum, quas intelligit ; sicut visus mediante specie visibili videt colorem ac lucem:si enim dentur huiusmodi species,dabuntur species intelligibiles,tales enim species appellamus intelligibiles ; si vero non dentur, non dabuntur species intelligibiles.

## CONCLVSIO I.

Ratio non suadet species impressas intelligibiles pro hoc statu.

22. *Si rationem spectes, non videtur necessaria species impressa pro hoc statu.* Hæc est *Doctoris q.17.de anima,& Canelli ibidem*; quorum vterque tamen tenet etiam probabiliter alteram partem. Est etiam *Themistij, Theophrasti, Occami, Nominalium,& Bacconij*, qui communiter citantur ; & in eam inclinat *Arriaga* contra *Thomistas* recentiores magis communiter.

*Probatur principaliter*; quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate : sed nulla est necessitas specierum intelligibilium : ergo non dantur.

Probatur minor soluendo rationes quibus aduersarij probant necessitatem earum.

*Prima probatio est*, quia quodcumque obiectum intelligitur,prius debet esse præsens potentiæ secundū rationem illā, secundum quam intelligitur,antequàm intelligatur:sed intelligitur secundum rationem vniuersalem, & non potest esse præsens intellectui, antequam intelligatur, secundum rationem vniuersalem, nisi secundum speciem : ergo debet dari species.

Probatur minor quoad secundam partem,quia neque secundum se,neque secundum quod relucet in phantasmate potest esse præsens quoad conceptum vniuersalem antequam actu intelligatur; sed non potest esse præsens secundum vllam aliam rationem antequam intelligatur, nisi secundum se,vel secundum quod relucet in phantasmate, vel secundum speciem:ergo si non sit præsens secundum se,vel secundum quod relucet in phantasmate, debet esse præsens secundum speciem.

Probatur maior:quia secundum se & secundum quod relucet in phantasmate,est natum repræsentare se vt singulare:ergo vt sic non est natum repræsentare se vt vniuersale ; neque enim secundum eandem rationem potest se repræsentare vt singulare,& vt vniuersale : quia vniuersale & singulare sunt opposita : non potest autem idem secundum eandem rationem repræsentare se secundum oppositas rationes.

23. *Contra* hanc rationem positiue facit,quod quacunque ratione idem obiectum siue secundum se, siue secundum quod relucet in phantasmate, potest producere in intellectu siue se solo, siue concurrente intellectu aut possibili, aut agente, speciem repræsentantem se quoad esse vniuersale & quoad esse singulare : eadem ratione possit producere absque specie siue se solo, siue cum intellectu cognitionem repræsentantem se quoad esse vniuersale & singulare : eadem enim est difficultas vtrobique.

*Quod si diceretur* cum *Thomistis* non intelligi obiectum sub ratione singulari ; neque ab ipso produci speciem, quæ sic ipsum repræsentet, minor esset difficultas, quia dicendum esset obiectum singulare natum repræsentare se potentiis materialibus sub ratione singulari,posse repræsentare se potentiæ intellectiuæ per modum vniuersalis, & sic idem non repræsentaret se eidem potentiæ secundum oppositas rationes.

*Respondeo* ergo in forma negando minorem cum maiori suæ probationis, ad cuius aliam probationē distinguo consequens : secundum eandem rationem realiter loquendo, nego consequentiam : secundum eandem rationem formaliter loquendo, concedo consequentiam. Itaque eadem omnino res includens in se rationes formales diuersas, potest determinare intellectum ad cognitiones diuersas,v.g. secundum rationes vniuersales potest determinare ipsum ad cognitionem sui quoad rationes illas vniuersales ; & secundum rationes singulares ad cognitionem sui,quoad rationes particulares, accedente maxime negotiatione intellectus,sine qua negociatione non potest producere species vniuersales, & particulares.

24. *Secunda probatio* est etiam ex *Doctore* : quia obiectum neque secundum se, neque secundum quod relucet in phantasmate potest mouere voluntatem:ergo neque intellectum.

Probatur sequela:quia ideo nequit in voluntatem,quia immaterialis, aut quia est libera ; non quia libera, qua alias non posset moueri ab intellectu : ergo quia immaterialis : sed etiam intellectus est æque immaterialis:ergo nequit pati à phantasmate.

*Respondeo* negando sequelam cum sua probatione;sed ratio potius est, quia voluntas subordinatur immediate intellectui, & huius ratio est non quia est immaterialis quomodocumque, sed quia est appetiua immaterialis ; vnde quemadmodum appetitiuæ materiali, correspondet cognoscitiua materialis : ita appetitiuæ spirituali,& immateriali correspondet cognoscitiua immaterialis,atque ideo nequit moueri obiectiue & moraliter à cognoscitiua materiali : quod etiam totum colligitur aut experientia aut authoritate.

*Alia probationes Scoti* solum concludunt quod intellectus non possit pati à phantasmate,aut obiecto materiali tanquā à causa totali.Sed hoc nō sufficit ad improbādam Conclusionē,quia dici potest,quod non patiatur

ab

ab ipsis tanquam à causa totali,sed tanquam à partiali.

25. *Tertia probatio* est quod anima separata recordatur rerũ quas cognouit in corpore;sed hoc nõ posset facere mediantibus phantasmatibus, quæ depẽdent à corpore, neq;mediãtibus obiectis,quia omnia illa obiecta nõ proponuntur ipsi secundum se:ergo mediãtibus speciebus.

*Hoc argumentum* est purè theologicum, quia ex principiis theologicis solum constat animam post separationem recordari rerum,quas gessit in corpore ; vnde non est contra conclusionem quæ solum asserit non cõstare vlla ratione naturali quod detur species. Sed neq; theologice etiam cõuincit,quia posset dici quod Deus infundat animabus species , quibus mediantibus possint earum rerum recordari, sicut dicunt *Thomistæ* Angelis infundi species ab initio suæ creationis.

*Dices*,non esse recurrendum ad Deum absque necessitate;non esse autem necessitatem recurrẽdi ad ipsum ad producendas illas species, si dicerentur remanere post separationem animæ à corpore species hic acquisitæ.

*Contra*:sicut non est recurrendum ad Deum sine necessitate,ita nõ sunt multiplicanda hic entia sine necessitate:ergo non magis debet recurri ad species pro hoc statu,quam ad Deum in statu separationis.

*Præterea* debet recurri ad Deum,vel ad aliquam aliam causam pro excitatione specierum harum præ illis:ergo tam bene posset recurri ad illum pro productione aut infusione specierum.

26. *Probatio quarta* est,quod intellectus sit ex se indifferens ad cognitiones omnes:ergo debet determinari ad has, quas iam habet,potius quam ad alias, per aliquam causam, sed non per aliam, quam per species.

*Respondeo* negando subsumptum:posset enim determinari sufficienter per phantasmata illa,sine quibus nequit intelligere pro hoc statu;& quæcumque causa potest excitare has species præ illis , illa eadem causa potest sine illis speciebus excitare has cognitiones præ illis.

*Nec valet dicere* phantasmata esse corporalia, & propterea ea non posse determinare intellectum,qui est spiritualis, ad cognitionem spiritualem.

*Quia* licet non possent determinare illum per modum causæ totalis,nihil obest quo minus possint determinare ipsum per modum causæ partialis.

*Quod confirmatur maximè*,quia possunt concurrere ad determinationem intellectus agentis,qui est spiritualis, ad productionem speciei intelligibilis ; ergo similiter possent determinare intellectum possibilem non obstante spiritualitate sua ad cognitionem.

27. *Nec valet etiam dicere*, quod intellectus possibilis, & operatio sit magis spiritualis,quam intellectus agens, ac species intelligibilis.

*Tum quia* difficulter potest ostendi in quonã consistat maior illa spiritualitas;tũ quia quamuis esset magis spiritualis,adhuc tamẽ nulla est ratio cur phantasmata non possent concurrere ad determinationem potentiæ magis spiritualis, si possunt cõcurrere ad determinationem potentiæ , quæ sit vllo modo spiritualis : quamuis enim quemadmodum aliqua causa posset cõcurrere ad determinationẽ vnius potẽtiæ materialis,quæ non posset cõcurrere ad determinationem alterius potentiæ materialis, vt sonus potest concurrere ad determinationẽ auditus, non vero ad determinationem potentiæ visuæ : ita etiã aliquid posset cõcurrere ad determinationem vnius potẽtiæ spiritualis,quæ nõ posset ad determinationẽ alterius;tamen si non constet,quod ita sit de phantasmatibus respectu intellectus possibilis tam bene,quam respectu intellectus agentis ; potius fauendum est principio de non multiplicandis entibus, quam dicendum gratis, quod non possint determinare tam benè intellectum possibilem, quam agentem.

28. *Probatio quinta* est ex *Arriaga* à posteriori ; quia quando intellectus cognoscit voluntatem odio habere aliquid,aut amare illud,aut seipsum cognoscere aliquid, vel ante cognouisse ; non cognoscit illud per discursum quemadmodum cognoscit Deum aut Angelos, quos in se non experitur:ergo non cognoscit illa per species materiales,quia hæ non concurrunt ad cognitiones rerum spiritualium,nisi mediante discursu : ergo cognoscit illa per species spirituales.

*Sed facile respondetur primo* , inde sequi ad summum necessitatem specierum intelligibilium ad aliqua obiecta, non ad omnia , cum tamen ad omnia intelligenda, eas requiri teneant aduersarij.

*Respondetur secundo* negando consequentiam , & ad probationem dicendum quod vel intelligat illa obiecta per discursum;vel species materiales possunt cõcurrere ad intelligenda obiecta spiritualia absque discursu.

*Confirmatur hoc*:quia non intelligit illa obiecta absque dependentia à phantasmatibus:sed si sit aliqua dependentia à phantasmatibus,bene potest esse dependentia quantum ad concurrendum ad illas cognitiones immediatè : ergo non est necessario recurrendum ad species intelligibiles.

29. *Sexta probatio* est eiusdem à priori:quia nõ potest voluntas spiritualis moueri ad volendum ex cognitione materiali:ergo intellectus non potest moueri ad intelligendum absque determinatiuo spirituali : sed non est aliud determinatiuum spirituale præter speciem impressam:ergo requirit speciem impressam intelligibilem.

*Respondeo* negando consequentiam: & ratio disparitatis est quod voluntas sit subordinata intellectui , vt colligitur ex omnibus illis principiis , ex quibus colligitur,quod non possit ferri,nisi in cognitum:Intellectus autẽ non subordinatur ãlteri potentiæ spirituali:sed potius materiali,vt patet experitẽia, vnde quamuis voluntas nequeat determinari,nisi per intellectum,qui est potentia spiritualis;intellectus non debet determinari per aliam potentiam spiritualem , neque consequenter per alium actum spiritualem.

*Confirmatur* : quia ideo voluntas nequit determinari ad volendum,nisi supposita intellectione spirituali,quia subordinatur potentiæ spirituali ; sed intellectus non subordinatur potentiæ spirituali:ergo non debet determinari per actum spiritualem.

*Confirmatur secundo* , quia certum est intellectum determinari à phantasmatibus materialibus ad species intelligibiles,quamuis voluntas non possit determinari ab vllis obiectis materialibus:ergo similiter posset determinari ad cognitiones;&c.ergo præterea,non est eadem ratio de intellectu,ac de voluntate quantum ad hoc.

30.Posset adduci alia probatio,ex *Complutensib.disp.19. de anima sect.2.* Dantur aliquæ operationes intellectus antecedenter ad phantasmata:sed illæ operationes non possunt fieri per phantasmata:ergo debent fieri mediantibus speciebus.

*Contra hanc doctrinam facit primo*,quod gratis,& contra communem consensum,& experientiam asserat dari actus illos independenter à phantasmatibus.

*Deinde* quæro,an illæ species,quæ concurrunt ad huiusmodi actus præuios,producãtur à phãtasmatibus aliquibus prioribus,nec ne.Si nõ:ergo idem posset dici de cæteris speciebus.Si sic : potest intellectus vti specie acquisita per phantasiã non recurrendo ad ipsã, potest vti cæteris similibus speciebus, & sic nõ necessario esset recursus ad phantasmata:saltem nisi quãdo ipsemet intellectus imperat phantasmata,quod est absurdũ. Præterea falsum est dari actus intellectus imperantes phãtasmata. Vide alias impugnationes huius doctrinæ in Commentario meo *ad quæst.6.disp.3.primi sentent.num.22.*

31. Alias probationes *Thomistarum* impugnaui supra agendo de speciebus impressis sensibilibus.

*Alij probant positiuè conclusionem* alio modo ; quia si darentur species in intellectu,deberet semper intelligere obiecta illarum specierum:sed hoc est falsum, vt patet experientia:ergo non dantur tales species.

Probatur maior:quia nihil aliud requiritur vt intellectus intelligat, quam quod habeat speciem intelligibilem obiecti intelligendi.

*Respondent* aduersarij negando maiorem cum sua probatione , & dicunt præter species requiri vt excitetur species.

*At certe difficile est* intelligere quomodo ex pluribus speciebus,quæ in eodem intellectu indiuisibili,inhærent immobiliter,vna præ altera excitari possit,aut quid sit illa excitatio speciei : & deinde vt supra dixi , quidquid aliud sufficit vt excitetur species , sufficiet ad determinandum intellectum ad cognitionem absque specie.

*Probatur præterea etiam positiuè Conclusio* : si darentur species in intellectu , intelligeret absque dependentia à phantasmatibus : hoc est falsum , vt omnes fatentur, & patet experientia : ergo non dantur species.

Probatur sequela maioris : quia non potest assignari vlla ratio cur intellectus non intelligat independenter à phantasmatibus , nisi quia phantasmata requiruntur ad eum determinandum ; nec absque illis haberetur aliud sufficiens determinatiuum ; atqui si darentur species in intellectu;illæ essent sufficienter determinatiuæ ipsius.

*Hæc probatio* pendet à solutione quæstionis quintæ,in qua examinabitur ratio necessariæ connexionis intellectus ad phantasmata.

*Obiectiones* , quæ contra hanc Conclusionem adduci possunt, sunt probationes supra impugnatæ quibus solent Doctores probare necessitatem specierum.

## CONCLVSIO II.

Si dentur species intelligibiles , datur intellectus agens.

32. *Si dentur species intelligibiles impressæ producuntur ab intellectu, & consequenter datur intellectus agens,qui non esset asserendus si non darentur species intelligibiles ; tamen intellectus non est causa totalis effectiua specierum , sed concurrit etiam cum ipso sensus internus.*

Hæc colligitur ex *Doctore* 1. *distinct.*3. *q.*18.*n.*3. videtur communis : & *probatur prima pars* ; quia illæ species sunt spirituales,cum subiectentur in intellectu spirituali : ergo debet esse aliqua causa spiritualis,quæ illas producat effectiue vel partialiter, vel totaliter : sed non est vlla talis causa assignabilis præter intellectum : ergo.

*Probatur secunda pars* : quia per intellectum agentem intelligitur potentia illa spiritualis,quæ potest producere species huiusmodi ad propositionem obiectorum corporeorum:ergo si species huiusmodi producãtur ab vlla facultate animæ effectiue,dabitur intellectus agens.

*Hinc probatur tertia pars* : quia si intellectus agens sit facultas productiua huiusmodi specierum,si superfluunt species & propterea non sunt asserendæ , superfluet etiam intellectus agens vt agens , & consequenter non debet asseri.

*Probatur denique quarta pars* , quam videtur negare *Suares* 4.*de anima cap.*2.quia certum est intellectum non posse producere vnam speciem potius quam aliam , nisi determinetur ad hoc à phantasia : sed non potest explicari bene, quomodo phantasia determinaret , nisi concurrendo physice cum ipso ad producendam speciem : ergo sic concurrit.

33. *Dices* , posse determinari intellectum à phantasia per hoc,quod proponat ipsi obiectum circa quod possit habere intellectionem, sicut determinatur voluntas per intellectum ad volitionem sine concursu effectiuo ad illam ; sed solum quatenus proponit ipsi obiectum circa quod versetur.

*Contra*,quia voluntas identificatur realiter intellectui, & eo ipso,quo intellectus intelligit obiectum, voluntas etiam realiter ipsum intelligit,atque adeo potest moueri ab ipso:sed phantasia & intellectus sunt potentiæ realiter distinctæ , neque eo ipso quo phantasia intelligit obiectum , intellectus ipsum iutelligit aut realiter , aut formaliter:ergo per phantasiam non potest proponi ipsi sufficienter per modum obiecti, circa quod posset operari , sicut voluntati potest proponi obiectum per intellectum ; & consequenter non est eadem ratio de voluntate & intellectu quantum ad hoc.

*Dices secundo*,posse phantasiam requiri & sufficere tanquam conditionem sine qua non, & qua posita intellectus haberet producere species,quas alias producere non posset.

*Contra*,quia non potest explicari quomodo posset habere rationem conditionis , & ex altera parte nihil impedit quod habeat rationem causæ; vniuersaliter autem quotiescumque aliquid requiritur ad effectum necessario & potest habere rationem causæ, non potest autem explicari quo modo possit habere rationem conditionis,debet dici requiri per modum causæ,& non per modum conditionis.

*Confirmatur hæc pars Conclusionis* , quia secundum *Augustinum* & *Authores* communiter,ab obiecto & intellectu paritur notitia; quod de obiecto motiuo intelligendum : sed hoc esset falsum,nisi phantasia mediante suo actu concurreret physice ad speciem intelligibilem , & ea mediante ad intellectionem,si detur species intelligibilis : ergo sic concurrit.

## CONCLVSIO III.

Species intelligibiles semel acquisitæ & aliquãdiu conseruatæ nũquã perdũtur.

34. *Species intelligibiles semel acquisitæ & conseruatæ aliquamdiu,nunquam deperduntur.* Hæc est conformior communibus principiis contra *Gabrielem*, & *Almainum*, qui existimant eas si non exeant in actum paulatim destrui.

*Probatur*,quia nulla forma permanens & absoluta destruitur nisi per destructionem subiecti,aut introductionem formæ contrariæ,aut remotionem causæ conseruatiuæ:sed species sunt formæ absolutæ,& non destruitur intellectus , qui est subiectum earum , nec introducitur vnquam in ipsum forma ipsis contraria,nec enim habet contrarias formas;si enim speciei albedinis,v.g.vlla forma esset contraria maxime species nigredinis:hæ autem simul compatiuntur in intellectu,vt patet:nec etiam remouetur causa conseruatiua , siue illa dicatur solus intellectus (vt posset dici secundum aliquos , quia quamuis non esset sola causa productiua , posset tamen esse sola conseruatiua ; multi enim effectus conseruantur ab aliquibus causis, à quibus non producuntur,vt patet in igne & calore) siue quæcumque alia ; quæcumque enim assignabitur semper inuenietur eodem modo applicata, quando liceretur destrui,aut desinere species, quo erat, quando c seruabantur.

*Obiicies* fundamentum *Almaini & Gabrielis* : experientia constat nos obliuisci rerum , quas antea cognouimus, nisi repetamus sæpe memoriam ipsarum:sed hoc non posset esse, si non perderentur species : ergo deperduntur.

*Respondetur* communiter negando minorem : id enim accidere posset absque specierum intelligibilium iactura, ex eo , quod deperderentur species phantasticæ ipsis correspondentes, à quibus in suis operationibus dependerent.

*Sed contra hoc*:quia eadem difficultas videtur de deperditione specierũ phantasticarum:quamuis enim hæ possent deperdi per corruptionem subiecti,tamen non quoties obliuiscimur rerum , corrumpitur subiectum , alias obliuiscceremur simul omnium rerum:nã certe verisimile est species phantasticas omnes reperiri in eodem subiecto,vnde si experditione vnius speciei deperditur subiectum,debent omnes prorsus simul deperdi.

*Melius ergo dicitur*, quod, quemadmodum licet quando primo committimus aliquid memoriæ habentur ad primã lectionẽ species istius rei tã in intellectu quàm in phantasia , & tamen non possumus recordari statim ipsius rei,nisi sæpissime legamns aut repetamus illud,non defectu speciei,sed ex eo,quod non proponantur aut excitentur istæ species subito illo ordine:ita etiam obliuio rerũ ante cognitarũ oriatur non ex defectu specierũ sufficientium,aut ex parte intellectus,aut ex parte phantasiæ;sed ex defectu excitationis earum secundum illã rationẽ , secundum quam natæ essent causare recordationem. Quænam autẽ sit causa illa,quæ excitat species eo ordine quo excitantur, & vnde oriatur,quod quãdo volumus recordari alicuius rei, aliquando subito recordemur, aliquãdo vero diutissime hæreamus,& postea cum nihil minus cogitamus,occurrat nobis;mihi videtur esse ex difficilioribus naturæ arcanis , & æque currit, siue admittantur species, siue non admittantur.

An intellectus sit causa totalis conseruatiua specierũ.

*Queres* , an species intelligibiles conseruentur à solo intellectu.

*Videri posset* quod sic,quia nulla alia causa conseruatiua cum ipso cõcurrẽs assignari posset, & quia quamuis alia

causa

causa concurrat necessario ad productionem earum,non tamen est necesse vt illa causa concurrat ad conseruationem ; vt patet in calore qui conseruatur in aqua sine igne,quamuis sine igne in illo non producatur.

*Hoc tamen non obstante*, mihi videtur insistendum in principiis positis *p.2. disp.9. num.45.* & dicendum quod intellectus non possit esse causa totalis conseruatiua speciei,quia si esset haberet virtutem adæquatam ipsam efficiendi pro illo instanti quo conseruaretur ; sed hoc falsum : ergo.

Probatur minor;quia si posset ipsam totaliter producere pro illo instanti, posset etiam pro primo instanti;& necessario etiam produceret, quia est causa naturalis, quod est absurdum.

Probatur vltima sequela, quia ideo potest & debet in instanti quo conseruatur, intellectus ipsam conseruare, quia in illo instanti habet in actu primo virtutem ex qua pro illo instanti egredi possit ista species : sed eadem ipsa virtus est in omni instanti,in quo est intellectus, & non impeditur pro vllo instanti magis, quam impeditur pro instanti conseruationis : ergo deberet egredi ab illa ista species pro primo instanti.

Quæ sanè ratio mihi probat nullã causam posse conseruare rem per se directè, quæ nõ possit rem producere, & consequenter quamcumque causam adæquatam conseruatiuam posse esse productiuam rei conseruatiuæ.

*Confirmatur* autem vlterius : quia conseruatio rei non est nisi continuata productio eius, nec inter actionem qua conseruatur & illam qua producitur,est vlla prorsus differentia,si sint duæ actiones, quam quod vna præsupponat alteram,quod conuenit ipsi accidentaliter tantum, sicut conuenit secundo filio præsupponere primum filiũ: ergo causa illa quæ sufficit ad conseruationem sufficit ad productionem,si æque bene applicetur,non minus quam causa potens producere secundum filium sufficit ad productionem primi filij. Quod si dicatur esse eadem actio, quæ sit conseruatio & productio : ergo quemadmodum poterat egredi pro hoc instanti ab intellectu, poterat etiam pro primo,si tam bene applicabatur pro primo,ac applicatur pro hoc secundo, pro quo habet denotationem conseruationis.

*Confirmatur secundo*, quia si non posset actio productiua egredi à causa,à qua egredi posset conseruatiua,maxime quia productio adiuuaret causam ad hoc,vt egrederetur ab ipsa conseruatio,siue conseruatio dicatur esse actio distincta,siue non,sed hoc est falsum:ergo. Probatur minor, quia pro illo instanti pro quo est conseruatio, non est actio productiua,vt productiua,nec aliqua dispositio ab ipsa relicta, nec aliqua causa per ipsam producta, nec aliquid prorsus ab illa vllo modo dependens est in instanti conseruationis ad conseruationem deseruiens, quod non esset etiamsi non esset illa actio:ergo illa actio non potest iuuare ad hoc,vt actio quæ est conseruatio,egrediatur ab agente;absurdum enim videtur quod illud quod non est, possit iuuare ad producendum aliquid pro instanti, pro quo non est, nisi in illo instanti esset aliquid ratione ipsius quod non esset alias ad productionem conducens.

*Dices*:quod actio illa fuerit, est necessarium ad hoc,vt sit conseruatio formaliter pro instanti conseruationis, quamuis actio illa nõ sit in illo instanti,nec aliquid quod alias non esset:ergo quod non est,potest deseruire ad aliquid habendum pro instanti, pro quo non est, quamuis nihil sit in illo instanti, quod alias non esset.

*Contra*,quia licet requiri possit aliquid non existens ad denominationem aliquam desumptam ab ipsius non existentia, in quo non est vlla difficultas ; tamen non potest requiri vt aliquid positiuum,non dicens necessario illam denominationem sit pro illo instanti:sed actio conseruatiua licet dicat formaliter denominationẽ desumptam ab actione productiua pro instanti præterito, tamen secundum se, quoad esse suum positiuum non necessariò dicit illam denominationem:ergo licet non posset haberi cum illa denominatione absque actione præterita, potest tamen secundum se esse absque illa actione,quod est intentum conclusionis. Itaque existimo species intelligibiles semel productas conseruari in intellectu à causa aliqua superiori, vt à Deo vel Angelis.

Cætera quæ ad naturam specierum intelligibilium spectant, ex dictis de speciebus sensitiuis facile resolui possunt. Solum hic aduertendum, quod quando dicitur intellectus agens spiritualizare obiectum corporeum relucens in phantasmate, per illud nihil aliud intelligi debet, quam quod producat speciem qua repræsentari possit illud obiectum spiritualiter, per cognitionem scilicet intellectiuam, quæ spiritualis est.

## QVÆSTIO IV.

### *De distinctione Intellectus agentis & possibilis, & vtrum vterque in anima separata & Angelis reperiantur.*

36. PAtet ex dictis intellectum agentẽ esse facultatem illam,quæ producit specié intelligibilem,eamque dari,si dentur tales species,quas propterea dari supponẽdum est in hac quæstione, quæ alias non posset esse in controuersia.Per intellectum vero possibilem seu patientem intelligitur facultas animæ,qua mediante potest cognoscere per cognitionem spiritualem ; ad cuius productionem deseruiunt species intelligibiles,quæ producuntur per intellectum agentem. Dicitur autem possibilis seu patiens, non quod non agat producendo effectiuè cognitionem,tam bene,quam intellectus agens agit producendo speciem intelligibilem;sed quod intelligat formaliter per receptionem cognitionis in se.

### CONCLVSIO I.

Intellectus agẽs & possibilis non distinguuntur realiter.

*Intellectus agens & possibilis non distinguuntur realiter.* Hæc colligitur ex *Scoto* expresse *in 1. dist.3. quæst.8. n.3.* vbi de vtroque intellectu tanquam de realiter indistinctis agit, & est conformis principiis ipsius in aliis locis passim,vt mirum sit *Complutenses* inferius citandos ipsum citare pro opposito, & quidem in illo ipso loco iam adducto. Eam tenent præterea *Maior*, *Abulensis*, *Niphus*, *Suar. Conimbricens.* contra *Thomistas* communiter, quos citant & sequuntur *Complutens. disp.20. de intellectu agente, num.10.*

*Probatur primo*,quia identificantur realiter animæ, vt patet ex dictis supra *disp.1. quæst.11.*ergo & inter se identificantur:quæ enim realiter identificantur vni tertio in creatis, sine dubio realiter identificantur inter se.

*Probatur secundo*, quia quamuis non identificarentur animæ, nulla esset necessitas illos inter se distinguendi realiter;non sunt autem multiplicanda entia sine necessitate:ergo. Maior patet,quia si esset aliqua necessitas,maxime,quia haberent diuersos actus,quandoquidem actus intellectus agentis esset species impressa, & actus intellectus possibilis esset intellectio seu cognitio:sed ad hoc non sunt distinguendi,quia vna & eadẽ potentia realiter potest habere diuersos actus,& habere diuersas denominationes;vnam quatenus esset principium vnius actus & aliam quatenus esset principium alterius,& hoc maximè verum est quando illi actus haberent subordinationem talem,vt vnus esset requisitus ad alterum;vt contingit in proposito,quia species intelligibilis est necessaria ad producendam cognitionem : propterea enim ponitur.

### CONCLVSIO II.

Distinguuntur formaliter.

37. *Intellectus agens & possibilis distinguuntur formaliter ex natura rei.* Hæc est communis inter *Scotistas*.

*Probatur*,quia non implicat dari aliquem intellectum, qui possit cognoscere obiectum,& non possit producere speciem impressam:ergo conceptus intellectus agentis & possibilis, possunt separari ab inuicem non minus quam conceptus animalis & rationalis:sed conceptus sic separabiles distinguuntur formaliter, vt patet ex dicendis in disputatione de distinctione formali : ergo intellectus agens & possibilis,qua tales, distinguuntur formaliter.

Quod si omnis intellectus agens deberet necessario esse possibilis,& è contra,difficulter posset probari distinctio formalis ex natura rei eorum;nam diuersitas actuum vix sufficit ; alias posset quis dicere, quod darentur duo intelle

intellectus possibiles distincti formaliter, vnus qui est apprehensiuus obiecti per simplicem apprehensionem, alter qui est iudicatiuus;cur enim potius deberent assignari duo intellectus respicientes speciem intelligibilem & cognitionem, quam duo intellectus respicientes simplicem apprehensionem & iudicium?

## CONCLVSIO III.

Intellectus agês reperitur in anima separata & Angelis.

38. *Non solum intellectus possibilis, sed etiam intellectus agens,vt agens reperitur in anima separata, & Angelis.* Hæc *quoad primam partem* de intellectu possibili est certa apud omnes, quia alias non intelligerent Angeli, aut animæ separatæ.

*Secunda pars* de intellectu agente est *Doctoris in 4. dist.45.* quoad animam separatam;& in *2.dist.3.quæst.11.* quoad Angelos: quem præter suos sequuntur probabiliter *Conimbricens. tract. de Anima separata, & Suar. lib.6. cap.6.*contra *D.Thom. 1.part. quæst.89. & quæst.55. art.2. cum suis.*

*Probatur*, quia alias nec Angeli, nec animæ separatæ possent intelligere res absentes, præteritas aut futuras, nihil enim posset eos ad hoc determinare, nisi ponantur in illis species:sed si ponantur in illis species,debet poni aliqua causa productiua illarum ex parte Angeli & animæ:illa vero causa est intellectus agens:ergo habent intellectum agentem.

*Dices*,ipsamet obiecta, quæ determinare possunt illos ad producendas illas species, posse producere eas tanquam causas totales:ergo falsum est subsumptum.

*Contra*, quamuis id posset dici quando obiecta essent spiritualia, tamen nequit dici quando obiecta sunt materialia:materiale enim nequit esse causa totalis formæ spiritualis.

*Dices secundo*, species rerum infundi Angelis, & animabus à Deo,non vero acquiri ab ipsismet virtute actiua propria, & consequenter falsum esse subsumptum.

*Contra primo*:quia non est recurrendum ad Deum,tanquam ad causam totalem alicuius effectus, nisi quando non potest assignari causa secunda, quæ possit ad ipsum concurrere.

*Contra secundo*: quia sicut recurritur ad Deum, tanquam ad causam totalem productiuam specierum intelligibilium Angelorum, & animarum separatarum: ita posset dici quod ille pariter causaret species intelligibiles animæ coniunctæ, & sic non esset ponendus intellectus agens in anima coniuncta.

39. *Probatur secundo conclusio*, & infirmatur vlterius recursus ille ad Deum,quò cõfugiunt aduersarij:est perfectionis in anima,& Angelis,habere intellectum agentem:ergo si ponatur in anima coniuncta, debet poni in Angelis,& anima separata; absurdum enim videtur maiorem perfectionem in ratione intellectiui esse in anima coniuncta, quàm separata, ac Angelis,præsertim quoad rationem aliquam independentem à corpore. Probatur antecedens:est perfectionis in cognoscitiuo habere virtutem non solum productiuam cognitionis, sed illius, sine quo cognitio haberi non possit,verbi gratia,speciei intelligibilis,vt videtur euidens: ergo est perfectionis in eo habere intellectum agentem.

*Confirmatur*: imperfectio,ad quam supplendam intellectus agens ponitur in hominibus,reperitur in Angelis, & anima separata: ergo debet in illis poni ad eam tollendam non minus quam in hominibus.

Probatur antecedens: quia illa imperfectio est determinatio,quam habet ad intelligendum ex se absque speciebus intelligibilibus:sed æquè Angelus, & anima sunt sic indeterminati,ac anima coniuncta,aut homo:ergo.

*Confirmatur secundo*:quia intellectus agens ex dictis est idẽtificatus intellectui possibili,& animæ:ergo remanet necessario in anima separata.Quod si etiã diceretur cum *Thomistis*, intellectum agentem esse accidens realiter distinctum ab intellectu possibili,& anima;adhuc haberetur intentum, quia illud accidens est proprietas animæ sequens ex natura ipsius, ac pullulans ab ipsa, non vero aduenies ipsi ab extrinseco: ergo deberet pullulare ab ipsa in statu separationis: neque enim coniuncto ad corpus habet aliquem influxum in illam pullulationem.

40. *Obycies*: intellectus agens requireretur solum in anima separata, & Angelis ad producendas species rerum materialium: sed non possunt Angeli, aut animæ separatæ acquirere species rerum materialium:ergo frustra poneretur in illis intellectus agens sub denominatione intellectus agentis.

Probatur minor:quia res materiales non possunt determinare intellectum, nisi mediantibus phantasmatibus, qualia non sunt in Angelo, aut anima separata, vt patet.

*Confirmatur hoc*,quia si anima posset acquirere species rerum materialium absque corpore, aut phantasmatibus,frustra vniretur corpori,sed hoc est absurdum:ergo.

*Confirmatur secundo*: quia si posset immediatè acquirere species rerum materialium etiam in corpore existens, deberet illas acquirere quando applicantur: est enim causa naturalis determinata ad omnem effectum producendum, quem potest producere quando debitè applicatur.

*Respondetur*, negando minorem cum sua probatione: sicut enim ipsamet phantasmata, quamuis materialia sint, possunt intellectum spiritualem determinare ad suam speciem spiritualem:ita etiam res corporales possent hoc facere absque phantasmatibus.

*Ad primam confirmationem respondeo*,negando sequelam: vniretur enim corpori ad habendas cognitiones sensitiuas, & cognitiones intellectuales dependentes à cognitionibus sensitiuis,quæ cognitiones fortassis sunt distinctæ speciei à cognitionibus,quas haberet in statu separationis, vt postea dicetur amplius.

*Ad confirmationem secundam respondeo*, negando etiam sequelam: quia sicut non debet habere species infusas à Deo in statu coniunctionis, quas secundum aduersarios haberet in statu separationis; ita etiam non debet posse acquirere tales species in statu coniunctionis, quamuis posset eas acquirere in statu separationis.

*Et si quæratur*,vnde oriatur impedimentum:*Respondeo* ex ordinatione Dei nolentis eodem modo concurrere cum anima in statu separationis, & coniunctionis; quæ ordinatio fortassis habita est ad puniendum peccatum originale, vt postea dicam amplius.

*Aduerte* autem hic,me non negare,quin Deus Angelis, & animabus separatis plures species infundat; quia ad habendum subito in instanti creationis, tam varias rerũ cognitiones in Angelo,quàm tribuuntur ipsi,non posset sufficere actiuitas intellectus agentis ad producẽdas omnes species ad illas cognitiones necessarias; neque enim obiecta illa omnia secundum se realiter applicabantur ipsi.Sed quod contendo est,Angelos habere intellectum, quo possent acquirere species,si Deus non infunderet;& existimo etiam de facto Angelos, præsertim malos,dum versantur inter nos,acquirere sibi species multarum rerum,quas non infuderat illis Deus, quia non erat necessarium ex vllo capite, vt eas iis infunderet.

An intellectus agens sit perfectior possibili.

41.*Quares*,an intellectus agens sit perfectior possibili? *Respondetur* communiter, si consideretur intellectus possibilis,vt est productiuus intellectionis,eum sine dubio esse perfectiorem,quia intellectio,quam potest producere est perfectior quam species intelligibilis,quæ sola ab intellectu agente,qua talis est,potest produci. Si vero consideretur intellectus possibilis, vt receptiuus intellectionis,est imperfectior, quia agere est perfectius, quam pati. Verum quantum ad hanc secundam partem,res nõ adeo certa est,quã prima facie videri possit:nam quamuis agere,vt sic,perfectius sit quam pati,aut recipere;tamen agere aliquid particulare non necessario est perfectius,quam recipere aliquid aliud particulare; existimo enim quod sit maioris perfectionis in anima posse recipere visionẽ beatificã,quamuis ad eam non concurreret efficienter,quam posse producere calorem,siue in se,siue in alio,si talis facultas competeret ipsi. Et similiter existimo dicendum in proposito,quod maioris perfectionis sit in intellectu posse recipere cognitiones obiectorum, etiamsi non haberet facultatem eas efficiendi,quã posse

producere

producere speciem intelligibilem;vnde si essent duo intellectus realiter distincti,& separati, quorum vnus esset productiuus speciei intelligibilis, & non receptiuus cognitionis,alter vero receptiuus cognitionis & non productiuus ipsius;hic illo longè perfectior censendus esset; præsertim cum habet intelligere formaliter per hoc quod habeat in se receptam cognitionem , nec ad hoc requiratur per se , quod producatur productio ab ipsomet cognoscente,vt postea dicam : nec vllus est qui non mallet se cognoscere formaliter, & posse formaliter cognoscere , quam producere speciem intelligibilem , aut eam posse producere. Itaque concludo,intellectum possibilem esse perfectiorem intellectu agente non solum, vt habet virtutem productiuam cognitionis , sed etiam virtutem receptiuam eius, præsertim talem,vt per receptionem eius possit formaliter intelligere.

## QVÆSTIO V.

### *Vtrum intellectus humanus , & Angelicus distinguantur specie.*

42. EX suppositione,quod intellectus idétificetur realiter animæ , & Angelis in nostra sententia, non potest esse dubiũ, quin realiter sint distincti specie,sicut Angelus,& anima, quibus identificantur. Vnde quæstio solum potest esse de ipsis formaliter loquẽdo:bene enim potest fieri quod aliquæ formalitates,quæ realiter distinguuntur specie, formaliter tamen non sic distinguantur: sic enim animalitas in homine, & bruto realiter distinguuntur specie;& tamẽ formaliter sunt eiusdẽ rationis.

### CONCLVSIO I.

Intellectus humanus, & Angelicus distinguuntur specie

*Probabilius est quod intellectus Angelicus, & humanus distinguantur specie.* Hæc est *Doctoris in 2. dist. 1. quæst. vlt.* Quamuis oppositum etiam proponat ibidem,vt probabile.Est etiã *D.Thom.1.p.q.79.art.2.*& longè magis communis apud alios authores hic,& in materia de Angelis.

*Probatur à Thomistis*:quia intellectus Angelicus habet distinctum obiectum adæquatum ab intellectus humani obiecto adæquato : sed potentiæ habentes distincta obiecta adæquata distinguuntur specie : ergo.

Probatur maior:quia obiectum adæquatum motiuum, præsertim intellectus humani,est quidditas rei materialis:tale vero non est obiectum adæquatum motiuum intellectus Angelici,sed aliquid aliud magis late patens.

*Verum hæc probatio* supponit maiorem,quam supra impugnaui *quæst.1.* & ex dictis in illa quæstione patet,circa nihil posse versari intellectum Angelicum , circa quod non posset versari humanus, quantum est ex natura sua: vnde per ordinem ad obiecta nequeunt distingui.

*Probatur primo*:quia intellectus Angelicus non est discursiuus,secus vero est de humano.

*Hæc etiam probatio* , supponit veritatem antecedentis quod falsum est secundum *Scotistas* : de quo in materia de Angelis.

43. *Melius probatur conclusio primo* ; quia intellectus humanus potest habere & habet de facto cognitiones aliquas distinctæ rationis ab omnibus , quas potest habere intellectus Angelicus , nempe cognitiones rerum quatenus proponuntur in phantasia , vt quæstione sequenti magis apparebit.

*Probatur secundo*:quia perfectior substantia in ratione intellectiui debet habere perfectiorem potẽtiam correspondentem illi rationi,quàm imperfectior,alias non esset perfectior ; sed substantia Angelica est perfectior in ratione substantiæ intellectiuæ quàm anima vel homo, & potentia correspondens illi rationi est intellectus:ergo debet habere perfectiorem intellectum.

*Probatur tertio* , quia intellectus humanus ex se potest intelligere res omnes independenter à phantasmatibus sicut Angelicus,vel non potest:Si non potest,certum est ipsum esse distinctæ speciei ab Angelico , qui potest. Si potest , ergo quandoquidem præterea potest intelligere res vt phantasticè propositas,nisi esset aliqua differentia vel in cognitione Angelica,vel in modo ipsam acquirẽdi, sequeretur intellectũ humanum est perfectioré quàm est Angelicus,quandoquidem & posset intelligere quæcumque posset Angelicus secundum eandem rationẽ quoad substantiam,& modum cognitionis,& præterea alias cognitiones distinctas habere,quas non posset Angelus,sed hoc est absurdum:ergo debet esse differentia inter vtrãque cognitionem,vel quoad substantiam,vel quoad modum ipsam producendi,vel acquirendi:sed si sit talis differentia , eo ipso sequitur quod sint distinctæ speciei.

*Confirmatur*,quia potentiæ sensitiuæ externæ hominis, & bruti distinguuntur specie : ergo & potentia intellectus hominis & Angeli, à paritate rationis.

*Confirmatur secundo*,quia si non distinguerentur specie intellectus Angelicus ab humano , sequeretur hominem esse longe perfectiorem Angelo,quia haberet perfectiones intellectuales tam perfectas,& præterea haberet alias perfectiones plures,quales non haberet Angelus,nempe corporeas, sed hoc est absurdum.

44. *Obijcies*:si essent distinctæ speciei,deberent esse inæqualis perfectionis , & Angelicus deberet esse perfectior,sed hoc est incõueniens:quia inde sequeretur quod cognitio Angelica esset diuersæ speciei, & maioris perfectionis quam humana potest esse,& cõsequenter quod visio beatifica Christi & Diuæ Virginis esset speciei imperfectioris, quam visio beatifica Angeli.

*Respondetur* concedendo maiorem , non ex eo , quod inæqualitas in perfectione inter aliqua sequatur necessario ex distinctione specifica ipsorum,sed propter secundam & tertiã probationem conclusionis.Nego vero minorem cum sequela probationis:nã quamuis intellectus ipsorũ sint distinctæ speciei, non necessario cognitiones sunt distinctæ speciei,quia possunt habere distinctionem specificam ex alio capite quam per ordinem ad diuersitatem specifitã cognitionum,per hoc scilicet.quod vnus intellectus posset plura simul cognoscere , quantum est ex natura sua:aut per hoc,quod citius aut expeditius,aut clarius posset cognoscere, quam alter intellectus.

*Deinde*,quamuis cognitiones ab illis prouenientes deberent esse distinctæ speciei & inæqualis perfectionis sicut ipsimet intellectus,& consequenter cognitio Angelica deberet esse perfectior quam humana,etiam Christi, quantum est ex natura potentiarum,tamẽ de facto Deus posset supplere per lumen gloriæ,aut alia auxilia imperfectionem intellectus Christi præ intellectu Angelico,& si id faceret, Christus posset habere cognitionem etiam specie perfectiorem quam esset cognitio Angelica.

## QVÆSTIO VI.

### *Vnde oriatur dependentia intellectus à phantasmatibus.*

45. INtellectum nostrum pro hoc statu dependere à phantasmatibus patet & authoritate *Philosophi 3. de anima,text.12.*& communi consensu *Doctorum*,& etiã experientia,qua constat quod impedito organo phantasiæ non intelligamus rectè;vt patet in phreneticis, dormientibus,& infirmis.Sed valde prorsus difficile est assignare rationem huius dependentiæ ; quæ difficultas vt magis appareat,& melius solui possit,varij dicendi modi proponendi sunt.

*Aliqui dicunt* rationem esse quod non possit intelligere absque speciebus,& quod non possit species habere nisi à phantasmatibus.

*Contra*,quia hinc solum sequeretur quod dependeret à phantasmatibus, quantum ad acquisitionem specierum, non vero quod dependeret ab iis quantum ad vsum earum : nam quemadmodum ipsa potentia sensitiua interna dependet à sensibus externis , quoad acquisitionem specierum;iis tamen habitis potest habere cognitionem sensitiuam per eas,cessantibus potentiis externis:eodem modo potentia intellectiua posset habere dependentiam à phantasia in ordine ad acquirendas species,quamuis iis habitis possit per illas intelligere sine vlteriori dependentia à phantasia, aut eius operatione.

Præterea

*Præterea* intellectus per ſpecies poteſt intelligere abſque dependentia à phantaſia in ſtatu ſeparationis : ergo in ſtatu coniunctionis idem poterit facere, niſi oſtendatur aliqua ratio ob quam impediatur.

*Quod ſi dicatur* phantaſiam ſemper requiri, vt vna ſpecies præ alia excitetur.

*Contra* eſt, quod quemadmodum ex ipſis ſpeciebus phantaſticis vna ſpecies præ alia excitatur abſque operatione potentiarum, à quibus ſpecies acquirebantur, ita etiam vna ſpecies intelligibilis poteſt excitari præ alia abſque dependentia à phantaſia, à qua ſpecies illæ abſtrahebantur.

*Deinde* quemadmodum ex pluribus ſpeciebus animæ ſeparatæ vna præ aliis excitari poſſit, cur ſimiliter non poſſet dici de anima coniuncta?

46. *Secundo teneri poſſet* iuxta principia *Auicennæ*, rationem iſtius neceſſariæ connexionis eſſe, quod ſpecies intelligibiles dependeant in eſſe & fieri à phantaſmatibus, & conſequenter intellectus ſicut non poteſt operari abſque ſpeciebus, non poteſt operari abſque dependentia continua à phantaſmatibus, à quibus dependent illæ ſpecies.

*Contra hanc ſententiam facit primo*, quod omnes, qui admittunt ſpecies intelligibiles, vno excepto *Auicenna*, teneant eas non dependere in conſeruari à phantaſmatibus, quod & probat *Doctor in* 1. *d.* 2. *q.* 6. contra eundem pluribus rationibus à me explicatis ibidem. Quarum præcipua mihi videtur, quod phantaſia habet virtutem conſeruandi ſuas ſpecies independenter à ſenſibus externis, ſine quibus eas producere nequit: ergo & intellectus debet habere virtutem conſeruatiuam ſuarum ſpecierum independenter à phantaſia.

*Contra ſecundo*, quia intellectus non ita dependet in operationibus ſuis ex natura ſua à phantaſia, aut ſpeciebus dependentibus in fieri, & conſeruari à phantaſia, quin poſſit intelligere abſque talibus ſpeciebus ac phãtaſia, vt patet in ſtatu ſeparationis, in quo non habet tales ſpecies nec phantaſiam : ergo manet adhuc difficultas, cur in ſtatu coniunctionis non poſſit habere tales operationes abſque dependentia à phantaſmatibus, licet haberet dependentiam à phantaſmatibus quoad alias operationes, iuxta principia *Auicennæ*.

*Contra tertio*, quia ſi ſpecies intellectus dependerent in fieri, & conſeruari à phantaſmatibus, ſequeretur quod non requirerentur ſpecies illæ, quia ipſamet phantaſmata, ſicut ſufficerent ad illas ſpecies, & ſemper deberent applicari quoties applicantur illæ ſpecies, ita etiam poſſent determinare ad cognitiones correſpondentes illis ſpeciebus, & ſemper ſufficienter ad hoc applicarentur: ergo fruſtra ponerentur ſpecies intelligibiles; quod eſt contra *Auicennam*.

47. *Tertio poſſet dici* rationem conuerſionis neceſſariæ intellectus ad phantaſmata oriri ex eo, quod non dẽtur ſpecies intelligibiles, vt probabilius ſupra docui *quæſt.* 3. Si enim huiuſmodi ſpecies non dentur, nihil aliud poterit ſufficere ad determinãdum intellectum præter phantaſmata : ſed quoties operatur, debet adeſſe determinatiuum ipſius ad operandum : ergo non poteſt vnquam operari abſque phantaſmatibus.

*Hæc ſane ſententia* optime ſaluat rationem neceſſariæ conuerſionis ad phantaſmata quantum ad operationes, quas de facto in nobis experimur. Sed non ſaluat cur intellectus non poſſit acquirere ſpecies tales, & habere operationes tales, quales haberet in ſtatu ſeparationis ſine dependentia à phantaſmatibus.

*D. Thom.* 1 *p. q.* 84. *art.* 7. dicit rationem huius neceſſariæ conuerſionis eſſe, quod quidditas rei materialis ſenſibilis ſit obiectum proprium intellectus coniuncti : ſed talis quidditas debet neceſſario in aliquo indiuiduo materiali exiſtere: ergo non poteſt complete intelligi niſi in tali indiuiduo, ſed non poſſumus ipſam cognoſcere vt ſic, niſi per ſenſum, quia intellectus non fertur in ſingulare: ergo non poteſt intellectus intelligere aliquid quin ſenſus operetur.

48. *Hanc doctrinam*, quæ reuera inſufficiens eſt, impugnat *Doctor* tribus rationibus à me explicatis *in* 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 6. & hic etiam breuiter *impugnatur primo*: quia non aſſignatur ratio cur intellectus coniunctus non poſſit habere tales operationes, quales habet ſeparatus, quodcumque demum dicatur eſſe obiectum ipſius : ſed illæ operationes eſſent independentes à phantaſmatibus: ergo non oſtenditur ratio, cur non habeat aliquas operationes pro hoc ſtatu abſque conuerſione ad phantaſmata ; quamuis oſtendatur ratio, cur conuertat neceſſario ad phantaſmata ad habendas illas operationes, quas nos experimur ſemper eſſe cum tali dependentia.

*Secundo*, quia intellectus intelligit quidquid percipit phantaſia : ergo ſi phantaſia intelligat ſingulare, intellectus etiam illud intelligit, & certe ſi ſola phãtaſia perciperet ſingulare, non magis perfectè intelligeret intellectus quidditatem rei materialis intellecta ſingularitate, quàm non intellecta: ergo perceptio phantaſtica rei ſingularis vt ſingularis, nõ iuuat vt intellectus magis complete quidditatem rei materialis intelligat, quàm ſi non perciperetur, & ſic corruit fundamentum *D. Thomæ*.

*Tertio*, quia non obſtante quod quidditas rei materialis ſit neceſſario in aliquo ſingulari, Angelus & anima ſeparata ipſam intelligunt: quæro ergo an intelligant illud ſingulare, in quo exiſtit. Si intelligant: ergo ſimiliter poſſet intellectus cõiunctus ipſum intelligere, & ſic etiã corruit fundamentum *D. Thomæ*. Si non intelligant, tum quæro an cognoſcant illam quidditatem complete. Si ſic: ergo poteſt complete cognoſci non cognito ſingulari, in quo exiſtit, contra *D. Thomam*. Si non: ergo nec intellectus coniunctus debet ipſum complete cognoſcere: & ergo vlterius quemadmodum intellectus ſeparatus poteſt, non cognito ſingulari, cognoſcere quidditatem illam ſine dependentia à phantaſmatibus, ſimiliter dici poteſt de intellectu coniuncto.

*Quarto* denique, quia non bene ſequitur quod aliquid non poſſit intelligi non intellecto alio, ex eo, quod à parte rei neceſſario debeat exiſtere in illo alio, vt patet infinitis exemplis, quæ ſuperfluum eſſet proponere, cum ſint obuia.

## CONCLVSIO I.

49. *Ratio neceſſariæ conuerſionis intellectus ad phantaſmata, quantum ad cognitiones, quas de facto habet, eſt quod non dentur ſpecies intelligibiles, vel ſi dentur quod ſint determinatæ ad producendum cognitionem rei, ſecundum quod relucet in phantaſmate, aut proponitur per phantaſiam. Ratio vero cur non poſſit habere alias cognitiones independenter à phantaſmatibus, quas poſſet habere in ſtatu ſeparationis eſt ordinatio Diuina, quæ ordinatio veriſimiliter habita eſt in pœnam peccati originalis.* Hæc concluſio eſt conformis *Doctori in* 2. *d.* 3. *q.* 6. ac doctrinæ à me ibidem traditæ. Ratio neceſſariæ conuerſionis intellectus ad phantaſmata.

*Probatur prima pars* : quia vt ſupra dixi, non dantur illæ ſpecies, & ex ſuppoſitione, quod non dentur, debet ex hoc ipſo capite recurri ſemper ad phantaſmata tanquam determinatiua intellectus ad has cognitiones potius quam ad illas.

*Probatur ſecunda pars*: quia quamuis dentur ſpecies illæ, poſſent eſſe tales naturæ, vt non ſint natæ producere cognitionem, niſi talem, quæ ex natura ſua intrinſeca petat obiectum proponi per phantaſiam, ſicut voluntas eſt nata producere volitionem, quæ petit obiectũ proponi per intellectum. Quod ſi hoc ita eſſet, neceſſario deberet intellectus ſemper conuertere ſe ad phantaſmata : quod autem ita ſit de facto colligitur ex eo, quod nõ poſſit ex ſuppoſitione ſpecierũ oſtendi quomodo melius ſaluetur iuxta naturam rerum illa neceſſaria cõuerſio intellectus ad phantaſmata, quam ita dicendo; ſed melius eſt ſaluare illam iuxta rerum naturas, quam recurrendo ad DEVM, quoties poteſt commodè ſaluari : ergo.

*Probatur denique tertia pars* : quia non poteſt aſſignari ex quo alio capite illa impotentia oriatur : non enim ex coniunctione animæ cum corpore: tum quia intellectus Beatorũ ſic intelligit res non obſtãte coniunctione illa: nec hoc debet adſcribi eleuationi alicui particulari, quæ fieret in illo ſtatu; tum quia non poteſt oſtẽdi quomodo coniunctio,

coniunctio cum corpore posset impedire tales operationes;quæ etiam ratio probat quod id non oriatur ex statu viæ;quia status viæ non ponit aliquid physicum,sed solum carentiam perfectionum,quæ superaddentur in statu patriæ,quæ carentia nihil facit ad propositum.

50. *Obijcies* contra secundam partem : si species de facto acquisitæ mediantibus phantasmatibus essent determinatæ ad producendas cognitiones repræsentatiuas obiectorum relucentium in phantasmatibus solummodo , sequeretur quod species hic acquisitæ non remanerent in anima separata , aut saltem quod non haberent aliquas operationes in illo statu , & consequenter quod ex recordationibus,quas habet anima separata,non possint colligi tales species.

*Respondeo primo*, concedendo totũ,nec id est inconueniens:quamuis enim recordetur rerũ gestarum in corpore,vt constat ex Euangelio in historia Epulonis : tamen illa recordatio posse oriri ex speciebus à Deo infusis.

*Respondeo secundo*,posse negari sequelã: nam quamuis illæ species possent determinare ad cognitiones terminatas ad obiecta,vt in phãtasmatibus proposita:possent tamen præterea determinare ad alias cognitiones,quibus eadem obiecta cognoscerentur alio modo:& non determinarent ad illas pro hoc statu propter illã ipsam rationem , propter quam intellectus ipse non potest habere tales cognitiones,siue mediantibus illis,siue mediãtibus aliis speciebus,nimirum ob pœnam peccati originalis,vt dicitur in tertia parte conclusionis. Videantur dicta in commentario supra citato, vbi hæc res fusiùs tractatur.

Cur pueri, amentes & dormiẽtes nõ sint capaces rationis.

51. *Quæres*,vnde oriatur quod pueri, amentes,& dormientes non discurrant, nec habeant cognitiones rationales sufficientes ad hoc vt voluntas eorum possit habere operationes bonas , & malas moraliter. Ratio dubitandi est, quod quandoquidem homines pro illis tribus statibus habeant operationes phantasticas,& quidem satis perfectas in somno;nihil vero aliud videatur requiri vt determinetur intellectus agens ad species impressas,si dentur , & intellectus patiens ad intellectiones , quam quod obiectum phantasticè proponatur : videtur sequi quod necessario debeat habere operationes rationales,& consequenter discursum : ex alia vero parte supponitur quod pueri ante determinatos annos non habeant vsum rationis,nec amentes,dum sunt tales;quod etiam supponitur de dormientibus , quibus propterea nulli actus, quos exercent,siue boni,siue mali,adscribuntur aut laudi, aut vituperio.

*Quod ad pueros attinet*, posset dici quod ipsi ante illos annos,quibus dicuntur ad vsum rationis peruenire,propterea non habeant illum vsum,quia organum phantasticum eorum non est dispositum sufficienter , vt possit producere tam perfectas operationes phantasticas,quam esset necessarium vt determinaretur intellectus ad cognitiones rationales ; nam sine dubio posset impediri vsus rationis hoc modo , & non constat quin sic impediatur ; vnde debet dici quod ita fiat,nisi alia melior via reperiatur.

*Posset dici etiam* , quod quamuis operationes phantasticæ sint etiam in pueris satis perfectæ & generẽt etiam in parte intellectiua species intelligibiles,& cognitiones sibi proportionatas non tamen propterea sequitur quod habeant vsum rationis ; quia non potest intellectus statim ex quibuscumque speciebus discurrere ; sed indiget multis speciebus,& applicatione particulari illarum tali vel tali modo ; non habent autem pueri ante aliquod determinatum tempus tot species, quot ad hoc requirerentur,nec proponuntur illo particulari modo:quemadmodum enim in addiscenda lingua aliqua progreditur quis paulatim , & licet habeat in se species multorum vocabulorum , non potest tamen statim iis omnibus vti tempore opportuno , sed ad hoc requirit vsum & praxim : ita etiam in vsu specierum posset contingere in intellectu.

52. *Rursus* , quemadmodum adulti non statim acquirunt,sed paulatim aliquam scientiam,& sunt aliqui conceptus obiectiui , qui non nisi cum difficultate ab ipsis percipi possunt, licet haberent omnes species simplices phantasticas ad hoc requisitas;ita etiam potest cõtingere quod pueri non haberent conceptus illos obiectiuos cognitos qui requirerẽtur ad cognitionem boni præsertim honesti , & mali ipsi oppositi ; ex hoc autem sequeretur quod non habent vsum rationis quãtum ad propositionem requisitam ad hoc,vt agerent bene,vel male moraliter , quamuis haberent vsum rationis sufficientem ad agendũ libere;quod si hoc ita esset,quando dicitur communiter,quod non habeant vsum rationis ante determinatos annos,v.g. septennium,aut circiter,hoc commodè posset intelligi non de vsu rationis quocumque , sed de vsu rationis sufficienti ad bene,& male agendum.

*Posset* denique prouenire ille defectus in pueris ex illo principio,ex quo prouenit in dormiẽtibus,de quo statim.

*Quod ad amentes attinet*,& idem est de ebriis,& iis qui ob alias indispositiones perdunt vsum rationis, defectus ille posset prouenire ex principio illo iam dicto, ex quo prouenit in dormientibus ; & posset vlterius prouenire ex eo quod per indispositiones organi, & partium interiorum confundantur species phantasticæ , sic vt non proponantur intellectui debito modo.

*Præterea*,quandoquidem potentia phantastica sit diuisibilis,qua parte includit organum corporeum,fieri posset quod operatio phãtastica debeat in aliqua determinata parte produci,vt determinetur intellectus,in qua parte tum produci non possit propter indispositiones illarũ infirmitatũ,licet in aliqua alia parte producantur.Posset denique fieri quod amentes,ebrij,& similes infirmi propter suas indispositiones non habeãt tam perfectas operationes phantasticas,quam requireretur vt posset determinari intellectus, sicut supra dictum est de pueris.

53. *Maior difficultas est de dormientibus*,in quibus operationes phantasticæ sunt perfectissimæ , & vt patet experientia,videntur proponi tam sufficienter ad determinandum intellectum ad cognitionem boni & mali,quam in vigilia.

Ego certe non inuenio vllam sufficientem causam,ex qua in huiusmodi impediri possit ratio, nisi recurrendo ad aliquam causam occultam ; nec id magis mirum est, quam quod non possit reperiri causa,ex qua oritur quod aliquando hæ species hoc ordine,aliquando aliæ occurrant;aliquando quando volumus recordari alicuius rei, etiam adhibita magna diligentia , id facere non possumus, aliquando vero possumus sine vlla difficultate.

An dormientes habeant cognitiones intellectuas.

*Addendum*, quod dubitari possit, an verum sit , quod hic supponitur,nempe dormientes non habere vsum rationis ; nam quantum ad experientiam potius videtur oppositum,videmur enim nobis discurrere in somno,& fugere quandoque malum , quandoque ipsum prosequi. Nec aliquid contra hanc experientiã magis opponi posse videtur,quam quod inde sequeretur quod voluntas peccare posset inter dormiendum,& quod motus aliqui inordinati,quos tum videmur experiri in nobis,essent peccaminosi,non solum quatenus in vigilia culpabiliter applicaretur causa , ex qua oriri possent , sed secundum se directè ; quod videtur esse contra sententiam communem Theologorum,& praxim fori confessionalis,in quo non habentur à Confessariis huiusmodi motus secundum se considerati pro peccatis.

Ad hoc autem dici posset,quod in somno duo genera motuum inordinatorum considerari possint:vnum eõrũ qui nõ dependent à volũtate sic,vt ipsos impedire possit, vt sunt delectationes partis sensitiuæ,& maxime pro illo statu, in quo voluntas nequit applicare potentias externas somno ligatas ad eos sedandos;& huiusmodi motus non deberent esse peccaminosi in somno excitati,quamuis voluntas,& intellectus essent expediti ad actus suos habendos , nisi quatenus voluntas libere complaceret in eis;sicut nec quando in vigilia, repugnãte voluntate, quandoque causantur. At alij motus sunt illi qui essent in ipsamet voluntate, vt volitio vindicandi se de inimico , complacentia de delectationibus sensitiuis excitatis in potentiis sensitiuis , & huiusmodi alij. Et dici posset, quod si quando experiremur in nobis tales actus , aut

videremur nobis illos experiri in somno, quod deberemus illos habere pro peccatis: nec hoc est contra praxim fori cõfessionalis, nam qui sunt timoratæ conscietiæ, solent cõfiteri tales motus, etiam cum non sunt certi, quod eos habeant, ad maiorem securitatem, & quia difficile est cognoscere postea in vigilia, an habeãtur vere in voluntate inter dormiendum tales motus voluntarij, propterea nõ habẽtur pro peccatis certis, & fortassis de iis intelligi posset illud Psal. 18. *Ab occultis meis munda me Domine*; non minus quam de iis quæ tradidimus obliuioni; sicut & etiam illi motus, quos habemus in vigilia, de quibus dubitamus an peccata sint, necne. Sed de hoc nihil concludo; sed solum propono rem aliis decernendam.

## QVÆSTIO VII.

*De natura intellectionis, seu cognitionis intellectiuæ.*

ADuertendum hic ante omnia, idem omnino seruata proportione resoluendum de natura reliquorum sensitiuorum, & appetitiuorum, quod resoluetur de intellectione; quia eadem prorsus est ratio de omnibus. Licet vero hanc quæstionem tam exactè, quam potui in commentario meo ad 1. *dist.* 3. *quæst.* 6. examinarim; tamen ne tam principalis pars in hoc etiam tractatu desit, eandem iterum hic repetam, seruata non solum eadem doctrinæ substantia, sed verbis etiam maiori ex parte, & paucis superadditis ad maiorem veritatis confirmationẽ.

*Prima sententia* est, intellectionem consistere in receptione speciei intelligibilis impressæ. Hæc est *Godfredi quodl.* 4. *Ægidij quodl.* 3. *quæst.* 12. & *Sueßani lib.* 5. *de intellectu, cap.* 9.

*Secunda sententia* est, eam esse veram actionem de prædicamento actionis, per quam nullus terminus producatur: ita sentiunt de intellectionibus intuitiuis, quas beati habent in patria de Deo, *Caiet.* 1. *part. quæst.* 27. *cum Ferrar. & Capreolo*, qui eandem sententiam tribuit *Aureolo* 1. *dist.* 2. quoad omnes intellectiones. Sed *Aureolus* nihil tale habet, & potius in 1. *dist.* 35. videtur tenere primam sententiam.

*Tertia sententia* est, quod sit qualitas de prædicamento qualitatis, per nullam actionem de prædicamento actionis, sed seipsa productam, distinctam à verbo mentis. Sic *Auersa quæst.* 75. *de anima, sect.* 3.

*Quarta sententia* est, eam consistere formaliter in actione de prædicamento actionis, per quã tamen semper aliqua qualitas distincta producatur, quæ sit verbũ mentis. Hanc sequuntur *Conimbric.* 3. *de anima, cap.* 8. *quæst.* 3. *art.* 3. *Monteßinus* 1. 2. *disp.* 3. *quæst.* 5. *Fonseca, Gonzales, & alij.*

*Quinta sententia* est *Hurtadi hic disp.* 6. *subsect.* 1. *Suarium, & alios*, sed immerito, pro se citantis, & existimantis intellectionem consistere formaliter in actione de prædicamento Actionis, passione de prædicamento Passionis, & qualitate per eas producta: ita vt illa tria sint de essentia, & ratione formali intellectionis.

*Sexta sententia* est *Complutensium hic disp.* 21. *quæst.* 3. tenentium eam consistere in qualitate seipsa producta absque actione distincta, & quæ sit tamen realiter distincta à verbo mentis.

*Septima denique sententia* est, quod consistat formaliter in qualitate, quæ qualitas producatur per actionẽ distinctam non minus, quam calor, aut frigus, & similia. Hæc est *Doctoris in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 6. *& suorum* communiter.

### CONCLVSIO I.

54. *Cognitio intellectiua non consistit formaliter in receptione speciei intelligibilis.* Hæc est communis omnium reliquarum sententiarum contra primam.

*Probari solet* authoritate *Augustini* 9. *de Trinit. cap. vlt.* dicentis quod à cognoscente, & cognito pariatur notitia: ergo non consistit formaliter in receptione speciei intelligibilis impressæ.

*Hæc quidem authoritas* probat, quod non consistat in illa receptione formaliter, nec etiã verisimile est aduersarios id velle. Sed non videtur probare, quod non cõsistat in ipsamet specie impressa recepta in intellectu, quod illis sufficit. Quod autem hoc non probet, suadetur, quia species impressæ producuntur ab intellectu, & obiecto, vt relucente in phantasmatibus: ergo quamuis notitia consisteret formaliter in illa specie, adhuc pareretur notitia ab obiecto, & cognoscente.

*Nihilominus* locus ille facit ad propositum, quia *Augustinus* loquitur vniuersaliter de omni notitia creata non solum humana, sed etiam Angelica: sed si notitia omnis cõsisteret in specie recepta, omnis notitia non pareretur à cognoscente, quia omnes species non producuntur ab intellectu; nam intellectibus Angelorum, vel omnes species, vt tenent *Thomistæ*, vel certe plurimæ infunduntur à solo Deo: ergo cum omnis cognitio pariatur secundum *Augustinum* à cognoscente, non debet consistere in specie impressa recepta, quod est intentum.

*Probatur secundo ratione*; quia non dantur species impressæ in aliquibus potentiis materialibus, vt dictum est suo loco, in quibus tamen reperiuntur cognitiones sensitiuæ; nec etiam dantur probabiliter in ipsamet potentia intellectiua pro hoc statu: ergo cognitio non consistit in speciebus receptis, sed in aliqua alia qualitate distinctæ rationis.

*Probatur tertio*, supponendo dari species impressas intellectiuas, quæ remanent aliquando in intellectu, sine eo quod intelligat per illas; quæ suppositio admittitur ab aduersariis, & alias non esset cum ipsis, nisi quæstio de nomine; nam illud, quod ipsi vocarent speciem impressam, esset quod nos vocamus intellectionem, seu speciem expressam. Hoc ergo supposito, sic argumentor: Dantur in intellectu species rerũ multarum, quas non intelligit, vt est euidens: ergo ab illis speciebus receptis non habet intelligere formaliter; quia si ab illis receptis haberet formaliter intelligere, aut si intellectio cõsisteret formaliter in illis receptis; nunquã posset illas habere receptas, quin formaliter per illas intelligeret, quia nunquam potest habere intellectionem formalem in se, quin formaliter intelligat, præsertim nisi per alias intellectiones nimium diuertatur, quod nõ necessario cõtingit in proposito, quia intellectus potest plures species habere, quando nihil intelligit, & quando consequenter per nullam intellectionem distrahitur, vt patet in dormientibus.

*Hoc argumento* coguntur aduersarij concedere intellectionem non consistere in quacumque receptione speciei, seu non sufficere, vt intellectus formaliter intelligat, quod habeat in se species impressas receptas; sed vlterius aliqui requirunt aliquem conatum potentiæ intellectiuæ, seu aliquam attentionem ipsius.

*Sed contra*, quia non potest potentia habere conatum, aut attentionem iam, quam ante non habuit, nisi aliquid habeat iam, quod ante non habuit: ergo quando potentia habens species receptas de non intelligente fit intelligens, & de non conante, aut attendente fit conans, aut attendens, debet esse aliquid in ipsa, quod ante non fuit, sed si admittatur aliquid aliud, in illo potius collocanda est intellectio, quam in specie recepta: ergo intellectio non consistit in specie recepta.

*Aureolus in* 1. *dist.* 35. respondet alio modo ad tertiam probationem, requiri quidem aliquid aliud vltra speciem receptam, nempe quod obiectum appareat.

*Sed contra*, quia obiectum habet apparere formaliter per ipsam cognitionem: ergo si vltra speciem receptam requiratur apparere obiectum; requiretur vltra speciem receptam cognitio, & consequenter cognitio non consistit formaliter in specie impressa recepta.

*Confirmatur*: quia non potest intelligi, aut explicari, quomodo obiectum, quod ante non apparuit etiam habita specie impressa recepta, postea appareat potentiæ, nisi dicatur aliquid esse in potentia, quod ante in ipsa non fuit: ergo ita dicendum est.

55. *Obijciunt* aduersarij, primo, authoritatem *Philosophi* 3. *de anima, cap.* 2. vbi dicit: *Vnus quidem est actus sensibilis, & sensitiui, esse autem alterum.* Quibus verbis intendit actum realem sensibilis obiecti esse eundem cum actu reali sensitiuæ potentiæ: sed actus realis sensibilis obiecti est species impressa: ergo illa est actus potẽtiæ sensitiuæ:

sed

sed actus potentiæ sensitiuæ est sensatio eius: ergo sensatio eius est species impressa in ipsa recepta, & consequenter intellectio, quæ est sensatio intellectus, consistet in specie intelligibili in ipso recepta.

*Respondet Ruuius* supra cum *D. Thoma in Commentario istius loci*, Philosophum loqui non de vnitate reali vtriusque actus sensibilis, & sensitiui, sed de vnitate subiecti istius actus, ita vt sensus sit, quod tam actus sensitiui quam actus sensibilis habeant idem subiectum, nempe potentiam sensitiuam; cum quo tamen stat illos actus esse distinctos realiter.

*Verum*, quidquid sit de hac responsione, quæ, si verba respiciuntur, omninò dura est; sicut esset durus modus loquendi, dicere quod actus calefactiui, & siccatiui esset vnus, quando producerent siccitatem, & calorem in eodem subiecto.

*Respondeo aliter*, concedendo dicta *Aristotelis* in sensu formali, & reali: nam siue loquamur de specie impressa, illa potest dici actus sensitiui, quatenus ipsum perficit & complet in ordine ad producendam sensationem; & est actus sensibilis, quatenus ab illo producitur; siue loquamur de specie expressa, seu sensatione, illa etiam est actus sensibilis, quatenus ab illo producitur; vel immediate, vel mediante specie sua: & est pariter actus sensitiui, non solum quatenus ipsum actuat, & perficit, sed etiam quatenus ab ipso procedit effectiuè. Minorem autem distinguo, actus sensibilis est species impressa tantummodo, nego: actus eius est illa species, sed non tantum, concedo. Et similiter distinguo consequens, Distinguo etiam subsumptum illud: Actus potentiæ sensitiuæ est sensatio eius. Omnis actus eius est sensatio, nego: aliquis actus, concedo, & nego consequentiam.

*Obijcies secundo*, intellectus intelligit quando fit similis obiecto; sed fit similis obiecto per hoc quod recipiat speciem intelligibilem impressam: ergo per hoc intelligit.

*Respondeo*, distinguendo maiorem, quando fit similis obiecto per similitudinem expressam eius concedo; per similitudinem impressam, nego. Distinguo etiam minorem, fit similis per hoc, quod recipiat speciem impressam similitudine expressa, nego; impressa, concedo: & nego consequentiam.

*Et si quæratur*, cur esse similem vno modo sufficiat potius quam altero?

*Respondeo* id colligi ex fundamentis nostræ cõclusionis per quæ patet non sufficere ad hoc, vt intelligat intellectus, quod recipiat speciẽ impressam, atque adeo nõ sufficere ad hoc vt intelligat, quod habeat similitudinẽ quãcumque, quam possit dare ipsi ista species in ipso recepta.

## CONCLVSIO II.

Nulla intellectio cõsistit in actione, per quam nullus terminus producitur.

59. *Intellectio nulla neque abstractiua, neque intuitiua consistit in actione vera, & proprie dicta de prædicamento actionis, per quam nullus terminus producatur.* Hæc est communissima sententia Philosophorum, ac Theologorum contra secundam sententiam.

*Probatur primo* ex *Doctore supra* §. *Præterea actionis*: & §. *Quod autem non sit actio*: quia omnis actio de prædicamento Actionis, debet habere terminum per ipsam productum: ergo implicat dari actionem de prædicamento Actionis, quæ talem terminũ non habet, & consequenter intellectio non potest consistere in tali actione.

Probatur antecedens, quia per hoc distinguitur prædicamentum Actionis à cæteris prædicamẽtis omnibus, nec vllus alius conceptus actionis, vt sic, assignari potest, quo distinguatur ab illis, quam quod dicatur esse determinatio actualis, essentialiter faciens causam actiuam producentem actu aliquid: ergo essentialiter dicit ordinem ad terminum per illum producendum.

Probatur hoc vltimum antecedens, quia alias non posset assignari quomodo distingueretur ab aliqua specie qualitatis.

*Dices*, actionẽ distingui posse ab omni specie qualitatis per hoc quod esset determinatio actualis ad terminum.

*Contra*, vel intelligis hoc de termino vt sic, abstrahendo à termino per eum producto, vel de termino producto: si secundum dicis, habemus intentum: si primum, contra est, quia sic omnis determinatio actualis ad terminum, esset de prædicamento actionis, quod patet esse falsum, nam vbi intrinsecum est determinatio ad terminum, & tamen non est de prædicamento actionis.

*Probatur secundo* conclusio contra *Caietanum*, quia intellectio vt sic, potest dari absque termino per eã producto, vt ipse asserit, quia admittit aliquam intellectionem absque termino producto: ergo & omnis. Probatur cõsequentia, quia qua ratione intellectus per aliquã intellectionẽ sine termino per eam producto posset intelligere, eadẽ ratione posset per omnem: ergo nulla deberet habere terminũ productum; ideo enim deberet aliqua habere, quia alias per eam nõ posset intelligere intellectus.

*Probatur antecedens*, impugnando disparitatem, quam assignat *Caietanus*, dicẽs propterea intellectionem intuitiuam sufficere absque termino producto, qui esset verbum mentis, seu species expressa: quia tum obiectum ipsum secundum se est realiter præsens intellectui; species autem requiritur tantum, quando non est sic præsens, vt per eam constituatur præsens intentionaliter.

*Contra hanc disparitatem*, quia præsentia quæcumque obiecti, quæ requiritur in quacumque cognitione, est præsentia præcedens ipsam cognitionem: ergo per nullam cognitionem debet produci aliquid, quo constituatur vllo modo præsens.

*Confirmatur*: præsentia realis obiecti quando requiritur ad aliquam cognitionem, debet præsupponi ipsi cognitioni: ergo præsentia intentionalis debet præsupponi cognitioni, ad quam requiritur ad ponendum obiectum vllo modo præsens.

*Contra* eandem disparitatem secundo: quando ipsum obiectum est præsens, videtur non per seipsum formaliter, sed per ipsam cognitionem sine termino producto per illam: ergo sic etiam posset videri, quando esset absens, quamuis nihil produceretur.

Probatur consequentia, quia non esset potior ratio cur obiectum absens posset videri mediante termino producto per cognitionẽ, quàm mediante ipsamet cognitione, si per cognitionem posset videri quando esset præsens.

57. *Dices*, cognitionem debere terminari ad aliquid præsens; vnde quando obiectum non est præsens realiter, debet esse præsens intentionaliter, vt terminet cognitionem; sic autem esse non potest præsens, nisi producatur species expressa per cognitionem.

*Contra*, quia producta specie expressa, obiectum absens realiter fit præsens intentionaliter ita sufficiẽter, vt possit terminare intellectionem, & vt vere cognitio actu terminetur ad illud: ergo, quamuis non produceretur illa species distincta à cognitione, posset esse sic præsens.

Probatur consequentia, quia si aliquid impediret, maxime quia vt esset intẽtionaliter, seu intelligibiliter præsens, & dum abesset realiter, requireretur præsentia realis alicuius, in quo contineretur intelligibiliter, & ad quod terminaretur realiter cognitio: sed absque specie expressa producta per cognitionem haberetur aliquid tale præsens realiter: ergo si cognitio in vllo casu potest sufficere, vt intellectus videat, poterit semper.

Probatur minor, quia species impressa, quæ est gerens vicem obiecti, est sic præsens, & nihil impedit quo minus possit supplere omne illud, ad quod poneretur species expressa producta per cognitionem: ergo, &c.

58. *Dices*, speciem impressam non esse similitudinem expressam obiecti, & formalem, sed virtualem tantum, & propterea eam non sufficere.

*Contra*, quia si id quod dicitur similitudo expressa, & formalis, non dicatur esse actualis cognitio obiecti (vt communiter dicitur esse) hoc gratis dicitur.

*Deinde* tam conuenit ipsi esse talis similitudo, quam speciei, aut qualitati vlli productæ per cognitionem.

*Denique* non est ratio cur requiratur similitudo expressa, aut formalis, si species impressa, aut ipsa cognitio non sit talis.

*Dices secundo*, per speciem impressam fieri obiectum præsens, tanquam principium intelligendi, non vero tanquam obiectum.

*Contra*, quia si potest fieri præsens, tanquam obiectum per speciem cognitione productam, nihil impedit quo minus sic dicatur fieri præsens per speciem impressam: vtrumque enim munus non repugnat speciei impressæ. Quemadmodum enim ipsum obiectum, quando est realiter præsens, habet vtrumque munus respectu cognitionis intuitiuæ, ita etiam speciei impressæ potest competere vtrumque munus respectu cognitionis abstractiuæ. Et sane per hoc, meo iudicio, conuincitur esse superfluam speciem vllam, quæ produceretur per cognitionem, si vnquam cognitio potest sufficere ad cognoscendum absque specie producta per ipsam: vnde prædicta disparitas, & sententia *Caietani* in ea fundata, nec probabilitatem quidem habere videtur.

59. *Contra illam disparitatem, & sententiam tertio*, quia pro illo priori, quo antecedit cognitio speciem, seu qualitatem illam in absentia obiecti productam, intellectus est cognoscens; absurdum enim videtur esse cognitionem in intellectu pro aliquo instãti, quin per ipsam pro eodem cognoscat: ergo non requiritur aliqua qualitas posterior ipsa cognitione, vt dicatur cognoscens, & consequenter nullo modo requiritur talis qualitas distincta à cognitione, & per ipsam producta, neque in absentia, neque in præsentia reali obiecti.

*Quartt denique* contra *Caietanum* facit, quod si intellectio sit actio de prædicamẽto actionis vt debet esse, si per eam vnquam producitur verbum mentis, semper debet necessario habere terminum productum; actualis enim determinatio alicuius ad aliud semper debet esse talis, vt patet ex doctrina communi de relationibus & modis.

Fundamentum aduersariorũ esse potest, quod intellectio sit actio immanẽs, & operatio, & quod distinguatur ab actione transeunte, per hoc quod transiens relinquat opus post se, & consequenter habeat terminum; immanens vero non relinquato opus post se, & consequenter non habet terminum. Quod discrimen vtriusque desumitur ex *Philosopho 9. Metaph. tex.* 19. dicente: *Quorũ non est alius opus præter actionem, in ipsismet actio, vt visio in videnti speculatio in speculante, & vita in anima*: ergo intellectio non habet terminum per ipsam productum.

*Respondeo primo* hinc sequi contra *Caietanum*, quod nunquam habeat terminum productum.

*Respondeo secundo*, concedendo totum: sed inde non sequitur quod consistat in actione de prædicamento Actionis non habente terminum per ipsam productum. Itaque si capiamus actionem immanentem pro ipsa intellectione, seu specie expressa, quam intellectus in se producit: illa quidem non habet terminum productum, nec est de prædicamento Actionis: si vero per actionem immanentem intelligamus actionem, per quam agens illam speciem producit, illa habet terminum, & est de prædicamento Actionis, vt patet. Cætera fundamenta proponemus infra, contra nostram sententiam.

## CONCLVSIO III.

Intellectio non cõsistit in qualitate seipsa producta.

60. *Intellectio non consistit in qualitate quæ seipsa producatur ab intellectu sine actione media: & si esset talis qualitas à parte rei, adhuc quod haberet talem rationem, est impertinens ad rationem ipsius, quatenus intellectio est.* Prima pars est communis contra tertiam sententiam, quam probabilem censet *Suarez* & *Hurtado*: secunda vero pars est nullius, quod sciam.

*Probatur prima pars*, quia si seipsa ingrederetur ab intellectu absque ratione distincta, non posset produci absque concursu intellectus à solo Deo, nec qualitas illa, quæ est in vno intellectu, posset poni in illo intellectu: sed hoc videtur falsum, quia nulla prorsus apparet aut assignari potest ratio tam necessariæ connexionis inter intellectum & illam qualitatem absolutam, quæ est similitudo expressa obiecti, ratione cuius non posset produci à solo Deo absque concursu intellectus, aut transmiti ab vno intellectu ad alium intellectum.

*Confirmatur hoc*: quia quamuis aliquæ formæ seipsis egrediantur à suo obiecto, vt actio, tamen hoc ideo fit, quia alias daretur processus in infinitum, nisi sisteretur in aliqua tali, & sequeretur manifesta contradictio, si illa forma in qua sisteretur, poneretur in rerum natura absque illo obiecto, ex quo egrederetur. Quæ contradictio potest colligi ex natura ipsius & fine, ad quem ponitur: sed in proposito nostro non sequeretur processus in infinitum ex eo, quod qualitas illa, quæ est intellectio, producatur media alia actione, & non dicatur egredi seipsa: neque ex natura ipsius quatenus intellectio est, aut finis, ad quem ponitur, potest colligi, quod sequeretur vlla contradictio, si poneretur extra subiectum, aut si mutaretur ab vno subiecto in aliud: ergo non debet dici quod seipsa egrediatur à suo subiecto.

*Confirmatur secundo*, quia calor non egreditur seipso ab igne, aut ab vllo alio subiecto, à quo producitur: ergo neque intellectio. Antecedens admittitur ad aduersarios. Probatur consequentia: quia ideo dicitur de intellectione, quod egrediatur seipsa, quia alias multiplicarentur entia sine necessitate: & ideo multiplicarentur entia sine necessitate, quia non est implicantia, quod intellectio seipsa absque actione superaddita egrediatur, aut producatur ab intellectu: sed eodem modo posset dici, quod non sit implicantia, quod calor seipso egrediatur à quocumque subiecto, à quo producitur: ergo posset dici, quod egrediatur seipso; aut si hoc non dicatur non potest dici quod intellectio seipsa egrediatur.

61. *Dices*, calorem produci de facto in subiecto, à quo non potest egredi effectiuè, v.g. in aqua, quæ non videtur habere virtutem effectiuam caloris: ergo non egreditur seipsa effectiuè ab omni suo subiecto, & si non egrediatur ab omni, non debet ab vllo.

*Contra*, quia sicut potest recipi in subiecto aliquo, à quo effectiuè producatur media actione vt admittunt aduersarij, licet etiam posset recipi in alio subiecto, à quo effectiuè non producitur: ita etiam, posset seipsa egredi ab aliquo subiecto, licet ab alio subiecto, in quo reciperetur, non posset recipi.

*Contra secundo*, quia calor ille qui egreditur seipso à subiecto à quo efficitur, non producitur in subiecto à quo non efficitur, sed alius calor: sed ex eo, quod alius calor sic producatur, non sequitur quod productus à suo subiecto non egrediatur seipso.

*Dices*, illos calores esse eiusdẽ rationis, & consequenter, sicut alius calor poterat produci in subiecto à quo non efficitur, ita posset etiã quicumque calor in illo produci.

*Contra*, quia calores non magis sunt eiusdem rationis, quam intellectiones eiusdem obiecti, ex eodem motiuo: sed hoc non obstante secundum aduersarios intellectio proueniens ab vno intellectu non potest prouenire ab altero, quia scilicet seipsa egreditur ab vllo intellectu: ergo similiter posset dici, quod quamuis calores essent eiusdem rationis, tamen calor egrediens ab vno subiecto, non posset poni in alio, & posset æque dici quod hoc proueniret ex diuersitate indiuiduali istorum calorum, quemadmodum dicitur de intellectionibus.

62. *Dices*: accidentia absoluta Eucharistica, quæ subiectabantur ante in pane, & physicè ab ipso producebãtur, manent absque pane: ergo non egrediebantur seipsis à pane, quia si egrederẽtur sic, nõ possent absque pane conseruari: sed eadem ratio est de ipsis, ac de calore, & quibuscumque aliis similibus accidẽtibus absolutis: ergo nõ debet dici quod calor seipso egrediatur ab vllo subiecto.

*Contra*, si secludamus mysterium Eucharistiæ, eandem rationem habemus dicendi, quod illa accidentia egrediebantur seipsis, ac id dicendi de qualitate, quæ est intellectio: ergo quantum ad rationem naturalem æque deberemus dicere quod intellectio posset, vel non posset conseruari absque suo subiecto, ac de illis qualitatibus: & ergo vlterius si ex mysterio Eucharistiæ habemus, quod illæ qualitates possent conseruari absque subiecto, ex quo emanant, aut producũtur, & consequenter, quod non egrediantur seipsis, sed media actione, eodem modo debemus id colligere de qualitate intellectionis; quotiescumque enim quantum ad rationem naturalem idẽ dicendum est de pluribus, si aliquid præter rationem naturalem miraculosè contingit circa vnum, debet dici simile quid miraculosè posse contingere circa reliqua:

&

& hinc optime deducitur, quod si frigus possit cõseruari miraculose absque subiecto, idẽ dicendum sit de calore.

*Probatur secundo*, quia si qualitas intellectionis seipsa produceretur à potentia, illa qualitas, quæ à sola potẽtia procedit, non posset procedere ab habitu & potentia, nec qualitas procedens à potentia, & habitu simul concurrentibus posset procedere à sola potentia; sed hoc est absurdum, quia sic habitus requireretur ad suos actus simpliciter, & non tantum ad melius esse.

63. *Respondet* ad hoc *Auersa* dupliciter: primo concedendo sequelam, & negando minorem, ac admittendo sequelam probationis.

*Verum*, quandoquidem Philosophi communiter existimant inconueniens esse, quod habitus naturalis requiratur simpliciter ad actus suos, nisi constet oppositum aliqua vrgenti ratione, non debet asseri: non habet autem *Auersa* talem rationem.

*Deinde* non apparet vlla differentia inter actus quorum vnus procederet à potentia & habitu, & alter à sola potentia, ratione cuius vnus essentialiter postularet prouenire ab habitu, & alter non.

*Præterea*, si esset talis differentia, actus qui procederet à sola potentia, non deberet producere habitum illum, qui esset determinatus ad producendum alterum actum diuersæ rationis à seipso.

*Respondet secundo* negando sequelam, quia licet actus vitalis seipso egrediatur à potentia vitali, tamen non debet seipso egredi ab aliis causis: vnde potest eadem qualitas, quæ seipsa egreditur ab intellectu, aliquando prouenire ab habitu, aliquando sine habitu.

*Contra*, quia quotiescumque est actio totalis sufficienter productiua alicuius effectus, non debet poni alia actio respectu ipsius in vlla causa: sed si qualitas intellectionis seipsa producitur ab intellectu, & specie sufficienter, quoties sic producitur, ponitur actio totalis sufficiens, & necessario producens, nimirum ipsamet qualitas, quæ seipsa habet tationem actionis totalis, quandoquidem seipsa debeat tum necessario egredi, nulla alia posita actione: ergo non debet poni alia actio ad ipsam terminata. Sed quotiescumque habitus posset ad ipsam concurrere, debet intellectus, & species sic proponi, vt ipsa necessario deberet seipsa egredi, quamuis non esset habitus: ergo non debet poni actio aliqua correspondens habitui, nec potest poni naturaliter, quia superflueret; nec etiam supernaturaliter in sententia *Scoti* negãtis duas causas totales posse dari respectu eiusdem effectus, aut vnam totalem, & alteram partialem.

60. *Fundamentum præcipuum Auersæ*, & aliorum aduersariorum est, quod non repugnet qualitatem illam seipsa egredi, & quod si non diceretur sic egredi, multiplicarentur entia sine necessitate: ergo id dicendum est.

*Confirmatur*: quia id dicendo saluatur differentia inter qualitates vitaliter productas, & nõ productas vitaliter, nimirum quod illæ seipsis producantur, hæ vero nõ ita.

*Respondeo* negando antecedens, tam enim id repugnat, quam calorem sic egredi, & non magis multiplicarentur entia sine necessitate, asserendo illam qualitatem produci mediante actione distincta, quam id asserendo de calore.

*Ad confirmationem respondeo* talem differentiam non debere poni inter qualitates vitaliter productas, & non productas vitaliter: & propterea ad saluandam illam differentiam non debet dici, quod actus vitales seipsis producantur.

Doctrina Complutensium.

*Complutenses* Carmelitæ conuenire videntur cũ *Auersa disp. 21. de anima q. 4.* vbi dicunt dictionem non esse aliam operationem ex æquo distinctam ab intellectione, sed esse ipsammet intellectionem cum modo quodã, seu formalitate modali superadditam, quem modum, seu formalitatem ponunt non vt producatur ipsamet intellectio, sed potius vt intellectio producat verbum. Pro qua doctrina citant plures authoritates *D. Thomæ*.

*Sed in primis* si tanti res esset, facile esset ostendere nullo modo fauere ipsis dictas authoritates.

*Deinde* postea ostendemus, quod dicunt de verbo producto per intellectionem, quæ esset qualitas absoluta, male fundari.

*Tertiò denique* quod asserunt dictionẽ non distingui ex æquo ab intelligere, sed solum esse modum quemdã ipsi superadditum, si per hoc intelligunt, quod non habeat tantam distinctionẽ ab intellectione ex hypothesi quod intellectio producat verbum, quantam habet actio vlla à sua causa, omnino falsũ est; quia est eadem ratio ponẽdi æqualem distinctionem actionis à sua causa vel subiecto, ac dictionis ab intelligere, vt discurrenti patet.

Rursus quamuis intelligere produceret verbum, tamẽ dictio, quæ esset productio, non deberet esse modus ipsius intelligere, sed ipsius verbi, in *Thomistarum* sententia, qui ponunt actionem ex parte termini.

65. Sed examinemus etiam rationes, quas adducunt ad probandam hanc suam doctrinam. Itaque *probant primo* verbum procedere ab intelligere, & consequẽter dictionem, quæ dicitur verbum, non esse distinctam ab intelligere, seu intellectione: verbum procedit à notitia rei intellectæ: ergo ab intelligere.

Probatur antecedens primo, quia hoc ipso, quo nihil intelligatur, nihil potest intellectualiter dici: ergo verbum procedit ab intelligere.

*Secundo*, quia præcisè per hoc, quod producatur verbum, habet res intellectu esse intellecta: ergo verbum procedit ex notitia rei intellectæ.

*Tertio*, quia de ratione verbi mentalis est, quod procedat ab intellectu, tanquam terminus suæ operationis; sed operatio adæquata intellectus est notitia rei intellectæ.

*Quarto* denique, quia Verbum diuinum procedit ex cognitione essentiæ diuinæ: ergo verbum creatum procedit ex aliqua cognitione.

*Respondeo* negando antecedens: nam potius verbum est ipsa notitia rei cognitæ.

*Ad primam probationem*, nego consequentiam; quia nõ ideo nihil dicitur, si nihil intelligitur, quod id quod dicitur procedit ab intelligere, sed quod id quod dicitur, sit ipsamet intellectio.

*Ad secundam probationem*, nego etiam consequentiam ideo enim res intellecta habet esse talis præcise, per hoc quod producatur verbum; quia ipsum verbum est intellectio.

*Ad tertiam probationem* distinguo maiorem; tanquam terminus suæ operationis, quæ est dictio, seu actio productiua intellectionis, & notitiæ genitæ, concedo; tanquam terminus operationis, quæ est qualitas, nego maiorem. Distinguo etiam minorem, operatio quæ est qualitas, concedo: operatio quæ est dictio, seu actio de prædicamento actionis, nego.

*Ad quartam probationem*, distinguo antecedens, tanquam ex ratione formali producendi, nego: tanquam ex aliqua perfectione præsupposita necessario, transeat; & nego consequentiam; quia ad verbum creatum non debet præsupponi notitia, neque tanquam ratio formalis, neque tanquam perfectio necessario competens suppoto ante productionem verbi.

*Probant secundo* dictionem esse modificationem intellectionis, quia per hoc, quod intellectio producat verbum, non infertur specialis aliqua habitudo intellectionis ad obiectum: ergo talis productio addit modificationem tantum, & non nouam speciem intellectionis.

*Respondeo* negando antecedens; quia per hoc, quod producat verbum, colligitur quod sit distinctæ speciei ab intellectione non producente, cùm illa, quæ non producit, debeat esse abstractiua; altera, quæ producit, intuitiua: abstractiua autem cognitio sine dubio distinguitur specie ab intuitiua. Deinde si concederetur totum, non sequeretur quin dictio distingueretur tantum ab intelligere, quantum vlla actio à suo subiecto, vel causa.

Ad intellectionem impertinens est quod seipsa egrediatur.

*Probatur secunda pars* conclusionis: quia quamuis seipsa egrederetur illa qualitas, hoc tamen non esset necessarium, vt intellectus per illam intelligeret: nam si per impossibile non egrederetur seipsa, sed produceretur ab intellectu actione distincta, adhuc intellectus intelligeret per illam: ergo quod sic egrediatur est impertinẽs

ad rationem formalem ipsius,quatenus intellectio est.

*Confirmatur* per dicenda conclusione sequenti.

## CONCLVSIO IV.

66. *Intellectio non consistit formaliter in actione sola, per quam intellectus producit qualitatem illam in se, quam habet quando intelligit; neque actio illa, aut passio est de ratione formali intellectionis, sed sola qualitas est intellectio formaliter loquendo.*

*Probatur prima pars*,quod scilicet non consistat in sola illa actione,ex *Doctore* §. *Quod autem non sit actio.* Intellectio est vltima perfectio intelligẽtis, qua intellectiuus est: ergo non consistit in actione productiua termini. Antecedens patet, quia eo ipso,quo intelligeretur intellectus reductus ad actum secundum perfectum intellectionis alicuius obiecti,quamuis nihil aliud intelligeretur aduenire ipsi, intelligeretur vltimatè compleri in ordine ad tale obiectum.

Probatur consequentia, quia nulla actio de prædicaméto Actionis productiua termini,potest esse,aut intelligi vltima perfectio rei cuius est,quia omnis talis essentialiter ordinatur ad terminum per eum producendum, qui terminus si perficiat agens,erit potius vltimata perfectio eius,quam ipsamet actio ad ipsum ordinata,vt patet; si vero non perficiat agens, tum nec actio erit perfectio agentis;sed potius erit perfectio illius, quod recipit terminum productum,aut ipsiusmet termini producti, si producatur in seipso.

67. *Quod si dicas* intellectionem,aut alios actus immanentes nõ posse esse vltimam perfectionem agentis per p sos,quandoquidem per ipsos producantur habitus.

*Respondet Doctor primo*, ex hoc ipso probari, quod intellectio non possit esse actio,quia actus immanẽtes non sunt productiones habituum, eo modo, quo actio de prædicamento Actionis est productio sui termini, quandoquidem sæpè habeantur, cum non producatur habitus(vt cum habitus est summe intensus, aut cũ actus est longe remissior,quam habitus ante acquisitus,secundum aliquos)& semper haberi possent,si Deus nunquam vellet concurrere ad productionem habitus;sed producunt habitus per modum principiorum actiuorum,aut dispositiuorum,habentium virtutem productiuam,aut dispotiuam in actu primo. At actio de prædicamento Actionis est productio tantum sui termini, & non est causa productiua eius: ergo si actus immanentes producunt habitus, non sunt actiones de prædicamento Actionis.

*Confirmatur*,actio de prædicamento Actionis est relatio secundum veriorem *Scotistarum* sententiam,aut modus secundum recentiores; sed nec relatio, nec modus potest habere virtutem productiuam qualitatis realis, qualis est habitus:ergo si actio immanens producit habitum non potest esse actio de prædicaméto Actionis.

*Respondet secundo*, habitum non posse esse terminum intrinsecum, ad quem per se ordinetur intellectio, tum quia,vt dictum est, intellectio potest haberi sine habitu sequente;tum quia ipsimet habitus ordinantur ad aliam intellectionẽ,& tandem sistitur in aliqua intellectione, quæ non indigeat habitu;vnde potius intellectio est vltimus terminus,& vltima perfectio intellectus, quã habitus:cuius etiam indicium est,quod si posset haberi intellectio perfectissima,& perfectissimo modo sine habitu, sufficienter perficeretur intellectus per illã:sed si haberetur habitus perfectissimus, & perfectissimo modo, sine intellectione,nõ sufficiẽter perficeretur intellectus: ergo intellectio potius est vltima perfectio,quã habitus;

68. *Probatur secundo quoad eandem partem*, quia si ipsamet actio de prædicaméto Actionis esset intellectio,nullum haberet effectum qualitas sequens:sed est absurdum ponere aliquã qualitatẽ absque aliquo munere, vel effectu:ergo cognitio nõ cõsistit formaliter in illa actione.

Probatur sequela,quia nullus effectus tribui potest ipsi, nisi in ordine ad constituendum intellectum intelligentem; sed hoc habet formaliter ab intellectione.

*Dices* intellectionem non posse esse sine illa specie, quæ est terminus eius,& consequenter esse necessariam illam qualitatem,vt sit intellectio.

*Contra*,quia hinc sequeretur non esse necessariã qualitatem illam,nisi in ordine ad hoc,vt habeatur ista actio quæ est formaliter intellectio:& non habente aliud munus; sed hoc est absurdum: ergo nulla responsio.

Probatur subsumptum,quia vniuersaliter potius actio est in ordine ad terminum,& ad hoc,vt sit terminus,quã terminus in ordine ad hoc vt sit actio:vnde si terminus non esset proficuus,nec actio esset proficua:ergo terminus debet habere aliquem effectum distinctum ab hoc, quod est terminare actionem,aut adesse,vt sit actio.

*Probatur tertio conclusio quoad omnes partes*:quia ipsamet qualitas secundum se est similitudo expressa obiecti, & conceptus formalis ipsius; sed nihil prorsus requiritur ad rationem formalem intellectionis,præter illud quod requiritur formaliter ad illam similitudinem, & conceptum: actio autem, & passio licet requirantur ad ponendam illam qualitatem in esse, tamen non requiruntur tanquam quid formaliter pertinens ad illam similitudinem: ergo non sunt intellectio,nec de ratione formali intellectionis,& consequenter sola qualitas illa est intellectio.

69.*Probatur quarto*,quia de ratione formali intellectionis,vt sic, non est actio,vt patet in intellectione diuina: ergo nec de ratione formali intellectionis creatæ.

Probatur consequentia, quia nihil debet dici esse de ratione intellectionis in particulari supra id,quod est de ratione intellectionis,vt sic, nisi quod sufficit ad discriminandam intellectionem in particulari ab omni alia intellectione, quæ comprehenditur sub intellectione,vt sic; sed quæcumque intellectio particularis sufficienter distinguitur à quacumque alia intellectione absque eo, quod dicatur includere tanquam rationem formalem constitutiuam sui actionem illam, aut passionem ipsi correspondentem:ergo non debet ipsam includere.

*Probatur quinto*, quia nihil prorsus impedit,quo minus illa qualitas redderet intellectum formaliter intelligentem,quamuis non produceretur ab intellectu vlla ratione, modò vniretur ipsi per inhæsionem, vt postea dicetur amplius:ergo illa actio non est intellectio,nec de ratione formali intellectionis, quia si esset,non posset intellectus esse intelligens absque illa.

70. *Vt autem vitetur quæstio de nomine*, quæ posset esse hic,aduertendum,intellectum intelligere nihil aliud esse,quam quod percipiat obiectum sensibiliter tali modo,quo sentimus nos percipere obiecta illa,quæ dicimus nos intelligere: nec aliquid prorsus requiritur ad intellectionem, præter id quod requiritur ad hoc. Vis ergo huius rationis consistit in hoc, quod nihil impediat quo minus ab illa qualitate sola habeat intellectus intelligere hoc modo.

Ideo autem aduerti hoc,quia aliquis posset accipere ly *intelligere* pro eo quod esset intellectionem in se producere, & ly *intellectio* pro conceptu producto ab intellectu,ita vt non solum significaret conceptum,sed etiam ipsius productionem;& in hoc sensu intelligere diceret formaliter actionẽ,& actio esset de conceptu formali intellectionis;& qui negaret intellectionẽ hoc modo capi posse,solum haberet quæstionẽ de nomine cum illis qui id assererent. Ad vitandum ergo hanc quæstionem, & æquiuocationem,in qua etiam peiorem sane partem habent, qui asserunt intellectionem hoc modo capi posse, & ad examinandam quæstionem, quæ posset esse de re, aduerte per intellectionem intelligi à me, & ab omnibus debere intelligi in quæstione præsenti, illud à quo formaliter habet intellectus percipere obiectum sensibiliter modo supra explicato.

*Obiicies* pro *Conimbricensibus*.Intellectio est assimilatio quædam inter intellectum, & obiectum, ratione cuius *Philosoph.3. de anima,tex.16.* ait *intellectum in actu*, id est, intellectum actu intelligentem, *fieri ipsam rem cognitam.* Et inde etiam *August.14.de Trinit.c.17.*dicit visione beatificata intellectum perfecte assimilari Deo, iuxta illud *2. Ioan.3. Cum apparuerit,similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*: ergo per intellectionem Dei necessario producenda est similitudo expressa Dei, & consequen-

ter

ter intellectio est productio talis similitudinis.

*Respondeo* negando consequentiam, sed potius sequitur, quod ipsamet intellectio sit expressa Dei similitudo; id enim magis conueniet prædictis authoritatibus.

*Obiicies secundo* pro *Hurtado*. Intelligere est quoddam pati, ex Philosopho supra: ergo includit passionem formaliter.

*Respondeo* negando consequentiam, quia eatenus solum dicitur quoddã pati, quia est denominatio formalis proueniens à forma intrinseca; non vero ex eo, quod intellectio, à qua oritur illa denominatio, debeat includere formaliter passionem, magis quam calor includit.

*Obiicies tertio* pro eodem. Intellectio est vita in actu secundo: ergo includit actionem, per quam qualitas illa producitur.

Probatur consequentia, quia vita in actu secundo est id, quod facit viuens in actu primo viuere formaliter in actu secundo; sed vel actio, qua producitur illa qualitas, est quæ hoc facit, vel certe includitur in eo, quod id facit: ergo illa actio, vel est intellectio, vel includitur in ratione formali intellectionis.

*Respondeo* negando consequentiam cum minori suæ probationis; quia quamuis non esset illa actio, modo esset illa qualitas, redderetur illud, quod erat viuẽs in actu primo, viuens in actu secundo. Verum quidem est, quod per actionem illam de facto reddatur viuens in actu primo, viuens in actu secundo, sed causaliter tãtum, & effectiue, quatenus scilicet per illam producitur qualitas illa quæ est vita in actu secundo, & quæ formaliter facit viuens in actu primo esse viuens in actu secundo; nõ vero per actionem redditur viuẽs in actu secundo formaliter ita, quod ipsamet per communicationem formalem sui faciat ipsum viuens in actu secundo. Itaque sicut, licet per productionem caloris in se aliquid fit calidum, tamẽ illa productio non est de intrinseca ratione caloris, nec constituit illud subiectum calidum formaliter loquẽdo, secundum omnes: ita licet per productionem qualitatis in se intellectus redderetur intelligens, & viuens in actu secundo, tamen illa productio non debet esse de intrinseca ratione intellectionis, aut vitæ in actu secundo, quia est eadem prorsus ratio de vtroque.

72. *Obiicies quarto*, Philosophus 10. *Ethicorum, cap.* 3. ait: *Nec enim virtutis operationes qualitates sunt, neque felicitas*; sed operationes virtutis, & felicitatis sunt actones immanentes intellectus, & voluntatis: ergo tales actiones non sunt qualitates, & consequenter intellectio non est qualitas.

*Confirmatur*, quia *idem Philosoph. 9. Metaphys. 9. & 1. Magnorum moralium vlt.* diuidit veram, & propriã actionem in transeuntem, & immanentem: ergo vtraque est vera actio de prædicamento Actionis, & consequenter intellectio, quæ est secundum omnes actio immanens, erit de prædicamento Actionis, non Qualitatis.

*Respondeo primo* Philosophum non tam asseruisse, quã supposuisse ex sententia eorum, quorum ibi argumento respondebat operationes virtutis non fuisse qualitates, & tamen fuisse bonas; vt inde ostenderet non valere ratiocinationem eorum inferentium, quod voluptas non esset bona, quia non erat qualitas: nam cum operatio virtutum secundum ipsos fuisset bonum quid, quamuis non esset qualitas; voluptas etiam posset esse bonum, licet non esset qualitas.

*Respondeo secundo*, quamuis absolute vellet illas operationes non esse qualitates, id intelligendum de qualitatibus diu, & perseueranter permanentibus in esse, aut de qualitatibus conseruatiuis, aut corruptiuis.

*Ad confirmationem dico*, duo reperiri in potentiis vitalibus atque operãtibus, quæ possent vocari actus immanentes; vnum est ipsa dictio, per quam producitur species expressa; alterum est ipsa species expressa. Si ergo de prima loquamur, concedo actionem vt sic, de prædicamento Actionis diuidi vniuoce in immanẽtem, & transeuntem; & has vtrasque propterea esse proprias actiones de prædicamẽto Actionis. Si autẽ loquamur de secundo, quod vocatur actio immanens, nego actionem vt sic, diuidi vniuocè in immanentem, & transeuntem; & consequenter nego immanentem debere esse de prædicamento Actionis.

Vnde in forma distinguo antecedens, loquendo de actione immanenti, quæ est actus potentiæ vitalis: diuidit actionem vt sic, in actionem immanentem, & transeuntem diuisione vniuoci in vniuocata, nego, æquiuoci in æquiuocata, vel analogi in analogata, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Actio quæ est intellectio non conuenit vniuoce cum actione vlla de prædicamento actionis.

73. *Et si quæras*, an actus vitalis sit proprie dicta actio.

*Respondeo* esse quæstionem de nomine, & ad propositum præsens sufficere quod non sit proprie dicta actio de prædicamẽto actionis, siue secundũ alium conceptum sit proprie dicta, siue non. Sed quia probabile est, quod ratio, cur vocetur actus immanens actio seu operatio, est propter proportionem, quam habet specialẽ cum actione de prædicamento actionis: quæ proportio consistit in hoc, quod quemadmodum actio de prædicamẽto actionis est in ipsomet agẽte (vt *Scotistæ* tenent) & depẽdet in esse & fieri ab ipso, vt agens est, & habet virtutem actiuam, estque determinatio illius ad aliud: Hinc probabilius censeo actum immanentem non vocari proprie actionem, quia quæ analogicè & propter proportionem quam habent cum alia re, dicuntur talia, non proprie sic dicuntur, alias prata dicerentur propriè ridere, dum florent, contra omnes.

*Obiicies secundo*: sequeretur quod intellectio esset terminus productus per actionem intellectus, sicut calor est productus per calefactionem. Sed hoc est absurdum, quia illa actio intellectus esset intellectio, esset enim actus potentiæ intellectiuæ.

*Confirmatur primo*, quia ad actionem non datur actio: ergo intellectio non producitur per actionem, & consequenter erit actio de prædicamento actionis.

*Confirmatur secundo*, quia per intellectionem producitur verbum mentis; ergo est actio de prædicamento actionis.

*Respondeo* negando minorem cum sua probatione: neque enim esset actus intellectus, sed potius actio intellectus. Quod si etiam dicenda esset actus intellectus, tunc falsum esset quod omnis actus intellectus esset intellectio; sed solus iste actus ipsius esset talis, qui esset qualitas.

*Ad primam confirmationem*, distinguo antecedens, ad actionem de prædicamento actionis, concedo; ad actionem de prædicamento qualitatis, nego antecedens & consequentiam: quia intellectio est actio de prædicamento qualitatis.

*Ad secundam confirmationem* dico, nobis nõ facere difficultatem, quia negamus antecedẽs: intellectio enim est ipsum verbum, quoties habetur verbum in intelligente: *Complutensibus* autem faceret difficultatem illa cõfirmatio, concedentibus intellectione produci verbum, sed nobis pro ipsis respondendi cura non est sumenda.

## QVÆSTIO VIII.

### *A quo producatur illa qualitas intellectionis.*

### CONCLVSIO I.

Intellectio de facto producitur ab intellectu.

74. *De facto illa qualitas producitur ab intellectu.* Hæc est communissima inter omnes qui illam admittunt, tam eos, qui dicunt quod seipsa egrediatur effectiue ab intellectu, quam eos etiam qui dicunt quod producatur per actionem à se distinctam.

*Probari solet*, quia alias non esset actus vitalis nec immanens, quia ad huiusmodi actus requiritur quod producantur à principio in quo recipiuntur.

*Verum hæc probatio* non sufficit, quia si ad actum vitalem & immanentem requiratur quod producantur à suo subiecto, æque incertum erit intellectionem esse actum vitalem ac immanentem, ac ipsum produci ab intellectu, vnde in hac probatione obscurum per æque obscurum probatur.

*Deinde* quidquid sit de ratione actus immanentis, pos-

set habere rationem actus vitalis, quamuis non produceretur nec peteret etiam produci ab intellectu, sicut intellectio diuina habet rationem actus vitalis absque tali productione, aut producibilitate, quod confirmabitur vlterius per dicenda.

*Probatur aliter*, quia dum intelligimns, attendimus obiecto cum quodam conatu, & inde fit quod fatigemur ex nimia speculatione; sed illa attentio & conatus nequit explicari absque actione potentiæ.

*Verum meo* iudicio neque hæc etiam probatio sufficit. *Primo*, quia Deus ipse attendit obiectis, quæ intelligit absque productione vlla, per ipsammet intellectionem improductam quam habet: ergo similiter posset intellectus creatus attendere obiectis intellectis per ipsammet intellectionem formaliter, siue illa producatur ab ipso, siue non, modo ipsi inhæreat: ergo ex attentione non colligitur sufficienter productio.

Conatus & attētio intellectus nō arguit efficientiam.

*Deinde* neque ex conatu illo, ex quo fatigatur, potest collgi illa efficientia, quia ille conatus & fatigatio non oritur ex efficiētia intellectus: ergo ex alio capite oritur: sed illud aliud caput posset adesse absque efficiētia: ergo ex conatu illo & fatigatione nō colligitur efficiētia illa.

Probatur antecedens, quia intellectus producit species intelligibiles secundum omnes admittentes ipsas, easque conseruat semper in se effectiue, & tamen per hoc non fatigatur, neque adhibet conatum aliquem ex quo sequeretur ista fatigatio: ergo ex efficientia non sequitur ille conatus qui fatigat.

*Confirmatur* hoc, quia nō est rationabile quod ex productione & conseruatione vnius intellectionis pro vna hora, fatigetur potentia magis quam ex productione & conseruatione tot mille specierum impressarum, quas habet: ergo si non habet fatigari per cognitionē, id non oritur ex productione cognitionis, sed ex natura ipsiusmet cognitionis, vel ex alio aliquo capite; sed eadē natura intellectionis esset, quamuis non produceretur, & similiter posset esse quodcumque aliud caput, ex quo illa fatigatio oriri possit absque illa productione: ergo ex productione non oritur fatigatio, & consequenter ex fatigatione non potest bene colligi illa productio.

Vnde oritur fatigatio intellectus in intelligēdo.

75. *Si quæras autem*, vnde oriatur illa fatigatio, vel conatus ille fatigans.

*Respondeo*, quod si daretur in Angelis & anima separata, oriatur formaliter ab ipsamet cognitione, quæ respectu intellectus finiti & limitati habet fatigare, si diu cōseruetur. Si vero non detur in illis, quod mihi magis placet; tum non oritur ex cognitione formaliter, sed ex alteratione aliqua physica corporis orta ex cōcursu spirituum vitalium ac animalium ad phantasiam, seu sensum internum dum conseruatur illa cognitio.

*Dices*, Scotus 1. *d.* 3. *q.* 7. *n.* 17. probat ex conatu potentiæ, & attentione, quod habeat actiuitatem: ergo contra ipsum est negare quod id colligi possit.

*Respondeo* negando antecedens in sensu præciso & formali. Itaque ex attentione quam habet potētia de nouo, colligitur quod aliquid habeat de nouo, & ex probatione statim proponenda optime colligitur illud nouum produci à potentia; & hoc tantum vult *Scotus*.

*Melius ergo probatur conclusio*, auctoritate *Augustini*, qua probata est prima conclusio quæstionis præcedentis & præterea quia illa qualitas, per quam intelligit intellectus, debet produci ab aliqua causa secunda, neque enim ad Deum debet recurri semper ad productionem ipsius: sed non est vlla causa, cui potius productio ipsius debeat ascribi, quàm intellectui: ergo.

Probatur minor, quia nulla causa alia potest assignari præter phantasmata & species impressas; sed non potest produci à phantasmatibus solis, quia est spiritualis & perfectior phantasmatibus; neque producitur à speciebus intelligibilibus solis, tum quia hæ probabiliter non dantur, tum quia sunt imperfectiores cognitione; quæ etiam ratio probat, quod non producatur à phantasmatibus, & speciebus simul sumptis.

*Confirmatur*, quia esse productiuum cognitionis, est perfectio quæ nulla ratione disconuenit intellectui: ergo debet dici, quod ipsi conueniat.

*Confirmatur secundo*: ex eo colligimus quod aqua producat in se frigus postquam semel est calefacta; quia videmus frigus in ipsa produci, & non apparent aliæ causæ secundæ, à quibus producatur; nec est inconueniens quod illa virtus actiua tribuatur aquæ ad acquirendam perfectionem tam conuenientem sibi, quam est frigus: sed has omnes rationes habemus ad probandum quod intellectus producat in se intellectionem: ergo.

## CONCLVSIO II.

Phantasmata concurrūt ad producēdā intellectionē.

76. *Intellectus solus non est causa illius qualitatis, sed cum eo concurrit phantasma, vel immediate si non dentur species impressæ intelligibiles, vel ijs mediantibus, si dentur.* Hæc etiam est communis.

*Probatur*, tum quia repræsentationes speciales tam diuersorum obiectorum, quæ intelliguntur, non possunt refundi in ipsum intellectum, qui est eiusdem rationis, tanquam in causam totalem; tum quia sine dubio requiruntur vel ipsa phantasmata, vel species eorum, ad determinandum intellectum ad has cognitiones potius quā illas: sed ex suppositione quod requirantur, potius debet dici, quod requirantur per modum causæ partialis effectiuæ quam alio modo: ergo.

*Dices*: non magis requiritur species aut phantasma ad intellectionem, quam obiectum propositum ad volitionem: sed ex hoc nó sequitur quod obiectum propositum requiratur, tanquam causa partialis effectiua ad volitionem: ergo neque ex illo, quod obiectum aut phantasma aut species concurrant ad intellectionem.

*Et si dicas* quod non possit ostendi quomodo possit requiri phantasma aut species, nisi per modum causæ efficientis, quandoquidem habeant determinare potentiam, & nó proponuntur ipsi obiectiue ante ipsammet cognitionem; nam per cognitionem formaliter proponuntur; possit vero ostendi quomodo obiectum propositum requiratur ad volitionem, quamuis non concurrat effectiuè; quia scilicet suppositō quod non proponatur, iam voluntas habet obiectum circa quod possit versari actus eius, si ipsam velit producere.

*Contra*, quia quamuis hoc posset tollere quo minus prima apprehensio dicatur causari à solo intellectu, tamen manet adhuc difficultas de iudicio supponente apprehēsionem: nam sicut dicitur de voluntate, quod non depēdeat ab obiecto proposito tanquam à concausa effectiua; sed tanquam à termino sine quo proposito non posset habere volitionem: ita posset dici de intellectu respectu intellectionis iudicatiuæ.

*Hæc difficultas* tolleretur, si teneretur quod voluntas non esset causa totalis sui actus. Quæ sententia mihi satis probabilis est. Tolleretur etiam, si diceretur quod intellectus esset causa totalis iudicij. Sed supposita sententia communioti, de qua postea in disputatione de voluntate, & quod intellectus non sit causa totalis vllius sui actus;

*Respondendum* est intellectum non prærequirere apprehensionem obiecti, aut obiectum propositum solum per modum conditionis sine qua non, aut obiecti circa quod debet habere actum; quia non est inconueniens quod dependeat ab obiecto etiam tanquam à causa partiali; & quia quandoquidem non possit esse causa totalis apprehensionis, quæ est actus imperfectior quam iudicium, non videtur quod possit esse causa totalis iudicij.

## CONCLVSIO III.

Intellectio potest produci à solo Deo.

77. *Licet intellectio connaturaliter loquendo petat produci ab intellectu, potest tamen absque concursu effectiuo intellectus produci à solo Deo.* Hæc quoad primam partem est communissima, & quoad secundam est *Scotistarum* omnium cum *Doctore variis locis*, quos sequitur *Arriaga*, non solum contra eos, qui dicunt eam esse qualitatem seipsa productam ab intellectu, & eos, qui dicunt quod consistat in actione, aut quod includat actionem essentialiter: sed etiam contra *Vasq.* 1. 2. *disp.* 9. *Kuuum hic*, & alios, qui nobiscum tenent, quod sit qualitas producta per actionem distinctam, & non includentem essentialiter actionem.

*Probatur*

*Probatur prima pars*, quia non potest assignari vlla alia causa sufficiens, à qua connaturaliter posset produci absque concursu intellectus: & quia quotiescumque producitur, debet intellectus esse præsens & applicatus sufficienter ad ipsius productionem: ergo petit connaturaliter ab ipso produci, nam quando aliquis effectus producibilis ab aliqua causa nunquam producitur nisi in circumstantiis, in quibus illa causa est sufficienter applicata ad eius productionem, debet dici quod exigat connaturaliter ab illa causa produci: si enim non exigeret, posset aliquando naturaliter produci in circumstantiis, in quibus illa causa non esset applicata sufficienter.

*Solum contra* hanc conclusionem potest obiici, quod *Doctor in* 2. asserat intellectum vnum posse producere intellectionem in intellectu alterius merè passiuè se habentis: ergo naturaliter potest produci intellectio non concurrente intellectu intelligente.

*Sed quidquid sit* de illa doctrina, quæ mihi semper visa est difficilis, & mente *Doctoris*, quam in tractatu de Angelis in alio sensu explicaui.

*Respondeo* iam sufficere ad hanc partem conclusionis, quod nunquam producatur intellectio, nisi concurrente aliquo intellectu efficienter: hoc autem admittitur etiam in prædicta doctrina.

Actio causæ secundæ non potest produci, aut egredi à solo Deo.

78. *Probatur secunda pars* contra illos alios, qui non tenent nostram sententiam de natura intellectionis per illa principia, quibus improbaui ipsorum sententiam, & probaui nostram; neq; enim alio modo impugnati possunt, cùm certum sit, si eorum sententia esset vera, intellectionem non posse produci à solo Deo, actio enim causæ secundæ non potest à solo Deo produci, aut emanare, nec aliquid, quod seipso egreditur instar actionis à causa secunda, quia sequeretur manifesta contradictio, nempe quod esset, & non esset actio causæ secundæ, & quod emanaret, & non emanaret seipso à causa secunda: sequeretur enim quod esset actio, & quod emanaret seipso ex hypothesi: ex alio vero capite, quod esset absq; causa secunda, sequeretur, quod non emanaret seipso, quia quod sic emanat, nequit esse quin sic emanet.

*Probatur eadem pars* contra alios qui tenent nostram sententiam de natura intellectionis; quia Deus potest supplere qnamcumque causalitatem effectiuam causæ secundæ se solo, efficiendo quidquid effici potest à causa secunda, quia hoc arguit perfectionem in ipso, nec aliâ ob causam potest se solo producere calorem, & similia, quæ aduersarij fatentur ab ipso solo produci posse.

*Confirmatur*: intellectus non habet vllam causalitatem respectu illius qualitatis, quæ est intellectio, nisi effectiuam, & materialem extrinsecam, talem scilicet, qualem habet subiectum respectu accidentis in se subiectati, & ex eius potentia educti; sed Deus potest huiusmodi causalitates supplere, vt patet in exemplo de calore, quem potest producere absque subiecto.

*Deinde* quamuis non posset supplere causalitatem illâ materialem, non inde sequitur quiu possit supplere causalitatem effectiuam intellectus: neque enim illæ duæ causalitates habent necessariam connexionem in eodem subiecto, vt patet ex eo, quod multa habent materialem absque efficienti, vt constat in materia prima, respectu formarum substantialium, & in aqua respectu caloris, & in oculo respectu speciei visibilis impressæ.

*Probatur secundo*: quia Deus potest facere quidquid non implicat contradictionem; sed quod ille solus producat effectiuè qualitatem intellectionis in intellectu merè passiuè se habente, nou implicat contradictionem: ergo.

Probatur minor, quia si implicaret, maximè ex eo, quod esset, & non esset actus vitalis, aut immanens; quod esset quidem ex hypothesi, quod non esset ex eo, quod actus talis prouenire debeat à potentia, cuius est actus; sed ex hoc nõ implicat, tum quia si non possit esse actus vitalis, aut immanens nisi necessario deberet prouenire à principio intrinseco, in quo subiectaretur, non deberet esse actus vitalis, aut immanens, nec est aliqua ratio vnde colligatur esse talis, & ex fundamentis conclusionis colligeretur sufficientissimè oppositum; tum quia quamuis requireretur, quod sic produceretur, id non deberet requiri de potentia absoluta, sed sufficeret quod connaturaliter exigeret sic produci, quamuis supernaturaliter posset alio modo produci; tum denique, quia posset habere rationem actus vitalis per hoc quod per eum perciperet intellectus obiectum; ad hoc autem est impertinens quod ita producatur, vt supra dictum est.

80. *Obijcies*: per hoc per intellectus intelligat, potest colligi quod sit viuens in actu primo, & quod distinguatur à non viuentibus: sed hoc esset falsum nisi produceret intellectionem: ergo necessario in omni casu debet producere intellectionem.

*Probatur minor*, quia viuens in actu primo, per hoc distinguitur à non viuentibus, quod possit producere in se aliquam perfectionem vltra illam, quam connaturaliter petit pro instãti suæ productionis; ergo si per hoc, quod habeat intellectionem, in quocumque casu colligatur viuere, debet producere intellectionem in omni casu.

*Respondetur* distinguendo maiorem: colligi potest quod sit viuens in actu primo secundum cõceptum cõmunem ipsi & viuentibus omnibns creatis, nego maiorem; secundum conceptum communem, ipsi & omnibus viuentibus cognoscitiuis, concedo maiorem; & similiter distinguo minorem: sed falsum posse colligi inde quod viuat secundum conceptum communem omnibus viuẽtibus creatis, concedo minorem: secundum conceptum communem solis viuentibus cognoscitiuis, nego minorem, & consequentiam.

Ad probationem minoris distinguo antecedens: viuẽs in actu primo secundum conceptum communem omnibus viuentibus creatis, transeat antecedens: secundum conceptum vitæ solis & omnibus viuentibus cognoscitiuis communem, nego antecedens, & similiter distinguo consequens.

*Dices*: homo habet viuere vt intelligens est, vtroque conceptu: ergo debet producere intellectionem.

*Respondeo* distinguendo antecedens: vt intelligens est intellectione à se producta, transeat antecedens: intellectione à se non producta, nego antecedens. Itaq; per hoc quod homo intelligat præcisè, habet viuere vita communi Deo & omnibus viuentibus cognoscitiuis; per hoc autem, quod habet producere in se illam intellectionem quæ non debetur ipsi pro instanti generationis, & est tamen perfectio ipsius, habet viuere vita communi ipsi & omnibus viuentibus creatis. Quando autem ex his duabus rationibus vna ab altera separatur, tum viuit secundum conceptum separatum.

## QVÆSTIO IX.

### *An intellectio possit produci extra omne subiectum, & in alio subiecto quam in intellectu.*

### CONCLVSIO I.

Intellectio potest produci extra omne subiectum.

81. *POtest produci extra omne subiectum.* Hæc est conformis principiis *Scotisticis* duarum præcedẽtium conclusionum, & *Probatur*, quia non habet vllam depẽdentiam ab vllo subiecto, nisi in genere causæ efficientis & materialis extrinsecæ: sed illæ dependentiæ possunt suppleri à Deo, vt patet in accidentibus Eucharisticis, quæ non obstante quod dependeant à suo subiecto efficienter & materialiter in genere causæ materialis extrinsecæ, conseruantur à solo Deo.

*Probatur secundo*, quia non potest assignari aliqua implicantia.

### CONCLVSIO II.

Potest poni in alio subiecto quã intellectu.

*Potest intellectio poni in alio subiecto quam intellectu de potentia absoluta, vt in voluntate, quamuis hæc distingueretur realiter ab intellectu, & etiam in lapide, si non repugnet hoc ipsi ratione spiritualitatis.* Quam limitationem addo vt abstrahatur à difficultate alia, an forma spiritualis possit inhærere subiecto materiali: quæ difficultas est distincta à præsenti difficultate, quia hic agimus de repugnantia speciali, quam haberet intellectio quatenus est actus immanens

immanens & vitalis:& sensus conclusionis est, quod ex hoc capite non repugnat ipsi, quicquid sit, an repugnet ipsi ex aliis capitibus, sed neque ex spiritualitate etiam id repugnare ipsi docui in *Physica*.

*Probatur conclusio*, quia non repugnat ipsi poni extra omne subiectum, vt conclusione præcedenti ostensum est: ergo neque repugnat ipsi poni in alio quocumque subiecto;quia tam est contra rationem vitalitatis,& immanentiæ ipsius poni extra omne subiectum quam in alieno subiecto: ergo si potest extra omne, potest in alieno.

*Confirmatur*,quia non potest ostendi aliqua repugnantia:ergo Deus id potest facere ex principio vulgari,quod Deus possit facere quidquid non implicat contradictionem.Antecedens ostenditur soluendo implicantias,quas solent aduersarij adferre.

82.*Prima est*,quod non implicet intellectionem dicere ordinem essentialem ad suum subiectum, sic vt non posset in alieno produci, sicut Vbi dicit ad rem vbicatam: si autem diceret talem ordinem;sine dubio implicaret eam poni in alieno: & licet etiam non haberetur implicantia,cur non diceret talem ordinem, tamen potius debet dici quod cum habeat,quia sic euadetur facile difficultas proponenda paulo post, quomodo scilicet voluntas aut lapis non possint intelligere.

*Respondetur* negando maiorem: cum enim sit forma omnino absoluta, potius censendum est, quod implicet eam dicere talem ordinem, tum quia sic magis saluatur quomodo sit absoluta, tum quia aliæ formæ absolutæ, de quibus est eadem ratio, non dicunt talem ordinem: tum quia dicendo illum, magis relinquitur in potestate diuina ipsam producere vel non producere, provt placuerit in hoc, vel illo subiecto:tum denique quia vel non sequeretur voluntatem aut lapidem intelligere, si intellectio produceretur in ipsis, vt statim dicam: vel certe id non esset inconueniens.

83. *Secunda implicantia* est, quam iam tetigi, quod sequeretur voluntatem ac lapidem intelligere posse, quia effectus formalis permanens intellectionis est facere suum subiectum intelligens,& consequenter nequit esse in aliquo, cui talem effectum non tribuat.

*Et si dicas* quod facere intelligens est effectus formalis ipsius,non tamen respectu cuiuscumque subiecti,sed respectu intellectus tantummodo.

*Contra est*,quia effectus formalis primarius nihil aliud est, quam communicatio sui ipsius absque productione alicuius alterius, sed intellectio producta in oculo, aut lapide esset tam intimè communicata ipsi: & idem est de quocumque altero subiecto eius immediato,ac est de facto intellectui:ergo omnem effectum formalem,quem habet respectu intellectus, haberet respectu voluntatis, aut alterius subiecti,in quo immediatè inhæreret.

*Confirmatur*,effectus formalis eius significatur per intelligere, & intelligere nihil aliud est, quam habere intellectionem in se subiectatam: sicut nec esse album est aliud quam habere albedinem in se subiectatam;sed voluntas & oculus, in quo produceretur intellectio, esset habens intellectionem:ergo esset intelligens.

*Confirmatur secundo*, quia si poneretur albedo in cælo, connaturaliter incapaci eius, cælum esset album: ergo quamuis voluntas esset connaturaliter incapax intellectionis,adhuc esset intelligens,si per potentiam absolutam poneretur intellectio in illa,& idem esset de lapide.

84.*Dices* effectum formalem aliquando dependere ab aliqua conditione particulari ex parte subiecti,quæ conditio, si non adsit, quamuis forma sit in subiecto, non dabit illi suum effectum formalem:ergo ex eo,quod intellectio poneretur in lapide non sequeretur quod lapis esset intelligens.

Probatur antecedens,quia effectus formalis personalitatis est facere personam,& tamen in ordine ad dandũ hunc effectum exigit ex parte naturæ singularis, quam personat,conditionem intellectualitatis. Vnde quamuis personalitas diuina assumeret naturam irrationalem,nõ tamen faceret cum ipsa personam, sed suppositum, quia scilicet illa natura non esset intellectualis, sicut debet esse illa,cum qua facere possit personalitas personam.

*Sed contra*,quia ideo personalitas non facit personam cum quacumque natura,quam afficit,quia denominatio personalitatis est denominatio extrinseca deriuata ab ipsa natura intellectuali,& non significat effectũ aliquẽ particularẽ ex se præcisè conuenientem isti formæ, quæ sic vocatur;vnde non est mirum quod non habeat cõstituere personam,nisi cum natura intellectuali,à qua sola accipit istam denominationem.Quod si ista denominatio personalitatis esset intrinseca ipsimet, & significans effectum aliquem conuenientem ipsi ex natura sua, eodem modo diceretur quod deberet facere personã quãcumque naturam,quam afficeret sine dependẽtia ab aliqua conditione particulari ex parte subiecti, sicut diceretur quod intellectio deberet facere intelligens quodcumque subiectum, in quo inhæreret:per quod patet, exemplum de personalitate non facere ad propositum. Quod autem personalitas non tribuat aliquem effectũ formalem à parte rei naturæ intellectuali ex se,quẽ non tribuit naturæ irrationali, patet,quia nullum alium effectum tribuit naturæ intellectuali, quam vltimo complere ipsam,& facere ipsam incommunicabilem: sed sic compleret naturam irrationalem,& faceret ipsam incõmunicabilem,vt patet:ergo non requirit personalitas in ordine ad effectum quemcumque,quem ex se formaliter tribuit,vllam conditionem particularem ex parte naturæ,quam afficit, vnde ex hoc exemplo

85.*Confirmatur tertio* pars negatiua præmissa,nimirum quod intellectio posita in lapide faceret ipsum intelligentem:quia sicut personalitas communicat cuicumque naturæ, quam afficit, necessario effectum suum primarium,qui est complere ipsam vltimate, aut facere ipsam incommunicabilem: ita etiam à pari intellectio debet communicare effectum suum formalem cuicumque subiecto,cui inhæret,atque adeo debet facere ipsum intelligens.

*Confirmatur idem quarto*, quia quando quæritur an lapis habens intellectionem esset intelligens,per ly *intelligens* non possumus intelligere intellectum habentem intellectionem, quia sic non posset esse controuersia, & quæstio esset nugatoria.Sed sensus verus & realis est,an illa forma, quæ vocatur intellectio, ex se faciat aliquid circa intellectum,quod non faciat ex se circa lapidem,si poneretur in illo. Sed videtur omnino quod non faciat, quia non facit formaliter aliquid nisi communicando se,communicat autem se lapidi, si sit in lapide,non minus quam intellectui,nec potest Deus impedire quo minus sic se communicet,si sit in ipso: vnde communiter dicitur quod Deus nequeat suspendere effectum primarium causæ formalis inexistentis subiecto.

*Confirmatur quinto*,quia non potest ostendi,cur absurdum sit lapidem intelligere,si admittatur intellectionem posse poni in eo: sed omnes merito existimant id esse absurdum: ergo non est asserendum quod intellectio poni possit in eo.

86.Vt soluatur hæc implicantia,*Dicendum est* intellectionem non facere intelligens actu suum subiectum, nisi quatenus illud per eam percipit obiectũ intellectionis; non potest autẽ subiectum intellectionis percipere obiectum per eam, nisi quatenus percipit aliquo modo ipsammet intellectionem:sed intellectionem nõ poterit percipere vllo modo,nisi habeat virtutem perceptiuam per eam, vnde quamuis intellectio ponatur intrinsecè inhærens alicui subiecto, v. g. voluntati,aut lapidi, quia tamen hæc subiecta non habent in actu primo virtutem perceptiuam per intellectionem, propterea non intelligent per intellectionem. Itaque effectus formalis intellectionis respectu cuiuscumq; subiecti, in quo est inhæsiue,est communicatio sui ipsius; sed hic non est à quo formaliter habet quid esse intelligens;vnde esse intelligẽs non est esse habens intellectionem;sed effectus formalis eius,quo constituitur aliquid intelligẽs,est determinatio subiecti ad percipiendũm per ipsam:hanc autẽ determinationem nequit præstare,nisi subiecto habenti

Soluitur prædicta ratio & quæstio.

virtutem

virtutem perceptiuam per illam, qualem cum solus intellectus habet, solum intellectum potest facere intelligentem, & percipientem formaliter.

*Confirmatur hæc doctrina*: quia intellectio diuina licet intimè identificetur voluntati diuinæ, non facit tamen formaliter voluntatem intelligentem;nec volitio diuina,licet intimè identificetur intellectui realiter,facit intellectum volentem formaliter:nam hæ propositiones in sensu formali sunt falsæ:Intellectus diuinus vult formaliter: Voluntas diuina intelligit formaliter. Et inde sequitur Filium non posse dici produci formaliter per voluntatem,nec Spiritum sanctum per intellectum. sed huius non est alia melior ratio,quam quod voluntas nõ sit intellectiua formaliter in actu primo;nec intellectus volitiuus: ergo vt aliqnid dicatur, & sit intelligens formaliter, oportet ipsum esse intellectiuum formaliter in actu primo,& natũ percipere per intellectionem,& consequenter,quamuis intellectio inhæreret voluntati, non potest tamen constituere ipsam formaliter intelligentẽ.

87. *Confirmatur secundo*, quia Deus non dicitur formaliter intelligens ex eo,quod producat intellectionem in se,cum reuera ipsam non producat,nec ex eo, quod habeat sibi identificatam intellectionem,quia sic voluntas diuina posset dici formaliter intelligẽs;sed ex eo à priori, quia habet intellectum, & intellectionem ipsi applicatam sufficienter:ergo vt quid dicatur intelligere,debet habere intellectum,aut esse intelligens,& vlterius debet habere intellectionem sibi applicatam.

*Confirmatur tertio*,quia intellectus creatus non colligitur intelligere ex eo quod producat intellectionem in se. *Primo*,quia vt supra dixi,quamuis Deus eam produceret se solo in intellectu,intellectus intelligeret. *Secundo*, quia Deus ipse intelligit per intellectionem non productam à se. *Tertio*,quia scimus nos intelligere experiẽtia, cum tamen non experiamur nos producere in nobis intellectionem effectiuè, sed ad id probãdum vtamur operoso discursu,& adhuc fortè non demonstremus cõcursum effectiuũ intellectus,idque à multis Philosophis negetur,licet minus probabiliter;ergo si maneret talis immutatio formalis, qualem sentimus, sine efficientia alicuius rei per intellectum,potuissemus colligere quod intelligeremus:sed nihil impedit quo minus talis fiat immutatio,quamuis Deus ipse suppleret efficientiam intellectus respectu intellectionis:ergo vt intelligamus formaliter,non requiritur talis efficientia. *Quarto* denique quia intellectus producit in se speciem intelligibilem, & tamen non intelligit per illam:ergo non potest colligi quod intelligat ex eo quod producat aliquid in se.

*Dices*, non ex eo quod producat aliud quàm intellectionem,id colligi.

*Contra*, quia quæro quando producit intellectionem, cur dicitur producere intellectionem, & non dicitur producere intellectionem quando producit speciem.

88. *Dices*,quia illa forma quam producit,dum dicitur intelligere, & producere intellectionem, est distinctæ rationis ab ea, quam producit quando dicitur producere speciem intelligibilem.

*Sed contra iterũ*, quia quæro vnde colligitur quod istæ formæ sunt diuersæ rationis:nou ex eo quod intellectus producat aliquo modo vnam, quo non producit alterã, cum vtramq; producat in se:nec etiam ex eo quod producat vnam non vitaliter, nimirum speciem impressam intelligibilem,& alteram,nempe intellectionem, vitaliter;tum quia non satis probatur quin vtraq; productio sit æquè vitalis,nisi quatenus vna diceretur vitalis à termino,& altera non, quia non haberet talem terminum: vnde prius deberet cognosci distinctio terminorum,quã posset colligi quod vna produceretur vitaliter, & altera non.Tum præterea,quia duæ intellectiones colliguntur distingui inter se,quamuis vtraque producatur vitaliter, & simili omnino quoad omnia modo:ergo non ex productione colligitur diuersitas istarum formarum:sed ex eo colligitur diuersitas speciei intelligibilis ab intellectione, quod alio modo formaliter immutent potentiã, seu ex eo quod potentia sentiat per formam,quæ dicitur intellectio, & non sentiat formaliter per formam quæ dicitur species intelligibilis;& ex eo colligitur diuersitas vnius intellectionis ab alia,quod sentiat potentia per vnam aliquid,quod non sentit per alteram:ergo per hoc præcisè quod sic immutaretur formaliter potentia, & sic sentiret per formam, diceretur intelligere, quamuis non produceret effectiuè illam formam;& consequenter non habet intelligere formaliter intellectus creatus per hoc quod producat effectiuè intellectionem.

*Dices*, non posse intellectum immutari formaliter per intellectionem, nisi quatenus produceretur per ipsum.

*Contra*, quia si non habet immutari potẽtia per ipsammet actionem effectiuam formaliter,sed vlterius vt immutetur, requirat inhæsionẽ qualitatis, quæ dicitur intellectio,gratis dicitur,quod sola qualitas non immutaret sic intellectum:nam nõ magis difficile est quod immutaret illa forma intellectum totaliter in genere causæ formalis, quam quod immutaret ipsum partialiter:ergo si debet dici, quod immutet partialiter, vt certè debet, quia alias frustra requireretur,omnino dicendũ est quod immutet totaliter, & quod actio productiua intellectus requiratur tantum vt ratio formalis productiua ipsius, non vero vt conditio, aut causa partialis alio modo requisita ad determinationem intellectus. Ex quibus satis probatur propositio prima assumpta in hac confirmatione:vnde ex ea infero hanc aliam:ergo forma,quæ est intellectio, habet vim aliquam formaliter determinatiuam intellectus,sic, vt faciat intellectum percipientem, & consequenter cum non posset habere talem vim, nisi intellectus haberet in actu primo virtutem perceptiuam correspondẽtem, sequitur quod quamuis intellectio poneretur in voluntate,vel in lapide, non faceret illa actu intelligentia,vel percipientia.

89. Iuxta hanc ergo doctrinam intelligi, & explicari debet,quod dictum est supra *n.* 86. nempe quod intellectio, vt faciat intelligens actu suum subiectum, prærequirat in ipso vim perceptiuam proportionatam,quæ cũ solummodo in intellectu reperiatur, sequitur intellectionem, vt faciat intelligens, prærequirere quod suum subiectum sit intellectus. Ex hac autem doctrina facilè solui possunt fundamenta posita *n.*83. ad probandum quod intellectio non posset poni extra intellectum in aliquo alio subiecto.

Negandum enim est,quod lapis,aut voluntas habens intellectionem intelligeret;& similiter negandum,quod effectus formalis primarius, quem scilicet per se primo dat intellectio,sit facere intelligens;quamuis ille sit effectus primarius,hoc est,propter quem principaliter ordinata est.

Vt hoc autem melius intelligatur: *aduertendum* formam aliquam plures posse habere effectus formales, vnum directum,& alterum indirectum. Forma habet plures effectus formales.

*Directus* est,quem ex se positiuè dat,& ad quem intelligendum non necessario intelligitur expulsio alterius formæ;& huiusmodi est facere album,facere intelligẽs; nec possunt à solo Deo conferri sine causis formalibus: Deus enim nequit facere aliquid album formaliter,sine albedine,nec intelligens sine intellectione; quia id implicaret,quandoquidem sequeretur, quod res alba, v.g. haberet, & non haberet albedinem.

*Effectus indirectus*, & qui communiter vocatur *secundarius*, est expulsio alterius formæ positiuæ facta per introductionem formæ expellentis in idem subiectum:& hic effectus potest fieri à Deo sine causa formali expellente: potest enim Deus expellere nigredinem à subiecto,sine introductione albedinis. Potest etiam hic effectus quandoque saltem, impediri,etiam applicata sufficienter causa formali, quia potest Deus efficere, vt non expellatur nigredo, quamuis introduceretur albedo in idem subiectum, possunt enim contraria in summo esse simul in eodem subiecto de potentia absoluta,vt modo suppono ex Physica.

90. Rursus effectus formalis primarius formæ potest diuidi in illum qui magis intenditur à natura,& ad quẽ magis per se ordinatur forma, & in illum quem magis necessario

necessario habet semper coniunctum secum in suo subiecto. Effectus autem primarius primo modo intellectionis, de quo agimus, est determinatio illa formalis potentiæ, per quam fit, vt potentia intelligat: & hic effectus non semper concomitatur intellectionem, sed solum modo quando est in intellectu: imo fortassis impediri potest etiam, cum intellectio esset in ipsomet intellectu, vt si esset nimium occupatus per alias intellectiones: de quo tamen non mihi constat quidpiam certi. Effectus primarius secundo modo intellectionis, & cuiusuis alterius formæ, est cõmunicatio sui ipsius, seu ipsamet forma communicata subiecto inhæsiue aut informatiue, aut vnitiue, quomodocumque; vnde nequit intellectio in illo subiecto esse sine hoc effectu. Per quæ facile respondetur ad confirmationes prædicti fundamenti.

*Ad primam enim confirmationem*, nego maiorem pro secunda parte; nam intelligere non est habere intellectionem quomodocumque, sed potius percipere per intellectionem.

*Ad secundam confirmationem*, nego consequentiam: & ratio est, quia esse album nihil aliud est, quam habere albedinem, sed esse intelligens non est habere intellectionem, sed percipere per intellectionem habitam, quod nequit conuenire nisi potentiæ intellectiuæ. Et propter similem rationem nego sequelam *tertiæ confirmationis*.

*Ad quartam confirmationem*, concedo maiorem totam, & nego minorem; quia facit intellectum percipientem, non vero faceret lapidem percipientem.

*Ad quintam confirmationem*, nego maiorem, quia nihil potest intelligere quod non potest percipere per intellectionem, & nihil potest percipere per ipsam, quod nõ sit intellectiuum in actu primo, vt supra ostensum est: vnde cum lapis non sit sic intellectiuus, sequitur quod non possit intelligere, quamuis haberet intellectionem.

## QVÆSTIO X.

### *Quid sit verbum mentis.*

91. ALiquid, quod est in mente seu intellectu nostro, dum intelligimus, esse verbum & expresse asseritur à *S. Augustino*, & admittitur à Doctoribus communiter, saltem aliquando aliquid tale reperiri in intellectu. Sed in controuersia est, ex pluribus, quæ reperiuntur in intellectu, dum intelligit, quidnam dicendum sit verbum formaliter, v. g. an actio de prædicamento Actionis, per quam intellectus producit qualitatem intellectionis; an vero ipsa qualitas intellectionis, an vtrumq; simul: an vero detur aliquid aliud præter illa, quod sit verbum, & deinde an in omni casu, quoties intellectus intelligit, habeat verbum in se productum.

*Complutenses disp. 21. q. 3.* existimant verbum mentis esse qualitatem realiter distinctam à qualitate intellectionis. Quam sententiam tribuunt *D. Thom. 4. contra gentes c. 11. & Caietano, Nauarro, Torri, Cano*, aliisque *1. p. q. 27.* Deinde *n. 78.* tenent in intellectu Beati intelligentis intuitiue Deum, non produci verbum; sed bene in omni alia intellectione præter beatam. Et pro hoc etiam *D. Thomam*, & plures *Thomistas* citant.

## CONCLVSIO I.

Per intellectionem non producitur vlla qualitas.

92. *Per intellectionem non producitur alia qualitas distincta à qualitate illa, in qua supra posuimus intellectionem consistere.* Hæc est communissima contra *Complutenses*, & quos pro se citant.

*Probatur conclusio* facile ex dictis, quia eo ipso quo habet intellectus intellectionem, quæ non sit præsertim actio de prædicamento Actionis, sed qualitas absoluta, quamuis nulla alia qualitas per ipsam produceretur, intellectus intelligeret: ergo chimericum est asserere necessitatem alterius qualitatis.

Probatur antecedens, quia haberet omnia quæ essent necessaria vt diceretur intelligere; haberet enim intellectionem, & speciem impressam, & obiectum sufficienter applicatum: sed nihil aliud requiritur: ergo.

*Confirmatur* efficaciter, si esset necessitas speciei expressæ productæ per qualitatem intellectionis, maximè vt haberetur aliquid, quod terminaret intellectionem, in casu quo obiectum esset realiter absens, aut materiale, ac propterea improportionatum secundum se ad terminandam intellectionem: sed vel non requiritur aliquid quod terminet intellectionem realiter, vel certe sufficiet ad terminandam ipsam, species impressa, in qua tam bene potest repræsentari obiectum, supposita intellectione, quam potest repræsentari in specie expressa: ergo superfluè ponitur species expressa producta per qualitatem intellectionis.

*Probatur secundo*: ipsamet intellectio seu notitia genita, est verbum mentale, aut saltem species expressa & similitudo formalis obiecti: ergo præter eam non requiritur vnquam alia species expressa, aut verbum mentale. Consequentiam admittent sine dubio aduersarij, ne cogantur admittere, duo verba eiusdem obiecti simul requiri ad eius intellectionem.

Probatur antecedens; tum quia est repræsentatio formalis obiecti; tum quia ratione eius fimus similes obiecto; vnde in patria vbi habebimus cognitionem intuitiuam Dei, nec producetur aliud verbum distinctum à cognitione secundum aduersarios, erimus tamen similes Deo ratione visionis beatæ, iuxta illud 2. Ioann. 3. *Cum apparuerit, similes eius erimus, quia videbimus eum sicuti est.*

93. *Obijcies.* Verbum mentale est obiectum internum intellectionis, supplens locum obiecti quantum ad terminandam intellectionem, quando obiectum aut est absens, secundum esse reale suum, aut est materiale: ergo distinguitur realiter ab intellectione; neque enim hæc terminari potest ad se ipsam.

Probant antecedens *Complutenses*, primo variis authoritatibus *D. Thomæ*.

Probant secundo, quia proprium est intellectus trahere ad se obiectum, & proprium est obiecti, & mouere ad intellectionem, & terminare illam: ergo secundum vtrãque rationem, & vt terminatiuum, & vt motiuum debet trahi ab intellectu, quoties ipsummet obiectum non est per se vnitum illi, aut sufficienter proportionatum, sed per speciem intelligibilem distinctam ab intellectione trahitur, vt motiuum, & vt sic solum trahitur per eam: ergo debet per aliam speciem expressam distinctam à cognitione trahi vt terminatiuum.

*Respondetur* facile, negando antecedens, & ad primam probationem ex *D. Thoma* facile esset authoritates explicare contra *Complutenses*, si iis moueremur. Ad secundam vero probationem transeat antecedens, & consequentia prima, & concedo subsumptum pro prima parte, nego vero ipsum pro secunda parte simul cum consequentia. Itaque, vt dixi antea, si requiritur ad intelligendum obiectum, vt secundum suum esse reale, aut secundum esse intentionale, quod habet in aliqua qualitate intellectionis, reperiatur intra intellectum, profecto nihil prorsus impedit quo minus sit intra intellectum secundum esse intentionale, per hoc quod species intelligibilis impressa ipsius sit intra intellectum: quemadmodum enim ipsũ obiectum, si esset realiter vnitum intellectui, secundum aduersarios, posset & mouere ad intellectionem intuitiuam, & terminare intellectionem intuitiuam sui: ita etiã posset species impressa eius & mouere ad intellectionem, & terminare intellectionem ea ratione, qua posset species expressa id facere.

## CONCLVSIO II.

Quoties intellectus producit intellectionem producit verbum.

94. *Quotiescumque intellectus intelligit per intellectionem à se productam, habet in se verbum productum.* Hæc est conformis *Scoto 1. d. 2. q. 7. num. 17. & d. 27. q. 3. num. 13.* quem sequuntur præter *Vorrillonum, Viguerium*, Scotistas, *Suares 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 11. Molina 1. p. q. 27. art. 1. Vasq. q. 12. art. 2. Ruuius & Conimbricens. hic*, contra *Complutenses supra*, & etiam ex *Scotistis Radam controuersia 10. art. 2. & Smising. disp. 6. num. 246.* qui tenent non formari verbum à Beato, sed ex longè diuerso principio ab eo, quo mouentur *Complutenses*; hi enim mouentur ex eo quod putent verbum esse qualitatem productam per intellectionem, & immediatè terminantem intellectionem; vnde quia Deus se ipso est summè intelligibilis, & sufficienter applicatus seipso terminat

intellectio

intellectionem beatificam immediatè, & consequenter superfluit qualitas illa alia, quæ produceretur per intellectionem ad eam terminandam. *Scotistæ* vero prædicti non putant talem qualitatem intellectione productam vnquam dari, sed propterea dicunt in intellectu beato non produci verbum, quia nihil producitur in ipso, quod sit verbum, præter ipsammet visionem beatificam; hæc autem non potest esse verbum, quia scilicet non producitur naturaliter, nec prout naturaliter opponitur supernaturali productioni, cum visio sit supernaturalis, & consequenter non nisi supernaturaliter producibilis; nec prout opponitur libero, quia illa visio producitur per concursum effectiuum, non ipsius essentiæ diuinæ visæ, quæ nihil ad extra realiter producit, sed voluntatis, quæ nihil facit ad extra nisi libere.

95. *Probatur conclusio* primò autoritate *S. Augustini* 14. *Trinit.* 17. dicentis: *Cum videbimus Deum sicut est, tunc verbum nostrum non erit perfectum.* Ergo tum habebimus verbum, quod est intentum.

*Respondet Smising* illum locum intelligendum non de verbo, quo videtur Deus, sed de verbo, quo in Deo videtur alia distincta à Deo. *Sed contra*, quia quamuis posset admittere illam explicationem iste locus, tamen facilius & proprius intelligitur de verbo, quo videtur ipse Deus: ergo cum non sit ratio vrgens ad intelligendum illum alio modo, sic potius debet intelligi.

*Confirmatur*, quia ratio ob quam *Smising* tenet visionē beatam non esse verbum, quia scilicet non producitur naturaliter, currit etiam de aliis visionibus, quæ habentur de creaturis in verbo: ergo si ea non obstante cognitiones aliarum creaturarum sunt verba, secundum *Augustinum*, etiam visio beatifica erit verbum secundum eundem.

*Probatur secundo* ex eodem *Aug.* 1. *Trin.* 10 vbi ait. *Formata cogitatio de re, quam scimus, verbum est*: sed quotiescumque intelligimus habemus cogitationem in nobis formatam; ergo toties habemus verbum secundum *Augustinum*.

96. *Probatur tertio* contra *Complutenses* quia si aliquando non producitur verbum, maxime quia verbum non est ipsa intellectio producta ab intellectu, sed qualitas alia requisita ad terminandam intellectionem quando obiectum ipsum non est seipso sufficiēter terminatiuum ipsius, vt patet ex dictis supra, dum proponebatur ipsorū sententia: sed hoc est falsum, vt patet ex prima conclusione; ergo semper producitur verbum quando intellectus producit cognitionem in se.

*Probatur quarto* contra *Scotistas*, quia si aliquid impediret, maxime quia visio beatifica non producitur naturaliter; sed producitur naturaliter ex parte intellectus, quatenus naturale opponitur libero, & producitur etiā naturaliter ex parte ipsius vt illustrati lumine gloriæ prout naturale opponitur supernaturali, nec requiritur quod producatur naturaliter sic ex parte intellectus secundum se considerati absque lumine; aut ita vt non sit concursus aliquis liber ex parte alterius causæ adhibitus ipsi; ergo nihil impedit quo minus videns beatifice Deū habeat verbum. Antecedens pro prima parte probatur: quia intellectus ex se non potest alio modo quam naturaliter producere, cum non sit potentia libera.

*Probatur idem antecedens pro secunda parte*, quia visio beatifica est connaturalis intellectui illustrato lumine gloriæ, adeo, vt esset miraculum si non conferretur ipsi, non minus quam esset miraculum, si Deus non concurreret cum igne applicato ad comburendum. Probatur etiam quoad tertiam, & quartam partem, quia gratis, & absque fundamento id requireretur.

*Confirmatur*, D. Virgo absolute loquendo dicitur naturaliter generasse filiū, prout naturale opponitur libero, quamuis non genauerit, nisi concurrente Deo cōcursu particulari libero: ergo intellectus absolute debet dici naturaliter producere visionē beatificam, prout naturale opponitur libero, quamuis non producat ipsā, nisi concurrente libere Deo per concursum specialem. Sed non requiritur alia productio naturalis non libera ad verbū, quā quæ posset dici simpliciter naturalis, prout opponitur naturale libero, ergo defectu huiusmodi naturalitatis in productione visionis non habetur quod nō sit verbū.

*Confirmatur secundo*, non magis impedit concursus supernaturalis ac liber productionem verbi, quam generationem filij; sed non impedit generationem filij, vt patet in D. Virgine, quæ non obstante quod non produxerit humanitatem Christi, nisi concurrente Spiritu sancto libere & supernaturaliter, vere tamen genauit illum, tāquam verum filium suum, ergo non obstante tali concursu intellectus posset vere & proprie producere verbum. Per hoc solutum manet fundamentum *Scotistarum* quantum est ex parte rationis.

*Obiicies* pro ipsis auctoritatem *Scoti quodl.* 15. vbi fusè probare videtur visionem beatificam non esse verbum.

98. *Respondeo*, eum non asserere hoc absolute, sed probabiliter differere illam quæstionem pro vtraque parte: in locis autem citatis pro conclusione absolute videtur tenere nostram sententiam.

*Obiicies* pro *Complutensibus*: quia verbum est eiusdem naturæ cum obiecto in esse repræsentatiuo & cognoscibili: sed repugnat aliquid creatum esse eiusdem naturæ etiam in tali esse cum Deo: ergo repugnat verbum ipsius produci.

*Confirmant*; quia intellectio est qualitas valde actualis ac perfecta non indigens termino per illam producto, tanquam fulcimento & sustentaculo, sed solum, vel quia obiectum non est secundum se intra intellectum, vel nō est intra illum cum sufficienti immaterialitate & actualitate, vt possit secundum se immediate terminare intellectionem: sed Deus est secundum se sufficienter intra intellectum intelligentem illum beatifice cum sufficienti immaterialitate & actualitate: ergo visio beatifica non indiget verbo per eam producto.

*Respondeo* Verbum non indigere esse eiusdem naturæ cum obiecto magis quam ipsamet intellectio; vnde vel maior obiectionis est falsa, vel minor.

*Ad confirmationem* respondeo totum discursum supponere doctrinam falsam, quod verbum sit qualitas distincta à qualitate intellectionis; vnde est de subiecto non supponente, nec propterea indiget alia solutione.

## CONCLVSIO III.

99. *Verbum creatum est ipsamet qualitas expressa cognitionis seu intellectionis, quæ formatur in nobis: nec de ratione formali ipsius est quod producatur ab intellectu.*

Verbū est ipsamet intellectio, nec de ratione eius est quod producatur ab intellectu.

*Probatur prima pars* auctoritate *Augustini*, vbi dicit formatam cogitationem ab ea re quam scimus, esse verbum.

*Probatur secundo* quia verbum est illud, quo intelligimus obiectum, ad hoc enim requiritur, sed illud est intellectio: ergo. *Confirmatur*, quia nihil aliud est ex omnibus, quæ sunt in intellectu, dum intelligit, quod potius debeat dici verbum, quam illa intellectio: ergo.

*Probatur secunda pars*, quia in descriptione verbi assignata ab *Augustino*, non ponitur quod produci debeat ab intellectu: ergo ex illa descriptione nō habetur quod productio talis sit de ratione essentiali ipsius, nec aliunde id sufficienter colligitur: ergo.

*Confirmatur*; quia quamuis verbum creatum semper de facto producatur ab intellectu, tamen non inde sequitur quod illa productio sit de ratione formali ipsius: sicut quamuis intellectio creata semper producatur ab intellectu, ipsa tamen productio non est de intrinseca ratione eius vt patet ex dictis.

*Confirmatur secundo*, quia omnino gratis requireretur ad rationem verbi mentalis creati requisiti ad intelligēdum quod producatur ab intelligente, & gratis diceretur quod si intelligeret intellectus obiectum per intellectionem à solo Deo in ipso productam, non haberet verbū tam perfectum, quam si ipsemet eam produceret.

100. *Dices*: verbum debet esse proles intelligentis, sed si non produceretur ab intelligente, non esset proles ipsius: ergo.

*Respondeo* distinguendo maiorem: connaturaliter loquendo; hoc est sic, quod connaturaliter exigat esse proles ipsius, concedo maiorem; sic vt necessario debeat esse actualiter proles ipsius, nego maiorem; & similiter distincta minori, nego consequentiam.

*Respondeo secundo* distinguendo etiam, sed alio modo maiorem: accidentaliter, hoc est ex eo, quod intellectus habeat virtutem ipsum producendi, & semper sufficienter applicatur ad ipsius productionem, concedo maiorem, essentialiter, ita vt si intellectus non haberet talem virtutem, intellectio propterea desineret esse verbum, nego maiorem.

101. *Obiicies primo Scotum, qui in* 1. *dist.* 27. *q.* 3. ponit in descriptione Verbi, quod sit actus intelligentiæ productus à memoria fœcunda: ergo illa productio spectat ad rationem formalem ipsius.

*Respondeo* negando consequentiam: sæpe enim ponuntur in descriptionibus conditiones aliquæ, quæ non sunt essentiales, præsertim si cõnaturaliter competant rei descriptæ: & certe in illa ipsa descriptione *Scotus* addit aliã similem particulam, nempe quod sit repræsentans Verbum diuinum; manifestum autem est hoc non esse essentiale verbo nostro, quia possumus ipsum intelligere absque eo, quod intelligamus quod habeat talem vim repræsentandi, & absque eo quod cognoscamus Verbum diuinum vlla ratione; imo si per impossibile non esset Verbum diuinum, non propterea desineret intellectio obiecti esse verbum.

*Obiicies secundo*: secundum *Scotum* 1. *dist.* 27. *quæst. n.* 22. Filius, & verbum per se significant eandem relationem licet connotent diuersa: sed filius essentialiter dicit relationem producti ad illum, cuius dicitur filius: ergo verbum debet dicere talem relationem ad intellectum, cuius dicitur verbum.

*Respondeo* distinguendo antecedens: Verbum æternum ac increatum, concedo; verbum creatum, nego; alias verbum creatum esse filius.

*Et si quæras*, cur Verbum diuinum dicat per se relationem vllam, si creatum non dicat.

*Respondeo*, quia verbum debet esse quid realiter distinctum ab eo, cuius est verbum, & propterea intellectio essentialis non habet rationem verbi proprie loquendo; non habet autem Verbum diuinum esse distinctum à Patre, cuius est verbum, nisi per relationem aliquam, & quia non est alia relatio, per quam distingueretur, præter generationem passiuam, quæ est filiatio ipsius, Verbũ diuinum non solum dicit relationem ad Patrem, sed etiã eandem ipsam relationem, quam dicit vt filius, Verbum autem creatum habet ex natura sua distingui ab intellectu, & consequenter non necessario dicit relationem vllam essentialiter ad hoc, vt habeat rationem verbi.

*Dices*: verbum & proles, seu partus mentis idem sunt: sed proles, & partus, vt sic, dicunt relationem producti ad intellectum, vnde intellectio producta à Deo solo in intellectu non esset, nec proles, nec partus: ergo verbum etiam debet dicere talem relationem.

*Respondeo* distinguendo maiorem: verbum, & proles, seu partus formaliter loquendo, vt proles & partus reduplicatiue, nego maiorem, Verbum & proles, seu partus specificatiue, sumendo scilicet prolem & partum pro illa entitate, quæ est proles & partus, concedo maiorem. Et similiter distinguo minorem: proles & partus, vt sic formaliter, & reduplicatiue, concedo; specificatiue, nego minorem, & consequentiam.

103. *Obiicies tertio*: si Deus produceret verbum vocale in ore alicuius passiue tantum se habentis, illud verbum quamuis esset verbum non esset verbum ipsius: ergo similiter quamuis intellectio producta à solo Deo esset verbum, non esset tamen verbum intellectus: ergo vt sit verbum intellectus debet produci ab ipso.

*Respondeo* negando consequentiam, quia non eodem modo loquendum est de verbo vocali, quo aliquis loquitur alteri, & significat conceptum suum, ac de verbo, quo non significat, sed intelligit, seu concipit aliquid; vnde quamuis ad prius requiratur productio, quia loquela, ex communi sensu intelligitur pro manifestatione facta effectiue à loquente; tamen ad secundum id non requiritur.

*His tamen non obstantibus*, si quis vellet contendere, quod verbum significaret non quamcumq; intellectionem rei, sed intellectionem productam ab intelligente, sicut filius significat hominem productum ab alio homine, & partus mentis significat conceptum productum à mente; esset cum illo quæstio tantum de nomine; de qua parum est curandum. Sed conformiter ad hoc dici deberet, quod sicut filius formaliter loquendo dicit filiationem, & materialiter seu connotatiue naturam, in qua fundatur: ita verbum diceret formaliter loquendo productionem ab intellectu, & materialiter, ac connotatiue intellectionem, quæ producitur per illam productionem ab intellectu.

## QVÆSTIO XI.

*Quid sit cognitio intuitiua, & abstractiua?*

104. DVo genera cognitionum, vnum *abstractiuæ*, alterum *intuitiuæ*, omnes Theologi, & Philosophi admittunt; cum tamen pro hoc statu non possimus habere in vna potentia vtramque, nam potentiæ externæ solas habent intuitiuas cognitiones, & potentiæ internæ solas abstractiuas, vt postea magis apparebit; & hinc oritur difficultas explicandi differentiam vtriusq; cognitionis spectantis ad eandem potentiam. *Scotus in* 2. *dist.* 3. *q.* 6. *n.* 6. asserit cognitionem *intuitiuam* esse eam qua cognoscitur res, vt præsens, & existens existentia actuali: *abstractiuam* vero, quæ est de re secundum quod abstrahit à tali præsentia, & existentia. Descriptio cognitionis intuitiuæ, & abstractiuæ.

Circa quam explicationem statim occurrit difficultas, quod possit aliquis cognitione abstractiua cognoscere aliquid esse præsens & existens existentia reali actuali: cognoscimus enim & per fidem, & per cognitionem naturalẽ ex creaturis Deum existere actualiter, & esse nobis realiter intime præsentem; & tamen secundum omnes non habemus de Deo aliam cognitionem pro hoc statu, quam abstractiuam: sed quando cum sic cognoscimus, cognoscimus ipsum, vt præsentem & existentem, sicut quando cognoscimus parietem affectum esse albedine, cognoscimus ipsum, vt album.

105. *Aliqui* ad hoc dicunt, quando dicitur cognitio intuitiua esse obiecti, vt existentis & præsentis, hoc sic intelligendum, vt sensus sit, quod debeat causari ab ipsomet obiecto, vt existente, & præsente secundum se, & nõ à speciebus emendicatis ab aliis rebus; sic autem non cognoscitur Deus à creaturis pro hoc statu.

*Sed contra*, quia cognitio phantastica coloris causatur à colore, vt præsente & existente; & non est cognitio habita per alienas species, sed per proprias, & tamen est abstractiua: ergo non sufficit prædicta differentia.

*Deinde* quod causetur cognitio ab obiecto, vel non causetur, perinde prorsus est: nam modo eadem cognitio intuitiua, quæ causatur ab obiecto, causaretur aliunde, non propterea desineret esse intuitiua, & si talis cognitio, qualis dicitur de facto esse abstractiua, causaretur ab obiecto, non desineret esse abstractiua, quia eodem modo vtraque cognitio repræsentarent obiectum, à quocumque causarentur, modo maneret ratio formalis intrinseca earum.

*Et hinc etiam impugnatur alius modus explicandi*, quomodo cognitio *intuitiua* debeat esse ab obiecto, vt præsens est, & existens; nempe quatenus debet causari ab ipsomet sine specie: *Impugnatur*, inquam, hoc ex iam dictis, quia si illa cognitio, quæ est intuitiua, causaretur etiam per speciem, modo haberet eandem rationem formalem intrinsecam, quam de facto habet, adhuc esset intuitiua.

*Impugnatur præterea*, quia visio ocularis est intuitiua, & tamen producitur mediante specie impressa, & non producitur ab obiecto immediate: ergo cognitio intuitiua non excludit concursum speciei impressæ, nec exigit concursum immediatum obiecti visi intuitiue,

*Confirmatur*

*Confirmatur*, quia posset videri essentia diuina intuitiue & tamen non potest immediate producere aliquid reale ad extra, nec consequenter causat immediate cum intellectu visionem illam sui : ergo non requiritur talis immediata, nec etiam mediata causatio visionis ab obiecto viso.

106. *Alii dicunt*, quod cognitio *intuitiua* est illa, quæ ex natura sua ita petit repræsentare obiectum vt existens & præsens, vt non sit indifferens ex natura sua ad repræsentandū ipsum, eodem modo, si non existeret aut non esset præsens ; & hoc non ex eo, quod inde sequeretur quod esset falsa, aut ex alio capite, quam ex modo quo formaliter petit ipsū repræsentare, & iuxta hoc explicāt Scotum supra. Probant autem hunc modum dicendi, explicando eum. Dicitur : *ex natura sua esse repræsentatiua obiecti existentis & præsentis*, vt ostendatur quod non sit indifferens nunc ad repræsentandum obiectum vt existens, & nunc vt nō existens, ac vt inde colligatur rationē intuitiuæ cognitionis formaliter, prout distinguitur ab abstractiua, nō esse denominationem extrinsecam desumptam à præsentia obiecti, quasi eadē cognitio posset esse nunc intuitiua, præsente scilicet & existēte obiecto, & nunc abstractiua, eo absente. Dicitur, *ita vt non sit indifferens*, ad repræsentandum ipsum eodem modo ex natura sua siue existeret, siue non existeret : vt distinguatur à cognitione abstractiua, qua cognosceretur res existens & præsens, quia illa cognitio posset repræsentare ipsam sic, quamuis non esset existens & præsens ; si per possibile, vel impossibile non esset existens & præsens. Additur denique, *& hoc non ex eo, quod inde sequeretur* &c. quia aliqua cognitio abstractiua posset esse talis, quæ non posset repræsentare obiectum vt præsens & existens quin esset præsens & existens, vt cognitio fidei Diuinæ, qua crederetur aliquis homo esse præsens aut existens, non posset ipsum sic repræsentare, quin esset præsens & existens : sed hoc oriretur ex eo, quod alias esset falsa, eo quod fidei Diuinæ repugnet ex aliis principiis esse falsa, potius quam ex modo, quo repræsentat obiectum. Similiter repugnaret cognitio vlla, qua repræsentaretur Deus vt existens & præsens esse, quin Deus esset præsēs & existens, sed hoc etiam oriretur ex eo, quod si Deus non existeret & non esset præsens, sequeretur quod non existeret talis cognitio, quia repugnaret illam existere, cum sit creatura, quin creator existeret, à quo essentialiter omnis creatura dependet. Signum autē colligēdi, an, si non repræsentaret obiectum existens & præsens, quando non existeret eodem modo, quo repræsentaret ipsum quando esset existens & præsens, hoc oriretur ex modo quo nata est repræsentare, si ita ipsum repræsentaret, etiam si per impossibile existeret non existente obiecto ; si vero propterea ipsum non repræsentaret, eo non existente, quia tum ipsamet non posset existere, signum est quod non defectu repræsentatiuitatis, quam haberet ex natura sua, sed ex aliquo alio capite oriretur quod non repræsentaret ipsum.

*Contra* hanc descriptionem facit maxime, quod Deus supponatur ab omnibus intuitiue cognoscere creaturas futuras & præteritas ; sed certum est, quod eodem modo & tam perfecte cognoscat creaturas iam, ac cognoscet postea quando erunt : & quod tā perfecte ac eodē modo cognoscat creaturas præteritas, quam cognouit, quādo erant ; & hoc ex natura intrinseca istius cognitionis ac modi, quo habet formaliter repræsentare illa obiecta : ergo cognitio intuitiua aliqua eodem modo potest repræsentare obiectum quando existit ac præsens est, & quando non existit ne præsens est ; & consequēter mala est prædicta descriptio, qua oppositū huius asseritur. Quæ etiam impugnatio valet contra alium modum explicandi cognitionem intuitiuam, quo dicitur quod sit cognitio nata terminari ad obiectum secundū esse suū reale, & non secundum esse intentionale, nam non apparet quomodo cognitio Diuina de futuris aut præteritis possit terminari ad ipsa secundum esse reale actuale ; cum non habeant tale esse.

*Et si dicas* ea habere tale esse essentia diuina, in qua etiam sunt præsentia existentia & præsentia realiter Deo. *Contra* est, quia hoc non est esse præsentia secundum se realiter, sed solum intentionaliter, quatenus scilicet sunt præsentia in aliquo, quod potest cognitionem eorum facere, non minus quam si ipsamet essent realiter præsentia.

## CONCLVSIO I.

Vera descriptio cognitionis intuitiuæ abstractiuæ.

108. *Cognitio intuitiua est illa quæ repræsentat obiectum eo modo, quo repræsentabile est, quando cognitio terminatur ad ipsum secundum esse suum reale actuale, & non secundum esse intentionale, hoc est, secundum esse quod habet in specie aut cognitione aliqua sui. Cognitio vero abstractiua est, quæ non repræsentat ipsum sic, sed eo modo, quo repræsentatur, quando cognoscitur secundum esse intentionale tantum.* Hæc conclusio est *Scoti supra* : nam iuxta eam debet intelligi quod dicit de cognitione intuitiua, & abstractiua.

*Probatur autem primo*, quia non possunt hæ cognitiones melius explicari. *Secundo*, quia nulla est cognitio intuitiua aut abstractiua, quæ assignari potest, cui non competit hæc descriptio, & inter se sufficienter distinguuntur.

*Hinc patet*, cognitiones omnes quas habemus de rebus per species emendicatas ab aliis rebus, esse abstractiuas quia illæ cognitiones non sunt natæ repræsentare rem secundum esse suum reale, sed secundum quod repræsentatur in illis speciebus. Et ex hoc ipso capite sequitur, quod eodem ipso modo possint repræsentare rem, siue existeret, siue non existeret, quia illæ species possent esse siue existeret, siue non existeret, sicut possunt esse illæ res ex quibus desumuntur.

*Patet secundo*, quod omnes cognitiones, quas habemus de Deo, Angelis, & substantiis pro hoc statu ; & etiam cognitiones omnes intellectuales ac phantasticæ de quibuscunque rebus, saltem præter species & actus phantasticos, sint cognitiones abstractiuæ, & non intuitiuæ.

*Patet tertio*, quod cognitiones abstractiuæ possint esse claræ, & distinctæ per species proprias : tales enim sunt cognitiones phantasticæ de coloribus, & cognitiones intellectuales illis correspondentes ; & idem est de cognitionibus phantasticis & intellectualibus cæterorum obiectorum sensuum externorum, quæ cognoscuntur per species proprias, & non per species emendicatas beneficio discursus ab aliis rebus.

## CONCLVSIO II.

Cognitio intuitiua actu repræsentās obiectum nequit esse absq; obiecto realiter existente.

109. *Cognitio intuitiua, actu repræsentans obiectum, non potest esse, etiam de potentia Dei absoluta, absque obiecto realiter existente pro illa differentia temporis pro quo cognitio ipsum repræsentat.* Hæc est expresse contra *Arriagam*, qui putat cognitionem auditiuam de sono non existente in se, sed solum in sua specie, esse intuitiuam ; videtur etiam esse contra alios, qui absolutè dicunt cognitionem intuitiuam posse esse de potentia absoluta absque obiecto realiter præsente. Sed quidquid sit de aliis, non est contra *Scotum*, quia quamuis in 4. *dist.* 10. *quæst.* 9. videatur posse colligi ex ipso, quod cognitio intuitiua possit esse absq; obiecto ; tamen id non debet intelligi de cognitione intuitiua actu repræsentante.

*Probatur conclusio primo* ex principiis communibus *Scotistarum*, quia cognitio non potest esse actu repræsentans absque respectu actualis tendentiæ ad obiectum : sed ille respectus, quem dicit cognitio intuitiua, est respectus terminatus ad obiectum secundum esse reale pro illa differentia temporis, pro qua cognoscitur : ergo nequit esse actu repræsentans, quin obiectum sit realiter existens pro illa differentia. Probatur consequentia, quia nullus respectus potest esse absque termino realiter existente secundum illam rationem, secundum quam terminat respectum.

110. *Probatur secundo*, independenter ab hac doctrina de respectu actualis tendentiæ distincto realiter à qualitate absoluta cognitionis ; quæ à *Scotistis* tantum sustētari solet ; quia non potest cognitio aliqua esse actualiter repræsen

repræsentans,nisi repræsentet aliquod obiectum:sed cognitio intuitiua nata repræsentare aliquod obiectū reale secundum aliquam differētiam temporis,non potest repræsentare aliud obiectū quam illud,quia est ad hoc determinata ex natura sua intrinseca, adeo , vt non possit alterum,non minus quā cognitio albedinis est ita determinata ad ræpresentandum albedinem,vt non possit repræsentare nigredinem ; ergo non potest esse actualiter repræsentans aliud obiectum quam ipsum:sed nō potest ipsum repræsentare pro illo instanti temporis, nisi ipsū sit realiter existens pro illo instanti temporis:ergo.Probatur subsumptum ; quia alias non potuissemus habere certitudinem illam de existentia reali actuali vllius obiecti intuitiuè visi ; sed hoc est absurdum:ergo. Probatur sequela maioris, non possumus habere certitudinem de existentia vllius obiecti visi,nisi per experiētiam,vel discursum(non loquor iam de certitudine fidei,quia nō est ad propositum)non possemus autem habere certitudinē per experientiam,nisi quatenus per actum experiremur obiectum,& non possemus experiri ipsum,nisi actu existeret;neque etiam per discursum,quia discursus fundari solum posset in connexione necessaria obiecti cum actu, aut actus cum obiecto.Probatur etiam minor : quia videtur absurdum;quod relicti simus absque vllo principio certo, quo mediante possemus peruenire ad cognitionem certam existentiæ rerum, quas percipimus.

*Confirmatur primo* , quia si potuissemus habere cognitionem repræsētantem intuitiuè aliquod obiectum pro aliqua differentia temporis,absque reali existentia obiecti pro illo tempore ; & si ex cognitione illa repræsentante,quam experiremur in nobis,non potuissemus colligere obiectum esse realiter existens pro illa differentia temporis,pro qua cognosceremus ipsum;tum eodem modo sentiremus, & experiremur nos affici, & quando obiectum existeret, & quando non existeret;sed hoc est absurdum : ergo.

*Probatur minor:*quia si id esset verum,æquè beatificaremur per visionem beatificam,siue Deus existeret ea habita,siue non existeret ; eodem enim modo nos sentiremus,& eandem consolationem, & voluptatem haberemus : sed absurdum omnino est,quod potuissemus formaliter beatificari , absque reali possessione , & visione Dei secundum esse suum reale proprium:ergo.

111.*Obiicies*:cognitio etiam intuitiua est qualitas absoluta:ergo potest conseruari absque existentia reali sui obiecti quantum ad omnem dependentiam , quam habeat ab ipso,quatenus obiectum est.Sed si potest conseruari absque obiecto, potest esse in intellectu absq; ipso, & si sit in intellectu absq; illo,intellectus per illam erit cognoscens absque obiecto realiter existente pro vlla differentia temporis:ergo.

*Respondeo primo*:iuxta principia Scotistica distinguendo subsumptum : potest conseruari absque illo quoad esse suum absolutum, concedo ; secundum esse respectiuum actualis tendentiæ, nego consequentiam.

*Respondeo secundo* , independenter ab illis principiis negando subsumptum pro secunda parte;quamuis enim esset in intellectu,non faceret ipsum actu intelligentem, nisi existeret realiter obiectum pro illo instanti,pro quo per illam videretur existere. Vnde quamuis fortè non esset inconueniens,quod intellectio intuitiua conseruaretur absque obiecto realitur existente , tamen esset inconueniens quod actualiter determinaret intellectum ad cognoscendum obiectum,nisi existeret:quam ob causam data opera dixi in conclusione , quod non possit dari cognitio intuitiua actu repræsentās obiectum absque reali existentia ipsius.Et hinc patet cognitionem intuitiuam non posse esse falsam , quia non potest repræsentare obiectum aliter quam est.

112. *Responderi posset tertio* , negando consequentiam primam , quia licet sit absoluta , dicit tamen ordinem actualem essentialem ad obiectū suum primarium saltem, propter quem nequit esse absque ipso:sicut relatio licet realiter distinguatur à termino,nec producatur effectiuè ab ipso, ex eo tamen , quod sit ordo actualis ac determinatio subiecti ad illum , nequit esse in subiecto, quin sit ille terminus actualiter existens.

*Confirmatur hoc*:quia quemadmodum relatio, v.g.vbicationis, est actualis determinatio vbicati ad locum,habens ex natura sua intrinseca constituere ipsum in loco; ita cognitio habet ex natura sua actualiter determinare intellectum ad cognoscendum ; ergo non potest esse in intellectu quin constituat ipsum actu cognoscentem, sicut vbi nequit esse in subiecto quin constituat subiectū vbicatum , & præterea sicut vbi non potest facere vbicatum,nisi sit locus in quo sic constituatur realiter existens , atque adeo nequit esse vbi absque loco reali , ad quem terminatur;ita etiam intellectio nequit facere intelligentem secundum esse reale,quin obiectum sit existens secundum illud esse , & consequenter ipsamet nequit esse,quin illud obiectum sic existat.

113. *Dices*, contra hanc doctrinam, non esse eandem rationem de qualitate absoluta,ac de relatiua,quantum ad necessariam connexionem cum aliquo realiter distincto:ergo quamuis relatio respiciat essentialiter terminū, ac consequenter nequeat esse absque ipso , cognitio tamen,quæ est quid absolutum,non potest ita essentialiter respicere obiectum,quin posset esse absque ipso.

*Deinde* si esset eadem ratio de relatione & cognitione, quantum ad hoc, sequeretur quod, quemadmodum relatio nequit esse non solum absque termino,sed etiam absque subiecto:similiter cognitio nequiret esse non solum absque obiecto , sed etiam absque subiecto , nempe intellectu,& sic falsum esset,quod diximus superius, cognitionem de potentia absoluta posse poni absque intellectu.

*Responderi tamen potest* esse eandem rationem de absoluto ac relatiuo quantum ad necessariam connexionem cum eo,ad qnod connexio est vtroque ex prædicatis intrinsecis & essentialibus vtriusque : est autem connexio intellectionis cum obiecto ex prædicatis suis intrinsecis,& essentialibus : vnde non potest esse absque illo, & per hoc patet *ad primam difficultatem* oppositam, distinguendo eius antecedens iuxta iam dicta , & negando consequentiam.

114. *Ad secundam difficultatem* responderi potest, non esse eandem rationem de intellectione ac relatione quātum ad connexionem necessariam cum subiecto,quia nō potest colligi ex prædicatis essentialibus intellectionis, quæ est qualitas absoluta,tam necessaria connexio ipsius cum intellectu,ac cum obiecto;nam posset habere rationem huius particularis actualis intellectionis, quamuis esset indifferens ad inhærendum pluribus intellectibus, & quamuis posset poni extra omnem intellectum ; sed non posset habere rationem huius particularis intellectionis;si esset indifferens ad omne obiectum,vt patet:& ratio est quia licet esset actualis intellectio particularis, non necessario seipsa deberet faceret intellectum intelligentem,nisi vniretur intellectui,vnio autē ipsius posset esse realiter distincta , sicut est vnio caloris.non haberet autem dependentiam ab aliqua vnione à se distincta ad hoc, vt faciat intellectum intelligentem obiectū, & consequenter seipsa formaliter deberet ipsum facere intelligentem obiectum absq; aliquo realiter distincto; sed quotiescumque aliquid seipso habet facere aliquid absque dependentia ab aliquo realiter distincto,necessario debet facere illud , & necessario omnia debent esse, sine quibus nō posset illud facere:ergo necessario debet existere obiectum,si existat intellectio in intellectu,modo intellectio faciat seipsa intelligentem absque vnione aliqua sui ad obiectum : & consequenter non est eadem ratio necessariæ connexionis intellectionis cum intellectu,ac cum obiecto.

Quod autem non habeat intellectio dependentiā ab vnione aliqua distincta, qua vniretur obiecto,admittūt omnes, præter *Scotistas*, qui ponunt respectum actualis tendentiæ. Et probatur : quia si sola cognitio posita in intellectu absque vnione superaddita ad obiectum, non sufficeret vt intellectus per eam intelligeret, tum posset intellectus habere cognitionem in se,quin cognosceret, Cognitio absq; respectu tēdentiæ facit cognoscens.

&c

& posset consequenter de non cognoscente fieri cognoscens per aduentum solius respectus tendentiæ, aut vnionis illius, quæ superadderetur: sed hoc est absurdum: ergo non requiritur talis vnio superaddita. Probatur minor: quia si per aduentum respectus solummodo redderetur de nouo cognoscens, posset dici quod ipsemet respectus esset cognitio actualis, & sic quod cognitio non esset forma absoluta, contra hypothesim totius huius quæstionis, & dicta in superioribus.

115. *Dices* respectum illum non posse dici cognitionem, quia ille solus non sufficeret in intellectu; nisi præsupponeret qualitatem absolutam cognitionis, quæ potius vocari debet cognitio, quam ille respectus.

*Contra*, quia si ille respectus potest sufficere, vt qualitas illa absoluta, quæ ante non repræsentabat, repræsentet actu obiectum, cur non posset sufficere, vt intellectus, qui ante non intelligebat, intelligeret?

*Dices*, quia non est cognitio, & quia non potest aduenire intellectui absque alia forma priori absoluta.

*Contra*, quia hoc est petere principium: quæro enim cur non esset cognitio, aut cur non posset immediate aduenire intellectui.

*Propter hanc vltimam doctrinam* visa mihi fuit semper difficilis doctrina communis *Scotistarum* de respectu attingentiæ actualis, quam ponunt in cognitionibus supra entitatem absolutam ipsius speciei expressæ, quæ tamen doctrina, vel ab ipsorum authoritate probabilitatē habet, & fundamentum magnum etiam in ratione, quia scilicet non apparet, quomodo forma absoluta posset se sola determinare subiectum suum ad aliquid realiter distinctum per modum vnionis; nam talis determinatio videtur esse relatiua, non minus quam quæcunque alia, denominatio autem relatiua actualis non videtur posse prouenire à forma absoluta, alias omnes relationes actuales possent dici formæ absolutæ.

116. Ego vero de hac re non fero sententiam; sed solum propono vtriusque partis difficultatem, & fundamentum, ab aliis expectans resolutionem.

*Supposito autem*, quod detur huiusmodi relatio attingentiæ vltra cognitionem absolutam; quæri potest an sit extrinsecù, vel intrinsecùs aduenies.

*Respondetur* ex suppositione doctrinæ probabilis, quā proponit *Doctor. 3. dist. 14. q. 2. de scientia Christi* quod nimirum per eandem visionem absolutam, qua videt essentiam diuinam, posset de nouo alia & alia obiecta secundaria videre, propter aduentum solius relationis attingentiæ, quæ produceretur à Deo in illa scientia, non posse esse dubium quin relatio attingentiæ sit extrinsecus aduenies non enim resultat necessario inter scientiam & obiectum, alias semper resultaret, & non aduenret de nouo inter illa; relatio autem intrinsecus aduenies necessario resultat inter sua extrema.

Quod si illa doctrina non sit vera, sed relatio actualis attingentiæ necessario concomitatur cognitionem, existente & præsente obiecto secundam illam rationem, secundum quam natum est attingi à potentia per cognitionem, tum illa relatio erit intrinsecus aduenies.

Quinam autem ex his duobus modis dicendi de natura istius relationis sit verior, remitto ad Tractatum *de scientia Christi ac visione beatifica*: in quo etiam examinandum relinquo, quid sit cognitio comprehensiua, quod ab aliquibus hic tractatur.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### *An detur memoria intellectiua.*

### CONCLVSIO I.

Datur memoria intellectiua.

117. *Datur memoria intellectiua.* Hæc est communis. *Probatur* quia experimur nos recordari rerum præteritarum: ergo datur memoria qua id possimus facere.

*Dices* quidem hinc colligi optime quod habeamus memoriam, non tamen intellectiuam, quia posset quis dicere quod recordemur per memoriam sensitiuam.

*Contra*, quia qua ratione quis posset dicere memoriam nostram esse sensitiuam, posset etiam dicere quod cognitiones nostræ sint tales, sed hoc est absurdum.

*Deinde* ex Scriptura habetur quod anima separata à corpore habeat memoriam, vt patet *Lucæ 16. Fili recordare quia recepisti bona*: sed illa anima non habet memoriam sensitiuam, vt patet: ergo intellectiuam. *Præterea*, non potius debet attribui nobis intellectus, & cognitiones intellectiuæ, quam memoria & recordationes intellectiuæ.

### CONCLVSIO II.

Memoria non distinguitur realiter ab intellectu.

*Memoria intellectiua non distinguitur realiter ab intellectu, sed bene formaliter.* Prima pars est communis cum *D. Thoma 1. par. q. 79. art. 7.* contra *Rub. in 2. disp. 14. quæst. 2.*

*Probatur*, quia nulla est necessitas multiplicandi realiter duas potentias; quarum vna esset memoria altera intellectus: nec enim aliquid impedit quo minus eadem potentia exerceat actus vtriusque.

*Confirmatur*, quia intellectus secundum omnes *Doctores* & veritatem potest intelligere rem existentem vt existentem, futuram, vt futuram, & possibilem vt possibilem: ergo poterit cognoscere præteritum, vt cognitum à se & consequenter poterit cognoscere rem præteritam cognitam à se vt talem; sed hoc est munus memoriæ: ergo intellectus non distinguitur realiter à memoria.

*Probatur secunda pars*, quia non implicat dari intellectum, qui solum possit intelligere, & non recordari: ergo intellectus distinguitur formaliter à memoria à parte rei.

118. *Obiicies* contra primam partem: *S. Aug. 10. de Trinit. cap. 11.* distinguit tria in anima nostra, memoriam scilicet, intellectum, & voluntatem, & communis vsus tenet quod anima intellectiua habeat tres potentias scilicet, iam enumeratas.

*Confirmatur*: quia communiter dicitur, quod anima nostra sit imago Trinitatis, & quod illa imago consistat in hoc, quod quemadmodum in Trinitate sunt tres personæ & vna essentia: ita in anima vna essentia & tres potentiæ.

*Respondeo Sanctum Augustinum* per memoriam, intellectum, & voluntatem non intelligere potentias, sed tria munera seu actus diuersos: per memoriam enim intelligit actum memoriæ, scilicet recordationem: per intellectum, intellectionem: & per voluntatem, volitionem: qui tres actus bene possunt prouenire ab vna reali potentia. Similiter communis modus loquendi, vel debet intelligi de tribus potentiis formaliter distinctis, vel de tribus potentiis æquiualenter, quatenus scilicet anima habet vnam potentiam, qua mediante potest tres actus dissimiles producere, quemadmodum si haberet tres potentias.

*Ad confirmationem respondeo*, sicut ad *Augustinum*, quod illa similitudo sit accipienda secundum actus, & non secundum potentias; vel si secundum potentias sumenda sit, debet intelligi quoad potentias formaliter, non realiter distinctas: & sic etiam posset intelligi *S. Augustinus* & quicunque alii *Patres* istum numerum insinuant in potentiis Animæ.

# DISPVT. VII.

## *De Voluntate.*

SICVT præter cognitionē sensitiuam, quæ competit hominibus ratione animæ, qua sensitiua est, datur in illis appetitus sensitiuus ipsi correspondens; ita etiam præter cognitionem spiritualem & rationalem, quæ vocatur intellectus, datur appetitus spiritualis & rationalis ipsi correspondens, vt omnes fatentur, & patet experientia. Hic ergo appetitus vocatur *voluntas*, de qua iam agimus.

## QVÆSTIO I.

*De obiecto voluntatis.*

1. VOluntatem posse velle bonum prosequendo ipsũ & appetendo ipsum sibi, ac nolle malum ipsum fugiendo ac detestando, & consequenter tam bonum quam malum esse obiectum ipsius, quatenus potest in vtrumque tendere, tam receptum est ab omnibus, ac cõpertum experientia, quam dari ipsammet voluntatem. Vnde hoc non est, quod tanquam quid dubium quæritur in hac quæstione: sed *primo* an posset velle aliquid, quod non proponitur ipsi sub ratione mali. Si enim nõ potest, tum bonũ & malum vt sic erit obiectum adæquatum ipsius, quatenus potest tendere in quodcunque bonum & malum, & non potest tendere in aliquid quod non sit propositum ipsi sub ratione boni aut mali. *Secundo*, an possit velle malum sub ratione mali aut nolle bonum sub ratione boni. Si enim potest, tum bonum non erit obiectum adæquatum prosecutionis, nec malum fugæ; secus autem dicendum, si non potest. *Tertio denique*, an ratio formalis motiua, ob quam fugit malum, sit bonitas opposita, ita vt non possit fugere malum, nisi quatenus vult bonum oppositum ipsi: si enim sit, tum potest dici quod bonum vt bonum sit obiectum adæquatum formale voluntatis, & secus dicendum erit, si non sit.

Hæ ergo tres difficultates in hac quæstione examinãdæ sunt: ad hoc autem aduertendum est ex communissima doctrina triplex esse bonum, nempe honestum, delectabile, ac vtile. *Honestum* est, quod potest propter se amari, quamuis non delectaret, nec consideraretur vt delectabile. *Delectabile* est, quod delectat secundum se. *Vtile* denique, quod est conducens ad acquisitionem boni honesti, vel delectabilis.

Voluntas non potest ferri positiue nisi in bonum vel malum.

### CONCLVSIO I.

2. *Voluntas nequit velle aut nolle aliquid per nolitionem positiuam nisi bonum & malum.* Hæc est communissima, quamuis meo iudicio non sit tam facile illam probare, quam videri posset. Nam quantum ad rationem à priori, non videtur repugnare aliqua potentia, quæ posset etiam libere velle motum aliquem localem imperare, quamuis non proponeretur ipsi sub ratione boni aut mali, & ex suppositione non repugnantiæ talis potentiæ non poterit ostendi quod voluntas non sit talis, nisi à posteriori ostendatur quod non. Quantum autem ad rationem à posteriori, potius videtur experientia constare, quod de facto voluntas imperet quandoque motum localem digiti, verbi gratia, absque consideratione boni alicuius in illo motu; quam quod nunquam id faciat absque tali consideratione.

*Probatur* tamẽ conclusio, quia quidquid vult voluntas vel vult illud tanquam medium, vel tanquam finem: si tanquam medium, necessario debet velle illud quatenus cõducens ad acquisitionem finis, & consequẽter vult illud tanquam bonum, quia esse sic conducens est esse bonũ vtile. Si tanquam finem: ergo debet proponi ipsi sub ratione, sub qua mouere possit intentionaliter voluntatem ad volitionem, sed illa ipsa ratio est bonitas finis, quia est ratio propter se potens mouere voluntatem, seu ratio propter se appetibilis à voluntate: ergo debet proponi sub ratione boni, & consequenter nihil potest velle voluntas, nisi quod sit bonum, aut quod proponitur vt bonum. Rursus quidquid non vult, vel non vult illud propter se, vel non vult illud propter aliud, sed non potest nec propter se, nec propter aliud illud nolle, quin consideret in ipso rationẽ ob quã sit propter se, aut propter aliud nolibile; sed illa ipsa ratio est mala, seu malitia, quia opponitur appetibilitati propter se, aut propter aliud: ergo non potest nolle aliquid nisi consideratũ vt malum, & consequenter à primo ad vltimum nõ potest velle aut nolle, nisi considerando obiectum quod vult aut non vult, vt bonum, vel malum.

3. *Obiicies* rationem illam difficultatis propositã supra, *Sed respondeo ad rationem à priori*, repugnare omnino talem potentiã, quia sequeretur quod ferretur in bonum, & non ferretur: non ferretur ex hypothesi: ferretur autem, quia eo ipso quo ferretur, obiectum deberet habere rationem ob quam ferretur, & illa ipsa ratio est bonitas.

*Ad rationem à posteriori respondeo*, negando vlla experientia constare, quod imperetur talis motus à voluntate, quin proponatur vt appetibile, & cõsequenter vt bonum, quamuis non semper aduertat quis se moueri ob talem rationem, nec posset ostendere semper quænam ratio formalis particularis obiecti mouerit. *Dixi autem* in conclusione data opera, quod voluntas non possit nolle positiue, nisi rem consideratam vt bonam, aut vt malam, quia potest quamcunque rem quomodocunque consideratam nolle negatiue, non habendo scilicet actum positiuum volitionis imo necessario debet sic nolle, si non proponatur sub ratione boni aut mali, quia non potest habere actum positiuum nisi proposita tali ratione.

### CONCLVSIO II.

Non potest amare aut desiderare nisi bonũ aut nolle nisi malum.

4. *Voluntas non potest amare, aut desiderare, aut velle, nisi quod proponitur ipsi sub ratione aliqua boni: nec odio habere aut nolle, nisi quod proponitur ipsi sub ratione aliqua mali.*

Hæc est communis cum *S. Thoma* 1.2.*q.*8. & *Scoto* 3. *dist.*33.*n.*3.*&* in 4. *dist.*49.*q.*10.*num.*8. quamuis in 1. *dist.* 2.*q.*4.*&* in 2.*dist.*6. *q.*2. & *d.*43.*q.*2. quasi fuisset dubius, nihil resoluerit, est autem contra *Occamum* in 3. *dist.*13. *dub.*5. cum *Nominalibus & Angesto ac Almaino.*

*Probari* solet auctoritate *Philosophi* 3. *Ethicorum* 1. affirmantis omnem prauum, id est, male agentem, esse ignorantem. Sed non esset ignorans necessario, nisi quia vt faceret malum, deberet illud vt bonum apprehendere: nam faciendo malum apprehendendo ipsum vt malum, non esset ignorans: sed non deberet, vt faceret malum apprehendere malum, vt bonum, si posset prosequi malum vt malum: ergo non potest: & consequenter vera conclusio.

*Verum* meo iudicio hæc probatio non vrget; nam qui facit malum verbi gratia qui comedit illicitum, licet apprehendat ipsũ vt bonũ, non tamen necessario quatenus sic apprehendit ipsum, habet ignorantiam, quia re vera illa bonitas, quam apprehẽdit in ipso, est in ipso, v.g. bonitas delectabilis: ergo nõ eatenus vult *Philosophus* quod male agens semper sit ignorans, quia apprehendit illud, quod agit, sub ratione boni erroneè, hoc est considerãdo ipsum esse bonum, cũ tamen non sit bonum illa bonitate, qua apprehendit ipsum vt bonum. Itaque loquitur sine dubio *Philosophus* vel de ignorantia, quatenus hæc dicit exclusionem alicuius scientiæ, quam si male agẽs haberet, non male ageret, vel de ignorantia practica, quæ concidit cum electione mala. Sed ex neutra ex his ignorantiis potest probari conclusio, quia quamuis amaret quis malum vt malum, & odio haberet bonum vt bonũ, adhuc habere posset ignorantiam hanc vtramque: nam posset habere negationem alicuius scientiæ, quæ si adesset, non amaret malum, nec fugeret bonum: & præterea haberet sine dubio pessimam electionem.

5. *Melius ergo probatur* conclusio quantum ad authoritatem ex *D. Dionysio cap.*4 de diuinis nominibus dicẽtis: *Nemo ad malum intendens operatur*, id est, nemo applicat media ad prosecutionem mali, qua malum est, seu consideratum sub ratione mali.

*Probatur ratione primo* ex conclusione præcedenti: nam quod neque cõsideratur vt bonum aut vt malum, habet maiorem proportionem cum amore, desiderio ac cõplacẽtia, seu volitione, quam quod consideratur vt malum: nam malitia habet aliquid ex natura sua impediẽs, & nihil prouocãs, seu excitãs ad tales actus, sed quod nec bonum, nec malum est, aut consideratur, licet nihil habeat alliciẽs, tamen nihil habet quod deterreat aut impedire possit. Deinde illud, quod neque consideratur, vt bonum neque vt malum, maiorẽ habet proportionẽ cum odio fuga, & nolitione, quam quod cõsideratur vt bonum. ob eandem rationem, quia hoc habet aliquid impediens, illud nihil habet impediens: ergo si quod non cõsideratur

bonum

bonum aut malum, nequeat quis amare aut odio prosequi, neque poterit amare malum, aut odisse bonum.

*Probatur secundo*, per probationem conclusionis præcedentis, quæ directè probat hanc conclusionem.

6. *Probatur tertio*, quia sicut appetitus innatus est pondus & inclinatio rei habentis ipsum in bonum & non in malum, ita etiam appetitus elicitus debet pariformiter esse in bonum & nullo modo in malum; neque enim est vlla differentia inter vtrumque appetitum, nisi quod vnus sit innatus, hoc est insitus ac identificatus rei appetenti, nec præsupponens cognitionem boni in quod fertur; elicitus vero sit quid distinctum realiter ab appetente, ac præsupponens cognitionem boni in quod fertur. Hæc autem differentia non facit quod possit ferri in malum: ergo debet semper ferri in bonum: sed si appetitus elicitus debet semper ferri in bonum, auersio & fuga elicita debet ferri semper in malum, est enim eadem ratio: ergo.

*Vt soluantur* plurimæ ex rationibus, quibus hæc conclusio impugnari solet, aduertendum non esse dubium quin aliquis sibi & aliis quandoque appetat quod reuera est malum & physicum & morale, vt quando quis se interficit ob desperationem, vel in ordine ad vindicandum se de aliis: sed tum tamen semper considerat aliquã rationem boni in illa re, quæ vel est in ea à parte rei, vel apparet esse: nam in eadem ipsa morte considerat, quod vel excluderet mala præsentia aut imminentia, & hæc est bonitas aliqua, vel quod sit medium ad inferendum malum illis, de quibus vult sumere vindictam, & hæc etiam est bonitas aliqua. Hac ratione damnati possunt desiderare non esse, quia per illam destructionem priuarentur suis pœnis.

7. *Obijces præterea*: sequeretur quod non mereremur obseruando præcepta, quia illa obseruatio est bona: ergo si non possumus nolle bonum, necessario volumus illam, & consequenter non libere nec meritoriè.

*Respondeo* negando sequelam & consequentiam probationis. Primo, quia quamuis non possemus nolle illã possemus tamen illam non velle, siue negatiuè nos habendo; suppono enim iam, dari posse omissionem purã, siue volendo aliud incompatibile cum illa. *Secundo*, quia quamuis illa obseruatio sit bona, & vt bonam non possimus illam nolle, tamen etiam habere potest aliquam rationem mali, v.g. quatenus esset indelectabilis, aut inferens malum, vel excludens aliquod aliud bonum, & sub hac ratione possumus illã positiue & directe nolle.

*Obijces secundo*, sequeretur non posse quem odio prosequi Deum sine hæresi, quia non posset ipsum odio prosequi, quin consideraret in ipso aliquam rationem mali, talis autem ratio non potest in ipso considerari absque hæresi.

*Respondeo primo*, distinguendo consequens: absque hæresi formali, nego, quia ad hoc requiritur quod aduertat suam considerationem esse contra fidem, hoc autem nõ esset necesse: absque hæresi materiali, hoc est: absque errore qui reuera esset contra fidem, quamuis ab ipso hoc non aduerteretur, transeat consequentia.

*Respondeo secundo* absolute negando sequelam, & ad probationem dico quod posset apprehendere Deum sub ratione mali indelectabilis actu, & mali inutilis in ordine ad consecutionem alicuius boni, quod amaret, absque vlla hæresi aut errore; nam reuera Deus, vt est impediés bonum desideratum, est malum inutile, ac indelectabile desideranti illud bonum.

8. *Obijcies tertio*: voluntas est libera circa quodcunque obiectum sibi propositum: ergo potest, quemcunque voluerit actum, circum ipsum habere.

*Respondeo primo*, si loquatur obiectio de quocunque omnino obiecto cognito, negando antecedens, quia non potest ferri in obiectum vllum, nisi proponatur sub ratione boni, & mali, quia istæ sunt rationes circa quas nata est ferri voluntas.

*Respondeo secundo*, si loquatur obiectio de quocunque obiecto bono, & malo: & distinguo antecedens, est libera libertate specificationis, aut exercitij, concedo: est libera libertate specificationis, ita vt possit se habere indifferenter circa bonum amorem, vel odium, aut etiam circa malum, nego antecedens. Itaque voluntas circa bonum non habet, nisi libertatem exercitij quatenus scilicet potest illud velle, vel non velle, siue negatiuè per omissionem puram, siue indirectè per volitionem alterius incompatibilis: & eandem libertatem habet circa malum: circa vero rem, quæ consideraretur vt bona, & mala, habet vtramque libertatem, nam potest nec velle, nec nolle illud, vel directè, negatiuè se habendo, vel indirectè volendo; aut nolendo aliud, & sic habet libertatem exercitij circa illud; potest etiam, vel amare ipsum sub ratione boni, vel odio prosequi sub ratione mali, & sic habet libertatem specificationis circa illud.

## CONCLVSIO III.

Voluntas directè fertur in malũ ipsũ nolendo.

9. *Voluntas tam directè fertur in malum, ipsum fugiendo, quam in bonum, ipsum amando; & consequenter non debet dici bonum esse potius adæquatum obiectum ipsius, quam malum.* Hæc videri posset esse contra communem sententiam, nescio tamen an in re ita sit.

*Probatur*, quia quando proponitur aliquid voluntati, vt positiuè discõueniens ac displicens, quamuis non cogitet de oppositio positiuè placenti ac conuenienti, potest sine dubio nolle illud, sicuti potest velle illud, quod positiuè placet, non cogitando de oppositio, quod positiue displiceret: ergo tam bene potest directe ferri in malum positiuum, ipsum fugiendo, quam in bonum, ipsum prosequendo.

*Confirmatur*, quia ideo dicitur directe ferri posse in bonum, quia quando proponitur, habet virtutem attrahendi ad amorem, etiamsi non consideretur malum positiue oppositum, nec experimur nos ideo ipsum prosequi, quia nolumus malum oppositum positiue: sed malum æque habet virtutem attrahendi ad odium, & non experimur nos ideo illud odio habere, quia directe amamus illud, quod est oppositum ipsi: ergo tam directe ferimur in malum quam in bonum. Quod si dicatur fugam mali esse virtualiter prosecutionem boni, hoc non facit ad rem; tum quia conclusio facit mentionem de prosecutione ac fuga formali; tum quia sicut potest dici fuga mali esse prosecutio virtualis boni: ita potest dici quod prosecutio boni sit fuga virtualis mali. Et sic idem quantum ad hoc de vtroque dicendum est.

10. *Obijcies primo*: nemo potest applicare media, nisi ex eo, quod appetat finem, & magis directe ac formaliter dicitur appetere finem quam media: ergo quando quis non vult aliquid ex eo, quod impediat bonum, ideo illud non appetit, quia vult illud bonum: & consequenter magis directe, & formaliter vult bonum, quam non vult illud quod impedit eius consecutionem.

*Respondeo primo*, negando antecedens pro secunda parte, quia licet ille actus quo appetit media, non haberetur nisi esset actus, quo appetitur finis; & licet media non haberent aliquam bonitatem propriam, vt multi tenent, sed tota ratio appetendi ipsa esset bonitas finis: tamen hoc non obstante, eo actu, quo quis appetit illa formaliter vt sic, magis directe fertur in illa, quam in finem.

*Respondeo secundo*, concedendo totum; nec inde habetur aliquid contra conclusionem, quia conclusio non loquitur de fuga à malo in omni casu, & præsertim in casu, quo aliquis fugeret ab ipso, quatenus est impedimentum boni: sed in casu quo fugeretur, quatenus secũdum se inferret molestiam, & haberet imperfectionem positiuam sine consideratione ipsius, vt esset impedimentum alicuius alterius boni.

11. *Obijcies secundo*: eadem virtus inclinat ad fugiendum à malo, & ad prosequendum bonum oppositum; sed hoc non potest esse verum, nisi ex eo, quod ex prosecutione boni determinaretur sufficienter ad fugam mali oppositi, & quia non posset fugere malum, nisi ex amore illius boni: ergo ideo fugit malum, quia amat bonum & consequenter magis directe fertur in malum, quam in bonum. Probatur maior; tum autoritate communi, tum etiam, quia alias darẽtur duæ virtutes realiter distinctæ,

quarum vna esset determinata ad viuendum temperate, v. g. & altera ad fugiendam intemperantiam.

*Respondeo primo*, concedendo primam consequentiam, & negando secundam, propter rationem datam in responsione prima ad obiectionem præcedentem.

*Respondeo secundo*, negando minorem pro secunda parte: & si non posset negari pro ea parte tum *Responderi posset tertio*, distinguendo maiorem: quatenus malum esset impedimentum boni transeat: ad fugiendum à malo secundum se, negatur. Et ad probationem dico communem sententiam loqui de eadem virtute respiciente bonum, & malum, prout malum est impedimentum boni. Non est autem inconueniens quod alias darentur duæ virtutes, quarum vna inclinaret ad bonũ secundum se, alia ad malum secundum se fugiendum, loquendo semper de malo positiue, quod potest intelligi vt malum, absque ordine ad bonum.

## QVÆSTIO II.

*Quomodo dependet voluntas in operando ab intellectu.*

### CONCLVSIO I.

Omnis actus voluntatis dependet à cognitione.

12. *NVnquam habitus fuit actus vllus voluntatis prosecutionis, aut fugæ, amoris, aut odij absque cognitione.* Hæc est communissima, contra quosdam qui in extasi, putauerunt amorem reperiri absque cognitione.

*Probatur*, quia quamuis oppositum non repugnaret, tamen quod de facto contigerit non potest cognosci nisi experientia aliqua eorum, qui in seipsis hoc accidisse experti sunt: sed nemo potest talem experientiam probare etiam sibi ipsi, si debitam faciat reflexionem: nam ideo solum id posset colligere quatenus non experiretur in se cognitionem: sed certe posset esse in ipso; quamuis ipsemet tum eam non aduerteret propter defectum reflexionis. *Secundo*, quia quando haberet actum voluntatis, vel ille actus tenderet in aliquod obiectum propositum, & hoc aduerteret vel aduertere posset habens illũ actum, vel non: si non aduerteret aut aduertere posset: ergo illum actum non posset distinguere ab aliis actibus, nec posset scire vtrum esset circa obiectum bonum aut malum, quod est absurdum. Si aduerteret aut posset aduertere: ergo cognosceret illud obiectum, alias non posset id aduertere, vt est euidens, & consequenter ille actus non posset esse absque cognitione.

### CONCLVSIO II.

Volitio nõ posset facere volẽtem voluntatem absq; cognitione.

13. *Quamuis forte volitio quoad qualitatem absolutam quam dicit, possit conseruari in voluntate de potentia absoluta absque obiecto cognito: tamen non potest ita conseruari in ipsa, vt determinet ipsam ad volendum.* Hæc est communis, & *patet*, quia non potest sic determinare formaliter & sensibiliter, quin voluntas feratur in aliquid, sed non potest ferri in aliquid nisi in cognitum, est enim ex natura sua volitio determinata non minus ad prosecutionem boni ita, vt non possit esse directe circa malum, quam in bonum cognitum, sic vt non possit esse in bonum incognitum: ergo.

*Confirmatur*, quia non potest sic determinare, quin intellectus per reflexionem possit cognoscere circa quod versetur, sed hoc non posset cognoscere, nisi illud in quod ferretur esset cognitum. *Dixi* autem in conclusione, quamuis forte volitio possit quoad qualitatem absolutam, quam dicit, conseruari absque obiecto. Quia quẽadmodum cognitio est qualitas absoluta producta per intellectum media actione, ita etiam dicendum de volitione, & quemadmodum illa qualitas absoluta posset conseruari absque obiecto, iuxta dicta superius, non tamen ita vt faciat intellectum intelligentem: ita etiam de volitione dici posset. Quod si præterea ad qualitatẽ absolutam sequitur respectus actualis tendentiæ, sine quo non faceret intellectum intelligentem; ita similiter de volitione dicendum est: eadem enim est ratio quoad hoc de vtraque.

### CONCLVSIO III.

Voluntas est causa adæquata sui actus.

14. *Voluntas est causa adæquata physica sui actus, nec aut cognitio, aut obiectum cognitum concurrit cum illa physice ad illum.*

Hæc conclusio est magis communis inter *Scotistas*, & attribuitur communiter *ipsimet Scoto in* 2. *d.* 25. Sed reuera non potest colligi ex illo loco quod sit ipsius: nam solum docet quod nihil aliud possit esse causa totalis volitionis, & quod voluntas ad volitionem non se habeat mere passiue, nec aliquid aliud vrgent aut verba ipsius, aut rationes, quibus vel suam sententiam confirmat, vel infirmat aliorum. Imo *num.* 24. respondendo ad primum principale expresse videtur abstrahere ab hac controuersia, dat enim duas responsiones, vnam secundum sententiam tenentem quod obiectum moueat physicè voluntatem, concurrendo cum ipsa tanquam causa partialis; alteram secundum sententiam asserentem quod non concurrat physicè, sed metaphorice tantum: ergo ex illa quæstione nihil potest concludi ad propositum. Videtur tamen esse *D. Thomæ* 1. 2. *q.* 9. quem præter suos sequuntur Recentiores communiter.

*Probant aliqui*, quia alias actus liber produceretur à causa naturaliter agente, qualis est tam cognitio quam obiectum cognitum.

*Sed hæc probatio nullo modo placet*, nam non sequeretur quod produceretur à tali causa, tanquam à causa totali, nec esset inconueniens quod produceretur ab illa tanquam à causa partiali, quia in omni sententia debet admitti quod actus liberi virtutum supernaturalium producantur ab habitibus supernaturalibus partialiter, qui tamen habitus sunt causæ naturaliter agentes, & idem currit de actibus virtutum moralium, ad quos virtutes morales concurrunt physice secundum communem sententiam.

*Alij probant* conclusionem, quia sæpe vult voluntas aliquod obiectum, quod realiter non existit, & quod consequenter non potest physice concurrere ad productionem actus. *Nec hæc etiam ratio arridet*, tum quia non probant cognitionem non concurrere, tum quia voluntas non vult aliquod obiectum, nisi quod proponitur ab intellectu, & quod consequenter physice determinat intellectum ad cognitionem sui, vel secundum se immediate, concurrendo physice cum illo, vel secundum speciem sui, vel aliquid aliud æquiualens: sed qua ratione potest physice concurrere cum intellectu non obstante quod non existat, poterit etiam cum voluntate, quantum ad hanc rationem: ergo.

15. *Alij probant*, quia aliàs actus supernaturalis fidei infusæ concurreret efficienter & physice ad actum peccaminosum; sed hoc videtur absurdum: ergo. Probatur sequela maioris; quia quamuis non haberemus aliam cognitionem de furto, nisi cognitionem supernaturalem fidei, qua crederemus quod esset bonum vtile, & malum moraliter, potuissemus velle furtum, & illa volitio esset peccaminosa: ergo si ad volitiones concurrunt physicè cognitiones præuiæ, illa cognitio fidei concurreret physice ad actum peccaminosum.

*Sed certè* nec hæc etiam ratio mihi sufficit; nam quãuis esset absurdum forte, quod actus supernaturalis esset ex se determinatiuus ad actum peccaminosum, tamen non video cur esset inconueniens quod esset indifferens physicè ad concurrendum ad actum bonum, & malum, aut quod physicè actu concurreret ad malum ex determinatione voluntatis.

*Quod si dicas*, inde secuturum quod Deus esset causa per se peccati, quia esset causa per se actus supernaturalis, qui non posset absque gratia particulari illius elici.

*Respondeo*, non magis esse inconueniens quod Deus sit causa per se physica peccati, quam causa moralis, imo fortassis esset longe inconuenientius, quod esset causa moralis per se actus peccaminosi, si cognitio illa supernaturalis non concurreret physice, quã quod esset causa per se physica, si cognitio physice concurreret: quia saltẽ

illa

illa cognitio concurreret moraliter ad illum actũ,quandoquidem non haberetur sine illa , licet non influeret physicè in actum : ergo vel non est absurdum , quod Deus esset causa per se mediata actus mali ; vel id non sequeretur ex concursu cognitionis, quod longe melius dicitur , quia quamuis esset causa per se particularissima illius cognitionis,tamen quia hæc secundum se est bona & intenta à Deo in ordine ad hoc,vt habens illam fugeret à furto meritoriè , & solum concurrit siue physicè, siue moraliter ad actum malum ex determinatione voluntatis liberæ ; propterea Deus non posset bene dici causa per se physica, aut moralis actus mali,licet cognitio physicè , aut moraliter ad eum concurreret.

16. *Probatur ergo conclusio melius :* quia nihil impedit, quo minus ipsamet voluntas absque concursu physico obiecti, aut cognitionis , tanquam causa adæquata producat actum suum ; & licet dependeat à cognitione & obiecto,tamen hæc dependentia potest esse à cognitione quidem,tanquã à conditione proponente, & ab obiecto, tanquam à termino, in quẽ fertur:huiusmodi autem dependẽtiæ non arguunt causalitatem physicã effectiuam.

*Confirmatur*, quia sic se videtur habere intellectus cognoscens ad voluntatem , sicut consulens ad hominem cui dat consilium;sed consulens ; nec concurrit physicè cum eo, cui consilium dat:ergo intellectus non concurrit physicè, & effectiuè cum voluntate secundum se,nec secundum cognitionem.

*Obijcies* : voluntas non debet habere maiorem actiuitatem respectu volitionis , quam intellectus respectu intellectionis : sed hic non habet adæquatam,sed particularem : ergo nec voluntas.

*Respondeo*, negando maiorem:hæc enim debet tantam habere,quanta potest per rationem illi attribui, siue intellectus habeat tantam,siue non ; sed per rationem potest ipsi tribui actiuitas totalis , quæ non potest tribui intellectui,vt pater ex dictis disputatione præcedenti.

*Obijcies secundo*:in actu voluntatis est ordo particularis ad obiectum , circa quod fertur , ratione cuius & distinguitur ab omni alio actu, qui tendit in quodcumque aliud obiectum , & non potest tendere in aliquod aliud obiectum;sed non videtur,quod possit habere illum ordinem particularem ab ipsamet voluntate,quæ est indifferens ad quoscumque actus & obiecta : ergo debet obiectum concurrere.

*Respondeo*, negando minorem . quemadmodum enim ab eadem causa locomotiua possunt , tanquam à causa adæquata,produci effectiuè diuersa *vbi*, quæ dicunt specialem dependentiam à diuersis terminis , & subiectis, ratione cuius inter se distinguuntur,ex suppositione applicationis talis,vel talis : ita etiam potest contingere in proposito.Et si volitiones à solo Deo effectiuè producerentur,nec ab alio possent produci , adhuc haberent diuersos illos ordines ex natura sua intrinseca , nec tamen inde sequeretur quod producerentur ab illis obiectis : ergo illa diuersitas ordinis non sufficit præcisè ad inferendam causalitatem effectiuam obiecti.

*Obijcies tertio* finis mouet voluntatem : ergo concurrit cum illa ad actum , & consequenter voluntas non est causa totalis.

*Probatur prima consequentia* , quia non potest intelligi quomodo moueat, nisi concurrendo.

Quomodo obiectum cõcurrit cũ voluntate ad actum.

*Respondeo* , distinguendo consequens, in genere causæ efficientis , nego ; in genere causæ finalis, transeat : nec enim est contra conclusionem , quod aliquid concurrat cum voluntate in alio genere causæ,siue concurrat physicè,& realiter, seu metaphoricè , & non physicè, modo non concurrat in genere causæ efficientis.

*Instabis* , actus primus quem habet voluntas circa finem, v. g. amor ipsius non causatur à fine, tanquam à causa finali, quia nihil sic causatur, nisi quod procedit à fine,vt amato : sic autem non procedit à fine primus ille actus,quia alias finis antecedenter esset amatus : sed ille primus actus procedit à fine illo amato,& ad illum finis mouet voluntatem : ergo finis concurrit effectiuè ad actum voluntatis.

*Respondetur* , distinguendo minorem , procedit à fine, & ad eum finis mouet voluntatem,quatenus,vel ipsemet obiectiuè propositus inclinat formaliter voluntatem ad illum amorem , vel producit in ipsa aliquid , quod sic ipsam inclinat,vt delectationem,aut quid simile, concedo minorem;quatenus concurreret cum ipsa physicè, & effectiuè ad ipsummet amorem, nego minorem, & consequentiam. Quod autem obiectiuum illud bonũ, quod proponitur voluntati,non moueat ipsam ad amorem per concursum physicum, sed per modum determinãtis formaliter ; probatur meo iudicio satis euidenter:quia non magis mouetur voluntas ad amorẽ vnius obiecti, quod proponitur , quam remouetur ab illo amore per aliud obiectum,quod tum proponi potest,& solet , verbi gratia , quando voluntas proposito bono honesto vno , & altero delectabili , amat quidem bonum honestum, sed cum difficultate , tum mouetur ab vtroque obiecto ; & quantum ad sensum videtur magis moueri (quantum ad motionem omnem , quæ antecedit amorem , & ratione cuius inclinatur ad amorem ) à bono delectabili , quam ab honesto , & hinc productio amoris circa bonum honestum fit ipsi difficilis:sed non mouetur tum physicè,& effectiuè à bono delectabili ad amorem suum, quandoquidem non detur ; sed solum per modum inclinantis formaliter: ergo eodem modo dicendum est de altero bono honesto quod amatur. Quæ doctrina valde aduertenda est.

## CONCLVSIO IV.

Diuersitas specifica cognitionũ, quibus proponitur obiectum, non arguit diuersitatẽ volitionum.

17. *Diuersitas specifica cognitionum , quibus proponitur obiectum voluntati , non necessario infert distinctionem specificam actuum voluntatis, etiamsi esset tanta, vt vna esset naturalis , & altera supernaturalis.* Hæc in terminis non solet proponi, sed prima pars videtur non posse negari.

*Probatur* autem quia alias , quando aliquis cognosceret per fidem humanam Deum esse bonum in se,ipsumque propterea amaret amore naturali , & quando cognosceret ipsum esse talem per opinionem, aut scientiã, & vt talem eum similiter amaret , haberet diuersos specie amores naturales;& similiter quando aliquis cognosceret per fidem humanam,bonam esse Temperantiam, ac proprerea vellet temperate viuere , haberet actum Temperantiæ distinctum ab illo , quem haberet , cum amaret ipsam , quando cognosceret per opinionem aut scientiam,quod esset bona ; & sic darentur tres Temperantiæ naturales diuersæ speciei , vna præsupponens fidem,altera opinionem,tertia scientiam;imò plures adhuc,quia possent esse opiniones & scientiæ diuersæ speciei de bonitate Temperantiæ , sed hoc est absurdum: ergo.

Cognitio supernaturalis posset sufficere ad cognitionẽ naturalem.

*Probatur quoad secundam partem*;quia alias,si quis vellet furari quando cognosceret furtum esse delectabile & inhonestum per actum fidei supernaturalis : haberet actum voluntatis distinctæ speciei ab actu , quo vellet furari , quando idem cognosceret cognitione naturali; quod etiam est absurdum.

18. *Dices*,cognitionem supernaturalem non posse esse regulam sufficiẽtem pro actu naturali:ergo falsum supponitur in hac probatione , nẽpe quod posset quis velle furtum volitione naturali,quãdo cognosceretur solummodo cognitione supernaturali. Probatur antecedens; quia cognitio naturalis non posset sufficere pro regula ad habendum actum supernaturalem voluntatis : ergo nec supernaturalis ad habendum actum naturalem.

*Respondeo*,nẽgando antecedens,quia euidens est quod voluntas cognoscens per fidem furtum esse malum , & delectabile vel vtile, posset habere aliquem actum naturalem circa ipsum , ( ex suppositione , quod non habeat aliquam virtutem infusam) vel prosecutionis, vel fugæ. Imò quamuis haberet illos habitus,adhuc potest habere voluntatem furandi , quæ est actus naturalis , alias non posset peccare. Ad probationem autem antecedentis,

*Respondeo primo*, negando consequentiam : quia actus supernaturalis ob suam perfectionem posset habere virtutem concurrendi non solum ad actus eiusdem ordinis, sed etiam ad inferioris;licet actus naturales non possent habere

habere virtutem concurrendi ad actus supernaturales superioris ordinis.

*Respondeo secundo*, probabiliter negando antecedens; nam vt alias aduerti in commentario ad *dist.* 36. *Tertij num.* 276. Si non posset cognitio naturalis sufficere ad actus supernaturales voluntatis, sequeretur quod cognoscens Deum scientificè à posteriori secundum suas perfectiones absolutas infinitæ sapientiæ, bonitatis, misericordiæ, &c. non posset ipsum vt sic amare amore supernaturali, quia secundum principia communiora vtriusque scholæ Scotisticæ, ac Thomisticæ, nequit habere cognitionem fidei de illis rationibus, quandoquidem fides, & scientia de eodem obiecto naturaliter non compatiantur; sed hoc videtur absurdissimum: ergo potest cognitio naturalis sufficere ad habendum actum supernaturalem voluntatis.

Cognitio naturalis posset sufficere ad volitionem supernaturalem.

*Confirmatur*, quia quando aliquis iustus, ex eo quod iudicet aliquem esse pauperem & dignum eleemosyna, qui reuera non est pauper, nec dignus, vult dare ipsi eleemosynam ex motiuo charitatis, & illa volitio est supernaturalis, & tamen habet pro regula proponente cognitionem naturalem, talis enim est cognitio, neque enim est supernaturalis, cum sit erronea: ergo cognitio naturalis sufficit quandoque ad actum voluntatis supernaturalis.

*Confirmatur secundo*, quia nihil impedit quo minus possit sufficere ad hoc talis cognitio, nam quod sit inferioris ordinis non facit ad rem, cum possit habere hanc rationem inferioritatis ex aliis capitibus quamuis possit sufficere ad actum superioris ordinis, sicut enim ipsa voluntas non obstante quod sit inferioris ordinis quam actus supernaturalis, potest partialiter concurrere ad ipsum efficienter & physicè: ita etiam illa cognitio posset esse naturalis ordinis, ac inferioris, & nihilominus concurrere non solum per modum conditionis proponentis; sed etiam per modum causæ partialis effectiuè, quantum ex hoc capite ad actum superioris ordinis.

19. *Dices*, hinc sequeretur quod sine fide supernaturali possit haberi actus meritorius de condigno, & sic sine fide posse quem placere Deo, contra Apostolum ad Hebræos 11.

*Respondeo*, distinguendo sequelam: sine fide actuali tanquam proximo directiuo, transeat sequela, quo ad vtramque partem, nec id est contra Apostolum: sine fide habituali, aut sine fide actuali vlla, nego sequelam. Itaque requiritur fides habitualis ad meritum de cõdigno, quia nunquam infunditur gratia iustificans requisita ad tale meritum absque fide habituali. Requiritur etiam fides actualis, quia non infunditur de nouo adultis, saltem in prima conuersione eorum ad Deum, absque fide actuali: & quia est præceptum de credendo fide diuina actuali aliquando, quod si quis transgrederetur culpabiliter, peccaret mortaliter & non posset mereri de condigno.

Quod autem non requiratur actus fidei supernaturalis ad omne meritum de condigno, confirmari potest per doctrinam satis communem eorum, qui dicunt quod iustus per actus virtutum moralium etiam acquisitarum non imperatarum actu à charitate mereatur de condigno: nam ad illos actus vt sic eliciendos non requiritur actus supernaturalis fidei, sed actus cognitionis naturalis, qua cognoscitur honestas naturalis eorum.

20. *Obijcies*: Actus amoris beatifici est diuersæ speciei ab actu amoris supernaturalis viæ: sed illa diuersitas non oritur nisi ex diuersa propositione obiecti beatifici, nempe Dei, qui in patria proponitur clare per visionem beatam, & in via solum proponitur per fidem obscuram, & per scientiam naturalem à posteriori: ergo diuersitas cognitionum sufficit ad hoc vt actus voluntatis sequentes sint diuersæ speciei.

*Respondent* multi negando maiorem, putant enim illos actus solum distingui secundum maiorem, & minorem intensionem. Sed quamuis hoc forte non sit improbabile, tamen quemadmodũ diuersitas cognitionis posset sufficere ad diuersitatem in actibus, quoad intensionem: ita posset etiam sufficere ad diuersitatem specificam eorum præsertim, si actus, vt supponitur iam, dependet solũmodo efficienter à voluntate, nam æque difficile est concipere, quod voluntas se sola ob diuersitatem cognitionum producat nunc intensiorem, nunc minus intensam cognitionem, quam quod se sola producat ob eandem varietatem, nunc actum huius speciei, nunc illius.

Quãdo ex diuersitate cognitionis est diuersitas in volitionibus.

21. *Respondeo secundo*, admittendo maiorem cum *Doctore in 3. dist. 31. n. 9.* & minorem etiam, & distinguendo consequens; diuersitas quæcumque, nego: diuersitas talis, ex qua habet proponi obiectum sub alia ratione obiectiua, transeat: talis autem est diuersitas cognitionum viæ, & patriæ circa Deum, nam in via non proponitur per vllam cognitionem, siue fidei, siue scientiæ; nisi secundum conceptum confusum habitũ per species emendicatas à creaturis mediante discursu; in patria vero proponitur intuitiuè secundum se, & rationem suam propriam; vnde non est mirum, quod volitiones seu amores ipsius pro vtroque statu sint distinctæ speciei, imò debent necessario esse, quia amor viæ terminatur ad Deum, vt conceptum per species alienas, & amor patriæ terminatur ad ipsum, vt conceptum intuitiuè secundum rationem propriam.

*Vnde potest tertio responderi* negando minorem, nam illa diuersitas oritur ex diuersitate obiecti secundum quod concipitur vtraque cognitione viæ, & patriæ.

Itaque quando dicitur in conclusione, quod varietas specifica cognitionum non arguit varietatem specificam actuum, hoc debet intelligi de varietate tali; ex qua non sequitur obiectum proponi diuerso modo obiectiuè, nõ vero de varietate, ex qua id sequeretur; talis enim diuersitas non est inter cognitiones fidei supernaturalis, & fidei naturalis, aut scientiæ abstractiuæ, & confusæ, quia eædem species obiecti cogniti deseruiunt omnibus his cognitionibus, vt patet: est autem talis distinctio inter cognitionem intuitiuam, & cognitionem abstractiuam habitam per species alienas, & maxime inter cognitionem beatam, & quamcumque cognitionem viæ de Deo: vnde non est mirum quod amor patriæ, & viæ, licet prouenientes ab iisdem principiis physicis, sint diuersæ rationis.

## CONCLVSIO V.

Non requiritur iudicium de bonitate obiecti ad amorem.

22. *Non requiritur iudicium de bonitate obiecti ad hoc, vt voluntas feratur in illud, sed sufficit quandoque apprehensio de ipsa, & possibilitate eius.* Hæc videtur minus communis; sed eam tenet expressè *Arriaga disp. 7.* eamque docui ante in *3. dist. 25. quæst. 2. lateral. num. 125.* antequam vidissem *Arriagam.*

*Probatur*, ex dictis ibi, *primò*, quia nihil impedit, quo minus talis apprehensio sufficeret. *Secundò*, quia appetitus sensitiuus bruti mouetur per cognitionem sensitiuã apprehensiuam, quæ non est iudicium. *Tertiò*, quia experientia videtur constare, quod moueamur aliquando ad prosecutionem rei, quam non iudicamus esse bonam; vt quando aliquis proponit nobis tanquam vtile ad sanitatem aliquod remediũ, quod ipsi non iudicamus esse bonum, sed potius apparet nobis quod sit malum, aut quod non sit bonum, & tamen quia apprehendimus posse esse quod sit bonum, applicamus illud ad omnem euentum.

## QVÆSTIO III.

### *An voluntas sit potentia libera.*

PEr potentiam liberam non intelligitur hic potentia, quæ possit agere & non agere quomodocumque, quia sic ignis esset liber, potest enim calefacere quando applicatur debite, & non agere, quando sic non applicatur: nec etiam illa potentia, quæ possit alterum ex oppositis actibus producere, quia sic intellectus esset potentia libera, quia potest quandoque dissensum, quandoque assensum elicere, etiam circa eandem conclusionem. Sed intelligitur per potentiam liberam, potentia illa, quæ præsuppositis omnibus prærequisitis ad agendum potest agere, vel non agere.

CONCLV

## CONCLVSIO I.

23. *Voluntas est potentia libera.* Hæc est communissima cum *Doctore in 2.dist.21. & D.Thoma 1.2.q.9.*

Voluntas est potentia libera.

*Probatur primo*, quia de fide est dari in homine liberum arbitrium: quo mediante, possit pro arbitrio suo bonum, vel malum, eligere, & obseruare, vel non obseruare præcepta tam diuina, quam humana: ergo datur in ipso aliqua potentia, qua mediante possit id facere: sed nulla alia, præter voluntatem: ergo voluntas est potentia libera. Antecedens est de fide contra Manichæos, & Caluinistas, ac illos etiam Gentiles Philosophos, qui ineuitabili quodam fato res humanas regi existimauere; & habetur expresse Deuteronomij. *Testes inuoco cœlum, & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, maledictionem & benedictionem: eligite ergo.* Ios. 24. *Optio vobis datur, eligite quod placet.* Eccl. 24. *Apposui tibi ignem & aquam: ad quod volueris extende manum.* In quæ verba *August.* de gratia, & libero arbitrio, *cap.12. Ecce*, inquit, *apertissimè videmus expressum nostræ libertatis arbitrium.* Zachar.1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Per quæ verba admonemur libertatis nostræ, secundum Tridentinum, à quo antecedens definitum est *sess.6. cap.5. & 4.* Probatur iam subsumptum, quod videtur esse contra *Albertum*, qui liberum arbitrium esse habitum superadditum potentiis hominis; & *Magistrum*, qui ipsum consistere in intellectu, & voluntate putauit; quia non potest assignari in quo consisteret: non enim in habitu superaddito, tum quia gratis fingitur talis habitus; tum quia habitus non agit, nisi secundum quod determinatur à potentia, cui datur, quæ propterea si naturalis est, naturaliter determinabit, & sic actus non erit liber; si vero sit libera, ergo, præter habitum illum datur potentia libera, & sic frustra ponitur habitus, qui sit talis potentia. Neque etiam in intellectu, quia est potentia naturalis, quæ obiecto proposito determinatur ad actum quemcumque suum. Neque in intellectu, & voluntate simul sumptis, quia simul sumpta non habent alium actum, nisi actus voluntatis, quos quilibet ex illis seorsim producit: ergo si illi actus non sunt liberi, nec voluntas, & intellectus simul sumpti erunt liberum arbitrium: sed actus intellectus non sunt liberi: ergo actus voluntatis soli sunt liberi, & consequenter voluntas sola erit potentia libera.

Liberum arbitrium non est habitus aliquis.

Nec intellectus & voluntas simul.

24. *Confirmatur hoc*, quia eatenus intellectus esset de ratione liberi arbitrij, quia prærequiritur actus eius ad actum liberum procedentem à libero arbitrio: sed hoc non sufficit, quia actus eius prærequiritur ad actum voluntatis, & tamen non propterea debet dici, quod intellectus sit de intrinseca ratione voluntatis: ergo ex eo, quod prærequiratur actus eius ad actum liberi arbitrij, non potest esse de intrinseca ratione liberi arbitrij.

*Confirmatur secundo*; quia illa potentia est censenda liberum arbitrium, quæ est libera, & in cuius manu est, posita quacumque propositione obiecti, prosequi illud, vel non prosequi; sed hoc est in manu voluntatis si sit in manu vllius: ergo voluntas est dicenda liberum arbitrium, & consequenter libera.

*Probatur secundo conclusio*: quia experimur in nobis ipsis, quando volumus aliquid, esse in manu nostra, non velle illud, nec aduertimus aliquid esse, quod determinat nos necessario, aut etiam moraliter in omni casu: ergo dicendum est, quod voluntas sit libera.

*Aduerto autem*, circa hanc probationem ab experientia, quod in sententia eorum, qui negant omissionem puram, vix valere posset; nam si Deus haberet decretum de non concurrendo nobiscum in instanti *A*, nisi ad illum actum quem tum elicimus, non possemus vllum alium actum elicere, & tamen quantum ad experientiam nostram videremur nobis æque nos posse producere alios actus, ac de facto possumus, quia per experientiam non possumus cognoscere, an Deus habeat tale decretum, necne; ergo non possumus experientia vlla probare, quod agamus libere, quæ agimus, in illa sententia. Imò si Deus posset necessitare voluntatem ad actum, siue producendo ipsum in voluntate se solo, siue mediante aliqua qualitate ad eam prædeterminante, difficile est ab experientia colligere quod vllus actus noster sit liber de facto, quia non patet experientia, an actus, quos habemus de facto, sint producti à solo Deo, an à qualitate aliqua prædeterminante, an vero à nobis ipsis sine prædeterminatione aliqua. Vnde hæc probatio solum valere potest in hoc sensu, quod quandoquidem non sentiamus, nec experiamur nos determinari ad vnam partem, & aliquando reperiamus quod amplectamur partem ad quam minus inclinamur, hæc dicendum sit, quod Deus solus producat in nobis vllos actus aut qualitatem determinantem, nec quod decernat non concurrere ad actus oppositos, debeat dici, quod libere producamus nostros actus.

*Probari solet tertio*, quia alias inutilia essent præcepta, consilia, increpationes, suasiones, terrores, quibus plena est non Scriptura tantum, sed Patrum & Doctorum libri.

*Sed hæc ratio eludi posset* negando sequelam; quemadmodum enim pueri ante vsum rationis, & anim alia minis ac increpationibus nonnunquam, nonnunquam etiam blanditiis inducuntur ad facienda aliqua, quæ alias non facerent, quamuis non habeant facultatem vllam liberam: ita posset dici, quod homines suasionibus ac minis flecti possent, quamuis carerent libero arbitrio: & consequenter, minæ & suasiones non essent frustra. *Confirmatur*, quia suasiones, & terrores possent esse conditiones hic & nunc necessariæ, vt determinaretur voluntas ad id quod faceret, quamuis necessario ageret: ergo non essent frustraneæ.

25. *Obiicies primo* ex *Luthero* Isaiæ 41. *Bene & male si potestis facite*, quasi diceret quod non possint: ergo.

*Respondetur*, ex hoc loco, vt & ex aliis multis manifeste colligi Lutherum fuisse, vel ignorantissimum, vel ex malitia voluisse errores suos per fas & nefas imponere hominibus: ibi enim vt patet expresse ex contextu, non fit mentio de hominibus, sed de Idolis gentium, quæ illis verbis irridet *Isaias*, sicut Dauid illis aliis Psal.13. *Os habent & non loquentur*, &c. Quod si etiam fieret mentio de hominibus, non esset sensus: quod non possent bene, vel male facere pro arbitrio suo, quando haberent omnia principia sufficientia ad agendum, sed quod non possent habere omnia illa principia absque dependentia à Deo & quod non possent bene agere absque gratia particulari, quod certum est, sed non ad rem.

*Obiicies secundo*, Augustin. in Enchiridio *cap.30.* ait *Libero arbitrio male vtens homo, & se, & ipsum perdidit*: ergo non est liberum arbitrium pro hoc statu.

*Respondeo* negando consequentiam, quia non magis dicit hominem perdidisse liberum arbitrium, quam seipsum: sed certum est quod non perdiderit seipsum ita, vt non sit pro hoc statu homo: ergo nec ita perditum est liberum arbitrium, quin sit pro hoc statu. Itaque sensus *Augustini* est, quod perdiderit seipsum, & liberum arbitrium sic, vt non habeat nec homo illam felicitatem, nec voluntas eam facilitatem bene operandi, quam habuit in Paradiso.

*Deinde* posset dici, quod perdiderit liberum arbitrium quantum ad facultatem bene operandi operibus supernaturalibus, quia peccato originali sibi & posteris demeruit priuari habitibus, & donis supernaturalibus, sine quibus nō posset ipse, aut posteri operari bene supernaturaliter, & vtiliter ad salutē: sed inde nō sequitur quin sit tamen liberum arbitrium pro hoc statu non solum quoad alias operationes naturales, sed etiam quoad supernaturales: quia quamuis fuerit perditum quoad hāc facultatem, fuit tamen per merita Christi recuperatum. Adde *S. Augustinum lib.2. contra duas epistolas Pelagianorum cap.5.* explicasse, quo sensu ipsemet locutus fuerit. *Peccato*, inquit, *Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus; sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo; ad bene autem pieque viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis, Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum adiuta.*

Obiicies

*Obiicies tertio*, contra id quod dictum est, nempe solam voluntatem esse liberum arbitrium. Arbitrium pertinet ad intellectum, eius enim est arbitrari: ergo intellectus, vel est liberum arbitrium, vel pars eius.

*Respondetur*, quamuis secundum etymologiam nominis *arbitrium* forte deriuetur ab *arbitror*, cuius actus spectant ad intellectum, & quandoque etiam significet illum actum, quo intellectus arbitratur; tamen postea extensum est illud nomen ad significandum actum liberū voluntatis, & ipsammet voluntatem, prout est principium talis actus; vnde valde latine dicitur in arbitrio nostro esse rem aliquam velle, vel non velle, etiam quādo intellectus arbitraretur, vel iudicaret illud non esse volendum. Vnde in forma distinguo antecedens: arbitrium quod est actus liber, aut actus liberi arbitrij, nego antecedens, arbitrium, quod est opinio, aut iudicium intellectus de aliqua propositione, concedo antecedens, & nego consequentiam.

28. *Pro complemento autem huius conclusionis*, aduertendum est voluntatem posse dupliciter considerari. *Primo* quatenus est principium agendi spontaneè circa obiectum sibi gratum, suppositā cognitione eius, abstrahendo à modo agendi cum indifferentia, & vt sic dicitur habere rationem formalem voluntatis. *Secundo*, quatenus est principium agendi cum indifferentia, & vt sic dicitur habere rationem liberi arbitrii, & non voluntatis. Hinc oritur æquiuocatio inter aliquos Doctores, in hac materia, dum aliqui dicunt liberum arbitrium formaliter consistere in voluntate; aliqui non; & videntur sibi contradicere, cum reuera non contradicant: nam qui opinantur ipsum nō esse volūtatem formaliter, loquuntur in sensu formali & reduplicatiuo, quatenus scilicet voluntas est, accipiendo voluntatem in primo sensu præcisè, & vt sic certum est, quod liberum arbitrium non sit voluntas. Qui vero dicunt liberum arbitrium esse voluntatem, non capiunt voluntatem in illo sensu, sed vel realiter, quatenus scilicet illa potentia, quæ est voluntas sub vna ratione, est liberum arbitrium sub alia ratione, vel formaliter accipiendo voluntatem non pro ratione voluntatis vt sic, aut in primo sensu, sed secundum rationem formalem voluntatis talis specificæ, quæ habeat velle libere. Quod bene aduertere oportet, tum ad intelligendos authores, tum ad disputandum, vt vitetur controuersia de nomine.

Voluntas potest cōsiderari, vt voluntas, & vt libera.

Iuxta hoc autem posset explicari *Alensis* 2. *par. quæst.* 72. dicens liberum arbitrium esse potentiam distinctam ab intellectu, & voluntate. Quod certum est, loquendo de distinctione formali, & capiendo voluntatem formaliter in primo tantum sensu: qui tamen sensus est minus commodus, tum quia nihil impedit quo minus voluntas rationalis significet formaliter voluntatem, vt est principium agendi libere, tum quia sicut actus liber voluntatis dicitur formaliter volitio, aut nolitio libera, pariter principium liberum talis actus debet formaliter vocari posse voluntas libera.

## CONCLVSIO II.

Voluntas est libera qua actiua.

29. *Voluntas habet libertatem, quatenus actiua est, ita vt nisi esset actiua non posset esse libera.* Hæc est communis, contra *Arriagam*, qui putat causam materialem, vt materialis est, posse esse liberam absque illa actiuitate.

*Probatur* ex *Tridentino sess.* 6. *cap.* 5. vbi vt ostendat nos libere Deo vocanti assentiri, quando conformamus nos inspirationi diuinæ, definit, nos non mere passiue, sed actiuè nos habere in illo assensu: ergo requiritur actiuitas ad liberè agendum.

*Dices*, aliud esse, quod voluntas nostra liberè consentiat actiue agendo: aliud, quod non posset libere concurrere, nisi actiue concurreret: ergo quamuis primum asseratur à *Concilio*, non inde tamen sequitur secundum.

*Contra*, quia *Concilium* eatenus dixit nos libere concurrere actiuè agendo, quatenus existimauit non posse nos liberè concurrere, nisi actiuè cōcurreremus, neque enim habuit alia fundamēta actiuitatis asserendæ nisi fundamenta *Scripturæ*, *Conciliorum* & *Patrum*, ex quibus habetur quod libere concurramus; ergo concursus liber non potest esse absque actiuitate.

*Deinde*, si solum concurreret quis materialiter, solum mere passiue se haberet ad consensum; nam concursus materialis à concursu effectiuo per hoc potissimum & solum distinguitur, quod ille sit solus passiuus, hic vero actiuus: ergo si solum concurreremus materialiter, mere passiue nos haberemus.

*Probatur secundo*, quia vt potentia sit libera, debet esse in potestate eius ponere actum, vel non ponere, & præbere suum concursum, vel non præbere, sed si solum esset causa materialis, hoc non esset verum: ergo debet esse actiua, vt sit libera.

*Probatur minor*; quia si esset in manu causæ materialis præbere, vel non præbere concursum suum, esset causa efficiens, & sic non esset materialis tantum, contra hypothesim, quia ab ea esset principiū motus, & ipsi principaliter esset adscribendum quod effectus esset; nam cæteris causis applicatis si illa vellet, effectus esset, & si non vellet, non esset.

*Quæres*, an libertas voluntatis consistat radicaliter in intellectu?

An libertas volūtatis radicetur in intellectu.

*Respondeo* resolutionem dependere à modo explicandi quomodo radicaliter in intellectu consisteret, diuersæ enim explicationes assignari solent, & secundū aliquas pars affirmatiua tenenda est: secundum alias, negatiua.

Itaque si intelligitur per hoc, quod voluntas nō possit libere agere, nisi præsuppositō actu intellectus proponēte ipsi obiectum, circa quod libere agit: respondendum est omnibus affirmatiue: quia volūtas nequit ferri in incognitum, vt patet ex dictis. Si vero intelligatur per illā radicationem, quod voluntas nō possit libere agere, nisi determinetur per iudicium practicum, aut imperium intellectus, quod sit distinctum à iudicio speculatiuo, quo cognoscitur, quod obiectum sit bonum, aut malum, & quod sit talis naturæ, vt eo posito ponatur actus voluntatis, & eo nō posito nō ponatur. *Respondendū* est negatiue, nam illud imperium, & superfluit, & repugnat libertati, superfluit quidem, quia ad exercitium libertatis sufficit proponi obiectum vt bonum aut malum per alterum iudicium, quod vocant speculatiuum: repugnat etiam libertati, quia est vnum ex prærequisitis ad exercitium actus, & necessario inferens illud exercitium, & consequenter eo posito non esset verum, quod voluntas positis omnibus prærequisitis possit hābere actum, vel non habere.

*Confirmatur hoc*, per ea, quæ docui in Commentario ad 3. *dist.* 36. *num.* 73. & 99.

31. Si denique eatenus dicatur libertas radicari in intellectu, quia requiritur iudiciū indifferens proponens obiectum non sub ratione boni tantum, sed sub ratione boni cum imperfectione, & consequenter sub ratione boni & mali, ita, vt si non proponeretur sic, sed sub ratione boni tantum, voluntas necessitaretur ad illud amandum, quomodo hæc radicatio explicatur communiter à Thomistis cum *D. Thoma* 1. 2. *quæst.* 6. *Respondendum* est *contra eosdem* negatiue, quia falsum est requiri tale iudicium indifferens, sicut & falsum est voluntatem necessitari pro hoc statu ad amandum Deum quamuis proponeretur solum sub ratione summi boni absque vlla imperfectione, nam & posset eo sic proposito nullum habere actum, sed omissionem purā, si hæc sit possibilis, de quo statim, & posset etiam ferri in alia obiecta minus bona, quæ simul proponerentur, vt suppono ex materia de Beatitudine.

*Aduerte autem hic obiter*, supposito, quod daretur ac requireretur huiusmodi iudicium indifferens ad exercitium libertatis, illud non sufficere, vt actus volūtatis sequens ipsum sit liber, si necessario sequeretur ad illud, & voluntas ad illum eliciendum necessitaretur physice, cuius oppositum improbabiliter docet *Bannes* 1. *p. q.* 19. *art.* 10. & ipsum sequutus *Zumel ibidem*, & *Aluares disp.* 127. hac ratione saluantes libertatem actus voluntatis non obstante prædeterminatione physica.

Quod

Indifferétia iudicij præuij non sufficit ad libertatem actus necessario sequentis.

32. Quod autem id non sufficiat ad libertatem actus, patet, *primo*, quia aliam libertatẽ haberet actus, qui procederet à voluntate, stante tali iudicio sic, vt eum posset non ponere; quam actus ille, quem necessario poneret eo stante; sed primus actus non haberet aliam libertatem quam contingentiæ: ergo secundus talem non haberet, quod est intentum.

*Secundo*, quia quamuis maneret radix alicuius effectus, si aliquid impediret quo minus sequeretur ipsemet effectus formaliter, non posset dici quòd effectus simpliciter esset, aut saltem non posset dici, quod esset formaliter, alias contradictoria admitterentur, quod esset scilicet, & non esset. Sed in tali casu actus necessario produceretur, vt supponitur, & consequenter est impedimentum, quo minus libere procedat: ergo quamuis sit iudicium indifferens quod esset radix libertatis, & quod sufficeret ad hoc, quod actus libere procederet, nisi poneretur impedimentum necessitans, non potest dici, quod actus ille sit liber formaliter, aut simpliciter: & alias certe posset dici, quod cæcus sit videns, quia est existens causa sufficiens ad dandam ipsi visiuam potentiam, & quæ illam daret actu, nisi poneretur impedimentum.

*Tertio*, quia sic libertas non esset in manu voluntatis, quia non est in manu eius, quod sit vel non sit iudicium illud indifferens, & eo manente actus erit necessario liber, secundum aduersarios.

*Quarto* denique, quia sicut calor radicalis potest esse sine calore formali, ita libertas radicalis potest esse à pari sine formali: ergo ex eo quod sit radicalis, non sequitur esse formalem.

An voluntas habeat libertatem circa finẽ & media.

33. *Quæres secundo*, an voluntas habeat libertatem circa finem & media.

*Respondeo* breuiter, quantum ad libertatem ad media, secundum omnes, teneri partem affirmatiuam, quæ patet tum experientia, tum quia si nõ haberet libertatem circa media, circa nihil haberet libertatem, nam circa nihil potius potest habere ipsam, quam circa media. Quantum vero ad finem, nobis dicendum est, ad nullum finem cognitum pro hoc statu eam determinari, & consequenter eam libere posse velle, vel non velle quemcumque; an autem necessitetur ad amandum finem vltimum clare visum, in tractatu de Beatitudine tractari solet.

An possit dari aliqua creatura quæ solũ posset agere libere supernaturaliter.

*Quæres tertio*, an possibilis sit aliqua potentia quæ solum diuinitus possit operari libere. Affirmatiuam partem tenet *Arriaga disp.* 8. *num.* 24. Probat primo, quia possibilis est creatura, cui, supposita cognitione indifferenti de obiecto, connaturaliter non debeatur concursus indifferens, sed determinatus, & quæ propterea connaturaliter loquendo, necessario ageret; at hæc ipsa creatura posset habere supernaturaliter concursum indifferentem, & eo mediante agere libere, quod vellet: ergo non repugnat quod aliqua potentia solum diuinitus possit operari libere.

*Hæc probatio* dependet à falsis principiis, quod scilicet concursus actualis Dei cum causa secunda libera sit indifferens: hoc enim est falsum: est enim tam determinatus, quam concursus ipsiusmet creaturæ, siue identificetur ipsi, vt communius tenetur, siue sit distinctus, & concomitans, vt ego existimo.

34. *Præterea*, quamuis admitteretur ille concursus indifferens, impossibile est quod possit sufficere ad libertatem causæ secundæ, nisi possit eo mediãte alterutrum ex duobus effectibus, in ordine ad quos diceretur indifferẽs, producere: sed non posset alterum ex duobus elicere per illum, nisi determinare se posset ad quemcumque ex illis: sed non posset se determinare ad quemcumque nisi haberet in actu primo virtutem productiuam vtriusque sic, vt quantum est ex parte actus primi, non sit ita determinata ad vnam, quin æque posset ad alteram, sed hoc supposito deberetur ipsi connaturaliter concursus indifferens tam bene, quam debetur de facto voluntati: & consequenter esset libera ex se, non ex concursu illo indifferenti; nec concursus ille indifferens esset ipsi supernaturalis, vt supponit aduersarius.

*Probat secundo*, quia voluntas potest solum diuinitus elicere libere actus supernaturales, & ex se necessitatur ad carentiam illorum: ergo.

*Sed certe* non videtur hæc probatio esse ad propositũ difficultatis realis, quæ est in quæsito: nam illa difficultas non consistit in hoc, an aliqua potentia possit solũ diuinitus operari libere, ex eo, quod illi soli effectus, quos posset habere libere, essent effectus supernaturales, ad quos propterea necessario eleuari deberet potẽtia, vt eos produceret; nam nullus dubitare potest, quin talis creatura solum diuinitus, hoc est, mediante auxilio supernaturali, possit libere agere; nec credo aliquem negaturum talem creaturam possibilem. Sed difficultas, quæ controuerti potest, est, an creatura, quæ respectu alicuius effectus non habeat libertatem ex se, possit habere libertatem diuinitus circa illum, ita vt, quod effectus ille hic & nunc oriatur libere, attribuendum sit non ipsi potentiæ, sed Deo eleuanti, vel principio, quo eleuatur.

*Vnde in forma respondeo* negando consequentiam: quãuis enim illos actus non possit ex se producere, nisi eleuetur, & propterea habeat necessariam carentiam illorũ, quamdiu non eleuatur. tamen ex se habet libere producere illos actus, quando eleuatur, & nisi ex se hoc haberet, non posset à principiis eleuantibus hoc habere.

35. *Dicendum ergo* omnino repugnare quod aliqua potentia, quæ ex natura sua intrinseca non habet modum liberum agendi, possit eleuari ad libere agendum.

*Probatur primo*, quia potentia, quæ ex se non est vitalis, non potest eleuari ad vitaliter agendum: ergo nec potentia, quæ ex se non habet modum liberum agendi, potest eleuari, vt libere operetur.

*Confirmatur hoc*, quia licet intellectus non possit, nisi diuinitus producere vitaliter actus supernaturales fidei, & visionis beatæ; tamen ex se habet vitalitatem in actu primo, & si non haberet, non posset eleuari ad producẽdos illos actus vitaliter, aut vitaliter percipiẽdum obiectum per ipsos: ergo quãuis voluntas non possit producere libere actus supernaturales amoris, tamen ex se debet habere libertatem ad illos producendos, & alias nõ posset eos libere producere. Quæ confirmatio valet ad ostendendũ secundam probationem *Arriagæ* nõ valere.

*Probatur secundo*, si potentia ex se esset determinata ad effectum, non posset reddi indeterminata per auxiliũ aliquod eleuans: ergo non potest reddi libera per auxilium eleuans nisi ex se sit talis. Probatur antecedẽs, quia auxilium eleuans debet esse qualitas quædam, & non potest esse causa libera, sed determinata ad suum effectum: ergo non poiest reddere potentiam indeterminatam, sed potius determinatam.

*Confirmatur*: si illud auxilium esset ex se liberum, & propterea actus ab ipso procedens & à potentia, deberet esse liber, non fieret potentia, cui conferretur, libera: ergo potentia quæ ex se non est libera, non potest fieri libera per principium eleuans. Probatur sequela, quia alias habitus charitatis de facto tã infusus quàm acquisitus, esset liber, quod est absurdũ. Probatur hæc sequela, quia ideo illa potentia, quæ ex se non erat libera, fit libera per eleuationem, quia coniungitur cum principio eleuante libero, & concurrit ad actum liberum talis principij: sed habitus charitatis concurrit & coniungitur cnm voluntate libera: ergo erit liber.

36. *Probatur tertio*: quia vel illud quo redderetur libera potentia, quæ nõ fuit libera antecedẽter, esset aliquid spectans ad actum secundum, aut aliquid spectans ad actum primum: non aliquid spectans ad actum secundũ, quia potẽtia libera debet esse antecedens actũ secundũ, non etiam aliquid spectans ad actum primum, quia vel esset aliquid determinans potentiam ad vnum, & sic non posset esse indifferẽs secundum se, nec faciens potẽtiam indifferentem; vel esset aliquid indifferẽs, & sic deberet posse determinari ab aliquo alio nũc ad hãc partem quando produceret illam, nunc ad alteram partem, quando altera pars produceretur; sed nõ posset sic determinari proposito obiecto eodem modo nisi ab ipsa potentia, nec posset determinari sic à potentia, nisi potẽtia esset secundum se potens eo principio mediante ad

vtramque partem;& si esset sic potens,esset ex se libera, contra hypothesim.

*Confirmatur* hoc;exemplo voluntatis eleuatæ per charitatem ad actum supernaturalem, quem sine charitate non posset elicere: Voluntas habet esse libera ad actum charitatis per hoc,quod possit producere actum charitatis,vel ipsum non producere:sed non habet hoc ab habitu charitatis,sed ex natura sua:ergo non potest aliquid, quod ex se non est liberũ,fieri liberum per aliquod principium eleuans: quia si posset fieri liberum per aliquod principium eleuans, maxime voluntas per charitatem.

Probatur antecedens,quia non habet voluntas à charitate posse producere oppositum actum charitatis, neque omittere charitatem, vt est euidens.

37. *Dices*, licet non possit habere à charitate, posse oppositum actum producere quantum ad substantiam, quandoquidem non concurrat physicè ad oppositum actum;tamen habet ab ea posse illum producere quoad modum libertatis,quia eatenus à voluntate potest habere illum modum,quatenus voluntas potest illum actum vel oppositum producere: sed non potest illum actum & oppositum producere nisi mediante charitate:ergo à charitate habet produci quoad modum libertatis.

*Contra*,non sufficit ad hoc,quod aliquid habeat libertatem ab alio formaliter, quod dependeat ab illo quomodocumque,sed debet dependere ab eo tãquam à principio,à quo habeat influere quoad substantiam in actum vtrumque,respectu cuius dicitur habere libertatem: sed à charitate non habet voluntas posse influere in actum charitatis,& in oppositum actum:ergo non habet libertatem formalem ab illo habitu.

*Confirmatur*: cognitio indifferens æque requiritur, & magis influit in actus oppositos,respectu quorum volũtas habet libertatem, quam charitas influit in actũ charitatis & oppositum,quia sine illa cognitione non potest voluntas exire in actus oppositos,& proponit obiectum vtriusque;charitas autẽ licet requiratur ad hoc,vt actus oppositus ipsi producatur libere, tamen nullum habet influxum in ipsum;neque quidem per modum conditionis proponentis obiectum, aut applicantis positiuè potentiam ad actum: sed voluntas non habet esse libera formaliter ab illa cognitione: ergo neque à charitate.

## QVÆSTIO IV.

### *De actibus voluntatis.*

38. VArij actus attribuuntur voluntati,quibus fertur in bonum: *Volitio, intentio finis,electio mediorum, imperium, consensus, vsus & fruitio*, de quibus pauca hic breuiter discurrenda videbantur,ex quorum declaratione,quid dicendum sit de aliis actibus similibus proportionaliter,quibus fertur in malum,illud fugiendo,facile intelligi potest.

Quid est volitio.

*Primus* ex his actibus,qui est *volitio*, capitur non pro prosecutione volitiua obiecti cogniti quomodocumque, quia hoc competit intentioni, & electioni; sed pro actu quodam ab illis particulariter distincto, nempe illo,quo prosequimur bonum absolute,non considerando ipsum, vt acquisibile per media, aut vt medium ad acquirendũ aliquid, aut saltem non volendo illud, qua tale. Huiusmodi autem volitio,quam experientia constat dari,diuiditur communiter in volitionem efficacem, & inefficacem.

Quid volitio efficax.

*Efficax* est illa, ex qua sequitur quod si bonum volitum esset acquisibile per media, quæ essent in potestate volentis, ille applicaret illa.

Quid inefficax.

*Inefficax* è contrario est, quæ non determinaret ad talem applicationem mediorum.

*Efficax* vocatur absoluta & perfecta,quia habet illam efficiam.

*Inefficax* vocatur volitio simplex & conditionata,simplex quidem,quia non est absoluta; conditionata vero, quia esset absoluta & efficax ex suppositione aliquarum conditionum,nimirum si esset possibilis acquisitio boni, circa quod versatur, aut si non appareret difficile applicare media.

De his duabus volitionibus particularius examinari solet, quomodo inter se distinguantur, & an voluntas simplex possit versari circa impossibile, qua tale, ac an importet aliquem actum, qui vere sit in voluntate; an vero solum dicat aliquem actum, qui esset in voluntate suppositа aliqua conditione. Sed quamuis hæ difficultates fusissime ab aliquibus tractentur, cum vera resolutio dependeat ab experientia, facile expediri potest.

### CONCLVSIO I.

Volitio efficax, & inefficax non necessario distinguuntur specie.

39. *Volitio efficax,& inefficax non necessario distinguuntur specie, sed solum accidentaliter debent distingui.*

*Hæc probatur quoad primam partem*, quia tendere possunt in idem obiectum eodem modo propositum, & produci eodem modo à voluntate; nec assignari potest vlla ratio,ob quam sic distinguantur necessario.

*Hinc probatur secunda pars*, quia si non distinguantur necessario specie,& debent distingui aliquo modo plusquam numero,vt eas distingui debere omnes fatebuntur, quia alias non esset ratio, ob quã vna vocaretur efficax, & altera inefficax; non poterunt distingui,nisi accidentaliter, vt patet. Solum declarari debet,qualem habeant distinctionem accidentalem,seu vnde oriatur illa earum distinctio.Ad quod dico eas habere accidentalem distinctionem, aliquando ex eo, quod vna, nempe efficax, sit intensior quam altera, nempe inefficax; aliquando vero ex circumstantiis, vt si applicatio mediorum non esset difficilis, nam fieri posset,vt qui amaret remisse bonum, quod sine difficultate acquiri posset, ordinaret media ad eius acquisitionem,quæ tamen nollet applicare,si media essent difficilia, aut laboriosa.

Vnde habent accidentalẽ distinctionem.

Idẽ amor potest esse efficax, & inefficax.

*Et hinc constat primo*, fieri posse, vt idem amor aliquando sit efficax,aliquando non; efficax quidem quando non occurrerent difficultates magnæ: inefficax vero, quando occurrerent.

Amor inefficax potest esse intensior,quam efficax.

*Constat secundo*,amorem inefficacem esse posse maioris intensionis, quam efficax, nam fieri potest vt aliquis intensius amet aliquod bonum,ad quod acquirendum non vult applicare media,propter magnas difficultates in eorum applicatione occurrentes,quàm aliud bonum quod per media procurat, nulla occurrente difficultate. Quis enim dubitet,quin aliquis peccator intensius amet beatitudinem, cum manet in statu peccati, quam interfectionem muscæ, ad quam interficiendam curiositatis causa mouet se localiter? & tamen amor ille peccatoris est inefficax, & alter amor est efficax.

### CONCLVSIO II.

Volitio inefficax est actus præsens.

40. *Volitio inefficax est actus præsens actualiter in eo, qui sic vult, & potest versari circa obiectum, quod non solum est impossibile secundum quid, vt est hominem qui peccauit non peccasse,sed simpliciter, vt est æqualitas creaturæ cum Deo.*

*Hæc quoad primam partem probatur*,quia alias non posset esse verum dicere de habente talem volitionem,ipse vult, contra hypothesim; & quia reuera potest quis in se experiri actum aliquem, quando vult inefficaciter; & denique,quia ex dictis volitio efficax,& inefficax distinguuntur tantũ accidẽtaliter ex minori, & maiori intensione,aut ex aliquibus alijs circumstantiis:ergo vtraque est actualis.Nec refert quod volitio inefficax significetur per ly *vellem*, quod non videtur significare volitionem, quæ actu sit,sed quæ esset,posita aliqua conditione; sicut ly *amarem* non significat amorem qui actu sit,sed qui esset posita aliqua conditione, vt cum dico: amarem Petrum, si fecisset mihi illam gratiam quam petij, aut si non fecisset mihi iniuriam.Hoc,inquam,non refert,quia quamuis ly *vellem* posset significare actum qui non esset, sicut ly *amarem*, potest tamen etiam significare actum qui sit, sed inefficacem ex communi consensu.

Cur volitio inefficax dicitur conditionata.

*Nec refert* etiam quod volitio inefficax dicatur conditionata, quia non propterea sic vocatur quasi non esset actus,qui actualiter sit in eo,qui vult inefficaciter;sed esset posita conditione aliqua:sed talis dicitur ex eo, quod non sit talis volitio, quæ sit efficax,nisi ex suppositione aliquarum conditionum:v.g.qui desiderat beatitudinem

&

& tamen non applicat media propter difficultatem aut impedimenta aliqua, potest dici habere volitionem quæ non esset efficax, nisi ex conditione quod ponerentur aliquæ conditiones, vt si tolleretur difficultas applicandi media: in hoc ergo sensu dicitur voluntas inefficax esse conditionata.

Voluntas inefficax potest versari circa impossibile quodcunque.

41. *Probatur secunda pars conclusionis* contra quosdam *Thomistas*, quoad primum quidem impossibile, ex desiderio, quod habent iusti, quod ipsimet non peccauissent, vt quando dicunt: vtinam non peccauissemus. Quoad vtrumque vero impossibile ex experientia, quia quis potest experiri in se volitiones aliquas respectu boni vtroque modo impossibilis: nec sane dubito quin desiderium quod de bono vtroque modo impossibili habetur, nonnunquam sit tam intensum ex se, & etiam intensius quandoque, quàm aliquod desiderium efficax alterius boni considerati vt possibilis. Et inde deduci potest optime quod possit desiderium impossibilis vtroque modo esse peccaminosum moraliter, quidquid dicant aliqui authores admittentes desiderium impossibilis, sed negantes illud posse esse peccaminosum moraliter: nam cum possit esse tam intensum, ac sit desiderium efficax, absurdum videtur quod non possit esse peccaminosum moraliter, quemadmodum desiderium efficax, præsertim cum sit per accidens quod illud etiam non sit efficax.

Desideriū impossibilis potest esse peccaminosū moraliter.

*Confirmatur* contra illos, qui concedunt desiderium circa impossibile per accidens, & negant circa impossibile per se; quia prorsus est eadem ratio, quantum ad hoc de vtroque desiderio; nec aduersarij vnquam dabunt disparitatem sufficientem, nisi obtrudendo verba.

Desideriū inefficax non satis bene colligitur ex cōplacentia quam adfert bonum propositum.

42. *Aduertendum* autem hic, non bene probari volitionem inefficacem boni ex complacentia illa, quam sentimus in nostra voluntate ad propositionem boni, etiam tum cum non volumus ipsum efficaciter, quia illa complacentia non necessario habetur formaliter ab ipsamet volitione, nec etiam est necessario quid concomitans ipsam, & consequenter est aliquid realiter separabile ab ipsa. Quod probo satis manifestè; quia non magis complacentia de bono proposito quod non desideratur efficaciter, vel quia consideratur impossibile, vel desperatur eius consecutio, vel quia est magna difficultas in eius acquisitione; habetur formaliter, aut consecutiue à volitione ipsius; quam displicentia, quæ sentitur ex malo proposito, quod euitari non potest, & cuius consequenter remotio desiderari, nequit efficaciter, ex nolitione ipsius, aut volitione inefficaci eius remouendi, quia est eadem ratio de vtroque: sed illa displicentia non habetur ex nolitione, aut volitione illa formaliter, aut consecutiue: ergo nec complacentia habetur formaliter, aut consecutiue ex volitione inefficaci boni propositi, quod non desideratur efficaciter.

Probatur minor, quia quandoquidem illa volitio, & nolitio sint, vt suppono, actus liberi, saltem quoties fiunt cum aduertentia, esset in manu voluntatis eas non habere: ergo si displicentia oriretur ex illis, voluntas non eliceret illas, absurdum enim videtur, quod voluntas vellet libere producere illud, quo ipsamet molestaretur, præsertim in casu, quo molestia illa non deseruiret ad aliquam vtilitatem, & quo voluntas reuera vellet eam non habere; qui est casus de quo loquimur. Itaque sine dubio displicentia quam sentit aliquis ex præsentia alicuius mali, quam displicentiam nollet habere: non potest prouenire immediate, aut consecutiue ab vllo actu libero suo, quia alias vellet illam habere, & nollet habere: ergo aliunde oritur absque actu suo: & consequenter complacentia, quæ est de bono præsenti, potest oriri independenter ab actu vllo suo libero, atque adeo ex complacentia non potest colligi, quod sit actus in voluntate. Non nego quidem, quin actus circa bonum, aut placeat ipse, aut habeat etiam concomitantem aliquam qualitatem delectantem; sed dico esse posse in voluntate aliquam qualitatem placentem independenter ab actu, sicut potest esse displicentia.

*Secundus actus* voluntatis est *intensio*, qua ita fertur in finem, vt determinetur ad volenda media.

*Tertius actus* est *electio*: & est ille, quo vult media propter finem: De his duobus actibus nonnullæ difficultates sunt hic explicandæ.

## CONCLVSIO III.

Intentio, & electio non est idē actus.

43. *Non vult quis finem, & media eodem actu, nec è contra media, & finem: & consequenter idem actus realiter non est electio, & intentio.* Hæc est minus communis, & *secunda pars* sequitur necessario *ad primam*, quia eatenus idem actus esset intentio, & electio, quatenus eodem actu quis vellet vtrumque. Hanc non inuenio expresse apud *Scotum*, sed in 2. *dist.* 38. problematicus, aut potius dubitatiuus videtur de resolutione eius. Est tamen *Gregorij*, & *Marsilij in primo*, quos videtur sequi *Vasq.* 1. 2. *disp.* 33. contra *Thomistas*.

*Probatur ergo prima pars*, quia si eodem actu quis vellet vtrumque, maxime, quia non posset quis velle finem per media, aut media propter finem, quin necessario vellet vtrumque: sed hoc est falsum: ergo.

Probatur minor, quia si non posset quis velle finem per media, aut media propter finem, quin eodem actu vellet vtraque, sequeretur quod idem actus esset formaliter volitio & nolitio, sed hoc implicat: ergo potest quis velle media propter finem, & finem per media, quin velit vtraque eodem actu.

Probatur sequela maioris, quia quando quis vult formaliter vitare aliquam occasionem, quæ posset inducere ad peccandum in ordine ad non peccandum, ex eo scilicet, quod nolit peccare, & quando quis nollet peccare per medium vitandi illam occasionem, si eodem actu ferretur in vtrumque, idem actus esset volitio vitandi occasionem, & nolitio peccandi.

*Deinde* si quis vellet conseruare diuitias, & in ordine ad hoc nollet conseruari vitam alterius, idem actus esset nolitio conseruandi vitam alterius, & volitio conseruandi diuitias.

*Et si dicas* hoc argumentum bene probare, quando actus, quo quis tédit in media est nolitio, actus vero quo tendit in finē est volitio, illos duos actus nō posse identificari; hoc tamen non obstante, quando actus, quo versatur circa vtrumque est volitio, vt cum quis vult medicinam propter sanitatem, bene poterunt identificari.

*Contra*, quia actus volitionis medij propter finem volitum non habet maiorem connexionem, nec dependentiam cum volitione finis, quam actus nolitionis ordinatus ad eundem finem: ergo si nolitio non identificatur isti volitioni, neque volitio identificabitur.

44. *Probatur secundo*, quia non magis quis debet velle finem illo actu, quo vult media propter finem, quam debet assentiri præmissis eodem actu quo assentitur cōclusioni propter præmissas: sed nō debet assentiri præmissis eodem actu quo assentitur conclusioni: ergo. Probatur minor, quia assensus cōclusionis potest esse assensus probabilis, vt si deducatur ex vna certa præmissa & altera probabili, & assensus vni ex præmissis debet esse certus; idem autem assensus nequit esse probabilis & certus.

*Rursus* actus, quo fertur in conclusionem, potest esse dissensus, & actus quo fertur in vnam ex præmissis, potest esse assensus, vt fit in syllogismo omni facto in *Celarent*, & multis aliis modis: idem autem assensus non potest esse formaliter assensus & dissensus: ergo.

*Probatur tertio*, intentio finis est causa electionis mediorum, vt communiter dicitur, & potest colligi experientia: sed idem actus non potest esse causa sui ipsius: ergo non est idem actus, qui est intentio & electio.

*Dices*, antecedens debere intelligi de intentione finis, quæ est volitio efficax ipsius propter se sine ordine ad media; non vero de intentione, quæ est actus, quo vult finem cum ordine ad media, seu de actu quo vult finem per media.

*Contra primo*, quia si detur talis actus, qui est intentio finis, gratis asseritur quod detur alius actus distinctæ rationis, qui etiam esset intentio finis.

*Confirmatur secundo*, quia omnis electio dicitur esse causata ab intentione finis: sed si daretur vlla electio, quæ esset intentio finis, hoc esset falsum, quia non esset

necessarium vt vlla alia intentio præcederet illam intentionem : & licet posset aliquando præcedere,tamen hoc esset per accidens,ex eo scilicet, quod quando proponeretur finis primo, non proponeretur vt acquirendus per media ; vnde si primo proponeretur vt acquirendus per media, posset primo velle ipsum per media , si vnquam ita potest ipsum velle , æque enim est potior ratio cur postea posset ita ipsum velle , quando sic proponitur, quam primo, si primo ita esset propositus.

45. *Probatur quarto* : quia actus, quo quis vult media propter finem , potest habere omnem dependentiam, quam debet habere ad finem, absque eo quod quis velit finem formaliter per ipsum:sed ex eo solum deberet esse volitio finis necessario , quod non posset absque hoc habere talem dependentiam : ergo.

Probatur maior , quia non deberet habere vllam dependentiam ad finem , quam quod sit propter finem & ordinatus ad finem,sed potest esse propter finem & ordinatus ad finem,absque eo quod sit volitio finis : ergo.

Probatur hæc vltima minor , quia potest dici esse propter finem ex eo , quod sit volitio alicuius ordinati ad finem, & causatus ex amore vel odio finis:ad hoc autem non est necessarium quod sit volitio formalis finis, aut odium formale ipsius : ergo.

*Probatur quinto* , quia omnis actus , quo vult aliquis media, causatur à fine, vt finis est , seu quatenus amatur finis , aut odio habetur : sed si volitio mediorum esset necessario amor finis, hoc esset falsum : ergo.

Probatur minor, quia si esset à fine vt amato, vel deberet esse à fine vt amato per illum ipsum actum , qui esset electio, vel vt amato per alium actum : non per illum,qui est electio, quia alias electio præsupponeret seipsam, & procederet à seipsa, quod est absurdum : Non per alium actum , quia tum deberet haberi alius actus amoris seu volitionis circa finem,quando haberetur electio:sed si daretur talis actus, vel essent simul duo amores & volitiones tendentes in finem , nimirum ille actus alius,& etiam electio ab ipso procedens,quod est absurdum ; vel certe electio ipsa non esset formaliter amor finis,aut volitio eius,quod est intentum.

*Probatur sexto*;quia si vllus actus posset esse simul electio & intentio,formaliter loquendo,maxime actus,quo Deus vult finem per media,& media propter finem : sed hoc est falsum , quia alias Deus non intenderet finem prius, quam vellet media, contra mille principia Theologica vtriusque Scholæ *Thomisticæ & Scotisticæ*, vt videbitur in Theologia : ergo.

46. *Obijcies.* Finis est ratio formalis obiectiua appetendi media : ergo non potest quis velle media,quin eodem actu velit finem , & consequenter idem realiter actus erit electio, & intentio : electio quidem, vt tendit in media , intentio vero vt tendit in finem.

*Respondeo* , distinguendo antecedens, est sola ratio ob quam quis appetit media,quasi media non haberent bonitatem suam propriam,nimirum vtilitatem illam quam habent in ordine ad assecutionem finis,nego antecedẽs: est ratio formalis obiectiua mouens voluntatem ad volendum media, supposita sua bonitate , quatenus si non vellet voluntas finem,non vellet illa media,concedo antecedens,sed nego consequẽtiam.Quemadmodum enim nisi assentiretur intellectus præmissis , non assentiretur conclusioni, & tamen assensus cõclusionis non est realiter assensus præmissarum:ita licet non posset esse electio in volũtate absque volitione finis,non tamen debet ipsa electio esse intẽtio,aut volitio finis,formaliter loquẽdo.

*Obijcies secundo*, impossibile est,quod quis intelligatur velle finem per media , quin intelligatur velle & finem & media ; & impossibile est vt intelligatur velle media propter finem,quin intelligatur velle finem : ergo idem actus versabitur circa vtrumque , & consequenter idem actus erit electio & intentio.

Probatur prima consequentia,quia si essent duo actus distincti , non esset vlla ratio,quin possit & esse & intelligi vnus absque alio modo.

*Respondeo* , distinguendo antecedens : quin intelligat velle eodem actu,negatur;diuerso actu,transeat,& negatur consequentia. Itaque quando vult aliquis finem per media,habet duos actus, vnum quo vult finem,& alium quo vult media , si media sint volibilia in ordine ad finem ; & sic non est mirum , quod non possit intelligi velle finem per media , quin intelligatur velle vtraque: posset tamen intelligi optime velle finem , etiam efficaciter,quin intelligatur velle media, vt patet.

*Maior difficultas est*,quando vult media propter finem: an tum debeat necessario habere duos actus;si enim non debeat,ergo vnica volitione ferri potest in vtraque contra conclusionem ; si debeat, remanet declarandum, cur non posset habere vnum ex illis,nempe illum,qui tendit in media,quin habeat illum, qui tendit in finem, quemadmodum potest illum , qui tendit in finem habere absque eo quod tendat in media ; cum enim sint actus realiter distincti,vix potest declarari, vnde haberent necessariam connexionem.

47. *Ad hoc respondeo* , dupliciter posse intelligi quod aliquis vult media in ordine ad finem, aut propter finẽ.

*Vno modo* ex eo quod moueretur voluntas ad habendum actum circa media ab ipso fine vel volito,vel nolito;& certum est quod quamuis actus, quo vellet media, esset distinctus realiter ab actu, quo quis nollet aut vellet finem,quod tamen nec de potentia Dei absoluta posset esse volitio medij propter finem hoc modo absque intentione finis , quia alias sequeretur contradictio, nimirum quod esset propter finem,id est,habitus ex amore finis;& non esset. Hoc tamen non obstante ex hoc præcisè non sequeretur quod ille idem actus quo quis versaretur circa media , non posset esse absque alio illo actu, vt si produceretur à Domino Deo solo ; sed tum non esset propter finem in hoc sensu. Quomodo quis vult media propter finẽ.

*Alio modo* posset esse propter finem , qui reuera est actus qui ex natura sua non tendit in media,nisi propter ordinem quem habent ad acquisitionem finis:& in hoc sensu posset esse propter finem , quamuis non esset formalis volitio finis,& quamuis ipsamet bonitas finis non moueret ad ipsum ; & non video vllam repugnantiam quin de potentia Dei absoluta posset esse absque intentione finis, vt si ipse solus causaret ipsam. Connaturaliter autem non posset,tum quia voluntas irrationabiliter vellet aliquid vt vtile ad aliud ponendum , nisi vellet aliud ponere ; tum quia bonitas medij cum sit relata ad finem ex natura sua intrinseca , habet talem subordinationem ad bonitatem finis , vt si hæc non moueat , illa non moueat connaturaliter,vt patet experientia.

*Per quod patet* ad probationem consequentiæ obiectionis:nam ratio,ob quam electio nequeat esse ob finẽ priori modo,absque altero actu intentionis,est quod sequeretur contradictio ; ratio vero cur non possit esse ob finem posteriori modo connaturaliter , est quam iam assignaui ; potest autem ab ea separari de potentia absoluta quantum ad hoc, nisi aliunde implicet.

*Tertio modo* posset dici electio esse propter finem , & esse volitio ipsius æquiualenter & moraliter , quatenus æque determinaret voluntatem ad ipsum acquirendum per media,ac si esset volitio formalis ipsius;& hic sensus non impedit veritatem conclusionis, vt patet.

*Potest responderi secundo* absolute negando antecedens, quia quando quis vult conseruare suam vitam per nolitionem conseruandi vitam alterius , non habet volitionem,sed potius nolitionem istius medij.Ex his patet volitionem absolutam finis,in ordine ad quem applicamus media , non distingui realiter ab intentione ipsius ; sed eundem actum dici volitionem quatenus per illum præcisè tendimus in finem;intentionem vero, quatenus determinat aut concurrit ad electionem habendam.

## CONCLVSIO IV.

48. *Si intentio finis identificaretur electioni , ille actus, qui esset simul intentio & electio , non causaretur physicè à volitione absoluta efficaci finis , neque in genere causæ efficientis , neque in genere causæ determinantis formaliter , sicut habitus acquisitus in probabilissima sententia dicitur concurrere ad actum.* Intentio quæ identificaretur electioni, nõ causaretur à volitione absoluta efficaci finis.

Hæc

*Hæc probari potest quoad primam primam*, quia vnus actus voluntatis non concurrit effectiue ad alterum:sed hoc principium est vel falsum,vel certe æque obscurum ac illud,quod per ipsum probatur.

*Probatur ergo melius quoad vtramque partem.* Quando habemus illum actum, qui est intentio & electio simul volumus finem efficaciter per illum,alias non esset intētio : ergo non habemus tum in eodem instanti alium actum,quo volumus finem efficaciter;tum quia non experimur in nobis vnquam illos duos actus ; tum quia vnus ex ipsis abunde sufficeret, & alter superflueret:sed vt ille actus absolutus causaret physice siue in genere causæ efficientis, siue in genere causæ formaliter determinatiuæ alterum actum,deberet existere quando alter actus produceretur,vt est euidens:ergo non sic concurrit.

*Dices* : hinc sequeretur contra communem modum loquendi etiam authorum admittentium vtramque volitionem, quod non daretur volitio efficax, eatenus enim daretur aliqua talis efficax, quatenus posset determinare ad volitionem, quæ esset intentio finis, & electio mediorum ; sed non posset sic determinare nisi per modum causæ efficientis aut causæ formaliter determinatiuæ:ergo si alterutro ex his modis non concurreret,non esset efficax.

*Respondeo* negando sequelam, posset enim esse efficax per hoc quod obiectiue proposita simul cum bonitate finis redderet finem appetibiliorem quam alias esset;nā certum est quod ad determinandum voluntatem ad aliquem finem præ alio, valde iuuare possit, quod semel amauerit,aut voluerit talem finem, & sæpe non habet aliam occasionem ex parte obiecti ad vnum bonum præ alio eligendum,quam quod semel ipsum elegerit ac voluerit. Quod si etiam volitio aliqua absoluta finis erat delectabilis voluntati, vel ex se formaliter,vel ratione alicuius consequentis aut concomitantis, propositio ipsius,vt sic delectabilis posset etiam conducere ad determinationem voluntatis.

## CONCLVSIO V.

Intentio determinat moraliter ad electionē medij.

49. *Supposito ex doctrina conclusionis tertiæ, nempe quod electio mediorum non sit intentio finis, intentio finis efficax determinat ad electionem aliquam mediorum, quando non potest aliter acquiri, & si vnum tantum medium proponatur, per quod possit acquiri, determinabit ad illum, non tamen necessitate physica, sed ad summum necessitate morali, ex qua scilicet orietur quod eliget quidem infallibiliter aliquod medium,quamuis possit non eligere.*

Hæc *quoad primam partem patet experientia*, ex qua constat,quod nunquam velimus finem efficaciter, quin habeamus volitionem applicandi aliqua media,quando plura proponuntur sufficientia, & vnum determinate, quando proponitur tantum vnum determinate.

*Probatur secundo*,quia alias non esset efficax intentio contra hypothesim ; in hoc enim consistit solummodo efficacia eius.

*Probatur tertio*,quia certum est quod amor alicuius rei habet magnam vim ad determinandam voluntatem ad eam sibi acquirendam : ergo amor efficax multo magis hoc habet.

*Probatur secunda pars*, quia eatenus necessitaret alia necessitate quā morali, vel quia cōcurreret per modum causæ efficiētis physicæ, vel per modum causæ formaliter determinatiuæ:sed ex neutro ex his capitibus deberet determinare necessario necessitate physica : ergo.

Probatur minor, quia quamuis sic concurreret, non concurreret, nisi per modum causæ partialis, & ipsa voluntas deberet etiam concurrere ; sed per nullam causam partialem voluntas de facto determinatur ad necessario agendum necessitate physica, tum quia per nullam potius quam per gratiam efficacem, per quam ex Theologia & Concilio Tridentino suppono ipsam non necessitari ; tum quia nec experientia, nec ratione constat, quod sic determinetur, imo multi putant esse impossibile,quod possit sic determinari,etiam de potentia absoluta.

*Confirmatur* hoc,quia alias electio non esset ex se formaliter libera;quod videtur maximum inconueniens.

*Obiicies*,si non necessitaret physice ad electionem,non esset efficax ; sed hoc est contra hypothesim conclusionis:ergo.

*Respondeo* negando sequelam ; quemadmodum enim gratia efficax est talis quin physice necessitet voluntatem ; cur eodem modo intentio non posset esse efficax, quamuis sic non necessitaret?

## CONCLVSIO VI.

Determinatio illa non fit quatenus obiectiue proponitur.

50. *Determinatio intentionis ad electionem non fit per hoc, quod intentio obiectiue proponatur, sicut diximus volitionem absolutam, si esset distincta ab intentione, determinare potuisse ad intentionem ; neque in genere causæ efficientis, quatenus scilicet concurreret cum voluntate efficienter ad electionem per actionem partialem tendentem in ipsam electionem immediate;sed potius in genere causæ formalis formaliter determinantis absque influxu effectiuo.*

*Prima pars* est contra quosdam *Thomistas*, & *probatur* efficaciter,quia vt aliquis intendat finem, & ex illa intentione moueatur ad electionem, non est necesse vt proponatur ipsamet intentio obiectiue,nec aliquid aliud præter obiectum & media:ergo non determinatur sic.

*Confirmatur* per secundam partem.

Nec in genere causæ efficientis, sed causæ formaliter determinatiuæ.

*Secunda pars* est contra *Gregorium, Vasq.Salam* & *probatur*, quia determinatio,qua determinatur voluntas ad electionem,est determinatio sensibilis, quam ipsimet in nobis experimur;sed determinatio illa quæ esset ab illa in genere causæ efficiētis,nō posset sic sentiri, nec enim experimur concursum eius effectiuum,vt patet:ergo determinatio illa est in genere causæ formalis tantum.

*Confirmatur primo*,quia hoc modo determinat habitus acquisitus ad actum,vt postea dicemus *disp.de Habitibus*; sed eadem est ratio de habitu,& intentione quantum ad hoc.

*Confirmatur secundo*, quia non est dandus concursus effectiuus vni actui voluntatis ad alium absque necessitate,& præsertim nolitioni ad volitionem,aut è contra: sed hoc deberet dari in opposita sententia sine vlla necessitate:ergo nostra sententia est præferenda.

*Confirmatur tertio*, quia quidquid sit de vno actu voluntatis respectu alterius,non est verisimile quod passio delectationis distincta ab actu causet physice illū actū; sed talis delectatio posset determinare voluntatem tam bene quam ipsamet intentio : ergo intentio non debet determinare efficienter, sed formaliter, sicut delectatio illa determinat.

*Confirmatur quarto*,quia non videtur magis concurrere intentio ad actum electionis, quam ipsummet obiectum,& medium propositum secundum bonitatem suā: sed secundum satis communem sententiam obiectum non concurrit effectiue:ergo neque intentio.

*Obiicies primo* contra primam partem.Electio nonnunquam habetur,quando non habetur intentio finis actu; sed tum nequit habere aliam causalitatem quam quatenus obiectiue proponeretur:ergo determinat ad electionem vt sic proponitur.

*Respondeo*,negando maiorem,nunquam enim habetur electio,quæ est actus voluntatis qua vult aliquid propter finem,quin sit volitio finis in ipso actu, vt patet experientia.

*Obiicies secundo* contra secundam partem, quia assensus præmissarum concurrit effectiue ad assensum conclusionis:ergo à pari intentio finis sic concurrit ad electionem.

*Respondeo*, si verum sit antecedens, negando consequentiam,quia datur aliqua ratio particularis, ob quam colligitur iste concursus assensus præmissarum ad assensum conclusionis,qualis non reperitur in proposito;vnde ex ista hypothesi non est eodem modo discurrendum de vtroque casu;nec refert,quod habent paritatem quoad alias rationes,quia inde non sequitur quod habeant paritatem quoad omnia.

## CONCLVSIO VII.

Intentio finis aliquando determinat ad electionẽ mtlioris medij, aliquãdo non.

51. *Intentio efficax finis, ex pluribus mediis quæ proponuntur, potest determinare ad medium melius, quatenus melius dicitur quod citius est productiuum finis, & quod potest conducere ad finem perfectius consequendum, si nihil aliud impediat, potest tamen oriri impedimentum, ratione cuius non determinet ad medium hoc modo.*

Hæc hoc modo proposita est nullius, quod sciam: sed *quoad primam partem* videtur conformis iis authoribus, qui dicunt quod determinet ad electionem melioris medij; & *secundum secundam partem* est conformis iis, qui absolute negant intentionem determinare ad perfectioris medij electionem; vnde vtraque sententia per hanc conclusionem conciliari posset, ita vt non esset controuersia vlla realis inter illos authores, dicendo quod primi authores essent intelligendi iuxta primam partem; secundi vero iuxta secundam.

*Probatur prima pars*, quia constat experientia quod amor finis sit aliquando tam magnus, vt non patiatur, quantum est ex se, moram vllam: ergo determinabit tum ad perfectius medium in sensu conclusionis.

*Probatur secunda pars*, quia aliquando potest contingere, vt medium perfectius & melius haberet aliquam difficultatem annexam, ratione cuius voluntas potius malit finem tardius acquirere, quam subire illam difficultatem; vnde mallet aliud medium minus efficax assumere, quo tardius absque tali difficultate illum acquireret. Quod totum patet experientia.

52. *Quartus actus* voluntatis est *consensus*; non autem significat consensus hic concordiam aliquorum duorum in opinione aut scientia aliqua; nec etiam in actu volũtatis, quo sensu qui eandem tenet opinionem cum alio, & qui eodem studio fertur, dicitur esse consentiens cum illo; sed significat actum volũtatis, quo bonum sibi propositum vt prosequẽdum prosequitur, sicut dissensus significat actum, quo malum propositum nó vult. *Thomistæ* communius distinguunt hunc actum ab actibus aliis ante declaratis, sed immerito multiplicant actus absque vlla necessitate: & certe eo ipso quo voluntas, intellectu dictãte quod esset bonum, vellet talem finem, aut secundum se absolute, aut per tale medium, velle illum finem aut secundum se absolute, aut relate ad media, diceretur consentire intellectui, nec alius prorsus consensus ipsius requireretur; aut vllius alterius consensus indicium vllũ habetur; quod tam clarum mihi apparet, vt mirer vllos oppositum tenere. Itaque idem realiter actus, qui est volitio finis, est etiam consensus: vocatur autem volitio, quatenus per illum voluntas vult finem; & vocatur consensus quatenus per ipsum facit voluntas, quod proponitur faciendum ab intellectu.

Intentio, & cõsensus realiter identificãtur.

53. *Quintus actus* est *vsus*, & est actus ille voluntatis, quo applicat media ad acquisitionem finis, qui actus nõ est distinctus realiter ab electione, nã eo ipso quo voluntas potens applicare media, vult efficaciter illa applicare hic, & nunc absque vllo alio actu suo, applicabit illa, & consequẽter habebit vsum: sed ille vsus non est realiter distinctus ab illa volitione applicãdi media ad finẽ, quæ volitio sine dubio est electio, nec fieri potest, vt applicet media, qua media, absque tali volitione, ergo vsus non distinguitur realiter ab electione aliqua. Et dico ab electione aliqua, quia potest quis habere volitionem applicãdi media ad finem, quin habeat vsum, vt si quis hodie haberet voluntatem applicandi media crastina die: ergo aliqua electio distinguitur realiter ab vsu. Sẽsus ergo resolutionis est, quod nunquam possit dari vsus, qui non identificetur alicui electioni, & quod præter actum aliquem qui est electio medij, non requiritur vllus alius distinctus in voluntate, quod etiam mihi satis euidens apparet ex dictis.

Vsus non distinguitur realiter ab electione.

54. *Vltimus denique actus* est *fruitio*, de quo, quamuis variæ sint difficultates, in materia de beatitudine fusius explicari solitæ; tamẽ quod attinet ad præsens, res mihi videtur facilis solutionis, & quæ præter quæstionem de nomine vix possit habere aliquid difficultatis. Itaque dico fruitionem spectantem ad voluntatem, vel esse ipsammet consecutionem finis, quem intenderat, & ad quem consequendum applicarat media; vel actum quo complacet sibi in eo acquisito; vel ipsammet delectationem ortam ex consecutione eius, vel omnes simul, aut præsertim consecutionem & delectationem. In quonam autem ex his consistit, spectat ad nomen, cum dependeat à cognitione institutionis huius vocabuli *fruitio* quod posset imponi ad significandum quodcumque ex illis tribus, vel omnia simul, vel duo ex illis. Quod si vnum aliquod significare debet, potius existimo, quod significet illam delectationem; quia si aliquis consequeretur finem, ex quo consecuto non perciperet delectationem, licet diceretur finem consecutus, non tamen existimo quod posset proprie fine illo frui; vnde si delectatio illa non sit realiter actus, sed quid realiter distinctum ab omni actu, fruitio non erit actus. Quod si etiam fruitio consisteret in consecutione finis, non necessario semper consisteret in actu, nam qui intendit consecutionem sanitatis manus, verbi gratia, & consequitur ipsam, non habet in voluntate aliquem actum qui sit consecutio illius, sed consecutio illa consistit in coniunctione sanitatis cum manu. Itaque solum consecutio est actus voluntatis quando quis non consequitur finem intentum nisi per actum voluntatis, vt consistit in Beatis, qui non consequuntur Deum per voluntatem, nisi amando ipsum, & quorum consequenter consecutio consistit in actu illo amoris. Sed de his fusius in materia de Beatitudine.

Quid fruitio.

## QVÆSTIO V.

*A quo habent actus liberi voluntatis esse liberi formaliter.*

55. SVppono ex dictis, voluntatem in actu primo habere libertatem per hoc quod sit ex natura sua talis potentia, quæ circa obiectum propositum per intellectum possit agere vel non agere, aut agere hoc modo, verbi gratia posequendo, vel alio oppositio modo, verbi gratia fugiendo & odio habendo, & hoc ipsi est essentiale adeo, vt nec de potentia Dei absoluta possit fieri vt quæ semel sit talis, non sit semper talis. Quæritur ergo similiter, an actus voluntatis, qui est liber in actu secundo formaliter & actu, habeat esse tale à se ipso essentialiter, vel ab aliquo alio à se distincto, siue tanquam à conditione, siue tanquam à ratione formali.

Duobus modis potest actus voluntatis dici liber.

Vbi aduertendum posse actum secundum voluntatis dici liberum duobus modis actũ & formaliter: primo quatenus est actus, qui natus est prouenire libere à voluntate, & in hoc sensu certum est actum quemcumque, qui est liber, esse ex se essentialiter liberum, nec posse fieri de potentia absoluta, vt non sit liber; de quo non est controuersia. Secundo quatenus est actus, qui actu libere procedit à potentia, & in hoc sensu versatur præsens controuersia.

*Prima sententia* est quod actus liberi sint ex natura sua intrinseca liberi, ita vt qui est liber non possit non esse liber. Hanc tenet *Hurtadus hic disp.15.sec.6.* eamque attribuit *D.Thomæ 1.2.q.19.a.1.*

*Secunda sententia* longe communior est, quod actus liberi voluntatis non sint liberi essentialiter ex se, sed quod possint esse absque eo quod sint liberi, & consequenter quod habeant esse liberi per denominationem intrinsecam desumptam à voluntate à qua procedunt, quatenus scilicet procedunt ab ipsa, vt potens est eos producere vel non producere. Hæc sententia est *Scotistarum* communiter, & videri potest conformis principiis ipsiusmet Scoti, quatenus asserit posse actus vitales omnes produci à solo Deo. Eam etiam sequitur *Suares*, *Molina*, *Vasq.* *Valentia*, *Sãlas*, quos sequitur *Arriaga disp.8.num.104.*

## CONCLVSIO I.

56. *Actus elicitus voluntatis, verbi gratia volitio, non habet ex natura sua intrinseca esse liber actu.* Hæc est iuxta secundam sententiam.

*Probatur*, quia quæcumque volitio voluntatis potest esse in ipsa, absque eo quod sit libera formaliter: ergo non habet esse libera formaliter ex natura sua intrinseca præcise;

Probatur

Probatur antecedens, quia omnis volitio est qualitas absoluta producibilis à solo Deo in voluntate mere passiue se habente, vt patet ex dictis supra de cognitione: ergo potest Deus omnem volitionem producere in voluntate mere passiue se habente: sed quando sic produceretur non esset libera, vt manifestum est: ergo quæcũque volitio potest esse in voluntate absque eo quod sit libera formaliter.

57. *Obiicies*: Actus vitalis est essentialiter vitalis, ita vt non possit de potentia Dei absoluta fieri vt actus, qui est vitalis, non sit vitalis: ergo idem est de actu libero à paritate rationis.

Tribus modis potest considerari actus vt vitalis.

*Pro responsione* aduertendum tripliciter aliquem actũ posse dici vitalem, *uno modo* quatenus habet exigere produci à potentia vitali, sicut diximus actum liberum etiã sic capi posse, vt significet actum exigẽtem prouenire à potentia libera, & in hoc sensu concedo actum vitalem esse essentialiter vitalem, ac consequenter etiam actum liberum esse posse essentialiter liberum, vt supra dixi.

*Secundo* potest dici actus esse vitalis in actu secundo ex eo, quod producatur à potentia vitali, vt vitalis est, & in hoc sensu non est essentiale actui, quod sit vitalis, quia non est essentiale ipsi, quod producatur à tali potẽtia, quandoquidem, vt supra dictum est, intellectio quæ est vitalis in hoc sensu, si producatur ab intellectu, posset produci à Deo solo & non esse vitalis. Et omnes concedunt quod terminus augmentationis & nutritionis vitalis possit produci à solo Deo.

*Tertio* denique potest dici vitalis actus ex eo, quod sit talis naturæ, vt possit, si vniatur potentiæ vitali, determinare ipsam formaliter ad vitaliter, & perceptibiliter tendendum in aliquod obiectum. Et in hoc sensu actus vitales sensitiui sunt essentialiter vitales; nec tamen inde sequitur quod actus liber sit essentialiter liber, quia per hoc quod coniungatur cum potentia non habet esse liber, nisi proueniat à potentia quæ possit ipsum ponere, vel non ponere.

*Vnde in forma respondeo* distinguendo antecedens: est essentialiter vitalis, quatenus talis dicitur actus natus prouenire à potentia vitali, aut qui est talis, quo mediante potentia perceptibiliter tendat in obiectum, concedo antecedens; quatenus talis dicitur, qui producitur actu à potentia vitali, nego antecedens, & similiter distinguo consequens: ergo actus qui est liber, est essentialiter liber, vt liber dicitur, qui est natus prouenire à potentia libera, concedo: vt liber dicitur, qui procedit à potentia producente ipsum, cum possit non producere, nego consequentiam.

## CONCLVSIO II.

58. *Productio actus cuiuscumque liberi est libera seipsa ex natura sua intrinseca, & non per denominationem extrinsecam.* Hæc videtur esse contra secundam sententiam.

*Probatur*, quia non potest esse productio vlla volitionis, aut nolitionis in voluntate, pro illo instanti, absque eo quod sit libera: ergo omnis productio qua voluntas producit volitionem, est libera.

Probatur cõsequentia, quia eatenus nõ esset ex natura sua intrinseca libera formaliter, quatenus posset esse natura intrinseca ipsius, absque eo quod esset libera: ergo si non potest sic esse, habebit ex natura sua intrinseca esse libera.

*Probatur* antecedens: illa productio non potest esse à voluntate pro vllo instanti, pro quo voluntas non sit in priori naturæ potens ipsam habere, vel non habere: sed quoties actio procedit à voluntate sic potente est necessario libera, quia nihil aliud requiritur, vt sit libera, quam quod sic procedat: ergo illa productio non potest esse in voluntate quin sit libera.

*Dices*: posse voluntatem prædeterminari ad illam productionem habendam, vt si Deus infunderet ipsi qualitatem physicam Thomisticam, qua posita necessario sequeretur ista productio: ergo potest illa productio esse in voluntate, quin sit libera.

*Respondeo*, quidquid sit de possibilitate talis qualitatis prædeterminantis, de qua postea, negando, quod ad illam ipsam productionem, quæ est libera, possit prædeterminare illa qualitas, quamuis enim prædeterminare ad aliquam productionem, non tamen ad illam, quia illa est productio proueniens à voluntate sola, productio autẽ illa ad quam prædeterminaret illa qualitas, esset productio proueniens à voluntate & qualitate, maxima autem est differentia inter productionem vtramque.

*Confirmatur* hoc per dicenda inferius quando ostendetur, quod Deus ipse non possit necessitare voluntatem ad producendam volitionem, aut nolitionem: si enim non potest, sequitur quod productio volitionis non possit esse in voluntate, quin sit libera.

*Hinc patet*, quod si volitio seipsa egrederetur à voluntate absque actione media, quod seipsa esset libera sicut productio ipsius, & hoc est credo intentum *Hurtadi*.

## CONCLVSIO III.

59. *Volitiones, & nolitiones habent esse liberæ per denominationem intrinsecam desumptam à productione passiua in ipsis subiectata, si detur talis productio: & si non detur, habent esse liberæ per denominationem desumptam à productione actiua inhærente voluntati.* Hæc in terminis est nullius, & videri posset esse contra primam & secundam sententiam præmissam.

*Probatur prima pars*, quia illa productio passiua, si detur, est libera, & ea mediante ponitur in esse volitio libere, vt est euidens: ergo volitio habet esse libera ab illa: sed non habet esse libera ab illa per denominationem extrinsecam: ergo per intrinsecam.

*Probatur etiam secunda pars*, quia si non detur illa productio passiua, volitio habebit esse libera eo ipso quo terminat productionem actiuam, quæ subiectatur in voluntate: ergo habebit esse libera ab illa productione.

*Et si quæras*, an habeat esse per denominationem extrinsecam, an per intrinsecam.

*Respondeo* esse quæstionem de nomine; & posse vocari illam denominationem extrinsecam, vocãdo talẽ denominationem omnem illam, quæ prouenit à forma non inhærẽte neque informante. Potest etiam vocari intrinseca, si talis dicatur omnis illa, quæ prouenit à forma intime coniuncta cum re denominata: nam illa productio intimè coniũgitur cum volitione, quandoquidem reperiatur in eodem subiecto cum illa, nempe in voluntate.

*Obiicies*: opus habet esse artificiosum à denominatione extrinseca: ergo & esse liberum.

*Respondeo* negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod nihil intrinsecũ possit assignari in actione artificiosa, à quo haberet esse artificiosa, quia secũdum se & omnia sibi intrinseca potest esse quin sit artificiosa, vt supponitur; quod si hæc supposito non esset vera, tunc negandũ esset antecedens. Sed aliquid est intrinsece coniunctũ cum volitione, quod non possit esse coniunctum cum illa, quin sit libera, & quod consequenter potest denominare ipsam liberam: ergo non est eadem ratio de volitione libera, & opere artificioso quantum ad hoc.

*Dices*: actus qui modo est necessarius, propter defectũ cognitionis sufficientis fit postea liber adueniente cognitione tali: sed per mutationem cognitionis non videtur quod sit aliqua variatio intrinseca in ipso: ergo fit liber per denominationem extrinsecam.

*Respondetur* eos qui ponunt actum fieri liberum formaliter ab aliquo absoluto intrinseco superaddito, quod non est respectus, debere negare minorem; sed reuera nõ habet probabilitatem, quòd ex variatione solius cognitionis talis modus absolutus realis aduenit actui. Itaque *Respondeo* aliter negando vllum actum procedere à voluntate, qui aliquando sit liber, aliquando non sit; vnde in forma nego maiorem.

Pro complemento huius quæstionis addendũ contra quendã *Scotistam modernum*, cuius ad me peruenit liber editus *de actibus humanis*, postquam hæc scripseram, non posse illud, quo constituitur formaliter actus liber, esse aliquid absolutum; tum quia nihil absolutũ reperitur in actu distinctum ab ipsomet actu; tum quia qua ratione

ille modus absolutus posset seipso absque aliquo distincto egredi à voluntate libere, ipsamet volitio posset egredi absque modo, & sic superflueret modus ille: tum denique quia necessario poni debet ille respectus productionis, & ille solus sufficit absque modo illo, quem sanè gratissimè excogitauit hic Author.

## QVÆSTIO VI.

*An voluntas habeat pro hoc statu vllos actus elicitos non liberos.*

SVpposito ex dictis, quod voluntas non necessitetur ad bonum vt sic, neque ad infinitum bonum, prout hic apprehenditur pro hoc statu, amandum, difficultas præsens est solum de motibus quibusdam subitaneis, quos experimur in nobis, & communiter vocantur motus primo primi: si enim isti motus producuntur à voluntate necessario, pars affirmatiua quæstionis erit vera; si vero non producantur à voluntate, & si producantur ab illa, sed id libere fiat, pars negatiua erit vera.

### CONCLVSIO I.

Voluntas nó habet vllos actus liberos pro hoc statu.

60. *Huiusmodi motus, vel non producuntur à voluntate, vel producuntur libere, & consequenter voluntas non habet pro hoc statu vllos actus elicitos non liberos.* Hæc est conformis *Doctori in 3. dist. 33. & in 2. dist. 23.* ac alibi sæpe, & videtur esse contra magis communem sententiam.

*Probatur primo*: si illi motus essent necessarii, maxime quia quando habentur, non proponitur obiectum secundum illam rationem, secundum quam posset voluntas habere oppositos actus, & consequenter deberet necessitari ad illos actus: sed hæc ratio non valet: ergo.

Probatur minor, primo, quia quamuis non posset oppositos actus producere, posset cessare ab illis actibus habendo puram omissionem, quam suppono ex dicendis possibilem.

Probatur secundo eadem minor, quia si quãdo proponitur obiectum hoc modo, necessitatur ad operandum, non posset nó necessario agere, etiam proposito obiecto alio modo: ergo non ideo necessario agit, quia non proponitur obiectum alio modo.

Probatur antecedens, quia etiam quãdo proponeretur obiectum sub aliis rationibus, proponeretur sub hac ratione sub qua iam necessitat, verbi gratia, sub eadem ratione boni, vel mali: ergo si habet necessitare sub hac ratione, quando non cognoscitur simul sub alia ratione habebit necessitare etiam quando proponitur simul sub alia; quia propositio sub alia ratione non impedit influxum, aut determinationem obiecti sub hac ratione.

*Confirmatur*: eatenus impediretur necessario determinatio voluntatis ad actum, qui fieret proposito obiecto sub hac ratione tãtum, quando proponeretur sub hãc, & alia ratione simul, quatenus tum posset voluntas habere alium actum circa obiectum propositum sub alia ratione, quem non posset habere circa obiectum propositum sub prima ratione tantum: sed si necessitaretur ad actum ab obiecto proposito sub vna ratione sola, non posset habere actum oppositum quando proponeretur sub altera ratione simul.

*Confirmatur hoc*, quia quotiescumque est causa totalis adæquata physica alicuius effectus debite applicata, sequitur naturaliter effectus, nec potest impediri, nisi per aliquid incompossibile cum ipsomet effectu, aut cũ causa illa totali, aut cum applicatione, aut dispositione prævia ad illum effectum. Sed obiectum propositum voluntati sub ratione mali tantum, verbi gratia, est causa adæquata motus, qui vocatur primo primus: ergo non potest impediri talis motus, etiam si obiectum non solum proponeretur vt malum, sed vt bonum, quia illa propositio ipsius, vt bonum est, non est incompatibilis cum effectu illo motus, qui est primo primus, neque cum causa eius adæquata, aut conditione sufficiente, vt patet.

61. *Probatur secundo*, quia si necessitaretur voluntas ad tales actus, maxime per obiectum aliquod bonum, vel malũm obiectiue propositum: sed hoc est falsum, quia nihil obiectiue propositum potest habere maiorem vim determinatiuam voluntatis, quàm Deus ipse clare visus: sed ille non necessitat voluntatem alio modo, quam moraliter, cum quo stat quod voluntas simpliciter amet ipsum libere libertate potentiæ physicæ: ergo non potest necessitari physice ad vllos actus pro hoc statu per aliquod obiectum propositum.

*Probatur tertio*: modus proprius agendi voluntatis est modus libere agendi; & per hoc distinguitur principaliter in modo agendi ab intellectu: ergo nõ debet dici absque necessitate quod alius modus agendi connaturaliter competat ipsi; sed non est vlla necessitas dicendi, quod alius modus agendi competat ipsi connaturaliter: ergo.

*Probatur quarto*: illud obiectum, quod determinaret voluntatem secundum aduersarios, si proponeretur perfecte ipsi, non determinaret ipsam; ergo neque quando proponitur imperfecte, debet ipsam determinare; quia omnino absurdum videtur quod minorem vim determinatiuam haberet quando proponeretur melius, & perfectius, quam quãdo minus bene, & perfecte. Et hinc Deus clare visus magis determinat ad amorem sui voluntatẽ, quàm obscure visus; & certe si non determinaret clare visus, non posset cum probabilitate vlla dici quod determinaret obscure visus.

*Dico*: si proponeretur obiectum illud perfecte non solum secundum rationem illam boni, sed secũdum alias rationes mali, non determinaret voluntatem, quia tum posset non amare ipsum ob rationes illas mali quas videret; sed si solum proponeretur secũdum rationem boni, siue perfecte, siue imperfecte, determinaret, quia cum non videret vllam rationem mali, non posset nolle ipsum, & consequenter deberet necessario velle.

*Contra*, quia in tali casu licet non posset nolle, posset tamen non velle habendo omissionem puram, quam ex hoc ipso capite probare quis poterit, quia alias sequeretur quod voluntas necessitaretur absque sufficienti determinatiuo.

62. *Obiicies primo*: quãdo proponitur bonum per simplicem apprehensionem absque iudicio, non potest voluntas libere versari circa illud, quia ad libere agendum requiritur iudicium: sed potest tamen aliquo modo: ergo tum necessario aget circa ipsum.

*Respondeo* ex suppositione maioris negando minorem: si enim non potest libere ferri circa obiectum sic propositum, non poterit ferri vlla ratione.

*Confirmatur hoc*, quia volitio libera vel est eiusdẽ rationis physicæ cum rationali, vel diuersæ: si eiusdem, ergo quod determinare potest ad vnam, poterit ad alteram, & præterea quandoquidẽ quando habetur iudicium de bonitate obiecti, habeatur etiam apprehẽsio de eadem bonitate, illa apprehensio determinabit ad volitionem illã, & sic nũquam haberetur volitio libera. Quod si sint diuersæ rationis physicæ, sequeretur quod simul & semel habeat volũtas & volitionẽ naturalẽ causatã ad obiecto apprehenso vt bono, & liberam causatam ab eodem obiecto iudicato vt bono, quorum vtrumque est absurdũ.

63. *Obiicies secundo*: quæ à nobis fiunt repente, secundum *Philosophum*, sponte quidem fiunt, sed non secundum electionem: ergo motus subitanei voluntatis, quos vocant primo primos, licet sint voluntarij instar actus brutorum, quibus feruntur in bonũ sensibile, non tamẽ erũt liberi, quia nihil libere fit, nisi quod fit ex electione.

*Respondeo* negando consequentiam, & distinguendo eius probationem: nisi quod fit ex electione, hoc est ex volitione, qua quis eligit bonum, vel malum cum posset ipsum non eligere, concedo probationem; nisi quod fit electione, qua propositis duobus bonis, aut duabus rationibus, quibus quis ferri posset in obiectũ, vellet vnũ obiectum relicto altero, aut vellet ipsũ sub vna ratione non volendo ipsum secundum alteram, nego probationem vniuersaliter loquendo. Per quod patet ad *Philosophum*, qui vel non loquitur de motibus volũtatis qui repente fiunt, & sic quod dicit nõ esset ad rẽ; vel si loquitur de illis, vult tantum quod nõ fiãt secundum electionẽ posteriori modo, non vero quod non fiant secundum

electionem

electionem priori modo,& consequenter non vult quod non fiant libere.

*Obijcies tertio*:sequeretur pueros & amentes habere libertatem, & consequenter peccare posse:sed hoc est inconueniens:ergo.

Probatur sequela : quia habent aliquos motus in voluntate, quibus feruntur in aliqua obiecta.

*Respondeo*, si habeant vllos motus voluntatis, concedendo quod habeant libertatem respectu eorum;nec tamen est necesse quod possint proxime peccare pro illo statu , quia ad peccandum requiritur quod proponatur obiectum per modum inhonesti , & alicuius, quod esset contra regulam rationis ; non esset autem necesse quod pueri,aut amentes aut aliàs impediti habere possint talẽ cognitionem;quod si eam haberent,certe dicendi essent peccare, si ea non obstante prosequerentur illa obiecta.

*Posset etiam responderi secundo*, negando sequelam cum sua probatione,& dicendo quod tum non habeant vllos motus, nisi animales,& sensitiuos, sicut habent bruta.

65.*Obijcies quarto*:sequeretur, quod motus primo primi, quos habent homines compotes rationis,& quibus aliquando interficiunt alios homines , essent peccaminosi, contra Theologos communiter.

Probatur sequela , quia nihil impedit nisi quod non essent liberi:ergo si essent liberi, essent peccaminosi.

*Respondeo*:si loquamur de motibus voluntatis, si dentur aliqui non peccaminosi in talibus hominibus , negando sequelam cum sua probatione, quia quamuis libere producerentur,non essent peccaminosi ex eo quod non fierent cum cognitione proponente illos vt inhonestos & contra rationem.

*Dixi autem*:si dentur tales in hominibus compotibus rationis,quia fortassis non dantur, sed omnes motus isti subitanei,qui dicerentur esse in voluntate,non essent in illa , sed in parte sensitiua.

## QVÆSTIO VII.

### *An voluntas possit necessitari ad vllos actus eliciendos.*

66. SVpposita sententia probabiliori *Scotistarum*, quod scilicet Deus solus possit producere in potentijs vitalibus actus vitales absque concursu effectiuo ipsarum potentiarum,quam sententiam probaui disputatione præcedenti,non potest esse dubium quin Deus possit necessitare voluntatem ad volitionem & nolitionem; producendo illas in voluntate se solo absque ipsiusmet voluntatis concursu;nam volitio sic producta in voluntate esset ipsi tam necessaria quàm calor productus in aqua. Vnde quæstio præsens non procedit de necessitanda voluntate in hoc,sed an possit necessitari voluntas ad producendam in seipsa volitionem , aut nolitionem aliquam.

*Prima sententia* est posse necessitari hoc modo voluntatem. Hanc tenet *Soto de natura & gratia cap.16. Medina* 1.2.*q.6. Valentia disp.2. Suarez de gratia proleg.1. c.4.* & alij plures.

*Secunda sententia* est negatiua,pro qua citantur *Bannes* 1.*part.q.*19.*art.*10. *Zumel ibidem. Aluarez disp.*126. *cap.*3. Sed reuera hi authores non tenent hanc sententiam ad propositum huius controuersiæ ; nam fatentur voluntatem ita determinari posse ad agendum per aliquid præuium ad actionem, vt non possit non agere ; sed negant tamen necessitari supposito iudicio indifferenti,quia ponunt radicem libertatis in huiusmodi iudicio indifferenti , quomodocumque se habeat modus agendi voluntatis ; vnde potius pro opposita sententia citari possent. Melius citari posset pro hac sententia *Vasquez disp.* 99. *cap.*8.*Gabriel* 2.*d.*25.*art.*3.*Occam.q.*19.*Richardus & Guilielmus à Ruuione ibidem.*

Nõ potest necessitari volũtas ad producendam vllam volitionem.

### CONCLVSIO I.

67. *Non potest necessitari voluntas creata ad producendam in se vllam volitionem aut nolitionem.* Hæc est iuxta secundam sententiam , & videtur mihi conformis *Doctori* in omnibus locis, in quibus asserit voluntatem non necessitari ad amorem beatificum , neque vltimum finem in communi & particulari quomodocumque ostensum.

*Probari posset authoritatibus Patrum, S. Bernardi de gratia & libero arbitrio, & S. Augustini de eadem materia* : sed quia hoc argumentum est Theologicum , & facile responderi posset eos tantum velle quod voluntas non possit necessitari de potentia ordinaria,non de absoluta: quæ responsio vix impugnari potest, nisi ostendatur ratione quod necessitari non possit etiam de potentia absoluta , & quod consequenter *Patres* intelligendi sunt etiam de potentia absoluta ; propterea magis insinuandum quam fuse proponendum videbatur & ratione solummodo innitendum.

*Probatur ergo conclusio ratione*.Voluntas creata necessitari non potest ad producendum in se volitionem aut nolitionem aliquam , nisi quatenus Deus produceret in ipsa aliquam qualitatem physicam,quæ ipsam prædeterminaret ad volitionem producendam;vel quatenus ipsemet concursu aliquo suo actuali determinaret illam;vel quatenus præberet concursum actualem ad vnum actũ, & absolute nollet dare concursum ad vllum alium actũ: sed neutro ex his modis potest necessitari voluntas necessitate physica , de qua loquimur principaliter : ergo. Maior patet,quia non potest assignari alius modus,quo necessitari possit.

*Probatur minor quoad primam partem*;quia illa qualitas non posset necessitare voluntatem , nisi quatenus concurreret physice cum ipsa ad volitionem per modũ causæ partialis , vel quatenus determinaret ipsam formaliter,inclinando ipsam formaliter ac sensibiliter,sicut determinat , ac trahit ipsam delectatio aut voluptas , aut habitus,aut aliquid simile. Non primo modo,quia alias de facto habitus charitatis necessitaret voluntatẽ,quandoquidem concurrat physice, & quidem per modũ causæ partialis naturaliter agentis:& quia non potest intelligi quomodo causa partialis possit determinare aut necessitare per concursum physice partialem alteram causam, quandoquidem concursus partialis non possit esse prior altero concursu. Non etiam secundo modo , quia non potest concipi,quod aliqua qualitas posset determinare aut necessitare in genere causæ formalis voluntatẽ ad aliquem actum habendum magis,quam voluntas determinatur & necessitatur per visionem beatificam ad amorẽ beatificum:sed hæc non necessitat ad illum amorem, vt suppono ex principijs *Scoti*:ergo non potest necessitari in genere causæ formalis per vllã talẽ qualitatẽ.

*Probatur minor quoad secundam partem*.Primò quia non potest intelligi quomodo potius determinaret ipsam per vllum concursum actualem,quam per illum,quem exhibet ipsi de facto : sed certum est quod non necessitatur per vllum concursum,quem exhibet de facto : ergo.Secundo , quia nullus concursus actualis Dei potest esse prior quam concursus voluntatis vt est euidens:ergo nõ potest determinare voluntatẽ ad concursum,quod enim determinat ad concursum, debet esse prius concursu.

*Probatur denique eadem minor , quoad tertiam partem*. nempe,quod non posset Deus determinare voluntatem, aut necessitare per hoc quod nollet dare concursum ad alios actus.

*Primo*,quia de facto,quãdo præbet concursum ad amorem non præbet concursum ad vllum alium actum incompossibilem,& non vult positiue præbere talem concursum, & tamen hoc non obstãte non necessitat volũtatem ad amorem sic , quin posset habere odiũ si vellet.

*Secundo*, quia non obstante tali decreto de non dando concursu ad vllum alium actum,potest voluntas habere omissionem puram : ergo eo non obstante non necessitabitur ad amorem.

69. *Probatur secundo conclusio*, & simul confirmatur discursus præcedens;non potest voluntas necessitari ad aliquem actum producendum , quotiescumque pro priori naturæ habet omnia principia sufficientia ad eum non habendum:sed non potest voluntas habere actum vllum à se productum , quin necessario pro priori naturæ habeat

beat omnia principia sufficientia ad illum actum non habendum:ergo.

Probatur minor, quia antequam voluntas habet actū in se productum, est ipsamet voluntas in actu primo cū obiecto sufficienter proposito sub ratione,sub qua posset habere amorem,& odium circa ipsum,vt suppono;& est etiam voluntas diuina in actu primo potens concurrere cum illa pro illo priori : ergo voluntas habet ante productionem amoris,v.g.principia sufficientia ad eum non habendum.

*Dices*,ex suppositione,quod infunderetur aliqua qualitas voluntati pro illo priori antequam produceret actum, quæ qualitas determinaret ipsam ad habendum actum,non haberet voluntas in priori naturæ ante productionem actus omnia necessaria ad eum non habendum, quia negatio talis qualitatis esset vnum ex illis, quæ necessaria essent.

*Contra*, quia vt patet ex probatione præcedenti non potest dari qualitas quæ sic necessitat.

70. *Dices secundo* : si Deus haberet decretum de non concurrendo ad vllum alium actum,quam ad vnum,nō haberet voluntas principia sufficientia ad habendum vllum alium actum. Sed Deus posset habere tale decretum:ergo posset voluntas non habere omnia principia sufficientia ad non habendum actum.

*Contra primo*:quia quamuis in tali casu non posset habere principia sufficientia ad habendum vllum alium actum, tamen haberet principia sufficientia ad omissionem puram.

*Contra secundo* : quia Deus non posset habere nolitionē non concurrendi cum voluntate ad vllos actus, nisi pro instanti,pro quo etiam voluntas habet negationem concurrendi ; sicut enim non potest habere volitionem concurrendi,nisi pro illo ipso instanti temporis & naturæ pro quo voluntas habet concursum suum, ita non potest habere nolitionem non concurrendi,nisi pro instanti, pro quo voluntas habet etiam negationem non concurrendi:sed nihil existens in illo instanti,in quo voluntas habet negationem concurrendi tollit quin voluntas habeat principia sufficientia pro priori naturæ ad habendum oppositum actum, neque enim aliquid existens,tunc impedit quo minus sit ipsamet voluntas cum obiecto proposito, & voluntas diuina potens concurrere pro priori naturæ.

*Confirmatur hoc*, quia Deus non potest habere decretum de non concurrendo ad alios actus nisi pro instanti pro quo posset habere decretum de concurrendo ad illos actus : sed non potest habere decretum de concurrendo pro vllo instanti,quin voluntas habeat pro priori naturæ principia sufficientia ad eos non habendos,alias decretum Dei de concurrendo ad aliquem actum tolleret libertatem, quod est absurdum:ergo decretum Dei de non concurrendo ad aliquem actum non tollet, quo minus voluntas habeat pro priori naturæ principia sufficientia ad ipsum ponendum.

*Contra tertio*,quia de facto Deus quando decernit concurrere ad aliquem actum cum voluntate habet nolitionem concurrendi cum ipsa ad alios actus, & tamen hoc non tollit,quin voluntas de facto habeat pro priori naturæ principia sufficientia ad actus oppositos : ergo nolitio concurrēdi ad alios actus nō tollit illa principia.

*Confirmatur*, quia ideo decretum de concurrendo ad talem actum,v.g.amorem,non necessitat ad amorē,quia pro priori naturæ voluntas habet ad actus oppositos principia sufficientia,nempe suam virtutem in actu primo, obiectum sufficienter propositum, & voluntatem diuinam potentem concurrere : sed etiam quando Deus decerneret non concurrere ad actus oppositos,pro priori naturæ essent principia sufficientia ad illos actus:ergo non necessitaretur voluntas per tale decretum.

71. *Obycies* illud scripturæ. *Quis resistet voluntati eius?* cuius loci sensus est quod nemo possit resistere voluntati absolutæ,& efficaci Dei:sed hoc esset falsum,si vera esset nostra conclusio,quia quamuis vellet impedire quo minus haberemus aliquem actum,adhuc possemus illum habere;& quamuis vellet absolute decernere,vt haberemus aliquem actum, possemus non habere illum : ergo falsa est nostra conclusio.

*Respondetur primo*,negando minorem pro prima parte, quia quando vellet impedire, ne haberemus aliquem actum, posset impedire ne proponeretur nobis obiectū ipsius, & hoc supposito non potuissemus habere talem actum,quia voluntas non potest ferri in incognitum.

*Respondeo secundo*, explicando locum illum Scripturæ, cuius sensus est,quod nemo possit resistere vlli volitioni efficaci,quam Deus habet,aut habere potest sic,quin res volita ab ipso sit futura necessario, ex suppositione talis volitionis:hoc autem non est contra conclusionem:nam hoc non obstante potest esse verum, quod non necessitetur voluntas absolutè, & simpliciter ad illum actū sic, quin posset ponere oppositū eius absolute,& simpliciter.

*Dices* : si posset ponere oppositum actum absolute, & simpliciter, posset absolute, & simpliciter resistere volitioni diuinæ,contra prædictum locum.

*Respondeo* negando sequelam:quia non posset resistere volitioni diuinæ, nisi ex suppositione, quod quādo esset volitio diuina in sensu composito,posset ponere oppositum:ex hoc autem quod posset absolute, & simpliciter ponere oppositum,non sequitur quod posset ponere oppositum ex suppositione volitionis diuinæ in sēsu composito ipsius:ergo ex eo,quod posset absolute,& simpliciter ponere oppositum ipsius quod Deus vellet,non sequitur quod posset resistere volitioni diuinæ.

*Hinc respōderi potest tertio*,ad obiectionem principalem negando minorem,quia per hoc, quod absolute & simpliciter posset oppositum eius, quod Deus decerneret, aut vellet,non sequeretur quod posset resistere voluntati diuinæ.

## CONCLVSIO II.

72. *Deus potest necessitare voluntatem creatam moraliter.* Hæc est communis, *& patet*, quia sic de facto necessitatur per gratiam prouenientem, & per visionem beatificam, ac etiam per tentationem saltem grauem absque gratia Dei,quam potest negare,si vult,& sæpe negat saltem efficacem. Potest Deus necessitare voluntatē moraliter.

*Et si quæras*, quomodo hæc determinatio fiat.

*Respondeo*,quod non in genere causæ effectiuæ,quatenus scilicet quod sic determinat concurrit effectiue, & physice ad actum ; sed potius in genere causæ formalis formaliter determinantis,& inclinantis ad actum,vt patet ex dictis hactenus variis locis in hac disputatione.

73. *Quares*,an per imperium efficax,quo voluntas imperaret per vnum actum alium actum,necessitaretur ad alterum actum. Hanc difficultatem fusissime tractat *Hurtadus disp.136. de virtutibus Theologicis*, sed ex dictis facilè,& clarè potest expediri.

*Itaque dico primo*, si necessario sequeretur actus imperatus tam physice, quam moraliter ad actum imperantem,esset quidem liber simpliciter,non tamē ex suppositione actus imperātis. Hæc est iuxta *Hurtadū*,nec credo posse esse in controuersia,nisi fortè apud eos auctores qui cum prædeterminatione physica in sensu cōposito,putant posse consistere libertatem, si qui tales sunt.

*Probatur prima pars*, quia actus imperatus non habet necessitatem,nisi ex suppositione imperantis : ergo cum actus imperans sit liber vt supponitur, etiam actus imperatus erit liber simpliciter : quidquid enim dependet simpliciter à libertate quoad esse,& non esse,est simpliciter liberum:sed quidquid dependet ab actu libero, dependet simpliciter quoad esse, & non esse à voluntate: ergo est liberum.

*Confirmatur*,quia hac ratione acquisitio habituum vitiosorum est libera simpliciter, quia quamuis sit necessaria ex suppositione actuum ; quia tamen actus sunt liberi,propterea habitus illi libere acquiruntur.

*Probatur secunda pars*, quia nihil est liberum ex suppositione aliqua antecedenti,ex qua necessario sequitur,vt patet ex definitione liberi ; quod est illud quod positis omnibus prærequisitis potest esse,vel non esse.

*Confirmatur primo*, quia ideo prædeterminatio physica ad

ad actus naturales tollit libertatem ad illos in sensu cõposito, quia illa posita in sensu composito necessario sequuntur: ergo si actus imperatus necessario sequitur ad actum imperantem, non erit liber in sensu composito ipsius.

*Confirmatur secundo*, quia habitus virtuosus non est liber in sensu composito ad quem sequitur, quia sequitur ad illum necessario: ergo si actus imperatus sequitur necessario ad actum imperantem, non erit liber in sensu composito actus imperantis.

Actus imperatus est liber etiam ex hypothesi actus imperantis.

74. *Dico secundo*, nullum imperium physicum determinare ad vllum alium actum voluntatis ab ipso imperatum. Hæc resolutio est contra hypothesim *Hurtadi in prædicta disputatione*, in qua videtur supponere quod imperium efficax non solum determinatum, quo imperatur vnus actus determinatus determinato tempore, sed etiã vagum quo determinatur aliquis ex pluribus actibus indeterminate, aut vnus actus aliquo tempore ex pluribus, necessitet voluntatem ad actum imperatum: est autem conformis ad principia supra posita *n.* 49. vbi ostensum est quod intentio efficax finis non determinet physice ad electionem mediorum: & ex hoc ipso

*Probatur*, quia imperium efficax non habet maiorem vim determinandi ad actum imperatum, quàm intentio efficax ad electionem mediorum, supposito quod electio mediorum distinguatur realiter ab intentione: sed intentio, vt patet ex dictis *illo numero*, non habet vim determinandi physice, sed solum moraliter ad electionem: ergo neq; imperium efficax qualecumq; ad actum imperatũ.

*Deinde* probari potest directe per illas ipsas probationes quibus id probatur de intentione illa, militant enim hic æque directe, ac ibi.

## QVÆSTIO VIII.

*Vtrum voluntas possit habere omissionem puram liberam.*

CErtum est voluntatẽ habere sæpe omissiones multas necessario, nimirum quãdo quis dormit, & quotiescumque intellectus est ita impeditus, vt non proponat aliquod obiectum voluntati, circa quod voluntas possit habere actum, tunc enim nullum habet actum, & consequenter habet carentiam omnis actus, & quidem necessario, quandoquidem non sit in manu eius eam tollere: non potest autem eam tollere, nisi possit producere aliquem actum, quo tolleret illam: carentia vero actus habiti absque vllo actu vocatur omissio pura, sicut quando concomitatur actum, vocatur omissio non pura. Difficultas ergo est de omissione pura libera, quam voluntas posset non habere pro instanti illo, pro quo haberur, si vellet oppositum actum producere.

## CONCLVSIO I.

Potest dari omissio pura libera.

75. *Potest dari omissio pura libera.* Hæc est *D. Thomæ* 1.2. *q.* 61. *art.* 3. *& in* 2. *dist.* 35. *q.* 1. *art.* 3. *Ricardi, Ægidij, Capreoli, Bassoli ibidem. Occami in* 3. *q.* 10. quos sequitur *Suar. disput.* 19. *Metaph. sect.* 3. *Arriaga hic disput.* 8. *sect.* 6. & alij plures contra *Magistrum in* 2. *dist.* 15. *D. Bonauent. ibid. Alensem* 2. *part. q.* 1. *Caietan.* 1. *part. q.* 63. *art.* 1. quos sequitur *Vasquez* & alij quamplurimi. *Doct. noster* non tractauit quæstionem hanc ex proposito, sed conclusio videtur conformior ipsius principiis, & à *Scotistis* propterea satis communiter tenetur.

76. *Probatur conclusio*, quia quando proponitur obiectum aliquod sub ratione indifferenti, ita, vt voluntas possit illud vel amore prosequi, vel odio habere, nihil necessitat voluntatem ad vllum actum: ergo potest nullum habere: sed si nullum haberet actum, haberet omissionem puram liberam: ergo potest dari talis omissio.

Probatur subsumptum, quia si nullum actum haberet, deberet habere omissionem omnis actus, & consequenter omissionem puram.

Deinde haberet illam pro instanti, pro quo posset si vellet non habere illam: sed nihil aliud requiritur ad hoc, quod sit libera: ergo illa omissio, quam tum haberet, esset libera.

*Dices* cum *Caietano* requiri ad hoc vt aliquid sit liberum, quod eliciatur per actum positiuum.

*Contra primo*, quia hoc gratis asseritur.

*Contra secundo*, quia ideo actus ipse dicitur liber, quia producitur pro instanti, pro quo posset non produci: & sane ad hoc impertinẽs est, quod sit positiuum, vel quod non sit; ergo si omissio exit à voluntate pro instanti pro quo posset non exire ab illa, debet dici libera.

*Probatur* ergo antecedens: quia nec quoad bonitatem potest obiectum necessitare ad amorem, quandoquidem voluntas possit ipsum fugere propter malitiam quam videt in ipso; nec quoad malitiam potest determinare ad fugam, quandoquidem possit voluntas amare ipsum propter bonitatem; nec quoad vtramque rationem potest necessitare ad fugam & amorem simul, quia vterque actus est incompossibilis, & quia potest omittere quemcumque ex ipsis.

*Dices*, obiectum non posse necessitare ad alterutrum ex illis actibus determinate; sed bene tamen indeterminate ad aliquem ex illis.

*Contra*, quia nulla prorsus est ratio, cur sic necessitaretur; & quantum ad experientiam nostram, quando proponuntur nobis plura obiecta, licet possemus habere actũ circa quodcumque, tamen videmur nobis, dum intellectus deliberat de eo quod esset præferendum, hærere absque vllius ex illis prosecutione.

77. *Probatur secundo conclusio*: quia quando proponitur obiectum sub ratione boni tantum, vt optime potest, nõ necessitatur voluntas ad illud prosequendum: ergo tum potest non prosequi ipsum: sed si non prosequeretur, haberet omissionem puram liberam; neque enim tum posset habere alium actum, quam prosecutionem, quandoquidem, vt suppono, non proponatur obiectum sub ratione alia quam prosequibili.

Probatur antecedens: si necessitaretur tum ad prosecutionem, esset causa totalis naturaliter determinata ad prosecutionem applicata sufficienter; sed hoc est falsum: ergo non necessitaretur.

Probatur minor: non est alia causa applicata tũ præter voluntatẽ & obiectum cognitum sub illa ratione boni: sed hæc non est causa adæquata naturaliter determinatiua, & sufficienter applicata ad determinationem: ergo.

Probatur vltima minor, quia si voluntas cum bono sic proposito esset causa adæquata sufficienter applicata ad illam determinationem, quotiescumque daretur & non impediretur, sequeretur illa determinatio: hoc autẽ est falsum, quia quando proponitur idem obiectum sub illa ratione, & præterea sub ratione aliqua mali, non determinat ad illam prosecutionem, quandoquidem prosecutio tum sit libera.

78. *Dices* non proponi obiectum eodem modo, quãdo proponitur sub ratione boni tãtum, & quando proponitur sub ratione boni & mali: ergo quamuis necessitaret, quando tantum proponeretur sub ratione boni, non deberet necessitare, quãdo proponeretur vt bonũ & malũ.

*Contra*, quia eodem modo proponitur quantum ad rationem boni: ergo si propositum secundũ rationem boni simul cum voluntate necessario producebat perfectionem, etiam vt sic propositum, quamuis alia ratio simul proponatur, deberet similiter determinare voluntatem.

*Confirmatur*: si calor solus calefaceret, calor cum siccitate etiam calefaceret, nisi siccitas impediat, & in ordine ad calefactionem eodem modo applicatur, quando applicatur vt siccus, & quando applicatur solus absq; siccitate: ergo similiter, si ratio boni se sola proposita determinabat voluntatem, etiam illa ratio proposita sic determinabit, licet simul proponatur alia ratio, nisi alia ratio proposita impediat illam determinationem.

Probatur antecedẽs: nihil impedit effectum causæ naturalis adæquatæ, qui alias produceretur necessario, nisi quod est secundum se incompossibile cum illo effectu, aut quod necessario producit aliquid incompossibile cũ illo effectu; sed propositio malitiæ non est incompatibilis cum prosecutione, neque necessario producit aliquid cum ipso incompatibile, quia alias ea proposita, nõ posset voluntas etiam libere prosequi obiectum: ergo non potest impedire quo minus necessario sit ista prosecutio, quæ alias esset necessario habita à potentia.

79. *Dices*:

79. *Dices*:ad hoc vt impediat necessitatem prosecutionis,sufficit quod possit causare fugam.

*Contra* in primis,non posset,quia prosecutio esset necessaria,& esset incompatibilis cum fuga.

*Contra secundo*,quia per hoc quod Deus posset producere nolitionem in voluntate,quando ipsamet necessario haberet volitionem,non sequitur quin ipsa volitio esset necessario producta,si alias esset necessario producta.

*Contra tertio*:per hoc quod frigus possit producere frigus in subiecto,in quo alias produceretur necessario calor,non potest impedire productionem necessariam caloris, nisi producat actu frigus, vel ipsummet sit incompatibile cum calore producendo:ergo quamuis propositio mali posset causare fugam obiecti, nisi tamen causet actu illam,aut ipsamet sit incõpatibilis cum prosecutione, non impediet necessariã productionẽ prosecutionis.

*Dices secundo*,quemadmodum pondus positum in vna parte bilãcis est causa naturaliter impulsiua ipsius deorsum,& tamen potest impediri per aliud pondus æquale, aut maius positum in altera parte : ita quamuis bonitas sola apprehensa necessario determinaret ad prosecutionem, tamen impediri poterit per propositionem.

80.*Contra primo*, quia ideo aliud pondus impedit effectum prioris,quia tam debet habere effectum suum quã pondus primum,& non potest habere suum effectum simul cum effectu ponderis prioris : sed propositio mali non deberet habere effectum suum , quando propositio boni haberet suum effectum : ergo propositio mali non potest impedire effectum boni propositi.

*Confirmatur*,quia si propositio mali impediret effectũ propositionis boni , sicut vnum pondus effectum alterius,tum quando fieret vtraque propositio,neutra haberet effectum suum , sicut neutrum pondus habet suum: sed hoc est falsum,vt patet experientia:ergo.

*Confirmatur secundo* : ideo quando proponitur bonum & malum , potest bonum habere effectum suum , licet malum non habeat suum,quia determinatio non prouenit ab obiecto, sed à voluntate libere:ergo quemadmodum prouenit à voluntate libere, poterit non habere illum effectum,aut etiam alterum si voluerit.

*Contra secundo*,quia ideo alterum pondus impedit effectum alterius, quia habet effectum incompossibilem cũ altero effectu impedito,nempe Vbi tale : sed propositio mali non habet vllum effectum incompatibilem cum prosecutione boni:ergo non est eadem ratio de pondere & propositione illa.

*Contra tertio* : ideo alterum pondus impedit effectum alterius, quia non solum deberet trahere bilancem cum quantitate quam habuit ante alterum pondus,sed etiam cum grauitate maiori,quam habet ex altero pondere:nõ habet autem virtutem sufficientem ad hoc:sed voluntas etiamsi prosequeretur eodem modo bonum , proposita malitia , quo prosequeretur non proposita illa,non versaretur circa malum,nec deberet habere maiorem virtutem quam ante alium effectum : ergo non est idem de pondere, ac propositione illa.

*Probatur tertio* : quia maior esset libertas voluntatis, si diceretur quod possit habere omissionem puram , quã si non:ergo si non implicet quod talẽ habeat, debet asseri: sed non implicat, vt patebit ex solutione obiectionum.

Probatur antecedens , quia sic haberet libertatem & quando proponeretur obiectum sub vna tantum ratione boni aut mali , & quando Deus decerneret concurrere solum ad vnum actum.

Probatur consequentia,quia tam perfectam libertatẽ debemus dare voluntati,quam possumus absque inconuenientia:nulla autem est inconuenientia in attribuendo ipsi huiusmodi libertatem,nisi quod implicaret:ergo si non implicet debet ipsi tribui.

81. *Probatur quarto* : potest voluntas libere cessare ab actu suo pro tempore sequenti absque alio actu,quo mediante cessaret ab illo , aut quem actum sequeretur illa omissio:ergo poterat ab initio illum actum non producere absque alio actu positiuo , ratione cuius diceretur illum omittere.

Probatur consequentia,quia est eadem ratio de omissione eius pro primo instanti,pro quo posset habere,atque de cessatione eius pro tempore sequenti.

Probatur antecedens , quia potest cessare absque productione actus repugnantis cum priori actu;neque enim ad hoc vt cesset voluntas ab vno actu , debet necessario elicere alium actum incompatibilem cum priori , sed si cessat absque productione actus repugnantis,cessare poterit absque alio actu quo mediante cessaret , nam eatenus cessaret mediante tali actu , quatenus esset actus, ad quem necessario vel connaturaliter sequeretur negatio aut omissio actus prioris à quo cessaret , sed non posset esse talis actus,nisi esset incompatibilis cum priori, siue simpliciter siue connaturaliter.

*Ad hoc argumentum potest responderi*, negando antecedens cum sua probatione : & sane quacumque ratione non potest producere ab initio talem actum nisi mediante alio incompatibili,non poterit etiam cessare nisi mediante tali actu.

82.*Dices*:inde sequeretur quod non posset quis cessare ab actu charitatis nisi peccando,quia nullus est actus cũ illo incompatibilis,nisi actus peccaminosus.

*Respondeo* negando sequelam *primo* , quia posset quis cessare ab illo actu per hoc,quod auerteretur intellectus à propositione obiecti, sed cessatio, quæ hoc modo fieret,non esset libera,neque enim esset in manu voluntatis non cessare tunc.

*Secundo*,quia nolendo vlterius conseruare talem actũ, non conseruaret illum,& illa nolitio esset incompatibilis cum actu charitatis , & tamen non est peccaminosa, quia actus charitatis non est præceptus semper & pro omni tẽpore:sed nolitio alicuius actus non est necessario peccaminosa,nisi pro tempore quo actus est præceptus. Itaque nisi probetur aliũde possibilitas omissionis, certe ex hoc argumento meo iudicio non potest conuinci.

*Probat quinto Arriaga* : quando aliquis est liber ad amandum & odio habendum Petrum,v.g.nihil aliud requiritur ad exercitium libertatis,quam quod per actum positiuum amet : sed in eo casu datur omissio pura libera:ergo possibilis est talis omissio.

Probat minorem suo iudicio euidenter,quia tunc poterat non solum amorem elicere,sed imperium de amore; sed illud imperium omissum est libere ; ergo datur omissio pura libera.

Probatur minor,quia illud imperium fuit compatibile cum amore:ergo per amorem non fuit omissum.

Deinde non fuit nolitio aliqua istius imperij,nec volitio omissionis ipsius,quia non fuit necesse,vt aut imperium,aut omissio eius fuerit proposita voluntati,vt posset velle aut nolle illa.

83.Hoc argumentum proponit fusius cum replicis & solutionibus,sed prorsus ex se non habet maiorem vim, nec forte tantam, quantam habet præmissa probatio.

*Responderi* enim potest negando minorem , ad cuius probationem dico,quod,quando aliquis exercet libertatem suam amãdo obiectum, non est necesse vt omittere possit libere imperiũ quo imperaret illum amorem,quia non est necesse vt proponatur ipsi ipsemet amor; nam vt ipsemet *Arriaga* paulò ante docuit & patet experientia vt quis amet obiectum , non est necesse vt proponatur amor, sed si non proponatur amor,non potest voluntas habere imperium de ipso,vt etiam patet:ergo licet quoties habetur amor obiecti absq; imperio, omittatur imperium,& habeatur omissio imperij;tamen non est necesse,vt illa omissio sit libera.Quod si quãdo proponitur obiectum vt amandum,proponatur etiam amor , adhuc non esset necesse,vt volũtas possit libere velle aut nolle, aut omittere ipsum , quia non est necesse vt proponatur sub ratione boni aut mali ; non potest autem voluntas velle aut nolle,aut omittere libere,nisi aliquid propositũ sub ratione boni aut mali,vel boni & mali.Quod si deniq; quando amat obiectũ,proponatur ipsi amor tanquã bonum solum, necessitabitur ad ipsum, aut omissionem ipsius , nisi aliunde probetur possibilitas puræ omissionis ; si vero proponatur vt malum solum , eodem modo

necessitabitur

necessitabitur ad fugam positiuam ipsius, vel necessitabitur ad omissionem fugæ positiuæ: si autem proponatur sub ratione boni & mali; eodem modo poterit se gerere ad imperium ipsius, quo se gerebat ad ipsum amorem circa obiectū amatum: vnde si non poterit libere omittere amorem circa obiectum illud per omissionem purā, sed necessario debet habere aut amorem illum, aut odiū, vel fugam oppositam, vel nolitionem positiuam amoris, aut volitionem positiuam fugæ: ita respectu amoris sic propositi debet habere vel imperium ipsius, vel imperium fugæ oppositæ, aut ipsammet fugam oppositam, vel nolitionem istius imperij: nec in hoc prorsus est vlla ratio particularis de imperio illo aut eius omissione magis quam de ipso amore, ac eius omissione.

84. *Obycies primo*: vt omissio aliqua sit libera, debet esse ob aliquem finem volitum vel nolitum: ergo non potest dari omissio pura libera.

Probatur antecedens, quia agens liberum est agens ex proposito, & consequenter agens propter finem: sed nequit agere propter finem, nisi per actum positiuum velit aut nolit finem, neq; enim agit propter finem, nisi quatenus finis mouet, non mouet autem nisi mediante actu.

Agens omissiue non debet agere propter finem.

*Respondeo primo*, negando antecedens, & distinguendo maiorem probationis: est agens ex proposito semper, nego maiorem; est agens ex proposito, id est, est agens quod potest agere ex proposito, & quod semper agit ex proposito, hoc est, mediante intentione alicuius finis, quoties agit, per actionem positiuam, seu per nolitionē aut volitionem, quia ipsamet volitio aut nolitio est talis intentio, aut præsupponens talem intentionem, concedo maiorem & nego consequentiam. Et hæc responsio omnino satisfacit.

*Alij respondent* voluntatem agere propter finem omittendo pure; nec tamen eam debere moueri positiuè à fine; vnde negant antecedens, cum minori probationis, ac sua probatione.

Non sufficit vt actus aut omissio fit propter finē quod finis proponatur.

85. *Sed contra* hanc responsionem, quia si omissio esset propter aliquem finem, maximè ex eo quod proponeretur ab intellectu aliquis finis ad quem posset conducere; sed hoc non sufficit, quia non omnis finis propositus ab intellectu, ad quem actus possit conducere, potest dici esse finis actus, aut intentus ab operante; alias si quis cōsideraret ambulationem esse vtilem ad sanitatem & ad ebrietatem, & veller illam quatenus vtilis ad sanitatem, intenderet etiam ipsam quatenus vtilis ad ebrietatem: ergo non omnis finis propositus ab intellectu, ad quem possit omissio esse bona, potest dici esse finis omissionis; sed si omnis non sit, nullus erit, quia vnus non potius debet esse, quam quicumque alius.

*Cōfirmatur*, quia si ex eo, quod proponatur aliquis finis per intellectū, quando datur omissio, omissio deberet habere illum finē, sequeretur quod eadem omissio esset simul bona & mala, quia simul potest proponi finis bonus, ad quē posset conducere, & etiam finis malus, v.g. potest proponi studium, vt conducens ad impediendum deuotionem, & ad impediendum furtum; & in tali casu omissio haberet pro fine proposito ab intellectu impedimentum deuotionis, qui esset malus, & impedimentum furti, qui esset bonus, nec esset maior ratio ob quam diceretur fieri ob vnum quam alterum; ergo deberet fieri ob vtrumque, & consequenter esset bonus & malus.

*Et si dicas* quod simpliciter esset malus, quia malum ex quocumque defectu.

86. *Contra*, quia sic si præciperetur voluntati omittere studium, male ageret omittendo, male enim ageret habendo aliquid libere, quod esset simpliciter malum. Propter hæc existimo sistendum in prima responsione & omnino negandum, quod voluntas omittendo pure aliquid, intendat finem etiam interpretatiue, aut moraliter, quia non est fundamentum aliquod interpretandi quod omittat actum ob motiuum propositum ab intellectu.

*Dices*, inde sequeretur quod omissio pura non possit esse bona nec mala; sed hoc videtur falsum, si detur omissio pura libera: ergo.

*Vt soluatur hæc replica, aduertendum*, quod si sufficiat ad hoc vt aliquis agat bene, quod ponat actionem præceptam, quamuis non intēderet honestatem ipsius, quem admodum sufficit ad male agendum quod ponatur actio prohibita, quamuis non intendatur malitia eius; tum omissio posset esse bona, quando fieret cum esset præcepta. Si vero non sufficiat ad bene agendum facere quod bonum est; sed requiratur vlterius quod intendatur bonitas eius, licet ad agendum male, sufficiat facere quod simpliciter est prohibitum, quamuis non intendatur malitia; tum dicendum quod omissio pura non possit esse bona, quamuis possit esse mala. Quid autem in re dicendum sit, spectat ad materiam de actibus humanis; nec hic videbatur examinandum.

An possit dari omissio bona.

87. *Obycies secundo*, illud, quo mediante formaliter voluntas exercet libertatem, quale est omne quod est liberum in actu secundo, debet esse aliquid vitale; sed pura omissio non est aliquid vitale: ergo non potest esse libera in actu secundo.

*Respondeo* distinguendo maiorem; id est, aliquid procedens à principio vitali, transeat; id est aliquid secundū se formaliter vitale, & positiue sensibile aut producibile per actionem vitalem, nego.

*Obycies tertio*, non fit transitus de contradictorio in contradictorium sine aliqua mutatione: ergo voluntas non potest transire de volente hoc ad non esse volentem illud absque mutatione; sed hoc esset falsum, si possit dari pura omissio.

*Respondeo* concedendo antecedens, & consequentiam, & negando subsumptum, nam ipsemet transitus de esse volente ad esse non volentem, est mutatio à volitione ad negationem eius.

88. *Sed dices*: voluntas de non libere agente transit ad esse libere agentem, quoties habet omissionem puram liberam; sed non potest assignari quænam mutatio sit, qua mediante fieret iste transitus: ergo non potest sic transire.

*Respondeo* negando minorem, quia iam afficitur negatione, qua non afficiebatur antea, saltem eodem modo: quod addo, quia antea poterat habere negationem istius actus; sed non liberā, modo autem habet illam liberam.

*Et si quæras*, per quid habet esse libera iam, si ante non fuit libera.

*Respondeo* per id, per quod motus primo primus non liber postea fit liber; hoc est, vel per denominationem extrinsecam desumptam à potentia, iam proxime potente ipsum ponere, vel non ponere propter cognitionem deliberatam obiecti, & ante non potente propter defectum talis cognitionis; vel seipsa formaliter. suppositio tamen tali statu potentiæ, aut cognitione sufficienti ad oppositum eius ponendum, tanquam conditione sine qua non; vel per respectum rationis iuxta diuersas sententias, quæ sunt de ratione formali libertatis.

89. *Instabis adhuc*, ante omne exercitium libertatis, siue positiuum illud sit, siue negatiuum, debet præsupponi voluntas in actu primo proxime potens ad illud, & oppositum eius, & consequenter cum cognitione plena obiecti, circa quod fit illud exercitium; sed in priori est negatio actus sequens ad cognitionem, & ad potentiam sic potentem: ergo non potest ostendi vnde habet negatio pura actus esse libera.

Probatur consequentia: quia non habet esse libera ex dictis, nisi à potentia sic potente, & cognitione, siue tanquam à ratione formali, siue tanquam à conditione, sed ab illis non potest hoc habere, quia alias ista negatio prior exercitio libertatis esset sic libera, quod est absurdum.

*Respondeo* distinguendo minorem: in illo priori, hoc est ante illud instans naturæ, vel rationis, in quo potest intelligi, vel esse exercitium libertatis, aut negatio actus, quam pro illo priori potest tollere libere volūtas, nego; quam non potest, concedo, & nego consequentiam. Ad cuius probationem dico, quod negatio actus libera habet esse talis tantū pro instanti, pro quo potest actus oppositus ipsi esse liber; nulla autē negatio præcedēs exercitium omne libertatis, quantumuis præsupponatur ipsi

cognitio,& indifferentia potentiæ,habet esse pro tali instanti, vt sic præcedens est, & consequenter, vt sic non est libera.

*Adde* potentiam non esse indifferentem ad ponendã, vel non ponendam negationem præcedentem exercitiũ libertatis suæ pro illo priori, & consequenter illa negatio pro illo priori non est libera, sicut est negatio, quæ est in instanti in quo intelligitur exercitium libertatis.

*Obijcies quarto*, si pura omissio sufficeret pro exercitio libertatis,sequeretur Deum posse exercere suam libertatem ad extra per puram omissionem.

*Respondetur*, si ex nullo alio capite hoc ipsi repugnet, quam ex defectu libertatis, concedo; nec hoc esset vllo modo inconueniens;si sic,nego.An autem ex alio capite repugnet,necne, non pertinet vllo modo ad præsens,sed referendum est ad Theologiam.

90.*Obijcies quinto*,mala esset diuisio peccati in dictum, factum,vel concupitum contra legem,quia omissio pura peccaminosa esset peccatum, & non comprehenderetur sub illa.

*Respondeo* negando sequelam, potest enim optime reduci illa omissio ad concupitum,quia est concupiscentia interpretatiua, & æquiualens moraliter nolitioni actus præcepti: perinde enim est legislatori quod iste actus præceptus non ponatur mediante omissione pura, vel mediante nolitione positiua ipsius.

## QVÆSTIO IX.

### *An voluntas sit perfectior intellectu.*

91. PRima *sententia* est intellectum esse perfectiorem. Ita *Sanctus Thomas 1.part. q.72.art.3.* quem sui sequuntur communiter citati à *Complutensibus hic disp. vltimâ n.28.*

*Secunda sententia* præfert voluntatem.Hanc tenet *Doctor in 4.dist.49. q.4. & 5.* & præter suos *Alensis 3. part. q.80.Bonau.Ægidius, Argentinas,Gabriel,Maior 4.dist.49. & alij.*

Ego certè difficile esse existimo iudicium ferre:& fortassis ita se habent hæ potentiæ,vt neutra altera sit simpliciter perfectior, sed quælibet perfecta in suo ordine, & vna altera perfectior in vna ratione ac imperfectior in alia, instar excedentium,& excessorum. Nihilominus sit

### CONCLVSIO I.

Voluntas est perfectior intellectu.

*Si altera ex his potentijs sit simpliciter perfectior, debet dici,quod voluntas sit perfectior.* Hæc est secundæ sententiæ contra primam.

*Probatur primo*:quia illa potentia debet censeri perfectior, quæ habet perfectius obiectum formale adæquatum: sed bonum quod est obiectum formale voluntatis est perfectius vero,quod est obiectum formale adæquatum intellectus,maxime secundum aduersarios:ergo voluntas est perfectior intellectu.Hæc probatio magis facit ad propositum in sententia Aduersariorum, quam *Scoti*, qui negat verum esse obiectum adæquatum intellectus,& asserit ipsum tendere etiam in bonum qua bonum est;vnde ipsemet supra non fidit huic rationi, quæ tamen fuse,& docte proponitur,& stabilitur à Patre *Hiquæo*,in commentario ad *Scotum* supra *n.57.*

92.*Complutenses* respondent,licet bonum secundum se sit perfectius quam verum, non tamen prout obiectum voluntatis est perfectius,quam verum, prout est obiectũ intellectus, quia non est obiectum voluntatis per modum quidditatis, sed magis concrete; verum autem est obiectum intellectus per modum quidditatis, & non concrete. Quam doctrinam,aut potius verba obscurissima,explicare videntur sic,vt velint verum percipi ab intellectu per modum quidditatis,& minus concrete,quia percipitur ab ipso, vt abstrahit ab existentia,& singularitate,bonum vero percipi,à voluntate,non per modum quidditatis, sed magis concrete,quia percipitur ab ipsa, seu tendit in ipsam, vt existens,& singulare.

*Sed contra* hanc doctrinam sic explicatam facit euidẽter,quod voluntas non feratur in bonum,nisi secundum quod proponitur ab intellectu: ergo si feratur in ipsum vt existens, & singulare, atque adeo non per modum, quidditatis, debet similiter cognosci ab intellectu;vel si intellectus non possit cognoscere ipsum sic, sed abstractius,neque voluntas potest ferri in ipsum.

*Deinde*, si voluntatis obiectum sit bonitas singularis existens, & intellectus obiectum sit bonitas abstrahens ab existentia, & singularitate, profecto vel ex hoc ipso sequitur quod obiectum voluntatis sit perfectius, quia perfectior est bonitas existens, quam non existens.

93.*Dices cum Complutensibus*,verum quidem esse,quod in esse rei bonitas existens sit perfectior quam non existens;non tamen in esse obiecti, quia vt non existens est abstractius.

*Contra*, quia quod sit abstractius non facit ipsum perfectius in esse rei, & hinc conceptus entis abstractissimus est minus perfectus conceptus quam conceptus hominis: ergo neque in esse obiecti:quid enim facit ad hoc,quod sit abstractius, nisi velimus ludere verbis?

*Probatur secundo*:illa potentia est perfectior, cui competit perfectior actus, & ille actus est perfectior, ad quẽ datur perfectior habitus:sed habitus aliqnis voluntatis, nempe charitas, est perfectior quocumque habitu intellectus: ergo & aliquis actus ipsius est perfectior quocumq; actu intellectus, & consequenter ipsamet voluntas est perfectior intellectu.

Probatur minor 1.Cor.13.*Maior horum est charitas.* Et ex August.5. Trinit.19. *In donis Dei nullum est maius charitate, nec æquale.*

94.*Responderi posset*,charitatem esse quidem perfectius donum quocumque dono dato pro statu viæ, sed intellectum tamen habere in patria donum illa perfectius, v.g. lumen gloriæ: vnde non sequitur voluntatem esse perfectiorem,sed potius è contra intellectum esse perfectiorem voluntate.

*Contra*,quia sicut voluntas in via perficitur perfectiore habitu,quam intellectus;ita etiam in patria deberet perfici,quia potentiæ debent perfici in patria iuxta proportionem ad perfectionem quam habent in via.

*Deinde* quod charitas patriæ, siue sit eadem cum illa quam habemus in via;siue diuersæ speciei ab illa,sit perfectior quam lumen gloriæ,& actus charitatis quam visionis beatificæ, probatur:quia nemo est,qui non magis deberet desiderare amare perfectissime amicum, si hoc posset facere absque cognitione perfectissima,quam cognoscere ipsum perfectissime absque amore perfectissimo, & etiam ipsemet amicus deberet optare, se amari quam cognosci: ergo signum est quod amor sit perfectior cognitione.

*Alij probant idem secũdo*,quia illud est perfectius,quod excludit maiorem imperfectionem: sed amor excludit maiorem imperfectionem quam visio formaliter,excludit enim odium Dei,quod est maxima imperfectio.

95. *Sed certe* hæc secunda probatio videtur nimiũ probare, nam probat etiam amorem Dei naturalem super omnia esse perfectiorem visione beatifica,quia excludit quodcumq; peccatum actuale ex natura sua physica non minus, quam amor Dei supernaturalis;sed videtur falsũ quod aliquis actus naturalis sit perfectior actu supernaturali,tam excellenti,quã est visio beatifica. Imo probat quemcumque actum virtutis esse perfectiorem visione, quia quicumque talis actus excludit actũ vitij oppositi, & quicumq; actus vitij est imperfectior quam ignorantia,aut cæcitia visionis, quæ excluditur per visionẽ beatam:ergo,vel quicumque talis actus est perfectior visione,vel non sequitur quod perfectio opposita maiori imperfectioni sit maior,quam quæ opponitur minori.

*Confirmatur* hæc impugnatio,quia ratio,ob quam charitas, & quicumq; actus virtutis opponitur peccatis oppositis,non est ex maiori perfectione ipsorũ supra alias perfectiones ea non excludentes,sed quia peccata omnia, cum debeant esse libera,debent per se primo spectare ad voluntatem, & consequenter non debent posse excludi formaliter, nisi per aliquid spectans ad voluntatem.

96. *Qui*

96. *Qui voluerit tamen* defendere prædictam probationem, quam S *otus* ipse proponit, dicat consequenter charitatem etiam naturalem esse perfectiorem visione beatifica secundum se consideratam, quia opponitur odio Dei, quod physice loquendo est maximum malum, & multo maius quam quodcunque malum, cui opponitur visio beatifica; & idem dicat de quibuscumque aliis, quæ habent opposita imperfectiora physice, quam sit oppositum visionis.

*Ad confirmationem autem dicat*, quod ex hoc, quod charitas spectet ad voluntatem, ad quam spectant istæ aliæ imperfectiones, colligatur maior eius perfectio physica, quam sit perfectio physica aliarum formarum, quæ ad illam non spectant, nec possunt ab ea excludere imperfectiones illas physicas maiores.

*Vlterius*, quod charitas patriæ sit perfectior scientia patriæ, Probatur vlterius: quia Angeli perfectissimi denominantur Seraphim ab excessu charitatis, & Angeli illis imperfectiores vocantur Cherubim à scientiæ eminentia: ergo signum est quod amor sit perfectior scientia; aliàs potius deberent perfectissimi Angeli sumere denominationem à scientia quam ab amore.

*Præterea* scientia etiam patriæ, v.g. visio beatifica, ordinatur per se ad amorem beatificum: ergo signum est, quod hic illa sit perfectior.

*Probatur tertio conclusio*, quia voluntas habet maius dominium in cæteras facultates quam intellectus, & licet dependeat à propositione intellectus, tamen potest diuertere intellectum ab vna consideratione ad aliam, & sequi, vel non sequi eius dictamen: sed ex hoc videtur colligi posse, quod sit perfectior: ergo.

97. *Obiicies*, intellectus minus dependet à voluntate, quam hæc ab illo: ergo est perfectior.

*Respondeo* negando consequentiam; quia minor dependentia non arguit semper maiorem perfectionem, vt patet ex materia prima, quæ est imperfectior forma, & tamen minus dependet à forma, quam hæc ab illa: & ex ipsomet intellectu, qui pro hoc statu magis dependet à sensibus, quam sensus ab illo, cum tamen sit sine dubio perfectior sensibus, etiamsi non haberet maiorem perfectionem aut magis perfectas operationes quam habet pro hoc statu.

*Obiicies secundo*: inter proprietates alicuius rei illa est perfectior, quæ prius dimanat, quia magis accedit ad illam ipsam rem cuius est proprietas: sed intellectus prius dimanat ab anima quam voluntas, sicut actus ipsius præsupponitur actui voluntatis: ergo est perfectior voluntate.

*Respondeo* negando maiorem cum sua probatione, loquendo de accessu in perfectione; quod enim prius emanet, aut non emanet, nihil facit ad rem, quia emanare prius, posset oriri non ex perfectione maiori, sed ex præsuppositione eius ad illud, quod posterius emanaret.

*Deinde* negari posset minor, nam quamuis actus intellectus præsupponeretur actui voluntatis, non sequitur quod ipsemet intellectus prius emanet, quam voluntas, quia quamuis æque primo emanarent, posset actus vnius prærequiri ad actum alterius.

# DISPVT. VIII.

## *De Habitibus.*

VANDOQVIDEM potentiæ Animæ, præsertim Intellectus, & Voluntas, longo exercitio acquirant facilitatem ad aliquas operationes, quas ante non nisi difficulter exercebant; & illud, quod dat ipsis formaliter illam facilitatem, vocetur *habitus*; spectat sine dubio ad complementum huius tractatus, de Habitibus agere, maxime de naturalibus, nam consideratio Habituum supernaturalium spectat ad Theologiam.

## QVÆSTIO I.

### *An dentur habitus naturales.*

1. IAm dixi, per *habitum* intelligi illud, per quod potentia, quæ poterat quidem, sed non sine difficultate, elicere aliquam operationem, aut non tam cito, possit minori cum difficultate, ac citius illam elicere.

### CONCLVSIO I.

*In potentiis sensitiuis externis non datur habitus.* Hæc est communissima omnium, *& patet manifeste*, quia nũquam habẽt maiorem facilitatem in operationibus suis, quam semel habuerunt, præsertim, quæ oriatur ex alio capite quam ex dispositione aliqua corporea meliori, quæ dispositio non acquiritur per frequentationem actuum, vt patet experientia: sed non est principium colligendi habitus, nisi à posteriori ex huiusmodi facilitate maiori, quæ acquireretur: ergo. Non dantur habitus in potentiis sensitiuis externis.

*Dixi*, quod non habeant maiorem facilitatem quã ex dispositione, quia oculus aliquando potest esse indispositus sic, vt non possit tam perfecte videre, quam postea melius dispositus possit: sed illud, à quo habet hoc, non est habitus, de quo modo agimus; quia habitus acquiritur per actus in potentia bene dispositia, physice loquendo; & est qualitas intentionalis; illud autem, à quo redditur oculus melius dispositus ad vidẽdum, vel est aliquid physicum positiuum non intentionale, vel carentia alicuius physici positiui, & potest antecedere omnem actũ, & perdi sine intermissione, ac acquiri iterum sine frequentatione actuum, vnde non potest esse habitus, de quo loquimur.

Ratio autem à priori, vnde hæ potentiæ, nec sentiant maiorem facilitatem, nec indigeant habitu, est, quod ipsæmet non habeant sibi proponere sua obiecta, & quod eo proposito necessitentur ad suos actus ex eo, quod naturaliter sint determinatæ ad illos producendos proposito sic obiecto.

### CONCLVSIO II.

2. *Dantur habitus in membris externis.* Hæc est expresse *Doctoris in 3. dist. 33. n. 19.* quem præter suos sequuntur *Nominales* & alij, quos ibidem citat *Scoliastes* contra *D. Thom. 1. 2. q. 50.* cum suis, quos sequitur *Suarez disp. 44. Met. Vasq. disp. 78.* & alij plures. Datur habitus in membris externis aliquibus.

*Probatur* experientia Scriptorum, Citharœdorum, & Pictorum, in quorum manibus post frequentatos actus reperitur facilitas magna, quam non habuerunt antecedenter: sed illa facilitas non potest prouenire ab alio quam ab habitu inexistente illis membris: ergo datur habitus in illis.

*Dices*, illam facilitatem oriri posse ex dispositione physica organi, v. g. manus, & subordinatione eius ad virtutem phantasticam, & appetitum sensitiuum seu voluntatem: ergo non prouenit ab habitu inexistente manui, v.g.

*Contra*, quia non est conceptibile quomodo ex vlla dispositione organi, v.g. manus, possit fieri vt digitus Citharœdi nunc hanc chordam, nunc illam remotam tam punctualiter tangat; quamuis enim ex dispositione corporis oriri possit vt velocius digiti moueantur, tamen non apparet quomodo ex illa dispositione absque habitu possint moueri tali ordine. Quod etiam id non proueniat ex subordinatione ad virtutem phantasticam, & appetitum aut voluntatem, patet, quia potest quis esse expertissimus in facultatibus interioribus ad sonandum, & tamen satis ineptus in facultate exteriori: ergo signũ est quod illa habilitas quæ est ad sonandum in manu, non prouenìat tantum ex illa subordinatione ad potentias interiores, & ex dispositione physica manus.

*Confirmatur* hoc, quia sæpe distrahuntur potentiæ interiores & versantur circa alia obiecta quando cõtinuatur dexterrime per manum cytharizatio: sed hoc fieri nequiret, si dexteritas illa prouenìret ab habitibus subiectatis in potentiis interioribus: ergo non solum ab illis prouenit.

*Confirmatur secũdo*, quia nõ potest prouenire à potẽtia

interiori, quod manus tangat vnam chordam aut clauē post aliam, nisi quatenus potentia cognitiua proponeret illam tangendam, & appetitus aut voluntas imperarent manui, vt eam tangeret: sed quamuis hoc facerent, manus non statim tangeret tam expedite illam chordam, quam si esset assuefacta, & in initio sæpissime fallit non tangendo illam, quæ tangi imperaretur: ergo signum est quod detur in ipsa manu aliqua facilitas particularis, qua fit vt illam statim tangat quam iubetur tangere.

*Contra hanc conclusionem obiici potest*, quod si daretur habitus in membris corporeis, verbi gratia, in manu ad scribendum aut sonandum, deberet esse aliquis actus in illis, mediante quo produceretur; omnis enim habitus produci debet mediante actu: sed non est vllus actus in illis, per quem produceretur, præter motum illum localem quo mouentur cum tali ordine ac velocitate; ille autem motus non est principium sufficiens producendi habitum, qui sit qualitas: ergo non est aliquis actus in potentia externa, quo possit produci habitus.

*Præterea*, non videtur in manibus magis requiri habitum aliquem ad mouendum se dextrè iuxta imperium voluntatis aut appetitus, quam in ore ad dicenda promptissime tot mille verba etiam disparata, quot potest dicere quando sunt bene commissa memoriæ: & tamen est euidens quod ad hoc non ponatur habitus in ore, & quod ad id sufficiat habitus memoriæ: ergo nec manus requirit habitum, sed sufficiet ipsi habitus potentiarum internarum.

*Hæc difficultas* semper me inclinabat ad negandum habitum potentiis externis. Sed nihilominus tenendo illam cum *Doctore* ob fundamenta præmissa probabiliter, *Responderi potest ad primam difficultatem* negando sequelam maioris, quia ipsemet appetitus imperans manui motum illum, potest mediante actu suo producere in manu, supposito motu locali, habitum inclinantem ad talem motum, neque est necesse quod vniuersaliter habitus producatur mediante actu istiusmet subiecti in quo inhæret; & hoc maxime locum habet quando potentia in qua subiectaretur esset subordinata alteri potentiæ, quæ deberet imperare actus ipsius.

*Fortassis etiam posset dici*, quod ipsamet potentia locomotiua externa haberet virtutem productiuam istius habitus in se sine vllo actu, supposito tamen motu locali tanquam conditione sine qua non; & quamuis hoc esset difficile, tamen ex suppositione, quod constet dari habitum propter experientias, quibus fundatur conclusio, vel id dicendum, vel confitendum quod non possimus assignare à qua causa producatur, quamuis constet ab aliqua eum debere produci.

*Ad secundam difficultatem* negari debet maior, quia non constat vllam esse difficultatem in proferendis verbis vocaliter, supposita memoria interna; sed constat nō obstante perfectissima cognitione interna de modo sonandi & summa flexibilitate manus, eam tamen non esse habilem ad sonandum tali ordine & mensura absque assuefactione & consuetudine: ergo non est idem dicendum in vtroque casu.

## CONCLVSIO III.

Intellectus non indiget habitu ad prima principia aut conclusionem sufficiēter propositam.

3. *Intellectus non indiget habitu aliquo superaddito ad cognoscenda prima principia, aut conclusionem siue demonstrationem, siue probabilem, aut quodcumque aliud obiectum sibi propositum sufficienter secundum illam rationem, secundum quam possit habere actum circa illud; & idem dicendum est de potentia cognoscitiua interna.* Hæc debet esse omnium Authorum, qui ponunt habitum intellectualem consistere in speciebus coordinatis solummodo; quia quando obiectum proponitur secundum illam rationem, secundum quam potest intellectus habere actum circa illud, ponuntur species cum coordinatione sufficienti; vnde non requiritur aliquid aliud, quam intellectus cum obiecto sibi proposito, quod est intentum conclusionis. Videtur autem esse contra aliorum sententiam, qui præter species coordinatas requirunt habitum. Sed cuiuscumque, aut contra quemcumque sit conclusio;

*Probatur prima pars*, quia vel intellectus ex se determinatur ad cognoscēda illa obiecta sic proposita, nō minus quam potentia visiua ad producendam visionē albedinis propositæ, vt reuera determinatur ad cognitionem primorum principiorum & conclusiones demonstratas, vel determinatur à voluntate, vt fit respectu propositionum probabilium & fidei: ergo non indiget aliquo habitu.

Probatur consequentia: quia ideo visus non indiget habitu ad obiectum propositum videndum, quia ex se est ad hoc sufficienter determinatus: ergo si ex se intellectus sit sufficienter determinatus, aut si determinetur sufficienter à voluntate, non indiget habitu.

*Confirmatur*, quia nulla experientia constat, quod intellectus facilius assentiatur primo principio, aut conclusioni demonstratæ post mille assensus, quam primo; neque experientia vlla habetur, quod sentiatur maior facilitas in intellectu post mille assensus fidei, & opinionis, quam in initio, supposita eadem propositione, & eadem determinatione voluntatis: ergo non sunt ponendi habitus in intellectu in ordine ad intelligenda illa obiecta hoc modo proposita.

*Secunda pars probatur* à paritate rationis, quæ omnino eadem est de intellectiua, ac cognitiua sensitiua.

4. *Obiicies*: potentia intellectiua, & phantastica fatigatur per productionem actuum, & minus fatigatur quo magis assuescit eos elicere: ergo acquirit aliquid, quod concurrit cum illa effectiue ad productionem actuum, circa obiecta proposita; sed illud est habitus: ergo.

Probatur prima consequentia, nam propterea fatigabatur ante potentia, quia ipsamet totas vires exhibuit, sed postea non tantum fatigabatur, quia aliquid acquirit, quod cum ipsa concurrit, & ratione cuius ipsa non debet tantum concurrere quantum ante.

Propter doctrinam propositam in hac obiectione *Arriaga disp. 9. num. 40.* existimat posse dari habitum concurrentem cum intellectu, & probabile esse, quod de facto detur; quamuis alias putet non dari alium habitum ad cognoscendum, quam species propositionis cognitæ, & motiuorum determinantium ad eius cognitionem.

*Sed immerito* prorsus tantum attribuit huic obiectioni. Ad quam *Respondeo* negando consequentiam cum sua probatione, neque enim ex eo fatigatur potentia intellectiua, si fatigetur vllo modo, quòd totas vires exhibeat, quia potentia etiam visiua totas vires exhibet visioni, & tamen non fatigatur, aut si fatigetur, non tollitur eius fatigatio per habitum vllum: ergo ex applicatione effectiua omnium virium non sequitur fatigatio intellectus, aut si sequatur, non debet tolli per habitum aliquem effectiue cum ipso concurrentem.

*Deinde*, intellectus agens, vt sic, exhibet totas vires ad producendas species intelligibiles, & tamen non fatigatur: ergo fatigatio illa non oritur ex exhibitione omniū virium. Itaque vel illa fatigatio oritur ex determinatione formali, quæ fit per operationes vitales cognoscitiuas, vel non reperitur vlla ratione in intellectu; sed solum in potentia materiali cognoscitiua. Si primum dicatur, esset fatigatio, quamuis actus à solo Deo produceretur in intellectu mere passiuè se habente, nec posset tolli per minorem concursum intellectus, aut concursū habitus qui superadderetur, vt est euidens. Si secundum dicatur, tum illa fatigatio orietur ex dispositionibus materialibus organi phantastici, & sic non potest tolli per qualitatem intentionalem, qualis est habitus, si detur.

## CONCLVSIO IV.

Datur aliquid ratione cuius facilius occurrunt obiecta potentiæ intellectiuæ & phantasticæ.

5. *Datur aliquid ratione cuius tam intellectui, quam potentiæ internæ materiali cognitiuæ, occurrunt obiecta cognoscenda expedite & prompte, nunc cum tali ordine, nunc cum alio.* Et si per hoc intelligatur habitus intellectus & phantasiæ, datur talis habitus. Hæc debet esse communis omnium.

*Probatur manifestè experientia*, quia in initio difficulter nobis proponimus obiecta cum tali ordine, & vt facile id faciamus, debemus valde sæpe ea proponere, sūtque qui

qui citius, & sunt qui tardius ad illam perfectionem perueniunt;ergo datur aliquid à quo hoc habet tam intellectus quam phantasia.

*Quod si quæras*,quid illud sit.

*Respondeo*, mihi id esse prorsus ignotum ; nam quod alij dicũt non satisfacit, nec ipse aliud inuenire possum: Vt autem difficultas & obscuritas huius rei magis pateat,examinandi sunt modi dicendi aliorum.

Itaque aliqui,vt *Hurtadus hic disp.*16.& *Arriaga disp.* 9. illum non esse aliud quam species obiectorum aliquo modo tali vel tali coordinatas.

6.*Sed hic modus dicendi impugnatur primo*, quia habitus naturalis non dat simpliciter posse;sed faciliter tantum, & in hoc distinguuntur à supernaturalibus habitibus: sed species coordinatæ dant simpliciter posse,neq; enim sine illis potest intellectus aut phantasia exire in actum secundum:ergo habitus non consistit in illis.

*Improbatur secundo*,quia quando quis primo cognoscit aliquam propositionem,ob motiuum tale vel tale proponuntur sibi species ordinatæ ad hoc sufficientes:sed non habet tum habitum seu principium illud,quod possit sibi cito & facile proponere easdem species eodem ordine postea : ergo habitus non consistit in illis speciebus sic coordinatis.

*Confirmatur*, quia non habemus illud principium facilitans nisi post multos actus ; sed habemus species sic coordinatas ante actus , sine illis enim non possent haberi actus.

*Dicunt aduersarij* , non in speciebus ordinatis quomodocumque consistere habitum illum , propter rationem hanc nostram, sed in speciebus purificatis & intensis ac ordinatis aliquo speciali modo,quam purificationem,intensionem , & specialem ordinationem habent ab actibus.

7. *Contra primo*,quia ad hoc vt purificentur,intendantur , ac ordinentur illo speciali modo,debet ipsis aliquid superaddi,& illud ipsum superadditum posset vocari habitus, si sufficeret ad illam facilitatem.

*Contra secundo*,quia illa coordinatio noua,quæ superadderetur,vel est aliquid respectiuum,vel absolutum. Si absolutũ , præterquam quod nihil absolutum possit esse coordinatio formalis aliquorum ; adhuc sequitur quod illud absolutum posset vocari habitus potius,quam species coordinatæ per illud.Si respectiuum : ergo vt sit de nouo, debet esse aliquid absolutũ nouum, ratione cuius sit,maxime secundum aduersarios,qui negant respectum illum de nouo per se posse produci : quam doctrinam etiam nos cum ipsis tenemus de respectibus intrinsecus aduenientibus, qualis esset hic respectus.

*Confirmatur hoc* , quia non potest intelligi quomodo possit poni noua aliqua coordinatio inter species illas, distincta ab illa, quæ fuit inter illas pro prima propositione.

*Confirmatur secundo* , quia illla maior purificatio non potest fieri in speciebus intellectualibus,quæ spirituales sunt, nec etiam in materialibus , nisi perderent aliquam partem sui,aut aliqua accidentia;iudicium autem videtur quod per hoc,quod quis intelligat obiectum sæpius per species , illæ species perdant aliquam partem substantialem, aut accidentalem sui.

8. *Contra tertio*,quia etiamsi species singulorum obiectorum,quæ debent proponi intellectui, aut phantasiæ, sint intensissimæ,ac purissimæ;non habet per hoc intellectus,quod possit eas tali vel tali ordiue proponere,nec ipsæ per vllos actus habent ex natura aliquam colligationem,ratione cuius,quãdo proponeretur vna, aliæ deberent proponi tali ordine , præsertim successiue : ergo debet esse aliquid aliud, præter species purificatas quomodocumque,& intensas,ac etiam præter coordinationem vllam,quam habent ex natura sua, aut ratione alicuius reperti in ipsis, à quo habet intellectus facile proponere illas hoc,vel illo ordine.

Probatur antecedens,quia species intensa,& purificatissima hominis, v. g. aliquando habet simul secum , & post se subsequentes has species,aliquando illas,quando scilicet proponitur in diuersis propositionibus ac discursibus:ergo ex purificatione,intensione,ac coordinatione , quam habet ex natura sua cum aliis speciebus , non habet intellectus proponere ipsam potius cum hac,quam cum illa specie, nec post eam proponere hanc aliam speciem potius, quam vnam alteram.

9. *Quod si admittatur* aliquid aliud distinctum , quod excitet species hoc vel illo modo ; illud ipsum sufficit pro habitu, nec requiretur illa purificatio , intensio , & coordinatio, quam fingunt gratissime aduersarij , verba pro re obtrudentes. Et per hæc patet , Philosophum, quando dicit,quod sciens habitu sit ille, qui quãdo vult exit in actum , non fauere aduersariis ; quia non habet quis à speciebus quomodocumque ordinatis in intellectu,aut phantasia exire in actum secundum,quãdo vult, sed debet vlterius posse eas ordinatas, quando vult,sibi proponere;hoc autem non habet à speciebus coordinatis,aut purificatis, vt iam dictum est.

*Communior sententia* citata apud *Suarium disp.*44. *Metaph. sect.*4. est, quod illud, per quod facilitatur intellectus ad proponendas species tali modo, sit aliqua qualitas absoluta.

*Sed neque hic etiam modus satisfacit* , quia posita quacumque qualitate absoluta in intellectu,non determinaretur per eum intellectus ad proponendas species tali modo,nec determinarentur species ipsæ ad sic occurrẽdum;ergo illud,à quo facilitatur ad hoc intellectus,non est aliqua talis qualitas.

Probatur antecedens : quia si determinaretur intellectus,aut species per illum, cum sint causæ naturales,deberent semper determinari:sed hoc est contra experientiam.

*Confirmatur* , quia vna qualitas non sufficit ad proponendas omnes species,quæ proponuntur : ergo debent esse plures qualitates:& consequenter deberet esse aliquid aliud, ratione cuius vna qualitas potius quam alia hic & nunc determinaret;sed illud ipsum aliud sufficeret per se ad determinandum species ad hoc,vt occurrerent hoc modo:ergo superfluit illa qualitas absoluta & præterea non sufficit.

10. *Tertius modus* dicendi esse posset,quod proponantur illæ species eo ordine, sed ab Angelo, vel Deo. Sed prorsus incredibile est , quod , si ista propositio fieret à Deo,aut Angelis,haberet talem dependentiã à pluribus actibus, ita, vt non proponerent sic species tam cito, & expedite,nisi quis haberet plurimos actus,tum vero proponerent.Et deinde non posset esse ratio cur aliqui paucioribus actibus indigerent,quã alij,aut cur idẽ aliquando haberet difficultatem proponendi res,quas sine difficultate ante, & statim etiã postea propositas habere potest;aut cur denique nonnunquã cõtingat vt res, quam perfectissime tenet memoria, non occurrat,cum velit.

Itaq; quod ad me attinet,hoc etiam mysteriũ inter naturæ arcana nobis inscrutabilia collocandũ esse censeo.

## CONCLVSIO V.

Datur habitus in volũtate, quæ sit qualitas.

11. *Datur aliqua qualitas absoluta , quæ facilitat voluntatem ad vnum actum præ alio, & idem dicendum est de appetitu sensitiuo.* Hæc est *Doctoris in 3. dist.*33. cum suis , & commnnis inter Philosophos , ac Theologos , quamuis *D.Thomas*,dum negat in volũtate habitus virtutum moralium,videri posset consequenter negare in illa esse vllos habitus , quia nulli potius in ea collocari deberent, quam talium virtutum.

*Probatur prima pars* ; quia voluntas est potentia libera non necessitata ad obiectũ sibi propositum, & sentiens difficultatem aliquando in eo prosequendo:ergo indiget aliquo principio tollente ab ea illam difficultatem ; sed illud principium non potest esse aliud quam qualitas absoluta,quæ communiter vocatur habitus:ergo.

*Confirmatur* , quia voluntas per varios actus prosecutionis,ac fugæ alicuius obiecti,redditur facilior,& expeditior ad illud prosequendum,& fugiendum,quàm ante fuit,vt patet experiẽtia;ergo acquirit per illos actus aliquid,per quod redditur sicfacilior,&expeditior:sed illud non potest esse aliud,quam qualitas absoluta:ergo datur

in ea qualitas absoluta facilitãs,& consequẽter habitus.

*Hinc probatur secunda pars*:quia etiam appetitus sensitiuus per varios actus acquirit facilitatem prosequendi aliquod obiectum, in quo prosequendo sentiebat ante difficultatem,& hinc minus aliquando resistit rationi,ac voluntati, & aliquando magis, prout consueuit magis, vel minus resistere:ergo debet in eo poni aliquid, ratione cuius ita disponatur: sed nihil potius,quam qualitas aliqua absoluta;ergo etiam in appetitu sensitiuo collocanda est talis qualitas, & consequenter habitus.

12. *Ad hæc responderi posset*, difficultatem, quam sentit voluntas,aut appetitus sensitiuus in prosecutione alicuius boni, oriri ex apprehensione aliqua, aut cognitione difficultatis annexæ;quatenus scilicet illud bonum non potest acquiri sine molestia,& labore, vel quatenus impedit aliud bonum magis placens, aut desideratum, aut quatenus ob eius prosecutionem proponitur aliquod malum infligendum. Quod si non esset hæc apprehẽsio annexa bono proposito,nec voluntas, nec appetitus haberent difficultatem in eius prosecutione: ergo sufficit tolli illam apprehensionem;sed illa tolli non potest per habitũ vllũ positum in voluntate,aut appetitu:ergo facilitas,quam sentit voluntas in operando, non oritur ex qualitate aliqua,aut habitu posito in ipsamet voluntate.

*Confirmatur* hoc specialiter de appetitu sensitiuo,quia appetitus sensitiuus est potentia naturaliter determinata ad agendum circa obiectum propositum secundum illã rationem,secundum quam prosequitur obiectum: ergo non debet poni in ea habitus magis quam in visu, aut aliis externis potentiis,aut magis quam in potentiis cognoscitiuis in ordine ad apprehensiones simplices.

*Confirmatur secundo*:Difficultas,quam sentit in operando, oritur ex apprehensione alicuius mali: ergo quamdiu est illa apprehensio,debet sentire difficultatem,quia æquè determinabitur postea ac primo, cum sit potentia naturalis:ergo difficultas illa nequit tolli,nisi ablata illa apprehensione.

13. *Contra*: Licet difficultas,quam habet voluntas in operando, nonnunquam oriatur ex apprehensione mali, & posset etiam tolli per ablationem illius apprehensionis absque habitu,vt si quis apprehenderet laborem aliquem valde grauem,& propterea abhorreret ab illo,postea tamen experiretur non esse tam grauem,& propterea non abhorreret ab illo;tamen experientia etiam constat,quod difficultas quam sentit, siue oriatur ab apprehensione, siue non, non tollatur per ablationem apprehẽsionis illius,quia ea manente sicut prius,aufertur difficultas,aut magna ex parte,aut totaliter:nam si quis nõ obstante difficultate,quã sentit in viuendo temperate,ex eo quod apprehendat tali modo viuendi priuari se voluptate, quæ esset in intemperata vita frequentaret vitam temperatam,quamuis maneret eadem apprehensio semper,non sentiret tamen postea eandem difficultatem.

*Deinde*,qui habent difficultatem in male viuendo ab initio ortam ex consideratione offensæ Dei,aut iacturæ honoris, siue mutatione apprehensionis frequentibus actibus eo deueniunt, vt non sentiant illam difficultatẽ: ergo aliquod principium facilitans acquiritur ex parte voluntatis,aut appetitus, præter principium tollens apprehensionem.

*Rursus* difficultas operandi oritur ex ipsamet operatione formaliter,ex eo scilicet, quod sit contra inclinationẽ volũtatis,aut appetitus,vnde fit vt aliquãdo aggrediamur aliquod opus in quo non apprehendimus difficultatẽ magnã, quod postea tamẽ omittimus ad hoc inducti experientia difficultatis in eo exercendo repertæ. Nec sane hæc difficultas potest tolli per apprehẽsionem vllam,quamdiu remanet,sed remanebit semper,nisi aliquid aliud ponatur ex parte potẽtiæ,ratione cuius quod ante erat difficile ex natura sua, postea non sit difficile; illud autem est habitus seu qualitas posita ex parte voluntatis,aut appetitus. Per hæc patet ad replicam.

14. *Ad primam autem confirmationem* nego consequentiam,& ratio disparitatis est,quod appetitus licet sit potentia naturalis,sicut potentia visiua,sit tamen potentia, quæ possit habere,& prosecutionem,& fugam circa idẽ obiectum,ex quibus vnus actus est magis,aut minus iuxta suam inclinationem, aut dispositionem præsentem, vnde, vt possit etiam habere alium actum cum minori difficultate, quando ad ipsum determinatur, debet poni habitus: potentiæ autem externæ non sunt natæ habere oppositos actus circa idem obiectum,vnde est necessitas ponendi habitus in illis.

*Ad secundam confirmationem*,permisso antecedente,distinguo consequens:si potentia eodem modo se habeat, transeat;si non, negatur. Itaque licet apprehensio difficultatis posset mouere volũtatem non habituatam, non tamen esset necesse vt moueret habituatam.

*Respondeo secundo*,non ex apprehensione oriri difficultatem,sed ex natura actus,quem experitur difficilem voluntas non habituata,quæ tamen,quando habituata est, non ita sentit ipsum.

15. *Hinc potest vlterius probari conclusio*:actus aliquis ex natura sua potest esse facilis voluntati, aut appetitui, quando non habet inclinationem aliquam actualem sensibilem in oppositum, qui esset ipsi difficilis si haberet talem inclinationem, & è contra:ergo, vt tollatur difficultas,quam experimentatur voluntas in exercendo aliquem actum,ex natura ipsiusmet actus prouenientes,debet poni in illa propensio ad illum actum,& tolli propensio sensibilis ad oppositum actum; & vt tollatur facilitas, quam sentit in exercendo actu, debet poni propensio ad oppositum, & tolli propensio ad illum actum; sed hoc nequit fieri nisi per habitum aliquem positum in illa potentia:ergo datur talis habitus.

*Confirmatur conclusio*,declarando quomodo generantur habitus,seu qualitas absoluta sic dicta in potentia.Potẽtia,quæ est ex se valde inclinata ad aliquem actum, v.g. ad temperantiam,non sentit difficultatem in temperate viuendo ex natura ipsiusmet actus, & consequenter si proponatur ipsi per potentiam cognitiuam temperata vita sequenda,non excitaretur in ipsa per illam propositionem auersio vlla, aut fuga,aut displicentia actualis, sed potius amor,aut desiderium istius boni: hoc tamen non obstante voluntas posset contra illam inclinationem elicitam libere velle hic & nunc intemperate viuere;ille autem actus relinquit in potentia aliquod principium inclinans ad talem actum iterum producẽdum, & alius actus relinquit aliud,donec potentia illa magis,aut æque inclinetur virtute istius principij ad intemperate videndum,quam ante inclinabatur ad viuendũ temperate;quando autem est in tali statu, cum proponitur intẽperate viuendum,excitatur desiderium eius in potentia, & actus ipse est gratus ipsi,ac consequenter facilis:quãdo vero proponitur temperate viuẽdum, excitatur auersio ab illa,& actus ipsemet est molestus,ac consequenter difficilis. Quod autem ita fiat,colligitur ex eo,quod hic modus explicandi, quomodo fiat illud,quod experimur fieri,quantum ad difficultatem operandi,sit facilis, absque vllo inconuenienti, quod non possit melius explicari quomodo fiat.

*Et per hæc patet* ad fundamentum præcipuum oppositæ sententiæ, quæ in hoc consistit,quod non sit necessitas huiusmodi habituum;ita enim ostensa est eorum necessitas;etiam non obstante quod voluntas esset potentia naturalis.

## QVÆSTIO II.

### *Quomodo habitus acquiruntur per actus.*

16. Supposito ex quæstione præcedenti acquiri habitus mediantibus actibus, quæritur iam in quo genere causæ actus concurrunt ad productionem habituum.

*Prima sententia* est, actum concurrere ad habitus in genere causæ materialis, ac dispositiuæ. Ita *Durandus* 3. *dist.*33.*q.*3.

*Secunda sententia* est, quam amplectitur *Buridanus* 2. *Ethic.*3. Habitum produci per actum,tãquam per actionem, sicut calor producitur per calefactionem.

*Tertia*

*Tertia sententia* vult, habitum produci per actum, tanquam causam instrumentalem potentiæ. Ita *Conradus* 1. 2. q. 51. *Valentia* q. 3. *de habitibus.*

*Quarta denique sententia* affirmat habitus produci per actus, tanquam causam vnicam effectiuam principalem. Hæc est *Doctoris in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. ac aliis locis, quem præter suos omnes, sequuntur recentiores communiter, *Suarez disp.* 44. *met. sect.* 8. *Vasq.* 1. 2. *disp.* 79. *Auersa* q. 49. & alij plures.

## CONCLVSIO I.

Habitus producitur per actum effectiue.

*Habitus producitur per actum effectiue, tanquam per causam principalem, ac totalem.* Hæc est iuxta quartam sententiam contra omnes alias.

*Probatur efficaciter*; quia posito actu ponitur, & non posito non ponitur, nec est vllum inconueniens quod dicatur poni ab ipso effectiue, tanquam à causa totali vnica ac principali: ergo dicendum est, quod ita ab illo producatur.

17. *Dices*: actus non potest esse causa principalis vniuoca, cum sit diuersæ speciei ab habitu, nec æquiuoca cum non sit perfectior: ergo nullo modo potest esse causa principalis adæquata actus.

*Respondetur primo* negando antecedens pro secunda parte, quia quamuis non sit perfectior, posset tamen esse æque perfectus, quia species diuersæ possunt esse æqualis perfectionis, & quæ sunt æqualis perfectionis possunt à se inuicem produci efficienter non minus, quam quæ sunt eiusdem speciei, nisi aliunde colligatur oppositum.

*Respondeo secundo*, negando antecedens cum sua probatione, nam actus sine dubio est perfectior ex sua ratione formali quam habitus, tum quia maior est dependentia habitus ab ipso, quam ipsius ab habitu, quandoquidem possit simpliciter produci absque habitu naturaliter loquendo, habitus vero non possit sine ipso; & quandoquidem actus non dependeat ab habitu, nisi tanquam à causa partiali effectiua, habitus vero dependet ab actu, tanquam à causa totali; tum quia perfectiorem exigit actus causam totalem, quam habitus, quia habitus exigit solum actum pro causa totali, actus vero exigit potentiam semper, aut tanquam totalem, aut tanquam partialem; tum denique, quia totum munus habitus est inclinare ad actum, nec poneretur vlla ratione, nisi propter actum habendum: ergo actus est perfectior.

Actus est perfectior habitu.

18. *Probatur secundo conclusio* impugnando alias sententias.

*Impugnatur ergo prima sententia*, quia actus non est dispositio materialis requisita ex parte potentiæ ad conseruationem habitus: ergo neque ad productionem.

*Hanc impugnationem* rejicit *Auersa*, quia aliqua dispositio potest esse requisita ad introductionem, quæ non requiritur ad conseruationem: sic mollicies in cera requiritur ad introductionem figuræ, sed non ad conseruationem: sic etiam plus frigoris requiritur ad introductionem formæ aquæ quam ad conseruationem; neque enim tantum frigoris, quantum est in aqua valde calida, posset sufficere ad introductionem aquæ.

*Sed contra*: licet posset dispositio aliqua requiri ad introductionem formæ, quæ non requireretur ad conseruationem, hoc tamen propterea fieret, quia posset aliqua specialis ratio ostendi, ob quam ita requireretur: vt contingit in exemplo de cera, nam propterea mollicies requiritur ad introductionem figuræ, quia debet introduci per receptionem alterius corporis intra partes ceræ, quæ receptio non fieret, nisi cera esset mollis; non debet autem mollicies requiri ad conseruationem figuræ, quia sine mollicie partes ceræ, quæ cedebant ante, poterunt manere in eadem dispositione, & situ, & si maneant manebit figura, quæ in tali situ partium ceræ consistit.

*Rursus* plus frigoris requiritur ad introductionem formæ aquæ, quam ad conseruationem, quia frigus solum non est dispositio ad formam aquæ, & causa productiua dispositionis reliquæ ad ipsam est productiua tanti frigoris, vnde debet tantum producere; causa vero calefactiua aquæ & destructiua frigoris non est tam potens ad destruendas alias dispositiones conseruatiuas, vnde non est mirum quod plus frigoris acquiratur ad productionem quam ad conseruationem formæ aquæ.

In casu vero nostro nulla prorsus assignari potest ratio, cur actus requireretur tanquam dispositio necessaria ad recipiendum habitum primo productum, & non requireretur ad eius conseruationem.

*Impugnat ipsemet Auersa* primam sententiam, quia dum quis non acquirit habitum, quia non exercet actus, hoc non oritur ex defectu dispositionis passiuæ, sed ex defectu principij actiui; ergo actus est effectiuus habitus.

*Sed hæc impugnatio* manifeste petit principium, antecedens enim est directe quod negatur ab aduersario.

19. *Impugnat præterea*, quia si Deus infunderet habitus per se acquisibiles absque actibus, non diceretur supplere defectum dispositionis passiuæ, sed virtutis actiuæ: ergo actus habet actiuitatem respectu habitus.

*Hæc etiam impugnatio* eodem vitio petitionis principij laborat: aduersarij enim sententia directe opponitur antecedenti.

*Impugnat denique*, quia debet dari aliqua causa effectiua Habitus, sed alia assignari nequit nisi vel actus vel potentia; si actus, habetur intentum: si potentia, adhuc actus se tenet ex parte principij actiui, & erit ratio agendi, cur potentia efficiat, perinde se habens ad habitum, sine producatur in ipsamet potentia, in qua est actus, siue in alia potentia; sed si produceretur in alia potentia, actus non haberet se per modum dispositionis materialis & receptiuæ: ergo neque sic se habet respectu habitus producti in eadem potentia.

*Hæc etiam impugnatio non sufficit*, quia negari potest subsumptum pro secunda parte: secundum *Durandum* enim requireretur tanquam ratio receptiua; vnde si à solo Deo produceretur actus in potentia, potentia tum posset prodncere habitum, cum tamen tum actus non esset ipsi ratio agendi: non ergo perinde se haberet actus ad habitum, qui produceretur in alio subiecto ac in proprio: quia non posset disponere passiuè alienum subiectum, nec consequenter posset potentia eo mediante producere habitum in alieno subiecto. Quod si etiam posset, tum quidem actus esset ratio agendi quasi effectiue in ordine ad subiectum illud alienum; sed esset solum ratio recipiendi in ordine ad subiectum proprium.

20. *Impugnatur secunda sententia* ab eodem *Auersa*, quia actus voluntatis, verbi gratia potest intelligi secundum totam suam essentiam absque ordine ad habitum; sed actio dicit essentialem ordinem ad terminum: ergo actus non est actio, per quam producitur habitus.

*Contra*, quia quamuis actus voluntatis, vt est actus ipsius, per quem formaliter vult obiectum, possit intelligi sine habitu, tamen idem actus realiter loquendo posset esse productio habitus, & vt talis non posset intelligi absque habitu; vnde in forma distingui posset maior: secundum totam suam essentiam quatenus actus est, transeat; quatenus est præterea productio habitus, nego maiorem.

*Et retorqueri potest ratio*: Actus ille potest intelligi quoad totam essentiam æque sine ordine aptitudinali ad habitum, ac sine actuali; sed hoc non obstante habet ordinem aptitudinalem secundum Auersam, quia est productiuus habitus: ergo quamuis possit intelligi sine ordine actuali ad habitum, adhuc posset dicere talem ordinem.

*Melius impugnatur* ab ipso ex principiis nostri Doctoris, quia potest esse actus, qui non producat habitum, vt si habitus intensissimus sit productus ante ipsum; sed si esset etiam realiter actio, non posset esse absque termino per ipsum producto. ergo non est talis actio.

*Confirmatur*, quia nulla est ratio, ob quam Deus non posset quemcumque actum producere absque habitu vllo; sed id non posset facere, si actus esset actio per quam produceretur: ergo.

*Impugnatur tertia sententia*, dicens habitum produci per actum tanquam per causam instrumentalem; quia si requiratur causalitas ipsius vllo modo, potius debet dici quod requiratur causalitas eius, vt causæ principalis,

quia alias alia causalitas causæ principalis requireretur, & sic multiplicarentur entia sine necessitate. Et per hoc etiam probatur quod potentia non debeat partialiter concurrere per modum causæ principalis partialis immediate.

*Quæres*, an quemadmodum producitur habitus per actus, ita etiam augeatur per illos.

21. Hæc *quæstio* supponit augeri habitum, id quod patet experientia, non minus quam dari habitum; nam sicut experientia colligimus nos inclinari ad aliquid, ad quod antecedenter non inclinabamur, & propterea dari habitum quo inclinemur: ita etiam colligitur nos magis inclinari ad aliquid, & consequenter dari aliquid quo inclinemur: illud autem non est aliud nisi augmentum habitus: ergo datur tale augmentum.

Habitus auꝛetur per actus intensiores se.

*Respondeo primo*, habitum omnem qui acquiritur per actus, augeri per actus intensiores seipso.

*Probatur*, quia per aliquos debet augeri; sed per nullos potius, quam per intensiores: ergo.

Et per minus intensos.

22. *Respondeo secundo*, etiam eum augeri posse per minus intensos, & à fortiori per æque intensos. Ratio est, quia nihil impedit quo minus etiam augeatur per huiusmodi actus, neque enim sequeretur aliud inconueniens quam quod simile ageret in simile; quamuis autem simile, quoad intensionẽ & speciem non possit agere in aliud simile, verbi gratia album vt duo in aliud simile album; tamen non est inconueniens, quod simile in intensione tantum & non in specie possit agere in aliud, alias frigidum vt tria non posset agere in calidum vt tria, nec è contra: sed actus & habitus non possunt esse similia nisi in sola intensione, cum sint diuersæ speciei.

*Dices*, actus vt tria non posset generare habitum vt quatuor: ergo nec intendere habitum vt tria, quia si posset intendere, posset primo producere.

*Respondeo* negando consequentiam cum sua probatione, quia actus non habet virtutem producendi statim tot gradus quot potest, sed requirit ad hoc tempus, vt patet experientia: neque enim statim quis habens intensissimum actum, sentit intẽsissimum habitum, nisi actus frequentet; vnde fit vt non possit ab initio habitum tantæ aut maioris intensionis, quam ipsemet habet producere, quamuis si continuaretur diu, aut repeteretur, id posset facere.

## QVÆSTIO III.

### *Quomodo habitus concurrit ad actum.*

23. DVæ sunt sententiæ præcipuæ de hac difficultate. *Prima* dicit habitum concurrere solum in genere causæ formaliter determinantis & inclinantis potentiam sine vllo concursu effectiuo. Hanc tenet *Durandus in 13.dist.23.q.4. Palud.q.2. Rubion q.21.art.3. Camerarius q.18. Logica. Auersa q.49.sect.8. & alij.*

*Secunda sententia* est, quod habitus concurrat ad actum effectiue tanquam causa partialis. Hanc amplectuntur *Medina 1.2.q.4. Valentia q.1. de Habitibus. Salas tract.10. Suarez disput.44.sect.5.*

*Doctor noster 1.dist.17.q.2.* vtramque sententiam hanc probabiliter sustinere videtur, proponit enim & soluit rationes vtriusque. *Arriaga disp.9. sect.3.* vtramque causalitatem habitui tribuit. *Vasqu.1.2. disp.83.* putat habitum concurrere efficienter, non tamen ad ipsam substantiam actus, sed ad modum eius.

### CONCLVSIO I.

Habitus non concurrit effectiue & formaliter ad actus.

*Habitus non debet habere vtramque rationem concurrendi ad actum.*

Hæc est contra *Arriagam*, & probatur: Vnus tantum ex his modis concurrendi sufficit, & alter omnino superfluit & gratis asseritur; non sunt autem multiplicandi concursus, aut causalitates diuersæ absque necessitate.

*Obiicies pro Arriaga*, impulsus determinat rem impulsam effectiue concurrendo ad motum: ergo & habitus inclinat in actum effectiue concurrendo ad ipsum.

24. *Respondeo* distinguendo consequens: si habitus habeat determinare & inclinare formaliter, nego consequentiam; si non habeat, transeat consequentia. Et sanè eodem modo dicendum est de ipso impulsu, quod nimirum si inclinet formaliter, non inclinet etiam efficiẽter, quod si etiam essent rationes aliquæ particulares, ex quibus colligeretur quod impulsus & inclinet formaliter ad motum & eum etiam producat effectiue, negandum esset idem sequi de habitu, quia non sunt rationes simile quid probantes de habitu, neque est necesse vt habeat in hoc proportionem cum impulsu, sicut non habet in aliis rebus.

*Obiicies secundo* pro eodem: quo intensior est habitus, eo minori cum fatigatione voluntas producit actum: sed hoc non ob aliam causam, nisi quia habitus concurrit effectiue cum illa, & propterea ipsa non debeat tantum adhibere concursus, quantum sine habitu deberet.

*Confirmatur*, quia quo habitus est intensior, eo potentia potest non obstante distractione maiori, elicere actũ suum: sed hoc non aliunde, nisi quia propter concursum suum in actum, & partem exhibere actui, partem aliis actibus.

*Respondeo*, ex suppositione determinationis formalis, negando minorem: sed illa minor fatigatio orietur ex illa inclinatione & determinatione formali; & certe vt supra dixi, non oritur ex applicatione totius concursus fatigatio, alias intellectus agens fatigaretur producendo species intelligibiles, in quarũ productione totũ conatũ exhibet; & quamuis visus non concurreret efficienter ad vnionem, adhuc æque fatigaretur ac de facto fatigatur.

*Ad confirmationem etiam respondeo* negando minorem: sed ratio est, quia determinatur ac inclinatur formaliter per habitum ad actum illum, & consequenter facilius eum elicit quam alias fecisset, & sine distractione, & cum distinctione.

### CONCLVSIO II.

Habitus si concurrat effectiue concurrit ad substantiam actus.

25. *Si habitus concurrit effectiue, concurrit ad ipsammet substantiam actus, & non ad modum aliquem eius.* Hæc est communis, contra *Vasquem*, qui male pro sua sententia citat *Scotum*, cum directe illam impugnet.

*Probatur*, tum quia si concurrat effectiue, nihil impedit quo minus concurrat ad ipsammet substantiam actus: tũ quia gratissime asseritur aliquis modus ex parte actus distinctus ab ipso, qui produceretur per habitum: tum quia omnis actus sequitur ipsum: ergo prius debet produci actus quam modus: sed tota difficultas ad quam superandum ponitur habitus, est in producendo ipsomet actu: ergo habitus debet concurrere ad producendum actum pro illo priori ante modum, aliàs ad nihil deseruiet; & consequenter non debet concurrere ad aliquem modum eius.

### CONCLVSIO III.

Probabile quod habitus non concurrat effectiue.

26. *Probabile est quod Habitus non concurrat effectiue cum potentia, sed quod determinet ipsam formaliter tantum.* Hæc est iuxta primam sententiam, contra reliquas.

*Probat primo Auersa*, quia actus producunt effectiue habitus: ergo habitus non producit effectiue actus; quia inter causas æquiuocas nõ potest dari huiusmodi mutua productio, quia vna debet esse necessario altera simpliciter perfectior, & cõsequenter nõ poterit ab illa produci.

*Hanc probationem* merito dicit esse ad hominem, contra eos qui asserunt nullas duas species posse esse æqualis perfectionis, quia in sua propria sententia id est falsum; vnde hæc probatio non sufficeret in ipsius sentẽtia.

*Sed neque sufficit etiam in aduersa*, quia licet æquiuoca causa non possit producere effectum perfectiorem per modum causæ totalis, potest tamen per modum partialis, nec in hoc est vlla difficultas: habitus autem concurreret partialiter tantum.

*Probatur ergo melius*, quia ipsamet potentia habet virtutem adæquate productiuam actus, vt patet ex eo, quod primum actum antecedentem omnem habitũ producat seipsa absque habitu: sed tam perfecte applicatur ad eũ producendum

producendum quando habet habitum,ac quãdo non habet:ergo etiam quando habet habitum,adæquate actum producit, & consequenter non indiget effectiuo cõcursu habitus.Probatur consequentia prima,quia si absque habitu sic applicato adæquate producit actum,frustra daretur ipsi cõcursus effectiuus habitus,etiam posito habitu.

27. *Dices* non frustra dari illum concursum,quia quamuis possit sine eo actum producere,non poterit,tam facile,& expedite, quam cum ipso;licet ergo non requireret concursum effectiuum habitus ad simpliciter posse, tamen requireret ipsum ad facile,& delectabiliter posse.

*Hæc replica* est fundamentum potissimum secundæ sententiæ; vnde diligentius eneruanda est.

Nõ habet potẽtia à concursu effectiuo habitus facilius & delectabilius operari.

*Contra ergo primo*,quia non potest potentia habere ab illo concursu facilius operari,quam sine illo:ergo in ordine ad hoc non debet poni concursus habitus; & consequenter replica corruit.

Probatur antecedens:quia eatenus haberet à concursu habitus facilius operari quam sine ipso,quatenus à concursu proprio, quem tollit concursus habitus, haberet difficilius operari;sed hoc est falsum:ergo.Maior probatur:quia si non haberet difficilius operari quãdo ipsamet haberet totum influxum in actum,non facilius operaretur quando haberet concursum habitus, & non haberet totum influxum suum quem haberet sine habitu: ergo ideo facilius operatur per cõcursum effectiuum habitus, quia à concursu proprio haberet difficilius agere.

Nec ex concursu suo difficilius.

*Probatur etiam minor primo*, quia difficultas potentiæ in agendo est difficultas sensibilis, quam experimur in nobis: ergo prouenit formaliter ab aliquo, quod sentimus;sed prorsus non sentit potentia concursum, aut influxum suum:ergo difficultas ipsius non oritur ab influxu formaliter.

Non agit difficulter ex eo quod agat toto conatu.

28. *Probatur secundo eadem minor*, quia ideo haberet difficultatem ab influxu suo,quia totum conatum in eum intendit,& absque concursu alterius causæ ipsamet totaliter causat actum; sed ex hoc non deberet sentire difficultatem,quæ superari deberet per habitum,quia potentia visiua exhibet totum conatum suum ad actum visionis, & tamen non sentit difficultatem per hoc præcisè quod exhibeat totum conatum, quem potest, & quod non adsit concausa supplens partem concursus.

*Probatur tertio eadem minor*,quia si proponatur bonum delectabile voluntati, vt delectabile præcisè, non sentit vllam difficultatem in eius prosecutione,quoad primum actum, & tamen tum habet influxum totalem in illum actum absque concursu habitus: ergo non sentit difficultatem ex eo formaliter, quod habeat concursum totalem; nec ex eo formaliter non sentit difficultatem, quod habeat concursum effectiuum habitus. Per quod etiam optime impugnatur sententia *Arriagæ*,reiecta conclusione prima.

29. *Contra eandem replicam secundo*, per hoc quod potentia habeat inclinationem ad vnum actum,v g.intemperantiæ,oppositus actus erit ipsi difficilis,qui non esset ipsi difficilis, si non haberet illam inclinationem;& ideo aliquis actus est ipsi facilis, qui alias erat difficilis, vel quia tollitur inclinatio ad oppositum actum,vel quia additur inclinatio ad actum illu,qui fit facilis;neque ratione,aut experientia colligitur alia difficultas,aut facilitas in potentia ad actus eliciendos:ergo habitus solũ debet poni vel ad dandam inclinationem ad actum,vel ad tollendam inclinationem ad oppositum actum; neque ratione aut experientia constat aliud munus competere habitui, & consequenter frustra & gratis attribueretur ipsi. Sed per concursum actiuum non potest tollere inclinationem ad oppositum actum,neque addere inclinationem ad vllum actum:ergo non indiget potentia concursu effectiuo habitus ad facilius producendum actum.

Probatur subsumptum, quod solum negari potest ab aduersariis;quia concursus actualis habitus solum habet supplere illam partem concursus potentiæ, quæ non adest,& influxus adæquatus potentiæ & habitus habet solum effectiue & formaliter tantum facere,quãtum concursus adæquatus solius potentiæ,qui sufficeret ad actum si adfuisset: sed nec pars concursus potentiæ, quæ deest præsente concursu habitus, neque totus influxus ipsius tolleret inclinationem potentiæ ad oppositum,aut si tolleret, iam non esset productio actus difficilis potentiæ: ergo neque partialis concursus habitus,neque totalis influxus ipsius & potentiæ, tollit ipsam inclinationem ad oppositum: & simili ratione potest probari, quod non addat inclinationem ad actum.

30. *Cõfirmatur*:quando aliquis habitualiter intemperatus elicit actum temperantiæ,sentit difficultatem in eo eliciendo:ergo ab aliquo oritur illa difficultas.Tum sic: vel illud, à quo oritur illa difficultas formaliter loquendo, est solus habitus intẽperantiæ absque aliqua productione,vel alia qualitate producta per ipsum:vel est productio aliqua alicuius alterius qualitatis, aut alia illa qualitas.Si dicatur primũ,habetur intentũ,quia quidquid habitus facit seipso absque productione, facit illud, non quatenus concurrit effectiuè, sed quatenus determinat formaliter in genere causæ formalis,& haberet id facere, quamuis non esset productiuus vlla ratione. Si dicatur secundũ,præterquã quod nihil possit produci ab habitu intemperantiæ, nisi actus intemperantiæ, & quod talis non producatur quando elicitur actus temperantiæ, adhuc illud aliud quod producitur tum, est, quod retardat potentiam,& facit ipsi difficilem actum temperantiæ:& hoc habet facere vel formaliter,vel effectiuè:si formaliter, ergo similiter posset dici de ipsomet habitu, quod redderet seipso formaliter actũ virtutis oppositæ difficilem potentiæ:si effectiuè,ergo dabitur processus in infinitum.Quod si habitus intemperantiæ reddit seipso formaliter actum temperantiæ difficilem potentiæ, eodem modo habitus temperantiæ seipso formaliter reddet illum actum facilem potentiæ, à paritate rationis.

31. *Probatur tertio conclusio*, quia aliquid potest inclinare ad aliud absque concursu effectiuo ad illud:sed ideo habitus deberet habere concursum effectiuum, & non sufficeret concursus in genere causæ formalitei determinantis, quia non posset absque effectiuitate esse talis determinatio:ergo.

Probatur,quia intẽtio finis inclinat formaliter ad electionem mediorum,in probabili sententia aliquorum ex suppositione quod intẽtio & electio distinguantur realiter,ad quam tamen electionem non concurrit efficiẽter.

*Rursus* assensus principiorum inclinat formaliter ad assensum conclusionis,ad quã non concurrit efficienter.

*Præterea* delectatio ac voluptas, quam antecedenter ad actum prosecutionis producit obiectum in appetitu sensitiuo,ac voluntate, inclinat illas potentias ad prosecutionem, quæ tamen prosecutio non producitur efficienter ab illis.

*Probatur quarto*, quia vel posito habitu potentia habet tantum concursum ad actum, quantum haberet eo non posito,vel minorem:si minorem,ergo frustra superadditur habitus,quandoquidem quãtum superadditur de concursu habitus,tantum subtrahatur de concursu potentiæ:si tantum,ergo impossibilis est coucursus habitus saltem naturaliter, quia quando datur actio adæquata respectu alicuius termini,non potest dari vlla alia actio naturaliter,secundum omnes,quia superflueret; nec supernaturaliter secundum *Scotistas*, ex principiis illis, ob quæ asserunt,non posse dari duas causas totales eiusdem effectus,aut vnam totalem & aliam partialem; sed concursus quem sine habitu haberet potentia,esset adæquatus respectu actus: ergo non posset ipsi superaddi concursus potentiæ.

32. *Dices* concursum habitus superadditum concursui potentiæ esse quidem superfluum aut impossibilem respectu eiusdem actus in eadem intensione,non tamen in maiori. Itaque quando potentia se sola produceret actũ, actus esset intensionis vt vnum, verbi gratia; quando vero produceretur à potentia & habitu, esset intensionis vt duo.

*Contra*,quia per hoc non sentiret potentia facilitatem, habitus autem ponitur propter facilitatem.

Probatur sequela, quia non minus debet esse facilis

potentia

potentia ad producendum se sola actum vt vnum,quam simul cum habitu actum vt duo : ergo quamuis habitus iuuaret ad intensionem maiorem , non tamen ad facilitatem.

*Fundamenta oppositæ sententiæ* sunt soluta ex dictis, consistunt enim in hoc, quod non posset explicari quomodo potentia facilitaretur per habitum absque concursu effectiuo,& quod consequenter habitus debet habere concursum effectiuum.

Quomodo determinat formaliter habitus.

*Si autem quæras*, quomodo fiat ista determinatio formalis per habitum, ratione cuius facilius aut delectabilius operetur.

*Respondeo* meo iudicio non posse id melius declarari, quam dicendo, quod habitus ita disponat potentiam, vt eo supposito,vel ipsemet actus sit delectabilior voluntati,vel ab obiecto actus apprehenso causetur aliqua qualitas delectans præuia ad actionem,propter quam qualitatem delectantem voluntas agat delectabiliter;vel certè per eum tollatur habitus oppositus , qui reddebat actionem difficilem.

*Et si rursus quæras*, quomodo reddebat habitus oppositus actionem difficilem.

*Dico* iuxta hæc ipsa,quod id faciebat quatenus eo supposito obiectum non poterat producere qualitatem delectantem , nec actus ipse poterat se solo formaliter esse delectabilis;& forte etiam quatenus eo supposito obiectum ipsius quoties proponitur, producit aliquam delectationem trahentem ad se.Vnde existimo habitum ex se solo formaliter non tribuere illam delectationē & facilitatem,quam sentimus, dum delectabiliter operamur, & facile. Moueor ad hoc,quia si illa delectatio aut facilitas sensibilis proueniret formaliter ab habitu solo , vix explicari potest quomodo non deberet sentiri semper,contra experientiam. Quod totum valde aduertendum est pro intellectione perfectiori huius rei valde difficilis.

*Obycies* pro sententia attribuente concursum effectiuum habitui:Si non concurreret effectiuè, non posset potentia habere intensiorem actum quam est primus, contra omnes & experientiam.

Probatur sequela,quia si totaliter procedat actus effectiuè ab ipsa potentia , quandoquidem totum suum conatum intendat in productione primi actus , non potest concipi quomodo vllus alius actus possit esse illo intensior.

*Respondeo*,hanc difficultatem solū concurrere in actibus potentiarum naturalium,quæ sunt naturaliter ex se determinatæ ad faciendum quantum possunt,causa enim libera facile potest intendere ac remittere suum conatū, & consequenter habere magis vel minus intensum actū, provt voluerit adhibere suum conatum,& per habitum etiam poterit aliquo modo inclinari ad præstandum maiorem conatum,quam sine eo præstitisset. Quod ad alias autem potentias naturales , non esset secundum me inconueniens quod nunquam haberent intensiorem actum quam semel,nisi propter meliorem applicationem obiecti,aut perfectiores species : ad intensionem autem,quæ ex hoc oriretur, impertinens esset habitus.

Quomodo intensior actus posset haberi absque concursu habitus effectiui.

*Vnde in forma respondeo*, negando sequelam , nam potentia libera posset habere intensiorem actum ex libertate sua absque concursu effectiuo habitus ; & potentia naturalis posset habere intensiorem actum ex perfectiori applicatione obiecti,aē perfectioribus speciebus.

Quomodo repugnent habitus contrarij.

33. *Quæri solet hic*,quomodo repugnent habitus contrarij.

*Respondetur*,quod repugnent naturaliter ob oppositionem contrariam quam habent in gradibus intensis,non tamen in remissis ; nec vllo modo de potentia absoluta, ob easdem rationes,ob quas id asseruimus in Physica de aliis formis contrariis.

Quomodo se expellant.

*Quæri solet secundo* , quomodo expellant se. *Arriaga* proponit hanc difficultatem de habitibus,tanquam si de illis particulare quidpiam esset , quod non est de aliis formis contrariis,quantum ad explicationem.

*Ego tamen prorsus existimo* eodem modo discurrendum de omnibus formis contrariis quantum ad hoc;quod vt appareat,proponam difficultatem *Arriagæ*. Sic ergo discurrit:Habens habitum vitij vt octo,v.g.quando incipit producere actum contrariæ virtutis, habet in priori naturæ habitum illum vitij vt octo retardantem illum ab electione actus virtutis:ergo non potest per illum actum virtutis producere gradum illum virtutis oppositæ,quo expelleretur vllus gradus istius habitus vitiosi ; sed non potest expelli per habitum contrarium , nisi per illum actum produceretur aliquis gradus habitus contrarij, quo expelleretur aliquis gradus ipsius : ergo,&c.

34. Omissis aliis responsionibus ipsius ab ipsomet forte excogitatis, & parui momenti :

*Respondeo* iuxta doctrinam communem de modo,quo expellunt se alia contraria , v. g. frigus & calor. In illo priori naturæ , in quo potentia libera antecedit actum suum,quem producit in instanti reali, non esse positiuè gradum formæ expellendum, sicut in nullo instati priori naturæ incluso in instanti quo producitur vna forma substantialis in materia, est altera forma substātialis:aut in quo producitur lumen, est priuatio ipsius;aut in quo producitur frigus,est calor expellendus per illud;nec retardabitur consequenter pro illo instanti,quo elicit actū virtutis ab omnibus gradibus vitij præexistentis;sed solum ab illis,qui non expelluntur ab habitu acquisito per actum virtutis , qui tum producitur : sicut nec frigus vt octo secundum omnes gradus resistit calori pro instanti aut tempore , in quo calor producitur , quia non est secundum omnes gradus pro illo instanti.

*Dices cum Arriaga*,non sunt pro illo priori naturæ causæ determinatæ ad destruendum potius vnum gradum quam duos gradus;imò nec ad destruendum vllum gradum illius:quia causa potens hoc facere est tantum voluntas libera, vt suppono : sed illa potest nullum actum virtutis cōtrariæ elicere,aut elicere actū tantæ,vel tantæ intensionis:ergo non est vlla causa determinata pro illo priori ad expellendū vllū gradum,aut vnum gradum potius quàm duos:& consequenter non potest intelligi destructus pro illo priori vllus gradus habitus destruendi.

35. *Respondeo* distinguendo vltimum consequens : ab eo qui considerat ea tantū quæ sunt pro illo priori,transeat ; ab eo, qui considerat, quæ sunt non solum in illo priori,sed in sequentibus naturæ instantibus repertis in illo instanti reali tēporis,nego consequentiam.Itaque vt aliquid non sit pro vllo instāti,siue priori,siue posteriori naturæ incluso in instāti reali temporis,sufficit quod ponatur pro quocumque instanti siue priori,siue posteriori naturæ,aliquid incompossibile cum ipso;& ad hoc quod aliquis cognoscat vtrū aliquid sit pro instanti aliquo naturæ,debet videre vtrum pro vllo alio instāti sit aliquid incompossibile cum ipso ; & si reperiat quod sic , debet dicere quod non sit pro illo instanti:nec refert quod pro aliis instātibus antecedentibus non sit causa determinata ad ipsum expellendū,sed sufficit quod pro aliquo instanti naturæ ex omnibus instātibus naturæ inclusis in instanti reali sit aliquod ad hoc determinatum.Sic autem fit in proposito:nā potētia libera licet pro priori naturæ,quo habet rationē causæ in actu primo, non sit determinata ad producendum actum virtutis aut habitum sequentē, est tamen sic determinata in posteriori, & hoc sufficit.

36. *Dices secundo* , causa libera non solum debet esse prior natura cum omnibus illis,quæ prærequiruntur ad actum,quem libere elicit , sed etiam cum omnibus illis principiis quæ requiruntur ad omnem actum oppositum possibilem producendum pro eodem instanti : sed habitus vt octo , v. g. est aliquid ex prærequisitis ad actum aliquem intemperantiæ oppositum actui temperantiæ producendum : ergo debet esse in illo priori habitus vt octo.

*Respondeo*,negando maiorem,quia vnum ex principiis requisitis ad actum oppositum est negatio actus qui producitur:sed talis negatio non potest esse positiuè in illo priori,vt patet. Itaque sola illa principia debent esse positiue pro illo priori,quæ non debent tolli per illa, quæ in instantibus posterioribus producuntur.

Ex hac doctrina sequitur , non esse recurrendum ad

saluandum quomodo expellant se mutuo habitus ad doctrinam nouam, quam eodem loci proponit *Arriaga*: nempe quod actus ille qui producitur à potentia in casu prædicto & omni simili, non producat habitum pro illo ipso instanti, sed pro alio sequenti, pro quo necessario conseruatur. Existimat enim actum qui libere producitur pro vnico instanti, necessario conseruari in potentia pro aliquot aliis instantibus, & habitum non produci per ipsum in primo instanti, sed in sequentibus.

*Contra quam doctrinam facit principaliter*, quod gratis excogitata est absque alio fundamento, quam vt per eam soluatur prædicta difficultas, quæ sine ea saluari potest.

*Secundo*, quòd dicat actum producere habitum non pro primo instanti, sed pro secundo instanti, cum non sit potior ratio cur ipsum produceret pro secundo quam pro primo.

*Tertio*, quod actus libere productus à potentia conseruetur ab illa necessario, cum tamen non sit magis determinata ad conseruandum quam ad producendum; & cum inde sequeretur quod non posset actum oppositum producere pro quocumque instanti post productionem actus: quæ omnia paradoxa sunt, & gratis asserta contra Doctores communiter.

# DISPVT. IX.

## *De Anima separata.*

ANIMAM separari à corpore tam certum est, quam homines mori, & eam manere extra corpus tam certum est, quàm eam esse immortalem. Quinque autem possumus considerare animæ status post separationem, antequam iterum vnienda sit corpori in resurrectione.

Quinque status animæ separatæ.

*Primus* est status quem haberet ex natura sua physica, quamuis non esset ordinata ad pœnam aut gloriam.

*Secundus* est status gloriæ, quem habet in cœlo.

*Tertius* est status pœnæ æternæ sensus & damni, quem habet in inferno.

*Quartus* est status pœnæ temporalis sensus & damni, quam habet in Purgatorio.

*Quintus* denique est status pœnæ damni, non sensus, quem habent, secundum communiorem, licet forte minus veram sententiam, pueri non baptizati in Lymbo, vel in aliquo alio loco. Ex his statibus quatuor vltimorum consideratio spectat ad Theologiam, quia Philosophia non attingit ad eorum cognitionem: sed solum ex reuelatione nobis constant: quamuis enim posset aliquis lumine naturali probabiliter colligere quod præmiarentur à Deo post hanc vitam, qui bene vixerunt, nec hic mercedem congruam adepti sunt, & similiter punirentur mali qui seculi præsentis vitauerunt pœnas, tamen quod vnius præmium, aut alterius pœna esset æterna, difficiliter poterit ratione naturali probari.

## QVÆSTIO I.

### *Status separationis sitne naturalis an animæ violentus.*

Separatio animæ nō est super naturalis.

1. CErtum est separationem animæ esse tam ipsi, quàm corpori naturalem, quatenus naturale opponitur supernaturali, sit enim ex actione causarum naturalium: est etiam quandoque naturalis, provt naturale opponitur libero, quando scilicet moritur quis ex febre orta ex causis naturalibus; & quandoque libera, vt quando quis ab agente libero interficitur.

Quæstio ergo est de naturali provt opponitur violento ac neutro, & meo iudicio maxima parte est de nomine, ortaque ex variis acceptionibus motus naturalis ac violenti, quibus vtuntur Authores. Pro vitanda autem æquiuocatione & resoluenda ipsa re independenter à quæstione de nomine:

Variis modis potest aliquid dici in statu violento.

*Aduertendum est* aliquid posse dici esse in statu violento ex eo, quod careat aliqua perfectione, quæ spectet ad substantiam ipsius, nec habeat aliquam aliam perfectionem substanti ilem incompatibilem cum illa, quantumuis haberet alias perfectiones accidentales meliores, quam haberet cum illa perfectione substantiali; & in hoc sensu materia prima esset in statu violento quando haberet formam substantialem imperfectiorem, & careret perfectiori.

2. *Alio modo* potest dici esse in statu violento, quando caret aliqua perfectione accidentali tendente ad conseruationem ipsius, quoad esse physicum; & sic aqua dicitur esse in statu violento quando est sub calore.

*Tertio*, potest dici aliquid esse in statu violento, ex eo, quod careat aliqua perfectione, quam ipsummet natum est, tanquam causa naturalis adæquata, in se producere, si priuetur illa, & tollatur impedimentum; & in hoc sensu graue dicitur esse in statu violento quamdiu est sursum, & leue quamdiu est deorsum, & in hoc eodem sensu etiam aqua calida potest dici esse in statu violento.

*Quarto*, potest dici aliquid esse in statu violento, ex eo, quod sit in aliquo statu, in quo habet impedimentum acquirendi aliquas perfectiones accidentales, & naturales, quas posset connaturaliter pro alio statu habere, nec alias ipsis æquiualentes potest habere. Et in hoc sensu intellectus alligatus ad phantasmata pro aliquo statu, si pro alio statu non esset alligatus, posset dici esse in statu violento.

*Aduertendum secundo*, secundum *Scotum* intellectum etiam coniunctum corpori, quantum esset ex natura sua, posse intelligere res omnes independenter à phantasmatibus non minus quam possit in statu separationis & ita intellexisse in statu naturæ institutæ ac integræ, illo scilicet, quem habuit Adamus, & haberent posteri eius, si non peccasset in Paradiso; quod autem in hoc statu non intelligat sic, vnam esse ex pœnis peccati originalis.

### CONCLVSIO I.

Separatio est animæ violēta in vno sēsu.

3. *Separatio est animæ violenta, & non naturalis primo modo.* Hæc *patet*, quia anima separata caret complemento substantiali, ad quod essentialiter ordinatur, nempe corpore; nec vllam perfectionem habet ipsi æquiualentem incompossibilem cum ipso: ergo est violentus ipsi ille status, non minus quam esset violentus status materiæ, quo esset sine vlla forma substantiali.

*Obycies primo*: de ratione violenti est, quod non sit à principio intrinseco, sed separatio sæpe prouenit à principio intrinseco: ergo non est violenta.

*Respondeo*, distinguendo maiorem: quod non sit à principio intrinseco, hoc est, iuxta inclinationem principij intrinseci seu subiecti, cui dicitur esse violentum, concedo maiorem; hoc est, quod non concurrat illud principium effectiue siue proxime, siue remote ad illud, nego maiorem. Et similiter distinguo minorem: sæpe prouenit à principio intrinseco, id est, sæpe fit iuxta inclinationem eius, nego minorem; prouenit à principio intrinseco, id est, causatur effectiue, vel proxime, vel remote à principio intrinseco, transeat minor, & nego consequentiam. Quod autem possit motus violentus prouenire efficienter à principio intrinseco effectiue, probatur: quia motus, quo mouet se homo sursum, dum saltat, est ipsi violentus, & tamen producitur effectiue ab illo.

*Obycies secundo*: Anima ex natura sua est immortalis, & informat corpus amissibiliter: ergo ex natura sua status separationis est ipsi naturalis.

*Respondeo*, distinguendo consequens: est ipsi naturalis, provt naturale opponitur supernaturali, concedo: provt opponitur volento, nego. Itaque quemadmodum aqua, licet naturaliter possit esse calida, & tamen calefactio est ipsi violenta: ita anima potest esse naturaliter separata, quamuis separatio sit illi violenta.

### CONCLVSIO II.

In nullo alio sensu separatio est ipsi violenta.

4. *In nullo alio sensu separatio est violenta animæ.*

*Probatur*, quia nullas perfectiones potest habere in corpore, aut producere in se, quas non potest producere in se, aut habere in statu separationis, aut alias perfectiones

nes illis æquiualentes;nec in illo statu caret aliqua perfectione tendente in conseruationem ipsius, cum non dependeat vlla ratione ab vllis accidentibus quoad esse, est enim spiritualis & immortalis.

## CONCLVSIO III.

Quo sensu anima potius deberet appetere separationē quā coniunctionem.

5. *Si consideretur anima secundum statum quem habet de facto in corpore, secluſa consideratione peccatorum & bonorum operum, pœnaque ac gloriæ, potius deberet appetere separationem quam coniunctionem: secus est si consideraretur secundum statum quem haberet si non interuenisset peccatum originale.*

*Probatur prima pars*, quia careret multis imperfectionibus, quas habet pro hoc statu, & acquireret multas perfectiones, quas pro hoc statu non posset habere, & quibus magis satiaretur quam per aliquid quod potest habere pro hoc statu: nam careret omnibus molestiis corporeis, & posset acquirere scientiam intuitiuam magis perfectam de rebus, quam potest habere pro hoc statu ex suppositione peccati: ergo potius debet appetere illum statum, quam coniunctionis cum corpore secundum statum præsentem.

Quo sēsu non deberet.

*Probatur secunda pars*, quia pro hoc statu posset habere easdem cognitiones, quas tum haberet, & præterea haberet complementum suum substantiale, vt patet.

*Dices* contra primam partem: quamuis haberet pro illo statu cognitiones perfectiores, tamen careret complemento substantiali; sed potius deberet appatere complementum substantiale, quam accidentale: ergo.

*Respondeo*, distinguendo minorem: complementum substantiale requisitum ad operationes perfectissimas, concedo: non requisitum, nego antecedens.

## CONCLVSIO IV.

De facto separatio est dicēda violenta animæ.

6. *De facto separatio est simpliciter dicenda violenta animæ.*

Hæc est communis, *& patet*, quia est contra inclinationem innatam ipsius, quandoquidem inclinemur naturaliter inclinatione innata, magis ad complementum substantiale quam ad accidentale: & licet non sequatur ex eo, quod aliquid habeat maiorem inclinationem ad vnum quam ad aliud incompossibile, quod sit in statu violento quando est sub illo ad quod minorem dicit inclinationem, vt patet ex eo quod materia prima non sit in statu violento, quando est sub forma imperfectiori, ad quam minus inclinatur; tamen ex eo, quod aliquid careat perfectione maiori diuersi ordinis, quod est complementum substantiale & perfectio simpliciter ipsius, sequitur quod sit in statu violento, licet habeat aliquid aliud inferioris ordinis & spectans ad complementum accidentale, ac secundarium ipsius: sed anima separata habet carentiam corporis, quod est complementum substantiale eius: ergo licet habeat tum perfectionem maiorem accidentalem, hoc est, cognitiones intuitiuas independentes à phantasmatibus, adhuc tamen erit simpliciter in statu violento.

7. *Dices*: si separatio est ipsi violenta: ergo vnitio & coniunctio esset ipsi naturalis, & consequenter resurrectio esset naturalis.

*Respondeo*, distinguendo consequens: provt naturale opponitur violento, concedo consequentiam; provt opponitur supernaturali, nego consequentiam. Et similiter distinguo secundum consequens.

*Dices secundo*, secundum *Doctorem 4. dist. 53. q. 2. §. 3.* Separatio non est simpliciter violenta animæ: ergo conclusio falsa.

*Respondeo* Doctorem intelligendum de violento simpliciter in eo sensu, in quo tale dicitur, quod ita est contra inclinationem, vt non habeat secum annexam aliquam perfectionem, quæ esset iuxta inclinationem rei, quam alias non haberet. Non vero de violento simpliciter, quatenus tale dicitur quod est contra inclinationem principaliorem, licet ferat secum aliquid quod sit iuxta inclinationem minus principalem.

*Dices tertio*, Doctor eodem loco dicit animam non dicere inclinationem ad corpus: ergo separatio non est ipsi violenta simpliciter.

*Respondeo* eum loqui vel de inclinatione quæ posset reduci ad actum secundum per causas naturales, vel de inclinatione, quæ excluderet omnem perfectionem, & satisfactionem vllius appetitus animæ. Vnde nego consequentiam.

# QVÆSTIO II.

*Quas perfectiones habet anima separata secundum se.*

8. NOn est dubium quin habeat intellectum & voluntatem, tum quia hæ identificantur ipsi in nostra sententia; tum quia quamuis non essent identificatæ sunt proprietates connaturales illius; tum quia habet species & cognitiones, vt constat ex historia Epulonis *Lucæ 16.* tum denique quia nihil impedit.

Difficultas ergo est de speciebus & habitibus, quos habuit in via, & de aliis cognitionibus ac speciebus perfectioribus, & de virtute discursiua, ac locomotiua, tam respectui sui, quam respectu aliorum.

## CONCLVSIO I.

Anima separata an retineat species est incertum.

*An retineat anima separata species quas habuit in via, est incertum, retinet tamen habitus voluntatis.*

*Probatur prima pars*, quia quantum ad rationem attinet, illæ species videntur habere dependentiam ab obiecto phantasticè proposito; sed tale obiectum non potest poni in statu separationis: ergo frustra conseruarentur illæ species. Maior patet ex dictis disputatione de *Intellectu.*

9. *Obijcies*: formæ absolutæ permanentes non destruuntur nisi per destructionem subiecti, aut per introductionem formæ contrariæ, aut per remotionem causæ conseruatiuæ: sed subiectum illarum specierum est anima, quæ separata manet; nec habent formam contrariam; nec remouetur ab illis causa conseruatiua, quæcumque demum illa sit: ergo non destruuntur.

*Respondeo*, distinguendo maiorem pro tertia parte: per remotionem localem tantum, nego; per remotionem localem aut æquiualentem, talem scilicet, vt non concurrat amplius ad earum conseruationem, concedo. Et similiter distinguo minorem, & nego consequentiam. Itaque quemadmodum secundum Theologos communiter destruitur fides in patria, & habitus supernaturales animarum damnatarum, quia indecent talem statum, aut quia non debent esse actus illorum, ac propterea ipsamet frustranea essent, ita in proposito dicendum.

10. *Obijcies*: animæ separatæ recordantur rerum, quas fecerunt in corpore: ergo habent species quas habuerunt in corpore.

*Respondeo*, negando consequentiam: quia possent recordari istarum rerum per species infusas ipsis à Deo.

*Dices*, non esse recurrendum ad Deum absque necessitate: sed hic non est necessitas.

*Respondeo*, negando minorem; nam non videtur quomodo possint ipsis deseruire ad hoc species viæ, essentialiter limitatæ ad obiecta phantasticè proposita.

Retinet habitus voluntatis.

*Probatur secunda pars*, quia habitus voluntatis possunt habere actus in anima separata, nec est vlla ratio, ob quam deperderentur.

## CONCLVSIO II.

Habet species & habitus perfectiores quam in corpore.

11. *Anima separata habet species perfectiores & cognitiones, quam habuit in corpore, potestque discurrere.*

Hæc est communior, *& patet*, quia habet cognitiones rerum intuitiuas independenter à phantasmatibus, quæ sunt sine dubio perfectiores cognitionibus dependentibus à phantasmatibus; tales autem cognitiones nullo modo posset habere in absentia obiectorum absque speciebus conformibus, quæ species sine dubio sunt perfectiores speciebus, quæ habet in statu coniunctionis. Quod autem possit discurrere, patet; quia nihil impedit.

*Et confirmatur*, quia Angeli discurrunt, vt suppono ex Theologia: ergo & anima separata, à paritate rationis.

CONCLV

CONCLVSIO III.

Potest se & corpora mouere localiter.

12. *Anima separata potest se, & alia corpora mouere localiter.* Hæc est *Doctoris in 4. dist. 10. q. 6.*

*Probatur primo*, ex descensu animæ Christi ad inferos, & ex apparitionibus multarum animarum in diuersis locis.

*Dices*, motus locales illarum animarum esse miraculosos à Deo, non autem ab animabus virtute propria. *Contra*, non est neganda illa virtus animabus absque ratione, nulla autem est ratio ob quam negetur ipsis.

*Probatur secundo*, quia Angelis competit illa virtus mouendi se & alia: ergo & animabus à paritate rationis, quia quantum ad hoc nulla est differentia inter illa.

*Confirmatur*, quia si negaretur hæc virtus animabus, vel ratione perfectionis, vel ratione imperfectionis. Non ratione perfectionis, quia conuenit Angelis perfectioribus; neque ratione imperfectionis, quia conuenit corporibus imperfectioribus.

*Confirmatur secundo*, quia licet anima habeat aliquas intellectiones dependentes à corpore, habet tamen in statu separationis alias intellectiones independentes à corpore, quas non potest exercere in corpore: ergo similiter non est inconueniens quod habeat virtutem motiuam dependentem à corpore, & virtutem etiam motiuam independentem à corpore in statu separationis, qualem virtutem nequit exercere in corpore. Et per hoc ac exemplum de Angelis difficultates omnes, quæ opponi possunt, facile solui possunt.

An moueat corpora per impulsū.

13. *Si tamen quæras*, an mouere possit corpus per impulsum impressum sibi, sicut vnum corpus mouet aliud: *Respondeo* eodem modo posse animam mouere, quo Angelus mouet; vtrumque autem dico posse mouere per impulsum; quia alias non possent proiicere corpora, sed deberent necessario comitari illa corpora quæ mouerent.

*Deinde* non est difficilius Angelo aut animæ producere ipsum motum localem, aut vbi corporeum quam impulsum corporeum: ergo si possunt vbi aut motum, possunt etiam impulsum. Sed possunt producere vbi aut motum in corporibus, vt fatetur *Suarez*, & patet, quia alias non possent mouere corpora: ergo possunt producere impulsum. Et hæc de anima sufficiant ad laudem & honorem Dei, &c.

# DISPVT. X.

## *De Paruis Naturalibus.*

PHILOSOPHVS octo libellulos de affectionibus quibusdam ad animantia spectantibus scripsit, quos communiter *Parua naturalia* appellant, & vel complementum sunt præcedentis tractatus, vel certe vnum cum illo integrum tractatum conficiunt, corpus animatum pro obiecto adæquato habentem. Quæ ergo in his octo libris digniora consideratione sunt, in hac disputatione examinabuntur, cuilibet libro vnica quæstione assignata.

## QVÆSTIO I.

### *De Memoria & Reminiscentia.*

Quid memoria.

1. *Memoria in actu primo est potentia illa, qua recordari possumus rerum antea cognitarum.* Hoc est, qua possumus cognoscere, quod aliquando cognouerimus res, quas ante cognouimus. *Memoria* vero *in actu secundo*, est *ipsamet recordatio, seu cognitio, qua sic cognoscimus.*

Quid reminiscentia.

*Reminiscentia* vero est, *recordatio huiusmodi habita mediante inquisitione, & progressu ex aliis recordationibus, aut cognitionibus*: vt si quis recordetur beneficij recepti ab vno homine, ex eo quod recordetur ipsiusmet hominis, aut quod videat alium hominem similem illi.

Dari memoriam *sensitiuam* in animantibus, & simul cum ipsa *intellectiuam* in homine, illamque non distingui realiter à sensu communi, nec hanc ab intellectu, suppono ex dictis in libris de anima, quæ non videbantur repetenda.

*Hic autem aduertendum*, memoriam, vt memoriam in actu primo, non solum habere recordari, & reminisci; sed etiam ad eam spectare proponere cum facilitate species accepta, etiam illas, quibus intelligimus res ante cognitas, sed non vt cognitas; nam dicimur committere memoriæ illas species, quando sæpius obiecta nobis proponimus ad hoc, vt facilius postea possimus illa obiecta nobis proponere; & qui orationem, aut discursum aliquem auditum, aut lectum facile repetunt, & proponunt sibi, quamuis non cognoscerent actu quod antea illum cognouerint; dicuntur bonæ memoriæ.

Vtrū omne animal habeat memoriā.

2. *Quæri solet*, an omnibus animantibus conueniat memoria.

*Respondeo* in primis non esse necessarium ex ratione animalis vt sic, aut animæ sensitiuæ vt sic, quod quodlibet animal habeat memoriam, quia optime potest concipi aliquid esse animal, & habens animam sensitiuam, quin intelligatur habere memoriam; neque potest ex eo, quod aliquid sit animal, aut habens animam talem rectè concludi, quod habeat memoriam.

*Deinde* non est aliquid ex parte animalis, aut animæ sensitiuæ vt sic, cui repugnat vis memoratiua; vnde solum à posteriori colligi potest ex actibus aliquibus, an omnibus animalibus conueniat, necne, & si in omnibus, quibus? Difficile autem est habere experientiam illam de omnibus, apparet autem satis manifestè in aliquibus, vt in auibus, canibus, similibusque, quæ habent virtutem locomotiuam, & accedunt ad locum vbi bene tractantur, recedunt vbi male; in conchis vero, quæ non habent virtutem locomotiuam, qua ab vno loco in alium progredi valeant, licet in eodem loco contrahant partem læsam, non adeo patet experientia memoriæ, vnde *Conimbricenses* hic negant eam illis, quibus tamen eam attribuit *Auersa q. 51. sect. 4.* quia patet verisimile esse quod recordentur doloris, & quod propterea tactæ retrahunt se etiam antequam lædantur. Quod si huiusmodi animātibus ea facultas data sit, non est sine dubio neganda piscibus, quidquid dicat *Albertus*, nam & locomouentur, & repetere solent eadem loca, & ita expresse tenet *D. Augustin. 3. de Genesi ad litteram.* Ad memoriam bonam conducit & aliqua mollitudo ex parte organi, qua facile possit recipere species, & aliqua durities qua eas melius conseruet: hoc tamen intelligendum de memoria sensitiua, nam intellectiua vtpote spiritualis, duritiei & mollitiei incapax est. Alia auxilia extrinseca, vt exercitatio & ars, quæ dicitur memoriæ, & medicamenta quædam & impedimenta varia ipsius, experientia tam nota sunt, vt de iis hic non sit disserendum.

Conchæ habeantne memoriam.

An pisces habeant memoriā.

## QVÆSTIO II.

### *De Somno, & Vigilia.*

Quid somnus, & vigilia.

3. CONimbricenses hic *Vigiliam* describunt esse omnium externorum sensuum, aut saltem aliquorum solutionem, seu libertatem; *Somnum* vero esse omnium sensuum externorum ligationem ad animantium quietem & salutem institutam.

*Contra quam descriptionem primo* opponi posset, quod non magis ad somnum videatur exigi quod sit ligatio omnium sensuum, quam ad vigiliam, quod sit omnium solutio. *Sed hæc difficultas* est tantum de nomine, nam si nomen *vigilia* non esset impositum ad significandum solutionem aliquarum potentiarum externarum, certe diceret sine dubio solutionem omnium: & si *somnus* imponeretur ad significandum ligationem aliquorum sensuum, & non solummodo omnium, non requireretur ad ipsum ligatio omnium.

Verum cùm de facto non detur status aliquis medius

hominis, in quo non possit de ipso dici, quod sit vel vigil, vel dormiens, & quandoquidem non dicatur dormiens simpliciter ex communi vsu, si vel vna potentia externa ipsius sit libera, & expedita ad suas operationes necesse est fateamur quòd nomen *somnum & dormitio* sit impositum ad significandam ligationem omnium potentiarum externarum : & præterea quandoquidem si vna potentia externa esset sic libera & expedita, non posset dici de ipso quod dormiret, posset vero dici quod vigilaret, sequitur quod vigilia significet de facto expeditionem vel omnium, vel aliquorum.

4. *Minor difficultas* est in illa particula, quam adiungunt in descriptione somni: nempe quod somnus sit ligatio sensuum *ad quietem & salutem animantium instituta.* Nam in primis illa particula videtur superflua, cum per reliquas particulas sufficienter erat descripta. *Nec refert* quod dicunt *Conimbricenses* cum sensus vi alicuius morbi torpescunt (vt accidit epilepsia) hominem non dormire; nam si ita obtorpescunt vt viuant & nullam habeant operationem sensitiuam, omninò dormire dicendus est homo.

*Confirmatur*, quia in tali casu non vigilaret, vt manifestum est, quandoquidem non haberet vllum sensum externum solutum & liberum: ergo dormiret, quandoquidem vt ante dixi, non detur vllus status hominis viuentis, in quo non possit dici de ipso quod dormiat, vel sit vigil.

*Deinde*, quemadmodum in descriptione vigiliæ non ponitur quod sit instituta ad vtilitatem aut detrimentum animalis, non debebat etiam poni in definitione somni, à paritate rationis.

*Præterea* quamuis somnus non esset institutus ad quietem & salutem, sed potius ad nocumentum, profecto non minus desineret esse somnus: ergo illa particula non solum superfluit, sed falsa est quantum ad hoc quod asserere videatur esse de ratione somni vt sic quod sit sic institutus.

5. Quod si etiam placeret excludere dispositionem illam, quam habent epileptici & similes, in qua non operantur per sensus externos vllos, à ratione somni, non sufficienter distingueretur à somno per hoc quod illa nõ esset ordinata ad quietem & salutem: nam si esset sic ordinata, adhuc haberet rationem qua distingueretur à somno, distingueretur enim sufficienter à somno per hoc, quod somnus esset ligatio sensuum orta absque vlla indispositione physica organorum, altera autem illa ligatio non esset talis, vt patet.

Vnde melius describeretur *somnus* esse *ligamen omnium sensuum externorum ortum ex alio capite, quam ex indispositione physica organorum externorum, quam dicendo quod esset ligamen institutum ad salutem & quietem.* Nec contra hanc descriptionem aliquid maioris difficultatis obiici posset quam quod sequeretur hominem posse esse in statu aliquo, in quo viueret & tamen nec dormiret, nec vigilaret. Sed dicendum esset defendentibus hanc descriptionem, id non esse inconueniens, quando esset in statu, in quo ex indispositione organi non posset operari; vnde quando dicitur quod homo alterum ex duobus debeat habere, aut somnum, aut vigiliam, hoc deberet intelligi de homine non habente organa sic male affecta. Quod totum tamen spectat ad quæstionem de nomine, & absolutè dicendum quod sufficienter & bene describatur somnus esse ligamen omnium potentiarum externarum, non addendo vllam aliam particulam, sicut nec additur in descriptione vigiliæ.

Quomodo fit somnus.

6. *Nunc ostendendum*, quomodo fiat hæc solutio & ligamen potentiarum. Et communiter quidem dicitur quod potentiæ sint solutæ & liberæ ad operãdum, quando non impeditur accessus spirituũ animalium à cerebro ad organum sensuum externorum: tum autem ligantur, quãdo ille accessus præpeditur, neque enim ipsum organum cum specie obiecti sufficit ad percipiendum obiectum, sed vlterius requiritur concursus spiritus animalis, siue in genere causæ efficientis, siue in genere causæ formalis dispositiuæ, vt patet in dormiẽtibus oculis apertis, qui non vident quamuis habeant in eodem oculo species impressas colorum obiectorum; vnde si impediatur accessus istius spiritus, qui est substantia aliqua tenuis ac subtilis, non poterit potentia operari, & si non impediatur poterit: quare ligamen ipsius consistit in illo impedimento, & solutio consistit in ablatione ipsius.

Causa autem effectiua somni, hoc est, illa causa quæ ponit impedimentum, secundum *Conimbricenses* cum *Philosopho hic*, est causa aliqua, quæ producit vapores quosdam qui replent meatus illos, per quos spiritus animales deferri solent ad sensus externos, qui vapores potissimum generantur secundum ipsos in ventriculo ex cibo: cuius indicium est, quod, qui comedunt & bibunt, aptiores sunt ad dormiendum, quam qui famem patiuntur. Alij tamen antiqui, vt *Auerroes, Galenus, & Auicenna* citati à *Conimbricensibus* existimant causam effectiuam impedimenti esse ipsammet animam, quæ habet virtutem attractiuam spirituum animalium à sensibus externis. Ego vero existimo vtrumque concurrere, & vapores ascendentes, & attractionem etiam spirituum, aliquãdo simul, aliquando separatim: quamuis enim non ascenderent vapores, nihil impedit, quo minus attraherentur spiritus; & quamuis non attraherentur spiritus nihil impedit, quo minus ascenderent vapores ac impedirent descensum spirituum: quod si possit attractio fieri sine ascensu vaporum, & è contra, nihil impedit quo minus vtrumque simul fiat.

*Ex quo patet*, quid sit impedimentum formaliter, est enim vel retractio spirituum, vel ascensus vaporum, vel vtrumque simul. Quod si placeret magis quasi metaphysicè describere ligamen potentiæ, posset dici constare in negatione coniunctionis spiritus animalis cum potentiis: & solutio potest dici consequenter esse coniunctio spiritus animalis cum potentiis: & hoc modo explicando vigiliam & somnum, apparet somnum esse priuationem vigiliæ. Si vero quis vellet dicere quod ligamen potentiæ esset illud corpus positiuum, quod expellit spiritus illos à potentia, & impedit ipsorum descensum, tum vigilia esset negatio istius corporis, & consequenter esset potius priuatio somni, quam è contra somnus priuatio vigiliæ: de quo tamen nulla potest esse realis difficultas.

*Vtilitates somni* temperati, & detrimenta intemperati quotidiana experientia comperta sunt. Et certe, vt somnus moderatus secundum *Tertull. cap. 4. de anima*, est recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, ita immoderatus laxat membra, teste *Hypocrate*, grauat caput, stupidos, obliuiosos, ad vitia procliues, ad subeundos labores ineptos facit. Vnde etiam constat emolumentum vigiliæ temperatæ, & intemperatæ nocumentum; quantum enim obest somnus intemperatus, tantum prodest vigilia temperata opposita ipsi, & quantum prodest somnus temperatus, tantum obest intemperata vigilia, vt patet.

*Quæres primò*, an somnus competat omnibus animalibus. *Respondeo* affirmatiue, non solum ob authoritatem *Philosophi hic cap. 2.* & *Doctorum* communiter; sed quia emolumenta orta ex mutua vicissitudine quietis & vigiliæ id exigere videntur; nec vlla patet experientia oppositum. Somnus competit omnibus animalibus.

*Quæres secundò*, an homines prius incipiant dormire, an vigilare.

*Respondent Conimbricenses hic*, quod prius vigilent; quia quamuis prius sint in vtero materno, quam percipere possint aliquid per sensus externos, tamen tum non dormiunt, quia quod non sentiant oritur ex hebetudine aliqua sensuum, ac imperfectione organi; somnus autem secundum ipsos non est ligamen sensuum ortum ex tali indispositione. An prius dormiant homines quàm vigilent.

*Sed quantum* ad hanc rationem nihil concluditur *primo*, quia, vt supra diximus, somnus potest dici esse quodcumque ligamen potentiarum, ex quo oritur vt aliquis non sit vigil. *Secundo*, quia quamuis non diceretur somnus quodcumque ligamen, sed illud quod non oriretur ex

imper

imperfectione potentiæ; tamen adhuc non probant *Conimbricenses*, quod infantes habeant prius talem indispositionem ex parte potentiarum, vt non possint sentire quantum est ex se, quam possint sentire. Itaque existimo, quod homines quando habent illam dispositionem, vt habeat sensus externos formatos, prius vigilent quam dormiant, quia nihil prorsus impedit quo minus tum possint sentire, si applicaretur ipsis obiectum sensibile; antequam autem habeant sensus sic formatos, nec dormiunt, nec vigilant, quia non habent ligamen, nec solutionem sensuum externorum, quandoquidem non habeant ipsos sensus formatos: vigilia autem & somnus sunt affectiones potentiarum formatarum.

An somnus esset in statu innocentiæ.

9. *Quæres tertio*, an dormient homines in statu innocentiæ.

Aliqui apud *D. Thom. 2. dist. 19. quæst. 1.* negant, quia quandoquidem somnus sit institutus ad quietem, & in illo felici statu non fatigarentur homines, non esset ipsis necessaria quies somni. Sed hæc ratio non satis probat intentum; nam quod non fatigarentur homines tum, non oriretur ex eo, quod non possent fatigari, sed ex eo, quod non laborarent ad fatigationem; sed tum quiescerent quando fatigatio incipere deberet: ergo similiter licet non fatigarentur potentiæ externæ, non id oriretur necessario ex eo, quod non possent fatigari, sed ex eo, quod quando fatigari deberent, dormirent homines: quod si somnus non sit ordinatus tantum ad quietem sensuum externorum, sed etiam ad quietem totius corporis, etiam tum esse posset vtilis, vt per eum quiesceret corpus hominis, quod alias fatigari potuisset.

*Ipsemet D. Thomas* probabilius putat futurum somnum in Paradyso, quem tamen non causaret lassitudo aliqua, aut morbus, aut concreti vaporis colluuio (vt *Commbricenses* adiungunt) caput aggrauans, sed moderata purioris halitus copia, seu pura & suauis alimenti vaporatio; qui etiam dicunt, quod non dormirent homines tum, nisi ad solam oblectationem, ac voluptatem.

10. *Verum*, vt ab hoc vltimo incipiam, nisi per somnum impediretur lassitudo, aut resarcirentur vires, aut arcerentur alia incommoda, nescio quomodo possit ex eo capi vlla voluptas æquiualens illi, quæ haberi posset in vigilia. Itaque existimo somnum tum non futurū vlla ratione ob solam voluptatem; vnde si adfuissent aliæ dotes, per quas impediretur lassitudo, & debilitatio ac aliæ malæ affectiones corporis, potius dicendum esset, quod non esset ibi somnus, & si deberet naturaliter causari ex vaporibus aliquibus naturaliter generandis ex cibo, spectaret ad felicitatem illius status vt impediretur diuinitus illa causatio, sicut multæ aliæ impedirentur. Itaque existimo incertum esse, an tum esset futurus somnus, & quod ad me attinet existimo probabilius esse quod non esset tum futurus, si spectetur perfectio illius status, & tanta ipsi tribui debeat quanta potest absque inconuenientia. Nec refert, quod Deus dicatur immisisse sopore in Adam, & quidem grauem. Nam præterquam quod ille sopor posset dici esse potius extasis aliqua mentis, quam somnus corporalis, vt multi explicant, adhuc non facit ad rem, si intelligeretur de sopore corporali; quia fuit immissus miraculose à Deo, nos autem loquimur de sopore, seu somno, qui proueniret naturaliter.

Quomodo animal cessat dormire.

11. *Quæres quarto*, quomodo animal cessat à somno. Duobus modis fieri solet vt animal desinat dormire. *Primo* à seipso; *deinde* per excitationem à causa extrinseca, vt cum suscitatur à somno per strepitum aliquem, aut tractione. Vtraq; autem suscitatio fit per remotionem, impedimenti descensus spirituum animalium: & prima fit vel per consumptionem vaporum obstruentium meatus, per quos descendere solent illi spiritus, vel per hoc quod potentia attractiua, aut fatigata à nimia attractione, aut iam non indigens vlteriori, permittit spiritus illos descendere, vel per expansionem seu dilatationem eorum meatuum talem, vt non obstantibus spiritibus possint descendere.

*Maior difficultas* est de secunda excitatione, seu expergefactione; sed illa quæ fit per motionem corporis minus habet difficultatis; nam facile concipi potest quomodo ex illa motione diuerti possint illi vapores, & impediri attractio illa spirituum animalium. Altera autem excitatio, quæ fit per sonum magnum, aut lucem, aut odorem, aut leuem tactum, difficilior est; si enim sensus sunt ligati, quomodo sentiunt illa obiecta? & si non sentiunt, quomodo per illa impeditur eorum ligamen? Sed dicendum tamen quod illa obiecta non perueniant ad sensus absq; tali alteratione, quæ efficiat vt tollatur impedimentum, quod impediebat descensum spirituum animalium.

Dormientes ambulent.

15. *Quares quinto*, an verum sit, quod dormientes quandoque ambulent. *Non ponitur hic in dubium* quod fide digni authores referunt de plurimis, qui ex lecto, in quo dormiunt, sese erigunt, vestiunt, ac alio se conferūt, cum tamen, & aliis adhuc appareant dormire, & ipsimet postea non recordentur vllius, quam faciunt, actionis, nisi per modum somnij. Sed hoc supposito quæritur, an tales censendi sint dormire. *Et respondendum est* ex suppositione quod somnus sit ligamen omnium sensuum exteruorum, eos non dormire, quia ad minus in iis sensus tactus est solutus, nec enim alias posset se vestire, aut aperire portas, aut corripere arma, aut alia, quæ ab ipsis leguntur fieri. Dicuntur tamen dormire in largiori aliqua acceptione, quatenus scilicet maior pars sensuum externorum est ligata.

## QVÆSTIO III.

### *De Somnijs.*

Quid sit somnium.

13. *Somnia* sunt *apparitiones illæ, quæ occurrunt dormientibus mediante aliqua potentia interna.* Ad quam descriptionem *Conimbricenses* addunt ex *Philosopho* quod illa potentia interna sit sensitiua, vt excludantur apparitiones intellectuales, quæ occurrere possint hominibus: sed hoc spectat ad quæstionem de nomine, & quantum ad communem iam vsum huius vocabuli *somnium*, magis credo id non requiri, sed quamcumque apparitionem internam sic vocari posse. Specificandum vero necessario erat illud dormientibus, aut affectis somno, quia apparitiones internæ per hoc formaliter habent esse somnia, quod aduenient dormientibus; nam similes omninò apparitiones, aut etiam eædem ipsæ, si acciderent vigilantibus, siue compotibus rationis, siue impotibus, non essent somnia. Non vero requiritur, vt somnus ille, quo afficitur somnians, sit perfectus ac rigorosus iuxta descriptionem somni quæstione præcedendi assignatam, nimirum talis, qui sit ligamen omnium potentiarum externarum: nam sufficit, quod sit talis, quali afficiuntur illi, qui dicuntur ambulare dormientes, nimirum qui non sit ligamen omnium sensuum externorum, sed aliquorum: neque enim vllus negabit quin illi ipsi, qui ambulant dum dormiunt, somnient interea temporis, & tamen, vt ante dixi, non habent omnes sensus externos ligatos.

Quomodo causantur somnia.

14. *Difficultas iam est*, quomodo determinetur potentia illa, quæ in somno formar in se huiusmodi apparitiones ad eas formandas. Nec dubium est quin determinetur proxime per species rerum, quæ sic apparent; sed valde difficile est ostēdere quomodo applicetur tales determinatæ species ad determinādum ipsam ad tales apparitiones potius, quam aliæ ad alias. Et quamuis illa excitatio, seu applicatio, quoties somnium cedit in bonum, attribui soleat Angelo bono, & malo, quoties in malum cedit; tamen cum somnia disparata, quæ neque ad bonum, neque ad malum conducunt, refundi commodè vix possint in bonum, aut malum Angelum, ad quos non videtur magis spectare excitare talia somnia, quā nulla omnino excitare; alia causa assignari debet pro similibus somniis, sed quæcumque sufficere posset pro his absque concursu Angelico, eadem, aut alia similis sufficere posset pro excitatione somniorum bonorum, & malorum, esse enim bona, vel mala, est per accidens ad illa somnia, vt patet.

*Deinde*, quandoquidem non magis potens sit Angelus malus ad excitanda somnia mala, quam bonus ad bona,

mirabile est cur bonus non producat bona,aut non impediat productionem malorum somniorum.Quod si recurratur ad Dominum Deum,eadem erit difficultas;quæ tamen non sufficit sine dubio,quominus tam Deus,quam Angeli possint determinare ad talia somnia per propositionem , aut excitationem talium specierum , ad fines qui ipsis expedire videntur quamuis nobis eorum ratio assignari non possit;& sane non scio qua alia ratione illa determinatio possit fieri, præsertim in intellectu separato,aut etiam in potentia sensitiua , si hæc producat huiusmodi somnia per species sibi inhærentes absque propositione aliarum specierum , quibus determinaretur ad producendam cognitionem correspondentem vni speciei, potius quam alteram.

15. *Dico autem* :præsertim si producat somnia absque propositione aliarum specierum , quia si dependeret à tali propositione, dici posset, quod sensus somnians determinaretur per occursum specierum tali, vel tali ordine deuectarum ad ipsum in spiritibus animalibus , sicut oculus determinatur ad talem visionem per propositionem talis obiecti. Cur autem tali ordine deferantur species in spiritibus internis iuxta organum internum motis , refundi debere in aliquam causam internam talis motus;sicut collisio talis particularis vitri ad aliud corpus est causa , cur quando frangitur,partes eius resiliant & euolent ad has partes spacij, potius quam ad alias, & vltimata sine dubio determinatio ad Dominum Deum refundenda erit,cuius propterea existentia optime colligi potest ex indeterminatione quam haberet natura in productione suorum effectiuum,nisi ipse existeret ad illam indeterminationem tollendam.

16. *Conimbricenses* hanc hic difficultatem non tangunt, sed aliam , an scilicet somnia fiant per reflexionem specierum ab aliqua parte ad potentiam somniantem , vel per deuectionem specierum in spiritibus ; an vero sine tali reflexione , vel deuectione per species subiectatas in ipsamet potentia somniante.Et resoluunt in primis,non fieri somnia per reflectionem specierum. *Deinde* dicunt non necessario deferri debere species ad potentiam somniantem , sed eam somniare per species in se receptas; quamuis in gratiam *Aristotelis* postea fateantur quandoque fieri somnia per applicationem specierum in spiritibus deuectarum.

*Ego tamen existimo* eodem modo semper illa fieri,hoc est,vel semper sine concursu specierum deuectarum, vel cum concursu tali semper,& potius iudico fieri per concursum talium specierum , non solum propter authoritatem *Philosophi* , qui ita sentire videtur hic *cap. 5.* sed etiam quia sic facilius explicatur quomodo determinari possit potentia. Supposito autem quod necessarius sit concursus specierum aduectarum , posset negari facile necessarium esse ad generationem somniorum quod species impressæ subiectari deberent in ipsamet potentia somniante ; neque enim est vllo modo inconueniens quod potentia vitalis producat etiam vitaliter cognitionem mediante specie sibi applicata , absque inhæsione speciei , quidquid dicant *Conimbricenses* absque vlla probatione *hic §. Porro autem.*

In qua potentia fiat somnia.

17. *Iidem Authores*,quærentes in quanam potentia interna formentur somnia proponunt sententiam multorum tenentium ea fieri partim per sensum communem concurrentibus speciebus à phantasia delatis , & partim à cogitatrice , ad quam spectat cognoscere rationes aliquas in obiecto non sensatas cum cooperatione specierum à memoria sensitiua delatarum. Ipsimet autem putant somnia spectantia ad sensum & phantasiam formari in phantasia, & ea quæ spectant ad cogitatricem produci in memoria.

In nostra vero sententia,qui non asserimus plures sensus cognoscitiuos internos,omnia somnia in eadem potentia formari censenda sunt. Quod si plures sensus essent assignandi realiter distincti , certe vnusquisque ex ipsis deberet dici concurrere ad productionem earum partium somniorum,quæ ad ipsum spectaret, sicut & in vno somnio interuenire possent actus omnium , nec est vlla ratio cur vnus ex ipsis potius habere posset actus in somno,quam reliqui ; & quantum ad experientiam attinet, eodem modo videmur nobis habere actus omnium illorum, dum dormimus,ac dum vigilamus. Vnde & in nostra sententia qui non distinguimus plures sensus,dici poterit quod idem realis sensus, qui habet varia illa nomina sensus communis, phantasiæ , cogitatricis,memoriæ,secundum varia munia,quæ ipsi competunt,concurrat ad somnia etiam vt subest formaliter variis illis denominationibus , quidquid enim competeret illis sensibus , si essent realiter distincti in ordine ad hoc ; potest dici competere eidem sensui , vt subest variis illis denominationibus, vt patet.

*Varia somniorum genera* assignant *Conimbricenses* , quorum tamen differentiæ sunt accidentales,ortæ scilicet ex causa efficienti magis quam ex ipsa natura ipsarum apparitionum , vnde eadem specie apparitio potest habere ratione diuersorum generum. Quod vt melius appareat, examinare placuit quatuor genera,quæ proponunt prædicti Authores : quædam enim dicunt esse *Diuina* , quæ scilicet fiunt à Deo, vel Angelo bono:quædam *dæmoniaca*, quæ fiunt ab Angelo malo : quædam *naturalia*, quæ fiunt ex dispositione particulari corporis:quædam denique *animalia*,quæ oriuntur ex eo quod de iis rebus,quas somniamus,tractauimus in vigilia.Harum apparitionum diuersitas desumitur ex causa efficiente , aut conditione extrinseca, ob quam sequuntur;& si vna & eadem apparitio nunc causaretur à Deo, nunc à diabolo, nunc proueniret ex complexione animalis , nunc denique ex eo quod ante de ea agebatur, aut aliqua alia simili,haberet sine dubio pro diuersis illis temporibus rationem somnij diuini,dæmoniaci, naturalis, & animalis.

Solum restat examinandum , quomodo ab his causis, per ordinem ad quas hæc somnia describuntur, causentur. De Deo autem non potest esse dubium , quin ipse possit causare talia somnia,siue producendo ipsasmet apparitiones immediate, in nostra sententia, qui putamus actus vitales produci posse à solo Deo, siue producendo de nouo species , quibus determinetur potentia ad illas apparitiones producendas ; siue applicando species ante habitas aut obiecta secundum illam rationem,secundum quam possent causare tales species, aut determinare potentiam sine speciebus.Similiter certum est Angelos bonos & malos posse excitare species ante habitas, easque proponere illo modo , quo possint determinare ad illas apparitiones.

Quomodo causãtur somnia naturalia.

*Maior est difficultas* de aliis duobus somniorum generibus. *Galenus* in libro *de præsagio ex insomnijs sumendo*, ait somnia naturalia causari ex eo,quod anima inter dormiendum in se collecta,& nullo aduentitio pulsu agitata,corporis profundum ingrediatur,ac quid interius fiat videns , insomnia illa formet. *Hanc explicationem* superficiariam vocant *Conimbricenses*,nulla tamen ratione adhibita,forte quia videbatur facilis impugnationis,vt reuera est. *Nam imprimis* quod anima ingrediatur profundum corporis, non habet apparentiam , quandoquidem eodem modo informet totum corpus in somno,ac vigilia. *Deinde* si tum videat quid interius fiat,ac deinde formet insomnia , non magis iuuat ad formanda insomnia illa naturalia, quam alia quæcunque, quorum species in anima reperiuntur.

Ipsimet *Conimbricenses* illa insomnia fieri censent ex eo,quod humor abundans , verbi gratia , pituita apprehensa tactu vel gustatu immittat sui speciẽm in phantasiam, ex quo fiat apprehensio rerum consimilium , vt ex specie pituitæ , quæ aquea est & dulcis , cogitatio imbrium aliquando , & aliquando ciborum dulcium. Ad quod addunt fieri posse vt absque specie transmissa excitetur in somno in phantasia tale somnium ex specie ibi infixa , modificata tamen per humorem in corpore dominantem.

*Sed vt ab hoc vltimo incipiam*, certe nec probabilitatem præ se fert, quod species infixa phantasiæ excitetur, seu applicetur per humorem dominantem in corpore , nisi aliquid producat in phantasia ; nec potest aut explicari,

aut

aut intelligi quomodo humor dominans in corpore possit modificare speciem infixam phantasiæ: & deinde cum plures possunt esse species in phantasia, diuersissimæ inter se rationis, quarum aliquæ nunc excitantur in somno, aliquæ alio tempore, non potest fieri vt ab humore illo oriatur, quod hæ species potius quam illæ excitentur: quare aliud determinatiuum assignari debet, & vix assignari poterit aliquod, quod se solo non posset sufficere absque concursu humoris dominantis.

*Contra primam partem*, etiam facit, quod dum dormimus, non sentiamus humorem illum dominantem per sensus externos tactus aut gustus; & quod somnia naturalia possint fieri in perfecto somno, in quo omnes potentiæ externæ ligentur, adeo vt nihil sentiant.

*Deinde*, quamuis sentirentur ille humor abundans, & trasmitteret speciem sui in phantasiam, non inde sequitur quod in ea excitari deberent aliæ similes species, & si deberent ex variis speciebus similibus, seu proportionem aliquam habentibus, non potius hæ, quam aliæ excitari deberent. *Denique* non solum excitantur in somniis huiusmodi species similes, sed aliquæ aliæ dissimiles; vt patet experientia: ergo alia causa assignari debet præter humorem abundantem siue perceptum à sensu aliquo exteriori, siue non.

21. Itaque, quamuis experientia constet dari huiusmodi somnia naturalia iuxta affectionem corporis, existimo tamen incertū esse à qua causa proxima excitētur species ad illa requisitæ. Et idem censeo de somniis animalibus: nec enim ex ipsismet cogitationibus diurnis prouenire possunt; nam potius ex illis similes omnino cogitationes prouenire deberent, quam aliæ proportionem aliquam habentes, vt patet, & tamen in somnis animalibus non semper habentur cognitiones omnino similes, sed aliquando longè dissimiles, licet habeant aliquam proportionē. *Deinde* ex pluribus proportionem habentibus debet alia causa adesse, ob quā vnæ potius excitentur quam aliæ. Et rursus non semper quoties cogitamus vehementissime, & quidem data opera, de aliquibus rebus per totum diem aut partem eius, siue immediatè ante somnum, siue paulo, siue longe ante, habemus talia somnia, aut vlla omnino: quomodo ergo possent ista somnia prouenire à cogitationibus diurnis ac antecedentibus?

Proponunt propterea *iidem Authores* plura problemata ad somnia pertinentia: quorum solutionem ab ipsis datam facile esset refutare, si res tanti esset, & aliæ solutiones meliores occurrerent: quod aduerto, ne quis statim existimet sibi satisfactum, sed attendat cum reflexione, vt melius examinet veritatem.

## QVÆSTIO IV.

### *De Diuinatione per somnia.*

22. MVlti olim in ea erant opinione, vt nullum esset somnium quod non portenderet aliquod futurum; & consequenter ex quo, si quis esset peritus in somnispiciâ, seu arte præsagiendi ex somniis futura, non posset colligere aliquod futurum, aut præteritum alias ignotum somnianti. *Alij* vero putauerunt, nullum somnium portendere ex se cum aliquo fundamento futurum quidpiam. *Alij* denique opinati sunt, aliqua somnia portendere aliquid futurum, vel præteritum; & alia non portendere.

Quomodo somniū posset significare futurum.

*Sed in primis*, quamuis, vel omnia, vel aliqua somnia significent aliqua futura, si hoc non faciant directe ostendendo ipsamet futura, sed significando aliqua aliæ, quæ proportionem aliquam, vel coniunctionem cū eo, quod futurum est habent, sicut somnium illius, qui videbatur sibi in somno vidisse ouum pendens ex fascia, lecti significabat thesaurum auri argento circumfusi fuisse sub lecto; nihil prorsus certi posset quis expectare ex illis somniis quia nulla via certa haberi potest absque reuelatione, per quam quis possit cognoscere cum quo futuro somnium habeat connexionem; nam proportionem posset habere cum mille rebus, quæ possent esse futuræ; quomodo, ergo poterit intellectus determinari ad cognoscendum quodnam ex pluribus sit futurum somnio denotatum? Quod si directè significarent illa, quæ essent futura, vt si quis sōniaret esse reuera thesaurū sub lecto, quandoquidē experientia compertum sit sæpissimè nos somnire esse futura ac præterita, quæ verè non sunt futura, nec præterita nihil certi potest constare ex tali sōnio ex eo, quod sit talis præcisè. Vnde vt cognoscatur quodnā somniū tale sit verū, & quodnā falsum, oportet haberi alia principia, quibus id cognoscatur, & certè assignari non possunt vlla, nisi Deus reuelauerit, vel Dæmon, quodnā sit somniū, quod est verū. Itaq; qui somnia huiusmodi habent, satis imprudentes se ostendūt, & imperitos dum ab aliis scire cupiunt, quid per illa portenditur; & longè consultius esset illa negligere, ac procedere in suis actionibus, non minus, quam si illa non succederent, nisi constaret ea esse à Deo immissa.

Somnia indigesta futurorū negligenda.

25. Si quis tamen somniaret directè aliquid secuturū, si talis, vel talis diligentia adhiberetur, vt somniauit Alexander Magnus radiculam quandā tali loco reperiendā, quæ Ptolemei familiaris sui mederet infirmitati; nec in experimēto faciendo quidpiam esset difficultatis aut inconueniētiæ, quandoquidem negari non possit quin aliquando somnia vera sint hominibus communicata, posset experiri vtrum ita esset, necne: sed si esset aliquid difficultatis, aut inconueniētiæ in faciendo periculo, longè consultius esset non procedere ad experientiam, sed negligere somnium, quandoquidem æquè certum sit plurima huiusmodi somnia esse falsa, ac vllū esse verū. Quod vltimum consilium maximè locum habet, quando non adesset casus aliquis desperatus, cui succurri posset per somnium, si esset verum, & nulla alia ratione, tunc enim posset somniam, sine imprudentia, etiam cum aliquo dispendio, ac difficultate periculum facere de veritate somnij: vnde si quis esset in extrema necessitate moriendi à medicis omnibus derelictus, & aliquis somniaret, si daretur ipsi parum vini, v g. cum succo talis, vel talis herbę, quæ non posset absq; difficultate aliqua inueniri, merito faceret quis periculum inquirendo talem herbam, & dādo potionem illam infirmo: at si non esset desperatus infirmus, & propinatio talis appareret medicis periculosa, potius esset acquiescendum medicis prohibentibus, quā credendum somnio: imo qui præferret tam sounium consilio medicorum, peccaret mortaliter, si damnum graue diceretur à medicis inferendum infirmo per illam potionem. Sed hæc consideratio de peccato mortali non est huius instituti.

Quando quis posset periculum facere de veritate somnij.

24. *Id hic pro certo tenendum*, quod Deus & Angelus bonus possit causare in dormientibus somnia vera, & quod qui cognosceret sua somnia ab illis causari, posset esse certus de eorum veritate: sed nisi haberet aliquam viam cognoscendi quod à Deo aut Angelo bono essent communicata, præter ipsummet somniū, quamuis essent reuera à Deo aut Angelis bonis, perinde se deberet gerere circa illa somnia, ac si non essent ab ipsis producta. Vnde quibus Deus communicat aliqua talia in ordine ad vtilitatem aliquam, seu ad inducendum illos ad credendum illis ac ea proponenda aliis, tanquam vera, reuelat etiā ipsis aliquo modo se communicasse illa somnia, ille autem modus inexpertis est omnino ignotus, & fortassis inexplicabilis ipsismet expertis, sicut cæco est incognita albedo, & videns nequit illam ipsi describere sic, vt ipse possit habere conceptum eius.

Somnia à Deo immissa sunt vera, sed nō credēda nisi constet ea esse à Deo.

25. *Secundum etiam tenendum*, quod Diabolus omnium illorum futurorum, quæ ipse cognoscit, & quorum species habēt dormientes, possit infundere somnia, mediante propositione specierum ad hoc conducentium. Sed prorsus imprudenter, ac male quis recurreret ad Dæmones ad cognoscendum quid portenderetur per somnium aliquod, aut an somnium esset verum, nec ne; non solum quatenus illicitum esset tale commercium particulare cum Dei, ac nostro inimico habere, quod ad moralem scientiam spectat, ac ad Theologiam, sed quia cum ipse sit patet mendaciorum, non posset aliquis cum vlla certitudine cognoscere, reuelaretne

Somnia diabolica possunt esse vera, sed non sunt credenda.

verum,necne,& multis experientiis constat sæpe ipsum ad se accedentes decepisse, nec potest aliquis dubitare quin quoties ille aliquid huiusmodi reuelaret, id faceret ad aliquem finem, qui vel accedentibus, vel aliis hominibus esset magis nociuus, quam proficeret illa reuelatio; nam alias certum est, quod ipse nihil reuelaret; vnde ex hoc etiam capite pessime ad ipsum fieret recursus.

26. *Tertio denique tenendum* est ex somniis illis; quæ oriuntur ex certa dispositione humorum; aut influxu aliquo cælesti,posse eos,qui sæpe fecerunt experientiam ea de re, probabilem concipere coniecturam de aliquibus rebus futuris, vt de decremento vel incremento morbi, de mutatione temporis quoad pluuiam vel serenitatem:id quod patet non solum experientia medicorum & agricolarum,qui sæpissime verum ferunt iudiciũ de talibus effectibus;sed etiam ratione,quia cum illi effectus habent probabilem connexionem cum causa talium somniorum,qui cognoscit causam,facile cognoscere potest effectum, saltem coniecturaliter. Et dico coniecturaliter,non solum,quia connexio effectus talis cum tali causa nõ est tam necessaria,quin impediri posset per alias causas; sed etiam quia non potest certo cognosci quod causentur ab illis causis somnia illa; nam possent sine dubio causari à Dæmone ad malum finem, & speciatim ad decipiendum: & ab Angelo bono ad bonum; & possent etiam causari eo modo, quo somnia indifferẽtia causantur ex fortuita specierum excitatione. Ex quo patet his coniecturis non esse fidendum nisi cum magna cautela ac discretione,præsertim cum res propterea suscipienda esset magni momenti,ac afferret detrimentum magnum si coniectura esset falsa.

Somnia de futuris disparatis negligenda.

27. Somnia autem illa ex quibus colliguntur aliqua futura, quæ non habent connexionem vllam ex natura rei eum causis somniorum, sunt prorsus contemnenda, & quamuis aliquis videretur sibi sæpissime expertus post talia somnia tales effectus secutos, tamen adhuc imprudenter fideret illis;tum quia si fecisset bene reflexionem,inueniret sæpe etiam eos non successisse, & deinde quandoquidem non sit physica aliqua connexio, nec somniorum, nec causæ eius cum talibus effectibus,deberet dubitare,an illa somnia non essent causata à Dæmonibus,cum tales effectus essent secuturi,vt ea ratione causaret illam opinionem, quod somnia similia portenderent tales effectus, ac sic deciperent tandem etiam in re aliqua magni momenti: quod valde aduertendũ esset iis,qui nimiũ sũt creduli huiusmodi somniis.

## QVÆSTIO V.

### *De Respiratione.*

Quid respiratio.

REspiratio,de qua hic agitur,consistit in alternatiua aeris attractione,seu inspiratione, & eiectione seu exspiratione,quæ fit per motũ localẽ pulmonis nunc dilatati,cum scilicet attrahitur aer,nunc cõtracti, cũ eiicitur instar folliũ, per quos simili modo inspiratur & expiratur aer.Qui motus localis producitur sine dubio vt à principio quo physico ab anima,& propterea vocatur motus vitalis.Sed cũ anima brutorũ sit diuisibilis,quæritur,à qua parte ipsius producatur iste motus,an à parte residente in ipsismet pulmonibus,vel ab ea,quæ est in alia aliqua corporis parte.Quæ etiam difficultas moueri posset de anima rationali indiuisibili,quæ sola reperitur in homine, & de aliis etiam animabus,si essent indiuisibiles, vt de perfectorum animantiũ animabus sentiunt *Thomistæ*,an scilicet principiet proxime illum motum vt informans pulmones,an vero vt informans aliquas alias partes.Si enim anima secũdũ quod informat pulmones, principiat istum motum;tum pulmones erunt causa effectiua totius motus,& cõsequẽtur respirationis;si vero principiat illum secundum quod informat cor, cor erit principium,& ita similiter de aliis partibus discurrendũ.

Aqua parte animæ diuisibilis producitur, vt à principio quo.

*Aliqui* existimant principium istius motus esse cor, alij ipsos pulmones, alij musculum illum simplicem & rotũdum qui separat cor & pulmones à iecore & liene, quem vocant diaphragma. Alij denique asserunt eum partim prouenire à pulmonibus,partim à diaphragmate;vtrisque cõcurrẽtibus effectiue & proxime;& partim etiam à corde;non quidem tanquam à principio proximo istius motus,sed quatenus est communis origo natiui caloris, ac subministrat etiam sanguinem pulmonibus,quo incalescant.

29. Quam sententiam complectuntur *Conimbricenses*, & quantum ad cõcursum ipsorum pulmonum *suadetur*, quia cum pulmones moueantur, & sint animati, nihil impedit quo minus vis illa saltem partialiter motiua ipsis adscribatur.Quod autem nõ habeant virtutem totaliter motiuam,sed concurrat etiam diaphragma,colligitur coniecturaliter ex eo,& quod cessante ex læsione aliqua diaphragmatis motu,impediatur statim motus pulmonum,& quod pulmones, etiam dum sanie tabescunt & expuuntur,adhuc moueantur.Quod vero non prouenial ille motus à corde tanquam à principio primo effectiuo,*suaderi potest* ex eo, quod adsint aliæ causæ sufficientes;nimirum ipsimet pulmones cum diaphragmate; nec sit vlla ratio vnde colligatur concursus ille cordis, præsertim cum pulmones non moueantur ad motum cordis,vt patet ex eo,quod non sit idem vtriusque motus;quandoquidem vni respirationi plures motus cordis correspondere possunt, vt experientia compertum est. Quod denique prouenial etiam à corde modo illo supra specificato,*patet*, quia sine dubio calor & sanguis valde iuuare possunt ad illum motum:ergo potest prouenire à corde,vt principio sanguinis & caloris.*Præterea*,concurrit ad respirationem arteria respirationis,& fauces,tanquam instrumenta,sine quibus nequiret attrahi aut eiici aer commode ad necessitatem viuentis. Quanta autem sit necessitas respirationis,inde apparet, quod ea ad certum tempus impedita pereant animantia, quæ habent vim respiratiuam vt patet experientia.

30. *Verum in illo motu*,id adhuc valde difficile est,cum non præsupponat cognitionem, sed prouenial à causa omnino naturali non minus quam calor ab igne,& motus grauium & leuium ab ipsismet,quomodo possit esse difformis & quoad vnam partem contrarius sibi quoad alteram,expansio enim illa pulmonum est contraria contractioni ipsius.

Quomodo ille motus est difformis.

*Ad hoc posset dici*,quod attractio illa aeris, quæ fit per expansionem pulmonum,procedat effectiue à pulmonibus & diaphragmate,mediante virtute animæ tanquam principio quo, contractio vero fiat mediante grauitate naturali, quam haberent etiam si non adesset anima;& sic non procedunt duo motus contrarij ab eadem virtute,sed à diuersis,quod non est inconueniens.

An ille motus sit naturalis an liber.

*Contra*,quia sicut illa virtus attractiua superat grauitatem, eaque non obstante expandit pulmonem:ita etiam deberet ea non obstante conseruare illum expansum:& sicut grauitas in ordine ad descensum superat virtutem attractiuam, deberet initio impedire expansionem:ergo motus ille non fit illo modo.

*Alio modo posset dici*,quod ille motus posset refundi in influxum aliquem cælestem,sicut fluxus & refluxus maris:sed tum non deberet ascribi virtuti motiuæ animæ, aut diaphragmatis,aut pulmonum.

*Deinde* mirabile est quomodo fieret in omni loco & tempore sub quacunque constellatione eodem modo semper. *Præterea* non deberet recurri ad influxum aliquem celestem absque aliqua causa.

*Tertio posset dici*, quod oriretur illa dilatatio & constrictio ex calefactione continua orta ex corde & aere, supposita dispositione tali,vel tali diaphragmatis & pulmonum,sed tum etiam non deberet habere pro causa effectiua pulmones,aut diaphragma,sed potius cor,& aerem. Qui modus dicendi mihi satis placet.

31. *Quæritur* hic,an iste motus sit naturalis,an liber, seu spontaneus.

*Respondent Conimbricenses*, illum esse partim naturalem, partim spontaneum.*Sed hæc difficultas*, cum distinctione soluenda est, & dicendum quod motus respirationis,qui prouenit ex imperio voluntatis aut appetitus mediante cognitione,sit spontaneus:motus vero,qui nõ prouenit ex appetitu,aut volũtate,sit omnino simpliciter naturalis.

naturalis. Nec refert quod hic secundus motus posset impediri à voluntate,aut appetitu, quia licet calefactio possit impediri,non sequitur tamen,quod non sit motus omnino naturalis, per huiusmodi enim motũ nihil aliud intelligimus, quam motum, qui prouenit effectiue à causa,quæ non est voluntaria nec libera,quidquid sit,an posset per talem causam impediri.

*Aduertendum* autem, quod hæc resolutio supponat aliquando dari motum respirationis, dependentem ab imperio appetitus, vt cum volumus respirare crebrius aut rarius, aliquando vero dari motum independentem à tali imperio, vt est ille, quem habemus,dum dormimus.

32. *Quæres secundo*, quibus animantibus conueniat respiratio.

Quibus animantibus cõuenit respiratio.

*Philosophus* omnibus & solis illis,qui habent pulmonem ascribit respirationem;ex illis vero ea,quibus pulmo est fere sanguis & fungosus, vt sunt ranæ, mures fluuiales,testudines,crocodili,delphini,balenæ, & similia minus frequenti indigent respiratione, & propterea diu,sed non semper manere possunt sub aqua,prout minori vel maiori indigent respiratione. Alii vero pisces nec pulmonem habent nec respirationem.Alij vero putant omnibus animantibus conuenire respirationem, etiam piscibus; & quibus deest pulmo, adesse aliquid aliud supplens defectum eius quantum ad hoc; sicut loco sanguinis aliqua habent alium humorem æquiualentem quantum ad eorum nutritionem.

*Quod si obiiciatur ipsis*,non adesse aërem, quem attrahant & emittant, quandoquidem semper maneant sub aqua.

*Respondent*,id negando,dicunt enim per totam aquam reperiri spiritus aereos,ac etiam aerem ipsum.

*Et si iterum obiicias*;quod si adesset aer sub aqua aut intra ipsam,cætera etiam animantia possent respirare sub aqua aut intra ipsam, quod est falsum:*possent respondere*, quod id non sequeretur,quia maior aer cæteris animantibus posset requiri ad respirationem sufficientem,quàm piscibus,& consequenter non haberent sufficientem aerem,quem attrahant.

*Deinde*, aliis animantibus,præsertim pluribus,posset obesse aquæ attractio, quam simul cum aere attrahere deberent: & propterea quamuis adesset aer sufficiens, non possent bene respirare sub aqua.

33. *Hæc in re existimo dicendum* cum *Philosopho*, quod pisces non respirent sub aqua,quia quandoquidem possint attrahere absque detrimento aquam, eamque rursus emittere, verisimile est quod non indigeant alia refrigeratione,nec consequenter respiratione; & quia vel non est aer intra aquam, vel plane accidentale est quod sit sub illa: & nulla ratio aut experientia probat, quin pisces possent viuere in aqua,quamuis non haberet intermixtum aerem. Hoc tamen non obstante; credo eos habere virtutem respiratiuam, quia illa ipsa virtus,qua mediante possint attrahere & emittere aquam, potest sufficere vt inspirent,& expirent aerem;& videtur patere experientia,quod extracti extra aquam respirent propriissime.

*Dices*: pisces conseruati in vase paruo non obturato possunt viuere diu: non possunt vero in vase obturato: ergo signum est quod respirent;quia alias obturatio vasis non impediret vitam ipsorum.

*Respondeo*,negando consequentiam: quod enim non viuant in tali vase, non oritur ex eo, quod non possint respirare, nam si respirare potuissent sub aqua, ille ipse aer,qui esset in aqua illa,quando obturaretur vas, posset ipsis semper sufficere. Sequitur ergo ipsorum mors ex aliqua alteratione aquæ,quæ ex illa obturatione procedit,aut ex defectu alicuius alterius concursus.

Quis motus est prior inspiratio an expiratio.

*Quæritur denique*, quis motus prior sit,inspirationis, an expirationis. *Philosophus dicit* priorem inspirationem, sicut posterior motus viuentis dum moritur,est expiratio.Sed reuera existimo hoc esse valde incertum,ac fortassis in aliquibus priorem inspirationem, in aliis expirationem.

## QVÆSTIO VI.

### *De Iuuentute & Senectute.*

34. DE hominum iuuentute & senectute potissimum hic agendum, quorum vita in tres ætates à Peripateticis præsertim diuiditur: quorum *Prima* ad annum vigesimum quintum, aut circiter extenditur, & comprehendit infantiam, quæ quatuor primos annos complectitur;pueritiam,quæ deinde vsque ad decimum; pubertatem quæ vsque ad decimum octauum;& adolescentiam quæ vsque ad vigesimum quintum complectitur:tota autem hæc prima ætas, nomine desumpto ab hac;vltima,ac magis perfecta parte vocatur adolescentia nonnunquam:nonnunquam vero pueritia etiam, nomine desumpto à prima parte.*Secunda ætas*,quæ media est, comprehendit ab anno vigesimo quinto vsque ad quinquagesimum,& diuiditur in iuuentutem,quæ ad trigesimum quintum, vel etiam quadragesimum: & virilem ætatem,quæ deinceps vsque ad quinquagesimum porrigitur.Vocatur autem hæc secunda ætas florida, quod tũ homo soleat maiorem habere perfectionem; & etiam iuuẽtus,nomine desũpto à prima parte.*Tertia & vltima ætas*, quæ senectus dicitur, diuiditur in primam & vltimam senectutem:prima comprehendit à quinquagesimo vsque ad sexagesimum quintum: secunda vero cæteros subsequentes annos,& vocatur decrepita.

Tres ætates hominum.

*Fundamentum huius diuisionis* desumptum est ab ordinaria mutatione, quam in hominum vita animaduertimus,quæ tamen in aliquibus casibus mutari sine dubio potest,adeo vt aliquorum prima ætas possit,vel extendi ad plures annos,vel ad pauciores restringi:& ita de reliquis ætatibus,ac earum partibus censendum est.Nec deessent etiam fundamenta plurium aut pauciorum partitionum,prout quis vellet aduertere ad differentias aliquas,quæ in hominum vita discerni possunt. Vnde illi Astrologi,qui singulis planetis in singulas partes ætatis hominum influxum tribuunt,non nisi septem admittũt diuidentia membra (loquor de membris diuidentibus, sicut partes totius integralis dicuntur membra diuidẽtia ipsum totum integrale)nempe *adolescentiam*, cui *Lunam*, à qua humorem & teneritudinem accipit,*pueritiam*, cui *Mercurium*,à quo incitatur ad ludos & disciplinas capessendas,*adolescentiam*, cui *Venerem*, à qua ad venerea acenditur,*iuuentutem*, cui *Solem*,à quo vigorem accipit & propensionem ad altiora,*virilem ætatem*,cui *Martem*,qui animositatem, & pugnandi studium influit, *senectutem*, cui *Iouem*, à quo grauitatem & maturitatem haurit; & denique *decrepitam ætatem*, cui attribuunt *Saturnum*, à quo inditam habet fragilitatem & morositatem: cui etiam eidem ætati decrepitæ de nouo præsidere aiunt *Lunam*, quæ illas propensiones instillat,ex quibus fit vt senes repuerascere dicamus, ac propterea bis esse pueros.

Quot partes ætatis secundum Astrologos.

Qui vero totam hominis ætatem quatuor anni temporibus conferunt,tanquam si inter se proportionem quãdam habeant, illam in quatuor partes partiuntur, *pueritiam*, *iuuentutem*, *virilem ætatem*, *& senectam*:pueritiam conferentes *veri*,propter humoris vbertatem,& excrescentiam,vt ita loquar;iuuentutem *æstati*, propter fortitudinem,virilem ætatem *autumno*,propter maturitatem, senectutem *hyemi*,propter molestias.

37. *Quæres* hic,cur partus septimestris,hoc est qui septimo mense nascitur,viuere soleat,non soleat octimestris,qui octauo. *Hyppocrates* docet rationem esse,quod quemadmodum morbus dies habet criticos, seu iudicatorios,qui ordinarie sunt septimus,& nonus, ita etiam partus habeat suos menses iudicatorios,qui sunt vel septimus, vel nonus. *Sed huius ipsius ratio*, vt quæritur de partu,ita etiam quæri posset de morbo. *Aliqui* refundunt hanc rem in mysterium contentum numero septenario: sed satis certe ludicre,si numerus ipse præcise spectetur, quem enim influxum habere posset? *Alij* id attribuunt influxui cælorum. Sed cum idem ipse mensis, qui esset octauus vni partui,esset septimus alteri,& alteri nonus,

Cur partus septimestris nõ vero octimestris viuere soleat.

& in eodem ipso mense sit eadem cælorum constellatio. Prorsus difficile est concipere quomodo influant benigne in eum, qui tum nascitur septimo ac nono, maligne autem in eum qui octauo.

*Mihi ratio videtur esse*, quod qui nascitur septimo mense, habeat dispositiones tum, quæ resistere possint qualitatibus aduersantibus, quæ extra ventrem facile alias in eo causare possent, non possint vero tam facile intra ventrem. Si autem detineatur vlterius vsque ad octauum, illud temperamentum ac dispositio illa posset intra ventrem sic alterari, vt si prodeat tum, non possit qualitatibus inimicis obsistere; si vero vlterius detineatur vsque ad nonum, potest iterum dispositio, ac temperamentum eius reduci ad talem statum, vt ortus in lucem possit præseruare se contra agentia aduersa.

Cur infantes aptiores sint ad actiones naturales, quã animales.

38. *Quæres secundo*, cur infantes validi sunt, & apti ad actiones naturales nutritionis ac augmentationis, infirmi ac inepti ad actiones animales, hoc est, ad motum locali, stationem, sessionem.

*Respondeo*, quia illa ipsa dispositio corporis ipsorum, quæ aptior est ad vnas operationes, est ineptior ad alias nam mollitudo ac teneritudo iuuans ad recipiendum augmentum, impedit sine dubio quo minus sint tam fortes, quam necessarium esset vt possint facile stare, & sedere.

Cur pueri maturius sapientes non diu viuãt, aut postea minus sapiant.

*Quæres tertio*, cur pueri, qui citius matureſcunt ad sapientiam, aut non diu viuant, aut postea plerumque minori polleant ingenio, vt colligitur experientia, quæ locum dedit prouerbio: *Odi pueros præcoci sapientia.*

*Respondeo*, quia dispositio illa, quæ iuuat ad ingenium & prudentiam, minus apta est ad conseruationem vitæ pro illo statu; ac consequenter ad resistendum agentibus contrariis, quæ propterea vel adimunt vitam, vel certe aliam dispositionem ineptam prudentiæ introducent.

39. *Conimbricenses* videntur particularius huius rationem dare asserentes pueros propterea solere esse minus aptos ad prudentiam, quia nimio humore abundant, qui vel impedit, vel perturbat operationes sensuum, quibus comparamus sapientiam; vnde qui præmature sapiunt, oportet vt etiam habeant maturius siccitatem cerebri ad ingenium iuuantem, quæ siccitas cum progressu temporis excreuerit, aut inducet mortem, aut organum ineptius reddet ad operationes conducentes ad prudentiam. *Sed certe*, nisi recurratur ad præmissam nostram rationem, hæc per se non satisfacit; nam ij, in quibus siccitas mature producta est, quique propterea mature sapere incipiunt, solent diutius longe conseruare illam siccitatem & vitam consequenter, ac ingenium, quam ij quibus immature communicatur siccitas illa, & qui propterea immature sapere incipiunt: ergo licet ex immatura communicatione siccitatis posset fieri, quod minus diu viuerent, aut minus diu conseruarent ingenium, quam quibus mature communicatur; non sequitur tamen ex hoc præcise, quod tanta esset differentia in conseruatione vitæ, aut prudentiæ inter vtrosque, quanta constat esse experientia.

*Quærunt præterea Conimbricenses*, an esu arboris vitalis in Paradyso constitutæ, primi parentes & eorum posteritas, si maneret in Paradyso, conseruare possent perpetuo florem iuuentutis ex natura physica illius arboris. Sed hanc difficultatem vt mere Theologicam in ipsa Theologia examinandam relinquo.

## QVÆSTIO VII.

### *De Morte, & Vita.*

Quid vita.

40. VIta, de qua hic, est *coniunctio animæ cum corpore*; hanc coniunctionem *Philosophus hic* describit esse *permansionem animæ vegetatricis cum calore*. Quam descriptionem explicare laborant *Conimbricenses*, sed certe vix ita explicari potest, quin patiatur multas difficultates, nam si maneret anima coniuncta corpori absque calore, aut cum frigore, homo adhuc viueret, & dum viuit, non solum habet animam coniunctam cum calore, sed cum aliis qualitatibus frigoris, humoris, siccitatis. Vnde longe facilior, & clarior est nostra descriptio.

Occasione autem forte istius Aristotelicæ definitionis, quærunt *Conimbricenses*, an ita calor ad functiones vitæ concurrat, vt non etiam concurrat per se frigus, sed solum per accidens, quatenus scilicet deseruit ad temperandum calorem. *Et respondent* affirmatiue cum *Galeno*, & aliis Medicis, vnde existimant, quod si quis temperatum haberet calorem absque vllo frigore, æque posset omnes operationes vitæ exercere, ac si haberet calorem; quod si verum esset, & eorum etiam sententia vera censenda esset: sed longe probabilius puto, vt homo, & idem est de cæteris animalibus, exigit ex natura sua temperamentum ex quatuor primis qualitatibus, & consequenter, frigus quod est vnum ex illis in aliquo gradu: ita etiam frigus per se concurrere ad operationes vitales ipsius, & non solum quatenus temperat calorem. *Nec refert* quod frigus excedens de se impediat omnes actiones vitales: nam hinc non sequitur quin sit necessarium in aliquo gradu remisso. Quod confirmatur ex eo, quod etiam calor excedens impediat illas operationes, quem tamen fatentur aduersarij per se ad illas concurrere, & non tantum per accidens.

Frigus concurrit per se ad operationes vitæ.

*Dices*, cum *Conimbricensibus*, calori per accidens conuenire, quod impediat illas operationes, frigori vero per se, vt colligitur ex eo, quod crescente frigore minuatur perfectio in operando.

*Contra*, quia non potest ostendi quomodo id per accidens ipsi conueniat magis quam frigori. *Deinde*, si per accidens id conueniat calori, debet esse alia causa, quæ per se illum effectum facit, & talis assignari nequit. Ad probationem ipsorum dico, non minui virtutem operatiuam per frigus, donec venit ad intensionem aliquam, in qua noceat; idem autem sequitur etiam de calore; vnde illa probatio nihil concludit.

Quid mors.

41. *Mors* definitur à Conimbricensibus esse *discessus animæ à corpore ob defectum innati caloris*. In qua descriptione vltima illa particula superfluit, & posset esse falsa, superfluit quidem, quia sufficeret pro descriptione mortis quod diceretur discessus animæ à corpore, posset autem esse falsa, quia Deus posset separare animam à corpore sine tali defectu, & tum esset mors absque illo defectu. *Deinde* licet esset verum quod nunquam posset contingere mors, nisi ob defectum caloris, tamen in definitionibus non debent principia extrinseca, neque ordo ad illa poni, nisi quando id esset necessarium ad res definitas ab aliis aliquibus rebus secernendas, vnde non recte quis describeret animam esse actum corporis organici potentia vitam habentis, à solo Deo producibilem, quamuis non nisi à solo Deo produci posset.

*Melius ergo describitur mors* esse *discessus animæ à corpore*. Vbi tamen per discessum, non debet intelligi discessus, qui fieret per motum, aut mutationem localem; sed ablatio coniunctionis animæ cum corpore, siue anima recedat localiter, aut etiam existat vlla ratione, siue non recedat nec existat, alias nulla animantia morerentur, præter hominem, quia nullorum aliorum animæ post separationem manent realiter existentes, aut consequenter recedunt localiter à corpore.

Quia vero moriuntur animalia duobus modis, per violentiam scilicet externam, vt gladio, submersione, suspendio, combustione, & aliis similibus modis, & per senium, aut infirmitatem, duo mortis genera statui solent: vnum naturalis, quæ scilicet succedit, vel senio, vel infirmitate; aliud violentiæ, quæ adfertur per vim extrinsecam. In quo nulla potest esse difficultas, nisi de nomine.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### *De longitudine, & breuitate vitæ.*

Vnde proueniat longitudo, & breuitas vitæ.

42. ALiqua animalia aliis lõgius viuere, alia breuius, & ex hominibus ipsis quosdam ad plures annos, quosdam ad pauciores protrahere suos dies, notissimum est quotidiana experientia, ad quod iuuare non dubium est complexionem intrinsecam animalis, influxum cælestium corporum, conditionem loci, victus rationem, & absentiam ac præsentiam causarum, quæ per vim, aut violentiam eripere possunt vitam, nec de hac re plus spectare mihi videtur ad hoc institutum. Vnde hæc sufficiant de Paruis Naturalibus ad Dei gloriam.

TRACTA

# TRACTATVS

## IN METAPHYSICAM.

Quid Metaphysica.

SIcvt Physica idem est, ac scientia naturalis, de qua hactenus actum est, ita Metaphysica, quam iam aggredimur, idem est ac scientia, vel postnaturalis, quia scilicet est scientia proponenda post scientiam naturalem, vel transnaturalis, quia est scientia, quæ transgreditur scientiam naturalem, quatenus agit de rebus magis abstractis, & magis etiam perfectis, quàm illa. Ex quo deduci potest excellentia, & dignitas huius scientiæ, sicut & ex aliis nominibus, quibus appellari solet. Dicitur enim primò *Sapientia* quia primas rerum causas, atque adeo vniuersalissima, ac difficillima contemplatur. Secundo *Philosophia* per antonomasiam, & etiam *prima Philosophia*, quod cæteris Philosophiæ partibus sit præstantior. Tertio *Theologia*, quia de Deo, eiusque proprietatibus, ac attributis, quantum lumine naturæ pertingi potest ad eorum cognitionem, per se tractat. Quarto denique, vt alias appellationes omittam, dicitur *Scientia vniuersalis*, quia, quandoquidem agat de ente, vt sic, quod includitur in omni obiecto cuiuscumque alterius scientiæ, qui eam callet, de omnibus rebus aliquid scit. Plurima autem, quæ ad hanc scientiam spectant, in Logica, & nonnulla in aliis Philosophiæ partibus tractata sunt: vnde hic pauca, quæ restant, breuiter examinabuntur.

Eius dignitas.

Varia nomina.

## DISPVT. I.

### *Proœmialis in Metaphysicam.*

NOn proponam hic illas Quæstiones, quarum cognitio facile haberi potest ex dictis in proœmio Logicæ, ac Physicæ, vt an Metaphysica sit scientia, an practica, vel speculatiua, an vna simplex qualitas; sed solas illas, quæ peculiarem possunt habere difficultatem.

### QVÆSTIO I.

#### *Quodnam sit obiectum Metaphysicæ.*

1. NOn poterat hæc quæstio effugere varietatem sententiarum, cui omnes similes, quæ de aliarum scientiarum obiectis mouentur, subiectæ sunt; sunt enim qui pro eius obiecto assignant ens vt sic, vniuersalissime sumptum, prout est quid commune enti reali, & rationis. *Alij* eius obiectum adæquatum putant esse ens reale, prout comprehendit tam entia per se quam entia per accidens. *Alij* ens reale, prout comprehendit solum omnia entia per se tam finita, quam infinita. *Alij* ens reale finitum vt sic, quatenus comprehendit æque primo tam substantiam, quam accidens. *Alij* substantiam vt sic, vt comprehendit finitam, & infinitam. *Alij* solum Deum. *Alij* aggregatum ex omnibus obiectis immaterialibus.

*Pro resolutione suppono*, per Metaphysicam ex communi hominum sensu intelligi scientiam illam totalem, qua cognoscimus omnium entium, & rerum immaterialium naturam independenter à lumine supernaturali, & reuelatione, mediantibus speciebus à sensibus externis ad internos deriuatis, & discursu intellectus.

*Suppono secundo*, huiusmodi obiecta esse Deum, attributa, ac perfectiones eius, Angelos ac spiritualia ipsis connaturalia, & gradus omnes, ac formalitates metaphysicas communes ipsis, ac substantiis, & accidentibus materialibus, & etiam entia rationis, quæ oppositam habent rationem enti reali vt sic.

*Suppono tertio*, si pro obiecto adæquato intelligeretur aggregatum ex omnibus obiectis, quæ considerarétur in aliqua scientia, non esse dubium, quin aggregatũ ex omnibus his obiectis esset obiectum adæquatum Metaphysicæ; vnde controuersia realis sola potest esse ex suppositione, quod vnum aliquod obiectum ex omnibus, quæ per se cõsiderantur pro obiecto adæquato, assignari debet ex omnibus, quodnam Metaphysicæ assignãdum sit.

CONCLVSIO I.

2. *Obiectum adæquatum eius non est ens vt sic, quatenus comprehendit ens reale, & rationis.* Hæc est communior contra *Hurtadum hic sect.* 2. Nam quamuis putet Deum esse obiectum adæquatum Metaphysicæ, tamen existimat ens rationis vt sic abstractum ab omni ente rationis concernente materiam esse obiectum proprium partiale Metaphysicæ, & contineri in obiecto communissimo Metaphysicæ: illud autem quod ipse vocat communissimum obiectum, est illud, quod nos vocamus obiectum adæquatum.

Obiectum adæquatũ Metaphysicæ nõ est ens vt sic commune enti reali & rationis.

*Probatur primo* quia non datur conceptus entis vt sic communis enti reali, & enti rationis, de quo secundum se possit haberi scientia aliqua partialis vna, distincta à scientiis, quarum vna haberetur de ente reali, & altera de ente rationis; neque ens rationis est aliquid per se spectans ad ens reale tanquam pars essentialis, aut integralis, aut proprietas, aut accidens, aut species, nec è contra ens reale est aliquid entis rationis vllo ex his modis: sed ex communi authorum sensu, qui assignant aliquod vnũ pro obiecto adæquato, aut communissimo scientiæ totalis, obiectum adæquatum intelligitur obiectum aliquod quod est aut commune vniuoce omnibus consideratis in scientia, aut tale, vt cætera sint aliquid ipsius aliquo ex prædictis modis; ergo ens vt sic, vt est commune enti reali, & rationis, non est obiectum adæquatum Metaphysicæ.

*Probatur secundo*, quia per Metaphysicam communiter intelligitur scientia realis, vt scientia realis opponitur scientiæ rationis: sed non esset talis, si per se ageret tanquam de obiecto adæquato de ente vt sic æque cõprehendente ens rationis ac reale: ergo non agit per se de illo ente tanquam de tali obiecto. Probatur minor, quia scientia realis, vt opponitur sciẽtiæ rationis, non dicitur talis ex eo quod in se sit quid reale, quia etiam scientia rationis, est tale: ergo dicitur talis ex eo quod habet aliquid reale pro obiecto adæquato: sed illud commune enti rationis, & reali non est reale, vt patet: ergo non esset realis scientia Metaphysica, si ageret de illo ente vt sic, tanquam de obiecto adæquato.

3. *Obiicies primo*, ens rationis spectat per se ad Metaphysicam: ergo ens vt sic, vt comprehendit omne ens tã reale quam rationis, est obiectum adæquatum Metaphysicæ. Probatur consequentia quia obiectum adæquatum, & communissimum scientiæ debet comprehendere per se quidquid est per se considerationis scientiæ, & debet esse obiectum adæquatum, vt comprehendit illa.

*Probatur antecedens primo*, quia debet per se spectare ad aliquam scientiam: sed non ad aliam spectat, quam ad Metaphysicam.

*Probatur secundo*: quia ad hoc vt spectet per se ad aliquam scientiam, sufficit quod possit reduci ad obiectum adæquatum istius scientiæ: sed ens rationis potest per se reduci ad ens reale, quod assignatur pro obiecto adæquato eius, tanquam quid oppositum ipsi.

*Confirmatur*, quia secundum *Philosophum*, contrariorum eadem est disciplina, hoc est eadem scientia versatur circa illa: sed ens rationis est oppositum enti reali: ergo scientia Metaphysica agens de ente reali agit etiam per se de ente rationis.

4. *Respondeo* negando antecedens & minorem primæ probationis, nam ens rationis spectat per se ad considerationẽ scientiæ rationis, quæ per se directè agit de ipso, & omnibus speciebus eius, quæ scientia non est Metaphysica, vt Metaphysica capitur communiter. Nec refert quod

quod agatur de ipso in Metaphysica, quia multa tractãtur in scientiis totalibus, quæ per se non spectant ad ipsas, vt patet in Logica, in qua maxima pars Metaphysicæ tractatur; ergo ex eo quod agatur de ente rationis in Metaphysica, non sequitur quod per se de illo agatur.

*Confirmatur*, quia non est dubium, quin posset aliquis aliquem tractatum scribere de ente rationis, vt sic, & omnibus speciebus, ac proprietatibus eius, & quod ille tractatus esset per se, de ente rationis, sicut & scientia correspondens illi in intellectu; nec etiam est dubium quin posset aliquis similiter scribere tractatum de ente reali vt sic, & omnibus speciebus eius solis, & quod hic tractatus, sicut & scientia correspondens illi in intellectu, esset de ente reali vt sic, tanquam de obiecto adæquato, & quod ad neutrum tractatum spectaret per se obiectum alterius: & si aliquis vellet ad maiorem perfectionem vnius tractatus adiungere aliquid de altero, id sine dubio esset per accidens, & non per se. Vnde si quis vellet vnum ex his tractatibus, v.g. illum qui est de ente reali, & scientiam sibi correspondentem vocare Metaphysicam, profecto consideratio quæcumque spectans ad alterum tractatum non spectaret per se ad Metaphysicam; sed vel nullo modo, vel non nisi per accidens. Sed sic est quod de facto Doctores communiter intelligant per *Metaphysicam* tractatum de ente reali: ergo ens rationis non spectat ad Metaphysicam.

5. *Ad secundam probationem antecedentis respondeo* distinguendo maiorem: quod reducatur quomodocumque, nego; quod reducatur tanquam aliquid constitutiuum, aut species ipsius, aut proprietas vel accidens ipsius vel specierum eius, aut aliquod genus causæ, transeat, & similiter distinguo minorem: potest reduci tanquam pars, aut species, aut proprietas, aut accidens, nego minorem; alio modo concedo minorem, & nego consequentiam.

Quomodo contraria spectãt ad eandem scientiam.

*Ad confirmationem respondeo primo*, fortè sensum genuinum istius loci esse non quod contraria ad eandem spectent scientiam, sed quod sit eodem modo discurrendum de ipsis seruata proportione iuxta illud: *Contrariorum eadem est lex.*

*Respondeo secundo*, admittendo quod sensus sit, eandem scientiam debere esse de contrariis, distinguendo consequens, ita vt per se tractet de vtrisque, nego consequentiam: ita vt per se tractet de vno ex contrariis, & per accidens de altero, transeat consequentia, nec id est contra conclusionem. Quod autem vna scientia non necessãrio agat per se de vtroque contrario, patet, quia alias Metaphysica, quæ agit per se de substantia spirituali, deberet etiam per se agere de substantia materiali; & Physica, quæ agit de substantia materiali seu mobili, seu naturali, seu sensibili, deberet etiam per se agere de substantia immateriali, immobili, & non naturali.

6. *Obijcies secundo*: Physica agit per se de forma & priuatione; Theologia de virtute & vitio: Logica de syllogismo bono, & falsigrapho; ergo etiam Metaphysica debet agere de ente reali & rationis.

*Respondeo* negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod non propterea agat Physica per se de forma & priuatione, quia agit per se de forma, & quia propterea agere debet per se de priuatione; & idẽ est de Theologia respectu vitij & virtutis, sed quia cognitio vtriusque est necessaria ad cognitionem obiecti adæquati, & ad finem scientiæ, nam cum priuatio non minus sit principium corporis in fieri quam forma, tam necessarium est cognoscere quid sit priuatio, quam quid sit forma, ad hoc vt cognoscatur quomodo principiari possit corpus naturale.

*Deinde* cum finis Theologiæ sit tradere modum, quo possit acquiri & perdi Deus, & ad hoc æque conducat cognitio vitij ac virtutis, æque vtrumque spectare debet ad Theologiam. *Denique*, cum finis Logicæ sit tradere modum, quo aliquis bene discurrat, & ad hoc per se requiratur cognoscere quomodo male posset discurri, & decipi intellectus, debebat per se agere de falsigrapho. At cognitio entis rationis non est prorsus necessãria ad cognitionem entis realis, & consequenter Metaphysica, cuius est agere de ente reali, non debebat per se agere etiam de ente rationis.

## CONCLVSIO II.

Ens vt sic vt commune entibus per se, & per accidens non est obiectũ adæquatum Metaphysicæ.

*Obiectum adæquatum Metaphysicæ non est ens vt sic, vt commune est entibus per se & entibus per accidens.* Hæc est communissima contra paucos sentientes oppositum.

*Probatur*, quia non datur aliquis conceptus entis abstrahibilis ab entibus per se, & per accidens, & directè prædicabilis de illis, de quo possit aliquid per se sciri; neque ens per accidens est genus, aut species, aut indiuiduum, aut pars integralis, aut physica, aut proprietas, aut accidens entis realis vnius per se vt sic, ergo ens vt sic, quatenus commune est enti per se, & enti per accidens, non est obiectum adæquatum Metaphysicæ, eatenus enim esset, quatenus daretur talis conceptus communis directè prædicabilis de vtroque, aut quatenus ens per accidens esset reducibile ad ens per se, vel tanquam inferius, aut superius, aut pars integralis, aut physica, aut proprium, aut accidens.

*Obiicies*; Agitur in Metaphysica de ente per accidens, ergo. *Confirmatur*, quia spectat consideratio ipsius ad aliquam scientiam; non ad aliam potius, quam ad Metaphysicam: ergo.

*Respondeo* distinguendo antecedens: per se nego, per accidens transeat. *Ad confirmationem*, nego minorem, spectabit enim per se consideratio ipsius ad illam scientiã, à qua potest per se cognosci.

*Et si quæras*, quænam illa sit. *Respondeo* vocari posse scientiam de ente per accidens (si de illo datur scientia, vt supponit obiectio) cui sciẽtiæ nondum est impositum nomẽ aliquod vnum particulare, quia nemo adhuc tractauit de illo ente, nisi, in tractatibus de aliis obiectis.

*Dices*, ergo scientia realis non est adæquatè diuisa in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam.

*Respondeo*, distinguendo sequelam, quantum ad hoc quod possit dari aliqua cognitio realis etiam de obiecto reali, quæ per se non spectet ad illas, concedo, ita vt nulla sit scientia realis, quæ vel per se, vel per accidens non spectet ad illas nego antecedens.

*Respondeo secundo*, distinguendo sequelam, scientia realis habens pro obiecto vnum per se, nego sequelam, vnum per accidens, concedo sequelam.

## CONCLVSIO III.

Quod obiectũ adæquatum Metaphysicæ.

8. *Nec Deus, nec substantia immaterialis, vt sic, comprehendens solum Deum, & Angelos; nec substantia immaterialis vt sic comprehendens omnes substantias immateriales; nec ens vt sic, vt comprehendit tantum decem prædicamenta, est obiectum adæquatum Metaphysicæ, sed ens reale vt sic, quatenus comprehendit omnia entia realia immaterialia vt cognoscibilia naturaliter.* Hæc in re est communissima apud omnes, qui intelligunt per obiectum adæquatum aliquod vnum ex omnibus obiectis partialibus, quæ considerantur in scientia.

*Probatur*, quia agitur in hac scientia de ente reali, vt sic quod est commune Deo & omnibus substantiis, ergo illud potius, quam Deus, aut substantia vlla, aut ens finitum commune decem prædicamentis debet statui obiectum adæquatum huius scientiæ: ex omnibus enim obiectis, quæ sunt in scientia, pro obiecto adæquato illud, quod est magis commune, potius assignati debet, quam aliquod minus commune, præsertim si contineat sub se aliquid quod non possit reduci ad illud minus commune per modum partis aut proprietatis, aut accidentis: sicut ens vt sic continet sub se aliquid, quod ad nullum alium conceptuum ex iis, quæ sub ipso comprehenduntur, possit reduci per modum partis, aut proprietatis, aut accidentis.

9. *Probatur secundo* per singulas partes, non enim potest assignari pro obiecto adæquato eius Deus, quandoquidem ad ipsum in ratione obiecti non posset reduci substantia creata, quæ neque est pars eius, nec proprietas, nec accidens: nec substantia immaterialis vt sic comprehendens Deum & Angelos solummodo, aut omnes substantias, quia accidentia vt sic conueniunt vniuocè, vt suppono ex dicendis, cum substantia vt sic in

ratione

Non substantia immateriata sic.

ratione entis,& vt sic conueniunt,sunt per se considerabilia, nec vlla ratio est cur solum considerarentur, quatenus sunt accidentia ac perfectiones substantiæ : nec ens finitum , quia Deus non potest reduci ad ens finitum in ratione obiecti quod solum considerari deberet gratia entis finiti in hac scientia. Sed nihil aliud potest assignari præter ens vt sic : ergo.

Nec ens finitum.

*Obijcies*: Hæc scientia sumit denominationem à Deo, vocatur enim Theologia naturalis id est scientia naturalis de Deo : sed scientiæ non sumunt denominationes nisi ab obiecto adæquato : ergo.

*Confirmatur*, quia cederet in maiorem dignitatem huius scientiæ habere Deum pro obiecto adæquato ; & etiam ad maiorem dignitatem Dei,quod esset obiectum adæquatum perfectissimæ scientiæ , qualis est hæc;ergo debet dici quod sit obiectum adæquatum eius.

10. *Respondeo* negando minorem;potest enim sumere denominationem quandoque ab obiecto particulari.

*Ad confirmationem*,pro prima parte respondeo primo, quamuis cederet in maiorem perfectionem ipsius , eam tamen perfectionem non esse concedendam ipsi.

Non esset perfectionis in Metaphysica habere Deũ pro obiecto adæquato.

*Respondeo secundo* , negando antecedens , neque enim maioris est perfectionis in scientia, quod obiectum aliquod perfectissimum sit obiectum adæquatum ipsius, quam quod sit obiectum partiale , quando non minus bene tractat de ipso,si sit obiectum partiale,quam si esset obiectum adæquatum ipsius.

*Respondeo* etiam tertio negando antecedens confirmationis pro secunda parte;imo potius cederet in detrimentum honoris eius, quia sequeretur quod esset magis commune quam est , quod sine dubio argueret in ipso imperfectionem.

*Obijcies secundo*. Quod est obiectum adæquatum scientiæ debet habere principia & proprietates demonstrabiles de ipso:ens reale vt sic non habet hoc,quia est formalitas simplex,non resolubilis in plures formalitates:ergo.

*Cõfirmatur*, quia perfectissima scientia, qualis est Metaphysica , debet habere perfectissimum obiectum adæquatum;Sed ens vt sic non est perfectissimum obiectum adæquatum , ergo non est obiectum adæquatum Metaphysicæ.

11. *Respondeo* distinguendo maiorem : debet habere principia constitutiua sui formaliter,nego maiorem;debet habere principium suarum proprietatum , concedo maiorem , & similiter distinguo minorem : non habet principia constitutiua sui formaliter,id est,plures partes reales physicas aut integrales , vel plures formalitates, concedo minorem, non habet principium suarum proprietatum,nego minorem,habet enim suam naturam,& hæc sufficienter principiat ipsius proprietates.

*Ad confirmationem Respondeo* distinguendo antecedens: in quantum ad rationem suam formalem præcise consideratam, nego;in quantum ad hoc quod debeat continere sub se perfectissimum obiectum considerandum in scientia, concedo maiorem,& similiter distinguo minorem:secundum se formaliter consideratum, concedo, in quantum ad comprehensionem aliorum obiectorum, nego minorem, & consequentiam.

Sub qua ratione cõsiderat Metaphysica ens vt sic.

12. *Quæres* sub qua ratione consideret Metaphysica ens vt sic, seu quodnam sit obiectum formale eius. *Respondeo* quod consideret ipsum sub ratione entis,& quod non sit vlla ratio formalis in ente,sub qua consideretur à Metaphysica , distincta à ratione entis,& hinc dicitur communiter , quod ens vt ens sit obiectum Metaphysicæ.

*Dices*: ens est obiectum materiale eius , ergo debet dari alia ratio distincta,quæ sit obiectum formale.

Non semper ratio formalis obiecti distinguitur à ratione materiali.

*Respondeo* non debere in obiecto scientiæ assignari duas rationes, quarum vna sit formalis, & alia materialis, nisi quando prædicatum , quod cognoscitur de ipso per scientiam , non conuenit ipsi secundum totam rationem subiecti , sed secundum aliquam tantum formalitatem eius : in proposito autem quod cognoscitur de ente , conuenit ipsi secundum rationem entis , quæ ratio non includit duas formalitates , secundum quarum vnam competeret ipsi , & alteram non competeret.

## QVÆSTIO II.

### *Vtrum Metaphysica versetur circa rerum omnium quidditates in particulari.*

Metaphysica considerat aliquas species entis.

13. SVppono in Metaphysica per se non solum agi de ente vt sic , ac suis proprietatibus , sed etiam de multis speciebus eius , vt de Deo , Angelis, substantia, & accidente vt sic , de quibus in Metaphysica per se demonstrantur proprietates non magis competentes enti vt sic , quam proprietates speciei competunt generi. Suppono etiam tanquam certum , quod Metaphysica non consideret omnes species entis in particulari , vt distinguitur à Physica, & Mathematica,quia sic non relinqueret vllas species entis considerandas per se à Physica aut Mathematica,& consequenter non essent scientiæ à Methaphysica distinctæ. Vnde dubitari merito potest quænam species entis à Metaphysica per se considerentur , & cur potius aliquas species quam omnes consideret.

Non omnes.

## CONCLVSIO I.

Quas species entis cõsiderat & quas non.

14. *Metaphysica considerat omnia entia secundum omnia prædicata generica & specifica , quæ non includunt materiam primam , nec dicunt per se ordinem ad illam , quatenus ratione naturali sunt cognoscibilia ; nullum vero ens secundum vllum prædicatum includens materiam aut ordinem ad illam , per se considerat.* Hæc est communis.

*Probatur quoad primam partem* , quia nulla scientia tractat de istis præter Metaphysicam , ergo debent tractari in Metaphysica. Consequentia est certa , quia illa debent spectare ad aliquam scientiam.

*Probatur secunda pars* , quia per Metaphysicam , vt ex etymologia nominis patet, intelligitur scientia transnaturalis, id est quæ transgreditur naturam , & in hoc distinguitur à Physica , quæ est scientia naturalis , id est considerans naturam & res naturales,hoc est constantes natura , & pertinentes ad naturam ; ergo Metaphysica non debet considerare naturam aut res naturales : sed materia prima est natura, & res constantes materia prima, & dicentes per se ordinem ad illam taliter , vt non possint connaturaliter existere sine materia prima , sunt res naturales, ergo, &c.

*Confirmatur*,quia per Metaphysicam,vt est scientia distincta à Physica,& Mathematica non intelligimus aliud quam scientiam considerantem res , quæ abstrahuntur à materia, hoc est per se non dicunt ordinem ad materiam,ergo Metaphysica,vt sic distincta, non considerat huiusmodi res.

*Confirmatur secundo* , quia illæ res considerantur vt sic à Physica,& Mathematica : ergo vt sic non considerantur à Metaphysica, vt Metaphysica distinguitur ab illis. Ex his patet omnem rationem communem substantiis & accidentibus materialibus & immaterialibus considerari à Metaphysica.

5. *Obiecies primo*:Metaphysica considerat quatuor genera causarum,ergo considerat materiam primam, ergo non solas res abstractas à materia prima.

*Respondeo* distinguendo antecedens : secundum rationem genericam cuiuscumque generis ex ipsis, concedo; secundum omnes rationes specificas cuiuscumque generis ex ipsis,nego antecedens:similiter distinguo primum consequens:secundum rationem genericam, qua conuenit cum causis materialibus, quæ non sunt materia prima, nec dicunt ordinem ad ipsam, concedo ; secundum suam rationem specificam , nego primam consequentiam , & etiam secundam. Itaque datur causa materialis , quæ non est materia prima, v. g intellectus respectu intellectionis , subiectum respectu accidentium , & materia

materia prima conuenit cum his in ratione causæ materialis vt sic ; vnde secundum istam rationem communem potest considerari materia prima à Metaphysica sicut potest considerari secundum rationem entis & substantiæ, quamuis Metaphysica totaliter abstrahat à materia prima vt tali.

*Obijcies secundo*, Metaphysicæ est diuidere substantiam in corpoream, & incorpoream : ergo agit de vtraque, & consequenter de re materiali seu materia prima.

*Confirmatur :* quia aliqua scientia potest considerare differentiam quæ est inter Angelum & Leonem, sed nulla potius quam Metaphysica : ergo considerat illam differentiam : At non potest considerare illam, nisi consideret naturam Leonis, quatenus est substantia materialis : ergo vt sic considerat illam, & consequenter considerat naturas rerum omnium in particulari.

*Respondeo* negando antecedens ; illa enim diuisio fit partim à Physica, & partim à Metaphysica.

*Ad confirmationem* respondet P. Blasius à Conceptione in Metaphysica *disput.* 1. *quæst.* 43. *numero* 45. Metaphysicam considerare differentiam, quæ est inter Leonem, & Angelum, negatiuè, non vero positiuè : quia scilicet cognoscit differentiam constitutiuam Angeli, non vero Leonis : sed ex eo quod non videat differentiam Angeli esse in Leone, cognoscit Angelum distingui à Leone, & hoc est cognoscere quod distinguatur negatiuè, non vero positiuè. Exemplificat hanc doctrinam, quia ad hoc vt sensus communis cognoscat positiuè differentiam quæ est inter obiecta sensuum particularium, debet positiuè cognoscere obiecta illa, secundum rationem particularem suam ; sed vt sensus particularis cognoscat negatiuè differentiam obiecti sui ab obiecto alterius sensus particularis non debet cognoscere obiectum illud alterius sensus; sed sufficit quod cognoscat obiectum suum proprium.

*Verum hæc doctrina* nec est ad propositum difficultatis præsentis, nec in se valet. *Non est ad propositum* difficultatis præsentis, cuius intentum est, quod aliqua scientia cognoscat differentiam positiuam Angeli & Leonis, & quod nulla potius quam Metaphysica; ad hoc autem nihil facit cognitio illa negatiua. *Non etiam valet in se*, quia non potest Metaphysica scire an reperiatur differentia Angeli in Leone, nisi consideret Leonem : non potest autem considerare Leonem nisi cognoscendo ipsum positiuè, vt est manifestum. Exemplum etiam supponit falsum quoad secundam partem, nempe quod potentia externa verbi gratia visus, cognoscat obiectum suum verbi gratia, coloratum distingui ab obiecto auditus, verbi gratia, etiam negatiuè : nam ad hoc vt sic cognoscat ipsum sic distingui, deberet posse dicere, si esset iudicatiuus, vt est intellectus : hoc, nempe obiectum auditus, non est obiectum meum. Sed impossibile est quod hoc posset facere, nisi apprehenderet obiectum auditus : hoc autem non potest facere, & si faceret non solum negatiuè cognosceret illa obiecta distingui, sed etiam positiuè.

16. Idem Author *num.* 47. negat eadem scientia posse cognosci positiuè differentiam quæ est inter Angelum & Leonem.

*Sed certe* si loquatur de scientia actuali, non potest esse dubium quin intellectus cognoscens positiuè Leonem & Angelum, cognoscat eodem actu Angelum esse positiuè distinctum à Leone, non minus quam eodem actu potest cognoscere quod brutum distinguatur ab homine ; quod fieri posse non videntur negare aduersarij, sed potius asserere.

*Si vero loquatur* de scientia habituali, verum est quod duæ scientiæ habituales prærequirantur necessario ad scientiam habitualem de illa differentia, nam illa scientia nequit haberi absque scientia habituali Metaphysica, qua cognoscitur Angelus, & physica qua cognoscitur Leo.

*Respondeo ergo aliter ad confirmationem*, negando minorem : nam scientia qua cognoscitur illa differentia, est scientia partim Physica, partim Metaphysica, nec est hoc vllo modo inconueniens, sed necessarium.

*Dices* : hinc sequeretur malam esse diuisionem scientiæ speculatiuæ vt sic in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam, quandoquidem secundum hanc responsionem detur scientia quæ sit nulla ex his tribus.

*Respondeo distinguendo sequelam* : Si daretur in illo sensu ; vt nulla speculatiua scientia daretur, quæ non esset altera ex illis, concedo sequelam : sed nego eam diuisionem sic intelligendam. Si daretur sic vt sensus esset, nulla esset scientia speculatiua quæ haberetur de rebus secundum se, abstrahendo à comparatione ipsarum ad alias res, quæ non esset aliqua ex illis tribus, nego sequelam.

*Itaque* quando diuiditur scientia speculatiua vt sic in tria illa membra adæquatè, hoc debet intelligi de scientia quæ habetur de obiectis secundum se consideratis, & naturas suas intrinsecas, non vero de scientia quæ habetur de obiecto aliquo vt comparato ad aliud obiectum, secundum quod scilicet distinguitur ab alio obiecto, aut est maioris vel minoris perfectionis quam illud: quod valde aduertendum est.

17. *Obijcies tertio*, Non est maior ratio cur Metaphysica agat de vna specie entis secundum rationem specificam, quam de cæteris: ergo vel de nulla agit, vel de omnibus.

*Confirmatur*, si ens vt sic, sit obiectum adæquatum eius, debet considerare omnes species eius, alias non erit obiectum adæquatum, nam si Physica non consideraret omnes species corporis naturalis, corpus naturale vt sic non esset obiectum adæquatum eius, vt omnes fatentur.

*Respondeo* negando antecedens, quia per Metaphysicam intelligimus, vt dixi, scientiam considerantem res non dicentes ordinem ad materiam; talis autem non esset si consideraret tales res.

*Ad confirmationem*, respondeo distinguendo sequelam : si ens vt sic secundum omnem latitudinem suam esset obiectum adæquatum eius, concedo : si ens vt sic secundum se & omnes suas species abstrahentes à materia, esset obiectum adæquatum eius, nego sequelam.

*Dices :* non est maior ratio cur corpus naturale secundum omnes suas species, nulla excepta, esset obiectum adæquatum Physicæ, quam ens vt sic secundum omnes suas species esset obiectum Metaphysicæ, ergo, &c.

*Respondeo* negando antecedens, quia nulla species corporis naturalis est, quæ non sit naturalis, & consequenter potest considerari à Physica quæ est scientia naturalis ; aliquæ autem species entis non sunt transnaturales, sed omnino naturales, & consequenter non possunt considerari à Metaphysica, quæ est scientia transnaturalis.

18. *Dices*: quamuis propter hoc non possit dari scientia de ente vt sic quoad omnes suas species, quæ sit aut transnaturalis, aut naturalis ; tamen posset dari aliqua scientia totalis de eo vt sic, quæ nec esset vna, nec altera, sed partim vna, partim altera.

*Et si diceretur* quod scientia naturalis & transnaturalis non possint facere vnam scientiam totalem.

*Contra*, quia nulla est ratio, ob quam non possent, nisi quod distinguantur specie : sed hoc non impedit, quia omnis scientia totalis includit plures partes distinctas specie.

*Respondeo*, quidquid communiter dicatur ab aliis concedendo totum intentum huius replicæ ; nec hoc facit aliquid contra me ; nec etiam propterea est mala diuisio speculatiuæ vt sic in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam, quia sine dubio dantur istæ tres scientiæ ; & inter se distinguuntur specie, quamuis

non

Posset dari vna scientia de ente & omnibus speciebus eius, quæ tamé non esset Physica nec Metaphysica, nec Mathematica, sed aggregatum ex omnibus illis.

non obstante hoc possint integrare vnam totalem scientiam.

Itaque quemadmodum ens finitum bene diuiditur in decem prædicamenta, quamuis posset diuidi in plura vel pauciora etiam cum fundamento in re, ita bene diuidi potest scientia totalis vt sic in illas tres scientias; quantumuis posset diuidi in plura vel pauciora membra.

*Solum hic aduertendum*, quod quamuis scientia Metaphysica distinguatur à Physica per hoc, quod illa considerat obiectum abstractum à materia, hæc obiectum includens materiam, abstractio tamen à materia non est sufficiens, vt quæcumque scientiæ habentes obiectum abstractum à materia conueniant specificè, vt perperam, & sine vllo prorsus fundamento asserunt rigidiores Thomistæ contra iam communem sententiam; quis enim credere potest, scientiam quæ est de æternitate Dei, siue à priori, siue à posteriori, esse eiusdem speciei cum scientia, quæ habetur de Angelo quod sit intellectiuus, licet tam Angelus quam Deus abstrahant à materia.

Conuenientia in abstractione à materia non sufficit ad identitatem scientiarum.

*Quæres*, vtrum Metaphysica subalternet sibi alias scientias.

Quomodo Metaphysica subalternat sibi alias scientias.

*Respondeo* cum communiori sententia negatiuè: quia vt aliqua scientia sit subalternans respectu alterius, debet obiectum subalternatæ conditionem aliquam accidentalem superaddere respectu obiecti subalternantis: v.g. quia Medicina subalternatur Physicæ, obiectum Medicinæ dicit vltra obiectum Physicæ, quod est corpus, conditionem accidentalem, nimirum sanabilitatem, obiectum enim Medicinæ est corpus sanabile.

*Deinde* scientia subalternata non debet habere principia quæ sint proprietates per se notæ, sed principia eius debent esse conclusiones demonstrabiles in scientia subalternante: sed obiectum Physicæ, quod est corpus naturale, non superaddit aliquam conditionem accidentalem enti quod est obiectum Metaphysicæ, cum corpus naturale sit vnum per se, & non vnum per accidens, nec concretum accidentale; ergo Physica non subalternatur Metaphysicæ.

Deinde Physica, & idem est de Mathematica, habet principia per se nota independenter à Metaphysica, si quis tamen non intelligeret per scientiam subalternatam, aliud quam scientiam, quæ haberet pro obiecto aliquam speciem obiecti alterius scientiæ, sine dubio Physica & Mathematica subalternarentur Metaphysicæ.

# DISPVT. II.

## *De ente vt sic.*

QVia ens vt sic, quod est obiectum adæquatum Metaphysicæ, non habet partes intrinsecas, sed est simplicissima formalitas, de ipsomet prius agemus.

## QVÆSTIO I.

### *Vtrum ens vt sic sit vniuocum enti reali, & enti rationis.*

Non datur cóceptus vnus entis vt sic communis vniuocè enti reali & rationis.

SVppono ens reale esse illud, cui non repugnat realis existentia; ens vero rationis, quod opponitur enti reali sic accepto, esse id cui repugnat realis existentia, & consequenter quod habet tantum esse obiectiuè in intellectu, iuxta dicta in Logica.

### CONCLVSIO I.

1. *Est negatiua* cum communissima sententia *Scotistarum*, licet *Mauritius Hybernicus*, *Bonetus*, & *Ioannes Canonicus* Scotistæ teneant oppositum esse probabile, cum tamen *Scotus* ipse 4. Met. q. 1. dicat ens esse æquiuocum ad res primæ & secundæ intentionis, ex eo quod res primæ intentionis sint reales, secundæ vero rationis.

*Probatur* conclusio, quia nullus est conceptus obiectiuus ipsis communis, qui conceptus sit ens; ergo ens non est ipsis vniuocum. Consequentia est euidens, probatur antecedens, quia non potest assignari vllus conceptus, qui non esset vel ens reale formaliter, vel ens rationis formaliter: sed conceptus communis enti reali & rationis non deberet esse formaliter reale aut rationis sed deberet abstrahere ab vtroque, sicut conceptus animalis abstrahit à rationali & irrationali, & conceptus entis à substantia & accidente, vt patet: ergo.

Probatur maior, quia vel illi conceptui repugnaret, existere realiter, & sic esset rationis; vel non repugnaret, & sic esset realis, quia per ens rationis nihil aliud intelligimus, quam cui repugnat existere realiter, & per ens reale, cui hoc non repugnat.

*Respondet Mauritius*, illum conceptum entis ex se non dicere repugnantiam, aut non repugnantiam, licet non possit esse à parte rei sine aliqua ex illis; sicut nec animal formaliter & ex se dicit rationalitatem aut irrationalitatem, licet non possit esse à parte rei sine aliqua ex illis.

*Contra* hoc replicant *Scotistæ* communiter, quod omnis ratio superior debet dicere per se secundo modo non repugnantiam ad identitatem cum omni differentia seu modo contractiuo sui; ergo iste conceptus, si sit superior ad realitatem, qua constituitur ens reale, & rationalitatem, vt ita dicam, qua constituitur ens rationis, debet dicere non repugnantiam ad identitatem cum realitate illa, & consequenter debet dicere formaliter non repugnantiam ad existendum realiter, & consequenter vlterius debet esse ens reale formaliter.

*Sed ad hanc replicam* facile posset respondere *Mauritius* distinguendo secundum consequens: dicit formaliter non repugnantiam ad existendum realiter, quatenus dicit non repugnantiam vt coniungatur cum modo vel differentia realitatis, conceditur; quatenus dicit ipsammet realitatem, negatur: & negando vltimam consequentiam, quia posset dicere quod ens reale formaliter est quod includit ipsammet realitatem, & non quod potest coniungi cum illa realitate.

*Et si replicetur* vlterius, quod ipsa realitas non est aliud quàm non repugnantia ad existendum, seu fundamentum ad quod sequitur, & consequenter quod si iste conceptus abstractus dicat non repugnantiam formaliter, quod debet dicere realitatem formaliter.

3. *Responderi potest* conformiter ad responsionem iam datam, realitatem, qua constituitur ens in esse entis realis, esse non repugnantiam proximè, vt possit existere formaliter sine coniunctione cum vllo alio determinato modo aut differentia, & talem non habere ens vt sic; sed non repugnantiam remotam, ex qua scilicet sequitur quod possit existere, quatenus potest coniungi cum alio modo vel differentia.

*Et si quæreretur*, vnde constaret, si haberet vllam non repugantiam ad existendum, quare non haberet proximam?

*Responderetur* facile, quia ex se proximè posset reperiri in ente rationis, quod implicaret si diceret illam non repugnantiam proximam, nam sequeretur quod ens rationis includeret intrinsecè & essentialiter ens reale tanquam suum superius, & consequenter quod esset ens reale. Et ne videatur hæc doctrina mira, propono exemplum clarissimum in materia communiter recepta in quo similis doctrina apparebit. Homo nihil aliud est quam animal rationale, seu potens discurrere, & animal abstractum ab ipso est potens discurrere, quia potest coniungi cum rationalitate, & tamen non est homo formaliter: cuius ratio est quia non habet potentiam proximam ex se ad discurrendum, sed potentiam remotam, quia non habet potentiam ad discurrendum nisi quatenus habet potentiam vt coniungatur cum rationalitate, quæ est principium quo metaphysicum discurrendi; & hoc colligitur ex eo quod reperiatur in

quo non est potentia proxima ad discurrendum: cur ergo simile non posset dici de potentia entis ad existendum, seu quod idem est, de non repugnantia eius.

4. *Probatur ergo aliter antecedens principale*, in quo versatur tota difficultas, nimirum quod non detur vllus conceptus obiectiuus vnus, qui sit ens, & reperiatur in ente reali & rationis, quia non potest explicari quis sit ille conceptus; posset autem sine dubio, si daretur: ergo.

*Dices primo* illum conceptum posse explicari sufficienter per hoc quod dicatur esse aliquid intelligibile, nam in hoc conueniunt vtrumque ens.

*Contra*, quia esse intelligibile non est esse ens, aliàs negationes, & priuationes, & vltimæ differentiæ essent entia, quod est absurdum: ergo quamuis conuenirent in esse intelligibili, non tamen sequeretur quod conuenirent in aliquo conceptu vno, qui esset ens: & propterea addidi hanc limitationem in ipsa probatione, vt vitetur omnis æquiuocatio.

*Dices secundo* illum conceptum posse explicari dicendo quod esset aliquid potens existere abstrahendo ab hoc quod existeret realiter, aut rationaliter.

*Contra*, posse existere, seu esse extra suas causas, seu terminare actionem causæ, quando dicuntur simpliciter, capiuntur pro existentia reali, quia vere non existit, nec potest existere, cui non potest competere realis existentia, sed ad summum ficte; ergo conceptus ille communis vtrique enti non potest consistere in hoc quod possit existere.

*Confirmatur*, quia posse existere aliquo modo competit negationibus, & priuationibus, quæ tamen non sunt entia: ergo ille conceptus non est conceptus entis.

*Confirmatur vlterius*, quia homo fictus & homo verus non conueniunt in conceptu aliquo vno hominis, ergo nec ens fictum & verum: sed ens rationis est ens fictum, & ens reale est ens verum, ergo non conuenient in aliquo conceptu communi entis.

*Obijcies*: Potest aliquis esse certus quod forma, à qua denominatur res cognita, sit ens, incertus an sit ens reale vel rationis; ergo conceptus entis est abstrahibilis à conceptu entis realis & entis rationis.

*Respondeo* distinguendo antecedens: conceptu determinato vno, nego; conceptu indeterminato & confuso, concedo antecedens, & nego consequentiam.

*Obijcies secundo*: ens reale est terminus complexus non solum voce, sed etiam significatione, & idem est de ente rationis; ergo dantur duo conceptus obiectiui in vtroque ente, vnus qui significatur per ly *ens* & alter qui significatur per ly *reale & rationis*, & consequenter poterunt vtrumque ens vniuocè conuenire in significato entis.

*Respondeo* negando antecedens; sed solum per ly *reale & rationis* determinatur æquiuoca significatio ly *entis*, sicut per ly *verus & pictus* determinatur æquiuoca significatio ly *hominis*.

## *ADDITIO.*

COntra meam resolutionem in hac quæstione Mastrius disp. 2. Metaph. *num.* 255. opponit quod falso citem Canonicum pro parte affirmatiua, & dicam Scotum 4. Metaph. quæst. 1. expresse asserere ens esse æquiuocum ad res primæ & secundæ intentionis. Deinde *num.* 257. ait mirari se cur ego inficiar argumentum aliquorum pro parte negatiua, quia ipsemet vtor eodem contra ipsum disp. 2. Physic. *num.* 17. ad probandum tria principia rerum naturalium non conuenire in vna ratione; cui tamen obiectioni ait se satisfecisse disput. 4. Physic. in secunda editione quæst. 4. At vt ab hoc incipiam constat ex dictis in mea Apologetica appendice *n.* 208. nullo modo ipsum satisfeciisse meæ rationi in illa Additione.

Deinde falsum est, quod ego vtar illo argumento contra ipsum loco citato: sed vtor prorsus longe diuerso: nimirum quod non possit abstrahi ratio vniuoca ab ente reali & non ente reali, quia illa ratio communis necessario deberet participare alteram rationem ex ipsis, cum sint extrema contradictionis: aliud vero est quod ratio communis non possit abstrahi ab ente reali & rationis; aliud ab ente & non ente, neque reali, neque rationis, qualis est negatio.

Quod si etiam vsus essem illo argumento, bene feciss̃em suppositа secunda ratione, quam addidi & quam paulo ante proposui, & defendi contra Mastrium, nempe quod non possit explicari, neque concipi ille conceptus communis.

Neque impugnaui illam rationem quasi non valeret si probaretur vlterius, quod non possit præscindere aliquis conceptus positiuus à conceptu reali & rationis; vt ego probaui; sed supposito, quod id non probaretur, vt non probauerunt alij, quos propterea impugnaueram.

Ad illud de falsa citatione Canonici, dico me ipsum sic citauisse, quia ab aliis citatum reperi; an vero ex veritate, id factum ab illis necne; quia parum refert ad rẽ, quam ipse sententiam tenuerit, nolo in eo vlterius examinando hærere, certus neminem putaturum me data opera voluisse Canonico imposuisse, præsertim cum meo discursui in tota illa quæstione non seruierit, quod ipse problematicus esset.

Quod ad Scotum vero attinet, cum certum sit quod ipse, vel tenuerit in illa quæstione æquiuocationem entis ad Deum & creaturas, substantiam & accidens etiam loquendo de æquiuocatione, cuius contrarium docuit in sententiis; vel saltem, quod de hoc problematicus fuerat, vt asserit Mauritius; non potest esse dubium, quin à fortiori teneret æquiuocationem entis vt sic, ad ens reale & rationis; quod sufficit vt conclusio negans vniuocationem entis ad illa dicatur colligi ab ipso in illo loco, nec valet expositio allata à Mastrio, quod ibi excludat vniuocationem rigorosam & limitatam; nam agit de illa, quæ erat in controuersia; rigorosa autem & limitata illa non erat in controuersia. Deinde probationes eius, & responsiones ad argumenta ostendunt eum agere de vniuocatione illa ipsa, quam in sententiis negat, quæ certè non est limitata, & rigorosa, sed quæ excludit omnem æquiuocationem metaphysicam ac logicam propriè dictam.

Præterea *num.* 259. adducit probationem meam pro parte negatiua huius quæstionis; quia non potest explicari conceptus obiectiuus vnus, qui sit ens, & reperiatur in ente reali & rationis, quia non potest explicari, quis sit ille conceptus: posset autem si daretur: ergo non datur.

Dicit autem Mastrius hanc rationem nihil prorsus concludere; non enim ex eo, quod difficulter aliquid explicamus, negari debet conceptus illius. Nunquid inquit, quia formalitas diuini decreti, nequit à nobis viatoribus sufficienter explicari, negari debet dari diuina decreta? tum quia ipse ait disp. 1. Log. *num.* 5. difficillimum esse explicare conceptum entis realis, nec exacte explicari per ordinem ad existentiam realem: ergo eadem ratione negari debet conceptus entis realis: sicut ergo explicari solet conceptus realis per ordinem ad existentiam realem; & rationis per ordinem ad existentiam rationis: ita conceptus entis vtrique communis explicabitur per hoc quod sit aliquid potens existere præscindendo ab hoc quod existat ex natura rei, vel per intellectum.

Contra quam impugnationem suam subiicit meam responsionem qua dico non posse explicari ens vt sic commune enti reali & rationis per ordinem ad existendum, dicendo quod sit illud quod potest existere, quia quando dicitur simpliciter de aliquo, quod possit existere, hoc intelligitur de existentia reali: ergo non potest dici de ente vt sic, quod non est reale; & quia etiam posse existere competit etiam suo modo negationibus quæ non sunt entia positiua: ergo illa explicatio entis vt sic communis non valet.

Sed instat Mastrius pro solita subtilitate has duas etiam impugnationes videri se inuicem destruere, quia

in

in prima dicitur posse existere simpliciter conuenire enti reali, & in secunda dicitur competere negationibus. Sed quidquid, inquit, est de hoc, certum est nullam conuincere; non primam; quia esto, cum posse existere sumitur simpliciter, conueniat enti reali, tamen cum in eo rigore non sumitur potest etiam adaptari enti rationis, quod suo modo existit: nec secundam, quæ potius fauet Mastrio, quia si posse existere potest negationibus & priuationibus suo modo conuenire, poterit etiã applicari entibus rationis & sic conceptus entis communissime sumpti potest explicari.

Ad hæc dico primo argumentum meum omnino concludere, nisi aliud opponatur quam quæ hic proponit Mastrius; quia aduertere deberet vt recte discurreret; me non ex eo, quod esset difficile quid sit conceptus entis vt sic vniuocus enti reali & rationis, negare quod detur; sed ex eo, quod non posset explicari, & quod posset si daretur, quæ ratio euidenter conuincit intentum meum, nisi falsum sit, quod non possit explicari; vt id autem falsum ostendatur, debet adduci bona explicatio & donec afferatur fatendum est meam rationem esse optimam; & Mastrium non videri eam intellexisse, cum pro eo, quod ego dico non posse illum conceptum explicari, ipse me impugnat, tanquam si dixissem, quod difficulter posset explicari.

Deinde illud, quod addit de decretis liberis; non est ad propositum, quia constat ex fide & ratione, quod Deus habeat decreta libera, siue à nobis possit explicari, in quo consistat eorum formalitas, siue non; & propterea quamuis non possemus ea explicare, deberemus ea admittere propter principia fidei & rationis, quibus conuincuntur.

31. Sed non constat ex principiis certis, quod detur conceptus communis vniuocus enti reali & rationis: ergo si non possit explicari, debet omnino negari; sicut negaremus decreta libera Dei, si non potuissemus explicare quomodo posset Deus habere talia decreta, nisi aliunde constaret certo quod darentur.

Vlterius quod addit ex me de difficultate explicandi conceptum entis realis, non facit ad rem; quia vt dixi, non ex difficultate, sed ex impossibilitate explicandi conceptum entis, ego negaueram ipsum, quod si non posset explicari conceptus entis realis, vt sic qui esset communis entibus omnibus realibus vniuoce; certe negari deberet talis conceptus, & consequenter si non possit explicari conceptus vniuocus entis vt sic communis entibus realibus & rationis, negari debet; vnde illud exemplum de ente reali potius fauet mihi quam officit. Sed pressiùs examinemus, an benè Mastrius explicauerit illũ conceptum, si enim id fecerit, fateor meam rationem nil concludere; si non, spero ipsum etiam ingenuè fassurum, quod concluserit efficaciter saltem quantum ad ipsum, seu ad ea, quæ hic adducit. Itaque dicit Mastrius posse explicari illum conceptum dicendo, quod sit illud, quod possit existere præscindendo à modo existentiæ an scilicet sit ex natura rei, vel per intellectum. Sed hæc explicatio prorsus non valet, vt euidenter conuincunt meæ responsiones ab ipso Mastrio adductæ, si intelligantur vt debent, ac facile est, quamuis eas non videatur intellexisse Mastrius. Impugnaui primo illam explicationem quia conceptus ille existentiæ, per ordinem ad quem explicaretur conceptus, de quo loquimur, esset conceptus præcisus ab omni modo aut differentia, & absque vllo addito: ergo esset conceptus existentiæ simpliciter: nam quando dicitur existentia absque addito, certum est quod id intelligatur de existentia reali sicut quando dicitur homo absque addito, id intelligitur de homine simpliciter, & non de homine picto, qui est homo tantum secundum quid. Ad hoc dicit Mastrius, quod quamuis posse existere quando sumitur simpliciter, conueniat entibus realibus; tamen quando non sumitur in illo rigore potest conuenire entibus rationis, quæ suo modo existunt, scilicet per intellectum. Sed non videt bonus Pater, quod quando posse existere sumitur præcise non addendo, nec ex natura rei, nec per intellectum, quomodo sumitur in explicatione ipsius, sumatur simpliciter, quia ponitur sine vllo addito & propterea me dixisse, quod tum intelligi debeat de posse existere realiter, quod est posse existere simpliciter.

Impugnaui secundo magis realiter & efficaciter quoad rem ipsam; quia illa explicatio ipsius competit negationibus, quæ tamen non sunt entia: ergo illa explicatio non est explicatio bona entis.

Mastrius primo ait hanc & priorem impugnationem videri se inuicé destruere, quia in prima dicebatur, quod posse existere absolute & simpliciter solum competebat entibus realibus; in hac vero secunda dicitur competere negationibus. Sed imprimis non dixi, quod existentia absolutè, & simpliciter cõueniat negationibus; sed quod aliquo modo conueniat ipsis, quæ sint diuersissima; & sicut potest dici de homine picto, quod sit aliquo modo homo; quia est homo secundum quid seu pictus & hoc non contradicit dicenti, quod non sit homo simpliciter: ita dum ego dico quod existentia simpliciter conueniat tantum entibus realibus positiuis, & dico tamen quod existentia aliquo modo conueniat negationibus non cõtradico mihi; nec vna ex meis rationibus destruit alterã.

Rursus hæc secunda ratio independens à prima, & quasi dando aduersarijs, quod possit conceptus existentiæ præscindere ab existentia reali, & rationis conabatur ostendere, quod illa explicatio entis non valebat, quia conueniebat negationibus, de quibus æquè posset dici quod existerét aliquo modo ac de entibus rationis; imo potiori iure, quia potest dici de ipsis, quod suo modo existant realiter, quod nequit dici de entibus rationis.

Dicit secundo Mastrius hanc meam secundam impugnationem potius fauere quia si posse existere potest applicari suo modo negationibus quæ non sunt entia, poterit etiam suo modo applicari entibus rationis, & sic potest explicari ens communissime, vt ipse explicauit. Sed neque hic vidit me non negauisse, quod entia rationis possunt dici existere suo modo hoc est per intellectũ; quod & ipse & quotquot ea admittunt vbique concedimus; sed negauisse, quod possunt dici existere simpliciter, & consequenter quod illa explicatio ipsius in qua ponebatur existentia simpliciter seu absque addito, non poterat ipsis cõuenire atque adeo non esset bona explicatio entis communissimè sumpti: nec vidit etiam, quod magis directè facit ad rem, non ualere suam consequentiam, quæ est hæc: entia rationis possunt dici suo modo existere, hoc est per intellectum: ergo bona est ipsius explicatio entis, quam consequentiã, vel puer negaret; quia in ipsius explicatione ponebatur existentia simpliciter; ex eo autem quod existentia per intellectum conueniat alicui; certum est non sequi, quod existentia simpliciter conueniret illi. Vnde patet meam hanc secundam impugnationem nullo modo fauere Mastrio. Sed neque ipse etiam, quod magis mirere, respondet illi qua parte facit contra ipsum. Vis enim in hoc consistit quamuis possit dici, quod existentia competeret aliquo modo entibus rationibus, & quod conceptus existentiæ possit præscindere à realitate & irrationalitate, vt ita loquar non valeret tamen explicatio Mastrij; quia conuenit negationibus quæ non sunt entia nec realia, nec rationis.

Ad hoc nihil prorsus respondet Mastrius & quamuis ipsemet adducat duas rationes pro eadem parte negatiua quam mecum tenet, & communiori sententia, vnam *n.*161. alteram *n.*163. ex iis tamen prima nihil prorsus concludit, nec secunda etiam nisi reducatur ad meam quam ipse conatus est impugnare.

Vlterius *n.*271. adducit meam responsionem ad argumentum quo probatur vniuocatio entium realium & rationis, ex eo, quod aliquis possit esse certus de aliqua relatione quod sit ens, & incertus an sit reale, vel rationis, vnde inferunt aliqui conceptum entis esse præcisũ à conceptu entis realis & rationis. Ad quod argumentum Respondeo negando, quod quis possit habere conceptũ determinatum de ente de quo esset certus, quod cõueniret illi relationi, sed confusum, & æquiualentem huic: sum certus, quod illa relatio sit vel realis, vel rationis,

sed nescio determinate quænam sit ex illis determinate.

Contra quam responsionem opponit Mastrius me in ea concedere Aduersarijs totum quod intendunt.

At fallitur Mastrius quia non intendunt Aduersarij, quod ego concedo tantum, alias mihi cum ipsis nulla esset controuersia; nam cuidés est quod talé conceptum possit quis habere, nec id à quopiam negari potest.

## QVÆSTIO II.

### *Quid sit ens reale vt sic, & an dicat conceptum vnum tam formalem quam obiectiuum.*

Quod sit ens reale positiuũ.

6. ENs reale positiuum est illud, quod opponitur directè enti rationis, & consequenter debet describi opposito modo isti modo, quo describitur ens rationis. Vnde cum ex dictis in Logica ens rationis sit illud, quod solum potest existere in intellectu considerante; ens reale optimè describitur esse aliquid positiuum, quod potest habere esse extra intellectum cogitantem, & non solum habet existere per hoc, quod intellectus consideret illum existere, & hoc ipsum est, quod significatur communiter, quando dicitur, quod ens reale sit illud, cui non repugnat alia existentia quàm illa, quam potest habere per hoc præcisè, quod intelligatur.

Hæc autem ratio entis sine dubio conuenit in hoc sensu non solum generibus, ac speciebus, & indiuiduis, quæ ponuntur in prædicamentis directè, sed etiam differentiis, modis, ac proprietatibus; vnde de quolibet ex his potest dici quod sit ens reale, nec de hoc est vlla controuersia, licet sit controuersia, an dicatur de omnibus his formaliter, de quo inferius. Per quod patet breuiter ad primam partem quæstionis.

7. *Vt autem* secunda pars soluatur, in qua est magna controuersia, *aduertendum* cum omnibus, conceptum formalem hic esse actum intellectus, quo apprehendimus aliquid; conceptum vero obiectiuum esse obiectum illius conceptus, quod scilicet per eum apprehendimus.

Itaque sensus controuersiæ est, an quando concipitur ens vt sic, seu quando concipimus aliquid esse ens, & ignoramus an sit substantia vel accidens, habeamus in mente nostra vnum actum, an plures, & an habeamus vnum obiectum nobis propositum, an vero plura.

*Aliqui* existimant ens dicere vnum conceptum formalem, non vero obiectiuum. Ita *Arriaga disp.5.* Logicæ secutus Nominales.

*Alij* existimant ens nec dicere vnum conceptum formalem, nec obiectiuum, hanc ascribit Hurtadus *Caietano opusc. de analogia nominum c.4. communior sententia* tam *Scotistarum*, quam *recentiorum* ac etiam *Thomistarum est*, quod dicat vnum conceptum tam formalem, quam obiectiuum; licet aliqui existiment quod ille conceptus non sit perfectè præscindens ab inferioribus, nec vniuocus illis.

### CONCLVSIO I.

Ens vt sic tam bene dicit vnũ cõceptum formalem obiectiuũ quam animal vt sic.

8. *Quando aliquis concipit ens, vt ens, aut aliquid aliud vt ens præcisè, habet vnum actum intellectus, & vnum obiectũ ipsius non minus quam quando concipit animal vt animal.* Hæc vix videtur posse esse in controuersia.

*Probatur* quia quantum ad experientiam nostram, non aduertimus esse in nobis duos conceptus formales, neque esse proposita nobis duo obiecta, neque in vno casu, neque in altero, aut certe non magis in vno quam in altero; neq; est vlla ratio, ex qua colligatur, quod magis in vno quam in altero proponantur nobis duo obiecta, aut producantur in nobis duo conceptus, seu actus; & deinde quacumque ratione potest quis soluere argumenta probantia dari vnum conceptum formalem & obiectiuum correspondentem enti, poterit etiam soluere argumenta, quibus id probatur de animalibus, sunt enim omnino similia.

### CONCLVSIO II.

Nec magis inuoluit conceptus suorum inferiorũ.

9. *Conceptus ille vnus tam formalis quam obiectiuus, non inuolvit explicitè aut implicitè conceptum inferiorem verbi gratia Dei, aut creaturæ, substantiæ aut accidẽtis, magis quam conceptus animalis inuoluit conceptum hominis & bruti, & est conceptus æquè determinatus ac ille.*

Hæc etiam est communis, & probatur iisdem rationibus, quibus præcedens; experientia enim & ratio æquè currit de vtroque conceptu.

### CONCLVSIO III.

Ens dicit vnum cõceptum formalem & obiectiuum, à conceptibus inferiorũ abstractum.

10. *Absolutè & simpliciter ens dicit conceptum vnum tam formalem quam obiectiuum, in quo non inuoluitur explicitè conceptus Dei aut creaturæ, substantiæ aut accidentis.* Hæc est Scoti 1.*d.*3.*& dist.*8. cum suis omnibus, & recentioribus communiter.

*Probatur* experientia, quia quando concipimus ens, non aduertimus nos habere plures conceptus ipsi correspondentes, nec habere plura obiecta nobis proposita, nec nos percipere aut Deum, aut creaturam, aut substantiam, aut accidens: sed si haberemus plures conceptus, aut plura obiecta nobis proposita, debuissemus id aduertere, ergo.

*Confirmatur*, quia non est alia via colligendi quod haberemus tum plures actus aut plura obiecta, aut quod percipiamus Deum aut creaturam, substantiam aut accidens explicitè, quàm per experientiam: ergo si id non experiamur, non debet asseri.

*Confirmatur secundo*: quia si secludatur experientia, nulla ratio potest sufficienter probare quod dentur plures actus aut obiecta, ergo.

*Confirmatur tertio*, quia multi cognoscunt aliquid posse existere, & consequenter esse ens, qui non cognoscunt quid sit Deus, aut creatura, aut substantia, aut accidens; ergo non inuoluitur explicitè in conceptu entis vt ens, conceptus Dei aut creaturæ, aut substantiæ, aut accidentis.

### CONCLVSIO IV.

Cõceptus obiectiuus entis distinguitur formaliter ab inferioribus gradibus.

11. *Conceptus obiectiuus entis præscindit seu distinguitur formaliter ex natura rei ab inferioribus gradibus quibus contrahitur ad Deum & creaturam, substantiam & accidens.*

Hæc est communissima inter Scotistas, & omnes, qui admittunt distinctionem formalem.

*Probatur autem manifestè* ex principiis, quibus probabitur illa dinstinctio, quia conceptus obiectiuus entis potest reperiri à parte rei sine vllo gradu determinato ex illis gradibus: reperitur enim in Deo absque formalitate, qua contrahitur ad creaturam, & in creatura absq; gradu quo contrahitur ad Deum, & in substantia absque gradu, quo contrahitur ad accidens, & in accidente absque gradu quo contrahitur ad substantiam: sed hoc est maximum signum distinctionis formalis in creatis: ergo datur talis distinctio inter ens & ea, per quæ & ad quæ contrahitur.

*Confirmatur* contra eos, qui admittunt distinctionem formalem aliorum graduum superiorum prædicamentalium ab inferioribus, verbi gratia, animalis ab homine & rationalitate, quia eadem prorsus est ratio de distinctione horum graduum, & de distinctione entis à suis inferioribus.

### CONCLVSIO V.

Est eodẽ modo vnus ac determinatus distinctus aut confusus quo vllus gradus superior.

12. *Conceptus obiectiuus entis est eodem modo vnus, ac determinatus, ac distinctus, aut confusus, quo conceptus obiectiuus vllius naturæ vniuersalis.* Hæc est contra *Mouriss hic lib.1.q.6.*

*Probatur*, quia quemadmodum nulla natura communis importat explicitè sua inferiora; ita nec natura entis, vt patet ex dictis, & quemadmodum omnia, quæ conueniunt in animalitate, sunt vnum in animalitate, & omnes animalitates, quæ reperiuntur à parte rei, sunt vna animalitas vel similitudine, vel positiuè, vel negatiuè, vel præcisiuè, secundum varias sententias de vnitate naturæ vniuersalis: ita etiam omnia, quæ sunt entia, sunt vnum in ente, & omnes

entitates,

entitates,à quibus habent esse entia,sunt vna entitas.

*Rursus*, quemadmodum nullum est animal, de quo non potest verificari ille conceptus obiectiuus,quem habemus de animali vt sic,ita nullum est ens, de quo non potest verificari conceptus ille obiectiuus, quem habemus de ente vt sic: ergo eodem modo conceptus entis vt sic,ac conceptus animalis,vt sic,est vnus,ac determinatus,ac distinctus, aut confusus, nec quantum ad hoc est aliquid peculiare dicendum de ente,quod non debeat dici de quolibet alio superiori,vt gratis asseritur à prædicto authore.

13. *Obicies*:Ideo omnia,quæ dicuntur entia,conuenirent in vno cõceptu obiectiuo,determinato,& præciso, & conciperentur vno conceptu formali determinato, quia habent similitudinem in ratione entis, & quia potest intellectus de quolibet ex ipsis cognoscere determinate quod sit eus,& esse incertus an sit tale ens particulare,quod sit verbi gratia Deus vel creatura,substãtia,vel accidẽs, spiritualis aut materialis, homo aut brutũ &c.

Sed hæc ratio non probat,quod dicant vnum conceptum obiectiuum determinatum ac præcisum:ergo.

Probatur minor, quia omnia singularia qua singularia, habent talem similitudinem, & potest intellectus cognoscere quod vna res sit singularis,& nescire, an sit hoc singulare vel illud singulare;& similiter omnes rationalitates,quæ sunt,vt suppono, differentiæ hominis, habent similitudinem in rationalitate, & potest intellectus cognoscere quod aliquid sit rationale,& nescire an sit rationale hac vel illa rationalitate. Sed hinc non sequitur quod detur conceptus determinatus singularitatis aut rationalitatis,vt sic,præcisus ab inferioribus, ac distinctus formaliter ab illis; ergo nec id sequitur ex prædicta ratione de ente.

*Confirmatur*, quia quantum ad omnem experientiam, quando quis cognoscit aliquid vt singulare, aut vt rationale, apparet sibi habere vnum conceptum formalem,ac obiectiuum, eodem modo determinatum, aut confusum, ac quando concipit aliquid esse ens; ergo si ex illa experientia non potest colligere,quod conceptus singularis sit vnus determinatus, nec id debet colligere de conceptu entis, aut vllius gradus superioris.Sed non potest dari conceptus determinatus singularis vt sic, quia alias daretur conceptus singularis vt sic abstractus ab hoc & illo singulari, quod implicat propter dicta in Logica:ergo.

Non ab omnibus rationibus similibus potest abstrahi ratio communis.

14. *Vt soluatur hæc obiectio*,& tota hæc materia melius percipiatur, *aduertendum est*, quod quamuis omnes formalitates,quæ sunt similes,possint concipi vnico conceptu formali,æque bene repræsentante quamcumque, ac vllam;non tamen inde sequitur, quod ab omnibus talibus possit abstrahi vnus conceptus obiectiuus ab ipsis præcisus;aut quod omnes conueniant in vno conceptu obiectiuo ab ipsis formaliter distincto, & ad eas contrahibili per aliquam formalitatem positiuam,cum quo nihilominus stat, quod ab aliquibus formalitatibus similibus possit abstrahi talis conceptus, quodque ipsæmet conueniant in tali conceptu præciso & determinato.

Vnde patet non valere consequentiam hanc ex se præcise:hæc similia conueniunt in aliquo positiuo conceptu præciso,& determinabili;ergo & omnia;aut hanc: hæc non conueniunt,ergo nulla.

*Ratio autem huius est*, quia potest esse disparitas inter formalitates,aut res similes,ratione cuius aliquæ possint esse talis naturæ,vt possint conuenire in conceptu præciso ac determinabili,& aliæ non possint.Disparitas autem ad hoc sufficiens esset,quod aliquæ formalitates aut res similes non includant plures formalitates,sed quælibet sit simpliciter simplex,id est non resolubilis in plures conceptus præsertim separabiles,quorum vnus esset determinabilis per alterum:& sic se habent omnes differentiæ vltimæ,& singularitates, & omnes etiam entitates,capiendo entitatem prout est abstractum entis vt sic, quia aliàs daretur progressus in infinitum,vt discurrenti facile patere potest.

Aliæ vero formalitates,siue omnino similes, vt sunt humanitates omnes,siue partim similes partim dissimiles,vt sunt humanitas,& equinitas,includant plures formalitates,quarum vna potest reperiri sine altera, & determinari per illam,sicut humanitas includit animalitatem, & rationalitatem, & equinitas animalitatem, ac brutalitatem.Ideo autem hæc disparitas sufficeret, quia conceptus abstractus ac præcisus proprie loquendo dicit ordinem ad alium conceptum;à quo præciditur;vnde impossibile est,quod à re,vel formalitate non includente plures formalitates possit præcidi vllus conceptus,bene autem potest præcidi conceptus à re,vel formalitate includente plures formalitates.Hincque fit vt ab humanitatibus omnibus,quæ plurificatæ reperiuntur in diuersis indiuiduis, vt abstrahunt à singularitatibus, non possit abstrahi conceptus humanitatis,nec conueniant in conceptu humanitatis præciso, quia vt sic,præter humanitatem nihil aliud includunt, à quo fieret præcisio humanitatis:bene tamen potest ab ipsis præcidi conceptus animalitatis, quia præter illam includunt rationalitatem,à qua fieret ista præcisio;& hinc fit,vt ab omnibus entibus, vt sunt entia, non possit abstrahi vllus conceptus,quia vt sunt entia præcise,non dicunt aliud præter conceptum entis.

Illa à quibus abstrahi possit ratio communis debent includere plures formalitates.

Ab humanitatibus omnibus nequit præscindi conceptus humanitatis vt sic.

15. *Aduertendum præterea*, quod omnia illa quæ sunt similia in aliqua ratione,quæ ratio ab ipsis abstrahi nequit,sint se totis similia,& non tam dicantur conuenire in aliqua vna ratione obiectiua, quam constituere vnicam rationem obiectiuam,quia intellectus ex apprehensione vnius ex ipsis non habet occasionem distinguendi inter illa.

*His suppositis respondeo* negando maiorem:sed ideo dicuntur conuenire in conceptu præciso, quia & conueniunt in illa ratione,& quia vlterius habent alias rationes, à quibus illa ratio præscindi potest, & ideo potest illa ratio præscindi, quia potest concipi, non conceptis illis aliis rationibus. Quod si in hoc sensu intelligatur maior,concedo maiorẽ,& nego minorẽ;ad cuius probationẽ dico,quod omnia singularia etiã habẽt similitudinem in ratione singularis, & obiectiuam & formalem, quatenus possunt concipi vnico conceptu formali etiã determinato, tam bene,quam omnes naturæ vniuersales possunt habere similitudinem in ratione naturæ vniuersalis,nec tamẽ cõueniunt in ratione vna determinabili, quia singularitas est formalitas indiuisibilis in plures formalitates,quarum vna esset singularitas vt sic,altera differẽtia istius singularitatis ad esse talis singularitatis.

*Ex quo patet ad confirmationem* esse respondendum, quod suppositum consequentis sit negandum, nam omnino existimo ex illa experientia debere colligi, quod conceptus singularis sit vnus conceptus determinatus, nisi reducatur res ad quæstionem inutilem de nomine, & negandum est subsumptum cum probatione.

16. *Dices*: ideo colligitur quod in substantia sint duo conceptus, nempe entis, & substantiæ, quia potest res concipi sub conceptu entis,& sub conceptu substantiæ, & quia illi duo conceptus sunt distinctæ rationis:sed potest concipi res sub conceptu singularis vt sic,& sub cõceptu talis singularis; & illi duo conceptus sunt distincti: ergo singulare tale dicit duos conceptus tam bene quam substãtia, quorum vnus præscindi possit ab altero.

*Responderi potest primo* negando maiorem in sensu præciso:sed ideo sunt duo conceptus in substantia, quia potest concipi sub conceptu entis, quin concipiatur sub conceptu substantiæ, & quia vterque conceptus est diuersæ rationis alio modo,quàm sunt conceptus, quibus concipitur res vt singulari,& vt tale singulare.

Disparitas autem, quæ est inter vtrosque conceptus, consistit in hoc,quod illi duo conceptus,qui habẽtur de re,vt ens,& substantia, sint tales, vt vnus ex ipsis possit sufficere ad colligendum rem illam esse distinctæ speciei ab aliqua re, à qua non posset distingui specie per alterũ conceptum;nam per hoc quod concipiatur vt ens, non posset colligi,quod esset distinctæ speciei ab accidẽte.sed per hoc quod cõciperetur vt substãtia,posset sic distingui.

Illi verò duo conceptus, qui habentur de re,vt singulare, & vt singulare tale,non sunt tales,vt vnus possit sufficere ad distinguendam rem specie ab vllo, à quo non possit distingui per alterum.

*Rursus*,conceptus singularis,vt sic,non potest esse abstractus à conceptu singularis talis,nec potest esse determinabilis per illam tanquam per formalitatem distinctam , quia alias esset conceptus ipsius sub ratione rei vniuersalis,& non sub ratione rei singularis quod implicat,conceptus vero entis bene potest absque vlla implicantia esse abstractus à conceptu substantiæ , & potest per hunc determinari.

*Præterea*,illi duo conceptus obiectiui, qui habentur de ente,sũt tã distincti,& separabiles inter se,vt vnus & idẽ pro hoc statu possit habere nunc vnum,nunc alterum de eadem re,tam perfecte,quàm sufficit ipsi,vt possit per illos distinguere rem,in qua sunt, ab omni alia re, in qua non sunt:sed hoc non est verum de conceptibus , quos habemus de singulari vt sic,& singulari tali:nam nullũ conceptum habemus de vllo singulari pro hoc statu,qui possit sufficere,vt possimus distinguere vnum singulare ab omni alio singulari,vt patet,& experientia,& ex dictis in libris de anima:ergo signum est quod conceptus rei sub ratione singularis,vt sic,non sit omnino præscindens à conceptu singularis talis,quemadmodum conceptus entis est à conceptu substantiæ. Quod autem dico de singulari,eodem modo potest dici de omnibus differentiis,& similibus.

*Contra hanc responsionem* replicari posset,quod disparitates illæ non sufficiant ad propositum.

Non quidem *prima*,quia ex illa solum sequitur,quod duo conceptus,quos diceret singulare, non essent tales; quales essent duo conceptus,quos diceret substantia, & quorum alteruter sufficeret ad distinguendum ;specie singulare ab aliqua alia re:non vero sufficit ad ostendẽdum quod non dicat duos conceptus , quorum vnus, nempe singularis vt sic,sufficeret ad distinguendũ ipsum ab vniuersali,alter vero,nempe singularis talis,sufficeret ad distinguendum ipsum ab alio singulari quà tali.

Non etiam *secunda*,quia si conceptus singularis vt sic, non potest esse abstractus à cõceptu singularis talis,quãuis possit res concipi sub cõceptu singularis vt sic,quin concipiatur vt singulare tale,propter implicantiam,quæ ex hoc sequeretur;ergo nõ sequitur præcisè ex eo,quod possit dari conceptus entis vt sic,quin inuoluatur in illo , aut concipiatur ratio particularis talis entis , verbi gratia,substantiæ,aut accidentis, quod detur conceptus entis abstractus,præcisus ab illis conceptibus particularibus:sed alia ratio non potest assignari, ob quam dicatur esse abstractus:ergo.

Non denique *tertia*,quia quamuis non possit pro hoc statu dari aliquis conceptus singularis in particulari,quo posset distingui ab omni alio singulari in particulari:tamen videtur posse dari aliquis conceptus in particulari ipsius distinctus aliquo modo à conceptu singularis, vt sic;hoc autem sufficit,vt dicatur conceptus singularis,vt sic,abstrahi à conceptu singularis in particulari, si vera sint principia præmissa.

18. *Propter hæc respondeo secundo* negando minorem; nõ potest enim dari vllus conceptus vllius rei sub ratione singularis vt sic,nisi talis conceptus , qualis habetur de singulari tali quoad omnia præter ordinẽ , quẽ dicit singulare tale ad naturam specificã in ipsa inclusam,aut accidentia aliqua extrinseca. Quando enim concipitur res,verbi gratia Petrus,vt singulare,non concipitur,nisi vt res implurificabilis numero in plura inferiora;& quãdo concipitur vt singulare tale,id est humanum,nihil superadditur priori conceptui,nisi inclusio naturæ specificæ;& quando concipitur vt singlare tale,id est albũ,vel longum, vel durum, vel molle , vel quod existit in hoc tempore,non habetur alius conceptus ipsius in esse singularis,nisi vt intelligitur affectum illis accidentibus,à quibus habet ista prædicata. Vnde sequitur euidenter, quod conceptus rei,vt habet rationem singularis,non sit ita distinctus à conceptu,qui habetur de re vt est singulare tale, vt in conceptu singularis talis inuoluatur aliqua ratio rei prouenies à singularitate ipsius , præter rationem illam,quæ inuoluebatur in conceptu,quo concipiebatur vt singulare,abstrahendo à taleitate.Non est autem ita de conceptu entis,& substantiæ, aut accidentis, quia in conceptu substantiæ inuoluitur per se ratio aliqua particularis, quæ non inuoluebatur in conceptu entis vt sic , nec habetur ab aliqua ratione superiori ad ens,nec etiam ex eo, quod coniungitur ens cum aliquibus accidentibus:ergo non potest abstrahi ratio singularis vt sic à ratione talis,& talis singularis,sicut potest abstrahi ens à ratione substantiæ,& accidentis.

Cur non abstrahitur conceptus indiuidui vt sic à conceptibus indiuiduorum in particulari.

*Confirmatur hoc* , quia tam bene potest abstrahi ratio singularis humani vt sic ab hoc, & illo singulari humano , ac ratio singularis vt sic à singularibus omnibus particularibus à paritate rationis:sed non potest abstrahi ratio singularis humani vt sic,ab hoc,& illo singulari humano:ergo.

Probatur minor,quia nõ potest vllus conceptus haberi de singulari humano tali , in quo inuoluatur aliquid, quod sit per se annexũ cum singulari tali humano vltra illud , quod inuoluitur in conceptu singularis humani vt sic;ergo singulare humanum vt sic,non dicit aliquem conceptum abstrahibilẽ à singulari humano tali per se.

Probatur antecedens,quia quicumque conceptus qui habetur de singulari humano tali vltra illum,qui habetur de singulari humano tali vt sic,posset cõuenire aliis singularibus,seu indiuiduis humanis;ergo non est conceptus aliquis per se competens indiuiduo tali,& consequenter conceptus singularis humani vt sic,non est per se abstrahibilis à conceptu singularis humani talis,tanquam à conceptu per se determinante ipsum ad esse talis singularis.

19. *Dices* : quamuis per hoc saluaretur aliquo modo, quod non detur conceptus abstractus indiuidui vt sic à conceptibus indiuiduorum in particulari,tamen id non saluat,quo minus detur conceptus abstractus differentiæ vt sic à talibus,& talibus differentiis, verbi gratia,à rationalitate,& irrationalitate, si detur conceptus abstractus entis vt sic à conceptu substantiæ,& accidentis:sed hoc est absurdum ; ergo non datur talis conceptus abstractus substantiæ vt sic.

Probatur maio,quia potest coucipi aliqua res per modum differentiæ vt sic , quin concipiatur per modum differentiæ talis,etiam conceptu,qui sit distinctus à conceptu differentiæ talis:ergo non est eadem ratio de indiuiduo vt sic,& indiuiduis in particulari,ac de differentia vt sic,& differentiis in particulari.

Probatur hoc antecedens,quia potest aliquis concipere,quod detur in homine differentia,qua differt à lapide, & ligno,non concipiendo quod illa differentia sit rationalitas,& ille conceptus est differens à conceptu rationalitatis,vt patet.

Nec conceptus differentiæ à conceptibus differentiarum in particulari.

*Respondeo negando maiorem*, ad cuius probationem dico,quod nulla res potest considerari per modum per se differentiæ vt sic , quin consideretur sub aliqua ratione differentiæ particularis etiam explicitè,nam non potest considerari , vt differentia per se , quin consideretur vt differentia per se alicuius ab alio : sed nisi consideretur sub aliqua particulari ratione,sub qua non est in alia illa re,non potest cognosci,vt differentia vnius ab alio,vt est euidens:ergo non potest aliquid considerari per modum differentiæ vt sic , quin consideretur per modum differentiæ particularis alicuius.

*Confirmatur hoc*,sicut confirmata est responsio præcedẽs ad illud de indiuiduo:nõ magis potest abstrahi proprie conceptus differentiæ vt sic ab omnibus differẽtiis particularibus, quam ratio differentiæ rationalitatis ab hac,& illa differentia rationalitatis:sed hoc nequit fieri, quia nõ habetur aliquis cõceptus de rationalitate vt sic, nisi cõceptus,quod sit aliquid,vel aliqua formalitas,quæ & sit principium discursus,& faciẽs hominem differre à bruto , & quibuscumque aliis : sed de rationalitate tali , qua talis præcise in esse rationalitatis , quatenus præscindit à differentia indiuiduante, non habetur alius

conceptus

conceptus,quàm ille,vt patet;ergo concept us rationalitatis vt sic non potest præscindere à conceptu talis rationalitatis.

Qualis discursus potest applicari ad omnia illa, quæ, quamuis concipiantur propter summam similitudinem eodem conceptu,non tamen conueniunt in aliquo conceptu abstracto vniuoco præscindente à conceptibus particularibus eorum.Et in hoc fundatur disparitas huiusmodi rerum,& formalitatum ab aliis rebus,à quibus abstrahi potest conceptus communis abstractione, & præcisione proprie dicta.

*ADDITIO.*

Meam ac Scotistarum communiter doctrinam de distinctione formali entis,vt communis Deo & creaturæ à differentiis aut modis, quibus contrahitur ad ipsos appellat Mastrius disp.2.Met.num.66.erroneam,& ipsemet propterea docet oppositum, quamuis concedat conceptum entis finiti distingui formaliter & præscindi ex natura rei à differentiis ac modis quibus contrahitur ad sua inferiora.Fundamentum autem ipsius est, quod alias sequeretur in Deo compositio, ad quod fundamẽtum aliorum Scotistarum responsiones adducit ac confutat;meam vero omittit,qui negaui sequelam quia non quæcumque contrahibilitas ex natura rei arguit potentialitatem imperfectam requisitam ad compositionem, sed illa quæ est cum dependentia à causa extrinseca, qualis non est in ente vt sic,respectu modi aut differentiæ,qua contrahitur ad Deum. Ad quam rationem quid alio loco respondet Mastrius videbimus alias.

Infert autem Mastrius num.75.ex aliorum Scotistarũ impugnationibus, ens non importare realitatem communẽ ex natura rei præcisam à Deo & creatura,sed simplicissimum conceptum immediate abstractum ab intellectu à particularibus rationibus Dei, & creaturæ inadæquate conceptis, qui deinde per actum intellectus rursus referentem illum communem conceptum ad inferiora contrahitur ad illa per particulares conceptus finiti & infiniti dicẽtes quale.Quæ doctrina plane Thomistica est,& aduersa omnibus Scoti principiis probantibus distinctionem formalem,vnde hic impugnãda est.

Quæro ergo an ille conceptus per intellectum abstractus à particularibus rationibus Dei, & creaturæ reperiatur in Deo,& creatura à parte rei.Ita sine dubio alias non vere prædicaretur de illis.Quæro iterum an ex natura rei ille conceptus distinguatur à cõceptibus particularibus ad quos refertur per alium illum actum intellectus:si sic, penitus corruit doctrina Mastrij:Si non,ergo refertur ad seipsum, & præterea inferiora illa non erunt inferiora,quia ens non est inferius ad se;nec erunt etiam Deus & creatura,quia ens nõ est Deus & creatura,alias Deus nõ esset ens, quia nõ est Deus & creatura.

Rursus ille conceptus non esset abstractus à particularibus rationibus Dei, & creaturæ nisi esset distinctus ab illis aliquo modo.

Deinde, quando concipimus ens, habemus aliquem conceptum nobis propositum, qui est communis Deo & creaturæ,alias non posset de illis vere prædicari, sed ratio finiti non est ipsis commune, nec enim conuenit Deo;nec etiam ratio infiniti,nec enim conuenit creaturæ: ergo aliqua alia ratio distincta ab illis tum concipitur,qui non solum distinguitur per intellectum ab illis, sed ex natura rei.

Vlterius quando dicit,quod rationes particulares Dei & creaturæ, quando abstrahitur ab illis ratio communis,inadæquate concipiuntur,quæro quid est eas inadæquate concipere;si est eas concipere secundum vnam ex suis formalitatibus,& non secundum aliam:ergo dantur à parte rei plures illæ formalitates. Si vero est considerare eandem formalitatem aliquo modo distincto à modo,quo consideraretur,quando consideraretur adæquate:ergo habet in se inclusum illum modum & secundum se ille modus est distinctus à modo quem habet,vt consideretur adæquate,quod est intentum.

Scio Thomistas conari soluere hæc & similia argumẽta,quæ adducunt Scotistæ ad probandam distinctionem formalem graduum Metaphysicorum, mediante sua distinctione virtuali aut fundamentali aut rationis ratiocinatæ:& sic etiam fortassis respondebit Mastrius. At si hic valeat illa responsio vbique valebit, & sic nullibi poterimus probare distinctionem formalem.

Infert deinde Mastrius ex sua doctrina sequi,quod nulla sit compositio in Deo nisi rationis cum fundamento in re,& multa alia absurda,quæ ex dictis & fundamentis omnibus quibus probatur distinctio formalis, manifeste apparent esse falsa.

Quare præstaret sane si argumentum ipsius videbatur sibi tam efficax, vt non potuerit respondere,id ingenue fateretur, sed similiter assereret argumenta oppositum probantia esse non minus efficacia, & propterea se nihil posse determinare;quam statuere doctrinam tam insulsam & contrariam omnibus Scoti principiis, quæ nullam habere possit apparentiam nisi destructa vniuersim distinctione formali Scoti,& eius loco substituta distinctione virtuali Thomistarum.

Probat secundo suam sententiam *num.*76. quia si ens diceret realitatem suo conceptui adæquatam communem Deo & creaturæ: ergo à parte rei daretur aliquid prius,& independentius Deo; quia realitas constituens est prior constituto per ipsam, cum in ordine ad eam habeat rationem partis,& totum constitutum dependet à partibus constituentibus, non è contra:si ergo ens se habet in ordine ad Deum vt realitas & pars constituens, plane sequitur esse independentius Deo.

Confirmari potest ex ipsomet paulo inferius,quia data nostra opinione ens ob suam communitatem præcederet Deum sicut animal hominem, & consequenter præcederet Deum non solum prioritate prædicationis, vt aiunt aliqui Scotistæ;sed etiam prioritate naturæ.

Respondeo negando consequentiam pro secunda parte, qua dicit quod daretur aliquid independentius Deo: cum enim ille conceptus entis non possit esse neque in Deo,neque in creatura sine Deo, non potest nisi absurdissime concipi, quod possit esse independentius Deo. Quantum ad primam autem partem distinguo consequens:esset prius Deo, quatenus posset concipi sine eo, quod cõcipiatur Deus,& possit etiam reperiri in aliquo, quod sit Deus, concedo consequentiam:esset alio modo prius Deo,sic, vt possit existere realiter sine Deo;aut vt Deus dependeat ab ipso tanquam à causa realiter distincta à Deo,nego consequentiam. Ad probationem consequentiæ similiter eam distinguo:realitas constituens est prior constituto quantum ad hoc, quod possit intelligi non intellecto constituto, non vero è contra, transeat; quantum ad hoc,quod possit esse à parte rei sine constituto,nego antecedens vniuersaliter,& eodem modo distinguo antecedens, quantum ad secundam partem de dependentia constituti à constituentibus.

Quæ responsio est valde facilis & eneruat totaliter argumentum Mastrij,cui tamen vt facilior reddatur,subiicio exemplum. Certe ipse fatebitur personalitates diuinas constituere personas diuinas & distingui ex natura rei & non tantum per intellectũ ab essentia diuina quæ etiam constituit cum illis eadẽ personas: vnde si valet discursus Mastrij erunt priores ac independentiores,quã personæ diuinæ:ergo aut illa posterioritas ac maior dependentia arguit imperfectionem in personis;quod hæreticum esset asserere, cum sit de fide nullam esse imperfectionem in persona diuina; aut non dicit imperfectionem,& sic posterioritas ac dependentia maior, quæ esset in Deo,quàm in ente ex eo,quod ens sit constitutiuum ipsius,non argueret imperfectionem,& quocumque modo Mastrius soluet hanc difficultatem, si proponeretur contra distinctionem ex natura rei essentiæ & personalitatis,eadem vel æquiualenti poterit solui difficultas ipsius,quæ reuera nullius est momenti.

Ad Confirmationem,nego antecedens quia animal ita præcedit hominẽ, vt possit esse à parte rei sine homine; ens autem nequit esse à parte rei absque Deo: ergo non est talis præcessio vtrobique.Quod si nihil aliud intelligatur per prioritatẽ naturæ, quam aliquid ita se habere

vt ab illo non conuertatur subsistendi consequentia in eodem supposito ; concedo ens esse prius natura quàm Deum, sicut essentia diuina est prior natura quam personalitas vlla diuina. Si vero per prioritatem naturæ intelligatur, quod res sic prior possit esse à parte rei, quàm alterum non esset, tum falsum est, quod ens sit prius natura, quam Deus, cum implicet vllum ens dari à parte rei nisi dependenter à Deo.

Probat tertio, *num.* 77. quia realitas illa communis, entis, si daretur, esset creata vel increata, aut participata vel imparticipata, aut necesse esse, vel non necesse esse sed quodcumque dicatur erit inconueniens : ergo non datur.

Respondent Scotistæ communissime hoc argumentũ nullius esse momenti: nam cum ille conceptus communis sit ex se formaliter indifferens ad Deum & creaturã, nõ debet formaliter importare vllam ex illis rationibus particularibus, quibus ad illos contrahitur, sed abstrahere ab omnibus. Quam responsionem cum proponeret Mastrius subiungit se cogi dicere, & certe, inquit, non absque rubore, Conscotistas suos hactenus non penetrare energiam huius argumenti.

At ille sane merito erubesceret, qui hanc notã doctissimis ac ingeniosissimis Magistris, quorũ nescio an dignũ se hucusque probauerit, qui esset discipulus, hanc notam inurit ; quamuis verum fateor eos non penetrasse energiam argumenti, quod nullam habet, nisi pueris obuiã.

Et quamuis Doctor 1. d. 8. q. 3. vtatur simili argumẽto ad probandũ, quod nihil cõmune Deo, & creaturæ possit esse genericum quid, quia illud commune esset necesse esse, & sic non posset esse genericum, quia nihil generici est necesse esse ; vel non esset necesse esse, & sic in Deo reperiretur aliquid, quod nõ esset necesse esse : tamen nõ iuuat hoc Mastrium : nam Scotus in alio sẽsu eo vsus est argumento, quàm possit Mastrius : accepit enim Scotus conceptum generis pro conceptu formalitatis potẽtialis cum imperfectione, qualis conceptus non solum formaliter non includit necessitatem, sed nec potest coniungi cum necessitate. Sensus ergo argumenti Scoti est hic : ille cõceptus genericus, qui esset communis Deo, deberet esse necesse esse, quod implicat ; aut deberet esse non necesse sic, vt neque formaliter, neque permissiue possit esse necesse esse, nam alias non esset genericus, hoc est, potentialis cum imperfectione, & sic Deus constaret aliquo, quod non esset necesse esse vllo modo ; quod implicat. Hic est verus sensus, vt patet ex intento & scopo, qui erat probare, quod quamuis cõceptus entis esset cõmunis non tamen genericus ; & in hoc sensu concludit. Mastrius vero non potest eo vti in eo, sed in sensu, in quo possit vrgere, quòd non possit dari conceptus communis Deo, qui abstrahit à necessitate, & non necessitate : sic autem nihil prorsus valet, vt est manifestum.

Addit tamen Mastrius patere ex dictis à se supra n. 42. & 44. efficaciam argumenti, quæ certe, inquit, nullo modo dissimulari potest : nihil enim concipi potest in Deo à parte rei existẽs, quod sit extra esse increatum, & imparticipatũ positiue, vel negatiue, neque aliquid in creatura, quod sit extra esse creatum, & participatum : ergo dari nequit à parte rei realitas communis per indifferentiã, vel per inexistentiam, quæ abstrahat ab illis rationibus.

Probat assumptum : quia ipsa ratio entis quæ in Deo est habet essentialiter diuinas proprietates, vt esse infinitam, independentem, & increatam, & non tantum identice vt responderi solet, sed etiam formaliter est de se infinita, ait enim Doctor 1. disp. 8. q. 3. R. quod quæcumque realitas essentialis in Deo quantumcumque præcise sumpta, est realiter infinita, & idem habet 2. d. 3. q. 6. L. qua ratione excludit ibi omnẽ compositionẽ in diuinis.

Confirmatur, quia creatura participat à Deo non solum tale esse, sed rationem entis, & secundum ipsam rationem entis producitur à Deo : ergo ratio illa entis præcise sumpta, ratione cuius creatura est aliquid, est realitas participata.

Probat assumptum ex Authore de causis, quod prima realitas rerum creatarum est esse, quam propositionem admittit Doctor 4. disp. 1. q. 1. §. *sed istæ rationes.*

Confirmat secundo, quia totum id quod est creatura est intrinsece finitum, participatum, & communicatum secundum omnem eius formalitatem, etiam quoad supremam & infimam ; si quidem creatura quoad omnem suam formalitatem est aliquid participatum.

Confirmat tertio, quia implicat concipere aliquid in creatura, quod non sit à Deo ipsi communicatum ; nam etiam secundum primam rationem entis est quid participatum & secundum eam terminat actionem Dei : ergo si concipiatur, etiam secundum rationem communissimam entis, debet concipi, vt aliquid participatum, quia tale esse intrinsece inuoluitur in ratione entis, quod conuenit creaturæ.

Confirmat quarto euidentissime, si Deo placet, realitatem entis si à parte rei reperiatur præcisa à realitatibus minus communibus, non posse præscindere à creato & participato : sumatur enim vt à cæteris præcisa in homine, verbi gratia, & quæratur secundum quam rationem primo, & per se competat ipsi esse causatum dependens & participatum : si dicatur secundum humanitatem, corporeitatem vel substantiam, hoc statim reiicietur, quia tunc accidens non esset dependens, & participatum ; non enim haberet illas rationes : ergo prima & adæquata ratio fundans dependentiam, & participationem est ipsissima ratio entis, vt sic, quæ conuenit creaturæ.

Hæc, inquit, argumenta sunt adeo euidentia, vt quilibet sanæ mentis cõuictus manere debeat, & fateri rationem entis, vt sic, quæ conuenit Deo non præscindere ab increato & participato, & quæ conuenit creaturæ non præscindere à creato & participato ; sed solum conceptũ entis immediate abstractum à realitatibus Dei, & creaturæ ita præscindere, quia hic conceptus, nec Deo determinate conuenit, nec creaturæ. Neque instantia (subiungit de animali præscindente à rationalitate, & irrationalitate) ab aduersariis inculcata facit ad rem, est enim valde dispar : nam rationale & irrationale sunt infimæ differentiæ specificæ, non supremæ, à quibus proinde aliqua realitas præscindere potest à parte rei existens, quæ formaliter cõsiderata & secũdũ se spectata, nec rationalis sit, nec irrationalis, sed materialiter tantum & identicè : sed non potest assignari in creatura alia realitas à parte rei existens, quæ non sit participata : quidquid enim habet, totum est à Deo ; vnde cum isti modi dependentiæ creationis & participationis sint vniuersalissimi, communissimi & supremi, nequit assignari realitas à parte rei existens, quæ sub eis non cadat : Quod explicat amplius, quia animal licet præscindat à rationali & irrationali, non tamen à corporeo ; & substantia, licet præscindat à corporeo & incorporeo, non tamen ab ente per se existente : rursus ens finitum licet præscindat à perfeitate & inhærentia, non tamen à finitate & participatione : ergo ens quod conuenit creaturæ vt sic, secundum suam præcisam formalitatem inuoluit finitatem & limitationem, vnde cõcludit nõ dari realitatẽ entis à parte rei in Deo & creatura, quæ formaliter præscindat à creato & increato.

Ad hunc discursum, Respondeo negando nihil concipi posse in Deo existens, quod secundum se, & suam rationem formalem intrinsecam, quatenus præscindit ab omnibus modis & formalitatibus, cum quibus in Deo coniungitur, abstrahat à finito & infinito, creato & increato & similibus aliis rationibus particularibus Dei, & creaturæ ; & dico oppositum esse contra omnia principia Metaphysicæ, quod patebit magis ex solutionibus rationum, quibus id conatur probare Mastrius.

Ad probationem ergo ipsius nego antecedens, in quo manifeste petit principium, & ad probationem distinguo assumptum : ratio entis quæ in Deo est habet diuinas proprietates essentialiter ; secundum formalitatem entis præcise ita, vt illæ proprietates inuoluantur in ipsamet formalitate entis, nego assumptum, in quo etiam petitur principium, si in hoc sensu adducatur ; quatenus coniungitur cum modo aut formalitate contrahente ipsum ad Deum concedo assumptum ; nec in eo sensu valet ad propositum, sed in priori tantum, in quo negatum est.

Ad

Ad authoritatem autem Scoti respondeo eum tantum velle,quod quæcumque realitas existentialis Dei sit formaliter infinita, vel positiuè & ex sua ratione formali, vel permissiuè quatenus potest coniungi cum infinitate; & hoc sufficit ad impediendam compositionem imperfectam quam negat Scotus Deo,quæ nequit esse absque finitate, & limitatione positiua in aliquo saltem ex extremis facientibus compositionem.

Ad primam confirmationem concedo,quod creaturæ participent à Deo rationem entis,sed nego,quod participent ipsam secundum rationē entis,ita vt ipsa ratio entis formaliter sit ratio ob quam possit creatura participare illā à Deo;sed potius ratio formalis huius est,vel finitas, vel quodcumque contrahit ens ad esse creaturæ distinctum ab esse increato & infinito. Sed vt respondeam in forma, concedo antecedens pro prima parte, & ipsum distinguo pro secunda parte: secundum rationem entis producitur à Deo ita,vt ipsa ratio entis producatur,concedo;ita vt sit ipsa ratio formalis sola ob quam produci possit nego; sed potius, vt dixi, ratio illa est finitas vel contractiuum entis ad esse creaturæ:concedo etiam consequens (quidquid sit de consequentia.)

Ad secundam confirmationem distinguo antecedens: totum quod est in creatura est finitum ac participatum secundum omnem formalitatem, quatenus coniungitur omnis formalitas, quæ est in creatura cum finitate & participatione concedo;quatenus omnis formalitas,quæ est in creatura, dicat finitatem intrinsecè, & quatenus præscinditur ab omnibus aliis formalitatibus & modis, quæ sunt in creatura, nego, & id assumere est manifestè petere principium, quod familiare est Mastrio & omnibus, qui carent bonis fundamentis.

Ad tertiam confirmationem distinguo consequens: quatenus verum est,quod communissima ratio entis habeatur à creatura per participationem, concedo consequentiam; quatenus illa ratio communissima ex sua intrinseca ratione habeat esse participatum, secluſa coniunctione ipsius cum aliis formalitatibus ac modis creaturæ,nego consequentiam, & in hoc sensu facit ad propositum & probari deberet à Mastrio.

Ad quartam confirmationem, quam euidentissimam vocat, Respondeo eam esse quidem talem,quatenus euidentissimè patet,quod nihil valeat,non alio modo.Dico ergo breuiter malam esse consequentiam,quamuis enim homo non habeat esse participatum à ratione humanitatis, corporeitatis aut substantiæ, non sequitur quod eam habeat à ratione entis; quia habet aliquid aliud, à quo eam habeat,nempe rationem finitatis,quod facile à Tyrone Metaphysico aduerti posset.

Ad disparitatem autem,quā assignat inter animalitatis præcisionem à rationalitate & irrationalitate, & entis à suis vel modis vel differētiis.Respondeo in ea peti principium; nec facere ad rem,quod rationalitas & irrationalitas sint differentiæ infimæ, finitas vero & infinitas sint differentiæ vel modi vniuersalissimi & supremi,hoc enim non obstante præscindit ab eis ratio entis, vt sic tam bene,quàm animal à rationalitate & irrationalitate, & oppositum asserere, est, vt dixi sæpius, petere principium; neque ex eo, quod ens præscindat,sequitur, quin possit esse participatū in creatura,sicut ex eo, quod animal præscindat non sequitur, quin possit esse rationale in homine; sed solum sequitur, quod non habeat esse participatum à sua ratione formali intrinseca absque coniunctione cum aliqua alia differentia aut modo.

Ad explicationem etiam maiorē quam adiungit,Respondeo consequentiam esse dignam Mastrio Authore,de qua potius erubescendum ipsi,quam de Conscotistarum defectu in non aduertenda energia ludicri argumenti ab ipso propositi. Sed in forma eam nego.quid enim habet commercij, animal, substantia, ens finitum, non præscindunt à formalitatibus,quibus intrinsecè essentialiter constituuntur in esse tali formaliter:ergo ens non præscindit à differētiis aut modis,quos non cōcludit intrinsecè & essentialiter,& quibus latius patet.Imò quod non valet illa paritas potest vlterius probari ex principiis ipsius Mastrij:nā ipse fatetur per intellectū cum fundamento in re posse concipi ens, quin concipiatur finitas aut infinitas,& tamē non concedit posse concipi animal sine corporeitate,neque substantiā sine perfectate,neque ens finitum sine finitate:ergo non est eadem ratio de illis quantum ad præcisionem:quo nihil manifestius est.

Probat quarto,*n.*80. Deus secundum omnes formalitates,quæ sunt à parte rei in ipso,est essentialiter singularis:ergo realitas entis,vt sic, reperta in Deo à parte rei erit de se hæc & non communis.

Probat antecedens primo ex Scoto 1.d.8.qu.3.Bb dicente,quod ens,vt conuenit Deo, est ipsum esse infinitū & non tantum aliquid cui conuenit ipsum esse, & ideo ex se est hoc, & ex se infinitum:per quod inquit dictum Scoti mirabiliter confirmatur argumentum præcedens.

Probat secūdo antecedens ratione;quia sicut in creatis vnaquæque res est singularis secūdum omnes suas rationes per indiuiduationem superadditam naturæ:ita Deus per singularitatem sibi essentialem & non superadditam est secundum omnes formalitates suas singularissimus, ita quod vnicuique formalitati singularitas sit essētialis.

Respondeo distinguendo antecedens secundum omnes formalitates proprias Deo, quatenus propriæ sunt concedo; secundum formalitates, quæ secundum suam rationem formalem non sunt ita propriæ Deo, quin possint competere creaturæ nego antecedens.

Ad probationem primam ex Scoto respondeo eum tātum velle,quod ens vt proprium Deo, hoc est,vt contractum per infinitatē aut quodcumque aliud ad Deum, sit ipsum esse, & non aliquid cui conueniat esse,quod si loqueretur de ipsa formalitate entis, quæ in Deo est, vt distinguitur à cæteris formalitatibus diuinis, & vellet dicere,quod illa formalitas,vt sic distincta,sit ipsum esse infinitū, & non aliquid cui conueniat esse;adhuc intelligi deberet non quod sensus esset illā formalitatē entis esse ex se formaliter ens infinitum: hoc enim manifestè falsū esset;sed quod haberet ex se coniungi realiter cum infinitate sine dependentia à causa extrinseca vel quantū ad possibilitatem,vel quantum ad existentiam realem.

Ad secundam probationem distinguo illam, vt paulo ante distinxi antecedens,quod per eam probatur,quoad omnes formalitates proprias Deo,concedo;quoad communes ipsi, & creaturis nego:& quod sit differentia inter has formalitates patet euidenter in ipsamet sententia Mastrij;quia à formalitatibus,quas dicimus nos communes ex sua ratione formali ipsemet concedit per intellectum posse abstrahi conceptum communem;ab aliis vero Deo propriis non potest id fieri.

Sed contra hanc responsionē replicat ex ea sequi compositionē in Deo,& quod aliqua realitas,quæ est in Deo possit esse in creatura,& consequēter non esse Deus. Verum hæc replica, qua vtuntur Thomistæ & Recentiores communiter cōtra Scotistas,parum facessit negotij. Nego ergo primam partem,quia ad compositionem requiritur aliquod extremum finitum,vt patet ex dictis de distinctione formali & alibi sæpe. Quoad secundam partem concedo, quod aliqua formalitas conueniens Deo possit reperiri in creatura quoad aliam omnino similem formalitatem; quod nullo modo est inconueniens.

Probat quinto,*n.*81.ostēdendo quomodo non obstāte, quod non daretur in Deo aliqua realitas communis ipsi & creaturæ,adhuc possit conuenire in cōmuni conceptu entis inadæquato:quia inquit res aliqua potest intelligi confusè & indistinctè duobus modis,primo quādo concipitur secundum gradum communem prædicamentalē, quia isti fundantur in naturis cōmunibus à parte rei;alio modo cōcipitur res confusè & indistinctè,quādo inadæquatè concipitur ob aliquam conuenientiā & veluti inchoatam similitudinem, quam habet cum alia re & sic concipiuntur, quæ attinguntur secundum gradus transcendentales,quia isti non fundantur in vna natura communi à parte rei,sed super quandā virtualem & inchoatam similitudinem, quod exemplo declarat: cum quis concipit hominem & equum in esse animalis, opus est tunc eadē conceptione cognoscere adæquatè realitatem

anima

animalitatis ipsis communem;sed quando res aliqua indistinctè concipitur ex eo, quod concipiatur conceptu inadæquato, suppositio aliquo fundamẽto similitudinis, tunc non est opus realitatem aliquã distinctè & adæquatè concipere.O exemplum aptissimum,quod nec clarius nec verius est, quam ipsamet res ad quam declarandam adducitur! Sed ad rem breuiter dico manifestum esse, quod disparitas illa, quã ponit Mastrius inter duos illos modos concipiendi sit fictitia,nam si cõceptus & gradus transcendentales non fundentur in naturis cõmunibus à parte rei;sed in inchoata similitudine aliquarum rerũ,& propterea concipiendo illos gradus nulla realitas adæquate concipitur;sane idem omnino dicendum de gradibus prædicamentalibus; quod si gradus prædicamentales fundantur in naturis à parte rei communibus; idem dicendum de transcendentalibus & oppositum dici nequit hic nisi gratis, & cum petitione principij.

Ex quibus omnibus patet sine sufficienti fundamento hunc Authorem elegisse sibi hanc sententiam,& cum ab illis præterea dependeat maxima pars eorum,quæ habet in tota disputatione secunda,eam totam esse ab ipsomet retractandam, vel certe Scotistis omnibus cauendam; vnde non libet in iis vlterius refutandis hærere.

Addam tamen maioris claritatis gratia,non sufficiẽter satisfacere ipsum difficultati contra se propositæ *n.*88. cum enim vrgeret contra responsionem, quam ipse dedit paulo supra ad argumentũ, quod ex similitudine Dei cum creatura in ratione entis, & dissimilitudine in ratione infinitatis probatur, quod ratio entis à parte rei distingueretur à ratione infinitatis, cum,inquam,contra suam responsionem ad hoc vrgeret, quod inde sequeretur ex conuenientia hominis cum Bruto in animalitate, & disconuenientia in rationalitate, non posse efficaciter colligi distinctionem ex natura rei inter animalitatem & rationalitatem. Negat sequelam;quia inter hominem & Brutum est similitudo realis actualis & positiua,qualis non est inter Deum, & creaturam in ratione entis; quæ est tantum virtualis & fundamentalis.Et cum contra hoc opponeret non esse rationem,cur vna similitudo sit positiua,& actualis potius,quam altera: respondet id negando, quia homo & Brutum, & idem est de reliquis speciebus & indiuiduis,non sunt primo diuersa in realitate;Deus vero & creatura sunt sic primo diuersa in realitate,tum quia omnes id fatentur;tum quia magis distat sine dubio Deus & creatura, quam species creatæ & indiuidua. Sed hæc responsio mihi videtur esse mere verbalis,sine vlla probabilitate in re ipsa.Vnde dico si Deus & creatura sint ita primo diuersa vt non habeant similitudinem actualem,sed virtualem & propterea formalitas in qua conueniunt non distinguatur à parte rei ab illa qua disconueniunt, idem omninò dicendum de speciebus, & indiuiduis creatis inter se comparatis, & gratis asseri oppositum,cum nulla possit dari ratio ob quam maior similitudo,aut distinctio in ea probari possit.Et è contra si possit probari similitudo positiua, & conuenientia aliqua in realitate inter hominem, v. g. & Brutum,posse idem probari inter Deum,& creaturam in ratione entis.Nec est verum,quod sit maior disconuenientia inter Deum, & hominem in ratione entis,quam inter hominem & Brutum in ratione animalitatis. Nec etiam est verum,quod omnes concedant Deum,& creaturam esse primo diuersa in realitate quacumque, id enim ego constanter & omnes concedere debent,qui admittunt præcisionem obiectiuam & vniuocam entis, si consequenter velint loqui,& quamuis Scotistæ communiter asserant Deum, & creaturam esse primo diuersa in realitate subiectiua,non obiectiua,volũt tamen per hoc tantum quod non ita conueniant, vt differant per differentias, sed per modos: vnde quamuis admittant,quod conueniant in ratione entis distincta formaliter, aut ex natura rei à modo contrahente;quia tamen non videtur ipsis tanta distinctio inter formalitatem, & modũ suum contrahentem, propterea dicũt quod formalitas entis in Deo cõtracta suo modo infinitatis sit subiectiua totaliter diuersa à formalitate entis contracta ad creaturam per finitatis modum.Quam quidem doctrinam fateor difficilem propter rationes, quas opposui in Metaphysica; vnde longe facilius esset concedere conuenientiam realem,& subiectiuam & differentias contrahentes ens ad Deum & creaturam,præcisis tamen imperfectionibus.

## QVÆSTIO III.

*De quibus, & quomodo prædicatur ens.*

Ens completum prædicatur formaliter de quocũque indiuiduo cõpleto reali, & de omni alio quod in quid de tali prædicatur vsque ad ipsum ens.

NOn est dubium quin ens completum reale, vt sic possit prædicari formaliter de quocumque indiuiduo completo reali siue finito siue infinito,siue substantiali siue accidentali, & de quocumque etiam conceptu, qui prædicari possit in quid de quocumque tali indiuiduo vsque ad conceptum ipsiusmet entis, nam Deus dicitur formaliter ens;& hæc albedo;& hæc substantia, & substantia vt sic; & accidens vt sic. Et ratio est,quia esse formaliter ens non est,nisi includere in se intrinsecè rationem formalem entis taliter, vt explicari non possit quin directè in explicatione ipsius ponatur ens, vel aliquid coincidens cum ipso, vt res, vel aliquid, id est, aliquod ens.

Vnde duæ tantũ remanent difficultates examinandæ, an scilicet ens prædicetur formaliter de differentiis, aut modis intrinsecis,quibus contrahitur, aut ipsum,aut vllum ex inferioribus ipsiusmet,quæ prædicari possunt directè, & in quid de indiuiduis completis. Secunda vero difficultas est,an prædicetur de illis indiuiduis omnibus, & aliis gradibus completis prædicabilibus de iisdem indiuiduis vniuocè,an vero æquiuocè,aut analogicè.

## CONCLVSIO I.

Nõn potest prædicari formaliter de differentiis, aut modis quibus ipsummet contrahitur.

20. *Ens non prædicatur formaliter de differentijs,aut modis intrinsecis determinatiuis, aut contractiuis eius ad illa inferiora, de quibus supra dictum est ipsum secundum omnes prædicari;bene tamen prædicatur de illis identicè,& realiter.* Hæc est *Doctoris in* 1.*dist.*3.*quæst.*3. cum suis communiter contra *Thomistas, & Recentiores.*

*Probatur*,quia vel differentia contrahens ens,(& idem est de modo ac proprietate)præter rationẽ entis includit aliquid aliud formaliter,vel nihil:si nihil, ergo non potest esse differentia entis:hoc est,non potest esse ratio,cur formaliter vnũ ens distinguatur ab alio ente:si aliquid, quæro rursus de alio, vtrum includat etiam formaliter rationem entis: si sic, dabitur processus in infinitum,& consequenter in qualibet re includentur actu infinitæ formalitates distinctæ, quod implicat; si non,ergo idem dicendũ erat primo,nimirum quod differẽtia formaliter non includeret ens,eadem enim est ratio de ipsa differẽtia,& de quocumque incluso in ipsa quantum ad hoc.

*Confirmatur*, quia si formalitas differentiæ, aut modi contrahentis ens includeret ens, & aliquid aliud formaliter,illud aliud potius esset differentia, quam includens ipsum,& ens. Et hæc ratio probat nullam prorsus differentiam Metaphysicam siue subalternam, siue infimam includere ens formaliter, quamuis multi *Scotistæ* communiter extendant conclusionem ad solas differentias infimas.

*Confirmatur secundo*, de differentiis vltimis specialiter, quia si præter rationem entis includerent aliquid aliud, non essent differentiæ vltimæ,sed potius illud aliud esset differentia vltima, quæ differentia vltima est illud,quod ita facit differre, vt ipsa non differat per aliquid aliud, sed seipsa: sed differentia non esset tale, quia includeret præter rationem entis, in qua conueniret cum omnibus aliis,aliquid aliud,per quod ab aliis distingueretur.

*Probatur secundo conclusio*, quia in composito physico fit resolutio in partes physicas, quarum neutra includit aliquid physicum alterius, verbi gratia, in materiam, & formam: ergo in composito metaphysico debet fieri resolutio in partes, quarum neutra includit aliquid metaphysicum alterius: sed hoc esset falsum si differentia includeret formaliter ens: ergo.

*Probatur tertio*,quia si includit differentia (& idem est de modo & proprietate) formaliter rationem entis, vel illam rationem entis, quam contrahit, vel aliam; neutrum dici potest:ergo.

Probatur minor,quia non illam ipsam rationẽ entis, quam

quam contrahit, alias non esset contractiua, nihil enim contractiuum est vllius, quod formaliter includit, sicut nec homo est contractiuum animalis, quod includit, sed potius est illud, ad quod contrahitur animal. Non etiam aliam rationem entis, quia in qualibet re vna superflue ponerentur plures formalitates entis distinctæ, sicut superflue ponerentur in homine plures rationalitates, aut risibilitates.

*Probatur quarto*, quia nulla differentia est illud, ratione cuius formaliter conuenit alicui rei existere: ergo nulla differentia est formaliter ens. Consequentia patet, quia illud, ratione cuius formaliter conuenit rei existere, est ens formaliter.

Probatur antecedens, quia formalitas, ratione cuius conuenit formaliter rebus omnibus existere, est eiusdem rationis in omnibus illis: sed differentiæ rerum non sunt eiusdem rationis: ergo.

21. *Obijcies primo*: conuenit ipsis definitio entis realis: ergo includunt ens reale.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: realiter concedo, formaliter nego; & similiter distinguo consequens.

*Dices*, ex sua ratione formali cõuenit ipsis vel ens reale, vel nihil; neque enim datur mediũ inter illa: ergo non solum realiter, sed formaliter includunt rationem entis.

*Respondeo*, negando antecedens cum sua probatione. Licet enim non detur medium inter ens reale, & nihil simpliciter; tamen datur medium inter ens reale formaliter, & nihil formaliter, nimirum illud quod est formaliter determinatiuum entis realis ad talem vel talem speciem.

Datur medium inter ens formaliter & nihil.

*Dices*: illud, quod est determinatiuum, formaliter existit à parte rei, quando res, in qua est, existit: ergo conuenit ipsi ex sua ratione formali existentia, & consequenter cõueniet ipsi ex sua ratione formali definitio entis realis.

*Respondeo*, negando consequentiam; quia licet albedo dicatur conuenire formaliter parieti, tamen certum est, quod non conuenit ipsi ex sua ratione formali: ergo licet existentia conueniret differentiæ entis, non esset necesse vt conueniret ipsi ex sua ratione formali.

*Dices*: si conuenit ipsi formaliter existentia, debet ex sua ratione formali dicere non repugnantiam ad illam: sed hoc sufficit, vt conueniat ipsi formaliter definitio entis: ergo.

*Respondeo*, negando maiorem: sufficit enim quod realiter dicat illam non repugnantiam.

*Dices*: si ex sua ratione formali non conueniat ipsi illa non repugnantia: ergo conuenit ipsi repugnantia ex sua ratione formali.

*Respondeo*, negando consequentiam; nam licet alterum ex contradictoriis debet conuenire cuilibet simpliciter, tamen non debet conuenire cuilibet ex sua ratione formali; sicut non conuenit animali ex sua ratione formali habere rationalitatem aut negationem eius.

*Dices* vlterius: ex sua ratione formali est aliquid, ergo ens.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: aliquid, id est, aliquod ens, nego: aliquid, id est, determinatiuum aliquod entis, concedo, & nego consequentiam.

22. *Obijcies secundo*: Aduersarij nihil aliud intelligunt per ens, quam illud quod existit, vel quod potest existere realiter quomodocumque, siue hoc ipsi competat ex sua ratione formali, siue non; sed differentiæ existunt: ergo sunt entia formaliter in sensu aduersariorum, & consequenter non habemus cum ipsis nisi quæstionem de nomine.

*Respondeo primo*, male eos hoc intelligere per ens formaliter, quia esse ens formaliter, est distinctum aliquo modo ab hoc, quod est esse, aliàs frustra adderetur ly *formaliter*: sed non esset distinctum, si nihil intelligeretur per esse ens formaliter, quam posse existere quomodocumque, nam quod est ens, potest sic existere, & significatum entis est posse existere quomodocumque.

*Respondeo secundo*, distinguendo consequens: ergo differentiæ sunt entia formaliter, id est, conuenit ipsis ex sua ratione formali ista ratio, nego; id est, ratio formalis entis conuenit ipsis, concedo, & nego vltimam consequentiam.

23. Vt melius hoc intelligatur, *aduerte*, aliud esse, quod ratio formalis entis conueniat differentiis; aliud esse, quod ista ratio formalis conueniat ipsis ex ratione formali differentiarum, aut quod ista ratio intrinsecè, & quidditatiuè includatur in differentiis, & consequenter quando dicitur quod sint, vel non sint entia formaliter, quia illud ly *formaliter* potest accipi æquiuocè in vtroque sensu, valde cauenda est æquiuocatio ipsius, & semper explicanda est eius significatio, vt sic de re ipsa & non de nomine disputetur.

Ratio formalis entis cõuenit differentiis, sed non includunt illam.

*Dices*: in hac responsione conceditur, quod conueniat omnibus differentiis ratio formalis entis: ergo conueniunt vniuocè omnes differentiæ in vna illa ratione prædicabili vniuocè de ipsis: sed omne prædicatum vniuocum est formaliter prædicabile de vniuocis: ergo ratio entis est formaliter prædicabile de differentiis.

*Respondeo*, concedendo primam consequentiam, & distinguendo subsumptum, & vltimum consequens: formaliter prædicabile, id est, prædicabile per modum prædicati essentialis intrinseci, nego: formaliter prædicabile per modum prædicati aliquo modo coniuncti cum illis, concedo: & hæc distinctio sicut præcedens notanda est non solum in hac, sed in multis aliis materiis.

24. *Obijcies tertio*: plus conueniunt inter se ex sua ratione formali duæ differentiæ, quam conueniunt cum nihilo: ergo conueniunt ex sua ratione formali in ratione entis.

Quomodo differẽtię plus cõueniũt inter se quã cum nihilo.

*Respondeo*, distinguendo antecedeus: plus conueniunt, id est, maiorem dicunt proportionem ad se inuicem, concedo; plus conueniunt in aliquo conceptu vno incluso in ipsis & abstrahibili ab ipsis, nego antecedens & consequentiam.

*Obijcies quarto*: secundum *Philosophum 3. Metaphysicorum text.* 10. ideo ens, non est genus, quia includitur in differentiis.

*Respondeo* cum *Scoto* ibidem, *Philosophum* nihil ibi resoluisse, sed disputasse tantum problematicè pro vtraque parte proponendo probabiles rationes hinc inde, & consequenter non esse contra ipsum, si quis accipiat vnam partem, & deserat alteram.

*Quæres*, quid est vltima differentia?

*Respondeo* vltimam differentiam posse capi tripliciter.

*Primo* pro illa quæ non est vlterius determinabilis per aliam aliquam minus communem differentiam, & in hoc sensu sola singularitas est differentia vltima; quia omnis alia differentia tam infima, quam subalterna est contrahibilis per singularitatem.

*Secundo modo* potest sumi pro omni differentia, per quam ita res differat ab aliis, vt in nulla formalitate istius differentiæ conueniat cum ipsis: & in hoc sensu quælibet differentia tam infima, quàm subalterna est vltima; nam homo, verbi gratia, non solum per rationalitatem differt à lapide, ita vt non conueniat cum ipso in vlla formalitate rationalitatis, sed etiam per sensitiuitatem & vitalitatem.

Quæ differentia vltima & non vltima.

*Tertio* potest sumi pro illa, per quam vltimo differt res essentialiter ab alia re: & in hoc sensu sensitiuas non est vltima differentia hominis ab vllo, nec etiã singularitas, sed rationalitas, seu quæcũque, quæ est propria homini. Sensitiuas autem, licet non sit in hoc sensu vltima differentia hominis in esse hominis, est tamẽ vltima differentia animalis & hominis, etiã quatenus animal est. Et certe in hoc tertio sensu credo apud *Scotum* cõmunius accipi differentiã vltimam. Sed quoniam in nullo ex his sensibus in quibus differẽtia vocatur non vltima potest vlla ratio communis abstrahi à differentiis; & Scotus tamen videtur admittere quod differẽtiæ vltimæ possunt cõuenire in ratione aliqua cõmuni, credo in alio sensu posse capi differentiam vltimam, in quo à differẽtiis plurimis possit abstrahi ratio cõmunis: ille autẽ sensus erit quatenus differẽtia non vltima diceretur aggregatum ex duabus differentiis, verbi gratia, ex sensitiuitate & rationalitate; aut ex sensitiuitate & irrationalitate; nam ex his

duabus

duabus differentiis potest abstrahi ratio sensitiuitatis;& neutra est vltima, quandoquidem rationalitas sit posterior quam vlla ex illis.

## CONCLVSIO II.

Ens prædicatur de Deo & creaturis substantia & accidẽtibus vniuocè.

25. *Ens vt sic prædicatur formaliter vniuocè de Deo & creatura, substantia & accidentibus, non vero æquiuocè aut analogicè, prout prædicari analogicè opponitur prædicationi vniuocæ.* Hæc est *Doctoris in 3. disput. 3. quæst. 3.* cum suis, quos sequitur *Arriaga*, & alij plures, contra quosdam antiquos,qui putauerunt ens esse æquiuocum illis inferioribus, & *Thomistas* communiter ac plurimos recentiores existimantes ens vt sic esse analogum respectu Dei & creaturæ, substantiæ & accidentium.

*Probatur manifestè.*quia nihil aliud intelligitur per ens vt sic, quod de his dicitur formaliter, quam illud cui non repugnat realis existentia ex ratione sua formali: sed certum est esse in Deo & creaturis, substantia & accidentibus aliquid cui non repugnat ex sua ratione formali realis existentia, alias non possent realiter existere: ergo reperitur in illis ratio entis formaliter, & consequenter potest de ipsis prædicari formaliter.

*Præterea* ille conceptus entis est vnus & præcisus, vt probatum est quæstione præcedenti,& secundum eandẽ omnino rationem prædicatur de illis; quia si explicetur conceptus entis,vt dicitur de Deo,non aliter explicabitur quam dicendo quod sit illud, cui ex ratione sua formali non repugnat realis existentia,& similiter omnino explicabitur cõceptus entis dictus de creaturis,&de substantia & accidentibus : ergo prædicatur de ipsis vniuocè;quia nihil aliud requiritur ad hoc, quod prædicetur quidpiam vniuocè de aliquibus, quam quod prædicetur de illis secundum eandem rationem, & quod præterea includatur in ipsis essentialiter,& habeãt aliquas formalitates contractiuas,quæ omnia reperiũtur in proposito.

26. *Dices* vlterius:requiri quod prædicatum,quod dicitur vniuocè, non habeat essentialem dependentiam, vt est in vno ex illis,de quibus dicitur,ab altero ex illis:sed hoc non est verum de ente,neq; de vllo prædicato,quod dicitur de Deo & creaturis,quia omnis formalitas creata habet dependentiam à Deo:nec etiam verum est de vllo prædicato communi substantiæ & accidentibus, quia omne accidens habet dependentiam à substantia.

*Contra*, quia hoc est reducere rem ad quæstionem de nomine, de qua parum curandum est, cum agitur de re; & deinde gratis asseritur id requiri, cum non ponatur in definitione,aut descriptione vniuocorum,iuxta quam descriptionem hic agimus de illis.

*Alij dicunt* prædicatum,quod dicitur vniuocè de pluribus,transcendere debere differentias,per quas contrahitur ad illa plura, & non includi formaliter in illis;quod non est verum de ente,quandoquidem imbibatur,vt loquuntur,in differentiis,& dicatur formalissimè de illis.

*Sed* præterquam quod falsum sit ens includi formaliter in differentiis, vt patet ex conclusione præcedenti, adhuc impugnatur hic dicendi modus per dicta contra præcedentem,quæ æqualiter hic currunt, & etiam contra eos, qui dicunt prædicatum vninocum non debere contrahi per differentias inæqualis perfectionis, & propterea ens non posse esse vniuocum : contra quos etiam facit quod sequeretur, animal vt sic non esse vniuocum respectu hominis & bruti.

27.*Obijcies primo*:si ens vt sic esset vniuocum substantiæ & accidenti, sequeretur quod esset genus respectu eorum,& sic decem suprema genera prædicamentorum non essent suprema genera, quod videtur absurdum.

Non obstãte vniuocatione decẽ genera prædicamẽtalia sunt suprema genera.

*Respondeo*, omittendo aliam responsionem, de qua obiectione sequenti, distinguendo sequelam maioris pro secunda parte; non essent suprema genera prædicamentalia, nego sequelam, quia quodlibet ex illis est supremum genus ex omnibus, quæ ponuntur in suo prædicamento, nihil enim commune aliis prædicamentis ponitur in vllo ex illis prædicamentis : non essent suprema genera sic, vt non habeant supra se aliud genus, quod tamen non sit prædicamentale, concedo sequelam, & nego id esse absurdum, aut inconueniens.

28.*Obijcies secundo*:sequeretur quod ens esset genus ad Deum & creaturas;sed hoc est absurdissimum : ergo.

Probatur maior, quia esset aliquid prædicabile de ipsis in quid vniuoce,& contractum ad illa per differentias specie diuersas : nihil autem aliud requiritur ad rationem generis.

Probatur etiam minor,quia sequeretur Deum constare genere & differentia, ac consequenter eum esse compositum compositione metaphysica ex gradu perfectibili & perfectiuo : & consequenter vlterius eum non esse simpliciter perfectum.

An ens contrahatur ad Deũ per differentias vel modos intrinsecos.

*Ad hanc obiectionem*, quæ est fundamentum potissimũ aduersæ sententiæ,respondere solẽt *Scotistæ* iuxta doctrinam insinuatam ab ipsomet *Scoto* supra,negando sequelam maioris, & probationem eius pro secuda parte;existimant enim ens vt sic non contrahi ad Deum & creaturas per differentias, sed per modos intrinsecos, genus autem debere esse quid contrahibile per differentias, & hãc etiam ob causam dicunt ens finitum,quod diuiditur immediatè in decem prædicamenta, non esse genus respectu eorum, & consequenter negarent sequelam obiectionis præcedentis.

29. *Hæc doctrina*, quamuis probabilissima sit vel ob ipsam *Scoti* & Scotistarum omnium authoritatem, & fortasse in re ipsa vera sit, patitur tamen ingentes difficultates, quas ego fateor me nunquam superare potuisse, & quas iam proponam, tum vt ipsa doctrina melius intelligatur,tum vt melioribus ingeniis rem melius examinandi occasio detur.

*Itaque in primis* illud, quo vel re ipsa formaliter loquendo, seu ante omnem operationem intellectus, vel nostro modo concipiendi contrahitur ens ad Deum vel substantiam aut accidens, esse modum intrinsecum & non differentiam,videtur omnino non solum gratis dictum,sed contra rationem;si enim illud quod contrahit animal ad brutum sit differentia,cur non esset differentia illud,quo contrahitur ens ad substantiam;neq; enim quantum ad vllam rationem aut experientiam apparet maior esse differentia inter hominem & brutum, quam inter substantiam & accidens.

30. *Dices* colligi quod non possit esse differentia illud contractiuum, quia sequeretur compositio in Deo.

*Sed contra*,quia licet inde sequeretur non debere poni differentiam in Deo,non sequitur quin posset poni differentia in substantia finita & accidenti finito.

*Deinde*, si potest stare contractio entis finiti ad substantiam & accidens absque differentia, non potest assignari ratio,quare non posset stare contractio substantiæ ad spiritualem & materialem; & eodem modo contractio cuiuscumque gradus superioris ad inferiora absque differentia; & sic nulla omnino daretur differentia, sed omnia contrahentia essent modi intrinseci.

*Præterea*, difficile est ostendere, cur sequeretur potius compositio in Deo ex eo,quod includeret formalitatem entis distinctam formaliter à modo intrinseco, & aliam formalitatem differentiæ, quàm ex eo quod includeret illam formalitatem & modum intrinsecum.

*Vlterius*,si formalitas entis communis Deo & creaturis sit eiusdem rationis obiectiuæ,& formalis;quamuis cõtrahatur ad Deum per modum, & non perficiatur propterea in Deo;tamen quãdoquidem illa formalitas perficiatur in creatura per differentias inferiores, v. g. per sensitiuitatem & rationalitatem est omnino difficile, quod ex ratione sua formali non sit perfectibile.

*Denique* videtur incredibile quod contractione eius ad Deum non magis perficiatur, quam ex coniunctione eius cum sensibilitate, cum multo perfectius sit totum constitutum ex ipso, & modo illo intrinseco, quam constitutum ex ipso,& sensitiuitate.

31. *Secundo* contra illam doctrinam facit, quod non possit declarari bene quid sit modus intrinsecus, vt opponitur differentiæ sic, vt possit sufficere ad propositum discrimen, quod inter ipsa assignari solet, aut potest, quod vt appareat, examinandum est quomodo soleat modus intrinsecus describi.

*Itaque*

*Itaque dicunt* modum intrinsecum esse,qui non variat rationem formalem constituti per ipsum;circa quam tamen descriptionem explicãdam *Scotistæ* inter se nó conueniunt,aliis dicẽtibus, quod per constitutum intelligatur constitutũ specificatiuè loquendo,v.g.illud quod determinatur,& contrahitur per modum intrinsecum;aliis vero existimãtibus,quod intelligatur constitutũ formaliter,& reduplicatiuè,hoc est,illud quod includit formalitatem determinabilem,& modum,quo determinatur.

*Sed quomodocũq; explicetur*,nõ videtur sufficere ad propositũ,quia sic intelligitur,quod modus nõ variet rationẽ formalẽ constituti,specificatiuè loquẽdo,hoc etiã cõperit differẽtiæ,nã rationalitas nõ variat rationẽ formalẽ animalitatis,quã determinat,& cõstituit in esse hominis,sicut infinitas determinat ens,& cõstituit in esse Dei. Si vero intelligatur de constituto formaliter,& reduplicatiuè,omnino videtur,quod illud,quo contrahitur ens, vt sic,ad esse Dei,tam variet rationẽ formalẽ,& entis & Dei,ac rationalitas variat rationẽ formalem animalis ac hominis,nam prorsus, aut tanta,aut maior est differẽtia inter Deum,& ens, quàm est inter hominem,& animal.

32. *Alij explicãt* illam non variationẽ rationis formalis cõstituti cõsistere in hoc,quod,quãdo cõcipitur res cum modo,non cõcipiatur sub alia ratione formali,quã concipiebatur sine modo,sed sub eadem ratione formali cũ maiori perfectione,& propterea modus nõ dicitur variare rationẽ formalem constituti,seu illius cui aduenit,aut aduenire concipitur ; quando vero concipitur res cum differentia,tum concipitur sub diuersa ratione formali.

*Sed contra hoc*,quia,vt iam dixi,quando concipitur res, vt Deus concipitur sub diuersa ratione formali,ac quando concipitur vt ens , tam bene quam quando concipitur vt homo, concipitur sub diuersa ratione formali, ac quando concipitur vt animal.

*Nonnulli discrimen ponunt* inter modũ,& differentiam, quod differentia sit realitas perfectè conceptibilis absque re , cuius est differentia , & quod adueniat realitati perfectè conceptibili absque illa.modus vero non possit perfectè cõcipi sine re,cuius est modus,nec res illa possit perfectè concipi sine modo,quamuis possit imperfectè.

33. *Sed contra primo*,quia quacumque ratione diceretur ens non posse perfectè concipi,quin cõcipiatur vt Deus vel vt creatura,poterit etiam dici quod animal non possit perfectè concipi quin concipiatur vt rationale,vel irrationale. *Secundo*,ideo potest dici quod rationalitas,quæ est differentia hominis possit perfectè concipi absq; homine,aut animali,quia potest concipi per modum principij quo discursus,aut aliquo simili modo,non ponẽdo animal in eius definitione, aut descriptione : sed eodem modo potest concipi, & describi illud,quo contrahitur ens ad Deum dicendo : est id quod potest omnia facere, aut à quo habet esse indepẽdens:ergo nulla est illa differentia,quæ assignatur inter modũ intrinsecũ,& differentiã. *Præterea* differẽtia similitudinis à dissimilitudine non videtur cõcipi posse,quin concipiatur relatio,quæ cõtrahitur per ipsã,nec differentia intellectionis ab altera:ergo male discriminatur modus à differẽtia per hoc,quod modus non potest concipi absque modificato, differẽtia vero possit concipi absque differentiato,vt ita loquar.

34. Propter hæc & alia,visa mihi fuit semper difficilis hæc communis *Scotistarum* doctrina,quæ in ipsomet *Scoto* fundamentũ habet:quare aliter conabor, respondere ad obiectionẽ præmissã, ad quã soluendã hæc doctrina excogitata est. *Respondeo* ergo ad obiectionẽ distinguendo sequelã maioris:si nihil aliud intelligatur per genus,quã aliquid vnũ cõtrahibile ad plura distinctæ rationis etiã per differentias,concedo maiorem;si requiratur vlterius quod si quid positiuè limitatũ, nego maiorẽ:& similiter distinguo minorem:est absurdũ quod sit genus,capiẽdo genus primo modo in eo sẽsu,in quo admissa est maior, nego minorem;in alio sensu,in quo negata est, concedo minorem,& nego consequentiã.Ad probationem maioris,nego sequuturum ex eo,quod Deus constaret genere & differentia,capto genere in sensu concesso, quod esset compositũ cõpositione Metaphysica ex gradu perfectibili & perfectiuo , modo sibi aut simplicitati suæ repugnanti;nam sicut non impedit simplicitatem nec perfectionem diuinam, quod includat formalitatem essentiæ diuinæ & formalitates sapientiæ,iustitiæ,ac relationum, non impedit etiam simplicitatem ipsius , quod includat formalitatem generis,& formalitatem differentiæ seclusis imperfectionibus:& sicut essentia diuina non est perfectibilis per attributa, aliqua perfectibilitate , quæ inuolueret imperfectionem ; similiter formalitas entis in Deo non est perfectibilis per formalitatem differentiæ aliqua perfectibilitate, quæ inuolueret imperfectionem.

An ens sit genus respectu Dei , & creaturæ

Non sequitur compositio in Deo ex inclusione entis & differentiæ.

35. *Dices*, disparem esse rationem, quia essentia diuina est infinita , fundamentaliter & eminenter includit sapientiã,& reliqua attributa,& propterea non facit compositionem Metaphysicam cum ipsis,nec est perfectibilis propriè ab ipsis : ens autem,quod includitur in Deo, vt præscindit à differẽtiis,seu modis contrahẽtibus,non est infinitũ,nec includit eminenter & radicaliter istas differentias aut modos : ergo erit propriè in potentia & perfectibilis perfectibilitate inuoluente imperfectionem.

*Confirmatur* , quia ens in creatura est propriè in potentia : ergo & in Deo. Probatur consequentia,quia secundum se præcisè est eiusdem rationis in Deo,ac creaturis.

*Confirmatur secundo*, quia *Scotus* expresse dicit quod si daretur conceptus generis in Deo , iste conceptus esset propriè in potentia,& propriè perfectibilis:ergo contra *Scotum* est admittere talem conceptum in Deo.

*Respondeo* , negando consequentiam : quia licet forte saluetur bene, quod essentia diuina non faciat compositionem cum attributis , quod radicaliter & eminenter contineat illa,tamen ex alio etiam capite potest id saluari , nimirum ex eo quod sit dependens in existentia sua tam quoad se , quàm quoad coniunctionem suam cum illis attributis ab omni causa ; ex hoc autem capite potest similiter ostendi,quod ens in Deo non facit compositionem , nec si propriè perfectibile per differentiam contrahentem ipsum ad esse Dei, quia non dependet ab vlla causa,nec quoad existentiam suam, nec quoad coniunctionem cum illa differentia.

36. *Et per hoc patet ad confirmationem*, quia,etiamsi antecedens esset verum, falsa esset consequentia , quia ens in creatura est dependens in existentia à causa extrinseca tam quoad se , quàm quoad coniunctionem sui cum differentiis, secus autem est de ente in Deo.

*Confirmatur hæc responsio*, quia secundũ aduersarios sinitas est principiũ vel conditio necessario requisita ad potentialitatem & perfectibilitatem inuoluentem imperfectionẽ:ergo cum ens in Deo non sit finitũ,nec afficiatur vlla ratione finitate;nõ poterit esse in potẽtia aut propriè perfectibile,quantumuis contraheretur per differentiã.

*Ad secundam confirmationem respondeo* explicando *Scotum*, qui sine dubio loquebatur de conceptu generis,qui abstraheretur à re dependente formaliter,vt patet ex rationibus, quibus illud probat,& ex toto discursu suo, si bene considererur ; non vero de conceptu generis qui tantum diceret formalitatem communem contrahibilẽ per aliam formalitatem minus communem,& prædicabilem in quid de re includente vtramque formalitatem.

## *ADDITIO.*

COntra meam doctrinam in hac quæstione , in qua oppositis aliquibus difficultatibus contra doctrinam communem Scotistarum de contractione entis,per modos, dico ens posse dici contrahi per differentias, & esse genus;Mastrius disp. 2. num. 33. opponit exploratum esse, ens non esse genus , & sufficienter supra ab ipso id probatum. At id non esse exploratum,capiendo genus in meo sensu , tam certum , quàm non sufficienter probatum à Mastrio,quod non sit genus,cum enim ipsius impugnatio depẽdeat à pessima doctrina ipsius de nulla distinctione à parte rei inter ens,& differentias vel modos contrahentes præter virtualem,certe valere nequit:voco autem illã doctrinam pessimam non absolutè quatenus proponeretur à Thomistis & Recentioribus,qui vniuersim negant distinctionem formalem, sed quatenus proponitur à Scotista, illam distinctionem alibi concedẽte.

Deinde,quamuis nō daretur distinctio formalis,sed tantū virtualis inter ens & illos modos,aut differentias,adhuc non sequeretur, quin ens esset genus, modo talis distinctio sufficiat,vt asserunt Thomistæ ad rationē generis, & differentiæ inter gradus metaphysicos prædicamētales.Opponit præterea diuersas illas acceptiones generis & differentiæ,quas ego adhibeo,esse meram fugam fundatam in doctrina Auersæ & Arriagæ,quā ipse confutauit in Logica sua q.1.art.1.vbi ostendit,quod nisi velimus abuti vocabulo generis & differentiæ, sed in ea significatione accipere,qua vsi sunt sapiētiores, ac nostri progenitores,hæc vocabula sonāt duas realitates Metaphysicas,quarum vna est potentialis ad aliā, & per eam propriè perfectibilis,ex quibus proinde ob talem potentialitatem & actualitatem, fit compositio Metaphysica. Vnde Doctor ait 1.disp.8.q.3.quod si daretur conceptus generis Deo,esset propriè in potentia,& perfectibilis per aliam realitatem. Nec valet, quod respondet Poncius Doctorē non loqui ibi de conceptu generis vt sic,sed de conceptu generis qui abstraheretur à re dependēte,id est re finita & limitata.Hæc enim,inquit est frigida Doctoris interpretatio;quia dum ibi loquitur,disputat an Deus sit in Genere, & probat non esse in Genere, nec genere constare:loquitur de genere,vt sic, & secundū rationem formalē generis,nō de genere finito & limitato,quia de hoc nemo dubitat, & laborat in vanum Scotus,quia ab omnibus cōceditur:loquitur ergo de cōceptu generis,vt sic,& probat ex ratione simplicitatis,infinitatis,& necessitatis Dei,quod ei repugnat ratio generis,quia genus ex ratione formali generis,vt sic,dicit realitatem finitā potentialem ad aliam,vt magis communem ad minus communem, & cum ea componibilem. Et quidem, inquit præterea, Genus vt sic realitatem finitam, & limitatam præ se ferte,abstrahēdo à Scoti authoritate probatur ex eius doctrina loco citato euidētissimè;nam genus,vt genus,dicit partem essentiæ,& non totam essentiam,vt per se notum est:ergo implicat in adiecto dari genus infinitum.Probatur consequentia,quia solum finitū potest esse pars alicuius totius:ergo si genus ex ratione sua formali sit pars,debet esse finitū.Probatur antecedēs vltimū,quia nullum infinitum potest habere rationem partis: omne enim totum est maius sua parte:infinito autem nihil est maius.Deinde,Genus à sua ratione formali differētiam, qua contrahitur, excludit:sed realitas infinita quantumcumque præcisè sumatur,nequit esse in potentia ad aliā formālitatem,cum infinitū sit cui nihil entitatis deest eo modo,quo possibile est illud haberi in aliquo vno.Cōtra hunc discursum imprimis dico diuersas illas acceptiones generis esse fugā fundatā in doctrina Arriagæ, & Auersæ,falsum esse; cum sit ipsamet doctrina,quam ipsi proponunt,& si per hoc velit dicere, quod ab illis eam ego accepi,id etiam non minus falsum est;à doctissimis enim Scotistis illā audiui,antequā Auersa vel Arriaga sua opera impresserūt aut ad me eorū nomina peruenere. Quod autem fuga non sit, manifestum est, quia per illas acceptiones nullā quærimus euadere difficultatem:nam vel dantur,vel non dantur;de quo non potest esse alia quæstio,quam de nomine, de qua nihil hic curādum:si dantur,certū est in vna ex illis acceptionibus ens esse genus; si non dantur,sed nihil aliud possit esse genus,quod non sit finitum,vt conatur probare Mastrius;tum certum est ens commune ad Deum,& creaturā non esse genus quomodocumque distinguatur à differentiis,vel modis contrahentibus:nec ad euadendam vllam difficultatem,quæ contra hoc opponi possit, recurrendum erat ad illas acceptiones generis:quam ergo,rogo Mastrij,difficultatem fugere voluimus, qui illis acceptionibus vtimur, per ipsas?Itaque non ad fugiendā difficultatē, sed ad significandum,quod dicendum esset,si qui iis vti vellet,ad illas acceptiones recurrimus.Deinde,quamuis velimus persistere in ea significatione generis, & differentiæ, qua vsi sunt sapientes,& nostri progenitores,hæc vocabula non sonare duas realitates Metaphysicas,quarum vna est potentialis ad aliā,& per eā propriè perfectibilis,si loquatur in sensu suo sic,vt velit illas realitates esse ex natura rei actu distinctas, manifestum est, quia nulli Thomistæ vnquam intellexerunt tale quid per illa vocabula:si velit autem,quod maiores nostri & sapiētes per illa intellexerint realitates,quarum vna esset propriè perfectibilis,& altera propriè perfectiua,siue distinguantur actu à parte rei,vt dicunt Scotistæ, siue virtualiter tantum, vt placet Thomistis,imprimis petit principium & Auersa ostendit contrarium sufficienter,quia communiter dicūtur res diuersæ esse species entis,& eadem proprietate potest dici, quod ens sit genus earum;nec refert,quod opponit Mastrius illam locutionem esse impropriam:nam sufficit ad intentum, quod fuerit in vsu licet impropriè,& optimè assignaretur,quid esset dicendū de ente in illo improprio modo loquendi.Deinde,quamuis non esset vllo modo in vsu;nihil haberet cōtra nos,nisi,quod impropriè loquamur;quid autem hoc ad rem aut veritatē ipsam realem? Præterea,quamuis nō fuisset in vsu apud maiores,adhuc sufficeret iam apud aliquos Authores esse in vsu,vt proponeretur;& sic vitaretur altercatio de nomine.Vlterius, quando asserit meam explicationem Scoti non valere, qua dico ipsum dum ait, genus dicere realitatem perfectibilem,loqui non de genere,vt sic,vt inuoluit vtramq; illam acceptionem,quam ego posui,sed de genere provt capitur pro formalitate finita cōtrahibili,& perfectibili per differentiam:præterquam quod gratis id dicat,adhuc sibi ipsi contradicere videtur:nam probat vlterius,quod conceptus generis dicat necessario finitatē,& quod Scotus loquatur de conceptu tali generis: ergo dum ait hic Scotum non loqui de genere in tali acceptione, sed de genere,vt sic,provt cōprehendit meas duas acceptiones, & me male ipsū intellexisse de genere perfectibili,omnino cōtradicit sibi.Rursus,quando probat Scotū non loqui de genere limitato, quia de hoc genere nemo dubitat,etiam sibi contradicit,quia inferius ostendit genus,vt sic,necessario dicere finitatem in suo formali cōceptu,& Scotum probare ex infinitate, necessitate & simplicitate Dei, quod Deus non constet genere, quia ex ratione sua formali dicit limitationem:ergo secundū ipsummet Scotus loquebatur de genere,vt dicit limitationē,& si de hoc nullus dubitauit,laborauit in vanū probando,quod erat notū omnibus.Vel ergo falsa est hæc Mastrij doctrina de mente Scoti, vel mea expositio est apta;& consequenter nō est frigida vt vult Mastrius pro solita sua gratia.Confirmatur totum hoc, quia quādo Mastrius ait Scotū non loqui de genere,vt dicit cōceptum realitatis limitatæ ac finitæ,sed de cōceptu generis,vt sic,vel loquitur de conceptu generis communi ad genus limitatū,& genus non limitatum,hoc est,de conceptu generis comprehendente meas duas acceptiones;vel de cōceptu generis nō communi ad vtrumque genus,nec comprehendente vtramq; acceptionem,sed solā rationem generis limitati:si primū manifestè sibi contradicit & veritati, vt patet ex suomet discursu,quo concludere vult,quod genus,vt sic, de quo Scotus agebat, ex ratione sua formali dicat limitationē: si secundū,ergo verum est,quod ego dixi Scotū nō loqui de genere, vt sic,cōmuni ad genus in vtraq; acceptione, de quo genere,vt sic,ego sum locutus:& præterea cū nō detur præterea secundū Mastriū cōceptus generis,vt sic, nisi cōceptus generis limitati:ergo verū est,quod Scotus agebat de genere limitato. Nec tamē in vanū laborauit, quia multi dubitare merito possent,quod Deus cōstaret etiā tali genere si ens esset vniuocum ipsi & creaturis,vt docuit Scotus qui propterea conatus est ostendere,quod non, quia conceptus entis, quamuis vniuocus, non erat limitatus,ac finitus.Quod si velit Mastrius non dari aliquem conceptū genericū nisi qui sit finitus,& propterea Scotū agere de conceptu generis,vt sic, excitat quæstionem de nomine & nihil facit in re cōtra me,qui suppossui aliam acceptionem generis siue propriā, siue impropriam,& in illa tantū dixi ens esse genus,& Deum constare genere,illud autem impugnari non potest nisi ostēdendo suppositionem esse falsam,quod fieri nequit,cum sufficiat ad veritatem ipsius, quod Arriaga & Auersa ea vtantur,& ego ipse;etiamsi nullus alius ea vteretur.

Nec rectè etiā probat Mastrius,quod genus,vt sic,dicat limita

limitatione. Quod iam probabo respondēdo ad rationes eius. Respondeo ergo, quamuis infinitum non potest esse genus, quia genus quodcumque in acceptione quacumque, de qua hic loquimur, debet esse cōmune ad res realiter distinctas, & multiplicabile in illas, hoc autem nulli infinito potest competere; quamuis, inquam, hoc ita sit, non rectè tamen probatur à Mastrio, quod genus non possit esse infinitum. Vnde in forma nego consequentiā rationis ipsius cum antecedēti probationis; nam aliquod infinitū posset esse pars essentiæ, hoc est, aliqua formalitas, quæ non dicat adæquatè totā essentiam rei formaliter; nā certe in ipso Deo ratio substantiæ infinitæ formaliter non dicit rationem formalem substantiæ spiritualis infinitæ, & quod aliquod infinitū possit esse pars totius est manifestum; nam sapientia infinita est pars istius totius, quod conflatur ex Deo, & sapientia, hoc est, est aliquid quod non dicit formaliter omnes formalitates inclusas in illo toto, quod addo ne capiatur pars in aliqua alia acceptione, faciendo quæstionem de nomine.

Ad probationem autem antecedentis, nego quod infinitum non possit habere rationem partis, hoc est, alicuius formalitatis, quæ formaliter non dicat omnes formalitates in re, cuius diceretur pars, inclusas, & cum dicat, quod totum est maius sua parte, & infinito nihil possit esse magis; Respondeo distinguendo hanc vltimam partem: infinito nihil est maius realiter, transeat; formaliter nego: potest enim fieri, quod aliquid sit maius vno infinito formaliter quantum ad hoc, quod includat formalitatem istius infiniti, quo diceretur esse maius, & aliam formalitatem distinctam formaliter ab ipso: de quo in sententia Scoti distinguente attributa inter se, & ab essentia, non potest esse dubium.

Ad secundam probationem illius antecedentis, Respondeo distinguendo minorem: nequit esse in potentia dicente imperfectionem, concedo; non dicente imperfectionem nego: & ad probationem minoris dico, quod non sit possibile omnes formalitates repertas in aliqua infinita re includi formaliter in qualibet formalitate ex formalitatibus distinctis, quæ reperiuntur in illa, alioquin essent & non essent distinctæ formaliter, vnde formalitati infinitæ potest addi alia formalitas infinita diuersæ rationis, vt est euidens in nostra sententia.

Sed demus Mastrium sufficienter probare, quod infinitum nō possit esse genus: quid hoc ad propositum? Certe inde non sequitur, quod genus, vt sic, deberet esse necessario ex ratione formali sua quid finitum; nam posset præscindere à finito, & infinito si detur aliquis cōceptus præcisus à finito, & infinito vniuocus illis. Vidit ipsemet hoc posse opponi contra illā sequelam. Sed replicat hoc non posse dici, quia genus suaptè natura importat cōceptum potentialem, & per modū partis, & proinde debet importare cōceptum limitatum, vnde nequit vllus conceptus trāscendens, & præscissus à finito & infinito habere rationem generis. At nō vidit Mastrius in hac ratione se petere principium, dum ait genus, vt sic, in omni acceptione generis dicere conceptū potentialem aut rationē partis, quæ necessario inuoluāt limitationem: quod si loquatur de ratione partis, & potētialitatis, quæ solum includat formalitatem coniungibilē cum alia formalitate distincta, & cum illa constitutiuam rei conflatæ ex illis duabus formalitatibus, concedo, quod genus dicat tales rationes, sed nego inde sequi, quod ratio generis nequeat conuenire rationi transcendenti. Præter hæc contra me vrget, quando ego confirmo meam responsionem dicendo, quod si finitas sit cōditio requisita ad potentialitatē, & perfectibilitatem incōuenientem Deo, cum ens vt sic, non dicat finitatē, ipsū non posse esse in potentia, & perfectibile tali perfectibilitate & potentialitate, cōtra hoc inquā vrget eodem numero, quod sit irrationabile; nam potius ex hoc deduci deberet, quod non importet realitatem per differentias contrahibilem. Sed si Mastrius rationabiliter procedere vellet aut posset, deberet ostēdere quod id potius esset deducendū, quam quod ego deduxi; & non censurare gratis absque fundamento, vel ratione doctrinam vllam sibi aduersam. Deinde ego non poterā illud deducere, quia concessi & concedo, adhuc absque præiudicio vllius rationis (quidquid sit de Scoti authoritate) ens, vt sic, esse contrahibile per differentias, quamuis non esset limitatum nec finitū: & dico vlterius si non sit contrahibile per differentias, debere esse cōtrahibile per modos, non obstāte sua transcendentia, nisi velimus destruere principia omnia quibus probatur distinctio formalis. Præterea *n.* 133. vrget cōtra me arguēdo cōtra me sicut ego arguo contra alios Scotistas, asserentes ens nō esse genus, nec facere compositionem in Deo, quia contrahitur per modos, & non per differentias. Contra hos sic, inquit, arguit Poncius: quia si potest stare contractio entis ad Deum, & creaturam per modos, & non per differentias, potest similiter stare contractio substātiæ ad materialem & immaterialem, & idem est de quocūque gradu superiori per modos absq; differentiis, & sic nulla daretur differētia, & omnia essent simplicia ac carentia cōpositione metaphysica: Mastrius autem eodem modo vrget cōtra me: quia si potest in Deo, saluari ratio generis, & differentiæ absque metaphysica compositione inuoluente imperfectionem, idem possit dici de creaturis. Respondeo, meum argumentum valere contra aduersarios, non autem hoc Mastrij contra me; quia secūdum omnes ad compositionem metaphysicam inuoluētem imperfectionem sufficit limitatio extremorū; talis autem reperitur in creaturis, nō vero in Deo; vnde quāuis possit stare ratio generis, & differentiæ in Deo absque compositione imperfecta; non poterit in creaturis, & quod in creaturis reperiatur limitatio, & imperfectio ostendi sufficienter, quia habent dependentiam à causa extrinseca in coniunctione reali, & physica suarum formalitatum, non habet autem Deus talem dependentiam. Contra hoc autem replicat Mastrius sic posse Scotistas dicere, quod cōtractio entis in Deo fit per modos, & non per differentias, quia fit cum independentia; contractio autem quæ fit cum dependentia fit per differentias, & non per modos. At hic certè Mastrij discursus habet extremam dependētiam ab aliquibus principiis, quibus caret, vt bonus sit. Sed respōdeo posse quidem sic responderi faciendo quæstionē de nomine: sed ego non argui contra illos capiendo differentiam, & modum in illa acceptione, sed supponendo acceptionē modi & differentiæ, qua ipsi vtebantur & sic procedit optime meum argumentum. Quod si vellent mutare acceptionem & occasionē nouæ acceptionis accipere ex mea doctrina, non contenderem cum illis, nec haberemus litem nisi de nomine, cuius quamcumq; partem libenter ipsis concederem. Deinde vrget eodem n. 5. *sed contra*, quod illud meum principiū sit falsum nempe independētiam in Deo esse rationē diuinæ simplicitatis, & dependentiā in creaturis esse rationem compositionis: quia, inquit, ratio diuinæ simplicitatis, per quam de Deo demōstrari potest per se, & immediatè est infinitas, & ex tali medio eam Doctor demonstrat 1. d. 8. q. 1. quia omne cōponibile habet rationem partis, quatenus caret perfectione eius, cui est componibile; repugnat autē infinito, quod est actualissimū omnino, perfectione aliqua carere & habere rationē partis: ergo ratio vnde immediatè deducitur diuina simplicitas, nō est indepēdentia, sed infinitas: dixi autem immediatè (inquit) quia mediatè & materialiter concedi potest Deū esse summè simplicem, quia est indepēdens. Ad quod subiūgit paulo post, quod si per impossibile dari posset ens infinitum sine indepēdentia, adhuc cōsisteret suma ipsius simplicitas, & si per impossibile daretur aliquod finitū independēs, non adhuc esset summè simplex: non ergo ex dependentia, vel independentia deduci debet consequentia formali rerum simplicitas aut componibilitas, sed præcisè ex infinitate, vel finitate. Quod vlterius probat ex Aristotele, qui deregens radicem compositionis, non eā deducit ex causis extrinsecis, sed intrinsecis; quia scilicet coēuntia simul habent rationem partis, & vnum se habet vt actus, & alterum vt potentia, qua doctrina Scotus frequenter vtitur: ergo vt habeamus rationem per se & proximā simplicitatis aut componibilitatis rerum, impertinens est recursus ad dependentiam, vel independentiam à causis extrinsecis.

Denique *n.*134. asserit paritatē meā de diuina essentia in ordine ad attributa ac attributorū ad inuicē ad meū propositū declarandum de vnione generis,ac differētiæ in Deo absque compositione,esse omnino absimilē;quia vt ait Doctor 1.d.5.q.2.L.& d.8.q.4.*ad* 1.*principale* diuina natura ob suā formalem ac radicalē infinitatem omnes formalitates tam relatiuas,quam absolutas perfectissimè sibi identificat:perfectio enim identitatis excludit omnē compositionē,& quasi compositionem,quæ identitas est propter infinitatē,quia idem non aggregatur, nec componit cū seipso:at genus & differētia nō ita inter se realiter idētificantur,sed tantummodo ratione tertij in quo vniūtur,à quo si abstrahātur tollitur omnis ratio identitatis,vt cōstat de animalitate & rationalitate,& ratio est, quia neutrum habet rationē infiniti, cum ambo habeāt rationē partis & non totius.In quo notat obiter me adducere hanc disparitatem pro Scotistis ad eam postea confutandum,sed id tamen me facere ineptè,dico.n. inquit, à Scotistis respōderi posse disparem esse rationem, quia essentia diuina radicaliter,& eminenter sapientiam includit aliaque attributa, & propterea non facit compositionem cum ipsis,nec est perfectibilis per ipsas;quā etiam instantiam adfero,inquit, pro Scotistis d.10.n.58. & confuto , quia aliquid continens virtualiter aliud, & radicaliter, potest eum ipso facere compositionem physicam ac metaphysicam,vt patet de aqua respectu frigoris,& de homine respectu risibilitatis:ergo quod essentia contineat attributa virtualiter, non impedit quo minus faciat compositionem cum ipsis:omnino, inquit,ineptè facit Poncius Instrumentum pro Scotistis,quia nec Scotus nec Scotistæ dicunt essentiam ideo cum attributis compositionem non facere,quia illa virtualiter continet ac eminenter: non enim in Deo continentur hoc modo perfectiones simpliciter simplices, quales sunt attributales;sed hic modus continentiæ conuenit perfectionibus secundum quid , quia in eo continentur perfectiori modo,quam in seipsis,at perfectiones simpliciter simplices continentur in Deo formaliter,seu secundū proprias formalitates : sed ratio quam adfert Doctor, cur diuina essentia non faciat compositionē cum attributis est perfecta identitas cum eis , & per consequens continentia identica & vnitiua,non autem virtualis & eminentialis, quæ longè diuersa est ab illa,nec inter se cōfundi debēt.

Subiungit denique aliam disparitatem inter genus & differentiam,ac essentiam & attributa,quod attributa ob suam perfectam infinitatem sint sibi inuicem perfectè identificata : secus est de genere,& differentia,quia sicut vtrumque rationem partis habet,ita neutrum potest esse infinitum, & quia attributa ad inuicem comparata sunt perfectiones disparatæ,omnesque sunt in vltima actualitate ex vna parte,& ex alia sunt perfectæ eadem inter se ratione infinitatis;secus est de genere & differentia.Maneat ergo,inquit,ens genus non esse,nec Deum constare genere & differentia ; quia hoc argueret in eo compositionem & imperfectionem, ob quam rationem cum exclusisset Scotus Deum à genere 1.d.8.q.3.inconsulto,inquit,eam negat Poncius, vt suam adduceret prorsus futilem: probat enim Deum excludi à genere & Prædicamento, quia Philosophus non voluit diuidere in prædicamenta , nisi entia creata & finita ; quæ sane ratio est manifesta petitio principij , hoc est enim quod disputatur, an Aristoteles ita prædicamenta disposuerit.

Ad hunc discursum respondeo negādo,meū principiū falsum esse,quo ex independentia,quam habent formalitates diuinæ in sua vnibilitate à causa extrinseca,colligo simplicitatem Dei non obstante pluralitate formalitatū in ipso repertarum : ad id autem , quod contra opponit Mastrius. Respondeo primo,quamuis concederē totum, non facere contra me, quia non dixi, quod ex independentia possit proximè, & immediatè colligi simplicitas, sed quod possit ex ipsa colligi, siue proximè id fiat, siue remotè;vnde apparet Mastrium me non intellexisse.Imò Scotus ipse ex necessitate Dei,& indepēdentia,quā habet à causa efficiēte probat simplicitatem ipsius ex partibus essentialibus in illo ipso loco à Mastrio citato;vnde dum asserit impertinentē esse recursum ad causam intrinsecā in probanda simplicitate, vel Scotum non intellexit,vel ipsum impertinentē facit.Respondeo secundo,non tantū materialiter,vt ipse asserit,aut remotè colligi posse simplicitatem diuinā,quæ arguit perfectionē, sed proximè, & formaliter ex independentia;quia simplicitas quæ arguit perfectionem excludit pluralitatē formalitatū, quæ possint coniungi,vel non coniungi à parte rei cū dependentia à causa extrinseca,& non excludit pluralitatē aliarum formalitatum,vt patet ex pluralitate attributorū,& relationum diuinarū:ergo eo ipso quo cognoscitur,quod sit talis independentia in vnione aliquarum formalitatū, sequitur formaliter & proxime , quod sit simplex simplicitate,arguente perfectionem,de qua hic loquendum.

Vnde tam facile , quam asserit Mastrius , quod si per impossibile daretur ens infinitum cum dependentia, aut finitum sine dependentia,illud esset simplex, & hoc non esset,à me negatur, & in eo asserendo petit principium; ego vero satis probaui meam partem.

Quod autem dicat Scotum probare ex infinitate simplicitatem,iam dixi non esse ad rem.Sed addo nō videri mihi Mastrium dum hoc adducit contra me, intellexisse Scotum:nam certe Scotus non voluit infinitū non posse habere rationē partis, provt pars dicit aliquid inclusum in toto aliquo simul cum alio totum conflāte:nam certum est personam diuinam esse aliquod totum constitutum ex essentia diuina & personalitate, & in sensu iam dicto essentiam diuinā infinitam esse partem intrinsecā ipsius. Imò Deus potest esse pars realis,& physica totius aggregati ex ipso,& reliquis entitatibus realibus,& physicis;nec voluit etiam Scotus,quod infinitum non posset carere aliqua perfectione,hoc est,non habere formaliter distinctā, & vnibilem cum ipsa:certū est enim in Scotistarum sentētia,quod essentia diuina sic caret attributis.

Itaque Scotus voluit infinitum non posse esse partem, quatenus pars diceret imperfectionē,& non posse etiam carere aliqua perfectione, quatenus carentia illa diceret imperfectionem.Esse autem partem imperfectam & carare aliqua perfectione,imperfecto modo est,posse coniungi cum dependētia à causa extrinseca cum aliqua perfectione distincta siue formaliter,siue realiter, cum qua si non coniungeretur esset realiter imperfectum,& hoc est illud,quod repugnat infinito secundum Scotum:quod si in hoc sensu intellexit Mastrius Scotum, male adduxit ipsum contra me , qui hoc ipsum doceo. Si autem non intellexit in hoc sensu, certe male intellexit ipsum.

Ad probationem ex Aristotele respondeo primo, negando consequentiam.

Respondeo secundo, Aristotelem intelligendum iuxta iam dicta de Scoto ; sic autem non facit contra me, nec fauet Mastrio ; vnde vel illum non intellexit , vel male eum contra me ad suum propositum adduxit.

Ad paritatem meā de vnione generis & differentiæ,ac essentiæ & attributorum ac relationum,quam dicit Mastrius absimilem.Dico id non probari sufficienter à Mastrio;nam quamuis diuina essentia ob suā radicalem infinitatē perfectissimè sibi attributa & relationes diuinas identificet, hoc est , tam perfectè , quam fieri potest, & propterea non possit facere compositionem cum ipsis, quæ arguat imperfectionem,quod addo ad vitandā quæstionem de nomine,hoc nihil mihi obstat : nam eodem modo genus,& differentia Dei,perfectissimè sibi identificarentur ; quia differentia, quam ego ponerem in ipso esset infinita non minus,quam essentia,imò infinitas essentiæ esset ipsamet infinita ipsius differentia,aut ab ipsa procedens tanquam constitutiuo intrinseco ipsius:ergo perfectissimè deberet sibi identificare , quidquid realiter identificatur sibi , & propterea non faceret compositionem cum illo magis,quam facit cum relationibus & attributis:nec refert,quod ratio generica entis,quam contraheret non esset infinita, tum quia gratis requireretur infinitas vtriusque extremi;tum quia essentia diuina ratione infinitatis perfectissimè sibi identificat relationes, quæ secundum Scotum,vt communiter saltem intelligitur, non dicunt infinitatem formaliter.

Quando

Quando autē dicit Mastrius Genus & differentiā,non idētificari perfectissimè,sed ratione tertij;dādo hoc habere sensum aliquē commodū,(de quo si ratio spectetur, dubitari posset,sed id modo nolo examinare,velim antē vt Mastrius ex ratione id probaret,) dico id intelligendū de differētia finita,non vero de infinita,qualis esset illa, quæ poneretur in Deo.Et si dicas repugnare differentiā infinitam,nisi id probaueris petes principiū;& ego nō curo de nomine differētiæ, per quā intelligo formalitatem actu distinctā formaliter à formalitate entis,& contractiuā ipsius ad Deum,quam contendo,si rationē spectes,& secludas Scoti authoritatē,quē fassus sum videri eam negare,dari posse in Deo.Cōfirmo hoc ex ipso Mastrio, quia ipsemet fatetur rationem cur animalitas, & rationalitas nō idētificentur perfectē, sed ratione tertij esse quia neutrū est infinitū;ergo differentia,quæ poneretur in Deo,cū esset infinita,idētificaret sibi genus perfectē,& nō ratione tertij.Iā videamus an ego hanc Mastrij disparitatem adduxerim inepte pro Scotistis.Quæro Mastri an illā ipsam adduxerim,an aliam:si illam ipsam, ergo non inepte,quantum ad rationem tuā, quæ probat inepte adductam,quia nec Scotus,nec Scotistæ adferunt disparitatem meam.Si aliam,cur inepte?quia scilicet nec Scotus,nec Scotistæ ea vtuntur. Sed quid inde? an propterea si ego pro iis aliam disparitatem adducerē, id facere non posse,aut inepte facerē?at id stupidū esset imaginari:quoties enim adducimus,& bene pro aliis,quorū sententiam impugnamus, responsiones, quibus ipsimet non vtuntur;quia scilicet possent iis vti,& fortassis mouerent aliquos ad tenendam ipsorum sentētiam?nec refert,quod respōsiones illæ non essent bonæ,quia quamuis reuera bonæ non essent, tamen nisi impugnarentur, posset aliquibus apparere bonæ,& propterea vtiliter & non inepte adduci ac impugnari possint. Sed fortassis Mastrius propterea inepte me adduxisse suam disparitatē asseruit,quia volui illam adducere tanquam talē,qua vterētur Scotistæ,hoc est enim,quod prætēdere videtur & propter quod dicit id me inepte fecisse;quia nec Scotus nec Scotistæ ideo negant essentiam diuinam facere compositionē cū attributis,quia continet illa virtualiter & eminenter.Do autem Mastrio gratis id ita me fecisse, sed nego id factum inepte, quia quidquid sit de Scoto certe multos audiui Scotistas vtētes illa ratione;& in reipsa videri posset Scoti ratio in loco à Mastrio citato paulo ante,dū ait essentiam ob radicalē infinitatē perfectissime sibi identificare attributa & relationes, & propterea nō facere cōpositionē cū ipsis;nā videri posset illa radicalis infinitas propterea sufficere ad idētificāda sibi illa alia,quia ob illā essentiā contineret illas virtualiter, aut eminēter:nō dico hoc voluisse Scotum, sed posse id videri Scotistis,qui illa ratione vtūtur,an autem in hoc errauerint,nec ne mea nō refert; sufficit mihi ad probādū, quod nō inepte adduxerim illā disparitatē dādo etiā Mastrio,quod iam dederā, aliquos Scotistas ea vti inter quos fateor me aliquando fuisse. Addo rationē,qua probat Mastrius,nec Scotū, nec Scotistas ea disparitate vti, non sufficere,nimirū quod perfectiones simpliciter simplices non cōtineantur in Deo virtualiter aut eminēter, sed formaliter,seu secundum proprias formalitates:nā si per hoc intelligat, quod in Deo realiter considerato reperiantur formaliter perfectiones attributales, seu simpiciter simplices, & quod perfectiones tantum creatæ reperiātur in ipso virtualiter aut eminēter,id quidē verū est;sed ineptissimū ad propositum, quia ego nō loquor de Deo,vt sic considerato, vt est manifestū,sed de essentia diuina aut Deo,vt dicit prædicata essētialia,& vt distinguitur formaliter ab attributis;si sic autem loquatur vt loqui debuit,si me intellexit, falsum est in principiis Scoti,attributa in ipso formaliter contineri,seu secundū suas rationes formales,quia manifestum est,quod tātùm radicaliter,aut virtualiter aut eminēter in ipso cōtineantur. Quod etiam addit rationē Scoti,cur essentia diuina non faciat compositionē cum attributis, esse perfectam identitatē cum eis,& per consequens cōtinentiam identificam & vnitiuam.Respondeo primo,quamuis id verū esset,non facere aliquid,nec ad probandū,quod mea disparitas sit inepte adducta,quia de hoc nihil dixi,nec pro, nec cōtra;nec etiā ad probandum, quod si genus & differentia essent in Deo,facerent compositionē, quia hoc non obstante haberent perfectā identitatem ob infinitatē differentiæ,& non finitatē entis. Respondeo secundo, instari posse æque contra illā rationē Scoti,si diuersa sit in re ab illa,quā ego adduxi, ac contra hanc;quia videri posset esse perfectam idētitatem inter humanitatē ac risibilitatem,si talis est inter essentiā, & attributa ac relationes,& fortassis non posse dari vltimate sufficiētē disparitatē in re ipsa,quæ faciat ad propositum,nisi recurrendo ad independentiā, quam habet identitas essentiæ cum attributis ac relationibus,& dependentiam,quā habet humanitas ac risibilitas;quod est meum intentū.Ad alterā disparitatē de infinitate attributorū, & infinitate generis ac differentiæ non facit ad rem,quia differentia, quæ esset in Deo esset infinita vt sæpius dixi,vnde nō faceret compositionē cū ente:& deinde quamuis attributa sūt infinita,nisi ex hoc sequeretur indepēdētia in vnibilitate,non sequeretur quin facerent cōpositionem;vnde si per impossibile duæ perfectiones infinitæ posset cōiūgi realiter à parte rei,omnino facerent compositionem. Eodē modo nihil facit etiā ad rē alteta disparitas ipsius, quod attributa sint perfectiones disparatæ inter se;hoc enim nihil impediret compositionem, sicut nec impedit compositionē albedinis,& dulcedinis in lacte,quod sint disparatæ,& quod vnūquodque ex ipsis sit in suo genere in vltima actualitate;quod autē vlterius attributa sint infinita,patet etiam ex iam dictis non esse ad propositū.

Non ergo sequitur sufficienter ex dictis Mastrij quod non detur ratio differentiæ & generis in Deo;& quamuis Scotus negare videatur rationes tales in Deo, quia inde sequeretur in ipso compositio; tamen vel hoc intelligendum de genere inuoluente imperfectionem;vel adhuc vrgeri posset, gratis id asseri à Scoto, quod quidem ego nō dico ad persuadendum, quod non sit à parte rei verum, vt sæpissime professus sum;sed ad significandam probabilitatem alterius modi loquendi, quam malui candide fateri,quàm dissimulare, & vt democcasionem Scotistis id probandi ac declarandi vlterius contra eos,qui Scoti authoritate noli mouerentur.

Ad vltimum, quod opponit me futiliter respondere Deum excludi à genere prædicamentali, quia Philosophus diuisit ens tantum finitum in Prædicamenta,vnde cum Deus non sit finitus, nequit esse sub genere Prædicamentali.

Quam responsionem probat Mastrius futilem,quia in ea petitur manifeste principium; hoc est enim de quo quæritur.Sed hoc ego tā facile nego quàm ab ipso asseritur:nam cōstat iam ex communi Philosophorum cōsensu ipsum non aliud ens diuisisse in prædicamēta,quā eus finitum;vnde omnes fere finitatē requirunt, tanquā vnā ex conditionibus requisitis ad hoc,vt aliquid ponatur in Prædicamētis Aristotelis;quomodo ergo hoc supponendo ego peto principium præsertim cū ago contra illos qui id mecum supponunt?Deinde asserendo, quod Philosophus negauerit Deū poni in prædicamento,quia ipse voluit ordinare prædicamēta ex rebus finitis:assignari potest optima ratio cur Deus non ponatur sub genere vllo prædicamentali Aristotelico, tenendo vero quod Aristoteles poneret in Prædicamentis quæcumque continerentur sub genere,siue genus esset finitū vel non finitum, non potest bona ratio assignari cur Deus non collocaretur sub genere;nisi aliunde probari posset Deū non constare tali genere,ergo cum supponam ex dictis non posse id probari, magis consulo honori Aristotelis asserendo, quod voluerit sola entia finita collocare sub genere, quam dicendo oppositum;& hæc ipsa ratio sufficit,vt ita exponatur absque petitione principij.

Non ergo futilis est mea ratio; nec in ea peto principium. Sed vtraque hæc censura rectius cadit in Mastrium, de quo propterea non tantum hic,sed fere semper, cum ex se censorem agit, recte dici potest: Incidij in foueam quam fecit.

*De modis intrinsecis.*

Hic præter principale intentum meum impugnandi tantum,quæ contra me proponit Mastrius,placuit examinare quæ in articulo primo quæst.6.huius disputationis habet de natura modi intrinseci,eo potissimum quod,quamuis de eo ipse etiam sæpe loquar, nunquam tamen per se directè de eius natura vt opponitur differentiæ tractauerim ; quod ideo accidit quia apud meipsum semper iudicaueram difficile valde esse ipsum à differentia discernere, & videbatur præterea omnem difficultatem,ob quam euitandam excogitatos fuisse huiusmodi modos intrinsecos existimabam, solui posse,quãuis eorum loco substituerentur differentiæ; vnde putabam id omittere consultius quam Tyronum præsertim, teneriora ingenia subtiliori ac magis curiosa quam , ni fallor,alias vtili,discussione differentiæ,si quæ intercedit inter hos modos ac differentias, confundere;oblata tamen hac occasione, quam Mastrio debeo , quis meus sensus sit explicabo, sed prius ipsius Mastrij doctrinam examinabo.

Antequam autẽ ipsam rem aggrediar aduerto mirabile esse quod ab ipso initio asserit,veteres Scotistas cum de modis intrinsecis plurima differant , de extrinsecis nec verbũ facere ; modernorũ vero totam Philosophiam ac Theologiã illis cõtẽtã esse adeo,vt si huiusmodi entitates modales abstuleris, tota eorũ doctrina ruat;vnde cũ modi extrinseci in eorũ sẽtẽtia tã modicæ sint entitatis, vt rebus semper petant esse affixos, neque seipsis subsistere possint, planè eorum doctrina fulcris nimiũ imbecillibus innititur,quod tamẽ,vt temperet censuram, iocosè dictũ vult.Hoc valde mihi mirabile apparet ; nam quidquid sit de nomine modi, quoad rem ipsam veteres Scotistæ, & quotquot alij admittunt relationes extrinsecùs aduenientes ad saluandas denominationes aliquas reales,quas putant sine iis saluari non posse,tam frequẽter de modis loquuntur,quam vlli moderni,& tam eorũ est contenta Theologia ac Philosophia illis modis quã Modernorum, quos propterea si abstuleris , etiam tam corruat necesse est illorum Philosophia ac Theologia, quàm horũ;& cum illi etiã dicant , & necessario dicere debeant illas relationes esse necessariò subiectis affixas & tam exiguæ entitatis vt nequeant per se subsistere,sequitur eorum doctrinam tam imbecillibus fulcris inniti quam Modernorum. Inter quos & illos quoad hos modos , non potest esse difficultas vlla alia quam vna nominalis de nomine modi , in qua neque veteres cum illis multum contenderent,& alia realis, quam in Logica examinaui , de natura horum modorum, an sint scilicet entitates absolutæ , an vero pure respectiuæ, quæ duæ difficultates nihil faciunt ad hoc vt vtrorumque Philosophia ac Theologia non sit æque contenta entitatibus illis quæ requiruntur ad illas denominationes reales saluandas,& æque innixa imbecillibus fulcris.

Aduerto secundò,Probationem,qua hic Author *n.*143. probat ex natura modi , quæ petit necessario esse affixa subiecto,ipsũ esse pure respectiuũ,& non absolutũ , quia scilicet omne accidẽs absolutum,qua tale,potest diuinitus cõseruari sine subiecto,& soli accidenti relatiuo,quà tale,id repugnare,nõ videri sufficere ex suppositione alterius doctrinæ ab ipso admissæ *eodem numero*, de subsistentia,quod scilicet,sit quid absolutum,cum tamen non possit diuinitus per se subsistere:nam certe si subsistẽtia, nonobstante quod sit quid absolutum,non possit per se subsistere,ex eo quod modi alij,de quibus loquimur,essent absoluti,non potest efficaciter probari quod possẽt per se subsistere,neque quod debeãt esse pure respectiui.

Neq;disparitas quã Mastrius adfert, inter illos & subsistentiam,tollit difficultatem,nempe quod subsistentia sit modus extrinsecus naturam determinans in esse specifico,indiuiduali, nam certum est,quod non sit modus ita intrinsecus quin realiter,seu modaliter,ita distinguatur à suo subiecto,vt possit subiectum esse sine illo;hoc autem supposito, si tamen non possit esse sine subiecto, licet sit absolutũ,etiã modi alij qui extrinseci dicuntur, quamuis essent absoluti,possent esse talis naturæ,vt non possent esse sine subiecto;nec prorsus facit ad rem,quod sint extrinseci aut intrinseci , aut determinantes naturã hoc vel illo modo, sed idem omnino dici potest de illis, quod dicitur de subsistentia , si hæc sit quid absolutum & distinguatur realiter à subiecto,quantum ad hanc rationem petitam ex eo , quod sint absoluti; vnde si non possint sic existere, ex alio capite deduci debet , & non ex ratione relatiui,vt mihi videtur manifestũ:nec video bene quomodo moderni defecerint in discernẽdis modis intrinsecis ab extrinsecis, vt imponit illis hic Mastrius.

Aduerto tertio,circa illud quod dicit *n.*145.contra descriptionem modi ab aliquibus traditam,nempe illũ esse qui nec diuinitus separari possit à subiecto.Quã descriptionem ait Mastrius deficere,quia non explicat quidquid est de ratione modi , cum non explicet munus eius;tum quia conuenit aliis à definito,forma.n.in sentẽtia Thomistarũ nequit esse diuinitus absque materia,nec passio sine subiecto,nec in nostra sentẽtia totum sine partibus, cum tamen nihil horum sit modus. Cõtra quẽ discursũ opponi posset primo, quod ad bonam descriptionẽ non requiratur , quod explicetur quidquid est de ratione rei descriptæ;sed sufficere quod posset per descriptionẽ discerni res descripta à quacumque alia re,& certe aliàs vix vlla bona descriptio daretur in rerum natura. 2. Quod falsum sit in sententia Thomistarũ formã non posse esse sine materia,quamuis.n.dicant materiam non posse esse sine aliqua forma,non dicunt tamen,quod sciam,formã non posse esse sine materia;& si dicerent etiã, adhuc nõ sequeretur descriptionem prædictam conuenire aliis:nã ille,qui sic modum describeret, negaret illam sententiã Thomistarũ esse verã,& vt definitio esset mala, probari deberet quod illa sẽtẽtia esset vera.3. dici posset de passione quod,si esset realiter distincta à subiecto,aut posset separari aut falsa esset sẽtẽtia Thomistarũ oppositũ docẽs;nec conueniret ipsi illa descriptio;aut si esset vera,tũ esset vocãda modus nõ minus,quàm existẽtia aut subsistẽtia;aut quicũque alius.4.Illud de toto quod ad Scotistas pertinet,non habet vllam apparentiam,neque.n.totum subiectatur in partibus aut habet vllum subiectũ sine quo separari non possit.Contra etiam impugnationẽ, qua reiicit,*eodem numero*, Hurtadi descriptionem dicentis modum esse actualem determinationem rei indifferentis;tum quia explicitè non declarat inseparabilitatẽ modi à subiecto;tum quia cõuenit actui vitali v.g.intellectioni,& vltimæ dispositioni materiæ ad formam substantialem , quarum neutra est modus ; & si dicatur intellectionem non determinare nisi mediante vnione, Mastrius ait hoc non sufficere,quia hoc ad summũ probat vnionem determinare potentiam ad cognitionem, non autem ad obiectum nisi media cognitione.Contra inquam hanc impugnationem vrgeri potest primo quod sufficiẽter declaretur inseparabilitas ex eo,quod dicatur modus esse actualis determinatio,quæ scilicet habeat ex essentia sua actualiter determinare;neque.n.hoc ipsi cõpetere posset,si esset separabilis.Accedit ad hoc illud de inseparabilitate fuisse suppositum ex reliquo discursu Hurtadi & cõmuni Authorum consensu;vnde non erat necesse,vt exprimeretur explicite.Secundò , Vltima dispositio ad formam non est actualis determinatio ipsius ad formã in sensu,in quo debet intelligi descriptio Hurtadi , quia potest esse de potentia absoluta sine forma. Tertiò,Bene respondet Hurtadus ad instantiam de intellectione,quia cum indigeat vnione vt determinet potentiam ad obiectum, non est determinatio actualis subiecti in sensu Suarij, quia seipsa non determinat.

Denique contra ea quæ opponit descriptioni Arriagæ asserentis modum esse actualem informationẽ subiecti, nempe quod non sit cõuertibilis cum descripto,quia nõ omnis modus est talis informatio:informatio enim est vnio materiæ cum forma, dantur antẽ alij modi præter vnionẽ.Cõtra hoc inquã obiici potest,quod nõ videatur intellexisse Arriagã ; nã Arriaga voluit quod illud quod seipso informat,seu adhæret subiecto sit modus;sic autẽ intellecta descriptio eius conuenit omni & soli modo.

Aduertò quarto,definitionem qua ipsemet Mastrius *n.* 146.

Reiicitur descriptio Mastriana modi intrinseci.

146. describit modũ extrinsecũ esse formam necessario subiectum afficientem,dando illi aliquid,quod est extra essentiam totam vt indiuiduam,& existentem in rerum natura;& explicationẽ ejus nonnullas pati difficultates.

Prima est quod tota definitio videatur conuenire subsistentiæ, supposito quod hæc sit quid absolutum , nam tam necessario afficit subiectum quam vllus modus & dat ipsi aliquid,quod est extra naturam specificam,vt indiuiduam ac existentem in rerum natura.

Secunda est quod falsum videatur , quod in explicatione dicit proprium munus modi esse nouam entitatem non adferre ; nam si loquatur de noua entitate distincta à modo, certum est, quod modus vnionis adferat materiæ nouam entitatem formæ;si vero velit quod ipsemet modus non sit entitas,id etiam æque falsum est,& maxime in ipsiusmet Mastrij sententia qui asserit modos esse res ac propterea non modaliter tantum, sed realiter distingui à suo subiecto.

Tertia est quod , si per illam particulam definitionis dando illi aliquid quod est extra essentiam,intelligatur, vt ipse explicat,quod non spectet ad essentiam rei sed ad perfectionem ac complementum ipsius , omnino frustra addebatur , nam hoc intelligebatur per hoc quod esset forma necessario afficiens subiectum;nam eo ipso debet esse extra essentiã subiecti,neque enim aliquid, quod est de essentia subiecti potest afficere necessario subiectum.

Quarta est quod asserat in explicatione modum extrinsecum præsupponere rem existentem & subsistentem;hoc enim subsistere nequit:neque enim vnio materiæ ad formam supponit vllam rem subsistentem , cui aduenit, nam præsupponitur subsistentiæ totius , quod sequitur ad illam, præter quam non est alia in materia.

Quinta est quod asserat per id quod dicitur in descriptione,modum dare esse,quod est extra essentiam vt indiuiduam & existentem : significari discrimen modi intrinseci & extrinseci:hoc autem videtur falsum,quia,vt ante dixi , secundum ipsum subsistentia est modus extrinsecus,& tamen dat esse quod est extra essentiam , vt indiuiduam & existentem.Omitto alia quæ contra reliquam partem explicationis ipsius vrgeri possunt.

Quid modus extrinsecus.

Quinto facilius posset Mastrius modum vt sic extrinsecum qui opponitur modo intrinseco,de quo hic per se agitur,describere esse relationem actualem vnius rei ad aliud;nam supposita sententia Scoti,iuxta quam sufficeret Scotistæ describere modum omnino hæc descriptio conueniret omni & soli modo tali, & sufficienter declararet naturam & munus ac inseparabilitatem eius.

Quod si vellet abstrahere in definitione modi vt sic à sententiis particularibus,quæ sunt de natura aliquorum modorum,an scilicet sint absoluti,vel respectiui, dando descriptionem,quæ vera esset in quacumque ex illis sententia , posset dicere non exponendo se vlli difficultati, nec admiscendo obscuritatem,modum esse aliquid separabile à re , habens ex se essentialiter esse determinationem actualem ipsius ; nam hæc conuenit omni & soli modo,siue aliqui sint absoluti & aliqui relatiui,siue nõ ; sed potius omnes sint absoluti,aut omnes relatiui.

Hæc sufficit aduertere circa ea quæ dicit Mastrius de natura modi extrinseci,ex cuius naturæ declaratione mirum videri posset quod ait *n.*147.facile inuestigari posse naturam modi intrinseci.cum tamen,vt patet ex reliquo ipsiusmet discursu , non sine magna difficultate in eius declaratione laboret;nec adhuc eam sufficienter declarauerit vt statim videbitur;nec prorsus aliquid dixerit in explicando modo illo extrinseco,quod vllam difficultatem, ex iis quæ moueri solent contra modum intrinsecum tollat,& sine quo æque facile declarari posset ac si nullo modo proponerẽtur,aut non darentur vlla ratione modi extrinseci. Sed vt veniamus ad principale intentum de natura modi intrinseci.

Reiicitur descriptio Mastriana modi intrinseci.

Imprimis Mastrius *eodem num.*147.asserit modum intrinsecum aduenire realitati & naturæ , iam in suo esse essentiali, & quidditatiuo constitutæ:ita, inquit, omnes Scotistæ,& præsertim Formalistæ tract. formalit. Mayron.1.d.42.q.4.Trombeta p.2,a.2,vbi docet modum intrinsecum in hoc à differentia secerni,quòd non intrat quidditatem rei;quod & probat quia nullum posterius est de essentia prioris ; sed modus extrinsecus est posterior quidditate.

Reiicitur.

Nolo hic examinare quænam sit sententia Scotistarum.Sed contra hanc doctrinam cuiuscumque sit,occurrit primo, quod si loquatur de quidditate & essentia rei specificæ,omnino falsum videatur,quod modus intrinsecus adueniat ipsi aut eam sequatur,nã certe si detur vllus modus intrinsecus,maxime finitas erit talis, sed certum est finitatẽ non aduenire formaliter essentiæ hominis,nec eam illa esse posteriorem,nam nulli gradus metaphysici superiores rationalitate adueniunt essẽtiæ hominis,aut sunt ipsa posteriores,gradus autem entis finiti est superior illa essẽtia:ens enim finitum est,quod diuiditur in Prædicamenta iuxta ipsum Mastrium:ergo gradus finitatis repertus in homine nõ est posterior homine:sicut nec ipsemet gradus entis;nec aduenit ipsi , sed potius præsupponitur,quod si nõ velit,modũ esse posteriorem naturã completa specificã , sed quacumque formalitate cuius dicitur esse modus , ita scilicet vt finitas verbi gratia sit posterior formalitate entis,cuius dicitur modus,& perfectio animalitatis sit posterior animalitate & nõ sit de essẽtia eius,sed adueniat essẽtiæ ipsius;hoc totũ comperit differentiæ,nã rationalitas etiam aduenit animalitati,& est posterior ipsa nec est de essentia ipsius.

Secundo *n.*148.explicans quomodo modus intrinsecus dicatur intrinsecus,asserit non ideo eum sic vocari,quia intrat quidditatem,quia sic haberet se vt differentia;sed quia est realiter idem subiecto modificato,& quia etiam est cum eo intimior passione , quod probat ex Scoto quodlibet S.C.asserente quod *Infinitas intensiua dicit modum intrinsecum illius entitatis cuius est,sic intrinsecum,quod circumscribendo quodlibet, quod est proprietas, vel quasi proprietas eius;adhuc infinitas eius non excluditur.*Qua de causa,inquit Mastrius, Scotistæ aiunt modum propriè non pertinere ad secundum modum dicendi , in quo passio dicitur de subiecto , sed ad primum , quia aliquo modo spectat ad quidditatem rei , quatenus perfecte & adæquate quidditas nequit concipi,non intellecto modo intrinseco;non tamen attinet ad primum gradum perfeitatis primi modi,nam intimiora sunt rei prædicata quidditatiua quam modi extrinseci.

Quod declarat vlterius ex Scoto iã citato & Scotistis, qui distinguunt de duplici modo intrinseco : alter enim consequitur naturam specificam & alter indiuidualem. Exemplum prioris : quantitas perfectionalis albedinis quæ sequitur naturam specificã albedinis ivt albedo est est modus intrinsecus demõstrabilis de ipsa natura albedinis vt abstrahit ab esse omni indiuiduali,quia cõsiderando albedinem in esse quidditatiuo,est perfectior nigredine, & iste modus intrinsecus est idem,quod finitas albedinis in suo gradu specifico,quem inter species vniuersi tenet, nec potest albedo perfecte intelligi & adæquate in suo esse specifico , quin intelligatur illa perfectio essẽtialis,quia nihil aliud est quàm eius essẽtia in tali gradu in ordine entiũ Hoc etiã,inquit,clariùs constat de modo intrinseco sequẽte esse indiuiduale, scilicet de intensione & remissione in qualitate,sine quo potest albedo verbi gratia cõcipi nõ tamẽ perfecte & adæquate.

Contra hanc doctrinam vrgeo primo,quod si propterea non debeat dici modus intrinsecus quia intrat quidditatem,quia sic differẽtia esset modus intrinsecus;certo non debet vocari intrinsecus quia realiter identificatur subiecto modificato;nam hoc etiam cõuenit differẽtiæ.

Vrgeo secundo , quod si dicatur modus intrinsecus, quia est intimior rei quam passio , etiam hoc conueniat differentiæ.

Vrgeo tertio,quod ex loco Scoti non videatur colligi modum esse intimiorum passione ; nihil enim ibi dicit, quam quod circumscripta passione non circumscriberetur modus;hoc autem posset esse verum,quamuis passio non esset intimior:nam circumscripto etiam modo passio non circumscriberetur,& tamen passio non propterea admitteretur à Mastrio esse intimior modo,

Vrgeo quarto, quod quantitas perfectionalis albedinis verbi gratia qua est perfectior nigredine,non sit vllo modo distincta à natura specifica ipsius,aut si sit distincta ac posterior,quod sit proprietas ipsius,aut quod non sit intimior quam proprietas.

Nam secundum conceptum quemcumque specificum quem quis habet de albedine,est perfectior nigredine,& consequenter perfectio albedinis , qua excedit nigredinem,non videtur aliquid dicere supra ipsa prædicata essentialia specifica quomodocumque concepta.Et si dicatur perfectionem ipsius esse distinctam,quia potest concipi albedo, vt distincta specie à nigredine , non concipiendo ipsam vt perfectiorem ; quando enim examinamus quænam illarum sit perfectior,antequam quidquã resoluamus concipimus vtramque,vt distinguuntur specie inter se & ab aliis rebus.Contra primo,quia hoc nõ videtur oriri ex eo, quod perfectio vnius sit vllo modo distincta ab ipsis prædicatis essẽtialibus,sed ex eo,quod non conferamus prædicata illa essentialia ad mensuram perfectionis,vt verbi gratia ad perfectiones Dei,aut aliquas alias quæ habentur pro perfectionibus, per accessum aut recessum ad quas mensurare solemus aliarũ rerum perfectiones.Explico hoc vlterius:quando considerat aliquis albedinem vt disgregatiuum visus, & nigredinem vt congregatiuũ,considerat illas vt distinctas specie,& adhuc non considerat , nec cognoscit quænam sit perfectior;postea vero considerat gratiorem aut vtiliorẽ esse sensationem,quam facit albedo , & propterea iudicat albedinem esse perfectiorem præsertim cum non videat vllam rationem ob quam ipsi præferat nigredinẽ.

In hoc secundo conceptu,nihil aliud concipit de albedine,quod non concipiebat prius quando non iudicauit illam esse perfectiorem,sed iudicauit tantum esse specie distinctã ab nigredine, quàm quod sit entitas quæ possit producere sensationem illam gratiorẽ aut vtiliorem;sed in hoc conceptu de albedine nihil inuoluitur distinctũ vlla ratione à prædicatis essẽtialibus prius cõceptis præter aptitudinem ad producendã illam sensationẽ : ergo, vel perfectio nõ est distincta ab albedine vt prius cõcepta,vel,si est distincta,erit illa aptitudo;sed illa aptitudo est proprietas ipsius,& consequenter perfectio albedinis erit proprietas spectãs ad secundum modum dicendi, & non erit intimior proprietate;& poterit res perfectissime, & adæquate cõcipi secũdũ prædicata essẽtialia non concepta perfectione, quæ omnia sunt contra Mastriũ.

Confirmo hoc vlterius alio exemplo:quando cognoscit aliquis hominem esse animal rationale , seu potens discurrere,& cognoscit equum esse hinnibilem, & non discursiuum habet conceptum essentialem specificum de vtroque, præsertim si concipiat discursitiuitatem & hinnibilitatem fundamẽtaliter.Tunc quæro an eo ipso necessario habeat conceptum de perfectione hominis necne.Si habeat,perfectio eius non est aliquid vllo modo distinctum à prædicatis essentialibus,nec sequens ad illa,nec tale sine quo possent prædicata essentialia etiam imperfecte concipi.

Si non habeat,debet sine dubio habere alium conceptum,quãdo concipit ipsum vt perfectum.Quæro ergo quem alium conceptum ? si quod habent naturam quæ possit discurrere , & quod discursus sit perfectior quam vlla operatio equi.

Certe per hoc nihil aliud concipitur inesse homini prætr naturam discursiuam & aptitudinem ad discurrẽdum , & consequenter perfectio eius non erit distincta vllo modo à natura illa,aut illa proprietate.Si quod magis accedat ad Deum, certe ille accessus ad Deum habetur ap ipsismet prædicatis essentialibus quæ prius concipiebantur , & non ab illo superaddito illis ; aut si ab aliquo superaddito dicatur prouenire, cũ illud superadditum pullulet ex illis prædicatis essentialibus, non apparet ratio cur non dicatur esse passio seu proprietas ipsorum,tam bene quam aptitudo ad discurrendum,aut ad ridendum , & idem dicendum de quocumque alio conceptu assignabili cum vlla probabilitate aut sensu.

Vrgeo quinto inconsiderate à Mastrio dictum videri, quòd quantitas perfectionalis albedinis;qua excedit nigredinem sit finitas eius in suo gradu specifico ; nam prorsus à finitate non habet albedo excedere nigredinem, quia nec magis , nec minus finita est;nec considerando albedinem cum finitate potest concipi ex hoc ipso præcise esse perfectior nigredine,aut inde colligi,vel à priori,vel à posteriori , quod sit perfectior;sed ad hoc recurrendum est ad aliquid aliud , quod dicendum est esse perfectionem albedinis. Plura quæ vrgeri possent omitto breuitatis causa.

Tertio *n.159.* docet propterea non vocari formalitatem quia formalitas à formalistis sonat rationem obiectiuam ex se adæquate conceptibilem,modus autem sic cõcipi nequit. Ad quod in fine eiusdẽ numeri addit modũ eatenus propria dici carere formalitate,quia essentia sine modo potest aliquo pacto quidditatiue cõcipi,licet non omnino perfecte & adæquate;modus autem nullo pacto quidditatiue cõcipi potest sine re cuius est modus.

Contra hoc opponi potest primo,quod hinc sequeretur ipsammet essentiam, verbi gratia , humanitatem vt distinguitur à suo modo intrinseco, non esse formalitatem contra Mastrium, & omnes.Probatur sequela,quia non potest adæquate concipi sine modo suo.

Confirmatur hoc ad hominem,quia ipsemet impugnat omnes Scotistas,quos conuenire dicit in hoc, quod modus non sit formalitas nec formaliter ac positiue à quidditate distinguatur,quia nequit perfecte & adæquate concipi sine re,cuius est modus:impugnat inquam illos quia inde sequeretur , quod res ipsa propria careret formalitate , seu non esset formalitas , nam sine modo nequit perfecte concipi:ergo si formalitas sit quid adæquate conceptibile , & essentia vt præscindit à modo non sit sic adæquate conceptibilis, non erit formalitas.

Opponi potest secundo si propterea modus non sit formalitas , quia nullo modo potest concipi sine re cuius est modus , res autem potest aliquo modo concipi sine re : ergo perseitas qua contrahitur ens finitum ad substantiam,& inhærentia fundamentalis qua cõtrahitur ad accidẽs erit modus, & nõ differentia cõtra Mastriũ;neq;enim videntur vlla ratione posse intelligi sine re,quam constituunt, aut quam contrahunt magis quã modus sine modificato, & idẽ dici posset de variis aliarum retum differentiis , & de relationibus quibuscumque transcendentalibus,ac de differentia indiuiduali.

Quarto *n.151.* propositis variis modis dicendi Scotistarum circa definitionem modi intrinseci assignatam à Doctore 1.d.8.q.3.& 4.dicente modum esse qui non variat rationem formalem rei cuius est modus , ipsemet concludit *n.552.§. Dicendum* primo definitionem illam omni modo intrinseco conuenire, deinde, vt , explicet, quomodo vera sit, dicit modũ sic describi à Doctore vt secernatur à differẽtia,vnde cum differẽtia variat rationem formalem illius cui additur contrahendo ipsum ad inferiorem quidditatem;modus nõ debet sic variare,sed modificare quidditatem cui additur, & quia differentia variat rationem formalem constituti,quia cum realitate contracta nouam quandam naturam constituit , quam formaliter ingreditur,eamque essentialiter à quocũque alio distinguit;modus non constituit nouam naturam, quia nouum gradum quidditatiuum nõ affert,sed priorem modificat ac determinat;quod,inquit,manifestè cõstat de gradu indiuiduali,gradus enim quintus vel quartus albedinis non aliam naturam ab albedine constituit.

Reiicitur Mastrica explicatio descriptionis modi assignatæ à Scoto.

Contra hanc doctrinam arguo primo,quia non ostendit quomodo modus si addatur rei & modificet illam, non sit gradus quidditatiuus,nec constituat aliam naturam cum ipso,nec cur non posset dici, quod illud quod vocatur differentia esset modus, & non variaret rationẽ formalem constituti , nec constitueret aliam naturam cum ipso,si hæc omnia possunt dici de modo.

Arguo secundo , quod differentia indiuidualis possit dici modus si explicetur descriptio modi,vt explicatur à Mastrio, neque enim variat rationem formalẽ constituti trahendo ipsum ad inferiorem quidditatẽ,nec constituendo cũ ipso nouam quidditatẽm,quia nouũ gradum quidditatiuum

quidditatiuum non affert. Arguo tertio male supponi ab ipso, quod gradus quartus, aut quintus albedinis sit modus intrinsecus albedinis, nã distinguitur realiter à gradu priori cuius esset modus, & potest sine illo conseruari ac perfectè intelligi, tam bene quam primus gradus cui aduenit, quæ sunt contra naturam modi intrinseci vt ab ipsomet declarata est. Et si fundet se Mastrius in loco supra citato ex quodl. 5. vbi ait, quod si esset albedo sub decimo gradu, quãtumcunque esset duplex omnino in re, posset tamẽ concipi sub ratione albedinis tantæ & hinc perfectè conciperetur, vel posset concipi præcise sub ratione albedinis, & tunc non perfectè conciperetur, quod exemplum adduxit ad significandum quomodo res posset concipi sine modo, & ad explicationem naturæ modi; vnde videri posset tenere, quod intensio sit modus rei intensæ, & consequenter quod gradus quicumque, quo intenditur albedo sit modus.

Respondeo locum hunc non suffragari ipsi, nam Scotus non dixit; quod intẽsio albedinis absolutè sit modus eius, sed addendo cõditionem, quæ de facto non est posita, nempe quod albedo intensa esset simplex, & non composita ex pluribus gradibus realiter distinctis, quãuis autem tum intensio ipsius esset modus eius, quia realiter identificaretur illi & cæteræ conditiones modi cõuenirent ipsi, tamen non sequitur propterea, quod de facto quintus, aut vllus gradus quo intenditur sit modus, quia vt patet ex præmissa mea impugnatione, nulli tali gradui conueniunt conditiones modi intrinseci, de quo loquimur.

Non examino responsiones quas adfert ad obiectiones, quas contra suam doctrinam proponit, quamuis aliquæ ex illis non placeant, nec miror sanè quod non rectè explicauerit naturam modi intrinseci; quia res est in se satis difficilis; & vt intelligatur requirit multo plùs accurationis speculationis ac intentionis, quam ab ipso, aut vllo textuali tantum Scotista expectari debeat.

Quamuis autem ego de me præsumere non possim, quod à tot famosis Scotistis, quamuis laboriosè tractatum, implicatum tamẽ magis quam explicatum est relictum, dilucidare; hic nihilominus meum ea de re sensum in medium adferam, vt & Mastrius habeat in quo me si possit impugnet, & iuxta meas vires Scoti mẽtẽ aperiã.

Itaq; suppono cum omnibus modum intrinsecum esse aliquid rei modificatæ, seu rei in qua reperitur talis modus, realiter identificatum & distinctum à differentia quacumque tam essentiali, quàm indiuidnali ipsius, ac etiam proprietatibus quibuscumque eam consequentibus. Vnde si reperiatur in re vlla huiusmodi quid, & si possit explicari sic, vt explicatio non conueniat nec differentiæ vlli, nec proprietati, duo habebuntur, & quod detur modus intrinsecus, & quod illa explicatio ipsius erit bona; & si præterea explicatio illa conueniat cum iis, quæ Scotus ipse de modo asserit, ex omni capite sufficere debet.

Quid differentia essẽtialis.

Hoc ergo conandum est facere. Vt autem fiat suppono secundo differẽtiam essentialem esse vnam ex prædicatis essentialibus rei, quæ ipsi per se primo competunt, & nõ sequitur ad aliquod aliud prædicatum, quod prius ipsi competit, & quæ requiritur ad hoc vt res distinguatur ab aliqua alia re ex omnibus possibilibus, & consequenter sine qua concepta nequit res cognosci, vt distinguitur specie ab omnibus aliis rebus. Hoc patet quia cõpetit hæc ratio omnibus differẽtiis rei assignabilibus tã subalternis, quã vltimis, vt videre est in homine (de quo & omnibus aliis rebus eadẽ est ratio quantum ad hoc) nam in homine reperitur præter rationem entis, quæ nõ est differentia, tum quia est prima formalitas ex omnibus, quæ reperiuntur in ipso, tũ quia per eam non distinguitur ab vlla re possibili, quamuis per eam distinguatur à negationibus, priuationibus & impossibilibus vt chymeris; præter inquam hãc rationem reperitur in ipso vel finitas, vel aliqua alia formalitas ad quam sequitur finitas (de quo postea) per quam distinguitur à Deo. Deinde reperitur in illo ratio, qua contrahitur ens finitũ ad substantiã, & quã distinguitur ab accidenti; rursus reperitur in ipso ratio corporis, per quam distinguitur à spiritu, & ratio viuentis, per quam distinguitur à corpore non viuente, & ratio sensitiuitatis, per quã distinguitur à viuentibus corporeis non sensitiuis, & ratio rationalitatis, qua distinguitur à Brutis omnibus. Quibus omnibus differẽtiis ipsius cõpetit prædicta ratio. Deinde suppono differẽtiã indiuidualẽ esse quæ rei per se primo cõperit, & habet pro munere facere ipsam distinctam numero tantum à quacumque alia. Præterea suppono proprietates per se primo non cõpetere rei, sed sequi ad aliquod aliud prædicatum, quod per se primo competit ipsi, & quod à cognoscente illud prædicatum posset à priori demonstrari de re per illud prædicatum tanquam per medium.

Quid indiuidualis.

Quid proprietas.

His suppositis dico aliquod aliud prædicatum cõpetere cuicumque rei, sine quo posset res sic cõcipi, vt possit distingui à quacumque alia re, & quod non posset probari demõstratiuè per vllum ex prædicatis essentialibus ipsius, quæ requiruntur ad hoc, vt concipiatur vt distincta ab vlla re, nec etiam à chymera & negationibus, & quod non est differentia indiuidualis ipsius; hoeq; prædicatum propterea esse modum intrinsecum.

Prima pars huius assertionis probatur, quia homini, v.g competit hoc, quod est esse perfectius ens, quam vlla alia substantia corporea, vt facile probari potest & conceditur ab omnibus; sed hoc prædicatum non debet cõcipi, vt homo intelligatur distingui ab vlla alia re, neq; ab vlla re distinguitur per hanc, per quam nõ distinguatur, per aliquod aliud prædicatum, per se primo competens illi, ergo nõ est prædicatum essentiale hominis, per quod per se primo distinguitur ab ente rationis, aut negationibus, neque est vlla differentia infima, aut subalterna, per quam per se primo distinguitur specie ab vlla alia, nec est differentia numerica à qua habet esse distinctus numero ab vlla alia re, neque etiam est aliquod cõsequens ad vllum prædicatum essentiale, & demonstrabile per aliquod ex illis, nam si quis concipiat hominem secundum rationem entis finiti substantis corporei viuentis sensitiui rationalis, per hoc præcise nequit concludi, quod sit perfectior aliis corporibus nisi faciendo alios discursus per alia media: ergo illud prædicatum nõ est, nec prædicatum essentiale, nec differentia indiuidualis, nec proprietas hominis, & consequenter vera est prima pars Assertionis. Quod autem dico de homine pari passu potest dici de quacumq; alia re possibili vt est euidens. Rursus in albedine ille gradus perfectionis, à qua haberet esse magis intensa, supposito, quod intensio non fieret per additionem gradus ad gradum, sed quod albedo intensa esset qualitas intensiue indiuisibilis, quemadmodum sunt actus vitales intensiores, non est prædicatũ essentiale requisitum vt distinguatur specie, aut numero ab vlla alia re, neque est proprietas demonstrabilis per vlla ex illis prædicatis: ergo vera est assertio.

Quid modus intrinsecus.

Probatur iam secunda pars conclusionis, tum quia per modum intrinsecum intelligimus prædicatum huiusmodi; tum quia huiusmodi prædicatis conueniunt omnia quæ dicit Scotus de modo intrinseco: ergo est ille modus intrinsecus de quo agit Scotus.

Probatur vltimũ antecedens in quo est præcipua difficultas quãtum ad rem, nam de nomine parum curandũ est; quia Scotus nihil particulare dicit de modo, nisi quod opponatur differentiæ, quod sit quid superadditũ alteri, cui realiter identificatur, cum quo constituit aliquid; quod non variat rationem formalem constituti, & quod cõstitutum posset, quoad totam quidditatem & essentiam suam concipi sine illo, licet non perfectissime, & adæquate: modus vero nequeat concipi sine constituto seu modificato; & quod non sit proprietas rei, aut differentia indiuidualis, sed hæc omnia conueniunt illi prædicato: ergo. Probatur minor, imprimis opponitur differentiæ, quia per ipsam primo nequit res distingui ab vlla alia re à qua nõ posset primo distingui per aliquod aliud prædicatum conueniens ipsi. Deinde superadditur rei, in qua est & nequit illa res esse sine illo, nec est principium physicum ipsius, vlterius constituit cum re, seu realitate cui superadditur aliquod conflatum ex re illa & modo.

Rursus

Rursus non variat rationem formalé constituti faciédo cum ipso aliquid distinctæ rationis formalis,& essentialis ab illa ratione quam haberet, si non superadderetur modus,aut si cóciperetur sine modo. Quia per hoc esset diuersæ rationis formalis constitutum superaddito modo,aut conceptum cum modo, deberet à modo habere distingui specie ab aliquo,à quo sic distingueretur sine modo,& hinc sensitiuitas variat rationem formalem viuentis,& rationalitas animalis,& idē est de cæteris,quæ sunt differentiæ essentiales, & quæ dicuntur à Scoto variare rationem formalem constituti.

Præterea constitutum, hoc est res illa, quæ conflatur ex modo & modificato potest concipi quoad totā essentiam & quidditatē, hoc est quoad omnia prædicata essentialia requisita ad distinctionē ipsius ab omni alia re non concepto modo,non tamē potest concipi adæquate hoc est quoad omnia prædicata, quæ per se primo cópetunt ipsi,nisi concipiatur cum illo prędicato vt manifestū est. Nec illud prædicatum potest concipi sine modificato, vt patet. Rursus non est proprietas modificati cui superadditur,cum non possit probari competere ipsi per conceptum essentialem ipsius à quo habet distingui à quacūq; alia re;nec denique est differentia indiuidualis, cum nec habeat res ab illo esse distincta numero ab omni alia re: ergo à primo ad vltimum omnia quæ particulariter dicit Scotus de modo intrinseco cópetūt illi prædicato. Hinc facile describi potest clare modus intrinsecus esse aliquid superadditum formaliter rei,ipsiq; realiter identificatū; quod neque sit proprietas ipsius nec variat rationē formalem ipsius ex coniunctione sui cum ipsa sic, vt faciat ipsum esse, aut specie, aut numero distinctum ab vllo à quo non esset specie, vel numero distinctum sine coniūctione cum illo superaddito, quamuis non superadderetur ipsi,aut quamuis non esset,nec realiter idētificaretur ipsi. Quæ descriptio patet tum quia conuenit omni illi, quod dicitur modus intrinsecus & nulli alteri;tum quia conuenit omni & soli illi prædicato identificato ac modificanti,seu determinanti,quod non est differētia essentialis,aut numerica,aut proprietas: per tale autem prædicatum intelligimus modum intrinsecū,tum quia conuenit in re, cum definitione Scoti bene intellecta, nisi quod hæc sit explicatior,quia expresse cōtinet quæ in illa descriptione implicite continebantur,& subintelligenda erant ex mente Scoti, qui propterea, non addidit illud, quod nō est proprietas rei,quia supposuit ex alias dictis, quod modus intelligeretur aliquid aliud distinctū à proprio, per hoc, quod dixit essentiam rei perfecte & adæquate concipi non posse sine modo;potest enim perfecte & adæquatissime concipi quidditas rei sine proprietate, quæ consequitur ad ipsam. Contra totam hanc doctrinā obiici potest difficillimum argumentum de finitate& infinitate quibus cōtrahitur ens ad Deū & creaturam,nam supponuntur à Scoto & Scotistis esse modi,& tamen nō competit ipsis hæc descriptio:nam variāt rationem formalem entis, quod contrahunt & modificant, infinitas enim cōstituit cum ente Deum specie distinctum à creatura, & finitas constituit ens specie distinctum à Deo: ergo non competit ipsis hæc descriptio modi intrinseci.

Clarior descriptio modi intrinseci.

Ad hanc difficultatē Respondeo,non esse finitatem & infinitatem quæ per se primo contrahunt ens ad Deū & creaturam,neq; per se primo posse colligi,quod Deus,& creatura distinguantur specie ex finitate ac infinitate, sed potius per aliquas alias formalitates contrahitur ens ad illa,& illa inter se specie distinguuntur, quemadmodum autem in rebus creatis quælibet habet suam perfectionem,quæ est aliquo modo distincta à sua natura specifica,& modus consequenter intrinsecus eius, ita Deus habet suam propriam perfectionē aliquo modo distinctam à natura specifica ipsius,secūdum quam per se primo distinguitur à qualibet creatura,quæ perfectio potest proptērea vocari modus intrinsecus,&quia est perfectio, qua maior excogitari nequit,propterea vocari potest infinita; quia vero perfectio creaturæ vt sic, non est talis quin maior non solum excogitari possit, sed debeat necessario existere,vt creatura possit existere,vocatur & est finita ac limitata perfectio. Vnde patet prædictā descriptionem cōpetere & finitati creaturæ & infinitati Dei.

Quia vero nos non possumus facilius concipere perfectionē illam propriam Dei,quam per modū perfectionis infinitæ,propterea dicimus,quod ens contrahatur ad Deum per infinitatē,non quod sit ipsamet infinitas formaliter sumpta per se primo, sed potius illa perfectio, quæ habet secū annexam infinitatem, contrahat ipsum.

Sed Dices Scotum propterea negare ens esse genus ad Deum & creaturam,quia contrahitur per modos infinitatis & finitatis & non per differentias:sed si cōtraheretur,nō per illos ipsos modos,sed per formalitates illas specie distinctas quibus annexæ sunt illi modi,illa ratio nihil valeret:ergo secundum Scotum finitas, & infinitas secundum se immediate cōtrahunt ens. Respondeo Scotum intelligendū sic,vt velit,quod contrahatur per modos illos intrinsecos, quatenus contrahitur per formalitates quibus sunt annexæ,quas nos circumloquimur per illos modos ipsis annexos; & propterea negauit ipsum contrahi per differentias ac esse genus,quia accepit differentiam pro formalitate contrahibili alicuius formalitatis ex se formaliter imperfectæ,qualis formalitas nō est ens quia,vt sæpe dixi, quandoquidem sit formalitas, quæ possit existere absque dependentia à causa extrinseca,& realiter idētificari perfectioni simpliciter infinitæ, nequit esse ex se imperfecta,& quamuis reddatur imperfecta ac dependens in creatura,illa imperfectio & depēdentia non oritur ex sua ratione formali,sed ex coniunctione ipsius cum formalitate contrahente finita. Hic meus sensus est quem Meliorum Scotistarum, ac Metaphysicorum censuræ submitto,rogans tamen, vt ex ratione iudicium ferant,nec contenti sint contra adducere Authoritates,nisi quas ratione probare possunt.

## QVÆSTIO IV.

*Quomodo essentia & existentia distinguantur.*

Quid sit essentia, & quibus nominibus appelletur.

33. ESsentia rei est *ratio per se primo conueniens rei intrinsecè ipsā constituens,& à qua omnes proprietates eius emanant*,vt animalitas & rationalitas respectu hominis. Vocatur autem variis nominibus, vt *ratio formalis,quidditas, natura,substantia* (non tamen prout substantia opponitur accidenti,sed in latiori acceptione)quæ nomina idem omnino significant, quamuis quidditas latius pateat, quia dicitur de quacumque formalitate rei identificata,sicut & entitas. Quid existentia.

Et existentia est *id ratione cuius formaliter res constituitur extra suas causas & extra nihil*. Dixi *formaliter*, quia efficienter constituitur extra causas per ipsasmet causas, non tamen formaliter. Addidi *& extra nihil*, quia existentia Dei non constituit ipsum formaliter extra causas suas;quandoquidem non habeat causas, bene tamen constituit ipsum extra nihil.

## CONCLVSIO I.

Essentiā nō distinguitur realiter ab existentia.

34. *Essentia & existentia non distinguuntur realiter distinctione reali propriè dicta, hoc est, quæ opponitur distinctioni formali & rationis.* Hæc est *Doctoris in 1.dist.36.* & communior contra *Thomistas cum D.Thom.1.p.q.3.art.4.*

*Probatur primo* ad hominem,quia propterea existimāt aduersarij essentiam rei distingui ab existentia, quia essentia non necessario habet existentiam, sed aliquando existit, aliquando non existit, & consequenter videtur quod quando existit,habet aliquid, per quod existat distinctum realiter à se,quod non habuit,quando non existebat:sed etiam existentia ipsa rei non necessario semper existit, sed aliquando existit, aliquando non existit: ergo existentia ipsa deberet habere aliam existentiam, per quam existat, si valeat illud principium: hoc autem est absurdum:ergo illud principium non valet.

*Respondent* communiter illud principium concludere quod essentia non possit existere sine aliquo realiter distincto,non vero quod existentia non possit existere sine alia existentia,quia existentia est ratio formalis existendi,& consequēter non requirit aliam existentiam:Essentia vero non est ratio formalis existendi,& consequēter requirit aliam existentiam.Itaque sicut vnio non requirit aliam vnionem, eo quod sit ratio formalis vniendi, extrema vero vnita requirūt aliam vnionem ex eo,quod non

non sint ratio formalis vniendi:ita existentia non requirit aliam existentiam,eo quod sit ratio formalis existendi; essentia autem requirit aliam existentiam, eo quod non sit ratio formalis existendi. *Sed contra hoc*,quia colligitur essentiam non esse rationem formalem existendi, ex eo quod possit existere & non existere, sed existentia potest existere & non existere : ergo debent colligere, quod non sit ratio formalis existendi, & consequenter falso supponunt existentiam esse rationem formalem existendi,non essentiam.

*Confirmatur* hoc, quia si possit vnio esse indifferens ad vniendum tam bene, quam extrema,non posset habere rationem formalem vniendi magis, quam extrema:ergo si tam indifferens est existentia ad existendum & non existendum,quam essentia,non erit potius ratio formalis existendi,quam essentia.

*Et si dicatur* posse concipi essentiam, quin concipiatur res existere,non vero posse concipi existentiam, & consequenter esse principium colligendi existētiam esse rationem formalem existendi, non vero essentiam.

*Contra primo*,quia falsum est,quod non possit concipi existētia rei sine hoc quod res concipiatur existere actu, licet non possit concipi, quin existat, vel possit existere.

*Contra secundo*, & facit etiam contra primam responsionem, quia licet, si concipiatur res sub essentia, non concipiatur existere; si concipiatur vero sub existentia, concipiatur necessario existere; & licet etiam inde sequatur, quod ab essentia formaliter non habeat res existere, & consequenter quod essentia formaliter non sit ratio formalis constituendi existentiam, sed existentia; tamen nullo modo sequitur, quod realiter distinguantur,aut quod res ab essentia non habeat realiter & identice existere, licet formaliter non haberet.

40. *Et hinc probatur conclusio secundo*:nulla est necessitas alicuius realiter distincti ab essentia ad constituendam ipsam realiter existentem;ergo sine necessitate,& fundamēto,& consequēter superflue ac inutiliter distinguitur essentia realiter ab existentia. Consequentia est euidens. Probatur antecedens:sicut potest constitui ipsa existētia, existēs actu absq; aliquo superaddito realiter,ita& essentia;nihil enim impedit : ergo non est necessitas alicuius realiter distincti ad constituendam essentiam existentē.

*Confirmatur*,quia sicut constitueretur existentta in actu per hoc, quod terminaret actionem causæ producentis, quam se ipsa realiter posset terminare absque aliquo distincto,ita etiam constitueretur essentia actu existēs, per hoc quod terminaret talem productionē,quam etiam se ipsa realiter posset terminare non minus,quā existentia.

*Confirmatur secundo*:quia licet homo possit concipi vt animal, quin concipiatur vt rationale formaliter, aut vt homo, & hinc habeatur quod non constituatur formaliter per animalitatem in esse hominis,sed per rationalitatem, per quam non potest intelligi constitui quin intelligatur vt homo;tamen secundum aduersarios non inde sequitur quod rationalitas & animalitas distinguātur formaliter : ergo idem in proposito dicendum. Aliæ plures rationes videantur apud *Scotum & Scotistas*.

41. *Obiicies primo* : essentia rei participat existentiam ipsius:ergo distinguitur realiter ab existentia,quia participans distinguitur realiter à participato.

*Confirmatur*, quia existentia creaturæ debet esse recepta in creaturæ essentia, alias essentia esset infinita:ergo debet distingui realiter ab ipsa.

*Respondeo* essentiam non magis participare existentiam quam gradus superior participat gradum inferiorem,aut è contra:sed ex participatione gradus superioris ab inferiori, aut è contra, non sequitur distinctio realis inter gradus istos,sed ad summum formalis;ergo non sequitur ex eo quod essentia participaret existētiam,quod distingueretur realiter. *Et similiter respondeo ad confirmationem*. Itaque eatenus essentia dicitur participare existentiam, quatenus producitur actu per causam efficientem.

42. *Obiicies secundo*:terminus generationis distinguitur realiter ab eo quod nō est terminus generationis:sed existētia est terminus generationis,& essentia non est:ergo.

*Respondeo* negando minorem, nam terminus generationis est tota res,quæ producitur : & licet possit considerari,quod in illa tota ratio formalis terminandi generationem esset existentia ; tamen inde non sequitur distinctio realis,sed ad summum formalis.

*Obiicies tertio* : nulla res potest intelligi sub opposito eius, quod realiter ipsi identificatur : sed essentia potest intelligi sub non existentia : ergo existentia non potest identificari essentiæ.

*Et si dicatur* maior esse falsa propter instantiā de animali,quod licet realiter identificetur rationalitati,potest tamen intelligi sub irrationalitate opposita:Saltē maior erit vera,si res illa non idētificetur vtriq; opposito,sicut animal identificatur rationalitati, & irrationalitati : sed essentia nō idētificatur negationi existentiæ:ergo si idētificetur existentiæ, non poterit esse sub non existentia.

*Respondeo* distinguendo minorem:potest intelligi sub non existentia,quatenus potest intelligi actu non existere, sicut & potest intelligi ipsamet existentia, concedo minorem:quatenus posset intelligi esse realiter existens, & simul habere negationem existentiæ, aut possibiliter existens cum negatione possibilis existentiæ, nego minorem,& cōsequentiam. Itaque sicut ipsa existentia potest intelligi non existere actu,& sic intelligi cum negatione existentiæ,& tamen non distinguitur realiter à seipsa,ita potest intelligi essentia non existere,& tamen nō distingui realiter ab existentia. Ratio autem cur possit non existere realiter & actu,quamuis habeat existentiam sibi identificatam est, quia dependet à causis efficientibus producentibus,& conseruantibus ipsam,adeo vt nō possit existere actu sine ipsis.

43. *Obiicies quartò*:essentia competit rei independenter à causa efficiente,existentia vero dependenter : ergo distinguuntur realiter.

*Confirmatur*;quia mortuo homine non perit essentia, perit existentia:ergo distinguuntur realiter.

*Respondeo* negando maiorem;nam essentia & existentia dependent efficienter à causa efficiente,licet formaliter intrinsece non dependeant. *Ad confirmationem* etiam respondeo tolli essentiam & existentiam per mortem.

*Dices*;ergo essentiæ rerū non sunt æternæ,sed sunt generabiles & corruptibiles, cōtra *Philosophos* cōmuniter. Quomodo essentiæ rerum sunt æternæ.

*Respondeo* distinguendo primam partem consequentis, quantum ad cōnexionem hypotheticam prædicatorum essentialium,nego,simpliciter,concedo. Distinguo etiam secundam partem consequentis:sunt generabiles & corruptibiles,hoc est possunt generari & produci,concedo; hoc est à generatione habent talem vel talem connexionem,aut per corruptionem perdunt illam, nego. Itaque essentiæ rerum dicuntur esse æternæ & necessariæ, quatenus ex se formaliter includunt talia prædicata, vt si sint,necessario debeant ista habere:& hoc est quod intelligitur per hypotheticam connexionem prædicatorum essentialium. Et quia licet causa efficiens possit non producere res,tamen potest efficere,vt si producantur, non sint talis rationis essentialis,inde dicuntur res quoad essentiam non dependere à causa efficiente, & non generari,nec corrumpi:quod est aduertendum.

*Obiicies quinto ex Patre Blasio à Conceptione*:quod habet esse receptū in essentia, debet habere esse realiter distinctum ab essētia:sed quælibet creatura habet esse,hoc est existere, realiter in essentia sua receptū. Probat minorē: quia quælibet creatura habet esse finitum & limitatum: ergo habet esse, seu existere in essentia sua receptum, quia esse irreceptum est esse omnino infinitum & illimitatum; nam cum quilibet actus à potentia sua tanquam ab opposito suo limitetur,si esse quod est actus vniuersalissimus & perfectissimus totius entis,neget potentiā in qua recipiatur,negabit&excludet à se quodcumq; limitatiuum,& per consequens quamcumque limitationem.

Proposui hanc obiectionem quasi de verbo ad verbū, vt melius ostendere possem quam parum concludat.

*Itaque in forma respondeo*, negando minorem,cum consequentia probationis:& ad discursum,quo probatur illa consequentia ; *Dico* esse seu existere irreceptum, hoc est habitum

habitum sine dependentia à causa efficiente, esse existere illimitatum, & infusum, esse vero seu existere receptum, hoc est non receptum in aliquo realiter distinctio, non esse illimitatum neque infinitum, sicut neque rationalitas est illimitatum quid ex eo quod non sit quid receptum in aliquo realiter distincto: & idem est de omnibus gradibus metaphysicis substantialibus.

Ad illud de limitatione actus per potentiam.

*Dico primo*: si quidpiam veritatis habeat, intelligendū esse de actu realiter distincto à potentia, qualem actum nego esse existentiam, & oppositum asserere est petere principium. *Dico secundo*: licet actus habeat potētiam, per quam limitetur, omnem tamen limitationem actus non prouenire ab illa potentia, vt manifestum est in forma ignis, quæ licet limitetur à materia ignis ad esse in tali individuo, tamen non limitatur ab illa sic, vt ab illa habeat non tribuere operationes formæ aquæ, aut formæ hominis competentes; sed hanc limitationem habet à seipsa: & sanè eodem modo existentia, quamuis si haberet potentiam realiter distinctam, in qua reciperetur, limitaretur ab illa, tamen posset habere à seipsa aliquam limitationem, etiam si non haberet talem potentiam.

*Rursus*, limitatio quam habet existentia finita est limitatio à qua habet non existere necessario nec facere essentiam sibi correspondentem existentem necessario: sed certè hoc non habet ex alio capite, quam quod non existat à se independenter à causa efficiente, & quod non detur vlla causa efficiens, quæ necessario ipsam producere debeat: hoc autem posset esse verum, siue haberet potentiam, in qua reciperetur, siue non; vnde chymericè mihi videtur recurri ad illam potentiam.

*Dices cum eodem Authore*; ens non habere limitationē ex eo, quod produci potest realiter à Deo, quia alias Filius æternus esset limitatus, cum producatur à Patre.

*Respondeo* distinguendo antecedens: ex eo quod producatur quomodocumque, concedo: ex eo quod producatur sic vt posset non produci, nego antecedens.

Itaq; existentia colligitur esse limitata ex eo quod nō necessario producatur ab vlla causa, nec habeat etiam à se necessario existere; & ex eo etiam habet aliam limitationem, quod non sit nata facere existentē nisi essentiam limitatam; vnde cum nullam aliam limitationem debeat habere, & possit colligi habere has absque recursu ad potentiam realiter distinctam in qua reciperetur, propterea satis impertinenter recurritur ad illam potentiā.

*Obijcies vltimo*: sequeretur quod creaturæ essent existentes per essentiam, sicut Deus est, sed hoc est absurdissimum, ergo. Probatur sequela, quia propterea Deus dicitur existere per essentiam, seu essentialiter, quia existentia identificatur ipsi; ergo si existentia identificetur essentiæ creaturæ, creatura etiam erit existens essentialiter seu per essentiam.

*Respondeo* negando sequelam cum probatione: sed propterea Deus dicitur existens realiter per essentiam, quia vt existat, non dependet à causa efficiente, sed necessario independenter ab omni causa existit realiter; creatura vero non existit independenter à causa efficiente, sed necessario dependet à tali causa, & consequenter potest existere, vel non existere.

## CONCLVSIO II.

Existentia & essentia distinguuntur formaliter.

45. *Existentia & essentia formaliter distinguuntur.* Hæc est communis, si præscindatur à controuersia de distinctione formali actuali, & intelligatur hic per distinctionem formalem illa, quæ non est realis.

*Probatur*, quia sunt diuersi omnino conceptus, qui habentur de re secundum essentiam & secundum existentiam: nam intelligitur quoad existentiam per hoc quod intelligatur esse extra nihil, seu in statu, in quo possit exercere suas operationes independēter ab aliqua actione noua causæ efficientis, quæ deberet ipsi superuenire; intelligitur vero secundum essentiam, quatenus intelligitur secundum quod habet talem vel talem particularem naturam, vt potens discurrere, aut esse per se, aut esse in alio: sed hi conceptus sunt distincti: ergo est aliqua distinctio non realis inter essentiam & existentiam.

*Quod si quæras*, an sit Scotistica distinctio formalis, ita vt existentia dicat formalitatem superadditam formalitati essentiæ. *Existimo* quod non, quia illa ipsa formalitas essentiæ se ipsa potest existere, suppositā actione causæ effectiuæ, si dependeat à tali causa, & superflueret, aliam formalitatem in ordine ad hoc ipsi superaddere: nec distincti conceptu semper arguunt distinctionem formalem Scotisticam, vt patebit ex dicendis in disputatione de distinctione formali: & per hoc patet ad fundamentum aduersariorum. Non tamē distinctione rigorosa Scotisticæ.

## QVÆSTIO V.

*De esse creaturarum ab æterno.*

46. SVppono iam nullas creaturas productas fuisse realiter à Deo ab æterno, quamuis posset aliquas producere: hoc tamen non obstante certum est Deum ab æterno cognouisse omnes creaturas non solum secundum esse creaturæ vt sic; sed secundum rationes particulares earum, quatenus sunt inter se distinctæ rationis, & consequenter non potest esse dubium, quin quælibet creatura fuerit ab æterno possibilis, quia non fuit impossibilis, alias esset chymera, & non posset esse possibilis in tempore.

Quæritur ergo hic quodnam esse habuerunt ab æterno. *Henricus* videtur dicere, quod habuerunt esse reale ab æterno, non tamen existentiæ, sed essentiæ. At reuera non videtur eum intellexisse per esse reale essentiæ aliud quàm quod communiter intelligunt alij authores, per illud esse quod creaturis ab æterno tribuūt. Vnde existimo potius de nomine cum ipso quam de re esse controuersiam. Sed quomodocumq; ipse suam intellexerit sententiam, quid in rei veritate dicendum sit, sequentibus conclusionibus proponam.

## CONCLVSIO I.

Creaturæ non habuerunt vllum esse reale simpliciter ab æterno.

47. *Creaturæ nullum habuerunt esse reale simpliciter ab æterno.* Hæc est communissima cum *Doctore in 1. dist. 39.*

*Probatur primo*: omnia in tempore producta sunt quoad esse reale simpliciter, ergo non habuerunt esse reale simpliciter ab æterno.

*Dices*: producta sunt in tempore quoad esse reale existentiæ, non vero quoad esse reale essentiæ.

*Contra*, quia esse existentiæ realis est esse reale simpliciter; ergo si non habuerunt esse reale existentiæ ab æterno, non habuerunt esse reale simpliciter.

*Probatur secundo* conclusio, & impugnatur simul illa respōsio, antequam producta sunt in tempore, vel poterant exercere operationes sibi competentes, v. g. homo discurrere, ignis calefacere &c. vel non poterant. Si poterāt, ergo habuerunt statum existentiæ realis, & sic non solum quoad esse essentiæ, sed quoad existentiæ fuerunt ab æterno, & propterea aut impossibilis aut inutilis erat productio ipsorum in tempore. Si potuerunt, ergo non habuerunt vllum esse reale simpliciter; nam per esse reale simpliciter intelligimus esse tale, ratione cuius possit res exercere operationes sibi competentes.

*Probatur tertio*, quia si creatura haberet esse reale essentiæ ab æterno, maximè quia secundum essentiam intelligebatur à Deo ab æterno: sed hoc non sufficit, vt dicatur habere esse reale ab æterno: ergo.

Primum fundamētum aduersariorum.

Probatur minor, quia non minus Deus cognonit rerum essentias quàm existētias ab æterno, sed ex eo quod cognoscat existentias ab æterno, non dicitur res habere esse reale existentiæ ab æterno; ergo neque ex eo quod cognoscat essentias rerum ab æterno, debet dici, quod habeant ab æterno esse reale essentiæ simpliciter. Et per hoc solutum manet primum fundamentum aduersariorum.

48. *Obijcies præterea pro iis*: ab æterno verum erat dicere, quod homo erat animal rationale, & hinc propositio illa dicitur æternæ veritatis, & non dependere ab actuali existentia hominis: sed non apparet quomodo possit esse vera, nisi homo haberet aliquod esse reale ab æterno: ergo.

*Respondeo primo* retorquendo argumentum, quia non minus verum erat ab æterno, quod homo est animal rationale, quàm quod existentia distinguatur realiter, aut

aut non distinguatur realiter ab essentia: sed ex veritate huius propositionis non sequitur existentiam fuisse realiter ab æterno: ergo neque ex veritate alterius sequitur hominem fuisse realiter ab æterno.

*Respondeo secundo* distinguendo maiorem: ita vt sensus esset quod homo existeret realiter ab æterno, & quod haberet ab æterno realem & necessariam connexionem cum animalitate & rationalitate, nego maiorem, ita vt sensus, sit quod homo sit talis naturæ vt non possit esse, quin sit animal rationale, & si esset ab æterno realiter existens, deberet etiam esse necessario realiter animal rationale, concedo maiorem, & nego minorem.

## CONCLVSIO II.

Creaturæ ab æterno habuerit aliquod esse.

49. *Omnes creaturæ habuerunt aliquod esse ab æterno.* Hæc vix potest negari, quia intelligebantur ab æterno à Deo, & actu terminabant cognitionem diuinam: ergo habuerunt ab æterno aliquod esse, secundum quod terminabant istam cognitionem, siue primario terminauerint illam, siue secundariò.

*Obiicies*, si haberent aliquod esse ab æterno, vel illud esse deberet reale, vel rationis, non rationis, quia sic nunquam possent realiter existere: repugnat enim enti rationis realis existentia; non etiam reale propter conclusionem præcedentem; ergo nullum esse habuerunt ab æterno.

*Respondeo* distinguendo maiorem: deberet esse reale, prout esse reale opponitur enti rationis, concedo maiorem, & nego minorem pro secunda parte: deberet esse reale simpliciter, prout esse reale dicitur illud esse, secundum quod res est extra nihil, & potens operari operationes sibi competentes absque actione aliqua superueniente, nego maiorem.

## CONCLVSIO III.

50. *Illud esse, quod habent creaturæ ab æterno, verbi gratia homo, non consistit in denominatione extrinseca desumpta ab omnipotentia Dei neque in non repugnantia; neque in aliqua relatione siue reali, siue rationis, siue actuali, siue aptitudinali.* Hæc est *Doctoris* supra, & communior contra aliquos *Thomistas*, qui videntur dicere, quod esse illud nihil aliud sit, quam esse possibile, & quod illud esse possibile sit denominatio desumpta ab omnipotentia Dei.

*Probatur prima pars primò*, quia nulla est denominatio extrinseca absque denominato; ergo si sit ab æterno denominatio extrinseca desumpta ab omnipotentia Dei, debet esse aliquid, quod per ipsam denominetur: ergo esse, quod habent creaturæ ab æterno, non consistit in sola denominatione.

Illud esse non est denominatio extrinseca.

*Probatur secundò*, quia creaturæ habent ab æterno esse diuersæ rationis, & vt sic cognoscuntur à Deo; cognoscit enim ab æterno Deus, quod homo sit distinctæ rationis ab equo: sed illa diuersitas non potest præcise oriri ex denominatione aliqua desumpta ab omnipotentia Dei; ergo esse creaturarum ab æterno non consistit tantum in illa denominatione.

*Probatur tertio*, quia ab æterno cognoscit Deus esse aliquam rationem in homine, ratione cuius sit possibilis, & possit habere denominationem possibilis ab omnipotentia Dei, non vero in chymera; ergo datur aliquid ab æterno præter illam denominationem.

51. *Probatur secunda, & tertia pars*, quia omnis non repugnantia, & omnis relatio fundatur in aliquo, quod habet non repugnantiam & relationem, ergo si sit non repugnantia aliqua hominis ab æterno, aut vlla relatio ipsius, debet ipsemet aliquo modo esse ab æterno.

*Confirmatur*: Ideo Petrus non repugnat, & chymera repugnat, quia Petrus habet naturam distinctæ rationis à natura chymeræ; ergo non repugnantia Petri præsupponit naturam ipsius.

*Confirmatur secundo*, quia non possunt creaturæ cognosci vt distinctæ rationis, per hoc quod cognoscatur non repugnantia earum; ergo debent habere aliquod aliud esse præter non repugnantiam; neque possunt etiam cognosci vt distinctæ rationis per vllas relationes, nisi relationes cognoscantur esse diuersæ rationis, neque possunt cognosci relationes esse diuersæ rationis, nisi quatenus cognoscerentur termini earum esse diuersæ rationis aut fundamenta: sed relationes, quas dicerent creaturæ ab æterno, & in quibus consisteret esse earum, non possunt habere diuersitatem ex parte termini, quia terminus earum omnium est omnipotentia Dei: ergo debent habere diuersitatem, ex parte fundamenti, & consequenter præter esse relationis debet esse fundamentum ipsius ab æterno.

*Confirmatur*, quia non est minus conueniens quod ipse homo secundum esse suum absolutum esset aliquo modo ab æterno, quam quod vlla relatio, quam diceret, esset ab æterno.

*Confirmatur secundo*, quia illud est ab æterno possibiliter & intelligitur vt tale à Deo, quod potest poni in tempore: sed ipse homo, & non tantum denominatio aut relatio ipsius, potest poni in tempore: ergo quod est ab æterno non est tantum denominatio aut relatio vlla.

## CONCLVSIO IV.

Est esse diminutum medium inter esse reale simpliciter & esse rationis.

52. *Illud esse, quod habent creaturæ ab æterno, est esse quoddam diminutum, quasi medium inter esse rationis, & esse simpliciter reale.* Hæc est *Scoti* supra cum suis omnibus, *& patet*, quia non est esse simpliciter reale, vt patet ex prima conclusione; neq; esse rationis, cum non habeat repugnantiam: est autem aliquod esse conueniens cum esse rationis in hoc, quod non sit esse reale simpliciter & cum esse reali simpliciter in hoc, quod non repugnet ipsi existere: est magis perfectum, quam esse rationis, propter non repugnantiam, & minus perfectum quam esse simpliciter, cum non sufficiat, vt possit res operationes sibi competentes elicere: ergo est esse quoddam diminutum, medium inter esse rationis, & esse reale simpliciter: potest autem vocari esse intentionale, quia sufficit ad terminandam intellectionem.

## CONCLVSIO V.

Non producitur per actū intellectus.

53. *Illud esse diminutum non producitur per actum diuini intellectus.* Hæc est contra multos *Scotistas*, & videri posset esse contra *Scotum* supra, sed non est tamen, vt postea videbitur.

*Probatur primo*, quia obiectum scientiæ speculatiuæ, non fit per illam, sed potius præsupponitur ipsi: Sed scientia, qua cognoscit Deus creaturas ab æterno, est speculatiua; ergo non dat creaturis esse illud, secundum quod cognoscit illa.

*Probatur secundo*, quia prius natura terminatur scientia diuina ad obiectum primarium, quàm ad secundarium: Sed in illo priori creaturæ habent esse possibile saltem remotum & fundamentale, non enim repugnabant: ergo non recipiunt illud esse à scientia Dei, qua cognoscuntur.

*Confirmatur*, quia si per impossibile Deus non cognosceret creaturas, & tamen posset eas, tanquam causa naturaliter agens, producere in tempore, haberent esse possibile ab æterno, & quod non possint sic produci non oritur ex natura ipsorum, sed ex modo agendi & perfectione Dei; ergo non habent esse suum possibile à scientia Dei, neque consequenter ab intellectu diuino.

*Dices*, hinc sequi quod habeant esse possibile materialiter à seipsis non verò formaliter.

*Contra primo*, quia gratis dicitur quod illud non esset esse possibile, formaliter loquendo.

*Contra secundo*, quia sufficit quod habeant aliquod esse, siue dicatur materiale, siue fundamentale, siue remotum independenter ab intellectu diuino; hoc enim est intentum conclusionis.

*Confirmatur*, quia illud esse quod tum haberent, esset esse distinctæ rationis ab esse chymeræ: sed nihil aliud volumus quàm quod creaturæ ab æterno habeant aliquod esse distinctæ rationis ab esse chymerarum, & hoc independenter ab operatione intellectus diuini.

*Probatur tertiò*, quia nisi creaturæ haberent esse aliquod possibile à seipsis, independenter ab actu intellectus diuini, non esset ratio quare homo potius esset possibilis quam chymera: nam intellectus diuinus intelligit vtrumque tanquam obiectum secundarium: nec esset vlla ratio cur tribueret possibilitatem vni potius quàm alteri.

*Quod si dicatur* Deum non cognoscere Chymeram; præterquam quod hoc sit falsum, adhuc non tollit difficultatem, quia non esset ratio cur intelligeret hominem, & non intelligeret chymeram, nisi quia homo esset ex se possibilis, chymera non esset; ergo præsupponitur possibilitas aliqua saltem remota & fundamentalis (quod sufficit nostro intento) in homine ante intellectionem diuinam.

55. *Obiicies primo Scotum in* 1. *dist.* 39. dicentem quod esse possibile creaturarum competit ipsis pet intellectum diuinum; ergo conclusio est contra ipsum.

*Respondeo* distinguendo antecedens, esse possibile proxime, concedo; remote, nego.

*Et si quæras*, cur si aliquod esse possibile competat ipsis sine intellectu, non competat etiam ipsis esse possibile proximum.

*Respondeo*, quia non possunt produci nisi per voluntatem aut omnipotentiam; voluntas autem nequit eas producere, nisi proponatur ab intellectu: vnde non sunt possibiles proximè, nisi intelligantur: & consequenter ab intellectu constituuntur in esse possibilis proxime.

*Obiicies secundò*: De creaturæ ratione est quod sit ab alio: ergo creatura possibilis debet esse ab alio: sed non potest esse ab alio, quàm ab intellectu diuino, ergo est ab illo.

*Respondeo* distinguendo maiorem: quod sit ab alio quantum ad hoc, quod non possit habere esse reale simpliciter, nisi ab alio, concedo maiorem: quod non possit habere esse illud diminutum & possibile nisi ab alio, nego maiorem.

*Confirmatur*, quia non haberet esse creaturæ ex eo quod haberet esse ab intellectu diuino: ergo ex eo quod sit creatura, non sequitur quod sit ab intellectu diuino. Probatur sequela, quia filius diuinus habet esse ab intellectu diuino, & tamen non est creatura: ergo ex eo præcisè quod habet aliquod esse ab intellectu diuino non sequitur quod sit creatura.

*Dices* non sufficere quod sit ab intellectu diuino quomodocumque, sed requiri vlterius quod sit distinctum realiter ab intellectu diuino.

*Contra*: ergo negatio identitatis cum intellectu diuino ac essentia diuina, sufficit ad hoc quod quis habeat esse creaturæ, quamuis procedat ab intellectu: sed quemadmodum illa negatio sufficeret ad hoc, sufficeret etiam ad idem, etiamsi non procederet ab intellectu diuino, & consequenter creaturæ illæ possibiles essent creaturæ, licet non procederet ab intellectu diuino.

*Dices* non sufficere illam non identitatem, quia si esset ignis ab æterno ex natura sua intrinseca absque dependentia à Deo, non esset creatura, licet esset distinctus realiter à Deo. Vnde requiritur vltra illam non identitatem dependentia.

*Contra*, quia nulla est ratio cur ad esse creaturæ requireretur maior dependentia, quam talis ratione cuius non posset habere esse reale simpliciter absque Deo: talis autem dependentia esset in creatura possibili, quamuis à Deo non acciperet esse suum possibile per operationem intellectus diuini.

*Obiicies tertiò*, si Deus repugnaret, repugnaret etiam creatura possibilis: ergo creatura possibilis habet esse suum à Deo.

*Respondeo* distinguendo antecedens: ex defectu influxus vllius in esse possibili, nego: ex eo quod si Deus repugnaret, non esset aliqua causa, quæ posset dare creaturæ esse simpliciter & consequenter non haberet esse possibile, concedo antecedens: & distinguo consequens: quatenus non esset possibilis, nisi Deus esset, concedo consequentiam: quatenus Deus communicaret ipsi esse possibile per influxum aliquem realem, aut intentionalem, nego consequentiam. Itaque quemadmodum nisi esset oculus, non esset color aliquis visibilis fundamentaliter, & tamen oculus non dat ipsi esse visibile sic: & nisi esset filiatio non esset paternitas licet paternitas non det esse filiationi, neque è contra: Ita in proposito, si non esset Deus, non esset creatura possibilis, & tamen Deus non dat creaturæ esse possibile, saltem fundamentaliter: sed habet illud esse à seipso formaliter, & necessario.

## *ADDITIO*

Doctrinam meam in hac quæstione non solum impugnat Mastrius disp. 8. suæ Metaphysicæ in secunda parte, quæ ad me Parisios cum instaret finis secundæ mei cursus editionis peruenit; sed satis grauiter censurat. Sed de censura, vel quia ipsius, non sum sollicitus; quam rectè impugnauerit hic examinabo.

Primo itaque *n.* 12. probat esse diminutum quod tribuo creaturis ab æterno medium inter ens reale & rationis esse mere Chymericum & fictitium: quia implicat dari medium inter contradictoria: talia autem sunt ens reale & rationis, quia ens primo æquiuoce diuiditur in ens reale & rationis, ergo non datur alquod medium inter illa: ergo esse diminutum partim reale partim rationis est fictitium ac Chymericum. Sine dubio si Mastrius me hic, vbi tamen certus sum quod non obscure loquar, intellexisset, vel nullo modo se opponeret, vel aliam impugnationē excogitaret. Docueram esse diminutum creaturarum ab æterno esse medium inter ens reale simpliciter, (per quod intellexi ens realiter existens) & ens rationis, non quod participaret vtriusque entis rationem (vt mala fide imponit mihi Mastrius) quia sic esset ens rationis & ens realiter existēs, quod implicare nullus est Philosophicus tyro qui ignorare possit; sed quod haberet quandam conuenientiam, seu proportionē cum vtroque, quatenus scilicet, vt manifeste expressi, & ex me proponit ipsemet Mastrius, non existit realiter, sicut nec existit ens rationis, & non repugnat tamen ipsi existere, sicut nec repugnat enti realiter existenti. Quæro iam à Mastrio an non sit verum, quod si creaturæ habeant vllum esse ab æterno illud debeat esse tale, vt non sit realiter existens? Certe nisi verum sit, quod non sit realiter existens, debet aut esse realiter existens, quod nec ego nec vllus somniauit; aut debet esse ens rationis, & sic non erit esse creaturarum: ergo manifestum est quod illud esse necessarium quod habent creaturæ ab æterno, si vllū esse habeant, non sit realiter existens: ergo in hoc cōuenit illud esse cum quocumq; quod non realiter existit: sed ens rationis non existit realiter: ergo illud esse conuenit cū ente rationis in hoc. Rursus quæro an illud esse non sit possibile, aut an non sit tale, cui non repugnat realis existentia: certū est quod sic, quia aliàs esset ens rationis, & sic, vt dixi, non esset esse creaturarum: ergo in hoc conuenit cum quocumq; cui non repugnat realis existentia: sed enti realiter existenti non repugnat realis existentia: ergo illud esse in hoc conuenit cum tali ente. Hoc autem ego solummodo volui.

Esse creaturarum ab æterno est medium inter ens reale & rationis.

Rursus quæro an si detur aliquod esse quod non sit reale simpliciter, hoc est realiter existens; nec etiā ens rationis, illud non possit ac debeat dici mediare inter vtrumque, hoc est non esse neque vnum, neque alterū: at illud esse quod habent creaturæ ab æterno, non est ens realiter existens, nec ens rationis: ergo est medium inter illa, hoc est neque vnum neque alterum. Hæc est mea doctrina, quam sane nescio, cur aut quis possit inficiari supposito quod concedatur semel quod creaturæ habeant vllum esse proprium ab æterno, sed iam respondendum ad impugnationes Mastrij in forma.

*Ad primam distinguo minorem*: sed ens reale simpliciter,hoc est realiter existens,& ens rationis sunt contradictoria; nego minorem: ens reale hoc est illud cui non repugnat realis existentia & ens rationis sunt contradictoria transeat minor,& similiter distinguo consequens:ergo inter reale simpliciter, hoc est ens realiter existens & ens rationis non datur medium nego; inter ens reale hoc est illud cui non repugnat realis existentia,non datur medium,transeat consequentia.

Ad secundam transeat prima consequentia, & concedo absolute secundam:neque ego aut dixi aut somniaui dari aliquod ens partim reale,partim rationis,sed dixi & dico dari aliquod ens quod non sit, neque ens reale realiter existés neque ens rationis, & tale sine dubio est Antichristus & omnis creatura possibilis non realiter existens.

Secundo *num.* 14.impugnat tanquam minus rationabile,quod docui, illud esse diminutum creaturarum ab æterno esse independens à Deo, quantum ad hoc quod non fiat,nec per intellectum nec per voluntatem diuinam,sed quod competat ipsis à seipsis formaliter, sine cooperatione vllius causæ efficientis:quia inquit primo sic possent gloriari creaturæ quod haberent aliquod esse saltem diminutum & à seipsis omnino independenter à Deo. Secundo quia de ratione creaturæ est quod in quocunque suo esse quo recedit à nihilo,siue sit esse diminutum siue completum,dependeat à Deo,nam totum esse ipsius est participatum;Tertio quia quod semel est participatum,semper deinceps est tale, quia est tale ab intrinseco suo & essentialiter.Quarto quia hæc dicendi modus est absurdior,quam Henrici, quia hic ponebat dependentiam esse realis, quod ipse creaturis tribuit,à Deo tanquam à causa exemplari; ego vero pono esse diminutum omnino independenter à Deo. Quinto denique quia hoc est directe contra Doctorem. 1. d. 39. & 43. docentem quod illud esse creaturarum esset à Deo principiatiue,& ex ipsismet formaliter.

Ad primam impugnationem ex his.Respondeo non esse inconueniens quod creaturæ possint gloriari, hoc est dicere & agnoscere quod ab ipsarummet natura intrinseca competat ipsis, quod non repugnet ipsis realiter existere,sicut non est inconueniens, etiam secundum Mastrium, quod possunt gloriari, quod ab ipsismet formaliter habeant, quod sint possibiles & sicut non est inconueniens quod homo possit dicere, quod Deus ipse nõ possit efficere,vt sit lapis aut ens rationis.

Ad secundam,dico primo falsum supponi in ea:nempe creaturam secundum esse diminutum recedere à nihilo,nam proprie loquendo quidquid non existit realiter,est nihil.Vnde cum creaturæ,quamuis habeant esse diminutum,non existant realiter, sunt nihil & consequenter per esse diminutum non recedunt à nihilo.

Dico secundo supponendo tamen quod creaturæ habentes esse diminutum non sint nihil, male supponi, nihilominus quod recedant à nihilo secundũ illud esse, quia quod recedit ab aliquo,supponitur fuisse cum illo, aut in illo,creaturæ vero nunquam fuerunt cum nihilo, quod opponitur esse diminuto:ergo per esse diminutum non bene dicuntur recedere à nihilo.

Dico tertio, dando quod per esse diminutum habeant & non esse nihil & recedere à nihilo quod opponitur illi esse diminuto,falsum esse quod secundum illud esse dependeãt à Deo,& id asserere est directe petere principium,& licet totum esse creaturæ sit participatum,id debet intelligi quãtum ad hoc,vel quod habeat aliquam rationem idealem in Deo quam aliquo modo participat, quatenus est aliquo modo similis illi; vel quantum ad hoc quod ast talis naturæ, vt non possit habere realem existentiam absque dependentia à Deo tanquam à causa efficienti quod facit ad propositum.

Ad tertiam,concedo quod esse creaturarũ in eo sensu,in quo est semel imparticipatum, sit sẽper tale;vnde quandoquidẽ habeant creaturæ esse imparticipatum in hoc sensu quod esse possibile ipsarum conueniat ipsis remote & fundamẽtaliter à seipsis sine eo quod habeant illud esse à diuino intellectu aut voluntate, etiam quando producuntur realiter in tempore, & participant esse realis existentiæ à Deo, habent illud esse possibile à seipsis in eodẽ sensu imparticipatum,nec id impedit quo minus habeant esse realis existentiæ participatum à Deo,imo iuuat maxime ad hoc, quia reuera sine illo esse possibili non possent à Deo accipere esse realis existentiæ,sicut nec Chymera potest.

Ad quartam nego meum modum dicendi esse absurdum & consequenter nego, quod possit esse absurdior quam modus dicendi Henrici, quamuis enim hic admittebat dependentiam à Deo tanquam à causa exemplari,tamen ponebat esse creaturarum esse reale simpliciter, nihil autem absurdius quam ponere esse reale simpliciter cum dependentia à causa exemplari sola sine dependentia à causa effectiua: Ego vero pono tantum esse diminutum sine dependentia ab vllo quod communicaret principiatiue illud esse & hoc propter rationes valde vrgentes.

Ad quintam nego meam doctrinam esse contra Scotum,quem sufficienter explicaui ante.

Ipsemet Mastrius *num.* 15.proponit meam expositionem Scoti & responsionem ad dependentiam quam debent habere creaturæ, nempe quod Scotus loquatur de esse possibili proximo creaturarum, non de remoto; & quod sufficiat vt creaturæ habeant dependentiam necessariam à Deo quantum ad omne esse reale simpliciter.

Sed conatur vtramque impugnare,secundam quidem de dependentia primo quia de ratione creaturæ est quod dependeat à Deo quoad omne suum esse quod habet extra Deum & à Deo realiter distinctum, siue existentiæ completum siue diminutum. At in hoc discursu manifeste petitur principium.

Secundo quia esse imparticipatum reddit rẽ omnino indepẽdentem. Hic etiam peccatur eodem peccato nec apparentiam habet quin illud,quod esset possibile tantum independenter ab alio principio, posset habere dependentiam in esse actuali,imò si non posset habere talem dependentiam,non esset possibile.

Tertio quia existentia rei proportionatur essentiæ: ergo si essentia rei habet independentiam, etiam existentia independens esse debet. Respondeo distinguendo consequens;si habeat independentiam quantum ad esse reale simpliciter concedo,si quantum ad esse diminutum & possibile nego consequentiam. Nec certe capio quomodo existentia in mea sententia non habeat sufficientem proportionem cum essentia; nam quando essentia est in esse possibili, etiam existentia est in tali esse & quando essentia est extra causas & habet esse actuale;existentiæ etiam hoc competit, & quemadmodum essentia est independens quoad esse possibile dependens vero quoad esse reale simpliciter: ita existentia etiam se habet.

Quarto, quia cum res producitur in tempore in esse realis existentiæ vel adhuc retinet illud esse diminutum vel non,non secundum quia existentia est complementum eius:ergo primum:sed creatura producta quoad omne esse suum dependet à Deo: ergo illud esse diminutum erat participatum,alioquin non eadem essentia foret rei existentis & possibilis.

Respondeo rem productam retinere illud esse diminutum quantum ad omne positiuum ipsius, non vero quatenus dicit negationem existentiæ realis, quia tum illud, quod ab æterno non existebat,existit realiter. Distinguo autem subsumptum:quoad omne suum esse reale simpliciter;concedo,quoad omne esse diminutum nego.

Quinto quia Deus non esset Deus si esset independens,quoad existentiam & dependens quoad essentiam; quia petit esse independens in omni suo esse: ergo è contra creatura non erit creatura,si ponatur dependens quoad esse existentiæ, non autem quoad esse essentiæ, quia ex ratione sua petit vt sit dependens in omni esse reali quantumuis minimo.

Respondeo ad hoc mirae subtilitatis argumentum, negando consequentiam in cuius probatione rursus petitur principium. Si autem quæratur, cur Deo non sufficeret independentia quantum ad existentiam & dependentia quantum ad essentiam & creaturæ vero possit sufficere dependentia quoad existentiam cum independentia quoad esse essentiæ; quam difficultatem videtur intendisse Mastrius. Respondeo, Quia non posset Deus habere dependentiam quoad essentiam quin eam haberet quoad existentiam; nam tota dependentia quam posset habere quoad essentiam esset in ordine ad existentiam, creatura vero bene potest, habere independentiam quoad esse essentiæ, seu possibile, quamuis haberet dependentiam quoad esse reale existentiæ.

Sexto denique (nam numquam finit Mastrius in cõglomerandis huius farinæ rationibus) quia mea doctrina valde accedit ad errorem Vvicleffi, imo & eum excedere videtur, dum doceo esse illud diminutum esse independens à Deo, Ita videtur Mastrio, quid tum? Sed Respondeo crassum errorem esse id putare; Vvicleffus enim posuit esse reale simpliciter ab æterno & illud ipsum independens à Deo; ego vero non pono nisi esse diminutum, seu possibile.

Impugnat deinde expositionem meam Scoti, sed petendo tantum principium, hoc est negando Scotum loqui de esse possibili proximo de quo ego dixi ipsum fuisse locutum; & addit quod possibile proximũ secundum doctorem non principietur ab intellectu, sed à voluntate diuina: sed Respõdeo, hoc potius esse falsum; nã cum ad voluntatem & omnipotentiam diuinam spectet res producere, & hæc non possit res alias producere quam possibiles, nec ipsas etiam posset nisi cognoscerẽtur quia nihil potest voluntas nisi cognitum, & eo ipso quo cognoscuntur, statim voluntas possit velle eas producere, ac consequenter producere, manifestum est, quod habent esse possibile proxime ab illa cognitione & non ab omnipotentia aut voluntate.

Addit præterea Doctorem vocare illud esse diminutum participatum suo modo, & quidem est; sed quid inde? numquid non potest esse participatum suo modo, quatenus est aliquid quod non potest poni à parte rei absque dependentia à Deo, & quatenus habet similitudinem aliquam cum aliqua perfectione diuina ex sua ratione formali?

Addo deniq; me nõ credere esse vllum vnquam Scotistam qui non admittat & esse diminutum creaturarũ ab æterno, & non fateatur illud esse medium inter ens rationis, cui repugnat realis existentia & ens reale, quãuis multi videantur dicere quod sit ens rationis, in aliquo alio sẽsu, vnde sine dubio mea doctrina de illo esse creaturarum, præterquam quod dicam illud non haberi principiative ab intellectu diuino, est communissima & absque controuersia omnium Scotistarum, quidquid dicat Mastrius; quem rogo tamen ex ratione agere si possit, & non ex Authoritate vt sæpe ante rogaueram.

Vlterius tamen Mastrius eadem disput. *n.* 36. conatur probare falsum esse quod esse possibile creaturarum competat ipsis à se, & non à Deo principiative. Sed nihil adducit responsione dignum, & cui vnusquisque non solum ex dictis, sed prorsus ex ipsismet terminis proprij discursus respondere non possit.

Deinde *n.* 39. soluit mea fundamenta quibus mouebar ad existimandum quod creaturæ non haberent esse possibile remotum seu fundamentale, de quo loquebar, ab intellectu diuino, & etiam asserit ea desumpta ab aliis Authoribus, quasi ipsemet ea excogitare non possem. Sed hoc parui momenti est. Videamus an recte illa soluerit à quocumque desumpta sunt.

Ad primum consistens in hoc: quod obiectum scientiæ speculatiuæ non fit per eam, creaturæ vero secundum esse possibile sunt subiectum scientiæ speculatiuæ diuinæ, ergo non fiunt per ipsam. Respondet maiorem esse veram de obiecto primario non de secundario, quale est omne ens creatum: nam secundarium non præsupponitur diuinæ cognitioni: sed potius per ipsam recipit esse: quia vt vult Doctor 2. d. 1. q. 1. creaturæ apud Diuinum intellectum non sunt prius intelligibiles quã intellectæ cum non sunt prius formaliter in memoria quam in Dei intelligentia, & ideo dicuntur obiectum secundarium: & ratio, inquit, est, quia aliàs non essent obiectum secundarium.

Contra quia prorsus est eadem ratio de obiecto primario & secundario quantum ad hoc: nam eo ipso quo scientia aliqua est speculatiua alicuius obiecti non debet illud obiectum facere: & certe sicut, licet res existentes sint obiectum secundarium intellectus diuini, non tamen recipiunt esse existentiæ ab illo: ita quamuis creaturæ quoad esse possibile essent obiectum secundarium intellectus diuini, non tamen propterea deberent recipere illud esse ab ipso. Quod si etiam non constaret aliunde quod obiectum primarium intellectus deberet habere esse suum independenter ab intellectu, profecto non posset probari ex eo quod esset primarium quod non posset ab ipso produci seu habere illud: vnde prorsus impertinens est illa distinctio obiecti primarij & secundarij. Ad illud quod dicit creaturas non esse prius intelligibiles quam intelligantur, quia alias non essent obiectum secundarium.

Respondeo, id esse falsum, nam quamuis essent intelligibiles ex se, modo non possent intelligi nisi prius intelligeretur aliud, omnino essent obiecta secundaria vt est euidens: sed creaturæ quamuis essent ex se intelligibiles (vt sane sunt, quia alias non possent intelligi) tamen non possent intelligi à Deo, quin prius intelligeretur essentia diuina aliqua prioritate: ergo eo non obstante essent obiecta secundaria. Confirmatur hoc, quia ipsemet intellectus diuinus est obiectum secundarium suum & idem est de aliis attributis quæ tamen certe non habent esse suum à scientia diuina, vt est euidens, nec quidem esse intelligibile.

Quod ad authoritatem Scoti attinet, Resp. eum loqui de intelligibilitate quam haberent ex eo quod haberent esse in memoria, vt patet ex ipsismet Verbis, non vero de intelligibilitate quam haberent ex se. Voluit ergo tantum quod creaturæ non debeant esse in memoria diuina per speciem aliquam sui, antequam intelligantur, quod nihil facit ad rem.

Ad secundum consistens in hoc quod in illo priori; quo scientia Dei terminatur ad obiectum primarium, creaturæ habent esse possibile, ergo non habent esse possibile ab intellectu diuino.

Respondet Mastrius, creaturam ante terminationem scientiæ diuinæ nullum habere esse proprium & formale in Deo.

Contra, quia non quæritur, an habeat esse in Deo sed an in semetipso habeat esse possibile in illo priori; & omnino apparet quod sic, quia alias non possent postea intelligi per modum possibilis.

Voluit fortassis dicere quod neque in seipsis vllum esse formale haberent pro illo priori, sed quod habeant tantum in illo priori esse suum virtualiter & radicaliter in essentia diuina. Sed nec hoc etiam sufficit, quia nisi ex se formaliter non repugnarent pro illo priori, profecto non continerentur virtualiter aut radicaliter in essentia diuina, nec possent postea intelligi per modum possibilium,

Ad tertium nempe: Quod si Deus per impossibile non cognosceret creaturas, sed posset eas tanquam causa naturaliter agens producere in tempore, haberent esse possibile ab æterno; & quod non possent sic produci, sed debeant prius cognosci; non oritur ex natura ipsarum, sed ex perfectione ac modo agendi propterea competenti Deo.

Summa responsionis ipsius est, quod in eo casu sequeretur quod creaturæ haberent esse possibile obiectiuum, sed non Logicum, quia Logicum originatur ab intellectu.

Contra quia in hac ratione petit principium quod enim controuertitur est, an esse possibile Logicum habeatur ab intellectu.

Deinde

Deinde certè tum non haberent repugnantiam, & nihil absurdius videri possit quam quod ideo non repugnent quia intelliguntur.

Ad quartum: nempe quod esse, quod creaturæ haberent pro illo priori, quo scientia diuina terminatur ad obiectum primarium, esset distinctæ rationis ab esse Chymeræ & consequenter, cum non esset realiter existens, deberet esse aliud medium non habens esse ab intellectu diuino.

Respondet negando antecedens, quia tum non haberent creaturæ esse nisi esse causæ.

Contra quia nisi ipsæ essent ex se possibiles potius quam Chymeræ, profecto neque haberent esse in causa potius quam Chymeræ habent.

Ad quintum: nempe quod nisi creaturæ haberent esse aliquod ex seipsis independenter ab intellectu diuino, non esset ratio, cur homo esset possibilis potius quam Chymera quia vtrumque intelligit Deus per modum, obiecti secundarij.

Respondet, quantum collegi ex *numeris 37. & 39.* ad quos responsionem remittit, negando sequelam, quia lapis habet ex se formaliter non repugnare; Chymera non item; sed contra, quæro à quo habeat principiatiue quod dicat non repugnantiam: si dicas quod ab intellectu: cur similiter Chymera non haberet non repugnantiam: si dicas quod ex ipsamet natura sua intrinseca & non ex intellectu: Ergo habetur intentum. Et sanè ex terminis apparet ridiculum quod homo habeat etiam principiatiuè esse possibile remotum, seu entitatem in qua non est repugnantia ex eo quod intelligatur à Deo, quid enim facit ad hoc intellectus?

Ad vltimum denique, nempe quod creatura non possit habere esse creaturæ ex eo quod intelligatur; quia alias filius Dei esset creatura, quia intelligitur ab intellectu diuino, & habet esse ab illo.

Respondet, quod sicut creatura accipit esse simpliciter à voluntate diuina, ita habeat esse secundum quid ab intellectu, & cum dicitur quod non possit accipere esse creaturæ ab intellectu, quia filius Dei producitur per intellectum, ita, inquit, posset dici quod creatura non haberet esse creatura à voluntate quia Spiritus sanctus procedit à voluntate qui non est creatura.

Vnde ait inspiciendum quid tribuitur à diuino intellectu vel voluntate producto, si esse necessarium non erit creatura, si esse non necessarium erit creatura.

Contra, quia vt omittam quod non sit inconueniens, sed necessarium admittere quod nõ ideo creatura sit talis, quia producitur per voluntatem, quia alias certè Spiritus sanctus esset creatura, sed quia producitur, aut potest produci contingenter & ipsamet est contingens: si non ideo est creatura quia producitur ab intellectu, aut voluntate, sed quia ab illis recipit esse contingens vt vult Mastrius; quæro vnde habeat homo, verbi gratia, quod recipiat esse contingens ab intellectu potius quam Deus, nisi quia ex se habet tale esse, etiamsi non principiaretur neque intelligeretur ab intellectu? Vnde si Deus esset talis naturæ vt non posset intelligere creaturam nisi in tempore, profecto non minus verum esset quod ab æterno creatura non repugnaret: Ergo non ab intellectu diuino habet principiatiue quod non repugnet.

## QVÆSTIO VI.

### *De suppositalitate, ac personalitate.*

57. HAnc quæstionem, quæ hic ab omnibus tractari solet, quia personalitas & suppositalitas est complementum existentiæ naturæ substantialis, fusè examinaui, *in commentario ad quæstionem secundam distinctionis quintæ libri tertij Sententiarum*; vnde huc pro studentium commoditate mutato ordine transferenda iudicaui, quæ maioris sunt momenti: & quia plurimæ sunt difficultates, seorsim illas proponam.

*Sed in primis aduertendum est?* Authores communiter idem omnino intelligere per personam & suppositum, nisi quod *persona* inuoluat semper naturam rationalem, seu intellectualem ita, vt nulla res dicatur persona, quæ non sit substantia intellectualis; *suppositum* verò dicatur non solum de substantiis intellectualibus, sed aliis etiam tam viuentibus, quam non viuentibus; tam propriè enim Bucephalus, & quilibet alius particularis equus, ac lapis, dicitur suppositum, quàm Petrus & quilibet particularis homo. Ex quo patet suppositum se habere ad personam quasi superius ad inferius, quia quælibet persona est suppositum, quodlibet autem suppositum non est persona. Vnde quemadmodum ab animali ad hominem non valet subsistendi consequentia, sicut valet ab homine ad animal, quandoquidem non sit verum dicere, est animal, ergo est homo: verum autem sit, est homo, ergo est animal: ita à suppositio ad personam non valet subsistendi consequentia: valet autem à persona ad suppositum: nam sequitur benè, est persona, ergo suppositum: non autem sequitur, est suppositum, ergo est persona.

Differentiæ personæ & suppositi.

58. *Verùm* quia hæc differentia oritur præcisè ex natura, quam habet res, quæ dicitur suppositum, aut persona: non verò ab entitate superaddita naturæ, quæ entitas vocatur personalitas, seu suppositalitas, siue sit positiua, siue negatiua: propterea aduertunt Authores, quod eadem omnino entitas, à qua habet Petrus, verbi gratia, formaliter constitui persona, si afficeret naturam non intellectualem, verbi gratia, lapideam, non constitueret personam, sed suppositum: vnde denominatio personalitatis in entitate superaddita naturæ singulari, est denominatio extrinseca, desumpta à natura, quam afficit; quando scilicet illa natura est rationalis, seu intellectualis: & hinc oritur, quod ad indagandum naturam suppositi seu personæ, provt distinguitur persona à natura singulari, nihil conducat hæc differentia.

Eadem formaliter entitas posset esse, personalitas & suppositalitas.

Vnde quod resolueretur quoad hoc de persona, eque currit de omni suppositio, & è contrà: nam quamuis aliquod suppositum ita distinguatur ab omni persona, vt non possit dici persona, tamen illa differentia, vt iam dixi, oritur ex natura singulari, quam includit: non vero ex vlla differentia, quam dicit, quatenus habet esse aliquod distinctum ab esse illius naturæ singularis. Quandoquidem ergo in præsenti examinamus, quid sit illud distinctum, quod persona dicit, & quod non dicit natura singularis, qua singularis est, indifferenter possumus accipere nomen personæ & suppositi, personalitatis & suppositalitatis, non curando de differentia, quam habent inter se ex ratione naturæ, quam includunt: quæ differentia, & valde facilè intelligitur, & non deseruit vllo modo ad soluendam difficultatem præsentem, nec ad intelligendum Incarnationis mysterium, in ordine ad quod præcipuè agitur de hac re.

Duæ definitiones Personæ.

59. *Aduertendum secundò*, duas definitiones personæ proponi satis communiter à Doctoribus. *Vna est Boëtij libro de Duabus Naturis*; *Persona est rationalis naturæ individua substantia*; quæ coincidit cum illa, quam habet *Zacharias Episcop. Chrysopolitanus.* in Præfatione ad sua Commentaria ad quatuor Euangelia, dicens: *Est enim persona substantia rationalis individua*; qua etiam vtitur *Leontius Act. 1. Altera est Richardi 4. Trinit. c. 22. Persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia.* Et his duabus descriptionibus, *Doctor. 1. dist. 23. q. 1. n. 14.* dicit secundam exponere, seu corrigere primam. Cuius ratio est, quod secundum primam anima rationalis separata esset persona, quandoquidem esset rationalis naturæ individua substantia, hoc est substantia rationalis individua. Sed quamuis hoc verum sit, spectatis verbis præcisè: tamen si intelligatur prima descriptio ad mentem *Boëty*, qui intellexit per naturam, non quamcumq; naturam, sed completam in esse singulari: & per rationale idem quod per intellectuale vt sic quod est commune Deo, Angelis, & hominibus; & per individuum, singulare incommunicabile: Si inquam, hoc modo intelligatur, prima definitio conuenit in re cum secũda. Quamuis autem in his definitionibus non definiatur suppositum vt sic, nulla enim ex illis potest cõuenire suppositio

Vtraque in re cõueniunt.

equino aut lapideo; tamen ex iis facile potest confici descriptio suppositi vt sic, tollendo illud *intellectualis & rationalis naturæ*, & dicendo: *suppositum est naturæ substantialis incommunicabilis existentia*. Quæ sane descriptio est tam bona descriptio suppositi vt sic, quam vlla ex prædictis descriptionibus est bona descriptio personæ vt sic.

*Ex his ergo descriptionibus*, quæ communiter admittuntur, & sine dubio bonæ sunt, si bene explicetur (quod tamē non est adeo facilè factu, vt postea videbitur) habemus, quod omnis persona, & suppositum, qua tale, sit substantia incommunicabilis: vnde omnes concedūt incommunicabilitatem aliquam spectare ad suppositum, & prouenire formaliter à suppositalitate, & personalitate.

*Quam incommunicabilitatem dicit suppositum, seu persona formaliter quà tale.*

60. Quandoquidem, vt iam dixi, persona describatur per ordinem ad incommunicabilitatem, nisi intelligatur quam incommunicabilitatem dicat, non poterit cognosci natura eius, nec poterunt consequenter intelligi prædictæ descriptiones: id ergo hic examinandum.

Incommunicabilitas suppositi non est incommunicabilitas opposita communicabilitati accidentis.

*Aliqui* dicunt incommunicabilitatem, quam dicit suppositum formaliter, seu quam tribuit suppositalitas, esse incommunicabilitatem oppositam communicabilitati, quam dicit accidens, illam scilicet, à qua habet substantia non posse communicari alicui tanquam subiecto inhæsionis, provt potest accidens. Hanc sententiam videtur tenere *Suares*, dum asserit, vnum ex effectibus formalibus suppositalitatis esse reddere naturam independentem à subiecto inhæsionis. Sed communiter & meritò reiicitur, quamuis non ab omnibus satis efficaciter impugnetur, vt videri potest in commentario supra *num.* 61.

*Impugnatur autem efficaciter* quia omnis substantia completa siue incompleta, habet ex se ineptitudinem ad inhærendum; ergo non est superaddendus aliquis modus separabilis ab ipsa, ex qua ista ineptitudo formaliter proueniat. Consequentia est euidens; probatur antecedens, quia si per impossibile poneretur natura substantialis humanitatis absque modo aliquo separabili, haberet illam ineptitudinem. Secundò, quia accidens ex se habet aptitudinem ad inhærendum absque modo superaddito: quamuis enim aliquod accidens, vt inhæreat, actu indigeat modo inhærentiæ actualis superaddito, tamen non omne accidens tali modo indiget, nam relationes, per modum aliquem à se distinctum non inhærent, sed seipsis; neque vllum accidens indiget modo distincto vt dicatur aptum inhærere: ergo substantia non indiget modo distincto, vt dicatur inepta ad inhærendum.

Substantia non habet à modo superaddito quod nō inhæreat.

61. *Dices* hinc optimè sequi, quod substistentia non tribuat ineptitudinem ad inhærendum; sed cum hoc tamen posse stare quod tribuat negationem inhærentiæ actualis.

*Et confirmari* potest, quia accidens, licet non habeat à modo distincto aptitudinem ad inhærendum, habet tamen à modo distincto actu inhærere.

*Contra*, quia substantia ita habet ineptitudinem ad inhærendum, vt non possit nec de potētia absoluta inhærere, vt communiter supponitur; accidēs autem omne non habet ita aptitudinem ad inhærēdum, vt de potentia absoluta debeat actu inhærere semper, vt patet ex mysterio Eucharistiæ: ergo quamuis accidens habeat inhærere à modo separabili, substantia tamen non debet actu non inhærere à modo separabili.

Probatur consequentia, tum quia, quæ nequeunt per vllam potentiam inhærere, non indigent modo separabili, vt inhæreant, & gratis fingeretur talis modus; tum quia ideo accidens aliquod indiget modo superaddito vt inhæreat, quia potest esse absq; actuali inhæsione; vnde accidentia illa, quæ nequeunt esse absque actuali inhæsione; pessimè dicerentur inhærere per modum distinctum separabilem; ergo cum substantia nequeat esse absque negatione inhærentiæ actualis, non debet dici, quod habeat non inhærere à modo distincto.

*Confirmatur*, Quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla prorsus est necessitas dicendi quod substantia habeat ineptitudinem ad inhærendum ab aliquo modo superaddito, & separabili.

62. *Idem Suares* vltra prædictum effectum, quem, vt iam diximus, male tribuit substistentiæ, seu suppositalitati, alium etiam eius effectum assignat, nempe facere naturam incommunicabilem alteri; sed cum non explicet, quam incommunicabilitatem specialem ipsi tribuit, rem relinquit tam obscuram, quàm ante erat: supponimus enim omnes substistentiam facere incommunicabilem, seu suppositum esse incommunicabile, id quod patet ex definitione suppositi. Quod autem modò quærimus, est, quam incommunicabilitatem specialem habeat suppositum vt tale; seu quænam negatio communicabilitatis sit illa, quam dicit formaliter, & quam accipit à suppositalitate.

*Lugo disp.* 12. *de Incarnatione, n.* 54. explicaturus personæ incommunicabilitatem, dicit non quamcumq; incommunicabilitatem ab ipsa personalitate tribui, aut esse propriam personæ, sed incommunicabilitatē, seu negationem cōmunicationis respectu illius, cui posset per diuinam potentiam supernaturaliter cōmunicari: vnde cum de fide sit, quod possit cōmunicari natura humana, v. g. suppositō diuino, à suppositalitate creata habebit natura incommunicabilitatem, seu negationem communicationis cum suppositō diuino: ita scilicet vt stante personalitate creata non possit communicari in sensu composito suppositō diuino.

*Sed nec hæc etiam doctrina* aliquid lucis affert his tenebris: nam natura ex seipsa habet incommunicabilitatem naturalem, seu negationem communicationis respectu cuiuscumque, cui non potest cōmunicari nisi supernaturaliter & suppositā negatione communicationis in sensu composito, non potest vlli tali communicari: ergo hæc incommunicabilitas non debet dici effectus alicuius positiui distincti à natura, & consequenter non potest esse effectus personalis in sententia ipsius.

63. *Deinde*, corpus ex suppositione, quod sit in hoc loco, non potest naturaliter esse simul in alio loco, aut communicari illi, potest tamen supernaturaliter: sed hanc incommunicabilitatem naturalē non habet à suppositō, vt patet. Quod si etiam non posset poni supernaturaliter in alio loco, nisi destructo vbi, quod habet in hoc loco, certe non haberet incommunicabilitatem illam à suppositō: ergo non satis explicatur incommunicabilitas, quam tribuit suppositalitas, dum dicitur quod sit incommunicabilitas, seu negatio communicationis respectu alicuius, cui possit natura communicari supernaturaliter tantum.

*Deinde*, natura Diuina est personata, & habet consequenter, vt afficitur persona in sensu composito, incommunicabilitatem personæ; sed non habet incommunicabilitatem respectu vllius, cui possit supernaturaliter cōmunicari vlli, quandoquidē non posset supernaturaliter communicari per communicationem oppositā incommunicabilitati, quam dicit personalitas diuina, vt patet ex eo, quod aliàs posset perdere illam personalitatem.

Persona dicit plures incommunicabilitates.

Vt nostram sententiam breuiter declaremus, remisso diligentiori examine ad dicta in prædicto commentario à *numero* 70. *ad numerum* 95. aduertendum, licet persona & natura personata dicat plurimas incommunicabilitates & incommunicationes, hic tamen nos agere solummodò de illa incommunicabilitate, & incommunicatione, quam dicit ratione personalitatis præcisè, & quā non haberet natura singularis, quà singularis præcisè, nisi esset affecta personalitate,

Quam incommunicabilitatē non habet persona qua persona

*Præterea aduertendum* quod persona quà persona non dicat incommunicabilitatem vllam, aut incōmunicationem oppositā vlli communicabilitati aut communicationi, quam habēt de facto vllæ substantiæ singulares completæ præter naturam humanam Christi, quia omnes tales substantiæ sūt personæ aut suppositā, vt omnes fatentur: quod falsum esset, si persona diceret incom

incommunicabilitatem, aut incommunicationem talem. Quod autem persona dicat aliquam incommunicabilitatem præter incommunicabilitatem,aut incommunicationem huiusmodi, & etiam præter incommunicationem omnem, & incommunicabilitatem,quam habet natura singularis qua talis præcisè, est certum, quia aliàs non daretur persona.

Quomodo cognosci possit incommunicabilitas personæ.

65. *Hinc patet*,quod si dubitetur de aliqua incommunicabilitate,aut incommunicatione,an proueniat à personalitate,aut an competat personæ,qua persona est,optimam viam id cognoscendi esse,si aduertatur,an competeret necessario naturæ singulari secundum se,aut ratione alicuius formæ, quæ non sit personalitas;nam si competat,certum erit quod non competat personæ,quà tali formaliter, nec oriatur formaliter à personalitate, nec etiam sit personalitas.

*Rursus*, si dubitetur an aliqua communicatio aut communicabilitas sit opposita, aut incompatibilis cum persona,aut personalitate, videatur an talis competere possit de facto Petro,aut Paulo,aut lapidi, aut Angelo; & si competat,aut possit competere naturaliter, colligi potest certo,quod non opponatur personalitati aut personalitati.

Persona non bene describitur esse incommunicabilis vlli extrinseco.

Vnde sequitur,quod non bene describeretur persona esse substantia incommunicabilis vlli extrinseco: quia certum est quod natura singularis habeat ex se incommunicabilitatem aliquam vlli extrinseco: neque enim potest communicari vlli extrinseco per realem identitatem; nec minus certum est, quod persona posset habere aliquam communicabilitatem ad aliquod extrinsecum.

Omni naturæ singulari competit aliqua communicabilitas quæ competit personæ.

66. *Aduertendum præterea* omni naturæ singulari completæ, siue increatæ competere posse aliquam communicationem, quæ non potest competere personæ. Hoc patet ex duobus Fidei mysteriis, Trinitatis scilicet, & Incarnationis:nam ex illo habetur quod natura diuina singularis communicetur tribus Personis diuinis per realem identitatem,ita vt posset dici de qualibet ex illis ratione illius communicationis,quod sit Deus essentialiter & formaliter; quo modo nulla ex illis Personis commucari potest: ex mysterio vero Incarnationis habetur,quod natura creata singularis possit communicari Verbo Diuino, cui tamen persona creata communicari non potest tali modo:eadem autem est ratio de his naturis,ac de quibuscunque aliis naturis substantialibus, singularibus ac completis;ergo omnis natura singularis completa potest hoc modo communicari; nulla verò persona potest sic communicari,quia nulla potius quam vel diuina, vel creata humana.

Incommunicabilitas personæ est opposita communicationi quę communicatur naturæ diuinæ tribus personis, & naturæ humanæ Christo.

*Ex his patet*,incommunicationem & incommunicabilitatem,quam dicit persona formaliter, qua talis,esse oppositam communicabilitati & communicationi,quã habere potest natura singularis completa. Vnde vt sciatur,quænam sit incommunicabilitas & incommunicatio personæ, videndum est, quænam sit communicabilitas & communicatio, quam habet natura singularis completa Hoc autem non videtur posse melius indagari,quam considerando communicabilitatem & communicationem,quam habet natura diuina respectu Patris,& Filij, & Spiritus sancti;& natura humana respectu Filij. Itaque natura diuina habet communicabilitatem & communicationem respectu Patris, & Filij, & Spiritus sancti,talem, vt includatur formaliter in ipsis; prædicetur formaliter de ipsis, & vt ab ipsis habeat posse communicare se,& posse communicari,aliquibus, quibus sine ipsis non posset communicari;nam per hoc, quod sit communicata Patri, potest per productionem realem communicari Filio, & Spiritui sancto; & per communicationem, quam habet cum Filio, competit ipsi posse produci realiter à Patre vt quo; quatenus scilicet Filius per hoc,quod producatur à Patre,habet sibi communicatam naturam diuinam: & eodem modo discurrendum de Spiritu sancto. Pater verò, & idem est de Filio,& Spiritu sancto, nequit communicari alicui, in quo sit,de quo formaliter prædicetur.

Natura quoque singularis humana communicatur de facto Filio diuino sic, vt possit de ipso dici formaliter: verum enim est dicere, quod Filius diuinus sit homo: persona vero humana non sic communicatur, nec potest communicari.

## CONCLVSIO.

Persona est natura intellectualis non cõmunicata actualiter vlli cum quo facit vnum per se.

68. *Vt aliqua substantia singularis completa dicatur personari, seu esse personata, non requiritur vlla alia negatio, quàm negatio actualis communicationis cum vllo alio, siue formaliter, siue realiter distincto, cum quo faceret vnum per se.*

*Probatur hoc*,quia omnis substantia talis,quæ afficitur tali negatione, dicitur persona seu suppositum, & quæ non habet illam, non dicitur talis;vt patet & in natura diuina,quæ esset persona ex se,si non esset communicata actu Patri, Filio, & Spiritui sancto;& in natura humana Christi, quæ etiam esset persona, nisi esset actu communicata verbo diuino: ergo non requiritur vlla alia negatio præter talem.

69. *Dices*,natura singularis personatur absq; tali negatione,vt patet in iisdem ipsis naturis diuina & humana, quæ cõmunicantur actu sic:ergo non requiritur ad personationem talis negatio,vt videtur dicere conclusio.

Duobus modis potest personari persona.

*Respondeo* distinguendo antecedens:quando personatur natura,quæ ex se non est persona, mediante aliquo positiuo,concedo:quando personatur per aliquid negatiuum, nego antecedens. Itaque duobus modis potest intelligi natura esse personata,vno modo per negationẽ communicationis actualis cum aliquo, cum quo facit vnum per se; alio modo per communicationem actualem cum aliquo tali. Quando verò natura habet esse personata per communicationem actualem cum aliquo tali, tum non est necesse vt recipiat à personalitate negationem communicationis,etiam in ordine ad alia distincta ab ipsamet personalitate:vt patet in natura diuina, quæ nonobstante quod |personetur per Paternitatem,quatenus communicatur ipsi,adhuc communicatur Filio,& Spiritui sancto. Quod etiam patet in natura humana in sententia illorum, qui dicunt, quod possit immediate assumi à pluri'ous personis.

## CONCLVSIO II.

Quam incommunicabilitatem habet natura personata.

70. *Natura,quæ personatur,non habet à personalitate necessario aliam incommunicabilitatem,nisi quod nõ possit communicari,& quod non communicetur simul cum personalitate vlli alteri,cum quo facit vnum per se,& de quo possit formaliter prædicari in concreto substantiuo.*

*Hæc patet*,quia in primis omnis natura personata habet huiusmodi incõmunicabilitatem, nam alias persona ipsa esset communicabilis contra definitionem eius; non habet autem aliam, quia si haberet, maxime quia non posset ex suppositione coniunctionis eius cum personalitate communicari vltetius: sed hoc est falsum ex dictis, quia natura diuina personata personalitate Patris vlterius communicatur.

*Dices*, natura singularis Petri habet à sua personalitate quod non possit vlterius communicari, ex suppositione quod coniungatur cum personalitate, etiam secundum se specificatiue;ergo personalitas tribuit naturæ aliam incommunicabilitatem, quàm illam,quam asserimus in conclusione.

*Respondeo* distinguendo consequẽs:personalitas vt sic, nego consequentiã:personalitas talis particularis ex ratione particulari sua,concedo consequentiam, Itaque si detur personalitas negatiua, quales secundum nos sunt omnes personalitates,& suppositalitates creatæ,illæ sine dubio tribuẽt aliam incommunicabilitatem præter illam,quam assero in conclusione:quia, quandoquidem illa personalitas sit negatio communicationis naturæ cum vllo alio cum quo facit vnum per se,sequitur quod in sensu composito talis negationis natura non possit etiam de potentia Dei absoluta communicari.

*Dices secundò*, de facto natura Petri etiam affecta propria personalitate communicatur partibus de nouo acquisitis per generationem, cum quibus facit vnum per se: ergo etiam personalitas negatiua non tribuit incommunicabilitatem naturæ.

*Respondeo*, illam communicabilitatē non esse ad rem, quia talem habuit natura assumpta, & quia illa communicabilitas est concomitans necessariò talem naturā, sicut incommunicabilitas opposita ipsi est concomitans naturam Diuinam & Angelicam ex ratione sua singulari, & non tribuitur ipsis à personalitate. Itaque incommunicabilitas, quam dat personalitas negatiua naturæ singulari per ipsam personatæ, est incommunicabilitas cum vllo distincto, quod non spectat ad complementum naturæ singularis tanquam pars integralis ipsius.

## CONCLVSIO III.

Malę explicationes Incommunicabilitatis personæ.

72. *Incommunicabilitas quam dicit persona formaliter, seu quæ de persona in concreto prædicari potest, non bene explicatur esse illa, à qua habet non posse communicari alicui, cum quo faciat vnum per se; neque à qua habet non posse communicari per se vlli extrinseco; neque à qua habet nō posse cōmunicari per se vlli personæ.* Hæc in re debet esse communis.

*Probatur quoad duas primas* partes, quia verbum Diuinum est persona, & tamen de facto communicatur per se naturæ humanæ, quæ & est extrinseca ipsi, & cum qua facit vnum per se hominem.

*Probatur etiam quoad tertiam partem*, quia nulla res bene explicatur per ordinē ad aliquid eiusdem rationis cum seipsa; ergo incommunicabilitas, quam dicit persona, & sub qua debet concipi, nō bene explicatur per ordinem ad personam, & cōsequenter vera est tertia pars conclusionis. Antecedens probatur, quia ignotum non potest explicari per æque ignota, sed vna persona est æque ignota in ratione personæ, ac quæcunque altera.

## CONCLVSIO IV.

Quænā est incōmunicabilitas personæ.

73. *Incommunicabilitas, quæ de persona vt sic in concreto prædicatur, est illa, à qua habet, quod non possit communicari vlli distincto, à quo compleatur, sicut essentia diuina completur per relationes originis, & natura humana Christi per Verbum diuinum, à quo assumpta est.*

Hæc etiam in re debet esse communis, *& probatur*, quia omnis substantia, quæ non habet talem communicabilitatem, est persona, & nulla, quæ habet, est persona; nec potest melius explicari incommunicabilitas, quam dicit persona vt sic, quam hoc modo.

Vt autem distinctius intelligatur adhuc hæc incommunicabilitas, *oportet intelligere*, quomodo compleatur essentia diuina per relationes originis, & natura humana Christi per Verbum. Et quantum ad essentiam diuinam, certum debet esse, quoad quamuis non compleatur proprie per illas relationes completione aliqua, quæ inolueret imperfectionem eius, quia est infinitæ perfectionis, tamen ita completur, vt faciat cum qualibet ex illis vnum per se, & sic etiam, vt sine ipsis non posset esse principium quo actualis processionis ad intra, cuius tamen exigit ex natura sua intrinseca esse principium. Certum autem est, quod omne illud, quod est persona, possit exercere omnes suas operationes, quas naturaliter exigit producere ex natura sua singulari, absque eo quod coniungatur per se cum vllo distincto, quod non spectat ad integritatem, aut substantiam istius naturæ singularis: vnde omnis persona dicit negationem coniunctionis cum tali complemento.

*Rursus* certum debet esse quod compleatur natura humana Christi per personā Verbi, aliqua speciali ratione, à qua oriatur, vt faciat cum ipsa vnum per se. Et quia hæc ratio non sufficit, vt non diceretur persona, quia alias Verbum ex coniunctione cum illa desineret esse persona, debet præterea concedi aliqua ratio complementi, quod recipit natura illa à Verbo, cum tamen Verbum ab illa non recipiat tale complementum: & licet valde difficile, aut fortassis impossibile sit nobis hoc explicare pro hoc statu, tamen captiuandus est intellectus in obsequium fidei, & confitendum quod ita se res habeat, quamuis nos eam explicare non valeamus. Nec prorsus mirari quis debet, quod in tam sublimi mysterio aliqua ratio particularis reperiatur à nobis inexplicabilis, cum in ipsis naturalibus plurima occurrunt, quæ explicare non possumus, neque concipere.

Quomodo natura humana completur à Verbo.

74. Posset tamen dici iuxta doctrinam assignatā à *Doct. in 3. d. 1. q. 1. §. De primo dico*, quod illa completio particularis, quam recipit natura humana à Verbo vltra hoc quod faciat cum Verbo, aut personalitate eius vnum per se, nihil amplius dicat, quam quod natura illa humana dependeat de facto in fieri & conseruari ab vnione & communicatione, quam habet ad Verbum taliter, vt de facto nec produceretur, nec conseruaretur absque tali vnione, sicut nec anima vlla rationalis de facto produceretur nisi in subiecto, & propterea potest dici habere dependentiam aliquam à subiecto, licet non in vllo genere causæ propriè influentis in ipsius esse.

*Vuaddingus disp. 3. de Incarn. dub. 3. §. 3.* conatur ostendere aliam dependentiam: sed cum impugnaui in commentario supra, *n. 86.*

*Hæc de re ipsa sufficiant*, sed ad intelligendum modum loquēdi, quo vtitur *Scotus* in huius rei declaratione, aliquid pro complemento adiungendum. Itaque *Scot. n. 9.* videtur asserere, quod natura singularis personetur, quādo habet negationē actualis & aptitudinalis dependētiæ, & quod illa duplex negatio sit personalitas ipsius.

*Circa quam doctrinam* plurima videri poterunt in commentario supra *n. 9.* ad quæ hic breuiter addēdum, quod Scotus non loquatur de personalitate vt sic, nec de personalitate aliena naturæ creatæ; sed de personalitate propria naturæ creatæ, à qua illa natura haberet esse personata, & tamen non esse in alio, sed in se.

*Deinde* dependentia illa, quā dicit, debet intelligi iuxta dicta conclusione quarta; vnde solum potest esse difficultas, cur dicat negationem aptitudinis ad cōmunicandum, quam habet natura creata, spectare ad personalitatem, aut ab ea illam tribui naturæ: & ratio dubitandi est primò, quod omnis negatio aptitudinis, quam dicit natura singularis Petri, v. g. ad dependendum quomodocunque ab alio, sit necessariò coniuncta cum illa; ergo non spectat ad personalitatem, nec habetur ab ipsa, quandoquidem personalitas sit separabilis à re, cui non potest forma opposita coniungi: sed nulla aptitudo separata à re potest coniungi cum re, quia omnis aptitudo rei est respectus transcendentalis identificatus realiter ipsi; ergo nulla talis potest esse separata.

76. *Et si dicas*, hoc esse verum de aptitudine remota, nō de proxima, quantenus talis dicitur illa, quæ habet omnes conditiones, vt possit habere actum suum; Scotum verò locutum de aptitudine proxima, qualem non habet natura Petri ad dependendum dependentia personali ab extrinseco, quia habet negationem actualis dependentiæ, cum qua non potest habere simul actualem dependentiam.

Aptitudo proxima nō tollitur per negationē sui actus.

*Contra*, quia aptitudo proxima non tollitur per negationem sui actus, alias nunquam daretur aptitudo proxima absque actu, quod est contra omnes.

*Deinde* Scotus eatenus requirit ad personalitatē negationē aptitudinis vltra negationem actualis depēdentiæ, quia alias anima rationalis separata actu nō dependens tali dependentia esset personata; quæ tamen non est personata propter aptitudinem quam habet ad dependendum: sed si intelligeretur per aptitudinem aptitudo proxima in sensu præmisso, id esset falsum, quia etiam habet negationem talis aptitudinis.

*Secundò* contra eandem doctrinam facit, quod in natura Petri, nonobstante sua personatione, sit aptitudo ad dependendum à Christo, quia non solum potest ab ipso dependere, sed etiam perficeretur per talem dependentiam maxime in sententia Scoti, qui admittit perfectibilitatem & aptitudinem in entibus naturalis ordinis ad perfectiones supernaturales.

Ad

Quomodo requiritur negatio aptitudinalis communicationis ad personalitatem.

*Ad hanc difficultatem responderi potest*, quod *Scotus* eatenus requirat negationem aptitudinalis communicationis ad personalitatem creatam propriam, quatenus non potest intelligi vlla negatio esse personalitas propria creata, quin intelligatur subiectū ipsius esse ineptū ex natura sua propria ad dependendū ab aliquo positiuo distincto, quantū ad hoc, quod nō exigat connaturaliter talem dependentiam; sic enim ipsemet *Scotus* explicat illā ineptitudinem, de qua loquitur, *numero nono*, nō vero quod illa negatio proueniat formaliter à personalitate, aut sit aliquid intrinsecum ac essentiale ipsi. Probatur hoc, quia hoc modo potest cōuenientissime intelligi; & per eum tolluntur difficultates, quæ essent cōtra alios modos, quibus aliter intelligeretur. Nam in primis tollitur prima difficultas ex præmissis, quia concedimus, quod illa negatio sit inseparabilis à natura. Deinde tollitur etiam secunda, quia quamuis natura personata personalitate propria habeat aliquam aptitudinem, vt dependeat à Verbo, non tamen aptitudinem connaturalis exigentiæ, sine cuius actu sequeretur quod natura esset in statu violento.

*Dices*, animam rationalem separatam habere etiam talem ineptitudinem, neque enim exigit connaturaliter dependere tali dependentia ab aliquo positiuo: ergo hęc explicatio non tollit quo minus sit persona, & consequenter non est iuxta mentem Scoti, qui voluit excludere animam à ratione personæ per illam suam doctrinam.

Anima separata ex se præcisè non habet ineptitudinem ad dependendum à supposito extrinseco.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: ex se præcisè, & immediatè, nego antecedens; ex se, quatenus exigit connaturaliter esse constitutiua alicuius naturæ completæ, quæ habet talem ineptitudinem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio autem huius responsionis consistit in hoc, quod nulla pars essentialiter cōstitutiua alicuius totius hābet ex se ineptitudinem ad communicationem vllam quæ potest competere toti, quia quæ communicatio competit toti, competit etiam parti; & quæ repugnat toti, repugnat etiam parti, quando communicatio illa non potest competere, aut nō competere toti, quin competat aut nō competat parti. Vnde vt colligatur an competat parti, debet videri, an competat toti: ergo non competit parti per se, nec repugnat ipsi ex sua natura, nisi quatenus repugnat aut competit toti. Et hinc fit, si homo exigeret naturaliter personalitatem extrinsecam, quod anima etiam illam exigeret; si vero non exigeret homo illam communicabilitatem, etiam anima non exigeret illam.

### *An ratione naturali possit colligi dari personalitatem.*

79 ALiqui tenent partem affirmatiuam, & in primis ad id probandum adducunt testimonia ex *Philosopho* quem putant cognouisse lumine naturali dari suppositum distinctum à natura singulari. *Primo* ergo adducunt illud vulgare axioma, nempe, *Actiones sunt suppositorum* ex *Meteor.* 1.

*Verum* Aristoteles ibi non habet illa verba, sed potius quod actiones sint singularium; quod longè diuersum est; & nihil concludit de supposito, vt patet. Deinde quamuis haberet illa verba, non tamen inde constat, quod intellexerit per suppositum aliquid distinctum ab indiuiduo.

*Secundo adducunt* illud: *Humanitas non est, nec ambulat, sed homo*, ex *primo de anima text.* 64.

*Sed primo*: quamuis haberet hæc verba, certum est, quod nihil facerent ad propositum, nam possunt esse vera propter distinctionem rationis, quæ est inter humanitatem consideratam in abstracto metaphysico, & eandem consideratam in concreto metaphysico, vt significatur per ly homo, quamuis vt sic non diceret aliquid realiter distinctum à seipsa, vt considerata in abstracto; sicut nec albedo dicit aliquid distinctum ab albedineitate secundum omnes.

*Secundo*, non habet illa verba eo loci, sed quod actiones non competant animæ, sed homini, quod quidem verissimum est, quantum ad actiones, quas sola anima non potest exercere, vt sunt actiones potentiarum. Deinde quantum ad alias omnes actiones, potest esse verum quoad denominationem communem, homo enim est, qui dicitur intelligere communiter, non anima: sed ex hoc nihil habetur ad propositum nostrum de suppositalitate; vt patet.

*Tertio adducit Lorca* supra *disputat.* 28. *membro* 1. *numer.* 7. *ex* 5. *Metaphysic. capit. octauo* illa verba: *Accidit igitur substantiam duobus modis dici, & ipsum vltimum subiectum, quod non est in alio; & id quod cum sit quod quid est, etiam separabile fuerit; tale vero est cuiuscumque forma & species.*

80 Sed malè prorsus intelligit hæc verba *Lorca*, nam in iis secundum omnes expositores comprehenditur diuisio substantiæ in primam, & secundam, & per primam substantiam intelligitur substantia singularis, quæ est vltimum subiectum, quod non est in alio; & per secundum substantiam intelligitur substantia vniuersalis, quę est illa, quam dicit Philosophus esse *quod quid est substantiæ primæ* & quam dicit separabilem à substantia prima; quatenus potest formaliter reperiri in pluribus substantiis primis, cum ad nullam determinetur, vt patet; non autem intelligit per substantiam, quam dicit esse *quod quid est*, substantiam singularem separabilem à supposito realiter, vt minus rectè intellexit *Lorca*; aliàs hic nulla fieret mentio de substantia secunda.

Potius ex philosopho colligitur quod non cognouerit suppositalitatē distinctā à singularitate.

Imo ex hoc loco videtur colligi, quod *Philosophus* nullo modo admiserit distinctionem suppositi à substantia singulari; quia dicit substantiā singularem esse illā, quæ de nullo dicitur: Sed si daretur suppositum distinctum à substantia singulari, id esset falsum, quia de tali supposito posset prædicari illa substantia singularis secundum omnes; quemadmodum de facto natura singularis humana Christi prædicatur de supposito Verbi. Quod etiam colligitur ex 7. *Metaphysic. capit.* 6. vbi dicit: *In iis, quæ sunt vnum per se, idem esse ipsam rem & suum quod quid est*: ergo non agnoscit aliquod suppositum distinctum realiter à natura singulari in ipso inclusa. Probatur consequentia, quia si daretur tale suppositum, esset vnū per se secundum *Lorcam*, & non deberet esse idem cum natura singulari, quam includit, & consequenter falsum esset illud dictum *Philosophi*.

81 *Præter hæc adducit Lorca* rationem naturalem à posteriori ex communi modo loquendi, & concipiendi hominum, qui concipiunt naturam & suppositum modo diuerso, & asserunt naturam esse constitutiuum suppositi, quod signum est ea realiter distingui.

*Verum hæc ratio parui est momenti*: nam qui negaret suppositum, & naturam singularem distingui realiter, diceret ea non alio modo diuerso concipi, quam quemadmodum diuerso modo concipitur albedo, & albedineitas, nec alio modo naturam constituere suppositum, quam albedineitas constituat albedinem. *Deinde* quando dicit, quod alio modo concipiant homines naturam & suppositum, vel intelligit per suppositum singulare tantum vel non; si singulare tantum, ergo non datur, ex communi modo concipiendi suppositum & naturam, alia distinctio inter suppositum & naturam, quam quæ est inter naturam & singulare, quā singulare præcisè: sed certum est quod inter naturam singularis & singulare non detur distinctio realis: ergo nec inter naturam & suppositum. Si non intelligit singulare, sed aliquid aliud, petit principium, aut discurrit de subiecto non supponente, quia aduersarij negarent vllo modo dari tale suppositum, &c. consequenter negarent homines solere ipsum concipere quasi daretur.

Nulla ratione colligitur quod detur suppositalitas distincta à singularitate.

82 Sed vt ad ipsam rem veniamus, mihi certum est non posse ratione naturali vllo modo cognosci, quod detur in rebus suppositalitas aut personalitas vlla positiua distincta à natura singulari, & consequēter non esse probabile, quod Philosophus vllus naturalis vel semel de ea mentionem fecerit; nam nullus prorsus potest fieri discursus aut à priori, aut à posteriori, independens à reuelatione ex qua id colligi potest: nihil enim nobis constat de Petro, v.g. quā quod sit ens per se existēs singulare

non

non indigēs aliquo complemento: sed secluſa reuelatione, quæ eſt de myſterio Incarnationis, nō poſſemus colligere, quod non haberet hoc totū ab iis à quibus habet eſſe ens ſingulare conſtans materia & forma ſubſtantiali tali, qualem de facto habet, ergo nullum eſt veſtigium ſuppoſitalitatis alicuius diſtinctæ poſitiuæ.

83 *Dico* autem ſuppoſitalitatis poſitiuæ quia non poteſt quis Petrum concipere vt ens completum & per ſe exiſtens quin concipiat ipſum vt habentem negationem exiſtentiæ in alio, & negationem indigentiæ alicuius alterius cōplementi vnde ſi per ſuppoſitū intelligatur ens cōpletū per ſe exiſtēs, poſſet colligi naturaliter, quod ſuppoſitū vltra naturā ſingularē dicat tales negationes. An vero illæ negationes eſſēt ſeparabiles realiter à natura ſingulari, quam afficiunt, exiſtimo non poſſe colligi diſcurſu naturali aliquo certo, quia non habemus in natura aliquod principiū, ex quo poſſimus colligere, quod natura ſingularis, quæ eſt in Petro v.g. poſſet coniungi per ſe cum aliquo cōplemento diſtincto realiter à ſe, in quo exiſteret; eatenus autem poſſemus colligere, quod negatio inexiſtendi in alio eſſet ſeparabilis ab ipſa, quatenus potuiſſemus colligere quod inexiſtentia ipſi oppoſita poſſit in ea poni, vt pater,

*An aliunde poſſit concludi, quod ſuppoſitalitas ſit quid diſtinctum realiter à natura ſingulari*

84 CIrca hāc difficultatē duæ ſunt ſententiæ. *Prima* eſt, quod ſuppoſitum, & natura ſingularis, quæ ſuppoſitabilis eſt, non diſtinguuntur, niſi ſecundū diuerſum modū concipiendi: vnde à parte rei ſecundum hāc ſententiam ſuppoſitum nihil dicit diſtinctum realiter à natura ſingulari, nec poſitiuū nec negatiuum. Ita *Occamus quod l. 4. Gabr. in 3. diſp. 1. quæſt. 2. art. 3. Richard. in 3. diſp. 6. art. 1. quæſt. 1. Durand. in 1. diſp. 44 q. 1. n. 55.* & in eā videtur mihi coincidere doctrina *VVaddingi*, qui *d. 4. de Incarnat. dub. 2. §. 1.* tenet ſuppoſitum nihil poſitiuū ſuperaddere naturæ, quæ ſuppoſitatur; & poſtea §. 5. explicaturus, quid dicat formaliter, ait conſiſtere ſuppoſitalitatē in poſitiua totalitate naturæ ſingularis, non in negatione.

*Secunda ſententia* eſt, ſuppoſitalitatē dicere aliquid realiter diſtinctū & ſeparabile à natura ſingulari. Hāc tenent Theologi cōmuniter tam *Scotiſtæ*, quā *Thomiſtæ* ac recentiores cum *Scoto in 3. diſt. 1. q. 1. Diuo Thoma 3. parte q. 4. art. 2.*

Suppoſitalitas naturæ creatæ eſt quid diſtinctū realiter ab ipſa.

*Hæc ſecunda ſententia mihi longe præferenda videtur*; & probatur primo authoritate *B. Vigilii* Epiſcopi Tridentini *lib. 2. contra Eutycher*, prope mediū dicētis propterea Eutychen, & Neſtoriū erraſſe circa myſterium Incarnationis, quia non diſtinxerūt perſonā à natura; vnde dū vnus ex ipſis conſiderauit vnam perſonā in Chriſto, cōſequenter putauit vnam tantum fuiſſe naturam in ipſo: & dum alter cōſiderauit in ipſo duas naturas, conſequenter putauit in ipſo fuiſſe duas perſonas, quia ſcilicet ſi perſona non diſtinguatur à natura, omnino vbi ſunt duæ naturæ, debent eſſe duæ perſonæ, & vbi eſt vna perſona tantum, debet tantum eſſe vna natura.

85 Eandem etiā rationē erroris hæreticorum aſſignat *Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 3.* inquiens; *Verum hoc demum hæretices in errorem inducit, quod naturam & perſonam idem eſſe ſtatuant.* Simile quid habet Epiphanius in ſexta ſynodo, art. 6. per hæc verba: *Ideo hæretici errant, quia nihil aliud agunt, quàm vt oſtendant naturam & hypoſtaſim idem eſſe: quæ ſanè inter ſe differre vtri Eccleſiæ Catholicæ alumni cognoſcunt*, Ergo falſum eſt omnino ſecundum hos Patres, quod ſuppoſitum non dicat aliquid diſtinctum à natura.

*Reſpondet Vaſquez ſupra diſp. 31. cap. 1.* hæc loca nullius eſſe momenti contra Durandū, quia partes non dicunt ideo hæreticos erraſſe, quia non diſtinxerunt perſonam, & naturam pluſquam ratione, ſicut non diſtinguit Durandus; & quia loquebantur de diſtinctione naturæ diuinæ à perſona diuina, non vero de diſtinctione perſonæ creatæ à natura creata.

*Sed certe longe fallitur Vaſquez*, & minoris eſt momēti ipſius reſponſio. Nam certum eſt, Vigiliū expreſſiſſime agere de diſtinctione perſonæ etiā creatæ, à natura creata: nā ex indiſtinctione ſola naturæ diuinæ, & perſonæ diuinæ nō ſequeretur, ſi duæ eſſēt naturæ in Chriſto, quod eſſent duæ perſonæ in ipſo; quamuis enim oporteret ipſum habere perſonam diuinam, ob illam indiſtinctionem, non deberet tamen neceſſario habere perſonam creatam ex eo, quod haberet naturam creatam ſi eſſet diſtinctio inter perſonam creatam, & naturam creatam, vt manifeſtum eſt. Ergo ſignum eſt quod ipſe refuderit errorem hæreticorum non ſolum indiſtinctionem naturæ diuinæ à ſuppoſito diuino, ſed multo magis indiſtinctionem ſuppoſiti creati à natura creata.

Quod non diſtinxerunt hæretici naturam & perſonalitatē erat ipſis cauſa erroris credendi

86 *Confirmatur*, quia quamuis diſtinguatur formaliter perſona increata Verbi in natura diuina eiuſdem, tamē non diſtinguūtur realiter, nec perſona diuina poteſt reperiri in aliquo ſuppoſito, in quo non ſit natura diuina: ergo ex diſtinctione naturæ, & perſonæ diuinæ non poterat concludi, quod eſſet vna perſona tantum in Chriſto aut quod poterant in ipſo eſſe duæ naturæ, & vna tantum perſona: ſed ex diſtinctione reali naturæ creatæ, & perſonalitatis creatæ optimè poterat concludi, quod in Chriſto poſſēt eſſe duæ naturæ, & vna perſona; quia ſcil. natura humana creata poterat ſeparari à propria perſonalitate, & vniri ſuppoſito Verbi, quo ſuppoſito in Chriſto eſſent duæ naturæ, & vna tantum perſona, ac perſonalitas. Ergo, quod hærerici non diſtinxerunt realiter naturam creatam, ſuppoſitalitatem, erat ipſis cauſa erroris, non vero quod non diſtinxerint ſuppoſitalitatem increatam à natura increata.

*Per quod patet* falſam eſſe ſecundā reſponſionē *Vaſquis* ad prædictas authoritates. Ad primam autem Reſpondeo manifeſte ſequi ex dictis, quod occaſio erroris hæreticorum eorum fuerit ſecundum hos Patres, præſertim Vigilium expreſſe, quod non admiſerint diſtinctionē realem ſuppoſiti creati, & quod illa occaſio non tolleretur per hoc, quod diſtingueret ſuppoſitū, & naturā ratione: ergo cum Durandus dicat ſuppoſitum & naturā non diſtingui realiter, quāuis dicat ea diſtingui ratione, cōuenit cū hæreticis in eadē occaſione errādi, & conſequētēr, ſicut illi errauerūt in illa occaſione, ita & ille errare dicēdus eſt, niſi aliter explicetur eius ſētentia.

*Probatur ſecundo concluſio* ex myſterio Incarnationis. Certum eſt de fide Verbum æternum aſſumpſiſſe naturā humanam, & non aſſumpſiſſe ſuppoſitum humanum, & in Chriſto de facto realiter reperiri naturam humanā, non vero ſuppoſitalitatem aut perſonalitatem humanam; ergo realiter à parte rei ſuppoſitalitas naturæ humanæ eſt aliquid diſtinctum realiter ab illa natura.

*Confirmatur*, quia quæro quid ſit ſuppoſitum humanū realiter à parte rei. Si nihil aliud quam ipſa natura; ergo ſi natura aſſumpta eſt, & ſuppoſitum eſt aſſumptum, contra fidem: ſi aliquid aliud, ergo habetur intentum.

87. *Dices* ſuppoſitum non aſſumi, quamuis natura aſſumatur, quia natura non dicitur ſuppoſitum, quando exiſtit in alio, ſed quando eſt per ſe. *Contra*, ergo ſuppoſitum vltra naturam dicit negationem exiſtendi in alio, quæ negatio poteſt ab ipſo ſeparari, quod ſufficit ad intentum concluſionis præmiſſæ.

Et per hæc in ſpecie ſeu particulariter impugnari poteſt ſententia præmiſſa *VVadingi*. Quæro enim, an illa totalitas, in qua conſtituit perſonalitatē, ſit quid aliquo modo realiter ſeparabile à natura ſingulari humana Chriſti. Si ſit, habetur intentum; ſi non ſit, ergo verbum aſſumpſit illam totalitatem, ſicut aſſumpſit illam naturam, & conſequenter aſſumpſit ſuppoſitalitatem, ac perſonalitatem creatam, quod eſt abſurdiſſimum.

Impugnatur Vvadingus.

*Conatur adhuc reſpondere VVadingus n. 40.* & ſumma reſponſionis (ipſemet non applicat eam ad formam) in hoc conſiſtere videtur: quod licet Verbum aſſumpſerit totam naturam humanam Chriſti, quæ ſine vllo ſuperaddito eſſet perſona, non tamen aſſumpſit perſonam, quia cum denominatione perſonæ eſt incompatibilis illa aſſumptio, ſeu vnio naturæ ad Verbum: cuius rei dat

exemplum

exemplum in temperie corporis humani, quæ consistit in tot gradibus singularum qualitatum, quas requirit tale corpus, & potest tamen tolli, non ablato vllo gradu ex illis qualitatibus per additionem solummodo aliorum graduum; vt si cùm temperies illa requireret duos tantum gradus caloris, adderentur alij duo, aut plures; ergo quamuis totalitas naturæ consisteret in collectione prædicatorum intrinsecorum, & partium istius naturæ, posset tamen nullo prædicato, aut parte ablata, per solam additionem alicuius alterius formæ, aut denominationis tolli.

88 *Hæc responsio nullo modo tollit difficultatem*, aut vim nostræ impugnationis. Nam vel totalitas consistit solummodo in prædicatis & partibus naturæ formaliter loquendo, itavt nihil aliud requiratur ad hoc, vt illa natura dicatur persona, quàm quod habeat illa prædicata, & partes; vel illa totalitas non consistit ita in illis partibus, & prædicatis, quin requiratur aliquid aliud vt illa natura dicatur persona.

Si primum dicatur, impossibile est, quin denominetur persona, nec est possibile coniungere cum natura, habente illas partes, & prædicata, aliquid incompossibile cum illa denominatione, quia sequeretur manifesta contradictio, nimirum quod essent, & non essent ea, quæ sufficerent ad illam denominationem.

Si dicatur secundum, habetur intentum, nempe quod personalitas dicat aliquid aliud præter naturam cum suis partibus omnibus & prædicatis.

*Confirmatur clarissimè*, Quia ad hoc vt cognoscat quis aliquam naturam esse personam, aut personatam personalitate propria, non sufficit quod cognoscat ipsam habere omnia sua prædicata, & partes intrinsecas: nec sufficit ad hoc vt sic sit personata, quod à parte rei natura habeat omnia illa: aliàs enim natura humana Christi esset personata personalitate sua propria, & quis intelligendo illam cum omnibus illis, intelligeret illam vere esse sic personatam, quod est absurdissimum; ergo aliquid aliud necessario requiritur, vel negatiuum vel positiuum, quod est intentum nostrum.

89 *Confirmatur secundò*, quia assumptio, seu vnio hypostatica naturæ, nonobstantibus omnibus suis prædicatis, & partibus intrinsecis pertinentibus ad esse singulare, impedit quo minus natura dicatur personata personalitate propria: ergo negatio talis vnionis requiritur necessariò, vt dicatur sic personata, quod est nostrum intentum. *Et per hoc patet ad exemplum Vvadingi*, quod æquè difficile est, & improbabile ac res exemplificata, vnde frustra adducebatur. Sed quomodocumque, dico temperiem non consistere formaliter in talibus gradibus præcisè consideratis, sed in illis cum negatione vlteriorum graduum, propter rationes præmissas, quæ huc etiam commodè applicari possunt.

*Dicere posset Vvadingus* requiri quidem necessariò ad totalitatem suam & personalitatem illam negationem, sed tamen eam non esse de ratione formali ipsius, sed conditionem tantum necessariò requisitam, vt natura cum suis partibus & prædicatis habeat denominationem formalem personæ aut suppositi, quemadmodum sæpe in aliis denominationibus discurrere solent Doctores.

*Sed contra*; hoc nihil facit ad propositum nostrum præsens, vbi solum volumus, quod ad hoc vt natura sit, & concipiatur esse personata personalitate propria, requiratur aliquid aliud siue positiuum, siue negatiuum distinctum realiter, & separabile ab ipsa natura singulari, & omnibus prædicatis ac partibus intrinsecis eius.

*Deinde*, si requiratur illa negatio, vt conceditur in hac responsione, nulla prorsus est ratio, cur non dicatur esse de ratione formali personalitatis creatæ.

*Fundamentum Durandi*, & aliorum nostrorum aduersariorum est, quod non possit ostendi, quid realiter distinctum à natura singulari superaddit suppositum: & quod *Philosophus* nihil tale agnouerit, vt patet supra ex 7. *Metaph. cap. 6.*

*Sed facile respondetur* in primis non sequi, quod non detur ex eo quod *Philosophus* non agnouerit illam.

Deinde assignari posse, quod superaddat certas negationes: difficilius autem possunt assignare, quid addat, illi, qui ponunt, quod superaddat quid positiuum: & certè posset bene explicari *Durandus*, quod dum asserat suppositum nihil superaddere supra naturam singularem, non velit, quod nihil omnino superaddat nec positiuum, nec negatiuum, sed solum quod nihil positiuum superaddat. Sic autem intellectus conueniret cum *Doctore nostro*. Explicatio bonamentis Durandi.

*An suppositalitas distincta realiter à natura sit positiuum, vel negatiuum.*

90. *Prima sententia* est quod sit quid positiuum. Ita *Thomistæ* communiter, *tertia parte quæstione 4. articulo secundo*, vbi *Suares*, *Vasquez*, *Lorca*, quos sequuntur recentiores, & speciatim *Lugo*, & *Auersa*, eam non videtur improbabilem putasse *Scotus*, & ex Scotistis *Lychetus* in eam magis propendet. Non conueniunt autem authores huius sententiæ in assignando illo positiuo superaddito naturæ, quod requiri putant ad constitutionem suppositi, & vocant quandoque subsistentiam, quandoque suppositalitatem, quandoque personalitatem. Nam *Heruæus quodlibeto tertio quæstione sexta*, *Iauellus septimo Metaphysicæ*, *quæstione decimaseptima*, dicunt illud positiuum esse existentiam, & cataracteristicas proprietates accidentales: *Capreolus in 3. distinctione quinta, quæstione tertia*, existimat esse solam existentiam; *Suarez*, *Vasquez*, *Lugo* & *Auersa*, putant illud esse modum positiuum substantialem. Prima sententia.

*Secunda sententia est Scoti*, & suorum omnium asserentium quod illud superadditum nihil aliud sit, quam negatio, siue vna, siue plures, quod perinde est quantum ad præsentem difficultatem. Hanc sententiam asserit *Vvadingus disputatione quarta de Incarnatione dub. 2. §. quinto*, *numero trigesimo nono*, esse communem inter Scholasticos, & teneri à *Diuo Thoma*, *ac Patribus*; vnde mirum est quod ipsemet ab ea recedat contra communem Scholasticorum, ac Patrum opinionem, sine vllo præsertim graui fundamento.

## CONCLVSIO.

91. *Suppositum creatum non superaddit naturæ singulari suppositatæ aliquid positiuum realiter ab illa distinctum, sed solummodo quid negatiuum.* Hanc absolutè puto esse sententiam *Doctoris*, tum quia in *tertio quæstione prima*, licet ponat rationes pro sententia opposita, sicut ponit pro hac, tamen soluit rationes positas pro sententia illa opposita, & non soluit has: tum quia *ibidem distinctione quinta*, *quæstione prima & secunda*, si eam probabiliter teneret, non solueret sufficienter quæstionem secundam, vt ex dictis in commentario patet: tum denique quia ita communiter discipuli ipsum explicant, & speciatim *Faber in 3. distinctione prima*, *quæstione prima*, *Meruisse in Metapysica libro tertio*, *quæstione quarta*. Et licet *Rada in 3. contr. 1. articulo primo*. *Pitigianis in 3. distinctione prima*, *quæstione prima*, *ac Lychetus ibidem*, putent ipsum fuisse problematicum quoad vtramque sententiam; tamen *Rada & Pitigianis* fatentur magis inclinatum fuisse in hanc conclusionem, & solus *Lychetus* magis inclinatur in oppositum; & præterea non ostendunt sufficienter quod Scotus fuit problematicus. Nam licet vocet illam sententiam communem Thomistarum probabilem, non sequitur ex hoc quod ipse eam probabiliter tenere voluerit: nam nos etiam putamus multas sententias *Thomistarum* probabiles, quas tamen non sustinemus ipsi probabiliter. Suppositalitas creata non est quid positiuum.

Hanc conclusionem quoad primam partem, præter *Scotistas* tenent *Richardus*, *Durandus*, *Occham*, supra & *Nominales*, quos sequitur *Vvadingus*, *qui ibidem num. 47.* dicit se legisse triginta octo Doctores, qui eam tenent ex professo, & ex sua Societate citat pro ea *Salmeronem tom. 2. tractatu 27. & Molinam 1. parte*, *quæst. 29. articulo 2. disputat. tertia*, qui etiam tenet eam pro secunda parte. *Addit* præterea ad hæc idem *Vvadingus*, omnes etiam

*Thomi*

*Thomistas antiquos*, excepto *Thoma Argent.* in hoc conuenire cum *Scotistis & Nominalibus*, quòd ratio suppositi nihil positiuum superaddat naturæ singulari, quamuis ex iis plurimi dicant, quod superaddat aliquid naturæ specificæ.

*Secunda pars huius conclusionis* sequitur ex prima, supposito quod aliquid distinctum à natura singulari dicat: vnde non indiget alia particulari probatione, quàm quæ sufficit pro prima parte.

*Quæ prima pars probatur à Doctore supra* plurimis rationibus partim Theologicis, partim Metaphysicis, quas quia in Commentario non solum explicaui, sed defendi contra aliorum impugnationes, non videbatur expedire hic eas omnes repetere. Itaque omissis inconuenientiis, quę sequerentur ex opposita sententia; nempe quod esset aliqua entitas substantialis in hominibus, quæ non posset assumi à Deo, & quæ consequenter esset incurabilis per Incarnationem; & quod Christus careret aliquo complemento substantiali spectante ad naturam humanam, & quod non posset naturam humanam dimittere quin necessariò produceret aliquam aliam entitatem positiuam; omissis, inquam, his inconuenientiis.

Esset inconueniens quod natura posset conseruari absque personalitate si hæc esset positiuum.

*Probatur prima pars conclusionis. Primò*, Quia si consisteret personalitas creata in aliqua entitate positiua realiter distincta, posset conseruari & produci absque suppositalitate vlla: sed hoc est inconueniens: ergo.

Probatur maior; Quia non potest assignari vlla ratio necessariæ connexionis inter illa: quotiescumque autem aliqua realiter distinguuntur, & non potest assignari ratio aliqua necessariæ connexionis inter illa, debet dici quod vnum ex ipsis possit produci & conseruari absque altero, vt videtur euidens.

*Probatur minor*; quia si existeret natura singularis Petri absque personalitate, vel habere posset omnes operationes suas, vel non posset: vtrumque est inconueniens: ergo.

Probatur hæc minor quoad primam partem, nempe quod sit inconueniens quod posset habere omnes operationes; quia tunc omnino ad nihil prorsus deseruire posset suppositalitas ipsi, & consequenter non esset dicendum, quod sit complementum istius naturæ, aut perfectio eius: omne enim complementum, & omnis perfectio naturæ ad aliquid deseruire debet, vt manifestum est.

93. *Dices*, Suppositalitatem deseruire ad terminandam naturam, quæ sine ea, quamuis posset habere suas operationes esset tamen interminata.

*Contra*, Quia non requireret aliam terminationem positiuam, quàm illam, quam haberet à sua singularitate & existentia; quia si ad nihil deseruit ipsi, quod terminetur vlterius positiuè & si absque vlteriori positiua terminatione, omnia iã perfectè facere posset quàm alias, ad quid deberet vlterius terminari? aut cur esset inconueniens, quod semper esset absque termino vlteriori? & vnde colligi potest quod cõnaturaliter exigat terminari?

*Dices*, Quia de facto semper sequitur naturam, nisi in casu Incarnationis.

*Contra*, Quia nemo scit, quod semper sequitur naturam, si natura possit absque ea omnes suas operationes tam commodè habere, quàm cum illa. Quamuis enim ex mysterio Incarnationis habemus, quod natura humana assumpta sit absque personalitate creata, non tamen habemus quod omnis creata natura singularis, etiam completa in esse singulari, sit personata.

*Dices*, Omnes vocant tales naturas personatas.

*Contra*, Ergo debet haberi aliquod fundamentum huius; aliàs poterit dici, quod decipiantur omnes, aut quod omnes loquantur sine fundamento: sed certè non est vllum huius fundamentum, si dicatur natura posse habere omnes suas actiones, & operationes absque personalitate; ergo absurdum est id dicere.

94. *Dices secundò*, Principaliter suppositalitatem tribuere incommunicabilitatem naturæ, & consequenter quod natura careret isto effectu in tali casu, quamuis posset habere suas operationes.

*Contra primò*, Quia natura non est per se connaturaliter communicabilis nisi alicui, à quo possit recipere aliquod connaturale emolumentum: sed non reciperet aliquod emolumentum connaturale ab vllo positiuo superaddibili, si posset habere omnes suas operationes absque illo: ergo non esset connaturaliter communicabilis in tali statu, & consequenter esset incommunicabilis omni incommunicabilitate, quam debet connaturaliter habere: sed certum est quod incommunicabilitas, quam debet habere à personalitate, sit incommunicabilitas ipsi connaturalis: ergo non indigeret in tali statu incommunicabilitate vlla.

*Contra secundò*, Quia nullum positiuum realiter distinctum debet poni præcisè, & solummodo ad ponendum negationem in aliquo, aut cuius munus sit tantum fundare negationem, vt est euidens: ergo personalitas positiua debet habere aliquod munus distinctum ab hoc, quod est esse principium, aut fundamentum negationum: sed non potest assignari aliquod munus positiuum eius, si natura absque ea possit habere omnes suas operationes: ergo non est dicendum quod natura possit habere suas operationes omnes absque personalitate, aut non est dicendum quod personalitas sit positiua.

Esset inconueniens quod natura posset existere sine personalitate quin posset habere operationes.

95. *Probatur eadem minor*, quoad alteram partem, nimirum quod sit absurdum naturam posse existere, & non posse habere suas operationes: primò, quia gratis asseritur naturam singularem completam existentem, non posse habere suas operationes absque aliquo positiuo non incluso in ipsa natura, nec necessariò sequente ad ea quæ includit: quandoquidem enim illa entitas singularis naturæ humanæ constans anima & corpore, haberet potentias actiuas suas, verbi gratia, intellectum, & voluntatem in tali casu, cur non posset intelligere & velle?

*Confirmatur efficaciter*; Intellectus & voluntas non essent magis incompleta & insufficientia in tali statu, quam in statu animæ separatæ: ergo quandoquidem in statu animæ separatæ, in quo non haberent personalitatem, possent agere, etiam in eo statu possent agere.

*Confirmatur secundò*, ex hoc: Non magis requirit potentia sensitiua, verbi gratia visiua, subsistentiam aliquam aut suppositalitatem ad operandum, quàm intellectus, si non minus quàm intellectus possit existere realiter à parte absque suppositalitate: ergo sicut intellectus in anima separata habet suas operationes, ita etiam & visiua posset habere suas absque suppositalitate, & consequenter reliquæ potentiæ istius naturæ.

*Dices*, Actiones sunt suppositorum.

*Contra*, Quia si intelligas hoc necessariò, falsum est, vt patet in exemplo animæ separatæ, quæ potest agere; & etiam in exemplo accidentium separatorum à subiecto. Si intelligas quod connaturaliter sunt suppositorum, nihil facit ad rem, quia posset connaturaliter esse verum, licet in casu illo miraculoso non esset verum.

Deinde si potest natura singularis completa in esse singulari existere absque suppositalitate omni; vnde colligitur, quod actiones etiam naturæ completæ singularis debent esse suppositorum necessariò?

*Probatur secundò eadem minor quoad eandem partem*, Quia non potest assignari ratio, cur actiones naturæ dependent à suppositalitate magis quàm ipsamet natura: ergo si ipsa natura, vt supponitur in casu, possit existere absque suppositalitate, similiter actiones eius possent.

*Confirmatur*, Connaturaliter & absque vllo miraculo aliquæ actiones quæ sunt suppositi, vt intellectiones & volitiones prouenientes ab homine, possent existere, non existente supposito, vt patet in statu animæ separatæ; sed connaturaliter absque miraculo non potest natura existere absque supposito: ergo minus necessariam connexionem habent actiones suppositi cum suppositalitate, quàm ipsamet natura & consequenter si natura potest existere absque suppositalitate, poterit etiam habere suas operationes existentes absque suppositalitate: ergo à primo ad vltimum est

absurdum

absurdum dicere, quod natura singulariter completa possit existere à parte rei absque aliqua personalitate aut suppositalitate; & consequenter falsa est sententia Caietani, & Lycheti id admittentium.

97 *Dices:* ergo tenendum est ob has rationes, quod natura nequeat esse absque aliqua personalitate, & consequenter hæ rationes sunt sufficientes ad probandum necessariam connexionem naturæ cum personalitate aliqua; vnde maior nostræ probationis erit falsa cum sua probatione.

*Respondeo*, ex vno capite id quidem esse verum. Sed tamen ex alio capite sequitur id esse falsum; nimirum quia non potest assignari ratio cur non posset singularis natura habere suas operationes, & consequenter esse absque vlla superaddita entitate positiua, quæ esset suppositalitas. Et in hoc consistit implicantia sententiæ asserentis personalitatem esse talem entitatem; quia scilicet inde sequeretur quod esset necessaria ad operationes naturæ singularis, & quod non esset necessaria; quod esset complementum & terminus positiuus connaturalis eius; & quod non esset.

*Probatur secundo conclusio, quoad eandem primam partem*, quia si suppositalitas esset quid positiuum distinctũ à natura singulari, vel esset substantia, vel accidens: neutrum dici potest: quia non accidens, tum quia sic non esset complementum substantiale substantiæ singularis, nec faceret cum ipsa vnum per se contra aduersarios; tum quia non potest assignari munus aliquod positiuum eius. Non etiam substantia; quia vel deberet esse composita ex materia & forma, quod nemo asserit, & esset sine dubio absurdum; vel deberet esse simplex, & consequenter vel materia, vel forma. Nõ autem materia, tum quia nemo id asserit, tum quia alias darentur duæ materiæ primæ in homine; & quia illa materia prima, quæ esset suppositalitas, deberet habere aliquam formam substantialem sibi correspondentem, vt omittam alia inconuenientia. Non etiam forma, quia sic darentur in homine duæ formæ substantiales simul, quod est contra maximam partem aduersariorum.

Si personalitas esset quid positiuum, esset forma substãtialis.

*Confirmatur hoc*, quia non potest ostendi, si sit substantia, aut substantiale ita, vt non sit accidens, cur non esset forma substantialis, quandoquidem adueniat naturæ singulari, eamque determinet, & faciat cum ipsa, maxime secundum aduersarios, vnum per se, non minus, quam forma ignis adueniens materiæ ipsius, determinat ipsam, ac facit cum ipsa vnum per se.

*Dices* tamen, eam non esse formam, nec substantiam, sed modum substantialem.

*Contra* in primis, esset substantia, quatenus substantia opponitur accidenti, quia non est quid aptum inhærere.

Deinde non potest ostendi cur ita debeat esse modus, quin sit propriè dicta forma; quod autem sit modus sic, vt hoc non tollat ab ipsa rationem formæ, non facit ad rem, vt patet.

*Dices*, eam non posse esse formam, quandoquidem non possit existere absque natura singulari, forma autem potest existere absque re, cuius est forma.

*Contra primo*, quia difficulter potest ostendi, si sit entitas absoluta, quin posset existere absque illa natura.

*Secundò*, quia quod non posset sic existere, non tollit ab ipsa rationem formæ; tum quia id gratis diceretur, tum quia aliquæ formæ accidentales nequeunt existere absque suo subiecto, vt patet de actibus vitalibus in communiori aduersariorum sententia, & de formis relatiuis in sententia omnium; tum quia quamuis forma ignis non posset esse etiam diuinitus, absque aliqua materia, vt materia nequit esse secundum Thomistas absque forma aliqua; imo si non posset esse absque illa ipsa materia in qua est, adhuc non desisteret esse forma; neque sanè de facto ad probandum quod sit forma, vllus vtitur illo argumento, quòd non possit esse absque materia: ergo illa ratio nõ impedit, quo minus sit forma.

*Dices denique*, propterea eam non esse formam; quia emanat ex natura singulari.

*Contra secundo*: quia quod sic emanet, non tollit quin sit forma: tum quia id etiam gratis diceretur, tum quia formæ relatiuæ, quæ magis necessario emanant à suo fundamento quam personalitas, adhuc habent rationem formæ.

*Contra secundo*; quia si sic emanarent, non facerent vnum per se cum illa natura: sed hoc est contra aduersarios: ergo non sic emanant.

Probatur maior, quia alias risibilitas faceret vnum per se cum homine, & intellectus cum anima; quod est contra omnes.

*Confirmatur hoc*, quia in omnibus aliis quæ faciunt vnum per se siue Physicum, siue Metaphysicum, siue integrale, nulla pars sequitur connaturaliter ad alteram: nec enim rationalitas sequitur ad animalitatem, nec forma ignis ad materiam primam; nec anima ad corpus; neque caput ad pedes; nec vna pars aquæ ad alteram. Ergo signum est quod illa non possint facere vnum per se, quorum vnum sequitur connaturaliter ad alterum.

100 *Probatur tertio conclusio*, quoad eandem partem: quia si poneretur ipsamet natura singularis completa absque aliquo positiuo superaddito; vtraque definitio præmissa tam Richardi, quam Boëtij, qua vtuntur Philosophi, & Theologi communiter, conueniret ipsi: ergo esset persona, & consequenter ad rationem personæ non requiritur aliquid positiuum vltra naturam singularem.

Probatur antecedens, quia esset substantia completa singularis, per se existens & non communicata alteri vlli; & incommunicabilis etiam alteri in quocumque sensu, in quo persona debet esse incommunicabilis: ergo.

*Confirmatur*, quia nihil deesset humanitati sic constitutæ, quo minus esset intellectualis aut rationalis naturæ indiuidua substantia, & incommunicabilis existentia: ergo nihil deesset ipsi quo minus illæ definitiones competerent ipsi.

101 *Dices*, deesse ipsi, quod non sit in se completa: intelligitur enim in illa descriptione vtraque non quæcumque natura, sed natura completa, alias anima rationalis separata esset persona, quia vt separata formaliter & non coniuncta, implicat eam coniungi.

Natura singularis est cõpleta positiuè absque personalitate positiua.

*Contra*, quia quando dicis, quod natura illa, quæ ponitur in definitione personæ, debeat esse completa, vel intelligis de natura cõpleta singulariter, id est, quę nõ sit nata esse pars physica, aut metaphysica alicuius totius; vel intelligis, quod debeat esse alio aliquo modo cõpleta.

Si primum dicas, humanitas, de qua loquimur, est completa, vt patet; ergo non deesset ipsi ratio personæ propter hoc.

Si secundum, quæro quod aliud complementum desit ipsi; & non potest assignari quodnam illud sit, aut quod munus eius.

Et præterea si assignari possit per illud ipsum complementum explicaretur persona sufficienter, non ponendo in eius definitione, quod habeat incommunicabilem existentiam, & sic sine necessitate adderetur illud de incommunicabilitate ipsius definitioni.

102 *Confirmatur hoc primo*, vt intelligamus definitionem personæ, debemus intelligere quod natura, quæ est personata, debet esse completa isto particulari modo: sed eo ipso, quo sic intelligimus ipsã, habemus sufficientẽ descriptionem aut definitionem eius: ergo frustra ponimus aliquid aliud in eius definitione, aut descriptione.

*Confirmatur secundo*, quia ideo ponimus in definitione bruti negationem irrationalitatis, quia non possumus aliter differentiam bruti vt sic declarare; & si potuissemus, nullo modo posuissemus istã negationem in eius definitione; sicut non ponimus negationẽ brutalitatis in definitione hominis, cum tamen tam pertineat negatio brutalitatis ad hominem, quàm negatio rationalitatis pertinet ad brutum: ergo si possumus, & debemus habere aliquem conceptum proprium personæ absque negatione communicationis aut communicabilitatis, non debemus addere eius descriptioni istam negationem.

103 *Probatur quarto conclusio*, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla prorsus est necessitas ponendi aliquid positiuum distinctum realiter à natura singulari pro personalitate: ergo non est ponendum. Maior est omnium. Minor probatur, tum soluendo obiectiones aduersariorum, tum etiã & præcipuè, quia non potest assignari vllus effectus positiuus competens personalitati, qui ab ipso proueniret: ergo non solum non est necessitas ponendi personalitatem in positiuo, sed nec potest in eo poni, quia omnis entitas positiua realiter distincta ab aliis rebus, debet habere aliquod munus positiuum; nec sufficit pro effectu eius quod ad illam sequantur negationes vllæ; quia nullum positiuum debet præcisè poni vt sequantur negationes.

Probatur antecedens, nimirum quod non possit assignari effectus positiuus vllus personalitatis creatæ, tum quia hactenus non est assignatum & communiter authores solent tantum explicare effectum personalitatis per incommunicabilitatem aliquam; tum specialiter impugnando doctrinam *Cardinalis de Lugo* conantis ostendere effectum positiuum personalitatis.

Non potest assignari effectus positiuus personalitatis.

104 *Is ergo disp.* 12. *de Incarnat. num.* 35. dicit effectum positiuum, quem vocat primarium personalitatis, esse desumendum ex natura accidentis; vnde cùm accidens habeat pro proprietate aut conditione essentiali esse in alio, substantia, quæ ipsi opponitur, debet habere esse in se, seu per se tanquam conditionem, ac proprietatem connaturalem. Addit præterea, quod accidens sit in alio tanquam in sustentante, & quod substantia non sit in alio tanquam in sustentante, sed quod seipsam sustentet; quod sic intelligit vt eatenus dicatur substantia seipsam sustentare, quatenus ab ipsa emanat naturaliter subsistentia, seu suppositalitas, quæ nata sit sustentare substantiam. Deinde infert resolutiue, effectum primarium & positiuum subsistentiæ esse perficere, & cõplere naturam substantialem, quę ex se petebat sustentationẽ.

Substãtia nõ se sustentat.

105 *Sed contra totam hanc doctrinam in primis facit*, quod falsum sit substantiam sustentare seipsam, neque enim dependet à se ipsa in vllo genere causæ, & præsertim materialis; aut ab aliquo positiuo à se emanante, vt est euidens; neque vt habeat modũ existendi oppositum modo existendi Accidẽtis, requiritur quod se sustentet; sed sufficit quod nõ sustentetur, nec apta sit sustentari ab alio; hoc autẽ nõ habet ab aliquo positiuo superaddito.

Nõ colligitur effectus subsistentiæ ex natura accidentis.

*Contra eandem doctrinam facit secundo*, quod non rectè desumatur effectus subsistentiæ ex natura accidẽtis: nam nihil prorsus includit accidẽs nobis saltem pro hoc statu cognoscibile, ex quo possit ille effectus colligi; quamuis enim accidens habeat esse in alio, & substantia habeat modum existendi oppositum, tamen totum hoc potest esse verum, quamuis suppositum esset impossibile, nec daretur subsistentia vlla realiter distincta.

*Confirmatur*: esse in alio, quod competit accidenti, est esse in alio, tanquam in subiecto inhæsionis, & per hoc præcisè distinguitur à substantia: sed secundum ipsum *Lugo n.* 30. substantia non habet à subsistentia non esse in alio tanquam in subiecto inhæsionis, sed ex seipsa: ergo non requiritur subsistentia, nec consequenter effectus eius, vt substantia habeat modum existendi distinctum à modo existendi accidentis; & consequenter effectus subsistẽtiæ non benè colligitur ex natura accidẽtis.

Substantia non habet à suppositalitate modum oppositũ accidentis.

*Quod si dicas* accidens non solum esse in alio tanquam in subiecto inhæsionis, sed etiam tanquam in suppposito, & ex hoc esse in alio desumi naturam subsistentiæ.

*Contra*, quia antequam sciatur quod accidens habeat huiusmodi esse in alio, debet intelligi quid sit suppositum, & quid subsistentia, eiusque effectus: ergo non bene desumitur effectus subsistentiæ ex natura accidentis.

106 *Rursus, quando dicit Lugo*, quod accidens sit in alio tanquam in sustentante, & quod substantia nõ sit in alio, sed quod seipsam sustentet: quæro, quid intelligit per esse in alio tanquam in sustentante? Si intelligit esse in alio tanquam in subiecto inhæsionis, falsum est, quod substantia habeat à subsistentia non esse sic in alio, vt iam dixi; & etiam falsum est quod seipsam sic sustentet, quatenus emanat ab ipsa naturaliter subsistentia, per quam sic sustenteturquãdoquidem euidens sit quod non sit in subsistentia; vt in subiecto inhæsionis. Si intelligit esse in alio tanquam in causa materiali, ex cuius potentia educeretur & dependenter à qua fieret, ac conseruaretur.

*Contra primo*: esse in alio sic, non est proprium accidentis, competit enim pluribus formis substantialibus. Nec prorsus valet differentia, quam assignat *Lugo* inter inexistentiam formæ substantialis in alio, & formæ accidentalis: nimirum, quod formæ accidentales sint in alio, hoc est in aliquo ente completo, quod ab ipsis non constituitur in tali esse; forma vero substantialis sit in alio ente incompleto. Nam in primis in sententia recentiorum, quam credo teneri à *Lugo*, formæ accidentales non habent pro causa materiali ens completum, quãtitas enim subiectatur immediatè in materia prima non minus quam forma substantialis, secundum ipsos; & intellectiones ac volitiones in intellectu ac volũtate, iisque mediantibus in anima, quæ non est ens completum. Deinde forma substantialis non magis constituit suum subiectum materiale, quam accidentalis suum.

107 *Etsi dicatur* formam substantialem esse in toto composito substantiali, quod compositum ab ipsa constituitur. *Contra*, quia etiam forma accidentalis est in toto composito accidentali, quod ab ipsa constituitur, verbi gratia albedo in albo.

Sed demus solas formas accidentales esse in alio tanquam in causa materiali, certè natura singularis completa non est in seipsa, neque in sua subsistentia tanquam in causa materiali, ex qua, aut in qua, sicut accidens est in alio: ergo esse in alio accidentis, quod est oppositum esse per se substantia non est esse in alio tanquam in causa materiali.

Melior explicatio effectus positiui personalitatis.

108 *Melius sane explicari posset*, esse per se, quod competeret substãtiæ ratione subsistẽtiæ, dicendo quod esset esse in aliquo ab ipsamet natura singulari pullulãte naturaliter eo modo, quo natura assumpta est in Verbo; & melius explicaretur effectus positiuus personalitatis positiuæ propriæ, dicẽdo quod esset talis effectus, qualem personalitas positiua Verbi tribuit naturæ assumptæ; & quod quẽadmodum nos nõ possumus sufficienter explicare, quis sit ille effectus positiuus physicus, quẽ tribuit personalitas Verbi naturæ assumptæ, nec declarare qualẽ dependentiam particularẽ naturæ terminat, aut quomodo cõpler, aut perficit naturam, licet certũ nobis sit, quod compleat, ac perficiat ipsam, tribuatq; ipsi aliquẽ effectũ positiuum, & quod particulariter natura dependeat ab illa personalitate: Ita similiter personalitas propria tribuit effectum aliquem positiuum naturæ, eamq; compleat ac perficiat, quantumuis nos nõ possimus declarare bene naturam istius effectus, aut completionis.

*Verum contra* hoc etiam est, quod licet natura possit habere dependentiam aliquam particularem positiuam à personalitate Verbi, non tamen sit necesse quod talem dependentiam positiuam habeat, aut habere possit à personalitate creata, aut propria, nisi possit ostendi, quod personalitas propria creata sit quid positiuum: hoc autem nequit ostendi.

*Probatur quinto*, quia ponendo personalitatem in positiuo, non saluatur sufficienter, quomodo nõ possit persona, formaliter loquendo, assumi ab alia persona: quia non potest ostendi quod persona habeat incommunicabilitatem simpliciter: sed statuẽdo personalitatem in negatiuo, omnino id facilè ostenditur: ergo magis cohæret cum sententia communi omnium Theologorum tenente inassumptibilitatem personæ formaliter consideratæ, statuere personalitatem in negatiuo, quàm in positiuo.

*Solutio obiectorum.*

109 *Obiicies primò*, contra conclusionem, ad probandum, quod illud, quod superadditur naturæ singulari ad personandam ipsam, non sit quid negatiuum, sed positiuum. Omnes intelligunt per personam, & suppositũ, & per omnia propria significatiua suppositi, vt sũt Petrus & Paulus, substantiã, & nõ negationẽ, & omnes fatẽtur, quod

quod significent ista nomina formaliter substantiam: ergo non significant formaliter negationem. Hæc obiectio est *Caietani.*

*Respondetur primo*, nec ipsummet Caietanum, nec fere ex aduersariis vocare personalitatem substantiam, sed modum seu realitatem substantialem: ergo male dicit Caietanus, quod omnes intelligunt per ista nomina formaliter considerata substantiam.

*Itaque respondeo secundo* ex hoc distinguendo antecedens: omnes intelligunt per ista nomina substantiam; quatenus reuera substantia importatur per illa nomina, concedo antecedens; quatenus ratio formalis propria qua constituitur totum significatum istorum nominum sit substantia, nego antecedens.

Persona significat etiã naturã.

110. Vt melius hoc intelligatur, *Aduerte* nomen *personam*, & *suppositum*, & quæcũque alia nomina significantia personas, & suppositum, significare non solũ personalitatem, aut suppositalitatem, sed etiam naturã, sicut nomen *singulare* non significat solum singularitatẽ, sed etiam naturam; vnde quia natura illa, quã significat, est substantia, optime dicitur quod significent substantiã; nec in hoc est difficultas. Verũ quia in hoc toto significato reperiuntur duo natura scilicet & personalitas, & ex his personalitas habet rationẽ determinatiui, quia determinat naturã ad esse personæ; propterea cõmuniter supponitur quod nomen *persona* & *suppositum* magis formaliter significet personalitatẽ quàm naturam: hoc autem si verum sit, de quo vix potest esse alia quam quæstio de nomine; falsum est quod omnes intelligunt per personam formaliter substantiam, aut quid substantiale; & si qui ita intelligant, procedunt ex falsis principiis, vnde deberent corrigere conceptus suos.

Quid significat persona formaliter.

111. Vt autem magis clare tollamus omnẽ difficultatem, quæ hic possit esse, quantum ad hoc, *aduertendum iterum*, varios posse esse modos loquendi de significato nominis *personæ*. Aliqui enim dicũt quod formaliter dicat non solã naturam, nec solam personalitatem, sed vtramq; sicut nomen *homo* non dicit solam rationalitatem, nec solã animalitatem, sed vtramq; . Et hoc admisso patet consequentiam Caietani nihil valere. Alij dicunt, quod solã personalitatem dicat formaliter, & naturã materialiter, sicut concreta accidentalia *album*, *iustum*, &c. dicunt formaliter iustitiam, & albedinem, materialiter vero res affectas istis formis. Et hoc supposito falsum est antecedẽs Caietani in sensu formali; in materiali autem verum est, sed non valet consequentia. Alij aiunt quod personalitas significetur in recto per nomen *persona*, natura vero in obliquo, sicut discurrunt de concretis accidentalibus; idẽ enim intelligũt per significare in recto, & significare formaliter: & hoc admisso eodẽ modo respondendũ, quo si vterentur ly *formaliter*. Alij denique dicunt quod persona significet in recto naturã & in obliquo personalitatẽ, quia scilicet in explicatione nominis *personæ*, quãdo dicitur, quod sit habens personalitatẽ, ponitur natura in nominatiuo casu: & personalitas in accusatiuo. Hoc vero concesso fatendũ est, quod persona in recto significet substantiã, sed negandũ præterea quod personalitas sit substantia, aut substantialis.

112. Itaq; quis ex his modis loquendi sit verior nõ est huius loci, nec pertinet ad præsentẽ difficultatem vllo modo, cũ solui possit independenter ab vllo particulari modo dicendi. Vnde quãdo vtuntũr aduersarij istis terminis, *formaliter* aut *in recto*, conueniendum est primo cũ ipsis in eo, quod volunt per istum modum intelligere, & conformiter respondendum est iuxta præmissa.

*Confirmatur vlterius* præsens responsio; non magis significat persona substantiã, quam singulare substantiale: sed ex eo quod singulare substantiale v.g. hæc humanitas significet substantiã, quomodocumq; illam significet, siue formaliter, siue materialiter, siue in recto, siue in obliquo, nõ sequitur quod singularitas sit substantia aut substantialis, secundum magnã partem aduersariorũ, quandoquidẽ dicant singularitatem nihil aliud esse distinctum à natura, quæ sic dicitur, quàm negationem vnã aut plures: ergo ex eo quod persona significet substantiam, non sequitur quod personalitas debeat esse substantia, aut substantialis saltem in horum authorũ sententia, propter quos pono hanc confirmationem.

113. *Ad hanc obiectionem* vicina est secunda, qua vtitur *Fonseca*, & *Vasquez*, quod suppositа creata sunt primæ substantiæ: ergo non includunt negationem.

An suppositũ sit idẽ quod prima substantia.

*Respondetur primo* dubium esse antecedens, si sensus sit quod idem prorsus sit suppositum ac prima substantia; nã verisimilius est, quod prima substantia ex mẽte Philosophi sit substãtia singularis vt sic præcise, cũ vt supra diximus, nõ agnouerit Philosophus suppositum distinctũ à substantia singulari. Si vero sensus sit quod sit prima substantia, quatenus includit primã substãtiam, certũ est antecedens, sed falsa consequentia, quia cum hoc potest vltra primam substantiam includere negationẽ.

*Respondetur secundo* admittẽdo antecedens in illo sensu, in quo dixi, quod sit dubium, ita scilicet vt sit idem substantia prima, & suppositum; & negando cõsequentiam, quia si sint idem, quidquid probat suppositũ constitui negatione, probat etiã idem de substantia prima.

*Confirmatur hæc responsio*; quia natura singularis includitur per se vt singularis in supposito secũdum omnes, sed natura singularis vt sic secundum *Fonsecã*, & recentiores communiter dicit negationem: ergo per se includitur aliqua negatio in supposito, & consequenter non est inconueniens, quod per se includat negationes, quas dicit vt suppositum est.

114. *Per hæc patet ad tertiam obiectionem*, qua *Lorca* vtitur contra nos: suppositum est vnum ens per se: ergo non includit formaliter, & per se primo negationem.

Quomodo suppositum sit vnum per se.

*Respondeo primo*, ex hoc secuturum, quod non includeret per se primo naturam singularem in sententia illa satis communi recentiorum, dicente quod natura constituitur in esse singulari per negationem.

*Respondeo secundo* distinguendo antecedens: est vnum ens per se quatenus omnia positiua, quæ per se primo includit, faciunt vnum per se, & non per accidens, concedo; quatenus ex natura & personalitate fieret vnum per se, nego antecedens. Hæc responsio non videri debet difficilis recentioribus; quia similiter respondere debebunt, quando obiiceretur ipsis, quod singulare esset vnum per se, & consequenter quod non deberet per se primo dicere negationem.

*Alij* alio modo distinguunt antecedens: suppositum est vnum per se negatiue, concedo; positiue, nego. Sed prima responsio est facilior.

Cur personalitas creata non sit positiua sicut diuina.

115. *Obiicies quarto ex Caietano*: personalitas diuina est quid positiuum: ergo & creata. Hac etiã obiectione vtitur *Lychetus*, *Fonseca*, *Auersa*, & alij: sed negatur consequẽtia, quia in diuinis reperitur aliquid positiuũ incõmunicabile, in quo poni possit personalitas diuina, nimirũ paternitas, filiatio, & spiratio passiua, & est de fide, quod dẽtur in diuinis, & quod sint incõmunicabiles, & quod habeãt aliud positiuũ munus quã esse principium negationum vllarũ: sed in creatis nõ constat esse aliqua talia, ratione aut authoritate, nec potest aliquòd munus positiuum, cuius sit vlla necessitas, aut emolumentum, ipsis attribui: ergo non debet asseri in creatis sicut in diuinis, quod personalitas sit quid positiuum.

*Confirmatur primo*, quia licet sapiẽtia in diuinis sit substantia & quæcumq; alia perfectio Dei, tamẽ in creatis nõ est ita, & ratio disparitatis est, quod argueret imperfectionem in Deo illas perfectiones nõ esse substãtias. Constat autem per discursum, quod in creatis non sint substantiæ tales perfectionis: ergo similiter quãuis personalitas debeat dici positiuum quid in Deo, quia esset imperfectionis in ipso non habere entitates incommunicabiles in creatis, tamen non debet dici quod persona sit positiuum, propter fundamenta nostra.

*Confirmatur secundo* contra eos qui dicunt singularitatem creatam esse quid negatiuum, quia in diuinis non est quid negatiuum secundum ipsos, quandoquidem sit de essentia Dei secundum eosdem: ergo quamuis personalitas in diuinis sit quid positiuum, tamen personalitas creata non debet esse quid positiuum.

116 Præter hæc *Scotus* dat aliam disparitatem, propter quã debet negari consequentia huius obiectionis: quia scilicet incõ municabilitas, quam dicit persona diuina formaliter, inuoluit non solum negationẽ actualis & aptitudinalis communicationis, sed etiã potentialis, quandoquidem repugnet naturam diuinã non esse personatã personalitate omni diuina: sed personalitas creata non inuoluit negationẽ potentialis communicationis sic, vt naturæ ea affectæ specificatiuè loquendo, repugnet carere ista personalitate, vt patet ex mysterio Incarnationis. Sed quotiescumq; negatio aliqua nõ potest vllo modo separari à subiecto, debet præsupponere aliquid positiuum, ratione cuius debet necessario cõuenire subiecto, vt patet: illud autem positiuũ per quod necessario ineſt negatio communicabilitatis, debet necessario esse incommunicabile: ergo omnis natura, quæ necessario habet negationem communicabilitatis, debet necessario habere aliquod positiuum incõ municabile. Quia ergo natura diuina necessario habet negationẽ omnem, quam habet, quatenus personatur, propterea debet habere aliquod positiuũ, ratione cuius debeat illã habere, & illud positiuum est personalitas: quoniã autem ex altera parte natura singularis creata non habet necessario omnem negationem, quam habet à propria personalitate, propterea non debet habere aliquid positiuum, quo mediante debeat habere illam negationem, nec consequenter personalitas ipsius debet consistere in positiuo.

117 *Et per hoc patet ad aliam obiectionem*, qua vtitur *Fonseca*; suppositum est incommunicabile; ergo ab aliquo positiuo, & consequenter persona constituitur per aliquid positiuum.

*Respondetur* enim non omne incommunicabile debere habere positiuum distinctum à natura singulari, quæ etiam aliquo modo dicitur incommunicabilis, sed solum illud incommunicabile, cuius natura necessario afficitur ista incommunicabilitate, & non ex ratione ipsius naturæ singularis. Ad quod addendum quod *Fonseca* non intellexerit discursum *Scoti*, aut disparitatem, quam assignat inter personam diuinam, & humanam; non enim posuit *Scotus* disparitatem in hoc, quod persona diuina esset incommunicabilis, humana vero non sit, cum in *dist. 5. quæstione secunda*, expressè doceat personam humanam esse incommunicabilem, & id sit euidens in ipsius sententia: sed in hoc posuit disparitatem, quod natura diuina esset necessario incommunicabilis omni incommunicabilitate necessario sequente ad personalitatem eius; natura vero creata non sit necessario incommunicabilis omni incommunicabilitate sequente ad suam personalitatem creatam.

118 *Per idem patet ad sextam obiectionem*, qua posset quis ad hominem contra *Scotum* vti, quia, scilicet ipse ex incommunicabilitate naturæ singularis probat singularitatem esse quid positiuum: ergo si natura personata sit incommunicabilis, personalitas est quid positiuum.

*Respondetur* ex dictis negando consequentiam, quia natura singularis ita est incommunicabilis, vt non possit eadem numero positiuè natura communicari communicatione opposita incommunicabilitati illi: natura vero personata eadem numero, specificatiuè loquendo, non est ita incommunicabilis, quin possit communicari communicatione opposita isti incommunicationi.

*Denique per idem patet ad septimam* de ingenito, quo vtitur *Lychetus*, nimirum secundum *Scotum*, *ingenitum*, vt dicitur de Patre formaliter, non dicit per se primo negationem: ergo nec natura incommunicabilis.

*Respondeo*, negãdo cõsequentiã, quia Pater, de quo dicitur quod sit ingenitus, ita est ingenitus, vt nõ possit perdere negationẽ illã, quam importat *ingenitũ*, vnde debet habere aliquod positiuũ, ad quod sequetur ista negatio.

119 *Obiicies octauo* ex *Caietano*; Persona Verbi supplet personalitatem creatam, ac defectum eius respectu humanitatis; sed non supplet nihil; negatio autem est nihil; ergo personalitas non est negatio.

*Confirmatur* ex *Suario*, quia Patres & Concilia dicũt personam verbi consumpsisse personã seu personalitatẽ humanitatis assumptæ: sed hæc locutio non esset bona, si consisteret personalitas propria in negatiuo.

*Respondetur*, eatenus Verbum aut personalitatẽ eius supplere personalitatem propriã creatam, quatenus natura coniuncta Verbo potest exercere omnia sua munera absq; dependentia ab vllo alio, quàm à Verbi personalitate: non vero debet, aut potest dici, quod suppleat defectũ personalitatis propriæ, quatenus præstaret naturæ totũ, quod præstaret personalitas propria: vt patet ex eo quod, siue personalitas propria cõstituatur in positiuo, siue in negatiuo, secundum omnes tribuat naturæ nõ esse coniunctam per se cum aliquo supposito alieno, seu suppositalitate extrinseca positiua; & secundũ *Lugo* facit ipsam esse subsistentem in se, & est ratio formalis, ob quã sustentat se: at euidens est personalitatem diuinã hoc ipsi non tribuere. Vnde patet argumentũ hoc, si bene explicetur, & intelligatur, nullam prorsus habere difficultatem, quamuis aduersarij illum magni faciant. Quomodo suppleat personalitas Verbi personalitatem creatam.

120 *Itaque in forma respondeo*, distinguendo maiorem; supplet Verbum personalitatem propriam, & defectum eius, quatenus natura vnita Verbo est tã proximè potẽs exercere sua munia omnia, quàm esset, si haberet personalitatem propriam, concedo; quatenus totum illud haberet à personalitate Verbi, quod haberet à personalitate propria, nego maiorẽ. Distinguo etiam minorẽ; sed non supplet nihil, vt nihil opponitur omni reali, tã positiuo, quam negatiuo, quod datur, aut dari potest à parte rei independenter ab operationibus potentiarum potentium facere ens rationis, cõcedo; nec negatio, in qua consistit personalitas propria, est tale *nihil*: non supplet *nihil*, prout *nihil*, dicitur omne negatiuum reale independens ab operatione intellectus, nego minorem. Supplet enim huiusmodi *nihil*, quia quemadmodum natura non esset proximè potens operari omnes suas operationes, nisi haberet huiusmodi negationem, aut aliquid aliud, per quod tollitur solummodo ista negatio: est autem proximè potens exercere suas operationes, quando habet talem negationem: ita etiam est proximè potens operari omnes suas operationes (loquor semper quantum est ex parte naturæ) quando habet personalitatem alienam Verbi, per quam tollitur ab ipsa negatio, in qua consistebat propria personalitas.

*Ad confirmationem*, quæ minoris est momenti, *respondeo* negando minorem: quia sensus est, quod impediebat personalitas Verbi resultantiam personalitatis propriæ: hoc autem tam verum est, si personalitas propria sit negatio, quam si esset quid positiuum. Quomodo personalitas Verbi consumpsit propriam.

121 *Obiicies nonò ex Caietano*: si dimitteretur natura humana Christi, afficereturq; personalitate propria, esset alia persona à Verbo; ergo & alia substantia, & consequenter persona propria superaddit naturæ substãtiam.

*Respondetur* negando secundam consequentiam, quia haberet esse alia persona, & alia substantia ab illa negatione, tanquam à ratione constitutiua formali istius alterius personæ humanæ, aut tanquam à conditione sine qua non diceretur natura humana alia substantia à Verbo: quia quandoquidem sine illa negatione deberet esse coniuncta Verbo, & eo ipso quo esset coniuncta ipsi, non esset alia, propriè loquendo, à Verbo, ista negatio coniunctionis est conditio necessario requisita, vt alia dicatur; vnde non requiritur, vt dicatur alia substantia, quod superaddatur aliquid substantiale.

*Confirmatur*, quia secundum *Caietanum* posset natura humana Christi esse dimissa absque vlla suppositalitate. In tali casu quæro, vtrum esset alia substantia à Christo? si dicatur quod sic, ergo corruit totaliter hæc obiectio Caietani, quandoquidem in tali casu non superadderetur ipsi aliquid substantiale. Si dicas quod non; contra est, quod non sit eadem substantia cum Verbo, sed realiter ab ipso distincta, & non vnita ipsi; ergo est alia substantia ab illo, vt manifestum est. Natura dimissa esset alia substãtia à Verbo sine aliquo positiuo superaddito.

*Confirmatur secundo*, quia aqua vnita alteri aquæ non dicitur alia aqua ab illa, aut aliud suppositum: sed separata vnione eius præcisè absque superadditione alicuius positiui, diceretur alia aqua, & aliud suppositum; ergo

ergo ex eo quod separata natura humana à Verbo diceretur alia natura, & aliud suppositum, non sequitur quod tum reciperet aliquod positiuum.

122 *Obiicies decimò ex Fonseca.* De fide est, Verbum assumpsisse naturam humanam, non vero hominem, id est personam humanam: sed secundum *Scotum* ratio huius pronunciati esset, quod assumpserit naturam humanam, non verò negationes eius; *quæ ratio*, inquit Fonseca, *indigna videtur, quæ à Theologo afferatur.* Hac eadem in re obiectione vtuntur *Suarez*, *Hurtadus*, *Auersa*, *Lugo*, asserentes in nostra sententia ridiculas, & ineptas fore definitiones Patrum, & Conciliorum, quibus definitur naturam, non personam assumi, illasque habituras sensum ineptum, & ridiculum, aut saltem vt aliquantulum mitius procedit *Lorca*, sequeretur quod non verificaretur assumptio naturæ, & nō personæ in ea proprietate, in qua Patres loquūtur in prædictis definitionibus.

*Ratio autem* omnium harum censurarum est, quod sensus istarum definitionum esset, naturam humanam, vt inquit *Lugo*, assumptam à Verbo non mansisse per se existentem sine vnione ad Verbum: quod adeo clarum est, vt ridiculum, & indignum omnino esset, quod ab Ecclesia vniuersali vt fidei dogma definiretur.

*Confirmatur primò ex Hurtado*, quia Patres non arguebant Nestorium contradictionis, quando asserebat, personam humanam assumptam fuisse; quod tamen in nostra sententia facile fuisset, & esset efficacissimum medium ad eum conuincendum: ergo signum est, quod non senserunt Patres personam constitui per negationē.

*Confirmatur secundo à Suare*, & *Lugo* quia si ex eo præcise natura humana amittit propriam personalitatem, quia vnitur Verbo, & quia per hoc amittit esse per se, & esse sine alio; ergo etiam Verbum eo ipso, quod vniatur humanitati, amittit propriam personalitatem, & non erit per se.

Definitiones Conciliorū de assumptione naturæ humanæ non hominis nō sunt ridiculæ in sententia Scoti.

123 *Respondetur* concedendo maiorem, & minorem; negando verò quòd illa ratio esset indigna Theologo, & dicendo quod censura tam Fonsecæ, quàm illorum aliorum authorum sit potius indigna, inepta & ridicula, quàm aut definitio, aut locutio illa Conciliorum, ac Patrum in sententia Scoti, aut ipsamet sententia Scoti.

Quod, vt clarissimè intelligatur, *aduertendum*, Concilia, & Patres definiuisse humanitatem, non vero personā humanam assumptam fuisse à Verbo, contra hæreticos, qui concedebant in Christo duas personas; vnde si definitio illa habeat sensum oppositum sensui hæreticorum, etiam in sententia Scoti, tantum abest, vt sit censenda ridicula, inepta, impropria, aut nugatoria, vt potius propria, congrua, & optima, ac necessaria sit iudicanda: sed habet directissime in sententia Scoti sensum oppositum sensui hæreticorum: ergo &c.

Probatur minor, quia dum hæretici dicebant, duas personas fuisse in Christo, non dicebant tantum humanitatem fuisse quomodocumque assumptam, sed ita assumptam, vt tamen habuerit personalitatem propriam, & consequenter, ita vt non caruerit negatione vnionis per se cum Verbo diuino.

Quando autem Patres declararent humanitatē assumptam esse taliter, vt ista humanitas nō haberet negationem vnionis per se cum Verbo, sed potius assumptionē humanitatis fuisse assumptionem, & vnionem per se, ac propterea talem, cum qua non posset talis negatio, nec consequenter propria personalitas consistere, certum est quod contradictorium directe dicerent sententiæ istorū hæreticorum; ergo quamuis personalitas consisteret in negatione, vt asserit Scotus, quando tamen dicūt Patres humanitatem assumptam, & non hominem, seu personam humanam, dicunt directe oppositum istius, quod dicebant hæretici, & consequenter non impropriè, nec ridiculè, aut ineptè loquuntur, etiā iuxta sententiā Scoti.

124 *Confirmatur*: dupliciter posset intelligi, quod humanitas Christi esset assumpta, *vno modo* per se mediante vnione physica, & reali; *alio modo* per accidens mediante vnione accidentali tantum.

Si autem *secundo modo* assumeretur, non solum verum esset, quod humanitas assumeretur, sed etiam quod assumeretur persona, & consequenter quod in Christo essent duæ personæ.

Si *primo modo* assumeretur, sola humanitas, non vero persona humana assumeretur, & consequenter in Christo esset vna tantum persona. Licet autem habeatur ex Scriptura, quòd humanitas sit assumpta à Verbo, tamen non vsque adeo expressè habetur ante definitiones Patrum & Conciliorum quomodo sit assumpta, an primo modo mediante vnione per se: an vero secundo modo mediante vnione per accidens: non, inquam, vsque adeo expressè habetur in Scriptura, quomodo fuit assumpta; quin Hæretici de facto explicauerint Scripturas (licet male) de secundo, non de primo modo assumptionis. Itaque Concilia & Patres, vt tollerent hanc dubitationē, & opprimerent Hæreticos dicentes Personā assumptā fuisse à Verbo; statuendo oppositum; nempe naturam, non personam fuisse assumptam, quamuis persona diceret solam negationem formaliter, optimè declarauerūt assumptionem fuisse factam primo modo; quia si fuisset facta assumptio secundo modo, non solum humanitas, vt dixi; sed etiam personalitas humana esset assumpta.

125 *Confirmatur præterea*: si ista propositio definita à Patribus & Conciliis: *Humanitas assumpta est, non persona*: in sententia *Scoti* esset ridicula, aut inepta, vel hoc ideo esset, quia superflue adderetur illud, *non persona*; vel quia tam clarum esset, quod persona non esset assumpta, supposita assumptione humanitatis, vt ridiculum esset illud addere, cum nemo posset de eo dubitare: sed neutrum horum esset verum: ergo in sententia *Scoti* illa definitio non esset falsa, nec inepta.

Probatur minor, quia posset humanitas esse assumpta, quamuis non esset assumptus homo, & posset aliquis credere de fide, quod humanitas esset assumpta, ex eo scilicet quod illa propositio expressè haberetur in Scriptura, & dubitare tamen, ac prorsus nescire, an homo esset assumptus; etiam supposito quod homo supra humanitatem nihil diceret præter negationem assumptionis; quandoquidem, vt dixi; non omnis assumptio humanitatis esset incompatibilis cum ista negatione, sed solum assumptio particularis talis, quæ fieret mediante vnione per se physica.

126 *Ad primam confirmationem obiectionis respondeo*, Patres non potuisse arguere Nestorium contradictionis, quia non asserebat ipse personam vniti per se, sed per accidens: persona autem non dicit negationem communicationis accidentalis, vt patet. Adde, etiam aduersarios ad hoc respondere debere, quia secundum ipsos, ad personalitatem sequitur saltem negatio communicationis: cur ergo non arguebant Nestorium contradictionis?

*Ad secundam confirmationem*, quæ mihi parui momenti videtur.

*Respondeo* negando sequelam; nam sicut si vniretur persona humana, non destrueretur personalitas humana, sed potius deberet remanere, quandoquidem vniretur; ita etiamsi vniatur persona diuina, non debet perdi personalitas diuina, sed potius debet manere.

*Deinde*, quemadmodum ex vnione humanitatis ad Verbum diuinum tollitur personalitas illa positiua, nec tamen ex vnione eadem tollitur personalitas Verbi, cur similiter ex illa vnione non tolleretur personalitas creata negatiua, quamuis non tolleretur diuina?

*Rursus*, ratio cur tollatur personalitas creata ob illam vnionem, est, vel quia dicit formaliter solummodo negationem vnionis ad personalitatem extrinsecam, vt nos tenemus; vel quia dicit positiuum, ad quod sequitur talis negatio, vt tenent aduersarij: personalitas autem diuina non dicit negationem communicationis cum natura creata, vt est de fide, sed negationem communicationis cum alia personalitate; vnde ob vnionem, & communicationem cum natura non debet tolli, vt manifestū est.

127 *Obiicies vndecimo ex eodem Fonseca*: suppositum in creatis est perfectius natura singulari: ergo superaddit aliquid positiuum.

*Respondeo primo* negando consequentiam, quia cum

negatione potest aliquid habere perfectius esse, formaliter loquendo, quam sine illa haberet, quando negatio est negatio alicuius imperfectionis, vt sit in proposito; & quando negatio est conditio necessario requisita, vt habeat res omnes suas operationes connaturales.

Quomodo suppositum est perfectius natura singulari.

*Respondeo secundo*, distinguendo antecedens: suppositum formaliter cõsideratum est perfectius, quàm natura singularis cõpleta, nego antecedens: est perfectius præsuppositiuè aliquibus naturis singularibus, cõcedo antecedens, & nego consequentiam. Itaque suppositum potest comparari ad naturas singulares incompletas, & ad naturas completas: si comparetur ad incompletas, tum formaliter consideratũ, vt dicit negationem actualis, & aptitudinalis communicationis, est præsuppositiuè perfectius, quam naturæ incompletæ, quia istæ negationes præsupponunt naturam completam: & sine dubio perfectius est alicui habere negationes præsupponẽtes perfectionem, quam eas non habere. Si vero cõparetur ad naturas singulariter completas, non est necessarium vt omne suppositũ formaliter loquẽdo, sit perfectius ipsis.

Dico autem *omne suppositum*, quia suppositum Christi, etiam quatenus homo, est perfectius sine dubio, quam vlla natura creata, quantumuis singulariter completa. Posset etiam suppositum dici perfectius natura quacumque completa singulariter vt sic, quatenus non posset esse vlla natura proximè disposita ad suas operationes absque suppositalitate aliqua, & quatenus non potest natura vlla singularis intelligi, vt completa, quin intelligatur suppositata.

128 *Obiicies duodecimo ex Suario*: si suppositum solum diceret negationem supra id, quod dicit natura singularis suppositata, sequeretur quod quemadmodum potest dici, quod aër tenebrosus possit illuminari, ita etiam posset dici, quod suppositum posset communicari: sed consequens est contra omnes Theologos, & ipsam definitionem suppositi; ergo & antecedens.

Probatur sequela, quia ideo dici potest aërem tenebrosum posse illuminari, quia nihil dicit aër tenebrosus supra aërem, præter negationem luminis: ergo si nihil dicit suppositum supra naturam, præter negationem communicationis, poterit tam bene dici, quod suppositum possit communicari.

Cur non posset dici quòd suppositum possit assumi, sicut aër tenebrosus potest illuminari.

*Huius rationis nullam vim prorsus esse* optimè aduertit *Vasquez* & *respondetur* breuiter negando sequelam: & ratio disparitatis est, quod nomen *suppositum* significet per se primo ipsam negationem communicationis; vnde quia implicat naturam cum negatione communicationis posse assumi, implicat etiam suppositum posse assumi: aër vero tenebrosus in sensu specificatiuo, in quo solo verum est quod possit illuminari, non significat per se primò negationem luminis, sed aërem, qui habet istam negationem; & quia ille aër potest recipere non minus lumen quàm tenebras, propterea optimè dici potest illum aërem posse illuminari.

Ad probationem autem sequelæ dico, quod non ideo præcisè potest dici aërem tenebrosum posse illuminari, quia dicit negationem tantum luminis, sed quia nõ dicit per se primò illam negationem, aut, vt clarius dicã, quia iste terminus complexus, *aër tenebrosus*, non solum patitur sensum reduplicatiuum, & compositum, sed sensum specificatiuum. Terminus autem *suppositum*, ita significat naturam affectam negatione, vt non admittat sensum specificatiuum, propriè loquendo, quemadmodum patitur terminus complexus *natura suppositata*: vnde nequit dici quod possit suppositum communicari: licet possit dici, quod natura suppositata posset communicari.

129 *Confirmatur hæc responsio*, quia non magis potest dici, quod aër tenebrosus possit illuminari, quàm quod paries niger possit dealbari, & tamen paries niger non solum dicit negationem albedinis, sed aliquid positiuum oppositum ipsi, vt certum est apud omnes. Ex hac ergo doctrina duo infero in confirmationem nostræ responsionis, & infirmationem totalem obiectionis.

*Primum* infero, quod ratio, cur possit dici aërem tenebrosum posse illuminari, non sit, quod aër tenebrosus dicat solum negationem luminis, supra id, quod dicit aër ipse. Quod etiam vlterius confirmo efficaciter, quia si aër tenebrosus diceret aliquid positiuum, ad quod sequeretur negatio luminis, sicut paries niger dicit aliquid positiuum, ad quod sequitur negatio albedinis; non minus posset dici eum posse illuminari, sicut dicitur quod paries niger posset dealbari.

*Secundum* infero, quod quemadmodum paries niger dicitur dealbari posse, quamuis dicat positiuum, ad quod sequitur negatio luminis; ita etiã poterit dici, quod suppositum possit communicari, quamuis suppositum diceret aliquid positiuum, ad quod sequitur negatio cõmunicationis; nisi alio modo suppositum significet suum positiuum, quàm paries niger significet suã nigredinem.

*Quod si dicatur*: alio modo suppositum significare suum positiuum, & propterea non valere locutionem, *similiter* possumus nos dicere, quod alio modo significet suum negatiuum, quam aër tenebrosus, & consequenter quod ratione istius diuersi modi significandi non possit dici quod aër tenebrosus possit illuminari.

*Confirmatur vlterius*: siue suppositum dicat negatiuũ, siue positiuum, formaliter loquendo, alium modum significandi habet quam natura suppositata; & diuersitas consistit in hoc, quod suppositum significet naturam suppositatam in sensu composito solummodo, natura verò suppositata significare possit naturam suppositatam in sensu specificatiuo, & diuiso: sed ex hac differentia significandi sequitur manifestè non posse dici, quod suppositum sit communicabile, siue dicat formaliter negatiuum, siue positiuum: vnde sequitur vlterius argumentum esse nullius momenti, & æquè retorqueri posse contra aduersarios, ac contra nos.

130 *Obiicit decimotertio Vasquez*: Si natura non haberet aliquid positiuum à se distinctum, à quo haberet negationem aptitudinis ad communicationem (quam negationem *Scotus* asserit esse de ratione suppositi) sequeretur quod nunquam esset personata personalitate propria: sed hoc est falsum, vt patet: ergo suppositum debet inuoluere aliquod positiuum, à quo habeat ineptitudinem ad communicationem.

Probatur sequela, quia natura ex se semper habet aptitudinem, vt communicetur, etiam quando est suppositata propria suppositalitate, quia tum potest augeri vnitis partibus.

Ego certè vix intelligo vim huius obiectionis ita, vt sit ad propositum.

*Respondeo* tamen negando sequelam, & ad probationem dico, quod si natura, quando est affecta propria suppositalitate negatiua, habeat aptitudinẽ vt communicetur, eodem modo habebit aptitudinem similem, quãdo afficitur propria personalitate positiua: & vtrumq; æque probatur ratione *Vasquis*: nam Petrus infans, verbi gratia, etiam si dicamus ipsum suppositari modo positiuo, sine dubio potest communicari partibus ipsi vnibilibus, quibus augetur, tã bene quàm si suppositaretur negatione; ergo vel illa aptitudo nõ est aptitudo, cuius negationẽ dicit suppositalitas, vel est illa aptitudo: si non est illa aptitudo: ergo non obstante illa, natura Petri posset esse suppositata propria suppositalitate includente negationẽ aptitudinis, & sic probatio *Vasquis* non est ad rem: si est illa aptitudo, ergo qua ratione ea non obstante potest natura esse suppositata suppositalitate positiua, poterit etiam negatiua; & sic etiam argumentum *Vasquis* non magis facit contra nos, quàm contra ipsummet.

131 *Quod si dicat Vasquez*, ipsam naturam ex se non esse ineptam, sed reddi ineptam per suppositalitatem, ita vt simul cũ suppositalitate non possit esse apta ad communicationem; idem nos dicemus. Et si insisterit vlterius, quandoquidem natura ex se sit apta ad communicationem, non posse ab ea pullulare negationem aptitudinis; ergo similiter etiam nos poterimus inferre contra ipsum, quòd non possit sequi ad naturam iste modus positiuus, ad quem sequitur ista negatio; neque enim magis difficile, aut impossibile est vnum quàm alterum.

Itaque vt dixi, non video quomodo hæc obiectio

sit

sit ad propositum magis contra nos, quàm contra ipsum *Vasquem*.

In rei autem veritate quomodo possit stare cum personalitate naturæ aptitudo ad communicationem cum aliis partibus integrantibus, postea declarabimus.

*Dices:* quidquid sit de illa communicabilitate ad partes integrantes, saltem natura, quæ personatur, non potest habere aptitudinem, vt communicetur personæ extrinsecæ: sed videtur, quod natura humana habeat aptitudinem, vt communicetur Verbo, quia perficitur à Verbo. Nec refert quod perfectio, quam dat Verbum ipsi, sit perfectio supernaturalis, quia secundum *Scotistas* communiter reperitur aptitudo, & inclinatio naturalis in natura ad perfectiones supernaturales, vnde mouetur ad illas motu naturali, vt motus naturalis opponitur motui violento, & motui neutri.

*Respondeo*, iuxta dicta supra *n.*70. aptitudinẽ, cuius dicit negationẽ natura personata, esse aptitudinẽ non ad qualemcumque perfectionem, quam posset recipere, & ad quam etiã diceret naturalem inclinationem, sed aptitudinẽ ad perfectionem connaturaliter sibi debitã. Modo certum est, quod perfectio, quam communicat persona diuina naturæ assumptæ, non sit ipsi cõnaturaliter debita, nisi multò minus, quàm aliæ perfectiones supernaturales, fidei verbi gratia, spei, & charitatis; quæ quamuis sint iuxta inclinationem naturæ in nostris principiis, nõ sunt tamen connaturaliter ipsi debita: sed de hoc postea.

133 *Obiicit decimoquarto Vasquez*, & cum eo *Auersa*: secundum *Scotum* persona creata potest assumere naturam creatam alienam, verbi gratia Petrus potest assumere naturam creatam Ioannis: sed hoc fieri non potest, si persona creata non diceret formaliter aliquid positiuũ: ergo dicit aliquid tale etiam in sententia *Scoti*, qui consequenter non videtur sibi satis constans in hac re.

Probatur minor, quia persona creata non potest assumere alienam naturam, nisi terminãdo, quatenus persona est, vnionem istius alterius naturæ sic, vt illa vnio fundata in natura assumpta, immediatè terminetur ad personalitatem personæ assumentis: sed negatio non potest esse terminus immediatus relationis realis; ergo persona creata, si personalitas consistat in negatiuo, nequit assumere naturam alienam.

An persona humana posset assumere aliã naturam.

*Responderi posset primò* quod *Scotus*, vt aduertit *Lorca*, & patet ex ipso textu *dist.*1. *quæst.*4. vbi hanc rem tractat, non dixerit absolutè personam creatam posse assumere alienam naturam, sed in hoc dubius manſit.

*Verum contra* hoc facit, quòd non poterat nec dubius quidem manere, si personalitas esset quid negatiuum, quemadmodum videtur certum, quòd vnio realis non possit terminari ad negationem.

*Melius ergo, & meo iudicio magis litteraliter respondetur*, quod *Scotus* nõ manserit dubius ex suppositione suæ sententiæ de constitutione personæ per negationem, sed ex suppositione sententiæ communioris de constitutione personæ creatæ per positiuum quid.

*Confirmor* in hac expositione, quia non tangit *Doctor* vllo modo difficultatem hanc; quæ est in assumptione naturæ alienæ per personam creatam constitutam per negationem, quæ tamen erat obuia, & maximè omnium concludit istam inassumptibilitatem; sed certè si proponeret difficultatem in illo sensu, non est credibile, quin illam proponeret: ergo non proposuit, nec resoluit difficultatem in illo sensu, sed in hypothesi communis sententiæ statuentis personalitatem creatam in positiuo: in qua adhuc sententia res prorsus est dubia; quamuis pars affirmatiua, in quam ipse magis inclinat, nimirum quod possit persona creata assumere alienam naturam, sit multo facilior & probabilior; quandoquidem reuera non potest assignari vlla repugnantia, vt facile esset ostendere soluendo repugnantias, quas, qui tenent oppositum, adducunt, si ad hunc locum spectaret.

134 *Quod si quæras*, cur non resoluerit *Doctor* illam quæstionem in sententia sua propria? *Respondeo* mihi videri id eum ideo fecisse, quod existimarit nõ fuisse locum controuersiæ, cum clarissimum sit personam constitutã per negationem non posse assumere aliquam aliam naturam; quod satis bene probatum est in obiectione, quæ propterea valet contra *Scotistas* tenentes personam, etiam constitutam per negationem, posse assumere alienam naturam; non verò contra me, qui id prorsus nego.

*Scholiastes* quidem in illa *quæst.*4. *scholio secundo*, ex *Bassolo* & *Lycheto* assignat, quomodo possit ita vniri natura aliena, & suppositum creatum, vt natura suppositi potius assumeret alterã naturam assumptam, quàm altera natura ipsam; quia scilicet Deus produceret in natura illa, quæ diceretur assumpta, realẽ relationem terminati, cui in altera natura corresponderet relatio rationis terminantis. *Verũ* non ostẽdit quomodo possit relatio realis terminati habere pro termino immediato negationẽ.

135 *Lychetus* autem ipse dicit, non terminandam illã relationem ad personalitatẽ, sed ad ipsam naturam, quæ personatur. *Sed sic non satisfit difficultati*; nam quæro vtrum persona creata, quà persona formaliter, possit assumere immediatè naturam aliam? Si non, habeo intentum: si sic, ergo vnio naturæ assumptæ debet terminari immediatè ad ipsam personalitatem creatam, & sic responsio *Lycheti* non facit ad rem. *Deinde*, duæ naturæ non possunt immediatè vniri, vt sic, vnione per se, secundum communiorem sententiam, quandoquidem secundum omnes non habent aliam suppositalitatem præter vltimã incommunicabilem, vt secundum aliquos habet natura diuina. Omitto plura alia inconuenientia, quę instari possent contra hanc sententiam pro illamet *qu.*4.

136 *Faber* super quæstionem primam *disp.*1. *c.*5. *n.*41. dicit, terminum materialem vnionis, quæ fieret inter naturam alienam, & personalitatem creatam, esse naturam singularem istius personæ assumentis; terminum verò formalem esse istas negationes, quibus fieret persona: & dat exemplum huius in materia prima, quæ est subiectum materiale formæ substantialis, & habet esse subiectum formale per priuationem formæ.

*Verum hæc doctrina* nullo modo placet. *Primò*, quia negatio non potest esse ratio formalis terminandi relationem realem, quamuis posset esse conditio necessario requisita ad ipsam: nec oppositum probat exemplum de materia prima, quæ malè dicitur constitui subiectum formale formæ per priuationem, quandoquidem sit subiectũ formæ semper, quamdiu informatur à forma; nec tamen tandiu manet sub priuatione, quæ incompatibilis est cum forma, & quæ propterea communiter dicitur esse principium corporum naturalium in fieri, non verò in facto esse. *Secundò* quia terminus immediatus, cum quo immediatè coniungitur natura assumpta per vnionem hypostaticam, est ipsa personalitas secundum omnes, neque ad illam assumptionem se habet natura, nisi merè per accidens, aut remotè, ac materialiter.

137 *Obiicitur decimoquintò*: sequeretur, quòd potius deprimeretur natura humana per vnionem hypostaticam, quàm eleuaretur: sed hoc est absurdum; ergo &c.

Probatur sequela: sine vnione illa non haberet dependentiam ab vlla suppositalitate; posita autem vnione habet dependentiam à suppositalitate diuina: sed magis deprimitur natura per dependentiam, quàm sine dependentia; ergo &c.

Quomodo non deprimitur natura per vnionem hypostaticam.

*Respondeo* negando sequelam: ad cuius probationem.

*Dico primo*, quod sine vnione natura haberet dependentiam à propria personalitate, tanquam à posteriori naturaliter, & necessariò sequente ad ipsam, nisi per vnionem impediretur.

*Nec refert*, quòd personalitas propria sit negatio, quia licet non possit aliquid dependere à negatione tanquam ab alio priori influente in ipsum, potest tamen optimè ab ipsa dependere tanquam à posteriori, sine qua scilicet connaturaliter nequit esse, & sic dependet homo à negatione brutalitatis.

*Dico secundò*, distingui posse minorem probationis; quando ad illam dependentiam sequeretur maior perfectio ipsius, quàm si eâ careret, nego minorem; quando non sequeretur, concedo minorem. In proposito autẽ ad dependẽtiam naturæ ad Verbũ sequitur maior perfectio eius,

eius, vt est euidens, quandoquidem ad illam vnionem sequatur in ipsa, exigentia quædam connati talis multarum perfectionum & gratiarum, quas alias non haberet, nec ita exigeret, nisi haberet illam dependentiam.

138 *Obiicitur decimosexto:* sequeretur quod natura de facto fuisset personata propria personalitate, antequam fuit vnita: sed consequens est contra omnes Theologos; ergo & antecedens.

Probatur sequela, quia ipsa natura est prius producta, non quidem prioritate temporis, sed prioritate naturæ, quam fuit producta vnio hypostatica in ipsa: sed in illo priori habuit negationem actualis & aptitudinalis communicationis; ergo fuit personata personalitate propria, si personalitas propria consistit in illis negationibus.

Quomodo natura non fuit personata de facto ante vnioné.

*Respondeo* negando sequelam, & distinguendo minorem suæ probationis; negatiue, seu permissiuè transeat; positiuè, nego minorem. Ad quod intelligendũ aduerte, illa dici conuenire alicui positiuè pro prioritate naturę, quæ possunt verificari de ipso pro instanti tẽporis reali: illa verò dicũtur negatiuè seu permissiuè cõpetere; quorum oppositum non potest pro illo priori ipsi cõpetere, quamuis nec ipsamet competant ipsi pro instanti vllo temporis, sed cõpeterẽt tamen, nisi ab extrinseco poneretur impedimentum. Sic aptitudo ad formam cõpetit positiuè prius materiæ primæ, quàm ipsa vnio ad formã, quia scilicet posset esse materia cum aptitudine sine forma, & quia pro quocumque instanti tẽporis, pro quo est materia, est ista aptitudo. Non esse verò realiter existens cõpetit prius materiæ negatiuè, quàm esse realiter existens, quia materia, quantum est ex se, non haberet realiter existere, & quia pro nullo instanti reali temporis potest verificari de materia existente, quod non existat.

Itaque in proposito, quia pro primo instanti tẽporis, quo verum est dicere de natura, quod existat, etiã verum est de illa dicere quod sit vnita; propterea nunquam potest de illa verificari, quod non sit vnita; & consequenter negatio vnionis non potest positiue ipsi competere, etiam pro instanti illo naturæ, quo prior est natura, quàm vnio; sed ad summum negatiuè tantum ipsi conuenit, quatenus scilicet non competit ipsi pro illo priori ipsamet vnio, & quatenus negatio ipsius ex se competeret ipsi pro temporis primo instanti, nisi causa extrinseca poneret vnionem impedientem eius resultantiam.

139 *Obiicitur decimoseptimo, & præcipuè ex Suare, Lorca, Lugo, & aliis:* Natura humana assumpta facit vnum per se positiue cum Verbo diuino: sed hoc esset falsum in nostra sententia: ergo illa etiam est falsa.

Probatur sequela, quia si natura humana non haberet aliquid positiuum pro personalitate propria, tum esset substantialiter completa ex se positiue, nec careret aliquo complemento positiuo: sed natura non carens aliquo complemento substantiali positiuo per se nequit facere vnum per se cum vllo positiuo, quod ipsi superaddi possit; ergo natura humana in nostra sententia, non posset facere vnum per se cum persona Verbi.

An natura singularis faciat vnũ per se cũ personalitate.

*Responderi posset* iuxta aliquos negando maiorem, *primò*, quia quandoquidem natura singularis, vt talis, dicat formaliter negationem secundum plurimos, & consequenter sit vnum per accidens, non videtur quomodo possit facere vnum per se cum vllo alio aut positiuo, aut negatiuo in eorum sententia.

*Secundò*, quia vt in nostra sententia non potest natura singularis facere vnum per se positiue cum propria personalitate, ita non videtur quod debeat facere vnum per se positiue cum personalitate Verbi.

140 *Tertiò*, quia ex locutionibus Patrum & Conciliorum non habetur, quod faciat vnũ per se cum Verbo in sensu huius obiectionis: nam quamuis definiatur cõtra Nestoriũ, quod non vniatur per accidens homo cum Verbo, ista tamen vnio per accidens intelligenda est in sensu Nestorij, qui intelligebat hominem non fuisse vnitum Verbo vnione aliqua physica, sed potius vnione morali secundum affectum, aut gratiam, aut dignitatem; contra quod definitur à Conciliis, quod natura humana sit per se vnita, vnione scilicet reali, & physica, ac tali, qua stante natura humana non possit esse physicè præsens, vbi non sit Verbum præsens physicæ, non solum ex eo quod Verbum sit ex se necessariò vbique, sed etiam, quamuis per impossibile non esset vbique; & quod non sit vnita per accidens ipsi, hoc est vnione morali secundum affectum, aut gratiam; quæ sententia videtur esse, *Damasceni lib. 3. de fide c. 3. Substantialem enim*, inquit, *dicimus vnionem scilicet veram, & non secundum phantasiam, substantialem autem, non vt duabus naturis perficientibus vnam compositam naturam.* Quamuis etiam dicant vnionem hypostaticam naturæ humanæ esse substantialem, tamen non sequitur propterea, quod ad eam sequatur vnum per se, sicut non sequitur in sententia Scotistarum ex eo, quod per transubstantiationem ponatur Christus sub speciebus panis, quod per eam producatur aliqua substantia.

141 *Quartò*, quia secundum plures ex aduersariis natura humana posset existere absque personalitate vlla positiua, de potentia absoluta, & in tali casu haberet omnes operationes sibi connaturales; sed nunquam potest facere aliquid vnum per se cum alio, quin indigeat ipso in ordine ad aliquam operationem naturalem, quam aliàs non posset habere; ergo secundum illos natura humana non facit vnum per se cum propria personalitate, nec consequenter cum diuina.

*Quintò*, quia videtur esse contra perfectionem personalitatis diuinæ posse facere vnum per se cum aliquo creato; quamuis enim non sit contra perfectionẽ ipsius vniri formaliter naturæ creatæ vnione physica & reali subiectata in natura, & terminata ad Verbum; tamen ad vnionem per se plus requiritur, quàm huiusmodi vnio; nam substantia & accidens vniuntur realiter & physicè, non verò vniuntur per se, ita vt faciant vnum per se, vt patet; illud verò quod vnio per se, ad quam sequitur vnum per se, importat supra vnionem, realem & physicam, vix potest explicari, quin reperiatur esse inconueniens, quod Verbo diuino competat, aut possit cõpetere.

142 *Contra hanc responsionem in primis facit*, quòd nullos, quòd sciam, habeat authores ex iis, quorum opera impressa sunt.

*Secundò* quod male sonet, naturam assumptam non facere vnum per se cum assumente persona; quam rationem insinuat Doctor 3. *dist. 6. q. 1. n. 9.* Vt autem exactè vel confutaretur vel confirmaretur, oporteret ostendere, quid sit aliqua duo facere vnum per se; quod exigeret longiorem discursum, cui mihi iam vacat indulgere.

Ad propositum modo sufficit, quod certum debeat esse, quod humanitas non faciat tale vnum cum Verbo, quale facit cum propria personalitate, siue hæc sit positiuum quid, siue negatiuum: nam facit vnum per se cum propria personalitate, sine vnione aliqua intermedia: sic autem non facit vnum per se cum personalitate Verbi, sed mediante vnione; vnde tollitur magna pars difficultatis huius obiectionis, ad quam tamen,

143 *Respondeo aliter*, admissa maiori, negando minorem cum minori suæ probationis: quamuis enim verum sit, quod connaturaliter non possit natura completa substantialiter facere vnum per se cum alio, tamen supernaturaliter id fieri potest, vt omnes fateri debent, præsertim si vera sit maior obiectionis: nam aliàs Verbum diuinum, cum sit substantialiter completum, non posset facere vnũ per se cũ natura humana, siue illa esset completa ex se, siue non esset. Itaq; qua ratione Verbum diuinum, licet completissimum sit positiue, potest facere vnum per se cum natura humana, eodem modo natura humana, licet completissima esset positiue, ita vt non careret vllo complemento positiuo substãtiali sibi connaturali, posset tamen facere vnum per se cum Verbo diuino: & licet nobis non sit facile explicare, qua ratione id fiat, non propterea negandum est id fieri posse; sed hoc attribuendum est sublimitati & difficultati huius mysterij, quod captum humanum ita superat secundum communem sentẽtiam, vt nec possibilitas quidem eius ab intellectu Angelico possit capi lumine naturali.

Postquã hęc exscripserã, peruenit ad me Metaphysica

*P. Blasf*

*P. Blasij à Conceptione Carmelitæ Excalceat.* in qua *disp.* 8. satis fuse tractat de hac materia; & quia contra meam sententiam tenet communiorem *Thomistarum*, quamuis ex dictis facile esset respondere rationibus, quibus Scotisticam impetit; tamen maioris claritatis & doctrinæ gratia, placuit eas in specie proponere & soluere.

*Obiicit* ergo primò, & sit decima octaua obiectio in ordine: Quod est perfectissimum in genere substantiæ, nequit constitui per negatiuum. Sed persona est perfectissimum in illo genere; ergo.

*Respondeo* distinguendo maiorem: secundum illam rationem, secundum quam est perfectissimum, concedo maiorem: secundum quancumque aliam cõsiderationẽ, nego maiorẽ, & concessa minori similiter distinguo cõsequẽs. Itaque persona est perfectissimũ quid in genere substantiæ, quatenus includit naturam specificam completam, & vt sic constituitur per positiua; quatenus vero dicit personalitatem formaliter, non est perfectissimum nisi præsuppositiue, in quantũ scilicet illa personalitas est quid præsupponens naturã completã, quã nulla alia formalitas ex iis, quæ spectant ad naturã præsupponit.

*Obiicies secundò*: suppositum constituitur in esse tali per illud, à quo habet repugnantiam vt faciat vnum per se cum alio supposito. Sed hoc habet ab aliquo positiuo & non à negatiuo; ergo.

Probat minorem, quia negatio quæ dicit repugnantiam ad aliquid, fundatur in aliquo positiuo, cui repugnat affirmatio opposita: talis est negatio quam dicit suppositum; ergo fundatur in aliquo positiuo.

*Respondeo*, negando minorem; ad cuius probationem dico quod omnis negatio repugnantiæ, quam dicit quodcumque positiuum ad aliquod aliud positiuum, fundetur in aliquo positiuo, quæ est doctrina ipsiusmet Scoti supra insinuata *n.* 116. Sed negatio repugãtiæ, quã dicit aliquid includens tam positiuum quam negationem, non necessario fundatur in aliquo positiuo, cui repugnet forma opposita, vt potest manifeste; quia Petrus non sedens, formaliter & reduplicatiue loquendo dicit negationem repugnantiæ ad sedendum: repugnat enim quod si non sedeat, sedeat, & tamẽ illa negatio non fundatur in aliquo positiuo, cui repugnet sedere, neq; enim in Petro non sedente est aliquid positiuũ, cui repugnet sessio. Et ita sane est in proposito: nam suppositum dicit & naturam & negationem, significatque vtrumque & pro vtroque supponit: vnde cum repugnet simul cum negatione illa esse dependentia, seu communicatio quã negat, licet ipsamet non fundetur in aliquo positiuo, cui repugnet talis communicatio, tamen suppositum, quod ipsam formaliter dicit, debet necessario dicere non repugnantiam ad communicationem: de quo non potest esse difficultas vlla, si quis aduerterit tantum terminos.

*Obiectio tertia* ipsius est octaua supra proposita ex *Caietano*, quæ præterea hic non est repetenda: sed addendæ tamen ex ipso sunt aliquot Cõfirmationes eius.

*Prima est*; quod Verbum diuinum suppleat id, in quod refunderentur actiones humanitatis Christi, si non fuisset assumpta: sed id non esset negatio, quæ nullum habere potest influxum in actiones positiuas; ergo verbũ non supplet negationem, sed aliquid positiuum.

*Confirmat secundò*: quia si suppositum esset aliquid negatiuum, sequeretur quod Deus non redemerit nos quod actiones Christi non sint valoris infiniti; quod non detur cõmunicatio Idiomatum: quæ sunt absurda.

Probatur sequela, quia si suppositum constituitur per negatiuum formaliter, non possunt actiones refundi in suppositum formaliter; ergo cum Verbum suppleat defectum suppositi, actiones humanitatis non possunt refundi in personam Verbi, & sic non dignificabuntur ab illa.

*Confirmat tertio*, quia illa substantia quæ habet omnia positiua, quę habet suppositũ creatũ, habet illa omnia in quę potest reduci actio: sed humanitas Christi habet illa omnia secluso Verbo; ergo habet omnia in quæ potest reduci actio, & cõsequẽter actio nequit reduci in Verbũ.

*Confirmat quarto*; quia illa substantia, quæ est omnino completa & terminata intra genus substantiæ, est suppositata: sed humanitas Christi est talis secundum se, secluso Verbo, & vnione, si non caret entitate vlla positiua quæ sit complementum eius; ergo est suppositata, & consequenter in Christo sunt duo suppositata; ergo.

*Respondeo ad primam Confirmationem*, distinguẽdo maiorem: in quod refunduntur, tanquam in principium influẽs in ipsas physice *vt quod aut vt quo*, nego maiorẽ: & sane, neque vt sic suppositalitas influeret in illas, quamuis esset quid positiuum; & mihi videtur absurdũ quod suppositũ diuinũ sic influat in operationes Christi, quod tamen supponit hic author: tanquã in principium, quo constituitur suppositum, quod denominatur agere & habere illas actiones, & quod vere illas habet, quia habet naturam à quo procedunt; concedo maiorẽ; & similiter distinguo minorẽ, & nego consequentiam.

*Ad secundam confirmationem*, nego sequelam & distinguo antecedens probationis: non possunt refundi in ipsam, tanquam in principium quo, aut quod physice influens, concedo; tanquam in constitutiuum personæ seu suppositi, quod denominatur agere, nego antecedens & consequentiam.

*Ad tertiam confirmationem* similiter distinguo maiorem: habet illa omnia in quæ potest refundi actio, tanquam in principia physice & positiue influentia, concedo maiorem: habet omnia illa in quæ potest refundi, ita vt nihil aliud possit denominari agere præter illa, nego maiorem, & similiter distinguo primum consequens & nego secundam consequentiam.

*Ad quartam confirmationem* Respondeo distinguendo maiorem: si sit vnita alteri supposito, nego maiorem; si non sit, concedo maiorem; & concessa minori nego consequentiam.

*Idem Author præterea q.* 3. *&* 4. explicans suam sententiam fuse conatur ostendere, secundum mentem sancti Thomæ & rationem, suppositalitatem non esse distinctam ab existentia vt individua.

Sed quamuis hoc posset fortassis dici ex suppositione sentẽtiæ S. Thomæ, quod existẽtia distinguatur realiter ab essẽtia; tamẽ ex suppositione sentẽtiæ verioris, quod non distinguatur realiter, non habet probabilitatẽ; quia sequeretur humanitatẽ Christi habere suppositalitatẽ propriam, contra fidem, quia habet existentiã propriã.

## *ADDITIO.*

Mastrius disput. 11. Metaph. num. 45. ponit meam explicationem incommunicabilitatis quam dicit persona, qua dixi supra nu. 64. incommunicabilitatem, quam dicit persona, esse oppositam communicationi, qua communicatur natura diuina tribus personis, & natura humana Verbo, & addo num. 68. vt aliqua substantia singularis completa dicatur personari, non requiri vllam aliam, quam negationem actualis communicationis cum aliquo, siue formaliter, siue realiter distincto, cum qua faceret vnum per se.

Contra, quam doctrinam ait se nescire cur introducam communicabiliratem diuinæ naturæ tribus personis ad explicandam incommunicabilitatem personalitatis, cum sit longe difficilior ipsa personalitate personæ; tum quia non est hic sermo de personalitate diuina, neque de personalitate communi ad diuinam & humanam, sed de creata præcise, tum quia communicabilitas naturæ diuinæ tollitur per singularitatem: eo enim ipso quò natura creata est singularis, est etiam pluribus incommunicabilis, vt quod, cum talis cõmunicabilitas sit priuilegium speciale diuinæ naturæ ratione infinitatis eius. Quamuis ergo personalitas creata tollat immediate à natura communicabilitatem, qua modò humanitas Christi est verbo communicata, non tamen tollit eam qua natura diuina communicatur tribus personis, sed hæc tollitur à singularitate, & ideo non spectat ad formalitatem personæ nisi præsuppositiue.

Sed certe facile deberet esse Mastrio scire, quod dicit se nescire: nam certum est, quod nulla substãtia completa & singularis, quæ haberet talem communicabilitatem, qualẽ habet natura diuina, posset esse persona, sicut nec

ipsa

ipsa natura diuina est persona, quia habet talem cõmunicabilitatem; vnde euidens est, quod vt natura aliqua personetur, debeat habere talẽ negationem, siue habeat ipsam à personalitate distincta, siue à singularitate, & quamuis hæc cõmunicabilitas sit valde difficilis, quoad rationem, tamen omnes, per fidem intelligunt, quod natura diuina habet talem communicabilitatem, & hinc nullo negotio deducere possunt, quod ad personam requiratur negatio ipsius, & quod qui velit ostendere quid sit persona, debeat in explicatione ipsius, si velit recte discurrere, facere mentionem de tali negatione.

Præterea falsũ est, quod illa negatio habeatur à singularitate naturæ, sed potius quemadmodum communicabilitas naturæ diuinæ habetur ratione infinitatis ipsius, vt ipsemet Mastrius fatetur: ita negatio talis cõmunicabilitatis habetur à finitate naturæ creatæ.

Deinde, quidquid sit de Mastrio, ego agebam de incommunicabilitate, quam debet dicere persona, vt sic, communis diuinæ & creatæ, & si agerẽ de persona creata, adhuc vt recte agerẽ, deberẽ vel dicere vel supponere, quod ad illam requiratur negatio cõmunicabilitatis talis, quam habet natura diuina: nam si non consideraretur vt sic incommunicabilis, non posset esse persona sicut natura diuina non est persona, quia non est sic incommunicabilis, sed potius communicabilis.

Deinde conatur probare, quod ego debebam præter negationem actualis communicationis ponere negationem aptitudinalis communicationis, quia etiam natura personabilis habet talem negationem, etiam quando actu dependet.

Sed certe si natura assumpta habeat talem negationẽ, illa non potest spectare formaliter ad personalitatem ipsius; quia aliàs natura assumpta non careret tota sua personalitate, sed Verbum assumeret partem ipsius.

Præterea illa negatio aptitudinis, quam habet natura assumpta cõuenit ipsi ratione finitatis & cõpletionis ac singularitatis suæ, & nõ ratione personalitatis realiter distinctæ: ergo si valet discursus Mastrij cõtra me, nõ deberet poni in explicatione personalitatis propriæ ipsius sicut nec secundũ ipsum deberet poni in explicatione eius negatio cõmunicabilitatis, quam habet, naturæ diuinæ, qua illa negatio cõuenit ipsi ratione singularitatis.

Deinde, siue natura assumpta aut quæcumque completa singularis habeat illam aptitudinem aut negationem eius, quod spectat ad quæstionem de nomine, certe eo ipso, quo esset completa, modo non haberet communicationem actualem ad Verbum, esset persona; vnde negatio aptitudinis illius est omnino impertinens ad rationem personæ.

Vlterius eodem numero ait illam meam doctrinã de negatione actualis cõmunicationis, quæ esset personalitas, contradicere alteri conclusioni meæ, qua *n.* 72. docui incommunicabilitatem, quam dicit persona, nõ bene explicari dicendo, quod esset illa, à qua habet persona non posse communicari alicui cum quo facit vnum per se, quia Verbũ diuinũ est persona & tamen cõmunicatur naturæ humanæ faciendo cum ipsa vnum per se.

Hæc, inquit, videtur mihi manifesta contradictio in prima & tertia conclusione huius Authoris, aut ipsum non intelligo; quia reuera ibi adeo obscure ac perplexe loquitur, vt vix percipi possit quid dicere velit.

Certe si putarem me mereri hanc censuram, valde displiceret mihi, quod ita me explicauerim, quia amo claritatem; sed si, quod potius existimo, non mea culpa sit, quod Mastrius me nõ intellexerit, sed ipsiusmet aut ingenio aut negligẽtiæ in me legendo adscribendũ sit, curare non debeo, nec curo sane, quid ipse de me sentiat.

Dabo tamen hic operam vt facile possit intelligere me mihi non contradixisse.

Docui ergo in prima conclusione, quod nihil requiratur, vt substantia cõpleta singularis suppositetur, quàm vt habeat negationem actualis communicationis talis, qualem habet natura diuina, & natura assumpta, hoc est communicationis cum aliquo realiter aut formaliter distincto cum quo faciat vnum per se.

In altera dico quod nõ bene explicetur incõmunicabilitas esse illa, à qua habet non posse cõmunicari alicui, cũ quo faciat vnum per se, & id videor mihi satis apparenter probare. Sed vellem scire, vbi hic sit species vlla contradictionis? in prima loquor de natura singulari; in altera de persona, & hoc ipsum sufficit ad tollendã contradictionem. In prima dico, quod natura completa singularis personaretur si haberet talẽ negationem. In altera dico, quod non bene explicaretur incommunicabilitas, quam dicit persona per negationem talem.

Neutra conclusio cõuenit in subiecto aut prædicato, quomodo ergo possunt contradicere sibi? cũ contradictio non possit esse, nisi quando, quod negatur de vno subiecto in vna propositione, affirmatur de ipso in altera, quod fieri impossibile est, quando non conueniunt propositiones in subiecto ac prædicato. Sed fortassis nõ intendit Mastrius, quod sit formalis & immediata contradictio; sed virtualis ac mediata, hoc est, vult fortassis quod ex illo, quod dico in vna conclusione possit per discursum colligi oppositum illius, quod dico in altera: sed oporteret tamen antequam tam grauiter censuraret, vt proponeret illum discursum.

At ego ipse facere conabor, quod non fecit Mastrius, & proponam vnicum discursum qui occurrit mihi, quo id fieri videri possit.

Persona nõ bene explicatur esse id quod nõ potest alteri cõmunicari cum quo faciat vnum per se, quia aliàs Verbum Diuinum non esset persona, quia cõmunicatur naturæ humanæ cũ qua facit vnũ per se: ergo vt aliquid sit persona, non sufficit, quod sit aliquid, quod nõ possit sic cõmunicari, sed natura cõpleta, non actualiter communicata alicui cum quo faciat vnum per se, non habet aliud quam quod non possit sic communicari: ergo per talem negationem non redditur personata, neque de illa cum tali negatione potest dici, quod sit persona, & consequenter non sufficit talis negatio, vt sit personata, quæ propositio directè contradicit primæ conclusioni meæ, & sic tertia virtualiter contradicit primæ.

Sed certe hic discursus non concludit intentũ: nã imprimis negari debet prima consequentia, quamuis enim non requiratur, quod persona dicat talem negationem, tamen si diceret ipsam, omnino sufficeret. vnde si natura completa haberet talem negationem, esset adhuc persona non obstante doctrina tertiæ conclusionis.

Deinde falsum est subsumptum, nam natura completa à negatione communicationis non habet non posse communicari, sed actu communicari.

Sed dices: adhuc illa negatio nõ sufficit ad personandã naturam quæ potest non esse, quando adest personalitas sed negatio communicationis, quam ego pono in prima conclusione potest non esse, quando adest personalitas, si vera sit tertia conclusio: nam Verbum Diuinum habet talem communicationem simul cum personalitate, ergo manet personalitas absque tali negatione.

Respondeo negando minorem: quia negatio quam pono in prima conclusione est negatio communicationis naturæ singularis completæ, talis autem est in ipsa natura Verbi, vt afficitur personalitate Verbi, neque enim natura Verbi communicatur naturæ humanæ faciendo cum ipsa immediate vnum per se, sed ipsamet persona Verbi communicatur.

Deinde negatio cõmunicationis, quam ego dixi sufficere ad personandam naturam completam singularem est negatio communicationis per modum naturæ alicui, cum qua faceret vnum per se, & hoc sufficienter declarabam, quando dixi, quod deberet esse opposita communicationi, quam dicit essentia diuina cum tribus personis, & natura humana Verbo; vtraq; autem hæc communicatio est communicatio naturæ; communicatio autem Verbi respectu humanitatis, non est communicatio naturæ, neque enim Verbum est natura in se, & multo minus est natura humanitatis.

Vnde negatio, quã dixi in prima conclusione sufficere, non est negatio, quã dixi in tertia conclusione nõ sufficere ad explicationẽ personę, & sic ex õni capite patet,

quod

quod mihi ipsi non contradixerim in illis duabus conclusionibus.

De obscuritate autem & perplexitate mea in re illa difficili, quam imponit Mastrius, non possum me aliter purgare quam relinquendo lectorum ingeniosorum arbitrio, an ita sit.

Postea *n.* 46. conuenit cum Eminentissimo de Lugo, quatenus dicit effectum secundarium personalitatis esse reddere naturam incommunicabilem illi, cui posset diuinitus communicari separata personalitate propria, cum enim natura singularis secundum se possit supernaturaliter communicari suppositio alieno, personalitas propria addita ipsi, facit ne possit sic communicari.

Dicit vero immerito me hoc negare, & dicere naturã ex se habere negationẽ cõmunicationis respectu cuiuscũque, cui nõ potest communicari nisi supernaturaliter: si enim, inquit, id verum esset, plane omnis subsistentia & suppositalitas de medio tolleretur, nec vlla prorsus incommunicabilitas posset esse effectus eius formalis.

Dicit enim, inquit Mastrius, naturam meam v.g. ex seipsa habere negationem communicationis, cui communicari non potest nisi supernaturaliter; non vero ratione subsistentiæ propriæ, quæ ipsam modo terminat, quod est prorsus falsum, quia si talis incommunicabilitas vel incommunicatio, sic ei conueniret; neque per potentiam Dei tolli posset.

Hæc Mastrius, qui si me etiam clare loquentem intelligeret, non sic discurreret, nec mihi imponeret, quod nec somniaui quidem: nam ego non dixi incommunicabilitatem seu incommunicationem nõ esse effectum personalitatis, aut conuenire naturæ absque personalitate, sed dixi illam non esse effectum vllius personalitatis, quæ esset quid positiuum quale asseritur esse personalitas à Cardinali de Lugo, & Thomistis ac Recentioribus cõmuniter; quia, vt dixi, natura ex se, hoc est, absque vllo positiuo superaddito, habet negationem cõmunicationis talis, & supposita negatione cõmunicationis de potentia absoluta nequit communicari; vnde intuli, quod illa incommunicabilitas nõ posset esse effectus alicuius positiui, (Aduertat hoc Mastrius) distincti à natura, & consequenter nequit esse effectus personalitatis in sententia ipsius, hoc est Lugo: vbi aduertat etiam, quod nõ dixerim illam non esse effectum personalitatis quomodocunque, sed personalitatis in sententia Lugo, qui putat personalitatem esse quid positiuum.

Quod autem dixeram naturam ex se habere illam negationem communicationis, nõ debet sic intelligi, quod illa negatio esset de essentia naturæ: hoc enim nihil esset absurdius, cum euidens sit, quod nulla negatio sit de essentia absoluti; neque sic etiam quod illa negatio esset inseparabilis à natura, quia ipse fatebar & est de fide, naturam posse supernaturaliter communicari; sed clarissimus sensus est, quod ex se, hoc est, sine aliquo positiuo superaddito, habere illam negationem, nisi Deus communicaret illam; vnde ad hoc, quod haberet illam negationem, sufficeret quod Deus non vniret illam hypostatice, & suppositio, quod non vniret illam, ad ipsammet naturam, sequeretur necessario illa negatio & personaretur per illam, etiamsi nihil aliud positiuum poneretur in illa; nec posset intelligi esse personata, quin intelligeretur eam habere talem negationem.

Vnde manifeste patet, quod quamuis hoc totum verũ sit, & speciatim verum sit, quod natura ex se in sensu iam explicato habeat illam negationem, non tolli personalitatem ex medio; imo potius astruitur, quia ipsamet negatio illa est personalitas, vt expresse docui.

Vlterius *n.* 54. dicit me non satis mihi constare dum *n.* 72. improbaui descriptionem subsistentiæ, qua dicitur esse illud, quod reddit naturam incommunicabilem alteri suppositio, quia non posset intelligi illa descriptio, nisi intelligeretur suppositum, quod ponitur in illa, & non posset suppositum intelligi, nisi intelligeretur subsistentia qua constituitur; vnde obscurum per æque obscurum explicatur in illa descriptione, dicit autem Mastrius me, damnando illam descriptionẽ, non satis mihi constare, quia *n.* 67. explicaueram incommunicabilitatem personæ per negationem communicabilitatis, qua natura diuina communicatur tribus personis, & natura humana de facto communicata est suppositio diuino.

At fallitur toto cælo Mastrius: am illo loco nõ explicaui incommunicabilitatem per negationem communicationis cum persona vlla sub conceptu aut nomine personæ; sed per negationem communicationis, quam habet natura diuina cum Patre & Filio & Spiritu sancto; & natura humana cum filio Diuino, & quamuis Pater & Filius & Spiritus sanctus sint personæ, tamen sub illis nominibus formaliter non significantur, quatenus sunt personæ, neque vt quis concipiat ipsos sub illis rationibus est necessarium, vt intelligat quid sit persona, aut quam incommunicabilitatem dicat.

Deinde, quia omnes credunt naturam humanam esse communicatam Verbo, & diuinam tribus personis diuinis, & propterea debeant habere aliquem conceptum de personis, quamuis non debeant cognoscere distincte, quid sit persona, optime posset incommunicabilitas naturæ explicari per ordinem ad illam communicationem omnibus credentibus, & concipientibus consequenter aliquo modo personas, & communicationes naturæ diuinæ tribus, & humanæ vni ex illis.

Sed quando quis vellet explicare personam, vt sic, profecto ineptissime explicaret ipsam per negationem communicationis alteri suppositio, aut personæ propter rationem præmissam.

Ad quam nullo modo satisfacit Mastrius dicendo, quod militet etiam contra definitionem singularis cum dicitur id, quod est indiuisibile in plura singularia, de quibus prædicetur vt superius de inferioribus, & contra definitionem singularitatis, quando dicitur esse illa, per quam redditur natura incommunicabilis alteri singulari, vel indiuiduo.

Concedendum enim quod militet quidem ratio prædicta contra illas descriptiones, & propterea quod pessimæ sint.

Nec vllo modo admittendũ, quod dicit Mastrius, posse interdum poni aliquid eiusdem rationis cum definito in definitione, non tanquã explicans definitum, sed tanquam additum: sic absolutum, inquit definitur esse, quod non ordinatur ad aliud absolutum, Genus generalissimũ quod alij Geneti non supponitur; vnde infert quod suppositum poterat poni in descriptione suppositi; præsertim cum suppositum, quod ponitur in illa, sit suppositum diuinum, non creatum. Hæc, inquam doctrina nõ est admittenda: nam falsum est, quod bene explicetur absolutum per ordinem ad aliud absolutum, & si aliquis non cognosceret aliunde quid est genus, pessime explicaret genus generalissimum per ordinem ad aliud Genus, suppositio autem quod sciatur, quid sit Genus bene declaratur generalissimum esse, quod non habet supra se Genus, aut non supponitur Generi.

Et certe nisi deseruiret suppositum positum in definitione suppositi, vt intelligatur ratio suppositi, frustra in ea poneretur, & si suppositum sub conceptu suppositi sit terminus incommunicabilitatis, vt ait Mastrius, certe repugnat incommunicabilitatem intelligi, quin intelligatur suppositum sub ratione suppositi.

Deinde, quod ait suppositum diuinum esse suppositum, quod ponitur in illa descriptione omnino falsum est, nam suppositum debet esse incommunicabile etiam suppositio creato, & præterea etiam suppositum diuinũ deberet intelligi antequam intelligeretur suppositum definitum, quod implicat.

*De subsistentiis partialibus.*

144. Modo restat, vt aliquid breuiter subiungamus de subsistentiis partialibus, circa quas non leuis est controuersia inter recentiores, an dentur, necne. Est autem hæc difficultas de subsistentiis rerum materialium compositarum: quæ res cùm habeant duplicem compositionem, vnam essentialem ex partibus essentialibus, vt materia, & forma; alteram integralem ex partibus integralibus, vt est compositio hominis ex manu, pede, capite,

ossibus-

ossibus,neruis,& aquæ ex partibus pluribus,quarũ quælibet est aqua:hinc quæritur an similiter huiusmodi rerũ subsistentia seu suppositalitas sit composita ex pluribus partibus,ita scilicet,vt & materia,habeat propriam subsistentiam, & forma propriam, & manus propriam,& caput propriam, & quælibet pars integralis aquæ propriam: & ne reducatur quæstio ad nomen, vtque controuersia melius intelligatur.

*Aduertendum est*,illud quod hic vere quæritur,esse,an subsistentia totalis,& suppositalitas, qua dicitur natura humana v.g.subsistere in se,sit cõposita ex pluribus entitatibus realiter distinctis,quarũ vna afficiat per se immediate vnã partẽ istius naturæ,altera alteram;an verò non constet huiusmodi partialibus entitatibus.Hæc est realis cõtrouersia huius rei. Alia verò,qua cõtroueretur,an illæ partiales entitates,si darentur,essent dicendę subsistentiæ partiales,est mere de nomine, & propterea longe minoris momẽti.Quamuis autem hæc difficultas procedat potissimum in sententia eorũ,qui putant subsistentiá esse quid positiuum,tamen quia suo modo habet locum in nostra sentẽtia,& quia vtile erit scire,quid dicendum sit in illa altera sententia,volui eam examinare.

Sententia Suarij.

145. *Suar.disp.34.Met.sect.5.* asserit quamcunque subsistentiam substantiæ compositæ constare ex partibus tam essentialibus,correspondentibus sc. partibus essentialibus eiusdem substantiæ, quàm integralibus correspondẽtibus partib. eius integralibus,atque adeò quãlibet esse diuisibilẽ.Et cùm aliquid possit esse indiuisibile dupliciter;*Primo* quatenus habet partes,siue illæ partes sint tales,vt seorsim possint remanere,siue non.*Secundo* ita,vt habeat partes, quæ seorsim possint remanere, & existere; dicit Suarez quod partes subsistentiæ possint seorsim separari,& conseruari: vnde quando destruitur totum aliquod physicum,v.g.homo, licet consequenter tollatur subsistentia totalis,non tamen tollitur subsistẽtia partialis materiæ,nec subsistentia partialis animæ:& rursus quando destruitur totum integrale per discontinuationem partium,vt tota aqua composita ex mari,& ex gutta aliqua, quæ tolleretur ab ipso, licet tollatur subsistentia totalis,non tamen tollitur subsistentia partialis aut reliqui maris, aut ipsius guttæ.

*Ad hæc addit*,quod licet subsistẽtia cuiusuis totius physici sit cõposita ex partibus correspondentibus partibus ipsius physicis;& licet pars correspõdẽs materiæ,vocari possit subsistẽtia partialis:tamen pars correspondẽs formæ non sẽper vocari debet subsistentia partialis,sed solũ quãdo forma est indepẽdens à materia,vt est sola anima rationalis;vnde in solo homine admittit duas subsistẽtias partiales correspõdentes partibus physicis ipsius.

146.Hanc sententiam fusissimè proponit *Vasq.3.par. disp.33.c.1.* qui ipse negat vllo modo subsistentias, aut modos partiales essentiales correspondentes materiæ & formæ; admittit autem modos partiales correspondentes partibus integrantibus, quamuis neget illos debere vocari subsistentias partiales:& cum eo conuenire videtur *Lorca disp.29.& Lugo disp.12.sect.3.n.37.* hoc tamen discrimine,quod *Vasq.nu.6.* neget subsistentiam totalem integratam ex modis partialibus esse ita diuisibilem,vt vna pars eius possit manere,separata altera;*Lugo* verò *n.54.* oppositum doceat.

Vnde sententia *Vasquis* est, quod quando vnica pars matis,v.g. separatur ab ipso,aut adiungitur ipsi, statim pereat subsistentia totius maris, & adueniat noua:sicut aliqui philosophantur de vnione animæ rationalis ad corpus,dicentes,quod deperdita, aut acquisita quacunque minima hominis parte integrali,statim deperdatur vnio,quã antecedenter habuit anima ad corpus,eiusque loco alia succedat.*Lugo* verò putat non ita esse,sed separata vna parte maris, manere modos, quibus vtraque pars ante separationem afficiebatur, & ab iis vtramque partem discontinuatam habere, formaliter in se subsistere,& esse suppositata,quando natura istarum partium est physicè completa completione essentiali, vt fit in partibus aquæ. Vnde fatetur hic author dari subsistentias partiales,non verò physicas, hoc est subsistentias partium physicarum essentialium.

145. *Fundamentum Suaris* est valde vrgens,nimirum, quia vnicus indiuisibilis modus non potest per se primo afficere aliquid diuisibile;ergo cum totum compositum physicum sit diuisibile in partes essentiales, debet subsistere subsistentia composita ex partibus correspondentibus suis partibus essentialibus.

*Confirmatur*,quia si esset vnicus modus,quęro quid per se primò immediate afficeret,an materiam primam v.g. lapidis,vel formam eius,vel vtrunque simul?Si primum dicatur,aut secundum,tum totum subsisteret per subsistentiam competentem immediate vni parti:si tertium dicatur,nimirum quod afficiat vtrunque simul, præterquam quod absurdum videatur,idem indiuisibile, quod non sit spirituale,afficere simul immediate duo subiecta distincta realiter, vt sequeretur in illa sententia:adhuc in subsistentia hominis esset difficultas specialis, quia deberet esse spiritualis & corporalis simul; spiritualis; quia esset modus immediate conueniens animæ; materialis,quia esset modus immediate conueniens corpori, & dependens ab ipso.

148.Magis autem ad oculũ quasi valet hoc fundamentum in toto integrali homogeneo,v.g. in tota aqua,cuius subsistentia,si esset indiuisibilis,aut deberet extendi per totam aquam maris,v.g.& ita aliquid idem numero existens actu prope Hiberniam,simul actu existeret prope Indiam;quod per se videtur satis absurdum;aut deberet esse in aliqua determinata parte,quod non minus est absurdum: tum quia non posset assignari in quanam,cũ esset eadem ratio de omnibus; tum quia quæcunque pars eius est diuisibilis, & consequenter tam incapax ipsius,quàm tota aqua.Deinde quod dicit Vasquez,subsistentiam integralem esse quidem diuisibilem, sed non ita;vt possit vlla pars,separatis aliis partibus,remanere; in primis gratis dicitur,&,præterea absurdum videtur, quod ablata guttula maris prope Hiberniam, aliquod complementum totius reliqui maris,etiam in India destruatur,& producatur eius loco aliud. Quamuis enim non videatur absurdum, quod producta aut destructa vna albedine,per totum mundum omnia alia alba perdant,aut acquirant relationem similitudinis,quæ habet ex natura fundamenti resultare per positionem aut destructionem termini;tamen id nullo modo dicendum est de aliquo absoluto complemento subsantiali, quale putat Vasquez esse suppositalitatem,præsertim siue euidenti necessitate.

149. *Et per hoc maxime confirmatur præcedens probatio*, quia licet non sit impossibile de potentia absoluta,quod aliquid indiuisibile,etiam non spirituale,subiectetur in subiecto diuisibili;tamen quod naturaliter ita subiectetur,nõ est dicendũ absq; necessitate;nec quod ita fiat in proposito;quia non est dicendum,quod quoties accedit, aut recedit vna guttula maris,toties accedat aut recedat complementum nouum complẽs totum mare quaquaversum;cui simile ob causam dixi in Physica,vnionem animæ etiam rationalis ad corpus,non esse indiuisibilẽ, sed diuisibilem integraliter.Quod est etiam fundamentum,cur *Lugo* recedat hac in parte à *Vasque*.

Idem autem *Lugo* respondet ad fundamentum Suarij, quãtum ad subsistentias partiales physicas,non esse inconueniẽs,quod eadem simplex & incomposita subsistẽtia faciat materiam & formam subsistere, sicut non est inconueniẽs,quod vniãtur vnica simplici vnione.*Sed in primis* falsũ est,quod vniantur vnica vnione,vt patet ex dictis primo Physicorum.*Deinde* non est eadem ratio de vnione & subsistẽtia,quia vnio subiectatur in vno extremo,& terminatur ad alterum,& hac ratione videretur vnica posse sufficere tam simplex,quàm esset ipsum extremum,si nihil aliud impediret:at subsistentia non est nexus duorum extremorum connectens illa,nec habens materiam pro subiecto,& formam pro termino,aut cõtra;sed æquè,&eodem modo afficiens immediatè vtrũque secundum hos authores:ergo non potest esse simplex, quamuis vnio posset esse simplex.

150.*Fũdamentũ Vasquis* est,quod de ratione subsistẽtię, sit facere rẽ, quã afficit,omni modo incõmunicabilem;

ergo

ergo cum pars tam physica, quàm integralis actu existens in toto, sit communicata toti, non potest esse incommunicabilis, & consequenter non potest affici aliqua subsistentia partiali.

*Confirmat primò*, quia non potest assignari, quisnam esset effectus proprius subsistentiæ partialis, aut entitatis vllius partialis modalis, quæ afficeret immediatè formam & materiam; ergo non datur talis entitas. Hoc fundamentum fusè proponitur ab eodem authore *cap.* 2. & 3. eoque vtitur tam *Lorca*, quàm *Lugo* supra.

*Confirmat secundo*, quia non dantur in composito substantiali plura suppositapartialia: ergo neque debent dari plures subsistentiæ partiales, quia est eadem ratio de vno ac altero.

*Confirmat tertio*: licet suppositalitas integralis habeat plures partes, ex quibus coalescit, tamen neutra ex illis partibus debet vocari suppositalitas; sicut licet homo constituatur ex pluribus partibus, neutra tamen ex illis partibus debet vocari homo, sed bene pars hominis. Hoc est in substantia totum fundamentum Vasquis.

151. *At certe mihi longè minoris ponderis videtur*, quàm vt propterea iis, quæ ipsius sententiam comitantur, difficultatibus, quis se exponat. *Nam in primis*, vt patet ex dictis supra de incommunicabilitate naturæ personatæ, nullo modo habetur à suppositalitate negatio communicationis cum partibus siue essentialibus, siue integralibus, cum constet eas naturas, quæ talem incommunicabilitatem habent, eam non à personalitate habere, sed à seipsis; vt euidens est in natura Angelica; ergo communicabilitas partis, siue essentialis, siue integralis, respectu alterius compartis, non tollit, quo minus habeat subsistentiam partialem.

*Confirmatur primò*: æque immediate subsistentia totalis afficit, vel secundum se totam, vel secundum partem sui, quamcumque tam integralem quàm essentialem, secundum *Vasquẽ* & *Lugonẽ*, quàm ipsamet subsistentia partialis secundum Suarium deberet afficere; ergo non magis debet subsistentia partialis, si daretur, impedire communicationem siue essentialem, siue integralem istarum partium, quàm subsistentia totalis: sed hæc illam non impediret, vt manifestum est; ergo nec illa. Consequentia patet à paritate rationis, nec certè vlla disparitas assignari potest vllius momenti.

*Confirmatur secundo* hoc specialiter cõtra *Lugonẽ*, quia non minus repugnat communicabilitas integralis suppositalitati, aut subsistentiæ, quàm communicabilitas essentialis; sed illa secundum illum non est incompatibilis cum subsistentia; ergo neque hæc.

152. *Dices*, cum eodem *Lugone*, disparitatem esse, quod subsistentia impediat omnem, quam potest, incommunicabilitatem; potest autem impedire communicationem essentialem facilius quam integralem.

*Sed hæc responsio* est prorsus incommoda: tum quia argumentum conatur probare, vtramque communicationem posse impediri, & de facto impediri, vel certe nullã impediri de facto; tũ quia tota ratio, cur possit impediri communicatio essentialis, est quia per subsistentiá tollitur, quo minus res possit esse in alio, & consequenter quod subsistit etiam subsistentia partiali, non potest esse in alio, nec communicabilitas essentialis, qua mediante res possit esse in alio, compati potest cum subsistentia: sed pars integralis mediante communicatione potest esse in alio, quantum est ex se; ergo per subsistentiam potest tolli, & de facto tollitur eius communicabilitas, aut certe illud fundamentum non valet.

153. *Dices secundo cum eodem*, partem integralem non tam proprie esse in alio, quam partem essentialem. *Sed contra*, quia licet non tam proprie esset fortassis in alia parte, quàm forma in materia, tamen certum est, quod tam proprie sit in alia parte quàm materia sit in forma, & quod magis proprie, & intrinsece sit in toto composito integrali resultante ex illa & aliis partibus, quàm materia in forma, imò & quam forma in materia, ergo sicut subsistentia impediret secundum ipsum, quod materia posset communicari formæ, ita etiam impediret quominus pars integralis communicetur alteri parti, aut saltem alteri composito.

*Per hæc in forma patet*, ad prædictum Vasquis fundamentum, negando antecedens.

*Ad primum confirmationem respondeo*, negando antecedens, etiam, ex suppositione quod subsistentia esset modus absolutus: qualis enim effectus tribuitur subsistentiæ totali respectu totius naturæ, talis tribui potest subsistentiæ partiali respectu partis, quam afficeret; præsertim cum, vt sufficienter probatum est, negatio communicabilitatis per modum partis aut essentialis, aut integralis, non sit effectus suppositalitatis totalis.

154. *Ad secundam confirmationem* nego consequentiã, quia ad suppositum requiritur non solum subsistentia, sed etiam natura singularis non communicata actu, cum dependentia alteri naturæ immediatè, siue physicè, siue integraliter; vnde cum in toto integrali aut physico nõ reperiantur plures tales naturæ, sed vna tantum, propterea non dantur in eo plura suppositа. At ad subsistentiam partialem non requiritur subiectum non communicatum alteri physicè aut essentialiter; vnde quandoquidem plura subiecta reperiuntur in quolibet supposito materiali, quæ nullum habeant impedimentum, quo minus cuilibet sua propria subsistentia correspondeat, præterquam quod non reperiantur plura in tali supposito, sic non cõmunicata, sequitur manifeste plures suppositalitates, quantum ad hoc posse reperiri in quolibet supposito, quamuis plura suppositа in eo non reperiantur.

*Confirmatur*, quantum ad subsistentias partium essentialium, quia anima rationalis dum in triduo mortis afficiebatur personalitate Verbi, non dicebatur suppositum; ergo multo minus diceretur tale, quando coniungeretur actu alteri parti.

*Ad tertiam confirmationem* fateor partes cuiuslibet compositi non debere habere rationem, aut denominationem essentialem ipsiusmet compositi: quod euidenter ostendit exemplum de homine, & quouis composito heterogeneo: at certum est quod aliquod compositum possit habere partes eiusdem rationis, & denominationis essentialis cum ipso toto, vt non minus euidenter ostendit exemplum de aqua, cuius quælibet pars integralis est aqua. Huiusmodi autem totum diceret esse subsistentiam totalem, quicunque diceret eam esse compositam ex subsistentiis partialibus.

## CONCLVSIO I.

Subsistẽtia totalis totius integralis est cõposita.

155. *Subsistentia seu suppositalitas totius completi integralis, vt aquæ, & totius hominis, est compositum ex substantijs partialibus, correspondẽtibus partibus ipsius totius.* Hæc est *Suaris* supra & *Lugonis*, patetque ex dictis, præsertim cum nihil aliud adferri possit, quod impediat.

*Dices*: si darentur huiusmodi subsistentiæ partiales, deberent vniri inter se per alias vniones, aut modos distinctos, & sic daretur magna ac inutilis multiplicatio modorum.

*Respondeo* negando sequelã, quia sufficeret vniri subiecta earum, eo enim ipso ipsamet sufficiẽter vnirentur, quod maxime habet locum, si dicatur nobiscum, quod consistant in negationibus: quod si non sufficeret vnio subiecti, sed præterea requireretur vnio particularis ac distincta inter ipsasmet suppositalitates partiales, cõcedideberet sequela; nec in tali casu inutiliter, sed necessariò multiplicarentur vniones aut modi; vt patet.

*Dices secundo*: posset assumi iuxta hoc vna pars totius integralis aquæ, vnita alteri parti, non assumpta altera parte.

*Respondeo* hoc non esse vllo modo inconueniens: in tali verò casu pars assumpta à Verbo non faceret cum ipso suppositum, sicut nec altera pars faceret cum subsistentia sua partiali; sed vtraque pars faceret vnum suppositum, sicut quando afficeretur duabus subsistentiis propriis partialibus, quarum vnius vicem præstaret in eo casu Verbum, Diuinum,

156. Hinc habetur, iuxta hanc sententiam, quæ iam magis communis est, posse fieri, vt aliqua natura

Natura suppositata propria personalitate positiua potest facere eum alia simili vnum suppositū absque deperditione vllius entitatis positiua.

suppositata, propria suppositalitate, posset facere vnum suppositum cum alio supposito, sine perditione vllius modi positiui, etiamsi personalitas propria consisteret in tali modo, quia vna aqua separata ab alia esset suppositum, sicut & altera; & si coniungeretur vtraque, vt de facto fæpe fit, absque deperditione alterutrius suppositalitatis, faceret vnum suppositum. Vnde non valet hæc consequentia, qua multi vtuntur: Iam hæc natura facit vnum suppositum cum alio supposito, & ante non faciebat, sed erat suppositata in se; ergo iam perdit modum positiuum, quo ante afficiebatur.

*Dices*: Iam non est personata personalitate propria, sicut fuit ante; ergo iam perdidit personalitatem propriam, & consequenter valet prædicta consequentia.

*Respondeo* distinguendo antecedens: non est personata personalitate propria formaliter sub illa denominatione, concedo antecedens; realiter quoad omne positiuū, quod dicit illa personalitas, nego antecedens. Et similiter distinguo primū cōsequens: formaliter sub illa denominatione, cōcedo: realiter quoad omne positiuū, quod dicit, nego primam, & secundam consequentiam.

157 *Et si quæras*, cur non habeat illam suppositalitatem formaliter sub denominatione suppositalitatis, si habeat eam realiter?

*Respondeo*, quia ad illam denominationem formalem requiritur ex parte naturæ negatio vnionis physicæ cū alia natura. Et ne hoc mirum videatur, aduertendum est, quod quemadmodum idem modus positiuus habet rationem formalem personalitatis, quatenus solum afficit naturam rationalem non verò quatenus afficit naturam irrationalem, quia scilicet ad illam denominationem requiritur talis conditio in natura: ita similiter non est mirum, quod requireretur conditio prædictæ negationis, vt habeat denominationem formalem suppositalitatis totalis, aut personalitatis.

*Dices secundo*: ergo si personalitas propria consisteret in positiuo, non sequeretur, quod fuerit perdita ex eo quod natura humana faciat vnā personā cum Verbo.

*Respondeo* negando consequentiam, quia ipsamet natura, quæ affici deberet propria personalitate, per illam assumptionem afficitur immediate à personalitate Verbi secundum eandem partem: eadem autem pars non potest immediate affici duabus personalitatibus, licet idem totū possit affici duabus suppositalitatibus, quarū vna vni, & altera alteri parti correspondeat immediate.

## CONCLVSIO II.

Nō dantur subsistentiæ partiales correspondentes partibus physicis.

158 *Non dantur subsistentiæ partiales in supposito materiali correspondentes partibus physicis essentialibus eius.* Hæc est *Vasquis, Lorca, Lugo*, supra, contra *Suarem* & videtur mihi conformior principiis *Doctoris*, nec posse habere in aliis principiis vllam probabilitatem; vnde quamuis eam prædicti authores teneant non satis bene ab iis probatur, vt patet ex supra dictis.

*Probatur ergo aliter*, quia, vt modo suppono, totum physicum essentiale dicit tertiam entitatem distinctam realiter à partibus physicis simul sumptis & vnitis: sed illa tertia entitas est sufficiens subiectum subsistentiæ totalis vnius simplicis, & per hoc, quod poneretur vna subsistentia in illa entitate, tota substantia per illam vnam subsisteret eo modo, quo suppositum per se debet subsistere; ergo non est necesse vt ponantur subsistentiæ partiales in partibus physicis istius compositi. Et hæc probatio currit, siue subsistentia ponatur esse quid positiuum, siue negatiuum.

*Probatur secundo*: quod habet subsistentiam creatam, debet esse incommunicabile alteri subsistentiæ superuenienti; hanc enim incommunicabilitatem dat subsistentia suo immediato subiecto: sed parti physicæ superuenit subsistentia totius: ergo si simul afficeretur subsistentia partiali propria esset communicabilis alij subsistentiæ superuenienti.

*Confirmatur*, quia subsistentia propria vnius subiecti non potest esse subsistentia propria alterius realiter distincti, quod non est constitutiuum intrinsecum ipsius; ergo subsistentiæ partium vnitarum, si darentur tales, non possunt esse subsistentia immediata tertiæ entitatis ab ipsis realiter distinctæ, & consequenter illa tertia entitas debet habere alteram subsistentiam immediatā.

159. *Probatur tertio*, quia vt habet *Doctor. 3. disp. 2. quæst. 2. Almainus ibidem*, quos sequitur *Vasquez d. 39. cap. 3.* priùs natura humana, prioritate naturæ assumpta est, quam partes essentiales, & sine dubio ipsa natura humana immediate assumpta est; & ea mediante partes: sed certum est quod hæc doctrina multo facilius defenditur, dicendo, quod partes physicæ humanitatis non habeant, dum in toto existunt, proprias personalitates partiales, ergo ita est dicendum.

*Confirmatur cōclusio*, quia non est eadem ratio de partibus integralibus & essentialibus, quia totum integrale non dicit tertiam entitatē distinctam realiter à partibus sicut totum essentiale, vt suppono ex dictis, *in Physica*, dum ageretur de distinctione totius à partibus. Quod si diceret, profecto eodem modo de subsistentiis partialibus partium integralium, ac partium essentialium esset philosophandum, quantum ad difficultatem præsentem.

*Dices*: destructa vnione totius humanitatis ad Verbum in triduo, manfit vnio partium eius, corporis scilicet & animæ ad Verbum: ergo immediate vniebantur ipsi: & non tantum mediante vnione humanitatis, & consequenter per illam vnionem tollebantur subsistentiæ partiales, quas alias haberent.

*Respondeo* distinguendo antecedens: manfit vnio, quę fuit antecedenter; nego; alia vnio de nouo producta, concedo, & nego primam consequentiam, & secundum consequens.

## CONCLVSIO III.

Partes essentiales separatim existentes habent suas proprias subsistētias.

160. *Partes essentiales separatim existentes habent suas subsistentias.* Hæc est communis quantum ad animam rationalem, & *patet*, tum quia anima, & idem est de reliquis partibus per se existentibus, non solum est per se existens, provt talis perfeitas apponitur inhærentiæ accidentis, sed etiam provt dicit negationem existendi in vllo supposito extrinseco. Tum & præcipuè quia ideo colligimus humanitatem habere personalitatem propriam, quia completur de facto per suppositalitatē Verbi: sed tam anima separata in triduo, quàm corpus Christi separatum, complebantur per suppositalitatem Verbi; ergo separatim existentia, si non vnirentur cum Verbo, haberent complementum proprium siue negatiuum, siue positiuum, distinctum realiter ab ipsismet: sed illud complementum esset subsistentia partialis; ergo haberent ex se tale complementum, si separatim existerent absque vnione inter se, aut cum suppositalitate alterius naturæ. Et hæc modò de personalitate, & subsistentiis partialibus sufficiant.

# DISPVTATIO III.

## *De Proprietatibus Entis vt sic.*

RES proprietates, seu passiones, seu attributa communiter assignant enti Doctores, *Vnitatem* scilicet, *Veritatem*, & *Bonitatem*, de quibus hic breuiter agendum.

## QVÆSTIO I.

### *Quomodo hæ proprietates distinguantur ab ente.*

1. QVodlibet ens esse *Vnum, Verum*, & *Bonum*, nō solum communiter admittitur, sed ex dicendis de his proprietatibus in particulari patebit; vnde modò tantū, quomodo ab ente distinguantur, examinandum.

## CONCLVSIO I.

Proprietates entis aliquo modo ab ipso distinguuntur.

*Hæ proprietates distinguuntur aliquo modo ab ente.* Hæc est cōmunissima, & *patet*, quia aliàs non essent proprietates eius: & quia alio modo explicatur, natura entis, vt est vna, vera, bona, & vt est ens; quod non esset verum, nisi aliquo modo distinguerentur hæ proprietates ab ipso.

CONCLV

## CONCLVSIO II.

Non distinguuntur ab ipso realiter sed formaliter seu ex natura rei.

2. *Non distinguuntur ab illo realiter aut modaliter, sicut relatio dicitur distingui à suo fundamento, sed bene formaliter ex natura rei.* Hæc quoad primas duas partes est communissima, & quoad tertiam est *Doctor. in 2. distinct.* 16. suorumque omnium contra recentiones communiter & Thom.

*Probatur prima & secunda pars*, tum quia aliàs multiplicarentur entia & modi sine necessitate; tum quia si esset aliquid realiter distinctum, vel modaliter, vel esset absolutum quid, quid vel respectiuum: sed neutrum dici potest. Non quidem respectiuum, quia non potest assignari terminus eius realis, ad cuius positionem necessariò sequeretur, & sine cuius pósitione non necessario sequeretur; tum quia cõceptus vnius non est conceptus relatiui, vt postea magis patebit. Non etiam absolutum, quia posset ens conseruari sine quocũque absoluto posteriori, realiter distincto, & sic posset dari aliquod ens à parte rei, quod non esset Vnum: & quia illud absolutũ realiter distinctum deberet esse ens, & consequenter Vnum alia vnitate, & sic daretur processus in infinitũ.

3 *Probatur tertia pars primo* ex principiis, quibus probatur distinctio formalis. *Secundò*, quia aliæ proprietates distinguuntur ex natura rei ante operationem intellectus à suo subiecto; ergo & hæ proprietates sic distinguuntur ab ente. *Tertiò*, quia non possent habere rationes proprietatũ, nisi sic distinguerẽtur potius quam ens esset proprietas earũ. *Quartò*, quia si sic non distinguerentur, maxime quia includerent intrinsece ipsam rationẽ formalẽ entis, & essent entia: passio autẽ ex natura rei distincta ab aliquo, non debet includere illud, cuius est passio, nec esse ipsum: sed hæc ratio non impedit.

Probatur minor, quia falsum est, quod hæ proprietates includant formaliter, aut sint ens, vt patet ex iisdem principiis, ex quibus supra probatum est, quod differentiæ non sint formaliter entia.

*Confirmatur*: si propter hanc rationem proprietates entis non distinguerẽtur ab ipso, sequeretur quod nulla differẽtia inferior ente, nec quidẽ rationalitas, ab ipso distingueretur, quia omnis inferior differentia æque debet esse formaliter ens, ac hæ proprietates debent esse.

*Hinc patet*: non valere fundamentum pro opposita sententia adductum ab *Arriaga*: Si ens diceret passionẽ aliquam à se distinctam, quatenus ens, ipsamet passio ab ipso distincta deberet dicere aliam passionẽ, quia est ens, & sic daretur processus in infinitũ. Supponit enim quod passio entis sit ens formaliter, quod vel ex hoc ipso principio Scotistæ cũ Doctore probare solẽt esse falsũ.

## CONCLVSIO III.

Vnitas potius debet esse prior passio, & veritas secunda.

4. *Si sit aliquis ordo in emanationibus harum proprietatum, ita vt vna prius, altera postea, & tertia deinde emanet, Vnitas debet esse prima, Veritas secunda, & Bonitas tertia.* Hæc est communis, *& patet*, tum quia ita communiter sentiunt Doctores; tum quia nullus alius ordo melior assignari potest: tum denique quia Veritas dicit aliquam habitudinem ad intellectum, & Bonitas ad voluntatem; ergo sicut intellectus est prior voluntate, ita veritas erit prior bonitate; Vnitas verò, quæ ad neutram potentiam ordinem dicit, neque ad aliquam posteriorem, debet esse prior quàm proprietates ad illas ordinem dicentes.

*Dixi autem si sit aliquis ordo*, quia non apparet conuincens ratio; ob quam colligeretur, quod habeant ordinem in emanatione, & aliàs nõ videtur difficile quod æque primò emanarent; potissima verò ratio asserendi ordinis est illa vltima, quam pro conclusione proposui, quæ satis est probabilis.

## QVÆSTIO II.

### *De Vnitate.*

5. Difficultas huius quæstionis est duplex. *Prima* quid est esse Vnũ, provt esse vnũ cõperit enti vt sic, & ratione eius omni enti in particulari. *Secunda*, à quo formaliter habeat ens esse vnum, an ab aliquo positiuo, an vero à negatiuo. *Quantũ ad primã partẽ*, quamuis concipiamus Vnum, & Multa ipsi opposita satis facile, cognoscamusque quænam sint vna, & quænam multa, tamen non adeò facile est explicare, quid sit Vnũ vt sic, provt conuertitur cum ente, & dicit vnitatem, quæ est proprietas entis, aut quid multa ipsi opposita.

*Faber* in sua Metaphysica *l. 4. d. 7. c. 3.* dicit vnitatem quæ est proprietas entis, nihil aliud esse, nec significare, nisi certam ac determinatam naturam entis cuiuscumque; ita quod, inquit, Vnum supra ens nihil aliud addat, nisi determinationem certam naturæ talis entitatis: & hoc ipsum videtur sibi declarare dicendo, quod cum dicimus ens vnum; idem sit hoc, ac dicere ens determinatæ & certæ naturæ.

Vnitas non est à qua habet res esse determinatæ naturæ.

*Hæc declaratio*, quam ipse fatetur non inuenisse se in aliquo authore, licet dicat, & *Scotum* eam inuenisse, & olfeciſſe *Suarium*, nullam habet apparentiam, non solũ quia est contra communem acceptionẽ Vnius, quã non debuit hic author mutare, nec aliquid prorsus adfert vtilitatis, quod mutaretur; sed etiam quia omne ens habet determinatam naturam ex suis principiis essentialibus, nam homo sine dubio habet esse determinatæ naturæ etiam formalissime, ex eo, quod sit animal rationale, & idem est de quacũque alia re: ergo vnitas, quæ est proprietas entis, non vero aliquid ipsi essentiale, nõ potest esse idem formaliter ac esse determinatæ naturæ.

Res habet esse determinatæ naturæ à suis prædicatis essentialibus.

6. *Confirmatur*: per id per se primo res est determinatæ naturæ, per quod habet per se primo distingui à quocumque, quod non est talis naturæ, sed diuersæ: sed hoc competit cuilibet enti per prædicata sua essentialia: ergo habet quodlibet ens esse determinatæ naturæ à suis prædicatis essentialibus, & non ab vlla proprietate consequente.

*Confirmatur secundò*, quia non potest explicari, quid sit ens aliquod, v. g. hominem esse determinatæ naturæ, nisi dicendo, quod sit naturæ talis, v. g. cui conuenit posse sentire & discurrere: hoc autem vel est prædicatum essentiale ipsius, vel proprietas illa, quam vocant aptitudinem ad discurrendum, quæ sine dubio non est vnitas ipsius: ergo non habet res à proprietate, quæ est passio entis, esse determinatæ naturæ. Non nego quidem *Vnum* aliquando significare tam in lingua Latina, quam etiam Italica, huiusmodi determinatam rei naturam, vt cum dicitur Latinè *vna certares*, & Italicè, *vna talcosa*; tamen tunc non significat proprietatem entis, à qua dicitur res esse vna, & non multiplex.

Explicatio communior Vnius.

7. *Communiter Vnũ* dicitur esse id, *quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio.* Sed hæc ipsa explicatio indiget sine dubio alia explicatione, nec sua caret difficultate. Nam in primis quando dicitur, quod vnum vt sic debeat esse indiuisũ in se, vel hoc intelligitur sic, vt non debeat habere plura in se inclusa siue realiter, siue formaliter distincta, & separata, & sic falsa esset descriptio, nam vnus homo includit partes realiter distinctas, vt materiam, & formam, manus, & pedes, & partes formaliter distinctas, vt animalitatem & rationalitatem. Vel intelligitur quod non debeat includere plura realiter separata & non vnitã, aut identificata, & sic non posset intelligi Vnum, quin intelligerentur multa, aut plura, quia non posset intelligi, nisi per non inclusionem multorum: hoc autem inconueniens videtur, quia ipsa Multorum: hoc autem inconueniens videtur, quia ipsa Multa non possunt intelligi, quin intelligeretur Vnum, nam multa aut plura coalescunt ex pluribus rebus vnis, & hinc vnitas dicitur principium numeri, ac multitudinis.

Difficultas huius explicationis.

*Deinde*, quando additur, quod Vnum debet esse diuisum à quolibet alio, si intelligatur hoc, quod debeat esse separatũ realiter à quolibet alio, seu non vnitum aut identificatũ vlli alteri, videtur falsũ esse, quia hæc numero aqua erit vna aqua vnitate entis vt sic, quãuis vniretur alteri aquæ; aliàs si non esset vna sic, vnitas entis vt sic esset realiter separabilis ab ipso, quod est absurdum.

*Deinde*, per hoc ipsum, quod intelligeret aliquid per modum non includentis plura separata, quamuis non intelligeretur, vt separatum aut diuisum ab aliis intelligeretur vt Vnum, quatenus Vnum opponitur Multis.

## CONCLVSIO I.

8. *Vnum, provt conuertitur cum ente vt sic, & dicit vnitatem*

*tatem, quæ est proprietas entis vt sic, est illud, quod est indiuisum in se, ita est quod non includit plura, seu separata à se inuicem & diuisum à quolibet alio.* Hæc videtur in re debere esse communis. *Probatur*, quia quidquid habet hanc rationem est Vnum, & nihil est vnum, quod non habet hanc rationem; nec potest melius explicari Vnum provt conuertitur cum ente quàm hoc modo.

*Confirmatur*, quia Vnum formaliter opponitur Multis: sed quod habet hanc rationē opponitur directè Multis, nam Multa includūt plura realiter separata à se inuicē.

*Dices* vt supra; Vnum hoc modo explicari nequit nisi per ordinem ad multa, nec Multa possunt explicari, nisi per ordinem ad vna, ex quibus conflatur: ergo non bene explicatur hoc modo, quia nihil bene explicari potest per ordinē ad aliquid, quod explicari non potest, nisi per ordinem ad ipsum, quod sic per ipsum explicaretur, in huiusmodi enim explicatione committeretur circulus, & ignotum per æque ignotum explicaretur.

*Respondeo* distinguendo antecedens pro prima parte: per ordinem ad multa formaliter, nego; fundamentaliter concedo, & eodem modo distinguo secundam partem, & nego consequentiam. Itaque Vnum explicatur per negationē inclusionis plurium, non formaliter loquendo, sed materialiter, & Plura explicantur per inclusionem vnitatum separatarum fundamentaliter. Quod si etiam explicari debeant per ordinem ad se inuicem formaliter, id intelligendum est sic, vt non debeat prius vnum & postea alterum intelligi; id enim implicaret, quando explicarentur mutuo per ordinem ad seipsa formaliter considerata, sed quod neutrū sine altero cognosci posset; sed vtrumque simul cognosci deberet æque primo, & consequenter non posset proponi, aut explicari alterum sine altero.

*Quod si quæras* cur addatur illud, *& diuisum à quolibet alio. Respondeo*, hanc particulam non esse positā ad significandā vnitatem entis vt sic, sed ad significandā vnitatem particularē, quam habent illæ res solæ, quæ & non habent partes separatas, & non sunt partes alterius rei, vt verbi gratia aqua, quæ quādo separatur ab aliis aquis, dicitur vna aqua, sed quando coniungitur cū alia aqua, non dicitur vna aqua, sed pars vnius aquæ, non quod nō habeat vnitatem entis vt sic, quæ inseparabilis est ab ipsa, sed quod non habeat vnitatem hanc particularem, quæ quoad aliquam conditionem ad ipsam requisitam, nempe quoad negationem cōiunctionis cum alia aqua, est ipsi accidentalis: quod valde aduertendum est.

## CONCLVSIO II.

10. *Illud, à quo per se primo formaliter habet ens esse Vnum, est formalitas positiua realiter ipsi identificata, ad quam sequitur negatio inclusionis plurium separatorum.* Hæc est *Scoti in 2. disp. quæst. 2.* cum suis communiter cōtra recentiores, quos citat, & sequitur *Suares hic disputat. 4. & Fonseca 4. Metaphys. cap. 2. quæst. 5.*

*Probatur* autem, quia omnis negatio, quam dicit vnitas entis, est inseparabilis ab ente: ergo debet præsupponere in ente aliquid positiuum, ratione cuius formaliter sequitur: sed illud positiuum, formaliter loquendo, non est ipsum ens, formaliter loquendo: ergo aliud formaliter distinctum: sed illud aliud potius debet dici vnitas, quam negatio sequens ad ipsum, licet non possit explicari nisi per ordinem ad illam negationem, vt omnes fatentur. Probatur minor, in qua est tota difficultas, quia ens vt ens, formaliter loquendo non dicit ordinem nisi ad existentiam possibilem, seu ad non repugnantiam: ergo non est formaliter loquendo illud positiuum, ratione cuius illa negatio debeat competere enti.

*Confirmatur*, quia prius est aliquid esse in se non repugnās, quā esse Vnū, aliàs vnitas nō esset proprietas entis: ergo prius cōpetit ipsi formalitas positiua, ratione cuius cōpetit ipsi nō repugnare, quā formalitas positiua, ratione cuius cōpetit ipsi negatio diuisionis suarū partium: sed formalitas prius cōpetens alicui debet esse distincta formaliter ab illa, quæ posterius ipsi competit: ergo ens formaliter loquendo nequit esse formalitas illa ratione cuius competit illa negatio diuisionis, rei, quæ est vna.

11. *Obiicies*: Illa negatio, quam dicit Vnum, quā tale, potest sequi ad ipsum ens formaliter absque aliqua alia formalitate positiua superaddita: ergo frustra poneretur aliqua alia formalitas positiua.

*Respondeo* distinguendo antecedens: absque superaddito aliquo positiuo realiter distincto, concedo antecedens; formaliter distincto, nego antecedens.

*Dices*: si poneretur per impossibile ens formaliter loquendo, absque alia illa formalitate, deberet necessario habere aut partes diuisas, aut nō habere partes diuisas; sed non haberet illas diuisas: ergo non diuisas, & consequenter haberet negationem, quam dicit Vnum: ergo frustra superadditur formalitas distincta etiā formaliter.

*Respondeo* negando antecedens: sed potius sequeretur tum quod haberet partes diuisas, & quod non haberet illas diuisas, haberet enim illas diuisas ex suppositione; quod nō haberet illas sine diuisione: & nō haberet illas diuisas, quia non haberet ptincipiū formale, ratione cuius cōpeteret ipsi nō habere illas diuisas: & hinc implicat, quod ponatur ens sine illa formalitate positiua, ad quā sequitur necessario illa negatio, quæ propterea ipsi idētificatur realiter. *Alij dicunt* quod in tali casu impossibili ens nō esset nec vnū, nec multa, quia non haberet principiū formale aut diuisionis aut indiuisionis, nec alterum ex cōtradictoriis debet de qualibet re prædicari posse in casu omni impossibili qualis est casus propositus in replica; quæ etiam responsio non videtur mala.

## *ADDITIO.*

Meam Vnius in hac quæstione nu. 8. explicationē negat Mastrius disp. 5. Met. n. 110. esse legitimā, quia sola distinctio realis absque diuisione potest inducere multitudinē transcendentalē, quā excludit vnitas, quod esset falsum secundū meā explicationē; tum quia vnum per accidens vere participaret rationem vnius, quod est passio entis perinde ac si foret ens per se; nam eius partes non sunt separatæ realiter & distinctæ. Respondet etiā ad rationes meas ad primā negando assumptū, quoad primā partem, quia corpus & anima coniuncta non dicuntur vnū, sed vnita & partes in continuo sunt plures, & multæ transcendentaliter licet sint vnitæ, & continuæ, ratione cuius continuitatis dicuntur vnum, non quidem vnitate entitatiua & transcendentali, sed integrali & quantitatiua. Ad secundam negando minorem, quia aliqua possunt esse plura, & multa, etiamsi non sint realiter separata, per solam distinctionem, vt constat de anima, & corpore in homine & partibus continui. Sed imprimis; cum ipsemet Mastrius inferius n. 112. amplectatur doctrinam Alensis ac suam sententiā propriam eius authoritate confirmet; mirum videri possit cur meam reiiciat, quæ est illa, quam in terminis ab ipsomet propositis tradit Alensis: Et sane, qua ratione explicat Mastrius Alensem de negatione diuisionis in partes, vel essentiales vel subiectiuas, posset etiam me sic explicare: neque n. Alensis vtitur nomine partis magis quam ego; neque mea verba aliquid continent aduersum illi explicationi magis, quam Alensis. Sed explicatio prorsus est inconueniens: nam si iuxta illam intelligeretur Alensis, doctrina eius esset falsa, malè autem explicatur vllus Author sic, vt reddatur doctrina eius falsa, si aliàs commode possit explicari aliter; quod autem esset falsa si explicaretur de partibus essentialibus, vel subiectiuis patet, quia sequeretur, quod plures aquæ non continuæ essent vnum vnitate transcendētali, quia haberent negationem diuisionis in partes essentiales, ex quo patet non solum Mastriū male explicasse Alensem, sed vnum, dum dicit vnū esse, quod habet negationē diuisionis in partes siue essentiales, siue subiectiuas.

Quam explicationem vlterius impugno manifeste ex ipsiusmet principiis; nam sequeretur, quod totum per accidens, vt verbi gratia, homo albus, esset vnum vnitate transcendentali, quod ipse negat, tam vbi me impugnat, quam vbi defendit suam sententiam.

Probatur sequela, quia secundū ipsummet ibidē, vt tale totum non est vere totū; ita non habet partes essentiales in quas diuidi posset, & ex quibus constituatur: ergo

habet

habet negationem diuisionis in partes essentiales: Et si quis dixerit pro Mastrio negatione diuisionis in partes essentiales, quas dicit vnum esse negationem diuisionis in partes in quas posset diuidi, licet nõ diuidatur in illas, Cõtra, quia sic nullũ ens simplex Physice esset vnũ contra ipsum Mastriũ & omnes. Addo obiter cõtra explicationẽ ipsius, qua dicit, quod vnitas dicat negationẽ diuisionis in partes, siue essẽtiales, siue subiectiuas, addo inquam contra hoc pessime in ea addi, siue subiectiuas.

Prima, quia sufficeret ponere partes essentiales ex suppositione, quod illud esset vnum, quod non esset diuisum in partes essentiales (quã suppositionem admittit Mastrius) nam & totum potentiale haberet etiam non esse diuisum in partes essentiales, neque enim animal, vt sic, est diuisum in partes essentiales.

Secundo, quia sequeretur, quod nullum totum potentiale esset vnum, quia omne tale est diuisum in partes subiectiuas: ergo non haberet negationem diuisionis in partes subiectiuas; quæ impugnatio est euidens, si tamẽ bene intelligo Mastrium, de quo sane dubito; nam non possum excogitare sensum aliquem bonum ob quem rationabiliter induci poterat ad addendam illam particulam; vnde operæ preciũ esset vt se amplius declararet.

Sed vt, quod ad me spectat, directe faciam. Respondeo licet sola distinctio realis inducat multitudinem realem eorum, quæ sic distinguuntur, & propterea verum sit dicere, quod in continuo non sit vna tantum pars, sed plures, & in homine non sit vna tantum pars Physica, sed duæ, de quo nec ego vnquam dubitaui, nec aliquid est in mea descriptione vnitatis, ex quo oppositum sequatur; tamen distinctio realis partium inclusarum in aliqua re non inducit multitudinem realem rei in qua includuntur, neque enim verum est dicere, quod homo in quo includuntur plures partes tam essentiales, quam integrales sit plures res, sed potius verum est dicere, quod sit vna res, & tamen si partes ipsius non essent vnitæ, non esset verum dicere, quod totum conflatum ex illis esset vna res simpliciter.

Vnde in forma Respondeo ad primã impugnationẽ Mastrij, distinctio realis inducit multitudinem earum rerum, quæ distinguuntur realiter concedo; illius rei quæ includit res distinctas realiter nego: sed secundum meã explicationem esset falsum, quod distinctio realis induceret multitudinem rerũ distinctarũ realiter, nego: rei in qua includuntur concedo & nego consequentiam.

Ad secundam impugnationem nego antecedens, quia quamuis haberet negationem diuisionis suarum partium tam bene, quam quod est vnum per se, non tamen negationem diuisionis talium partium, nam vnum per se habet negationem diuisionis partium, quarum vna sit in per se potentia ad aliam partem; vnum vero per accidens habet negationem diuisionis talium partium, quare euidens est, quod vnum per accidens non esset vnum per se sicut illud, quod est vnum per se.

Ad cuius maiorem explicationem aduerto, quod vel vnum vt sic, possit abstrahi ab vno per se, & vno per accidens; vel non potest; do quodcumque voluerit Mastrius, neque de huius veritate hic contendam, quia non facit ad meum propositum.

Si possit abstrahi, verum erit, quod vnum per accidens habebit rationem vnius, vt sic, per hoc, quod habet negationem diuisionis suarum partium, tam bene quam vnum per se, licet non habebit rationem vnius per se, sicut illud, quod est vnum per se.

Si non possit abstrahi; sed illud quod est vnum vt sic, vnitate transcendentali erit vnum, vel quia est omnino simplex, vel quia est compositum ex partibus vnitis, quarum vna sit in per se potentia ad alterum, & tunc euidens est, quod vnum per accidens non erit vnum vnitate transcendentali vt sic, quia non est sic compositũ: & quando ego dixi, quod vnum vt sic est, quod non habet partes diuisas, hoc debet intelligi, vel ex eo quod non habet partes vllo modo; vel si habet partes, quod habeat partes non diuisas, quarum vna sit in per se potentia ad alteram; neque opus erat vt hoc explicarem; quia in hac suppositione omnes deberent conuenire, & facile possent id intelligere quibus aliquid esset ingenij aut doctrinæ.

In rei autem veritate existimo vnum vt sic, quod est passio entis posse abstrahi ab vno per se, & vno per accidens, (si tamen ens ipsum possit abstrahi ab ente per se, & ente per accidens, de quo nolo disputare iam) quia potest dici esse illud, quod non habet principia constitutiua ipsius diuisa, & postea illud vnum potest, & solet diuidi in vnum simplex, quod est illud quod non habet partes realiter distinctas vllo modo, & in vnum compositum, quod habet partes, sed non diuisas; & tum potest vlterius diuidi vnum compositum in illud, quod habet partes non diuisas, quarum vna est in per se potentia ad alteram; & in vnum compositum, quod habet partes non diuisas, quarum vna non est in per se potentia ad alteram: ex his autem vnis, vt ita loquor, primum potest dici esse vnum compositum per se; & alterum vnum compositum per accidens, & sic etiam solent communiter vocari.

Addo vlterius ad secundam hanc impugnationem Mastrij posse me respondere, sicut ipsemet respondet, quando obiicit illam contra suam sententiam; nempe quod vnum par accidens, non habeat vere partes, quæ sane responsio, quamuis in se non valeat, vt supra ostendi, tamen tam mihi potest sufficere quam illi.

Nunc videamus an bene soluerit rationes meas.

Prima ratio mea erat, quod quidquid non includit plura seu separata à se inuicem, sit vnum.

Respondet hoc negando; quia corpus & anima coniuncta non dicuntur vnum sed vnita, & partes in continuo sunt multæ licet sint vnitæ. Sed hæc exempla non sufficiunt ad ostendendum non esse veram propositionem meam; nec vllum aliud dabit Mastrius ad eam impugnandam sufficiens; neque n. anima, & corpus coniuncta est aliquid includens multa vnita, sed potius sunt ipsamet multa vnita; vnde quamuis non sit vnum, non sequitur aliquid contra me.

Eodem modo dico de partibus continui vnitis, quod vt sic, formaliter consideratæ, non includant plura vnita, sed sint plura vnita; vnde quamuis non sint vnum vnitate transcendentali, nihil mihi præiudicat. Ad quod addo falsum esse, quod partes continui vnitæ non sint vnum vnitate transcendentali, quia quamuis sint plures, & multæ ob suam distinctionem, tamen sunt vnũ quid & quidem vnitate transcendentali ob suam vnionem; nec est inconuenis, quod aliquid sit vnum, & plures secundum diuersas considerationes; vnum quidem quatenus non habet partes separatas, plures vero, quatenus est aliquid conflatum ex partibus distinctis realiter, & non distinctum realiter ab ipsis: ex quo etiam patet, quod anima & corpus vnita possunt dici vnum, & non tantum vnita præsertim in sententia non distinguente totum per se à partibus, simul sumptis & vnitis: & sane inconsultè mihi videtur Mastrius, cum opponeret sibi: quod distinctio realis partiũ hominis, v.g. tolleret vnitatem, declinare difficultatem recurrendo ad distinctionem tertiæ entitatis hominis, quasi non posset saluari vnitas hominis, nisi in sententia admittente tertiam entitatem. Ad secundam meam rationem negat minorem, quia aliqua possunt dici multa, quæ sunt vnita & nõ separata, vt patet de anima, & corpore in homine, & de partibus continui. Sed ex dictis patet hanc responsionẽ non valere; quamuis enim aliqua possũt dici multa quæ sunt vnita; tamen nihil potest dici multa, cuius partes sunt vnitæ; nec enim continuũ aut homo dicitur multa.

## QVÆSTIO III.

*De Veritate entis.*

12. QVamuis nemo sit, qui non possit discernere inter hominem verum & hominem non verum, v.g. pictum, & inter aurum vnum & aurichalcum, quod non est verum aurum, sed falsum, licet sit verum aurichalcum; & quamuis non possit quis discernere inter illa, nisi haberet conceptũ hominis veri, & nõ veri, & aurum veri, ac non veri: tamẽ nõ est adeo facile explicare cõ-

ceptum entis veri. *Aliqui* describunt Verum vt sic per ordinem ad sua principia ita, vt illud sit censendum Verum, quod habet conformitatem ad sua principia. *Alij* per ordinem ad idæas. *Alij* dicunt quod Verum sit illud, quod habet negationem apparentis, & quod veritas consistat in illa negatione. *Alij* malunt dicere quod Verum sit illud, quod dicit respectum conformitatis ad intellectum. *Alij* denique putant Verum esse, quod dicit denominationem extrinsecam desumptam ab intellectu, & veritatem consistere in tali denominatione.

## CONCLVSIO. I.

Non bene explicatur veritas per negationem entis falsi.

13. *Licet Verum dicat negationem entis falsi, seu non veri, tamen non bene describeretur per talem negationem.* Hæc est communior, *& probatur*, quia non potest talis negatio intelligi, quin antecedenter intelligatur ens falsum: sed ens falsum vel nequit intelligi, quin intelligatur ens verum; vel si potest sic intelligi, sine ordine aut negatione entis veri, etiã ens verum poterit intelligi & explicari sine negatione entis falsi, aut ordine ad illum.

*Confirmatur*, non magis bene explicaretur ens verum per negationem entis falsi, quam ens falsum per negationem entis veri: sed si alterum ex ipsis explicaretur per negationem alterius, committeretur vitiosus circulus, & ignotum declararetur per ordinem ad ignotius: ergo neutrum sic bene describitur.

*Confirmatur secundo*, quia non potest cognosci, quod aliquid dicat negationem rationis formalis alterius, quin cognoscatur habere rationem formalem oppositam: ergo non potest cognosci, quod aliquid habeat negationem entis falsi seu falsitatis, quin cognoscatur habere rationem veritatis oppositam: ergo male explicaret quis alicui rationẽ veritatis per talem negationẽ, quandoquidẽ prius deberet cognoscere ipsam rationẽ veritatis, quàm cognosceret esse talem negationem.

## CONCLVSIO II.

Male describitur ens verũ per ordinem ad sua principia.

14. *Male describitur ens Verum per ordinem ad sua principia.* Hæc est communis contra *Meurisse hic q. 3. Probatur*, quia vel explicaretur per ordinem ad sua principia extrinseca, vel intrinseca: sed neutrum dici potest: ergo. Probatur minor, quia non per ordinem ad principia extrinseca; quia Deus est ens verum, & tamen non habet principia extinseca: non etiam per ordinem ad intrinseca, tum quia conceptus entis vt sic, cum sit simplicissimus, non habet principia intrinseca, ex quibus componeretur, aut constitueretur; tum quia ens falsum etiam habet principia intrinseca sua tam bene, quam ens verum; nam certe homo pictus & aurichalcum habent principia intrinseca, ad quæ dicunt ordinem, non minus quam homo verus, aut aurum verum: ergo non potest bene describi ens verum aut aurum per ordinem ad conformitatem ad principia intrinseca.

*Alij* addunt pro probatione, quod idem non possit dicere respectum realem ad seipsum: sed veritas entis debet esse quid reale: ergo non potest consistere in respectu aut ordine ad sua principia intrinseca, quæ non distinguuntur ab ipso ente. Sed non adeo placet hæc probatio, quia non esset inconueniens, quod aliquid diceret respectum aptitudinalem ad se ipsum, qui realiter ipsi identificaretur; & esset tantum formaliter ab ipso distinctus: & sic videtur quod intellectus, quatenus intelligibilis à se ipso, dicat, respectum ad seipsum.

## CONCLVSIO III.

Quid est ens verũ.

15. *Ens, verum potest bene describi esse illud, quod est conceptibile per conceptum entis realis, ita vt ille conceptus conueniat ipsi: & veritas eius formaliter loquendo consistit in illa conceptibilitate, quæ tamen conceptibilitas non est denominatio extrinseca, sed aliquid positiuũ, realiter identificatum enti, & ab ipso formaliter distinctum.* Hæc *quoad primam partẽ* videtur esse in re eorum, qui dicunt, quod consistat veritas entis in conformitate ad intellectum.

*Quoad secundam vero partem* est contra eos, qui dicunt quod veritas sit denominatio extinseca: *& quoad tertiam*, contra negantes distinctionem formalem.

*Probatur prima pars*, quia omni & soli enti Vero conuenit illa descriptio, nihil enim est ens Verum, quod non sit sic conceptibile; & nihil est sic conceptibile, quod non est verum ens; & præterea potest hæc descriptio facile intelligi, nec vlla melior assignari potest.

*Confirmatur*, quia illud est ens fictum & non Verum, quod non potest concipi, seu exprimi per conceptum entis realis, seu cui nequit conuenire ille conceptus: ergo illud est ens verum, cui potest conuenire.

*Confirmatur secundo*, quia species entis dicuntur esse vere in ratione sua particulari, v. g. homo dicitur esse verus homo, & aurum dicitur esse verum aurum, per hoc quod conueniat ipsi. Et hinc dicitur quod homo pictus non sit verus homo, sed fictus homo, & quod aurichalcum non sit verum aurum, sed fictum, quia reuera conceptus auri realis & hominis realis non conuenit ipsi: ergo similiter ens vt sic dicitur esse verum per hoc quod sit conceptibile conceptu entis realis.

Non datur falsitas opposita veritati entis vt sic in entibus realibus. Datur falsitas opposita veritati particulari in entibus.

16. *Hinc patet* nullam dari falsitatem oppositam veritati entis vt sic in rebus realibus, sed solum in entibus rationis. Cum enim ipsa ratio entis realis reperiatur in omnibus entibus realibus, etiam conceptibilitas illa, in qua consistit veritas enti vt sic, debet necessario competere ipsis, & consequenter falsitas ipsi opposita non debet illis conuenire.

*Patet secundo*, quod possit dari falsitas opposita veritati rationis particularis entis contenti sub ente, v. g. hominis & auri, quia illæ rationes particulares non debent esse in omni ente; & consequenter potest negatio talis particularis conceptibilitatis competere multis entibus, & sic sine dubio negatio conceptibilitatis cõpetentis homini vero, & auro vero, conuenit homini picto, & aurichalco. Nec tamẽ hæc negatio sola sufficit, vt aliquid dicatur habere ficte, aut falsè rationem illam, cui competit talis corruptibilitas: nã licet lapis non sit cõceptibilis conceptu auri realis, aut hominis realis, tamen non dicitur esse aurũ falsum, aut homo falsus, aut fictus. Requiritur ergo vlterius vt habeat aliquã similitudinẽ cum re illa, in ordine ad quã diceretur fictũ, aut falsum, ratione cuius similitudinis vocaretur, aut vocari posset eodem nomine cum illa. Quia ergo lapis non vocatur homo, nec aurum, propterea non potest dici fictus, aut falsus homo, aut aurum: quia vero homo pictus dicitur homo, & aurichalcum dicitur aurum, quandoquidem non competat ipsis conceptus auri, aut hominis realis, propterea possunt dici aurum falsum & homo falsus, seu non verus.

Veritas non est denominatio extrinseca.

*Probatur secunda pars* conclusionis: posse concipere rem hoc modo, non est denominatio extrinseca intellectui, sed intrinseca, secundum omnes; ergo nec posse concipi est denominatio extrinseca rei conceptibili. Probatur consequentia à paritate rationis.

17. *Dices*: concipere actu est denominatio intrinseca intellectui orta ex cognitione ipsi inhærente, & tamen concipi actu est denominatio extrinseca obiecto cognito; ergo quamuis posse concipere sit denominatio intrinseca intellectui, posse tamen concipi potest esse denominatio extrinseca obiecto.

*Respondeo* negando consequentiam, quia habetur ratio, ob quam denominatio concipiẽtis sit intrinseca intellectui, & denominatio concepti sit extrinseca obiecto; non verò habetur ratio, ob quam denominatio potentis concipere sit intrinseca intellectui, & denominatio potentis cognosci non sit similiter intrinseca.

Distinguitur formaliter ab ente.

*Tertia pars* patet ex dicendis de distinctione formali, & de vnitate. Si enim detur distinctio formalis, & vnitas sit quid sic formaliter distinctum ab ente vt sic, fine dubio idem dicendum est de cognoscibilitate illa.

18. *Obiicitur* contra primam partem: quamuis non daretur aliquis intellectus possibilis, daretur verum aurum, & verus lapis, & verum ens: ergo non consistit veritas in vllo ordine, quem dicit res vera ad intellectum. Probatur antecedens, quia si nullus intellectus daretur, aurum non esset aurichalcum, sed verum aurum, & aurichalcum non esset verum aurum, sed falsum: ergo.

*Respondeo* distinguendo antecedens: verum aurũ formaliter loquendo, nego; materialiter loquendo, cõcedo antecedens,

antecedens, & similiter distinguo probationem, & nego consequentiã. Haberet quidem illud aurum, quod modo dicitur verũ aurũ, illud ipsum esse physicũ, quod modo habet; & aurichalcũ haberet esse suum proprium, & similitudinẽ, ac dissimilitudinem, quam de facto habet ad aurũ, quod dicitur verũ, nec deesset aliquid præter illam conceptibilitatẽ, sed huius solius carentia sufficeret, vt non diceretur aurum formaliter, aut aurum falsum.

*Obiicies secundo:* si aliquis quæreret ab aliquo, quid intelligat per hominem verũ, & per hominẽ non verũ, diceret quod per hominem verum intelligeret illud, quod esset animal rationale, per hominem non verum illud, quod vocaretur quidem homo, sed non esset tamẽ animal rationale, & sic bene explicaret se: sed non poneret in explicatione ipsius illam conceptibilitatem, ergo conceptibilitas nostra non est veritas, aliàs sine ipsa res vera nequiret explicari.

*Respondeo* illam explicationem non esse bonam explicationem hominis veri, & non veri formaliter loquendo, sed hominis veri realiter & specificatiue.

An veritas sit, quid respectiuũ.

19. *Quæres*, an illa formalitas positiua, in qua consistit ratio formalis veritatis, sit quid respectiuũ an absolutũ.

Ratio dubitandi est, quia ex vno capite videtur esse respectiuum, quandoquidem non possit intelligi, nisi per modum respectus. Ex alio vero capite videtur non posse esse respectus, quia conuenit enti vt sic, antequam contrahatur ad esse respectiuum; nullus autem respectus videtur posse esse prior quam sit ens respectiuum vt sic, ad quod contrahitur ratio entis vt sic per formalitatem aut modum oppositum modo, quo contrahitur ad ens absolutum. Ex qua etiam ratione sequi videtur similiter, quod non possit esse absolutum, quia conuenit enti, antequam descendat ad ens absolutum vt sic. Vnde videtur dici debere, quod illa formalitas abstrahat ab absoluto & respectiuo, sicut ens ad quod sequitur.

20. *Respondeo* tamen quod illa formalitas sit quid transcendentaliter respectiuum, quia quidquid probat aliquem respectum transcendentalem dari, probat etiam illum respectum esse transcendentalem; & si non obstante quod illa formalitas non posset intelligi nisi per modum respectus talis; adhuc tamen non esset respectus eodem modo posset dici de quocumque respectu tali, quod non esset respectus, quamuis non posset intelligi, nisi per modum respectus.

Ad rationem autem in oppositum dico, respectum vt sic, in quem diuiditur ens vt sic, non cõprehendere sub se proprietates respectiuas entis vt sic, quia non cõprehẽdit sub se directe, nisi illa, de quibus ens vt sic potest formaliter prædicari: non potest autẽ prædicari formaliter de proprietatibus suis aut vllis vt dictum est supra, nec indirecte comprehendit sub se nisi proprietates, & differentias, & partes, ac accidentia eorum, quæ directe comprehendit sub se; proprietates autem entis vt sic non sunt tales, vt patet; ergo non debet comprehendere illa. Et quod dico hic de Veritate, æquè currit de aliis proprietatibus respectiuis entis vt sic, si quæ sunt tales. Propter hoc tamen non improbabile est, quod non sit respectus nisi secundum dici: quod etiam de aliis respectibus transcendentalibus similiter dici posset.

## *ADDITIO.*

Rationem qua in hac quæstione probaui conceptibilitatem entis non esse denominationem extrinsecam Mastrius disput. 5. Met. num. 127. asserit non valere, quia non conuincit illos qui negant veritatem consistere in illa conceptibilitate, quamuis concederent totum. Illi vero qui concedunt veritatem consistere in tali conceptibilitate negarent consequentiam, quia ens rationis potest concipi & tamẽ posse concipi in ipso non dicit intrinsecam denominationem cum non prius habeat esse intelligibile quam intellectum, & in tantum dicatur posse concipi quatenus potentia intellectiua valet illud fingere.

At verumne sit meam rationem, non valere, an potius hæc censura in Mastrij impugnationem quadret, responsione mox danda patebit.

Dico ergo meam rationem fuisse adductam directe contra eos qui dicebant veritatem consistere in illa cõceptibilitate; vnde quamuis alios id negantes non conuinceret, non sequeretur, quod non valeret, modo conuinceret id concedentes; quod autem conuincat hos patet à paritate rationis; quia non est maior ratio cur posse concipere sit denominatio intrinseca in intellectu, quàm posse concipi sit denominatio intrinseca in ente reali, de quo ego debebam intelligi, quia de ipso & veritate ipsius agebatur: vnde quamuis posse concipi in ente rationis esset denominatio extrinseca propter rationem Mastrij, tamen non inde sequeretur, quin posse concipi in ente reali esset denominatio intrinseca, quia ratio illa Mastrij, ob quam colligit, quod posse concipi in ente rationis esset denominatio extrinseca non currit de ente reali, vt manifestum est.

Dico secundo falsum esse, quod posse concipi in ente rationis sit denominatio intrinseca & non extrinseca, & falsum esse quod ad id probandum adducitur, nempe quod ens rationis non sit prius intelligibile quàm intelligatur; & quod eatenus dicatur ens rationis posse concipi, quia intellectus potest illud concipere, magis quam id sit verum dicere de ente reali; vt patet ex dictis supra contra Mastrium in additione ad qu. 1. de ente rationis, & quamuis etiam verum esset, quod ens rationis non deberet prius esse intelligibile, quam intelligeretur; tamen non sequeretur, quod intelligibilitas ipsius esset denominatio extrinseca desumpta ab intellectu, aut intellectione; sicut nec ex eo, quod non sit prius ens reale esse intelligibile, aut factibile, quam intellectum posse illum intelligere, & omnipotentiam posse ipsum producere, non sequitur, quod intelligibilitas & producibilitas eius sit denominatio extrinseca desumpta ab intellectu & omnipotentiã.

Dico tertio meam rationem conuincere etiam eos qui negarent veritatem entis consistere in conceptibilitate tali vel tali eius; quia quamuis hoc esset verũ, adhuc sequeretur, quod non esset potior ratio cur cõceptibilitas eius esset denominatio intrinseca, quam quodcumque aliud in quo cum vlla probabilitate posset dici ab illis, quod consisteret veritas entis realis, de quo agitur.

Addo ad hæc obiter non bene à Mastrio eodem loco impugnari Auersam, Arriagam & Quiedum diuersis rationibus probantes denominationem veri in rebus esse intrinsecam; quod facile possem euidenter ostendere; sed imprimis esset extra intentum principale, & præterea, nullus est qui id non videret, si vel leuiter reflectere voluerit, & si omnes malas impugnationes, quibus vtitur Mastrius, quis confutare vellet, certe integra posset conficere volumina. Optarem valde vt ipsemet, vel parcior esset, vel circumspectior in grauibus Authoribus impugnandis.

Eadem disput. paulo ante *n.* 146. meam sententiam in hac quæstione de natura veritatis, quatenus *n.* 20. dico esse respectum transcendentalem, impugnat, quia cum veritas vt sic sit passio entis adæquata, debet esse ciusdẽ latitudinis & abstractionis cum ipso; cũ ergo ens vt sic, tantæ sit abstractionis vt nec formaliter relatiuũ sit, nec tantæ sit abstractionis vt nec formaliter relatiuũ sit, nec absolutũ vt sic distinguitur à relatiuo, etiam transcendentali; absolutum enim dicitur, quod à sua ratione formali excludit omnem ordinem ad aliud, etiam trascendentalem.

Confirmat hoc, quia ens vt sic commune est cuicumque enti tam absoluto, quam respectiuo etiam transcendentaliter: ergo debet ratione talis communitatis ab omni tali inferiori præscindere.

Confirmat secundo ex ipso nomine veri: verum enim ex vi vocabuli non dicitur ad aliud; non enim dicitur verum, sicut dicitur simile alicuius simile: ergo quamuis soleat veritas explicari per respectum; falsum tamen

est, quod ex sua ratione formali respectum importet.

His tamen non obstantibus si dentur vlli respectus transcendentales, existimo probabilissimum esse, quod verum sit talis respectus; & quidquid sit de huius veritate à parte rei, certe nullo modo sufficienter impugnatur à Mastrio, vt iam ostendam.

Dico ergo, quod quamuis veritas sit passio adæquata entis & eiusdem latitudinis cum ipso, non tamen propterea debere eam esse eiusdem abstractionis cum ente ita, vt debeat abstrahi ab omni illo à quo ipsum ens vt sic ex se formaliter abstrahit; quod euidenter demõstro, quia ens vt sic ex sua ratione formali abstrahit ab ipsamet veritate in quocumque collocatur veritas, neque enim ex se formaliter dicit veritatem, cum hæc sit passio ipsius: ipsa autem veritas non abstrahit à seipsa: ergo veritas, & idem est de cæteris passionibus entis, non est tantæ abstractionis, quantæ est ipsum ens.

Concedo ergo, quod ens vt sic abstrahat ab absoluto & respectiuo, etiam transcendentali, quia formalitas eius nõ est nec absoluta, nec relatiua transcendẽtaliter, & concedo etiam quod absolutum vt sic distinguatur à relatiuo etiam transcendentaliter, & quod ex sua ratione formali excludat omnem respectum ad aliud etiam transcendentale; sed inde nihil habetur ad propositum, aut contra meam doctrinam; cum hoc enim posset consistere, quod proprietas entis vt sic, & entis absolute posset esse respectiua transcendentaliter; neque enim proprietas entis vt sic est de ratione formali ipsius; neque proprietas entis absoluti est de ratione formali entis absoluti, vt manifestum est in principiis Scoti, & omnium Scotistarum, quæ non credo vel ipsum Mastrium, cum paululum supra se reflexerit, negaturum.

Quod si velit Mastrius ens absolutum ita præscindere à respectiuo, vt nullo modo realiter dicat respectum transcendentalem; hoc nequit consistere cum principiis admittentibus respectus transcendentales; nam si dantur, identificabuntur realiter entibus absolutis, & ipsamet potentia formalis, quam habet causa ad producendum, & materia ad recipiendum formam, est respectus transcendentalis identificatus causæ & materiæ.

Ad primam Confirmationem Respondeo concedendo totum, sed patet ex dictis nihil inde haberi contra meam doctrinam.

Ad secundam Confirmationem Respondeo primo si valeret, secuturum quod veritas entis relatiui non consisteret in relatione contra ipsummet, quia relatio vera quatenus vera, non dicitur esse alicuius vera magis, quam ens absolutum verum: ergo si ex eo, quod ens absolutum verum non dicitur esse alicuius verum, sequitur quod veritas eius non sit respectus transcendentalis; idem dicendum de ente relatiuo vero.

Respondeo secundo negando assumptum cum consequentia probationis, quæ si valeret, sequeretur quod vnitum non diceret relationem formaliter, quia non dicitur vnitum esse alicuius vnitum.

Nego etiam quod non possit dici verum esse alicuius verum, potest enim dici esse verum intellectus, nam cum nihil aliud sit esse verum, vt hic loquimur de vero; quam esse id quod potest hoc vel illo modo intelligi ab intellectu, potest dici esse verum intellectus, hoc est intelligibile sic ab intellectu; quamuis ille modus loquendi non sit in vsu.

Adde ipsummet inferius *num.* 152. dicere quo pulchrum & sanum dicant à parte rei relationes, quamuis non dicatur pulchrum alicuius pulchrum, nec sanum alicuius sanum: ergo hæc ratio nihil valet ad probandum, quod verum non dicat respectum.

Quo etiam numero ponit fundamentum meum ad probandum, quod veritas sit respectus transcendentalis, quia quidquid probat aliquem respectum transcendentalem dari, probat veritatem esse respectum talem, & si non obstante quod formalitas veritatis non possit explicari nisi per modũ respectus, talis adhuc non esset respectus, eodem modo posset dici de quocumque respectu tali, quod non esset respectus talis, quamuis non posset intelligi, nisi per modum respectus. Quod meum fundamentum asserit esse idem fere cum fundamento Auersæ, quo probat eandem meam sententiam, quia veritas est conformitas; conformitas autem est respectiua.

Ad vtrumque autem Respondet Mastrius, dicendo Auersam supponere falsum, nimirum veritatem à parte rei in conformitate cõsistere, quod si, inquit, amitteretur, argumentum conuinceret, quia reuera conformitas est relatio, sed falsum est veritatem secundum id quod à parte rei importat, in conformitate consistere, etiamsi à nobis per conformitatem aliquam explicetur; neque sequitur ex eo, quod aliquod explicatur per modum respectus esse reuera respectum; nam multas perfectiones in Deo explicamus per respectũ, vt scientiã, omnipotentiam, & quæ tamen non sunt respectus, sed perfectiones absolutæ; & multa explicare solemus per absoluta quæ à parte rei sunt respectus, vt de bono, malo, sano & pulchro docet Doctor quodlibet. 18. & ita procedimus in notitia rerũ occultarũ; quãdo autẽ res est manifesta & sensui subiecta, vt est similitudo, æqualitas & aliæ relationes, quæ aliquo pacto sub sensum cadũt, tunc valet dicere, quod si definiuntur per respectum, hoc est, quia reuera respectum important à parte rei.

Verum hæc doctrina Mastrij, non satisfacit fundamento Auersæ, aut meo, & præterea multa continet, quæ quis iure miretur à viro docto prodiisse.

Imprimis cum negat veritatem in conformitate consistere, quamuis explicetur per conformitatem, vel contradictionem inuoluit, vel nullum habet sensum: nam quando explicamus veritatem per conformitatem, dicendo rem esse veram ex eo, quod sit cõformis; aut hoc est verum à parte rei, aut non est verum. Si est verum, ergo veritas à parte rei, dicit conformitatem, & consequenter si conformitas sit respectus, veritas erit respectus. Si non est verum: male & falso dicimus rem esse veram ex eo, quod sit conformis, & consequenter pessime ita explicamus verum aut veritatem.

Nec prorsus videtur conceptibile, quod verum possit explicari per veritatem, nisi quatenus diceret à parte rei conformitatem formaliter, aut quatenus conformitas à parte rei aliquo modo conuertitur cum ipsa, quodcumque autem horum dicatur, inde euidenter conuincitur doctrinam Mastrij esse falsam.

Melius esset lõge dicere, quod quamuis veritas sit cõformitas, & conformitas explicetur sic vt videri posset relatio; nõ tamẽ sit relatio secundũ esse, suppositio quod ex aliis principiis posset colligi, quod non esset relatio.

Secundo quamuis ex eo, quod aliquod explicetur per modum respectus, non sequatur quod sit respectus si aliunde colligatur, quod non sit respectus; tamen si id aliunde non colligatur, potius debet dici esse respectus; non autem probauit Mastrius sufficienter, quod verum non sit formaliter respectus; ergo si explicetur per modum respectus, potius debet dici esse respectus: quod si quamuis nõ possit explicari nisi per modum respectus, & non probetur quod non sit respectus, adhuc possit dici non esse respectus, sane negari possunt omnes respectus, vt est euidens.

Tertio falsum asserit, quod perfectiones diuinæ verbi gratia, omnipotentia, scientia, quæ non sunt respectus explicentur per modum respectus; nam non explicãtur bene per modũ respectus (loquimur autem de explicatione bona; mala enim non facit ad rem) sed potius explicantur per modum respectiui, seu alicuius habentis respectum transcendentalẽ, & talem etiam habẽt à parte rei, si dentur vlli tales respectus, sunt enim perfectiones absolutæ transcendentaliter relatæ. Et præterea nõ est idem de ipsis ac veritate, aut aliis respectibus dicendum, quantum ad inclusionẽ respectus, quia vt supponitur sunt rationes quibus probari possit, quod formaliter dicant entitatẽ absolutam, non est autẽ talis ratio de veritate, aut aliis respectibus transcendentalibus.

Quarto non minus falsum est, quod, quæ dicũt respectus, quatenus dicũt respectus, explicẽtur bene per absolutũ; id enim impossibile est, vt patet ex terminis, &

quia

quia non potest assignari vlla talis explicatio, quæ sit bona vt videbit ipse Mastrius,nec oppositum huius docuit Doctor quodl.19.

Quinto falsum est quod similitudo, & æqualitas sint sensui subiecta magis,quã conformitas rei ad intellectũ: vnde si illæ relationes definiuntur per respectum; quia à parte rei important respectum, idem dicendum de conformitate ac veritate.

Ad quæ addo ipsum nihil dicere ad meum fundamentum;nempe quod si dentur vllæ relationes trascendentales,veritas debeat dici talis;quia est eadem ratio de illa ac illis; & sicut negaretur veritas esse respectus, ita posset negari quæcumque relatio transcendentalis.

Ad hoc inquam in tota responsione Mastrij nihil habetur.

Denique quod in fine eiusdem numeri dicit, faciliorem viam ac magis obuiam explicandi veritatem esse ipsam explicare per respectum conformitatis,non videtur vt ante dixi habere apparentiam, nisi veritas sit talis respectus à parte rei aut illum dicat.

Eadẽ quæstione *num*.159.adducit duas rationes quibus probo in hac quæstione *num*.14.quod non bene explicetur veritas rei per cõformitatẽ ad sua principia intrinseca(quod & ipse Mastrius mecum tenet.)Prima est, quia cõceptus entis vt sic cũ sit simplicissimus nõ habet principia. Secũda quia ens falsũ habet principia intrinseca sua & conformitatẽ ad illa non minus,quã ens verum.

Asserit autẽ has rationes facile solui posse à Meurisse,qui oppositã doctrinã tenet;quia ille potestatur nomine principiorum non debere sẽper intelligi principia verè constitutiua tamquam partes,sed vniuscuiusque rei veram ac solidam naturã,& sic ens habet principia,secundũ ipsum:negaret etiam Meurisse, inquit Mastrius, ens falsum vt sic habere cõformitatem ad sua principia intrinseca, perinde ac ens verum; nam licet auricalcum non sit verũ aurum,est tamen verum auricalcum,& homo pictus est verus homo pictus, seu vere pictura hominis; vnde hæc entia habent sua principia intrinseca constitutiua non quatenus falsa,sed quatenus vera.

Hic primo liberet inquirere cur me in cõclusione secũ conuenientẽ impugnet;cum similem modum agendi in me reprehendat; sed hoc alias sæpe aduerti & parui est momenti, Ad rem ipsam nego tam facile Meurisse soluere meas rationes quam Mastrius putat, qui sibi forte non videretur satis ingeniosus,nisi ipsi facilia essent quæ reuera difficilia sunt.

Itaque quamuis Meurisse dicat naturam cuiuscumque rei esse principium eius, & propterea assereret ens habere principium.

Tamen non posset sane cum vlla proprietate,aut probabilitate dicere quod haberet principia,si enim non habet nisi vnam naturam simplicissimam nullas includentẽ formalitates distinctas formaliter aut virtualiter; quo sensu possit dici,quod habeat principia,vtcumque darẽ, quod in aliquo sensu possit dici habere principium,sicut poterit dici habere naturam, & natura rei poterit dici principium eius. Stat ergo adhuc pace Mastrij prima ratio mea in suo robore;nec facile aut difficulter potest solui à Meurisse cum vlla probabilitate.

Nec melius soluitur secunda mea ratio per ea,quæ adducit Mastrius pro Meurisse:Quia verum est simpliciter de homine non vero & auro non vero, quod habet sua principia intrinseca,& conformitatem ad illa,& tamen non est homo verus;nec aurum verum;nec refert,quod ens falsum vt sic cum illa reduplicatione non haberet principia intrinseca,nã sufficit ad impugnandam prædictam explicationem entis veri,quam nego bonam,quod simpliciter habeat principia intrinseca, neque, enim ponitur aliquod additum, aut restrictio, aut limitatio,aut reduplicatio, ergo si ens falsum habet principia quibus est conforme simpliciter, erit ens verum, quod est falsum,& consequenter prędicta explicatio veri debet censeri non esse bona.

Adde etiam hominem non verum,& aurum non verum,etiam quatenus non vera sunt,habere principia intrinseca quibus habent conformitatem,nam certe Auricalcum etiam vt est aurum non verũ,seu falsum, habet principia intrinseca quibus habet conformitatem;nam illa ipsa principia intrinseca, quibus redditur auricalcum verum,sunt principia ipsius, quibus redditur Aurum falsum, si enim non haberet illa,aut alia æquiualentia non esset aurum falsum.

Omitto hic,sed obiter tamen noto ipsummet Mastriũ non recte impugnare Meurissem, vt quiuis non magni etiam ingenij per se deprehendere poterit.

Cõtra meã doctrinã de ẽte vero hic *n*. 15. opponit Mastrius disp.5.*n*.160.quod quãuis forte in re à sua nõ distet modus tamẽ loquẽdi non placeat:quia videor explicare veritatem per eius essentiam,sed qua parte dici Mastrius sibi non placere meum loquendi modum,nolo aliquid contra ponere, tũ quia de gustibus non est disputandũ;tum quia eo magis confirmor in opinione quod sit bonus,video enim frequentiùs meliores modos non placere Mastrio,& placere peiores.Sed dum asserit videri me explicare veritatẽ per essentiam,si per hoc intelligat,quod ita illam explicem per essentiam vt nihil aliud ponam in explicatione,quod non sit essentia,aut vt velim essentiam esse de formali ratione veritatis,manifeste imponit mihi,cum expresse ponam conceptibilitatem in descriptione eius quæ non est de essentia rei,nec dici formaliter ipsã: Quod mirum est non aduertisse Mastrium cum ipsemet inferius *num*.171.adferat meam responsionem qua concedo quod si daretur aurum, quod modo est verum à parte rei absque conceptibilitate,non esset verum aurum formaliter.

Nec refert,quod dicam hominem dici verum hominem, quia conceptus hominis realis ipsi conuenit; nec enim sensu huius est,quod ab hoc præcise & formaliter haberet esse verus homo,sed quod hoc requiritur,& sine hoc non haberet veritatem hominis.

*Num*.172.ait se mirari cur ego concedam,quod si per impossibile non esset intellectus non daretur aurum verum formaliter;sed tantum fũdamentaliter;nam quamuis hoc sit verum, tamen ego similem responsionem ab ipso datam passim refuto. Sed miretur Mastrius quantum voluerit,ego nego vnquam me refutate talem solutionem vbi vere & rationabiliter adhiberi potest;sed mirandum potius esset,quod tam celebris Magister non videatur discernere quando recte adhiberi possit, & quando non.

## QVÆSTIO IV.

### *De bonitate entis vt sic.*

21. ETiam in hac quæstione varij sunt modi dicendi; quamuis in re ipsa vix multum controuersię esse possit;vnde res ipsa proponenda est,& modus loquendi relinquendus est cuiusuis optioni,sed præferendus semper,qui apud Doctores magis cnmmuniter est in vsu.

*Itaque primò*,potest Bonitas ẽtis vt sic ita capi,vt significet integritatẽ entis,quantum ad omnia,quæ necessaria sunt ad eius essentialem constitutionẽ,& in hoc sensu illud est bonum ens, quod habet quæcumque requiruntur ad constitutionẽ entis non datur autem aliquod ẽs malum,prout Malum opponitur huic bonitati, quia eo ipso,quo deficeret ipsi aliquid spectãs ad constitutionem entis,deficeret esse ens,& sic non posset esse Malum ens:& quamuis possit dari aliquid,quod non sit ens,nimirum ens rationis; tamen non propterea esset Malum ens,sed potius non ens,vt patet ex communi modo loquendi. Quamuis autẽ huiusmodi integritas possit vocari bonitas entis,reuera tamẽ existimo eã non esse bonitatẽ,quæ sit proprietas eius:quia hæc integritas non consequitur ad essentiã entis,sed consistit in ipsamet essentia ipsius, seu inclusione & habitione integræ essentiæ:hoc autem non potest præsupponere essentiam.

22. *Secundo* potest Bonitas capi pro perfectione, ita vt idem sit esse Bonum ac esse perfectũ, & idem sit esse perfectum ac habere omnia,quæ connaturaliter exigit habere quantũ ad partes integrales, & accidentia ipsis connaturalia

cónaturalia ex ratione sua specifica: & in hoc sensu omnia entia sunt perfecta & bona in ratione entis, vt sic & nullum ens potest esse Malum: bene tamen potest aliquod ens esse Malum secundum rationem particularem, & carere consequenter bonitate secundum rationē illam particularem; vnde bonitas hoc modo accepta potest esse proprietas entis vt sic, & cuiuslibet entis particularis, quatenus includit illam rationem; bonitas vero entis particularis, quatenus particularis est, non potest esse proprietas eius, quia potest ens particulare carere huiusmodi perfectione; equus enim, cui deesset pes, vel oculus, careret integritate partium integralium suarum, & homo male dispositus propter infirmitatem careret accidentibus connaturalibus sibi, & sic nec equus ille, aut homo, esset perfectus homo, aut equus, nec consequenter bonus in hoc sensu, sed potius imperfectus ac malus. Quare bonitas huiusmodi rei secundum rationem particularem est potius accidens ipsius, quandoquidem possit adesse vel abesse, quàm proprietas.

23 *Tertio* potest Bonitas sumi pro perfectione rei, secundum quam vna res dicitur perfectior altera, quamuis vtraque sit bona, & perfecta æqualiter duobus primis modis: & hæc bonitas in principiis *Scoti* non est passio entis vt sic, quia non conuenit relationibus diuinis, vt tradi solet in materia de Trinitate, sed est passio entis Quanti, quod est inferius ad ens vt sic. Sed prorsus est valde difficile describere bonitatem seu perfectionem, vt sic in hoc sensu, sic vt ratio eius non conueniat relationibus diuinis: quod tamen examinandum relinquo in prædicto de Trinitate tractatu.

*Quarto* denique potest capi Bonitas, prout coincidit cum appetibilitate ita vt illud sit Bonum, cuius existentia est appetibilis, & illius existentia sit censenda appetibilis, quod deseruire potest ad aliquem effectum positiuum conducentem ad bonum vniuersi, seu complementum eius: & in hoc sensu Bonum est proprietas entis vt sic; est enim conuertibile cum illo, & sequens ad naturam ac essentiam eius, ac inseparabile ab illo, etiam de potentia absoluta. Nec quidpiam vlterius requiritur ad cognitionem Bonitatis vt sic, quæ est passio entis, & considerationis metaphysicæ.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### *De diuisionibus aliquibus entis vt sic.*

Variæ diuisiones entis vt sic.

VAriis modis potest ens vt sic diuidi adæquatè potest enim diuidi in *ens finitum*, & *infinitum*, intelligēdo per ens finitum & infinitum omne illud, quod est realiter aut formaliter finitū aut infinitum. Similiter diuidi potest immediatè in *ens necessarium* & *contingens*: ens *à se & ab alio* ens *per se*, & ens *in alio*: ens *absolutum* & *respectiuum*: ens *in potentia obiectiua*, & *actu entitatiuo*, seu existentiæ, hoc est in ens, quod vel est actu existens, vel potens existere actu. Quatum diuisionum sensus & sufficientia facile constat ex explicatione terminorum Nec refert, quo ex illis modis primo diuidi debet. Ex his autem membris *ens finitum* & *contingens* potest diuidi in decem, vel plura, vel pauciora prædicamenta, ac classes, vt patet ex dictis in Logica.

Quia vero omnia hæc membra abstrahunt à materia, propterea omnia sunt cōsiderationis metaphysicę; quare qui Metaphysicam integram tractare vellet, de omnibus his in particulari agere deberet, & consequenter omnia illa, quę cognoscuntur de Deo, Angelis, accidente vt sic, & substantia secundū omnes considerationes naturales naturaliter cognoscibiles absque reuelatione, poponi in ea possent. Nihilominus, quoniam quæ ad Deum & Angelos spectant, in Theologia tractari solent, & quia de substantia, ac aliis prædicamentis actum est in Logica, & de substantia corporea ac incorporea, viuente ac non viuente in tractatu de Anima: nihil præterea nobis hîc remanet discutiendum de his membris.

# DISPVTATIO IV. ET VLTIMA.

## *De Distinctionibus.*

QVamvis sæpissimè per totum hunc Cursum de Distinctione reali, formali, & rationis mentio facta fuerit, exacta tamen explicatio earum ad hunc locum referenda videbatur, non solum quia sine dubio hæc consideratio spectat ad Metaphysicam, & ab aliis etiam pluribus Authoribus hoc ipso loco tradi solet; sed quia cū res in se sit difficilis, expectandum erat vt Tyronum ingenia, præcedentium disputationum cognitione redderentur matura: & deinde, si, quod primum decreueram, in Logica hæc disputatio proponeretur, excresceret primus Tomus ad improportionatam reliquis duobus magnitudinem.

## QVÆSTIO I.

### *Quid sit distinctio realis.*

Quid distinctio.

1. NOtandum primo distinctionem vel esse relationem, quæ intercedit inter aliqua, quæ non sunt idem vt talia; vel esse negationem identitatis earum. Quemamodum autem ens vt sic diuiditur in ens reale & rationis, & hoc adæquatissimè, quia sub ente reali vt sic comprehēduntur omnia entia siue positiua, siue negatiua, quę non sunt entia rationis: ita etiam distinctio, vt sic potest adæquate diuidi in *distinctionem realē*, & *rationis*.

Distinctio vt sic ad adæquate diuiditur in realem & rationis.

*Rursus* distinctio realis in hac generalitate diuiditur in distinctionem realem *positiuam* & *non positiuam*: distinctio realis *positiua* est, quæ intercedit inter res, seu formalitates, seu modos positiuos; distinctio realis *nō positiua*, est quæ intercedit, vel inter negationes & priuationes, vt est distinctio quæ est inter negationem albedinis, negationem nigredinis, & quæ est inter priuationem visus & priuationem auditus, vel inter rem positiuam & priuationem aut negationem, vt est distinctio quæ est inter hominem & negationem albedinis aut priuationem visus.

Item distinctio realis in positiuā & non positiuā.

Denique distinctio realis positiua diuiditur in distinctionem realem *propriſſimam*, & distinctionē *formalem*: & quidem distinctio realis *propriſſima* vocatur communiter *distinctio* realis simpliciter, & sine vllo addito; est enim perfectissima distinctio, & sæpe accidit vt perfectissimum ex membris diuidentibus non habeat nomen aliquod speciale præter nomen diuisi. De hac ergo distinctione reali in præsenti quæstione agimus.

Item distinctio realis positiua in realē & formalē

## CONCLVSIO.

Quid distinctio realis propriissima.

2. *Distinctio realis propriſſima est illa, quæ reperitur inter ea quæ sunt separabilia, seu quorum vnum potest esse sine altero: vel inter ea, quorum vnum est principium seu causa alterius, vel denique inter ea quæ subiectantur immediate in rebus separabilibus, & non quatenus faciunt vnum per se, cum tamen ipsamet sint inseparabilia.* Hæc conclusio videtur esse communis.

*Probatur*, quia secundum omnes distinctio realis propriissima est illa, quæ reperitur inter res positiuas, quarum vna non est altera, seu quod est idem, quarum vna habet negationem identitatis realis cum altera: sed taliter se habent res prædictæ: ergo distinctio, quæ est inter illa, est realis propriissima.

Probatur minor *quoad primam partem conclusionis*, quia certum est quod quęcumque res quę potest existere sine alia re, non sit eadem cum alia re, alias contra primum principium idem esset, & non esset simul.

Probatur minor *quoad secundam partem conclusionis*, quia de fide est, esse distinctionē realem inter Personas diuinas, & vnam ex illis non esse alteram, quamuis non sint separabiles, ex eo quod vna vere & realiter producatur ab alia: ergo vbicumq; erunt res aliquæ, quarū vna

princi

principiatur verè & realiter ab alia, ibi erit distinctio realis propriissima, & vna non erit altera.

Probatur denique eadem minor *quoad tertiam partem conclusionis*, quia ex eo colligitur communiter quod similitudo vnius parietis non sit eadem realiter cum similitudine alterius parietis, quia subiectantur immediatè in parietibus separabilibus realiter, & non quatenus faciunt aliquod vnum: ergo quandocumque aliquid subiectatur in re separabili ab alia re, & non quatenus facit aliquod vnum cum illa, non erit idem realiter cum vllo quod subiectatur in illa altera re, modo tamen secundum se sint inseparabilia.

*Addidi* autem illam particulam, *& non quatenus faciunt vnum*; quia in sententia Thomistarum aliquorum, quantitas subiectatur in materia & forma immediate, quæ tamen sunt separabiles: & quamuis non existimem hoc esse verum, tamen volui hic abstrahere ab illa controuersia.

*Addidi* etiã, *immediate subiectatur*, quia aliquid potest subiectari in rebus separabilibus, ita vt immediatè subiectetur in vna, & mediate in alia, vt patet in albedine, quæ immediate, subiectatur in quantitate, & mediate in substantia, secundum communionem opinionem.

*Obijcies contra primam partem* conclusionis: est eadẽ natura humana in Petro & Paulo, & nõ distinguitur realiter à singularitate vllius ex ipsis, & tamen potest eadẽ formaliter natura reperiri à parte rei in Petro, sine hoc quod singularitas Pauli sit à parte rei: ergo aliqua possunt esse separabilia, quorum vtrumq; sit quid singulare, nego; quorum vnum sit vniuersale, concedo consequentiã. Itaque in conclusione intelligendum est, quod illa singularia quæ sunt separabilia; sunt distincta realiter, seu quod distinctio, quæ est inter ipsa, sit realis propriissima.

Quæ productio arguit distinctionem realem?

4. *Obijcies contra secundã partem*: essentia rei est principium propriæ passionis: sed secundum nos nõ distinguitur proprietas realiter ab essentia, à qua dimanat: ergo illa distinctio quæ est inter principium, & principiatum, non necessario debet esse realis.

*Respondeo* distinguendo maiorem: est principium per actionem veram & realem, nego maiorem; est principiũ, quatenus ab ea dimanat non realiter, sed quasi metaphysice, concedo maiorem; & cõcessa minori, distinguo similiter consequens; quæ est inter principium physicũ & reale, quod per actionem veram & realem principiat, nego; quæ est inter principium metaphysicum, quod non producit vere & realiter, concedo consequentiam.

5. *Obijcies contra tertiam partem*: anima quæ informat immediate digitum, non distinguitur realiter ab anima quæ informat immediate caput: sed digitus & caput, sũt subiecta realiter distincta: ergo aliquid subiectatum in vno subiecto non necessario distinguitur realiter ab eo quod subiectatur in altero subiecto distincto realiter.

Aliquod potest esse in diuersis subiectis cõtinuatis non vero in discontinuatis.

*Respondeo* distinguendo consequens: si illa duo subiecta constituant vnum per se siue integrale siue physicũ, concedo consequentiam: si non constituant, nego consequentiam. Eadem autem anima licet posset informare diuersa subiecta realiter continuata inter se inuicem, & constituentia aliquod vnum integrale, tamẽ non potest simul informare subiecta distincta realiter non continuata, nec constituentia vnum per se integrale; vnde distinctio quæ est inter animam informantem vnum subiectum, & animam informantem aliud subiectum discontinuatum ab illo, & non faciens cum illo vnum per se, est necessario distinctio realis.

6. *Obijcies secundo* contra eandem partem: essentia diuina singularis, quæ est in Patre æterno, nõ distinguitur realiter ab essentia diuina singulari, quæ est in Filio, & Spiritu sancto, qui distinguuntur à Patre realiter, & non faciunt cum ipso aliquod vnum: ergo aliquid repertum in vno ex iis, quæ distinguuntur realiter, non necessariò distinguitur realiter ab eo quod reperitur in altero ex iis, etiamsi non faciant vnum per se.

Aliquid illimitatum potest esse in subiectis realiter distinctis.

*Respondeo* modo breuiter (relinquendo exactiorem huius rei resolutionẽ tractatui de Trinitate) cõcedendo antecedens & distinguendo consequens: si illud sit infinitum & illimitatum, concedo consequentiam; si illud sit finitum & limitatum, nego consequentiam.

7 *Obijcies tertio contra eandem partem*; eadem numero albedo posset esse per diuinam virtutem in diuersis subiectis, verbi gratia in Petro & Paulo, & quidem immediate; ergo subiectatum immediate in vno subiecto non necessario distinguitur à subiectato in altero.

*Respondeo*, quidquid sit de antecedente (de quo alias) distinguendo consequens; naturaliter nego; supernaturaliter concedo.

*Respondeo secundo* distinguendo consequens: quando potest subiectari in vno, quin subiectetur in altero transeat, nec hoc est contra conclusionem. quando non potest, negatur: & iuxta hoc etiam posset responderi ad primam obiectionem contra hanc partem.

8. *Obiicies vltimò* contra totam conclusionẽ: vnio materiæ & formæ non potest separari à toto composito, quod resultat ex illis, neque etiam est principiũ ipsius, neque est in subiecto distincto ab ipso toto cõposito, & tamen est distincta realiter ab ipso: secundũ nos, qui ponimus totũ distingui à partibus simul sumptis & vnitis: ergo non illa sola est distinctio realis quã assignauimus.

Cur vnio distinguitur realiter à toto cõposito.

*Respondeo* negando maiorem pro secunda parte; nam illa vnio, vt diximus in Physica, est causalitas materiæ & formæ respectu totius, & consequenter est principium vt quo ipsius in actu secundo, id est, illud quod est ratio formalis in actu secundo producendi ipsum totum,

*Deinde* respondeo, negando maiorem pro tertia parte, quia illa vnio habet pro subiecto partes, totum autẽ compositum non habet pro subiecto partes, vt patet.

9. *Obiicies vltimò* Spiritus sanctus, quamuis non procederet à Filio, secundum *Scotum*, & omnes suos discipulos distingueretur realiter ab ipso: sed in tali casu non esset separabilis ab ipso; nec principium aut principiatum eius, nec etiam subiectatum aut inclusum in diuerso subiecto, vt patet: ergo non descripsimus distinctionem realem adæquate, hoc est, sic, vt comprehenderet omnem distinctionem realem.

Cur Filius distingueretur realiter à Spiritu sancto, quãuis non principiaret ipsum.

*Respondetur* negando consequentiam, quia licet in tali casu non esset principium nec principiatum, tamen ex natura sua intrinseca posset esse principiatum in alio casu, nimirum illo qui de facto est; & hoc sufficit, vt dicatur ab ipso distingui realiter: neque enim quando diximus principiationem arguere distinctionem realem, intelleximus id tantum de principiatione actuali, sed etiam de possibili.

*Deinde*, posset dici & bene, quod descripsimus in conclusione omnem distinctionem realem possibilem, non vero distinctionem omnem quæ daretur in casu impossibili, qualis est casus iam propositus.

10. *Quares*, vtrum distinctio, quæ est inter rem, & modum rei, verbi gratia inter subiectum & relationem; substantiam singularem & personalitatem, seu suppositalitatem eius, sit distinctio realis propria.

An distinctio rei à modo sit realis?

*Ratio dubitandi* est, quia non est indicium, seu signũ aliquod distinctionis realis inter ipsa, nisi separabilitas; sed quamuis res possit esse sine modo, hoc est subiectum sine relatione, & natura singularis sine subsistentia; tamen modus secundum communem omnium opinionem non potest esse sine re, cuius est modus; nam relatio non potest esse sine subiecto; nec subsistentia siue personalitas sine natura singulari: ergo non est distinctio realis propria inter illa.

*Probatur* cõsequentia, quia separabilitas mutua, qualis est inter Petrum & Paulum, videtur arguere maiorem distinctionem quam separabilitas non mutua, qualis est

inter

inter rem & modum: sed separabilitas mutua non arguit nisi distinctionem realem propriam: ergo separabilitas non mutua nequaquam arguit talem, aut tantam distinctionem.

*Confirmatur*, quia distinctio realis propria debet esse inter rem, & rem: sed distinctio quæ est inter rem & modum, non est distinctio rei à re, sed rei à modo: ergo non est realis.

Propter hæc *Suarez disp. 7. met. sect. 1. n. 16.* contendit huiusmodi distinctionem, non esse realem, sed esse distinctionem ex natura rei.

*Verum Suarez* laborat in quæstione de nomine, & certe tam conueniens est vt vocetur realis illa distinctio quam vt vocetur ex natura rei, præsertim cum distinctio realis, quæ est secundum ipsum inter res solum, sit etiam ex natura rei inter illas res, quemadmodum & distinctio etiam formalis.

*Deinde* distinctio realis propria est illa, quæ est inter extrema positiua, quæque opponitur distinctioni formali & distinctioni rationis, sed sine dubio distinctio rei à modo est huiusmodi: ergo est distinctio realis positiua propria, quamuis non sit inter extrema mutuo separabilia.

*Vnde* ad rationem dubitandi *Respondeo* negando consequentiã cum maiore suæ probationis: nam quod modus non possit existere sine modificato, non prouenit ex defectu distinctionis, sed ex natura particulari sua, quæ quandoquidem sit essentialiter determinatiua modificati, non potest sine ipso existere.

*Cõfirmatur hæc responsio* & infirmitas obiectionis, quia si mutua separabilitas argueret maiorem distinctionẽ quam separabilitas non mutua, etiam separabilitas mutua naturalis, qualis est inter Petrũ & Paulũ, verbi gratia, argueret maiorẽ distinctionem quam separabilitas non mutua naturalis qualis est inter Petrũ & albedinẽ, vel inter intellectum & intellectionem, & consequenter non daretur distinctio realis propria inter Petrũ, & albedinem, sicut datur inter ipsum & Paulũ, quod est contra *Suarez*, & omnes: ergo mutua separabilitas non arguit maiorem distinctionem quã non mutua, aut certe si arguit non sequitur, quin illa etiã distinctio, quam arguit separabilitas non mutua, sit etiã propria & realis.

*Ad confirmationem* respondetur negando maiorem: non enim propterea dicitur realis propria, quod si inter res, sed quod sit positiua & opposita distinctioni formali & distinctioni rationis: Si quis tamen velit distinguere inter distinctionẽ realẽ, quæ est inter res mutuo separabiles, & illã quæ est inter res non separabiles mutuo, poterit vocare primã distinctionẽ realem realissimam, & secundam distinctionem realem modalem.

Tria sũt indicia distinctionis realis.

11. *Ex his colligitur primò*, signa seu indicia colligendi distinctionem realem inter aliqua saltem in omni casu possibili, esse tria, quorum primum est separabilitas extremorum, secundum est productio vera & realis, tertium denique subiectatio immediata in rebus distinctis realiter, modo supra explicato.

*Colligitur secundo*, cum distinctio realis vel sit negatio identitatis realis, vel certe relatio realis, ad quam sequitur necessario talis nagatio, omnia illa positiua esse identificata realiter, inter quæ nõ intercedit distinctio realis; seu quod idem est, omnia illa esse eadem realiter, quæ non distinguuntur realiter: vnde essentia diuina, & paternitas, iustitia, misericordia, cæteraque attributa diuina non distinguuntur realiter; non enim est vllum indicium distinctionis realis inter ipsa, & hoc omnes Catholici fatentur. Similiter quia in creatis animalitas & rationalitas hominis non distinguuntur realiter, quia non est indicium vllum talis distinctionis inter illa, sequitur quod debeant esse identificata realiter, & consequenter quod sint vna omnino res.

## *ADDITIO.*

Mastrius disputatione sexta *num.* 175. adducit doctrinam meam in hac quæstione *num.* 10, qua vt ostenderem distinctionem rei à modo separabili esse realem, negaui contra Suarium distinctionem realem esse illam solam, quæ est inter rem & rem; sed potius esse illã quæ opponitur distinctioni rationis ac formali, ac interuenit inter extrema positiua, quæ distinctio cum interueniat inter rem & modum separabilem, concluси illam distinctionem esse realem, quamuis non intercedat inter rem & rem, vt res opponitur modo.

Quamuis autem hæc doctrina videatur euidens & non possit habere vllam difficultatem aliam, quàm de nomine, tamen Mastrius, vt nimis subtilis videri vult, contra eam dicit in ea nihil exprimi distinctionis realis vt à formali distinguitur, nã per hoc quod sit à parte rei, & opponatur distinctioni rationis, nõ secernitur à distinctione formali, quæ etiam est talis; nec etiam per hoc quod sit inter extrema positiua, quia hoc etiam conuenit distinctioni formali, per quid ergo opponitur distinctioni formali? Certe, inquit, non alia ratione nisi quia extrema positiua distinctionis formalis sunt realitates & realitates, at extrema distinctionis realis sunt res & res? vnde infert incõsultè me negare distinctionẽ realem esse illam, quæ est inter rem & rem, vt defenderem distinctionem modalem Recentiorum esse realem; potius enim deberem negare modum non esse rem.

Sed imprimis cum ergo expresse dicam distinctionem realem esse illã, quæ interuenit inter positiua & opponitur distinctioni formali, hoc est, est talis distinctio inter positiua, quæ non est formalis, expresse pono in mea descriptione, aliquid, per quod secernitur à distinctione formali, neque enim de formali dici potest, quod non sit formalis, aut quod opponatur distinctioni formali, & nullus est qui sciat quid sit distinctio formalis & rationis, qui non possit cognoscere ex mea descriptione quænã sit distinctio realis, videndo enim quod aliqua distinctio non sit formalis, nec rationis, & quod tamen sit distinctio versata inter positiua, potest concludere euidenter quod sit distinctio realis; vnde cum possit cognoscere, quod distinctio rei à modo separabili, non sit formalis, nec rationis, optime colliget, eã esse realẽ, quia est inter positiua, & omnis illa sit distinctio realis, quæ versatur inter positiua, & non est formalis nec rationis.

Deinde quamuis omnis distinctio, quæ est inter res & res sit realis, tamen capiendo rem vt opponitur modo, quæ acceptio est frequentissima, & non potest negari, nisi excitando quæstionem inutilem de nomine, pessime diceretur distinctio realis, vt sic, esse quæ versatur inter rem & rem, quia si ita esset, distinctio rei à modo non esset realis.

Recte non inconsulto, sed consultissime negaui distinctionem realem vt sic esse quæ versatur inter rem & rem, in sensu in quo conueniebam cum Suario, quem impugnabã, in acceptione rei & modi; & pessime negarem modum esse rem, quia hoc ipse concedebam Aduersario, nec possem id negare nisi vt dixi excitando inutilem quæstionem de nomine,

Eadem disp. *n.* 184. Mastrius proponit meam responsionem ad obiectionem propositam *n.* 5. quæ opponitur vni ex signis distinctionis realis, nempe subiectationi in diuersis subiectis, contra quod signum obiicitur, quod anima rationalis subiectatur in diuersis subiectis,

Respondi non esse signum infallibile, & vniuersale distinctionis realis subiectationem in diuersis subiectis, quomodocumque, sed talem esse subiectationem in diuersis subiectis non continuatis, nec facientibus aliquod vnum.

Quam doctrinam existimo adhuc veram loquendo de potentia ordinaria, & secludendo miracula; vnde de facto quoties videmus aliqua subiectari in diuersis subiectis discretis, & non facientibus vnum per se, possumus secure dicere, quod distinguantur realiter; neque enim naturaliter fieri potest vt quod est in vno subiecto non continuato cum altero, possit poni in illo altero.

Contra hoc tamẽ opponit Mastrius solita subtilitate, quod cõtinuatio subiectorum non possit afferre maiorem vnitatem subiectatis, quã subiectis ipsis, his autem non affert vnitatẽ identitatis, sed continuationis ac integritatis: ergo tantã tantum adferre potest subiectatis.

Accedit

Accedit, inquit, quod Deus sit in omnibus mundi partibus quantumuis dissitis, & quod Angelus possit esse præsens pluribus partibus dissitis & discontinuis intra sphæram loci sui adæquati; ergo aliunde quam ex continuatione oriri potest vt anima informare possit plures partes corporis.

Respondeo breuiter, manifestum esse quod naturaliter nequeat vna forma inhærere subiectis discontinuis, & consequenter quod possit continuatio partium esse conditio requisita & sufficiens vt aliqua forma eadem posset esse in diuersis subiectis, quæ non posset esse in illis sine continuatione; & in hoc sensu continuatio adfert maiorem identitatem formæ subiectatæ in rebus continuatis quam ipsismet rebus continuatis, quia cum continuatione fieri potest vt eadem forma possit naturaliter esse in rebus continuatis; sed fieri nequit vt ipsæ partes continuatæ sint identificatæ realiter, quia si essent, non continuarentur, idem enim sibi non continuatur.

Ad illud de Deo, dico potius fauere mihi, quia Deus ipse non est præsens partibus dissitis non continuatis mediate vel immediate, nec est præsens partibus dissitis, quin sit præsens partibus intermediis.

Quãuis autem esset, nihil faceret ad rem, quia illud signũ distinctionis realis respicit formas & res creatas.

Quod ad Angelos verò attinet, nego illos posse naturaliter esse præsentes partibus loci adæquati, discretis, & dissitis, quin sint etiam præsentes intermediis, quod & Theologi communiter negant.

Sed videamus quomodo illemet Mastrius respondet ad illam difficultatem, dicit animam seruare identitatem suam in diuersis partibus, quia ob sui illimitationem non est adæquate in vlla ex illis; ob qualem etiam illimitationem ait Angelum esse in pluribus partibus loci adæquati: vnde vt regula allata, seu signum distinctionis realis habeat veritatem, intelligi debet sic, vt ea intelligantur realiter distincta, quæ sunt in pluribus rebus realiter distinctis totaliter, & adæquate, quo pacto anima non est in pluribus partibus corporis.

Ad quod addit hoc signum distinctionis realis, licet sit verum cum allata à se declaratione, tamen videri superfluum quia coincidit cum alio signo distinctionis realis, nimirum cum signo separationis actualis secundum vnionem.

At pace Mastrij, hæc declaratio non explicat, sed implicat vim huius signi, quod si intelligendum esset hoc modo, omnino inutile esset, non ex eo tantum quod coincideret cum alio signo, si coincidat, vt ipse asserit; sed numquam posset deseruire vt aliquis deueniret ad cognitionem quod aliqua realiter distinguerentur: nam si solum intelligi debet sic, vt quæ sunt adæquate in diuersis subiectis, distinguantur, vt quis ex subiectatione aliorum colligat distinctionem, debet cognoscere, an adæquate sint in illis diuersis subiectis, an non; & si id sciat, iam sciet eo ipso quod sint distincta realiter, vnde ex subiectatione non deducetur ad huius cognitionem, sed ex alio principio. Imo si examinetur bene, sensus huius regulæ & signi iuxta Mastrij explicationem esset, quod quæ ita se habent in diuersis subiectis, vt vnum limitetur ad vnum subiectum sic, vt non possit esse in alio, quia scilicet illud vnum subiectum adæquatum ipsi, debeat esse distinctum ab altero, quod meo iudicio ridicule satis adduceretur pro signo ad inquirendum distinctionem realem.

At si intelligatur signum hoc meo modo, qui facillimus est, erit optimum signum, sensus enim erit, quod quæ subiectantur in diuersis subiectis discontinuis, sint distincta realiter, si res relinquãtur in ordine suo naturali, & nisi Deus faciat miraculum. Posset etiam addi quod illa dicenda sint & habẽda pro distinctis realiter, quæ subiectantur in diuersis subiectis siue continuatis, siue discretis; quãdo aliunde non constat quod habeant identitatem; & hinc dicendum quod partes albedinis inexistentis subiecto extenso sunt distinctæ realiter, & quod non sit eadem pars, quæ est in diuersis partibus: idem etiam dicendum de partibus aliarum animarum præter rationalem, quia non constat ex aliis principiis quod sint identificatæ, aut quod sint indiuisibiles.

Restat examinandum an verum sit quod dicit Mastrius, hoc signum subiectationis in diuersis subiectis coincidere cum alio signo de separabilitate quoad vnionem; vt hoc autem discutiatur, videndum quid ille intelligat per talem separabilitatem.

Dicit ergo inferius *num.* 106. separabilitatem quoad vnionem esse quam illa habent, quæ possunt existere in rerum natura absque vnione, & hanc sufficere ad distinctionem realem colligendam, etiamsi inter talia non sit separabilitas quoad existentiam, seu etiamsi non possunt existere sine se inuicem, vnde quamuis Pater & Filius, ac duo similia nequeant, vt sic, formaliter existere absque se inuicem, quia tamen non sunt vnita ac intimè coniuncta, censentur realiter distincta.

At ego fateor me non intelligere hoc signum hoc modo explicatum sic, vt possit esse ad propositum seu vtile ad inuestigandum distinctionem realem aliquorum de qua dubitaretur, in ordine autem ad hoc proponuntur signa distinctionis realis ab Authoribus:

Ratio autem est: Quia si hoc signum sic declaratum posset esse vtile ad colligendam distinctionem realem aliquorum, quæ non posset colligi aliunde ex separabilitate quoad existentiam, vel ex productione reali, maximè ad colligendam distinctionem correlationum quę non possunt separari quoad existentiam, nec producunt se mutuo; sed ad hoc non est vtile: ergo ad nihil.

Probo minorem, Quia non possum cognoscere quod Paternitas & Filiatio, v.g. aut similitudines duorum alborum sint aliqua distincta non vnita realiter nisi vel ex eo quod subiectentur in diuersis subiectis non vnitis, vel ex alio aliquo capite, nam possem existimare quod esset vnica forma quæ esset in duobus illis subiectis: Ergo prius debeo habere vnde colligam quod sint distincta realiter, quam ex hoc signo possim illud colligere, & consequenter hoc signum, ad minus vt explicat ipsum Mastrius, ad nihil prorsus deseruit.

Ex quo infero quandoquidem possit naturaliter loquendo colligi distinctio aliquorum ex subiectatione in diuersis subiectis non continuatis, illam regulam de subiectatione vtiliorem esse, quam hanc de separabilitate quoad vnionem quæ nullo modo potest sufficere, & consequenter illam alteram neque esse superfluam, neque coincidere cum hac, vt inaduertenter asserit Mastrius.

Vlterius *num.* 188. §. *Respondeo.* Adfert duas meas responsiones ad obiectionem propositam *num.* 9. & ait vtramque esse falsam.

Primam quidem, Quia in eo casu supponitur non esse communicata Filio virtus spiratiua, scilicet voluntas fœcunda, ergo in eo casu nec produceret, nec posset producere.

Quod si dicatur posse tamen ipsum producere in alio casu, qui scilicet de facto est, hoc non iuuat, quia licet posset sufficere ad distinctionem realem in casu qui de facto est, non tamen in illo casu, quia talem potentiam producendi Spiritum sanctum tunc Filius non haberet. Tum quia quando Aduersarij dicunt quod in diuinis non est distinctio realis nisi vbi obuiat relationis oppositio, facile potuisset Doctor respondere, adhuc eo casu obuiare talem oppositionem quia vnus potest alium producere in alio casu; Sed non recurrit ad hoc sed dicit eos distingui per relationes disparatas incompossibiles; tum quia ex hoc quod Filius posset producere Spiritum sanctum in alio casu, deducent Thomistæ quod in illo alio casu tantum distinguerentur realiter.

Ad hæc breuiter Respondeo, negando primam meã responsionem esse falsam, & ad impugnationem Mastrij, nego supponi in casu quod Spiritus S. non procederet à Filio, ipsi non esse communicatam virtutem spiratiuam, seu voluntatem fœcundam quoad omnia positiua,

tiua, quam inuoluit illa virtus & voluntas.

Certum est enim ex omnibus Theologicis principiis, vt supponitur tum cõmunicatam esse Filio essentiam diuinam,ita etiam supponi communicata ipsi omnia attributa ipsius & consequenter intellectum ac voluntatem quoad omnem perfectionem absolutam quã dicit;& licet non esset tum dicenda fœcunda, hoc tamen non oriri ex defectu vllius perfectionis, sed ex eo quod supponatur Spiritus sanctus in eo casu productus à Patre adæquate, & quod voluntas vt fœcunda connotat non esse sic productum terminum eius, hoc est Spiritum sanctum;vnde si non esset sic productus Spiritus sanctus, non minus certum est quod Filius haberet quo ipsum posset producere absque vllo alio principio positiuo præter ea,quæ tum haberet;& quod hoc sufficit ad hoc quod distinguatur ab ipso realiter,nõ solum in alio casu;sed in illo ipso, nam ad distinctionem realem,etiam actualem, aliquorum sufficit quod vnum habet omnia principia, quibus posset producere alterum,in casu quo alterum nõ esset ab alio adequate productũ; neque enim absque reali distinctione posset ipsum producere, casu quo non esset productũ ab alio ex euidentissimo principio, quod idẽ nõ posset producere seipsum,etiã in casu quo non esset productum ab alio.

Quare cum filius haberet voluntatem diuinam cum cognitione perfectissima essentiæ diuinæ, & voluntas diuina supposita tali cognitione sit principium, quo ipsemet Pater producit Spiritum sanctum, sequitur quod filius posset producere Spiritum sanctum, casu quod non esset productus,& consequenter quod etiam in illo casu distingueretur realiter ab ipso.

Per quod patet ad primum quod opponit Mastrius.

Ad secundum dico quod quamuis Scotus posset facile recurrere,dum respondet aduersariis ad doctrinam meam & non recurreret, sed ad aliam, non inde sequi quin mea esset bona.

Dico secundo quod ipsa responsio Scoti in re ipsa coincidit cum mea;nam in casu illo filius distingueretur à Spiritu S. nõ per relationes formaliter oppositas, sed per disparatas incompossibiles;nam quandoquidẽ filiatio esset talis vt Filius per eam constitutus posset Spiritum sanctum producere casu,quo nõ esset productus à Patre, sequitur manifestè quod distingueretur realiter à Spiritu S.& consequenter quod non esset disparata quomodocumque,sed itavt esset incompossibilis in eadem persona cum spiratione passiua.

Ad tertium dico quod male assereret Thomista, quod Filius non esset in eo casu distinctus à Spiritu S. sed quod esset distinctus in alio casu, in quo posset ipsum producere;nam vt dixi,sufficit vt distinguatur realiter in illo casu,quod in illo ipso casu posset producere,nisi supponeretur aliunde adæquate productus, sicut ignis colligitur sufficienter distingui realiter ab alio simul existente per hoc, quod posset ipsum producere,quamuis actu non produceret ipsum.

Ex quo dico denique ad vltimum quod quando Lector vel Doctor,vel quicumque assignat pro signo distinctionis realis oppositionem producẽtis & producti, hoc nec reuera,nec vere intelligi de oppositione tantũ actuali, ita scilicet vt inter ipsa intercedat productio actualis:sed etiã de possibili, itavt sufficiat quod posset vnum ex ipsis alterum producere: quæ oppositio possibilis producentis & producti,non facit ipsa tantũ possibiliter distincta,sed actu,si actu existant, quæcumque enim actu existunt,& ita se habent vt vnum ab altero possit produci,quamuis actu non producatur, actualissime distinguuntur vt est euidens.

Nã certe ignis *A*.ex eo quod possit produci ab igni *B* & producere ignẽ *C*.quãvis nec producatur actu ab vno nec producatur alter, distinguitur realiter ab vtroque.

Videamus iã quid opponat secũdæ Responsioni,quam similiter falsam dicit; quia distinctio quam admittit Scotus in eo casu inter Filiũ & Spiritũ non esset fictitia & cõmentitia sicut ipsemet casus,sed vera & realis.

Respondeo concedendo totum & negando aliquid inde sequi contra me,quamuis enim ipsemet casus qui supponitur de productione Spiritus sancti à solo Patre, sit omnino commentitius, tamen distinctio Spiritus sancti à filio in illo casu,modo casus esset possibilis,non esset commentitia sed realis & vera.

Hic ex iniuria Typographorũ perditus est discursus alius,quẽ feci contra doctrinam aliquam Mastrij,quam mihi opposuit,similem in substantia doctrinæ sequẽti ipsius;& quia prima pars Metaphysicę ipsius ex qua illa doctrina desumpta erat,in tota hac ciuitate reperiri nõ poterat; nec recordabar, quo loco determinato illius primæ partis illam proposuerat, nec quomodo, non erat aliud remedium, quam vt meus integer discursus deleretur, & lacuna impleretur hac ipsa annotatione. Certum autem reddo lectorem ex discursu meo cõtra Mastrium §.sequenti, nullo prorsus negotio quemlibet posse illam Mastrij doctrinam impugnare.Et sane,quod sæpe feceram, iterum hic fateor non fuisse opus vt ego vnquam in particulari respondere ipsius impugnationibus meæ doctrinæ,aut propugnationibus suæ: quia nihil vnquam,quantum ego percipere poteram,scripsit aut pro se,aut contra me, quod responsionem mereatur, aut difficultatem vllam exhibeat. Quare fere pœnitet,quod meum Cursum tot contra ipsum additionibus auxerim. Sed quod dicitur: quod factum est, infectum fieri nequit.Hanc tamen in me vel pœnã,vel solamen recipiam,vt quamvis integros tomos contra me in confirmationem suæ doctrinæ componeret, nunquã sim responsurus,etiam si Deus optimus maximus concederet mihi annos Matusalæ. Cur enim tam inutiliter impendere vellem tempus,præsertim cum quamvis aut ipse contra me,aut ego contra ipsũ luce meridiana clariores adducerẽ demõstrationes,tamen affectus, & studium propriæ defendendæ sententiæ efficere posset, vt neuter alteri succũbere vellet:& quod ad alios attinet, fortasse rem tanti non facerent,vt vellent vtriusque rationes bene ponderatas ad se inuicẽ conferre,& sic quę potiores essent rectè iudicare, & si qui id etiam facere proponerent,fieri posset vt vlterius libros reperire non valerent. Itaque ab hac contentione ego dum vixero abstinebo. Nec prorsus Mastrio inuideo vllam laudem quam suis lucubrationibus acquisiuerit, & plane optarem,vt æquali ipsiusmet desiderio laude afficeretur,modo id tamen non cederet in Tyronum detrimẽtum,si ea in opinione ipsius doctrinam haberent, vt omnino Scotisticam in omnibus, & etiam rationibus satis munitam existimarẽt.Quo discursu non alio fine hic vtor, quam vt lacunam,quod ante admonui,ob Typographi incuriam,hic alioquin futuram aliquo modo replerem. Dabit Lector veniam necessario defectui,in alia editione,si me viuente futura sit, emendando; quod eò facilius ab ipso impetrare confido,si,quod certe verum est, crediderit hæc ipsa me,iam febre laborantem, addere debuisse,rogantibus Typographis.

*Eadem disputatione* num.202.§.*Respondet Poncius*,adducit meam responsionem hic num. 19. ad fundamentum Suarij,quam putat Mastrius reiici à Suario, quia licet inseparabilitas naturalis non sufficiat ad colligendam identitatem realem propriam & rigorosam, sufficit tamen supernaturalis. Deinde ait sibi non placere solutionem meam ad confirmationem Suarij, in qua nego distinctionem realem proprie dictam esse quę versatur inter rem & rẽ,sed quæ est inter extrema positiua & opponitur distinctioni formali ac rationis:hoc enim,inquit Mastrius, nihil est dictu:nã distinctio realis opponitur distinctioni formali non quia est inter extrema positiua: sed quia positiua inter quæ est, sunt res,qualia non sunt extrema distinctionis formalis,sed realitates aut formalitates: vnde infert quod melius responderã ad confirmationẽ negando modũ non esse rem.Sed vt ab hoc incipiã, fateor me debere id negare, si male respõdere vellẽ:malui tamen bonã adhibere responsionẽ & concedere quod recte negare non poterã in sensu,in quo agebat Suarez de re,in quo sensu malui & debui agere cum ipso,nisi vellem contendere de nomine.

mine. Ad id autem quod opponit Mastrius meæ responsioni dico distinctionem realem opponi formali, non quia est inter res provt res opponitur modo, nec quia est inter positiua quæcumque, sed quia est inter positiua talia, si quorum vnum potest esse sine altero, aut producere alterum, aut subiectari in subiecto in quo alterum nequeat subiectari.

Nec prorsus scio quid faciat doctrina illa de separabilitate naturali, quam concedo, ad rem, aut contra meam responsionem ad doctrinam Suarij.

## QVÆSTIO II.

### *An & quid sit distinctio formalis.*

Multiplex acceptio distinctionis formalis.

PRo maiori huius quæstionis valde controuersæ explicatione, *Notandum primò*, distinctionem formalem multipliciter capi, *primò* pro ea distinctione, quæ est inter aliqua ratione diuersarum seu distinctarum formarum, siue illæ formæ sint realiter distinctæ, siue non: & in hoc sensu paries albus dicitur formaliter distingui à pariete nigro.

*Secundò* pro diuersitate, quæ est inter res, quæ habent dissimiles essentias: & in hoc sensu Petrus & Paulus, quia non habent diuersas seu dissimiles essentias, non dicuntur formaliter, id est essentialiter, distingui. Petrus autem & Bucephalus distinguuntur formaliter in hoc sensu, quia habent dissimiles essentias: & de distinctione formali in his duabus acceptionibus non est vlla controuersia, neque enim dubium esse potest quin dentur, & iam declaratum est sufficienter quid sint.

Quid distinctio formalis controuersa. Tria genera positiuorũ.

*Itaque tertio modo* accipitur distinctio formalis pro distinctione aliqua, quæ est à parte rei actualiter ante omnem operationem intellectus, & tamen non est distinctio realis propria, nec realissima, nec modalis.

*Notandum secundo*, positiua, quæ sunt à parte rei independenter ab operatione intellectus, & cuiusvis potentiæ sensitiuæ, esse in triplici differentia; nam quædam sunt, quæ per se sine vllis aliis rebus, quas non includunt possunt existere, vt Petrus, Paulus: quædam alia, quæ licet secundum communiorem opinionem per se esse sine aliis non possunt, tamen de nouo aduenire possunt alicui rei per se potenti existere, vt relationes omnes realiter distinctæ à suis fundamentis.

Et denique quædam alia, quæ neque per se existere possunt, neque de nouo alicui aduenire, quia sunt talis naturæ, vt nec illa res, in qua semel existunt, vnquam esse possit sine ipsis, nec è contra; vt omnes gradus Metaphysici, v.g. animalitas, humanitas, singularitas, ratio substantiæ, & etiam relationes omnes identificatæ realiter suis fundamentis.

Cur quæ formaliter tantũ distinguuntur vocãtur formalitates nõ formæ.

Et quamuis omnia hæc positiua sint, & dicantur entia & res dicitur omne illud positiuum, quod non est ens rationis; tamen vt distinguantur duo priora genera positiuorum à tertio, illi, qui admittunt positiua tertij generis, vocant illa formalitates, non vero res aut entia; positiua verò primi & secundi generis vocant res & non formalitates.

Et ratio quare vocant positiua tertij generis formalitates, est, quia quemadmodum forma denominat formaliter subiectum suum, v. g. albedo parietem; ita etiam formalitas denominat formaliter rem, in qua est, v. g. animalitas denominat Petrum animal. Non volunt autem vocare illa formas, vt distinguant illa à proprie dictis formis, quæ scilicet realiter distinguuntur à suis subiectis.

Quid est formalitas.

14. *Itaque formalitas* in hoc sensu est aliquid positiuum, quod secundum se non potest existere per vllam potentiam; includitur tamen in re potente existere secundum se.

Quid distinctio formalis propria.

*Hinc patet primò* quid sit distinctio formalis, provt de ea agimus in hac quæstione; est enim distinctio, quæ est inter huiusmodi formalitates, tam inter se quam à rebus, in quibus includuntur.

Eius possibilitas.

*Secundo* possibilitas eiusdem, quia non potest assignari repugnantia aliqua, cur huiusmodi positiua tertij generis non possint poni à parte rei; quod si ponantur, necessario habebunt distinctionem formalem; ergo possibilis est distinctio formalis. Quæ sane ratio multo magis manifesta est, si nulla alia adesset ad confirmationem distinctionis huius formalis mediæ inter distinctionem realem stricte sumptam & distinctionem rationis, quàm vllæ in oppositum adductæ à *Suarez*, aut *Vasquez*, licet audacter asserat ille *disp. 5. Metaphysic.* 1. manifestum esse non dari huiusmodi distinctionem; hic *prima parte disp.* 116. eam omnino esse commentitiam: quorum & aliorum minoris notæ authorum, nimis facile in censuras prorumpentium operibus seueriorem notam multo meliori fundamento, si placeret, inurere non esset difficile.

Quo sẽsu distinctio virtualis potest vocari virtualis, & rationis.

15. *Notandum tertiò*, Hanc distinctionem formalem vocari posse distinctionem virtualem, non quòd extrema eius actu non distinguantur, sed quòd res habens formalitates sic distinctas possit effectus realiter distinctos mediantibus illis formalitatibus producere tam bene, quam si istæ formalitates essent realissime distinctæ.

Potest etiam vocari distinctio rationis, non quod fiat per rationem, hoc est per intellectum, sed quod sit inter rationes obiectiuas, quæ possunt concipi seorsim ab intellectu. Cauendum tamen est ab his nominibus, ne incidatur in æquiuocationem, & controuersia realis reducatur ad nominalem.

## CONCLVSIO.

Datur actu distinctio formalis.

16. *Datur actu à parte rei inter aliqua distinctio formalis*, quæ neque sit realis propria; neque etiam rationis, hoc est per operationem intellectus. Hæc est manifesta sententia *Scoti nostri disputatione 2. quæstione septima, & distinctione 8. quæstione 8.* & omnium, quos sequitur *Ægidius de Beatitudine, libro 5. quæstione 5. articulo 2. numero 6, Fonseca libro 5. Metaphys. 6. quæstione sexta*, contra *Thomistas & recentiores* communiter existimantes non dari aliquam distinctionem nisi realem propriam, aut rationis, hoc est per operationem intellectus; quos citat & sequitur *Recupitus libro 3. de attributis quæstione 4. cap. 2.* in qua quæstione fusissime agit de hac re.

*Probatur primò*, Quia animalitas & rationalitas in homine distinguuntur ante omnem operationem intellectus: sed non distinguuntur realiter, vt omnes fatentur: ergo distinctione formali.

Probatur consequentia, tum quia non datur alia distinctio actualis, nisi vel realis, vel rationis, vel formalis: tum etiam quia nihil aliud intelligimus per distinctionem formalem, quam illam quæ est à parte rei inter positiua, quæ non distinguuntur realiter.

Prædicata contradictoria nequeũt eidẽ nullam includenti distinctionem conuenire.

17. *Probatur ergo maior*, in qua sola potest esse difficultas: prædicata contradictoria non possunt competere eidem omnino rei nullam habenti in se distinctionem, vel non includenti in se aliqua quæ sunt aliquo modo distincta; sed prædicata contradictoria competunt animalitati & rationalitati independenter ab omni operatione intellectus: ergo aliquo modo distinguuntur ante omnem operationem intellectus.

Probatur maior ex primo principio, quia idẽ non potest esse & non esse: cuius ratio est, quia esse, & non esse sunt contradictoria: ergo eidem omnino indistinctæ rei non possunt à parte rei competere prædicata contradictoria, alias destrueretur primum principium.

Probatur minor, quia animalitas homini habet conuenientiam aliquam, siue negatiuam siue positiuam parum refert, cum animalitate bruti, & rationalitas non habet conuenientiam cum illa.

Item animalitas est principium actuum potentiarum sensitiuarum; & potest esse in aliquo, in quo non possit esse rationalitas, & prædicari de pluribus specie differentibus: sed nihil ex his potest prædicari de rationalitate, vt patet, sed contradictoria omnium istorum possunt prædicari de illa: ergo, &c.

Proprietas distinguitur actualiter à subiecto.

*Probatur secundò*, ex suppositione, quod risibilitas identificetur realiter homini, quod suo loco probabitur: risibilitas distinguitur ab homine ante omnem intellectus operationem: non realiter, ergo formaliter.

Probatur antecedens, Quia risibilitas non est de essentia hominis & præsupponit ipsum hominem, à quo Metaphysice pullulat: ergo distinguitur aliquo modo ab ipso à parte rei.

*Respondebunt* ad hæc aduersarij, animalitatem & rationalitatem, hominem & risibilitatem, & omnia similia distingui virtualiter, seu fundamentaliter, non formaliter aut actu, & hoc sufficere vt prædicata contradictoria ipsis competere possint.

Vel distinctio virtualis & fundamentalis cõuenit cũ formali, vel non sufficit.

*Contrà*, Quando dicis quod distinguuntur virtualiter, vel dicis quod animalitas non sit formaliter rationalitas, nec è contrà: vel dicis quod animalitas sit formaliter rationalitas à parte rei.

Si primum dicis, habeo intentum: Quia quando dicimus quod distinguantur formaliter, nihil aliud intendimus, quam quod à parte rei animalitas non sit rationalitas, nec è contra: & idem est de homine & risibilitate: ergo si per distinctionem virtualem hoc ipsum intelligatur, qui eam concedit, concedit nostrum intentum, quamuis non vtatur eodem nomine.

Si secundum dicas, Manet adhuc argumentum, quandoquidem impossibile est, quod eidem omnino rei sine vlla distinctione actuali, prædicata contradictoria conueniant.

*Confirmatur*, Quia vel ista distinctio virtualis est independenter ab intellectu, vel non est: si primum, ergo habetur aliqua distinctio à parte rei inter animalitatem & rationalitatem quocumque nomine vocetur, & nihil aliud intenditur.

Si secundum: ergo nulla responsio, quandoquidem argumentum conuincit aliquam distinctionẽ independenter ab intellectu. Non est vlterius inhærendum in impugnatione huius responsionis, quia quotquot ea vtuntur, videntur coincidere in rei veritate nobiscum, & solis verbis discrepare: nos autem non libenter contendimus de nomine, vbi de re agendum.

19. *Itaque ad prædicta aliter respondetur* iuxta sententiam Nominalium, supponendo eandem omnino rem sine vlla distinctione posse respicere effectus diuersos, v.g. rem illam simplicissimam Metaphysicè, quæ dicitur homo, posse respicere actum sensationis, v.g. visionis, aut auditionis, & actum rationis, v.g. intellectionem & discursum; & secundum quod respicit priores actus, posse vocari vno nomine, v.g. animalis, & definiri etiam vna diffinitione: secundum verò quod respicit posteriores actus, posse vocari alio nomine diuerso, v.g. rationalis aut hominis, & definiri etiam diuersa definitione, quamuis in rei veritate sit eadem omnino res sine vlla distinctione in se, quæ explicatur & significatur vtroq; nomine & definitione, quatenus tamen respicit effectus diuersos, qui possunt ab illa prouenire.

Quo supposito, Quia nulla est ratio, cur ita non sit de facto in homine, si potest ita fieri, & nulla est etiam ratio cur non possit ita fieri.

Quomodo prædicata contradictoria possunt cõpetere eidem simplicissimæ rei.

*Respondeo in forma* ad argumentum, distinguendo maiorem: animalitas, secundum quod connotat, aut quod respicit sensationem distinguitur à rationalitate, secundum quod respicit actus rationales, concedo; secundum se & absolutè distinguuntur, nego maiorem.

Et per hoc patet ad secundam probationem; cuius antecedens est distinguendum sic: risibilitas secundum quod connotat risum, est distincta ab homine, secundum quod connotat actus rationales, hoc est intellectionem, volitionem, concedo; absolute & secundum se, nego antecedens.

Ad cuius probationem respondetur distinguendo antecedens: risibilitas secundum quod connotat risum, præsupponit hominem secundum quod connotat actus rationales, & non est de essentia ipsius, concedo: secundum se & absolute, nego antecedens.

20. Vt autem probabilitas huius doctrinæ magis appareat, pro eius maiori confirmatione sic argumentor: Similia argumenta, quibus probatur distinctio à parte rei inter animalitatem & rationalitatem, possent fieri ad probandum quod ens, vt sic, commune Deo & hominibus (quod secundum omnes non dicit nisi vnicam simplicissimam formalitatem) constet pluribus formalitatibus; ergo cùm hoc non concluderent de ente, videtur etiam quod non concludant illud de hominis animalitate & rationalitate; & sicut ex illis argumentis malè colligeretur distinctio plurium formalitatum in ente vt sic, ita etiam male colligitur ex illis quod sit distinctio plurium formalitatum à parte rei in homine.

Consequentia videtur euidens, probatur antecedens, supponendo eandem ipsam simplicissimam formalitatem entis, vt sic, esse principium vnitatis, bonitatis, & veritatis suæ, & secundum quod est principium vnitatis, formaliter loquendo, non esse principium veritatis; quod *Scotistæ* omnes admittere debent. Vocetur ergo, claritatis gratia, ens, quatenus principium vnitatis, formaliter loquendo, *A.* & secundum quod est principium veritatis, vocetur *B.* Hoc supposito probatur antecedens: *A.* formaliter loquendo non est principium veritatis, & *B.* est principium veritatis: ergo *A.* distinguitur formaliter a *B.* & consequenter erunt duæ formalitates in ente vt sic, secundum quarum vnam erit principium vnitatis, & secundum alteram veritatis. Hoc argumentum est omnino simile isti, quo probabitur distinctio animalitatis à rationalitate; ergo verum est prædictum antecedens.

*Confirmatur*, Quia sequeretur quod rationalitas hominis, seu vltima differentia ipsius includeret plures formalitates, contra *Scotum* & veritatem.

Probatur sequela, Quandoquidem potest intelligi, vt est principium Metaphysicum ex quo emanat intellectus, & voluntas: & vt consideratur tanquam principium vnius, non consideratur vt principium alterius: ergo contradictoria possunt de ipsa prædicari.

*Confirmatur secundò*, Quia si ex eo quod vna res respiciat res diuersas, colligatur quod includat plures formalitates positiuas distinctas à parte rei, non potest assignari vlla formalitas tam simplex, de qua non potest colligi quod includat plures formalitates distinctas: sed hoc est absurdum, & contra *Scotistas* omnes, ergo: Maior patet, quia non potest assignari vlla formalitas, quæ non respiciat diuersa, & quæ non potest intelligi, vt respiciat vnum ex illis, quin intelligatur vt respicit alterum.

Minor patet, quoad primam partem, quia aliàs in qualibet re darentur infinitæ formalitates positiuæ, patet etiam quoad secundam partem, quia illi admittunt plures formalitates simplicissimas.

*Ex hac doctrina patet*, Quam insufficienter colligitur distinctio formalis inter aliqua ex diuersis definitionibus; nam eadẽ omnino res simplicissima potest habere diuersas definitiones secundũ quod respicit diuersa.

22. *Confirmatur tertio*, quia maior pars *Scotistarum* cõcedit phantasiam, imaginationem, sensum communem, & cæteras potentias sensitiuas internas non esse neque quidem formaliter distinctas, & tamen habent diuersas definitiones, vt patet in libris de anima; & certè hæc confirmatio confirmat totam hanc doctrinam, quia omnis ratio, quæ probat animalitatem distingui ab homine, vel à rationalitate, videtur etiam probare sensum communem, phantasiam, & imaginationem esse distincta formaliter, vt suo loco ostensum est.

*Confirmatur vltimo*, Quia intellectus secundum eandem formalitatem est principium simplicis apprehensionis, iudicij, & discursus, itavt sit eadem omnino formalitas intellectus, à qua omnes istæ operationes diuersæ proueniũt; & tamẽ secundũ quod intelligitur esse principiũ simplicis apprehensionis, non intelligitur esse principium discursus, aut iudicij; neque etiã quatenus consideratur in ordine ad discursum, habet eandem

dem definitionem, quam habet vt consideratur in ordine ad iudicium, vel simplicem apprehensionem: ergo similiter quantumuis entitas hominis sit principiu sensationis & discursus, & quatenus consideratur in ordine ad sensationem, habeat diuersam definitionem à definitione, quam habet, vt consideratur in ordine ad discursum; non tamen inde sequitur quod includat plures formalitates à parte rei distinctas, secundum quarum vnam respiceret sensationem, & alteram discursum.

24. *Sed contra totam hanc replicam*, quæ videtur optima quæ fieri potest contra distinctionem formalem in creatis, facit, quod supponat semper diuersas definitiones & nomina, ex quibus colligimus distinctionē formalem inter aliqua esse definitiones, quæ darētur de re aliqua non secundum se, sed vt respiceret res aliquas diuersas; quod tamen est falsum; concedimus enim diuersas definitiones, quibus definiretur & describeretur res vt respiceret res distinctas, aut vt consideraretur in ordine ad illas, non necessariò arguere distinctionem formalem, vt bene ostenditur in replica, sed negamus diuersas definitiones aut descriptiones, quibus res definirentur, vel describerentur secundum se, non arguere distinctionem formalem.

Quæ diuersæ definitiones arguunt distinctionem formalē, & quæ diuersa prædicata contradictoria.

25. *Tota autem difficultas* modo consistit in ostendēdo quomodo cognosci possit rem aliquam definiri, aut describi secundum se, & non vt respicit res alias distinctas: nam nisi hoc ostēdatur, adhuc aduersarij poterunt dicere quod res illæ, quas nos dicimus definiri secundum se, non sic definiantur, sed vt respiciunt res distinctas.

*Ad hanc autem difficultatem respondetur* signum sufficiens esse ad colligendum, quod vna & eadem formalitas non definiatur, quatenus respicit operationes, aut res distinctas diuersis definitionibus, aut descriptionibus, si vna ex illis definitionibus possit competere alicui, cui altera definitio competere non possit: v.g. quia definitio, quæ datur de animali, potest competere alicui, cui definitio rationalitatis non competit, propterea bene colligi potest non esse eandem formalitatem, quæ vtraque definitione describitur, aut definitur. Sunt etiam aliæ viæ quibus id colligi possit, sed de his alias Deo volente agemus.

*Adde ad hæc*: Si definitio animalis non esset definitio ipsius secundum se, sed tantum vt respiceret aliquam operationem, quod tum non definiretur proprie definitione essentiali, & pariformiter non haberemus vllam definitionem essentialem propriam alicuius rei; quod videtur esse magnum inconueniens.

*Probatur secundo conclusio* argumento Theologico: datur distinctio formalis in diuinis: ergo & conclusio est simpliciter vera, & præterea datur distinctio formalis in creatis.

Prima consequentia est euidens; probatur secunda, quia difficilius & magis contra rationem iudicatur communiter, admittere distinctionem formalem in diuinis, quam in creatis: ergo si datur in diuinis, non debet negari in creatis.

Probatur antecedens primarium: essentia diuina est communicabilis, & de facto realiter communicata, ac identificata Filio actu & independenter ab omni operatione intellectus: paternitas vero diuina secundum se independenter ab omni operatione intellectus non est actu communicata Filio; similiter per paternitatem actu & formaliter independenter ab omni opere intellectus constituitur Pater in esse Patris, & distinguitur realiter à Filio; per essentiam verò diuinam non constituitur actu & formaliter in esse Patris, nec distinguitur realiter à Filio: ergo est aliqua distinctio actualis à parte rei ante omnem operationem intellectus inter essentiam diuinam & paternitatem.

Probatur consequentia, Quia si nulla prorsus sit distinctio realis, aut formalis inter ipsa à parte rei ante omnem operationem intellectus, impossibile est quin quidquid actu conuenit vni à parte rei, formaliter conueniat alteri: est enim inimaginabile, si nulla sit distinctio actualis à parte rei inter paternitatem & essentiā, sed ita se habeant, vt ipsamet essentia à parte rei sit formaliter loquendo paternitas & è contra paternitas, sit ipsamet essentia formaliter loquendo, quin quidquid prædicatur de essentia, prædicetur de paternitate & quidquid prædicatur formaliter de paternitate, prædicari possit formaliter de essentia: ergo cum communicari & identificari Filio prædicetur de essentia, etiam idem debet prædicari de paternitate; & sic Pater non distinguetur realiter à Filio contra Fidem.

*Confirmatur hoc*, Quia Pater actu distinguitur realiter à Filio à parte rei: ergo debet habere actu aliquid, quo distinguatur à Filio: sed non haberet aliquid actu, quo distingueretur à Filio, nisi haberet aliquid à parte rei aliquo modo actu distinctum à Filio: ergo debet habere aliquid tale, & consequenter à parte rei dantur in diuinis aliqua actu distincta.

*Confirmatur secundo*, Quia impossibile est, quod eidem non includenti vlla prædicata distincta possint actu competere prædicata contradictoria saltem, nisi per ordinem ad diuersa: sed si nulla esset actu à parte rei distinctio inter paternitatem & essentiam, eidem rei à parte rei non includenti prædicata distincta competerent prædicata contradictoria, vt communicari actu, & non cōmunicari actu, distingui realiter & non distingui realiter. Et hoc non per ordinem ad distincta, quia non possunt assignari vlla connotata, per ordinem ad quæ communicari, & non communicari possint competere essentiæ & paternitati, nisi admittatur aliqua distinctio actualis actu in diuinis ante omne opus intellectus, vt consideranti rem hanc patet: ergo necessario admittenda est talis distinctio.

*Nec etiam valet dicere* quod in creatis quidē prædicata contradictoria nequeant conuenire eidem rei distinctæ absq; connotatione distinctorum, secus tamen esse in diuinis; *Nam* si in diuinis id possit esse verum, cur idem non posset esse verum in creatis? aut quomodo poterit impugnari proteruus aliquis qui idem diceret de creatis? Deinde si in diuinis contradictoria possint prædicari de eadem indistincta re, posset aliquis dicere quod Deus esset sapiens & non esset sapiens, quod esset & non esset, nec poterit quiid dixerit, conuinci argumento illo de contradictoriis, quod est absurdum.

28. *Communior responsio* ad hanc probationem, quę reuera videtur tam euidēs, quàm vlla, quæ in tota Philosophia adduci solet ad aliquid probādū, est, quod quidquid cōpetit vni formalitati necessariò competit alteri formalitati omnino indistinctæ sic, vt neque actualiter, neque virtualiter distinguantur, & quod prædicata cōtradictoria nequeant cōmpetere eidē rei nō habenti distinctionem actualē, aut virtualem, sed quamuis eadem res nō habeat distinctionem vllā actualem, modo tamē habeat virtualem, hoc sufficit vt ipsi possint cōpetere prædicata cōtradictoria, & vt ipsi secundū vnam formalitatem possit competere aliquid, quod secundum aliam formalitatem virtualiter distinctā nequeat ipsi cōpetere. Ita autem contingit in proposito, vt essentia diuina sit virtualiter distincta à paternitate, & consequenter, licet actu nullo modo distinguantur, posset aliquid competere essentiæ, v.g. communicari, & identificari Filio, quod non competit Paternitati.

*Contra* tamen hanc responsionem, *primò*, quia sic posset quis dicere quod aliquid posset existere & nō existere simul propter distinctionem virtualem, & quod eadem anima posset esse vnita & non vnita corpori.

Et si dicas distinctionem virtualem non sufficere, nisi simul cum infinitate, petis principium, & non poterit proteruus conuinci, qui dixerit posse eam sufficere cum finitate, si poterit cum infinitate.

Distinctio virtualis non saluat prædicata contradictoria conuenientia essentiæ & relationibus.

*Contra secundo*, Quia illa distinctio virtualis, vel facit vt aliquid sit actu in Patre quod non sit identificatum Filio; vel non facit.

Si facit: ergo habetur actu aliquid in Patre, quod actu distinguitur ab essentia, quæ est identificata Filio.

Si non facit: ergo falsum est quod Pater sit distinctus realiter & actualiter à Filio.

30 *Contra tertiò*, est distinctio virtualis inter essentiã diuinam & attributa diuina, & tamen non propterea potest communicari alicui, cui attributa non communicantur: ergo distinctio virtualis etiam cùm infinitate, non sufficit, vt essentia dicatur communicari, & identificari Filio: paternitas verò non communicetur, neque identificetur ipsi, nisi actu distinguantur.

*Et si dicas* reuera hæc non sufficere, sed vlterius requiri oppositionem relatiuam inter Paternitatem & filiationem ad hoc, vt paternitas distinguatur realiter.

*Adhuc contra facit*, Quod non sit oppositio inter paternitatem & filium, seu filiationem, magis quam inter essentiam, & filium, seu filiationem, si nulla prorsus sit distinctio formalis, aut essentialis inter paternitatem & existentiam, est enim impossibile concipere quod paternitas sit relatio magis quam essentia, si nulla prorsus sit distinctio actualis à parte rei inter vtramque: si enim à parte rei formaliter & actualiter non habent vllam diuersitatem, quo modo poterit vna esse relatio & altera non esse?

*Contra quartò*, Quia quando principium distinctiuum aliquorum est virtualiter tantum distinctum ab eo, in quo conueniunt, ipsamet tantum virtualiter distinguentur, & non distinguentur actu: ergo si paternitas & filiatio sint tantum distincta virtualiter ab essentia diuina, ipsæ personæ diuinæ non distinguentur actu, sed virtualiter tantum.

*Contra quintò*, Quia quando dicitur quod distinctio virtualis sufficiat ad prædicata contradictoria, absque connotatione rerum extrinsecarum, vel supponuntur esse aliqua distinctæ rationis formalis, quæ sic distinguuntur; vel non supponuntur. Si supponuntur; ergo admittuntur aliqua distincta actu reperiri, inter quæ reperitur distinctio virtualis, neque enim aliquid idem realiter & formaliter distinguitur virtualiter à semetipso. Si non supponuntur: ergo male dicitur quod detur in diuinis distinctio virtualis.

*Contra sextò*, Quia impossibile est vllam distinctionem aut realem, aut virtualem, aut formalem, facere vt idem secundum idem formaliter sit & non sit tale formaliter: ergo impossibile est, vt distinctio vlla virtualis sufficiat vt eidẽ rei, quæ est Deus pater, secundum eandem rationem formalem consideratæ possit cõpetere esse identificatum & non identificatum: ergo si hæc duo ipsi competunt, oportet assignare aliquas rationes plures distinctas aliquo modo, secundum quas competunt ipsi illa prædicata, quod est nostrum intentum.

*Contra denig; septimò*, Quandoquidẽ omnis inconuenientia, quæ sequitur ex distinctione actuali formali, quã ponimus nos, sequitur ex distinctione virtuali aduersariorũ: ergo frustra subeũt ingẽtes difficultates has ad fugiendã distinctionẽ actualẽ nostrã. Consequentia est euidens: probatur antecedens, quia certè non potest assignari cur magis vna quã altera repugnet simplicitati, infinitati, vnitati, aut aliis perfectionibus diuinis.

31 *Probatur tertio*, Quia de fide est Filium æternum produci per intellectum & non per voluntatem, & propterea vocatur ipsius productio, generatio: Spiritum sanctum vero produci per voluntatem, & non per intellectum: ergo distinguitur intellectus à voluntate à parte rei: sed non distinguuntur realiter, vt est de fide: ergo formaliter.

*Respondent aliqui*, Si intellectus & voluntas considerentur prout in Deo sunt à parte rei, negando antecedens: si vero considerentur nostro imperfecto modo concipiendi, concedendo antecedens.

*Sed contra*, Quia sic sequeretur quod verè Filius non generaretur magis quam Spiritus sanctus, quod videtur periculo fissimum in Fide.

*Respondent alij*, intellectum & voluntatem distingui virtualiter & hoc sufficere vt Filius procedat per intellectum & non per voluntatem. Sed hanc responsionem impugnauimus supra. Videantur aliæ plures rationes apud *Radam tom. 1. controuersiarum, controu. 4. & alios Scotistas*, apud quos etiam videri possunt plures authoritates Sanctorum, quæ nostram sententiam valde confirmant. Nobis modo sufficiant duo loca: vnus *S. Aug. 7. de Trin. c. 5. Non ea Pater quo Deus nec eo Deus quo Pater*; ergo à parte rei est aliqua distinctio inter Deum & paternitatẽ, secundum August. Alter *Damascen. lib. de Fide c. 4. Si dixeris bonum, iustum*, &c. *Non naturã Dei, sed quæ circa naturã sunt dixeris*; ergo bonitas & iustitia diuina, & idem est de cæteris attributis, distinguuntur ab essentia diuina secundum *Damascenum*.

*Solutio obiectionum ex doctrina Scoti.*

33. *Recapitus* magna diligentia proponit *c. 5.* doctrinam *Scotistarum* de formalitatibus & distinctiõnibus, vt ex illa validius, & efficacius impugnaret distinctionem formalem attributorum, & consequenter omnem. Placuit hic veritatis & Scotisticæ doctrinæ gratiam proponere, ac soluere argumenta ipsius.

*Primum est*; Si daretur distinctio formalis, non daretur distinctio rationis: hoc est contra Scotum, qui admittit sæpissimè distinctiones rationis: ergo.

Probat sequelã maioris satis fusè & cõfusè. Vis probationis consistit in hoc, quod nõ potest dari distinctio rationis, nisi formando de re aliqua indistincta, à parte rei plures conceptus obiectiuos; sed quotiescũque sunt plures conceptus obiectiui, erit distinctio formalis ante intellectum in illa re, si detur vllo modo talis distinctio: ergo non dabitur distinctio rationis.

*Respondetur primo*, Si non posset vtraque distinctio saluari, potius negandam illam quæ esset rationis, quam formalem, quæ in ipsa re necessario reperitur, nec hoc præiudicaret Scoto, qui posset dici non tam asseruisse quam supposuisse distinctionem rationis.

*Respondeo secundò*, negando sequelam: Quia quando intellectus formaret plures conceptus de re indistincta, qui plures conceptus à parte rei ipsi non competerent, faceret distinctionem rationis in illa re, & extrema, inter quæ fieret ista distinctio rationis, non haberent distinctionem formalem; nec vllam omnino nisi rationis: *Vnde in forma ad probationem sequelæ, Respondeo* distinguendo maiorem: formando plures conceptus obiectiuos, qui verè à parte rei reperiuntur in illa re sic distincti, nego maiorem: qui non reperiuntur, concedo maiorem, & similiter distinguo minorem: quotiescumque dantur plures conceptus obiectiui, qui sunt à parte rei, concedo minorem; qui vere non sunt, nego minorem & consequentiam.

Distinctio formalis nõ tollit omnem distinctionem rationis.

Itaque quando intellectus prædicat Petrum de seipso considerando ipsum per modum distincti & pertinentis ad semetipsum, format tum duos conceptus obiectiuos Petri, qui conceptus obiectiui non sunt vere à parte rei, & propterea facit distinctionem rationis inter Petrum & seipsum; sed quando considerat in Petro animalitatem & rationalitatem, formando de ipsis duos conceptus obiectiuos distinctæ rationis; quia illi conceptus reperiuntur à parte rei in Petro, propterea non facit tum distinctionem rationis, sed considerat res distinctas distinctione formali.

*Rursus*, Quando intellectus eandem formalitatem obiectiuam considerat in ordine ad diuersa, quæ respicit, vt v.g. formalitatem voluntatis, quatenus respicit volitionem & nolitionem, & cogitat ipsam, vt respicit vnum ex illis, esse distinctam à semetipsa vt respicit alterum, facit tum distinctionem rationis in voluntate; sed quando considerat duas formalitates obiectiuas, v.g. intellectum & voluntatem (loquor in nostra sententia, qui identificamus has potentias realiter, & inter se, & cùm anima; quod an ita sit, non facit ad propositum) quia reuera à parte rei sunt distinctæ rationis, non fit distinctio vlla ab intellectu, sed potius considerantur ab illo res, quæ sunt antecedenter distinctæ, secundum quod sunt distinctæ.

34. *Secundum*, Minima distinctio assignanda est inter attributa: sed distinctio formalis non est minima: ergo illa non est ibi ponenda.

Probatur minor, Quia minor est distinctio ex natura rei secundum Scotistas.

*Hoc*

*Hoc argumentum* est satis friuolũ,& solum de nomine distinctionis ex natura rei, quæ nomina aliquãdo confunduntur sic,vt idem significent,& sic minor esset neganda cũ sua probatione. Aliquando vero ab aliquibus capiũtur in diuersa significatione,ita scilicet vt magis late pateret distinctio ex natura rei,quam distinctio formalis:& in hoc sensu,si distinctio ex natura rei dicatur minor quam formalis,falsa est maior,nec eam asseruit Scotus:nam licet dicat distinctionem formalẽ esse minimam ex iis,quæ præcedunt intellectum,non capit distinctionem formalem, quatenus distinguitur à distinctione ex natura rei, sed quatenus complectitur omnem distinctionem, quæ præcedit intellectum, & non est realis rei à re, nec rei à modo separabili.

35. *Tertium*,Si daretur distinctio formalis,daretur etiã realis:sed hoc est falsum, ergo & illud vnde sequitur.

Probat sequelã,Quia ideo daretur formalis & nõ realis,quia formalis est minor quá realis:sed hoc est falsũ, vt probatur variis rationibus nullo modo sufficientibus & procedentibus ex æquiuocatione ly *formaliter*, & quarum solutio patebit ex responsione mox danda.

*Itaque respondeo* negando sequelam, & ad probationem dico primò, maiorem esse falsam in sensu præciso & formali;sed ratio est,quia dantur principia colligendi formalem, & non sunt principia colligendi realem distinctionem, sed potius sunt principia colligendi, quod non detur distinctio realis.

Cur distinctio formalis sit minor quam realis.

*Dico secundò* minorẽ esse falsam,& ratio cur distinctio formalis est minor,est quia illa formalitates, seu cõceptus obiectiui,qui solũ formaliter distinguuntur, non sunt tam distincti, vt vnum possit separari realiter ab altero,aut ab altero produci: sed quæ realiter distinguũtur sunt tam distincta,vt possint separari, aut vt vnum possit alterum producere,vel ab altero produci.

*Dici etiam* potest minor distinctio illa, quæ est formalis,quia non sufficit ad hoc,vt quod sic distinguitur, dicatur simpliciter alia res ab illo, à quo sic distinguitur:secus autem est de distinctione reali.

36. *Dices*, Distinctio formalis stat inter distincta realiter,distinguitur enim brutum ab homine formaliter, & tamen sunt distincta realiter: ergo falsum est quod quæ distinguuntur formaliter non sunt separabilia, aut talia, quorum vnum non possit produci ab altero, aut alterum producere, aut quæ non possunt dici simpliciter alia à se inuicem.

*Respondeo* distinguendo antecedens: Distinctio formalis, de qua hic agimus,nego antecedens; distinctio formalis in alia significatione, concedo antecedens;& similiter distinguo consequens:quæ distinguuntur formaliter distinctione formali, de qua hic agitur, nego: alia distinctione,transeat,sed non facit ad rem. Itaque, vt aduerti in initio huius disputationis, distinctio formalis capitur dupliciter.

Multipliciter capitur distinctio formalis.

*Primò* pro distinctione,quam habent res diuersarum essentiarum aut formarum,siue illæ distinguantur realiter, siue non: & in hoc sensu distinctio formalis potest stare cum separabilitate & alietate perfectissima; & identitas formalis opposita ipsi potest stare cum distinctione reali,vocando illa eadem formaliter, quæ non habent dissimiles formas, sicut non habent individua eiusdem speciei,& similium accidentium;nec de hac distinctione formali agimus hic.

*Alio modo* capitur distinctio formalis pro ea,quæ est inter formalitates realiter identificatas; & hæc necessariò reperitur cum identitate reali, & excludit distinctionem realem, nec sic dicitur homo & brutum distingui formaliter,aut Petrus, & Paulus non distingui formaliter:& per hoc corruit totus discursus Recupiti in tertia sua ratione.

37. *Quartum*,Si attributa distinguerentur formaliter, distinguerentur se totis obiectiue; sed hoc est falsum, quia hæc est maxima distinctio,& infert realem.

Probatur sequela,quia non cõueniunt in aliquo conceptu communi quidditatiuo,(quod saltem verum esse debet de differentiis aut modis vltimò constitutiuis attributorum, propter principia illa,ex quibus Scotistæ probant vltimas differentias esse primo diuersas:) sed quæ non conueniunt in vllo conceptu communi quidditatiuo distinguuntur se totis obiectiue.

*Respondetur* distinguendo maiorem: Distinguuntur se totis obiectiue,intelligendo per hoc quod non conueniant in aliquo conceptu communi, transeat maior; nec id est absurdum, nec talis distinctio est maxima distinctio,nec infert realem, quia reperitur inter rationalitatem & animalitatem quæ non distinguuntur realiter: distinguuntur se totis obiectiue:quatenus hoc significat aliqua realiter distingui,& præterea non conuenire in alio conceptu communi, nego maiorem, id enim esset absurdum.

Itaque dupliciter possunt aliqua distingui se totis obiectiuè.

Dupliciter aliqua possunt distingui se totis obiectiuè.

*Primò* sic,vt & distinguantur realiter,& non conueniant in vllo conceptu communi præciso,ac abstracto, vt conueniunt homo & brutum, albedo & nigredo:& quæ sic distinguuntur, maxime distinguuntur, quia & habent distinctionem realem, & præterea non habent conuenientiam formalem in vno conceptu communi vniuoco.Talia autem sunt res diuersorum prædicamẽtorum, in sententia communi negante vniuocationem entis;& talia etiam sunt ens rationis & ens reale:& vltima differentia bruti.

*Secundò* possunt aliqua distingui se totis obiectiuè, quæ non conueniunt in aliquo conceptu communi formali,siue distinguantur realiter, siue non:& hoc modo vltimæ differentiæ se totis obiectiuè distinguuntur, & animalitas,ac rationalitas eiusdem hominis.

Primo modo attributa non possunt distingui se totis obiectiuè; bene tamen secundo modo possunt distingui, absque eo saltem, quod inde sequatur quod distinguantur realiter.

38. *Quintum*, Si attributa distinguerentur formaliter,etiam existentia distingueretur formaliter ab essentia, quod est contra *Scotum 1. distinctio.2. quæstione secunda*, & alibi, vbi vult existentiam esse de conceptu essentiæ diuinæ.

*Respondeo primò*:Si daretur aliqua ratio particularis, ob quam existentia nõ distingueretur formaliter ab essentia,quæ ratio non concurreret de attributis, negari debere sequelam, propter illam ipsam disparitatem.

*Respondeo secundò* admissa sequela, negando quod id sit contra Scotum:quia quamuis existentia esset prædicatum essentiæ diuinæ, non inde sequeretur, quin distingueretur formaliter ab ipsa,quandoquidem animalitas,& rationalitas sunt prædicata essentialia hominis; & tamen distinguuntur formaliter ab homine. An autem existentia sit de essentia Dei,vel sit formalitas, vel modus intrinsecus,non pertinet ad hunc locum, quia perinde est quantum ad difficultatem præsentem, quid dicatur;& Scotus ea in re problematicus fuisse videtur de quo suo loco.

*Et per hoc patet ad sextum argumentum eius*, quod est de singularitate. Nam quamuis esset de essentia Dei, posset distingui formaliter ab essentia eius. Obiter autem addo, quod in decursu sexti argumenti supponat hic author doctrinam falsissimam, & implicantem in terminis, nempe prius habere Sortem quod sit homo, quam quod sit Sortes. Nam quamuis homo sit prior quam Sortes,aut hæcceitas illa; tamen implicat quod possit homo competere Sorti,antequam Sortes sit,nec potest esse Sortes,quin habeat differentiam indiuidualem,à qua constituitur in esse Sortis.

Singulare non habet prius esse homo, quam singulare.

*Confirmatur hoc*,Quia in illo priori,in quo competit Sorti esse homo,quæro an sit Sortes,nec-ne:Si sit Sortes in illo priori: ergo homo non competit ipsi, antequam competat ipsi esse Sortes. Si non sit in illo priori Sortes:ergo Sorti in illo priori non competit homo; nihil enim potest competere alicui pro vllo priori, quod non est pro illo priori,vt est euidens.

39. *Septimum argumentum*, Si attributa distinguerẽtur formaliter ab essentia, nullus maneret conceptus

constitutiuus essentiæ: hoc repugnat: ergo, & illud vnde sequitur. Probat sequelam, quia attributa non possunt constituere essentiam quidditatiue, alias non essent attributa; nec etiam modus vllus infinitatis, aut necessitatis, aut imparticipationis potest esse constitutiuum eius, quia modus non potest esse formalitas: constitutiuum autem debet esse formalitas.

*Respondeo primo*, Etiamsi attributa non distinguerentur formaliter ab essentia, adhuc manere difficultatem de constitutiuo essentiæ: & quamuis attributa constituerent formaliter essentiam, adhuc distinguerentur formaliter ab ipsa: vnde non facit hoc argumentum vllo modo ad propositum, si bene aduertatur.

*Respondeo secundo* directè, negando sequelam, quandoquidem constitutiuum essentiæ esset ista formalitas, ratione cuius exigit habere tales proprietates, attributa, & modos: & si hoc non potest cõpetere modo vlli, tum erit aliquod aliud, quod non est modus formaliter, sed principium modi, de quo amplius in Theologia.

40. *Octauum argumentum*; Si attributa distinguerentur, etiam perfectiones essentiales Dei distinguerentur formaliter: hoc est absurdum: ergo, &c. Probat minorem *primo*, quia si gradus essentiales, v.g. entis, substantiæ, spiritualitatis, intellectualitatis, distinguerentur formaliter à Deitate secundum vltimam rationem Deitatis, Deitas secundum illam rationem vltimam non esset nec ens, nec substantia spiritualis intellectiua. *Secundò*, quandoquidem alias in Deo daretur compositio Metaphysica, tam bene quam in hnmine. *Tertio* tandem, quia Deus esset sub genere.

*Respondeo* concedendo sequelam maioris (quidquid dicant alij Scotistæ, de quo suo loco) & negando minorem. Ad cuius primam probationem dico quod vltima differentia Deitatis non debet esse, nec ens formaliter, nec substantia, nec viuens, nec spiritualis, nec intellectiua; sicut nec vltima differentia hominis debet includere formaliter gradus vllos superiores, v. g. animal, viuens, corpus, substantiam, vt dictum est disp. de Differentia in Logica.

*Ad secundam probationem dico*, quod non sequatur compositio Metaphysica in Deo ex pluralitate formalitatum essentialium, aut attributalium, vt paulo post ostendetur, *num.* 54.

*Ad tertiam dico*, quod Deus nõ esset sub genere prædicamentali. An autem esset sub alio genere, est quæstio de nomine: & modò inclusio generis nõ inuoluat potẽtialitatem inconuenientẽ Deo, nullo modo esset absurdum, quod Deus contineretur sub genere, seu constaret genere: qui autem dicerent Deum cõstare genere, negarent rationem generis inuoluere huiusmodi potentialitatem; de quo etiam suo loco dictum est in Logica.

41. *Nonum argumentum*: sequeretur relatio realis inter attributa: hoc est absurdũ, quia non datur oppositio realis inter perfectiones absolutas in Deo. Probatur sequela, quia inter personas Diuinas admittitur à Scoto relatio realis idẽtitatis in natura: sed inter attributa datur vera idẽtitas realis, & est sufficiens distinctio extremorũ ad fundandã relationem: ergo. Minor quoad primã partem est certa: probatur quoad secundã partem, quia si non esset sufficiens distinctio, maxime quia requireretur distinctio realis: sed hoc non est ad rem, vel est falsũ. Vel enim intelligitur per distinctionẽ realem distinctio, quæ est à parte rei, & hæc datur inter attributa; vel distinctio secundum realitatẽ existentiæ, & substantiæ, & falsum est hanc requiri, quia nõ requiritur ad relationem maior distinctio quam ad oppositionem: sed ad oppositionem non requiritur distinctio quoad realitatẽ existentiæ, quia rationalitas, & irrationalitas opponuntur etiam quando non existunt actu.

*Respondetur* ad hanc obiectionem, quæ est totaliter de nomine, distinguẽdo maiorẽ: relatio realis exigens extrema realiter distincta distinctione reali stricta, opposita distinctione formali, nego; relatio realis non exigens talia extrema, concedo maiorem: & dico etiam quod inter attributa absoluta reperiatur oppositio realis formalis correspondens huiusmodi relationi reali: nam certum est, quod misericordia sit diuersæ rationis formalis à iustitia, & consequenter ipsi opposita.

*Ad probationem sequelæ respondeo* non esse eandem rationem ponendi relationem realem strictam inter Personas diuinas, propter identitatem, quam habent in essentia, ac inter attributa; quia illæ distinguuntur inter se distinctione reali stricta, non vero attributa; vnde nego minorem probationis pro secunda parte, & alteram etiam minorem, qua probatur. Cuius ratio iam assignata est, quia attributa non habent distinctionem realem strictam inter se, quæ requiritur ad fundandam relationem realem strictam secundum omnes, & etiam ad fundandam oppositionem strictam.

*Ad id autem* quod contra hoc opponit *Recupitus*, nimirum quod inter rationalitatem, & irrationalitatem etiam in statu possibili reperiatur oppositio.

*Respondeo* falsum esse, quod habeant oppositionem realem actualem: quandoquidẽ ipsamet nõ sint actualia, sicut nec habent distinctionẽ realem, actualem: bene tamen habent distinctionem, & oppositionẽ realem possibilem, sicut ipsamet sunt possibilia, quia possunt existere realiter, & habere actualem oppositionẽ, & distinctionẽ realem strictã. Attributa autem, nec actu habent distinctionem realem strictã, aut oppositionem talem; nec possunt talem habere: ergo nõ est eadem ratio de ipsis, quantũ ad hoc, ac de rationalitate, & irrationalitate: & sane mirum est virum doctum, qui intelligeret terminos, posse moueri hoc argumento, aut ipso vti.

Vt autem res melius intelligatur, dico quod inter attributa diuina potest esse talis relatio, qualis est oppositio inter illa, & talis oppositio qualis relatio. Vt autem non reperitur relatio realis stricta, quæ exigit extrema realiter distincta distinctione reali strictissima, de qua agimus; ita nec reperitur oppositio realis strictissima æque exigens talem distinctionem; sed quẽadmodum datur distinctio formalis *Scotistica* inter illa: ita etiam datur oppositio conformis illi distinctioni.

42. *Decimum*: si attributa distinguantur ab essentia & inter se, vel vnumquodque habet propriam existentiam, vel omnia vnam formaliter omnibus communem; neutrum dici potest. Non primum, quandoquidem sequeretur, quod distinguerentur realiter, quia distinctio realis est, quæ intercedit inter res, quæ habent aliam & aliam realitatem, vel in re existentiæ, vel in re subsistentiæ secundum *Scotistas*.

*Et si dicatur*, ad distinctionem realem non sufficere extrema existere distinctis existentiis formaliter, sed requiri, vt existant sic existentiis realiter distinctis; quod non accidit in existentiis attributorum;

*Contra* opponit, quod sicut inter formalitatem & formalitatẽ nequit non esse distinctio formalis, ita inter realitatem & realitatem debet esse distinctio realis, sed (quod addere debuit, vt quidpiam concluderet) si attributa haberent distinctas existentias haberent distinctas realitates; ergo debent distingui realiter.

*Confirmatur hoc*, quia in tantum attributa sunt idem realiter, in quantum reantur vnica realitate: sed hæc vnica realitas non potest sumi ab essentia: ergo debet sumi à re existentiæ, & consequenter nisi habeant vnicam existentiam, non possunt habere vnicam realitatem; nec identificari realiter.

*Probat minorem principalem quoad secundam partem*, Nẽpe quod nõ existant omnia attributa vna existentia, quandoquidem vel essent idẽ formaliter cum illa vna existentia, & sic essent idem formaliter inter se, & etiã cum essentia, de cuius conceptu est existentia. Vel essent distincta formaliter ab existentia illa; & hoc dici nequit, quia omne attributum est ens per actualitatem, & consequenter includit formaliter existentiam.

43. *Respondeo*, Negando minorẽ. Potest enim dici, aut quod existant vnica communi, aut quod quodlibet habeat propriam absq; præiudicio distinctionis formalis; & nõ obstãribus impugnationibus huius Aurhoris, vt patebit ex solutione minoris probationis quoad vtrã-

que

que partem. Vnde ad probationem eius quoad primam partem dico, quod si ponantur distinctæ formaliter existentiæ, non sequetur quod distinguantur realiter inter se distinctione reali stricta, de qua agimus; quia ad hoc requireretur quod existentiæ illæ plures distinguerentur realiter stricte: sicut distinguitur existentia Petri ab existentia Pauli: sic autem non distinguuntur istæ existentiæ plures, sed solum formaliter.

Et ad id quod contra hoc opponitur in argumento, quod scilicet inter realitatem debet esse distinctio realis, sicut inter formalitatem & formalitatem datur distinctio formalis.

*Respondeo*, Si capiamus realitatem pro realitate stricta, quæ est abstractum rei, id esse verum; si verò capiamus realitatem, provt coincidit cum formalitate, quæ opponitur rei, id esse falsum. In proposito autem nec existentia, nec attributum vllum diuinum est realitas stricta priori modo, sed secundo modo; vnde non sequitur quod distinctio realis stricta intercedat inter ipsa, quamuis existerent pluribus existentiis formaliter tantum distinctis.

*Ad confirmationem* distinguo maiorem: in quantum reantur vnica realitate, id est in quantum sunt vna res, nec existunt existentiis pluribus realiter distinctis, concedo maiorem: id est, in quantum reantur vnica existentia formaliter ita, vt propria existentia non competat cuilibet, nego maiorem, & concessa minori (quæ tamen negari potest) ac etiam prima consequentia, distinguo secundum consequens; nisi habeant vnicam realiter existentiam, concedo consequentiam; nisi habeant vnicam formaliter ita, vt eadem formaliter existentia, qua existit vnum attributum, cætera existere debeant, nego consequentiam.

*Ad probationem eiusdem minoris principalis quoad secundam partem*, qua dicit quod non possint attributa omnia existere eadem existentia;

*Respondeo*, quod distinguerentur formaliter ab illa existentia. Nec obstat, quod quodlibet attributum sit ens per actualitatem, aut quod etiam includat essentialiter existentiam: quia hoc non obstante posset distingui formaliter ab existentia quam includit, sicut homo distinguitur à rationalitate.

Imo ex hoc quod attributum includat essentialiter existentiam, sequitur quòd existentia ab illo distinguatur aliquo modo, quia idem non includit seipsum.

44. *Vndecimum argumentum* propositum *capite septimo*, ad ostendendum quod implicet identitas realis attributorum cum distinctione formali, consistit in hoc: Attributa distincta formaliter, si identificarentur realiter, vel essent idem realiter in realitate essentiæ, vel in realitate subsistentiæ, vel existentiæ: neutrum dici potest: ergo non identificantur realiter.

Probat minorem fusissime toto illo capite, sed impertinenter, quia non intellexit quid sit aliqua identificari realiter. Et quia longum esset minutim respondere ad singula quæ proponit, ideo breuiter rem ipsam declarabo sic, vt facile aduerti possit discursum ipsius non esse ad rem.

*Dico ergo* attributa identificari realiter inter se, non quia identificantur essentiæ, nec etiam, quia identificantur subsistentiæ, aut absolutæ, aut relatiuæ: nec quia identificantur existentiæ; sed quia sunt talis naturæ, vt petant inter se idẽtificari: quam eorum naturam colligimus ex eo, quod nullum indicium distinctionis realis inuenimus inter illa, quandoquidem non sunt separabilia à se inuicem, nec vllum ex ipsis ab altero produci possit, vt *quod*, aut vt *quo*.

Verum quidem est, Quod identificantur realiter essentiæ diuinæ, & etiam existentiæ, & subsistentiæ cuicumque diuinæ; sed aliud est, quod identificentur essentiæ, & subsistentiæ, aut existentiæ; aliud quod ideo identificentur inter se, quia sic identificantur essentiæ, aut existentiæ aut subsistentiæ. Quemadmodum enim habent identificari essentiæ seipsis, ita possunt habere identificari inter seipsas; & propterea relationes diuinæ realiter distinctæ identificantur essentiæ, & existentiæ, & subsistentiæ absolutæ diuinæ, si detur talis, & tamen non identificantur realiter inter se. Ergo identificatio cum essentia aut subsistentia, aut existentia præcisè, non arguit realem identificationem inter se; per quod totaliter corruit totum argumentum.

45. *Duodecimum argumentum capite octauo* propositum est huiusmodi: Non repugnat identitas formalis attributorum, ergo debet admitti, & consequenter non distinguuntur formaliter.

Probat antecedens decem instantiis, quæ instantiæ omnes eo tendunt, quod diuersitas conceptuum possit haberi de simplicissima formalitate, & consequenter quod ex diuersitate conceptuum non bene arguatur diuersitas formalitatum. Verum inter probandum nostram conclusionem vltro concessimus hoc, & ostendimus quando ex diuersitate conceptuum colligi deberet distinctio formalitatum, & quando non; & quamuis non esset necesse aliud hic addere, tamen in particulari ad illas instantias respondendum videbatur.

Prima instantia ad probandum quod argumenta Scoti nõ concludant distinctionem formalem.

46. *Prima instantia* est quod in Sole potentia illuminatiua, calefactiua, exsiccatiua, vel sunt idem formaliter, vel non; si idem, ergo attributa poterunt esse idem formaliter; si non sunt idem formaliter cum essentia Solis, sed distinctæ formaliter ab ipsa tanquam proprietates; tunc sic: vel principium vnde fluit vna ex ipsis, erit distinctum formaliter à principio à quo profluit altera; vel non erit: si non erit distinctum, sed idem formaliter, ergo similiter posset dici de ipsismet potentiis quæ profluunt; si erit distinctum formaliter, contra, quia principium, vnde profluunt, est ratio specifica Solis, quæ est atoma & indiuisibilis.

*Respondeo breuiter* & illas potentias esse formaliter distinctas, & principia etiam vnde profluũt. Nec refert quod illud principium sit ratio specifica quia ratio specifica potest includere multas formalitates, sicut natura specifica humana includit animalitatẽ, & rationalitatem. Et quamuis ad eandem simplicem formalitatem possint sequi plures aliæ formalitates distinctæ, vt intellectus & voluntas sequuntur ad differẽtiam specificã animæ rationalis; & sicut nolitio, & volitio sequũtur ad voluntatem secundum eandem rationem; tamen quando formalitates sunt talis rationis, vt vna ex ipsis possit sequi ad aliquã formalitatem, ad quam non potest sequi altera, tum non possunt sequi vnquam ad eandem formalitatem in vlla re, vt patet ex dictis suprà.

47. *Secunda instantia* est de essentia diuina, in qua ratio subsistãtiæ viuentis spiritualis coincidũt in vnã indiuisibilem formalitatẽ: ergo idem posset dici de attributis.

*Respondeo* negando antecedens; nec ab ipso probatur, aut probari potest.

*Tertia instantia* est de essentia, vt cõparata ad attributa, nam vel secundũ eandem formalitatẽ principiat attributa, vel secundũ diuersas formalitates: si secundum diuersas formalitates: ergo tot erũt radices attributorũ, quot attributa; si secũdum eandẽ formalitatẽ, ergo attributa ipsa similiter poterũt dici esse eadẽ formalitas.

*Respondeo*. Quantum ad rem præsentem posse dici quod vel secundum eãdem formalitatem vel secundum diuersas: Si dicatur quod secundum diuersas, non erit inconueniens quod tot sint radices formaliter distinctæ, quot attributa. Si dicatur quod secundum eandem, non erit inconueniens quod ab eadẽ formalitate emanent plures formalitates distinctæ; nec erit eadẽ ratio multiplicãdi formalitates radicales ac attributales. Quid autẽ absolute dicẽdũ sit, ex principiis positis pro distinctione formali colligendum erit; nam quæcũque attributa, quæ secundum rationem suã formalem sunt ita inconnexa, vt possit ratio formalis vnius prouenire ab aliquo, à quo ratio formalis alterius prouenire nequit, exigũt principia radicalia formaliter distincta; quę vero sũt ita cõnexa vt vna nequeat prouenire ab vllo à quo alterũ nõ debeat prouenire, non exigunt principia radicalia distincta. Et per hoc facilè patet ad reliquas instantias, quas superfluum esset sigillatim proponere.

48. *Addo*,

48. *Addo*, hæc argumenta & instantias omnes nihil vrgere contra distinctionē formalem essentiæ & relationum, quia quāuis forte nō esset valde necessaria distinctio formalitatum in re, quæ conciperetur distinctis conceptibus per ordinem ad extrinseca aliqua; tamen quoties non possunt haberi extrinseca, per ordinem ad quæ res distinctis conceptibus conciperetur absque aliqua distinctione antecedenti ad conceptus, manifestū est dari distinctionem actualem in illa re ante conceptus. Sic autem contingit in essētia, & relatione paternitatis: impossibile est enim haberi extrinseca aliqua, per ordinem ad quæ paternitas conciperetur distincto conceptu à conceptu essentiæ, nisi detur distinctio actualis antecedens conceptus inter paternitatem, & essentiam. Per quæ etiam patet ad alias instantias.

*Soluuntur argumenta ex ratione contra distinctionem formalem.*

49. *Prima obiectio*, qua vitur *Vasq. 1. parte, disp. 1. c. 5. Suar disp. 7. Metaph. sect. 1. & l. 1. de essentia Dei, cap. 10.* ac alij: Omne ens est vel reale, vel rationis: sed distinctio omnis est passio entis, ergo omnis distinctio vel est realis, vel rationis, & consequenter non datur distinctio formalis.

*Confirmatur*, Quia quæcumque actu distinguuntur à parte rei, vel non vniuntur inter se à parte rei vllo modo, & sic erunt sine dubio distincta realiter stricte; vel si vniuntur, aut vniuntur separabiliter, & sic etiam erunt distincta realiter & stricte; vel vniuntur inseparabiliter, & sic debent esse res & modus rei, & consequenter distinguentur ex natura rei modaliter, fundamentum distinguitur à relatione fundata in ipso: ergo non datur distinctio formalis, quam nos asserimus, quæ neque sit realis strictè, neque realis modalis, qualis est distinctio fundamenti à relatione.

Quo sēsu omnis distinctio est realis vel rationis.

*Respondeo* distinguēdo primum consequens: ergo omnis distinctio est realis vel rationis, capiendo distinctionem realem, pro omni quæ non est rationis, concedo consequentiam; capiendo distinctionem realem pro distinctione reali stricta & opposita distinctioni formali, nego primam consequentiam, & secundam etiam.

50. *Dices*: Omnis distinctio quæ est inter duo entia, debet esse distinctio realis stricta: sed omnis distinctio, quæ nō est rationis, est inter duo entia realia: ergo omnis talis est realis stricta. *Respondeo* distinguendo maiorem, quæ est inter duo entia realia stricta, & propriè, hoc est quæ sunt propriè res, quatenus res opponitur formalitati, concedo maiorem: inter duo entia realia impropria & in lata acceptione entis realis. quatenus scilicet ens reale complectitur etiam formalitates, nego maiorem: distinguo etiam minorem: est inter duo entia realia propria, vel impropria concedo minorem; propria tantum, nego minorem & consequentiam.

Inter quæ entia est distinctio realis.

*Ad confirmationem respondeo* distinguendo consequens tertiæ partis antecedentis: si intelligatur per modum rei aliquid, sine quo potest esse res, cuius dicitur modus, nego consequētiam illam: Si autem intelligatur per modum rei aliquid commune & ad modum sine quo res potest esse, & ad formalitates repertas in re & necessariò existentes in ipsa, concedo illam consequentiam, & nego alteram illatam ex toto antecedenti.

Aliqua actu vniuntur inseparabiliter quæ non sūt res & modus.

*Breuius posset responderi* negando consequentiam tertiæ partis, quia aliqua actu possunt distingui & vniri inseparabiliter, quæ tamē nō sunt res & modus rei in sēsu aduersariorum: nā animalitas, & rationalitas sic distinguūtur, & tamen propriè loquēdo neuter est modus alterius. Similiter intellectus & volūtas in nostra sententia sic distinguuntur, & tamen nemo dicit intellectū esse modū voluntatis, aut è contrà. Imo res & modus, prout modū capiunt aduersarij, non vniuntur inseparabiliter, quandoquidem res possit esse sine modo: ergo quæ vniūtur inseparabiliter, non se habent vt res & modus,

51. *Obiicies secundò*: Sicut essentia diuina continet in se omnia, quæ sunt in diuinis realiter, ita etiam debet continere illa formaliter: ergo non distinguuntur ab illa formaliter.

Probatur consequentia, quia sicut ex eo quod continet ea realiter, verum est dicere quod essentia diuina sit paternitas realiter, & iustitia, & misericordia: ita etiam si continet illa formaliter, debet esse verum quod sit formaliter paternitas, & iustitia, & misericordia: sed si hoc est verum, sequitur manifestè quod non distinguantur formaliter: quæ enim sic distinguuntur, non prædicantur de se inuicem formaliter.

Probatur antecedens primarium, quia sicut se habet realitas diuinæ essentiæ ad realitates attributorū, ita se habet formalitas diuinæ essentiæ ad formalitates relationū & attributorū: ergo si realitas diuinæ essētiæ cōtinet realiter realitates attributorū, ita formalitas diuinę essentiæ continet formaliter formalitates attributorū.

*Confirmatur*, Quia actus, quo Deus cognoscit essentiam suam, & omnia alia, quæ in ipso sunt, est simplicissimus actus non includens plures formalitates correspondentes singulis obiectis per illum cognitis: ergo diuina essentia & cætera obiecta diuina per ipsum cognita non distinguuntur formaliter, quia aliàs etiam darentur plures formalitates in actu illo, contra hypothesim antecedentis.

*Respondetur*, distinguendo antecedens: continet ea formaliter ita, vt illa possint de illa prædicari formaliter, in abstracto, dicendo: essentia diuina est formaliter sapientia diuina, aut ratio formalis essentiæ est formaliter ratio formalis attributorū, nego antecedens; nec id ab vllo Theologo rectè asseri potest, quia alias ipsa essentia esset formaliter attributum, & esset formaliter constitutiuum personæ vt personæ, ac distinctiuum triū personarum, quo nihil absurdius: continet illa formaliter, quatenus illa identificantur essentiæ, & formaliter prædicari possunt de ipsa in concreto, concedo antecedens, & nego consequentiam; ad cuius probationē distinguo maiorem pro secunda parte: si continet illa formaliter primo modo, concedo: si secundo modo, nego maiorem; nā multa continentur formaliter in aliis secundo modo, hoc est, ita vt ratio formalis ipsorū reperiatur vnita ipsis, & sic, vt possint prædicari de ipsis formaliter in concreto, quæ tamen in abstracto nequeūt prædicari de ipsis formaliter: sic enim calor continetur formaliter in re calida, & rationalitas in homine.

Quo sēsu essentia diuina continet formaliter attributa.

52. *Ad probationem antecedentis primary*, Quæ procedit in sensu negato, nego antecedens quantum ad inclusionem realem & formalem, & ratio disparitatis, est quod implicet rationem formalem essentiæ continere formaliter rationem formalem attributorum sic, vt eadem formaliter sit ratio formalis vtrorumque: imo si eadem esset ratio formalis essentiæ & iustitiæ, v.g. tum essentia non contineret formaliter iustitiam, sed esset formaliter iustitia: vnde probatio destruit seipsam, dum dicit essentiam includere formaliter iustitiam, & tamen vult quod sit formaliter iustitia: non implicat autem quod realitas essentiæ diuinæ contineat realiter iustitiam, & sit etiam realiter iustitia.

*Ad confirmationem respondeo*, negando antecedens, quia satis probabile est multiplicari formalitates in intellectione ad multiplicationē formalitatū in obiecto primario ipsius repertarū. Quod si sit aliqua ratio particularis, ratione cuius mediāte vnica formalitate intellectio diuina posset intelligere omnia intelligibilia, de quo in Theologia; tum non erit eadem ratio de ipsa ac de attributis, & consequenter neganda erit consequentia, & dicendum quod sicut vnica intellectione reali possunt plura obiecta realiter distincta intelligi, ita etiam mediante vnica formalitate intellectionis poterunt plures formalitates obiecti primarij intelligi.

53. *Obiicies tertiò*: Sequeretur in Deo compositio, si nō Physica, ad minus Metaphysica: sed hoc est absurdum, quia sequeretur quod Deus non esset summe simplex, omnis enim compositio opponitur simplicitati, ita vt, quo magis sit aliquid cōpositum, eo minus sit simplex.

Probatur sequela maioris, quia cōpositio est distinctorum vnio, quæ distincta, si sint distincta realiter, & vnica vnione reali stricta, cōpositio erit Physica, sicut

est

est illa,quæ est inter materiam primam & formam substantialem, subiectum & accidens, partes integrantes tam homogeneas quam heterogeneas.Quod si distincta illa non sint realiter stricte distincta,sed tantum formaliter,compositio erit Metaphysica, qualis est inter animalitatem & rationalitatem,humanitatem & risibilitatem,animam & suas potentias in nostra sententia: ergo si dentur in Deo plura formaliter distincta & vnita vnione identitatis realis, dabitur in Deo compositio saltem Metaphysica.

*Hoc argumentum* est satis cõmune apud aduersarios & fusissime proponitur à *Recupito* suprà *capite decimo* qui etiam vlterius illud *confirmat primò*,quia si attributa sint distincta formaliter,vtique erunt plura formaliter,& consequenter Deus erit constitutus ex multis,sed constitutum ex multis est compositum, & consequenter non omnimodo simplex.

*Confirmatur secundò*, Quia simplicitas opponitur duplicitati:ergo vbi summa simplicitas, nulla duplicitas nec multiplicitas:ergo in Deo non datur multiplicitas formalitatum.

Compositio potest capi dupliciter.

54. *Hæc obiectio* potest habere multũ de nomine:quare vt res ipsa intelligatur,& videatur realis vis eius,*aduertendum est*, compositionem posse quidem capi pro vnione distinctorum,quomodocumque se habeant illa distincta,& siue illa arguat imperfectionem,siue non:& sic sane capitur ab aduersariis, siue loquantur propriè, siue non (de quo parum est curandum, quia spectat ad quæstionem de nomine.) *Alio modo* potest capi compositio pro vnione aliqua distinctorum,quæ argueret imperfectionem.Similiter simplicitas potest capi dupliciter,*vno modo* pro negatione omnis distinctionis, siue id arguat perfectionem, siue non;*alio modo* pro negatione distinctionis arguentis imperfectionem.

Quæ compositio arcenda à Deo.

Itaque quando definiunt *Patres* & *Concilia*,Deũ esse simplicissimum,& non esse compositum vllo modo,debent sine dubio intelligi de cõpositione, quæ argueret imperfectionem,& de simplicitate quæ dicit negationẽ omnis distinctionis inuoluentis imperfectionem: nã aliàs non esset vlla ratio, cur alia compositio negaretur Deo,aut alia simplicitas tribueretur ipsi.Et hinc nõ est inconueniens quod duæ naturæ,diuina & humana,cõponantur in Christo, iuxta modum loquendi satis cõmunem Sanctorum Patrum, quia illa compositio non arguit imperfectionem in natura diuina aut Verbo.

Et sane ipsi aduersarij, quandoquidem concedunt dari in Deo à parte rei distinctionem virtualem, non possunt dare tantam simplicitatem(capiendo simplicitatem pro negatione omnis distinctionis)quantam habet conceptus simplex non includens vllam prorsus distinctionem, nec quidem virtualem.

*Et si vrgeatur contra ipsos*,Quod inde sequeretur Deum non esse summe simplicem,*respondent*,& bene,summam simplicitatem, provt summa simplicitas negat omnem omnino distinctionem etiam virtualem, non competere Deo,quia id non esset perfectionis:sed summam simplicitatem,quæ arguit perfectionem; & dicit negationem omnis distinctionis arguentis imperfectionem: vnde non debent mirari, si nos idem dicamus.

Pluralitas formalitatum stat cũ summa simplicitate arguẽte perfectionẽ.

Modo difficultas est, an omnis distinctio formalis actualis dicat imperfectionem.Si enim dicat non est ponenda in Deo, & simplicitas diuina debet omnem talem excludere:si autem non dicat, tum poni poterit in Deo,nec compositio vlla inde sequens erit imperfectio, nec summa simplicitas diuina debet excludere talem distinctionem aut compositionem.

Nos autem negamus talem distinctionem dicere imperfectionem:& licet oppositum asserant aduersarij,tamen id non probant, nec probari potest vllo modo hoc argumento desumpto ex simplicitate diuina, quia vt hoc probaret aliquid,deberet aliunde constare quod est in controuersia, nempe quod talis distinctio dicat imperfectionem. Quare reuera,si res bene examinetur, in hoc argumento petitur principium, quod tamen est Achilles,vt vocant,aduersariorum.

55. *Itaque in forma iam respondeo* distinguendo maiorem:sequeretur in Deo compositio, accepta compositione pro vnione distinctorum formaliter; concedo maiorem,nec id est absurdum,aut contra simplicitatem illam summam quæ Deo tribuenda est ex Patribus, Conciliis,ac ratione:sequeretur in Deo cõpositio, capta cõpositione pro vnione aliqua distinctorum,quæ dedeceret Deum,& argueret in ipso imperfectionem,nego sequelam maioris; & similiter distinguo consequens: dabitur in illo compositio, id est vnio distinctorum, concedo;compositiuo, id est, vnio aliqua distinctorum quæ ipsum dedeceat, nego consequentiam.

*Ad primam confirmationem respondeo* concedendo sequelam maioris,& distinguo minorem:est compositum compositione non inuoluente imperfectionem, transeat;inuoluente,nego.

*Ad secundam confirmationem respondeo* distinguendo antecedens:si simplicitas,quatenus capitur pro negatione plurium rerum aut formalitatum,concedo antecedens; quatenus capitur pro negatione plurium rerũ aut formalitatum,quarum inclusio inuolueret imperfectionẽ, nego antecedens & distinguo primum consequens:capta simplicitate priori modo, concedo consequentiam, & nego simpliciter secundam consequentiam.

Cur pluralitas attributorum non inuoluat imperfectionẽ.

56. Per hoc satisfactum est argumẽto & cõfirmationibus in forma:*Sed modo restat ostendendum*,cur pluralitas attributorum & aliarum formalitatum in Deo non inuoluat imperfectionem, nec inferat compositionem dedecentem Deum, nec opponatur simplicitati excludenti pluralitatem formalitatum inuoluentem imperfectionem,sicut pluralitas formalitatum, v. g.animalitas & rationalitas in homine inuoluit imperfectionem,& infert compositionem imperfectam Metaphysicam;seu cur vnio animalitatis & rationalitatis in homine est compositio Metaphysica imperfecta,vnio vero attributorum ac plurium aliarum formalitatum in Deo non sit compositio imperfecta.

*Respondent ad hoc communiter Scotistæ*, Vnionem plurium formalitatum arguere compositionem imperfectam,quando ipsæmet formalitates ita se habent,vt vna ex ipsis sit in potentia ad alteram, & perfectibilis per ipsam;quando vero non ita se habent formalitates vnitæ; vt vna sit perfectibilis,& altera sit actus,& perfectio, tum vnio talium formalitatum non arguit compositionem imperfectam,nec quidem Metaphysicam.

Vnde quandoquidem essentia diuina sit infinita & illimitata,& quodlibet etiam ex attributis, inde sequitur quod nec essentia possit esse in potentia, aut perfectibilis per attributa,nec vllum attributum perfectibile per alterum, quia perfectibilitas est passio entis finiti, & limitati, sequitur vnionem essentiæ cum attributis & attributorum inter se non arguere imperfectionem, aut compositionem vllam imperfectam, qualis sola simpliciter vocatur compositio,& opponitur simplicitati simpliciter. Quia verò animalitas est formalitas finita ac limitata,& propriè perfectibilis per rationalitatem, inde vnio ipsius cum rationalitate est compositio imperfecta & oppositæ simplicitati perfectæ.

57. *Sed contra hanc doctrinam communem Scotistarum*,Quæ etiam est ipsiusmet Scoti,occurrunt duæ potissimum difficultates;

*Prima* est,Quod licet ex ea sequeretur quod vnio essentiæ cum attributis,& attributorum inter se non inuoluat compositionem imperfectam, quia vtrumque extremum est infinitum,& consequenter imperfectibile;tamen non sequitur quin gradus, aut formalitas entis vt sic,communis vniuoce Deo & creaturis, sit perfectibilis ad differentiam,aut modum,quo contrahitur ad Deum, quia illa formalitas non est infinita, alias quælibet creatura esset infinita,quia quælibet includit illam formalitatem: ergo adhuc, remanet compositio imperfecta in Deo.

*Secunda difficultas* est, Quod licet verum sit quod omne perfectibile debeat esse limitatum & finitum, quandoquidem debeat habere ex se negationem illius

perfectionis

perfectionis, per quam est perfectibile; & licet sit verum consequenter quod ens infinitum sit imperfectibile: tamen quandoquidem in nostra sententia ens infinitum, v. g. essentia, potest recipere perfectionem à se formaliter distinctam, ex hoc capite videtur sequi quod sit ens finitum, licet ex hypothesi deberet esse infinitum; & ita ex nostra doctrina sequitur contradictio, nimirum quod sit finitum & infinitum.

Probatur sequela, quia optime colligitur animal esse perfectibile per rationalitatem, quia est coniungibile cum rationalitate à se distincta formaliter, & mediante rationalitate potest formaliter aliquid facere, quod per se formaliter non posset facere absque rationalitate: ergo quandoquidem essentia Diuina potest facere formaliter per misericordiam & intellectum aliquid quod nequit facere formaliter absque illis, & quandoquidem sit coniungibilis cum illis, seu potius coniungatur de facto cum illis, sequitur quod sit perfectibilis per intellectum & misericordiam, si hæc distinguantur formaliter ab illa.

58. *Etsi dicatur*, quod non propterea præcisè colligatur animal esse perfectibile per rationalitatem, quod sit coniungibile cum illa, & quod possit per illam facere aliquid quod non possit facere sine illa; sed quia vlterius non continet virtualiter, nec eminenter rationalitatem, essentia verò diuina continet eminenter & virtualiter perfectiones attributorum, & propterea non est perfectibilis per illas.

*Contra primò*, Quia aliquid continens virtualiter aliud, potest cum illo facere compositionem imperfectam, tam Physicam quàm Metaphysicam; aqua enim continet virtualiter frigus, & tamen facit cum frigore compositum Physicum per accidens: homo continet virtualiter risibilitatem, & tamen facit cum illa compositionem Metaphysicam imperfectam: ergo quod essentia contineat virtualiter attributa, non impedit quominus cum attributis faciat compositionem.

*Contra secundò*, Quia licet hinc sequeretur quod essentia non faciat compositionem cum attributis, sicut animal facit cum risibilitate, tamen non sequitur quin gradus, seu formalitas entis, vt sic, faciat compositionem cum modo, seu formalitate contractiua ipsius ad Deum; quia certum est quod ens vt sic non contineat virtualiter illum modum, seu formalitatem illam plusquam animal continet rationalitatem.

59. *Itaque propter hæc respondeo*, Illam solam formalitatum vnionem esse imperfectam, & arguere compositionem, quæ negatur in Deo, ac opponi simplicitati, quæ adscribitur Deo; quæ vnio habet dependentiam in esse realis existentiæ à causa extrinseca. Vnde quandoquidem vnio, seu identificatio realis & entis vt sic cum Deo, ac modo, seu formalitate contrahente ipsum ad Deum, & essentiæ diuinæ cum attributis, & attributorum inter se, non habet talem dependentiam, propterea illa vnio, seu identificatio non arguit imperfectionem, nec compositionem, quæ negari debet Deo; nec opponitur simplicitati summæ, quæ tribuenda est Deo. Quia verò identificatio animalis cum rationalitate, & hominis cum risibilitate, habet dependentiam à causa efficienti extrinseca, quantum ad realem existentiam, itavt non possit realiter existere animal rationale, aut homo risibilis absque influxu causæ efficientis; ideo illa vnio ac identificatio est imperfecta compositio, & opponitur simplicitati perfectæ.

Non volo autem per hoc, quod ipsamet dependentia à causa extrinseca sit formaliter compositio formalitatum vllarum; aut simplicitas ipsi opposita sit independentia; sed quod coniungatur semper compositio illa cum dependentia, & simplicitas cum independentia, sic, vt eo ipso quo aliquæ formalitates coniunguntur, quæ non habent talem dependentiam, debeat dici illa coniunctio esse absque compositione vlla imperfecta; & eo ipso quo coniunguntur tales formalitates quę habent ex ratione sua formali, aut ex ratione alicuius formalitatis, ad quam sequuntur, talem dependentiam, coniunctio earum debeat dici compositio imperfecta.

Iuxta hanc autem doctrinam explicari ac defendi potest optimè doctrina illa communis *Scotistarum*, dum dicunt illud solum esse perfectibile & potentiale perfectibilitate & potentialitate imperfecta, quod est finitum, quia reuera solum illud potest habere huiusmodi dependentiam à causa extrinseca in esse realis existentiæ; Et ad duas difficultates oppositas numero 57. Quo sensu præmissa respõsio Scotistarum sit vera.

*Respondetur ad primam*, negando antecedens, quia licet iste gradus non sit infinitus secundum se, tamen vt reperitur in Deo, redditur infinitus & independens in reali existentia à causa extrinseca, propter identitatem quam habet cum modo, seu formalitate contrahente ipsum ad Deum.

*Respondetur etiam ad secundam difficultatem*, negando sequelam, Quod scilicet sequatur essentiam diuinam esse perfectibilem & potentialem, ac consequenter finitam. Ad cuius probationem nego antecedens, loquendo de perfectibilitate & potentialitate imperfecta arguente limitationem ac finitatem: sed ideo colligitur, quia identificatio animalitatis cum rationalitate habet præterea dependentiam à causa extrinseca quantum ad realem existentiam; nec contra hanc responsionem hoc modo declaratam facit vllum ex multis quæ conglomerat *Recupitus* prædicto capite.

60. *Addendum hîc breuiter*, Maioris doctrinæ causa, ipsis aduersariis respondendum esse huic difficultati: nam plurimi ex ipsis cõcedunt inter animalitatem & rationalitatem cõpositionem Metaphysicam imperfectam, & oppositam simplicitati perfectæ, cum tamen non dicant aliã distinctionem inter illa reperiri quàm virtualem, & admittant virtualẽ inter essentiam & attributa.

Vnde sic argumentor contra ipsos: Aut est potior ratio cur animalitas & rationalitas distincta tantum virtualiter, faciant compositionem quàm essentia & attributa: aut non est. Si non, ergo vel non erit compositio inter animalitatem & rationalitatem, contra hypothesim: vel erit compositio etiam, inter essentiam & attributa. Si sit potior ratio: Ergo similiter, quamuis esset distinctio formalis actualis inter essentiam & attributa, & inter animalitatem & rationalitatem, & quamuis animalitas & rationalitas actu distinctæ formaliter facerent compositionem: non tamen inde sequeretur quod daretur compositio inter essentiam & attributa: & sane quamcumque disparitatem dabunt ipsi pro se, illa ipsa sufficiet nobis.

61. *Obiicies quartò*: Omnia quæ sunt in Deo, sunt perfectissime vnum, nisi opponantur relatiue: sed attributa non opponuntur relatiue, neque inter se, neque cum essentia: ergo sunt perfectissime vnum tam inter se, quam cum essentia: sed vnitas opponitur distinctioni & pluralitati: ergo non datur vlla distinctio actualis, aut pluralitas attributorum in Deo. Hoc etiam argumentum prosequitur fusissimè *Recupitus supra c.* 11.

*Respondetur* provt ipsemet respondet ex *Scoto dist.* 8. *qu.* 4. distinguendo maiorem: omnia sunt vnum vnitate reali perfectissima, concedo maiorem, vnitate formali, nego maiorem.

*Dices* contra hoc cum *Recupito*: cum vnitate reali stat numerus & multitudo formalis, ergo in absolutis perfectionibus diuinis est multitudo quæ opponitur vnitati absque oppositione relatiua.

*Confirmatur primò*, inter absoluta non solum est vnitas, sed summa vnitas: ergo debet esse vnitas excludens omnem multitudinem etiam formalitatum.

*Confirmatur secundò*, Quia non minus in Deo est summa vnitas quam summa simplicitas: sed ex summa simplicitate tollitur à Deo omnis compositio etiam formalitatum: ergo ex summa vnitate tollitur à Deo omnis multitudo etiam formalitatum.

*Respondeo* distinguendo consequens: est multitudo quæ opponitur vnitati reali, nego: formali, concedo consequentiam: nec id est inconueniens, sed necessarium.

*Ad primam*

*Ad primam confirmationem* : est summa vnitas realis, concedo; formalis, nego; & nego consequentiam.

*Ad secundam confirmationem respondeo primò* distinguendo antecedens: summa vnitas realis concedo, formalis nego, & concessa minore, nego consequentiam.

*Respondeo secundo*, etiam distinguendo antecedens aliter: non minus in Deo est summa vnitas realis, quam summa simplicitas realis, transeat antecedens, (& dico, transeat, quia non est vnitas realis tam summa in Deo, vt excludat à Deo numerum trium Personarum diuinarum, licet sit simplicitas tam summa, vt excludat omnem omnium compositionem realem maxime secundum aduersarios:) non minus est summa vnitas excludens etiam multitudinem formalitatum, quam summa simplicitas excludens omnem compositionem imperfectam etiam formalitatum, nego antecedens; & concessa minori, nego consequentiam.

Ratio autem, quare simplicitas diuina excludit omnem compositionem imperfectam, est quia eo ipso quo compositio est imperfecta, non debet competere Deo, & debet excludi à simplicitate perfecta diuina; sed pluralitas formalitatum non dicit vllam imperfectionem, & propterea non debet excludi ab vnitate perfecta diuina. Nolo prosequi cætera, quæ prædictus author congerit in prosecutione huius argumenti, quia hæc intento præsenti abunde sufficiunt.

62. *Obiicies quinto* sequeretur essentiam diuinam secundum se formaliter, antequam intelligitur pullulare sapientia & iustitia, non esse sapientem formaliter, quia impossibile est vt sit sapiens nisi à sapientia formali: sed antequam pullulat sapientia non est sapientia, ergo antequam pullulat sapientia, essentia diuina non est sapiens. Atqui hoc est absurdum *primo*, quia sequeretur quod non esset sapiens à se, sed ab alio, à quo distinguitur; *secundo* quia haberet se instar potentiæ ad actum quo perficeretur; *tertiò* quia sumpta secundum se non esset omnimode perfecta.

*Respondetur* concedendo sequelam in illo priori: sufficit enim quod pro illo priori sit fundamentaliter sapiens, hoc est quod sit illa res, ad quam necessario consequitur sapientia formalis.

Ad assumptum autem respondeo illud negando, & distinguendo primam eius probationem: non esset sapiens à se, id est ipsa non esset formaliter ipsa sapientia, concedo; non esset sapiens à se, sed ab alio realiter distincto, nego. Itaque propterea dicitur essentia diuina habere omnes suas perfectiones à se & non ab alio, quia non habet vllam perfectionem suam ab vllo principio realiter distincto, nec etiam vlla perfectio ipsius est realiter ab ipsa distincta; non vero ex eo quod ipsamet formaliter loquendo esset omnis sua perfectio.

Quo sensu essentia diuina est sapientia à se.

*Ad secundam probationem* respondeo etiam eam negando, cuius rationem iam antea assignauimus.

*Tertia probatio ad* est similiter neganda; omnimoda enim perfectio essentiæ consistit in hoc quod sit fundamentaliter sapiens, iusta, misericors, intelligens, volens &c. hoc est, quod sit entitas talis, ad quam istæ perfectiones necessario sequi debent.

*Et si quæras*, si sit secundum se omnimode perfecta absque sapientia formali, per hoc quod sit sapiens fundamentaliter, quid est necesse quod sequatur sapientia formalis?

*Respondeo*, quia si non sequeretur, essentia non esset sapiens formaliter, neque etiam fundamentaliter: non formaliter, quia, vt supponitur, non haberet sapientiam formalem; non etiam fundamentaliter, quia non esset entitas ad quam necessario sequeretur sapientia formalis; & quod dico de sapientia, intelligo de cæteris attributis essentiæ.

*Dices* si essentia non sit formaliter sapiens, ergo erit non sapiens formaliter.

Probatur sequela, quia sapiens formaliter & non sapiens formaliter sunt contradictoria.

*Respondeo* distinguendo sequelam: erit non sapiens formaliter, id est ratio formalis sapientiæ non est ratio formalis essentiæ, nec de ratione formali ipsius, concedo sequelam; id est ipsa negatio sapientiæ est de ratione formali ipsius, nego sequelam.

63. Postquam hunc tractatum & totam Logicam, in qua primo decreueram ipsum collocare, apud me perfecissem, peruenit ad me primum Cursus *Arriagæ*, quem etiam tum percurri, vt si quid aduersus *Scoti* doctrinam speciale adferret, aut in fauorem eius, vel impugnarem, vel amplecterer. Et quamuis eum suo loco citare, eiusque doctrinam examinare procurauerim, tamen sæpe etiam quasi extra ordinem, ne discursus iam facti ordinem mutare cogerer, id facere debui, quod & hoc ipso loco primum accidit.

*Itaque hic Author disp. 5. Logicæ* sententiam *Scoti* duobus argumentis positiue impugnat, & deinde conatur fundamenta *Scoti* ex prædicatis contradictoriis, diuersis definitionibus compositione metaphysica, similitudine & dissimilitudine soluere.

*Prima ratio* ipsius contra nos est hæc: si ratio seu gradus metaphysicus superior esset ex natura rei distinctus à suis differentiis, & indifferens ad illas vt nos asserimus; sequeretur conceptum entis & substantiæ quæ est in Angelo & anima rationali, posse esse in lapide: ergo nec Anima, nec Angelus sunt entia spiritualia: quod enim includit aliquid quod non est spirituale, non est spirituale: sed nihil potes esse in lapide est spirituale; & Angelus ac anima includunt aliquid quod potest esse in lapide; ergo includunt aliquid quod non est spirituale.

*Confirmatur*, quia sequeretur etiam quod aliqua ratio formalis reperta in Deo, verbi gratia ratio entis, substantiæ, sapientiæ vt sic cómunis vniuoce Deo & creaturis, posset esse in creatura; & aliquid repertũ in creatura posse esse in Deo; quod erroneum & chimericum, inquit, est, quia daretur aliquid in rerum natura, quod nec creatum sit, nec increatum, nimirum illa ratio communis: non creatum, quidem quia potest esse in Deo: non increatum, quia potest esse in creatura.

*Respondetur facile* distinguendo sequelam antecedentis: secundum se, vel aliquam formalitatem sibi similem quantum ad conceptum formalem, adeo vt non possit discerni inter illas secundum rationes suas formales, concedo sequelam antecedentis: secundum se positiue & realiter consideratam, nego sequelam antecedentis, & nego etiam consequentiam: ad cuius probationem distinguo maiorem: quod includit aliquid quod non est spirituale, realiter loquendo, concedo maiorem: quod non est spirituale, formaliter loquendo, sed tale tamen quod potest identificari spiritualitati, à qua habeat realiter esse spirituale, nego maiorem. Similiter distinguo minorem; quod est in lapide nequit esse spirituale secũdum se realiter loquendo, concedo minorem, formaliter loquendo, quantum ad hoc quod in suo præciso conceptu formali non reperiatur aliqua repugnantia, quo minus possit reddi spiritualis, nego minorem.

*Ad confirmationem Respondeo* eodem modo, distinguendo maiorem: aliqua ratio reperta in Deo formaliter abstrahens ex suo conceptu formali ab infinitate & aliis, seu formalitatibus seu modis intrinsecis Deo ipsi propriis, sic vt illa ratio, vel secundum se, vel secundum aliquam formalitatem ipsi omnino formaliter similem possit reperiri in creatura, concedo maiorem; nec id est chymericum aut erroneum; sed potius oppositum quod est contra principia vulgaria Metaphysicæ: aliqua formalitas seu ratio reperta in Deo vt afficitur formalitatibus aut modis intrinsecis Deo soli propriis, aut etiam secundum se positiue, nego maiorem.

Ad probationem minoris dico non sequi, ex admissa illa ratione communi ac indifferenti, formaliter dari aliquid quod non sit aut creatum aut increatum; quia illa ratio formalis vt in Deo, est quid increatum, non quidem ex suo conceptu formali, sed ex identificatione eius cum Deo; & similis ratio formalis reperta in creatura est quid creatum, non tamen ex sua ratione formali, sed ex identificatione ipsius cum creatura.

*Et si instes* quod saltem dabitur aliqua ratio, seu

formalitas,quæ secundum suum conceptum formalem non sit nec quid creatum,nec increatum.

*Respondeo* id esse verum & tam vulgariter admissum in nostra schola,vt non debeat videri mirum nisi ignoranti nostra principia.

*Secunda ratio* eiusdem est, quia repugnat rationem substantiæ distingui à ratione entis. Substantiæ enim quantumcumque præcisæ non repugnat existere: ergo erit ens formaliter, nec præscindet consequenter à ratione entis: quod si semel, inquit, concedimus vnum gradum superiorem non distingui ab inferiori,corruit totum fundamentum nostræ sententiæ.

*Respondeo* negando primam propositionem. Ad cuius probationem dico quod licet substantiæ non repugnet existere,& sit forma lissime ens,nõ propterea tamẽ sequitur quod ens non præscindat à substantia,& quod substantia non distinguatur ab ente tanquam includens & inclusum, sicut homo distinguitur ab animali; quãuis sit formaliter animal. An vero ens includatur formaliter in differentiis aut modis,quibus contrahitur ad substantiam ac sua inferiora,suo loco diximus. Solutiones autem huius authoris ad argumenta nostra sunt cõformia principiis Nominalium supra positis ac ex doctrina ibi tradita facile patet quod non satisfaciãt fundamentis Scoti, vt à me proposita sunt ac confirmata.

*Solutio obiectionum ex authoritate.*

64. Aduersarij huius nostræ sententiæ præcipue fundantur in authoritatibus Patrum,& Conciliorum,quas ita sibi fauere,& nobis aduersari existimant, vt *Recupitus* supra dicat, si ad id, quod de dina infinitate ac simplicitate, Patrum, atque Ecclesiæ authoritas stabiliuit, attendamus, quod hæc controuersia sit extra omnem controuersiam:quasi scilicet tam clare colligatur ex his authoritatibus nostram sententiam esse falsam, vt non possit verti in controuersiam. Itaque ne quis moueatur his aut aliis aduersariorum censuris,quamuis ad Logicum aut Philosophum non spectet explicare authoritates Patrum aut Ecclesiæ,visum erat præcipuas authoritates,quæ nobis opponuntur, proponere & soluere.

*Obiicit itaque primo Vasquez* rationem, qua vsus est sanctus *Bernadus* in Concilio Rhemensi cõtra Gilbertum Porretanum asserentem quod Deus non esset sua bonitas nec sua sapientia. Ratio autem est hæc: si sapiẽtia formaliter loquendo non esset Deus, vel esset aliquid,vel nihil: non potest dici quod sit nihil,vt patet; sed si sit aliquid vel est quid superius Deo,quod implicat; vel quid inferius Deo,& consequenter creatura; vel quid æquale Deo,& consequenter Deus,quia nihil potest esse æquale Deo, quod non sit Deus.

*Confirmatur* quia quemadmodũ *Gilbertus* affirmabat Deum non esse suam sapientiam, ita *Scotus* dicit quod Deus non sit formaliter sua sapientia: ergo quandoquidem propositio Gilberti fuerit damnata, debet etiam damnata censeri opinio Scoti de distinctione formali, ex qua sequitur similem propositionem esse veram.

*Confirmatur secundo*, quia *Gilbertus* non asseruit vnquam fuisse distinctionem realem inter essentiam & sapientiam,sed tantum quod non sola cogitatione mathematica, sed etiam ratione theologica distinguerentur,vbi per rationem thelogicam, inquit *Vasquez*, nihil aliud intelligere potuit quam distinctionem formalem ex natura rei independentem ab operatione intellectus: ergo idem omnino censuit cum Scoto, & cõsequenter vtriusque doctrina in prædicto Concilio est damnata.

Formalis distinctio non asserebatur à Gilberto Porretano.

65. *Respondetur* tamen,rationem *sancti Bernardi*,vt valere potuit contra *Gilbertum* prædictum; qui existimauit distinctionem realem intercessisse inter essentiam & attributa sua,nihil omnino concludere contra Doct. nostrum,qui solùm asseruit distinctionem formalem & non realem inter ea: nam licet sapientia formaliter non sit Deus,est tamen Deus realiter:& propterea simpliciter potest dici quod sit Deus;vnde cum Gilbertus negaret simpliciter hanc propositionem: Deus est sua sapientia;optime colligitur quod posuerit distinctionem realem inter illa. Sed soluamus rationem *S. Bernardi* in forma,secundum quod proponitur à *Vasque* cõtra nos; nam sanctus Bernardus in prima propositione non posuit *formaliter loquendo*, sed sunt posita ab ipso *Vasque*.

*Itaque dico*, quod sapientia diuina sit aliquid formaliter loquendo, non tamen superius, nec inferius nec etiam æquale Deo; quia illæ particulæ denotant distinctionem realem, & propterea non possunt dici de sapientia, nec de vllo alio attributo comparato ad diuinam essentiam, à qua non distinguitur realiter.

*Ad primam confirmationem*, nego consequentiam, quia aliud est dicere quod Deus non sit sapientia,aliud quod non est formaliter sua sapientia,& propterea primum poterat damnari, quamuis non damnaretur secundum.

Gilbertus asseruit distinctionem realem.

*Ad secundam confirmationem*, respondetur *Gilbertum* omnino asseruisse distinctionem realem inter Deum & attributa, & eum intellexisse per distinctionem rationis theologicæ & non mathematicæ distinctionem realem, quod satis colligitur *primo*, quia aliàs ratio *S. Bernardi* non concluderet contra eum aliquid;*secundo*, quia aliàs non posset simpliciter negare hanc propositionem,Deus est sua sapientia;& *tertiò denique* euidentissime,quia,vt fatentur aduersarij,ante Scotum nullus asseruit distinctionem aliquam, quæ non esset rationis vel realis: ergo cum *Gilbertus* ante *Scotũ* asseruiret distinctionem inter essentiam & attributa, & negauerit eam fuisse distinctionẽ rationis,debuit intelligere fuisse inter illa distinctionem realem propriam,& non formalem; alias falsum esset quod *Scotus* primo inuenerit distinctionem formalem,vt aduersarij ipsi obiiciunt.

*Confirmatur* totum hoc,quia si *Scotus* conueniret cum *Gilberto*,Ecclesia per tot sæcula non permitteret,sed reprobaret ipsum,quod tamen nec somniauit quidem.

66. *Dices* cum Recupito: *Gilbertus* non potuit imaginari quod esset distinctio separabilitatis inter essentiam & attributa,verbi gratia sapientiam aut veritatem, neque etiam quod esset distinctio suppositorum inter illa: ergo non potuit ponere distinctionẽ realem inter illa.

*Respondeo*,quidquid sit de antecedenti,negando consequentiam: quia poterat imaginari distinctionem realem inter essentiam & sapientiam aut paternitatem,licet non imaginaretur ea fuisse separabilia,aut suppositа distincta,quia posset existimare quod essentia produceret necessariò in se productione reali sapientiam, & consequenter quod sapientia esset realiter distincta ab essentia, quamuis non posset separari, quia necessariò produceretur ab essentia, sicut Filius necessariò producitur à Patre, & quamuis etiam non esset suppositum, quia esset forma denominans intrinsecè ipsam essentiã denominatione formali; quod non competit suppositо.

*Confirmatur* hoc,quia multi *Thomistæ* existimant proprietates aliquas distingui realiter à suo subiecto, & tamen non posse eas separari ab inuicem,etiã de potentia absoluta, nec esse distincta per modum suppositorum: ergo similiter posset quis imaginari distinctionem realem inter essentiam & attributa,quamuis non putaret illa esse separabilia aut suppositа.

*Obiicies secundo*: in Concilio Florentino sæpe asseritur essentiam diuinam sola ratione distingui à relationibus: ergo non distinguuntur formaliter.

Florentinum Concilium nihil facit contra distinctionem formalem.

67. *Respondetur primò* antecedens non esse Concilij: sed *Ioannis cuiusdam Theologi*,qui agebat partes Latinorum contra Græcos.

Non omnia autem,quæ in disputationibus, quæ fiebant in Conciliis, adducuntur, definiuntur in ipsis, vt manifestum est: ergo quantumuis *Ioannes iste* negaret aperte distinctionem formalem,non sequeretur tamen propterea quod non daretur.

*Dices* Concilium approbasse doctrinam eius.

*Respondetur* hoc concedendo,quantum ad illud quod erat positum in controuersia, non quantum ad cætera. Controuersum autem erat solum, vtrum distinguerentur essentia & personalitas realiter, non verò vtrum distinguerentur formaliter: & ex hoc,

*Respondetur*

*Respondetur secundo* ad obiectionem, explicando antecedens sic, vt sensus eius sit, quod nullo modo realiter distinguantur, sed sola ratione, id est, distinctione, quæ non sit realis proprie dicta: concedo antecedens; quod sane intellectum in hoc sensu sufficiebat ad intentum Concilij: sic vt sensus eius sit, quod sola ratione, id est per intellectum solum distinguuntur, nego antecedens & consequentiam.

68. *Et confirmatur hæc responsio*, quia secundum aduersarios ante *Scotum* non erat vlla vnquam mentio de distinctione formali, sed tantum de distinctione reali propria, & de distinctione rationis; sed Concilium agebat tantum de distinctionibus, de quibus non controuertebatur inter Catholicos, præsertim Latinos, quorum controuersiæ non proponebantur tum examinandæ: ergo faciebat mentionem solummodo de distinctionibus illis communiter admissis, & intellexit consequenter, ex duobus generibus distinctionum, quæ absque controuersia communiter recepta sunt ab omnibus Catholicis, nullum fuisse inter essentiam & relationem præter distinctionem rationis; quod quidem verissimum est, licet cum hoc stet, quod haberent aliam distinctionem mediam inter vtramque, scilicet formalem; de qua tamen Concilium non faciebat mentionem, quia inter Catholicos controuertebatur, an daretur, necne.

*Obiicies tertio*: secundum *Patres & Theologos*, non datur distinctio in diuinis, nisi vbi obuiat relationis oppositio.

*Respondeo*, hoc esse intelligendum de distinctione reali, non de formali.

69. *Obiicies quarto*, Patres sæpissime dicunt, non aliud esse essentiam, aliud attributum essentiæ; nec aliud esse, vnum attributum, aliud alterum. Loca citantur à Recupito & recentioribus; sufficit nobis vnus locus *August. 15. de Trint. c. 5. Nullatenus aliud est in Deo esse, aliud viuere, aliud intelligere, aliud posse.*

Quo sensu attributum non est aliud ab essentia.

*Respondetur*, Patres manifeste loqui de alietate reali-coincidente cum distinctione reali, aut connexa cum illa, quæ est alietas simpliciter: non vero de alietate formali, quæ non est alietas simpliciter, sed secundum quid in comparatione ad alietatem simpliciter.

Quod autem loquantur de alitate simpliciter coincidente cum distinctione reali stricta, seu eam arguente, patet non solum, quia absolute & simpliciter loquũtur; sed quia in eo sensu negant essentiam esse aliud ab attributis, aut vnum attributum ab alio attributo; in quo sensu dicunt, quod Filius sit alius à Patre: sed quando dicunt, quod Filius sit alius à Patre, per hoc intelligunt quod sit distinctus realiter ab ipso: ergo quando dicunt attributum non esse aliud ab essentia, intelligunt quod non sit distinctum realiter ab ipsa.

*Præterea* Patres, licet dicant, quod Filius sit alius à Patre, negant tamen ipsum esse aliud à Patre, quia ex modo loquendi, secundum Patres, esse aliud ab alio significat distinctionem realem in essentia; ergo quando dicunt absolute essentiá non esse aliud ab attributis, nec hæc esse alia inter se, aut ab essentia; intelligunt per hoc, quod non habeant distinctionem realem.

*Hanc responsionem impugnat Recupitus primo*, quia illa alietas negatur in diuinis, quæ admittitur in creatis: sed alietas formalis admittitur in creatis: ergo negatur à Patribus in diuinis.

*Secundo*, quia negant in diuinis alietatem indefinite, non determinando hanc, aut illam alietatem: ergo negant omnem; indefinita enim negatiua æquiualet vniuersali, vt si quis neget accidens in Deo, idem est, acsi diceret, nullum accidens est in Deo.

*Tertio*: quia aliqui Patres excludunt omnẽ alietatem.

*Quarto*: quia de illa alietate loquuntur, quæ ab aliquibus ponebatur: sed à nullo ponebatur alietas realis: ergo non loquuntur de illa alietate, sed de formali, quæ sola fingi poterat in diuinis.

70. *Hæc impugnatio* nullius est momenti: vnde respondeo ad *primam* distinguendo maiorem: omnis illa alietas, quæ reperitur in creatis, nego; aliqua alietas, quæ reperitur inter perfectiones creatas, nimirum realis, quæ intercedit inter virtutes creatas, & actus ipsarum, & inter plurima alia accidentia, concedo maiorem; & concessa minore, nego consequentiam.

*Deinde retorqueo argumentũ primum*: quia secundũ aduersarios non datur alia distinctio in creaturis, nisi distinctio realis, aut modalis: ergo si illa quę est in creaturis, negatur in Deo, vt ait *Recupitus*, sequitur manifeste quod sola realis, aut modalis negetur in Deo inter attributa, & essentiam. *Secundo*, quia datur virtualis distinctio in creatis: ergo si omnis distinctio, quæ est in creatis, negetur in Deo in his authoritatibus, negabitur etiam distinctio virtualis in Deo, quod est contra omnes aduersarios.

*Ad secundam respondeo* distinguendo consequens: negant omnem, quæ sit simpliciter alietas, concedo: quę non sit talis, nego consequentiam. Et ad probationem dico, quod indefinita non æquiualeat vniuersali, nisi iuxta naturam prædicati quæ negatur de subiecto: verbi gratia si negetur aliquid, quod sit simpliciter tale, indefinite, transeat quod negetur vniuersaliter omne tale; sed inde non sequitur quod negetur etiam omne, quod est secundũ quid tale, vt erit euidens, hoc exemplo: Si quis neget hominẽ esse domi, licet per hoc intelligatur negare vllũ hominẽ esse domi, non propterea tamen intelligendũ est negare, quod homo aliquis pictus sit domi, sed solum intelligendũ est de homnibus simpliciter. Ergo ad propositũ, quando negant Patres alietatem indefinite, debent intelligi de alietate simpliciter, & omnem talem excludere à Deo: non vero de alietate secundum quid, aut non simpliciter, qualis est formalis.

71. *Et per hoc patet ad tertiam impugnationem*, quia solum excludunt omnem alietatem, & distinctionem simpliciter; inde autem non sequitur excludi omnem alietatem etiam formalem.

*Confirmatur hoc*, quia si ex eo, quod excludant Patres omnem alietatem, & distinctionem, sequitur nullam prorsus alietatem, aut distinctionem manere in Deo; ergo neque manebit in ipso distinctio virtualis, contra aduersarios. Itaque sicut ipsi negarent hanc sequelam, quia hæc distinctio virtualis non est distinctio simpliciter, Patres autem negant distinctionem simpliciter: ita debent dare nobis veniam negandi quod ex dictis Patrum sequatur non dari in Deo distinctionem formalem, quæ non est distinctio simpliciter.

*Ad quartam impugnationẽ respondeo primo* negando minorem, quia aliqui ponebant distinctionẽ realẽ in Deo

*Respondeo secundo* negando maiorem, quia Patres non solum deberent negare distinctionem, quæ poneretur ab aliquibus, sed illam etiam, quæ non posset in ipso poni, nisi ab poni, nisi ab indoctis.

*Confirmatur* hoc, quia certum est, quod ex dictis Patrum, colligatur non esse distinctionem realem inter attributa diuina, & essentiam, & qui assereret talem, contradiceret sine dubio Patribus: sed hoc esset falsum, nisi Patres negarent talem distinctionem in Deo: ergo negabant illam.

*Confirmatur secundo*: si solum negabant distinctionem quæ ponebatur in Deo, non negabant formalem, quia secundum aduersarios, *Scotus* est, qui prius asseruit talem distinctionem: ergo tempore Patrum non ponebatur in Deo talis distinctio.

*Confirmatur tertiò*: si negabant illam, quæ ponebatur in Deo, ergo negabant virtualem, quia illa ponebatur in ipso. Et si dicas illam non posse negari, similiter ego dicam distinctionem formalem non posse negari.

72. *Obiicies quinto*: Patres sæpissime prædicant sapientiam & cætera attributa in abstracto de essentia, & de Deo, dicendo quod Deus sit sapientia, iustitia, &c. & Concilium Rhemense dicit quod iustitia Dei sit eius misericordia: sed hoc non esset verum, si formaliter distinguerentur: ergo non distinguuntur formaliter.

Probatur minor, quia iuxta ipsum Scotum abstracta non possunt prædicari de se inuicẽ, si formaliter distinguantur, & hinc negat huiusmodi propositiones esse

veras:animalitas est rationaliras,risibilitas est humanitas,&c.& ratio est quia in talibus propositionibus denotatur,quod vnum sit alterum formaliter,& non tantum realiter,seu identice.

Abstracta finita nequeũt de se inuicẽ prędicari infinita sic.

*Respondeo* concedendo maiorem, & negando minorem:ad cuius probationem dico, quod abstracta finita non possunt vere prædicari de se inuicem, propter rationem allatam in obiectione : secus autem est de abstractis infinitis. Et ratio disparitatis est, quod abstracta finita habent tantum vnam rationem, propter quã identice possunt prædicari de se inuicem, nimirũ conuenientiam ipsorum in eodem supposito:vnde quando abstrahuntur ab illo supposito, non possunt prædicari de se inuicem,si sint distincta formaliter. Sed abstracta infinita,præter cõuenientiam in vno supposito,habent aliam rationem identitatis , nimirum infinitatem ; & propterea quamuis abstrahantur à supposito , possunt tamen prædicari adhuc de se inuicem identice , nisi etiam abstrahantur ab infinitate.

73.*Et si quæras*,vnde colligitur, quod Patres quando dicunt quod iustitia diuina sit misericordia diuina , loquantur in sensu identico,& non formali , præsertim, cum quando dicunt Filium produci per intellectum,& non per voluntatem , intelligantur loqui in sensu formali,& non identico.

*Respondeo* hoc sufficienter colligi à posteriori , quia falsum esset quod iustitia sit misericordia in sensu formali, verum autem est in sensu identico : & propterea quandoquidem Patres dicant misericordiam esse iustitiam,debent intelligi in sensu identico, in quo hoc esset verum,& non in sensu formali,in quo hoc esset falsum;quando vero dicunt quod Filius non producatur per voluntatem,sed per intellectum, quia hoc esset falsum in sensu identico,non debent inlligi in sensu identico ; quia autem id esset verum in sensu formali , debent intelligi in sensu formali.

*Hanc responsionem impugnat Recupitus* , quia licet sapientia diuina,verbi gratia sit infinita, & misericordia etiam,tamen,vel sunt infinita in omni genere , vel in aliquo determinato genere:si in omni, ergo vna includit formaliter alteram:si in vno tantum,ergo infinitas talis non infert identitatem vnius attributi cum alio attributo,& consequenter non erit verum dicere,quod iustitia sit misericordia.

*Respondeo*:quodlibet ex attributis diuinis esse realiter infinitum in omni genere,& sic realiter inuoluere cætera attributa ; cæterum formaliter loquendo non est nisi infinitum in tali genere determinato , verbi gratia sapientia in genere sapientiæ , misericordia in genere misericodiæ:& quia quidquid est sic infinitum , necessario exigit ex ratione sua formali esse coniunctũ cum aliis perfectionibus infinitis & compossibilibus, propterea valet simpliciter dicere,quod vnum attributum sit alterũ,verbi gratia, quod iustitia sit misericordia,licet non valeat dicere, quod iustitia sit formaliter misericordia. Vnde in forma distinguo vltimum consequens, identitatem formalem , concedo:realem , nego consequentiam.

74.*Obiicies sexto*:secundum *Augustinum* 7.de Trinit. *Deus Pater non quo Pater , est Deus:sed quo magnus , est Deus*:quorum verborum hic videtur esse sensus , quod Deus Pater non quo formaliter est Deus , eo formaliter est Pater,quia scilicet distinguitur formaliter Deus à Paternitate:sed Pater quo formaliter est Deus,eo formaliter est magnus , quia non distinguitur formaliter Deus à magnitudine : ergo ex hoc loco sequitur quod magnitudo , & idem est de cæteris attributis , non distinguatur formaliter à Deo.

*Respondeo* negando illam explicationem:sensus enim verus istius loci est,quod non eodẽ modo se habet Deus ad Paternitatẽ,quo se habet ad magnitudinem;quia licet sit distinctio formalis vtrobique , tamen ita se habet Deus ad magnitudinem , vt de quocumque prædicetur Deus,de eodem prædicetur magnitudo : sed non ita se habet ad Paternitatem, quia Deus prædicatur de Filio,& Spiritu Sancto,& tamen de iis non prædicatur paternitas. *Adde*, in hac obiectione concedi distinctionem formalem Dei à Paternitate , quod nobis sufficit.

*Dubia aliqua concernentia hanc materiam.*

An detur distinctio formalis nõ mutua.

75.DVBIVM PRIMVM, Vtrum detur distinctio formalis non mutua,id est, vtrum aliquid possit distingui formaliter,ab alio, à quo illud aliud formaliter non distinguitur. Videtur quod sic , quia secundũ *Scotum* in 1. *dist.* 2.*qu.* 7.formalis idẽtitas,quę negatur per distinctionem formalẽ,est inter ea,quorũ illud, quod dicitur idẽ formaliter,includit illud, cui dicitur idẽ formaliter in sua ratione formali;ergo quando sunt aliqua , quorum vnum in sua ratione formali includit aliud , & non è contra,erit distinctio formalis non mutua inter illa.

Probatur consequentia,quia illud quod includit aliud in sua ratione formali,erit idem formaliter illi alteri,& consequenter non distinguetur formaliter ab ipso:illud autem alterum,quod non includit aliud,non erit idem formaliter ipsi, & consequenter distinguetur formaliter ab ipso, & sic erit distinctio non mutua inter ipsa.

76.*Rada controuersia 4.tom.* 1. *conuersiarum* concedit distictionem non mutuam , sed dicit,illud quod includitur formaliter , & essentialiter in alio,esse idem formaliter illi in quo includitur , vt animal verbi gratia homini,& non distingui formaliter ab illo; illud vero, quod includit aliud in sua ratione formali distingui formaliter ab incluso , vt homo , verbi gratia ab animali, & citat pro se *Antonium Trombetam* , & *Ioannem Bassolim.*

*Alij Scotistæ* agnoscunt etiam distinctionem non mutuam , sed contrario modo eam explicant , dicunt enim, quod includens aliud sit idem incluso , inclusum autem distinguatur ab includete ; & his magis videtur patrocinari prædictus locus Scoti.

*Faber* denique in *Theorematibus tract.de formalitatib. c.*8. *negat* omnino omnem distinctionem non mutuam, putat enim impossibile esse quod vnum distinguatur formaliter ab alio,quin illud aliud vicissim ab ipso distinguatur; Et fundamentum ipsius est , quia identitas est relatio primi generis : sed omnes relationes primi generis sunt mutuæ:ergo identitas debet esse mutua,& consequenter si vnum extremum sit idem alteri extremo,necessario alterum debet esse idem illi.

77. *Ero quidem cum Fabro conuenio*,sed non propter illud fundamentũ:nam identitas quæ est relatio primi generis , est relatio realis inter extrema realiter distincta:sed identitas formalis,de qua hic, non est talis relatio,vt manifestum est,cum extrema ipsius non sint realiter distincta:ergo falsum est quod supponitur in illo fundamento Fabri.

*Itaque meum fundamentum est* , quod omne illud distinguitur formaliter ab alio , de quo verum est dicere quod non sit formaliter illud:sed de quocumque includente aliud verum est dicere quod non sit illud aliud, verbi gratia de homine verum est dicere, quod non sit formaliter animalitas licet includat animalitatem , & similiter de quocumque incluso in alio verum est dicere quod non sit illud aliud, verbi gratia de animalitate, licet includatur in homine verum est dicere,quod non sit homo : ergo tam includens distinguetur formaliter ab incluso,quàm etiã inclusum ab includente,& consequenter non dabitur distinctio non mutua formalis.

78. *Dices* quamuis animalitas non prædicetur formaliter de homine in abstracto,quia vt sic abstrahit ab inclusione sua in homine , tamen in concreto potest prædicari de homine formaliter,dicendo:homo est formaliter animal, quia vt sic non abstrahit ab inclusione in homine:sed hoc sufficit vt dicatur idem formaliter homini:ergo.

*Contra*, quia secundum quamcumque rationem animal potest prædicari de homine,secundum eandem rationem potest homo prædicari de eodem animali,licet non prædicatione directa,quia superius de inferiori sic prædicari non potest:ergo adhuc non dabitur distinctio non mutua.

*Contra*

*Contra secundo*, quia animal non prædicatur adæquate de homine in concreto, aut abstracto formaliter: ergo verum est dicere, quod homo non sit adæquate animal, & consequenter quod homo distinguatur formaliter ab anima: & similiter verum est dicere quod animal formaliter non sit adæquate homo: & consequenter animal distinguetur formaliter ab homine, & sic inter illa erit distinctio mutua.

79. Itaque vt concludam, quamuis admittendam censeo distinctionem formalem adæquatam, eam scilicet, quæ reperitur inter ea, quorum vnum non includitur in alio essentialiter, nec è contra: & distnctionem formalem inadæquatam, eam scilicet, quæ reperitur inter ea, quorũ vnum includitur in alio, in quo aliquid aliud etiã includitur, nullo tamẽ modo censeo dari distinctionem non mutuam. Et ad prædictũ locum *Scoti*.

Respondeo sensum eius esse, quod ea, quorum vnum includit aliud, sint identificata formaliter; quod quidẽ verũ est semper vel adæquate, vel inadæquate: si enim sic se includant, vt vnum nihil includat essentialiter, quod alterum non includit, tum identificantur formaliter adæquate, & non distinguentur formaliter: si verò sic includant, vt vnum aliquid includat, quod non includitur essentialiter in altero, tum identificantur formaliter, & cum hoc tamen stat quod distinguantur formaliter, quia non identificantur adæquate.

## *DVBIVM SECVNDVM.*

Vtrum distinctio rei à modo inseparabilis sit formalis.

80. Vtrum distinctio, quæ esset inter rem & modum eius, à quo realiter non distingueretur, sit distinctio formalis. Videtur quod sic, quia est inter extrema positiua realiter indistincta. Videtur quod non, quia modus non est formalitas, distinctio autem formalis debet esse inter formalitates.

Vt hoc dubium intelligatur, deberet statui differentia inter modum & formalitatem, de quo supra. Quod si non esset vlla distinctio inter illa, tolleretur omnis difficultas. Itaque supponendo quod modus & formalitas distinguantur, adhuc respondeo ad dubium affirmatiue: & ratio est, quia sicuti, vt supra diximus, non solum distinctio rei à re, sed etiam rei à modo separabili est distinctio realis, quia scilicet ad distinctionẽ realem sufficit quod extrema sint positiua, & quod alterũ ex illis possit esse sine alio; ita etiam non solum distinctio formalitatis à formalitate, sed etiam formalitatis à modo, est distinctio formalis, quia ad distinctionem formalem sufficit quod extrema sint positiua; & quod cum identificentur realiter, vnum ex illis non sit aliud: hoc autem currit tam bene de duabus formalitatibus quam de formalitate & modo intrinseco ipsius: ergo.

*Et hinc patet* ad rationem ad oppositum, scilicet quod distinctio formalis non possit reperiri nisi inter duas formalitates, hoc enim est falsum ex suppositione quod detur modus intrinsecus qui non sit formalitas. Addo tamen vlterius, quod quemadmodum distinctio realis, vt sic, potest diuidi in distinctionem realem rei à re, & in distinctionem realem rei à modo separabili, ita etiam distinctio formalis vt sic posset diuidi in distinctionem formalem formalitatis à formalitate & formalitatis à modo intrinseco, & prior posset vocari distinctio formalis stricta, posterior, distinctio formalis nõ modalis.

## *DVBIVM TERTIVM.*

An distinctio formalis sit relatio formaliter.

81. Vtrum distinctio formalis formaliter dicat relationem. Videtur quod sic; quia distinctio realis propria formaliter dicit relationem: ergo formalis à paritate rationis.

*Respondent* tamen aliqui negatiuè, quia relatio realis exigit extrema realiter distincta, distinctio autem formalis non exigit extrema realiter distincta sicut distinctio realis exigit: ergo quamuis distinctio realis propria sit formaliter relatio, tamen distinctio formalis non exigit formaliter relationem realem. Sed reuera hæc ratio nulla videtur, quia licet relatio realis propria, hoc est, quæ distinguitur realiter à fundamento suo, exigat extrema realiter distincta, tamen non propterea sequitur quod relatio realis impropria, hoc est, quæ non distinguitur realiter à fundamento, & quæ non intercedit inter res realiter distinctas, debeat exigere extrema realiter distincta.

*Respondent* ergo alij, neque distinctionem realem, neque distinctionem formalem dicere formaliter relationem, sed negationem identitatis. Et fundamentum ipsorum est, quia omnis relatio distinctionis præsupponit extrema distincta, realiter quidem si distinctio sit realis, formaliter verò, si distinctio sit formalis: ergo formaliter loquendo, distinctio non dicit relationem, cum præsupponatur relationi.

Sed neque hoc etiam fundamentũ satisfacit, quia qui diceret distinctionẽ esse formaliter relationem, negaret relationẽ distinctionis debere præsupponere extrema distincta, cum in sentẽtia ipsius ipsa relatio deberet cõstituere extrema distincta: & certe qui diceret extrema esse distincta per negationem præsuppositam relationi, nescio quorsum deberet admittere vllam relationẽ distinctionis sequentem talem negationem, præsertim realem; nam de relatione, quam posset ibi fingere intellectus, non est curandum, quia non est ad propositum. Deinde non minus relatio debet præsupponere extrema distincta, quam negatio identitatis: ergo distinctio non est negatio, etiam in hac sententia.

82. *Itaque respondeo* probabile esse quod nulla distinctio siue realis, siue formalis, dicat formaliter relationem, sed tantum negationem identitatis: & ratio est, quia per hoc quod intelligantur aliqua cum tali negatione, sufficientissime intelliguntur distincta: ergo non est necessitas vllius relationis, vt constituãtur distincta.

*Et confirmatur*, quia illa negatio identitatis sequitur ipsamet extrema distincta ex natura sua, quamuis nulla relatio sequeretur ad ipsa: ergo superfluè ponitur vlla relatio distinctionis.

*Dices*: Petrus habet negationem identitatis realis cum seipso, & tamen non habet distinctionem realem à se ipso; ergo distinctio realis non consistit in negatione identitatis realis, aut formalis realiter.

*Respondeò*, distinguendo consequens: non consistit in negatione identitatis eiusdem ad se, concedo: in negatione identitatis plurium inter se, nego cõsequentiam.

85. *Dices secundo*: identitas & distinctio eodem modo se habent ad inuicem, quo similitudo & dissimilitudo: sed dissimilitudo non dicit tantum formaliter negationem similitudinis: ergo distinctio non dicet formaliter tantum negationem identitatis.

*Respondeo* negando maiorem: & ratio disparitatis est, quia potest esse negatio similitudinis inter aliqua, inter quæ tamen nõ est dissimilitudo, verbi gratia, inter duos parietes nigros est negatio similitudinis in albedine, & tamen non habent dissimilitudinẽ in albedine; ergo dissimilitudo aliqua non est negatio tantum similitudinis similitudo aliqua non est negatio tantum similitudinis sibi oppositæ; sed non potest esse negatio identitatis realis inter aliqua, quin etiã sint distincta realiter: ergo nõ est necesse quod distinctio realis dicat aliquid, præter negationem identitatis realis, & consequenter non eodem modo per omnia se habent inter se dissimilitudo & similitudo, quo se habent identitas, & distinctio.

Ex quo patet, quam insufficienter distinguatur distinctio formalis à non identitate formali, quasi scilicet distinctio formalis diceret formaliter relationem, non identitas vero non diceret.

## *ADDITIO.*

Doctrinam meam hac quæstione num. 13. proponit Mastrius disp. 6. Met. num. 212. quam ait coincidere cũ doctrina à se paulo ante impugnata, quia vt discernam distinctionem formalem à reali recurro ad separabilitatem, vel inseparabilitatem extremorum docens formalem distinctionem esse inter extrema quæ inuicem necessario petunt esse connexa. Deinde ait definitionem formalitatis à me traditam esse falsam, quia conuenit relationibus prædicamentalibus.

Ad hæc nego me ad inseparabilitatem quandocũque recurrere ad declarandã distinctionẽ formalẽ, ita vt velim dicere, quod quę sũt omninõ inseparabilia, sunt distincta

stincta formaliter; id enim esset falsum, & contra omnia mea principia; sed recurri, & bene, ad inseparabilitatem eorum inter quæ non intercedit vllum aliud signum distinctionis realis, vt sufficienter expressi dum dixeram formalitates esse illas, quæ inexistunt in re, quæ possit secundum se existere, & non possunt ipsi aduenire de nouo, suntque propterea inseparabilia ab ipsa quoad omnem potentiam: hæc enim descriptio non conuenit iis, quorum vnum potest producere aliud: neque iis quæ subiectantur in diuersis subiectis realiter distinctis.

Vnde patet meam descriptionem formalitatis nullo modo competere relationibus prædicamentalibus realiter distinctis, quæ aduenium & aduenire possunt de nouo, & non sunt sic inseparabiles quin fundamentum possit esse absque ipsis. Eadem disp. *num.* 233. adducit duas difficultates quas propono hac quæst. *n.*57. contra communem doctrinam Scoti ac Scotistarum, ob quam negant compositionem in Deo, quamuis admittant in ipso plures formalitates; ob quas difficultates, quia ipse eas clare soluere non poteram, aliter respondi, & iuxta meam illam responsionem dixi posse explicari doctrinam illam Scoti, & Scotistarum contra quam opposui illas difficultates.

Contra vero illam meam respõsionem Mastrius opponit, quod vt aliqua duo identificentur realiter, id non habeant à causa extrinseca, sed à se: ergo vt eorum identitas sit ita perfecta vt excludat compositionem, aut ita imperfecta vt non excludat, non orietur ex dependentia, aut independentia eorum à causa extrinseca, sed ex finitate, aut infinitate extremorum.

Confirmat hoc, quia causa extrinseca dum coniungit extrema non potest facere vt habeant compositionem, aut non habeant ad libitum suum, sed secundum quod ex natura sua exigunt. Vnde quamuis anima rationalis coniungeret se corpori, faceret compositionẽ cum ipso.

Confirmat secundo, quia vel gradus entis est natus facere compositionem ex natura sua cum suo modo contrahente, vel non. Si primũ: ergo in Deo facit compositionem. Si secundum: ergo nec in creatura faciet compositionem propter dependentiam à causa extrinseca, quæ non mutat naturam extremorum quæ coniungit.

Vt vitetur confusio, nolo proponere reliquam partem doctrinæ huius Authoris donec ad hæc respondero.

Dico ergo me numquam somniasse, quod causa efficiens posset facere, vt extrema haberent compositionem, nisi ex natura sua intrinseca id exigerent; hoc tamen non obstante sicut ex eo, quod aliquis effectus possit produci à causis naturalibus colligi potest, quod ex natura sua intrinseca sit ordinis naturalis, & ex eo, quod non possit ab illis produci, quod non sit ex natura sua ordinis naturalis, sed supernaturalis: ita potest colligi arguitiue, quod aliqua extrema sint ex natura sua componibilia, & apta facere compositionem, si sint talia quæ non possint poni à parte rei coniuncta absque dependẽria à causa extrinseca; & quod illa non sint ex natura sua apta facere compositionem, quæ coniungi possunt absque tali dependentia, vnde in forma Respondeo ad argumentum Mastrij distinguendo antecedens & consequens: non habent hoc arguitiue nego: alio modo transeat; nec id facit contra me, vt patet.

Ex quo patet ad confirmationem primam, ad quam directe respondeo quod causa efficiens nequeat pro libitu facere talem vel talem coniunctionem extremorum, sed necessario debet facere illam coniunctionem, qualem nata sunt extrema facere; potest tamen ex eo, quod coniunctio sit talis naturæ, vt non possit poni sine dependentia, colligi, quod sit imperfecta cõiunctio, & ex eo, quod sit talis naturæ vt possit poni sine dependentia, potest colligi, quod ex natura sua sit coniunctio perfecta. Vnde falsum est, quod patum referat dependentia, vel independentia ad colligendum ex ea naturam coniunctionis, seu identitatis, & ad exemplum de anima rationali dico, quod ex eo quod posset anima ponere coniunctionem inter se & corpus, sequatur manifeste coniunctionem esse imperfectam, modo posset illud facere in genere causæ efficientis, quia eo ipso sequeretur distinctio realis ipsius ab vnione, & corpore quæ semper inuoluit imperfectionem in rebus sic coniungibilibus & illa dependentia tum esset à causa extrinseca, nam anima esset causa extinseca illius vnionis: quod si anima ex se necessario absque efficientia identificaretur corpori, profecto identitas ex hoc capite esset perfecta, & non posset colligi quod sufficeret ad compositionem, nisi aliunde id colligeretur, & si aliunde colligeretur, tum sequeretur contradictio, quia ex vno capite identitas esset perfecta, ex alio non esset, & propterea implicat animam esse sic identificatam corpori.

Ad secundam Confirmationem, quæ plane Mastrica est, dico quod gradus entis ex se, sit natus facere compositionem cum modo ad quem possit contrahi cum dependentia, qualis est ille quo contrahitur ad creaturam, & non sit natus facere compositionem cum illo quo contrahitur sine dependentia, qualis est ille quo contrahitur ad Deum. Manet ergo adhuc integra, & stabilis mea doctrina, & hoc supposito, manifestum est quod per eam soluantur argumentum Thomistarum, & difficultates à me propositæ contra doctrinam communem Scotistarum.

Iam accedo ad aliam partem discursus Mastrij, qui *num.*235. Infert ex impugnatione meæ doctrinæ sistendum in solutione communi Scotistarum, quam frustra conatur ostendere esse ipsiusmet Scoti, quia ipse hoc confessus eram, & iam iterum fateor, sed nego per eam sufficienter solui argumentum Thomistarum confirmatum per duas meas difficultates, nisi explicando eam per meam doctrinam, aut aliam aliquam, quam non adfert Mastrius, nec vidi adhuc allatam ab vllo Scotista, expresse saltem, quod probo reiiciendo solutiones illarum difficultatum adductas à Mastrio hic.

Ad primam difficultatem aut solutionem dicit patere ex dictis suis disp. 2. qu. 5. a. 2. præsertim in solutione ad 4. vbi docuit gradum entis nec in Deo, nec in creatura proprie facere compositionem, quia nullam dicit realitatem potentialem vere contrahibilem per differentias, sed purum conceptum inadæquatum per modos contrahibilem à posteriori, quam inquit difficultatem Poncius euadere nequit, qui vult conceptum entis propriam realitatem præse ferre potentialem per aliam realitatem contrahibilem.

Sed ex dictis supra contra Mastrium in additione ad quæst. 2. constat hanc doctrinam Mastrij de conceptu inadæquato entis esse improbabilem in sententia Scoti, vtpote contra omnia principia ipsius de distinctione formali, nec ipse Mastrius eam amplecteretur, nisi ad euadendam difficultatem illam de compositione, quæ cum ex dictis facile tolli possit iuxta meam doctrinam, quæ nullo modo præiudicat illis principiis, patet vel ex hoc ipso capite reiiciendam esse illam doctrinam Mastrij.

At Mastrius adhuc addit non satisfacere me illi difficultati de compositione entis cum modo, seu differentia cnntrahente ipsum ad Deum, dum dico quod propterea non fiat talis compositio quia licet ens secundum se non sit infinitum, coniungitur tamen in Deo cum infinitate, & propterea coniunctio ipsius habet independentiam à causa extrinseca, addit, inquam, hoc non satisfacere, quia nec modus, nec differentia addita variat naturam realitatis cui additur, vnde si illa est de se communis potentialis & componibilis, talis intrinsece remanet vbicumque ponitur, & semper habebit rationem partis per se determinabilis.

Tum quia Poncius, inquit, in hac solutione non sibi constat, quia paulo supra dixerat reiiciendo communem Scostarum doctrinam infinitatem non sufficere ad perfecte identificandas realiter formalitates, sed requiri independentiam à causa extrinseca; in hac autem solutione

lutione ad infinitatem ipse quoque recurrit simul cum independentia.

Verum hoc non obstante videor mihi abundè satisfeciſſe illi difficultati, nec de hoc dubitari posse nisi quatenus dubitaretur de ipsa mea doctrina, quam ostendi veram esse non obstante impugnatione Mastrij, & ad primum, quod hic opponit, concedo, quod nec modus, nec differentia variat rationem formalem realitatis, cui additur; sed nego rationem entis ex se esse potentialem, aut determinabilem, aut habere rationem partis, provt hæc inuoluunt imperfectionem; sed has rationes vt sic, habebit quatenus coniungitur cum finitate, & vt coniungitur aut coniungibilis est cum illa, habet dependentiam à causa effectiua; talem autem non habet vt est coniungibilis, aut coniungitur cum infinitate.

Ad secundum dico falsum esse, quod mihi in ea solutione non constem, sed benè constat sibi Mastrius in me non intelligendo & in opponendo, quod nihil habet apparentiæ: nam quãdo dixi suprà infinitatem non sufficere ad excludendam compositionem, id intellexi non in eo sensu, quod non sufficeret realiter, & quod reuera quidquid esset infinitum nequiret facere cõpositionem; sed quod non sufficeret nisi ostenderetur cum illa sufficeret ad hoc; id autem ego in mea doctrina expresse ostendi, Scotistæ verò non videntur mihi id feciſſe propter difficultates à me oppositas; in illa verò responsione non recurri ad infinitatem solam, quàm suprà dixi se sola non sufficere, vt persuaderentur alij ad excludendam compositionem à Deo, supposita distinctione formali; sed ad illam & ad independẽtiam à causa extrinseca, quæ cum oriatur ex infinitate, optimè dixi, quod ens contractum ad infinitatem, & propterea habens talem independentiam non faceret compositionem cum illa infinitate, nec cum vllo alio sibi identificato, quantumvis formaliter ab eo distingueretur.

Addo ex hoc ipso vt vel Mastrius id distinctiùs capiat mirum esse, quod vllus iudicare posset me mihi non constare ex eo, quod in vno loco dicam infinitatem non sufficere, in alio vero loco dicam infinitatem, & independentiam sufficere: nam prorsus hoc perinde esset ac dicere, quod sibi non constaret qui in vno loco negaret animalitatem sufficere ad constituendum hominem; in alio vero assereret animalitatem & rationalitatem ad hoc sufficere.

Asserit vlterius *numero* 236. me non rectè respondere ad aliam difficultatem, qua probatur quod essentia facit compositionem cum attributis sicut animal cum rationalitate, quia animal cum rationalitate habet dependentiam in coniunctione sua à causa efficienti extrinseca, secus est de essentia & attributis; hæc inquam ratio mea non sufficit secundùm Mastrium, quia talis dependentia ac independentia materialiter se habent ad hoc; sed potiùs, inquit, ratio est, quam assignat Doctor, quia animalitas & rationalitas non identificantur nisi ratione tertij, secus est de essentia & attributis.

Et vlterius notat instantiam, quam ego adduco *n.* 58. velut tacitam Scotistarum responsionem ad secundam meam difficultatem, nec benè, nec fideliter adduci, dum aio pro illis, quod animal non ideò præcisè facit compositionem cum rationalitate, quia est quomodocumque perfectibile per eam, sed quia vlterius non continet ipsam, nec formaliter nec eminenter; essentia vero diuina continet virtualiter & eminenter perfectiones attributorum; neque enim Scotus aut Scotistæ, inquit Mastrius, dicunt hac de causa essentiam non facere compositionem, quia perfectiones attributales formaliter in summo ente continentur, & non virtualiter solum, vel eminenter, hic enim modus continentiæ virtualis & eminentialis competit solùm perfectionibus secundùm quid; sed ratio Scoti & Scotistarum cur essentia non faciat compositionem est, quia habet cum illis perfectissimam identitatem.

Ad hoc totum patet responsio ex dictis ante, ex quibus constat illã independentiam ac dependentiam non ita se materialiter habere, quin possit ex illis colligi cõpositio aut simplicitas aliquarum formalitatum identificatarum realiter, & quamvis in re ipsa fortassis optima sit ratio illa Doctoris de identitate, aut non identitate formalitatum in aliquo tertio; tamen negari non potest, quin si mea doctrina vera sit, longè faciliùs & clariùs solui possit per eam illa difficultas, quàm per hoc de identitate, aut non identitate in tertio: nam prorsus difficile est, quod animalitas & rationalitas non identificentur nisi ratione tertij; essentia verò diuina, & attributa identificentur aliter quam ratione tertij; & vlterius quamvis id ita esset, difficile est vlterius ostendere, cur propterea essentia & attributa non facerent compositionem, tam benè, quam animalitas & rationalitas, nisi reducendo rem ad meam doctrinam aut aliquam aliam hactenus non traditam expresse quod sciam; quid enim ad hoc facit identitas illa in tertio, aut non tertio?

Ad id quod vlterius notat, suprà notauerat illud antè ob easdẽ rationes, quas si rectè perpẽdisset, non denuò eas exponeret Lectoris ludibrio, quæ, si bonæ essent, sufficeret eas semel proponere, nisi quacumque via Metaphysica ad quantitatem aliquam molis perducenda esset, quæ suppleret desiderabiliorem virtutis.

Sed hic etiam rursus respondeo falsum esse, quod Scotistę non vtantur instantia à me adducta: ea enim & audiui sæpè & legi in manuscriptis Scotistarum tam celebrium, vt pace Mastrij vix ille dignus esset eorum Discipulus, & quamvis nullus ea vteretur, nunquid benè à me adduci posset, tanquam talis quæ vt mihi ipsi, ita aliis occurrere posset & sufficiens fortè videri? Et quoties Authores responsiones & instantias sibi ipsi occurrentes adducunt ad conformandam earum refutatione suam doctrinam? Fortassis id Mastrius in se expertus non est, qui farragine variorum dicendi modorum ex aliis Authoribus adductorum contentus nihil ipse ex se excogitauerat.

Ad id autem quod ille opponit, nempe perfectiones simpliciter simplices non cõtineri virtualiter aut eminenter in essentia diuina: Sed formaliter, quia modus continentiæ virtualis aut eminentialis solum competit perfectionibus secundùm quid: Respondeo quamvis nunquam de Mastrio conceperam magnam ingenij, aut doctrinæ opinionem, nunquam tamen me putasse tam crassam posse in ipsum cadere ignorantiam: quam ex hoc loco, quis meritò colligat: quamvis enim certum sit apud omnes, quod in Deo realiter considerato reperiantur formalissimè rationes attributales, & quod hæ non contineantur in ipso, vt sic considerato virtualiter aut eminentialiter; tamen omnes quotquot vidi Scotistæ, & quotquot oculos habent, quibus aliquid videant Metaphysicæ Theologicæ, fateri debent in via præsertim Scoti ac Scotistarũ (excipio Mastrium) negantium attributa esse de essentia diuinæ naturæ formaliter consideratæ, & asserentium ea esse formalitates ab ipso actu distinctas formaliter, & consequenter ipsam consequentes ac tanquam à radice pullulantes; in hac inquam via omnes fateri debent, quod essentia diuina, vt formaliter ab attributis distincta non continet illa formaliter, & quod contineat illa virtualiter, quatenus est radix ex qua pullulant; & eminenter etiam quatenus habet in se perfectionem illam radicalem, ex qua fit vt ab ea pullulare possint; quod cum ita sit, ex doctrina Scoti ac Scotistarum benè & fideliter adduci poterat illa instantia, quam tamen ego non dixi fuisse ipsorum, quod addo vt vel ex hoc etiam capite pateat Mastrium infideliter mecum agere.

## QVÆSTIO VLTIMA.

### *De Distinctione rationis.*

Quid distinctio rationis ratiocinantis.

DISTINCTIO *rationis* est distinctio, quam facit intellectus, vt ex etymologia nominis patet. Est autem duplex, secundùm communem sententiam, quædam enim est rationis ratiocinantis, & quædam rationis ratiocinatæ; quarum frequens est vsus in Scholis. *Distinctio rationis ratiocinantis est*, quàm facit intellectus, nullo oblato fundamento ex parte obiecti,

vt cum intellectus rem aliquam bis concipit eodem omnino modo; tum enim illa res dicitur distingui à seipsa distinctione rationis ratiocinantis: præsertim si, vt concepta vno conceptu ex illis, comparetur ad seipsam, vt conceptam altero conceptu: verbi gratia distinctio, quæ est inter Petrum, quatenus est subiectum propositionis huius, Petrus est Petrus, & seipsum quatenus est prædicatū eiusdē propositionis, est distinctio rationis ratiocinantis, quia à parte rei nullū est fundamentū, cur Petrus distinguatur à seipso; & ex altera parte tota distinctio prouenit ex eo, quod intellectus bis concipiat Petrum eodem modo, & comparet ipsum vt conceptum vno conceptu, ad seipsum conceptum alio conceptu.

Quid rationis ratiocinatæ.

85 *Distinctio rationis ratiocinatæ* est distinctio, quàm facit intellectus oblata sibi occasione ex parte rei, vt verbi gratia, si ex eo, quod aliqua res, quæ in se nullam haberet distinctionem antè operationem intellectus, respiceret à parte rei res diuersas, intellectus distinguit ipsam vt respicientem vnam ex illis, à seipsa, vt respiciente aliam ex illis, verbi gratia, potentia Angeli ad intelligendum, & volendum à parte rei, secundùm *Thomistas*, & recentiores communiter, nullam habet distinctionem; potest tamen producere intellectionem & volitionem: si ergo intellectus distingueret illam, quatenus est principium intellectionis à seipsa, quatenus est principium intellectionis à seipsa, quatenus est principium volitionis, distinctio esset distinctio rationis ratiocinatæ, quia esset distinctio quàm faceret intellectus oblata occasione à re, quàm distingueret. Illud autem fundamentum, quod est à parte rei, vocatur à multis distinctio virtualis, seu fundamentalis.

Omnia autem illa, quæ *Scotistæ* communiter explicant per distinctionem formalem, *Thomistæ & recentiores* cōmuniter explicant, vel per distinctionem rationis ratiocinatæ hāc, vel per distinctionē fundamentalē, seu virtualem, quam habet res antecedenter ad hanc distinctionem: & propterea multi existimant, non esse nisi quæstionem de nomine inter eos. Quod quidem satis probabile est, loquendo de iis, qui illa explicant per distinctionem *virtualem & fundamentalem*; nam qui illa explicant per distinctionem rationis ratiocinatæ, nullo modo conuenire cū *Scotistis* censendi sunt, nec etiam illas difficultates vllo modo sufficienter explicare: nam, vt consideranti patet, illæ difficultates, propter quas explicandas ponunt *Scotistæ* distinctionem formalem, sunt difficultates reales, quæ non dependent ab operatione intellectus fingentis; & quæ dantur à parte rei, etiam si intellectus nihil omnino consideraret; & consequenter perperam refugitur in iis explicandis ad distinctionem vllam, quæ fit per intellectum, verbi gratia ex eo, quod videt *Scotista* in homine esse principium sentiendi, & principium ratiocinādi, in bruto vero principium sentiendi, sine principio ratiocinandi colligit quod à parte rei sit aliqua distinctio inter principium sentiendi & ratiocinandi. Ad hanc autem difficultatem tollendam nihil prorsus iuuat distinctio vlla, quæ fieret per intellectum. Sed hæc de distinctionibus sufficiant.

## *ADDITIO.*

### *De æqualitate perfectionis specierum.*

CVm iam instaret finis secundę huius editionis, peruenit ad me secunda pars Metaphysicæ P. Bartholomæi Mastrij in qua multa reperi quibus æquè respondere debeam, ac iis, quæ scripsit contra me in prima parte, quia verò propriis locis collocari non poterant hic ea subiungere volui.

Itaque disputatione 8. num. 234. Mastrius probat species omnes debere esse inæqualis perfectionis, cuius oppositum ego docueram suprà disputatione 5. n. 27. quia quæ conueniunt in eodem gradu perfectionis specificæ, necessariò sunt eiusdem speciei: ergo non possunt dari duæ species æquales in perfectione essentiali.

Probatur antecedens, quando aliqua sunt realiter & formaliter, ac etiam ratione idem, quæ in vno eodem conueniunt, conueniunt in reliquo, sed gradus perfectionis specificæ, & essentialis & ipsa essentia sunt vnū realiter formaliter, & secundùm multos ratione: ergo quæ conueniunt in perfectione conueniunt in essentia.

Sed contra hanc rationem, quam sibi euidentissimam asserit Mastrius, facit manifestè, quod si loquatur de eodem gradu, hoc est de tantitate gradus, ita scilicet vt velit dicere, quod quæ conueniunt in tot gradibus perfectionum, vel in perfectione tot graduum, aut quæcūq; ita se habēt, vt quodlibet ex ipsis habeat duos gradus perfectionis, illa debeant esse eiusdē speciei, petatur directè principium, & negari propterea debeat antecedens: si verò loquatur de eodem gradu, id est de gradu eiusdem rationis, verum quidem sit antecedens, & falsa consequentia.

Probatur autem antecedens in sensu in quo cōceditur, & in quo non valet consequentia.

Quod si velit non posse aliqua conuenire in tantitate perfectionis, quin conueniant in ipsamet perfectione, sic etiam petit principium, & manifestè patet esse falsum, quia attributa diuina conueniunt in tantitate perfectionis: nam quodlibet est infinitæ perfectionis, & tamen non conueniunt formaliter in ipsamet perfectione Iustitiæ.

Cum qua responsione in re conuenit, quod in Logica suprà dixerim posse dici, quod species diuersæ conuenirent in eadem differentia, quatenus illa principiat tantam perfectionem, hoc est perfectionem vt tria, vel vt duo, non verò quod conuenirent in eadem, hoc est similis naturæ; sicut potest dici, quod calidum vt duo conuenit cum frigido, vt duo, in intensione qualitatis, licet non conueniant in natura ipsiusmet qualitatis.

At Mastrius ibidem ait, hac solutione confirmari suam doctrinam: quia differentia specifica ideò hanc speciem constituit eum genere, & non aliam, quia est principium tantæ perfectionis & non maioris: ergo si duæ differentiæ specierum diuersarum conuenirent in hoc, quod principiarent tantam perfectionem, essent eiusdem naturæ, & sic species illæ non essent diuersæ speciei.

Confirmat hoc, quia differentia specifica ita est principium perfectionis entitatiuæ, vt talis perfectio illi commensuretur, adeò vt ex simili, vel æquali perfectione duorum possit inter ipsa argui identitas specifica, vt constat in indiuiduis eiusdem speciei.

Sed præterquàm, quod in hac responsione & cōfirmatione Mastrius manifestè petat principium, quod satis esset pro impugnatione; claritatis gratia Respondeo in forma negando antecedens; sed potius ideò constituit talem speciem, quia est talis naturæ, quæ sit scilicet dissimilis omnibus aliis naturis, vnde si nullam diceret perfectionem, profectò adhuc, modò esset dissimilis aliis naturis, constitueret cum genere determinatam speciem.

Ad confirmationem, Respondeo negando propositionem illam; neque enim ex tantitate perfectionis, sed ex qualitate potest colligi vnitas aut distinctio specifica aliquorum.

Deinde *n.* 238. cum responderet ad rationem Auersæ, adductam etiam à me, nempe quod diuersitas specifica non necessariò inferat inæqualitatem perfectionis; quia relationes diuinæ sunt diuersæ speciei, aut naturæ, & tamen non sunt inæqualis perfectionis, ait argumentum non valere, quia vel relationes dicunt perfectionem infinitam, & sic corruit argumentum, quia sunt inæqualitatis incapaces: Vel non dicunt perfectionem, & sic minus vrget argumentum, quia sic non erunt æqualitatis, aut æqualitatis capaces; vnde miratur quod ego suprà dixeram argumentum hoc Auersæ efficaciter concludere ex suppositione, quod relationes non dicant perfectionem.

Verū ego miror potius, quod ipse nō videatur aduertisse vim argumenti, quam propterea nō debeo mirari, quod non soluerit: nam intentum tantum erat probare, quod diuersitas specifica nō necessario inferat inæqualitatem

litatem perfectionis, quãdoquidé relationes diuinę sint diuersæ ac dissimilis naturæ, & tamen vel nullam dicant perfectionem vt dicunt Scotistæ, vel si dicant, certe non citant inæqualem, quandoquidem omnes dicant infinitam; quidquid sit an sint æqualis perfectionis.

Rursus, quod dicit corruere argumentum si Relationes dicant perfectionem, quia cum perfectio earum debeat esse infinita, non poterunt esse capaces æqualitatis aut inæqualitatis; quia hæ sunt proprietates quantitatis, & essentiæ finitæ, nescio quomodo verum esse possit, quandoquidem de fide sit personas diuinas ex symbolo sancti Athanasij esse coæternas & coæquales, & Christus dicatur æqualis Patri secundum diuinitatem, minor vero secundum humanitatem.

Quomodo autem Scotus exponendus sit ad alium locum relinquo.

Sed prorsus satis gratiæ habet, quod ait Mastrius hic male desumi argumentum ex rebus diuinis ad humana. Sed quare mi Mastri, si ex diuinis possumus concludere intentum increatis, non possumus hoc facere, sicut facimus à creatis ad diuina?

Quo iure prohibere potes nobis illa arma, si ingenio illa arripere possumus, & non solum nos defendere, sed offendere aduersarios.

Vlterius *n.* 239. proponit duo mea argumenta, nempe quod ex diuersitate specifica non possit colligi inæqualitas perfectionis, quia prius colligimus aliqua esse dissimilia ac diuersa consequenter specie, quam cognoscimus, quodnam sit perfectius, & sine eo, quod de perfectione earum cogitemus; & quia verisimile est duas visiones duarum albedinum esse diuersæ speciei, quia magis disconueniunt, quam duæ visiones eiusdem albedinis, cum tamen videantur esse eiusdem perfectionis.

Respondet autem ad primum, quod ex diuersitate specifica colligatur inæqualitas perfectionis, sicut ex eo, quod duo indiuidua sint eiusdem rationis sequitur, quod debeant esse inæqualis perfectionis.

Contra, quia si colligeretur statim sciretur, quod essent inæqualis perfectionis absque vlteriori discursu, quod manifeste falsum est: quia alias de hac re non posset esse controuersia: nec est eadem ratio de speciebus ac indiuiduis quantum ad intentum Mastrij; quia quandoquidem indiuidua sint eiusdem ac simillimæ naturæ non possunt habere inæqualitatem, quia alias haberent aliquam dissimilitudinem, vnde proueniret inæqualitas. Sed diuersæ species, licet sint dissimilis naturæ, non inde tamen potest deduci, quod non possint esse æqualis perfectionis, licet bene sequatur, quod non sint similis perfectionis.

Nec verum est, quod ex æqualitate perfectionis, Petri & Pauli colligatur bene, quod sint eiusdem speciei, sed potius id colligitur ex similitudine perfectionis. Vnde patet totum discursum ipsius *numer.* 236. esse insufficientem.

Alia addit circa idem argumentum, quæ non indigent responsione, quia manifeste supponunt falsum, nempe quod nos non cognoscamus aliqua esse diuersæ speciei antequam cognoscamus ea habere vllam perfectionem, aut cogitemus vnum alio esse maioris aut minoris perfectionis.

Omitto responsionem ipsius ad alterum fundamentum meum, quia ipsemet significauit illud mihi non sufficisse; quamuis enim non sufficiat Responsio ipsius, imo ex ea videatur eum non intellexisse vim rationis meæ, quatenus intendebat probare diuersitatem specificam duarum visionum diuersarum albedinum; tamen non libet in non necessariis hærere.

Solum addam eum non recte respondisse ad instantiam meam de indiuiduis æqualis perfectionis, sed aliquo modo dissimilibus, vt sunt duæ visiones duarum albedinũ: nã vt illa possunt esse dissimilia non accidentaliter, sed substantialiter dissimilitudine proueniente ab hæcceitatibus, cur non possent aliqua esse dissimilia essentialiter absque inæqualitate perfectionis essentialis?

Respondet Mastrius negando paritatem; nam duo indiuidua possunt esse dissimilia ratione hæcceitatum absque inæqualitate perfectionis essentialis. Sed dissimilitudo, quæ versatur inter aliqua ratione differentiarum essentialium est essentialis, & quidditatiua, & ideo non est compatibilis cum æqualitate perfectionis inter illa, quia cum essentia & perfectio sint idem, repugnat quod quæ disconueniunt in vno, disconueniant in altero.

Contra, quia meum intentum non erat agere de perfectione essentiali, aut æqualitate indiuiduorum in ea: sed quod quemadmodum cum dissimilitudine ratione hæcceitatis posset stare æqualitas perfectionis etiam indiuidualis, seu competentis indiuiduis ratione hæcceitatum; ita etiam cum dissimilitudine in differentiis specificis posset manere æqualitas perfectionis specificæ, seu essentialis.

Ad hoc autem nihil dicit Mastrius, ad illud autem de identitate essentiæ & perfectionis essentialis, quod iterum repetit Mastrius.

Dico non magis identificari perfectionem essentialem differentiæ essentiali, quam perfectionem indiuidualem differentiæ indiuiduali, vnde si ex eo, quod aliqua habent dissimilitudiem in differentiis essentialibus, sequatur quod debeant habere dissimilitudinem, seu inæqualitatem in perfectione identificata ipsi: etiam ex eo, quod aliqua habent dissimilitudinem in hæcceitatibus, sequitur manifeste, quod debeant habere inæqualitatem in perfectione indiuiduali identificata hæcceitatibus.

## *ADDITIO.*

### *Circa Naturam Vniuersalem.*

*Disput. 6 n.* 18. proponit doctrinam meam *disp.* 3. *n.* 45. qua dico vt aliquid prædicetur de pluribus non esse necesse, vt illis pluribus identificetur, sed sufficere vt illud ipsum, vel aliquid ipsi simile, & repręsentabile eodem conceptu sit in pluribus; vnde natura Petri potest prædicari de Paulo, cui non identificatur; quia alia natura ipsi similis identificatur illi, & hinc puto prædicationem naturæ communis de pluribus non fundari supra identitatem naturæ illius cum eis, sed in illorum similitudine.

Appellat autem hanc meam doctrinam omnino falsam, quia in omni schola veritas propositionis essentialis fundatur in identitate reali prædicati cum subiecto, quia nisi identificaretur non posset intrinsece, & essentialiter prædicari.

Confirmat, quia cum naturam Petri prædicamus de Paulo prædicatione dicente, hoc est hoc, scilicet Paulus est homo, sensus non est naturam Petri esse similem naturæ Pauli, sed eandem esse naturam amborum: ergo non sufficit sola similitudo vnius indiuidui cum alio, vt natura vnius possit de alio prædicari: quia tunc non esset prædicatio dicens, hoc est hoc, sed potius hoc est simile illi, vel habet naturam similem cum illo.

Sed certe hæc non sufficienter probant meam sententiam esse falsam; quare optandum esset à Mastrio vt parceret censuris, donec recte intelligeret ea, quæ censurat, & sciret bene an censuram mereantur.

Respondeo vero breuiter, quando veritas propositionis essentialis dicitur fundari supra identitatem prædicati cum subiecto, hoc ita intelligendum, vt vel illud ipsum prædicatum, quod concipitur & prædicatur, identificetur, vel aliud simile, & certe alias natura Petri numquam posset prædicari de Paulo, quia illa natura non identificatur Paulo, vt ipsemet Mastrius videtur fateri: quamuis autem non identificetur ipsamet ipsi, tamen potest prædicari de ipso essentialiter, & intrinsece in hoc sensu, non quod ipsamet sit essentialis, & intrinseca, sed quod vel illa vel aliqua sit similis.

Quod declarari potest aliqualiter exemplo propositionis huius vocalis, homo est animal, quæ propositio est essentialis, quamuis vox animal non identificetur homini, quia homo supponit pro re quæ est animal rationale, & animal supponit pro re, quæ est animal: & sensus

sensus est, non quod vox animal identificetur homini, sed quod res illa quæ est animal rationale sit animal,& quod animalitas aliqua identificetur ipsi:ergo similiter natura humana Petri suppositа pro natura simili potest prædicari de Paulo essentialiter, quia quamuis ipsamet non identificetur illi;tamen natura similis,pro qua supponitur,identificatur ipsi.

Ad Confirmationem, dico non esse ipsam naturam Petri,quæ prædicatur de Paulo, prædicatione dicente hoc est hoc,quatenus accipitur pro se ipsa,sed quatenus supponitur pro natura simili identificata Paulo. Nec quando prædicatur natura Petri de Paulo, sensus est quod natura Petri sit similis naturæ Pauli,sed quod natura aliqua similis naturæ Petri identificetur Paulo & dicatur de ipso tam bene, quàm natura Petri dicitur de ipso Petro.

Secundo eadem disputatione *n.*58. doctrinam quam propono *d.*3. *n.*35. nempe quod natura Petri distincta formaliter à sua hæcceitate neque est vna positiue cum alia natura, neque positiue distincta;nam vt sic præcisè habet prædicata essentialia,inter quæ non est vnitas,neque distinctio iuxta illud Auicennæ:Equinnitas est tantum equinnitas, & vt sic non est, nec vna nec plures. Hanc inquam doctrinam quæ intellecta,vt debuit esse, est ipsiusmet Scoti,& etiam in reipsa Mastrij,ait tamen falsam continere doctrinam, quia naturæ communi in statu essentiæ consideratæ, prout distinguitur à statu existentiæ non solum conueniunt prædicata essentialia primi modi, sed etiam secundi,id est prædicata, quæ sunt de eius quidditate, vel eius necessariæ passiones; quare cum vnitas, & distinctio sint passiones naturæ, etiam à singularitate præscindatur, hoc est à statu existentiæ poterunt illi competere sub tali præcisione.

Dicit deinde Scotum & Auicennam dum dicunt Equinnitatem esse equinnitatem velle tantum,quod natura,vt præscindit à singularitate non sit vna, nec multiplex vnitate numerica,

Sed præterquam quod Mastrius male confundat statum singularitatis cum statu existentiæ : nam certe Petrus possibilis secundum quod Petrus abstrahit à statu existentiæ, non à statu singularitatis;& quod non recte videatur admittere prædicata essentialia secundi modi: nec enim proprietates sunt prædicata essentialia vllo modo, nisi quis velit improprie loqui absque vlla necessitate.

Præter hæc inquam quæ parui sunt momenti, certe equinnitati,vt sic,præcise & idem est de'quacunque natura,consideratæ secundum se, & prædicata essentialia, non conuenit vlla proprietas, & quamuis proprietates conueniant ipsi secundum se,hoc est à parte rei, tamen non quatenus consideratur secundum prædicata essentialia:sed admittendo tamen,quod proprietates conueniant naturæ, vt abstrahitur à singularitatibus, quod verum est de proprietatibus emanantibus ex prædicatis essentialibus abstractis à singularitatibus,& fortassis intendit tantum Mastrius, certe nec vnitas positiua cum natura Pauli est talis proprietas,neque etiam distinctio positiua,nam hæc prouenit à singularitate:ergo verum est, quod natura Petri, vt distinguitur à singularitate non sit vna positiue,cum natura Pauli;nec distincta positiue ab illa.

Confirmatur,quia ipsemet Mastrius fatetur cum Auicenna & doctore quod equinnitas vt præscindit à singularitate non sit,nec vna nec plures numero, quia vnitas & pluralitas numeralis prouenium à singularitatibus: sed nulla est vnitas positiua & realis,de qua vnitate ego loquebar,nec distinctio opposita, nisi nnmerica, ergo natura Petri abstracta à Petreitate, nequit habere vnitatem positiuam,aut distinctionem positiuam cum natura Pauli.

Quod autem dicit Mastrius vnitatem formalem quæ est passio naturæ conuenire illi,vt abstrahit à singulitate,verum quidem est,sed ab illa vnitate non habet esse vna positiue cum natura Pauli,vt puto ipsum Mastrium tenere.

Tertio eadem disputatione *n.*71.ait me Præceptorem meum Scotum deserere, dum *disp.*3. doceo nullam esse vnitatem communem præter similitudinis, nec consequenter naturam communem à parte rei habere aliam aptitudinem ad existendum in multis, quam quod possit dari alia natura sibi similis potens repræsentari per eandem speciem.

Remittit vero impugnationem ad quæstionem 7.eiusdem disputationis;vnde eam statim examinabo.

Quarto *n.*141.ait me dum nego aliam vnitatem naturarum indiuiduorũ eiusdem speciei præter similitudinis recedere à meipso, dum in Metaphysica assero gradus prædicamentales ac transcendentales etiam præ se ferre realitatem àparte rei communem inferioribus : ergo inquit, vt consequenter loqueretur, deberet asserere vnitatem naturæ non esse puram vnitatem similitudinis.

At pace Mastrij ego non videor mihi à me adhuc recessisse in hoc,& sum certus,quod cum vnitate similitudinis possint admitti gradus superiores communes inferioribus, & ab illis formaliter distincti non minus, quam si aliam vnitatem haberent : nam per hoc, quod animalitas hominis possit habere aliam animalitatem sibi similem in Bruto,animalitas est communis homini & Bruto, imo & ipsa animalitas hominis potest dici communis Bruto, quia licet ipsamet non possit esse in Bruto,tamen aliqua similis potest,quod ego puto sufficere ad communitatem requisitam ad Vniuersale Metaphysicum, & quia in homine præterea reperitur rationalitas minus late patens, & propterea contrahens animalitatem, & in Bruto reperitur brutalitas minus etiam late patens ac contrahens pariter animalitatem, propterea homo, & Brutum sunt à parte rei inferiora animalis, & animalitas est per similitudinem communis illis,quia vero Rationalitas,& Brutalitas neque per similitudinem ipsis est communis,sequitur & quod animalitas formaliter distinguatur à rationalitate & Brutalitate,& quod hæ restringant communitatem animalitatis, quatenus verum est, quod animalitas coniuncta cum rationalitate, vt coniungitur cum illa, seu totum conflatum ex animalitate & rationalitate,verbi gratia, homo,non sit tam communis, quam animalitas secundum se, quia secundum se saltem similitudinarie, est communis Brutis, homo vero sic ipsis non est communis.

Sed iam veniamus ad quæstionem 7. vbi vnitatem similitudinis meam impugnare promittit.Itaque *n.*172. ait,nec Scotistam vllum nec Thomistam intelligere vnitatem minorem Scoti de illa vnitate similitudinis. At quid inde? si male intellexerunt, suo malo id fecerint, certe ego eos in hoc imitari non velim. Scotus negauit vnitatem positiuam naturæ in multis, quam negat ipse Mastrius,licet multi Scotistæ eam asserant,admittit tamẽ aliquã vnitatẽ, quam vocat vnitatem minorem numeralem;talem etiam ego admitto,sed quia non potest bene dici, quod sit vnitas positiuà illarum naturarum, quæ sunt multiplicatæ in indiuiduis,nec alia vnitas præter similitudinis, aut repræsentabilitatis per eandem speciem assignari possit;certe Scotus debet intelligi de vnitate similitudinis,aut repræsentabilitatis. Sed dices; hanc Thomistæ concederent, & est tam obuia, vt frustra Scotus in ea probanda laboraret: ergo non agit de illa.

Respondeo, quamuis ipsamet similitudo naturarum admitteretur à Thomistis & esset obuia; tamen non erat obuium, quod non erat alia vnitas, & Thomistæ ponunt aliam vnitatem aduenientem ab operatione intellectus requiri; Quare Scotus non frustra laborauit probando,quod non erat alia vnitas à parte rei,& quod hæc ipsa vnitas sufficeret absque vnitate aliqua beneficio intellectus acquirenda.

Confirmatur manifeste contra Mastrium,si aliam aliquam vnitatem adstrueret Scotus, maxime vnitatem indifferentiæ,quam Mastrius tenet : sed illam non voluit: ergo.

Probatur

Probatur primò, quia humanitatem Petri ex se, & ex sua ratione formali esse indifferentem, vt coniungeretur cum Pauleitate ac cõsequenter identificaretur Paulo, concederetur à Thomistis; & tam obuia est, quã vnitas similitudinis: ergo si propter hanc rationem non est dicendus voluisse vnitatem similitudinis ac repræsentabilitatis, non est etiam dicendus voluisse vnitatem indifferentiæ.

Secundò, & magis principaliter, quia per hoc quod natura Petri sit indifferens, vt identificetur cum Pauleitate, & reperiatur in Paulo, non propterea potest dici, quod sit vna cum natura Pauli, vt videtur ex terminis; quæ enim connexio est inter hæc: Mea natura est ex se potens esse vbi est alia natura: ergo mea natura est vna cum alia natura; nisi mẽtio fiat de vnitate similitudinis.

Quod si dicatur vnitatem esse fundamentum quo, seu rationem fundandi similitudinis.

Respondeo, vt antè feceram, hoc negando de vnitate vlla, quam extrema similiũ haberent antecedenter ad ipsam similitudinem; quod si ad similitudinem formalem vlla extremorũ similium vnitas prærequiratur, non alia necessaria erit, quam vnitas repræsentabilitatis per eandem speciẽ, qualẽ habent quæ sunt eiusdem speciei.

Instat verò Mastrius contrà hanc responsionem *n.* 172. quia obiectum non accipit vnitatem à conceptu, sed potius hic ab illo: ergo malè dicitur Petrum & Paulum esse vnum essentialiter, quia sunt per eundem conceptum formalem repræsentabiles, quasi vnitatem accipiant ab illo actu confuso.

Secundò, quia ideò conceptus formalis explicatiuus essentiæ Petri & Pauli est vnus, quia ipsi sunt per eundẽ conceptum repræsentabiles: tum quærit cur hæc repræsentabilitas competit ipsis, vel quia habent à parte rei vnam & eandem essentiam, & habetur intentũ, vel quia habent essentias similes & conformes, & sic vnitas repræsentabilitatis nõ antecedet similitudinem; vel committitur circulus vitiosus dum explicatur vnitas similitudinis per repræsentabilitatis, & hæc per similitudinis.

Tertiò, quia conceptus formalis essentialiter repræsentatiuus Petri & Pauli est vniuocus: ergo debet illi correspondere in Petro & Paulo, vna natura saltem per indifferentiam, vel vnus conceptus obiectiuus super quem fundatur vniuocatio conceptus formalis; neque enim ad fundandam vniuocationem sufficit sola vnitas similitudinis: nam talis solam analogiam inducere solet, non propriam vniuocationem.

Ad primum nego suppositum consequentis, nempe quod dicatur Petrum & Paulum accipere vnitatem ab actu confuso aut vllo, sed potius dicebatur, quod ex se habeant vnitatem, quatenus ex se sunt repræsentabiles vno conceptu.

Ad secundum dico repræsentabilitatem per eundem conceptum competere naturis Petri & Pauli ex seipsis, & non ex vlla vnitate anteriori, neque etiam quia sunt similes, quasi similitudo esset ratio anterior ex qua pullularet illa repræsentabilitas. Itaque sicut si quæreretur quare illis naturis competit vnitas, non est alia ratio danda à priori, quam quod sint talis naturæ; ita etiam in proposito si quæratur cur sint repræsentabiles hoc vel illo modo, alia ratio assignari non debet, quam quod sint talis naturæ; colligetur verò à posteriori, quod sint talis naturæ ex ratione conceptus, quẽ causant quando proponuntur, & si detur aliqua similitudo inter illa, ab illa etiam tanquam à posteriori potest colligi, quod habeant illam vnitatem repræsentabilitatis, & ex hac tanquam à priori potest colligi, quod detur talis similitudo inter illa. In quo certo nullus est circulus vitiosus, sed talis qualem ipsemet Mastrius, & quicumque præter similitudinem aliam vnitatem admittit, quomodocumque explicauerit ipsam.

Duas alias rationes ponit *n.* 173 contra vnitatem similitudinis; vnam ex Zerbio, quærẽdo quid est illud in quo omnia singularia conueniunt, seu sunt similes. Sed facilè respondetur omnia conuenire similitudinariè in natura prout distinguitur à singularitate, quatenus verum est, quod cuiuslibet indiuidui natura est sic similis similis naturæ cuiuslibet alterius indiuidui eiusdem speciei.

Contra quam responsionem nihil facit, quod ipse vrget contra antiquiores Thomistas.

Altera est, quod nec Nominales, nec Thomistæ possint benè declarare quidnam sit illa vnitas, nam Nominales nolunt eam esse relationem superadditam, sed solam coexistentiam, Thomistæ verò dicunt esse relationem superadditam: sed singuli, inquit Mastrius, patiuntur anguistias: nam quærendum à Nominalibus, quid sit illa coexistentia, vel enim dicent esse rationem superadditam, & hoc poterant dicere æquè benè de ipsa similitudine; vel nihil, & sic indiuidua erunt similia, quoad rationes indiuiduales, quod est falsum.

Si verò cum Thomistis dicatur similitudinem esse relationem, sequetur Petrum & Paulum, per aliquod accidens inter se essentialiter conuenire & hoc accidens esse proprietatem naturæ.

Sed neutra ex his impugnationibus vrget: nõ prima, nam quamvis coexistentia duorum indiuiduorum nihil diceret suprà ipsa, non sequeretur tamen indiuidua esse vnà similitudinariè ratione indiuiduorũ, sed potiùs essẽt talia ratione naturæ in quolibet indiuiduo inclusæ; ita vt sẽsus esset, quod omnia indiuidua coëxistẽtia habentia naturas eiusdem speciei, hoc est, repræsentabiles per eundem conceptum, eo ipso essent similia in ipsis naturis & vna similitudinariè, non verò in hæcceitatibus.

Non etiam secunda, quia quamvis ipsa vnitas plurium naturarum inter se non esset aliud, quàm similitudo, & hæc esset accidens, & hinc sequeretur quod essent vna essentialiter ratione accidentali, hoc non esset inconueniens, si intelligatur, vt debet intelligi, sic scilicet, vt sensus sit quod vnitas eorũ in essentiis esset accidens: sicut non est inconueniens etiam secundum Mastriũ, & omnes Scotistas, quod sint similes essentialiter ratione similitudinis, quæ est accidens; esset quidẽ inconueniẽs, quod illud in quo essent vna aut similia essẽtialiter, esset accidens, & non est tale, quia est ipsamet natura vniuscuiusque: non vero est inconueniens, quod illud à quo dicerentur formaliter vna & similia inter se, esset accidens, supponendo, quod illud esset similitudo realiter ab ipsis distincta.

Sed nec etiam vnitas ipsorum inter se suppositò hoc, nempe quod esset relatio superueniẽs similitudinis, esset proprietas naturæ: Capiendo vero vnitatem naturæ pro aptitudine, quam habet ad habendã naturam sibi similem, seu ad hoc quod possit repræsentari per talem speciem, per qualẽ posset repræsentari alia natura, erit vera proprietas ipsius, & non erit similitudo, quæ sit relatio distincta ab extremis, sed potius principiũ formale *quo* fundandi talem relationem, in quo nulla est difficultas.

Præterea *n.* 208. proponit rationem, quam ego proposui *disp.* 3. *q.* 8. contra doctrinam communem asserentem, quod prædicabilitas posita in descriptione Vniuersalis intelligenda esset de prædicabilitate proxima, contra quam opposui, quod id gratis videretur dici, quemadmodum enim albedo quando describitur esse qualitas disgregatiua visus, hoc intelligi non debet de proxima disgregatiuitate, quam habet ex applicatione: ita in proposito videretur prædicabilitas naturæ non debere intelligi de proxima.

Confirmaui, quia aliam prædicabilitatem recipit natura vniuersalis ab intellectu, quam non recipit ab eo essentia diuina, & illa prædicabilitas specialis est sufficiens ad vniuersalitatem; sed illa non est prædicabilitas proxima: nam talem recipit etiam natura diuina.

Et si dicatur quod prædicabilitas proxima requiratur, quia remota non sufficit, quandoquidem hæc habeatur à parte rei, & vniuersale Logicum fiat per intellectum.

Contra, quia si nihil impediat quo minus vniuersale Logicum sit à parte rei, quam quod constituatur per prædicabilitatem proximam, potest dici quod detur à parte rei, & gratis supponitur oppositum.

Deinde non quæcumque rẽmota prædicabilitas sufficeret

ficeret ad vniuersalitatem Logicam, supponendo quod non possit dari à parte rei talis vniuersalitas, sed illa quæ non haberet annexum impedimentũ singularitatis, nulla autẽ natura à parte rei est absq; tali impedimẽto, sed per abstractionẽ intellectus habet esse sine vllo.

Respondet Mastrius, negando id gratis dici, quia id fulcitur communi Doctorum authoritate. Sed contra, quia hoc non impedit, quo minus ab omnibus gratis dicatur nisi detur aliqua ratio ob quam dicatur.

Respondet secundo, dari euidentem rationem: quia vniuersalitas actualis completa, & simpliciter dicta excludit omnem singularitatem, quia importat communitatem, & differentiam positiuam, & ideo ad ipsam non sufficit prædicabilitas remota, quia hæc stat cum singularitate à parte rei,

Et quamuis talis proximitas non spectet per se ad albedinem, potest tamen ád alia spectare ex ratione particulari sua.

Sed contra hoc etiam, quia gratis asserit & petendo principium, quod vniuersalitas actualis excludat à parte rei omnem singularitatem, quamuis enim importaret communitatem & indifferentiam, tamen gratis videtur dici, quod hoc intelligatur de ipso, nisi quantum ad suã rationem formalem; natura vero humana à parte rei, licet identificetur singularitati, tamen adhuc secundum suam rationem formalem est communis, & indifferens ad multa, eo modo, quo sic debet esse natura vniuersalis, & licet proximitas posset spectare ad aliqua ex natura speciali ipsorum, quamuis non spectaret ad albedinem, tamen opporteret ostendere, quod proximitas prædicationis spectet magis ad naturam vniuersalem, quam disgregationis ad albedinẽ, quod non ostendit Mastrius.

Deinde quamuis ad vniuersalitatem naturæ completã requiratur abstractio à singularitatibus, tamen nõ inde sequitur requiri prædicabilitatem proximam; quia posset habere illam abstractionem, quin haberet illã prædicabilitatem: nam eo ipso, quo concipitur absque singularitatibus, habet illam abstractionem, & tamen tum non habet illam prædicabilitatem, hanc enim nequit habere quin apprehendatur in pluribus.

Respondet etiam ad Confirmationem meam de essentia, quam dicit non valere; nam prædicabilitas proxima eius non pendet ab intellectu, cum sit à parte rei in tribus personis: sed Mastrius vel non intellexit, confirmationẽ meam, vel certè nullo modo satisfacit: nam est euidens, quod natura diuina non sit proximè prædicabilis de personis diuinis absque apprehensione ipsius in illis: implicat enim intellectum prædicare de pluribus, quod non apprehendit in pluribus, quantumuis sit in pluribus, & sanè sicut natura creata ab apprehensione ipsius in pluribus, supposita vnitate, quam habet ex se in pluribus, quæcumque demum illa sit, habet proximè prædicari de pluribus: ita natura diuina habet esse proximè prædicabilis de pluribus; quod est meum intentum in solutum à Mastrio.

Vlterius *n.* 117. conatur probare contra me, vnitatem vniuersalis non esse vnitatem similitudinis primo, quia secundum Suarium, quem ego sequor, vnitas similitudinis non sufficit ad constituendam rationem vniuersalis; quia ex vi ipsius præcisè non concipitur vnum, vt commune multis, sicut debet concipi vniuersale; & quia Vniuersale qua tale concipitur vt indiuisum actu, & aptitudine diuisibile; res autem prout sunt à parte rei similes in natura, sunt actu diuisæ.

Sed quidquid sit, an ego sequutus fuerim Suarium, de quo non curo, certè non poteram eum sequi in hoc, quo contradicit mihi, & licet conuenirem cum illo in parte, non deberem sequi propterea in toto, nec qua parte dissentiret à me, curare deberem ipsius authoritatem, sicut nec curo; vnde frustra eam contra me adducit Mastrius.

Ad rationem autem Suarij. Respondeo eo ipso, quo concipitur natura Petri similis naturæ Pauli, eam concipi vt vnam vnitate sufficienti ad vniuersalitatem, & vt communem eo modo, quo debet esse communis.

Deinde natura Petri, vt similis naturæ Pauli, est indiuisa ab ipsa formaliter & essentialiter, quantum ad hoc, quod non sint dissimiles in essentia, & sint repræsentabiles per eandem speciem: nec alio modo natura Petri debet esse indiuisa à natura Pauli; & cum hoc stat optimè, quod à parte rei sint diuisæ realiter & numeraliter.

Secundo argumentatur Mastrius: secundum vnitatem vniuersalem debet natura esse proximè prædicabilis de pluribus prædicatione dicente, hoc est hoc; sed vnitas similitudinis non sufficit ad hoc, quia ex vi illius tantum dici potest, hoc est simile illi, non autẽ hoc est hoc.

Respondeo, si loquamur de vniuersalitate Metaphysica maiorem esse falsam, quia ad eam sufficit remota, & gratis assereretur contrarium; si vero loquamur de Logica, transeat maior, & ad maiorem dico, quod vnitas similitudinis supposita apprehensione ipsius ad hoc sufficiat; nam non solum ab ea habet natura Petri esse similis naturæ Pauli, sed etiam habet posse prædicari de Paulo, quantum ad hoc, quod vel ipsamet, vel aliquid omnino simile illi sit de ipso prædicabile, prædicatione dicente, hoc est hoc, nam Verum est dicere, quod Paulus sit homo humanitate reperta in Petro, vel alia omnino simili, & non debet vniuersale esse alio modo prædicabile de pluribus prædicatione dicente hoc est hoc: Quam responsionem dedi ante disp. 3. n. 45.

Sed eam impugnat Mastrius, quia veritas prædicationis essentialis fundatur in inclusione essentiali ac identitate reali prædicati cum subiecto: ergo si natura Petri, dum à Petro abstrahitur, & de Paulo prædicatur, dicens: Paulus est homo, non est in ipso, & identificata ipsi, prædicatio non est essentialis nec vera. Secundo, quia illæ prædicationes sunt essentiales, Petrus est homo; Paulus est homo: sed illæ sunt accidentales, Petrus est similis Paulo in humanitate & è contra, quia licet similitudo sit in essentiis, tamen ipsamet est accidens. Tertio, quia Vniuersale dicitur vnum in multis & de multis, non autem simile in multis, & ex hoc, quod Paulus habeat similẽ humanitatẽ cum ea, quæ est in Petro, non ob id propriè dicetur eadẽ natura prædicabilis esse in vtroque, sicut requiritur ad prædicationẽ Vniuersalis.

Sed hæ impugnationes vix indigent responsione, & procedunt ex defectu reflexionis supra sensum doctrinæ meæ.

Ad primum concedo, quidquid prædicatur essentialiter debere includi, & identificari illi de quo sic prædicatur, secundum quod sic prædicatur, vnde qua natura Petri secundum se non prædicatur essentialiter de Paulo, non debet secundum se identificari illi; qua vero prædicatur de illo essentialiter vel secundum se, vel secundũ aliam naturam omnino similem, debet etiam vel secundum se, vel secundum aliam sibi similẽ identificari ipsi.

Et certè in ipsa sententia Mastrij, qui non admittit vnitatem positiuam sed indifferentiæ, non potest humanitas Pauli prædicari de Petro prædicatione dicente, hoc est hoc, secundum se: neque enim quando dicitur Petrus est homo, id verum est de homine constituto per humanitatem, quæ est in Paulo.

Ad secundum concedo antecedens, loquendo de similitudine actuali & eam negando de aptitudinali; nego tamen vnitatem similitudinis aptitudinalis, non sufficere, vt duo indiuidua dicantur vna essentialiter, quia per hoc nõ significatur, quod similitudo aut vnitas similitudinis sit ipsis essentialis, sed quod essentiæ eorum sint similes; & nego etiã quod illa non sufficiat, vt vnũ ex illis prædicetur de alio, vel secundũ se, vel secundũ aliquid aliud omnino simile. In quo nulla est difficultas intelligẽti sensũ verborũ, & nõ attendẽti ad ipsa verba præcisè.

Ad tertium dico ratione vnitatis similitudinis nõ solum vnum esse simile multis; sed etiã vnum in multis & de multis, quatenus quod est simile, est in multis ratione alterius ipsi similis; & potest prædicari de multis ratione multorum similium, quæ prædicantur de multis.

Impugnat secundo eandem vnitatem, quia vnitas similitudinis est à parte rei: sed vnitas vniuersalis non est à parte rei.

Respondi

Respondi minorem esse veram de Logica vnitate, non de Metaphysica.

Sed contra, inquit Mastrius, quia secundum vnitatem similitudinis est proxime prædicabilis de pluribus prędicatione dicēte, hoc est hoc: ergo illa est vnitas Logica.

Respōdeo negando antecedēs, quia ad hoc requiritur apprehensio & abstractio naturæ, vt sæpius dixeram: sed contra instat Mastrius, quia hinc sequitur non sufficere vnitatē similitudinis. Sed hoc etiā iā & sæpe ante concesseram, quia requiritur apprehensio ipsius, non vero requiritur alia vnitas. Vnde Mastrius nihil omnino dicit ad propositum contra meam doctrinam, quam, si liberet in hoc immorari, facile ostenderem conuenire cum ipsiusmet, aut ipsius non esse veram vllo modo.

Postea *n*, 222. conatur soluere rationes meas quibus conatus erā ostēdere, quod vnitas vniuersalis nō sit rationis: quia, inquiebā, vnitas vniuersalis talis esse debet, vt eius beneficio natura possit prædicari de plurib. vere prędicatione dicente: hoc est hoc: sed hac vnitate ficta per intellectū nō habet hoc, vt apparet satis clarū, ergo.

Confirmaui, quia conceptus obiectiuus, quem intellectus prædicat, vt vnum de Petro & Paulo, vel est vere & realiter in illis, vel non est: si non est, non poterit vere de illis prædicari; si est: ergo non recipit vnitatem ab intellectu.

Confirmaui secundo, quia natura quæ consideratur in multis, aut est vna in multis à parte rei aut saltem apta esse in multis, vel non est: si est: ergo non accipit vnitatem aut comunitatem ab intellectu: si non est: certe per hoc quod intelligatur esse talis, non erit talis, & sic non prædicabitur bene.

Confirmaui denique tertio, quia vel intelligitur vt est, & sic, si intelligatur vt vna, debet esse vna, & ita vnitas non erit ab intellectu; vel intelligitur vt non est, & ita præterquam quod conceptus erit falsus, adhuc non propterea erit vna, sicut non propterea homo esset equus, quod intelligeretur vt equus.

Respondet Mastrius, hunc arguendi modum nedum destruere vniuersalitatem in naturis, sed omnes prorsus distinctiones rationis cum fundamento in re, ac entia rationis, quæ ab intellectu fiunt.

Sed ego tam facile hæc negare possum quam ab ipso asseritur: Et sane mea argumentatio nihil habet connexionis cum hoc, nisi vehementer fallar.

Respondet vlterius in particulari concedendo totum primum argumentum, quantum ad vnitatem fictam. At ego sane fictam impugnaui, & talia possunt esse tam quæ finguntur cum fundamento in re, quam sine, & perinde prorsus est, ad fictionem entium rationis, quod habeant fundamentum vel non. Vnde dat Mastrius mihi, quod intendebam.

Ad primam confirmationem, ait conceptum obiectiuum esse vnum fundamentaliter & complete, non formaliter & incomplete: nam complementum accipit ab intellectu; seu, inquit, est vnus à parte rei per indifferentiam, & fit vnus ab intellectu per inexistentiam, & licēt non sit vnus à parte rei, hæc tamen non debet dici vnitas ficta, quia habet fundamentum in re, & est occasionata ab vnitate reali reperta in natura.

Sed cōtra primo, quia non potest intelligi, quomodo accipiat vnitatem inexistentiæ ab intellectu secundum quam vere posset prædicari, nec vllo modo, nisi quatenus intelligeretur, vt vna, quāuis nō esset vna: sed certū est, quod quamuis sic intelligeretur in multis, non propterea posset prædicari de multis; & certū est quod, si vnitatem illā, quam habet ab intellectu, non possit vlla ratione habere, nisi per intellectum, quod omnino sit vnitas ficta, siue habeat fundamentum siue non. Deinde omnino frustra requiritur, quod intellectus considerat naturas vnas alio modo, quam sunt à parte rei. Per quod patet cæteras responsiones illius, quæ cum hac coincidunt, aut in illa fundantur, nihil valere.

## *ADDITIO.*

### *De principio Indiuiduationis.*

Mastrius *d.* 10. *n.* 117. impugnat rationem, qua ego probo *d.* 6. *n.* 64. accidentia inseparabilia à subiectis nō indiuiduari ab ipsis, quia non est ratio cur sic indiuiduarentur magis, quam alia accidentia præter inseparabilitatem; hæc autem nō sufficit, quia alias omnes creaturæ indiuiduarentur à Deo, à quo sunt inseparabiles.

Hanc inquā rationem impugnat; quia inseparabilitas, ob quā Aduersarij putant accidentia indiuiduari à subiecto, non est inseparabilitas quoad existentiā tantū; sed etiam quoad vnionem. At aduertere debuisset Mastrius, hanc responsionem non tollere vim argumenti mei: quæ consistit in hoc, quod non sit maior ratio cur inseparabilitas quoad vnionē siue inhæsiuam siue informatiuam esset causa cur accidentia indiuiduarētur à subiecto, quā inseparabilitas, quoad existētiā faceret, vt creaturæ, indiuiduarentur à Deo. Vnde nisi detur disparitas sufficiens, quoad hoc, ratio mea omnino valida est.

Alteram rationem, quā eodem loco adhibui, omisit Mastrius, qui ipse melius, vt ait, probat eandem conclusionem, nēpe, quod accidentia inseparabilia non indiuiduentur à subiecto, facta inutili trium generum accidētium inseparabilium diuisione, & discurrendo non satis commode per singula, cū controuersia specialis esset de primo genere tantum, hoc est, de accidentibus, quæ non possunt existere sine subiecto, de quibus ipse probat cōclusionē, quia inseparabilitas talis non facit, quod indiuiduentur per subiectū, vt constat de accidentibus modalibus. At nō aduertit Mastrius, quod hæc ipsa accidētia sint accidentia modalia, vnde probare, quod accidētia hoc modo inseparabilia nō indiuiduētur per subiectū, quia accidentia modalia non subiectantur, est prorsus idē per idē probare, & illud ipsū in quo erat difficultas, nēpe an accidentia modalia indiuiduarentur per subiectū, relinquit Mastrius absq; probatione. Eadē disputatione *num.* 143. vt probaret ab indiuiduis abstrahi posse rationē aliquā cōmunem, cuius oppositum ego docuerā *d.* 6. *n.* 10. adducit locū Doctoris ex 1. *d.* 23. à me citatum: *Potest dici, quod ab Indiuiduis non tantum potest abstrahi species, quæ dicit quidditatem Indiuiduorum, sed etiam aliquid proprium.* Ad quem locum ego respondi, quod Doctor dubitatiue, & nō assertiue locutus est, vt patet ex verbis: *Potest dici*, quibus frequenter vtitur, quando non procedit assertiue. Sed Mastrius, dicit oppositum patere ex verbis, & nihil dicit ad fundamentum coniecturæ meæ desumptum ex verbis illis: *dici potest.*

Respondi etiam secundo, quod illud proprium, quod dicit Doctor abstrahi posse ab indiuiduis, nō necessario intelligi debeat de singularitate aut cōstitutiuo indiuidui vt sic. Quam responsionem Mastrius non solum nō valere ait, sed etiam reiici ex meis propriis verbis: nā inferius dico illud propriū debere intelligi de aliquo proprio, hoc est particulariter cmopetente indiuiduis, siue illud propriū sit quarti prædicabilis, siue aliquid essentiale; vnde paucis, inquit, verbis videtur sibi cōtradicere. Sed pace Mastrij nō ita est: nā in hoc nulla est cōtradictio, quod Scot. nō determinauerit, an illud propriū esset ipsa singularitas, & quod nō debeat intelligi determinate de proprio quarti prædicabilis, sed indeterminate de tali proprio, vel de principio ipsius; & hoc est quod ego docui, vt manifestū est: sed instari tamē potest, quod si sit aliquod propriū abstrahibile ab illis, debeat etiam ratio singularitatis posse ab ipsis abstrahi, quia nihil est, propriū seu particulariter cōpetens indiuiduis, nisi vel singularitas vel proprietas aliqua cōpetēs ipsis ratione singularitatis, sed talis proprietas nequit abstrahi ab ipsis, nisi possit abstrahi ipsamet singularitas: ergo si aliquod propriū possit abstrahi, poterit & singularitas. Respondeo propter hoc aliquē conceptū etiā singularitatis posse abstrahi ab indiuiduis, non determinatū tamē, sed indeterminatū, & hoc tantum voluit Scotus ad sūmū tū in illo loco, tū in quocūq; alio, vbi videri posset dicere, quod à primo diuersis, quales sunt vltimæ differentiæ, & hæcceitates possit abstrahi aliqua ratio cōmunis. Per quod patet ad aliū locū adductū à Mastrio *n.* 144. quatenus facere posset ad propositū; quāuis reuera, si bene consideretur, nullo modo faciat ad rē, ne-

que enim generatio diuina, & spiratio diuina sunt primo diuersa, sicut sunt vltimæ differētiæ, & singularitates. Sed videamus rationē Mastrij ad probandū, quod ab hæcceitatibus possit abstrahi aliqua ratio positiua cōmunis, quæ sit ratio determinata, & cōceptu determinato intelligibilis, de qua ratione est cōtrouersia. Probat ergo hoc: quia omnes hæcceitates, nō solū cōueniūt in nomine hæcceitatis, sed etiam in ratione significata per ipsā; tā bene enim Pauleitas participat nomen hæcceitatis, & significationē ipsius, quā Petreitas, & hæc quam Pauleitas: ergo nō potest negari cōceptus indiuiduationis, vt sic, abstractus. Ad hoc fundamentū cōmune Respondi, quod omnes singularitates sint cōceptibiles, & quidē determinato vno conceptu, tā bene, quā omnes humanitates, & tam similes inter se ac diffiuibiles vna definitione, negaui tamen consequentiā, nēpe quod cōueniāt in vlla ratione abstracta ac præcisa, sicut nec omnes humanitates, vt abstrahunt à singularitatib. conueniunt in vna ratione abstracta ab illis, quia vt detur aliqua ratio abstracta, debet dari ratio à qua abstrahitur, & per quā contrahatur ratio abstracta ad illa à quibus abstrahitur: talis autē nō reperitur in humanitatibus, neq; in singularitatibus; vnde sicut de humanitatibus melius diceretur, quod essent vna ratio, quā quod cōueniunt in vna ratione abstracta: ita de singularitatib. est discurrēdū. Sed Mastrius dicit hāc meā solutionē multa continere falsa, & implicatoria: nā implicat quod conueniāt in vno conceptu determinato, & definibili ac vniuoce cōpetente ipsis, & quod nō conueniant in vna ratione abstracta: nam vniuocatio fundatur in vnitate rationis præcisæ, & abstractæ ab vniuocatis, vt cōstat ex vniuocorū descriptione: ergo si indiuidua sunt definibilia vnica definitione iis vniuoce cōpetente: ergo hæc definitio dicit vnā rationē ab ipsis abstractā. At Mastrius, qui tam confidenter censurat meā doctrinā, deberet cauere à petitione principij in prima propositione, & probatione ipsius, & aduertere quod ego negarē ex definitione vniuocorū haberi, quod vniuocatio fundatur in vnitate rationis abstractæ, nec enim in illa definitione habetur vlla mentio de abstractione; neq; cōmunis sensus bene intelligentiū ita putat. Ad vniuocationē enim solū sufficit conuenientia in vna ratione, seu similitudo, quę potest aliquādo esse cū abstractione, quando reperitur alia ratio à qua possit fieri abstractio, aliquādo non potest, quādo nō est alia ratio à qua fiat abstractio. Deinde asserit meū exēplū de humanitatib. non posse admitti in mea propria sententia: nā d. 3. n. 35. & 44. nego humanitates præcisis singularitatib. esse plures. Sed quid hoc facit ad rē: siue dicātur plures, siue nō; certe vt præscindūt à singularitatib. non conueniūt in vna ratione humanitatis, vt sic, abstracta ab illis: sed sunt potius vna humanitas formaliter ac similitudine omnimoda: & idē dicendū de singularitatib. Et quāuis humanitates sint tā similes, vt quę est in Petro possit cōstituere Paulū quātū est ex ratione sua formali, singularitates vero nō sint tā similes, vt Petreitas coniuncta cū humanitate Pauli possit cōstituere Paulū, vt asserit Mastrius, tamen neque hoc etiā facit ad rē: nā adhuc sunt tā similes, vt sicut Petreitas facit cū humanitate vnum numero distinctū ab omnibus aliis hominibus: ita etiā Pauleitas facit cum alia humanitate. Deinde falsū est, quod humanitas quæ est in Petro, coniuncta cū Pauleitate faceret eundē realiter Paulū, quē Pauleitas facit cum humanitate, cui de facto cōiungitur: nā certe Paulus non dicit realiter solā Pauleitatem, sed humanitatē identificatā ipsi, vnde si nō esset eadem realiter humanitas, non esset idem realiter Paulus. Postea n. 158. proponit argumenta mea quibus probaui non posse singularia conuenire in conceptu communi abstracto. Et respondet per illa probari tantū, quod hæcceitas, vt sic, non possit habere talem communitatē à parte rei, qualem habent naturæ cōmunes, humana & equina, &c. quod fatetur esse verū, sed dicit se non attribuere ipsi talē cōmunitatē; sed per intellectū tantum inadæquate concipientem ipsā. At hoc est, prorsus nihil dicere; nā qua ratione diceretur de cōceptu abstracto indiuidui, vt sic, quod nō esset communis à parte rei, sed tantum per intellectū inadæquate concipientem, idem posset dici de quocumq; conceptu communi, & sic nulla daretur natura communis. Deinde ille cōceptus obiectiuus, qui correspōdet conceptui formali intellectus inadæquate considerātis indiuiduū, vel reperitur in omnibus, vel non reperitur: si reperiatur: ergo est cōmunis ipsis à parte rei: si non reperiatur in illis: ergo est quid fictitium, & præterea non potest prędicari de indiuiduis. Denique ex argumentis meis, & solutione ipsius ad singula in particulari patet nulla ratione ipsū satisfacere, adeo vt frustra tempus impenderē in vlteriori examine. Insuper n. 176. proponit argumentū Arriagæ ad probandū, quod inter indiuidua eiusdem speciei detur aliqua inæqualitas subtātialis maior, quā quod vnum non sit aliud, cuius oppositum Mastrius mecū defendit: est autē argumentum hoc: Petrus & Paulus sunt indiuidua eiusdem speciei, sed tamen datur aliqua dissimilitudo maior inter illa quàm numerica: ergo. Probatur minor, quia Petrus & Paulus includunt vniones magis inter se dissimiles, quā quod hæc non sit illa; nam vnio Petri ex se determinatur ad materiam & formam Petri ita, vt non possit poni inter materiā & formam Pauli: ergo magis distinguitur, quàm numero ab vnione Pauli, quia magis distinguitur ab illa, quam duæ vniones possibiles inter materiam, & formam Pauli. Ad hoc argumentum ego Respondi d. 6. n. 92. Primo negando vniones illas, vt includunt maiorē illam diuersitatem includi essentialiter in Petro, aut Paulo, nā essent Petrus & Paulus æque bene constituti in ratione taliū hominum, siue vniones illę haberent illam maiorē diuersitatem, siue non. Secundo dicendo quod in casu, quo illæ vniones includerētur in Petro & Paulo secundū, quod sunt magis dissimiles, quā numero, Petrus & Paulus essēt distinctę speciei, quatenus includerent illas vniones, licet de facto dicantur eiusdē speciei, quia de facto considerantur vt non includūt illā diuersitatē particularem vnionū. Hanc responsionem ait Mastrius esse falsam, quoad vtramq; partem: quoad primam quidem, quia falsum est quod Petrus esset idē numero homo si haberet vnionem Pauli, quia vnio Pauli habet diuersa extrema ab vnione Petri, vnde si haberet Petrus vnionē Pauli, haberet etiā materiam & formam Pauli, & sic, non esset idē numero, qui esset, quando haberet vnionem propriam. Sed hæc respōsio procedit ex defectu intelligendi recte meā responsionem, quæ procedebat ex suppositione, quod per possibile, aut impossibile materia & forma Petri vniretur vnione Pauli; vnde nihil facit ad rē. Quoad alterā partē ait, quod sit falsior; quis enim inquit, nisi mente captus concederet Petrū & Paulū esse distinctæ speciei. Sed ego puto non esse sanæ mentis, qui non cōcedat Petrum & Paulum ex suppositione inclusionis essentialis vnionū diuersarum specierū esse realiter distinctæ speciei, quamuis vt dixi nō cōsideremus ipsos cōmuniter provt includunt illā diuersitatē vnionum: oporteret ergo vt ipse ostenderet, quod esset incōueniens, quod sic distinguerētur ex ista hypothesi.

Sed videamus, quomodo ipsemet respōdet ad argumētū Arriagæ, vt sic magis confirmetur mea responsio, & respondeatur ad alia, quæ contra me opponit. Respōdet ergo primo, n. 177. negādo quod sit maior distinctio inter vniones Petri & Pauli, quā numerica, quia illa maior diuersitas assignata in argumēto nō est eis intrinseca; sed accidentalis, & extrinseca ratione extremorū. Cōtra, quia ita est annexa illis, vt nec de potētia absoluta possit vnio, quæ est inter materiā & formā Petri poni inter materiā & formā Pauli, ergo non est accidētalis & extrinseca; & sane alias posset dici, quod nullę rationes distinguerētur specie, sed quod distinctio earū quæcumq; maior, quam numerica, esset extrinseca & esētialis ratione extremorum, cōtra omnia principia. Deinde si ratione extremorum habeant distinctionē illam accidentalem plusquam numericam, ipsamet extrema debent habere talē distinctionem intrinsece, & sic manet adhuc tota difficultas.

Respondet secūdo negando, quod ex diuersitate maiori quam numerica vnionū sequatur distinctio plusquam

numerica

numerica indiuiduorum, v. g. Petri & Pauli, quia vnio non includitur in essentia compositi. Hanc responsionẽ ante impugnaui, quia supposita illa diuersitate vnionum, quamuis essent conditiones sine quib. non, adhuc sequeretur, quod materia & forma Petri priusquam numero distinguerentur à materia & forma Pauli; quia petunt vniri per vnionem per quam nequit vniri materia & forma Pauli; & quia quæcumq; ex natura sua intrinseca petunt conditiones diuersas, debent esse diuersæ: ergo si Petrus & Paulus, petunt vniones plusquam numero diuersas per modum etiam conditionum: erunt plures quam numero diuersi.

Sed contra replicat Mastrius, quod secundum Doctorem compositum possit redire idem quamuis non redeat eadem vnio. At manifestum est Doctorem loqui de idẽtitate, quantum ad omnia præter ordinem ad vnionis diuersitatem, quam in distinctione compositorum non consideramus, quia est parui momenti. Præterea respõdet ad meas impugnationes negando, quod materia Petri respiciat ita vnionem Petri, vt non possit vniri vnione Pauli, quia inquit est ex se indifferẽs ad omnes vniones, sicut ad quamlibet formam, quod, inquit, ipsemet Poncius fatetur, dum ait futurum idem cõpositum, quãuis non esset eadem vnio; vnde paucis verbis mihi contradico. Quam vellem vt Mastrius vel parum reflecteret supra suos discursus, sic non daret mihi nec aliis occasionem perdendi temporis in rebus friuolis tractandis. Sed directe impugno responsionem, quia si materia Petri esset indifferens ad omnes vniones, quemadmodum est ad omnes formas, sicut potest recipere quamcumq; formam, posset recipere quamcumq; vnionem, quod est falsum. Deinde implicat vnionem esse determinatam ad hanc materiam, quin hæc materia sit determinata ad illam, in hoc sensu, qui est meus, quod non possit recipere vnionem determinatam ad aliam materiam: nec ego vnquam dixeram oppositum: nam quamuis dixeram; quod vnio secundum illam differentiam particularem, quam habet ab alia, non includatur in homine per se, & quod consequenter si vnio Pauli esset inter materiã & formam Petri, adhuc Petrus esset idem, hoc tamen dicebam de homine, & Petro in quantum ad omnes alias cõsiderationes, secundum quas solemus ipsos communiter considerare, non vero quatenus respiciunt illas vniones secundum rationem particularem earum. Vnde patet me mihi non contradicere, sed Mastrium potius non intellexisse, quod tamen facile à quocumque intelligi posset. Ad secundam meam impugnationem Respondet Mastrius non probari à me, quod, quæ præsupponunt, ex natura sua intrinseca conditiones diuersæ rationis debeant esse diuersæ rationis, sed eo tamen admisso negat Petrum & Paulum ex natura sua intrinseca præsupponere vniones diuersæ rationis.

Sed ex vtraque parte deficit hæc responsio, ex prima quidem, quia satis apparet ex terminis, quæ dicunt ex natura sua intrinseca ordinẽ ad diuersæ rationis res, debere esse diuersæ rationis in se: nã impossibile est concipere quomodo aliàs petere possent conditiones diuersæ rationis; & sane alias possem defendere quod Petrus, & Bucephalus non essent diuersæ rationis, de quo mirabitur fortassis Mastrius; sed ex admiratione sumet occasionem reflectendi, quod ipsi valde esset necessarium.

Ex quo etiam patet defectus alterius partis: nam si Petrus non præsupponeret determinate ex natura sua vnionem distinctam, ab vnione Pauli, posset de potentia absoluta habere pro conditione vnionem Pauli, sed hoc est falsum: ergo ex natura sua intrinseca præsupponit talem determinatam vnionem.

Respondet tertio, Cócedendo vnionem esse de essentia cõpositi, & vniones Petri & Pauli esse diuersæ rationis, saltẽ plusquam numero differre, & negando tamen Petrum & Paulum eodem modo debere distingui; quia secundum Doctorem non tanta distinctio debet esse cõstitutis, quãta in constituentibus, quia constituẽtia possunt esse primo diuersa, vt patet de singularitatib. & differẽtiis vltimis, cõstituta vero cõuenire in multis prædicatis, vt patet de indiuiduis cõuenientib. in natura specifica, & diuersis speciebus cõueniẽtib. in natura generica.

Sed hæc responsio non habet vllam probabilitatem, quia est euidens, quòd includit essentialiter aliquid distinctæ rationis, aut plusquam numero distinctum ab omni, quod includitur in alio, debet plusquam numero distingui ab illo alio, nam per illam inclusionem aliquo modo distinguitur, sine autẽ illa inclusione numero differret, ergo per illam inclusionẽ plusquam numero differt; Nec doctrina Doctoris vllo modo fauet adeo vt videri posset quod Mastrius eam non intellexerit; si enim intellexisset, non adduxisset illam ad propositum.

Neq; enim vult Scot. quod si constituentia sint specie diuersa, constituta non debeant esse specie diuersa, aut si constituentia sint numero diuersa, constituta non debeant esse numero diuersa; Alias nihil posset absurdius dicere, cum euidens sit oppositum: Nam certe ex diuersitate specifica rationalitatis, & Brutalitatis oritur diuersitas specifica hominis & Bruti, & ex diuersitate numerica Petreitatis & Pauleitatis oritur differentia numerica Petri & Pauli.

Sed solum vult quod licet debeat esse diuersitas in cõstitutis, iuxta diuersitatẽ constituentiũ, non tamen tanta debeat esse, quantum ad hoc quod constituta non debeant non conuenire in vllis prædicatis, quãuis constituentia in nullis conueniant, quod certu est, sed nihil facit ad propositum: Nam qui diceret Petrum & Paulũ distingui plusquã numero si includant per se aliqua distincta plusquã numero, nõ vellet nec deberet propterea tenere quod nõ magis inter se quoad alia prædicata cõuenirent, quam illa quæ plusquam numero differrent.

*ADDITIO De Substantia.*

Mastrius *disp.* 11. *n.* 5. contra explicationem, seu descriptionem substantiæ, quã proposui *disp.* 12. dicens perfeitatem, quã dicit substantia explicari optime posse; dicẽdo quod esset illa formalitas positiua ad quã sequitur ineptitudo ad inhærendũ. Cõtra quam doctrinã opponit Mastrius *n.* 6. quod nõ explicetur quid dicat aptitudo ad inhærendũ in accidenti, neq; ineptitudo ad inhærendũ in substantia, in quo tamen puncto, inquit, consistit tota difficultas. Sed Mastrius debuit aduertere quod ego supponebam ex dicendis, quid esset illa aptitudo, quam conabar explicare non mediocri diligentia; hic vero supponebatur, quod omnes concedũt, substantiam esse ineptam inhærere, quidquid demum sit illa ineptitudo; & hoc supposito explicabatur ratio constitutiua ipsius per ordinem radicalem ad illam ineptitudinem.

Sed quia ille nõ fecit mentionem de mea explicatione, de quo satis miror, cũ tot alios dicendi modos ea de re & quidem meis propriis rationib. fere ad verbum reiecerit, solũ aduerto in explicatione propria ipsius nihil prorsus dici ad propositum, in quo non petatur principiũ, vel continuatur doctrina manifeste falsa, & quãuis adducat authoritatem Scoti, tamen illam ipsam non sufficienter corroborat, contra eos qui ipsius authoritatem non curant, quod omnino præstandum erat.

*ADDITIO De inhærentia Accidentis.*

*Disp.* 12. *num.* 13. Proposueram videri posse satis probabile quod non darentur aliqui respectus aptitudinales distincti formaliter ab essentiis rerum; aut si darentur, quod non nisi respectus quorum conceptus non inuoluitur in conceptu essentiali sui fundamenti, vt risibilitas, cuius conceptus non inuoluitur in conceptu essentiali hominis, quia homo posset intelligi sub ratione hominis nihil concipiendo de risibilitate; & hinc volebam inferri posse quod aptitudo ad inhærendum, competens necessario Accidenti, non esset formaliter distincta ab ipsamet essentia accidentis quæ non posset intelligi nisi per ordinem ad inhærendum; Quam ipsam doctrinam, vt expresse dixeram, proposui examinandam magis quam absolute tenendam.

Mastrius autem *disp.* 12. *n.* 25. conatur defendere oppositã sententiam: ex duobus principiis in schola nostra satis notis. Primum est quod aptitudo vniuersim in rebus absolutis supponat rẽ cuius est aptitudo, in suo esse quid-

ditatiuo constitutam,& ab ea fluere & emanare dicitur.

Et hinc Doctor 2.*d*.3.4.7. docet animas non distingui primo per aptitudinem ac inclinationem ad diuersa corpora, quia natura absoluta est prior aptitudine, quæ est formalitas respectiua,absolutum autem præcedit respectum ; & quia prius res est ad se quam ad aliud; & respectus fundatur in absoluto.

Alterum principium & absolutũ non includit in suo formali conceptu respectum vllũ.Ex quibus principiis infert aptitudinẽ accidẽtis non esse ipsam accidentis essentiã, sed aliquid ipsam consequens per modum propriæ passionis. Confirmat hæc quia ipsimet Aduersarij constituunt rerũ essentias non in earum aptitudinibus, sed in earum radicibus:Nam si dicunt essentiã hominis nõ cõsistere in risibilitate,sed in radice ipsius,& mobilitatem nõ esse essẽtiã corporis naturalis, sed potius radicẽ mobilitatis,& deniq;essentiã quãtitatis nõ cõsistere in impenetrabilitate,sed in principio exactiuo ipsius.

Sed ni fallor hæc non sufficiunt;nam ad primũ principiũ respõdetur Doctorẽ loqui ex suppositione quod daretur aptitudo distincta ab essentia, quo supposito certum est quod supponat absolutum,& quod non possit res absoluta constitui per relationem,sed quod prius esset in se quam referretur per respectum:Sed quod ego putabam probabile, erat, quod non daretur aptitudo aliqua formalis quæ esset verus respectus, sed tantum secundum dici,aut si daretur aliquando,quod talis non esset aptitudo accidentis : oporteret ergo vt Mastrius probaret quod daretur respectus aptitudinalis realis, & non secundum dici in accidente ; & si id probaret bene ex hoc principio haberet intentum.

Ad alterum principium dico quod etiam sit de subiecto non supponente;nam supponit dari in rebus,quæ dicuntur habere aptitudinem, respectum formalem qui non sit secundum dici;quod est quod ego dixeram probabiliter posse negari.

Ad confirmationẽ dico eos qui explicant essentias rerũ per radicem aptitudinum,hoc facere quia supponunt dari aptitudines aliquo modo distinctas ab essẽtiis rerũ. Certe ergo saltem quoties ita discurro, id suppono. Et quantum ad hominem cuius essentia explicatur per radicem risibilitatis est magna differentia inter ipsum & accidens:Nam vt dixi,potest explicari essentia hominis non concipiendo, nec faciendo mentionem de risibilitate,sed non est ita de Accidente, non enim potest explicari natura ipsius quin ponatur in definitione aptitudo ad inhærendum.Itaque dicebam aptitudines illas quæ non inuoluerentur expresse in conceptu essentiali, hoc est sine quibus posset rei essentia declarari, posse admitti esse respectus formales aptitudinales emanantes per modum proprietatum ab essentiis rerum,in quibus sunt;sed id non debere dici de illis aptitudinibus, quæ non inuoluerentur in conceptu essentiali, hoc est sine quibus posset concipi,& explicari essentia rei,qualem aptitudinem posset quis merito putare esse aptitudinem Accidentis ad inhærendum.

Et quamuis dicat Mastrius inhærentiam aptitudinalem non inuolui in conceptu essentiali Accidentis ; tamen hoc non probat;& euidens est, quod nullum conceptum quidditatiuum aut quietatiuum nos possimus habere de Accidente proprium ipsi,in quo non inuoluatur explicite illa aptitudo.

Dicit etiam non videri cur magis possit homo intelligi secundũ prædicata essentialia,sine eo,quod intelligatur radicaliter aut formaliter risibilis, quam accidens possit intelligi sine eo,quod intelligatur radicaliter aut formaliter aptũ inhærere : sed ex dictis manifeste patet discrimen,nã explicamus hominem essentialiter,quando dicimus ipsum esse animal rationale, & in illa explicatione non ponitur expresse risibilitas:sed non possumus dare vllã explicationem accidentis,in quo nõ inuoluatur expresse aptitudo ad inhærẽdũ aliquo modo.

Deinde proponit fundamentũ primum meum contra respectũ superadditum,quia scilicet superflueret:nã ipsamet differentia essentialis posset præstare effectũ eius. Respondet autẽ hoc argumentum æque militare contra omnes respectus:& respondet negando antecedens, cum probatione,nam respectus refert absolutum transcendentaliter, & nequit includi in conceptu absoluti.

Contra tamen,quia non æque militat de omnib.respectibus transcendentalibus;nam quandoquidem possim intelligere essentiam hominis, eamque explicare absque risibilitate,posset videri quod risibilitas non sit formaliter ipsamet differentia essentialis hominis, nec de essentia eius : sed diuersa est ratio omnino aliarum aptitudinum,sine quibus nequit intelligi essentia rei.

Præterea nisi sit respectus transcendentalis, non poterit referre;argumentũ autem meum intendebat probare,quod non esset,quia nulla est vtilitas ipsius,nisi vt eo mediante formaliter posset accidens inhærere, sed posset inhærere mediante sua essentia:& quemadmodũ ipsamet differentia absoluta accidentis,nequit intelligi nisi per modum respectus, licet non sit respectus formalis, sed secundum dici, & sicut ea mediante potest principiare aptitudinem formalem;ita ea mediante posset accidens dici esse aptum natum inhærere;neque vnũ videtur magis difficile,quam alterum.

Ad hæc opponit Mastrius *n*.27.non bene explicauisse me relationes secundum dici esse,quæ cum sint absoluta,non possunt tamen explicari nisi per modũ relatiui,vt hæc,de qua agimus aptitudo accidentis,potentia, habitus,pars & similia;quia,inquit,huiusmodi vere dicunt relationẽ,& non secundũ vocem tantum, aut nostrum loquendi modum;& quia sic explicãdo relatiua secundum dici, nõ posset discerni inter absolutũ & respectiuum,sed omnia ad libitum dici possent absoluta, vt paternitas & filiatio : Sed hæc non eneruant meum discursum ; nam in primo manifeste petit principium, qui enim diceret potentiam esse absolutũ quid in se & relatiuum secundum dici tantum, negaret eam dicere respectum transcendentalem formalem secundum esse, vnde oporteret, quod Mastrius non solum diceret,sed probaret,quod diceret talem relationem.

Ad secundum vero nego sequelam,quia cum constet paternitatem esse quid distinctum à subsãtia absoluta eius,qui dicitur Pater,& vlterius nõ cõstet,quod sit absolutum,quandoquidẽ non possit intelligi,nisi per modũ relatiui,debet dici,quod sit relatio;sed quia constat, quod potentia intellectiua,v.g.sit quid absolutum, & quia non constat,quod dicat aliquam aliam formalitatem distinctam à se,qua mediante conueniat illi posse intelligere,aut producere vel recipere intellectionem, nisi quatenus non possit intelligi, vt potens, nisi per modũ respectiui,propterea debet dici quod sit relatiua tantũ secundum dici,maxime cum cõstet aliquid aliud esse absolutũ,quod tamen non possit intelligi, nisi per modũ respectiui, vt patet in proposito de radice aptitudinis,quã dicit essentialiter accidens,& de mille aliis.

Ad hoc respondet Mastrius,*n*.28.sed nihil dicit quod exigat tesponsionem, aut quod vel apparenter soluat difficultatem meam,quæ consistit in hoc, quod quemadmodũ,licet non possit intelligi radix aptitudinis, nisi per modũ respectus ad aptitudinem,tamen ipsa est absoluta;ita licet non possit intelligi accidens, nisi vt potens aut aptum inhærere,& licet hic cõceptus videatur esse conceptus respectiuus, tamen reuera accidens non sit,nec dicat respectum vllum distinctum, nisi ad summum secundum dici;& quod terminus aptitudinis distinguatur ab ipsa realiter, ipsa vero aptitudo non distinguatur,vt sic,à sua radice, nihil prorsus facit ad rẽ.

Rursus Mastrius, *n*. 39. ait me minus consequenter loqui,dum *disp*.13.*qu*.1. conclusione 4. teneo inhærentiam actualem esse de essentia accidentis respectiui, & conclusione secunda id nego de aptitudinali, de qua à fortiori concedi deberet.

Sed miror,quam parum aduertere videatur Mastrius, quæ proponit.

Ego conclusione secunda,non negaui aptitudinalem inhærentiã esse de essentia respecti;sed dixi, quod non erat de essentia accidentis,vt sic,in quo mecũ conuenit

ipse

ipsemet Mastrius, qui dicit eam esse proprietatem accidentis absoluti, sed certe si esset de essentia accidentis, vt sic, deberet esse de essentia accidētis etiam absoluti, in quo essentialiter includitur ratio accidentis, vt sic, sicut animal includitur essentialiter in homine.

Vnde in meis illis duabus conclusionibus, aut nulla est incōsequentia, aut ipsemet Mastrius inconsequenter loquitur: Sed ipse pro se loquatur, ego nego inhærentiam aptitudinalem esse intimiorem accidenti, vt sic, quam actualem accidenti relatiuo; & nego potius aptitudinē esse de essentia accidētis, vt sic, quam actualē inhærentiam de essentia Relationis, seu accidentis relatiui.

Inconsequenter quidem loquerer, si dicerem actualem inhærentiam esse de essentia Accidentis relatiui, & aptitudinalem non esse, & fortassis defectu aduertentiæ Mastrius putauit me id dixisse, sed id non dixeram, & Mastrius deberet maiori cum cautelā Authores, quos impugnat, legere.

## ADDITIO.

### *De Subiectatione accidentis corporei in subiecto spirituali, & spiritualis in corporeo.*

DOcueram accidens corporeum posse esse in subiecto spirituali de potentia Dei absoluta *disp.* 13. *q.* 2. Oppositum putat Mastrius, *disp.* 12. *n.* 258. probabilius, præsertim in sententia Doctoris, cuius aliquot loca adducit; ad quæ Respondi ante tam sufficienter, vt mirum sit, quod iterum ea proposuerit Mastrius: Sed quia conatur exagerare vim illorum; Breuiter examinabo quæ dicit. Adducit ergo primo, locum Doctoris ex 4. *dist.* 1. *q.* 5. vbi reiicit virtutem supernaturalem, & spiritualem in Sacramentis, quæ quidem non naturaliter, sed supernaturaliter produceretur: ergo sentit spirituale de potentia absoluta non posse poni in corporeo. Ad hoc respondi ante, negando consequentiam, quæ si valeret, sequeretur animam rationalem, non posse recipi in corpore, quo nihil absurdius; nec ad hanc instantiam de anima, quam dedi sæpius, aut hic, aut in Additionibus Physicis contra me positis, vnquam aliquid respondit Mastrius, quod mirum est si potuerat bene, & si non potuerat, æque mirum est, quod Authoritatem hanc iterum vrgere voluerit.

Scotus ergo illo loco reiecit ipsam de facto, quia si esset spiritualis virtus, deberet poni tota in toto, & tota in qualibet parte; sic autem de facto nihil ponitur in subiecto corporeo, præter animam rationalem, nec naturaliter nec supernaturaliter: at certe ex hoc nullo modo sequitur, quod non possit de potentia absoluta poni accidens spirituale in subiecto corporeo; aliud enim est, quod de facto non sit id dicendum fieri de vlla potentia, & aliud quod non possit fieri.

Et si quis replicaret si potest fieri de potētia absoluta, quod spirituale ponatur in corporeo, vnde colligitur, quod de facto non ponatur talis virtus in Sacramentis?

Respondeo id facile colligi, quia nisi authoritate, aut ratione aut experientia constet fieri, quod sola potentia absoluta fieri potest, non debet asseri, quod fiat: sic autem non constat talem virtutem poni in Sacramentis.

Deinde non est idem vt male supposuit Mastrius, Deū agere de potentia absoluta, & de potentia supernaturali multa enim fiunt supernaturaliter, quæ non fiunt de potentia absoluta: nam certe actus fidei, spei, & charitatis fiunt de potentia ordinaria, licet fiant supernaturaliter; potentia enim ordinaria est, qua producuntur res iuxta modum, quo exigunt produci, siue producantur naturaliter siue supernaturaliter; potentia vero absoluta, quæ ordinariæ opponitur, est qua producerentur res aliter, quam exigunt produci, & sic produceretur accidens spirituale, si produceretur in subiecto corporeo; vel qua producerentur res aliter, quàm de facto statuerat Deus eas producere, & sic de potentia absoluta posset produci alius mundus, quamuis productio ipsius non esset supernaturalis.

Vnde quamuis Scotus diceret, de potentia supernaturali non potest produci accidens spirituale in subiecto corporeo, tamen non sequitur quin possit de potentia absoluta produci secundum Scotum, quia vt dixi non omnis potentia supernaturalis est absoluta, neque omnis absoluta supernaturalis.

Secundus locus est ex 4. *disp.* 12. *q.* 2. vbi, cum aliqui putarent, quod si albedo posset poni extra subiectum, quantitas posset poni in Angelo, & sic Angelus posset esse albus dicit Doctor consequens non habere apparentiam, quia sicut lapis non potest esse sapiens, ita nec Angelus albus; quia Angelus nullo modo habet rationem susceptiui respectu albedinis; nec lapis respectu sapientiæ, & ponderat Mastrius particulam nullo modo, quæ inquit, omnes occasiones præcludit.

Tertius locus, ex quolibet. 19 & quartus, ex 4. *d.* 44. *q.* 2. idem voluit; sed ego respondi sufficienter, Doctorem intelligendum de albo, quatenus hoc significat habens albedinem modo extenso, & sufficienti ad terminandam visionem, seu disgregandum visum, & de susceptiuitate in ordine ad hoc, quę nullo modo est in Angelo, nec de potentia ordinaria, nec de absoluta, nec de supernaturali: de qua responsione mea iterum agendum erit statim.

Vltimus denique locus est ex 1. *disp.* 8. *q.* 1. vbi probat Doctor Deum non esse materialem aut quantum; quia non est capax accidentis materialis. Sed hic locus non est vllo modo ad propositum; nam quamuis Deus nō sit capax accidentis materialis, non sequitur sane, quod aliud subiectum spirituale non posset recipere accidens materiale, nec quod subiectum corporeum non posset recipere formam spiritualem.

Sed veniamus ad rationem.

Probat formam corpoream non posse esse in subiecto spirituali, v. g. albedo, aut quantitas in Angelo, quia non potest ipsi tribuere denominationem, aliàs Angelus esset albus; quæ etiam ratio probat formam spiritualem non posse esse in subiecto corporeo, verbi gratia, intellectionem in lapide, quia aliàs lapis esset intelligens.

Ad hoc respondi Apologetica mea Appendice *n.* 242. & sequentibus, tam clare & sufficienter vt mirum sit quod Mastrius, non voluerit potius ingenue cedere veritati à parte, quam inutiliter, etiam aliquo saltem periculo, ne videatur pertinax, resistere, & cogere me ad repetenda eadem, quod facio eo fine, vt clariori, si possit fieri terminorum explicatione tandem conuincatur.

Itaque respōdi albedinem Angelo communicare quidem denominationem aliquam & effectum formalem primarium suum, quæ est ipsamet forma communicata obiecto; & idē dixi de sapientia respectu lapidis, & sic hic effectus, aut denominatio significaretur præcise per ly albū & per ly sapiens, concessi in illo casu futurū Angelum album, & lapidem sapientem; nec hoc esse magis inconueniens, quam formam spiritualem communicari subiecto corporeo, & corporeā spirituali; vnde probando, quod id fieri nō posset quia aliàs Angelus esset albus in hoc sensu, est incertum per æque incertum probare, nam tam incertum est an Angelus possit esse albus capiendo album pro habente albedinem, quam an forma corporea possit subiectari in subiecto spirituali.

Quia vero Scotus dixerat Angelū nō posse esse albū, nec quantum; & si intelligeret per album, & quantum præcise, habens albedinem & quantitatē, id probari nō posset sufficienter; excogitaui modū quo defendi posset, quomodo id verum esset, quod dixerat Scotus, nempe quod quia de facto non vocamus aliqua alba, nisi, quæ habent albedinem extenso modo, & sic vt possint terminare visum seu ipsum disgregare; fieri posset vt ly album non significaret habens albedinem quomodocumque, neque denominationem aut effectum formalem primarium eius, quem necessario debet albedo tribuere cuicumque subiecto, cui inhæret; sed habens albedinem extenso modo, quod si album significaret hoc, profecto euidens est, quod Angelus quamuis haberet in se subiectatam albedinem, non esset albus.

Sed Mastrius contra hanc responsionem opponit *num.* 259.

Quod si Angelus non sit capax denominationis albi, non debeat esse capax ipsiusmet albedinis, à qua deriuatur talis denominatio; quia effectus formalis primarius, qui in eius denominatione consistit, formalissimè habetur per solam receptionem formæ; vnde subiectum esse quantum vel quale, non est aliud formaliter, quam habere quantitatem aut qualitatem, vt docet Aristoteles *c. de Habere* & Author sex Principiorum *ibidem*, dicentes. Nihil aliud est dicere, albedinem aut longitudinem habere, quam album aut longum esse.

Sed hæc impugnatio nullo modo eneruat meam responsionem: nam si nihil aliud sit esse quantum, & sapientem ac album, quam habere quomodocumque quantitatem, sapientiam ac albedinem, concedo Angelum posse esse album ac quantum & lapidem sapientem, & sic ad nihil deseruit hæc impugnatio.

Quod si, vt ego probabiliter excogitaui ad saluandam Authoritatem Scoti, esse album & quantum sit habere albedinem & quantitatem, non quomodocumque, sed extenso modo, vt supra dixi; dico Angelũ posse esse capacem albedinis, quamuis non esset capax denominationis albi, quia hæc denominatio non est effectus formalis albedinis præcisè, sed albedinis extensæ, seu albedinis receptæ in subiecto extenso, quale non est Angelus, & quando Philosophus, & Author sex principiorum & quicumque, alius dicerent esse album, & longum non esse aliud quam habere albedinem ac longitudinẽ, explicandi sunt loqui respectiuè ad illa subiecta, quæ de facto dicuntur alba & longa & habeant albedinem ac longitudinem; nam cum illa sint extensa & albedo in illis, verum est, quod in illis idem sit habere albedinem, & esse alba: sed hinc non sequitur, quod idem sit vniuersaliter in omni subiecto, ac præsertim in casibus de potentia absoluta occurrentibus, esse album, & habere albedinem, aut è contra, supposito (quod hîc omnino supponendum) non esse impositum hoc nomen album ad significandum habens albedinem quomodocumque, sed habens illam extenso modo.

Sed replicat adhuc Mastrius, falsum esse albedinẽ non denominare nisi subiectum in quo reperitur extẽso modo, quia indiuisibiliter reperitur in puncto quantitatiue, & adhuc illud denominat albũ, & si non posset denominare album nisi subiectum in quo inexisteret extẽso modo, sequeretur quod non deberet posse vniri nisi subiecto in quo sic inexistat, & cõsequenter non posset subiectari in Angelo, quia in Angelo nequit esse extẽso modo: neque enim vnitur subiecto nisi vt illud denominet tale.

Ad primum ex his dixi in Apologia & iterũ dico falsũ esse & contra omnes Philosophos, quod albedo reperiatur in puncto quãtitatiuo, quia sicut nec quãtitas, nec vlla pars eius est indiuisibilis & licet includat in se indiuisibilia, tamen nullũ ex illis est quantitas: ita nec albedo, nec vlla pars eius est indiuisibilis & si cõtineat in se aliquod indiuisibile continuatiuũ suarum partium, illud etiam non erit albedo, nec aliqua pars consequenter albedinis, aut aliquid ipsius, quod est albedo, subiectatur in puncto quantitatis: Mastrius vero ait se non dixisse aliquam partem albedinis esse in puncto, sed albedinem indiuisibiliter, ex quo modo loquendi ait me bene potuisse deprehendere, quod ipse non loqueretur de tota albedine aut albedinis parte, sed de puncto albedinis, quæ dicitur albedo pũctualis, & cum ego instatem, quod sicut punctum quantitatis non vocatur quantitas, ita punctum albedinis non debeat dici albedo. Mastrius ait instantiam esse friuolam, nam licet punctum quantitatis non vocetur quantitas, tamen dicitur quantitas punctualis, & albedo existens in puncto quantitatis dicitur albedo punctualis, & quamuis punctum non faciat subiectum cui inest quantum, quia esse quantum est esse extensum, & diuisibile, quod puncto repugnat; tamen esse album, esse calidum sicut potest conuenire indiuisibili extensionis, quod proinde proponitur à Doctore 2. d. 2. qu. 9. posse esse subiectum alterationis & intensionis, ita præstari potest per indiuisibile albedinis, vel caloris. Et certè addit si tota superficies alba est, non solum partes eius albæ dicuntur per partes albedinis, sed puncta per indiuisibilia albedinis.

Quod si hoc, inquit, Poncius negat, pessime negat, & contra omnes Philosophos.

At sanè Mastri, ego confidenter nego in toto hoc discursu aliquid esse, quod vel non sit contra omnes Philosophos, vel nullo modo ad rem; quod licet ex se facilè patet, tamen ostendere conabor.

Itaque imprimis dico per hunc modum loquendi albedo est indiuisibiliter in puncto, non potuisse me rectè intelligere, quod indiuisibile albedinis esset in puncto, quia vt dixi indiuisibile albedinis non est albedo, sicut nec punctũ quantitatis est quantitas: & quãuis indiuisibile albedinis posset vocari albedo punctualis, & punctũ quantitatis quantitas punctualis (qui tamen modus loquendi nõ est apud vllũ in vsu quod sciam, sed omnino excogitatus frustra ad vitandã difficultatem, quæ vitari propterea nõ potest) tamen pũctum albedinis non vocatur albedo simpliciter, nec punctũ quantitatis quantitas simpliciter, vt ipsemet Mastrius ait, ergo ex eo, quod albedo punctualis, vt loquar cum Mastrio, sit in subiecto inextenso & inextenso modo, non sequitur, quod albedo simpliciter sit in subiecto inextenso modo, aut in subiecto indiuisibili: sed Mastrius ait, albedinem simpliciter denominare posse subiectũ in quo existit inextenso modo: ergo id male dixit, cõtra omnes Philosophos, ac seipsum hic negantem albedinem simpliciter esse in puncto, & id tantum asserentem de albedine sua punctuali; quam fatetur non esse albedinem simpliciter.

Cõfirmatur hoc: ego dicebam albedinẽ nõ denominare subiectũ albũ nisi subiectũ in quo est extenso modo, & loquebar de albedine simpliciter, tum quia loquebar de ea sine addito, & nunquam somniaui de alia, & de ipsamet discurrebã indagando an posset esse in Angelo.

Contra autem me opposuit Mastrius, quod albedo, de qua ego dicebam eam non denominare subiectũ album, nisi in quo esset extenso modo, posset denominare album subiectum in quo non esset extenso modo: ergo loquebatur Mastrius de albedine simpliciter, de qua ego loquebar & non de albedine punctuali, & sic ego debebam ipsum rationabiliter impugnare, quia alias non negaret illud, quod ego asserui, nec ageret contra me.

Rursus quando dicit, quod licet punctum quantitatis non posset facere quantum, quia esse quantum est esse extensum ac diuisibile; tamen esse album & calidum potest conuenire indiuisibili extensionis, omnino malè videtur discurrere: nam si esse album est habere albedinem extenso modo, vt ego contendo propter authoritatem Scoti, tam implicat indiuisibile extensionis esse album, quam punctum substantiæ esse quantum, & licet Doctor diceret indiuisibile extensionis esse posse subiectum alterationis, non inde sequeretur, quod posset esse subiectum albedinis, & si esset etiam subiectum albedinis non sequeretur adhuc, quod album, capiendo album in eo sensu in quo ego ipsum cepi, & probare deberet Mastrius, quod ille sensus non esset bonus.

Quod etiam addit non solum partes superficiei esse albas per partes albedinis, sed etiam indiuisibilia eius esse alba per indiuisibilia albedinis; non rectè dictum videtur: nam esse album absolutè vt hic loquitur Mastrius, si loquatur ad propositum, est effectus albedinis, quæ absolute talis est, sed albedo punctualis Mastrica, seu indiuisibile non est absolutè albedo: ergo non potest facere aliquid album absolute.

Confirmatur hoc, quia non magis tota superficies est alba, quam tota substantia est quãta: sed ex eo, quod tota substantia sit quanta, non sequitur quod vllum indiuisibile ipsius sit quantum per quantitatem punctualẽ, seu punctum quãtitatis vt fatetur ipsemet Mastrius, hic expresse concedens punctum quantitatis non posse facere subiectum cui inest quantum: ergo quamuis tota superficies sit alba, non sequitur, quod vllum pũctum ipsius sit album per albedinem punctualẽ, aut indiuisibile albedinis, & certe quãdo dicitur, quod tota superficies sit alba, sensus est quod sit alba quoad omnẽ partem, quæ est capax

pax naturaliter albedinis & recepit ipsã;non vero,quod sit etiam alba quoad indiuisibilia ipsius, quæ non sunt naturaliter vllo modo capacia albedinis : sicut quando dicitur totam substantiam esse quantam hoc intelligitur de ipsa quoad omnes partes diuisibiles ipsius & capaces quantitatis;non vero quoad indiuisibilia.

Per quod patet ad primum quod proponit Mastrius in sua replica.

Ad secundũ autem quo dicit,quod si albedo non posset denominare album nisi illud in quo ponitur extenso modo,quandoquidẽ non possit poni sic in Angelo,eam in ipso poni nõ posse,quia non ponitur in subiecto, nisi vt ipsum denominet;Respondi ante negando sequelam, & ad eius probationẽ dico falsum esse, quod non possit poni in subiecto, nisi vt ipsum denominet albũ,intelligendo semper per album,quod habet albediné extenso modo,quo sensu solo dixi Angelũ non posse esse album.

Ad quod confirmandum dixi aliquam formam posse esse in subiecto,quæ non tribuat ipsi omnem denominationem, quam tribuere potest cuicúque alij subiecto,vt patet,quia suppositalitas verbi tribueret denominationẽ personæ cõstitutæ ex ipsamet & natura intellectuali, quã terminaret, sed eadẽ personalitas verbi non tribueret denominationẽ personæ constitutæ ex ipsamet & natura irrationali:& hinc intuli albedinem posse esse in aliquo subiecto cui tribueret aliquam denominationem,v.g.albi,quam non tribueret alteri subiecto.

Mastrius vero ait,hoc exemplũ de personalitate non esse ad rẽ;quia denominatio personæ non est desumpta ab vnione hypostatica vt sic,sed à natura assumpta,quæ si est intellectualis dicitur personari, si non dicitur suppositari, at esse album est denominatio formalis quæ præcise à forma deriuatur ; Vnde male, inquit,infertur quod aliqua forma possit esse in subiecto quin tribuat ipsi omnem denominationem,quam possit tribuere alij subiecto,quod est falsum, quia denominatio quam forma ex parte sua nata est præstare subiecto,indifferentet communicatur cuicumque subiecto.

Addit ineptum esse duplicem illum formalem effectũ albedinis quem ego assignaui;nam effectus formalis albedinis & cuiuscũque alterius formæ explicatur ab Aristotele per hoc præcise , quod subiectum habeat talem formam:non hoc autem,aut illo modo,tum quia quod albedo sit in subiecto extenso modo habet à quantitate cui insidet,& ad cuius extensionem extenditur:ergo talis modus non spectat intrinsece ad effectum eius formalem.Sed nihil in toto hoc discursu est, quod prima facie non satis facile pateat non sufficere ad intentum.Imprimis quantum ad exemplum de personalitate, quod est aptissimum , Respondeo nec Scotum , nec vllum posse dicere,quod denominatio personæ proueniat à natura totaliter , alias natura sine personalitate , seu suppositalitate esset persona , quod implicat,sed potius habetur à suppositalitate & natura;ita vt neutra se sola sufficeret ad eã dãdam:quia ergo eadẽ entitas cũ natura rationali potest facere personam,& cũ natura irrationali nequit facere personã,ita dico ego denominationẽ albi posse dici prouenire nõ ab albedine sola,sed ab albedine extensa , & etiam à subiecto extenso adeo vt nec subiectum extensum sufficeret ad faciendum cum albedine album,nisi albedo esset in ipso extenso modo ; nec albedo extensa sufficeret absque subiecto extenso.

Vnde patet falsum esse vtrumque,quod dicit Mastrius, quod denominatio personæ proueniat à natura sola, & denominatio albi ab albedine sola;aut saltẽ si nõ sit falsũ,nõ satis ab ipso id probari,sed potius in eo asserendo absque probatione peti principium:& quandoquidem suppositalitas verbi potest cum natura rationali facere personam quam cum irrationali non facit,sane dubium esse non potest quin aliqua forma cum aliquo subiecto posset concurrere ad denominationem ad qualem non concurreret cum alio subiecto diuersæ rationis.

Et licet ex parte sua non posset forma alicui subiecto tribuere aliquã denominationem , quam non tribueret æque cuicumque;tamen certum est,quod si ad denominationem aliquã non solum forma concurreret,sed etiã subiectũ secũdum rationem particularem talis subiecti; aut si ad denominationem aliquã concurreret non solum forma & subiectum , sed etiam modus aliquis, aut formæ,aut subiecti,aut vtriusque,forma non posset secundum se esse indifferens ad tribuendam talem denominationem cum quocumque subiecto.

Ad id quod addit ineptum esse duplicẽ illum formalẽ effectum,quem ego dixi prouenire posse ab albedine;

Respondeo id ab ipso dictũ,quia nõ aduertit bene ad sensũ:vt autem id faciat,quæro an nõ posset hoc nomẽ albũ imponi ad significandũ habens albedinem extenso modo sic vt posset disgregare visum;& an nõ posset etiã imponi ad significandum habens albedinem;certe cum voces sint signa ex instituto,non potest de hoc dubitari; & tũ quæro an quando diceretur vtroq; modo aliquod album, illa denominatio esset formalis:si dicat sic:ergo duplex mea denominatio est possibilis;& tũ incũbet ipsi probare,quod quamuis sit possibilis,nõ tamen detur de facto,nec daretur in casu quo albedo poneretur in Angelo,& certum mihi est,quod id nũquã probabit:si dicat,quod non esset in vtroque casu formalis;quamuis id pessime diceret;tamen nihil iuuat,quia quando ego dico subiectum aliquod posse dici album vtroque modo,non curo an illa denominatio sit, aut dicatur formalis , sed sufficit,quod possit subiectũ sic realiter dici,quomodocũque id dicatur;nã in hoc consistit realis controuersia.

Quod vero dicit Mastrius effectum formalem cuiuscũque formæ explicari ab Aristotele per habere formã, nõ hoc, aut illo modo,nihil facit ad rẽ;quia hoc intelligendũ de effectu formali primario,quẽ debet dare cuicumque subiecto,& cuius ipsa secundum substantiã est causa totalis,non vero de effectu formali quem tribuit partialiter cum aliqua alia causa,aut aliquo alio modo.

Quod etiam dicit albedinem esse extẽso modo ratione extensionis quãtitatis,si loquatur sic vt velit, quod sola extẽsio quãtitatis sit ratio formalis extẽsionis albedinis, omnino falsũ dicit,quia si albedo ipsa non esset extensa secundum se,nõ esset extensa ratione quantitatis,& deinde,etiamsi id esset verum,nihil iuuaret Mastrium,quia sicut haberet esse extẽsum ratione quantitatis,ita haberet facere albũ in sensu in quo esse album esset habere albedinem modo extenso à quantitate;& facere album non solum competere albedini,sed quantitati, vel tanquam conditioni,vel tanquam concausæ partiali.

Per quæ patet ad ea,quæ dicit Mastrius *n.*260.contra ea quæ docueram in Logica , & alibi sæpe , quod si in Angelo poneretur quantitas & albedo, ipsum futurum album & quantum,intelligendo per hoc quod esset habens quantitatem & albedinem;non tamen esset albus, aut quantus,intelligendo per hoc,quod haberet albedinem & quantitatem extenso modo.

Cõtra quæ opponit Mastrius,quod forma eiusdem rationis in quocunque subiecto ponitur, habeat effectum eiusdem rationis:ergo si albedo & quãtitas ponerentur in Angelo inhæsiue, darent ipsi talem denominationẽ, qualem dãt corporibus nostris;sed nostris dant denominationem impenetrabilitatis & disgregatiui visus:ergo talem denominationem tribuerent Angelo ; & sic Angelus esset impenetrabilis ac disgregatiuus visus, quod implicat , quia suapte natura penetrabilis est & inuisibilis.

Sed miror cur nõ aduerterit, quod sæpe inculcatum erat,formã eiusdem rationis non dare denominationem omnẽ quã potest dare cuicumque subiecto, nisi illa denominatio proueniat à sola forma cõmunicata sine vlla dependentia ab vlla alia conditione:nam,vt toties dixi, certe ly album posset imponi ad significãdũ illud,quod haberet albedinem modo extenso,seu subiectum extensum habens albedinem,seu vtrumque.& si ita fieret,illa denominatio albi non deberet prouenire , nec posset ab albedine in quocunque subiecto poneretur.

Certum autẽ est,quod illa quæ sunt impenetrabilia, & disgregatiua visus habeant quantitatẽ extenso modo, & albedinẽ,& quod nihil possit esse impenetrabile, aut

disgregatiuum visus,quod nō habeat eas extensas:ergo euidens debet esse,quod si ponatur quantitas & albedo in Angelo,non propterea debeat habere illas extensas, ergo per hoc quod habeat illas non sequitur, quod debeat esse impenetrabilis,aut disgregatiuus visus.Quod si velit Mastrius albedinem , & quantitatem non posse communicari subiecto vlli nisi extenso modo;non solum gratis & absque fundamento illud dicit,sed contra ea quæ manifestum est contingere in Eucharistiam in qua quantitas corporis Christi ponitur absque extensione & impenetrabilitate.

Confirmatur hoc vlterius,effectus formalis quantitatis est reddere corpus in quo est impenetrabile, corporaque nostra à quantitate habent esse impenetrabilia:& tamen quantitas non tribuit talem effectum corporibus gloriosis,nec corpori Christi in Eucharistia:ergo potest fieri,quod aliqua forma tribuat denominationem alicui subiecto qualem tribuit alteri.

Addo ad hæc,quod si non posset quantitas,aut albebo poni in Angelo nisi extenso modo , tunc Angelum futurum impenetrabilem , ac visibilem ; nec hoc repugnat penetrabilitati & inuisibilitati , quam ex se habet, hæc enim consistit in hoc, quod ex se non habeat, nec connaturaliter petat impenetrabilitatem, aut visibilitatem ; non vero consistit in hoc , quod non possit mediante aliquo alio,quod supernaturaliter communicaretur ipsi,esse visibilis & impenetrabilis,modo tamen quantitas , & albedo possint communicari ipsi extenso modo,quod etiam fortassis non est impossibile.

Confirmo hoc totū vlterius ex ipso Mastrio,quia ipsemet ait,posse dici,quod si intellectio poneretur in lapide,nō redderet ipsū intelligentē,quia talis denominatio non consistit in pura & simplici receptione formæ, sed in operatione quæ cōsistit in quadā tēdentia vitali in obiectū intellectū.Ex qua doctrina sic arguo:intellectio inhærens intellectui facit ipsum formaliter cognitum; & tamen non faceret intelligētem formaliter lapidem: ergo forma eiusdem rationis non communicat omnem effectum quem potest omni subiecto cui inhæreret ; & sic totaliter ruit fundamentum Mastrij.

Deinde sicut ipse diceret quod hæc denominatio intelligentis non habetur præcise,& solūmodo ab intellectione cōmunicata per inhæsionē,sed requiritur aliquid aliud ad illā denominationē,cur non liceat mihi dicere, quod denominatio impenetrabilis & disgregatiui visus,& denominatio sapientis non proueniat à quantitate,albedine, & sapientia absque dependentia ab aliqua alia conditione,licebit certe donec Mastrius melioribus rationibus docuerit oppositum.

Probat vlterius Mastrius formā spiritualem non posse inhærere subiecto corporeo;quia illa esset tota in toto & tota in qualibet parte,sicut anima est in corpore; & sic dependeret à pluribus causis totalibus in genere causæ materialis, nempe à pluribus partibus illius corporis quarum quælibet sustentaret illam totaliter, quod implicat.

Ad hoc Respōdi negando,quod forma spiritualis posita in corpore depēderet ab illo:posset enim poni absq; dependentia , sicut anima ponitur absque dependentia in corpore,nam si crearetur vt bene posset fieri, & vniretur illi subiecto in eodem ipso instanti quo crearetur, vt etiam fieri posset,non dependeret à corpore in genere causæ materialis, sicut nec anima dependet.

Deinde posset etiam poni cum dependentia à corpore in genere causæ materialis, non tamen ita quod dependeret totaliter ab vlla parte,sed partialiter à qualibet;in quo etiam non est vlla implicantia.

Deniq; posset poni dependenter ab aliqua parte totaliter,& sine depēdentia à reliquis;& quocumque ex his tribus modis poneretur in subiecto corporeo , non dependeret totaliter à pluribus partibus,vt patet.

Contra verò hoc Mastrius *n.*262.opponit non deesse qui putant modū vnionis formæ accidentalis non posse à sustentatione præscindere;quod si verum esset,primus & tertius modus à me iam assignati non valerent.

Quod quidē ego fateor,sed assero eos qui id asserunt non recte Philosophari : & certe Thomistæ omnes ac Scotistæ asserentes creari gratiam,in quam opinionem fatetur Mastrius Scotum inclinare,apertè negant illam doctrinam,vt mirum sit Mastrium illam doctrinam mihi opponere absque probatione,cum certus deberet esse,quod à me negaretur.

Addit denique secundū modū meū non videri rationabilē,quia non apparet quomodo cōcursus materialis illarū partium posset tēperari;nā quamuis posset in causa efficiēti illud admitti;nō tamē in causa materiali potest facile explicari:nam eo ipso quò illa forma est in qualibet parte,deberet esse in illa, quamuis non esset altera pars,& sic ab illa sola totaliter dependeret,quod si dicatur,si desinat vna pars,eo ipso forma debere desinere in omnibus partibus , quia à singulis dependeret inadæquate & partialiter, hoc esset petere principium.

Sed vt ante dixi,sane mihi non apparet vlla maior difficultas in eo,quod possit attēperari concursus causę efficiētis sic, vt qui effectus ab illa sola procedere posset, posset tamē ab illa partialiter procedere,quam quod sic posset attemperari concursus causæ materialis,in cuius qualibet parte,quod sit forma nihil prorsus facit ad rē: quando vero dicit,quod petatur principiū,dum dicitur quod in illo casu quo partialiter dependeret à qualibet parte,deberet desinere in omnibus, si desineret in vna, manifeste falsum est,quia non petitur principiū quando dicitur fieri,quod non necessario futurum esset, nec de hoc vllus dubitare potest , supposito , quod dependeat partialiter tantum;quod si dicat peti principium , dum dicitur quod sic dependeat partialiter , Meminisset hic agi de eo,quod potest fieri de potentia absoluta,& non requiri aliud principium ad defendendum,quod aliquid de ea possit fieri,quàm quod non repugnet, & soluere repugnantias;si quis vero diceret aliquid repugnare ex aliquo capite,quod assereretur ab alio non repugnare, nisi probaret repugnantiam,peteret principium , & ita sane hic facit Mastrius.

## *ADDITIO.*

*De inexistentia vnius accidentis in pluribus subiectis.*

DOcui disp.13. q.3. vnum accidens posse esse diuinitus in pluribus subiectis.

Contra hoc Mastrius disp.12.264.vult probare Doctorem tenuisse oppositum;quia in 3. *d.*1. q.2. volens probare eandem naturam non posse à pluribus personis assumi,quia esset infinita , sic discurrit : *Sicut forma substantialis,quæ substātialiter perficeret plura supposita,esset illimitata;ita accidens consequens quod accidentaliter perficeret illa supposita deberet esse illimitatū*:Quod & explicat bene:tum infert:igitur sicut essētia diuina,quia est essentialiter trium suppositorum,est infinita quasi natura *essentialis illorum suppositorum:ita natura humana esset infinita,licet quasi natura aduentitia illis suppositis.*

Confirmat illud ipsum immediate post : *quia ita impossibile est vnum accidens esse in duobus subiectis;sicut vnā formam substantialem in duabus materiis:igitur si necessario sequitur infinitas ex eo , quod vna forma substantialis esset in pluribus materiis,necessario sequitur infinitas ex hoc,quod vnum accidens esset in multis.*

Ex his infert Mastrius,quod Doctor asseruerit absolute quod forma substantialis non possit esse in pluribus absq; infinitate,& quod cōsequenter tenuerit de forma accidentali, quod non possit esse in pluribus subiectis.

Vnde licet in Cōfirmatione locutus est cōditionaliter tantum de forma accidentali,vt ego docui , & patet ex particula *si* posita in consequenti;tamen quia probauit ante illam conditionem,sequitur,quod absolute tenuerit partem negatiuam oppositam meæ doctrinæ.

Sed nisi ego fallor,fallitur sane Mastrius in intellectione Scoti hoc loco:nā non intendit Scotus, probare per illū discursum,quod natura creata non potuit assumi à tribus personis;nondum enim de ea re proposuit suam sententiam,sed postea *n.*5.id fecit & probauit alio longe diuerso discursu:sed in loco iam citato intendit tātū impugnare Responsionem Varronis ad argumentū aliquorum,

quorum,qui contra ipsum tenebant,quod natura creata non posset assumi à pluribus personis,quia ex eo, quod natura diuina est in pluribus personis,concluditur infinitas ipsius: ergo deberet concludi infinitas naturæ creatæ si posset esse in pluribus personis.

Ad quod argumentum Respondet Varro,quod infinitas naturæ diuinæ colligatur non ex eo, quod sit in pluribus,sed ex eo,quod identificetur illis; natura vero assumpta non esset eadem ipsis,sed aduentitia, & consequenter non deberet esse infinita.

Contra hanc responsionem expresse agit Doctor & ostendit disparitatem illam de identitate vnius & accidẽtalitate alterius non facere ad rem:quia sicut forma substantialis perficiens plures materias esset illimitata, ita & accidentalis quæ esset in pluribus subiectis:Ergo, si essentia diuina ex eo quod sit identificata pluribus, esset infinita: ita etiam natura assumpta quamuis non esset identificata,sed aduentitia deberet esse illimitata.

Hic certe est expressus sensus & mens ac intentum Scoti,non vero,quem prætendit Mastrius, aut asserere, aut probare quod forma substantialis esset illimitata, si esset in pluribus subiectis; aut natura assumpta si esset in pluribus subiectis;sed solum quod disparitas Varronis non sufficiebat.

Hoc quoad authoritatem Scoti,quoad responsiones vero Mastrij ad meas rationes,tam in Physica quàm in Apologia, quia manifeste apparet nullã ex illis habere speciem probabilitatis,& vt id speciatim ostenderẽ,deberem repetere illa ipsa,quæ ante proposueram, quod esset nimis prolixum & non necessariũ,relinquo totum iudicio eorum qui vtrumque discursum examinauerint.

Solum aliquid dicam circa responsionem ipsius ad id quod docuerã non recte concludi,quod si forma posset informare plures materias posset infinitas, & quod nõ bene docuerat Mastrius quod si forma esset determinata ad quatuor vel quinque materias,illæ materiæ simul sumptæ integrarent materiam adæquatam ipsius, & quælibet esset inadæquata, & sic non defenderetur quod forma informare posset plures adæquatas.

Ad primum ex his dixi non posse id concludi quia intellectus potest plura obiecta,quam vnum intelligere & non potest tamen infinita, & virtus motiua potest mouere duos vel tres lapides, non tamen potest infinitos & quicũque diceret formam posse informare materias infinitas,ideo hoc diceret quia putaret nõ esse maioris perfectionis in ipsa informare plures quã vnã,qui vero putaret esse maioris perfectionis informare plures,nullo modo concederet,quod si posset plures,posset infinitas;nec id haberet vllam probabilitatis speciem.

Contra hoc opponit Mastrius *n.*271.immerito me dixisse,quod nõ possit absque magna incuria,aut ignorãtia cõcludi,quod si forma posset plures,posset infinitas: quia Scotus vel eandem,vel omnino simile consequentiam deducit in 3. *d.*1.*q.*2. §.*contra hoc obiicitur*, vbi sic arguit: essentia diuina concluditur esse infinita ex eo, quod ipsa eadẽ potest esse in pluribus:igitur ista natura esset infinita si posset esse in pluribus, quia qua ratione posset esse in duabus personis,posset esse in infinitis,ita ibi discurrit Doct.Ita etiam arguit in 1.*d.*2.*q.*3.si essent plures Dij,essent infiniti,& d.2.q.4.*si essent plures filij in diuinis,essent infiniti*, & quodl.2. si essent plures productiones eiusdẽ rationis,essent infinitæ,nisi appareat determinatio ad certum numerum:ergo, inquit,cum magna incuria Poncius dixit non nisi ex magna incuria, vel ignorantia posse deduci illam consequentiam, nisi appareat determinatio ad certum numerum,quam determinationem Poncius adhuc apparere non fecit.

Ad hæc dico imprimis mirum esse,quod nõ responderit tamen Mastrius ad rationem qua ad id dicendum motus sum, nempe quod non valeat illa consequentia de intellectu,vt supra & sæpe alias deduxi.

Deinde licet illa cõsequẽtia optime valeat in materiis, in quibus ea vtitur Scotus,vbi illud,quod esset in pluribus est infinitę perfectionis,& propterea nõ potest ex se limitari,nec aliunde sic,quin si possit in pluribus,possit esse in infinitis,tamen profecto non potest valere quãdo illud quod diceretur esse in pluribus, est limitatæ perfectionis, nam tale quid posset limitari ex natura sua ad determinatum numerum, vt patet manifeste exemplo intellectus & multis aliis;vnde adhuc dico, quando res est limitatæ perfectionis, non nisi cum magna incuria, aut ignorantia fieret talis deductio,qualis certe deductio in tali materia non est familiaris Scoto:nec erat necesse vt ego apparere facerem determinationem talis rei ad determinatum numerum, quia satis notum erat ex finitate ac limitatione eius,quod sic esset determinata, sicut intellectus est determinatus ad determinatum numerum obiectorum:si vero velit Mastrius quod determinare deberem illum numerum.

Respondeo id me nõ debere facere,sed sufficere,quod ostenderim rem finitam esse determinatam ad aliquem numerum,qualiscunque ille sit, qui Deo est notus, non mihi:sicut numerus obiectorum quem simul videre potest intellectus ex natura sua est notus illi soli,non mihi nec Mastrio vt opinor. Per quod patet ad omnia loca Scoti ex Mastrio adducta præter primũ,ad quẽ dico primo mihi videri,quod illa obiectio non sit Scoti,sed alicuius alterius,vt patet ex verbis quibus proponitur:*contra hoc obiicitur*,quæ non significant illam obiectionem esse Scoti,sed alterius.Sed supponendo tamen,quod esset ipsius,dico vlterius,quod non proponebatur ab illo nisi in ordine ad impugnandũ responsiones Varronis ad illam;vel ad hominem;nam alias nihil omnino valeret ex se;nam consequentia cum probatione non valeret.

Ad secundũ de adæquatione dixi,quod numerus materiarũ,ad quas simul informandas determinaretur forma, (casu quo informare plures argueret in ipsa maiorem perfectionem,nam si hoc nõ esset,posset informare infinitas vt dixi)nõ esset ipsi materia adæquata in sensu quæstionis,quia sensus quæstionis nõ potest esse an forma possit informare plures materias adęquatas,capiendo materiã adæquatam pro toto aggregato ex omnibus quas potest simul informare,cũ euidens sit quod id implicat,cum nõ possit plures simul informare,quã potest simul informare:sed materia adæquata hic, vbi quæritur an forma possit plures adæquatas informare,intelligitur materia,cũ qua potest forma vnũ per se cõpletum cõpositum physicum facere, vt materia illa quæ est sub forma ignis, & illa quæ est sub forma aquæ;& quæritur an forma ignis possit simul informare materiam, quæ est sub vna forma ignis,& quæ est sub alia forma ignis aut aquæ.

Ad hoc respondet Mastrius *n.*271. meam impugnationem plane ostendere, quod non perceperim dictam ipsius solutionem, vel potius noluerim percipere;quæ solutio,inquit,consistit in hoc,quia si ponatur materia esse determinata ad certũ numerum siue ex natura sua, siue per aliquid de nouo sibi à Deo superadditum,sequitur aggregatum ex omnibus esse perfectibile adæquatum talis formæ, & singulas materias partiales contentas in illo numero esse perfectibile inadæquatũ ipsius.

At certe ego volui percipere solutionẽ Mastrij,& eodem modo tum intellexi, quo iã,etiã habita hac explicatione Mastrij;quod vt videat cõcedo totũ discursum, nempe quod nulla ex illis materiis pluribus,quas simul posset informare,esset adæquatũ perfectibile illius formæ:sed nego inde sequi, quod forma non posset plures materias adæquatas in sensu in quo controuertitur, an possit plures materias adæquatas informare:nam vt dixi non capitur materia adæquata in controuersia pro materia, quæ sola informaretur, aut vltra quam non posset forma aliam informare; sed pro materia quæ posset facere cum forma compositum completum.

Ad quod declarandum vlterius plura dicta sunt in Apologia mea *n.*225.ad quæ nihil dixit Mastrius,quem puto iam fassurum, quod intellexerim illum, & quod mea solutio, quæ est hæc ipsa, quam iam dedi,non arguat vllo modo oppositum.

Addo hic directe controuerti an eadem forma posset esse in pluribus materiis quarum quælibet sine alia posset

posset sufficere ad faciendum vnum per se compositum completum; siue quælibet ex illis esset adæquata, siue non, quod spectat ad quæstionem de nomine; vnde quãuis nulla ex illis esset adæquata, non sequitur tamen, quod illa pars controuersiæ, quam ego tenui, nempe affirmatiua, non sit vera.

## ADDITIO.

*De Accidentibus ac formis supernaturalibus.*

COnabar in Appendice mea Apologetica soluere rationes quibus adductus erat Mastrius ad tenendum contra omnes Scotistas, quod habitus supernaturales educerentur, & quia ille *disp.* 12. *n.* 283. impugnat meas solutiones, hic examinare volo an recte id fecerit.

Prima ratio, ipsius erat hæc: omnis forma accidentalis, cum sit apta nata inhærere subiecto, nata quoque est fieri, & conseruari dependenter ab illo: ergo cum formæ supernaturales sint accidentia, natæ sunt fieri & conseruari dependenter à subiecto & consequenter educi, & non creari.

Respondi manifeste peti principium in antecedente, quod ab omnibus Thomistis & Scotistis negaretur.

Ille verò cõtra insurgit dicens in antecedenti duas esse partes, & explicandum fuisse an in vtraque peteretur principium, & si non,, in qua.

At hoc est multiplicare verba frustra, nemo enim est qui non intelligat me voluisse peti principiũ in secunda parte, quæ negaretur ab õnibus Scotistis & Thomistis, qui tamen concederent primam. Sed instat ille secundã sequi statim ex prima; quia si forma nata est inhærere subiecto, statim sequitur modũ factionis eius esse per dependentiam à subiecto: sicut è cõtra eo ipso quo forma nata est per se subsistere, seu existere independenter à subiecto, statim sequitur modũ factionis eius esse indepẽdenter à subiecto: sicut ergo valet arguere: anima rationalis nata est per se subsistere & non hærere alteri: ergo producitur independenter à subiecto: sic è contra valet arguere; forma accidẽtalis nata est inhærere: ergo nata est produci dependenter à subiecto: non ergo inquit, petitur in illo antecedente principium, quia quoad primã partem admittitur ab omnibus, quoad secundã verò sequitur ex prima.

At certe hic discursus non tollit quo minus petebatur principiũ in illo antecedẽte; quia est directe, quod negamus, qui creationem formarum supernaturalium aliquarum defendimus. Et quamuis Mastrius illud antecedens hic demonstraret, non tollitur quin ex eo posito absque probatione petitum fuerit principium.

Sed neque verum est quod secunda pars sequatur ex prima, sicut nec vera est probatio, qua id probatur; nec valet consequentia de eductione accidentis petentis inhærere, ex creatione formæ petentis per se subsistere: sed in toto discursu à primo ad vltimum petitur principium sicut petebatur in secunda parte antecedentis. Et mirum est Mastrium motum fuisse discursu obuio communi omnibus Scotistis & Thomistis, qui tamen eum nihili vnquam faciebant.

Secunda ratio Mastrij erat: Ideo anima rationalis dicitur creari & non educi ex corpore (licet in nullo instãti etiam naturæ prius sit in se quam in corpore, cum existentia rei non mensuretur instante naturæ) quia de se nata est subsistere: Ergo cum formæ supernaturales non sint natæ subsistere, & in primo instanti quæ fiunt, fiant in subiecto, ex eo educentur, nam hoc est formam educi de potentia subiecti, non prius in se produci quam in subiecto, si forma est nata inhærere.

In hac ratione reprehendi primo, quod dixerit Mastrius animam rationalem non prius natura in se produci quam vniatur corpori, aut fit in corpore, & euidenter ostendi id fuisse reprehendendum.

Notaũi deinde, & fateor irrisi, vt & iam iterum irrideo rationem qua Mastrius ad id dicendum inductus est, nempe quod existentia rei non mensuretur per instans naturæ.

Sed Mastrius *n.* 285. conatur se defendere prolixissimo discursu, in quo tamen fatetur expresse formam quæ creatur & consequẽter animam prius naturaliter esse à causa efficiente quam materiam informat; quod est directe oppositum istius quod de anima dixit in hac ratione, & reprehensum erat à me; quamuis conetur explicare quo sensu sit prior: ego vero non curabam, nec curo quo sensu, sed ad intẽtum meũ & arguẽdũ Mastrium sufficit mihi quod in aliquo sensu sit prior natura; & quamuis verum esset quod instans naturæ non sit mensura existentiæ, tamen adhuc vna res posset dici prior natura alia re.

Deinde Respondi ad rationem, non valere consequẽtiam; Quia licet sola causa ob quam anima non educeretur, esset, quod nata esset subsistere; alia tamẽ causa posset dari, ob quam non educeretur habitus supernaturalis, quod si illa ratio conueniret animæ, non esset verum quod ideo solum crearetur quia nata esset subsistere.

Addidi etiã, contra vltima verba rationis: *nam hoc est, formam educi, non prius in se produci quam in subiecto, si forma est nata inhærere*, si mentio fiat de prioritate temporis, in iis peti manifeste principium, & ea esse falsa; quod si loquantur de prioritate naturæ, etiam falsa sunt in sententia Mastrij, tenentis formam creatam non prius natura produci quam insit subiecto; & si illa doctrina sit falsa; tum falsa est hypothesis illorum verborum, nempe quod habitus supernaturales non prius natura sint quam insint.

Contra hæc opponit Mastrius meam solutionem satis ostẽdere quod noluerim percipere vim argumẽti, quod, inquit, fundatur in ratione eductionis.

Sed nescio prorsus quid velit, aut quomodo dubitare potuerit quod noluerim percipere vim argumẽti ipsius; profecto intelligo optime, est enim totaliter hæc; vt ipsemet hic argumentũ proponit: *Anima rationalis dicitur creari & non educi de corpore, quia de se nata est subsistere, vnde quantumcumque in corpore producatur semper independenter ab eo producitur, & illud respicit mere vt subiectum, in quo, non ex quo.* Hoc est tuum antecedens, Mastri, vt ipse fateris, & tam facile intellectu, vt nesciam quis non intelligat ipsum. Quod ad me autem attinet, concedo illud tibi libenter & concedo eductionẽ consistere in fieri cum dependentia à subiecto tanquam à causa.

Sed nego studiosè, aut data opera me illud antecedẽs ex integro nõ retulisse, sed hoc modo, ideo anima rationalis non creatur, quia de se nata est subsistere, sed id feci breuitatis causa; & quia existimabã tantum valere ad propositum hanc breuem propositionem, quantum alterã prolixiorem; Sed quidquid sit de hoc, vtrãque concedo. Videamus cõsequẽs, quod est hoc: ergo quia habitus supernaturales non sũt formæ natæ subsistere, sed inhærere, si producũtur in subiecto, fiunt depẽdenter à subiecto, cum talẽ dependentiã exigat eorum natura inhæsiua: Nam hoc est formã educi de potentia materiæ, eam non prius in se produci quã in subiecto, si est forma nata inhærere. Sane intelligo etiam hoc optime & nihil habet obscuritatis quo minus à quocumque facillimè percipi possit.

Sed nego quod sequatur ex illo antecedenti, & nego quod talẽ dependentiam exigat eorũ natura inhæsiua, & aio id asserere esse petitionem principii.

Ad alterã probationem Respondi suprà, Nec responsionem illã volo modo eneruat quæ addit Mastrius §. *Denique soluto argumento*, vbi proponit meã illã responsionẽ; ad quam dicit quod esse prius natura in se quã in subiecto, significat rẽ sic priorẽ esse indepẽdentẽ à subiecto, & nõ esse sic prius est, rem esse dependentẽ à subiecto; vnde quia habitus supernaturalis nõ prius in hoc sensu in se producitur quam in subiecto, quia producitur dependenter à subiecto iuxta exigentiam suæ naturæ inhæsiuæ, hinc arguit productionem eius in subiecto non esse creationem: Nam cum forma nata est inhærere, si fit in subiecto, fit independenter ab ipso genere causæ materialis.

In hoc discursu petit principiũ iterum dũ dicit formam supernaturalem, non prius in illo sensu esse in se

quam

quam in subiecto, quia producitur dependenter à subiecto; idem enim per idem probat, mutatis tantum verbis: nam non esse prius in se quam in subiecto, vt ipse explicat, est dependenter à subiecto produci, & probat quod non sit sic prius, hoc est quod non producatur independenter, quia producitur dependenter à subiecto.

Deinde quando dicit quod non dependeat à subiecto iuxta exigentiam suæ naturæ inhæsiuæ, supponit quod natura inhæsiua habeat illam exigentiam, quod falsum est & ab ipso deberet probari.

Deinde vltima verba: nam cum forma nata est inhærere, si fiat in subiecto, fit dependenter ab ipso in genere causæ materialis, petunt principium & falsa sunt, aut probatione saltem vlteriori indigent.

Quia vero solutio Mastrij ad responsionem meam, ad tertiam rationem ipsius, fundatur in his ipsis principiis, quæ modo dixi fuisse falsa, & non probata sufficienter à Mastrio, non proponam, nec rationem illam tertiam, nec meam responsionem, nec illam ipsius impugnationem.

Quartam etiam rationem omitto ab authoritate Scoti dependentè, quia ipsemet Mastrius fatetur meam explicationem conuenire cũ ipsiusmet, quo tamen supposito manifestum est ex loco Scoti nõ cõcludi vllam formam esse educibilẽ ex natura sua, nisi quæ petit dependere, & cõsequenter nisi probet Mastrius habitus supernaturales petere dependere, ex illo loco non bene ipsum cõcludere, quod sint suaptè natura educibiles; nec valet ad id probandũ quod petãt existere in subiecto, & nõ sint natæ subsistere, vt patet ex hactenus dictis & fundamẽtis Scotistarũ ac Thomistarum, quibus suadent oppositum.

Quinta ratio est quod actus supernaturales educantur: Ergo & habitus; consequẽtiam negaui, quia est maxima ratio, cur actus non creentur quandoquidem dependent à concursu effectiuo causæ creatæ, quæ non est nata cõcurrere ad terminum creationis; qualis ratio nõ habetur de Habitibus, vnde quamuis actus educerentur, non sequitur quod educantur habitus, vt est euidens.

Contra opponit Mastrius hanc disparitatem non esse ad rem, primò quia non ideo habitus creantur quia Deus se solo illos effectiue producit, nam se solo producit alias formas quæ educuntur.

Secundo quia concursus causæ secundæ materialis excludit eductionem, nõ autem concursus causæ secundæ effectiuæ. Tertiò, quia quamuis nulla causa effectiua secunda concurrat cum Deo ad producendos habitus supernaturales, possent tamen educi si producerentur dependenter à subiecto.

Quarto quia Theologi ponunt quosdam actus supernaturales in nobis immediate operatos, quos videntur etiam ponere eductos: ergo creatio, vel eductio alicuius formæ non opponitur, vel aufertur per concursum causæ secundæ efficientis, vel negationem eius. Non ergo ex hoc actus dicentur educi, habitus autem non educi, quod ad illorum productionem concurrant causæ secundæ, ad hos vero non ita.

Quinto addit disparitatem meam non posse adduci sine manifesta petitione principij; nam disparitas est quod actus non creantur, quia potentia nostra ad illos concurrit, quæ nequit tendere in terminum creationis; habitus vero non producuntur à nostra potentia, quia creantur, petitur manifeste principium, quia hoc est in controuersia an creentur.

Sed hæc nihil faciunt contra meam disparitatem; quam videtur Mastrius non intellexisse, aut vt ipsemet solet dicere, non voluisse intelligere.

Ego non dixi propterea solum habitus creari, quia non producuntur à nobis effectiue, sed dixi, propterea actus non creari, quia producuntur à nobis effectiue, & nos non possumus concurrere ad terminum creationis: & dixi propterea esse aliquam disparitatem ob quam quamuis actus educentur, non propterea tamen deberent educi habitus, nam certe ex concursu nostro effectiuo ad actus potest colligi, quod non creentur; sed ex concursu nostro effectiuo ad habitus supernaturales non potest colligi, quod habitus non creentur, quia non habemus concursum talem ad illos. Vnde manifestum est primum, quod opponit non facere ad rem.

Ad secundum dico, quod contineat doctrinã falsam in doctrina omniũ & Mastrij, nam euidens est, quod concursus causæ materialis nõ excludat eductionẽ, sed potius includat, nam numquã potest esse eductio sine illa; & vbi nõ est talis concursus non est eductio; quod adeo euidens est vt putem aliquem errorem irrepsisse in illa parte discursus ex incuria Ammanuẽsis, vel Typographi. Fortassis voluit dicere, quod defectus cõcursus causę secundæ efficientis nõ excludat eductionem, sed defectus cõcursus causæ materialis: si autem velit hoc, respondeo id verum est, sed non ad rem, quia licet defectus concursus causæ secundæ efficientis nõ excludat eductionẽ; tamen concursus causæ secundæ talis excludit creationẽ, cum nõ possit terminari ad creationem, & supponat, seu inuoluat cõcursũ causæ materialis, sine quo nequit esse eductio; & propterea cum causæ secundæ cõcurrant ad actus supernaturales, sequitur illos educi; & cum non cõcurrant ad habitus supernaturales, sequitur, quod nõ omnis ratio quæ probat eductionẽ actuum, probet eductionem habituum, quod est meum intentum, & tã manifestũ vt miror cur cõtra voluerit discurrere Mastrius.

Ad tertium concedo totum; sed nihil inde habetur ad rem; quia non dixi solam causam ob quam habitus supernaturales creentur esse, quod à solo Deo producantur; sed dixi causam sufficientem ad hoc vt non deberent educi ob rationem illam assignatam, ob quam debent dici actus educi, esse quod producantur à solo Deo, à quo solo non producuntur actus.

Ad quartum quidquid sit de veritate ipsius, circa quod multa dicenda occurrunt, hic omittenda, quia non necessaria: Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam qua parte dicitur, quod creatio non ponitur, nec aufertur per concursum causæ secundæ, quia quotiescumque est concursus causæ secundæ efficientis, non est creatio, quoad reliquas partes transeat illa consequentia.

Ad secundum consequens concedo ipsum; nec id ego dixi, sed quod ex eo, quod actus producerentur à causa secunda, haberetur aliqua ratio ob quam deberent educi, quæ ratio non haberetur ob quam habitus deberent educi, quidquid sit, an daretur aliqua ratio id probans etiam de habitibus, & consequenter, quod non est eadem ratio de habitibus & actibus quantum ad creationem, aut eductionem.

Ad vltimum nego committi principij petitionẽ in illa disparitate, quæ facilis est & admissa ab omnibus; neq; dicitur in illa, quod ideo habitus nõ producuntur à potentia quia creantur, vt dicit Mastrius ex suo capite nõ ex meo (quia id esset petere principium, sed dicitur disparitatem esse inter illa, quod habitus non producantur effectiue à nobis (quod omnes concedunt; non ex eo, quod creentur, quia hoc non admittitur ab omnibus, sed ex aliis principiis Theologicis) actus vero producãtur: & hinc deducitur aliquam esse rationem ob quam colligi possit eductio actuum, quæ ratio non habetur ad probãdum, quod habitus educantur, nimirum concursus causę effectiuæ secundæ, qui haberi nequit absque concursu causæ materialis, & consequenter absque eductione.

Multa præterea proponit Mastrius *n.* 293. & sequentibus contra ea, quibus impugnaueram explicationem eius de eductione; sed quia nihil habent difficultatis, & manifeste patet, quod non satisfaciant, ea lectoris censuræ remitto.

Alia etiam multa adfert *n.* 299. & sequentibus contra meam doctrinam de præcessione relationis actionis ad terminum, quæ etiam ob eandem rationem, & quia in omnibus fere manifeste petit principium, omitto.

Solum examinabo responsum Mastrij ad argumentũ meum quo *n.* 42. meæ Appendicis probabam causalitatem non esse relationem posteriorem effectu. Sic ergo hoc probaui. Datur aliquis influxus causæ in effectum qui necessario prærequiritur ad positionẽ effectus, & ad resultantiam cuiuscumq; relationis sequentis effectum, siue tanquam ratio fundandi, siue tanquam cõditio, sine

qua

qua non, sed ille influxus est distinctus à causa & effectu, & hoc supposito est causalitas qua causa denominatur causare in actu secundo : ergo causalitas causæ non sequitur effectum.

Probatur maior ( per errorem aut Typographi, aut Ammanuensis irrepsit in Apologia antecedens loco maioris, quod pueriliter animaduersum putarem à Mastrio, nisi scirem ipsum esse virum grauem. )

Probatur inquam maior, quia potest esse causa & effectus quoad entitatem suam absolutam in rerum natura simul existentes, vt quando Deus se solo produceret illas, quin causa influeret in effectum, & quin sequatur relatio sequens effectum ad causam: ergo debet esse aliquid præuium ad illam relationem, ratione cuius sequatur illa relatio: sed nihil aliud potest assignari præter influxum causæ in effectum : ergo.

Probatur minor quoad primam partem in qua sola potest esse difficultas, quia potest esse entitas, causa & effectus in rerum natura absque illo influxu: ergo influxus distinguitur ab illis realiter, aut modaliter.

Vt respondeat Mastrius, examinat primo an sit in forma, & ait, quod plusquam tribus terminis constat, quia in minori assumitur quod influxus sit distinctus à causa, & effectu, & quod sit causalitas, & hinc concluditur, quod causalitas non sequatur effectum, vbi vt patet, inquit, non tota subiicitur media extremitas.

Deinde cum argumentum sit in tertia figura vbi medium bis subiicitur, non facile videtur ad quem modum spectat, cum constet ex duabus particularibus affirmatiuis.

Miror Mastrium cum videatur proposuisse in hac secunda parte Metaphysicæ modestius loqui quam solebat, voluisse aduertere hæc in argumento clarissimo & conuincente, nisi peccet in materia ; debebat aduertere, quod breuitatis causa reduxerim duos syllogismos in vnum, quia non poteram dubitare, quod aliquis dubitaret de forma, ad quam vel tyro facile discursum reduceret, cum difficultas esset in veritate propositionum: sed hoc ex eodem iudicio prouenit ex quo ortum est, quod reprehenderit, quod ly *antecedens* positum sit loco ly *Maior*.

Sed respondet in forma negando maiorem cum sua probatione, non enim bene probatur : maior enim est hæc, datur aliquis influxus causæ in effectum qui necessario prærequiritur ad positionem effectus, & relationis ipsum sequentis, sed maior illa non concluditur in probatione: sed hæc altera, ergo debet esse aliquid præter illas entitates ratione cuius sequatur illa relatio effectus ad causam.

Credo sane Mastrium, dum hoc modo discurrit, fuisse distractum, nam licet illa maior probanda non inferebatur immediate, sed illa propositio quam ipse dicit; tamen postea statim inferebatur maior ex illa propositione: nam subsumpsi, sed nihil aliud assignari potest, (nimirum præter entitatem causæ & effectum, quod sit prærequisitum tanquam ratio fundandi, aut conditio sine qua non, ad relationem sequentem effectum ) præter influxum : ergo datur influxus causæ in effectum qui necessario prærequiritur, &c.

Sed ipse negat rite concludi hoc, (& hoc quidem spectabat ad rem) quia antecedens Enthymematis, quo probabam maiorem, erat hæc, potest esse effectus, & causa quoad entitates suas absolutas simul existentes, vt cum Deus se solo produceret effectum sine eo, quod sequatur illa relatio, quæ est causalitas : ergo debet esse aliquid aliud ratione cuius sequatur illa relatio: hoc autē consequens putat Mastrius vitiose deduci, cum potius oppositum deduci deberet : si enim, inquit, sumitur in antecedente, quod potest esse effectus, & causa in rerum natura sine eo quod sequatur illa posterior relatio effectus, quæ sit causalitas, quomodo hic deducitur influxum debere esse aliquid præter illas entitates, ratione cuius sequatur illa relatio. Iam dixi Mastrium fuisse distractum cum hæc scripsit: Intentum meum & satis sane intelligentibus difficultatem quæ hic controuertitur, expressum erat hoc: entitas causæ, v.g. ignis, potest esse in rerum natura simul cum entitate effectus, v.g. caloris, sine eo, quod calor dicat respectum causati ad ignem, vt cum Deus vtrumq; se solo produceret : ergo debet esse aliquod præter illas entitates ignis & caloris, ratione cuius sequatur illa relatio causati ad ignem sequens calorem, quam dicit Mastrius, esse causalitatem, quæ consequentia videtur euidens.

Puto Mastrium propter distractionem quā habuit, cū mea legeret, putauisse me dixisse, quod entitas causæ & effectus possent esse in rerū natura absq; vlla relatione posteriori, aut influxu vllius causæ: sed nec hoc sōniauit, nec spectauit ad meum intentum ; sed dixi & probaui, quod possent esse absq; relatione ad causam illā cuius entitatem dixi posse esse simul cum effectu, & absq; influxu illius causæ, quamuis non possent esse simul absq; influxu alicuius alterius causæ & relatione ad illā.

Et per hoc patet, quod male negauerit etiam minorem mei discursus ac eius probationem.

Sane ipsemet percepit, ex parte vim discursus *n.*304. dixi autem ex parte, quia putat me posuisse influxum præuium inter causam creatam, & effectum, non vero inter Deum & effectum: sed fallitur, nam pono vtrobiq; influxū præuium, sed ille qui est ex parte Dei, est volitio illius, qui vero est ex parte creaturæ est respectus.

Sed nec aliquid dicit in forma qua soluatur difficultas, nisi quod non requiratur aliquid præuium, quod sit ratio fundandi, aut conditio sine qua non, ratione cuius sequatur relatio inter causam & effectum præter positionem causæ & consecutionem effectus ; quod prorsus non satisfacit: nam difficultas est vnde habet res illa quæ est effectus quod consequatur, seu quid requiritur ad hoc vt sit positio effectus & consecutio causæ : nam certe ad hoc non sufficit entitas causæ & effectus, quia possent esse sine eo, quod sit consecutio effectus ad illam entitatem causæ.

Quod etiam addit, si aliquid aliud requiratur, nihil debere esse præter ordinem prærequisitum ad agendum, & ad alias concausas ratione cuius causa dicitur esse in potentia proxima, quæ erat ante in potentia tantum remota; hoc inquam nihil iuuat, quia si ille ordo prærequisitus sit terminatus ad effectum & distinctus à causa, habetur intentum, quod detur relatio præuia ad effectum in causa, quæ consequenter sit causalitas eius, & si non sit distinctus à causa, præter illum aliquod aliud requiritur ratione cuius sequatur consecutio effectus & respectus omnis sequens effectum.

Per quæ patet nihil prorsus valere responsionem Mastrij *n.*305. ad aliam probationem, qua idem probaui in Appendice num. 35. & 40.

Hæc sufficiant ad omnia quæ reperi digna examine in secunda parte Metaphysicæ Mastrij contra me, & quia hactenus reperi ad nullam vnquam ex meis difficultatibus propositis siue in Philosophia, siue in Appēdice mea, ipsum cum vlla apparentia sufficienter satisfeciſſe; & quia etiam non possum expectare, vt melius respondeat ad reliqua quibus nondum respondit, sed promittit se responsurum, aut ad illa quæ in hac editione contra ipsum opposui ; iam sincere propono, numquam me amplius ipsi responsurum : & fere sane pœnitet, quod in his ipsis additionibus tempus perdiderim, quod longe melius in aliis meis grauioribus studiis impenderetur : omnia autem cedant optem in Dei omnipotentis, B.V.M. Sanctorum Francisci, Patricij, & reliquorum honorem & gloriam. Amen.

INDEX.

# INDEX RERVM,

## Et Verborum, quæ in toto hoc Tomo continentur.

*PRIMVS NVMERVS NVMERVM MARginalem, Secundus paginam denotat.*


A

*Abominatio* quid 31.794
*Absolutum* potest aliquid esse tripliciter, 35.41.439
Absolutum prius alio potest esse absque illo, 68.395
Absoluti proprietas potest esse negatio, 23.186
Abstractiones à materia dantur plures quam tres, 94. 306. conuenientia in abstractione à materia non sufficit ad identitatem scientiarum. 9.789
Abstractum quid, 83.93
Abstractum substantiuum & adiectiuum quid? 83.94
Abstracta & concreta, quomodo de se inuicem prædicentur. 83.93
Nequeunt prædicari de iis, à quibus abstrahunt, 85.94
Abstracta finita nequeunt de se inuicem prædicari, possunt infinita, 87.94
Abstractum concreti superioris nequit prædicari de abstracto concreti inferioris, 89.95
Abstracti superioris concretum non potest prædicari de abstracto concreti inferioris, 95.96
Acedia & Acidia, quid, & quæ eius filiæ, 104.346
*Accidentis* tres definitiones, 1.162
Vera eius descriptio, 2.162
Prima potest accõmodari Metaphysico & Logico, ibid.
Est bona. ibid.
Accidens in ordine ad quæ habet rationem Vniuersalis, 8.163
Accidens quintũ prędicabile, an sit species infima, 9.163
Accidentia possunt poni in Prædicamento in abstracto & concreto, 38.179
Accidens prædicamentale dupliciter capi potest, 1.188
Vera eius descriptio, 2.188
Non est principium Indiuiduationis, 31.130
Accidens absolutum non indiuiduatur à suo subiecto, 54.135
Nec respectiuum, aut inseparabile, ibidem
De eius essentia non est inhærentia aptitudinalis, 7.189
Detúrne in eo aptitudo formalis ad inhærendum, 12. 190
Accidens separatum non habet modum positiuum superadditum, 14.190
De essentia accidentis respectiui est esse actu in subiecto inhæsionis, 16.191
Accidens spirituale nequit esse in subiecto corporeo naturaliter, 17.191
Potest supernaturaliter, & corporeum in subiecto spirituali, 24.192
Accidens vnum numero nequit naturaliter poni in pluribus subiectis, 29.193
Potest supernaturaliter, 30.193
Accidentis in subiecta diuisio, 9.4
De ratione Accidentis spiritalis non est carere partibus integralibus, 32.723
Accidens corporeum nequit subiectari in sola anima, 176.753
Accidentia educta non conseruantur eadem actione in & extra subiectum, 81.423
Accidens non est natura, 17.452
Si produceret substantiam, esset causa principalis eius, 23.470
Nullum accidens absolutum inhæret in alio distincto à Quantitate, 73.444
Non cõcurrit partialiter ad eius productionem, 27.471
Accidentia aliqua producuntur à substantia in se actione proprie dicta, 31.472
Quænam, 33.473
Aliqua possunt ab ipsa produci in alieno subiecto, ibid.
Quæ producuntur à substantia, conseruantur ab ipsa, 42.474
Accidentia absoluta habent propriam præsentiam, 36. 544
Acciddentis absoluti vbi replicatiuum à quo producatur. 87.553
Posset non replicare in corpore replicato, 90.554
*Actio* an sit ratio fundandi relationis secundi generis, 67.223
Ad quas relationes datur, 5.242
Eius nomen est æquiuocum, 18.244
Eductiua & transmutatiua realiter identificantur inductiuæ, 19.244
Eductiua & inductiua an sint relationes extrinsecus aduenientes, 20.244
Actionis descriptio Gilberti nõ comprehendit omnem actionem prædicamentalem, 22.245
Clarior explicatio actionis, 25.245
Actio causæ efficientis quid, 25.246
Actio media inter causam & effectum à nulla alia causa producibilem non datur, 27.246
Datur inter causam & effectum ab alia causa producibilem, 31.247
Actio medians inter causam & effectum est relatio extrinsecus aduenies, 37.248
Subiectatur in Agente, 39.248
Actionis diuisio, 52.251
Actio æquiuoca & vniuoca, 26.672
Generatiua distinguitur ab alteratiua, 23.642
Actiones duæ positiuæ non interueniunt in generatione corruptiua, 42.647
Actione reflexa intenditur qualitas, 10.669
Actione vniuoca idem in se non agit, 27.672
Actio per antiperistasim datur, 28.673
Actio causæ secundæ nequit egredi à solo Deo, 78.825
Actio quæ est intellectio non conuenit oniuoce cum Actione de Prædicamento Actionis, 73.823
Actio creaturæ non est concursus Dei, 87.483
Non producitur per aliam actionem Dei, 88.483
Quomodo eam antecedit concursus Dei, 99.485
Actio est causalitas causæ efficientis, 3.466
Actio causæ exemplaris quid, 9.496
Qua actione poneretur corpus in duob. locis, 78.551
Sine actione media nequit in obiecto distanti species visibilis produci, 29.590
Actionẽ in distans quæ experientiæ probant, 33.591
Actio bona, mala, indifferens. Vide *Actus*.
*Actus* puri cur sint Angeli, 49.181
Actus specie distincti possunt prouenire ab eodem habitu, 65.62

Actus vnus potest esse ex diuersis motiuis, 30.294
Actus virales nō intenduntur per plures gradus, 55.661
Actus potentiæ nutritiuæ non sunt tam immanentes, quam potentiarum sensitiuarum, 4.755
Actus sui est receptiua quælibet potentia sensitiua, 6.756
Etiam & productiua, ibid.
Actus varij interni animalium, 1.788
Actus potest esse vitalis tripliciter, 57.846
Ad actum liberum non sufficit indifferentia iudicij præuij, 32.841
Actus voluntatis dependet à cognitione, 12.836
Nō habet ex natura sua intrInseca esse liber actu, 56.846
Actus liberi productio se ipsa est libera, 58.847
Vnde habet actus esse liber, 59.847
Omnis actus elicitus voluntatis est liber pro hoc statu, 60.844
Actus imperatus est liber ex hypothesi imperantis liberi, 74.851
Actus vt sit propter finem non sufficit, quod finis proponatur, 85.855
Actus producit effectiuè habitum, 21.862
Est ipso perfectior, ibidem
Intentiores habitu augent ipsum, & minus etiam intēsi, 21.862.
Ad actum non concerrit habitus effectiue, 23.862
Actus intensiores quomodo possunt haberi absque concursu effectiuo habitus, 32.864
Quomodo habitus concurrat ad actum. Vide *Habitus.*
Ex actuum distinctione non sequitur distinctio potentiarum, 169.751
Actus intellectus & voluntatis. Vide *Intellectus & Voluntas.*
Actus humanus quid, & cur sic dictus, 19.318
Quid moralis & cur sic dictus, 20.218
Non ab eadem ratione habet actus esse liber & moralis, 20.318
Dantur Actus humani & morales, 21.318
*Actus bonus moralis* quid, 2.319
Debet procedere ex cognitione, 3.319
Non vero qua cognoscatur, quod sit liber, aut quod cognitio sit recta, ibid.
Vt actus prosecutionis sit bonus debet cognosci obiectum esse bonum. 4.319
Vt actus fugæ sit bonus debet cognosci obiectum esse inhonestum, 4.319
Debet præterea cognosci non adesse circumstantiam malam & quis moueri debet à bonitate ad prosecutionem & ab inhonestate ad fugam, 5.320
Actus bonus non habet esse talis ab vllo positiuo sequente, 6.320
A quo habet esse bonus, 7.320
A quibus dependet, 8.320
Bonitas substantialis actus boni desumitur ab obiecto, 11.321
Sumit à circumstantiis bonitatem distinctæ speciei, quandoque eiusdem, 12.321
An bonitas circūstantialis sit accidentalis actui, 13.321
Vt circumstantiæ influant bonitatem debent cognosci, 14.321
Et bonitas earum debet intendi, 16.322
Actus imperans actum externum participat ab ipso bonitatem & communicat illi bonitatem, 25.324
Actus imperans participat bonitatem ab actu elicito imperato bono, 26.324
Non tamen semper eiusdem speciei, ibid.
Actus elicitus imperatus non participat bonitatem formalem imperantis, 27.324
Actus externus superaddit bonitatem actui externo, 30.325
Actus indifferentes dari possunt, quoad speciem & Individuum, 3.326
*Actus malus* quid sit, 9.328
Malitia actus nō cōsistit in negatione antecedēti, 10.328
Nec in respectu vllo consequenti, 13.329
Nec in priuatiuo, aut positiuo simul, 14.329
Nec in priuatione, aut negatione, 16.325
Est malus ab entitate præuia ad quæcunque sequentia, 27.331
*Vide Peccatum.*
*Adiectiua* nomina sunt termini categorematici, 1.4
*Æges* quid, 18.707
Æmulatio quid, 33.795
*Æquipollentia* propositionum quid, 13.1
Æquipollentes fieri quomodo possint propositiones oppositæ, 13.2
Æquipollentes sibi quæ propositiones modales, & oppositæ, 15.3
*Æquiuocum* quid, & quid æquiuocum æquiuocans, 2.164
Æquiuocorum descriptio, ibid.
Æquiuocum nomen an vnum, vel multiplex, 3.164
Æquiuocum essentialiter quid, 5.165
Æquiuocum denominatiuè quid, ibid.
Æquiuoca inter & vniuoca, quo sensu datur Analogum medium, 23.168
Æquiuoci in æquiuocata diuisio, 9.1
*Æternitas* creaturæ à parte post, facilior, quam à parte ante, 42.604
Ab æterno producta libere creatura esset ex nihilo, non vero si sic produceretur necessario. 39.604
Ab æterno durantis creaturæ duratio esset indiuisibilis, 44.605
Ab æterno applicatus stupæ ignis non combureret ipsam ab æterno, 77.605
Ab æterno tam possunt esse generationes hominum, quam aliæ, 58.608
Ab æterno possunt esse successiuè generationes substantiales, 60,608
Motus finitus nequit esse ab æterno, 52.606
Quomodo motus dari possit ab æterno, ibid.
*Ætates* hominum tres, & quot partes eius secundum Astrologos, 74.873
*Aer* habet summum frigus & humiditatem non summam, 36.694
A qua causa mouetur flante vento, 29.710
Nihil habet grauitatis, 66.700
Leuitat in alienis locis, 76.702
Agens quomodo possit dependere à conditione non existente, 12.652
Debet habere maiorem actiuitatem, quam sit resistentia passi, 18.671
Nequit assimilare sibi perfecte passum, nisi penetratum, 22.671
Agendo repatitur, 32.675
Agens omissiue non debet agere propter finem, 84.855
Agens nequit in se agere actione vniuoca, 27.672
Nec simile in simile, 1.677
Sublunare cōcurrit ad productionem substantiæ, 7.467
Agens quomodo specificat motum, 29.528
Agentis vnitatem non requirit vnitas specifica motus, 36.528
Agere in distans quot modis possit aliquis, 21.589
Agens infinitum potest agere in distans non agendo in medium, 22.589
Etiam creatum agit immediate in distans, 25.589
Agens agit de facto in distans non agendo tali actione in medio, 27.590
Agens creatum an agat in distans de facto nihil producendo in medio incertum, 30.590
Albedo in Angelo non faceret ipsum album, 121.490
Alba duo vt alba non distinguuntur specie, 15.104
*Alienatio* quid, 5.18
*Ad aliquid.* Vide Relatio.
*Alteratio* varie accipitur, 1.629
Quid dispositiua, ibid.
Esset possibilis quamuis non esset possibilis generatio, 4.650

Mutationes Polypi & Camæleõtis, an sint alterationes, 8.652
Alteratiua actio distinguitur à generatione, 23.642
Alteratiuus motus posset esse duobus modis continuus, 9.652
Alteratio est motus continuus proprie, 10.652
*Amentes* cur non sint compotes rationis, 51.817
*Ampliatio* quid, 5.14
*Amor* Idem potest esse efficax & inefficax ex se, 39.842
Amor inefficax potest esse intensior, quam efficax, ibid.
*Analoga* media inter æquiuoca & vniuoca an dentur, 19.167
Analogum omne vel æquiuocum, vel vniuocum, 21.168
Analogum datur distinctum ab vniuocis & æquiuocis à casu, 23.168
Analogorum tria genera, 24.168
Analogum inæqualitatis vt describitur à Caiet. & aliis, est vniuocum, 24.168
Analogum Attributionis habet duas impositiones nominis, 25.169
Principalius significat vnum ex significatis, quam reliqua, ibid.
Vt dicitur de minus principalibus significat habitudinem ad magis principale, ibid.
Analogum Proportionis quid. 28.169
Eius differentia ab Vniuocis & aliis Analogis, 29.169
*Angeli* spectant ad Prædicamenta, 46.181
Quomodo sunt Actus puri, 49.181
Quomodo possint esse quanti, 27.199
Nequeunt moueri ab vna parte spatij imaginarij ad aliam, 69.262
Non sunt considerationis Physicæ, 4.374
Si haberent materiam, esset distinctæ speciei à sublunari, 139.407
Eorum quidditas non est natura, 17.452
Agunt propter finem, 49.504
Non debet ipsis ascribi motus impediens vacuũ, 17.559
Eorũ Intellectus distinguitur specie ab humano, 42.815
*Anima* est obiectum librorum de Anima, 2.715
Quomodo est considerationis Physicæ, fol. 716. n. 9
Quomodo spectat ad Metaphysicam, ibid.
Prima descriptio eius data à Philosoph. est bona, 77.733
Est forma substantialis, 78.733
Non est corpus, ibid.
Nec forma assistens, 80.733
Quid est corpus positum in definitione eius, 82.734
Non erat necessario specificandum in ipsa, 84.734
Vita posita in illâ est vita in actu secundo, 86.735
Clara descriptio eius, ibid.
Secunda descriptio eius copulatiue accepta est mala, 87.735
Quo sensu est bona, ibid.
Diuisio ipsius vt sic, 92.736
Vna tantum datur in quolibet animali, 100. 737
Non præsupponitur vegetatiua, aut sensitiua rationali, 106.738.
An rationalis sit vegetatiua ac sensitiua formaliter, 110.739
Habet formalitatem aliquam distinctam à rationalitate, qua contrahitur ad ipsã anima vegetatiua, ac sensitiua, 112.740
Est indiuisibilis, 116.740
Cæteræ sunt diuisibiles, 120.741
Quomodo animæ perfectorum animalium sunt magis indiuisibiles, quam imperfectorum, 126.744
Ipsarum partes integrantes sunt homogeneæ, 130.744
Informant omnes partes exercentes operationes vitales, 135.745
Anima rationalis non distinguitur realiter ab Intellectu ac voluntate, 156.749
An in ipsa sola possit subiectari accidens corporeum, 176.753
Per ipsam non constituitur Corpus quo constat homo, 49.727
Anima vegetatiua quid, 1.754
Potentiæ eius. Vide Potentia.
Anima sensitiua quid, 4.755
Anima rationalis est spiritualis, 1.796
Non constat materia prima, 9.797
Repugnat eam esse compositam, 19.799
Est immortalis ex natura sua, 21.799
Eius tamen immortalitas nequit demonstrari, 32.801
Non creatur ante corpus, 34.802
Creatur à solo Deo, 35.802
An vnio eius producatur à causa secunda, 42.803
Aliæ animæ non producuntur effectiue à semine, 43.804
Animæ rationalis separatæ quinque status, 1.865
Eius separatio non est supernaturalis, ibidem
Est violenta in vno sensu, in alio non, 3.865
Quo sensu deberet potius appetere separationem, & quo non, 5.866
Simpliciter dicenda est violenta, 6.866
Incertum an separata retineat species hic acquisitas, 8.866
Retinet habitus voluntatis, 9.866
Habet illos perfectiores, quam in corpore, 11.866
Potest se & alios mouere naturaliter, 12.867
An per impulsum moueat, ibidem
Ex se non habet ineptitudinem ad dependendum à supposito extrinseco, 77.911
Eodem concursu in & extra subiectum conseruatur, 71.422
Est natura, 22.453
*Animal* quomodo potest prædicari de rationali, 38.152
Animalium generatorum ex putri materia quæ causa, 111.632
An sint eiusdem speciei cum generatis ex semine, 116.633
Animalibus & Deo datur conceptus communis vitæ vniuocus, 9.718
Animatum non est semen humanum, 40.805
*Antecedentium* duplex genus, 24.12
Antepræd icamentalis prima diuisio & regula, 31.170
*Antiperistica* actio, 28.673
*Appellatio* quid, 5.19
*Appetitus* elicitus & innatus quid, 96.399
De iis non eodem modo discurrendum, 113.402
Appetitus materiæ primæ. Vide *Materia prima.*
Sensitiuus datur in hominibus, 8.789
Est tantum vnus, 9.790
Vbi collocandus, 13.790
In ipso datur pars cõcupiscibilis & irascibilis idẽtificata realiter ipsi, 14.791
Quomodo subditur voluntati, 18.792
Quomodo concurrit ad motum localem, 21.792
Producit ipsum actione distincta à suo actu, 23.793
Passiones & motus eius, 24.793
*Aptitudo* proxima non tollitur per negationem actus, 76.910
Aptitudo formalis an detur in Accidente ad inhærendum, 12.190
Aptitudo vniuersalis. Vide Vniuersale,
Aquæ conuenit summa humiditas & summum frigus, 32.691. Nihil habet leuitatis, 66.700
Quomodo grauitat in loco proprio & alieno 79.703
Recipit species soni, 46.781
Quid Arithmetica proportio, 32.352
*Ars* potest esse scientia, 73.66
Cur aliquæ includunt duos habitus, 61.62
Quomodo Ars potest efficere opera naturæ, 34.455
Arte chymica an possit fieri Aurum, ibidem
Artifex an respiciat rem faciendam, 5.495
*Assensus* conclusionis. Vide Conclusio,
*Astra* à suis orbibus distinguuntur specie, 69.624
Per quas formas producunt suos effectus, 90.629
*Auaritia* quid & eius filiæ, 101.345
*Audacia* quid, 33.795

*Auditus* indiget speciebus, 50.763
Organum eius est aër tympano inclusus, 33.779
Eius obiectum. Vide *Sonus*,
*Augmentationis* variæ acceptiones, 12.677
Tres conditiones ad ipsam requisitæ, ibidem
Ipsius descriptio, 13.677
Augmentatio & nutritio actiua non sunt duæ actiones realiter distinctæ, ibidem
Bene tamen Augmentatio & nutritio passiua, 17.678
Non prius augentur homogeneæ partes, quam heterogeneæ, 19.678
Non potest assignari vlla pars, quæ immediate augeatur secundum se totam 20.678
Augeri quomodo possit dici omnis pars determinata, 22.678
Augmentatio quomodo se habet ad diminutionem, 23.679
Talis motus est qualis nutritio, 22.679
Quomodo distinguitur à Rarefactione, 29.681
*Auris* structura, 32.779
*Aurum* an possit fieri arte Chymica, 36.456

B

*Beatitudo*. Vide *Felicitas*.
Bonum quid, 233.307. Bonus Actus. Vide Actus.
Bonum Directe nolle potest voluntas si non detur omissio pura, 5.307
Non potest si detur, 11.38
Recte diuiditur in honestum, vtile, delectabile, 12.308
Bonum honestum quid, 13.309
Vtile non coincidit cum fine, bene tamen delectabile & honestum, 15.309
Bruta non habent libertatem, 21.319
An agant propter finem, 17.310

C

*Calor* non producitur per motum, nisi tanquam conditionem, 99.629
Vt octo non semper requiritur tanquam dispositio ad ignem, 6.668
Nec semper est dispositio necessitans ad ipsum, ibidem
*Camæleontis* alterationes an sint mutationes. 8.651
Canis quomodo apprehendit vmbram per modum hominis, 79.43
*Capilli* non animantur, 151.748
*Carentiæ* vt sic diuisio, & species eius, fol.33.n.19
*Casus* obliqui cur excluduntur à ratione nominis, 6.1
*Casus* quid sit, 16.521
*Castor* quid, 18.708
*Causæ* variæ explicationes, 1.456
Eius vera descriptio, 6.457
Variæ diuisiones, 9.458
Bene diuiditur in quatuor genera, 13.458
An sit vniuoca hæc diuisio, 17.459
An in membra realiter distincta, 18.459
Non requiruntur in ordine ad omnem effectum, 19.459
Membra illius diuisionis sunt species subalternæ, 20.459
Causæ secundæ actio non potest egredi, aut produci à solo Deo, 78.825
Causa realis potest aliquid producere intentionaliter, quod non est reale, 14.31
Qualem apprehensionem conditionis requirit, 48.219
Naturaliter agens non debet aduertere positionem conditionis, ibidem
Quid causa virtualis & actualis, 9.285
Quid causa per se & per accidens, ibidem
Quid vniuersalis & particularis, ibidem
Præmissæ demonstrationis propter quid debent esse causæ cõclusionis in essendo & cognoscẽdo, 10.285
Posset per causam non conuertibilem quandoque demonstrari effectus, 13.285
Causa materialis quos effectus habet, 22.460
Causæ efficientis descriptio, 2.466.
Quomodo non coincidit cum materiali, 145.408
Causæ secundæ producunt aliquid, 47.475
Non debent præmoueri à Deo, vt agant, 68.480.
Non determinantur à Deo ad speciem effectus, 14.488
Quomodo secunda determinat Deum, 115.489
Causa secunda libera determinat Deum ad speciem actus. 116.489
Causa Instrumentalis an subordinetur aliis causis. Vide Instrumentum.
Nulla causa debet esse prior tempore effectu, 1.508
Omnes debent esse priores natura, 6.508
An prioritas causæ sit realis, 7.509
Causæ materialis & formalis sunt imperfectiores composito, 9.509
Causa efficiens partialis potest esse imperfectior effectu, 10.509
Causæ secundæ ad primam duplex dependentia, 16.510
A pluribus causis adæquatis nequit idem effectus dependere, 20.511
Causa æquiuoca an debeat esse perfectior effectu, 18.511
Causæ non habent determinatas species effectuum, 39.515
Efficiens & finalis possunt se mutuo causare, 52.517
Efficiens nequit causare formam, aut materiam suam, 52.517
Efficientes nequeunt se mutuo causare pro eodem instanti, 54.517
Modi causandi quatuor generum causarum non exigunt res realiter distinctas. 37.520
Causæ in causando an habeant aliquem ordinem prioritatis ac dignitatis, 74.520
Causæ essentialiter subordinatæ quænam, 63.108
In essentialiter subordinatis cur nequeat esse processus in infinitum 63.608
Causa finalis. Vide finis.
Causalitas in actu primo & secundo, 21.464
Causalitas materiæ. Vide *Materia*.
Causalitas formæ. Vide *forma*.
Causalitas potest esse absque effectu secundario, 42.464
Causalitas expulsiua quomodo suppleri potest à Deo 48.465
Causalitas causæ efficientis quid, 3.466
Est actio eius, 3.466
Causalitas causæ finalis. Vide *Finis*.
*Cœlestia* corpora influunt in sublunaria, 102.630
Producunt mineralia, ac gemmas, 106.631
Item cætera vitæ expertia, quorum non est alia sublunaris causa, ibidem
Concurrunt ad generationem viuentium, etiam hominum, 108.631
Non producunt immediate vllam animam, ibidem
Nec influunt directe in animam rationalem, 117.633
Nec necessitant voluntatem, 119.633
*Cælum* vnde dictum, 1.611. An sit simplex, 2.611
Omnes cæli mouentur ab Oriente ad occidentẽ, 77.625
Non à seipsis, 70.626
Eorum motus est ipsis neuter, 78.627
Inferiores non mouentur duplici motu, 93.628
Non agunt in inferiora per motum, tanquam per vitutem actiuam, 90.629
Sunt simplicia distincta ab elementis & mixtis, 14.613
Non sunt animati, 23.615
Possent esse incorruptibiles, quamuis constarent materia sublunari 132.406
Si habent quantitatem, calefiunt 34.617
Cæli incorruptibilitas male refunditur in vnionem indissolubilem, 35.618
Quamuis corrumperetur in die iudicij per actionem ignis posset esse naturaliter incorruptibile, 36.618
Secundũ se totũ est naturaliter incorruptibile, 38.618
Et secundum quamcumque partem, 38.618

Quamuis

Quamuis de facto nequiret corrumpi, posset esse ex natura sua corruptibile, 40.619
Experientiæ probantes corruptibilitatem eius, 42.619
Quamuis esset fluidū posset esse incorruptibile, 47.620
Incertum an sit fluidum, an solidum, ibidem
Non est liquidum quoad partem, in qua sunt planetæ, 53.621
Est totaliter solidum, ibidem
Cæli plures dantur, 57.622
Octo tantum in quibus sunt stellæ, ibidem
Præter illos & Emphyreum, non dantur alij, 65.623
Datur Emphyreum & cur sic dicatur, ibidem
Cur non videatur, 67.624
Cœli omnes sunt eiusdem speciei, 70.624
Etiamsi distinguerentur specie, incertum, an superiores sint perfectiores inferioribus, 17.625
*Christus* an ponatur directe in Prædicamento, 50.181
*Circulus* lacteus vnde fiat, 19.708
*Cognitio* abstractiua terminatur ad speciem impressam, 68.767
Cognitiones intellectuales an habeāt dormiētes, 51.817
Non consistit in receptione speciei intelligibilis, 54.818
Cognitionis abstractiuæ & intuitiuæ descriptio, 108 833
Intuitiua actu repræsentans obiectum nequit esse absque obiecto realiter existente, 109.833
Cognitio absque respectu tendentiæ facit actu cognoscens, 114.534
Cognitio passiua si daretur, deberet includere aliquid absolutum, 40.36
Cognitio passiua resultans in Deo esset, & non esset ens rationis, 46.37
Quamuis non resultaret in Deo, resultaret in aliis obiectis, 46.37
Posset esse realis, quamuis producatur à potentia vitali, & sequatur ad formam extrinsecam, 48.38
Duplex esse cognitum, 36.26
Denominatio cogniti potest cognosci absque ente rationis, 54.39
Cognitiones omnes spectantes ad scientiam sunt scientiæ, 67.65
Cognitio eadē potest esse practica & speculatiua, 94.70
Multæ cognitiones scientiarum totalium subordinantur sibi inuicem, & multæ non, 104.74
Cognitio est signum formale obiecti, 3 266
Nulla est signum proprie loquendo, 5.266
Cognitio omnis intellectiua est ex præcedenti cognitione, 1.283
Cognitiones duæ habendæ ante demōstrationē, 2.283
Cognitiones certæ de nouo habentur, 6.289
Cognitio vnde habet esse incerta, 20.293
Quæ cognitio mala moraliter, 87.343
Quid primum cognitum intellectus, 16.809
Coloris descriptio, 21.777
Colores veri distinguuntur à luce & lumine, 22.777
Color an sit obiectum formale visus, 31.779
Cometæ motus vnde oritur, 12.706
Cometæ non semper producuntur naturaliter, 44.618
Effectus quos significant, ibidem
Completa entia quæ, 31.178
Compositum esse vnum per se quomodo cognosci possit, 27.177
Compositum substantiale. Vide Totum.
Compositum non est natura, 26.454
Compositi productio ex materia non præexistenti an sit generatio, 9.637
Compositum subsistens quomodo terminus Generationis, 20.641
*Conceptus* communis non potest abstrahi ab omnibus rationibus similibus, 14.883
Illæ à quibus abstrahi potest debent includere plures formalitates, ibidem
Non datur vllus communis omnibus indiuiduis, 13.125 & 18.884
Conceptus determinatus aliquando describitur, aliquando indeterminatus, 16.126
Quomodo cognosci possit qualis conceptus describitur, ibidem
Conceptus formales significantur per voces, sed mediate, 16.269
*Conchæ* an habeant memoriam, 2.861
Concludere vi formæ quid, 171
*Conclusionis* assensu non assentimur præmissis, 3.273
Habet intrinsecam dependentiam naturalem ab assensu præmissarum, 13.275
Dependet ab illo in particulari, 18.276
Vnde colligatur illa dependentia, 20.276
Ad assensum conclusionis concurrunt effectiue præmissæ, 21.276
Magis dependet à præmissis, quam iudicium ab apprehensione, 25.277
Requiritur ad eum iudicium de connexione conclusionis cum præmissis, 30.277
Ad eum necessitatur intellectus quoad exercitium & speciem, 37.279
Conclusione sunt euidentiores præmissæ, 7.284
Conclusionis demonstratæ à priori causæ debent esse præmissæ in essendo & cognoscendo, 10.284
Conclusionem euidenter falsam nequit intellectus deducere ex præmissis probabilibus, 24.293
Quot conclusiones distinctæ, tot scientiæ, 67.300
*Concomitantia* quæ, 14
*Concretum* dicit formaliter formam & in recto subiectum, fol. 3.19
Non omne concretum dicit subiectum habens in se formam, 30.35
Concretum quid, 83.93
Concreta & abstracta quomodo de se inuicem prædicentur, 83.93
Concretum accidentale quid, 83.94
Quæ concreta adiectiua & substantiua, de aliis prædicari possunt, 84.94
Concreta nequeunt prædicari de suis abstractis, 85.94
Concreti superioris abstractum nequit prædicari de abstracto inferioris concreti, 89.95
Cōcreti definitio aliquādo cōuenit per se subiecto, 6.102
*Concupiscentiæ* quid, 31.794
Quod fit ex ea est voluntarium simpliciter, 13.317
Quandoque est inuoluntarium secundum quid, ibid.
Auget voluntarium in vno sensu, minuit in alio, 14.317
Quid pars concupiscibilis, 27.15.349. Vide appetitus.
*Concursus* Dei non est actio creaturæ, sed alia concomitans, 87.483
Est physicè determinatus ad effectum quem producit, 96.484
Præter efficacē & absolutū nō requiritur alius, 107.487
*Condensatio* quomodo fit. Vide Rarefactio.
*Coniugata* quæ, 235.5
Conscientia quid, munera & diuisio eius, 1.359
Ex conscientia erronea iudicans aliquid esse malum & faciens illud, peccat, 2.360
Similiter iudicans aliquid esse bonum & faciens illud, bene facit, ibidem
Ex cōscientia probabile iudicans quācūque ex oppositis partem esse bonam, bene eliget quam voluerit, 7.361
Similiter iudicans vnā partē esse licitā, quamuis iudicet eam posse esse illicitam, potest eam amplecti, 8.361
Item iudicans aliquid esse licitū, quod videt probabiliter esse illicitū, potest illud facere quandoque, 9.361
Quando non licet sequi conscientiam minus probabilem, 12.362
Iudex debet ferre sententiam iuxta sententiam magis probabilem, 13.362
Spectantia ad Conscientiam dubiam, 24.363
Et ad dubiam, 25.363
*Consensus* non distinguitur realiter ab intentione, 52.846
*Consequentia* formalis nulla, nisi syllogismi, fol. 18.3

In *Continuo* dantur partes actu distinctæ, 3.570
An constet ex diuisibilibus, aut indiuisibilibus incertum, 8.572
Non constat ex indiuisibilibus virtualiter diuisibilibus, 16.575
An præter partes includat indiuisibilia copulatiua incertum, 25.575
De contradictorio in contradictorium potest aliquid transire absque mutatione intrinseca, 59.40
Contraria oppositio quid, fol.12.2
Contraria sunt sibi aliqua variis modis, 25.187
Aliqua possunt esse simul in gradibus remissis, 73.665
In summo non possunt naturaliter, ibidem
Possunt supernaturaliter, 77.676
Quomodo spectant ad eandem scientiam, 5.876
*Conuersio* quid & quotuplex, 14.1
An sit discursus, 17.2
*Corona* quid, 26.709
*Corpus* vt sic non est substantia trinæ dimensionis, 24.721
Vera eius descriptio, 27.721
Corpus quo constat homo, non constituitur per animam, 49.727
Corpus constitutum per formam corporeitatis & animam an ponatur directe in prædicamento substantiæ 75.732
Quid intelligitur per corpus positum in definitione animæ, 92.734
Corpus viuentis debet esse organicum, hoc tamen non necessario specificandum erat in definitione animæ, 34.734
Corpus potest esse & densum rarum duobus modis, 28.685
Quid Corpus Mathematicum, 20.377
Corpus simplex physice non necessario esset sensitiuum, aut vegetatiuum, 10.612
Corpora infinita an posset poni extra se in loco, 21.535
Plura possent esse in eodem, 44.545
Idem posset esse in pluribus, 53.546
Per quam actionem poneretur in aliis ab vno, 78.551
Positum in diuersis nequit habere formas repugnantes 102.556
Corpora non ordinata ad animam non habent terminum intrinsecum magnitudinis, aut paruitatis, 61.582
Omne corpus habet in se principium motus, 3.448
Cœleste spectat ad Prædicamentum substantiæ, 46.180
Corpus quantitatiuum non includit superficiem vt partem substantialem, 81.209
Est species infima quantitatis, 83.210
In corporeo subiecto nequit subiectari accidens spirituale, 17.191
Corporeum Accidens nequit subiectari in anima, 176.753
*Corruptibilia* & incorruptibilia quomodo differunt genere, 49.181
*Corruptio* substantialis quid, 37.646
Datur & an sit naturalis, 39.646
An intendatur per se à natura, 40.546
Intenditur secundario à causa vniuersali & particulari, 40.646
An corruptio formæ accidentalis intendatur per se, 41.647
In corruptiua generatione non interueniunt eius actiones positiuæ, 42.647
Ad corruptionem non requiritur appetitus materiæ ad alias formas, 33.617
Generatio non miraculosa habet corruptionem annexam, & è contra, 44.647
Sunt simul tempore, sed generatio est prior natura, 45.648
*Creari* potest effectus non exigens creari, 28.246
Creari potest res absque vlla præsentia, aut vbi, 22.542
Creatura infinitæ perfectionis nequit dari, 25.536
Creatura prædicata libere ab æterno esset ex nihilo, secus si produceretur necessario, 39.604
Creaturæ facilius concedi potest æternitas à parte post, quam ante, 42.604
Creaturæ duratio æterna esset indiuisibilis, 44.605
An posset dari creatura quæ non posset agere libere, nisi supernaturaliter, 33.841
Creaturæ non habuere esse reale simpliciter ab æterno, 47.902
Habuere tamen aliquod esse & quodnam, 49.903
Illud esse earum non producitur per actum intellectus diuini, ibidem

D

*Definitio* quid, 7.3
Eius conditiones, 8.3
*Demonstratio* est perfectissimum obiectum Logicæ, 49.60
Eius vsus in materia Logicæ distinguitur à doctrina eius, 57.61
Ad eam duæ præcognitiones requiruntur, 1.283
Conditiones præmissarum Demonstrationis, 5.284
Debent esse causæ conclusionis, 10.285
Et conuertibiles, 13.285
Potest demonstrari quandoque effectus per causam non conuertibilem, ibidem
Demonstratio *quia* est vera, 16.286
Quomodo distinguitur *à propter quid*, ibidem
Demonstratio *propter quid* est multiplex, ibidem
Medium eius debet esse definitio subiecti, vel aliquid per illam demonstratum, ibidem
Demonstratiuus regressus quando valet, & quando non, 19.287
Delectatio quid, 31.794. Non producitur effectiue à subiecto, 37.795
*Delectatio* intellectus & voluntatis nulla per se mala, 88.343
Delectatio venerea sensitiua quæcumque libera, est peccaminosa si directe intendatur, 92.345
Non semper, quando causatur indirecte, aliquando sic, 93.344
Quis finis sufficit vt causari possint indirecte, 95.344
Quando licet eas indirecte causare non obstante periculo consensus, 97.344
Denominatio intrinseca & extrinseca quid, 22.33
Quid denominatio vocaliter & realiter accepta, 23.33
Denominationes extrinsecæ dantur, 24.34
Non sunt entia rationis, 28.35. An ad eas sequantur entia rationis, 34.35
Vna forma potest dare denominationem actiuam & passiuam, 42.37
Denominatio realis, nequit per se dependere à forma rationis, 45.37
Denominatio voliti & cogniti quomodo sunt rationis secundum Scotum, 54.39
Denominatio cogniti potest cognosci absque ente rationis, 54.39
Denominatio noua potest prouenire à forma illimitata antiqua, 62.40
Quid *Denominatiuum* denominans, & denominatum, fol.267.18
Denominatiuorum descriptio, 14.166
*Densum* esse potest corpus duobus modis, 28.680
Dentes animantur, 150.748
*Quænam Dependentia* inuoluit imperfectionem, 7.457
Dependentia per se capitur duobus modis, 35.514
Ex Dependentia minori, non semper capitur maior perfectio, 68.52
*Describi* potest quidquid intelligitur, 6.123
Describitur aliquando conceptus determinatus, aliquando indeterminatus, 16.126
Quomodo cognosci possit, quis conceptus describitur, ibidem
Desiderium impossibilis potest esse peccatum mortale, 43.843

Inefficax non satis bene colligitur ex complacentia quã adfert bonum propositum ab intellectu, 42.843
*Desinunt* res quomodo, 43.578
Desitio rerum potest explicari absque instantibus extrinsecis, 45.579
Desitionis successiuorum non potest assignari instans nisi extrinsecum, 47.579
Desinere possunt successiue acquisita in instanti extrinseco & intrinseco, 49.580
Desinunt indiuisibiliter acquisita extrinsece & intrinsece, 50.580
Desinendi modus præter duos non datur, 56.8
*Desperatio* quid, 32.795
*Determinate* futurum multis potest aliquid esse, 34.272
*Deus* an faciat entia rationis, 90.45
Cognoscit illa directe, 95.45
Nec hoc arguit imperfectionem in illo, 97.46
Quomodo possit poni in Prædicamento, 24.177
Ipsi & animalibus datur conceptus cõmunis viuentis, 718.824
Ab ipso solo nequit egredi actio causæ secundæ, 63.78
Ex eo quod includat ens, & differentiam, non est compositus, 34.891
An ens ad Deum contrahatur per differentiam aut monum intrinsecum, 28.890
Non est obiectum adæquatum Metaphysicæ, 8.876
Nequit producere totum absque concursu materiæ ac formæ, 45.464
Potest supplere causalitatem materiæ circa formam, 46.465
Quomodo possit supplere causalitatem expulsiuam, 48.465
Non potest impedire causalitatem materiæ, & formæ vnitarum, 49.465
Concurrit immediate ad omnes effectus causarum secundarum, 1.476
Non est causa moralis peccati, 74.340
Nihil potest produci absque concursu immediato Dei, 64.479
Quomodo est causa eius, 74.340
Non præmouet Physicè causas secundas, 68.480
Quomodo determinat ipsas: vide Causa.
Est causa principalis animalium generatorum ex putri materia, 111.632
Eius concursus non est actio creaturæ, 87.483
Quomodo antecedit actionem creaturæ, 99.485
Quomodo possit necessitare voluntatem, 72.850
Non tenetur facere quod optimum, 7.597
Nec meliora, 24.601
Inter ipsum & effectum quando intercedit actio media, 29.246
Agit propter finem, 50.504
An respectu actionum immanentium, ibidem
Non coëxistit spatiis imaginariis, 22.542
Deum videre cur nequeat oculus corporeus, 136.493
*Dictum* de omni & de nullo quid, 57.282
*Differentia* primo & secundo intentionaliter accepta quid, 19.105
Quid eam desumi ab aliqua re, 54.111
Differentia substantiarum materialium desumitur à materia & forma, 58.112
Et ab operatione minus communi, ibidem
Quo sensu desumitur à forma, 60.112
Absque aliqua nequit dari natura generica, 68.114
Quæ explicatur per negationem, aliquando altera est perfectior, aliquando non, 31.120
Differentia triplex, 1.144
Propriissimæ duplex descriptio, 1.145
Diuisio eius est bona, ibidem
Differentiæ, vt sic, diuisio an in membra realiter distincta, 9.146
Propriissimæ quinque descriptiones, 10.146
Quatuor primæ sunt bonæ, ibidem
Propriissimæ quatenus est vniuersale particulare Metaphysicum descriptio, 12.147
Dicit tres respectus, ibidem
Infimæ descriptio, 14.147
Infima & subalterna possunt esse vniuersalia distinctæ speciei, ibidem
Cur vt sic, Porphyrius eas non numerauit, 17.148
Per ordinem ad quid constituitur infima in esse vniuersalis, 19.148
Ordo ad speciem necessaria requiritur ad ipsam non ad Genus, 24.149
A quo sumitur differentia Metaphysica, 26.149
Superior non includit formaliter inferiorem, 30.150
Nec hæc illam, aut Genus 32.150
Dantur differentiæ simplices infimæ, 45.153
Aliqua differẽtia conuenit speciei, quæ nulli alij speciei eiusdem generis conuenit, sed conuenit tamen aliis speciebus, 46.153
Nec alia in descriptione eius debet poni, ibidem
Potest species infima per duas differentias describi, 47.153
Vltima an sit perfectior genere, 55.155
Differentiæ vltimæ omnes non conueniunt in ratione vna differentiæ, vt sic, 55.155. & 19.884
Differentiæ Porphyriana definitio nõ est bona, 56.155
Alia bona eius, 67.157
Cur non sint entia completa, 36.179
Quid differentia essentialis, fol. 899
Vide Genus,
De differentiis nequit prædicari formaliter ens reale completum, 20.888
Ratio formalis entis ipsis conuenit, sed non includitur in ipsis, 23.889
Quomodo plus conueniunt inter se, quam cum nihilo, ibidem
Ex inclusione differentiæ in Deo non sequitur compositio, 34.891
Quid differentia vltima, & non vltima, 24.889
*Dilectio* quid, 426
*Diminutio* quid, 5.17
*Discursus* formalis & obiectiuus & vocalis, 17.2
Diuiditur in quatuor species, 17.2
Quid Dispositio, 14.236
*Disputandi* bene modus, 26.1
*Distans* esse quid sit, 70.262
Potest poni res absque distantia aut indistantia, 20.541
Distinctio quid & eius diuisio, 1.936
Distinctionem realem quæ productio arguit, 4.937
Distinctio rei à modo an sit realis, 10.977
Distinctionis realis tria indicia 11.970
Distinctionis formalis varia acceptio, 12.941
Formalis propria quid, & eius possibilitas, ibidem
Quo sensu potest vocari rationis & virtualis, ibidem
Datur, 16.941
Distingui se totis obiectiue possunt aliqua dupliciter, 37.945
Distinctionem formalem quæ diuersæ definitiones & diuisiones arguunt, 24.943
Distinctio virtualis non saluat prædicata cõtradictoria cõuenientia essentiæ diuinæ & relationibus, 28.943
Formalis non tollit omnem distinctionem rationis, 33.944
Cur sit minor quam realis, 35.945
Multipliciter capitur, ibidem
Quid formalis controuersa, 12.941
An detur formalis non mutua,
An sit relatio formaliter, 81.955
Quid distinctio rationis ratiocinantis, 48.957
Quid ratiocinatæ, ibidem
De formali non egit Porretanus, 65.952
Inter quæ entia est distinctio realis, 50.948
*Diuisio* quid, 9.1
Varia genera eius, 9.1
Eius conditiones, 9.6

Duæ diuisiones anteprædicamentales, 31.170
*Dominium* quid, 35.354
An donans & donatarius sint simul domini rei donatę, 39.354
An à Dominio distinguatur vsus rei vnico vsu comestibilis, 42.355
Dormientes cur non sint capaces rationis, 51.817
An habeant cogitationes intellectiuas, 53.817
Quomodo cessant dormire, 67.11.869. Ambulantne? ibidem
Duratio non est actualis coexistentia rei ad tempus, 2.563
Non distinguitur à re durante & actione productiua ac conseruatiua, 10.564
Si distingueretur esset successiua, 5.563
Adæquate diuiditur in æternitatem, æuum, Tempus, 27.567
Duratio æterna esset indiuisibilis, 44.605
Si daretur infinitum actu, 4.605

E

*Ebrietas* cur peccatum mortale, 103.345
Licet inebriare se aliquando, ibidem
*Echo* quomodo fit, 45.781
*Ecnephias* quid, 33.711
*Eductio* quid, 16.411
Educuntur omnes formæ præter rationalem, 37.415
Ad eductionem non requiritur præexistentia temporis, 16.411
Formæ eductæ præsunt tantum virtualiter in materia, 35.411
Educta accidentia non conseruantur eadem actione intra & extra subiectum, 81.423
Eductio nequit esse sine inductione, 19.244
Sine ea potest dari transmutatio, ibidem
*Effectus* nullus produci potest absque concursu immediato Dei, 64.479
Determinatio ad indiuiduationem effectus prouenit à causa prima, 488.111
Nulla causa debet esse prior tempore effectu, 1.508
Omnis debet esse prior natura, 6.509
Effectus idem numero productus ab vna causa potest produci ab altera, 32.514
Effectus semel corruptus posset iterum produci, 44.516
Effectus posset demonstrari per causam non conuertibilem, 13.285
Effectus aliquis creari potest, qui non exigit creari, 28.246
*Efficiens*: Vide *Causa efficiens*,
*Electio* & intentio non est idem actus. *Vide intentio.*
non distinguitur realiter ab vsu, 53.846
Dupliciter potest tendere in finem 6.27
Habet à medio specialem bonitatem, 22.323
Potest habere bonitatem specie distinctam à bonitate intensionis, 24.323
*Elementi* descriptio, 2.687
Sunt tantum quatuor elementa, 4.687
Quomodo sunt simplicia, 8.688
Non sunt in mixto formaliter, 12.689
Bene tamen virtualiter, 19.690
Quomodo mixta sunt magis composita quam illa, 14.690
In ipsis non dantur aliæ qualitates eiusdem nominis cum primis, 29.692
Nulli ex se plures primæ quam duæ conueniunt, 38.694
Non omne elementum potest in se aliud conuertere, etiam symbolum, 40.695
An facilius conuertantur in se symbola, quam dissymbola, 44.696
Vnum nequit producere aliud distinctæ rationis, nec etiam duo, 48.696
An possit produci à mixto, 53.716
Cur omnia non sint vel grauia, vel leuia, 66.700
Ens rationis non spectat per se ad Metaphysicam, 13.53
Ens vt sic vt commune enti per se & enti per accidens non est obiectum adæquatum Metaphysicæ, 7.876
Nec ens finitum, 9.877
De ente & ónibus speciebus eius posset dari vna scientia, quæ non esset Physica nec Metaphysica, 18.879
Non datur conceptus communis vniuoce enti reali & rationis, 1.879
Sub qua ratione consideratur ens vt sic, à Metaphysica, 12.877
Ens reale positiuum quid, 6.882
Ens vt sic dicit vnum conceptum obiectiuum, 9.882
Nec inuoluit conceptus inferiores, ibid.
Dicit etiam vnum conceptum formalem abstractum ab inferioribus, 10.882
Conceptus obiectiuus eius distinguitur formaliter ab inferioribus gradibus, 11.882
Est eodem modo vnus determinatus ac distinctus quo vllus gradus superior, 12.882
Eius completum prædicatur formaliter de quocumque indiuiduo completo reali & de quocumque alio prædicabili de tali indiuiduo, 20.888
Non potest ita prædicari de differentiis aut modis, quibus contrahitur, ibid.
Inter ens formaliter & nihil datur medium, 21.889
Ratio formalis eius conuenit differentiis, sed non includitur in illis, 23.889
Prædicatur vniuocè de Deo & creatura, substantia & accidente, 25.890
An contrahatur ad Deum per differentias, aut per modos, 28.890
An sit genus respectu Dei & creaturæ, 34.891
Ex inclusione eius ac differentiæ in Deo non sequitur compositio, ibid.
Eius proprietates quomodo ab ipso distinguntur. 1.929
Entis rationis variæ acceptiones, 1.27
Eius vera descriptio, 7.28
Datur, 10.30
Prius est cognoscibile quam cognoscitur; 10.30
De eius essentia non est actu cognosci, 14.30
Negationes & priuationes non sunt entia rationis. 19
Nec etiam denominationes extrinsecæ, 28.33
Nec similitudo, 52.38
Absque ente rationis potest cognosci denominatio cogniti, 54.39
Nequit de nouo produci absque aliquo ente reali, 61.40
Habet quatuor genera causarum, 67.42
Non fit ab vlla potentia sensitiua, 71.42
Ad ipsum faciendum non sufficit apprehendere quod non est, 77.43
Non fit à voluntate. 81.44
olus intellectus ipsum potest facere, 85.44
Intellectus omni actu potest dare ipsi esse obiectiuum, 87.45
Ad eum faciendum sufficit quæcunque cognitio eius, 88.45
An Deus faciat ipsum, 90.45
An cognoscat ipsum directe, 95.45
Eius cognitio non arguit imperfectionem in Deo, 97.46
Potest diuidi in substantiam & accidens, 98.46
Accidens ratio nis potest diuidi in absolutum & respectiuum, 98.46
Eius diuisio in habens & non habens fundamentum in re; 99.46
Ens rationis absolutum quod non est relatio, nec negatio datur, 100.47
Quo sensu diuiditur in negationes, priuationes & relationes, 101.47
Quæ censenda sunt entia rationis cum fundamento in re, 102.47
Nec prima, nec secunda intentio necessario dicit ens rationis,

rationis, 107.48
Quomodo spectat ad Metaphysicam, 13.53
Potest de eo haberi scientia, 11.291
Ens reale potest diuidi in plura aut pauciora Prædicamenta quam decem, 1.173
Ens finitum vt sic bene diuiditur in decem, 6.174
Posset diuidi in prædicamenta plura non diuersa realiter, 2.173
Quod ens censendum vnum per se, 16.177
Quæ pars integralis ens completum, quæ non, 32.178
Quæ entia singularia sunt completa, 34.179
Entis positiui proprietas non est intelligibilitas motiua, 14.31
De ente per accidens potest haberi scientia, 14.291
Linea & superficies non est probabiliter ens completum, 83.210
Entitas eadem formaliter posset esse personalitas & suppositalitas, 57.907
Entitas tertia, vide Totum,
Entymema quid, 21.1
*Erroris* & scientiæ actus cur nequeunt esse simul, 50.297
Erroneum iudicium & error. Vide *Conscientia erronea.*
Essentia quid sit & quibus nominibus appellatur, 37.900
Non distinguitur realiter ab existentia, ibid.
Bene tamen formaliter, sed non distinctione formali Scotistica, 45.902
Essentiæ rerum quomodo sunt ab æterno, 43.901
Essentia diuina quo sensu cõtinet formaliter attributa, Quo sensu est sapiens à se,
Omne essentiale creatum est multiplicabile, 31.107
*Escandescentia* quid, 13.795
*Exhalatio* quæ est ventus à quo mouetur, 32.711
*Exemplar* quid sit, 2.494
Quæ causa agit exemplariter, ibidem
Est conceptus obiectiuus, ibidem
Reducitur ad causam efficientem, 7.495
Quid sit actio eius, 9.496
Quid *exemplum*, 21.3
*Existentia* non est principium formale indiuiduationis, 39.132.
Nulla res existens habet plures gradus existentiæ quam alia, 40.132
Vide Essentia.
Extremitas maior & minor, fol.18
Quænam maior & minor in secunda & tertia figura, ibidem

F

*Facultas* identificata rei non est potentia naturalis, 24.238
Fallaciæ omnes, 25
Falsitas propositionis. Vide *Propositio.*
Falsum quid sit, 15.932
Quid fatum, 76.521
Felicitas quid, 26.311
Perfecte satiatiua pro hoc statu non datur, 27.312
Fide tantum certò cognoscitur quod detur pro futuro, 27.312
Supposita immortalitate animæ potest probabiliter probari, 28.312
Datur de facto acquisibilis post mortem, 29.312
Huius vitæ variis modis capi potest, 29.312
Non est collocanda in diuitiis, honoribus & voluptatibus, 31.313
In quonam alio, 32.313
Ad eam maxime conducunt habitus virtutum, 35.313
Quis felicior felicitate naturali censendus, 36.314
Fides humana quid spectat ad intellectum, 17.292
Est ineuidens & incerta, 18.292
Non omnis habet formidinem annexam actu, ibidem
Fidei ac scientiæ eadem incompatibilitas ac opinionis & scientiæ, 28.294
Vnus actus nequit esse fides & scientia, 25.295
Fidei habitus nequit facilitare ad alium actum, 35.295
Fides diuina non est compatibilis cum scientia, 44.296
Fides, scientia & opinio de potentia absoluta possunt esse simul, 48.297
Fidei habitus potest esse cum actu scientiæ, 51.297
Fidei & opinionis habitus cur magis incompatibiles quam nigredo & albedo, 59.299
*Figura* quid, 33.239
Figura syllogismi quid, 18.3
Omnium figurarum regulæ vniuersales & particulares, 191
Figura quarta non datur, 51.281
In secunda figura & tertia figura non concluditur indirectè, 55.281
Figura non est vera species Qualitatis, 19.176
*Filius* cur distingueretur à Spiritu sancto, quamuis non procederet ab ipso, 9.937
Filius tenetur alere Patrem, 24.351
*Finis* quid sit & eius diuisiones, 11.496
Est vera causa realis, 16.497
Cur vocetur causa metaphorica, 19.498
Cognitio eius non est causalitas ipsius, sed conditio sine qua non, 22.498
Bonitas apprehensa eius est ratio motiua ipsius, 26.499
Causalitas finis in actu primo potest esse bonitas præfixa, 30.500
Eius causalitas non est communicatio appetibilitatis medij, 33.500
Nec actio agentis ordinata ad finem; nec effectus habitus propter finem, 34.501
Quid est, 35.501
Si consistit in respectu intentionali, est realis, 37.501
Eius effectus, 40.502
Potest esse perfectior effectu, 10.509
Duos fines adæquatos nequit quis habere, 29.513
Finis & efficiens possunt se mutuo causare, 52.517
Propter finem agunt homines & Angeli, 49.504
Inanimata non intendunt finem, 49.504
Deus agit propter finem, 50.504
Etiam Bruta, 54.505
An Deus habeat finem actionum immanentium & transeuntium, 52.504
Finis propositio non sufficit, vt quis dicatur agere propter finem, 85.855
Agens omittendo non agit propter finem, 84.855
Volitio efficax ipsius non causaret necessario intentionem identificatam electioni, 48.844
Cum fine concedit bonum delectabile, & honestum, non vero vtile, 15.309
Finem aliquem vltimum appetit homo in qualibet actione, 16.310
Propter finem non solus homo agit ex eius intentione, 17.310
Non eundem finem materialiter aut formaliter semper appetit, 19.310
Nequit appetere duos vltimos fines coniunctiue, nec tales dantur, 23.311
Disiunctiuè appeti possunt, 24.311
Non dantur duo tales, ibidem
Finis vltimus satiatiuus Vide *Felicitas.*
Fines duo nequeunt intendi vno actu, 18.312
In finem dupliciter potest tendere electio, 6.274
Flamma quid.
Flumina vnde orta, 49.713
Fontes vnde orti, ibidem
*Forma* quid, 33.239
Forma syllogismi, fol.18.3
Forma vna potest tribuere denominationem actiuam & passiuam, 42.37
Forma substantialis non est principium indiuiduationis, 50.134
Forma quæ facit vnum per se cum subiecto, 5.189
Corporea nequit naturaliter esse in subiecto spirituali, 23.192

forma quo sensu est terminus formalis generationis, 22.641
Formæ accidentalis destructio an intendatur per se à natura, 45.648
Omnis corporea forma dependet à subiecto corporeo non essentialiter, 28.722
Formæ corporeæ absolutæ & respectiuæ descriptio, 30.722
Forma corporeitatis distincta ab anima datur in viuentibus, 18.724
An sit heterogenea. 73.732
Forma male describitur per subiectum, quod constituit intrinsece, 51.727
Forma habet plures effectus formales, 89.827
Forma non habet vllum influxum in materiam, 58.393
Cur aliqua debeat necessario esse in materia, 59.393
Absq; vlla substantiali posset cõseruari materia, 63.394
Forma non est modus eius, 66.394
Forma Physica sola non dat speciem, 76.396
Formæ substantialis descriptio, 2.409
Datur, 3.409
Cur non est accidens, 9.410
Datur causalitas materialis in materia ad formas eductas, 28.413
Non præfuerunt actualiter in illa, 31.414
Sed tantum virtualiter, 35.415
Omnes præter rationalem educuntur, 37.415
Etiam accidentales, 42.416
Forma subordinata, & non subordinata quid, 43.416
Plures non subordinatæ nequeunt esse in eodem subiecto naturaliter, 44.417
Bene tamen supernaturaliter, 46.417
Eadem forma potest informare duas materias, 64.420
Ex vna forma, & duabus materiis possunt esse plura indiuidua, 68.421
Forma substãtialis potest conseruari absque materia supernaturaliter, 70.421
Formæ eductæ non eodem concursu conseruantur in & extra subiectum, 72.422
An forma dicat aptitudinem ad materiam, 81.423
Forma est principium passiuum motus, 14.451
Est natura, 22.453
Forma totalis Metaphysica compositi non est natura, 26.454
Bene tamen substantiæ simplicis, 27.454
Forma totalis Physica est natura, 17.452
Formæ eductæ sunt effectus causæ materialis, qua talis. 22.464
Quinam sunt formæ effectus, 24.460
Eius causalitas est vnio, 41.464
Formæ causalitatẽ qua daret esse materiæ, potest Deus supplere, 47.465
Non potest Deus impedire causalitatem ipsius suppositi vnione, 49.465
Non præcedit tempore suum effectum, 4.508
Nequit causare materiam, 56.518
Formæ absolutæ naturaliter debent replicari replicato subiecto, 84.552
Formas repugnantes nequit subiectum habere in diuersis locis, 88.553
Non omnis distinctio à forma Physica, 18.388
Formalis distinctio. vide Distinctio,
*Fortitudo* quid & quæ mala respicit, 7.356
Duo eius præcipui Actus, 63.357
Voluntas est capax eius, 11.348
*Fortuna* quid est, 76.521
Franciscani habent vsum rerum sine Dominio, 43.355
An sint Domini in extrema necessitate, 45.356
An rerum incertarum ab ipsis inuentarum, ibidem
Quid fruitio, 54.846
*Fuga* quid, 3.794
*Fulgur* quid, 14.707
*Fulmen* quid, eius diuersa genera & effectus, ibidem
*Furor* quid,
Futurum determinate multis modis potest quid esse, 34.272
De futuro contingenti propositio est vera, vel falsa determinate, 35.272

## G

*Generationis* tres acceptiones & descriptiones, 1.635
Quid substantialis, 4.636
Est possibilis, ibidem
Productio compositi ex materia non præexistenti tempore est generatio, 9.637
Dat multas denominationes, 14.639
Si sit quid vnum & non detur tertia entitas, subiectatur in materia, 16.639
Non debet esse intrinsece substantialis, ibid.
Quid est terminus ad quem generationis actiuæ & passiuæ, 18.640
Quo sensu compositum subsistens est terminus *qui* ipsius, 20.641
In quo sensu vnio est potius terminus ipsius, quam forma & è contra, 22.641
Generatiua actio distinguitur ab alteratiua, 23.642
Generationis viuentium descriptio, 23.643
An competat productioni Spiritus Sancti, 31.643
Quomodo ad ipsam concurrit generans, 35.645
In corruptiua non interueniunt duæ actiones, 42.647
Bene tamen duæ mutationes realiter distinctæ, ibidem
Generatio omnis non miraculosa habet annexam corruptionem, & è contra, ibid.
Sũt simul tẽpore, sed generatio est prior naturâ 45.648
Generatio vnius est corruptio alterius non formaliter, sed causaliter, 50.649
An distinguatur essentialiter à nutritione, 5.675
Generationes hominum tam possunt esse ab æterno, quam aliæ, 58.608
Possunt esse successiue ab æterno, 60.58
Ad Generationem viuentium, etiam hominum concurrunt corpora cælestia, 108.631
Generatorum animalium ex putri, quæ causa, 111.632
An sint eiusdem speciei cum similibus generatis ex semine, 116.633
*Generis* duæ definitiones Porphyrij, 1.101
Genus generalissimum, & subalternum quid, 3.101
Generis definitione quid per se definitur, 3. 7.101
Est bona & essentialis, 17.104
Genus quo genere & differentia constat, 19.105
A quo desumitur ratio generica, 53.111
Quod genus primo & secundo intentionaliter acceptum, ibidem
Primo intentionaliter acceptum quomodo constat genere & differentia, 21.105
Quomodo prædicatur in quid, 24.106
Quomodo requirit plures species, 30.107
Quæ genera subalternatim posita, 34.170
Tribus modis possunt esse diuersa, ibidem
Non subalternatim posita nullas differentias communes habent, 36.171
Genera subalternata ratione tertij aliquando habent differentias communes, aliquando non, 40.171
Genera eiusdem prædicamenti non collocata sub se habent aliquam differentiam communem, 41.171
Aliqua talia non conueninnt in differentia diuisiua, aliqua sic, 41.172
Genus supremum quomodo non possit habere supra se aliud, 11.75
Genus cur est ens completum, 36.179
Quomodo respicit inferiora, 61.112
Quomodo genere differunt corruptibilia & incorruptibilia, 49.181
An detur genus conseruatum in vna specie, 46.110
Quomodo desumitur à materia, 47.181
*Glacies* quomodo fit, 37.712

*Grando* quomodo fit, 35.711
Grauitas aquæ & terræ an sint eiusdem speciei, 67.700
Non est accidens distinctum à substantia, 71.701
Non est in aëre, 66.700
Ignis & aër nullibi grauitant, 76.702
Nec aqua & terra in locis propriis aut extra quando non ceditur ipsis, 79.703
Grauia inæqualia æque cito mouentur, 15.595
An velocius moueantur in fine, 16.595
Vnde, 19.595
Gula quid & eius filiæ, 103.345
Gustus non indiget speciebus, 50.763
Sensorius eius sunt nerui linguæ, 58.783
Obiectum adæquatum sapor, 59.783
Distinguitur realiter à tactu, 63.784
Identificatur tactui linguæ, ibidem

H

Quot modis aliquid *habet* aliud, 10.295
*Habitus* quid, 19.237
Habitus habens duos actus si augeatur per vnum debet sentiri facilitas in ordine ad alterum, 62.62
Habitus docens an augetur per actus vtentis, 6.62
Ab eodē habitu actus specie distincti possunt prouenire, 65.62
Habitus vnus potest esse scientia & Ars. 73.66
Habitus infusi sunt simplices, nō vero acquisiti, 106.95
Habitus diuersi specie debent poni ad superandas difficultates diuersæ speciei, 100.73
Non sufficit nouus modus habitus ad nouam difficultatem superandam, 105.74
Cur vnus habitus non sufficit ad plures conclusiones 106.75
Quicumque habitus particularis Logicæ, est quid completum, 107.75
Quid habitus spectās ad primā speciē qualitatis, 14.236
Habitus prædicamentalis quid, 78.263
Habitus opinionis & fidei. Vide *fides*.
Datur Habitus scientificus, 72.301
Cur intellectus indiget habitu potius, quā visus, 73.302
Non ponitur ad facilitandum ad assentiendum conclusioni propositæ bene, 74.302
Non dantur habitus in sensibus externis, 1.857
Bene tamen in aliquibus membris, 2.857
Habitus qui est qualitas datur in voluntate, 11.859
Habitus producitur effectiue per actum, 16.861
Est ipso imperfectior, ibid.
Augetur per actus intēsiores & minus intensos, 21.862
Non concurrit effectiue & formaliter ad actum, 23.862
Si cōcurrit effectiue cōcurrit ad substaotiā eius, 25.862
Probabile quod non sic concurrat, ibidem
Ab effectiuo concursu non habet potētia facilius & delectabilius operari, ibidem
Quomodo determinat formaliter, 32.864
Quomodo absque eius effectiuo concursu possunt haberi actus iutensiores, ibidem
Habitus contrarij, quomodo repugnant & expellunt se inuicem, ibidem
Habitus vitiosus contrarie opponitur habitui naturali inclinanti ad actum oppositum, 32.332
Non vero supernaturali, 32.332
Dantur in voluntate habitus indifferentes ad actus bonos & malos, 4.346
Habitus inclinans ad obiectum honestum inclinare potest ad actum mālum, 4.346
Habitus aliquis bonus nequit inclinare ad actum malū, 5.347
Hæcceitas est principium indiuiduationis, 66.137
Helena quid, 18.708
Hiatus quid, 26.709
Homo quomodo manet idem in principio & fine vitæ, 37.438
De essentia eius sunt partes acquisitæ per nutritionem ibidem
Habet viuere ex triplici capite, 17.728
An prius dormiat quam vigilet, 8.868
Tres ætates eius, 34.873
Non habet prius esse vniuersale, quam singulare, 38.945
Eius appetitus. Vide *Appetitus*.
Eius intellectus. Vide Intellectus.

I

*Idæa*. Vide *Exemplar*.
*Idem* nequit producere seipsum, 47.516
Quidquid non repugnat identificari alicui identificatur illi, 139.492
*Ignis* ab æterno applicatus stupæ non posset ipsam comburere, 77.605.
Conuenit ipsi summus calor & summa siccitas 32.693
An sit in concauo lunæ, 55.698
Leuitat in alienis locis, 76.702
Ignis perpendicularis quid, 18.707
Quid fatuus & lambens, ibidem
*Ignes* subterranei, 54.714
Ignorantia triplex, 14.317
Ignorantia antecedens facit actum non voluntarium, non vero inuoluntarium, 15.317
Concomitans non facit voluntarium aut inuoluntarium, 16.317
Quod fit ex ignorantia subsequenti aut volita non est voluntarium proxime, 17.318
*Imber* quid, 34.711
*Immortale* potest aliquid esse tripliciter, 20.799
Imperfectius nequit producere perfectius, 11.467
*Impotentia* naturalis non est negatio, 24.238
Vide Potentia.
Impossibile intentionaliter *existens potest* fundare relationem realem.
Impulsus est qualitas, & ab eo prouenit motus proiectorum, 5.593
Omnes sunt eiusdem speciei, 7.593
Quomodo distinguitur à virtute motiua naturæ, ibid.
Quomodo desinit, ibidem
A quo fit resiliens, 12.594
*Incipiendi* modi tantum duo, 56.581
Incipiunt res quomodo, 43.578
Incipiūt successiua in instanti tantū extrinseco, 47.579
Inceptio rerum potest explicari absque instantibus extrinsecis, 45.579
Incorruptibilia & corruptibilia, quomodo differunt genere, 49.181
Incorruptibilitas non est proprietas quarto modo materiæ primæ, 16.799
Indignatio quid, 33.795
*Indistantia* nequit poni absque vbi positiuo, 69.262
*Indiuidui*, vt sic conceptus, cur non abstrahit ab indiuiduis in particulari, 13.125.18.884
De Indiuiduo completo prædicatur ens formaliter, 20.888
Indiuidui duæ descriptiones, & quomodo vera est secunda, 2.122
Indiuidui Metaphysici descriptio, & eius explicatio, 6.123.
Quo sensu describi nequit, 7.123
Quomodo est cōmunicabile & incōmunicabile, 8.124
Ab Indiuiduis nequit abstrahi ratio communis singularis, 10.124
Omnia Indiuidua sunt similia, 18.127
Dicunt aliquid formaliter distinctum à natura specifica, 23.128
Principium formale Indiuiduationis est aliquid positiuum, 24.128
Triplex principium Indiuiduationis, 29.129
Non est quantitas, nec vllum accidens absolutum, aut vlla eorum collectio, 31.130
Nec existentia, 39.132
Nec materia prima secundum se, 42.132
Nec materia signata, 43.133

Nec

Nec forma substantialis, 50.134
Nec materia & forma simul, 52.135
Non indiuiduantur accidentia à subiecto, 54.135
Nec forma substantialis à materia prima, 65.137
Indiuiduationis principium formale est hæccceitas, 66.137
Indiuidua eiusdem speciei sunt æqualis perfectionis, 77. 140
Indiuidui Logici descriptio. 94.145
Quomodo subiicitur generi, 93.143
Indiuiduum genericum nouum multiplicatur in inferioribus, 98.144
Non sola accidentalia Indiuidua describuntur à Porphyrio, ibid.
An ratio indiuidui sit communis omnibus Indiuiduis, ibidem, & 18.884
Indiuiduum & species eadem aptitudine respicit genus, 62.113
Quomodo Indiuidua eiusdem speciei sunt idem formaliter, & habent eandem definitionem, 31.84
Cur Indiuidua similia nõ dicuntur idem numero, 34.85
Indiuiduatio effectus refundenda in causam primam, 38.111 488
*Indiuisibile* additum indiuisibili non facit maius, 10.572
Indiuisibilia virtualiter indiuisibilia non dantur in continuo, 26.573
An vlla admittenda in continuo, 25.575
Indiuisibile separatum posset successiue moueri, 35.577
Et tangere successiue diuisibile, 37.577
Indiuisibile primum motus aliquando datur aliquando non, 41.578
Indiuisibiliter acquisita producuntur in instanti, 54.580
Indiuisibilitas partium integrantium non est de ratione accidentis spiritualis, 32.721
*Inductio* quid, 22.1
Potest esse inductio formæ absque eductione, non è contra, 19.244
Sine ea nequit esse transmutatio, ibid.
*Infantes* cur aptiores ad actiones naturales, quam animales, 38.879
Cur non sunt capaces rationis, 51.817
*Inferius* quid, 116.100
An creaturæ habeant perfectionem essentialem infinitam, 25.536
Quid infinitum categorematicum & syncategorematicum, 1.531
Datur syncategorematicum, 3.531
Potest dari categorematicum, 4.532
Quomodo infinito possit dari maius, 18.535
An vnum alteri æquale, 19.535
An possit ipsi competere figura & motus, 20.535
An infinita corpora possint poni extra se in loco, 21.535
*Impenetrabilitas* non est proprietas materiæ primæ quarto modo, 16.799
*Inhærentia* aptitudinalis non est de essentia accidentis, 7.189
Quid esse in alio tanquam in subiecto inhæsionis, 3.188
Quid Instans naturæ prius alio.
In instanti producuntur indiuisibiliter acquisita, 54.580
Instrumenti variæ acceptiones, 56.505
Proprie dicti descriptio, 57.505
Artificialis descriptio, 61.506
An habeat virtutem actiuam, 63.506
Instrumentales causæ, an subordinatæ aliis, 64.306
Intellectus non est instrumentalis causa actuum supernaturalium, 66.507
Quid sunt Instrumenta moralia, 70.507
Instrumentum ad quod genus causæ reducitur, 70.508
Insularum origo, 57.714
*Intellectus* an sit potentia vitalis, 20.720
Identificatur animæ, 156.749
Quod primum cognitum eius, 16.809
An decipiatur à sensu. Vide *sensus*.
Non habet vnum obiectum prædicabile formaliter de omnibus, quæ intelligit, sed bene quod comprehendit illa omnia, 2.805
Quomodo non fertur nisi in verum, ibidem
Quidditas rei materialis non est obiectum adæquatum eius, 5.806
Neque pro hoc etiam statu, sed res sensibilis, 8.806
Quod est obiectum naturalis attingentiæ eius pro hoc statu, 11.807
Quomodo potest intelligere singulare, 12.808
Datur Intellectus agens si dentur species intelligibiles, 32.812.
At sit causa totalis conseruatiua earum, 34.812
Identificatur possibili, sed distinguitur ab illo formaliter. 36.813
Reperitur in anima separata, & Angelis, 8.3814
An sit perfectior possibili, 41.814
Humanus & Angelicus distinguuntur specie, 42.815
Non est causa instrumentalis actuũ supernaturalium, 66.507.
Cur necessario conuerti debet ad phantasmata, 49.816
Conatus & attẽtio eius non arguit efficientiam, 74.824
Quoties producit intellectionem, producit Verbum, 94.828.
Quod producatur ab intellectu non est de ratione formali ipsius, 99.829
Non distinguitur realiter à memoria, 117.833
Non consistit in eo partialiter, aut totaliter liberum arbitrium, 23.839
An in ipso radicetur libertas voluntatis, 30.840
Non indiget habitu ad cognoscenda prima principia, aut conclusionem bene propositam, 3.858
Datur aliquid ob quod facilius ipsi occurrunt obiecta, 5.858.
Quid tres eius operationes, 17.1
Faceret ens rationis, quamuis non esset reflexiuus 1.72.42.
Solus illud facit, 85.44
Quid eius actus rectus, reflexus, & comparatiuus, 87.45
Quocumque actu potest dari esse obiectiuum enti rationis, 87.45
Fit practicus extensione, 78.67
Actus eius an possit esse praxis imperata, 79.67
Vt imperatus est alterius potentiæ ab illo, 89.67
Logica de actibus intellectus secundum se agit, non vt imperantur, 82.69
Per eũ nõ accipit natura communis aliquid reale, 13.81
Necessitatur ad assensum conclusionis necessitate exercitionis & specificationis, 37.279
An necessitetur ad assensum conclusionis supposito assensu probabili præmissarum, 26.293
Cur indiget habitu potius, quam visus, 73.302
Non requirit habitum vt assentiatur conclusioni bene propositæ, ibidem
Quomodo quidquid est in intellectu, fuit in sensu, 15.31.
*Intellectio* nulla consistit in Actione non productiua termini, 59.819
Nec in qualitate seipsa producta, 60.820
Nec in actione productiua termini, etiam partialiter, 66.822.
Sed in sola qualitate, ibid.
Ad ipsam impertinens est, quod se sola producatur, 63. 66.821.
Non conuenit vniuoce cum actione de Prædicamento Actionis, 73.823
De facto producitur ab Intellectu, 74.823
Phantasmata ad eius productionem cnocurrunt, 73.824
Potest produci à solo Deo, 77.824
Etiam extra omne subiectum, & poni in alieno subiecto, 81.825
Non necessario per illam producitur vlla qualitas, 92 228.
Quoties producitur, producitur etiã Verbum, 94.828
Ipsamet est Verbum, nec de ratione eius est produci ab

ab Intellectu, 99.829
*Intelligibilitas* non est proprietas entis realis solius, 14.31.
Non sola positiua intelligibilitatem habent, 21.33
Intelligibilitas motiua non est proprietas entis positiui vt sic, 21.33
Intensio Qualitatis quomodo fit, 20.654
Gradus eius sunt homogenæi, 37.658
Quænam qualitates intendi possunt, 47.660
*Intentio* formalis & obiectiua quid, 103.48
Quid prima & secunda, 106.48
Quid termini primæ & secundæ intentionis, ibidem
Esse Intentionale sufficit ad fundandum respectum realem, 51.38
Quid esse intentionale rei abstractiuæ cognitæ, 51.38
Potest haberi à pluribus causis totalibus, 69.42
Nec prima, nec secunda dicit necessario ens rationis 107.48
Secunda intentio potest habere rationē primæ, 109.49
Quomodo secundæ intentiones possunt prædicari de se inuicem, 96.96
Intentio & electio non est idem actus, 43.843
Illa quæ identificaretur intentioni non causaretur necessario ab amore efficaci, 48.844
Finis, 48.846
Determinat moraliter ad electionem, 49.845
Sed non quatenus obiectiue proponitur, 50.845
Nec in genere causæ effectiuæ, sed formaliter determinatiuæ, ibidem
Aliquando determinat ad electionem melioris medij, aliquando non, 51.846
Inuidia & eius filiæ, 104.346
Ira & eius filiæ, 102.345
Irascibilis appetitus identificatur realiter sensui, 14.791
Quid irascibilis pars, 16.791
Vide Appetitus.
Iris quid & quomodo causatur, 21.708
Irides duæ apparere possunt, neutra videri à nobis ad meridiem, ibidem
Vna causat aliam quandoque, & illa alteram, 22.709
Effectus eius, ibidem
Quomodo significat non futurum diluuium, 24.709
Iudex debet sententiam ferre pro parte magis probabili, 13.362
Iudicium de bonitate obiecti non requiritur ad amorem, 22.836
Iudicij præuij indifferentia non sufficit ad libertatem actus sequentis, 32.841
Quid Iustitia, 22.350
Nequit inclinare ad actum non debitum, 26.351
Inter quos possit intercedere, 29.352
Diuisio eius in commutatiuā & distributiuam, 30.352
Distributiua nō respicit plures in quodlibet actu, 31.352
Nec proportionem Geometricam, ibidem
Non debet dare quātum quis meretur absolute, 33.353
An commutatiua obseruet proportionem Geometricam, 34.353
Distinguitur specie à distributiua, 35.353
An cōueniant vniuoce & coincidāt cum legali, 36.353
An Iustitia vindicatiua sit species Iustitiæ, vt sic, stricte, aut coincidens cum Iustitia commutatiua, aut distributiua, 37.354

## L

Lac non informatur anima, 149.748
Lacteus circulus vnde fiat, 19.708
Lancea quid, 18.707
Leuitas non est accidens distinctum à substātia, 71.701
An sit proprietas primarum qualitatum, 70.701
Leuitant in alienis locis ignis & aër, 76.702
Leuium motus. Vide motus.
Leuitatis nihil habet aqua, 66.700
Quid lex vt sic, 2.364
Eius diuisio, ibid.
Quid lex naturalis, ibid.n.4
Quænam præcipit, 9.365
An sit vna apud omnes semper, ibid.
An obliget ad pœnam æternā & modū virtutis, 11.365
Quomodo se habet ad legem æternam, & ius Gentium, 14.366.
Deus potest dispensare in aliquibus præceptis eius, 15.366
Pontifex nequit, aut vllus Princeps sæcularis, 19.367
In quibus præceptis possit Deus dispensare, 22.368
Quid lex humana, 4.368
Quomodo debet esse vniuersalis, perpetua & tendens in bonum commune, ibidem
Consistit in actu solius voluntatis, 26.369
Fideles ei subduntur, 28.369
Quomodo suis legibus subduntur Principes, 9.370
Omnes subduntur legibus Ecclesiasticis, 9.370
Legibus Ciuilibus Ecclesiastici subduntur quoad vim directiuam, ibid
Quomodo quis subditur Principi alieno & proprio conditione aliena, 31.370
Quibus legibus tenentur conformare se Peregrini & pauperes, 32.370
Multa præcipi possunt de lege humana quæ non sunt de lege naturæ, nihil, quod sit ipsi aduersū, 33.371
Vt obliget, requiritur intimatio & publicatio cum certis cæremoniis, 36.371
Potest obligare ad culpam mortalem, 38.372
Quias pœnas potest obligare transgressores sibi inferre, 39.372
*Libertas*, vide voluntas.
An detur in Brutis, 22.319
An dabilis creatura, quæ sit libera tantum supernaturaliter, 35.841
Liberum arbitrium non est habitus aliquis, 23.839
Nec intellectus, & voluntas simul, 23.839
Linea est species infima, 8.210
Non est ens completum, ibidem
Liquor in vase cur in processu calefactionis fiat minus calidus, 8.669
*Locus Topicus* quid & quot sunt, 23.1
*Locus* non est spacium imaginarium, aut reale, 2.539
Nec vbi, nec aliquid intrinsecum locato, 4.539
Est vltima superficies corporis continentis immobilis, 7.539
Quid extrinsecus & intrinsecus, 15.541
Quid definitiuus, circumscriptiuus, communis, proprius, naturalis, violentus, neuter,
An locus posset esse in loco, & an dicat essentialiter continentiam actualem, 17.541
An sit vnum per se, 19.541
Ad locum continentem datur motus, 44.530
In eodem loco possunt esse plura corpora, 44.545
Non tamen substantiæ sublunares naturaliter, 49.546
Idem corpus potest esse in pluribus locis circumscriptiue supernaturaliter, 53.546
Qua actione reduplicaretur in loco, 78.551
Formæ absolutæ naturaliter reduplicati debent reduplicato subiecto, 84.552
Formæ repugnantes nequeunt esse in subiecto replicato, 102.556
Absque vllo loco potest res creari à Deo, 22.542
Locomotiua virtus an detur in membris externis, 22.792
Potentia locomotiua an sit vitalis, 22.720
*Logicæ* obiectum. vide *obiectum.*
Non agit per se de syllogismo vocali, 34.57
Sed de obiectiuo & formali, 37.57
Quomodo agit de omnibus rebus, 46.59
Cur vocetur rationalis scientia, 47.59
Diuisiones eius, 60.60
Quoad tres partes eius diuiditur in docentem & [illegible] tem, 52.60
Nulla alia sciētia vtitur Logica proprie loquēdo, 56.61

# Index Rerum,


Vsus demonstrationis in materia Logica distinguitur à doctrina eius, 57.61
Vtens & docens habitualis non distinguuntur realiter, 59.61
Actualis sic, 61.62
Logica cur non includit duos habitus, ibidem
Est scientia quoad omnem partem, 68.56
Quomodo non est quoad topicam, 70.65
Quomodo non est scientia realis, 47.59
Quomodo versatur circa res omnes modo particulari, 71.65
Vtens vt talis non est scientia, 74.66
Nec quoad partem demonstratiuam, 75.66
Debet esse vel speculatiua vel practica, 82.68
Est speculatiua quoad omnem partem, ibidem
Agit de actibus intellectus non quatenus imperantur, 88.69
An sit speculatiua vel practica est quæstio de nomine, 96.67
Totalis non est vna indiuisibilis qualitas, 98.73
Includit partes distinctæ speciei, 100.73
Non habet aliam vnitatẽ quam aggregationis, 107.75
Totalis non habet vnitatẽ genericã aut specificã, 112.77
Non est simpliciter necessaria ad alias scientias, 114.77
Quomodo est modus ac instrumentum sciendi, 115.77
Absque ea potest haberi scientia totalis mediante Magistro, 118.77
Non absque illo, 120.78
*Lupum* cur fugiat ouis, 98.773
Lumen non est substantia, 10.775
Est species lucis, 16.776
Non producit calorem, 19.777
Ipsius descriptio, 20.777
Distinguitur à calore vero, 22.777
An requiritur ad videndum ex parte obiecti & medij, ibidem.
Quomodo requiritur ex parte obiecti, 30.778
Luna quomodo concurrit ad fluxum & refluxum maris, 47.713
Lux non est substantia, 8.775
Ipsius descriptio, 15.776
Distinguitur à colore vero, 22.777
Cur citius videatur quam sonus audiatur, 43.779
Sublunaris & cælestis an sint distinctæ speciei, 75.625
Luxuria quid, 102.345

M

*Magnitudinis* determinatum terminum non habent non viuentia, 61.582
*Malitia* actus & *malus* actus. Vide *Actus*.
Mala quomodo appetuntur, 3.307
An possint appeti per se, 11.308
Manna quid, 38.712
Maris salsedo vnde, 40.712
Eius tres motus, ibidem
Vnde oritur motus eius à septentrione ad austrum, & ab ortu ad occasum, ibidem
Vnde fluxus, & refluxus eius, ibidem
Quomodo mouetur à luna, 47.713
Materia prima datur, 1.385
Eius descriptio, 4.383
Distinguitur ab elementis, 6.286
Varia eius nomina, 8.386
Est radix generationis & corruptionis, 9.386
Non est generabilis aut corruptibilis, 10.387
Est pura potentia Physica, 15.387
Includit actum Metaphysicum, 16.388
Et entitatiuum, 17.389
Nequit existere absque aliqua forma naturaliter, 41.392
Esset vtilis absque forma, 42.392
Non influit in illam forma, 58.393
Cur debeat necessario habere aliquam formam naturaliter, 59.393
Potest supernaturaliter conseruari absque vlla forma substantiali, 63.394
Forma non est modus eius, 66.394
Proportio eius ad artificialem materiam, 77.396
Quomodo est corpus 80.397
An possit intelligi absque forma, 82.397
Non habet potentiam realiter distinctam in qua recipiatur forma, 85.397
Nec formaliter etiam distinctam, 90.398
Habet tamen potentiam formaliter distinctam, quæ est proprietas eius, 71.399
Eius potentia receptiua an distinguatur à substantiatiua, 93.398
Appetit omnem formam, 98.399
Etiam simul, 103.400
Eius appetitus nõ est necessarius ad corruptionẽ, 33.617
Cur non est in statu violento, quando caret formâ appetitâ, 105.401
Non appetit æqualiter omnes formas, 107.401
Habens formam virtualiter includentem reliquas, appeteret tamen illas, 110.402
An appetat omnes formas vno appetitu, 115.403
Materia prima in sublunaribus est vna specie, multiplex numero, 121.404
Non distinguitur specie à cœlesti, 125.405
Distingueretur specie à materia Angeli, 139.407
Habet actiuitatem multiplicem, 142.408
Quomodo non est actiua, 144.408
Quomodo non coincidit cum efficiente, 145.408
Habet causalitatẽ respectu formarum eductarũ, 28.413
Materia particularis est de essentia compositi particularis, 32.437
Partes eius nutritione acquisitæ sunt de essentia hominis, 37.438
Est natura, 17.452
Datur resolutio vsque ad materiam primam, 91.447
Materialis causa quos habet effectus, 22.464
Independenter à materia potest aliquid pati, 17.799
Eius proprietas quarto modo non est ingenerabilitas aut incorruptibilitas, 16.799
Nec absolute sumpta, nec signata est principium indiuiduationis, 42.132
Ab ea & forma, desumitur differentia substantiarum compositarum, 26.149
Formæ eductæ sunt effectus causæ materialis, vt talis, 22.464
Materiæ causalitas circa formam & compositum est vnio, 27.461
Non habet influxum præuium ad vnionem respectu formæ, 29.461
Deus potest supplere causalitatem eius circa formam, 46.465
Ipsa & forma non possunt se mutuo causare, 56.518
Media quomodo quis vult propter finem, 6.274
*Mel* quid, 38.712
*Memoria* intellectiua datur indistincta ab intellectu, 117.833
Ipsius descriptio, 1.867
An sit in omni animali, 2.867
*Mensura* capitur actiue & passiue, 6.196
Quid est qualitatem esse mensuram, 5.195
Aliquid potest esse mensura tribus modis, 6.196.
Ratio mensuræ non est ratio formalis quantitatis, 10 196
Mensuratiuitas quo sensu potest dici esse de essentia quantitatis, 11.197
*Metallorum* materia, 56.714
Fiunt per influxum cælestem, ibidem
*Metaphysica* quid, eius dignitas & nomina, 1.875
Eius obiectum adæquatum, 8.876
Sub qua ratione considerat ens, ibid.n.12
Considerat aliquas species ipsius, non omnes, 13.877
Non subalternat sibi alias scientias, 19.789
Qui gradus Metaphysici sunt entia completa.
Ad Metaphysicam quomodo spectat ens rationis, 13.53 82.703
*Mixtionis* descriptio,


Quomodo

Quomodo distinguitur à generatione, 82.57
Mixta quomodo magis composita quã elemẽta, 14.690
Non continentur in illis elementa formaliter, 12.689
Mixtorum temperamentum quid, 83.704
An mixtum possit producere elementum, 53.716
*Mobilitas* fundamentalis coincidit cum naturalitate, 373
Non est ratio sub qua obiecti Physici, 20.377
An *modi* à re distinctio sit realis, 80.955
Quid modus intrinsecus, fol.896
Quid extrinsecus, ibidem
An eo contrahatur ens ad Deum, 28.890
Modalium propositionum qualitas & quantitas vnde desumenda, fol.15.1
Quæ modales propositiones sibi æquiualentes, & quæ oppositæ, fol.15.3
Montium origo & altitudo, 52.714
Mors quid, 41.874
Motus definitio, 2.522
Omne corpus habet in se principium motus, 3.448
Forma est principium passiuum motus, 14.451
*Motus* definitio conuenit etiam instantaneo, 6.523
Mobile est subiectum motus, 13.524
Motus distinguitur realiter ab agente mobili & termino, 15.524
Non distinguitur ab vnione, 18.525
Quomodo distinguitur ab actione & passione, 20.526
Specificatur à termino, 25.527
Et etiam à subiecto, 26.527
Non vero à termino à quo, 28.527
Quomodo specificari posset ab Agente, 29.528
Qui motus sunt eiusdem speciei, 32.528
Motus vnitas numerica requirit vnitatem subiecti & termini, non temporis nec agentis, 36.528
Quomodo inter se contrariantur, 37.529
Datur ad substantiam, quantitatem, qualitatem, 40.529
Non ad alia Prædicamenta, 44.530
An possit conuenire infinito.
Motus omnis successiuus potest esse tempus, 35.568
Non potest prima aut vltima pars eius dari.
Non datur in eo primum mutatum esse, vltimum aliquando datur, aliquando non, 40.578
Primum indiuisibile eius aliquando datur, aliquando non, 41.578
Quidquid mouetur ab alio mouetur in aliquo sensu, 1.581
Potest aliquid seipsum mouere, 3.585
Motus aquæ sursum an sit naturalis, 27.561
Qualis potest dari in vacuo, 30.561
Motus proiectorum à quo prouenit, 1.597
Æternus non repugnat, 52.606
Finitus nequit esse ab æterno, 52.606
Quid motus simplex & compositus, 19.614
Motibus contrariis potest aliquid moueri, 94.629
Quomodo possit quis moueri motibus oppositis, ibid.
Per motum non producitur calor, nisi tanquam per conditionem sine qua non, 99.629
Motus sublunares omnes non cessarent, cessantibus cælestibus, 100.630
Localis quomodo fit ab appetitu & voluntate, 21.792
Motus quatuor species, 9.265
*Mundus* vnus de facto, plures possibiles, 1.596
Eius perfectio, 5.597
Possit dari perfectior quoad substantias & accidentia, 23.601
Non est æternus, 28.602
Potuit esse, 34.603
Nequit naturaliter perire, 65.609
Durabit in æternum, 70.610
Non posset moueri totus à spatio in quo imaginamur eum esse, nisi poneretur aliqua creatura extra ipsum, 28.542
Eius perfectionem maiorem non argueret substantia spiritalis composita, 18.799
Nec debet dari quidquid spectat ad maiorem perfectionem eius, ibidem

N

NAturæ variæ acceptiones, & descriptio, 1.448
Quomodo capitur à Philosopho, 8.450
Est principium passiuum tantum, 9.450
Quænam sunt naturæ, 17.452
Naturæ opera quomodo potest ars efficere, 34.455
Naturalitas nõ est ratio sub qua obiecti Physici, 18.377
Natura communis non accipit ab intellectu vniuersalitatem, 12.81
Nec aliquid reale intrinsecum, 13.81
Nõ habet esse vna per denominationẽ extrinsecã, 14.81
Nec à præcisione, 18.82
Non est priuata vlla vnitate per singularitates, 21.82
Non bene dicitur vna negatiue aut priuatiue, 22.83
Non est vna formaliter & positiue in multis, 23.83
Non obstante singularitate est communicabilis, 26.83
Quomodo duæ naturæ similes sunt vna specie, 37.85
Natura specifica vnius induidui habet vnitatem similitudinis tantum cum natura alterius indiuidui eiusdem naturæ, 9.86
Naturæ vniuersalis duplex vnitas, 51.88
Cur natura cuiuslibet indiuidui non est ex se multiplicata, aut multiplicabilis, 43.86
Quomodo natura vniuersalis debet esse vna in multis, 45.87
Datur natura vniuersalis, 58.89
Nulla datur extra singularia, 59.89
Vide Vniuersale.
Omnis natura multiplicabilis habet esse talis ex ratione sua formali, 24.119
Specifica perfecte præscindit à singularitate, 27.129
Humana quomodo completur à Verbo, 74.910
Dimissa à Verbo esset alia substantia ab illo absque aliquo positiuo, 121.918
Quomodo nõ deprimitur vnione ad Verbum, 137.921
Non fuit personata ante vnionem, 138.922
*Nebula* quid, 34.711
*Necessitas* antecedens & consequens, 98.485
Necessitas specificationis & exercitij quid, 37.279
Necessarium quotupliciter potest aliquid esse, 113.77
*Negationum* & Priuationum distinctio, 18.13
Non sunt entia rationis: nec fiunt talia, 19.13
Negatio potest esse perfectior proprietas, quam positiuum oppositum, 8.183
Quomodo posset esse proprietas absolutè, 23.186
Non potest poni de nouo absque positione, vel ablatione positiui, 68.262
Potest habere causam cur competat subiecto, 5.449
*Nihil* fit ex Nihilo, quomodo intelligendum, 34.414
*Nimbus* quid, 34.711
*Nix* quomodo fiat, ibidem
Est vere alba, & an distinguatur specie à nube, ibidem
*Nomen* quid, cur casus obliqui non sint nomina, 6.1
Nomina adiectiua an sint termini cathegorematici, 2.9
*Notatio quid*, 23.4
*Nubes* quid, 35.711
*Nutritio* duplex, quid proprie dicta, 1.674
Datur proprie dicta, 2.675
Quomodo fit, 4.675
An distinguatur à generatione essentialiter, 5.675
Eâ acquiritur noua pars materiæ & formæ, 7.676
Nutritiua actio non distinguitur realiter ab augmentatiua, 14.657
Non nutriuntur immediate omnes partes minimæ, 20.678
Qualis motus est augmentatio, talis nutritio, 22.679
Fit successiue & continue, 23.679
Etiam nutritio hominis, 26.680
Nutritio non est actio tam immanens, quam sensationes, 4.755
Nutritiua potentia non distinguitur realiter ab augmentatiua, 2.754

O

Obiectum complexum & incomplexum scientiæ quid, 1.50
Incomplexi varia nomina, ibidem
De eodem variæ speciescientiæ haberi possunt, 2.50
Quid obiectum formale & materiale scientiæ, 4.51
Obiecti materialis quæ ratio formalis determinatiua, ibidem
Quid obiectum formale, 6.51
Idem potest esse obiectum formale & materiale, ibidem &12.877
Omnis distinctio scientiarum non prouenit ab vllo obiecto, 8.52
Vna scientia habere potest obiecta plura specie,ibidem
Obiectum adæquatum & attributionis scientiæ est idem, 11.52
Eius conditiones, 2.52
Non est nec perfectissima, nec vlla ex speciebus infimis consideratis in scientia, 13.53
Quodnam censendum obiectum adæquatum, 15.53
Quomodo debet continere omnes veritates scientiæ, 19.54
Quomodo superius obiectum potest,& non potest reduci ad inferius, 17.53
Obiectum adæquatum Logicæ est modus sciendi, aut syllogismus, 21.55
Cur oratio non sit obiectum adæquatum eius, 23.55
Non omne latius patens debet esse obiectum adæquatum, 24.55
Idem potest esse obiectum adæquatum partis & totius scientiæ, 29.56
Quomodo debet esse necessarium, 30.56
Nullum obiectum Logicum dicit per se ens rationis necessario, 44.58
Omnia obiecta Logica non habent vnam rationem sub qua, 101.74
Quamuis posset adhuc Logica includeret partes specie distinctas, 102.74
Ab obiecto quo potius specificari deberent scientiæ qua ratione sub qua, 103.74
*Oculi* structura, 1.773
Quid sensorium eius, 2.774
Corporeus cur nequeat videre Deum, 136.493
Non est quæcumque fuga rei, 6.304
*Odor* est qualitas secunda productiua alterius similis, 53.782
Defertur intentionaliter per medium, ibid.
Est obiectū adequatū olfactus,& eius descriptio,50.781
Ex qua mixtione primarum qualitatum resultat,56.782
*Olfactus* indiget speciebus, 50.763
Eius sensorium sunt caruncułæ mamillares, 48.781
Eius obiectum vide Odor.
*Omissio* pura libera potest dari, 75.851
Vt dicatur propter finem non sufficit, quod finis proponatur, 85.855
An possit dari omissio bona, 86.855
Ad eius libertatem non requiritur præceptum, 6.315
Omissio actuum, à quibus impediretur voluntas, est inuoluntaria formaliter, sed potest esse voluntaria obiectiue, 8.316
*Opinio* duplex potest esse circa propositionem necessariam, 21.293
Omnis est obscura & potest habere formidinem annexam, 22.293
Actus opinionis nequit esse scientia aut fides, 29.294
Opinionis habitus nequit influere in actum qui non est opinio, 35.295
Opinio & scientia actualis nequeunt naturaliter esse simul, 36.295
Possunt de potentia absoluta, 48.297
Opinionis & scientiæ habitus magis incompatibiles, quam albedo & negredo, 59.299
*Oppositio* propositionum Categoricarum quid, est quadruplex, 121.
Eius leges, 12.3
Oppositio formarum quid,est quadruplex, 2.264
Oratio quid, 6.1
Orationem non faciunt plures voces synonimæ, 7.3
Eius partes debent habere constructionem, 7.4
Eius diuisio, 7.5
Cur non sit obiectum Logicæ, 24.55
Nec vera species Quantitatis.
Eadem numero vera nequit transire in falsam nec è contra, 21.270
Quæ est vera posset esse falsa, 27.271
Cur *Ouis* fugiat lupum, 96.773

P

*Parelia* quid, 26.709
*Pars* in toto,& in tempore quid, 23.6
Quælibet pars essentialis substantiæ habet propriam præsentiam, 36.544
Quænam partes integrales sunt entia completa,33.179
Quæ pars potest poni directe in prædicamento,33.179
Habere partes extensas in ordine ad se,quid est.
Quid in ordine ad locum.
Nec partes spermaticæ; nec solidæ viuentium semper manent eædem, 9.676
Homogeneæ non prius augentur, quam heterogeneæ.
Non omnes minimæ nutriuntur immediate.
Nulla pars assignabilis quæ augeatur secundum se totā.
Partes essentiales separatim existentes habent proprias subsistentias, 160.928
*Participium* cur non sit Verbum, 6.3
*Partus* septimestris cur viuere soleat, non octomestris, 37.873
Paruitatis terminum determinatum non habent corpora non viuentia, 72.584
*Passio* an sit ratio fundandi relationem secundi generis 67.223
Passio vt sic,quid est,& quid correspondens actioni effectiue, 53.258
Passionis descriptio qua producuntur forma educta, & non educta, 54.259
Quomodo vnio subiecti ad formam possit esse passio, 56.259.
Quid passio,& patibilis Qualitas, 28.238
*Passio* sensitiua an possit esse cum virtute morali,24.793
Variæ earum diuisiones, ibidem
Sunt motus vitales, 35.795
Nec inde colligitur recte quod effectiue egrediantur ex suo subiecto, ibidem
Passiones delectationis & tristitiæ, non producuntur effectiue à suo subiecto, 36.795
Passiones appetitus sensitiui. Vide *Appetitus.*
Passiones entis,vide *Ens.*
Agens nequit perfecte sibi assimilare passum nisi penetratum, 22.771
Passum debet habere minorem resistentiam quam sit actiuitas agentis, 18.671
Pater habet ius habendi alimenta à filio, 24.351
Peccatum.Vide actus malus.
Quo sensu Deus non est causa eius,quia est nihil,24.331
Non est contra inclinationē potētię actiuę,nec ad bonū delectabile,aut vtile,sed ad bonum honestū, 29.332
Aliquod peccatum opponitur physice, & Moraliter alicui actui virtutis naturali,& supernaturali,31.332
Non magis tamen Physice, quam alicui actui indifferenti ac malo, 31.332
Peccata opposita rectitudinibus diuersis sunt diuersa, 39.333
Vitandi peccati obligatio non oritur ex obligatione virtutis oppositæ, ibid.
Vnde colligatur malitia peccati, & obligatio eius vitandi, 40.333
Peccata omnia quatenus prohibita præcepto positiuo Dei sunt eiusdem speciei, 41.333
Peccata specie diuersa habent oppositionem cum virtutibus diuersis, 42.334

# & Verborum.


Peccatorum diuersitas specifica aliquando desumitur ex diuersitate obiecti materialis,& superiorum prohibentium, 43.334
Peccata nulla non respicientia Deum merentur ex se pœnam æternam, 46.334
Nec ex eo quod prohibeantur à Deo præcisè, 47.334
De facto mortalia merentur pœnam æternam, 48.335
Omnia non sunt paria nec connexa, 49.335
Quatenus contra legem humanam sunt eiusdem speciei, 50.335
Non semper peccata opposita nobilioribus virtutibus sunt grauiora, 50.335
Quodnam ex peccatis extremis grauius, 53.336
Difficultas operis auget malitiam peccati, 55.336
Etiam motiuum malum operantis, 56.336
Et nocumentum sequens quandoque, 57.336
Ac dignitas personæ offensæ cognita, 59.337
Etiam peccantis, 60.337
Dantur peccata mortalia, 61.337
Et venialia, 62.337
Omnia venialia possent prohiberi sub mortali, quod nõ prohibeãtur Dei misericordiæ adscribendũ, 63.338
Quænam censenda mortalia & venialia, 67.338
Venialia sunt talia ex natura sua supposita ordinatione quæ de facto est, 68.339
An venialia sint contra præcepta,vel consilia, 69.339
An conueniant vniuoce cum mortalibus, 70.339
Non debetur ipsis pœna æterna per accidens, 71.339
Deus non est causa peccati, 74.340
Quo seusu causat ipsum, ibidem
Peccatorũ diuisio in cogitationis,verbi & operis, 83.342
Ac in septem Capitalia, 99.345
Aliæ peccatorum diuisiones, 105.346
*Perfectionis* inæqualis non sunt vlla individua eiusdem speciei, 77.140
Prius cognoscimus aliqua esse dissimilia quam inæqualis perfectionis, 32.120
Æque perfectum non necessario potest producere aliud, 38.122
Perfectio maior non semper desumitur ex minori dependentia, 25.536
Perfectio essentialis infinita nequit esse in vlla creatura, 25.536
Datur status quoad perfectionem essentialem in speciebus, 29.537
Perfectus nequit produci ab imperfectiori, 29.467
*Perfeitas* substantiæ est quid positiuum, 4.182
Non est relatio aptitudinalis, 9.183
Eius vera explicatio, 11.184
Personæ duæ diffinitiones conueniunt, 58.907
Eius & suppositi differentia, ibidem
Dicit plures incommunicabilitates, quam vt persona, 65.908
Quomodo vlla cognosci possit non bene describitur esse incommunicabilis vlli extrinseco, 65.909
Aliqua incommunicabilitas non competens ipsi competit omni naturæ singulari, ibidem
Vera definitio eius, 68.909
Incommunicabilitas ipsius particularis quæ, 67.909
Malæ explicationes eius, 60.908.& fol.910
Persona significat etiam naturã, & quid significat formaliter, 110.917
An persona creata posset assumere alienam naturam, 133.921
Natura personari potest duobus modis, 68.909
Personalitas & suppositalitas posset esse eadem entitas, 57.907.
Effectus positiuus personalitatis nequit assignari, 104.916
Ab ipsa non habet substantia modum oppositum modo accidentis, ibidem
Cur non sit positiua sicut diuina, 115.917
Quomodo diuina supplet creatam, & ipsam consumpsit, 120.918
An faciat vnum per se cum natura creata, 139.922
Natura suppositata positiuo, posset assumere alienam, 133.921
Personalitatem distinctam à singularitate non agnouit Philosophus, 80.911
Nec ratione probari potest, 82.911
Creata distinguitur realiter à natura, 84.912
Non est quid positiuum, 91.913
Si esset positiua esset forma substantialis, 98.915
Quod non distinxerint illam à natura, hæreticis erat causa errandi, 85.912
Absque personalitate natura singularis esset completa positiue, 101.915
*Phantasmata* cur requiruntur necessario ad intellectionem, 49.816
Concurrunt cum intellectu ad illam, 76.824
*Physica* habet obiectum adæquatum distinctum à Metaphysica, 8.374
Quodnam eius obiectum adæquatum, 4.374
Quænam eius ratio sub qua, 20.377
Angeli non sunt considerationis ipsius, 4.374
Non est scientia quoad omnem partem, 27.380
Est speculatiua, 28.380
Non est vna simplex qualitas, 31.380
An subalternetur Metaphysicæ, 32.380
*Pisces* an habeant mem oriam, 2.867
*Planetæ* lucem principalem habent à Sole, 72.625
Habent motum particularem, 77.625
*Pluuia* quomodo fit,3.711. *Pollux* quid, 18.708
*Polypi* mutationes an sint alterationes, 8.651
Absque *posteriori* posset conseruari prius, 68.395
*Potentia* vna cur sufficit ad plures conclusiones, 106.75
Potest respicere plures rationes formales specificantes diuersas potentias, 9.70
Potentia naturalis quæ est de qualitatis Prædicamento non identificatur rei, 21.248
Potentia naturalis & impotentia non distinguuntur specie, 26.238
Disparitas inter potentiam & rationem quantum ad respiciendos diuersos terminos, 90.227
Potentia nulla sensitiua facit ens rationis, 71.42
Potentia obedientialis actiua & passiua quid, 118.489
In quibus debet poni.
Passiua ad aliquas formas datur, 120.489
Etiã actiua,sed non in qualibet re ad quãlibet, 124.490
Potentia susceptiua formæ substantialis & accidentalis an distinguantur, 95.399
Quid est potentia susceptiua, 13.387
Potentia materiæ,vide *Materia.*
An intellectus sit potentia vitalis, 20.720
An locomotiua, 22.720
Non subiectatur potentia vitalis in corpore & anima simul, 179.754
Potentiæ sensitiuæ tres & quomodo distinguuntur à subiecto, 1.755
Potentia nutritiua & augmentatiua non distinguuntur realiter, ibidem
Generatiua nõ eõsequitur animã vegetatiuã vt sic, 3.755
Generatiua & sensitiua non identificantur, 3.756
Potentia sensitiua est receptiua sui actus & productiua, 6.756
Potentia materialis an potest percipere obiectum spiritale, 33.760
Potentiæ sensitiuæ internæ indigent speciebus, 52.764
Non faciunt cum ipsis vnum per se, 54.764
Potentia sensitiua interna vnica tantum in animali ponenda, 3.788
Quomodo potentiæ specificantur ab actibus & obiectis, 166.151
Possunt specificari ex subiectis, & per actus respicientes eadem obiecta, ibidem
Materialis potentia sensitiua non subiectatur in solo corpore, 173.652
Nec in sola anima, 176.753

Non distinguuntur potentiæ realiter per distinctionē à potentiis specie distinctis possunt prouenire actus eiusdem speciei, 165.752
Obiectorum, 169.752
Potentiæ cognoscitiuæ internæ est organum, 6.789
Potentiarum vitalium quatuor genera & quinque gradus, 98.537
Praxis quid, 77.67
Cur constructio domus sit praxis non vero syllogismi, 88.69
Eadē cognitio potest esse practica & speculatiua, 94.70
Quæ non potest, 91.70
Scientia confectiua trianguli est practica. Vide Scientia
*Præcognitiones* duæ requisitæ ad demonstrationē, 2.283
Et Præcognita tria, 3.283
*Præcurrentia* quæ, 24.13
*Prædicabilitas* in actu signato & exercito 9.103
*Prædicabile* aliquod datur, quod non sit formaliter vllū ex quinque, 56.89
Non omne prædicabile de multis est vniuersale aliquod ex quinque in ordine ad quæcumque, 65.113
*Prædicari* in quid duobus modis intelligitur, 23.106
Quid prædicari vt forma, 8.93
*Prædicamēta* quomodo debēt esse primo diuersa, 15.175
Sunt distincta realiter, 18.176
Omne Prædicamentale est quid reale positiuum, & finitum, 23.177
Quomodo Deus possit poni in Prædicamento, 25.177
Quod ponitur directè in illis debet esse vnum per se, 26.177
Completa solum ponuntur directe, incompleta indirecte, 30.178
Quęnā pars potest poni directe in Prædicamēto, 31.179
Substantiæ ponuntur in Prædicamento in concreto tantum, 37.179
Accidentia vero in concreto & abstracto, 38.179
Non sola vniuersalia ponūtur in Prædicamēto, 45.180
Conditiones requisitæ vt aliquid ponatur in Prædicamento, 46.180
In iis ponuntur Angeli & cœlestia corpora, ibidem
An Christus in eo directe ponatur, 50.181
Prædicata superiora ab inferioribus possunt separari intentionaliter, 17.31
Prædicatum essentiale omne creatum debet esse multiplicabile, non vero essentiale vt sic, 31.107
Prædicata contradictoria quando possunt competere eidem rei simplicissime, 19.249
Quæ talia arguunt distinctionem formalem 24.943
Prædicatio identica & formalis, 79.93
*Præsentiam* propriam habet quælibet pars essentialis & accidens absolutum, 36.544
Præsentia intima non est vnio.
Quid Præstor, 33.711
Principiorum primorum descriptio, 2.381
Duo sunt principia corporis naturalis in facto esse, tria in fieri, 12.383
An conueniant vniuocè, 17.374
An sint contraria, 21.384
Quæ sunt *priora* aliis positiue & negatiue.
Prius potest esse absque posteriori, 68.395
Quot modis aliquid est alio prius, 7.265
Priuationum & negationum distinctio, 18.32
Non sunt entia rationis, 19.33
Quæ aliis positiue & quæ negatiue priora
A priuatione an fiat regressus ad habitum, 3.264
Non est natura, 29.454
Ad eam quid requiritur, 2.424
Præcedit naturâ, non necessario tēpore effectum, 7.425
Per suum non esse principiat, 10.425
An ad probabilem conclusionem necessitetur intellectus, 24.293
Prodigalitas quid, 101.345
Quæ productio arguit distinctionem realem.
Duę productiones considerabiles in prima productione rei, 17.252
*Proiecta*; vide *motus*. cur velocius mouētur in principio, 22.596
Propinquum esse quid est. 70.262
Quid proportio Arithmetica & Geometrica, 32.352
Propositio non est modus sciendi, 7.3
Quid est & eius variæ species, 10.1
Quid eius materia & quantitas, 11.13
Quid eius qualitas essentialis & accidentalis 11.15
Propositionum modalium, qualitas & quantitas, vnde desumenda, 15.1
Quæ sunt æquipollentes & oppositæ, 15.3
Quid propositio exponibilis exclusiua, exceptiua, reduplicatiua, 16.1
Propositionum incertarum varia genera, 23.6
Quæ est vera, posset esse falsa, 27.271
Veritas & falsitas sunt accidentia eius, ibidem
Est vna simplex qualitas, 31.272
Quid propositio de omni, ad eam duplex vniuersalitas requiritur, 13.285
Propositionum æquipollentia. vide *Æquipollentia*.
Propositio de vniuersali quando est, 14.286
Quid propositio probabilis, 22.2
In quo consistit veritas & falsitas eius, 29.171
Proprij quatuor acceptiones.
Proprium quarto modo solum est quartum prædicabile, 3.157
Proprij, quod est quartū Prædicabile descriptio, 12.159
Propriū omne est realiter identificatū subiecto, 16.160
An sit species infima Vniuersalis, 28.162
In ordine ad quid constituitur in esse Vniuersalis, ibidē.
Prudentia quid, 16.349
Dictat de fine & mediis, 17.349
Non est simplex qualitas, 18.349
Eius actus, ibidem
Partes integrantes subiectiuæ & potentiales, 27.20
Pruina quid, 37.712
Pudor quid, 33.195
Pueri cur non sint capaces rationis, 51.817
Cur aptiores sint ad actiones animales, quā rationales, & cur maturius sapientes non diu viuant, aut postea minus sapiant, 38.87
Qualitatis descriptio assignata à Philosopho; eiusque difficultas, 1.234
Non sola modificat, aut disponit substantiam, 4.334
Vera descriptio eius, 9.335
Est perfectior quantitate, 12.236
Quatuor species eius assignatæ à Philosopho, 13.236
Descriptio qualitatis primæ speciei, 18.237
Qualitas secundæ speciei describitur, 25.238
Quid qualitas tertiæ speciei. 29.239
Non datur qualitas quartæ speciei, 34.239
Qualitas adæquata diuiditur in prædictas species, sed non vt genus in species, 36.240
Alius modus eam diuidendi, 38.240
Eius Proprietates, 40.240
Quod subiectum eius. 79.445
Qualitatis intensio. Vide Intensio.
Qualitatum primarum descriptio, 23.691
Quatuor tantum sunt, ibidem
Sunt reales & positiuæ, 26.692
Omnes symbolicæ sunt eiusdem speciei, 38.695
Vide elementum.
Descriptio *Quando*. 59.260
Est relatio extrinsecus adueniens, 60.260
Probabile est, quod non sit relatio.
Quid *Quantitas* virtutis & molis, 1.194
Descriptio quantitatis, 2.195
quænam diuisibilitas illi competit, ibidem num. 3
quid est eam esse mensuram, 5.195
Ratio formalis eius non est esse mensuram actualem, aut aptitudinalem, 10.196
Quo sensu mensuratiuitas est de essentia eius, 11.197
Esse diuisibile in partes extēsas nō est essētia eius, 13.197

Diuisibilitas per interiectionem corporis est proprietas eius, ibidem
Extendere partes substãtiæ nõ est ratio formalis, 15.197
Nec habere partes extra partes siue in ordine ad se, siue ad locum, 16.298
Non posset extendere substantiã indiuisibilem, 27.200
Non est quod facit impenetrabile cum alio eiusdem speciei, 38.202
In quanã extensione cõsistit ratio formalis eius, 39.202
Distinguitur realiter à substantia, 47.203
Quomodo defendi posset quantitas non distingui à substantia, 61.206
Expellit alia à loco formaliter, 50.206
Datur quantum per se & per accidens, 65.206
Quomodo Quantitas quanta, ibidem
Discreta non est vera species Quantitatis, 68.207
Quid continua & successiua Quantitas, 77.208
Successiua non est vera species eius, 78.208
Bene diuiditur permanens in lineam, superficiem, & corpus, 81.209
Quantitatis proprietates, 84.210
Non est principium Indiuiduationis, 31.130
Quo sensu potest esse principium diuisionis, 35.131
Est imperfectior Qualitate, 12.236
Quantum est terminus æquiuocus, 66.207
Quantitas nequit intendi, 42.659
Non subiectatur in toto animato, 50.440
Subiectum eius, 55.441
Non subiectatur in Qualitate, 73.444

R

Rarefactio quomodo distinguitur ab augmentatione, 29.681
Non fit absque acquisitione nouæ quantitatis, vel noui modi, 30.681
In ipsa non deperit quantitas præexistens, 37.683
In ea requiritur noua quantitas, 39.683
Non sine nouo subiecto, 42.684
Quomodo fit, 47.685
In qua actione consistit, 52.687
Rarum potest esse corpus duobus modis, 28.680
Rationalitas cur nequeat intelligi sine sensitiuitate.
Non prædicatur de animali directe, 82.93
Reactio datur secundum eandem partem & contrarietatem, 32.671
Reductio ostensiua, & ad impossibile quid, 21.1
Reduplicatus sensus.
Regulæ anteprædicamentales.
Regulæ figurarum, 19
Reflexio quomodo fit, 9.669
Relatio Prædicamentalis & transcendentalis, 2.210
Prædicamentalis capitur dupliciter, 6.211
Quid Relatio secundum dici, & secundum esse, ibidem
Definitio Relationis Prædicamentalis, 7.211
Cur ab ea exclusæ relationes extrinsecus aduenientes, 9.212
Quæ requiruntur ad Relationẽ prædicamentalẽ, 11.212
Transcendentalis non requirit terminum actu existentem, 14.213
Prædicamentalis requirit, 15.213
Et etiam extrinsecus aduenientis, 16.213
Dantur Relationes Prædicamentales, 20.214
Non consistunt in vno extremo in recto, & altero in obliquo, 25.15
Nec in solo fundamento, 32.16
Est accidens distinctum realiter à fundamento ergo inhærens, 35.217
Relationes mutuæ & non mutuæ, 61.221
Relationes primi, secundi & tertij generis, 15.61.221
Vnde sumitur specificatio relationum, 71.223
An ad multiplicationem termini multiplicetur relatio, 75.225
Ad quid terminatur Relatio, 91.217
Vt dicit esse *ad* est quid reale, 99.229
Vna fundat al... 107.231
Quid est summun ...ius Relationis, 119.233
Proprietates Relationis, 121.233
Ad Relationes non datur motus, 44.530
Dantur Relationes extrinsecus aduenientes, 2.241
Eius descriptio, 8.242
Sex vltima Prædicamenta sunt talia, 11.243
Quæ non debet præsupponere terminum, 42.249
Ad quas non datur Actio, 5.242
Quomodo idem possit habere correlationes, 5.265
Relatio rationis non sequitur ad actus vitales, 38.35
Ad fundandam relationem realem sufficit esse intentionale, 51.38
Relationum realium tria genera, 64.41
Quid Religio & virtutes ad eam reductæ, 56.356
Res significantur immediate per voces, 16.269
Quid rei abstractiuè cognitæ esse intentionale, 51.38
An res cognoscantur prius quoad gradus superiores, vel inferiores, 16.809
Respiratio quid, & à qua parte animæ causatur, 28.872
Quomodo est motus difformis, 30.872
An sit liber & quibus animalibus competit, ibidem
An sit prior expiratione, 33.873
Restrictio quid, 5.16
Res quid, 37.712

S

Saccharum quid 38.712
*Sanguis* non animatur, 138.746
Nec continuatur aliis partibus, ibidem
*Saporis* descriptio, 59.783
Sciendi modus quid, 7.1
Tres tantum sunt, 7.3
*Scientiæ* descriptio bona, 2.288
De quibus haberi possit, 11.291
Scientiæ ac fidei eadem incompatibilitas ac opinionis & scientiæ, 28.294
Vnus actus nequit esse sciẽtia & fides, aut opinio, 29.294
Sciẽtia & opinio nequeũt esse simul naturaliter, 36.295
Possunt de potentia absoluta, 48.297
Scientia & error cur nequeant esse simul, 50.297
Cum scientiæ actu potest esse habitus fidei, 51.297
Quid scientia subalternans & subalternata, 60.299
Conditiones subalternantis, ibidem
Absque ea nequit esse subalternata, 64.300
Ad scientiam non sufficit certitudo moralis, 67.300
Quomodo est scientia vna omnium scibilium, 77.303
Tot sciẽtiæ distinctæ quot distinctę cõclusiones, 78.303
Scientiæ vnitatẽ non probat ratio vna sub qua, 83.304
Ratio formalis quæ iuuat ad scientiarum distinctionem, 85.304
Quomodo scientiæ specificantur à ratione formali *quæ* 87.305
Scientiæ metaphysicæ cur faciunt vnam scientiam distinctam à Physica, 95.306
Sientia totalis quomodo spectat ad Prædicamentum, 110.76
Specificari potius deberet ab obiecto formali quo, quam à retione sub qua, 103.74
Potest acquiri absque demõstratione artificiali, 117.77
Totalis potest haberi absque logica, 118.77
Potest haberi scientia dę ente per accidens, 14.191
Scientiæ obiectum. Vide obiectum.
Nulla alia scientia vtitur logica, 56.61
Omnes cognitiones spectantes ad scientiam non sunt scientiæ, 67.65
Scientiarum totalium multæ cognitiones subordinantur, multæ non, 104.74
Ad vnam scientiam non spectant cognitiones omnes probabiles.
Scientia vna posset dari de ente, & omnibus speciebus eius, 9.789
Ad identitatem scientiarum non sufficit conuenientia in abstractione, ibid.

Datur scientia de rebus naturalibus 25.379
*Semen* non informatur anima, 149.748
Humanum non est animatum, 40.803
Non producit animas effectiue, 43.804
An destruatur producto corpore, 45.804
Non requiritur immediate ad producendum ipsum, 47.804
Bene ad constituendum integraliter, ibidem
Semen matris tam actiuum quam patris, 48.85
*Sensationes* possent conseruari sine obiectis, 39.761
Obiectum habet esse sensibile potius à terminatione, quam à productione sensationis, 13.756
Quid sensibile proprium & commune, 13.756
Sensibile positum super sensum, an impedit sensationem. 20.758
Sensibilia communia non imprimunt proprias species, 88.771
*Sensus* agens distinctus à patiente non datur, 11.756
Sensus quandoque decipit intellectum respectu proprij & communis obiecti, 14.757
Causa illius deceptionis, ibid.
Errat circa proprium & commune obiectum, 17.757
Nõ læditur à sẽsibili excellẽti quatenus sẽsibile, 28.759
In sensu externo datur dolor & delectatio, 82.787
Sensus externi an perfectiores in brutis, quam homine, 55.782
Sensus materialis nequit percipere vbicationem formalem, 78.43
Quid esse in sensu formaliter & occasionaliter, 15.31
Sensus materialis reflectit virtualiter, 72.42
Non percipit aliquid impossibile, 75.43
Quid sensus specificatiuus.
Minus *separabilia* possunt esse minus vna.
Quid est aliquid sequi aliud ex natura rei, 38.36
Significare & consignificare tempus quid, 6.2
*Quid signum*, 2.266
Quid signum Instrumentale, 8.267
Diuiditur in naturale & ad placitum, 10.267
Per quid constituuntur, 11.267
Non prius respicit rem significatam, quam potentiam, 13.268
Signum ex instituto non cõstituitur relatione actionis, 14.268
*Simile* nequit agere in simile, 1.677
*Similia*, 24.16
*Similitudo* cur non sit ens rationis, 52.38
Ad similitudinem quæ vnitas prærequiritur, 41.86
*Simul* quot modis sunt aliqua, 8.265
Situs quid sit, 73.263
Non est modus absolutus, nec denominatio extrinseca, nec respectus ad locum, ibidem
*Somnium* quid, quomodo sit & in qua parte, 13.869
*Somnia* naturalia quomodo causantur, 18.870
Quomdo possint significare futura, 22.871
Quomodo quis periculum facere possit de veritate somnij. 23.871
Somnia à Deo immissa sunt vera, sed negligenda, nisi sciatur esse à Deo, 24.871
Somnia immissa à diabolo possunt esse vera, sed non credenda, ibidem
Somnia de futuris disparatis negligenda, 27.872
Somnus quid, 3.867
Quomodo fit, 6.868
Competit omnibus animalibus, ibid.
*Sonus* an obiectum adæquatum Auditus, 34.779
Non defertur ad ipsum realiter 36.779
Nec per species successiue productas eo trãsacto, 37.780
Cum bis auditur successiue, multiplicatur realiter, & quomodo, 39.780
Non est qualitas partim permanens, partim successiua, 42.780
Non producit species prius in vno loco & postea in alio, 43.781
Cur non tam cito auditur quam videtur lux, ibidem
Producitur in aëre tanquam in subiecto, ibidem
Aqua recipit species eius, 46.781
Ad ipsum requiruntur tria corpora realiter distincta, 47.781
*Species* primo & secũdo intentionaliter accepta, 20.105
Animal vt prædicabile de duobus hominibus præcise non est species, 64.113
Genus eadem aptitudine respicit species & indiuidua, 62.113.
Speciei subijcibilis definitio, 2.115
Quomodo subijcitur generi, 3.115
Per ordinem ad quas species definitur genus, 6.116
Speciei prædicabilis definitio, 9.116
Subijcibilis vt sic, non dicit vniuersalitatem, aut prædicabilitatem, 15.117
Prædicabilis non exigit subijcibilitatem, 17.118
An inuoluat vniuersalitatem, 12.118
An debeat esse realiter in multis, 22.118
Species omnes an inæqualis perfectionis, 26.119
Differẽtia necessario dicit ordinem ad speciem, 12.147
Potest per duas differentias definiri, 47.153
Cur est ens completum, 36.179
Datur status in speciebus quoad perfectionem, 29.537
In aliquibus datur processus in infinitum, 34.538
Ad specificam distinctionem non requiritur notabilis differentia, 91.143
Quomodo dans esse dat specificationem, 75.224
Iis indiget visus, 42.762
An sint magis materiales, quam visio, 47.762
Non est eiusdem naturæ cum obiecto, 53.764
Nec faciunt vnum per se cum potentia, 56.764
An sit similitudo formalis obiecti, 59.765
An videatur in speculo, 64.766
Ad ipsam terminatur cognitio abstractiua, 58.763
Dari potest species impressa Dei, 69.767
Externæ sunt diuisibiles in essendo & repræsentando, 71.768
Possunt esse diuisibiles intensiue, 74.768
Earum causa totalis est obiectum, 75.768
An sint eo perfectiores, 76.769
A quo producitur species interna materialis, 78.769
Species proprias non imprimũt sensibilia communia, 88.771
Species insensata non datur, & quid, 93.772
Species sensibiles denominant suum subiectum, 18.776
Species intelligibiles an dentur, 22.810
Semel acquisitæ nunquam perduntur, 34.812
Quæ causa earum. ibidem
*Speculatiua* & practica potest esse vna cognitio, 94.70
*Spes* quid, 32.795
*Spiritus* varie capitur, 23.721
*Spirituale* obiectum nequit percipi à potentia materiali, 33.760
Indiuisibilitas non est de ratione spiritualis accidentis, 32.72
Spiritualis substantia. Vide substantia.
*Status* quid, 5.15
Stellæ errantes sunt distinctæ speciei inter à se & à fixis, 69.624
Quantus numerus fixarum, 67.624
Fixæ habent lucem à se, 74.625
*Stella* cadens quid, 18.707
*Subiecti* in accidentia diuisio: aliquid potest esse in diuersis continuatis, 5.937
Illimitatum potest esse in subiectis realiter distinctis, 6.937
Subsequentia quæ, 24.15
Totalis est composita, 155.939
Non dantur partiales physicæ, 158.928
Partes essentiales separatæ habent proprias, 160.928
Substantiæ duplex acceptio, 2.182
Quid prima & secunda, 1.181
Quid substantia genus summum, 3.182
Eius perfectas est quid positiuum, 4.182


An

An possit per respectum explicari, 8. 83
Non per respectum sustentandi accidentia, 9.183
Vera explicatio eius, 11.184
Qualis diuisio eius in primam & secundam, 13.184
Cur substantia prima magis substantia, quam secunda, 21.186
Substantiæ proprietates, 22.186
Habet partes extra partes in ordine ad se & locum, 16.198
Possunt partes eius vniri cum ordine tam bene, quam partes quantitatis 25.199
Distinguitur realiter à quantitate, 46.203
Ponitur directe in Prædicamento in concreto Metaphysico, 37.179
Substantia simplex potest habere actiones immanentes, & transeuntes, 6.612
Substantia aliqua mixta posset esse incorruptibilis, 16.614
Substantia spiritualis quid, 31.723
Quid illa, quæ ponitur in Prædicamento, 36.724
Spiritualis composita non argueret maiorem perfectionem Vniuersi, 18.799
Non habet non inhærere à modo superaddito, 61.908
Producit aliqua accidentia in alieno subiecto, 34.473
Non omnia, 35.473
Non se sustentat, nec habet à personalitate modum oppositum accidenti, 104.916
Datur ad ipsam motus, 40.529
Substantia immaterialis nõ est obiectum Metaphysicæ, 9.877
Substantia attingit immediate productionẽ substantiæ, 10.467
Producit in se aliqua accidentia, 31.472
*Superficies* non includit essentialiter lineam, nec sic includitur in corpore, 82.209
Est species infima & forte non est quid cõpletũ, 83.210
*Superius* quid est, 116.100
Quomodo reduci possit ad inferius, 17.53
Cur prædicabilitas ipsius non conueniat inferiori, 101.97
Suppositio quid & eius variæ species, 4.1
*Suppositi* & personæ differentia, 57.907
Quænam est incommunicabilitas eius, 60.98
An sit prima substantia, 113.917
An sit vnum per se, ibid.
An perfectius natura singulari, 129.920
An actiones sint suppositorum,
Vide *Persona*.
*Suppositalitas*. Vide Personalitas.
Sydera discurrentia, quæ, 18.707
Sydus volans quid, ibid.
*Syllogismus* quid, 17.1
Eius materia remota medius terminus, extremitates, 18.1
Eius materia proxima, forma, figura, modus, & figura simplex, 18.3
Syllogismus bonus, quot modos habere possit, 18.5
Syllogismi species, 22.1
Nulla consequentia formalis, nisi syllogismi, 18.3
Quid dicit formaliter, 48.59
Quomodo de syllogismo per syllogismum potest haberi scientia, 73.66
Syllogismus vt sic est vniuocus respectu demonstratiui & Topici, 43 280
Non est vero genus respectu illorum, 44.280
Syllogismus falsigraphus non est verus, 46.280
Tria genera eius. 25.1
Syllogismus expositorius regulatur per dictum de omni, & de nullo, 59.282

T

TActus potest percipere sensibile supra se positum 22.758
Non indiget speciebus, 51.763
Organũ eius diffunditur per carnem & neruos, 60.783
Distinguitur realiter à gustu nisi in lingua, 63.784
Non sunt duo tactus in qualibet parte corporis, 65.784
Quod obiectum adæquatum ipsius, 68.785
Non solum interna, sed externa qualitas ab ipso percipitur. 69.785
Potest sentire qualitatem æqualis intentionis cum inhærente, 73.785
*Tangibile* vt moueat intentionaliter, non debet mouere realiter, 76.786
*Temperamentum* mixtorum quid, 83.704
Quid ad iustitiam & ad pondus, ibidem
*Temperantia* quid, 64.358
Potest subiectari in voluntate, 11.348
Partes subiectiuæ eius, 64.358
*Tempus* intrinsecum non distinguitur realiter à re successiua, 28.567
Extrinsecum est necessario successiuum, 34.568
Omnis motus successiuus est tempus, 35.568
Motus primi mobilis est tempus vniuersale, ibid.
Tempus extrinsecum est quid reale, 37.569
Téporis vnitas non requiritur ad vnitatẽ motus, 36.528
Termini definitio, 1.1
Cur subiectum & prædicatum vocetur terminus, 1.4
An debeat actu terminare propositionem. ibid.
Diuisiones variæ termini, ibidem
Terminus concretus quid dicit formaliter, 3.19
Terminum actu existentem non petit relatio transcendentalis, 14.213
Talem petit omnis alia relatio, 15.213
Terminus Motus, vide motus.
Terminus generationis, vide Generatio.
Quæ corpora habent terminum determinatum magnitudinis ac paruitatis, 72.584
Terra non mouetur cœlo immobili, 78.625
Quomodo grauitat, 79.703
Ei conuenit summa siccitas & caliditas infra summum, 35.694
Terræ motus quomodo fit, 54.714
Timor quid, 32.795
Tonitru quid & vnde, 17.707
Totum nequit à Deo produci absque concursu materiæ & formæ, 45.464
Totum physicum per se distinguitur à materia & forma vnitis, 3.432
Est quid compositum includens partes secundum proprias rationes, 17.434
Inter ipsũ & partes datur distincto realis mutua, 21.435
Totum integrale quid, 23.435
Non distinguitur à partibus, 25.436
Nec totum per accidens, 28.437
Totius variæ acceptiones & diuisiones.
*Transmutatio* potest dari absque eductione, non sine inductione, 19.244
*Iustitia* quid, 32.795
Non causatur effectiue à subiecto, 37.795
*Typhon* quid, 33.711

V

QVid Vacuum terminatum & interminatum, 1.557
Potest dari supernaturaliter, nõ naturaliter, 3.557
Causæ impedientes, 17.559
Motus impediens vacuum quid, 21.560
Ad ipsum impediendum non frangitur vas, & 47.685 26.561
*Ad Vbi* non datur motus, 44.530
Vbi replicatiuum Accidentis absoluti à quo producitur, 87.553
Absque vllo vbi posset res creari, 22.542
Vbi non est denominatio extrinseca, 62.260
Est relatio extrinsecus aduenies, 64.261
An possit dari absque termino reali, 66.261
Absque vbi positiuo nequit poni indistantia, 69.262
Eius diuisiones, 71.262
Ventus quid & à quo generatur, 27.710
An sit halitus calidus & siccus, 30.710

A quo

# Index Rerum,


A quo mouetur exhalatio quæ est ventus, 32.711
*Verbum* quid, 6.1
Cur participium non sit verbum, 6.3
Verbum mentis, vide Intellectio,
*Veritas* propositionis. Vide Propositio,
Veritas est secunda passio entis, 4.929
Non est negatio entis falsi, 13.932
Nec denominatio extrinseca, ibid,
Quid sit ibid. num. 15.
Distinguitur formaliter ab ente, ibidem
An sit respectus, 19.933
*Vigilia* quid, 3.867
*Virga* quid, 26.709
*Virtus* moralis quid, 2.346
Maxime conducit habitualis ad felicitatem naturalem 35.313
Virtus sensitiua est indifferens ad bonos & malos habitus, 3.346
Non omnis virtus habet medium, 7.347
Non semper obligat ad vitandum malum oppositum, 39.333
Circa eius medium & extremum potest peccari, 7.347
Quo sensu quælibet habet medium, 8.347
Quæ virtus habet extrema vitiosa, 9.347
Eius diuisio in quatuor Cardinales, 14.348
Virtutum connexio, 66.358
*Visus* impeditur à sensibili posito supra ipsum, 21.758
Indiget speciebus, 42.762
An visio sit magis immaterialis, quam species, 47.762
*Vita* duplex, 1.717
Quid est, 2.717
Vitæ cõceptus cõmunis Deo & animãtibus datur, 9.718
Et omnibus viuentibus creatis, ibidem
Quid ad ipsum requiritur, 14.719
Ad vitam in actu secundo non requiritur vt producatur à viuente, 16.720
Ad operationes vitæ per se concurrit frigus, 40.874
Vnde prouenit longitudo & breuitas vitæ, 42.874
Vitales actus nõ intẽduntur per plures gradus, 55.661
Vitalis potentia. Vide potentia.
Vitiosus habitus. Vide habitus.
*Vitium*. Vide peccatum.
Viuens dupliciter capitur, & quæ censentur viuentia, 1.717
Omnibus & solis non datur conceptus communis vniuocus, 6.718
Sed bene omnibus viuentibus creatis, 10.718
Quid Viuens positũ in Prædicamento substãtiæ, 21.720
Viuentium quatuor genera, 96.736
Quæ partes sunt de primaria constitutione eorum, 148.748
Ipsorum Generatio. Vide Generatio.
Viuentis corpus debet esse organicum, sed hoc non necessario ponendum in eius definitione, 34.734
Viuens quomodo idem toto tempore vitæ, 11.677
Viuentia habent determinatum terminum magnitudinis, & paruitatis, 72 584
Vngues non animantur, 158.748
*Vnio* est respectus extrinsecus aduenies, 26.429
Ad quod prædicamentum spectat, 29.429
Duplex datur in quolibet composito, 31.430
Vnio animæ est est spiritualis, 38.431
Et diuisibilis, 32.723
An producatur à creatura.
Vniones partiales distinctę an inter se vniantur, 40.431
An possit poni vnio in materia sine vnione in forma, 41.431
Non est de essentia compositi, 40.439
An sit effectus materiæ, 23.464
Vnio materiæ est causalitas eius, 27.460
Vnio formæ est causalitas eius, 41.464
Est quid distinctum à rebus vnitis, 12 426
Non est indistantia, nec intima præsentia, 19 428
In quo sensu potest esse terminus Generationis, 22.641
Per vnionem hypostaticam non deprimitur natura 137.921
Ante ipsam nõ fuit de facto personata natura, 138.922
Cur distinguatur vnio à toto composito, 8.937
Non potest vnio vniri per aliam vnionem, 112.232
Vnio subiecti ad formam est passio, 56.259
Producitur à causa efficienti, 56.259
Vnio non substantiatiua non producitur à materia per causalitatem distinctam, ibidem
Vnitas est prima passio entis, 4.929
Ab ipsa res non habet esse determinatæ naturæ, ibid.
Quomodo explicatur per multa, 6.929
Quid vnitas formalis & materialis, 8.80
Vnitatem vniuersalem nõ accipit natura ab intellectu, nec est ficta, 12.81
Nec est denominatio extrinseca, 14.81
Non tollitur per singularitatem, 21.82
Vnitas similitudinis sufficit ad vniuocationem, 38.86
Et ad vniuersalitatem, 39.86
Quæ vnitas præsupponitur tanquam fundamentum similitudinis, 41.86
Vnitas naturæ vniuersalis est duplex. 51.88
Vnum per se cur sequitur ex materia & forma, 1.431
Duo entia incõpleta possunt facere vnũ per se, 31.390
Quomodo de quocumque vno potest dici quod sit vnũ cum aliis, aut distinctum ab illis, 36.85
Vnum quid sit, 7.80
Minus vna possunt esse minus separabilia, 77.396
Vnum vt sic quid, 6.929
Quomodo explicatur per multa, ibidem
Nihil manens vnum eo modo quo ante, potest diuidi, 26.83
Vniuersale vt sic est obiectum Isagogis Porphyrij, 1.79
Est multiplex, ibidem
Vniuersale in essendo cur vocatur metaphysicum, & in prædicando logicum, 2.79
Vniuersalis Metaphysici descriptio, 3.73
Vniuersale vt sic non debet esse quid completum, sed prædicamentale, 4.79
Cur essẽtia diuina nõ sit vniuersalis, sicut est solis, 5.80
Vniuersale est nomen concretum, 6.80
Vnitas & aptitudo sunt de essentia eius, 6.80
Non habet vnitatem fictam, neque ab intellectu, 12.81
Quomodo debet esse vnum in multis, 48.87
Quam aptitudinem existendi in multis requirit, 48.87
Eius aptitudo datur à parte rei & est respectus, 49.87
Quomodo distinguitur aptitudo ipsius ab vnitate, 51.88
Debet esse aptum in esse multis realiter, 52.88
Datur à parte rei natura, quæ potest denominari vniuersalis, 58.89
Vniuersale Metaphysicum quo sensu datur à parte rei, 62.90
Quo actu fit natura vniuersalis, 63.90
Non intelligitur vt vniuersalis per omnem actum quo fit, ibidem
Quo actu consideratur vt vniuersalis, ibidem
Quinque tantum species eius, 103.97
Vniuersalis logici descriptio, 68.91
Natura Vniuersalis abstrahitur à singularibus per intellectum agentem & possibilem, 69.91
Dupliciter comparatur ad singularia, 69.91
Non fit vniuersalis Logice per vllã abstractionẽ, 71.92
Vniuersale Logicum quomodo debeat esse in potentia proxima ad prædicationem, 74.82
Non fit per comparationem iudicatiuam, sed simplicem, 76.92
A qua secunda intentione denominatur, 77.93
Quinque tantum species Vniuersalis Logici, 105.98
Quomodo possit admitti maior numerus, 111.99
Non datur Vniuersale, quod sit Genus ad omnia vniuersalia Metaphysica, 112.99
Quomodo Vniuersale est Genus & species, 114.100
Ad Logicum requiritur cognitio specierum, 52.111
Nõ sola Vniuersalia ponũtur in Prædicamentis, 45.180

Vniuocum potest esse, quod per se conuenit vni & per accidens alteri, 115.100
Vniuocorum descriptio, 6.165
Non debent esse de essentia Vniuocatorum, ibid.
*Volitio* libera quomodo distinguitur à necessaria, 35.528
Volitio quid, 38.842
Non posset facere volentem absque cognitione, 13.836.
Volitionum diuersitatem non arguit diuersitas cognitionum, 17.837
Ad supernaturalem posset sufficere cognitio naturalis, & ad naturalem supernaturalis, ibid.
Quando diuersitas cognitionum arguit diuersitatem volitionum, 21.836
Quid efficax & inefficax, 38.842
Non necessario distinguuntur specie, 39.842
Volitio inefficax cur dicitur conditionata, 64.842
Potest versari circa quodcumque impossibile, 43.843
Volitio efficax finis non causat intentionem identificatam electioni, 48.844
Volitio faciendi opus illicitum ex conditione, quod non esset illicitum non est mala, 90.343
Nec volitio emolumenti prouenientis ex opere illicito, 91.343
*Voluntas* non potest positiue ferri nisi in bonum vel malum, 1.834
Non distinguitur realiter ab anima, 156.749
Datur in illa appetitus concupiscibilis & irascibilis 15.791
Non potest velle nisi bonum, nec nolle nisi malum, 4.834
Malum directe non vult, 1.835
Dependet in volendo à cognitione, 12.836
Adæquatè causat suum actum, 14.836
Est libera, 23.839
Potest considerari vt voluntas & libera, 28.840
Est libera qua actiua, 29.840
Circa finem & media, 33.841
Actus eius nō est liber ex natura intrinseca eius, 56.846
Nullos actus elicitos non liberos habet pro hoc statu, 60.848
Nequit necessitari ad producendam volitionem, 67.849
Potest necessitari moraliter à Deo, 72.850
Est perfectior intellectu, 91.856
Est capax habitus, 11.859
Quomodo appetitus ipsi subditur, 18.782
Quomodo producit motum localem, 21.792
Non facit ens rationis, nec dat esse obiectiuum rebus, 81.44.
Quomodo facit ens rationis secundum Scotum, 8.44
Quomodo Deus possit ipsam necessitare, 72.850
Est capax Temperantiæ & fortitudinis, 11.348
An possit velle malum & nolle bonum, 5.307
Potest velle & nolle, quod non proponitur, neque vt bonum, neque vt malum, 8.307
Potest impediri ab actibus elicitis & imperatis, 8.316
Non potest violentari, aut cogi ad actus elicitos, 11.316
Quomodo potest necessitari ad actus elicitos, 10.316
Voluntarium quid & eius diuisiones, 3.315
Actus voluntatis habitus ob metum est voluntarius simpliciter, 12.317
Et qui habetur ex concupiscentia, 13.317
Voluntarium augetur & minuitur à concupiscentia, 14.317
Actus procedens ex ignorantia antecedenti non est voluntarius, 15.317
Nec procedens ex concomitanti, 16.317
Procedens ex ignorantia sequenti, seu libera, est voluntarium in causa, 17.318
*Voragines* quid, 26.709
Vox quando accipitur materialiter & formaliter, 32.57
Quando supponit simpliciter, aut personaliter, 5.9
Habet rationem rei, & vt sic spectat ad Logicam, 32.57
Per se primo significat res non conceptas, 16.269
Significat etiam conceptus, 18.269
Vsus non distinguitur realiter ab electione, 53.846

## INDEX ADDITIONVM.

1. Additio. De descriptione entis rationis, pag. 28
2. An dentur entia rationis, 31
3. De secundis intentionibus, 49
4. De obiecto adæquato, 54
5. De logica vtente & docente, 63
6. De identitate scientiæ speculatiuæ & practicæ, 72
7. De vnitate scientiæ totalis, 76
8. De natura actionis, 251
9. De signo, 268
10. De obiecto Physicæ, 378
11. De Priuatione, 425
12. De vniuocatione entis realis & rationis, 880
13. De præcisione & distinctione entis vt sic à finito & infinito, 889
14. De contractione entis vt sic per modos, 891
15. De modis intrinsecis, 896
16. De esse creaturarum ab æterno, 905
17. De incommunicabilitate suppositi & natura personalitatis, 923
18. De vnitate entis, 930
19. De veritate entis, 933
20. De distinctione reali rei à modo, 938
21. De distinctione formali, 955
22. De æqualitate perfectionis specierum, 958
23. De natura vniuersali, 959
24. De principio Indiuiduationis, 963
25. De Inhærentia Accidentis, 965
26. De subiectione Accidentis corporei in subiecto spirituali & spiritualis in corporeo, 966
27. De inexistentia Accidentis in pluribus subiectis, 970
28. De creatione Accidentium supernaturalium, 971

*FINIS.*

POLITICUS

Th
947a